Digitized by Google

296
M. E. 1 p. 125

#.
Estius

(Guillaume)

20183

GUILIELMI
ESTII

S. THEOLOGIÆ DOCTORIS
ET IN ACADEMIA DUACENSI
PRIMARII PROFESSORIS,

Ejusdem Univerſitatis Cancellarij, Regijque bonorum Paſtorum Seminarij Præſidis;

ANNOTATIONES
IN PRÆCIPUA AC DIFFICILIORA
SACRÆ SCRIPTURÆ LOCA

Nova Editio Correctior omnibus præcedentibus, ob adjunctos Indices Concionum & Controverſiarum in Editione Pariſienſi omiſſos & in Editione Francourtenſi, additiones quæ erant ponendæ ſuis locis, in hac Impreſſione ſunt ſuis locis inſertæ.

Acceſſerunt novæ huic Editioni Annotationes in Omnes D. Pauli Epiſtolas itemque in Epiſtolas Canonicas ex vaſtiſſimis ejuſdem Eſtij commentarijs depromptæ per F. NORBERTUM D'ELBECQUE *S. Th. Doctorem, & ejuſdem ac ſacræ Scripturæ profeſſorem, Regentemque. Primarium Studij Generalis Montenſis Ordinis Prædicatorum.*



ANTVERPIÆ,

Apud VIDUAM ET FILIUM IOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN, viâ vulgò Cammerſtraet, ſub ſigno duarum Ciconiarum. M. DC. XCIX.

Cum Gratia & Privilegio

ADMODUM REVERENDO

E T

AMPLISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ
TOURNEUR

CELEBERRIMÆ ET PER-ANTIQUÆ ABBATIÆ

S. DIONYSIJ

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS BEATÆ MARIÆ

IN BELGIO

·EX· BIBLIOTH ·PUB· COLLEG. LUGDUN.

A D

MONTES HANNONIÆ

ABBATI MERITISSIMO

REGIS CATHOLICI

ARCHI-SACELLANO

DOMINO TEMPORALI

D'OBOURG, WARTON, OBRECHIES, SAISINES &c.

Admodum Reverende & Ampliſſime Domine

DUm Tibi nuper ad Inſulas Abbatiales pro ingenti tuo mèrito promoto applaudunt univerſi, confluuntquè certatim gratulabundi; accedo & ego non alio licet nomine fretus, quàm communis omnium gaudij, & intimæ cujuſdam neceſſitudinis quâ me ſpecialiter jam pridem & hactenus Tibi iungi non dedignaris. Gratulor itaquè Tibi vir meritissime ac dignissime Præsul, & affectu cordis intimo plaudo, quòd poſt tot exantlatos in Ordine tuo labores, poſt Officia Oeconomi providiſſimi, ac Prioris vigilantiſſimi aliaque munia pluribus annis ſumma cum prudentia ac ſedulitate impleta, tandem ſuffragantibus in Electione Canonica Monaſterij veſtri Religioſis (*quod eſt per oſtium intrare in ovile*

ovile ovium, inquit Bernardus) & approbantibus quotquot tua præclara merita norunt, atque in primis nominante POTENTISSIMO ET CLEMENTISSIMO DOMINO NOSTRO REGE CATHOLICO, ad ſummum in eodem Ordine tuo gradum provectus ſis. Quo futurum nullatenùs dubito ut res temporales Monaſterij veſtri bellorum ferro flammaquè ſævientium injuriâ detritæ ac prolapſæ releventur quantocyus reſtituanturque. Res verò ſpirituales, Obſervantia, inquam, Regularis & Diſciplina Monaſtica, magis ac magis promoveantur: Si tamen (abſit verbo aſſentatio) magis poſſint promoveri; cùm eas, propè ad miraculum, hiſce nempè calamitoſis temporibus, quibus dilabentibus Monaſterijs, diſciplinam quoque diſſolvi, ac, eheu! ferè interire videmus, eo tamen in flore ac vigore fovisti & continuiſti, toto quo ſeſqui-quiennio Prior vigilantiſſimus ei præfuiſti (Digniſſimo Prædeceſſore tuo ob res publicas foris agente) ut videri poſſit ad eas addi poſſe nihil aut deſiderari. Rem compertam loquor, & à me non ſemel admiratam, dum totâ licet Patriâ, ob bella ſæviſſima, in confuſione poſitâ, nihil tamen de obſervantia regulari, de abſtinentia perpetua à lino, & à carnibus, de ſilentio continuo, de jugibus Dei Laudibus noctu diuque decantari ſolitis, de orationis ac mortificationis ſtudio ferventiſſimo, de profuſa in Peregrinos & advenas hoſpitalitate, de largiſſima in pauperes liberalitate, & cæteris ſanctæ Religionis exercitijs atque officijs, nec hilum apud vos remiſſum vidimus. Perges, VIR ZELOSISSIME, hæc ſancta cuſtodire, & ſiquid addendum videris, addes qua nunc vales ampliſſima auctoritate portans pugno Pontificale Pedum; quô nempè, inquit D. Thomas Supplem. q. 40. art. 7. *ſignificatur cura Paſtoralis, quâ Prælati debent colligere vagos, quod ſignificat curvitas in capite baculi, ſuſtentare infirmos, quod ipſe ſtipes ſignificat baculi, & pungere lentos, quod ſignificat ſtimulus in pede baculi: Unde verſus:* COLLIGE SUSTENTA, STIMULA; VAGA, MORBIDA, LENTA. Porrò gratulationis meæ argumentum non ignobile defero, offeroquè AMPLISSIMÆ DOMINATIONI VESTRÆ, *Celeberrimi*, dico, ESTII *Annotationes in loca difficiliora Scripturæ Sacræ*, ex ejuſdem in Epiſtolas S. PAULI Commentarijs à me auctas, ſeu ſuppletas. Nec ulli Opus iſtud planè egregium potuit offerri convenientiùs quàm TIBI. Illud enim explanat veteris ac novi Teſtamenti loca inſigniora difficilioraque: At verò *Mitra*, quâ modò ornaris, & quam tuis ipſe exornas virtutibus, *ſignificat ſcientiam utriuſque Teſtamenti*, quâ pollere debent Eccleſiæ Prælati, *unde & duo cornua habet*, inquit D. Thomas loc. cit. Atque in ea ſcientia verſaris aſſiduè. Spirat paſſim hoc Opus Doctrinam Thomiſticam, quam uſquè adeò zelas, ut tuorum exemplo Deceſſorum, aliam in Monaſterio tuo tradi non patiaris. Nempè, id compertum habes: Nullam eſſe eâ Doctrinâ Eccleſiæ commendatiorem, nullam ſecuriorem, nullam utiliorem, nullam emendandis moribus aptiorem, nullam fovendæ promovendæque Regulari Diſciplinæ accommodatiorem: Quippè, quemadmodum probè noſti, longè illa poſita à laxitatibus (quas nuperi quidam Theologi in Eccleſiam invexere) ad normam Evangelicam & Sanctorum decreta ritè compoſita eſt. Accipe igitur, ADMODUM REVERENDE ET AMPLISSIME PRÆSUL, acceptiſſimum Tibi munus, utiliſſimi Operis jugi lectione delectare, ipſumque commenda tuis Subditis tamquam ipſorum promovendis Studijs optimis opportuniſſimum. Me autem cum ſumma veneratione illud TIBI offerentem habere perge

ADMODUM REVERENDÆ ET AMPLISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ

Montibus Hannoniæ
Pridie Idus Ianuarij,
Anni Reparatæ ſalutis, 1699.

Humillimum & obedientiſſimum Famulum
F. NORBERTUM D'ELBECQUE *Ord. Præd.*

CANDIDO

CANDIDO LECTORI
GASPAR NEMIUS.

SOlebat Author quo tempore Regio Duacenſi Seminario præſideret, ex lectis de more ad menſam Scripturæ Sacræ capitibus, unam, alteramve ſententiam inſigniorum, ad fidei vel morum doctrinam pertinentem, alicui è Seminarii alumnis, qua quærendo, qua objiciendo proponere, eamdemque poſtea, quatenus opus erat, pleniùs explicare. Ne verò quidqoam non præmeditatum io medium adferret; mirum dictu quanta cura ac diligentia diceoda annotare, & in adverſaria referre ſit ſolitus. Neque primis dumtaxat annis eam curam adhibuit; ſed & poſterioribus ab bac conſuetudine non receſſit. Atque hinc factum eſt, ut ſuccedentibus temporibus ad unum eumdemque Scripturæ locum, non rarò, plures, interdum etiam (ſecundis curis, quæ ſapientiorea volgo dicuntur, priores emendantibus) in ſpeciem contrariæ occurrerent anootationes. Ex bis ante annos circiter ſeptem delectæ fueruot, & in lucem emiſſæ, quæ prælo digniores videbantur, prætermiſſis non paucis, quæ vel manus ſcribentis effugerant, vel certè minus elaboratæ cenſebantur. Quin & Vir quidam egregiè doctus, ex illis ipſis annotationibus, quæ tum impreſſæ ſunt, quædam binc inde tamquam minus neceſſaria reſecavit: Et non pauca quæ Autbor fuſiùs, ſive uno, ſive pluribus locis propoſuit, in compendium redegit: Idque ſtudens brevitati & Lectoris commodo, nec ſine magno labore.

Verùm, ut non omnium eadem eſt ſententia, bi ejus laboris non placuerunt viris quibuſdam gravibus, & illis inprimis, quorum conſilio & authoritate, tam prior iſta, quàm hæc poſterior editio, fuit ſuſcepta præcipuè quòd illa ſie contracta, obſcuriora, & à ſtylo ac conſueta Autboris claritate aliena viderentur. Unde & ſtatim, etiam ante abſolutam priorem operis impreſſionem, fortiter ab ipſis actum eſt, ut pleraque quæ prætermiſſa fuerant, quoque modo reliquis adjicerentur. Ceſſi & acquievi tantorum Virorum conſilio; eorumque voluntati ſatisfeci, quâ parte res adbuc integra erat: Nimirùm in edendis annotatiooibus io novum Teſtamentum, quæ dum bæc agerentur, nondum eraot impreſſæ, imò nec omninò collectæ aut concinnatæ. Ac prætereà pollicitus ſum, me quoque ipſis quoad reliqua facturum ſatis in ſecunda editione, quam quandoque futuram, non leves ſuſpicio erat, aut vana ſpes.

Quod ergo tum promiſi, modò preſtò, meamque fidem libero novâ hâc editione; in qua quid præſtitum ſit ex jam dictis utcumque intelligi poteſt. Nempe nulla, aut certa perexigua facta eſt additio ad notas in novum teſtamentum: Adeoque omnis acceſſio & innovatio contigit circa Teſtamentum vetus. Nam in recenti hac novaque impreſſione, ex Authoris ſcriptis ſcediſque additæ ſunt plurimæ annotationes in idem vetus Teſtamentum, quæ prætermiſſæ fuerant in prima editione Duaceoſi: Atque etiam in Colonienſi an. 1622. Deinde verò annotationibus tum impreſſis ex ijſdem Autboris ſcriptis non pauca ſubinde ſunt inſerta, & addita. Quin & frequenter indicata ſunt loca, ubi Author eadem in alijs ſuis operibus pleniùs pertractat.

Deoique totum opus ſic auctum, & novæ buic editioni præparatum, relegit & recenſuit Excell. D. M. N. Barth. Petrus, atque annotationibus quibuſdam illuſtravit, additâ ubi bâc nota, *Additio B. P. Cenſoris*: Quæ ubi legitur, referenda eſt, non ad omnia quæ pro explicatione loci illius dicuntur, ſed ad ea pauca quæ immediatè præcedunt.

Quòd ſi verò, etiam poſt novos bos labores, in his, alijſque, quæ exſtant ejuſdem Authoris lucubrationibus, aliqua fortè inveniantur inter ſe non omnino conſona, ſicut natum eſt fieri in ijs operibus, quæ ultimam Authoris manum deſideraot: Ea cenſeaotur ex meote Authoris eſſe, quæ poſteriora; boc in ordine, ut quæ continentur Commentarijs in Epiſtolas Apoſtolicas, quibus immortuus eſt, præferantur ſcriptis in Magiſtrom Sententiarum; bæ verò Annotationes medium locum teneaot. Earum enim non paucæ priores ſunt Commentarijs in Magiſtrum, quædam etiam poſteriores; Pleræque verò temporis ſunt intermedij. Porro de Autbore, viro numquam ſatis laudato, plura qui volet, legat Cl. V. Andreæ Hoij elogium Commentarijs in Epiſtolas præfixum.

Et nova buic editioni acceſſerunt Annotationes in omnes D. Pauli Epiſtolas itemque in Epiſtolas

Canonicas ex vaſtiſsimis ejuſdem Eſtij commentarijs deprompta per F. NORBERTUM D'ELBECQUE *S. T. D. &c.*

APPROBATIO.

HAs Eximij M. N. GUILIELMI ESTII laudatiſſ. mem. in Sacra Biblia veteris ac novi teſtamenti Annotationes, quibus is loca difficiliora paſſim explicuit, diligenter perlegi: Et à prioris impreſſionis erroribus, qui plerique operum erant, ſedulo repurgatas, ac plurimis ejuſdem Authoris, & quibuſdam noſtris additionibus inſtructas; hiſque modis huic editioni præparatas: Magno Lectorum fructu, nullâ fidei vel bonorum morum noxa, iterum excudendas cenſui. Antverpiæ, 25. Februarij Anno M.DC. LXXXII.

P.V. HALMALE *Canonicus*
Antverpienſis & Librorum
Cenſor.

TENOR PRIVILEGIJ.

CAROLI II. Hiſpaniarum Regis Catholici, Ducis Brabantiæ &c. Privilegio cautum eſt, ne quis citrà VIDUÆ IOANNIS BAPTISTÆ VERDUSSEN voluntatem, libros quibus tituli ſunt, GUILIELMI ESTII in quatuor libros ſententiarum commentaria in folio 4. tomi, ejuſdem in Epiſtolas Pauli in folio 3. tomi & ejuſdem in præcipua & Difficiliora loca S. ſcripturæ Annotationes in folio 1. tomus Imprimat, aut alibi locorum impreſſos in has inferioris Germaniæ Ditiones impottet, venaleſve exponat infra ſpatium novem Annorum. Qui ſecus faxit, confiſcatione Librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, prout latius patet in litteris datis Bruxellis.

D. N. GUILIELMI

D. N. GVILIELMI ESTII ANNOTATIONES IN GENESIM.

IN principio creavit Deus cælum & terram. Auguſt.lib.11.de civit. Dei cap.6. Litteræ ſacræ, inquit, ita dicunt, in principio Deum feciſſe cælum & terram, ut nihil ante feciſſe intelligatur, quia hoc potius in principio feciſſe diceretur, ſi quid feciſſet ante cetera cuncta, quæ fecit. Hæc ille. Eſt ergo ſenſus, *In principio*, id eſt, omnium primo. Vide noſtra in 2. diſt.1. & 12. Atque adeo & iſtud Ioan.1. *In principio erat verbum*, hunc ſenſum habet: Verbum erat, & ante verbum nihil aliud fuit. Tantùm obſerva diſcrimen, quòd de Verbo dicitur (*erat*) & de cælo & terra (*creavit.*) Etenim Verbum eſt æternum; utpote ante quod nihil B aliud fuit (nam Deus eſt & erat Verbum:) At verò ante cælum aliquid quidem fuit, ipſe Deus creator: nihil tamen aliud fuit ante illud, creatum. *Neque poteſt eſſe* ſenſus litteralis (*in principio*) id eſt, in filio, quia ſic etiam ſtellæ & herbæ & beſtiæ, ceteraque omnia poſſent dici creata in principio: ſed ſcilicet Scriptura voluit ordinem rerum creatarum exprimere. Alij exponunt *in principio tempore*; quod diffitendum non eſt, ſi intelligamus mundum creatum in ipſo temporis initio, id eſt, in, & ſimul cum primo inſtanti, à quo tempus univerſum fluere cœpit.

Creavit. Græcè eſt ἐποίησεν, id eſt, fecit. Nec facienda vis eſt in verbo (*creavit*) quaſi ſignificet aliquid ex ni- C hilo facere; nam in Hebr. idem vocabulum etiam eſt infra, ubi dicitur, *Creavitque cete grandia*; quæ ſine dubio facta ſunt ex præexiſtente materia. Nihilominus, cælum & terram ex nihilo facta eſſe, convincitur manifeſtè ex illo verbo (*in principio*:) quia ſcilicet nihil ante factum eſt; Itaque nec præexiſtens materia.

Cælum & terram. Nomine cæli & terræ, intellige ſimul omnia quæ in eis ſunt. Sic enim hoc exponitur Exodi 20.v.11. Itaque & Angeli ſimul cũ viſibili iſto mundo creati intelliguntur. Unde & Pſ.148. ipſi omnium primi numerantur inter ea quæ laudant Dominum de, vel in cælis: ſed Moſes ſcilicet angelorum nõ meminit, ut notat (S.Aug.l.12. confeſſ.c.17. & alij) D quia ſcribebat rudibus Iudæis, illius ſecretioris doctrinæ angelorum parum capacibus. Et quidem multi Patres Græci, tradunt angelos aliquamdiu creatos ante mundum corporeum; ſed tandem Concilium magnum Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap.1. definivit, Omnipotenti Dei virtute mundum & Angelos ſimul ab initio temporis de nihilo eſſe condita. Vide noſtra in 2.diſt.2. *At verò* quomodo potuerit cadere Diabolus, qui in tanta perfectione erat creatus; explicabitur ſimul cum lapſu primi hominis, infra cap.3.v.5.

℣.2. *Terra autem erat inanis & vacua*. In Hebr. eſt, *ſolitudo, & inanitas*. Per quod ſignificatur terram in-

A cultam, & plantis & animalibus vacuam fuiſſe. Secundum Septuaginta interpretes (*inviſibilis erat & incompoſita*) nempe inviſibilis propter tenebras, & aquam, quâ undique tegebatur; incompoſita verò, quia inculta, ut modò dictum eſt. Non verò quaſi cælum & terra generalem tantùm aliquam, & communem formam haberent, quod fingunt Gentiles; & nominatim Ovidius, de ſuo chao. Nam diſtinctè hic, ut videmus, cælum, vocatur cælum; & terra, vocatur terra: utiquè diſtinctis ſuis formis ſubſtantialibus. Vide noſtra in 2. diſt.12.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi. Abyſſus intelligitur vel immenſa profunditas aquarum, vel potiùs B immenſa ac profundiſſima illa moles, ex terra ſimul & aqua conſtans; cuius ſuperficiem (quia lux nulla adhuc creata erat) tegebant denſiſſimæ tenebræ: videlicet aërem univerſum occupantes. Et rectè Aug. lib.1. de Geneſ. contra Manichæos c.4. notat tenebras nominari, non ut creaturam aliquam; (non enim dictũ eſt, *Fiant tenebræ*) ſed ut privationem eius perfectionis, qua corpus creatum carebat, quæque paulò pòſt producenda erat. Eatenus tamen dici poteſt *Deum creaſſe tenebras*, quia fecit diaphanum corpus, id eſt, capax luminis, ſed tamen ſine lumine. Et hac ratione dicitur in Cantico trium puerorum: *Benedicite lux & tenebræ Domino*, & Pſalm.73. *Tuus eſt dies, & tua eſt nox*, C & Iſaiæ 45. in perſona Dei: *Ego formans lucem, & creans tenebras*. Vide noſtra in 2. diſt.13.

Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Quæritur quis ſpiritus intelligatur? an Spiritus ſanctus? an verò ſpiritus ſeu flatus aliquis corporeus? Hebræorum quidam de flatu corporeo intelligunt, Id eſt de vento à Deo excitato, qualis intelligitur in Pſ.147. *Flabit ſpiritus eius & fluent aquæ*. Alij per ſpiritum Dei ventum magnum intelligunt, phraſi Hebraica, ſicut mons Dei pro monte magno, & cedri Dei pro cedris magnis & altis. Cùm enim Hebræi magnitudinem alicuius rei ſignificare volunt, adjiciunt hoc nomen *Deus*. Iuxta hanc expoſitionem, quâ ſpiritus intelligitur ventus, jã D non modò terram & aquam, verùm etiam tertium elementum, quod eſt aer initio Geneſis expreſſum habemus. Quid enim aliud eſt ventus quàm aër motus? Nam ventulum etiam flabello excitamus: ſed qui fit ab occultis cauſis, & magna ſpatia pertranſit, ventus vocatur, ut bene docet Aug. lib. de quantitate animæ c.4. Ceterùm Eccleſiaſticis ſcriptoribus ferè placet, ut intelligatur de Spiritu ſancto tertia in Trinitate perſona, ſed tamen cum alluſione quadam ad flatum corporeum, ut hic ſit ſenſus: ſpiritus divinus agitabat ſeſe ſuper aquas (Hebraicè ſonat *incubabat aquis*) id eſt, fovebat ſubſtantiam illam aqueam ſimul & terream; (Aqua enim univerſam terram operiebat) fovebat au-

tem ad litteram, ſed futuram rerum germinationem, A quæ tertio die facta eſt, & quæ fit ex permiſtione humorum cum materia terreſtri. Item ſuperferebatur ſicut voluntas artificis fertur ſuper materiam quam formare atque exornare decrevit. Ita S. Aug. l. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 5. & 7. Item ſuperferebatur ſecundùm eumdem Aug. cit. cap. 7. non loco, ſed omnia ſuperante ac præcellente potentia. Myſticè autem intelligitur gratia Spiritus ſancti effuſa ſuper aquas baptiſmi. Unde & Eccleſia eò tempore quo catechumeni ad baptiſmum accedunt, hoc eſt pridie Paſchæ & Pentecoſtes, hanc ſcripturam canit in officio divino.

℣. 3. *Fiat lux; & facta eſt lux.* Probabiliſſimum videtur, per illam lucem intelligi, vel corpus aliquod lucidum, vel potiùs ipſam qualitatem lucis, magna cæli parte diffuſam; Quæ quidem lucida cæli pars, deinde B fuerit inſtar materiæ, ex quâ poſtea in partes diſtributâ, ac veluti in igneos globos condenſatâ, ſol, luna, ceteræque ſtellæ factæ fuerunt. Huic ſententiæ congruentia leguntur apud Dionyſ. de divin. nominibus parte 1. cap. 4. Vide noſtra in 2. diſt. 13.

℣. 4. *Factumque eſt veſpere & mane, dies unus.* *Quæres*, quomodo fuit dies & nox primo triduo, cùm Sol factus ſit primum quarto die? *Reſp.* S. Aug. lib. 11. de civit. c. 7. remotum id eſſe à ſenſibus noſtris; nec ita, ut eſt intelligi à nobis poſſe. Baſilius verò hom. 2. Hexameron exiſtimat lucis diffuſione factum fuiſſe diem, eiuſque contractione noctem. Quod & Damaſc. ſentit. lib. 2. de orth. fide c. 7. Verùm quia iſtiuſmodi contractio lucis præter naturam eſſe videtur, ideoque primæ C inſtitutioni naturæ minus congruens; hinc alij probabiliùs cenſent, lucem illam primordialem orbiculari ſuo motu, quo ſimul cum cælo ferebatur, diem effeciſſe, præſentiâ ſui: noctem verò, abſentiâ: ſcilicet eo modo, quo poſteà Sol ex illa luce procreatus, diem noctemq́ue diſtinxit. Vide S. Thomam 1. p. q. 67. art. 4. ad 3.

℣. 5. *Veſpere & mane.* Omninò hinc colligi videtur, veſperam ſeu *noctem præceſſiſſe* ipſum mane. Sanè Sabbata, aliaque feſta in veteri lege, celebranda fuiſſe à veſpera in veſperam, manifeſtiſſimum eſt, tum alibi tum Levit. 23. Accedit, quod manifeſtè teſtatur Scriptura Exodi 20. & 31. *Sex diebus Deum feciſſe cælum & terram, & omnia quæ in eis ſunt;* & quidem primò omnium cælum & terram: itaque & ante ipſam lucem: ut ex ſupradictis patet. Non ergo lux fuit initium primi diei, ſed tenebræ: *quæ & erant* (ut Scriptura lo- D quitur) *ſuper faciem abyſſi*, antequam ſcilicet lux crearetur. Vide noſtra in 2. diſt. 13.

℣. 6. *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Intelligunt nonnulli veras aquas eſſe ſupra cælum ſydereum: Alij cælum quod vocant cryſtallinum volunt deſignari. Sic Beda initio l. 2. de element. Philoſoph. Vives in comment. l. 11. Aug. de civit. c. 34. & alij. Suntque huc ſpectantia etiam quædam in apocrypho, 4. Eſd. 4. *Sed cùm aſſignari* commodè poſſe non videatur, talium aquarum, eo loco uſus, aut ratio non improbabiliter redditur hic verborum ſenſus: *Fiat firmamentum in medio aquarū, & dividat aquas ab aquis.* Id eſt, abyſſus illa terræ, & aquæ; maximè tamen aquæ, utpote liquida, firmo limite conſtringatur. Eſt autem hic limes, E firmamentumque, aër ille medius inter humidam & aquoſam ſuperioris regionis molem, & aquas marium & fluminum. Nec mirum, firmamentum hoc dici: nam Hebraicè firmamentum *ab expanſione* dictum eſt: aër autem maximè expandi aptus eſt: Deinde, aër, dicitur etiam cælum conformiter aliis ſcripturis. Nam Pſ. 103. poſtquam dixiſſet Pſalmiſta, *Extendens cælum ſicut pellem; qui tegis aquis ſuperiora eius;* continuò ſubiungit: *qui ponis nubem aſcenſum tuum:* Nempe ad ſignificandum per aquas cælo ſuperiores intelligi nubes ſupra hunc aërem ſuſpenſas. *Nec obſtat*, quòd quarto die legantur, ſol, luna & ſtellæ poſita in firmamento cæli, nequaquam in aëre, ſed altioribus planè locis: Nam *cælum multiplex eſt in Scripturis.* Nempe ſic Sancti dicuntur eſſe in cælo, ſc. empyreo: ſol & ſtellæ in cælo ſydereo; & nihilominùs quoque plurimis locis aves vocantur volucres cæli. Ita mox hoc ipſo c. v. 30. 3. Reg. 21. Ierem. 7. Oſee 2. Matt. 8. & 13. & alibi. Et hunc ſenſum ſequitur Pererius, & ante eum Faber Stapulenſis ſuper 2. Petri 3. Nec tamen prior ſententia omninò rejicienda videtur, utpote, quam nec D. Thomas rejicit 1. p. q. 67. Vide noſtra in 2. diſt. 14.

℣. 8. *Et factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus.* Communiter hic ponitur finis operis ſecundi diei: Nempè, ut tertio deinde die, primum ſeparatio aquæ & terræ facta ſit, deinde etiam terra germinârit herbas & plantas. *Sed* incommodum habet ea diſtinctio, eò B quòd ſic bis dicatur de tertio die, illud (*Et vidit Deus, quòd eſſet bonum*) & de ſecundo die, ne ſemel quidem quod tamen operibus ſingulorum dierum alioqui adſcribitur. *Itaque alij non improbabiliter* exiſtimant, uno continuo motu locali factum fuiſſe, ut & ſepararentur aquæ craſſiores, à ſubtilioribus, quæ ſurſum ferrentur: & eædem craſſiores ad loca decliviora deflueren, id eſt, ad cavernas terræ, & valles tunc factas: ſicque terræ ſuperficiem tegerent, & aquarum congregationes Maria nuncuparentur: Ac proinde, non debere huiuſmodi ſeparationem dividi in duos dies. *Attamen*, ſi quis ſecundùm communem ſententiam, aſſignare velit priorem ſeparationem ſecundo diei, & poſteriorem tertio diei, licet: *dummodo* commodam rationem red- C dat, cur bis ad opus tertij diei poſita ſit illa adſeveratio (*& vidit Deus, quod eſſet bonum*) & ad opus ſecundi diei, ne ſemel quidem.

℣. 11. *Et ait: Germinet terra herbam virentem.* His verbis, terræ indita eſt vis proferendi omnia ea, quæ terræ naſcentia dicuntur: idque cū effectu huiuſmodi productionis, de quo ſubditur: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum. Ubi notandum* eſt, ſignanter ſemel atque iterum hîc de ſemine repeti: quod tamen poſtea non dicitur de animalibus, quamvis etiam ipſa habeant ſua ſemina? Nempe, quia herbæ, arbores, aliæque plantæ non egent diverſo ſexu ad producendum ſibi ſimile: ſicut egent animalia: ſed ad eam rem ſufficit eis ſemen ſuum, terræ, tamquam matris gremio, concreditum.

D ℣. 14. *Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora & dies & annos.* Oſtendit in quem uſum facta ſint luminaria cæli. Notiſſimus enim eorum uſus eſt, ut dividant diem ac noctem, menſes & annos: dicuntur autem facta in ſigna & tempora & dies & annos, primùm quia eorū motus varias facit temporum diviſiones ac differentias velut dies, menſes, annos, ver, æſtatem, autumnum & hyemem. Deinde quia tempora plantandi, ſerendi, metendi, navigandi, aliarumque ſimilium actionum ex illorum ortu & occaſu ſumuntur. Ac demum quia ſerenitas, tempeſtas, gelu, pluviæ, venti, aliæque ſimiles cæli mutationes ex aſtris aut certis eorum affectionibus prænuntiari poſſunt. Atque hæc ſigna ſunt de quibus loquitur Chriſtus Matth. 16. v. 2. & Luc. 12. v. 58. E De his item ſignis ſic S. Aug. l. 2. de Gen. ad litt. c. 14. Non illa dicit Scriptura ſigna, quæ obſervare vanitatis eſt: ſed utique utilia, & huius vitæ uſibus neceſſaria, quæ vel nautæ obſervant in gubernando, vel omnes homines, ad prævidendas aëris qualitates per æſtatem, hyemem, & autumnalem, vernalemque temperiem. Hæc ille. Et ſimilia habent Baſil. hom. 6. Hexameron, Ambroſ. item Hexameron lib. 4. c. 7. Et Chryſoſtom. huc loco.

At verò divinationes Genethliacorum nullo modo hic permitti, tum Scriptura ſacra, tum Patres ferè univerſi paſſim docent. Sic Ierem. 10. *Iuxta viam gentium nolite diſcere, & à ſignis cæli nolite metuere: quia leges*

populo-

populorum vana ſunt. Et Iſaias Genethliacos irridens c.41. *Annunciate*, inquit, *quæ ventura ſunt in futurum: & ſciemus, quia dij eſtis vos.* Loca patrum contra hanc vanitatem inſigniora ſunt, Aug. lib. 2. de Gen. ad litt. c.17. ubi dicit Genethliacorum ſigna noſtræ fidei ſanitate reſpuenda, lib. 2. de doct. Chriſt. c.12. & aliquot ſeq. conf. l.7. c.6. in epiſtola ad Ianuarium & hæreſ. 70. quæ eſt Priſcillianiſtarum. Ambr. lib.4. Hexamer. c.6. Chryſ. item hîc Gregorij hom. 10. ſuper Evangel. Quò pertinet etiam quod Epiph. refert de menſ. & pond. Aquilam Ponticum veteris Teſtamenti ex Hebræo interpretem, ob eam maximè cauſam Eccleſiâ pulſum fuiſſe, quòd nativitatum obſervationibus, (*Nata*) ac cæteris divinationibus Aſtrologicis ſtudioſè vacaret. Vide noſtra in 2. diſt. 14. §. 7.

B ℣. 16. *Fecitque Deus duo luminaria magna.* Notandum, ſolem & lunam à Moſe vocari luminaria magna, non quod quantitate ſint ambo ceteris ſtellis maiora: Nam etſi de ſole id verum ſit, tamen de luna Aſtrologi id negant. At neque propterea maiora vocantur, quòd nobis ea intuentibus maiora appareant; hoc enim pacto verum non eſſet, quod hîc Luna vocatur luminare minus; *ſed ſcilicet propter maiorem* luminis ſuper terram effuſi abundantiam. Hîc enim in re, ſicut Sol Lunam, ita Luna ſuperat alias ſtellas.

℣. 17. *Et poſuit eas in firmamento cæli.* Non priùs fecit, & poſteà poſuit, quaſi alibi factas, ſed faciendo eas, fecit ſeu creavit in ipſo cæli firmamento.

℣. 20. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* C Diſputatur, An aves ergo etiā de aqua factæ ſint? Et videtur quòd non. Nam ſic legitur cap. ſeq. v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam.* Itaque de humo, ſeu terra facta ſunt volatilia, ſeu aves; non ex aquis. *In contrarium* tamen facere videntur iſta verba hoc cap. 1. ubi Moyſes ſcribit Deum dixiſſe; *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* Sed ſciendum eſt in Hebræo, etiam in Biblijs Regijs plenius hoc pacto legi: *Reptificent, (ſeu repere faciant) aquæ reptile animæ viventis; & volatile volitet ſuper terram ſecundum faciem firmamenti cælorū.* Cui lectioni & noſtra poteſt conformari, ſi illud (*volatile*) ſit nominativi caſus, quaſi dicatur (*& ſit volatile ſuper terram.*) Nempe, ut diviſim hæc accipiantur, (*producant aquæ reptile animæ viventis.*) nempe, piſces D qui repere dicuntur, quia pedes non habent, & tamen progrediuntur (& præterea: *ſit volatile ſuper terram*) id eſt, prodeant & volatilia ſeu aves formatæ tamen (ut cap. ſequenti pleniùs explicatur) de humo ſeu terra. Vide, ſi placet, hæc pluribus in 2. d. 15.

℣. 22. *Creſcite & multiplicamini.* Obſerva id, quod hîc dicitur ſeorſum beſtiis, & paulò pòſt ſeorſim hominibus, idem c.8. conjunctim dicitur utriſque, & hominibus & beſtiis. Itaque tantùm benedictio eſt, quâ iis confertur fœcunditas, & naturalis propenſio ad opus generationis: nullo autem modo præceptum (quidquid hæretici nonnulli auſi ſint dicere.) Nam beſtiis nullo modo dantur præcepta. Sic & c. ſeq. *Ex omni ligno paradiſi comede;* non eſt præcipientis, ſed poteſtatem conE cedentis; quomodo etiam Moyſes dicit Deut. 14. *Omnes aves mundas comedite,* id eſt, poteſtis comedere. Dicitur quidē illud (*creſcite*) ſonare præceptum, in l. 1. de mirab. ſacræ ſcripturæ, adſcripto D. Aug. ſed, ut omnes docti norunt, non eſt eius liber. Vide noſt. in 4. d. 26.

℣. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Nota has voces plurales (*faciamus*, & *noſtram*) in Deo indicare pluralitatem perſonarū, ſicut & illæ ſingulares (*imaginem & ſimilitudinem*) naturæ unitatem. Sanè hunc locum ad Trinitatis myſterium retulerunt Patres, Hilar. l. 3. & 4. de Trinit. Aug. l. 12. de Trinit. c.6. l. 14. c. ult. Fulgentius de fide ad Petrum c.1. & alij. Quò & illud pertinet Geneſ. 3. v. 22. *Ecce*

A *Adam quaſi unus ex nobis factus eſt*, & inprimis illud c.11. v.7. *Venite deſcendamus.* Nempe quia numquam ad unum dicitur, venite, ſed ad plures. Si ergo unus loquitur ad plures, tres ut minimum ſint, neceſſe eſt. Et nihil eſt, quod Iudæi quidam ſomniarunt, Deum loqui ad Angelos: nam illud nullo modo huic præſenti loco aptari poteſt: nam ſic etiam Angeli eſſent hominis ipſius creatores.

℣. 26. *Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Puta, homo ad imaginē Dei creatus eſt, quatenus (ait S. Aug. l.24. contra Fauſtum c.2.) habet *mentem rationalem*, quâ cognoſcat Deum, & omnibus irrationabilibus eâdem rationis excellentiâ præponatur. Auguſt. ſequitur Proſper l.2. de vita contempl. c.18. *Alij* imaginem referunt ad liberum arbitriū, ut Baſil. hom. 9. Hexame- B ron, Ambr. l.6. Hexameron. c.8. Hieron. in ep. de filio prodigo. *Alij* verò eam conſtituunt in dominio, quod homo ſuper alias creaturas accepit: ut Chryſ. hom. 8. & 9. in Geneſ. & hom. 7. ad pop. Antiochen. Verùm hæ declarationes facilè conciliantur. Nam & libertas arbitrij ab intellectu, velut radice dependet: & dominium effectus quidam eſt eiuſdem intellectus, ac voluntatis & velut propria paſſio ex iis fluens. Vide noſtra in 2. d. 16.

℣. 27. *Creſcite & multiplicamini.* Vide explicatum ſupra hoc eodem cap. v. 22.

℣. 28. *Et dominamini piſcibus maris.* Hoc quidem dominium per peccatum fuit imminutum, nempe, ut beſtiæ quędam ſint homini rebelles; tamen vi aut induC ſtriâ, omnes penè adhuc cogi poſſunt. Unde poſt peccatum infra c.9. ſic homini adhuc dicitur: *Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt. Nota verò* non ſimiliter homini dari dominium in cælum & ſtellas (non enim utitur illis pro ſua voluntate) idcirco ſcilicet, ut ſemper meminiſſet, aliquem ſupra ſe maiorem eſſe, ut illum revereretur. Reliqua ad hoc caput pertinentia explicata reperies in citato ſæpiùs noſtro comm. in 2. Sent.

CAP. II.

℣. 2. **C***ompleviſque Deus die ſeptimo opus ſuum.* Apud Septuaginta legitur (*die ſexto*) Nihilominùs Hebræi, & noſtri etiam rectè dicunt, illum die ſeptimo opus ſuum compleſſe: puta, tunc illum finiviſſe, & incepiſſe ceſſare, nec quidquam novi adjeciſſe. Vide noſtra in 2. d. 15.

D ℣. 3. *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum. Quæritur* quando facta ſit hæc ſeptimi diei ſanctificatio? Nonnulli *Reſp.* eam factam ipſo hoc die: adeoque Deum jam tum legem ſtatuiſſe de ſervando Sabbato, utpote ut eo die, etiam in ſtatu innocentiæ, homines vacarent ſpecialiter externis Sacrificiis. *Sed* contrà, *alij objiciunt* inter alia, ſi ad primævam inſtitutionem pertineret lex Sabbati, non fuiſſet à Chriſto abroganda: tum & Moſes ad maiorem Sabbati reverentiam in Exodo feciſſet mentionem. *Itaque* videtur cum illis ſentiendum, qui dicunt, id quod hoc loco Moyſes commemorat dictum eſſe per anticipationem, & referendum ad tempus, quo Moyſes iſta ſcripſit, ſcilicet poſt datum Decalogum: ut ſit ſenſus idem, qui eſt ſimilium verborum Exodi 20. *Sex diebus fecit DoE minus cælum & terram, & requievit in die ſeptimo, idcircò benedixit & ſanctificavit illum;* Scilicet, tunc, cùm illa Moſes Exodi 20. capite loqueretur.

Ita Tertull. & Cyprian. contra Iudæos, Iuſtinus contra Tryphonem, & poſt eos quoque Beda in Hexamero, *Si quis tamen* contendat illud potiùs ſignificari, quod jam inde ab initio ſeptimum diem Deus ſanctificaverit? poterit id dici hoc ſenſu, quia tunc præceſſit ratio propter quam poſteà dies ſeptimus præ ceteris divino cultui applicaretur. Vide noſtra in 2. d. 15.

℣. 5. *Et omne virgultū agri antequam oriretur.* Sed quomodo creatum virgultum, & non oriebatur? *Reſp.* Aug. l.5. de Gen. ad litt. c.4. & 5. quia creatū illo primo

die potentialiter; ſed non actualiter. At non arbitror A hoc Moyſem apud rudes Iudæos voluiſſe. Simplex ſenſus eſt: Deum feciſſe virgulta & herbas, cùm antea non eſſent.

℣.7. *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Homo duabus conſtat partibus, corpore & anima: & tali anima quæ non educitur de potentia materiæ. Proinde non ſufficiebat dicere, unde corpus procreatum eſſet, ſicut in aliis rebus, ex aqua, vel terra; ſed peculiariter addere oportuit ipſius animæ creationem. Igitur ſeorſim utriuſque partis creatio hac ſcripturâ inſinuatur. Nam ſecundùm corpus *factus eſt homo de limo terræ*, ſicut piſces & aves, de aqua, quadrupedia de terra. De anima autem dictum eſt: *Inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Inſpiravit*, non quòd faucibus ſufflaverit, vel quòd animam hominis de ſua ſubſtantia creaverit, B ſicut olim docuerunt Manichæi: ſed inſpiraſſe dicitur ſpiraculum vitæ, quia ſpiraculum vitæ, id eſt animam fecit. Nam ſpiritus ſeu flatus iſte, quem Deus ſpiraſſe dicitur, eſt ipſa anima hominis. Fecit autem animam hominis non ex præexiſtente materia, ſicut fecit corpus hominis de limo: ſed creavit eam ex nihilo, & creando ſimul corpori eam infudit. Sed quare in faciem dicitur eam inſpiraſſe? quia operationes animæ in nulla hominis parte magis apparent quàm in facie. In ea enim omnium ſenſuum ſedes reperiuntur cùm in reliquis partibus ſolus ſit tactus. Pars igitur principalis pro toto corpore poſita eſt. Vide noſtra in 2. diſt. 17.

℣.8. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum.* C Paradiſum, locũ certum corporalem intelligunt omnes Patres, (præter Origenem, qui alibi, ſic & hîc allegorizantem.) Atque id circumſtantiæ fluminum v. 11. deſcriptorum, aliaque plura prorſus requirunt. Sed variè diſputatum fuit, *ubi ſit, vel fuerit ille* paradiſus? Veteres, *alij* in altiſſimo monte, uſque ad ſupremum aëris, illum conſtituunt; *alij* in regione ignota juxta Zonam torridam; *alij* alibi. Sed veriſimillima opinio videtur à poſterioribus aliquot tradita (quam & ſequuntur Heſſelius in 2. ſent. d. 18. & Pererius hîc) *Paradiſum fuiſſe in finibus Meſopotamiæ, ubi* Tigris & Euphrates in unum alveum confluunt, & iterum, facto aquarum divortio (eſt non longè à Babylone) abeunt in alveos peculiares; à quibus deinde alia duo flumina *Phiſon, & Gehon* derivantur. Alterum enim Armeniam permeans, D Phiſon vocatur, cuius & meminit Eccleſ. cap. 24. Quod nomen etſi apud profanos ſcriptores ita expreſſum non reperiatur, exſtare tamen apud illos videtur nonnihil immutatum. Nam Q. Curtius l. 5. teſtatur Euphratem & Tygrim quodam loco ab accolis vocari Phaſin; & Plinius lib. 6. c. 27. tradit Tigrim findi in duos alveos; atque ubi remeavêre, Paſitigrim appellari.

Porrò quæ ſit *terra Hevilath*, quam circuire dicitur Phiſon, colligi poteſt ex Geneſ. 25. & 1. Reg. 15. Certè Strabo geographus eam regionem collocat in confinibus Arabiæ & Meſopotamiæ. *Ceterum alter fluvius* Arabiam deſertam petit, & Gehon vocatur; cuius item meminit Eccleſ. dicto c. 24. Dicitur autem is *circumire omnem terram Æthiopiæ*, non illius Africanæ, quam longiſſimis ſpatiis perluit Nilus, ſed Aſiaticæ, quæ vi- E cina eſt Arabiæ & Meſopotamiæ. Eſſe enim Æthiopiam quandam *Paleſtinæ* vicinam, facile eſt ex ſacris litteris oſtendere. Madianitæ enim vocantur Æthiopes, Numero 12. Unde & illud in Cantico Abacuc; *Vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quibus adde loca 2. Paralip. 14. & 21. & Pſal. 71. & 86.

At obijcitur contra dictam ſententiã de paradiſo. Nam hinc ſequeretur, inquiunt, paradiſum illum jam non exiſtere, loca enim illa & olim, atque etiamnum commerciis frequentantur, & nullum apparet ibi paradiſi, aut Cherubim ante illum poſiti, veſtigium. Porrò paradiſum illum debere adhuc exſtare, videtur docere Eccl. c. 44. ubi dicit; *Enoch tranſlatum in Paradiſum.* Atque idem de Elia ſimiliter teſtantur multi Patres. Iuſtinus ad Orthodoxos q. 75. 76. & 85. Iren. l. 5. adverſus hæreſes & Tertull. in Apolog. contra gentes. *Reſpondeo*, quod ad Scriptur. Eccl. 44. attinet in Græco codice non nominatur paradiſus; imò nec additur locus aliquis in quem fuerit tranſlatus. Unde & S. Thom. de hac re agens, non ſimpliciter affirmat Enoch & Eliã degere in illo paradiſo; ſed ferè addit; (ut dicitur) vel, (ut creditur.) Ad Iuſtini, Irenæi & Tertull. ſententias, *Reſpondeo*, eos quædam alia iiſdem locis adjungere, quæ Eccleſia non recipit; ut quod in illum terreſtrem paradiſum ductus ſit latro; quodque in eo demorentur omnes juſtorum animæ uſque ad diem judicij: proinde non temerè nos facere, ſi etiam in hoc, quòd volunt paradiſum adhuc exiſtere, ab ijs recedamus. Aſſerunt quidem, vel potiùs referunt & alij Patres hanc ſententiam, ſicut & Scholaſtici plerique, ſed nullo modo tanquam de fide. Vide noſtra in 2. d. 17.

℣.9. *Lignum etiam vitæ &c.* Quare lignum vitæ dictum ſit, patet c. ſeq. ubi dicit Deus de Adam; *Nunc autem ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum. Nempe quòd* immortalitas hominis de ligno vitæ extitiſſet, & non de conditione naturæ. Ita Aug. lib. de Geneſ. ad litter. c. 25. & alibi. Iren. l. 3. contra Hæreſes c. 37. Hilarius in Pſal. 68. & alij. *Non quòd* ſemel ſumptum immortalitatem præſtaret (nam dicit illo Adamum fuiſſe uſum ante peccatum Auguſt. lib. 2. de peccat. merit. c. 21.) ſed quod daturum fuiſſet ſtabilitatem contra vetuſtatem, ut idem Auguſt. loquitur l. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 5. Non igitur unicâ eius ſumptione ſtabilem ſeu perpetuam vivacitatem homo conſecuturus erat; ſed ad vigorem plenæ ætatis conſervandum, ſubinde ac ſæpiùs ei opus fuiſſet eſu ligni vitæ, & ſic immortalitatem ſeu vitam ſtabilem eſus ligni illius præſtitiſſet, ſi homo non peccaſſet: unde ſcilicet dictum Lignum vitæ. Vide noſtra in 2. Sententiarum diſt. 19.

℣.16. *Ex omni ligno paradiſi comede.* Verba ſunt non jubentis ut quidam intellexerunt, ſed dantis poteſtatem. Quomodo etiam Moyſes loquitur ad filios Iſrael Deut. 14. *Omnes aves mundas comedite*, id eſt, poteſtia comedere. Et Dominus in lege Exod. 20. *Sex diebus operaberis, & facias omnia opera tua.*

℣.17. *De ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Quæritur* quare hæc arbor (quæcumque tandem illa fuerit, de quo c. ſeq.) dicta ſit arbor ſcientiæ boni & mali? *Reſpondendum* ad eum modum quo cap. ſeq. ſerpens dixit; *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum*: Nempe quòd ex ſuggeſtione ſerpentis, per comeſtionem ex hac arbore, primi homines voluerint eſſe ſicut Dij, ſcientes bonum & malum; id eſt, quod Dei quandam ſimilitudinem homini inconceſſam, per ſuperbiam appetierint: ita nimirum, ut ſicut Deus omnium habet ſcientiam, nec indiget rectore, nec cuiuſquam ſubditus eſt poteſtati: ſic & ipſi omnia ſcirent, nec ab ullo regerentur, nec cuiquam alteri ſubditi eſſent: ſed independenter ſuo jure atque arbitrio viverent. Ità ferè Auguſt. ſerm. 25. de tempore c. 3. tract. 17. in Ioannem & in Pſal. 68. Vide Commentarium noſtrum in 2. Sent. 19. & 22. §. 3.

℣.17. *In quacumque die comederis, morte morieris.* Agitur de morte corporis, ut patet c. ſeq. ubi dicitur; *donec revertaris in terram.* Fiebant quidem primi parentes per peccatum quoque rei mortis ſpiritualis & æternæ: ſicut dicit Apoſtolus Rom. 6. *Stipendium peccati mors* (ſcilicet mors æterna; ſicut mox ſubjungitur de vita æterna) ſed hîc exprimendũ erat ad maiorem terrorem, etiam de morte corporali. *Deinde*, aliquid levius de morte æterna ſpirituali imaginari potuiſſent Adam & Eva. Legitur quidem Gregorius lib. 5. Epiſt. 14. hanc ſententiam expoſuiſſe de morte animæ: idcircò quòd

non

non eo ipſo die, quo peccarant primi parentes, mortui ſint corporaliter. Sed ea expoſitio ab aliis non probatur; & favere nonnihil videtur Pelagianis, qui non mortem corporis, ſed animæ dicebant ex peccato proceſſiſſe. Senſus igitur eſt; *In quacumque die comederis, morte morieris*; ſcilicet ex tunc neceſſitati moriendi eris addictus. Vide noſtra cit. d. 19.

℣.19. *Adduxit ea ad Adam.* Hoc primum loco interpres poſuit Hebræorum nomen *Adam*, cùm in Hebr. jam ante poſitum fuerit ubicumque in latina verſione legitur *hom*.70. verò nomen *Adam* in ſuperiori ſententia primum poſuerunt, ubi dicitur: *Et præcepit Dominus Deus Adam dicens.* Itaque notandum quod primus homo Adam præter nomen ſpeciei non habuit nomen proprium, ſed appellatus eſt nomine ſpeciei tanquam proprio: quia primus fuit & ſolus creatus. Sic igitur appellatus eſt Adam, id eſt, homo, quomodo primus equus vel canis dictus fuit equus vel canis; non impoſito proprio nomine ad ſingularem hominem deſignandum. Unde hoc loco adhuc verti poterat: & adduxit ea ad hominem, ſicut vertit Pagninus, qui in ſua verſione non nominat Adam ante illum locum in cap. 4. ubi dicitur: *& cognovit adhuc Adam uxorem ſuam*; Quod autem c.5. dicitur: *& vocavit nomen eorum Adam*, rurſum manifeſtè ſignificat hoc nomen Adam impoſitum fuiſſe lingua Hebraica toti ſpeciei humanæ.

℣.21. *Cumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis eius*, Chryſ. hic; *Tametſi*, inquit, *modum, quo hæc facta ſunt, neſciamus; credere tamen debemus, quod voluntati Dei omnia paruerint*, Et ſimilia habet Aug. l.9. de Geneſi ad litt. c.13. & Hieron. in epiſt. ad Philemonem. *Myſterium hoc magnum eſt*, ad Epheſ.5. *Ego autem dico*, ait Apoſtolus, *in Chriſto & Eccleſia.* De quo & Aug. dicto loco; Nempè Adam correptus ſopore ſignificat Chriſtum in Cruce obdormientem, Eva vero Eccleſiam ex latere Chriſti manantem: ſicut & poſtea de coſta dicitur, eam, non factam, ſed ædificatam in mulierem. Atque adeò hunc ſoporem Adam ſeptuaginta vocant *extaſim*, & rectè: puta, ex quo expergefactus Adam, Propheticũ illud eructavit. Hoc *nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Eſt & aliud hic myſterium*: ſcilicet ſocietatis individuæ & amicabilis conjugum inter ſe; ſed & hæc referenda eſt ad myſterium ſupradictum, ut patet ex dicto loco ad Epheſ.5.

Si curioſè *inſiſtas, quomodo* ex coſta una fabricata ſit integra mulier? *Reſp.* id factum non improbabiliter dici, eo modo quo aucti ſunt quinque panes Evangelici ad ſaturanda quinque millia hominum: quos panes ſcilicet, dicit Aug. tract. 24. in Ioannem, fuiſſe *quaſi ſemina, non quidem terra mandata ſed ab eo, qui terram fecit, multiplicata.* Porrò quòd Deus dicitur *tuliſſe coſtam de Adam, & repleſſe carnem pro ea*: non ſic accipiendum eſt, quaſi monſtruſus tunc relictus ſit Adam, aut coſta illius prius ſuperflua fuerit, ſed quod locum ablatæ coſtæ, non ſolùm carne, (ut textus videtur ſonare) ſed alia coſta carne veſtita ſupplevit. Qui ſenſus ex eo confirmatur, quod poſteà dicit Adam: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Sicut enim hinc conſtat, coſtam, ex qua fabricata eſt Eva, non fuiſſe nudam coſtam, ſed carne veſtitam: ita quoque omnino veriſimile eſt, carnem eius loco ſuppletam, non fuiſſe nudam carnem, ſed carnem coſtâ ſuffultam. Indicat hanc ſolutionem dudum Hugo Victorinus in quæſt. ſuper Geneſ. Vide noſtra in 2. d. 18.

℣.24. *Et erunt duo in carne una.* Apud Hebr. non eſt illud (*duo*) tamen ex contextu ſermonis ſatis intelligitur, Nam ſequitur. *Et adhærebit uxori ſuæ.* Ecce (*uxori*) & non uxoribus, ſicut & prius dicitur, *Maſculum & fœminam creavit eos*: ſcilicet *non fœminas*: quamvis tamen aliqui poſtea habuerint plures uxores, ut Abrahã, Iacob & alii, ſed ſingulari Dei diſpenſatione. Sanè Chriſtus hanc primævam unius cum una ſocietatem, (Græci monogamiam vocant) indicat, & confirmat his verbis Matth.16. & Marci 10. *Et erunt duo in carne una.* Paulus item 1. Cor.6. & ad Epheſ.5. Intelligitur autem de carnali commixtione à variis Pontificibus: ut patet apud Gratianum 27. q.2. c. *Lex*, & cap. *Sicut*, item cap. *Verum*, de converſ. conjugatorum & alibi.

CAP. III.

℣.1. *Sed & ſerpens, &c.* Hiſtoria huius capitis veriſimiliter contigit adhuc ipſo die quo creati ſunt Adam & Eva. Idque habet communis opinio, quòd eodem die, ſc. ſexto Geneſis mundi, quo creati ſunt, tranſgreſſi ſunt præceptum Dei, & eiecti è paradiſo. Dices uno eodemque die non potuerunt tam multa fieri, ſc. creari omnes beſtiæ terræ, primus homo & uxor eius è coſta ipſius, & adduci omnes beſtiæ terræ & volatilia cæli ad eum ut omnibus imponeret nomina, quod erat prolixi negotii. Denique tentatio & tranſgreſſio, & maledictio & eiectio è paradiſo. Reſpondetur opera creationis non exigunt moram temporis, & animalia non tam procul aberant, ut non poſſent intra breve tempus adduci, ſaltem juſſu divino, quia Deus dicitur ea adduxiſſe. Nec Adam ad imponendum ſingulis nomina opus habebat deliberatione, quia per ſcientiam infuſam naturas omnium noverat, ſciens quod nomen ſingulis conveniret. Cætera quoque brevi tempore perfici potuerunt. Si tamen quis dicat non ipſo die ſuæ creationis, ſed poſt unum aut plures dies eos peccaſſe, atque interim uſos fuiſſe fructibus arborum conceſſarum; non video qua certa ratione poſſet refelli.

Dixit ad mulierem. Serpens dixiſſe dicitur, quia Diabolus per eum dixit, verbis in ore ſerpentis formatis: quomodo Num. 22. aſina Balaam locuta legitur, Domino os eius aperiente: & quomodo, ſecundum quoſdam, Apocal. 13. locututa dicitur imago beſtiæ.

Qualis porrò fuerit ſerpens, de quo agitur hoc capite, & quomodo per eum locutus fuerit diabolus, & quo ſenſu dicatur callidior cunctis animantibus, & quomodo eum loquentem non horruerit Eva, ac denique quis ſit ſenſus interrogationis eius, fusè expoſuimus in 2. Sent. d.21. §. 1. & ſeq.

℣.5. *Eritis ſicut dii, ſcientes bonũ & malum.* Conſtructio videtur eſſe: Eritis ſcientes bonum & malum, ſicut Deus. Nam *Elohim*, etſi plurale, paſſim pro ſingulari ponitur, & uni vero Deo attribuitur. Neq; veriſimile quod diabolus ſtatim voluerit ingerere mentionem plurium deorum. Item hic ſenſus apparet ex illis verbis Domini Dei exprobrantis: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*, de quibus paulò poſt. Cæterum de hoc S. Aug. l.14. de civ. c.13. *Perverſa celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri atque eſſe principiũ. Hoc autem fit, cùm ſibi nimis placet.* Et infrà: *Delectavit, quod dictum eſt; Eritis ſicut dii.* Hæc S. Aug. *At quæritur*, quomodo illud homo appetierit, quod ſciebat ſibi eſſe impoſſibile? utpotè nullo adhuc errore affectus? *Reſpondetur* idem hîc ſuo modo accidiſſe, quod contigit in lapſu Dæmonum: de quo iſta D. Thom. 1. p. q.63. art. 1. ad 4. *Et huiuſmodi*, inquit, *peccatum* (ſcilicet ſuperbiæ) *non præexigit ignorantiam, ſed abſentiam ſolùm conſiderationis eorum quæ conſiderari debent. Et hoc modo Angelus peccavit, convertendo ſe per liberum arbitrium ad proprium bonũ, abſq; ordine ad regulã divinæ voluntatis.* Hæc D. Thom. Vide etiam c. præc. v.17. & noſtra in 2. d.21.

℣.6. *Vidit igitur mulier quòd bonũ eſſet lignũ ad veſcendum, & pulchrũ oculis, aſpectuque delectabile & tulit de fructu eius.* Viderat etiam antea, ſed poſt tentationem ſerpentis vidit ad concupiſcendũ. Itaque videndo peccavit. Proceſſit autem hoc peccatum primò quidem ex appetitu divinitatis, quia dictum erat ei à ſerpente: *Eritis ſicut dii.* Deinde etiam proceſſit peccatum ex concupiſcentia gulæ, quia dicitur, *quòd viderit lignum quòd eſſet bonum ad veſcendũ, &c.* Jam enim intus cor-

rupta erat inſurgente motu ſenſitivi appetitus, non expectato rationis imperio.

Deditque viro ſuo, qui comedit. Dedit viro ſuo, ſed narratis ei prius verbis ſerpentis, qui ex illo cibo promiſerat divinitatem dicens: *Eritis ſicut dij, ſcientes &c.* Quamvis enim id hoc loco non exprimatur, ſatis tamen apertè ſignificatur illis verbis Domini ad Adam: *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Item quia peccavit per ſuperbiam; ergo verba ſerpentis per ſuperbiam tentantis ad eum pervenerunt, utique per relationem uxoris. An verò Adam verbis ſerpentis crediderit, & quodnam fuerit primum Adæ peccatum, itemque quo ſenſu dixerit Apoſtol. 1. ad Tim. 2. *Adam non fuiſſe ſeductum*, diximus in 2. ſent. diſt. 22. & comm. ad dictum Apoſtoli locum.

Quæritur quæ arbor, & quis fructus fuerit? Quidam putant fuiſſe ficum, propter illud quod ſequitur, *Conſuerunt folia ficus, &c.* At id non convincit, quia non dicitur, quod de eâdem arbore folia huiuſmodi acceperint, magiſque veriſimile eſt eos ab arbore de cuius fructu comederant, propter tranſgreſſionis conſcientiam ſtatim refugiſſe. Adde quòd ficus non ſint pulchri fructus. Hîc autem dicitur mulier vidiſſe *quod pulchrum eſſet oculis, aſpectuque delectabile.* Quidam ceraſum fuiſſe putant. At veriſimile magis eſt malum fuiſſe. Nam in genere malorum quædam pulcherrima ſunt & eſui gratiſſima. Unde canit Eccleſia: *Quando pomi noxialis morte morſu corruit.* & Cant. 8. dicitur: *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua.* S. Thom. p. 3. q. 4. art. 2. ad 1. vocat pomum. Item Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c. 4. Vide & Pererium.

℣. 8. *Et cum audiſſent vocē Domini Dei deambulantis.* Veriſimile eſt angelico miniſterio formatum corpus deambulantis huius, vocemque loquentis; quomodo & alibi à Deo facta leguntur, quæ per Angelos facta ſunt aut dicta; ut lucta Angeli cum Jacob, legiſlatio in monte Sina; & alia.

℣. 11. *Quis enim indicavit tibi quòd nudus eſſes?* Notandum, ſicut occultum peccatum appetitæ divinitatis mox vindicatum fuit occultâ pœnâ, id eſt, juſtitiæ ac donorum ſpiritualium ſubtractione; ita & manifeſtum peccatum, quod erat in eſu fructus vetiti, punitum fuit manifeſtâ pœnâ, id eſt, pudendo motu membrorum genitalium. Neque enim ignorabat ante peccatum Adam, ſe nullam habere veſtem, nudumque eſſe; ſed non experiebatur id quod nuditatem facit pudendam. Vide noſtra in 2. d. 25. de juſtitia Originali.

℣. 14. *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem. Quia feciſti hoc, maledictus es, &c.* Senſus litteralis ſecundùm D. Auguſtin. lib. 2. de Gen. contra Manichæos c. 17. eſt: Quia fuiſti inſtrumentum decipiendæ mulieris; ideò in toto genere animantium terreſtrium eris maximè contemptus & vilis, ipſique homini quàm maximè exoſus, & execrabilis. Plura vide in noſtro com. lib. 2. Sent. d. 21. §. 14. & 15. ubi oſtendimus in quem ſerpentem prolata ſit iſta maledictio, & quis ſit illius ſenſus.

Myſticè. Diabolus ſuper pectus ac ventrem graditur, (exponente eodem Auguſtino ibidem) quia duabus viis tentat homines ſeducere; ſcilicet per ſuperbiam, quam ſignificat pectus, & per libidinem, quæ ventre ſignificatur. Vel ſecundùm Gregorium lib. 21. Moral. c. 2. per ventrem ſignificatur executio operis luxuriæ, per pectus verò eiuſdem deſiderium.

℣. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo illius.* Magna Dei miſericordia, qui ſtatim poſt lapſum hominis, dignatus eſt ei providere de remedio, & promittere ſemen, per quod redimeretur è captivitate diaboli, ſervitute peccati, & dominio mortis; quæ tria peccando incurrerat. Hæc

A promiſſio continetur his verbis: *Inimicitias ponā, &c.* Ubi notandum pro eo quod habemus, *Ipſa conteret caput tuum*, quædam exemplaria habere maſculino genere, *Ipſe conteret*, quomodo etiam vertunt LXX. & quædam neutro, *Ipſum*. Quocumque genere vertatur, idem ferè ſignificatur, & ſenſus eodem recidit. Si genere maſculino, tum refertur ad Chriſtum qui contrivit caput ſerpentis paſſione ſua, quâ diabolo abſtulit poteſtatem quam habebat & exercebat in genus humanum: ſi neutro genere, refertur ad ſemen, *ſemen* autem illud *eſt Chriſtus*, inquit Apoſt. ad Galat. 3. Si genere fœminino refertur ad mulierem. Ea autem vel Eva intelligi poteſt, vel B. Virgo Maria. Utrovis modo intelligatur, ſenſus erit, futurum aliquando ut Eva per ſemen ſuum, id eſt Chriſtum ex ea naſciturum, conte-
B rat caput ſerpentis, vel B. Virgo Maria per filium ſuum hoc idem faciat.

℣. 22. *Nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat & vivat in æternū. Et emiſit eum Dominus, &c.* Quæritur an homo poſt peccatum, ſi de ligno vitæ comediſſet, vixiſſet in æternum, ſicut hæc verba ſonare videntur? Rectè homo per peccatum incurrerat pœnam præcepto Dei appoſitam, quæ dictum erat: *Quocumque die comederis ex eo morte morieris.* Quod intelligitur non de actuali morte. Non enim eo die mortui ſunt quo peccaverunt, ſed de mortis neceſſitate. Unde ſequitur, quod ſive poſtea comediſſent de ligno vitæ, ſive non, tandem corruptionis neceſſitate mortui fuiſſent. Nam immortalitas
C primi hominis dependebat ex duobus, ex interna bona qualitate corporis, quam homo perdidit peccando, & ex ligno vitæ tanquam cibo externo: ſicut nunc homo ad tempus vivit ex duobus, nempè bona temperatura corporis, & ex cibo. Senſus autem huius loci eſt ironicus. Perſeverat enim Dominus ironicè loqui. Dixerat enim ante per ironiam: *Ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis, ſciens bonum & malum.* Deinde addit eodem ſchemate ſermonis. *Nunc ergo ne forte mittat, &c.* Quaſi dicat, ne ſibi videatur ſtulta ſua perſuaſione victurus in æternum, auferamus ei hanc perſuaſionem, ejiciendo eum & arcendo à ligno vitæ.

CAP. IV.

℣. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis, & de adipibus eorum.* Ambroſ. quidem de incarnat. Sacramento c. 1. ſic: Nihil invenio quod in ſpecie mu-
D nerum reprehenditur. Sunt tamen qui rectè arbitrentur, quia alius quæ offerret elegerat: alius quæ viliora habuit offerebat. De quo & illud carmen in Abel: *Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo*: quod retrogradum conveniat in Cain. Certè non ſine causâ videtur dici de Abel, (*& de adipibus eorum.*

℣. 4. *Et reſpexit Dominus ad Abel.* Quomodò reſpexerit non explicatur. Alij dicunt Dominum cælitus miſiſſe ignem in ſacrificium Abel, non autem in oblationem Cain. Alij fumum ſacrificij Abel ſurſum aſcendiſſe, Cain verò deſcendiſſe deorſom. Quod ſignum animo utriuſque deſignando benè congruebat. Nam Abel ſpectabat cæleſtia, Cain terrena. Hieronym. in trad. Hebr. refert Theodotionem vertiſſe: *Et inflam-*
E *mavit Dominus ſuper Abel, & munera eius; ſuper Cain autem, & munera eius, non inflammavit.* Per quod ſignificatur cælitus incenſum fuiſſe ſacrificium Abel, non Cain. *Idque accepit* probabilitatem ex aliis locis, quibus legitur Deus ſacrificia igne cæleſti combuſſiſſe, ut de Salomone, Elia &c. *Ad quæſtionem quæ hinc movetur*; An ergo ante diluvium licuit veſci carnibus, ſcilicet una parte ſacrificij? *Reſpond.* id ex hoc loco non ſequi, cùm ſit holocauſtum, id eſt, totum abſumptum. Quod ad rem ipſam, negat id licuiſſe Hieron. lib. 2. cont. Iovin. c. 10. Item D. Thomas de hoc dicit; *Videtur.* 1. 2. qu. 102. art. 6. ad 1. Vide etiam eius commentarium ad Roman. 14. Contrà verò Dominicus à

Soto

Soto lib.5.de juſtit. & jure,q.5.art.1. bónis argumentis probat ſtatim à lapſu fuiſſe hominibus in uſu cibum carnium, & ſolvit argumenta in contrarium. Vide etiam Pererium, ſi placet.

ỷ.7. *Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Apertè hîc homini, etiam poſt lapſum tribuitur dominium & poteſtas reſpectu ſuarum actionum. Nam clarè dicitur ad Cain: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*, ſcilicet peccati; nam illud immediatè præcedit, & nihil aliud ad quod poſſit referri. Et hoc ipſum eſt quod etiam dicit Apoſtolus 1. Corinth. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Unde manifeſtè convincitur error Novatorum, qui perſuadere volunt homini remanſiſſe poſt lapſum voluntatem quidem ad bonum, ſed non liberam voluntatem, ſed quæ à Deo neceſſariò impellitur; cùm hoc loco Geneſeos apertè dominium in ſuas actiones homini tribuatur, & apertiſſimè Apoſtolus neceſſitatem opponat poteſtati ſuæ voluntatis. Vide noſtra in 2. d. 24.

ỷ.8. *Et interfecit eum.* Scilicet Abel, fuit autem Abel verè & propriè martyr, quia propter juſtitiam & innocentiam ſuam à fratre occiſus eſt. *Nam propter quid occidit eum*, quærit B. Ioan. Apoſt. 1. Epiſt. c.3. & reſpondet: *quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta.* Vide noſtrum comm. in dictum locum.

Quæritur 1. an Abel uxorem duxerit? Scriptura non dicit, nec memini me apud quemquam authorem probatum legiſſe. Fortè ita adoleſcens erat quando occiſus eſt, ut nondum ſatis eſſet maturus conjugio. Fortè & propter myſterij alicujus ſignificationem ordinatum fuit à Deo, ut priuſquam uxorem duceret tolleretur ex hac vita. Geſſit enim typum illorum qui ſpiritualem ducunt vitam. Item ſcriptura filiorum ejus & poſteritatis non meminit.

Quæritur 2. an verum ſit quod quidam dicunt, Cain occidiſſe quartam partem mundi, ſignificare volentes tantùm quatuor homines tunc in mundo fuiſſe, Adam, Hevam, Cain & Abel? Non videtur verum. Jam enim adulti erant & viri, ſaltem juvenes, Cain & Abel. Nec veriſimile eſt poſt eos nullos filios ex Adam & Heva genitos fuiſſe, cùm primi eſſent humani generis progenitores. Certè filias jam genuerant quas ducerent uxores filij dudum nati. Quod enim poſtea dicitur Cain accepiſſe uxorem, recapitulando dictum videtur id quod ante contigit, ut ſæpè fit in ſcriptura. Fortè & liberos Cain jam habebat. Nec quia poſtea dicitur natus Seth, ideò putandũ nullos antea filios præter Cain & Abel natos fuiſſe. Seth enim pro Abel datus, & in eo futura erat perpetua ſucceſſio uſque ad Noë, Abraham, David, ipſum Chriſtum. Unde quod poſtea dicitur de Adam: *Et genuit filios & filias*, non neceſſe eſt ſic intelligi, ut omnes illi poſt Seth nati ſint, ſicut nec in ſequentibus generationibus, in quibus ſingulis eadẽ verba repetuntur. Nominatur enim ille in quo proceſſura eſt ſucceſſio, ſive primogenitus ſit, ſive non.

ỷ.13. *Maior eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Septuag. habent; *Maior eſt cauſa mea.* Et ſic legit Ambr. lib. 1. de Abel & Cain & Hieron. q.8. ad Algaſiam. Quod autem adjungit Cain, *Maior eſt quam ut veniam merear*; verum quidem eſt propriè loquendo; quòd iniquitas non veniam mereatur, ſed pœnam; tamen non ideò abſolutè verum eſt, quod ipſe dixit. Nam Hebr. pro illis verbis, ſic legitur: *Maior eſt iniquitas mea, quàm parcere*; Aut, ut Pagninus vertit: *Maior eſt punitio mea, quàm ut feram*, id eſt, quàm ut ferre poſſim. Et poterat Cain ſcire peccatum ſuum eſſe remiſſibile, & non eſſe ſibi deſperandum, quandoquidem ſciebat & patrem ſuum graviſſimè peccaſſe, nec tamen illum deſperaſſe; de quo vide Sap. 10.

ỷ.15. *Sed omnis qui occiderit Cain ſeptuplum punietur.* Poterat Adam tanquam princeps humani generis A occidere Cain homicidam; ſed non decebat, quia non decet ut pater filium occidat, naturâ abhorrente. Neque expediebat, quia genus humanum multiplicandum erat. Unde deſcribitur in ſequentibus multiplicatio generis humani per Cain. Alij verò jus publicum occidendi Cain non habebant, ideoque illis ſi occiderint, pœna imponitur, quia erant futuri homicidæ. Et tamen hoc etiam dicitur in pœnam Cain, quia erat ei pœna tamdiu vivere cum tormento malæ conſcientiæ.

Poſuitq; Dominus in Cain ſignum. Signũ illud quidam intelligunt tantum Dei decretum, & voluntatem, nolentis eum occidi; ut vagus, & profugus exiſtens in terra, diu lueret peccati ſupplicium; perpetuò agitante eum & perturbante propriæ conſcientiæ tormento.

Alij dicunt ſignum hoc fuiſſe ſimul tremorem cor- B poris & mentis, ac vultus conſternationem. Nempè quia illud quod præcedit: *Vagus & profugus eris*, 70. verterunt (*gemens & tremens.*)

ỷ.16. *Habitavit Cain profugus in terra ad orient. pl. Eden.* Hebr. *Et ſedit in terrâ Nod. ante Eden.* Ex adverſo ejus regionis, in qua plantaverat Deus paradiſum.

ỷ.23. *Quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcens. De Lamech verò ſeptuagies ſepties.* Ambroſ. in Luc. 27. *Septuagies*, inquit, *& ſepties Lamech condemnatus, quia gravius deliquit, qui ſcelus dum punit admittit.* Videtur innuere Ambroſius, quòd Lamech punierit ſcelus Cain, & quòd eum occidendo deliquerit, ſcilicet ob interdictum Dei. Sed non eſt veriſimile. C Cain enim erat abavus Lamech. Certè non poteſt per adoleſcentulum intelligi homo tam ſenex. Quod autem à Lamech juvenis quidam occiſus traditur, nec tamen nomen refertur occiſi; futuro myſterio fuiſſe prætermiſſum à prudentibus æſtimatur, inquit Sulpitius in initio Hiſtor. ſac.

ỷ.26. *Iſte cœpit invocare nomen Domini.* Hebr. *Tunc cœptum eſt invocari in nomine Domini*, quamvis noſtra lectio conſonet Septuaginta, qui ſic vertunt. *Hic ſperavit invocare nomen Domini Dei.* Capnion contendit Hieronymum vertiſſe per adverbium. *Hic* (id eſt, eo tempore) cœpit invocari nomen Domini, (paſſivè.) Et inde ſcilicet factum eſſe pronomen (*hic*) & poſteà (*iſte*) ſimulque ſubſtitutum verbum activum.

CAP. V.

D ỷ.5. *ET factum eſt omne tempus Adam, anni nongenti triginta.* De ætate hominum primi temporis vide Pamelium in lib. Cypr. ad Demet. ubi citat Aug. & Ioſephum. Nugati ſunt quidam, annos vel Ægyptios ſingulorum menſium, vel Arabicos ſex menſium, intelligi. Sed reclamat ipſa Scriptura ſacra in narratione Diluvij; tum etiam Moyſes in Exodo, & alibi. Quinetiam Copernicus lib.3. cap.6. oſtendit annum Mathematicum apud Ægyptios item fuiſſe 365. dierum & 6. horarum, ut eſt apud nos.

Longævitatis verò illius duæ ſunt rationes, una ex parte cauſæ efficientis: quia natura in primis hominibus adhuc erat vivax & vegeta, nec adeò corrupta & debilitata ut poſteà. Altera ex parte cauſæ finalis, quia primi homines pauci debebant genus humanum mul- E tiplicare, & poſteris ſuis artes tradere.

ỷ.23. & 24. *Facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinque anni. Ambulavitque cum Deo & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Vixit ergo tot annis quot unius anni ſunt dies, ad ſignificandam ipſius vitæ perfectam juſtitiam. Annus enim quo ſol curſum ſuum abſolvit, perfectiſſima differentia temporis eſt. *Ambulavitque cum Deo.* Ambulare cum Deo phraſi ſcripturæ eſt vivere ſecundùm Deum, ſeu ſecundùm legem Dei, id eſt ſanctè & juſtè converſari. Ita etiam ſeq. cap. De Noë dicitur: *Noë vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit.* Pro eo quod ſequitur: *& non apparuit.* Hebraicè eſt: *& non ipſe*,

id eſt, non ampliùs comparuit inter homines, *quia tulit eum Deus*. A Quomodo autem tulerit eum Dominus, alibi ſignificat Scriptura ſacra. Eccleſ. 44. ſic habemus. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Et Apoſtolus Hebr. 11. *Fide Enoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit eum Deus: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo.* Uterque tam Apoſtolus quàm Eccleſiaſticus, ambulare cum Deo, exponit ut ſit placere Deo. Deinde falſus oſtenditur commentarius Iudæorum qui eum à Deo ſublatum dicunt per mortem; ne videlicet homo juſtus conſortio impiorum inficeretur, & ad eorum impietatem pertraheretur, dicit enim Apoſtolus, *ne videret mortem*. Poſtremò ex verbis Eccleſiaſtici confirmatur Eccleſiaſtica opinio de Enoch, quod in vita reſervetur donec ſimul B cum Helia mittatur ad prædicandum contra perfidiam Antichriſti, & ad reducendum gentes per Antichriſtum ſeductas, ad pœnitentiam; dicit enim; *tranſlatus eſt in paradiſum ut det gentibus pœnitentiam.* Sed utrum in paradiſum ex quo ejecti ſunt primi parentes, incertum eſt, teſte Aug. de peccato Originali c. 23.

Quæritur 1. an Enoch, & Elias confirmati ſint in bono? 2. an ſint viatores & in ſtatu merendi? 3. an alantur cibo corporali? 4. an poſſint invocari à nobis? Ad 1. valdè probabile eſt quòd confirmati ſint in gratia, ſaltem per Dei protectionem & conſervationem, de qua certi ſunt, ſciunt enim ad quid electi ſint, & ad quod officium mittendi, & quis eorum exitus ſit futurus, quoniam id etiam revelatum eſt in ſcriptura, Apocal. 11. C Ad 2. non videntur eſſe viatores, nec in ſtatu merendi; non quia confirmati in bono (id enim non obſtat) ſed quia extra hominum converſationem rapti, tanquam hanc vitam, non amplius agentes. Unde nec Sacramentis Eccleſiæ reficiuntur, & generatim ad hanc rem ſunt tanquam mortui, nondum beati, ſicut qui ſunt in purgatorio, aut potiùs ſicut erant Patres in limbo. Redituri tamen ſunt in fine ſæculi ad ſtatum merendi & iterũ futuri viatores: velut ſi quis à Purgatorio vel limbo fuiſſet ad vitam reſuſcitatus, factus fuiſſet iterum viator. Item ſi eſſent in ſtatu merendi cùm ſint in continua contemplatione rerum divinarum, nec peccent, ſequeretur in eis gratiam quaſi continuò augeri per tot millia annorum, & ita ſanctitate & gloria ſuperarent omnes alios ſanctos; quod non eſt conceden- D dum. Ad 3. cùm vivant adhuc vita animali, videtur dicendũ, quod alantur cibo corporali, ſicut Adam fuiſſet alitus in Paradiſo. Et fortè habent lignum vitæ ſaltem idem ſpecie, & à Deo ſic conſervantur ut non deficiant; ſed ſicut ſecundum Spiritum ita & ſecundum corpus, ſunt in ſtatu, nec proficientes, nec deficientes. Ad 4. videtur quod ſic, quia Carmelitæ invocant ſanctum Eliam, & agunt de eo feſtum approbatum à ſummo Pontifice, & in litaniis defunctorum invocatur Henoch. Sed fortè hæc invocatio nõ eſt tam propria quàm ſanctorum qui beati ſunt; non enim videtur dicendũ quod preces noſtras in particulari cognoſcant, ſed oratur ut Deus propter eorum merita & preces nobis beneficia præſtet; fuit Enoch etiam Propheta, & pars Prophe- E tiæ eius citatur à Juda Apoſtolo in ſua epiſtola. Nec dubium videtur, quin ſcripto reliquerit quod prophetavit; alioqui difficulter in tot ſæcula conſervandum. Fuerunt ergo literæ ante diluvium. An autem Enoch primus eas invenerit non liquet. Mihi certè veriſimile eſt, rei tam neceſſariæ inventum, fuiſſe ipſius primi hominis. De hac eadem Prophetia vide noſtrum Commentarium in epiſtolam B. Judæ v. 14.

℣. 27. *Et facti ſunt omnes dies Mathuſalem nongenti ſexaginta novem anni.* Mathuſalem ex omnibus quos ſcriptura commemorat diutiſſimè vixiſſe legitur, ipſumque Adamum primum hominem ſuperavit triginta novem annis.

A Quæret aliquis, cur non Adam immediatè à Deo formatus diutiſſimè omnium vixerit cum opera à Deo proximè profecta ſoleant eſſe perfectiſſima? Reſponderi poſſet vel triſtitiam vel luctum perpetuum in cauſa fuiſſe ob amiſſam paradiſi fœlicitatem & damnatam eius culpâ univerſam hominum propaginem, vel corpus eius propter graviſſimum prævaricationis ejus peccatum mortalitatis miſeriâ plus cæteris affectum fuiſſe. Sed tamen aliud occurrit quod reſpondeatur; nimirùm Adamum revera cæteris omnibus quos ſcriptura commemorat magis vitalem fuiſſe, & quodammodo diutiùs vixiſſe. Non enim tempus vitæ eius cum toto tempore vitæ aliorum conferendum eſt; neque enim Adam infans, aut puer, aut adoleſcens fuit, ſed plena virili ætate factus eſt à Deo. Quare ſi tempus vitæ eius, B quòd cœpit ab ætate virili atque perfecta, conferas cũ tempore vitæ aliorum, facto ſupputationis initio ab eadem ætate; invenies profectò Adamum cæteris diutius in vivis fuiſſe. Neque verò virilem ætatem accipere debemus ab anno triceſimo vel triceſimoquinto, ut hodie accipimus, quando vita hominum vix extenditur ultra annos 70. ſed ad annum centeſimum aut etiam ultra. Non enim multo ante generare incipiebant priſci illi ac longævi homines, ut ex hoc capite ſatis liquet. Si ergo annis Mathuſalem centum ſubducas, qui plenam eius ætatem anteceſſerunt, videbis quantò fuerit ipſo longævior Adamus, videlicet ſexaginta ferè annis. Nec te moveat quod Adamus Seth filium genuiſſe legatur cùm eſſet centum triginta annorum, quaſi & ipſe C non ſtatim ab initio creationis ſuæ vim habuerit gignendi. Nam multò ante, imò ut eſt valde probabile, ſtatim poſtquam paradiſo ejectus fuit, genuit Cain, ac deinde Abel & alios ac ſaltem eam filiam, quâ Cain in uxorem ductâ receſſit à patre in terram Orientalem. Vide dicta ſuperiùs ad c. 4. v. 8.

℣. 29. *Vocavitque nomen eius Noë dicens &c.* Chryſ. hom. 39. in Geneſ. contendit Lamech hunc infidelem fuiſſe, divinitus tamen factum, ut occulto impetu tale nomen filio imponeret. Sed improbabile id de hoc Lamech (nempè eſt & alius ex poſteris impij Cain, de quo ſuprà) quandoquidem per hanc lineam fides, ſeu religio vera, propagata eſt ad poſteros. Unde & capite proximo. *filij Dei*, id eſt, unius Dei cultores, omninò ſunt filij Seth.

D

CAP. VI.

℣. 2. V*identes filij Dei filias hominum.* Quidam per filios Dei Angelos intellexerunt, decepti verſione Septuaginta interpretum; prout olim ferebatur in quibuſdam exemplaribus, quæ pro filiis Dei habebant Angelos, uti refert Aug. l. 5. de civ. c. 15. In hac ſententia manifeſtè eſt Lactantius lib. 2. c. 15. ubi ſomniat Angelos quos Deus in cuſtodiam hominum delegaverat, illectos pulchritudine fœminarum cum illis commiſtos fuiſſe. Sed hanc ſententiam tamquam fœlicitati Sanctorum Angelorum contrariam, meritò repudiat Eccleſia; imò ipſe Chriſtus Matt. 22. ubi dicit; *Neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* *Alij* Angelos malos, id eſt, dæmones incubos intelligũt. E Sed hos nuſquam Scriptura vocat filios Dei; neque illi pulchritudine corporum alliciuntur, ſed invidiâ ſtimulantur, ut noceant hominibus. Tertij intelligunt filios principum. Nam Hebr. plurale eſt *elohim*, id eſt, deorum, quod & ad principes aliquando accommodatur; nempè quod illi filias hominum, id eſt, plebeiorum uxores duxerint. Sed non fuiſſet hoc tantum peccatum, ut propterea diluvium induceretur. *Proinde reſtat ut ſecundum* receptam magis opinionem, *per filios Dei* intelligamus poſteros Seth, in quibus cultus Dei vigebat; per filias hominum, illas quæ ex Cain impio deſcendebant: qui quidem magna ex parte verum Dei cultum & juſtitiam deſeruerant. Ceterùm filij, id eſt poſteri Seth procedente tempore accipientes ſibi

ſibi uxores de poſteritate Cain; & hoc pacto cum impiis & infidelibus jugum ducentes, à primâ inſtitutione & innocentia receſſerunt. Unde & factum eſt, ut peccatis impiorum involuti communem inundationis pœnam promeruerint.

ỷ. 4. *Gigantes autem erant-poſtquam enim ingreſſi.* Hebr. *Et etiam poſtquam ingreſſi.* Objiciunt quidam hæc verba contra id quod dictum eſt per filios Dei non intelligi Angelos. Nam extraordinariam fuiſſe hanc commixtionem omnino volunt, utpotè cauſam cur naſcerentur gigantes. *Sed reſp.* ſcripturam non aſſignare cauſam naturalem talis generationis, ſed demeritoriam; ex quâ factum ſit, ut Deus ſic puniret humanum genus, ut naſcerentur gigantes, oppreſſores hominum; hoc enim ſonat Hebr. (*Nephilim*) q. d. cadere alios facientes.

Cæterum huius loci occaſione, ſimul & eius quod multò quàm nos diutius vixerint primi illi homines, Quæri poteſt, utrum ſicut ſucceſſu ſæculorum brevior facta eſt hominum vita, ita & ſtatura; Quod ita eſſe multis argumentis doceri videtur. Nam refert S. Aug. lib. 15. de civit. cap. 9. ſe vidiſſe dentem hominis ut videbatur jam olim mortui, ex quo facilè centum noſtri dentes fieri poſſent. Atque hæc videtur antiqua perſuaſio, homines anteriorum ſæculorum multò proceriores nobis fuiſſe, unde poſt Homerum Virgilius: *Qualia nec hominum producit corpora tellus.* Sed & hodie reperiuntur oſſa corporum mortuorum permagna, quanta ſi nos haberemus eſſemus ſtaturâ planè giganteâ. Refert Hector Boëtius in hiſtoriâ Scotorum Danos qui Angliam aliquando invaſerunt homines fuiſſe miræ proceritatis, quales illius generis homines hodie non ſunt, idque ex oſſibus mortuorum quæ per Angliam certis locis (ubi ſtrages illorum ingens aliquando facta fuit) reperiuntur adhuc hodie, planè comprobari.

Verum & in alteram partem argumenta non deſunt, ſi enim ſtatura humana paulatim progreſſu temporum minuitur, tandem futurum ut redigatur ad brevitatem unius pollicis: quod etſi à quodam aſſertum, tamen abſurdum videtur. Item ſicut videmus interdum filios ſtaturam ſuam aſſecutos eſſe patribus ſuis minorem; ita non rarò contra videmus, eos excedere parentum ſtaturam. Quâ de re ut exemplum domeſticum proferam, nos quinque fratres unius patris & matris filij ſumus, omnes tamen ſtatura patre maiores, ut contrà, ille nobis omnibus vivacior. Ex oſſibus autem mortuorum quæ pro reliquiis ſervantur in Eccleſiis, videtur utrimque argumentum ſumi. Quædam enim oſſa eorum qui ante multa ſæcula vixerunt, noſtris paria ſunt, quædam majora. Mirum autem tam magnos dentes, quantum vidit Aug. non plures etiam ab aliis inventos & viſos fuiſſe, cùm dentes & numero multò plures ſint in uno homine quam oſſa brachiorum & crurum, & duriores: eoque minùs citò corrumpantur. Itaque quamvis Auguſtino oculato teſti fides nullo modo ſit deroganda, potius tamen dicendum fortè erit, vel fuiſſe gigantem enormi prorſus ſtatura præ hominibus ſui ſæculi & loci, cuius fuerit dens ille: vel potius non hominis ſed belluæ cuiuſpiam marinæ dentem fuiſſe. Quod eo probabilius ſuſpicari liceat, quia in littore maris eum repertum fuiſſe ſcribit.

Quod ſi ſtaturæ decrementum in hominibus ponitur, pari ratione & in beſtiis agnoſcendum erit, & in plantis cuiuſcumque generis. At de his nulla proferuntur experientiæ documenta. Denique ſi ita eſt, idque rerum natura ita poſcente, quód omnia tandem in deterius declinent; jam ratione naturali poterit concludi mundum hunc inferiorem, quâ parte mixta continet, tandem finem habiturum: nempè poſtquam delapſu & diminutione quantitatis cuiuſque corporis perventum fuerit uſque ad minimum quod vocant quantitatis rei.

A Tunc enim neceſſe erit terminari rerum mixtarum generationes. Neque enim dici poterit quòd res in minima quantitate deinceps tunc conſiſtent nullum ulterius acceptura decrementum; quia ſi conſiſtere poſſint in minimo; multò magis conſiſtere poterunt & debebunt in mediocri; cùm ſtatura mediocris cuiuſque rei ſit multò magis apta naturaliter ad rei conſervationem, quam ſi ſit immodicè magna vel parva. Et ſi neceſſe eſt rerum quantitates ſemper minui, etiam quando ſunt in ſtatu mediocri; multò magis interire res oportebit poſtquam ad ſtaturæ minimum pervenerint, quia quo amplius decreſcant non habebunt. Rurſum pro hac ſententia facit quod poſt Davidem ætas hominum non eſt imminuta, ut ex Pſalm. 89. patet, quare nec ſtatura, par enim utriuſque eſt ratio, ſcilicet naturæ debilitatio & tendentia ad ſenectutem atque interitum.

B At verò rurſum in partem contrarium expreſſa eſt ſententia quæ legitur 4. Eſdr. 5. ubi ex comparatione mulieris, fortiores, grandiores, & vivaciores parientis in ætate juvenili, quam poſtea, docet idem eſſe de genere humano, ſic inquiens; Conſidera ergo & tu quoniam minori ſtatura eſtis præ his qui ante vos & qui poſt vos minores quàm vos: quaſi jam ſeneſcentes creaturæ & fortitudinem juventutis prætereuntes. Sed illius libri non eſt magna authoritas. Illud magis urget quod S. Ambr. refert de reliquiis (ni fallor) SS. Gervaſij & Protaſij, quod nimirum oſſa eorum longè ſuperaverint magnitudinem oſſium humanorum ſui ſæculi. Quod verò ſatis mirum, cùm inter illos martyres & Ambroſium fluxerint non minus quàm anni 250. ut quidam; vel 120. ut alij volunt, de quo vide Baron. 19. Iunij.

C ỷ. 6. *Pœnituit eum quod hominem feciſſet.* Septuaginta vertunt ἐνεθυμήθη, id eſt, *recogitavit.* Symmachus, ἀντεστήσατο, id eſt, *adverſatus eſt.* Pœnituit ergo Deum, id eſt, Deus juſtè iraſcens, & indignans peccatis hominum decrevit majorem partem hominum diluvio è medio tollere, quaſi opus ſuum averſans. Porrò *tria myſteria nobis* allegoricè commendantur in diluvio & arcâ. *Primum* eſt ſalutare lavacrum baptiſmi, de quo 1. Pet. 3. *Secundum* eſt, Eccleſia per arcam ſignificata; Quia ſicut extra arcam non erat ſalus, ſic nec nunc extra Eccleſiam. Ac rurſum, ſicut in arcâ erant animalia munda

D ſimul & immunda, ſic & in Eccleſiâ ſunt boni & mali. Quod myſterium Patres multis locis inculcant. *Tertium* quia ſicut ſolis illis qui ad arcam confugiebant, quæ ex lignis fabricata erat, ſalus erat; ita & nobis non eſt ſalus, niſi per lignum Crucis Chriſti, id eſt, per merita paſſionis eius. Inſinuatur nobis hoc myſterium eleganter Sap. 10. & 14.

ỷ. 15. *Trecentorum cubitorum erat longitudo Arcæ.* Aug. q. 113. in Exodum dicit quod ſtaturæ hominis altitudo eſt ferè trium cubitorum.

CAP. VII.

ỷ. 2. **E**X *omnibus animantibus mũdis tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam, de animantibus verò immundis duo & duo, maſculum & fœminam.* Quæ-

E ritur quomodo præcipiat de mundis & immundis introducendis; cùm mundorum ab immundis nondum eſſet facta diſtinctio; ea enim poſtea facta legitur, ex præcepto Domini per Moyſen. Lev. 11. Quidã reſpondent munda & immunda hoc loco dici per anticipationem, id eſt, ea quæ poſtea per legem velut munda vel immunda diſtinguenda eſſent. Sed id non rectè dicitur. Noë enim hæc diſtinguere non potuiſſet, niſi tunc horum diſtinctio facta fuiſſet. Proinde rectiùs dicitur etiam ante legem fuiſſe mundorum atque immundorum animalium diſcrimen, maximè quoad ſacrificia, ſicut fuit & aliorum quorundam legalium obſervatio ante legem, ut circumciſionis & abſtinentiæ ab eſu ſanguinis, quæ per legem legalia facta ſunt, ante legem tamen

men obſervata. Sed quomodo ante legem immunda quædam ſunt habita ſi non naturâ ſuâ talia erant? Reſpondeo id fieri potuiſſe poſitiva Dei ordinatione circa ſacrificia tantùm: idque certæ ſignificationis causâ, ſicut poſtea generaliter quoad uſum & cibum id factum eſt per legem Moyſi.

Objicies, nulla lex data erat hominibus à Deo ante Moyſen. Reſp. Conſtat legem circumciſionis datam fuiſſe Abrahamo eiuſque poſteris infra capite 17. itemque cap. 9. legem de non comedendo ſanguinem, ſic etiam potuit dari lex aliqua poſteritati Seth de offerendis in ſacrificium: Lex autem in univerſum de moribus & ſacrificiis data non erat. Poteſt etiam dici quod propter convenientiam aliquam obſervabatur à piis hominibus, ut tantùm ea quæ munda ſunt, quoad uſum hominum, offerentur, quia talia reputantur meliora; atqui meliora Deo offerenda ſunt, ita ut irreverenter faceret qui Deo pediculos, lumbricos, & vermiculos vellet offerre, ſtando etiam in lege naturæ; quia hæc quoad uſum hominum immunda & rejectanea ſunt, quæ quiſque mavult non habere quàm habere. Ex his etiam apparet quòd ante diluvium carnes pecudum comedebantur, quia ſacrificantes participabant de ſacrificiis, & quia quædam munda erant quoad uſum hominum, id eſt eſum; ſed de ea re vide annot. ſup. c. 4. v. 4.

ỷ. 11. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ apertæ.* Abyſſum magnam videtur intelligere mare. Quomodo autem fontes eius rupti dicantur, obſcurum eſt. De cataractis vide Annot. 4. Reg. 7. & Hieron. in Malach. 3. ſic illud interpretatur; *Si non aperuero vobis cataractas*, id eſt, ſi non tantas pluvias effudero, ut cataractæ cæli apertæ eſſe crederentur. Et ſic etiam tam in fontibus abyſſi, quam cataractis figuratè intelligit Caietanus.

ỷ. 19. *Opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cælo.* De diluvio quædam etiam ab Ethnicis Scriptoribus referuntur, licet fabulis permixta, nominatim de diluvio Deucalionis apud Ovidium in Metamorphoſi, & alios. Legitur quoque lib. 6. hiſtor. Indicæ cap. 5. quòd Rex quidam Nicaragua quærebat ex Chriſtianis, num haberent notitiam aliquam diluvij, quo inundata ſuit tota terra, & ſubmerſi homines & beſtiæ, & an expectandum eſſet adhuc aliud. Quin Lactantius lib. 2. cap. 10. de Ethnicis antiquis Scriptoribus agens, ait: Factum eſſe diluvium ad perdendam, tollendamque ex orbe malitiam, inter omnes conſtat. Sic Lactantius.

Quidam generalem hanc eluvionem in aſtra referunt, ſicut & ultimam orbis conflagrationem. Sed audiendi non ſunt. Nam cùm tota natura corporea ſit facta propter hominem, non eſt putandum vim eius valere ad perdendum genus humanum, cuius gratiâ condita eſt, niſi accedente cauſa ſupernaturali.

ỷ. 23. *Et delevit omnem ſubſtantiam quæ erat ſuper terram ab homine uſque ad pecus.* *Quæritur* an omnes illi homines qui tunc diluvio perierunt, etiam perierint æternaliter? *Reſp.* 1. Petri 3. ſic legimus (de Chriſto agit Apoſtolus) *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* De quo loco hic Hilar. in Pſal. 118. ad illa verba. *Quando conſolaberis me?* vel ut ille legit, *Quando exhortaberis me?* Scit, inquit, Propheta, hanc exhortationem ſanctos quieſcentes in inferno deſiderare. Scit, teſtante Petro, deſcendente in inferna Domino, etiã his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant, in diebus Noë, exhortationem prædicatam fuiſſe. Hæc Hilarius. Sanè omnino ex his apparet, ſpiritus ſeu animas quaſdam, à Chriſto deſcendente ad inferos fuiſſe ex limbo liberatas, etiam eorum, qui tempore diluvij, eouſque increduli, tandem ipſius rei (quam credere noluerant) experientiâ, & præſenti periculo commoniti, Deo invocato, ad pœnitentiam converſi ſunt. Si *quæratur*, quare Petrus eorum pœnitentium ſpecialiter meminerit? *Reſpondeo*, primò, quia nunquam tanta hominum multitudo ſimul periit; deinde, quia hoc pacto Apoſtolus ſibi viam facere voluit ad digreſſionem, quam mox inſtituit de Myſterio Arcæ & diluvij: nempè de baptiſmo ibi præſignato. Vide Comment. noſtrum 1. Petri 3.

CAP. VIII.

ỷ. 3. R*everſæq; ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes.* Hier. in trad. Nata, inquit, *ſecundùm Eccleſiaſten, quòd omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem abyſſum revertantur.* Abyſſum intelligit mare. Sic enim Eccleſiaſtes loquitur cap. 1. *Omnia flumina intrant in mare.* Verùm cùm & ipſum mare exundaverit (alioqui aqua ſuper terram tam alta non conſtitiſſet) fortè ſignificatur tantum, aquas paulatim imminutas, ſicut & nunc aquas quæ pratum aliquod inundarunt, abire dicimus, non abſceſſu in aliquam foſſam, ſed ſæpè etiam ſola deſiccatione, quæ fit à calore ſolis & aëris.

ỷ. 4. *Requievitque arca ſuper montes Armeniæ.* Hebr. eſt *Ararath*, quod nomen habetur & Iſaiæ 37. ubi dicuntur filij Sennacherib, occiſo patre, fugiſſe in terram *Ararath*. Item Ieremiæ 51. His enim locis interpres noſter retinuit vocem Hebræam. Sed 4. Reg. 19. ubi eadem quæ apud Iſaiam hiſtoria narratur; vertit, in terram Armeniorum. Alioqui videri poſſet Armeniam potiùs ſignificari voce Hebræa, *Aram*, quam interpretes noſtri ferè intelligunt & interpretantur *Meſopotamiam*. Interim Armenia Meſopotamiæ confinis eſt.

ỷ. 7. *Dimiſit corvum, qui egrediebatur, & non revert.* Non rediit (ait Sulpit. l. 1. ſacræ Hiſtoriæ) cadaveribus intentus, ut ego conijcio. Et Prudentius in Enchir. Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus, hæſerat. Sciendum tamen in Hebræis, quæ nunc extant, non eſſe negationẽ, ſed legi hoc modo; *qui egrediebatur exiens, & revertebatur, donec ſiccarentur aquæ.* Quomodo etiam habent quædam Latina manuſcripta teſte Lirano. Et ſic legit Hieron. in lib. quæſt. Hebr. Id autem exponunt hic; *Egrediebatur exiens & revertens*, id eſt, egreſſus ultro citroque volitabat circum arcam. Septuaginta tamen habent negationẽ, ut nos. Hier. quoque in Dialog. cont. Lucif. addit negationem, ſi codex non eſt mendoſus. Vide de hoc prolixè F. Lucam in notationibus.

ỷ. 17. *Creſcite & multiplicamini.* Hoc communiter hîc dicitur hominibus & beſtiis. Quod quorſum annotemus, vide ſuprà ad cap. 1. v. 22.

ỷ. 21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis.* Scriptura ἀνθρωποπαθῶς de Deo loquitur. Et ſenſus eſt, gratum & acceptum fuit Deo ſacrificium Noë, erat autem hoc ſacrificium ex animalibus mundis, quale fuit & ſacrificium Abel juſti. Et quamvis iſta ſacrificia non per ſe fuerint grata, ſed propter pietatem offerentium; tamen hinc ſatis conſtat ſacrificia quæ fiebant ex animalibus occiſis non fuiſſe inventa Dæmonum aut idololatrarum; ſed vel inventa piorum hominum, vel à Deo inſtituta, ac piis hominibus ad placandum Deum præſcripta. Nam & Abel ipſe huiuſmodi ſacrificium obtulit, ante quem ſanè non fuit idololatria; imò ſunt qui putent, nec ante diluvium idololatriam extitiſſe.

CAP. IX.

ỷ. 2. E*t terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ.* Sicut verba ſuperiora, *creſcite & multiplicamini*, continent benedictionẽ fœcunditatis; ita iſta dominium quod homini competit ſuper cætera animantia. Ideo autem hîc nõ dicitur, dominamini; *ſed terror &c.* Quia poſt peccatum homo non habet iam plenum ac perfectum dominium ſuper animalia ſicut ante: quia ſicut ipſe rebellaverat Deo, ita juſtum erat ut quæ illi naturaliter erant ſubiecta, rebellarent ei, tametſi per hoc non tolleretur dominiũ, ſicut per hominis rebellionem non fuit ſublatum Dei dominium in homi-

hominem. Itaque dominium ſecundùm ſe non fuit immutatum, ſed ſecundùm uſum. Terror & tremor eſt ſupra ſubditos non libenter & ſpontè obedientes: ſic hominis in beſtias refugas & repugnantes, imò & ſævientes & imperentes erat dominium cum terrore ac tremore. Verumtamen dominium manſiſſe homini in beſtias poſt peccatum patet, quia primum dominium non eſt revocatum, deinde quia homo adhuc dominium illud exercet: denique quia ſicut cap. 1. dictum eſt; *dominamini piſcibus maris*, ita hîc dicitur: *omnes piſces maris manui veſtra traditi ſunt.*

℣.4. *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Senſus videtur eſſe, prohibeo vobis ne comedatis carnem cuiuſcumque animalis cum ſanguine, id eſt, ne non contenti carne, quam vobis ad edendum concedo, etiam ſanguinem comedere velitis. Id autem prohibeo, quia volo vos eſſe quam maximè alienos à fundendo ſanguine humano: quem ſanguinem effuſum requiram, id eſt, vindicabo etiam in beſtiis, multò magis in hominibus. Unde ſequitur,

℣.5. *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum.* Requirit autem Deus ſanguinem hominis effuſum etiam de manu beſtiarum, hâc generali lege latâ, quæ ſequitur.

℣.6. *Quicumque fuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius.* hoc enim Deus etiam ad beſtias pertinere voluit. Unde in lege Exod. 21. jubetur occidi bos cornupeta: non quod beſtia peccet, ſed ut eo exemplo magis abſterreantur homines ab homicidio, dum vident illud etiam in beſtiis vindicari, quæ naturaliter non ſunt peccati, ac proinde nec ſupplicij capaces. Quod vero ſequitur,

Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo, hunc habet ſenſum, homo eſt creatura inter omnia animantia præſtantiſſima, utpote ſola ad imaginem Dei facta. Ratio autem talis eſt: homo eſt creatura tam præſtans, ut ſit imago Dei, ergo ſi quis hominem occiderit punietur tanquam violator imaginis Dei; ſi, inquam, occiderit abſque Dei authoritate. Nam judices miniſtri Dei ſunt. Rom. 13.

Sed ſi prohibetur eſus ſanguinis, cùm ſit lex illa divina, eaque non Moſaica, quæ per Chriſtum abolita eſt, ſed ante legem Moyſi, tempore legis naturæ data, idque omnibus hominibus, quia Noe & filij eius, atque in ijs toti poſteritati, id eſt univerſo generi humano: quæritur cur non etiam hodie omnes obliget, præſertim cùm videatur confirmata per Apoſtolos Act. 15. An dicendum quod intentio legiſlatoris fuerit ſolùm ad tempus homines illos à diluvio primos hac lege conſtringere, quo per hoc eſſent magis alieni ab humano ſanguine fundendo? Id quod poſtea legibus per omnes gentes conſtitutis, non ita fuit opus. Apoſtoli autem ideo ad tempus eam legem ſtatuerunt, ut Judæi qui ex inſtituto propriæ legis à ſanguine & ſuffocato abſtinebant, minùs abhorrerent à conſuetudine gentilium, ſi & iſti idem illud ſervarent. Vide annotat. ad dictum cap. Act.

℣.13. *Arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram.* Quæritur quomodo iris eſt ſignum fœderis inter Deum & Noë ac eius poſteritatem, cùm proveniat ex cauſâ naturali, ac proinde etiam ante diluvium ex eâdem cauſâ apparere potuerit? Quidam reſpondet nubes ante diluvium numquam fuiſſe in tali diſpoſitione, ut in iis adverſo ſole colores iridis apparerent. Alij dicunt, (idque probabilius) apparuiſſe quidem ante diluvium ex iiſdem cauſis propter quas nunc apparet: ſed poſt diluvium datum fuiſſe in ſignum fœderis inter Deum & hominem, de non delendo humano genere per aquas diluvij, quale ſignum non fuerat ante diluvium. Datum eſt autem in ſignum non naturale: neque enim iris naturaliter ſignificat diluvium non futurum, alio-

A quin & ante diluvium idem ſignificaſſet: quæ enim naturaliter ſignificant ſemper & eodem modo ſignificant: ſed ex ordinatione divinâ, quia Deus voluit iridem eſſe ſignum diluvij non ampliùs futuri. Propterea dicit, *Videbo illum, & recordabor fœderis ſempiterni.* Sic in rebus humanis aliquando fit ut lapis aut truncus in agro fixus multo tempore nullius rei fuerit ſignum; poſtea autem hominum arbitrio aſſumatur, ut vel viã, vel diſtinctionem ſeu diſterminationem agrorum ſignificet. Sic luna nova ſignificabat certa Judæorũ feſta.

℣.21. *Et plantavit vineam, bibenſque vinum inebriatus eſt.* Ex hoc loco quidam conantur oſtendere non fuiſſe repertum uſum vini ante Noë, nec ante diluvium: non enim Noë, qui ſexcentorum erat annorum, & proinde tantam habebat rerum experientiam,
B ignarus fuiſſet virtutis vini; nec, ſi cognitam eius virtutem habuiſſet vir ſanctus, uſque ad pudendam ebrietatem ſe ingurgitaſſet. Nihilominus cùm Eccleſiaſt. dicat c. 31. *Vinum ab initio ad jucunditatem, non ad ebrietatem creatum.* cum Ianſenio in illum locum, omninò videtur, vitem creatam ab initio cum cœteris arboribus. Itaque Noë plantaſſe vineam, non alio ſenſu, quàm quo dicitur, cœpiſſe exercere terram; rurſum ſcilicet replantans, quæ erant diſiecta per diluvium: neque obſtare illa quæ allata ſunt de pudendâ eius ebrietate: potuit enim ſic nudus inveniri inter dormiendum, etſi non omninò potu obrutus: quomodo etiam pro largiori quâlibet potatione, aliquando ebrietas nominatur, ut infra cap 43. & alibi

C Cæterùm Noe inebriatus & denudatus, & à filio Cham ludibrio habitus, myſticè Chriſtum ſignificat amore generis humani ebrium ac verè [illegible]: quia, quaſi ebrius, rem judicio huius mundi ſtultiſſimam fecit, mortalitatem ac miſeriam noſtram aſſumens & crucis patibulum aſcendens; in quo nudus pendens, à Judæis (quibus à Propheta dictum eſt. Ezech. 16. *radix tua & generatio tua de terrâ Chanaan, pater tuus Amorrhæus & mater tua Cethæa*) deriſus & multis opprobriis impetitus fuit, etiam Pſalmiſta atteſtante qui ait Pſalm. 21. *Omnes videntes me deriſerunt me.* ac rurſum: *Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me*, ſcil. nudum in cruce pendentem; ſed & Cham nuditatem patris indicavit fratribus ſuis foras, quando Judæi Chriſtum multis gentibus contemptibilem facere ſtuduerunt, ut à fide quæ in ipſum eſt, eas aver-
D terent, ſicut apertiſſimè docet hiſtoria Actorum Apoſtolorum.

℣.24. *Quæ fecerat ei filius ſuus minor.* Septuaginta legunt *νεώτερος*. Primum, nota hæc non contigiſſe, niſi diu ſatis poſt diluvium. Nam in arcâ non fuerunt niſi octo animæ, teſte Apoſtolo. Itaque oportuit prius naſci Chanaam filium Cham, qui hîc maledicitur. Addunt etiam nonnulli ipſum Chanaam puerum patri Cham indicaſſe nudatum jacere avum Noë, ſimulque irriſiſſe. Non enim ullam fingi poſſe aliam cauſam, cur Cham ſpecialiter hic exprimatur pater Chanaan; cum Cham plures, & quidem majores natu habuerit filios, ut patet cap. ſeq. Itaque quod hic dicitur (*filius ſuus minor*) non de Cham intelligendum eſſe, qui ſemper
E medius in ſcriptura numeratur (imò à Hieron. bis vocatur major, in Pſalm. 8 & cont. Lucif.) ſed Chanaan; qui filius minor dicatur, *quia filius filij* ſicut & Judicum 1. Othoniel dicitur frater Caleb minor, ſed quia filius fratris.

℣.25. *Maledictus Chanaan, ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* *Quæritur*, cùm Cham plures habuerit filios (quatuor, c. ſeq. nominantur) cur ſpecialiter Chanaan maledicatur? *Reſpondet* Auguſt. Noë hâc imprecatione prophetaſſe, filios Iſraël qui venirent de ſemine Sem, occupatores terram Chanaam ejectis inde ac debellatis Chananæis. Aliam etiam ſolutionem proximè diximus, *Scilicet quod chanaan irriſerit avum noë nudum*

℣.27. Dila-

ỳ.27. *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Quidam intelligunt (*& habitet Deus*) ſed melius (*habitabit ipſe Iaphet.*) Etenim in Sem intelligitur populus Iudaicus; in Cham gentiles reprobi, in Iaphet gentiles electi, ex quibus Eccleſia colligenda erat, & qui habitaturi erant in tabernaculis Sem, id eſt, poſſeſſuri ſalutem per Chriſtum (reprobatis Iudæis) ex quibus tamen tandem fiat unum ovile.

C A P. X.

ỳ.5. A*B his diviſa ſunt gentes in terra poſt diluvium.* Repugnant hæc iis qui juxta pſeudo-Beroſum ponunt adhuc alios filios Noë, quos genuiſſet poſt diluviũ, inter quos & Nauclerus Gen. 11. qui ponit à Tuiſcone filio Noë Germanos oriundos. Sed cùm ab enumeratis tantùm dicat ſcriptura, gentes eſſe diviſas: non temere alij fingendi ſunt, tum maximè quod Noë tempore diluvij totis centum annis ceſſaverat à gignendis liberis. Nam, ut patet c.5. genuit Sem, Cham & Iaphet cùm eſſet quingentorum annorum, & diluvium venit cum eſſet ſexcentorum annorum, cap.7. Atque ita credibile non eſt, eum tunc iterum ad gignendos liberos ſe convertiſſe. Quod verò pro ſe illi adferunt, c.9. tam Noë quàm filiis dictum eſſe, *Creſcite & multiplicamini*; ſenſus eſt, quòd pater etiam cenſeatur creſcere & multiplicari, cùm filij eius alios filios generant.

ỳ.9. De Nemrod, *Ipſe cœpit eſſe potens in terra & erat robuſtus venator coram Domino.* Nemrod, authore Ioſepho in Antiq. poſt diluvium primus regni cupiditate tyrannidem arripuit, & cœpit dominari in gente ſua; quem etiam putant authorem fuiſſe ædificandæ turris Babylonicæ, ita ut per anticipationem hîc dicatur (*fuit autẽ principium regni eius Babylon.*) Porrò vocatur *robuſtus venator coram Domino*, hoc eſt potentiſſimus hominum oppreſſor, inter omnes qui ſub cælo erant. Sicut enim venator feras perſequitur, compellit, mactat; ſic & tyrannus homines. Vel *coram Domino*, id eſt, etiam nihil reveritus Dominum.

ỳ.15. *Chanaan autem genuit Sidonem primogenitũ ſuum, Hethæum & Iebuſæum, Aracæum, Aradium.* Ex eo quod Sidon primogenitus fuerit Chanaan, fortè Sidonij ſpecialiter intelliguntur infrà c.15. & deinceps ſæpiſſimè, quando abſolutè eſt mentio Chananæorum: vel certè illis inprimis ea acceptione comprehendendi videntur. Ad hæc quæri poteſt, quare hîc nulla mentio fiat Pherezæorum, quos tamen ſatis conſtat ex genere Chanaan fuiſſe, & ex ſeptem populis terræ Chananæorum poſteà exterminandis, de quibus dicitur cap.13. *Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.* An ſcilicet hîc alij intelliguntur Chananæi, & alij Pherezæi? An potiùs iidem ſint cum aliis populis hîc nominatis, videlicet cum Aracæis? Cauſa hoc ſuſpicandi eſt, quia ſubiungitur hoc loco: *Poſt hæc diſſeminati ſunt populi Chananæorum.* Certè conſtat ex variis ſcripturæ locis, Pherezæos inter Chananæos fuiſſe computatos. Quare cum deinceps non fiat mentio Aracæi, niſi 1. Paralip. 1. ubi Aracæus iterum inter filios Chanaan numeratur (ſed tunc rurſum reticetur Pherezæus) omninò ſuſpicari licet, eum qui hoc loco, & 1. Paralip. 1. vocatur Aracæus, fuiſſe principem primum illius populi, qui poſtea vocatus eſt Pherezæus: fortè quia Pherezæus vocatus fuerit præcipuus Aracæi filius.

ỳ.21. *De Sem quoque nati ſunt fratre Iaphet maiore.* Ex Hebr. verti poteſt, *frater Iaphet maior.* Arias tamẽ & Septuag. adſtipulantur noſtræ verſioni. Incertum enim eſt quis ordo nativitatis fuerit filiorum Noë, eò quòd confusè de omnibus tribus dicatur c.5. *Noë verò cùm quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham & Iaphet.* Non quòd omnes ſimul generarit (quod pugnaret cum iſto quod hîc dicitur, *fratre Iaphet maiore*) ſed quod circa iſtam ætatem, unus prius, deinde alius fuerit generatus. Si *quæras*, quo ordine? *Reſpond.* (quamdiu certius aliquid fortè eruetur ex ſcriptura) veriſimiliter illo ordine, quo ſemel atque iterum numerantur, primo Sem, deinde Cham, & poſtremò Iaphet; Quò etiam ſpectare videtur quod ſpecialiter dicitur de Sem, *quod genuit Arphaxad biennio poſt diluvium.* At verò cùm filij Noë in ipſo diluvio fuerint circiter annorum centum (nam nati ſunt anno Noë quingenteſimo, & venit diluvium anno eiuſdem ſexcenteſimo) an poſteà prius gignere cœperint? an verò filij eorum impij ſimul diluvio perierint? Scriptura non exprimit. Quidam ſuſpicantur hactenus ſteriles fuiſſe, aut ipſorum uxores: idenque non ſuffeciſſe, c.8. dixiſſe, *Creſcite & multiplicamini*; ſed quod pro hac ſterilitate tollenda, Deus iterum c.9. dixerit, *Creſcite & multiplicamini.* Sed in huiuſmodi quæſtiunculis, qui volunt, ſinguli in ſuo ſenſu abundent.

ỳ.24. *At verò Arphaxad genuit Sale.* Septuaginta interpretes hîc interponunt Cainan: De quo vide Annotat. 1. Paralip. 1. & Luc. 3.

C A P. XI.

ỳ.4. C*Ivitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælũ.* Hîc ſi propriè cælum intelligatur, facinus ſtultum & inſaniæ plenum fuit. Sed ſatis certum eſt hyperbolycè ſignificatum, voluiſſe eos ædificare civitatem & turrim, cuius cacumen in immenſam altitudinem erigeretur. *Cauſam huius conatus* reddunt quidam, ut veniente rurſus diluvio haberent, quò confugerent. Sed obſtat, quod pauci in cacumine poſſint ſervari, tum maximè quod ipſi ſubdunt, *antequam dividamur in univerſas terras*: ſcilicet parum profuiſſet talis turris longè poſita. Cauſam certam & indubitatam ipſi exprimunt, cùm dicunt (*& celebremus nomen noſtrum*) cauſa igitur erat ſuperbia & gloriæ appetitus. Atque id etiam optimè convenit cum ea re quæ *myſticè* ſignificatur: cauſa enim omnium hæreſeon, & confuſionis ſpiritualis Babylonis, præcipua eſt ſuperbia: ac tandem quoque hæreticos ſequitur ut nec ſibi ipſis, nec veritati conſona loquantur. Neque juvat ſententiam primam, neque etiam aliam adhuc ſtultiorem, quaſi voluiſſent Deum cælo deturbare: id quod ſubjungitur (*nec deſiſtent à cogitationibus ſuis.*) *Venite igitur, confundamus ibi linguam eorum*: Nam nihil aliud ſignificatur iis verbis, quàm Deum odiſſe ſuperbiam.

ỳ.6. *Venite deſcendamus.* Non malè hinc ſtatuitur pluralitas, imò Trinitas perſonarum: Unus enim loquitur; & ut minimum pluraliter (*venite*) duos alloquitur. *At dices*, Deum loqui ad Angelos. *Reſp.* nuſquam reperitur ſic ad Angelos locutus Deus, ut dicat: Faciamus hoc aut illud: ſed præcipit illis ut faciant. Et de perſonis Trinitatis hæc accipienda eſſe, convincit etiam illud Geneſ. 1. *Faciamus hominem, &c.* quòd ſanè nullo modo poteſt de Angelis intelligi. Deſcendere autem dicitur Dominus, quia peculiare quoddam operaturus erat in terra, nempè linguarum confuſionem. Vide noſtra in 1. ſentent. diſtinct. 8.

ỳ.7. *Confundamus ibi linguam eorum.* Hanc linguarum confuſionem ita factam apparet, ut qui diverſa à prima & originali lingua loqueretur, primæ illius linguę repentè obliviſceretur. Nam alioqui nihil obſtante diverſitate linguarũ potuiſſent omnes & loqui prima lingua, & ea utentes ac loquentes intelligere, atque ita cœptum opus perficere. Et videtur illud miraculũ non in omnibus fuiſſe, quia quidam (ut, putatur, illi ex quibus poſtea Hebræi, & alij fortaſſe adhuc nonnulli) originalem linguam retinuerunt, nec aliam repentè edocti ſunt. In cæteris autem omnibus miraculum factum eſt duplex, nam & momento deleta eſt ex eorum memoria prioris linguæ cognitio, & ſimul reddita eſt cognitio alterius. Neque fuit hoc propriè donum linguarum, ſicut in Apoſtolis in die Pentecoſtes incipientibus ædificare Eccleſiam Chriſti: quæ

locutura

locutura erat omnium gentium linguis per ipſorum A prædicationem : ſed potiùs pœna & maledictio quædam irrogata eorum ſuperbiæ, qui turrim illam Babel exſtruere moliebantur, atque in iis etiam totius mundi & poſterorum maledictio fuit, magnum enim malum eſt humani generis quod homines eiuſdem naturę & generis ſeſe mutuo loquentes non intelligant.

Quæret aliquis quomodo hîc deſcribatur origo varietatis linguarum in mundo, cùm ſuperiori capite referantur ex poſteris filiorum Noë, gentes fuiſſe diviſas ſecundum linguas ſuas? Hoc argumento motus Philaſtrius putat linguarum diverſitatem jam ante exortam fuiſſe, & quendam authorem id negantem arguit hæreſeos, valdè temerè : Neque advertit conſuetudinem Scripturæ, quæ ſæpè quædam narrat per anticipatio- B nem, quale eſt hoc de linguis. Nam diviſio gentium ſecundum linguas, cuius meminit ſuperiore capite, facta demum eſt poſt ædificationem turris Babel. Simile eſt quod eodem cap. dicitur *nomen uni Phaleg, eò quòd in diebus eius diviſa ſit terra.* Ea enim diviſio hoc cap. deſcribitur.

Origen. in Gloſſa Ordin. ſuper Num. 18. Putandum eſt (inquit) quod diverſi angeli diverſas in hominibus linguas & loquelas operati ſunt : verbi gratiâ, unus uni homini linguam impreſſit Babylonicam, alius Ægyptiam, alius Græcam. Et ſic fortaſſe diverſarum gentium ipſi principes fuerunt qui linguæ & loquelæ videbantur auctores. Manſerat autem lingua per Adam primitus data, ſcil. Hebræa, in ea parte hominum quæ non Angeli vel hominum, ſed Dei portio eſt. Sic ille.

C ℣. 14. *Et genuit Heber.* Malè quidam putant, ab iſto Heber, Abraham & poſteros eius fuiſſe vocatos Hebræos. Vide infra Annot. c. 14. & 1. Paralip. 1. & in noſtro comm. argumentum Epiſtolæ ab Hebr. ubi de hac re pleniùs egimus.

℣ 26. *Vixitque Thare 70. annis, & genuit Abraham & Nachor & Aran.* Etſi ex hoc ordine conſequens non ſit Abraham fuiſſe maiorem natu omnium (nam & Moyſes ſemper Aaroni præponitur, etſi maiori natu) tamen myſterium dignitatis ſignificari, dubium non eſt: Et quidem Aran fuiſſe maximum natu, ſatis ex hoc ipſo capite, de filiabus eius, & filio Loth indicatur, niſi fortè quis dicat de diverſis Aran, hoc eodem capitè agi : quod tamen veriſimile non eſt.

D ℣. 31. *Et eduxit eos de Ur Chaldæorum.* Aug. q. 25. in Geneſ. dicit Abraham in ignem à Chaldæis miſſum, (quod eum colere nollet) inde liberatum eſſe. Hieronymo tamen magis videtur nomen loci ſignificari, ex quo egreſſus ſit Abraham, Thare, & reliqui. Neque tamen hæc pugnant : locus enim ab igne dictus videtur, videlicet, quòd ignis à Chaldæis ſolemniùs coleretur. Ex v. 28. & iſto 31. clarum eſt locum ſignificari.

Veneruntque uſque Haran & habitaverunt ibi. Haran eum eſſe locum volunt Saraceni ubi nunc Mecha eſt, in qua eſt templum celeberrimum ad quod ex omni loco religionis cauſâ confluunt Mahometani, [a] de quo fabulatur Mahometes in Alcorano Azoara 32. Abrahæ injunctum fuiſſe à Deo ut illud fundaret, conſecraret, & emundaret propter advenientes & inibi morantes. E Sed mera fabula eſt, cùm nec Abraham, nec quiſquam alius ante Salomonem, ſcriptura teſte, Deo templum ædificaverit. Ac ſanè ſi id Abraham feciſſet nec ſcriptura tacuiſſet, nec ignorarent Iudæi, Ioſephus, Philo & alij. Imò & publicè hoc notum fuiſſet, ſi Abraham ut vult Mahometes, publicè peregrinationem ad eum locum inſtituiſſet. Sed huiuſmodi manifeſtè vanis mendaciis paſſim refertus eſt Alcoranus.

CAPUT XII.

℣. 1. EGredere de terra tua. Jam ante cum patre exierat de terra ſua, id eſt, regione Chaldæorum; ſed ſenſus eſt; penitus exi, ita ut ad eam nunquam ſit animus redeundi.

[a] *Eſtij Annot. in Script.*

℣. 3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ.* Hebr. ſic intelligunt : *benedicent ſibi invicem*, dicendo, Benedicat nobis Deus, ſicut benedixit Abrahæ. Sed, interpretante Paulo, ſine dubio ſignificatur, quòd in ſemine Abrahæ, Quod eſt Chriſtus, benedictionem ſalutis & juſtitię accipient omnes gentes. Si ergo activè legatur cum Hebræis : ſenſus eſt, de hoc ſe benedicent, ſibique gratulabuntur. Interim Chald. quoque habent paſſivè : *Benedicentur propter te.*

℣. 5. *Et animas quas fecerant in Haran.* Abutebantur hac ſcripturâ inter alias, qui animam rationalem à parentibus trahi ſentiebant. Sed anima ſynecdochicè paſſim in ſcriptura, pro homine toto ponitur. Sic Auguſt. quæſt. 150. ſuper Geneſim. Dicitur autem homo hominem generare ſeu facere, non quia per virtutem generativam forma eſſentialis, ſcilicet anima rationalis, introducitur in materiam, quaſi educta è potentia materiæ : ſed quia cauſa eſt unionis partium eſſentialium, in quantum diſpoſitionem eam, quæ fit in materiâ virtute generantis, infallibiliter, ex primæva Dei inſtitutione ſequitur unio animæ & corporis. *Pateſt tamen* hic locus generaliter etiam intelligi, tam de pecoribus, quam de hominibus, quæ unà cum Abraham egreſſa ſunt de Haran. *Animam* autem *rationalem*, non virtute generantis produci, ſed extrinſecus advenire, etiam Ariſtoteles vidit l. 2. de generat. animalium c. 3. motus eo argumento, quòd cernebat in anima intellectiva operationem quandam, quæ non eſſet alicuius corporis actus. Cæterùm quomodo nihilominùs trahatur peccatum originale à parentibus : Vide comm. noſtrum ad Rom. 5. & in lib. 2. Sent. d. 17.

℣. 7. *Semini tuo dabo terram hanc.* Epiphanius ſub finem Ancorati, dicit Chananæos quondam terram illam occupaſſe per vim, eiectis poſteris Sem; ideòque hæc Deũ dicere : ſequutique ſunt olim etiam alij hanc ſententiam : & nunc quoque Bannes in 2. 2. quæſt. 10. art. 10. *Sed nobis* ea traditio Iudaica magis videtur, quàm Eccleſiaſtica, imò ſatis *repugnare Scripturæ.* Nam non dicitur (*reſtituam*) ſed *dabo.* Deinde Abraham, Iſaac & Iacob nunquam ſibi jus in illam terram vendicaverunt, ſed fatebantur ſe peregrinos. 3. Nec Iepthe in controverſiâ quam habebat cum hoſtibus, aliud allegavit, quàm terram illam ſuo populo à Deo ſuo datam eſſe. Adde quod Dominus Deuter. 9. & alibi, ſuæ promiſſionis, & Chananæorum exterminationis cauſas non alias reddit, quàm ſuum amorem erga patres Iſraëlitici populi, & peccata illarum nationum. De quo & infrà cap. 15. *Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum &c.*

℣. 12. *Et interficient me, & te reſervabunt -- & vivat anima mea ob gratiam tui.* Quomodo conſiſtat hic metus amittendæ vitæ cum fide promiſſionis divinæ, quâ dictũ ei erat hoc eodem cap. *Faciam te in gentem magnam* : vide Annot. infrà cap. 32. Iud. 20. Actor. 27. Poterat enim cogitare Deum impleturum ſine dubio promiſſiones ſuas, non tamen ſine opera, ſollicitudine & metu humano de ſervanda vita. Sicut enim Deus operari vult per cauſas ſecundas, ita & promiſſiones ſuas per cauſas ſecundas, & humanas actiones, induſtriam ac ſtudium, implere, & interdum etiam per actiones quæ ſunt peccata. Nam Petro martyrium prædictum & promiſſum eſt, non tamen ſine peccato injuſtè occidentium, præſtandum.

℣. 13. *Dic ergo, obſecro, quòd ſoror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Abraham non fuiſſe mentitum quando dixit : *dic &c.* ipſa Scriptura oſtendit c. 20. ubi Abraham apud regem Geraræ ſimili caſu ita ſe excuſat; *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Neque enim mentitur qui ita unum dicit quod verum eſt, ut aliud quod item verum eſt, celet. Aliud enim eſt celare veritatem, quod interdum expedit; aliud veritatem

negare, aut eam falſum dicendo pervertere, quòd A nunquam licet & ſemper peccatum eſt. Quomodo vero Sara fuerit ſoror Abrahæ, vide noſtra in 4.d.41. & Bellarm. de matrimonio. cap.28.

℣.15. *Et ſublata eſt mulier in domum Pharaonis.* Dubitant quidam num Pharao eam cognoverit. Sed cùm narratio altera, cap.20. de Abimelech, à quo tacta non eſt, ſit huic ſimilis; præſumendum, quòd uno loco exprimitur, in altero quoque intelligendum. Quin & Pharaonem eam non tetigiſſe, ex eo quoque colligitur, quòd Reges non ſtatim tales ad ſe admitterent, ſed priùs purgatas & præparatas, ut patet in libro Eſther. Itaque plagas à Deo immiſſas intereà ardorem eius repreſſiſſe; demumque veriſimiliter Deum eum admonuiſſe ut ibi cap.20. Abimelech. Vix enim alioqui cohæret quod ſequitur, *Vocavitque Pharao A-* B *braham, &c.*

CAPUT XIII.

℣.2. E*Rat autem dives valdè in poſſeſſione auri & argenti.* Hebr. pleniùs. *Erat autem gravis valdè pecore, argento & auro.* Et mirum, Hieronymum in vertendo omiſiſſe (ſi tamen omiſit, & non culpâ librarij intercidit) id quod præcipuum erat, ſcilicet (*pecoris,*) quod nec à Septuaginta neglectum eſt. Conſtat enim præcipuas opes antiquorum fuiſſe pecora, atque oves imprimis. Unde etiamnum ovium cuſtos, non ovilio, ſed opilio, tanquam opum conſervator ſcilicet, dici videtur. Dicitur autem Hebr. gravis pecore, id eſt, onuſtus. De quo & myſticè Hieron. Licet videantur eſſe divitiæ pecoris, auri & argenti: tamen ſi Ægyptiæ ſunt, viro ſancto graves ſunt. Sic & Iſaiæ 1. populo gravi iniquitate, ſcilicet pondere iniquitatum prægravato.

℣.8. *Ne quaſo ſit jurgium inter me & te.* Notanda hîc inſignis modeſtia tanti viri, & patrui erga nepotem, & contrà parum gratus animus Loth, quo non ipſo patruo potiùs optionem reliquerit. *Vnde* & pro cupiditate hac melioris portionis, veriſimiliter Loth punitus fuit temporaliter: ſcil. cap. ſeq. in captivitatem ductus, multaque in Sodomis videre indigna coactus.

℣.11. *Elegitque ſibi Loth regionem circa Iordanem, &c.* Non videtur Loth omnino inculpabilis, quòd D propter terræ fertilitatem elegerit eam regionem, cuius habitatores erant peſſimi. Inter quos proinde ipſius innocentia, & præſertim familia eius, graviter eſſet periclitatura: niſi dicamus Loth excuſabiliter ignoraſſe, quòd eſſent eius regionis incolæ iam mali. Fuerit igitur fortaſſe aliqua culpa, niſi forte etiam tum nondum fuerint iam mali.

CAPUT XIV.

℣.2. V*T inirent bellum contra Bara regem Sodomorum.* Severus Sulpit. libr.1. ſacræ Hiſtoriæ putat hoc primum fuiſſe bellum inter mortales. Cui ego non facilè aſſenſerim. Nam ſi Cain fratrem occidit; quis putet in eius poſteritate ante diluvium, in tanta E vitiorum licentia, non fuiſſe bella?

℣.10. *Terga verterunt; cecideruntque ibi.* At pauld pòſt v.17 dicitur: *Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum eius poſtquam reverſus eſt.* Quomodo ergo jam anteà ceciderant? *Reſpond.* ceciderunt, non ipſi Reges Sodomæ & Gomorrhæ, ſed eorum milites. Nempe hoc modo eſt oratio conſtruenda; *Itaque rex Sodomorum & Gomorrha terga verterunt: cecideruntque ibi.* (ſcilicet hi de quorum ſociis ſubiungitur) *& qui remanſerant fugerunt ad montem.* Et ſimilis locus eſt 2. Mach.2. v.16. de Antiocho & eius militibus.

℣.13. *Nunciavit Abraham Hebræo.* Quidam dicunt vocatum Hebræum ab Heber. de quo cap.5. ſed falluntur. Gloſſ. Ord. huius loci exponit Hebræo, id eſt, transfluviali; & adducit locum Ioſue ult. Item Græcè eſt περάτης; quod Chryſoſtomi interpres vertit tranſitorem, vel transfluvialem. Vide etiam 1. Paralip.1. & argumentum Epiſt. ad Hebr.

℣.14. *Numeravit, expeditos vernaculos trecentos decem & octo.* *Quæritur* quare bellum hoc ex parte Abrahæ non fuerit injuſtum, cùm reges illi jure alios invaſiſſe videantur: ſic enim ſcriptura dicit. *Duodecim annis ſervierant Chodorlahomor, & tertio decimo anno receſſerunt ab eo.* Sed *reſpondetur*, quod non erat juſta ſervitus, ſed per tyrannidem impoſita. Alij *reſpondent* eum vindicaſſe injuriam nepotis Loth, maximè quod ipſe tantùm advena eſſet in Sodomis, ut patet c.19. Sed non ſatisfaciunt, nam Abraham non ſolùm Loth, eiuſque familiam liberavit, ſed omnem omnino prædam reduxit, tanquam totius belli ſocius. Itaque tenenda *prima reſponſio.* De hoc numero vernaculorum 318. eiuſque myſterio, vide Paſchaſ. diac. l.1. de Spiritu ſancto c.1.

℣.18. *At verò Melchiſedech Rex Salem.* Hebr. & alij quidam, inter quos etiam hodie Genebrardus, putant Melchiſedech eundem fuiſſe cum Sem filio Noë. Et quidem certum eſt ex annorum ſupputatione, quos ei ſcriptura tribuit, Sem tunc adhuc in vivis fuiſſe quando Abraham hâc potitus eſt victoriâ. Sed eum fuiſſe hunc Melchiſedech, primò abſque ulla ſcripturæ auctoritate & probabili ratione dicitur. Deinde & ſcripturæ repugnat, nam Hebr.7. Melchiſedech nobis deſcribitur *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque finem vitæ* C *habens*; quorum nihil in Sem competit. Nam & patrem & matrem & poſteritatem habuiſſe eum ſcriptura memorat, & quando natus & quandiu vixerit, & quando mortuus ſcriptura exponit. Porrò Sem fuiſſe regem Salem in terra Chanaan nullo modo fit veriſimile, cùm Sem unus & præcipuus ex tribus patriarchis ex quibus poſt Noë totus mundus eſt propagatus; neque una civitate in qua regnaret debuerit eſſe contentus; neque regnum in medio terræ Chanaan poſteritatis Cham accipere, vel commodè potuerit vel etiam debuerit, ſed potiùs inter ſuos apud quos ut patriarcha & princeps autoritatem obtinuit. Et ſanè ſi quidquam de genere Melchiſedech dicere licet, apparet ex loco regni eum fuiſſe ex poſteris Chanaan: Sed hoc ſcriptura certi myſterij causâ reticere voluit: Alij Melchiſedech dixe- D runt eſſe Spiritum Sanctum, quòd eſt longè abſurdius & Catholicæ fidei contrariũ. Nam Melchiſedech ſummi Dei ſacerdos fuit, ideoque Deo inferior, ſicut & Chriſtus in quantum homo, hic enim ſola ratione Sacerdos eſt; atqui Spiritus Sanctus humanam naturam non aſſumpſit. Quare qui eum Sacerdotem faciunt, detrahunt ei divinitatem, Deique miniſtrum ſtatuunt, ut olim Macedoniani. In hoc errore eſt quoque auctor q. veteris & novi teſtamenti apud Aug. Sed & narrationi ſcripturæ id neutiquam eſt conſentaneum, quia deſcribitur rex cuiuſdam civitatis inter homines fuiſſe. Vide Hier. in Epiſt.126. ad Evagrium, ubi pro noſtra ſententia citat Hipolytum, Irenæum, Euſebium Cæſarienſem, Emiſenum, Apollinarem, Euſtathium, qui E Melchiſedech dicunt hominem fuiſſe Chananæum, Hier. vult hominem fuiſſe, non tamen abhoret ab Hebræorum ſententia qui dicunt fuiſſe Sem filium Noe. Vide noſtrum comm. in Epiſt. ad Hebr.c.7.

Proferens panem & vinum, erat enim ſacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei &c. Et dedit ei decimas ex omnibus. Judæi conantes depravare ſcripturas ad Chriſti & Eccleſiæ myſteria pertinentes, quos hodie ſequuntur hæretici, non ideo dicunt Melchiſedech protuliſſe panem & vinum ut ſacrificaret, ſed ut cibo & potu recrearet exercitum à victoria redeuntem. Sed hoc eorum commentum ex ipſo textu convincitur falſitatis, ſuprà enim dictum eſt de quatuor regibus: *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrha & univerſa quæ ad*

cibum

cibum pertinent, & abierunt. Atqui univerſam hanc A prædam excuſſit eis Abraham, igitur & ea quæ ad cibum pertinent, ſecum adferebat. Deinde quia ſequitur Abraham non voluiſſe quicquam *de præda retinere exceptis iis quæ juvenes comederant*. Unde patet ea quæ ad cibum pertinent ab hoſtibus fuiſſe recepta. Præterea cauſa cur protulerit panem & vinum, ſubditur: *quia erat Sacerdos Dei Altiſſimi*. Per quod ſignificatur eum protuliſſe ad ſacrificandum, non ad paſcendum exercitum. Nam tametſi in Hebr. ſit conjunctio, *&*, non, *quia*, manifeſtum tamen eſt apud eos frequentiſſimè conjunctionem, *&*, pro cauſa uſurpari, ut Gen. 22. *Nunc cognovi quod timeas Dominum &*, id eſt *quia, non pepercisti &c.* Pſal. 117. *Fortitudo mea & laus mea Dominus, &* (quia) *factus eſt mihi in ſalutem*. Pſal. 124. *Non avertas faciem tuam à me, &* (quia alio B qui) *ſimilis ero deſcendentibus in lacum*. Iſai. 64. *Ecce iratus es, &* (quia) *peccavimus*. Pſ. 59. & 107. *quia vana ſalus hominis*, ubi in Hebræo eſt, *& vana*. *Benedicta tu in mulieribus, &* (quia) *benedictus fructus ventris tui*. Quod autem dicunt Melchiſedech benedixiſſe Deo & non Abrahæ, vanum oſtenditur ex verbis ſequentibus, quibus dicitur. *Benedictus Abraham Deo excelſo*. Quod denique intelligunt, non Abraham dediſſe decimas ipſi Melchiſedech, ſed contra, quia videlicet Melchiſedech ſua receperat opera ipſius Abrahæ, vanum eſt. Nam Abraham de omnibus recuperatis negat ſe accepturum uſque ad filum ſubtegminis. Denique contra utramque expoſitionem Judaicam, ſufficit nobis authoritas Apoſtoli ad Hebr. 7. dicentis *Melchiſedech* C *benedixiſſe ipſi Abrahæ, & Abraham ei dediſſe decimas de omnibus*, ac per hoc etiam *ipſum Levi & Aaron in lumbis Abrahæ fuiſſe decimatum*. Et hoc argumento contra illam de decimis Judaicam expoſitionem, utitur Hier. in Epiſt. 126. Porrò de Melchiſedech eiuſque ſacrificio & ſacerdotio, Vide plura in noſtro comm. ad cap. 7. Epiſt. ad Hebr.

CAPUT XV.

ỹ. 1. EGo protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. *Quæritur*, an hæc conjunctim an diviſim ſint accipienda; Verſio Septuaginta apertè ſic habet. *Et merces tua magna erit valdè*. Et ex ſequentibus ſatis apparet hoc modo, id eſt, disjunctim, iſta accipienda; ſubdit enim mox Abraham: *Domine Deus, quid* D *dabis mihi?* q.d. promittis magnam fore mercedem meam: quid ergo dabis mihi pro mercede; Deinde deſiderium ſuum exponit ſequentibus verbis, quibus declarat ſuam ἀτεκνίαν dicens: *Ego vadam abſque liberis, &c.* quæ quærimonia nullum haberet locum ſi tantùm Deus intelligeretur merces. Deus quidem debet haberi præcipua merces, unde illud. (*Ego merces tua magna nimis*:) ſed & aliud quid, in ordine ad Deum tamen poteſt præterea expectari; ut videmus hîc expectaſſe patrem omnium credentium.

ỹ. 5. *Numera ſtellas ſi potes*. Aug. l. 16. de civitat. cap. 23. hunc locum doctè exponit. *Sic erit ſemen tuum*. Vide annotat. Deut. 1.

E ỹ. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam*. Abutuntur hoc loco Novatores, quaſi juſtificatio ſit in ſola fide. Nempe non ſignificatur hîc Abraham tunc primùm accepiſſe juſtitiam vel peccatorum veniam, quando credidit Deo promittenti ſibi ſemen (ſiquidem ante jam per fidem & obedientiam, quâ relictâ patriâ exivit in terram alienam, Deo placebit. Heb. 11.) ſed eam fidem illi valuiſſe ad incrementum juſtitiæ, quatenus opus erat ſingulariter Deo gratum, *Apoſtolus verò* ad Rom. 4. idem illud accommodat primæ noſtræ juſtificationi; quam docet eſſe ex fide, tamquam fundamento totius renovationis, ac reparationis noſtræ per Chriſtum; & quia *fides*, ut ait

Eſtÿ Annot. in Script.

A Aug. Epiſt. 105. *prima datur per quam cætera impetrentur*; non quod ſola fides ſufficiat.

Illud tamen adhuc *quæri* poteſt, quomodo ex Pauli collectione, ſaltem non ſit conſequens fidem peccatoris credentis in eum qui juſtificat impium, eſſe ſimpliciter juſtitiam, ſi ſimpliciter juſtitia fuit fides Abrahæ Deo credentis; in qua, ſicut dictum eſt, forma quædam fuit noſtræ juſtificationis? *Reſpondeo*, ſimilitudinem conſtare ſalva proprietate utriuſque juſtificationis, ſecundæ videlicet & primæ. Nam fides, quâ juſtificatur is, qui juſtus erat, ut Abraham, à Spiritu Sancto procedit inhabitante, ideòque ſimpliciter eſt juſtitia. Quod non perinde dici poteſt de fide peccatoris, credentis in eum qui juſtificat impium. Non enim proficiſcitur ea fides ab inhabitante Spiritu, ſed tan- B tùm movente, donec ille ſic credens ipſa fide eum promovente; gratiam adoptionis aſſecutus fuerit. Vide plenius not. ad Rom. 4. & ind. 4. 1.

ỹ. 8. *Vnde ſcire poſſum?* Excuſatur hæc interrogatio, ſicut illa B. Virginis Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud?* naturale eſt enim intellectui noſtro, audito nuntio rei magnæ & quaſi impoſſibilis, ſtatim quærere rei illius modum. Vide Auguſt. lib. 16. de civit. Dei cap. 24. & annotat. Luc. 1.

ỹ. 9. *Sume mihi vaccam triennem*. Ex hoc loco probat S. Thomas *Abraham fuiſſe Sacerdotem* 3. p. q. 31. art. 2. Et idem oſtendit Canon Miſſæ, nominans Sacrificium Patriarchæ Abraham.

ỹ. 13. *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit* C *ſemen tuum in terrâ non ſua, & ſubjicient eos ſervituti & affligent quadringentis annis*. Non eſt putandum filios Iſraël totis quadringentis annis ſerviviſſe in Ægypto; id enim rationi temporum & ſupputationi annorum prorſus repugnat. Id oſtenditur hoc modo: Jacob in Ægyptum deſcendit cum Levi filio ſuo, & Caath filio filij ſui, ut habemus Gen. 46. Atqui Caath genuit Amram, Amram verò Moyſen. Vixit autem Caath annis centum triginta ſeptem, ut eſt Exod. 9. Moyſes autem erat octoginta annorum in exitu de Ægypto; qui anni conficiunt numerum trecentorum quinquaginta. His detrahendi ſunt anni, quos habuit Caath antequam Ægyptum ingrederetur, & poſtquam genuit Amram, & rurſum anni Amram poſt nativitatem Moyſi, ac denique anni filiorum Iſraël in Ægypto, antequam D in ſervitutem compellerentur. Nam toto tempore quo vixit Ioſeph, liberaliter habiti ſunt, & nullam oppreſſionem paſſi. Proinde veriſimilis eſt illorum ſententia qui dicunt eos tantùm ducentis viginti annis in Ægypto fuiſſe, quibus tamen non totis ſervierunt, uti diximus.

Quid ergo ad præſentem locum aliaque ſimilia, ut Actorum 7. & Exodi 12. *Reſpondeo*, ſenſum eſſe: affligent eos quadringentis annis, id eſt, uſque ad finem quadringentorum annorum, nimirùm ab eo tempore ſupputando, quo Deus hoc loquebatur ad Abraham. Nam à tempore huius promiſſionis ad Abraham factæ, uſque ad exitum filiorum Iſraël ex Ægypto, intercedunt paulò ampliùs quam anni quadringenti; à nativi- E tate autem Iſaac præcisè quadringenti. Confirmatur hæc expoſitio teſtimonio Apoſtoli Pauli ad Galat. 3. *Quæ*, inquit, *poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex, non irritum facit teſtamentum confirmatum à Deo, ad evacuandam promiſſionem*. Intelligit autem tot annos poſt promiſſionem Abrahæ factam, & pactum cum eo initum: & Actor. 13. *Quaſi poſt quadringentos quinquaginta annos*, ſcilicet à promiſſione.

Vide Melchiorem Canum, Driedonem, & Cajetanum Geneſ. 15. & Exod. 12. Vbi clarè probat noſtram ſententiam, & oſtendit quomodo hic locus ſit accipiendus, nempè quia ab initio peregrinationis Abrahæ uſque ad egreſſum ex Ægypto, fluxerunt quadringenti anni. Denique nobis ſuffragatur Martyrologiũ Uſuardi

& Romanum, quod à nativitate Abrahæ uſque ad egreſſum ad octavum calendas Januarij populi ex Ægypto, numerat annos quadringentos nonaginta quinque. Genebrardus in ſua Chronographia ſequitur diverſam ſententiam, ſed nulla probabilitate; Vide Rabanum qui nobiſcum ſentit, & Liranum. Huc etiam facit quod paulò pòſt dicitur: *Generatione quarta revertentur huc.* Id quod patet computando à filiis Jacob qui in Ægyptum ingreſſi ſunt. Vide etiam ſi places comment. ad citatum locum, Galat. 3.

℣. 16. *Necdum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Senſus eſt; menſura peccatorum, pro qua conſtitui punire Amorrhæos exterminatione & internecione, nondum eſt impleta.

CAPUT XVI.

℣. 2. C*umque ille acquieſceret deprecanti.* Scilicet divina ad hoc inſpiratione motus, ut teſtatur Innocent. III. Nam polygamia contra jus naturæ erat, tametſi Auguſtinus videatur factum excuſare per conſuetudinem gentium: inter quas Abraham vivebat. Sed hoc non ſuffeciſſet ad violandum jus naturæ, de quo dictum eſt ſuprà cap. 2. *Et adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus.

℣. 6. *Ecce ancilla tua in manu tua eſt; utere eâ ut lubet* Non excuſaretur Abraham à peccato, permittendo uxori quidvis in ancillam, maximè gravidam; ſed intelligendum eſt, *ut lubet*, tamen intra limites rationis. Tum maximè etiam excuſatur, quia fortè ei Deus jam dixerat quod dixit cap. 12. *Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus.*

℣. 13. *Profectò hic vidi poſteriora videntis me.* Moyſi promittitur etiam tale quid Exod. 2. 33. Vide ibi.

CAPUT XVII.

℣. 5. N*Ec vocabitur ultra nomen tuum Abram. &c.* Sed cur viro nomen eſt auctum, & mulieri diminutum? nempè pro Abram, Abraham: & pro Sarai, Sara? *Reſp.* certè myſtica ratio eſt, quia per virum vis rationis, per mulierem autem ſenſualitas intelligitur. Debet igitur ſemper in nobis pars ſuperior, i. ratio, creſcere, & ſenſualitas decreſcere. Unde & Abrahæ paulò ante dicitur: *Ambula coram me, & eſto perfectus*: Sara autem paulò pòſt increpatur & reprimitur à riſu, qui eſt actus ſenſualitatis, quod etiam ſecundam Dei aſſertionem quaſi ridiculam habuerit: riſit enim & Abraham hoc capite, nec reprehenſus eſt; de quo riſu ſic Ambroſius libro 1. de Abraham capite 4. quod autem, inquit, promiſſo ex Sara filio riſit Abraham, non incredulitatis, ſed exultationis indicium fuit. Sic & Apoſtolus de eo: *Non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum.* Rom. 4.

℣. 6. *Quia patrem multarum gentium conſtitui te.* Hoc quidem ad litteram de carnali poſteritati dictum eſt. Nam & Iſmaelitæ, Madianitæ, & Idumæi ex poſteris Abrahæ fuerunt, aliique qui enumerantur Geneſ. 25. Minimè tamen dubium ab Apoſtolo Rom. 4. pertinere hæc promiſſa ad ſemen ſpirituale: ita tamen ut promiſſio hæc Abrahæ facta non fuerit præſtanda, niſi interveniente generatione carnali, quâ Chriſtus (*in quo benedicendæ erant omnes gentes*) ex eo ſecundùm carnem priùs naſceretur. Vide, ſi placet commentar. noſtrum ad Rom. 4.

℣. 7. *Ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* Colligit hinc Calvinus, eo ipſo quo quis eſt ſemen Abrahæ, ad eum pertinere promiſſionem Abrahæ factam. Sed *reſponſio* manifeſta eſt, promiſſionem illam de benedictione ſpirituali intellectam, non ad carnale ſemen Abrahæ pertinere, ſed ad ſpirituale: quemadmodum eam ipſe Apoſtolus interpretatus eſt Rom. 4. & 9. Si

A enim carnale ſemen intelligas: jam ad neminem ex gentibus illa promiſſio pertinebit, ſed ad ſolos ex Abraham & Iſaac ſecundùm carnem genitos. Si autem de ſpirituali ſemine intelligatur (ſicut verè intelligendum eſt:) nihil hæc ratio facit pro parvulis non baptizatis: non enim, niſi per baptiſmum, Abrahæ filij efficiuntur. Vide noſtra in 2 Sent. diſtinct. 31.

℣. 14. *Maſculi cujus præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo.* Habetur hujus rei illuſtre exemplum Exod. 4. Vide ibi.

Delebitur anima illa de populo ſuo. Alibi dicitur *peribit anima illa de populo ſuo.* Aug. multis locis vocat æternam & ſecundam mortem. l. 13. de civit. c. 1. & l. 21. c. 16. & 21. Item l. 1. de peccat. merit. c. 28. & alibi Proſper quoque æternam miſeriam vocat, lib. 2.

B de vocat. gent. c. 22. & 24.

Delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Ad litteram hoc videtur ita intelligendum ut peritura dicatur anima maſculi non circumciſi, quia circa eum non fuerit obſervatum pactum circumciſionis, quâ ſolâ poſſet perditionem evadere; ſicut hodie perire dicitur infans, quia non eſt baptizatus, id eſt, eò quòd inſtitutio Baptiſmi, quo ſolo ſalvari potuit, circa eum non fuerit obſervata. Quamquam ſubindè Patres illud intelligant de pacto ſeu præcepto Dei à primo parente violato, quod dictum erat: *Quocumque die comederis, &c.* quod pactum irritum feciſſe dicitur infans eo ſenſu, quo dicit Apoſt. Rom. 5. *In Adam omnes peccaſſe.* Hoc modo interpretatur Aug. l. 16. de civi-

C tat. c. 27 ubi tamen etiam priorem intellectum adjicit. Quæ ſanè videtur magis germana eſſe illius ſententiæ expoſitio. Vide noſt. in 4. ſent. diſt. 1.

℣. 17. *Putaſne centenario naſcetur filius?* quomodo hæc verba non ſint diffidentiæ aut infirmitatis in fide diximus in comment. Epiſt. ad Rom. c. 4. v. 16.

℣. 25. *Iſmael tredecim annos impleverat tempore circumciſionis ſuæ.* Hinc ſcilicet Iſmaelitæ ſive Agareni, qui ſe Saracenos vocant, & Mahometicam ſequuntur religionem, etiamnum multi decimo tertio ætatis anno circumciduntur. Non tamen omnes Mahumetani ſervant hunc morem, ſed quidam citiùs, quidam tardiùs circumciduntur, ut fit, quando relictâ lege Dei quiſque ſibi vult legem fingere.

D

CAPUT XVIII.

℣. 2. & 3. A*Pparuerunt tres —— Et dixit Domine*, Aug. lib. 3. contra Maxim. c. 26. vult Abraham in his tribus agnoviſſe Trinitatem: & dicit illud: *Tres vidit & unum adoravit*, quod canit Eccleſia. Non quod non homines, aut Angelos humana ſpecie eſſe putârit. (Nam eis & pedes lavare, & cibos apponere voluit, imò appoſuit, ipſique ut videbatur, comederunt (ſed, quod intereà, inſtinctu divino, tres recipiendo, & unum tantùm alloquendo, hoc myſterium indicârit.

℣. 10. *Revertens veniam tempore iſto, & habebit filium Sara.* Verba ſunt Angeli in perſonâ Dei loquentis ad Abraham. Hebræa paulò obſcuriora ſunt, eundem

E tandem ſenſum volunt: iſtum videlicet: Hoc eodem tempore poſt annum revolutum, quando reverſus veniam ad te, Sara conjux tua, quamquam ſterilis & vetula, filium habebit. Citat Apoſtolus pro commendandâ fide, ad Rom. 9. Vide noſtra ibidem.

℣. 12. & 13. *Quæ riſit occultè. Dixit autem Dominus Quare riſit?* Reprehenſa eſt Sara ridens, quia ex incredulitate quadam riſit: ſciens veriſimiliter etiam antea cap. præcedenti virum ſuum hâc de re divinitus fuiſſe edoctum. Quæ incredulitatis ſpecies, etiam ex eo apparet, quod dixit: *Non riſi.* Alioqui & Abraham eadem de cauſa cap. præcedenti riſit, nec tamen reprehenſus eſt.

℣. 19. *Ut*

ỷ.19. *Vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.* Hoc & ſeq. cap. multipliciter nobis teſtatur Scriptura, per merita & intercesſiones piorum, alios, qui peccatores ſunt & minoris meriti, ſalvari poſſe. Primum Scriptura meritis Abrahæ tribuit benedictionem ſeminis eius & effectum promisſorum verbis allatis. Id enim ſignificatum eſt per hoc quod cap.15. legitur Abraham abegiſſe volucres, quæ deſcendebant ſuper ſacrificia. Quia, inquit Hieron. lib. quæſt. in Geneſim illius merito ſæpè de anguſtiis liberatus eſt Iſraël. Deinde intercedit Abraham pro Sodomitis: & quamvis non ita exauditus ſit ut civitates liberaverit; eius tamen meritis & precibus redditum eſt, ut Loth cum ſua familia fuerit ereptus. Teſtatur hoc ſcriptura cap. ſeq. ubi dicitur; *Et recordatus eſt Deus Abrahæ, & liberavit Loth de ſubverſione urbium in quibus habitaverat.* Tertiò interpellatus Dominus ab Abraham cum dicit. *Si invenero Sodomis quinquaginta juſtos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.* Et iterum ac ſepiùs interpellatus deſcendit uſque ad decem, dicens: *Non delebo propter decem.* Igitur merito decem juſtorum pepercisſet Deus toti illi regioni. Quartò, propter merita unius Loth juſti, Deus offert ſalutem ac liberationem omnibus iis qui affinitate eum contingebant. *Habes* (inquit) *hic quempiam tuorum, generum aut filios aut filias? omnes qui tui ſunt, educ de urbe hac.* Quòd autem liberati non fuerint, ipſi in cauſa fuerunt, quibus Loth *viſus eſt, quaſi ludens loqui.* Poſtremò Loth intercedit pro ſalute urbis Segor, & impetrat, dicente, Domino: *Ecce etiam in hoc ſuſcepi preces tuas: & non ſubvertam urbem pro qua locutus es.*

ỷ.21. *Et videbo utrùm clamorem, &c. ut ſciam.* In Hebræo non additur (*ut*) tamen ſignificatur Deum ut juſtisſimum judicem non punire, niſi cauſâ optimè cognitâ. In qua figura ſermonis monentur omnes judices, ne ad peccata punienda procedant, niſi re bene examinata & cognita.

ỷ.25. *Nequaquam facies judiciũ hoc.* Hebr. ſic habent ad verbum: *Nunquid judex omnis terræ non faciet judicium?* interrogativè: Et Chald. ad eundem modum: Græci quidam affirmanter, quidam interrogativè interpretantur: Sed de toto ſenſu huius loci, An aliquando posſit juſtus puniri cum impio? Vide c.21. Ezech.

ỷ.32. *Non delebo propter decem. Abijtque Dominus, &c.* Nihilominus Abrahamum ſpecialiter adhuc exoraſſe pro Loth & familia eius; ſatis docent illa verba capitis ſequentis, ubi dicitur, quòd recordatus Dominus Abrahæ, liberavit Loth.

CAP. XIX.

ỷ.3. C*Ompulit illos ut diverterent ad eũ.* Sic & capite præcedenti Abraham occurrit, obſecratque hoſpites ut ad ſe divertant. Et ad hæc duo exempla reſpexit Apoſtolus Hebr.c.13. cùm dicit: *Hoſpitalitatis nolite oblivisci: per hanc enim quidam latuerunt, Angelis hoſpitio receptis,* id eſt, latenter Angelos receperunt, quos exiſtimabant homines. Sic enim legendum eſt juxta Sixtina Biblia ex original. non autem (*placuerunt*) Sic & de diſcipulis in Emaus: *Et coëgerunt eum.* Vide noſtrum comm. dicto loco Hebr.13.

ỷ.8. *Habeo duas filias quæ necdum cognoverunt virũ, educam eas ad vos & abutimini eis ſicut vobis placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis: quia ingresſi ſunt ſub umbra culminis mei.* Hæc verba ſatis declarant quanta fuerit cura veteribus illis juſtis conſervandi juris hoſpitalis: ne videlicet hoſpiti ſub tectum admisſo ulla vis aut injuria adferretur. Quæſtio eſt, utrum licitè fieri potuerit quod hic Loth feciſſe legitur, ut videlicet filias ſuas offerret libidini civium, ut hoſpites ab eorum violentia & libidine conſervaret? Reſpond. ſi iſta fuiſſet nuda permisſio minoris mali ad evitandum malum gravius; peccatum non eſſet. Ita enim in lege per-

A misſus eſt libellus repudij ad evitandum mala quæ ex odiis conjugum conſequuntur. Ita in civitatibus permittuntur lupanaria ad præcavendum promiſcua ſtupra. Sed quia non ſola fuit permisſio, ſed cooperatio quædam peccati minoris, per hoc quod dixit: *Educam eas ad vos, & abutimini eis ſicut vobis placuerit:* Hinc probabilius videtur, non poſſe omnino Loth à peccato excuſari, quamvis & perturbatio & ſtudium defendendi juris hoſpitalis eius peccatum magna ex parte extenuent. Unde & Auguſt. huiuſmodi flagitiorum vel quorumcumque peccatorum compenſationem nullo modo dicit imitandam, quæſt.42. in Geneſ. Caietanus quidem ſuper S. Thom. 2. 2. q.78. art.4. conatur excuſare. Sed vide Domin. Soto de juſtit. & jure, lib.6. qu.1. art.5. tractantem de hac re ex profesſo. Certè B filiabus nullo modo licuit conſentire in factum paternum, nec licuit eis pati ſtuprum: quomodo aliquis voluntariè patitur mortem, aut vulnera, aut alapas, ſed debebant repugnare, quantum posſent; ergo nec patri licuit eas ad huiuſmodi actum patiendum educere, unde nec videtur defendi poſſe eo titulo, quia licet conſulere minus malum ad evitandum maius; quia educere filias ad ſtupratores, plus eſt quàm minus malum conſulere.

ỷ.12. *Habes hic quemquam tuorum? generum, aut filias, &c.* De generis quomodo accipiendum ſit, mox explicatur, dum ſcriptura commemorat Loth egresſum fuiſſe, & locutum ad generos ſuos, qui accepturi erant filias eius. Sed quid agimus de filiis? an Angeli ignorabant C Loth non habere filios? *Reſp.* Angelos locutos ut peregrinos ac ignaros, etſi Dei nuntios. Non enim neceſſe eſt Dei inter-nuntios omnia omnino ſcire.

ỷ.22. *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc.* Senſus eſt, quod ſtante illo promisſo, quo Deus promiſerat ſe ſervaturum Loth in Segor, non poterat Deus ſubvertere Sodomam, priuſquam Loth in Segor veniſſet. Ex his patet non inconvenienter dici, quòd Deus per ſua promisſa, nobis debitor fiat. Atque ita de Deo loquuntur interdum PP. ut Auguſt. ſerm.16. de verbis Apoſtoli, & in enarratione ſecunda Pſalm.13. item Gregorius Homilia 37. ſuper Evangel. Vide noſtra in 1. Sent. d.43.

ỷ.24. *Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam à Domino* Prudent. contra Unionitas de hoc loc: *in Apoth.* A Domino D Dominus flammas pluit in Sódomitas. Et clariùs ſe explicans ſubiungit. Quis Dominus? de quo Domino? Si ſolus ab arce ſyderea ſpectat Pater, &c. innuens Patrem per Filium pluiſſe. Alij tamen volunt hanc geminationem tantùm more Hebræo factam.

ỷ.31. *Et nullus virorum remanſit in terra.* Dubium utrum putarint in tota terra, an tantùm in terra vicina? Si priori modo; excuſabilius fuiſſet puellarum factum: ſed quomodo; debuisſent prius inquirere, an ſupereſſent viri. Vide ſeq.

ỷ.32. *Veni, inebriemus eum vino, dormiamuſque cum eo.* Aug. lib.22. contra Fauſtum c.44. diſputat de facto Loth, utrum & quatenus excuſari posſit. Chryſoſt. in hunc locum non modò ebrietatem Loth, verùm etiam factum filiarum excuſare videtur. Sed certè, E ſalvâ Chryſoſtomi reverentiâ, non rectè; etſi propter honeſtum finem minus peccatum fuerit. An verò Loth ab ebrietate excuſari posſit, quaſi vim vini ignorârit; nec hoc videtur. Nam mirum ſi pater; vir dives & hoſpitalis, vim vini non ſciret, quàm (ut videmus) bene norant filiæ. Itaque nec Loth ab omni peccato excuſari poſſe videtur.

ỷ.33. *At ille non ſenſit, nec quando accubuit, nec quando ſurrexit.* Non quaſi concubitũ commiſerit dormiens, aut nihil ſentiens: ſed quod ita fuit vino conſopita eius ratio, ut more brutorum nihil cogitans cum qua miſceretur; ad coitum moveretur præſente fœmina, de uxoris morte, vel omninò de uxore nihil cogitans, imò

nec poſtridie ſciens ſe cum muliere concubuiſſe; quo- A
modo aliqui qui homicidium committunt ex ebrietate, poſtridie neſciunt ſe id feciſſe. Sic Bonavent. in 2.d.32. in fine. Non ſenſit, id eſt, non diſcrevit.

℣.26. *Verſa eſt in ſtatuam ſalis.* De ea Sap.10. ſic: *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.* Lirànus refert ſtatuam hanc non minui, quantumcumque animalibus eam lambentibus. Sed fabula videtur. Nihilominus petram hanc figurâ mulieris, ſimilitudinem ſalis aliquam habuiſſe, (ſicut Chriſtus dicit ſal terræ, & Gregorius & Hilarius meminerunt petræ ſalis) arguit myſterium ſignificatum: de quo ſic inter alios Auguſt. de cantico novo c.4. In ſtatuam ſalis converſa eſt, ut fatuos ſuo exemplo condiret, ut diſcant non retroſpicere.

CAPUT XX. B

℣.3. **D**ixit *Deus nocte ad Abimelech per ſomnium: en morieris propter mulierem quam tuliſti; habet enim virum.* Verba iſta non ſunt prædicentis quid eventurum ſit, ſed admonentis ne tangat mulierem, & comminantis pœnam mortis, ſi eam tangeret. Senſus enim eſt: morieris niſi reddideris, &, ſi tetigeris eam. Sed quæritur quomodo Abimelech ſe innocentem dicat dum ait: *In ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum, feci hoc.* Cujus verbis & Deus adſtipulatur dicens: *& ego ſcio quod ſimplici corde feceris: & ideo cuſtodivi te, ne peccares in me, & non dimiſi ut tangeres eam*: verbis autem ſequentibus, ſignificet eum peccaſſe, cùm ait: *nunc ergo redde viro* C *ſuo uxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt: & vives.* Et ipſe Abimelech peccatum videtur agnoſcere, dum dicit ad Abraham. *Quid peccavimus in te, quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande?* His verbis peccatum agnoſcit, qui ſuperius à peccato ſe excuſat.

Reſpond. ſecundùm aliquid innocens erat Abimelech, & ſecundùm aliquid culpabilis. Innocens ab adulterio & adulterij voluntate, neque enim voluiſſet Saram ad ſe accipere, ſi cognoviſſet eam eſſe conjunctam marito. Atque eò pertinet excuſatio eius & approbatio Dei. Culpabilis autem erat, tum quia velut jure regio mulierem apud ſe peregrinantem ſibi vendicavit: tum quia non ſatis inquirebat ſicut debuit utrum maritum haberet. Illud tamen quod ait: *Induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande*, non ſigni- D ficat eum peccaſſe, ſed in periculo peccandi fuiſſe, & ſenſus eſt: ex facto tuo accidit, ut parum abfuerit quin adulterium committerem, propter quod & ego, & regnum meum graviter à Deo puniretur.

℣.7. *Quia Propheta eſt, & orabit pro te.* Propheta id eſt, homo Deo familiaris, quaſi dicat: Itaque habet & fiduciam impetrandi.

℣.12. *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ.* Nempè Sara filia erat Aran fratris Abrahæ, ſed qui duo, ſcil. Abraham & Aran, ex eodem patre Thare, ſed non item ex eadem matre nati eſſent. Necdum enim, inquit Hieronymus in tradit. Hebr. ſuper Geneſ. inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege prohibitæ: quæ in primis hominibus etiam E inter fratres & ſorores initæ ſunt. Fuit igitur Sara ſoror Abrahæ, ſcilicet quia neptis ex fratre: quomodo etiam Tobias junior cap. octavo dicit ſe accipere ſororem ſuam in conjugem. *Sed Abrahā* hâc formâ verborum propterea maximè uſus eſt, ne putaretur uxor: quia nefas erat etiam eo tempore ſororem propriè dictam habere conjugem. Vide noſtra in 4.d.40.

℣.16. *Hæc erit tibi in velamen oculorum ad omnes.* In Hebr. ſic: *Ecce ipſum tibi operimentum oculorum omnibus qui tecum, & cum omnibus, & corripuit ſe.* Septuaginta ſic legunt: *Hæc erunt tibi in honorem* (vel pretium, Græcè τιμὴν) *faciei tuæ, & omnibus quæ* (fœminini generis) *tecum ſunt: & omnia verifica*, id eſt, vera loquere.

A Et videtur ſignificari, hæc data Saræ & mulieribus quæ cum ea erant, ut Sara magis ornata, ac proindè potentior, appareret in oculis hominum, ideòque liberè poſſet eloqui ſe conjugatam, nec quiſquam auderet viro potenti uxorem eripere. Sequitur: *Et corripuit ſe.* Senſus eſt phraſi Hebraica, & correpta eſt, ſcilicet à ſuo ipſius animo, jam edocta quàm periculoſum eſſet ſe dicere ſororem ſui mariti eſſe.

An autem conſuetudo fuerit ut mulier coniugata vel ſponſa gereret ſignum aliquod in facie vel capite quo ſignificaretur, eam uni jam viro addictam, nullius alterius amorem admittere, quomodo dicit B. Agnes de ſponſo ſuo Chriſto: *poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam*, & hoc ſignificatum ſit his verbis: *hæc erit tibi in velamen oculo-* B *rum ad omnes*, inquirat ſtudioſus. Vide huius loci aliam expoſitionem apud Fererium ſuper Iſaiæ cap. 27. numero 9. eamque, ut ille arbitratur, maximè probabilem.

CAPUT XXI.

℣.6. **F**ilium *Agar ludentem cum Iſaac filio ſuo.* Ex Hebr. variè vertunt Interpretes: Alij *ludentem*, alij *idololatriam exercentem*, alij *laſcivientem*: alij denique *eadem machinantem*. Apoſtolus ad Galat. c.4. ad hunc locum reſpiciens dicit: *Quomodo tunc is qui ſecundùm carnem, perſequebatur eum qui natus fuerat ſecundùm ſpiritum; ita & nunc.* Ex quo loco manifeſtum eſt, debere in hoc luſu intelligi perſecutionem aliquam. Perſecutio autem duplex eſt, alia corporalis, C alia ſpiritualis, de corporali perſecutione intelligunt, qui dicunt hîc ſignificari quòd Iſmael ludendo mortem fuerit machinatus Iſaac, ut hæreditatem adipiſceretur. Et hoc indicare videntur illa verba: *Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Alij tamen conformius putant Apoſtolo, quod Iſmael quaſi per ludum voluerit Iſaac ad idololatriam invitare ſicut Iudæi ad ſuum Iudaiſmum, Chriſtianos: & poſtea etiam gentiles, ad ſuam idololatriam. Sic & Exodi 32. *Et ſurrexerunt ludere*, de his qui vitulum adorârunt. Nec tergiverſandum eſt, eò quod in Hebræo non additur illud (*cum Iſaac filio ſuo*) nam contextus hoc addi debere docet: & Apoſtolus ad Galatas c.4. addit, & ipſi etiam Interpretes Septuaginta. Vide noſtrum comm. citato cap.4. ad Galat. & 1.Cor.10. v.7.

D ℣.10. *Ejice ancillam & filium eius.* Teſtatur Apoſtolus ad Galatas c.4. hæc per Allegoriam eſſe dicta, & explicat. Nempe ſicut Sarâ poſtulante, & Deo poſtulatum eius approbante, ejecta eſt è domo Abrahæ Agar ancilla cum filio ſuo Iſmaele: ſic Eccleſiâ Chriſti, per Spiritum ſanctum urgente, ejici oportuit è familia & populo Dei, eos qui legem veterem neceſſariò obſervandam volebant. Atque hoc præcipuum eſt, quòd Apoſtolus ex hac Hiſtoria Geneſis per Allegoriam expoſita docere voluit. Vide noſtra eo loco.

℣.12. *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Ex hoc loco Abrahamum, ſimiliter prius petente Sara, ancillam divina diſpenſatione accepiſſe in uxorem, non malè colligitur: Et in univerſum de his qui in lege ve- E teri duas ſimul habuerunt uxores, ſic Innocentius III. cap. *Gaudemus*: Nec ulli, inquit, unquam licuit ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum: per quam, ſicut Iacob à mendacio, Iſraëlitæ à furto, & Samſon ab homicidio: ſic & Patriarchæ & alij viri juſti, qui plures leguntur habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur. Hæc ille, quam reſponſionem indicat etiam Ambroſius libro 1. de Abraham capite quarto, & Chryſoſtomus homilia quinquageſima ſexta in Geneſim. Neque obſtat quod Polygamia lege divina eſſet prohibita, Geneſis cap.2. Nam ideò tantùm fuit prohibita, & eſt mala, quia ordinariè repugnat pacificæ educationi prolium, propter innatam mulieribus zelotypiam. Itaque cùm Deus poſſit huic

incom-

incommodo providere, poteſt etiam in lege monogamiæ, id eſt, unius cum unicâ diſpenſare. Vide ſi placet, plura de his in quartum diſtinct.33.

CAP. XXII.

ỳ.1. T*Entavit Deus Abraham.* Non propriè tentavit, ſed figuratè; quia id fecit, quod tentantes, & per experientiam aliquid ſcire volentes; ſolent. Hoc autem fecit Deus, non ut ipſe ſciret, ſed ut hominibus, atque ipſi etiam Abrahæ manifeſtum fieret, quod antea latebat; ſcilicet quantum timeret Deum, ut ad eius juſſum etiam filium unigenitum occidere paratus eſſet. Vide quæ de hac phraſi diximus in comment. Epiſt. ad Hebr.11. v.17. & Iac.2. v.13.

ỳ.2. *Tolle filium tuum unigenitū quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum, &c.* Commendat nobis ſcriptura hoc capite admirabilem obedientiam Abrahæ, qui juſſus immolare filium ſuum in quo habebat promiſſiones, ſine mora obtemperavit; Proceſſit autem hæc eius obedientia ex fide quâ certiſſimè credebat veracem eſſe Deum, & ei nihil eſſe impoſſibile. Unde certò intellexit promiſſionem ſibi in Iſaac factam minimè pugnare cum morte Iſaac, & antequam ille ſobolem ſuſcitaſſet. Quid autem Abraham cogitaverit, aut quomodo divinam promiſſionem cum præmatura morte filij ſui conciliaverit, oſtendit Apoſtolus Hebr. 11. *Fide obtulit Abraham Iſaac cùm tentaretur, & unigenitum offerebat qui ſuſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen, arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Ad hanc Abrahæ fidem etiam illud pertinet quod hîc legimus eum dixiſſe ad pueros ſuos: *expectate hîc; ego autem & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Neque enim putandum eſt Abraham mentitum fuiſſe, ut ſe cum filio reverſurum diceret, quem reverſurum non putaret, ſed fiducia ex Dei promiſſis concepta ſperabat vel Deum poſt immolationem puerum ſuſcitaturum, vel ſe ab immolatione pueri prohibiturum, quod & factum eſt.

ỳ.7. *Vbi eſt victima holocauſti?* Et mox, *Deus providebit ſibi victimam holocauſti.* Hebr. eſt, *agnum ſeu pecus in holocauſtum?* Sanè etiam Deus poſtea arietem in holocauſtum ſuppeditavit, tametſi Abraham ſic præcisè non intellexit, ſed in genere commiſerit Deo rationem huius ſacrificij, ut ſuprà dictum eſt.

ỳ.12. *Non extendas manum tuam ſuper puerum.* Prohibetur Abraham perficere quod juſſus fuerat, quia ſatis erat obedientiam eius, & devotam erga Deum voluntatem probaſſe in aggreſſu operis.

ỳ.12. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum.* Senſus eſt, cognoſcere te feci. Ita hunc locum intelligunt, & per eum alias quaſdam eius generis ſcripturas explicant, Auguſtinus libro 1. de Trinitate capite duodecimo, & libro octoginta trium quæſtionum quæſtione ſexageſima, Ambroſius libro quinto de fide ad Gratianum capite ſeptimo & octavo, Hilarius libro nono de Trinitate & alij. Vide noſtra in 3. Sent. diſt.15.

CAP. XXIII.

ỳ.4. D*Ate mihi jus ſepulchri*, Hebr. *poſſeſſionem ſepulchri*, id eſt, locum in quo ſepeliantur mortui meæ familiæ. Petit autem dari non gratis, ſed ut mox patet, venditione.

ỳ.6. *Princeps Dei es apud nos.* Hebr. *princeps Dei tu in medio noſtri.* Id eſt princeps magnus & egregius es tu inter nos, ideóque juſtum eſt, tibi etiam ſponte à nobis eum honorem deferri; ut *in electis*, id eſt, in aliquo in melioribus atque honoratioribus ſepulchris mortuum tuum ſepelias.

ỳ.7. *Et adoravit Abraham populum terræ*, id eſt, in-
A digenas eius loci. Non enim populus terræ plebeculam, id eſt, vulgus inhonoratum ſignificat in ſcripturis, ut quidam ſuſpicati ſunt, ſed univerſum populum. Non ergo Abraham adoravit, id eſt, honoravit infimam plebem, ſed qui in populo primas tenebant. Cum illis enim agendum ei erat, ut ſepulturæ locum impetraret pro Sara uxore ſua. Sic Levit. capite vigeſimo populus terræ jubetur lapidare blaſphemum, id eſt, homines iſtius loci; maiores quidem judicando, minores verò exequendo. Ceterùm docet hic locus, *nomen adorationis non ſemper eodem modo ſumi*; & ſicut Abraham non peccavit hîc contra illud præceptum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: ita nec peccare Catholicos, cùm ſuo modo honorant genuflexionibus Sanctos, eorumque imagines.

B ỳ.16. *Appendit pecuniam Abraham quam Ephron poſtulaverat.* Nempe maluit emere, quàm dono accipere: ne forte agrum donatum poſteri donatoris aliquando vellent revendicare, cauſantes, vel ſuam inopiam, vel donationem temerariam, aut non legitimam fuiſſe defraudatis hæredibus. Sic & David aream Ornan pro ædificatione altaris pretio voluit comparare, etſi & ille gratis eam offerret. Quomodo autem Abraham hîc non inciderit in peccatum ſimoniæ, diximus in 4. Sent. diſt.25. §.17.

CAPUT XXIV.

ỳ.6. C*Ave ne quando reducas filium meum illuc.* Nempe, ſciebat Abraham ſibi ſuiſque po-
C ſteris promiſſam terram Chanaan, idcircò quòd exiſſet de terra ſua. Neque tamen contra hoc fecit Iacob, commorando ibi annis multis. Nam id fecit, & fugiens iram fratris Eſau, & acceptis inde uxoribus ex cognatione ſua, animo in patriam revertendi: quòd & fecit, cùm primùm potuit.

ỳ.14. *Igitur puella cui ego dixero.* Signum hoc quod ſibi ipſi ſtatuiſſe ſervus Abrahæ videtur, ſortis quandam rationem habuit; ſed ideò in eo nō peccavit quia non niſi devotâ ad Deum oratione illam reverenter ſibi ſtatuit, & alia ratio dirigendorum ſuorum conſiliorum non occurrebat. Vide Francon. libr.3. de gratia Dei. Hinc & illud v.50. *A Domino egreſſus eſt ſermo.*

ỳ.16. *Virgo pulcherrima & incognita viro.* Hebr. *Virgo, & vir non cognoverat eam.* Quod ergo additur, &
D incognita viro, non ſic dictum eſt quaſi ſint quædam virgines viris cognitæ: ſed poſterius continet explicationem prioris. Unde ſic & Vatab. verſio: *Et virgo, quippe quam vir nullus cognoverat.*

ỳ.50. *A Domino egreſſus eſt ſermo: non poſſumus, &c.* Non ſignificatur quòd Dei præſcientia, præordinatio, aut voluntas imponat hominibus neceſſitatem, ſed ſenſus eſt; Quoniam ſatis apparet Sermonem egreſſum eſſe à Domino: non licet nobis repugnare. Ita loquitur & Balaam Num.22. 23. & 24.

ỳ.57. *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.* Non utrum nubere Iſaac vellet: Nam adſtans pridie conſenſerat patri dicenti: *En Rebecca coram te eſt, & ſit uxor filij Domini tui*, ipſaque munera idcircò acceperat, convivíumque ſimul celebrârat: ſed reſpicit
E hic Scriptura ad verba quæ immediatè præcedunt, prolata poſtridiè, cùm ſervus Abrahæ mox voluit proficiſci, & è contra fratres Rebeccæ dixerunt: *Maneat puella ſaltem decem dies.* Super hoc ergo quærunt Rebeccæ voluntatem, utrum jam ſtatim velit proficiſci. Atque hoc modo etiam intelligit hunc locum Ambr. libr.1. de Abraham cap.ult.

ỳ.63. *Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro inclinatâ jam die.* Quidam meditationem hanc intelligunt contemplationem ſyderum, quia nimirum (uti tradunt Hebræi) edoctus erat Iſaac ſcientiam aſtrorum à patre, quem è Chaldeâ dicunt ſcientiam illam attuliſſe in Ægyptum, eamque Ægyptios docuiſſe. *Sed rectius*

D. Hieronymus intelligit Iſaac. ut aliis in rebus, ita A
in hâc Chriſti typum geſſiſſe, qui exiit ſolus in montem orare. Nam & uſque in hodiernum diem conſuetudo eſt Judæis orare circa tempus veſpertinum.

ỳ.67. *Et in tantum dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Et hic Iſaac typum Chriſti geſſit, utpotè qui ſponſam ſuam Eccleſiam in tantum dilexerit, ut dolorem quam in ſuâ humanitate patiebatur, ex morte matris ſuæ, id eſt, abjectione populi Judaici (ex quo ſecundùm carnem progenitus erat) amore ſponſæ ſuæ temperaret.

Et rectè Rebecca nobis typum exhibet Eccleſiæ, quia ſicut unica fuit viro ſuo (neque enim Iſaac, ut pater eius & filius Polygamus fuit) ita Eccleſia unica eſt Chriſti ſponſa, juxta illud Canticorum: *Vna eſt columba mea.* Et ſicut Rebecca prius ſterilis poſtea fœcundata eſt, ita Eccleſia quondam ſterilis in uno populo Judaico, tandem poſt Chriſti adventum, fœcunda facta eſt in gentibus. Unde poſt Prophetam Apoſtolus. *Lætare ſterilis quæ non paris: quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum.* Iſa. 54. Galat. 4. Vide Hieron. l. 1. contra Iovin. hanc allegoriam explicantem. Quin & in eo quod Iſaac dilexerit Eſau, Rebecca Jacob; Chriſti & Eccleſiæ typus fuit. Nam per Eſau populus Judaicus, per Jacob populus gentium ad fidem vocatus intelligitur, quorum poſterior prioris abſtulit primogenita, dum impletur quod dicit Dominus Matth. 8. *Venient ab Oriente & Occidente & recumbent cum Abraham Iſaac, & Iacob in regno Dei; filij autem regni ejicientur foras.* Chriſtus autem dilexit Eſau, quia non ex gentibus, ſed ex Judæis voluit carnem aſſumere, quia nec Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Idem non præputij ſed circumciſionis fuit miniſter. Rom. 15. Et dicit Matthei 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.* Et Judæos quidem vocat filios, gentiles autem canibus comparat, Matth. 15. virtutes & ſigna non apud gentiles fecit, ſed apud Judæos. Denique ſic loquitur de illo populo Iſaiæ 5. *Cantabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ, &c.* At Rebecca diligit Jacob, quia Eccleſia etſi aliquos ſuſceperit filios ex Judaico populo, multò tamen plures ex gentibus; quam proinde in partem, eius amor magis inclinatur.

CAPUT XXV.

ỳ.1. A*Braham verò aliam duxit uxorem nomine Ceturam.* Errant qui exiſtimant hanc Ceturam eandem eſſe cum Agar: nam illam prius, longè antè duxit; & mox ſequitur in plurali; *Filiis autem concubinarum dedit munera*; ubi ſignificatur plures fuiſſe. Simul nota, eaſdem concubinas & uxores nominari. Nempe in Scripturâ paſſim concubinæ vocantur uxores, quæ ſine ſolemnibus ceremoniis jungebantur, ideoque proles earum non ſuccedebant in paternam hæreditatem. Vide Geneſ. c. 18. *Si objiciatur filios* tamen duarum ancillarum Iacob, cum aliis eius filiis accepiſſe poſſeſſionem: *Reſpondebitur*, primò quod hîc ſpecialiter dictum erat; *In Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Deinde Sara expreſsè reclamarat, dicens; *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*; hoc autem uxores Jacob non leguntur feciſſe. Denique etſi non deberetur talibus hæreditas, tamen poterat dari.

Cæterùm quomodo Abraham poſt mortem Saræ aliam duxerit uxorem, & ex ea filios genuerit, cùm jam ante, vivente adhuc Sara, habuerit corpus emortuum, teſte Apoſt. ad Rom. 4. diximus in com. eiuſdem loci, ubi & alia quædam eodem pertinentia excuſſa reperies.

ỳ.23. *Maior ſerviet minori.* Completum eſt hoc ad litteram non in ipſorum perſonis, ſed, ut etiam oraculi verba declarant, in populis qui ex illis orti ſunt. Completum, inquam, tempore Davidis, qui Idumæos id eſt, populum ex Eſau genitum, ſibi ac populo Iſraelitico fecit tributarios; ſecundi Regum cap. 8. *Spiritualiter* autem impletur in electis ac reprobis, quia quicquid à reprobis, aut circa reprobos agitur, id totum ſervit ac proficit ſaluti & felicitati electorum. *Omnia enim propter electos*, ut ait Apoſtolus 2. ad Timoth. cap. 2. Vide ſi placet com. noſt. ad Rom. 9. v. 13.

ỳ.31. *Vende mihi primogenita tua. Quæritur.* An hîc non fuerit commiſſa Simonia? probabilior *Reſponſio* videtur, ſi dicamus jus primogenituræ reſpectu juris ſacerdotij, illo tempore fuiſſe ex genere eorum, quæ antecedenter ſe habent ad ſpiritualia; non autem conſequenter. Nam ſicut calix prior eſt conſecratione; ita jus primogenituræ prius erat ſacerdotio, & ſine eo conſiſtere poterat; quemadmodum re ipſa conſiſtebat tempore legis Moyſi, & nunc conſiſtit tempore gratiæ Chriſti. *Imo* conjunctio illa Sacerdotij cum primogenitura, *non videtur* probari poſſe ex ſacris litteris, ſed magis contrarium apparet, ex eo quod ſtatim poſt initium humani generis non ſolum Cain, qui erat primogenitus, utrùm etiam Abel ſecundò genitus leguntur obtuliſſe ſacrificia. Vide noſtra in 4. diſt. 25. § 17. & in Epiſt. ad Hebr. cap. 12. v. 16.

ỳ.32. *En morior, quid mihi proderunt primogenita? Non eſt* ſenſus? Morior fame; quia nullo modo exiſtimandum eſt, ei omnem cibum defuiſſe in domo paterna opulentiſſima: *ſed* ſenſus eſt; Vita mea brevis eſt, paulò pòſt morior, præſertim cùm exerceam artem periculoſam, ſcilicet venatoriam, in qua facilè continget me invadi, & lacerari à ferâ quâpiam: Quid tunc mihi proderunt primogenita? *Et verba* ſunt hominis parvi æſtimantis primogenita, præ ea re, quam vehementer ac gulosè deſiderabat: quod & Apoſtolus ad Hebræos capite duodecimo notat. *Dubium tamen* eſt an venditio hæc fuerit valida; Sanè pater Iſaac eam non agnovit: cùm etiam moriturus, adhuc Eſau habeat pro primogenito capite vigeſimo ſeptimo. Tamen quia matris conſilio, (& ut putatur) Deo ſuggerente, Jacob ei benedictionem præripuit: alij exiſtimant venditionem hanc fuiſſe validam. Vide ibi pleniùs. Porrò *jus primogenituræ* erat in privilegio aliquo authoritatis civilis, ſed non ſacerdotalis: de quo vide Annotationes cap. 27. & 49. & 1. Paralip. cap. 5.

CAP. XXVI.

ỳ.5. M*Andata mea, & ceremonias legeſque ſervaverit.* Quas ceremonias? cùm lex ceremonialis nondum eſſet lata? *Reſp.* Jam Deus inſtituerat circumciſionem? fortè & alia nonnulla, vel certè eſt Enallage numeri pluralis pro ſingulari.

ỳ.7. *Soror mea eſt.* Poteſt hoc eodem modo excuſari à mendacio, quo ſimile factum Abrahæ; quia pater Abrahæ & avus Rebeccæ erant fratres. Et quamvis Regi dicenti, *cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe?* non legatur Iſaac reſpondiſſe ſicut reſponderat Abraham: *Verè ſoror mea eſt*, ſed dixerit: *Timui ne morerer propter eam*: poteſt tamen intelligi quod & illud dixerit, memor excuſationis paternæ, etſi ſcriptum non ſit: interim maximè ad rem ipſam reſponderit. *Sed Quæritur* quomodo ſperabat Iſaac poſſe latere, cùm (ut capite præcedenti patet) jam habuerit liberos? *Reſpondeo*, fortè hæc narrantur per hyſteroſin, ut acciderint ante natos filios. Vel poteſt etiam dici, quòd in tam magnâ familiâ Iſaac, ubi erant ſervorum ancillarumque filij, facilè potuerint latere filij Iſaac indicto ſeverè, ne quis eos proderet eſſe filios Dominorum.

ỳ.12. *Et invenit in ipſo anno centuplum.* Non eſt hoc incredibile: nam & Chriſtus dicit Matt. 13. aliud centeſimū, &c. Quin etiam Hiſtoriæ Indicæ l. 3. c. 39. narratur, quod qui primi ſeminârunt frumentum in Hiſ-

paniola inſula Indiæ Occidentalis, invenerint in illo anno octies centuplum.

ỳ.34. *Eſau verò quadragenarius duxit uxores &c.* Eſau duxiſſe dicitur duas uxores de gente Sethæorum ex terrâ Chanaan, *quæ ambæ* (inquit ſcriptura) *offenderant animum Iſaac & Rebeccæ.* Hebraicè : *& fuerunt amaritudo ſpiritus ipſi Iſaac & Rebeccæ*; ubi obliquè notatur Eſau, quòd præter voluntatem parentum acceperit uxores, idque ex ea gente de qua vetitum fuerat Abrahæ ne filio ſuo uxorem acciperet. Hinc duo documenta colligere licet; alterum morale, nempè ſine parentum conſilio & conſenſu non eſſe ducendam uxorem; Alterum dogmaticum, conjugium ſine parentum conſilio contractum, etſi laudandum non ſit, ratum tamen & firmum permanere.

CAPUT XXVII.

ỳ.1. E *Tege ienis.* Sic legendum per (n) conſonantem, & non (u) vocalem : & vox ea ſignificat qualitatem aſperitati corporis contrariam; ſicut & vox Græca.

ỳ.12. *Et inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Sic in prima perſona legunt etiam Heb., Græc. Chald.

ỳ.14. *Paravit illa cibos, ſicut velle noverat patrem eius.* Non hoc gulæ erat, ſed appetebatur, & parabatur, quod & qualiter ſenili corpori conveniebat.

ỳ.15. *Et veſtibus Eſau valdè bonis.* Hebræorum traditio eſt olim ad primogenitos pertinuiſſe jus ſacerdotij, ut teſtatur Hieronymus in tradit. Hebr. ſuper Geneſim, & in epiſt. 126. ad Evagrium, fuiſſeque has veſtes Eſau velut ſacerdotales. *Sed eã traditionem vanam eſſe*, vide 1. Paralip. 5. & in 4. d. 25. ubi de Simonia agitur. Item Exodi 19. & 24. Primogeniti erant familiarum principes. *Ergo* non eſt veriſimile quod erant ſacerdotes, quia etſi interdũ idem eſſet rex & ſacerdos, ut Melchiſedech, id tamen perrarum erat, eò quòd officia ſint valdè diverſa, nec in eandem perſonam, ut ferè ſunt mores, ingenia & occupationes hominũ, facilè conveniant. Unde nullo modo veriſimile eſt in lege naturę id fuiſſe communiter receptũ. Item ſi primogenito jus ſacerdotij debebatur: Scriptura alicubi meminiſſet: ſæpè enim de primogenitis loquitur cum ſignificatione dignitatis præ aliis fratribus, nec tamen ſacerdotij meminit.

ỳ.19. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau. Quæſtio* vetus eſt, an Iacob hæc verba loquens mentitus ſit. Origen. ſimpliciter mendacium agnoſcit, libr. 6. Stromaton, dicens Iacob patriarcham benedictionem patris artificioſo impetraſſe mendacio. At Auguſtinus ita patrocinium eius ſuſcipit, ut omninò à mendacio excuſandum putet. Unde de hoc facto Iacob diſſerens cap. 10. lib. contra mendacium ait : Iacob quod matre fecit authore, ut patrem fallere videretur, ſi diligenter & fideliter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium. Quæ ſi mendacia dixerimus; omnes etiam parabolæ ac figuræ ſignificandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ ſunt, ſed in eis aliud ex alio eſt intelligendum; dicentur eſſe mendacia. Auguſtinum ſequitur Magiſter ſententiarum libr. 3 & Thomas in 2.2. ubi de mendacio diſputat. *Sed huic* excuſationi obſtat, quod myſterium in Hiſtoria latens non tollit ſenſum Hiſtoricum; ſicut in Hiſtoria Saræ & Agar. Et proinde, aut inveniendum eſt, quomodo ſecundùm Hiſtoriam Iacob non fuerit mentitus, id quod multi oſtendere conantur, quia Iacob, etſi non nativitate, jure tamen emptionis erat primogenitus; aut ſi id per ſingula eius dicta inveniri non poteſt, non videtur omnino à mendacio poſſe excuſari.

ỳ.33. *Benedixi ei, & erit benedictus.* Iſtud eſt quod Apoſtolus ad Hebr. 12. dicit Eſau reprobatum, hoc eſt, repulſam paſſum à patre, nolente ei benedictionem

A impertiri, quam ut primogenitus expectabat. Hanc enim pœnam merebatur homo profanus, hoc eſt carnalis & ventri deditus, quòd primogenita ſua tam vili vendidiſſet. Noluit autem pater datam alteri benedictionem revocare, quamvis ignorans & deceptus eam dediſſet; ſed potiùs eam confirmavit : Quia cognito eo quod Jacob fecerat, cum paululum obſtupuiſſet, ſtatim tanquam Propheta animadvertit rem à Deo geri, volente per hunc modum oſtendere, ratum ſe habere reſponſum, quod olim Rebeccæ uxori ipſius ſe conſulenti reddiderat de præeminentia filij minoris. Ita D. Thomas & alij. Vide de his etiam plura, ſi placet, in comment. noſtro ad Hebr. 12.

ỳ.37. *Dominum tuum illum conſtitui.* Non hoc in
B ipſo Eſau impletum eſt, ſed vix tandem in eius poſteris; ſubjugatis Idumæis à Rege David, 2. Reg. 8. qui tamen paulò pòſt ſub rege Ioram iterum jugum excuſſerunt : de quo ſimiliter hic prophetat Iſaac, dicens : *Veniet tempus cùm excutias jugum eius.*

ỳ.43. *Nunc ergo fili mi, audi vocem meam.* Hinc diſce quod certitudini finis conſequendæ non repugnat ſollicita proviſio mediorum, & evitatio contrariorum. Certa erat ſancta mulier de divino oraculo (*maior ſerviet minori*) & tamen eum monet ut fugiat iram fratris, ipſum volentis occidere. Itaque & divina prædeſtinatio non tollit quoque, ſed magis ſtatuit ſtudium bonorum operum, utpotè quæ Scriptura docet eſſe media neceſſaria ad finem prædeſtinationis, ſcilicet ad ſalutem.

C

CAPUT XXVIII.

ỳ.12. V *Idit in ſomnis ſcalam.* Myſterium huius viſionis breviter explicabimus ex Aug. l. 12. contra Fauſtum c. 26. & in Pſal. 119. *quo poſteriori loco etiam* rejicit aliam expoſitionem quæ legitur in comment. adſcripto. Hieron. in eundem Pſalmum, quaſi aſcendentes intelligerentur proficientes, deſcendentes verò deficientes. *Per ſcalam* itaque Chriſtus intelligitur, qui in Evangelio ſeipſum vocat viam, quâ nimirum è terra aſcenditur in Cœlum. *Per Angelos* ſignificati ſunt prædicatores Evangelij, qui aſcendunt, dum divinæ in Chriſto naturæ ſublimitatem annunciant: deſcendunt, cùm humanæ naturæ humilitatem
D prædicant. Vel, aſcendunt per contemplationem, deſcendunt per actionem *Dominus autem ſcalæ innixus* loquitur ad Jacob, terram ei promittens, & ſemen benedicendum, quia omnes Dei promiſſiones quæ ad ſtatum reparationis humanæ pertinent, Chriſto innituntur, & non niſi per eum adimplentur. Unde quicquid à Deo patre petimus, hac clauſula concludimus. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Ita ferè Auguſt. itemque Gregor. 1. parte Paſtoral. & S. Thom. 2.2.q.81.

ỳ.18. *Tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum.* Quod Hieron. hîc vertit (*titulum*) Hebræis ſignificat (*ſtatuam.*) Idem quoque Hieron. Oſeæ 3. vertit (*Altare*) quomodo & hic verti potuit. Sequitur enim : *Fundens oleum deſuper.* Quod de altari convenientius dicitur, quàm de ſtatua. Si omnino
E contenderis ſtatuam intelligi tam hic, quàm in Oſeæ 3. ſenſus nequaquam incommodus reddi poterit huiuſmodi : *Erexit in titulum*, id eſt, erexit in altum, inſtar ſtatuæ, & ad eum modum quo gentiles erigere ſolent ſtatuas; quod ipſum tamen Iacob non fecit, ut lapidem veneraretur, ſed pro titulo & monimento. Vide etiam Num. 33. & Deuter. 7. ubi duo ſunt affinia vocabula, quorum alterum Hieronymus vertit (*aras*) alterum (*ſtatuas.*) Sacrum etiam ritum eſſe oleum ſuperfundere, ex eo præterea intelligitur, quod & dæmon ſimius Dei, illud ad ſua ſacra traxerit. De quo ſic Apuleius Apolog. 1. ut accuſatorem ſuum impietatis arguat : Negant, inquit, vidiſſe ſe qui fuere, unum ſaltem in

finibus

finibus eius aut lapidem unctum, aut ramum coronatũ.

℣.19. *Vovit etiam votum, dicens.* Exemplum hoc ſancti Patriarchæ voventis Deo votum pro proſpera profectione ac reditu, & pro evitandis periculis; opponendum eſt hæreticorum noſtri temporis profanæ novitati, dicentium æquè valere, aut etiam plus, opus liberè ſine voto factum, quàm id quod fit ex voti obligatione, quaſi non ſit homo gratior Deo, qui totum ſe mancipat Deo per ſpontaneam obligationem quàm ille qui aliquid propriæ voluntatis ſibi reſervat.

Sed *quæritur*, quomodo voverat Iacob ſe Dominum habiturum pro Deo, cùm ad hoc obligatus eſſet jam ab initio, divina & naturali lege? *Reſp.* iis verbis: (*Erit mihi Dominus in Deum*,) non internum cultum ſignificat, ſed externum quem videlicet deſignat verbis ſequentibus, quibus dicit: *Et lapis iſte quem erexi, vocabitur domus Dei, &c.* Vovet igitur ſe in eo loco ubi lapidem in titulum erexerat, ſacrificaturum Deo, & omnium facultatum ſuarum decimas allaturum. Id impletum eſt partim in Iacob poſtquam rediit, partim in poſteritate eius. Nam in hoc loco poſtea ædificatum eſt templum Domino, ubi ſacrificia & decimæ à populo Iſraëlitico offerebantur Deo. Sic Sulpitius in Hiſtor. lib. 1. hunc locum intellexit, ita ſcribens: Vovitque (Iacob) ſi rebus proſperis reverſiſſet, eum lapidem titulum ſibi domus Domini futurum, decimaſque omnium quæ acquiſita ſibi forent, Domino daturum.

CAPUT XXIX.

℣.9. N*Am gregem ipſa paſcebat.* Scilicet Rachel, ad ſignificandum quòd Eccleſia, cuius figuram gerebat, per ſuos paſtores, paſcit gregem Chriſti. Et nota vocabulum (*ipſa*) quia non per mercenarios, ſed per ſeipſam paſcit, id eſt, per veros paſtores, qui ſunt præcipua Eccleſiæ membra.

℣.12. *Et indicavit ei, quod frater eſſet patris ſui, & filius Rebeccæ.* Pars poſterior expoſitio eſt prioris. Hoc enim ſenſu dicit ſe eſſe fratrem Laban patris Rebeccæ, quia filius erat Rebeccæ, ſororis Laban. Fratris igitur nomen ad filium ſororis extenditur, ſicut & quũ Loth frater Abrahæ vocatur, filius fratris Abrahæ intelligitur. Sic quoque infrà v.15. *Nũ quia frater meus es? &c.*

℣.17. *Sed Lia lippis erat oculis.* Nempe Synagoga veniente Chriſto, excæcata fuit. Erat enim velamen poſitum ſuper oculos Judæorum.

℣.23. *Et veſpere Liam filiam ſuam introduxit.* Laban hac in parte maximè fuit culpabilis, qui auctor fuit rei; Iacob prorſus inculpabilis, qui laboravit ignorantiâ facti, eâque invincibili. Lia ex parte excuſanda, ſcilicet quod laboraret quâdam ignorantia juris, exiſtimans id ſibi faciendum, quod pater juberet, nec adulterij crimen eſſe, ſi ſpe conjugij, ac fortaſſe etiam affectu conjugali accederet ad Iacob; tamen & ex parte accuſanda, quòd accederet ad Iacob ignorantem, & proinde in eam non conſentientem.

℣.24. *Ad quam cùm ex more Iacob fuiſſet ingreſſus*, Verbis illis (*Ex more*) innuitur quomodo Iacob non agnoverit eſſe Liam, niſi facto mane. Nempè quia ſolerent olim ſponſæ obvelatâ facie traduci ad thorum maritalem, pudoris cauſa. Unde & nuptiæ à nubendo, id eſt, velando, apud Latinos dictæ ſunt. Ita re, per ſe honeſta & laudabili, ad fallendum generum ſuum abuſus eſt Laban pater Liæ. Ipſam quoque Liam nihil neceſſe eſt à peccato excuſari, eſto fuerit typus ſpiritualis, quod Liâ ſuppoſita fuerit pro Rachele, (quem typum explicat Auguſt. l.22. contra Fauſtum cap.51. & ſeq.) ſed & Caiphas impiè Chriſtum condemnans prophetavit. Vide noſtra in 4.d.30. §.2.

℣.27. *Imple hebdomadam dierum huius copulæ.* Quidam hunc locum non ſatis intelligentes, putant Iacob primo ſeptennio completo, quo ei per fraudem ſubſtituta eſt Lia, ſerviiſſe ſeptem annis aliis quibus comple-

A ſis tandem acceperit Rachelem uxorem. Verùm non dicit Scriptura eum poſt alios annos ſeptem accepiſſe Rachel, ſed poſt hebdomadam dierum, id eſt, poſt ſeptem dies. Nuptiæ enim priores cum Liâ agebantur diebus ſeptem; quibus completis, etiam Rachelem accepit, ea tamen conditione, ut pro ea ſerviret ſeptem annis aliis. Accepit ergo eam non in fine, ſed initio ſecundi ſeptennij. Annot. hoc Hier. & Auguſt. in quæſt.

Et hanc quoque dabo tibi pro opere quo ſervieris. Nota, pro mercede laboris ſui accepiſſe dicitur Iacob duas filias Laban, nam & ſuprà v.15. *merces* vocantur. Non tamen propriè mercedem accepit ipſas perſonas (non enim illas tanquam rem ſui ſolius juris accepit) ſed ipſarum conjugium; non quatenus ſacrum quiddam erat, ſed quatenus contractus erat humanus, præſup-

B ponens dotem & ſimilia.

℣.30. *Amorem ſequentis priori prætulit.* Nec immeritò aut indecenter. Tum quia Rachelem prius duxerat pactis nuptialibus, tum ob pulchritudinem, quæ honeſta eſt amoris cauſa; & ut videtur, quia moribus quoque erat integrior. Nam paſſa fuerat Lia ſibi à patre perſuaderi ex parte adulterium, quando ſuppoſita fuit pro Rachel. Taceat itaque Calvinus, qui amorem hunc ut carnalem notat in Iacob.

CAPUT XXX.

℣.1. C*Ernens autem Rachel, quòd infœcunda eſſet.* Quod Iacob legitur habuiſſe quatuor uxo-

C res, nempe duas ſorores, & earum ancillas; calumniati ſunt olim Manichæi, velut incontinentiæ & propenſæ libidinis ſignum; calumniatus eſt & hoc noſtro ſæculo Calvinus, detrahens laudibus Patriarcharum, quas apud Aug. alioſque patres, imò in ipſa ſcriptura de iis legimus. Quibus *Reſpondetur*, polygamiam hanc Iacob ſi ſcripturam diligenter inſpiciamus, nullo modo eius intemperantiæ aſcribi poſſe, cùm è contrà potiùs eius continentia multis indiciis commendetur. Nam Iacob non aliam uxorem petiiſſe legitur præter unam Rachel; Lia verò per fraudem ei ſuppoſita eſt, ignoranti & nolenti; quamquam poſteà, ut eam retineret, conſenſit, quadam neceſſitate inductus. Ancillas autem earum accepit, non ſua ſponte, ſed rogatus ab eis, idque non impulſu libidinis, ſed prolis amore. Sem-

D per enim præ oculis habebat Sanctus Patriarcha divinam promiſſionem de ſemine eius in immenſum multiplicando.

Item oſtendi poteſt ex collatione variorum locorum Scripturæ Geneſeos Iacob fuiſſe annorum 84. quando primo ſeptennio expleto duxit Liam & Rachel. Ex quo ſatis patet non ex intemperantia hunc ſibi copulaſſe uxores, qui antea tamdiu cælebs & caſtus vixiſſet. Ut interim nihil dicam de myſterio quod per duas liberas, & per duas ancillas ſignificatum eſt, quod ab Aug. doctiſſimè explicatur.

℣.14. *Da mihi partem de mandragoris.* Cyprianus in præfat. de operibus cardinal. Rachel, inquit, ad odorem; non ad eſum, Liæ mandragoras concupiſcit. Hæc Cyprianus.

E ℣.16. *Mercede conduxi te pro mandragoris filij mei.* Vide quæ diximus in 4. Sent. d.32. §.1.

℣.33. *Reſpondebitque mihi cras juſtitia mea, cùm placiti tempus advenerit.* Senſus eſt, juſtitia mea cras, id eſt, poſtero tempore teſtabitur de me, coram te, id eſt, in conſpectu tuo, te vidente, & agnoſcente; quando placiti tempus advenerit. Vel, ut in Hebr. ad verbum, *Cùm veneris ſuper mercedem meam*: quod Hieron. ſic intellexit, cum venerit tempus pactæ mercedis. Poteſt etiam ſic intelligi; cum juſtitia mea veneris ſuper mercedem meam, id eſt, cum ob juſtitiam meam merces mea fuerit aucta, & benedicta à Deo.

Furti me arguent. Ita rectè Sixtina in tertia plurali.

Nam

Nam & Hebræa & Græca ſic ſonant : *Et omne quod non fuerit variũ &c. furatum erit apud me* : id eſt, imputabitur mihi pro re furtiva ; ſcilicet ſi fuerit deprehenſum.

℣.37. *Tollens ergo Iacob virgas populeas virides. Quæritur* quomodo Iacob excuſetur à fraude ? utpotè quì tali arte uſus eſt ad habendum gregem numeroſiorem & meliorem. *Reſp.* quòd uti arte licita ad conſequendum id quod ſibi jure debetur, non fraus eſt, ſed prudentia. Atqui pro labore 14. annorum, quibus Iacob ſervierat Laban, merces ei ampla debebatur ; igitur eam arte conſequi licuit. At *dices* laboravit pro Rachel. *Reſp.* primo quidem ſeptennio, ex pacto, pro ea ſervivit ; ſed ſecundo ſeptennio, non ex animo pactua eſt, utique fraude Laban circumuentus. Deinde, jure naturæ cum uxoribus ſimul ei dos juſta & honeſta à patre uxorum debebatur, nec dabatur.

CAPUT XXXI.

℣.7. S*Ed & pater veſter circumvenit me.* Significat Iacob ſe fraude circumuentum à Laban, quantum in illo erat ; alioqui Deum prohibuiſſe, quominus fraus illius effectum haberet. Fraudem autem intelligit, de qua dicit. *Mutavit mercedem meam decem vicibus.* Ubi quidam putant numerum certum poſitum pro incerto. Sed rectiùs Hieron. & poſt eum Aug. certum ac dafinitum numerum intelligunt, ut ſenſus ſit, Laban *decem vicibus*, nempe per denos ovium partus, pactam cum Iacob conditionem mutaſſe. Cùm enim poſt primam conventionem, videret varium naſci pecus : poſt fœtum dicebat ; Volo, ut mihi deinceps varia naſcantur, tibi unicoloria. Quo audito Iacob virgas decorticatas in canalibus non ponebat. Cùm ergo naſcerentur unius coloris : mutata conditione, Laban, quę unius eſſent coloris, ſibi naſci volebat, varia Iacob. Atque hoc pacto uſque ad decem vices à Laban mutata conditio eſt ; quamquam fruſtrà : cùm Iacob ad fœturam ſeu variam, ſeu unicolorem, virgas aut poneret, aut non poneret. Ne cui autem in ſex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, dicit Hieron. oves Meſopotamiæ bis in anno parere, ſicut & Italiæ, de quibus Virgilius : *Bis gravidæ pecudes.*

℣.30. *Cur furatus es Deos meos?* Putant quidam non fuiſſe propriè furtum, quod Rachel commiſit, auferendo patris ſui idola (nam ſic vocantur ſuprà v.19.) Non enim ad colendum, ſed ad tollendam à patre occaſionem idololatriæ, id ab ea factum eſſe: Verùm bona intentio furti peccatum excuſare non poteſt, ſicut nec à furto excuſatur, qui ſubducit diviti, ut det pauperi. *Non enim ſunt facienda mala, ut eveniant bona.* Sed juſtior excuſatio erit, ſi dicatur occultè abſtuliſſe Deos aureos ſeu argenteos, velut quorum valor ſeu pretium jure filiabus debebatur pro dote. Sicut enim Laban fraudaverat mercedem Iacob decem vicibus, ita & filias fraudaverat juſta dote. Unde Rachel & Lia v.15. quoque dicunt : *Nonne quaſi alienas* (pater noſter) *reputavit nos, & vendidit?*

℣.32. *Quod autem furti &c. necetur coram fratribus ſuis.* Hinc colligi videtur, juſtè etiam ſimplex furtum puniri ſupplicio capitis. Neque enim Iacob, prę judicio ſuo aliquem ſuorum in diſcrimen mortis vocaſſet ; niſi rigore juſtitiæ tale ſupplicium debitum fuiſſet. Quę juſtitiæ ſeveritas, etiam apud gentiles, maximè in ſervos, ſervata eſt. Unde illud Horat. Non furtum feci ; non paſcam in cruce corvos. Quo notandum propter quoſdam juriſperitos (quos etiam Liranus ſequitur) qui negant juſtum eſſe ſecundùm juſtitiam civilem, ut pro ſimplici furto quis capitis animadverſione puniatur. An ergo juſtè potuiſſet Rachel necari, dato quòd verum furtum commiſiſſet & fuiſſet deprehenſa? Videtur negativè reſpondum, neque Iacob intendiſſe loqui niſi de ſervis ſive vernaculis qui ferè furaces ſunt, & ob furtum necari ſolent ; neque videntur leges civiles quæ fures ſuſpendio damnant, pertinere ad uxores reſpectu virorum, aut ad filios reſpectu parentum ; unde vulgò dicitur quòd uxores nõ furantur maritis, neque filij parentibus ; videlicet quoad pœnas legũ : cuius ratio eſt, quia bona viri communia ſunt uxori, licet diſpenſatio ad virum pertineant ; & bona parentum quodammodo debentur filiis quia filij ſunt hæredes ; quare nec ſi aliquis filiorum Iacob fuiſſet deprehenſus, potuiſſet necari ; quia Laban erat eorum avus.

℣.34. *Illa feſtinans abſcondit idola.* Hebr. eſt (*theraphim*) ſicut & ſuprà v.19. quod tantùm propriè ſignificat (*imaginem.*) Neque hinc conſequens eſſet, ea propriè eſſe idola, aut à Laban pro diis culta ; niſi ipſe Laban v.30. vocaret illos Deos ſuos. Hebr. (*elohim.*) Etenim (*theraphim*) etiam aliquando in bonam partem accipi, patet 1. Reg.19. ubi Michol dicitur accepiſſe ſtatuam, & poſuiſſe in lecto Davidis, ut hoc pacto eum à morte eriperet. Alij tamen volunt (*theraphim*) ſemper in malam partem accipi : de quo vide Annotata 1. Reg.19. Oſeæ 3. Iudicum 17.

℣.40. *Die noctuque æſtu urebar & gelu.* Ita & 70. συγκαιόμενος. Quædam tamen exemplaria habent (*urgebar*) id eſt, premebar, ſed correctiora legunt (*urebar.*) Vide Hebr. Et ſimile eſt illud Pſal.120. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.* Sic Ovidius libr.3. Triſtium eleg.2. *Uſtus ab aſſidua frigore pontus erat.*

℣.42. *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac &c.* Per timorem Iſaac, veriſimiliter intelligitur reverentia, quam vel Laban gerebat erga Iſaac adhuc viventem, nolens eum graviùs offendere in Iacob, vel quam Iſaac ipſe gerebat erga patrem ſuum Abraham; Vel denique reverentia Iſaac, quã quiſque eum meritò revereretur, ut virum ſanctum, & Dei amicum. Nam timor ſæpè pro reverentia ſumitur.

℣.50. *Si introduxeris alias uxores ſuper filias. Quæritur* an ſalvo hoc fœdere non potuiſſet Iacob alias adhuc uxores ducere ad multiplicandum genus. *Videtur dicendum*, quòd in hæc verba Laban Iacob non conſenſerit, niſi quatenus in huiuſmodi facto eſſet aliqua injuria priorum uxorum. Nam Iacob reſpondens, & fœdus approbans, nihil dicit de uxoribus, ſed tantùm dicit? *Si aut ego tranſiero illum* (tumulum ſcilicet) *pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.* Et hæc etiam videtur tantùm fuiſſe intentio Laban? Nam immediatè præcedit ; *ſi afflixeris filias meas, &c.*

CAPUT XXXII.

℣.4. S*Ic loquimini Domino meo Eſau. Quæritur*, quomodo hoc non contrarietur benedictioni paternæ, quã Iſaac ad Iacob dixerat; *Eſto Dominus fratrũ tuorum?* imò & ad ipſum Eſau : *Dominum tuum illum conſtitui? Reſp.* hæc prædicta ſunt ab Iſaac, non tam in perſonis Iacob & Eſau, quàm in utriuſque poſteris. *Adde* quòd Iacob non agnoſcat Eſau Dominum, tanquam illi ſubditus ſit ut ſervus, ſed tantùm civili more eum ita vocat, ut animum eius ſibi infenſum leniat.

℣.7. *Iacob audito quod Eſau in occurſum ſuũ properaret cum viris, timuit valdè & perterritus diviſit populum ſuũ qui ſecum erat.* Hic quęri poteſt quomodo Iacob fidem habuerit promiſſis Dei, qui dixerat ei : *Ero cuſtos tuus quocumque perrexeris, & educam te in terram tuam* : qui etiam promiſerat ſemen eius multiplicandum ſicut arenam maris ; cùm hîc tantopere legatur perterritus ex occurſu fratris? Quidam reſpondent Iacob fuiſſe ſuſpicatum promiſſiones illas non abſolutas fuiſſe, ſed cum conditione intelligendas, ſi videlicet ipſe in juſtitia & pietate erga Deum permaneret ; ideoque metuiſſe ne ex diuturna conſuetudine cum Laban idololatra offenſam aliquam contraxiſſet, propter quàm à Dei promiſſione excideret. Sed hoc minùs rectè dicitur : ſicut enim Abraham & Iſaac promiſſiones ſibi

divini-

divinitus factas intellexerunt abſolutas eſſe (unde & laudatur fides Abrahæ parantis mactare filium ſuum, & nihilominus Dei promiſſis immobiliter credentis) ita putandum eſt & Iacob intellexiſſe: maximè cùm à Deo admonitus in terram ſuam, relictâ Meſopotamiâ, reverteretur. Rectiùs proinde Auguſtinus, qui dicit fieri potuiſſe ut Eſau everteret caſtra eius, & tamen poſt illam afflictionem Deus illi adeſſet, in terram ſuam reduceret, & quæ promiſit adimpleret. Neque enim Deus promiſerat ei non habiturum eum afflictiones, quas etiam poſtea graviſſimas habuit; ſed omnes eas ipſius auxilio ſuperaturum. Docet idem Auguſt. admonens nos hoc exemplo, ut quamvis credamus in Deum, & fiduciam in illo collocemus; faciamus tamen quæ humanitus fieri poſſunt in præſidium ſalutis, ne humana præſidia repellentes, Deum tentare videamur. Sic David, licèt divinam haberet promiſſionem, non tamen ſine ſuo labore & induſtria ad regnum pervenit. Sic Eccleſia Chriſti, licet promiſſionem habeat ſpiritus veritatis ſecum permanſuri; non tamen ea præſidia negligit humani laboris & diligentiæ, quibus ſanam fidem apud ſe retineat & perverſam excludat.

℣.10. *Minor ſum cunctis miſerationibus tuis.* Non eſt ſenſus: Indignus ſum miſerationibus tuis, quaſi ſignificet ſe malè meritum. Sed hîc ſenſus videtur eſſe; meritis non aſſequor, non æquo miſerationes, ſeu beneficia tua. Eſt enim id, quod ſolemus benefactori alicui dicere: plus beneficiorum mihi præſtas, quàm promereri queam.

℣.25. *Qui cùm videret, quod eum ſuperare non poſſet:* *Quæritur* an Iacobo auctæ fuerint vires, an Angelo diminutæ? *Reſp.* neutrum, ſed Angelus aſſumpſit corpus, in quo Deus poſuit motivam virtutem inferiorem ea, quæ erat in Iacob: non quod in eo corpore fuerit vera animæ potentia, ſed virtus quædam ſimilis. Aut certè dicendum eſſet Angelum (qui utique potuiſſet illo corpore aſſumpto ſic uti ut Iacobum luctando ſuperaret) victum fuiſſe volentem, id eſt, uſum fuiſſe per illud corpus virtute motiva remiſſiùs, ſed prior ſententia verior eſt: nam ſequitur: *Qui cùm videret, quòd eum ſuperare non poſſet.* Ergo verè non poterat eum ſuperare.

℣.25. *Tetigit nervum femoris eius.* Hoc quid præfiguraverit, vide apud Rupertum in fine lib. 1. in Matthæum, pulchrè. Nervus autem femoris, non debet intelligi genitale membrum: tum quia propter hoc Iacob non claudicaſſet pede: tum quia poſteà genuit Beniamin: tum quia omninò diverſus eſt ille nervus femoris, à cuius eſu abſtinent Iudæi uſque in præſentem diem.

℣.28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſraël.* Conſtat ex totâ Hiſtoria ſequenti, eum adhuc Iacob fuiſſe appellatum; & quidem frequentiùs quàm Iſraël. Senſus igitur eſt. Poſt hac non ſolùm vocaberis Iacob, ſed etiam altero nomine augeberis, ut dicaris Iſraël: q.d. quia non ſolùm ſupplantaſti fratrem hominem (id ſonat Iacob) ſed etiam quod multò maius eſt, in lucta ſuperaſti Deum: id eſt, Angelum vices gerentem Dei: non ſolùm poſthac vocaberis *Iacob*: id eſt, ſupplantator, ſed etiam, vocaberis *Iſraël*, id eſt, fortis contra Deum. Arbitror & ſic poſſe intelligi: In poſteris tuis non appllaberis nomine Iacob, ſed Iſraël, puta poſteri eius non Iacobitæ, ſed Iſraëlitæ nomine patronymico dicti ſunt.

Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quantò magis contra homines prævalebis? Contra Deum dicitur fortis fuiſſe, quia contra Angelum qui Dei perſonam repræſentabat, ita fortis fuerat, ut ab eo luctando ſuperari non potuerit. Quod intelligendum eſt non de fortitudine Angeli in ſe, ſed aſſumpti corporis, quo utebatur. Sed quæres, quomodo id rectè ſequatur, cum Deus ſeu potiùs Angelus in aſſumpto corpore ſponte ſe ſuperari permiſerit; Reſpondeo eſſe argumentum ex voluntate & favore Dei, quod ſic poterit explicari. Si Deus in Angelo perſonam Dei repræſentante voluerit à te quaſi fortiore ſuperari, quod eſt magni favoris & amicitiæ indicium: quantò magis ille idem tibi præſtabit hoc favoris & beneficij, ut contra homines prævaleas?

℣.29. *Cur quæris nomen meum?* Vide ad ſimilem locum Judicum 13.

℣.30. *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalva facta eſt anima mea.* q.d. nec tamen mortuus ſum: licet ea ſit vis glorioſi adſpectus Dei, ut mortalis homo eum ſuſtinere non poſſit. Nec tamen intelligitur de Dei viſione beatifica, ſed qua videtur in illuſtri & glorioſa admodum ſpecie, in qua decet Deum repræſentari. Vide Exod. 24. & 33. Num. 12. & alibi. *Vel fortè* probabiliùs, quod receptum erat opinione hominum, moriturum quempiam ſi Deum videret, eò quòd homo mortalis & peccator planè indignus reputabatur qui Deum oculis aſpiceret. Unde & Manue pater Sampſonis, Iudic. 14. dicebat: *Moriemur, quia vidimus Dominum*: & Petrus ad JESUM: *Exi à me, quia homo peccator ſum.*

CAPUT XXXIII.

℣.3. *ADoravit pronus in terrã ſepties.* Non hoc adulationis erat, ſed honoris pro more gentis.

℣.10. *Sic vidi faciem tuam quaſi vultum Dei.* Non eſt exiſtimandum ſanctum Patriarcham Iacobum præ timore, tam fuiſſe perturbato animo, ut in eam adulationem prorumperet, quâ fratrem ſuum Eſau, Dei appellatione honorare vellet. Verùm ſciendum eſt, rectè ac verè tribui hominibus eas proprietates per participationem, quæ per excellentiam ſoli Deo competunt, ut bonitatem, clementiam, juſtitiam, ſapientiam. Quin, & quod in proprietatibus frequentiſſimè accidit, id aliquando etiam in ipſo vocabulo *Deus* uſu venit. Ita apud Latinos proverbium eſt, *Homo homini Deus*: quod dicitur propter beneficentiam quam homo homini exhibet, cùm Deo maximè proprium ſit benefacere. Ita & ad Moyſen dicit Dominus: *Ego te conſtitui Deum Pharaonis*: quod dictum eſt propter potentiam, quam adverſus eum per prodigia exercebat. Ita quoque Iudices propter juſtitiæ adminiſtrationem aliquoties in Scripturâ *Dij* vocantur.

Ad hunc ergo modum Iacob dicit ſe vidiſſe faciem fratris, quaſi vultum Dei; quia videlicet ab eo tam benignè ac placido vultu ſuſcipiebatur. Poteſt etiam ita verti: *quaſi viderim vultum Angeli.* Nam vox Hebr. *Elohim*, interdum pro Angelis ponitur; ut in Pſal. 8. *Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis.* Ita ſenſus erit: Vultus tuus tam ſerenus & gratioſus mihi apparuit, quàm vultus Angeli.

℣.14. *Donec veniam ad Dominum meum in Seir.* *Quæritur*, quomodo Iacob à mendacio excuſetur, qui fratri promiſerit ſe ad eum venturum in Seir, quo tamen veniſſe non legitur? *Reſpondet* Auguſt. in quæſt. non eſſe mendacium, ſi aliquid promittatur, quod poſteà ob cauſam juſtam, mutato conſilio, non præſtetur. Dici etiam poteſt, nihil obſtare, quin etiam fortè venerit illuc ad fratrem, licet ſcriptura non commemoret.

CAPUT XXXIV.

℣.1. *EGreſſa eſt autem Dina, ut videret mulieres.* Dicit Ioſephus lib. 1. Antiq. cap. 27. fuiſſe in civitate illa Sichimorum ſolemnitatem quandam, ad quam Dina curioſitate ducta, accurrebat, ut mulieres eius civitatis videret, quia in diebus ſolemnibus ſolent ornatiore cultu procedere. Locus hic moralis eſt, & aptiſſimus ad exhortandas virgines, ut non facilè prodeant in publicum, & virorum conſpectui ſe objiciant vagantes, & curioſè agentes. Quod & Apoſtolus Paulus damnat in junioribus viduis 1. Tim. 5. *Simul autem,*

inquit,

inquit, *& otioſa diſcunt circumire domos, non ſolùm otioſa, ſed & verboſa & curioſa, loquentes quæ non oportet.* Et in primis nuſquam magis periclitatur pudor virginum quàm in encœniis, atque aliis hujuſmodi ſolemnitatibus, & cœtibus. Unde ab eorum frequentatione virgines diligenter avocandæ ſunt.

℣. 14. *Nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum & nefarium eſt apud nos.* *Quæritur*, quomodo hoc non ſit mendacium, quandoquidem & Iacob ipſe accepit filias Laban hominis incircumciſi: Et cui potuiſſent alioqui dare nuptui Dinam ſororem ſuã, niſi incircumciſo? *Dici poteſt*, alicui ex filiis Eſau. At Abraham ipſe, ſi filiam habuiſſet, cui dediſſet niſi incircumciſo? Non enim poterat quemquam non generis ſui, cogere ad circumciſionem. Nec ulla Scriptura ſignificat id fuiſſe neceſſarium illo tempore. Interim quorumdam opinio eſt, Dinam poſteà traditam fuiſſe ſancto Iob in matrimonium; addentes quòd eſſet circumciſus, & ex filiis Eſau. Vide Pererũ & Cajetanum.

℣. 25. *Duo filij Iacob, Simeon & Levi arreptis gladiis ingreſſi ſunt urbem, interfectiſque omnibus maſculis*, &c. *Quæritur* 1. an factum horum fratrum commendari debeat, vel certè excuſari poſſit; *Quidam enim* non excuſant tantùm, verùm & commendant, eò quòd Iudith dicat in oratione ſua cap. 9. Deum dediſſe Simeoni patri ſuo gladium &c. *Reſpondeo* factum illud potiùs reprehendendum; maximè cùm illud reprehendat ipſe Iacob Patriarcha, tenuiter quidem hoc capite, graviſſimè autem in lectulo mortis quando pro benedictione, duobus his fratribus, propter hoc factum, reliquit maledictionem, Geneſ. 49. Deinde, ratio reprehenſionis multiplex eſt. Primò, quia fraude & mendacio circumciderunt habitatores Sichem; tum, quia ſacramento ſuæ religionis, id eſt, circumciſione ad hoc abuſi ſunt, ut eos interimerent: quaſi ſi quis baptizare ſe ſimulans inimicum ſuum, ſubmergat eum: ac tertiò, quia defuit legitima authoritas. Ea enim erat penes Iacob, tanquam principem familiæ; quem conſtat non conſenſiſſe. Denique quia innoxios cum nocentibus peremerunt. Neque enim ullo modo veriſimile eſt, totam civitatem in flagitium unius hominis conſenſiſſe. Ad illud quod objectum eſt contrà, ex lib. Iudith, cap. 9. reſpondebitur eo loco, ſicut & Gen. 48. ad illud quod ex eo loco objicitur.

Quæritur 2. quomodo duo viri ſic potuerint prævalere toti civitati, ut omnes viros quotquot in ea eſſent occiderent; Primò ſcire oportet non ſolos eos id feciſſe, ſed nominatos, quia principes erant ſervorum & vernaculorum quos ſecum ducebant: erat enim familia Iacob adeo numeroſa, etiam tum quando revertebatur ex Meſopotamia, ut eam in bina caſtra divideret, atque ex eo tempore multum fuerat aucta. Deinde imbecillitatem civium faciebat ex circumciſione natus dolor, qui tertio die (quo impetiti ſunt à filiis Iacob) erat graviſſimus. Poſtremò oppida illa non eſt veriſimile adhuc valdè populoſa fuiſſe. Quòd ſatis indicat Hemor, dicens *terram ſpecioſam & latam cultoribus indigere.*

℣. 30. *Illi congregati percutient me* *Quæritur* quomodo hic metus conſiſtat cum fide promiſſionum ipſi & patribus ejus factarum; *Reſponderi poteſt*, non eſſe verba metuentis, nec diffidentis; ſed objurgantis filios ſuos, ut qui temeritate ſua, quantum in ipſis erat, fruſtrarent divinas promiſſiones, cùm potiùs debuiſſent ea facere quæ ad illas implendas tenderent; ſcientes ea quæ Deus promiſit, per ordinaria media (niſi Deus aliter oſtendat) eſſe expectanda. Veluti ſi quis abſolutam accepiſſet à Deo promiſſionem æternæ ſalutis, deberet tamen ille voluntate ſua nihilominus media neceſſaria ad ſalutem ſuſcipere.

* *Poteſt etiam dici* quod cum metu hoc ſui & familiæ interitus, potuit conſiſtere fiducia veritatis promiſſionis divinæ, nempe eodem modo ſicut Abraham paratus fuit filium unicum, in quo promiſſiones acceperat, immolare: utpotè ut eſt Hebr. 11. v. 19. arbitrans, *quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.*

Eſtij annotat. in Script.

CAPUT XXXV.

℣. 2. A*Bjicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt. Sed quid?* An putandum eſt ſanctum Patriarcham Iacob permiſiſſe, ut in ſua familia colerentur dij alieni? *Nullo modo.* Unde ergo habebant Deos alienos? Supradictum eſt, Rachel furatam fuiſſe idola patris ſui. Deinde advehebant ſecum prædam urbis Sichimorum, in qua veriſimile eſt, eos idola complura reperiſſe, quæ propter pretium auri & argenti, ex quibus facta erant, ſimul aſportaverant. Proinde Iacob B metuens, ne illorum aſpectu, pulchritudine; ac præſentia inducerentur ad colendum ea, voluit eadem ab eorum conſpectu removeri, imò penitus tolli. Quod & fecit, infodiens ea tanquam anathemata, & res deteſtabiles ſubter terebinthum, ita ut ne quidem aurum, & argentum in ſuos uſus voluerit convertere. *Qua in re commendatur* nobis magna perfectio, & zelus Iacob pro religione veri Dei. Quamquam tamen neque uxores Iacob, neque filij facilè fuerint participes criminis idololatriæ, ſed tantùm ſervi, & ancillæ ex gentibus idolorum cultoribus. Iacob enim habuiſſe numeroſiſſimam familiam patet tum cap. 32. v. 7. ubi dicitur *populum ſuum* (vox multitudinis eſt) *diſtribuiſſe in duas turmas*: tum quod auſi ſint Simeon & Levi, raptim aliquibus ex familia paterna (etiam ipſo inſcio) collectis Sichem C invadere cap. 34. Nec mirum, nam & avus ejus Abraham, jam tunc ſubitò potuit colligere exercitum 318. armatorum Geneſ. 14.

℣. 16. *Venit verno tempore ad terrã quæ ducit Ephratam.* Similiter cap 48 *Eratque vernum tempus & ingrediebatur Ephratam.* Nihilominus Hebræa hoc loco ſic habẽt: *Et profecti ſunt de Bethel, & erat adhuc quaſi milliare terra ad veniendum in Ephrata.* Sic Pagninus. Pro (*miliari*) Arias (*tractum*) poſuit, Vatablus (*jugerum*) eadémque diverſitas interpretum eſt ſimiliter c. 48. Et ſanè cauſa nominãdi verni tẽporis adhuc nulla apparet.

℣. 18. *Rachel vocavit filium ſuum Ben-oni.* Expoſitiones illæ *Ben-oni*, id eſt filius doloris mei, & *Benjamin*, id eſt, filius dextræ, non ſunt in Hebræo; (neque D enim idem ſeipſum interpretatur) tamen conſulto Hieronymus utriuſque nominis interpretationem adjecit, ad excludendum errorem eorum, qui perperam nomen Beniamin interpretantur (*tanquam filium dierum.*) Et ſimilem errorem annotavit Hieron. in vocabulo (*Iſraël*) quod in libro nominum interpretatum eſſe dicit (*vir videns Deum*) quam etiam interpretationem dicit omnium penè ſermone tritam, & reperiri apud magnæ authoritatis ſcriptores; cùm vera interpretatio nominis (*Iſraël*) ſit, quæ ſuprà c. 32. v. 28. apertè indicatur (*fortis contra Deum*) vel (*princeps cũ Deo.*) Et videãt hinc ſtudioſi, quàm accuratè Hebræa ſint excutiẽda.

℣. 21. *Fixit tabernaculum trans Turrem gregis.* De E turre gregis vide S. Hierun. ſuper Michææ 4.

℣. 22. *Et dormivit cum concubina patris ſui.* Crimen hoc grande Ruben primogeniti ſui, etſi Iacob ad tempus diſſimularit, metuens majora mala (nam ut vidimus cap. præced. Ruben ferox erat) *tamen* moriens, illud egregiè punivit, Geneſ. 49. quando dixit ad illum *Non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui.* *Item*, quando ab eo abſtulit jus primogenituræ quoad duplicem portionem, quam dedit Ioſeph; qui propterea etiam contrario vocabulo vocatur (*filius accreſcens*) eodem cap. 49. de quo & 1. Paralip. 5. *Item* ablatum eſt ab eo jus primogenituræ, quoad principatum, qui tranſlatus eſt ad tribum Iuda, his verbis: *Nõ auferetur ſceptrum de Iuda*; iiſdem locis citatis. Denique, juxta multos, Deus quoque ob hoc ſcelus abſtulit à Ruben jus primogenituræ

quoad ſacerdotium, quando poſteà tribum Levi deputavit, eamque ſolam, ad miniſterium tabernaculi.

℣. 29. *Et appoſitus eſt* (ſcilicet Iſaac) *populo ſuo*. 70. habent (*& appoſitus eſt ad genus ſuum.*) Ex qua verſione Ambroſ. lib. 1. de Abel & Cain cap. 2. quærit myſterium, cur Scriptura nunc dicat (*ad genus ſuum*) nunc (*ad populum ſuum.*) Sed citra Hebræam veritatem; quæ tantùm habet (*& collectus eſt ad populos ſuos.*)

CAPUT XXXVI.

℣. 2. E*T Oolibama filiam Ana, filiæ Sebeon.* Intricata eſt hîc lectio. Nam pro (*Ana filiæ Sebeon*) quaſi Ana fœmina fuiſſet, repoſuerunt nonnulli maſculinum (*Ana filij Sebeon.*) Et omninò conſtat Anam virum fuiſſe, patremque Oolibama & filium Sebeon hoc ipſo cap. v. 24. *Nihilominus* in Hebræo eſt fœmininum; ſed quod verti poteſt, vel per genitivum, vel per accuſativum. Certè veritas hiſtoriæ requirit, ut hoc v. 2. in accuſativo legatur (filiam Anæ, filiam Sebeon:) Paulò poſt verò v. 14. (uti legitur) utrumque in genitivo; ſed utrumque hoc ſenſu: nempe, ut Oolibama uxor Eſau, dicatur & filia Anæ, & filia Sebeon, non quaſi habuerit duos patres, ſed quod Sebeon fuerit ejus avus; ſicque hic filia pro nepte ponitur: Quod mirum non eſt; nam & Abraham Loth nepotem ſuum vocat fratrem, Geneſ. 13. v. 8. Vide Notationes eruditas in hunc locum F. Lucæ.

℣. 8. *Habitavitque Eſau in monte Seir, ipſe eſt Edom.* Videndum quomodo hic locus non repugnet ei qui eſt c. 32. ubi dicitur Iacob rediens ex Meſopotamia miſiſſe nuncios ad fratrem ſuum in terram Seir, in regionem Edom; quin quod 33. c. dicit Iacob ſe ſecuturum veſtigia Eſau donec veniat in Seir, imò & Eſau, reverſus dicitur illo die, itinere quo venerat in Seir. Ex quo liquet Eſau jam eo tẽpore in Seir habitaſſe, quando Iacob revertebatur de Meſopotamia. *Quomodo igitur* hic tandem dicitur à fratre ſuo Iacob receſſiſſe, & habitationi ſuæ delegiſſe montem Seir? *Reſpondet* Auguſt. & rectè; Eſau, poſt fratris Iacob in Meſopotamiam diſceſſum, noluiſſe habitare cum parentibus ſuis, partim quod indignè ferret ſe benedictione fraudatum, partim quod uxores ſuas videret parentibus ſuis exoſas eſſe, ut ſuprà dictum eſt; ac tum cœpiſſe habitare in monte Seir. Cæterùm poſt reditum fratris ſui, reparata cum eo amicitia, reverſum eſſe ad parentes in terram Chanaan; ubi cùm patrem Iſaac mortuum ſimul ſepeliſſent (ut dicitur cap. præced. in fine) quia eos jam ditatos, illa terra (ſicut hic dicitur) capere non poterat, rurſum abſceſſiſſe in Seir; atque ibi gentem Idumæorum ab Edom ſeu Eſau ſic dictam, propagaſſe.

℣. 15. *Hi duces filiorum Eſau.* Et rurſum in fine v. 40. *Hæc ergo nomina ducum Eſau in cognationibus, & locis & vocabulis ſuis.* Confer diligenter quæ ſunt 1. Paralip. 1.

℣. 24. *Iſte eſt Ana qui invenit aquas calidas in ſolitudine.* Pro (*aquas*) quidam (*equas*) legendum ſuſpicantur. Vide Oleaſtrum hic.

℣. 33. *Et regnavit pro eo Iobab.* Quidam, ut Græci, putant hunc eſſe Iob, cujus patientiæ exemplum Scriptura integro libro proponit. Hieron. repugnat in lib. traditionum Hebraicarum in Geneſ. Sed poſteà de hoc plenius, cùm ad illum librum ventum erit.

CAPUT XXXVII.

℣. 2. A*Cuſavitque fratres ſuos crimine peſſimo.* Quod fuerit illud crimen, præſtat ignorare, quàm curioſè ſcrutari, cùm Spiritus ſanctus illud exprimere noluerit. Nec debemus eſſe nimiùm malè ſuſpicaces de peccatis aliorum occultis. Sed cur Ioſeph non prius corripuit fratres, quàm eos apud patrem accuſaret; an quia videbat id ſine fructu futurum? nempe

A quod junior eſſet, & ſolus; fratres autem multi & natu majores. Hebræa ſic habent: *Et retulit Ioſeph infamiam eorum malam ad patrem eorum.* Septuaginta habent velut contrarium ſenſum: *Et attulerunt contra Ioſeph vituperium malum ad Iſraël patrem ſuum.* Et hoc magis convenit in eam rem, cujus typum Ioſeph gerebat. Nam Judei Chriſtum accuſabant blaſphemiæ, ipſe autem Chriſtus negat ſe accuſaturum Iudæos apud patrem. Nihilominus cùm verſio Latina ex Septuaginta habeat conformiter Hebræo; *Attulit autem Ioſeph vituperium malum ad Iſraël*: propter dictum typum: lectio noſtra & Hebrea non ſunt mutandæ.

℣. 3. *Iſraël autem diligebat Ioſeph.* Sed quare non potius diligebat Beniaminum utpote minimum natu; Ad
B hoc reſponderi poteſt, Ioſeph, tantum comparari cum filiis grandioribus, quorum mentio præceſſit: Beniamin verò adhuc admodum puer erat. Alij attendentes, quod in Hebræo ad verbum legitur (*eò quòd filius ſenectutis eſſet ipſe*) hoc modo exponunt: Iſraël præ cæteris diligebat Ioſeph, eò quòd filius ſapiens eſſet, quodque in eo ſenilis quædam gravitas morum & ſapientia reluceret. Quam expoſitionem habet etiam interpres Chaldæus.

℣. 2. *Fecitque ei tunicam polymitam.* Videat qui velit de hac tunica pro ixè Liranum, Burgenſem, & Replicatorem. *Polymitam*, Græcè id eſt, *multis filis contextum*: quaſi multifilum.

℣. 5. *Accidit quoque ut viſum ſomnium referret.* Somnia hæc ſua Ioſeph non legitur interpretatus, ſicut po-
C ſteà interpretatus eſt ſomnium Pharaonis. Nempe non videtur ei Deus ſuorum ſomniorum adhuc intelligentiam eo tempore revelaſſe, ne fortè efferretur in ſuperbiam: tum etiam quia ſatis proclive erat patri & fratribus ex ingenij ſagacitate conjectare, quid ea ſomnia ſibi vellent. Unde & notanter de Patre legitur, quod rem tacitus conſiderabat.

℣. 7. & 9. *Veſtroſque manipulos &c.* ac deinde: *Aliud quoque ſomnium, quaſi ſolem & lunam & ſtellas undecim adorare me.* Priori in ſomnio nihil ſignificatur de patre & matre, ſed tantum in poſteriori. Quæ diverſitas duorum ſomniorum ipſo etiam eventu comprobata eſt: Nam primum quidem ſoli fratres ob eſcas emendas miſſi in Ægyptum, Ioſeph ut Principem terræ adora-
D verunt, ut habetur infrà cap. 42. & 43. Poſtmodum verò cum patre, totaque familia iidem fratres in Ægyptum commigrantes, ſimul quoque univerſi eum adoraverunt. *Nec* movere debet, quod matre ejus Rachel, jam dudum antea mortem obierat: Nam ſanè Bala, quam Rachel ſibi ſubſtituerat, eratque patris ejus uxor, ac proinde noverca, adhuc tunc cum ingrederentur Ægyptum vivere potuit. Quòd ſi dicas, non legi, nec etiam patrem ipſum adoraſſe Ioſeph: imò contrarium videri: nempe quod Ioſeph ipſi patri honorificè occurrerit, cap. 46. *Reſpondeo*, ſomnium in hoc ſaltem impletum, quia Iacob antequam ſciset Joſeph eſſe principem Ægypti, cap. 43. per filios mittit ad eum munera, quæ
E non ſolent offerri ſine adoratione, & quidem totius familiæ ſuæ nomine; itaque etiam nomine uxoris vel uxorum, quæcumque tunc ſuperfuerint. Hinc & toties filij Iacob ad Ioſeph cap 44 *Cùm ergo aſcendiſſemus ad famulum tuum patrem noſtrum*, & rurſum, *ſi intravero ad ſervum tuum patrem noſtrum.* Vide noſtrum comment. ad illa verba epiſt. ad Hebr. cap. 11. *Adoravit faſtigium virgæ ejus.*

℣. 16. *Fratres meos quæro.* Figuram Chriſti nota in his verbis. Nempe Chriſti fratres erant Judæi, de quibus dicit. *Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.*

℣. 28. *Et prætereuntibus Madianitis vendiderunt eum Iſmaëlitis.* Pro eo quod priori loco eſt (*Madianitis*) quædam exemplaria habent (*Iſmaëlitis*,) ſed malè. Nam (*Madianitis*) legunt cõſtanter omnia MSS. ſuffragantur

etiam

etiam Hebræa ; Chaldæa & Græca quomodo etiam infra legitur, omnibus exemplaribus conſentientibus; *Madianitæ vendiderunt Ioſeph in Ægypto.* Sed quomodo ergo iidem modò Iſmaëlitæ vocantur, modò Madianitæ, cùm conſtet Iſmaëlem,& Madian diverſos fuiſſe filios Abrahæ ? & Madianitarum gentem diverſam fuiſſe ab Iſmaëlitis ſeu Agarenis ? Ad hoc *Reſpondet* Auguſt. in q. Agar & Ceturam fortè fuiſſe eandem fœminam ; ſic & nationes has fuiſſe permixtas. Fortè etiam hanc ſolutionem firmant, quæ ſunt Judicum 7. & c. 8. de Madian & Amalech.

℣. 28. *Vendiderunt eum viginti argenteis.* Septuaginta habent (*aureis*) χρύσων Fortè magnis viginti argenteis, valentibus parvos aureos. Sanè argenteis legendum eſſe, non aureis, teſtatur quoque S. Hieron. in 26. Matthæi.

℣. 35. *Noluit conſolationem accipere* : tum ob magnitudinem doloris ; tum quia non immeritò poterat ipſos conſolatores habere ſuſpectos quod ab ipſis interfectus aut ſublatus eſſet; primum quia non ignorabat Ioſeph ab illis odio habitum, deinde, quia inter ſanguinē hœdi quo tinxerant tunicam eius & ſanguinem hominis poſſet humana induſtria diſtinguere : Ac denique quia ſi Ioſeph fuiſſet à fera devoratus, tunica fuiſſet lacera, & corporis quædam membra ut oſſa, fuiſſent reperta cum tunica : quòd cùm non eſſet factum, facilè poterat Iacob, aliud quiddam de filio ſuſpicari. Neque omninò cōſolationem nullam admiſiſſe eum ſcriptura dicit, ſed conſolantibus eum filijs, non admiſit, poſteà tamen credibile eſt dolorem fuiſſe lenitum. Docet enim ſcriptura quod luxerit eum multo tempore : unde ſignificatur quod poſt multum tempus conſolationem acceperit.

Deſcendam ad filium meum lugens in infernum. Vel infernus lymbum patrum ſignificat, vel generaliter per infernum ſignificatur ſtatus mortuorum. Porrò verba ſunt ſignificantia magnitudinem doloris, q. d. Morior præ dolore ; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Nequaquam verò poteſt de ſepulchro accipi ; nullo enim modo ſperabat Iacob commune ſepulchrum cum Ioſeph, utpotè quem exiſtimabat à ferâ devoratum. An verò alibi aliquando nomine inferni ſepulchrum ſignificetur, Vide Iob 17. Vide etiam quæ diximus in 4. ſent. diſt. 45. §. 1.

CAPUT XXXVIII.

℣. 1. & 7. FVit quoque Her nequam in conſpectu Domini. De nequitia Her, quædam fabulantur Judæi, præter ea, quæ hîc Scriptura ſacra commemorat. Sed non ſunt illa temere credenda. Qui vult, videat apud Liranum.

℣. 9. *Ille ſciens non naſci ſibi filios.* Nempè debebat fratri ſuo ſuſcitare ſemen. Deut. 25.

℣. 14. *Quæ depoſitis viduitatis veſtibus.* Notandum hoc loco, cum D. Auguſtino, etiam temporibus Patriarcharum certa, & ſua quædam fuiſſe veſtimenta viduarum, quibus à conjugatis atque virginibus diſcernerentur. Ita legitur quoque de Iudith, quod egreſſura Bethuliâ ad caſtra Aſſyriorum, exuerit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ. Quòd ſi viduæ à reliquis fœminis certo veſtimenti genere diſtinguebantur, idque publicę honeſtatis cauſa : multò magis putandum eſt, virgines tum à conjugatis, tum à viduis, certo ac proprio cultu etiam tum diſtingui ſolere : eò quòd multò magis virginum quàm viduarum pudori conſulere oporteat. Sanè, ſi hodie veſtium diſcrimina quæ magnis de cauſis inſtituta ſunt, exactiùs ſervarentur, meliùs conſuleretur tum dignitati, tum integritati perſonarum. Unde & ſecundùm Iuriſperitos, qui Clericum indutum laico habitu pulſaverit, non tenetur canone conſtituto adverſus invaſores Clericorum, propterea quòd Clericus ſuæ perſonæ diſcrimen habitu non prætulerit.

Eſtij annotat. in Script.

A ℣. 24. *Producite eam ut comburatur.* Judas hoc loco exhibet nobis perſonam hypocritarum, qui propria peccata diſſimulantes, in aliena graviter animadvertunt. Ipſe enim erat, qui etſi eam ignorans, Thamar abuſus fuerat. *Sed* quæritur, qua juſtitiæ ſpecie Judas eam velit comburi, cùm ſimplex fornicatio nunquam tam graviter punita fuerit ? Dicunt Hebræi quidam, Thamar fuiſſe filiam Melchiſedech ſacerdotis ſummi, legem autem præcipere Levit. 21. Sacerdotis filiam fornicationis convictam debere comburi. Sed primò incertum eſt, & improbabile, fuiſſe eam filiam Melchiſedech (nam Apoſtolus de Melchiſedech dicit, *ſine genealogia*) Deinde lex illa adverſus filiam ſacerdotis fornicantem nondum lata erat. Ac proinde rectiùs reſ-
B pondetur, Thamar non ſimplicis fornicationis, ſed adulterij ream fuiſſe habitam, non quòd propriè jam conjugata eſſet, ſed quia obligata erat ſecundùm legem (quæ etiam tum ſervabatur, ut patet in ſecundo filio Judæ) ut nuberet propinquiori, qui erat Sela : quem & Iudas ei promiſerat, ſed differebat. In eo ergo, quod per fornicationem ſe alteri conjunxiſſet, ſpecies ſaltem erat adulterij.

℣. 30. *Poſtea egreſſus eſt frater ejus.* Severus in hiſtoria nunc dicit poſtero die editum ; quod unde habeat neſcio.

CAPUT XXXIX.

℣. 5. GVbernabat ſibi creditā domum. *Quæritur*, unde Ioſeph tam cito perdiſcere potuerit lin-
C guam Ægyptiacam, ut gubernandæ domui poſſet eſſe idoneus ? Nam linguam Ægyptiacam diverſam fuiſſe ab Hebræa, patet, quia paulò pòſt Ioſeph fratribus per interpretem loquebatur. Unde & in Pſal. 80. de populo Iſraël apud Ægyptum peregrinante, dicitur ; *Linguam, quam non noverat, audivit.* Itaque *reſpondeo*, Ioſeph, qua erat celeritate ingenij ſimul adhibita cura, ac ſtudio, ſtatim aſſecutum eſſe gentis linguam, primò, ut imperfectè, deinde ut perfectè eam ſonaret, & præſertim cùm adhuc adoleſcens eſſet, quæ ætas linguis diſcendis aptiſſima eſt.

℣. 6. *Nec quidquam aliud noverat niſi panem.* Non de Ioſepho dicitur, quaſi hoc ad ejus integritatem & ſimplicitatē pertineret, ſed de hero ipſius. Eſt enim ſen-
D ſus : Herus omnia fideli miniſtro committebat, de nulla re alia ſollicitus, quàm de edendo & bibendo. Qui quidem ſenſus, & ex circumſtantiis manifeſtus eſt, & ex fine capitis, ubi ſimilia dicuntur de præfecto carceris ; tum etiam ex verbis Joſeph ad uxorem Domini ſui ſollicitantem eum ad ſtuprum.

℣. 9. *Et peccare in Deum meum ?* Quidam codices pridem habebant (*Dominum meum*) ſed rectè repoſitum eſt (*Deum meum*) nam ita pleraque MSS. habent, tum imprimis quoque Hebræa, Chaldæa & Græca. Unde patet Joſeph in hac recuſatione ſtupri non tantùm ſpectaſſe, ne Domino ſuo temporali infidelis eſſet (quod tamen apud impudentem fœminam meritò
E prætexebat) ſed præcipuè, ne in Dominum Deum peccaret ; quod eſt perfectæ virtutis.

℣. 14. *Et intraduxit virum Hebræum.* Et inferiùs rurſus ; *ingreſſus eſt ad me ſervus Hebræus.* Nota, Ioſeph nec jure, nec proinde revera ſervus erat, quia injuſtè venditus : Itaque proprietas rei ſic venditæ non tranſierat ad emptorem. Servus igitur erat putatitius; quomodo Joſeph novi teſtamenti, pater putatitius Chriſti. Cæterùm quod bis Hebræum vocat, cum contemptu facit ; erant enim Hebræi contemptibiles Ægyptiis, vide infra c. 43.

CAPUT XL.

℣. 8. SOmniū vidimus. *Quæri* ſolet, ſitne licita ſomniorum obſervatio, & eorum interpretationē quærere aut dare ? Nam dicit Dominus Deut. 18. Non

inveniatur in te qui obſervet ſomnia. Et alibi ſæpiùs ſomniorum obſervationes prohibentur. Et contrà producuntur Joſeph & Daniel interpretantes ſomnia. Itaque *Reſpondeo:* Somnia vel divinitus immittuntur, vel ex naturalibus tantùm cauſis eveniunt. Si ex cauſis tantùm naturalibus accidunt; nullam habent ſignificationem eventuum futurorum, ſed tantùm præſentis corporis conſtitutionis, aut etiam futuræ, quantum ex præſenti conſtitutione de futura judicari poteſt. Atque hujuſmodi ſomniorum ſignificatio ad Medicos pertinet. Quod ſi divinitus immittuntur, id ſanè fit ad aliquid ſignificandum, quod ab homine humanâ ſagacitate ſciri aut prævideri non poteſt. Itaque hujuſmodi ſomnia neque diſcerni ab aliis ſomniis, neque exponi poſſunt, niſi ab iis, qui dono ad hoc divinitus collato inſtructi ſunt, cujuſmodi fuerunt Joſeph & Danièl. Et hoc eſt quod Joſeph hîc dicit: *Nunquid non Dei eſt interpretatio?* & poſteà ad Pharaonem: *Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni.* q.d. non ego, ſed Deus. Unde in propoſito magis fuerunt Prophetæ Ioſeph & Danièl, qui hujuſmodi ſomnia diſcernere & interpretari potuerunt, quam Enuchi Pharaonis; vel ipſe Pharao & Nabuchodonoſor, quibus viſio imaginaria accidit per ſomnium, ſed ejus intelligentiam non habuerunt. Damnat autem ſcriptura obſervatores quorumcumque ſomniorum, quaſi per ea aliquid futurum ſignificetur quod ad liberas hominum actiones pertineat quod naturaliter per ea ſignificari non poteſt.

℣.22. *Vt conjectoris veritas probaretur.* (*Vt*) non finem ſignificat (nihil enim Pharao de hac interpretatione ſomnij audiverat, cùm pincernam in locum ſuum reſtituit) ſed denotat eventum. Senſus enim eſt. Atque ita factum eſt, ut veritas conjectoris fuerit declarata. Et ſic quoque intelligitur quod aliquoties in Evangelio dicitur? *Vt impleretur quod ſcriptum eſt;* ac ſi dicatur; atque ita impleta eſt prophetia talis, aut talis. Quamquam in Hebræo non eſt, *ut veritas probaretur:* ſed, *quemadmodum conjecerat eis Ioſeph.*

CAPUT XLI.

℣.16. *Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni.* Hoc Symmachus clarrùs ita vertit; *Non ego, ſed Deus reſpondebit pacem Pharaoni.* Verba ſunt humilitatis, quibus interpretandi facultatem, quâ pollebat, refundit in Deum authorem. Sic & Paulus 1. Cor. 15. *Non ego, ſed gratia Dei mecum.* Et rurſum. *Tametſi nihil ſum.* Vide Hebræa.

℣.38. *Num invenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Et mox iterum; *Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es.* Deus utrobique in Hebræo non *Iehova*, ſed *Elohim* dicitur. Itaque etiam verti poterat numero plurali: *deorum & dij.* Nam Pharao non unius Dei, ſed deorum cultor erat. Quomodo in Daniéle quoque legitur dictum à regina Babylonis ad regem, Dan. 5. *Eſt vir regno tuo, qui ſpiritum deorum ſanctorum habet in ſe.*

℣.43. *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum.* Pro (*ſecundum*) multa MSS. habent (*ſecum*) Hebræa ſic ad verbum: *Et equitare fecit eum in curru ſecundo, qui ſibi erat.* Unde ſatis apparet melius eſſe, quod nos legimus (*ſecundum*) Nam illud (*qui ſibi*) redditur per (*ſuum*) Non ergo cum Pharaone ducebatur Ioſeph, ut dici poſſet (*ſecum:*) ſed ſolus in curru ſecundo: quomodo & Mardochæus legitur honoris causâ circumductus cum voce præconis.

℣.41. *Vt omnes coram eo genu flecterent.* Hebr. eſt: *& clamabant ante eum, Abrech.* id eſt, *pater tener:* vel *flecte genua.*

℣.43. *Lingua Ægyptiaca Salvatorem mundi.* Septuaginta vocem Ægyptiacam retinuerunt, & reddiderunt his Græcis characteribus ψονθομφανήχ Hebraicè eſt, *Saphnath Pahaneach;* quod Benedictus Arias vertit, *Abſconditi revelatorum.*

A ℣.43. *Deditque illi uxorem Aſeneth filiam ſacerdotis.* Utique ſacerdotis idolorum, quæ in Ægypto colebantur. Nec tamen peccavit Ioſeph filiam eius accipiendo uxorem: ita enim conveniebat exaltari. Nam valdè honorabile erat filiam ſacerdotis, & quidem ſummi, qualis hic fuiſſe videtur, uxorem ducere. Veriſimile eſt autem Ioſeph, de quo in Pſal. 104. canitur, *ut erudiret principes eius; ſicut ſemetipſum & ſenes ejus prudentiam doceret,* uxorẽ ſuam, fortè & uxoris patrem, familiam paternam, inſtituiſſe in vera religione.

℣.45. *Sacerdotis, Heliopoleos.* Hebraicè, (*ſacerdotis On*) quæ civitas multò pòſt fuit vocata Heliopolis. Itaque hîc in Latina interpretatione, Prolepſis eſt, ſeu anticipatio, ſicut & Ezechielis 30. in vocabulo Alexandria

B

CAPUT XLII.

℣.6. *Cumque adoraſſent eum fratres ſui.* Ecce, impletur ſomnium Ioſeph, de quo ſuprà c. 37. itemque, cùm paulò pòſt rurſum ſe ſervos Ioſeph vocant.

℣.9. *Exploratores eſtis; ut videatis infirmiora terræ veniſtis.* Quæſtio eſt quomodo Ioſeph non fuit mentitus, imò calumniatus fratres ſuos, imponens eis falſum crimen, quòd exploratores eſſent? Varij variè reſpondent. Quidam ut Joſephum excuſent, dicunt eos in Ægyptum proficiſcentes exploraſſe viam meliorem ac tutiorem: eoque rectè ac verè exploratores dictos. Sed Sophiſtica eſt hæc eluſio nec propoſito congruens. Poſteà enim dicit; *imminuta terræ hujus conſiderate veniſtis,* ſignificantes quales intelligat exploratores.

C

Alij dicunt eos obambulaſſe per vicos & plateas, omnia conſiderantes, & ut quidam dicunt, quærentes fratrem ſuum Ioſeph, quem veriſimiliter ſciebant in Ægyptum venditum fuiſſe ab Iſmaëlitis: ita ut meritò ſuſpicionem dare potuerint quòd exploratores eſſent: atque ita ſenſum eſſe: *exploratores eſtis,* circumſpicitis omnia loca civitatis exploratorum more. Alij mendacium veniale agnoſcunt in Ioſeph, ſed ab eo calumniam propulſant, quia non ad hoc objecit eis, ut exploratorum ſupplicio afficerentur, ſed per hoc cognoſceret affectum eorum erga fratrem Beniamin, & pœnitentiam venditionis ſuæ. Poteſt & hoc modo reſponderi: *exploratores eſtis,* id eſt, niſi vos legitimâ ratione purgaveritis, habeo vos pro exploratoribus: ſicut pater ſine mendacio dicit filio: Tu hoc aut illud feciſti, non fuiſti in templo, aut non fuiſti in ſcholis, id eſt hoc de te exiſtimabo, niſi mihi aliud oſtendas. Talia à parentibus, magiſtris, inquiſitoribus, ſæpè dicuntur; non aſſertivè, ſed inquiſitivè & oppoſitè, ut alter reſpondeat, & quod objicitur doceat non eſſe verum, ſicut & argumentantes facere ſolent. Et hunc intellectum confirmat, quod poſtea repetit dicens: *Alioquin;* id eſt, niſi deprehendero vos vera dicere, *exploratores eſtis, &c.* Item poteſt eſſe ſenſus: externi eſtis, ita ut ſuſpicari quis de vobis poſſit quod exploratores ſitis. Sic Dominus ad mulierem Syrophæniſſam:

D

E

Non eſt bonum ſumere panem filiorum & mittere canibus: quod dixit quaſi ex perſona Iudæorum; qui potuiſſent hoc mulieri objicere, quæ alioquin jam canis non erat, quia magna erat fides ejus pluſquam Iudæorum.

Quæritur etiam quomodo non pejeraverit dicens: *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus:* Reſpondeo, verum dixit, non enim ſignificat ſe omnes detenturum, alioqui nemo proficiſci potuiſſet ad ducendum Beniamin, ſed ſe non omnes dimiſſurum, & ſaltem unum retenturum donec Beniamin veniret; quod & factum eſt, Simeon enim uſque ad adventum Beniamin detentus fuit. Poſſunt etiã intelligi eſſe verba comminantis, & facere proponentis, niſi juſtiore ratione dimoveatur à propoſito.

℣.28.

℣.28. *Quidnam eſt hoc quod fecit nobis Deus?* Sic itidem cap. ſeq. ℣.23. Diſpenſator domus Joſeph, *Deus veſter, & Deus patris veſtri, dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris.* Ubi nota primò, morem Scripturæ; juxta quem, omnia bona merita, in Deum authorem referantur. Porrò quòd diſpenſator domus Joſeph homo Ægyptius ſic ſit locutus; intelligitur id feciſſe ita inſtructus à Joſeph, juxta illud Pſal. 104. *Vt erudiret principes ſicut ſemetipſum, & ſenes ejus prudentiam doceret.*

℣.36. *In me hæc omnia mala reciderunt.* *Quare* non peccavit Joſeph immeritò affligendo animum patris? *Reſpond.* fecit id tantum per accidens. Etenim dum per ſe hoc agit, ut fratres, ſicut erant meriti, pœnas aliquas luerent odij & crudelitatis in ſe fratrem; ſimul ex accidenti evenit, ut pater dolore afficeretur: velut ſi à judice filius ſceleratus ſupplicio afficiatur, fit ut etiam patris ejus tametſi innocentiſſimi animus dolore crucietur. Sed *cur* non peccavit cupiditate vindictæ in fratres? *Reſpondeo*, quia hoc licet etiam inter amicos; ut etiam Philoſophus docet in Ethicis, quando levis eſt vindicta, & ad correctionem proximi ex amore exhibetur.

℣.37. *Duos filios meos interfice.* Sed quid ſolatij aut ſolaminis fuiſſet Jacob occidi filios filij ſui? *Reſpondeo* nihil, quin magis dolor. Sed dicit hoc Ruben hominum conſueto more, cùm in re maximi momenti res cariſſimas oppignorant, & periculo exponunt.

CAPUT XLIII.

℣.3. D*Enunciavit nobis vir ille.* Nota, non hoc expreſsè denunciaſſe legitur: Verùm cum cap. præced. v.15. dixerit; *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus*; credibile eſt eum ad dimiſſos poſtea iteraſſe hoc, vel ſimili modo; Per ſalutem Pharaonis, non videbitis faciem meam, donec veniat frater veſter minimus.

℣.6. *In meam hoc feciſtis miſeriam.* Id eſt, factum veſtrum in meam cedit miſeriam. Non enim dicere vult pius Patriarcha filios ſuos paternam miſeriam intendiſſe, ſed ita eveniſſe ipſorum imprudentia. Sic & quod Hebr. legitur; *Vt quid male feciſtis mihi?* non expoſtulantis eſt, aut improperantis, ſed ſuam miſeriam deplorantis.

℣. 9. *Ego ſuſcipio puerum.* Nota non dixit hic Judas ſpondens pro Beniamin, ut dixerat Ruben cap ſuperiori: *Filios meos interfice*; nempe jam duo filij ejus Her & Onan interfecti erant à Domino, & veriſimiliter metuebat, ne quid ſimile aliis filiis ſuis contingeret. Tum etiã à tali ſermone abſtinebat, ne memoriam ejus quòd duobus prioribus filiis ſuis acciderat, renovaret.

℣.14. *Et remittat vobiſcum fratrem quem tenet.* Loquitur Iacob de Simeone qui tenebatur in vinculis, & de Beniamin. In Septuaginta ſic habetur: *& remittat fratrem veſtrum vivum, & Beniamin.* ubi cum verè intelligatur Simeon captivus, tamen fortaſſe nonnulli aliquando acceperunt de Joſeph. Certè in officio Eccleſiaſtico, Dom.3. Quadrageſimæ, in reſponſorio nono ſic legitur: Lamentabatur Jacob de duobus filiis ſuis: Heu me: dolens ſum de Joſeph perdito, & triſtis nimis de Beniamin, ducto pro alimoniis: Precor cæleſtem regem, ut me dolentem nimium faciat eos cernere. Quæ verba indicant ſaltem Iacob non omnem omnino ſpem abjeciſſe videndi Joſeph, etſi hoc non videantur ejus verba indicare cap.37. v.35. Forſitan enim in corde ſuo ſuſpicabatur, id quod res erat, Joſeph venditum, non devoratum à beſtiâ: quod nulla oſſa oſtenderentur, ſed ſic loquebatur ut eſt ibi cap.37. ne feroces filios magis exacerbaret.

℣.16. *Occide victimas, & inſtrue convivium.* Hæ victimæ, cui immolabantur, Deo vero, an falſo? Si ſacrificium intelligitur; haud dubium Deo vero. Neque enim vir ſanctus præcepiſſet immolari victimas Deo

Eſt y annotat. in Script.

A falſo; neque Joſeph, qui tanta authoritate pollebat apud Ægyptios, prohibitus fuiſſet, ut apparet, offerre ſacrificium Deo ſuo. *Sed fortè* non loquitur Scriptura de ſacrificio, ſed de ſola mactatione pecorum ad uſum convivij. Unde & Hebræa tantum habent; *Macta in.* Vatablus quidem ſubaudit, victimam: ſed quare non ſimpliciter, pecus, vitulum, bovem, vel quid ſimile?

℣. 32. *Illicitum eſt enim Ægyptiis comedere cum Hebræis.* Hebræorum nomen jam dudum innotuiſſe, patet, tum quod hera Joſeph Geneſ. 39. ipſum bis contemptim vocet Hebræum, tum quod & pincerna regis dicat cap.41. *Erat ibi puer Hebræus.* Quin ipſi Abraham & Loth Geneſ.14. Hebræi vocantur, ſic dicti à Chananæis, quaſi transfluviales: quod ex Meſopotamia illuc veniſſent, jamque plurimi populi ab illis propagati

B erant, ut Ismaelitæ, Madianitæ, Moabitæ, Ammonitæ, ut non neceſſe ſit hic nomine Hebræorum, tanquam ignotorum, generatim omnes Chananæos accipere. Cæterum quare profanum cenſerent Ægyptij comedere cum Hebræis, imò abominationem putarent, (nam ita ſonant Hebræa:) patebit Exodi 8. v. 26.

℣. 34. *Majorque pars venit Beniamin.* Ita juſſerat Joſeph tum quia Beniamin frater erat uterinus Joſeph, tum etiam quod ſolus Beniamin immunis fuiſſet: & innocens à crimine in Joſeph à fratribus cæteris commiſſo. Quomodo ſingulis ſingulæ partes in hujuſmodi cõviviis diſtribuerentur, vide etiam 1. Regum 6.

℣. 34. *Biberuntque & inebriati ſunt cum eo.* Solent, inquit Auguſt. ebrioſi hinc ſibi adhibere patrocinium, non tantum propter filios Iacob reliquos, ſed etiam

C propter Ioſeph, qui valdè ſapiens commendatur. Sed reſpondet Auguſt. & ante eum Hieron. verbum *ebrietatis* pro ſatietate tantum ſolere in Scriptura poni. Unde eſt illud Pſalm.64 *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam.* Ubi nullo modo inebriari poteſt accipi, ut ebrioſi accipiunt. Nã nec ipſi terræ utilis eſt hujuſmodi ebrietas, cum nimio humore ſemina corrumpantur. Commentarius quoque in Pſalm. 80. D. Hieronymo adſcriptus, negat, ad literam, Ioſeph virum ſanctum inebriatum: etſi id fateatur de Loth.

CAPUT XLIV.

℣.5. S*Cyphus — ipſe eſt in quo augurari ſolet Dominus meus.* Cum dicat Scriptura ſacra Deut.18.

D *Non invenietur in te qui obſervet ſomnia, atque auguria*, nullo modo putandum eſt Ioſeph auguriis deditum fuiſſe: quem ſpiritu divino conſtat futura atque arcana prædixiſſe, juxta quod ipſe ad Pharaonem dicebat; *Abſque me, Deus reſpondebit proſpera Pharaoni.* *Quæſtio* proinde relinquitur, quomodo Ioſeph per ſervum ſuum hic nominet ſcyphum ſuum in quo augurari ſolet, quod & ipſe, poſteà v. 15. ſimilibus verbis repetit, dicens ad fratres: *An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?*

Auguſtinus *reſpondet* hæc non ſeriò, ſed joco dicta eſſe, & proinde non habenda mendacia. Auguſtini ſententiæ ſubſcribit Thomas in 2. 2. quæſt.95. art.7. addens Ioſephum fortè ad hoc reſpexiſſe, quod vulgus de

E eo opinabatur. Tum ſenſus erit: An ignoratis, id eſt, an non vel ex publica fama de me cognoſcere potuiſtis, non eſſe mihi ſimilem in augurandi ſcientia? Ita quoque Dan. 4. Nabuchodonoſor Danielem nominat, principem Ariolorum & c. 5. regina eum dicit conſtitutum principem magorum, incantatorum, Chaldæorum & aruſpicum. Et hæc poſterior ſententia magis placet. Author quidã id quod alij ex Hebræo vertunt (*auguranda augurabitur*) ipſe vertit (*experienda experiens diſcet*) & dicit eos, qui de augurio interpretantur, ſine cauſa Ioſeph magno crimine gravare, imò (addit) & vocibus vim inferre. Nihilominus Bened. Arias Montanus reddidit, *auguranda augurabitur.*

℣.16. *Dixit Iudas; Deus invenit iniquitatem ſervorum*

ſuo-

ſuorum. Non agnoſcit Iudas furtum ſibi objectum: Eam enim accuſationem ſtrenuè à ſe repulerunt fratres ſuperioribus verbis; ſed iniquitatem intelligit, peccata anteà ab ipſis commiſſa: maximè illud, quo ex invidia fratrem ſuum Ioſeph vendiderant. Ut ſit ſenſus: Deus peccata noſtra quæ nos occulta eſſe putavimus invenit, hoc eſt, oſtendit ſibi eſſe manifeſta per hanc adverſitatem quam nunc nobis immittit. Unde & ſupra loquebantur ad invicem c. 42. v. 21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum: idcircò venit ſuper nos tribulatio.* Et Ruben dicebat v. 22. *En ſanguis ejus exquiritur.*

CAPUT XLV.

℣.2. **E***Levavitque vocem — quam audierunt Ægyptij omniſque domus.* Quomodo potuit omnis domus regia vocem unius Ioſeph flentis audire, cùm ampla eſſe ſoleant Regum palatia? At ſenſus eſt, rumorem fletus ejus ſtatim totam regiam pervaſiſſe.

℣.5. *Nolite pavere, neque vobis durum videatur.* Non extenuat Ioſeph peccatum fratrum in ſe commiſſum, quod ſanè graviſſimum erat; ſed prohibet iram & rixas, & exprobrationes, quibus læditur fraterna charitas. Nam Heb. eſt: *Et ne ſit ira in oculis veſtris, quod vendideritis me huc*: ac ſi dicat, ne alter in alterum culpam hujus rei conferre conetur. Sic & infrà prohibet, dicens: *Ne iraſcamini in via.* Verſio Vatabli ſic: *Neque commovemini intra vos.* Et Scholion, ne indignemini vos, aut ne ſleatis. Ita ſenſus eſt idem utriuſque membri, ne doleatis nec contriſtemini. Non prohibet autem, aut minuit pœnitentiam; ſed dolorem animi mitigat verbis conſolatoriis, commemoratione boni, quod occaſione facti eorum ſecutum eſt, nempè quod ſubditur.

Commendatur hic nobis mira Ioſephi clementia & manſuetudo erga fratres, quos adeo ſibi inimicos ſenſerat, quibus ille ne verbo quidem exprobrat quod adverſus ſe commiſerant. Inſuper & prohibet ne ipſi inter ſe corrixentur de ea re, ſed ut pacificè ad patrem revertantur.

℣.8. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* Nota, non hic Ioſeph peccatum fratrum ſuorum refert in Deum, ſed tranſitum ſuum in Ægyptum; nempè quatenus ex eo magnum bonum, Deo providente, conſecutum eſt.

Qui fecit me quaſi patrem Pharaonis. Hebr. *& poſuit me in patrem Pharaoni,* id eſt, inſtructorem & rectorem familiæ & negotiorum ejus. Vide etiam 2. Paralip. 2. v. 13.

℣.18. *Venite ad me, ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.* Et rurſum: *Properate quantociùs venientes — quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt*: Aut hyperbolica locutio eſt, quâ ſignificatur eos in Ægypto habituros omnium rerum abundantiam; aut ſenſus eſt: dabo vobis omnia bona Ægypti, id eſt, ex omnibus bonis Ægypti dabo quantum vobis ſufficiet. Cenſetur enim totum habere qui ex toto aliquo accipit ſufficientia ad uſum ſuum. Videtur autem ſub his verbis latere occultum quoddam vaticinium futurorum, quamvis illud à Pharaone, qui hæc jubebat dici filiis Iſraël, non fuerit intellectum. Significatum eſt enim his verbis futurum aliquando ut filij Iſraël de Ægypto egredientes aſportarent ſecum opes Ægypti, & ſicut ſcriptura loquitur Ægyptios ſpoliarent. Quæ Ægypti deprædatio rurſus altioris myſterij ſignum fuit, nempè futurum ut omnis apparatus ſæcularis doctrinæ ab hujus ſæculi Philoſophis & oratoribus tanquam injuſtis poſſeſſoribus vendicatus, transferatur in uſum doctrinæ Chriſtianæ. Similis locus eſt 4. Reg. 8. ubi dicitur *Azael iviſſe in occurſum Elizei ferentem munera & omnia bona Damaſci, onera 40. camelorum*: id eſt, ex omnibus bonis.

℣.26. *Quo audito Iacob, quaſi de ſomno gravi.* Hinc videtur Iacob omnem ſpem vitæ filij ſui Ioſeph dudum abjeciſſe. Sed quid poſſit quoque in contrarium adferri, vide c. 43. ad Verſum 14.

CAPUT XLVI.

℣.15. **H***I filij Liæ: omnes animæ triginta tres.* In hoc numero comprehenduntur Her & Onan filij Iudæ, licet mortui ante ingreſſum Iacob in Ægyptum, ipſumque hic apertè exprimitur, ne ſcilicet quis aut fallatur, aut falli putet Scripturam. *Sed quomodo* dicitur; *Omnes animæ filiorum ejus & filiarum, triginta tres,* cùm in hoc numero nulla filia, ne Dina quidem, quæ hic nominata eſt, comprehendatur; Nam ſine illa conſtat numerus. *Ad* hoc Liranus nihil reſpondet. *An* fortè adjectitium eſt illud (*& filiarum*?) *Sed* omnes codices habent, etiam Hebræi. Mirum autem Dinam ab hoc numero excludi, cùm paulò pòſt filiis Zelphæ connumeretur *Sara filia Aſer*, atque impleat numerum ſexdecim animarum. *Niſi id factum* dicas, quia Dina erat extra numerum duodecim tribuum, utpotè ipſa ſoror duodecim Patriarcharum: Sara verò filia unius ex illis. Dinam tamen ingreſſam fuiſſe Ægyptum exiſtimat Liranus: Unde & ipſe eam comprehendit in numero ſeptuaginta animarum, quas in Ægyptum ingreſſas Scriptura teſtatur.

Utrum autem & cui nupta fuerit, ſcriptura nuſquam dicit. Ac fortè manſit innupta, vel quod vitiata eſſet, vel quod in Ægypto extra domum patris ſui, viro cuiquam tradi non debuit. Quòd autem putant nonnulli eam fuiſſe uxorem Iob, neſcio qua ratione vel auctoritate probent: nec probari poteſt, ſi verum eſt quod alij opinantur, Iob eo tempore nondum natum fuiſſe, ſed fuiſſe Moyſi σύγχρονον, de qua re vide annotat. Iob. 1. Nec tamen ad hoc refellendum quod dicitur de conjugio Dinæ cum Iob ſatis valere puto argumentum quod Iob fuerit incircumciſus, cùm fratres Dinæ dixerint, apud ipſos *illicitum & nefarium eſſe tradere ſororem ſuam, homini incircumciſo.* Hoc enim in dolo dictum ab illis fuit patre nequaquam conſcio, ut patet Geneſis 34. & 49. Plus habet probabilitatis ad illud refellendum ſi dicamus filiam Iacob non tam malè moratam, aut inſtitutam fuiſſe, ut virum ſuum à Deo percuſſum, ad maledicendum Deo provocaret, eique ſuam innocentiam velut inutilem exprobraret, quod uxorem Iob feciſſe legimus.

Quæres cur ſolius Aſer filia in hoc numero ponatur, cùm non ſit veriſimile, à cæteris filiis Iacob nullam fuiſſe filiam progenitam ſed ſolos filios? An filiæ in hoc numero omiſſæ, quòd non ſoleant mulieres cenſeri in genealogiis apud Hebræos? unius tamen Saræ filiæ Aſer mentionem factam, vel quia Propheteſſa eſſet, vel aliâ quapiam re excelluerit?

℣.26. *Cunctæ animæ — quæ egreſſæ ſunt de femore.* Quidam hoc teſtimonio confirmare conati ſunt à parentibus animas unà cum corporibus propagari. Sed *reſpondeo*, ſecundùm Auguſtinum animas pro hominibus accipi hoc loco, quod & alibi in Scripturâ ſacrâ frequentiſſimum eſt, locutione ſynecdochicâ. Nec ſolùm in iis quæ homini ſecundùm animam conveniunt, ſed etiam quæ tantùm ſecundùm corpus. Sic dicitur 1. Machab. 9. *Et peremerunt animas hominum multas*, cùm tamen corpus tantùm perimatur ſeu occidatur. Porrò quod animæ non trahantur ex parentibus, Vide ſuprà cap. 12. v. 5.

CAPUT XLVII.

℣.2. **E***Xtremos quoque fratrum ſuorum quinque viros.* Hebr. *Et de extremitate fratrum ſuorum cepit quinque viros.* Verſio Vatabli: *Accipiens autem quoſdam è fratribus ſuis, nempè quinque viros.* Pagninus: *de extremis fratribus ſuis cepit quinque viros. Extremos* quidam intelligunt, qui videbantur abjectiores, minuſque

que præſtantes quod Ioſeph feciſſe tradunt, ne ſi robu- A ſtiores adduxiſſet, militiæ eos Pharao applicuiſſet. Alij aliter. Vide Liranum.

℣.7. *Qui benedicens illi, & interrogatus ab eo.* Iacob ſcilicet benedicens regi. Nam & mox ſequitur v. 10. *Et benedicto Rege egreſſus eſt foras.* Porrò benedixit Iacob regi, quia ſalutem & felicitatem ei precatus eſt à Deo. (Nam & nuda ſalutatio quodammodo eſt benedictio ſeu bona precatio.) *Non* autem quaſi *ex authoritate & officio*; quomodo ſacerdotes benedicunt; & in epiſt. ad Hebr. 7. dicitur: *Quod minus eſt à majore benedicitur*; ſed vulgari modo bene precando, quomodo etiam æquales æqualibus, & minores majoribus benedicunt.

℣.9. *Dies peregrinationis meæ parvi & mali.* Id eſt, B pauci, & miſeri. Parvi videlicet numero, non extenſione. Sic Iob 17. *Dies mei breviabuntur.* Mali autem dicuntur propter labores plurimos, quos ſubiit; & afflictiones plurimas, quas ſuſtinuit Iacob in vita ſua. Sic Dominus in Evangelio Matth. 6. *Sufficit diei malitia ſua.* Et Apoſtolus ad Epheſ. 5. *Redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt.*

℣.19. *Cur ergo moriemur, te vidente? Emit igitur Ioſeph omnem terram, ſubjecitque eam regi.* Nec fuit tamen hæc crudelitas aut inhumanitas Ioſeph; non enim poterat gratis dare, eò quòd ipſe tantùm diſpenſator eſſet regis. Sed neque cooperatus eſt cupiditati regiæ; ſed quæ fecit ad utilitatem regis, redundarunt etiam ipſius prudenti conſilio in utilitatem regni & populi: quod declarat prudentiſſima ſimul & humaniſſima ejus pro- C poſitio ad populum, quâ dicit: *En, ut cernitis & vos & terram veſtram Pharao poßidet. Accipite ſemina, & ſerite agros, ut fruges habere poßitis quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familiis & liberis veſtris. Et factum eſt*, inquit Scriptura, *quaſi in legem*: ſine dubio utilem ad continendum populum in obedientia regis.

℣.22. *Præter terram ſacerdotum.* Hebræa ſic: *Tantùm terram ſacerdotum non emit, quia ſtatutum* (ſeu demenſum & portio) *ſacerdotibus erat à Pharaone, & comedebant ſtatutum ſuum, quod dedit eis Pharao: idcircò non vendiderunt terram ſuam.* Igitur non ſignificatur hic quòd terram ſuam neceſſariò ſacerdotes habuerint à rege, ſed quòd terram ſuam, ex qua vivere ſoliti erant D (quæ tamen veriſimiliter fuerat eis data à publico, tanquam miniſtris publicis, accedente ſimul authoritate regia) non ſint compulſi vendere, ob defectum alimoniæ; ſi quidem Rex eos aleret ex horreis publicis, tanquam publicos miniſtros. Debebantur autem ſacerdotibus Ægyptiis cibaria ex publico; non ſimpliciter (erant enim ſacerdotes non veri Dei, ſed falſorum deorum & dæmonum) ſed ex conſcientia erronea, quia putabantur eſſe miniſtri veræ religionis.

Cæterùm oſtendit hic locus quantum, etiam ethnici reges, dignitatem ſacerdotalem honoraverint. Quod ſi verò reges illi ſacerdotes ſuorum Deorum, qui nihil aliud quàm dæmones erant, tali prærogativa honora- E verint, quantò magis convenit miniſtros Eccleſiæ Chriſti apud Chriſtianos principes ſimilibus beneficiis ac privilegiis gaudere?

℣.30. *Sed dormiam cum patribus meis* Nota, nuſpiam Scriptura dicit beſtias dormire cum moriuntur, ſed tantùm homines, utpotè quod homines reſurrectionem certò expectent, Quin nec ſoli boni, ſed etiam mali dicuntur dormiiſſe cum patribus ſuis, ut impij Reges Ieroboam, Amri, Achab, & alij: quod notandum eſt, contra Iudæos, qui ſtolidè docent malos non reſurrecturos.

℣.31. *Quo jurante, adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput.* Septuaginta legunt. *Adoravit Iſrael ad ſummitatē virgæ ejus.* Quæ verſio innuit Iacob adoraſſe ſummitatem ſceptri Ioſeph, exteriùs quidem poteſtatem ejus honorans, ſed ſpiritualiter ſimul (ut apparet) Chriſti regiam poteſtatem in typo Ioſeph adorans. Sanè verſionem hanc, etſi eam Hieron. non videatur probare, nobis quoque recipiendam cogit authoritas Apoſtoli ad Hebr. 11. ubi clarè dicit; *Fide Iacob moriens ſingulos filiorum Ioſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus.* Et nihil prohibet, quin Iacob & Deum adoraverit (ut habet noſtra verſio) atque etiam honorarit ſeu adorarit ſummitatem virgæ Ioſeph, quod vult verſio 70. & Apoſtolus dicto loco. Vide ibidem noſtrum comment.

CAPUT XLVIII.

℣.5. *EPhraim & Manaſſes, ut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* Quæritur, quid magnum reputari ſicut Ruben & Simeon, cum ſeq. cap. hi duo pro benedictione magis videantur reportare maledictionem? Reſpondeo non in benedictione fieri comparationem, ſed in jure filiorum. Senſus enim eſt; duos filios tuos Ephraim & Manaſſem, ego mihi adopto in filios; ita ut ſinguli ſuas accipiant portiones in terra promiſſionis, & ipſi perinde atque ſi ex me eſſent geniti, duarum tribuum capita conſtituant, ſicut, Ruben & Simeon. Nominat autem Ruben & Simeon, quòd hi natu maximi eſſent, ut intelligeretur tantò magis etiam cæteris Ephraim & Manaſſem in eo jure æquari.

℣.6. *Reliquos autem quos genueris, tui erunt.* Nulla Scriptura refert Ioſeph alios filios genuiſſe. Quare quod hic dicitur, conditionaliter accipiendum eſt. Et ſanè Vatabli verſio ſic habet: *Si qui poſt hos tibi naſcentur.* Atque ad illum proinde ſenſum explicanda quoque videntur Hebræa (*& generatio tua, quam genuiſti poſt illos*) etſi duriuſculum ſit.

℣.7. *Eratque vernum tempus.* Vide cap. 35. v. 16.

℣.16. *Angelus qui eruit me, benedicat pueris iſtis, & invocetur ſuper eos nomen meum &c.* Quidã, ut Oleaſter hinc ſtatuunt invocationem ſanctorum. Sed non eſt neceſſum huc recurrere; Nam ubicumq; per totam Scripturam invocatur Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, aut pro eorum reſpectu pij homines exaudiri à Deo petunt, ibi & ipſi ſuo modo invocantur. At verò quod hic dicitur (*invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum*) ſecundùm phraſim Hebraicam ſenſus eſt, ut Ephraim & Manaſſes tanquam ex Iacob geniti, nomine ejus gaudeant, æquè atque alij filij. Ita dictum eſt Ierem. 14. *Nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos*, id eſt, vocamur populus tuus.

℣.22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos.* Septuaginta habent; *Da tibi Sichimam præcipuam ſuper fratres tuos.* Hebr. eſt vocabulum (*Sichem*) quod ſonat humerum vel partem; Unde & noſter generatim habet (*partē unam.*) Verumtamen Sichem quoque, aut certè bonam ejus partem fuiſſe datam Ioſeph ſatis patet Ioſue ult. ubi ſic legitur: *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant de Ægypto, ſepelierunt in Sichem* (nota in Sichem) *in parte agri, quem emerat Iacob a filiis Hemor — & fuit in poſſeßionem filiorum Ioſeph.* Sic ibi. Sed *quæres*, quid eſt hoc, quod hic addit Iacob; *partem unam quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo? Reſpondent* nonnulli quod Iacob cenſeatur Sichimam ſibi armis vindicaſſe, quia filij ejus Ruben & Simeon, eam armis ſubjugarunt (ut eſt ſuprà cap. 34) Sed id non rectè, nam factum eſt id Iacob invito & omninò injuſtè, ut ibi plurimis oſtendimus. Itaque alij veriſimilius dicunt, quod cum occaſione hujus crudelitatis Ruben & Simeon, vicini Amorrhæi etiam expellere vellent Iacobum poſſeſſione agri, quem ille emerat, (ut eſt cap. 33.) ille jure belli, & agrum illum, & vicina ſimul loca armis ſibi aſſeruerit.

CAPUT XLIX.

℣.4. *EFfuſus es, non creſcas. Non creſcas.* Hebr. *Non excellas.* Quare hac voce, illum privatum nō-

nuſi dicunt jure primogenituræ ; quaſi dixiſſet Iacob: Ndo conſequaris prærogativam dignitatis. *Certè* conſta primogenituram datam filijs Ioſeph 1. Paralip. 5. E. benedictio quæ hoc loco Ioſeph data eſt, non obſcurè etiam innuit plus Ioſeph omnibus cæteris fratribus eſſe tributum, ſpeciatim cùm Iacob in ipſum ſe transfundere dicat benedictionem à patribus acceptam; quale nihil eſt in benedictionibus aliorum. *Itaque* ſenſus eſt: *Effuſus es ſicut aqua:* hoc eſt, evanuiſti, ad nihilum redactus es, contemptibilis factus es, propter flagitium tuum: quod ſequitur. Et ſimilis locutio eſt Pſ. 21. *Sicut aqua effuſus ſum.*

Quia aſcendiſti cubile patris tui. Vide de hoc ejus ſcelere, id eſt, de concubitu cum uxore patris ſui c. 35.

℣. 5. *Simeon & Levi vaſa iniquitatis bellantia.* Vide dicta ſuprà ad cap. Geneſ. 34. Porrò quid ſibi velit, quod pater in eos dicit v. 7. *Dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* vide Ioſue 19. & 21.

℣. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat.* Manifeſta eſt de Chriſto prophetia: Nam & Hebræorum plerique de Chriſto hoc teſtimonium accipiunt, & Chaldæus Paraphraſtes, illud, *donec veniat qui mittendus eſt*, expreſsè ita reddidit, *donec veniat Meſſias.* In captivitate quidem Babylonis finem habuit ſeries Regum Iuda: ſed tamen tunc adhuc fuerunt Judices populi ex hac ipſa tribu, ut ſignificatur Daniëlis 13. ac deinceps continuati ſunt hujuſmodi Judices ſeu Duces, ut conſtat ex libris Eſdræ, Machabæorum, & Ioſepho, uſque dum Herodes alienigena, primum quidem illud regnum invaſit, ſed ita tamen, ut, teſte Ioſepho, etiam conſentientibus Iudæis, tandem in eo confirmatus ſit. Significatur ergo quod tunc tempus erat expectandi Meſſiam hic promiſſum. *Reſpondent* Iudæi, quod tunc non venerit Ieſus Nazarenus, ſed aliquot annis poſt, atque ita ipſe non ſit Meſſias. Sed *Sciant*, id quod modicum eſt pro nihilo reputari: Aut ſi pertinaciter dicant in Herode non fuiſſe omninò ſceptrum de Iuda ſublatum, eò quòd tunc adhuc eſſet concilium ſupremum Sanedrim, ex hac ipſa quoque potiſſimùm tribu collectum; ſciant illud ipſum quoque, Chriſto jam-jam naſcituro, ſublatum: teſte Ioſepho *Senſus itaque eſt:* Non auferetur poteſtas regia à Iuda, niſi illi ſurrogetur (utpotè ex eadem tribu) excellentius regnum Meſſiæ in omnes gentes. Nempè pro eo quod hic dicitur: *Et ipſe erit expectatio gentium*, Aggæi 2. dicitur: *Veniet deſideratus cunctis gentibus.*

℣. 17. *Fiat Dan coluber in via*, Septuaginta habent *ἐγενήθη τῷ Δὰν ὄφις ἐφ' ὁδοῦ*, id eſt, *factus eſt ipſi Dan ſerpens in via:* ut non ipſe Dan comparetur ſerpenti, ſed potiùs pati dicatur ſerpentem. Sasbout in 14. Iſaiæ ſic intelligit, ut ſignificetur fortitudo ipſius Dan contra hoſtes, quam per colubrum putat ſignificari. Hinc impletum hîc multi volunt in Samſone, qui ſuis hoſtibus Philiſtæis fuit velut coluber in via, & ceraſtes in ſemita. Plerique tamen ad Antichriſtum referunt, & favere videtur Apocalypſis c. 7. ubi tribus Dan, inter electas tribus prætermittitur: quæ res ratione non caret. Ambroſ. lib. de benedict. Patriarcharum cap. 7. Non, inquit, Samſonem hæc prophetia, ſignificat, ſed Antichriſtum, qui futurus eſt ex tribu Dan.

℣. 27. *Beniamin lupus rapax.* Ad literam prædicitur bellicoſitas illius tribus, & victoriæ de hoſtibus: idque patet ex conſequentibus, quæ ſunt comedere prædam, & dividere ſpolia. *Rectè* rejicit Liranus expoſitionem Hebræorum de altari ſacrificiorum, quod fuit in tribu Beniamin, deque ſacrificio matutino & veſpertino. Quomodo enim hîc contemplatione de tribu illa dicitur, *quod ſit lupus rapax? quodque prædam dividat & comedat?* Aptiùs ſanè de tribu Levitica, cui cedebant hoſtiarum partes, id diceretur. Cæterum myſticus ſenſus eſt de Saulo, poſteà Paulo dicto, Beniaminicæ tribus: primum quidem *lupo rapace* id eſt, perſecutore: deinde verò *ſpolia dividente*; id eſt, verbi divini eximio prædicatore.

℣. 28. *Benedixitque ſingulis benedictionibus propriis.* *Quomodo* ſingulis ſeu unicuique propriis, cum Simeon & Levi fuerint conjuncti? & quomodo benedictionibus, cum iidem, atque etiam Ruben loco benedictionis reportarint maledictionem? *Reſpondeo*, idem eſt ſinguli, quod penè ſinguli. Nam exceptio tantum eſt in uno pari: quamvis ex conſequenti quoque ſinguli eorum aliquid peculiare habuerint, ut mox patebit. Porrò ſub benedictionibus etiam maledictiones Scriptura comprehendit, quaſi dicat; ſingulis dedit ſuas imprecationes, quæ in pleriſque erant benedictiones, non tamen in omnibus: tametſi quod de Simeone & Levi dicetur: (*Dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael*) quamvis maledictio ſit, ſi ſola ſpectetur felicitas temporalis: Deus tamen vertit in benedictionem, nempe quando tribus Levitica fuit evecta ad miniſterium ſacrum, & ſacerdotale, cujus ratione debebat per univerſam illam gentem diſpergi. Ex tribu autem Simeon fuerunt homines docti & periti legis, qui doctrinâ ſuâ populum inſtruxerunt: ideoque & ipſi diſperſi.

CAPUT L.

℣. 4. L*Ocutus eſt Ioſeph ad familiam Pharaonis.* Quare Ioſeph interpellat proceres & familiam Pharaonis, ut pro ſe ad Pharaonem loquantur, ut liceat ſibi ſepelire patrem in terra Chanaan, cum ipſe eſſet ſecundus in regno? *An hoc* modeſtiæ aſcribendum eſt? ſimulque ne præſumptione nimiæ authoritatis paternam cognationem ibi odioſam redderet? An fortè, paulatim ſuccedente tempore, & ceſſante adminiſtratione cibariorum, quam tempore famis habuerat, decrevit ei poteſtas apud regem & proceres, tanquam homini externo, cujus fratres eſſent ovium paſtores, Ægyptiis contemptibiles?

℣. 10. *Ubi celebrantes exequias, impleverunt ſeptem dies.* Suprà dicitur: *flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus.* Tametſi numeri hi in ſe conſiderentur, nihil virtutis habeant ad effectum aliquem vel corporalem, vel ſpiritualem conſequendum: certos tamen numeros ſcriptura nobis commendat propter ſignificationem, ut ternarium propter ſacroſanctæ Trinitatis myſterium, denarium propter decalogi præcepta, atque ita in aliis. Hoc igitur ratione Eccleſia Chriſti, certum dierum numerum obſervat in exequiis mortuorum, videlicet ſeptenarium & tricenarium, ſequens in hoc exemplo nobis commendanda in ſcriptura ſacra. Nam hîc loco, exequiarum Iacob ſeptem dies impleti leguntur. *Sic* & 1. Reg. ult. habitatores Iabes Galaad ſuper Saül & filio ejus exequias cum jejunio celebrarunt diebus ſeptem, ipſo David quoque eorum pietatem approbante. Et generaliter dictum eſt Eccl. 22. *Luctus mortui ſeptem dies.* Sed & de luctu triginta dierum tria reperiuntur teſtimonia. Nempè primum Numer. 20. Aaron à populo lugetur triginta diebus. Secundò totidem diebus lugetur Moſes Deut. ult. Ac denique quod hoc cap. v. 3. dicitur, de quadraginta diebus quibus Ægyptij condierant aromatibus corpus Iacob, ac immediatè ſubnectitur (*flevitque eum Ægyptus ſeptuaginta diebus*) ſic ſeparatim accipiendum eſt, ut ſicuti Hebræi ſe accomodatant mori Ægyptiorum in quadraginta diebus corpori condiendo deputatis: ita viciſſim Ægyptij ſecuti ſint morem Hebræorum, ut defunctum triginta diebus lugerent; qui ſimul efficiunt dies ſeptuaginta.

Porrò ſi ſignificatio utriuſq; numeri apud Hebræos venerabilis (ſeptenarij ſcilicet & tricenarij) requiratur: *ſeptenarius* requiem ſignificat mortuorum, quam illis viventes apprecantur: requievit enim Deus die ſepti-

ſeptimo. *Tricenarim* autem, qui eſt denarius ter ductus meritum quietia ſignificat ; videlicet obſervationem Decalogi per fidem Trinitatis. Cæterùm alios numeros ab iis qui exemplis ſanctorum aut Eccleſiaſticâ traditione approbati ſunt, in exequiis mortuorum obſervare, non caret periculo ſuperſtitionis.

℣.16. *Num Dei poſſumm reſiſtere voluntati?* Nequaquam hîc peccatum venditi Joſeph in Deum refertur, quod cap. 45. v. 5. ad ſimilem phraſim annotavimus. Quin apud Hebræos ſic ad verbum legitur: *Num pro Deo ego ſum?* Et apud Septuaginta. *Num Dei ſum ego?* Et eadem verba ſunt in Hebręo cap. 30. ubi Iacob Rachel dicenti, *Da mihi liberos, alioqui moriar*, reſpondet: *Num pra Deo ego ſum?* Et convenit etiam ibi ſenſua quem interpres hoc loco expreſſit: *Num Dei poſſumm reſiſtere voluntati?* Nam ſequitur, *qui privavit te fructu*

A *ventri*. Senſus ergo genuinus hoc capite eſſe videtur: Nolite timere, ne ego vindicem injuriam: veſtrum fuit malum, ſed Deus vertit illud in bonum: Itaque ego quoque paſcam vos, & parvuloa veſtros.

℣.23. *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea.* Rationem hujua præcepti vide apud Lyranum: tametſi quod ille addit Ioſeph ſperaſſe ſe reſurrecturum cum illis, qui tempore reſurrectionia Chriſti à morte ſuſcitandi erāt (id quod etiam ſuprâ de Iacob dixerat) vanum arbitror. *Alia etiam ratio dari poteſt*, ut filij Iſraël ſecum habentes oſſa Joſeph, cum præceptio ea transſerendi, quia Deus viſitaturus eſſet eos: ſemper illius promiſſionis memores eſſent, atque ejuſdem promiſſionis veluti pignus haberent illa oſſa: ut mirum non ſit ſemper oſſa Sanctorum Eccleſiam honoraſſe.

FINIS GENESIS.

ANNOTATIONES
IN EXODVM.

CAPUT PRIMUM.

℣.19. VEnite *ſapienter opprimamus eum*, *Sapienter*, id eſt, ſecundùm hominem, callidoque conſilio. Poteſt autem duobus modis intelligi, vel, ut conſilium tendat in finē oppreſſionis, ſitque ſenſua: Ineamus conſilium quo poſſimus hunc populum opprimere: vel rectiùs, ut conſilium tendat ad impediendam populi multiplicationem; quaſi dicat; opprimamus aliquo labore ac ſervitute populum ne multiplicetur, ac multiplicatua potentior nobis evadat. Sequitur enim; *Ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris.*

℣.17. *Timuerunt obſtetrices Deum, &c.* Pro *Deum* in Hebr. eſt *Elohim*, non *Iehova*; nec ideò tamen de falſis dijs, aut falſo quopiam Deo, id dictum putes. Non enim falſus Deua ædificavit eis domos, ſed verua Deus, de quo etiam ſub nomine Elohim, dicitur.

℣.20. *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.* Quæritur, quare benefecerit? Et videtur prima fronte hujus beneficij divini meritum fuiſſe pium ſeu officioſum mendacium, quo maluerunt fallere Regem, quàm innocentes perdere. Sed quæſtionem hanc clarè diſſolvunt verba ſequentia: *Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos.* Non ergo propter mendacium, ſed propter pietatem, miſericordiam, & timorem Dei acceperunt obſtetrices remunerationem à Deo. Unde Auguſt. lib contra mendacium cap. 15. Quod ſcriptum eſt, inquit, bene Deum feciſſe Ægypti obſtetricibus, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt, ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in iia remunerata fallacia, ſed benevolentia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sic ille. Et ſimilia habet Gregor. lib. 18. Moral. cap. 4.

Sed quæret aliquis, an hæ mulieres verum Deum timentes non fuerint juſtificatæ: quemadmodum Raab meretrix, ut de ea teſtatur Iacobus Apoſtolua cap. 2. non obſtante mendacio quo & ipſa uſa fuit, ut periculo eriperit exploratores populi Dei? Primum dico ſcripturam non negare juſtificatas fuiſſe obſtetrices,

A & ſi quis ita ſentiat non facilè poterit refelli; præſertim cùm id ex eo fiat probabile, quia ſcriptura paſſim in Pſalmis & alibi beatoa pronunciat eos qui timent Dominum, & timor Domini pro vera pietate plerumque ſumitur in ſcripturis. Nec dubium quin Dominum cognoverint aliquo modo, quem timebant, licèt dubitari poteſt an cognoverint ſufficienter ad juſtificationem. Certè Hieron. ſuper Pſalm. 65. dicit eis ædificaſſe domos id eſt, manſiones apud patrem; unde intelligit in eis meritum regni cœleſtia. Sed, quia alij aliter ſentiunt; ſecundo loco cauſa diverſitatis aſſignari poteſt, quòd Raab non timuerit tantùm Deum Iſraëlitarum, verùm etiam glorificavit eum propter opera quæ ab eo in populo ejus facta audiverat, adeò ut fidem ſuam declararet hoc Elogio Ioſue 2.
B *Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus in cœlo ſurſum & in terra deorſum*, id eſt, ipſe ſolus eſt Deus, omnium Dominus: quo verbo proteſtata eſt ſe relinquere omnem idololatriam, & unius veri Iſraëlitarum Dei cultum ex animo amplecti, & ab eo ſalutem expectare. At de obſtetricibus nihil tale legitur, ac fortè ita Deum Hebræorum timebant, ut tamen Ægyptiorum cultum non relinquerent; unde temporalem tantùm remunerationem pro humanitatis officio Scriptura memoravit.

Nec obſtat argumentum quòd timuerint Deum, & ideo beatæ fuerint juxta illud Pſalm. 127. *Beati omnes qui timent Dominum*: quia de filiali timore id dictum eſt; alioqui; & dæmones tremunt & contremiſcunt.
C Certè Gregor. affirmat eas mentiendo excidiſſe à mercede æterna, eò quòd mentitæ ſint pro vita ſua temporali quam perdere metuebant, ſi confeſſæ fuiſſent factum ſuum apud Regem. Sed hoc non conſtat. Vide noſtra in 3. diſt. 38. in fine, itemque comm. ad Hebr. 11. Iac. 2. & annot. Ioſ. 2.

℣. 21. *Ædificavit eis domos.* Non eſt hoc accipiendum de materiali extructione ædificiorum, ſed phraſi Scripturæ per domos familiæ intelliguntur. Sic domus Aaron, familia Aaron; domus Iuda, familia Iuda; domus David, familia David. Senſus ergo eſt: Deus fecit familias earum, prole numeroſas, eaſdemque locupletes & honorabiles: hæc enim ad felicitatem familiarum

miliarum pertinere putantur. Et ſimilis phraſis eſt Geneſ.30. ubi dicit Iacob ad Laban: *Iuſtum eſt igitur, ut aliquando provideam domui meæ:* ubi Septuaginta reddentes ad verbum quod eſt in Hebræo, ſic habent: *Nunc igitur, quando faciam & ego mihi ipſi domum?* quaſi dicat, quando ſtudebo provehendæ familiæ meæ? Hieron. ſuper Iſaiæ 65. dicit quòd Deus ædificavit obſtetricibus domos, id eſt, manſiones in cœlo. Sed è contra Gregor affirmat eas mentiendo excidiſſe à mercede æterna, eò quòd mentitæ ſint pro vitâ ſuâ temporali. Sed problematicè hæc diſputantur. Nam & Raab meretrix mentita eſt, Ioſue 2. & tamen laudatur, Iacob. 2. Vide in 3. ſentent. diſt. 38. A

CAPUT II.

℣.1. **E***Greſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi, & accepit uxorem. Quæritur*, ſi poſt edictum illud pater Moſis primùm acceperit uxorem, quomodo non æquè difficile fuerit, ſervare fratrem ejus Aaron atque ipſum Moſem; *Reſpondeo* illud (*poſt hæc*) neque eſſe in Hebræo, neque apud Septuaginta. Secundum noſtram autem verſionem, ſignificare poteſt ordinem narrationis, non rei geſtæ. B

Et accepit uxorem ſtirpis ſuæ. Hebr. *filiam Levi*. Hæc erat Iochabed, de qua dicitur cap. 6. v. 20. *Accepit autem Amram uxorem Iochabed patruelem ſuam, quæ peperit ei Aaron & Moyſen*. Ex quo conſtituunt multi Iochabed non immediatè genitam ex Levi, ſed ejus fuiſſe neptem. Nihilominus Num. 26. dicitur Amram habuiſſe uxorem Iochabed, *filiam Levi, quæ nata eſt ei in Ægypto:* quâ adjectione (*quòd nata ſit ei in Ægypto*) volunt alij eam fuiſſe immediatè filiam Levi, ac proinde amitam mariti ſui Amram. De quibus prolixè diſputant Liranus, Burgenſis, & Replicator: illos qui vult adeat. Interim ſervit hæc *res ad quæſtionem illam An diſpenſari poſſit æquè in* matrimonio *amitæ cum nepote*, ſicut diſpenſatur in matrimonio *patrui cum nepte*. De quo vide Scholaſticos in 4. ſent. itemque alios tractantes de impedimentis matrimonij. C

℣.9. *Adultumque tradidit filiæ Pharaonis*. Hinc manifeſtum eſt, Moyſem non ignoraſſe ſe eſſe Hebræum & non Ægyptium: educatus eſt enim à matre ſua uſque ad adultam ætatem, ac tum demum redditus filiæ Pharaonis, quæ eum accepit ut filium ſuum adoptivum. Adoptaverat enim ſibi eum ſingulari beneficio tollens ex aqua, in qua erat alioquin moriturus. At nullo modo exiſtimandum quòd illa ſe geſſerit pro matre naturali Moyſi, dicens illum ex ſe genitum eſſe, tum quia conſtat eam non peperiſſe hunc puerum, tum quia ſe ipſam hoc pacto magnâ infamia affeciſſet, quod filium vel extra matrimonium, vel ex alio, quàm marito ſuſcepiſſet. Unde & Scriptura dicit quòd *eum adoptaverit*. Hinc etiam refellitur figmentum Hebræorum de Moyſe infante, qui coram Pharaone carbonem in os ſuum injecerit; unde lingua ei facta fuerit blæſa & impedita. Quomodo enim hoc ei infanti apud Pharaonem accidit qui ſtatim de aqua redditus matri & ab ea nutritus eſt uſque ad adultam ætatem? Conferendus eſt autem hic locus cum loco ad Hebr. 11. ubi dicitur, quòd Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis. Non enim ſenſus eſt, quòd Dei revelatione cognoverit ſe non eſſe filium filiæ Pharaonis (hoc enim ſine dubio à matre didiciſſe videtur) ſed quòd contempſerit adoptionem illam, malens publicè haberi Hebræus & contemptibilis, quàm filius reginæ, aut filiæ regis. Nam non obſtante tam præclara adoptione, ſe publicè profitebatur Hebræum eſſe, licet inde ſciret periculum fore ne cum reliquo populo in duram ſervitutem luti & lateris redigeretur. Verùm quomodo intelligendum ſit quod ibidem Apoſtolus Hebr. 11. addit. *Non timens animoſitatem Regis*, Vide ibid. & infrà v. 14. ad illa verba velut contraria: *Timuit Moyſes, &c.* D E

℣.12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*. De hoc facto quærit Auguſtin. utrum indoles tantùm in eo laudabilis fuerit, quâ hoc homicidium Moyſes commiſit, an omninò ipſum factum à juſta reprehenſione quoque vindicari poſſit? Verſans hanc quæſtionem Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 70. dicit: Conſultâ illâ æternâ lege, reperio non debuiſſe hominem, ab illo qui nullam ordinariam poteſtatem gerebat, quamvis injurioſum & improbum occidi. Verumtamen, inquit, animæ virtutum capaces ac fertiles præmittunt ſæpè vitia, quibus hoc ipſum indicent, cui virtuti ſint potiſſimùm accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ. Laudat igitur ibi Auguſt. indolem, volentis defendere proximum & ab eo arcere injuriam: ſed factum ipſum velut inordinatum non laudat. Idem *tamen* Aug. in quæſt. in Exodum, indicat quomodo etiam factum ipſum defendi poſſet. Putabat enim Moyſes, ſicut Stephanus Act. 7. v. 25. dicit, intelligere fratres ſuos, quòd per eum Deus daret illis ſalutem. Quo teſtimonio ſignificatum videtur Moyſem jam ante fuiſſe divinitus admonitum de ſuſcipienda præfectura ac defenſione filiorum Iſraël. *An* dici poteſt, Moyſem hoc feciſſe propter neceſſariam defenſionem fratris Hebræi, ut qui Ægyptium volentem interficere Hebræum innocentem, aliter repellere non potuerit? Non eſt neceſſe eò confugere. Vide annot. Art. 7.

℣.14. *Timuit Moyſes, & ait: Quæritur*, quomodo hoc conſiſtat cum eo quod de eodem Moyſe dicitur Hebr. 11. *Non timens animoſitatem Regis?* Liran. ſuper cap. 4 Exodi declarare conatur ex quadam fabula Judaica. *Sed idem* Liranus ſuper Hebr. 11. aliter conciliat. Dicit enim Apoſtolum non loqui de fuga ejus ex Ægypto, poſtquam occiderat hunc Ægyptium; ſed de diſceſſu ejus cum toto populo in deſertum. Theophyl. Oecumenius, & alij Græci hoc modo exponunt: *Non veritus animoſitatem Regis*, ſcil. quo minus poſteà in Ægyptum rediret: & quo minus, etiam cùm fugam iniret, in vicinia morari auderet. Gagnæus utrumque refert ſenſum, præferens quod dicit Liranus. Vide noſtrum comment. ad Hebr. 11.

℣.16. *Erant autem ſacerdoti Madian ſeptem filiæ*. Utrum idolorum ſacerdos hic fuerit, an veri Dei, cujus certè notitiam à majoribus ſuis accepiſſe poterat (nam Madian Abrahæ filius fuit ex Cetura conjuge) Vide annotat. infrà cap. 18. Vide etiam latè diſſerentem de hac re F. Moncæum de Apparitione in Rubo c. 2. ubi bonis argumentis contendit veri Dei ſacerdotem fuiſſe.

℣.22. *Eliezer, dicens; Deus enim patris mei, &c.* Illa poſtrema verba in Hebræo & Chaldæo, & nonnullis MSS. Latinis hoc loco non habentur, tranſlata autem huc videntur ex c. 18. v 4.

CAPUT III.

℣.2. **A***Pparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio Rubi*. Totum hoc factum eſt *Angeli* miniſterio, qui & voces formavit, quas hic Dominus cum Moyſe locutus fuiſſe legitur. Disertè dicit hoc S. Stephanus Actor. 7. ſcil Angelum Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſſe, & eundem Angelū Moyſi ducem fuiſſe in liberatione populi ex Ægypto. *Et ſimiliter* cenſendum eſt de aliis apparitionibus Domini, quas factas legimus ſanctis Patriarchis & Prophetis: quod & expreſſè in Geneſi habemus de Abrahā, & Iacob, quòd Angeli eis apparētes, in perſona Dei eos fuerint allocuti. *Euſebius quidem* Cæſarienſis in procœmio Hiſtor. Eccleſ. & alibi, aliique Græci dicunt Chriſtum Moyſi, aliiſque patribus apparuiſſe, id eſt, filium Dei in ſpecie humana, ſcil. eâ quam erat aliquando aſſumpturus: non quidem negantes Angelico miniſterio totum hoc factum, ſed exiſtimantes Angelum humano ſchemate aſſumpto repræſentaſſe non totam Trinitatem, ſed ſolùm perſonam filij Dei. Quod quidem non eſt improbabile.

probabile. Vide annotat Dan. 3. & noſt. comment. 1. Corinth. 1. v. 9.

Et videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Rubus ardens, nec combuſtus, quid myſticè ſignificet, Eccleſia nos docet, dum ita Virginem Deiparam cantando alloquitur: Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem Virginitatem. Arſit enim & non eſt combuſta, quando de Spiritu ſancto ſine libidine carnis, & ſine corruptione integritatis Deum concepit.

ỳ. 5. *Ne appropies huc ſolve calceamentum.* Ratio ſequitur. *Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Ideò *ſancta, quia per hanc* apparitionem præſentiam meam hic exhibeo. *Sic* Arca ſancta & propitiatorium, quia illic præſentiam ſuam Deus ſingulari modo exhibebat, dans ex eo loco reſponſa, nec non preces votaque ſacerdotis illuc ingredientis exaudiens. Jubetur itaque ſolvere calceamentum de pedibus ſuis, ob venerationem loci. Nam calcei, quibus aſſiduè terra calcatur, ſordidi eſſe ſolent, ideoque ad venerationem terræ ſanctæ pertinet, exutis calceis, nudiſque pedibus eam calcare.

Sed dupliciter accipi poteſt, quod dicitur: *Ne appropies huc, ſolve calceamentum. Primò* ut ſit ſenſus: Ne appropies huc priuſquam ſolveris calceamentum de pedibus tuis. Altero modo; Ne omninò propiùs accederet, ſed à longè audiret Dominum loquentem: & nihilominus, ut eo loco ubi ſtabat ſolveret de pedibus calceamenta. *Sed prior ſenſus magis* congruit: quia non appatet totum illud Moyſis cum Deo colloquium à longè habitum fuiſſe. Et magis conſentaneum eſt, ut juſſus fuerit exuere calceos propter locum, ad quem ibat, quàm in quo calceatus jam ſtabat: quamvis & ille ſuo modo ob præſentiam Domini ſanctus erat. Similia verba ſunt Ioſue 5. Cæterùm aliter res ſe habet in manibus quàm pedibus. Nam quia res omnes promiſcuè ſolemus manibus contrectare, ideò eas quaſi immundas abſtinere ſolent homines, præſertim Laici, à contrectatione rerum ſacrarum, ut reliquiarum, calicis, & ſidonis in quibus conſecrantur ſanguis & corpus Domini: & ſi quid horum fortè contingendum eſt, linteo aut ſudario interpoſito id faciunt; rectè arbitrantes hujuſmodi obſervantiam ad illarum rerum venerationem pertinere.

ỳ. 14. *Ego ſum qui ſum.* In Hebræo hic habetur verbum futuri temporis: rectè tamen tam 70. Interpretes quàm Hieronymus reddiderunt tempus præſens. Eſt enim Hebræis familiare futurum tempus veluc commune, pro aliis, & maximè præſenti uſurpare. Significatius quoque id à Septuaginta redditum eſt, qui participio præſenti articulum præfixerunt ὁ ὢν, quaſi dicat, *Ille ens. Atque* ex hoc Scripturæ loco probat Damaſc. lib. 1. Orthod. fidei cap. 12. omnium nominum, quæ de Deo dicuntur, principaliſſimum hoc eſſe, quod jam diximus. *Idipſum* Chriſtus in Evangelio ſignificavit, quando Judæis ſuam divinitatem volens inſinuare, præſenti tempore ejuſdem verbi uſus eſt, cùm de præterito, ſecundùm noſtrum intelligendi modum loqueretur; dicens. Ioan. 8. *Antequam Abraham fieret, ego ſum. Adde* quòd Iob ſemel & iterum ſoli Deo tribuit *eſſe*, ut cap. 14. *Nonne tu qui ſolus es?* & cap. 23. *Ipſe enim ſolus eſt. Dei ergo primarium* nomen eſt, *Ego ſum qui ſum:* inprimis quia nulli creaturæ poteſt ullus eſſendi modus tribui, quantumvis imperfectus, niſi Deo dante & conſervante: *tum* etiam modus eſſendi Dei tam perfectus eſt, & per omnia immutabilis, ut reliqua omnia, utpotè mutationi alicui ſemper ſubjecta, ejus reſpectu quaſi non ſint, & nihil reputentur. Iſaiæ 40. Dan. 4. & alibi. *Dicitur* tamen & (*Bonum*) primarium nomen Dei, juxta eundem Damaſcenum & Dionyſium: ſed quatenus ſe diffundit extra, præbetque ſe participandum creaturis. Vide etiam plura, ſi placet, in 1. ſent. diſt. 8.

CAPUT IV.

ỳ. 3. P*Rojecit* (ſcilicet virgam) *& verſa eſt in colubrum.* Vide Annot. infrà cap. 7.

ỳ. 6. *Quam cùm miſiſſet in ſinum, protulit leproſam.* Allegoricè ſignificatur, quod multi qui ſibi mundi videntur, ſi manum in ſinum mittant, id eſt, ſi diligenter animæ ſuæ latebras ſcrutentur: inſtar nivis tetrahent illam leproſam, id eſt, invenient magnam immunditiē; maximè, ſi operum ſuorum ſcrutentur intentionem. Iterum autem, ſi manum ſuam in ſinum mittant, id eſt, ſi iterum atque iterum hoc pacto ſuam ſcrutentur conſcientiam: tandem proferent eam mundam & ſimilem carni reliquæ: id eſt, ſcrutando mundabunt conſcientiam ſeu animam ſuam, ut ſimilis ſit animabus ſanctis, quæ ſunt in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, Deoque ſervient in rectitudine & ſinceritate cordis, ut impleatur illud Pſal. 118. *Cogitavi vias meas & converti pedes meos in teſtimonia tua:* & illud Pſalm. 76. *Meditatus ſum nocte cum corde meo; & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.*

ỳ 10. *Obſecro Domine, non ſum eloquens ab heri & nudiuſtertius, & ex quo locutus es.* In eo quod ait, (*ab heri & nudiuſtertius*) non ſignificat ſibi recenter accidiſſe tarditatem & impedimentum linguæ; ſed phraſi Hebraica indicatur eum à prima ætate non fuiſſe eloquentem. *Ac præterea,* quòd additur (*Et ex quo locutus es ad ſervum tuum impeditioris & tardioris linguæ ſum*) quidam ſic exponunt: poſtquam apparuiſti mihi & locutus es mecum, etiam multò magis impeditæ linguæ eſſe cœpi; idque idcircò quòd homo ex præſentia divinæ Majeſtatis debilior reddatur, ſicut Dan. dicit c. 3. *Domine in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium.* Alij quoque ſic interpretantur: Ex quo locutus es mecum etiam ipſe intelligere potuiſti me minimè eſſe eloquentem.

Sed *quæritur*, verè, an falsò hæc prætexuerit Moyſes? Quod falsò, ſignificare videtur Stephanus Act. 7. v. 22. ubi dicit: *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientiâ Ægyptiorum, & erat potens in verbis & in operibus ſuis.* Sed *Reſpond.* id dici à Stephano, quia erat homo magnæ authoritatis, cujus verba magni faciebat rex, & qui in opere prudenter & laudabiliter ſe gerebat, ut qui à filia regis fuiſſet adoptatus, inſtructuſq; in omni ſapientia Ægyptiorum. Nihilominus impeditæ eum fuiſſe linguæ ſatis ex eo patet, quod cum Moyſes c. 6. iterum atque iterum v. 12. & 30. diceret ſe incircumciſum eſſe labiis, Dominus capite ſequenti v. 1. & 2. ſic reſponderit Moyſi: *Aaron frater tuus erit Propheta tuus: tu loqueris ei omnia quæ mandabo tibi, & ille loquetur ad Pharaonem.* Et ſimilia habentur hoc cap. 4. v. 16.

ỳ. 14. *Iratus Dominus in Moyſen. Quæritur* quomodo iratus, cum nec punierit, nec etiam legatur quicquam comminatus ei fuiſſe; *Reſpondeo,* iram Deo attributam ſignificare aliquid, quod in homine ſolet eſſe iræ effectus, cujuſmodi non tantum eſt vindicta, punitio, comminatio, verumetiam ſermo durior, cujuſmodi eſſe ſolet hominis iraſcentis. Itaque intelligendum verba Dei quæ ſequuntur durius prolata fuiſſe, tanquam ab irato, propter obſtinatam Moyſis tergiverſationem. *Eſt & circa* hunc locum & præcedentem notandum, rectè quidem Moyſem deprecari arduam legationem ad quam vocabatur. (Id enim humilitatis eſt.) In ea autem deprecatione cum pertinacia perſiſtere, non rectè eum facere. Unde & iram Dei adverſum ſe provocavit. Quo exemplo monentur omnes, quotquot ad paſtoralem functionem vocantur (quam Apoſtolus legationem vocat Dei nomine ſuſceptam) ne cum pertinacia reſiſtant hujuſmodi vocationi, ne quidem prætextu defectus eloquentiæ, aut ſcientiæ. Quâ in re acquieſcere potius debent judicio eorum à quibus legitimè vocantur, quàm proprio.

℣.19. *Mortui ſunt enim omnes qui quærebant animam tuam.* Notandum eſt quòd omnes ſuperiores excuſationes Moyſis procedebant ex humilitate:eo enim ſpectabant ut declararetur ejus ineptitudo ad illam legationem. Neque enim allegabat oneris & laboris magnitudinem,neque etiam periculum ſuum, ut qui propter occiſum Ægyptium fuiſſet à Rege quæſitus ad necem. Hæc enim mala facilè ex charitate poſthabuit ſaluti populi, tantumque verebatur, ne parum aptus eſſet ad rem tantam quam Dominus ei volebat imponere,quod erat humilitatis. Quoniam ergo ipſe per ſe nullam ſui periculi fecerat mentionem, Dominus conſolari & animare eum volens, ſponte eum certiorem facit de morte eorum qui ipſum ad mortem quæſierant;nempè ut ſic timorem omnem,qui adhuc reſidere in animo ejus poterat, abſtergeret.

℣.22. *Filius meus primogenitus Iſraël. Dimitte filium meum,ut ſerviat mihi.* Huc alludit Dominus Oſeæ 11. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, & ſublimiori ſenſu etiam Matth. 2.

℣.24. *Occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Eum,non infantem, ut apparet (nam nihil de infante præceſſit) ſed *Moyſem*, ob non circumciſum infantem. *Volebat* autem voluntate ſigni, quæ eſt præparationis, dum fit aliquid quod ſolet eſſe prævium ad aliud quod velle dicimur. Quidam dicunt ſubitò in itinere correptum fuiſſe graviſſimo morbo, ex quo videretur ſtatim moriturus: *ſed* ſimplicius eſt, ut intelligatur Angelus Dei viſibili atque terribili ſpecie apparuiſſe, deſignatoque non circumciſo puero, mortem Moyſi fuiſſe minatum.

℣.25. *Et circumcidit præputium filij ſui,tetigitque pedes ejus,& ait: Sponſus ſanguinum,&c.* Hebr.eſt; (*& tangere fecit pedes ejus,*) id eſt projecit præputium ante pedes ejus, fortè præ indignatione, quòd mariti cauſa cogeretur filiolum ſuum tam durè tractare. Non intelliguntur ergo pedes pueri, nec ille vocatur ſponſus ſanguinum, quaſi qui ex vulnere circumciſionis mortuus fuerit, nam uterque filius Moyſis adhuc vivit, cap. 18. v.3. ſed intelliguntur pedes Moyſis,& illũ vocat ſponſum ſanguinum: quòd ut illum à morte redimeret, tenerum filiolum Eliezer circumcidere ſubitò coacta eſſet;nempe Gerſam majore jam antea in terra Madian circumciſo.

℣.26. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat.* Dimiſit ſcilicet Sephora Moyſem, revertens ad ſuos; non tamen ſine voluntate Moyſis. Nam infrà cap.18. v.2. dicitur Moyſes eam remiſiſſe. Intelligebat enim uxorem cum filiis ſibi fore impedimento ad opus graviſſimæ ſuæ legationis, ac negotij difficillimi, tum apud Pharaonem, tum apud populum Iſraël. Remiſit autem ad tempus tantummodo, ut patet ex cap. 18. ne quis hic repudium ſuſpicetur.

CAPUT V.

℣.3. *VT eamus viam trium dierum in ſolitudinem.* Hinc apparet quòd mons Sina tantùm diſtabat ab Ægypto itinere trium dierum, licet longiore via per mare rubrum eò ductus fuerit populus, infrà cap. 13.

Vt ſacrificemus, —— ne fortè accidat nobis peſtis aut gladius. Nota,ſi vetera ſacrificia valebant ad debellanda mala hujuſmodi; multò magis ad hoc valebit Sacrificium Altaris in novo teſtamento.

℣.19. *Videbantque ſe præpoſiti filiorum Iſraël in malo.* Rectè (*in malo*) in ablativo caſu,non (ut alij legunt) in accuſativo. Nam ſuffragantur Hebræa, Græca & Rabanus. Senſus eſt: Videbant ſe in malo, id eſt, in anguſtiis conſtitutos, ex quibus ſe exitum invenire poſſe diffidebant. Quaſi enim impoſſibile videbatur, implere conſuetum numerum laterum,paleis more cõſueto non ſubminiſtratis. Unde cogebantur operarij rigi-

A diſſimè exigere, & crudeles eſſe in ſuos;quòd ni facerent,flagellabantur ipſi ab exactoribus Pharaonis.

CAPUT VI.

℣.3. *ET nomen meum* ADONAI *non indicavi eis.* In Hebræo ſic legitur: *Ego Iehova, Et apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo Sadai, & nomine meo Iehova non fui notus illis.* Eſt igitur loco (ADONAI) nomen tetragrammaton (IEHOVA) Sed quia illud ob reverentiam ineffabile habebatur apud Iudæos,ideò & hic quoque ſubſtitutum eſt ab interprete nomen Adonai,quod ipſum & Iudæi faciunt, quotieſcumque inter legendum occurrit nomen tetragrammaton.

Sed *Quæritur* quomodo in hoc nomine Deus non fuerit notus Abrahæ, Iſaac, & Iacob; cùm Geneſ.15. B ubi Deus legitur dixiſſe ad Abraham; *Ego ſum Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum*, in Hebræo ſit, *Ego ſum Iehova? Reſpondent* quidam, nomen quidem illud fuiſſe priſcis patribus revelatum, quantum ad ſonum vocis,non autem vim & ſignificatum ejus. Sed improbabiliter hoc dicitur. Inutile enim videtur nomẽ revelare, cujus ſignificatio non intelligatur. *Alij* proinde rectiùs,quod hic dicitur, referunt, non ad vocabulorum ſignificationem, ſed ad declarationem rerum ſignificatarum. Nam (*Saddai*) ſignificat *Omnipotentem*, vel ſufficientem: (*Iehova*) autem eum *qui eſt*, & eſſe facit. Illud potentiam ſolam ſignificat; hoc autem actum & effectum potentiæ importat. *Senſus igitur eſt:* Apparui priſcis patribus in Deo omnipotente, id eſt, ſatis declaravi illis me eſſe omnipotentem, & omnium C rerum Dominum, qui poſſem eis omnia quæ vellem abundè largiri; At in nomine meo (*Iehova*) non fui notus illis, id eſt, nondum illis exhibui effectum meæ potentiæ. Reſpicit aut ad promiſſionem terræ Chanaan: illam enim patribus promiſerat,ſed nunc tandem per Moyſem præſtiturus erat: quò ſpectat illud quod additur: *Pepigique fœdus cum eis,ut darem eis terram Chanaan.* *Alij* referunt admirabilia Dei opera,quæ per Moyſem Deus fecit, partim in Ægypto,partim in deſerto,qualia vix ulla fecerat tempore Patriarcharum qui tamen nihilominus eum credebant omnipotentem. Vide etiam infrà cap. 28. v. 30. & noſtra in 1. ſent. diſtinct.8.

℣.20. *Accepit autem Amram uxorem Iochabed patruelem ſuam.* Vide ſuprà c.2.v.1.

D ℣.23. *Accepit autem Aaron uxorem Eliſabeth.* Aaron de tribu Levi erat,Eliſabeth de tribu Iuda, utpotè ſoror Naaſſon,ut hic additur: Neq; in ea re peccavit Aarõ, quod de aliena tribu acceperit uxorem: tum quod nondum lex eſſet data,quæ præcipit,ut de ſua quiſque tribu uxorem acciperet, tum quod hæ duæ tribus Levitica & Iuda, jam inde ab initio ſpeciali privilegio miſcebantur, ut intelligeretur Chriſtus, qui inde naſciturus erat,& Rex futurus & Sacerdos: Altera enim ſacerdotalis erat,altera regalis. Vide Num.36.

CAPUT VII.

℣.1. *ECce conſtitui te Deum Pharaonis.* Nempè ſicut E Deus eſt dominus vitæ & mortis,& ſicut in manu ejus eſt ſalus & perditio hominum: ita Moyſi datum eſt ut poſſet occidere & vivificare Pharaonem, & populum ejus, id eſt, plagas inferre & auferre. Sic Iſaiæ 41. Dei proprietas ſignificatur,cum dicitur: *Benè quoque aut malè, ſi poteſtis,facite; & ſciemus,quia Dij eſtis vos.*

℣.10. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone. Quæritur*,quando virga converſa eſt in ſerpentem,& iterum ſerpens in virgam, ut habetur capite 4. ac tertiò (quod hic narratur) rurſum virga in ſerpentem,& ſerpens in virgam: An redierit eadem numero virga,& idem numero ſerpens; *Reſpondeo, de ſerpente* non admodum referre utrum dicatur; neque enim Scriptura uſquam

inſinuat

inſinuat eundem numero ſerpentem fuiſſe? *At de virga* illud teſtatur, tum hoc capite ubi dicitur v. 15. ad Moyſem: *Virgam quæ converſa eſt in draconem, tolles in manu tua,* tum cap. 4. v. 17. ubi definitè de una virga dicit Dominus ad Moyſem. *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.* Unde liquet quod ea quam è Madian attulit, poſteà in Ægypto verſa ſit in ſerpentem; & eadem numero ex ſerpente reſtituta eſt virga, ut per eam reliqua quoque ſigna fierent, quæ adhuc narrantur hoc cap. & ſeqq. *Atque ex his* oſtenditur *Deum poſſe eandem rem numero corruptam reproducere.*

℣. 12. *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ converſæ ſunt in dracones, ſed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Quod Moyſes & Aaron *verè* fecerunt per miraculum, hoc Magi Pharaonis *apparenter tantùm* fecerunt per incantationem. Non eſt enim putandum, quemadmodum dicit S. Auguſt. lib. 13. de Trinitate, iſtis transgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam, ſed ſoli Deo. Non igitur putandi ſunt Magi virtute diabolica ſubitò virgas in ſerpentes commutaſſe (neque enim extendenda eſt ſine cauſa permiſſio illa, quam aliquando Deus dæmonibus facit:) *ſed* exiſtimamus, dæmones virgas à Magis projectas, faſcinatis aſtantium oculis, ſubitò abſtuliſſe, & in earum locum ſerpentes aliundè acceptos ſubſtituiſſe. *Ne tamen* per hujuſmodi incantationem fraus fieret vero miraculo, quod per ſervos ſuos Dominus operabatur; *duobus modis* declarare Dominus voluit, verum eſſe quod per Moyſem & Aaron agebatur, falſum & illuſorium quod per Magos, primò, quia virga Aaron devoravit virgas Magorum, deinde, quia in tertio ſigno impedita eſt operatio dæmonis, ne ſimile quid facere poſſet. Addi poteſt *tertia ratio*, quia quod factum fuerat à viris Dei, deſtruere & abolere non potuerunt Magi, ſed ad hoc impetrandum, Pharao implorabat opem Dei per viros Dei. Imò cap. 9. dicitur ipſos Magos ſtare non potuiſſe coram Pharaone propter ulcera. Dicitur autem *virga* Aaron devoraſſe virgas Magorum, quia ſerpens in quem virga Aaron converſa fuerat, devoravit ſerpentes eorum: ex quâ locutione oſtenditur contra hæreticos ſectarios rectè poſt conſecrationem corpus Chriſti panem vocari, etiamſi natura panis jam transmutata ſit in aliud; maximè cum exterior panis ſpecies remaneat, quòd in hac converſione non fuit, cumque etiam virtus & operatio panis perſeveret.

D. Thomas quidem 1. p. q. 114. art. 4. dicit Magos Pharaonis per virtutem dæmonum veros ſerpentes & ranas feciſſe, & idem habet 2. 2. q. 178. art. 1. ad 2. itemque alij ipſum ſecuti. Sed non eſt credibile; tum ob jam dicta, tum ob rationes ſequentes. Si enim naturaliter arte dæmonum hujuſmodi generatio ſerpentum ex virgis fieri poſſet: multò magis id dæmones facere poſſent ex ſerpentibus mortuis, quia diſpoſitiones ibi ſunt propinquiores, accedente etiam membrorum omnium compoſitione, & ita ſerpentes mortuos vivificare. Etenim quis non judicet facilius eſſe ut ſerpens mortuus fiat ſerpens vivus, quàm ut lignum aridum in vivum ſerpentem convertatur? Item ſi dæmones poſſunt ita repentè lignum aridum mutare in ſerpentē; poterunt etiam facere ut lignum aridum floreat, quod tamen pro magno miraculo factum eſt in virga Aaron, licet non fuerit factum in inſtanti. Item lignum non eſt aliquid ſeminale reſpectu ſerpētis, nec in eo eſt ratio ſeminalis ad ſerpentem, ſed benè ad vermes, qui ex ligno putrefacto naſcuntur, quod tamen nō poteſt fieri repentè ſed juſta ſucceſſione temporis. Et quidem ſemina à dæmonibus adhibita poſſent verti in ſerpentes, licet nō ita ſubitò, ſed ut ſemina adhibita faciant lignū verti in ſerpentes, ratio naturalis non patitur. Item ſi dæmones ex ligno arido poſſunt facere ſerpentes ita ſubitò; po- A terunt ex quocumque alio corpore corruptibili, ut ex lapide, ex libro, ex cultro &c. Sed hæc ſunt abſurda. Item dæmones non poſſunt equum mortuum vivificare, multò minùs aridum lignum vertere in vivum ſerpentem.

Non poteſt etiam dici, quòd Magi tantùm illuſerint ſenſibus, ita ut ſerpentes apparerent qui non erant: quia ſerpens ſerpentes devoravit, non autem virgas ſeu baculos, ſicut piſces magni devorant parvos. Nam baculos à ſerpente devorari, quamvis Deo ſit poſſibile; naturaliter tamen fieri nequit; ut autem draco magnus devoret minores, fit naturaliter; non ſunt autem multiplicanda miracula ſine neceſſitate. Item non eſt putandum quod magi vel dæmones fuerint permiſſi B illudere ſenſibus Moyſi & Aaronis: ut pro baculis viderent ſerpentes; nam ſi dicas eos non aliud quàm baculos vidiſſe, debuiſſent indicare adſtantibus impoſturam illuſionis. Porrò interpretatio qua virgæ dicuntur verſæ, id eſt, commutatæ ſuppoſitione unius pro alio, non eſt aliena à loquendi conſuetudine ſcripturæ. Sic enim dicitur Iob 38. *Converſa eſt in luctum cithara mea*, quia videlicet gaudio luctus ſucceſſerat. Sic 2. Reg. 19. *verſa eſt victoria in luctum.* Ioan. 16. *triſtitia veſtra vertetur in gaudium*, & Thren. 5. *verſus eſt in luctum chorus noſter.* Nec propterea quia rectè dixerit, quod ſuprà dictum eſt, virgam Aaronis verſam fuiſſe in colubrum, ſimiliter poſſe intelligi. Nam ſcriptura apertè monſtrat diſſimilitudinem, cùm dicit iſtos magos per incantationes & arcana quædam feciſſe simili- C ter.

Sed devoravit virga Aaron virgas eorum. Scilicet Magorum. Per hoc *myſticè* ſignificatur exponente D. Bernardo ſerm. 3. de Aſcenſione Domini, quòd Chriſtus per ſerpentem in deſerto exaltatum ſignificatus, abſorbet & conſumit omnes carnales affectiones & delectationes noſtras, & ſerpentinas ſuggeſtiones.

℣. 20. & 22. *Quæ verſa eſt in ſanguinem — feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis*, hoc intelligendum ſicut alterum ſuperius, quia poterant dæmones aliundè aſſumere ſanguinem animalium occiſorum, & ponere in aqua vel loco aquæ, quæ erat coram Pharaone. Nam verum ſanguinem qui naturaliter non fit niſi in corpore animalis, quomodo D dæmones ex aqua repentè facere potuiſſent? Sed Deus ſicut veram pituitam aut choleram, ita verum ſanguinem ex aqua producere poteſt: poteſt enim nutu voluntatis ſuæ quidvis in quodvis convertere. Nota etiam quòd cùm hîc & ſuperiùs dicitur, *incantationibus ſuis*, ſignificatur aliqua mora temporis in faciendo, quia incantationes magicæ moram habent.

CAPUT VIII.

℣. 12. E*T clamavit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, quam condixerat.* Hinc diſce quòd certitudo de effectu non repugnat orationi, quâ quid à Deo petitur. Nam Moyſes certus erat, ut patet E ex his verbis & præcedentibus. Et niſi certus fuiſſet, ſtultè promiſiſſet, & cum periculo gloriæ Dei, quia dixerat v. 10. *Iuxta verbum tuum faciam, ut ſcias quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter.*

℣. 16. *Et fiunt ſciniphes in univerſa terra Ægypti.* Græcè σκνῖπες Hebraicè *chimin.* Vide ſcholion Vatabli, qui adſert tres expoſitiones hujus vocabuli. Tertia eſt veterum Hebræorum, qui dicunt ſignificari pediculos. Et ita habet verſio apud Vatablum. Ita quoque Pagninus vertit, approbante Aria Montano.

Et fiunt ſciniphes in univerſa terra. Quæritur quare ante hanc plagam ſciniphum non fuerit præmonitus Pharao, ut ante cæteras, tam ſequentes plures quàm præcedentes? *Reſpond.* ante plagam tenebrarum non legitur etiam Pharao præmonitus: ut nec ante plagam interfectionis primogenitorum. Et cauſam reddunt

D non-

nonnulli, quòd indignus eſſet toties commoneri. Sed illud ſonat, quaſi priùs fuerit dignus; cùm tamen Scriptura ubique dicat eum habuiſſe cor induratum. *Itaque* potiùs dicendum videtur, Pharaonem ante hanc quoque ſcyniphum plagam fuiſſe monitum: quod etſi non apertè dicat Scriptura, ſubindicat tamen; quia ex contextu colligitur hoc ſignum factum fuiſſe coram Pharaone adſtantibus maleficis, ut & tria præcedentia. Nam magi ſtatim imitari volentes, quod à Moyſe factum fuerat; cùm non poſſent, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic.* Plaga quoque tenebrarum, quamvis id Scriptura taceat, dici poteſt, monito prius Pharaone, immiſſa fuiſſe, maximè, quia poſt eam dixiſſe legitur Pharao ad Moyſem; *Recede à me, & cave ne ultra videas faciem meam: quacumque die apparueris mihi, morieris.* Hinc enim apparet Pharaonem à Moyſe fuiſſe coràm admo-B nitum de præcedentibus omnibus, ac nominatim de proximâ, quæ erat tenebrarum plaga. Et è contra ex iiſdem verbis clarum eſt, quare de poſtrema, quæ fuit interfectionis primogenitorum non fuerit Pharao præmonitus, videlicet, quia cum interminatione mortis vetuerat Moyſem ultra ad ſe venire.

ỳ.19. *Et dixerunt malefici, Digitus Dei eſt hic.* Liranus per digitum Dei mavult hic intelligere virtutem alicujus dæmonis ſuperioris, qui operationem inferioris impediat; utpotè quòd Magorum hæc ſint verba. Sed rectiùs alij omnes Catholici Doctores, Hebræi, virtutem Dei intelligunt; quod & fatetur Liranus; quem proinde non immeritò reprehendit Burgenſis. Vide etiam Ianſen. ad illud Lucæ 11. v. 20. *Si ego in digito Dei ejicio dæmonia, &c.* C

ỳ.26. *Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro?* Senſus eſt; Non poſſumus in Ægypto immolare Deo noſtro: quis ex ejus præcepto immolabimus ea animalia quæ ab Ægyptiis pro numinibus coluntur: videlicet arietem, quem ſub nomine Iovis colebant, & bovem, quem ſub nomine Serapidis. Unde & addit Moyſes: *Quòd ſi immolaverimus ea quæ colunt Ægyptij coram eis: lapidibus nos obruent.* Ubi pro eo quod eſt, *ea quæ colunt Ægyptij*, repetitum eſt in Hebræo (*abominationes Ægyptiorum*) quo nomine idola deſignantur, meritò ſcilicet abominanda. Hunc ſenſum etiam exprimit Chaldæus Paraphraſtes, & requirit Auguſtinus. Confirmatur etiam hic ſenſus ex illis Hieron. verbis lib. 2. contra Iovinia- D num c. 6. Singulæ penè in Ægypto civitates ſingulas beſtias & monſtra venerantur: & quodcumque coluerint, hoc inviolabile & ſacrum putant. Vide etiam Annot. Gen. 43.

CAPUT IX.

ỳ.6. **M**Ortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum. Scilicet ſuprà v. 3. enumerata, equi, aſini, cameli, oves & boves. *Sed quæritur*, quomodò iſtis non repugnat, quod paulò poſt v. 19. ante plagam grandinis Moyſes Pharaonem monet his verbis: *Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, &c. Nec non* & illud, quod infrà cap. 14. Scriptura narrat, Pharao- E nem cum equitatu, cumque ingenti numero curruum, qui utique ab equis trahebantur, perſecutum fuiſſe filios Iſraël. *Solvit hanc* quæſtionem Auguſt. ſuper Exod. Pro qua ſolutione notandum, loco ejus, quod hìc ſuperiùs v. 3. dicitur: *Ecce manus mea erit ſuper agros tuos, & ſuper equos & aſinos, &c.* in Hebræo ſic legi: *Ecce manus Domini eſt in pecudibus tuis, quæ ſunt in agro, in equis, in aſinis, &c.* Ex quibus verbis perſpicuum eſt hanc plagam, ſicut & illam grandinis de qua v. 19. & 25. ad ea tantùm animalia perveniſſe, quæ tempore ſævientis plagæ in agris fuerunt deprehenſa; Quod ergo dicitur: *Mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum*, juxta eandem comminationem verſus 3. prout is jam expoſitus eſt ex Hebræo, intelligendum A eſt de iis dumtaxat animalibus quæ erant in agris.

ỳ.12. *Induravitque Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos.* Hæc ſententia de Pharaone aliquoties repetita in hoc libro, pravè à Luthero, Calvino, aliiſque in injuriam Dei detorquetur, contra libertatem arbitrij ſeu voluntatis humanæ: quaſi non ſit in hominis poteſtate ſitum, vias ſuas bonas facere aut malas, ſed in hanc vel illam partem neceſſitate quadam impellatur à Deo: cùm tamen capite præcedenti verſu decimo quinto etiam ipſa Scriptura ſe explicat dicens: quòd *Ipſe Pharao ingravavit cor ſuum.* Ex quo ſatis intelligi poteſt libero eum peccaſſe arbitrio, quando populum Dei dimittere noluit. *Videndum ergo quo Catholico ſenſu* Deus quoque cor Pharaonis induraſſe dicatur: Initium indurationis eſt in gratiæ ſubſtractione B ſeu denegatione. *Verum id non ſufficit.* Non enim quilibet, qui peccare permittitur, induratur: ſed propriè tunc à Deo cor hominis induratur, quando ei divinâ gratiâ privato, atque ad peccandum parato, ſuggeruntur occaſiones, quibus etiam deterior, & in ſcelere obſtinatior redditur. Nam hæ cauſæ ſeu occaſiones non ſunt in hominis poteſtate, ſed ſubmittuntur à Deo: propter quas Deo adſcribitur conſequens animi obduratio, cujus tamen propria cauſa eſt in pravâ hominis voluntate, occaſionalis dumtaxat in Deo. Hæc D. Auguſtini doctrina, tum in quæſt. tum contra Iulianum & alibi.

Et notandum quod Pharao obduratus fuit occaſione eorum quæ ei objecta ſunt, & ante oculos poſita: per quæ quidem debuiſſent converti ad agnitionem veri Dei, & ad faciendum quod ille jubebat: ſed C tamen illorum occaſione obduratus eſt & deterior factus, quaſi per antiperiſtaſim; quomodo frigus ſubterraneum intenditur à calore terræ ſuperfuſo: & quomodo videmus quaſdam lapides magis indureſcere in aquis. Idem accedit Judæorum Pontificibus Scribis, & Phariſæis, qui tot Chriſti miraculis conſpectis, excœcati ſunt, magiſque obduruerunt. Tale quid enim contingit, vel ex odio atque invidia, vel ex ſuperbia & pertinacia animi. Prius contigit Judæis, poſterius Pharaoni. Quamquam & avaritia Pharaonem obduravit, ut patet ex cap. 14. v. 5.

CAPUT X.

ỳ.7. **V**Squequo patiemur hoc ſcandalum? Hebr. *Uſquequo erit iſte nobis in ſcandalum?* Pagni- D nus; *laqueum?* Senſus eſt. Quare tamdiu patimur nobis ab iſto homine Moyſe tot mala inferri? cur non potiùs dimittimus eum cum populo ſuo, priuſquam tota Ægyptus pereat? Res enim noxia retenta, fit homini ſcandalum ſeu laqueus, id eſt, implicamentum quoddam quo trahatur in periculum.

ỳ.16. *Peccavi in Dominum Deum veſtrum, & in vos.* Quamvis hæc veniæ petitio, ac pœnitentia ex ſolo timore pœnæ fuerit profecta; id tamen quod petebat impetravit, ſcilicet pœnæ temporalis ablationem; quomodo etiam Achab per ſimilem pœnitentiam atque humilitatem obtinuit à Deo, ut malum quod ſibi Dominus comminatus fuerat, à ſuis temporibus in E tempora filij transferretur. 3. Reg. 21.

ỳ.21. *Extende manum tuam in cælum, & ſint tenebræ tam denſæ ut palpari queant.* Cùm tenebræ nullæ ſint tactu perceptibiles, ſed viſu diſcernamus inter lucem & tenebras: *Quæritur* quomodo hìc tenebræ dicantur tam denſæ, ut palpari queant? Sunt qui intelligant (Gloſſa quoque interlinealis) hoc dictum eſſe hyperbolicè, ut per tenebras palpabiles intelligantur denſiſſimæ tenebræ, in quibus nihil omninò videri poſſit. Unde ſtatim additur: *Et facta ſunt tenebræ horribiles:* vel ut alij vertunt ex Hebræo, *tenebræ obſcuriſſimæ* in universa terra Ægypti; ut obſcuriſſimas dicat, quas antea dixerat palpabiles. *Alij* dicunt per has tenebras ita condenſatum fuiſſe aërem humidis & craſſis vaporibus,

bibus, ut etiam manibus palpari potuerint ; & hac ratione tenebras ipſas dici palpabiles. Et huic intelligentiæ conſonare videtur, quod mox additur : *Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco , in quo erat*.nimirùm propter denſitatem tenebroſi aëris : quamquam alij illud referunt ad horrorem tenebrarum , propter quem non fuerint auſi ſe movere loco ; de qua re videndum eſt caput decimumſeptimum Sap.ubi pulcherrimè horror & magnitudo deſcribitur harum tenebrarum. An fortè ita poſſit intelligi quod dicitur,neminem ſe moviſſe de loco,ſicut inferiùs dicitur capite decimoſexto,de die Sabbathi ; *Maneat unuſquiſque apud ſemetipſum : nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo*. id eſt,ne longiùs abeat,non ear ad negotia, Ita hic nemo moverit ſe de loco ſuo,ut longiùs abiret B negotia curaturus ; non quin cibum illo triduo ſumpſerit. Nam & hæc tridui fames inſignis quoque fuiſſet plaga,quam utique Moyſes,ut videtur,non tacuiſſet.

℣.24.*Vocavitque Pharao Moyſem & Aaron. Quaritur*,quomodo in illis tenebris potuerit Pharao ad ſe vocare Moyſem & Aaron; Liranus dicit,non durantibus tenebris, ſed poſt tertium diem reddita luce , Pharaonem graviora metuentem, vocaſſe ad ſe Moyſem & Aaron.Quod probabile eſt , quia huic plagæ determinatum erat tempus tridui. Item quia Pharao non petit tolli tenebras;Ceſſaverant ergo. Ita plerique alij,dicentes iſtud factum poſt triduanas tenebras.

CAPUT XI.

℣.2. **V**T *poſtulet vir ab amico ſuo,& mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea.* Exemplum C hoc Iſraëlitarum , qui jubente Domino ſpoliarunt Ægyptios. (Nam & hoc ipſum verbum *ſpoliarunt*, ponitur capite ſequenti , verſu trigeſimo ſexto) non eſt trahendum in excuſationem furti,aut cujuſcumque defraudationis proximi.Quod enim ab Iſraëlitis factũ eſt, eo jubente factum eſt, qui noverat , quid quemque pati oporteret ; quique rerum omnium Dominus eſt, nec opes tantùm privati cujuſque hominis , ſed & regna atque imperia pro ſuo arbitrio transferre poteſt in alios.Unde dicit Auguſtinus : Non furtum fecerunt ; ſed Deo jubenti miniſterium præbuerunt. Quemadmodum cùm miniſter judicis occidit eum,quem judex juſſit occidi : profectò , ſi id ſponte facit, homicida eſt, D etiamſi eum occidat,quem ſcit occidi à Judice debuiſſe , ſi juſſus faciat , non cædes imputatur ad peccatum , ſed obedientia meretur commendationem. Quidam Iſraëlitas excuſare conantur , quòd pro mercede laboris ſui , quo tot annis ſervierant in Ægypto , prædam hanc velut jure ſibi debitam aſportaverint : quæ excuſatio opportuna eſſet , ſi Pharaonis ipſius ac præfectorum,qui eos ad opus compulerant,bona abſtuliſſent. *Sed* cùm dicat Scriptura eos ab amicis & vicinis vaſa accepta abſtuliſſe:non videtur prætextus ille ad juſtam excuſationem ſufficere , ſine divina juſſione. Dicitur quidem Sap. cap. 10. quod *Deus reddidit juſtis mercedem laborum ſuorum:* nam revera mercedem meruerant: E *ſed* niſi Deus dediſſet , non potuiſſent illam ſibi debitam mercedem accipere ab iis qui non debebant. Habetur,tamen ea excuſatio apud Epiphanium ſub finem Ancorati,quam & pluribus verbis declarat. Dicuntur quidem capite ſequenti v.36.accepiſſe commodato:ſed non pugnat accipere aliquid commodato ,id eſt , accipere rem aliquam vertendam in ſuum commodum, eamque ſibi retinere ; quia poteſt quoque aliquis rem propriam ab alio detentam,utendam ab eo accipere , & poſteà non reddere:qua in re non eſt fraus,nec mendacium,quando verè ea re uti ad commodum ſuum cupit: quo in caſu concurrunt accipere rem commodato,& accipere rem ſuam,ac proinde ſine obligatione reddendi.Deinde nec in Hebræo eſt verbum (*commodandi*)

Poſtulet vir ab amico ſuo,& mulier à vicina ſua. At Eſtij Annotat. in Script.

A *objicies:* Atqui non habitabant Iſraëlitæ inter Ægyptios,ſed in regione Geſſen ſeparata.Unde & capite præcedenti dicitur:*Ubicumque autem habitabant filij Iſraël, lux erat* ; & cap.9. *Tantùm in terra Geſſen,ubi erant filij Iſraël , grando non cecidit. Reſponſio* , ſaltem regiones erant vicinæ. *Item* ſciendum eſt quod etiam in terra Geſſen habitabant Ægyptij,ſicut ante adventum Iacob & filiorum ejus;ſed in eam terram ,quia magis vicina erat,& apta paſcendis ovibus,miſſi ſunt inter Ægyptios qui illic antea erant , filij Iſraël habitare. *Unde* & illic Ægyptij , ex beneficio illo cohabitationis filiorum Iſraël, à plagis videntur fuiſſe immunes, ſicut ſubindicare videntur verba illa cap.9.nequaquam tamen à plaga interfectionis primogenitorum ; nimirùm quia do- B mus illorum non erant ſignatæ ſanguine Agni Paſchalis,& hoc ſignificatur infrà cap.ſeq.de percuſſore.

℣.7. *Apud omnes autem filios Iſraël non mutiet canis ab homine uſque ad pecus.* Hebr. *non movebit canis linguam ſuam à viro uſque ad animal.Sept.non mutiet canis linguâ ſua ab homine uſque ad pecus.*Sed quid ſibi vult *non mutiet canis ab homine uſque ad pecus*,cùm canis nec homo ſit nec pecus ? Auguſt.libro locutionum dicit eleganti locutione per canem ſignificari extremum vel hominum vel pecorum , ad ſignificandum quanta ſit futura quies apud Hebræos, Ægyptiis acerba orbitate clamantibus. Liranus verò : tanta quies erit (inquit) in hominibus & animalibus populi Iſraël , ut etiam canis qui facilè & levi de cauſa latrare ſolet,ne mutiat quidem, Vatablus : neque hominibus , neque jumentis C filiorum Iſraël allatrabit ullus canis Sed videtur Liranus rem attigiſſe. Nam clamori maximo qui apud Ægyptios futurus ſit , propter primogenitorum tam hominum quàm pecorum ſubitam mortem, opponitur quies futura apud Iſraëlitas ; ut apud quos adeo nihil mali paſſura ſint primogenita tam hominum quàm pecorum , ut non ſolùm homines non excitentur ad clamorem , ſicut apud Ægyptios , ſed ne canis quidem uſquam linguam ad mutiendum moveat. Ergo illud : *ab homine uſque ad pecus* , ſic expone ; nec propter homines, nec propter pecora.

CAPUT XII.

D ℣.5. **E***Rit autem agnus ſine macula,&c.juxta quem ritum tolletis & hædum.Non* vult Dominus ; ut præter agnum etiam hœdum immolet tota multitudo filiorum Iſraël;*ſed* ut agnum immolent, vel certè hœdum,ſi agnus ad manum non ſit. Hunc ſenſum ſuggerunt Hebræa,Græca & Chaldaica. Unde quod dicitur in officio Eccleſiaſtico : *Immolabit hædum multitudo,&c.* figuratè dictum eſt;ſpecies pro genere ponitur, & ſub hœdo etiam agnum comprehendere oportet : Hebræa ſic habent : *Agnus perfectus,maſculus,anniculus erit vobis, ex ovibus , & ex capris accipietis.* Quod Burgenſis ſic exponit.Ex grege,in quo ferè ſolent eſſe oves & capræ commixtæ,accipietis eum,id eſt (ut ipſe vult) E hœdum : Tamen non erat Hebræis in conſuetudine ut hœdum immolarent , ſed tantùm agnum. Nec Chriſtus hœdum cum diſcipulis manducavit , ſed agnum.

℣.6. *Immolabitque eum univerſa multitudo.* Sic & infrà v.47 *Omnis cœtus filiorum Iſraël faciet illud.Quaritur* , an per ſe, an per ſacerdotes ? Legitur 4.Reg.23. quòd Ioſia rege præcipiente factum fuerit ab univerſo populo Phaſe Domino in Ieruſalem ; idque ſecundùm quod ſcriptum erat in libro fœderis : de quo pleniùs, 2.Paralip.35.ubi Levitis præcipitur ut immolẽt Phaſe, ac tandem ſubiungitur. *Et immolatum eſt Phaſe,aſperſeruntque ſacerdotes manu ſua ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum. Et ſeparaverunt ea,* (intellige quæ mactaverant) *ut darent per domos,& familias ſingulorum,ut offerrentur Domino:ſicut ſcriptũ eſt in*

A *libro Moyſi*. Et ſimilia ſunt 2. Eſdr. 1. Et prius de Paſchate celebrato juſſu Ezechiæ, ſimiliter miniſterio Sacerdotum & Levitarum 2. Paral. 30. *Adde* quod Exodi 23. & 34. itemque Deut. 16. præcipitur, ut in ſolemnitate azymorum *omne maſculinum* appareat in conſpectu Dei in loco quem elegerit. *Ex quibus omnibus videri poſſet*, quòd iſta immolatio Agni Paſchalis tantùm fieret per Sacerdotes, & in loco ſacrificiis deputato: quòdque Agnus immolatus deinde comederetur domi per familias. *Nihilominus alicrum ſententia eſt*. Agnum Paſchalem domi à patrefamilias potuiſſe immolari. Cui *ſententia multum favet* quod hoc capite v. 21. dicitur Moyſes vocaſſe omnes ſeniores filiorum B Iſraël, & ad eos dixiſſe: *Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate Phaſe*, ubi nulla Sacerdotum mentio. *Adde* quod Sacerdotes tunc nondum erant inſtituti. Vide etiam Baron. tom. 1. Annal. ad ann. Chriſti, 4. fol. 179. referentem verba Philonis, quibus dicitur, ipſos patresfamilias mactaſſe, & in hac parte functos fuiſſe officio Sacerdotum. Et nota Philonem, utpotè Judæum, non potuiſſe ignorare morem à Judæis obſervari ſolitum in immolatione Paſchalis Agni. *Sed quid igitur dicemus ad* Scripturas 2. Par. 30. & 35. An illæ loquuntur de aliis ſacrificiis?

℣. 7. *Et ponent ſuper utrumque poſtem, & in ſuperliminaribus*, & v. 22. *Et aſpergite ex eo ſuperliminare & utrumque poſtem*. Beda homil. in cœna Domini dicit, quòd ſicut tranſitus Evangelicus conſecratus eſt ſanguine fuſo in cruce, ita tranſitus legalis ſanguine in cruC cis modum, medio limine & ſuperliminari, mediis aſperſo in poſtibus.

℣. 14. *In generationibus veſtris cultu ſempiterno*. Sic & v. 17. *ritu perpetuo*. Quomodo *ſempiternitas* hæc accipi debeat, vide Auguſtinum in quæſt. ubi *æternum* exponit, quod ita inſtituitur per ſucceſſiones temporum obſervandum, ut nefas ſit prætermittere, aut ſponte mutare. Nec malè Lyranus ſempiternum interpretatur, id quod eſt abſque determinatione temporis.

℣. 23. *Et non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras*. Percuſſorem, Angelum intelligit: Sed *quæritur bonuſne fuerit an malus*. Gloſſa Ordinaria Strabi non vult inquiri, bonus an malus fuerit. Auguſtinus exponens Pſalm. 77 ad illud: *Immiſſiones per Angelos malos*, putat Angelum percuſſorem primogenitorum fuiſſe AngeD lum malum: item Rupertus, & Toſtatus. *Attamen*, qui ſubmerſit Ægyptios, bonus fuit, ut conſtat infrà c. 14. *Ergo* & qui percuſſit primogenita. Nam eſt par ratio, & utrumque æquè conveniebat Angelo liberatori. *Vel poteſt* dici, quòd etiam in percuſſione primogenitorum intervenerit opera malorum Angelorum, quâ uſus ſit ad Ægyptios percutiendos Angelus bonus, tanquam princeps Chriſtum repræſentans, uti judicem & vindicem peccatorum. Et ſimile quid poteſt etiam dici de aliis percuſſionibus, ut quando Angelus Domini percuſſit peſte populum Iſraëliticum tempore Davidis, & quando percuſſit caſtra Aſſyriorum.

℣. 30. *Neque enim erat domus, in qua non jaceret* E *mortuus*. Intellige de domo, in qua erat primogenitus. Sed quid ſi plures eſſent primogeniti in eadem domo? ut filius, & pater, privignus? *Reſpondeo* more Scripturæ, primogenitus alicujus familiæ, vel domus vocatur, qui in ea domo vel familia eſt primogenitus. At pater alicujus familiæ non erat illius familiæ primogenitus, ſed erat & dicebatur illius familiæ pater. Ita nec privignus erat familiæ primogenitus. Unde non eſt neceſſe dicere, in una aliqua familia fuiſſe plures occiſos.

℣. 33. *Abeuntes benedicite mihi*. Non hoc dicit quaſi corde jam emollitus & voluntate in melius mutatâ, ſed tantùm compulſus metu gravioris mali. Timebat enim ne tandem ipſe cum univerſo populo periret: experiebatur enim potentiam Dei Iſraël, cujus manum hactenus non poterat effugere. Itaque petit ut Moyſes & Aaron ſibi bona præcentur à Deo ſuo, quem ut potentem timebat. Ita ſuprà c. 8. & 9. rogat Moyſen & Aaron ut pro ſe orent Dominum pro ablatione plagarum, etiam culpam ſuam agnoſcens bis verbis, *Peccavi. Dominus juſtus, & ego & populus meus impii*. Sed hæc confeſſio aut ficta erat, aut ex ſolo timore procedebat. Itaque nullius emendationis ſignum erat.

Quæritur, an Moyſes & Aaron fecerint quod erant rogati? id eſt, an benedixerint Pharaoni? Mihi non eſt veriſimile: Sciebant enim cor ejus obduratum eſſe, nec Dei voluntatem eſſe, ut daretur quod petebat.

℣. 37. *Et ſpoliaverunt Ægyptios*. Vide explicatum c. præced. v. 2.

℣. 40. *Habitatio autem filiorum Iſraël, quâ manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*. In hoc annorum numero debere comprehendi totum illud tempus, quòd fuit inter promiſſionem Abrahæ factam Gen. 15. & exitum filiorum Iſraël de Ægypto, oſtendimus illo loco Geneſeos. Oſtendit id etiam Auguſtinus q. 47. in Exodum prolixè de ea re diſſerens. Idem ſentit Euſebius in Chron. Manifeſtiſſimè autem oſtenditur ex Gal. 3. ubi Apoſtolus teſtatur legem quadringentis triginta annis datam poſt promiſſionem. Septuaginta Interpretes hoc loco ita legunt: *Incolatus filiorum Iſraël quê incoluerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, ipſi & patres eorum, anni quadringenti triginta*. Quæ lectio nullam habet quæſtionem. Quod autem nos legimus; ita accipi poteſt, ut habitatio eorum in Ægypto fuerit uſque ad finem quadringentorum triginta annorum poſt factam primitus promiſſionem. Vide etiam, ut diximus, ſuprà Geneſ. 15.

CAPUT XIII.

℣. 2. S*Anctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam*. Lucæ 2. dicitur: *Omne maſculinū adaperiens vulvam*, & intelligitur primus fœtus maſculinus, ſive fœmininus præceſſerit, ſive non. Jubetur autem ſanctificari Domino. Pro quo nota *ſanctificationem in Scripturis variè accipi*. Propriſſimè eſt ſanctum facere, ea ſanctitate qua creatura Deo per verum & caſtum cultum adhæret. De hac ſanctificatione loquitur Apoſtolus 1. Cor. 6. dicens: *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis. Aliquando* ſignificat pro ſancto habere. Sic in oratione Dominica dicimus: *Sanctificetur nomen tuum*, id eſt, ab omnibus colatur ut ſanctum. Cui contrarium eſt, polluere nomen Domini. *Aliàs* autem ſignificat applicationem ac deputationem rei corporalis ad divinum cultum. Id autem fit *vel* per miniſterium; Et hoc modo tribus Levi fuit Domino ſanctificata: *vel* per uſum; quomodo templum, altare, omniaque templi vaſa ſanctificari Domino dicuntur, quia deputata ſunt ad uſum cultus divini. *Vel* per oblationem; quomodo ea ſanctificantur Deo, quæ deputantur ad hoc ut Deo immolentur. Et hoc modo omne primogenitum jubetur ſanctificari Domino, id eſt, immolari. *Sed quia* hominem immolare Deo nefas erat, neque unquam tale ſacrificium à Deo permiſſum fuit; hinc eſt quod primogenitum hominis jubetur pretio redimi, nimirùm quinque ſiclis, ut eſt Numer. c. 3. Primogenitum autem aſini, quia immundum erat, & immolari non debebat, redimendum erat ove aut occidendum citra immolationem. Vide ibi pleniùs.

Mea ſunt enim omnia. Id vel generaliter ad omnes omninò res referri poteſt; Et tum ſenſus eſt; Meritò exigo primogenita, utpote qui jure meo omnia exigere poſſem, cùm omnia ſint mea: Vel ſpecialiter ad primogenita; ut ſenſus ſit: Sanctificabitis mihi omnia primogenita veſtra, quia omnia ea mihi obligata ſunt per hoc, quòd percutiens omnia primogenita Ægyptiorum, veſtris primogenitis pepercerim. Huic expoſitioni favet

ſtivet Hebræa lectio, quæ habet, *Meum eſt enim*, nempe omne primogenitum veſtrum. A

℣.4. *Hodie egredimini menſe novarum frugum.* Hic menſis erat primus, qui noſtro Martio ferè reſpondet, Vide Joſue 3.

℣.18. *Per viam deſerti, juxta mare rubrum.* Quidam auctores ſic loquuntur, quaſi mare illud revera coloris ſit rubei. Sic Prudent. in hymno ad incenſum cerei Paſchalis: *Tandem purpurei gurgitis hoſpita, rubris littoribus feſſa reſederat.* Id conſtat, Latinis dici rubrum; quòd vox Græca (quæ aliàs rubrum ſignificat) hic eſt, à proprio regis cujuſdam nomine derivata, dicitur enim Græcè *Erythræum mare.* Hebraicè, *Mare Suph.*

℣.19. *Tulit quoque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* Quin & cæterorum Patriarcharum corpora, qui mortui fuerant in Ægypto, tulerunt ſecum Iſraëlitæ egredientes ex Ægypto, ſi Hieronymo credimus ſcribenti ad Ribarium contra Vigilantium, Epiſt. 53. qui potuit id habere ex Judæorum traditione, vel certè ex conjectura. Neque enim veriſimile eſt Iſraëlitas voluiſſe in Ægypto relinquere corpora eorum, qui ſingularum tribuum erant primi patres. Fuiſſe autem tranſlata eſt manifeſtum ex Act. 7. 16. B

CAPUT XIV.

℣.7. *Tulitque Pharao ſexcentos currus electos.* Cùm curruum uſus communiter non ſit ſine animalibus, à quibus trahantur, & ſuprà cap. 9. dictum ſit omnia animalia Ægyptiorum fuiſſe peſte conſumpta, quomodo hæc concilientur, Vide dicta cap. 9. v. 6. C

℣.15. *Quid clamas ad me?* Cùm Moyſem externo vocis ſono ad Deum clamaſſe non legamus, intelligendum eſt Moyſem etiam tacentem clamaſſe, quandoquidem interno cordis deſiderio pulſaverit aures divinæ bonitatis; de quo clamore Apoſtolus dicit ad Galatas capite quarto: *Dedit Deus ſpiritum filij ſui in cordibus noſtris, clamantem, Abba pater. Et quidem* Moyſes, etſi ſecurus de divino auxilio, non tamen prætermittit propterea orationis ſubſidium. *Talis enim eſt*, & Chriſti interpellatio, imò omnium Sanctorum qui in cœlis ſunt, oratio pro nobis. Neque enim putandum eſt quemquam eorum fruſtra orare. Etenim ſine eorum oratione Deus multa non eſſet daturus, & vult ab eis orari, ad declarandum quanti faciat eorum merita, quos ad cæleſtem gloriam provehere dignatus eſt. D

℣.22. *Et ingreſſi ſunt filij Iſraël per medium ſicci maris.* Refert Joſephus libro ſecundo Antiquit. cap. ult. ſimile quid accidiſſe Alexandro Magno, cujus ductu Macedonibus ceſſerit Pamphylium mare, & aliam viam non habentibus illac iter aperuerit; cùm Deus ejus opera ad deſtruendum Perſarum imperium uti decreviſſet. Id quod omnes, inquit, teſtantur, qui res geſtas illius regis ſcripto prodiderunt. *Quod ſi verum eſt*; eò fortè divinitus actum eſt, ut doceretur neque impoſſibile eſſe, neque ſtultè & inaniter credi, quod de tranſitu maris rubri duce Moyſe, ſacræ literæ hoc loco tradunt. E

℣.25. *Fugiamus Iſraëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Pro (*Dominus*) Hebraicè eſt (*Iehova.*) Ex quo apparet id nomen etiam notum & uſitatum fuiſſe Ægyptiis.

℣.31. *Et crediderunt Domino, & Moyſi ſervo ejus.* Reſpicitur ad illud quod Moyſes dixit ad Dominum cap. 4. *Non credent mihi.* Senſus igitur eſt. Crediderunt Deum eſſe omnipotentem, & veracem in promiſſis ſuis; crediderunt etiam Moyſem tanquam Dei ſervum ad ſe miſſum, per quem talia ſigna fierent, quem initio vix recipere volebant. Et ſignificatur quòd pleniùs crediderint quam antea, quia jam hoſtes ſuos videbant oppreſſos, ſicut & Ioan. 2. dicitur poſt miraculum aquæ in vinum converſæ: *Et crediderunt in eum diſcipuli ejus.*

CAPUT XV.

℣.1. *Cantemus Domino.* Canticum hoc compoſitum eſt à Moyſe, licet à ſorore ejus Maria, & aliis decantatum: qua ratione etiam vulgò vocatur Canticum Mariæ ſororis Moyſi. At Apocalypſ. 15. vocatur *Canticum Moyſi.* Habet autem hoc Canticum præter ſenſum literalem gratiarum actionis pro liberatione ab hoſtibus Ægyptiis; *ſenſum allegoricum*, quo baptizati, & eorum nomine Eccleſia Deo gratias agit pro beneficio remiſſionis omnium peccatorum in baptiſmo, velut in mari rubro demerſorum. Nam per mare rubrum ſignificari baptiſmum etiam Apoſtolus docet 1. Cor. 10. Hac ratione carmen hoc canit Eccleſia pridie Paſchæ & Pentecoſtes: quibus temporibus agi ſolent myſteria baptiſmi. Habet præterea carmen hoc ſenſum *anagogicum*, quo beati cum Chriſto regnantes agunt Deo gratias pro beneficio perfectæ liberationis, ex omnibus malis & preſſuris hujus ſeculi: quod per mare frequenter in Scripturis ſignificatur. Ea ratione victores beſtiæ & imaginis ejus, Apocal. cap. 15. ſtantes ſuper mare vitreum, in citharis cantant canticum Moyſi ſervi Dei.

℣.13. *Portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.* Per habitaculum ſanctum intelligitur terra promiſſionis, eò enim vocabatur ut in ſanctitate Domino ſerviret. Græcè, *Advocaſti fortitudine tua ad diverſoriū ſanctū tuū.* Pro diverſorio Græcè καταλύμα, quod ſignificat diverſorium, cœnaculum, triclinium, ubi eſt refectio corporis. Unde & quidam reddidit hoc loco, refectionem. Atque hinc eſt quod in officio divino feriæ 5. cœnæ Domini ad Laudes pro Cantico Moyſi canitur iſta Antiphona: Exhortatus es in virtute tua, & in refectione ſancta tua Domine. Ubi, ni fallor, reſpicitur ad cœnam, quam habuit Dominus cum diſcipulis; quæ etiam Marc. 14. *refectio* vocatur, Græcè καταλύμα. Sed *quæritur* quomodo hic dicat Moyſes; *portaſti eum in fortitudine tua*, cùm Iſraël eò non pervenerit, niſi demum poſt 40. annos. *Similis quæſtio* eſt de verſu ſequenti; ubi dicitur: *Aſcenderunt populi, & irati ſunt*: ſcilicet, cùm tunc adhuc vix rumor Iſraëlis perveniſſet ad populos vicinos, qui poſtea contra eos in prælium aſcenderunt. *Ad* utrumque *Reſpondeo*, primò pro (*portaſti*) Hebraicè eſt (*duxiſti*) Græcè (*advocaſti*) quæ duo ſatis propriè intelligi poſſunt de tempore præterito. Jam enim Deus advocaverat eos, jam aliquouſque eduxerat, ut in terram promiſſam venirent. Et *ſimiliter* pro (*aſcenderunt*) verſ. 14. tam Græca quàm Hebræa habent (*audierunt*) prius autem eſt audire de adventu hoſtium, quàm contra eos ad prælium aſcendere. *Aut etiam*, quia per ea quæ ſequuntur non facilè omnia jam facta intelligi poſſunt; aptiùs intelligemus in his verbis poſitum eſſe præteritum tempus pro futuro, more Prophetico: quia tam certò hæc eventura erant, quàm ſi jam facta fuiſſent.

℣.18. *Dominus regnabit in æternum, & ultra. Quomodo* ultra, cùm ultra æternitatem nihil ſit; Nam æternitas univerſum tempus in ſe complectitur. *Reſpondeo*, ſi æternitas propriè accipitur, hyperbole eſt, qua ſignificatur prorſus infinitum Dei regnum, adeò ut ſi ultra æternitatem tempus eſſet, tunc etiam regnaret. Si autem accipitur, ut frequentiſſimè in ſacra Scriptura, pro tempore admodum diuturno, & cujus non eſt præſtitutus terminus, tum propriè accipi poteſt, Deum regnaturum etiam ultra omne ejuſmodi tempus. Nam etiam tunc regnabit quando impletum erit illud Apocal. 10. *Tempus non erit amplius.*

℣.20. *Sumpſit ergo Maria Prophetiſſa.* Quidam putant Mariam ſororem Moyſi & Aaron vitam in virginitate duxiſſe. Sic Ambroſius in exhortatione ad virgines. In veteri, inquit, teſtamento, terrâ & mari clauſum Hebræorum populum virgo per mare pedes duxit.

Et ſub finem, denique, tribuit Mariæ huic ſorori Aaron virginitatem, ſicut & matri Domini. Nihilominus Hebræi dicunt eam fuiſſe uxorem Hur; de quo dicitur, *Habetis Aaron & Hur vobiſcum*: & qui Moyſis in monte orantis manus unà cùm Aarone ſuſtentavit.

ỳ.25. *Qui oſtendit ei lignum.* Baptiſta Mantuanus lib. 1. de patientia cap. 30. dicit lignum hoc naturali vi ſua valuiſſe ad tollendam ex aquis amaritudinem; Deumque ideo hoc lignum oſtendiſſe, cùm alioqui potuiſſet ſolo verbo aquas ſanare; ne res naturales fruſtra feciſſe videretur. *Interim quid* myſterij altioris hic lateat, facilè Chriſtianus intelligit, qui novit per lignum Crucis redditam mundo ſalutem, & omnem peccatorum noſtrorum amaritudinem verſam in dulcedinem gratiæ Dei.

Ibi conſtituit ei præcepta atque judicia. Quæ fuerint hæc præcepta atque judicia, non exprimitur. Veriſimile tamen eſt fuiſſe quædam legis poſtea datæ præcepta, & inter ea inprimis præceptum obſervandi Sabbathi, quod intelligi poteſt etiam ex capite proximè ſequenti, ubi tam religiosè pro Sabbatho cavetur.

CAPUT XVI.

ỳ.4. *Ecce ego pluam vobis panes de cælo.* Catachreſis eſt in utroque verbo (*pluam*) & (*panes*) Nam manna propriè panis non erat, ſed quid coagulatum in cœlo aëreo. Hoc enim cœli nomine hic intelligitur, more loquendi in Scriptura uſitatiſſimo. Propriè autem Manna non fuiſſe panem ipſe Moyſes Deuteronomij capite octavo declarat his verbis; *Dedit Dominus tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui, ut oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane vivit homo.* Et populus dicebat: *Deeſt panis, anima noſtra nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Vocatur autem panis, nempe quia in refectione locum panis propriè dicti ſupplebat.

ỳ.8. *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate.* Et idem ordo repetitur verſ. 12. *Quæritur* quid ſibi velit quòd priùs carnes, & poſteà panes? *Reſponderi* poteſt primò, quòd is ordo fuit murmurationis: nam ita dixerant verſu tertio: *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate.* Secundò forſè, quia deplumandæ erant coturnices pridie, alioqui non ſatis aptæ eſui. *Sed* imprimis in hoc ordine carnium & panum (ſive ille ad comeſtionem ſive ad acceptionem referatur) latet non contemnendum *myſterium*. Nam in carnibus nobis ſignificantur ſacrificia veteris teſtamenti; in pane verò præſertim eo, de quo nunc loquimur, id eſt, in manna, ſacrificium novi teſtamenti.

Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. Congruit hæc ſententia cum doctrina Apoſtoli ad Rom. 13. ubi dicit, eos qui reſiſtunt poteſtati, Dei ordinationi reſiſtere, cùm non ſit poteſtas niſi à Deo. Unde conſequens eſt, omnem rebellionem contra quamcumque legitimam ſuperiorem poteſtatem, eſſe contra Deum, à quo poteſtas illa eſt derivata. Senſus igitur eſt; *Non contra nos eſt murmur veſtrum*, nempe principaliter. *Nos enim*, inquit Moyſes, *quid ſumus?* quaſi dicat, nihil aliud ſumus quàm miniſtri Dei, annunciantes vobis voluntatem ejus. Sic ſcilicet, more Scripturæ ſacræ, negatur id quod eſt minoris momenti; quale eſt & illud: *Miſericordiam volo, & non ſacrificium.* Matth. 9. v. 13. & rurſum Matth. 12. v. 7.

ỳ.19. *Nullus relinquat ex eo in mane.* *Objicitur* à Lutheranis, Ergo & Euchariſtia, cujus typus manna erat, non debet ſervari in alterum diem. *Reſpondetur*, manna ſervatum fuit in Sabbathum; deinde, v. 33. in ſequentes quoque generationes. Quòd verò ordinariè non ſervaretur in craſtinum, in eo non erat typus Euchariſtiæ; ſed præceptum illud Dei eò tendebat, ut diſcerent homines pendere toti ex providentia Dei qui in ſingulos dies recens manna promittebat; quomodo & Chriſtus orare nos juſſit: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

ỳ.33. *Dixitque Moyſes ad Aaron, Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum capere poteſt Gomor: & repone coram Domino, ad ſervandum in generationes veſtras, ſicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſervandum.* Tam ſtudiosè, etiam præcipiente Domino, reſervatum fuit Man, pro recordatione beneficij divini apud poſteros. Quantò magis partem crucis Dominicæ, in qua ſalutem noſtram Chriſtus operatus eſt, piâ devotione aſſervari convenit, aut ſi quid aliud eſt quod in nobis excitet memoriam beneficiorum Dei & ſanctorum ejus? Sed hæretici, inſtinctu patris ſui diaboli, ejuſmodi monumenta ubicumque inventa, potiùs diſperdunt, ut memoriam tantorum beneficiorum aboleant. Puto quòd ſi ipſum manna in hodiernum diem fuiſſet ſervatum, etiam illud à furioſis illis dæmonum miniſtris diſperderetur.

Quæſtio eſt, quomodo *coram Domino*, id eſt, in tabernaculo, reſervandum præcipiatur, ita etiam ſe ipſum exponit cùm addit, *poſuitque, &c.* cùm tabernaculum nondum adhuc fuerit extructum? Solvitur hoc per figuram quæ Prolepſis Græcè dicitur, Latinè Anticipatio, quâ prævertitur narratio rei alicujus, quæ poſteà facta eſt. Nunc enim jubetur reponi coram Domino, ſed extructo demum tabernaculo id factum eſt. Ita præcedenti capite dicuntur filij Iſraël veniſſe in *Mara*, qui tamen locus nondum ſic appellabatur, ſed tum primum à populo ſic dictus eſt propter amaritudinem aquarum. Sexcenta ejuſmodi exempla in ſcripturis occurrunt.

ỳ.35. *Comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem.* Myſticè ſignificatur, Euchariſtiæ uſum, ſicut & aliorum Sacramentorum, tantùm durare tempore hujus peregrinationis, donec veniamus ad patriam cæleſtem.

CAPUT XVII.

ỳ.6. *En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Horeb, percutieſque petram, & exibit ex ea aqua.* Simile *miraculum* narratur Num. cap. 20. atque adeò Oleaſter putat unum idemque eſſe. Sed *omninò diverſum eſt*; hoc enim contigit in Raphidim anno primo poſt egreſſum ex Ægypto, illud verò Numer. cap. 20. in deſerto Sin apud Cades, ſub initium anni quadrageſimi poſt exitum ex Ægypto. *Accedit* quod ibidem Num. cap. 20. murmurantes dicunt: *Utinam perijſſemus inter fratres noſtros coram Domino.* Quod hoc loco Exodi cap. 17. dicere nondum poſſunt, quando populus nullâ adhuc plaga percuſſus eſt à Domino. *Movetur Oleaſter* eo argumento, quoniam qui in libro Numerorum ob aquæ penuriam murmurarunt, erant ex iis qui egreſſi fuerant ex Ægypto; Dicunt enim: *Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto?* Atqui, inquit, quadrageſimo poſt egreſſionem anno nulli eorum, qui de Ægypto aſcenderant, ſuperſtites erant præter Moyſem, Aaron, Joſue, & Caleb. *Sed* facilè reſpondetur. Quod enim allegat Oleaſter; de iis tantum intelligendum eſt, qui tempore egreſſionis ſuperarant vigeſimum ætatis annum, & non de aliis. Sic enim clarè loquitur Scriptura Numer. 14. v. 29. *In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam levavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Ioſue filium Nun.* Supererant ergo Numer. cap. 20. plurimi qui egreſſi erant ex Ægypto, ſed nondum cùm populus recenſeretur (de quo Num. cap. 1.) attigerant annum ætatis vigeſimum. Atque hi ſcilicet murmurantes dicunt, Num. 20. *Quare nos feciſtis aſcendere de Ægypto?* Denique & Apoſtolus 1. Corinth. 10. non de utraque petræ percuſſione agit (quod

idem

idem Oleaſter aſſerit, faciens utramque unam) ſed de illa potiſſimum de qua hic narratur Exod. 17. Vide, ſi placet, noſtra ad eundem Apoſtoli locum.

ỳ.14. *Scribe hoc ob monimentum in libro.* Hic primùm ſcriptionis & libri fit mentio, tametſi Moyſem non primum ſcribendi authorem fuiſſe, vel inde conſtat, quod Enoch, teſte Juda Apoſtolo, prophetiam poſt ſe reliquerit, utique ſcriptam. Neque enim ſine ſcriptione conſervari potuiſſet.

ỳ.16. *Quia manus ſolij Domini.* Ita rectè ſubſtantivum (*ſolij*) id eſt, tribunalis, pro adjectivo (*ſolius*) ita enim habent omnia MSS. & conſentiunt Hebræa; quæ habent, *ſuper thronum Domini.*

CAPUT XVIII.

B

ỳ.2. **C***Vmque audiſſet Iethro ſacerdos Madian.* Hic Iethro ſocer Moyſi ſuprà cap.2. appellatus eſt Raguel, & utrobique dicitur fuiſſe ſacerdos Madian. Ubi occurrit quæſtio, utrum *ſacerdos idolorum*, an ſacerdos unius veri & ſummi Dei, qualis fuit Melchiſedech? Quidam dicunt neutro modo eum ſacerdotem fuiſſe, ſed appellari in Scriptura ſacerdotem, id eſt, principem vel magnatem, & primarium virum in ſuo populo, quomodo ſecundi Regum capite octavo, dicuntur, filij David ſacerdotes fuiſſe: quod ſanè propriè accipi non poteſt, cùm ex tribu Juda nemini licitum fuerit ſacerdotio fungi: unde ſacerdotes dicuntur, id eſt principes populi. Verùm ut ita de Iethro interpretemur, nulla nos cogit neceſſitas. Imò *veriſimile* admodum eſt, eum fuiſſe *ſacerdotem*, non idolorum, ſed *unius veri Dei.* Legimus *enim* hoc eodem capite, verſu duodecimo: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo.* Certe hunc honorem ſacerdotij idolorum Moyſes non detuliſſet, ut eum in populo Dei permitteret ſacerdotis officio fungi. Ac *deinde* cùm ex
C
Abrahæ poſteris fuerit (nam Madian fuit filius Abrahæ ex Cetura) non eſt improbabile eum traditam ſibi à parentibus veram religionem accepiſſe & excoluiſſe. Et ut fortè non retinuiſſet, ſaltem à Moyſe qui quadraginta cum eo annos habitavit: veri Dei cultum edoceri potuit, & edoctum fuiſſe eſt veriſimile. Circumciſum autem fuiſſe eò quòd de poſteris Abrahæ eſſet, non eſt improbabile. Nam etſi Sephora filia ejus, filios
D
ſuos ex Moyſe ſuſceptos non fuerit paſſa circumcidi, priuſquam periculo viri in itinere objecto cogeretur; ea tamen culpa Moyſi magis fuit quàm Iethro, quia Moyſes pater erat, qui fortè ut advenatem diſtulit, ſicut Iſraëlitæ in deſerto. Expectabat enim opportunum tempus quo id faceret. Nam tempus octavi diei Geneſ. 17. non habet comminationem appoſitam, ſicut lex ipſa. Itaque ſicut inter gentiles Melchiſedech fuit verus Dei cultor in terra Chanaan, & Job in terra Hus; ita & Iethro in terra Madian.

ỳ.2. *Tulit Sephoram uxorem Moyſi quam remiſerat.* Quomodo hoc concilietur cum eo quod ſuprà cap.4. v.26. dicitur Sephora Moyſen dimiſiſſe; vide ibi explicatum.

E

ỳ.5. *Iuxta montem Dei.* Sic per Prolepſim vel anticipationem Oreb vel Sina vocatur; nempe quia in eo monte paulò pòſt Deus legem populo dedit.

ỳ.11. *Nunc cognovi, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos.* Videri hinc poſſet Iethro nunc primùm cognoviſſe Deum verum, ac proinde fuiſſe ſacerdotem idolorum; ſed ſenſus eſt; Nunc ſcilicet etiam experientia didici, id quod prius ſciebam, ſicut cùm dicit mulier Sareptana, ad Eliam 3. Regum capite decimo-ſeptimo: *Nunc in iſto cognovi quoniam vir Dei es tu*; Sciebat enim & antea, quando dixerat; *Quid mihi & tibi vir Dei?* itemque in miraculo farinæ & olei non diminuti; ſed ex novo miraculo pueri ſuſcitati certiùs illud jam cognoſcebat.

A ỳ.19. *Sed audi verba mea atque conſilia.* Mirabitur aliquis cur hoc conſilium ipſi Moyſi non prius venerit in mentem, homini tam prudenti; aut cur de ea re à Domino non fuerit admonitus. *Ad poſterius Reſpondeo;* Dominum id et noluiſſe immediatè præſcribere, ut etiam aliquid per homines diſceret, idque *ad cuſtodiam humilitatis.* Ita Saulus à Chriſto miſſus eſt ad Ananiam inſtituendus in his quæ facere eum oporteret. *Ad prius dico,* Moyſen in populi regimine, quód à Deo ſuſceperat, privato ſuo conſilio nihil conſtituere voluiſſe; ſed putaſſe expectandam ſibi eſſe Dei juſſionem vel hominum ſapientum ſuggeſtionem; quod erat & prudentiæ & humilitatis. Cæterùm in eo quòd Iethro homo alienigena conſilium dat Moyſi tali viro, qui cum Deo familiariter loquebatur, ſicut loquitur amicus
B ad amicum ſuum, admonet nos ſcriptura, bonum & ſanum conſilium per quemcumque hominem detur, non debere contemni. Deinde humilitatem nobis commendare voluit, ut diſcamus quantumcumque nobis docti ac ſancti videamur, non rejicere monitionem proximi, quoniam Moyſes cum quo loquebatur Deus, non contempſit conſilium hominis alienigenæ.

ỳ.21. *Et conſtitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos.* Ex hoc conſilio, & ſubſecuto Moyſi facto, propagatus eſt mos in populo Iſraëlitico, ut non tantùm pace, in judiciis; ſed etiam bello contra hoſtem, ſibi hos ordines Ducum conſtituerent, & in his *quinquagenarios*; quod peculiare fuit illi populo, quemadmodum Hieronymus teſtatur in Comment. ſuper Iſaiæ caput tertium: ſicut
C etiam rex Iſraël 4. Regum capite primo ad accerſendum Eliam, tres miſit quinquagenarios. Et mirum videri poteſt, *cur* præter centuriones etiam *quinquagenarios* præfectos conſtitui placuerit. Sed arbitror quinquagenarios non fuiſſe ſubjectos centurionibus: quomodo decem centuriones ſubjecti erant uni tribuno, & decem decani uni centurioni, & decem homines uni decano. Ut quid enim attinebat duobus dumtaxat quinquagenariis unum præfici centurionem? Quare crediderim, *poſt tribunos*, qui mille hominibus præerant, conſtitutos fuiſſe alios quidem centuriones, tanquam digniores; alios verò quinquagenarios, tanquam dignitate minores: *utroſque* tamen proximè ſubjectos tribunis: centuriones quidem numero decem, quinqua-
D genarios autem, viginti. Tale eſt & quod Marcus refert cap. 6. Chriſti convivas in deſerto diſcubuiſſe in partes *per centenos & quinquagenos.* Vide etiam 1. Machab. 3.

CAPUT XIX.

ỳ.6. **V***Os eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Regnum ſacerdotale quidam intelligunt poſitum pro regno inclyto & eximio: ut ſacerdotij nomen hoc loco nihil aliud quàm eminentiam quandam ſignificet. Sic Cajetanus & nonnulli alij hanc locutionem accipiunt. Verùm ſi inſpiciamus alia
E ſimilia Scripturæ loca, in quibus ad hunc Exodi locum reſpicitur: inveniemus in ſacerdotij nomine plus aliquid intelligendum eſſe. Apocal. capite primo ita legitur de Chriſto: *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & patri ſuo.* Ubi manifeſtè ſeparantur velut diverſa regnum & ſacerdotium. Ruſum 1. Petri capite ſecundo ita legitur: *Vos autem genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta.* Et quamvis ibi conjunctim dicat (*regale ſacerdotium*) ſicut hoc loco (*regnum ſacerdotale:*) tamen proprium aliquid in ſacerdotij nomine ſignificati, ſatis oſtendit verbis ſuperioribus ejuſdem capitis, quibus vocat fideles domum ſpiritualem, ſacerdotium ſanctũ. Et vim ſacerdotij explicans addit; offerre *ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.*

Cùm ergo manifeſtè alludat Petrus ad locum præ-

ſentem ; conſequens eſt, etiam hic in ſacerdotij nomine A peculiare aliquid debere intelligi. *Senſus* igitur eſt : Vos eritis mihi populus, in quo mihi conſtituam regnum & ſacerdotium. *Vel*, ut exponit Paraphraſtes Chaldæus: *Eritis mihi reges & ſacerdotes.* Omnes enim quadam animorum colligatione quodammodo reges ſunt in uno rege ; & omnes ſacerdotes, in uno ſummo ſacerdote. Unde non incongruè totus populus offerre ſacrificium dicitur ſacrificante ſacerdote. Sic enim & in Canone Miſſæ legimus de toto cœtu fidelium : *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Offerunt enim non miniſterio, ſed conjunctione animorum. *Gens autem ſancta* dicuntur, id eſt, divino cultui deputatæ. Ita Eccleſia ſancta dicitur, profeſſione ac deputatione ; quia veram Dei religionem profitetur, ejuſque cultui ſe mancipavit, tametſi in ea multi ſint qui ſuæ profeſſioni B non reſpondeant, ſic etiam Sap. 10. dicitur : *Hæc populum juſtum & ſemen ſine querela*, vel ut Græcè, *populum ſanctum & ſemen irreprehenſibile liberavit.* Vide ejus loci annotationem, & noſt. comment. ad 1. Petr. 2.

℣. 13. *Cùm cœperit clangere buccina, tunc aſcendant in montem.* Sic intellige ; Tunc aſcendent uſque ad terminos præſcriptos, & non ultrà. Hoc enim ita factum eſſe docent iſta verba ſubjecta : *Cumque eduxiſſet eos Moyſes in occurſum Dei de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis*, ſcilicet uſque ad terminos, juxta præſcriptum Domini.

℣. 18. *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne.* Ob hanc cauſam Deuteronomij capite trigeſimotertio vocatur ignea lex. Hic tamen etiam aliquid adhuc tacetur, C quod ibi dicitur, nempe Dominum deſcendiſſe cum multis millibus Angelorum. Vide ejus loci Annotat.

℣. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur.* Et infrà v. 24 *Sacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos.* *Quæritur*, quomodo hic nominentur ſacerdotes, cùm hoc tempore nondum ſacerdotium in populo illo inſtitutum fuerit ; ſed demum poſt ſcelus adorati vituli; *Reſpondeo*, probabiliſſimum eſſe ſacerdotes hic vocari Levitas, per Anticipationem & per Enallagen, quia ex illis ſacerdotes aſſumendi erant ; jamque propter Moyſem & Aaron (qui erant ex eadem tribu Leviticâ erantque totius populi, juſſu Dei, ductores & principes) cœperent honorabiliori loco haberi, & Moyſi in negotio excipiendæ legis, D ſeu aliis ad Deum pertinentibus ſubſervire.

CAPUT XX.

℣. 1. LOcutuſque eſt Dominus cunctos ſermones hos. Dixit quidem populus hoc eodem cap v. 19. ad Moyſem: *Loquere tu nobis, & audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Sed dixerunt hæc Iſraelitæ, majeſtate Dei loquentis territi, nec tamen deſiit propterea ipſum Decalogum per ſe immediatè pronunciare. Docent hoc ſubjecta verba v. 22: *Dixit præterea Dominus ad Moyſen : Hæc dices filiis Iſraël : vos vidiſtis quod de cœlo locutus ſum vobis.* Item E illud ad Hebr. capite duodecimo, ubi de populo Iſraël dicitur, quod poſtquam audiviſſent vocem ſeu verbum Dei, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum, ſcilicet ampliùs. Nam Græcè eſt : *Ne eis apponeretur ſermo* ; quod Hebræa phraſi ſignificat alia verba prioribus addere, ut Iſaiæ cap. ſeptimo : *Adjecit Dominus loqui ad Achaz.* Denique Deut. 4. expreſsè dicitur ; *Locutus eſt Dominus ad vos de medio ignis: Vocem verborum ejus audiſtis, & formam penitus non vidiſtis.*

℣. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Hæc verba expoſuimus comment. noſt. in 3. diſtinct. 37 §. 5. Qua eadem diſtinctione, ſicut & ſequentibus uſque ad finem multa diximus de Decalogo, ejuſque præceptis.

℣. 4. *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinẽ.*

A *Quæritur* quare hinc non eſt conſequens prohiberi quoque imagines Chriſti & Sanctorum ? *Reſpond.* hoc præceptum dupliciter intelligi poteſt. *Uno modo*, ut abſolutè hoc præcepto voluerit Deus prohibere quocumque prætextu ſculptile, aut cujuſcumque rei imaginem. Et hoc intellectu ad ſolos pertineret Judæos, utpotè ad idololatriam proclives ; ſicut & præceptum de colendo Sabbatho, eo modo ut in eo nec cibi poſſent parari. Sed *altero modo*, & probabilius, intelligitur non abſolutè prohibitum ſtatuas aut imagines facere, ſed, tantum eo fine, ut colantur & adorentur. Ad hoc enim ſignificandum additum eſt : *Non adorabis ea, neque coles*, ut ſenſus ſit, Non facies, ut adores & colas ea, id eſt, ut eis cultum impendas divinum. Ita Auguſtinus in quæſt. & omnes ferè hoc præceptum intel- B lexerunt, ut ſit præcedentium verborum explicatio & complementum, quod & confirmatur ex Levit. 26. v. 1. Unde manifeſtum eſt nihil hoc ad imagines Chriſtianorum pertinere, quæ in ſeipſis neque honorantur, neque adorantur, ſed ad Chriſtum & Sanctos tanquam prototypa, omnis earum veneratio refertur. Confirmat quoque hunc ſenſum quod legitur Ioſue 22. capite, de altari erecto à duabus tribubus & media. Cùm enim altaris extructio extra locum divinitus ad hoc ordinatum vetita eſſet lege ; non tamen contra illud mandatum fecerunt, qui altare hoc extruxerunt, utpotè non ad ſacrificandum, ſed in monumentum : quæ legis interpretatio etiam huc transferenda eſt. Quamvis enim lex prohibeat fieri ſimulacra ; non tamen propterea contra legem, id eſt, legis C intentionem faciunt, qui ſimulacrum non ad cultum, ſed ad rememorationem habent aut faciunt. Unde & legimus in domo Davidis fuiſſe ſtatuam, qua Michol uxor ejus 1. Reg. 19. uſa eſt ad fallendum ſatellites Saül. Vide cit. lib. 3. diſtinct. 38. §. 10.

℣. 5. *Viſitans iniquitatem patrum in filios — eorum qui oderunt me.* Quomodo hæc ſententia non diſſentiat ab ea quæ eſt Ezech. cap. decimo octavo, Gregorius lib. 15. Moral. cap. 31. (& citatur à Gratiano de pœnitentia diſt. 4. cap: *Quid eſt*) duobus modis explicat. Non videtur autem rectè reſtringi ad poſteros imitantes peccata majorum, quia ſæpè Deus (punitione temporali ſcilicet) etiam viſitat iniquitates patrum in filiis in ea ætate quæ nondum eſt imitationis pravæ capax ; D ut quando tota familia cum pueris & infantibus deletur propter peccatum unius, ut factum eſt in Achan, Joſue capite ſeptimo. Sic & peccatum Davidis vindicatum eſt in filio ejus infante. Si *quæras* cauſam juſtitiæ ; habes illam Exodi capite trigeſimo quarto verſu ſeptimo in oratione Moyſis his verbis : *Nulluſque apud te per ſe innocens eſt, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.* Nempe quia nullus per ſe apud Deum eſt innocens. Vide noſt. in 2. ſent. diſt 33. §. 11.

℣. 7. *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id eſt, non pejerabis. Sic enim Chriſtus exponit Matth. capite quinto: *In vanum ergo*, id eſt, ad falſitatem. Vide noſtra in tertium diſt. 36. Eodem modo intelligo E quod ſequitur: *Nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra*, id eſt habet eum pro homine ſcelerato ; & ut talem puniet, qui falſum juraverit. Hoc autem de eo qui verum temerè & leviter jurat, dici non poteſt. Vide Vatablum Et eadem verba habentur Deuteron. 5. tametſi interpres noſter non iiſdem verbis vertat. Vide & illic Vatabl. nobiſcum diſertè ſentientem. Vide etiam Emanuëlem hoc loco; & noſt. in 3. diſtinct. 39.

℣. 8. *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* Nota quòd dicitur (*ſanctifices.*) Sicut enim olim Judæis non tantùm ſervilia, ſed etiam alia quædam, ut iter agere, emere ac vendere, prohibita fuerunt, ut patet Exod. 16. & 2. Eſdræ ult. ita & nunc præter ſervilia opera

etiam

etiam alia quædam hominem à Dei cultu abſtrahentia, prohibentur ; ut mercatus, ſtrepitus judiciarius, & ſimilia, de quibus 2. decr. tit. de feriis. *Interim in his omnibus*, quoniam Eccleſia, qum cultum interiorum magis quàm externum ſpectat, non tam rigidè præcipit hanc requiem, atque olim lex Moyſi : præcipuè attendenda eſt approbata conſuetudo populi Chriſtiani, id eſt, piorum fidelium, tanquam optima legum Eccleſiæ interpres. Sed ab Apoſtolis *Sabbathum in diem Dominicam* mutatum eſt ; ut patet illo Actorum c.20. *Vna Sabbathi* (nempe prima die poſt Sabbathum) *cùm conveniſſemus ad frangendum panem*, *&c.* ſcilicet ſacrum. Et ſimilis locus de collectis fidelium eo die fieri ſolitis eſt, 1.Cor.ult. Et Joannes Apocal.1. apertè dicit ; *Cùm eſſem in ſpiritu in Dominica die.* Vide noſtra in 3.lib.ſent.diſt.3.§.12.

℣. 10. *Non facies omne opus in eo.* Intelligitur de opere ſervili ; qualia ſunt opera mechanica, & fabrilia, item onera vehere, ut patet Nehem.ult.& alibi. Huc etiam pertinet mercatus, ut patet eodem cap. Nehem. quia quamvis emere, & vendere non ſit propriè opus ſervile (non enim hoc ſolet demandari ſervis) tamen eſt ejuſmodi opus quod animum diſtrahat plurimum ab intentione rerum divinarum, & animum quaſi ſervum rerum terrenarum faciat. Vide plenius infrà cap.35.v.3.

℣. 12. *Honora patrem tuum & matrem, &c.* Honor parentibus debitus *triplex* eſt. *Primus* obedientiæ, quam Apoſtolus ad Epheſ. 6. & alibi ſæpè commendat. Ita Chriſtus patrem honoravit obediens ei uſque ad mortem. *Secundus* eſt reverentiæ. Sic Salomon matrem honoravit, eam ad dexteram collocans in ſolio juxta ſolium ſuum. 3.Reg.2. *Tertius* eſt ſuſtentationis, de quo Matth.15. ubi reprehendit Chriſtus Phariſæos contra hoc præceptum defraudantes parentes prætextu pietatis. Quòd autem honoris nomine ſuſtentatio quoque intelligatur docent hæ ſcripturæ 1.ad Tim.5. *Presbyteri duplici honore digni habeantur*, & Tob.1. de certis pecuniis, *quibus*, inquit Scriptura, *honoratus fuerat à rege.* Unde & *honeſtas* pro opibus, & *honeſtare* pro locupletare in ſcriptura ponitur, ut Eccleſiaſt.c.31. *Honeſtatis vigilia tabefaciet carnes.* Et Sap. 10. *Honeſtavit eum in laboribus.* In quo autem conſiſtat honor parentum, vide Eccleſiaſt.3. Ubi hujus honoris plura enumerantur officia & noſt.in 3.diſt.37.§.15.

℣. 12. *Vt ſis longævus ſuper terram.* Non tam cauſa finalis deſignatur, quaſi ob eum finem honorandi ſint parentes, ut vivas longævus ſuper terram, quàm eventus, ſive bonum quoddam conſequens, quod promittitur honoranti. q.d. Honora parentes : ita fiet, ut vivas longævus ſuper terram. Nihil tamen vetat hoc bonum conſequens, finem conſtitui ſecundarium, ut in ſimilibus. Vide etiam noſtrum comment.ad Epheſ.6. Ubi hoc præceptum vocatur primum in promiſſione, & in 3.diſt.3 §.16.

℣. 13. *Non occides.* De hoc præcepto ita Auguſtinus lib. 1. de Civit. Dei. cap.21. Quaſdam, inquit, exceptiones tamen eadem ipſa divina fecit authoritas, ut liceat hominem occidi ; quem videlicet Deus occidi jubet, ſive data lege, ſive ad perſonam pro tempore expreſſa juſſione. Et ideò nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, qui Deo authore bella geſſerunt ; aut perſonam gerentes publicæ poteſtatis, ſceleratos morte punierunt ; & Abraham quod voluit filium nequaquam ſcelerate, ſed obedienter occidere. Et poſt nonnulla concludens. His igitur exceptis, quos lex juſta generaliter, vel ipſe fons juſtitiæ Deus ſpecialiter occidi jubet; quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit homicidij crimine innectitur. Hæc Auguſt. Si *quæras* quid ergo de *ſanctis quibuſdam virginibus*, quæ tempore perſecutionis, ut inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, in flumen ſe præcipitarunt, dicendum

A ſit? *putat* idem Auguſt. lib. eodem cap. 26. probabile eſſe, divino juſſu, vel inſtinctu hoc ab eis factum fuiſſe, ſicut idem de Sampſone affirmat ejuſdem lib. 1. de Civit. Dei, cap. 21. Vide noſtra in 3. ſententiarum diſt.37 §.18.

℣. 14. *Non mœchaberis.* De hoc præcepto ſic Aug. quæſt.71.in Exod. Si, inquit, furti nomine benè intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ, profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus, prohibitus debet intelligi. Sic ille. Quin etiam *fornicationem ſimplicem* ſoluti cum ſoluta mortale peccatum eſſe, & à regno Dei excludere, his verbis Apoſtolus declarat, expreſsè etiam adulteros & fornicarios diſtinguens. 1. Cor.6. *Neque fornicarij, neque adulteri, neque*
B *molles, regnum Dei poßidebunt.* Et Hebr. 13. *Fornicatores & adulteros judicabit Dom.* Et aperta eſt Chryſoſtomi ſententia hom.22.in 2.Cor.10. *Quoties ſcortatus es, toties damnaſti teipſum.* Et in decretis ſic legitur 22.quæſt.1. cap. Prædicandum : Noſſe debent talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem de adulterio, & fornicatione, & de homicidio ſponte commiſſo, & de cæteris criminalibus vitiis. Ita ibi. *Sed & ebrietas* hoc præcepto prohibetur, ut quæ directè ad incontinentiam ducat. Unde illud Prov. 20. *Luxurioſa res vinum.* Et ad Epheſ. 5. *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Vide de his etiam plura, ſi placet in 3.ſentent.diſt.37.§.22.

℣. 15. *Non furtum facies.* Prohibetur generaliter omne nocumentum, quod homini injuſtè infertur in
C rebus exterioribus, quas poſſidet vel ei debentur. Nam & detentio juſtæ mercedis, & ſimilium, inprimis huc pertinent, ut patet Iacobi 5. & alibi. Et fures regnum Dei non poſſeſſuros, Apoſtolus aſſerit 1.Cor.6. Apud Prophetas quoque Oſèe 4. & Zachariæ 3. Dominus gravia furibus comminatur. Infinitæ ſunt hujus peccati ſpecies, quæ aliunde petantur. Illud hîc tantùm addo, quòd in omnibus, ante omnia facienda ſit reſtitutio, de qua ſic Auguſt. Epiſtol. 54. ad Macedonium : Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cùm reddi poſſit, non redditur ; non agitur pœnitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, NISI RESTITUATUR ABLATUM, ſed, ut dixi, cùm reſtitui poteſt. Ita Augu-
D ſtinus. Vide noſtra in 3. ſentent. dicta diſtinct. 37. §. 25.

℣. 16. *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.* Huc pertinet inprimis omne mendacium : deinde & ea quæ peculiarem ſpeciem falſitatis in verbis ſeu promiſſis conſtituunt, calumnia, detractio, pactorum violatio, & ſimilia. Et omne mendacium peccatum eſſe (tametſi aliud ſit veniale tantùm, ut jocoſum & officioſum) D. Auguſt. integro libro inſcripto de mendacio docet. Cæterùm, quod in præcepto additum eſt (*contra proximum tuum*) non ideò exiſtimare licet, pro proximo, ſine peccato poſſe falſum teſtimonium dici : Hoc enim tantùm idcircò in præ-
E cepto additum eſt, quia ut plurimùm per falſum teſtimonium proximo nocumentum, rarò autem & per accidens tantùm, aliquod commodum adfertur : velut cùm aliquis in judicio falſum teſtimonium dicit, ut ſervet vitam homini innocenti : Sed nec hoc ſine omni peccato fieret. Vide pleniùs, ſi lubet, in 3. ſentent.diſt.38.

℣. 17. *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis uxorem proximi tui, &c.* In Deuteronomio cap.5. alius ordo ſervatur in hunc modum : *Non concupiſces uxorem proximi tui ; non domum, non agrum, &c.* Hinc nonnulli (etiam Veteres) faciunt hîc unum tantùm præceptum, diſtinguentes primum, ut illa poſteriora verba. *Non facies tibi ſculptile*, ſint ſecundum præceptum. Sed juxta ea quæ diximus paulò antè, quòd

illud,

illud, *Non facies tibi ſculptile*, non ſit niſi partis præcedentis explicatio: potiùs hîc duo præcepta conſtituenda ſunt, ut conſtet quòd voceotur decem verba fœderis. Exodi 34. Deuteron. 4. & 10. Si hæc decem præcepta diſtinguit Auguſtin. quæſt. 71. ſuper Exodi concl. 1. in Pſal. 32. Epiſt. 119. ad Ianuarium cap. 11. lib. 15. contra Fauſtum cap. 4. & alibi, eandemque rationem lervarunt, quotquot ferè eum ſunt ſecuti. Et hanc quoque confirmant Patres Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. occultiſſima peccata vocantes contra duo ultima Decalogi præcepta. *Nec obſtat* huic ordini, quòd hîc Exodi 20. concupiſcentia uxoris alienæ ſecundo loco ponatur, aliter quàm in Deuteronomio: quia Septuaginta Interpretes utroque loco, eodem ordine hæc præcepta poſuerunt, uxorem præponentes alijs rebus: & ſeorſim utrobique adjungentes: *Non deſiderabis*, vel non concupiſces. Unde intelligitur quæ in Exodo minus diſtinctè poſita ſunt, in Deuteronomio tanquam lege repetita ac recognita (hoc enim ſonat vox *Deuteronomium*) diſtinctiùs poſita eſſe. Si quis plura velit, conſulat noſtra in 3. ſent. diſtinct. 40.

CAPUT XXI.

℣. 2. & 4. DE ſervo Hebræo dicitur: *Septimo anno egredietur liber gratis. Sin autem Dominus ejus dederit illi uxorem, & pepererit filios & filias; mulier & liberi ejus erit Domini ſui, ipſe verò exibit cum veſtitu ſuo.* Id eſt exibit ſolus: Mulier manet Domini jure ſervitutis: liberi quoque manent domini, quia partus ventrem ſequitur. Sed quare iſtud non repugnat vinculo conjugali, ut maritus exeat liber, mulier autem maneat in poteſtate domini? *Reſpondeo*, non repugnare, quia propter conjugale vinculum non tenetur qui liber eſt, dare ſe in ſervitutem, ſi uxor ſit alterius ſerva: ſed poteſt ab ea recedere quoad habitationem, ſalvo matrimonij jure, & uſu corporis utrique debito; quantum permittit jus domini in ſervam. Neque enim tenetur dominus cedere jure ſuo quod in ſervum habet, propterea quòd ſervus aut ſerva conjugio ſit copulata cum libero. Cardin. Bellarm. putat quòd hoc caſu vinculum conjugale ſolvebatur: & hinc probat, quòd tempore legis Moſaicæ per repudium verè ſolvebatur matrimonium. Adfert & alia argumenta, ſolvens ea, quæ pro diverſa opinione faciunt. At ſanè iſtud argumentum ex hoc loco, non probat ſolutionem, ut ſatis conſtat ex canonibus Eccleſiæ *de conjugio ſervorum*, & ex iis quæ traduntur à Doctoribus ad diſtinct. 36. lib. 4. ſententiarum Petri Lombardi. Ex quibus patet quòd etiam hodie idem poſſit fieri, nec tamen ideo ſolvitur conjugium.

℣. 6. *Offeret eum dominus Dijs.* Per Deos, quod Hebr. eſt (*Elohim*) intelliguntur Judices, quomodo etiam exponit Chaldæus Paraphraſtes. Septuaginta vertunt *ad tribunal Dei*. Similis locus eſt cap. ſeq. ubi dicitur, *Ad Deos utriuſque cauſa perveniet*, id eſt, ad judices; & rurſum eodem cap. 28. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices* Hinc & Joſaphat adhortans judices populi 2. Paralip. 19. *Non enim*, inquit, *hominis exercetis judicium, ſed Dei.*

℣. 14. *Si quis per induſtriam occiderit &c. ab altari meo avelles eum.* Hoc etiam hodie ſecundùm leges civiles, & Eccleſiaſticas obſervatur. Sic 3. Reg. 2. Ioab juſſu Salomonis juxta altare occiſus eſt. Vide etiam Hieron. ad illud Ezech. 9. *Contaminate domum &c.* v. 7.

℣. 17. *Qui maledixerit patri ſuo vel matri, morte moriatur.* Sic ſcilicet patri ſuo Romano Pontifici maledicunt hæretici, vocantes eum Antichriſtum; matri etiam Catholicæ Eccleſiæ, vocantes eam meretricem Babylonicam.

℣. 19. *Ita tamen ut operas ejus.* Alij transferunt

A (*otium*) ſeu vacationem ab opera; ut videlicet tantùm reddatur, quantum vacando ab opere paſſus fuit detrimenti.

℣. 23. *Reddet animam pro anima.* Ergo ad legem talionis quoque pertinet, quod homicidæ puniantur morte; & repetitur adhuc bis poſteà hæc lex talionis. Levit. 24. & Deuter. 19. Neque tamen exiſtimandum eſt per hanc legem permiſſum fuiſſe, ut quiſque læſus privata ſe authoritate vindicaret (nullo enim modo ille ſervaret modum,) ſed lex & norma datur judicibus, ut ſecundùm eam judicent de hujuſmodi injuriis ad ſe relatis. Quomodo autem Chriſtus hanc legem velut correxerit, vide commentatores in Matthæi 5.

B

CAPUT XXII.

℣. 1. QVinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove. Nempe *quia* boves & oves per ſe ad multa utilitates ſerviunt hominibus; aurum tantùm ratione commutationum: & rurſum bos quoque utilior ove; quia præter commoda quæ præſtat ex ſuo corpore hominibns in victum & veſtitum, æquè ut ovis; ſervit etiam homini ad agriculturam, & alia opera Sed *quid ſi fur non eſſet ſolvendo?* Veriſimile, quòd in pelle luere debebat, ſcilicet flagris; aut fortè aliquando etiam *laqueo*, cùm pluries furta magna commiſiſſet. Nam etiam illo tempore pro furto ſupplicium mortis aliquando fuiſſe irrogatum, apparet ex verbis
C Iacob ad Laban Gen. 31. ut ibi diximus. *Aut* ſanè vendebatur in ſervitutem, ut ex pretio ſatisfieret homini læſo ſecundùm legem: quò ſpectat parabola Evangelica de ſervo debitore decem millium talentorum, & illud hoc ipſo cap. v. 3. item præſcribitur.

℣. 2. *Si effringens fur domum aut ſuffodiens &c. percuſſor non erit reus ſanguinis.* Concordat Lex 12. Tabularum hic antiqua phraſi: Si nox furtum faxit, & im aliquis occiſit, jure cæſus eſto. Intelligenda autem hæc de foro externo; in quo tale homicidium non punitur, quia præſupponitur quod fur etiam vim inferre voluerit. Conſ. Macrobium Saturn. 1. cap. 4. ſub finem.

℣. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Hebr. *Maleficam ne vivifices*, id eſt, ne ſinas vivere, ſed interfice; ſicut
D de Davide dicitur 1. Reg. 27. *Virum & mulierem non vivificabat.* Et eadem ratio eſt de viro. Et nota, non dicit: non patieris vivere, ſi maleficiis ſuis quæcumque nocumenta inferant; ſed abſolutè, ut intelligamus hoc peccatum morte puniendum, non ſolùm propter læſam Rempublicam, ſed propter hoc ipſum quod malefici ſint, ſeu incantatores: quod per ſe tale eſt, ut mortem mereatur, quia ſcilicet eſt crimen apoſtaſiæ à Deo, & transfugij ad ejus adverſarium Diabolum, ita ut ei deferatur honor Deo debitus.

CAPUT XXIII.

℣. 15. NOn apparebis in conſpectu meo vacuus. *Myſticè* Vacuus in conſpectu Domini
E apparet, cujus actio fructu piæ utilitatis caret, Bonav. lib. 2. de profectu relig. cap. 9.

℣. 19. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.* Etſi quidam dicant conſuetudinem fuiſſe idololatrarum, ut carnes idolis immolandas in lacte coquerent (quod tamen veriſimile non eſt,) alij tamen meliùs ſic iſtud exponunt; Ne offeras mihi hœdum dum adhuc lac ſugit, vel, *in lacte matris*, id eſt, cum matre lactante; q. d. Satis tibi ſit coquere & comedere hœdum: nolo ſimul coquas matrem. Id enim ſpeciem habet crudelitatis. Sic & Deuter. 32. inveniens quis nidum avium, jubetur, dimiſſa matre, ſolos pullos tenere.

Myſtico ſenſu refert Auguſt. ad Chriſtum, de quo prophetatum ſit hæc ſententia, non occidendum à Judæis in lacte matris, id eſt, in infantia, quando eum

ad

ad necem quærebat Herodes, ſed differendam ejus mortem uſque ad adultam ejus ætatem.

℣.20. *Ecce ego mittam Angelum qui præcedat te, & cuſtodiat in via &c.* Hunc Angelum fuiſſe S. Michaëlem Archangelum, id eſt, Angelorum Principem, veriſimile eſt ex eo, quod Judas Apoſtolus ſcribit Michaëlem de Moyſi corpore contendiſſe cum diabolo. Quod utique factum ab eo pro ſalute populi Iſraëlitici tanquam ſuæ cuſtodiæ commiſſi, ne ab eo Moyſi corpus divinis honoribus coleretur, exiſtimandum eſt. Unde quod dicitur Deuteron. ultimo, *Dominum ſepeliiſſe Moyſen, ita ut non cognoverit homo ſepulchrum ejus,* intelligendum eſt id Dominum feciſſe miniſterio Michaëlis Archangeli, ut ibi annotavimus. Rurſum id veriſimile fit ex Daniële, apud quem cap. 10. & 12. Michaël vocatur princeps populi Dei. Idem porrò vocat ſe principem exercitus Domini, Ioſue 5. Idem fuit Angelus exterminator. Vide 1. Corinth. 10. Item percuſſor Ægyptiorum. Unde & hîc dicitur: *quia non dimittet cùm peccaveris.* Ex quo colligitur, Angelos cuſtodes eſſe etiam eorundem hominum percuſſores, quando Deus eos propter peccata vult percuti: ſicut Herodem. Actor. 12. Vide ejus loci annot. & quę diximus in noſt. comment. tam 1. ad Corinth. 10. v. 10. quàm ad v. 5. & 9. citatæ Epiſt. S. Judæ.

℣.26. *Non erit infœcunda nec ſterilis.* Non eſt præceptum, ſed benedictionis promiſſio. Clariùs idem repetitur Deut. 7. v. 14. his verbis: *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis.* Et huc multi pertinere putant, quod interdum à veteribus tanquam Scripturæ teſtimonium citatur: *Maledictus, qui non ſuſcitaverit ſemen in Iſraël,* ut apud Auguſt. q. 17. in vetus teſtam. & lib. 32. contra Fauſtum cap. 6. verbis tamen Fauſti. *Sed* videant ſtudioſi an non reſpiciatur potiùs ad Deut. 25. ubi punitur non ſuſcitans ſemen fratris ſui.

℣.28. *Emittens crabrones prius.* Iſtud non legimus factum, neque Moyſis temporibus, neque Joſue, neque poſteà. Atque hoc argumento movetur Auguſt. ut per crabrones ſeu veſpas non aliud intelligat, quàm timoris aculeos, quibus gentes illæ Chanaan agitatæ fuerint, ut cederent terram ſuam filiis Iſraël. Nihil tamen vetat crabrones propriè accipi. Quamvis enim non legamus illud factum, tamen factum eſſe credi poteſt, quia hîc prædictum. Suadet quoque ad propriam ſignificationem retinendam locus Sapient. 12. v. 8. ubi de his gentibus ſic legitur: *Sed & his tanquam hominibus pepercisti, & miſiſti antecesſores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent.* Et alia quæ ſequuntur ſatis inſinuant veſparum nomine intelligendum id quod vox illa propriè ſonat. Et verba Joſue c. 24. v. 12.

CAPUT XXIV.

℣.4. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini.* Scilicèt in volumine fœderis, de quo ſubjicitur v. 7. *Aſſumenſque volumen fœderis, legit &c.* *Non ergo univerſam legem*, quæ ſuperioribus capitibus cótinetur, ſ ti ſit ipſe Dominus, quod quidam putant: ſed ſolùm Decalogum. Nec obſtat quod infrà dicitur:

℣.12. *Daboque tibi tabulas lapideas & legem ac mandata, quæ ſcripſi, ut doceas eos,* quia hoc totum poteſt intelligi de lege Decalogi, utpotè in decē mandata diviſâ.

℣.5. *Miſitque juvenes de filiis Iſraël, & obtulerunt holocauſta.* Qui fuerint hi juvenes non liquet, niſi quòd quidam volunt, ſacerdotio Aaronico nondum inſtituto, primogenitos de ſingulis tribubus ſingulos electos fuiſſe ad opus ſacrificandi. Oleaſter tamen hoc loco negat haberi ex Scriptura, quòd primogeniti fuerint ſacerdotes. Vide etiam noſtra Geneſ. 25. & 27. & S. Augſt. q. 20. in Levit.

℣.8. *Hic eſt ſanguis fœderis quod pepigit vobiſcum*

A *Deus.* Fœdus ſeu Teſtamentum vetus intelligitur, quod conſecratum eſt in ſanguine vitulorum. Hebr. 9. Et ad hæc Moyſis veteris legiſlatoris verba alluſit Chriſtus novæ legiſlator, quando in calicis conſecratione dixit: Matth. 26. *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti &c.* *Nota* igitur, quòd ſicut proprio ſermone & non per tropum dictum eſt à Moyſe: *Hic eſt ſanguis fœderis:* ita & à Chriſto proprio ſermone, & neutiquam figurato dictum eſt: *Hic eſt ſanguis meus, novi Teſtamenti &c.* Plura ſi placet, vide in noſt. comment. ad relatum locum Epiſt. ad Hebr. 9. & 1. ad Cor. 11. itemque in 4. ſent. diſt. 8.

℣. 11. *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël miſit manum ſuam &c.* Clariùs hoc in Hebræo. *Super electos autem filiorum Iſraël non miſit manum ſuā.*
B Cui lectioni conſentiunt etiam Septuaginta, conſentit & Paraph. Chald. Per electos autem ſeu Principes filiorum Iſraël, intelliguntur ij, qui paulò ante juſſi erant aſcendere ad Dominum, non tamen uſque ad montis verticem, quò aſcendit Moyſes, ſed uſque ad terminum præſcriptum, tametſi viciniori loco quàm populus, ut dictum eſt c. 19. Hi autem erant Aaron, Nadab, Abiu, & ſeptuaginta Seniores.

De his ergo hîc dicitur quòd ſuper eos non miſerit Dominus manum ſuam, quamvis Dominum vidiſſent, ſed ſalvi & incolumes adhuc comederent & biberent. Sic & Iacob dicebat, Geneſ. 32. 30. *Vidi Dominum facie ad faciem & ſalva facta eſt anima mea,* quaſi dicat nec tamen mortuus ſum ex majeſtate divinæ præſentiæ. Intelligitur enim viſio Dei (etiam tan-
C tùm ſecundùm ſpeciem aliquam viſibilem, ſed Deo dignam) ita ſenſus inſpicientium percellere, ut eos cogeret emori, niſi peculiari Dei dignatione conſervarentur. Sic Hieron. in 17. Matthæi. Humana, inquit, fragilitas conſpectum majoris gloriæ ferre non ſuſtinet. Vide annot. cit. loco Gen. 32. v. 30.

℣.18. *Et fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Quomodo potuerit abſque cibo tamdiu perdurare, & utrum abſque moleſtia famis & ſitis: vide Bonav. in 3. diſt. 16. q. 1. Apparet autem non ſolùm Moyſen, verùm etiam famulum ejus Ioſue quadraginta dierum jejunium pertuliſſe. Nam hic dicitur Ioſue cum Moyſe ſurrexiſſe, id eſt aſcendiſſe in montem, & infrà c. 32. dicitur cum Moyſe deſcendiſſe. Ideò autem
D de Ioſue non dicitur quòd nec ederit nec biberit toto illo temporis ſpatio, ſicut de Moyſe dicitur, non hîc quidem ſed alibi: quia quod de magiſtro dicitur, facilè etiam de miniſtro, qui à magiſtro non diſcedebat, intelligitur. Niſi quis exiſtimet Ioſue per id tempus quo Moyſes cum Domino loquebatur, deſcendiſſe ad juga montis & manna quo veſceretur, collegiſſe. Videtur enim & hoc dici poſſe non improbabiliter, ut jejunij quadragenarij privilegium ſervetur tribus duntaxat illis, quibus id myſterij cauſâ peculiariter aſcribere ſolent patres; ſcilicet Chriſto, Moyſi & Eliæ. Nota tamen quòd ſcriptura non dicat eos jejunaſſe, ſed non comediſſe tot dierum ſpatio: videlicet non loquens de
E eſurie ſeu famis moleſtiâ. Sed de Elia ſatis apparet quòd nullam famis moleſtiam paſſus fuerit, quando quadraginta dierum ſpatio nihil comedit, quia ut ſcriptura dicit. 3. Reg. 19. *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & noctibus.* Cibus ergo qui debilitatem tot dierum ſpatio excludebat, etiam famem excluſiſſe videtur.

CAPUT XXV.

℣.5. *Et pelles arietum rubricatas, pelleſque janthinas.* Vide cap. ſequenti v. 14.

℣. 9. *Iuxta omnem ſimilitudinem tabernaculi quod oſtendam tibi.* Et in fine cap. *Inſpice & fac ſecundū exemplar, quod tibi in mōte monſtratū eſt.* *Quæri* poteſt, quare hoc exemplar non potiùs monſtratum fuit operariis

quàm

quàm Moyſi; hoc enim futurum erat compendioſius, ut videtur. *Reſpond.* debuit oſtendi Prophetæ, non operatiis, quia erat inſtar revelationis. *Adde*, quòd Moyſes erat hujus operis architectus, ſingula præſcribens. Itaque opus magis notum eſſe debebat architecto, quàm operatiis.

ỷ.16. *Paneſque in arca teſtificationem quam dabo tibi.* Duas tabulas teſtimonij ſeu legis, intelligit, reponendas in arca: de quo vide plenius. 3.Reg.8.

ỷ.18. *Duos quoque Cherubin aureos facias.* Ioſephus tradit Cherubim habuiſſe ſimilitudinem quarumdam avium, quæ nunquam viſæ ſunt ab hominibus, quarum tamen imagines viderit Moyſes in illo exemplari divino in monte. *Sed* probabilior eſt tum aliorum Hebræorum, tum etiam Chriſtianorum Doctorum ſententia, qui dicunt Cherubim habuiſſe ſimilitudinem juvenum habentium alas, imagines enim hæ, quæ Cherubim hoc loco dicuntur, repræſentant Angelos, qui eodem nomine Cherubim vocantur, ſicut & Iſaiæ 6. Seraphim, quos Propheta in viſione ſibi oſtenſos dicit, Angelos illos deſignant qui Seraphim appellantur, Angeli autem nuſquam alia ſpecie apparuiſſe leguntur, quàm humanâ, eâque juvenili ad ſignificandum in eis humanitatis officia, & perpetuum naturæ vigorem. Cæterùm ſive avium, ſive hominum alatorum imagines geſſerint:

Locus hic apertè convincit, ſimulacra non ita lege illa Exodi 20. fuiſſe prohibita, ut ea nulla ratione ſculpere, pingere, aut quocumque modo facere liceret: quandoquidem hæ imagines in ipſo Sancto Sanctorum fuerint collocatæ; & proinde ſicut Arca, uti Sanctum principale, ita & Cherubim deſuper extenti, in eo loco honorati fuerunt, non ut pro Diis haberentur, ſed quòd divinam præſentiam accedentibus velut repræſentarent: inde enim Dominus dabat reſponſa, ut hoc eodem cap. v. 22. Scriptura teſtatur.

ỷ.30. *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis.* Quare vocentur panes propoſitionis, indicat id quod ſubjicitur, *in conſpectu meo ſemper.* Puta dicuntur panes propoſitionis, tanquam *antepoſitionis*, quia coram Domino, ſeu ante conſpectum Domini, id eſt, ante tabernaculum teſtimonij ponebantur.

CAPUT XXVI.

ỷ.14. E*T ſuper hoc rurſum aliud operimentum de janthinis pellibus.* Hebraicè ſic, *Et operimentum pellium taxorum deſuper.* Gloſſa Bedæ interpretatur hyacinthinas pelles. Sic & Rabanus legit, Græca etiam habent *δέρματα ὑακίνθινα*, ſi mendum non eſt. At Plinius, lib. 21. c. 6. Nat. Hiſtor. meminit janthinæ veſtis, ſic dictæ ab ἴα, quod Græcis violam ſignificat. Nec à viola multum colore diſtat hyacinthus, ita ut parum referat ſive janthinas pelles legas, ſive Hiacinthinas. Arbitror tamen Hieronymum vertiſſe (*janthinas*) & ſcribas imperitos mutaſſe in *hyacinthinas*.

Sed quid ſibi vult quod eſt in Hebræo *pelles taxorum*? An etiam coloris certum genus ſignificet, proveniens ex tinctura taxi? Videtur certè ex antegreſſa ſententia repetendum (*arietum*) ut videlicet tam iſtæ janthinæ, quàm illæ rubricatæ pelles, ſint arietinæ.

ỷ.15. *Facies & tabulas ſtantes de lignis Setbim.* Frequens hoc capite & alibi fit mentio lignorum Setbim. Septuaginta verterunt (*ligna imputribilia.*) Hebræorum, alij (*pinum*,) alij præſtantiſſimum cedri genus interpretantur. Beda dicit eſſe ligni genus leve & imputribile, quod à qualitate albæ ſpinæ parum differat. *Quæritur* unde hoc lignum Iſraëlitis in deſerto? Tradunt Hebræi Patriarcham Iacob attuliſſe in Ægyptum ſemina ejus arboris, eamque ibi plantaſſe; atque inſuper, quod in ſpiritu de tabernaculo fabricando didiciſſet, monuiſſe ſuos, ut exeuntes Ægypto, ſecum hujuſmodi ligna deferrent, reliqua pretioſa ad fabricationem tabernaculi ex ſpoliis Ægyptiis ſumpturos. *Sed* ſepoſita hac narratione, quæ fabulam redolet, ſentit Arias Montanus in libro de fabricis ſacris, etiamſi in illo deſerto non ſuppeterent, quæ ad victum erant neceſſaria; tamen ligna hujuſmodi fuiſſe inventa; atque adeo adhuc hodie ejuſmodi lignorum copiam in illo deſerto Arabico haberi; & locum quendam ab hujuſmodi arbore quoque vocari Setbim.

ỷ.30. *Iuxta exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt.* De eo diximus cap. præced. v. 9. Et præter Stephanum Act. 7. meminit etiam Apoſtolus ad Hebr. 8. Ad quem locum Apoſtoli docent commentatores Dominum Moyſi in monte oſtendiſſe, ſive externo adſpectu, ſive (quod veriſimilius eſt) interna tantùm & imaginaria viſione, non modò formam tabernaculi materialis & partium ejus, ſed etiam tabernaculi ſpiritualis ac cæleſtis. Nam Apoſtulus ex hoc exemplari Moyſi oſtenſo, probat tabernaculum illud vetus fuiſſe umbram rerum cæleſtium: quod intelligunt tabernaculum ſpirituale, hoc eſt, Eccleſiam, partium militantem, partium triumphantem.

ỷ.33. *Inſeretur autem velum per circulos, intra quod pones Arcam teſtimonij, &c.* Velum hoc Apoſt. ad Hebr. 9. v. 3. vocat *velamentum ſecundum*. Erant enim duo vela. Unum, quod divideret Sanctum à Sancto Sanctorum, in quo erat arca, & de illo hic agitur; alterum exterius, quod Sanctum ſepararet ab atrio foris poſito; quod proinde ingredientibus erat primum. *An autem* præter hæc duo, fuerint adhuc alia tabernaculi vela, quemadmodum ex Levitici aliquot locis inter ſe collatis probari poſſe putat Galenus, ſtudioſis inveſtigandum relinquo. Certè in templo Salomonis plura duobus fuiſſe, variis uſibus aptata, ſatis credibile eſt. Cave tamen velis annumeres *decem cortinas*, & *undecim ſaga cilicina*, quibus operiebatur tabernaculum. Nam operimenta propriè non dicuntur vela. Vide Commentarium noſtrum cit. ad Hebr. 9. v. 3.

CAPUT XXVII.

ỷ.2. C*Ornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt.* Erant etiam apud gentiles altaria cornuta. Unde Martialis in epigrammate; *Cornibus ara frequens.* De qua re pluribus Politian. in Miſcell. Cent. 1. c. 52. Ex quibus patet, æquè atque ex his verbis Scripturæ, non idem eſſe cornu altaris, & angulum altaris. Nam cornua prodibant ex angulis, & apprehendi poterant. Unde & 3. Reg. 2. legitur Ioab fugiens malè ſibi conſcius apprehendiſſe cornu altaris.

ỷ.4. *Quatuor annuli anei quos pones ſubter arulam altaris.* Malè quædam exemplaria legunt *ſuper arulam*, repugnante Hebraica veritate & verſione Græca. In Hebræo ſic habetur: *Et pones ſubter ambitum altaris de infrà.*

ỷ.21. *Vt uſque manè luceat coram Domino.* *Quæritur* quomodo iſtud? cùm verſu proximè præcedenti præcipiatur, ut lucerna ardeat *ſemper*? *Reſpondent multi*, Dominum his verbis tantùm velle, ut cura inprimis ſit ſacerdotum, ne fortè nocte per ſomnolentiam neglecta Dei lucerna extinguatur. Nam de die cùm vigilant homines, facilius erat lumen ejus conſervare. Liranus interim (*ſemper*) interpretatur pro qualibet nocte; quamvis & referat Joſephum ſcribentem, quòd etiam de die ex ſeptem lucernis tres ſaltem ardere debuerint.

CAPUT XXVIII.

ỷ.1. A*Pplica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis.* Nondum filij Levi acceperant benedictionem ſacri miniſterij, de qua infrà c. 32. Sed Dominus interim præſcius futurorum, & in ſua providentia omnia diſponens, conſtituit de ſacerdotalibus indumentis Aaronis & filiorũ ejus, priuſquam illa

tribus

tribus id feciſſet, per quod ad miniſterium altaris & tabernaculi fuit aſſumpta.

℣.4. *Hac autem erunt veſtimenta qua facient, Rationale, & ſuperhumerale &c.* Primo loco inter indumenta Pontificalia nominatur *Rationale*. Hebraicam vocem alij *(pectorale)* alij *(rationale)* vertunt. Et Septuaginta utrumque poſuerunt. Quare *pectorale* vocetur, cauſa manifeſta eſt, quia videlicet pectori ſummi Pontificis apponebatur. *Rationale* autem (quod nomen teſte Hieron. myſterio non vacat) ideò dictum putant nonnulli, quia continebat ea, quæ ſumma prudentia & exacta ratione conſideranda erant à ſummo Pontifice, nempe *doctrinam & veritatem*; de quibus rurſum v.30. Hieron. ad Fabiolam ideò *Rationale*, appellatum dicit, quia omnium operum Dei moderatrix eſt ratio, velut media conſiſtens; ſicut Rationale erat velut in corporis medio, nempè in pectore cætera continens & conſtringens.

Vocatur etiam *Rationale judicij*: eò quòd ſacerdos nunquam jus diceret, aut ſententiam ferret in re gravi, niſi pectorale illud haberet ſuper pectus collocatum; quo velut ſigno conſulebat Dominum, quid vel agendum eſſet, vel in re dubia pronuntiandum.

℣.9. *Sculpes in eis nomina filiorum Iſraël*: & infrà, *Memoriale filiis Iſraël*, & rurſum: *ob recordationem*, & cap.39. *In monumentum filiorum Iſraël*, Hebr. *lapides memoriæ*, ſeu *recordationis filiis Iſraël*. Non eſt autem ſenſus ut quidam volunt, quòd filij Jſraël conſpecta illa nominum duodecim Patriarcharum ſculptura, commonebantur patrum ſuorum ex quibus geniti eſſent, C idque ut eo pacto accenderentur ad virtutes eorum imitandas: Nam ſic potiùs ſculpenda fuiſſe nomina trium Patriarcharum, Abraham, Iſaac & Iacob, quos ſcriptura paſſim cum magna laude commemorat; addito nomine Ioſeph, qui & ipſe fuit valdè laudabilis. Hi enim potiùs ad imitandum poſteris proponi debuiſſent, quàm illi quorum ſcelera quædam legimus, ut Ruben, Simeonis, Levi, Judæ, & omnium ferè conſpirationem in venditionem fratris; quorundam etiam conſilium de necando fratre: præclara autem benefacta non legimus, uti nec ſcelerum patratorum pœnitentiam, niſi fortè eius quod in fratrem admiſerant. Adde quòd ſculptura illa non ita erat expoſita toti populo, ut per eam populus alicuius rei admoneri poſſet, quia ſummus Pontifex cum illa veſte non prodibat in con- D ſpectum totius populi, ſed in interioribus manebat offerens ſacrificium. Debet igitur hæc recordatio potiùs ad Sacerdotem ipſum referri, & illud, *filiis Iſraël*, paſſivè intelligi hoc modo: *memoriale filiis Iſraël*, id eſt, memoriale ſeu monumentum quod ei filios Jſraël in memoriam revocet: ſeu per quod ipſe filiorum Jſraël recordetur, vel ita breviter, *memorale filiis Iſraël recordandis*. Neque igitur ſenſus eſt, lapides illos nominibus filiorum Jſrael inſculptos, fuiſſe ſummo Sacerdoti, velut commonitorium quo moneretur duodecim Patriarchas invocare pro populi ſalute, aut per eorum merita Deum pro populo precari. Nam, ut dixi, potiùs tres illi principes totius gentis, unà cùm Joſeph nominandi hic fuiſſent: præſertim cùm eos Moyſes in ſua ad Deum oratione pro populo non ſemel allegaverit; E duodecim Patriarchis ne nominatis quidem. At certè primi illi & præcipui & ſanctiſſimi nullo modo omitti debuiſſent, ubi de interceſſione & meritis ageretur. Sed ſenſus eſt, ſummum Sacerdotem, ijs nominibus duodecim patrum conſpectis admonitum iri totius populi in duodecim tribus diſtributi, quando in ſancta ingreſſurus ac Deum oraturus, & ſacrificium oblaturus eſſet. Ad hoc enim propriè Sacerdos erat conſtitutus; ſicut dicitur in Epiſtola ab Hebr. cap. 5. Sic igitur pro toto populo orare & offerre jubebatur, ut nullam tribum ex duodecim prætermitteret, quam ſpecialiter Deo commendatam inter orandum & ſacrificandum, non vellet.

Eſtij Annot. in Script.

A Quod etiam obſervare debuit tunc quandò decem tribus à reliquis duabus fuerunt per ſeceſſionem avulſæ, & poſtmodù in Aſſyriam abductæ. Sed petes quæ duodecim nomina fuerunt inſculpta? Num etiam nomen Levi; ſic ut pro Ephraim & Manaſſe unum nomen Ioſeph ſcriberetur? An autem omiſſo Levi, diſtinctè ſcripti fuerunt Ephraim & Manaſſes? Quod poſterius probabilius puto. Jam enim & hæ tribus erant diſtinctæ juxta voluntatem & Prophetiam Jacob; & tribus Levi miniſterio tabernaculi deputata, quæ jam in populo non cenſebatur, ſed pro populo ſacris operabatur. Non itaque opus habebat ſummus Sacerdos commonitorio, ut pro tribu Levitica, id eſt ſua, quæ tota in ſortem Domini tranſlata erat, oraret: ſicut nec ad hoc, ut oraret pro ſeipſo. Hoc enim ſpontè & ſe B facturus ſatis intelligebatur.

℣.30. *Pones autem in rationali judicij Doctrinam & Veritatem.* Septuaginta vertunt, *Manifeſtationem & Veritatem*. Paraphraſtes Chaldæus integra reliquit Hebræa vocabula, *Vrim & Thummim*, per quæ Hebræi fere intelligunt *illuminationes & perfectiones*. Sunt enim Hebr. vocabula pluralis numeri, ut multitudinis numero ſignificetur ſumma illuminatio & perfectio. *Idea* autem *juſſiſſe* Dominum inſcribi Pectorali hæc vocabula, *ut* admoneretur ſummus Sacerdos oportere ipſum eſſe excellenti doctrina præditum, qua alios velut illuminaret: & ſumma vitæ integritate, qua doctrinam confirmaret; populumque hoc pacto perficeret, plana & probabilis expoſitio.

C *Alij* ſubtilius aliquid tradunt hoc loco, nempe in Pectorali ſcriptum fuiſſe nomen Dei Tetragrammaton (*Iehova*) quod in ſe contineat Myſterium Trinitatis, cuius cognitione mens illuminetur & perficiatur. Trinitatis autem myſterium eo nomine contineri ita oſtendunt. Nam prima litera (Iod) Patrem deſignat, tanquam principium reliquorum omnium; ſecunda (He) Filium, per quem creatura omnis eſſe incepit; tertia littera (Vau) quæ Hebræis eſt conjunctio copulativa, ſignificet Spiritum Sanctum, qui eſt amor & nexus Patris & Filij, ab utroque procedens; quarto autem loco repetita littera (He) quæ ſecundo loco poſita fuit, deſignans divinam naturam filij, jam deſignat eiuſdem humanam naturam. Hæc memorantur tradita à veteribus Iudæis ante Chriſti D nativitatem: quod an ita ſit, videndum, neque enim apud Iudæos ante Chriſti adventum tam expreſſa videtur fuiſſe Trinitatis, & perſonarum proceſſionis, & duplicis in Chriſto naturæ cognitio.

CAPUT XXIX.

℣.9. **E***Runtque Sacerdotes mihi religione perpetuâ:* Idem ſubinde repetitur aliis locis. Nec tantùm de Sacerdotio ſed & de cæremoniis, ac totâ diſpoſitione veteris legis. *Quæritur* quomodo hæc æterna ſint, cùm volente Deo finem acceperint per Chriſtũ, & in ſtatum novæ legis ac novi teſtamenti ſint commutata, & Apoſtol. ad Hebr.7. teſtetur & legis & ſacerdotij factam eſſe tranſlationem? Reſponde Auguſt. E Sacerdotium hoc dici potuiſſe æternum duplici ratione, vel quia non erat terminus aliquis præfixus quouſque obſervaretur, Ita enim æterna dicuntur frequentiſſimè in ſcripturis, quæ ita inſtituta ſunt ut humana voluntate nec prætermitti debeant, nec mutari. Vel propriè fuiſſe dictum æternum, non in ſe, ſed in re ſignificata: quia per Sacerdotium Aaron præfiguratum fuit Sacerdotium eius cui dictum eſt: *Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundũ ordinem Melchiſedech.* Pſal.109. In Sacerdotio autem Aaron neque juramentum interceſſit, & Dei velut pœnitentia acceſſit. Nam pœnitere Dei, mutare eſt rem ſemel inſtitutam. Ita ergo Sacerdotium Aaron

æternum, ſicut regnum David teſte Apoſtolo, finem non habet. Nam Chriſtus in utroque præfiguratus, ſempiternum habet & regnum & ſacerdotium.

ỳ.10. *Poſtquam initiaveris manus eorum, applicabis & vitulum.* pro eo quod hic dicitur (*initiare manum*) Hebr. eſt (*implere manum*) Id variè exponitur, quamvis ſenſus ferè eodem recidat. *Quidam* dicunt, implere manus alicui, idem eſſe quod tradere ei in manu victimas, ut eas offerat. *Alij* dicunt implere manum id eſſe quod Juriſconſulti vocant, mittere in poſſeſſionē. Cùm enim quis mittitur in poſſeſſionem alicuius rei, traditur ei aliquid in manus. *Alij* denique phraſim eſſe Hebream, quâ non aliud ſignificetur, quàm conſecratio: Sed poſterior ſententia minus probabilis eſt. Nam præcedentibus verſibus ritus conſecrationis explicati ſunt; agitur igitur nunc tantùm de conſecrationis uſu & poſſeſſione. Vide etiam Judic. 17. v. 5. & 3. Reg. 13. v. 33.

CAPUT XXX.

ỳ.6. P*Oneſque altare contra velum quod ante arcam pendet.* Hoc erat altare incenſi ſeu thymiamatis, unum enim idemque eſt incenſum & thymiama; eſtque in Hebræo unum vocabulum. Iuſſum eſt autem poni hoc altare *contra velum*, non â parte interiori, ubi erat arca, ſed *exterius*; fiebat bis quotidie ſuper hoc altare incenſio thymiamatis. Ita Thomas ſuper Hebræa 9. & alij. Hinc etiam intellige Zachariam patrem Ioannis, Lucæ 1. quando ei adolenti incenſum apparuit Angelus, non fuiſſe in Sancto Sanctorum, ſed in priori tabernaculo; nam ſoli ſummo Sacerdoti licitum erat ingredi Sancta Sanctorum.

ỳ.29. *Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta Sanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur.* *Sancta Sanctorum* vocat omnia illa quæ oleo unctionis fuerunt uncta, non eo modo quo tabernaculum interius, in quo erat arca & propitiatorium vocatur Sancta Sanctorum propter ſummam eius loci venerationem: ſed Sancta Sanctorum dicuntur, vel per excellentiam quandam, ut ſenſus ſit, ſacroſancta erunt, vel valde ſancta, quæcumque hoc oleo uncta fuerint: vel Sancta Sanctorum dicuntur per comparationem earum rerum quæ Deo quidem conſecrabantur, non tamen hoc oleo ungebantur; cuiuſmodi erant ipſæ hoſtiæ. Quod addit *qui tetigerit ea, ſanctificabitur*, ambiguum habet ſenſum. Dubium eſt enim an ſit perceptio an affirmatio. Si præceptum eſſe intelligatur; hic erit ſenſus: Quicumque ea tangere voluerit, prius ſanctificetur, & ita ad tangendum accedat. Si affirmatio, ſenſus eſt: Quicumque illa contigerit, ipſo contactu ſanctificabitur. Sed hæc expoſitio improbabilis eſt. Nam ſi quis immundus accederet ad contingendum vaſa tabernaculi, non modo non ſanctificabitur, ſed & pœna dignus habebatur propter irreverentiam. Poteſt autem & neutro genere verti *quicquid tetigerit ea ſanctificabitur*, & ſenſus erit: quicquid contigerit tabernaculum, & vaſa eius, ſanctum deinceps habebitur, ita ut ea re non liceat in poſterum uti ad privatum ac profanum opus; ſed tantùm ad opus ſacrum. Poteſt hæc ſententia aptiſſimè accommodari ad vera Sancta Sanctorum, quæ typis illis ſucceſſerunt, id eſt, ad tremenda myſteria Corporis & Sanguinis Domini: ita tamen ut utrumque ſenſum conjungamus, præceptionis & promiſſionis eò quòd huius Sacramenti inſtitutio non patiatur ut alterum ab altero ſeparetur. Paucis rem declarabo. Quicumque hoc Sancta Sanctorum tangere voluerit, priùs ſanctificetur digna præparatione. Et quicumque ſic ſanctificatus acceſſerit & tetigerit, ampliùs adhuc ſanctificabitur; quia gratiæ, virtutum ac ſanctitatis augmentum percipiet; Numquam ergo hæc duo ſeparantur, ſanctificatum accedere, & per hoc Sacramentum ſanctificari. Nam quiſquis ſanctificatus accedit,

A adhuc ſanctificatur; & contra, quiſquis huiuſmodi Sacramenti contactu ſanctificatur, jam priuſquam accederet, aliqua parte ſanctificatus erat. Alioqui enim non ad vitam, ſed ad judicium & condemnationem accedit. Unde & Apoſtolus de tremendis his myſteriis 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo, &c.*

ỳ.32. *Iuxta compoſitionem eius non facietis aliud.* Quid hoc ſibi velit, explicatur v. 38. his verbis: *Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis:* Prohibet autem hoc Dominus tam ſeverè, ob reverentiam rerum deputatarum cultui divino, ne illæ ulla ratione vileſcant.

CAPUT XXXI.

B ỳ.3. D*E Beſeleel ait: Et implevi eum Spiritu Dei, ſapientia & intelligentia & ſcientia in omni opere &c.* Quæret aliquis an non potuit Beſeleel hæc opera tabernaculi facere niſi impleretur Spiritu Dei? Neque enim videntur attribuenda operationi Spiritus divini quæ ad hoc opificium artis plumariæ aut polymitariæ pertinent; non magis quàm opera cuiuſcumque alterius humanæ artis, ut ædificatoris, vel ſutoriæ. *Reſpondeo*, Primò dum dicitur *impletus Spiritu Dei*, non ſignificatur Spiritus ſanctificans atque interius mentem renovans, à quo Spiritu Dei procedit gratia illa quam Scholaſtici vocant gratum facientem: ſed intelligitur Spiritus Dei, quocumque modo aliquid in homine vel per hominem operans: cui adſcribuntur

C ex dona quæ vocantur ab iiſdem, gratiæ gratis datæ. Talis eſt gratia ſermonis, gratia ſanitatis, gratia prophetiæ, gratię miraculorum: quæ non ſanctificant hominem, ſed gratis conferuntur à Deo ad utilitatem totius Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Talis fuit in Beſeleel ſpiritus ſapientiæ & intelligentiæ ad ritè faciendum tabernaculum. Hoc tamen diſcrimine, quòd illa Spiritus ſancti dona quæ Apoſtolus collata docet ad Eccleſiæ utilitatem, conducant ad ſpiritualem Eccleſiæ profectum: iſtud autem tantùm ad corporalis & materialis tabernaculi artificioſam extructionem. Deinde, ideò peculiariter impleri dicuntur Spiritu Dei ad hoc opus perficiendum; non item quicumque alij artifices ad quæcumque alia opera: quia voluit Deus ſumma prorſus excellentia fieri hoc tabernaculum, & omninò exactè atque perfectè ſecundum exemplar

D quod Moyſi in monte monſtratum erat. Id autem artifex non potuiſſet, niſi ad hoc faciendum ingenio divinitus illuſtrato, & niſi ars quæ in illo erat naturalis, perfectionem quandam ſupernaturalem accepiſſet à Deo. Sed nec Moyſes exemplar à ſe viſum ita exactè potuiſſet verbis deſcribere huic artifici, ut omnia etiam minutiſſima ei clarè exponeret: velut ſi quis diligentiſſimè luſtraverit civitatem, vel templum vel domum: non poterit tamen ita exactè omnia exponere artifici, ut ipſe nuſquam paulò aliter intelligat, & in opere aberret. Itaque ad hoc ut artifex ipſe in mente ſua haberet exemplar prorſus ſimile cum eo quod Moyſi erat monſtratum, omninò opus erat divina illuminatione: ſicut & peculiari aſſiſtentia opus fuit, ut

E opus exactiſſimè ſuo exemplari reſponderet.

Nota quoque quòd non abſolutè dicat ſcriptura Beſeleel fuiſſe repletum Spiritu ſancto & ſapientia, ſed cùm hac determinatione: *in omni opere ad excogitandū quicquid fabrefieri poteſt, &c.* Cuiuſmodi determinatio additur & infrà cap. 35. & 39. Cùm enim ſimpliciter affirmat ſcriptura aliquem eſſe *plenum Spiritu ſancto & ſapientia*, ut Actor. 9. de Stephano, id intelligit de Spiritu ſancto movente ad divina & heroica pietatis opera & de ſapientia qua res divinæ cognoſcuntur.

Beſeleel filium Vri, filium Hur &c. 1. Paralip. 2. ſic legimus: *Caleb accepit uxorem Ephrath, quæ peperit ei Hur, porrò Hur genuit Vri, & Vri genuit Beſeleel.* Ubi notandum

eandem hunc Caleb proavum Beſeleel omninò diverſum eſſe à Caleb exploratore terræ ſanctæ. Nā ut liquet ex c.14. Ioſue, explorator ille eo tempore quo ſtruebatur tabernaculum, vix erat quinquagenarius; ut nullo modo tunc potuerit eſſe proavus Beſeleel. Adde quod proavus Beſeleel (qui & Calubi & Caleb vocatur, 1. Paralip. 2.) filius Heſron deſcribitur, alter autem Caleb explorator filius Iephone eſt, ut patet Num. 13. Ioſue 14. & etiam 1. Paralip. 4.

CAPUT XXXII.

℣. 4. *Formavit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Sulpitius in Hiſtoria, Tunc ex metallis conflatilis vituli caput extitit; & Ambr. in Apolog. 1. David c. 4. Aaron aurum popoſcit, in ignem miſit, & caput vituli figuratum eſt. Similiter Hieron. ſuper Oſee 4. Videtur mihi idcircò & populus Iſraël in ſolitudine feciſſe ſibi caput vituli, ut quod in Ægypto didicerant *ἆπιν καὶ μνεῦιν*, qui ſub figura boum coluntur, eſſe Deos, hoc in ſua ſuperſtitione ſervarent. Quibus conſonant quæ habet in Epitaphio Fabiolæ ad Oceanum quæ eſt Epiſt. 30. cap. 2. Atque eodem modo vocant bubulum caput, Tertull. initio libri contr. Judæos, & Cypr. de bono patientiæ. *Seriò* autem dixiſſe Iſraëlitas, *Hi ſunt Dij tui*, Hebr. (*Elohim:*) vereque idololatras fuiſſe, patet 1. Cor. 10. ubi dicit Apoſtolus: *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt, &c.* Vide ibidem noſtrum comment. De quo & Deut. 32. *immolaverunt dæmoniis & non Deo:* quod *notandum eſt contra Calvinum:* qui conatur perſuadere Iſraëlitas hos non magis fuiſſe idololatras, quàm Chriſtianos venerantes imagines. Quod autem Aaron huic idololatriæ cooperatus ſit, ſciendum eum tunc nondum fuiſſe ſummum Sacerdotem; etenim non conſecratus eſt niſi poſteà, ut patet Levit. 8.

℣. 5. *Cras ſolemnitas Domini eſt.* Liranus & Vatablus ſic interpretentur; non quod ſignificare vellet vitulum aureum eſſe Dominum, *Iehova* aut eius imaginem; ſed quòd ſperaret Moyſem rediturum ante diem ſequentem, & feſtum idoli mutaturum in ſolemnitatem veri Dei.

℣. 10. Cùm Deus dixiſſet ad Moyſen: *Dimitte me ut iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam;* Moyſes confeſtim oravit Dominum Deum ſuum dicens: *Cur Domine iraſcitur furor tuus contra populum tuū quem eduxiſti?* &c. *Quieſcat ira tua & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui, Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum &c.* Quod dicit: *Dimitte me ut iraſcar;* neque jubentis eſt: nam ſi jubebat Deus, inobedienter Moyſes non parebat: neque petentis; cùm poſſet etiā Moiſe contranitente populum diſperdere: Sed quemadmodum Auguſt. in quæſt. explicat, ſignificat illis verbis Deus plurimum apud ſe prodeſſe populo iſti quòd ſic ab illo viro diligeretur, quem tantopere Dominus diligebat; ut eo modo, inquit Auguſt. admoneremur, cùm demerita noſtra nos gravant ne diligamur à Deo, relevari nos apud Deum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit. Unde & Moyſes, ſumpta fiducia ex ea qua cum Deo verſabatur familiaritate, audet pro populo nondum pœnitente, ſed adhuc peccante, & idololatriam ſuam exercente apud Deum intercedere, ne eum diſperdat. Sed & hoc notandum quòd Moyſes ſua interceſſione non contentus allegat merita Sanctorum Patriarcharum Abraham, Iſacc & Iacob, quos ſciebat Deo fuiſſe gratiſſimos. Hieronymus contra Vigilantium exemplum Moyſi transfert ad probandam Sanctorum, qui in cælis ſunt, pro nobis interceſſionem: *Unus*, inquit, *homo Moyſes ſexcentis millibus armatorum à Deo veniam impetrat, &c. & quando cum Chriſto ſunt*

A *ſancti, minus valebunt?* q. d. non minus, ſed multò amplius: Facit etiam contra quorundam hæreſim hodiernam, docentium Deum nihil facere vel omittere propter orationes & interceſſiones Sanctorum, quod non alioqui facturus vel omiſſurus erat; ſed orationem nudam eſſe teſtificationem fidei noſtræ. Denique docet hic locus Deum propter merita maiorum, qui ipſi placuerunt, parcere poſteris, & in univerſum, propter aliorum merita aliis benefacere. Id enim vult quod ait: *Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum, quibus juraſti*, Id eſt, Reſpice ad illorum merita, per quæ ita tibi placuerunt, ut jurares eis multiplicaturum te ſemen ipſorum &c. Non eſt autem ſenſus quem vult Calvinus; Recordare promiſſionis tuæ & juramenti quod illis præſtitiſti; quæ contorta eſt expoſitio.
B Simile illud 4. Reg. 19. *Protegam urbem hanc & ſalvabo eam propter me & propter David ſervum meum.*

℣. 19. *Iratuſque valdè proiecit de manu tabulas & confregit eas ad radicem montis.* Fecit hoc vir mitiſſimus abſque detrimento manſuetudinis. Vide Annot. n. 12. Nec fuit factum hoc iracundi hominis, ſed Myſticam & Propheticam habuit ſignificationem. Nam primum per hoc ſignificatum eſt populum illum indignum eſſe qui legem digito Dei ſcriptam in tabulis acciperet, ideoque tabulas confregit. Deinde hoc ſignificavit quod populus jam fecerat: Nam legem Dei in ipſo capite, id eſt, in primo præcepto jam violaverat & fregerat populus per cultum vituli: hoc autem ſignifica-
C vit fractio tabularum legis à Moyſe facta.

℣. 29. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino ut detur vobis benedictio.* Non fuit incongruum ut illi benedictionem Sacerdotij totiuſque miniſterij ſacri acciperent, qui manus tinxerant humano ſanguine per executionem divinæ juſtitiæ, ſicut hodie incongruum habetur ut qui vel ſententiam mortis in hominem facinoroſum protulerit, ad altaris miniſterium accedat: Vetus enim illud Sacerdotium circa cruenta verſabatur ſacrificia, Chriſtianum autem Sacerdotium planè incruentum. Sed quo merito Aaron ſummum Sacerdotium adeptus eſt; cùm ob crimen conflati vituli magis ab ea dignitate fuerit repellendus? An crimen quod non malitia, ſed metu inductus commiſit, & pœnitentia juſtaque vindicta in obſtinatos jam expiavit,
D non debuit obſtare quominus ſummus Sacerdos fieret; ſicut crimen ternæ negationis in Petro non prohibuit, quominus eum Chriſtus faceret Eccleſiæ ſuę paſtorem? Sic autem permiſit & ordinavit Dominus: ut qui ſummi Pontifices erant futuri, ex propriis lapſibus diſcerent aliorum infirmitatibus condolere.

℣. 30. *Aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quivero eum deprecari. Quæritur* quomodo iterum Moyſes orat, cùm teſtetur Scriptura Deum eius oratione jam ante placatum fuiſſe? *Reſpond.* tunc placatus fuit ne univerſum populum deleret: Nunc poſtquam tot hominum cæde peccatum aliquatenus expiaſſet, orat ne ampliùs vindicet Deus, neque omninò exauditur, ut patet ex verbis ſubiectis v. 34. *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum eorum*, & illis: *Percuſſit ergo, &c.*

E ℣. 31. *Obſecro, peccavit populus iſte peccatum maximum, feceruntque ſibi Deos aureos.* Ecce quale initium orationis, qua veniam orat populo. Unde diſcimus apertam & nudam peccati confeſſionem Deo faciendam eſſe, ſi veniam impetrare velimus: Si enim Moyſes hoc fecerit in alieno peccato: quantò magis quiſque facere debet in proprio.

℣. 32. *Aut ſi non facis, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Non poſſe hoc propriè accipi de libro prædeſtinatorum, patet; quia de libro illo nemo poteſt deleri: Dominus autem hic reſpondet: *Qui peccaverit mihi, delebo eum:* Simpliciſſimus ſenſus videtur, qui eruitur ex ſimilibus verbis Moyſis Numer. 11. v. 15. ubi dicit:

Sin aliter tibi videtur, obſecrò ut interficias me. Ex quo loco apparet Moyſen ſimiliter hic loqui de libro viventium vita hac præſenti, q. d. deleto hoc populo, nolo ampliùs vivere. Sic Elias, Tobias, & alij ſancti quoque mori petierunt, ne viderent quædam indigna huius vitæ. Vide Hieron. in Epiſtol. ad Algaſ. quæſt. 9. & noſtra in lib. 1. Sent. diſt. 40.

CAPUT XXXIII.

℣. 11. L*Oquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Quidam putant ſcripturam hoc loco ſe accommodare ad opinionem populi putantis Moyſen ore ad os loqui cum Deo, propterea quod vocali & audibili ſermone Deus cum eo loqueretur, & viſibili ſpecie ei appareret: quod fiebat per ſubiectam creaturam, id eſt per Angelum in corpore aſſumpto, vel per nubem, vel quocumque alio modo. Rectiùs dicitur ſcriptura accommodare ſe ſermoni populi, quàm opinioni. Neque enim ſcriptura quæ ſemper vera eſt, opinionibus vulgi utitur, quæ frequentiſſimè falluntur: ſed ſermonibus, quibus tamen verè aliquid ſignificatur. Senſus igitur eſt; Loquebatur Dominus cum Moyſe valdè familiariter, quod explicans, addit: *ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Non poteſt hæc phraſis accipi ad eum modũ quo loquitur Apoſt. 1. Cor. 13. *videre facie ad faciem*: ibi enim de perfecta Dei viſione loquitur, quæ poſt hanc vitam expectatur: Moyſes autem eam nondum acceperat, ubi hæc de eo loquitur ſcriptura. Nam paulò pòſt hoc ipſum petit à Domino Moyſes, dicens: *Oſtende mihi faciem tuã*, & rurſum: *oſtende mihi gloriam tuã.*

Iterum quæritur an hæc Moyſi petitio exaudita fuerit in terris? *Reſp.* exaudita fuit, ſed non pro præſenti vita. Id oſtenditur ex ipſa ſcriptura. Reſpondet enim Dominus: *Non poteris videre faciem meã, non enim videbit me homo & vivet.* Id eſt, eiuſmodi viſio in hac mortali vita, nemini conceditur. Deinde addit: *Cùm tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

Sed quid eſt, *videbis poſteriora mea?* Quidam ſic explicant: Imperfectam quandam mei viſionem, & tranſitoriam tibi exhibebo: qui enim videt hominem à tergo, cognoſcit quidem quòd homo ſit, non tamen perfectè eum quem videt cognoſcit, quia non determinatè videt, ſitne Petrus an Paulus, an quis alius. Id autem perfectè cognoſcit ex facie. Alij ſublimiorem adferunt intelligentiam, per *poſteriora* accipientes naturam humanam in Chriſto, ut hæc ſint verba non totius Trinitatis, nec Patris aut Spiritus Sancti, ſed Filij Dei exhibentis Moyſi tanquam amico ac Prophetæ videndam ſpeciem humanæ naturæ quam erat aliquando aſſumpturus. Unde & confirmatur veterum illa opinio quæ habet Deum in imagine Chriſti hominis antiquis patribus apparuiſſe. Sic & Abraham Chriſtum vidit & gaviſus eſt, ſcilicet exhibitum ſibi in ſpecie humana qua erat apparituros hominibus: vide Annotat. Ioannis 8. & noſt. comment. 1. ad Corinth. 10. v. 9. & in Epiſt. Judæ v. 5.

℣. 19. *Ego oſtendam tibi omne bonum.* Dictum eſt phraſi Hebræa, ſcilicet cum exceptione ſubiecta. q. d. Quidvis tibi præſtabo; hoc autem quod petis, ut gloriam meam tibi oſtendam, & faciem meam videas (eſſentiam ſuam divinam intelligit) præſtare non poſſum, ſcilicet ſecundùm ordinariam potentiam. *Non enim videbit me homo, & vivet*, videlicet quia obrueretur natura mortalis tanta maieſtate. Unde loco huius beneficij denegati mox aliud magnum amico præſtitit, oſtendens ei poſteriora ſua: id eſt ſpeciem humanitatis Chriſti. Vide noſtra in 2. diſt. 8. §. 10.

℣. 19. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Hebr. ſic: *Et gratiam addam cui gratiam addam, & miſerebor cui miſerebor* Septuaginta hoc mo-

A do: *Miſerebor cuiuſcumque miſertus fuero, & miſerabor quemcumque miſeratus fuero.* Quam verſionem Septuaginta ſecutus eſt etiam Paulus Rom. 9. Non eſt autem hic ſermo nugatorius, ſed voluit Dominus ſignificare non aliam ſuæ miſericordiæ hominibus præſtitæ rationem quærendam eſſe, quàm in ipſo Deo, eiuſque bonitate, clementia & miſericordia; qua præveniendo omne meritum humanum, omnemque liberi arbitrij bonum motum, vult hominibus gratiam ſuam præſtare. Vide pleniùs Rom. 9.

CAPUT XXXIV.

℣. 1. P*Ræcide tibi duas tabulas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas, &c.* Hæc verba omninò ſignifi-
B cant ita poſterioribus tabulis inſcriptum fuiſſe Decalogum digito Dei, ſicut prioribus. *Cui tamen* repugnare videtur, quod poſteà v. 27. dicitur ad Moyſen: *Scribe tibi verba hæc*, & v. ſeq. *& ſcripſit in tabulis verba fœderis decem.* Itaque Auguſt. in quæſt. rationem inquirit, quare priores tabulæ à Deo ſcriptæ ſint, poſteriores ab homine? Quidam dicunt Dominum ſcripſiſſe authoritate & præcepto, Moyſen autem miniſterio. Sicut dicitur author aliquis ſcripſiſſe librum, quem notario ſuo ſcribendum dictaverit. Hæc reſponſio non ſatisfacit: tum quia Moyſes in monte conſtitutus ſine inſtrumentis ſculptorijs non potuiſſet verba fœderis inſculpere in lapides, niſi per miraculum; tum etiam quia eadem ratione diceretur tota ſcriptura ſacra ſcripta eſſe digito
C Dei: quòd etſi verum ſit aliquo modo, non tamen ita, quomodo id de decalogo ſemper intellectum eſt. Proinde *rectiùs* reſpondetur Deum inſcripſiſſe legem his tabulis, ſicut prioribus, digito ſuo, id eſt, per potentiam Spiritus ſancti, Moyſi autem præcepiſſe, ut ſcriberet poſteà in libro, ſicut & cætera omnia quæ ad legem pertinebant. Illud autem quod v. 28. dicitur *& ſcripſit in tabulis*, non referendũ eſſe ad Moyſen, quamvis id prima fronte videatur, ſed ad Deum. Nam ſic etiam expreſsè legitur Deut. 10. v. 4. de his duabus poſterioribus tabulis; *Scripſitque in tabulis juxta id quod prius ſcripſerat*: utrumque ſcilicet de eodẽ Deo dicitur.

℣. 7. *Nullusque apud te per ſe innocens eſt.* Ideò ergò juſtè reddit Deus iniquitatem patrum filiis & nepotibus, quia nullus apud eum per ſe innocens eſt, ſed om-
D nes obnoxij. Eadem hæc verba Num. 14. Hieron. ſic vertit; *Nullumque innoxium derelinquens.* Utrobique in Hebr. eſt; *Et mundando non mundabit*, quod Septuaginta reddiderunt hoc loco, *Et reum non mundabit*, Numer. autem 14. ſic: *Et mundatione non mundabit reum*, Itaque non eſt facienda vis in vocula *(per ſe)* quaſi ſcilicet tamen innocens aliquis ſit ex Dei gratia: Sed ſenſus eſt *(per ſe)* id eſt, ſi vita eius & opera exactè examinentur, juxta illud Pſal. 129. *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?* Item Pſal. 142. *Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Vide etiam ſuprà cap. 20. v. 5.

℣. 29. *Ignorabat quòd cornuta eſſet facies eius.* Non cornuta, quomodo pictores pingunt, ſed *radioſa*, ita ut radij ſpargerentur inſtar cornuum. Sic Apoſtolus 2.
E Cor. 3. v. 7. *Ita ut non poſſent intendere filij Iſraël in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius.* Septuaginta habent ἐδοξάσθη, id eſt, *clarificata.* Putant nonnulli ab Interprete poſitum fuiſſe *(coruſca)* & hinc imperitia librariorum factum *(cornuta.)* Sed non exiſtimo. Nam vox Hebræa etiam ſignificat *(cornificare,)* ſed ut intelligatur promicare emiſſis radiis velut cornibus, uti jam diximus, Pagninus vertit *(reſplendere.)*

CAPUT XXXV.

N*On ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem Sabbathi.* *Quæritur* fueritne licitum

rum Judeis coquere cibos in die Sabbathi? Reſpondet Vatablus licitum id fuiſſe, neque hoc loco prohiberi, ſed tantùm ne Sabbatho accendant ignem lucri causâ, velut in fornace, ubi lateres aut vaſa fictilia coquuntur, aut metalla purgantur, aut etiam panes pinſuntur à piſtore? ut eos vendat. Sed hunc non eſſe ſenſum probatur ex cap. 16. v. 23. ubi de die quæ Sabbathum præcedit, clarè dicitur; *Quodcumque operandum eſt facite, & quæ coquenda ſunt coquite; quidquid autem reliquum fuerit, reponite uſque in mane.* In hujus rei ſignum etiam Sabbatho Dominus non pluebat manna, ſed pridie duplicem mittebat portionem. Itaque intelligendum eſt abſolutè fuiſſe prohibitum ut nec ea coquerent Sabbatho quæ ad cibos pertinerent. *At contra iterum objicitur*, quod cap. 12 de prima & ſeptima die azymorum, quam utramque Dominus vult eſſe celeberrimam, tamen dicitur; *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad veſcendum pertinent.* Ergo, ut videtur, multò magis id licuit in communibus Sabbathis. *Reſpondent* Hebræi, & quantum apparet, rectè Sabbathum fuiſſe ſtrictioris obſervantiæ quantum ad vacationem ab opere, quàm aliam quamcumque ſolemnitatem; forte propter myſterium quietis, quod in Sabbatho longè expreſſiùs continetur: atque adeò ſi ſolemnitas Paſchæ, aut quæcumque alia incideret in diem Sabbathi, tum etiam in ea non licuiſſe cibos coquere.

℣. 5. *Iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, dicens: Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat.* Ex hoc loco diſcimus non repugnare ex præcepto aliquid facere, & tamen ſponte ac voluntariè: quod notandum eſt contra hæreticos, docentes, vota monaſtica adverſari libertati Chriſtianæ. Nam eadem ratione omnia præcepta libertati adverſarentur.

℣. 10. *Quiſquis veſtrum ſapiens, eſt, veniat.* Id eſt, doctus, peritus. *Sed* quid opus fuit artifice ſapiente, cum omnia facere oportuit ex præſcripto Moyſi velut Architecti? nam Architecti proprium eſt in arte ſapientem eſſe. *Reſp.* oportuit etiam ipſos opifices eſſe ſapientes, atque intelligentes totius operis, quo facilius caperent à Moyſe præſcripta, aliiſque ſibi ſubordinatis opificibus traderent & præciperent facienda.

CAPUT XXXVI.

℣. 1. F*Ecit ergo Beſeleel & Ooliab & omnis &c.* Colligit hinc Auguſt. & rectè, non ſolos eos habuiſſe divinitus munus illud faciendi opera tabernaculi, qui initio fuerant nominati, ſed etiam alios: quamquam fortaſſe illi primi præcipuè & excellentiùs habuerint. Non *debet* autem mirum videri, Scripturam vocare artem illam fabricandi & texendi, ſapientiam, ipſoſque opifices, ſapientes. Sapientia enim, etſi frequentiſſimè ad res divinas vel certè ſublimiores uſurpatur: tamen Sapiens quoque in unaquaque re dicitur, teſte D. Thoma parte 1. q. 1. qui conſiderat altiſſimam ſeu primam cujuſque rei cauſam. Ita in genere ædificandi Architectus vocatur ſapiens, quia formam domus conſiderans, omnia reliqua opera ad eam ordinat: Unde & Apoſtolus: *Ut ſapiens Architectus fundamentum poſui.* Ita & hoc loco qui præerant operibus, ſapientes vocantur, quia ex conſideratione formæ totius operis quã à Moyſe diſcebant, præſcribebant ſingulis, quid facere eos oporteret.

℣. 4. *Plus offert populus quàm neceſſarium erat.* Hæc larga oblatio populi oſtendit, non ita fuiſſe populum ornamentis ſpoliatum, quando ea conferebat in vitulum aureum; quin adhuc multa ſibi retineret. *Deinde* commendatur nobis voluntaria, & ſpontanea populi iſta tam larga oblatio: ut meritò pudere debeat multos Chriſtianos, qui in uſus ſacros ita frigidè, & tenuiter conferunt. Ac *tertiò*, præter devotionem populi, commendat etiam Auguſt. *artificum fidem*, qui populo pluſquam neceſſe eſſet, offerente, nihil ex ea largitionum copia ſibi concupierunt, ſed Moyſi indicaverunt ut ceſſaret oblatio, ac proinde eos putat Auguſt. fuiſſe non tantùm ſapientes arte, ſed & ſanctos & integros. Sed cur Moyſes receptui cecinit oblationibus populi; ac non potiùs ea quæ ſupra præſens opus offerebantur, juſſit reſervari in theſauris tabernaculi ad futuras neceſſitates tabernaculi & miniſtrorum ejus? An quia hoc exemplo docere voluit non debere nos, maximè ſacerdotes, eſſe ſollicitos in craſtinum? ſimul ut ea civilitate ſua, quâ erga populum uſus eſt, ſacerdotes & tabernaculi miniſtros populo conciliarent, ut qui cùm poſſent, nollent plura quam opus eſſet, accipere: & per hoc populus redderetur promptior ad hujuſmodi collectas in poſterum.

Eſtij Annot. in Script.

CAPUT XXXVII.

℣. 9. F*Ecit & propitiatorium, id eſt oraculum.* Hebr. tantùm eſt; (*Et fecit propitiatorium.*) Interpretis autem eſt quod ſequitur (*id eſt oraculum.*) Nam oraculum & propitiatorium rem eandẽ hic ſignificant. Rurſum quòd ſubjungitur (*de auro mundiſſimo*) in Hebræo ſemper eſt tantùm poſitivus, (*mundo.*) Reliqua vide explicata partim c. 21. partim 31.

CAPUT XXXVIII.

℣. 8. F*Ecit & labrum æneum cum baſi ſua de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* Quomodo de ſpeculis mulierum, cùm ſpecula ferè vitrea ſint & labrum totum æneum? &c. Tradunt Hebræi morem fuiſſe Iſraëliticarum fœminarum quotidie manè ornare faciem, & tiaram aptare capiti ad ſpeculum æneum; fuiſſe autem quaſdam earum, quæ ſpreta mundi vanitate, ſoli Deo placere ſtudentes, ſpecula ſua ænea Domino obtuliſſent, eaſque ita fuiſſe religioſas, ut per ſingulos dies venirent ad fores tabernaculi orationis cauſa; & horum ſpeculorum materia labrum hoc fuiſſe conflatum. Alij dicunt non ipſa ſpecula fuiſſe ænea, talia enim parum idonea ſunt ad reddendum perfectam objectæ rei imaginem, ſed thecas ſeu margines quibus ſpecula includebantur, æneas fuiſſe. Sed hæc expoſitio videtur longiùs petita. Nec ratio urget: nam illo ſæculo fortè non erat uſus ſpeculorum vitreorum. Neque incredibile eſt talia tunc fuiſſe ſpecula; nam & hodie ex chalybe ſpecula componuntur, quare magis placet ex ipſorum ſpeculorum materia factum fuiſſe labrum æneum. Pro eo autem quod habemus (*de ſpeculis*) Hebr. eſt *in ſpeculis*: unde alij dicunt labrum non ex ſpeculis factum fuiſſe, ſed poſitum in ſpeculis, ſeu in medio ſpeculorum fuiſſe, ita ut ipſi labro fuerint circumpoſita, in eum uſum ut ſacerdotes in iis vultum contemplati maculas in ipſo labro abluerent. Sed & hodie quibuſdam locis conſuetudo eſt ut in ſacrario ubi ſacerdos celebraturus ſe induit pendeat ſpeculum in quo videat num in facie maculam habeat. Quam curam non reprehendo: ſed curandum multò magis, ut interior facies nullius peccati macula ſit turbata. Id quod hoc loco myſticè ſignificatum eſt.

℣. 25. *Oblatum eſt autem ab his, qui tranſierunt ad numerum, &c.—de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum; Fuerunt præterea centum talenta argenti.* Nota, *quod* hæc oblatio facta per cenſum capitum non eſt referenda ad aurum prædictum, ſed *ad argentum*, de quo ſubjungitur. Prima ratio eſt; quia Hebr. expreſſè dicitur, *Argentum autem numerationis populi fuit, &c.* Secunda ratio, quia nuſquam lex præcipit, ut quis capitatim cenſentur, aurum offerat, ſed argenti quiſque dimidium ſiclum. Exod. 30. Tertia ratio, quia numerus argenti hoc loco expreſſus, exactè reſultat

ex oblationibus virorum ſexcentorum millium &c. ſi à quolibet capite dimidium argenti ſiclum ſolutum intelligamus.

CAPUT XXXIX.

ỳ.29. **F***Ecerunt & laminam ſacra venerationis— ſcripſeruntque in ea——Sanctum Domini.* Similia habentur cap.28. Significant autem hæc verba non ſolum nomen Domini tetragrammaton fuiſſe inſcriptum laminæ Pontificiæ, ut quidam putant, dicentes quatuor tantum litteras, quibus id nomen conſtat, ibi poſitas fuiſſe; ſed totum iſtud, ut eſt in Hebræo: *Domino Sanctum*; quod apud Hebræos habet *novem litteras*. Poteſt autem illud *duobus modis intelligi*. Vel hoc
B modo: Sanctitas decet Dominum, ſanctè purè & caſtè colendus eſt: Procul abſiſtat omnis profanus, & immundus. Cùm hoc ſenſu quadrat illud toties repetitum in Lev. *Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum.* Item in Pſ. *Domum tuam Domine decet ſanctitudo. Vel* iſto modo: *Sanctitas eſt Domino*, id eſt, Dominus Sanctiſſimus eſt, & fons, atque origo omnis ſanctitatis in creaturis. Ad quam ſanctitatis perfectionem ſignificandam in Apocal. & in Iſaia ter repetitur, Sanctus. Numerus enim ternarius ſummam ac divinam quamdam perfectionem oſtendit. Sed & hic ſenſus, admonet ſacros miniſtros, ut ſancti & impolluti eſſe ſtudeant, qui Sancto Sanctorum aſſiſtunt.

ỳ.43. *Quæ poſtquam Moyſes cuncta vidit completa, benedixit eis.* Hæc verba prima facie ſignificare videntur Moyſen benedixiſſe tabernaculo, cæteriſque operi-
C bus jam recens fabricatis. Sed non ita eſt. Nam ſequenti capite deſcribitur omnium iſtorum operum conſecratio, quæ facta eſt, partim unctione olei ſancti, partim præſentia Domini, cuius gloria in nube apparens implebat tabernaculum. Benedixit ergo Moyſes, non
A rebus iis quæ offerebantur à populo; ſed ipſi populo offerenti. Eſt enim maſculinum genus, tam in Hebræo quam apud Septuaginta. Vertunt quidem hoc modo; *Et laudavit eos Moyſes.* Septuaginta habent; *& benedixit Moyſes.* Senſus eſt, Moyſes colluſtrato toto opere videntique perfectum, collaudavit diligentiam & pietatem eorum, & bene eis precatus eſt.

CAPUT XL.

ỳ.11. **O***Mnia unctionis oleo conſecrabit, ut ſint Sancta Sanctorũ.* Hoc in Hebr. dicitur peculiariter de altari; *Et erit altare ſanctitas ſanctitatum*, id eſt, haberi debet inſigniter ſanctum.

B ỳ.13. *Et unctio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat.* In Hebræo habetur; *Et erit ut ſit eis unctio eorum in ſacerdotium ſæculi in generationes eorũ.* Et ſenſus idem eſt cum eo quem diximus c.29. ad illud: *Eruntque ſacerdotes mihi religione perpetua.* Vide ibi annotata v.9

ỳ.33. *Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia.* Tectum fœderis, idem eſt, cum eo quod paulò ante vocaverat tabernaculum teſtimonij: quod Hebr. eſt; *Tabernaculum conventus, ſive Eccleſiæ.* Apparet autem nubem fuiſſe craſſam & caliginoſam, propter quam Moyſes illuc ingredi non potuerit. Tale quid etiam accidit ſacerdotibus in dedicatione templi à Salomone constructi nebula templum implente 3. Reg. 8. Ex quo apparet eandem nebulæ ſeu nubis utrobique fuiſſe conſtitutionem, licet nonnulli ſolicitè diſtinguere videantur.

C *Significat* autem nebula ſive caligo iſta ſtatum veteris teſtamenti: ſicut & velum quo operiebatur facies Moyſis, & quod oppanſum erat ante Sancta Sanctorum Hebr. 10.1. Galat. 3. 23. Nam lex umbra erat futurorum, & priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi, in eam fidem quæ revelanda erat.

FINIS EXODI.

ANNOTATIONES
IN LEVITICVM.

CAPUT PRIMUM.

ỳ.2. **D***E pecoribus, id eſt de bobus & ovibus.* Notandum, quod ſacrificia non ex aliis fiebant quadrupedibus, quam *bobus, ovibus & capris.* Cuius alij alias adſcrunt rationes. Potiſſima eius, quod nunc quærimus, ratio hæc videtur, quia cùm ſacrificia offerantur in agnitionem ſummi dominij; ea maximè offerenda ſunt, quæ maximos præſtant uſus humano generi. Huiuſmodi autem ſunt inter quadrupedia boves, oves, capræ, præſertim ad victum & ſuſtentationem humanam.
B Itaque ut ea cuncta nos accepiſſe fateamur à Deo, tanquam omnium Domino; eadem ipſi rurſum grato animo offerimus; juxta illud Davidis 1. Paral. 29. *Tua ſunt omnia, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Hanc rationem inter alias etiam adfert D. Thomas 1.2. quæſtion. 102. art. 3. ad 2. Nam quod videtur dicere in reliquis animalibus idololatras conſtituiſſe ſuorum Deorum cultum, & *non in bobus & ovibus*, atque ideò de his Deum juſſiſſe ſibi fieri ſacrificia, etſi verum concedatur de Ægyptiis; tamen alios idololatras etiam ſuis Diis immolaſſe boves & oves, ex Hiſtoriis Ethnicorum
A notiſſimum eſt. Cæterùm ſub ovibus etiam capras in Scriptura ferè accipi, quòd in eodem grege paſcantur, liquet etiam ex hoc capite infrà v.10.

ỳ.3. *Si holocauſtum fuerit eius oblatio.* Sacrificium quod interpres Græco vocabulo vocat *holocauſtum*, Hebr. (*Ola*) dicitur, ab aſcendendo, eò quòd totum in fumum abiret atque aſcenderet. Id Septuaginta Interpretes aptiſſimo vocabulo vocârunt *holocauſtum*, & aliquoties *holocauſtoma*, quaſi totum combuſtum, eò quod hoc ſacrificium totum igne abſumeretur, ita ut de eo in cibum ſuum neque Sacerdos, neque is pro quo offerebatur, quicquam ſibi uſurparet. Et quia totum ad honorem Dei igne abſumebatur: hinc inter
B omnia legis ſacrificia fuit perfectiſſimum, ſicut & cauſa offerendi perfectiſſima erat: Neque enim pro peccatis offerebatur neque pro impetrando beneficio, vel gratiarum actione, ſed ex mera devotione offerentis. Significabat autem hoc ſacrificium, hominem ſe debere totum ſecundum corpus & animam, & omnes vires, Deo exhibere hoſtiam viventem, ſanctam & beneplacentem. Rom. 12. v. 1.

Maſculum immaculatũ. Nota, quoties victimam immaculatam Scriptura nominat, non ſignificari armentum aut pecus eſſe debere unius coloris; ea autem quæ

varia

varia ſunt, inepta eſſe ad ſacrificandum: ſed, quòd debeat eſſe integrum & perſectum, omnis vitij expers, non macilentum, non claudum, non languidum, non monſtroſum. Unde & quidam ex Hebræo vertunt (*integrum*) Septuaginta habent *ἄμωμον*, id eſt, *irreprehenſibile*, quæ vox omnem defectum, & omne viſium excludit. Et ratio præcepti manifeſte eſt, quia præſtantiſſima ex unoquoque genere debent Deo offerri. Unde & Abel de primogenitis & adipibus eorum obtulit Domino. Geneſ.4.

℣.14. *De turturibus aut pullis columbæ. Quæritur* quare non etiam de gallinis, gallis gallinaceis, caponibus, perdicibus, cùm ſint optimi ſaporis & nutrimenti? *Reſp.* quia galli & gallinæ habent immundum nutrimentum, ſicut & porcus. Vide Thomam dicto loco 1.2. q.102. art.3. Et capo inſuper eſt animal imperfectum, utpote exectum: perdix autem animal ſilveſtre, nec communiter hominum uſui deputatum.

CAPUT II.

℣.11. O*Mnis oblatio abſque fermento fiet, nec quidquam mellis aut fermenti adolebitur Domino*. Non hinc eſt conſequens, tempore novæ legis offerendum eſſe in azymo; quia lex vetus nunc non obligat. Et alioqui non rectè permiſiſſet Florentina Synodus Græcis ſacrificare in fermentato. Nam iſta ſunt Synodi verba: Definimus item, in azymo ſive fermentato pane triticeo corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in alterutro ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem. Tum etiam *non prohibetur* omnis oblatio panum fermentatorum (nam tales etiam aliquando offerri licitum erat, ut patet cap.7.v.13) ſed tantùm (ut verba textus hoc loco clarè habent) ne aliquid fermenti aut mellis adoleatur in ſacrificio. Et enim fermentum corruptionem ſignificabat, ſynceritati contrarium; & mel dulcedinem ſeu voluptatem carnis: de quo eleganter Hieron. Epiſt.12.ad Gaudentium: Atque ideò etiam cerâ contemptâ, quia mellis hoſpitium eſt, Dominus ſibi accendi juſſit oleum, quod de amaritudine exprimitur olivarum. Cur autem ratio illa de melle non offerendo non valeat, quæ quibuſdam adfertur, ne Judæi in hoc viderentur gentilibus idololatris ſimiles, partim diximus cap. præced. v.2. partim hoc ipſo capite etiam dicemus ad v.13.

℣.13. *Quidquid obtuleris ſacrificij ſale condies*. Non ſolùm vero Deo Judæos ſacrificia ſua ſale condiiſſe, ſed etiam gentiles ſuis idolis, docet illud tritum: *ſalſa mola litare*. Sed nihil mirum: nam, ut eſt 1.Mach.3. ſcrutabantur Gentiles de libris ſacræ legis Judaicæ ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum. Non mirum ergo ſi Dæmon etiam ritibus quibuſdam iiſdem, cultus eſt, quibus Deus. Neque propterea quicquam honori divino decedit. Cæterùm *ratio myſterij*, *cur in omni* ſacrificio Deus *ſalem* adhiberi voluerit, duplex eſt: *Una*, quia ſal à corruptione præſervat: Oportet autem corruptionem omnem ſpiritualem à ſacrificiis ſpiritualibus longiſſimè abeſſe. *Altera*, quia ſal prudentiam & diſcretionem ſignificat, juxta illud Apoſtoli ad Coloſſ.4. *Omnis ſermo veſter in gratia ſemper ſale ſit conditus*. Id eſt, omnis ſermo veſter ex prudenti judicio procedat. Hinc & Dominus Marci 9.ad hunc locum reſpiciens dicit: *Omnis victima ſale ſalietur*. Nempe quia prudentia virtus eſt, cujus actus in omni opere eſt neceſſarius, utpote quòd ordinet media ad finem, qui eſt charitas omnia rectificans.

Nec auferes ſal fœderis Dei tui, de ſacrificio tuo. Ecce, pro tertia cauſa vocatur etiam *ſal fœderis Domini*, ſcilicet quia ſal ſignificat firmitatem, æternitatem, incorruptionem. Hinc & alia quædam pacta inviolabilia

A vocata ſunt *pacta ſalis*, ut Num. 18. ubi cum primitias filiorum Iſrael Dominus attribuiſſet Aaroni ejuſque filiis jure perpetuo, ſubjunxit v.19. *Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi ac filiis tuis*. Et 2. Paralip. cap.13. v.5. ſic loquitur Abia rex Juda ad Ieroboam regem Iſraël & exercitum ejus: *Num ignoratis quòd Dominus Deus Iſraël dederit regnum David ſuper Iſraël in ſempiternum ipſi & filijs ejus, in pactum ſalis?*

CAPUT III.

℣.1. Q*Vòd ſi hoſtia pacificorum fuerit ejus oblatio*. Hæc hoſtia Hebr. dicitur, *hoſtia pacificorum*, ſeu *pacium*, ſi ita loqui liceat, Septuaginta vocant *hoſtiam ſalutaris*. Et rectè, Nam nomine pacis apud He-

B bræos ferè omne bonum, & quicquid ad ſalutem pertinet, comprehenditur. Offerebatur itaque hoc ſacrificij genus, aut pro beneficio à Deo accepto, aut pro accepta liberatione à malo, ut à captivitate, ab hoſtibus, à morbo, vel alio ſimili. Et hac ratione vocatur interdum ſacrificium *εὐχαριστίας*, id eſt, gratiarum actionis; Aut denique offerebatur pro beneficio, vel ſalute conſequenda. Qua ratione erat *ſacrificium poſtulationis*. Dividebatur autem pacifica hoſtia in tres partes; quarum una incendebatur ad honorem Dei, altera cedebat in uſum Sacerdotum, tertia in uſum offerentium. Per quod ſignificabatur ſalutem hominis procedere à Deo, dirigentibus Dei miniſtris, & cooperantibus nihilominus ipſis hominibus qui beneficium ſalutis acci-

C piunt. Sic D. Thom. 1.2. art.3.

Poteſt circa triplex ſacrificiorum genus quæri, quale ex tribus fuerit ſacrificium quod Chriſtus Salvator noſter obtulit in cruce? Reſpondetur quod ſicut per omne genus ſacrificiorum veteris legis, fuit adumbratum & præfiguratum; ita & omne genus in eo poſſe intelligi. Fuit enim holocauſtum, quia per ignem ardentiſſimæ charitatis Chriſtus in cruce totum ſe Patri obtulit, nihil ſibi reſervando. Fuit hoſtia pacifica, ſive ſalutis, tum quia pacem fecit inter Deum & hominem, tum verò, quia omne ſalutare bonum bonis à Deo promeruit. Fuit autem hoſtia pro peccato, quia propitiationem nobis peccatoribus, id eſt omnium peccatorum remiſſionem, apud Deum impetravit. Sed quomodo pacifica, cum, quod in pacificâ fieri ſolet, nihil hic de

D hoſtia participet Sacerdos & is cujus nomine offertur? Item quomodo hoſtia pro peccato; cum, quod in ea fieri ſolet, nihil hic participet ſaltem Sacerdos? quandoquidem Chriſtus ita ſe Deo Patri holocauſtum obtulit, ut ſibi, qui Sacerdos erat, nihil reſervaret. Quamquam hic reſponderi poteſt, non omnia debere congruere inter figuram & rem figuratam; ſed ſatis eſſe ſi in genere ſacrificij & in fine conveniant: reperitur tamen congruentia etiam in ſpecie, ſi ſacrificium crucis conſideremus, quatenus ejus fit in Eccleſia commemoratio quotidiana, per ſacrificium Miſſæ.

Quod quidem dum offertur pro peccato; non ille pro cujus peccato offertur ex eo participat, ſed ſolus Sacerdos: quia quod ibi offertur, panis eſt filiorum, non mittendus canibus. Dum autem offertur ut hoſtia ſa-

B lutaris & Euchariſtica; poteſt ex eo præter Sacerdotem participare etiam is pro quo offertur.

℣.16. *Omnis adeps Domini erit jure perpetuo*. Et ſubditur v.17. *Nec ſanguinem, nec adipem omnino comedetis*. Nota; *non eadem* tamen *prorſus* modo prohibetur eſus adipis & ſanguinis. *Nam* ſanguinis eſus abſolutè prohibitus erat illi populo, etiam ante legem, ſtatim poſt diluvium. Gen. 9 Eſus *autem* adipis tantùm prohibetur ex iis animalibus quæ immolabantur: de aliis autem animalibus licebat eis adipem comedere: ſicut & hoc tempore Judæi à ſanguine abſtinentes, adipem tamen comedunt. Itaque *rationes utriuſque* prohibitionis hæ erant. *Una*, ut Judæi quam longiſſimè abeſſent à ritu

idololatriæ. Nam idolorum cultores bibebant de ſanguine victimarum, & adipes comedebant, juxta illud Deut. 32. *De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* *Secunda* ratio ad mores pertinebat. Nempe eſus ſanguinis prohibebatur, ut eo magis horrerent effuſionem humani ſanguinis: eſus autem adipis ad vitandam laſciviam: *Tertia* poſtremò ratio pertinebat ad reverentiam divinæ maieſtatis. Sanguis enim ad vitam neceſſarius eſt. Unde & anima dicitur eſſe in ſanguine: adeps autem abundantiam nutrimenti demonſtrat. Itaque ad proteſtandum à Deo nobis eſſe & vitam, & omnis boni ſufficientiam, ad honorem Dei fundebatur ſanguis ad crepidinem altaris, adeps autem incendebatur. Quarum rationum prima, etſi non omnino convincit, nam (ut diximus cap. preced. v. 13.) etiam commune erat Judæis & gentilibus in ſacrificiis uti ſale; nec certum eſt utrum gentiles omni vino libationis aliquid ſanguinis miſcerent; tamen congrua eſt; ac deinde rationes aliæ duæ ſufficiunt.

Dicet hic aliquis, in novo teſtamento de ſanguine dicitur: *Bibite ex hoc omnes.* *Reſpondeo* diverſitatis rationem moralem eſſe, quia ibi ſanguis erat in propria ſpecie; qui bibi non poteſt ſine horrore & quadam imagine crudelitatis; à qua ut abeſſent quàm longiſſimè, etiam comedere eum in cibis prohibebantur. Quod & renovandum duxerunt Apoſtoli Act. 15. quo faciliùs hac obſervatione gentilium animi cum Iudæis in unam coaleſcerent religionem. Hic autem ſanguis eſt ſub aliena ſpecie, atque maximè potabili. Ratio myſtica, quia ſanguis pecudum ad juſtitiam nihil conferebat; & ideo tanquam inutilis jubetur effundi in terram. At ſanguis Chriſti pretium eſt redemptionis noſtræ; cuius efficimur participes, dum eum juxta Chriſti inſtitutionem in Sacramento potamus. Itaque ſicut ibi ſcelus erat ſanguinem potare, fas autem in terram effundere, ita res in noſtro ſacrificio contra ſe habet. Scelus enim eſt effundere in terram, fas autem potare.

CAPUT IV.

℣. 2. **A**Nima quæ peccaverit per ignorantiam. Peccare per ignorantiam* duobus modis intelligi poteſt. *Uno modo*, peccare ex judicio practico ignorante, hoc eſt, dictante hic & nunc faciendum, quod aliquis ſcit non eſſe faciendum. Et hoc modo omne peccatum fit per ignorantiam, & omnis peccans errat, nempe in particulari. *Alio modo*, peccare ex eo quòd quis ignorat id quod facit, eſſe peccatum, ut quoties quis laborat ignorantia juris, vel etiam facti, cùm ſcire tenetur. Nam ignorantia invincibilis ſemper excuſat. Et *quæritur* utro modo quis hic dicatur peccare per ignorantiam? *Reſpondeo* poſteriori modo. Nam cap. ſeq. v. 15. idem peccatum dicitur per errorem committi. Alia deinde diſtinctio ponitur c. 6. v. 2. inter aliud quoddam peccatum, quod contempto Domino factum ſit; pro quo nihilominus ſacrificium offerri permittitur, nec morte punitur. Qui poſterior locus, quomodo non pugnet cum eo quod Num. 15. dicitur, *quod anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, peribit de populo ſuo*, explicabimus latiùs dictis locis.

℣. 11. *Pellem verò & omnes carnes.* Hæc hoſtia pro peccato jubetur extra caſtra tota conſumi igne. Cuius ratio eſt, quia de hoſtia pro peccato nemo participabat niſi Sacerdos: Hic autem præſcribitur hoſtia pro peccato ipſius Sacerdotis. Quare nec ipſe Sacerdos de ea participare debebat: Erat ergo tota conſumenda igne. Et ſimiliter præcipitur de hoſtia pro peccato totius Iſraëlis, ſequentibus verbis; *Quod ſi omnis turba Iſraël, &c.* & ratio eſt, quod in omni turba ſeu multitudine filiorum Iſraël etiam Sacerdotes comprehendebantur. Sed *quæres*, cur ergo huiuſmodi hoſtia non fuerit holocauſtum? *Reſpond.* quia non incendebatur tota

A ſuper altare; ſicut holocauſtum; ſed dividebatur in partes, ſicut hoſtia pro peccato, & partes efferebantur extra caſtra, & ibi comburebantur.

℣. 35. *Rogabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.* Videtur intelligi tantùm remiſſio legalis; qua nimirum fiebat, ut qui præſcriptam ſacrificij ceremoniam obſervaret, non puniretur temporaliter. Unde hic nulla fit mentio contritionis, & veræ pœnitentiæ; quia etiam ſine illa fiebat hæc remiſſio. Imò etiam ad infideles aliquando tales remiſſiones extenduntur. Unde 1. Reg. 5. Sacerdotes Dagon, aiunt ad Principes Philiſtiim, conſulentes de arca Domini remittenda; *Nolite dimittere eam vacuam, ſed quod debetis reddite ei pro peccato, & tunc curabimini.* Et principes
B ad eos; *Quid eſt quod pro delicto reddere debemus?* Et illi rurſum; *Si fortè relevet manum ſuam à vobis.* Notandum autem in Hebræo ſic legi hoc loco: *Et expiabit eum ſacerdos à peccato eius, & dimittetur ei.* Quæ expiatio, ſive in oratione Sacerdotis intelligatur, ſive in alio ritu quopiam externo, ſemper ad litteram intelligenda videtur non alia expiatio, quàm expiatio legalis. Vide noſtra in 4. diſt. 1. §. 28.

CAPUT V.

℣. 1. **S**I peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, teſtiſque fuerit, quod aut ipſe vidit, aut conſcius eſt: niſi indicaverit, portabit iniquitatem ſuam.* *Hæc* ſententia à nonnullis ſic accipitur, ut ſignificetur ille peccare, & expiatione indigere, quicumque audierit ali-
C quem falſum jurare, & ſciat falſum eſſe quod juratur, nec tamen indicat. *Hanc* expoſitionem ſequens Auguſtinus *quærit*, Utrum qui peierat, prodendus ſit, etiam cum periculo vitæ ipſius? Atque hanc quæſtionem eſſe dicit difficillimam; hoc tamen reſolvit, quid non eſt expreſſum cui ſit indicandum perjurium, an judici, an Sacerdoti, an alicui alteri; & ſatisfieri legi, ſi indicetur talibus qui magis poſſunt prodeſſe quàm obeſſe periuro, ſive ad corrigendum eum, ſive ad Deum pro ipſo placandum. *Probabilius* tamen eſt non loqui ſcripturam de periurio, quod quis audiverit; ſed de judicis adjuratione, quæ & Hebr. *execratio* vocatur, quia ferè fieri ſolet adjuratio cum execratione. Et quædam etiam MM. SS. exemplaria habent pro (*jurantis*)
D (*adjurantis.*) *Senſus ergo eſt*: Si quis audierit vocem judicis adjurantis ipſum ut id quod res eſt dicat, ſi teſtis eſſe poſſit, nec tamen indicaverit, portabit iniquitatem ſuam. Per hoc autem quòd à judice adiuratur, ſignificatur peccatum non eſſe penitus occultum, licèt judex nondum habeat ſufficientem eius probationem.

℣. 4. *Anima quæ juraverit, ut vel malè quid faceret vel benè —— oblitaque poſteà intellexerit delictum ſuum: agat pœnitentiam.* Illud quod dicitur, *ut vel malè quid faceret, vel benè*, non ſignificat implendum eſſe juramentum, quo quis juravit ſe alicui nociturum, aut Deum offenſurum: &, ſi per oblivionem non impleat, ſacrificio purgandum eſſe: Sed in eo quod dicitur; (*ut malè quid faceret*) malum pœnæ ſeu afflictionis
E intelligitur, ut ſit ſenſus; Si quis juraverit ſe afflicturum carnem ſuam jejunio, aut cuiuſcumque rei abſtinentia, & per oblivionem non præſtiterit; cognito delicto, tam agat is pœnitentiam, & offerat pro peccato, quàm ſi alicui beneficium aliquod promiſiſſet, & non præſtitiſſet. Sic Pſalm. 14. ſecundum Hebræa: *Qui jurat in malum, & non mutat.*

℣. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato.* *Hinc* videri poſſet legem Moſaicam ceremonialem non tantùm ſpectaſſe externa, verùm etiam exegiſſe cordis mundiciem, & veram animi contritionem, qua ad veram peccatorum coram Deo remiſſionem conſequendam homo diſponeretur; & proinde quod hic paſſim dicitur:

Orabit

Orabit pro eo Sacerdos, & remittetur ei, non de ſola legali remiſſione & ſatisfactione accipiendum, ſed de culpæ deletione, in judicio Dei. *Verùm reſpondendum* videtur, hic quoque pœnitentiam legalem intelligi; quæ nimirum ſita ſit in exteriori declaratione peccati, qua qui deliquit, exponit peccatum Sacerdoti, ut pro eo ſacrificium offeratur. Itaque lex tantùm pædagogus erat ad Chriſtum. Galat. 3. Et hoc velle videtur Hebræus textus qui ſic habet: *Et abſconditum fuerit ab eo, & ipſe ſcivit, & deliquit ex uno ex iſtis. Et erit cùm deliquerit ex uno ex iſtis, & confeſſa fuerit quod peccaverit ſuper eo.* Similiter Chaldæus, *confitebitur peccatum in quo peccavit*, Septuaginta verò ſic: ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν, id eſt, prodet, deteget, revelabit peccatum.

CAPUT VI.

℣.2. *ANima quæ peccaverit, & contempto Domino negaverit proximo ſuo depoſitum, &c.* Intelligitur contemptus Domini, non formalis, ſed interpretativus; quomodo cenſetur quiſque contemnere eum, cuius præceptis, cùm debeat, non paret, etſi ex infirmitate, vel alia cupiditate, nō autem ex mera malitia peccet: & proinde etiam peccatum iſtud non ex contemptu aperto, aut rebelli voluntate procedens, poterat reſtitutione & ſacrificio expiari. Non repugnat ergo hic locus ei qui eſt Num. 15. Nam ibi ſuperbia, contemptus plenus, & rebellio formalis intelligitur. Vide ibi plenius.

CAPUT VII.

℣.1. *HÆc quoque lex hoſtiæ pro delicto.* Poſtquam actū eſt capitibus præcedentibus 4. 5. & 6. de ſacrificiis pro peccato, jam hoc cap. 7. ritus deſcribitur hoſtiæ offerendæ pro delicto. Unde manifeſtum eſt, non idem ſignificari, cùm pro peccato hoſtia offerri dicitur, & cùm pro delicto: maximè cùm etiam manifeſtè diſtinctio ſignificetur illis verbis cap. 41. v. 13. ubi dicitur: *Sicut pro peccato, ita & pro delicto ad Sacerdotem pertinet hoſtia*: ſed quomodo peccatum à delicto diſtinguatur, Scriptura non exprimit. Origenes in Leviticum ſcribens, ita diſtinguit, ut delictum ſit cùm non facimus quod debemus; peccatum autem cùm facimus quod non debemus, id eſt, ut delictum ſit omiſſio boni, peccatum verò perpetratio mali. Quam diſtinctionem etiam ponit Auguſt. in Levitic. Sic enim, inquit, in laudabili vita aliud eſt declinare à malo, aliud facere bonum: quod admonemur, dicente Scriptura; Declina à malo & fac bonum: ita in damnabili, aliud eſt declinare à bono, aliud facere malum. Addit *Auguſt. & aliud diſcrimen*: Poteſt, inquit, etiam videri illud eſſe delictum, quod imprudenter, id eſt, ignoranter: peccatum autem illud quod ab ſciente committitur. Huic differentiæ videntur etiam illa teſtimonia divina conſonare; Pſalm. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Et Pſal. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Et Apoſtolus ad Galat. 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, id eſt, per imprudentiam lapſus. De peccato autem dicitur Iacob. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Sive autem hoc diſcrimen ſit, ſive aliud; omnino videtur levius aliquid, & minus ſignificari nomine delicti, quàm peccati. Nam & peccata omiſſionis, & quę per imprudentiam committuntur; cæteris paribus, minora ſunt quàm commiſſionis peccata, & quæ à ſciente fiunt. Fatetur interim Auguſtin. & reipſa declarat, huiuſmodi diſcrimen non perpetuò in Scripturis obſervari, ſed ſæpè indifferenter alterum pro altero uſurpari.

℣.18. *Si quis de carnibus victimæ pacificorū die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti*; Quomodo irrita poſt tertium diem, ſi quo die facta, bene facta fuit; An irrita, quatenus Deus oblatione placatus poſtea novo peccato rurſum offenditur, ac reum tenet hominem cui ante propter oblationem benè factam redditus erat propitiùs? Unde ſequitur: *Quin potiùs quæcumque anima tali ſe edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit*: An ideo irrita fit oblatio, quia non cenſetur completa donec legitimè conſumpta fuerit: Non conſumitur autem legitimè, ſi quod reſiduum fuerit, tertio die comedatur, cùm lex præcipiat igne abſumendum quicquid tertius dies invenerit.

℣.20. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, peribit de populis ſuis.* *Quæſtio* eſt, quomodo peribit? an ultione divina, an ſententia judicis? *Quidam* de judicis ſententia intelligunt: & per judicem putant talem debuiſſe morte plecti. Sed hæc expoſitio minus eſt veriſimilis. Neque enim huiuſmodi judicia unquam facta legimus; & multis admodum locis legitur, *peribit de populo, vel populis ſuis*: etiam de fermento tempore Paſchali in domo alicuius invento, & aliis; propter quæ non eſt veriſimile ſolitam fuiſſe ferri ſententiam capitalem. Proinde *ſimplicior ſenſus* erit iſte; *peribit de populis ſuis*, id eſt, obnoxius erit ultioni divinæ, q. d. Dei vindictam non effugiet.

℣.25. *Si quis adipem qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo — omnis anima quæ ederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* Hinc manifeſtum eſt non ſimiliter prohiberi eſum adipis & ſanguinis. Nam adipis eſus prohibetur eius tantum, qui debet offerri in incenſum, ſanguinis verò abſolutè. Unde & interpretatæ ſententiæ prohibet eſum ſanguinis cuiuſcumque animalis, etiam eius quod non liceat ſacrificare. *Sanguinem quoque*, (inquit) *omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus quàm de pecoribus.* Vide ſuprà annot. cap. 3.

CAPUT VIII.

℣.4. *COngregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait: Iſte eſt ſermo, &c.* Nota, Aaron & filij eius in Sacerdotes aſſumuntur, & conſecrantur, non ex ſuffragiis populi (ne exiſtimemus rem huiuſmodi fieri non poſſe, niſi præceſſerit electio vel approbatio multitudinis, quod prætendunt hæretici noſtri ævi) ſed factum id eſt ſolo juſſu Dei, congregato tamen cœtu populi, ut in eius conſpectu conſecratio fieret: quamquam nec hoc ipſum neceſſarium erat, niſi quia Dominus ita fieri præceperat verbis illis antegreſſis: *congregabis omnem cœtum ad oſtium tabernaculi*: In qua ſententia obiter quoque notandum, illud (*tabernaculi*) in quibuſdam codicibus malè omitti, legitur enim in Chald. & Græco.

℣.14. *Obtulit & vitulum pro peccato.* Scilicet Moyſes: Ex quibus verbis, & conſequentibus liquet Moyſen nō ſolùm adhibitis cæremoniis Aaron & filios eius conſecraſſe Sacerdotes; verùm etiā ſacrificia obtuliſſe: quod Sacerdotum eſt proprium. Igitur Moyſes verè fuit Sacerdos, juxta illud Pſalm. 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* An autem Moyſes fuerit ſummus Sacerdos, & an tunc fuerint duo ſummi Sacerdotes Moyſes & Aaron; vide ad dictum Pſalmum.

CAPUT IX.

℣.7. *DIxitque ad Aaron: Accede ad altare & immola pro peccato tuo —— & pro te & pro populo.* Quod hic ad Aaronem dicitur, ut ſacrificaturus deprecetur Deum pro ſe & pro populo, id ad omnes omnino Sacerdotes etiam novi teſtamenti pertinet: Unde Apoſtolus ad Hebræos 5. cap. de omni Pontifice ex hominibus aſſumpto loquens ait: *Qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Huic habet

Eccleſia

Eccleſiaſtica, eaque laudatiſſima conſuetudo, ut Sacerdos novi teſtamenti accedens ad altare peccata ſua confiteatur, priuſquam ad ſacrificandum aſcendat. Hinc & in Canone Miſſæ pectus pulſans, ſe peccatorem confitetur. Solus autem Chriſtus talis ſacerdos eſt, qui quemadmodum dicit idem Apoſtolus, non habet neceſſitatem prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi. In quibus verbis notandum quod Apoſtolus ad Hebr. 7. indicat Sacerdotem prius pro ſuis peccatis, deinde pro populi peccatis hoſtias offerre conſueviſſe. Sanè & Daniel prius ſua, deinde populi peccata confitetur. Ita & Sacerdos novæ legis prius ſua peccata confitetur, deinde verò miniſtrum (& in miniſtro populum) peccata confitentem audit.

CAPUT X.

ỷ.1. *Arreptiſque Nadab &, Abiu filij Aaron thuribula,—— offerentes coram Domino ignem alienum.* Tradunt Hebræi Nadab & Abiu ex vino temulentos, acceſſiſſe ad ſacrificandum, ſumpto alieno igne, id eſt, qui non erat à Deo miſſus, & ſumptus ex altari, de quo dicitur in fine capitis præcedentis, quòd egreſſus ignis à Domino devoraverit holocauſtum. Et ex eo tempore ignis ille divinus duravit ſuper altare uſque ad tempus captivitatis Babylonycæ, ut indicatur lib. 2. Machab. cap. 1. Quod autem temulenti acceſſerint, probabile faciunt, ex eo quòd continuò poſt iſtud factum datur Sacerdotibus præceptum abſtinendi à vino.

Cæterùm *myſticè alienum ignem* offerunt, omnes hæretici, dum contempta doctrina cælitus Eccleſiæ tradita, privatam quiſque & peregrinam opinionem conſectatur. *Sed* & ignem alienum offerunt, qui aliquod opus ſuum Deo offerunt, quod non totum à Deo ſe accepiſſe veraciter & humiliter agnoſcunt, ſicut agnoſcebat David dicens; *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quod autem additur de hoc igne alieno (*quod eis præceptum non erat*) non ita accipiendum eſt, quaſi nihil facere liceat, niſi quod præceptum eſt, ſed mos eſt loquendi Scripturæ, quo ſignificat quippiam prohibitum eſſe, ſeu præceptum ut non fiat. Ita Ieremiæ 32. cap. improperans Dominus populo, quod ædificaſſent excelſa Baal, & filios ſuos initiaſſent Moloch, addit *quod non mandavi eis*, id eſt, de quo mandavi ut non facerent. Sed *quæritur, ubi fuerit prohibitum* Sacerdotibus, ne alienum ignem offerrent? *Reſp.* veriſimile eſſe, tunc fuiſſe prohibitum, quando miſſus fuit ignis ille divinitus, idemque juſſus ſervari in perpetuas retro generationes, licèt hoc Scriptum non ſit.

ỷ.2. *Egreſſuſque ignis à Domino devoravit eos.* Devoravit, id eſt, extinxit, exanimavit, vitam ademit. Non enim ſenſus eſt quòd in favillam eos redegerit. Nam mox dicitur: *Tollite fratres veſtros de conſpectu ſanctuarij & aſportate extra caſtra:* Confeſtimque pergentes tulerunt eos, ſicut jacebant, veſtitos lineis tunicis, & eiecerunt foras. Adeo ergo non fuerunt eorum corpora igne conſumpta, ut ne quidem lineæ eorum tunicæ in favillam redactæ eſſent.

ỷ.9. *Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu & filij tui.* Hunc locum Origenes Homil. 7. ſuper Levit. ſuo modo allegorizat de Chriſto de Apoſtolis, quod adhuc lugent, & mœrent pro peccatis noſtris: omiſſo ſenſu litterali. Sed eam Origenis ſententiam, productis eius verbis refutat Bernardus ſermone, cui titulus; De verbis Origenis. Vide etiam Sixtum Senenſem in Bibliotheca. *Sed* myſticè Sacerdotes novi teſtamenti, ingreſſuri tabernaculum Domini, id eſt, ſacrificium incruentum oblaturi corporis & ſanguinis Domini, non tantùm à vino & ſicera abſtinere debent, verùm etiam ab omni cibo & potu, eò quòd tra-

A ctent ſacrificium multò dignius. Quæ etiam ratio eſt, quòd cùm Aaronici Sacerdotes tantùm tempore vicis ſuæ ab uxoribus abſtinere debebant, Sacerdotes novi teſtamenti tam ſublimis, omni tempore debeant ſe continere à re conjugali.

CAPUT XI.

ỷ.2. *Hæc ſunt animalia quæ comedere debetis*, id eſt, licitè poteſtis. Nempe ſic concluditur hoc caput: *Ut differentias noveritis mundi & immundi, & ſciatis quid comedere & reſpuere debeatis.* Verum cùm dicat Apoſtolus ad Titum 1. *Omnia munda mundis*, & 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*, &
B Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, meritò quæritur* quomodo hic quædam dicantur immunda, & ideo comedi prohibeantur? Pro *reſponſione*, primùm quidem certa fide tenendum eſt, in creaturis Dei nihil eſſe ſua natura immundum, aut malum, aut abominabile, ſed omnem creaturam Dei bonam eſſe & mundam. Unde, artifici Deo, inquit, Auguſtin. in Pſal. 141. tam mundus eſt porcus quàm agnus. *Immunda* tamen quædam animalia dicuntur, partim propter uſum corporalem, partim propter ſignificationem ſpiritualem. *Priori* modo immunda ſunt quæcumque in cibum ſumpta nocumentum adferunt; ut in primis venenata, deinde & ea quæ qualitate aliqua immoderata, ut humiditate, viſcoſitate, calore nimio,
C aut frigore, noxia ſunt. Sed hæc immunditia potiùs eſt Medicæ conſiderationis quàm Theologicæ.

Itaque *poſteriori modo* ea dicuntur munda, quibus munditia, id eſt, bona animi qualitas ſignificatur: ea immunda, quibus ſignificatur vitioſa aliqua animi affectio. Hoc modo porcus, immundus, quia immunditiam luxuriæ ſignificat; camelus, quia ſuperbiam: è contra verò bos mundus eſt, quia manſuetudinem ſignificat: agnus quia innocentiam. Et ita de aliis. Atque hæc legalis diſtinctio mundorum & immundorum, de qua hoc loco & alibi.

ỷ.3. *Omne quod habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis.* Ad munditiam in quadrupedibus duo requiruntur, dividere ungulam, & ruminare. Qui hanc munditiam etiam ad uſum corporalem
D pertinere putant, dicunt fiſſionem ungulæ indicem eſſe, quod carnes talium animalium non abundent nimio & viſcoſo humore: ruminationem autem ſignum eſſe, quod in iis alimentum bene digeratur, ac proinde bonum ſuccum & nutrimentum comedentibus præſtet. Quod autem ad ſpiritualem ſignificationem attinet, diviſione ungulæ ſignificatur diſcretio boni & mali: per ruminationem verò applicatio boni cogniti ad operationem. Atque hæc duo ita requiruntur ad munditiam, id eſt, ad bonitatem cuiuſcumque operis, ut ſeparari non poſſint. Nam neque diſcretio valet ſine operatione, nec opus aliquod bonum eſſe poteſt ſine diſcretione; quin & Auguſtinus ſcribens in Pſalmum 46. dicit per ruminationem ſignificari iteratam cogitationem, ſeu meditationem eius
E quod auditum eſt, quando, inquit, audit, ſimilis eſt manducanti, quando audita in memoriam revocat & cogitatione dulciſſima, recolit, fit ſimilis ruminanti. Poſſet etiam diviſa ungula ſignificare geminam charitatem.

Quæres 1. quare non eſt in lege poſitum ſimile diſcrimen in herbis, aliiſque terræ naſcentibus quoad munditiam & immunditiam, quale in animalibus, præſertim cùm multæ herbæ noxiæ ſint, quædam etiam mortiferæ, cumque in ipſo ſtatu innocentiæ lex præcepta fuerit de fructu certæ cuiuſdam arboris non comedendo? *Reſpondeo* potiùs in animalibus quàm in herbis inſtitui debuiſſe diſcrimen atque delectum:

delectum : quia in eſu animalium magis peccatur per luxum & gulam quàm in eſu herbarum, de quibus etiam dictum fuerat primis hominibus ante peccatum : *Ecce dedi vobis omnem herbam & omnia ligna ut ſint vobis in eſcam* : quod de animalibus non fuit dictum. Reſtringi ergo debuit eſus eorum quæ poſt primam inſtitutionem gula appetivit, non eorum quæ Deus ex prima inſtitutione conceſſit. Noxias autem & mortiferas herbas ſatis per ſe prohibet lex naturæ. Unius verò arboris uſum prohibuit Dominus primis hominibus, nō propter immunditiam aliquam vel naturalem vel legalem, quæ in eius fructu eſſet : ſed ſolummodo ad probandam hominis obedientiam.

Quæres 2. an humanæ carnes ſecundum legem mundæ ſint, an immundæ ? *Reſpondeo* neutrum, quia lex de ijs non loquitur, ac ſolum intendit agere de animalibus ratione carentibus, ſupponens id quod erat legis naturæ, ab humanis carnibus omnino abſtinendum eſſe : cuius rei gratia Deus hominibus indidit, ut naturaliter horreant eſcam humanæ carnis. An autem aliquo caſu licitum ſit ea veſci, alterius loci quæſtio eſt.

Notandum porro quòd immunditia legalis non eſt eadem cum immunditia corporali, quamvis interdum coincidant. Dicitur enim corporaliter immundum, quod taliter eſt affectum ut homines communiter id refugiant tanquam ſordidum. Quomodo dicitur immundus qui luto aut pulvere eſt aſperſus, aut qui manus habet pinguedine aut muco, aut ſanguine, aut purulentia &c. maculatas. Quomodo etiam quædam animalia ſunt immunda, quia in ijs libenter verſantur, vel ea comedunt à quibus homines abhorrent, ut porci. Legaliter autem immundum aliquid dicitur, quod contraxit immunditiam, à qua lex præcipit hominem mundari, vel propter quem lex prohibet hominem ab uſu & eſu ſacrorum, quæ immunditia ſæpe ſine peccato contrahebitur, ſicut & prior illa ſæpe contrahitur : imò interdum & per bona, Deoque placentia opera, ut per officium ſepulturæ, &c. Itaque legaliter immundus eſt, & non corporaliter, qui funeri intereſt & præſtat officium ſepulturæ : qui caprum emiſſarium ducebat extra civitatem, &c. Corporaliter autem, & non legaliter immundus eſt ; qui luto aut pulvere fœdatas, aut ſordidas & illotas habet manus, &c.

℣.24. *Lavabit veſtimenta ſua, & immundus erit uſque ad veſperam.* Quin & poſtea dicitur de vaſis & veſtimentis, quod tingentur aqua, & nihilominus polluta erunt uſque ad veſperam. Significatur ergo, ut videtur, quòd lotio illa, ſive veſtimentis, aut vaſis, ſive ipſi homini adhibita, non hoc præſtabat, ut ſtatim vel illa munda eſſent, vel homo mundus (ne quidem legaliter) ita ut ipſe homo, aut cum talibus veſtimentis quiſpiam ſe poſſet miſcere ſacris, ſed ut illa munditia reputaretur tantùm à veſpere, id eſt, ab initio ſequentis diei, ſic ut illa lotio eſſet tantùm quædam præparatio ſanctificationis in diem ſequentem : ſicuti jam ad maiora feſta nos præparamus pridiè per jejunia, atque olim etiam per vigilias ſacras.

CAPUT XII.

℣.2. M*Vlier ſi ſuſcepto ſemine.* Manifeſtum eſt hoc ad B. Virginem non pertinere, quæ nullum ſemen aliundè ſuſcepit, ſed de puriſſimis ſanguinibus ſuis filium Dei concepit. Vide Hebræo.

℣.5. *Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui.* Sed quare duplum eſt tempus immunditiæ pro filia ? An quia fœmina mare imperfectior eſt? an quia fluxus menſtrui diuturnior eſt ex nata filia ? Unde dicitur, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui. *Non eſt* autem putandum idcirco duplicari tem-

A pus immunditiæ pro filia, quòd mulier in prima tranſgreſſione gravius viro peccaverit, ut quidam putant. Longè quippe probabilius eſt, virum graviùs peccaſſe. Vide noſtra in 2. Sentent. diſtinct. 22.

℣.9. *Cumque expleti fuerint dies purificationis ſuæ pro filio, ſive pro filia, deferet agnum anniculum.* Illud (*pro filio, ſive pro filia*) jungendum præcedentibus, non ſequentibus. Non enim oblatio hæc fiebat pro prole nata, ſed pro purificatione matris : (Vide Ianſenium in Luc. 2.) Unde & poſtea dicitur. v. 7. *Et orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluvio ſanguinis ſui.* Et iterum in fine capitis v. 8. *Orabitque pro ea ſacerdos, & ſic mundabitur.* Illud ergo *purificationis ſuæ pro filio, ſive pro filia,* hunc habet ſenſum ; *Purificationis*, ſcilicet ab immunditia, contracta ex partu filij aut filiæ.

B Sed *quæſtio* oritur, cur Eccleſia non judaizet, exercens adhuc ceremoniam purificationis mulierum ex partu ? *Reſpondeo*, non exercet ceremoniam hic præſcriptam, nec intendit quicquam Judaicum aut Moſaicum obſervare, ſed tantùm pro gratiarum actione facit aliquid legi Chriſtianæ congruens. *At dices*, ſi purificatio eſt, ergo ab aliqua immunditia ; nam alioqui purificatio dici non poſſit. Atqui non ab immunditia naturali, neque à ſpirituali ; ergo ab immunditia legali. *Reſpondeo*, à nulla immunditia ; nam *abuſive purificatio vocatur*, eò quod ſit ceremonia circa mulierem à partu, ex parte quadam ſimilis ei, quæ in vetere lege vocabatur *purificatio*, ſed pluribus partibus eidem diſſimilis. Eſt autem ceremonia, qua mulier

C puerpera, quæ ob honeſtatem publicam à partu ſe domi tempore puerperij continuit, nec in publicum prodijt, in Eccleſiam progreſſa, à Sacerdote ſuſcipitur cum aliqua benedictione, quod cùm prolem genuerit Deo & Eccleſiæ.

CAPUT XIII.

℣.2. I*D eſt, plaga lepræ, adducetur ad Aaron Sacerdotem.* *Quæritur* quare judicium lepræ, quod proprium eſt Medicorum (his enim competit judicare de morbis) committatur Sacerdotibus ? *Reſpondeo*, id ideo factum eſſe, quia cùm Sacerdotium illud conſtitutum eſſet à Deo, etſi typicum, ideo illis Sacerdotibus dari quoque debuit poteſtas judicandi de iis qui

D ob immunditiam corporalem debebant corporaliter ab hominum converſatione ſeparari ; cuiuſmodi inprimis erant leproſi. *Simul* quoque per hoc fuit ſignificatum ad Sacerdotes novi teſtamenti pertinere judicium de iis, qui ob immunditiam ſpiritualem, quam lepra illa ſignificabat, ſeparari debeant ab Eccleſiæ & Sacramentorum eius communione ; vel eidem, ſi mundati fuerint, reſtitui.

Ad Aaron, vel ad unum quemlibet filiorum eius. Hebr. eſt, *Vel ad unum è filiis eius Sacerdotibus.* Unde hinc non conſequitur, quod judicium lepræ cuiuſcumque hominis Iſraëlitæ ſpectavit ad quemlibet promiſcuè Sacerdotem ; ſed ad certum aliquem cuius vices eſſent, aut cui id eſſet commiſſum. Nam, ut indica-

E tur capite proximè ſequenti, in loco ſacrificij mundatio illa fieri debebat.

℣.6. *Mundabit eum*, & v. 11. è contra, *Contaminabit itaque eum Sacerdos*, Nota, *mundat* Sacerdos Aaronicus, quando mundum pronunciat : *contaminabit*, quando contaminatum & immundum declarat. *Hinc* hæreticus ſic *argumentatur* ; Sacerdos veteris teſtamenti tantùm ideò mundat, quia mundum pronunciat : ergo nihil etiam amplius facit Sacerdos novi teſtamenti, cuius ille typum geſſit. *Sed Reſpondeo*, comparationem hanc admodum eſſe iniquam inter Sacerdotium novum & vetus, & utriuſque poteſtatem : Illud enim umbraticum erat, iſtud verum: illud carnale, iſtud ſpirituale. Unde nihil mirū, ſi Sacerdotibus novæ

legis

legis maiorem poteſtatem contulerit Deus in judicandis peccatis, quàm Sacerdotibus veteris legis in judicio de lepra. *Eſt tamen etiam utrobique aliquid ſimile.* Sicut enim ibi Sacerdos neminem mundabat, niſi qui à lepra mundus erat: ita hic neminem efficaciter abſolvit Sacerdos, niſi qui lepram peccati jam voluntate & propoſito excluſerit. Abſolvendo enim, à reatu liberat, non affectum mutat. Et ſicut Sacerdos veteris legis pronuntiando facit ut quis mundus habeatur coram hominibus, id eſt, legaliter ſit mundus: ita novæ legis Sacerdos abſolvendo facit, ut ſpiritualiter ſit mundus: ut pleniùs probari ſolet Matth. 19. & Ioan. 20. Vide etiam noſtra in 4. diſt. 18.

℣. 45. *Habebit* (leproſus) *veſtimenta diſſuta, caput nudum, os veſte contectum, contaminatum ac ſordidum ſe clamabit.* Ad literam præſcribuntur certa ſigna, ex quibus cognoſci poſſit eum eſſe leproſum, ut alij ab eo ſibi caveant: ſicut qui morantur in domibus peſte infectis, quando verſantur in publico, geſtant albam virgulam, ut ea conſpecta, alij caveant propius ad eos accedere. *Myſticè* autem per leproſum peccator intelligitur, qui *veſtimenta diſſuta* habet, quia virtutes animæ diſſolutas. *Caput Nudum*, quia galea ſalutis ſpoliatus eſt: *Os contectum*, quia peccatori dicitur: *Quare tu enarras juſtificationes meas?* & rurſum: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Denique ut ad ſalutem perveniat, *immundum & contaminatum ſe clamare* debet, id eſt, peccata ſua agnoſcere & confiteri.

℣. 49. *Omni tempore quo leproſus eſt & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Quod de caſtris pro tempore præcipitur, hoc ſimiliter de urbibus intelligendũ, ſicque ſervatum fuit, ut leproſi extra urbes haberent habitationem, quod & hodie fit in pleriſque civitatibus. Si qua tamen urgeret neceſſitas, velut tempore obſidionis, intrabant civitatem, nihilominus conſortium hominum vitantes, aut juxta introitum portæ manebant; ut 4. Reg. 7. Itaque per hanc legem Maria ſoror Moyſi, lepra percuſſa, juſſa eſt extra caſtra manere donec ſanaretur, & Azarias Rex Juda leproſus habitavit in domo libera ſeorſim. 4. Reg. 15. Nec tamen leproſis converſatio cum aliis in tantum prohibita fuit, ut cum ijs colloqui nunquam liceret. Nam Giezi leproſus prolixè cum Rege Iſraël colloquitur, 4. Reg. 8. Sed in publico vitare debebant hominum congreſſus & colloquia. Videtur etiam in Evangelio domus Simonis leproſi non extra civitatem, ſed intra fuiſſe. Sanè cum uxore & liberis & ſervis neceſſe erat eos familiariùs converſari, neque id lex prohibere intendit.

℣. 57. *Lepra volatilis & vaga.* Lepra ſecundum Auguſtin. inter cætera peccata, præcipuè hæreſim ſignificat. Qua interpretatione ſervata, poterit haud ineptè per lepram volatilem & vagam, intelligi hæreſis noſtrorum Politicorum: qui cenſent, mutato Principe, vel Magiſtratu, vel mutata Principis de religione ſententia, mutandam etiam eſſe religionem, ut religio ſerviat politiæ, non contrà: & prout hæc vel illa ſecta convenit ſervandæ paci, tranquillitati & proſperitati Reip. eatenus eam eſſe ſuſcipiendam aut retinendam. Nefandum monſtrum.

CAPUT XIV.

℣. 19. R*Ogabit pro eo ſacerdos, & faciet ſacrificium pro peccato. Quæret* aliquis, *quare*, leproſo præſcribitur *ſacrificium pro peccato?* cùm lepra non ſit peccatum, neque omnino ad animum pertineat, ſed tantùm ſit vitioſa quædam affectio corporis? *Reſp.* quamvis lepra peccatum non ſit, frequenter tamen infligitur pro peccato: cuius rei plura exempla habemus in Scriptura ſacra. Sic Maria ſoror Moyſi propter murmurationem adverſus fratrem ſuum Moyſen, lepra percutitur; Ozias rex Juda, quia uſurpare voluit Sacerdotis officium, leproſus factus eſt. Giezi miniſter Eliſęi propter avaritiam cum mendacio conjunctã, lepra percuſſus. Deinde non tantùm lepra, ſed & quæcumque alia corporis miſeria plerumque hominibus propter ſua peccata infligitur. Si *dicas*, aliquando ſaltem lepram, vel à parentibus, vel ob incommodam educationem, citra peccatum contrahi; *Reſp.* tunc dici *ſacrificium pro peccato*, id eſt, pro peccato, ſeu immunditia legali; quomodo etiam intelligitur cap. 12. quando præcipitur, ut puerpera offerat pro peccato. Nam ibi cùm dixiſſet: *& pullum columbæ, ſive turturem pro peccato*, mox idem quaſi explicans, ſubiungit Scriptura de Sacerdote: *Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic mundabitur à profluvio ſanguinis ſui*, quaſi profluvium ſanguinis & peccatum ibi idem ſint.

Quod ſi reſpiciamus ad rem per lepram ſignificatam: omnino dubium non eſt, quin pro ea venia ſit petenda & impetranda à Deo. Nam lepra vel in genere peccatum, vel in ſpecie hæreſim ſignificat.

℣. 35. *Et dicet; Quaſi plaga lepræ videtur mihi eſſe in domo mea.* Circa hunc locum ſciendum, lepram quæ eſt morbi quædam ſpecies, propriè in domo, aut quacumque alia re inanimata eſſe non poſſe. Proinde lepra, quæ domui attribuitur, vel veſtimento, nihil eſt aliud, quàm corruptio quædam in veſtimento, aut parietibus domus exiſtens, quæ poſſet eos qui domo aut veſtimento uterentur, lepra inficere: ut ſit locutio figurata, qua cauſa ſumit nomen ſui effectus: quomodo potionem ſanam dicimus, quia ſanitatem efficit. Sed *quæres* quomodo jubetur Sacerdos etiam pro domo orare; cum in ea nec ſit, nec fuerit peccatum, quod ſacrificio & oratione Sacerdotis expurgandum ſit? *Reſp.* quod dicitur; *orabit pro domo*, alij ſenſum reddentes vertunt: *expiabit domum*; ſed utrovis modo legamus, non ſignificatur oratio pro domo tanquam re aliqua animata; ſed oratio, qua hoc petitur, ut domus jam mundata atque purgata, poſſit deinceps ſine hominum nocumento, aut lepræ periculo, ſeu immunditiæ noxa, inhabitari.

℣. 48. *Purificabit eam reddita ſanitate.* Hebr. *& mundabit Sacerdos domum quia ſanata eſt plaga.* Sicut catachreſis eſt in eo quòd lepra domui tribuitur, ſcilicet rei inanimatæ, ſic & in eo quòd ſanitas ei reddita dicitur. Patet etiam ex Hebræo, redditam ſanitatem, non referri ad Sacerdotem, quaſi ille domui ſanitatem reddiderit, quod tamen ſuſpicari quis poſſet ex latino texto, quaſi ſenſus ſit, purificabit eam poſtquam reddiderit ſanitatem: ſed ſenſum eſſe quòd Sacerdos poſtquam viderit lepram poſt lituram non creviſſe in domo (quoniam id argumento eſt plagam lepræ ſanatam eſſe) purificare domum debeat, id eſt, mundam judicare.

CAPUT XV.

℣. 15. Q*Vi faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum.* Faciet, id eſt, ſacrificabit, ut multi exponunt. Vide de hac ſignificatione comment. 1. Corinth. 11. ad illud: *hoc facite in meam commemorationem.*

℣. 24. *Si coierit cũ ea vir tempore ſanguinis menſtrualis, immundus erit ſeptem diebus.* Sic & c. 18, v. 19. itidem ſine graviori pœna. *Quæritur* ergo quomodo hæc conveniant cum eo quod dicitur cap. 20. v. 18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo? Reſpondeo*, Scriptura c. 20. loquitur de eo, qui ſciens & prudens ad menſtruatam mulierem acceſſerit, & de eo convictus fuerit in judicio: caput autem hoc 15. & 18. intelligenda ſunt quando ipſe imprudens acceſſerit, aut poſtea cognoverit, aut factum occultum eſt. Nec enim tenebatur ſeipſum accuſare, ſed ſufficiebat quantum ad legem, ut ſe tanquam immundum ſeptem diebus ſepararet

ab

ab hominum converſatione : interim quoque apud Deum peccati pœnitentiam ageret, ſi ſciens feciſſet. Quod *autem tam ſeverè* prohiberetur coitus cum muliere menſtruata, ſanè etiam cum uxore (nam concubitus cum non uxore ſatis aliis præceptis ſunt prohibiti) *cauſa eſt*, non tantum propter immunditiam ſeu fœditatem; verum etiam, & multo magis, propter nocumentum prolis, quæ ſæpè ex tali concubitu monſtroſa, leproſa, debilis, aut quocumque alio modo vicioſa naſcitur. Unde apud Ezechielem cap. 18. inter manifeſtæ iniquitatis peccata numeratur, ſi quis ad mulierem menſtruatam acceſſerit : ſicut inter juſtitiæ opera, ſi quis ad talem non acceſſerit.

CAPUT XVI.

℣.10. C*Vim autem in caprum emiſſarium, &c.* Per caprum Chriſtus ſignificatur, propter ſimilitudinem carnis peccati. Fit autem hic mentio *duorum caprorum*; alterius qui immolatur in tabernaculo, alterius autem qui emittitur in deſertum, à feris devorandus; quorum uterque Chriſtum ſignificat. Prior Chriſtum paſſum in civitate Ieruſalem, nempe clamoribus & accuſationibus Iudæorum; poſterior Chriſtum paſſum & crucifixum extra civitatem, idque manibus gentilium, tanquam ferorum ac barbarorum hominum. *Alij aliter allegoriam* explicant; per hircum immolatum Chriſti humanitatem intelligentes (Chriſtus enim paſſus eſt ſecundum humanam naturam :) per hircum emiſſarium vero, eiuſdem divinitatem, quia ſecundum naturam divinam paſſionem & mortem ſubire non potuit; & tamen ſecundum eandem naturam portavit ſecum omnes iniquitates hominum; quia in quantum Deus, delet iniquitates noſtras, id quod facere non potuiſſet, ſi tantum homo fuiſſet.

℣.16. *Et expiet Sanctuarium ab immundiciis filiorum Iſraël.* Expiari dicitur Sanctuarium, tabernaculum, & altare ab immundiciis filiorum Jſraël; non quod Sanctuarium propriè aliquo peccato inquinetur, ſed quia cenſetur quodammodo pollui peccatis Sacerdotum & populi, ſicut & Eccleſię Chriſtianorum contaminari, & profanari dicuntur per certa quędã peccata in ijs commiſſa. Quemadmodum ergo Chriſtianorum Eccleſiæ poſt profanationem repurgantur, ac velut reconciliantur; ita in lege veteri tabernaculum quoque, ſanctuariũ, & altare expiari debebant à multiplicibus peccatis filiorum Jſraël, in quorum medio erant conſtituta.

℣.21. *Confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum. Hac* Sacerdotis pro univerſo populo *peccatorum confeſſio* non ita fiebat in genere, ut tantum profiteretur populũ peccaſſe : Hoc enim non eſſet confiteri omnes iniquitates filiorum Jſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum. At neque tamen confeſſio illa ita particularis erat, ut ſingulorum peccatorum à ſingulis commiſſorum enumerationem contineret. Neque enim ea omnia ſcire poterat Sacerdos, & fuiſſet ea Sacerdotis confeſſio nimis longa, nec unius diei; ſed fiebat enumeratione peccatorum ſecundum ſpecies eorum, quæ ſciret in populo regnare.

℣.31. *Et affligetis animas veſtras, religione perpetua.* Nota, igitur jejunium eſt actus religionis : quod noſtri negant hæretici.

CAPUT XVII.

℣.4. S*Anguinis reus erit : quaſi ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui.* Vide hic Hieronym. de Oleaſtro. Hinc probare quidam nituntur etiam Paſchalem agnum debuiſſe mactari operâ Sacerdotum & Levitarum ad oſtium tabernaculi : de qua re vide Exod. 12.

A ℣.11. *Quia anima carnis in ſanguine eſt.* Quidam ſic intelligunt; Anima, id eſt, ſpiritus vitalis ſedem habet in ſanguine. Spiritus enim vitales puriore ſanguinis parte in vapores calore nativo reſolutâ, nutriuntur. Unde ſpiritus illi in ſanguine ſedem habere dicuntur; quia ſine ſanguine conſiſtere non poſſunt. Et quidem Scripturam loqui dicunt tantum de animalibus ratione carentibus. Auguſtinus autem putat quod hic dicitur etiam ad animam hominis pertinere; & hoc modo explicat. Vita iſta temporalis, maximè & potiſſimum, ſanguine continetur in corpore, ut per animã vita temporalis intelligatur, ſive connexio animæ cum corpore. Quod ſi animam propriè accipias, ſimilis ſenſus reddi poteſt hoc modo : Anima, etiam humana, potiſſimum ſanguinis pręſentia in corpore continetur. Et D. Auguſt.
B ſenſus videtur Scripturæ maximè conformis. Quod enim ſententia etiam ad hominis animam pertineat, apparet ex eo, quod poſtea univerſaliter dicitur. *Anima enim omnis carnis in ſanguine eſt.* v. 14.

Redditur autem per hanc ſententiam ratio, quare prohibeatur eſus ſanguinis. Cum enim anima ſit in ſanguine : crudelitatis ſpeciem quandam habet comedere ſanguinem. Et videtur hoc præceptum non mere eſſe ceremoniale, ſed ex parte etiam morale, quod ſtatim quoque à diluvio datum eſt Noë & filiis eius Geneſ. 9. De hoc D. Thomas 1. 2. quæſt. 102. art. 3. ad 8. Sanguis, inquit, eſt maximè neceſſarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima eſſe in ſanguine. Vide etiam Ambroſ. libr. de Noë & arca cap. 25. referentem ſen-
C tentias Philoſophorum de anima : ex quibus Critias animam dixit eſſe ſanguinem, Ariſtoteles entelechiam, alij aliud : & exponit, quo ſenſu anima ſit in ſanguine. Vide annot. cit. loco Gen. 9.

CAPUT XVIII.

℣.5. Q*Ua faciens homo vivet in eis.* Sermo ad litteram, ut videtur, tantum eſt de obſervatione legis, quæ ſufficiebat ad comminationes eius evadendas, & de vitæ huius temporalis fœlicitate; ſed *myſticè* agitur de vera obſervatione, & de vita æterna. Vide ad Rom. 10. ubi Apoſtolus apertè hoc diſcrimen indicare videtur.

℣.6. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non ac-*
D *cedet.* Præcepta hæc quæ ſequuntur uſque ad finem capitis, non ceremonialia ſunt, ſed moralia : & quidem talia, ut propter ea non ſervata deleti fuerint incolæ terræ Chanaan, ut ſub finem capitis dicitur. Igitur eâdem ratione ad nos quoque pertinent. Unde tamen non eſt conſequens, quod volunt heretici, non poſſe Eccleſiam in ullo eorum diſpenſare. Multa enim ſunt morum præcepta ex fontibus legis naturæ deducta, quæ tamen non prorſus ſunt immobilia, ſed diſpenſationem & exceptionem interdum admittunt. *Imo tale* eſt hoc ipſum, quod hic v. 16. dicitur : *Turpitudinem uxoris fratris non eſſe revelandam*, hoc eſt, eam non eſſe in uxorem ducendam. Nam ipſa lex Deut. 25. in eo facit exceptionem, non tantum permittens, ſed etiam
E præcipiens, ut frater uxorem fratris ſui ſine liberis mortui, ducat, ut ſuſcitet ſemen fratri defuncto. Compenſatur enim, & tollitur honeſtate ſeminis fratri defuncto ſuſcitandi, turpitudo quæ tali conjugio & conjunctioni alioqui ineſſe potuit.

℣.16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Quærit* Auguſtinus, utrum hoc viuente fratre ſit accipiendum, an mortuo? Et utrovis modo reſpondeatur, occurrit incommodum. Nam ſi fratre vivo, prohibebatur hoc generali præcepto; *Non mœchaberis*; ſin mortuo, igitur fratri ſine liberis defuncto, non erit à fratre ſuſcitandum ſemen; quod tamen præcipitur Deut. 25. Demum *reſpondet* D. Auguſtinus, & rectè, præceptum iſtud intelligendum de *non* accipienda

uxore fratris defuncti, cum hac *tamen* exceptione (quam alio loco, nempe Deut.25. Scriptura expreſſit) niſi frater ſine liberis defunctus ſit: tum enim ſecundum legem non modò licitè poterat, ſed etiam jubebatur accipere uxorem fratris ſui, ad ſuſcitandum illi ſemen. Addit tamen Auguſt. nequaquam etiam licuiſſe uxorem fratris accipere, ſi à fratre vivo per repudium diſceſſiſſet.

℣.19. *Ad mulierem quæ patitur menſtrua non accedes.* Vide ſupra cap.15. v.24.

CAPUT XIX.

℣.17. N*On oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum.* Laborant nonnulli, quomodo doceant id quod hic præcipitur, non eſſe contra ordinem correptionis fraternæ, Matth.18. in Evangelio præſcriptæ, nempe ut primò fratrem quis corripiat inter ſe, & ipſum ſolum. Sed ſciendum eſt, neque in Hebr. neque in Chaldaico, neque apud Sept. legi *(publicè)* ſed omnes tantum habent, *corripiendo corripies*, vel *arguendo argues*, id eſt, omnino argues eum de ſuo peccato, ne ſilentio tuo particeps efficiaris peccati eius. Quod autem nos habemus *(publicè)* poteſt accipi pro *(apertè)* ut opponatur odio latenti. Vatablus habet *(planè.)* Eſt autem ſermo de fratre etiam qui in te peccavit; nam illud indicat vox illa: *Non oderis fratrem tuum*, quaſi dicat, non viciſſim oderis. Unde hinc etiam patet præceptum dilectionis inimicorum, fuiſſe in veteri lege; nempe correptio fraterna eſt actus dilectionis ſive charitatis.

℣.18. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum.* Per *amicum* omnis proximus intelligitur, etiam inimicus: ut patet ex Evangelica parabola de incidente in latrones, Luc. 10. per quam docet Dominus omnem hominem, qui quocumque modo eget aut juvari poteſt alterius opera, eſſe eius proximum: quo in numero etiam ſunt inimici, juxta illud, Proverb.25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum &c.* & in lege. Exod.23. *Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere &c.* Rectè quoque omnis homo amicus vocatur, quia omnibus amorem debemus, & eò ipſo quo eos diligimus, amici ſunt paſſivè, quia amantur à nobis, licet nos non redament. Sic Dominus in Evangelio, Ioan.15. *Maiorem charitatem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, id eſt, pro iis quos amat, tametſi inimicis & hoſtili animo erga ſe affectis. Vide Annotat. citato loco Ioan.15. Item nota quod infra hoc eodem cap. dicitur de advena inter filios Iſraël commorante: *Diligetis eum quaſi voſmetipſos*: *Amicum* item Dominus interpretatur proximum, quando dicit & approbat ſecundum legis mandatum eſſe: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Lucæ 10. Hoc enim præceptum ex hoc loco ſumptum eſt; imo vox Hebræa proximum ſignificet, ut Pagninus vertit, vel ſocium, ut Arias. Scimus quidem vocem Hebræam diverſam eſſe hoc loco ab eâ, quâ alibi ſæpè proximus ſignificatur, ut hoc eodem capite paulò ſuperius: *Non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum*; & iterum: *Iuſtè judica proximo tuo*: & iterum pro eo quod habemus: *Sed publicè argue eum*: in Hebræo eſt, *corripiendo corripies proximum tuum.* Verum & iſta vox, ad idem ſignificandum paſſim uſurpatur. Imò videntur hæ duæ dictiones Hebræis eſſe ſynonymæ, ſicut & apud eos ſunt multæ aliæ. Nam promiſcuè utralibet utitur Moyſes. Altera enim dictio quam Arias ſocium maluit interpretari; itidem ter legitur hoc capite, ſemel ibi: *Non facies calumniam proximo tuo*: ſecundò ibi: *Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui*; tertiò in ea ſententia quam nunc enucleamus, ut mirum ſit Hieron. hic voluiſſe vertere *amicum*, cum in præcedentibus verterit *proximum*, cumque etiam 70. utramque vocem non aliter verterint, quam πλησίον, id eſt, *proximum*, & Matth.5. utique ex hoc loco refertur dictum eſſe antiquis: *Diliges proximum tuum*: Græcè τὸν πλησίον σου. Eadem vox Hebræa habetur Pſalm. 14. *Nec fecit proximo ſuo malum.* Ubi rurſum Hieron. vertit: *nec fecit amico ſuo malum.* Veruntamen, ſive amico, ſive proximo, idem debet intelligi; nempe is cui amorem, & pro opportunitate beneficentiam & opem debemus. Vatabli verſio ubique proximum reddidit. Quod autem nomine *proximi*, & proinde *ſocij* ſeu *amici*, omnis homo intelligatur, ex ſeq. cap. probatur, ubi ſic dicitur: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui*, Ecce idem eſt, *cum uxore alterius*, &, *cum conjuge proximi ſui*: ergo omnis homo alter, eſt proximus: ex ſententia Moyſis. Denique hoc præcepto inimicum comprehendi, id eſt, eum qui nocet & injuria afficit, liquet ex iis quæ proximè præcedunt. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo*, ſcilic. eum qui in te peccavit, qui te læſit. Item, *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*, id eſt, injuriæ tibi à civibus tuis illatæ. Quæ ſunt præcepta dilectionis inimicorum. Tum ſequitur: *diliges amicum tuũ ſicut teipſum.* q.d. non vindicabis te de proximo te lædente: Quin potius quamvis te læſerit, diliges eum ſicut teipſum. Unde manifeſtè patet etiam hic præcipi dilectionem inimicorum. Vide noſtra in 3. diſt.30.

℣.27. *Neque in rotundum attondebitis comam, nec radetis barbam.* Solent hæc objicere hæretici contra ritum Eccleſiaſticum, quo Sacerdotes ac monachi barbas radunt, & coronam in capite gerunt. Sed facilè diluitur hæc eorum calumnia, ſi videamus, quæ ſit prohibendi cauſa. In Hebræo eſt: *Ne in gyrum attondeatis angulum, (vel finem) capitis veſtri, nec corrumpes angulum barbæ tuæ.* Et quidem quando anguli tolluntur, fit rotunditas. Sed imprimis inſpicienda eſt *ratio* præcepti, quæ duplex redditur; *Una*, ut moneantur contenti eſſe naturalibus ornamentis, ne videantur creatorem accuſare, tanquam imperfectum opus fecerit; *Altera* & præcipua, ut ab huiuſmodi ritibus abſtineant in deteſtationem idololatrarum. Nam ſolent hæc & ſimilia fieri ab idololatris: à quorum ceremoniis voluit ſuos Dominus longiſſimè abeſſe. Sed ceremoniale tantum fuit præceptum. Unde cum per ſe malum non ſit, & conſtet non fieri in honorem idolorum, à Sacerdotibus Chriſtianis non malè illi certæ cuiuſdam rei ſacræ ſignificandæ cauſa, tales ritus aſſumpſerunt. *Deinde* neque propriè in rotundum comam attondent, *ſed* ad imitationem ſpineæ coronæ Dominicæ, tantum coronam exprimunt. *Barbam* etiam radunt noſtrates, magis ex antiqua conſuetudine, quam ex lege aut canone. De barba vide Bedam, ſi placet, ſuper 1.Eſdr.9. Conf. infrà ad Ezech. cap.44.

CAPUT XX.

℣.10. S*I mœchatus quis fuerit cum uxore alterius,— morte moriantur mœchus & adultera.* Lex iſta non omnes tamen adulteros complectitur, ſed eos ſolum, qui adulteraverint uxorem alterius, non autem viros uxoratos, qui rem habuerint cum muliere ſoluta. Quod planum eſt ex verbis legis; tum etiam quod in eundem ſenſum eadem lex repetitur Deut.22. his verbis; *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id eſt, adulter & adultera.* Ratio eſt, non quod pares non ſint, quoad actum conjugij vir & mulier, ſed quia multo gravior eſt injuria, quæ conjugio infertur ex adulterio mulieris quam viri, propter prolis & poſteritatis incertitudinem.

Cum uxore alterius,——& cum conjuge proximi ſui: Qui alterum dicunt intelligi quemcumque hominem, proximum vero amicum vel fratrem, id eſt, Iſraëlitam, ineptam faciunt ſententiam, ut cuius poſte-

rius membrum jam contineatur in priori; ſed more Hebræo *ejuſdem eſt repetitio* & inculcatio, ut diſcamus proximum intelligi omnem hominem, quod capite præcedenti v.18. monuimus. Et ſimilis repetitio eſt in ſententia præcedenti his verbis: *Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, morte moriatur: patri, matrique maledixit, ſanguis ejus ſit ſuper eum.*

ỷ.13. *Qui coierit cum maſculo, coitu fœmineo, uterque operatus eſt nefas, morte moriantur.* Apud multos quidem gentiles non caſtigabatur hæc abominatio Sodomitica pœna capitis; tamen eſſe illam contra naturam, & merito debuiſſe ab omnibus morte puniri, docent nos etiam quæ habentur in rebus Indiæ novæ Occidentalis, ubi narratur libro ſecundo cap.87. in Provincia dicta Tezcico (credo Mexico) pœnam hujus criminis fuiſſe capitalem, & in Nicaraga lapidatos fuiſſe Sodomitas, ut habetur lib.6. cap.11.

ỷ.18. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo.* Vide ſuprà c.15. v.24.

ỷ.27. *Vir, ſive mulier in quibus Pythonicus vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur. Quæritur*, quomodo juſtum ſit hoc ſupplicium, cum hoc ſit genus obſeſſionis dæmoniacæ; dæmoniaci autem non ſunt occidendi ſed curandi, ſi fieri poteſt, cum patiantur, non agant? *Reſp.* duplex eſſe genus eorum qui pythonem habent; alij, qui diabolico operi cooperantur, ut mulier illa 1. Reg. penult. quæ Samuelem ſuſcitabat. Hujuſmodi erant & vates apud gentiles, ſeu viri, ſeu fœminæ, qui certis quibuſdam adhibitis ceremoniis, provocabant dæmonem ad reddendum oraculum, & poſtea eodem dæmone agitati loquebantur, quę dęmon vellet. Atque hoc genus è medio tollendum eſt: ſicut & rectè fecerat Saül, qui omnes divinos, & ariolos, ut ibidem dicitur, eraſerat de terra. Unde & illa mulier ſibi ab illo vehementer metuebat, tanquam eodem ſupplicio digna. Sed *alij ſunt qui* tantum patiuntur, & vocantur *ἐγγαστρίμυθοι*; cujuſmodi erat puella illa Pythoniſſa Actor. 16. quam ejecto dæmone, reſtituit Paulus. Septuaginta reddunt *(ventriloquum)* Alioqui, Pythonicus & Pythoniſſa dicuntur à Pythone, id eſt, ſpiritu divinatore; Python enim ab Apolline Pythio. Vide Lexicon Græcum ex Plutarcho, ad *πύθων*.

CAPUT XXI.

ỷ.6. I*Ncenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.* Panes intelligit, qui quotidie recentes offerebantur ſuper menſam propoſitionis. Itaque ſicut ſacrificia illa typica erant, & umbram dumtaxat habentia futurorum; ita & *ſanctitas* illa, de qua Scriptura hic loquitur, non aliud eſt, quam externa quædam, & legalis munditia. At verò in novo teſtamento utrumque verum ac proprium intelligendum eſt. Nam & ſacrificium quod offertur à Sacerdotibus novi teſtamenti, non typicum eſt, ſed res per illa antiqua ſacrificia ſignificata; ipſum videlicet Corpus Domini, quod in ara crucis pependit; ipſe Sanguis, qui ibi effuſus eſt. Ideoque & ſanctitas requiritur, non ea quæ in legali munditia conſiſtit; ſed quæ ſita eſt in vera pietate ac puritate animi, ſine qua quiſquis ad hęc tremenda myſteria accedit, immundus accedit, & judicium ſibi ſumit; non remedium.

ỷ.10. *Pontifex*, id eſt, *Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cujus caput fuſum eſt unctionis oleum, & cujus manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, &c.* Hinc apparet quod non ſolus Aaron, verum etiam ſucceſſores ejus certis ceremoniis, ut ille, ſoliti fuerint conſecrari in Pontifices, quia lex illa non ad ſolum Aaronem pertinet, ſed generaliter ad ſummum Pontificem.

Quæritur ergo à quo fieri ſolita fuerit illa Pontificis conſecratio, quando nemo erat Pontifice dignior, qui id facere poſſet? Nam Aaron conſecratus eſt à

Eſtij Annot. in Script.

A Moyſe qui extraordinarium in conſecrando Aaronem & filios ejus, & offerendis ſacrificiis ad tempus ex imperio Dei geſſit Sacerdotium, juxta illud: *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Nam Moyſen extraordinarium hac in re fuiſſe miniſtrum, patet ex eo quod filij ejus in Sacerdotio non ſucceſſerint, ſed ſoli filij Aaron. Vide annot. Exodi 18. & 19.

ỷ.13. *Virginem ducet uxorem.* Innocentius Papa ep.22. ex hoc loco probat Sacerdotem novi teſtamenti non poſſe eſſe bigamum, aut viduæ maritum. Quæ probatio quomodo valeat, cum lex vetus ſit abrogata, declarat Leo Papa in epiſt.87. Eſtque *notandum*, ea quę hic pręcipiuntur de uxore Sacerdotis veteris legis, non tam ceremonialia eſſe, quam præcepta ad honeſtatem vitæ Sacerdotalis, ipſorumque Sacerdotum honorem, B pertinentia. Qua ratione transferri potuerunt ex his aliqua ad Sacerdotes novi teſtamenti. *Quæres*, an uxore mortua, licitum eis fuerit aliam ducere? *Reſp.* nuſquam legitur eis prohibitum fuiſſe: tametſi nec facti reperitur exemplum. *At inſtas*, ſi ex uxore defuncta nullam ſuſcitaſſet ſobolem, tunc ſaltem neceſſe ei fuit aliam ducere cauſa propagandi generis: *Reſpondeo* fratres aut fratrum filios potuiſſe ſuccedere.

CAPUT XXII.

ỷ.23. B*Ovem & ovem aure & caudâ amputatis, voluntariè offerre potes: votum autem ex ijs ſolvi non poteſt.* Videtur hoc contrarium ijs, quæ proximę C præcedunt: nam ibi verſ.21. ſic legitur, *Homo qui obtulerit —— vel vota ſolvens, vel ſponte offerens, tam de bobus quam de ovibus, immaculatum offeret.* Id eſt, quod vitium non habeat, & integrum ſit, ut eſt in Hebræo. Sed *Reſpond.* hic tantum permitti ut Sacerdoti ſponte offeratur, qui id vel in ſuos uſus neceſſarios convertere poſſit, vel vendere, & pretium in uſum templi, vel ſacrificiorum impendere; non autem ut votum ex ijs ſolvatur, id eſt, ut Deo in ſacrificium offeratur.

ỷ.25. *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro & quicquid aliud dare voluerit.* Quidam ſic intelligunt. Quoniam quæ dicta ſunt de maculatis & vitioſis non offerendis, ſolos obligant Iſraëlitas, non gentiles, & ideo videri poſſet quod liceat Sacerdoti de manu alienigenæ ſuſcipere aliquid maculatum aut vitio-D ſum; prohibetur hic non homini gentili qui lege non tenetur, ne talia offerat, ſed Sacerdoti ne talia ſuſcipiat. Rectius alij qui dicunt alienigenam, qui circumciſus non eſt, prorſus repelli ab omni oblatione *per ſe facienda*, etiamſi immaculata offerre vellet, quales erant aliqui panes. Imo de omnibus generaliter quæ ejus ſunt, Scriptura loquitur, & cauſam addit: *quia corrupta & maculata ſunt omnia*, quod mox plenius explicabimus. Deinde alienigenæ offerre prohibebantur, nempe, quia, qui offerebant aliquid, intrabant atrium tabernaculi, ubi erat altare holocauſtorum. Nefas autem erat gentes eò admittere. Id ergo quod dicitur, *quia corrupta & maculata ſunt omnia*, hunc habet ſenſum: Gentiles ipſi immundi ſunt, quia idolorum cultores, vel ſaltem incircumciſi; & proinde omnis eorum oblatio haberi E debet tanquam immunda.

Et videtur Apoſtolus Paulus ad Titum 1. ad hunc locum alludere, quando dicit: *Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia*; nempe eæ partes ſeu vires, quibus ſpirituales oblationes offeruntur. Eccleſia etiam aliquid ſimile obſervat. Nam ſicut Sacerdotes veteris teſtamenti prohibentur hîc ſuſcipere oblationem omnem gentilium; ita & Eccleſia vetat ſuſcipi oblationes excommunicati, uſurarij, aut cujuſcumque manifeſti peccatoris; ſcilicet ad ſignificandum ſpirituales talium oblationes nondum Deo gratas eſſe, quamdiu in tali ſtatu permanent.

A

CAPUT XXIII.

℣.24. *MEnſe ſeptima prima die menſis erit vobis Sabbatum memoriale clangentibus tubis.* *Quæritur* quomodo prima dies menſis vocetur Sabbatum, cum illa dies menſis, ſicut unaquæque alia, ſit mobilis per omnes hebdomadæ dies, ut aliquando in ipſum Sabbatum incidat, aliquando in alium ex ſex diebus quibus operari licebat, ſicut nunc prima dies menſis in quemcumque hebdomadæ diem incidere poteſt. *Reſpondeo*, Sabbatum propriè non ſignificare diem ſeptimum, ſed diem quietis, ſive illa habeatur die ſeptimo, ſive quocumque alio die. Unde quando Scriptura loquitur de feſtis, quibus vacandum erat ab omni opere; omnes eiuſmodi dies vocat Sabbata. B *Innuit* autem Sabbatum, ut attribuitur diei ſeptimo; *triplicem quietem*. Primò enim revocat in memoriam quietem Dei, id eſt, ceſſationem eius ab operibus creationis, poſt opus ſex dierum. Secundò quietem ab hominibus obſervandam ſeptimo die ab omni opere ſervili, ut ſoli Deo & religionis operibus vacent. Tertiò præfigurat quietem futuram poſt hanc vitam, & ſingulorum hominum, & totius ſæculi; quod totum ſex ætatibus, velut ſex diebus volvitur; poſt quod exſpectatur requies illa Sanctorum, quam Apoſtolus vocat Sabbatiſmum populi Dei. Hebr.4.

℣.27. *Affligetiſque animas veſtras in ea.* Vide ſupra cap. 6. v.3.

℣.34. *A quinta decima die menſis huius ſeptimi erunt feria tabernaculorum.* *Quæritur* cur non eodem modò C Deus per ſe inſtituit dies feſtos in nova lege? *Reſpondeo*, quia dies feſti in veteri lege tales erant inſtituendi, per quos certa myſteria rerum futurarum, puta redemptionis & ſalvationis noſtræ, ſignificarentur; quæ etiam ab iis qui populo præerant in his quæ ad Deum pertinent, valde obſcure cognoſcebantur; *Omnia enim in figura contingebant illis, & lex umbra tantum erat futurorum.* 1. Cor. 10. & Hebr. 10. Opus ergo erat authoritate divina ad huiuſmodi feſtorum inſtitutionem. Feſta verò Chriſtiana ferè continent commemorationem præteritorum beneficiorum, ac myſteriorum redemptionis noſtræ; ut Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis Chriſti, & miſſionis Spiritus Sancti. Quæ cum in Eccleſia Chriſti ſint omnibus noD tiſſima, maximè præfectis ipſius Eccleſiæ, facilè ab his inſtitui potuerunt feſti dies pro iſtorum grata recordatione, ut non fuerit hîc opus ut à Deo immediatè inſtituerentur; præſertim cùm Eccleſia Spiritum Sanctum acceperit, à quo, ſicut docetur omnem veritatem, ita & dirigitur, ut ea ſtatuat obſervanda, quæ populo Dei ſunt ſalutaria. Hinc etiam factum, ut pauciſſimæ leges à Chriſto ſint datæ: Cæteras enim commiſit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, cum quibus futurum ſe promiſit uſque in finem ſæculi.

℣.36. *Dies quoque octavus erit celeberrimus, — eſt enim cœtus atque collecta.* *Quæritur*, quæ ſit ratio huius nominis? *Reſpondeo*, quorundam ſententia ſic vocatur, quia ea die colligeretur pecunia pro ſacrificiis ordinariis, quæ per totum annum offerenda eſſent in ta- E bernaculo, & pro aliis ad cultum Dei neceſſariis; quæ communibus populi expenſis fieri debebant. Sed alij *reſpondent*, non propterea hunc diem vocatum diem *collectæ*. Idem enim ſecundum Hebræos fiebat primo die menſis duodecimi. Deinde, etiam octavus dies Paſchæ vocabatur *cœtus ſeu collecta*, ut eſt Deuteronomij cap. 16. v.8. ſed ſic vocabatur, quia eo die populus debebat colligi & adunari ad vacandum rebus divinis. Unde ferè ſemper additur: *Omne opus ſervile non facietis in eo.* Chald. paraphraſis ſic habet: *Collecti eritis ad celebrandum feſtivitatem.*

CAPUT XXIV.

℣.11. *CVmque blaſphemaſſet nomen Domini.* Dicunt Hebræi pronuntiaſſe eum nomen Dei τετραγράμματον, quod nefas erat. At unde probent illo tempore nefas fuiſſe nomen illud proferre: nondum comperi. Nec ſanè veriſimile eſt, cùm toties in ſcripturis expreſſum habeamus, & ita quidem, ut videatur etiam infidelibus notum fuiſſe, Pharaoni, Abimelech, Ægyptiis & aliis, quod non potuit, niſi vulgò pronuntiari ſolitum eſſet. At nec ſi ineffabile erat, propriè blaſphemia eſſet, ipſum pronuntiare; ſed tantùm inobedientia, & quædam irreverentia, non continuò morte digna. Aliud igitur blaſphemus hic dixit, quod ſcriptura tacuit. Nam quomodo blaſphemat qui Deum nominat eo nomine, quod Hebræi volunt ei maximè proprium eſſe?

Hebraicè eſt: *& nuncupavit nomen & maledixit.* Senſus eſt: *Nuncupavit cum maledicto.* & infrà: *Nuncupans nomen Domini moriendo morietur.* Et iterum reperitur, ubi Pagninus vertit, *blaſphemans*, fortè figura eſt, quâ ob reverentiam nominis Domini, plus intelligitur quàm exprimatur.

℣.12. *Donec noſſent quid juberet Dominus.* Ideò de blaſphemo lex data non erat quæ ſupplicium præſcriberet, quia tam grave & horrendum eſt hoc peccatum, ut non priùs contra ipſum lex ſtatuenda ſit, quàm fuerit commiſſum. Alia ratio eſt de aliis peccatis ac delictis, quæ cùm ſæpiùs occurrant, ad prudentiam legiſlatoris ſpectat, legibus latis ab iis deterrere, & de iis ſtatuere. Sic Solon parricidio pœnam lege non ſtatuit: Cauſam rogatus, reſpondit, quia non exiſtimaſſet quemquam tam ſceleratum fore qui parricidium perpetraret. Hoc quidem Deus dicere non potuit, qui omnia novit antequam fiant; ſed legem non ferendo inſinuare voluit criminis hujus extremam malitiam.

Quæres, quare Moyſes blaſphemum hunc non mulctavit morte, per eas leges quæ præcipiunt interfici eos qui maledixerint patri & matri, ſumpto argumento à minori? cùm judices, ſi caſus inciderit non expreſſus in jure, ſoleant ex ſimilibus quid ſibi faciendum ſit ſtatuere. *Reſpondeo*, Moyſes pro Dei gloria zelatus eſt; quando peculiariter ſuper hoc ſcelere D puniendo divinum reſponſum petiit: quaſi tale crimen eſſet, cui nulla ſatis gravis pœna rependi poſſet; ut ſunt in republica (ſi humana divinis comparare licèt) crimina læſæ maieſtatis.

Quæres 2. quare Deus tam levi pœna blaſphemum mulctavit, ſcilicet lapidatione, quę erat apud Hebræum populum ſatis communis, & inferebatur pro delictis multò minoribus? *Reſpondeo*, quia Deus exemplum dare voluit omnibus præfectis, regibus, principibus, ne proprias injurias velint graviùs vindicare, ſed clementiam etiam erga eos qui in ſe peccaverunt, oſtendere. Hoc enim principem virum populo maximè charum efficit. Fecit ergo Deus quod ſuam decebat clementiam; fecit autem & Moyſes quod facere oportebat principem glorię divinę zelatorem.

E ℣.14. *Et ponant omnes qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius.* Huius cauſam reddunt aliqui (ut Oleaſter) quòd ſicut is, pro cuius peccato offerebatur hoſtia, debebat ponere manum ſuper caput hoſtię, ad ſignificandū, quòd ſuum peccatum puniebatur & expiabatur morte illius pecudis: ita hi qui audierant blaſphemiam, debuiſſent ponere manum ſuper caput blaſphemi, ad ſignificandum aliquod ſuum peccatum, quo blaſphemiam audierant, in morte hominis blaſphemi expiari. *Sed* hęc ratio non nititur veritate. Nam non pręſumitur eum qui audivit, aliquo modo conſentire, niſi fortè ſi taceat. Iſti autem detulerant, & erant teſtes contra blaſphemum. Quare potiùs ſignificatum

videtur,

videtur; quòd imponebant manum in teſtimonium facti, & approbationem juſti ſupplicij.

℣.16. *Sive ille civis, ſive peregrinus fuerit.* Addit hoc de peregrino, ne putaretur is qui religionem Dei Iſraël non ſuſcepiſſet, immunis eſſe ab hac pœna, ſi nomen Dei Iſrael inter eos blaſphemaſſet. Quamvis enim non eſſet de populo, & ideo legibus populi non eſſet in univerſum ſubjectus; ratione tamen delicti apud eos commiſſi, forum ſortiebatur, & ſecundum legem eorum puniendus erat, non ſolùm pro crimine blaſphemiæ; verùm etiam pro aliis quibus pœna à lege erat ſtatuta.

℣.19. *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium ſuorum, ſicut fecit ſic fiet ei.* Macula pro quacumque læſione ponitur, quam noſtri deformationem vocant. Unde ſequitur, *fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet.* Et iterum ſubditur: *Qualem inflixerit maculam talem ſuſtinere cogetur.* De hac lege talionis vide annot. Exod. 21. & Matth. 5.

CAPUT XXV.

℣.4. *CVm ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, Sabbatizet Sabbatum Domini.* Quædam exemplaria habent: *Sabbatizet populus Sabbatum Domini*, quædam, *Sabbatizetis Sabbatum Domini.* Sed dubium non eſt quin debeat ad ipſam terram referri, & legendum ſic: *Sabbatizet Sabbatum Domini*, videlicet terra; quæ vox in Hebræo & Græco expreſſa eſt, & hic paulò pòſt clarè dicitur: *Septimo anno Sabbatum erit terræ. Quæritur,* in quo conſiſtat Sabbatum terræ? Arbitrantur quidam tantùm in eo conſiſtere Sabbatum terræ, quòd ſeptimo anno non liceret colligere fructus de terra; ſed tamen arare & ſeminare liceret, ita ut fructus inde nati pauperibus terræ relinquendi eſſent. Sic Auguſt. in Exodi 23. Quid, inquit, pauperes colligent, ſi nihil ſeminatum fuerit? Sed rectius in eo Sabbatum & quies terræ conſtituitur, quòd nec colebatur arando, nec ſeminabatur, nec metebatur. Dicit enim expreſsè ſcriptura hoc ipſo verſ.4. *Agrum non ſeres, & vineam non putabis.* Ad objectionem autem Auguſtini, etiam ipſa ſcriptura reſpondit, ita ſubjungens: *Quæ ſponte gignet humus non metes, ſed erunt vobis in cibum, tibi & ſervo, &c.* Simulque ſubjungitur verſu 21. *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructum trium annorum.* Unde ſequitur etiam pauperes, de iis quæ ſponte naſcentur victuros, & de abundantia anni præcedentis. Quòd autem dicitur de anno ſexto, quod *faciet fructum trium annorum*, intelligendum eſt, ſicut illud de Chriſto, quod filius hominis erit in corde terræ tribus diebus: videlicet per ſynecdochen. Nempe ex fructibus anni ſexti comedebant in fine anni ſexti, toto anno 7. & initio anni octavi. Qua ratione ipſa Scriptura id explicat conſequentibus verbis; *ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annū.* Ubi illud, *uſque ad nonum annum*, intellige excluſive, id eſt, uſque ad octavum incluſivè, nempe ſecundum illud quod addit: *& donec nova naſcantur edetis vetera.*

℣.13. *Anno jubilæi redient omnes ad poſſeſſiones ſuas.* Ex hac lege anni jubilæi colligunt quidam Iſraëlitas ſuarum terrarum non habuiſſe dominium directum, ſed tantùm utile; directum verò dominium fuiſſe Domini. Quod tamen ex hac lege non videtur conſequi: quia nemo tenebatur poſſeſſiones ſuas alienare, deinde poteſt etiam aliquando nunc dominium directum ita reſtrictum eſſe, ut poſt certum temporis ſpatiū exſpiret.

CAPUT XXVI.

℣.1. *NOn facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis, ut adoretis eum.* Quod additur *(ut adoretis eum)* etiam ad omnia præcedentia refertur. Prohibetur enim ſculp-

A tile fieri ut adoretur: prohibetur titulus erigi (pro quo alij ſtatuam, alij columnam vertunt) ut adoretur; prohibetur poni lapis inſignis, id eſt, figuratus aut pictus, hoc eſt, imago quæcumque lapidea ad hoc ut adoretur: Nam omnium eadem eſt ratio. Sicut ergo, ſecluſa adoratione, non prohibetur ponere terminos agrorum, qui plerumque ſunt lapides magnitudine notabiles, nec rurſum prohibetur figere lapides aut columnas in monumentum rei memorabilis, ac præſertim beneficij divini; ſicut Ioſue fixit 12. lapides in Iordane: & duæ tribus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manaſſe altare extruxerunt, non ad ſacrificium, ſed in teſtimonium perpetuum, quòd etiam ipſi pertinerent ad populum Dei, ut narrat Hiſtoria Ioſue c.4. & c.22. in ô lapides illi fixi ſunt juſſu ipſius Domini: ita non
B ſimpliciter prohibetur fieri ſculptile, ſed tantùm ne adoretur. Confer quæ ſunt dicta Exodi 20.

℣.11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea, ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus.* Hæc tametſi ad litteram promiſſa ſint veteri populo, quamdiu permaneret in obſervatione mandatorum: tamen myſtico & ſublimiori ſenſu referenda ſunt ad Chriſtum & Eccleſiam. Ad quem ſenſum velut manuducit nos Apoſtolus 2. Corinth. 6. qui tabernaculum interpretatur Eccleſiam his verbis: *Vos enim eſtis templum Dei vivi, ſicut dixit Deus; Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Eccleſia ergo tabernaculum eſt, ſeu templum Dei vi-
C vi, in quo Deus per continuam Spiritus Sancti ſubminiſtrationem inhabitat. Et de ea propriè verum eſt, quod dicitur; *Non abjiciet vos anima mea, quia ſpiritus veritatis cum ea manebit in æternum.* Quod autem ait, *non abjiciet vos anima mea,* Antropopathicè, id eſt, more humano, dictum eſt. Nam ſicut Deo attribuuntur membra humana; ob certas quaſdam operationes ſimiles operationibus humanis, quæ ab hominibus per certa membra exercentur: ita hîc Deo anima tribuitur propter Intellectum & voluntatem, quæ in hominibus ſunt facultates animæ, in Deo autem ab eius divina eſſentia non diſtinguuntur. Senſus igitur eſt; Non abjiciet vos voluntas mea, vel etiam generaliter: Ego non abjiciam vos. Nam anima ſæpè pro toto homine ponitur.

D ℣.34. *Tunc placebunt terræ Sabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ.* Hebraïcè, *tunc volet terra Sabbata ſua*, id eſt, tunc liberè & nullo impediente ager Sabbata ſua, de quibus capite ſuperiori. Intelliguntur enim Sabbata annorum, non dierum. Completa fuit hæc comminatio tempore captivitatis Babylonicæ, quemadmodum ſcriptura teſtatur 2. Paralip. ultimo, terram celebraſſe Sabbata ſua; *Cunctis enim (inquit) diebus deſolationis egit Sabbatum, uſque dum complerentur ſeptuaginta anni.*

℣.39. *Et propter peccata patrum ſuorum & ſua affligentur.* Plerumque hæc duo ita conjuncta ſunt, ut quicumque propter peccata patrum ſuorum affliguntur, ſimul etiam patiantur pro ſuis, quibus hoc commeruerunt, ut veniant ſuper ipſos plagæ, quas paren-
E tum ſcelera provocaverunt.

CAPUT XXVII.

℣.6. *AB uno menſe uſque ad annum quintum pro maſculo dabuntur quinque ſicli, &c.* Scriptura loquens de iis qui votum fecerint, & ſpoponderint Deo animas ſuas, etiam infantilem nominat ætatem, in qua ætate conſtitutos conſtat vovere non poſſe, cùm ad uſum rationis nondum pervenerint. Quomodo ergo pro iis tanquam voto obligatis pretium ſolvitur? *Reſpondetur*, licèt tales per ſe vovere non potuerint, potuerunt tamen obligari voto

parentum. Unde & Anna mater Samuëlis voto nuncupavit filium ſuum Deo, etiam antequam naſceretur, primi Regum cap. 1. Quin & Chriſtiani paſſim obſervant, ſi parentes pro infantis, aut pueri ſalute votum voverint; id à filio, ubi ad adultam ætatem pervenerit, ſolvendum eſſe, ſi à parentibus ſolutum non fuerit. Quod ſi iis in rebus locum habet, quæ non ſunt ad ſalutem neceſſariæ, multò magis in ea ſponſione locum habere debet, quam ſuſceptores faciunt pro infante baptizando; qui niſi præſtet ea, quæ ejus nomine fuerunt promiſſa, ſalutem conſequi non poteſt.

℣.9 *Et mutari non poterit, id eſt, nec melius malo, nec pejus bono.* Commutationem rei quæ devota eſt Deo, ſi fiat in melius, non prohibet tanquam per ſe malam ac legi naturali contrariam: ſed ne facilè ſibi cauſas fingerent homines carnales & avari, propter quas licitum ſibi putarent facere commutationem. Lex igitur hæc poſitiva, eſt veteri populo data, non præjudicans poteſtati commutandorum votorum in novo teſtamento.

℣.28. *Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager: non veniet, neque redimi poterit. Et omne conſecratum quod offeretur ab homine non redimetur, ſed morte morietur.* *Quæritur*, quomodo omne conſecratum morte morietur, cùm inter conſecrata, ut vidimus, etiam homo numeretur & ager? Homo autem Deo immolari per mortem non debet; ager autem nec poteſt. *Reſp.* pro eo quòd noſter interpres hîc habet (*conſecratum*) Hebr. eſt (*herem*) quod Græcè Septuag. reddunt (*anathema*) quam vocem quoque interpres noſter ſervat, Ioſue 6. & alibi. Dicitur autem anathema omne id quod ad gloriam Dei deſtruitur. Nam vox Hebr. quoque deſtructionem ſignificat. Unde quod hîc dicitur; *redimi non poterit, ſed morte morietur*, ſenſus eſt, deſtruetur. Id autem fieri debebat pro modo cuiuſque rei. Nam ſi erat animal immolatitium, occidebatur in ſacrificium: immundum verò occidebatur extra ſacrificium: homo moriebatur negotiis ſæcularibus, & deputabatur cultui divino: Quomodo & religioſi hodie & ſanctimoniales vocantur mundo mortui: quomodo etiam filiam Iephte oblatam Deo multi interpretantur, de quo pleniùs in libro Judicum. Denique ſi erat ager, aurum, argentum, aut aliud quid inanimatum, Deo conſecrabatur, ſicut non poſſet redire ad uſum prophanum. Quæ conſecratio quædam mortificatio erat. Nam & hodie poſſeſſiones Eccleſiæ dicuntur mortificatæ, vulgo amortizatæ.

FINIS IN LEVITICVM.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM NVMERORVM.

CAPUT PRIMUM.

℣.47. L*Evitæ autem in tribu familiarũ ſuarum non ſunt numerati cum eis.* Rationem, cur Levitæ non fuerint numerati cum cæteris tribubus filiorum Iſraël, adfert Scriptura; quia conſtituti erant ad ſerviendum tabernaculo, & faciendum ea, quæ ad cultum divinum pertinebant; & propterea non erant numerandi cum iis, quorum officium erat, ingruente bello, ad pugnam procedere. Hinc argumentum ſumi poteſt, tantò magis clerum Eccleſiaſticum eſſe debere immunem ab officiis & oneribus belli, quantò ſacratiora myſteria ab illis tractantur. Sciendum autem Levitas non ita fuiſſe à negotiis belli immunes, quin prælio intereſſe poſſent; non tam ad pugnandum, quàm ad exhortandum alios, ut habemus Deut. 20. ubi jubetur Sacerdos, appropinquante prælio, ſtare ante aciem, & præſcriptis verbis populum exhortari, quod & factum legitur 2. Paral. 13.

Filij quoque Heli cum arca Domini præſentes erant in prælio. Item tempore Machabæorum legimus Sacerdotes pugnaſſe in prælio; & ipſe Judas Machabæus, Ionathas, & Simon fratres eius, & ſummi Sacerdotes erant, & belli duces. Itaque licitum illis erat prælio intereſſe, & contra hoſtem pugnare; quia tales erant Sacerdotes qui cruenta tractarent ſacrificia; non tamen ex lege tenebantur. Sacerdotibus autem novæ legis illicitum eſt; eò quòd incruento ſacrificio offerendo deputati ſunt, ideoque eos à cruore fundendo convenit eſſe maximè alienos.

℣.51 *Quiſquis externorum acceſſerit, occidetur.* *Externos* vocat non alienigenas tantùm, ſed & omnes eos, qui non erant de tribu Levi. Reliquis igitur Iſraëlitis quidem licitum erat accedere ad oſtium tabernaculi, cauſa orandi aut offerendi ſacrificia, ſed non ad faciendũ ea quę peculiariter Levitis mandata erant, id eſt, ad erigendum vel deponendum tabernaculum, & omnino ad contrectanda ea ex quibus tabernaculum compoſitum erat. Notandum quòd in Hebr. pro *deponere & erigere*, eſt *diſſolvere & conſtruere* ſeu componere. Quando enim proficiſcendum erat, & tabernaculum transferendum, Levitæ reſolvebant illud in partes, ex quibus compoſitum erat; cùm autem quieſcendum erat aliquo in loco, rurſum conſtruebant illud, partibus compoſitis inter ſe.

CAPUT II.

℣.2. S*Inguli per turmas, ſigna, atque vexilla.* In Hebræo, unum vexillum attribuitur ſimul tribus familiis ſeu tribubus: atque ita in univerſum ſaltem quatuor fuêre vexilla: ſed hæc præcipua erant & majora: nam minora fuiſſe putantur ſingularum domorum. *Porro tradunt* Hebræi in maioribus illis vexillis, in primo vexillo pictam fuiſſe imaginem hominis, in ſecundo leonis, in tertio bovis, in quarto aquilæ. *Quod ſi verum eſt*, præter myſterium vel quatuor Evangeliorum, vel quatuor Monarchiarum mundi, oſtenditur ex eo non ſimpliciter prohibitum fuiſſe Judæis habere aliquam animantis imaginem, ſed tantùm ne adoraretur. Rationes autem huiuſmodi imaginum ſingulis vexillis attributarum, qui diſcere cupit, videat apud Liranum.

CAPUT III.

℣.12. E*Go tuli Levitas à filiis Iſraël pro omni primogenito.* *Quæritur*, 1. quare Deus ſibi vendicet Levitas pro primogenitis filiorum Iſraël? *Reſpondet* ipſe Dominus: *Ex quo percuſſi primogenita in terra Ægypti, ſanctificavi mihi quidquid primum naſcitur in Iſraël.* Quia igitur omnia primogenita Deo obligata

obligata erant : loco eorum deputavit quicquid maſculini ſexus erat in Tribu Levi. *Tum etiam* quia noluit Deus miniſterium ſacrum per omnes tribus diffundi, ad vitandum occaſionem idololatriæ; ideò unam tribum illi miniſterio deputavit, & peculiariter tribum Leviticam potiùs quàm aliam; quia Levitæ præ cæteris vindictam exercuerant juſſu Moyſis in adoratores vituli aurei, de quo ſic Exod. 32. *Fecerunt filij Levi juxta ſermonem Moyſi, cecideruntque in die illa quaſi tria millia hominum. Et ait Moyſes: Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino, unuſquiſque in filio & in fratre ſuo, ut detur vobis benedictio.*

Quæritur 2. Cur non ſimiliter in nova lege certa aliqua tribus vel populus, vel natio applicata eſt ad divina miniſteria? *Reſp.* 1. quia Sacerdotium veteris legis carnale erat, novæ legis ſpirituale. Proinde conveniebat illud carni & ſanguini addictum eſſe, & carnis propagatione tranſmitti ad ſucceſſores; non autem iſtud. 2. quia veteris legis Sacerdotes generabant filios, qui proinde poterant domeſticâ inſtitutione parari ad ſacra miniſteria obeunda, faciliùs quàm externi. 3. quia Chriſti Eccleſia dilatanda erat per totum orbem terrarum, & ideo non debebat eius Sacerdotium arctari ad certum populum alicuius generis vel religionis, ſed debebat diffundi per omnes populos & nationes, ut ubique haberi poſſent Sacerdotes, & miniſtri ſacrorum.

Quæres 3. cur Sacerdotium non fuit attributum vel ſaltem communicatum etiam filijs & poſteritati Moyſi; cùm Moyſes fuerit Sacerdos, ut apparet, Aarone dignior, quia Aaronem & filios eius conſecravit. *Reſpondeo*, Moyſes fuit Sacerdos extraordinarius, ut qui eo officio functus tantùm fuerit ad hoc ut Sacerdotium in fratre ſuo & filiis eius inſtitueret: quo facto ceſſavit Sacerdotale eius miniſterium. Nec erat conveniens ut in Moyſe inſtitueretur, quia Moyſes erat dux populi, quod onus cùm ei ſatis grave eſſet, non erat ampliùs acceſſione Sacerdotij onerandus. Et congruum erat ut ſicut diſtincta ſunt officia Ducis & Sacerdotis: ſic & perſonæ ſint diſtinctæ. Et quidem Sacerdotium velut per ſe dignius, Aaroni, tanquam majori natu, delatum fuit.

Quæres 4. cur dignitas regalis in illo populo non fuit addicta certæ tribui, ſicut Sacerdotalis? *Reſpondeo*, regalem dignitatem non fuiſſe in illo populo inſtitutam ab initio, ſed poſtea occaſione murmuris & ambitionis populi introductam: & quia populo non erat ſubtrahenda libertas eligendi regis, & quoniam regius principatus multis mutationibus obnoxius eſt, tum propter bella & ſeditiones, tum propter varietatem animorum & ſententiarum in populo: ideò non erat conſtituendus in certa tribu; licèt Deus unam tribum præ cæteris ad hoc elegiſſet, ſcilicet tribum Juda, in qua principatus ille vigeret, & duraret; juxta vaticinium Jacob. Geneſ. 49.

℣. 15. *Numera filios Levi, —— omnem maſculum ab uno menſe & ſuprà. Quæritur*, quare numerabantur ab uno menſe & ſuprà, cùm in eâ ætate conſtituti apti eſſe non poſſent ad Levitica miniſteria? *Ratio* eſt, quia primogeniti filiorum Iſraël offerri debebant in illâ ætate; Levitæ autem commutabantur pro primogenitis, ut dictum eſt; & proinde ab eadem ætate computandi erant.

℣. 46. *In pretio autem ducentorum ſeptuaginta trium qui excedunt numerum Levitarum — accipies quinque ſiclos.* Naſcitur *quæſtio* quomodo Levitæ tantùm dicantur inventi viginti duo millia, & ob eam cauſam primogeniti filiorum Iſrael, qui hunc numerum exceſſerunt, nempe ducenti ſeptuaginta tres redimi debuerint pretio, nempe quinque ſiclis in ſingula capita computatis; cùm ſummæ familiarum Leviticarum ſimul collectæ, efficiant viginti duo millia & trecentos: atque ita numerus Levitarum excedat numerum primogenitorum cæterarum tribuum ad viginti ſeptem. *Reſpondetur*, trecentos illos Levitas quos Scriptura præterit, fuiſſe in ſua tribu primogenitos; & proinde computari non debuiſſe pro primogenitis aliarum tribuum. Nam Domino debebantur primogeniti, non tantùm aliarum tribuum, verùm etiam ipſius tribus Leviticæ, quia percuſſerat omnem primogenitum Ægyptiorum ſine exceptione. Detractis ergo bis trecentis Levitarum primogenitis, reliqui Levitæ commutabantur pro primogenitis aliarum tribuum, & ſic ſcilicet remanebant ducenti Septuaginta tres pretio redimendi.

CAPUT IV.

℣. 3. A *Trigeſimo anno & ſupra uſque ad quinquageſimum annum.* Huic videtur adverſari, quòd poſtea legimus cap. 8. v. 24. ubi dicitur Moyſi, Hæc eſt lex Levitarum, *A viginti quinque annis & ſupra ingredientur, ut miniſtrent in tabernaculo fœderis. Reſpondeo*, quòd ab anno vigeſimo quinto incipiebant addiſcere miniſterium Levitarum, idque per certos quoſdam magiſtros ex Levitis ad hoc deputatos; anno autem ipſo trigeſimo admittebantur ad miniſterium exercendum. Meritò autem non ante illam ætatem admittebantur, quia in illa ætate perficitur robur hominis tam corpore quàm mente. Unde etiam ſecundum diſciplinam veterum canonum Eccleſiaſticorum, ad Presbyterij gradum admittebatur nemo, niſi qui trigeſimum ætatis annum attigiſſet; & Chriſtus ipſe baptizatus eſt quaſi annorum triginta.

℣. 13. *Altare mundabunt cinere, & involvent illud purpureo veſtimento. Quæritur*, quare iſtud purpureo operimento involvitur, cùm alia operirentur tegumentis hyacinthinis? *Reſp.* id fieri ad deſignandum, quòd ſub eo ignis lateret. Oportebat enim ignem ſemel divinitus datum Levit. 9. ſemper in altari aſſervari, ſicut & ſemper aſſervatus fuit uſque in captivitatem Babylonicam. Addunt Hebræi, cùm moverentur caſtra, ignem hunc altari incluſum miraculo fuiſſe conſervatum. Sed de ea re poteſt non immeritò dubitari, tum quia hîc dicitur, *Mundabunt cinere*, ſive, ut in Hebræo eſt, *Excinerabunt*, tum quia huius miraculi nuſquam fit mentio, nec in Scriptura, nec apud Patres. Adde quòd miracula fieri non ſoleant ſine neceſſitate; at ignis facilè ſervari poterat naturali modo in vaſe aliquo convenienti. Objici quidem contrà poteſt, quòd mox his ſubjicitur, v. 14. *ponentque cum eo* (id eſt, altari) *omnia vaſa, quibus in miniſterio eius utuntur, id eſt, ignium receptacula, fuſcinulas, &c.* Ignis autem purpureo veſtimento non poſſit includi; Sed *Reſpondeo*, in Hebræo non addi (*ignium.*) Deinde nihilominus etiam modi quidam concipi poſſunt naturali via ignem conſervandi.

℣. 20. *Alij nulla curioſitate videant quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam involvantur; alioquin morientur.* Phraſis Scripturæ eſt, *priuſquam involvantur*, nam nec involuta videri poterant. Senſus igitur eſt, non licuiſſe eis videre vaſa interioris Sanctuarij, ut arcam, Cherubim, propitiatorium; ideòque ſtudioſè involvenda erant ne quis ea fortè videret. Minus ergo videri poterant involuta.

Quæres quomodo miniſtris tabernaculi fuerit tam periculoſum typica illa vaſa oculis aſpicere, cùm hodie nec peccator arceatur à videndo Chriſti corpore, ſed id planè omnibus aſpiciendum oſtenditur tum in altari, tum maximè in proceſſionibus publicis? *Reſpondeo*; Ratio ex diverſitate legis ac temporis & populi ſumitur; erat enim illa lex timoris, hæc amoris; illud tempus umbrarum & figurarum, hoc tempus gratiæ revelatæ; & populus ille durus & rebellis, quem conveniebat huiuſmodi præceptis & terrori-

terroribus contineri in vultu veri Dei & veneratione rerum divinarum; hîc autem, populus Eccleſiæ, cui Chriſtus tribuit abundantiam ſpiritus; cui proinde mitiora & quæ amorem magis quàm terrorem excitent, præcepta conveniunt. Huc pertinet quod 1. Regum 6. refertur Dominum percuſſiſſe de populo Bethſamitarum ſeptuaginta viros & quinquaginta millia plebis, eò quòd vidiſſent arcam Domini. Et rurſum quod Philiſtæi graviter fuerint afflicti quamdiu manſit apud eos arca Domini. Nec eſt quòd hîc urgeat aliquis quod dicitur (*nulla curioſitate*) quaſi, ſi vel cauſa, vel ex devotione quis ea videret, nihil pateretur. Nam nec in Hebræo, nec apud Septuaginta ulla mentio eſt curioſitatis. Nec veriſimile eſt Bethſamitas illos omnes, de quibus 1. Reg. 6. curioſitate ſola ductos, vidiſſe arcam Domini, ſed ut populus ſolet, nonnullos etiam aliqua devotione, ut nunc concurritur à plebe ad ſpectandam pompam aliquam ſacram; & tamen à Deo percuſſi ſunt. Sed Dominus populum illum veterem voluit timore contineri, & ſtrictiſſimè ſuis præceptis inhærere, ne ad idololatriam dilaberetur.

CAPUT V.

℣. 14. SI *ſpiritus Zelotypiæ concitaverit virum.* Zelotypia apud Græcos nomen habet ab æmulatione formæ: ſemperque tam zelotypia quàm zelotypus in vitio accipiuntur. Eſt enim zelotypia animi ægritudo, ex eo quòd alter quoque potitur, vel potiri exiſtimatur, quo ipſe delectatur: ut Cicero definit in Tuſcul. 4. & zelotypus dicitur in amore ſuſpicioſus, quique id ſollicitum habet, ne quis alius eo fruatur quod ipſe amat. Deus autem metaphoricè dicitur zelotes, quia ſummo jure, ſeveriſſimoque judicio nec gloriam ſuam dari alteri patitur, nec electum populum ſuum ab aliis amatoribus occupari: ſic & homines pro Dei gloria zelare dicuntur quando eam violari ægrè ferunt, quomodo Elias Propheta dicit: *zelatus ſum pro Domino meo*, lex autem zelotypiæ ea dicitur quâ mariti zelotypiæ ſpiritu agitati, explorabant pudicitiam uxoris.

Sed *quæritur*, quare lex zelotypiæ permiſſa ſit viris, & non fœminis? Prioris partis duæ redduntur cauſæ; una & præcipua, ne mariti ſævirent in uxores, quas habebant de adulterio ſuſpectas. Altera, ut uxores continerentur in officio, & ab adulterij cogitatione cohiberentur, metu tam gravis pœnæ. *Cur autem non ſimilis lex poſita ſit in favorem mulieris zelotypiæ:* cauſæ redduntur: primùm, ne per eam legem authoritas viri imminuta videretur; tum quia mulieres ad ſuſpiciones vehementer pronæ (& quæ ratione affectus ſuos moderari multò minùs noverunt, quàm viri) nimis temerè ea lege uti potuiſſent; denique quia magis læditur conjugium per adulterium mulieris quàm viri. Per illud enim incerta redditur proles, & viro ſubſtituitur fœtus alienus, cum magna eius injuria; quod non contingit ex adulterio viri. Unde nec vir uxoratus, ſi fornicaretur cum muliere ſoluta, obnoxius erat legi de lapidandis adulteris, ſed tantùm mulier, quæ virum habens cum alio, ſive uxorato, ſive ſoluto, fornicata eſſet, unà cùm adultero lapidabatur Levit. 20. & Deut. 22.

℣. 31. *Maritus abſque culpa erit, & illa recipiet iniquitatem ſuam.* Senſus eſt: Si illa deprehenditur polluta fuiſſe adulterio; maritus non immeritò eam accuſavit, & caret culpa falſæ accuſationis. *An verò careat omni culpa, hoc non dicitur.* Etenim utrum viri licitè uti potuerint hac lege, an verò tantùm ad duritiam cordis eorum permiſſa ſit; eo modo quo lex repudij permiſſa fuit, quæri poteſt? *Et magis videtur,* quòd tantùm ſit permiſſa viris ob cauſam dictam. Unde in nova lege nihil tale permittitur: & omnino ex ſola ſuſpicione quemquam accuſare licitum non eſt. Ex miraculo autem per quod Deus cooperabatur huic legi, non ſequitur licitum fuiſſe, quia Deus miraculo non approbabat factum viri, ſed veritati perhibebat teſtimonium; quòd videlicet mulier vel innocens eſſet vel culpæ obnoxia. At neque hinc patrocinium facti ſui aſſumere debent, qui utuntur judicio ferri candentis, aut aquæ ferventis, de quo in canonibus ſacris. Iſtud enim fuit à Deo inſtitutum; illa verò cùm naturâ valeant, nec divina inſtitutione nitantur, ad ſuperſtitiones releganda ſunt. Neque verò miraculum dici poteſt; quia ſpecialis eſt miraculorum gratia, non omnibus, innocentiam ſuam probare volentibus, communis. Pertinet autem ad peccatum tentationis Dei, per miraculum velle probare quæ occulta ſunt, quorum judicium Deus ſibi ſoli reſervavit: niſi quis impulſu divino propter magnam cauſam tale quid faciat; ſicut feciſſe legitur S. Brixius Epiſcopus Turonenſis, qui ut ſe à ſuſpicione fœdi criminis apud populum purgaret, in ſinu veſtis ſuæ portavit ardentes prunas uſque ad ſepulchrum S. Martini; nec tamen prodere voluit patrem, contentus ſeipſum purgaſſe.

CAPUT VI.

℣. 3. A*Cetum ex vino & alia qualibet potione, & quidquid de uva exprimitur, non bibent. Uvas recentes ſiccaſque non comedent — quidquid ex vinea eſſe poteſt, ab uva paſſa uſque ad acinum non comedent.*

Quæritur cur ab his abſtinere debeant, cùm nihil horum inebriet? An ideo quia homines Deo ſanctificatos oportet etiam ea fugere, quæ vicinitatem habent cum luxu & intemperantia; quam hoc loco ſignificat vinum & ſicera? ſic enim eſt in Hebræo: *A vino & ſicera ſeparabit ſe. Acetum vini & acetum ſiceræ non bibet, &c.* Igitur quod noſter interpres habet e *& ex alia qualibet potione*, intellige inebriativa: hoc enim ſicera ſive שכר Hebræis ſignificat. Vide de huius vocabuli ſignificato Ianſenium cap. 2. comment. in concord. ubi vult nomine ſiceræ etiam vinum comprehendi. Vide & Lexicon Pagnini, ubi plura adjiciuntur loca, & inter alia locus Iſaiæ 5. ubi modò ſicera, modò vinum nominatur, quaſi indifferenter: quòd ſcilicet alterum in altero comprehendatur. Igitur hoc loco poſt ſpeciem ſubjungitur genus cum dicitur: *A vino & ſicera, &c.* q. d. abſtinebunt ſe à vino, atque omnino ab omni potu qui ebrietatem inducere queat, ut ſi dicam: Ne geſtet gladium, nec ullum telum.

℣. 18. *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi.* Quod ad Nazaræos attinet, Nazaræi dicti ſunt ab Hebræa voce (*Naſir*) quæ ſeparatum *ſignificat*. Nazaræi enim, velut ſancti & Domino conſecrati, à reliqua multitudine ſeparabantur tempore conſecrationis ſuæ. Sciendum autem, fuiſſe Nazaræos in duplici genere. Quidam enim obſtricti erant voto perpetuo; quemadmodum legimus de Samuele & Samſone, qui manſerunt conſecrati Domino per totum tempus vitæ ſuæ. Et hi primum quidem typum geſſerunt Chriſti, de quo prophetatum eſt; *quia Nazaræus vocabitur*; deinde etiam eorum qui tempore novæ legis voto perpetuo obligant ſe cultui divino, id eſt, omnium religioſorum, qui cœnobiticam ſeu monaſticam vitam profitentur. Alij autem erant Nazarei ad tempus dumtaxat, qui tempore conſecrationis peracto, & oblato ſacrificio, redibant ad priorem vitæ modum. Et de talibus agitur hoc capite. Hi figuram gerunt eorum qui votum faciunt ad certum tempus, vel abſtinentiæ à carnibus, aut vino, vel profectionis ad loca ſancta, vel alicuius rei ſimilis.

℣. 23. *Loquere Aaron & filiis eius; Sic benedicetis*

filiis

filiis Iſraël, Benedicat tibi Dominus,&c. Jubetur Sacerdos benedicere populo, & tamen non jubetur dicere; Ego tibi benedico,ſed *Benedicat tibi Dominus*. Ex quo patet aliter benedicere Sacerdotem, aliter Deum. Sacerdos benedicit miniſterio, Deus poteſtate; Sacerdos bene precando, Deus benefaciendo. Nam Dei benedicere eſt benefacere. Sed quæret aliquis. Quid igitur intereſt inter benedictionem Epiſcopi aut Sacerdotis, & cuiuſcumque alterius hominis? Nam quilibet etiam Laïcus poteſt alteri bene precari. *Reſpondeo*, quantùm ad effectum ſeu pronam voluntatem bene precandi, aliquando poteſt nihil intereſſe; ſed quantùm ad bonæ precationis effectum ſeu fructum, plurimum intereſt. Deus enim benedictioni Sacerdotum, tanquam miniſtrorum ſuorum promiſit ſuæ divinæ benedictionis ſuffragium. Ita enim mox ſubjungitur in fine eiuſdem huius capitis: *Invocabuntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis*. Hoc ſi promittitur Sacerdotibus veteris teſtamenti; multò magis, novi.

℣.24. *Oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Convertat Dominus vultum ſuum ad te,& det tibi pacem*. Hic videtur ſcriptura faciem & vultum pro eodem ponere; cùm tamen in pſal.33. vultum in malam partem intelligat ibi: *Vultus autem Domini ſuper facientes mala*. Sed ſciendum & hoc loco utrobique, & in pſalmo eſſe idem Hebræum vocabulum, idque ſignificatione medium; quod pro ratione loci & verbi adjuncti modò in bonam, modò in malam partem accipiatur. Vide Annotat. Pſalmi 33.

CAPUT VII.

℣.2. O*Btuleruntque Principes Iſraël, & capita familiarum*. Recenſentur oblationes duodecim tribuum, Ephraim & Manaſſe filiis Joſeph pro ſingulis tribubus computatis, ut juſſerat Iacob moriens. Neque quidquam obtuliſſe refertur tribus Levitica; nimirum, quia iſta tribus cùm eſſet deſtinata & conſecrata miniſterio tabernaculi, & ſacrificiis offerendis, non debebat dare quæ offerrentur, ſed magis ab aliis accipere offerenda. *Quis enim*, ut Apoſtolus ait, *ſuis ſtipendiis militat unquam?*

℣.9. *Filiis autem Caath non dedit plauſtra & boves; quia in Sanctuario ſerviunt, & onera propriis portant humeris*. Hinc intelligi poteſt,quare fuerit Oza percuſſus 1.Paral.13. quia nimirum cùm debuiſſet arcam ſuis, & fratrum Caathitarum humeris portare, contra legem impoſuit eam plauſtro; cuius peccatum Deus prodidit, quando bobus calcitrantibus, arca caſura videbatur, niſi ipſe, quod ei non licebat, manu eam ſuſtentaſſet.

CAPUT VIII.

℣.7. A*Dſpergantur aquâ luſtrationis* (Levitæ) *& radant omnes pilos carnis ſuæ*. Aqua iſta erat, cui commixti erant cineres vaccæ combuſtæ, ut eſt infrà cap.19. v.9. Servabatur autem ad purgationem eorum, qui ex tactu mortui, vel aliundè, immunditiam contraxerant. Fuit hæc aqua typus quidam & figura aquæ benedictæ, cuius eſt antiquiſſimus uſus in Eccleſia. Sicut enim aqua illa legalem immunditiam tollebat, ita aqua precibus Eccleſiæ conſecrata, ſpiritualem immunditiam aufert, puta venialia, ac quotidiana delicta.

Secundò radebantur omnes pili carnis. Cuius duplex ratio aſſignatur; *Una*, ut Levitæ Domino conſecrandi hoc pacto mundiores eſſent corpore: *Alia*, quaſi nus declarabatur, quia Levitæ offerebantur pro primogenitis aliarum tribuum, quæ potiſſimùm pollutæ fuerant in adoratione vituli. Atqui idololatria lepra quædam eſt ſpiritualis; præceperat autem lex lepro-

A ſis, quando mundandi erant, radi debere omnes pilos corporis. Levitæ ergo nomine eorum pro quibus offerebantur, tanquam à lepra mundandi, ad hunc modum radi debebant.

℣.9. *Et applicabis Levitas coram tabernaculo, convocata omni multitudine filiorum Iſraël. Cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filij Iſraël manus ſuper eos*. Hæc ceremonia ſignificatur Levitas offerri ac donari Domino à populo Iſrael. Simul etiam ſignificari poteſt populi conſenſus in deſignandis verbi Dei ac Sacramentorum miniſtris, non quidem neceſſarius, ſed convenienter requirendus, niſi quid aliud obſtet; quemadmodum etiam antiquis Eccleſiæ temporibus plerumque factum legimus, quando populus ſedatus erat, & non in partes diverſas ſectus. De qua re vide
B noſtra in 4. Sent. diſt.24.

℣.15. *Quoniam donati ſunt mihi à filiis Iſraël*; ſcilicet Levitæ. Quæritur quomodo filij Iſraël,id eſt,undecim tribus poterant dono donare Levitas, id eſt, duodecimam tribum Domino, cùm non eſſent horum Domini & poſſeſſores, ſed tam libera eſſet tribus Levi quàm ceteræ? Item quomodo potuerunt dono donare quippiam Deo qui rerum omnium Dominus eſt à principio; per donationem autem acquiritur dominium rei donatæ? *Reſpondeo*, Filios Iſraël hîc conſiderari non ut undecim tribus populi diverſas à duodecima, ſed ut totum populum omnibus ſuis membris conſtantem, & ex iis unum aliquod tanquam ſuum membrum, id eſt, totius corporis partem, Domino
C offerentem. Nam utique poterant donare & offerre Deo primogenita ſua, quæ tamen etiam à reliquis erant diſtincta, & æquè libera atque ceteri: Jam autem Levitæ pro primogenitis oblati ſunt. Hoc enim ſequitur: *Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vulvam in Iſraël, accepi eos*. Quo jure ergo primogenita donare poterant, eodem & Levitas pro iis donare potuerunt: membra enim ſubſunt diſpoſitioni totius corporis, vel eorum in quibus reſidet poteſtas totius corporis. Dicuntur autem donati Deo non omnino propriè (ſic enim impoſſibile eſt quicquam à nobis dari aut donari Deo omnium rerum Domino) ſed quia circa eos factum eſt, quod à donantibus fieri ſolet. Qui enim donat quippiam alicui, uſum & proprietatem eius rei à ſe abdicat, eandemque rem vult totam ſervire uſui
D eius cui donat. Ita filij Iſraël Levitas à communibus & profanis uſibus atque oneribus totius populi liberantes, tanquam eorum uſum à ſe abdicantes, voluerunt totos addictos eſſe uſibus & miniſteriis ſacris. Atque hoc ſenſu eos Deo donaſſe dicuntur.

℣.24. *Hæc eſt lex Levitarum. A viginti quinque annis & ſupra ingredientur, ut miniſtrent in tabernaculo*. Quomodo hoc non repugnet ei quod c.4 videtur requiri ætas triginta annorum, vide ibi explicatum. v.3.

CAPUT IX.

℣.6. E*Cce autem quidam immundi ſuper anima hominis qui non poterant facere phaſe in die illo*. Quod dicitur (*ſuper anima hominis*) duobus modis
E accipi poteſt; vel hoc ſenſu, q. d. ita immundi erant, ut ad eſum agni Paſchalis admitti non poſſent. vel hoc ſenſu, *ſuper anima hominis*, id eſt, ſuper mortuo, eò quòd mortuum corpus contigiſſent, vel funeri interfuiſſent. Atqui hic ſenſus verior eſt. Nam phraſi Hebraïca anima ponitur pro homine, & non tantùm pro homine vivo, ſed etiam mortuo, propter animam, quæ corporis fuerat, atque iterum futura per reſurrectionem certò credebatur. Ex hoc loco autem manifeſtum eſt, non ſemper immunditiam legalem cum aliqua culpa fuiſſe conjunctam, qui enim ſuper mortuo immundi erant, plerumque id contraxerant, ex humanitatis officio quod in mortuo curando vel

vel ſepeliendo præſtiterant. Unde etiam dicunt, *Quare fraudamur? &c.* Ita Tobias quoties mortuum ſepeliebat, immunditiam hanc legalem incurrebat, non tantùm ſine peccato, verùm etiam magno cum merito; de quo ad eum Angelus Tob. 12. *Quando ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino.* Simile quid eſt in nova lege de iis qui irregularitatem contrahunt ex opere juſtitiæ publicæ. D. differt autem ex ore Domini Moyſes huiuſmodi immundos, non in annum proximum, ſed in menſem proximum. Sic & Eccleſia eos qui in feſto Paſchali parati non ſunt, ut communicent menſæ Dominicæ: non vult differri in proximum annum, ſed in proximum diem Dominicum.

℣.20. *Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant.* Quid ſit erigere & deponere, Vide ſuprà cap.1. v.51.

CAPUT X.

℣.29. D*Ixitque Moyſes Hobab filio Raguel Madianitæ cognato ſuo.* Hunc Hobab quidam putant eundem eſſe cum Iethro, de quo habemus Exodi 18. quòd ad Moyſen adduxerit uxorem eius & liberos. Sed huic ſententiæ repugnare videtur, primum, quòd Iethro non fuerit filius Raguel, ſed ipſe Raguel. Qui enim Exodi 2. vocatur Raguel Sacerdos Madian, & ſocer Moyſi, idem Exodi 18. vocatur Iethro, quando ſuam filiam, quæ erat uxor Moyſi, ad eum adducebat. Deinde de Iethro legimus Exodi 18. quod poſtquam aliquamdiu fuiſſet cum Moyſe, reverſus abierit in terram ſuam. Denique quorſum idem homo trinomius, quod rariſſimum eſt in ſcriptura? Proinde probabilior eſt aliorum ſententia dicentium, quod Hobab iſte non fuerit ipſe Iethro, ſed filius eius; quem Iethro diſcedens videtur reliquiſſe apud Moyſen cum Sephora ſorore eius, quanquam illud Scriptura eo loco non expreſſerit. Nunc autem volentem abire ad patrem ſuum, Moyſes conatur retinere adhuc apud ſe.

Neque obſtat, quòd Septuaginta hîc verterunt, *ſocero ſuo.* Nam vox Hebræa (*choten*) & ſocerum & cognatum, id eſt, affinem ſignificat. Et fortè etiam quod Septuaginta in genitivo verterunt (*ſoceri*) poſtea vitio temporis mutatum eſt in dativum (*ſocero.*)

℣.31. *Noli nos relinquere. Tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter. Sed quorſum hæc,* cùm caſtra moverentur non ductu alicuius hominis, ſed ductu & mandato Domini, per indicium nubis erigentis ſe, & præcedentis tabernaculum; ac proinde hac in parte non egebant homine ductore. *Reſpondendum* videtur, quòd licèt ductu nubis caſtra moverentur, aut quieſcerent, tamen in ipſa caſtrorum diſpoſitione non ſuperfluum fuiſſe conſilium humanum. Caſtra enim Iſraëlitarum per immenſum ſpatium extendebantur, nubes autem ſoli tabernaculo certum locum deſignabat. Poterat ergo Hobab, aut quicumque alius peritus locorum conſilium dare, quæ pars regionis caſtris accommodatior eſſet, vel ob propinquitatem fontium, vel paſcuorum, vel quæ ſecurior eſſet ab hoſtibus.

℣.35. *Cumque elevaretur arca, dicebat Moyſes; Surge Domine, &c.* Arca præſentiam Domini ſignificabat, eò quòd inde Dominus reſponſa daret, & ibi invocari vellet. Dominus ergo ſurgebat, accepturus requiem, quando arca transferebatur in eum locum, ubi erat manſura. Philiſtæi quoque, arcâ Domini in exercitum Hebræorum illatâ, dicebant: *Deus venit in caſtra.* Dicebatur ergo Dominus ſurgere, quando arca levabatur, & rurſum reverti ad multitudinem exercitus Iſraël, quando poſt profectionem reponebatur in medio caſtrorum.

CAPUT XI.

℣.2. V*Ulgus quippe promiſcuum, &c.* Non eſt recapitulatio eius quod præceſſit, ut ſenſiſſe videtur Hieron. qui vertit (*quippe*) cùm in Hebræo tantùm ſit conjunctio (*&*) ſed eſt nova rei geſtæ narratio. Quod liquet, quia ibi, in principio capitis murmur, hîc autem concupiſcentia punitur, & pœna diverſa eſt, & diverſa nomina locis ſunt indita, ibi incendij, hîc ſepulchrorum concupiſcentiæ.

℣.5. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis.* Carnes ſunt non tantùm animalium terreſtrium & volatilium (licèt nos Chriſtiani ſic loquamur, qui in diebus ſtrictioris abſtinentiæ ſic à carnibus abſtinemus, ut tamen uſum piſcium nobis permittamus) verùm etiam aquatilium, hoc eſt, piſcium. Unde carnium eſum expetentes dicunt: *Recordamur piſcium.* Sed & Moyſes Deo promittenti & dicenti; *dabo eis eſum carnium menſe integro:* reſpondet interrogans: *Nunquid ovium & boum multitudo cadetur, — vel omnes piſces maris in unum congregabuntur ut eos ſatient?* Sic Apoſt. 1.Cor. 15. *Alia caro hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piſcium.* Vide ibidem noſtrum comment.

Quos comedebamus in Ægypto gratis. Gratis, id eſt, vili pretio, & quaſi gratis, propter magnam copiam, quam Nilus præbebat, aut gratis omnino, ſi licebat unicuique piſcari.

℣.10. *Iratuſque eſt furor Domini valde:* Id eſt, verbis & ſignis quibuſdam apud Moyſen declaravit ſe hoc peccatum velle graviter punire, ſicut & poſtea fecit. Priùs tamen voluit ſatiſfacere petitioni populi murmurantis, ut gloriæ ſuæ inprimis conſuleret; ne videretur ideò populum carnes concupiſcentem intereemiſſe, quòd eorum deſiderio non poſſet facere ſatis, & ita argueretur impotentiæ. Fecit ergo Deus utrumque, & dedit carnes concupitas, ut oſtenderet potentiam ſuam; & concupiſcentiam punivit, ut declararet juſtitiam ſuam.

℣.17. & 25. *Auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* Abſtuliſſe dicitur Deus de Spiritu qui erat in Moyſe, non de Spiritu humano loquens; ſed divino, id eſt, non de anima hominis, ſed de Spiritu Sancto; deinde nec ita, ut Moyſes poſtea deſineret habere Spiritum Sanctũ, ſed ut eum quem Moyſes habebat, etiam alij haberent. Non enim dicitur; Auferens Spiritum à Moyſe, & dans ſeptuaginta viris, ſed *auferens de ſpiritu, &c.* Poſtremò non ſignificatur per hoc Spiritus diſpertitus fuiſſe, ut partem haberet Moyſes, partem Septuaginta viri, aut minùs Moyſes haberet de Spiritu quàm antea; ſed ſignificatur, quòd ex eodem Spiritu gratiæ, quo repletus Moyſes populum illum regebat, etiam alij adjutorium eſſent habituri ad eundem populum regendum. Etenim auferre hîc non accipitur, ut quando dicitur in Evangelio; *Auferte ab eo mnam, & date ei qui habet decem mnas,* ſed poſitum eſt auferre, pro *accipere* vel *ſumere*, hoc ſenſu; Accipiam de Spiritu Moyſis, & dabo Septuaginta viris; quomodo Dominus in Evangelio dicit: *Ille de meo accipiet.*

℣.21. *Et tu dicis, dabo eis eſum carnium menſe integro? Nunquid ovium & boum multitudo cadentur, &c.* Cur Moyſes in his verbis non accuſatur infidelitatis & diffidentiæ, ſicut infrà cap.20. idem ipſe cum fratre ſuo ob verba ſimilia graviter à Domino reprehenditur, etiam cum denunciatione pœnæ? An dicendum Moyſen hoc loco non dubitare de potentia ac veritate Dei, ſed quærere de modo rei implendæ? Etenim etſi verba utrobique ſimilia eſſent, Deus tamen, qui cordium inſpector eſt, videre potuiſſet ea diverſo ſenſu, hîc & illo alio loco, fuiſſe prolata; ſicut accidit in interrogatione beatæ Virginis ad

Ange-

Angelum; *Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1. & Zachariæ ad eundem: *Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, &c.* Quibus exemplis productis, Auguſtinus quæſtionem præſentem ſolvit in quæſt. ſuper Numeros.

An fatendum etiam hoc loco Moyſen peccaſſe quadam fidei vacillatione, verbis temerè prolatis ſignificata? Deum tamen hoc eius peccatum diſſimulaſſe, quia non fiebat coram populo, ſed in ſecreto colloquio cum Deo? Nam peccatum infrà c. 20. commiſſum ex eo maximè aggravatur, quia Deū non ſanctificaverant Moyſes & Aaron, nec ei honorem potentiæ dederant coram filiis Iſraël, ſed contrà per verba quædam diffidentiæ ad populū prolata, honorem Dei læſerant. Sic enim ibi eis dicitur; *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël; non introducetis hos populos in terram quam dabo eis.* Et idem repetitur adhuc inferiùs c. 27. & Deut. 32. Hinc diſcimus quàm grave peccatum ſit Dei nomen, ubi & quando oportet non ſanctificare, id eſt, honoris & gloriæ eius rationem non habere.

℣. 29. *Quis tribuat ut omnis populus prophetet?* Quæres, quomodo hoc rectè optet Moyſes, cùm Paulus 1. Cor. 12. illud, *Nunquid omnes Prophetæ?* velut abſurdum proferat? Nam ſic fruſtra eſſet donum prophetiæ, quia non eſſent quibus prophetarent. Sed dicendū eſt, Moyſen non hoc abſolutè optare, ut omnes in populo ſint Prophetæ, ſed tantùm voluit ſignificare nihil obeſſe ſuæ perſonæ dignitati, pro qua zelo quodam immoderato movebatur Ioſue, etſi omnes prophetarent, ſi ita Deo viſum eſſet. q. d. quod ad me, meamque dignitatem attinet, facilè patior, atque etiam opto gratiam Prophetiæ quæ in me eſt, omnibus eſſe communem. Nec volo quemquam à Prophetia prohiberi mei cauſa. Hoc enim præcedit: *Quid æmularis pro me?*

CAPUT XII.

℣. 1. **P** *Ropter uxorem eius Æthiopiſſam.* Nonnulli voluerunt Moyſen duas habuiſſe uxores, unā Sephoram filiam Raguelis, & hinc Æthiopiſſam quam Tharbam filiam regis Æthiopum cognominant. Sed veriſimilius eſt, eandem Sephoram hîc Æthiopiſſam vocari, ſecundum ea quæ diximus de duplici Æthiopia, quando egimus de Paradiſo Geneſ. 2.

℣. 8. *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Significat Dominus ſe loqui cum Moyſe audibili voce, ſicut loquitur homo cum proximo ſuo; imò & ſe ab eo videri in corporali ſpecie; ſcilicet per angelicum miniſterium, quæ ſpecies, ut admodum veriſimile eſt, erat humana Chriſti venturi imago. Itaque *non per ænigmata*, id eſt, *non per obſcura ſigna*, ut Vatablus interpretatur, ſed ore, ut diximus, ad os. Neque tamen negat hic locus Deum etiam aliis quibuſdam aliquando ſic viſum fuiſſe, & collocutum; ut Abrahæ ſub quercu Mambre, Iacob luctanti cum Angelo, Manue Patri Samſonis videnti Angelum Dei, & aliis; ſed ab aliis tantùm removet id quod Moyſi tribuit, ſcilicet ordinariè ſic Deum videre & cum eo colloqui. Vide Annotat. Exodi 33. & noſtra in 2. Sentent. diſt. 8. §. 10.

CAPUT XIII.

℣. 23. **N** *Am Hebron ſeptem annis ante Tanim urbem Ægypti condita eſt.* Non temerè illud de Hebron dicitur hoc loco. Indicatur enim ratio eius quod præcedit, filios Enac, qui gigantes erant, morari in Hebron. Nam ut ante diluvium, ita etiam ſtatim pòſt, extitere gigantes, qui potentia populos opprimerent; qualis fuit Nemrod. Significat ergo Moyſes non mirum eſſe, quòd in Hebron reſidui fuerint gigantes ex antiqua ſtirpe gigantum, quandoquidem civitas

A illa fuerit antiquiſſima, ac vicina temporibus diluvii, utpote ante Tanim antiquiſſimam Ægypti urbem condita; ſed nihil timendum eſſe à gigantibus, Deum facilè eos poſſe diſperdere, ſicut diſperdidit ædificatores turris Babel.

℣. 28. *Quæ revera fluit lacte & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt, ſed, &c.* Nempe conſuetudo detractorum & hominum mendacium eſt, ut ſermonem ſuum incipiant à narratione quorundam verorum, quo ſic faciliùs etiam falſa, quæ dicere volunt, perſuadeant. Et quidem hos exploratores etiam miſcuiſſe falſa quædam ſuis ſermonibus, liquet ex verbis Caleb, Ioſue 14. *Nuntiavique quod mihi verum videbatur*, utique ſignificans alios in quibuſdam fuiſſe mentitos, ſcilicet in eo,
B quod dixerunt; *Quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur*, item in eo, quod nimiùm exaggerarunt hominum fortitudinem, & urbium munitiones: ac denique dixerunt; *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt.* Sed rectè reſpondit Caleb, qui & ipſe cum cæteris exploraverat: *Aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam:* & capite ſequenti ipſe ſimul & Ioſue ſocius in explorando: *Nolite rebelles eſſe contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem ita eos poſſumus devorare: receſſit ab eis omne præſidium.*

℣. 33. *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos.* Alluditur ad hunc locum cap. 36. apud Ezechielem. Et variè hæc verba explicantur, primò ut ſit ſenſus, habitatores terræ illius citò moriuntur, & conſumuntur præ nimia cœli intemperie. Alii referunt non
C ad aëris malam affectionem, ſed ad tyrannidem gigantum, qui reliquos eius terræ homines opprimendo velut devorarent. Vide ibi Ezech. 36. Unde v. 30. alius intellectus poterit haberi, de fame, cui tollendæ terra non ſufficiat. Additio eſt B. P. Cenſoris.

CAPUT XIV.

℣. 9. **Q** *Uia ſicut panem ita eos poſſumus devorare.* Hoc opponunt illis verbis, quibus dixerant alii exploratores cap. præced. *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuas.*

℣. 18. *Auferens iniquitatem & ſcelera, nullumque innoxium derelinquens.* Vide Annotat. Exodi 34. v. 7.

D ℣. 20. *Dixitque Dominus. Dimiſi juxta verbum tuum.* Dimiſit quoad pœnam comminatam, ſcilicet ne populum peſtilentia percuteret totumque conſumeret: non autem quoad pœnam æternam, quia nondum populus egerat pœnitentiam, ac fortè nec poſtea veram egit. Neque etiam quoad temporalem aliquam pœnam minorem ea quam fuerat comminatus. De hac enim mox ſequitur: *Attamen omnes homines, &c.* Non eſt autem abſurdum, ut alicui, aut aliquibus, ſine pœnitentia condonetur pœna quæpiam temporalis propter alicuius vel aliquorum juſtorum Deo placentium interceſſionem. Sic enim ſancti aliquando avertunt plagam à populo non ob merita populi, ſed ſua. Sic Abrahę dictum eſt. Geneſ. 18. *Si fuerint decem juſti, parcam civitati.* Sic Dominus, 4. Reg. 19. *Protegam civitatem hanc,*
E *propter me & propter David ſervum meum.*

℣. 22. *Et tentaverunt me jam per decem vices.* Id eſt, valde ſæpe, tametſi Liranus numerum certum deſignari putat, & decem tentationes recenſet. Sed revera poſſent etiam plures eiuſmodi, quales ipſe recenſet, reperiri. Quare veriſimilius eſt numerum certum pro incerto poni; vel *decem*, utpotè numerum perfectum, pro *valde ſæpè*.

℣. 24. *Servum meum Caleb inducam in terrā,* & ſubnectitur verſu proximo, *Quoniam Amalecites, & Chananæus habitant in vallibus.* Obſcura videtur & difficilis connexio huius poſtremæ ſententiæ cum præcedenti. Quomodo enim conſequens eſt, ut ideo Caleb

&

& ſemen eius poſſideat terram, *quoniam Amalecites*, &c. Quidam ita intelligunt & connectunt q. d. Caleb & ſemen eius poſſidebunt terram hanc, quam circuivit; quin etiam terram Amalec, & Chananæorum, qui in vallibus habitant. Verùm multò aptiùs v. 25. *Quoniam Amalecites & Chananæi habitant in vallibus*, connectunt alij cum v. ſeq. *Cras movete caſtra*, q. d. Dominus: Ecce, quoniam Amalecitæ & Chananæi delitefcunt in locis humilioribus, ut inſidientur vobis, idcirco moneo vos, & præcipio, ut pedem referatis ac revertamini in ſolitudinem. Quem ſenſum confirmat, quod poſtea Iſraëlitæ, cùm negligentes & contemnentes Domini imperium, vellent Amalecitas invadere, magnam cladem ab eis acceperint.

℣. 29. *Omnes qui numerati eſtis à viginti annis & ſuprà, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram — præter Caleb & Ioſue.* De hac numeratione ſicut legitur cap. primo huius libri verſ. 45. *Fueruntque omnis numerus filiorum Iſraël à vigeſimo anno & ſupra, qui poterant ad bella procedere, ſexcenta tria millia virorū, quingenti, quinquaginta.* Sed nota quod ibidem mox ſubjicitur: *Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum eis.* Sic & hîc *omnes qui numerati eſtis*: ut intelligimus non repugnare huic loco, ſi præter Ioſue & Caleb, ex iis qui ex Ægypto egreſſi ſunt, dicamus etiam Levitas aliquos vel fœminas terram promiſſionis fuiſſe ingreſſos. Certè Eleazar filius Aaron, jam tum c. 3. hujus libri dicitur functus Sacerdotio, & nihilominus, idem cum Ioſue terram promiſſionis diſtribuit filiis Iſraël Ioſue 14. ſic enim ibi legitur: *Hoc eſt quod poſſederunt filij Iſraël in terra Chanaan, quam dederunt eis Eleazar Sacerdos, & Ioſue filius Nun, & principes familiarum per tribus Iſraël. ſorte omnia dividentes, novem tribubus & dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus & dimidiæ dederat Moyſes trans Iordanem poſſeſſionem.* Hæc ibi. Cæterùm ex hoc loco intelligi poteſt quàm grave peccatum ſit contra Deum murmurare.

CAPUT XV.

℣. 30. *Anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit — quoniam adversùs Dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo.* Levit. 6. hæc verba habentur: *Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo ſuo depoſitum, reddet omnia. Pro peccato autem ſuo offeret arietem immaculatū. Quæritur* ergo quomodo ibi tantùm jubeatur ſacrificium pro peccato contemptus offerri, hîc autem mors ſit pœna? *Reſp.* hoc loco ſermonem eſſe de eo qui per teſtes convictus eſſet, & non ſolùm quòd ſciens & volens contra mandatum Dei feciſſet, ſed etiam quòd ſufficienter admonitus, à peccato illo abſtinere, & corrigere ſe noluiſſet. Et talis per ſententiam judicis erat morte plectendus. In Levitico autem de eo agitur, qui ſponté peccatum ſuum, quod alioqui per contemptum commiſerat, confitetur Sacerdoti, cupiens pro eius venia conſequenda offerri ſacrificium. Quod enim ibi additur, (*convicta delicti*) adjectitium eſt, neque in Hebræo habetur, neque in omnibus exemplaribus latinis.

℣. 34. *Qui recluſerunt eum in carcere, neſcientes quid ſuper eo facere deberent.* At qui Exodi 31. dictum erat: *Omnis qui fecerit opus in hac die morietur.* Sed *Reſpond.* Sciebant eum morte plectendum, ſed ignorabant, quo mortis genere. Alij reſpondent eos neſciſſe, utrum ſciens ac prudens feciſſet.

℣. 35. *Obruat eum lapidibus omnis turba.* Cùm ſcelus blaſphemiæ divini nominis longè ſit gravius hac Sabbati violatione per collectionem lignorum, quare tamen blaſphemus non majori pœna punitus ſit, Vide Levit. 24.

℣. 41. *Eduxi vos de terra Ægypti, ut eſſem Deus veſter:* Id eſt, ut eo tam inſigni beneficio vos provocarem, A ac magis etiam redderem obſtrictos ad me colendum: vel, ut in vobis inſtituerem mei, id eſt, veri Dei, cultum. Quod utrumque non in commodum aliquod ipſius Dei, ſed in populi permagnam utilitatem cedebat.

CAPUT XVI.

℣. 3. *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo Sanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus: Cur elevamini ſuper populum Domini?* Core cùm eſſet ex filiis Caath ſicut Aaron, putabat ſibi ac ſuæ familiæ non minùs deberi Sacerdotium quàm familiæ Aaronicæ, ut etiam ex ſequentibus clarum eſt, ubi thuribulis acceptis cum ſua caterua contendit contra Aaron coram Domino: Da- B than autem & Abiron cùm eſſent de tribu Ruben qui fuerat primogenitus filiorum Iacob, eſſentque in ea tribu principes viri, ut patet ex cap. 26. conati ſunt ad ſe pertrahere ducatum populi, ideoque hi præcipuè contendebant contra Moyſen. In his autem rebellibus depingitur nobis expreſſa quædam imago hæreticorum, qui ſub prætextu, quòd omnis multitudo Sanctorum ſit, quòd omnes in libertatem vocati filiorum Dei, Sacerdotium & primatum de Eccleſia tollere nituntur, non tam ut omnes qui in Eccleſia ſunt, pares conſtituantur, licèt id prætendant, quàm ut ipſi dominatum arripiant. De talibus Cyprianus ad Cornel. Nec aliundè ortæ ſunt hæreſes, aut nata ſchiſmata, quàm inde quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, C nec in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.

℣. 22. *Num uno peccante contra omnes ira tua deſæviet?* Dicit (*uno peccante*) nempe quia Core imprimis cæteris author fuerat ſeditionis. Unde & paſſim ſeditio Core vocatur.

℣. 33. *Deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, in infernum*, id eſt, in inferiores partes terræ, quod ſignificatur per illud (*operti humo.*) Non enim ſignificatur quod ſine morte media ad infernum damnatorum, unà cum corporibus deſcenderint (alioqui enim non eſſent reſurrecturi) ſed ad diſtinctionem communis ſepulturæ, quâ non ſolent ſepeliri & humo operiri, niſi homines mortui) ad ſingularem vindictam dicitur, quòd vivi in terram deſcenderint, & terra D operti ſint, quaſi vivi ſepulti, Vide Pſal. 54. & noſtra in 4. Sent. diſt. 43. §. 7.

℣. 35. *Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros.* Magna obſcuritas eſt, an Core ſimul cum Dathan & Abiron terrâ abſorptus ſit, an verò cum his ducentis quinquaginta incendio perierit. Ex cap. 26. omninò videri poſſet illum ſimul terrâ abſorptum. Nam ſic ibi legitur; v. 10. *Et aperiens terra os ſuum devoravit Core.* In Hebræo tamen paulò aliter legitur. E contra verò, illum non hiatu terræ, ſed incendio conſumptum fuiſſe, docere videntur iſta verba huius præſentis capitis v. 39. *Tulit ergo Eleazar Sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium devoravit.* Et verſu ſequenti; *ne quis accedat alienigena, & qui non eſt de ſemine Aaron, ad offerendum* E *incenſum Domino, ne patiatur, ſicut paſſus eſt Core, & omnis congregatio eius.*

Sanè res ex Hebræo ambigua videtur. Ac fortè, Scripturâ diligenter excuſſâ, ſignificat Dathan & Abiron periiſſe hiatu terræ, ſimul cum tabernaculis ſuis, & totâ ſubſtantiâ, uxoribus & liberis; Tabernaculum quoque Core cum omnibus, qui & quæ in eo erant ſimul periiſſe; ipſum verò Core cum contribulibus ſuis Levitis, ducentis quinquaginta, tenentibus thuribula (inter quos & ipſe Core erat ſuum manu tenens thuribulum, periiſſe incendio; filios verò Core, quòd neque in tabernaculo eſſent, neque inter hos ducentos quinquaginta ſeditioſos,

manſiſſe

manſiſſe ſuperſtites. Nam quod dicitur capite 26. *Et factum eſt grande miraculum*, aliter ſonat in Hebræo. Vide verſiones Pagnini & Vatabli. Vide & Ianſenium ſuper Eccli. 45. Adde quod Deuteron. 11. de ſolis Dathan. & Abiron dicitur, quòd eos terra aperto ore abſorbuit cum domibus, & tabernaculis & univerſa eorum ſubſtantia. Et Pſalmo 105. idem ſignificatur; de Core autem & congregatione ejus ſubditur: *Et exarſit ignis in ſynagoga eorum, & flamma combuſſit peccatores.*

℣. 45. *Etiam nunc delebo eos*; & mox: *Iam enim egreſſa eſt ira à Domino & plaga deſævit.* Hæc eſt plaga de qua loquitur Apoſtolus 1. Cor. 10. cùm ait: *Neque murmuraveritis ſicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore*: ſcilicet Angelo; cujus exterminatoris, ac totius hujus loci, ubi interventu ſacerdotis ornatu Pontificali induti, narratur ceſſaſſe plaga; meminit etiam liber Sapientiæ 18. cujus loci vide Annotationem de hoc exterminatore. Ideo autem iſta plaga peculiariter adſcribitur exterminanti, id eſt, perdenti Angelo; quia modus plagæ, fueritne ea per ignem, an per ſerpentes, an aliter facta, non exprimitur: ſicut nec in percuſſione exercitus Aſſyriorum ſub Ezechia Rege. Dicitur quidem in noſtro textu, quòd multitudinem vaſtabat incendium, ſed in Hebræo tantùm eſt plaga ſeu percuſſio, niſi fortè vox Hebræa ſignificet etiam incendium.

CAPUT XVII.

℣. 2. **V**Niuſcujuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ, nomen autem Aaron erit in tribu Levi. *Quæritur* 1. cùm in cæteris duodecim virgis eſſent ſcripta nomina tribuum, velut in virga Ruben ſcriptum erat *Ruben*, & ita de aliis: quare in virga quæ tribum Levi repræſentabat, non fuerit ſcriptum *Levi*, ſed Aaron? præſertim cùm de ſacerdotio contenderent diverſæ familiæ Levi? *Reſpond.* Contentio de ſacerdotio, quæ erat inter Leviticas familias, jam finita erat per interitum Core, & ducentorum quinquaginta virorum: Ac proinde de ſacerdotio Aaron non remanebat quæſtio cum familiis aliis ex tribu Levi, ſed tantùm cum reliquis tribubus. Ea ea determinata eſt hoc miraculo, quòd ſola ejus virga germinaverit, floruerit, & fructum protulerit.

Myſticè per hoc quòd virga ejus germinaverit, &c. ſignificatur ſolos eos ſacerdotio & prælaturâ Eccleſiaſticâ dignos eſſe, quorum virga, id eſt, doctrina vel docendi poteſtas conjuncta eſt cum germine bonæ conſcientiæ, flore bonæ famæ, & fructu boni operis.

Quæritur. 2. cur non ſimiliter per miraculum, Moyſi fuit confirmatus à Deo principatus præ cæteris tribubus? *Reſpondetur*, quia tribus Ruben, quæ ratione primogenituræ maximè videbatur principatum ſibi vindicare poſſe, jam ingenti miraculo fuerat repulſa, quando Dathan & Abiron, qui ex eâ tribu erant, fuêre terræ hiatu abſorpti. Quare nihil erat quod cæteræ tribus prætenderent. Deinde, ſatis multis prodigiis in terra Ægypti, in mari rubro, & in deſerto, Moyſi jam confirmatus erat populi ducatus. Adde quod Moyſes non prædicabat principatum ad ſe & poſteros ſuos pertinere: ſicut probat, ad fratrem ſuum ejuſque poſteros ſpectare ſacerdotium. Hic ergo quæſtio erat de ſacerdotio perpetuo, at non illic de perpetuo principatu. Quin magis, quum Moyſes eſſet Levita, nec filios ſuos imbueret arte regendi populi, ſed applicaret miniſteriis tabernaculi, ſicut cæteros Levitas; nulla poterat eſſe ſuſpicio Moyſen velle principatum populi ſtabilire in ſua poſteritate.

℣. 10. *Dixitque Dominus ad Moyſen: Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, &c.* Meminit hujus virgæ Apoſtolus ad Hebr. 9. Scilicet virga hæc pro confirmatione ſacerdotij ipſi Aaroni, ad ſedandas A aliarum tribuum querelas, ſola inter tredecim virgas germinaverat floreſque emiſerat. *Fuit autem hæc virga eadem cum virga Moyſi*; quemadmodum conſtat ex Hiſtoria Numer. 20. & aliundè. Communiter enim ad edenda ſigna & prodigia Moyſes & Aaron hac virgâ pro inſtrumento utebantur: Deo videlicet per eam operante. Propter quod & virga Dei dicta eſt Exodi 4. & 17. Cæterùm ex eo, quòd Scriptura hîc referat flores hujus virgæ, dilatatis foliis, in amygdalas fuiſſe deformatos, non malè colligitur interpretatea baculum amygdalinum fuiſſe. Vide plura de eo in noſtro Comment. ad Hebr. 9.

B

CAPUT XVIII.

℣. 1. **T**V & filij tui portabitis iniquitatem ſanctuarij, & ſuſtinebitis peccata ſacerdotij veſtri. Quidam inter quos D. Auguſtinus, ſic exponunt: Veſtra erunt ea quæ offeruntur pro peccatis populi; ut per peccata figuratè intelligantur ſacrificia pro peccatis. Sed repugnat vocabulum (*portare* & *ſuſtinere*) quod onus potiùs, quàm emolumentum ſignificat. Senſus igitur eſt: Si aliqui in ſancta, vel tabernaculum ſe indecenter ingerant per veſtram negligentiam: & illi pro temeritate ſua punientur, & vos nihilominus pœnas luetis veſtræ negligentiæ.

℣. 2. *Sed & fratres tuos de tribu Levi, & ſceptrum patris tui ſume tecum.* Quidam codices, inter quos & Lirani textus, habent in ablativo *ſceptro*. In Hebræo C ſic eſt ad verbum: *Atque etiam fratres tuos tribum Levi, virgam patris tui, fac appropinquare tecum.* Septuaginta ſic: *Et fratres tuos tribum Levi, populum patris tui adduc ad teipſum.* Certè nullo modo hîc virga Aaron, quæ fronduerat, intelligenda eſt: nam hîc vocabulum diverſum eſt ab illo, quo virga Aaron aliquoties fuit deſignata: tum virga illa Aaronica jam reponi juſſa erat in tabernaculo. Ac denique, cùm ad Aaronem ſit ſermo, non dicit, ſceptrum aut virgam tuam, ſed ſceptrum patris tui; quàm utique non aliam intelligi poſſe arbitror, quàm aut tribum Levi, aut familiam Caath, vel Amram potiùs, proximè illi ſanguine junctam.

℣. 19. *Pactum ſalis eſt ſempiternum.* Malè quidam Codices habuerunt: (*Pactum pacis.*) Nam vox Hebræa D & Græca ſalem ſignificat & optimi quique Codices Latini habent (*ſalis*) non (*pacis.*) Quid autem ſibi velit pactum ſalis, Vide Annotat. Levit. 2. v. 13.

℣. 20. *In terra eorum nihil poſſidebitis, Ego pars & hæreditas tua.* Non prohibet, quin liceat ſacerdotibus atque Levitis habere poſſeſſiones etiam agrorum: Sed ſenſus eſt, Levitas non habituros portionem ſeparatam à reliquis tribubus, ſed aſſignari eis à Domino primitias & decimas, & alia quæcumque offeruntur Domino: inter quæ erant etiam pecora non immolatitia. Itaque opus illis erat paſcuis ad pecora alenda: in quem uſum data ſunt eis ſuburbana, ut habemus in Joſue diverſis locis. Debebant etiam habere domos ad E inhabitandum. Quin etiam ex peculio collecto, vel ex donato ſeu legato creduntur potuiſſe habere agros, & alia bona immobilia. Atque hinc exiſtimo Jeremiam Sacerdotem, & in Actis Barnabam Levitam habuiſſe, agros, quos leguntur vendidiſſe. Vide etiam noſtr. in 4. Sent. diſtinct. 24. §. 6.

℣. 21. *Omnes decimas in poſſeſſionem, pro miniſteria quo ſerviunt mihi.* Non ſignificatur hîc Sacerdotes & Levitas vendere aut pretio ſubjicere ſuas operas, quas exercent in tabernaculo: ſed ordinatione divina illis talia deberi, ratione miniſterij ſacri. *Et nota Scripturæ phraſim*: ne quis offendatur, ſi audiat ſacerdotem Chriſtianum ſimiliter loquentem. Quod autem in fine cap. dicitur: *quia pretium eſt*, obſerva impropriè pretium dici, & vox Hebræa non pretium, ſed mercedem ſignificat.

Cæterùm contra id quod hîc dicitur: *Pro miniſterio quo ſervierunt mihi*: Objici poteſt quod Levitæ qui habitabant diſperſi per tribus longè à tabernaculo vel templo, non occupabantur miniſterio ſacro, utpote quod ſolùm licebat exercere in tabernaculo vel templo, ergo ratione ſacri miniſterij non poterant accipere decimas, & cætera quæ hîc ipſis pro parte & hæreditate Domini aſſignantur. *Reſpondeo*, omnes debebant eſſe paratos ad miniſterium, & ratione hujus obligationis poterant accipere. Item fortaſſe omnes vicibus ſuis miniſtrabant, ſaltem poſtquam David claſſes Sacerdotum & Levitarum inſtituit. Item poterant (ac fortè debebant) miniſtrare in his quæ ad Deum pertinent, docendo populum veri Dei cultum, & legem & cæremonias, maximè ubi erant ſynagogæ.

CAPUT. XIX.

ỷ.2. V*T adducant ad te vaccam rufam ætatis integra, &c.* Vaccam rufam continere manifeſtum myſterium Chriſti Apoſtolus ad Hebræos 9. inſinuat dicens: *Si cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quantò magis ſanguis Chriſti emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi*: Igitur ſecundum Apoſtolum aqua aſperſionis quæ fiebat ex cinere hujus vaccæ, tantùm carnalem ſeu legalem munditiam præſtabat: ſanguis autem Chriſti, qui per illam aquam ſignificabatur, conſcientiam emundat, id eſt, animam ipſam à peccati conſcientia puram facit. Hinc Auguſt. Juvenca rufa, inquit, carnem Chriſti ſignificat; Sexus fœmineus eſt propter infirmitatem carnis, quàm Chriſtus aſſumpſit? Rufa eſt propter cruentam paſſionem: ſine vitio, quia Chriſtus peccatum non fecit: ſine jugo, quia jugo Diaboli Chriſtus nullo modo fuit ſubjectus. Vide noſtrum Comment. ibidem.

ỷ. 21. *Ipſe quoque qui aſpergit aquas, lavabit veſtimenta ſua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit uſque ad veſperam.* Significatur quòd qui aſpergendo alios, immunditiam contraxiſſet, non debebat hac ipſâ aquâ mundari, nam ſic ejus mundator ſimiliter eſſet mundandus, & hujus mundatoris item alius mundator, & ſic in infinitum; ſed quòd alio genere mundationis debebat mundari, nempe lavando ſe & veſtimenta ſua.

Auguſtinus ſignificari per hoc dicit, quòd omnis homo poſt remiſſionem peccatorum, quamdiu permanet in hac vita, adhuc aliquid contrahat, unde ſit immundus, uſque ad veſperum, id eſt, uſque ad finem vitæ hujus.

CAPUT XX.

ỷ.1. V*Eneruntque filij Iſraël in deſertum Sin, & manſit populus in Cades* Exodi 16. narratur, quomodo filij Iſraël venerunt in deſertum Sin, & cap. ſequenti, quod profecti ſunt de deſerto Sin, & caſtrametati ſunt in Raphidim. Ubi licèt Moyſes quoq; percuſſit petram, ut fluxerint aquæ; tamen diverſum eſſe illud Sin, & illud de quo hic agitur, & proinde etiam diverſam percuſſionem petræ; tum aliæ multæ circumſtantiæ docent, tum etiam quòd illud factum ſit in Raphidim; hoc autem in Cades. De quo vide, ſi placet, noſtrum Commentarium 1. Corinth. 10. Ubi etiam diſputatur, an Cades idem ſit quòd Cadeſbarne.

ỷ. 10. *Audite rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Moyſen hîc peccaſſe dubium non eſt. Id enim Dominus de ipſo & Aarone clarè teſtatur his verbis: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſraël: non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Peccatum ergo illorum conſtituendum videtur incredulitatis; nempe in ver-

A bis illis cum dubitatione, & velut ambiguè prolatis; *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* ut ſi non fluxiſſet aqua, hoc imputaſſet malitiæ & incredulitati populi; ſi fluxiſſet potentiæ divinæ. Sed non debebat dubitanter loqui, nam Dominus dixerat abſolutè: *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis: & illa dabit aquas.* Fuit igitur tentatus, & vacillavit; conſiderans populum toties rebellem, & non ſimul mox ob oculos ponens Dei omnipotentiam: non autem quòd fidem omnipotentiæ Dei in univerſali perdiderit. Sic & Chriſtus aliquando diſcipulos ſuos increpavit dicens: *Ubi eſt fides veſtra?* Et hoc eſt, quod dicitur Pſalm. 105. *Et vexatus eſt Moyſes propter eos, quia exacerbaverunt ſpiritum ejus: & diſtinxit in labiis ſuis, &c.*

B

CAPUT XXI.

ỷ.2. V*Ota ſe Domino obligans ait*; & v.3. *& vocavit nomen illius Horma, id eſt, anathema.* Nempe ſic deletæ ſunt hæ urbes, ſicut poſteà deleta fuit Iericho. Et quidem factus eſt locus *anathema*, hoc eſt, *execratio*: ſed tamen veriſimile eſt, quòd ſicut in Iericho, priùs abſtulerunt omne aurum & argentum, & conſecrârunt in ærarium Domini; ita & hîc etiam fecerint. Notandum etiam, quod Iſraël has urbes delendo, quodam modo ſic primitias Deo obtulit, terræ promiſſæ in poſſeſſionem accipiendæ.

ỷ. 8. *Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Quòd hæc fuerit
C Chriſti Salvatoris exaltati in cruce figura, Chriſtum ipſum habemus interpretem Ioan. 3. Chriſtus ergo ſerpens, quia natus in ſimilitudinem carnis peccati, quod ſuaſu ſerpentis per unum hominem intravit in mundum. Æneus autem ſerpens, quia revera ſine peccato, ut æneus ſerpens ſine veneno. Poſitus pro ſigno, ut percuſſi aſpiciant & vivant: quia exaltatus in Cruce, ut credentes in Crucifixum, ſanentur à morbibus peccatorum, quos ſerpens antiquus Diabolus inflixit.

ỷ. 14. *Unde dicitur in libro bellorum Domini.* Liber ille non extat. Videtur autem fuiſſe liber, qui contineret carmina quædam, ceu epinicia pro victoriis populi Dei contra hoſtes ſuos. Ejuſmodi enim ſunt verſus qui hîc citantur. Nec illud improbabile, Eſdram cùm
D libros divinos reſtitueret, eadem, ut credere par eſt; Dei authoritate, quâ ſuæ hiſtoriæ libros ſcripſit, hujuſmodi quaſdam citationes libris illis inſeruiſſe. Neque propterea neceſſe eſt agnoſcere divinam authoritatem in illo bellorum Domini libro, non magis quàm in poëtis & libris gentilium quos Apoſtolus Paulus aliquoties citat; ſed ſic tantùm partes citatæ authoritatem habent, quatenus citatione approbantur.

CAPUT XXII.

ỷ.5. M*Iſit (Balac) nuntios ad Balaam filium Beor ariolum. Quæſtio* eſt utrum Balaam fuerit Dei Propheta, an Dæmonum? Quod Dæ-
E monum Propheta fuerit, fortiſſimum argumentum videtur, quia vocatur hîc ariolus, id eſt, magus. Tales autem ſunt, qui ſuggeſtione Diabolica futura quædam prædicunt. Sed non eſt in Hebræo. Item apparet eum fuiſſe vatem Dæmonum; quia vaticinaturus, jubet extrui aras & offerri victimas, non uni Deo, ut videtur, ſed idolis. Dicitur enim Balac rex eum duxiſſe ad excelſa Baal. *E contra verò* quòd Dei Propheta fuit, ex eo conſtare videtur, 1. quia Deus verba benedictionis poſuit in ore ejus. Deinde Prophetiæ ejus, quæ ſequenti capite habentur, authoritatem habent tanquam à Deo profectæ. Unde eſt illa memorabilis Prophetia; *Orietur ſtella ex Iacob, &c. Reſpondeo, Veriſimilius* videtur eum fuiſſe Prophetam

Dei,

Dei ; ſed malum ; qui pro mercede loqueretur placentia, quales paſſim inſectantur Iſaias, Ieremias & Ezechiel. Nam 2. Petri 2. vocatur Propheta, & nihil in eo reprehenditur, niſi quod mercedem iniquitatis amavit. Deinde, ut dictum eſt, verba ejus vim veræ Prophetiæ habent. Vide noſtrum Comment. citato loco 2. Petr. 2.

℣. 28. *Aperuitque Dominus os aſinæ, & locuta eſt.* Factum eſt miniſterio boni Angeli, non mali, ut nonnulli malè arbitrantur. Fuiſſe enim bonum Angelum quem ſtatim pòſt vidit Balaam, planum eſt, quia increpavit eum de ſuo peccato, dicens ; *Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria :* imò in eo quod dicit, *mihique contraria*, loquitur in perſona Dei. De hoc Petrus 2. Epiſt. cap. 2. *Subjugale mutum animal, hominis voce loquens prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Rectè igitur S. Thom. 2. 2. qu. 165. art. 2. ad 4. ſic, inquit, locutus eſt ſerpens homini, ſicut aſina locuta eſt homini, niſi quod illud fuit opus Diabolicum, hoc Angelicum. Vide etiam Annot. Geneſ. 3. Et noſtrum Comment. citato loco 2. Petri 2.

℣. 29. *Vtinam haberem gladium ut te percuterem.* *Quæritur* quare Balaam non eſt territus loquente aſina, quin potiùs in ira perſeverans, graviter cum ea expoſtulat ? *Reſpondet* D. Aug. vel quia talibus monſtris aſſuetus erat, utpote homo ariolus, cum quo Dæmones in animalium ſpecie apparentes ſæpè loquebantur ; Vel quòd fuerit tanta cupiditate incenſus, ut nec tanti monſtri miraculo ſeu prodigio terreretur.

℣. 32. *Ego veni, ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria.* *Quæritur* quomodo hoc rectè Angelus dicat, cùm Balaam ſecundo conſulens Dominum, permiſſus eſſet ire cum nunciis ? *Reſpondet Auguſt.* quòd Balaam ſecundo conſulens Dominum, utrum ire deberet, graviter peccaverit. Debuiſſet enim conſtanter acquieſcere Deo, audita ſemel ejus voluntate. Sed ibi ſe victum cupiditate monſtravit, ubi loqui ſibi Dominum de hac re iterum voluit. Proinde videns Dominus ejus cupiditatem captam victamque muneribus, permiſit eum ire, ut per jumentum, quo vehebatur, ejus avaritiam coërceret. Reprehenſus eſt igitur, non tam de itinere, quàm de prava cupiditate : propter eam enim dictum eſt ei : *perverſa eſt via tua mihique contraria.* Hinc de quibuſdam dicit Petrus ; *ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit.* 2. cap. 2. Ideo ergo mala erat via ejus, quia amavit mercedem iniquitatis.

CAPUT XXIII.

℣. 1. **D***Ixitque Balaam ad Balac : Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, &c.* Non hoc juſſit Balaam ex præcepto divino. Nondum enim conſuluerat Dominum : Nam aris exſtructis, demum vadit ad conſulendum, uti liquet ex verbis ſequentibus. Sed præcipit hoc ſuperſtitioſè, ut rex à diis ſuis per ſacrificia impetrare videatur oraculum, ſibi, ſuoque regno fauſtum, maledictione in hoſtes converſa. Nec enim veriſimile eſt regem aras & ſacrificia paraſſe vero Deo, quem non colebat, ſed Deo ſuo Beelphegor ; ad cujus ſacrificia legimus infrà capite 25. adductos fuiſſe filios Iſraël à filiabus Moab.

℣. 7. *De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Pro (*Aram*) Septuag. vertunt *Meſopotamiâ* ; ut & nos habemus Deut. 23. his verbis : *Conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Meſopotamia Syriæ.* Ubi & Hebraicè eſt (*de Pethor Aram duorum fluviorum.*) Nempe Meſopotamia duobus fluminibus eſt incluſa. Vide etiam Geneſ. 8.

℣. 10. *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia.* *Anima* pro homine ponitur. Senſus eſt. Det mihi Deus ut moriar quomodo

A juſti, id eſt, veri cultores Dei, qualis eſt hic populus. Modus ille mortis eſt, mori in pietate & expectatione vitæ futuræ ac patriæ cæleſtis. Sic enim deceſſiſſe juſtos teſtatur Apoſtolus ad Hebr. 11. Vel ſenſus eſt : moriar in ea felicitate temporali quam populo huic Deus, legem ſuam ſervanti, promiſit, id eſt, moriar longævus ac plenus dierum, relictis poſt me filiis cum copioſa hæreditate & rerum affluentia, in multitudine pacis. Interim nota avarum & impium prophetam velle juſtis in morte ſimilem eſſe, quorum ſimilitudinem refugit in vita. Nonnulli ſic exponunt : Ego moriar morte mihi à juſtis inferenda, ſcilicet ab iſto populo, qui eſt gens ſancta. Verum quidem eſt Balaam ſic mortuum eſſe, ſed non eſt ille ſenſus, *Et fiant noviſſima mea horum ſimilia*, quod congruit cum primo B ſenſu quem dedimus, vel etiam cum ſecundo.

℣. 20. *Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.* Si, *quæras*, utrum populo Iſraëlitico profuerit hujus Prophetæ mali, ac malevoli benedictio ? *Reſpondeo*, ſine dubio profuiſſe. Deus enim per illum populo benedixit, ut habetur Joſue ult. ubi effectus benedictionis ſubjungitur : *Et liberavi vos de manu ejus, &c.* Ex quo oſtenditur benedictiones malorum ſacerdotum, ſive in ſacramentis Eccleſiæ, ſive quaſcunque alias vice Dei prolatas ſuper fideles, haudquaquam inanes eſſe, Deo ſcilicet, etiam per malos, ſuæ divinæ benedictionis effectum exhibente.

℣. 21. *Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimu-* C *lachrum in Iſraël.* Simile eſt illud Deuter. 32. in Cantico Moyſi. *Dominus ſolus dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.* Sed quomodo his non ſit contrarium, quod dicitur Ioſue 24. *Auferte Deos alienos*, itemque quod exprobrat Judæis Stephanus Act. 7. Vide eorum locorum Annotationes.

CAPUT XXIV.

℣. 3. **D***Ixit Balaam, dixit homo cujus obturatus eſt oculus —— qui viſionem omnipotentis intuitus eſt.* Hîc duo dicuntur in ſpeciem pugnantia ; *Homo, cujus obturatus eſt oculus* : & idem *qui viſionem intuitus eſt.* Priorem illam partem ex Hebræo variè D vertunt, & ferè contrario modo. Alij vertunt : (*cujus obſcuratus eſt oculus*) alij *cui aperti ſunt oculi.* Et huic viſioni favere videtur verſio Septuaginta quæ habet : *Homo verax videns.* Si legamus, ut noſter interpres habet, duplex reddi poterit ſenſus ; Aut enim de oculis corporeis, aut de incorporeis accipi poteſt. Si de corporeis, ſignificat ſe ſomniatorem, qui videlicet viſionem accipere ſolitus ſit per ſomnium, quod fit obturatis, id eſt, clauſis oculis. Eodem pertinet quod ſequitur ; *Qui cadit, & ſic aperiuntur oculi ejus*, id eſt, qui poſtquam in ſomnum incidit, accipit revelationem. Si de oculis mentis accipitur, ſenſus eſt ; Qui oculos mentis habet cupiditate & malitia excæcatos. E Item, Qui cadit per iniquitatem : Et tamen aperiuntur oculi ejus ad prævidendum & prædicendum futura de regno Chriſti.

℣. 7. *Tolletur propter Agag, rex ejus, & auferetur regnum illius.* Hoc de Saüle dictum interpretatur Hieron. ſcribens in Ezech. 38. quia nimirum Saül regno privatus eſt, & in prælio occiſus perijt, propterea, quòd præter alia peccata, quibus Deum offenderat, contra Dei præceptum pepercisſet Agag regi Amalecitarum.

℣. 17. *Videbo eum, ſed non modò : Intuebor illum, ſed non prope : Orietur ſtella ex Iacob, &c.* Judæi hæc Judaïcè interpretantur, & referunt ad temporalem proſperitatem ; Et per Stellam, ipſum David intelligunt. Sed nos, rejecta hac Judaïca expoſitione, ſequimur eam, quam ſequuntur omnes Chriſtiani Doctores, qui

non aliò, quàm ad Chriſtum hæc verba referunt. Et licet quidam intelligant de ſecundo adventu Chriſti; *Videbo eum, ſed non modò*, quia videlicet dies judicij longè aberat: rectiùs tamen ad primum adventum refertur hoc ſenſu: *Videbo*, ſeu video, *eum* (Meſſiam in carne) *ſed non modò*, ſupple, veniet. Et ſimiliter illud: *Intuebor*, id eſt, intueor, *illum* ſcilicet mente Prophetica, *ſed non propè*, ſupple adeſt: ut illud (*non modo*) & (*non propè*) non ad prophetantem, ſed ad rem prophetatam pertineat. Illud autem, *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſraël*, vel ad ſtellam pertinet, quæ in Nativitate Chriſti Magis apparuit; utpote qui dicunt ſtellam fuiſſe ſignum nati regis, vel ad ipſum Chriſtum, qui in ſcriptura ſæpè Stella vocatur. Et ita eodem pertinebunt. *Stella ex Iacob, & Virga de Iſraël*, Nempe Stella, propter ſanctitatis ſplendorem, & virga propter regni poteſtatem.

CAPUT XXV.

ỷ.4. T*Olle cunctas principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſraël.* Hoc capite duobus exemplis docemur quantum valeat, quantumque momenti habeat ad placandum Deum & avertendam iram ejus, juſta animadverſio in homines noxios & morte dignos. Prius exemplum eſt in punitione principum populi, de quibus dicitur ad Moyſen: *Tolle cunctos, &c.* Valet ergo digna animadverſio in ſceleratos, ad avertendum furorem Dei à populo. Alterum exemplum in Phinees, qui cùm zelo Dei commotus occidiſſet fornicantes, addidit ſcriptura: *Ceſſavitque plaga à filiis Iſraël. Dixitque Dominus ad Moyſen: Phinees filius Eleazari avertit iram meam à filiis Iſraël: quia zelo meo commotus eſt contra eos, ut non ipſe delerem filios Iſraël in zelo.* Deinde zelum illum ita Dominus remuneravit. *Ecce* (inquit) *do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipſi, quàm ſemini ejus pactum ſacerdotij in æternum, quia zelatus eſt pro Deo ſuo, & expiavit ſcelus filiorum Iſraël.* Quòd ſi tantum valet apud Dominum juſta & ſevera animadverſio in malos; è contrario intelligendū eſt, quantum Deo diſpliceat, & iram ejus in populum provocet juſtitiæ neglectus, & relaxatio publicæ diſciplinæ. Unde ſicut Phinees per juſtitiæ ſeveritatem ſacerdotij promiſſionem obtinuit, ita Heli per neglectum diſciplinæ, pro ſemine ſuo, ſacerdotij dignitatem amiſit. Et utinam ſimilis juſtitiæ neglectus in hæreticos alioſque pernicioſos homines, etiam in nos non provocaſſet iram Dei.

ỷ.7. & 8. De Phinees: *Et arrepta pugione, ingreſſus eſt poſt virum Iſraëlitem, &c.* Pro *pugione*, Græcè eſt, *Et cùm accepiſſet ſeromaſten in manu.* Et idem vocabulum eſt in Græco 4. Reg. 11. Et Hieron. quoque illo utitur in Epiſt. 53. ad Riparium. Eam vocem alij pugionem, alij lanceam, alij haſtam vertunt. Vide Marianum in illam Epiſtolam Hieron. Porrò non occidit iſtos Phinees privata authoritate, ne quis putet hoc in exemplum eſſe trahendum, ſed ex ordinatione Moyſis, qui dixerat ad judices Iſraël, inter quos erat & Phinees ſummi Sacerdotis filius; *Occidat unuſquiſque proximos ſuos.*

ỷ.13. *Et erit tam ipſi* (Phinees) *quàm ſemini ejus pactum ſacerdotij ſempiternum.* Loquitur Dominus de ſummo ſacerdotio: Fuit autem hoc pactum ſempiternum æternitate legis, id eſt, quamdiu lex Moſaica duravit. Fuit quidem interruptio per Heli, & filium, nepotem ac pronepotem ejus, qui erant ex ſtirpe Ithamar patrui Phinees; ſed ita, ut jus ſalvum remanſerit poſteritati Phinees, opportuno tempore declarandum: ſcilicet reddita poſteris ejus Sacerdotij poſſeſſione: quod fieri cœpit per Davidem, (quoniam quaſi æquali gradu ſacerdotes habuit Abiathar & Sadoc 2. Reg. 25. & 1.

A Paralipom. 15.) & perfectum eſt per Salomonem; qui repulſo Abiathar ex poſteris Heli & Ithamar, Sadoco ex ſtirpe Phinees ſacerdotium, generi ſuo debitum, reſtituit.

CAPUT XXVI.

ỷ.10. E*T aperiens terra os ſuum devoravit Core.* Vide ſuprà cap. 16. v. 35.

ỷ.11. *Et factum eſt grande miraculum; ut Core pereunte, filij illius non perirent*, Quomodo id accidiſſe putet Lyranus, vide apud eum, ſi placet. Ubi etiam quæri poteſt, cur id acciderit potiùs in filiis Core, quàm in filiis Dathan & Abiron, qui, ut ſatis ſignificatur ſuprà cap. 16. perierunt unà cum uxoribus & filiis.
B Vide textum Hebræum, & quæ notavimus ad cap. 16.

ỷ.54. & 55. *Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem —— ita duntaxat, ut ſors terram dividat.* Quod dicitur (*Dabis*) intelligendum eſt, per te vel ſucceſſorem tuum, cui hæc mandabis. Non enim Moyſes terram promiſſam diſtribuit, qui eam non fuit ingreſſus, ſed ſucceſſor ejus Joſue. Quomodo autem præcipiat Dominus pluribus majorem dari partem, & paucioribus minorem, ac nihilominus diviſionem velit ſorti committi. Vide Joſue 19.

CAPUT XXVII.

ỷ.3. S*Ed in peccato ſuo mortuus eſt.* In peccato mori, eſt propter peccatum mori, ſive peccatum
C illud quoad culpam remiſſum fuerit, ſive non. Neque enim iſtæ filiæ dicere voluerunt patrem ſuum mortuum eſſe in peccato mortali, quo modo nos loqui ſolemus, id eſt, ſine pœnitentia peccati. Quæritur quale fuerit hoc ejus peccatum? *Reſpondeo*, quidam intelligunt peccatum infidelitatis. Nam de eo ſimiliter loquitur Dominus in Evangelio Ioan. 8. dicens: *In peccato veſtro moriemini.* Unde & Apoſtolus Hebr. 3. *Quibus* (inquit) *juravit Dominus non introire in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt? & videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Alij privatum quoddam peccatum intelligunt, propter quod perierit Salphaad. Sed non eſt veriſimile de privato ac peculiari quodam peccato, quod non fuerit cum aliis commune, locutas
D fuiſſe ejus filias ad Moyſen & Eleazarum, cæteroſque populi principes; cùm nulla neceſſitas id exigeret. Quare ſenſus ſimpliciſſimus maximeque germanus eſt: Salphaad mortuum quidem eſſe in deſerto, non tamen ob ſeditionem illam memorabilem concitatam ſub Core, ſed propter cauſam cæteris omnibus, qui in deſerto perierunt, communem; quia peccaverant murmurando, & non credendo promiſſis Dei. Quare (inquiunt) non magis nos debemus privari ſucceſſione paterna (quod quidem ad delictum patris attinet) quàm cæteri, quicumque parentibus in deſerto mortuis, ſuccedunt. Et nota quòd quicumque moriebantur in deſerto, exiſtimabantur perire & prohiberi ab ingreſſu terræ pro-
E miſſæ, propter peccata in Deum vel murmurandu, vel non credendo commiſſa, adeo ut nec Moyſes, nec Aaron & Maria fuerint ab hac punitione immunes. Dicunt autem: *Nec fuit in ſeditione quæ concitata eſt contra Dominum ſub Core:* quia quamvis ſeditio illa legatur tantùm concitata à Core & ſociis ejus Levitis, centum quinquaginta, & à Dathan & Abiron Rubenitis; alij tamen aliarum tribuum plurimi, ſeditioni ab illis commotæ conſenſerunt. Nam de Core & ſociis ejus dicitur cap. 16. quod adverſum Moyſen & Aaron coacervârant omnem multitudinem. Unde & Deus totum populum voluit diſperdere. Fuerat autem illa omnium graviſſima & periculoſiſſima ſeditio, quòd à Levitis, tanquam hoſtibus domeſticis, qui & Domino erant conſacrati, & Moyſi atque Aaroni contribules, concitata eſſet.

ỷ.14.

℣.14. *Quia offendiſtis me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis, nec ſanctificare me voluiſtis coram ea ſuper aquas.* Hebr. eſt: *ſicut offendiſtis*; ut ſenſus ſit: Quemadmodum noluiſtis me ſanctificare, & potentiam meam celebrare coram populo murmurante propter aquas; ita viciſſim ego non dignabor vos ingreſſu terræ, quam daturus ſum filiis Iſraël. Ex quo intelligimus Moyſen coram populo talia verba protuliſſe, ex quibus videretur de potentia Dei dubitare. Hoc enim eſt quod dicitur, Deum non ſanctificaſſe. Sanctificatur enim Deus ab homine, quando ſanctitas ejus aut poteſtas, aut bonitas hominis teſtimonio commendatur.

Myſticè autem per hoc, quòd neque Aaron, neque Moyſes permiſſi ſunt ingredi terram promiſſionis, ſignificatur, quòd nec vetus ſacerdotium cujus perſonam gerebat Aaron, nec ipſa lex, repræſentata per Moyſen, introducere poſſint populum Dei in terram æternæ hæreditatis: ſed eò introducit Joſue, qui & Jeſus vocatur, in quo typus erat Domini noſtri Ieſu Chriſti.

℣. 20. *Dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, ut audiat eum omnis ſynagoga filiorum Iſraël.* Ad Moyſen ſermo eſt de Ioſue ſucceſſore conſtituendo. Hebr. pro (*partem gloriæ*) eſt (*de gloria tua*) vel *de decore tuo.* Sed ſive legatur, de gloria tua, ſive partem gloriæ tuæ; non ſignificatur gloria Moyſi per hoc fuiſſe ex parte aliqua diminuenda; ſed quòd Ioſue futurus eſſet ſocius ejus gloriæ, quæ erat in Moyſe, ita tamen ut non æqualem eum Moyſe gloriam eſſet habiturus. Nam de Moyſe dicitur Deut. ult. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſraël, ſicut Moyſes.* Accepit ergo partem gloriæ, qui non parem, ſed minorem atque inferiorem gloriæ excellentiam conſecutus eſt. Patet id etiam ex ſequentibus. Nam jubetur Ioſue in omnibus conſulere Eleazarum ſummum ſacerdotem; Moyſes autem in omni re dubia per ſe, & immediatè oraculum divinum conſulebat.

℣.21. *Pro hoc ſi quid agendum erit. Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Ad verbum ejus*, ſcilicet conſulentis Dominum & Domini ſententiam referentis, *egredietur & ingredietur ipſe, & omnes filij Iſraël,* id eſt, actiones ſuas inſtituent. Quod & Saül & David in bellis gerendis feciſſe legimus 1. & 2. lib. Regum, ut Dominum per ſacerdotem conſulerent, & ex Domini ſententia per ſacerdotem intellecta prælia committerent, hoſtes inſequerentur, &c.

Quæritur an Ioſue fecerit contra hoc præceptum Domini, quando cum Gabaonitis fœdus iniit, ac juſjurando firmavit, & os Domini non interrogavit, ut habetur Ioſue 9. Videtur quod non, quia quod hîc præcipitur ut ad verbum Domini egrediatur, &c. non ſic eſt intelligendum, quaſi ad ſingula quæque conſulendus eſſet Dominus, ſed id refertur ad negotia magni momenti, ut de bello aliquo gravi ſuſcipiendo, &c. Quod ſi tamen etiam quis putet intelligi caſum dictum, videbitur Ioſue in illud impegiſſe. Et id fortè voluit ſcriptura dicens: *Et os Domini non interrogaverunt,* quaſi dicat, quod facere debuerant.

CAPUT XXVIII.

℣.3. **A***Gnos anniculos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum, unum mane, & alterum ad veſperum, &c.* Subditur deinde de ſacrificio Sabbati, ac demum quoque de ſacrificio Calendarum ſeu neomeniæ. Quorum trium ſacrificiorum hæc brevis eſt explicatio, ſecundum D. Thomam, 1.2.q.102.art.4. Per quotidianum, ſeu juge ſacrificium quod quotidie mane & veſpere offerebatur, repræſentabatur perpetuitas divinæ beatitudinis; Per ſacrificium ſabbatorum, quod ſeptimo quoque die fiebat, memoria creationis, quæ completa eſt die ſeptimo. Nam & exodi 20. pro

Eſtij Annotat. in Script.

A ratione præcepti de ſabbato additur; *Sex diebus fecit Deus cælum & terram, & ſeptimo requievit.* Denique ſacrificium neomeniæ, ſive novæ lunæ; hoc eſt, à novilunio ad novilunium fiebat ad commemorandum opus divinæ gubernationis. Nam hæc inferiora præcipuè variantur ſecundum motum Lunæ. Et hæc ratio ſingulorum litteralis eſt.

Myſtica ſeu Prophetica horum ratio eſt iſta: Per juge ſacrificium ſignificatur perpetuitas ſacerdotij Chriſti, qui eſt verus agnus, tollens peccata mundi. Per ſacrificium ſabbati ſignificatur ſpiritualis requies, quam expectamus per Chriſtum, de qua ad Hebr.4. Per ſacrificium neomeniæ prænunciatur illuminatio Eccleſiæ primitivæ per Chriſtum. Sicut enim per lunam Eccleſia ſignificatur, ita & per lunam novam, nova ſeu B primitiva Eccleſia.

CAPUT XXIX.

℣.1. **M***Enſis etiam ſeptimi prima dies venerabilis, & ſancta erit vobis —— quia dies clangoris eſt & tubarum. Quæritur,* quare hoc feſtum vocetur clangoris & tubarum? Si reſpondeas quia eo die tubis clangi ſolet, quæritur qua ex cauſa id fuerit inſtitutum? *Reſpondeo,* cauſa litteralis duplex aſſignatur. Altera, quam tradunt Hebræi, in memoriam liberationis Iſaac à morte, quando immolandus erat à patre, & pro eo oblatus eſt aries: qui quidem aries quia hæreret cornibus inter vepres, ut ſcriptura commemorat, ideò Iſraëlitæ hoc die clangebant cornibus, ſeu buccinabant. Sed non C admodum probabile hoc eſt; nam neque ſcriptura quicquam tale nobis uſquam innuit, neque ulli graves authores ex veteribus eam rationem tradiderunt, neque per ſe rationem magnam habet, ob ejus rei memoriam, peculiariter inſtitutum fuiſſe hoc tam ſolemne feſtum. Et ſanè multa erant alia hujus ſimilia, quæ pari ratione tale feſtum requirebant, ut liberatio Abraham de Ur Chaldæorum, liberatio Iacob de manu fratris, nativitas Iſaac ex matre ſterili, &c. Sed & reliqua feſta non pro particulari aliquo; ſed pro communi bono inſtituta omnia videntur, ſcilicet creationis ac gubernationis mundi, liberationis totius populi ex Ægypto, legis populo datæ in monte Sinaï, meſſis collectæ feliciter, & poſteà pro liberatione per Judith, Eſther, & Machabæos, D ſimiliter totius populi.

Itaque altera ratio probabilior iſta redditur, nimirum ut hoc clangore tubarum, homines admonerentur ſe præparare ad feſta alia, quæ hoc eodem capite, eodem menſe ſeptimo præſcribuntur. Propheticè autem feſtum tubarum ſignificavit prædicationem Apoſtolorum per univerſum orbem terrarum.

CAPUT XXX.

℣.3. **S***I quis virorum votum Domino voverit —— omne quod promiſit implebit.* Sed ante omnia intellige ſi votum, ſeu juramentum ſit factum de re E licita. Nam ſi ſit res illicita, ſicut malè promittitur ſeu juratur, ita malè, imò & pejùs impletur. Verbi gratia: juravit aliquis ſe ſervaturum & defenſurum civitatem aliquam contra legitimum Principem, talis & jurando graviter peccavit, & juramento ſuo non tenetur; & ſi implere voluerit, peccabit etiam longè graviùs: ſicut Herodes, qui quod imprudenter juraverat, ut Auguſt. loquitur, ſceleratè implevit, occidendo Ioannem Baptiſtam.

Deinde circa hanc legem obſervandum eſt non comprehendi illos qui ſunt in alterius poteſtate; ut ſervi qui nihil vovere poſſunt, per quod aliquo pacto impediatur ſervitium Domino debitum; item religioſi, id eſt, quicunque profeſſi ſunt vitam Monaſticam, qui ſine Superioris conſenſu, nec vovere poſſunt,

ſunt, nec, ſi fortè voverint, votum ſine ejus arbitrio implere. Similiter filius familias ſuo arbitratu vovere non poteſt de iis in quibus patri ſubjectus eſt, velut de abſtinentia ciborum, de viſitatione templorum, de peregrinatione ad loca ſancta. Cæterùm de rebus ad ſtatum totius vitæ pertinentibus, velut de ingreſſu religionis ac matrimonio, vovere ac diſponere poteſt. Et tale votum ac diſpoſitio ejus rata eſt, etiamſi non acceſſerit conſenſus parentum.

ỳ.4. *Mulier ſi quippiam voverit & ſe conſtrinxerit juramento quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate adhuc puellari, ſi cognoverit pater — & tacuerit, voti rea erit — ſin autem ſtatim ut audierit, contradixerit pater——irrita erunt, &c. In ætate puellari*, Hebraicè eſt in pueritiis ſuis, id eſt, in adoleſcentia ſua, ſcilicet dum adhuc moratur apud patrem nondum nupta. Non enim ſignificatur irritari poſſe votum puellæ propter ætatis immaturitatem, ſed irritari poſſe à patre, quia cum patre habitat, & nondum nupta eſt. Nam ſi nupta ſit, tum à viro poterit irritari. Loquitur autem Moyſes de votis earum rerum quæ ad convictum domeſticum ſpectant, ut de jejunando, de abſtinendo à certis cibis, de certo veſtitu, de proficiſcendo ad templum & offerendis muneribus; non autem de ea re quæ pertineret ad diſpoſitionem totius vitæ, ut de ingreſſu religionis, de perpetua continentia. Qualia vota tunc non erant in uſu. Nec opus eſſet hæc à patre irritari, ſi puella non haberet ſufficientem ætatem diſcernendi de talibus; quia ante illam ætatem ipſo jure naturæ talia vota non ſunt obligatoria: Vide noſtra in 4. diſt. 28. §. 3.

ỳ.10. *Vidua & repudiata quiſquid voverint, reddent.* Hîc videri poteſt repudiatam, perinde ut viduam, eſſe ſui juris, & verè ſolutam à lege viri, vinculoque conjugij. Sed dicendum ſolutam eſſe non ſecundum rei veritatem, ſed legis permiſſione & connivencia. Propterea lex de ea ſicut de ſoluta hîc loquitur, præſertim quia cùm dimiſſa eſſet à viro; nec ampliùs cum eo habitaret, non poterant ejus vota à viro cognoſci: imò vir eam dimittens quantùm in ſe erat, liberam faciebat ad vovendum, & omnino agendum quod vellet; & proinde relicta eſt ſuo juri. Hîc nihil dicitur an mulier poſſit irritare vota mariti ſui. Ex quo intelligitur, quòd hic non agatur de poteſtate viri quatenus eſt conjux habens poteſtatem corporis conjugis ſuæ, (ſic enim etiam poteſt mulier irritare vota viri ſui quatenus eum redderent ineptiorem ad opus tori conjugalis) ſed quatenus eſt caput totius familiæ, quam habet gubernandam.

ỳ.16. *Portabit ipſe iniquitatem ejus.* Hoc dicitur de viro contradicente voto uxoris, illudque revocante. Et ſenſus eſt; Mulier quidem abſolvetur à voto ſuo, neque peccabit quòd votum non reddat: Vir autem peccati reus erit, ſi malè votum uxoris caſſaverit ſeu irritaverit. Quaſi ergo ſic dicit. Iniquitas mulieris tranſibit ad virum, ut authorem voti non implendi.

CAPUT XXXI.

ỳ.8. B*Alaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* Mirum hoc videri poſſet, cùm ſuprà cap. 24. dicatur Balaam reverſus ad locum ſuum, qui ut diximus, putatur fuiſſe in Meſopotamia. Alij hinc exiſtimarunt ipſum fuiſſe Madianitam, aut certè finitimum terræ Madian. Sed veriſimilius eſt ipſum reverſum ad aliquod ſpatium, deinde hoſpitio apud Madianitas aliquamdiu detentum, & ſic, priuſquam longius diſcederet, occupatum fuiſſe unâ cum toto illo populo Madian; ſicque non potuiſſe evadere gladium filiorum Iſraël. Nam, ut diximus cap. 23. quod ipſe Balaam ibi dicit ſe adductum de Aram, Septuaginta interpretantur Meſopotamiâ, & ipſe quoque noſter interpres Deut. 23. dicit eum veniſſe de Meſopotamia.

ỳ.14. *Iratuſque Moyſes Principibus exercitus —— ait: Cur fœminas reſervaſtis?* Veriſimile eſt, à Domino præceptum fuiſſe ut omnes internecione delerent; alioqui enim hæc objurgatio de reſervatis fœminis ac parvulis locum non haberet, quum illi ſexui & ætati parcendum eſſe in bello, ipſa ratio ſuadeat. Vel ideò Moyſes cum illis expoſtulat de fœminis reſervatis, quia malo ſuo edocti ſcire debebant periculoſam ſibi fore tot alienigenarum mulierum cohabitationem. Quare aut dimittendæ erant, aut, quod tutius, occidendæ. Cur igitur nunc v. 18. virgines jubet reſervari? Quia illæ & ad fallendum populum propter ſimplicitatem adhuc minùs aptæ erant; & facilè ad ritum populi Iſraëlitici poterant traduci; & tanquam captæ bello juxta legem accipi poterant in uxores, non obſtante alia lege quæ prohibebat ne filias earum gentium, contra quas pugnaturi erant, ſibi in uxores acciperent, tum quia Madian non erat ex illis gentibus quarum terra populo promiſſa fuerat, tum quia hæ filiæ non tradebantur à parentibus earum filiis Iſraël in conjugium, ſed jure belli accipiebantur, parentibus interfectis; vel ita, ut amicitiæ cum infideli populo ineundæ, nullum ex eo facto illis eſſet periculum: quæ nimirum cauſa fuit illius prohibitionis ſanciendæ. Juſſi ſunt autem parvuli interfici: quia illorum educatio fuiſſet Iſraëlitis, ſemper ad iter & bellum expeditis, gravis & oneroſa; nec ex illis, qui paternæ necis memores ſemper malo animo erga ipſos fuiſſent, magnam utilitatem ſperare poterant.

ỳ.15. & 16. *Cur fœminas reſervaſtis? Nonne iſtæ deceperunt filios Iſraël ad ſuggeſtionem Balaam?* De hoc ſic Auguſt. Hoc conſilium malignum, ut ad illecebram fœminæ ſubjicerentur, per quas non ſolùm corporaliter, ſed & ſpiritualiter in adorando idolo fornicarentur, quando dederit Balaam, Scriptura non dixit: Ex hoc tamen loco certum eſt eum hoc conſilium dediſſe. Quod & indicatur Apoc. 2. ubi cujuſdam Eccleſiæ Angelo dicitur: *Habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, edere & fornicari.* Et hoc creditur conſilium, quòd rectè innuit Balaam, cap. 24. ne omninò indonatus abiret homo avarus, cùm dicit: *Veruntamen pergens ad populum meum, dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Vendidit ergo malum ac deteſtandum conſilium, qui prohibitus à Domino maledictionis oraculum vendere non poterat.

ỳ. 27. *Divideſque ex æquo prædam inter eos qui pugnaverunt, & inter omnem reliquam multitudinem.* Quomodo hæc diviſio poſteà in legem tranſierit, & quomodo intelligenda ſit, Vide 1. Reg. 30.

ỳ.28. *Et ſeparabis partem Domino ab his qui pugnaverunt & fuerunt in bello, unam animam de quingentis, tam ex hominibus quàm ex bobus, & aſinis & ovibus, dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſraël accipies quinquageſimum caput hominum & boum & aſinorum & ovium, cunctorumque animantium, & dabis ea Levitis.* Cur illic quingenteſimum caput; hic verò quinquageſimum penditur? An quia prior pars cedebat ſacerdotibus, in primitias Domini; poſterior vero, Levitis excubantibus in tabernaculo Domini? Cùm enim Sacerdotes adhuc perpauci eſſent, ſcilicet ſoli Eleazar & Ithamar & filij eorum (nam ſub Eleazaro ſacerdote cæteros ſacerdotes comprehenſos intelligo) Levitæ verò ſacerdotum comparatione permulti: meritò ex una parte prædæ quæ erat pugnatorum, ſacerdotes quingenteſimam dumtaxat partem, acceperunt: ex altera verò æquali, quæ erat reliquæ multitudinis, quinquageſimam partem acceperunt Levitæ. Homines autem in hac præda pro ſolis fœminis accipiuntur. Nam maſculi omnes juſſi fuerant inter-

A interfici. Et quamvit neque hominem, neque aſinum liceret ſacrificare; licebat tamen eos offerre ſacerdotibus ac Levitis, in uſum ac poſſeſſionem eorum, tanquam ſtipendia miniſterij ipſorum in tabernaculo Domini: quomodo iis offerebantur primitiæ ac decimæ & alia hujuſmodi, quæ eis in cibum & uſum privatum cedebant: inter quæ & homines eſſe poterant, ut ſervi & ancillæ: & aſini, ut jumenta.

℣. 53. *Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat.* Liranus intelligit hoc ideo ſubjungi, quia cùm poſſent bellatores retinere quod rapuerant de inanimatis, tanquam ſuum, eò quòd inde nihil debebatur tabernaculo vel ſacerdotibus ac Levitis: tamen ex devotione totum dederunt, propterea quòd Dominus eos omnes ſalvos reduxiſſet de prœlio. Verùm Hebræa B ſic habent: *Viri exercitus prædati ſunt, quiſque ſibi.* Id eſt milites qui fuerant in exercitu, diripuerunt quiſque per ſe, hoc eſt, id quod prædati ſunt retinuerunt ſibi, neque dederunt ſuis centurionibus. Et nota in Hebræo non addi cauſalem conjunctionem, *quia*, vel *enim*. Hoc ergo, ni fallor, vult ſcriptura, ſpontaneam illam oblationem auri & ornamentorum, factam fuiſſe à ſolis principibus exercitus, id eſt, à tribunis & centurionibus, idque ex ſpoliis quæ ad ipſos ſpectabant. Cæterùm milites gregarios ſua ſpolia ſibi retinuiſſe, neque hujuſmodi oblationem facere voluiſſe; præſertim quia nec opus erat tanti auri atque ornamentorum oblatione in uſum tabernaculi. Sic & Vatablus.

CAPUT XXXII.

℣. 1. F*ilij autem Ruben & Gad.* His jungebatur etiam dimidia tribus Manaſſe, licèt hìc non exprimatur. Patet autem illud ex progreſſu narrationis, ubi dicitur Moyſes dediſſe filiis Gad & Ruben, & dimidiæ tribui Manaſſe terras deſideratas.

℣. 1. *Et erat illis in jumentis infinita ſubſtantia.* Oleaſter putat eos abſtinuiſſe à ſuis pecoribus comedendis, ne aliis fratribus invidiam facerent. Sed ſine cauſa hoc dicitur, nec habet apparentiam, quòd carnales homines, nulla lege urgente, ſponte ſua abſtinerent à carnibus quibus abundabant. Et ad quid alerent, niſi ut comederent? Nec erat invidiæ periculum. Alij enim aliis rebus abundabant eaſque res inter ſe D commutabant pretio. Nec aliis pecora deerant, licèt non perinde abundarent.

℣. 2. *Cumque vidiſſent Iaſer & Galaad aptas animalibus alendis terras.* Vocatur terra Galaad per anticipationem. Cùm enim Galaad fuerit filius Machir, filij Manaſſe, filij Joſeph, nondum ea terra potuit vocari Galaad, quando ab illo populo dimidiæ tribus Manaſſe nondum erat habitata. Quod enim peculiariter iſta dimidia tribus in poſſeſſionem accepit terram Galaad, diſertè dicitur ſub finem hujus capitis. Hinc apparet iſta non eſſe ſcripta à Moyſe, ſed ab alio poſt mortem ejus, poſtquam illi terræ jam inditum erat hoc nomen, ut vocaretur terra Galaad. E Niſi quis contendat eam jam ante hoc nomine vocatam fuiſſe, non à filio Machir, ſed ab alio quopiam; ſicut & mons Galaad Gen. 31. longè ante natum Manaſſe, cujus nepos fuit Galaad.

℣. 10. *Qui iratus juravit dicens: Si videbunt homines iſti, &c.* Phraſis iſta frequens eſt in Scriptura. Sic Pſalm. 94. *Quibus juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.* Et Iſaiæ 22. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.* Quidam hanc Scripturæ locutionem explicare volentes dicunt (*Si*) poſitum eſſe pro (*non*) ut ſi videbunt homines iſti, id eſt, non intrabunt; Si dimittetur, id eſt, non dimittetur. Sed frivola eſt hæc expoſitio. Neque enim uſpiam apud Hebræos (*ſi*) pro (*non*) accipitur, non magis quàm apud Latinos. Eſt igitur in hac phraſi agnoſcenda Apo-A ſiopeſis; id eſt, reticentia vehemens alicujus ſubintellecti; ut ſit ſenſus: Si videbunt homines iſti terram; ſupple, non ſim Deus; aut non habear verax: hanc enim vim habet juramentum quòd ferè in talibus præfigitur. Et ſimiliter explicentur ſimiles locutiones. Vide Comment. noſtrum Heb. 3. verſ. 11.

℣. 12. De Caleb & Joſue. *Iſti impleverunt voluntatem meam.* Sic ipſe Dominus. Ex quo diſcimus contra hodiernos juſtitiæ bonorum operum oppugnatores, juſtos in ſcriptura ſacra ita commendari; ut non tantùm dicantur facere voluntatem Dei ejuſque mandata, ſed etiam implere & perficere. Non quòd omni peccato careant, ſed quòd multa tamen faciant, in quibus nihil pravum aut vitioſum reperiatur, quæ B proinde ejuſmodi ſunt, ut ſuſtinere poſſint diſtrictum judicium Dei.

℣. 14. *Et ecce*, inquit, *vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris, incrementa & alumni hominum peccatorum.* Cur hæc non dicuntur præcipitanter & temerè à Moyſe, cauſa nondum audita? Et ubi eſt illud quod dictum eſt cap. 12. *Moyſen fuiſſe omnium hominum mitiſſimum?* *Reſpondeo*, Moyſes ſciebat durum illum & cervicoſum populum hujuſmodi verbis compellandum eſſe, ſervata interim manſuetudine in corde. Neque fuit præcipitantia judicij, ſed tantùm dura allocutio priuſquam abſolutè de re ſibi propoſita reſponderet. Deinde eorum petitio ſic nudè propoſita, ut ab illis proponebatur, hujuſmodi merebatur reſponſionem: idque bene probat Moyſes ſuis verbis. Erat enim irC rationabile, ut hæ tribus ſtatim occuparent & poſſiderent terram, quam non illæ ſolæ, ſed totus populus ſubjecerat. Et idcirco neceſſe erat ut hæ tribus, ſi hujus terræ poſſeſſionem vellent habere, viciſſim aliquid dignum præſtarent reliquo populo. Id autem promittunt ſequentibus verbis, & ea demum promiſſione petitionem ſuam rationabilem faciunt. Promiſſio erat quòd ipſi præceſſuri eſſent armati fratres ſuos trans Jordanem, & expugnaturi cum eis habitatores terræ Chanaan, nec priùs redituri quàm fratres ipſorum etiam ſuas adepti eſſent poſſeſſiones.

Quæritur, quare hæc petitio non derogaverit divinæ promiſſioni, quâ promiſerat poſteritati Abrahæ terram Chanaan? nam harum tribuum poſſeſſio fuit extra D illam terram.

Primò *Reſpondeo*, terram Chanaan non fuiſſe promiſſam toti poſteritati Abrahæ, nec toti poſteritati Iſaac, ut liquet. Unde non eſt neceſſe ad totam Iacob poſteritatem referri, ſed ſufficit quòd Deus illam dederit poſteris Abrahæ, Iſaac, & Iacob, licèt non omnibus; præſertim eo accedente, quòd iſtæ tribus non peterent. Secundò & pleniùs *Reſpondetur.* Sub terra Chanaan promiſſa comprehendi poſſe etiam regiones aliquas adjacentes & contiguas illi terræ, & ſic etiam in his tribubus impletam fuiſſe promiſſionem. Tertiò & pleniſſimè dicitur, has regiones, de quibus hìc mentio, etiam directè & expreſſè conE tineri ſub promiſſione: erat enim terra Amorrhæi, ut infià hoc eodem cap. dicitur. Et utique præcipuus rex terræ vocabatur Sehon rex Amorrhæorum. Atqui terra Amorrhæorum in promiſſione comprehenditur, ut expreſſè dicitur Geneſ. 15. & in Exodo frequenter. Igitur divina promiſſio cœpit impleri, quando his tribubus conceſſum fuit quod petebant.

℣. 26. *Parvulos noſtros, & mulieres & pecora relinquemus in urbibus: nos autem omnes expediti pergemus ad bellum.* Non omnino omnes, ut videtur, viri, ſed omnes bellatores, neque enim mulieres cum parvulis relinqui poterant in urbibus multo tempore ſine omni præſidio virorum. Vide pleniùs Joſue 22.

CAPUT XXXIII.

ỹ.4. *NAm & in diis eorum exercuerat ultionem.* Qualis fuerit hæc ultio aut hoc judicium (nam ita Hebræa ſonant) Scriptura tacuit, D.Hier. autem in Epiſtol. ad Fabiolam explicans quadraginta duas iſtas manſiones ſecundum ſenſum myſticum, de hac ultione ita loquitur. Hebræi autumant, quòd nocte illa, quâ egreſſus eſt populus Iſraël de Ægypto, omnia in Ægypto templa deſtructa ſint, ſive motu terræ, ſive ictu fulminum. Spiritualiter autem diſcimus, quòd egredientibus nobis de Ægypto, errorum idola corruant, & omnis perverſarum doctrinarum cultura quatiatur. Sic ille, dicit autem *in diis*, non in *Deos*, quia hæc ultio exercebatur in Ægyptios, quia eorum peccata puniebantur. Exercebatur autem in diis eorum tanquam in iis rebus per quas peccaverant, eas pro Diis impiè colendo. Non exercebatur in ipſos Deos, quaſi Dij eorum punirentur. Nam Dij Ægyptiorum aut erant inanimata ſimulacra, aut beſtiæ irrationales, velut bos, caper, aries, crocodilus, canis, felis & hujuſmodi, quæ ipſa non peccant, ſed per quæ homines peccant. An & hic ſenſus reddi poteſt? Non tantùm primogenita plebis & pecorum, ſed & procerum Ægypti, imò ipſius regis primogenitum Dominus percuſſit; proceres enim, id eſt, judices populi interdum Dij appellantur. Si ſic intelligas, jam hoc non erit contra ea quæ dicta ſunt in Exodo. Nam ibi cap. 12. dictum fuit omne primogenitum Ægypti fuiſſe interfectum, à primogenito Pharaonis uſque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere. Comminationis autem divinæ verba, ſic habebant eodem capite: *Percutiam omne primogenitum in terra Ægypti ab homine uſque ad pecus, & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia.* Vide eo loco interpretes.

ỹ. 52. *Diſperdite cunctos habitatores terræ illius.* *Quæritur*, quare non potiùs jubentur converti? *Reſpondeo*, quamvis vix dubitandum ſit, quin, ſi eis vera religio fuiſſet prædicata, fuiſſent aliqui ex iis converſi ſicut de Tyro & Sydone dicit Dominus; noluit tamen Deus eis annunciari ab Iſraëlitis veram religionem; quia nondum tempus venerat, quo per nationes veræ fidei lumen diffundendum eſſet. Tum etiam quia ex nationum conſortio plus nocumenti accepiſſent filij Iſraël, quàm fructus illi eſſent conſecuturi ex annunciata illis veritate, fide, cultuque unius Dei.

CAPUT XXXIV.

ỹ.3. *ET habebit terminos contra Orientem mare ſalſiſſimum.* Quod hîc vocat interpres noſter *mare ſalſiſſimum*, alibi vocat mare ſalſum; quomodo etiam verterunt Septuaginta. Hebr. eſt (*mare ſalis.*) Eſt autem idem illud quod apud ſeculares ſcriptores mare mortuum vocatur, & *Lacus Aſphaltites*, à bitumine, propterea quod ſit ita bituminoſum, ſpiſſum & ſalſum, ut neque navigationi aptum ſit, neque piſces, aut omnino vivens aliquid gignat, aut nutriat. Hic lacus eam regionem occupat, in qua erant quinque civitates, Sodoma, Gomorrha, & aliæ, quas Deus propter inhabitantium peccata ſubvertit igne & ſulphure. Quæ regio poſtea in lacum ſeu mare mortuum converſa omnibus inſpectantibus terribilem quandam memoriam renovat divinæ vindictæ ſuper peccatores. Subverſæ enim ſunt in exemplum juſti judicij Dei, ut Judas ait in ſua Epiſtola.

ỹ. 4. *Qui circumibunt Auſtralem plagam per aſcenſum Scorpionis.* Hebr. eſt plurale, *ad aſcenſum Scorpionum.* Eſt autem Aſcenſus Scorpionis ſeu Scorpionum, nomen loci, Hebr. *Maala Hacrabim*, ne quis hîc imaginetur aſcenſum Scorpionis in ſigno cœleſti ſic dicto. Fit etiam hujus loci iterum mentio Joſue 15. & Judic. 1. Liranus putat eſſe nomen montis ſic appellati à multitudine ſcorpionum, quos habeat.

ỹ.11. *Contra Orientem ad mare Cenereth.* Intelligitur mare, quod poſteà, nomine paululum immutato, vocatum fuit Genezareth. De quo aliquoties in Evangelio. Idem vocatur & mare, ſeu lacus, ſeu ſtagnum Tiberiadis & Galilææ.

CAPUT XXXV.

ỹ.13. & 14. *DE urbibus quæ ad fugitivorum ſubſidia ſeparantur, tres erunt trans Iordanem, & tres in terra Chanaan.* *Quæritur*, quare non plures in terra Chanaan, vel pauciores trans Jordanem, pro ratione numeri tribuum, & magnitudinis terræ? *Reſpondendum* videtur, quia expediebat homicidas etiam involuntarios quàm longiſſimè abeſſe à loco commiſſi homicidij, ut ſic paſſim homicidæ ex terræ Chanaan, etiam poſſent fugere trans Iordanem. Interim quia remotior pars terræ Chanaan longiùs inde aberat, quàm ut potuiſſent homicidæ facilè trans Iordanem pertingere, ut non propinquorum aliquis eos inſequens interim aſſequeretur; propterea etiam in ipſa terra Chanaan totidem deputatæ fuerunt, nempe ſimiliter tres urbes refugij.

ỹ. 16. *Si quis ferro percuſſerit; & mortuus fuerit qui percuſſus eſt: reus erit homicidij, & ipſe morietur.* Addit: *& mortuus fuerit, &c.* Non quòd coram Deo minùs ſit reus qui ferro percutit, licèt mors percuſſi non ſequatur, cùm in Dei judicio ſola etiam voluntas æqualiter cum facto puniatur, quemadmodum & in bonis præmiatur; ſed quia homines qui cordium ſecreta non intuentur, de voluntate non judicant niſi ex facto. Quare ſi mortuus non fuerit qui percuſſus eſt; non erit percuſſor homicidij reus in judicio humano.

ỹ. 19. *Propinquus occiſi homicidam interficiet: &* rurſum v. 21. *ſtatim ut invenerit, jugulabit.* Hæc verba ita ſonare videntur, quaſi liceat propinquo ejus, qui occiſus eſt, etiam non habitâ Iudicis ſententiâ, homicidam ubicunque invenerit, occidere. Sed non ita intelligi poſſe, ex hoc eodem cap. oſtenditur. Sequitur enim: *Quod ſi fortuitu, & abſque odio & inimicitiis quicquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, ——— liberabitur innocens de ultoris manu.* Et infrà etiam clariùs: *Homicida ſub teſtibus punietur. Ad unius teſtimonium nullus condemnabitur.* Oportebat ergo cauſam homicidæ quamvis fugitivi prius examinari in judicio, auditis teſtibus; in quo ſi condemnatus eſſet tanquam homicida voluntarius, tum demum poterat propinquus occiſi homicidam, ubicumque eum inveniſſet, interficere, etiam in urbe refugij. Nam urbes refugij non erant conſtitutæ niſi pro iis qui ſanguinem nolentes fudiſſent: & alibi de homicida voluntario dictum; *De altari meo avelles eum.* Liranus ſuper Iud. 8. videtur quoque ſentire, quòd propinquus occiſi teneretur eſſe executor hujus juſtitiæ; ſed veriſimilius eſt, eum potuiſſe quidem per ſe illum occidere, ſi vellet, ſed non debuiſſe, fuiſſeque etiam tum miniſtrum juſtitiæ publicæ, qui id tunc faceret.

CAPUT XXXVI.

ỹ.7. *OMnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ maritos de eadem tribu accipient.* Lex iſta non eodem modo ab interpretibus exponitur. Alij eam ſic exponunt, ut putent generaliter prohibitum fuiſſe, ne quis uxorem ducat de tribu non ſua; ne etiam nubat mulier viro ex aliena tribu. Alij verò intelligunt legem non ulteriùs extendendam eſſe, quàm uſque ad periculum transferendæ hæreditatis de una tribu in aliam. Unde dicunt ſolùm pertinere ad eas fœminas, quæ hæreditatem acceperunt patris ſui, propterea quod fratres

non

non haberent; cujuſmodi fuerunt hæ filiæ Salphaad, A quæ ut ſuprà capite 27. dictum eſt, jubebantur ſuccedere in poſſeſſionem debitam patri. Fœminæ autem quæ fratres habebant in hæreditatem non ſuccedebant; & proinde ex earum connubio, cum viris alterius tribus, non accidebat tranſlatio hæreditatis in aliam tribuum.

Hæc ſententia confirmatur *primùm* ex occaſione legis, quia de talibus fœminis, & non de aliis, quæſtio proponebatur; *ſecundò* ex ratione legis quæ hîc ſubjicitur. Cùm enim dictum eſſet: *& cuncta fœmina de eadem tribu maritos accipient*, pro ratione ſubjicitur; *ut hæreditas permaneat in familiis: Tertiò* exemplia B ſanctorum virorum in contrarium. Primò enim legitur David uxorem accepiſſe Michol filiam Saül, cùm David eſſet ex tribu Juda, Saül autem & filia ejus Michol ex tribu Benjamin. Secundò legimus Ioadan ſummum Pontificem in uxorem accepiſſe Iochabeb ſororem Ochoziæ Regis Juda 2. Paralip. 22. Quin & Eli- A ſabeth uxor Zachariæ ſacerdotis fuit, & nihilominus ab Angelo vocatur cognata B. Virginis Mariæ, quæ ſine dubio fuit ex progenie David, & de tribu Juda. Denique 1. Regum 17. Saül promittit filiam ſuam ſe daturum illi qui percuſſiſſet Philiſthæum, nullam tribum excipiens. Ex quibus apparet quòd ubi periculum non erat transferendæ hæreditatis, quælibet tribus cum qualibet alia miſceri potuerit. Hanc ſententiam ut probabilem ſequitur etiam Iaoſenius ſuper illud Lucæ 1. *Et ecce Elizabeth cognata tua.* Qui prohibitionem generalem intelligunt, reſpondent ad jam dicta exempla, in hac lege diſpenſatum fuiſſe, in tri- B bu Levi & Juda, tum propter nobilitatem utriuſque; (altera enim erat ſacerdotalis, altera regia,) tum ut hac ratione, pax publica & religio vera magis foverentur: ſed non oſtendunt ubi ſit diſpenſatum; tum etiam non video quomodo excuſent conjugium David cum Michol, tum & generalia verba illa Saül 1. Reg. 17.

FINIS LIBRI NUMERORUM.

ANNOTATIONES
IN LIBRUM DEUTERONOMII.

CAPUT PRIMUM.

ỷ. 1. HÆc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſraël. Quidam per omnem Iſraël totum populum intelligunt, ut ideò omnes convocati fuerint, ut omnium approbatione lex à Moyſe reperita confirmaretur. Sed non eſt veriſimile totum populum, in quo, præter imbellem ætatem & ſexum, erant ſexcenta millia virorum, potuiſſe unius hominis vocem audire & intelligere. Proinde dicendum, ſermonem Moyſi habitum fuiſſe tantùm ad Principes totius populi, qui quia reliquum populum repræſentant, rectè ad omnem Iſraël dicitur verba feciſſe. Simili ergo modo rectè quoque licebit dicere, totam Eccleſiam in Conciliis univerſalibus præſentem eſſe, quia Epiſcopi præſentes ſunt, qui reliquam multitudi- D nem repræſentant.

ỷ. 5. *Cœpitque Moyſes explanare legem.* Nota, Moyſes propriè non tulit legem veterem, ſed velut internuncius Dei ad populum, eam à Deo accepit, & populo attulit, propoſuit, explanavit. Ita cap. 4 hujus libri. *Iſta eſt lex quam propoſuit Moyſes coram filiis Iſraël.* Unde nec propriè Moyſes fuit legiſlator, ſed tantùm divinæ legis prolator ad populum. Dicitur quidem aliquoties Moyſes hæc & illa præcepiſſe, imò infrà cap. 33. *Legem præcepit nobis Moyſes*, & Joſue 1. *Facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyſes*, & Marci 10. Chriſtus ſic loquitur: *Quid vobis præcepit Moyſes?* Et paſſim vocatur lex Moyſi: Sed ſenſu jam dicto, quia Moyſes legem à Deo acceptam attulit ad populum, habens mandatum ut eam populo proponeret, explanaret, & transgreſſores, authoritate ſua, ex ejus præſcripto, puniret.

ỷ. 17. *Ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.* Vox Moyſis ad judices eſt, q. d. Eſtis judices vice Dei, hoc eſt, ut Ioſaphat poſteà ſuos judices admonebat, 2. Paralip. 19. *Non hominis exercetis judicium, ſed Domini.* Sicut ergo Deus perſonam cujuſquam non accipit; ita nec vos accipere debetis. Accipere autem perſonam in judicio, eſt in judicando conſiderare quali- C tatem ſeu conditionem perſonæ, quæ ad cauſam non pertinet. Nam ſi ſit in perſona qualitas aliqua, quæ ad cauſam pertineat; ea in judicio omninò conſiderari poteſt, & debet. Verbi gratiâ, ſi quis magiſtratum verberaverit, & ob eam cauſam graviori pœna dignus judicetur, quàm ſi verberaſſet aliquem ex plebe; non eſt acceptio perſonæ; quia qualitas illa perſonæ attenditur, quam attendere oportebat. Sed ſi quis hominem divitem, aut etiam in magiſtratu conſtitutum, de injuria pauperi irrogata accuſatum & convictum, abſolvat, propterea quia dives eſt, aut potens; talis judex incidit in acceptionem perſonarum, quam ſcriptura toties damnat. Vide etiam 2. Paralip. 19.

ỷ. 37. *Cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos, dixerit: Nec tu ingredieris illuc.* Illud *(propter vos)* connectendum eſt præcedentibus, ut patet ex capite 3. ubi hoc repetitur. Dicitur autem Dominus fuiſſe Moyſi D iratus propter populum, vel quia Moyſes occaſionem peccandi habuit ex incredulitate, & duritia populi, propter quam dubitaverat an Deus facturus eſſet quod promiſiſſet: vel etiam quia Deus puniens populum excluſione à terra promiſſionis propter gravia ejus peccata, rebellionis, murmurationis, ſeditionis, incredulitatis, idololatriæ, etiam Moyſen populi ductorem in eandem pœnam excluſionis involuit; tametſi non ita graviter peccaſſet, & alioqui eum non ſic puniturus eſſet.

ỷ. 44. *Perſecutus eſt vos ſicut ſolent apes perſequi*; id eſt, ſicut apes irritatæ ab hominibus eos ſolent perſequi: Hebraïcè, *& perſecuti ſunt vos, quemadmodum* E *faciunt apes*, id eſt facere ſolent. Ne igitur putes perſequi paſſivè dictum eſſe, ſicut 1. Reg. 26. *Sicut perſequitur perdix in montibus.*

CAPUT II.

ỷ. 5. QVia in poſſeſſionem Eſaü dedi montem Seir. Quomodo valet hæc ratio? cùm & cæteris gentibus ſuas poſſeſſiones non alius dederit, quàm Deus? qui terram dedit filiis hominum, Pſalm. 113. Quin & hac donatione non obſtante, poſteà ſub Davide Deus Idumæam ſubjecit populo Iſraël. Sed dicendum eſt, quod ſicut Geneſ. 15. de Amorrhæis dictum

ctum erat;ita & hîc nondum impletæ eſſent iniquitates A
Idumæorum, ſive filiorum Eſaü, ſic ut præponderarent
meritis Iſaac, ob quæ Deus montem illum Seir, Eſau
conceſſerat. Et eodem modo quoque intelligendum eſt
quod hoc eodem capite dicitur, de Moabitis & Am-
monitis, ſe non daturum filiis Iſrael quicquam de terra
eorum, quia filiis Loth eam dediſſet in poſſeſſionem.
Certè ob merita Loth Deum multa bona aliis præſti-
tiſſe, ex Geneſi manifeſtiſſimum eſt. Nam propter ip-
ſum, & familia ejus ex incendio Sodomorum liberata
fuit, & generi quoque ejus liberati fuiſſent, ſi voluiſſent,
Quin & Segor civitas integra ſervata fuit. Longè autem
aliud de Chananæis fuit. Non enim illis terra fuerat
data propter meritum aliquod patrum eorum, ſed con-
trà, pater eorum Chanaan propter ſuum & patris ſui B
Cham peccatum, fuit à Noë maledictus Gen. 9.

℣. 28. *Tantum eſt, ut nobis concedas tranſitum ſicut
fecerunt filij Eſaü, qui habitant in Seir.* Non pugnat
cum his quod Num. 20. Rex Edom, (quo nomine filij
& poſteri Eſaü intelliguntur) pertinaciter videatur ſe-
mel, atque iterum Iſraelitis tranſitum negaſſe; Nam
potuit id quod priùs negarat, aliqua parte poſteà con-
cedere; imò & conceſſit, eatenus, ut per extremos
ejus fines poſſent iter facere. Et hoc eſt quod initio
hujus capitis narrat Moyſes his verbis: *Et circuivimus
montem Seir longo tempore. Dixitque Dominus ad me:
Sufficit vobis circuire montem iſtum: ite contra Aqui-
lonem; & populo præcipe dicens: Tranſibitis per termi-
nos fratrum veſtrorum filiorum Eſaü, qui habitant in
Seir, & timebunt vos.* Ex quibus verbis ultimis col- C
ligitur Regem Edom, hoc eſt, filiorum Eſaü tandem
præ timore de ſua pertinacia remiſiſſe, & eatenus, ut
dictum eſt, tranſitum conceſſiſſe.

CAPUT III.

℣. 5. *CUncta urbes erant munita muris altiſſimis,
portiſque ac vectibus, abſque oppidis innume-
ris, quæ non habebant muros.* In Hebræo idem eſt
vocabulum, pro quo noſter interpres modò vertit
urbes, modò *oppida*, modò *civitates*. Comprehenduntur
autem eo nomine etiam vici ſeu pagi, ac ſimilia loca
non murata, in quibus aliqua ſit hominum frequen-
tia. D

℣. 23. *Precatuſque ſum Dominum in tempore illo.*
Quæritur, cùm Moyſi jam ante prædictum eſſet quod
terram promiſſionis non eſſet ingreſſurus, idque ob
incredulitatem ſuam ad Aquas contradictionis: quo-
modo hîc non committat novum peccatum incredu-
litatis, utpotè non conformans ſe divinæ voluntati?
Reſpondeo, prædictiones divinæ, quibus pœna vel
afflictio, vel quodcunque malum prædicitur, non
ſemper definitivam continent ſententiam, ſed fre-
quenter tantùm ſunt comminatoriæ; Sic illud ad Eze-
chiam; *Morieris, & non vives*; & item ad Ionam;
Adhuc tres dies, & Ninive ſubvertetur; Ita fieri potuit,
ut Moyſes ſententiam Dei intellexerit, tanquam E
comminatoriam, aut ſaltem dubitaverit, utrum de-
finitiva eſſet ſententia, an verò comminatoria tantùm;
maximè cùm jam recenter reges aliquot debellaſſet,
& eorum terram populo diſtribuiſſet, Unde ſpem
concipere poterat etiam Jordanem tranſeundi. Sic
ergo ſimilis erat oratio Moyſi orationi Ezechiæ, qui
audita prædictione illa, *Morieris, & non vives*: tamen
præcatus eſt, & vita ei producta eſt. Aliter reſponderi
poſſet, ipſam Moyſi orationem ſimilem fuiſſe orationi
Chriſti petentis calicem paſſionis à ſe removeri; ut
ſcilicet non eſſet propriè oratio, ſed tantùm declaratio
quædam voluntatis ac deſiderij naturalis. Sicut enim
naturaliter refugimus mortem & paſſiones, ita natura-
liter deſideramus vitam, & vitæ commoda. Sic autem
intelligendum eſſet Moyſen in oratione addidiſſe aut
ſubintellexiſſe illud: *Verumtamen non mea, ſed tua volun-
tas fiat.*

℣. 25. *Tranſibo*, inquit Moyſes, *& videbo terram
hanc optimam trans Iordanem.* Quæſtio hîc naſcitur,
quare Moyſes tantopere expetivit intrare corporaliter
terram promiſſionis, & corporalibus oculis eam luſtra-
re, cùm eſſet tam ſanctus Propheta, qui corporalem
illum aſpectum non magni facere debebat? maximè
cùm jam antea etiam longè majora ipſi eſſent oſtenſa;
velut quòd Deus palam & non per ænigmata cum ipſo
tam familiariter ageret, vidiſſetque tam frequenter Dei
magnalia, & ſtupenda opera? Ad quod videtur reſpon-
dendum, quòd Moyſes id deſiderârit tantopere duas
ob cauſas. Cùm enim vir ſanctus eſſet, tangebatur de-
votione videndi & perluſtrandi ea loca, in quibus ſan-
ctiſſimi Patriarchæ progenitores ipſius ac totius popu-
li, peregrinati fuerant, & divinas promiſſiones accepe-
rant; ſicut nunc ex devotione, ob memoriam ſanctorum,
loca converſationis eorum piè à fidelibus viſitantur.
Tum ſecundò, cùm etiam Propheta eſſet, meritò deſi-
derabat videre coram & venerari ea loca, in quibus
omnium Prophetarum Dominus, ſemen illud benedi-
ctum, Patriarchis promiſſum, aliquando converſari de-
beret, & redemptionis humanæ myſterium peragere.

CAPUT IV.

℣. 2. *NOn addetis ad verbum quod ego vobis lo-
quor, nec auferetis.* Non facit hoc neque
contra traditiones ſolemnes Eccleſiæ, neque contra
ejus præcepta & conſtitutiones. Nam, primò, prohi-
betur hîc potiſſimum, ne quidquam immutetur circa
ſacrificia à Deo præſcripta; Nam ita habetur infrà
cap. 12. ubi hoc idem præceptum repetitur: *Non fa-
cies ſimiliter Domino Deo tuo. Omnes enim abomina-
tiones quas averſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis of-
ferentes filios & filias, & comburentes igni.* Et ſubne-
ctitur; *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino,
nec addas quidquam, nec minuas.* Non dicit ſimpliciter,
(*hoc tantum facito*) ſed (*hoc tantùm facito Domino*)
ſcilicet in ſacrificiis. Non ergò prohibuit Dominus
præcepta aliqua condi, pro temporum opportunitate;
ſed tantùm, nihil mutari circa ſubſtantialia cultus
divini. Unde & poterant ſacerdotes veteris legis jeju-
nia indicere ob cauſas occurrentes. Sic Ioël. 2. *Sancti-
ficate jejunium*, & in libris Judith, Eſther, & Macha-
bæorum feſta quædam inſtituta ſunt. Imò 3. Reg. 8.
Salomon legitur etiam aliud adhuc altare erexiſſe,
propter multitudinem victimarum; ut nihil mirum ſit,
ſi jam præfectis Eccleſiæ ſimilia liceant; maximè cùm
Chriſtus dixerit: *Adhuc habeo vobis multa dicere, &c.
Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos
omnem veritatem.* Ioan. 16. & clariùs etiam cap. præ-
cedenti; *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia*,
ſcilicet cùm opus erit.

℣. 6. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia & intellectus co-
ram populis, &c. En populus ſapiens, &c.* Non falsò
ſed verè dicturi erant populi nationum de populo Iſ-
raëlitico; quòd eſſet populus ſapiens & intelligens.
Neque enim à falſa laude Moyſes populum Dei com-
mendare voluit. Erat igitur populus ſapiens, & intelli-
gens, quoniam perſiſtebant in cultu unius Dei, & non
ſuſcipiebant idola; etiamſi in illo populo multi eſſent
inſipientes, & parum aſſequentes ſeu intelligentes
rationem legis ac cæremoniarum. Certè ipſe popu-
lus profeſſione talis erat: & non tantùm profeſſione,
ſed & reipſa: non quidem in omnibus, ſed in potiori
ac præſtantiori parte, quæ profeſſioni ſuæ reſponde-
bat. Et eodem modo Eccleſia nunc vocatur *Sancta*,
etiamſi multi ſint in ea non ſancti. Eſt enim ſancta &
profeſſione, & reipſa, ſecundum eos qui præcipua ſunt
Eccleſiæ membra.

℣. 23.

ỳ. 23. *Et faciat tibi ſculptam imaginem eorum quæ fieri Dominus prohibuit.* Hebraïcè eſt : *Et faciatis vobis ſculptile ſimilitudinem omnis rei, quam præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Scilicet, ne faceres, id eſt, quam prohibuit: ut non malè noſter interpres verterit. Porrò ſatis indicat his verbis Moyſes, non prohiberi populo, ne ullum ſculptile, aut ſimulacrum habeat, aut faciat: ſed ne earum rerum quas Dominus prohibuit coli: ac proinde tantùm ne ſimulacra fierent ad colendum. Nam utique ſolem aut lunam, canem, aut ſerpentem in pictura haberi non vetuit: niſi quis dicat artem pictoriam illi populo penitus interdictam fuiſſe, quòd nec ipſi oſores imaginum noſtri ſæculi auſint dicere, qui artem illam ſuis permittunt. Adde, ſi imaginem pictam ſolis aut lunæ habere non licebat, erant & ipſe ſol & luna eis ſubtrahenda: quia multos legimus ſolem & lunam adoraſſe, pauciores verò ſolis & lunæ ſimulacra.

ỳ. 33. *Sicut tu audiſti & vixiſti.* Malè quidam codices (*vidiſti.*) Nam Hebraïcè eſt (Et *vixit*) Senſus enim eſt: Nunquid auditum eſt aliquando, ut populus audiret vocem Dei ad ſe loquentis de medio ignis, ſi. cut tu aſdiſti: & vivus remanſit, ſicut tu audita Dei voce non es mortuus, ſed ſupervixiſti?

CAPUT V.

ỳ. 3. N*On cum patribus noſtris iniit pactum, ſed nobiſcum, qui in præſentiarum ſumus & vivimus.* Cùm conſtet Deum iniiſſe pactum cum Abraham, Iſaac & Iacob, ut frequentiſſimè teſtatur ſcriptura; Et de Abraham quidem expreſsè dicitur Geneſ. 15. *In illo die pepigit Deus fœdus cum Abraham: Quæritur,* quomodo dicatur Deus non iniiſſe pactum cum patribus eorum? Aliqui *reſpondent* intelligendum eſſe pactum integræ legis expreſsè ſervandæ. Quamvis enim Patriarchæ accepiſſent præceptum, circumciſionis, reliqua tamen præcepta legis nondum erant illis tradita, ſed ea ſervabant quatenus in naturali lege continebantur. Sed melius *reſpondendum* videtur hunc eſſe ſenſum; *Non cum patribus noſtris iniit pactum,* id eſt, Non tantùm cum patribus noſtris iniit pactum Dominus, ſed & nobiſcum. Et ſimilis locutio eſt Geneſ. 32. *Non vocabitur nomen tuum Iacob, ſed Iſraël.* Senſus enim eſt: Non tantùm Iacob vocaberis: poſteà enim nunc Iacob, nunc Iſraël vocatus eſt. Quod autem Moyſes dicit (*nobiſcum qui in præſentiarum ſumus*) & nihilominus ad ea quæ in monte Sinaï acta erant reſpiciat: intelligendum eſt, quòd etſi plurimi eorum, qui in Sinaï legem ferri audierant jam mortui eſſent: tamen multi etiam adbuc vivebant. Nam mortui non ſunt in deſerto ex comminatione Domini, niſi illi, qui tempore murmurationis exceſſiſſent annum ætatis vigeſimum.

ỳ. 4. *Facie ad faciem locutus eſt nobis.* Non dicit: facie ad faciem vidimus eum, ſed locutus eſt nobis, quia vocem quidem audierant loquentis, ſpeciem autem nullam viderant. Vide Numer. 12.

ỳ. 5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum & vos.* Locus notandus contra hæreticos noſtri temporis, qui ſanctos nolunt vocari noſtros interceſſores, eò quòd ſcriptum ſit: *Unus mediator Dei & hominum:* Nam etiam hîc Moyſes teſtatur ſe fuiſſe ſequeſtrum & mediatorem inter Deum & populum; non quidem ut Chriſtus, qui pro nobis ſatisfecit, ſed pro populo orando, iramque Dei mitigando. Ita ſcilicet & Sancti ſuo modo ſunt mediatores & interceſſores.

ỳ. 28. *Benè omnia ſunt locuti.* Vide ſuprà Annotationem Exodi 19.

ỳ. 29. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me.* Forma optandi eſt apud Hebræos, pro eo quod Latinè dicimus; Utinam haberent talem mentem. Non eſt autem hoc ita intelligendum, quaſi non ſit in Dei poteſtate, mentem hominis ad ſe convertere,
A & ſuis præceptis obedientem facere: ſed more humano loquitur Deus, ſignificans quid ſibi gratum & beneplacitum ſit, ſi videlicet talem habeant mentem ut Deum timeant, & mandata ejus cuſtodiant. Homines enim optando ſignificare ſolent, quid ſibi gratum ſit. Deinde & hoc ſignificari poteſt hac forma loquendi, quòd bonum opus non ita dependeat ex gratia operantis Dei, quin etiam neceſſaria ſit cooperatio liberi arbitrij ex parte hominis: quamvis et ipſa cooperatio gratiæ Dei aſcribenda ſit. Vide etiam Aug. q. 11. in Deuter.

CAPUT VI.

ỳ. 3. A*Udi Iſraël.* Excitat attentionem, quia dicturus erat aliquid maximi momenti, id
B eſt, propoſiturus præceptum maximum & ſummum. Sed adhuc præfatur: *Dominus Deus noſter Deus unus eſt.* Hoc præmittit velut antecedens quoddam ad præceptum conſequens: Si enim Deus Iſraël Deus unus eſt, nec alius præter eum Deus: igitur omnis amor & dilectio in illum unum tota conferenda eſt, neque in plures Deos dividenda, quia non ſunt plures. De Dei unitate plura diximus in lib. 1. ſent. diſt. 2.

ỳ. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo, & ex tota anima tua, &c. Quæritur* an hoc præceptum dilectionis in hac vita poſſit à nobis impleri? quod quidem negant hæretici, affirmat autem Catholica Eccleſia. Neque enim præciperetur tanquam ad vitam conſequendam neceſſarium (juxta quod Chriſtus di-
C cit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*) ſi à nemine obſervari poſſet: cùm Deus nihil præceperit impoſſibile: imò & prudens quivis legiſlator nihil præcipit, niſi quod putat poſſe ſervari. Quin etiam ſcriptura apertè de quibuſdam teſtatur, quòd toto corde Deum dilexerint. Sic Ezechias 4. Reg. 20. in oratione quâ à Deo prolongationem vitæ impetravit: *Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto.* Et de Ioſia Rege ſcribitur libri ejuſdem cap. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi.* Impleverunt ergo præceptum hoc dilectionis hi, quibus tale
D teſtimonium ſcriptura perhibet. *Si inſtat hæreticus:* Quomodo ex tota fortitudine quis diligat Deum, cùm Paulus dicat Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis? Reſpondeo,* ipſe Apoſtolus ſatis declarat quid velit, cùm eodem capite dicit; *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Itaque talis etiam ex tota fortitudine diligit Deum: quia quicquid virium ejus voluntati ſubjectum eſt, id ad imperium voluntatis ſervit Deo. Neque etiam præcipitur intenſiſſima dilectio, ſed talis quæ excludat dilectionem rerum quæ ad Deum non referuntur: hoc eſt ut nulla pars ſit, quæ hominis imperio ſubjacet,
E quæ non Deo, ejuſque dilectioni conſecretur. Vide noſt. comment. in 3. ſent. diſt. 27. §. 6. 7. & 8.

ỳ. 13. *Dominum Deum tuum timebis —— & per nomen ejus jurabis.* Præceptum hoc partim affirmativum eſt, partim negativum. Prohibetur enim ſimpliciter jurare per Deos alienos: Si tamen occurrat neceſſitas jurandi; tum præcipitur ut juretur per nomen Dei. Non ergo ſimpliciter præceptum eſt jurare, ſicut præceptum eſt diligere Deum & honorare parentes: ſed ſi jurandum (quòd ſine evidenti utilitate vel neceſſitate fieri non debet) modus præſcribitur: ut videlicet, non aliter quàm per nomen Dei juretur. Quomodo etiam accipiendum eſt illud Pſalmi 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo,* id eſt, qui occurrente jurandi neceſſitate, non gentium

Deo-

Deorum nomine aſſumunt ad veritatis confirmationem, ſed ejus, qui ſolus eſt ſumma & incommutabilis veritas. Vide etiam infrà cap. 10. v. 20.

CAPUT VII.

℣. 3. *Neque ſociabis cum illis conjugia.* Hoc quomodo intelligendum ſit, vide ad 1. Eſdræ cap. 10. & noſtra in diſt. 39 lib. 4 ſent.

℣. 14. *Non erit apud te ſterilis utriuſque ſexus.* Vide ſuprà Exodi 23.

℣. 15. *Et infirmitates Ægypti peſſimas, quas noviſti.* Videtur ſignificare plagas quibus percuſſi fuerunt Ægyptij. Sic infrà cap. 28. *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti*; & poſteà: *Et convertet in te omnes afflictiones Ægypti, quas timuiſti, & adhærebunt tibi.* Caſetanus dicit; Quales fuerint infirmitates iſtæ malæ, neſcimus: Sed Liranus ſuper Deuteron. 28. ulcera intelligit, de quibus Exodi 9. & quæ erat ſexta plaga Ægypti, & rectè. Quin etiam huc pertinent aliæ plagæ, potiſſimùm tertia, quarta & octava. Unde & paulò poſt præcipit Moyſes, ut recordentur, quæ fecerit Dominus Pharaoni, & cunctis Ægyptiis plagas maximas, &c.

℣. 26. *Nec inferes quidpiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema ſicut & illud eſt.* Ex hoc loco habetur, quòd Judæis etiam lege poſitiva prohibitum erat veſci idolothytis. Et tamen caſus extremæ neceſſitatis, ſecluſo ſcandalo, intelligitur exceptus. De idolothytis pleniùs egimus in commentario prioris epiſtolæ ad Corinth. ad capitis 10. v. 19. & ſeq.

CAPUT VIII.

℣. 2. *Vt affligeret atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo verſabantur, utrum cuſtodires illius mandata, an non.* *Quæritur*, cui nota fierent? Pagninus ex Hebræo ſic vertit: *Vt affligeret te, ut tentaret te, ut ſciret, quæ ſunt in corde tuo, &c.* Similis eſt locus Judicum 3. ubi dicitur Dominus dimiſiſſe gentium reliquias, ut in ipſis experiretur Iſraëlem, utrum audirent mandata Domini. Igitur illud in noſtra verſione (*nota fierent*) ſupple, ipſi Deo. Verùm ſententia figurata eſt, quâ per ſcientiam ſeu notitiam intelligitur, rei notæ, ſed latentis, manifeſtatio. Et ſicut homines, per experientiam diſcunt, quòd anteà latuerat, cùm oblatis occaſionibus, illud per facta externa proditur; ſic & Deus ſcire & experiri dicitur, quando latens animi malitia, per facta proditur; utpote, quaſi ſi Deus anteà non cognoviſſet, jam ex factis caperet experientiam. Ad hunc ſenſum reſpicientes Hieronym. & Septuaginta rectè verterunt indefinitè; *ut nota* (hoc eſt, manifeſta) *fierent*. Sic & Vatablus; *Vt experimento quodam innoteſceret.* Eodem quoque ſenſu dictum eſt Geneſ. 22. ad Abraham. *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, & priùs Geneſ. 18 (*ut ſciam*) & hîc infrà cap. 13. ubi Hieronymus vertit, *ut palam fiat.*

℣. 3. *Dedit tibi cibum manna, ut oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, &c.* Hunc ſcripturæ locum objecit Chriſtus Diabolo tentanti ipſum & dicenti, *Si filius Dei es, &c.* Panis in ſcriptura Sacra aliquando propriè ſumitur, aliquando generaliter pro omni eo quòd in alimentum ſumitur per modum panis. De quo vide annotata Exodi 16. Sed hoc loco panis generaliter accipi nō poteſt, quia manna, ut patet, panis nomine hîc non comprehenditur, cùm dicitur; *Non in ſolo pane.* Porrò in eo quod ſubjungitur, (*ſed in omni verbo.*) verbum more ſcripturæ accipitur pro re, quæ verbo profertur; ut Lucæ 2. *Videamus hoc verbum quod factum eſt, quod oſtendit nobis Dominus.* Senſus igitur eſt: Per hoc quod manna dedit tibi in cibum, oſtendit Dominus non ex ſolo pane vivere hominem, ſed etiam ſine pane poſſe eum vivere, ex omni eo, per quod

A Deo placuerit eum ſuſtentare. Nam filios Iſraël per annos quadraginta ſine pane ſuſtentavit ex manna; Moyſen autem, & Heliam, & ipſum Chriſtum per dies quadraginta ſine omni alimento corporali in vita conſervavit. Hinc etiam conſtat manna non fuiſſe propriè panem.

℣. 4. *Veſtimentum tuum, quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus.* Alterum miraculum providentiæ divinæ. Nam prius illud ad victum pertinebat, hoc autem ad veſtitum. Quod dicitur (*pes tuus non eſt ſubtritus*) quidam ita intelligunt; pes tuus ex tam longinquo itinere non doluit neque ſenſit fatigationem. Sed hanc expoſitionem deſtruit ſcriptura, quæ pluribus locis & fatigatos eos fuiſſe teB ſtatur, & dolore, ac tædio affectos ex itinere, ut Numer. 11. & 21. & Deuteron. 25. Rectiùs proinde per metonymiam explicatur, quâ contentum, pro continente; pes pro calceo accipitur, ut ſenſus ſit conformis cum præcedenti ſententia; ſicut veſtimentum quo totum corpus tegitur, non defecit vetuſtate, ita nec calceus ex tam multo itinere fuit detritus. Dicunt autem Hebræorum quidam, quòd veſtimenta puerorum, ſimul paulatim ſuccreſcebant cum ipſis pueris. Quod an ita ſe habeat incertum. Potuit enim & aliter creſcentibus provideri, ſi videlicet pueri grandiores acciperent veſtimentum adultorum, qui paſſim moriebantur per deſertum: horum autem veſtimenta viciſſim pueri acciperent, qui ſtaturâ minores erant, atque ita deinceps uſque ad infantes. Adde quod infrà cap. 29. etiam expreſsè C dicitur, *calceamenta non eſſe vetuſtate conſumpta.*

CAPUT IX.

℣. 1. *Vt poſſideas nationes fortiores te, civitates ingentes, & ad cœlum uſque muratas, &c.* Ex his conſtat exploratores non omnino falſa retuliſſe de illo populo. Nam eadem fere hîc Moyſes affirmat, cum illis quæ ipſi retulerunt, ut patet Numeror. 13. Sed exploratores in eo peccarunt, quòd narrationem ſuam componebant ad frangendum cor populi: cùm è contrà debuiſſent populum animare, & excitare in ſpem bonā juxta Dei promiſſa. Dicebant enim; *Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere.* Detrahebant quoque D terræ, quòd devoraret habitatores ſuos, & de proceritate hominum hyperbolicè loquebantur, dicentes ſe vidiſſe homines ſtirpis giganteæ, quibus ipſi comparati, quaſi locuſtæ viderentur. Vide annot. Numer. 13.

℣. 6. *Scito igitur quòd non propter juſtitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc, &c.* Moyſes duas cauſas adfert, quare gentes illæ deletæ fuerint ad ingreſſum filiorum Iſraël, & unam cauſam removet. *Prima* cauſa ex duabus eſt, quia gentes illæ impietate ſua hoc commeruerunt, ut delerentur: *Secunda* cauſa huic populo propria fuit: nempe ut Dominus compleret verbum ſuum quod ſub juramento pollicitus erat patribus eorum. Interim removet ſimul E cauſam, quam alioqui ſibi perſuadere potuiſſent, cùm dicit: *Non propter juſtitias tuas.* Ex quo intelligimus promiſſionem patribus illorum Abraham, Iſaac & Iacob factam de terra illa ſemini illorum danda, fuiſſe abſolutam, & non, ut multæ aliæ cum hac conditione, Si poſteri ambularent in mandatis Dei. Nam ſi ea conditio fuiſſet intellecta, & requiſita; tum non nudè propter promiſſionem patribus factam, ſed etiam propter ſuas juſtitias introducti fuiſſent in terram promiſſionis.

℣. 8. *Et iratus delere te voluit:* & mox quoque v. 20. de Aarone, *Valuit eum conterere.* Hæc omnia de voluntate præparationis ſunt accipienda. Vide noſtra in 1. diſtinct. 45.

℣. 11. *Cumque tranſiiſſent quadraginta dies.* Et rurſum v. 18. & 25. tertiò repetit. Moyſes hoc capite, ſe fuiſſe in monte quadraginta diebus & noctibus: primò

quando primas tabulas accepit, *ſecundò* ut apparet, quando pro populo deprecatus eſt, *tertiò* quando ſecundas tabulas accepit; quod clarius narratur initio ſequentis capitis. Et quidem ex his colligunt Hebræi Moyſen tribus diverſis vicibus fuiſſe in monte quadraginta diebus, ſine cibo & potu: Sed Chriſtiani interpretes ferè duas tantùm quadragenas Moyſi tribuunt; maximè cùm in Exodo, ubi pleniùs hæc tota Hiſtoria deſcribitur, tantùm duarum fiat mentio. Itaque ad id, quòd Moyſes hîc ter mentionem faciat temporis quadraginta dierum, quo fuit in monte, reſpondetur, id quod ab eo ſecundo & tertio dicitur, ad idem tempus eſſe referendum. Nam & cap. ſequenti rurſum repetit ſe ſteuiſſe in monte 40. diebus & noctibus. Unde tamen non eſt conſequens eum quater in monte tot diebus fuiſſe. Sciendum interim Hebræorum opinionem non eſſe prorſus improbabilem, neque certa aliqua ratione redargui poſſe. Nam & alia quædam hîc dicuntur quæ in Exodo non habentur, ut, quòd Dominus voluit conterere Aaron, & quòd pro eo quoque Moyſes fuerit precatus.

℣. 19. *Timui enim indignationem & iram illius, qua adverſum vos concitatus delere vos voluit.* Quomodo timuit qui certus erat Deum facturum quod promiſerat, id eſt, daturum populo Iſraël terram promiſſionis? An cogitabat Deum fortè deleturum populum pauciſſimis reſervatis, quos in terram promiſſam introduceret multiplicandos rurſum in populum? At non videtur; quia Deus ita comminabatur interitum populo, ut Moyſi promitteret ducatum ac principatum in alium populum multo maiorem. An ergo potiùs dicendum, meritò Moyſen timuiſſe, eò quòd nondum ſatis certus eſſet utrum abſoluta eſſet promiſſio Dei, an à conditione dependens; ſi videlicet populus in Dei cultu permaneret, nec gravi aliquo peccato Deum offenderet? Quod ſi nec hoc placet, eò quòd Moyſes hoc eodem cap. proteſtetur abſolutam eſſe Dei promiſſionem quando dicit: *Neque enim propter juſtitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, &c.* Dici poterit Moyſen timuiſſe indignationem Dei, non quòd metueret ne populum deleret; ſed ne ea indignatione quam oſtendebat, quando populo interitum minabatur, ſaltem erumperet in graviſſimam aliquam plagam populi: Moyſes autem Deum oravit, non tantùm ut plagam hujuſmodi averteret, verùm etiam ne populus omnino deleretur; quia Deus promiſſiones ſuas etiam abſolutas, impleri vult per interceſſionem & merita piorum.

℣. 20. *Adverſus Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere.* Hoc in Exodo non habetur, neque enim omnia ſuis locis dicuntur in Hiſtoria. Tale eſt etiam quod in epiſt. ad Hebr. 12. v. 21. dicit Apoſtolus, Moyſem, Domino legem terribiliter ferente, dixiſſe; *Exterritus ſum & tremebundus.* Quod neque in Exodo, neque in tota ſcriptura veteris Teſtamenti legitur. Vide noſtrum Comment. dicto loco Hebr. 12. *Et pro illo ſimiliter deprecatus ſum.* Cur non potiùs Aaron ſummus Sacerdos pro ſeipſo oravit; cùm Sacerdotis ſit orare & ſacrificare pro ſuis & populi peccatis? *Reſp.* quòd nondum illo tempore Aaron ad Sacerdotium erat aſſumptus. Et quidem Moyſes jam tum erat Sacerdos juſſu Domini. Deinde nihil vetat, imò valde conveniens & juſtum eſt, ut pro Sacerdote oret populus & quilibet de populo; quia pro ſalute Paſtoris, oves oportet eſſe ſollicitas, & ſcriptū eſt: *Orate pro invicem ut ſalvemini.* Iacobi 5. Hinc Apoſtolus Paulus pro ſe toties petit orari; & totius Eccleſiæ diſciplina hoc habet, ut à populo pro ſummo Pontifice aliiſque Epiſcopis oretur.

℣. 24. *Sed ſemper fuiſtis rebelles à die qua noſſe vos cœpi.* Utrum ab ea ætate, qua primùm noſſe potuit populum ſuum etiam antequam ſecederet in Madian? an potiùs ab eo tempore quo miſſus à Domino cœpit illi populo præeſſe? tunc enim propius noſſe cœpit illum

A populum, quando ei cum illo negotium eſſe cœpit, tanquam duci ac præfecto cum ſubditis. Quanquam & ante videtur ſuſpectam habuiſſe populi illius cervicoſitatem & cordis duritiem; quando multum excuſabat ſe ne ad illos mitteretur; dicens inter alia: *Non credent mihi, neque audient vocem meam.*

CAPUT X.

℣. 12. *ET nunc Iſraël, quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum?* Hoc ſimile eſt illis operationibus Dei, quæ non ſine tropo dicuntur, de quibus ſupra cap. 5. & infra cap. 32. & Iſaiæ 48.

℣. 15. *Et tamen patribus tuis conglutinatus eſt Dominus, & amavit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, id eſt,*
B *vos de cunctis gentibus.* *Quærunt* aliqui, quare Deus filium ſuum naſci voluit ex ſemine Abrahæ, & quare legem, ſuique agnitionem dedit illi populo; *Reſpondeo*, ex hoc capite & ſuperiori intelligimus hæc Dei beneficia in illum populum fuiſſe prorſus gratuita. Nam populus ipſe rebellis erat, & duræ cervicis. Natus quidem eſt ex Sanctis Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob, quibus propter ipſorum fidem, obedientiam, & pietatem dignatus fuit promittere Meſſiam ex ipſis naſciturum; ſed quos ipſe, ut hoc qualitercunque mererentur, ſuis benedictionibus prævenerat, erantque ipſorum merita, Dei dona. Unde intelligitur totum hoc beneficium in gratuitam Dei dilectionem & electionem, quâ hunc
C populum ut ei benefaceret de cunctis gentibus elegerat, eſſe referendum.

℣. 17. *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominantium.* Quo ſenſu dicatur Deus deorum, & inanium deorum. Vide Annot. Pſal. 49. Nam ad deos gentium id referendum eſſe, ſatis ex aliis locis patet. Eorum autem Deus dicitur, quia omnibus illis major eſt, & melior & potentior. Unde ſupra cap. 4. *Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.* Quomodo autem non repugnet illud Chriſti in Evangelio Matth. 22. *Non eſt mortuorum Deus, ſed vivorum*, Vide ibi explicatum.

CAPUT XI.

D
℣. 10. *TErra ad quam ingredieris non eſt ſicut terra Ægypti, &c.* Non hîc fit comparatio terræ Ægypti cum terra Chanaan in fertilitate: Id enim huic loco eſt impertinens; Et ſunt qui putent terram Ægypti fertilitate, potiſſimum frumenti, ſuperaſſe terram promiſſionis, propter Nili irrigationem; Sed fit comparatio in modo irrigationis terræ. Nam in Ægypto, ut hic dicitur, in hortorum morem ex Nilo aquæ ducebantur irriguæ: In terra verò Chanaan de cœlo dabatur pluvia ad irrigationem agrorum. Eſt autem utilius & commodius populo de cœlo expectare pluviam, quam per ſulcos ducere aquas irriguas. Nam iſtud eſt operationis humanæ, illud autem peculiariter
E divini ac cœleſtis beneficij; & proinde etiam admonetur homo, de cœlo ſemper expectare ſubſidium opportunum & per conſequens eſſe ſollicitus, ut Dei mandata ſervet; cuius rei facilè oblivïſceretur, ſi propria arte & induſtria terram irrigaret, & auxilium Dei de cœlo non ſentiret ſibi eſſe neceſſarium.

℣. 18. *Suſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos collocate, &c.* Similia verba habentur ſuprà capite 6. Hæc autem ſecundum proprietatem litteræ nemo Iſraelitarum eo tempore feciſſe commemoratur vel legitur. Unde putant multi hyperbolicam eſſe commendationem mandatorum Dei; qua videlicet non aliud ſignificetur, quàm ſemper, & ubique præ oculis habenda eſſe præcepta Dei. Poteſt etiam dici ſermo

eſſe allegoricus ſive parabolicus, ut ex rebus corporeis res ſpirituales intelligantur. Juxta hunc ſenſum ſuſpendit, ſeu ligat mandata Dei pro ſigno in manibus, qui in omni opere ſtudet implere mandata Dei; collocat inter oculos, qui nunquam obliviſcitur, ſed mentis oculos ſemper in ea intentos habet, ſcribit in limine, & ſuper poſtes & januas domus ſuæ, qui ſive intret domum ſuam, ſive egreditur, ſemper mandata Dei memoria, & cogitatione revolvit. Atq; hæ & ſimiles exhortationes non minus ad Chriſtianos pertinent, quàm ad Iudæos.

℣.21. *Quamdiu cœlum imminet terræ.* Significatur vel huius mundi ſecundum præſentem ſtatum duratio; (Nempe quia ſecundum promiſſiones Dei, ſi filij Iſraël non peccaſſent, nunquam ex ea terra ejecti fuiſſent.) Vel tempus valdè longum, videlicet durationis ſaltem veteris Teſtamenti. Sed prior ſenſus melior videtur, utpote quod promiſſio hæc, quod ſemper eſſent eam terram poſſeſſuri, & nunquam inde ejicerentur, fuit tantum conditionalis: Sic enim immediatè poſt iſta verba ſubjicitur: *Si enim cuſtodieritis mandata, &c. diſperdet Dominus omnes gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſſidebitis eas.*

℣.24. *A deſerto & à Libano, à flumine magno Euphrate uſque ad mare occidentale, &c.* Termini terræ promiſſionis deſignantur: Videlicet à monte Libano, qui eſt in Septentrione, uſque ad deſertum Zin, quod ſpectat Meridiem, & à flumine Euphrate, quod eſt in Oriente, uſque ad Magnum Mare, quod reſpicit occaſum. Et notandum quod hic populus totam hanc terram his limitibus comprehenſam tenuit tempore Salomonis; ſed poſteà propter tranſgreſſiones ſuas in anguſtias redactus fuit, limitibus eius coarctatis.

CAPUT XII.

℣.2. S*Vbvertite omnia loca in quibus coluerunt gentes Deos ſuos.* Huius præcepti *triplex eſt ratio*: prima, ob deteſtationem idolomaniæ, & Dæmonolatriæ: unde dicitur, *diſperdite nomina eorum de locis illis*: ſecunda, ne populus Iſraëliticus retinens ea loca incitaretur ad ſimilem cultum: unde dicitur, *Non facietis ita Domino Deo veſtro*: tertia, quia populo illi non licebat ubilibet templa Deo extruere, ſed unicum futurum erat templum, & unicus locus, in quo Deus erat oblatione ſacrificiorum colendus; ideoque cetera omnia templa, delubra & luci deſtruendi erant. Unde dicitur infrà v.5. *Sed ad locum, quem elegerit Dominus Deus veſter, &c. venietis.*

℣.5. *Vt ponat nomen ſuum ibi.* Quidam hîc per *nomen Dei* intelligunt arcam fœderis vel propitiatorium, ubi Deus præſentiam ſuam & voluntatem per oracula declarabat, & ad hoc citant Pſalmum 95. & 105. Sed in ijs non legitur nomen Domini poſitum pro arca. Quare hîc potius videtur eſſe ſenſus: Venietis ad locum quem elegerit Deus ad cultum ſuum, ut videlicet ibi oblationibus munerum & ſacrificiorum colatur, & nomen eius invocetur. Hoc autem fiebat coram arca propitiatorij; non tamen illa vocabatur, *nomen Domini*. Sic & paulò poſt: *Vt ſit nomen eius in eo*: id eſt, ut ſit ibi cultus eius, ibique ipſe cultu externo invocetur. Id quod etiam abſque arca futurum erat, velut eo tempore quo arca tenebatur à Philiſthæis, tunc enim erat nihilominus nomen Domini in Silo licet occaſione arcæ locus cultus divini fuerit poſtea muratus. Porro c.26. apertius dicitur. *Vt ibi invocetur nomen eius.* Tametſi in Hebr. ſit: *Ad collocandum nomen ſuum ibi*: vel ut vertit Pagn. *Vt habitare faciat nomen ſuum ibi.*

℣.8. *Non facietis ibi quæ nos hic facimus hodie; ſinguli quod ſibi rectum videtur.* Non ſignificatur, quod populus tunc ad libitum excogitabat cæremonias colendi Dei, ſed ſenſus eſt; non certo loco ſacrificantes, ſed nunc hoc, nunc illo loco: quia adhuc ſumus in deſerto. Mox enim ſubjungitur: *Neque enim uſque in præſens tempus veniſtis ad requiem.* Hoc ergo ſignificatur quod tunc nondum poterant omnia quæ præſcripta erant, exactè ſervari, maximè quoad locum; ſed quod cuncta exactè ſervanda eſſent, poſtquam perveniſſent ad terram promiſſam.

℣.30. *Sicut coluerunt gentes iſtæ deos ſuos, ita & ego colam. Non facies ſimiliter Domino Deo tuo. Duo prohibentur*: cultus idolorum, & uſus cæremoniarum ethnicarum, etiamſi adhiberentur ad cultum unius Dei. q. d. Cave, ne talibus cæremoniis Deum tuum colas, qualibus gentes iſtæ coluerunt Deos ſuos. Hunc enim ſenſum declarat, quod dicitur; *Non facies ſimiliter Domino Deo tuo*, id eſt, non talibus cæremoniis eum coles, quia ut ſequitur, fuerunt cæremoniæ abominabiles. Unde & noluit Deus ſibi lucos fieri, aut ſacrificia exhiberi ſub omni ligno frondoſo, ſed in uno loco tantum. Hinc ergo manifeſtum eſt, cæremonias Judaïcas non eſſe petitas ex gentilitate, ſed ab ipſo Deo inſtitutas, ut patet Deuter.4. ubi ſic legitur: *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, &c.* Ex quibus verbis manifeſtum eſt, populum Iſraëliticum etiam cæremoniis ab aliis nationibus fuiſſe diſtinctum.

℣.32. *Quod præcipio tibi hoc tantum facito Domino: Nec addas quicquam nec minuas.* Hoc de cultu Dei dicitur. Non enim ait abſolutè, aut generatim, (*hoc tantum facito*) ſed (*hoc tantum facito Domino*) id eſt, in cultu Dei, ſeu in colendo. Senſus eſt, non configetis vobis alium ritum, aut novas cæremonias, ſed utemini cæremoniis à me præſcriptis. Nam per alias cæremonias periculum erat illi populo ne laberetur in idololatriam; erant enim propenſi ad ſectandas eas cæremonias quibus utebantur gentiles. Deinde habebant cæremonias ad longum præſcriptas in lege, quibus nihil opus erat alias ſuperaddere. Alia autem Eccleſiæ Chriſti ratio eſt, cui certus cæremoniarum modus à Chriſto non eſt præſcriptus, ſed hoc Chriſtus reliquit diſpoſitioni ac prudentiæ ſuæ Eccleſiæ. Vide annot. Eſther 9. quomodo contra illud nec peccaverint qui poſtea alios adhuc dies feſtos inſtituerunt. Vide etiam annot. ſuprà c.4. v.2.

CAPUT XIII.

℣.1. S*I ſurrexerit in medio tui Propheta, & deinceps* —— *& dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos* —— *non audies.* Et tandem v.9. *ſed ſtatim interficies.* Nota, primum eſt, ut non audiamus falſos Prophetas; deinde etiam capitale ſupplicium adverſus falſum Prophetam conſtituitur; cuius ſupplicij juſta cauſa additur; v.5. *quia locutus eſt, ut vos averteret.* Idem ergo ſupplicium meritò conſtitutum quoque eſt in hæreticos: utpote Reipublicæ perturbatores, & qui fideles avertere conantur ad ſerviendum diis alienis, id eſt, ad amplectenda falſa dogmata de Deo & rebus divinis. Tales enim non verum Deum colunt, ſed falſum & alienum. Velut qui dicit Deum eſſe peccati authorem, & voluntatem impellere ad malum; is non verum Deum colit, quia verus Deus talis non eſt; ſed eum colit quem ſibi falſa opinione confinxit; Calvinum intellige, eiuſque ſectatores. Vide Vincentium Lirinenſem cap.15. hunc locum pulchrè tractantem, & de hæreticis interpretantem, & per deos alienos nova dogmata intelligentem. Interim quod dicitur (*ſed ſtatim interficies*) non ſic accipiendum eſt, quaſi id liceat privata authoritate, ſed ſenſus eſt, ſtatim interficies, ſed publicè accuſatum, & convictum: Nam mox additur: *Sit primum manus tua ſuper eum; & poſt te omnis populus mittat manum.*

℣.3. *Quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non.* Hebr. (*ut ſciat.*) Vide pluribus ſuprà cap.8. v.2.

CAPUT XIV.

℣.1. F*Ilij eſtote Domini Dei veſtri.* Non præcipit de ipſa gratia adoptionis filiorum Dei, ſed ut obedientia & obſervatione mandatorum Dei Patris ſui cæleſtis, oſtendant ſe eſſe eius filios. Nempe de actibus eſt præceptum.

℣.11. *Omnes aves mundas comedite.* Et infrà. *Omne quod mundum eſt comedite.* Verba ſunt non præcepti, ſed conceſſionis rei licitæ; ſicut & illud Geneſ.2. *Ex omni ligno paradiſi comede.*

℣.22. *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis — per ſingulos annos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui. Quæritur*, quomodo præcipiat Moyſes, ut decimam partem fructuum ſuorum comedant coram Domino, cum decimæ debeantur Levitis? B *Reſpondent quidam*, Iſraëlitas ſolitos ſeparare ſingulis annis binas decimas. Priores erant de omnibus fructibus: poſteriores autem erant de novem partibus reliquis. Quarũ priores cum integræ cederent in uſum Levitarum, poſteriores ab ipſis offerentibus conſumerentur coram Domino: Ac de his decimis intelligendum eſſe præſentem locum. Et eodem modo diſtinguunt duplicia primitiva. Sed hæc reſponſio neque in Scriptura, neque in Judæorum conſuetudine fundamentum habet.

Proinde *rectiùs videtur hoc modo reſpondendum*, quod Judæi, quotieſcumque decimas vel primitiva adferebant Ieroſolymam, non debebant venire vacui, ſicut præcipitur Exodi 23. v.15. & 34. v.20. *Non apparebis in conſpectu meo vacuus*, ideoque *munus aliquod ſpontaneum ſimul offerre debebant*, C præter ea quæ erant præcepti. Illud autem erat hoſtia pacifica: cuius pectuſculum & armus dexter erant Sacerdotis, reliquæ partes ipſius offerentis. Ac de his intelligendũ videtur, quod dicitur: *Comedes in conſpectu Domini Dei tui*, utpote quod hæc adferebantur ſimul cum decimis.

℣.28. *Anno tertio ſeparabis aliam decimam.* Nota, eſt hic quidem tertia quædam decima, ſed non illa cuius eſt mentio v.22. Nempe ibi agitur de decima ſeparanda per ſingulos annos: hîc autem de ea quæ tantum tertio quoque anno ſeparabatur.

CAPUT XV.

℣.1. S*Eptimo anno facies remiſſionem.* De anno ſep- D timo & quinquageſimo, vide etiam Levit.25. Quidam opinantur remiſſionem hanc ſic intelligi, ut ipſo dumtaxat ſeptimo anno non liceret exigere debita, liceret autem poſt eum annum expletum. *Sed* revera nihil durum habet lex iſta de abſoluta remiſſione, intellecta; modò cum Lirano eam reſtringas ad impotentes ſolvere. Deinde quod argumentantur alij, & inter eos Caietanus, vocabulo Hebræo non ſignificari remiſſionem, ſed ſubtractionem, nihil eſt. Nam tantumdem valet. Et non ſolum Hieron. ſed & alij Hebrææ linguæ peritiſſimi vertunt (*remiſſionem*) interpres Vatabli, & ipſe Vatablus, Pagninus, Arias.

℣.4. *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Quæritur* quomodo hoc non pugnet cum eo quod dicitur hoc ipſo capite v.11. *Non deerunt pauperes in* E *terra habitationis tuæ?* Quin & hoc ipſum mox explicatur de paupere fratre, & fratre Hebræo, qui ob paupertatem venditur. *Reſp.* nullam hîc eſſe pugnantiam. *Nam primo loco præceptum eſt*, ac ſi dicat, Dominus per Moyſen; Non ſit indigens & mendicus inter vos; ſitis verò in eos mites & liberales, ideò & ſeptimum hunc annum remiſſionis conſtituo. In poſterioribus autem illis verbis eſt nuda aſſertio, quo oſtenditur nunquam defuturos eos in quos poſſint, & debeant eſſe liberales. Nequaquam autem urgendum eſt, quod interpres noſter primo loco vocet indigentem & mendicum, poſteriori verò loco ſimpliciter pauperem, quaſi permittan- A tur homines pauperes, ſed non mendici; quia apud Hebræos utrobique eſt idem vocabulum, ſicut & apud Septuaginta ἐνδεής, id eſt, talis pauper qui caret rebus ad vitam neceſſariis. Cæterùm *iſtud præceptum non pertinet ad magiſtratum*, quaſi ſcilicet magiſtratus non debeat tolerare mendicos in civitate, ſicut quidam malè intelligunt, *ſed pertinet ad divites*, qui admonentur, ut ita ſint liberales in pauperes, ne cogantur mendicare. Si qui autem præ inopia cogantur, illi non publico edicto ſunt prohibendi, ſed ſubſidiis vel publicis, vel privatis ſublevanda eſt eorum paupertas.

℣.6. *Fænerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum.* Promiſſio eſt temporalis felicitatis, ſicut & id quod ſequitur; *Dominaberis nationibus plurimis.* Sed perperam illud intelligunt nunc Judæi, quaſi liceat ab B alienigenis uſuras accipere: nam fænerare nihil eſt aliud hoc loco, quàm mutuum dare, ſicut patet ex Antitheſi illa, dum ſubjicitur, *& ipſe à nullo accipies mutuum.*

℣.9. *Cave ne fortè ſubrepat tibi impia cogitatio.* Vide Hebræo; & nota impietatem vocari id quod Spiritus avarorum vocaret prudentiam: videlicet, inſtante anno remiſſionis, nolle mutuare, ne paulò poſt cogatur remittere.

CAPUT XVI.

℣.2. I*Mmolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus in loco, &c. Quomodo*, Phaſe de bobus? cùm Phaſe alibi dicatur immolatio ſolius agni C Paſchalis? Sed *Reſpondetur*, Phaſe hîc accipi pro totis ſeptem diebus ſolemnitatis Paſchalis, quibus præter agnum Paſchalem, quem ſinguli debebant celebrare, varia etiam ſacrificia offerebantur, de quibus ſic num.28. *Menſe autem primo, quartadecima die menſis Phaſe Domini erit.* Et paucis interjectis: *Offeretiſque incenſum holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum, agnos anniculos ſeptem & hircum pro peccato, præter holocauſtum matutinum quod ſemper offeretis. Ita facietis per ſingulos dies ſeptem dierum, &c.*

℣.19. & 20. *Non accipies perſonam, nec munera — Iuſtè quod juſtum eſt perſequeris.* Poſtrema illa verba Hebraicè ſic ſonant: *Iuſtitiam juſtitiam ſequeris*; quæ tamen rectè interpres noſter & Septuaginta verterunt; *Iuſtè quod juſtum eſt, perſequeris.* Significatur enim illa D geminatione Hebraïca, omninò, & ex tota animi intentione ſequendum eſſe id quod juſtum eſt; neque aliud quàm juſtitiam præ oculis habendam in juſtitia adminiſtranda. Tractat hunc locum pulchrè Gregor. lib.9. Moral. c.19. Nonnulli, inquit, terrena præmia appetunt, & juſtitiam deſerunt. Quos contra bene per Moyſen dicitur; Iuſtè quod juſtum eſt, exequaris. Injuſtè quippe quod juſtum eſt exequitur, qui ad defenſionem juſtitiæ non virtutis æmulatione, ſed amore præmij temporalis excitatur. Denique concludit. Iuſtè ergo juſtum exequi, eſt in aſſertione juſtitiæ, eandem ipſam juſtitiam quærere. Sic ille. Sed & Ariſtoteles ipſe lib.5. Ethicorum, docet multum diverſa eſſe juſtè agere, & id quod juſtum eſt agere.

CAPUT XVII.

℣.8. S*I difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris —— ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus, veniesque ad Sacerdotes, &c.* Hæc ſententia modò Sacerdotem, modò Judicem nominat, propter duplicem magiſtratum qui erat in populo Dei; ſacrum & civilem: quamvis contingeret aliquando utrumque magiſtratum in eandem perſonam concurrere; ut tempore Heli, & ruſſus tempore Machabæorum. Cùm autem utrumque magiſtratum etiam nunc in populo ſuo, hoc eſt, in Eccleſia conſtituerit Deus, nimirum ſecularem, & Eccleſiaſticum ſ

prorſus conſentaneum eſt eandem legem etiam nunc ſervari: ut videlicet quęſtiones difficiles, ſi civiles ſint, ad ſuum referantur magiſtratum; ſi Eccleſiaſticæ, & religionem attingentes, referantur ad magiſtratum Eccleſiaſticum, id eſt, ad ſummum Sacerdotem, & ſummum in rebus Eccleſiaſticis Iudicem. Qui certè non alius eſt, quàm Pontifex Romanus, Chriſti Vicarius & D. Petri ſucceſſor. Neque enim putandum eſt, Deum minùs Eccleſiæ ſuæ proſpexiſſe de ratione componendarum controverſiarum exortarum circa religionem, quam olim proſpexerit ſynagogæ Judæorum.

ỷ.12. *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio* —— *ex decreto Iudicis morietur homo ille.* Suprà dixit Sacerdotes, pluraliter hîc Sacerdotem in ſingulari. Ex quo intelligitur Concilium eſſe plurium Sacerdotum, ſed primam authoritatem & poteſtatem eſſe unius. Deinde notandum, quâ pœnâ dignus cenſeatur, qui ſummi Sacerdotis judicio acquieſcere noluerit: nimirum ſupplicio mortis: quod quidem ſupplicium irrogandum eſt per judicem ſecularem. *Ex decreto*, inquit, *Iudicis morietur homo ille.* Neque tamen idcirco Judici licebat inquirere de ſententia ſummi Sacerdotis ſemel lata: ſed ſufficere ei debebat cognoſcere, quòd talis homo ſententiæ Sacerdotis nollet acquieſcere. Ita hodie Judici ſęculari quoque de quęſtione hęreſis cognoſcere non licet, ſed ſatis ei eſſe debet, eum qui ad ipſum defertur nolle ſententię & judicio Eccleſię acquieſcere. Quomodo etiam ſi quem idem magiſtratus adjudicet morti, quòd falſam monetam cuderit: non eſt neceſſe, ut ipſe magiſtratus de ſinceritate aut falſitate monetæ judicet, ſed creditur peritis illius artis, & ſimiliter quoque quando quęſtio eſt de vulnere lethali ſtatur ſententiæ medicorum, & chyrurgorum. Vide noſtra in 4. diſt. 18. Additio B. P. Vera lectio eſt, *& decreto.*

ỷ.10. *Et facies quæcumque dixerint* —— *& docuerint juxta legem eius.* Volunt hæretici ex his verbis penes unumquemque remanere judicium, an Sacerdotes doceant juxta legem Domini. Sed ridiculũ id eſſet, & fruſtra fuiſſet illis data judicandi poteſtas, ſi ab ipſis judicatis ſeu reis judices deberent aut poſſent judicari. Et eſt hoc contra illud Eccl. 8. *Non judices contra judicem, quia quod juſtum eſt judicat*, quaſi dicat, debet judex ratione muneris ſui ſecundum juſtitiam judicare, & ideo hoc debet credi, eum ita facere.

CAPUT XVIII.

ỷ.8. E*Xcepto eo quod in urbe ſua ex paterna ſucceſſione ei debetur.* Ergo etiam hæreditatem ſuorum bonorum Levitæ ad poſteros tranſmittebant. Videntur autem intelligi, domus, ſuburbana, pecora, & ſi quid aliud eſſet acquiſitum.

ỷ.15. *Prophetam* —— *de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies.* Omiſſis Hebræorum commentis, qui hunc locum interpretantur de Ioſue & aliis, qui deinde ſecuti ſunt, Samuele, Eſaïa, Ieremia, dubitare non debemus, quin locus iſte ad Chriſtum pertineat. Habemus enim de hoc interpretem Spiritum Sanctum, qui per os B. Petri Apoſtoli Act. 3. ita loquitur: *Moyſes quidem dixit; Quoniam Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tanquam me, ipſum audietis.* Itemque Stephanus Actor. 7. hunc locum ad probandum Chriſtum eſſe Meſſiam producit. Quæritur quomodo dicatur (*ſicut me*) cùm Chriſtus fuerit Moyſe longè major? *Reſpondeo*, illis verbis non æqualitatem authoritatis, ſed ſimilitudinem ſignificari. Et ſenſus eſt: per omnia eum audietis, ſicut me audire debuiſtis: vel, ſicut ego nihil vobis præcepi niſi ex ore Dei, ita nec ille. Vel potiùs (*ſicut me*) vel ut poſtea repetitur (*ſimilem mei*) videlicet in eo, quod uterque ſit legiſlator: ego Moyſes legis veteris, ille novæ. Et planè Stephanus Act. 7. hanc ſcripturam allegat, ut oſtendat jam olim per ipſum Moyſen à Deo promiſſum eſſe prophetam: qui legem Moyſi transferat.

Adde quòd omnino quoque videtur ad hunc locum alludere pater de filio teſtificans Matth. 17. *ipſum audite.* Itemque ad hunc locum reſpexiſſe creditur ipſe filius Chriſtus, quando ait Ioan. 5. *De me enim ille ſcripſit.* Et Philippus quando dixit Nathanael, Ioan. 1. *Quem ſcripſit Moyſes in lege, &c.* ut parvifaciendum videatur quod Hieronymus ab Oleaſtro putat non tantum de Chriſto intelligi, ſed pertinere etiam ad alios Prophetas. Sed contra hunc ſenſum, & ſimiliter contra ſenſus quos fingunt Iudæi, præter illa quæ ſupradicta ſunt, facit etiam quod non dicitur (*Prophetas*) ſed ſingulariter: *Ac deinde* cap. ultimo huius libri expreſsè dicitur: *Et non ſurrexit ultra Propheta in Iſraël ſicut Moyſes, &c.*

ỷ.19. *Ego ultor exiſtam.* Impletum eſt hoc in everſione potiſſimùm civitatis Ieroſolymitanæ per Romanos, ſicut Chriſtus quoque ipſe eis prædixerat: Lucæ 19. 44. ac deinceps in diſperſione illius populi per omnes terras, & in venditione eorum in ſervos, & quod etiamnum omnibus ſunt contemptui.

CAPUT XIX.

ỷ.5. N*On ſtabit teſtis unus contra aliquem,* —— *ſed in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Non ita hoc accipiendum eſt quod dicitur (*ſtabit omne verbum*) quaſi ſit certum & infallibile argumentum veritatis, ſi duo aut tres teſtes aliquid affirmaverint: nam ſicut unus teſtis mentiri poteſt, & falſum teſtimonium perhibere, ita & duo & tres: ſicut qui teſtimoniũ tulerunt contra Naboth, Suſannam, Chriſtũ, Stephanum: ſed ſenſus eſt: Quando aliter non poteſt inveniri veritas eius rei, quæ quæritur in judicio: tum ſtandum erit teſtimonio duorum aut trium, tanquam argumento valde probabili. Neq; enim in rebus humanis certę demonſtrationes ſemper requiruntur, ſed ſufficiunt tales probationes quibus meritò fides adhibeatur.

Sed cur non ſimiliter ſtandum eſt teſtimonio unius? *Vna ratio*, quia facilè ex privato odio unus calumniator contra aliquem inveniri poſſet; non ita facilè duo aut tres. *Altera*, eaque potior, quia unus teſtis mendax longè facilius in deponendo teſtimonio proferet omnia conſentientia & conformia, quàm facere poſſint duo aut tres teſtes mendaces. Non enim facile duo aut tres inter ſe conſpirare poſſunt, ut ſi ſeorſim ac diligenter examinentur, omnes facti circumſtantias referant ſimiliter; ſicut patuit in examine duorum illorum ſeniorum, qui contra Suſannam falſum teſtimonium dixerant. Mahometus in Alcorano Azoara 34. quatuor teſtes requirit in probando adulterio, & aliis. Sed multò rectiùs lex iſta divina per Moyſen duos tantùm treſve requirit; quia ſi quatuor neceſſarij ſunt, multa ſcelera & flagitia manebunt impunita. Et difficile eſt duos ſic conſpirare ad falſum teſtificandum, ut diligenter examinati de omnibus circumſtantiis, non deprehendantur falſitatis, aliqua parte.

CAPUT XX.

ỷ.5. Q*Vis eſt homo qui ædificavit domum novam, & non dedicauit eam? &c.* Nota, dedicare domum, non eſt eam Deo conſecrare, ſicut nunc dedicantur templa, & ſicut dedicatum fuit templum Salomonis; ſed dedicare hîc eſt deputare ad uſum & in habitationem. Id autem fortè fiebat exhibendo amicis & propinquis aliquod convivium; niſi quis magis exiſtimet dedicationem illam non fuiſſe aliud quàm inchoatam habitationem. Nam vox Hebræa non aliud ſignificat quàm (*initiare.*) Et Auguſtinus in Ioannem

ad

ad illud cap. 10. *Et facta ſunt encænia Jeroſalymis*, dicit, quod quicumque induit novam veſtem, encœniare illam dicitur. Obſervandum autem, quod tria hîc hominum genera iſta remittantur ex prælio; videlicet, ne ſi in prælio occumberent, inciderent in illas expreſſas maledictiones legis libri huius c. 28. *Tu ædificabis domum, & alius inhabitabit eam, &c.*

℣. 6. *Quis eſt homo qui plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem, de qua veſci omnibus liceat?* Facere vineam communem de qua veſci omnibus liceat, non eſt eam publicam facere, ut omnibus volentibus liceat eam ingredi & fructus eius comedere: ſed facere communem Hebraïca phraſi eſt eam profanare, ita ut non ampliùs fructus æſtimentur ſacri & Sacerdotibus obſtricti. Sic in Scriptura novi Teſtamenti commune pro profano quoque ſæpè accipitur. Vinea autem fiebat profana quinto demum anno. Nam fructus qui tribus primis annis naſcebantur, ut eſt Levit. 19. reputabantur immundi, quibus nec veſci licebat, nec uti ad ſacrificia; quidquid autem naſcebatur quarto anno, tanquam primitivum Deo offerebatur. Quinto demum anno licitum erat Domino vineæ & aliis de fructibus eius comedere. Quod quando fiebat, dicebatur poſſeſſor eam facere communem, aut ut alij vertunt, profanare. Cæterùm per hæc genera hominum, qui jubentur excedere prælio, & domum reverti, *myſticè* ſignificatur, omnes eos ineptos eſſe ad militiam ſpiritualem, qui animum adhuc habent implicatum voluptatibus, vel cupiditatibus terrenis, unde & Apoſtolus: *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.* 2. Tim. 2.

℣. 13. *Percuties omne quod in ea generis maſculini eſt, in ore gladij, abſque mulieribus & infantibus, &c.* Ex ijs quæ hîc dicuntur, non ſequitur principes poſſe dare militibus poteſtatem occidendi omnes qui in civitate, aliqua rebelli inventi fuerint: multoque minus præcipere ut occidant. Nam homini principi vel judici non licet hominem occidere vel occidendum præcipere, niſi ſecundum juſtitiam humanam cuius illa inprimis lex eſt, *Innocentem non occides.* Permittere autem innocentium aliquorum occiſionem, ſi rebelles aliter in poteſtatem redigi vel extingui non poſſint; non eſt illicitum. Quod autem dicitur: *Percuties omne quod in ea eſt generis maſculini — abſque mulieribus & infantibus*; ideo dictum, quia mulieres & infantes eò quòd arma gerere, & repugnare vel non ſoleant, vel non poſſint, præſumuntur innocentes: Mares autem omnes adulti, quatenus armari ſolent ad repugnandum, præſumuntur nocentes. Si quos tamen innocuos eſſe conſtaret, parcendum illis eſſet; ſicut & mulieres, ſi quæ unà cum viris repugnaſſent, interfici poſſent. Qua de re vide Franciſcum à Victoria relectione 6. & Dominicum Bannes in 2. 2. q. 40. art. 1.

CAPUT XXI.

℣. 14. *SI autem poſtea non ſederit animo tuo, dimittes eam liberam — quia humiliaſti eam.* Erat hoc repudio ſimile, nec præceptum aut conſilium à Deo, ſed duntaxat permiſſum duro & cervicoſo populo. Si enim permittebatur repudium uxoris Iſraëlitidis propter periculum homicidij: quantò magis mulieris alienigenæ, & in bello captæ, cùm certè proclivius fuiſſet Judæo talem occidere, ſi diſplicentem invitus retinere debuiſſet, quàm uxorem acceptam de gente ſua. Unde nec opus hîc erat libello repudij, ſed ſola ſufficiebat voluntas viri dimittentis. Ergo permiſſio erat in eo quod dicit (*dimittes*) ſed præceptum in eo quod ſubdetur (*liberam*) ut clarè patet ex ſubjectis verbis: Quia humiliaſti eam.

℣. 23. *Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno.* Hebr. ſic: *Maledictio Dei eſt qui ſuſpenſus eſt*; quomodo etiam vertunt Aquila & Theod. Septuag. vertunt ut nos habemus. Senſus autem litteræ eſt: Quicumque in

A cruce ſuſpenditur, Deo execrabilis eſt, & ita execrabilis, ut nec cadaver eius permittendum ſit diu in hominum conſpectu relinqui, ſed ſtatim eadem die tanquam quiddam abominabile auferendum ab oculis, &, ut hîc dicitur, ſepeliendum. Et fuit hoc à Deo præceptum de ſolis ſuſpenſis, quia qui humi interficiebantur lapidatione, vel incendio, vel ferro, eorum corpora ſponte ſtatim homines terrâ obruebant, quia indecorum cenſebant corpora ſuper terram jacêre inſepulta. Itaque de illis præcepto non erat opus; ſed tantùm de ſuſpenſis in ſublimi, ubi facilè potuiſſent relinqui.

Sed potiſſima cauſa eſt, quia Chriſtus in *myſterio* præſignabatur, ſicut Apoſtolus ad Galat. 3. explicat dicens: *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis*
B *qui pendet in ligno.* Vide noſtra eo loco.

CAPUT XXII.

℣. 5. *NOn induetur mulier veſte virili, &c.* Ratio eſt, quia hac ſpecie committi poſſent ſtupra, adulteria, inceſtus, &c. Et propterea additur: *Abominabilis enim apud Deum eſt qui facit hæc.* Ubi ergo nullum eſt hujuſmodi periculum, & ratio aliqua occurrit faciendi, non eſt illicitum; ut eſt in actione comica, vel ad evadendum certum periculum. Legimus quoque de S. Theodora in Martyrologio 11. Septembris, quòd in habitu virili Monachi, multos annos ſanctè vixerit in Monaſterio. Simile quid refertur de S. Marina. Sed
C hæc non ſunt tradenda ad imitationem. Quædam enim Sanctorum facta magis miranda nobis ſunt, quàm imitanda. Sanè & apud Mexicanos in nova Hiſpania capitale erat hoc crimen.

℣. 10. *Non arabis in bove & aſino.* Ratio litteralis eſt, quia vires eorum ſunt inæquales. Nam bos fortior eſt aſino, & paſſus facit grandiores, & proinde aſinus ſupra vires gravaretur, ſi cum bove jungeretur ad trahendum aratrum. Sed bos cum bove, & aſinus cum aſino rectè junguntur. Parabolicè autem ſignificatur non exigenda paria onera, ſive ſubſidia, ab hominibus virtute inæqualibus, qui proinde paria præſtare non poſſunt. Gregor. in Moralibus ita moraliter exponit lib. 1. cap. 16. Non junges bovem & aſinum (ita enim legit) id eſt, fatuos ſapientibus in prædicatione non ſocies, ne per eum qui
D implere rem non valet, illi qui prævalet, obſiſtas.

℣. 25. *Ad Seniores urbis qui in porta ſunt.* Hieron. ſuper Zach. 8. *Quæritur*, inquit, quare apud Judæos in portis fuerit locus judicandi? Et *reſpondet*; Ne cogerentur agricolæ intrare urbes, & aliquod ſubire diſpendium; ideò judices in portis reſidebant, ut unuſquiſque confeſtim ad ſedes proprias reverteretur.

CAPUT XXIII.

℣. 1. & 3. *NOn intrabit Eunuchus — Eccleſiam Domini Ammonites & Moabites, &c.* D. Thomas 1. 2. qu. 103. art. 3. ad 1. & 2. Eccleſiam interpretatur collegium populi; nempe quod conſtat civibus; quos propriè intelligit, qui poſſint agere ea quæ ſunt civium; ut dare conſilium, vel ju-
E dicium in populo; quales, inquit, non ſunt viles perſonæ, item pueri, mulieres, licèt generali nomine ſunt cives. Et addit; poterant tamen diſpenſativè in collegium populi admitti, propter aliquem virtutis actum, ſicut Iudith 14. dicitur, quod Achior dux filiorum Ammon appoſitus eſt ad populum Iſraël, & omnis ſucceſſio generis eius, ſic ille. Sed non eſt neceſſe recurrere ad huiuſmodi diſpenſationem, ſi per Eccleſiam intelligamus populi ſenatum; quia non dicitur in libro Iudith, quòd Achior in ſenatum ſeu Concilium populi aſſumptus ſit, ſed tantùm quòd appoſitus eſt ad populum Iſrael. Et confirmatur hæc expoſitio ex libro Eccl. 38. ubi de mechanicis artificibus dicitur:

Et non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Eccleſiam non tranſilient: Super ſellam judicii non ſedebunt, & teſtamentum judicij non intelligent. De eodem v.3. Vide 2. Eſdræ 13. v.1.

ỹ.6. *Non facies cum eis pacem, nec quæras eis bona cunctis diebus vitæ tuæ in ſempiternum.* Hoc populo præcipitur, non privato cuiquam. Debebat enim populus Dei obſiſtere temporali felicitati ipſius populi, qui tam hoſtiliter iis adverſarius fuerat; tum quia ad rempublicam ſpectat publicas injurias vindicare, tum quia Deus ſupremus judex ita præcipiebat: Et tamen juxta quod ſuprà dictum eſt ad illud, Levit.19.

ỹ.18. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, de omni homine illud intelligi; ſimul debebant Iſraëlitæ Ammonitas & Moabitas diligere, nempè animum præparatum habere, iis tanquam hominibus eiuſdem naturæ, & capacibus eiuſdem beatitudinis, loco & tempore opportuno, dilectionem huiuſmodi oſtendere.

ỹ.19. & 20. *Non fœnerabis fratri tuo ad uſuram — ſed alieno: Fratri autem tuo abſque uſura, id quo indiget commodabis.* Hic aliquid prohibetur, aliquid permittitur, & aliquid præcipitur. Prohibetur uſura erga fratres eadem erga alienos permittitur. Præcipitur autem mutuatio gratuita erga fratres neceſſitatem patientes; ſicut & ſuprà c.15. v.9. quo loco expreſſum habes præceptum de dando mutuo fratri indigenti, etiam, ut apparet ſub peccato mortali. Nam vocat impiam cogitationem quæ à mutuo revocat contemplatione ſeptimi anni remiſſionis. Vide ibi plenius.

CAPUT XXIV.

ỹ.1. Scribes *libellum repudij.* Vtrum repudium in veteri lege fuerit permiſſum tantùm, an etiam licitum? vide hic prolixè Liranum & Burgenſem. Liranus priorem partem tenet, & eſt communis doctrina; Burgenſis poſteriorem; ſed non ſatis ſolidè probat. Et videtur eſſe contra verba Salvatoris Matth.19. dicentis Deum id permiſiſſe Judæis ad duritiam cordis eorum. Sic & Hieron. in Matth.19. & fundatur in ſcriptura Gen.2. & etiam tempore legis Moſaïcæ apud Ierem. c.3. Porrò quod hic dicitur: *Si acceperit homo uxorem & non invenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij:* nonnulli per fœditatem intelligunt adulterium, quod fortè ſoli à marito notum ſit. Verùm in Evangelio, ubi Phariſæi hac de re quæſtionem movent Domino, dicitur (*ex quacumque cauſa.*) Neque Chriſtus eam allegationem reprehendit, ſed tantùm corrigens quod dixerant (*mandavit Moyſes*) pro eo ſupponit & dicit, *Quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras:* nihil corrigens in eo quod dixerant (*ex quacumque cauſa.*) Deinde hoc loco ſtatim poſt dicitur: *Cumque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam:* nulla addita cauſa. Per fœditatem igitur intelligi videtur omne vitium uxoris, propter quod maritus eam oderit, ſive ſit deformitas, ſive moroſitas, ſive procacitas, ſive quid aliud.

ỹ.4. *Non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Idem teſtatur Dominus per Prophetam Ieremiam cap.3. Sciendum tamen eſt, quòd ſi uxor injuſtè fuiſſet dimiſſa, & nondum accepiſſet alium virum; quòd tunc vir, dimiſſâ ſuperinductâ, debebat priorem uxorem recipere; ut ſignificat Malachias, cap. 2. & ibidem Hieron. Corripit, inquit, Judæos propheta, & ad repudium novarum conjugum provocat, ut uxores, quas dimiſerant, recipiant. Hæc ille, loquens de uxoribus dimiſſis, quæ nondum alios maritos acceperant.

ỹ.16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, ſed unuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Hæc ad hominem judicem dici, docent ſequentia: Sic enim ſubjungitur; *Non perverteſ judicium advenæ, &c.*

A Itaque non pugnant hæc cum eo quod eſt Exodi 20. v.5. ubi Deus de ſeipſo loquens ait; *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Quæ quomodo intelligenda ſint, vide ibi explicatum. Hîc admonentur illi qui inter homines præſunt, ne morte unquam puniant quempiam, niſi propria culpa.

CAPUT XXV.

ỹ.2. P*Ro menſura peccati erit plagarum modus, ita dumtaxat ut quadragenarium numerum non excedant.* Juſtitia humana quæ fit in animadverſione nocentum, imago quædam eſt & rivulus juſtitiæ divinæ, B eius maximè quam exercet Deus in futuro ſæculo in reprobos. Ibi autem juxta menſuram ſeu magnitudinem peccatorum erit modus pœnarum, quia reddet unicuique ſecundum opera ſua, & ut Apocalypſis 18. dicitur: *Quantum in delitiis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Igitur eadem proportio culpæ & pœnæ ſervanda eſt in judiciis humanis. Vetat autem Moyſes in plagis ſeu flagellis excedi numerum quadragenarium, etiamſi fortè maiorem numerum plagarum quis commeritus eſſet; quia agit hîc de eo, qui nondum erat condemnatus ad mortem, & cuius delictum nondum morte puniri poterat. Atqui ſi ultra quadraginta multiplicatus fuiſſet numerus plagarum; metuendum erat, ne inde moreretur; Atque ita modus pœnæ exceſſiſſet menſuram peccati. Et hoc eſt quod additur: *Ne fortè laceratus ante oculos tuos abeat frater* C *tuus.* Quod verò Paulus de ſe ait 2. Cor. 11. *A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi,* intelligendum eſt Judæos ex conſuetudine circa hanc legem obſervaſſe, ut non integrum plagarum numerum inferrent, ſed unam remitterent, ſive ſpecie miſericordiæ, ſive ut eo remotiores eſſent à periculo excedendi numerum quadragenarium à lege conſtitutum; ſcilicet quia numerando plagas errare potuiſſent. Vide Com. noſt. ibid.

ỹ.5. *Accipiet eam frater eius, & ſuſcitabo ſemen fratri ſuo.* Hebr. eſt (*cognatus eius.*) Atque adeò ſi frater non erat, debebat mulier conjungi ei qui maritum eius proximè contingebat, ut patet ex libro Ruth. Quin etiam ſi frater, acceptâ fratris uxore, etiam ſine liberis mortuus eſſet; debebat alius adhuc frater eam accipe- D re, & primo fratri vel fratribus ſuſcitare ſemen. Probatur id tum ex Geneſ.38. ubi mortuo ſecundo fratre, tertius promittitur ipſi Thamar; quo non præſtito, Judas quoque culpam injuſtitiæ agnoſcit, dicens: *Iuſtior me eſt, &c.* Et veriſimile eſt idem hac lege præceptum fuiſſe, quod jure quodam, ut videmus, ante legem ſervabatur: tum etiam hæc expoſitio confirmatur, quod ex hâc lege Sadducæi in Evangelio quæſtionem proponunt de ſeptem fratribus, quorum unus poſt alium eandem uxorem acceperint.

Quæritur hîc 1. quid ſi proximus recuſaret accipere, alio ex propinquis accipere parato? Videtur quod proximus liberabatur præcepto legis, eo caſu; ut factum in primo propinquo mariti Ruth, quando Boos qui erat ſecundus propinquus, accipere eam paratus E fuit. Ruth.3. & 4. Vide ibi.

Quæritur 2. quid ſi uxor laboraret ſuſpicione ſterilitatis, ut ſi pluribus annis cum viro fuiſſet non concepta prole: num eam viro demortuo debuiſſet frater uxorem ducere? Et quidem videtur ſi probabilis erat conjectura ſterilitatis, non debuiſſe, quia ceſſabat finis legis, nempè ſuſcitatio ſeminis.

Quæritur 3. quid ſi mulier diſpliceret propter aſperitatem morum, vel aliam huiuſmodi cauſam? Videtur dicendum, ſi juſta ratione diſpliceret, potuiſſe ſine peccato eam recuſare: ſalva tamen pœna legis, quam ferre debebat ut foro exteriori ſatisfaceret. Non enim veriſimile eſt Deum voluiſſe libertatem

matri-

matrimonij aſtringere, ut quis ad unam aliquam mulierem teneretur, etiam juſta ratione diſplicentum. Et ob hanc cauſam lex non cogit abſolutè, ſed interpoſita pœna liberat. Quin etiam permiſſione legis poterat quis uxorem fratris acceptam in conjugem poſtea repudiare, ſi qua cauſa legitima intercederet. A

Quæritur 4. quid ſi mulier erat alienigena? *Reſpondeo*, ſi talis erat quam liceret accipere in uxorem, utpote converſa ad cultum veri Dei, ſicut Ruth; tenebatur eam frater defuncti accipere.

ỳ.6. *Et primogenitum ex ea filium, nomine defuncti appellabit, ut non deleatur nomen eius.* Non eſt ſenſus imponendum eſſe primogenito ipſum nomen fratris defuncti (neque enim Booz filium natum ex Ruth vocavit Mahalon, ſed Obed) ſed ſenſus eſt, vocabit eum non filium ſuum, ſed filium illius defuncti; &, quod ad B eum pertinebit defuncti hæreditas, eumque in illa genealogia ſcribet patrem. Nominat autem primogenitum, ſcilicet quia reliqui naſcebantur nomine viventis, atque eius cenſebantur filij eiuſque erant hæredes.

Quæritur 5. an omnes filij quos ſequens frater gigneret, ſuſcitarentur fratri an primus tantùm? Poſterius ex hoc loco videtur; ubi dicitur. *Primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, ut non deleatur nomen eius ex Iſraël*; id eſt, primogenitus vocabitur filius fratris defuncti, tanquam patris ſui legalis; non autem fratris viventis, etſi patris naturalis. Verbi gratiâ, ſic nominandus erat N. filius Her, non autem filius Onan. Et hoc ſufficit fini & ſcopo legis, qui eſt ſuſcitare ſemẽ aliquod fratris, ut nomen eius non extinguatur. Aliud tamen C videri poteſt ex Gen. 38. ubi de Onan ſic dicitur: *Ille ſciens non naſci ſibi filios, &c.* niſi fortè lex Moyſi moderata ſit jus illud antiquum: vel hic eſſe dicatur ſenſus verborum Gen. 38. Sciens ſibi non naſci omnes filios, vel ſibi non naſci filium, ſcilicet primum. Eadem objectio naſcitur ex Ruth. 4. dicente propinquo: *Non debeo poſteritatem familiæ meæ delere, &c.* Vide annot. ibid.

CAPUT XXVI.

ỳ.5. *Syrus perſequebatur patrem meum qui deſcendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus eſt pauciſſimo numero, crevitque in gentem maximam & robuſtam, &c.* His verbis proteſtabatur is, qui primitias frugum terræ offerebat, filios Iſraël terram ſanctam non accepiſſe D jure hæreditario, ſed ex gratuita & liberali promiſſione Dei, cùm patres eorum in ea tantùm ut peregrini eſſent verſati, idque non ſine afflictione ac rerum neceſſariarum inopiâ quod ſignificatur, cùm dicitur: *Syrus perſequebatur, &c.* Syrus, id eſt, Laban, qui habitabat in Meſopotamia Syriæ, affligebat patrem meum Jacob dura ſervitute & defraudatione debitæ mercedis; quem etiam diſcedentem perſecutus eſt; Iacob autem poſtea preſſus inopiâ ciborum deſcendit in Ægyptum. Alij, ut Pagninus & Vatablus, ex Hebræo vertunt hoc modo: *Syrus peribat pater meus, aut perituus erat*, penuriâ laborabat. Et ita ſenſus eſt; Iacob qui habitavit in Syria, frumenti penuriâ laborans, ita ut metueret, ne ipſe cum ſuis conſumeretur inopiâ, ſicut dicitur Gen. 42. deſcendit in Ægyptum. Sed ſenſus eodem ferè recidit. Eſt E enim proteſtatio gratuitæ donationis terræ promiſſa.

ỳ.14. *Non comedi ex eis in luctu meo, nec ſeparavi ea in qualibet immunditia, nec expendi ex his quicquam in re funebri.* Non ſolùm non licebat de decimis quicquam in ſuos vel alienos uſus uſurpare, quantumcumque etiam in ſpeciem pios & juſtos; quin etiam ipſæ decimæ mundæ eſſe debebant, id eſt, non contaminatæ contractu alicuius rei immundæ; & ipſe quoque, qui decimas ſeparabat, debebat eſſe mundus. Atque hoc eſt quod offerens hîc proteſtatur: *Non comedi ex eis in luctu meo*, ſeu triſtitia mea, id eſt, in calamitate ſeu paupertate mea, etſi indigentia preſſus, tamen nihil ex decimis uſurpavi. Secundò, *Non ſeparavi eas in qualibet immunditia*, id eſt, ipſe immundus exiſtens, vel eas quocumque modo, aut cuiuſcumque rei contactu immundas faciens. Et tertiò, *Non expendi ex his quicquam in re funebri.* Quod Hebr. ſonat (*pro mortuo*) id eſt, nihil ex decimis ſubtraxi in uſu exequiarum, faciendo videlicet convivium in ſepultura mortui, vel aliquid ſimile. Hac igitur proteſtatione ſignificat ſe decimas offerre & mundas & integras.

CAPUT XXVII.

ỳ.5. & 6. *Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de ſaxis informibus, & offeres ſuper eo holocauſta.* De hoc altari à Ioſue poſtea ædificato, vide Ioſue 8. Fuit autem hoc altare erectum priuſquam certam ſedem accepiſſet arca Domini, & ea quæ ad tabernaculum pertinebant; atque ideo quoque jubetur tumultuariè fieri ex lapidibus impolitis & informibus, quia temporaneum tantùm futurum erat, & poſtea diſjiciendum, ne in eo poſtmodum filij Iſraël fortè adhuc ſacrificarent.

ỳ.18. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere.* Hoc peccatum referendum eſt ad præceptum, *Non accides.* Qui enim cæco ponit offendiculum, & maximè in itinere facit errare, impellit eum in vitæ periculum. Nam homo cæcus devians ab itinere, facilè poteſt incidere vel in aquam, vel in foveam, vel in feras, & alia pericula ſimilia.

ỳ.26. *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis huius, nec eas opere perficit.* Hoc univerſaliter accipiendum (*qui non permanet in omnibus, &c.*) Sic enim citat Apoſtolus ad Galat. 3. *Maledictus qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis ut faciat ea.* Quomodo etiam vertunt Septuaginta. Senſus igitur eſt, eum eſſe maledictum, id eſt, ſubiectum maledictionibus, quæ hîc enumerantur, qui opere non præſtat univerſa quæ lex præſcribit; intelligendo ea legis mandata quæ continent ſubſtantiam vitæ. Vel hoc ſenſu; Qui non ſervaverit omnia, ſic ut nuſquam peccet graviter contra aliquod eorum; vel, ut non excidat à fine legis, quæ eſt charitas Dei proximi. Maledictiones autem hîc intelliguntur temporales; ut patet ex enumeratione maledictionum infrà poſita, ubi nihil dicitur de pœna æterna; ſed tamẽ maledictiones à Chriſto Matth. 25. & alibi expreſſæ de igne æterno, fletu oculorum, ſtridore dentium, & ſimilibus, ſub iſtis maledictionibus tanquam ſub umbris & figuris continebantur. *Omnia enim in figuris contingebant illis, &c.* Similis eſt locus Iacobi 2. *Qui offenderit in uno factus eſt omnium reus.* Vide ibidem noſt. comment. & citato loco ad Gal. 3.

CAPUT XXVIII.

ỳ.12. *Et fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo fœnus accipies.* A nonnullis iſtud hoc modo accipitur, quaſi dicat, tantâ frueris bonorum abundantiâ, ut poſſis etiam exteris nationibus pecuniam dare ad uſuram; ipſe autem, utpote nullius indigens, à nullo ad uſuram accipias. Quæ expoſitio etiam ex eo confirmari poſſe videtur, quod ſuprà cap. 23. legimus permiſſum filiis Iſraël dare ad uſuram alieno. Cæterùm cùm nec in Hebræo, nec apud Septuaginta ulla ſit hîc mentio uſuræ, ſed tantùm mutui; tum etiam quod id quod peccatum eſt, divinæ benedictioni nullo modo videatur debere innecti: ideò rectiùs hoc modo ſimpliciter intelligitur ſententia. Tantâ omnium rerum copiâ afflues, ut multis gentibus mutuo dare pecuniam poſſis, ipſe autem mutuo aliundè accepto non indigeas. Sic & Cajet. Quod autem Judæi mutuum non dederint ſine uſura, id propriæ ipſorum cupiditatis fuit, non promiſſæ benedictionis.

℣.63. *Sic lætabitur* (ſcilicet Dominus) *diſperdens vos atque ſubvertens.* At ſcriptum eſt Sap. 1. *Deum non lætari in perditione vivorum.* Sed dicendum Deum hoc ſenſu in perditione & afflictione hominum non lætari, quia non vult eam per ſe, ſed tantùm ut juſta ſupplicia peccatorum: qua ratione etiam dicitur: *Lætabitur juſtus cùm viderit vindictam.* Pſalm. 57.

℣.66. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.* Senſus litteralis eſt: Eris in perpetuo diſcrimine vitæ tuæ, & in perpetuo metu vitę amittendę; imò de vita ac ſalute deſperabis. *Myſtica* autem explicatione ſatis appoſitè hoc explicant patres de Chriſto, qui eſt vita animarum, ſicut de ſe in Evangelio dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita,* ut ſit ſermo ad Judæos, tempore Chriſti, hoc ſenſu: *Vita tua,* id eſt, Chriſtus, per quem credendo vivere poſſes, *erit pendens in cruce ante oculos tuos,* tamen non credes vitæ tuæ, id eſt, non credes in Chriſtum, per quem vitam conſequi poſſes, ut hoc impletum ſit in Judæis, qua parte obdurati & excæcati fuerunt. Ita Auguſt. lib. 19. contra Fauſtum cap. 22. Athanaſ. oratione de humanitate verbi. Tertullianus libro contra Judæos. Lactant. lib. 4. cap. 18. & Leo ſerm. 8. de paſſione Domini.

CAPUT XXIX.

℣.2. *Vos vidiſtis univerſa quæ fecit Dominus, &c.* Et v. 4. *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes.* Verba exprobrantis ſunt, & eſt ſenſus: Vidiſtis mirabilia quę Dominus fecit coram vobis, & tamen ea oculis mentis non conſideraſtis, neque ad ea attendiſtis, ſic ut obediretis legi Domini. Quod autem addit Moyſes: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, &c.* nullo modo, inquit Auguſtinus, hoc diceret, niſi ad eorum quoque culpam id pertinere intelligi vellet, ne quiſquam ſe ex hoc excuſabilem putet. Simul enim oſtendit, & ſine adiutorio Domini Dei eos intelligere & obedire non poſſe oculis & auribus cordis; & tamen ſi adiutorium Dei deſit, non ideo eſſe excuſabile hominis vitium; quoniam judicia Dei, quamvis occulta, tamen juſta ſunt. Hæc Auguſt.

℣.19. *Et abſumat ebria ſitientem.* Sic editio Clementina; pridem legebatur, *aſſumat ebria ſitientem,* (ſcilicet velut ſociam.) Hebr. hoc modo habet. *Vt addat ebriam cum ſitiente.* Verſio apud Vatablum; *Vt finiatur ebria cum ſitiente.* Ipſe Vatablus hoc modo; *ita ut anteponant ebriam ſitienti.* Id eſt, inquit, non eveniant mihi iſtæ maledictiones etiamſi fecero ea, ad quæ animus meus inclinatus eſt; ita ut parti concupiſcibili animæ det primas, qui inebriatur rebus huius mundi, poſteriores autem parti rationali. Ita ille.

℣.29. *Abſcondita Domino Deo noſtro: Quæ manifeſta ſunt nobis, &c.* Non eſt legendum; *Abſcondita a Domino:* Nihil enim ab oculis Dei abſconditum eſt. Deinde nec in Hebræo, nec apud 70. additur propoſitio illa (*à*) ſed *Abſcondita Domino Deo noſtro.* Variè autem exponitur. Verus ſenſus petendus eſt ex iis, quæ ſupra cap. 27. & hoc capite dicuntur. Ibi inter alia ſic dicitur: *Maledictus qui facit ſculptile, ponetque illud in abſcondito:* rurſum; *Qui clam percuſſerit, &c.* idemque judicium, de immunditiæ peccatis ibi expreſſis. Similiter hoc capite dicitur: *Ne fortè ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. Cumque audierit, benedicat ſibi in corde ſuo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in pravitate cordis mei,* id eſt, occultè obſequar cupiditatibus meis, & tamen pax erit mihi, id eſt, nemo me puniet. Propter huiuſmodi ergo cogitationes occultas Moyſes adjecit: *Abſcondita Domino Deo noſtro,* quaſi dicat, per apoſiopeſim; Abſcondita, ſcilicet illa, & illa occulta peccata (ne dubitate) ad judicium Domini Dei noſtri pertinent, ſed ad nos nihilominus etiam pertinet, & ad filios noſtros, punire ſemper, quæ manife- A ſta ſunt & notoria peccata, ſi velimus legem Dei implere, & maledictiones eius effugere.

CAPUT XXX.

℣.11. *Mandatum hoc non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cælo ſitũ.* Senſus eſt, tibi mandatum hoc à Domino in monte datum eſt, & rurſum à me propoſitum, recitatum ac prolixè declaratũ; nihil eſt quod jam excuſes. Reſtat, ut ſuprà dixit: *ut audiamus atque opera compleamus.* Et iterum: *Vt poſſimus audire & facere quod præceptum eſt.* Quomodo autem ad hoc, auxilium à Deo eſſet petendum, declaravit capite ſuperiori, cùm exprobrando dixit: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens, &c.* Non enim alioquin B Dominus eis hoc rectè exprobraret. Tum idem etiam oſtenditur capite octavo his verbis: *Ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præſtiterunt: Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præbuerit.* Nam ſi in corporalibus nihil poterant, niſi Deo vires ſuggerente; multò magis ergo in ſpiritualibus. Vide comment. noſtra ad Rom. 10. ubi hic locus ab Apoſtolo citatur.

℣.15. *Conſidera quod hodie poſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Et infrà v. 19. *Elige ergo vitam, &c.* Vitam & bonum vitæ beatæ intelligitur, bonumque, non morale, ſed quod appetitur ut finis & beatitudo; & ſimiliter mors & malum, nempe malum miſerię: quod ex eo liquet, quia C exponit illa Moyſes per benedictionem & maledictionem. Item quia in textu dicitur: *Et vivas, atque multiplicet te, benedicatque tibi;* & rurſum: *Ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum.* Nec obſtat, quod ſubiungit: *Elige ergo vitam, &c.* quaſi proponat circa hæc electionem, cùm circa beatitudinem, quæ habet rationem ultimi finis non verſetur electio; Quod enim dicit; *Elige vitam,* ſenſus eſt, fac ea, per quæ vitam à me tibi propoſitam conſequaris, & mortem propoſitam evadas; Propoſuerat ſcilicet illa, & ante oculos poſuerat, cum longo ordine recitavit benedictiones & maledictiones.

CAPUT XXXI.

℣.2. *Centum viginti annorum ſum hodie: Non poſſum ultra egredi & ingredi. Quæritur,* quo- D modo hoc conſiſtat cum eo, quod dicitur de eo capite ultimo huius libri: *Non caligavit oculus eius, nec dentes eius moti ſunt:* quibus verbis ſignificari videtur eum in tanta ſenectute adhuc fuiſſe bona & firma valetudine. Quidam, quod hîc dicitur: *Non poſſum ultra egredi & ingredi,* tantùm referunt ad Dei prohibitionem, de qua ſequitur: *præſertim cum Dominus dixerit, &c.* Sed huic ſententiæ obſtat illud (*præſertim*) vel ut eſt in Hebr. (*præ*) per quod ſignificantur duæ rationes, cur alius ſit ſufficiendus in eius locum. Proinde, etiam omnino una cauſa ponenda eſt in eius ſenili ætate. Etſi enim non caligaret eius oculus, nec dentes illius eſſent moti, ut dicitur capite ultimo, hoc eſt, etſi bona adhuc eſſet valetudine & vivacitate ſenſuum: non obſtat tamen E quin ei deeſſet robur corporis ad tantum onus ducatus diutius ferendum, nempe ad quamvis occaſionem paratum eſſe, (ut loquitur) ingredi & egredi.

℣.28. *Congregate ad me majores natu, — & invocabo contra eos cælum & terram.* Invocare non ita hîc accipitur, ſicut ibi: *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* aut rurſum; *Quicumque invocaverit nomen Domini, &c.* nempe, quia talis invocationis cœlum & terra non ſunt capacia, cùm ſint res quædam inanimatæ. Sed intelligitur invocatio in teſtimonium, ut ſenſus ſit; Invocabo cœlum & terram teſtes contra prævaricatores. Quod ipſum tamen etiam impropriè dicitur; quia res inanimatæ propriè teſtes eſſe non poſſunt,

poſſunt, ſed teſtari ſcilicet dicuntur, tanquam ſigna A quædam perpetuò obvia, quæ rei memoriam innovent. Vocantur ergo cœlum & terra in teſtimonium, quia cùm ſint res ſtabiles & perpetuæ, ſemper ex eis ſumi poterat teſtimonium contra tranſgreſſores.

CAPUT XXXII.

℣.8. Q*Vando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſraël.* A quibuſdam ſic exponitur: Tot conſtituit gentes ſeu populos per univerſum mundum, quot numero erant capita hominum in populo Iſraël, vel ſaltem, quot ingreſſæ ſunt animę cũ Iacob ſeu Jſraël in Ægyptum, nempe ſeptuaginta. Et hinc videntur fundamentum ſuæ opinionis accipere, qui dicunt in Septuaginta B gentes & Septuaginta linguas diviſos fuiſſe eos, qui ædificabant turrim Babel: quia videlicet numerum populorum conſtituit Deus juxta numerum filiorum Jſraël ingredientium in Ægyptum. Sed ſciendum eſt, non eſſe dictum: Conſtituit numerum populorum, ſed *terminos populorum.* Proinde hoc modo rectius & ſimplicius intelligitur: Quando altiſſimus diviſit regiones, & eas aſſignavit cunctis gentibus; ita tamen terminos aſſignavit, ut certam terræ portionem ſervaret, quæ abundè ſufficeret pro numero filiorum Jſraël. Quamvis enim terram promiſſam aliæ gentes incoluerunt, illæ tamen mox ad introitum filiorum Jſraël deletæ ſunt velut alienam, populoque Dei aſſignatam terram incolentes. Significatur ergo ſumma cura & dilectio C Dei erga populum Jſraël. Septuaginta hîc legunt: *Statuit terminos populorum juxta numerum Angelorũ Dei,* Sed ſenſus litteralis idem eſt quia per Angelos Dei, filij Jſrael intelliguntur, quia à Deo in terram Chanaan deſtinati. Unde non omnino certum eſt, quod quidam inde colligere conantur, tot eſſe electos ad ſocietatem Angelorum aſſumendos, quot in cœlo remanſerunt Angeli boni, ut Greg. homil. 34. & alij nonnulli.

℣.29. *Vtinam ſaperent & intelligerent, &c.* Vide ſuprà c.5. v.29. & cap.10. v.12.

℣.31. *Non enim eſt Deus noſter ut dij eorum, & inimici noſtri ſunt judices. Quæritur* cuius rei judices? Quidam ſic: Inimici noſtri ſunt judices: id eſt, principes filiorum Jſraël dominantur eis, & pro arbitrio D ſæpe de eis judicant, vel morti, vel exilio, vel aliis pœnis eos ſubjiciendo: ubi autem inimicus judicat, nulla æquitas aut miſericordia expectanda eſt, ſed injuria vel extremus juſtitiæ rigor. Sed hic ſenſus cum iis quę precedunt vel ſequuntur non ſatis cohæret. Unde rectiùs refertur ad id quod proximè anteceſſit: *Non enim eſt Deus noſter ut dij eorum*, ut ſit hic ſenſus: Etiam ipſi hoſtes noſtri & cultores idolorum judices ſunt huius rei, quòd Deus noſter non ſit ut dij eorum, quoad potentiam & vindictæ ſeveritatem. Nempe, ipſa experientia edocti erant, Deum propter peccata populum ſuum ſæpè graviſſimè punire; & rurſum eundem pœnitentem à manibus hoſtium mirabiliter eripere; ma- E ximeque id confeſſi erant Ægyptiorum Magi, dicentes: *Digitus Dei eſt hic*: ipſeque Pharao cum ſuis dicens: *Fugiamus Iſraëlem, Deus enim eorum pugnat pro eo.*

℣.36. *Et clauſi quoque defecerunt, reſiduique conſumpti ſunt.* Clauſi intelliguntur arcibus & munitionibus; nempe quòd omnes arces expugnatæ ſunt, nulluſque relictus ſit, qui non in poteſtatem venerit. Hic ſenſus eſt apud Vatablum, idemque mihi magis placet. Nam quod alij exponunt de clauſis carcere, ea 4. Reg. 14. ſciendum eſt ibi in Hebræo non addi illud *carcere.*

CAPUT XXXIII.

℣.1. H*Æc eſt benedictio, quâ benedixit Moyſes filiis Iſraël ante mortem ſuam. Mirum* videri poteſt quare Moyſes ſolam tribum Simeon omiſerit, nullam ei attribuens benedictionem? *Reſpondent* quidam, Simeonem comprehendi ſimul benedictione Levi, ſicut & Iacob in ſuis benedictionibus eos coniunxit. Sed frivolum id eſt: nam quæ hîc dicuntur, manifeſtum eſt ad ſolam tribum Levi pertinere. Alij volunt Simeonem omiſſum, quòd ille auctor fuerit Ioſephi vendendi. Verùm & Levi in eodem crimine fuit. Proinde alia ratio quærenda eſt. Et ſunt hæ duæ. Nempe *una*, quia princeps tribus Simeon nomine Zambri fornicatus eſt manifeſtè cum Madianitide, quando in totum populum ira deſævijt; quem una cum ſcorto Phinees ex tribu Levi interfecit. *Altera*, eaque præcipua, quia per idololatriam & murmurationem nulla tribus gravius deliquiſſe videtur. Cuius rei hoc eſt argumentum, quia in prima numeratione erant quinquaginta novem millia trecenti, in poſtrema verò, annos quadraginta, tantùm viginti duo millia.

Septuaginta legunt; *Vivat Ruben, & non moriatur; & Simeon ſit multus in numero.* Sed nomen Simeonis hîc ab aliquo ſciolo inſertum eſt, ut patet ex Hebr. Chald. & Latinis: & ex melioribus 70.

℣.2. *Dominus de Sinaï venit —— & cum eo Sanctarum millia.* Hebr. eſt: *Et venit cum decem millibus ſanctitatis*, id eſt, Sanctorum. Hos Septuaginta, Angelos interpretati ſunt. Nec malè. Alibi enim quoque lex data dicitur per Angelos, ut Act. 7. ad Gal. 3. Hebr. 2. nempe quia unus primarius Angelus (quem fuiſſe puto Michaelem principem populi Dei, ut vocatur Dan. 9.) repræſentabat in legiſlatione Dei perſonam: Cæteri autem Angeli illi adſiſtebant. Vide noſtra Hebr. 2.

CAPUT XXXIV.

℣.5. M*Ortuuſque eſt ibi Moyſes.* Non ergo Moyſes huius narrationis ultimæ author eſt. Plerique Ioſue authorem faciunt. Alij Eleazarum, quod eſt veriſimilius, tam de hoc capite, quàm de Ioſue libro; in quo etiam ipſius Ioſue mors deſcribitur. Quòd verò quidam ab Eſdra dicant hæc eſſe adiecta, quando libros ſacros reſtituit (ut vult quoque Gloſſa ordinaria) puto minùs verum.

℣.6. *Et non cognovit homo ſepulchrum eius uſque in præſentem diem.* Hoc propterea factum putatur, ne populus Iſraël Moyſen coleret ut Deum, & Corpori eius divinos honores exhiberet propter excellentiam eius ſupra reliquos Prophetas, & miraculorum magnitudinem. Atque hinc orta illa altercatio inter diabolum & Michaelem Archangelũ, de qua in Epiſt. Judę dicitur, quòd contenderunt de corpore Moyſi. Nam diabolus voluit manifeſtè ſepeliri, velut ſollicitus pro honore tanti Prophetę; revera autem hoc agens, ut ea occaſione populũ adduceret ad idololatriam, Michaël autem occultè ſepeliri voluit, jubente Domino, ob cauſam ſuprà dictam. Vide noſtr. comment. in citat. Epiſt. S. Judæ.

℣.7. *Nec caligavit oculus eius, nec dentes illius moti ſunt.* Vide ſuprà c.31. v.2.

℣.10. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſraël ſicut Moyſes. Quæritur*, quomodo ergo Chriſtus dicat Luc. c.7. *Major inter natos mulierum Propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt? Reſpondeo*, non ſurrexit ultra ſicut Moyſes; nempe, ut ſubjungitur, qui ita familiariter cum Deo ageret, &c. Vide etiam ſuprà annotat. cap. 18.

FINIS DEVTERONOMII.

ANNOTA-

ANNOTATIONES
IN LIBRVM IOSVE.

CAPUT PRIMUM.

ỹ. 1. *AD Ioſue filium Nun, miniſtrum Moyſi.* Pro (*miniſtrum*) Græcè eſt λειτοῦργον, quaſi ſucceſſorem in principatu dicas. Moyſes enim jam mortuus erat, ut patet ex primis verbis huius capitis.

ỹ. 11. *Præparate vobis cibaria.* Hoc de manna intelligi non poſſe, patet, quia illud ſervari non poterat in craſtinum, multò minùs in tertium diem, quod hîc adjungitur. Proinde accipiendum eſt de aliis cibis, quorum tunc copia eſſe poterat filiis Iſraël, quia erant in terra frugifera. Neque tamen manna defecit, donec tranſiſſent Iordanem ut patet infrà cap. 5. Itaque intelligendum filios Iſraël ſimul cum manna uſos fuiſſe etiã aliis cibariis, quæ inveniebant in regionibus, per quas tranſibant, ſicut & Deut. cap. 2. dicitur, quòd filij Eſaü & Moabitæ vendebant filiis Iſraël cibaria tranſeuntibus per terram ipſorum.

Quoniam poſt diem tertium tranſibitis Iordanem. Auguſtinus in Ioſue quæſtione ſecunda: Fuit, inquit, hæc diſpoſitio quædam humana, poſtea Dei providentiâ mutata. Ita ille, ſed veriſimilius eſt Ioſue, maximè initio principatus ſui, nihil egiſſe aut dixiſſe, niſi priùs conſulto Domino. Itaque potiùs per anticipationem hæc dicta ſunt, ut intelligatur *triduum*, de quo cap. 3. verſu 1. Prior eſt enim Hiſtoria de exploratoribus, quæ deſcribitur capite proximo. In qua quidam exploratores unum diem conſumpſerunt ut minimum, antequam venirent in Iericho; deinde leguntur in montanis delituiſſe per tres dies, poſt quos demum, quàm celerrimè, quinto die redierunt ad Ioſue. Itaque per anticipationem intelligitur triduum illud, quo filij Iſraël poſt reditum exploratorum adhuc manſerunt ad Iordanem, de quo capite tertio verſu primo.

ỹ. 14. *Vxores veſtræ & filij ac jumenta manebunt in terra.* An nulli ſimul viri cum illis manſerint, vide infrà ad cap. 22.

CAPUT II.

ỹ. 1. *INgreſſi ſunt domum mulieris meretricis nomine Rahab.* Alij ex Hebræo vertunt, vocantque (*cauponariam.*) Et vox Hebræa ambigua eſt. Nam vel deducitur à voce, quæ frumenti ſpeciem certam ſignificat, & tunc mulierem cibariam, id eſt, cauponariam, ſignificat: vel à voce quæ ſignificat fornicari, & ita ſignificat meretricem. Rectiùs autem vertitur meretrix, quàm cauponaria, quia ſic Apoſtolus ad Hebræos capite undecimo, & Iacobus capite ſecundo poſuerunt vetentes nomine 70. interpr. & Septuaginta expreſsè habent πορνὴν, quod tantùm meretricem ſignificat. Pagninus tamen vertit *cauponam*, Arias *meretariam*. Eadem vox eſt Judicum cap. 11. in Hiſtoria Iephte, ubi Arias quidem ſimiliter vertit *meretoriam*, ſed Pagninus (*meretricem.*) Veriſimile eſt Rahab, & cauponariam, & meretricem fuiſſe. Nam apud gentiles, quibus ſimplex fornicatio non reputabatur peccatum, mulieres exercentes cauponariam, ſimul etiam ex proſtitutione Corporis quæſtum faciebant. Vide noſtrum Commentarium ad Hebr. c. 11. & Iacob cap. 2.

ỹ. 11. *Dominus enim Deus veſter ipſe eſt Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum.* Ecce fidem huius mulieris non immeritò commendatam ab Apoſtolo ad Hebræos cap. 11. Nec tamen ſola fide juſtificatam fuiſſe, ſed etiam ex operibus rectè oſtendit Jacobus cap. 2. Nempe quia *nuncios populi Dei ſuſcepit, & alia via tatas dimiſit.* Idem dicit & Paulus ad Hebræos 11. cum addit, *excipiens exploratores cum pace.*

CAPUT III.

ỹ. 10. *IN hoc ſcietis, quia Dominus Deus vivens in medio veſtri ſit.* Loquitur de miraculo mox futuro, tranſitus per Iordanem. Ex quo colligitur vera miracula in confirmationem erroris fieri non poſſe; alioqui enim non certò ſcirent ex hoc miraculo filij Iſraël Deum in medio ſui eſſe.

ỹ. 15. *Iordanis autem ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat.* Scilicet ut quotannis facere ſolebat, vi quadam occulta naturæ: quod etiam Eccleſiaſticus teſtatur capite vigeſimo quarto his verbis: *Qui multiplicat quaſi Iordanis in tempore meſſis:* quamquam ibidem de alio etiam fluvio dicitur: *Sicut Tigris in diebus novarum.* Collige quoque hinc, quod menſe primo meſſis erat in illa regione. Nam proximo capite dicitur, quod decimo die menſis primi populus aſcendit de Iordane. Et capite quinto quod populus ſtatim poſt tranſitum Iordanem, celebravit Phaſe, ſcilicet *decima quarta menſis primi ad veſperam.* Vide Exodi 13. ubi primus menſis vocatur quoque menſis novarum frugum, & Ioannis 18. ad illud: *Frigus erat.* v. 18.

CAPUT IV.

ỹ. 9. *ALios quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alvei.* *Quæritur* quid opus fuerit præter duodecim lapides priores repoſitos in loco caſtrorum; etiam hos erigere in ipſo Iordane? Quod ad litteram attinet, voluit Ioſue apud poſteros relinqui multiplicem memoriam beneficiorum Dei Patribus exhibitorum. Et propterea intelligendum eſt, quod lapides iſti in Iordane erecti tam magni erant, ut ſuper aquas extarent. Nam alioqui pro ſigno eſſe non poterant, ſi conſpici non poſſent.

Myſticè autem ſignificantur duo teſtamenta. Nam duodecim lapides priores repoſiti ſunt in Galgalis, ubi populus circumciſus eſt, quo ſignificatur vetus teſtamentum. Circumciſio enim ſignum eſt fœderis inter Deum & populum veterem. Poſteriores autem lapides in Iordane poſiti ſunt, in quo Chriſtus baptiſatus eſt, & proinde baptiſmum ſignificat, qui ſignum eſt & Sacramentum novæ legis. Igitur duodecim lapides priores ponuntur in loco circumciſionis, ut teſtes veteris teſtamenti, & ſignificant duodecim Patriarchas: poſteriores verò duodecim lapides ponuntur in loco baptiſmi, ut teſtes novi teſtamenti & ſignificant duodecim Apoſtolos, novi teſtamenti præcones.

CAPUT V.

ỹ. 1. *ET cuncti reges Chanaan.* Septuaginta habent, *reges Phœnicia.* Sed id mirum non eſt. Nam & mulier quæ Marci 7. vocatur Syrophœniſſa, à Matthæo c. 15 appellatur Chananæa. Ex quo apparet eoſdem fuiſſe Chananæos ſacris litteris, & Phœnices prophanis. Nam & Phœnices celebrantur

tur ut egregij negotiatores, ſicut & Chananæi in ſacris litteris Proverb. 31. Iob 4. Iſai. 23. Oſeæ 12. Zachariæ 14. ita ut mercator ſoleat vocari Chananæus.

℣.2 *Ait Dominus ad Ioſue: Fac tibi cultros lapideos.* Hebraïcè eſt; *cultros acierum*, id eſt, cultros acutos. Et Chaldæus ſimiliter exponit *novaculas acutas*. Septuaginta vertunt, *cultros petrinos*, ſeu lapideos. Id autem etſi ab Hebræo diſcrepet, tamen & in ſcriptura fundamentum habet, & magnum myſterium continet. Quantum ad *prius*, legimus Exodi 4. quod, cum Angelus Domini Moyſen interficere vellet in via, tulerit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumciderit carnem præputij filij ſui. Utrum autem Iſraelitæ ex more uſi ſint cultello lapideo, an ferreo, non ſatis conſtat: Hodie dicuntur uti ferreo. Quod autem ita verterunt Septuaginta, non eſt putandum carere myſterio. Nam per cultros petrinos, quibus dicitur facta circumciſio, ſignificatur illa petra, de qua Apoſtolus 1. Corint. 10. *Petra autem erat Chriſtus*, per quem fit in nobis circumciſio, non carnis, ſed quæ per eam ſignificatur, circumciſio cordis: Arias vertit, *petraceum*. Et fortè uſi ſunt culteris petrinis, quod ferrei non eſſent tot multitudini ad manum, ſicut etiam videri poteſt de Sephora: aut quia ex conſuetudine utebantur culteris petrinis, ſicut & Indi Occidentales nuper inventi arte acuunt petras, ut ſcindant inſtar acuti ferri.

Et circumcide ſecundo filios Iſraël. Non eaſdem perſonas ſecundo, ſed ut eſſet hæc ſecunda circumciſio ſolemnis populi, ab ea quæ facta fuerat in Ægypto, ut contextus apertè docet. Intermiſſa autem fuerat circumciſio in deſerto; nempe quia nunquam certi erant quamdiu in aliquo loco conſiſterent; dolor autem circumciſionis requirebat certorum dierum quietem. Cæterùm rectè ne an ſecus tanto tempore fuerit intermiſſa circumciſio; &, utrum omnes illi qui per id tempus non circumciſi diſceſſerunt, perierint? Vide noſtra 4. ad 3. diſtinctionem.

℣.9. *Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis.* Opprobrium appellat præputiatum eſſe; quod licèt etiam aliis gentibus eſſet commune, tamen ſpecialiter ſcriptura vocat opprobrium Ægyptiorum; tum quia Idumæi, & vicini ex poſteris Abrahæ, veriſimiliter putantur etiam fuiſſe circumciſi; tum quia ſpecialiter Iſraëlitarum Patres verſati inter Ægyptios, opprobrij proverbium hoc inter ſuos reliquerant.

℣.12. *Defecitque manna poſtquam comederunt de frugibus terræ. Myſticè* ſignificatur per *allegoriam* quidem; poſtquam per Chriſtum introducta eſt lex nova, ceſſare figuras & umbras veteris teſtamenti: per *anagogiam* vero, quando Chriſto ductore, pervenerimus in patriam cæleſtem, terramque viventium, per terram promiſſionis ſignificatam, ceſſaturum manna quo in deſerto huius peregrinationis interim reficimur, etſi eximium; ſcilicet Euchariſtiæ Sacramentum, prædicationem verbi, cæteraque Sacramenta & ſubſidia huius vitæ; nimirum ſuccedente pane cæleſti, id eſt, perfecta fruitione Dei in Chriſto. Significatur ergo, etiam ad litteram filios Iſraël aliquid melius adeptos, quando deficiente manna, cœperunt veſci bonis terræ. Non ergo verum videtur, quod propriè loquendo manna continebat in ſe omnem ſaporis ſuavitatem, & quod cuique convertebatur ad ſaporem quemcumque volebat: Sed hæc dicta eſſe eo ſenſu, quem reperies ſuo loco Sapient. cap. 16.

℣.13. *Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondit: Nequaquam.* Subaudi, ſum adverſariorum. *Sed ſum princeps exercitus Domini.* Hunc fuiſſe Michaëlem Archangelum populi Iſraëlitici principem & cuſtodem, planè credibile eſt. Ille enim Dan. cap. 10. & 12. expreſsè princeps illius populi vocatur. Vide etiam de ea re, Exodi cap. 23. v. 20.

℣.16. *Solve*, inquit, *calceamentum tuum de pedibus tuis.* Vide ſimilem locum Exodi 3.

CAPUT VI.

℣.2. *Dixitque Dominus ad Ioſue.* Scilicet per Angelum principem exercitus Domini: Continuata eſt enim narratio cum fine capitis præcedentis.

℣.5. *Et muri funditus corruent civitatis.* Hebr. *Et cadet murus civitatis ſub ſe*, quaſi dicat, abſorbebitur à terra, ita ut mœnibus ſolo æquatis, ſine impedimento poſſitis perrumpere in civitatem. Hoc enim ſequitur: *Ingredienturque ſinguli per locum contra quem ſteterint*, quod & factum narratur v. 20.

℣.9. *Reliquum vulgus arcam ſequebatur.* Hebr. *Et colluvies ibat poſt arcam Domini*, id eſt extremum agmen, quod erat tribus Dan. Ita hoc explicat Scholion Vatabli ex Num. 10.

℣.15. *Sic fecerunt ſex diebus: Die autem ſeptima, &c.* In his diebus etiam Sabbatum haud dubie comprehendebatur. Nec tamen propterea diſpenſationem Sabbati hîc factam oportet. Non enim hoc erat ex operibus in lege Sabbati prohibitis; tum quia opus erat directè ordinatum ad Dei virtutem in ſubverſione illius civitatis declarandam.

℣.26. *In tempore illo imprecatus eſt Ioſue dicens: maledictus vir coram Domino, qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Iericho. In primogenito ſuo fundamenta illius jaciat, & in noviſſimo liberorum ponat portas eius.* Hæc verba Ioſue non tantum imprecatoria ſunt, ſed & prophetica, quibus prædicitur quid eventurum ſit illi qui Iericho reædificaret. Impletum eſt autem tempore Achab regis Iſraël, ut habemus 3. Reg. 16. *In diebus illis ædificavit Hiel de Bethel Iericho: in Abiram primitivo ſuo fundavit eam, & in Segub noviſſimo ſuo poſuit portas eius.* Senſus autem eſt. Quando incepit eam reædificare, ponendo fundamenta murorum, mortuus eſt primogenitus eius, atque ita deinceps alij eius filij ordine extincti ſunt, interim dum civitas ædificatur, donec appenderentur portæ eius, quod eſt complementum operis, & tunc mortuus eſt filiorum noviſſimus.

CAPUT VII.

℣.1. *Filij autem Iſraël prævaricati ſunt mandatum; & uſurpaverunt de Anathemate. Nam Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda tulit aliquid de Anathemate.* Eſt enallage numeri, ſicut ibi: *Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Matth. 2. *& Latrones qui crucifixi erant cum eo, blaſphemabant.* Matth. 27. & alibi ſæpè. Ita hîc, cum ſolus Achan de Anathemate tuliſſet, dicuntur filij Iſraël uſurpaſſe de Anathemate.

Nota tamen quod veriſimile ſit etiam domeſticos eius fuiſſe criminis conſcios & participes. Neque enim videtur ſolus Achan potuiſſe facere totum hoc, quod ſcriptura de eo ſcribit, quodque ipſe confitetur, ſine ope domeſticorum; qui veriſimiliter erant filij eius & filiæ, poſtea ſimul cum eo interfecti. Et ideo fortè dictum eſt plurali numero: *Filij autem Iſraël prævaricati ſunt mandatum.* Quod autem ſequitur: *Iratuſque eſt Dominus contra filios Iſraël:* propriè eſt accipiendum. Non enim contra ſolum Achan iratus eſt, ſed & contra alios. Nam triginta ſex viri propter hanc prævaricationem corruerunt in prælio, & poſtea ſimul cum Achan filij eius & filiæ jubente Domino interfecti ſunt. Cæterùm ex hoc loco oſtenditur interdū totam aliquam communitatem ſeu rempublicam puniri à

Deo

Deo propter unius hominis etiam occultum peccatum, A maximè ſi velit illud poſtea manifeſtare; ut omnes intelligant quàm grave peccatum, quod tam gravem meretur vindictam. Quærit S. Auguſtinus quomodo juſtè unius peccatum in aliis vindicetur, cum in lege dictum ſit Deuteronomij 24. *nec patres pro filiorum, nec filios pro parentum peccatis eſſe puniendos?* Reſpondet ipſe, legem illam hominibus prolatam fuiſſe, quibus prohibetur ne alterum pro altero puniant, ſed unumquemque judicent ſecundum propria merita. Unde inquit, ſi e Achan ab aliquo homine deprehenſus fuiſſet, & ad judicium Ioſue fuiſſet adductus, nequaquam putandum eſt, quod Ioſue vel pro illo, vel cum illo quemquam alium, qui ſocietate facti non teneretur, fuiſſet puniturus. Dei autem judicia non ſunt eiuſmodi, qui viſibiles pœnas etiam tum juſtè diſpen- B ſat, quando aliorum peccata in aliis ulciſcitur, maximè cum univerſum humanum genus propter tranſgreſſionem primorum parentum, morti & afflictionibus huius vitæ apud juſtum judicem Deum ſit obnoxium. Quod autem Ioſue vindictam hanc fecerit authoritate Dei jubentis patet, quia Deus dicit: *Comburetur igni cum omni ſubſtantia ſua.* Quod Ioſue intellexit etiam de filiis & filiabus. Hebraïcè; *& omnia quæ ei*, qui ſermo generalis eſt etiam ad liberos.

Fatendum tamen ordinariè Deum non punire communitatem aliquam propter peccatum omnino occultum unius vel paucorum, cui neque actu neque habitu communitas conſentiat. Poſſe tamen Deum hoc facere non eſt dubium, cum ipſe ſit Dominus abſolutiſſimus C totius creaturæ, & præterea nemo apud eum ſit innocens, ut Moyſes ait, propter reatum noxæ originalis.

Item nota quod Deus propriè non punivit populum pro peccato Achan, quod erat à populo prorſus alienum, ſed occaſione illius peccati, quod volebat proferri in publicum, punivit populum pro ſuis peccatis.

℣.7. *Vtinam, ut cœpimus, manſiſſemus trans Iordanem.* Hoc non dixit Ioſue per incredulitatem promiſſorum Dei, ſicut murmuratores aliquoties in deſerto, dicentes, *Vtinam manſiſſemus in Ægypto*: ſed ſignificat, quid pro tempore melius eſſe judicaverit, nec ideo diffidit promiſſis Dei, quia ſciebat, quod Deus etiam paucis tantum ſervatis, in reliquis poſſit implere ſua promiſſa. Ideo & perſiſtit orare dicens: *Et quid facies magno nomini tuo?* quaſi dicat. Futurum alioqui eſt, D ut nomen tuum inter gentes blaſphemetur, & malè audiat dum dicent: Ecce non potuit præſtare Deus ille ſua promiſſa. Et nota, Sanctos in ſuis orationibus in primis ante oculos habere glorificationem nominis divini, prout ipſe Chriſtus Dominus nobis præcepit, ut primo loco hoc ab eo petamus: *Sanctificetur nomen tuum.*

℣.15. *Comburetur igni cum univerſa ſubſtantia ſua.* At infrà dicitur; *Lapidabitque eum omnis Iſraël.* Ut hæc concilientur, ſciendum eſt, quod poſtquam lapidatus fuit, deinde combuſtus eſt, id eſt, combuſtum cadaver eius, cum omnibus quæ ipſius fuerant. Quod & ſentit Hieronymus lib. 1. contra Pelag. cap. 12. At dices. Si Achan lapidatus fuit, filij autem eius & filiæ vivæ combuſtæ (hoc enim ſcriptura ſignificare vide- E tur, enumerans filios & filias inter ea quæ combuſta ſunt) ergo graviori ſupplicio illi perierunt; quàm pater. *Reſpondendum* apparet ex Hebræo textu, omnes fuiſſe lapidatos, ac poſteà ſimul igne conſumptos, & redactos in cineres. Sic enim habetur in Hebr. *Et lapidaverunt eum omnis Iſraël lapidibus, & combuſſerunt eos igni, & lapidaverunt eos lapidibus, & erexerunt ſuper eum acervum lapidum.* Ubi illud ſecundum, pluraliter dictum (*Et lapidaverunt eos*) ſimiliter omnino videtur accipiendum, ſicut prius, nempe quòd & filios lapidaverunt lapidibus, ſicut patrem antequam comburerentur.

℣.19. *Da gloriam Domino Deo Iſraël.* Quaſi dicat; agnoſce peccatum tuum, & juſtum Dei judicium, qui peccatum tuum ſatis jam prodidit; & dic: *Iuſtus es Domine.* Similis locus eſt Ioan. c. 9. & Apocal. 10. & 16.

CAPUT VIII.

℣.2. **P**One *inſidias urbi poſt eam.* Hic locus ſatis oſtendit inſidias in bello quod juſtè geritur, adverſus hoſtes non eſſe illicitas. Nam ſi illicitæ eſſent, non eas Deus fieri præciperet. De qua re ita Auguſtinus in quæſtionibus huius libri: Cùm juſtum bellum quis ſuſceperit, utrum apertâ pugnâ, an inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt. Si *quæras*, an igitur fallere liceat hoſtem, & fraude eum circumvenire? *Reſpondetur*, duobus modis aliquem falli contingit. Vel quia falſum ei dicitur, velut dum non ſervatur, quod promiſſum vel juratum eſt. Et hoc modo fallere hoſtem non licet, multò minus quemcumque alium. Ratio manifeſta eſt, quia mendacium, perfidia, perjurium, ſemper peccata ſunt. Deinde fallitur hoſtis, dum verum occultatur, & conſilia abſconduntur, per quod fit, ut adverſarius decipiatur. Atque hic modus deceptionis vel inſidiarum licitus eſt. Non enim tenetur quiſque ſecreta ſua alteri revelare, multò minus hoſti. Quod ergo legitur Ioſue cum ſuis ſimulaſſe metum & fugam, non intelligi debet aliqua falſitas in facto, ſed receſſerunt, ſicut ſolent metuentes & fugientes, ex quo eorum facto decepti ſunt hoſtes, exiſtimantes eos vere metuere & fugere.

℣.32. *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi.* Non ſcripſit totum librum Deuteronomij. Id enim & difficulter ſuper lapides fieri poterat, & minimè erat neceſſarium. Nam multa in Deuteronomio habentur, quæ ad populum non multum pertinent, ſed intelligitur de Decalogo reperito Deuteronomij cap. 5. Nempe (*Deuteronomium*) legem ſecundò repetitam ſignificat. Fortè etiam inſcriptæ erant benedictiones & maledictiones; quòd illæ vel maximè pertinerent ad populum in officio & religione continendum.

CAPUT IX.

℣.3. **A**D *indicium vetuſtatis pittaciis conſuta erant.* Sic Sixtina Biblia per duplex tt, (*pittaciis*) nam antea (*pictaciis*) legebatur, per c. ſecundam conſonantem, ſyllaba priori. Et quidem etiam in edicto Theodorici regis lege 126. fit mentio pictatiorum per c. ſecundam conſonantem in ſyllaba prima; ſed in Calepino ex Celſo ſcribitur per duplex tt, *pittacium*, ut nunc eſt in Bibliis Sixtinis, & accipitur ibi pro modico panno. Vide an fortè ab hoc vocabulo deductum ſit illud Gallicum & Italicum pettia, & petiare & repetiare.

℣.14. *Et os Domini non interrogaverunt.* Scilicet, ut tenebantur, etiam ipſe Ioſue juxta expreſſum mandatum Domini, ut patet Num. cap. 27. v. 21.

℣.21. *Vt in uſus univerſæ multitudinis ligna cædant, aquaſque comportent.* Latè hæc verba patent, ſed Ioſue paulò pòſt verſu 23. ea mitigat dicens: *Et non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens, aquaſque comportans in domum Dei mei.* Et erat hoc ſimul in uſum univerſæ multitudinis, quod in cultum Dei impendebatur. Et conveniebat illis hæc mitis maledictio (Ioſue enim maledictionem vocat perpetuam ſervitutem) nempe quia venerant hi (ſaltem ut dicebant) *In nomine Dei Iſraël* pacem petentes & amicitiam cum Dei populo: nec mentiti ſunt ſtudio nocendi, ſed tantùm ex metu ne interficerentur. Sed nec maledictio illa ſine benedictione fuit: maledictio quidem erat, quia vilibus & ſervilibus operibus deputabantur: benedictio verò, quia miniſteria faciebant in domo & ad

culum

cultum Dei hac in parte ſimiles Levitis.

℣. 19. *Iuravimus ei in nomine Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere.* *Quaſtio* eſt, utrum Ioſue & principes populi Iſraëlitici ita fuerunt obligati jurejurando de Gabaonitis ſervandis, ut retractare illis non liceret? maximè cum fraus & dolus nemini debeant patrocinari? Adde quod juramentum illud videatur fuiſſe contra præceptum Dei, qui Num. 33. præceperat omnes illius terræ habitatores interfici? *Reſpondeo*, propter reverentiam divini nominis in quo juraverant, omnino ſervandum erat hoc juramentum; quia tametſi decepti eſſent à Gabaonitis, mentientibus ſe de longinquo veniſſe, non tamen ſub conditione, ſed ſimpliciter illis juraverant, nulla conditione interpoſita. Neque fraus illorum eis patrocinata eſt propriè, ſed juramentum Iſraëlitarum. Quod autem ad præceptum illud Dei attinet Num. 33. non debuit illud omnino generaliter accipi (nam & Raab jam ante ſervata fuerat cum tota familia) ſed ad eos tantum pertinebat qui populo Iſraël repugnarent, vel ſaltem in idolorum cultu permanerent; ideo enim hoc præceptum fuit, ne per eorum ſocietatem filij Iſraël ad idololatriam abducerentur. Gabaonitæ autem, ut ex eorum excuſatione patet, agnoverunt potentiam Dei Iſraël, & in ejus nomine ſe veniſſe dicebant. Denique ipſe Dominus approbavit ſententiam Joſue, qua, ut eſt 2. Reg. 21. propter afflictionem Gabaonitis illatam à Saüle, famem indixit in terram per tres annos. Vide Annot. ibid. Atque hæc eſt ſententia D. Auguſtini in quæſt. hujus libri. q. 9. & 10.

Et ipſi principes, inter quos erat Joſue, putabant ſe fore perjuros, ſi eos occidiſſent; ajunt enim: *Reſerventur quidem ut vivant ne contra nos ira Dei concitetur, ſi pejeraverimus.* Et de Joſue peculiariter additur: *Fecit erga Ioſue ut dixerat, & liberavit eos de manu filiorum Iſraël ut non occiderentur.* *Quæritur* an ſine hoc juramento potuiſſent occidi, quandoquidem neque rebellabant, neque videbantur permanſuri in cultu idolorum? *Reſpondeo*, non tenebantur Iſraëlitæ eis credere dicentibus ſe veniſſe in nomine Dei Iſraël, poterat enim hoc ſubdolè ab eis fieri. Sed rei veritate comperta non apparet ex Dei præcepto eos debuiſſe occidi.

CAPUT X.

℣. 12. S*Ol contra Gabaon non movearis, & luna contra vallem Ayalon.* Solem & lunam alloquitur, non quod animata ſint corpora, uti docuit Origenes, ſed eo ſchemate ſermonis quo Moyſes Deut. 32. cœlum & terram alloquitur, dicens: *Audite cœli quæ loquor, audiat terra &c.* Vel certè ad ſignificandam vim imperij divini, cui perinde aſtra & cætera inanimata obtemperant, ac ſi imperata mente perciperent. Sic & Chriſtus increpat mare, dicens: *Tace, obmuteſce*, Marci 4. Non ſunt audiendi hoc loco Hebræorum quidam, qui exiſtimant ſolem & lunam revera non ſtetiſſe, ſed quod viſi fuerint ſtetiſſe, idque ob brevitatem temporis quo Iſraëlitæ hoſtes ſuos devicerunt; quod quidem alioqui erat negotium multorum dierum: quaſi ſenſus eſſet, da Domine ut tam brevi temporis ſpatio ulciſcamur nos de hoſtibus noſtris quanto ſol hodie ſtabit ſupra hemiſphærium. Cæterum Hebræorum doctiores, & Chriſtiani omnes interpretes revera intelligunt ſolem immotum ſtetiſſe per integrum diem, & ſimiliter lunam. Utpotè additur: *Non fuit antea & poſtea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſraël.* Ubi *obediente* idem eſt quod acquieſcente. Vide Dionyſ. Carthuſ. de hac ſtatione ſolis, & quomodo comparanda ſit cum prolongatione diei ſub Ezechia, & uter dies fuerit longior.

℣. 13. *Steteruntque ſol & luna &c.* Sciendum ad vocem Joſue ſtetiſſe totum curſum cæleſtium corporum

A rum, ita ut unius diei ſpatio nulla ſydera loco moverentur, ſed omnia quieſcerent ſervantia eumdem ad ſe mutuo ſitum: Ita illa ſolis ſtatio nullam aſpectuum, conjunctionis aut oppoſitionis aſtrorum diverſitatem adduxit. Et hinc oſtenditur falſum quod tradunt quidam Naturales: ſi cælum ſtaret, nullum fore motum in mundo inferiori. Niſi fortè reſpondeant, miraculosè motus inferiorum continuatos fuiſſe ſine motu cæli. Sed id gratis diceretur. *Sed quare* præter ſolem, ſolam lunam nominavit? *Reſpondeo*, quia ſol & luna ſunt duo majora cæli luminaria omnibus notiſſima, quæque in ſermone quo mentionem facere volumus de luminibus cæli, fere ſolemus conjungere. Item quia hæc duo tunc erant conſpicua; ſol enim jam

B pervenerat ad eam cæli regionem, quæ aſpicientibus erat ſupra Gabaon, luna vero ſupra vallem Aialon, cæteræ ſtellæ non apparebant. Adde quod, peculiari ſermone, Hebraicè ſententia bimembris reddita eſt, ut in Pſalmis & Proverbiis & ſæpe in prophetis.

Sed cur Joſue tam magnum, inſolitum & univerſale miraculum poſtulavit à Deo, cum ſufficeret minus aliquod, ut lapides grandinis ſupra hoſtes majore copia immitti, vel ut adderet Iſraëlitis robur & velocitatem, ut hoſtium gladios in ſe invicem converteret, vel certè ut modum victoriæ permitteret divinæ voluntati? *Reſpondeo*, credibile eſt hoc eum poſtulaſſe divino inſtinctu. Ratio autem hujus miraculi petendi eſſe potuit, quia magis pertinebat hoc miraculum ad Dei nomen glorificandum; ſcilicet eò magis,

C quò magis rarum, ſublime, & univerſale erat. Rarum, quia numquam aliàs hoc factum legitur (nam quod 1. Paralip. 4. legitur, *qui ſtare fecit ſolem*, proprium nomen viri eſt.) Sublime, quia in cælo ſtellato. Univerſale, tum quia in univerſo mundo cæleſti (nam totus cæli globus conſtitit) tum quia tale erat, quod per totum terrarum orbem cognoſci potuerit & cognitum fuerit, licet cauſa miraculi non omnibus innotuerit, ſed tantum regionibus circumjacentibus, ac fortè etiam quibuſdam remotioribus. An autem huc referenda ſit illa Græcorum fabula de Jove longam noctem ſibi faciente ut cum Alcmena concumbens Herculem gigneret, quæri poteſt; id enim ſunt qui ſuſpicentur. Sed non apparet. Non enim Græciæ à Syria

D tanta diſtantia eſt, ut diei protelatæ apud Syros, longa nox reſponderet apud Græcos, ſed magis apud hos quoque diei ad duplum extenſæ memoria exſtare deberet. Cur autem non exſtat; niſi quia uſque ad res geſtas tam antiqui temporis nec hiſtoria Græcorum nec memoria pertingit? Quod quidem Lucretius teſtatur hoc verſu. Cur ſupra bellum Thebanum & funera Trojæ, Nil aliàs alij quidquam cecinere Poëtæ? Vide & Tacitum initio ſuæ hiſtoriæ agnoſcentem quàm ſint recentes res Græcorum. Vide & Thucydidem. Quæri hîc poteſt, an ſtatus ſolis verum fuerit miraculum, cum id non ſuperaverit vires naturales intelligentiæ creatæ ceſſantis à movendo? S. Thomas lib. 3. con-

E tra Gentes cap. 101. & 102. numerat inter miracula, quæ nullo modo fieri poſſunt per naturam. Idem confirmavimus in noſt. Comment. lib. 2. ſ. 16.

Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum? Quis ſit iſte liber, ignoratur, vide Liranum. Sed nihil certi aut ſolidi adfert. Docendum arbitror librum intercidiſſe, in quo fortè continebantur egregia facta præſtantium virorum, qui Deo placuiſſent.

CAPUT XI.

℣. 6. E*Quos eorum ſubnervabis, & currus igne combures.* Subnervare eſt nervos incidere. Intelliguntur autem nervi qui ſunt in flexura poſteriorum crurium. Unde quidam vertit, *ſuffragines incides.* Si *quæras*, quare Dominus hoc præceperit? *Reſpon-*

A deo, ne filij Iſraël poſthac equis illis uterentur in bello, & in iis fiduciam ponerent, ſed potiùs tali ſubſidio carentes, diſcerent in Deo præcipuè fiduciam & ſpem victoriæ collocare. Et propter hanc cauſam prohibetur Deuteron. 17. Ne rex ſuper filios Iſraël conſtituendus, multiplicet ſibi equos. Unde etiam huc loco additum eſt; *Et currus igne combures*, ut diſcerent canere cum Pſalmiſta Pſal. 16. *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini.* Non ſunt autem equi juſſi occidi, ſed tantùm ſubnervari, quia ſubnervati quamvis ad bellum eſſent inepti, poterant tamen utiles eſſe ad agriculturam, & alia opera facienda.

℣. 19. *Non fuit civitas, quæ ſe traderet filiis Iſraël, præter, &c.* Pridem legebatur cum negatione (*quæ ſe non traderet*) ſed rectè negationem ſuſtulit correctio Sixtina. Ita enim legendum eſſe, primò ex Hebræo B oſtenditur, ubi ſic legitur: *Non fuit civitas quæ pacem obtulerit filiis Iſraël.* Deinde ſequentia hoc idem demonſtrant. Sequitur enim; *Præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon.* Atqui Gabaonitæ tradiderunt ſe, &, ut eſt in Hebræo, pacem inierunt cum filiis Iſraël. Conſequens igitur eſt, nullam fuiſſe aliam civitatem, quæ ſe traderet. Id quod adhuc manifeſtius declaratur verbis ſequentibus. Subjungitur enim: *Omnes enim bellando cepit, &c.*

℣. 20. *Domini enim ſententia fuerat, ut indurarentur corda eorum.* Quomodo hic locus nihil ſuffragetur blaſphemiæ Calvini, qui dicit Deum propriè loquendo indurare, & proinde authorem eſſe peccati: Vide Exod. 9. v. 12.

CAPUT XII.

C ℣. 1. HI *ſunt reges quos percuſſerunt filij Iſraël.* Nuſquam in tota hac hiſtoria legitur, aliquos metu Iſraëlitarum profugiſſe è Palæſtina in alienas terras. At neque liber Sapientiæ tale aliquid memorat. Quare utrum factum ſit, dubitari poteſt. Interim refert ex Procopio Evagrius lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 18. Mauriſios gentem Libyæ, ejectos Palæſtinâ in Libyam demigraſſe, quo tempore Joſue cum ſuis Hebræis eam terram invaſit. Idque probat ex Epigrammate, quod literis Phœnicum duabus columnis ejus regionis inciſum legiſſe ſe dicit hujuſmodi: Nos ſumus qui à facie Joſue latronis, filij Nave, fugimus.

D ℣. 23. *Rex gentium Galgal unus.* Pro (*gentium*) quidam vocem Hebræam (*Gobim*) relinquunt; quaſi ſit nomen proprium urbis aut loci, ſiti in vel juxta Galgal. Idem fecerunt Septuaginta Interpretes. Verùm quia loci ipſius fit nominatio in ſequenti vocabulo Galgal, melius videtur appellativè ſumi (*Gobim*) in notiſſima ſignificatione gentium, ut ſit ſenſus: Rex gentium ad Galgal habitantium, unus. Et ideò fortè de illo rege ſic loquitur ſcriptura, quòd non regnaret in aliqua civitate, ut cæteri, quos memorat, ſed quòd populus ei ſubditus ſparſim habitaret circa regionem, quæ Galgal dicebatur. Et nota quod Judicum 4. v. 2. habetur quoque Haſeroth gentium, fortè ſimili quopiam ſenſu.

CAPUT XIII.

E ℣. 1. SEnuiſti & longævus es, terraque latiſſima derelicta eſt, quæ nondum ſorte diviſa eſt. Tres potiſſimùm cauſæ ſunt, quare complures civitates, & loca terræ promiſſionis non fuerint expugnata à filiis Iſraël ſed relictæ fuerunt multo tempore in poteſtate & poſſeſſione hoſtium. Prima, quia Iſraëlitæ nondum erant tanto numero, ut totam terram ſibi promiſſam incolere poſſent. Sic Exod. 23. *Non ejiciam eos à facie tua anno uno, ne terra in ſolitudinem redigatur, & increſcant contra te beſtiæ, &c.* Secunda cauſa, ut filij Iſraël habentes hoſtes ſibi vicinos, & in eadem terra commorantes, exercerentur ad prælium, & non igna-

A viâ torpeſcerent & luxu diffluerent in vitia, ut ſolent, qui longa pace fruuntur. Tertia, ut ſolliciti eſſent, de ſervandis Dei mandatis; quia quando à Dei cultu recedebant, mox affligebantur ab hoſtibus vicinis; quando autem convertebantur ad Dominum, iterum fiebant ſuperiores. Et has duas cauſas aſſignat ſcriptura Judic. 3.

℣. 3. *Terra Chanaan quæ in quinque regulos Philiſthiim dividitur.* Obſerva, quòd terra Philiſthiim, etſi comprehenſa fuerit intra terminos terræ promiſſæ, nunquam tamen legitur ab Iſraëlitis poſſeſſa, non ob defectum Dei promittentis, ſed quia filij Iſraël per ignaviam ceſſaverunt à labore expugnandi eos, quorum terra promiſſa eis fuerat, & poſteà, quando voluerunt, non potuerunt eos expugnare. Id quod in Phi- B liſthæis maximè declaratum eſt; quos tamen tandem David ſibi tributarios reddidit. Et ſimiliter Sidon, de qua verſ. 4. & 6. non videtur unquam fuiſſe habitata à filiis Iſraël; & alia nonnulla loca quæ Scriptura commemorat. Vide 1. Reg. 7.

℣. 33. *Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio ejus.* Quid hoc ſit; *Quoniam Dominus Deus Iſraël ipſe eſt poſſeſſio ejus*, explicatur hoc eodem capite verſ. 14. his verbis; *Tribui autem Levi non dedit poſſeſſionem, ſed ſacrificia, & victimæ Domini Dei Iſraël, ipſa eſt ejus hæreditas.* Per hoc ergo, quod dicitur, *Dominus Deus Iſraël eſt poſſeſſio ejus*, non ſignificatur quòd omninò ab omni poſſeſſione rerum temporalium excludi debebat; ſed quòd ea quæ offeruntur ad honorem Dei, ſive ſint ſa- C crificia, ſive decimæ, ſive primitiæ, ad jus Levitarum & ſacerdotum pertineant. Et quia etiam habitatione indigebant & loco ad paſcendum primogenita pecorum, quæ illis offerebantur; hinc neceſſariò etiam urbes illis aſſignabantur ad habitandum, & ſuburbana, ad alenda pecora.

CAPUT XIV.

℣. 7. NUnciavique ei quod mihi verum videbatur. Subindicat Caleb quod alij exploratores non omninò ex veritate nunciaverint, de quo vide pleniùs Num. 13.

℣. 12. *Da ergo mihi montem iſtum quem pollicitus eſt Dominus.* Ubi ſpecialiter de hoc monte Caleb pro- D miſſum ſit, non legitur, ſed dicendum eſt, nihilominùs verum dicere Caleb, maximè quod diceret hæc coram Joſue, horum omnium optimè conſcio, tum etiam in promiſſo Dei per Moyſen, quod habetur Numer. 14. videtur hoc includi. Sic enim ibi legitur: *Servum meum Caleb, qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc quam circuivit, & ſemen ejus poſſidebit eam*, quaſi dicat, ille ſpecialiter quamcunque viriliter expugnaverit portionem, meritò poſſidebit.

℣. 13. *Et tradidit ei Hebron in poſſeſſionem, atque ex eo fuit Hebron Caleb uſque in præſentem diem.* Quomodo hæc conſiſtant cum eo quod infrà cap. 21. Hebron cum ſuburbanis ejus datur filiis Aaron, vide ejus loci Annot.

E ℣. 15. *Nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe, Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt.* Civitas Arbe, id eſt, *civitas quatuor.* Sic quidam eam civitatem dictam putant, propterea quod ibi ſepulti ſint quatuor primarij Patriarchæ, videlicet Adam, Abraham, Iſaac, & Iacob, cum uxoribus Eva, Sara, Rebecca, & Lia. Alij propter quatuor gigantes ibi ſepultos. Alij denique dicunt, Arbe, eſſe proprium nomen viri, qui in ea civitate regnaverit, & ab eo civitatem appellatam Cariath-Arbe. Et hæc ſententia maximè probabilis eſt, ut colligitur ex capite ſequenti, ubi v. 13. dicitur, quòd Caleb data fuerit Cariath-Arbe patris Enac. Igitur Arbe fuit pater Enac, & in ea civitate, ut apparet, regnavit; poſt eum autem Enac, ac deinde filij ejus, qui vocati ſunt

com-

commoni nomine Enacim. Sanè ſi appellata fuiſſet A civitas à quatuor patriarchis, veriſimiliter Caleb non mutaſſet nomen ejus in Hebron. Illud autem, *Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*, non de primo homine intelligitur. Neque enim giganteæ aut monſtroſæ magnitudinis fuit, ut oſtendimus lib. 2. ſent. §. 1. Adam itaque hic appellativum eſt ſignificans hominem. Et ſenſus eſt: Arbe qui erat homo maximus, id eſt, immenſus gigas, ibi inter cæteros gigantes ſitus eſt. Hieron. in illud Matth. 27. (*quod eſt Calvariæ locus, &c.*) ex hoc loco probare nititur Adam in Hebron ſepultum, rejiciens tanquam fabuloſum, quod ſit ſepultus in loco Calvariæ, ubi Dominus fuit crucifixus: Quod tamen ſcribens ſuper epiſtolam ad Ephel. 5. reliquit arbitrio lectoris. B

LYON

CAPUT XV.

℣. 3. EGredieturque contra aſcenſum ſcorpionis. Nomen loci eſt. Vide pleniùs Numeror. 34. v. 4.

℣. 15. *Dabir, quæ prius vocabatur Cariath-Sepher, id eſt, civitas literarum.* Sic & Iudicum 1. Sed cur civitas illa literarum ſeu librorum dicta ſit (hoc enim ſonat *Cariath-Sepher*) incertum eſt. Hebræi quidam ibi primum literas inventas volunt, ſed id falſum eſt, fuit enim literarũ uſus etiam ante diluvium. Nã Enoch propheſiam ſcripſit Juda Apoſtolo teſte. Vatablus eam Academiam interpretatur in ſcholio. Crediderim literas artemque ſcribendi, ipſius primi hominis inventum eſſe.

℣. 16. *Dabo ei Axam filiam meam uxorem.* Intelligitur hæc promiſſio, ſalva lege ac libertate conjugij. C Non enim cogi poterat filia ad nubendum cuicumque pater vellet, ſed præſupponitur puellam in patris voluntate libenter acquieſcere, ut ſolent honeſtę virgines. Sic illud quoque intelligendum, quod Saül promiſerat ſe filiam ſuam daturum ei qui percuteret Philiſthæum Goliath 1. Reg. 17.

℣. 17. *Cepitque eam Othaniel filius Cenez, frater Caleb junior; deditque ei Axam filiam ſuam uxorem.* *Quæritur* quomodo Caleb dedit filiam ſuam fratri ſuo Othoniel uxorem, cùm tale conjugium lege prohibitum ſit Levit. 18. *Reſpondent* quidam, Caleb generaliter promiſiſſe, cùm neſciret quis eam civitatem eſſet expugnaturus, poſteà autem ex quadam magnitudine animi noluiſſe promiſſum ſuum retractare; ſicut & Iephte votum ſuum implere voluit. D Sed hoc neutiquam veriſimile eſt. Nam & Caleb à ſanctitate & pietate in Deum multum laudatur in ſcriptura, & Othoniel ſimiliter, Iudic. 3. Itaque *rectius reſpondent*, qui dicunt Othoniel non fuiſſe fratrem propriè ipſius Caleb, ſed fratris filium, fratrem autem vocari eo modo, quo omnes propinqui & maximè patrueles in ſcriptura fratres vocantur: quomodo Abraham Geneſ. 13. ad Loth filium fratris ſui dicit; *fratres enim ſumus.* Hic autem gradus matrimonij, ut quis acciperet filiam patrui ſui, non erat in lege prohibitus.

℣. 17. *Terram auſtralem & arentem dediſti mihi, junge & irriguam.* E Quæres quomodo hæc quærela conſiſtat cum promiſſione Domini: *Dabo vobis terram fluentem lac & mel?* *Reſpondeo*, promiſſio Domini non ſignificat qualis ex omni ſua parte foret illa terra; ſed ut plurimum. Nam revera fuiſſe illam terram lacte & melle manantem, teſtati ſunt exploratores à Moyſe in eam miſſi, licet conarentur populum abſterrere ab ea occupanda. Deinde veriſimile eſt *arentem* hoc loco non intelligi ſterilem, ſed quæ non eſſet irrigua, id eſt, commoditatem fontium & puteorum non haberet ad ipſam irrigandam. Hoc enim & Dominus prædixerat, terram Chanaam non eſſe ſicut terra Ægypti, quæ fluminibus irrigatur, & in qua, in morem hortorum aquæ ducuntur irriguæ, ſed quæ de cælo pluvias expectat. Deut. 11. Sed hoc non contenta Axa filia Caleb, petivit etiam irriguam, & impetravit.

A *Dedit itaque ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius.* Hebræis eſt pluralis numerus, *irrigua*, ſenſus autem eſt, dedit ei fontes ſuperiores & inferiores; id eſt, agrum, in quo erant fontes in parte ſuperiore, & inferiore. Quidam ſuperiores ſcaturigines interpretantur fontes erumpentes è terra; inferiores verò ſcaturigines, puteos effoſſos. Nam & putei ſunt veluti fontes ſubterranei.

CAPUT XVI.

℣. 9. VRbeſque ſeparatæ ſunt filiis Ephraim in medio poſſeſſionis filiorum Manaſſe. Illud *in medio poſſeſſionis*, non exactè intelligendum eſt quaſi in ipſo meditullio; ſed phraſis Hebræa eſt, id eſt, in B terra quæ tribui Manaſſe ſorte competebat. Quia enim ſortes conſtitutæ erant æquales, tribus autem Ephraim multò major eſſet tribu Manaſſe, oportuit aliquam partem ſortis Manaſſe, nimirùm urbes quaſdam cum villis ſuis conterminas ſorti Ephraim, ſeparari in poſſeſſionem filiorum Ephraim. Sic & Juda participavit de ſorte Beniamin, poſſedit enim Jeruſalem quæ comprehendebatur intra funiculos ſortis Beniamin, ut eſt in fine capitis ſuperioris. Quod autem hîc dicitur de Ephraim & Manaſſe, iterum repetitur capite proximè ſequenti illis verbis: *Deſcenditque terminus vallis Arundineti in meridiem torrentis civitatum Ephraim, quæ in medio ſunt urbium Manaſſe*, id eſt, quæ ſunt comprehenſæ in ſorte tribus Manaſſe, quemadmodum Vatablus ibidem benè exponit.

C ℣. 10. *Et non interfecerunt filij Ephraim Chananæum, qui habitabat in Gazer, &c.* An ideò non interfecerunt, quia non voluerunt, an quia non potuerunt? Hujus quæſtionis ſolutionem indicat nobis ſcriptura cap. ſequenti; ubi ſic legimus: *Nec potuerunt filij Manaſſe has civitates ſubvertere, ſed cœpit Chananæus habitare in terra ipſa. Poſtquam autem convaluerunt filij Iſraël, ſubjecerunt Chananæos, & fecerunt ſibi tributarios, nec interfecerunt eos.* Igitur initio, quando nondum erant multiplicati, non potuerunt eos ſubvertere; poſteà verò, cùm invaluiſſent numero, potuerunt quidem eos interficere, quia ſubjecerunt eos, ſed cupiditate ducti pepercerunt, facientes eos ſibi tributarios. Id autem factum eſt, contra præceptum Domini Numeror. 33. ubi D jubentur omnes illius terræ habitatores interfici.

CAPUT XVII.

℣. 5. ET ceciderunt funiculi Manaſſe decem. Per funiculum in Scriptura ſacra frequenter portio hæreditaria intelligitur, ea phraſi, qua menſurans pro menſurato ponitur. Nam funiculis terra in portiones diſtribui ſolet. Unde illud in Pſalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, id eſt, præclara hæreditas obtigit mihi. Quod explicatur verbis ſequentibus: *Etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.* Senſus ergo hujus loci eſt, tribum Manaſſe habuiſſe decem portio-E nes, ſive ſortem in decem partes ſubdiviſam, idque propter decem familias illius tribus. In tot enim familias tribus illa erat diviſa. Cęterùm tribus Joſeph proptereà in duas integras tribus fuit diviſa, quia Ioſeph ex teſtamento Iacob patris ſucceſſerat in primogenituram. Primogenito autem duplex hæreditatis portio debebatur præ aliis fratribus. Judas quidem primogenituram habebat, quantum ad principatum, ſed Joſeph quantum ad portionem hæreditatis. De quo ſic 1. Paralip. 5. *Data ſunt primogenita Iacob, filiis Ioſeph filij Iſraël, & non eſt Ruben reputatus in primogenitum, quia commaculaverat thorum patris ſui. Porrò Iudas inter fratres fortiſſimus, & de ſtirpe ejus Principes germinati ſunt.* Sic ibi.

℣. 9. *Civitatum Ephraim quæ in medio ſunt urbium Manaſſe.* Vide Annot. cap. præcedentis.

CAPUT XVIII.

℣.21. F*Veruntque civitates ejus Iericho, &c.* Objicitur, at Iericho jam erat ſubverſa, vetitumque ſub anathemate, ne quis eam reædificaret, quamvis id tandem factum ſit, ſed cum ejuſdem anathematis effectu, ut patet 3. Reg.16. Sed *reſpond.* quamvis Iericho ſubverſa fuerit, locus tamen in quo ruinæ erant civitatis, ceſſit tribui Benjamiticæ. Nec erat illicitum eum locum poſſidere, aut etiam colere, & habitare, dummodo in civitatem muratam & clauſam non erigeretur. Quin etiam poſtquam tempore Regum in civitatem muratam fuiſſet reædificata, ſumpta ſemel de illa temeritate pœna, ut dicto lib.3. cap.16. narratur, non fuit poſteà deſtructa, neque fuit illicitum eam civitatem etiam inhabitare, quin & ipſe Chriſtus in ea fuit à Zachæo exceptus. Luc.19.

℣.28. *Et Iebus, quæ eſt Ieruſalem.* Hæc civitas fuit quidem in ſorte tribus Benjamin, ſed numquam tamen à Benjamitis tota potuit in poteſtatem redigi, quia manſerunt in arce Iebuſæi uſque ad tempora Davidis, qui arce expugnata eos inde expulit, atque ex eo tempore ſedes regni effecta, magis à filiis Juda quàm Benjamin inhabitari cœpit.

Sciendum præterea tribus has duas Iuda & Benjamin accepiſſe portiones conjunctas: & tribum Iuda ſucceſſu temporis vehementer fuiſſe multiplicatam, ita ut terminos ſortis ſuæ extendere cogeretur: contrà verò Benjamitæ penè uſque ad internecionem deleti fuerunt ob ſtuprum uxoris Levitæ, de quo Iudicum 19. quam ob cauſam civitates ſibi ſorte aſſignatas habitatoribus complere non potuerunt. Sed & conjunctio quædam fuit inter duas illas tribus, quâ factum eſt ut ferè mixtim habitarent. Quam etiam ob cauſam, cùm ſub Roboam decem tribus à ſceptro Davidis deficerent, Benjamitæ tanquam tribui Iudæ neceſſitate quadam connexi, manſerunt ſub obedientia regis Iuda. An autem dicendum Ieruſalem quidem fuiſſe ſortis Benjamiticæ, ſed poſteà, quia tribus Iuda major erat, partem unam ſortis Benjamiticæ conterminam ſorti Iuda, eidem tribui Iuda ceſſiſſe? ſicque impletum ſit, quod præceperat Moyſes, ut pluribus major, paucioribus minor portio terræ ex ſorte daretur. Vide ſuprà Annotat. cap.16. v.9. itemque Iudicum 1. & 19.

CAPUT XIX.

℣.9. F*Uit hæreditas filiorum Simeon in medio poſſeſſionis filiorum Iuda.* *Quæritur*, quomodo ſingulæ tribus acceperint diſtinctas poſſeſſiones, ſi, ut hîc dicitur, una tribus in medio alterius poſſeſſionem acceperit? imò & civitates quæ hîc attribuuntur tribui Simeon, ſuprà legantur attributæ tribui Juda? nempe capite 15. *Reſpondeo* quare, aut quomodo id factum ſit, indicatur verbis paulò pòſt ſequentibus, ubi dicitur: *Hæc eſt hæreditas filiorum Simeon juxta cognationes ſuas in poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda, quia major erat, & idcircò filij Simeon poſſederunt in medio hæreditatis ejus.* Ubi quod habemus, *quia major erat.* Hebr. eſt, (*major erat ipſis*) id eſt, major quàm pro numero ipſorum, & quàm à filiis Juda habitari & coli poſſet. Nempe tribus Iuda partim ſorte, partim bello, cùm eſſet tribus bellicoſiſſima plus terrarum acceperat, quàm opus habebat ad inhabitandum. Unde pars poſſeſſionis ejus attributa eſt tribui Simeon, quæ erat admodum exigua. Et ſciendum quòd Iuda & Ephraim multò ante acceperant ſortes ſuas quàm reliquæ ſeptem tribus: unde & factum ut Iuda terminos ſuos jam ante latè extendiſſet.

℣.17. *Iſſachar egreſſa eſt ſors quarta.* *Quæritur* de portionibus terræ, quæ erant ſorte diſtribuendæ, an æquales fuerint an inæquales? Putant quidam inæquales fuiſſe, quia cap. præcedenti jubetur deſcribi terra juxta

A numerum uniuſcujuſque multitudinis. Et numer. 26. dicitur: *Pluribus majorem partem dabis, & paucioribus minorem.* Æquales autem fuiſſe ex eo apparet, quia dicit Ioſue capite præcedenti: *Circuite terram & deſcribite eam, & revertimini ad me, ut hic coram Domino Deo veſtro mittam ſortem.* Item præcipitur Numerorum 26. ut ſorte fiat diſtributio. Quòd ſi partes inæquales fuiſſent, & major pars majori tribui debuiſſet aſſignari, & minor minori, jam non ſorte, ſed judicio fieri debuiſſet diviſio. Quidam dicunt, Deum ſic ſortes temperaſſe, ut major portio majori, ſeu numeroſiori tribui obtingeret, minor, minori. *Sed nihil eſt neceſſe* ad hoc miraculum confugere extra ſcripturam. Dici enim poteſt portiones fuiſſe æquales, aut certè quaſi æquales; ſed ita ut potuerint nonnihil extendi addi-
B tione partis vicinæ, & ſic alias contrahi, idque ſcilicet pro magnitudine, vel parvitate ejus tribus, quæ illam terræ portionem beneficio ſortis accepiſſet.

℣.49. *Dederunt filij Iſraël poſſeſſionem Ioſue filio Nun, in medio ſui &c. in monte Ephraim.* Nota, quòd Ioſue, quamvis eſſet dux & judex populi, non tamen pro libito ſibi vendicavit partem aliquam terræ, quam inhabitaret poſſidendam; ſed poſtulavit à populo certam terræ portionem in ſua tribu, & obtinuit.

CAPUT XX.

℣.2. & 3. S*Eparate urbes fugitivorum —— ut confugiat ad eas, quicumque animam percuſſerit neſcius.* Petes 1. quare non ſimiliter pro his, qui
C alia commiſiſſent crimina caſu aliquo, aut per ignorantiam facti, aut neceſſitate? ut furtum, vel ſacrilegium? vel etiam adulterium, ex eo quod neſcio & fœminam conjugatam? *Reſpondeo*, quia tales, dum res per judicem examinaretur, non ita periclitabantur, ne ab aliquo grave damnum acciperent; at verò illi qui hominem occidiſſet, etſi neſcius (ut ſcriptura loquitur) certum periculum imminebat ab amicis occiſi, ſicut in tali caſu homines vehementiſſimè commoventur. Et patet hoc ex textu, tum etiam Num. 35. & Deut.19. Adde quòd alij caſus aut ſunt multò rariores, ut adulterium involuntarium; aut reſtitutionem facilè recipiunt, ut furtum, rapina &c. At vita ſemel ablata reſtitui non poteſt, neque aliquid æquivalens reddi.

D *Petes* 2. Quare tempore novi teſtamenti non ſeparentur urbes refugij? Si dicas eſſe aſyla, reſpondeo ea non eſſe ad habitandum, ſed ut vel modico tempore tutus ſit qui homicidium commiſit. Deinde urbes refugij iis tantùm præſidio erant qui ignoranter & caſu quempiam occidiſſent. At aſyla etiam iis præſtant ſecuritatem qui cum aliqua ſua culpa, velut ex lubita paſſione id fecerint. Et quidem qui probantur extra omnem culpam eſſe, ſententia judicis ſimpliciter abſolvuntur, ut non ſit eis neceſſe in aliquo refugij loco habitare, ſicut tempore veteris legis. Quo tempore nihilominus ipſum ſanctuarium erat aſylum, iis qui homicidium non deſtinato ſtudio commiſiſſent, licèt non ſine culpa. Nam qui ſtudio & de induſtria quem-
E piam occidiſſet, etiam ab altari jubebatur abſtrahi, ut Ioab. 3. Reg. 2.

Itaque dicendum illud præceptum de urbibus refugij datum Iſraëlitis propter duritiem cordis eorum. Nam ſi propinquus occiſi homicidam inveniſſet, impunè eum occidiſſet. Non enim lex talem puniebat, propter doloris ejus de amico interfecto præſumptionem. Id ergo ne fieret, homicidis innocentibus deputabantur urbes refugij, extra quas ſi habitarent aut invenirentur, non puniebatur propinquus occiſi eos interficiens. At novæ legis tempore propinquo hominis interfecti hoc non indulgetur; ſed ſimpliciter contra eum, ut homicidam, judicium inſtitueretur. Unde homicida caſualis, probata apud

judi-

judicem innocentia; non prohibetur ubicumque habitare.

℣.6. *Habitet in civitate illa donec ſtet ante judicium cauſam reddens facti ſui, & moriatur ſacerdos magnus qui fuerit in illo tempore: tunc revertetur homicida, & ingredietur civitatem, & domum ſuam, de qua fugerat.* Petes 1. quare uſque ad mortem ſummi ſacerdotis debuit homicida manere in civitate refugij? *Ratio litteralis* aſſignatur ab interpretibus, quia licèt interfector innocens eſſet, tamen conveniebat eum abeſſe à conſpectu propinquorum ejus qui interfectus erat, ne eum præſentem habentes commoverentur ad vindictam, atque ita nova cædes committeretur. Ideò ad tempus opportebat eum commorari in urbe refugij. Reverti autem poterat mortuo ſacerdote magno, quia tunc erat luctus publicus in populo, & proinde ceſſare ſolent iræ aut ſimultates privatæ. *Ratio myſtica* & prophetica eſt, quia per mortem Chriſti, qui eſt ſummus ſacerdos, fit remiſſio peccatorum & reconciliatio inimicorum cum Deo, & reditus ab exilio ad patriam. Petes 2. cur potius donec moriatur ſacerdos, quàm donec moriatur dux, judex aut rex populi? *Reſpondeo*, quia non ita principatus aut regnum in illo populo inſtitutum fuit perpetuum ſicut ſacerdotium. Nam politica ratio regendi ſubinde fuit variata; interdum etiam in alienam poteſtatem redacti, prorſus duce aut principe caruerunt: at nunquam ſummo ſacerdote, uſque ad Chriſtum, qui fuit finis legis. Adde *myſticam* rationem, quia Chriſtus non tam, ut rex noſter, quam ut ſacerdos per ſanguinem ſuum pro nobis in cruce oblatum nobis pacem, & reconciliationem, & reditum in patriam cæleſtem acquiſivit. De hoc ita Hieron. lib. 1. contra Pelag. cap. 10. Iubetur, inquit, homicida pergere ad urbem fugitivorum, & tamdiu ibi eſſe, donec ſacerdos maximus moriatur, id eſt, redimatur is qui fugit, ſanguine Salvatoris.

CAPUT XXI.

℣.13. D*Edit ergo filiis Aaron Hebron confugij civitatem.* *Quæritur*, quomodo hoc conſiſtat cum eo quòd dictum eſt cap. 14. Hebron fuiſſe datam in poſſeſſionem Caleb, imò & ibi manſiſſe uſque in præſentem diem? *Reſpondeo*, ipſa ſcriptura hoc loco ſe explicat ita ſubjungens; *agros vero & villas ejus dederat Caleb filio Iephone ad poſſidendum.* His enim verbis tantùm abeſt ut ſignificetur ipſam Hebron non pertinuiſſe ad Caleb (quod clarè teſtatum eſt cap. 14.) ut potius occupatio ſit, qua cauſa redditur, cur tantum dixerit, ſuburbana Levitis, ſeu filiis Aaron data, & de agris ac villis nihil addiderit; quia nimirum, agri ac villæ circumiacentes ad illum pertinebant, cujus erat ipſa civitas.

℣.39. *Itaque civitates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſraël fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis.* Non mireris tot civitates Leviticæ tribui aſſignatas, quæ erat ex minimis, cum aliæ tribus tantùm haberent circiter duodecim civitates; nempè quia iſtæ civitates non fuerunt ſolis Levitis datæ, ſed tantum, ut ſimul cum hominibus aliarum tribuum in illis habitarent; ſicut nunc clerus habitat cum laicis in omnibus oppidis. *Erant autem hujus rei* plures rationes, Prima, ut per eos tanquam peculiares Dei miniſtros, cultus Dei retineretur, & conſervaretur in toto populo. Secunda, ut à toto populo ſuſtentarentur ratione ſui miniſterij. Tertia, ut populum docerent, non tantum ea quæ religionis ſunt, ſed etiam ea quæ ad mores, & vitam ſecundum legem Dei inſtituendam, pertinent. Atque ob eaſdem rationes etiam nunc tempore novi teſtamenti ſacerdotes & miniſtri ſacrorum per omnes civitates, aliaque majora loca diſperſi ſunt. Vide noſtra in 4. diſtinct. 24.

Eſtij Annotat. in Script.

CAPUT XXII.

℣.8. D*ividite prædam hoſtium cum fratribus veſtris.* Cùm quibus fratribus? cum legamus Numer. 32. eos omnes profectos fuiſſe ad bellum, ſolis uxoribus ac parvulis relictis in terra ſibi data trans Iordanem. Quod & repetitur Deut. 3. & hujus libri cap. 1. Sed *dicendum*, viros quidem robuſtos, & bellicoſos omnes fuiſſe ad bellum profectos, non autem omnes omninò viros. Quidam enim ad bellum minus apti erant, & hi vacabant agriculturæ, & urbibus cuſtodiendis, aliiſque vel mechanicis, vel civilibus operibus. Neque enim exiſtimandum eſt ſolas mulieres cum parvulis quinque annorum ſpatio, relictas fuiſſe in urbibus trans Iordanem, ita ut nulli adeſſent viri, quorum auxilium & conſortium ob multas cauſas eis neceſſarium fuiſſe conſtat, maximè ob hoſtium metum. Nam etſi abeſſent viri bellicoſi, alij tamen tantiſper ſuſtinere poterant hoſtem, ſi fortè ſuperveniret, donec viris illis bellicoſis ultra Iordanem militantibus periculum nunciaretur. Cum his ergo viris, qui in urbibus, tanquam ad ſarcinas fuerant relicti, Ioſue hîc jubet dividi prædam, juxta morem etiam anteà obſervatum. Num. 31. cui conſuetudini poſteà legis authoritatem dedit David 1. Regum 30.

℣.26. *Putavimus itaque melius, & diximus: Extruamus nobis altare non in holocauſtum neque ad victimas offerendas, ſed in teſtimonium, inter nos & vos &c.* Primum agnoſcenda eſt hîc catachreſis in vocabulo altaris. Nam altare propriè, eſt quod eo fine erigitur, ut in eo offeratur ſacrificium, atque iſtud quod à Rubenitis & Gaditis exſtructum eſt, non in eum finem fuit erectum. Itaque impropriè altare vocatur, quia tale quidem erat ſuper quo offerri poſſent ſacrificia, ſed non in eum uſum ab illis factum erat. Secundò exſtructio iſta altaris duplicem ingerebat ſuſpicionem. Alteram quod recederent à cultu unius Dei, & ſacrificare vellent idolis; Aut certè alteram, quòd etſi adhærerent cultui unius Dei, tamen contra legem ſacrificare vellent Deo in illo altari. Nam lege præceptum erat, in uno tantùm loco à Domino deſignando offerenda eſſe ſacrificia. Sed utramque ſuſpicionem à ſe repellunt Rubenitæ & ſocij una reſponſione, quando ſimpliciter affirmant, ſe non ad ſacrificia & victimas exſtruxiſſe altare, ſed tantum in teſtimonium ut plenius in textu explicatur. Tertiò laudandum in his tribubus ſtudium conſervandæ religionis, & ſolicitudo etiam pro poſteris, ne illi quoquo pacto à cultu & communione religionis unius Dei excluderentur. Poſtremò notandum quòd ſatisfactionem eorum benignè ſuſceperint legati à Joſue & reliquo populo miſſi. Quibus legatis longè diſſimiles ſunt hæretici noſtri temporis. Nempe, verbi gratiâ, novatores iſti accuſant catholicos, quòd idola adorent, dum venerantur imagines Chriſti, & ſanctorum. *Reſpondent* catholici ſe imagines habere, non ut Deos, quos adorent, ſed ut ſigna in quibus Chriſtum & ſanctos honorent; ſed non accipiunt novatores ſatisfactionem, ut hîc Joſue cum ſuis, ſed pertinaciter perſiſtunt in ſua calumnioſa accuſatione, & proinde non ut fratres habendi ſicut Iſraëlitæ, ſed ut hoſtes & Schiſmatici, & fraternæ charitatis inimici.

CAPUT XXIII.

℣.13. Q*Vod ſi volueritis cum his miſcere connubia, atque amicitias copulare, jam nunc ſcitote, quòd erunt vobis in foveam ac laqueum & offendiculum, &c.* Generaliter quidem Dominus prohibuerat omnem ſocietatem & commercium cum hominibus illarum gentium, quarum terram erant accepturi, ſed peculiariter ac potiſſimum prohibuerat, ne cum eis miſcerent connubia, ſicut in Deuteronomio; & alibi fre-

frequenter legitur. Cujus ratio eſt, quia nulla ſocietas A tam arcta eſt, quam ea quæ intercedit inter conjuges; de qua dictum eſt; *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ.* Et quia hæc arctiſſima eſt conjunctio; hinc maximè ex ea periculum eſt, ne alter alterius moribus, aut opinione, aut ſuperſtitione inficiatur. Hinc ab Apoſtolo 2. Corinth. 6. eadem conjunctio ſeveriſſimè prohibetur, ubi ait. *Nolite jugum ducere cum infidelibus: Quæ enim ſocietas luci ad tenebras, &c.* Et ſatis docent nos noſtra tempora, quam periculoſa ſit hujuſmodi conjunctio. Vix enim unus inter mille nominari poterit catholicus, qui, accepta uxore hæretica, non ejus blanditiis in hæreſim fuerit protractus.

B

CAPUT XXIV.

℣. 2. T*Rans fluvium habitaverunt patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor, ſervieruntque diis alienis.* Ex hoc loco ſuſpicio eſt Abrahamum quoque aliquando idola coluiſſe. Et præter Græcos quoſdam, ita ſentiunt Genebrardus & Malius. Econtrà refellit eam opinionem Pererius in Geneſim, agens de egreſſu Abrahæ ex Chaldæa: Sanè Iudith. 5. Achior ſic loquitur: *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt. Hic primum in Meſopotamia habitavit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant in terra Chaldæorum: deſerentes itaque ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, unum Deum coluerunt; qui & præcepit eis, ut exirent inde &c.* C Ubi ſi illa vox (*deſerentes*) propriè accipiatur, planè etiam Abraham videtur aliquando idola coluiſſe. Alij reſpondent verba eſſe Achior, non ipſius ſcripturæ. Interim Ambroſius quoque lib. 2. de Abraham c. 3. ſentire videtur Abrahamum aliquando Chaldæorum ſecutum fuiſſe errorem. Qui Abrahamum nunquam coluiſſe idola volunt, intelligunt hunc locum de Thare & Nachor. Sanè Laban, qui fuit ex poſteris Nachor, idololatram fuiſſe patet Geneſ. 31. Sic enim ait: *Cur furatus es deos meos?*

℣. 7. *Viderunt oculi veſtri cuncta quæ in Ægypto fecerim. Quæritur,* quomodo hoc verum ſit, cum Deut. 1. dixerit Dominus; *Non videbit quiſpiam de hominibus generationis hujus peſſimæ terram bonam, præter Caleb* D *filium Iephone &c.* Et ſignificatur id impletum fuiſſe Numer. 26. Sed *reſpondeo* id intelligendum eſſe de viris bellatoribus, qui in cenſum relati erant poſt tranſitum maris rubri, ab annis viginti & ſupra. Itaque intelligendum eſt plures adhuc ſuperfuiſſe, qui tunc nondum annum vigeſimum attigerant. Tum etiam Levitæ, nec fœminæ fuerunt in illa comminatione & exterminatione comprehenſi: Ex viris etiam qui tunc nondum attigiſſent annum vigeſimum, veriſimile eſt plures ſuperfuiſſe; utpotè qui hoc tempore vix exceſſerint annum ætatis ſexageſimum. Sic ergo rectè dicit hîc Joſue; *Viderunt oculi veſtri &c.*

℣. 10. *Sed è contrario per illum benedixi vobis.* Per E Balaam. Atqui Dei benedicere benefacere eſt, ergo Deus effectum ſuorum ſacramentorum, etiam per malos miniſtros exequitur, gratiamque ſuam nobis communicat, & per malos ſacerdotes populo, ratione ſui officij, benedicentes ipſe benedicit, impertiendo ea bona quæ ſacerdos populo comprecatur. Vide Annot. Numer. 24.

℣. 14. *Et auferte Deos alienos, quibus ſervierunt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto.* De Meſopotamia paulò ante oſtenſum eſt, nominatim de Laban ex Geneſ. 31. capite. At verò filios Iſraël etiam in Ægypto falſos Deos coluiſſe, ex hoc loco manifeſtum eſt. Quod & apud Ezechielem cap. 23. Dominus illi populo improperat. Quò & pertinet adoratio vituli aurei in deſerto, utpote quem fecerant ad ſimilitudinem ejus, quem colere ſolebant in Ægypto. Nam Ægyptij colebant Apin ſub ſpecie vituli ſeu bovis, & Iſidem ſub ſpecie vaccæ ſeu juvencæ.

Quidam hîc per Deos quos jubet Ioſue auferri, intelligunt ſimulachra quæ ceperant expugnatis urbibus Chanaan, aut quæ extulerant ex Ægypto, juxta illud Amos 5. quod & Stephanus in Actis citat. *Portaſtis tabernaculum Moloch & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis &c.* S. Auguſtinus putat nullo modo veriſimile eſſe quod uſque ad illud tempus habuerant filij Iſraël penes ſe idola, poſt tantas legis comminationes; cum ſic in eos fuerit vindicatum propter unius occultum peccatum, qui de anathemate uſurpaverat: maximè cùm & Ioſue ſuperiori capite eorum obedientiam commendaverit. Et apertè dictum eſt à Balaam Num. 23. *Non eſt idolum in Iacob, neque videtur ſimulachrum in Iſraël.* Vide Annot. ejus loci.

Alij igitur ſic exponunt. Auferte, id eſt, non recipite Deos alienos, ſed conſtanter permanete in cultu Domini Dei veſtri. Auguſtinus refert ad idola quæ ſunt in corde hominis. Propheta, inquit, Sanctus in cordibus eorum eſſe tenebat cogitationes de Deo, alienas à Deo, & ipſas admonebat auferri. Quiſquis enim talem cogitat Deum qualis non eſt Deus, alienum Deum utique & falſum in cogitatione portat.

℣. 15 & 19. *Sin autem malum vobis videtur ut Domino ſerviatis; optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimum debeatis &c.* & infra: *Non poteritis ſervire Domino: Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt, nec ignoſcet ſceleribus veſtris.* Tota hæc oratio Ioſue ad populum eò tendit ut populus iterum per liberam & ſpontaneam electionem ſervitutis veri Dei, magis in ea ſervitute confirmetur, utpote nova electione & promiſſione rurſum conſtrictus; eoque minus ei liceat à veri Dei cultu recedere. Dat ergo optionem eligendi, non quaſi utrumque liceat, ſed ut boni electione ad bonum determinentur, & in eo fixi maneant. Nec deterret cum dicit: *Non poteritis ſervire Domino:* ſed propoſita difficultate voluntatem explorat, ne temeraria videatur electio; ut contingere ſolet in iis rebus quarum difficultas non erat præviſa. Verè autem non poterant, id eſt, difficile iis erat ſervire Domino; quia populus erat carnalis, & ad idololatriam vehementer proclivis. Non erat autem periculum ne eligerent cultum falſorum deorum in tam recenti memoria beneficiorum à Deo acceptorum. Ioſue adhuc vivente & præſente & interrogante; præſertim cum non plebs interrogaretur, ſed majores natu ac principes, nomine totius populi reſponſuri. Voluit ergo Ioſue reſponſione & electione eorum, quam ſciebat futuram pro cultu veri Dei, uti, velut novo vinculo, quo præter ſuperiora populus arctius adhuc obligaretur ad verum Deum colendum.

℣. 27. *En lapis iſte vobis erit in teſtimonium.* Quomodo res inanimata advocetur in teſtem præſentis renovationis fœderis, vide explicatum Deut. 31. v. 28.

FINIS LIBRI IOSVE.

ANNOTA-

ANNOTATIONES IN LIBRUM IUDICUM.

CAPUT PRIMUM.

℣.2. IUDAS *aſcendet, ecce tradidi terram in manu ejus.* Per Judam, non unum aliquem hominem accipere debemus qui toti populo fuerit præfectus ad bellum gerendum; ſed ipſam tribum Juda. Hoc enim ſatis indicant verba quæ ſequuntur, ſcilicet; *Et ait Iudas Simeoni fratri ſuo, Aſcende mecum in ſortem meam, & ego &c.* Non enim hominibus ſingulis ſors data fuit; ſed ipſis tribubus. Ideò autem tribus Juda tribum Simeonis advocat in auxilium belli, quia hæ duæ tribus ſortes habebant conjunctas & propemodum permixtas. Sed neque per hoc oraculum tribui Iudæ datus fuit principatus in reliquas tribus: nam poſtea plures ex aliis tribubus fuerunt judices, & belli duces; & Saül ipſe primus rex fuit ex tribu Benjamin: ſed tantum ſignificatur quod hoc tempore illa tribus bellum auſpicaretur: Sic & capite 20. ad illam quæſtionem, *quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Benjamin?* reſpondit Dominus, *Iudas ſit dux veſter*, Ioſephus quoque de tribu exponit.

℣.7. *Septuaginta reges amputatis, &c.* Reges, id eſt reguli, vel principes. Quamvis enim ſingulæ ferè civitates ſuos reges habebant, non tamen veriſimile videtur, tot civitatum dominos ab hoc uno rege captos & reductos fuiſſe ad hanc tã vilem & miſeram, ac ærumnoſam vitam; præſertim cum in libro Ioſue nulla fiat hujus regis mentio. Si enim tot regum victor erat & Dominus & tyrannus, opportebat eum valdè potentem fuiſſe ac velut dominum totius terræ Chanaan. Quare videtur, quod hîc dicitur, intelligendum de aliquot regulis, qui cum ſuis proceribus uſque ad Septuaginta ab iſto Adonibeſec bello victi, tam crudeliter ab eo fuerunt habiti.

C Sed cur filij Iſraël illi à ſe capto præciderunt ſummitates manuum ac pedum, niſi quia jam ante de ejus inſigni crudelitate aliis referentibus cognoverunt? Ipſe verò ab illis ſimili affectus ſupplicio, quo alios injuſtè affecerat, proprio ore factum ſuum crudeliſſimum confeſſus eſt. In qua confeſſione notandum quòd Deum agnoſcat juſtum vindicem ſui peccati dicens: *Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.*

D ℣.8. *Oppugnantes filij Iuda Ieruſalem, ceperunt eam &c.* Non pugnat cum his quod dicitur Ioſue 15. *Iebuſaeum habitatorem Ieruſalem non potuerunt filij juda delere &c.* quia hîc tantum dicitur quòd ceperunt civitatem: ita autem Ioſue 15. intelligitur quòd non plenè Iebuſæos ſubjugare potuerunt, atque adeo patet 2. Reg. 5. quòd uſque ad tempora Davidis Iebuſæi occupaverint arcem civitati Ieroſolymitanæ adjunctam, quam cum tandem David expugnaſſet, vocata eſt civitas David.

E ℣.12. *Dixitque Caleb: Qui percuſſerit Cariat-Sepher, & vaſtaverit eam, dabo illi Axam filiam meam uxorem &c.* Hæc & plura quæ hoc capite ſequuntur vide explicata ſuprà Ioſue 15. ibi enim itidem narrantur.

℣.17. *Adduxeruntque eum Ieruſalem, & ibi mortuus eſt.* Quare non occiſus juxta præceptum Domini, quo jubet omnes illius terræ homines interfici? An intelligendum quòd mortuus eſt occiſus, cum alioqui diu potuiſſet ſupervivere? aut certè ſignificatur ſtatim mortuus præ dolore animi & corporis, ut non fuerit opus eum occidere.

A ℣.18. *Cepitque Iudas Gazam cum finibus ſuis, & Aſcalonem atque Accaron.* Hæ civitates numquam ab Iſraelitis leguntur fuiſſe inhabitatæ, ſed ſemper manſerunt Philiſthinorum. Redactæ quidem fuerunt à filiis Iuda in poteſtatem, ut hîc dicitur ſed veriſimile eſt, quòd eos ſtatim ſuos fecerint tributarios, qui tamen tributi ſervitutem non multò poſt excuſſerint: quin nec eo contenti, ipſos Iſraelitas viciſſim ſubegerint, ut patebit paulò pòſt in hiſtoria Sampſonis: quod in pœnam peccati Iſraëlitis accidit, ut quibus inique pepercissent, ab illis victi tandem in ſervitutem redigerentur. Vide etiam Ioſue 13. v. 3. cap. 17. v. 13.

CAPUT II.

B ℣.1. A*ſcenditque Angelus Domini de Galgalis ad Locum flentium &c.* Hunc Angelum Hebræi dicunt fuiſſe Phinees filium Eleazari, qui illo tempore erat ſummus ſacerdos: Et addunt fabulam, quòd Phinees reverà fuerit Angelus, ſed qui humano corpore aſſumpto, inter homines fuerit converſatus. Quod quidem falſum & fabuloſum eſſe, manifeſtum eſt ex eo, quòd ſcriptura de Phinees ubique tanquam de homine loquatur, & ex Eleazaro patre, & avo Aarone communi ordine natum narret. Iuxta veritatem ergo Chriſtiani interpretes intelligunt Angelum Dei peculiariter miſſum fuiſſe, ad arguendum filios Iſraël de ſua trangreſſione. Id etiam patet, quia in perſona Dei loquens, ait *Ego eduxi vos de Ægypto &c.* Sicut locutus eſt Moyſi in rubo & in monte. Prophetæ autem nunquam Dei perſonam aſſumunt ſed ſemper verba illa præmittunt, *Hæc dicit Dominus*, aut ſimilia.

℣.3. *Quamobrem nolui eos delere à facie veſtra, ut habeatis hoſtes, & dij eorum ſint vobis in ruinam.* Non hîc intelligendum eſt, quaſi in eum finem Deus reliquerit gentes ſuperſtites, ut per eos ad ruinam impellerentur filij Iſraël, colendo deos eorum: ſed tantum ſignificatur, quid mali conſecutum ſit ex eo quòd gentes fuerint relictæ. Nam ut, non finaliter, ſed conſecutivè accipitur: Et ſenſus eſt. Veſtra culpa factum eſt, ut non deleverim gentes, inter quas habitatis: atque inde ulterius accidit, ut dij eorum facti ſint vobis in ruinam. Hebræis clara eſt ſententia: *Non ejiciam eas ante vos, ſed erunt vobis in ſpinas, & dij eorum offendiculo.* Atque adeò ipſi Iſraëlitæ in culpa erant, qui cum eos delere potuiſſent, ex avaritia tributarios fecerant (vide Ioſue 16. v. 10. & c. 17. v. 12. & 13.) Unde reddita eſt illis juſta pœna, ut poſteà cum eos delere vellent, non poſſent.

℣.22. *Ut in ipſis experiar Iſraël, utrum cuſtodiant viam Domini & ambulent in ea &c.* Sermo eſt figuratus hunc habens ſenſum: ut palam fiat an cuſtodiant viam Domini. Quod enim fit publicum & manifeſtum, hoc nos per experientiam diſcimus. Propterea introducitur Deus hoc humano more loquens, quia ſcriptura accommodat ſe hominibus etiam indoctis & idiotis.

CAPUT III.

℣.2. V*T poſteà diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus.* Quod ſcriptura dicit gentes à Domino relictas, ut poſteri filiorum Iſraël diſcerent certare cum hoſtibus, & haberent conſuetudinem præliandi; non ita intelligendum, quaſi præliari, & bella gerere, per ſe bonum ſit; ſed quia utile erat illi populo bellis exerceri, ne per luxum, & ignaviam ad idololatriam

declinarent. Significatur autem *myſtice*, quòd Deus tempore novi teſtamenti permitter hæreſes, & alias perſecutiones piorum; ut per hujuſmodi adverſa, Eccleſia exerceatur in pietate & doctrina religionis. Nam & *oportet hæreſes eſſe* 1. Corinth. 11. A

℣. 10. *Et judicavit Iſraël.* Judices erant qui propter res præclarè geſtas, & liberationem aliquam populo præſtitam; erant in ea authoritate, ut quamvis non eſſent abſolutè principes, nec imperare poſſent, aut leges ferre; tamen ad eos recurrebat populus, tam in quæſtionibus & controverſiis, quas inter ſe habebant, tanquam ad judices; quàm in periculis ab hoſtibus, ſi quando ingrueret bellum; *At leges ſibi* ab eo imponi non ſinebant. Quod inde patet; quia cùm Gedeoni ſpecialiter id eſſet à populo delatum, propter inſignia liberationis beneficia, ille modeſtiſſimè recuſavit dicens; *Non dominabor veſtri &c. ſed dominabitur vobis Dominus.* Atque *hinc etiam eſt*, quod *Moyſes* & Jsſue non numerentur inter judices populi Iſraëlitici. Nam plus aliquid fuerunt, habentes ſcilicet etiam imperandi poteſtatem. Vide Sixtum in Bibliotheca de titulo hujus libri. B

℣. 16. *Qui fecit ſibi gladium ancipitem. Quæritur*, rectène fecerit Aod occidens regem privato conſilio & authoritate? Ad hoc variè poteſt *reſponderi*. Quidam dicunt non eum id feciſſe privata authoritate, ſed publica, quia Judex erat populi. Sed ea reſponſio refelli videtur, quia Aod non fuit Judex, niſi poſtquam ſalutem præſtitit populo, ſicut & alij Judices non prius ut tales agniti fuerunt, niſi præclaro facto aliquo ſe defenſores, & ut ſcriptura loquitur, ſalvatores populo exhibuiſſent. Alij *reſpondent*, eum communicaſſe conſilium cum proceribus populi, à quibus mittebatur & aliis fuiſſe probatum. Ac certè textus magis ſignificat rem privati conſilij fuiſſe; nec de eo proceres per Aod munera mittentes quicquam ſciviſſe, nec tutum fuiſſet cogitationem pluribus aperire, ne forte proderetur. Unde & Iudith cap. 8. conſilium ſuum de occidendo Holoferne aperire noluit, petens tantum pro ſe orari. Quare *dicendum videtur*, hoc ita factum ab Aod privato conſilio, ut tamen de conſenſu procerum, totiuſque populi meritò præſumeretur; quia res talis erat, quæ ad totius populi ſalutem ſpectaret. Sic & de Judith reſpondendum. Confer v. 15. C

D

CAPUT IV.

℣. 2. IPſe autem habitabat in Haſeroth gentium. Vide ſimilem locum Joſue 12. de Rege gentium Galgal, & inde pete hujus loci explicationem.

℣. 4. *Erat autem Debora propheteſſa, uxor Lapidoth, quæ judicabat populum in illo tempore.* Scilicet quia propheteſſa, & mulier prudens erat, ſponte populus ad eam controverſias ſuas deferebat; non quod cum poteſtate præfuerit. Hinc cap. ſeq. in Cantico vocat ſe matrem in Iſraël, non principem aut dominam; ac præterea ſemel atque iterum nominat principes Iſraël; dicitque ſponte illos obtuliſſe animas ſuas diſcrimini; nec eos omnes tamen, ſed tantùm ex Ephraim, Machir, Manaſſe, Beniamin, Zabulon, Iſſachar & Neptalim, cæteris tribubus à belli moleſtia quieſcentibus. Quæ omnia argumento ſunt, eam magis conſilio, quàm poteſtate rem populi geſſiſſe. E

℣. 8. *Dixit ad eam Barach. Si venis mecum, vadam, ſi nolueris venire mecum, non pergam.* Hanc reſponſionem Barach ita quidam excuſant, quaſi diceret: Tu habes ſpiritum prophetiæ, non ego. Et proinde ſi mecum venias, indicare mihi poteris tempus, & horam committendi prælij; Sin minus, facile continget me intempeſtive procedere ad prælium. Sed revera hæc expoſitio, cum à diffidentia auxilij divini ſibi certò promiſſi, non excuſabat. Sciebat enim Deboram eſſe propheteſſam, & ideò debebat verba ejus ſuſcipere ſine ulla animi hæſitatione. Neque debebat dubitare, quin ille qui victoriam promiſerat, etiam modum victoriæ & opportunitatem opprimendi hoſtis ſubminiſtraret. Unde & diffidentia ejus punita eſt per hoc quod ait Debora, *Ibo quidem tecum, ſed hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu fœminæ tradetur Siſara.*

℣. 18. *Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſaræ. De hoc facto Iahel*, quæ promiſſa Siſaræ ſecuritate, eum occidit, meritò *quæritur; Rectène fecerit* an ſecus? *Reſp.* in hoc facto tria inveniuntur; quorum unum laudandum, alterum juſta reprehenſione non carens, tertium in ſe bonum; ſed quod ex circumſtantia vitioſum & illicitum efficitur. Laudandus eſt enim in hoc facto bonus, & pius affectus Iahelis, erga ſalutem populi Iſraëlitici, ſicut in obſtetricibus Ægyptiis affectus miſericordiæ erga infantes Hebræorum. Quòd autem mendaciter & fallaciter promittit Siſaræ ſecuritatem, dicens; *Intra ad me, ne timeas*, vituperatione non caret. Nam fallax promiſſio peccato carere non poteſt, ſicut & mendacium obſtetricum. Sed tertium eſt interſectio Siſaræ, quæ ſi in ſe ſpectetur, quatenus eſt interſectio hominis pernicioſi, & oppreſſoris populi Dei, bona eſt: quatenus tamen eam præceſſit ſecuritatis promiſſio, videtur non poſſe omninò à peccato excuſari. Nam etiam hoſti fides ſervari debet. Vel dicendum aliquo modo excuſari poſſe: nam promiſerat contra bonum publicum: & ſic poterat promiſſum reſcindere. Et quod objiceretur: quòd domus Haber Cinæi mariti Iahel, haberet fœdus cum rege Iabin, cujus militiæ Siſara præerat, reſpondetur à multis, tali fœdere mulieres non comprehendi, eò quòd non ſint aptæ ad bellum & munia publica. Et talem ſolutionem hujus quæſtionis vel ſimilem, omninò videntur requirere illa verba Cantici Deboræ cap. ſeq. *Benedicta inter mulieres Iahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo ſuo.*

CAPUT V.

℣. 1. CEcineruntque Debora & Barac &c. Omninò hoc Canticum, ut à Deo ſpecialiter inſpiratum, & proinde, ut cæteræ ſcripturæ ſacræ partes, recipiendum eſt. Nam conſtat Deboram propheteſſam fuiſſe: prophetavit enim Barac fore victorem, & Siſaram per manum fœminæ periturum. Quare ſicut aliorum prophetarum cantica meritò recipiuntur, ut ſint ejuſdem cum reliqua ſcriptura authoritatis, ſic & iſtud recipiendum.

℣. 20. *De cælo dimicatum eſt contra eos.* Senſus eſt: Deus pro populo ſuo pugnavit contra ejus hoſtes: Nempe ſecundum id, quod Debora dixerat ad Barach cap. præced. *Hæc eſt dies in qua tradidit Dominus Siſaram in manus tuas En ipſe ductor eſt tuus.* Et ſequitur, *Perterruitque Dominus Siſaram, & omnes currus ejus.* Alij ſic exponunt: Pluviæ, venti, grandines, procellæ, quæ ſunt cæleſtia meteora, pugnaverunt contra eos. Nam in Hebræo eſt, *è cælis pugnarunt.* Et in noſtra quoque verſione mox ſequitur; *Stellæ manentes in ordine, & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* Hebr. *Stellæ à ſemitis ſuis*, aliàs, *è ſuis aggeribus pugnaverunt contra Siſaram*, metaphora à militibus, ex editiore loco pugnantibus. Significatur autem vel ſtellas, quarum influxu commoventur tempeſtates cæli, fuiſſe hoſtibus adverſas, vel potius Angelos Dei miniſtros contra eos pugnaſſe. Et forte ita loquitur canticum, quòd pugna nocte, lucentibus ſtellis, fuiſſet commiſſa.

CAPUT VI.

℣. 12. DOminus tecum, virorum fortiſſime. Quæritur utrum ſubaudiendum, *eſt*, an *ſit*? Gedeon ita videtur accepiſſe, quaſi dixerit Angelus Dominum eſſe cum ipſo: dicit enim: Si *Dominus nobiſcum eſt*,

eſt, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Arbitror ſenſum
eſſe: Dominus ſit tecum; ſunt enim verba ſalutantis
& bene præcantis. Sic Booz ad meſſores Ruth. 2.
Dominus vobiſcum; & Angelus ad beatam Virginem,
Dominus tecum. Quamvis enim cum ea jam eſſet
Dominus per abundantem gratiam: adhuc tamen ei
precatur Angelus, ut cum ea ſit Dominus vel per gra-
tiam abundantiorem, vel per illapſum filij Dei corpo-
ralem in ejus uterum. Sic & illa dicuntur: *Pax tibi*,
Pax vobis, & in epiſtolis Paulinis: *Gratia vobis & pax.*
Quod autem Gedeon reſpondet, hunc ſenſum habet:
Tua ſalutatio & bona precatio procul abeſt à reipſa;
nam adeò Dominus non eſt nobiſcum, quod mihi pre-
caris, ut verſemur in mediis malis, ſitque nobis jam
jam fugiendum ab hoſtilibus copiis adventantibus.
Interim ſciendum quoties hujuſmodi, ſalutationes ſeu
benedictiones à Domino, vel Angelo Domini proſe-
runtur, eas ſemper efficaces eſſe; ſic ut ſtatim ac ſimul
cum verbo, vel poſteà tempore conſtituto à Domino,
ſequatur effectus. Exemplum utriuſque habemus in
hoc capite, nam ſalutationem iſtam, *Dominus tecum*,
effectus poſteà ſecutus eſt in victoria Gedeonis contra
Madianitas. Quod autem infrà dicit ei Dominus, *Pax
tecum*, rem ipſam habet conjunctam, ſcilicet incolumi-
tatem Gedeonis metuentis ne moreretur quòd vidiſſet
Dominum, poteſtque ita reddi. Pax tecum eſto, id eſt,
jam ſit.

℣. 18. *Ne recedas hinc, donec revertar ad te portans
ſacrificium & offerens tibi.* Hebr. eſt. *Ponam munus
meum ante te.* Unde non eſt putandum Gedeonem
voluiſſe Angelo offerre ſacrificium, quod non licet
offerre niſi uni Deo: imò & Gedeon, ne quidem ſcie-
bat eſſe Angelum, ſed cum eo loquebatur tanquam
cum homine. Et ideò voluit experiri per ſignum ali-
quod in offerendo ſacrificio, utrum ille qui ſibi loque-
batur, & benè precatus erat, verè eſſet à Deo miſſus. Quâ
in re Gedeon non peccavit. *Sed de eo magis* moveri po-
teſt quæſtio, quomodo non in eo peccaverit, quòd au-
ſus eſt ſacrificium offerre extra eum locum, qui à Deo
deſignatus erat, hoc eſt, extra Silo, ubi erat tabernacu-
lum. *Reſpondet* D. Auguſtinus eum id non feciſſe pro-
prio inſtinctu, ſed approbante eo, quem initio prophe-
tam eſſe putabat, poſteà autem Angelum Domini eſſe
intellexit. Imò non tam ipſe Gedeon, quàm Angelus in
offerendo ſacrificio miniſter fuit, qui excuſſo igne de
petra, ſacrificium incendit. Quare hac in re Dei autho-
ritatem Gedeon ſecutus eſt. *Et eadem* excuſatio eſt,
quod voluit offerre ipſe non ſacerdos. Quamvis & de
his fatendum eſt, multam ignorantiam fuiſſe in populo.

℣. 36. & 37. *Si ſalvum facis per manum meam Iſ-
raël, ponam hoc vellus lanæ in area, &c.* Quæritur,
quomodo non peccaverit Gedeon poſt ſufficientem
revelationem de victoria conſequenda ſibi factam,
adhuc tentando Dominum? Sic enim ille ipſe paulò
pòſt loquitur: *Ne iraſcatur furor tuus contra me, ſi
adhuc ſemel tentavero ſignum quærens in vellere.* Ubi
maniſeſtè dicit ſe tentare per ſignum utrum ſalvum
faceret populum Iſraël. *Reſpondeo petitio ſigni*, ſi pro-
cedit ex incredulitate, vel diffidentia de divinis pro-
miſſis: peccatum eſt, & ad infidelitatem pertinet: Sic
Judæi in Evangelio ſigna petiverunt. *Si autem* proce-
dat ex familiaritate cum Deo, cum deſiderio maniſe-
ſtandæ gloriæ Dei, aut etiam diſcutiendi ex animo ſuo
omnem occaſionem dubitationis, non eſt peccatum.
Hoc modo Ezechias etiam poſt certam prædictionem
ſanitatis per Iſaiam Prophetam, adhuc ſignum petit &
impetrat, neque ob id reprehenſus legitur. Atque hoc
modo Gedeon petivit ſignum. Et tunc conjunctio illa
(ſi) cauſaliter ponitur ut ſit ſenſus: Quandoquidem
dignaris populum tuum per manum meam liberare,
ſeu ſalvum facere, peto ut huic promiſſioni velut ſigil-
lum etiam addas, manifeſtum aliquod miraculum. Et

A quod Gedeon nequaquam infidelitatis alicujus accu-
ſandus ſit, patet ex eo quòd Hebr. 11. inter eos numere-
tur qui per fidem mira patrarunt.

Poteſt etiam ita excuſari quod tentaverit non ſui
causâ, ſed populi, qui ſecum erat, ut eo ſigno animaren-
tur ad pugnam, & non dubitarent ipſum à Deo miſſum,
ut bellum hoc contra Madianitas ſuſciperet. Ita qui-
dam non improbabiliter excuſant. Non enim veriſi-
mile eſt quod trecenti milites voluiſſent ad bellum
procedere contra 101 millia Madianitarum, niſi præce-
denti aliquo ſigno divinitus dato animati. Quod autem
dicit, *Sciam quod per manum meam, &c.* poſſet ſic ex-
poni. Manifeſtum erit, vel manifeſtum facies quod &c.
Sicut Dominus loquitur Geneſ. 22. *Nunc cognovi quòd
B timeas Deum*, id eſt, nunc apparet, nunc manifeſtum
factum eſt. Vide Annot. ibid.

CAPUT VII.

℣. 2. *NE glorietur contra me Iſraël, & dicat:
meis viribus liberatus ſum.* Semper quidem
ſalus & victoria Deo tribuenda eſt, ſive cum magnis
copiis, ſive cum exiguis, ac penè nullis, eatur in hoſtem;
quia ut dicit Sapiens Prov. 21. *Equus paratur ad bellum,
Dominus autem victoriam tribuit.* Et 1. Reg. 14. dicitur:
*Non eſt Domino difficile ſalvare, vel in multis vel in
paucis.* Sed ideò ſæpè dat victoriam in paucis, id eſt, in
exiguo numero pugnantium, ut magis appareat victo-
riam eſſe virtutis divinæ, non humanæ. Quòd quando
C multi ſunt qui pugnant, non ita apparet. Nam alioqui,
nec ſi in multis viciſſet Iſraël, habuiſſet unde gloriarà
poſſet contra Deum, & dicere. *Meis viribus liberatus
ſum.* Quippe, etiam ſic, non niſi à Deo victoriam acce-
piſſet, vires & animum ad pugnandum ſubminiſtrante,
& ſucceſſum pugnæ tribuente. Semper enim & in om-
nibus verum eſt illud *Domini eſt ſalus.*

℣. 5. *Qui linguâ lambuerint aquas, ſicut ſolent ca-
nes lambere, ſeparabis eos ſeorſim: qui autem curvatis
genibus biberint, in altera parte erunt.* Nota, quòd ſicut
Dominus paulò ante, proclamatione publica ſepa-
ravit formidoloſos à reliquis, ita nunc idem facit ſigno
occulto. Multi enim formidoloſi ad publicam præco-
nis vocem adhuc non receſſerant, dum volunt non
D minus, quàm alij fortes haberi. *Signum autem tale erat*,
ut qui manu ad os projiciente, aquas lamberent; tan-
quam idonei bello ſervarentur; qui verò proni, & ore
flumini admoto biberent, tanquam ſegnes domum
remitterentur. *Ratio autem* ſigni eſt, quia ſtando lam-
bere aquas, manu ad os projecta, indicium eſt, hominem
neque admodum ſitire, (quia qui ſic bibunt, non mul-
tum accipiunt) & non admodum ſatigatum eſſe, quia
ſtando bibit, & manum ori admovet; Contrà ſorbere
aquas pronum, ac jacentem, ore ipſo flumini admoto,
ſignum eſt hominem vehementius ſitire, quia tali mo-
do copioſiùs bibere poteſt; ſignum etiam eum quaſi
fatigationi ſuccumbere.

E ℣. 15. *Cùmque audiſſet Gedeon ſomnium & interpre-
tationem ejus, &c.* Nempe, Gedeon in caſtris Madian
audit ſomnium de pane hordeaceo in caſtra Madian
devoluto, & tabernaculum ſubvertente; atque inſu-
per ſomnij ejus interpretationem, quod hoc nihil
aliud eſſet quàm gladius Gedeonis. Per hæc igitur con-
firmatus eſt ad invadenda illa caſtra. Et rectè hordea-
ceus panis Gedeonem ſignificabat, quia ſicut panis hor-
deaceus vilis habetur, & contemptibilis in compara-
tione triticei aut ſiliginei; ita Gedeon apud reges Ma-
dian nullius erat exiſtimationis. *Nequaquam autem*
putandum eſt ſomnium hoc fuiſſe *fortuitum*, ſed fuit
immiſſum à Deo ad animandum Gedeonem, ejuſque
ſocios. *Nec obſtat* quòd ille, cui ſomnium hoc immiſ-
ſum erat, fuerit à cultu veri Dei alienus. Nam & Pha-
rao & Nabuchodonoſor impij reges ſimilia ſomnia,

Deo

Deo inſpirante, viderunt. Hoc autem ex *eo patet*, quia A Deus præcepit Gedeoni, ut deſcenderet in caſtra Madian, ibi auditurus aliquid, per quod confortaretur, & ſecurus in hoſtes irrueret. Deus ergo ſomnium illud & interpretationem ejus præparavit Gedeoni, ad certam victoriæ fiduciam. *Ex quibus* ſimul intelligitur *nullum* ominationis, ſeu obſervationis ſomniorum in lege prohibitæ, peccatum Gedeoni poſſe impingi; videlicet, quia ſignum datum à Deo, non debet propriè ſeu ſecundùm vulgarem loquendi modum omen vocari; multo minùs ullatenus reprehendi, qui illud obſervat, & actiones ſuas ſecundùm hoc inſtituit.

ỷ. 18. *Conclamate Domino & Gedeoni.* Et infrà: *Clamaveruntque Gladius Domini & Gedeonis.* Sed cur non fuit hoc arrogantiæ, ut ſuum nomen vellet audiri B in voce & clamore militum, ac non potiùs nomen Dei ſolius? maximè cùm audiſſet dicentem Dominum; *Ne glorietur contra me Iſraël, & dicat, meis viribus liberatus ſum?* Adde, quòd & David dicit Pſalm. 19. *Nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* Et Pſal. 113. *Non nobis Domine, non nobis, &c.* unde & Judas Machabæus 2. Machab. 8. & 13. modò ſuis dat ſignum Adjutorij Dei, modò Victoriæ Dei, nuſquam autem ſe præcipit nominari. Sed dicendum, Gedeonem iſtud feciſſe, quaſi ex Dei præcepto, quod intelligebat in expoſitione ſomnij quando dicebatur, *Non eſt hic aliud niſi gladius Gedeonis.* Quibus verbis, quaſi à Deo admonitus, etſi potuiſſet ſuis præcipere, ut exclamarent *Gladius Gedeonis*; tamen non eſt paſſus ſuum nomen ſolum, nec primum audiri, ſed præpoſito Dei nomine, C dici juſſit; *Gladius Domini & Gedeonis.* Non igitur arrogantiæ, ſed humilitatis ac modeſtiæ fuit hoc Gedeonis ad milites ſuos mandatum.

CAPUT VIII.

ỷ. 16. T*Ulit ergo ſeniores civitatis, & ſpinas deſerti, ac tribulos, & contrivit cum eis.* Præcedit immediatè ante, quòd priùs vocaverit puerum de viris Socoth, interrogans nomina principum, & ſeniorum Socoth. & deſcripſerit ſeptuaginta ſeptem viros. In hoc facto ergo Gedeonis commendanda eſt prudentia ſimul & ſeveritas in vindicandis malis. Prudentia, in eo quòd annotat nomina ſeniorum civitatis, volens par- D cere multitudini, & in eos ſolos vindictam exercere qui peccaverant: Nempe prius verſ. 6. narratur non plebem, ſed Principes Socoth contumelioſè Gedeoni reſpondiſſe. Et hoc omnibus principibus eſt imitandum, quatenus fieri poteſt ut multitudini parcentes, in eos ſolos animadvertant, quos eſſe noverunt rebellionis capita & authores, & in illos etiam laudabiliter exercetur ſeveritas, qualem hîc exercuiſſe legitur Gedeon, conterendo & comminuendo eos cum ſpinis, & tribulis deſerti. Vide etiam ſimilem locum 2. Reg. 12. in fine.

ỷ. 22. *Dominare noſtri tu & filius tuus.* Et infrà: *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Videntur expe- E tiviſſe Gedeonem *in regem*, qui abſolutè & regali jure eis imperaret: idque putabant meritis ejus deberi, cujus virtute & ductu à ſervitute hoſtium fuerant tam mirabiliter liberati. Gedeon autem illam eorum petitionem, tanquam populo Dei minimè conſentaneam, rejecit; ſed tantùm acceptavit principatum, qualem ſuperiores judices geſſerant. Et ad hoc ſignificandum, noluit imperare, ut ſibi darentur omnes inaures ex præda, ſed petere hoc ſe ab illis dixit. Petebat ergo populus Gedeonem ſibi fieri dominum, quomodo filij Iſraël 1. Reg. 8. petiverunt ſibi dari regem; & utrique petendo peccaverunt, ſcilicet non contenti tali principatu, quem in illo populo Dominus conſtituiſſet: idque partim diffidentia divini auxilij, & protectionis ab hoſtibus, de qua dubitare non debebant, quamdiu A in præceptis ejus ambularent, juxta promiſſiones ſibi factas; partim ambitione & æmulatione aliarum gentium. Unde & dicebant ad Samuelem loco citato; *Da nobis regem, ut cætera habent nationes.* Quod, quantum Deo diſplicuerit, indicat idem, ſic dicens ad Samuelem: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Vide Annot. ibid.

ỷ. 27. *Fecitque ex eo Gedeon Ephod—fornicatuſque eſt omnis Iſraël in eo.* Ephod eſt indumentum ſacerdotale, quod *ſuperhumerale* vocatur. Auguſtinus, ex parte totum intelligens, putat Gedeonem inſtituiſſe in civitate ſua omnem ornatum ſacerdotalem neceſſarium ad ſacrificandum, non idolis, ſed uni Deo: quamquam poſteà populus iiſdem ornamentis abuſus fuerit ad idolo- B latriam; & hoc eſſe quod dicitur: *fornicatuſque eſt omnis Iſraël in eo.* Et hoc rectè, fornicatio enim idololatriam ſignificat, ubi de religione fit ſermo. Id autem factum eſt, non vivente Gedeone, ſed poſt ejus mortem, quamquam hîc per anticipationem refertur.

Sed *quæritur*, an non ſaltem Gedeon peccaverit, qui hujus idololatriæ occaſio fuerit, fabricando Ephod? Quidam reſpondent eum pœnitentiam hujus facti egiſſe ante mortem. Quibus objicitur; Si pœnitentiam egit, quomodo non deſtruxit quod fecerat? *Unde* dicendum videtur, peccaſſe eum per ignorantiam, idque ex imprudenti & inordinato zelo pietatis, non attendens, quàm gravi de cauſa Dominus præcepiſſet, in uno tantùm loco à ſe deſignando, offerenda eſſe ſacrificia. Nec aliam puto mentem Auguſtini q. 41. & 49. ſuper l. Ju- C dicum. Peccaſſe enim Gedeonem affirmat, ſed magnitudinem culpæ non explicat. Verùm qualiſcumque ejus culpa fuerit; attamen ſanctè eum obiiſſe, non eſt quod dubitetur, atteſtante ſcriptura, quod *mortuus eſt in ſenectute bona.* Hoc enim non niſi de ſanctis viris ſcribitur. Deinde eadem ſcriptura dicit: *Poſtquam mortuus eſt Gedeon, averſi ſunt filij Iſraël, & fornicati ſunt cum Baalim.* Hinc enim colligitur Gedeonem, quoad vixit, diligenter continuiſſe populum in veri Dei cultu. Vide Comm. noſtrum in epiſtolam ad Hebr. cap. 11. v. 32.

ỷ. 31. *Concubina autem illius quam habebat in Sichem.* Erat hæc tamen vera uxor. Sed concubina vocatur more ſcripturæ, quia ſerva cùm eſſet, abſque con- D ſuetis & ſolemnibus ceremoniis ducta erat in conjugem. Et quidem ſervam fuiſſe conſtat ex capite ſequenti, ubi ancilla Gedeonis nominatur.

CAPUT IX.

ỷ. 2. Q*Uid vobis eſt melius? ut dominentur vobis ſeptuaginta viri, an ut dominetur vobis unus vir?* Argumentum pro ſua ambitione ſumit ex præſtantia regiminis Monarchici. Sed obſcurum eſt, quomodo dicat dominaturos fuiſſe ſeptuaginta viros, omnes filios Ierobaal ſeu Gedeonis, cùm populus ille hactenus ab uno ſolebat regi, nec veriſimile ſit, quod tunc admiſſurus erat tam multos principes? Sed *reſpon-* E *deo*, hoc Abimelech illis verbis voluiſſe, ac ſi diceret; Etiamſi unum ex illis faciatis judicem, aut principem veſtrum, tamen cæteri quoque, quia genere pares ſunt, etiam principatum & poteſtatem ſibi in vos vendicabunt? omnes erunt veſtri domini: itaque erunt vobis graves, & oppriment vos. Quare melius eſt, ut iis omnibus è medio ſublatis, me unum eligatis vobis in principem, qui ſum os & caro veſtra, id eſt, propinquus veſter. Nempe ad Sichimitas loquitur.

ỷ. 6. *Et conſtituerunt Regem Abimelech.* Scilicet Sichimitæ. Dicitur quidem infrà v. 22. *Regnavit itaque Abimelech ſuper Iſraël tribus annis*, non tamen videtur eum electum fuiſſe à toto populo Iſraëlitico, ſed ſolùm à Sichimitis contribulibus ſuis ex genere materno. Qua electione obtenta videtur Abimelech ſibi ſumpſiſſe principatum in univerſum Iſraëlem vi armata;

collecto

collecto ſibi exercitu ex hominibus vagis, ut hîc dicitur. Quocirca tyrannus potiùs cenſendus eſt, quàm rex, non ſolùm quia principatum convertit ad privatum commodum (quâ notâ Philoſophus tyrannum à principe diſtinguit): verùm etiam quia principatum arripuit contra jus, ut cui, nec electione, nec alio juſto titulo deberetur.

ỷ. 13. *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Sic inducitur loquens vitis; ubi multi laborant, quid illud ſit, quod vinum etiam dicatur lætificare Deum. Quidam intelligunt vinum lætificare Deum ſicut dicitur Pſalm. 103. *Lætabitur Dominus in operibus ſuis.* Sed plus exquirere videntur illa verba, quibus de pinguedine ſua in hac eadem parabola dicit oliva: *Qua & dij utuntur & homines.* Verùm in Hebræo eſt: *quâ in me honorificabunt deos & homines.* Itaque alij hyperbolem faciunt, ut non aliud ſignificetur, quàm vini maxima vis ad exhilarandum, ita ut, ſi Deus opus haberet re aliqua ad exhilarationem, non alio quàm vino uti vellet. Sed quoniam hæc non ſunt ſcripturæ verba, ſed Ioatham filij Gedeonis, non eſt valdè laborandum, ut ea ſecundum ſenſum aliquem verum interpretemur. Poſſunt enim ſimpliciter accipi, ut quoniam populus ille jam deflexerat ad idola (maximè quod & Hebræum *Elohim* tam Deos quàm Deum poteſt interpretari) nempè quod Ioatham ſecundum ſenſum populi locutus fuerit, quaſi juxta gentilium fabulas Dij convivia inter ſe exercerent, & nectareo vino ſe recrearent.

ỷ. 23. *Miſitque Dominus ſpiritum peſſimum inter Abimelech & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari, & ſcelus interfectionis Septuaginta filiorum Ierobaal, & effuſionem ſanguinis eorum, conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant.* Hæc verſio videtur ſenſum reddere nonnihil diverſum ab eo, quem vult Hebræus textus, in quo ſic ad verbum habetur: *& miſit Deus ſpiritum malum inter Abimelech & viros Sichem, & prævaricati ſunt viri Sichem in Abimelech, ut veniret injuria Septuaginta filiorum Ierobaal & ſanguinis eorum, ut poneret ſuper Abimelech fratrem eorum, quia interfecit eos, & ſuper viros Sichem, quia roboraverunt manus ejus, ut occideret fratres ſuos.* Senſus eſt, Dominum miſiſſe ſpiritum diſſenſionis & odij mutui inter Abimelech & Sichimitas, permittendo ut Sichimitæ prævaricarentur in Abimelech, idque fortè propter durum & ſuperbum ejus imperium. Hoc autem totum divinitus fuiſſe factum ſeu permiſſum, ut in utroſque vindicaretur injuria interfectionis ſeptuaginta filiorum Ierobaal cujus ſceleris utrique fuerant participes, Abimelech exequendo, Sichimitæ adjuvando & conſentiendo. Notandum autem toto hoc capite, ubi legitur, *viri Sichem*, Hebraicè haberi, *Domini Sichem*; ſignificantur enim non quicumque de plebe; ſed qui erant in authoritate apud plebem, quo modo & nos vocamus Dominos civitatis, quorum authoritate potiſſimùm civitas regitur.

ỷ. 28. *Numquid non eſt filius Ierobaal.* Hoc ita dici videtur quaſi vituperium fuerit filium eſſe Ierobaal, id eſt, Gedeonis. Quod mirum videri poteſt, cùm Gedeon & de populo optimè meritus fuerit & gratioſum apud Iſraelitas nomen reliquerit, etiam poſt mortem. Sed ſciendum Abimelech hac ratione ſollicitaſſe Sichimitas ad ſe recipiendum pro principe, quòd diceret grave illis futurum ſi dominarentur eis ſeptuaginta viri filij Ierobaal, ſe verò Sichimitam eſſe, quaſi civem & fratrem ipſorum. Cùm ergo commendaverit ſe Sichimitis ut civem, ratione generis materni, nunc è contra Gaal opponit genus paternum, q. d. Abimelech non minus eſt filius Ierobaal, quàm erant illi ſeptuaginta viri quorum à vobis dominium repuliſtis, imò quos ille veſtro auxilio occidit. Non eſt ergo quòd illis interemptis hunc æquè Ierobaal filium pro domino retineatis. Argumentum igitur eſt non tam ex odio nominis Ierobaal, quàm ex proprio facto Sichimitarum.

ỷ. 31. *Ecce Gaal filius Obed venit in Sichimam cum fratribus ſuis, & oppugnat adverſum te civitatem*, id eſt, concitat ad rebellionem. Non enim arma movebat intus aut exterius contra cives, neque machinas admovebat, ſed animos ad rebellionem ſollicitabat.

CAPUT X.

ỷ. 1. *Thola filius Phua, patrui Abimelech de tribu Iſſachar.* Obſervandus hic locus. Nempe cum Gedeon & Abimelech fuerint de tribu Manaſſe, & Thola de tribu Iſſachar, & ipſi inter ſe patrueles dicantur, manifeſtum eſt has tribus fuiſſe permixtas. *Facitque hoc* pro eorum ſententia, qui dicunt non ſolùm id licitum fuiſſe in duabus tribubus Levi, & Juda, ſed etiam in aliis; modò non ſubeſſet periculum transferendæ poſſeſſionis ex una tribu in aliam. Vide Auguſtinum ſuper hunc locum. In Hebræo nulla eſt difficultas. Sic enim legitur: *Thola filius Phua, filij Dodo, vir de Iſſachar.* Sed illud Septuaginta verterunt; *Filius Phua, filius patrui ejus*, ſcilicet Abimelech. Quod ſecutus eſt Hieronymus. Expendendum vocabulum Hebr. (*Dodo.*)

ỷ. 4. *Et principes triginta civitatum.* Ex his verbis videri poteſt præfecturam hujus Iair habuiſſe ſpeciem abſoluti dominij, quandoquidem triginta filios triginta civitatibus præfeciſſet, quæ à nomine ipſius dictæ fuerint. *Havoth-Iair* id eſt, oppida Iair. Poteſt tamen etiam dici Iairum ſic præfeciſſe filios ſuos illis civitatibus, ſicut legitur & Samuël præfeciſſe ſuos filios 1. Regum 8. ſcilicet cum nuda poteſtate judicandi, non autem dominandi.

ỷ. 13. *Non addam ut ultra liberem, Ite, & invocate deos quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.* Primùm, quod dicitur; *Non addam ut ultra vos liberem*, non ſimpliciter & aſſertoriè accipiendum eſt; Nam poſteà divina ope ſæpè liberati ſunt: Sed vel comminantis ſunt verba, vel (quod in idem recidit) prædicentis ſub conditione; ſi videlicet non agetis pœnitentiam. Illud autem, *Ite, & invocate deos quos elegiſtis*, neque præcipientis eſt, neque permittentis; ſed exprobrantis cum quadam irriſione, quòd ſchema ſermonis dicitur ſarcaſmus. Sæpè enim ſcriptura Deum inducit loquentem humano more, & utentem figuris inter homines uſitatis. Senſus igitur eſt. Nunc reipſa experimini, quàm infirmos Deos elegeritis ad colendum, qui vos de præſenti afflictione eripere non poſſunt.

CAPUT XI.

ỷ. 1. *Filius mulieris meretricis.* Arias Montanus habet (*memoria*) Vatablus interpretatur concubinam, id eſt, ductam ſine ſolemnibus ceremoniis. Chaldæus Paraphraſtes vertit (*cauponariam.*) Eſt in Hebræo idem vocabulum, quod Joſue 2. ubi Rahab à noſtro interprete quoque vocatur meretrix. Septuaginta expreſſè habent πόρνης, id eſt, meretricem. Vide & dictum c. 2. Joſue.

ỷ. 3. *Congregatique ſunt ad eum viri inopes & latrocinantes, &c.* Hic non aliud dicitur de Iephte, quàm quod 1. Regum cap. 22. de David dicit ſcriptura, conveniſſe ad eum omnes, qui erant in anguſtia conſtituti & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & ipſum factum eſſe eorum principem; niſi quod his additur (*& latrocinantes.*) Sed ſciendum hoc in Hebræo non haberi. Tantùm enim ibi eſt: *Et collecti ſunt ad Iephte homines vacui, & egreſſi ſunt cum eo.* Deinde verbum (*latrocinari*) in bonam quoque partem accipi poteſt, pro eo quod eſt, quomodocumque prædas agere. Et veriſimiliter illi prædas agebant ex hoſtibus vicinis.

ỷ. 23.

A ℣. 23. & 24. *Et tu nunc vis poſſidere terram ejus? Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus, &c.* Obſerva in Iephte exemplum prudentis principis, qui non priùs bellum infert hoſti, quàm facta expoſtulatione de injuria accepta: addita etiam proteſtatione non ſe, ſed adverſarium cauſam dediſſe belli movendi, dum dicit: *Igitur non ego pecco in te, ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non juſta. Iudicet Dominus arbiter hujus diei inter Iſraël, & inter filios Ammon.* Quod autem Iephte Dicit, *Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus tibi jure debentur?* ſecundum opinionem eorum loquitur, ad quos verba faciebat. Non enim ignorabat Iephte, Chamos inane idolum, nihil poſſidere poſſe, nec proinde jus poſſeſſionis ad Ammonitas tranſmittere: ſed ita loquebatur ſtulto ſecundùm ſtultitiam. B Vide etiam 3. Reg. 21.

℣. 35. *Heu me, filia mea, decepiſti me, & ipſa decepta es.* Hebr. *Heu filia mea, incurvando incurvare feciſti me, & tu fuiſti inter turbantes me*, quaſi dicat, humiliaſti me, & turbaſti me, qui ob victoriam elatus eram, & gaviſus. Dicit autem ſe humiliatum & conturbatum, quia per ejus occurſum, quæ unica erat ei filia, amputabatur ei ſpes omnis poſteritatis: quod erat viro principi grave malum, illo præſertim tempore, quo maximum erat hominibus ſtudium, propagandæ poſteritatis.

℣. 39. *Expletiſque duobus menſibus, reverſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat.* Veteres Eccleſiæ doctores, eò quòd Iephte dixerat, v. 31. *Quicumque primus fuerit egreſſus* ——— *eum holocauſtum offeram* C *Domino*, ferè ſentiunt filiam Iephte per mortem corporalem immolatam fuiſſe Deo. Sic Auguſtinus in quæſt. ubi latè de hoc facto diſputat, item lib. 1. de civitate cap. 21. Similiter Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum & Ambroſius illud improbans lib. 3. de Virgin. & in Apolog. 1. David cap. 4. Sed difficultatem parit, quod ad Hebr. 11. Iephte quoque iis annumeretur qui per fidem Deo placuerunt; immolare autem hominem, & lege naturæ, & lege divina erat prohibitum. Neque dici poſſe videtur eum inſtinctu divino illud feciſſe, ſicut de Sampſone occumbente cum Philiſtæis quidam dicunt; Nam legitur hîc Iephte doluiſſe de tali voto, ſeu de neceſſitate immolandæ filiæ, quam putabat contractam ex voto v. 35.

D Itaque Hebræi Interpretes, & recentiores Eccleſiaſtici ſcriptores intelligunt, filiam Iephte fuiſſe Deo oblatam non per mortem corporis, ſed eo modo quo licitum erat hominem Deo offerri. Nam & oblatio hominis in miniſterium perpetuum Dei, Levit. cap. ult. mors appellatur; v. 29. nempe ut filia Iephte perpetuam virginitatem ſervandam ſuſceperit; quod (ut diximus) viro principi de filia unica valdè erat durum. Idque ſanè dicitur: *non improbabiliter*; primùm, quia petiit ſpatium, ut defleat non mortem, ſed virginitatem ſuam. Item, quod, ubi nos habemus quod *conveniebant quotannis filiï Iſraël, ut plangerent filiam Iephte*, ex Hebræo vertitur à multis, *ut alloquerentur, vel ut conſolarentur filiam Iephte*; quaſi ut nunc viſuntur virgines ſacræ incluſæ. E Adde ſi Saül prohibitus fuit à populo 1. Regum cap. 14. ne occideret filium ſuum Ionatham; mirum, quomodo duorum menſium ſpatio, aut filia non fuiſſet manibus patris à populo erepta, vel pater aliter perſuaſus. Interim ſi jam dictis rationibus commodè reſpondere ſe poſſe quis putet; poterit is ſententiæ veterum inhærere. Vide de his prolixiùs Commentarium noſtrum ad Hebr. cap. 11. v. 32.

CAPUT XII.

℣. 3. QVod cernens poſui animam meam in manibus meis. Reſpondet his verbis Iephte Ephrataeis ſeditionem contra ſe moventibus. Eſt autem phraſis Hebraica, ponere animam ſuam in manibus A ſuis, pro eo quod eſt exponere vitam ſuam periculo. Sic & David Pſalm. 118. *Anima mea in manibus meis ſemper*: quaſi dicat, verſabar in perpetuo diſcrimine vitæ: quem ſenſum etiam indicant verba ſequentia: *Poſuerunt peccatores laqueum mihi, &c.* Ratio autem locutionis eſt, quia anima apud Hebræos vitam ſignificat, quòd autem in manibus quis habet, hoc paratus eſt expendere ſicut pecuniam & ſimilia. Similiter ergo qui vitam paratus eſt expendere, dicitur animam ſuam in manibus ſuis ponere.

℣. 6. *Dic ergo Schibboleth, quod interpretatur ſpica, &c.* Narratur quomodo Ephratæi volentes tranſire vada Iordanis & negantes ſe Ephratæos eſſe, deprehenſi ſint, neſcientes cum aſpiratione pronunciare Schibboleth, ſicque jugulati ſunt. Ubi ſciendum, illam adjectionem B (*quod interpretatur ſpica*) non eſſe in Hebræo: Multi etiam putant quod vox Hebraica (*Schibboleth*) juxta interpretationem Hebræam magis ſignificet *impetum currentis aquæ*: ut ſic Galaaditæ Ephrataeos tentaverint ex re præſenti, perinde atque ſi dicerent: Vultiſne tranſire fluentes aquas? hoc eſt, Vultiſne Schibboleth? ubi dum Ephratæi quadam proprietate linguæ ſuæ, non ſcirent reſpondere per aſpirationem (*Schibboleth*) ſed ſine aſpiratione *Sibboleth* ſupponerent, pro littera Schin reddentes (Samech) deprehendebantur eſſe Ephratæi. Nec hoc mirum, nam & hodie experimur quaſdam litteras alio ſono à Francis, Italis vel Hiſpanis, alio à Germanis proferri; & nec poſſe quidem à pluribus eodem ſono proferri, etiamſi conentur.

C

CAPUT XIII.

℣. 1. QVi tradidit eos in manum Philiſthinorum quadraginta annis. Utrum *quadraginta anni* accipiendi in univerſum, an uſque ad tempus nunciatæ nativitatis Sampſonis, an verò uſque ad id tempus, quo Sampſon contra Philiſthæos heroica facta exercere cœpit; non liquet ex hiſtoria. Si enim ſecundum membrum accipimus, jam ſervitus ad minimum duraſſe videretur octoginta annis, id eſt, quadraginta annis ante ortum Sampſonem, & viginti uſque ad juvenilem ejus ætatem, quando cœpit verſari in caſtris Dan & rurſum viginti annis, quibus judicaſſe dicitur Iſraëlem, imò durante adhuc ſubjectione: quia Sampſon, D non prorſus liberavit populum de jugo Philiſthinorum, ut infrà dicetur ad v. 5.

℣. 5. *Erit enim puer Nazaræus Dei, ab infantia ſua, & ex matris utero, & ipſe incipiet, &c.* D. Auguſtinus ſimul conjungens quod dicitur verſu ſeptimo (*uſque ad diem mortis ſuæ*) ideò, inquit, dictum eſt ab utero matris uſque ad diem mortis; quia Nazaræi, de quibus in lege Moyſi habemus, tantùm ad certum tempus tales erant, juxta votum quod voverant. Sampſon autem tota vita ſua hoc obſervavit, quod illi ad tempus, nempè ut nec ferrum aſcenderet ſuper caput ejus, nec vinum aut ſiceram biberet. Unde & quando alterum illorum violatum fuit, id eſt, quando eo dormiente, capilli ejus detonſi fuerunt, receſſit ab eo ſpiritus E Dei, ac fortitudinem priſtinam amiſit. Notandum autem, ex eo quod *conſecratus* legitur Deo ex utero matris ſuæ, minimè intelligendum eſſe quòd propterea in utero ſanctificatus fuerit ea ſanctificatione, quæ in juſtitia coram Deo & peccatorum remiſſione conſiſtit: ſed *tantùm ſignificatur*, eum juſſu divino à parentibus; ſtatim ut natus eſt, tanquam Nazaræum Deo oblatum & conſecratum fuiſſe. Ex qua obſervatione & conſecratione non ſequitur peccati originalis remiſſio, quàm credendum eſt eum, ut alios Iſraëlitas octavo à Nativitate die accepiſſe per circumciſionem. Notandum quoque quod Sampſon fuerit Nazaræus ex præcepto Dei per totam vitam, quod præceptum datum erat parentibus ejus, & parentes obligabat

quamdiu

quamdiu vel adhuc infans eſſet Samſon, vel in parentum poteſtate: poſtquam autem Samſon adolevit, inſinuato ei à parentibus divino præcepto, ipſe obligatus manſit uſque ad finem vitæ: tametſi in eo violaſſe præceptum videtur, quod Dalilæ ſignificaverit, dicens: *Si raſum fuerit caput meum, &c.* Dedit enim occaſionem iis verbis ut à Dalila raderetur.

Eodem ℣.5. *Et ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſthinorum.* Non dicit *Liberabit*, ſed *incipiet liberare*, quia toto tempore Samſonis Philiſthæi adhuc imperarunt Iſraëlitis: ut apparet ex iis quæ infrà dicuntur, ut cùm dicitur in fine c.15. quod *Samſon judicavit Iſraël in diebus Philiſthiim viginti annis*: id eſt, in diebus quibus Philiſthæi dominabantur Iſraëli, & apertiùs ex eo quod viri Iuda dixerunt Samſoni eodem cap. v.11. *Neſcis quod Philiſthiim imperent nobis?* Sed incepit Samſon liberare Iſraël de manu eorum: quia magnum eis terrorem fortiſſimis geſtis ſuis incuſſit: ita ut præ metu eius non auderent gravius quicquam agere contra Iſraëlitas. Quando autem & per quem facta fuerit plena liberatio, ſcriptura tacuit. Vide Annot. ad tit. cap.15. v.11. & 20.

℣.15. *Et faciamus tibi hædum de capris.* Id eſt, paremus tibi epulum honoris cauſa. Vide ſimilem locum explicatum ſuprà cap.6. de Gedeone.

℣.18. *Cur quæris nomen meum, quod eſt Mirabile.* *Quæres* cur nullum nomen expreſſerit Angelus? ſicut alij Angeli alibi, ut Michaël, Gabriël, Raphaël? *Reſp.* quia hoc dixit Angelus in perſona Dei; cuius nomen eſt mirabile, quia natura incomprehenſibilis. Etenim id mirabile dicitur, cuius cauſa ignoratur, quod propriè in ſolum Deum competit, cuius nulla eſt cauſa; ſed ipſe eſt cauſa cæterorum omnium. Simile quid legitur, Deus, vel in eius perſona Angelus, reſpondiſſe Iacob Geneſ. cap.32. Quòd autem hîc loquitur Angelus ex perſona Dei, ex eo perſpici poteſt, quod mox ſubjungitur, Manue patrem Samſonis obtuliſſe ſacrificium Domino qui facit mirabilia. Et quod, diſparente Angelo, dixit: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Procedebant autem hæc verba ex reverentia Majeſtatis divinæ, non ex diffidentia.

℣.19. *Qui facit mirabilia.* Hebraicè, *& mirificavit facere*, ſcilicet Angelus, id eſt, fecit miraculum: nam de petra eduxit ignem, ſicut fecit coram Gedeone c.6. Sicut ergo ibi, ita & hîc Angelus functus eſt Sacerdotis officio, incendens holocauſtum Domino. Vel potiùs, miniſterium ſuum adhibuit incendendo oblationem, ſicut fecerat ſuprà cap. 6. & ſicut aliàs legimus conſumptum ſacrificium igne divinitus miſſo: quod utique factum eſſe credendum eſt per Angelorum miniſterium: ut quando ſacrificium Aaronis igne cæleſti abſumptum fuit. Nehemiæ 2. Machab.1. Nam in his omnibus, non dicimus Angelos fuiſſe Sacerdotes, ſed potiùs homines offerentes. Et quidem Angelicæ naturæ non convenit ſacrificiorum oblatio: ſunt enim ſacrificia cæremoniæ quædam externæ & corporales: Angeli verò ſubſtantiæ quædam ſunt prorſus incorporeæ. Neque Angelus hoc facto voluit proteſtari ſuam religionem erga Deum: ſed potiùs hominis religioſam proteſtationem oblatione factam, adjuvare voluit incenſione & conſumptione rei oblatæ. Vide Annotat. ſuprà cap.6. Sanè non videtur fatendum Angelos aliquando ſacrificia obtuliſſe.

CAPUT XIV.

℣.4. PArentes *autem eius neſciebant quod res à Domino fieret, & quæreret occaſionem contra Philiſthiim.* Videri poſſet quod Dominus diceretur quærere occaſionem. Sed ita ſcriptura non loquitur de Deo. Quare referendum eſt ad Samſonem quod ipſe occaſionem quærebat: præſertim cum Samſon non

A ignoraverit quale de ſe oraculum, mater ſua ab Angelo accepiſſet. Nec enim ullo modo ſuſpicandum eſt patrem & matrem voluiſſe eam rem filium ſuum celare, quem Angeli juſſu Nazaræum fecerant. Iiſque eo oraculo animatus ille ad heroïca facta contra Philiſthæos, paulatim ſe præparabat, conſcius ſuæ fortitudinis: & occaſiones quærebat quacumque ratione vindicandi populum ſuum de iis. Quin & apparet quod Samſon ſecreta ſua conſilia & cogitationes celaverit parentes ſuos, ita ut nudè quidem illis proponeret de uxore: ſed quorſum tenderet, ſcilicet ut aliquid machinaretur contra Philiſthæos, ſecretum apud ſe ſervaverit, ſicut & illud de dilacerato leone, dicit enim ſcriptura. *Et hoc patri & matri noluit indicare.* Multa ergo ſunt ex quibus intelligitur Samſonem in
B factis & geſtis ſuis, etiam iis quæ viliora videntur, ſecretiùs & altiùs quoddam habuiſſe conſilium; ſcilicet liberationis populi ſui & vindicationis adverſus hoſtes; idque totum ſpectaſſe ut bonum publicum populi Dei. Primò huc pertinet oraculum divinum quo promiſſus fuit populi Salvator. Secundò eiuſdem oraculi certa cognitio ex patre & matre; quò nimirùm ſciret ſe promiſſum à Deo qui populi liberationem inchoaret. Tertiò, fortitudo admirabilis quam in ſe ſentiebat. Quartò, quod dicit Scriptura ad ſingulos actus fortitudinis, irruiſſe in eum Spiritum Domini. Quintò, invocatio Domini quando ſic affligebatur, cum ſubſecuto miraculo erumpentis aquæ ex maxilla aſini. Poſtremò, quòd ab Apoſtolo ad
C Hebræos 11. numeratur inter eos qui per fidem Deo placuerunt & admiranda geſſerunt. Hæc igitur ſatis monſtrant eum in cladibus & mortibus quas intulit hoſtibus, non tam ſpectaſſe ultionem injuriæ privatæ quam ab iis acceperat; quàm uſum fuiſſe occaſione injuriæ privatæ; ad ſuum, id eſt, Dei, populum vindicandum; qui multis jam annis à Philiſthæis ſervitute premebatur. Et hoc ſatis indicant ſupradicta verba de Samſone intellecta, quibus dicitur quæſiviſſe occaſionem contra Philiſthiim. Nondum enim ipſe ullam à Philiſthæis injuriam acceperat, cuius vindicandæ gratia quæreret occaſionem eos lædendi: ſed animo verſabat publicam populi ſui ſervitutem, & ſe prædeſtinatum à Deo populi liberatorem. Quòd ergo in ſequentibus aliquoties, dicitur, Samſon ultionem expetiviſſe prop-
D ter injurias ſibi illatas, ſic intellige: eum in injuriis privatis vindicaſſe publicam injuriam populi Dei; nec alio conſilio commotum fuiſſe, ut privata vindicaret, quàm ut hac ratione hoſti publico noceret, divinumque quod probè norat, de ſe factum impleret oraculum. Salvatorem ſe præſtiturus populo ſuo.

℣.6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon; & dilaceravit leonem.* Spiritus Domini pro eius donis accipitur; hîc autem intelligitur Spiritus fortitudinis, cuius duæ ſunt partes, fortiter pati & fortiter agere, ſed hîc potiſſimùm agitur de poſteriori. Acceperat enim Samſon fortitudinem ad fortiter agendum contra hoſtes populi Iſraëlitici; cuius rei ſymbolum jam quodam-dam præmiſit in interfectione leonis. Hæc autem for-
E titudo non inerat ei ex nativa conſtitutione corporis; nam alioqui non receſſiſſet ab eo, quando fuit detonſus. Neque enim ablatio capillorum poteſt ſubito mutare conſtitutionem totius corporis. Itaque fortitudo hæc conceſſa ei erat miraculosè à Deo, ita ut, ſalva naturali conditione corporis, auferri ab eo poſſet; ſicut & poſteà ad tempus fuit ablata. Ubi & dicitur, *Neſciens quod receſſiſſet à ſe Dominus*: per quod ſatis apertè ſignificatur miraculoſam ac præternaturalem eam illi fuiſſe fortitudinem. Utebatur autem ea fortitudine, quandocumque id judicabat, incitante eum Spiritu Dei, expedire; atque ita, non tam de dono fortitudinis, quàm de uſu eius intelligitur, quando dicitur; *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon.*

Ordinaverat autem Deus, ut quamdin Samſon le- A gem Nazaræam ab Angelo præſcriptam obſervaret (quę conſiſtebat in abſtinentia potus inebriativi & cibi immundi; & in non admittenda capillorum tonſione) maneret in eo fortitudo: lege autem violata, fortitudo ſtatim ab eo recederet. Neque id Samſon ipſe ignorabat, qui hoc Dalilæ meretrici tandem poſt multam tergiverſationem, ac multis precibus fatigatus aperuit. Unde & poſteà, ad ſignificandum fortitudinem ei paulatim cum capillis reſtitutam, dicitur: *Iamque capilli eius renaſci cœperant.* verſ. 22.

Sed quæres, Quare principes Philiſthinorum, cùm ex Dalila didiciſſent in quo fortitudo eius conſiſteret, non præimpedivetunt quo minùs capilli eius renaſcerentur? Fortè quia vinctum eum habebant, aut quia ille fortitudinem ſuam diſſimulabat, nihil tale jam me- B tuebant. *Sed dices*, ſi renaſcentibus capillis reſtituta fuit ei fortitudo; quomodo igitur orat poſtea Dominum, dicens: *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam. Reſpondeo*, vel quia nondum omninò ad juſtam longitudinem excreverant capilli; vel quia meritò propter peccatum revelati ſecreti, & violatæ legis Nazaræ, verebatur ne non rediiſſet cum capillis fortitudo, vel tantam rem molienti Deus non adeſſet: ideoque orat Deum ut reddat priſtinam & plenam fortitudinem, & in ipſo opere ſibi adſit, & conatum adjuvet.

Quæri etiam hîc poteſt cur Deus Samſoni, per quem tanquam hominem corpore fortem ac robuſtum multa mirabilia operatus eſt, non attribuerit molem corpo- C ris gigantæam, ſic enim ad hoſtem viribus corporis ſuperandum multo aptior fuiſſet? *Reſpondeo* Deum voluiſſe ut agnoſceretur fortitudinem eius eſſe ſingulare Dei munus: & quidem tale quod dependeret ab eius conſecratione qua Deo tanquam Nazaræus *erat* conſecratus: ita ut lege conſecrationis violata beneficium illud fortitudinis ab eo tolleretur: idque totum ut in factis eius quæ fortiter agebat non homini, ſed Deo auctori gloria daretur. Quòd ſi magnitudinem corporis habuiſſet gigantæam, fortia eius geſta aſcripta fuiſſent viribus ac moli corporis, ſicut & aliorum gigantum. Unde Deus in populo ſuo noluit eſſe gigantes, ſed tantùm apud alias gentes à Dei notitia alienas: ne diſceret populus non in ſua fortitudine gloriari, ſed in Deo; cuius exemplum habemus in Davide, qui con- D grediens cum gigante pollicetur ſibi victoriam in nomine Dei Iſraël cum ille confideret in viribus corporis, & in gladio & haſta. *Vt noverit* (inquit) *univerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta ſalvat Dominus: ipſius enim eſt bellum.* 1. Reg. 17. Et ſanè ſi totam Scripturam evolvamus, nunquam reperiemus eam de gigantibus loqui in bonam partem, ſed ferè ſemper in malam: Geſſerunt enim gigantes typum eorum qui ſuis viribus ad juſtitiam & meritum regni cœleſtis intuerentur, quales *erant* Judæi contra quos Paulus diſſerit, gratiam Chriſti commendans, quales & Pelagiani cum quibus & Philoſophi numerandi, qui ſine ope Dei bonam ac beatam vitam profitebantur.

℣. 8. *Et ecce examen apum in ore leonis erat, ac favus mellis, quem cum ſumpſiſſet in manibus.* Quæritur, an E Samſon ſit tranſgreſſus legem, tangens cadaver leonis? nempè quia dicitur Levit. 11. quòd quicumque tetigerit morticinium, immundus erit. Putat Theodoretus qu. 50. ſuper 3. Regum 17. Samſonem quidem tranſgreſſum fuiſſe legem, ſed impunè ac citra reprehenſionem. Videlicet quod leges illæ cæremoniales non ita obligarint quin Deus interdum in iis diſpenſaret.

℣. 14. *De comedente exivit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Myſticè* referunt quidam non ineptè ad mortem Chriſti, per quam ſcilicet ipſe nobis attulit ſalutem. Mors enim inſtar leonis omnia conſumit, ac veluti devorat. Eadem fortiſſima eſt, quia ſuperat omnia, ita ut de ea Cantic. 8. accipiatur fortitudinis comparatio, ubi dicitur; *Fortis ut mors dilectio.* Et ecce nihilominùs de morte Chriſti exivit cibus immortalitatis, & dulcedo vitæ beatæ, quia per mortem Chriſti ſalvati ſumus à morte æterna. Unde & de cruce Salvatoris canit Eccleſia: *Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus ſuſtinet.*

CAPUT XV.

℣. 3. *Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthæos; faciam enim vobis mala.* Poſſit videri Samſonem ultum eſſe privatas ſuas injurias, ſicut & infrà v. 7. dicit; *Licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis petam ultionem, & tunc quieſcam:* tamen reverà publicam magis ſpectabat vindictam; ſicut ſciebat de ſe oraculo divino dictum eſſe; *Ipſe incipiet liberare Iſraël de manu Philiſthinorum*, ſuprà cap. 13. Unde & dicitur cap. præced. irruiſſe ſuper eum Spiritus Domini. Nolebat autem Samſon apertum bellum Philiſthæis indicere; quia non ſentiebat ſe ad hoc à Deo moveri, imò ſciebat Deum tantùm de illo prædixiſſe; (*Ipſe incipiet liberare.*) Itaque, velut per cuniculos, ſub prætextu privatæ injuriæ publicam injuriam tantiſper vindicabat, ut metu ipſius, Philiſthæi non nimium in Iſraëlitas auderent ſævire. Quod autem v. 7. dicit; *Et tunc quieſcam*, intelligendum eſt, niſi ſcilicet iterum mihi detis occaſionem. Vide Annot. cap. præced. v. 4.

℣. 8. *Percuſſitque eos ingenti plaga, ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent.* Juxta noſtram verſionem ſenſus videtur iſte: Percuſſit Samſon Philiſthæos tam ingenti plaga, ut ipſi præ ſtupore & admiratione ſuram imponerent femori; ſuram, inquam, unius tibiæ ſuper femur alterius; ſicut ſolent ſedere, qui vehementer de re aliqua admirantur. Hanc interpretationem ſequitur etiam Auguſtinus in quæſt. Sed ſciendum, nec in Hebr. nec apud Septuaginta eſſe illas duas voces (*ſtupentes*) & (*imponerent*) quas interpres noſter adjecit, ut certum ſenſum redderet. Hebr. eſt: *Percuſſit eos tibia ſuper femur: vel tibia cum femore.* Quæ locutio admodum obſcura eſt. Chald. Paraphraſis habet hoc modo: *Percuſſit ex eis tam pedites, quàm equites*, nempe alludens, quia in bello pedites nituntur tibiis, equites verò inſident femori. Alij hunc ſenſum reddunt: Percuſſit eos tam in cruribus ſeu tibiis, quàm in femoribus, id eſt, vehementer & acriter. Alij non ad Philiſthæos referunt, illud (*tibia*) ſed ad Samſonem, ut ſenſus ſit, quòd non alio inſtrumento uſus ſit, ad eos percutiendos, quàm calcibus ſuis, & tibiis eos proterendo. Et ſecundùm illos, ſenſus eſt verborum illorum ex Hebr. *Percuſſit eos tibiâ ſuper femur*, id eſt, percuſſit eos, non gladio, aut fuſte, aut telo quocumque, ſed calcibus ſuis, & tibiis impegit in eorum femora, & ſic proſtravit: ut hoc dictum ſit ad declarandam Samſonis admirabilem fortitudinem.

℣. 11. *Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis?* Quare Samſon vir tantæ fortitudinis, & qui tot plagis affecit Philiſthæos, non liberavit populum de manu Philiſthiim, ſicut alij judices populi leguntur ipſum liberaſſe de manu inimicorum, à quibus ſervitute premebatur? An quia Samſon fortitudinem ſuam non habebat in arbitrio ut uteretur quando vellet, ſed expectabat inſtinctum Spiritus? Unde ſubinde dicitur: *Irruit in eum Spiritus Domini.* Dominus autem noluit inſtinctum dare ad expugnandos Philiſthæos, ad populum ſuum ab eorum ſervitute liberandum: ſed tantùm ad dominationem eorum reprimendam; quia ſic judicabat magis expedire. Nec debebat Samſon congregare exercitum populi contra Philiſthæos ad confringendum jugum; quia incertus fuiſſet eventus belli. Non enim certus erat, ut dixi, quòd in huiuſmodi prælio Deus ei ſubminiſtraſſet

miniſtraſſet fortitudinem. Et victoria non fuiſſet ei attributa, ſed toti exercitui. Atqui Deus Samſonem excitaverat, ut in fortibus & mirabilibus eius actis appareret & glorificaretur potentia Dei Iſrael.

ỳ. 20. *Iudicavitque Iſraël in diebus Philiſtiim viginti annis.* Quomodo judicavit Iſraël, qui nullum judicis officium feciſſe legitur, ſed tantùm fortitudinis ſuæ exempla contra Philiſtüm edidiſſe; Et indignum planeque inconveniens videtur, ut judex & Princeps populi ſubinde excurrat ad populum hoſtilem, & ibi mulierculas adamet. *Reſp.* fortè judicaſſe dicitur, quia præfuit aliquatenus populo, dum videlicet Philiſthæos cohibet ſuæ virtutis terrore, ne audeant populum Iſraël bello aggredi. Si tamen etiam propriè populum judicaſſe dicatur, nihil abſurdi. Fuerunt enim multa in Samſone præter communem conſuetudinem, & prorſus admirabilia, ut qui, quo modo de ſe Ezechiel loquitur, portentum factus fuerit illi populo.

CAPUT XVI.

ỳ. 19. E*T raſit ſeptem crines eius.* Per ſeptem crines intelliguntur ſeptem cincinni crinium, quos flocellos vocant: quod inde patet, quia dixerat Samſon, quaſi de toto ſuo capilitio *ſi raſum fuerit caput meum.* Unde intelligi datur totum capillitium ſeu comam eius, quæ diviſa fuit in ſeptem flocellos, raſam fuiſſe. Et ſimile eſt illud Canticorum 4. *Vulneraſti cor meum in uno crine colli tui.*

Statim enim fortitudo ab illo receſſit. In hoc capite quædam de Samſone legimus quæ meritò quæſtionem movent, quorum licitè ab eo facta ſint. Primum eſt, quòd ingreſſus dicitur ad mulierem meretricem, ac deinde ad Dalilam quæ & ipſa meretrix. Secundum, quod de fortitudine ſua interrogatus in quo illa conſiſteret mentitus fuerit. Tertium, quod mulieri meretrici arcanum myſterium conſecrationis ſuæ detexerit. Quartum & poſtremum quod ſemetipſum cum Philiſthæis occiderit. *Reſpondetur* quod ad tria prima attinet omninò videtur excuſari non poſſe, ſed in iis graviter deliquiſſe. Etenim fecit, non ſpiritu Dei inſtigatus, ſed deceptus humana cupiditate, & illecebris muliebribus; ideoque in illis nihil eſt imitatione dignum. At verò poſtremum, quòd ſemetipſum occiderit unà cum Philiſthæis, ſic interpretatur D. Aug. l. 1. de Civit. Dei cap. 21. & 26. ut dicat eum ſeipſum unà cum Philiſthæis ruinâ domus oppreſſiſſe, ſpiritu latenter hoc jubente; qui per eum miracula faciebat: Nefas eſſe nobis aliter credere. Nam ad id faciendum divinitus ei reddita fuit amiſſa fortitudo. Sic enim ait; *Domine Deus meus memento mei, & redde mihi fortitudinem priſtinam, ut ulciſcar me de hoſtibus meis.* Hanc reſponſionem pleríque etiam alij ſequuntur; & rectè. Nec obſtat, quod dicit *ut ulciſcar me de hoſtibus meis*, quaſi privatam injuriam ulciſcendi cupidus. Nam injuria Samſonis injuria publica erat, ut qui judex eſſet populi, irriſio quoque eius iriſio Dei Iſraël erat, in cuius contumeliam Philiſthæi pro capto Samſone Diis ſuis ſolemnes in templo gratias agebant.

His accedit teſtimonium Apoſtoli ad Hebr. 11. ubi Samſonem adnumerat iis, qui per fidem operati juſtitiam mercedis conſummationem expectant: quod de eo omninò dici non poſſet, ſi contra Dei voluntatem ſemetipſum occidiſſet. Denique, cùm videamus illum inter juſtos computari ab Apoſtolo, dicimus ipſius priora illa peccata ſuperiùs commemorata, per pœnitentiam, & oculorum orbitatem, & carceris afflictionem, ipſamque mortem, quam pro Dei gloria ſuſtinuit, fuiſſe expiata. Vide Comm. noſt. ad dict. cap. Hebr. 11.

ỳ. 25. *Præceperunt ut vocaretur Samſon, & ante eos luderet. Qui eductus de carcere ludebat ante eos.* Quem ludum luſerit non conſtat: fortè juſſus eſt ſaltare. Sed

Eſtij Annot. in Script.

A quæritur an licitè fuerit obſecutus eis in re hoſtibus; Videtur quod licitè, res enim non erat per ſe mala, & urgente periculo (nam alioqui malè tractatus; aut etiam occiſus fuiſſet) poterat facere, licet hoſtes inde facerent ludibrium. Ita Chriſtus arundinem à militibus illudentibus ſibi in manus traditam tenuit, nec projecit.

ỳ. 31. *Deſcendentes autem fratres eius, &c.* Si fratres intelliguntur germani, aut uterini, diſcimus ex hoc loco matrem Samſonis ita ex ſterili factam fuiſſe fœcundam, ut poſt eum etiam alios genuerit liberos, ſicut & de Anna Samuelis matre legitur 1. Regum 2. Sed nihil vetat intelligi fratres, patrueles, aut conſobrinos, quomodo in Evangelio aliquoties vocantur fratres Chriſti; & Abraham ad Loth nepotem ſuum dicit
B cit Geneſ. 13. *Fratres enim ſumus.*

CAPUT XVII.

ỳ. 1. F*Vit eo tempore vir quidam.* Quidam dicunt hiſtoriam hanc accidiſſe mortuo Samſone, dum interregnum eſſet. Sed non apparet, Si enim uſque ad ætatem Samſonis tribus Dan ſortem ſuam plenam non accepiſſet, ut narratur capite proximo; certè ſub Samſone homine ſuæ tribus, eoque judice populi, ac viro fortiſſimo, curaſſet ſibi ſuppleri quod deerat; neque tum demum cùm ipſe mortuus eſſet, opportunum ſibi exiſtimaſſet ampliores ſedes quærere. Deinde conſtat hæc acta eſſe tempore Ionathan
C filij Gerſam, filij Moyſi. Is enim fuit Levites ille, quem ſibi Michas fecit ſacerdotem, ut liquet ex fine proximi capitis. Idem ille Ionathan ſemel & iterum vocatur puer, id eſt, adoleſcens. Quare non potuit hæc hiſtoria eſſe iam recens, ut poſt tot judices mortuo Samſone accideret. Melius ergo ſentiunt, qui dicunt hanc Hiſtoriam accidiſſe circa tempora Othonielis, de quo cap. 3. huius libri. Non conſtat autem ſatis, utrum hæc prior ſit ea hiſtoria quæ narratur cap. 19. & 20. an poſterior, de quo vide ad cap. 20.

ỳ. 2. *Benedictus filius meus Domino:* Et mox verſ. 3. *Conſecravi & vovi hoc argentum Domino, ut de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile atque conflatile.* Utroque loco in Hebræo eſt nomen Dei tetragrammaton ſeu *Iehovah.* Ibi verò verſ. 5. *Qui ædiculam*
D *quoque in ea Deo ſeparavit.* Hebraicè eſt *Elohim*, quod etiam plurali numero *Dii* verti poteſt. Ribera ſuper Malachiæ 2. ad illud: *Et habuit filiam Dei alieni*, putant hoc loco nomen Dei ineffabile, quamvis ſit maximè proprium Dei, tamen tributum idolo: Sed Origenes homil. 14. in Numer. dicit ubicumque ponitur nomen Iehovah, nullam eſſe dubitationem, quin de Deo vero agatur. Erat hæc mulier cultrix veri Dei, ſed tamen ſimul colebat idola, id eſt, ſculptile, & conflatile, Quomodo & populus Iſraël, poſtquam à regno David fuit ſeparatus, ita manſit in cultu veri Dei, quem Iehovah appellabant, ut ſimul colere vitulos aureos à Jeroboam erectos.

ỳ. 5. *Qui ædiculam in ea Deo ſeparavit, & fecit Ephod & teraphim, id eſt veſtem ſacerdotalem & idola.* Il-
E lud: *Id eſt veſtem Sacerdotalem & idola*, non eſt in Hebræo, ſed interpres adjecit ad explicandum voces Hebraicas præcedentes, videlicet *Ephod & teraphim*, *Ephod* autem idem eſt quod ſuperhumerale, eratque in tabernaculo Moyſi præcipua veſtis Sacerdotalis. Hic autem per antonomaſiam ponitur pro omni ornatu ſeu veſtitu, quo Sacerdos inter ſacrificandum utebatur. *Teraphim*, quod interpres exponit idola, ſecundùm Hebræorum traditionem erant imagines referentes ſpeciem humanam: hic autem generaliter poſitum eſſe putant pro quibuſcumque idolis, eò quòd ſuprà generaliter dictum fuerit ſculptile atque conflatile. Sed ex capite ſequenti aliud apparet. Ita enim

aiunt exploratores ad reliquos; *Noſtis quod in domibus iſtis ſit Ephod, & teraphim & ſculptile atque conflatile?* Quidam dicunt teraphim fuiſſe caput pueri primogeniti dæmoni immolati, per quod petentibus dabantur reſponſa. Ut ut eſt, omninò videntur ab argenteis & aureis ſimulachris fuiſſe diverſa, quia Michas accepto à matre ſculptili & conflatili, quæ facta erant ex argento ſeſtevato, poſteà ipſe addidit, velut pro complemento cultus, Ephod & teraphim. Vide Annotat. Geneſis 28. verſ. 18. & 1. Regum 19. verſ. 13.

℣. 5. *Implevitque unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Et ſimiliter in fine capitis: *Et implevit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Quid ſit implere manum vide explicatum Exodi 29. Quod autem *puerum* dicit, quem anteà dixerat adoleſcentem (quamvis in utroque loco Hebraïcè eſt *puer*) per puerum intelligit adoleſcentem, quomodo & David puer dictus eſt, quando pugnavit contra Goliath, & Salomon quando inivit regnum. *Sacerdotem* autem vocat Michas, non quòd verè fuerit Sacerdos (erat enim nepos Moyſi, ut patet cap. ſeq. v. 30. & proinde Levita tantùm, non etiam Sacerdos) ſed quia Michas eo uſus eſt ut Sacerdote. Quod quidem eo fecit libentiùs, quòd intelligeret eum Levitam eſſe, hoc eſt, ſaltem de tribu, etſi non de ſtirpe Sacerdotali; cùm priùs Sacerdote uſus fuiſſet nequidem Levita: quod declarant hæc eius ſequentia verba: *Nunc ſcio, quod benefaciat mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem.*

℣. 10. *Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Et capite ſequenti ſexcenti ex tribu Dan aiunt ad eundem Levitam; *Veni nobiſcum ut habeamus te patrem ac Sacerdotem.* Notandum, quà in veneratione fuit illo ſæculo Sacerdotium, etiam apud eos qui à cultu veri Dei jam deſciverant. Nam patrem eum vocant, ſicut & hodie vocantur, maximè in monaſteriis; idque meritò, quia non eſt aliud neque amabilius, neque honorificentius nomen quo poſſit appellari Sacerdos. Item nota, quod quamquam Michas & viri ex tribu Dan, jam ad idola deflexerant; tamen adhuc honorant tribum Leviticam, putantes ſibi bene futurum, ſi ex ea tribu Sacerdotem habeant.

CAPUT XVIII.

℣. 1. VSque ad illum autem diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat. Scilicet ſorte non fuerat ei aſſignata tanta portio, quanta pro magnitudine tribus ei opus erat. Unde pars eius tribus compulſa fuit quærere ſibi ſedes alias, extra ſortem initio acceptam. Vide de his pleniùs ad caput 19. Ioſue.

℣. 30. *Et Ionathan filium Gerſam filij Moyſi.* Pro *Moyſi*, Hebraicè eſt (*Manaſſe.*) Sed commutatione litteræ putatur mendum eſſe, & commutatum à quibuſdam Hebræis, ne Moyſes haberetur, huius idololatriæ occaſione, in ſuo nepote veluti minus honorabilis. Et quidem Septuaginta etiam pro *Moyſe*, habent *Manaſſe.* Sed omninò legendum eſt *filij Moyſi*, quia Michas cap. præcedenti diſertis verbis dicit in fine; *Nunc ſcio, quod benefaciet mihi Deus habenti Levitici generis Sacerdotem.* Unde non ſunt hæc referenda ad aliquem ex tribu Manaſſe. Denique hæc non magis derogant honori Moyſis, quàm derogatum eſt Aaroni ex duobus eius filiis, qui à Deo percuſſi ſunt. Levit. 10.

Poſueruntque ſibi ſculptile — in tribu Dan uſque ad diem captivitatis ſuæ. Multi intelligunt captivitatem decem tribuum, ſub rege Aſſyriorum. Verùm non eſt veriſimile tribum Dan tanto tempore perſeveraſſe in idololatria, tum quia 1. Regum 7. dicitur, *quod omnis Iſraël, requieſceret poſt Dominum, & ſerviret Deo ſoli*; & tempore Samuelis, Saülis, Davidis & Sa-

A lomonis nuſquam legitur aliqua tribus coluiſſe idola; donec 3. Reg. 12. leguntur per Ieroboam erecti vituli aurei in Dan, & Berſabee. Itaque alij per diem captivitatis intelligunt captivitatem arcæ per Philiſthæos, 1. Reg. 4. quando veriſimile eſt multos ſimul Iſraëlitas ductos captivos, & maximè ex tribu Dan; cuius agri viciniſſimi erant Philiſthæis, ut patet ex Hiſtoria Samſonis & aliundè; cui ſententiæ etiam favet, quod ſequitur: *Manſitque apud eos idolum Micha omni tempore quo fuit domus Dei in Silo.*

CAPUT XIX.

℣. 1. FVit quidam Levites — *qui accepit uxorem de Bethlehem Iuda.* Obſerva, quòd quæ hîc vo-
B catur uxor, poſteà hoc eodem cap. v. 24. vocatur concubina, ex quo manifeſtum eſt hæc duo, *uxorem & concubinam*, non ita eſſe diverſa, ut inter ſe pugnent, ſed concubinam ſæpè in Scripturis vocari eam uxorem, quę abſque conſuetis & ſolemnibus ceremoniis in matrimonium aſſumitur. Vide noſtra in 4. Sent. diſt. 33.

℣. 2. *Quæ reliquit eum.* Hebr. *& fornicata eſt ſuper eum*, vel apud eum. Ubi nota amorem huius Levitæ erga conjugem, qui eam, etiam poſt admiſſum crimen fornicationis ſecutus fuerit, domumque ſuam reducere voluerit, non ſine blanditiis. Quod quidem ſi fecit amore ſalutis eius, præclarè fecit: ſi autem tantùm impulſus amore carnali, parum præſtitit. Si *quæras* quare non fuit lapidata ut adultera ſecundùm legem? *Reſp.*
C fortè occultum erat crimen; aut eo tempore leges non bene ſervabantur, quando, ut ſuprà dictum eſt, quiſque faciebat quod ſibi rectum videbatur.

℣. 10. *Et venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ieruſalem.* Et paulò pòſt verſ. 12. *Non ingrediar oppidum gentis alienæ. Quæritur*, quomodo hoc conſiſtat cum eo quod jam ſuprà cap. 1. huius libri dicitur filij Juda cepiſſe Ieruſalem, & percuſſiſſe in ore gladij? Sed dicendum videtur, ea quæ cap. 1. de capta à Juda Jeruſalem leguntur, per anticipationem eſſe narrata; & ea quæ hîc narrantur, eſſe antiquiora; non tamen ante diſtributionem ſortium; eò quòd hîc omnes tribus quaſi externo hoſte vacuæ, in bellum contra Benjamin exierint. Sed definitè quo tempore hæc geſta ſint, obſcurum manet: illud tamen conſtat,
D Phineem filium Eleazari Sacerdotis tunc adhuc ſuperſtitem fuiſſe: ſic enim legitur capite ſequenti v. 27. *Eo tempore erat ibi arca Domini, & Phinees filius Eleazari Sacerdotis.*

℣. 16. *Homines autem regionis illius erant filij Iemini.* *Iemini* nomen proprium eſt, & ſcribendum per, *i*, non per, *g*, ut multis legitur exemplaribus. Revera autem non videtur alius illo nomine ſignificari; quàm Benjamin, qui erat caput & Patriarcha illius tribus. Itaque ſenſus eſt, homines illius regionis fuiſſe filios Benjamin, ſeu de tribu Benjamin: non quòd Benjamin fuerit binomius, ſed quòd poſteri abjecta prima ſyllaba ſe vocaverint, non filios Benjamin, id eſt, filios filij dextræ, ne vocabulum filij ſecundò repetendum eſſet: ſed ſimpliciter filios Iemini, id eſt, filios dextrę,
E id eſt, felices ac proſperos. Unde illa mutatio facta videtur, partim cauſa vitandæ cacophoniæ, partim cauſa fauſtæ ſignificationis.

℣. 22. *Filij Belial, id eſt, abſque jugo.* In Hebræo tantùm eſt, *Filij Belial*, ſubjuncta expoſitio interpretis eſt. Pagnin. ubique pro filiis Belial vertit impios. Alij ex Hebræo interpretantur filios abſque profectu, ut qui non ad utilitatem reipublicæ, ſed magis ad nocumentum & perniciem vivant. Apoſtolus 2. Corint. 6. diabolo nomen hoc tribuit, cùm ait: *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Hieronymus alibi interpretatur filios diaboli, & viros diabolicos 3. Reg. 21.

℣. 24. *Habeo filiam virginem, & hic homo habet* conru-

concubinam, educam eas ad vos. Docet Apoſtolus non eſſe facienda mala, ut eveniant bona, & multò minùs facienda ſunt minora mala, ut evitentur maiora mala. Unde non debemus eſſe ſolliciti, ut factum huius viri, alioqui boni ac juſti, excuſemus à peccato; ſicut nec factum ipſius Loth excuſandum eſt, quando filias ſuas proſtituere voluit, ut hoſpites ſervaret. Interim in utroque laudandum eſt ſtudium & voluntas defendendi hoſpites ab injuriis incolarum; tametſi id non fecerint eo modo quo debebant. Nec poſſunt excuſari, quaſi permiſerint minus peccatum ad impediendum maius: quia etiam cooperati ſunt producendo ſtuprandas, & veriſimiliter alioqui etiam non peccaturas, quod conſtat nullo modo licuiſſe facere.

℣.29. *Et cadaver uxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſraël;* videlicet ad duodecim tribus, atque etiam ad Benjamin: quia etiam Benjamitæ cum reliquo populo debebant ulciſci ſcelus quod in Gabaa urbe ſuæ tribus commiſſum erat, licet id facere noluerint, ſed ſceleratis fratribus ſuis defendendis ſeſe conjunxerint. Tribum Leviticam intelligi duodecimam, non eſt veriſimile, quia non habitabat ſeparata, ſed inter alias.

CAPUT XX.

℣.2. O*Maeſque anguli populorum*, id eſt, principes & capita populi. Phraſis eſt Hebræa, ſicut Latina phraſi capita aut columina vocantur. Ratio locutionis eſt, quia ſicut anguli in ædificio ſunt præcipui, quia iis tota ædificij moles innititur, ita primates ſe habent in populo.

℣.16. *Viri fortes, ita ſiniſtrâ ut dexterâ prœliantes.* Hebr. eſt: *vir electus, clauſus manum dextram*, quod variè exponitur; & inter alios quidam exponunt ſic: adeò hos fortes fuiſſe, ut etiamſi clauſa, vel ligata eis fuiſſet manus dextra, nihilominus feliciter contra hoſtes pugnare potuiſſent. Sed apertiùs tam hoc loco, quam ſuprà cap. 3. Septuaginta tranſtulerunt *ἀμφοτεροδέξιος*, id eſt, *ambidextrum*, nempe, ut Hieron. tranſtulit, *ita ſiniſtra ut dextra prœliantes.* Et favet huic ſenſui & interpretationi etiam quod eſt ibi cap. 3. de Aoad.

℣.21. *Egreſſique filij Benjamin de Gabaa, occiderunt de filiis Iſraël die illa viginti duo millia. Quæritur*, quare filij Jſraël cùm juſtum bellum ſuſcepiſſent, idque etiam conſulto, & approbante Domino, tamen ſemel atque iterum in prælio fuerint inferiores, magnamque cladem acceperint? Huius duæ adferuntur rationes. Una, quia tolerabant manifeſtam & notoriam idololatriam in tribu filiorum Dan, apud quos, ut eſt cap. 18. publicè colebatur idolum Michę: quod peccatum Deus priùs punire voluit gladio filiorum Benjamin, quàm de iis victoriam reportarent. Hanc rationem aſſignant Hebræi. Alia ab Eccleſiaſticis interpretibus aſſignatur, & inſinuatur in textu, ubi dicitur: *Rurſum filij Iſraël fortitudine & numero confidentes, in eodem loco in quo priùs certaverunt, etiam direxerunt.*

Ratio igitur eſt, quia magis fidebant numero & fortitudini ſuæ, quàm auxilio Dei. Unde & tertiò pugnantes, cùm per preces, fletus & jejunia ſe magis humiliaſſent Deo, oblatis etiam ſacrificiis, victoriam conſequuntur. Arbitror poſteriorem hanc rationem eſſe veriorem. Non conſtat enim an Hiſtoria de idolo Michę ſit prior iſtâ. Nam in hac vivit adhuc Phinees; & ut hęc ſit poſterior, non conſtat idololatriam illam fuiſſe ita publicam, ut paſſim ſciretur; tribus enim Dan erat in extremo terræ promiſſæ, nec idolum colebatur à tota tribu, ſed tantùm ab ea parte quæ nondum habitationem acceperat. Item filij Jſraël non leguntur à Domino reprehenſi, nec ipſi confeſſi hoc peccatum tolerantiæ, nec eius hîc ulla fit mentio. Cæterùm ad eundem mo-

Eſtij Annot. in Script.

A dum & hodie cùm aliquando videmus bellum contra infideles vel hęreticos ſuſceptum infeliciter ſuccedere; non ſtatim exiſtimare debemus, aut ſuſpicari ſuſceptum illud eſſe contra Dei voluntatem, ſed videndum an non in nobis ſit cauſa ſiniſtri eventus belli. Et primò an non ſit in nobis grave aliquod & publicum peccatum, quod adverſariorum gladiis Deus velit expiare. Secundò, utrum magis fidamus in armorum potentia, an in virtute Dei. Tertiò, utrum opem Dei precibus, jujuniis & ſacrificiis imploremus, ut oportet.

℣.28. *Et Phinees filius Eleazari filij Aaron, præpoſitus domus.* Quandoquidem hoc tempore adhuc vivebat Phinees; contigit veriſimiliter hæc Hiſtoria ante illud tempus, de quo dicitur cap. 2. huius libri: *Omniſque illa generatio congregata eſt ad patres ſuos, & ſurrexe-*

B *runt alij, qui non noverant Dominum, & opera quæ fecerat cum Iſraël.* Hinc itaque colligitur antiquitas huius Hiſtoriæ; ut ex eo quoque patet, quod illo tempore Ieruſalem nondum erat occupata à filiis Juda, ſed adhuc tenebant eam Iebuſęi, ut dicitur cap. ſuperiori, v. 11. & 12. Non Ieruſalem, inquam, id eſt, nec ipſa quidem civitas; ne quis dicat Ieruſalem hîc pro arce Ieruſalem poni, quam demum expugnavit David, ſed nec ipſa quidem civitas tunc adhuc ab Jſraëlitis erat capta; ad quam utique divertere voluiſſet Levites ille, cuius ſuperiori cap. eſt mentio, non ad arcem.

℣.29. *Poſueruntque filij Iſrael inſidias per circuitum urbis Gabaa.* Ante dixerat Dominus: *Aſcendite cras, & tradam eos in manus veſtras.* Quâ Dei promiſſione

C non obſtante, inſidias collocant filij Jſraël ad circumveniendum filios Benjamin. Ea res docet, non debere ceſſare induſtriam humanam, etiam ubi certam tenemus promiſſionem divinam. Nam Dei promiſſio hominum induſtriam non excludit, ſed potiùs confirmat, & ad felicem exitum perducit. Ita ergo & Eccleſia, quamvis promiſſionem habeat fidei non defuturæ; rectè tamen ſimul fidelium continua inſtitutione, & Conciliis Epiſcoporum aliquando celebrandis, hoc agit, ut fides integra & illibata conſervetur.

CAPUT XXI.

℣.6. D*Uctique pœnitentiâ filij Iſraël ſuper fratre ſuo Benjamin. Quæritur*, quare pœnituerint?

D cùm bellum illud geſſerint Dei conſilio, ut patet cap. præcedenti. *Reſp.* bellum quidem ſuſceperunt ex Dei conſilio, ſed non fuerunt juſſi totam tribum delere, ſimulque & mulieres & parvulos occidere; ſed hoc ab illis factum eſt zelo inordinato, cuius meritò eos poſtea pœnituit. Quamquam alioqui pœnitentia etiam referri poſſet, nòn ad factum ipſorum in ſe, ſed quatenus ex eo aliquod malum haud præcogitatum evenit. Quomodo Paulus dicit 2. Corint. 7. *Etſi pœniteret, videns quod epiſtola illa (etſi ad horam) vos contriſtavit.* Nam pœnitentia non ſemper reſpicit peccatum, ſed reſpicit factum quod nollemus factum, aut ſimpliciter, aut ſecundum aliquid. Vide eius loci Comment.

℣.18. *Filias enim noſtras eis dare non poſſumus conſtricti juramento & maledictione.* Ita Scriptura narrat.

E Quorundam opinio eſt, quòd filij Jſraël non tenebantur hoc juramento, eò quòd non tantùm imprudenter factum eſſet, ut ſatis oſtendit Hiſtoria huius capitis, ſed & illicitum eſſet, utpote contra charitatem. Quia contra reparationem unius tribus, quæ alio modo reparari non poterat, niſi acceptis filiabus Jſraël. Nam lege vetitum erat ducere uxores alienigenas Exodi 34. & Deuter. 7. Sed, ſalvo meliori judicio, videtur juramentum omnino ſervandum fuiſſe; quia licet uxores alienigenas ducere non potuerint, alia tamen ratione providere eis potuerunt, ut uxores acciperent de filiabus Jſraël: quemadmodum etiam fecerunt, prout hoc capite duobus modis oſtenditur:

juramentum autem etiam imprudenter emiſſum ſervandum eſt, quamdiu licitè aliquo modo ſervari poteſt. Cæterùm de poſteriore, ſcilicet de raptu filiarum in Silo, magna quæſtio eſt. Sed dici poteſt, quod propriè non erat raptus; quia fiebat authoritate publica, & ob bonum publicum: & ſic ut expectaretur quoque conſenſus parentum virginum, & multò magis ipſarum virginum, ſicut ſequitur v. 22. *Miſeremini eorum, non enim rapuerunt eas jure bellantium, &c.*

FINIS LIBRI IVDICVM.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM RVTH.

CAPUT PRIMUM.

℣. 1. IN *diebus unius judicis.* Judex iſte à Joſepho putatur eſſe Heli Sacerdos. Sed repugnat Chronologia. Non enim Obed qui in fine libri natus refertur ex Ruth, naſci potuit tempore Heli, ſed multo ante natus eſt, videlicet veriſimiliter tempore Abeſſan judicis, aut circiter. Quem proinde Abeſſam probabile eſt hunc judicem eſſe. Inſcribitur autem hic liber, non Noëmi, neque Booz, ſed Ruth; quia huius mulieris virtus in hoc libro præcipuè commendatur, quomodo & libri Tobiæ, Iudith, Eſther & Job, ea nomina ſortiti ſunt.

℣. 2. *Ephrataî de Bethlehem Iuda. Quæritur* quomodo Elimelech fuerit Ephratæus, ſi fuit de Bethlehem Juda? cùm tribus Ephraïm & Juda fuerint diverſæ? Neque dici poteſt quòd fuit ex tribu quidē Ephraïm, ſed habitatione tantùm Bethlehemita. Nam quod fuerit de tribu ipſa Juda, manifeſtum eſt, quia fuit propinquus Booz, qui fuit ex tribu Juda, uti clarum eſt ex Genealogia Chriſti Matth. 1. Ioannes Iſaacius dicit vocabulum hoc (*Ephratæum*) non tam ad tribum pertinere, quàm dignitatis nomen eſſe, quo ſignificetur homo celebris, & magnæ in populo exiſtimationis, propter ſapientiam & pietatem. Quomodo etiam Elcana pater Samuelis ſecundùm eum, dictus ſit Ephratæus 1. Reg. 1. Sed falli opinione videtur. Nuſquam enim oſtendi poteſt Ephratæum, in ea ſignificatione accipi. Sed uno modo ſignificat eum, qui eſt ex tribu Ephraim, ut Judicum 12. *Nunquid Ephratæus es?* Alio modo eum qui habitat in monte Ephraim. Ita Elcana Ephratæus vocatur, cùm alioqui eſſet ex tribu Levitica, ſed in monte Ephraim habitans. Tertio modo Ephratæus, non ab Ephraim, ſed ab Ephrata dicitur. Ephrata autem idem eſt quod Bethlehem, Gen. 35. & 48. ubi Rachel dicitur *ſepulta in Ephrata*, & additur *hæc eſt Bethlehem.* Et cap. ult. huius libri idem ſignificatur. Unde Ephratæus hoc loco idem eſt quod Bethlehemita. Sic & David dicitur filius viri Ephratæi, id eſt, Bethlehemitæ. Eſtque notandum, quod etſi Ephraim & Ephrata, ſint vocabula diverſa, unum tamen idemque eſt patronymicum nomen ab utroque derivatum, etiam in Hebræo; ſcilicet *Ephrati*, id eſt, Ephratæus, cùm alioqui ab Ephraim potius videretur dicendum, Ephraimita.

℣. 16. *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus.* Non eſt ſenſus. Quemcumque elegeris populum, eundem & ego eligo, & ſimiliter de Deo, ſed aſſertivè profert Ruth; Populus Iſraëliticus, quem ſcio populum tuum eſſe, & ad quem nunc reverteris, erit & populus meus; & ſimiliter Deus tuus, Deus meus; & in hoc animi propoſito parata ſum, & cupio reliquum vitæ meæ tranſigere. Ex his ergo dictis ſequitur non poſſe ullo modo ex hac Scriptura ſumi patrocinium perverſæ doctrinæ politicorum, docentium debere ſimiliter dicere unumquemque: Fides principis mei, eſt fides mea: quaſi ſcilicet objectum fidei eſſet non Deus ipſe, ſed quidvis politicum.

CAPUT II.

℣. 12. ET *plenam mercedem accipias à Domino Deo Iſraël.* Alij vertunt *perfectam*, alij *ſolidam*.

℣. 17. *Invenit hordei quaſi Ephi menſuram, id eſt, tres modios. Quos portans reverſa eſt in civitatem.* Sed quî fieri poteſt, ut mulier portaverit tres modios hordei? cùm uni modio ferendo apud nos vir fortis non ſufficiat? *Reſpondeo* Hebr. tantùm legitur (*Et fuit circiter Epha hordei*) cætera ab interprete adjecta ſunt. Epha autem vel Ephi, menſura erat, quæ in cibum ſufficeret uni homini ad decem dies. Nam decima pars Ephi, ut patet Exodi 16. de manna ſufficiebat in unum diem. Unde patet Ephi fuiſſe menſuram nullo modo comparandam cum noſtro modio; quippe cùm noſter modius ſufficere poſſit uni homini ad ſpatium ſex menſium & ampliùs.

CAPUT III.

℣. 7. ET *diſcooperto pallio, à pedibus eius ſe projecit.* *Quæritur* an in hoc non peccaverit Ruth? Sed *non videtur* hac in re peccaſſe. Nihil aliud enim voluit hoc ſuo facto, quàm Booz, ut propinquum, requirere, ut ſecundùm legem eam acciperet uxorem. Nec id ſua ſponte fecit, ſed juſſa, & inſtructa à ſocru ſua. Nec aliter ipſe Booz factum interpretatus eſt; quin magnificè etiam collaudat factum.

℣. 10. *Benedicta* (inquit Booz ad Ruth) *es à Domino filia —— & priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.* Priorem miſericordiam vocat, qua uſa fuerat erga maritum ſuum adhuc viventem; & erga ſocrum ſuam; quam ſolo pietatis affectu ſecuta erat in terram Iſraël, relictis patriis ſedibus. Poſteriorem autem miſericordiam vocat, pium illum affectum; quo movebatur ad ſuſcitandum nomen mariti defuncti per conjugium cum aliquo ex propinquis ſecundùm legem. Hanc autem dicit maiorem illa priori, quia maioris charitatis ac miſericordiæ ſignum eſt, alicui benefacere poſt mortem, quando ab eo temporalis retributio nulla expectatur, quam dum adhuc vivit, & gratiam aliquam is referre poteſt. Quod autem Booz addit: *Quia non es ſecuta juvenes pauperes, ſive divites*, hunc habet ſenſum, quaſi dicat; Non quæris juvenem aliquem maritum, ſive pauperem, ſive divitem, id eſt, qualemcumque invenire poſſes, ſed me jam ſenem, & provectæ ætatis. Quòd dicit ad commendandam ipſius pudicitiam, quod non inſtinctu libidinis, ſed amore poſteritatis ex propinquo ſuſcitandæ, incitaretur ad conjugium.

Quod

Quod ergo dicit Hieronymus in 1. cap. Matthæi; Notandum in Genealogia Salvatoris nullam ſanctarum aſſumi mulierum, ſed eas quas Scriptura reprehendit. A Unde & in conſequentibus Ruth Moabitis ponitur, & Bethſabee uxor Uriæ, exponendum eſt Hieron. de Ruth agere, antequam ad ritum Judaïcum, & cultum unius Dei converteretur. Unde ſcilicet eam ſpecialiter appellat Moabitidem.

℣. 12. *Nec abnuo me propinquum.* Quæres an non potuiſſet eam recuſare? primùm quia non fuerat uxor fratris, cùm lex tantùm fratris meminerit. Deinde quia non erat ex genere Jſrael, ſed Moabitis. B Tertiò, quia conjugium erat valdè inæquale, ipſe enim erat potens & dives, ipſa verò abjecta & paupercula. Quartò, quia erat alius quidam eo propinquior. Poteſt reſponderi ad primum quod erat eadem ratio legis in filio fratris, quando fratris filij erant defuncti ſine liberis, quòd perinde erat ac ſi frater ſine liberis defunctus fuiſſet, quia non relinquebatur ſemen, & quia fratris uxorem, utpote vetulam & generationi ineptam, ducere non poterat cum ſpe ſuſcitandæ ſobolis. Hinc ex legis interpretatione, atque etiam ut apparet, ex jure conſuetudinis, quæ optima eſt interpres legum, C ducere debuit uxorem filij fratris defuncti. Ad 2. quod cenſebatur Jſraelitis, quia ut ipſe Booz de ea teſtatur, ad Deum Jſraël venerat & ad eius confugerat alas: Nam & ipſa dixerat: *Populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus.* Lex autem erat abſoluta de uxore fratris ſine liberis defuncti accipienda, ſive illa eſſet Jſraëlitis genere, ſive ex alia gente, dummodo talis eſſet, quam per legem accipere liceret. Licebat autem accipere converſam ad religionem populi Jſraelitici, ut aliunde patet. Ad 3. eam inæqualitatem quæ D ex ſolis opibus & claritate ſæculi ſumitur, non potuiſſe præjudicare legi divinæ de fratris ſuſcitando ſemine, præſertim cum plures tunc licuerit habere uxores. Ad 4. proximo recuſante ac legis pœnam ſubeunte, legis præceptum portendi ad eum, qui deinde proximus eſſet; nimirùm adhuc ſtante ratione & cauſa, ne videlicet nomen & familia fratris interent: velut ſi proximus qui magis poteſt ac debet, nolit ſubvenire inopi ne fame pereat, conſequens eſt ut ego, qui poſſum, tenear illi ſubvenire. Nec tamen res illa priorem excuſat, quo minùs id facere debuerit. Vide Annot. Deuter. 25. verſ. 5. & 6.

CAPUT IV.

℣. 6. *NEque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo.* Imò verò obedire potuiſſet legi, & non tamen delere poſteritatem familiæ ſuæ; quia ſolus primogenitus aſcribebatur fratri defuncto, reliqui autem ipſi generanti. Sed fortè hunc propinquum illud excuſabat, quod videret alium paratum ſuſcitare ſemen defuncto. Nam uno ex propinquis, licet remotiore, faciente quod lex exigit, cæteri liberabantur. B Porrò Scriptura ſtudiosè reticet nomen huius propinqui, idcircò fortaſſe quod indignus eſſet nominari, qui fratris ſui nomen, jubente lege, ad poſteros nollet tranſmittere.

℣. 10. *Vt ſuſcitem nomen defuncti, ne vocabulum eius de familia ſuâ —— deleatur.* *Quæritur* quomodo hoc præſtitum fuerit à Booz; cum Obed ex hoc conjugio natus, non fuerit vocatus filius Mahalon vel Elimelech, ſed filius Booz; tum hoc capite, tum alibi, & potiſſimùm Matthæi c. 1. in Genealogia Chriſti? *Reſpondeo*, quod Booz ſatisfecerit legi, quantùm C in ipſo erat: Per eum namque non ſtetit, quominùs filius ex Ruth ſuſceptus vocaretur filius Mahalon, ut qui id fieri non prohibuerit. Sed cum Booz eſſet vir dives & potens, alter autem penè ignotus, ut qui in aliena terra; ubi fame preſſus peregrinatus fuerat, mortuus eſſet; vulgò à vicinis Obed, filius Booz, non filius Mahalon fuit appellatus, eaque appellatio deinde uſu obtinuit. Adde quod humilitate & humanitate ſua, quâ Ruth peregrinam pauperculam primum ſuſcepit & fovit, deinde & uxorem duxit homo potens ac celebris, idque ut lege Moſaicæ parere ſe oſtenderet, D hoc meruit Booz, ut nomen eius potiùs quàm legalis parentis; Chriſti Genealogiæ inſcriberetur.

℣. 20. *Naaſſon genuit Salmon, Salmon genuit Booz.* Non improbabiliter aliqui putant omitti hîc parentes aliquot medios: ob diſtantiam temporum inter Naaſſon, & Booz. Vide Ianſenium capite 6. in concord. Evang. Et licet hæc Genealogia texatur eodem modo 1. Paralip. capite 2. Matth. 1. & Lucæ 3. nihil tamen hoc impedit, quin aliqui medij potuerint eſſe omiſſi; Nempe, quia Matthæus & Lucas ex hoc loco, vel Paralipom. acceperunt, ut & auctor Paralip. ex hoc loco accepiſſe potuit.

FINIS LIBRI RVTH.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM I. REGVM.

CAPUT PRIMUM.

℣. 1. *FVit vir unus de monte Ephraim, & nomen eius Elcana.* Idem hîc vocatur paulò pòſt quoque Ephratæus. Quo poſteriori loco quidam putant intelligi illum Bethlehemitam, ab Ephrata, id eſt, Bethlehem, ut author quæſt. in libr. Reg. apud Hieron. Verùm Ephratæus non tantùm ab Ephrata, ſed etiam ab Ephraim dicitur. Vide pleniùs Ruth. 1.

℣. 4. *Venit ergo dies, & immolavit Elcana.* Nota, dicitur immolaſſe, quia hoſtiam Sacerdoti attulit offerendam, pro ſe, ſuaque familia Sic ergo intelligendum quoque, quod filius eius Samuel aliquando obtuliſſe A legitur, nimirùm opera Sacerdotum, cùm ipſe Sacerdos non eſſet, juxta illud Pſal. 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui invocant nomen eius.* Sic & Saül, David, Salomon, Abſalon, imò & Manaſſes, 2. Paralip. 33. immolaſſe dicitur victimas, & pacifica & laudem ſuper altare Domini; nempe quia victimas præbuit immolandas per Sacerdotes. Vide etiam Hieronymum libr. 1. contra Iovinian. clarè ex Genealogia 1. Paralip. 6. v. 38. Ssmuelis oſtendentem, eum non fuiſſe Sacerdotem. Atque item libr. contra Vigilant. Samuelem vocat Levitam, & Prophetam; Sacerdotem non vocat, minimè taciturus eo loco, ubi dignitatem eius prædicat, ſi Sscerdos fuiſſet. Contra tamen objicitur illud. 1. Regum 9. *Quia ipſe benedicet hoſtiæ.* Sed vide eius loci Annot.

℣.7. *Cùm redeunte tempore aſcenderent in templum Domini.* Et infrà cap. 3. *Samuel autem dormiebat in templo Domini.* Atqui nondum ædificatum erat templum Domino. Sed templum generaliter domum vocat etiam mobilem, quale erat tabernaculum, quòd ſubinde de loco in locum transferebatur. Unde infra de Samuele dicitur cap. 3. *Aperuitque oſtia domus Domini,* & cap. 2. de *mulieribus quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi,* & cap. 1. *Et adduxit eum ad domum Domini in Silo.*

At nota quod hoc capite in Hebræo eſt *domus* utrobique, ſed capite 3. ſemel, *templum*, & ſemel *domus*.

℣. 11. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* *Quæritur* quorſum promittat ſe eum daturum Domino, cùm ipſo jure Domini eſſet, tanquam Levita? Nam tota Levitica tribus erat Domino conſecrata, ad uſum ſacri miniſterij. *Reſpond.* Ita quidem; ſed non omnes debebant, nec poterant actu ſervire in tabernaculo. Multi enim habitabant diſperſi per omnes tribus, in quibus & ſeparatas habebant urbes, & ſuburbana, ut patet ex libro Ioſue. Erant ergo omnes Domino conſecrati, quatenus opus erat eorum miniſterio in rebus ſacris, & non ante ætatem à lege conſtitutam. At Samuel ita donatur Domino à matre, ut mox à primis annis pueritiæ, & per totam vitam permanere deberet in miniſterio tabernaculi. Si objicias id non fuiſſe factum. Samuel enim quando judex erat, non videtur manſiſſe in miniſterio tabernaculi; imò nec habitaſſe eo loco, ubi erat tabernaculum. Nam infrà cap. 7. dicitur habuiſſe domum in Ramatha, ibique habitaſſe; *Reſpondeo* ibidem ſubiungi, quod ædificavit etiam ibi altare Domino. Quare nec quando judex erat videtur deſiiſſe miniſtrare Domino, quatenus officium judicis ſinebat. Et alioqui vocatus à Domino ad officium judicis totius populi, poterat interpretari eo ipſo, ſecum à Domino diſpenſatum fuiſſe, ne ita perpetuo in tabernaculo teneretur miniſtrare. Nam & Heli ſimul fuit Sacerdos & judex.

℣.17. *Vade in pace, & Deus Iſraël det tibi petitionem tuam.* Hoc loco notanda eſt vis & efficacia benedictionis Sacerdotalis. Anna orat Dominum pro filio obtinendo: bene precatur et Sacerdos. Et hac benedictione tanquam quadam interceſſione mulier exauditur à Domino. Et ne quis ſoli orationi mulieris exauditionem aſcribendam putet, capite ſequenti rurſum legitur ei benedixiſſe Sacerdos, cùm dicit ad eius maritum: *Reddat tibi Dominus ſemen de muliere hac pro fœnore, quod commodaſti Domino.* Indè & mox ſubjungitur: *Viſitavit ergo Dominus Annam, & concepit, & peperit tres filios, & duas filias.* Ex quibus oſtenditur quantum valeat benedictio Sacerdotis, etiamſi fortè non fuerit uſquequaque probatus. Nam & Heli, ut poſteà patebit, propter diſciplinæ paternæ, ac Sacerdotalis neglectum, acriter à Domino reprehenſus fuit.

℣.28. *Et adoraverunt ibi Dominum.* Hebraïcè numero ſingulari: *Et incurvavit ſe ibi Domino.* Quod quidam referunt ad ipſum Heli qui pro dono à muliere oblato Deo gratias egerit cum humili corporis inclinatione. Nam de Anna nominatim ſequitur: *Et oravit Anna, & ait.* At rectiùs videtur ad Annam referri, quæ oblato munere, eaque oblatione Sacerdoti ſignificata illis verbis quę hîc referuntur, mox ut oportebat Deum adoraverit, humiliter rogans ut donum acceptum habere dignaretur. Et quia idem etiam à viro fiebat, vertit Interpres noſter *adoraverunt* plurali numero. Nam virum ſimul fuiſſe præſentem manifeſtum eſt, tum ex eo quod pauld ſuperius dictum eſt: *Et immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli;* tum quia ſtatim poſt Canticum Annæ dicitur: *Et abiit Elcana in Ramatha in domum ſuam;* ſcilicet oblatione completa; tum denique quia non potuiſſet mulier ſine viro filium

A offerre, neque Sacerdos oblationem eo modo factam ſuſcipere debuiſſet. Idcircò autem Annæ nomen exprimitur ibi: *Et oravit Anna & ait,* quia hæc oratio non erat utriuſque, ſed ſolius Annæ.

CAPUT II.

℣.3. *Quia Deus ſcientiarum, Dominus eſt.* Senſus, eſt Deus cognitionum; id eſt, omnia novit, etiam intimas hominum cogitationes. Unde & ſequitur: *Et ipſi præparantur cogitationes:* quaſi dicat, nullæ cogitationes eum fugere poſſunt, incurrunt omnes in eius notitiam.

℣.5. *Donec ſterilis peperit plurimos.* Pro (*plurimos*) B Hebræa & Septuaginta Interpretes habent (*ſeptem.*) Quâ occaſione Hebræi tradunt (uti teſtis eſt Hieronymus tradit. Hebr.) quod nato Samuele, mortuus fuerit primogenitus Phenennæ, ac deinde alij eius filij uſque ad ſeptem; atque ita intelligendum eſſe quod ſubjungitur; *Et quæ multos habebat filios infirmata eſt;* dum filij ſcilicet Phenennæ moriendo decreſcunt, & filij Annæ naſcendo multiplicantur uſque ad ſeptem. Adduntque ijdem Hebræi hoc, quòd cùm Anna tantùm legatur habuiſſe tres filios, & duas filias, addendos illis eſſe duos filios Samuelis, ut ſeptenarius numerus impleatur. Sed expedita reſponſio eſt juxta verſionem noſtram, quæ numerum non exprimit, ſed tantùm dicit (*peperit plurimos.*) In Hebræo proinde & Græco *ſeptem* poſita eſſe pro multis, numerus certus pro incerto, id quod in Scriptura ſacra frequens eſt, ut in C illo Iſaiæ 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum unum,* & alibi.

℣.17. *Quia retrahebant homines à ſacrificio Domini.* Pridem legebatur (*quia detrahebant*) & aliqui interpretabantur, quòd homines partem à ſacrificio detrahentes ſibi ſervarent; alij, quòd detrahebant homines ſacrificio, id eſt, quòd illud vilipendebant, ob improbitatem filiorum Heli. Et poſterior hic ſenſus convenit cum eo quod nunc ſubſtitutum eſt (*retrahebant*) & ſenſum hunc poſtulant Hebræa & Græca. Sic enim habent Hebræa (*quia contemnebant viri ſacrificium Domini.*) In Græco quoque legitur (*quia aſpernabantur ſacrificium Domini.*) A quo ſenſu ne iterum facilè recederetur, credo pro (*detrahebant*) in Romana correctione D ſubſtitutum eſſe (*retrahebant.*)

℣. 22. *Et quomodo dormirent cum mulieribus quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi.* Id eſt, quæ conveniebant, ſeu congregabantur religionis causâ, ad fores tabernaculi, nam vox Hebræa ſignificat *convenire* ſeu congregari; quomodo etiam vertit Pagninus. Pro quo tamen Arias Montanus maluit ponere (*exercere.*) Hebræi puerperas intelligunt, quæ veniebant turmatim ex diverſis locis, ut purgarentur, & orarent Deum. Tu interim vide Annotationes Exodi 38. & quod id, quod nos habemus; *quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi*, fortè non malè acciperetur ſicut illud 1. Cor. 7. *Obſervandi Dominum*, de quo vide noſtrum Commentarium.

℣.23. *Et dixit eis; Quare facitis res hujuſcemodi?* E Hieronymus libr. 1. contra Pelagianos cap. 8. de Heli ſic habet. Corripuit filios, & punitus eſt, quia non corripere, ſed abjicere debuit. Alij hoc in Heli reprehendunt, quod leniùs ac remiſſiùs, quàm pro magnitudine peccati, corripuerit; quodque citò ceſſaverit à corripiendo, quaſi nolens acerbiùs contriſtare filios. Certè quando correptionem vidit non proficere, abjicere eos debuit; ut bene dicit S. Hieron.

℣.25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poterit Deus; ſi autem in Dominum, quis orabit pro eo?* Gravitas peccatorum ex objecto æſtimatur: Et proinde; cæteris paribus, graviora ſunt peccata quæ in Deum directè committuntur, quàm quæ in hominem. Unde blaſphe-

blaſphemia gravior eſt quam contumelia in hominem; & in cęteris ſimili modo. Filij autem Heli in Deum peccabant, quia circa divina ſacrificia & cultum Dei; quod eſt irreligioſitatis peccatum religioni oppoſitum. *Senſus ergo* eſt. Peccatum in hominem commiſſum, facilè impetrat veniam; in Deum autem non ita facilè. Hebræi aliter exponunt & legunt, ita videlicet; *Si peccaverit vir in virum, judicabit eum Dominus: Si autem, &c.* ut ſit argumentum à minori. Si judicabitur à Domino, id eſt, punietur, qui in hominem peccat, quantò gravius punietur qui peccat in Deum? ita ut difficulter quis eius peccati remiſſionem ſua interceſſione impetrare poſſit.

Eſt autem ſententia intelligenda cæteris paribus; & quantum ex parte eſt horum objectorum ſeu circumſtantiarum. Nam ratione materiæ gravius poteſt peccari in hominem quàm in Deum, ut qui hominem occidit gravius peccat, quàm qui negligenter orat: ſed ſi peccatur in ſimili materia, gravius peccatur in Deum. Unde gravior eſt irreverentia in Deum quàm in hominem, gravior contumelia, & ingratitudo in Deum, quàm in hominem.

℣.30. *Loquens locutus ſum.* —— *Nunc autem abſit hoc a me, &c.* Ubi Dominus ſic locutus fuerit de domo Heli, vel de domo Ithamar, ex qua Heli; non legitur. Unde quidam ſic interpretantur: Decreveram, ſive ſtatueram, ut domus tua —— miniſtraret in ſempiternum: *Nunc autem, &c.* Et quidem videtur habere hoc ſenſum improprium: utpote quod decretum Dei ſonet, velut aliquid mutabile, ſed tamen poteſt etiam intelligi de Dei voluntate antecedenti, ut vocant, hoc eſt, quod niſi Heli & filij eius peccaſſent, retinuiſſent dignitatem Sacerdotij: At ob peccatum eorum, voluit Deus, voluntate conſequenti, eos Sacerdotio privare. Vide pleniùs ad 2. Regum 8. 3. Regum 2.

℣.35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, &c.* Hoc de Christo quidam intelligunt citati à Bellarmino. Et quidem de Chriſto veriſſimè dicitur, quòd ſit Sacerdos fidelis, qui faciat omnia juxta cor Dei, & cui Dominus ædificet domum fidelem. Sed ad illum quomodo pertinet quod ſequitur: *Et ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus*; cùm ipſe ſit Chriſtus? Non dubium quin hoc de Sadoc eiuſque poſteritate dicatur, reſtituto in Sacerdotium, pulſo Abiathar pronepote Heli. Sic enim legis 3. Reg. 2. *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini; ut impleretur ſermo Domini quem locutus eſt ad domum Heli in Silo.* Sed dubium utrum de Chriſto dictum ſit myſticè. Vide Annot. 3. Reg. 2.

CAPUT III.

℣.2. E*T oculi eius caligaverant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, &c.* Pridem legebatur accuſativus (*lucernam*) & jungebatur hoc de lucerna præcedentibus. Et quidam ſic exponebant: per noctem, dum adhuc arderet lucerna, nihil poterat videre Heli. Alij ſic: Non poterat videre lucernam ardentem, eò quòd viſus eius tam infirmus eſſet; ut aſpectum lucernæ ardentis non poſſet ſuſtinere. Sed verus ſenſus petendus eſt ex vera lectione, quę in Bibliis Sixtinis reſtituta eſt; & vers diſtinctione ibidem adjuncta, ſublato illo (*autem*) quod erat poſt (*Samuel.*) Nempe ut hic ſit ordo verborum & ſenſus: *Heli jacebat in loco ſuo* (non lecto) *& oculi eius caligaverant, nec poterat videre.* Ac deinde ſequatur nova ſententia: *Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, &c.* Nempe totum illud (*lucerna Dei antequam extingueretur*) tantùm eſt periphraſis noctis. Nam nocte lucerna ardebat uſque mane, ſicut in lege præceptum erat. Sic Hieronym.

℣.7. *Porrò Samuel necdum ſciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei ſermo Domini.* Cur Samuel vocatus à Domino, non ſtatim agnovit à Domino ſe vocari? Neque enim aliis Prophetis id accidiſſe legimus, etiam tum quando primum accepere à Deo revelationes. Nam Deus ſic loqui ſolet Prophetis ut intelligant & ſciant eſſe Domini Dei allocutionem. Sed ideò ſic actum cum Samuele, ut Heli à quo Samuel ſe vocari putabat, & ad quem tertio accurrebat, occaſionem haberet poſtea percontandi à Samuele quid Dominus dixiſſet. Nam *Samuel*, ut ait Scriptura, *timebat indicare viſionem Heli.*

℣.10. *Et vocavit, ſicut vocaverat ſecundo; Samuel, Samuel.* Atqui jam tertio vocaverat. Hoc enim præcedit verſ. 8. ubi ſic diſertis verbis dicitur: *Et vocavit Samuelem tertio.* Quare dicendum, duo in tribus includi; ut qui tertiò vocârat, etiam ſecundò rectè vocaſſe dicatur; tum etiam in Hebræo non eſſe illud (*ſecundo*) ſed *vice & vice*, id eſt, ſuperioribus vicibus. Nam geminatio in Hebræo ſervit ſimpliciter multitudini. Unde illud, (*homo & homo*) idem eſt quod quicumque homo, vel multi homines.

℣.14. *Idcircò juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius* —— *uſque in æternum.* Ex hoc intelligitur quàm grave peccatum ſit omiſſio debitæ correptionis. Nam Heli corripuerat quidem filios ſuos; ſed lentè admodum ac remiſsè. Propterea hîc dicitur; eo quòd non corripuerit eos; videlicet eo modo quo debuit. Non eſt tamen ex his verbis conſequens Heli nunquam ſui peccati accepiſſe à Domino remiſſionem. Nam verba iſta intelligenda ſunt de pœna temporali, à Domino conſtituta pro peccato eius & filiorum; & ſignificant irretractabilem Domini ſententiam, quantum ad inflictionem pœnæ temporalis. Alioqui quantum ad æternam pœnam attinet, valdè veriſimile eſt eam Heli per veram pœnitentiã evaſiſſe. Nam Samuele (ut ſequitur) ei viſionem Domini indicante; ſubmittens ſe caſtigationi divinæ reſpondit cum humilitate ac modeſtia: *Dominus eſt; Quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Et poſteà magis pro arca Dei legitur ſollicitus fuiſſe quàm pro filiis. Nam ſic ibi habetur: *Nam erat cor eius pavens pro arca Domini.* Et audita morte filiorum, non legitur commotus, ſed cum audiſſet captam arcam Dei; cecidit de ſella, & mortuus eſt. Unde non videtur probanda huius loci Gloſſa Ordinaria, quæ dicit Heli propter peccata filiorum damnatum; niſi temporalem intelligas damnationem, id eſt, reprobationem à Sacerdotio in ſuis poſteris.

CAPUT IV.

℣.3. A*Fferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini.* Conſilium hoc majorum natu de adducenda arca Dei in caſtra per ſe malum non fuit aut temerarium; meritoque ſperare poterant victoriam ex præſentia arcæ (ſicut per eiuſdem præſentiam & circumgeſtationem norant corruiſſe muros Iericho) niſi & Sacerdotum filiorum Heli arcam geſtantium peccata obſtitiſſent, tum etiam peccata populi clam Baalim & Aſtaroth colentis, ut indicatur infrà capite 7. Certè adhuc poſteà quoque, nec ſolùm ſub Saüle, de quo infrà capite 14. verùm etiam tempore Davidis id factum conſtat. Nam in bello quod gerebatur contra Ammonitas, *arca cum Iſraël & Iuda*, id eſt, cum exercitu David, *in papilionibus morabatur*, id eſt, in caſtris erat, ut eſt in verbis Uriæ ad Davidem 2. Regum 11. Sed & cum David fugeret Abſalon, Sacerdotes poſt eum, ac pro eius, atque exercitus ipſius tutela, arcam Domini ex Ieruſalem adferebant, tametſi ille præ humilitate indignum ſe exiſtimans eo honore, ac ſacro præſidio, juſſerit arcam referri in locum ſuum.

℣.4. Ta-

℣.4. *Tulerunt arcam Domini Dei exercituum ſedentis ſuper Cherubim.* Obſerva, quod ſicut arca erat velut ſcabellum pedum Domini, ita Cherubim ſupra arcam expanſa erant velut ſedes Domini. Hinc & in Pſal.79. dicitur: *Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coram Ephraim, &c.* Pſalm.98. *Dominus regnavit, iraſcantur populi, qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra.* Et utrumque ſimul expreſſum eſt 2. Regum 6. ubi dicitur; *ſedentis in Cherubim ſuper eam*; Videlicet arcam, Utpotè ſuper arcam tanquam ſuper ſcabellum, & in Cherubim, tanquam in ſede, ex qua oracula reddebat.

℣.7. *Venit Deus in caſtra.* Etſi Philiſthæi corporalem motum, & membra Deo tribuentes, hoc falſo intellectu dixerunt; exiſtimantes eum corporaliter transferri de loco in locum: phraſis tamen ipſa non eſt aliena à Scriptura ſacra. Nam alibi, hoc, & ſequenti libro, dicitur Deus locum ſubinde mutare, & ambulare: ſcilicet propter arcam ſubinde tranſlatam. Sic in Pſalm.131. *Donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob*, & rursùm, *Attollite portas —— & intraibit Rex gloriæ*, id eſt, arca, in qua præſentiam ſuam Deus ſæpè manifeſtis ſignis oſtendebat.

CAPUT V.

℣.2. T*Uleruntque Philiſthiim arcam Dei —— & ſtatuerunt eam juxta Dagon.* Non juxta Dagon ſtatuerunt, ut Deum quem arca repræſentabat, una cum Deo ſuo Dagon colerent (quamvis Græci & Romani aliquando à victis gentibus numina mutuari ſint) ſed ut eſſet arca, inſtar inſignis ſpolij hoſtibus erepti; cuiuſmodi ſpolia ſolent victores in ſuorum Deorum templis, velut adeptæ per eos victoriæ grata teſtimonia, collocare. Atque hæc cauſa fuit, ut juxta Dagon arcam ſtatuerent. Nam ſicut legimus Iudic. 16. Philiſthæos laudaſſe Deum ſuum Dagon, pro Samſone in manus ſuas tradito: ita non dubium, quin etiam hic & victoriam, & arcæ ſpolium eidem Deo ſuo accepta tulerint.

℣.4. *Rurſumque mane die altera inſurgentes, invenerunt Dagon jacentem —— caput autem Dagon, & duæ palmæ —— ſuper limen, &c.* In hac narratione prima facie videtur quædam repugnantia. Nam dicitur Dagon jacuiſſe, & paulò pòſt remanſiſſe in loco ſuo. Sic enim ſubjungitur: *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Sed revera nulla eſt repugnantia. Nam primo ſciendũ eſt Dagon fuiſſe idolum, quod ab umbilico, & infrà, habebat figuram piſcis: & in ſuperiori parte figuram hominis. Unde truncatis brachiis & capite remanebat tantùm figura piſcis. Quòd ergo Dagon dicitur jacuiſſe in terra coram arca Domini, id per ſynecdochen tantùm de capite ac brachiis intelligendum eſt: quæ ſuper limen jacebant ante arcam. Unde ſcilicet & Scriptura hoc ipſum exponens adjecit: *Caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen.* Quod autem ſequitur: *Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo*, intelligitur de reliqua parte, quæ truncata capite & brachiis jam nihil aliud, quàm figuram piſcis referebat (piſcem enim Hebr. daga vocant, & diminutivum dagon.) Unde rectè dictum eſt Dagon relictum fuiſſe in loco ſuo. Additio B.P. Cenſoris, facilior conciliatio eſt, & verbis textus conformior, ſi dicamus quod ſecundo die mane Dagon repertus eſt jacens pronus coram Arca, in loco in quem Azotij eum reſtituerant: ita tamen ut caput & manus ejus à corpore abſciſſa, jacerent ſuper limen. Pro illis verbis, (in loco ſuo) Hebr. ſonant (juxta eam) ſcilicet Arcam Domini; quibus explicatur quod nobis dat S. Hieron.

CAPUT VI.

℣.6. Q*Uare aggravatis corda veſtra, ſicut aggravavit Ægyptus, &c.* Nota gloriam Dei Jſraël, & mirabilia eius, quæ fecerat in Ægypto; non fuiſſe incognita genti Philiſthinorum. Quod & ſimiliter exiſtimandum eſt de aliis gentibus circumquaque vicinis. Sic enim futurum ipſe Dominus prædixerat Exodi 9. verbis ab Apoſtolo repetitis Rom. 9. inquiens per Moyſem ad Pharaonem: *Idcircò poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Unde & ſuprà c.4. dicebant Philiſthiim: *Væ nobis; quis nos ſervabit? —— Hi ſunt Dij qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga.* Et ſimilia dicta legimus à Raab Ioſ.2. & Gabaonitis c.9. Ergo & in vicina Græcia; etſi tunc nondum ſint apud eos res litteris conſignatæ, niſi obiter aliquid de Moyſe, & valdè confusè.

℣.7. *Nunc ergo arripite & facite plauſtrum novum, & duas vaccas fœtas.* Hoc conſilium, etſi ab idolorum Sacerdotibus ac divinis datum, tamen inſtinctu Dei datum videtur: qui hoc modo voluit gloriam ſuam in reducenda arca manifeſtari. Nam & dæmones ſuis ariolis aliquando hoc ſuggerunt, non quod ipſis gratum eſt, ſed quod permittuntur, vel jubentur à Deo. Qualia veriſimile eſt fuiſſe quædam oracula gentilium; ſicut etiam per homines malos, ut per Caipham, occultam veritatem Deus propalare voluit. Vide Chryſoſt. Hom.3. ad Titum. Item quamvis detur, ſignum illud à dæmonibus fuiſſe præſcriptum: nihil tamen vetat quo minus Deus dederit effectum: quia Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, & aliquando hoc agit juſto ſuo judicio, quod homo ſuperſtitioſus ex ſigno ſuo diabolico expectabat: idque, ut Auguſt. ait, ad fallendum fallaces: quia qui talibus utuntur, digni ſunt ut per ea fallantur, ut fiat poſterius peccatum pœna prioris. Quamquam hîc potiſſimùm illud actum fuit ut gloria Dei Jſraëlitici, cuius præſentia in arca ſignificabatur, manifeſtaretur etiam apud infideles. Item, ſecundùm Auguſt. & S. Thomam boni Angeli accepta revelatione à Deo, ſignificant aliquando & loquuntur malis Angelis, quæ Deus vult eos noſſe. Vide etiam infrà cap.28. de ſuſcitatione Samuelis. Legimus apud Socratem lib.4. cap.15. quoſdam curioſos arte Necromantica uſos ad quærendum quis poſt Valentem regnaturus eſſet: ac reſponſum accepiſſe, quemdam regnaturum, cuius nomen compoſitum eſſet, atque ab his litteris inciperet, θεοδ. Id autem dæmon prædicere non potuit, niſi Deo revelante.

℣.11. *Et poſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum.* Nec ideò exiſtimandum eſt hanc ſuggeſtionem non fuiſſe à Deo, quod videatur inhoneſtum, anos, id eſt, pudendam corporis partem, auro effigiari, & pro munere mitti, Deoque Jſrael offerri. Nam hoc ipſum ad gloriam Dei Jſrael ſpectabat, quod hoſtes populi eius, arcam Dei captivam apud ſe tenentes, fœdo morbo in ſecretiori parte narium percuſſi ſint; nec priùs inde liberati, quam ipſam arcam remitterent cum muneribus, quibus illam ſuam percuſſionem, morbique fœditatem confiterentur: receptamque eius plagæ ſanitatem, illi cui munera mittebant, acceptam ferrent: & tanquam perpetua rei geſtæ futura monumenta in templo Dei Jſraël ſtatuerunt. Quod quidem ceſſit in gloriam Dei, & in Philiſthinorum ſempiternum dedecus & opprobrium. Sicut & Pſalmiſta canit: *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora, opprobrium ſempiternum dedit illis.* Pſalm.77.

℣.19. *Percuſſit autem Dominus de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini, &c.* Docemur hîc quam grave ſit peccatum, manibus & ore, indignè tractare ſacra myſteria, ſi tam graviter puniti ſunt Bethſamitæ, qui arcam Dei, noſtrorum myſteriorum tantùm figuram, tantummodo curioſè aſpexerunt: contrectaſſe autem non leguntur. Quod verò dicitur: *Et percuſſit de populo Septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis*, in Hebr. etiam poſteriori loco eſt, *quinquaginta*

ginta millia virorum. Itaque cùm non ſit veriſimile in uno oppido non admodum celebri, fuiſſe tantam virorum multitudinem, Hieron. & alij eum ſequuti, ſic iſtud exponunt: id eſt, percuſſit de populo Septuaginta viros præcipuos, quorum merito & gloriæ vix quinquaginta millia plebis ſeu vulgarium virorum comparentur. Sicut Davidi dicitur 2. Regum 17. *Tu unus pro decem millibus computaris.*

CAPUT VII.

℣.6. **E**T *convenerunt in Maſpha, hauſeruntque aquam, &c.* Hieron. in tradit. Hebr. refert Hebræorum quorumdam opinionem, quod hac aqua exploraverit Samüel, qui inter Iſraëlitas idola coluiſſent, qui non: Sicut & Moyſes feciſſet ea aqua in quam projecerat cinerem vituli aurei, quam legitur filiis Iſraël dediſſe ad bibendum. Sed utrumque fabuloſum eſt. Non enim Deus per homines unquam legitur manifeſtaſſe occulta peccata alicuius multitudinis per ſingulos. Alij itaque dicunt effuſam fuiſſe coram Domino aquam in ſignum remiſſionis peccatorum. Alij in ſignũ humiliationis: quaſi dixerint: Nos ſumus coram te ſicut aqua iſta effuſa. Chaldæus paraphraſtes, abundantiam lacrymarum intelligit. Ut eſt, omnino videtur ad pœnitentiæ ſignificationem pertinuiſſe: quia ſequitur & aliud pœnitentiæ opus: *Et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt, Peccavimus Domino, &c.*

℣.14. *Et reddita ſunt urbes quas tulerant Philiſthiim ab Iſraël, Iſraëli, ab Accaron uſque Geth. Quæritur* quomodo hîc dicatur redditas eſſe urbes ab Accaron, uſque Geth, & terminos ſuos, cùm nec ante nec poſt legamus eas à filiis Iſraël fuiſſe occupatas, aut habitatas? Nam & infra c.17. proſtrato & interempto Goliath, filij Iſraël dicuntur tantùm perſecuti Philiſthæos uſque ad portas Geth. Et c.21. David profugit ad Achis regem Geth, ut tutus eſſet à Saüle. *Dicendũ* ergo non hîc dici ipſas urbes Accaron & Geth redditas fuiſſe, ſed eas urbes quæ interjacebant inter Accaron & Geth, quas Philiſthæi ſuperioribus bellis abſtulerant Iſraëlitis, pertinentes maximè ad tribum Dan, quæ erant viciniſſimæ Philiſthæis, ut patet ex Hiſtoria Samſonis, & chartis Geographicis.

℣.17. *Revertebaturque in Ramatha, ibi enim erat domus eius.* Quomodo hoc conſiſtat cum eo quod mater eum conſecrârit, ut perpetuò Deo in tabernaculo ſerviret, explicatum eſt ſuprà cap.1. Sed major *quæſtio* naſcitur ex his quæ ſequuntur: *Ædificavit etiam ibi altare Domino,* nempe, an id factum non ſit contra legem, eò quòd ibi non eſſet tabernaculum nec arca? *Reſpondet* gloſſa, id eum feciſſe, ne populus immolaret diis alienis, & ob hoc eum non reprehendi. Sed plenior *reſponſio* eſt, quia per id tempus arca non habebat ſtabilem manſionem, idque ad tempus quo templum fuit extructum à Salomone, & intereà putant non fuiſſe peccatum immolare in excelſis, modo vero Deo.

CAPUT VIII.

℣.3. **E**T *non ambulaverunt filij illius in viis eius. Quæritur*, cur Samüel filios tam graviter in populum peccantes, non corripuerit? *Reſpond.* ſi ſcivit peccatum eorum, haud dubiè corripuit eos vir ſanctus, qui nec ignorabat, ſimilis negligentiæ cauſa; Heli in poſteritate ſua à Sacerdotio rejectum fuiſſe: ipſumque in filiis graviter punitum. Sed fortè neſciebat: quia non domi eius peccabant filij eius, ſicut filij Heli in tabernaculo coram patre. Erant enim conſtituti judices in Berſabée procul à domicilio patris: fitque perſæpè ut filiorum peccata poſtremi ſciant parentes, qui primi ſcire debebant: & non raró ea publicè nota ſunt, antequam rumor ad parentes perveniat. Hieron. l.1. contra Iovin. Noviſſimi, inquit, mala noſtra diſcimus: & Sylla

A ſecreta domus ſuæ, id eſt, adulterium uxoris, primùm hoſtium convitio didicit. Simile quid legitur de Pompeio. Bernardus l.4. de conſiderat. c.6. Non oportet ut vitia domus tuæ ultimus ſcias: quod quamplurimis novimus contigiſſe. Sed cur Samuel re intellecta non eos amovit? Non opus erat, quandoquidem mox ceſſavit eorum judicandi poteſtas per electionem novi regis.

℣.5. *Diſplicuit ſermo in oculis Samuelis, eò quòd dixiſſent: da nobis regem, ut judicet nos.* Non dicit ſcriptura diſplicuiſſe Samueli quod dixiſſent Samueli: *Filij tui non ambulant in viis tuis:* quamvis enim peccatum filiorum meritò diſplicere debuit; non tamen offenſus eſt populo hoc ſibi dicenti, ſed magis filiis peccantibus. At in eo quod dicebant: *Da nobis Regem;* ipſe

B populus peccavit improba poſtulatione, adeoque & ſermo, & propter ſermonem populus diſplicuit tam Deo quàm Samueli, ut patet ex ſequentibus.

℣.7. *Non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Non eſt dubiũ quin filij Iſraël petendo regem ſibi præfici, peccaverint: id enim Scriptura ſacra verbis citatis manifeſtè teſtatur. Et c.12. ait Samuel ad populũ: *Scietis & videbitis, quia grande malum feceritis vos in conſpectu Domini, petentes ſuper vos regem.* Sed quæritur, cur minùs licitũ fuerit filiis Iſrael petere Regem quàm cæteris gentibus: maximè cum inter tres politicas administrationes, monarchica & regalis cenſeatur optima, utpotè ſimilliма monarchiæ divinæ? Pro *reſponſione* ſciendum eſt, quod Deus populum illum Iſraëliticum ſibi peculiarem ac proprium elegerit præ cunctis gentibus, ita ut ipſemet eſſet velut immediatus Rex ipſorũ,

C per ſingularem adminiſtrationem, quâ illum populum regebat. Unde & per ſe legem dedit in monte Sina. Judices autem erant eius velut vicarij: quos etiam immediatè inſtituebat, ſicut Rex viceregem in aliquo regno. Unde in libro Judicum de ſingulis judicibus dicitur: *Suſcitavit Deus hunc vel illum judicem.* Quia ergo hanc adminiſtrandi rationem diutiùs ferre noluerunt, meritò accuſantur, tanquam qui Deum ipſum abjeciſſent, ne regnaret ſuper eos. Etenim & ſub judicibus monarchicum regimen erat: & ſub humilibus judicibus magis Dei potentia patebat, quàm ſub ſuperbis regibus, quales ipſi petebant; in externo ſplendore regio magis confidentes, quàm in Deo. Unde dicebant: *Conſtitue nobis regem, ſicut & univerſæ habent nationes.* Quod ergo

D Deuter. 17. præſcribitur de modo Regis conſtituendi; intelligitur, præſuppoſito eo quòd Regem ſibi velint conſtituere: ut ſatis apparet ex ipſis Scripturæ ſacræ verbis. Neque ideò populus ille non peccavit petendo regem, quod ſub Regibus melior atque honorabilior fuerit populi ſtatus quàm ſub Judicibus. Nam ſi melior fuit, id maximè ſub Davide & Salomone, quod tamen non accidit ex eo quòd ſimpliciter melius fuerit illi populo Reges habere quam Judices; ſed ex Dei providentia; qui etiam mala vertit in bonum, voluitque hac improbæ petitionis occaſione, ſuſcitare reges, per quos & cultus ipſius amplificaretur, & templum ſibi faceret ædificari. Cæterùm, abſolutè nequaquam conceſſerim meliùs fuiſſe illi populo ſub Regibus: Siquidem Judices omnes, aut pene omnes, ſancti fuerunt, & populum ab

E hoſtibus oppreſſum liberaverunt, & dum viverent, in Dei cultu continuerunt: maximè Samuel. At reges omnes Iſrael, id eſt, decem tribuum, nullo excepto, ad idololatriam populũ induxerunt, in eaque retinuerunt. Reges etiam Juda, tribus aut quatuor exceptis, à Dei cultu receſſerunt; & in eandem impietatem populum traxerunt. Unde tandem in illis impleta fuit Dei per Samuelem comminatio c.12. ut ipſi cùm rege ſuo perierint, ab hoſtibus vaſtati, & in captivitatem adducti.

℣.11. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus eſt vobis.* Jus intellige, non legitimum, ſed uſurpatum, ut patet inprimis ex illis verbis v.4. *Agros quoque veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet.* Nam cùm tale jus

Achab

Achab eiuſque uxor Iezabel 3.Reg.21. uſurpaſſent, invadendo vineam Naboth, eumque quia cedere nolebat interficiendo, graviter à Deo per Eliam correpti, & poſteà puniti fuerunt. Unde nec tale jus ſe habere oſtẽdit David 2.Regũ ult. quando ab Areuna Iebuſæo aream, in qua altare conſtrueret, etſi gratis & ſine pretio oblatam, juſto tamẽ pretio redimere voluit. Vide Medinam in 1.2.q.90.art.1. ubi docet ſecundùm D.Thom. non eſſe veram legem, quę in privatum commodum conſtituitur; dicitque prętereà, aſſerere quod Principes & Reges habeant dominium in bonis ſubditorum ſuorũ, ita ut poſſint convertere ea in propriam utilitatẽ, & inſtituere leges in proprium commodum: dogma eſſe peſtiferum, & omnibus modis execrandum. Et inter cætera ſolvit etiam argumentum, quod ex hoc loco ducitur.

B ℣.18. *Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri, quem elegiſtis, & non exaudiet vos Dominus in die illa.* Obſervatione dignum eſt, maximè hęc impleta eſſe ſub illo Rege, ſub quo Iſraëlitæ videbantur inprimis florere, nempe ſub Salomone, ut ſatis liquet ex querimonia populi apud filium eius Roboam, & ipſius Roboam confeſſione 3.Reg.4. Clamavit ergo tunc populus; ſcilicet, ſub Salomone quidem gemitu cordis, (quia voce non audebat propter eius potentiam) poſteà autem clara voce, auſpicante regnum Roboam; ſed utrumque fruſtrà.

CAPUT IX.

C ℣.2. *Et erat ei filius vocabulo Saül, electus & bonus.* Quomodo electus, qui poſteà legitur reprobatus, cùm ex electo nemo reprobus fieri poſſit? Item quomodo ſubditur; *& non erat vir de filiis Iſraël melior illo?* an ergo ipſe melior Samüele? Referunt quidam ad præſentem juſtitiam, & electum intelligunt inſigniter bonum, ut ſit hyperbolica quædam commendatio probitatis eius; quomodo dicere ſolemus etiam Latinè, de aliquo egregiè docto: Nihil illo doctius. Alij tamen malunt hæc omnia referre ad formam, & robur corporis. Unde ſic quidam vertit ex Hebræo; *Saül juvenis erat & pulcher, nec erat inter filios Iſraël illo pulchrior.* Cui interpretationi conſentit quod ſequitur: *Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum.* Et cap. ſeq. de corporis habitu loquitur Samüel, quando dicit ad populum: *Certè videtis, quem elegit* D *Dominus, quoniam non ſit ſimilis illi in omni populo.* Nimirùm corporis habitu. Nam animi affectionem populus videre non poterat.

℣.7. *Panis defecit in ſitarciis noſtris.* Vox Græca Σιτάρκια, annonam militarem ſignificat, & peram, in qua cibus poni conſuevit. D. Auguſt. tract. de Cantico novo cap.2. bis utitur hoc vocabulo, ſemel in plurali, ſemel in ſingulari, adducens ſcilicet illud Apoſtoli. *Habentes victum & amictum his contenti ſimus.* Vide etiam apud Hieron. in procemio ſuper Matth. Item in vita Malchi. & ſuper epiſtolam ad Titum 3.

℣.8. *Ecce inventa eſt in manu mea pars ſtateris, demus homini Dei.* De hoc loco ſic Hieron. ſuper Micheæ 3. Narratur quidem Saülem hoc dixiſſe ad puerum; non tamen ſcriptum eſt, quod Samüel acceperit, aut quod E illi obtulerunt. Quin potiùs, inquit, à Propheta paſcuntur, & invitantur ad prandium. Ac deinde ait: Sed fac eum accepiſſe: Stipes magis æſtimandæ ſunt tabernaculi, quàm munera Prophetiæ. Hæc Hieron.

℣.12. *Sacrificium eſt hodie populo in excelſo.* *Quæritur* quomodo in excelſo fiebat ſacrificium à Samüele, vel ſaltem præſente Samüele, cùm id in lege vetitum eſſet, utpote quæ præcipit, in eo ſolo loco ſacrificari, ubi eſſet tabernaculum? *Reſp.* eo tempore arca ſtabilem locum nondum habebat, ſed frequenter transferebatur à loco in locum. Et proinde ſacrificia maximè votiva, quæ fiebant tantùm ex devotione, etiam alibi

A offerebantur, donec per Davidem & poſteà per Salomonem accepit arca ſtabilem locum in Hieroſalem. Hieron. in tradit. Hebr. hoc loco, per ſacrificium prandium intelligit. Hebr. eſt, *mactatio*, vide ſequentia.

℣.13. *Quia ipſe benedicit hoſtiæ, & deinceps comedunt.* Ita utrumque verbum in præſenti efferunt, non in futuro, Biblia Sixtina. Ubi *quæritur.* An ergo Samüel tantùm Levita poſſet hoſtiæ benedicere? aut ſi priùs oblata eſſet per Sacerdotem; quorſum ergo nova benedictio? *Reſpond.* quod erat Hebræis conſuetudo, ſicut & nunc Chriſtianis, cibum & potum benedicere; agitur autem hîc de convivio, quo priùs Deo oblata, convivio abſumebantur. Unde & Chald. paraphraſtes habet: *Ipſe enim diviſurus eſt victimam.* Idem quoque hîc liquet dum jubet dari Saüli armum, ſym- B bolicum fortitudinis; quo etiam apud Homerum Agamemnon rex Aiacem præ cæteris commilitonibus honoravit. Iliad.7.

℣.20. *Et cuius erunt optima quæque Iſraël? Nonne tibi & omni domui patris tui?* Hæc verba ſonare videntur pro illo jure Regio quod deſcriptum eſt ſuperiori capite. Sed bene intellecta pro eo non faciunt. Nam regis, etiam juſtè & moderatè imperantis, ſunt optima quæque propter opes, ſine quibus regia dignitas non poteſt ſuſtentari, & propter munera quæ regibus offeruntur; quod etiam de Saüle habes ſtátim proximo capite. Non diſſimile eſt quod Geneſ.45. dicit Pharaò ad Ioſeph: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ.*

C ℣.24. *Quia induſtria ſervatum eſt tibi.* Significat ſe præſcium adventus Saülis de induſtria juſſiſſe ultra ſtatutum numerum portionum carnis, juxta numerum hoſpitum qui erant invitati, unam portionem ſuperaddi quæ eſſet Saülis. Pro quo ſciendum; ſolere ſingulis hoſpitibus ſingula fercula apponi, ſicut adhuc fit in pleriſque religioſorum domibus. Unde & habemus Gen.43. quod fratres Ioſeph *mirabantur nimis ſumptis partibus quas ab eo acceperant, maiorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.*

CAPUT X.

℣.1. *Tulit autem Samüel lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.* Hieron. ſuper Habac.3. D genera chriſtorum, id eſt, unctorum, & unguentorum explicans, ſic ait inter cætera. Eſt & aliud unguentum, quo reges unguntur in regno; quod in duo ſcinditur. Si enim David eſt, & Salomon, id eſt, fortis manu & pacificus; cornu ungitur. Si verò Iehu & Azaël ſunt; perfunduntur lenticula. Vas autem fictile ſic vocatur. Sic ille. Mirũ tamen, quod Saülis non meminerit, poſueritque Azaëlem. Nam Azaelem lenticula perfuſum Scriptura non meminit, de Saüle autem hic apertiſſimum eſt.

℣.5. *Obvium habebis gregem Prophetarum.* Per prophetas intelliguntur illi qui alibi, ut 4.Reg.6. vocantur filij Prophetarum, id eſt, Prophetarum diſcipuli, homines religioſi & divinis laudibus, ſacrarumque litterarum ſtudiis mancipati; quos putatur Samüel congregaſſe in unum (ſicut tempore novi teſtamenti ſunt E congregationes religioſorum in monaſteriis) inter quos etiam quidam erant Spiritu Prophetiæ præditi, accepta futurorum & occultorum revelatione, quemadmodum docet Theodoretus in 4.Reg.6. Nam & eiuſdem 4.lib. c.2. dicitur de filiis Prophetarum, qui erant in Bethel, & qui in Iericho, quod præſciverint Eliam tollendum ex hominum converſatione. Quod dicitur de his prophetis; *& ante eos pſalterium & tympanum & tibiam & cytharam*, intelligendum eſt, quod utebantur his inſtrumentis muſicis tum ad excitandum affectum devotionis, (quem uſum & hodie habent, ſi convenienter adhibeatur) tum ad excitandum Spiritum Prophetiæ. Unde & Heliſæus vaticinaturus ait:

Adducite mihi pſaltem. Et addit Scriptura : *Cumque caneret pſaltes , facta eſt ſuper eum manus Domini.* Quod ergo hoc loco de Saüle ſubditur : *Et inſiliet in te ſpiritus Domini, & prophetabis cum eis* , utrovis modo intelligi poteſt. Vel hoc modo ; Illi canent pſalmos, & hymnos in honore Dei, & tu cum illis: Vel iſto modo ; Illi de rebus occultis , & futuris prophetabunt , & tu cum eis. Prior tamen ſenſus eſt probabilior. Porrò quæritur de his prophetarum filiis, an vixerint in perpetua continentia. Reſpondetur non eſſe veriſimile, quia prophetæ etiam ſancti ducebant uxores, ut Iſaias, Ezechiel, Oſee & alij. Nec obſtat quod vivebant in commune, Nam ita vivebant ad tempus, donec eſſent maturi conjugio, & alij aliis ſuccedebant. Olim etiam Clerici Eccleſiarum multis locis in commune vivebant , nec tamen habebant votum paupertatis. Poterant enim congregationem relinquere , ſi bonis illius Eccleſiæ non cuperent ampliùs ſuſtentari.

℣.20. *Et cecidit ſors tribus Benjamin.* Sorte quærere regem in toto populo , niſi res divinitus geſta fuiſſet per Samuëlem prophetam , ſtultiſſimum erat, cum in populo pauciſſimi ſemper ſint ad regnum adminiſtrandum apti, plerique ineptiſſimi : ſuprà quos multò propenſiùs ſors caderet , quàm ſuprà aliquem ex pauciſſimis idoneis.

℣.21. *Et pervenit uſque ad Saül filium Cis.* *Quæritur* quando Saül factus ſit rex, utrum quando unctus à Samuële, an quando ſors ſuprà eum cecidit , an verò demum in Galgala, ubi innovatum dicitur ejus regnum ? Et quidem unctione ſatis conſtat eum non fuiſſe regem factum, uti nec Davidem, nec Iehu. Nam unctio tantùm erat ſignum ſeu declaratio voluntatis & electionis divinæ , quâ vellet aliquem fieri regem , idque ſuo tempore. Quod autem ſors regem eum fecerit , inde apparet , quia conſenſu totius populi facta eſt illa ſortitio. Et ſtatim clamavit omnis populus : *Vivat rex.* Et ibidem legitur Samuël locutus fuiſſe ad populum legem regni : & Saülem ſecuta eſt pars exercitus tanquam regem. Accedit etiam quod bellum geſſit paulò pòſt contra Ammonitas , tanquam populi princeps , quodque regia authoritate edixit, ut quicumque non exiret & ſe ſequeretur ad illud bellum, boves ejus conciderentur in fruſta. Denique quod innovatum fuit regnum ejus in Galgala : innovatur enim quod jam priùs erat. Sed huic ſententiæ videtur obſtare. Primò quod poſt ſortitionem non totus exercitus , ſed pars tantùm fuerit eum ſecuta. Unde apparet nondum tunc totum populum conſenſiſſe. Secundò, quod adhuc poſteà tanquam homo privatus ſecutus fuerit boves de agro : hoc enim regiæ dignitati nullo modo conveniт, Tertiò, quod de comitiis in Galgala dicitur : *Et fecerunt ibi regem Saül coram Domino.* Denique quod ante id tempus ſcriptura non vocet eum regem, ſed ſtatim poſt initio capitis 12. Samuël eum regem pronuntiat coram univerſo populo. Dicendum videtur Saülem ſortitione factum regem eatenus , quia vulgus populi, licèt nondum datis ſuffragiis , juſta ratione acclamavit eum regem ; quia non dubitabat ſortem cui præerat Samuël propheta , à Domino fuiſſe directam , ut Saül eligeretur. Unde & pars exercitus ſtatim eum ſecuta eſt, eique paruit ; quod & cæteri facere debuerunt, accepta jam ſignificatione divina per ſortem. Quamquam tamen populus, id eſt, proceres & capita populi, nondum fuerant ſuffragati, ſed res ea propter quorumdam vituperationes fuerat dilata atque ſuſpenſa ; Saül interim & regis nomine abſtinuit , & de ſtatu familiæ nihil mutandum duxit. Unde & in edicto ſibi adjungit Samuëlem , tanquam poteſtate publica nondum planè defunctum , cùm ait : *Quicumque non fuerit ſecutus Saül & Samuël.* Nam qui nondum ſequebantur Saülem , detrectare non poterant , quò minùs ſaltem Samuëlem , ut Judicem & belli ducem ſequerentur. Si

A enim Saül nondum erat Rex; reliquum erat ut Samuëli adhuc integra eſſet ſua poteſtas. At poſt victoriam partam adverſus Ammonitas , accenſis erga Saül ſtudiis totius populi dicentis ; *Quis eſt iſte qui dixit : Saül num regnabit ſuper nos ? date viros, & interficiemus eos :* placuit fieri conventum totius populi , in quo regnum Saül, jam ex aliqua parte inchoatum & primùm ſorte, deinde inſigni victoria divinitus approbatum , innovaretur, id eſt, ſuffragiis publicis confirmaretur, ipſeque regno inaugurarетur. Ob quod & ſolemnes victimæ ibi immolatæ & epulum toti populo exhibitum, id eſt, ea facta quæ in regum inauguratione fieri ſolent. Hujuſmodi autem nihil factum in eo populi conventu quo ſortes miſſæ fuerant.

B ℣.25. *Locutus eſt autem Samuël ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino.* Hic liber intercidit injuria temporum, & vaſtatione hoſtili, una cum multis aliis. Non fuiſſe autem in illo libro ſcripta illa omnia, quæ habentur cap. 8. de jure Regis, nemo dubitare poteſt. Nam , ut ibi oſtendimus, erat illud tantùm jus uſurpatum , hoc eſt quale prædicebatur reges uſurpaturos , quandoquidem filij Iſraël contra voluntatem Dei Regem petebant. Unde & obſervant nonnulli, quod ibi dicatur *jus Regis*, ſcilicet uſurpandum, ut jam diximus ; & hoc loco *jus regni*, ſcilicet legitimum, quod & poſteà renovatum fuit inter Regem Ioas , & populum , per Iojadam Pontificem 4. Reg. 11.

CAPUT XI.

C ℣.1. *ET factum eſt quaſi poſt menſem, aſcendit Naas Ammonites.* Illa verba (*Et factum eſt quaſi poſt menſem*) neque in Hebræo leguntur , & à multis abſunt M S S. Latinis exemplaribus. Addita verò huc ſunt ex verſione Septuaginta.

℣.2. *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros.* Rationem literalem aſſignant interpretes, ut per hoc eos inutiles redderet ad bellum. Nam cum in acie ſiniſtrum latus pugnantis clypeo tegeretur , dextro latere pugnabat , & petebat adverſarium. Id autem commodè facere non poterat, ſi oculo dextro careret, cùm ſiniſter à videndo impediretur per oppoſitum clypeum.

Myſticè per Naas, quod ſerpentem ſignificat , Dia-
D bolus intelligitur, ſerpens ille & coluber antiquus : per oculum verò intentio operum noſtrorum , ac totius converſationis. Itaque oculus dexter rectam ſignificat intentionem, puram, & ſinceram; ſiniſter verò ſiniſtram, obliquam & depravatam. Atque adeò Diabolus non tam laborat, ut opera deſtruat , quæ exterius à nobis geruntur , quàm ut obliquet & diſtorqueat intentionem. Satis ergo ei eſt, ſi eruat oculum dextrum, id eſt, ſi omnia opera noſtra quantumcumque in ſpeciem bona , faciamus depravata intentione , non amore rerum cæleſtium , ſed cupiditate terrenorum. Scit enim ex qualitate intentionis totum corpus operum noſtrorum affici, vel bene, vel malè ; juxta illud Chriſti Matth. 6.
E *Si oculus tuus ſimplex fuerit , totum corpus tuum lucidum erit*; Et contrà *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit &c.*

CAPUT XII.

℣.3. *VTrum bovem cujuſquam tulerim ? &c.* *Quæritur* , quare Samuel hîc ſe juſtificet apud plebem , cùm à nullo accuſaretur ? *Reſpondeo* occulta erat accuſatio, in eo, quòd eum repellebant à principatu, ſicut ſatis indicant illa verba, ſuprà cap. 8. *Non te abjecerunt, ſed me* , q.d. Dominus ; te quidem abjecerunt, ſed magis me. Quod autem Samuël non priùs ſe juſtificaverit, tunc ſcilicet, cum rege nondum conſtituto poſſet ei principatus conſervari : fecit id Samuel, ne videretur regnum appetere, aut in judicatura continuari velle; tantùm autem purgare ſe voluit, exemplum dans

omnibus principibus non poſſe eos imperare, niſi ſecundùm juſtitiam,& æquitatem, non autem ſecundùm ſolum ſuum placitum.

ỷ.11. *Et miſit Dominus Ierabaal,& Baden,& Iephte, & Samuël.* Sic nunc Biblia Sixtina. Pridem, variabant exemplaria. Et quædam habebant, *Badan & Sampſon & Barac,& Iephte &c.* Alia, *Badan,& Barac*, omiſſo Sampſone. Alia, (ut nunc Sixtina) *ſolùm Badan*. Chaldæus Paraphraſtes Badan interpretatur Sampſonem. Sic & gloſſa interlinealis. Unde patet eos non legiſſe Sampſonis nomen hoc loco. Alij Badan fecerunt eundem cum Barac, unde factum fuit, ut alij nomen Sampſonis, alij Barac aſſcriberent; & tandem aliqui utrumque. Sed nunc ſervanda eſt lectio authoritate Sixti & Clementis reſtituta, ut ſolus Badan ex illis tribus textui inſeratur; intelligatur autem vel Sampſon vel Barac, vel etiam Iair ſecundùm quoſdam.

ỷ.13. *Rex veſter quem elegiſtis & petiſtis.* *Quæritur* quomodo elegerint, cùm Samuël jubente Domino illis ſorte eum dederit? *Reſpondeo* hoc ideo dici, vel quia petente populo, eis Deus regem dedit; vel etiam quia in regni innovatione, fine cap. præced. & hoc cap. verè ipſi quoque eum elegerunt. Vide Annot. ſuprà cap. 10. v. 21.

ỷ.17. *Nunquid non meſſis tritici eſt hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces & pluvias &c.* Hieronym. ſuper Amos 4 ad illud; *Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menſes &c.* dicit in orientis omnibus regionibus inſolitum & impoſſibile eſſe, ut pluat tempore meſſis. Nunquam enim, inquit, in fine menſis Iunij, ſive in menſe Iulio in his provinciis, maximèque in Iudæa, pluvias vidimus. Et addit: Denique in Regum libris pro ſigno magno atque portento diebus æſtatis & meſſis, orante Samuële, pluviæ concitatæ ſunt. Hæc Hieron.

ỷ.19. *Addidimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis regem.* Si verè dolebant de hoc peccato, cur non receſſerunt à propoſito, petentes regem auferri, & Samuëlem ut judicem ſibi reſtitui? Quia res jam non erat integra; non enim ſine injuria rejici potuit Saül jam electus: maximè, quia Deus ſorte eum dederat; & Samuel tam electioni quàm inaugurationi interfuerat. Multa enim malè fiunt quæ facta reſcindi non poſſunt, ut conjugia, contractus civiles, electiones magiſtratuum, regum, prælatorum Eccleſiaſticorum, donationes &c.

ỷ.23. *Abſit à me hoc peccatum, ut ceſſem orare pro vobis.* Sciebat populus Iſraëliticus quod hodie adverſarij noſtri intelligere nolunt, quantùm apud Deum valeat interpellatio hominis juſti pro peccatoribus. Idcircò quoties in anguſtia & afflictionibus poſitos ſe cernebant propter peccata ſua; ad ſanctorum virorum ſuffragia confugiebant, quorum interceſſione & veniam peccatorum, & pœnarum mitigationem impetrarent. Neque id ſuperſtitiosè, ſed piè omninò ab illis factum fuit. Unde & hoc loco Samuel eorum pium deſiderium confirmans ait: *Abſit à me hoc peccatum in Dominum, ut ceſſem orare pro vobis.* Ubi & obſervandum quod Samuël, adeò neceſſariam judicat orationem ſuam pro populo (utpotè adhuc pro parte Paſtor populi, ſanè propheta) ut ſibi in peccatum imputandum dicat, ſi pro eis non oret. Ex quo manifeſtum quanta ſit abſurditas eorum qui aſſerunt ſanctorum invocationem à fidelibus frequentari non poſſe ſine injuria Chriſti mediatoris. Adde, quod non improbabiliter hinc probatur, Sanctos poſt hanc vitam quoque intercedere pro vivis. Dicit enim Samuël ſe non ceſſaturum orare pro Iſraëlitis. Ceſſaret autem, ſi non oraret poſt mortem; præſertim cum orandi cauſa non eſſet ceſſatura, durantibus hujus vitæ malis & miſeriis. Sic enim & Ieremias, qui ſimiliter rogatus fuerat adhuc vivens, ut pro populo oraret, poſt mortem nihilominus pro eo oraſſe legitur, velut inſignis fratrum amator. 2. Machab. ult. Nec obſtat, quod hîc ſequitur: *Et docebo vos viam bonam & rectam*, cùm mortui non doceant vivos. Non enim dicit: *non ceſſabo docere*, ſicut dixerat: *non ceſſabo orare*. Quamquam etſi illud dixiſſet; commodè intelligi deberet, ſcilicet pro tempore quo id me facere convenit: convenit autem ut vivi doceant vivos: ſic enim Deus ordinavit. Cæterùm convenit ut etiam mortui meminerint vivorum eoſque diligant, & proinde ſalutem eorum piis ad Deum votis promoveant.

CAPUT XIII.

ỷ.1. F*Ilius unius anni erat Saül cum regnare cœpiſſet, duobus autem annis regnavit ſuper Iſraël.* *Quæritur* quomodo hoc conſiſtat cum eo quòd Saül Act. 13. dicitur regnaſſe annis quadraginta? *Reſpondet* Rabanus, *(Saül)* eſſe dativi caſus, & ſenſum eſſe, quod Saüli eſſet filius unius anni, id eſt, Saül initio regni ſui habebat filium unius anni (Iſboſeth ſcilicet) qui poſt mortem patris regnavit duobus annis. Sed hoc rejicitur pluribus modis. Primò, quia in Hebræo *(Saül)* non eſt dativi caſus, ſed nominativi. Secundò, quia importunum eſt hoc loco inſerere quot annis regnaverit filius, cùm nondum dictum ſit quamdiu Saül ipſe regnaverit. Tertiò, quia Iſboſeth erat annorum quadraginta quando cœpit regnare: Saül autem tantùm regnavit viginti annis, ergo Iſboſeth erat viginti annorum quando Saül pater ejus regnare cœpit. Ac denique quia Iſboſeth etiam pluribus annis regnavit, ut dicetur 2. Reg. 2. Itaque alij hunc faciunt ſenſum: Jam annus lapſus erat, ex quo cœperat regnare Saül, poſtquam autem duobus annis regnaſſet, fecit ea quæ ſequuntur. Qui ſenſus, etſi non ſit improbabilis, & ſimilis expoſitio videatur debere eſſe 2. Reg. 2. ubi agitur de annis regni filij ejus Iſboſeth: tamen plures interpretes ſequuntur ſenſum, quem Paraphraſtes Chaldæus indicat; nimirùm, quod Saül cū regnare cœpit, ita erat innocens, & malitiâ vacuus, ſicut puer unius anni, & quod duobus annis in illa innocentia manſit.

ỷ.7. *Hebræi autem tranſierunt Iordanem.* Hebræi non alij intelliguntur, quam Iſraëlitæ: quorum multi timidiores, ſecuritatis cauſa, Iordanem tranſierant: quò remotiùs abeſſent ab infeſtis hoſtibus Philiſthæis, quorum ſedes erant in regione oppoſita ad mare magnum, quod nunc vocatur Mediterraneum. Vocantur autem hi tum ab hoſtibus, tum ſubinde etiam à ſcriptore hujus libri, Hebræi & non Iſraëlitæ: nempe quia nomen Iſraelis fortitudinem ſignificat: Hebræus autem ſignificat tranſitorem, ſeu tranſfluvialem: quo nomine & Abraham vocatus eſt, quod ex Meſopotamia eo veniſſet. Itaque contemptim, tanquam fugientes ultra Jordanem, hic Hebræi dicti ſunt. Unde & hoc eodem capite dicunt: *En Hebræi egrediuntur de cavernis &c.* Quod diligenter notandum eſt, tam hoc capite quàm ſequenti: ne putentur alij eſſe, qui vocantur Hebræi, & alij qui dicuntur Iſraëlitæ.

ỷ.13. *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui.* Quæritur in quo peccaverit Saül? Nam peccaſſe eum manifeſtum eſt ex verbis Samuëlis. Alfonſus de Caſtro in verbo *(ſacerdotium)* putat in eo deliquiſſe Saülem, quod per ſe ſacrificaverit, non expectato Samuële. Sed fallitur. Nam nec Samuel per ſe ſacrificavit, ſed per ſacerdotes, ut oſtendimus ſuprà ad cap. 1. v. 4. ſicut & David & Salomon & alij. Adde quod Samuel capite 10. præceperat Saüli dicens: *Deſcende ante me in Galgala, ut offeras oblationem &c.* ſed ſcilicet per ſacerdotes Aaronicos. At verò in eo peccavit Saül, quod præſtitutum tempus non expectaſſet juxta verbum Domini: nempe dixerat ei cap. illo 10. ex revelatione Domini Samuel: *Septem diebus expectabis &c.* Si dicas; verſ. 7. dictum eſt, *& expectavit* (ſcilicet Saül) *ſeptem diebus juxta placitum Samuelis.* Reſpondetur quod non expectavit Samuelem ſeptem diebus integris

&

& completis. Id ſignificatur, quando dicitur: *Cumque compleſſet offerens holocauſtum, Samuël veniebat.* Igitur ſeptimo die nondum elapſo venit Samuël, quando jam Saül in offerendis ſacrificiis erat occupatus. Quod verò quidam dicunt, Samuëlem ipſum voluiſſe offerre ſacrificium per ſe, idque ei licuiſſe, etſi non ſacerdoti, divina diſpenſatione: fruſtrà dicitur, nam non erat opus diſpenſatione, ut non ſacerdos offerret, quandoquidem ſatis multi erant ſacerdotes per quos offerri poterat.

CAPUT XIV.

℣. 3. ET *Achias filius Achitob, &c.* Hic Achias infrà cap. 21. & 22. Item c. 23. v. 6. vocatur Achimelech compoſito nomine. Nam eundem eſſe, non videtur dubium. Siquidem & ibi ut ſacerdotum princeps deſcribitur, ut hîc: & ſimiliter vocatur filius Achitob: cujus etiam filius Abiathar, ut habetur c. 23. v. 6. & cap. 22. v. 20. fugerat ad David Ephod ſecum habens. Porrò idem alibi vocatur & Abimelech, ut 1. Paral. 18. v. 16. in cod. Hebr. Quin & Abiathar illum quidam vocatum volunt æquè ac filium: & vice verſa, filium etiam Abimelech eo nomine quo pater. Vide 2. Regum 8. Marci 2. & 1. Paralip. 18. Hoc interim nota, Phinees illum, de quo hic eſt ſermo, non eſſe Phinees filium Eleazari, ſed filium Heli ſacerdotis, de quo 1. Reg. 4.

℣. 9. *Si taliter locuti fuerint ad nos: manete donec veniamus ad vos —— hoc erit nobis ſignum.* Quomodo hoc factum Ionathæ excuſetur à ſuperſtitione, vide Annot. 1. Machab. 5 v. 4.

℣. 13. *Itaque alij cadebant ante Ionatham, alios armiger ejus interficiebat.* Quomodo hæc plaga facta fuerit in caſtris Philiſthinorum, ſcriptura non explicat, ſed tantùm narrat tanquam rem novam & admirabilem, quod Ionathas & armiger ejus ſoli tantam ſtragem ediderint in ſtatione ſeu præſidio Philiſthinorum. Joſephus dicit ſubitò coortam nebulam, quæ impedierit, quominus Philiſthæi viderent, vel Ionatham cum armigero ejus; vel ſe mutuo. Sed hic modus narrationi ſcripturæ non ſatis convenit, primò, quia ſcriptura iſtud memorat tanquam miraculum quod inuſitato modo acciderit; nebula autem naturaliter oritur etiam de repentè. Secundò, quia nebula illa non minus impediiſſet Ionathan & armigerum ejus, ne viderent hoſtes, quàm hoſtes à conſpectu ipſorum. Tertiò, quia proximè ſequitur; ſpeculatores Saul à longè vidiſſe hanc cladem, & multitudinem proſtratam, quod per nebulam non potuiſſent. Proinde probabilius eſt, quod & alibi in ſcriptura factum legimus, Philiſthæos à Domino percuſſos fuiſſe ea cæcitate, quâ hoſtem à quo cædebantur, videre non poſſent, quam vocant Græci ἀορασίαν, id eſt, diſcernendi impotentiam; ita ut inter hoſtem, & ſocium diſcernere non poſſent. Tali cæcitate & Sodomitæ percuſſi leguntur, ne invenire poſſent domum Luth Geneſ. 19. & Syri milites 4. Reg. 6. quærentes Heliſæum prophetam, & ab eo ducti in Samariam.

℣. 18. *Applica arcam Dei (erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Iſraël.)* Scilicet in caſtris, ut ejus præſentia & animaretur populus, tanquam Deum habens præſentem, & hoſtibus terror incuteretur, ſicut legimus factum cap. 4. Vide ejus loci Annot.

℣. 27. *Et intinxit in favum mellis, & convertit manum ſuam ad os ſuum, & illuminati ſunt oculi ejus.* Senſus poſteriorum verborum eſt, quòd cùm oculi Ionathæ præ fame & fatigatione caligaſſent, (quod fieri poſſe Ieremias in Threnis indicat) nunc guſtato melle recreati ſint, & priſtinam claritatem receperint. D. Auguſt. illuminatos dicit, non ad videndum, ſed ad diſcernendum, quia rem vetitam tetigerat; unde confundebatur, ſicut aperti dicuntur oculi primorum parentum ut agnoſcerent peccatum ſuum, & ejus pœnam & turpitudinem ſuam. Sed facilè videre eſt hunc non eſſe ſenſum literalem; Nam Ionathas præcepti paterni planè erat ignarus: & prætereà de hac illuminatione tanquam de re ſibi commoda, & bona gloriatur. Interim hoc quoque quæri poteſt, An Ionathas in hoc facto non peccàrit? maximè quod *Dominus*, ut ſequitur verſu 37. *non reſponderit in illa die*, utpotè iratus. Ad hoc *reſpond.* Ionatham in prima guſtatione mellis non peccaſſe, erat enim prohibitionis ignarus. At verò quod poſteà admonitus de hoc facto & de paterna prohibitione, reſponderit; *Turbavit pater meus terram*; non omninò culpa carere videtur. Non enim regia aut ſuperiorum mandata temerè ſunt reprehendenda, præſertim apud multitudinem. Poteſt etiam cauſa aliqua divinæ iræ poni in ipſo Saüle, quod ædificaſſet altare extra locum tabernaculi, vel deñique dici poteſt quod rex dudum amiſſa innocentia, per quam aliquando placuerat Deo, indignus eſſet cui per oraculum Deus reſponderet. Hieron. tamen lib. 1. cont. Pelag. cap. 12. videtur magis in Ionathan culpam retorquere.

℣. 42. *Et deprehenſus eſt Ionathas & Saül &c.* Sors iſta quia conſultoria, nec juſſu Dei facta, videtur proſus illicita fuiſſe & ſuperſtitioſa. Deinde fuit valdè temeraria in eo quod cum tanto periculo ſolus Ionathas cum Saül fuit compoſitus cum toto populo: tam facilè enim ſors in regem cum filio cadere potuit, qui duo tantum erant, atque in populum qui erat innumerabilis.

℣. 44. *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quia morte morieris Ionatha.* Cum execratione fert ſententiam mortis in Ionathan. Et ſenſus eſt: Deus graviter in me vindicet, ſi non morti te addixero. Quâ in re & in Ionathan peccat, Innocentem morti adjudicans, & in ſeipſum, execratione & maledicto ſe obſtringens.

CAPUT XV.

℣. 3. SEd *interfice à viro uſque ad mulierem & parvulum atque lactentem.* Et infrà: *Et pugnabis contra eos uſque ad internecionem eorum.* Hoc autem totum quoad homines, uno Agag rege excepto, quem Samuël interfecit, impletum fuiſſe à Saüle, videtur affirmare ſcriptura his verbis: *Percuſſitque Saül Amalec ab Hevila donec venias ad Sur —— & apprehendit Agag regem Amalec vivum, omne autem vulgus interfecit in ore gladij*: & quæ ſequuntur. Nec de aliis hominibus vivis relictis expoſtulat cum Saüle Samuël, quàm de uno Agag. Quomodo igitur infrà capite 30. rurſum Amalecitæ magno exercitu leguntur invaſiſſe Siceleg? Fuiſſe enim exercitum valdè copioſum ex eo liquet, quia dicit ſcriptura: *Percuſſit eos David à veſpere uſque ad veſperam alterius diei, & non evaſit ex eis quiſquam niſi quadringinti viri adoleſcentes &c.* Unde hîc Amalecitæ tanto numero, ſi uſque ad unum fuerant paulò ante deleti à Saüle & Samuele? eſtque eadem quæſtio de illo Amalecita, qui 2. Reg. 1. nuntiat ſe interfeciſſe Saülem. Dicendum Saüle bellum movente contra Amalec, multos eorum fugiſſe atque recepiſſe ſe in tuta & remota loca, quos comprehendere Saül cum ſuo exercitu non potuit; qui quidem poſteà ad ſua reverſi, populum & regnum inſtaurare cœperunt.

℣. 11. *Pœnitet me quod conſtituerim Saül Regem.* Pœnitere alicujus rei dicitur Dominus, locutione humana; nempè, quia ſicut homines retractant pœnitendo id quod priùs fecerant; ita & Deus iratus veluti deſtruit ſuum opus. Sed hoc intereſt diſcriminis, quod homo prudenter retractat id quod priùs imprudenter commiſit; Deus verò, id quod priùs ſapientiſſimè conſtituit, poſteà exigentibus hominum peccatis juſtè retractat, non quod ulla mutatio in Deo ſit. Et ita non repugnat quod hoc eodē capite v. 29. ſubditur; *Triumphator in Iſraël non parcet & pœnitentia non flectetur;*

Eſij Annotat. in Script.

Neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam. Ecce, non pœnitet ut homo, ſed eo modo, ut dictum eſt.

℣. 17. *Nonne cum parvulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es?* Mira vis humilitatis ad promerenda beneficia Dei. Humilibus enim dat gratiam & humiles exaltat. Quæ virtus etiam in beata Maria Dei matre mirabiliter Deo placuit. Unde in ejus perſona canit Eccleſia: *Cùm eſſem parvula, placui altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem.*

℣. 22. *Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci ejus? melior eſt enim obedientia quàm victima, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum.* Hac ſententia non damnatur oblatio holocauſtorum aut victimarum, ſed tantùm, quid cui præferendum ſit, oſtenditur. Si enim inter ſe hæc duo comparantur, obedientia & victimarum oblatio, dubiũ nõ eſt, quin melius ſit obedire. Id quod vel tunc maximè patet, cùm alterum ab altero ſeparatur; hoc eſt, cùm hinc ponitur obedientia ſine victimis, & illinc victimæ ſine obedientia: tum enim citra omnem dubitationem obedientia non tantùm præferenda eſt oblationi victimarum tanquam minori bono, verùm etiam tanquam ei quod ſimpliciter non eſt bonum, neque Deo gratum. Non enim placet Deo ſacrificium contra obedientiam: quale fuit quod Saül hîc obtulit. Obtulit enim ſacrificium ex pecoribus contra Dei præceptum reſervatis. Sic enim præceperat ei Samuël ex perſona Dei. v. 3. *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus.* Et paulò pòſt: *Interficies à viro uſque ad mulierem ——— bovem & ovem &c.*

℣. 23. *Abjecit te Dominus ne ſis rex,* & iterum: *Abjecit te Dominus ne ſis rex ſuper Iſraël.* Et paulò pòſt: *Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te.* Ubi quæritur quando Saül deſierit eſſe rex Iſraël, an tum, quando hæc ei dicta ſunt à Samuële, an verò poſteà quando David unctus fuit à Samuele in regem, an denique tunc quando mortuus eſt Saül? *Reſpondeo,* neque tunc quando hæc à Samuële audivit: Non enim hæc verba ſunt privatoria regni, ſed declaratoria voluntatis ac decreti divini, quo Deus conſtituerat genus Saülis abjicere ne regnaret. Quæ declaratio, quia illo die per Samuëlem facta eſt, hinc dicit: *Hodie ſcidit Deus regnum à te,* id eſt, hodie per me ſciſſionem & abjectionem hanc tibi denuntiat. Neque tunc quando David à Samuele unctus eſt: quia Saül manſit rex, & à Davide ac toto populo agnitus eſt rex, uſque ad diem mortis ſuæ, adeò ut David juſſerit interfici eum qui Saülem occiderat, tanquam regis interfectorem. Unde ſequitur quod tunc demum rex eſſe deſierit quando mortuus eſt. Quæ res ex ſequentibus magis patebit. Certè hîc à Deo Saüli, ut Regi, præcipiebatur ut deleret Amalec: ergo adhuc hîc à Deo & Samuële agnoſcebatur Rex. Et Samuël evocatus ab inferis in futuro ſic loquitur ad Saülem infrà cap. 28. *Scindet Dominus regnum tuum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David.* Igitur uſque ad illud tempus nondum erat ſciſſum de manu ejus regnum. Idem ſenſus patet ex eo quòd dictum eſt cap. 13. *Quod ſi non feciſſet, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſraël in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum ultra conſurget. Quæſivit Dominus ſibi virum juxta cor ſuum: & præcepit ei ut eſſet dux ſuper populum ſuum.* Hæc enim verba ſignificant ita Saülem abjectum, ut regnum poſt mortem ejus non diu in ejus poſteritate duraret, ſed brevi transferendum eſſet ad alium. Vide Annot. cap. ſeq. v. 13.

℣. 35. *Et non vidit Samuël ultra Saül uſque in diem mortis ſuæ. Quæritur,* quomodo ergo infrà cap. 19. dicitur Saül cum cæteris prophetaſſe coram Samuële? *Reſpondent* ferè interpretes, quod ultrà non viderit eum in habitu regnantis. Tunc enim nudus ceciniſſe dicitur coram Samuële, toto die ac nocte: id eſt, regio habitu abjecto. Sed magis placet interpretatio, ſecundùm quam ita exponitur à quibuſdam, non vidiſſe Samuëlem Saülem, quia illum ampliùs non inviſit, ſicut ſolebat facere certis temporibus, honoris vel conſilij dandi cauſa. Et hoc modo accipitur vox (*videre*) infrà cap. 20 ubi dicit David: *Vadam & videbo fratres meos.* & 3. Reg. 14. *Veni & videamus nos,* & ad Hebr. 13. *Cum quo, ſi celeriùs venerit, videbo vos.* Quod autem dicitur: *Lugebat autem Samuël Saülem &c.* non fecit hoc, ut ſententiam Dei mutaret, quam ſciebat immobilem, ſed fecit hoc commiſeratione humana.

CAPUT XVI.

℣. 2. *Quomodo vadam? Audiet enim Saül & interficiet me. Et ait Dominus; Vitulum de armento tolles in manu tua, & dices: ad immolandum Domino veni.* Quod Samuel fecit Domino præcipiente, dubium non eſt ſine peccato factũ fuiſſe: neque ullum in his verbis mendacium præcipitur. Nam revera ex præcepto Domini venerat Samuël immolare Domino ſacrificiũ in Bethlehem; tametſi præcipua proficiſcendi cauſa eſſet, ut regem inungeret. Itaque hoc exemplo licebit ſi quid facimus ob plures cauſas, eam ſolam aperire, quæ minimè reprehenſioni, offendiculo, aut periculo ſit obnoxia; etiamſi alia cauſa ſit principalior. Sic Exodi 3. & 5. Moyſes ex præcepto Domini dicit ad Pharaonẽ: *Dimitte populum ut ſacrificet mihi in deſerto &c.* Quæ tamen non erat principalis cauſa, ſed populi liberatio & traductio in terram promiſſam. Neque id ad verſutiam, aut ſimulationem animi, ſed ad prudentiam, & cautelam pertinet. Diſcimus hinc etiam eo tempore licuiſſe hoſtias minùs ſolemnes extra locum tabernaculi offerre. Nam & Deus præcipit, & Bethlehemitæ nihil mirantur.

℣. 6 *Num coram Domino eſt Chriſtus ejus.* In Hebræo aſſeveranter loquitur. *Certè coram Domino eſt Chriſtus ejus.* Conſentiunt Septuaginta. Et variè hoc exponitur, ut refert Vatablus. Sed maximè placet, quod habet Chald. Paraphraſtes ſenſũ eſſe: *Pulchrè providit Deus de Meſſia;* q. d. Hic formam habet, & ſtaturam imperio dignam. Et hinc ſcilicet eſt, quod Dominus quaſi judicium Samuelis reprehendens, ei reſpondit: *Nec reſpicias vultum ejus neq; altitudinem ſtaturæ &c.* In hunc quoque ſenſum Hieronymus accipit lib. 1. contra Pelag. cap. ult.

℣. 13. *Et unxit eum in medio fratrum ejus. Quæritur,* An prima hæc unctio fecerit Davidem actu Regem? *Reſpondet* Ianſenius ſuper Ioan. c. 17. quod David poteſtatem quidem, & jus imperij in populum Dei acceperit ab ea die, ſuam tamen poteſtatem non oſtendit, nec ea uſus eſt, niſi poſt mortem Saülis. Sed pleniùs D. Chryſoſt. homil. de David & Saüle, in perſona David: Nondum, inquit, Deus abdicavit illum principatu, nondum fecit illum ex Rege privatum. Itaque non invertamus ordinem, neque rebellemus Deo. Legitur tamen apud Auguſt. cont. Adimantum cap. 17. Davidem à cæde abſtinuiſſe, quia occidere noluit, quamvis impunè potuerit. Sed nota quod dicit *impune,* & non *juſte.* Imò addit Davidem impleſſe præceptum Chriſti de diligendis inimicis; per quod ſignificare videtur Davidem facturum fuiſſe contra illud præceptum ſi Saülem occidiſſet. Sed Davidem ab ea die nondum verè Regem fuiſſe patet, quia Scriptura Saülem ſemper uſque ad mortem vocat Regem, Davidem tantiſper nuſquam, tum imprimis, quia anni regni Davidis non computantur niſi à morte Saülis. Itaque quod Ianſenius dicit Davidem ab ea die accepiſſe jus imperij in populum; diſtingue, ſed nondum (in populo.) Nempe, ſicut Iuriſperiti dicunt filium vivente patre habere jus in bona, ſed non in bonis; nempe per quartum caſum, non per ſextum. Unde nec hinc oſtenditur Iboſeth illegitimè regnaſſe, quem totus ferè Iſraël recepit in regem: ſed cùm tribus Juda Davidem ſibi regem

com-

conſtituiſſet, injuſto bello eum Isboſeth vexavit, contra quem David defenſivo magis quàm invaſivo uſus eſt bello, donec ille fuit occiſus à ſceleratis hominibus. Poſt cujus mortem totus Iſraël tandem Davidi detulit regiam dignitatem. Vide Annot. 2. Reg. 2. verſ. 10. & 14. & cap. 4. v. 8.

℣. 23. *Quandocumque ſpiritus Dei malus arripiebat Saül, tollebat David citharam.* Primum nota, quod malignus ſpiritus vocatur ſpiritus Dei: vel propter naturam, quæ à Deo eſt, vel potiùs, quia in eo quod Saülem affligebat, divinæ juſtitiæ miniſter erat: id quod clariùs exprimitur, dum dicitur v. 14. *ſpiritus nequam à Domino.* Sed occaſione iſtius ſententiæ; *Quæritur* utrum virtute concentus muſici Dæmones ex hominum corporibus profligari, aut ſaltem per illum concentum domari, aut impediri à vexatione poſſint? Id enim apparet ex hoc loco; Nam mox ſubditur: *Tollebat David citharam, & percutiebat manu ſua & refocillabatur Saül; & levius habebat; Recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Reſpondeo* primò, in Hebræo non legi in poſtremis illis verbis; (*recedebat enim*) ſed tantùm per copulativam (*& recedebat.*) Deinde dico, dæmones, cùm ſint ſubſtantiæ incorporeæ, nullis corporis affectionibus ſubjectos eſſe, neque ulla virtute rei corporeæ naturaliter poſſe affici, ſic ut compellantur exire de corpore obſeſſo. Sed ſcilicet homines à dæmonibus afflicti, & obſeſſi refocillari poſſunt cantu muſico, ita ut afflictionem à dæmone illatam mitiùs ferant. *Uno modo*, ſi corpus reddatur minùs diſpoſitum ad ſuſcipiendam actionem dæmonum. *Alio modo*, ſi per externam ſenſuum oblectationem fiat, ut vexatio diabolica minùs percipiatur, & per conſequens ipſa afflictio minuatur. Afficit enim harmonia muſica temperamentum cerebri, & præ ſuavitate ſua attrahit ad ſe mentis attentionem. Et hoc modo intelligendum eſt, quod, pulſante David citharam, Saül levius habebat. Atque adeò quod David tamdiu pſallebat, donec vexatio omnino ceſſaret.

CAPUT XVII.

℣. 9. SI *quiverit pugnare mecum, & percuſſerit me, erimus vobis ſervi: ſi autem ego &c.* Ita quidem loquitur Philiſthæus Goliath: ſed hanc conditionem non legimus à partibus hinc inde fuiſſe pactam. Quamvis enim David à Saüle miſſus eſt ad ſingulare certamen (quod Regi licuit in bello juſto; maximè Davide ultro ſe offerente) factum id tamen eſt, ſine pacto; neque debuit Saül, qui de eventu certus non erat, totum Dei populum exponere periculo ſervitutis Philiſthinorum. Unde nec Philiſthei tanquam ex pacto conventi fuerunt, poſtquam cecidit Goliath; ſed tantùm dicit ſcriptura, quod videntes cecidiſſe fortiſſimum ſuorum, fugerunt, cùm ſatis perciperent divina virtute ab adoleſcente eum cæſum, eamque ſibi imminere porrò metuerent.

℣. 32. *Ego ſervus tuus vadam & pugnabo adverſus Philiſthæum.* Et poſt: *Cucurrit ergo David ad pugnam &c.* Deſcribitur hìc monomachia Davidis cum Philiſthæo. Cujus occaſione *quæret aliquis*, utrum exemplo Davidis liceat cum aliquo ſuſcipere ſingulare certamen, quod vulgo duellum vocatur? *Reſpondeo*, monomachia ſuſcipitur, vel ut per victoriam unius appareat juſtitia vincentis: & hoc modo illicita eſt. Expectatur enim & inquiritur occultum Dei judicium de juſtitia vel injuſtitia partis alterius, per eum modum, qui divinitus ad hoc non eſt inſtitutus. Quantum enim ad divinam ordinationem attinet, tam poteſt ſuperari in illo certamine qui juſtam habet cauſam, quàm qui injuſtam. Vel ſuſcipitur monomachia ſimpliciter ad componendam controverſiam inter duos aliquos exortam, ſine exſpectatione divini judicij, tantùm ut per modum ſortis quæſtio, quæ dubia & anceps erat, duello terminetur. Et quamvis ſint qui putent ex parte ejus qui provocatur, talem monomachiam licitam eſſe; probabilius tamen eſt etiam hoc pacto prorſus eſſe illicitam. Ratio eſt, quia eſt contra præceptum, *Non occides.* Cùm enim neutra pars à judice per ſententiam ſit morti adjudicata, non licet ne quidem ei qui injuriam patitur, adverſarium ſuum duello excipere. Unde etiam ſimpliciter monomachia prohibetur non tantùm per Canones Eccleſiaſticos, ſed & per leges civiles. Neque tamen propterea reprehendendum eſt factum Davidis tanquam illicitum, aut temerarium, David enim non humano conſilio, ſed occulto inſtinctu ſpiritus Dei hoc certamen ſuſcepit, ſciens Deum eventu hujus certaminis velle declarare juſtitiam, & innocentiam populi ſui, contra Philiſthæos. Unde confidenter, tanquam revelatione accepta, dicit inter alia: *Dominus qui eripuit me de manu leonis, & de manu urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi hujus.* Et ad ipſum Philiſthæum: *Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te.* Quæ ſanè verba, ut manifeſtum eſt, ſunt prophetantis. Et alioquin res non videretur caruiſſe temeritate & periculo honoris divini: ſi David rem adeo magnam & dubiam tentare voluiſſet, abſque occulto Dei monitu.

℣. 33. *Quia puer es.* Superiori capite dicit de eo pater: *Adhuc reliquus eſt parvulus.* Sic Prudentius de Goliath loquens, inquit: Expertus pueri quid poſſint ludicra parvi. At rurſum hoc capite bis terve vocatur adoleſcens. Imò capite ſuperiori de eo dicit quidam ad regem: *Ecce vidi filium Iſai Bethlehemitam ſcientem pſallere, & fortiſſimum robore, & virum bellicoſum & prudentem in verbis, & virum pulchrum.* Dicendum igitur, quod fuerit juvenis viginti plus minus annorum quâ ætate qui barbeſcunt etiam viri interdum vocantur, ſi adſit robur corporis. Et tamen puer vocatur, quod adoleſcens cum eſſet, ab ætate puerili nondum longè receſſiſſet. Nam Hebræi illam vocem extendunt ad adoleſcentiam, ut patet Geneſ. 21. ubi Iſraël puer vocatur, cùm ſeptemdecim eſſet annorum. Quod autem hoc capite David vocatur minimus, intelligitur natu minimus inter ſuos fratres.

℣. 38. *Et induxit Saül David veſtimentis ſuis.* Per veſtimenta Saülis arma intelliguntur. Neque tamen veriſimile eſt, quod David indutus ſit armis corpori Saülis aptatis. Nam Saül multò major erat Davide, utpote (ut ſuprà ſcriptura commemoravit) etiam ſuprà omnem populum eminens ab humero & ſurſum: ac proinde multò magis ſuprà Davidem adoleſcentem: ſed ſignificatur tantùm quod ex armamentario regis Saülis (in quo erant multiplicia arma in variorum militum uſus) arma hæc deprompta ſint. Quem ſenſum confirmat illud: quod David iis armis indutus, non attulerit pro ratione, quod ejus corpori non congruerent, tanquam nimis magna: ſed tantùm, quòd conſuetudinem armorum non haberet.

℣. 55. *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?* & paulò poſt rurſum: *de qua progenie es, ô adoleſcens?* Utrobique eſt in Hebræo, atque etiam apud ſeptuaginta. *Cujus filius es?* Nec mirum id Saülem ignoraſſe, licet David in ejus aliquando fuiſſet familia, ac proinde, confuſè ſaltem, familiæ regiæ, ipſique Regi debuerit eſſe notus. Nempe quia Reges non ſolent ſemper exactè inquirere de progenie, & parentibus ſuorum familiarium. Deinde jam David aliquamdiu abfuerat à Saüle, & reverſus erat ad oves ſuas, ut patet ex hoc eodem capite, ut proinde mirum non videatur, ſi ſtatim agnitus non fuerit. Sed jam cum pollicitus eſſet ſe filiam ſuam daturum uxorem ei, qui Philiſthæum ſuperaſſet, & cerneret Davidem adoleſcentem tam præclarum facinus deſignaſſe, meritò exactiùs quærit, de qua progenie ſit, aut (ut Hebræa & ſeptuaginta loquuntur) *cujuſnam ſit filius?*

CAPUT XVIII.

℣.7. P*Ercuſſit Saül mille & David decem millia.* Repetitur hic verſus infrà cap. 29. v.5. illis verbis: *Percuſſit Saül in millibus ſuis, & David in decem millibus ſuis.* Et ita habent Hebræa, tam illo loco, quàm hoc capite, atque etiam cap. 21. Quare quidam ſic illud interpretantur, quaſi ſit ſenſus: Saül tantam fecit ſtragem hoſtium, ac ſi duxiſſet in prælium aliquot millia pugnatorum, David verò, tantam, ac ſi duxiſſet aliquot dena millia ſecum. Sic autem interpretantur, propter illud (*ſuis.*) Verùm ſimpliciùs & rectiùs ad ſenſum, quem Hieron. hoc loco & cap. 21. reddidit, exponitur hoc modo: Saül percuſſit millenos ſuos, id eſt, aliquot millia; David autem denos millenos ſuos, id eſt, aliquot myriades, quaſi dicas; Qui à Saüle victi ſunt, tantùm per millenos ſupputantur; At victoriæ Davidis in tantum majores ſunt, ut non per millenos, ſed per myriades ſupputandi ſint hoſtes ab eo debellati. Dicitur autem utrobique (*ſuis.*) Nempe, victi victorum ſunt jure belli.

℣.10 *Invaſit ſpiritus Dei malus Saül, & prophetabat.* Prophetaſſe dicitur impropriè; nempe quia more arreptitiorum aliena & abſurda loquebatur, ſicut & abſurda viſa fuerunt hominibus carnalibus multa, quæ veri prophetæ loquebantur. Alij volunt eum etiam verè propheteſſe, ſicut antea quoque fuerat inter prophetas. Vide ſuprà 1. Reg. 10. v.6.

℣.27. *Et attulit eorum præputia, & annumeravit ea Regi.* Obſervandum quod David Philiſthæos mortuos circumcidens, id eſt, præputia eorum reſecans, nullum tamen ſacrilegij crimen admiſit, quaſi cæremoniam legalem circa mortuorum corpora adhibuiſſet. Nam non fecit hoc, quaſi cæremoniam ſacram exercens, ſed tantùm voluit conditioni propoſitæ ſatisfacere, quæ non erat de cæremonia, ſed tantùm de præputiis afferendis: ut conſtaret hoſtes incircumciſos tantò numero eſſe ab ipſo interfectos. Quomodo & lavantur mortuorum corpora vel inunguntur abſque cæremonia baptiſmi, vel ſacræ unctionis, videlicet ob alias cauſas.

CAPUT XIX.

℣.13. T*Ulit Michol ſtatuam & poſuit eam ſuper lectum.* Qualis fuerit hæc ſtatua, aut in quem uſum eam haberet Michol, ſcriptura non explicat. Minimè tamen veriſimile eſt fuiſſe idolum, quod illa domi ſervaret ad adorandum. Neque enim David maritus ejus, & cum ea in eadem domo cohabitans, tolleraſſet idolum in domo ſua. Proinde omninò apparet, fuiſſe tale ſimulachrum quod licitè haberi poſſet, & cujus uſus vel aſſervatio non eſſet contra legem Dei. Id notandum contra hæreticos noſtri temporis, qui contendunt ita prohibitum eſſe lege Dei habere quamcumque ſimilitudinem hominis, aut alterius rei, ſaltem viventis; ut nulla ratione & nullo fine ejuſmodi aliquid penes ſe habere liceat, ne quidem ad excitandum in nobis memoriam & imitationem eorum quorum ſunt illæ ſimilitudines. *Objiciunt* contrà hæretici, quod pro (*ſtatua*) Hebraicè habeatur (*teraphim*) quod ſignificet idolum. Sed non ita eſt; ſed ſignificat ſimpliciter imaginem. Aliqui etiam volunt ſtatuam hanc fuiſſe tumultuariè ex ſtramine compoſitam ad magnitudinem hominis, & in lecto poſitam. Sed quidquid ſit, nullo modo veriſimile eſt idolum tantæ magnitudinis Michol clam marito habuiſſe; ſed erant ea, quæ privatim colebantur, parva ex auro, aut argento, ut abſcondi poſſent, ut patet de idolis quæ furata eſt Rachel à patre ſuo Geneſ. 31. utpotè quæ ſub ſtràmentis abſcondit.

℣.20. *Factus eſt etiam ſpiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt.* Dicitur hoc de lictoribus; qui miſſi erant à Saüle ad capiendum David; idemque accidit nuntiis qui ſecundò & tertiò miſſi ſunt; ac denique ipſi quoque Saüli, de quo ita ſubjungitur. *Et factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini. Exſpoliavit etiam ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetavit.* Quidam putant eos omnes ſubitò ita animo & voluntate fuiſſe mutatos, ut ex vera pietate, ac animi devotione id fecerint; ſicut miniſtri miſſi à Phariſæis ad capiendum Chriſtum, ita ſermone ejus ſubitò tranſmutati ſunt; ut depoſita nocendi voluntate dicerent cum admiratione Ioan. 7. *Nunquam ſic homo locutus eſt.* Alij (quorum videtur probabilior ſententia) dicunt eos divinitus ita compulſos fuiſſe ad laudandum Deum cum cæteris prophetis, quemadmodum Balaam, cùm veniſſet ad maledicendum Iſraël, à Deo compulſus eſt Iſraëlem benedicere. Et id veriſimiliùs eſt, quia Saül ſtatim poſt redit ad priorem malitiam, & intentandam Davidi perſecutionem, ut patet capite ſequenti.

CAPUT XX.

℣.3. V*Ivit Dominus, ——— quia uno tantùm (ut ita dicam) gradu, ego morſque dividimur.* *Quæritur* an non temerè juraverit David, volens confirmare, in quanto periculo verſaretur? Fortè dices, non eſſe juramentum, ſed non aliud ſignificari quàm ſi diceret: Tam verè ego mortis periculo proximus ſum, quàm verum eſt Dominum vivere. Sed parum differt hic ſenſus à juramento. Et reverà juramentum eſſe in ea loquendi forma (*vivit Dominus*) patet Ieremiæ 4. & Oſeæ 4. Itaque vel non excuſandus eſt David à levitate juramenti, vel *dicendum*, non temerè ab eo juratum fuiſſe; quia, ut ex antecedentibus patet, Jonathas non firmiter credebat Davidem ita graviter de vita periclitari apud Saülem: *Ait enim; Abſit, nõ morieris, &c.*

℣.5. *Ecce Calendæ ſunt craſtino.* Non more gentilium calendas obſervabant Hebræi, ſed calendas vocat interpres, feſtum neomeniæ à Deo inſtitutum, Hebr. eſt (*menſis.*) Nempe diem primum menſis, tanquam caput, & principium totius menſis, Hebræi antonomaſticè menſem vocabant. Erat autem neomenia, ſeu feſtum novilunij (nam erant apud Hebræos menſes lunares) inſtitutum in lege in memoriam beneficij Dei, quod præſtat in rerum omnium conſervatione, ſicut Sabbathum in memoriam creationis earundem rerum.

℣.6. *Dixit David ad Ionatham; Si requiſierit me pater tuus, indicabis ei; Rogavit &c.* An verè hoc dixerit David, an non, ſcriptura non aperit. Et fieri potuit, ut revera David in Bethlehem profectus fuerit, & redierit ad tertium diem, poſt calendas. Nam iſta dicta ſunt pridie calendas, ut patet ex verbis præcedentibus, & Bethlehem non ita longè inde fuit diſſita, quin potuerit facilè David eò proficiſci, & ad diem tertium redire. Quod ſi verò non fecerit David, nec intenderit facere, quod hîc dicit, debemus agnoſcere in viro, etſi ſancto, mendacium officioſum; cujuſmodi & cap. ſeq. videtur ab eo commiſſum, ut ibi dicemus.

CAPUT XXI.

℣.2. R*Ex præcepit mihi ſermonem &c.* Beda lib. 3. in Samuëlem cap. 8. agnoſcit hîc mendacij culpam in Davide; tametſi poſteà conatur etiam verum aliquem ſenſum verborum Davidis reddere, ſed ſatis coactum. Quomodo tamen mendacium hoc, licèt ex eo conſecuta videatur cædes ſacerdotum, non fuerit pernicioſum, vide capite proximè ſequenti.

℣.4. *Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantùm panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri?* Hic locus ita ſonare videtur, quaſi David & pueri ejus, ſi mundi eſſent, licitè poſſent comedere panem ſanctificatum, etiam

etiam extra caſum neceſſitatis. Sed non ita eſt. Nam ſecundùm legem ſolis ſacerdotibus licitum erat veſci illis panibus propoſitionis, ut habemus Levitic. 24. & Num. 28. Teſtatur hoc & Chriſtus in Evangelio Matth. 12. *Non legiſtis* (inquit), *quid fecerit David quando eſuriit, & qui cum eo erant; quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus?* Igitur per hoc quod mundi eſſent, nondum licebat eis comedere panes illos, niſi acceſſiſſet neceſſitas. Quare ergo ſacerdos requirit ab iis munditiam, cùm mundi extra neceſſitatem non poſſent; immundi autem etiam poſſent in neceſſitate? *Reſpondeo* per hoc ſignificari quod homo in neceſſitate conſtitutus, quâ legem aliquam plenè obſervare non poteſt, tamen non debeat propterea legem illam omnino negligere. *Verbi gratiâ*, aliquis propter infirmitatem aliquam jejunare non poteſt, non tamen is prorſus à lege jejunij excuſatur, ſed tenetur tantùm de lege adhuc præſtare, quantum infirmitas permittit.

℣. 9. *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi.* Narratur ſuprà cap. 17. Davidem caput Philiſthæi attuliſſe in Ieruſalem, arma verò ejus poſuiſſe in ſuo tabernaculo. Quod non eſt contrarium huic loco. Nam fieri potuit, & omninò credibile eſt, Davidem paulò pòſt, religione motum, eadem in tabernaculo Domini ſuſpendiſſe, ut eſſent perpetuum monumentum proſtrati divina ope tam immanis hoſtis. Unde nec repetiit ut ſuum; ſed tantùm accepit utendum, propter neceſſitatem; & ſimiliter credibile eſt, illum ab eodem Davide poſtea religioſè in tabernaculo Domini fuiſſe repoſitum.

℣. 13. *Et immutavit os ſuum coram eis &c.* Non videtur David hìc poſſe excuſari à ſimulatione, quæ mendacium quoddam in facto eſt; ſed officioſum fuit hoc ejus mendacium, quo ſe eximeret præſenti periculo. Fortè dices ſicut S. Auguſt. de Iacob: Non mendacium fuit, ſed myſterium, quia ſignificatum eſt, quomodo Chriſtus qui eſt ſapientia patris, apparuit per incarnationem in ſimilitudinem carnis peccatricis & ſtultæ & ignorantis; adeò ut etiam inſanus & in furorem verſus à ſuis putatus fuerit. Sed *reſpondetur* ſenſum myſticum non tollere ſenſum hiſtoricum, ut nec in facto Iacob. Unde, ſalva Auguſtini authoritate, non videtur ſatis apta ejus evaſio, ut & alibi annotavimus. Vide Annotat. Geneſ. 27. Ad hunc tamen locum fortè reſponderi poſſet, non fuiſſe ſimulationem propriè dictam & mendacium in facto; ſicut monachus, ad vitandum periculum, ſine mendacio aſſumit habitum ſæcularem; ſcilicet tantùm ad celandum quod ſit monachus; ita David immutavit os ſuum, non volens ſignificare ſe eſſe inſanum, ſed tantùm ad celandum prudentiam ſuam. Non tamen eſt neceſſe Davidem hic excuſari, qui ſuprà hoc eodem capite à mendacio verbali excuſari non poteſt.

Et impingebat in oſtia portæ. Hebraicè eſt; *deſignabat.* Chald. (*lineabat*) more ſcilicet ſtultorum, ut volunt, creta aut carbone aliquid ſtultum in oſtiis depingens. De quo verſus vulgaris: Stultorum manus depingunt latera domus. Sed noſtra verſio concordat cum Septuaginta, qui habent (*cadebat.*) Et fortè utrumque factum eſt, ut ſtultum ſe ſimulans impingeret ſeu caderet in oſtia, & ſimul eadem depingeret, vel linearet.

CAPUT XXII.

℣. 2. *ET convenerunt ad eum omnes qui erant in anguſtia conſtituti, & oppreſſi ære alieno, & amaro animo, & factus eſt eorum princeps.* Simile quid de iis qui confugerunt ad Iephte, vide explicatum Iudicum 11. Et turpe non fuit Davidi, eos recipere qui erant oppreſſi ære alieno; nam multi in eam neceſſitatem veniunt, non ſua culpa, ſed quia pauperes cum eſſent, & mutuum accipere cogerentur, fœnore gravati tandem foro cedebant.

℣. 15. *Num hodie cœpi pro eo conſulere Dominum?* Non negat ſacerdos ſe Dominum pro Davide conſuluiſſe, ſed magis fatetur; & id quidem ſæpè pro eo feciſſe, quando erat contra hoſtes populi pugnaturus ex mandato regis. Verſio Vatablina habet; *Num hodie primum cœpi &c.* Negat autem ſacerdos ſe in eo peccaſſe, dicens; *Abſit hoc à me*, ſcilicet reſpiciens ad verba Saülis, quibus dixerat; *Et conſuluiſti pro eo Dominum, ut conſurgeret adverſum me.* Hoc enim falſum erat, & confinxerat hæc Saül de corde ſuo, vel fortè etiam Doeg hoc cordi ejus inſtillaverat, cùm dixit ſignanter (*pro eo.*) Quicquid eſt, Achimelech ſufficienter ſe excuſabat, ſubjiciens; *Non enim ſcivit ſervus tuus quicquam ſuper hoc negotio*, ſed nihil ei hoc profuit contra calumniam & tyrannidem.

℣. 18. *Converſus Doeg Idumæus ——— trucidavit in die illa octoginta quinque viros indutos Ephod lineo.* Nonnulli ex poſtremis illis verbis putant iſtos ſacerdotes omnes in habitu ſacerdotali acceſſiſſe mitigaturos hac ratione iram regis. Sed contra eſt, quod ex hiſtoria ſatis apparet eos non præſciviſſe, quam ob cauſam à rege accerſerentur. Unde probabilius dicitur, quòd illud (*indutos Ephod lineo*) adjectum ſit exaggerandi ſceleris cauſa, & ſenſum eſſe, videlicet tales omnes, qui aliquando induti fuiſſent Ephod, & jam ætate maturi, ſacerdotium adminiſtrare cœpiſſent. Non enim niſi certa ætate admittebantur ad exercitium ſacerdotij. Sed tamen prima ſententia quoque non eſt improbabilis; poterant enim ſuſpicari ſe cauſa Davidis accerſiri. Vel etiam dici poteſt quod exiſtimarint ſibi coram rege non eſſe comparendum, niſi in ornatu ſacerdotali; idque honoris & reverentiæ cauſa.

℣. 19. *Nobe autem civitatem ſacerdotum percuſſit in ore gladij, viros & mulieres &c.* Nota perverſum animum Saülis. Iuſſus à Domino ut percuteret peccatores Amalec uſque ad internecionem, non obedivit, ſed pepercit melioribus pecoribus: hic autem, privato odio ſtimulatus contra Davidem, eos qui illum hoſpitio foverant uſque ad internecionem delet, etiam cum pecoribus. Ita ſæpè privata injuria, eaque interdum non vera, gravius & vehementius nos movet ad vindictam, quàm zelus gloriæ Dei.

℣. 22. *Ego ſum reus omnium animarum patris tui.* *Quæritur* quâ ratione reus? An fortè hoc à Davide dictum ſecundum illud Gregorij, Bonarum mentium eſt, ibi etiam agnoſcere culpam, ubi culpa non eſt? Fortè enim metuebat, ne ſua aliqua imprudentia dediſſet occaſionem hujus cædis. An dici poteſt, quòd verè ſe reum & culpabilem agnoverit? quia cùm videret ibi Doeg Idumæum hominem ex alienigenis, non debebat, illo ſaltem præſente, petere à ſacerdote oraculum & gladium, ſed hæc occultiſſimè tractare debebat cum ſacerdote, præſertim cum ſciret, ut hic fatetur, Doeg omnia hæc nunciaturum Regi. Fortè etiam reum ſe dicit tantum, quia factum ipſius licet planè innoxium; & inculpatum, occaſio fuit hujus cædis, regi, odio contra eum inflammato.

CAPUT XXIII.

℣. 11. & 12. *SI deſcendet Saül? Deſcendet, Si tradent me viri Ceilæ? Tradent.* *Quæritur* quomodo hæc oracula Dei vera ſint, cùm ex conſequenti narratione hiſtoriæ, liqueat neutrum factum? *Solvitur* hæc quæſtio duobus modis, ſecundùm quod duobus modis accipi poteſt intentio conſulentis. Nam David non quærebat, quid abſolutè futurum eſſet, alioqui fruſtra fugiſſet. Nam fugiendo non poterat mutare quod futurum erat. Sed, vel hic erat ſenſus; Utrum Saül deſcendet, ſi manſero in Ceila? Item

A utrum viri Ceilæ me tradent, ſi remanſero? Et ita quoque reſponſum ſeu oraculum Dei intelligendum erit ſub conditione: Si manſeris, deſcendet Saül, & viri Ceilæ te tradent. Vel alio modo, ſenſus & intentio conſulentis erat: An Saül & viri Ceilæ haberent in animo illa facere? Et ita ſimiliter ſenſus oraculi eſt: Saül habet in animo deſcendere, atque item viri Ceilæ, te tradere.

℣.26. *Porrò David deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saül.* Sed *quomodo* deſperavit, qui habebat promiſſionem divinam, ſe poſt Saül regnaturum ſuper Iſraël? *Reſpondeo*, deſperabat ſolùm quantum ad ſubſidia humana. Ita enim cinctus erat, ut humanum conſilium non haberet in promptu, per quod evaderet, ſed de divino auxilio non deſperabat. Nam ſicut Abraham immo-
B laturus filium unicum, in quo promiſſionem acceperat, ſciebat, ut Apoſtolus ait Hebr. 11. quia ſuſcitare eum poſſet Deus, ita & David ſciebat, Deum quocunque modo, promiſſa ſibi facta, impleturum, vel defendendo ſe, ne veniat in manus Saül, vel illum cohibendo, vel quocumque alio modo (ſicut & factum eſt Philiſthæorum ſubita irruptione in terram Iſrael) Saüle à perſecutione David revocato. In lectione Hebræa non eſt hæc difficultas. Sic enim ibi legitur: *Et feſtinavit David feſtinanter, ut effugeret ante Saül,* id eſt, quanta poterat feſtinatione parabat diſcedere à Saüle. Ecce hîc nulla mentio deſperationis. Septuaginta habent *σκεπαζόμενος*. Vide etiam annot. ad cap.27.verſ.1.

CAPUT XXIV. C

℣.5. Ecce dies de qua locutus eſt Dominus ad te: *Ego tradam tibi inimicum tuum. Quæritur*, Num ergò licebat Davidi Saulem interficere? *Reſpondeo*, neminem melius intellexiſſe verba illa Domini ad David, quàm Davidem ipſum, cui dicta ſunt; qui tamen non ea ſic intellexit, quaſi ſibi liceret Saulem oblata occaſione interficere. Quare ſenſus eſt: Tradam tibi Saulem inimicum tuum in manus tuas, tu diſpice, an placeat eum occidere: Neque enim propterea Chriſtum Pilatus licitè occidit, quia illi poteſtas data erat contra illum, juxta illud Ioan.19. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi*
D *datum eſſet deſuper*; atque ita etiam David intelligebat, non propterea ſe poſſe licitè Saulem occidere, etiamſi traditus eſſet à Deo in ipſius manus; ſed Deum ſcilicet tentare ipſius animum: Unde non dixerat Deus; Ego tradam tibi inimicum tuum, ut occidas eum; ſed *ut facias ei ſicut placuerit in oculis tuis*. Vide etiam ſuprà cap. 16. verſ.13. & infrà cap. 26.

℣. 6. *Poſt hæc percuſſit cor ſuum David. Cor ſuum* eſt nominativus, & *David* accuſativus. Nam & Hebr. habent *Percuſſit cor David eum*; Sic & Septuag. itemque in noſtra verſione 2. Reg. ult. poſt numeratum populum: *Percuſſit autem cor David eum, poſtquam numeratus eſt populus.* Ubi ſicut manifeſtè
E eſt peccati agnitio, ita *Quæritur*, an hîc etiam fuerit aliquod peccatum David? *Reſpondeo*, in eo quòd oram chlamydis abſcidiſſet, ut Sauli paulò pòſt innocentiam ſuam oſtenderet, nullum omnino fuit peccatum. Sed fortè poteſt cordis illa percuſſio vel reprehenſio referri ad illam cogitationem, de qua poſteà ait ad Saulem; *Cogitavi ut occiderem te*, id eſt, tentabar ad te occidendum. In quo etiamſi propriè peccatum non ſit; quia reſtitit tentationi, tamen quia hominis pii eſt, etiam timere in talibus, ne fortè diutiùs hujuſmodi cogitationibus inhæreat; fortè propterea dicitur cor Davidis eum percuſſiſſe, hoc eſt, pupugiſſe. Vide etiam ſuprà cap.22.verſ.22.

A CAPUT XXV.

℣.7. Nunquam eis moleſti fuimus, *nec aliquando defuit eis quicquam de grege omni tempore quo fuerunt nobiſcum.* In Davide & viris qui erant cum eo, habemus illuſtre & rarum exemplum diſciplinæ militaris, quod verbis adductis nobis declaratur. Et ne proprio tantùm ore laudari videatur: audiamus quale teſtimonium de eo, & militibus ejus, ferat unus paſtorum Nabal, loquens ad Abigail: *Homines iſti ſatis boni fuerunt nobis, & non moleſti: nec quidquam aliquando periit omni tempore, quo fuimus converſati cum eis in deſerto: pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges.* Rarum
B profectò exemplum, & quod hodie inter plurimos ſtipendiarios milites adeo pauci imitantur, ut quaſi portentum videatur miles innoxius. Proinde nihil mirum qui Davidis diſciplinam & innocentiam non imitantur; non pari ſucceſſu bellum gerere.

℣.22. *Hæc faciat Deus inimicis David, & hæc addat.* Juramentum eſt cum execratione, qua ſibi malorum cumulum imprecatur, ſi non faciat quod ſe facturum jurat. Quod ergo dicit: *Hæc faciat Deus inimicis David,* de ipſo Davide intelligendum; & ſic habent Septuaginta; Alioqui nulla execratio foret, & juramentum ridiculum eſſet, ſi tantùm hoſtibus ſuis malum imprecaretur. Interim & Hebræi habent illud (*inimicis David.*) Et ſimilis phraſis eſt ſuprà cap. 20. ubi Ionathas in fœdere inito cum David dicit: *Requirat Dominus*
C *de manu inimicorum David*; ubi tamen ſenſus eſt: *Si auferas à me & à domo mea miſericordiam, requirat Dominus de manu ipſius David*, id eſt, ſumat de eo vindictam. Nonnulli dicunt *mitigationis cauſa* dici, (*inimicis David*) pro ipſo David, ſicut dicitur ab uxore Iob: *Benedic Deo, & morere*, id eſt, maledic. Vel, an fortè optet jurans David, ut Deus hanc & illam faciat inimicis ſuis poteſtatem in ſe.

Si reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent, uſque mane, mingentem ad parietem. Inferiùs etiam ſic: *Non remanſiſſet Nabal uſque ad lucem matutinam, mingens ad parietem.* Ubi notandum eſt Nabal non eſſe nominativi caſus, ſed dativi. Sic & Septuaginta τῷ νάβαλ. Quis autem dicatur mingens ad parietem, vide ſcho-
D lion Vatabli, qui per mingentem ad parietem canem intelligit. Quod quidem maximè probabile eſt. Ita enim & nunc, ubi de omnimoda internecione ſermo, vulgo dici ſolet; ne canem quidem relictum eſſe, nec felem. Aliæ expoſitiones aliorum parum quadrant.

℣. 32. *Et ait David ad Abigail: Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui miſit te in occurſum meum.* Meritò benedicit David Deum, qui ipſum prohibuerit, ne iret ad ſanguinem, neque exequeretur quod temerè juraverat, tum quia plus mali eſt peccatum ſimul externum & internum, quam internum ſolum, licet non ſemper intenſius; tum quia in executione facinoris, plerumque creſcit malitia voluntatis; tum denique, quia mala voluntas impedita ab executione, facilius convertatur
E in bonam; ut in propoſito. Non eſt enim excuſandus David à peccato, quòd Nabal cum tota familia, quæ innocens erat, ſtatuiſſet delere. Et fortè etiam peccatum Nabal non erat tam enorme, quod legibus humanis potuiſſet plecti morte. In hoc ergo juramento, quod David præſtitit inconſideratò & perturbato animo, non eſt imitandus; ſed in eo potiùs, quòd non implevit juramentum, quod vidit ſine peccato impleri non poſſe. Cæterùm docet hoc exemplum, ſi quis aliquid juraverit quod ſine peccato præſtari non poteſt, ſatius eſſe non implere juramentum, quàm implendo peccatum peccato addere: Ne qui peccavit jurando, gravius peccet implendo. Sic Auguſt. lib. contra mend. cap. 9.

CAPUT XXVI.

℣.9. **Q**Vis *enim extendat manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* Oſtendit David ſibi non licuiſſe Saülem legitimum regem occidere, eò quòd ipſe David nondum actu eſſet rex; de quo plura dicta ſunt ſuprà cap. 16. v. 13. Quibus ut pauca adjiciamus, appellat illum quidem regem Abigail capite præcedenti v. 25. Sed vox illa (*rex*) non eſt neque in Hebræo, neque apud Septuaginta. Et ipſa ſapientiſſima Abigail non habuit illum regem, niſi quia ex divino promiſſo rex erat futurus, quemadmodum declarant illa ejus verba, cùm ait: *Cùm fecerit tibi Dominus Domino meo, omnia quæ locutus eſt bona de te, & conſtituerit te ducem ſuper Iſraël, non erit tibi hoc in ſingultum, &c.* Nondum ergo conſtitutus erat David, ne quidem dux.

Quæritur occaſione hujus ſententiæ, An ergo numquam liceat regem injuſtè ſubditos opprimentem, vel occidere, vel regno privare? *Reſpondeo*, proceribus & toti populo alicujus regni aliquando licere apertè regi tali reſiſtere, apparet ex hiſtoria Roboam 3. Regum 12. tum etiam ex verbis Auguſtini lib. 17. civit. cap. 21. & lib. de unitate Eccleſię capite 21. ubi factum populi, regem tyrannicè imperare volentem, abjicientis, non putat improbandum. Cæterùm privato nemini licet ſuperiori, etſi tyrannicè imperanti, per vim reſiſtere, ac multo minus eum de medio tollere. Nam generale præceptum eſt, *Non occides*, & idem definitum eſt in Conſtantienſi Synodo ſeſſ. 15. Et hoc ipſum David ſuo exemplo oſtendit, dum Saülem in manus ſuas traditum, nec ipſe occidere voluit, nec ab aliis occidi paſſus eſt: *Quis enim*, inquit, *extendet manum ſuam in Chriſtum*, id eſt unctum, *Domini, & innocens erit?* Vide etiam Cyprian. in epiſt. ad Demetrianum. Cæterùm proponitur hìc nobis in Davide alterum exemplum eximiæ manſuetudinis & clementiæ erga capitalem ſuum hoſtem. Nam primum erat, quando præſcidit oram chlamydis ejus, iſtud ſecundum, quando dormienti abſtulit haſtam & ſcyphum aquæ: utroque facto manifeſtè declarans, ſe potuiſſe quidem inimicum ſuum perdere ſi voluiſſet, ſed prohibente timore Dei, noluiſſe extendere manum in Chriſtum Domini, imò ne permiſiſſe quidem, ut alius eum occideret. Merito ergo David remunerationem hujus ſuæ manſuetudinis à Domino expectabat, dicens in Pſal. 131. *Memento Domine David & omnis manſuetudinis ejus &c.* Et hoc loco loquens ad Saül: *Dominus retribuet unicuique ſecundum juſtitiam ſuam, & fidem. Et ſicut magnificata eſt anima tua hodie in oculis meis, ſic magnificetur anima mea in oculis Domini. Et liberet me de omni anguſtia.*

℣.12. *Quia ſopor Domini irruerat ſuper eos.* Sopor Domini duobus modis intelligi poteſt; Certè divinitus factum videtur, ut nullus eorum expergiſceretur. Vel ſopor Domini, id eſt, ſopor magnus, quemadmodum exponit Chaldæus paraphraſtes. Nempe phraſi Hebraica, omnia magna, eximia, & ſingulariter fortia, Deo tribuuntur. Sic ſæpe in ſcriptura dicuntur *Cedri Dei, Montes Dei*, ſcilicet magni & excelſi.

℣.19. *Si Dominus incitat te adverſum me: odoretur ſacrificium.* Senſus eſt. Si putas te juſtam habere cauſam me perſequendi, ita ut inſtinctu divino id facias propter aliquam iniquitatem; odoretur ſacrificium, permitte peccatum meum expiari ſacrificio coram tabernaculo Domini, & me tibi reconciliari, & ſic tandem aliquando deſine adverſum me commovere perſecutionem.

CAPUT XXVII.

℣.1. **A**Liquando *incidam una die in manus Saül.* Non dubitabat David, quin Deus ſuum promiſſum eſſet impleturus de promovendo ſe ad regnum, ſed humano more ſollicitus erat, quibus viis id fieret. Nam ſciebat, non ſolùm, quid Samuel ipſi promiſiſſet, ſed & Ionathan ſibi dicentem audierat cap. 23. *Ne timeas, neque enim inveniet te manus Saül patris mei: Et tu regnabis ſuper Iſraël, Sed & pater meus Saül ſcit hoc.* Et Saül ipſe cap. 24. dixit ad eum: *Scio quod certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in manu tua regnum Iſraël.* Interim debebat David ea facere quæ humanitus ab eo fieri poterant ad vitanda pericula, & promiſſi regni impedimenta. Non enim divinæ promiſſiones ac prædictiones excludunt humanam induſtriam ac conatum, ſed magis ſtatuunt; quoties nimirum ea promittit vel prædicit, quæ per actiones humanas vult implere. Vide annot. Geneſ. 32. v. 2. Reg. 3. v. 9. itemque Artic. 27. v. 22. Vide etiam ſuprà c. 23.

℣.9. *Et percutiebat David omnem terram illam, nec relinquebat viventem virum & mulierem.* Quare non reliquerit aliquem viventem, cauſa aperitur paulò pòſt his verbis v. 11. *Virum & mulierem non vivificabat David, nec adducebat in Geth, dicens: Neforte loquantur adverſum nos:* Nempe irruebat in ipſos ſubditos, ſeu fœderatos regi Geth, & ſimulabat ſe prædas agere de Iſraëlitis, ſic enim concluditur hoc caput: *Credidit ergo Achis David dicens. Multa mala operatus eſt contra populum ſuum Iſraël.* Ita enim David illi dicebat; ut patet ex præcedentibus verbis. In quo ſicut David non poteſt excuſari ab omni mendacio, ita *Quæritur*, quâ authoritate David homines illos occideret & ſpoliaret? *Reſpondeo*, illos fuiſſe ex illis, quos Dominus juſſerat occidi. Unde & Abigail dixit ad eum: *Quia prælia Domini tu prœliaris.* Si inſtas, qua authoritate? dici *poteſt primò*, Davidem à Saüle dudum conſtitutum fuiſſe ducem belli contra inimicos populi Iſraël, quæ poteſtas per hoſtilitatem, quæ interceſſit inter Saülem & Davidem, non videtur fuiſſe extincta, quia neque Saül eam revocaſſe legitur, neque David quicquam hoſtiliter egit contra Saülem, per quod videretur læſæ majeſtatis reus. Vel certè dicendum, quòd David inſtinctu ſpiritus divini talia fecerit. Nam & habebat ſecum Abjathar ſacerdotem, per quem divinum oraculum conſulebat, iterum ad pugnam, & patet in illis verbis c. 30. *Et applicuit Abjathar Ephod ad David, & conſuluit David Dominum, dicens, &c.*

CAPUT XXVIII.

℣.11. **S**Amuëlem *mihi ſuſcita.* Ita prorſus ſonare videntur verba ſcripturæ ſacræ, quaſi Samuël ipſe in hac ſuſcitatione apparuerit. Aliis magis placet ut dicatur in perſona Samuelis apparuiſſe ille qui ſe etiam transfigurat in angelum lucis. Diſputat de hac re problematicè S. Auguſtinus qu. 3. ad Simplicianum. Authòr verò quæſt. vet. & novi teſtam. quæſt. 27. omnino contendit, non ipſum Samuelem, ſed in ejus perſona malignum ſpiritum apparuiſſe. In eadem ſententia eſt author lib. de Mirabil. ſacræ ſcripturæ lib. 2. cap. 11. Et his libris falsò nomine Auguſtini diu publicatis, decepti multi idem ſecuti ſunt. Sed hac in re ante omnia audienda ipſa ſcriptura, quæ alio loco manifeſtiori hanc quæſtionem ſatis diſſolvere videtur. Nam Eccleſ. 48. in fine ſic legimus inter alia, ad commendationem Samuëlis ſpectantia: *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terra, in prophetia, delere impietatem gentis.* Hæc autem in laudem Samuëlis non dicerentur, ſi per diabolum geſta fuiſſent. Accedit quod omnia quæ hîc in perſona Samuëlis dicuntur, vera & pia ſint: continent enim graviſſimam Saülis objurgationem

propter

propter inobedientiam &c. Diabolus autem ſemper agit ut fallat, ideoque bonis mala, & veris falſa commiſcet, quale nihil hic factum legimus. Rationes quæ pro contraria ſententia adferuntur, perſpicuè ſolvit Auguſt. qu. illa 3. ad Simplicianum ſuprà citata. Inter alia tamen proferunt quoque Hieron. ita dicentem in Ezech. 13. Qualis fuit illa, quæ viſa eſt ſuſcitaſſe animam Samuëlis. Quibus verbis ſatis innuitur Samuëlem ab ea non fuiſſe ſuſcitatum. Sed nihil hoc facit contra alteram probabiliorem ſententiam, nam nec ille vult Samuëlem ſuſcitatum virtute artis magicæ, hoc eſt, ab illa pythoniſſa muliere, ſed divinæ voluntatis diſpenſatione ipſum ſpiritum Samuëlis apparuiſſe: Deum autem permiſiſſe, agi has præſtigias, ut Saül impius tanto juſtius videret ſe à Deo deſeri, & puniri. Ita quoque de his Bellarm. lib. 4. de Chriſto, c. 10. & lib. 2. de purgatorio c. 6. prolixiſſimè hæc ſtabiliens.

℣. 19. *Cras autem tu & filij tui mecum eritis.* Senſus eſt, mortui eritis, & in communi ſtatu alterius ſæculi, id eſt, mortuorum. Vel etiam intelligi poteſt, quòd eſſent futuri ſimul in loco infero. Nam inferorum loca erant plura. Unde etiam hinc non ſequitur non fuiſſe ipſum Samuëlem qui hæc dixerit, ſed diabolum in ejus ſpecie. Nam & Saül non aliter hoc intellexit quàm de communi loco mortuorum; Nam ſi id intellexiſſet de receptaculo ſanctorum Prophetarum, non parum potuiſſet id eum recreare: Jam verò, teſtante ſcriptura, *Saül cecidit porrectus in terram: extimuerat enim verba Samuëlis.* Non quod ipſum Samuëlem ſibi loqui non crederet, ſed quia ſeverè ipſius impietatem increpantem, & infauſtam mortem prædicentem, audiret.

CAPUT XXIX.

℣. 5. *PErcuſſit Saül in millibus ſuis, & David in decem millibus ſuis.* Vide obſcura hæc verba explicata ſuprà c. 18. v. 7.

℣. 6. *Vocavit ergo Achis David, & ait ei: Vivit Dominus, quia rectus es tu &c.* Et paulò poſt; *Scio quia bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei.* Obſervandum quod Achis homo alienigena jurat per nomen Dei Iſraël. Nam ubi dicit; *Vivit Dominus*, eſt nomen Dei tetragrammaton. Et ſimiliter, quòd faciat mentionem Angeli Dei. Et mirum videri poſſet, unde habuerit harum rerum notitiam? niſi quod omnino veriſimile eſt, eum hæc didiciſſe ex converſatione cum Davide, qui cum eo jam aliquanto tempore habitaverat; & ita habitaverat, ut ſicut teſtatur ipſe Achis, non inveneriti in eo quicquam mali à prima die qua ad eum venerat. Ex quo intelligimus quantum efficaciæ habeat prædicatio veritatis apud infideles, quando conjuncta eſt ſimul innocentia vitæ eorum qui prædicant.

℣. 18. *Ut non veniam & pugnem contra inimicos Domini mei regis? Quæritur* an David licitè potuerit pugnare contra Iſraëlitas? *Reſpondent* quidam quod ſic, quandoquidem tot injuriis à Saüle eſſet affectus. Sed omnino videtur reſpondendum, id Davidem licitè facere non potuiſſe. Cujus præcipua cauſa ſit, quia bellum ex parte Achis injuſtum erat, quia gerebatur contra populum Dei haud juſto titulo, ſola ſcilicet cupiditate dominandi. Quicumque autem militat principi, quem ſcit injuſtam habere cauſam, peccat mortaliter. Alia cauſa eſt, quia contra populum ſuũ; cujus jam ipſe à Deo deſignatus erat rex; ſtultiſſimum fuiſſet pugnare cum illo rege, qui illum populum omnino voluiſſet deletum, aut in ſervitutem redactum. Itaque ſicut capite 27. ſimulabat ſe agere prædas de Iſraelitis, & revera agebat de ſubditis, aut fœderatis ipſius Achis, ita & in hoc bello illum facturũ fuiſſe non incredibile eſt. Specioſa autem verba quæ hic David dat ipſi Achis, vel ad mendacia officioſa referenda ſunt, vel etiam pleraque tanquam in terminis tantùm generalibus, & interrogando prolata, à mendacio excuſari poſſunt.

CAPUT XXX.

℣. 7. *APplica ad me Ephod.* Et mox addit ſcriptura; *Et applicavit Abiathar Ephod ad David, & conſuluit David Dominum dicens &c.* Senſus eſt, quòd ſacerdos indutus Ephod veſte ſacerdotali, pro Davide adſtante, conſuluit Dominum. Erat quidem & Ephod quoddam lineum quo David ipſe licitè legitur fuiſſe indutus, ludens ante arcam Domini, 2. Reg. 6. itemque puer Samuël ſuprà cap. 2. hujus libri; ſed id genus veſtis non abſolutè vocatur Ephod, ſed tantùm cum additamento, Ephod lineum. Atque adeo Ephod propriè dictum, ſeu Ephod ſummi ſacerdotis, Exodi 28. & 29. vocatur ſuperhumerale; Ephod vero lineum, reliquorum ſacerdotum tunica linea. Atque ita ſcilicet, ſicut nunc pueri & miniſtri inferiores adſiſtunt divinis officiis in habitu quodam non diſſimili ab habitu ſacerdotum, & ſuperiorum miniſtrorum; ita & tunc puer Samuël & David ludent ante arcam, Ephod quoque lineo induti fuiſſe leguntur: non autem quod Ephod ipſum ſacerdotale David ſibi porrigi voluerit, illudque induiſſe ullo modo credendus ſit.

℣. 12. *Non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus & tribus noctibus.* At paulò poſt dicit ipſe: *Dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiuſtertius.* Unde non apparet hunc virum totis tribus diebus & noctibus ſine cibo & potu fuiſſe, nam ex quo ægrotare cœperat, tantùm duæ noctes interceſſerant: dies autem hic erat tertius quo ſcriptura teſtatur eum comediſſe & bibiſſe. Videntur ergo hæc dici ea phraſi qua dictum eſt in Evangelio, *Filium hominis futurum in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, id eſt, triduo, ſynecdochicè tamen intellecto. Nam primus dies erat quo ægrotare cœpit, in quo vel nihil omnino cibi, vel fortè puſillum aliquid ut ægroto ſubminiſtratum fuit à Domino, priuſquam eum derelinqueret. Secundo die nihil comedit, uti nec tertio die uſque ad id tempus quo David ei dari juſſit quod ederet & biberet. Non igitur tertio toto die ſine cibo fuit. Vide annot. Matth. 12. v. 40.

℣. 24. *Æqua pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas. Et factum eſt hoc ex die illa conſtitutum, & quaſi lex in Iſraël. Quæritur*, quomodo hoc dicatur nunc primum à Davide conſtitutum, cum etiam antea Abraham obſervaverit Gen. 14. quando expugnavit quatuor reges? Imò & Moyſes Numer. 31. præceperat poſt victoriam partam de Madianitis, ut præda divideretur inter bellantes & reliquam multitudinem. Itaque jam tum videtur ret illa præcepta & lege ſancita. Sed *reſpondeo*, Abram quidem id obſervavit, ſed facto ſuo legem non introduxit. Moyſes autem non præſcripſit populo legem perpetuo ſervandam, ſed pro loco & tempore tantum ita fieri ordinavit. At verò David tandem nunc lege lata perpetuo ita fieri mandat. Si de æquitate hujus legis quæratur, non eſt ita lex intelligenda, quaſi bellicoſiores in aciem educantur, imbelliores relinquantur ad ſarcinas: ſed quia vel ſola voluntate ſupremi ducis, vel ſorte hi ad pugnam prodeant, alij cuſtodiendis ſarcinis deputentur, non quod alij aliis ſint bellicoſiores.

CAPUT XXXI.

℣. 4. *ARripuit itaque Saül gladium & irruit ſuper eum.* Seriò & prolixè à quibuſdam agitatur quæſtio, utrum Saul damnatus ſit an ſalvatus? Nos breviter aperiemus quid conformius videatur ſcripturæ ſacræ & rationi. Deinde ne hæc inquiſitio curioſa magis quàm fructuoſa videatur, uſum ejus indicabimus. Hebræi eum ſalvatum eſſe putant: quia, inquiunt, audita Dei ſententia per Samuëlem de ſua & filiorum ſuorum morte ac regni tranſlatione; eam patienter acceperit, & ad eam implendam cooperatus eſt;

rever-

revertens in caſtra & pugnans cum Philiſthæis. Huic opinioni aſſentiri videtur etiam Lyranus. Sed argumentum illud frivolum eſt. Magis enim credendum quod Samuëli non bene fidem habuerit, ſed ſperaverit pugnando ſe ſententiam, quam audierat, evadare poſſe. Alioqui, ſi credebat Samueli, debuiſſet non committere prælium, ſed ſubtrahere ſe & ſuos, quia talis prophetia cum conditione intelligi debuiſſet, ſicut intellexit David quando cõſuluit Dominum de habitatoribus Ceilæ ſuprà cap. 23. Proinde probabilius apparet eum eſſe in numero damnatorum. Primò, quia ſemetipſum interfecit, & in eo peccato mortuus eſt, imò cum adhuc cum morte luctaretur, juſſit ſibi mortem accelerari. 2. Reg. 1. Neque excuſat eum finis bonus ne ludibrio haberetur ab incircumciſis: Non enim nos peccare debemus ut aliena peccata impediamus; & finis bonitas non poteſt corrigere opus per ſe malum. Secundò, quia id ſatis indicat ſcriptura 1 Paralip. 10. ubi ſic legimus: *Mortuus eſt ergo Saül propter iniquitates ſuas* (70. vertunt, *in iniquitatibus*) *eo quod prævaricatus ſit mandatum Domini, & inſuper Pythoniſſam conſuluerit, nec ſperaverit in Domino, propter quod interfecit eum*. Ex quibus verbis apparet quod uſque ad finem in mala voluntate permanſerit. Tertiò, quia qualis quis eſt in vita, talis plerumque eſt in morte: maximè ſi mors ſit ſubita & improviſa, qualis ferè eſt in bello. Atqui Saül jam à multis annis impiè & pertinaciter perſecutus erat Davidem innocentem & optimè de ſe meritum. Qua in re etiam geſſit figuram impiorum, qui in hoc ſæculo inceſſanter perſequuntur pios. Igitur non eſt veriſimile quod moriens illum hoſtilem animum adversùs Davidem depoſuerit. Addunt nonnulli & hoc, quod legitur 2. Reg. 7. de Salomone; *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saül*. Sed illud tantum loquitur de regno temporali mox ablato à ſtirpe Saulis, & relicto adhuc in ſtirpe Salomonis. Qui eum ſalvatum volunt, adferunt exemplum Raziæ, ſeipſum quoque interficientis 2. Machab. 14. cujus factum ſcriptura non tam improbare, quàm probare videtur. Ad quod alij reſpondent non eſſe ſimile. Tum etiam adferunt quæ diximus de Samſone ſeipſum interficiente. Ita quæſtio hæc in utramque partem diſputatur. Ex veteribus Chriſoſtomus homil. de David & Saüle tom. 1. quæ incipit. *Equidem arbitror*, affirmat Saülem luere æterna ſupplicia. Porrò uſus hujus inquiſitionis ac reſponſionis eſt. Primò ut diſcamus quàm periculoſum ſit in malo ſtatu & extra gratiam Dei vitam ducere, quia vix contigit ut qui malè vixit, bene moriatur. Secundò, ut ſemper præ oculis habeamus illud: *Qui ſtat, videat ne cadat*. Nam Saül initio regni valde laudabilis fuit, & à ſcriptura & ore Samuëlis multum commendatus. Sed paulò pòſt ab illa rectitudine juſtitiæ excidit, occulto quidem, ſed juſto Dei judicio. Tertiò, facit hoc exemplum contra hæreticos hodiernos qui docent juſtitiam & charitatem ſemel acceptam amitti non poſſe.

℣. 13. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes*. Quæri poteſt de his viris Iabes Galaad, rectène fecerint honorificè Saülem ſepeliendo? Nempe, hi qui ſeipſos interimunt, ut fecerat Saül, indigni ſunt omni honore. *Reſpondeo* viros Iabes Galaad, neque fortè ſciviſſe, & certè non ſollicitos fuiſſe, quomodo mortuus fuiſſet Saül. Neque enim acceperant corpus eo loco ubi occiſus erat, ſed abſtulerunt è muro Bethſan, ubi ſuſpenſum fuerat. Neque tunc fortè legibus aliquid tale conſtitutum fuerat in eos, qui ſeipſos peremiſſent. Denique noluerunt viri illi judices eſſe in cauſa regis ſui, ſed ſimpliciter humanitatis officium hoc erga regem ſuum exhibuerunt, fortè etiam tanto magis quod (ut narratur cap. 1. libri ſequentis) Saül proprio vulnere nondum expiraſſet, ſed occiſus ſit ab Amalecite. Dubitari tamen poteſt, an non falsò narraverit Amalecites ille Saülem à ſe occiſum. Nam hoc cap. 31. v. 5. ſic legitur; *Arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger ejus, videlicet quod mortuus eſſet Saül, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, &c.*

Et jejunaverunt ſeptem diebus. Beda putat eos jejunaſſe etiam pro requie defunctorum. Quo argumento videretur Saülis ſalus non fuiſſe deſperata. Sed ſciendum jejunium hoc narrari ſuſceptum non pro ſolo Saüle, ſed etiam pro filiis ejus. Cæterùm de hoc ſacro ritu exequiarum per ſeptem dies pro defunctis celebrari ſolito, vide plenius ad cap. 50. & ult. Geneſis, v. 10.

FINIS LIBRI I. REGUM.

ANNOTATIONES

IN LIBRUM II. REGUM.

CAPUT PRIMUM.

℣. 10. STanſque ſuper eum occidi illum. Verba ſunt ejus, qui ad petitionem Saülis ipſum ſe occidiſſe nuntiabat Davidi. Quidam exiſtimant eum qui refert mentitum fuiſſe, eo quod capite ultimo libri præcedentis, ſcriptura dicat: *Arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger ejus, videlicet quod mortuus eſſet Saül, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo*. Ad hoc alij reſpondent, quod armiger vidit Saülem mortuum, quia prorſus inſtar mortui conciderat, eumque armiger mortuum exiſtimabat. Sed parum refert, confinxerit iſta adoleſcens, an verè ita acciderint, ut narrat. Multi putant veram eſſe narrationem, quod nullo modo compoſita videatur oratio, ad adulationem, favoremque Davidis captandum, ob interfectum ejus inimicum. Sed poſſunt homines vafri ſic diſſimulanter agere; & tamen revera aliud mente venari. Res in utramque partem videtur poſſe diſputari.

℣. 18. *Et præcepit ut docerent filios Iuda arcum, ſicut ſcriptum eſt in libro juſtorum*. Filij Iſraël præcipuè ſuperati fuerant à Philiſthæis, arte ſagittandi. Ita enim legimus ultimo capite libri præcedentis; *Et conſecuti ſunt eum viri ſagittarij, & vulneratus eſt vehementer à ſagittariis, &c.* Vult igitur David filios Iſraël eandẽ bellandi artem diſcere, ne in poſterum hoc modo ab hoſtibus ſuperentur. Per arcum ergo intelligit ſagittandi artem, quæ eo tempore præcipua erat ars bellandi, & unica ratio pugnandi eminus. Porrò quod additur (*ſicut ſcriptũ eſt in libro juſtorũ*) quidã intelligunt libros Samuëlis, id eſt, primũ & ſecundum Regũ, quod in iis vita quorundã juſtorum ſcribatur, ut Samuëlis, Davidis, & aliorum. Sed id veriſimile nõ eſt, quia abſurdum eſt ut liber

aliquis

aliquis citet ſeipſum. Quidam librum Geneſis intelligunt, & referunt ad benedictionem Iacob ſuper filio ſuo Iuda, quæ ita habet Geneſ. 49. *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui &c.* Sed ibi non fit mentio arcus, vel artis ſagittandi. Veriſimile omnino eſt, eſſe librum quemdam, qui intercidit per devaſtationem hoſtium, ſicut interciderunt multi alij; ut liber bellorum Domini, cujus fit mentio in libro Numerorum cap. 21. v. 14. Item libri Nathan & Ahiæ; & libri Salomonis de naturis rerum, &c.

℣. 21. *Quia ibi abjectus eſt clypeus fortium, clypeus Saül, quaſi non eſſet unctus oleo.* Iſidorus Clarius refert illud (*unctus oleo*) ad *clypeum*, dicens olim moris fuiſſe, ut prælium ingreſſuri clypeum oleo perungerent, quo ſic facilius velut à lubrico tela repellerentur. Sed longè convenientius de ipſo Saüle intelligitur, quem deplorat David ſic interiiſſe, quaſi eſſet unus de promiſcua & ignobili plebe; cum tamen fuerit unctus Domini, id eſt, rex, & ſolemniter à Samuële oleo in regem unctus. Et ideo ſcilicet, cum pluraliter dixiſſet (*fortium*) ſingulariter & ſpeciatim de Saül ſubjunxit; (*quaſi non eſſet unctus oleo*) ut dignitas unctionis intelligeretur.

CAPUT II.

℣. 4. V*Eneruntque viri Iuda, & unxerunt ibi David, ut regnaret ſuper domum Iuda.* Sic & infrà cap. 5. dicuntur ſeniores Iſraël unxiſſe David in regem ſuper univerſum Iſrael. Veriſimile eſt utramque unctionem factam fuiſſe per Abiathar ſummum ſacerdotem. Neque per has unctiones, quicquam derogatum eſt primæ unctioni per Samuelem factæ 1. Reg. 16. tanquam inſufficienti, neque iterata eſt conſecratio. Nam tres iſtæ unctiones ad diverſa factæ ſunt. Prima erat velut declaratio voluntatis & electionis divinæ, ut David ſuo tempore rex fieret. Itaque per eam accipiebat quidem jus ad regnum, ſed nondum uſum aut exercitium ſui juris. Secunda verò & tertia, quia fiebant conſenſu & authoritate populi, tradebant, ſeu dabant ei ſubditi (ut juriſperiti loquuntur) jus in regno: erant enim ceremoniæ inaugurationis in regem, prius Juda deinde Iſraëlis. Et omnino videtur Saül quoque bis unctus, hoc enim indicare videntur illa verba 1. Reg. 11. ubi innovatum eſt ejus regnum in Galgala: *Et fecerunt Saül regem coram Domino*, nempe clauſura illa (*coram Domino*) ſatis ſignificat hoc in tabernaculo Domini factum, & adhibitis certis ceremoniis.

℣. 10. *Quadraginta annorum erat Iſboſeth filius Saül, cum regnare cepiſſet, & duobus annis regnavit; ſola autem domus Iuda ſequebatur David.* *Quæritur* quomodo intelligendum ſit, quod hic dicitur, Iſboſeth regnaſſe duobus annis, quaſi non pluribus regnarit, cum à morte Saül uſque ad regnum Davidis ſuper univerſum Iſraëlem interceſſerint anni ſeptem cum dimidio; quod idem videtur fuiſſe tempus regni Iſboſeth ſuper Iſrael? An quod hîc dicitur de duobus annis, non excludat annos ſequentes, ſed ſignificet Iſboſeth jam duobus annis regnaſſe, cum contingerent ea, quæ in hiſtorica narratione ſubjiciuntur, videlicet prælium, & contentio illa vehementior inter domum David & domum Saül? Nec improbabilis eſt iſta expoſitio; quomodo etiam nonnulli exponunt illud 1. Reg. 13. *Filius unius anni erat Saül, cum regnare cœpiſſet, & duobus annis regnavit in Iſraël.* Vide ad illum locum.

℣. 14. *Surgant pueri & ludant coram nobis.* Pueri vocantur miniſtri regum David & Iſboſeth; Intelligitur autem ludus militaris, id eſt, pugna, eo ſchemate, ſeu modo loquendi, quo res odioſa & horrida, blandiore verbo mitigatur. Sic quod Gen. 21. dicitur Iſmaël luſiſſe cum Iſaac, Apoſtolus ad Galat. 4. interpretatur

A eum perſecutum fuiſſe Iſaac. Sic & alibi; *Veni, videamus nos*, pro experiamur pugnando invicem vires.

CAPUT III.

℣. 3. P*Orrò tertius Abſalon filius Maacha, filiæ Tolmai Regis Geſſur.* Duxit hanc filiam hominis gentilis David, ut par eſt credere, eo modo quo licuit, ſcilicet converſam ad veri Dei cultum, ſive eam cepit in bello, & adhibita obſervatione, quæ præſcribitur Deuter. 21. eam duxerit uxorem, ſive etiam pacis tempore, æquè conſentientem in religionem populi Dei, quomodo Booz accepit Ruth Moabitidem. Certè legimus 1. Reg. 27. Davidem, priuſquam evectus eſſet ad regnum, egiſſe prædas de Geſſur, quo tempore fieri
B potuit, ut inde filiam quoque regis captivam duceret, regemque hujuſce conjugij occaſione poſteà amicum habuerit. Conſtat quoque ad regem Geſſur, ut ad amicum, &, ut apparet, avum ſuum maternum, Abſalonem, perpetrata cæde fratris, fugiſſe.

℣. 8. *Nunquid caput canis ego ſum adverſum Iuda hodie. —— & tu requiſiſti in me, quod argueres pro muliere hodie?* (*Adverſum*) ſumitur pro (*coram.*) Sicut & ibi, *& manibus meis necte contra eum, & non ſum deceptus*, Græcè ἐνέπαιον. Et ſenſus eſt. Nunquid apud Judam, & eos qui ſequuntur partes Davidis, ſum ego adeò contemptus, & nullo in pretio habitus, ut non verearis, ne ad David transferam univerſum regnum Iſraël? Sicut enim canis per ſe eſt animal contemptum, ita imprimis caput ejus à corpore reſectum eſt con-
C temptibiliſſimum. Apud ſeptuaginta non legitur illud (*adverſum Iuda*) hoc loco.

℣. 9. *Hæc faciat Deus Abner & hæc addat ei, niſi quomodo juravit Dominus David, ſic faciam cum eo, ut transferatur regnum de domo Saül.* Satis intellexit Abner Deum ſolere adimplere promiſſa ſua per voluntates & actus humanos, nec quia Deus promiſerit aut juraverit aliquid ſe facturum, ideo ceſſare debere curam & ſolicitudinem & conſilium humanum, etiamſi homini conſtiterit de promiſſione Dei; quia cum omnia Deo ſerviant, & ipſe ſit author omnium, & motor univerſalis, nihilque ſit quod extra providentiæ ejus limites excurrat, ſic ordinavit, ut etiam per humanum ſtudium & induſtriam ea quæ ab æterno fieri decrevit,
D impleantur; &, ut magis propriè loquar, ipſum ſtudium & induſtriam; & cæteros actus humanæ voluntatis ordinavit ad fines à ſe decretos, tam potens in mediis efficiendis ac dirigendis, quàm ſapiens in finibus conſtituendis ac præfigendis. Vide annot. Act. 27. v. 22. Geneſ. 32. v. 9. & 1. Reg. 7. v. 1.

℣. 28. *Quod cum audiſſet David, rem jam geſtam, ait; Mundus ego ſum, & regnum meum apud Dominum à ſanguine Abner filij Ner.* *Quæritur* quare tanto ſtudio conetur David ſe purgare ab interfectione Abner? & non potius Ioab ejus interfectorem punierit? *Reſpondeo* ad primum, ideo ſe David tam ſtudioſè apud populum de hac cæde excuſat, quia alioqui populus facilè ſuſpicari potuiſſet, id factum fuiſſe juſſu, vel conſenſu Davi-
E dis, eo quod Abner apud Iſboſeth eſſet primæ authoritatis, & proinde eo mortuo, faciliùs totum regnum Iſraël ab Iſboſeth ad Davidem poſſet transferri. Hanc ſuſpicionem omnino debuit David à ſe removere, tum ſua cauſa, quia unuſquiſque præcipitur habere curam de bono nomine: tum cauſa totius regni, quia ſi apud populum manſiſſet ſuſpectus de tam horrenda cæde, meritò univerſus populus refugiſſet ejus dominium, & regem recuſaſſet totumque regnum ejus inſtabile atque infirmum fuiſſet propter alienationem animorum ab ipſo rege.

Quare autem David hoc tantum ſcelus Ioab non punierit ſupplicio capitis, maximè cum lex præcipiat, quod non ſit permittendus vivere, qui volens innoxium

innoxium ſanguinem fuderit? *Reſpondet* ipſe David, A
dicens ſub finem huius capitis de Abner occiſo: *Num ignoratis quoniam princeps, & maximus cecidit hodie in Iſraël? Ego autem adhuc delicatus & unctus Rex. Porrò viri iſti filij Sarviæ duri mihi ſunt*, q. d. Ego adhuc tenellus ſum & recens in regno, & regnum nondum ſatis firmatum eſt, & ſtabilitum, ac proinde nondum poſſum, ſicut optarem, animadvertere in iſtum Ioab, eiuſque complices huius cædis authores. Nam erant hi principes militiæ David; qui ſic facilè potuiſſent totum exercitum ab eo abducere. At *obijcies*. Dicitur Eccl. 7. *Noli velle fieri judex, niſi valeas virtute perrumpere iniquitates. Reſpondeo*. Quando quis voluntate aſſumit principatum, debet hoc conſiderare, ut ſit ſatis potens contra malos; David autem à Deo ſpecialiter vocatus ad regnum, paulatim, ſecundum quod B
res, & tempus permittebant, regnum ſuum ſtabilivit. Unde & hoc ipſum quoque factum Ioab tandem punivit, per filium ſuum Salomonem: data ei hac de re, antequam moreretur, certa inſtructione. Diſcimus autem ex hoc loco Principes Catholicos aliquando rectè diſſimulare quædam, tolerare, & differre, ut opportuno tempore puniant; nempe quando alioqui metuendum eſſet magnum incommodum reipublicæ; ut in puniendis exactè hæreticis, & ſimilibus.

CAPUT IV.

℣.7. INgreſſi ſunt autem domum latenter, aſſumentes ſpicas tritici. Quod dicitur (*aſſumentes ſpicas tritici.*) diverſimodè exponitur. Uno modo, ut ſenſus ſit, eos ſpecie honoris ingreſſos fuiſſe aulam regis, tanquam volentes ei loco muneris offerre primitias de ſpicis tritici. Alij hoc modo vertunt ex Hebræo: *Ingreſſi ſunt in medium domus, habitu mercatorum tritici*. Alij rurſum eos ingreſſos interpretantur cum mercatoribus tritici; ut hac ratione facilius fallerent, & facinus, quod moliebantur, diutius lateret. Sed veriſimilior, magiſque textui congruens expoſitio media: nempe, quod ingreſſi ſint in penitiorem uſque partem domus, habitu & ſpecie mercatorum tritici.

℣.8. *Ecce caput Iſboſeth, filij Saül inimici tui*. Illud (*inimici tui*) ad Saül referendum eſt, non ad Iſboſeth. Sequitur enim (*qui quærebat animam tuam.*) Quod de Iſboſeth non legitur; de Saül autem conſtat. Confirmatur etiam hæc expoſitio, ex eo quod ſequitur v. 11. D
Interfecerunt virum innoxium in domo ſua. Ubi Hebræa & ſeptuag. habent *virum juſtum*, quomodo & Hieron. hunc locum allegat lib. 1. contra Pelag. capite ult. hæc addens: *Certè Iſboſeth juſtus non erat, & tamen in eo juſtus appellatur, quod abſque noxa interfectus eſt*. Sic ille. Certè Iſboſeth innoxius erat quantum ad hoc ut ab illis tali modo occideretur. Præterea innoxius, quia bona fide regnum poſſidebat. Neque enim per tyrannidem illud occupaverat, quia tenebat illud jure ſucceſſionis, accedente etiam populi conſenſu, ut patet c. 2. Et quamvis vulgò utcumque conſtaret Davidem à Samuele unctum fuiſſe in regem; non tamen ſciebatur quando regnum illud auſpicari deberet; nondum enim erat à populo electus ſuper totum Jſraël. Atque ita non tantum E
apparenti, ſed etiam juſto titulo Iſboſeth obtinebat illam regni partem quæ Davidem nondum receperat, ſicut antea Saül totum regnum, etiam poſt unctionem David. Vide etiam annot. lib. 1. Reg. cap. 16. v. 13.

℣.12. *Præcepit itaque David pueris ſuis, & interfecerunt eos*. Per hoc quod David hos fratres qui facinus hoc videbantur in gratiam ipſius admiſiſſe, ſtatim ſine mora juſſit interfici; exemplum datur omnibus principibus & præfectis, ut malefactoribus & adulatoribus huiuſmodi minimè parcant, etiamſi ſcelus ab illis perpetratum, cedere videatur in principis aut reipublicæ utilitatem.

CAPUT V.

℣.4. FIlius triginta annorum erat David cum regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnavit. In Hebron regnavit ſuper Iudam ſeptem annis, & ſex menſibus; in Ieruſalem autem regnavit triginta tribus annis ſuper omnem Iſraël & Iudam. Lib. 3. Reg. cap. 2. & 1. Paralip. 29. ſubticentur hi ſex menſes, quibus ſupra ſeptem annos in Hebron regnaſſe dicitur, ſicut etiam hoc ipſo loco nulla eſt eorum menſium ratio, quando ſimul dicitur regnaſſe annis quadraginta. Rationem aliqui quærunt, ſimulque nonnulla fabuloſa attexunt. Verùm facilis, & obvia reſponſio eſt, minoris temporis numerum, ubi commemoratur ſimul numerus major; ſæpè ſolere prætermitti, tum in ſacra, tum in profana Hiſtoria. Velut cum refert ſcriptor quot annis quis regnaverit, non addit quot præterea menſibus aut diebus; ſicut & cum refert, quot pugnatores educti in prælium, aut quot cæſi, plerumque dicit quot millia, non addendo quot centeni: aut ſi narrat quot centeni, non addit quot inſuper deni aut ſinguli. Et obſervandum eſt hoc per univerſam ſcripturam.

℣.6. *Dictumque eſt David ab eis* (ſcilicet qui erant in arce Sion.) *Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos & claudos; dicentes, Non ingredietur David huc*. Omiſſis Hebræorum expoſitionibus, quorum alij per cæcos & claudos intelligunt imagines Iſaac & Jacob, ut quod Iſaaco caligaverint oculi, Iacob autem claudicarit ex lucta cum angelo; Alij rurſum, quod ad murum ſuſpenſa fuerint idola Iebuſæorum, quæ ab Jſraëlitis vocata ſint cæci & claudi, juxta illud de idolis gentium, *Oculos habent & non videbunt, pedes habent, & non ambulabunt*. Omiſſis, inquam, iſtis expoſitionibus, probabiliorum *una eſt*, quod per cæcos & claudos intelligantur ipſi Iebuſæi, quos David contemnebat tanquam cæcos & claudos, id eſt, infirmos, & qui facilè expugnari poſſent. *Alia* quod Iebuſæi fidentes viribus ſuis & firmitati arcis, in propugnaculis collocaverint quoſdam cæcos, & claudos, idque in contemptum exercitus David, ut ſit ironia, quaſi dicant Iebuſæi ad David: Age, tam munita eſt arx iſta, ut poſſit defendi, vel à ſolis cæcis & claudis; proinde ne operam perdas, quod putes, aut ſperes eam à tuo exercitu expugnari poſſe. Pro expoſitionibus tamen Hebræorum, maximè pro poſteriori de idolis, adfertur quod ſubditur: *Idcirco dicitur in proverbio: Cæcus & claudus non intrabunt in templum*; quia inprimis idola vetita erant inferri in templum. Verum ſciendum eſt in Hebræo, pro (*templum*) eſſe (*domum*.) Sic Vatablus, qui dicit proinde ſenſum proverbij eſſe a quod poſteà non fuerit permiſſum, ut arcem Sion, in qua erat domus David, ingrederentur unquam cæci & claudi, in memoriam opprobrij Davidi à Iebuſæis facti.

℣.8. *Cepit autem David arcem Sion, hæc eſt civitas David*, & paulò pòſt: *Habitavit autem David in arce, & vocavit eam civitatem David*. Igitur civitas David non erat Ieroſolyma, neque civitas à Ieroſolyma diſtans, ſed arx adhærens & conjuncta civitati Ieruſalem, & ſita in monte Sion, unde & arx Sion vocata eſt, eratque regia Davidis, ſed propter amplitudinem etiam civitatis nomen accepit. Hanc tempore Machabæorum reſtauravit & præſidium impoſuit Antiochus Illuſtris, ut eſt 1. Machab. 1. atque ex ea civitatem Ieroſolymam vehementer afflixit, donec Judas Machabæus aliam adversùs eam munitionem in eodem monte extruxit 1. Machab. 4. Sed cum hanc rurſus Antiochus Eupator diruiſſet cap. 6. Ionathas denique arcem à civitate muro alto interpoſito ſeparaſſe legitur cap. 12. Ac denique eandem occupavit Simon, ejectis inde alienigenis cap. 13.

CAPUT VI.

ỷ.7. I*Ratuſque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſsit eum ſuper temeritate.* Hebræa habent (*ſuper errore*) Pagninus (*propter temeritatem*,) Hieron. lib.1. contra Pelag. (*pro ignorantia.*) Credo ſecundum Septuaginta, tametſi in multis exemplaribus Græcis huius loco nihil legatur. Quod autem fuerit peccatum Ozæ, occaſio erit plenius explicandi 1. Paralip. 13. & 15. Vide etiam Num.7. Exiſtimabant fortè Levitæ, ſe benè & religiosè facere, quod arcam plauſtro impoſitam trahi à bobus ſinerent, idcircò ſcilicet, quia à Philiſthæis magno miraculo, & quaſi Deo approbante, id factum fuiſſet 1. Regum 6. ſed erat illa cacozelia, ſeu inordinatus zelus. **B** Debebant enim facere, id quod ſibi lege divina Numer.7. fuerat præceptum. Vide dictis locis plenius.

ỷ.20. *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſraël, diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum, & nudatus eſt quaſi nudetur unus de ſcurris.* Irridet Michol Davidem; q.d. minimè glorioſum eſt, ſed planè indecorum, ut Rex coram tota plebe ita ſe denudet. Sed non eſt putandum, quod rex omninò nudus, ac veſtibus ſpoliatus coram multitudine apparuerit? Id enim revera indecorum fuiſſet, & in honorem Dei fieri non debuiſſet. Sed dicitur ſe rex diſcooperuiſſe, & denudaſſe; quia ex humilitate ad Dei honorem ſpoliaverat ſe regio ornatu, & induerat ephod lineum; quale geſtabant Levitæ, velut ſi quis nunc rex aut princeps ex devotione **C** in magna aliqua ſolemnitate indueret lineum, quod vocamus, ſuperpelliceum, quo utuntur Eccleſiaſtici. Id enim non eſt illicitum etiam laicis. Nam & pueri in choro ea veſte utuntur. Et hoc quidem judicio hominum carnalium ad vilitatem pertinet, revera autem glorioſum eſt. Unde & David reſpondit; *Ludam & vilior fiam pluſquam factus ſum*, videlicet in oculis hominum; & cum ancillis glorioſior apparebo, quia talis humilitas revera glorioſum facit in conſpectu Dei. Vide plura 1. Paralip.15. & 2. Paralip.26.

ỷ.23. *Igitur Michol filia Saül non eſt natus filius, &c.* Utique in pœnam irriſionis præcedentis. Juſtum enim erat, ut quæ regem Jſraël protervè & injuſtè irriſerat, filium non gigneret qui rex Jſraël fieri poſſet.

D Dices, hæc pœna ad ipſum etiam Davidem pertigit? Nam ſterilitas uxoris damnum viri eſt. *Reſpondeo*, ſterilitatem Michol, Davidi qui ex aliis uxoribus filios ſatis multos ſuſcitavit, in bonum ceſſiſſe. Nam ſi ex Michol natus fuiſſet ei filius, aut is ſucceſſiſſet in regnum, atque ita viſa fuiſſet continuatio regni Saül, patris Michol, atque ea res obſcuraſſet gloriam Davidis & promiſſiones ei factas: aut ſucceſſori bellum pro regno intuliſſet, allegans duplicem titulum regni, patris & avi.

CAPUT VII.

ỷ.2. V*Idéſne quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita eſt in medio pellium?* **E** Intelligendum relinquit ſe in corde verſare cogitationem de domo ædificanda Domino: quæ quidem cogitatio non ideo non fuit ex Deo, quia Deus noluit ut eam expleret, ſicut argumentatur Caſſianus. Nam legimus Deum præcepiſſe Abrahæ ut immolaret filium: quod tamen, quando id perficere & implere vellet, à Deo prohibitus eſt. Deus enim Dominus eſt actionum noſtrarum, ut idem modo præcipiat, modò prohibeat, ſicut res à ſe creatas deſtruit quando vult. Sciendum quoque quod David volens ædificare & non ædificans quia prohibitus, plus meruit à Deo, quàm Salomon volens & ædificans, quia voluntas Davidis fuit multo intenſior, licet ab effectu prohibita. Quod liquet ex **A** magno deſiderio, quo cupiebat ædificare domum Domino. Unde & poſtea fecit totum quod potuit, præparans filio omnia ad ædificandum neceſſaria. Unde & de eo dicitur Pſ.131. *Memento Domine David —— ſicut juravit Domino, votum vovit —— Si introiero, &c.*

ỷ.3. *Dixitque Nathan ad regem: Omne quod eſt in corde tuo, vade, fac, quia Dominus tecum eſt.* Gregor. homil.1. in Ezechielem dicit, Nathan Prophetam ex magno uſu prophetandi ſuſpicatum fuiſſe, quod hæc etiam prophetico ſpiritu diceret, cum tamen ea ex ſuo ſpiritu proferret, atque adeò ipſum poſteà à ſpiritu divino correctum ea retractaſſe. Et idem ſentit D. Thomas 2. 2. quæſt.171. articul.5. Gregorij authoritatem ſecutus. Sed fortaſsè rectius dixerimus, Nathan à Davide conſultum, ex tempore reſpondiſſe, non ut **B** Prophetam, ſed ut virum prudentem, ac Dei amicum, id quod pietas & prudentia ſuadebant eſſe reſpondendum. Quis enim vir pius ac prudens non probaret tale propoſitum regis de ædificando templo, in quo Deus coleretur? Et ideo quoque Nathan fortè pro reſponſo non conſuluit Dominum, quod putaret in re tam aperta non opus eſſe conſultatione.

ỷ.14. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium, &c.* & v. 15. *Miſericordiam autem meam non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saül, quem amovi à facie mea.* Sicut ex his verbis convinci non poteſt Saülem eſſe damnatum, ut oſtendimus 1. Reg. 31. ita nec concludi valet Salomonem finaliter ſalutem eſſe conſecutum. Nam nihil aliud his verbis ſignificatur, quàm regnum tem- **C** porale non eſſe ab eo auferendum; ſicut ablatum fuit à Saül, eiuſque poſteris. Manſit enim regnum Juda penes poſteritatem Salomonis multo tempore, videlicet uſque ad captivitatem Babylonis; ac deinceps ſub titulo principatus, uſque ad Herodem, in eo conſilio ſupremo Judæorum, quod vocabatur Sanedrim; ac demum in Chriſto ex progenie David & Salomonis, ſpirituale regnum pro terreno ſucceſſit. Et ſanè David commemorans hanc promiſſionem à Deo ſibi factam 1. Paralip. 28. manifeſtè eam in filio Salomone intelligit, ac nominatim iſtud: *Ipſe erit mihi in filium, & ego ero ei in patrem.* Et *firmabo regnum eius uſque in æternum, ſi perſeveraverit facere præcepta mea, &c.* Pertinet ergo hîc locus ſecundum literam ad Salomonem; ſed ſenſu myſtico, atque longè ſublimiori, nobiſque ex ſcriptura **D** ſacra teſtatiſſimo, pertinet etiam ad Chriſtum, ut patet Hebr.1. & aliunde. Vide ibi noſtrum comment. atque etiam annot. 1. Paralip. 28.

CAPUT VIII.

ỷ.2. E*T percuſſit Moab; & menſus eſt eos funiculo, coæquans terræ: menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.* Senſus eſt. Subjugavit David Moabitas; & menſuravit eos fune coæquans terræ, id eſt, penitus ſubjectos, & velut in terram proſtratos recenſuit, & in numerato omnes habuit; perinde ac ſi funiculo omnes menſuraſſet, quomodo olim agri fune ad exactum menſurari ſolebant. Atque ita menſuratos, ſeu numeratos interfecit **E** quos voluit, & quos voluit vivos ſervavit. Sicut & nunc fit, quando hoſtes aliqui pene ſuperati recipiuntur in deditionem ad placitum victoris. Atque hoc ſcilicet eſt, quod dicitur; *Menſus eſt autem duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum.* Secundum quam lectionem ſenſus eſt, quod omnes victos in duas partes diviſerit, unam occidens, & alteram vivam reſervans. Secundum Hebræa, omiſſo illo priori (*unum*) ſic legitur: *Menſus eſt autem duos funiculos ad occidendum, & unum ad vivificandum.* Et tunc ſenſus eſſet diviſos eos fuiſſe per tres funiculos, ſeu portiones, quarum duas occiderit, & unam tantum in vita ſervarit. Cauſam autem huius tam ſeveræ animad-

verſionis

verſionis in Moabitas, referunt Hebræi, quod Rex Moab Davidis cognatos, quos apud eum David reliquerat, 1. Reg. 22. interfeciſſet poſt Davidis diſceſſum.

℣. 3. *Et percuſſit David Adar-ezer.* ——— *Et cepit David ex parte eius mille ſeptingentis equitibus, & viginti millibus peditum, &c.* *Quæri* poteſt, quomodo conſentiat hic locus cum illo qui eſt 1. Paralip. 18. ubi dicitur David cepiſſe ex parte Adar-ezer mille quadrigas & ſeptem millia equitum, ac prætereà viginti millia virorum peditum? *Reſpondeo* minorem numerum non repugnare majori, quando minor numerus non exprimitur cum excluſione numeri maioris. Si *quæras*, cur maior numerus ad laudem victoris etiam hoc loco expreſſus non ſit? *fortè* quia illi qui hic narrantur victi, ipſius regis Adar-ezer proprij milites fuerunt; reliqui exteri, ſubſidiarij. Vide etiam aliam ſolutionem in ſimili difficultate 1. Paralip. 19. v. 18.

℣. 13. *Fecit quoque ſibi David nomen, cum reverteretur capta Syria*, id eſt, comparavit ſibi famam. Poteſt etiam intelligi erexit ſibi titulum triumphalem. Neque id tribuendum eſt inani gloriæ, aut ambitioni Davidis: quia ſic erat Regum conſuetudo, ut inſignis alicuius victoriæ memoriam relinquerent. Quæ res etiam faciebat ad animandum populum & viros bellatores, ad fortiter pugnandum.

℣. 14. *Et poſuit in Idumæa cuſtodes, ſtatuitque præſidium; & facta eſt univerſa Idumæa ſerviens David.* Hîc impletum eſt oraculum. Maior ſerviet minori. Gen. 25. Vide eius loci annot.

℣. 17. *Et Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant Sacerdotes.* *Quæritur*, An tempore Davidis duo fuerint ſummi Sacerdotes? Id enim ex hoc loco, & ex 1. Paralipomenon 18. ubi eadem verba repetuntur, quidam opinantur. Sed *dicendum* videtur, unicum fuiſſe ſummum Sacerdotem, functione officij, ſeu poſſeſſione eius dignitatis; ſcilicet Abiathar, qui & putatur dictus Achimelech (de quo mox plenius) qui erat ex poſteris Heli: Sadoc tamen etiam fuiſſe ſummum Sacerdotem, atque adeo primo loco nominari; quia ad ipſum jus Sacerdotij etiam magis, quàm ad Abiathar ſpectabat, utpote Abiathar per Heli ex Ithamar filio minore natu Aaronis, oriundus erat, Sadoc verò ex Eleazaro maiore natu filio eiuſdem Aaronis per Phinees, cuius ſemini quoque promiſſum erat Sacerdotium ſummum uſque in æternum Numer. vigeſimo quinto. Quare ad implendam eam promiſſionem, transferendum rurſus erat ſuo tempore Sacerdotium de ſtirpe Heli (quod & Dominus illi comminatus fuerat, primi Regum capite ſecundo) ad ſtirpem Phinees. Quod quidem David facere cœpit, eatenus, ut quodammodo pares honore, ac dignitate haberentur Abiathar & Sadoc, altero quidem dignitatem exercente, quia eam bona fide à patre & avo acceperat; altero verò, id eſt, Sadoc, potiores partes juris ad eandem dignitatem habente, cum expectatione eiuſdem ſibi per opportunitatem reſtituendæ: quod poſteà tertij Regum capite ſecundo per Salomonem factum eſt. Sanè tempore Davidis Abiathar, & non alius, legitur habuiſſe ephod, & tanquam ſummus Sacerdos conſuluiſſe Dominum primi Regum capite vigeſimo tertio. An autem iſte Abiathar eo loco, & Achimelech hoc loco, unus atque idem homo ſint, obſcurum eſt. Id conſtat poſteà adhuc Abiathar ſummum Sacerdotem nominari; nempe tertij Regum cap. 1. & 2. Ac rurſum illud certum eſt, ante Abiathar (de quo primi Regum capite vigeſimo tertio) patrem eius paulò antè, (nempe capite vigeſimo primo) vocari Achimelech, nempe illum, qui dedit Davidi panes propoſitionis. Ac nihilominus Marci 2. dicit Chriſtus, *quomodo introivit* (David) *in domum Dei ſub Abiathar principe Sacerdotum, & panes propoſitionis manducavit.*

Eſtij Annot. in Script.

A ℣. 18. *Filij autem David Sacerdotes erant.* Eos non dici propriè Sacerdotes etiam hic ipſe locus indicat: Nam immediatè præcedit. *Et Sadoc & Achimelech erant Sacerdotes.* Et deinde ſubjecta quadam adverſativa, & hæc quoque per adverſativam ſubjiciuntur. Adde quod ex ſcriptura certum eſt, poſt promulgatam legem Moyſi, nullos habitos eſſe Sacerdotes, ſcilicet ad offerendum ſacrificia in lege præſcripta, niſi qui eſſent ex poſteris Aaron. Dicuntur itaque filij David hîc Sacerdotes, id eſt, principes & primarij in omnibus totius aulæ regiæ. Hunc ſenſum confirmat, quod 1. Paralip. 18. ubi hæc eadem narrantur ſic legitur: *Sadoc autem filius Achitob, & Abimelec filius Abiathar Sacerdotes: & Suſa ſcriba. Banaias quoque filius Ioiada ſuper legiones Cerethi & Phelethi: porrò filij David,* B *primi ad manum regis.* Ecce quod hic dicitur: *Filij autem David Sacerdotes erant*, ibi in Paralipom. dicitur; *Porro filij David, primi ad manum regis.* Unde etiam hoc loco ubi nos habemus (*Sacerdotes*) ſeptuaginta habent, αὐλάρχαι, id eſt, aulæ principes. Hieronym. quoque in 61. Iſaiæ, ad illud, *Vos autem Sacerdotes Domini, &c.* per Sacerdotes intelligit viros principes.

CAPUT IX.

℣. 3. E*T ait Rex: Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, ut faciam cum eo miſericordiam Dei?* Nota quod dicit Hebræa phraſi (*miſericordiam Dei*) C ſcilicet inſignem & memorabilem miſericordiam. Hebræi enim hac adjectione eximium aliquid ſignificant. Atque ita intelligendum eſt quod ſcriptura ſæpè dicit, cedros Dei, montes Dei, &c.

℣. 8. *Qui* (ſcilicet Miphiboſeth) *adorans dixit: Quis ego ſum ſervus tuus, quoniam reſpexiſti ſuper canem mortuum ſimilem mei?* Proverbium canis apud Judæos eo tempore frequens fuiſſe, patet ex eo quod cap. 3. Abner quoque dixit ad Isboſeth, *Nunquid caput canis ego ſum adverſum Iuda hodie?* Significatur autem res contemptibilis. Sicut enim canis ſemper exiguo in pretio eſt, ita mortuus ab omnibus projicitur & contemnitur, imò horrori eſt. Sic ergo Miphiboſeth ſe comparat hîc cani mortuo; ſicut & ibi Abner capiti canis, ſcilicet reſecto.

D

CAPUT X.

℣. 4. T*Vlit itaque Hanon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit veſtes eorum medias uſque ad nates.* Quod poſteriori loco narratur, fœda inprimis eo tempore erat ignominia. Nam viri non utebantur tunc fœmoralibus, ut hodie. Quo pertinet illud præceptum Exodi cap. 20. *Non aſcendas per gradus ad altare meum ne reveletur turpitudo tua.* Occaſione verò quod propter dimidiam partem barbæ raſam juſſi ſunt in Iericho manere, donec barbæ iterum creſcerent, *quæritur*, cur non potius eadem opera mox integram barbam abraſerint? Ad quod *reſpondetur*, quòd æquè ignominioſum E fuiſſet eo tempore integra barba raſa comparere in publico, atque cum dimidio barbæ. Nam diverſarum regionum & temporum diverſæ ſunt in his conſuetudines, & id indecorum reputatur quod eſt contra morem receptum.

Objiciunt quidam hunc locũ contra Sacerdotes radentes barbam; ſed ineptè. Nam diverſarum regionum & temporum, diverſæ, ut diximus, ſunt conſuetudines. Sic etiam multi Romanorum Imperatorum, ut ex eorum numiſmatibus conſtat, barbas poſuerunt, imò omnimo raſerunt: & tempore abavorum noſtrorum, etiam in Belgio principes viri hanc conſuetudinem radendi barbam ſervabant: ut patet ex imaginibus multorum.

Unde autem originem habeat, quod Sacerdotes peculiariter adhuc barbam raſerint, cum laïci eam nutrirent, non ſatis conſtat. Nam imagines SS. Petri & Pauli, & aliorum Apoſtolorum, eos barbatos exhibent, & etiam hodie Italia & Hiſpania barbatos habet Epiſcopos & Sacerdotes. Producere quidam conantur Canonem Concilij Carthaginenſis, ſed potius ille habet contrarium; ſic enim ibi ſecundum veram lectionem ex antiquis codicibus, ut volunt, reſtitutam legitur: Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat. Nec tamen propterea prohibitum nunc cenſeri debet, Sacerdotes, vel Religioſos barbam radere. Nam canon ille ſolum obligabat eo tempore, quando comam nutrire, & barbam radere, erat hominum mollium & effœminatorum, qui per hoc volebant fœminis placere, tamquam illis ſimiles. Quod autem Sacerdotes Belgij, Germaniæ, Angliæ, & magna pars Galliæ uſque ad noſtra tempora barbas raſerint, in cauſa eſſe videtur, quòd morem multis annis iis in regionibus etiam à laïcis ſervatum, ipſi facile mutare noluerunt, tum ne barba quidquam incommodi in tremendo altaris ſacrificio peragendo adferret. Videatur Concil. Cartag. 4. can. 44. Et Bellarminus de Monachis cap. 40. & Baronius tomo 5. anno Chriſti 398. Additio hæc eſt B.P. Cenſ.

℣.6. *Videntes autem filij Ammon quod injuriam feciſſent David.* Quomodo David ſeipſum & injuriam ſibi illatam tam graviter ultus fuerit, ſicut poſtea ſcribitur hoc capite, cum ipſe dicat Pſal. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, &c.* Et Dominus præcipiat per Moyſen Deut. 32. *Mihi vindictam, & ego retribuam?* Reſpondeo, David negat ſe perſecutum fuiſſe privatas injurias, velut quando à Saüle perſecutionem ſuſtinuit. Cæterùm injurias publicas, quæ in Regnum vel in Regem ut publicam perſonam committebantur, qualis fuit iſta, ulciſci debuit. Violaverant enim Ammonitæ jus gentium, in legatis Regni Judaïci, miſſis à Davide. Adde quod David non legatur intuliſſe bellum, niſi prius bello laceſſitus. Ammonitæ enim ſibi malè conſcij priùs collegerunt exercitum contra Davidem, quàm à Davide impeterentur, ut docent ſequentia. Illud verò: *Mihi vindictam*; Deus implet non tantùm immediatè per ſe, vel per Angelos ſuos, ſed etiam per homines ſuæ juſtitiæ miniſtros, qualis erat David, quales omnes principes terræ.

CAPUT XI.

℣.2. *Accidit ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ, viditque mulierem ſe lavantem, &c.* Non temere eſt, quòd ſcriptura nobis tam exactè & accuratè, etiam adjectis minutis quibuſdam circumſtantiis, ante oculos ponat geminum peccatum Davidis, adulterium & homicidium, vel homicidia potiùs. Et primò notanda ſcripturæ conſuetudo, quæ Sanctorum geſta commemorans, non ea ſolùm ponit ex quibus laudari poſſent, ſed nec ea ſilentio præterit quæ ad illorum vituperationem pertinent. Quæ in re, præter ſimplicitatem ac ſinceritatem hiſtoricam, etiam aliud nos docet, de quo ita Gregorius. Ad hoc, inquit, in Scriptura David & Petri peccata ſunt indicata, ut ruina majorum ſit cautela minorum; ut nemo ſuæ juſtitiæ confidat, videns illos de tam alto juſtitiæ gradu decidiſſe. Sed viciſſim eorum pœnitentiam nobis inſinuat, ut nemo quantuſcumque peccator veniam deſperet. Ita ille. Dixit Davidem non homicidium, ſed homicidia commiſiſſe, quia qua ratione injuſtè Urias juſſu Davidis expoſitus fuit telis filiorum Ammon, eadem & alij qui cum eo in eodem periculo poſiti fuerunt, injuſtè juſſu Davidis perierunt; de quibus dicitur: *Et ceciderunt de populo ſervorum David, & mortuus eſt etiam Urias Hethæus.* Sicut Urias injuſtè morti expoſitus, ita & alii qui cum illo erant.

℣.4. *Dormivit cum eâ, ſtatimque ſanctificata eſt ab immunditia ſua, & reverſa eſt in domum ſuam concepto fœtu.* Variè hæc ſanctificatio exponitur. Hebræa ſic ſonant: *Ipſa autem ſanctificaverat ſe ab immunditia ſua.* Et ſic videretur hoc intelligi de ſanctificatione ſeu mundatione (idem enim hæc ſunt ſæpè apud Hebræos) qua ſe corporaliter exactiſſimè mundaſſet, antequam ad Regem accederet. Sed hunc ſenſum verſio noſtra difficulter admittit. Itaque alij intelligunt de ſanctificatione ſeu mundatione legali, quæ deſcribitur Levitic. capite decimo quinto verſu decimo octavo. Quin etiam in bibliis Sixtinis hic ipſe locus in margine adſcribitur.

℣.13. *Et inebriavit eum.* Ecce & aliud grave peccatum Davidis. Quantum enim in ſe fuit, Uriam inebriare conatus eſt uſque ad rationis deliquium; ut faceret eum dormire cum uxore, quo lateret adulterium. Notanda eſt etiam ſobrietas Uriæ, qui non eſt paſſus ſe ingurgitari nec ad uxorem acceſſit; honeſtis illis de cauſis, quas allegat, etiamſi ex vino factus eſſet hilarior.

℣.27. *Tranſacto autem luctu miſit David, & introduxit eam in domum ſuam, & facta eſt ei uxor.* Pertinet hoc factum ad magnam exaggerationem peccati Davidis. Significatur enim, Davidi non fuiſſe ſatis quod alienam uxorem adulteraverat, ſed eum inſuper cupiviſſe illam habere uxorem, quòd ut facere poſſet, virum eius curaſſet interfici. Unde duæ cauſæ nobis inſinuantur homicidij à Davide perpetrati, una hoc capite, ut viro mortuo celaretur adulterium, id eſt, ut mulier putaretur concepiſſe ex ſuo viro, qui utique mortuus contradicere non poterat. Altera, ut eo mortuo ſibi eam acciperet in uxorem, quòd indicatur in verbis Nathan cap. ſeq. Fuit ergo matrimonium hoc illicitum, non tamen irritum, ut nunc eſt per canones Eccleſiæ. Sed quare de eiuſmodi matrimonio prohibito nihil legitur in lege veteri? Non opus erat prohiberi, quia adulter lapidandus erat. Deuteronom. 22.

CAPUT XII.

℣.1. *Miſit ergo Dominus Nathan ad David.* Divus Auguſtinus duobus locis, nempe lib. 2. de conſenſu Evangel. cap. 4. & ſerm. 63. de diverſis, dicere viſus fuerat, hunc Nathan Prophetam, eſſe filium Davidis, itidem Nathan vocatum, ut patet ſuprà c. 5. & Luc. 3. Sed exponit ſeipſum Auguſtinus retractans lib. 83. quæſtionum quæſt. 61. Cùm enim de conſenſu Evangeliſtarum dixiſſet: Lucas verò ad ipſum David per Nathan aſcendit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiavit. Et ſimiliter fere ſerm. 63. de diverſis, exponit hoc poſtremo loco nempe quæſt. illa 61. hoc modo: *per quem*, id eſt, per cuius nominis Prophetam, Deus peccatum illius expiavit.

℣.11. *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua.* Malum pœnæ intelligit: loquitur enim de puniendo peccato Davidis. *Et tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis ſolis huius.* Dabo ut habeat, non ut juſtè habeat. Hoc enim de Abſalon dicitur, qui per inceſtum, & execrabile flagitium conſtupravit uxores patris ſui. Nec tamen facere id potuiſſet, niſi Deo dante poteſtatem facti, quomodo ad Pilatum ait Dominus: *Non haberes in me poteſtatem ullam, niſi data tibi eſſet deſuper. Tu enim feciſti abſconditè*, & ſtudiosè conatus es celare peccatum tuum: *Ego autem faciam verbum iſtud*, id eſt, rem iſtam quam dico, *in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis*, ut narratur factum infrà capite 16. Illud *faciam* refertur ad totam commina-

tionem

tionem præcedentem : *Ecce ego ſuſcitabo, &c.* Comprehenſo etiam eo quod dixit : *Et dormiet cum uxoribus tuis.* Totum hoc (inquam) Deus facturus erat ; & fecit , quatenus erat pœna Davidis , non quatenus peccatum filij eius.

ỿ.13. *Peccavi Domino. Dixitque Nathan ad David : Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum, non morieris ; Verumtamen , &c.* Ex his verbis indubitatè ſtatuitur dogma illud Catholicum; quòd remiſſo peccato, nihilominus communiter reſtet luenda pœna temporalis ; qualis hîc multiplex Davidi indicitur. Verum de quâ morte illud intelligatur *(non morieris)* an de temporali, an de æterna , non æquè liquet. Lyranus intelligit de morte temporali, quaſi dixerit Nathan : Tu, ô David, rectè judicaveras, dicens ; *Filius mortis eſt ille, &c.* ſed Dominus pro ſua benignitate ignoſcit tibi adulteriū & homicidium ; ob quod merebaris corporaliter occidi , nequaquam ita occideris. Sed D. Auguſtinus de morte æterna intelligit ; & pulchrè explicat l. 22. contra Fauſtum cap. 67. quomodo remiſſa pœna æterna , maneat luenda temporalis. Ita quoque hunc locum accipit & interpretatur Ambroſ. in Apologia David; ita tamen ut hîc ſit ſenſus : *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuū,* id eſt, Dominus jam certò conſtituit tibi remittere peccatum tuum, per ſacrificia ad hoc inſtituta, ita ut non moriaris æterna morte. Non rarum enim eſt apud Hebræos præteritum poni pro futuro : maximè apud Prophetas, qui futura tanquam præſentia aut præterita intuentur. Sunt tamen qui etiam intelligunt pœnitentiam Davidis & contritionem tantam fuiſſe, ut fuerit charitate perfecta, & ſic cum reconciliatione conjuncta ; ita tamen ut inde non ſequatur, (quod volunt hæretici) contritione, abſque ordine ad Sacramentum confeſſionis, remitti peccata. Vide noſtra in 4.

ỿ.31. *Populum quoque eius adducens ſerravit , & circumegit ſuper eos carpenta, diviſitque cultris , & traduxit in typo laterum.* Poſteriora verba Latini ſic ferè interpretantur. Diviſit eos cultris, & diſſecuit in ſimilitudinem laterum, id eſt, ſicut lateres , quando adhuc molles ſunt & lutei, priuſquam coquantur, dividi cultris ſolent in quadram figuram , ita & de his captivis factum ſit Hebræi hoc modo exponunt : Poſuit eos ſub ferreas ſecures , conjecitque eos in fornacem calcariam vel tegulariam, id eſt, in fornacem in qua tegulæ & lateres coqui ſolent. Sed mirum quomodo ita ſævitum ſit paſſim in omnes. Sic enim habet ſcriptura, *Populum quoque eius adducens ſerravit* : Et rurſum, *Sic fecit univerſis civitatibus filiorum Ammon:* quandoquidem Gedeon Judicum 8. contentus fuerit ſolos ſeniores urbis Socoth hoc modo punire. Sed dicendum eſt, vel hæc facta eſſe inſcio David à Ioab victore, cui David reſiſtere difficile poterat ; vel Ammonitas hoc meruiſſe , quia velut omnes publicè applauſiſſent violationi juris gentium, qua Rex eorum Hanon, ut eſt ſuprà cap. 10. legatos David violaverat.

CAPUT XIII.

ỿ.3. **E**Rat *Amnon amicus , nomine Ionadab , filius Semmaa , fratris David , vir prudens valdè.* Prudens vocatur, non ea prudentia , quæ hominem laudabilem facit , & inter quatuor principales virtutes numeratur : Et enim eſt virtus, quâ quis media opportuna & convenientia dirigit in bonum finem. Sed prudens dicitur ea prudentia , quæ non eſt niſi naturalis quædam ſagacitas, id eſt, facilitas promptè inveniendi apta & idonea media , ad finem qualemcumque. Qualis prudentia etiam ſerpenti tribuitur qui decepit primos parentes. Falluntur autem quidam Hebraizantes, qui dicunt hunc Ionadab fuiſſe Prophetam Nathan , ipſumque fuiſſe binomium. Quia , inquiunt , cum rumor ad Davidem perveniſſet , omnes filios Regis eſſe

Eſtij Annot. in Script.

A occiſos, iſte Ionadab, quaſi ſpiritu prophetico prædixit regi ſolùm Amnon eſſe mortuum. Falluntur, inquam; Nam iſte Ionadab dedit Amnon peſſimum conſilium , ut inceſtum committeret cum ſorore ſua ; quòd & ipſa natura horrebat, & lex imprimis prohibebat. Non ergo is fuit Propheta Dei , qualis ſemper Nathan inducitur. Quod autem Ionadab ait ad regem ; Amnon ſolùm mortuum eſſe ; non prophetico ſpiritu dixit , ſed ex humana & veriſimili conjectura ; quia ſciebat Abſalonem diu in illum occulto odio flagraſſe , propter fœdum ſtuprum ſororis ſuæ Thamar.

ỿ.13. *Loquere ad regem , & non negabit me tibi:* *Quæritur* quomodo Thamar dicat ; *Non negabit me tibi*, cùm id expreſsè ſit contra legem Levitici 20. ubi prohibetur conjugium fratris cum ſorore ? ſive ex pa- B tre etiam tantùm , vel ex matre tantùm : Thamar autem erat ſoror Amnon ex patre ? *Reſpondent* Hebræi, Thamar non fuiſſe naturalem filiam David, ſed adoptivam ex matre , quam David acceperat in prælio gravidam. Sed iſtud videtur eſſe Hebræorum commentum. Scriptura enim omninò ita ſonat , ut fuerit ſoror Abſalon ex utroque parente. Nam & hîc vocatur ſoror Amnon à Ionadab , & ipſa reſpondit ad Amnon; *Noli frater mi.* Et Abſalon ad eam : *Nunquid Amnon frater tuus, &c.* Idemque ſignificatur 1. Paral. 3. cum dicitur, quòd filij David habuerint ſororem Thamar. Itaque rectius reſpondendum , quòd hæc verba protulerit Thamar ad Amnon : *Loquere ad regem , & non negabit me tibi :* vel quia neſciret prohibitionem legis ; vel C ut hoc prætextu ſaltem effugeret præſentem vim, quam patiebatur à fratre.

CAPUT XIV.

ỿ.2. **M**Iſit *Thecuam , & tulit inde mulierem ſapientem.* Sapientem, id eſt, quæ prudenter & gratiosè ſciret verba ſua diſponere , & loqui cum Rege ; ſicut fecerat Abigail uxor Nabal Carmeli. Sed quare Thecuam Ioab miſit ? An non in Ieruſalem erat mulier aliqua ſapiens ? Fortè illa Thecuitis præ aliis ſingularem habebat gratiam. Vel potiùs idcirco externam Ioab adhibuit , quia narrare debebat aliquid obſcurum & incognitum regi. Si autem fuiſſet Ieroſolymitana , quæ tale quid narraſſet, potuiſſet ſtatim refelli D à Rege dicente ; Ego Ieroſolymis habito , & tamen nihil tale, quale tu narras, ad aures meas pervenit. Cæterùm in ſermone huius mulieris non eſt mendacium , ſed locutio parabolica , ſicut & in parabola Nathan ſuprà cap. 12. Mulier autem iſta parabolicè loquens ad regem ait inter cætera.

ỿ.11. *Recordetur Rex Domini Dei ſui , ut non multiplicentur proximi ſanguinis ad ulciſcendum, & nequaquam interficiant filium meum.* Senſus eſt : multi ſunt qui quærunt ultionem de filio meo , & ſi interdixeris uni ne filium meum occidat , mox emerget alius qui volet vindicare ? Proinde ut ne multiplicentur proximi ſanguinis ad ulciſcendum, recordetur Rex Domini Dei ſui , id eſt , juret Rex per nomen Domini Dei ſui, firmet verbum ſuum juramento , ut au- E dita publicatione huius juramenti , nemo audeat manum injicere filio meo. Unde Rex acquieſcens petitioni mulieris, ait : *Vivit Dominus , quia non cadet de capillis filij tui ſuper terram.* *Quæritur* quomodo hæc ſententia David non fuerit injuſta, ſive intelligatur de filio mulieris parabolico , ſive de Abſalone : cùm lex præcipiat eum per manus propinquorum occiſi interficiendum , qui quempiam volens occiderit ? *Reſpondeo* , filium mulieris prout ſonat parabola , non fuiſſe convictum de homicidio, neque per confeſſionem propriam , neque per facti evidentiam , neque per teſtes : cum parabola habeat , quòd ſoli eſſent in agro, nemine præſente , qui eos prohibere poſſet.

De Abſalone autem dicunt, quòd quando occiſus eſt
Amnon, non niſi conſanguinei & domeſtici eſſent
præſentes; tales autem non ſunt idonei ad teſtimo-
nium ferendum. Sed hæc *reſponſia* non ſufficit. Nam
in parabola mulier latetur cædem à filio factam. Quod
ad Abſalonem attinet, factum erat evidens, & ipſe per
fugam ſuam ſatis agnoſcebat cædem à ſe perpetratam.
Videtur ergo aliter ad hanc difficultatem *reſponden-
dum*. Nempe, quando propinqui viciniores occiſi con-
ſentiebant, ut homicida à Judice in gratiam recipere-
tur; tunc judex primarius, qualis erat Rex in populo
Jſraëlitico; tanquam totius Reip. ſaluti per buiuſmodi
commiſerationem nonnunquam conſulens; habebat
poteſtatem recipiendi homicidam in gratiam, & pro-
hibendi, ne quis aliorum ei vim inferret. In propoſito
autem, proxima filio, erat mater; & proximus Amnon
occiſi, erat pater David:

CAPUT XV.

ŷ.6. ET *ſollicitabat corda virorum Iſraël*. Signifi-
cantius hoc in Hebræo dicitur: *Et furatus
eſt Abſalon cor virorum Iſraël*. q. d. huiuſmodi dolis &
artibus inibat gratiam apud Jſraëlitas, & animos eo-
rum ſibi conciliabat. Quibus verò artibus id efficere
conatus fuerit, præcedentia declarant; ubi legitur be-
nignè ac blandè ſuſcepiſſe omnes, quibus erat nego-
tium in aula regis; deinde ſimulaſſe, quòd doleret cau-
ſas eorum alioqui juſtas & bonas, negligenter tractari,
quaſi non eſſet quiſquam à rege conſtitutus ad eas cog-
noſcendas. (Quod apparet omnino fuiſſe mendacium,
nam & ipſe rex ſuperiori capite, per ſe audivit quere-
lam mulieris Thecuitæ:) At tum denique Abſalon,
ſpecie boni publici, mentionem regni injicit, dicens:
*Quis me conſtituat Iudicem ſuper terram, ut ad me
veniant omnes qui habent negotium, & juſtè judicem?*
Addit Scriptura. *Sed & cùm accederet ad eum homo,
ut ſalutaret, extendebat manum ſuam, & appreben-
dens oſculabatur eum*. His & hujuſmodi artibus viam
ſibi parabat ad Regnum. En pulchrè nobis in Abſa-
lone depingitur ingenium hominis aſpirantis ad prin-
cipatum, aut magnas dignitates. Hoc enim primum
eſt, ut furetur corda plebis ſimulata humanitate; &
hoc, tum promiſſa libertate, tum etiam culpando
negligentiam, vel etiam iniquitatem & tyrannidem
legitimi principis. Exemplum in Belgio noſtro nimis
notum eſt.

ŷ.7. *Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalon ad
David, &c.* Quædam exemplaria habent (*annos qua-
tuor.*) Sed *quadraginta* habent tam Hebræa, quàm
Septuaginta. *Quæſtio* eſt, unde hi quadraginta anni
computari debeant? Nam à cæde Amnon ad ſummum
fluxerant ſeptem aut octo anni. Liber Hebr. traditio-
num computat à tempore quo Abimelech cum reliquis
Sacerdotibus interfectus eſt à Saule; propterea, in-
quiunt, quia hæc perſecutio mota eſt contra Davidem
in ultionem peccati, quo David tunc Sacerdotes feſel-
lerat. Sed id improbabile eſt. Certum enim eſt, ex
prædictione Nathan c. 12. hæc ei eveniſſe, propter adul-
terium & homicidium recentes commiſſum. Alij refe-
runt ad tempus primæ unctionis David. Alij ad tem-
pus, quo populus à Samuele petiverat regem. A quo
tempore jam agebatur annus trigeſimus ſeptimus Davi-
dis poſt primam unctionem. Erat enim id tribus annis
ante primam Davidis inunctionem. Et hæc ſententia
maximè videtur probanda. *Objicitur* à quibuſdam,
quòd ſolus Saül, ſecundùm id quod eſt Act. 13. videa-
tur regnaſſe annis quadraginta? Sed ad hoc *reſpondetur*,
in illis annis quadraginta comprehendi ſimul annos Sa-
muelis & Saülis, ut paſſim Chronologi tradunt.

ŷ.14. *Surgite fugiamus*. Cur non manſit in civitate
regia utpote ſatis munita? *Reſpondeo*, quia cor populi
A conversum erat ad Abſalon. Itaque fuga opus erat, ut
interim ſibi ac rebus ſuis maturè conſuleret. Ait enim:
Neque enim erit nobis effugium à facie Abſalon; ſcilicet
niſi fugerimus in tempore, aut ſi manſerimus in Jeru-
ſalem, poſtea non erit effugium, concludet nos obſi-
dione. Nam conſilium Achitophel erat, David ſtatim
perſequendum eſſe, infrà cap. 17.

ŷ.17. *Et dereliquit rex decem mulieres concubinas ad
cuſtodiendam domum*. Noluit eas ſecum adducere ne
eſſent impedimento viris fortibus, ac fugam retarda-
rent, & ne David videretur eas nimiùm amare. Quod
autem poſtea à filio eius ſunt conſtupratæ ex conſilio
Achitophel, res erat prorſus inexpectata, quæ ab ho-
mine prudente prævideri non potuit aut debuit.

B ŷ.25. *Reporta arcam Dei in urbem*. Indignum ſe
reputat propter quem arca loco moveatur & defera-
tur in caſtra, ſicut aliàs pro tutela exercitus populi Dei
ſolitum erat fieri. Meruebat enim ne propter ſua pec-
cata arca veniret in periculum; ſicut aliàs contigerat
pugnantibus contra Philiſthæos. Deinde conſiderabat
bellum hoc non eſſe pro populo contra hoſtes, ſed pro
Davide contra filium pro regno, ſive autem David
obtineret, ſive Abſalon, populus & religio ſalva ma-
neret: ſolet autem arca adduci in caſtra contra hoſtes
pro ſalute populi.

CAPUT XVI.

ŷ.10. D*Imittite eum, ut maledicat: Dominus enim
præcepit ei, ut malediceret David*. Et ite-
C rum: *Dimittite ne maledicat juxta præceptum Domini*.
Quæſtio eſt, quomodo hoc David verè dicere potue-
rit, cùm Deus non poſſit eſſe author peccati? Odio
enim ſunt ipſi impius & impietas eius, ut dicitur Sap.
14. Primò, *reſpondeo*, quòd hæc præceptio Dei non
eſt intelligenda in ſola & nuda permiſſione Dei; Tum,
quia non rectè colligeret inde David, ut Semei dimit-
teretur ei maledicere; quia qui permittitur à Deo pec-
care, non ſtatim dimittendus propterea eſt, ſeu per-
mittendus ab hominibus, peccatum tale committere.
Tum etiam quia inde ſequeretur abſurdum, quod
omnis qui peccat, (quia Deo permittente peccat)
etiam Deo præcipiente peccaret; & per conſequen-
tiam Davidis, impunè permittendus eſſet peccare. Præ-
D tereà, conſtat præceptionem iſtam propriè accipi non
poſſe, ut obedientia eius commendetur. Non enim dici
poteſt, quod Semei ullum præceptum à Deo ad hoc
acceperat, ut Davidi malediceret. Et alioqui etiam
David malè hanc maledictionem juſſiſſet poſteà puni-
re per filium Salomonem. *Dicendum ergo*, præceptum
hoc, non aliud eſſe, quàm Dei ordinationem; qua ad
certum finem (ut videlicet patientia Davidis exercere-
tur) voluntate Semei mala jam & ad maledicendum
parata, obtulit opportunitatem loci, & miſeriæ, ac
fugæ regis, & aliarum circumſtantiarum; quibus fa-
ctum eſt, ut mala voluntas jam ſe exereret in actum,
& opus ipſum liberè Davidem maledicendi. Nam ſine
his circumſtantiis à Deo oblatis, & procuratis, nun-
quam Semei auſus fuiſſet regi in faciem maledicere.
E Senſus ergo eſt, *Deus enim præcepit ei*, id eſt, Deus
ſic ordinavit. Et hic modus loquendi uſitatus eſt in
Scriptura ſacra: Unde illa, Pſalm. 148. *Ipſe mandavit
& creata ſunt*. Item, *Præceptum poſuit, & non præteri-
bit*. Et rurſum Matth. 8. *Imperavit ventis & mari*. Da-
vid autem agnoſcens hanc ſingularem Dei ordinatio-
nem, noluit quidem eo tempore eum impedire à ma-
ledicendo; tanquam ex voluntate Dei oblatam accep-
tans materiam patientiæ.

ŷ.23. *Conſilium autem Achitophel, quod dabat in
diebus illis, quaſi ſi quis conſuleret Deum, ſic erat omne
conſilium Achitophel*. Hæc ſimilitudo non per omnia
quadrat. Nam Deus nullo modo conſilio ſuo ſuggerit
media

media ad finem malum, ſicut fecit Achitophel. Sed ſenſus eſt, Conſilium Achitophel reſpectu finis ſui propoſiti omnino tale habebatur, & quodammodo erat, quale conſilium vel oraculum Dei ad finem ſuum; id eſt, valdè accommodum, & exactum ad conſequendum finem. Laudatur ergo in Achitophel ſolertia in inveniendis mediis accommodatis; non probitas, aut virtus veri nominis. Nam iſta requirit, & diſponit ſua media ad bonum finem. Et laudatur Achitophel, non aliter, quàm Dominus in Evangelio Luc. 16. laudat villicum iniquitatis, eò quòd prudenter feciſſet. Et ſe explicans Dominus ſubdit: *quia filij huius ſeculi prudentiores ſunt in generationibus ſuis, filiis lucis.* Non abſolutè, ſcilicet, prudentiores, aut etiam prudentes; ſed *in generationibus ſuis*; id eſt, in iis quæ ipſi animo deſtinant; ſeu in ſuis negotiis.

CAPUT XVII.

℣.3. E*T reducam univerſum populum, quomodo unus homo reverti ſolet: unum enim virum tu quæris, & omnis populus erit in pace.* Illud (*quomodo unus homo reverti ſolet*) in Hebr. ad verbum ſic ſonat (*ſecundum redire omnem.*) Unde pridem varia fuit huius loci lectio, & expoſitio; in quam ne iterum aliquando incidamus, lubet annotare præcipua Franciſci Lucę in hunc locum. Plurimi, inquit, legunt (*quomodo amnis reverti ſolet.*) Quia vero obſcurior eſt lectio; ab aliis atque aliis, aliter atque aliter mutata eſt. Nonnulli (*omnis*) commutarunt in (*amnis*) id eſt, in fluvium, *Quomodo amnis reverti ſolet*, ut ſenſus ſit; Sicut reverti ſolet amnis; poſito ſcilicet, quod alvei altitudinem excedat, obſtaculo. Quidam (*omnis*) in (*unus*) tranſmutarunt. *Quomodo unus reverti ſolet.* Sic enim Beſſarionis exemplar, quod in Collegio Theologorum maiori Lovanij adſervatur, habet. Huic ſcripturæ alij, id quod ſubaudiendum videbatur, addiderunt: *Quomodo unus homo reverti ſolet.* Quod quia perſpicuo eſt ſenſu, codices pleroſq; invaſit. Neque ab Hebraicæ ſcripturæ ſenſu alienum eſt. Nam quod ad verbum ex Hebræo rectè vertitur (*ſecundum redire omnem*) intelligi etiam poteſt, *ſicut unus quilibet revertitur.* Hæc inter alia Franciſcus Lucas.

CAPUT XVIII.

℣.3. V*Nus pro decem millibus computaris.* Hoc vel intelligi poteſt æſtimatione eorũ qui erant cum David, ut ſenſus ſit. Tanti tu nobis es quam decem millia hominum: vel eorum qui erant cum Abſalon, ut hic ſit ſenſus. Tanti illis eſt te unum comprehendere, & è medio tollere, quam ſi decem millia ex nobis cæderent. Et hunc eſſe ſenſum iſtius loci, oſtendunt verba præcedentia populi dicentis ad regem: *Non exibis ad prælium, ſive enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit, ſive media pars ceciderit è nobis, non ſatis*, id eſt, non admodum *curabunt*, *quia tu unus pro decem, &c.* Poteſt autem quæri utrum tolerabilius ſit in prælio cædere decem millia hominum, an regem ſolum? Ad quod reſpondetur, eam rem æſtimandam eſſe ex utilitate regni. Nam ſi regnum & reſpublica plus accipiat incommodi ex morte unius regis, quam decem millium hominum, id eſt, militum (quorum vita non ita ſolet eſſe reipublicæ neceſſaria, & quorum interitus plerumque non tantam reipublicæ calamitatem, & periculoſam mutationem adfert, quam improviſus regis in bello interitus:) tum erit tolerabilius decem millia hominum, quam unum regem perire. At ſi ex morte regis non adeo magnum incommodum imminet reipublicæ, ut, ſi non ſit rex optimus; & paratus ſit ſucceſſor bene recturus, neque ex mutatione periculum apparet, ſatius erit regem perire, quam tantam hominum in prælio ſtragem fieri.

A ℣.5. *Servate mihi puerum Abſalon. Quæritur*, quare David tam ſollicitè mandarit de filio rebelli ſervando? Hinc & poſteà, cum nunciaretur victoria; hoc ante omnia quærit, ſitne pax puero Abſalon; id eſt, ſitne Abſalon ſuperſtes? item audita eius morte, tam amarè eum deplorat, ut vix conſolationem admittat. *Quæritur*, inquam, cur ita deploraret mortem filij peſſimi, & morte digniſſimi: ſcilicet fratricidæ, primum; deinde patricidæ; quin & qui patris uxores tam flagitioſè coram univerſo populo conſtupraverat, è contra verò, mortuo filio, quem ex Bethſabee genuerat, ſtatim acceperit conſolationem? *Reſpondet* D. Auguſt. lib. 2. contra epiſt. Gaudentij cap. 14. Plus, inquit, impius Abſalon patrem extinctus, quam rebellis afflixit. Vivum namque eum comprehendi cupie-
B bat, ut qui malitia graſſabatur, pœnitentia ſanaretur. Erat ergo ille perſecutor patris, non ſolum contra Dei legem, & contra legitimum patris regnum, arma movendo, ſed multò amplius perſecutus eſt cor paternum in illa impietate moriendo. Denique illum pater optimus peſſimum filium, quem non deſperando non defleverat vivum, ſpe finita flevit occiſum. Hæc Auguſt. Summa reſponſionis eſt: Voluit David vivum Abſalon ſervari, ut pœnitentia ſanaretur. Quod quia ei conceſſum non eſt, meritò eum ex paterna commiſeratione deflet.

℣.9. *Adhæſit caput eius quercui.* Quæritur quomodo caput eius adhæſerit quercui? *Reſpondeo*, ex capillis eius, qui multi erant, ut ſuprà dictum eſt, arboris
C ramo implicatis. Et fortè capilli eius erant digeſti in cincinnos, quibus faciliùs inſeri & implicari ramus arboris potuerit, & ipſum Abſalon pendentem retinere. Sic Habacuc propheta per crinem capitis ab Angelo deportatus eſt in Babylonem. Caietanus putat non capillos implexos fuiſſe ramis, quia capillorum non fit mentio, ſed caput eius intraſſe in denſitatem ramorum & ibi fuiſſe retentum, atque ita Abſalonem non ex capillis, ſed ex capite pependiſſe, ut ſic caput immiſſum fuerit ſub mento in ramum biſurcatum, quod non eſt improbabile.

℣.14. *Tulit ergo tres lanceas, &c.* Cur David qui per Salomonem vindicari voluit cędes duorum ducum belli, Amaſæ & Abner injuſtas, non etiam huius cædis ultionem, eidem filio poſt ſe regnaturo commendavit? Nam illicitam fuiſſe hanc interfectionem apparet, quia
D facta eſt contra voluntatem & juſſionem regis, qui diſertè edixerat toti exercitui ut ſervarent puerũ Abſalon. Neque id ignorare potuit Ioab, quia non ſolum eo audiente fuerat à rege id præceptum, ſed ſcriptura teſtatur regem ipſi Ioab præcepiſſe, ſimul & Abiſaï & Ethaï principibus. Quin ad eum maximè pertinebat interdictum, quia primarius erat dux belli. *Reſpondetur* rationem eſſe multiplicem. Primò, quia Abſalon in bello interſectus eſt, licèt fugiens: alij in pace. Unde dicit David quod Ioab effuderit ſanguinem belli in pace. Secundò, quia Abſalon adhuc hoſtis erat, necdum reconciliatus, alij jam fuerant reconciliati. Tertiò, quia Abſalon occiſus zelo juſtitiæ publicæ, nam alioqui amicus erat Ioab Abſalono, ut ex ſuperioribus ſa-
E tis apparet: alij interfecti ex privata cupiditate vindictæ. Quartò, quia Abſalon aperto Marte occiſus eſt, ſicut occidi ſolent hoſtes è prælio fugientes: alij proditoriè & per inſidias ſub ſpecie amicitiæ. Quintò, quia Abſalon ſuperſtes potuiſſet adhuc aliàs moliri rebellionem & regnum affectare. Neque ſanè eo ſuperſtite ſatis fuiſſet conſultum ſecuritati regni Davidis. Erat enim, ut ſupra deſcribitur, ingenio valde ambitioſo, & ad commovendos populi animos appoſito. At nihil tale de aliis duobus metuendum erat. Rectè igitur factum Ioab ut multis modis excuſabile, David putavit diſſimulandum eſſe, ne vindicando per ſe vel Salomonem verificare videretur, quod de eo Ioab dixerat

Diligis odientes te, & odio habes diligentes te. Quin etiam ob quintam rationem jam dictam, reſponderi queat, prohibitionem Davidis, utpote vergentem in reipublicæ periculum, non obligaſſe Ioab, licèt bona & ſancta intentione facta à Davide fuerit. Ac ſanè leges principum quæ non diriguntur ad bonum publicum, non ſunt leges, proinde nec obligant. David autem cum duplicem gereret perſonam, regis & patris, alteram alteri miſcuit cogente affectu paterno, quando præceptum tale dedit. An autem Ioab in hac interſectione Abſalon reſpectum habuerit etiam ad injuriam privatam ſegetis incenſæ, ſibi illatam ab Abſalon, quam eadem opera voluerit ulciſci, dubitari poteſt. Si ſic, ergo ſine dubio peccavit ſeipſum ulciſcendo. Porrò quintam rationem ſuperius allatam adjuvat, quòd Abſalon fratris ſui interfector ſemel receptus in gratiam, eo relapſus eſt, ut per ambitionem etiam regnum patris invadere voluerit, ipſumque patrem è medio tollere: Quæ ergo Davidi aut regno ſecuritas eo ſuperſtite?

℣.18. *Porrò Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viveret, titulum, &c.* Per *titulum* intelligunt monumentum aliquod inſigne, quo eius memoria perpetua apud poſteros remaneret: cuiuſmodi eſt arcus triumphalis, vel pyramis, vel ſtatua, vel ædificium aliquod illuſtre. Obiter autem illud hoc loco inſeritur, ut manifeſto argumento iſto quoque oſtenderetur Abſalonem fuiſſe ſuperbum & ambitioſum. Simul etiam ironiæ ſpeciem habet iſta commemoratio tituli quem ſibi erexerat. Quaſi dicat ſcriptura: Ecce, ille qui ſibi adeò magnificè triumphalem titulum erexerat; nunc aliud longè diverſum genus monumenti accepit; nempè quia ſuper corpus mortui comportaverunt milites David ingentem acervum lapidum in perpetuam rebellionis ac parricidij eius deteſtationem.

CAPUT XIX.

℣.22. **E**T ait Rex Semei, *non morieris. Iuravitque ei.* Quid juravit? niſi quod præceſſit, *Non morieris?* Hoc ergo ut apparet, jurejurando firmavit. Sed videri poteſt David hoc juramentum violaſſe, quando moriturus præcepit Salomoni 3. Reg. 2. dicens de Semei; *Tu noli pati eum eſſe innoxium.* Rupertus lib. 4. in Matth. in fine excuſat Davidem, quia videlicet Semei non amore juſtitiæ, ſed timore pœnæ ſupplex ad Davidem venerit. Verùm ea reſponſio non ſatisfacit, quia David abſolutè ſupplicanti dixit; *Non morieris.* Dicendum ergo, quod David juravit eum non moriturum, ſcilicet propter eam cauſam, quod Regi maledixiſſet. Neque præcepit filio ſuo Salomoni ut propter illam culpam Semei puniret, ſed tantum in genere dicit; *Tu noli pati eum eſſe innoxium*; id eſt, impunitum, ſed eo modo quo juſtè puniri poterit. Eum autem modum committit prudentiæ Salomonis: Unde addit ibidem 3. Reg. 2. *Vir autem ſapiens es, ut ſcias, quæ facias ei.* q. d. facilè invenies in eo occaſionem aliquam, cum ſit homo ſeditioſus. Qua occaſione inventa, ſimul in eo punies, ex conſequenti, hoc peccatum cum novo, in quo eum deprehendes. Nempe ſolent Principes ita dimittere peccata præſertim ſeditioſis, ut ſi contingat eos iterum peccare; ſimul puniatur prius peccatum cum poſteriori; atque ita in Semei factum eſt, ut narratur eodem capite ſecundo libri ſequentis.

℣.29. *Ait ergo ei Rex. Quid ultra loqueris? Fixum eſt, quod locutus ſum: tu & Siba dividite poſſeſſiones* quaſi dicat. Sententiam meam, qua Sibæ donavi tuas poſſeſſiones, nolo totam retractare, ſed tantùm ex parte; nempe ut dimidium habeas, & ille alterum dimidium. *Sed hanc ſententiam Davidis tanquam injuſtam*, notant omnes expoſitores. *Nempe* Siba propter mendacium quo accuſaverat Dominum ſuum Miphiboſeth apud Davidem læſæ majeſtatis, ſuſpendium po-

A tiùs merebatur, quàm dimidiam bonorũ partem. *Quin etiam dicunt*, ob hanc tam iniquam ſententiam, poſteà regnum eius fuiſſe diviſum inter Roboam nepotem ſuum, & Ieroboam ſervum. Quod tamen non eſt certũ. Nam cauſam illius diviſionis certiſſimam habemus, lib. 3. c. 11. ubi Dominus ait ad Salomonem poſtquam ad idola defecerat: *Quia habuiſti hoc apud te, &c. diſrumpens ſcindam regnum tuum.* Et tamen etiam ibi additur. *Veruntamen in diebus tuis non faciam propter David patrem tuum. De manu filij tui ſcindam illud, nec totum regnum auferam, ſed tribum unam dabo filio tuo propter David ſervum meum.* Quibus verbis in ſolum Salomonem ita rejicitur meritum illius diviſionis, ut in contrarium allegentur merita Davidis, propter quæ ſaltem pars aliqua regni maneat apud Salomonis poſte- B ritatem. Unde cauſa diviſionis allata non eſt certa niſi fortè dicamus occaſione peccati Salomonis Deum ſimul voluiſſe vindicare injuſtitiam à Davide commiſſam: maximè quia David in hoc ſuo facto parum memor fuit fœderis initi cum Ionatha patre Miphiboſeth; idque non tantùm cum juramento, ſed etiam cum execratione, qua dicebat 1. Reg. 20. *Requirat Dominus de manu inimicorum David, &c.* Id eſt, ſi non ſervaverit pactum faciens miſericordiam cum poſteritate Ionathæ, vindicet Dominus in ipſum David, ut ibidem expoſitum eſt. Poteſt tamen aliquo modo excuſari, quod hic ſtatuit David, tum quia id facit conſentiente Miphiboſeth; tum quia exiſtimare licèt quod pro parte per ſententiam ablatorum à Miphiboſeth C fecerit ei juſtam aliquam compenſationem, vel honorabilius eum tractando, vel collatis in filios & familiam eius beneficiis. *Moraliter diſcimus quàm perniculoſum*, & perniciolum ſit principibus aures accommodare detractoribus, & ex unius relatu ſententiam ferre, altera parte inaudita. Fuit quidem memor huius fœderis cum Ionatha David, cap. 21. quando morti eripuit filios Ionathæ, ſed in hoc loco turpiter ſui oblitus eſt.

CAPUT XX.

℣.3. **E**T *non eſt ingreſſus ad eas. Sed erant clauſæ uſque in diem mortis ſuæ in viduitate viventes.* Quare David has concubinas recluſerit, & ab ijs ſe deinceps abſtinuerit, *duæ* ſunt rationes, *una*, quia lex D præcipit Levit. 18. *Turpitudinem nurus tuæ non diſcooperies.* Quamvis enim iſtæ mulieres propriè non eſſent factæ nurus Davidis, per hoc quod filius eius Abſalon ad eas fuerat ingreſſus; erant tamen ſecundum quandam ſimilitudinem, quia eas ſibi vendicaverat Abſalon tanquam ſuas uxores. Unde indecens, & inhoneſtum erat, ut pater eas, deinceps pro uxoribus haberet, quantùm ad uſum conjugalem. Et ob hanc cauſam ab earum congreſſu abſtinuit David. *Acceſſit & illa cauſa*, ob quam quoque eas recluſit; quia, ſi in publico conſpicerentur, renovaſſent in animis populi memoriam fœditatis perpetratæ in eas ab Abſalon, idque redundaſſet in ignominiam ipſius Davidis. Quod autem additur (*in viduitate viventes*) intelligendum eſt non quantum ad mortem mariti (nam David earum ma- E ritus vivebat) ſed quoad privationem tantum thori, ſive convictus maritalis. Unde & Hebræa habent non ſimpliciter (*in viduitate*) ſed (*in viduitate vitæ*) id eſt, convictus.

Quæritur hîc cur potius ad Michol fuit ingreſſus poſtquam alteri viro conjuncta fuerat, quàm ad iſtas? Quidam reſpondent, quia Michol non fuerat cognita à viro, cui à patre fuerat tradita. Sed hoc non eſt veriſimile, tum quia diu cum eo cohabitaverat, tum quia ab illo viro in tantum amabatur, ut ſecutus eam fuerit plorans longo itineris ſpatio, quando Davidi erat reſtituenda 2. Reg. 3. Verior ergo reſponſio eſt, quia per hoc quod erant cognitæ à filio ſuo, erat quædam affi-

nitas Davidi cum eis contracta, ob quam cauſam vel oportebat, vel ſaltem decebat omnino ut ab earum concubitu inpoſterum abſtineret.

℣. 18. *Sermo dicebatur in veteri proverbio : qui interrogant, interrogent in Abela, & ſic perficiebant.* Hebr. ad verbum ſic: *Loquendo loqui ſolent initio, dicendo: interrogando interrogaſſent in Abela, & ſic finiiſſent.* Et multa ſunt ſubaudienda ut clara reddatur ſententia. Nempè ſenſus eſt: Qui veniunt oppugnatum urbem aliquam, ſolent loqui initio, antequam eam oppugnent, interrogando, num velint recipere leges pacis præſcriptas Deut. 20. & ita ſeſe dedere? Quod ſi ſic interrogaſſent, ô Ioab, duces exercitus tui in Abela, quam tu nunc oppugnas; (*ſic finiviſſent*) id eſt, ſtatim, vel jamdudum finiviſſent bellum, id eſt, tradidiſſent ſe poteſtati tuæ, & recepiſſemus leges pacis à te proponendas. B Et hic ſenſus conformis eſt ſequentibus. Mox enim, lege pacis propoſita, & impleta de tradendo capite Sibæ, qui erat author ſeceſſionis ſeu rebellionis, finita eſt oppugnatio, ſolutaque obſidio.

CAPUT XXI.

℣. 1. F*Acta eſt quoque fames in diebus David tribus annis jugiter. Et conſuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus, propter Saül & domum eius ſanguinum, quia occidit Gabaonitas.* Hi erant Gabaonitæ quibus Ioſue & Principes Iſraël, Ioſue 9. juraverant ſe eos non interfecturos. Patet itaque ex hoc loco juramentum illud eos obligaſſe, non obſtante fraude Gabaonitarum, C qui cum habitarent in terra Chanaan, mentiti fuerant ſe de longinqua regione veniſſe. Nec illos tantùm obligavit, qui tunc juraverant, ſed etiam ſucceſſores eorum. Videlicet cum Saül zelo non bono commotus eos occidiſſet, tanquam ſatisfacere volens mandato Dei in lege Moyſi, qui omnes habitatores Chanaan deleri juſſit, Deus indiſcretum hunc zelum & temeritatem Saül vindicavit in univerſum populum fame triennii.

℣. 6. *Dentur nobis ſeptem viri de filiis eius, ut crucifigamus eos Domino. —— Et ait Rex. Ego dabo. Quæritur* quomodo David non peccarit hîc contra legem, quâ præcipitur filios non eſſe puniendos pro patribus, ſed unumquemque pro ſuo peccato interficiendum? *Reſpond.* David conſuluerat oraculum Domini, ut patet D v. 1. ex quo intellexit hanc famem factam propter Saül *&* (ut ibi additur) *domum eius ſanguinum.* Unde veriſimile omnino eſt, eodem oraculo ſimul reſponſum fuiſſe, ut petitione Gabaonitarum, injuria ipſis facta expiaretur. Atque ita David tradens ſeptem viros ex poſteris Saül crucifigendos, non tam officium fecit Judicis aut Regis, qui in lege prohibentur contra filios ſententiam ferre pro delicto patris: quàm officium executoris ſententiæ divinæ, quam intellexerat ex oraculo. Divino autem judicio, cui omnes ſunt obnoxij & apud quem nemo innocens eſt; rectè filij pro peccatis patrum luunt, ut variis locis Scriptura teſtis eſt.

℣. 8. *Et quinque filias Michol filiæ Saül, quas genuerat Hadrieli filio Berzellai, &c.* Difficilis hîc quæſtio eſt, quomodo hæc vera ſint, cùm Michol, recedente E Davide, non nupſerit Hadrieli, ſed Phaltiel? ut patet 1. Reg. 25. in fine & 2. Reg. 3. v. 14 Hadrieli verò omninò nupſit ſoror Michol nomine Merob, ut 1. Regum 18. narratur. Legendum ergo hic videtur (*filias Merob*) pro (*filias Michal*) Eſt hoc planè veriſimile maximè quod Michol nullos legatur habuiſſe liberos. Et omninò Cajetanus hoc loco ſuſpicatur lectionem Hebraïcam eſſe corruptam, & pro (*Michal*) legendum eſſe (*Merob.*) Vel dicendum, hos dici filios Michol, & quod eos genuerit Hadrieli, ſcilicet, quia poſt mortem ſororis ſuæ Merob, eos adoptavit, & educavit, ſic ut nihilominus vocarentur filij Hadrielis, atque ita eos

A quodammodo dicatur genuiſſe Hadrieli. Additio Cenſ. Videtur hæc poſterior ſolutio longè petita, & verbis Scripturæ repugnans.

℣. 10. *Donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo.* Id eſt, donec pluvia caderet de cœlo; quod ſignum erat Deum eſſe placatum, & jam famem mitigandam. Significatur autem pluviam citò divinitus datam. Nam non poterant corpora crucifixorum relinqui ſuſpenſa.

CAPUT XXII.

℣. 21. R*Etribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum munditiam manuum mearum reddet mihi.* Notandus locus contra hæreticos noſtri temporis, qui dicunt juſtitiam noſtram nullam B apud Deum retributionem mereri. Hic enim David apud Deum ſuam juſtitiam prætendit, & pro ea à Domino juſtam retributionem expectat. Reſpicit autem David hoc loco, potiſſimùm ad innocentiam, & clementiam ſuam, qua uſus eſt erga Saülem hoſtem ſuum capitalem; quem cùm ſemel, atque iterum haberet in manibus, & occidere poſſet, tamen ei pepercit, eò quòd eſſet Chriſtus, id eſt, unctus Domini. Quod eò reſpiciat, patet. Quia hoc Canticum David, idem eſt cum Pſalmo 17. niſi quod verba multa hîc aliter leguntur, utpote verſa immediatè ex Hebræo, cùm Pſalmi ſint ex verſione Septuaginta. At verò titulus Pſalmi illius ſic habet: *Pſalmus David in die qua liberavit eum Dominus, de manu omnium inimicorum ſuo-* C *rum, & de manu Saül.* Adde quod 1. Regum 26. ubi coram Saül, cui pepercerat, ſuam innocentiam allegat, ſimilia quoque verba habet dicens: *Dominus autem retribuet unicuique ſecundum juſtitiam ſuam & fidem. Tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, & nolui extendere manum meam in Chriſtum Domini.*

℣. 26. *Cum ſancto ſanctus eris, & cum perverſo perverteris.* Hanc ſententiam vulgò referunt ad converſationem hominum inter ſe. Ut ſenſus ſit: Si cum ſancto homine converſeris, & ipſe ſanctus evades; & contra, ſi cum perverſo & impio; talis quoque ex eius commercio efficieris. Et in genere, quales ſunt, cum quibus converſaris, talis ex eorum converſatione evades. Senſus pius eſt, ſed non proprius huic loco, Verba enim ſunt Davidis loquentis ad Deum, & docentis D qualem ſe Deus gerat erga unumquemque hominem, vel bonum & innocentem, vel malum ſeu perverſum. Senſus igitur eſt. Cum ſancto & innocente homine ſanctus es, benignus & clemens; retribuendo ei ſecundum ſuam ſanctitatem, innocentiam & juſtitiam: Cum perverſo autem perverteris, id eſt, durus & ſeverus eris, retribuendo ei ſecundum ſuam perverſitatem & malitiam. Hinc Auguſt. Et cum perverſo videris perverſus, quoniam dicunt, Ezech. 18. verſu 25. Non eſt recta via Domini, cum ipſorum via non ſit recta. Vide etiam Pſalm. 17.

CAPUT XXIII.

℣. 1. H*Æc ſunt verba noviſſima, quæ dixit David filius Iſai, &c. Noviſſima verba dicuntur,* E non quòd ea omnium poſtremò locutus ſit, ſicut quæ quis loquitur in lecto ægritudinis ſtatim moriturus, qualia ſunt quæ Jacob ad duodecim filios, & Moyſes ad tribus Iſraël jam jam morituri locuti ſunt; ſed vocantur verba noviſſima David, quia ea cecinit & recitavit poſt omnes Pſalmos à ſe compoſitos, & ſub finem regni, ut verba iſta ſint velut ſigillum quoddam omnium Pſalmorum eius, quo præcedentem prophetiam ſuam omnem, Pſalmis comprehenſam, conſignat. Significat autem his noviſſimis verbis excellentiam ſuorum Pſalmorum, idque duabus rebus; ſcilicet ex modo, & ex materia; *modum*, quo illos cecinit,

cecinit, indicat, cùm ait: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* Significat ergo ſe in ſcribendis Pſalmis fuiſſe inſtrumentum Spiritus Sancti loquentis per os eius. Materiam verò indicat verbis præcedentibus iſtis: *Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Iacob, egregius Pſaltes Iſraël.* Quibus verbis ſignificat præcipuam ſuorum Pſalmorum materiam fuiſſe, prænunciare adventum Chriſti, & ea quæ ad Chriſtum, eiuſque corpus, id eſt, Eccleſiam, pertinerent. Nam in Chriſto & caput & membra intelligenda ſunt.

℣.3. *Dixit Deus Iſraël mihi, locutus eſt Fortis Iſraël, Dominator hominum, juſtus Dominator in timore Dei.* Quidam verba poſteriora illa (*Dominator hominum*) referunt quoque ad Deum, ut dicatur ipſe Dominator hominum, &c. utpote cui homines obedire debeant, & ſervire in timore Dei. Sed rectius ad Davidem ipſum referuntur, nam præcedit (*dixit Deus Iſraël mihi.*) Ut ergo Davidi hæc verba ſint accommodanda, ſenſus eſt: Dixit Deus Davidi, ut ipſe ſit Dominator & Rex hominum, ſed ut ſit Dominator juſtus *in timore Dei*, id eſt, ut præſit & regat ſuos in timore Dei, ſciens ſe habere ſupra ſe maiorem Dominum.

℣.15. *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna.* Videri poſſet in hoc pacto peccaſſe David, quod inordinatè deſiderando idemque deſiderium verbis ſignificando, occaſionem dedit ſuis militibus, ut ſe temerè in grande diſcrimen vitæ conjicerent. Neque enim ulla vel neceſſitas, vel utilitas poſcebat tantam audaciam. Unde & David culpam agnoviſſe videtur, quando allatam aquam *noluit bibere, ſed eam libavit Domino dicens: Propitius ſit mihi Dominus ne faciam hoc. Num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam?* Qui ergo bibere non debuit allatam, nec appetere debuit, ut adferretur. Verùm reſponderi poteſt Davidem nihil ſuſpicantem, quid ſui milites eſſent facturi, ſimpliciter verbo, ut fit, ſignificaſſe vehemens illius aquæ, qua ſæpè olim paſtor recreatus fuerat, deſiderium, quo moveri ſe ſentiebat. Certè à militibus qui ſcirent eam aquam Davidi non eſſe neceſſariam; nec ſe propter eam periclitari debere, temeritatis culpa removeri poſſe non videtur, tametſi factum hoc fuerit Heroïcæ cuiuſdam virtutis, quæ in illorum animis latebat indicium & argumentum: ut ſolent ab animis ad inſignes quaſdam virtutes propenſis, ſed nondum excultis, proficiſci facta quædam non laudanda quidem, ſed tamen indolem bonam quæ cultura egeat, monſtrantia.

℣.20. *Ipſe percuſſit duos leones Moab.* Hebraicè eſt, (*leones Dei*) id eſt, ingentes & fortes, ſicut dicuntur montes Dei, cedri Dei; & alia quæcumque eximia, apud Hebræos hoc epitheto Dei decorantur. Nonnulli intelligunt duas munitas arces Moabitarum. Verùm quia dicitur (*percuſſit*) plerique potiùs intelligunt per duos leones duos fortiſſimos principes, vel milites ex

A Moabitis. Et ſenſum illum confirmant omnia præcedentia & ſequentia de fortibus, ſeu viris ſtrenuis, varia ſtratagemata: quæ confer cum iis quæ ſunt 1. Paralipom. 11. & 20.

CAPUT XXIV.

℣.1. **E**T *addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commovitque David in eis, dicentem: Vade, numera Iſraël & Iudam.* Gregorius exponens hunc locum ait: Secundum merita ſubditorum, diſponuntur acta regentium. Unde ſæpè fit, ut pro culpa gregis, etiam boni delinquat vita paſtoris: David enim, Deo teſte laudatus, populum numerando peccavit, & populus pœnam ſuſcepit, quia ſecundum merita plebium diſponuntur corda rectorum. Hæc Gregor.
B Factum eſt ergo merito plebis, ut David in hoc peccatum labi permitteretur. *Sed quæres*, quare *peccavit David* numerando populum? *Reſpondeo*, Primum, per ſuperbiam & elationem mentis, quia tanquam rex potens gloriabatur in multitudine populi ſibi ſubjecti. Secundò, quia per hoc fecit contra legem Exodi 30. ubi dicitur: *Quando tuleris ſummam filiorum Iſraël, dabunt ſinguli precium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis.* Debebant autem ſinguli dare dimidium ſicli: Hæc autem numeratio non ita facta eſt; unde conſecuta eſt plaga.

℣.13. *Aut ſeptem annis, veniet fames, aut tribus menſibus fugies adverſarios, &c.* Quomodo hæc non pugnent cum narratione quæ eſt 1. Paralip. 21. in ſpe-
C ciem ab hac diverſa, vide ibi explicatum.

℣.14. *Sed melius eſt, ut incidam in manus Domini (multa enim miſericordia eius ſunt) quam in manus hominum.* Hæc cauſa eſt cur David potiùs elegerit peſtem, quàm unum ex duobus reliquis; & maximè, ne videretur ipſe flagellum Dei velle effugere: tradendo ſuos hoſtibus & fami, à quibus malis ipſius perſona potuiſſet eſſe tuta; ſed elegit peſtem, in qua omnium par eſt conditio; ut agnoſceret ſe imprimis reum; ſicut & poſtea dicit, verſ.17. *Ego ſum qui peccavi, ego qui iniquè egi: Iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt? Sed quæritur*, quomodo hîc David dicat: *Melius eſt ut incidam in manus Domini, multa enim miſericordia eius ſunt*, cùm Apoſtolus dicat ad Hebr. 10. *Horren-*
D *dum eſt incidere in manus Dei.* Reſpondeo. David conſiderat Deum punientem in hoc ſæculo, ut patrem; Apoſtolus autem, ut ſeverum judicem. Loquitur enim de impœnitentibus. Neque etiam contrarium eſt his verbis David, id quod dixit Suſanna in anguſtiis conſtituta: *Melius eſt mihi incidere in manus veſtras*, loquens de improbis ſenibus. Nam David hîc facit comparationem inter diverſa mala pœnæ; Suſanna autem tamquam minus malum, elegit malum pœnæ, pro malo culpæ. Sic enim ſubjungit: *quàm peccare in conſpectu Dei mei.*

FINIS LIBRI II. REGUM.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM III. REGVM.

CAPUT PRIMUM.

℣.2. QVæramus Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſit coram rege, & foveat eum. Quæritur an David hanc Sunamitidem duxerit in uxorem? Hieronymus videtur ſentire, quod fuerit virgo & uxor. *Sed* dicendum ſcripturam non indicare quod eam duxerit in uxorem; ſed magis videtur ſignificare contrarium; nam dicitur tantùm quæſita ad calefaciendum corpus ſenile regis. *Deinde*, ſi uxor fuiſſet Davidis, quomodo Adonias filius eius tam impudens fuiſſet, ut eam peteret ſibi in uxorem? Nam ducere eam uxorem, quæ fuiſſet uxor patris, expreſsè prohibitum eſt Levitic. 18. ubi dicitur: *Turpitudinem uxoris patris tui non diſcooperies.*

℣. 5. *Adonias autem —— elevabatur dicens: Ego regnabo. Fecitque ſibi currus & equites, &c. Nec corripuit eum pater ſuus.* Simile quid habemus 2. Regum 13. quando Amnon filius David inceſtum cum ſorore ſua commiſerat; *Et noluit* (inquit ſcriptura) *David contriſtare Spiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum.* Sane utrobique ſcriptura taxare videtur in Davide nimiam indulgentiam erga filios: quos ſciebat graviter delinquere; & ne eos contriſtaret, corripere tamen pro merito non audebat. Et idem accidit in Abſalone, quem cum pater videret inſtituere regiam pompam, ſimiliter eum non corripuit. Unde & rebellio Abſalonis in patrem eſt ſecuta. Itidem multi alij tempore veteris teſtamenti, viri alioqui ſancti, hac parte infelices fuerunt, in filiorum educatione. Exemplo ſunt filij Iacob, filij Heli, filij Samuelis, filij David, filius Ezechiæ, filij Ioſiæ. In quibus etſi Heli & David cauſam aliquam dediſſe legantur nimia ſua in filios indulgentia, cauſa tamen generalior quoque iſta non improbabiliter aſſignatur, quod tempore veteris teſtamenti matrimonium nondum eſſet propriè dictum Sacramentum; neque eam gratiam largiretur ad prolem piè educandam, quam confert tempore novi teſtamenti ijs, qui cum debita præparatione matrimonium ineunt.

℣.21. *Dixit itaque Nathan ad Bethſabée.* Nathan Propheta erat qui Davidi annunciaverat Salomonem poſt eum regnaturum; idque prædictione Prophetica & abſoluta. Nam alioqui nihil amplius Davidi fuiſſet promiſſum, quàm Saüli, cui dictum fuit à Samuele: *Iam nunc præparaverat Dominus regnum tuum in æternum.* Quomodo nunc ergo tanquam dubitans & metuens tam ſollicitè agit pro Salomone? Reſpondeo, non dubitabat de Dei promiſſo, ſed fortè metuebat ne Salomon non ſtatim à morte patris, aut non ſine bello & ſanguine ad regnum perveniret. Deinde dici poteſt ſollicitudinem eam non fuiſſe dubitantis & metuentis, ſed operam dantis ut hoc impleatur quod Deus promiſit. Deus enim multa promiſſa ſua implet per ſtudia & conatus ac voluntates hominum. Sic enim & ipſe David ad regnum promiſſum pervenit per labores, & ſudores & pericula.

℣.13. *Nonne tu Domine rex juraſti ancillæ tuæ dicens: quod Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? Filius tuus*, id eſt, ipſius Bethſabée. Refert enim Nathan verba Davidis loquentis ad Bethſabée matrem Salomonis. Et infrà. *Domine mi,*
A *tu juraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ. Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo.* Et multò ſecretius: *Sicut juravi tibi —— ſic faciam hodie.*

Circa hæc quæri poteſt quomodo David jurare potuerit Salomonem poſt ſe regnaturum, atque in ſolio ſuo ſeſſurum, cum id in eius poteſtate non eſſet, ſed in voluntate populi? Neque enim populus legem ſibi ſtatuerat de filio Davidis in regem ſuſcipiendo, præſertim illo quem David deſignaret. Verùm, rectè intelligitur David juraſſe ita futurum quantum in ipſo eſſet; eò magis quia de Salomone poſt ſe regnaturo divinum acceperat oraculum, ut ſatis colligitur ex 2. Reg. 12. verſ. 24. & 1. Paralip. 22. Expreſsè verò id dicitur 1. Paralip. 28. & 29. His accedit quod David tantæ erat authoritatis in populo, ut non dubitaret populo placiturũ ſucceſſorem regni, quem ipſe deſignaret. Hoc
B enim apertè ſignificant hoc loco verba Bethſabée ſic loquentis ad Regem: *Verumtamen, Domine mi Rex, in te oculi reſpiciunt totius Iſraël, ut indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo, Domine mi Rex poſt te.*

℣.21. *Eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus ſuis; erimus ego & filius meus Salomon peccatores.* Quidam Hebræorum poſtrema verba ſic interpretantur: Erimus falſi, & fruſtrati ſpe noſtra, & quaſi aberrantes à ſcopo, non id conſequemur quod ſperabamus. Sed videtur plus aliquid ſignificari, quia ſupra Nathan dixerat ad Bethſabée: *Nunc ergo veni, & accipe conſilium à me, & ſalva animam tuam, filijque tui Salomonis.* Per quod ſignificatur, quòd regnante Adonia, periclitaretur ipſorum ſalus & vita. Senſus igitur eſt, *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*, id eſt, quæret contra nos Adonias occaſionem tollendi
C nos è medio; puniendique nos tanquam peccatores. Videlicet metuebat Bethſabée, ne mortuo Davide, ſi Adonias regnaret, ad ſtabiliendum ſuum regnum animadverteret in eam ob crimen adulterij; & ſimiliter contra Salomonem filium eius occaſionem mortis inferendæ quæreret.

℣.34. *Vngat eum ibi Sadoc & Nathan Propheta in regem ſuper Iſraël, & canetis buccina, atque dicetis, vivat Rex Salomon.* Hoc ita ut juſſit David factum eſſe, paulò poſt legimus. Quæritur ergo an Salomon patre adhuc vivente fuerit Rex Iſraël? an vero hæc unctio & acclamatio, tantum eo pertinuerit, ut patri ſtatim poſt mortem eius in regnum ſuccederet; ſcilicet jam habens jus ad regnum ut loquuntur, non in regno, ſed hoc habiturus ſtatim patre defuncto? Item ſi verè rex fuit patre vivente; quæritur an ſimul cum patre, an au-
D tem patre cedente, & à ſe in filium regnum transferente rex fuerit? Quod enim patre adhuc vivente rex fuerit, arguere videtur acclamatio: *Vivat Rex Salomon*, & quod infrà dicitur à Ionathan: *Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni*; quodque David benedicit Deo: *Qui dedit* (inquit) *hodie ſedentem in ſolio meo videntibus oculis meis.* Item quod poſtea ſequitur: *Ecce Adonias timens regem Salomonem tenuit cornu altaris dicens: Iuret mihi Rex Salomon hodie, quod non interficiat ſervum ſuum gladio;* & quæ ſequuntur, ubi videtur Salomon & agnitus pro rege, & ea quæ regiæ ſunt poteſtatis exercuiſſe, vivente adhuc patre. Similiter 1. Paralip. 23. dicitur, *David jam ſenex regem conſtituiſſe Salomonem filium ſuum ſuper Iſraël.* In capite

autem

autem 29. ſic legitur: *Et unxerunt ſecundo Salomonem filium David. Vnxerant autem eum Domino in principem & Sadoc in Pontificem, ſeditque Salomon ſuper ſolium Domini in regem pro David patre ſuo & cunctis placuit.* Sed hæc videntur facta poſt mortem Davidis. Nam prima unctio fuit facta juſſu Davidis hoc capite. Quod autem ſecunda facta fuerit Davide mortuo colligitur ex eo quod adjungitur: *Et Sadoc in Pontificem.* Quod non prius factum eſſe credibile eſt, quàm Abiathar à Sacerdotio removeretur. Quod quidem factum eſt per Salomonem poſt mortem Davidis, ut ex narratione capitis ſequentis liquet. Certè quòd David uſque ad mortem rex fuerit, ex multis apertè videtur conſtare. Primò quia ſic Salomon rex deſignatus eſt vivente Davide, ſicut Adonias regem ſe conſtituere voluit: At non apparet Adoniam voluiſſe patrem regno excludere, ſed ei in regno ſuccedere; alioqui jam leſæ majeſtatis reus foiſſet, nec conſortes conſilij habuiſſet Ioab & Abiathar. Neque enim crimen conſpirationis contra Davidem his fuit impoſitum, ſed tantùm quod inconſulto rege ſtuduiſſent partibus Adoniæ, cupientes eum promovere ad regnum. Unde nec Salomon de Adonia ſumpſit ſupplicium, tanquam regnum affectante excluſo patre, ſed juſſit ei dici: *Si fuerit vir bonus, &c.* ut eſt in fine huius capitis. Unde ſatis apparet eum nihil machinatum contra patrem. Hoc enim Salomon diſſimulare non debuiſſet. Item Adonias ad ſua auſpicia vocavit univerſos fratres ſuos filios regis & omnes viros Juda ſervos regis, ut ait ſcriptura. Quorum tamen mens neutiquam fuit, regem deturbare de ſolio. Item illa verba Bethſabée ad Davidem: *In te oculi reſpiciunt totius Iſraël, ut indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo Domine mi rex poſt te*, & hæc verba Nathan ad eundem. *Numquid à Domino meo rege exivit hoc verbum, & mihi non indicaſti ſervo tuo, quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum Domini regis poſt eum?* planè ſignificant Davidem permanſiſſe regem uſque ad mortem. Unde & David mox cum juramento ait ad Bethſabée: *Salomon filius tuus regnabit poſt me*, id eſt, poſt mortem meam, juxta id quod ei dictum fuerat à Domino per Nathan 2. Regum 7. *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, &c.* Videtur ergo dicendum unum è duobus; vel quod Salomon, etſi unctus in regem ante mortem patris, non tamen regnum adierit niſi patre mortuo: quæ vero tanquam rex feciſſe legitur, facta ab eo ut rege futuro & patris jam præ ſenio impotentis vicario, ſeu coadjutore. Vel dicendum eum ſimul regnaſſe cum patre aliquamdiu; penes patrem tamen præcipua regni manente authoritate, licèt filius multa jam adminiſtraret. Pro priori tamen parte multum facit ſecunda unctio. Sic enim & David olim à Samuele unctus, non priùs rex populi factus eſt, quàm Saüle mortuo iterum ungeretur. Qua de re alibi dictum. Nec aliud arguit acclamatio, quàm eum certò regnaturum poſt patrem. Nam & nominati ad regnum vel Epiſcopatum, Reges & Epiſcopi dici ſolent, priuſquam poteſtatem ipſam teneant in manibus, actuque poſſideant. Salomonem regnaſſe ſimul cum patre Davide aliquot annis, Hieronymus probabiliter dici poſſe putat in Epiſtola ad Vitalem de annis Salomonis. Vide annot. cap. ſequentis.

CAPUT II.

℣.23. HÆc faciat mihi Deus, & hæc addat, quoniam contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. Execratio eſt, qua ſibi graviſſima mala precatur Salomon; & proinde ſubintelligenda eſt *certa conditio*. Poteſt autem ea *duobus modis* explicari. Uno modo, ut ſit ſenſus: Maximis malis
A afficiat me Deus, ſi non Adonias hoc locutus eſt contra animam ſuam. Altero modo, quaſi dicat, ſi non vindicem in Adoniam, quia contra animam ſuam hoc locutus eſt. Ceterùm quod dicit Adoniam contra animam ſuam locutum eſſe, nequaquam intelligendum eſt, contra voluntatem ſuam; quia revera hoc Adonias petebat, neque etiam contra conſcientiam ſuam, quia Adonias hac via ad regnum adhuc aſpirabat, quod ſibi putabat deberi. Sed ſenſus eſt, *contra animam ſuam*, id eſt, contra ſalutem ſuam. Anima enim vitam & ſalutem frequenter ſignificat, quaſi dicat; Hoc Adonias petivit in ſuam ipſius perniciem, quia propter illam petitionem interficietur.

℣.27. *Ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sa-*
B *cerdos Domini; ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper domum Heli.* Quibus additur v.35. *Et Sadoc Sacerdotem poſuit pro Abiathar.* Non eſt exiſtimandum, quod Salomon regia poteſtate conſtituerit aut conſtituere potuerit ſummum Sacerdotem, etiam poſito quod aliquem ſumeret ex poſteris Aaron (id enim nunquam reges, quantumvis mali in ſacris litteris ſibi arrogaſſe leguntur:) Sed dum Salomon utitur regia poteſtate in ejiciendo ſeu proſcribendo Abiathar, propter crimen læſæ majeſtatis, factum eſt ex conſequenti, ut Abiathar non potuerit amplius fungi Sacerdotio, quo fungi non licebat extra templum, quod erat Ieroſolymis. Et hac ratione factum eſt, ut impleretur, quod dictum erat de domo Heli 1.Reg.2. Et quia Sadoc jure erat proximus, imo jure prior, quia de poſteritate Phinees, ut patet 1.Paralip.6. hinc, amoto propter crimen
C Abiathar, Sadoc jure ſucceſſit: & dicitur rex eum poſuiſſe, quia jus ei reſtituit, ſeu potius jure ſuo illum uti ordinavit. Etenim quod Salomonis intentio non fuerit Abiathar privare jure Sacerdotij, ſi quod habebat; intelligi poteſt ex eo, quod etiam poſtea adhuc cap.4. Sadoc & Abiathar junctim nominantur Sacerdotes tempore regni Salomonis; ſicut nominati fuerant tempore regni Davidici 2. Reg. 20. & alibi. Vide etiam de his 1. Paralip. 6.

℣.28. *Venit autem nuncius ad Ioab, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Ita legendum cenſuerunt Biblia Sixtina nuper edita; Erat huius loci pridem varia lectio, de qua proliixè F. Lucas, & inter cætera hæc: *Et venit fama uſ-*
D *que ad Ioab, quia Ioab declinaverat poſt Adoniam, & poſt Abſalonem non declinaverat, & fugit.* Ita Codices Hebræi, Chaldæique legunt. (Nota *poſt Abſalonem*, ubi nos habemus, *poſt Salomonem*.) Et pergit idem auctor. Ab his, inquit, Græci & Latini libri diſſentiunt. Græci ſcribunt: *Et fama venit ad Ioab filium Sarviæ, quia Ioab erat inclinatus poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaverat, & fugit.* Latini autem omnes propemodum habent: *Venit autem nuncius ad Salomonem, quod Ioab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet.* Et nonnullis interjectis. Senſum Hebraicæ lectionis percommodum dat Toſtatus: Pervenit ad Ioab fama interfecti Adoniæ, & ejecti Abiathar, & quia ipſe Ioab, qui initio Abſalonem ſibi eximiè dilectum ſecutus non fuerat, Adoniæ tamen
E partes in maius Salomonis præjudicium, ſequutus fuerat, idcirco timens fugit. Ac tandem F. Lucas concludens: Qui, inquit, communem Latinorum codicum lectionem ſequuntur, Hugo Carenſis, & Dionyſ. Richelius, nunciatum dicunt Salomoni, Ioab etiam poſt inaugurationem Salomonis, Adoniæ partibus adhæſiſſe, & conſilium de petenda, ducendaque in uxorem Abiſag Sunamitide ſuggeſſiſſe; ideoque Ioab, cum id Salomonem reſciſſe audiret, ad tabernaculum Domini fugiſſe. Hactenus quæ ſunt apud dictum auctorem præcipua: ex quibus difficile non erit commodum ſenſum lectionis Sixtinæ eruere, ut quæ cum Hebræa & Græca in priori parte conveniat, & poſterior

pars

pars difficultatem non habeat; ſitque illa non ſolum correctionis Sixtinæ, ſed ſemper in ea parte tam Græci, quàm Latini ita legerint. Notandum porro hîc Salomonem regnum ſuum auſpicari ab executione juſtitiæ & ſevera animadverſione in homines dignos morte. Nam Adoniam occulta machinatione ad regnum adſpirantem, & Ioab & Semei propter ipſorum malefacta jubet occidi, & Abiathar, quod cum Adonia conſpiraſſet, removet à Sacerdotio. Teſtatur autem Scriptura regnum eius admodum firmum & ſtabile fuiſſe, dicens: *firmatum eſt regnum eius nimis*, & capite ſequenti: *Confirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis.* Ex quo diſcimus veriſſimum eſſe illud eiuſdem Salomonis proverb. 25. *juſtitia firmabitur thronum Regis.* Et nihil æquè conducere ad ſtabiliendum regnum, quàm has duas juſtitiæ partes obſervare, videlicet, præmia reddere bonis, & ſupplicia malis.

CAPUT III.

℣. 1. A*Ffinitate conjunctus eſt Pharaoni Regi Ægypti. Accepit namque filiam eius.* Deuter. 7. prohibet Dominus filiis Iſraël contrahere matrimonium cum mulieribus alienigenis. Quin etiam infrà capite 11. reprehenditur Salomon, quod duxiſſet uxores alienigenas. Meritò ergo *quæritur* utrum Salomon etiã peccaverit ducendo hanc filiam Pharaonis? cauſa dubitandi eſt. Nam mox hoc capite ſubjungitur: *Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in præceptis patris ſui.* Ac deinde Scriptura initio regni Salomonis vehementer eum commendat; quam commendationem non merebatur, ſi ſtatim initio regni tam gravi deteſtabilis conjugij peccato Deum offendiſſet. Ad hanc igitur quæſtionem, ſalvo meliori judicio, reſpondendum videtur, Salomonem eatenus non peccaſſe. Nam quod Deut. 7. lex prohibet, intelligendum principaliter eſt de alienigenis habitantibus in terra promiſſionis; quamvis etiam referatur aliquo modo ad alias nationes, ut patet 1. Eſdræ 9. ſed tamen cum hac exceptione, niſi ſcilicet alienigenæ illæ mulieres cultum gentilem relinquerent; & unius veri Dei cultũ amplecterentur. Et hanc exceptionem etiam ipſa Scriptura exemplis comprobat: Sic enim Moyſes duxit Sephoram Madianitidem, Booz Ruth Moabitidem, David Maacha filiam Tholmai regis Geſſur. Denique & Salmon duxit Raab, quæ erat ex terra Chanaan. Sed omnes iſtæ ad cultum unius Dei converſæ erant. Et ſimiliter omnino veriſimile eſt Salomonem filiam Pharaonis initio regni ſui non prius ſibi copulaſſe quàm illa verum Dei cultum ſuſcipere parata eſſet. Quod quia in aliis fœminis alienigenis poſtea non obſervavit; idcirco ſcilicet poſtea graviſſimè reprehenditur

℣. 3. *Dilexit autem Salomon Dominum; ambulans in præceptis patris ſui David, excepto quod in excelſis immolabat.* Scriptura his verbis Salomonem reprehendere videtur, quod immolaverit in excelſis. Interim & Samuel legitur immolaſſe in excelſis, & alij alibi. Neque id omnino illicitum fuit (modò immolaretur Deo vero) eo tempore quo arca Dei ſtabilem locum non habebat. Aliqui etiam exiſtimant his verbis Salomonem non reprehendi; ſed tantùm ſignificari, eum non immolaſſe coram arca, propterea quod templum nondum eſſet ædificatum: rectè autem eum immolaſſe in excelſo Gabaon, eò quòd ibi eſſet tabernaculum & altare holocauſti, quæ fecerat Moyſes, ut habetur 1. Paralip. cap. 21.

℣. 12. *Et dedi tibi cor ſapiens, &c.* Conſtat Salomonem etiam ante hanc revelationem divinam, ſapientem fuiſſe: ſic enim ait ad eum pater capite præcedenti verſ. 9. *Vir autem ſapiens es, ut ſcias, &c.* Dedit igitur ei tunc Deus cor ſapiens, id eſt, donum ſapientiæ, quo factum eſt, ut & prior ſapientia augeretur

A & cor eius dilataretur ad *facilè percipiendum*, tam experientia quàm ſtudio, majorem ſapientiam. In ſapientia enim Salomonem profeciſſe, nec ſolùm experientia, ſed etiam ſtudio, ipſe teſtatur Eccleſ. 1. & 2. Quanta verò fuerit ſapientia Salomonis, patet tum ex hoc libro, tum ex aliis eiuſdem libris. Utrum autem ſapientiâ ſuperaverit Adamum primum parentem, vide noſtra in 2. diſtinct. 23. Vide etiam annot. capitis ſequentis v. 30. & Sap. 7. v. 20. & 21.

℣. 15. *Igitur evigilavit Salomon, & intellexit quod eſſet ſomnium.* Quare fuerit hoc ſomnium, & utrum in eo meruerit deſiderando, & petendo ſapientiam; Vide D. Thom. 1. 2. q. 113. arti. 3. ad 2. & 2. 2. q. 156. artic. 5. ad 2. ubi etiam S. Auguſt. allegat. Et videtur in eo Salomon meruiſſe, quia dicit Script. *Placuit ergo ſermo coram*

B. *Domino.* Unde conſequitur, quod fuerit ſomnium extraordinarium à Deo miſſum, in quo ſenſus quidem fuerunt ligati, non tamen impeditus uſus rationis.

℣. 25. *Dividite*, inquit, *infantem vivum*. Non ſunt verba præcipientis ipſam infantis ſectionem (nam dividere infantem innoxium non licebat) ſed injungentis ſeu ordinantis actionem, qua ſe veluti ad huiuſmodi ſectionem ſatellites præparent; ut hac ratione proderetur vera infantis mater; quæ eius ſectionem non ſuſtineret, ſed vivum potius integrum adverſariæ ſuæ cederet.

CAPUT IV.

C ℣. 4. S*Adoc & Abiathar Sacerdotes. Quæritur*; quomodo hîc inter Sacerdotes etiam Abiathar ponatur, cùm Salomon eum initio regni ſui cap. 2. dignitate Sacerdotij videatur privaſſe? Quidam *Reſp.* hunc Abiathar, qui hoc loco nominatur inter Sacerdotes, alium eſſe ab eo, qui ſupra cap. 2. legitur repulſus à Sacerdotio. Sed hoc improbabiliter dicitur, quia nemo alius veriſimiliter cogitari poteſt, qui hoc loco cum ſummo Sacerdote nominetur, niſi, aut ille ipſe Abiathar, aut fortè filius ſummi Sacerdotis, qui non Abiathar, ſed Azarias vocatur initio huius capitis. Proinde dicendum Abiathar non fuiſſe ſubmotum ſimpliciter jure Sacerdotij (quod excedebat authoritatem regis) ſed cum propter crimen læſæ majeſtatis (ut dictum eſt ſuprà cap. 2.) proſcriptus eſſet, conſequen-

D ter, Sadoc ſummo Sacerdotio ſolus primo functus eſt; At vero tum periculum amplius novæ conſpirationis non eſſet, Salomone confirmato in regno; permiſſum quoque eſſe ut Abiathar ad miniſterium templi rediret, ut haberet unde viveret; ſic tamen, ut non ampliùs prima dignitas ei deferretur. Et tunc impleta videtur Prophetia illa Domini ad Heli 1. Reg. 2. qua ait: *Futurum eſt autem, ut quicumque remanſerit de domo tua, veniat, & oretur pro eo, dicatque; Dimitte me obſecro, ad unam partem Sacerdotalem, &c.*

℣. 30. *Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat ſapientior cunctis hominibus.* Hoc poſtremum quidam referre volunt tantum ad homines illius temporis. Sed ex capite præcedenti patet ad omnes omnino homines

E omnium temporum referendum eſſe. Dicit enim Dominus ad eum: *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Cæterùm quod ſequitur; *Sapientior Ethan, Ezraita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filij Mahol*; Author libri tradit. Hebraïcarum per Ethan Abraham intelligit, per Heman Moyſen, per Chalcol Ioſeph, per Dorda duodecim tribus. Sed prorſus commentitia & coacta eſt illa interpretatio. Fuerunt autem quatuor iſti hîc annumerati, Levitæ & cantores celebres. Nam ab Ethan intitulantur Pſalm. 88. *Miſericordias Domini, &c.* & titulus eſt: *Intellectus ſeu ſapientia Ethan Ezraitæ.* Quo titulo ſanè commendatur

eius ſapientiæ. De Heman quoque mentio fit 1. Paralip. 25. Eius autem fratres fuerunt reliqui duo hîc nominati. Hos itaque celebres ratione ſapientiæ, nihilominus Salomon longè dicitur ſuperaſſe.

℣.33. *Et diſputavit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, uſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete.* Plenius explicatur hæc amplitudo ſcientiæ & ſapientiæ Salomonis, Sapient.7. Itaque vide ibi.

CAPUT V.

℣.2. M*iſit autem Salomon ad Hiram, &c.* Per id quod operâ gentilium & infidelium Tyriorum templum ædificatum ſit, *duplex myſterium* inſinuatum fuit. Nam *primò* præfiguratum eſt gentilem populum potiſſimum ædificaturum Eccleſiam Chriſti; cuius templum illud Salomonis typus erat. Ædificaverunt enim Eccleſiam principaliter, primùm doctores & paſtores Eccleſiæ; quales ex gentilibus plurimi, & ferè omnes poſt Apoſtolos extiterunt. Deinde & omnes boni fideles ex gentilibus collecti; dum bonis operibus & ſancta converſatione etiam alios invitant & adducunt, ut ſe tanquam lapides vivos ædificio ſpirituali Eccleſiæ adjungant. *Altera* autem *myſtica* ſignificatio eſt, non eſſe contemnendum, ſed in uſum pietatis vertendum à nobis, ſi quid in Ethnicorum ſcriptis, vel etiam factis utile & laudabile reperitur; uti fecerunt præſtantiſſimi quique Eccleſiarum magiſtri, Cyprianus, Hieron. Auguſt. Thomas Aquinas, & alij, ſpoliis Ægyptiorum ornantes hac ratione tabernaculum Dei.

CAPUT VI.

℣.2. D*Omus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Pugnare cum hoc loco videtur, quod 2.Paralip.3. dicitur templum hoc Salomonis fuiſſe altitudinis centum viginti cubitorum: tum etiam altitudo iſta triginta cubitorum nullo modo, ut videtur, fuiſſet ſpectabilis. Itaque quod hîc dicitur de altitudine triginta cubitorum, intelligendum eſt, non de tota templi altitudine, pertingente videlicet uſque ad ſummum ſeu faſtigium templi, ſed de altitudine eius à pavimento, uſque ad primum ſeu infimum tabulatum, ſeu ambulacrum; ſupra quod erat aliud tabulatum ſimiliter altitudinis triginta cubitorum, atque inde uſque ad ſummum ipſius templi altitudo adhuc erat ſexaginta cubitorum. Et ſic tota altitudo templi complectebatur centum viginti cubitos, quod 2.Paralip.3. exprimitur.

℣.7. *Et malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cum ædificaretur.* Id intelligendum eſt tantum de inſtrumentis, quæ pertinebant ad ſecanda aut dolanda ligna, aut lapides, quæ ferè ferrea ſunt; non autem de inſtrumentis aliis neceſſariis ad conjunctionem & compoſitionem lignorum, trabium, & lapidum inter ſe. Quale opus fieri poteſt ſine magno & notabili ſono inſtrumentorum. Itaque induſtria artificum, & prudentia Salomonis commendatur, quod & tantum opus, lapides & ligna tam exactè prius alibi aptarentur, ut in ipſo loco templi ſine ullo ferè ſtrepitu conjungerentur & compaginarentur. *Myſticè* ſignificatur, quod electi in hac vita, quæ eſt præparatoria ad cæleſtem illam Dei domum; multis adverſitatibus, velut quibuſdam tunſionibus exerceantur, ut in futura vita, in cœleſti templo, ab omni preſſura & adverſitate liberi, ſumma pace & quiete perfruantur. Hinc illud in hymno Eccleſiaſtico; Tunſionibus, preſſuris, expoliti lapides, ſuis coaptantur locis, &c. Et rurſum in Apocalyp. c.7. & 21. *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & non erit amplius neque luctus, neque clamor.*

CAPUT VII.

℣.1. D*Omum autem ſuam ædificavit Salomon tredecim annis.* Notandum Salomonem domũ Domini abſolviſſe annis ſeptem; ſuæ autem domus ædificationi impendiſſe annos tredecim; tum etiam quod prius domum Domini, quàm propriam ædificaverit: in quo duo ſunt ad morum inſtructionem pertinentia. Primum, quod prius ædificaverit domum Domini, quam domum propriam. Alterum quod multò celerius abſolverit ædificationem templi, quàm domus regiæ. Quod poſterius non inde accidit, quod ſuam domum ſumptuoſius ædificaverit (cuius contrarium patet ex particulari utriuſque deſcriptione) ſed quia & ipſius regis, & totius populi maxima erat devotio, & ardens ſtudiũ circa ædificationem domus Dei. Accedebat etiam quod plurima neceſſaria jam ante per Davidem fuerant præparata, ut habetur 1.Paralip.22.28.& 29. Hujuſmodi itaque exemplo excitanda eſt quorumdam Chriſtianorum ſocordia, qui in propriis ædificiis ſumptuoſi, ad publica Eccleſiæ opera parciſſimè conferunt; quibus & illud dici poteſt: *Domus mea deſerta eſt, & vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam.* Aggæi 2.

℣.12. *Cumque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocavit eam nomine Iachin, & ſecundam Booz.* Nomina iſta non temerè indita ſunt his columnis. *Iachin* enim ſignificat (*confirmet*) quaſi dicat, Utinam confirmet & conſervet Dominus domum iſtam. *Booz* verò ſignificat *fortitudinem* & vigorem; quaſi dicat. Utinam ſit in ea domo vigor perpetuus, utinam perpetuo ſtabilis permanet. Secundum litteram tamen hæc ſignificatio non eſt ſortita ſuum effectum; quia poſteà per Chaldæos ſeu Babylonios columnæ illæ ſimul cum templo deſtructæ ſunt: Sed propheticè referendum eſt ad eam domum, de qua canit Eccleſia; *Hæc eſt domus Domini firmiter ædificata, bene fundata ſuper firmam petram.* Quæ domus non eſt aliud quàm Eccleſia Dei vivi, *columna & firmamentum veritatis.*

℣.29. *Et inter coronulas & plectas, leones & boves, & cherubim.* Ioſephus reprehendit hoc factum Salomonis; ſed malè, quia divinitus fuerat ordinatum. Itaque cum licuerit Salomoni facere imagines iſtas, etiam Cherubim, ſub ſpecie adoleſcentium alatorum, non obſtante præcepto illo Exodi c.20. *Non facies tibi ſculptile, &c.* atque adeo conſtituere imagines has in ipſo templo (videlicet quia ponebantur non ad adorationem, ſed ad ornatum:) multò magis Chriſtianis id licet; qui ex abundantiori gratia ſibi collata, minus proclives ſunt ad idololatriam, quàm Judæi.

CAPUT VIII.

℣.9. I*N arca non erat aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes. Quæritur*, quomodo ergo dicat Apoſtolus Hebr.9. quod in *arca fuerit urna aurea habens manna & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti?* Hæc apparens repugnantia non eodem modo ab omnibus diſcutitur. Una *reſponſio* eſt, ſolas tabulas ibi fuiſſe principaliter. Siquidem ad hoc ſolum arca facta videtur, ut in ea tabulæ reponerentur, & quod alia duo poſtea per occaſionem appoſita fuerunt, nempe manna & virga Aaron. Alia *reſponſio* eſt, quod hæc duo non fuerint repoſita intra arcam, ſed juxta eam. Vide noſtrum Commentar. loco citato ad Heb.9. ubi fusè hanc difficultatem enodatam invenies.

℣.13. *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum.* Pugnare videtur cum his verbis quod ſubjungitur, v.27. *Ergone putandum, quod verè Deus habitet ſuper terram?* q.d. minimè. Quod ſi non habitat ſuper terram, non ergo habitat in domo quam Salomon ei ædificaverat. Sed apparentem pugnam ipſe Salomon verbis ſequentibus diſſolvit, & pulchrè diſtinguit,

oſten-

oſtendens quomodo Deus habitet in templo manufacto, quomodo non habitet. *Si enim*, inquit, *cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* Scilicet te capere non poteſt? Quibus verbis oſtendit, quomodo Deus non habitet in domo; nempe ut eius ſpatio capiatur, & circumſcribatur; quomodo nos habitamus in domo, qui domo continemur & circumſcribimur. Porrò quo ſenſu Dominus dicatur habitare in templo, & templum vocetur eius habitaculum, oſtendit idem Salomon verbis ſequentibus, cum orat: *Vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc nocte ac die, ſuper domum, de qua dixiſti: Erit nomen meum ibi, ut exaudias orationem quam orat in loco iſto ad te ſervus tuus, & populus tuus Iſraël.* Habitat ergo ibi, quia ibi vult orari, & ſacrificia ſibi offerri: ibi exaudit, ibi beneficia præſtat, ibi ſe præſentem exhibet, dum ibi magis quàm alibi adoratus exaudit. Unde illud toties hîc à Salomone repetitum; *Si oraverit in loco iſto.* Vide Annot. Act. 17. v. 24.

℣. 63. *Et dedicaverunt templum Domini rex & filij Iſraël.* Dicuntur rex & filij Iſraël dedicaſſe templum Domini non ſuo miniſterio, ſed devotione, petitione, præſentia ſui, ac ſumptuum ſuppeditatione; tum etiam quia dedicatio illa & conſecratio fiebat pro rege & populo per miniſterium Sacerdotum. Sic enim quoque dicitur rex mactaſſe & immolaſſe victimas hoc eodem capite; ſcilicet itidem per manus Sacerdotum. Sic & illud intelligendum, quod dicitur ſanctificaſſe medium atrij. Conſecraverunt autem Sacerdotes templum, non alio ritu, ut apparet, quàm immolatione hoſtiarum, eò quòd loco ceremoniarum conſecrationis erat nebula divino miraculo totam domum replens; qua teſtatum voluit Deus, ſe eum locum ſibi deputare ad cultum.

CAPUT IX.

℣. 6. *SI averſione averſi fueritis vos & filij veſtri —— auferam Iſraël de ſuperficie terræ, —— & templum projiciam à conſpectu meo.* Hic locus oſtendit quod omnia exteriora, quæ ad cultum divinum deputata ſunt; ſive ſit templum materiale, ſive vaſa argentea & aurea aliaque Eccleſiæ ornamenta, Deo non ſint accepta, niſi propter cultum interiorem miniſtrorum ac plebis. Cultus autem interior conſiſtit in actibus fidei, ſpei, & charitatis. De quo Auguſtinus in Enchiridio: Fide, inquit, ſpe, & charitate colitur Deus. Ubi iſta deſunt; quicquid exterius agitur in ſacrificiis, Pſalmis, hymnis & orationibus, inutile eſt, & mimicis geſticulationibus ſimile; magiſque talibus ad iram provocatur Deus, quam commovetur ad miſericordiam.

℣. 12. *Et egreſſus eſt Hiram de Tyro, ut videret oppida quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait, &c.* Libro 2. Paralip. cap. 8. non Salomon Hiramo, ſed Hiram Salomoni legitur civitates dediſſe, quas & Salomon ædificaverit, & in quibus habitare fecerit filios Iſraël. Hanc antilogiæ ſpeciem quidam ita tollunt, ut dicant Salomonem, prius dediſſe Hiramo, quas cum ille recuſaret ut incultas & ſuis meritis haud reſpondentes, Salomonem eas recepiſſe, & ædificiis atque habitatoribus ornaſſe, ſicque tandem Hiramo reddidiſſe. Sed hoc non admodum conſonat, neque iis quæ hîc dicuntur, neque quæ in Paralipom. Hic enim additur.

℣. 13. *Et appellavit eas terram Chabul uſque ad diem hanc.* Retinuit ergò eas tametſi parum placentes, & nomen terræ impoſuit à ſterilitate, vel ut alij interpretantur, à lutoſitate, idque nomen remanſit. Unde etiam colligitur urbes non tantum quod incultæ eſſent, ſed etiam quod in terra ſterili ſitæ, diſplicuiſſe. Alij proinde rectius dicunt, alias urbes à Salomone datas Hiramo, alias viciſſim ab Hiramo Salomoni, ut hac mutua donatione amicitia inter eos conſtaret inchoata à temporibus Davidis. Sic Vatablus 2. Paralipom. 8.

Eſtij Annot. in Script.

Et ſciendum quod Salomon tanquam locupletior & potentior, oppida ſibi data ab Hiram, ſine ulla diſplicentiæ ſignificatione ſuſcepit, inſtauravit, ornavit, & à populo ſuo inhabitari fecit. Quod Hiram contra in ſuis minus potuit præſtare, ideoque cultas & populoſas accipere maluiſſet.

Myſticè verò ſignificatur cupiditates hominum carnalium, qui Deo tantum ſerviunt pro mercede bonorum temporalium, nunquam impleri quantacumque bona recipiant in hac vita; quippe quæ ſemper ſint eorum ſpe & exactione minora: quia revera temporalia hæc bona non ſunt niſi terra Chabul, id eſt, vile lutum, nec poſſunt animum humanum implere.

℣. 20. *Univerſum populum qui remanſerat de Amorrhæis, &c. quos non potuerant filij Iſraël exterminare, fecit Salomon tributarios uſque in diem hanc.* Quæritur utrum in ea re Salomon fuerit culpandus, cum Dominus in lege præcipiat omnes illas nationes funditus exterminari, ita ut nec unus ex eis remaneat? Reſpondeo, ſecundum Lyranum, ſi Salomon id fecit cupiditate tributi, ita ut non prius eos ad Judaïſmum perduceret, dupliciter peccavit, avaritia & inobedientia; quia eos Dominus exterminari præcepit. Num. 33. Si autem prius operam cum effectu dedit, ut ad unius Dei religionem converterentur; non peccavit ſubjiciendo eos ſervituti, & faciendo tributarios; quia lex divina in populis illis præſupponebat impietatem & idololatriam, qua ablata, in gratiam recipiendi erant; ſicut recepti fuerunt Gabaonitæ, qui reſervati ſunt in obſequium populi Iſraël.

℣. 28. *Qui cum veniſſent in Ophir, ſumptum inde aurum, &c.* Quidam neoterici *Ophir* eſſe putant inſulam in Occidentali Indiæ littore, & ante annos ferè centum à Chriſtophoro Columbo repertam, quæ vocatur *Hiſpaniola*. Sed nihil habet veriſimile illa opinio, imò ex ſcriptura refellitur. Nam, ut habemus Geneſ. cap. 10. & 1. Paralipom. 1. Ophir filius fuit Iectan, à quo nomen accepit Ophir regio, Judæis ad Orientem ſita (ut quidam volunt, ad flumen Gangem) quæ eadem, ut refert Ioſephus libro octavo Antiq. cap. 6. etiam *Aurea terra* nuncupata eſt, ob auri illic provenientis abundantiam. Hinc dictum *aurum obrizum*, Iob capite 28. v. 15. & Iſaiæ cap. 13. v. 12. quaſi Ophirizum ſive Ophiriticum. Eſt enim iis locis Hebr. *Ophir*. Vide etiam locum Ieremiæ cap. 10. & Dan. 10. ubi *aurum Ophaz* in Hebræo legitur. Videtur enim Ophaz idem eſſe quod Ophir.

Sunt etiam hodie qui putant Ophaz fuiſſe eam regionem Africæ, quæ Luſitanis vulgo dicitur, *Sophala*, quaſi Ophala, vel Ophaza, & qua præſtantiſſimum aurum in Luſitaniam devehitur. Vide Hieronymum Epiſt. 140. quæ ad Principiam, ubi *ſeptem apud Hebræos auri vocabula reperiri ſcribit*, & inter alia, unde dicatur aurum obrizum exponit. Habet interim & Plinius libro 33. cap 3. aliam quandam etymologiam obrizi; & aliam rurſus Iſidorus lib. 16. Etymol. c. 17. Sed non videntur rem attigiſſe.

CAPUT X.

℣. 1. *SEd & Regina Saba, &c. Saba* civitas vel regio erat *in Arabia felice* ſita; nomine accepto à Scheba, filio Regma, filij Chus, filij Cham; vel, ut alij volunt, à Scheba filio Iectan, filij Heber, de quibus Geneſ. capite decimo. Sed veriſimilius eſt ſic dictam regionem à Saba filio Regma, & fratre Dadan, ſeu Dedan. Nam Ezech. capite 38. ſimul junguntur Saba & Dedan. Vide etiam Pſalm. 71. *Nec repugnat*, quod Matth. capite 12. & Lucæ capite 11. Regina hæc vocatur *Regina Auſtri*; &, quod venerit à finibus terræ; quaſi ab extremo orbe. Nam Arabia felix reſpectu Iudææ, etiam quodammodo

auſtralis eſt. Et quod ad alterum attinet, more ſcripturæ Sacræ, omnes regiones procul ſitæ, præſertim quæ mari terminantur, dicuntur fines terræ. Talem autem eſſe Arabiam felicem, patet ex chartis geographicis. Sunt qui reginam hanc veniſſe putent ex Æthiopia, quæ fermè ſub Æquinoctiali in Africa ſita eſt, cujus populi etiam hodie Chriſtiani ſunt. Credunt etiam ditionem hîc ſignificari, & Iſaiæ 43. verſ. 3. & cap. 55. verſ. 14. Videatur Franciſcus Lucas in Matth. 12. *Audita fama Salomonis, in nomine Domini, venit tentare eum in ænigmatibus.* Quod dicitur (*in nomine Domini*) ita à nonnullis accipitur, quaſi ſignificetur reginam Saba fuiſſe veri Dei cultricem, & verum Deum agnoverit, etiam priuſquam ad Salomonem veniret, & ab eo inſtrueretur, ut ſenſus ſit; *Venit in nomine Domini*, id eſt, profitens nomen & religionem unius veri Dei. Sed hic ſenſus nonnihil contortus eſt. *Alij* ſic exponunt, & probabilius; Regina Saba, poſteaquam audiſſet famam Salomonis ex nomine Domini; venit ut tentaret eum, quaſi dicat: cum audiſſet famam eorum, quæ faciebat Salomon in nomine Domini, ſeu ex ea ſapientia, quam acceperat ab uno vero Deo, & non auxilio plurium dæmonum; venit eum tentare in ænigmatibus. Atque iſtud etiam facit contra eos, qui fabulantur Salomonem uſum fuiſſe opera dæmonum, quos conjuraverat. Codex Hebræus favet huic poſteriori expoſitioni.

Per *ænigmata* autem non intelligunt ea quæ vulgo ænigmata dicuntur, id eſt, quæ verbo tenus tantum intricata & obſcura ſunt; ſed quæcumque acutæ & obſcuræ quæſtiones, nimirum de rebus obſcuris, & intellectu difficilibus, ſive quæ ad naturas rerum pertinent, ſive quæ ad mores & regnorum adminiſtrationem conducunt. Et quia omnes illas dilucidè ſolviſſe legitur Salomon; hinc mirificè eius ſapientia commendatur. *Myſticè* ſignificatur per hanc Reginam, populus gentilis, qui audita fama veri Salomonis Chriſti; venit ad eum, & omnium perplexitatum quas paſſus eſt, de ultimo fine, & beatitudine hominis, de immortalitate animæ, de natura Dei; ſolutionem ab eo accepit. Contulit etiam ipſa gentilitas viciſſim ſuas ſcientias naturales ad utilitatem Eccleſiæ Chriſti.

CAPUT XI.

℣. 1. REx *autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, &c.* His paucis verbis tria peccata in Salomone notantur. *Primum* eſt, quod mulieres nimis ardenter amaverit; id enim declaratur verbis ſubiectis, cùm dicitur: *His itaque copulatus eſt Rex Salomon ardentiſſimo amore. Secundum*, quod contra legem acceperit uxores alienigenas. Quod enim acceperit eas, quæ in cultu idolorum ſuæ gentis permanebant, id patet ex ſubjecta narratione. Tales autem accipere non licebat. Rationem hoc loco adjicit ſcriptura ex capite Exodi trigeſimo quarto his verbis: *De gentibus ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras. Certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum.* Ubi valde notandum eſt quod dicit, (*certiſſimè.*) Vix enim, etiam hoc tempore, invenias Catholicum, qui ducta uxore hæretica, non ſit paſſus fidei ſuæ naufragium. Hinc & Apoſtolus ſeveriſſimè admonet 2. ad Corint. capite ſexto: *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Denique tertium peccatum eſt, quod ultra modum uxores ſibi multiplicaverit. Id quod etiam diſertè in lege fuerat prohibitum Deuteron. capite decimo-ſeptimo, ubi de Rege dicitur: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum eius.*

℣. 4. *Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor eius per mulieres, ut ſequeretur deos alienos.* Quod

A attinet ad idololatriam; ad quam perductus legitur Salomon; quidam putant non ipſum Salomonem coluiſſe idola gentium, ſed tantum in eo peccaſſe, quod ita immodicè & inordinatè uxores ſuas dilexerit; ut eas permitteret conſtruere templa, & erigere altaria in honorem ſuorum idolorum, idque in terra ſancta, quæ unius Dei cultui peculiariter deputata erat. *Magis tamen conſonum eſt ſcripturæ Sacræ*, ut dicatur ipſe etiam Salomon idolis templa extruxiſſe, eaque coluiſſe. Non tamen putandum eſt, eum ita infatuatum, ut idolis putaret aliquid ineſſe divinitatis; ſed dum nollet uxores offendere, ſimul cum illis exteriorem adorationis cultum eis exhibebat; ſicut Adam uxori ſuæ obſecutus eſt, non ſeductus, 1. Tim. 2. ſed ne eam contriſta-
B ret. Ita Auguſtinus lib. 14. Civit. cap. 14.

An pœnitentiam egerit & ſalvatus ſit, an verò reprobatus, variè diſputatur. Eſt veterum Judæorum ſententia, teſte Hieronymo in cap. 1. Eccleſiaſtæ, Salomonem in fine dierum egiſſe pœnitentiam; & eo tempore compoſuiſſe librum Eccleſiaſtæ; quod idem Hieronymus approbare videtur ſuper Ezech. 43. & Chryſoſt. ſerm. contra concubinarios. *Adde*, quod idem Hieron. libr. 1. contra Pelag. cap. 6. dicit quod in futuro ſeculo, non tantum in Salomone erit ſapientia, in Davide manſuetudo; ſed omni virtutum choro Sanctorum numerus gloriabitur. Ergo, ut videtur, ſentit Salomonem fore in numero Sanctorum. In contrarium ſcripſit opuſculum de damnatione Salomonis Philippus Abbas Bonæ ſpei, varios citans authores, & inter alios Auguſt. in Pſalm. 126. ubi dicit quod Sa-
C lomon reprobatus à Deo eſt, & lib. 17. de Civit. quod Salomon bonis initiis malos exitus habuit. Et hanc ſententiam tanquam probabiliorem ſequitur etiam Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 5.

℣. 13. *Filio autem eius dabo tribum unam; ut remaneat lucerna David ſervo meo cunctis diebus coram me in Ieruſalem*; id eſt, ut David ex ſuâ poſteritate ſemper habeat aliquem regnantem poſt ipſum, regno ſublimem & illuſtrem (id enim eſt lucerna) in Ieruſalem loco regni eius, civitate quam elegi, &c. Per hoc explicat quod dixit, *coram me.* Nam ibi erat arca Domini. Similiter infrà cap. 15. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus ſuus lucernam in Ieruſalem, ut ſuſcitaret filium eius, &c.* Ubi lucerna exponitur per illud, *ſuſcitaret,*
D *&c.* Item 4. Reg. 8. *Ut daret illi lucernam & filiis eius*, id eſt: daret Davidi, & filiis eius ſucceſſionem regni. Item 2. Paralip. 21. *Qui promiſerat ut daret ei lucernam, & filiis eius omni tempore. Lucernam*, id eſt, ſplendorem regium, id eſt, dignitatem regiam, claram & illuſtrem. Sic Vatabl. & Emmanuel Sà.

CAPUT XII.

℣. 4. PAter *tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis: Tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo.* Supra dictum eſt capite 9. verſ. 22. *De filiis autem Iſraël non conſtituit Salomon ſervire quenquam.* Et 4. cap. verſ. 20. *Iuda & Iſraël innumerabiles, ſicut arena maris in multitudine, come-*
E *dentes, & bibentes atque lætantes. Quæritur*, quomodo ergo hîc dicitur Salomon eis impoſuiſſe duriſſimum jugum? *Reſpond.* Jugum illud non eſt intelligendum de vilibus & ſervilibus operibus; Ea enim filiis Iſraël non imponebantur, ſed proſelytis: Sed conqueruntur ſe preſſos jugo, quia cogebantur miniſtrare Salomoni per menſes ſingulos, expenſas regiæ familiæ. Id autem fiebat per duodecim præfectos duodecim tribuum. Atque hoc populus æſtimabat valde grave; quia Salomonis menſa ſumptuoſa admodum erat, & magnifica, ut capite quarto deſcribitur. Deinde populus, ut in talibus rebus fieri ſolet, gravitatem oneris illius ſua querimonia apud novum regem exaggerat:

Neque,

Neque, ut apparet immeritò; tum ob ſupradicta, tum propter faſtum inexplebilem tot reginarum idololatrarum, ſumptuſque immenſos. Itaque metuebat populus ne Roboam ſub iiſdem oneribus eos contineret.

℣.20. *Et conſtituerunt eum*, (Ieroboam) *regem ſuper Iſraël.* Etſi fortè habuerit populus poteſtatem ac jus id faciendi quod fecit, propter tyrannidem prætenſam à Roboam; præſertim cum non ageretur de rege mutando, ſed eligendo: nihilominus dicendum eſt, populum valde malè feciſſe, quod diviſerint ſe à tribu Juda, in qua erat locus ſacrificiis & Dei cultui deputatus, & extra quem offerre ſacrificia non liceret. Nam ex hac diviſione conſequentia quâdam ac velut neceſſitate morali, erat ſecuturum, ut regnum ſic diviſum deficeret à vero cultu Dei. Nam Rex decem tribuum non erat permiſſurus ut ſuus populus aſcenderet ter in anno Ieroſolymam, & quoties vellent Deo ſacrificia offerrent; idque ne rediret ad domum David. Hoc enim ex humana prudentia conſequens omnino videbatur; & proinde hujuſmodi malum prævidere debuiſſet populus diviſionem faciens. Potius ergo debuiſſet populus communicare conſilia cum tribu Juda & Levitica, & Roboamum avertere à tam ſtulto conſilio, ſicque eum eligere, vel communibus duodecim tribuum ſuffragiis alium aliquem eo principatu digniorem eligere. Itaque hic locum habuit; *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

His adde, quod Ieroboam non videtur fuiſſe motus bono ſpiritu, quando populo author fuit ſeceſſionem faciendi à domo David, ſed quod concupiverit dominatum & regnum pro ſe, quodque voluerit vindicare injuriam, qua putabat ſe affectum à Salomone, de qua ſuprà, cuius occaſione rebellavit. Sed nec populus bono ſpiritu motus videtur. Nam quoſdam magis ad ſeditionem aptos & ingenio pravos Ieroboam conciliavit, per quos & ceteros ad rebellandum ſeu deficiendum à domo David commoveret. Quod enim non ſolum odio Roboam, ſed etiam domus David id factum fuerit, apparet ex ea voce; *Non eſt nobis pars in David, neque hæreditas in filio Iſai.* Simpliciter ergo domum David repudiarunt, alioqui alium aliquem ex eadem familia (*nec enim deerant*) aut ſaltem ex eadem tribu poterant eligere, ne tam pernicioſam ſciſſuram facerent. Sed quia tribus Ephraim valde aliquando floruerat, & principatum aliquando geſſerat in Ioſue; nata fuiſſe videtur illius tribus adverſum domum David, & tribum Juda æmulatio, ut aliquem ex ſeſe in regem eligerent. Ad quod quidem aptiſſimus videbatur Ieroboam prout in ſuperioribus deſcribitur. Hæc quæ dixi confirmantur ex oratione Abiæ regis Juda filii Roboam, quam prælium commiſſurus habuit ad filios Iſraël 2. Paralip. 13. *Surrexit* (inquit) *Ieroboam filius Nabath, ſervus Salomonis, filij David, & rebellavit contra dominum ſuum, congregatique ſunt ad eum viri vaniſſimi, & filij Belial, & prævaluerunt contra Roboam filium Salomonis.*

Nec his obſtat quod Dominus per Prophetam Ahiam promiſit Ieroboam decem tribuum regnum, jubens ut decem ſciſſuras ex pallio acciperet, quia quamvis ſicut ſupra dictum eſt, populus jure potuerit in eum transferre regnum; ille tamen malis actibus & ſuggeſtionibus populum ad hoc incitavit. Cuius rei ſimile & memorabile exemplum eſt in Azael rege Syriæ, qui dominum ſuum regem ſuffocavit in lecto, & ita ſucceſſit ei in regnum: de quo tamen legitur non ſolum quod Elizæus Propheta prædixerit ei regem Syriæ eum futurum; verùm etiam quod idem propheta juſſus fuerit eum ungere in regem, nec dubium quin id fecerit, licèt ſcriptura factum non dicat.

Dicet aliquis, regnum Iſraël erat hæreditarium, non electivum, quia Davidi facta erat promiſſio quod filii eius, & poſteri ſuccederent in regnum. *Reſpondeo* illam promiſſionem quantum ad totum regnum, non fuiſſe abſolutam, alioqui Deus non præſtitiſſet promiſſionem ſuam. Deinde promiſſio illa non obligabat populum, quia populo non erat datum præceptum, & veriſimile eſt non fuiſſe eam promiſſionem vulgò notam; & ſi fuiſſet nota, non tollebat electionem, ſed reſtringebat ad poſteritatem David, poſito quod ſcitum fuiſſet eſſe abſolutam promiſſionem; nam id populus non tenebatur credere, niſi ſufficienter probatum. Accedit quod quamvis ipſi etiam Davidi regnum eſſet promiſſum; tamen electione populi factus ſit rex, primùm duarum tribuum, deinde & reliquarum.

℣.24. *Hæc dicit Dominus: Non aſcendetis neque bellabitis contra fratres veſtros ——— A me enim factum eſt verbum hoc.* Vide ad 2. Paralip. 11.

℣.25. *Ædificavit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habitavit ibi.* Erat enim ex tribu Ephraim, ut ſuperiori capite dictum eſt. Nec tamen exiſtimandum eſt in ea tribu regnum Iſraël uſque ad finem permanſiſſe. Nam ſucceſſio generis abrupta fuit ſtatim in filio eius Nadab, quem regno & vita ſpoliavit Baaſa de domo Iſſachar, atque pro eo regnavit. Huius quoque filium Ela interfecit Zambri, regnum pro eo invadens: qui de qua tribu fuerit, non legitur. Verùm hunc quoque regno & vita ſtatim exuit Amri. Sed nec huius genus proditur, niſi quod probabili argumento colligi poteſt, eum fuiſſe eius tribus in qua erat mons Samariæ. Nam in eum montem ex Therſa Regiam tranſtulit. Siquidem Ieroboam ædificavit Sichem in monte Ephraim, in qua ut regia urbe habitavit; quemadmodum hîc dicitur. Baaſa verò Iſſachar regiam habuit in Therſa, quæ proinde videri poteſt fuiſſe in tribu Iſſachar, tametſi capite 14. legatur uxor Ieroboam eò ingreſſa, quando filius eius mortuus eſt. Atqui Samariam in tribu Ephraim fuiſſe, apparet ex Iſaiæ 7. *Caput Ephraim Samaria.* Quamvis enim Ephraim pro regno decem tribuum poſitum ſit, non tamen ſic loqueretur Propheta, ut Samariam caput Ephraim nominaret, niſi in ſorte & poſſeſſione Ephraim ſita eſſet. Sed & chartæ geographicæ Samariam in ea tribu collocant. Quare ex eo quod Amri in monte Samariæ regiam extruxit, veriſimile fit eum Ephraimitam fuiſſe; igitur & Achab filium eius & Ochoſiam & Ioram nepotes. Ioram autem interfecto ſucceſſit Ieſu filius Namſi, cuius tribus non exprimitur. Huius ſtirpe poſt quartam generationem extincta, regnavit Sellum, & hoc interfecto, regnavit Manahem, & poſt hunc filius eius Phaceia. De horum quoque tribu non conſtat, niſi quod Sellum vocetur filius Iabes, fortè ex Iabes Galaad, Manahem filius Gadi. Cum Phaceia autem interfecti leguntur quinquaginta viri de filiis Galaaditarum. Unde conjectura eſt iſtos vel ex tribu Gad, vel ex dimidia tribu Manaſſe, quæ ſortem acceperat ultra Iordanem, genus duxiſſe. Porrò interfectorem Phaceiæ interfecit ſucceſſor eius Oſee, qui & regnum Iſraël poſtremus tenuit. Sed & horum ignotum genus. Sciendum tamen regnum decem tribuum ſæpe apud Prophetas vocari Ephraim; tum quia primus rex Ieroboam, & multi poſt eum ex illa tribu fuerunt; tum quia tribus Ephraim numero & potentia excellebat in illo regno.

℣.28. *Et excogitato conſilio fecit* (Ieroboam) *duos vitulos aureos, dicens: Ecce dij tui Iſraël.* Ieroboam, qui regnum ex divina promiſſione acceperat, valde ſtultè & inſipienter exiſtimavit illud humano hoc & impio conſilio ſtabiliendum eſſe, quaſi Deus qui dederat, illi confirmare non potuiſſet. Opinio quorumdam eſt, quod populus Iſraël, in illis vitulis, tanquam in imaginibus coluerit verum Deum, & plurale poſitum

eſſe pro ſingulari, *Ecce Dij tui*, id eſt, Deus tuus, id eſt, in hâc imagine potes Deum tuum colere. *Nec tamen* negant hi filios Iſraël graviter nihilominus peccaſſe; quia inquiunt, ne quidem in imagine aliqua fabricata alicuius creaturæ licebat eis verum Deum colere. *Sed* longè conformius eſt Scripturæ ſacræ, quod vitulos verè Deos putaverint. Nam ſimili forma verborum utitur hîc Jeroboam, dicens, *Ecce Dij tui, &c.* qua uſus fuerat populus Iſraël in deſerto, quando dixit: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Ubi eos verè idololatras fuiſſe conſtat; quidquid tergiverſetur Calvinus. Accedit quod nulla ſit ratio quare vero Deo tribuerent imaginem vituli. Vide ſuprà ad eundem locum Exodi capite 32. & infrà cap. 14. verſ. 9. Porro nota in hoc capite proponi duo ſtulta conſilia duorum Regum, Roboam ſcilicet & Jeroboam: ſed magis ſtultum conſilium Jeroboam, quia cum ſumma impietate conjunctum fuit.

CAPUT XIII.

℣. 2. *ET immolabit ſuper te Sacerdotes excelſorum.* *Immolabit*, id eſt, occidet. Sic enim 4. Reg. 23. ubi hæc completa referuntur. *Et occidit univerſos Sacerdotes excelſorum qui erant ibi ſuper altaria.* Quamquam in Hebræo idem eſt vocabulum utrobique, quod immolare, mactare, jugulare ſignificat. Propriè intelligi non poteſt immolatio, tum quia homines Deo ſacrificare lege vetitum erat, tum quia ſacrificia & oblationes fieri debent de rebus præſtantibus, & præcipuum uſum apud nos habentibus, ut ſunt panem, vinum, boves, oves, non de rebus abjectis, inutilibus, noxiis, exitio dignis, quales erant hi Sacerdotes idolorum peſtes hominum, tollendi è medio, non offerendi Deo. Hic ergo propriè erat juſtitia vindicativa, non immolatio. Vocatur autem immolatio per catachreſin.

℣. 9. *Et reverſa eſt manus Regis ad eum.* Quæritur quomodo per miraculum fuerit ablata pœna, quæ fuerat propter peccatum inflicta, Rege adhuc in peccato perſeverante; Nam ſic ſequitur: *Poſt verba hæc non eſt reverſus Jeroboam de via ſua peſſima.* *Reſpondeo*, primum, Chriſtum etiam ſanaſſe quoſdam corporaliter; quos non ſanarit ſpiritualiter, ut Malchum, cui Petrus abſciderat auriculam, Joan. cap. 18. & novem leproſos ingratos, Lucæ capite 17. *Deinde*, non fuit hæc pœna areſactæ manus propriè pœna idololatriæ, in qua perſeveravit, ſed fuit Jeroboam hoc modo punitus, quia extenderat manum in virum Dei, dicens: *Apprehendite eum.* In hac autem voluntate Rex non remanſit, ſed magis eum deinde honoravit, volens ei etiam munera offerre.

℣. 18. *Et ego Propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi, &c.* His verbis verus Dei Propheta à falſo Propheta fallitur, & reducitur in domum eius, ubi contra Domini voluntatem comedit & bibit. Hic locus oſtendit *diligenter probandos eſſe ſpiritus*, utrum ex Deo ſint. Clariſſimum *autem* argumentum eſt ſpiritum aliquem ex Deo non eſſe, quando ſuggerit aliquid, quod eſt contra revelationem divinam prius factam; ut in præſenti exemplo. Nam Propheta iſte

E expreſſum mandatum à Deo acceperat, ut in terra Iſraël nec comederet, nec biberet. Et quia de illo Dei mandato certus erat; non debuit alteri credere, dicenti ſibi eſſe revelatum, ut ipſum reduceret, & cibum potumque ei miniſtraret. Hoc *itaque* exemplo omnem novitatem reſpuere debemus, quantumcumque ſpecioſam & probabilem, quam noverimus eſſe revelationi divinæ jam olim in Scripturis, vel Conciliis, vel Eccleſiaſtica traditione factæ, contrariam. Interim quod ad ſenem illum Prophetam, qui mentitus eſt, attinet, dicit Theodoretus illum non malitia, nec ſtudio fallendi mentitum eſſe; ſed eo quod reputaret

A hoc pro magna benedictione domus ſuæ, ſi tantum Prophetam exciperet hoſpitio, ac menſæ, ac colloquii ſocium haberet. Nihilominus inobediens alter Propheta Deo, punitus eſt. Porro ex facto mirabili, quod ſequitur, nempe quia leo non comedit de cadavere, nec læſit aſinum, rectè colligit S. Auguſt. lib. de cura pro mortuis cap. 7. hunc Prophetam punitum fuiſſe in hoc ſæculo, ut non puniretur poſt mortem, ſicut & de quibuſdam Corint. 1. Cor. 11. dicit Apoſtolus.

℣. 33. *Quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* Significatur quod nullo delectu nec probitatis, nec doctrinæ, nec generis, quilibet è populo aſſumebatur ad Sacerdotium illud excelſorum. Illud (*implebat manum ſuam*) quidam ſic intelligunt. Quicumque Sacerdos fieri vellet, ma-

B num ſuam implebat adducendo & offerendo ſolemnem Hoſtiam, ſicut Aaron fecerat, & eo facto, erat conſecratus in Sacerdotem. Quidam hoc modo, referendo ad Jeroboam: Quicumque Sacerdotium ambiebat, *implebat manum ſuam*, id eſt, ipſius Jeroboam, id eſt, dabat ei munus aliquod, per quod ſibi à Rege comparabat Sacerdotium. Sed ita accipi non poteſt: Nam implere manum, ſæpè in bono accipitur in Levitico & alibi. Itaque phraſi Scripturæ, *implere manum alicuius eſt*, tradita in manus Hoſtia, & inſignibus ad Sacrificium pertinentibus, conſecrare in Sacerdotem. Senſus igitur eſt. Quemcumque Jeroboam volebat, id eſt, quicumque ei placebat, eius manum implebat, id eſt, eum datis Hoſtiis & Sacerdotii inſignibus, in

C poſſeſſionem, ſeu functionem mittebat. Et hoc pacto quoſlibet ex plebe creabat Sacerdotes. *Vel*, quicumque offerebat ſe, eius manum Rex implebat. Hieronymus ſuper Oſeæ capite 4. Quicumque implebat manum, vel ſuam, vel Regis, inquit, offerendo & dando ei munera, Sacerdos fiebat excelſorum. Quæ verba itidem duplicem ſenſum admittunt, ſed ſenſus à nobis poſteriori loco explicatus videtur commodior.

CAPUT XIV.

℣. 9. *SEd operatus es malè ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos & conflatiles.* Exaggeratur peccatum Jeroboam ſuper pecca-

D tum omnium Regum, vel Judicum; quia non ſolum ipſe à Dei cultu defecerat, ſed etiam ſtudioſè hoc egerat, ut univerſus populus à cultu Dei recederet. *Inſuper* & miraculo admonitus per ruptionem altaris, & manus ſuæ areſactionem; minimè tamen ad Deum converſus legitur, ſed potius deteriora perpetraſſe. Hinc in ſequentibus, toties repetitur de aliis regibus impiis, quod ambulaverint in peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Iſraël. Quod ergo dicitur: *feciſti tibi Deos alienos & conflatiles*, ſatis quoque arguit; non ad hoc eum erexiſſe vitulos aureos, ut in illis tanquam imaginibus quibuſdam verum Deum colerent (quod & ad caput duodecimum verſ. 28. refutavimus, etiamſi ita ſentire videtur Joſephus) ſed quod vitulos erexerit, tanquam ipſos deos, quos colerent; quia vocantur dii

E alieni, & conflatiles. Vide ſuprà capite duodecimo, & Exodi cap. 32.

℣. 12. *Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam, & in ipſo introitu pedum tuorum in urbem morietur puer.* Et infrà: *Cumque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus eſt:* Cur non potuit mulier eludere vaticinium hoc non redeundo in urbem, ſed alio divertendo; An non auſa fuerit omittere, metuens gravius malum, eò quòd propheta pepercit, dicens: *Exurge & vade in domum tuam*; An potius, Deus, in cuius manu ſunt corda Regum, ita movit eius animam & voluntatem, ut non putaret aliud ſibi faciendum, quacumque ratione animo eidē objectâ, mota fuerit.

Id

Id enim Deo, ſalva libertate arbitrij hominis, non eſt A difficile, qui corda hominum inflectit quocumque voluerit.

℣.30. *Fuitque bellum inter Roboam, & Ieroboam cunctis diebus.* Videri poteſt hoc contrarium ei, quod ſupra dictum eſt cap. 12. ubi moniti filij Juda per prophetam, ne aſcenderent contra fratres ſuos, leguntur acquieviſſe. *Audierunt*, inquit ſcriptura, *ſermonem Domini, & reverſi ſunt de itinere, ſicut eis præceperat Dominus. Sed reſpondeo*, ſicut habetur 2. Paralipom. capite undecimo, primo triennio Roboam rex cum populo ſuo, Deo fideliter ſervivit, confluentibus ad eum omnibus Levitis ex toto Jſraële. Et eo tempore juxta imperium Domini non movit bellum contra regem Jſrael. Sed *poſtea*, ſicut hîc legitur, à v.22. uſque 24. & ipſe populus Iuda declinavit ad idola. Et ab B eo tempore Roboam inſtauravit bellum contra regem Jſraël, volens repetere regnum primum, & integrum. Quod ergo hîc dicitur, *cunctis diebus*, perinde eſt, ac ſi diceretur, toto ferè tempore regni ſui. Solum enim excipiuntur tres anni, nec illi fortè integri.

CAPUT XV.

℣.4. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus lucernam in Ieruſalem, ut ſuſcitaret filium eius poſt eum.* Quotieſcumque in ſcriptura dicitur Deum propter David aliquod beneficium præſtitiſſe poſteritati eius, exempli gratia, ſucceſſionem filiorum in regnum, defenſionem vel liberationem ab hoſtibus, reli- C gionis conſervationem: non tantum ſignificatur talia Deum præſtare, propter promiſſionem Davidi factam, quomodo ferè hæretici exponunt; ſed propter promiſſionem factam, occaſione meritorum Davidis; vel, quod in idem recidit, propter merita Davidis, quorum conſideratione Deus talia promiſerat. Et quod ille ſit ſenſus, patet ex præſenti loco ſcripturæ. Cùm enim dixiſſet, *propter David*; explicans, quid ſit illud, ſubiungit: *eò quòd feciſſet David rectum in oculis Domini, & non declinaſſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ*, quaſi dicat propter merita Davidis Deus benefecit eius poſteritati.

℣.6. *Excepto ſermone Vriæ Hethæi.* Id eſt, excepto facinore, quod commiſit adverſus Uriam Hethæum, uxore eius per adulterium abutendo, & ipſum interfi- D ciendo. Sed, *inquies*, quomodo excepto hoc ſermone non declinavit à præceptis Domini, cum etiam alibi graviter peccaſſe legatur: nempe in numeratione populi; & in ſententia injuſtè lata contra Miphiboſeth? *Reſp.* ſcriptura nominat hîc ſolum peccatum illud in Uriam, ut in quo graviſſimè peccaſſet, & quod nullam mereretur, vel etiam admittere excuſationem; videlicet, quia poſt adulterium commiſſum de induſtria & deliberato conſilio, etiam curavit occidi innocentem. Alia verò eius peccata aliquam excuſationem admittunt. Nam ſententia contra Miphiboſeth imprudenter & præcipitanter fuit prolata, re non diligenter examinata; & acceſſit aliquo modo conſenſus Miphiboſeth. In populi quoque numeratione non putabat David E initio ſe peccare, ſed poſtea, ut Scriptura loquitur, percuſſit eum cor ſuum. 2. Reg. 24. v.10.

℣.13. *Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi.* Plus aliquid in Hebræo, & apud Septuaginta habetur, & quod magis ipſum Aſa commendat fere hoc modo: *Inſuper & Maacha matrem ſuam amovit, ne eſſet Domina ſeu princeps, eò quod fecerat lucum ipſi Priapo*, id eſt, turpi illi & obſcœno idolo. Senſus ergo eſt: prohibuit Aſa rex, ne vel ipſius mater deinceps ullam authoritatem haberet diſponendi de negotiis publicis, eò quòd obſcœnum illud idolum foviſſet. Exemplum hoc docet nulli hæretico, ne matri quidem, permittendam A à rege vel principe functionem publicam.

℣.18. *Tollens itaque Aſa omne argentum & aurum quod remanſerat in theſauris domus Domini, —— miſit ad Benadab, &c.* 2. Paralip. 16. non additur *omne*; & quidem hoc loco Scriptura non dicit rectène, an ſecus fecerit Aſa tollendo argentum & aurum ex theſauro domus Domini, ut ex eo ſibi confœderaret regem Syriæ contra regem Jſraël, à quo bello premebatur. Sed 2. Paral. 16. id manifeſtè reprehenditur à propheta. Vide eius loci annot. Non tamen reprehenditur quod in neceſſitate belli acceperit ſumptum ex theſauro domus Domini, id quod etiam legitur Ezechias feciſſe, ſed quod fiduciam collocaſſet in rege Syriæ.

CAPUT XVI.

B

℣.7. *Cum autem in manu Iehu filij Hanani prophetæ verbum Domini factum eſſet contra Baaſa. —— ob hanc cauſam occidit eum, hoc eſt, Iehu filium Hanani prophetam.* Senſus noſtræ lectionis eſt, quod Baaſa, vel filius eius Ela occidit hunc prophetam, ob hanc cauſam, quia ex perſona Domini prædixerat familiæ eius ſubverſionem. Sed ſciendum eſt, poſtremum illud (*hoc eſt, Iehu filium Hanani prophetam*) in Hebræo non haberi, neque etiam in quibuſdam Latinis M. SS. neque apud Septuaginta, aut Chald. Sed in Hebræo & apud 70, tantum legitur hoc modo; *Et quia percuſſit eum.*

℣.31. *Nec ſuffecit ei ut ambularet in peccatis Ieroboam filij* C *Nabath, inſuper duxit uxorem Iezabel filiam Ethbaal, regis Sidoniorum.* Exaggerat Scriptura ſancta tam vehementer, quod Achab duxerit Iezabel uxorem, duas ob cauſas. Primò, quod per eam ex malo factus ſit longè deterior; deinde, quod per eam ea fecerit, quæ ipſe per ſe alioqui non videbatur facturus. Nam propter eam occidit Naboth innocentem, ut Iezabel eius potiretur vinea; item perſecutus eſt Eliam, & cæteros prophetas Domini. Et ideo non ſine ratione Scriptura inter maxima peccata ponit, quod Achab duxerit uxorem falſo cultui deditam, videlicet ex cuiuſmodi matrimonio maxima mala naſcantur, ut etiam ſupra oſtenſum eſt cap. 11. de Salomone.

CAPUT XVII.

D

℣.4. *Corviſque præcepi, ut paſcant te ibi.* Commendatur nobis admirabilis Dei providentia, erga ſervum ſuum Eliam; cui tempore famis primum per corvum, rapax alioqui animal; deinde per viduam Sareptanam de alimento neceſſario providit. Et quod mirabilius eſt, lautius etiam providit per corvos, quam per mulierem. A corvis enim paſtus eſt pane & carnibus; à muliere verò pane tantum & oleo. Cæterùm quod hîc dicitur (*præcepi corvis*) intelligendum eſt per hoc præceptum non aliud, quàm Dei voluntas & ordinatio; qua voluit & conſtituit, idque per occultum & efficacem inſtinctum, ut corvi quotidie mane & veſperi ad prophetam cibos adferrent. Et eodem modo E quoque præceptum intelligendum eſt in eo, quod poſtea de muliere dicit: *Præcepi mulieri viduæ, ut paſcat te.* Quamvis enim mulier capax erat præcepti propriè dicti, nullum tamen tale præceptum à Deo acceperat, ut patet ex eo, quod, ut Scriptura narrat, ſe morituram putabat unà cum filio, conſumptâ, quam habebat, modica farina. Sed dicitur Deus ei præcepiſſe, quia ſic ordinaverat, ſcilicet efficaciter operaturus in eius voluntate ut venientem Eliam reciperet, & miraculo recreata libenter illum paſceret.

℣.18. *Quid mihi & tibi vir Dei? Ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* Putabat mulier, quod propter commercium ſuæ indignitatis cum ſanctitate talis viri.

Deus vindictam ſumeret de peccatis eius, occidendo filium eius. Nam ſicut ſancta ſanctè tractanda ſunt, ita etiam cum viris ſanctis, ſeu officio, ſeu pietate; ſanctè & reverenter converſandum eſt. Metuebat ergo mulier, ne fortè tanto viro non eſſet famulata, ut debebat, & ita ob eius præſentiam puniretur. *Illuſtre de ſanctis ſanctè* tractandis exemplum quoque eſt in arca Domini, 2. Regum cap. 6. quam Oza attingens temerè, à Deo percuſſus eſt. Unde & David, non eſt auſus eam in ſuam domum introducere. Sic & de ſanctitate perſonæ, exemplum eſt in Chriſto; cui Petrus ſimiliter, vindictam aliquam metuens, dicebat: *Recede à me, quia homo peccator ſum.* Cui etiam à Centurione ex ingenti reverentia dictum eſt: *Domine non ſum dignus, &c.* Luc. cap 5. & Matth. 8.

CAPUT XVIII.

℣. 3. V*Ocavitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ: Abdias autem timebat Dominum valde.* Quare ſi timuit Dominum valde, quomodo ſuſtinuit habitare cum Achab peſſimo Rege & idololatra? Videtur dicendum hoc ei non fuiſſe illicitum, primò, quia tam erat fixus in unius veri Dei cultu & pietate, ut ſine periculo poſſet verſari inter impios & infideles; Deinde, quia multa mala poterat impedire & bona veris Dei cultoribus, qui perſecutionem patiebantur ab impiiſſima Iezabel conjuge Achab, impendere, ſicut & fecit abſcondendo Prophetas Domini, quos illa quærebat ad necem. Quomodo & Sanctus Sebaſtianus inculpatè, & ad rem Chriſtianam utiliter verſatus fuit in aula Diocletiani Imperatoris cruentiſſimi Chriſtianorum perſecutoris.

℣. 21. *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Meritò reprehendit Elias, quod non eſſent ſolliciti, ut diligenter inquirerent, quis cultus, aut quæ religio vera, & ſyncera eſſet; utrum ea quam à Moyſe & Prophetis, ac majoribus ſuis acceperant; an verò ea quam nuper introduxerant reges Iſraël. Senſus ergo eſt: Si certa aliqua ratione, ſeu per miracula, ſeu aliter intelligitur Dominum eſſe Deum, id eſt, Iehova eſſe Deum (ita enim vocabatur Deus apud Iſraëlitas) eum ſequimini, eum colite. Sin verò ſimili ratione oſtendi poteſt Baal eſſe Deus; tunc eum colite. Quibus verbis non hortatur Elias ad aliquid impium; quia conditionem præmittit impoſſibilem, videlicet Baal certa ratione poſſe demonſtrari Deum. Unde & ſequenti miraculo oſtendit manifeſtè quis ſit Deus. *Ita & hodie* dicere liceret, ad quoſdam dubiæ religionis homines, qui malunt ſemper dubitare, & inter utrumque fluctuare, quàm alterutrum maturo conſilio eligere: Uſquequo claudicatis in duas partes? Si apud Catholicos eſt vera Eccleſia, vera fides, & quæ Marci c. 16. promiſſa ſunt fidem ſecutura miracula; ſequimini eam, adhærete illi: ſin apud Calviniſtas, aut Lutheranos; eos ſequimini.

℣. 24. *Invocate nomina deorum veſtrorum, & ego invocabo nomen Domini mei.* Non præcipientis neque adhortantis verba ſunt iſta. Sed hic ſenſus eſt: Si vultis, & ſi ita vobis placet, invocate deos veſtros, ut vos exaudiant: Ego verò Deum meum invocabo. Sic in Evangelio Chriſtus ad proditorem Ioan. 13. *Quod facis, fac citius.* Hebraicè hic eſt: *Et invocabitis in nomine deorum veſtrorum.*

℣. 40. *Dixitque Elias ad eos: Apprehendite Prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.* Quidam putant Eliam eos occidiſſe tantùm, quia imperavit occidi, alij arbitrantur eum quoſdam etiam propriis manibus interemiſſe, ſicut Samuël Agag regem Amalec. Sed, ſive per ſe, ſive per alios, ſcriptura dicit de eo, quod *duxerit eos ad torrentem Ciſon, & ibi eos interfecerit.* Quod ut minimum intelligendum, eos juſſione Eliæ interfectos fuiſſe. Quod ſi Propheta Dei rectè & juſtè ſic animadvertit in prophetas Baal: rectè etiam & juſtè principes Chriſtiani ſupplicio mortis animadvertunt in eos, qui hodie populum falſa doctrina ſeducunt. Quod *enim* in populo Iſraëlitico erant idola, & idolorum prophetæ, hoc in populo Chriſtiano ſunt hæretica dogmata, & eorum dogmatum authores & doctores. Legitimè autem id fecit Elias, quia juſſu Domini. Sic enim ſequitur poſtea: *Iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Et conſtabat hoc ſatis populo per miraculum præcedens incenſi holocauſti.

CAPUT XIX.

℣. 11. E*T ait ei: Egredere & ſta in monte coram Domino. Et ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, &c.* Ita verba: *Et ecce Dominus tranſit, &c.* vel accipi poſſunt tanquam à Domino dicta, loquente de ſeipſo (& ſic à quibuſdam exponuntur) vel tanquam verba ſcriptoris, narrantis quæ ſigna præceſſerint præſentiam Domini, exhibitam Eliæ. Et hic intellectus videtur verior. Senſus igitur eſt: Cùm Dominus tranſiturus eſſet ante Eliam, id eſt, tranſitu quodam ſuam præſentiam ei exhibiturus; hæc horribilia ſigna præceſſerunt, ad generandam reverentiam maieſtatis divinæ; primum ſpiritus, id eſt, ventus fortis & vehemens, ut etiam montes ſubvertere & rupes conterere poſſet; deinde commotio montis ſeu terræ motus; terræ motum autem ſequebatur ignis. Et poſt hæc tria terribilia ſecutus eſt ſibilus auræ tenuis, id eſt, ventus lenis ac tranquillus, præſentiam Dei ſignificans. Per quod poſtremum ſignificatur Deum non poſſe, niſi in mentis tranquillitate à nobis agnoſci.

℣. 16. *Cumque perveneris illuc, unges Azaël regem ſuper Syriam, &c.* Non parvam difficultatem habet hic locus. Præcipiuntur enim tanquam ab ipſo Elia facienda, ire in Damaſcum, & ibi ungere, &c. Atqui nihil horum per ſe fecit, niſi quod Eliſæum injecto pallio ſuo ſuper eum quodammodo fecerit prophetam. Nam quod unxerit eum non dixit ſcriptura. Azaëlem quoque unctum fuiſſe non legimus, ſed tantum ab Eliſæo ei dictum 4. Reg. 8. *Oſtendit mihi Dominus te regem Syriæ fore.* Iehu unctus quidem, ſed neque ab Elia, neque ab Eliſæo, ſed ab uno ex filiis prophetarum 4. Reg. 9. De hac difficultate vide Liranum, qui tamen non ſatisfacit. Videtur autem poſſe probabiliter dici, præceptum ad Eliam factum, ſic ab Elia, qui propheta erat, & ſenſum Domini in multis cognoſcebat, intellectum fuiſſe; ut partim ad ipſius perſonam, partim ad diſcipulum & ſucceſſorem eius in munere prophetico pertineret. Nam & Eliſæus erat velut alter Elias, comes eius individuus, in quo factus eſt duplex ſpiritus Eliæ, de quo filij prophetarum dixerunt 4. Reg. 2. *Requievit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum.* Et Eccleſiaſticus c. 48. quod in Eliſæo completus eſt ſpiritus Eliæ. Itaque & in Eliſæo completum eſt, quod ibidem de Elia dicitur: *Qui ungis reges ad pœnitentiam.* Vide Ianſenium in illum Eccleſiaſtici locum, ubi unctionem exponit conſervationem. Fortè etiam Elias oleo viſibili unxit Eliſæum, & Eliſæus Azaëlem, licèt id ſcriptura non dicat. Quod enim de Iehu dictum, nempe quod unctus fuerit oleo, videtur de aliis ſimiliter intelligendum. Et quidem Iehu juſſu Eliſæi unctum fuiſſe conſtat. Hieronym. ſuper Habacuc 3. dicit Iehu & Azaël fuiſſe perfuſos lenticula. Et fortè eius rei gratia Eliſæus Damaſcum profectus eſt, ut Azaëlem in regem ungeret 4. Regum 8. licèt ibi de unctione non fiat mentio; ſicut Samuel miſſus fuit in Bethlehem, ut ungeret David.

℣. 17. *Et erit quicumque fugerit gladium Azaël, occidet eum Iehu; & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet*

interficiet eam Eliſæus. Quomodo Azaël rex Syriæ, & Iehu rex Jſraël mortuos idolorum cultores gladio percuſſerint, maniſeſtè docet ſcriptura in ſequentibus; quod autem aliquos interfecerit Eliſæus, non legitur, niſi de quadraginta duobus pueris, quibus maledixit, qui ab urſis dilacerati fuerunt; qui quidem erant filij idololatrarum. Id enim contigit in Bethel, ubi alter vitulus aureus erat collocatus. *Quidam ergo* id quod hîc dicitur, ad pueros illos referunt Eliſæi irriſores, eius imprecatione interfectos. *Alij* non improbabiliter intelligunt Eliſæum puniviſſe idololatras gladio verbi ſui. Sic Angelomus in hunc locum interpretatur gladium ſpiritus. Et ſecundùm hanc expoſitionem præſentabitur nobis duplex in Eccleſia poteſtas: Altera civilis, quæ utitur gladio materiali, ad puniendum malos; altera Eccleſiaſtica, quæ exercet gladium ſpiritualem contra malos.

ỹ.18. *Et omne os quod non adoravit eum oſculans manus.* Conſuetudo erat idololatris, quando honorare volebant idolum aliquod, oſculari manum, eamque deinde verſus idolum porrigere: cuius conſuetudinis meminit Minutius Felix in libro qui inſcribitur Octavius apud Arnobium. Apuleius quoque apologia pro ſeipſo prima, Æmilianum accuſatorem ſuum inſimulans impietatis, hæc inter alia dicit; Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit, ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia, manum labris admovere. Vide etiam Iob 31. v.27.

CAPUT XX.

ỹ.11. *E T reſpondens rex Iſraël ait: Dicite ei, Ne glorietur accinctus æque ut diſcinctus.* Prima facie videri poteſt, quod tantum ſignificetur, quod is qui accinctus eſt gladio, magis gloriari poſſit, quàm qui non eſt accinctus; utpote paratior ad lædendum & ſe defendendum. Sed hîc plus aliquid innuitur; videlicet per diſcinctum intelligitur, qui jam parta victoria gladium vel baltheum depoſuit; per accinctum verò, qui accinctus gladio vel baltheo procedit ad bellum, incertus adhuc de belli eventu. Ait igitur rex Jſraël ad regem Syriæ, gloriantem quaſi jam victoria parta: *Ne glorietur accinctus æquè ut diſcinctus*, quaſi dicat; Ne glorietur quaſi victor armis depoſitis, utpote qui ſit adhuc in expectatione eventus belli. Vide Cajetanum.

ỹ.35. *Ait unus de filiis prophetarum, percute me. At ille noluit percutere. Cui ait: Quia noluiſti audire vocem Domini, &c. & percutiet te leo.* Notandum eſt quod percuſſus ſit ille propter inobedientiæ peccatum. Noverat enim eum, qui hoc jubebat, eſſe prophetam Domini; nec cauſam dubitandi habebat, quin juſſu Domini diceret ei, ut ipſum percuteret. Domino autem in omnibus obediendum eſt, cùm ſit Dominus vitæ & mortis; ſicut & Abraham obedivit, paratus immolare filium ſuum. Neque dubitabat iſte, utrum verè ex imperio Domini illud à propheta Domini diceretur, ſed ex quodam horrore cædis, & ſanguinis recuſabat eum percutere. Agitur enim non de ſimplici percuſſione, quâ pugnus aut alapa incutitur, ſed quâ vulnus infligitur, ut patet ex ſequentibus.

ỹ 42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo eius.* Oſtendit hic locus, quàm graviter peccent ij, qui in adminiſtranda juſtitia ſocordes ſunt & negligentes; & præpoſtera quadam clementia utentes in eos, qui toti Reipublicæ ſunt pernicioſi; quales imprimis ſunt hæretici. Hic neglectus juſtitiæ, adeo grave peccatum hîc oſtenditur, ut non tantum ipſe judex, ſed univerſus populus ob eam cauſam punitioni addicatur. Poteſt quidem rex ex cauſa aliquando remittere ſupplicium; ſed hic Ben-adad toti regno infeſtus erat; ac præterea in Deum Jſraël blaſphemus; dicens eum eſſe Deum montium, & non vallium; propter quam cauſam denunciata fuerat victoria contra eum à propheta, atque adeo ſic pugnabat contra populum Jſraël, ut etiam conſequenter religionem & cultum veri Dei opprimere vellet.

CAPUT XXI.

ỹ.2. *D A mihi vineam tuam, daboque tibi pro ea vineam meliorem, aut ſi commodius tibi putas, argenti pretium, &c.* Ex hoc loco manifeſtum eſt, quod reges eo ſolo titulo, quod reges ſunt, non habeant jus occupandi agros & fundos ſubditorum pro ſuo arbitrio. Nam ſi ita eſſet, haud dubiè Achab rex eo jure uſus fuiſſet; & vi occupaſſet vineam Naboth, & non calumniam ſtruxiſſet in Naboth, qui ei vineam negabat. Proinde quod dicitur primi Regum capite octavo, inter cætera, quæ pertinent ad jus regis, *Agros veſtros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſuis*, non eſt intelligendum de jure vero, & rationi conſentaneo, ſed de jure præſumpto & uſurpato. Vide primi Regum cap.8. & 10.

ỹ.13. *Benedixit Naboth Deum & regem.* Fortè teſtes dixerunt (*Maledixit Deum & regem.*) Sed ſcriptor ſacer vitans atrocitatem ſermonis, ob reverentiam Dei, per antiphraſim poſuit (*benedixit*) pro (*maledixit.*) Et ſimiles locutiones ſunt Iob 1. & 2. & alibi. Ubi de hoc iterum erit agendum.

ỹ.19. *Occidiſti inſuper & poſſediſti.* Non legitur Achab interfectionis Naboth fuiſſe conſcium. Dicitur tamen occidiſſe, quia facto ſuo, id eſt, gravi indignatione, eaque injuſta, coram uxore peſſima muliere, monſtrata, occaſionem dedit interfectionis; ſicut Henricus Rex Angliæ conquerendo apud familiares quod cum uno Sacerdote pacem in regno ſuo habere non poſſet, occaſionem dedit interfectionis S. Thomæ Cantuarienſis. Tales enim erant apud quem huiuſmodi querelæ, & quidem injuſtæ, deponebantur, qui vel propria malitia, ut Ieſabel, vel ut regi rem gratam præſtarent, meritò exiſtimari debebant vindicare velle factum cujuſpiam ſeu bonum, ſeu malum, quod regis animum torquebat. Hic autem conſenſus etiam ex eo tacitus intelligitur, quod morte Naboth cognita, ſtatim ſe contulit ad occupandam vineam occiſi, quaſi gaudens de eo quod factum erat. Neque Achab negavit ſe occidiſſe, ſed paulò pòſt converſus eſt ad pœnitentiam. Item per hoc rectè intelligitur occidiſſe, quia cum ex verbis uxoris ſatis colligeret, aut colligere debuiſſet, eam ipſi Naboth malum machinaturam, maximè accepto etiam regis ſigillo (quod abſque eius conſilio factum, non eſt veriſimile) non tamen prohibuit, nec impedivit, qui & poſſet, & deberet. Vide Liranum.

ỹ.29. *Nonne vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Certum eſt ex hoc loco, quod Deus pœnam intentatam ipſi Achab diſtulerit in tempora filij eius, idque intuitu humiliationis, ſeu pœnitentiæ ipſius Achab. Unde dici non poteſt illa pœnitentiæ opera, quæ Achab fecit, fuiſſe peccata; quia Deus peccatis nullo modo placatur. Dubium tamen eſt, utrum hæc eius pœnitentia profecta fuerit ex amore Dei, an tantum ex timore gehennæ, ſive ſuppliciorum temporalium? Chryſoſtomus ſermone de reparatione lapſi, dicit quod Achab ita erga ſe miſericordiam Domini provocaverit, ut eum à cunctis abſolverit peccatis. Sermo 55. de tempore apud Auguſt. (ſed eſt Cæſarij) dicit eum obtuliſſe ſacrificium cordis contriti, & humiliati. Item Gratianus de Pœnitentia, diſtinct. 1. cap. 60. dicit eum per Pœnitentiam Deo ſatisfeciſſe. Sed paulo plenius videtur explicare D. Gregorius Homil. 10. (Citat. Gratianus de Pœnitentia diſtinct. 3. cap. 29.) in Ezechielem, dicens: Deo pla-

ſuiſſe

tuiſſe pœnitentiam in reprobo; qui timebat perdere præſens ſæculum, qui adhuc diſplicebat Deo. Et hæc plurium ſententia eſt, & probabilior.

CAPUT XXII.

ỳ.15. I*Ra debemus in Ramoth Galaad ad præliandum, an ceſſare? Cui ille reſpondit; Aſcende & vade proſpere,&c.* In his verbis Prophetæ nullum eſt mendacium. Quod enim iſta ab eo non ſint dicta seriò & aſſertivè, ſed ironicè, manifeſtum eſt ex ſequentibus. Dicunt quidam eſſe verba optantis, quaſi dicat: Utinam ſic poſſes pugnare, ut hoſtes in manus tuas traderentur. Sed potius dicendum eſt, eſſe locutionem ironicam, & mimicam ſeu imitatoriam. Ironica quidem, quia cum quadam irriſione, quæ ex modo loquendi deprehendi poterat, hoc dicit, quod minimè futurum exiſtimabat. Mimica, quia iiſdem verbis uſi fuerant falſi prophetæ, propterea quaſi conſentiens cum illis, eadem ipſorum verba decantat; ſed ita, ut ex geſtu & modo loquendi etiam ipſe Achab intelligeret, eum non ſeriò locutum fuiſſe. Cuius rei etiam ſignum erat, quod non adjecerit; *Hæc dicit Dominus*, aut aliquid ſimile, uti ſolent, quando vaticinantur; & ſicut addit in verbis poſterioribus.

ỳ.20. *Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Iſraël?* Et poſtea dicit Dominus Spiritui: *Decipies & prævalebis.* Spiritus qui ſe obtulit ut eſſet ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab, nequaquam fuit Angelus bonus, quia mendacem ſe pollicetur, ſpiritus autem boni non loquuntur falſa; & proinde non pertinet hic ſpiritus ad exercitum cœli, aſſiſtentem Domino à dextris & ſiniſtris; ſed poſtea acceſſit, ſicut & apud Job de eo dicitur: *Cùm veniſſent filij Dei, & ſtarent coram Domino; affuit inter eos ſatan.* Et propter eandem cauſam quoque non fuit ſpiritus Naboth defuncti, ſicut fabulantur Judæi: Nam ſpiritus ille juſtus fuit; quia Naboth innocens lapidatus eſt: Sed fuit ſpiritus nequam, qui non ex mandato Dei, ſed ex eius tantùm permiſſione poteſtatem accepit decipiendi Achab, per hoc quod falſam prophetiam inſpiraret prophetis Baal, quorum prædictioni Deus præſciebat Achab crediturum. Sed quomodo ſpiritus nequam ſteterit coram Domino, aſſiſtente eidem Domino exercitu cœli; cum malis Angelis non ſit in cœlum reditus: Vide annotat. Iob 1.

ỳ.30. *Dixit itaque rex Iſraël ad Iosaphat: Sume arma & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porrò rex Iſraël mutavit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.* Plenius hoc narratur 2. Paralip. 18. Hic enim locus ſonat quaſi Achab apud Ioſaphat diſſimulaverit conſilium ſuum de mutando habitu. At ibi apertè dicit Achab ad Ioſaphat: *Mutabo habitum, & ſic ad pugnam vadam. Tu autem induere veſtibus tuis:* Habitum regium mutavit ne agnoſceretur ab hoſte. Verebatur enim prophetiam Michææ, quem ſæpe vera, ſed mala ſibi prophetantem, audiverat. Sed hunc motum diſſimulans apud Ioſaphat, ſpecie honoris, illum monet ut procedat cultu regio, ſe autem dicit mutaturum habitũ, ut quaſi ille ſolus in exercitu honoretur, illique ſoli totus exercitus pareat. Dum interim ex huius periculo ſuam ſpectat ſalutem, non ignorans fortiſſimam fieri ſolere impreſſionem in eam partem, ubi rex eſſe putatur, ſicut & factum eſt. Sed non eſt conſilium contra Dominum, & contra verbum eius. Rex pius liberatus eſt, & in aſtutia ſua comprehenſus eſt impius.

FINIS LIBRI III. REGUM.

ANNOTATIONES IN LIBRUM IV. REGUM.

CAPUT PRIMUM.

ỳ.10. S*I homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Quinquagenarius vocabat quidem eum hominem Dei, dicens: *Homo Dei, rex præcepit, ut deſcendas:* Sed intellexit Elias per Spiritum Dei, quod eum ita vocaret, non hoc revera ſentiens, ſed deriſoriè; quaſi dicat. Qui dicis te eſſe hominem Dei, & talem te jactitas. Hinc ſcilicet Elias reſpondet, *Si homo Dei ſum*, ſcilicet ſecundum veritatem, quem irriſoriè vocas hominem Dei; *deſcendat ignis de cœlo*. Neque hac in re præter juſtitiam, aut rectæ rationis regulam aliquid factum eſt ab Elia; quod Fauſtus Manichæus objicit Auguſt. quia ſimile exemplum quoque habemus in Apoſtolo Petro; qui inſtinctu Spiritus ſancti mortis ſententiam pronunciavit in Ananiam, & Saphiram uxorem eius, Act. 5. videlicet, ut ſciat homo non minus juſtitiam Dei formidandam eſſe, quàm ſperandam miſericordiam.

Sed *quæres* cur igitur reprehenſi ſunt à Domino Iacobus & Ioannes, cum, Samaritanis eum non recipientibus, dicerent; *Domine, vis dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo & conſumat illos?* Lucæ 9. Reſpondit enim eis Chriſtus; *Neſcitis enim ſpiritus ſitis.* *Reſpondeo* itaque & ego, eos reprehenſos fuiſſe, tum quia privato vindicandi ſtudio magis movebantur, quàm zelo juſtitiæ: Unde dicitur eis; *Neſcitis enim ſpiritus ſitis*; tum quia Chriſtus agens in terris, quoniam propter ſalutem hominum deſcenderat de cœlis, magis debuit factis ſuis clementiam & patientiam, quàm juſtitiæ & vindictæ, etſi juſtę, ſeveritatem oſtendere. Unde conſequenter dicit: *Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Adde quod Elias non abſque ſpeciali juſſu Dei vocavit ignem de cœlo, conſumpturum malos, ut ſatis innuitur in textu. Nam tertia vice Angelus monet eum, ut deſcendat; nimirũ idem ipſe qui ſemel & iterum ſuggeſſerat, ut contra quinquagenarios irriſores vindictam cœleſtem invocaret Petrus quoque eodem ſpiritu incitante, mortis ſententiam denunciat in ſacrilegos; quo ſuggerente ſcelus eorum cognoverat. Et expediebat tali exemplo ſemel Apoſtolicam authoritatem ſtabilire, ſimul & magnitudinem illius peccati, (id eſt, proprietatis in hominibus vitam communem profeſſis) declarare: utpote quæ peſtis erat futura cœnobiorum, ac vitæ cœnobiticæ. Vide D. Thomam 2.2. q. 108. art. 1. ad 4. ubi factum hoc Eliæ defendit, & oſtendit rectè factum eſſe, quia injuria redundabat in Deum, &c.

CAPUT II.

ỳ.9. P*Oſtula quod vis, ut faciam tibi, antequam tollar à te. Dixitque Eliſæus, obſecro, ut fiat in me duplex*

duplex ſpiritus tuus. Quidam hoc ſic exponunt: *Fiat*, id eſt, præſta, ut duæ partes tui Spiritus, diviſi in tres partes, ſint mecum, id eſt, ut habeam duas tertias tui Spiritus, q. d. ex quadam modeſtia: Non cupio eſſe tantus, quantus tu es; ſed ſufficit mihi, ſi de tribus partibus Spiritus tui, duas habeam. Verùm huic parum conſentit, quod ſubjicit Elias: *Rem difficilem poſtulaſti*, quia illa petitio Eliſæi modeſta fuiſſet. Hebræi ferè hoc modo: Fac ut habeam Spiritum tuum duplicatum, id eſt duplo majorem, quàm tu habeas. Id probant, quia duplo plura miracula legitur Eliſæus feciſſe, quàm Elias. Nam Elias fecit octo, Eliſæus verò ſexdecim. Huic ſententiæ objicitur illud ex Evangelio Matth. 10. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum.* Et proinde temeraria & arrogans videretur Eliſæi petitio.

Idcircò Chriſtiani expoſitores hanc ferè interpretationem ſequuntur, ut Eliſæus petiverit ſibi donari duplicem ſpiritum: id eſt, duplicem gratiam ſpiritus, quæ erat in Elia, nimirum gratiam miraculorum, & gratiam prophetiæ; quæ quidem ſunt diſtincta dona Spiritus ſancti, teſte Apoſtolo 1. Cor. 12. Atque ita non aliud petivit, quàm ut Magiſtro ſuo ſimilis eſſet, tum in miraculorum operatione, tum in præcognitione futurorum. Hunc ſenſum reddit Gloſſa Ordinaria. Interim Lombardus 1. ſentent. diſtinct. 17. ex Auguſtino tract. 74. in Ioannem, ſecundam ſententiam probare videtur. Quam & Rupertus tradit lib. 12. in Matth. & talem petitionem Eliſæi à præſumptione excuſat his verbis: Illi maximè laudabiles ſunt, qui dilectionis inſtinctu ob ſalutem proximorum ſemetipſos offerunt, ſicut & Eliſæus ſe offerens, Oro, inquit, ad Eliam, ut duplicia quàm tu feciſti, ſigna poſſim facere, per quæ commoveatur populus, & non obliviſcatur dicere illud, quod te agente dixit, Dominus ipſe eſt Deus. Sententia certè non improbabilis. Cui etiam accedit, quod ſub Elia fames fuit trium annorum & ſex menſium, ſub Eliſæo dupla, ſcilicet ſeptennis, etiam ab ipſo prædicta, ut ſequitur cap 8.

℣. 11. *Et aſcendit Elias per turbinem in cœlum.* Videlicet in cœlum aëreum, ſed ita ut alibi demitteretur in terram conſervandus in vita, uſque ad tempora noviſſima. De hoc ſic Eccl. 48. v. 4. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis.* Et converſio ad ipſum Eliam ſermone; poſt alia v. 9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui ſcriptus es in judiciis temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Ita ibi. Et ſimilia ſunt Malach. 4. ad quem locum Eccleſiaſticus videtur reſpexiſſe. Gregorius in homil. de aſcenſ. Domini, dicit eum in ſecretam quandam terræ regionem ductum. Utrum autem ibi paſcatur, an ſine cibo conſervetur; vide Auguſtinum dubitantem, lib. de peccato Origen. cap. 23. An ſit in Paradiſo illo ex quo ejectus Adam. Vide Gen. 2. v. 8. & cap. 5. v. 23. & 24.

CAPUT III.

℣. 15. **N***Unc autem adducite mihi pſalten. Cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Cauſa ob quam Eliſæus vaticinaturus pſalten ſibi juſſerit adduci, à quibuſdam redditur; quia ſpiritus prophetiæ ab eo receſſiſſet; propterea quod acerbius & immodeſtius locutus eſſet adverſus regem Jſrael. Sed hæc cauſa pleriſque non probatur. Et meritò. Quia increpando regem Jſraël non peccaverat; non magis quàm Elias, qui ſuprà dixerat ad Achab, libr. 3. cap. 18. *Non ego turbo Iſraël, ſed tu, & domus patris tui.* Uterque enim uſus eſt authoritate prophetica, quæ in utroque etiam miraculis fuerat comprobata. Igitur *reſpondendum*, quod ſpiritus prophetiæ non ſemper adſiſtit prophetis ad nutum. Unde & ſeq. capite dicit Eliſæus de Sunamitide: *Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celavit à me.* Ut autem cor prophetæ actu moveatur ad prophetandum, opus eſt mentis elevatione ad Deum. Porrò mens variis modis in Deum excitatur: Videlicet, vel jejunio, vel meditatione, vel etiam adhibitis externis, & ſenſibilibus adminiculis, qualis eſt imprimis concentus harmonicus, eorum potiſſimum inſtrumentorum quæ ſolent ad devotionem excitare; cujuſmodi ſunt organa. Nam varia inſtrumenta varios affectus in hominibus excitant. Et quædam peculiariter excitant ad devotionem, quale erat pſalterium, id eſt, inſtrumentum, quo pſalmi decantari ſolent. Atque hæc fuit cauſa, cur Eliſæus pſaltem juſſerit adduci, ac non improbabiliter pſaltes ſimul ad inſtrumentum decantabat aliquid ſacrum.

℣. 19. *Et univerſum lignum fructiferum ſuccidetis.* Hoc prophetæ Eliſæi præceptum ad reges, repugnare videtur præcepto legis Deuteronom. 20. ubi in obſidione civitatum prohibentur abſcindi ligna fructifera. Quorundam *Reſponſio* eſt, à Deo per prophetam fuiſſe in hoc legis præcepto diſpenſatum; idque propter malitiam populi Moab. *Verior ſolutio* videtur, legem Deuteronomij tantum loqui de terra promiſſionis; Et rationem legis eſſe, ne filij Jſraël, abſcindentes fructifera ligna illius regionis, ſibiipſis nocerent, quia ipſi terram illam erant poſſeſſuri. Regio autem Moab ad terram promiſſam non pertinebat. Et hæc ſolutio habetur haud obſcurè ex ipſo textu Deuteronom. 20.

℣. 27. *Arripienſque filium ſuum primogenitum qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum.* Quidam exiſtimant vertendum eſſe *filium eius*, ſcilicet regis Edom: & ad hanc Hiſtoriam reſpicere dicunt Amos prophetam eum dicit cap. 2. de Moab, *ſe non converſurum eum, eò quòd incenderit oſſa regis Idumeæ uſque ad cineres.* Nam regem Idumeæ volunt intelligi primogenitum regis filium, qui, ut hîc dicitur, *regnaturus erat pro eo.* Hunc intellectum latè proſequitur Arias ſuper Amos 2. Vide noſtras annotat. ad eum locum. Sed obſtat huic expoſitioni præter alia, quod nuſquam in ſacris litteris legimus hoſtes Deo aut diis oblatos in ſacrificium fuiſſe. Nam ſacrificij ratio poſtulare videtur, ut id quod offertur Deo, ſit nobis carum & utile: quo non obſtante conſumimus illud ad Dei honorem cum proteſtatione, quod & illud, & cætera omnia à Deo habeamus. Nam & regibus & amicis non offerimus niſi quæ cara & utilia ſint. Hoſtis autem, ut talis, res eſt pernicioſa, damnoſa, execranda. Quare qui hoſtem Deo offerret, perinde faceret, atque ſi quis regi pro munere offerret anguem & viperam, aut lutum aut quid ſimile. Atque hoc bene intelligentes idololatræ, olim filios ſuos & filias ſuas dæmoniis immolaverunt, ut multis locis teſtatur Scriptura, teſtantur & Hiſtoriæ ſæculares. Sicubi autem hoſtes bello captos diis victimas factas in Hiſtoriis legimus, ſicut fertur & legitur de Indis occidentalibus, dicendum videtur, aut in iis non fuiſſe ſervatam plenam ſacrificij & oblationis rationem, ſed eos perinde feciſſe, ut faciunt illi qui offerunt ea quibus quam maximè volunt carere: aut hoſtes hactenus utiles eſſe, poſtquam in manus venerunt, quia in ſervitutem redigi poſſunt, aut magno vendi volentibus redimere. Jam verò nec factum hujuſmodi valere poterat ad finem quem rex iſte intendit, id eſt, ad avertendos à ſe reges oppugnantes. Quin magis tale erat, quod eorum animos, & maximè patris, quam vehementiſſimè ad furorem & vindictam accenderet. Certè ſi rex Moab pacare ſibi voluiſſet animum regis Edom, & inducere ad recedendum à ſe, & ad deſerendam obſidionem; paciſci cum eo debebat, ſuam, ſuorumque ſalutem atque obſidionis ſolutionem pro filij

eius

eius liberatione, non autem filium eius interficere. Denique non diceret ſcriptura: *Et facta eſt indignatio magna in Iſraël*, ſed in *Edom*. Nunc autem ſenſus eſt, eo ſpectaculo viſo Iſraëlitas; utpote cæteris humaniores, magna indignatione præ commiſerationis affectu, fuiſſe commotos contra regem Moab, quod viderent immolatione filij ſui primogeniti deos exiſtimare ſibi placandos eſſe. Eſt enim id notum ex Hiſtoriis, ſolere gentiles in extremis periculis ad iſta maximè horrenda ſacrificia confugere, ut Carthaginenſes, de quibus Diodor. l. 20. & Juſtinus lib. 18. Atque ea res commiſerationem naturaliter movet in animis eorum; qui hæc audiunt aut vident. Nec ſolum erga filios ipſos qui ſic interficiuntur, verùm etiam erga parentes, qui ad hæc triſtiſſima ſacrificia, vel deorũ juſſu vel publico periculò adiguntur: Quod ſi Abraham Dei juſſu filium immolaſſet unicum ſibique cariſſimum; non ſolum filij, verùm etiam ipſius parentis vicem vehementer indoluiſſent illi, ad quos facti fama perveniſſet. His ſuffragatur quod Septuaginta verterunt: *Et facta eſt pœnitentia magna in Iſraël*; ſcilicet ex commiſeratione facti tam acerbi. Quanquam & aliter intelligi poteſt. Nam pro eo quod habemus, *in Iſraël*, ex Hebræo & Græco rectius vertas, *ſuper Iſraël*, & ſenſus erit, Reges Juda & Edom miſertos conditionis regis Moab, graviter ſuccenſuiſſe regi Iſraël à quo fuerant ad huius belli ſocietatem vocati; & obſidione ſoluta receſſiſſe ab eo, ſcilicet rege Iſraël. In Græco nullus additur articulus ex quo intelligi poſſit cuius caſus ſit ἰσραὴλ. Nam ſi ablativus, vertendum eſt, *in Iſraële*; ſi accuſativus, *in Iſraëlem*, id eſt, ſupra vel contra Iſraëlem, quomodo etiam in noſtra verſione ambiguum eſt, ſitne ablativus, Iſraël, an accuſativus. Ac fortè juxta id quod Hebræa magis poſtulant, accuſativum interpres voluit, non ablativum.

CAPUT IV.

℣. 13. **N**Vnquid *habes negotium, & vis ut loquar regi, ſive principi militiæ?* Non hîc ſibi blandiantur homines quidam Eccleſiaſtici vel religioſam vitam profeſſi, qui frequenter ac libenter verſantur in aulis principum. Non enim Eliſæus in aula regis verſabatur; ſed propter ſanctitatem vitæ, & propter mirabilia quæ per eum faciebat Deus; tum quia exercitum duorum regum ob penuriam aquæ periclitantem ſervaverat, & inſuper victoriam contra regem Moab prædixerat: permagna erat apud regem & regios miniſtros authoritate, ut facilè poſſet ab eis, ſi quid opus eſſet, huic mulieri, cuius utebatur obſequio, impetrare.

℣. 29. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Ad eundem modum Lucæ 10. præcipit Dominus diſcipulis ſuis, quos ad prædicandum mittebat, ut neminem per viam ſalutarent. Qua verborum forma, neque propheta, neque prophetarum Dominus prohibet officium humanitatis; cum in Evangelio præcipiatur etiam inimicos ſalutare, & ſalutem precari. Sed utrobique eſt ſermo hyperbolicus, quo præcipitur, ut ſumma diligentia & celeritate negotium ſibi commiſſum exequantur; & excludatur omnis occaſio, quæ moram itineri ſeu profectioni injicere poſſet. Hebraicè hoc loco pro *ſalutare*, eſt, *benedicere*, id eſt, bene precari. Quomodo etiam vertunt Septuaginta.

℣. 31. *Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciem pueri, & non erat vox, neque ſenſus. Quæritur, quare Giezi per baculum Eliſæi non potuerit puerum ſuſcitare? Reſponſio* quorundam eſt, quia Giezi nõ obſervaſſet præceptum Eliſæi, ſed paſſim occurrentibus ſibi hominibus jactabundus dixiſſet, ſe miſſum eſſe ad ſuſcitandum mortuum: Et propterea ad baculi contactum per eius miniſterium nullum eſſe conſecutum effectum. Sed etiamſi concedatur Giezi
A in hoc contra magiſtri mandatum feciſſe (de quo Scriptura nihil commemorat) conſtat tamen hanc non eſſe totam, aut præcipuam rationem. Quin potius in baculo myſterium requirendum eſt. Nam Eliſæus ipſe paulò pòſt ſuſcitaturus eundem puerũ mortuum, non eſt uſus baculo, ſed longè alia ratione, nimirum applicatione carnis ſuæ, & ſingulorum membrorum ad carnem, & membra ſingula pueri defuncti. Per baculum igitur, quem Giezi portarat, lex Moyſi ſignificata eſt, quæ quidem præmiſſa fuit à Deo ante Chriſti adventũ, ſed vivificare mortuos non potuit, teſtante Apoſt. Gal. 3. *Si enim data eſſet lex, quæ poſſet vivificare; verè ex lege eſſet juſtitia.* Cæterùm poſt baculum venit ipſe Eliſæus, poſt legem Chriſtus, qui per incarnationem ſuam quodammodo
B corpus ſuum corpori noſtro, & membra membris aptavit, id eſt, totum ſe inclinavit ad noſtram humilitatem, ut nos à morte peccati, & æternæ damnationis liberaret. Sic Auguſt. in Pſal. 70. concione 2. & ſerm. 12. de verbis Apoſtoli.

CAPUT V.

℣. 17. **O**Bſecro, *concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet ſervus tuus ultra holocauſtum, aut victimam Diis alienis, niſi Domino.* Nota quod Naaman Syrus miraculo ſuæ curationis converſus ad fidem unius veri Dei, petit ab Eliſæo, ut liceat ei de terra Iſraël auferre onus duorum burdonum ſcilicet, *ut de terra illa altare faceret ad ſacrificandum Deo vero*; quia terram illam tan-
C quam ſanctam venerabatur propter cultum unius veri Dei, qui in ea terra exercebatur & vigebat. Non eſt igitur improbanda devotio eorum, qui de Terra Sancta partem aliquam olim in Europam attulerunt pro veneratione, & pia recordatione. Etenim terra Palæſtina, ubi Jeruſalem eſt, dicitur Terra Sancta propter repræſentationem, & memoriam rerum ſanctarum, quę à Salvatore noſtro ibi geſtæ ſunt. Quidam putant Naaman petiviſſe ab Eliſæo diſpenſationem, ut ſibi liceret ſacrificare extra templum Jeroſolymitanum. Sed falluntur, quia lex illa de non ſacrificando extra locum illum conſtitutum & certum, ubi arca Domini erat; ad ſolos Judæos pertinebat; non ad gentiles. Neque Naaman tanquam proſelytus lege tenebatur, quia non legitur,
D nec creditur fuiſſe circumciſus.

℣. 18. *Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominũ pro ſervo tuo. Quando ingredietur Dominus meus templũ Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam; ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo ſuo pro hac re.* Putant quidam Eliſæum diſpenſaſſe cum Naaman, tanquam Neophyto in religione veri Dei, ut licitè poſſet ſimulare adorationem idoli Remmon. Sed id dici non poteſt, quia non tantum adorare idolum, ſed & ſimulare talem adorationem, per ſe malum eſt; in quo non habet locum diſpenſatio. Unde quod ait Eliſæus: *Vade in pace*, nõ eſt diſpenſantis, ſed declarantis licitum eſſe quod faciebat. Id autem erat, adorare; hoc eſt procumbere, & inclinare ſe ad ſuſtentandum regem, volentem adorare in templo
E Remmon. Græcè enim pro *adorare* eſt προσκυνεῖν, hoc eſt procumbere ſeu advolvi. Id autem Naaman non ſolum ibi, ſed alibi faciebat, quotieſcumque rex ſuper eum volebat inclinare. Quod igitur alibi licitè poterat facere, id non erat illicitum facere in templo Remmon; maximè quia non erat periculũ ſcandali. Solus enim Naaman, aut certè cum ſola ſua familia fidelis erat; Et aliunde conſtare poterat eum eſſe veri Dei cultorem; quia ſuis temporibus ſacrificabat Deo vero. Ad hoc enim attulerat ſecum terram, ut inde ſibi faceret altare ad ſacrificandum Deo Iſraël, ut dictum eſt. v. præced.

℣. 20. *Curram poſt eum, & accipiam aliquid.* Quod Giezi munera à Naaman acceperit animo Simoniaco,

non

cepto beneficio, ſatis apparet ; tum quia exegit, unde A & Eccleſia eos qui exiguot, etiam poſt factum Eccleſiaſtici beneficij collationem, cum Simoniacis damnats ; tum quia ipſe non præſtiterat beneficium ; ſed Dominus ejus, qui jam recuſarat munera ; tum quia per mendacium conatus fuit factum ſuum apud eum qui præſtiterat beneficium, tegere. Tum quia rem à Naaman datam pro Eliſæo vel filiis prophetarum ; ipſe ſibi furto retinuit, etiam admonitus ab Eliſæo. Ex quo magnitudo avaritiæ ejus intelligitur.

CAPUT VI.

℣.9. *Miſit vir Dei ad regem Iſraël, dicens : Cave ne tranſeas in locum illum, quia ibi Syri in inſidiis ſunt.* Scivit hoc Eliſæus divina revelatione. B Unde quidam ſervorum regis Syriæ ad eum, verſ.12. *Nequaquam Domine mi rex, ſed Eliſæus propheta indicat regi Iſraël omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclavi tuo.* Sic & cap. præced. verſ.26. Eliſæus ad Giezi mentientem : *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reverſus eſt homo in occurſum tui?* Quæ Scripturæ ſacræ teſtimonia ſatis convincunt, ſanctos, qui in cœlo cum Chriſto regnant, poſſe preces fidelium cognoſcere ; etiamſi localiter apud ipſos præſentes non ſint. Nam ſi Eliſæus adhuc in corpore poſitus abſentis regis ſecreta cognoſcere, & miniſtri ſui fraudem potuit videre, multò magis animæ ſanctorum corporibus jam exutæ, & Deo præſentes, in eo tanquam in ſpeculo, omnia ad ipſos quoquo modo pertinentia, clarè & perfectè intuentur. C

℣.17. *Plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* Vide Annot. 2. Paralip. 32. ubi ſimiliter loquitur Ezechias.

℣.18. *Porrò Eliſæus oravit ad Dominum, dicens : Percute obſecro gentem hanc cæcitate. Percuſſitque eos Dominus ne viderent.* Cæcitas ; qua Syros Dominus percuſſit, non talis erat, qua nihil omninò viderent ; ſed, qua non hoc viderent, quod requirebant, aut ſaltem non agnoſcerent. Unde 70. non habent cæcitatem, ſed *ἀορασίαν*, id eſt, inviſibilitatem, qua nimirum aliquid oculis eorum redditur inviſibile, vel potius incognoſcibile, ut agnoſcere & diſcere non poſſent. Tali cæcitate quoque Sodomitæ percuſſi leguntur, de quibus dicit ſcriptura, quod fatigati fuerunt quærendo oſtium D Loth. Et ſimili cæcitate, ter in Evangelio, Judæi percuſſi ſunt ; ſemel, quando Chriſtum de monte voluerunt præcipitare Luc. 4. Tunc enim *Chriſtus per medium illorum tranſiens abibat*, illis eum non agnoſcentibus. Secundò, quando eum Judæi voluerunt lapidare Ioan. 8. Tertiò quando eum voluerunt apprehendere & Dominus ipſe interrogavit eos Ioan. 18. *Quem quæritis?*

℣.28. *Mulier iſta dixit mihi : Da filium tuum, ut comedamus eum hodie, & filium meum comedemus cras.* *Hodie & cras* pro eo quod eſt prius & poſtea poſitum videtur. Non enim veriſimile videtur quod totum filium uno die comederint, nihil de ejus carnibus ſervantes, in poſterum diem. Sic & illud videtur intelligendum : *Dixique ei die altera*, id eſt, poſteaquam comedimus filium meum. Cæterùm non legitur rex hanc controverſiam inter eos ſuo judicio diremiſſe, ſed præ rei E indignitate & gravitate veſtimenta ſua ſcidiſſe. Quæres itaque quid judicare debuerit. Non dubium quin pro filio vivente, quia pactum impium & proinde invalidum erat. Inſuper in utramque mulierem alteram ut homicidij ; alteram, ut parricidij ream ; gravi ſupplicio animadvertere debuiſſet.

℣.33. *Et ait. Ecce tantum malum à Domino eſt ; quid amplius expectabo à Domino?* Dubium, an nuncius regis hoc dixerit, an Eliſæus. Veriſimilius eſt eſſe verba nuncij hæc dicentis nomine regis, animo jã mutato ſeſe humiliantis. Id enim apparet, ex placabili reſponſione

Eſtij Annotat. in Script.

Eliſæi, quod ſubjungitur capite ſequenti. Obſerva autem fideles vel pœnitentes ſolere omnia ſua adverſa referre in Deum ; ſicut & Iob dicit cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit ; ſicut Domino placuit, ita factum eſt.*

CAPUT VII.

℣.2. *Reſpondens unus de ducibus ſuper cujus manum rex incumbebat, homini Dei, ait ; Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, numquid poterit eſſe quod loqueris?* Quod ſupra de Naaman dictum eſt, id etiam ex hoc loco patet ; nempe reges honoris ac venerationis cauſa ſuſtentari ſolitos brachiis, aut humeris ſuorum procerum, non tantum quando procedebant adorandi cauſa, verùm etiam aliàs, ut hoc loco loquente rege cum Eliſæo ; Et ſimiliter reginæ nitebantur ſuper pediſſequas ſuas, ut habemus Eſther 15. Quod autem ait unum de ducibus dixiſſe ad virum Dei ; hunc habet ſenſum. Etiamſi Dominus faciat cataractas, ſive, ut alij vertunt ex Hebræo, feneſtras in cœlo ; per quas videlicet copiosè velut pluviam demittat frumentum ; ſicut olim pluit manna : numquid vel ſic poterit eſſe ea vilitas annonæ quam dicis? ſcilicet ut modius farinæ, ſtatere uno vendatur? Verba ſunt hominis increduli, & detrahentis verbis prophetæ, velut qui rem impoſſibilem & incredibilem prædiceret. Unde & incredulitas ejus graviter punita eſt, dicente propheta ; *Videbis oculis tuis, & inde non comedes :* quod & rei probavit eventus, cum idem ille dux, ut in ſequentibus narratur, à rege in porta conſtitutus, à populo compreſſus eſt, & C conculcatus.

℣.3. *Quatuor ergo viri erant leproſi juxta introitum portæ.* Intelligendum eſt non intra, ſed extra portam civitatis ; juxta eam tamen leproſos hos habitaſſe. Lex enim præcipit Levit. 13. leproſum toto tempore quo immundus, & leproſus eſt, habitare ſeorſum extra caſtra, ſive extra civitatem. Nam caſtrorum illorum loco ſucceſſerunt civitates. Per hoc autem, quod leproſi iſti boni nuncij præcones fuerint apud populum, ſignificantur myſticè in Eccleſia paſtores & doctores, quorum doctrinæ & prædicationi vita non reſpondet. Quorum quidem vita proinde atque lepra, eſt abominabilis, & fugienda ; doctrina tamen atque prædicatio, tanquam bonum ac lætum nuntium amplectenda eſt, juxta illud D Chriſti Matth. 23. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi : Quæcumque ergo dixerint, ſervate & facite ; ſecundum autem opera eorum nolite facere.*

CAPUT VIII.

℣.10. *Vade, dic ei, Sanaberis : porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Hæc duo in ſpeciem pugnantia, variè conciliantur ; ſed à pluribus ſophiſticè. Hebraicè pro (*ſanaberis*) eſt (*vivendo vives.*) Putant quidam permiſſum eſſe ab Eliſæo ad conſolationem ægroti, ut nuncius ſic mentiretur dicendo, *Sanaberis*. Sed non eſt veriſimile quod Eliſæus permiſiſſet Deo Iſraël aſcribi falſam prædictionem. Itaq; potius dicendum, utrumque quodammodo fuiſſe verum, E & illud *Sanaberis*, & alterum quod ſubjunxit ; *Porrò morte morietur.* Etenim futurum aliquid dicitur dupliciter tam ſecundùm Philoſophos, quàm ſecundùm Scripturam ſacram. *Uno modo*, quod futurum eſt abſolutè. *Alio modo* quod futurum dicitur ſecundùm cauſas præſentes. Et iſtud ſecundum genus futuri impediri poteſt ; videlicet, quia cauſæ poſſunt mutari, vel impediri. Itaque juxta primum genus, ejus ſcilicet, quod abſolutè futurum erat, ſunt prædicta omnia à prophetis de adventu, paſſione, & reſurrectione Chriſti, de vocatione gentium, & ſimilis. Secundùm alterum autem modum futuri, prædixit Iſaias Ezechiæ regi, ipſum moriturum, quia morbus erat lethalis. Iſaiæ capite 38. & hujus libri capite 20. Et Ionas prædixit Niniven

ſub-

ſubvertendam, quia illud in cauſis erat ſecundum præ- A ſentia ipſorum merita, niſi pœnitentiam egiſſent. Ionæ 3. Ita ergo & quod hîc dicitur; *Sanaberis* vel (*vita vives*) verum erat de futuro ſecundum cauſas, videlicet, quia infirmitas ipſa non erat ad mortem. Quod autem poſteà addit propheta eum moriturum, verum eſt de futuro ſimpliciter, ſeu abſolutè: quia licèt morbus non eſſet lethalis, tamen accedente illa ſuffocatione per ſtragulum madidum, (de qua ſubjungitur) ſimpliciter moriturus erat.

ỷ. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, &c.* Libro 2. Paral. cap. 22. dicitur fuiſſe quadraginta duorum annorum, quando regnare cœpit. Ad quam apparentem repugnantiam veriſimiliter reſpondetur, quod illic annumerentur anni quibus cum patre regnavit. Nam pater Joram, juxta comminatio- B nem litterarum Eliæ fuerat à Deo percuſſus languore alui inſanabili, ut habetur 2. Paralip. 21. Vide ibi, itemque cap. 22.

CAPUT IX.

ỷ. 26. *SI non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus, quem vidi heri, reddam tibi in agro iſto.* Lib. 3. Regum cap. 21. ubi narratur injuſta cædes Naboth, facta procurante Iezabel, nulla fit mentio cædis filiorum Naboth. Sed tamen ex hoc loco liquet, Naboth habuiſſe filios, qui unà cum ipſo fuerint interfecti. Idque propterea putant procuratum fuiſſe ab impiiſſima Iezabel, quia alioqui patri mortuo filij jure hæreditario ſucceſſiſſent in poſſeſſionem vineæ; neque Iezabel optatam vineam fuiſſet conſecuta. *Locutio autem* C *iſta: Si non pro ſanguine, &c. reddam tibi, imperfecta eſt*, & hoc vel ſimili modo ſupplenda: Non ſim Deus, ſi non reddam, aut non ſim verax, ſi non reddam & puniam. Minus probabiliter ſentiunt; qui dicunt in hujuſmodi phraſibus (*ſi*) idem eſſe quod (*non*.) Nam ſic hoc loco concurrerent duæ negationes.

ỷ. 30. *Porrò Iezabel introitu ejus audito, depinxit oculos ſuos ſtibio.* Senſus eſt, fucavit faciem more meretricio. Putant quidam hoc eam feciſſe, ut gratioſior appareret in oculis Iehu; & ſic ei à Iehu parceretur. Sed obſtat quod ſequitur, eam dixiſſe cum exprobratione: *Nunquid pax poſſet eſſe Zambri, qui interfecit Dominum ſuum?* q. d. juſta vindicta, ô Iehu, te adhuc conſequetur, qui occideris Ioram regem, ac dominum D tuum, ſicuti conſecuta eſt Zambri. Itaque potius dicendum, quod faciem ſuam depinxerit ex ſuperbia, & procaci quadam animoſitate; ut quia videbat ſe mortem evadere non poſſe, dignitatem regiam uſque ad mortem cultu & ornatu tueretur. Quod autem apud nos legitur (*Zambri*) quaſi dativi caſus, apud Hebræos hoc modo habetur: *Nunquid pax Zambri interfector Domini ſui?* & tam apud Hebræos quam Septuaginta Zambri eſt nominativi vel vocativi caſus. Et eſt hic ſenſus: Nunquid pax eſt, ô Zambri, id eſt, tu qui es alter Zambri, qui interfecit Dominum ſuum, quem tu nunc imitaris? Senſus autem in idem recidit, quia ominatur ei vindictam, qualem expertus eſt Zambri. Et E Pagninus vertit per dativum: *ipſi Zambri, occiſori Domini ſui.*

CAPUT X.

ỷ. 13. *IN via invenit fratres Ochoziæ regis Iuda.* Fratres vocantur, quia propinqui erant ipſius Ochoziæ. Nam 2. Paralip. 22. dicitur: *Invenit Iehu principes Iuda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei. & interfecit illos.* Fratres ergo dicit filios fratrum Ochoziæ. Veriſimile quoque eſt ſeptuaginta filios Achab, qui omnes hic juſſu Iehu interfecti leguntur, non fuiſſe omnes proximè ex Achab genitos, ſed partim fuiſſe filios, partim nepotes, fratres Joram regis, qui omnes phraſi ſcripturæ ſolent filij appellari. Hic quæritur, *quare Iehu occiderit Ochoziam regem Iuda, & quadraginta duos ejus fratres* ſeu propinquos? cum de interficiendo rege Juda, & ejus cognatione delenda, nullum videatur ab Eliſæo accepiſſe mandatum, nihilque de eo videatur quoque Elias propbetaſſe? Ad hoc reſpondendum, imò prophetatum fuiſſe ab Elia, & mandatum ab Eliſæo, videlicet, ut deleretur univerſa domus, id eſt, tota cognatio Achab. Jam autem Joram pater Ochoziæ miſcuerat ſe ſanguini Achab, & impiiſſimæ Iezabelis, duxerat enim in uxorem Athaliam filiam Achab, ex qua natus eſt Ochozias; qui & ambulavit v. 27. in viis domus Achab, teſtante ſcriptura. Dicitur quidem hæc Athalia mater Ochoziæ, 2. Paralip. 22. & cap. 8. hujus, v. 26. filia fuiſſe Amri, quaſi ſic ſoror fuiſſet Achab, & non filia: Sed quomodo illud intelligendum ſit, vide explicatum, 2. Paral. 21.

ỷ. 15. *Invenit Ionadab filium Rechab.* Hic eſt ille Ionadab, qui præcepit filiis ſuis ne biberent vinum, ipſi & filij eorum uſque in ſempiternum; & ne domos ædificarent, nec ſementem facerent, nec vineas plantarent, aut haberent, ſed in tabernaculis habitarent cunctis diebus ſuis; ſicut refertur Ieremiæ 35. Sanè ex hoc quoque loco ſatis apparet virum fuiſſe bonum & ſpiritualem, & zelatorem honoris divini, quem Jeſu ſibi ſocium eſſe voluit in perdendis cultoribus Baal, & Dei cultu reſtituendo. Fit etiam mentio Rechab, 1. Paral. 2. ubi genus ejus exponitur in fine capitis.

ỷ. 28. *Achab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius.* In Hebræo loquitur in tertia perſona; *Iehu autem multum eum colet.* In hoc facto Iehu duo ſunt conſideranda. Alterum eſt mendacium, quo fefellit ſacerdotes Baal, ut eos convocaret in unum, & ſic facilius deleret. Alterum eſt zelus ejus pro cultu unius Dei, & vindicta juſtiſſima contra impios ſacerdotes idolorum. In primo, non eſt laudandus; neque factum ejus ad imitationem trahendum eſt. De poſteriori ipſe dicit ad Ionadab; *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.* Et ex hac parte factum ejus commendationem meretur, & meritò omnibus principibus in exemplum ſumendum eſſet. Unde & Dominus ei remunerationem repromiſit, quod uſque in quartam generationem filij ejus ſederent ſuper thronum regni Iſraël. Non tamen quod ipſe Iehu gratus fuerit Domino, videlicet, quia hæc opera recta (nam ſic vocantur v. 30.) faciebat prava intentione; ſcilicet cupiditate tantum regnandi; & relinquebat adhuc vitulos aureos.

CAPUT XI.

ỷ. 2. & 3. *TOllens autem Ioſaba —— Ioas, furata eſt eum, & nutricem ejus de triclinio. Eratque ea ſex annis clam in domo Domini.* Intellige in locis comprehenſis ſub domo Domini, & appendicibus illi aſtructis, & adhærentibus; ut erant exedræ. Et ſimiliter intellige *cum ea*, ſcilicet nutrice, non cum Ioſaba ſeu Ioſabeth, quia, ut Ioſabeth abſconderetur cauſa nulla erat; abſcondebatur autem Ioas filius regis puerulus, & ejus nutrix; ille, ut ſervaretur, iſta, ne prodere cogeretur. Nec puto ex hoc loco ſtatui poſſe, quod in aliqua parte templi eſſent habitacula fœminarum; ſed ſicut David cum pueris ſuis comederunt panes propoſitionis 1. Reg. 22. & excuſantur à Chriſto propter neceſſitatem, Matth. 12. Ita & hæc nutrix cum puero rege ſimiliter permiſſa eſt in templo latere.

ỷ. 9. *Et aſſumentes ſinguli viros ſuos qui ingrediebantur ſabbato, cum his qui egrediebantur ſabbato, venerunt ad Ioadam ſacerdotem.* Hîc primum ſciendum eſt, centuriones & milites, de quibus hîc fit mentio, quos aſſumpſiſſe legitur Ioada, fuiſſe ex Levitis, qui miniſtrare ſolent in domo Domini. Eos ergo, traditis armis à Davide Deo ſanctificatis, milites fecit, ut negotium magis lateret. Deinde meminiſſe oportet Levitas hebdomadatim per ſuas vices ſolere miniſtrare,

ſtrare. Unde & Zacharias pater Baptiſtæ Lucæ 1. dicitur de vice Abia. Erant autem vices ſeu ordines viginti quatuor,ut eſt 1.Paralip.24 qui autem ſuam hebdomadam impleverant, permittebantur redire ad uxores, & ſuas familias curare aliis novis ſuccedentibus. Igitur hoc loco,eos qui ingrediebantur ſabbato,ſcriptura vocat eos,qui ſuccedebant ad miniſtrandum;& ſimiliter eos qui egrediebantur ſabbato, eos qui miniſterio ſuæ hebdomadis perfuncti, domum redibant ad uxores,& rem ſamiliarem. Sed Ioada ſacerdos coronaturus novum regem, utroſque in templo retinuit,ut majori numero armatorum novum regem ab Athaliæ impiæ injuria defenderet, ſi opus eſſet.

CAPUT XII.

℣.2. F*Ecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus,quibus docuit eum Ioada ſacerdos.* Per hoc quod reſtringitur, *cunctis diebus quibus docuit eum Ioada ſacerdos*, inſinuatur eum poſteà non feciſſe rectum, ſed declinaſſe à præceptis Domini,id quod plenius habetur in libr. Paralip. Moraliter,in Ioas rege,regia poteſtes,ſeu ſecularis magiſtratus intelligitur;in Ioads verò ſummo pontifice,poteſtas ſacra, ſive magiſtratus Eccleſiaſticus. Quamdiu ergo Ioada docet Ioam,rectum facit coram Domino; hoc eſt,quamdiu magiſtratus civilis obſequitur monitis, & doctrinæ poteſtatis Eccleſiaſticæ,iamdiu agit rectè & proſperè,nec diutius.

℣.18. *Tulit Ioas omnia ſanctificata — miſitque Hazaël regi Syriæ, & receſsit ab Ieruſalem.* Hoc factum C Scriptura ſacra neque laudat, neque vituperat, ſed tantum commemorat. Itaque de eo ex circumſtantiis judicandum. Quod ſi aliundè rex potuit comparare pecuniam,cujus largitione hoſtem averteret,ut ex theſauris propriis,tributis populi, vel ſimilibus; non debuit theſauros, & vaſa templi in eum uſum convertere. Si autem alia ratio non erat hoſtilem impetum retundendi,& à populo Dei avertendi,licitè id fecit; ne ſcilicet Iſraëlitæ à rege Syriæ ducerentur in captivitatem. Nam & Ambroſ.teſtatur pro captivorum redemptione, etiã tempore novi teſtamenti,vaſa ſacra poſſe conflari.

CAPUT XIII.

℣.9. E*T dedit Dominus ſalvatorem Iſraëli, & liberatum eſt de manu regis Syriæ.* Quis fuerit iſte ſalvator,variæ ſunt ſententiæ,de quibus vide Liranum & Cajetanum. Non incommodè videtur poſſe accipi de Ioas quod hîc de ſalvatore dicitur. Nam licèt Ioachaz fuerit deprecatus Dominum, exauditio tamen facta eſt in filio, ſicut & contra aliquando peccata parentum puniebantur in filiis. Et ſanè cum alibi dicitur Dominus miſiſſe ſalvatores,ut Iudith 3. & 2. Eſdr. 9. intelliguntur duces & principes, qui populum ab oppreſſione hoſtium liberarunt, ut Othoniel, Gedeon, Iephte,Samſon,Samuel. Non autem Angelus, aut qui E ſolùm eſſet propheta. Quare nec probabile eſt, quod vult Cajetanus, Eliſæum fuiſſe hunc ſalvatorem, non enim Eliſæus bellum geſſit.

℣.14. *Eliſæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt,deſcenditque ad eum Ioas Rex—dicebatque Pater mi, Pater mi,currus Iſraël,& auriga ejus.* Ad eundem modum ſuprà c. 2. legimus ipſum Eliſæum exclamaſſe ad Eliam, quando vidit eum curru igneo rapi in cœlum. Senſus utriuſque loci idem eſt.Nam Eliſæus ſignificare voluit Eliam fuiſſe currum Iſrael,& aurigam ejus. Similiter Rex Iſraël Eliſæum appellavit currum & aurigam.Hebraicè eſt:*Currus Iſraël,& equites (vel equitatus) ejus.* Per hoc ergo ſignificatur, quod Elias & Eliſæus eſſent fortitudo, & defenſio Iſraëlis, & quod ipſi potentiores eſſent ad defendendũ Iſraël ſuis meritis,& oratione, quàm magnus equitatus curruum bellicorũ.

Eſtij Annotat. in Script.

A ℣.21. *Et projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſæi. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi revixit homo.* Non dubium, quin hoc tam inſigne miraculum factum fuerit ad declarandum merita tanti prophetæ. Tempore D. Hieronymi, Vigilantius hæreticus calumniabatur Catholicos (quod & noſtri temporis hæretici faciunt) quod mortuorum Sanctorum oſſa venerarentur;& pulviſculum,aiebat,neſcio quem,in modico vaſculo transferendo colerent;appellans eos idololatras,quia mortuorum hominum oſſa venerarentur. Sed *reſpondens* ei Hieron. inter alia adſert exemplum iſtud de mortuo hoc ad vitam ſuſcitato per contactum oſſium Eliſæi. Si,inquit, non ſunt honorandæ reliquiæ Martyrum; quomodo B legimus, *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus?* Si oſſa mortuorum polluunt contingentes;quomodo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam corpori, quod juxta Vigilantium, jacebat immundum? Sic ille. Eadem ergo & nos totidem verbis cum opus eſt,proferamus contra hæreticos noſtri temporis,in quibus,dudum ſepulta Vigilantiana,ſeu potius Dormitantiana hæreſis, reſuſcitata eſt.

CAPUT XIV.

℣.6. N*On morientur patres pro filiis,neque filij morientur pro patribus.* Non eſt ſenſus ne occidantur patres,& filij in vita relinquantur,vel vice verſa:ſed ſenſus eſt (*pro filiis*) id eſt, *pro peccatis filiorum*; C aut rurſum,ne filij occidantur *pro patribus*, id eſt, pro peccatis patrum. Quæ ſententia,quomodo non pugnet cum eo quod Deus ipſe dicit Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem.* vide partim eo loco,partim Deut.24. (ad quem poſteriorem locum hîc reſpicitur) explicatum.

℣.8. *Veni,& videamus nos.* Mitiori verbo rem acerbam ſcriptura exprimit. Nam verba ſunt ad bellũ provocantis, ut patet ex ſubjecta narratione. Sic item ad pugnam excitans Ioab ſuos,& milites Isboſeth, alio ſimiliter verbo mitiori utitur dicens: *Surgant pueri, & ludant coram nobis.* 2.Reg.2.verſ.14. Vide ibi plura.

D

CAPUT XV.

℣.1. A*Nno vigeſimo ſeptimo, Ierobeam regis Iſraël, &c.* Quæſtiones de tempore & annis, quibus reges Iuda & Iſrael regnaſſe leguntur, quæ ſæpè incidunt;ſolvuntur quinque modis. Primò per Synecdochen; quando primus vel ultimus annus non totus, ſed ex parte intelligitur. Secundò, quando filius regnavit cum patre, ſicut hoc loco Ioathan cum Azaria, eò quòd Azarias, utpotè leproſus,non poſſet negotiis publicis vacare. Tertiò,quando tempus inter regni ſeu vacationis aſcribitur præcedenti,vel ſequenti regi,vel etiã omittitur. Quartò,quando tempus quo quis malè,vel E non pacificè regnavit,non cõputatur;ſed tantùm quando bene,vel pacificè;ut in Saüle ſecundum quorundã ſententiam. Quintò,ſi quando à ſcriptoribus,ſive librariis in ponendis numeris erratum eſt,id quod in numeris facilè accidere ſolet & talis error corrigendus,vel ex originali,vel ex vetuſtis & manuſcriptis exemplaribus.

℣.29. *In diebus Phacee venit Theglath-phalaſar rex Aſſur, & cepit Aion, & Abel, &c. & tranſtulit eos in Aſſyrios.* Ad quæ tempora Græcorum & Latinorum, Româ nondum conditâ, referenda hæc ſint, ſcribit & declarat Hieron. ſuper Oſee 5. Conſule & chronologos, nominatim Auguſtinum Torniellum, qui ſatis feliciter videtur iſtiuſmodi expedire.

℣.35. *Ipſe ædificavit portam domus Domini ſublimiſſimam.* Hoc ſcriptura de Ioathan filio Oziæ rege Iuda. Putat Rabanus hanc eſſe portam ſpecioſam, de qua in Actis capite 3. ad quam ſedentem claudum Petrus

ſanavit. Sed id verum eſſe non poteſt, quia templum Domini totum exuſtum fuit à Chaldæis tempore Sedechiæ regis, unà cum tota civitate, ut narratur ult. cap. hujus ejuſdem libri. Itaque veriſimile eſt, fuiſſe aliam ſimilem ejus loco ædificatam, quæ nomen antiquum retinuerit, ut & Specioſa, & porta Ioathan vocaretur. Interim videndum, an vocetur *ſublimiſſima*, ſeu excelſa, propter ipſius celſitudinem ex imo in altum, an verò excelſa, id eſt, *ſuperior*, quomodo vertit hic Pagninus, videlicet quod ad ſuperiorem templi partem ædificata fuerit. Cùm enim templum ſitum fuerit in jugo montis, ita ut ex civitate ad ipſum aſcenderetur, ut patet ex eodem loco Act. 3. & aliis, potuit etiam una ejus pars ſuperiori loco terræ ſita fuiſſe, quàm altera.

CAPUT XVI.

℣. 2. & 3. V*Iginti annorum erat Achaz, cum regnare cœpiſſet —— non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini —— inſuper & filium ſuum conſecravit, transferens per ignem, ſecundùm idola gentium.* Hebr. eſt: *Traduxit per ignem juxta abominationes gentium.* Hoc autem quod dicitur, per ignem traduxiſſe filium ſuum, dupliciter intelligi poteſt. Vel, quod filium ſuum igne cremari juſſerit ad honorem idoli Moloch, de qua impietate Levit. 22. Et hoc modo Joſephus in lib. Antiq. Iudaicarum intelligit, ubi refert, quod Achaz filium ſuum immolaverit idolo in holocauſtum. Holocauſtum autem totum cremari debebat. Tale autem ſacrificium, ut Deo maximè diſplicet propter extremam crudelitatem, ita diabolo, qui in idolis colebatur, erat gratiſſimum. Vel intelligitur, quod traduxerit filium per ignem, id eſt, tranſire fecerit inter duos ignes. Ita enim credebant filios ſuos luſtrari, id eſt, purgari, propterea, quod ignis habeat vim purgandi res corporeas. Si de primo modo intelligatur, certum eſt non intelligi de Ezechia filio Achaz. Nam ille, (ut patet in ſequentibus) ſupervixit, & poſt patrem regnavit. Si autem intelligatur modus poſterior, fieri poteſt, ut fuerit Ezechias hoc modo tranſlatus per ignem, quem ſcilicet divina clementia cuſtodierit, ut ſicut ei non obfuit prava educatio, ita nec hæc impia conſecratio. 2. Paralip. 28. de hoc Achaz legitur pluraliter: *Et luſtravit filios ſuos in igne, &c.*

℣. 6. *Et ejecit Iudæos de Aiala, &c.* Hoc loco primum in Bibliis reperitur nomen Iudæorum. Suprà enim ſemper, filij Iſraël, vel Iſraëlitæ & Hebræi vocati ſunt, ſed eò autem hîc & ſæpiùs deinceps vocantur Judæi, quia decem tribubus abductis in captivitatem, remanſit ſola tribus Judæ, permixtis tantũ ei Levitis & tribu Benjamin. Et poſt captivitatem Babylonicam ſoli illi ſolemniter redierunt in patriam. Unde factum eſt, ut ab eo tempore uſq; in hunc diem, & Palæſtina ipſa, Judæa & omnes Iſraëlitæ, Judæi vocentur. Hebr. eſt. *Iehudim.*

CAPUT XVII.

℣. 9. E*T ædificaverunt ſibi excelſa in cunctis urbibus ſuis à Turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam.* Senſus eſt, in cunctis ſcilicet urbibus, & locis celebrioribus, à minori uſque ad majorem. Urbium enim nomine etiam vicos, & caſtella & turres videtur comprehendere.

℣. 25. *Non timebant Dominum.* Timor Domini pro cultu & religione Dei veri ſæpè ponitur in ſcripturis. Unde cum hîc ſcriptura narraſſet, quod gentes iſtæ ab Aſſyriis in Samariam miſſæ, non timerent Deum, & quod propterea Deus immiſiſſet in eos leones, qui interficiebant eos; cùm miſiſſet rex Aſſyriorũ illuc unum de ſacerdotibus captivorum, ad evadendum hanc plagam, dicit ſcriptura: *Ut doceat eos legitima Dei terræ.* Et paulò pòſt: *Et docebat eos quomodo colerent Dominum*, ſatis innuens idem eſſe, quod priùs dixerat, *timere Dominum*, & nunc, *colere Dominum.* Vocatur tamen cultus Dei *timor*, maximè tempore veteris teſtamenti, quia, qui Deum colebant, metuebant ne ſi in eum peccarent, ab eo punirentur: colebant igitur, ut peccatorum juſtum & ſeverum vindicem: filij autem novi teſtamenti magis eum colunt, ut patrem & benefactorem, à quo ſperent æterna bona.

℣. 35. *Nolite timere deos alienos.* Cùm dij alieni ſint dæmones, dicente pſalmiſta: *Omnes dij gentium dæmonia*, quare eos ne noceant, ne tentando in peccatum inducant, ne mala quæcumque, vel ſpiritualia, vel corporalia inferant, timere non licet, quandoquidem naturale eſt timere mala & malorum authores? Reſponſio patet ex dictis. *Timor* enim pro cultu hîc ſumitur, unde ſequitur: *Et non adoretis eos, neque colatis eos, & non immoletis eis.* Et ſanè ſic diabolum timere non licet, quaſi poſſit pro arbitrio nocere: tantùm enim nocet, quantum permittitur à Deo nocere. Quare timor omnis mali talis eſſe debet, ut ſciamus ſolum Deum eſſe, qui & permittit quando vult quodcumque malum, & rogatus avertere poteſt ſumma poteſtate quam in rebus omnibus habet. Quo ſenſu ſolum Deum timendum eſſe non eſt dubium, ſicut ſcriptum eſt Proverb. 7. in 70. *Honora Dominum & valebis; præter eum verò ne timueris alienum.*

℣. 43. *Fuerunt igitur gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſervientes.* Non timebant Dominum ex vera aliqua fide quam habebant in Deum verum, quia plures deos colentes, non poterant: veram habere fidem de Deo Iſraël: ſed ex ea tantum perſuaſione, qua exiſtimabant eum eſſe Deum illius terræ, & potentem eſſe ad puniendum eos, à quibus in illa terra non coleretur. Quod autem eſſet omnipotens, ſolus Deus, æternus, totius creaturæ Dominus, id non credebant, ſed alios præterea habebant & colebant deos, præſides aliarum terrarum, ſicut ille de quo poëta. Illum in Italiam portans, victoſque penates, item illi qui dicebant: *Deus montium eſt, & non Deus vallium*, 3. Reg. 20.

CAPUT XVIII.

℣. 4. C*Onfregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes. Siquidem uſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum.* Ex hoc loco manifeſtũ eſt, populo Iſraëlitico non fuiſſe ſimpliciter prohibitum habere ſimulacra, ſeu imagines, ſed tantùm prohibitum fuiſſe malum ſimulacrorum uſum. Nam æneus ſerpens juſſu Domini à Moyſe factus erat, & erectus in deſerto, ut qui à ſerpentibus percuſſi erant, aſpicerent eum, & ſanarentur; Num. 21. Poſteà verò multo tempore relictus eſt ſerpens ille æneus in populo, in memoriam tam inſignis miraculi. At poſtquam tandem populus in deteriora prolapſus eſt, abuti eo ad idololatriam cœpit, & adolere ei incenſum, quod eſt ſignum divini honoris, & idcircò juſtiſſimè ab Ezechia ſublatus eſt & confractus. *Vocavitque nomen ejus Noheſtan*, id eſt, æs, ſive cuprum, in diminutivo, q. d. res iſta quam hactenus coluiſtis, nihil aliud eſt, quàm vile metallum, nihil in ſe habens divinitatis.

℣. 5. *Itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda ſed neque in his qui ante eum fuerunt.* Quid? an ergo non ei ſimilis, vel etiam ſanctitate excellentior David? *Reſpondeo*, id non dici, ſed tantùm quod ei non fuerit ſimilis quiſquam de regibus Juda, ^[Deus] autem non fuerit tantùm rex Juda, ſed totius Iſraëlis. Et quod ſcriptura Ezechiam non voluerit præferre David, ſatis inſinuatur capit. ſeq. ubi Dominus promittit ſe ſervaturum civitatem propter ſe, & propter David ſervum ſuum. Non dicit autem Dominus ad Ezechiam, propter me & te, ſed propter David. Aliqui etiam ſignificari tantùm volunt, quod fuerint quædam peculiaria virtutis inſignia, & pietatis opera in Ezechia, quæ in aliis non fuerunt. Velut

^ David quod

quod excelſa abſtulit, quod ſerpentem æneum confregit, quod ad preces ejus tot millia Aſſyriorum ab Angelo interfecta ſunt, quod ad petitionem ejus ſol decem gradibus retroceſſerit; Hæc omnia enim eum valdè inſignem, & præ aliis ſingularem, reddiderunt. Certè de omni confeſſore ſancto Pontifice canit Eccleſia: *Non fuit inventus ſimilis illi.* Omnes enim aliquid ſingulare, & quaſi eximium habent. Niſi dicere malimus, quodammodo hyperbolicam eſſe locutionem, vel auxeſim Rethoricam; quomodo Latini ſæpè ſuperlativo utuntur tantùm ad excellentiam quandam ſignificandam; quomodo decimus de homine bene docto & ſancto: Nihil eo doctius, nihil ſanctius, & alia ſimilia.

℣. 13. *Anno quarto decimo regis Ezechiæ aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum.* Ab hoc loco quæ ſequuntur uſque ad illud cap. 20. ſub finem: *Reliqua autem ſermonum Ezechiæ.* Omnia penè eadem & iiſdem verbis habentur apud Iſaiam cap. 36. 37. 38. & 39. Tantùm apud Iſaiam extat Canticum regis: In cæteris paucula ſunt diverſa. Eſt autem probabilius hujus libri authorem, (ea, quæ cum propheta communia habet, ex propheta) qui pars magna rei geſtæ fuit, ut patet in decurſu narrationis) ſumpſiſſe, quàm prophetam ex hujus libri auctore.

℣. 14. *Tunc miſit Ezechias rex Iuda nuncios ad regem Aſſyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede à me.* Non ſatis liquet quare Ezechias dixerit, (*Peccavi.*) Quidam putant ipſum habuiſſe fœdus cum rege Aſſyriorum, illudque rupiſſe, alij tantùm patrem Ezechiæ. Confer cap. 16. verſ. 7. & ſeqq. & cap. hujus v. 7. Id conſtat, Deum hac vice civitatem non liberaſſe, ſed Ezechiam magna vi argenti pacem redemiſſe. At poſtquam contra pactum rediit rex Aſſyriorum, ad obſidendam civitatem; tunc Deus magno miraculo civitatem ab hoſte liberavit. An autem Ezechias rectè fecerit, ad redemptionem pacis dando aurum multum, & æs, ſpoliando templum; vide ſuprà cap. 12. in ſimili argumento explicatum, de rege Ioas.

CAPUT XIX.

℣. 21. SPrevit te & ſubſannavit te virgo filia Sion; *poſt tergum tuum caput movit, filia Ieruſalem.* Iſta ſententia admittit amphibologicum ſenſum; quia dubium eſt, ad quem, & de quo dicatur. Nam illud (*virgo filia Sion*) & illud (*filia Ieruſalem*) vel accipi poteſt in caſu nominandi, vel in caſu vocativo. Ab interpretibus ferè accipitur in hunc ſenſum: ô virgo filia Sion rex Aſſyriorum ſprevit te, & ſubſannavit te; ô filia Ieruſalem rex Aſſyriorum caput ſuum movit poſt tergum tuum, ut ſermo ſit de rege Aſſyriorum, & dirigatur ad populum in Ieruſalem. D. Hieronymus ſcribens in Iſaiam, ubi hæc eadem repetuntur, intelligit dictum de filia Sion ad regem Aſſyriorum, ut ſenſus ſit: ô rex Aſſyriorum, virgo filia Sion ſpernet te, & ſubſannabit te. Item filia Ieruſalem movebit caput ſuum poſt tergum tuum; quando videlicet, occiſo exercitu, cùm paucis turpiter te conjicies in fugam. Ut propheticè præteritum pro futuro poſitum ſit; nempè quia ita certa ſunt prophetis illa quæ prædicunt, tanquam ſi jam facta fuiſſent. Atque hic ſenſus eſt verior. Nam licet in Latina verſione ſenſus ſit ambiguus, in Hebræo nulla eſt ambiguitas; ubi manifeſta eſt diſtinctio generis maſculini & fœminini, tam in verbis, quàm in nominibus. Et eundem ſenſum exprimunt Septuaginta.

℣. 34. *Protegam urbem hanc & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.* Eadem verba repetuntur ſequenti capite. Quidam ſuſpectæ religionis illud (*propter David ſervum meum*) ſic interpretantur: Protegam urbem hanc propter fœdus, quod inivi cum Davide, ut appaream verax; quia non reſpiceret Deus ad merita Davidis, ſed tantùm ad promiſſionem ei factam. Sed audiant illi Hieronymum eandem ſententiam multò pleniùs, & Catholico ſenſu interpretantem: illud, inquit, ſignificat, quod non merito ſuo, ſed Dei clementiâ conſerventur; imò patrit eorum Davidis memoria: in quo admonentur & ſuæ negligentiæ, & illius fidei atque juſtitiæ, quod in tantum juſtitiam diligat Deus, ut etiam poſteros ſanctorum hominum, non ſuo merito, ſed majorum virtute tueatur. Hæc Hieronym. Ecce non de promiſſione Davidi facta, ſed de merito ejus, fide, juſtitia, aliiſque virtutibus, quibus Deo placuit, interpretatur. Vide etiam 3. Regum 15. & Pſal. 131.

Eſtij Annotat. in Script.

℣. 36. *Et reverſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & manſit in Ninive.* Ad illuſtrationem hujus hiſtoriæ de exercitu Sennacherib cæſo ab Angelo, & Sennacherib fugiente, facit locus Tob. 1. ubi narratur Sennacherib ex fuga domum reverſus multos filios Iſraël iratus occidiſſe, qui apud ipſum erant in captivitate ex decem tribubus. Sed cur non etiam percuſſus ab Angelo ipſe Sennacherib, qui totius mali cauſa fuerat? *Reſpondeo*, ut viſa tanta plaga exercitui ſuo immiſſa à Deo quem blaſphemaverat, ſuperbia ejus retunderetur, & corde tabeſceret, & confuſus rediret in terram ſuam. Deinde ut vindictæ magis peculiari & graviori reſervaretur, ſcilicet ut qui os aperuerat contra Deum Iſrael, manus ei violentas inferrent filij ex ipſo geniti.

℣. 37. *Cumque adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij ejus percuſſerunt eum gladio.* Meritò percuſſus gladio in templo Dei ſui adorans, qui in Deum Iſrael tanquam Deo ſuo infirmiorem, uſque adeo fuerat blaſphemus.

CAPUT XX.

℣. 1. PRæcipe domui tuæ, Morieris enim tu, & non vivas. Non abſolutè prædici quod futurum eſſet, ſatis intellexit etiam ipſe Ezechias, quando Deum oravit pro vitæ prorogatione; quod non licuiſſet ei facere, ſi exiſtimaſſet abſolutam eſſe prædictionem. Quod autem petendo non peccaverit, liquet; quia exauditus eſt à Deo propitio. Quod ſi Ezechias intellexit non eſſe abſolutam prædictionem ejus quod futurum eſſet, quantò magis ipſe propheta Iſaias? igitur ex hac admonitione divina ſciebat uterque morbum eſſe ad mortem, quoad cauſas naturales. De abſoluta autem Dei voluntate neuter ſciebat, niſi poſteà ex nova Dei revelatione. Talis fuit etiam prædictio Eliſæi de Benadab, de qua egimus ſuprà capite 8. verſ. 10.

℣. 3. *Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto.* Sed quare Ezechias, audita ſententia mortis commemorat apud Dominum ſuam ſanctitatem? *Reſpondet* Hieronym. in Iſaiam, ut moriturus fiduciam in Deum erigeret. Iturus, inquit, ad Dominum, narrat opera ſua, quomodo ambulaverit coram eo in veritate & corde perfecto: felix conſcientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur. Ita ille, ſignificans recordatione bonorum operum, afflictionis tempore, conſcientiam reddi tranquilliorem. Id quod & ſanctus Hilarion fecit jam jam moriturus, quando dixit: Egredere anima mea: Septuaginta annis ſerviſti Deo, & mortem times? quemadmodum refert idem Hieron. in ejus vita. Notanda autem hæc ſunt contra hæreticos noſtri ſeculi, qui omnem fiduciam bonorum operum conantur Chriſtianis eripere. Porrò idem Hieron. interpretans illud (in corde perfecto) perfectionem cordis Ezechiæ in eo collocat, quod ſubverterit idolorum cultum, ut ſenſus ſit: in rebus ad cultum tuum pertinentibus, nihil quod faciendum putarem, prætermiſi; excelſa, lucos, idola, abſtuli & ſubverti, atque hæc omnia integrè & ex animo feci. Auguſt. De perfect. juſtitiæ (in corde perfecto) accipit, ut ſit idem, quod irreprehenſibiliter, & ſine crimine. Capite 9. in fine. Atque

hæc perfectio hujus vitæ eſt,quæ tamen multas veniales maculas ſecum admittit. Eſt autem locus hic etiam notandus contra eos qui docent omnia juſtorum opera eſſe peccata.

℣.7. *Afferte maſſam ficarum.* Quæritur an hoc emplaſtrum valuerit naturaliter ad ſanandum ulcus Ezechiæ?Si ſic;quomodo ergo ſecundùm cauſas naturales erat moriturus?Reſpondetur fieri potuiſſe ut naturaliter valuerit, ſed tamen ſecundùm cauſas naturales erat moriturus,quia medium hoc naturale nemo adhibuiſſet, niſi propheta Dei juſſu monſtraſſet. Multi enim morbi naturaliter incutabiles ſunt,quia licet in natura ſint remedia,nondum tamen inventa ſunt. Poteſt etiam dici, quod non valuerit naturaliter,ſed per miraculum,ſicut fel & jecur piſcis ad ſanandum oculos Tobiæ & dæmonem fugandum. Vide Annot. Tob.8.

℣. 8. *Quod erit ſignum,quia Dominus me ſanabit ?* Hujus petitionis ſigni non meminerunt lib.2. Paralip. & Iſaias , ſed ſimpliciter dicunt Dominum dediſſe ei ſignum. Nec eſt improbabile prophetam priùs dixiſſe regi ; *Pete tibi ſignum,*ſicut dictum fuerat Achaz patri ejus;& regem reſpondiſſe: *Quod erit ſignum?*ut hic narratur.Et ſecundùm hoc,nulla hic fidei tarditas notanda eſt in Ezechia: ſed magis obedientia ; cùm è contrario, pater ejus recuſando petere ſignum,graviter Dominum offenderit per inobedientiam , & animi ſuperbiam. Si tamen ſponte petiit ſignum,quod innuere videtur Hieron.lib. 2. dialogi contra Pelag.cap.8.ita excuſabitur , quemadmodum Abraham, & Gedeon ; de quibus ſuis locis. Intereſt enim quo animo & qua intentione ſignum petatur.

℣.9. *Vis ut aſcendat umbra decem lineis,an ut revertatur totidem gradibus ?* Hoc propheta non diceret,niſi ante à Deo præmonitus. Quod ergo ſequitur: *Invocavit itaque Iſaias Propheta Dominum , & reduxit umbram per lineas,&c.* oratio eſt pro impetrando effectu quem divinitus ſciebat eventurum;qualis erat & illa Moyſi, de quo dicitur Exodi 8. *Et clamavit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum quam condixerat Pharaoni :* Non enim condixerat niſi certus divinitus. Putat Burgenſis quod in curſu ſolis,aut diei,nullũ acciderit miraculum,ſed ſolùm in motu umbræ indicis in horologio. Et quidem hoc loco ſolis nulla fit mentio:Sed tamen Eccleſiaſticus cap.48. in curſu ipſo ſolis agnoſcere miraculum videtur,his verbis : *In diebus ipſius,rediit ſol,& addidit regi vitam.* Eta.Paralip. 32. miſiſſe leguntur ad Ezechiam proceres Babylonis legationem, ut interrogarent de portento,quod acciderat ſuper terram. Vide apud D.Auguſt.de mirabil. Sacræ ſcript.lib.2.cap.28. qui intelligit ſolem verè retroceſſiſſe.Sic & Prudentius in Enchiridio,his verbis :

Quod gradibus,quas veſpera texerat umbra ,
Lumine perfuſis decuit ſol verſus in ortum.

℣.19. *Bonus ſermo Domini quem locutus eſt , ſit pax & veritas in diebus meis.* Quæritur,quare non deprecatus fuerit hæc mala ne evenirent , ſed mořtaret Dominus ſententiam hujus graviſſimæ comminationis, ſicut ante fecerat,nuntiata ſibi morte per Iſaiam ? Qui enim pro ſe impetraverat ſententiæ divinæ immutationem ; confidere debebat hoc ipſum ſe impetraturum pro populo ſibi credito ; ideoque non minus,imò magis id facere debuit quantò magis curam totius populi, quàm vitæ tantummodo ſuæ ad paucos annos prorogandæ habere debuit. Reſpondeo intellexit Ezechias verba illa ad ſe dicta : *Morieris enim & non vives,*non ſignificaſſe abſolutum Dei decretum , quod mutari non poſſet, ſed tantùm quid naturalibus cauſis exigentibus futurum eſſet. Quæ verò hoc loco de captivitate populi prædicuntur , cùm à cauſis naturalibus non ita pendeant,intellexit abſolutè futura prædici ; ideoque fruſtra futurum ſi pro iis malis avertendis,Dominum precaretur.Quocirca id fecit quod pium & Deo ſubditum Regem facere decuit ,ſubmittens ſe ſuaque humiliter voluntati divinæ eique jam ſibi cognitæ , voluntatem ſuam conformans , Deique factum & voluntatem approbans,& id petens à Deo, quod petendum reſtabat ; ſcilicet ut ſaltem in diebus ſuis pace firma & ſtabili frueretur. Vide Annot.Iſa.39.v.8. Sic Heli ſacerdos, ſic infrà Ioſias rex in Deum egregiè pius mala prædicta atque in poſteritatem vel populum ventura , non ſunt deprecati, ſatis intelligentes ſic abſolutè apud divinam juſtitiam decretum eſſe.Malè igitur Ezechiam Hebræi quidam doctores reprehendunt , quod hac prophetica comminatione audita,non ſtuduerit iram Dei flectere, exemplo Moyſi , qui dicebat : *Aut dimitte eis hanc noxam,aut dele me de libro tuo,quem ſcripſiſti.*Et exemplo Davidis,qui dicebat;*Ego ſum qui peccavi ; vertatur manus tua in me.* Sanctus Hieronymus hanc Hebræorum reprehenſionem refert ſcribens in Iſai. tametſi ſuam de ea ſententiam non aperiat.

CAPUT XXI.

℣.11. *QUia fecit Manaſſes rex Iuda abominationes iſtas peſſimas.—Propterea hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem, & Iudam.*Sic & infrà cap.23. *Veruntamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui, propter irritationes quibus provocaverat eum Manaſſes.* Quæ non ſunt ita intelligenda, quaſi propter ſolius Manaſſæ peccata fuerit populus Judaicus ductus in captivitatem. Nam ſcriptura, alibi etiam in populum culpam illius exterminij conjicit. Et Jeremias Threnorum ult. *Patres noſtri peccaverunt , & non ſunt , & nos iniquitates eorum portavimus.* Et clariùs Dan.9. commemoratur non ſolùm de peccatis regum & principum,ſed etiam populi.Et his ipſis locis quoque commemorantur peccata populi , quibus meruit , ut projiceretur à facie Domini. Sed idcircò nominatur peculiariter peccatum Manaſſe,quia ille populo author fuit peccandi. Unde additur hoc loco: *Et peccare fecit etiam Iuda in immunditiis ſuis.* & v.15.

℣. 18. *Dormivitque Manaſſes cum patribus ſuis , & ſepultus eſt in horto domus ſuæ,in horto Oza, & regnavit Amon filius ejus pro eo.*Quare hîc nulla mentio fiat pœnitentiæ Manaſſæ,quam commemorat lib.2.Paralip.& quid ſit illud , quod ſepultus dicatur in horto domus ſuæ. Vide 2.Paral.33.v.11. & 20.

CAPUT XXII.

℣.14. *IErunt itaque Helcias ſacerdos , & Ahicam, & Achobor , & Saphan , & Aſaia ad Holdam propheriſſam uxorem Sellum. Quæritur* quare non adierunt Ieremiam , qui fuit celeberrimus propheta ? & tempore Ioſiæ floruit;aut quare ſaltem non alios viros prophetas,de quibus ſeq.c.2.dicitur: *Quod cum rege aſcenderint in templum Domini ſacerdotes & prophetæ ?* De Ieremia *reſpond.* à nonnullis ,eum tunc temporis adhuc ætate puerũ, & proinde nullius authoritatis fuiſſe, Sed huic obſtat,quod Ieremias prophetare cœperit anno 13.Ioſiæ,ut habetur Ierem.1. Ioſias autem ad hanc prophetiſſam miſit demum anno 18. ſui regni,ut dicitur hoc capite: Igitur Ieremias jam per quinque annos prophetaverat. Proinde *aliter reſpondent* quidam , Ieremiam occupatum fuiſſe in commonendis & inſtruendis iis qui ex populo decem tribuum erant reſidui , ne perſiſterent in cultu & timore Dei.Fortè etiã Ieremias per id tempus verſabatur in vico Anatoth,unde oriundus erat,& ubi agros habebat.De reliquis viris prophetis reſponderi poteſt,eos tantùm ſcribas & legiſperitos fuiſſe,ſicut & vertit Paraphraſtes Chaldæus. Nam prophetæ nomen ſubinde ita generaliter accipitur. Et veriſimiliter prophetiſſa illa Holda fuit admodum celebris,ſicut ſuo tempore Debora. Iud.3.4.& 5.

℣.17.

℣. 17. *Succendetur indignatio mea in loco hoc, & non extinguetur.* Quare non tantùm valuit pietas Ioſiæ ad avertendam ſubverſionem templi & civitatis, quantum impietas Manaſſe ad eam provocandam? *Reſpondeo*, quia populus etiam per ſe merebatur excidium, propter peccata ſua, quæ tanta erant, ut per unius regis pietatem vindicta averti non poſſet.

℣. 20. *Colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum. Dicet* aliquis. Quomodo Ioſias ſepultus eſt in pace: cùm fuerit in prælio interfectus? nempe progreſſus contra regem Pharaonem. Nam 3. Reg. 2. hæc duo opponuntur mori in pace, & interfici gladio, ubi David præcipit Salomoni de Ioab, ut canos ejus non deducat pacificè ad inferos, ſed curet eum interfici? *Reſpondeo*, hoc loco ſepulturam in pace, diſtingui tantùm contra captivitatem hoſtilem, aliaſque calamitates, quas ſcriptura populum paſſurum à Babylonis paulò ante inſinuaverat. Unde & ſequitur. *Ut non videant oculi tui omnia mala, &c.* Collectus eſt ergo in pace, quia mortuus antequam illa mala advenirent. Simul notandum ex hoc loco viris ſapientibus & cordatis gravius eſſe malum, videre magnam afflictionem populi, præſertim ſpiritualem miſeriam, quàm citò mortem oppetere. Unde dicebant Machabæi. *Melius eſt nobis mori in prælio, quàm videre mala gentis noſtræ, & ſanctorum.* 1. Machab. 3.

CAPUT XXIII.

℣. 9. *Veruntamen non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Ieruſalem, ſed tantùm comedebant azyma in medio fratrum ſuorum.* Hi erant ſacerdotes Aaronici, Nam alioqui non fuiſſet eis pœna non aſcendere ad altare Domini. Utrum autem fuerint ſacerdotes excelſorum ad cultum idolorum, an verò ad cultum unius Dei; non liquet. Pro priori parte facit, quod dicitur Ioſias contaminaſſe excelſa de Gabaa uſque Berſabee; Pro poſteriori, quod poſteà dicitur Ioſias occidiſſe univerſos ſacerdotes excelſorum; ſed additur, qui erant ibi; nimirùm in civitatibus Samariæ. Et ad prius dici poteſt, ſcripturam, cùm dicit: *Non aſcendebant ſacerdotes excelſorum, &c.* non loqui de omnium excelſorum ſacerdotibus, ſed de quorundam tantùm, in quibus videlicet uni Deo ſacrificabatur, ſed contra legem, idque fiebat per Sacerdotes Aaronicos. Eſt autem in hoc capite notandus inſignis zelus Ioſiæ pro vera religione.

℣. 25. *Similis illi non fuit ante eum rex.* Simile quid eſt cap. 18. v. 5. ubi vide quomodo hoc intelligatur. Hic verò ſubditur de Ioſia: *Qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi.* Ubi nota contra hæreticos noſtri temporis, primum legis præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, &c.* à Ioſia fuiſſe ſervatum; ac proinde à nobis quoque poſſe ſervari. Si *quæras* quare non graviter offenderit Deum, quandoquidem temerè, ut videtur, occurrens Pharaoni, ſe ſuoſque morti & calamitati objecerit? *Reſpondeo* eum potuiſſe cauſas habere probabiles, quare regno ſuo ab exercitu Pharaonis metueret. Et quamvis Pharao proteſtaretur, ſe non venire adverſus eum; non tamen illi fidem habere tenebatur, quia ſæpè callida ſunt Regum conſilia. Deinde, ſicut David interdum peccavit, & pœnitentiam egit; ita de Ioſia, confiteri non eſt abſurdum.

℣. 29. *Et occiſus eſt ab eo in Mageddo, cum vidiſſet eum.* Id eſt, cùm fuiſſet cum eo prælio congreſſus, ut patet ex 2. Paralip. 35. Et eſt quædam λειτοτης ſeu potiùs χαριεντισμος, cùm leniori verbo (*Videre*) pro (prælio decertare) ponitur, ſicut etiam paſſim congredi dicuntur generali vocabulo, qui pugna decertant. Simi-
A lem phraſim explicuimus ſuprà cap. 14. v. 8. Ubi & alia in hanc rem diximus. Porrò quod hic Ioſias occiſus dicitur in Mageddo, intelligendum eſt ex collatione hujus loci cum cap. 35. lib. 2. Paralipom. quod in campo Mageddo lethaliter vulneratus, in via mortuus ſit, & ſic illatus in Ieruſalem. Dicitur quidem 3. Eſdræ 1. quod perveniens Ieroſolymam vita functus eſt, ſed liber ille non habet authoritatem canonicam. Nihil etiam repugnat, ſi dicatur in campo Mageddo vulneratus, & in civitate Mageddo mortuus.

CAPUT XXIV.

℣. 1. *In diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & factus eſt ei Ioachim ſervus tribus annis.* Quæres an Nabuchodonoſor juſto titulo Iu-
B dæam occupaverit? Ita enim videri poteſt, quia ſequenti capite dicitur, quod Nabuchodonoſor cum Sedechia locutus ſit judicium, poſtquam eum cepit. Id autem eſt, quod juſſerit ejus cauſam agi, & condemnaverit tanquam perfidum & perjurum, ut pleniùs habetur apud Ieremiam & Ezechielem. Iuraverat enim ei ſubjectionem. Item quod Dan. 2. dicit Daniel, *quod Deus regi Nabuchodonoſor dedit omnia in quibus habitant filij hominum, & quod univerſa ſub ejus ditione conſtituit.* Et cap. 5. ſimilia dicuntur. At contrà, Nabuchodonoſor non habuit ullum jus invadendi Iudæam, & ſubjugandi ſibi reges Iuda, licèt eos poſteà coëgerit ſibi fidem dare, etiam cum juramento. Unde & hoc capite dicitur; *Et ultra non addidit rex Ægypti, ut egrederetur de terra ſua: tulerat enim rex Babylonis à
C rivo Ægypti uſque ad fluvium Euphratem, omnia quæ fuerant regis Ægypti.* Tulerat, inquam, non aliter quàm jure belli, ſicut rex Ægypti priùs occupaverat. Cæterùm etſi Sedechias ſervare debebat fidem jurejurando firmatam; maximè quia juraverat per nomen veri Dei, ut veriſimile eſt, cujus juramenti violatio impia erat, & præterea faciebat hoſtes blaſphemare nomen Domini: non ideò tamen licebat Nabuchodonoſori Iudæam retinere; quia non juſtè occupaverat ac ſubjecerat; ſed tenebatur reddere legitimo principi Et Deus quidem dederat ei omnia regna, ut haberet, non autem ut juſtè haberet, ſed, quia nec haberi poſſunt, niſi Deo dante.

℣. 3. *Factum eſt hoc per verbum Domini contra Iudam, ut auferret eum coram ſe propter peccata Manaſ-
D ſe, &c.* Idem ſubinde repetitur à Ieremia, quod videlicet Dominus noluit flecti miſericordia ſuper populum Iuda, propter peccata Manaſſe, quibus ipſum ad iram provocaverat, ita tamen ut etiam Deus juſtam cauſam iræ haberet in populum, ut ſuprà cap. 21. v. 11. oſtenſum eſt. Interim notandum, quod locus iſte manifeſtè convincit errorem hæreticorum noſtri temporis, qui negant, dimiſſo peccato, relinqui pœnam aliquam temporalem exſolvendam. Manaſſes enim tametſi graviſſimè peccaſſet, pœnitentiam egit, & exaudita eſt oratio ejus, quemadmodum habetur 2. Paralip. 33. Quo non obſtante, Dominus peccata ejus vindicat etiam in ejus poſteritate, ita ut propter peccata ejus populus Iuda ductus fuerit in captivitatem. Quod ſi peccata dimiſſa ad-
E huc vindicantur in aliis, multò magis in illis ipſis qui ea commiſerunt, ſicut aliàs dictum eſt de Davide Neque tamen iſta vindicta fuit injuſta, tum quia non ſolus Rex peccaverat, ſed etiam populus, qui tamen exemplo Regis non egit congruam pœnitentiam: tum quia omnes reges Iuda qui Manaſſem ſecuti ſunt excepto Ioſia, ſimul cum populo fecerunt malum in conſpectu Domini. Unde populus punitus quidem propriè fuit propter ſua peccata, ut cap. 21. explicatum eſt, ſed indirectè etiam, & occaſionaliter, ut ex hoc loco & aliis patet, propter peccata Manaſſæ.

℣. 5. *Et dormivit Ioachim cum patribus ſuis.* Quomodo hoc conveniat cum iis quæ ſunt 2. Paralip. 36. Vide ibi explicatum.

℣.15.& 16. *Tranſtulit quoque Ioachim in Babylonem, & matrem regis, &c.—— & omnes viros robuſtos, & artifices & cluſores.* Pridem legebatur compoſitum (*incluſores*) pro (*cluſores*) quare ita mutatum ſit, non ſatis liquet. Quid enim per incluſores ſeu cluſores intelligatur, non convenit inter interpretes. Quidam intelligunt janitores, id eſt, cuſtodes urbis. Sed nulla apparet cauſa illos abducendi præ reliquis. Quidam accipiunt eos qui ſtringunt, & recondunt enſem, id eſt, milites. Sed ſupra jam dictum erat, *omnes viros robuſtos*, & mox etiam ſubditur; *omnes viros fortes & bellatores*, & ſuprà etiam v. 14. *Omnes fortes exercitus.* Proinde eorum ſententia magis placet, qui intelligunt *cluſores* vel incluſores caſtrorum, id eſt, peritos caſtra metandi; & ſimiliter per artifices eos qui callebant artes earum rerum, quæ ad uſum belli pertinebant. Abduxit ergo hos rex Babyloniȩ, partim, ut ſibi ad bellum eſſent uſui, partim, ut civitati Jeruſalem in poſterum ſubtraheret occaſionem rebellandi. Sanè legimus ſimili conſilio uſos Philiſthæos, quando caverant ne faber ferrarius inveniretur in omni terra Iſrael, ut narratur 1. Reg. 14.

CAPUT XXV.

℣.4. F*Vgit itaque Sedechias per viam quæ ducit ad campeſtria ſolitudinis, & perſecutus eſt exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum.* Series narrationis hujus diligenter conferenda eſt cum iis quæ ſunt apud Jeremiam. Interim hîc notandum; primò in hoc capite duo facta narrari contra conſilium Jeremiæ Prophetiæ, quorum utrumque malè cecidit, & infelicem habuit exitum: unum autem factum ſecundùm ejus conſilium, idque feliciter cecidiſſe. Primum contra ejus conſilium factum, eſt quod Sedechias noluerit ſe dedere regi Babylonis, ſed permiſerit civitatem obſideri, uſque ad extremam neceſſitatem famis; quæ tanta fuit, quemadmodum Jeremias teſtatur, ut etiam matres filios ſuos coxerint & comederint: & ipſe Sedechias tandem captus, & excæcatus in Babylonem ſit abductus. Secundum quod occiſo Godolia reliquiæ populi fugerint in Ægyptum, ubi graviſſimas calamitates paſſæ ſunt. Id autem quod factum eſt ex conſilio Jeremiȩ, eſt quod Ioachim rex Juda ſe tradiderit in manus Nabuchodonoſor, quod feliciter ceſſit, ut oſtenditur ad v. 17. Notandū ſecundò, quod non liceat violare pacta, etiā inita cum infidelibus, etiamſi ſint per potentiam extorta, maximè ſi ſint jurejurando firmata. Nam tale erat pactū hujus Sedechiæ cum Nabuchodonoſor.

℣. 27. *Factum eſt verò in anno trigeſimo ſeptimo tranſmigrationis Ioachim regis Iuda——— ſublevavit Evilmerodach rex Babylonis——— caput Ioachim regis Iuda de carcere.* Quare hoc ita à Deo ordinatum fuerit, duæ adferuntur rationes. *Vna*, ut per hoc oſtenderetur, quàm pium & ſanctum ſit obſequi conſiliis prophetarum, & ſanctorum virorum. Nam Ioachim, ſuadente Jeremia, ſe Nabuchodonoſori ſponte tradiderat: Ex quo etiam illud conſequens eſt, quod non ſit per ſe malum habitare in medio infidelium. Nam alioqui Ieremias nunquam tale cōſilium dediſſet regi Ioachim. Sed & potiſſima cauſa fuit cur Deus ita voluerit Ioachim elevari è carcere, & quod, ut ſcriptura loquitur; *Rex victus ſit ei locutus benignè, & poſuit thronum ejus ſuper thronum regum, qui erant cum eo in Babylone*; potiſſima, inquam, cauſa fuit, propter aliquam continuationem regni Iuda in ſtirpe Davidica, videlicet in iſto Ioachin (qui 2. Paralip. 3. & à Ieremia pluribus locis & Matth. 1. Iechonias vocatur) & filio ejus Salathiel, ac deinceps uſque ad Chriſtum; juxta Prophetiam Iacob Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt.*

FINIS LIBRI IV. REGVM.

ANNOTATIONES

IN LIBRVM I. PARALIPOM.

De Authore horum librorum.

HUNC librum, qui unus eſt apud Hebræos, Hieron. ſub finem lib. 1. cont. Pelag. vocat *librum dierum*. Et ſic intitulatur in Hebræo *Dibre hajamin*. Unde quæri poteſt: An ſignificetur hic liber, quoties in libris Regum dicitur; *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Iuda?* Sed videtur, quod non; quia hujus libri hiſtoria longiùs extenditur, quàm librorum regum. Pertingit enim uſque ad Cyrum regem Perſarum. Imò videtur liber Regum citari in hoc; ſcilicet lib. 2 cap. 16. dum dicitur de rege Aſa, quod opera ejus ſcripta ſunt in libro Regum Iuda & Iſraël. Unde & hic liber tanquam poſterior appellatur Græcè *Paralipomenon*, id eſt, derelictorum. Quòd autem in libris Regum aliquando dicitur; *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Iſraël* aut *Iuda?* alij libri ſignificantur; qui non modò extant.

CAPUT PRIMUM.

℣.18. A*Rphaxad autem genuit Sale, &c.* In præcedentibus ab Adam uſque ad Noë nullam generationem fuiſſe prætermiſſam, tum hîc eum in Geneſi concors eſt omnium ſententia. At à Noë uſque ad Abraham, ſine prætermiſſa aliqua non conſtat. Atque interim de Cainan, qui in Geneſi apud Septuaginta inter Arphaxad & Sale interponitur anceps erat quæſtio, eò quòd idem Cainan Lucæ 3. quoque interponatur.

℣.19. *Porrò Heber duo nati ſunt filij.* Occaſione hujus Heber *quæritur*, unde dicti ſint Hebræi, an ab hoc Heber, an verò ab Abraham? Quidam, inter quos D. Auguſt. lib. 1. de conſenſ. cap. 14. putant ab Abraham ſic dictos, quaſi Abræos. Sed id retractat idem Auguſt. lib. 2. cap. 16 docens magis eſſe veriſimile, ut ſic dicti ſint ab hoc Heber. Idem habet lib. 1. de civit. cap. 14. Nos magis eorum ſententiæ accedendum putamus, qui ob neutram iſtarum rationum putant ſic appellatos. Non ab Abraham, tum quia ille ipſe Geneſ. 14. cùm adjectione vocatur Abraham Hebræus, tum quia Abraham apud Hebræos primam litteram habet Aleph, Ibri autem, quod Hebræum ſignificat, primam habet Ain. Et ſimiliter non ab Heber, quia inter Abraham & Heber quinque generationes intercedunt, hoc eſt anni circiter ducenti; & nulli tamen nomen Hebræi attributum legitur ante Abrahamum dicto loco Geneſ. 14.

con-

continuatum deinde in ejus poſteris. Dicimus itaque Abrahamum appellatum fuiſſe Hebræum à vocabulo *Eber*, quod ſignificat *trans* vel *ultra*: quia videlicet Abraham de trans fluvium Euphratem, venit in terram Chanaan. Unde ab incolis illius loci vocatus eſt Ebręus, id eſt, *transfluvialis*, vel potiùs *Ultraneus*; quia de ultra flumen ad ipſos tranſiiſſet; ſicut nunc alij vocantur transmarini, alij tranſmontani. Et hæc ratio indicatur Ioſue 24. ubi habetur; *Trans fluvium habitaverunt patres veſtri, &c.* ubi in Hebræo habetur; *de Heber fluvij*, id eſt, *de trans fluvium.* Eandemque interpretationem tradit Euſeb. lib. 11. de præparat. Evang. c. 4. & Bernard. in Epiſt. ad fratres de monte. Vide noſtrum Comment. 2. Corinth. 11. & argumentum epiſt. ad Hebr.

℣. 51. *Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom eſſe cæperunt.* Non ſignificatur, ſtatum populi illius tunc factum deteriorem, ſed potiùs meliorem. Scilicet quando non ſunt ampliùs permiſſi, qui præerant, pleno imperio regere, (quod Regum eſt) ſed poteſtate certis ac præſcriptis legibus, & conditionibus adſtricta; ut propter hoc jam non reges, ſed duces vocarentur: quomodo & ſtatus populi Iſraëlitici, teſte ſcriptura lib. 1. Regum, cap. 8. ſub judicibus per ſe melior fuit, quàm ſub regibus. Vide eo loco.

CAPUT II.

℣. 13. I*Sai autem genuit primogenitum Eliab, ſecundum Abinadab, &c. ſeptimum David.* Legimus 1. Regum 16. quod Iſai adduxerit ſeptem filios ſuos coram Samuële, & tunc dixerit Samuël ad Iſai; *Non elegit Dominus ex iſtis*; videlicet quia David non erat ex ſeptem illis, ut qui poſteà fuerit adductus. Idemque capite 17. v. 12. diſertè dicitur, Iſai habuiſſe octo filios. *Quæritur* ergo quomodo hic tantùm numerentur ſeptem filij Iſai, & ſeptimus inter eos David? Hanc apparentem repugnantiam tollunt Hebræi & alij eos ſequentes, quod Iſai tantùm habuerit ſeptem filios naturales, & ex ipſo immediatè genitos; quorum ultimus ſit David. At verò quando octo eſſe dicuntur ejus filij, computari inter eos etiam Ionadab filium Samma fratris David, quem Iſai in filium ſuum adoptaverit. Nec incongruum videtur etiam hunc ab Iſai Samuëli ad regnum oblatum fuiſſe. Nam idem 2. Reg. 13. v. 3. vocatur vir prudens valdè. Unde Iſai ſuſpicari potuit eum ad regnum fore idoneum, ut propterea eum quoque cum cæteris filiis adduxerit.

℣. 18. *Caleb verò filius Heſron, &c.* Fuit hic Caleb diverſus à Caleb filio Iephone, de quo ſæpiùs in libris Numerorum, Ioſue, & Iudicum, de quo etiam infrà c. 4. hujus libri. Atque adeo Caleb, de quo hic ſermo eſt, vocatur etiam Calubi, ſeu Calubai, hoc eodem capite paulò ſuperiùs. Vide quoque Annotat. Exodi 13.

℣. 52. *Fuerunt autem filij Sobal patris Cariath-Iarim, Qui videbat dimidiam requietionum.* Quædam exemplaria habent (*dividebat*) ſed malè. Nam & Hebræa, & omnia MSS. habent (*videbat.*) Quidam ſic exponunt, ut Sobal vidiſſe dicatur dimidium requietionum quia poſtquam Moyſes dedit duabus tribubus, & dimidiæ ſuas poſſeſſiones ultra Iordanem tunc mortuus eſt, priuſquam cæteræ tribus ſuas accepiſſent poſſeſſiones, & ita viderit tantùm dimidium quietis populi Iſraël. Sed convenientior videtur aliorum interpretatio, quibus illud (*requietionum*) eſt nomen loci, Hebraïcè, *Manahot.* Et ſenſus tunc eſt, Qui videbat, id eſt, ſuper intendebat, ſeu curam gerebat, Princepſque erat dimidij loci, qui vocabatur Manahot. Itaque hoc loco videre ſeu contemplari ſignificabit, eſſe præfectum ſeu principem, quia principis eſt, ſubditorum ſuorum mores & vitam contemplari, Unde & rectiſſimè principes Eccleſiæ; de quibus dicitur; *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram*, appellantur Græco nomine *Epiſcopi*, id eſt, inſpectores; quia ad eorum munus

A pertinet gregis ſui vitam, & converſationem diligenter intueri. Interim Hieron. lib. 1. cont. Pelag. cap. ult. hunc locum ſic allegat; Fuerunt filij Sobal, patris Cariathjarim qui prophetabat ex dimidio: Atque illud quod ſequitur verſ. 54. Filij Salma patris Bethlehem & Netophati, corona domus Ioab, & qui prophetabant ex dimidio Zarai. Ac deinde ſubjungit; Similiter uſque ſancti erant, qui prophetabant, & tamen perfectam non meruerunt accipere prophetiam, nequaquam de futuro ſecundum tropologiam, ſed impræſentiarum juxta hiſtoriam, prophetantes. Sic ille, quaſi interpratans quid ſit videre ſeu prophetare ex dimidio. Tamen nec Hebræa, nec Septuaginta habent eam phraſim, prophetare ex dimidio, niſi fortè hodie alia ſit lectio Codicum

B Septuaginta.

CAPUT III.

℣. 1. D*Avid verò has habuit filios.* Et v. 5. *Porrò in Ieruſalem nati ſunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan & Salomon, quatuor de Bethſabee.* *Quæritur*, quomodo ergo Salomon dicat Proverb. 4. ſe unigenitum fuiſſe coram matre ſua? *Reſpondent* nonnulli reliquos fuiſſe filios Uriæ prioris mariti Bethſabee, ſed adoptatos à Davide. Sed non ſatisfaciunt; quia hic clarè dicitur; *Nati ſunt ei*, ſcilicet Davidi. Deinde quia 2. Reg. v. 14. & 15. ubi nec Bethſabee, nec Urias nominantur, iidem quatuor recenſentur cum aliis qui Davidi nati fuerunt in Jeruſalem. Quocirca verior hujus nodi diſſolutio fit ab iis, qui verba illa

C Proverb. 4. *Filius unigenitus coram matre mea*, ſic interpretantur, id eſt, filius matri unicè dilectus. Ita Vatablus interpretatur, idemque ſuadet epitheton adjunctum, quo dicit Salomon ſe fuiſſe matri ſuæ tenellum, id eſt, tenerè dilectum. Certè ſi Nathan non Davidis, ſed Uriæ fuit filius natura, Davidis autem tantùm adoptione; non rectè ex genealogia Chriſti, quæ eſt Lucæ 3. oſtenditur Chriſtum eſſe progenitum ex Davide, per Nathan. Neque enim adoptivum Davidis filium nominare Evangeliſta debuit, in Catalogo, quo oſtendere voluit Chriſtum eſſe ex progenie David. Hoc autem oſtendere, omninò tam Lucæ, quàm Matthæo in recenſenda Chriſti genealogia fuit propoſitum.

D

CAPUT IV.

℣. 4. I*Sti ſunt filij Hur primogeniti Ephrata, patris Bethlehem.* Senſus eſt, id eſt, domini ſeu principis Bethlehem, ſicut & cap. 2. *Filij Salma patris Bethlehem.* Referri autem videtur, ut ipſe Hur dicatur pater, ſeu princeps Bethlehem, quia Ephrata fœmina fuit uxor Caleb, ut habetur cap. 2. verſ. 19. & 21. Ab iſta verò Ephrata Bethlehem fuit vocata Ephrata, & Bethlemitæ Ephratæi. Falluntur verò qui Ephratam dicunt fuiſſe Mariam ſororem Moyſi, quemadmodum etiam colligitur ex cap 2.

℣. 10. *Invocavit verò Iabes Deum. Si benedicens benedixeris mihi, &c.* Sententia eſt imperfecta, quâ ſig-

E nificatur, quod Iabes Deo voverit votum aliquod, ſi ea conſequeretur, quæ à Deo petebat. Quid autem voverit ſubticetur. Sententia quorumdam eſt non improbabilis, quod voverit Deo, ſi Deus ei benediceret, conferendo ei ſufficientiam bonorum temporalium, & quietem ab hoſtibus, quod deinceps vacaturus eſſet contemplationi ſapientiæ, & doctrinæ legis. Tradunt enim Hebræi hunc Iabes fuiſſe inſignem legis doctorem, qui multos poſt ſe reliquerit diſcipulos: quorum mentio eſt cap. 2. his verbis; *Cognationes quoque ſcribarum habitantium in Iabes, canentes atque reſonantes, & in tabernaculis commorantes.* Notandum autem hîc, quantum ad phraſim ſcripturæ, quod ſicut execrationes ſub conditione poſitæ aliquando exprimuntur in ſcriptura, aliquando tacentur; ita & vota. Sic execratione tacita eſt. *Si introibunt in requiem meam.*

Item,

Item, *Si dedero ſomnum oculis meis.* Expreſſa verò : *Si feci iſtud , ſi eſt iniquitas in manibus meis , perſequatur inimicus animam meam.* Sic & votum expreſſum Geneſ. 28. *Si fuerit Dominus mecum , &c erit mihi Dominus in Deum , & decimas dabo omnium quæ poſſideo.* Tacitum verò , ut hoc loco.

℣. 55. *Filij verò Caleb filij Iephte.* Hic fuit unus exploratorum terræ ſanctæ , diverſus ab eo qui cap. 2. dictus eſt proavus Beſeleel , ut ibidem admonuimus, & pleniùs ad Exodi 31.

℣. 22. *Et qui ſtare fecit Solem , virique Mendacij, & Securus , & Incendens , qui principes fuerunt in Moab.* *Quærunt* , quis fuerit iſte , qui ſtare fecit ſolem, & qui viri mendacij ? *Reſpondent* quidam Elimelech tempore famis proficiſcentem in Moab quodammodo ſtare feciſſe ſolem , & duos filios ejus fuiſſe viros mendacij, id eſt , deficientes, eò quòd profecti in Moab ibi fuerint mortui abſque liberis. Sed ſciendum quod nec in Hebræo , nec apud Septuaginta fiat mentio ſolis , ſed in Hebræo ſunt propria vocabula , quæ & retenta ſunt à Septuaginta. Sunt autem iſta : *Iaacim & viri Chozebi , Ioas & Saraph.* Quid autem Hieronymum moverit, ut propria nomina illa Latinè interpretaretur, non conſtat. Sanè & fabulam illam de Elimelech alij aliter narrant, ſed non refert, cum ſit fabula.

CAPUT V.

℣. 1. F*Ilij quoque Ruben. Ipſe fuit primogenitus Iſraël , ſed cum violaſſet thorum patris ſui, data ſunt primogenita ejus filiis Ioſeph.* Ad hujus loci intellectum, ſciendum ad jus primogenituræ tria olim, ſecundùm Hebræos, pertinuiſſe: Primò, duplicem portionem hæreditatis ; ſecundò principatum; tertiò ſacerdotium. Cùm ergo Ruben jure primogenituræ excidiſſet, proptereà quod violaſſet thorum patris ſui, jus illud, quantum ad duplicem portionem hæreditatis tranſlatum eſt in Ioſeph , quando videlicet Iacob duos filios ejus Ephraim & Manaſſem cooptavit in filios ſuos , Geneſ. 48. & 49. ita ut ſinguli ſolidam portionem acciperent inter filios Iacob: Unde per conſequens tribus Ioſeph duplicem habuit portionem. Quantum ad principatum, tranſlatum eſt ad Judam, his verbis: *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, Geneſ. 49. Et hoc loco : *De ſtirpe ejus principes germinati ſunt.* Quantum ad ſacerdotium, ad tribum Levi , ex ordinatione Dei per Moyſem. Quod ergo hîc dicitur, *Primogenita autē reputata ſunt Ioſeph*, intelligendum eſt, quantum ad duplicem portionem, non quantum ad reliqua jura. Illud tamen de ſacerdotio primogenituræ annexo , tantùm traditio eſt Hebraïca minùs probabilis, de quo vide Gen. 25. & 27. & noſtra in 4. diſtinct. 25. §. 17. & ad Hebr. 11. v. 16.

℣. 20. *Et exaudivit eos, eò quod credidiſſent in eum.* Intelligitur, vel fides , quâ Deum omnipotentem auxiliatorem credebant , cujus fidei meritò exauditi ſunt , & victoria potiti : Vel fides, pro fiducia ponitur, ut ſenſus ſit , ideò eos exauditos , quia oratione ſua profitebantur fiduciam, quam in Deo habebant , quod ferè eodem recidit ; non autem, ut quis ſuſpicetur, certitudinem fidei in orante ad obtinendum id quod petit, requiri ; id quod docent novi hæretici. Neque enim dicitur ; quod credidiſſent Deum ſibi adfuturum , ſed ſimpliciter ; *eò quòd credidiſſent in eum* ; quomodo & in Symbolo dicitur, *Credo in Deum.*

CAPUT VI.

℣. 10. I*Ohanam genuit Azariam. Ipſe eſt, qui ſacerdotio functus eſt in domo quam ædificavit Salomon.* *Quæritur*, quare de ſolo Azaria dicitur quod in templo Salomonis ſacerdotio functus ſit , cùm & alij qui eum præceſſerunt, & qui ſecuti ſint, idem præſtiterint? *Reſpondetur* id proptereà veriſimiliter de eo commemorari , quia zelo Dei accenſus reſtitit Oziæ regi Juda, volenti thus adolere in illo templo ; ſicque officium ſacerdotale ſibi vendicare, propter quam temeritatem rex ille percuſſus eſt lepra, ut habetur ſeq. libro 2. Ipſe autem Azarias ſacerdos, meritò deinceps ſacerdotij illius defenſor & vindex habitus fuit.

℣. 34. uſque 38. *Filij Samuël , filij Elcana, filij Ieroham, &c.* Ac tandem , *filij Caath, filij Levi.* Conſtat ex hac genealogia Samuelis , quod quidem ipſe fuerit de tribu Levi, de filiis Caath , non tamen de genere ſacerdotali, quia non ex poſteris Aaron. Hoc idem innuitur quoque Pſalm. 98. dum diſtinctè dicit ; *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuël inter eos qui invocant nomen ejus.* Si quando ergo Samuël ſacrificaſſe legitur, intelligendum id eum feciſſe miniſterio ſacerdotum , quomodo & David, Salomon , & alij reges ſacrificaſſe leguntur, videlicet non per ſe, ſed per eos, ad quos propriè illud munus ſpectabat. Vide etiam 1. Regum 5. & Pſalm. 98.

CAPUT VII.

℣. 18. S*Oror autem ejus Regina peperit virum decorum.* Quædam exemplaria pro Regina triſyllabo , habent diſſyllabum Regma : Sed omninò legendum eſt Regina. Hanc quidam tradunt fuiſſe matrem Ioſue filij Nun , quem dicunt hoc loco vocari filium decorum ob inſigne virtutis & principatus. Sed id dici non poteſt, quia paulò pòſt expreſsè ſubjungitur ejus genealogia. Alij dicunt hanc fuiſſe Deboram propheriſſam, de qua in libro Judicum. Sed quem virum decorum illa genuerit , ſcriptura nuſquam ſignificat. Proinde dicendum hæc duo (*Regina*) & (*Virum decorum*) hoc loco non aliud eſſe, quam nomina propria , ſicut alia paſſim quæ præcedunt , & ſequuntur. Hebraïcè ſic legitur: *Et ſoror ejus* (nempe ipſius Galaad) *nomine Molechet peperit Iſchad.* Quid autem moverit interpretem , ut hæc nomina propria verterit tanquam appellativa, incertum. Vide ſimilem locum ſupra hoc eodem libro cap 4. v. 22.

℣. 22. *Luxit igitur Ephraim pater eorum multis diebus , &c.* Difficultas eſt, quomodo Ephraim, qui fuit filius Ioſeph dicatur luxiſſe filios ſuos occiſos à Palæſtinis, cùm Ephraïm multò ante fuerit mortuus, quàm filij Iſraël venirent in terram promiſſionis. Quidam tradunt filios Ephraïm , patre adhuc vivente, aliquando egreſſos ex Ægypto ante tempora Moyſi , ut acciperent terram promiſſam, de qua multa ex patre & avo audierant , ſed quia tempus promiſſionis nondum advenerat, eos cæſos fuiſſe à Philiſthæis. Alij intelligunt, de iis , qui contra Moyſi voluntatem aſcenderunt ad prælium contra hoſtes, ut habetur Num. 14. Sed nec tunc quidem ſupererat Ephraïm , quia dicit ſcriptura, quod tota prior cognatio mortua erat. Ac præterea ij , de quibus eo loco agitur , quod Iſraëlitas vicerint , Amorrhæi erant, non Philiſthæi. Quocirca eorum ſententia neceſſario ſequenda videtur , qui dicunt hunc Ephraïm , qui hic dicitur luxiſſe filios ſuos occiſos à Philiſthæis fuiſſe diverſum ab Ephraïm Patriarcha , & longè eo poſteriorem, ſed tamen ex eadem tribu. Multi enim iiſdem nominibus appellati fuerunt in illo populo, & maximè in eadem tribu.

CAPUT VIII.

℣. 13. P*Orrò Saül genuit Ionatham , & Melchiſua , & Abinadab , & Ethai. Filius autem Ionatham Meribbaal , & Meribbaal genuit Micha.* Ex hoc loco, ſicut & ex aliis nonnullis , manifeſtum eſt multos in ſcripturis eſſe binomios. Certum enim eſt inter filios Saül etiam fuiſſe Iboſeth, de quo 2. Reg. 2. & 3. qui itaque aliquo nomine hoc loco ſit expreſſus. Tum inprimis id liquet , quia cum filius Ionathæ non niſi unus legatur , planè conſequens eſt, eum qui hîc Meribbaal

ribbaal vocatur, eſſe illum, qui 2. Reg. 4. & 9. dicitur Miphiboſeth.

CAPUT IX.

ỳ. 20. P*Hinees autem filius Eleazari erat dux eorum coram Domino.* Ex hoc loco conantur Hebræi ſtabilire quandam ſuam traditionem, quâ dicunt Phinees Eleazari filium non fuiſſe natura hominem, ſed Angelum Dei in corpore aſſumpto: Id confirmare nituntur ex hoc loco, quia loquitur hîc ſcriptura de Sacerdotibus & Levitis qui Ieroſolymis miniſtrarunt in templo poſt captivitatem Babylonicam, quorum dux fuiſſe dicitur Phinees filius Eleazari. Author libri tradit. Hebr. falsò adſcriptus Hieron. ita ad hunc locum annotavit: Hic monſtratur Phinees adhuc eo tempore vivere. Sed ad removendam hanc Hebræorum fabulam, duobus modis reſponderi poteſt. Uno modo, ſi dicamus hæc verba non referenda ad Levitas illius temporis, ſed ad majores eorum, hoc eſt, ad eos qui per Moyſen & Aaron jam olim in officiis ſuis inſtituti erant, de quibus habemus Num. 4. ubi legimus, quod Eleazar filius Aaron fuerit præfectus Caathitis. Itaque Phinees veriſimiliter in eodem officio ſeu præfectura patri ſucceſſit. Huic expoſitioni favet Heb. lectio: *Et Phinees filius Eleazari dux fuit ſuper eos olim, cum quo Dominus erat.* Alij breviter amputantes difficultatem, reſpondent hunc Phinees, & patrem ejus Eleazarum fuiſſe diverſos, ab iis qui ſucceſſerunt Aaroni in ſummo ſacerdotio, & fuiſſe poſt captivitatem Babylonicam. Et facilè contingit, ut diverſis temporibus pater & filius reciprocè iiſdem nominibus appellentur, maximè in eadem familia. Cæterum opinio iſta Hebræorum dicentium Phinees Aaronis nepotem uſque ad illud tempus vixiſſe; primum ex eo refellitur, quod ſucceſſores habuerit in ſacerdotio ſummo, quod non fiebat niſi poſt mortem. Ideò enim multi fuere in lege ſummi ſacerdotes, teſte Apoſtolo in Epiſtola ad Heb. c. 7. quod morte prohiberentur permanere. Deinde quia nulli eo tempore tamdiu vixiſſe leguntur. Tertiò, quia ſcriptura haud dubiè ejus mentionem intereà feciſſet, ſi adhuc ſuperfuiſſet. Et certè Heli nunquam ſucceſſiſſet in ſummum ſacerdotium ex ſtirpe Ithamar, ſi Phinees ipſe Eleazari filius adhuc fuiſſet in vivis & valens, quod ſanè oportebat, ſi tot ſequentibus ſæculis ſupervixit. Quod autem fabulantur Angelum fuiſſe, vanum eſt, & ſcripturis manifeſtè contrarium, cùm ſcribatur filius fuiſſe Eleazari, nepos Aaronis de tribu Levi, & ipſe filios procreaſſe. Quæ cuncta ab Angelica & incorporea natura ſunt aliena. *Angeli enim neque nubunt neque nubuntur*, neque generant, neque generantur. Et ſi quidem generarent, non homines ſed Angelos generarent, cùm oporteat generationem eſſe in eadem ſpecie. Faceſſant igitur hujuſmodi fabulæ.

ỳ. 22. *Quos conſtituerunt David, & Samuël Videns in fide ſua.* Videns, id eſt, Propheta. Qui enim nunc propheta, is olim Videns dicebatur, ut eſt 1. Reg. 9. Cæterum de Samuële nuſquam alibi legimus, quod ordines Levitarum inſtituerit: Sed ex hoc loco intelligimus ipſum quoque hos ordines prius excogitaſſe, & concepiſſe; Davidem autem deinde, poſtquam ad regnum pervenit, ea quæ prius à Samuële decreta fuerant, executioni mandaſſe. Quod autem additur (*in fide ſua*) non ad Samuëlem & Davidem, ſed ad Levitas referendum eſt. Vox Hebræa non tam fidem ſignificat, quàm munus, ſeu officium perpetuum, ut ſenſus ſit, Samuëlem & Davidem illos ordines conſtituiſſe, non ad tempus, ſed ut perpetuo illo munere fungerentur.

CAPUT X.

ỳ. 10. E*T caput affixerunt in templo Dagon.* Hoc de Saül occiſo. Narratur 1. Regum ult. capite, quod Philiſthæi corpus ejus ſuſpenderint in muro

A Bethſan. Quæ duo ita conciliantur à quibuſdam, ut dicant, Bethſan, & templum Dagon, ſive Beth Dagon eſſe nomina ejuſdem loci, nempè ut corpus Saülis unà cum capite fuerit ſuſpenſum. Cæterùm Scriptura ſacra ſatis indicat eſſe diverſa, quando ſemel dicit corpus fuiſſe ſuſpenſum in muro Bethſan, caput autem affixum in templo vel domo Dagon. Itaque dicendum eſt Philiſthæos corpus truncum ſine capite ſuſpendiſſe in muro Bethſan, quod inde ablatum eſt per habitatores Iabes Galaad, caput autem, vel (ut Hebraïcè eſt) Calvariam, detractâ videlicet pelle & carne, affixiſſe in templo Dagon. idque ad perpetuam poſterorum memoriã, quod tantus ac tam gravis hoſtis à Philiſthæis fuiſſet devictus. Author Tradit. Heb. dicit Hebraicè legi hoc B loco non *caput*, ſed *corpus*. Unde patet authorem ejus libri non eſſe Hieronym. quia manifeſtè prodit imperitiam Hebraicæ linguæ. Nam in Hebræo neque corpus, neque caput legitur, ſed *Calvaria*, eodem illo vocabulo, à quo mons Calvariæ Golgotha fuit appellatus.

ỳ. 12. *Et jejunaverunt ſeptem diebus.* *Quæri* poteſt; utrum jejunium iſtud tantùm fuerit ſignum luctus & doloris de amiſſo rege, an etiam ſuſceptum ad ſuccurrendum animæ ejus? *Reſponſum* eſt pluribus ad caput ult. 1. Regum. Et apparet, quod tantùm fuerit ſignum luctus publici. Nam & David poſtquam intellexerat Saülem propria manu ſe interemiſſe, adhuc talem luctũ ſeu jejunium indixit. 2. Reg. 1. Vide etiam Geneſ. ult.

ỳ. 13. *Mortuus eſt ergo Saül propter iniquitates ſuas.* Septuag. legunt (*in iniquitatibus ſuis.*) An Saül ſit C damnatus, diſputavimus 1. Reg. ult. Hebræa quoque habent *in prævaricatione ſua.* Cætera vide, loco citato 1. Reg. 31.

CAPUT XI.

ỳ. 26. P*Orrò fortiſſimi viri in exercitu, Aſahel frater Ioab, & Elchanan filius patrui ejus de Bethlehem.* Omninò apparet hunc Elchanam eſſe eundem qui 2. Reg. 21. vocatur Adeodatus, filius ſaltus, polymitarius Bethlemites. Nam *Elchanam*, idem eſt, ac ſi Latinè dicas *Adeodatum*, & ſimiliter *filius ſaltus*, Heb. *filius Iaar*, qui fuit patruus Davidis. Nonnulli Adeodatum illum interpretantur fuiſſe ipſum Davidem, eò quòd ibi dicitur percuſſiſſe Goliath Gethæum, cujus haſtile erat quaſi liciatorium texentium. Sed ex hoc lo- D co, & ex cap. 23. lib. 2. Reg. ſatis manifeſtum eſt, eſſe alium, & diverſum à Davide, nempè quia numeratur inter fortes ipſius Davidis. Quæ autem cauſa ſit, cur interpres in lib. 2. Reg. c. 21. & 23. idem nomen modo retinuerit Hebr. modo verterit in Latinum, non conſtat.

CAPUT XII.

ỳ. 14. N*Oviſſimus centum militibus præerat, & maximus mille.* *Quæritur* quomodo id verum eſſe poſſit, cùm David eo tempore tantùm haberet ſexcentos bellatores; ut patet 1. Reg. 30. & proinde nemo adhuc mille militibus præfici poterat? Sed *reſpondetur* iſta de præfectura per anticipationem dici; E Nempè quod poſteà, quando David potitus eſt regno, tunc ex illis primis bellatoribus, qui hîc enumerantur, alij præfecti fuerint centum militibus, alij mille. Poteſt etiam aliter reſponderi, quod Hebraicè legitur: *Unus pro centum, & maximus pro mille*, ut ſit ſenſus; quod minimus eorum poterat reſiſtere centum viris, & maximus mille; ſitque commendatio fortitudinis illorum cum quadam hyperbole.

ỳ 22. *Uſque dum fieret grandis numerus, quaſi exercitus Dei.* Per exercitum Dei intelligunt quidam peculiariter exercitum illum Iſraëlitarum, qui egreſſus eſt ex Ægypto, id eſt, ſexcenta millium bellatorum. Sed ita intelligi hoc loco non poteſt, quia exercitus qui hic colligitur ad ſummum tantùm fuit trecentorum milliũ. Proinde dicendum, exercitum Dei vocari exercitum magnum; & bene inſtructum, ſicut phraſi Hebraïca,

quæ,

quæcumque magna & præclara ſunt, hoc epitheto A decorantur. Sic toties in ſcriptura vocantur *cedri Dei*, *montes Dei*, & ſimilia.

CAPUT XIII.

℣.10. I*Ratus eſt itaque Dominus contra Ozam; & percuſſit eum.* Quare Oza à Domino fuerit percuſſus, ab Hebræis hæc ratio redditur, quia arcam imponi fecerat ſuper plauſtrum, cùm tamen ſecundùm legem divinitus Levitis præſcriptam Num.4. & alibi, humeris Levitarum portari debuiſſet. Unde quando deducta fuit à domo Obededom in civitatem David, portata fuit in humeris, infrà cap.15. Conf. dict. cap. verſ.13. & 15. Nec debuit, inquiunt, hoc ab Oza ignorari, quia hoc ad ejus officium pertinebat. Et ita erat. B Nihilominus quæritur quare hìc alia cauſa videatur indicari? dicit enim Scriptura; *Et percuſſit eum, eò quòd tetigiſſet arcam Domini.* Sed ad hoc reſpondetur, cauſam illam ſic exprimi, & tunc Ozam fuiſſe percuſſum, quando arcam tetigit; & non priùs; nempè, quia tunc manifeſtum fuit, bobus calcitrantibus & inclinantibus arcam, quòd non à bobus trahi, ſed à Levitis portari debuerit, quia ſua circumſpectione, juxta legem jam dictam, præcavere poſſint, ne ulla irreverentia in arcam committeretur. Nonnulli exiſtimârunt Ozam percuſſum, quod tetigiſſet arcam nudam; ſed illud frivolum eſt, nam arca nunquam portabatur nuda, ſed multis involucris & pannis involuta, ut patet Num.7. & alibi. Et quidem 1.Reg.6. peccatum Ozæ in Hebræo vocatur error ſeu ignorantia; ſed tamen pro eo Hieron. vertit C temeritatem. Nec malè. Erat enim error culpabilis, utpotè de ea re quam Oza ſcire tenebatur.

℣.11. *Eò quòd diviſiſſet Dominus Ozam.* Notandum ſolius hominis mortem eſſe diviſionem animæ & corporis: brutorum enim mors eſt interitus animæ. Itaque, vel hoc modo dicitur Dominus *diviſiſſe Ozam*, id eſt, occidiſſe vel percuſſiſſe, (ut D.Hieron. idem hoc vocabulum tranſtulit 2.Reg.6.) nam & Agag juſſu Samuëlis interficiendus 1.Reg.15. dicebat: *Siccine ſeparat amara mors?* Vel etiam quia Oza propter ſuam temeritatem hanc, per mortem ſimul diviſus, & ſeparatus eſt à populo Dei, & quodammodo exterminatus.

CAPUT XIV.

D

℣.15. C*Umque audieris ſonitum gradientis in cacumine pirorum, tunc egredieris ad bellū, &c.* Sonitus iſte gradientis in cacumine pirorū, quem Deus Davidi promittit in ſignum, ſeu teſtimonium victoriæ, nihil aliud videtur fuiſſe, quàm ſonitus excitatus in cacumine arborum, per Angelos miſſos Davidi in auxilium contra adverſarios. Et quia ea quæ Deus facit per Angelos, in ſcriptura ſacra aliquando Angelis ipſis tribuuntur, aliquando Deo, qui talia per Angelos facit; ideò hìc mos de Deo ipſo ſubjungitur. *Egreſſus eſt enim Deus, &c.* q.d. ſonitus ille, quem audiet, erit ſignum præſentiæ & aſſiſtentiæ divinæ. Similis locutio eſt quādo lex data in monte Sina, modò Deo, modò Angelis E tribuitur; & ſimiliter apparitio in rubo facta Moyſi.

CAPUT XV.

℣.15. E*T tulerunt filij Levi arcam Dei, ſicut præceperat Moyſes juxta verbum Domini, humeris ſuis in vectibus.* Nempè ita præceptum erat Num.4. Ex quibus patet, tunc quando Oza percuſſus eſt ſuprà c.13. peccatum fuiſſe, primò in eo quod arca non fuerit portata à Levitis, ſed impoſita plauſtro. Deinde etiā in eo, ut apparet, quod Oza arcam tetigerit inclinatam, etiamſi non nuda eſſet, ſed involuta. Nam ne quidem involuta tangi debebat, ab iis qui non erant ſacerdotalis generis; ſed tantùm, ut videmus, in vectibus portari. Ideò enim hoc de vectibus videtur fuiſſe præceptum. Vide etiam quæ annotata ſunt ſuprà c.13. & Num.

A Quæres, quare ergo Oza non fuit perplexus, ſi & tangendo peccaret, & non tangendo? Nullo enim modo permittere debuit, ut arca Domini in terram caderet. *Reſpondeo*, nullam eſſe perplexitatem homini nolenti peccare; quia ſi eum ex animo pœnituiſſet negligentiæ præteritæ, jam illud poſterius non fuiſſet ei imputatum ad peccatum, quia fuiſſet per pœnitentiam ablata ratio voluntarij.

℣.27. *Porro David erat indutus ſtola byſſina, & univerſi Levitæ.* Et mox: *David autem etiam indutus erat Ephod lineo*, id eſt, ſuperhumerali lineo. Liquet hinc id quod dicit Michol 2.Reg.6. Davidem diſcooperuiſſe ſe, & nudatū fuiſſe, non ſic poſſe intelligi quaſi veſtitus non fuerit; ſed tantùm dicitur nudatus fuiſſe, B id eſt, exutus veſte regia. Nam, ut videmus, præter Ephod lineum, cujus etiam illic fit mentio, indutus erat ſtola byſſina, quemadmodum Levitæ.

CAPUT XVI.

℣.22. N*Olite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* De Patriarchis ſermo eſt, Abraham, Iſaac, & Iacob; ut ſenſus ſit, Deum præcepiſſe regibus, ne Patriarchas tangerent ad nocendum, nève mali quid eis inferrent. Patriarchas autem illos fuiſſe Prophetas, manifeſtum eſt de Iacob & Iſaac, inprimis in ſuis benedictionibus. At verò quomodo iidem *Chriſti*, id eſt, uncti dicantur, non perinde manifeſtum eſt. Quidam unctos intelligunt, quia C vocatione divina peculiariter electi, & ſegregati erant ad cultum unius Dei; quæ ſegregatio & electio fit quædam unctio. Alij unctos intelligunt unctione ſpirituali, id eſt, unctione gratiæ Dei; quomodo quilibet juſtus unctus dici poteſt. Alij denique ſic unctos dictos putant, quia de ipſis orti ſunt reges & ſacerdotes, qui per externam unctionem inſtituebantur. Sed dici poteſt idem ſignificari per unctos, & per Prophetas; & ideò unctos, quia Prophetas. Legimus enim 3.Reg.19. præceptum fuiſſe Eliæ, ut Eliſæum ungeret in Prophetam, & Azaël in regem Syriæ: neuter tamen eorum legitur externo aliquo unguento perfuſus fuiſſe; ſed ſimpliciter juſſu Dei renunciati ſunt, alter rex, alter Propheta. Et proinde illa unctio non fuit aliud, quàm D divina vocatio ſeu deſignatio ad tale munus.

℣.35. *Salva nos Deus ſalutaris noſter, & congrega nos, & erue de gentibus.* Simile quid eſt in Pſalm.105. *Quæritur* quomodo oret David, vel cœtus ille à Davide collectus, congregari populum Iſraëliticum de gentibus, ſeu nationibus, cùm tempore Davidis nondum eſſent in gentes diſperſi? Pro *reſponſione*, qui hæc verba tribuunt Davidi authori, dicunt eum ſpiritu prophetico prævidiſſe futuram populi captivitatem; Unde & oret ultima parte hujus cantici pro reditu ex captivitate, & congregandis diſperſis. Aliorum ſententia eſt non omninò rejicienda, hanc coronidem cantico iſti adjectam fuiſſe ab Eſdra ſacerdote, qui putatur author E eſſe hujus libri. Conſtat enim tum ex genealogiis initio recenſitis, tum ex fine libri ſecundi, ſcriptum eſſe poſt captivitatem: addidiſſe autem Eſdram iſtos verſiculos ultimos ad hoc, ut Levitæ, qui miniſtrabant in ſecundo illo templo, aſſiduè orarent pro congregatione populi ex captivitate; quia, licet quidam tunc fuerint reducti, maxima tamen pars adhuc in captivitate variis locis detinebatur.

℣.37. *Benedictus Dominus Deus ab æterno uſque in æternum.* Sic in Pſalm.105. *Benedictus Dominus Deus Iſraël à ſæculo & uſque in ſæculum.* Quomodo benedictus ab æterno, cùm ab æterno non fuerit creatura, à qua benediceretur? Poteſt intelligi benedictus, id eſt, laudabilis ab æterno, quia verè ab æterno dignus fuit laude. Et ſi creatura fuiſſet ab æterno quæ laudare eum poſſet, debuiſſet eū laudare & benedicere ab æterno. Vel

ſenſus

ſenſus eſt, Dominus Deus ſicut ab æterno, à ſæculo id eſt, ab initio creati temporis fuit benedictus & laudatus, nimirum ab Angelis; ita laudetur & benedicatur; tam à nobis, quàm ab Angelis uſque in æternum, ac ſine fine. Simile eſt illud Eccleſiaſticum, Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc & ſemper; & in ſæcula ſæculorum. Hoc enim videtur accipiendum de principio temporis creati. Nam ab æterno non erat Deo gloria, quam Aug. definit celebrem de aliquo famam cum laude. Vide noſtra in 1. diſt. 30.

CAPUT XVII.

ỷ. 11. S*Uſcitabo ſemen tuum poſt te.* Et deinde v. 12. *Et firmabo ſolium eius uſque in æternum.* Nempe complendum id erat in Chriſto, ex eius ſtirpe per ſuccedentes reges naſcituro. Et ſic etiam intelligitur quod mox ſequitur: *Et ſtatuam eum in domo mea, & in regno meo uſque in ſempiternum, & thronus eius erit firmiſſimus in perpetuum.* Nota autem Davidi promiſſam fuiſſe non perpetuitatem regni temporalis, ſed tantùm perpetuitatem regni, in genere, in poſteritate tamen ſua ſecundùm ſucceſſionem carnalem. Et fuit hæc promiſſio completa: Nam Chriſtus ſecundùm carnem ex Davide ortus eſt.

ỷ. 13. *Et miſericordiam meam non auferam ab eo; ſicut abſtuli ab eo, qui ante fuit.* Senſus eſt, quod regnum in poſteritate Salomonis eſſet manſurum; quod beneficium non fuit Saüli conceſſum. Ex his ergo verbis nullo modo poteſt conſtitui Salomonem eſſe ſalvatum. Nam tantum de regni perpetua ſucceſſione ſermo eſt, quomodo illa ad v. 11. eſt explicata, non autem de juſtitia aut ſalute æternâ.

CAPUT XVIII.

ỷ. 11. S*Ed & omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea conſecravit rex David Domino, &c.* Commendatur hic magna pietas, qui cùm prohibitus eſſet à Domino, ne ipſe ædificaret templum Domini, propterea quod eſſet vir ſanguinum, id eſt, multum ſanguinem fudiſſet in prælijs; tamen ad explendum tam pium illud ſuum deſiderium voluit quàm proximè accedere; ut quia non liceret ædificare, ſaltem materiam præpararet filio ædificaturo. Unde hîc dicitur, quod quidquid argenti & auri & æris ex diverſis victoriis potuit comparare, id omne conſecrabat Domino, ut videlicet inde ædificaretur templum Domino. Conſecrabat autem, quia ita jam ea deputabat ad uſum ſacrum, ut poſtea non liceret ea in uſus prophanos ullo modo expendere.

ỷ. 13. *Et conſtituit in Edom præſidium, ut ſerviret Idumæa David.* Nempe tunc impleta eſt illa prophetia quæ fuerat indicata Rebeccæ geſtanti uterum & conſulenti Dominum Gen. 25. *Maior ſerviet minori.* Senſus enim eſt; populus qui ex maiori, id eſt, Eſau ſeu Edom, orietur, ſerviet populo qui naſcetur ex minori filio, id eſt Jacob, qui & Iſrael dictus, ex cuius poſteris erat David qui jam Idumæam ſubjugaverat.

ỷ. 17. *Banaias quoque filius Iojada ſuper legiones Cerethi & Phelethi.* Hebr. non eſt *(legiones)* ſed tantum *(ſuper Cerethi & Phelethi.)* In libris Regum frequentiſſima eſt horum mentio. Sed prima mentio eſt ſub temporibus Davidis. Unde apparet hos fuiſſe à Davide primum conſtitutos. Ac proinde improbabilis eorum ſententia eſt, qui per Cerethi & Phelethi intelligunt ſeptuaginta ſeniores, quos Moyſes inſtituit. Quidam dicunt fuiſſe duas cognationes, quæ numquam recedebant ab aula Davidis, eò quòd eſſent velut cuſtodes corporis eius. Paraphraſtes Chaldæus, *Cerethi* interpretatur ſagittarios, *Phelethi*, fundibularios. Non quod voces hoc ſignificent, ſed quia hæ duæ legiones hoc militare officium habebant, ut altera ſagittis, al-

A tera ſundia uteretur, quorum armorum tunc temporis maximus erat uſus in bello. Unde legimus 2. Regum 1. quod poſt mortem Saülis David præcepit ut docerent filios Juda arcum, eò quòd Saül à ſagittariis fuiſſet circumdatus & ſuperatus. Itaque hac occaſione videntur hæ duæ legiones à Davide inſtitutæ fuiſſe.

CAPUT XIX.

ỷ. 18. I*Nterfecit David de Syris ſeptem millia curruum & quadraginta millia peditum.* 2. Regum 10. habetur: *Occidit David de Syris ſeptingentos currus, & quadraginta millia equitum. Quæritur*, quomodo concilietur hæc diſſonantia? *Reſp.* quantùm ad prius, fuiſſe tantùm currus ſeptingentos, ſicut dicitur in B libro Regum. Dicitur autem hoc loco fuiſſe ſeptem millia curruum, quia quilibet currus habebat decem pugnatores, atque ita erant ſeptem millia hominum pugnantium in curribus, qui proinde dicuntur hîc *ſeptem millia curruum*, hoc eſt, militum in curribus pugnantium. Qua phraſi etiam alibi ſcriptura utitur. Quod ad *poſterius*, dicendum eſt, nullam eſſe repugnantiam, ſed quod ibi omiſſum eſt hîc expreſſum habetur, & contrà, Nempe hîc ponitur numerus peditum devictorum, & in lib. Regum numerus equitum.

CAPUT XX.

ỷ. 2. T*Ulit autem David coronam Melchom de capite eius—fecitque ſibi inde diadema.* In lib. C Reg. habetur: *Et tulit coronam regis eorum.* Vox Hebr. *(Melchom)* ambigua eſt, ad *(regis eorum)* & ad idolum Ammonitarum. Interpres noſter ſemel uno modo vertit, ſemel altero modo. Unde *objicitur*, quaſi David hîc fecerit contra legem Deut. 7. ubi dicitur: *Sculptilia eorum igne combures, & non concupiſces aurum & argentum de quibus facta ſunt.* Ad quod *reſp.* ſi legimus *(regis eorum;)* nulla quæſtio eſt. Si autem intelligatur fuiſſe diadema idoli illorum, dicendum præceptum illud Deut. tantùm intelligi de civitatibus & populis, qui erant intra terminos terræ promiſſæ ut patet ex eodem loco. Populus autem Ammonitarum intra illos terminos non continebatur. Septuaginta habent: *Et accepit coronam Melchom regis eorum de capite eius.* Interim idoli D nomen quoque fuiſſe, patet 4. Reg. 23. v. 13. Ieremiæ verò 49. eſt ambiguum, ſicut & hîc.

ỷ. 3. *Adeodatus filius Saltus*, Vid. ſup. c. 11. tum etiam 1. Reg. 23. ubi vocatur Elchanan, tametſi 2. Regum 21. etiam, ut hîc vocetur Adeodatus. Sed vox Hebræa eadem eſt.

CAPUT XXI.

ỷ. 1. C*Onſurrexit autem Satan contra Iſraël, & concitavit David, ut numeraret Iſraël.* 2. Reg. ult. videtur aliquid prorſus diverſum dici: *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſraël, commovitque David in eis dicentem ad Ioab, &c.* Hæc duo tamen minimè pugnant, imò adeo conſentiunt, ut unum ſit quædam explicatio alterius. Quod enim dicitur in libro Regum Dominus commonuiſſe David, ut juberet E numerari populum, id quomodo intelligendum ſit explicatur per hoc quod dicitur. *Conſurrexit Satan &c.* Senſus igitur eſt, quod propter peccata populi, Domino peculiariter permittente; Satan incitavit Davidem ut populum juberet numerari.

ỷ. 10. *Trium tibi optionem do, quod volueris elige.* Ecce manifeſtum teſtimonium liberi arbitrij, contra Calvinum, qui illud homini adimit. Ubi enim optio datur & electio, dubium non eſt quin ſit libertas arbitrij.

ỷ. 12. *Elige quod volueris, aut tribus annis famem, aut tribus menſibus te fugere hoſtes tuos, aut tribus diebus gladium Domini, & peſtilentiam verſari in terra.* 2. Regum 24. ſic legitur: *Aut ſeptem annis veniet tibi*

fames in terra tua, aut tribus menſibus fugies adverſarios tuos, aut certè tribus diebus erit peſtilentia in terra tua. *Quæritur* quomodo hic non ſit antilogia ſeu contrarietas? Ad primum facilis eſt *reſponſio*. Proponuntur in 2. Reg. anni ſeptem, nimirum ſimul comprehenſis annis famis, quæ Iſraelitæ quarto jam anno premebantur, propter injuſtam oppreſſionem Gabaonitarum à Saüle factam, de quo 2. Reg. 21. Quod autem hoc loco dicitur, (*aut tribus diebus gladium Domini & peſtilentiam:*) idem eſt quod in lib. Regum dicitur; *aut certè tribus diebus erit peſtilentia*; utpote quod peſtilentia verè ſit gladius Domini.

ỷ. 25. *Dedit ergo David Ornan pro loco ſiclos auri juſtiſſimi ponderis ſexcentos.* Vocatur hic Ornan, 2. Reg. ult. Areuna Iebuſæus. Sed maior difficultas eſt, quomodo his non repugnet, quod ibi dicitur David emiſſe aream ſimul cum bobus, argenti ſiclis quinquaginta, quod pretiū longè minus eſt eo quod hic exprimitur. Varij variè reſpondent. Sed commodiſſima *reſponſio* videtur, quam Gloſſa huius loci ſuggerit: Nempe cum David primùm tantum quæreret aream pro altari ędificando, quod ſtatim eam emerit unà cum bobus, ad ſacrificium faciendum, quinquaginta tantum ſiclis argenti; id quod 2. Reg. ult. expreſſum ſit; At verò in ipſa oblatione ſacrificij, certior à Deo factus, quod eodem loco vellet ſibi quoque templum poſtea ædificari; totū deinde locum, quantus ædificando templo ampliſſimo ſatis eſſet; emerit aucto ſupradicto pretio uſque ad ſexcentos ſiclos auri; id quod hoc loco commemoratur. Atque idcirco, ſc. in lib. Regum tantum dicitur area empta; hic verò totus locus. Nota autem quod in area Ornan ſeu Areuna Iebuſæi, hominis gentilis ædificandum denunciatur templum; nempe ad ſignificandum, quod ſibi Deus etiam gentiles, tandem vellet cum Judæis in unum populum & Eccleſiam congregare.

CAPUT XXII.

ỷ. 8. N*On poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuſo ſanguine.* Hieron. lib. 1. contra Iovinianum dicit hoc intelligi de ſanguine Uriæ; & falli eos, qui referunt ad bella à Davide geſta. Sed magis falli videtur ipſe Hieronymus. Etenim, quod David hîc dicit ſibi dictum à Domino, id omnino videtur referendum ad revelationem ſibi factam per Nathan 2. Reg. 7. & 1. Paralip. 17. Atqui tunc David nondum fuderat innocentem ſanguinem Uriæ. Nec obſtat huic intellectui, quod hoc loco referatur ſeu exprimatur cauſa, quæ dictis locis non exprimitur. Non enim infrequens eſt, Scripturam diverſis locis rem aliquam geſtam referentem, uno loco aliquid exprimere, quod alio loco tacuit. Itaque tantum propter bella frequentia ab eo geſta, ſicut hic dicitur; *Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti*: (Poſterius prioris videtur tantum explicatio) prohibitus eſt templum ædificare per ſe, David; ſicut & nunc habentur in Eccleſia irregulares, & indonei ad ſacras functiones, qui ſanguinem, etiam tantum tanquam judices ſanguinis, fuderunt.

ỷ. 10. *Ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in Patrem.* Hæc verba ab Apoſtolo Paulo ad Hebræos c. 1. referuntur ad Chriſtum. Sed utrum ad Chriſtum ſecundum litteram pertineant, aliqua quæſtio eſt. Nam & illud, *Os non comminuetis ex eo.* Exod. 12. ad litteram ſcriptum erat de agno paſchali, & tamen ab Evangeliſta Ioan. 19. Myſticè ad Chriſtum accommodatur. Ita & in propoſito dicendum videtur, hanc ſententiam, ſicut & reliqua verba præcedentia & ſequentia litteraliter ad Salomonem referri. Sed quia Salomon in multis fuit valde expreſſa figura Chriſti, ideo eadem myſticè, atque adeo longè perfectius & excellentius ad Chriſtum pertinere. Et propterea, inquit Auguſtinus, lib. 17. de civit. cap. 8. & 9. permiſit Deus Salomonem tam turpiter deficere ad idola, ut intelligeretur has promiſſiones in eo non fore perfectè complendas, ſed in Chriſto; per ipſum figurato. Vide noſtra in dicto loco ad Hebr. 1.

CAPUT XXIII.

ỷ. 3. N*Umeratique ſunt Levitæ à triginta annis & ſupra.* Pridem legebatur à viginti annis & ſupra. Sed rectè Sixtina Biblia, reſtituerunt (*triginta*) nam ita in Hebræo & Græco legitur, & in multis etiam M. SS. Cauſa variæ lectionis fuit, quod infrà verſ. 17. legantur numerari Levitæ à viginti annis & ſuprà: quomodo etiam ibi legunt Biblia Sixtina. Itaque intelligendum eſt, quod David primo numeraverit illos à triginta annis, quia illa ætas præſcripta erat Num. 4. Sed poſtea cum videret numerum prius collectum non ſufficere ad opera templi: Deinde, nec opus eſſe jam tanta ætate ac robore ad opera templi, ſicut opus fuerat olim, ſcilicet ad transferenda vaſa tabernaculi de loco ad locum, ſpiritu divino motus, numerum Levitarum deinceps cenſuit à viginti annis. Et hoc eſt quod hoc eodem capite v. 25. & deinceps dicitur? *Dixit autem David: Requiem dedit Dominus Deus Iſraël populo ſuo & habitationem Ieruſalem uſque in æternum. Nec erit officij Levitarum, ut ultra portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum. Iuxta præcepta quoque David noviſſima ſupputabitur numerus filiorum Levi à viginti annis & ſupra.* Ita Scriptura, agnoſcens ſcilicet duplicem numerationem à Davide factam, ut jam explicuimus.

ỷ. 14. *Moyſi quoque hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Levi.* Senſus eſt, quod fuerint tantum in numero Levitarum non Sacerdotum, etiamſi Moyſes fuiſſet Sacerdos, ſicut Pſal. 98. dicitur, *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius.* Cuius ratio fuit, quia Moyſes tantum extra ordinem fuit à Deo conſtitutus Sacerdos ad conſecrandum Aaronem, & filios eius, Sacerdotes perpetuos, quod non debebat fieri ſine oblatione ſacrificij, ut patet. Hoc ergo hic iterum repetitur, ut conſtet à Deo non niſi Aaronis poſteros Sacerdotes conſtitutos.

CAPUT XXIV.

ỷ. 6. D*Eſcripſitque eos Semeias Scriba Levites coram rege, & principibus, & Sadoc Sacerdote, &c.* David conſiderans multitudinem Sacerdotum ad quotidianum miniſterium non eſſe neceſſariam (erat enim templum unicum toti populo) diviſit omnes Sacerdotes in viginti quatuor familias, ita ut viciſſim per hebdomadas deſervirent reliquo tempore, id eſt, viginti tribus hebdomadis medius, poſſent domeſticis negotiis, aliiſque ſuis rebus vacare. Inter has familias octava fuit Abia, de qua paulò poſt. *Quæret* hic aliquis in qua poteſtate fecerit David, quæ hoc & ſuperiori capite circa Sacerdotum & Levitarum miniſteria conſtituiſſe narratur? *Reſp.* quod ſicut divinitus admonitus erat de templi figura, eiuſque ædificatione filio demandanda, ut conſtat ex ijs, quæ dicuntur infrà cap. 28. ita credendum eſt, eum hæc quoque feciſſe monitu divino, quare & fecit non abſoluta regia poteſtate, ſed adhibito ſimul ſummo Sacerdote, & aliis, ut hic narratur. Et ſanè eum hæc monitu divino feciſſe, argumento quoque eſt, quod ex omnibus his quæ à Davide hic conſtituta leguntur, nemo poſtea auſus fuerit mutare. Sed manſit ordo ille miniſteriorum à Davide inſtitutus, uſque ad finem veteris inſtituti.

ỷ. 7. *Exivit autem ſors prima Ioarib* — & tandem v. 9. *Octava Abia.* De hac ſorte ſeu vice Abia, fuit Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, ut patet Lucæ 1. Ex quo conſtat eum non fuiſſe ſummum Sacerdotem, quod Ambro-

Ambroſio in Lucam ſcribenti excidit, ſed tantum unum A
ex Sacerdotibus inferioribus ſeu ſecundariis. Quod ſi
ſummus Sacerdos fuiſſet, non certam vicem expectare
debuiſſet, ſed tantum ſemel in anno fuiſſet ingreſſus in
S. Sanctorum; id enim erat officium ſummi Sacerdotis.
Jam vero Zacharias obtulit incenſum ſeu thymiama in
ordine vicis ſuæ; id quod à Sacerdotibus per ſingulos
dies manè & veſperi fiebat, ut patet Exodi 30.

CAPUT XXV.

ỳ. 1. **Q***Vi prophetarent in citharis & pſalteriis; & cymbalis.* Quidam putant, quod quoties
cantores iſti canebant in templo inſtrumentis muſicis
tempore ſui officij, toties ſuper eos fieret Spiritus Do-
mini, & propriè prophetarent, ſicut legitur de Heliſæo. B
Sed hoc nullam habet probabilitatem. Sunt enim di-
ſtincta munia & officia Sacerdotum, cantorum & pro-
phetarum. Alij ſic hunc locum interpretantur: *Prophe-
tabant*, id eſt, prophetias canebant. Sed conſtat multa
alia præter prophetias ibi cantari ſolita. Proinde dicen-
dum videtur, quod ſicut nomen prophetæ aliquando
generale eſt ad omnes eos, qui peculiariter vacant cul-
tui divino; Unde illud: *Nūquid & Saül inter prophetas?*
ita prophetare generaliter hoc loco accipi, ut ſit idem
quod divinas laudes & cantica canere, ſive ſint prophe-
tiæ propriè dictæ, ſive non. Vide plenius ad 1. Reg. 10.

CAPUT XXVI.

ỳ. 6. **E***Rant enim viri fortiſſimi.* Id repetitur aliquo- C
ties. Dicitur enim de janitoribus, ad quod
officium opus erat robore corporis; Nempe quia valvæ
templi erant valde magnæ & graves. Atque adeo de
poſtremo templo teſtatur Ioſephus, quod opus fuerit
viginti hominibus ad aperiendas & claudendas eius
templi valvas. Et hoc pertinet, quod ſubditur v. 10.
Ubi cum dixiſſet Scriptura; *Filij Meſelemia robuſtiſſi-
mi decem & octo*, ſubjungit, *De Heza autem Semri
princeps* (*non enim habebat primogenitum, & idcirca
poſuerat eum pater eius in principem*) *Helcias ſecundus
&c.* Quibus verbis tantum ſignificatur, primogenitum
non fuiſſe ad illud munus idoneum, & ideo alium robu-
ſtiorem primogeniti loco conſtitutum; non autem
quod nullus fuerat primogenitus. Semper enim pri-
mogenito moriente, alij fratres ordine in idem jus D
ſuccedunt. Et innuunt hoc etiam Hebræi.

ỳ. 28 *Hæc autē univerſa ſanctificavit Samuel videns, & Saül filius Cis, & Abner filius Ner, & Ioab filius Sar-
viæ.* Non ſignificatur quod Samuel ſanctificaverit ea,
quæ fuerunt oblata ex variis victoriis David comme-
moratis. Tunc enim Samuel erat defunctus. Sed ſenſus
eſt, quod quilibet eorum, qui hîc nominantur, ſuo tem-
pore de prædis hoſtium partem aliquam ſeparaverint ad
uſum tabernaculi, vel templi poſtea ædificandi; ſcilicet,
Samuel de prædis tempore ſui principatus (fuerat enim
judex in populo) Saül de prædis ſui temporis; & ita
deinceps. Hic autem commendanda occurit magna pie-
tas iſtorum principū, cuius origo duci poteſt ab Abra-
ham Patriarcha, qui ex præda hoſtium decimas obtulit E
Melchiſedech Sacerdoti. Deinde idem fecerunt princi-
pes populi Iſraël n. 31. qui devictis Madianitis, omne
aurum apud hoſtes inventum conſecrarunt Domino.

CAPUT XXVII.

ỳ. 24. **E***T idcirca numerus eorum, qui fuerant recen-
ſiti, non eſt relatus in faſtes regis David.* In
Hebræo non eſt (*idcirco.*) Sed legitur ſententia hoc
modo: *Et non aſcendit numerus in numerum verborum
dierum regis David.* Non malè tamen addidit inter-
pres (*idcirco.*) Huius enim ſententiæ rationem in ver-
bis ſuperioribus contineri omnino apparet. Dubium

Eſtij Annotant. in Script.

tamen, utrum in eo quod dictum erat (*nec complevit*)
an in eo quod ſequitur, *quia ſuper hoc ira irruerat in
Iſraël*; id eſt, utrum ideo non fuerit numerus relatus
in annales rerum à Davide geſtarum, quia numeratio
fuit incompleta, ut videre eſt cap. 21. an quia per illam
populi numerationem provocata fuit in populum ira
Dei, ut propterea non debuerit aſcribi in annalibus.
Vide Liranum, & ab eo diſſentientem Carthuſianum.
Fortè utrumque conjunctim fuit in cauſa.

CAP. XXVIII.

ỳ. 2. **C***Ogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſ-
ceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum
eius.* Locutio iſta haud dubiè figurata eſt. Neque enim
Deus in ſua divina natura propriè pedes habet, ut egeat
ſcabello vel ſuppedaneo; ſed arcam vocat ſcabellum pe-
dum eius, quod ſuper eam Deus ſe peculiari modo ex-
hiberet præſentem, videlicet per exauditionem oratio-
num, & per reſponſa quæ inde dabat. Hic locus expli-
cat nobis illud pſal. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius,
quoniam ſanctum eſt.* Qui verſus etſi ab Auguſt. intelli-
gatur de adoratione latriæ Corporis Chriſti, quod de
terra ſumptum à nobis adoratur, tamen ad litteram, ut
ex hoc loco oſtenditur, intelligitur de arca Domini,
quam jubet adorari, id eſt, cum corporis inclinatione
venerari, de qua & in pſal. 131. dicitur: *Adorabimus in
loco ubi ſteterunt pedes eius.* Cherubim ergo erat ſedes
Dei, juxta illud pſalm. 79. *Qui ſedes ſuper Cherubim*: e
arca verò ſcabellum, ut hîc. Nempe Cherubim in illo
ſacro loco ſurſum erant, arca deorſum. Quod ſi tali
modo adoranda erat arca Domini, nihil vetat etiam
nunc imagines Chriſti, & Sanctorum ſic adorari. Nam
multo expreſſiorem ſignificationem rei ſacræ habet
imago picta vel ſculpta, quam arca vel ciſtula.

ỳ. 19. *Omnia, inquit, venerunt ſcripta manu Domini
ad me, ut intelligerē univerſa opera exemplaris.* Tradunt
Hebræi, exemplar templi, & vaſorum eius Moyſi in
monte fuiſſe demonſtratum, ſimul cum exemplari ta-
bernaculi, & ab eo traditum fuiſſe Ioſue, & ita deinceps
per judices uſque ad Samuelem, ab hoc ad Davidem, à
Davide ad Salomonem. Traditio illa fundamentum
in Scriptura non habet. Simplicius eſt, ut intelligamus
Davidem ipſum in ſua perſona accepiſſe à Deo revela-
tionem totius figuræ, & conſtitutionis templi, per fi-
lium ſuum Salomonem ædificandi. Hic locus oſtendit
ita formam templi fuiſſe à Deo præſcriptam, ſicut olim
erat præſcripta forma tabernaculi, ac proinde ſingula
templi opera, & olim tabernaculi, fuiſſe plena myſteriis.
Hinc diſce non eſſe damnandum ſtudium eorum inter-
pretum, qui in ſingulis certa myſteria perquirunt.

CAPUT XXIX.

ỳ. 1. **O***Pus enim grande eſt; neque enim homini præ-
paratur habitatio, ſed Deo.* Iſtud à Davide
dicitur de templo materiali, quod ædificaturus erat
Salomon filius eius; ex quo conſequens eſt Deum habi-
tare in templo materiali, qui ait: *Neque enim &c.* Unde
hîc locus & ſimiles obſervandi ſunt contra hæreticos,
qui negant ullo modo Deum in templis manufactis
habitare, allegantes illud Apoſtoli Act. 17. *quod Deus
cæli & terra cum ſit Dominus, non in manufactis tem-
plis habitat.* Sed eorum falſo intellectui occurrit ipſe
Apoſtolus eodem loco, cum addit; *indigens aliquo.*
Non ergo ita in templo habitat, quaſi domicilio aliquo
indigeret quo protegatur ab injuriis aëris; aut etiam,
ut eo tanquam loco circumſcribatur; ſed habitatio
Dei hic à Davide dicitur templum, propter quoſ-
dam effectus præſentiæ, quos in templo exhibet;
& non alibi, aut in templo magis quàm alibi. Illi
effectus ſunt, exaudire preces, acceptare ſacrificia,

conferre gratiam &c. Vide etiam capite præcedenti, ad v.2. & annot. Act.7.

A ℣.14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Hoc à Davide dicitur de donis corporeis. Quicquid enim rerum temporalium Deo offerimus, vel offerre poſſumus; id omne jam ante à Deo accepimus; & tamen Deus pro ſua immenſa bonitate ſic acceptat, quaſi noſtrum ſit. Quod ſi verum eſt de donis corporeis, multo magis veritatem habere debet de oblationibus ſpiritualibus, quanto ſpiritualia rebus corporeis ſunt præſtantiora. Itaque quicquid boni operis, quicquid bonæ voluntatis, quicquid denique bonæ cogitationis Deo offerre poſſumus, id omne per eius gratiam, & gratuitam largitatem jam accepimus. Et quantum ad bonam voluntatem attinet, ipſe David in hac eadem ſua oratione teſtatur, eam à Deo eſſe, & ſine Deo conſervari non poſſe, ita orans: *Domine Deus, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat.* v.18.

℣.29. *Geſta autem David regis priora & noviſſima, Scripta ſunt in libro Samuelis videntis & in libro Nathan prophetæ atque in volumine Gad videntis.* Non eſt ſenſus, quod ſinguli iſti omnia geſta Davidis ſcripſerint: Nam de Samuele imprimis conſtat eum ante Davidem mortuum, ſed veriſimiliter indicatur, quod liber primus & ſecundus Regum, ubi geſta omnia David continentur, incepti ſint ſcribi à Samuele (unde & nomine Samuelis apud Hebræos inſcribuntur) deinde verò, partim à Nathan, partim à Gad completi ſunt. Sunt tamen & aliæ ſententiæ de authoribus vel authore librorum Regum; de quibus prolixè Sixtus Senenſis.

F I N I S   L I B R I   I.   P A R A L I P O M.

A N N O T A T I O N E S
IN LIBRVM II. PARALIPOM.

CAPUT PRIMUM.

℣.6. A*ſcenditque Salomon ad altare æneum coram tabernaculo fœderis Domini, & obtulit in eo mille hoſtias.* Obtulit iſta Salomon in Gabaon, tranſlata quidem jam arca Ieruſalem, ſed ſtante ibi adhuc tabernaculo. Unde non peccavit in hoc Salomon contra præceptum legis, quo præcipiebatur non offerenda ſacrificia, niſi in loco quem elegiſſet Dominus. Quin etiam haud improbabile eſt, quamdiu tabernaculum, & arca non habebant ſtabilem locum, licuiſſe in aliis quoque nonnullis locis, diſpenſatione divina, ſacrificia offerre; non in quibuſcunque tamen, ſed in locis ferè, ubi tabernaculum fuiſſet aliquando, ut in Silo, Gabaa, Maſphat. Sic & Samuel ipſe dicitur ſacrificaſſe in excelſis; & David excelſa non abſtulit. At verò poſt ædificationem templi nihil tale licuit, niſi prorſus extraordinariè, ac Deo inſpirante ut fecit Elias, tametſi ille non manibus, ſed oratione tantùm mactatas hoſtias incendit. Unde & laudantur Ezechias & Ioſias quod abſtulerunt excelſa.

CAPUT II.

℣.13. M*iſi ergo tibi virum ſcientiſſimum Hiram patrem meum.* Merito *quæritur*, quomodo rex Tyri vocet hunc artificem patrem ſuum; quem certum eſt non fuiſſe patrem naturalem? Alioqui enim potius patrem oportebat regem eſſe, quàm filium. Qui noſtra tantum verſione utuntur, dicunt vocari patrem, vel ætate, vel arte & ingenio. q.d. quem propter ſenectutem, & artem colo ut patrem. Septuaginta pro (*patrem meum*) habent, (*puerum meum*). id eſt, ſervum. Sed repugnat veritas Hebraica. Et quidem poteſt ex Hebræo ſic verti; *ſcientiſſimum Hiram patri meo*, ut ſit ſenſus, qui fuit celeberrimus artifex etiam apud patrem meum: Verùm quia infrà cap.4. idem etiam Hiram vocatur pater Salomonis; ſimplicius dicendum eſt, quod eo tempore, homines eximij vocarentur honoris cauſa patres; ſicut nunc vocantur magiſtri. Nam & Ioſeph Gen 45. vocatur pater Pharaonis, v.8.

℣.14. *Filium mulieris de filiabus Dan.* 3.Reg.7. de eodem hoc Hiram ſic legitur: *Et tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de tribu Nephtalim.* *Quæritur* quomodo ergo hîc mater eius dicatur fuiſſe de filiabus Dan? *Reſp.* quia ipſa de tribu Dan erat, vir autem eius de tribu Nephtalim. Atque hoc ſignificatũ eſt, per hoc quod dicitur; *mulieris viduæ de tribu Nephtalim.* q. d. mulieris, quæ habuerat virum de tribu Nephtalim. Nec obſtat quod pater Hiram dicitur fuiſſe Tyrius; vocatur ſcilicet Tyrius habitatione, ſicut 2. Reg.6. Obededom etſi Levita, vocatur tamen Gethæus.

CAPUT III.

B ℣.1. E*T cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem in monte Moria.* Sicut tota templi figura fuit divinitus revelata, ut ad eius præſcriptum à filio eius ædificaretur: ita & locus divina admonitione deſignatus fuit. Locus hic in monte Moria erat, de quo ſequitur: *qui demonſtratus fuerat David patri eius, in loco quem paraverat David in area Ornan Iebuſæi.* Fuit autem hic locus tunc Davidi demonſtratus, quando angelus ei præcepit, ut in eo loco ædificaret altare & victimas offerret. Tunc enim dixit David: *Hæc eſt domus Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſraël.* Expoſitores ferè affirmant hunc locum eſſe eundem illum, in quo Abraham juſſus eſt offerre filium ſuum Iſaac. Sanè Geneſ.22. ubi nos legimus; *Vade in terram viſionis*, Hebraicè eſt. *Vade in terram Moria.* De hoc loco ſic apud Auguſt. ſerm.71. de tempore. Hieronymus Preſbyter ſcripſit ſe certiſſimè à ſenioribus Judæorum cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, ubi poſteà Chriſtus eſt crucifixus. Hæc ille. Quare cum hîc in monte Moria ædificatum dicatur templum, & Chriſtus extra portam paſſus ſit; latè per plures velut colles extentum hunc montem accipiamus oportet.

D ℣.11. *Alæ Cherubim viginti cubitis extendebantur, ita ut una ala haberet cubitos quinque.* Et poſteà; *Facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum.* Alibi dicitur, quod facies unius reſpiciebat faciem alterius, Sed hæc duo non repugnant. Quod enim ibi dicitur, intelligendum eſt hoc modo, quod facies Cherubim non erant verſæ ad oſtium templi, ſed ad parietes illos, qui erant in lateribus. Quod autem hîc dicitur, *facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum*, ſenſus eſt, quia pars anterior corporis reſpiciebat domum exteriorem, ita tamen, ut facies eorum in obliquum ſe mutuo reſpicerent.

Myſticè

Myſticè autem, per duo Cherubim ſignificantur duo
teſtamenta, vetus & novum. Per hoc autem quod ſe
mutuo reſpiciunt, amborum teſtamentorum conſen-
ſus ſignificatur. Nam & vetus teſtamentum perhibet
teſtimonium novo, per figuras, & prophetias, & novum
veteri per exhibitionem & oſtenſionem veritatis.

CAPUT IV.

℣. 3. B*oves autem erant fuſiles, & ipſum mare ſuper
duodecim boves impoſitum erat.* Ecce refert
ſcriptura in templo non ſolum fuiſſe ſtatuas Cherubim,
ſed etiam boum æneorum. Ex quibus liquet licuiſſe Ju-
dæis facere imagines, modò eas non facerent, aut ſtatue-
rent ad adorandum. Id ſi Judæis licitum fuit, multò
magis licet Chriſtianis, qui minus proclives ſunt ad
idololatriam, utpote, qui abundantiorem ſpiritus gra-
tiam acceperunt.

CAPUT V.

℣. 10. N*ihilque aliud erat in arcâ, niſi duæ tabulæ,
quas poſuerat Moyſes in Horeb.* Quomodo
hæc non pugnent cum eo quod dicit Apoſt. ad Hebr. 9.
in arcâ fuiſſe urnam auream, habentem manna, itemque
virgam Aaron, præter ipſas tabulas teſtamenti. Vide
ſuprà 3. Reg. 8. itemque dicto loco Hebr. 9.

℣. 11. *Omnes enim Sacerdotes, qui ibi potuerunt in-
veniri, ſanctificati ſunt, nec adhuc in illo tempore vices &
miniſteriorum ordo inter eos diviſus erat.* Hinc contra-
rium videtur, quod lib. præced. c. 24. ſcriptum eſt. Da-
videm diſtribuiſſe Sacerdotum miniſteria per 24. or-
dines, ſeu vices. Ad hoc ferè reſpondent fuiſſe quidem
diviſionem factam à Davide, quantum ad eius ordina-
tionem, ſeu diſpoſitionem, ſed non quantum ad exe-
cutionem, quodque vices illæ primum obſervari cœpe-
runt ædificato templo, & arcâ illuc allatâ. Sed rurſum
objici poteſt. Multitudo Sacerdotum minus erat neceſ-
ſaria ad miniſtrandum coram arcâ ſolâ, quàm poſtea,
quando templum extructum erat: Igitur vices ſtatim
poſt Davidis ordinationem ſervandæ erant. Proinde
potius dicendum videtur, hoc loco non ſignificari,
quod nondum cœpiſſent ſervari vices miniſteriorum,
ſed quod in dedicatione templi propter multitudinem
victimarum, vices illæ non fuerint ſervatæ, ſed quotquot
potuerunt inveniri Sacerdotes, omnes fuerunt adhibiti
ad miniſterium. Hunc ſenſum expreſſius indicant Hebr.
& 70. in quibus non additur (*adhuc*) ſed dicitur quod
tunc non potuerunt ſervare vices. Priorem tamen ſen-
ſum juvare videtur, quod poſtea c. 8. dicitur Salomon,
ordinem ſacrificiorum, & miniſteria Levitarum, ac Sa-
cerdotũ inſtituiſſe, prout David pater eius conſtituerat.

CAPUT VI.

℣. 1. T*Unc Salomon ait: Dominus pollicitus eſt, ut
habitaret in caligine,* ſive ut legitur 3. Reg. 8.
Dominus dixit, ut habitaret in nebula. Nuſquam hoc
Dominum pollicitum eſſe legimus, niſi fortè reſpiciat
Salomon ad Lev. 16. ubi dicit Dominus: *in nube appa-
rebo ſuper oraculum:* aut ad illud Exod. 16. *Iam nunc ve-
niam ad te in caligine nubis.* Cæterum verbis Salomonis
ſignificari videtur, Dominus facto ſuo ſæpè declaravit,
ſe habitare in nebula; id eſt, ſæpè in nebula ſeu caligine
præſentiam ſuam exhibere voluit. Sive, Solet Dominus
gloriam ſuam, & effectum præſentiæ ſuæ oſtendere
circumſuſa caliginoſa nube aut nebula; ut in Exod. Le-
vit. & alibi. Unde & hîc nebulam divino miraculo ex-
citatam Salomon interpretatur argumentum præſentiæ
divinæ. Atque hoc videtur peculiare fuiſſe in vet. te-
ſtam. Nam in novo Chriſtus ipſe nobis apparuit; & mox
cum eo miniſtri eius Angeli in lumine & claritate mag-
nâ apparuêre paſtoribus. Et Chriſtus in monte Tha-
bor, & in reſurrectione, cum magna claritate apparuit:
Eſtij Annotat. in Script.

A & ferè ubicumque Angeli in novo teſtam. apparuiſſe
leguntur, cum claritate apparuerunt. In vet. autem te-
ſtamento in nube, caligine, nebulâ, rubo ſpinoſo; ad de-
ſignandum quod myſteria nondum erant revelata, &
quod populi veteris corda erant cæca, obſcurata, & ſpi-
noſa. Sic autem apparuit Deus, ſive Angelus Moyſi
præcipuè, qui miniſter erat vet. legis. Unde etiam terri-
biles voces, & tonitrua exaudiebantur, & fulgura mica-
bant terrorem excitantia, etiam ipſi Moyſi teſte Apo-
ſtolo ad Hebræos 12. Vide annotat. cap. 7.

℣. 21. *Quicumque oraverit in loco iſto, exaudi de ha-
bitaculo tuo, & propitiare.* Ex his verbis & aliis huius
orationis manifeſtum eſt, Deum magis exaudire ora-
tiones in templo fuſas, quàm alibi, cæteris paribus.
Alioqui enim fruſtra peteret Salomon, eo loco benefi-
B cia huiuſmodi concedi, quæ in omni loco concederen-
tur æqualiter. Rationes autem huius prærogativæ tem-
plorum ſunt. *Una*, quia templum præcibus Eccleſiæ
conſecratum eſt, ad hoc, ut in eo Deus oretur, & ora-
tus exaudiat. Unde canit Eccleſia in anniverſario de-
dicationis, Da, ut quiſquis hoc templum beneficia peti-
turus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. *Alia
ratio*, quia ibi multorum conjunguntur orationes, tan-
quam in loco communi, ad quem omnes conveniunt:
Orationes autem multorum conjunctæ, ſunt efficacio-
res ad impetrandum, quam eædem ſingulæ, & ſejunctæ;
ſicut & in naturalibus, virtus unita major eſt ipſa diſ-
perſa. Et hæ rationes, quoad cauſam efficientem. Cau-
ſæ finales multæ proferri poſſent, ut ad excitandam
C humilitatem & diligentiã: Sed præcipua eſt ad conſer-
vandam charitatem & unitatem fidelium inter ſe. Nam
templum eſt figura vivæ Eccleſiæ, id eſt, cœtus fideliũ:
Unde etiam Eccleſia vocatur: Ideo ergo ad templum
oraturi conveniunt Chriſtiani, ut hoc facto teſtentur, ſe
unius Eccleſ. eſſe membra charitatis vinculo colligata;
qui affectus Chriſtiani hominis non parum etiam addit
ad efficaciam orationis. Ac denique petitionem hanc
Salomonis confirmavit Deus c. ſeq. igne miſſo de cœlo.

CAPUT VII.

℣. 1. C*Umque compleſſet Salomon fundens preces;
ignis deſcendit de cœlo, & devoravit holocau-
ſta & victimas.* Deſcenſus ignis de cœlo ſuper victimas,
ſignum erat acceptationis ſacrificij oblati, & exauditæ
D orationis, quam Salomon fuderat pro templi conſecra-
tione. Quater enim ſimiliter factum fuiſſe legimus; ſci-
licet ignis de cœlo deſcendens abſumpſit ſacrificia
oblata in conſecratione Aaron, & filiorum eius; Levit.
c. 9. item ſacrificium Heliæ contra Sacerdotes Baalam,
tertio ſacrificium Davidis in area Ornan Iebuſæi, quan-
do peſtis ſæviebat in populo; & hoc loco. Quibus om-
nibus locis Deus ſignificare voluit, gratum & acceptum
fuiſſe ſacrificium quod offerebatur; nempè miraculosè
cooperando oblationi, cuius præcipua ratio actionis
conſiſtit in incenſione, ſeu conſumptione ſacrificij.

Quæri hîc poteſt cur ad hæc conſumenda miſſus
fuerit ignis de cœlo, cum adhuc duraret in illius ta-
bernaculi miniſterio cæleſtis ignis initio miſſus de cœ-
E lo, ut habetur Levitici 9. Reſponſio habetur ex dictis
nempe per hanc alteram ignis è cœlo miſſionem Deus
voluit approbare, & quodammodo ſibi conſecrare
novum habitaculum, videlicet templum Ieroſoly-
mitanum, quod ſibi elegerat, ut in eo nomen ip-
ſius invocaretur; ut habet oratio Salomonis. Quid
ergo factum de priori igne; fortè immixtus eſt &
unitus cum poſteriori. Nam periiſſe non audeo dice-
re, quia fuiſſet ea gravis Sacerdotum culpa, de qua
nuſquam legi. Et contrarium communiter tenetur;
ſcilicet primum illum ignem conſervatum fuiſſe uſque
ad captivitatem Babylonicam, De quo Vide Liranum
ſuper Levitici. 29. Poteſt etiam dici poſteriorem

non fuiſſe conſervatum; ut nec illum qui deſcendit ſuper ſacrificium Davidis, 1. Paralip. 21. & 3. Reg. 18. quia ad hoc miſſus non fuerat huiuſmodi ignis ut ſervaretur, ſed tantum ad ſignificandam & teſtificandam acceptationem divinam: primus autem ignis etiam ad hoc, ut ex eo aſſervato deinceps ſemper incenderentur hoſtiæ. Quod liquet ex facto ſubſequente Levit. 10. ubi conſumpti leguntur ultione divina, qui ignem offerrebant alienum.

℣. 2. *Et majeſtas Domini implevit templum. Nec poterant Sacerdotes ingredi templum Domini, eo quod impleſſet majeſtas Domini templum.* Lib. 3. Reg. c. 8. verſ. 11. habetur: *Nebula implevit domum Domini.* Quæ duo non pugnant, ſed unum eſt expoſitio alterius. Nam nebula erat ſignum præſentis gloriæ, & majeſtatis Dei. Frequenter enim legitur Dominus apparuiſſe in nube. Senſus igitur eſt; nebulam, quæ erat ſignum majeſtatis & gloriæ Dei, impleviſſe templum, & Sacerdotes reverentia divinæ majeſtatis, quam nubes illa repræſentabat, retroceſſiſſe, nec auſos fuiſſe ad offerendum propius accedere. Quidam dicunt nubem iſtam non fuiſſe obſcuram, ſed excellenter lucidam, & Sacerdotes non potuiſſe ferre immodicam eius claritatem quam oculi eorum ferre non poterant. Sed hæc opinio verbis ſcripturæ non ſatis eſt conſentanea. Nam illa nubes præcedenti capite caligo vocatur: *Dominus*, inquit *pollicitus eſt ut habitaret in caligine.* Et Pſalm. 9. de apparente Dei majeſtate dicitur: *Nubes & caligo in circuitu eius &c.* Unde omnino apparet nubem illam obſcuram & caliginoſam fuiſſe & per eam fuiſſe ſignificatam obſcuritatem & caliginem umbrarum, quarum miniſterium futurum erat in illo templo. Eam obſcuritatem Sacerdotes illi intrare non poterant, quia intelligentia penetrare non valebant.

CAPUT VIII.

℣. 2. *Civitates quas dederat Hiram Salomoni, ædificavit.* Vide 3. Reg. 9. c. ſicut & illud v. 7. *Omnem populum qui derelictus fuerat de Hethæis &c.*

℣. 14. *Sic enim præceperat David homo Dei.* Nota, adjectione hac (*homo Dei*) ſignificatur Davidem ea præcepiſſe ex inſtinctu divino, & revelatione quadam prophetica. Vide etiam lib. ſuperiori Paral. cap. 24.

CAPUT IX.

℣. 1. *Regina quoque Saba, cum audiſſet famam Salomonis, venit ut tentaret eum in ænigmatibus.* Scilicet in obſcuris quæſtionibus. Quæ fuerint hæ quæſtiones in particulari à nobis ſciri non poteſt; quia id ſcriptura non exprimit: In genere tamen, quales & cuiuſmodi fuerint, utcumque ſcire poſſumus. Satis enim indicat nobis ſcriptura non fuiſſe quæſtiones curioſas, neque de rebus merè humanis, cuiuſmodi ſunt multæ quæſtiones naturales, ſed pertinuiſſe ad pietatem, cultum, & cognitionem Dei, cuiuſmodi ſunt de creatione mundi, de eiuſdem perpetua conſervatione & adminiſtratione, item de præmiis bonorum, & ſuppliciis malorum, de animæ immortalitate & ſimiles. Indicat nobis id ſcriptura duobus locis. Primum tertij Regum capite decimo, ubi dicitur, quod *in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus.* Igitur quæſtiones pertinebant ad nomen & cultum Dei. Alter locus eſt in Evangelio Matth. capite decimo, ubi Dominus dicit reginam Saba veniſſe à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & propterea ſurrecturam in judicio contra generationem illam. Non diceretur autem hoc, nec laudaretur regina illa à Chriſto, ſi non utiles & ad pietatem pertinentes quæſtiones propoſuiſſet. Cæterùm quæ fuerit hæc regina Saba, Vide 3. Reg. 10.

A ℣. 20. *Argentum in diebus illis pro nihilo reputabatur.* Hyperbolica eſt locutio, qua ſignificatur ſummam fuiſſe argenti copiam in diebus Salomonis, adeo ut vix æſtimaretur. Unde poſtea addit Scriptura: *Fecitque ut tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta & lapidum.* Quæ ſententia ſimiliter hyperbolica eſt. Et in huiuſmodi ſententiis, quoad veritatem, non ipſa verba conſideranda ſunt, ſed ſententia expendenda, & videndum ad quid ſignificandum talia verba ponantur; nempe hoc loco, ad inſinuandam ſummam omnium rerum abundantiam, & quæ velut fidem ſuperet. Sic & alia huius capitis, ſententia accipienda eſt, ubi dicitur de regina Saba, *Non erat præ ſtupore ultra in ea ſpiritus.* Nam ſi verba urgeamus, ſignificatur eam præ admiratione mortuam fuiſſe (quod falſum eſt) ſed
B hoc tantùm ſignificatur illis verbis, eam ſuprà modum fuiſſe admiratam.

℣. 29. *Reliqua autem opera Salomonis priorum & noviſſimorum, hæc ſcripta ſunt in verbis Nathan prophetæ, & in libris Abiæ Silonitis, in viſione quoque Addo videntis contra Ieroboam filium Nabat.* Non eſt veriſimile Nathan Prophetam pertigiſſe uſque ad extrema tempora Salomonis, etiam ut noviſſima eius geſta litteris mandare potuerit. Sed quod hîc dicitur, tale eſt; Geſta Salomonis prima, media, noviſſima, conſcripta fuiſſe ab his tribus prophetis, ſed ſic ut alius alia ſcripſerit, Nathan prima, reliqui duo poſteriora. Vide Annot. 1. Paralip. ult. & Burgenſem hîc. Deinde nec hoc veriſimile eſt, quod quidam dicunt, Addo vi-
C dentem, cuius hic fit mentio, illum eſſe prophetam qui coram Ieroboam clamavit & prophetavit contra altare dicens: *Altare, altare, hæc dicit Dominus, &c.* 3. Reg. 13. Nam ille propheta, ſicut eadem Regum narrat hiſtoria, pauló poſt interfectus eſt à leone: hîc autem Addo propheta multò pòſt vixit. Nam infrà c. 12. & 13. dicitur conſcripſiſſe geſta Roboam & Abia Regum Juda, qui dudum poſt vixerunt.

CAPUT X.

℣. 4. *Pater tuus duriſſimo jugo nos preſſit.* Quæritur An querimonia hæc vera & juſta fuerit? Vide annotationes 3. Regum capite duodecimo; quibus adde, veriſimiliter Salomonem, poſtquam depravatus
D fuit amore mulierum, cœpiſſe etiam populum durius tractare, & gravius tributis premere. Quia licet immenſas haberet opes non tamen illi ſufficiebant ad tantos ſumptus, ac præſertim ad explendam cupiditatem tot mulierum, quas perditè amabat, quæ erant reginæ (ut eſt 3. Regum capite undecimo) ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: ſolent autem mulieres maximè ſi ſentiant ſe amari petacitate ſua viris eſſe permoleſtæ. Item magnis opus erat expenſis ad exſtruenda tot templa idolorum. Scribitur enim eodem loco, poſt commemorata templa Chamos & Moloch hoc modo: *Atque in hunc modum fecit univerſis uxoribus ſuis alienigenis.* Illud igitur de abundantiâ omnium rerum tempore Salomonis, intelligendum eſt de prioribus eius temporibus, quando nondum dereliquerat
E Deum; hæc verò de poſterioribus quando depravatus amore mulierum, declinavit ad idola.

℣. 15. *Et non acquievit* (Roboam) *populi precibus. Erat enim voluntas Dei, ut compleretur ſermo eius quem locutus fuerat per manum Abiæ &c.* Non eſt ſenſus, quod Deus incitaverit Roboam ad tam ſuperbam & ſtultam reſponſionem; ſed quod propter peccata Salomonis, volens ab eius poſteritate regnum decem tribuum auferre, permiſerit Roboamum in tam ſtultum & inſulſum conſilium incidere, illique acquieſcere, ut per tale medium & vindicaret Salomonis peccata, & ſimul impleret verbum ſuum, quod ea de re locutus fuerat per Abiam prophetam ad Ieroboam.

C A.

CAPUT XI.

℣.4. HÆc dicit Dominus : *Non aſcendetis , neque pugnabitis contra fratres veſtros — quia mea hoc geſtum eſt voluntate.* *Quæres* aliquis, an igitur continuo ſit conſequens : Si aliquid divina ſit voluntate geſtum, nos debere acquieſcere, & non repellere malum, quod eius voluntate accidit ? Quod ſi ita eſt, verum erit Lutheri paradoxon ; non eſſe pugnandum contra Turcam, fines Chriſtianorum invadentem, quia hoc eſſet repugnare voluntati Dei, noſtra peccata per Turcam viſitantis. *Reſp.* non eſt dubium omnem afflictionem, quæcunque hominibus accidit, provenire ex voluntate Dei ; juxta illud Amos c.3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit ?* Neque tamen conſequens eſt, eiuſmodi mala non debere averti. Quia licet ſit voluntatis Dei, ut illa inferantur, & ut illa patienter feramus, quamdiu inferuntur ; non eſt tamen voluntatis eius, ut non repellantur, dum rectè & juſtè repelli poſſunt. Res manifeſta eſt in morbis, fame, frigore, ſiti & ſimilibus, quæ patimur Deo infligente ; & tamen rectè avertimus, quantum poſſumus, contrariis remediis. Quod ergo propheta prohibet pugnandum contra Iſraël, aliquid amplius continebat ; nempe, quod Deus de hoc jam, etiam ſpecialiter, & explicitè ſuum decretum firmum manifeſtabat, quod regnum decem tribuum ad Ieroboam transtuliſſet. Huic ergo cognitæ voluntati Dei non debuit Roboam, aut populus repugnare.

℣.23. *Quia ſapientior fuit & potentior ſuper omnes filios eius.* Hebraicè eſt : *Et inſtitui eum curabat, & diſtribuebat de omnibus filiis ſuis per omnem terram Iuda & Benjamin.* Vide etiam 3.Regum cap.15.

CAPUT XII.

℣.7. DAboque eis pauxillum auxilij : *Veruntamen ſervient ei, ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum.* Sanè ea diſtantia longè maxima eſt. Nam ſervire Deo eſt homini naturale ; & proinde non poteſt eſſe non maximè ſalutare, & jucundum, ut verè dictum ſit : Servire Deo regnare eſt. At verò ſervire hominem homini, contra naturam eſt ; ideoque per ſe moleſtum & grave ; nam ſervitus talis ex peccato ortum habet. Docet etiam hic locus, remiſſo peccato, non ſemper ſtatim remitti quoque omnem pœnam temporalem.

℣.13. *Quadraginta & unius anni erat* (Roboam) *cum regnare cœpiſſet.* Si Salomon regnare cœpit anno duodecimo ætatis, quod colligi videtur, quia ex Bethſabée natus eſt circa vigeſimum octavum annum regni patris ſui, Salomon autem regnavit tantū quadraginta annis ut dicitur 3.Reg.11. & 2.Paralip.9. conſequens videtur, quod Salomon genuerit Roboam (qui hic quadraginta & unius anni fuiſſe perhibetur, cum regnare cœpiſſet) anno ætatis ſuæ decimo vel undecimo. De hac difficultate Hieron. ad Titum 3. dicit difficile eſſe invenire exitum quæſtionis propter librorum varietatem, & errores inolitos, dum paulatim ex inemendatis inemendata ſcribuntur. Vide etiam eundem Hieron. in epiſtola ad Vitalem. Sed Liranus in 3.Reg.11. putat Salomonem quando incepit regnare, fuiſſe viginti annorum vel eo amplius. Et probat ex eo quod 3.Reg. cap.2. dicit David ad Salomonem ; *Vir autem ſapiens es &c.* Vide etiam Ioſephum de ætate Salomonis.

CAPUT XIII.

℣.2. ET erat bellum inter Abiam, & Ieroboam. *Quæritur* quomodo juſtè bellum ab Abia ſuſceptum fuerit contra Ieroboam, cum ſciret Dei voluntate ei regnum collatum ? nempe id patet ſuprà cap. *Reſp.* Abia non infert bellum, quaſi recuperaturus
A regnum decem tribuum, ſed bellum ſibi illatum conatur repellere. Id patet ex eo quod ait in ſua oratione : *Filij Iſraël nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum.* Quibus verbis non ſuadet ut redeant ad regnum Iuda, ſed ut deſiſtant ab inferendo bello. Obiicitur tamen è contra, quod Abia non agnoſcat Ieroboam legitimum regem, dum dicit eum rebellaſſe contra Dominum ſuum ; tum etiam videtur Abias intuliſſe offenſivè bellum, quia habuit hanc orationem in monte Ephraim in ditione decem tribuum. Quare dici poteſt, Abiam hoc egiſſe, ut populus agnoſceret, etſi Ieroboam prius jubente Domino accepiſſet regnum decem tribuum ; jam tamen eo privari per eos dignè poſſet, quod erectis vitulis aureis, ipſe Ieroboam Deum ſuo honore privaſſet. Huc enim tendit tota A-
B biæ oratio. Et ob hanc tam piam admonitionem, tum etiam quod Ieroboam prior inſidias strueret ; Deus videtur Abiæ hanc victoriam conceſſiſſe.

℣.5. *Num ignoratis quod Dominus Deus dederit regnum David ſuper Iſraël in ſempiternum, ipſi & filiis eius in pactum ſalis ?* Nota, fœdus Dei perpetuum, pactum ſalis vocari : Nempe, quia ſicut ſal arcet corruptionem, ita pactum huiuſmodi erat inviolabile. Alij referunt ad ſacrificium, cuius interventu ſolebant olim fœdera percuti ſeu ſanciri ; ipſum autem ſacrificium ſine ſale non peragebatur, & ex conſequenti fœdera non percutiebantur ſine ſale, quia non fiebant, niſi oblato prius ſacrificio & certis victimis. Vide Levit.cap.2.

C ℣.7. *Porro Roboam erat rudis & corde pavido.* *Quæſtio* eſt quomodo non peccavit Abia, talia referens de patre ſuo, maximè coram tota multitudine ? *Reſpond.* dixit hoc Abia, non ut filius, ſed ut rex, agens negotium regni ac reipublicæ. Expediebat enim, ut minus reverenter, ac velut contemptim de Roboam loqueretur, ne videretur factum eius, quo decem tribus à ſe alienaverat, ullatenus approbare, ſed potius improbare ac deteſtari mores eius ; quo ſic populum bene ſentientem de regno eius, induceret ad id quod volebat. Unde nec patrem ſuum eum vocat, ne vel hoc nomine videretur eum, quem populus meritò oderat, aliquo modo honoraſſe.

℣.9. & 10. *Et ejeciſtis Sacerdotes Domini filios Aaron, atque Levitas, & feciſtis vobis Sacerdotes, ſicut &c. Noſter autem Dominus Deus eſt, quem non relin-*
D *quimus, Sacerdoteſque miniſtrant Domino de filiis Aaron, & Levitæ ſunt in ordine ſuo. &c.* Hæc & eiuſmodi verba rectè & meritò dicere poſſumus hodie nos Catholici contra hæreticos. Noſtri enim Sacerdotes ab Epiſcopis, qui legitima ſucceſſione deſcenderunt ab Apoſtolis, & à Petro ordinati ſunt, & miniſtrant cum Diaconis in ordine ſuo, offerentes ſacrificium à Chriſto inſtitutum & in Eccleſia relictum ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæretici verò tollentes de medio hoc Sacerdotium cum ſacrificio, dicere & docere audent, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes.

℣.20. *Quem percuſſit Dominus & mortuus eſt.* Ambiguum utrum ad Abiam, an ad Ieroboam referri hoc debeat. Sed dicendum de Ieroboam hoc dici. Nam de geſtis Abiæ poſteà adhuc continuatur Hiſtoria, &
E initio ſequentis capitis de eo dicitur : *dormivit autem Abia cum patribus ſuis.* Quomodo autem Ieroboam percuſſus fuerit à Domino non legitur, neque hîc neque in libris Regum. Lyranus putat de Abia dictum hoc eſſe, & refert cauſam percuſſionis eius. Sed puto eum falli. In Hebræo ſic legitur : *Et non retinuit fortitudinem Ieroboam amplius in diebus Abiæ, & percuſſit eum Dominus & mortuus eſt.* Sanè contextus hic omnino exigit, ut illud poſtremum *& percuſſit eum Dominus, & mortuus eſt*, de Ieroboam dictum accipiatur : præſertim, quia de Abia, novo exordio ſequitur ; *Et roboravit ſe Abias, & accepit ſibi uxores.* His Græca planè conſonant.

CAPUT XIV.

℣.2. F*Ecit autem Aſa quod placitum erat in conſpectu Domini, & ſubvertit altaria peregrini cultus, & excelſa &c.* Capite ſequenti de eodem dicitur: *Excelſa autem derelicta ſunt in Iſraël.* Et 3. Regum 15. *Excelſa autem non abſtulit.* *Quæritur* quomodo ergo hîc dicitur ſubvertiſſe excelſa? Sed diſtinctione ſolvitur hic ſcrupulus. Erant enim excelſa quædam, in quibus idola colebantur; & ea dicitur Aſa hoc capite ſubvertiſſe cum reliquo cultu idolorum. At erant quoque alia excelſa, in quibus ſacrificia offerebantur uni vero Deo. Idque aliquamdiu licitum fuerat; Videlicet quamdiu arca non habuerat ſtabilem manſionem. Ædificato autem templo, erat illicitum, à piis tamen nonnullis regibus toleratum fuit, majoris mali vitandi cauſa; ne videlicet populus ad idola deflueret, vel etiam in quandam ſocordiam & neglectum cultus divini. Et de talibus excelſis dicitur, quod adhuc tempore huius regis Aſa fuerint derelicta. Eſt & alia conciliatio non improbabilis, de qua, vide annotat. c. 20. Hanc tamen quam diximus, probabiliorem facit, quod infrà c. 33. legimus expreſsè additum; *Domino Deo ſuo.* v. 17.

℣.9. *Egreſſus eſt autem contra eos Zara Æthiops, cum exercitu ſuo, decies centena millia, & curribus trecentis.* Adductus fuit hic exercitus non ex Æthiopia meridionali, ſeu Africana, quæ longiſſimè abeſt à Judæa, & in ſacris litteris vix memoratur, ſed ex Æthiopia Orientali vicina Arabiæ & Meſopotamiæ, à qua & uxor Moyſi Num. 12. vocatur Æthiopiſſa. De qua Æthiopia vide prolixè ad cap. 2. Gen. ubi agitur de paradiſo. *Myſtice* autem per hunc Zaram Æthiopem ſignificatur diabolus, ducens innumerabilem exercitum dæmonum, quia in tota ſcriptura nuſquam tantus exercitus legitur, ſicut iſte exercitus Æthiopum, & tamen fuit à Dei populo ſuperatus.

CAPUT XV.

℣.2. D*Ominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo.* Hac ſententia, aliiſque ſimilibus olim abuſi fuerunt Pelagiani, ut oſtenderent hominis ſolius eſſe, præparare ſe ad ſuſcipiendam gratiam Dei, & Deum ſolis illis ſuam infundere gratiam, qui ad eam ſuſcipiendam ſe præpararent. Contra quos rectè à Scholaſticis ex Scriptura & Auguſt. introducta eſt duplex gratia, ſcilicet præveniens & ſubſequens. Et inprimis ineptè hanc ſententiam uſurpabant Pelagiani, Nam non loquitur hic propheta de auxilio gratiæ Dei, quo cor hominis movetur ad bene operandum, ſed tantùm de auxilio illis præſtito contra hoſtes viſibiles. Itaque ſenſus eſt; *Dominus vobiſcum,* ſcilicet in iſto prælio, quo ſuperaſtis tantam multitudinem hoſtium, idque propterea, *quia fuiſtis cum eo,* id eſt, quia ad eum fuiſtis converſi per veram fidem & pœnitentiã, relictis idolis quæ coluerant patres veſtri. Si *inſtas*, an non poſſit idem de interna gratia dici? *Reſp.* poteſt, modò ſanè intelligatur, ut ſenſus ſit, propterea Deum nobis adeſſe per gratiam ſubſequentem, quia cum eo fuimus, primæ eius gratiæ diligenter cooperando. Sed ita ut fateamur etiã illam cooperationem noſtram non provenire niſi ex gratia Dei, quia Deus omne bonum opus in nobis operatur: & teſte Apoſtolo, ex nobis nihil poſſumus quaſi ex nobis.

℣.16. *Sed & Maacha matrem Aſa regis ex Auguſto depoſuit imperio.* Alij vertunt nominandi caſu. Sed & Maacha matrem (ſcilicet ſuam) Aſa rex amovit eam, ne eſſet hera ſeu domina. Vide 3. Regum 15.

CAPUT XVI.

℣.7. Q*Voniam habuiſti fiduciam in rege Syriæ; idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu*

A *tua.* Primo hîc notandum, quàm ſit Deo ingratum, ſi princeps Chriſtianus vel fœdera ambiat, vel auxilia imploret principum hæreticorum, vel infidelium. Hoc enim ſignum eſt, eum qui hoc facit, magis confidere in ſubſidio humano, quàm in auxilio Dei. Neque legimus uſquam Scripturã approbare, ut ab infidelibus ſubſidia petantur. Quod autem hîc dicitur: *idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua;* non ſic intelligendum eſt, quaſi bellum ei contra regem Syriæ fuerit (nam aſciverat eum ſibi Aſa auxiliarem contra regem Iſraël) ſed ſenſus eſt; Si fiduciam habuiſſes in Domino Deo tuo, nec advocaſſes in auxilium regem Syriæ infidelem; non tantum viciſſes regem Iſraël, ſed etiam exercitum regis Syriæ, ſi fortè regi Iſraël ferre voluiſſet ſuppetias, aut
B regnum tuum quoquo modo invadere.

℣.12. *Ægrotavit etiam Aſa dolore pedum vehementiſſimo.* Iuſte pedum dolore cruciatus eſt, qui paulò ante prophetam Domini injuſtè in nervum miſerat, quo pedes conſtringuntur, ut per quod peccaverat, per hoc & puniretur. Hebræa ſic habent: *In pedibus eius uſque ad ſupra ægrotatio eius.* Pagninus; (*uſque ad verticem*) Vatablus in ſcholio, *uſque ad ſurſum,* id eſt, uſque ad ſummam partem corporis graſſatus eſt morbus. Porrò quod additur; *Sed magis in medicorum arte confiſus eſt.* Hebraicè tantum eſt; *quia in medicis confidit.* Senſum tamen bene Hieronymus reddidit. Vatablina verſio quoque ſic habet: *Et in morbo ſuo non quæſivit Dominum, ſed medicos.* Eſt autem hic Aſa illuſtre exemplum omnibus, ne cum hæreticis certo ſibi promittant ſecuritatem. Dixit enim Scriptura de ipſo,
C capite præcedenti, quod *cor eius fuerat perfectum cunctis diebus,* ſcilicet uſque ad illud tempus; & tamen idem ille hoc capite graviſſimè increpatur à propheta, imò ipſe prophetam ſe corripientem in nervum conjicit. Ergo qui ſtat, videat ne cadat.

CAPUT XVII.

℣.7. T*Ertio autem anno regni ſui miſit (Ioſaphat) de principibus ſuis —— & cum eis Levitas —— & Sacerdotes, docebantque populum in Iuda &c.* Hoc exemplum non eo trahendum eſt, quaſi prima authoritas in rebus ad religionem pertinentibus, aut judicium de iiſdem, ad regem vel principem ſæcularem
D pertineat. Imò, quia legitur miſiſſe Levitas & Sacerdotes, ſatis illo facto ſignificavit, ad illos ex officio pertinere, tum notitiam legis, tum judicium de quæſtionibus legis, juxta illud Malach. c. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent de ore eius.* Et illud: *Si difficile & ambiguum apud te judicium, &c.* Deut. 17. v. 8. Ioſaphat ergo fecit, quod omnis pius rex & princeps tenetur facere in populo ſibi ſubjecto; ut videlicet populum contineat, non tantum in pace temporali (id quod pertinet ad principem, quatenus tantum princeps eſt ſæcularis) ſed etiam in vera religione, opera Sacerdotum; quod ad principem pertinet, quatenus eſt princeps Chriſtianus. Sic & infrà cap. 30. de Ezechia dicitur, quod miſerit in terram Iſraël nuncios, qui eis prædicarent pœnitentiam, & ut reverterentur
E ad Dominum Deum patrum ſuorum.

CAPUT XVIII.

℣.21. E*Grediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitque Dominus: Decipies & prævalebis. Egredere, & fac ita.* Quod ait, *Egredere, & fac ita;* nullo modo eſt præcipientis. Cum enim Deus ſit ſumma & prima veritas, nullo modo poteſt mendacium præcipere aut mentiri: ſed verba ſunt concedentis facultatem ſpiritui maligno id faciendi, quod facere quidem cupiebat, ſed nondum permittebatur. Quomodo etiam dictum eſt

Iudæ

Iudę proditori à Chriſto Ioan. 13. *Quod facis, fac citius.* Et hunc eſſe ſenſum, patet ex verbis præcedentibus, quibus ait ſpiritus ille: *Egrediar, &c.* q. d. Si mihi permittas, egrediar & ſuggeram mendacium omnibus prophetis Achab; ut ita decipiantur. Cum ergo ait Dominus, *Egredere*, ſignificat ſe illi dare poteſtatem, quam petebat. Hinc etiam diſcimus, diabolum contra nos nihil poſſe, neque in errorem inducendo, neque ad peccatum pertrahendo, niſi permittatur à Deo; Deum autem hoc permittere propter peccata hominis præcedentia. Vide etiam 3. Reg. 22.

CAPUT XIX.

℣. 2. **I***Mpio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris.* Poſterior pars complementum eſt & explicatio prioris. Nam multis caſibus licitum eſt impiis benefacere, imò tenemur omnes diligere, etiam impios; modo eis in malo non ſociemur, aut ullo modo concœderemur. Monet ergo hic locus, ne principes Chriſtiani & Catholici contrahant amicitias, aut ineant fœdera cum hæreticis. Nam & cap. ſeq. Ioſaphat à Deo punitur contritione avium ſuarum; quod fœdus iniiſſet cum impio Ochozia.

℣. 8. *In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Levitas & Sacerdotes.* Videri hinc poſſet quod tempore veteris teſtamenti Sacerdotium ſubiectum fuiſſet regiæ poteſtati. Sed contrarium ſatis apparet ex verbis Ioſaphat ſubiectis, quibus ait; *Amarias Sacerdos & Pontifex veſter, in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmaël, qui eſt dux in domo Iuda ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.* Senſus igitur eſt, *conſtituit*, id eſt, curavit conſtitui, nempe per ſummum Sacerdotem Amariam. Item *præcepit*, id eſt, cum authoritate dixit, quia verbum principis habet pondus & authoritatem, etiamſi propriè non præcipiat. Itaque ſenſus eſt, quod eos ſeriò & graviter admonuerit ſui officij.

CAPUT XX.

℣. 11. **A***Marias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias filius Iſmaël, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent.* Ex hac diſtinctione ex ore ipſius regis prolata manifeſtum eſt, aliud eſſe officium regis, aliud Sacerdotis, etiam tempore veteris teſtamenti; & per conſequens, abſurdiſſima eſt hæreticorum noſtri temporis ſententia, qua ſuis principibus aſſentantur, cum dicunt unumquemque regem & principem eſſe caput Eccleſiæ in ſua ditione. Quod ſi ita eſſet, jam non eſſent hæc planè diſtincta officia, ſed Sacerdotale regio ſubordinatum.

℣. 20. *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis.* Inferet aliquis, Igitur fides ſecurum facit? *Reſpond.* facit fides ſecurum, de eo quod divinitus revelatum eſt. Erat autem tunc populo revelatum per prophetam, quod victoriam reportaturi eſſent ab hoſtibus. Hoc igitur credere debebant, & de eo ſecuri eſſe: Sic mulier peccatrix, & paralyticus, quibus revelatum fuit peccata ipſorum eſſe dimiſſa, ipſo Chriſto hoc eis affirmante, credere id debuerunt: quibus autem hoc revelatum non eſt, id credere firma fide non debent, ſed cum timore & tremore ſalutem ſuam operari, & dicere cum Apoſtolo 1. Corint. 4. (ſi fortè confidant ſe eò perveniſſe) *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Interim & cum alio Apoſtolo dicentes; *Si cor noſtrum non arguat nos; fiduciam habemus apud Deum.* 1. Ioan. 3.

℣. 33. *Verumtamen excelſa non abſtulit.* Idem ſuprà cap. 17. dicitur excelſa, & lucos de Iuda abſtuliſſe. Sed vide annot. cap. 14. ubi de Aſa rege, ſimilis quædam

A antilogia & in ſpeciem contradictio, tollitur; videlicet, quod abſtulit excelſa conſtituta falſis diis; reliquit autem adhuc excelſa conſtituta vero Deo. Alij etiam ſic intelligunt, quod initio regni excelſa abſtulit, ſed cum iterum plebe abeunte in ſuperſtitionem, erecta eſſent; connivente rege manſerint. Et huic ſenſui favere videtur quod Eccleſiaſtici 49. inter pios reges, & cultus divini perpetuos obſervatores, non connumeretur. De qua re vide eius loci annot.

Videtur etiam ſic non ineptè poſſe intelligi; Abſtulit excelſa, ſed non abſtulit omnino, quia quibuſdam locis ſuſtulit, verum aliis quibuſdam locis per conniventiam, aut metuens invidiam reliquit. Vel ita; Abſtulit, quia cœpit auferre: non abſtulit, quia benè inchoatum opus non perfecit.

B

CAPUT XXI.

℣. 6. **A***Mbulavitque in viis Regum Iſraël, ſicut egerat domus Achab.* Deinde addit cauſam Scriptura: *Filia quippe Achab erat uxor eius.* Hæc erat Athalia peſſima mulier, propter quam tres reges poſt Ioram ſuccedentes ſubtracti ſunt ex genealogia Chriſti, quemadmodum teſtatur Hieronymus, quia ut inquit ille, Ioram generi ſe miſcuerat impiiſſimæ Iezabelis; idcirco uſque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in ſanctæ nativitatis ordine poneretur. Notandū itaque hîc quod ideo dicatur Ioram impiè egiſſe, quia uxor eius erat filia Achab: quo exemplo rurſum
C docemur, tanquam peſtem fugienda eſſe Catholicis connubia cum hæreticis. Plerumque enim illud evenit quod Scriptura teſtatur, ubi hæc eadem de Salomone commemorat; *Certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos eorū* 3. Reg. 11. vide annotata ibidem. Sed dubitationem habet, quomodo hîc dicatur filia Achab, cum capite ſequenti vocetur filia Amri, qui fuit pater Achab? *Reſp.* quidam, fuiſſe illam filiam Achab non natura, ſed educatione, quia eam apud ſe Achab educaſſet ut filiam, quæ revera erat ſoror. Sed magis conſonum eſt Scripturæ ſacræ, ut dicatur fuiſſe genita ex ipſo Achab & Iezabele. Nam alioqui non fuiſſet ex ſanguine Iezabelis, quod tamen D. Hieronymus præſupponit in 1. cap. Matthæi, verbis ſuprà citatis. Dicitur autem capite ſequenti filia Amri, quia filij eius fuit. Qui modus loquendi in Scriptura eſt uſitatiſſimus. Et
D eodem illo capite, ſcilicet proximè ſequenti, idem dicitur de Ochozia nepote Ioſaphat interfecto; *Et ſepelierunt eum, eo quod eſſet filius Ioſaphat*, cum tamen non eſſet niſi eius nepus ex filio.

℣. 12. *Allatæ ſunt ei litteræ ab Elia propheta.* Omnino apparet has litteras ſcriptas eſſe poſt mortem Ioſaphat, regnante jam eius filio Ioram, ad quem, ut regem deſtinantur. Hebræi dicunt eas ſcriptas eſſe ſpiritu prophetico ab Elia antequam transferretur, & concreditas Eliſæo, ut ſuo tempore eas Ioram regi traderet. Sed cum conſtet Eliam tranſlatum eſſe, vivente adhuc Ioſaphat, & Ioram nondum rege exiſtente; veriſimilius eſt, eas litteras ſcriptas eſſe poſt raptum, ex eo loco, in quem angelico miniſterio tranſlatus eſt Elias. Atque
E hinc etiam oſtenditur, ſanctos ex hominum converſatione ſublatos, adhuc curare res noſtras.

CAPUT XXII.

℣. 2. **Q***Vadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet.* 4. Regum 8. ſic legitur: *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet.* Sic & hoc loco habent quidam codices 70. interpretum. Verùm quia omnia Latina conſentiunt in numerum quadraginta duorum annorum, atque etiam Hebræa: dicendum videtur in numero illo quadraginta duorum annorum, computari etiam annos,

annos, quibus cum patre Ioram regnavit. Vide etiam 4.Reg.8.

Athalia filia Amri. Quomodo eadem dicatur filia Achab c. præced. Vide ibi explicatum.

CAPUT XXIII.

℣.11. E*T eduxerunt filium regis, & impoſuerunt ei diadema, & teſtimonium, dederuntque in manu eius tenendam legem.* Verba illa poſtrema (*dederuntque in manu eius tenendam legem*) neque ſunt in Hebr. neque in pleriſque M.S. Latinis. Et omnino veriſimile eſt, illa addita eſſe ad explicandum vocabulum præcedens (*teſtimonium.*) Illud enim vocabulum variè explicatur. Quidam ſimpliciter intelligunt ornamentum regium, id eſt, veſtes regias, quibus Ioiada teſtaretur univerſo populo hunc eſſe regem; junguntur enim hæc duo (*diadema & teſtimonium.*) Sed quia nuſquam legimus habitum regium vocari teſtimonium, omnino videtur plus aliquid ſignificari. Unde author tradit. Hebraicarum per *teſtimonium* intelligit phylacteria, in quibus decem verba legis erant deſcripta. At denique, rectius, ut apparet, ipſam legem, ſeu legis volumen regi in ſua inauguratione in manus traditum intelligimus, prout in textu ipſo adiectum eſt.

℣.16. *Pepigit autē Ioiada fœdus inter ſe, univerſumque populum, & regem, ut eſſet populus Domini.* Duplex hic fœdus indicatur, unum quod initum eſt inter Deum ex una parte, & populum & regem ex altera parte; & quia Sacerdos ſuſtinet perſonam Dei, ideo dictum eſt quod Ioiada pepigerit fœdus intèr ſe & populum cum rege. Id enim perinde eſt, ac ſi diceret, inter Deum & populum. Nam Sacerdos erat loco Dei. Unde etiam additur: *ut eſſet populus Domini.* Alterum fœdus initum eſt inter populum ex una parte, & regem ex alia; per quod fœdus rex erat obligatus juſtè & ſecundum legem Dei populo præeſſe: populus autem eidem obedire. Et utrumque hoc fœdus reperiri debet in omni republica. Niſi enim ſit fœdus tale intèr principem & populum, non erit omnino reſpublica, ne quidem terrena & ſæcularis. Si autem non ſervetur fœdus inter Deum & populum cum rege: jam non erit reſpublica Chriſtiana, & talis quæ ad cœleſtem patriam deſtinetur.

CAPUT XXIV.

℣.17. P*Oſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda, & adoraverunt regem. Qui delinitus obſequiis eorum acquievit eis.* Tradunt Hebræi, principes dixiſſe eum dignum divino honore, quod ſex annis enutritus fuiſſet in templo Domini, illeque aſſentationes paſſus ſit; ut poſteà Herodes, acclamante ei populo Act.12. *Voces Dei & non hominis.* Poteſt nihilominus de ſimplici honore intelligi, ſed copioſo, quo delinitus ſit regis animus, ut eum principes ad cultum idolorum pertraxerint. Nam immediatè ſubditur: *Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum ſuorum, ſervieruntque lucis & ſculptilibus.*

℣.22. *Qui cum moreretur, ait; Videat Dominus & requirat.* Ex Hebræo verti poteſt per futurum: *Videbit Dominus & requiret.* Hebræi enim carentes tertia perſona imperativi; eam exprimunt per futurum indicativi. Proinde poſſent etiam hæc verba accipi tanquam prænunciativa. Nam paulò ante dicitur de eodem Zacharia; *Spiritus Domini induit Zachariam.* Si autem accipiantur, ut ſint imprecatoria (quod veriſimilius eſt) intelligenda ſunt, ut juſtam vindictam ſuis interfectoribus imprecetur, non quidem ex privato appetitu vindictæ, ſed zelo & amore juſtitiæ divinæ. Sic & Apoſtolus de Alexandro ærario: *Reddat illi Dominus.* 2. Timoth. c.4.

CAPUT XXV.

℣.3. I*Ugulavit ſervos qui occiderant regem patrem ſuum.* Præcedenti capite dicitur, quod ſervi illi inſurrexerint contra Ioas in ultionem ſanguinis filij Ioiadæ Sacerdotis. *Quæritur* ergo, an juſtè hi fuerint occiſi? Et *reſpondetur* quod ſic, quia tametſi ultio illa juſta fuerit ex parte Ioas, qui innocentem prophetam occidi juſſerat; non tamen ex parte hominum, qui necem intulerant; quia non habebant authoritatem occidendi regem. Veriſimile etiam eſt eos ex ſeditione magis, quàm ex zelo regem occidiſſe. Dicuntur autem capite præcedenti ſurrexiſſe contra regem, in ultionem ſanguinis filij Ioiadæ, nempe propter intentionem Dei, qui hac ratione voluit vindicare innocentem necem prophetæ: Et eodem modo hoc dicitur, ſicut Titus & Veſpaſianus dicuntur evertiſſe Ieroſolymam, ad vindicandam mortem Chriſti.

℣.7. Cum Rex Juda conduxiſſet de Jſraël centum millia hominum, centum talentis argenti, dixit ad eum homo Dei: *O rex ne egrediatur tecum exercitus Iſraël: non eſt enim Dominus cū Iſraël, & cunctis filiis Ephraim.* Deus non erat cum Jſraël, id eſt, cum populo decem tribuum, quia dereliquerant cultum Dei, & colebant vitulos aureos aliaque idola. Nominat autem peculiariter filios Ephraim, quia illa erat tribus regia inter decem tribus, & ex ea fuerat Ieroboam qui primus vitulos aureos erexerat. Hic locus docet, inconſultum, atque adeo illicitum eſſe principibus Chriſtianis, ut vel ex hæreticis, vel infidelibus quibuſcumque exercitum conſcribant, aut militem ſubſidiarium petant. Manifeſta ratio eſt, quia qui talia ſubſidia requirit, ſignificat ſe magis fidere in multitudine hominum, quàm in auxilio Dei. Unde dicitur huic regi: *Quod ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere; ſuperari te faciat Deus ab hoſtibus.* Non ergo reprehenditur quod copioſum collegerit exercitum, ſed quod ex talibus, quæ res diffidentiæ cuiuſdam in Deum erat argumentum.

℣.16. *Scio quod cogitaverit Deus occidere te.* Vixit quidem adhuc annis quindecim poſt mortem ſui victoris, ſed tamen tandem interfectus eſt in Lachis, ut in fine capitis dicitur.

℣.17. *Veni videamus nos mutuo.* Verba ſunt provocantis ad prælium. Sic 4. Reg. c.23. *Abijt rex Ioſias in occurſum eius, & occiſus eſt in Mageddo, cum vidiſſet eū,* id eſt, cum acie eſſet congreſſus. Sic & infrà intelligendum eſt, quod dicitur: *Et mutuos ſibi præbuere conſpectus.* v.21.

Cauſam huius belli non aperit ſcriptura, licet tamen divinare cauſam eius fuiſſe injuriam, quam populo Iuda intulerant milites decem tribuum ab Amaſia dimiſſi, qui diffuſi in civitatibus Iuda, & interfectis tribus millibus diripuerunt prædam magnam. Vindicare enim hanc injuriam in ſuis ſubditis debuerat rex Iſraël. Quod ſi facere requiſitus neglexit aut recuſavit; juſta videtur fuiſſe adverſus eum occaſio belli. Nec tamen victoriam dedit Deus Amaſiæ, quamvis juſtum bellum gerenti, quia, ut dicit Scriptura, Domini voluntas erat, ut traderetur in manus hoſtium propter deos Edom.

℣.24. *Nec non & filios obſidum reduxit in Samariam.* 4.Reg.14. dicitur reduxiſſe obſides. Sed idem ſignificatur; dicuntur enim phraſi Hebraica, filij obſidum, ipſi obſides, quaſi genus certum hominum. Unde & utroque loco in Hebr. legitur eodem modo (*filios arrhabonum.*) Videntur autem hi obſides, ſeu arrhabones dati fuiſſe regi Iſraël pridem à rege Iudæ, ne rex Iuda temerè bellum moveret regi Ilraël.

CAPUT XXVI.

℣.3. E*T exquiſivit Dominum in diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum.* Quidam opinantur hunc Zachariam fuiſſe filium Ioiadæ Sacerdotis.

C A-

Sed manifeſtum eſt eos falli, Nam Zacharias ille multo A ante occiſus erat (ut patet ex cap.24.) quàm Ozias regnare cœpit. Proinde rectius alij intelligunt illius Zachariæ filium, itidem Zachariam vocatum Patris nomine, ſive quod poſthumus natus ſit, ſive alia de cauſa. Quod autem additur: *Intelligentis & videntis*, ſignificat illum peritum fuiſſe in videndis & dijudicandis viſionibus divinis. Hebr. eſt: *Intelligentis in viſionibus Dei*. Apud 70. *Intelligentis in timore Domini*.

℣.17. *Et cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortiſſimi*. *Fortiſſimi*, non corpore, ſed animo, id eſt, conſtantes & intrepidi ad avertendum monitione ſeu increpatione ſua regem, ne rem illam ſibi illicitam faceret. Non enim tanto erant numero ut pugnarent contra regem; hoc enim ſtultum fuiſſet, cum regis potentia eſſet longè major; nec fas eis fuerit arma con- B tra regem, etſi graviter peccantem, corripere.

℣.18. *Non eſt tui officij Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum*. Locus meritò notandus, contra eos qui adulatoriè permiſcent officium Sacerdotis cum officio principis; dicentes unumquemque principem in ditione ſua pro arbitrio poſſe diſponere de religione & cultu divino, eiuſque ceremoniis. Sed hîc contrarium liquet, nam apertè diſtinguitur officium Sacerdotum & officium regis; & dicitur, quod offerre incenſum ſeu thymiama, ac proinde, & alia quæ religionis ſunt curare, ad eius officium non ſpectet; ac per conſequens non poſſit ex authoritate ſe rebus ſacris immiſcere, ſed tanquam filius Eccleſiæ, eidem & Deo ſubſervire.

℣.23. *Et ſepelierunt eum in agro regalium ſepulchrorum, eò quod eſſet leproſus*. 4. Reg. c.15. legitur ſepultus cum majoribus ſuis in civitate David. Sed nulla eſt C repugnantia, quia ſepultus eſt, non quidem intra ſepta ipſa regalium ſepulchrorum, ſed extra in agro, qui tamen intra civitatem David, id eſt, intra arcem Sion, continebatur.

CAPUT XXVII.

℣.2. **E**Xcepto quod non eſt ingreſſus templum Domini. Hoc in laudem Ioatham dicitur, ſicut in vituperiū Oziæ capite ſuperiori dictum eſt, quod ingreſſus templum Domini adolere voluit &c. Proinde hîc ſubaudiendum quod ibi expreſſum, nempe, ut adoleret incenſum Domino; vel templum Domini ponitur pro eo D quod propriè templum Domini vocabatur; nempe pars templi ſecretior, in qua adolebatur incenſum, in quam ſolis Sacerdotibus ingredi licebat, ſicut ſoli ſummo Sacerdoti in Sanctum Sanctorū. Unde & Luc.1. Zacharias dicitur ingreſſus templum ut incenſum poneret; omnis verò multitudo populi foris ſtetiſſe hora incenſi. Et apud Hebræos diverſis nominibus appellantur partes illæ templi; nempe Sanctum Sanctorum, Sanctuarium, & atrium templi. *Et adhuc populus delinquebat*. Scilicet immolando in Excelſis, ut expreſſum eſt lib.4. Regum cap.15. Et hæc ſcilicet eſt cauſa, cur Ioatham, de quo nihil aliud reprehenſione dignum legitur, non connumeretur Eccleſ.49. inter reges Juda meliores.

℣.3. *Ipſe ædificavit portam domus Domini excelſam*. E Vide Annot. 4. Reg.15.

CAP. XXVIII.

℣.10. **I***Nſuper filias Iuda & Ieruſalem vultis vobis ſubjicere in ſervas & ancillas*. Jure quidem belli licet hoſtes juſto bello ſuperatos in ſervitutem redigere: ſed primum apparet bellum illud non fuiſſe juſtè illatum populo Juda à populo Jſraël. Deinde aliquando aliquid juſtum eſt juſtitia particulari, quæ reddit unicuique quod ſuum eſt, ſed non juſtitia generali, quæ etiam miſericordiam & clementiam requirit, maximè in fratres & ſocios religionis. Unde meritò hic reprehenſi ſunt qui fratres ſuos captivos in ſervitutem redigere voluerunt. Stando autem in lege naturæ, non videtur illicitum, ut qui eiuſdem ſunt veræ religionis, alij alios ſervos habeant. Nam & lex Moyſi id concedit: *Si quis habuerit ſervum Hebræum, &c.* Et olim Chriſtiani Chriſtianos ſervos habuerunt; neque dominus jus ſuum in ſervum amittit, ſi fortè ex gentili Chriſtianus fiat. Rectius tamen Chriſtiani imperatores poſteà ſanxerunt ne Chriſtiani Chriſtianos in ſervitutem redigerent, aut ſervos haberent, idque propter indecentiam, cum Chriſtiani omnes & fratres inter ſe, & eiuſdem patris filij per religionem habendi ſint.

℣.15. *Apprehendentesque captivas, omneſque qui nudi erant, veſtierunt eas, cumque veſtiſſent eos — & refeciſſent eos cibo & potu, adduxerunt Iericho*. Hoc exemplo B admonentur Chriſtiani principes, ne ferociter abutantur victoriis, contra alios Chriſtianos; etiamſi fortè propter peccata meruerint affligi. Nam & populus Juda propter peccata ſua & regis ſui hanc afflictionem meruerat, & tamen reprehenduntur filij Jſraël quod erga eos inclementius egiſſent, & admonentur ut clementer eos tractent. Et in genere notandum quod ſicut Deus, qui juſtiſſimus eſt, aliquando vindicat in hominum peccata per diaboli miniſterium, cuius ſemper eſt injuſta & perverſa voluntas, ita ſæpe peccata hominum punit per malam & injuſtam voluntatem aliorum hominum, idque ſæpiſſimè accidit in bellis. Unde non ſequitur; Hic homo, aut hic populus peccavit, aut inſignem plagam meruit; ergo alius homo vel princeps, per quem Deus C peccata illa punit, benè & juſtè facit. Sic enim ſequeretur & Diabolum juſtè facere affligendo homines. Nam per illum quoque ſæpe Deus homines punit.

℣.19. *Humiliaverat enim Dominus Iudam propter Achaz regem Iuda, eo quòd nudaſſet eum auxilio, & contemptui habuiſſet Dominum*. In Hebræo eſt: *Propter Achaz regem Iſraël*. Sic aliquando nominat Scriptura reges Juda, eò quòd in Juda primum fuerit regnum ſuper univerſum Jſraël. Alij putant eum vocari regem Jſraël, quia imitatus erat peccata regum Jſrael. Quod ſequitur: *Eo quod nudaſſet eum auxilio*, quidam ad Deum referunt, qui nudaverat Achaz ſuo, id eſt, divino auxilio. Sed contextus manifeſtè requirit ut ad Achaz referatur, quia ſequitur: *& contemptui habuiſſet Dominum*. Achaz igitur nudavit populum auxilio Dei D propter ſua peccata, vel, ut alij exponunt, nudavit eum bonis operibus; vel, quod in idem recidit, nudavit eum cultu unius veri Dei, id eſt, populum ab unius Dei cultu avocavit.

℣.23. *Et dixit, Dij regum Syriæ auxiliantur eis, quos ego placabo hoſtiis, & aderunt mihi, cum è contrario ipſi ruina fuerint ei, & univerſo populo Iſraël*. Verba ſunt Achaz qui ſtultiſſimè à diis Syriæ auxilium expectabat. Porrò poſteriorum verborum iſte eſt ſenſus; non quod illi Dij ruinæ fuerint Iſraelitico populo, adjuvando Syros, aut pugnando contra Iſrael, nam idolorum nulla eſt virtus: ſed fuerunt Iſraëli ruinæ objectivè; quatenus ſcilicet Achaz eos colendo meruit ruinam ſui & populi. E

CAPUT XXIX.

℣.3. **I***Pſe anno & menſe primo regni aperuit valvas domus Domini & inſtauravit eas*. Pridem legebatur ſexto caſu (*ipſo anno*.) Sed rectè Biblia Sixtina reſtituerunt nominativum (*ipſe*) ſcilicet ſuppoſitum verborum ſequentium. Et ſenſus eſt, quod ipſe Ezechias mox initio ſui regni, animum adjecerit ad cultum Dei reſtituendum: cuius pietas tanto etiam magis fuit commendanda, quod cum impiiſſimum habuiſſet patrem Achaz, ipſe tamen eius exemplo non fuerit depravatus. Nam, ut D. Gregorius teſtatur in Job, non admodum laudabile eſt bonum eſſe inter

inter bonos, ſed hoc maximi meriti eſt, bonum eſſe inter malos. Hic etiam notandum quàm magnum ſit Dei beneficium erga populum aliquem, quod præficiat ei bonum, pium ac religioſum principem. Plerumque enim fit ut populus quoad religionem ſequatur exemplum ſui principis aut regis. Id declarant tot exempla regum Juda & Iſrael, in quibus ferè ad nutum, & voluntatem Regum, legimus religionem in populo eſſe mutatam.

℣.15. *Et ingreſſi ſunt juxta mandatum regis, & imperium Domini.* Non hinc cõſequens eſt regiam poteſtatem fuiſſe ſuprà ſacerdotalem. Neque enim intelligitur mandatum propriè dictum (nam aliud eſſe officium regis aliud Sacerdotum, maniſeſtiſſimè patet ſuprà c.26.) ſed mandatum hîc vocatur ſignificatio voluntatis ſeu deſiderij facta ab homine habente authoritatem: cuius poteſtas etiamſi ad hoc præcipiendum ſe non extendat, tamen declaratio voluntatis eius tanti fit, ut ei non facilè contradicatur, nec contradici debeat in rebus piis & juſtis. Et hoc modo etiam legimus in hiſtoriis, Imperatores, Conſtantinum M. & Carolum M. atque alios juſſiſſe congregari ſynodos, & de reformatione Eccleſiæ vel etiam dogmatibus fidei ab Epiſcopis tractari; quia nimirum hoc volebant fieri, & ut fieret, ſua authoritate urgebant, facile conſentientibus piis Epiſcopis; ut hac ratione nemo rei honeſtę obſiſtere auderet.

℣.21. *Et hircos ſeptem pro peccato.* Legimus Levitici 4. præceptum eſſe ut pro peccato principis offeratur unus hircus. Item pro peccato Sacerdotis unus vitulus. Quomodo ergo hîc lex ſervata eſt, offerendo ſeptem hircos pro peccato? *Reſpondeo* legem ſic præſcribere unum hircum offerendum, ut non prohibeat quo minus plures offerri poſſint pro peccato: imo tanta poſſet præceſſiſſe peccatorum multiplicatio, ut plures etiam offerri deberent, ſicut accidit in propoſito. Nam Ezechias propter graviſſima peccata regis præcedentis &] principum ac totius populi; quæ ſanè multiplicia fuerant, etiam hoſtiam pro peccato multiplicare voluit. Quod additur, oblatam hoſtiam pro ſanctuario, intelligendum de Sacerdotibus & Levitis in ſanctuario miniſtrantibus, pro quorum peccatis etiam fuerunt hoſtiæ oblatæ.

CAPUT XXX.

℣.2. I*Nita conſilio regis & principum & univerſi cœtus Ieruſalem, decreverunt ut facerent phaſe menſe ſecundo.* Exodi 12. præcipit Dominus celebrari ſolemnitatem azymorum decima quinta menſis primi ad veſperam, Sed lex illa admittebat diſpenſationem, quæ diſpenſatio etiam in ipſa lege expreſſa eſt. Nam Num. 9. v. 6. 7. & ſeq capite cum quidam immundi ſuper anima hominis, ut ſcriptura ibi loquitur, non poſſent cum reliqua multitudine facere phaſe die & menſe conſtituto; Moyſes pro eis conſulens Dominum, reſpondet, eos debere differre celebrationem phaſe in diem decimum quartum menſis ſecundi. Quod ibi ergo de paucis dicitur; hoc rectè iſto loco transfertur ad totam multitudinem, idque propter cauſas in textu allegatas, quarum una erat, quia templum Dei non erat repurgatum ante diem decimum ſextum menſis primi: Secunda, quia Sacerdotes qui poſſent ſufficere ad immolationem hoſtiarum non erant ſanctificati: Tertia, quia populus nondum erat congregatus in Jeruſalem, extra quem locum nefas erat phaſe immolari.

℣.10. *Igitur curſores pergebant velociter per terram Ephraim & Manaſſe uſque ad Zabulon, illis irridentibus & ſubſanantibus eos. Attamen quidam ex Aſer & Manaſſe &c.* Quin infrà v. 18. additur: *Magna etiam pars populi de Ephraim & Manaſſe &c.* Ubi notandum, quod Nephtalim tamen non nominetur. Nam & Tobiæ 1. dicitur, qui erat ex tribu Nephtali quod ipſe ſolus ex ea tribu pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, reliquis omnibus euntibus ad vitulos aureos.

℣.18. *Magna pars populi quæ ſanctificata non fuerat comedit phaſe, non juxta quod ſcriptum eſt, & oravit pro eis Ezechias.* Hinc oſtenditur, quod purgationum legalium ceremoniæ in neceſſitate omitti potuerunt. Erat quidem indultum Num. 9. ut qui primo menſe phaſe celebrare non poſſet, differret iſtud licitè in menſem ſecundum; ſed de tertio menſe nihil Deus declaraverat. Orat ergo Ezechias, ut Deus non indignetur, quod quidem etſi non, ut oportebat purgati, aut ſanctificati, celebrarent phaſe; maximè quia etſi fortè in tertium menſem illorum paſcha rejicere voluiſſet, videbat id fieri non poſſe, niſi cum maximo incommodo eorum, qui de longinquo Jeroſolymam ad celebrandum paſcha venerant.

℣.27. *Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ benedicentes populo, & exaudita eſt vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum ſanctum cœli.* In poſtremis verbis, *pervenitque &c.* Figurata eſt locutio, qua nihil aliud ſignificatur, quàm quod oratio Sacerdotum exaudita fuerit à Deo: qui quidem ubique eſt ſecundum divinitatis præſentiam, ſed peculiariter in cœlo eſſe & habitare dicitur, propter gloriæ ſuæ repræſentationem. Ibi enim beatis illis ſpiritibus gloriam ſuam exhibet. Hîc etiam diſcimus duo; nempe ad Sacerdotum officium pertinere, ut populo benedicant, id eſt, benè precentur, & Dei gratiam ſuper illos implorent; Tum etiam illud, quod ſic benedicentes populo, à Deo exaudiantur, idque juxta divinam promiſſionem factam Num. 6. ubi de Sacerdotibus dicitur: *Invocabuntque nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego benedicam eis.*

CAPUT XXXI.

℣.4. P*Ræcepit etiam populo habitantium Ieruſalem, ut darent partes Sacerdotibus, & Levitis, ut poſſent vacare legi Dei.* Præceptum hoc Ezechiæ regis de decimis, & primitiis, non novum præceptum fuit, ſed tantùm renovatio præcepti divini. Nam Dominus in lege præceperat Sacerdotibus primitias, & Levitis decimas dari. Sed quia multo tempore propter populi averſionem à cultu Dei, id erat neglectum; ideò rex pius ſuo edicto in uſum revocavit. Ratio autem, & finis præcepti adjungitur his verbis: *Ut poſſent vacare legi Dei*, id eſt, miniſterium ſuum à lege præſcriptum exequi, ſive docendo, ſive ſacrificia offerendo, ſive aliis templi miniſteriis vacando. Hinc etiam Gen. 47. legitur, quod & ipſi idololatræ Sacerdotes Ægyptiorum, tempore famis non fuerint compulſi vendere poſſeſſiones ſuas, eo quod ex publico alebantur. Ex quibus colligitur, apud Chriſtianos quoque jus decimarum & ſimilium, miniſtris Eccleſiæ competere, non ex humana conſtitutione, neque ex ſolo præcepto poſitivo legis divinæ; verùm etiam ex lege naturali, ad quam lex poſitiva tantùm addit certum modum & determinationem. Nempe juſtum eſt ex lege naturæ, ut qui communitati miniſtrat, ab eadem ſuſtentationem accipiat. Miniſterium autem Sacerdotum & totius cleri, non propter ipſum conſtitutum eſt, ſed pro ſalute totius populi. Confer. 1. Eſdr. 7. v. 24.

℣.8. *Benedixerunt Domino ac populo Iſraël.* Benedicere Domino, eſt eum laudare, & gratias agere pro acceptis beneficiis. Quod autem leguntur benedixiſſe populo, dupliciter intelligi poteſt. Vel quod populo pro liberalitate ſibi exhibita, gratias egerint, eumque collaudaverint, quod tam abundanter contuliſſent in opus miniſtrorum Dei: Vel quod populo propter eandem liberalitatem fuerint bene precati, id eſt, Dei gratiam & favorem ſuper populo imploraverint. Quæ res, quem uſum, & fructum habeat; Vide capite præcedenti, v. 27.

CAPUT XXXII.

℣.7. **N** *Olite timere, nec paveatis regem Aſſyriorum — multa enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo*. Hoc duobus modis intelligi poteſt. Uno modo, ut ſenſus ſit: Deus nobiſcum eſt, qui unus potentior eſt, quàm omnis adverſariorum exercitus; & ita ſenſus erit, multo plures, ſcilicet valore, non numero. Hunc ſenſum indicant verba ſequentis: *Cū illo eſt brachium carneum, nobiſcum Dominus Deus noſter*. Alio modo intelligi poteſt, ut de exercitu Angelorum loquatur. Pro hoc ſenſu facit quod poſteà angelus Domini occiderit de exercitu illo centum octoginta millia. Quamvis enim totus Angelorum exercitus ad hujuſmodi miniſterium ſemper ſit paratus, unius tantùm Angeli potentia ad hoc ſufficiebat. Et ſimili ſententia dictum eſt ab Heliſęo ad puerum ſuum 4. Regum 19. *Noli timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis*, & oſtendit ei montem plenum equorum & curruum igneorum, per quos ſignificabatur exercitus cœleſtium ſpirituum. Quod autem hic fuerit bonus Angelus, patet, quia Iſaias c. 37. vocat eum Angelum Domini, quomodo etiam vocatur 4. Regum 19. & Eccleſiaſtici cap. 48.

℣. 31. *Dereliquit eum Deus, ut tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde ejus.* Hic locus oſtendit Deo deſerente, id eſt gratiam non dante, hominem non poſſe ſuperare tenestionem, non ita tamen ut neceſſario in illud peccatum incidat ad quod tentatur: (fieri enim poteſt ut tentatio tentatione repellatur, ſicut clavus clavo pellitur) ſed ita ut ab ea ſalubriter & ſecundum Deum, ſine Dei gratia ſe expedire non poſſit. Quod autem additur; *Et nota fierent omnia quæ erant in corde ejus*, non intelligitur, ut Deo innoteſcant, qui omnia novit etiam antequam eveniant; ſed ut nota fiant ipſi homini, cui occulta cordis ſui frequenter ignota ſunt. Deinde, etiam aliis hominibus, quibus per experientiam innoteſcat de proximo qualis ſit. Hinc probari etiam poteſt ille commentarius verborum Dei ad Abraham Gen. 22. *Nunc cognovi quod timeas Deum*, id eſt, cognoſcere te feci.

CAPUT XXXIII.

℣.11. **S** *Uperinduxit eis principes regis Aſſyriorum, ceperuntque Manaſſem, & vinctum catenis duxerunt in Babylonem.* *Quæritur* quomodo in Babylonem; cum eo tempore rex Aſſyriorum non videatur Babylonem obtinuiſſe? Videantur hiſtoriæ. Fortè dici poteſt per regem Aſſyriorum intelligi regem Chaldæorum ſeu Babyloniorum, eo quod ipſe ſub idem tempus regnum Aſſyriorum occupaverit. Porrò quod hic commemoretur Manaſſes in carcere pœnitentiam egiſſe, cujus in 4. Regum, nulla eſt mentio, mirum non eſt. Ideò enim vocantur hi libri paralip. id eſt, prætermiſſorum, quod ſpiritus ſanctus, ſicut multa alia ibi prętermiſſa, ita & pœnitentiam Manaſſis, ad conſolationem peccatorum, hîc ſuppleverit.

℣. 17. *Attamen adhuc populus immolabat in excelſis Domino Deo ſuo.* In Hebræo etiam dicitur expreſſius, (*duntaxat Domino Deo ſuo*) ne quis ſuſpicetur Manaſſem poſt pœnitentiam ſuam, & reſtitutionem in regnum, permiſiſſe, ut populus idolis ſacrificaret. Nihilominus & in excelſis Deo ſacrificare poſt ædificatum templum peccatum aliquod erat, ut explicatum eſt ſuprà c. 14. & 20. hujus libri. Atque ideò ſc. dicitur; *Attamen adhuc populus immolabat in excelſis, &c.*

℣.18. *Reliqua geſtorum Manaſſæ & obſecratio ejus — continentur in ſermonibus regum Iſraël.* Nullo modo per ſermones regum Iſraël intelligi poſſunt libri regum, qui hos præcedunt. Nam ibi de pœnitentia Manaſſæ ſeu obſecratione ejus ad Deum, nulla eſt mentio. Intelligendus eſt ergo liber aliquis qui in captivitate Babylonica perierit; & poſteà per Eſdram non eſt reſtitutus. Deinde, nec oratio illa Manaſſæ, cujus hîc mentio fit, ea eſt (ut videtur) quæ poſt finem hujus
A libri poni ſolet, & nunc in calcem à Sixto Papa rejecta eſt; Nam ea oratio non habetur in ſcriptura canonica, neque etiam invenitur in Hebræo. Quæ autem hîc citatur; ſi extaret, omnino veriſimile eſt, quòd in canonicam ſcripturam fuiſſet recepta.

℣.20. *Et ſepelierunt eum in domo ſua.* 4. Regum 21. legitur (*in horto domus regiæ.*) Significatur, quod populus non fuerit eum dignatus honore ſepulchri regum; quia, licet pœnitentiam egiſſet, tamen peccato ſuo provocaverat iram Dei grandem ſuper univerſo populo, ut habetur dicto loco 4. Regum 21. eamque irrevocabilem uſque ad populi captivitatem. Repleverat enim, ut ibidem dicitur, Ieruſalem ſanguine prophetarum uſque ad os; inter quos etiam Iſaiam ſerra medium
B ſecuit.

℣.22. *Fecitque* (Amon) *malum in conſpectu Domini, & cunctis idolis quæ Manaſſes fuerat fabricatus, immolavit, atque ſervivit.* *Quæſtio* oritur, quomodo ergo fuerit vera pœnitentia Manaſſæ, ſi idola à ſe facta non deſtruxit? *Reſpondent* nonnulli quod deſtruxit quæ potuit, ſed quod quædam latuerant, quæ Amon poſteà in publicum produxerit, & coluerit. Sed *melius* dici poteſt quod intelligatur de cunctis diis, quibus olim Manaſſes ſtatuas fabricari curarat; nimirum, quod Amon filius ejus novas ſtatuas iiſdem rurſum fabricarit, ut idola eadem proinde dicantur, non materia, aut numero, ſed re ſignata.

℣.23. *Et multo majora deliquit.* Scilicet, Amon, quàm pater ejus Manaſſes. Scriptura quidem 4. Regum 23.
C & apud Ieremiam peccata Manaſſis magis exaggerare videtur, quàm cujuſquam aliorum ex regibus Iuda; adeò ut præcipuè propter ea ſignificet populum Iuda ablatum de terra Iſraël; tamen & hoc de Amon verum eſt, hoc ſenſu, quia non egit ipſe pœnitentiam, ſicut pater ejus Manaſſes, ſed ſine ceſſatione multiplicavit ſua delicta uſque ad mortem. Et hunc ſenſum apertè ſignificant Hebræa quæ ſic habent de Amon: *Et non humiliavit ſe à facie Domini, ſicut humiliaverat ſe Manaſſes pater ejus, ſed ipſe Amon multiplicavit delictum ſuum.*

CAPUT XXXIV.

℣.5. **O** *Sſa præterea ſacerdotum combuſſit in altaribus idolorum.* Non eſt hoc intelligendum
D de ſacerdotibus Levitici generis, ſed de ſacerdotibus excelſorum, qui in illis altaribus ſoliti erant ſacrificare, & populum à cultu Dei ad idololatriam traducebant. Hujus autem facti duplex videtur fuiſſe ratio. *Una*, quia conveniens erat, ut qui peccaverant ſacrificando idolis in illis altaribus, punirentur per hoc, quod in iiſdem altaribus eorum oſſa cremarentur; utpote per quæ quis peccat, per hæc dignus eſt & puniri. *Altera* autem ratio erat, quia propoſitum erat Ioſiæ contaminare prorſus, & profanare altaria, ipſaque excelſa, lucos, & omnia loca, in quibus anteà falſus cultus exercebatur. Secundum legem enim omne id immundum reddebatur, & contaminabatur, quod cadaver attigiſſet.
E Propter hanc ergo cauſam, ut altaria illa idolorum contaminaret, & apud vulgus abominabilia redderet, juſſit ſuper ea cremari oſſa ſacerdotum, qui in illis ſacrificaverant.

℣.27. *Quoniam audiſti verba voluminis —— reveritusque faciem meam ſcidiſti veſtimenta tua —— ego quoque exaudivi te.* Oſtendit ſcriptura non ingratum eſſe Deo, externo ſigno interiorem triſtitiam per pœnitentiam, ſeu deteſtationem peccati, teſtari. Quin veriſimile eſt, ne ſummo quidem ſacerdoti fuiſſe prohibitum in veteri lege ob certas cauſas ſcindere veſtimenta ſua: velut audita blaſphemia, vel in calamitate publica; ſicut Judas Machabæus legitur feciſſe 1. Machab. 2. Nam quod in lege id videatur ſacerdoti ſummo prohiberi, Levit. 21. id tantùm intelligendum eſt, ut apparet, quoad luctum in morte ſuorum propin-

quorum. Per quod ſignificatum fuit, ſummum ſacerdotem ab omni carnali affectu debere prorſus eſſe alienum. Sed majorem difficultatem habet, *quomodo* Deus dicat Ioſiam exauditum eſſe, & tamen ſubjungat, eum cito moriturum? ſic enim habetur, *jam enim colligam te ad patres tuos. Reſpondeo,* Hebraicè non eſſe illud (jam) quo ſignificari videretur etiam mortem illi indici in pœnam; ſed tantum; *Ecce ego colligam te ad patres tuos, nec videbunt oculi tui omne malum.* In hoc ergo exauditus fuit, quod promittitur ei non ſuperventura mala ipſo vivente.

CAPUT XXXV.

℣. 3. P*Onite arcam in ſanctuario templi quod ædificavit Salomon &c.* Hebraicè eſt: *Ponite arcam ſanctitatis in domo, quam ædificavit Salomon.* Septuaginta habent hoc modo: *& poſuerunt arcam ſanctam in domum, quam ædificaverat Salomon.* Ex quo conſequitur arcam tunc fuiſſe extra templum Domini, & non tantum in alia parte templi, ut quidam fingunt. Quomodo autem aut quando è templo fuerit ablata, non conſtat. Author libri Hebr. quæſtionum dicit, quod tempore Achaz, quando idola ab impio rege in templo poſita fuerunt, arca inde fuerit educta, & in domo cujuſdam Levitæ poſita, ibique eam manſiſſe uſque ad tempora Ioſiæ. Sed id non fit veriſimile. Nam ſi tempore Achaz id factum fuiſſet, Ezechias filius ejus qui fuit maximè ſtudioſus cultus divini, curaſſet omnino eam in locum ſuum reduci. Proinde probabilius eſt, eam exportationem arcæ templo factam fuiſſe tempore Manaſſæ regis, vel filij ejus Amon, quorum uterque fuit maximus cultor idolorum. Et licet Manaſſes pœnitentiam egerit, tamen fieri potuit, ut propter brevitatem temporis, quo poſt pœnitentiam regnavit, non omnia potuerit perficere, quæ ad templi & cultus Dei reſtitutionem pertinebant. Nam arca non ſine maxima Solemnitate transferenda erat è loco in locum.

℣. 9. *Dederunt ſacerdotibus ad faciendum phaſe, pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boves trecentos.* Sic & paulò pòſt; *Dederunt cæteris Levitis ad celebrandum phaſe quinque millia pecorum, & boves quingentos.* Senſus eſt, ad faciendum phaſe, id eſt, pro celebratione feſtivitatis Paſchalis. Non enim tunc tantùm agni Paſchales immolabantur, ſed per octo continuos dies, etiam alia varia ſacrificia, ut patet Num. 28. v. 16. & ſeqq.

℣. 18. *Non fuit Phaſe ſimile huic in Iſraël à diebus Samuëlis prophetæ. Sed nec quiſquam de cunctis regibus fecit Phaſe ſicut Ioſias ſacerdotibus & Levitis & omni Iuda & Iſraël qui repertus fuerat.* Libro 4. Regum dicitur (*à diebus Iudicum*) ſed non pugnat. Nam Samuël fuit ultimus Iudicum. Quod autem addit; *Sed nec quiſquam de cunctis regibus fecit Phaſe ſicut Ioſias,* non ſignificat ſcriptura phaſe illud, quantum ad multitudinem populi, vel ſolemnitatem fuiſſe excellentius cæteris, etiam tempore Davidis aut Salomonis celebratis; conſtat enim illorum tempore longè majorem fuiſſe populi multitudinem, quando regnum Iſrael nondum erat diviſum, & decem tribus nondum erant abductæ in captivitatem, ſed quòd hîc dicitur de ejus Phaſe excellentia, referendum eſt ad Ioſiæ regis liberalitatem in ſacerdotes, Levitas & univerſum populum. Cum enim Ioſias opibus longè inferior eſſet Davide & Salomone, tamen plura munera contulit toti populo ad celebrationem hujus feſti, quàm David aut Salomon feciſſe legantur. Et hunc ſenſum omnino indicat ſeries narrationis.

℣. 21. *Contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinato ire præcepit. Deſine adverſus Deum facere.* Hæc Nechao rex Ægypti ad Joſiam. Dicitur is 4. Reg. 23. (alio nomine ibi vocatus Pharao) profectus contra regem Aſſyriorum: *Quæritur,* quare ergo Joſias contra eum pugnaverit. Nec poſſe dici videtur, Pharaonem hoc mendaciter dixiſſe. Nam ſcriptura indicat eum vera locutum, cum ſubjungit: *Nec acquievit ſermonibus Nechao ex ore Dei.* Adde quod 3. Eſdræ 1. (etſi is liber canonicus non ſit) dicatur Joſiam non attendiſſe verbum prophetæ ex ore Domini; imò & Hier. epiſt. ad Cteſiphontem, prophetam illum intelligit Jeremiam. Quomodo tamen, his non obſtantibus, probabiliter excuſari poſſit hoc factum Ioſiæ, diximus in annot. ad lib. 4. 23. v. 25. Præceptum autem hoc Dei, quod Nechao ſe habere dixit, intelligendum videtur de occulto quodam inſtinctu, & notificatione à Deo ipſi facta, ſive per ſomnium (ut factum eſt Pharaoni & Nebuchodonoſori) ſive alio modo, ſicut & cap. ſeq. & 1. Eſdræ 1. legimus Cyrum dicere: *Dominum Deus cœli præcepit mihi ut ædificarem domum.*

CAPUT XXXVI.

℣. 5. V*Iginti quinque annorum erat Ioakim,* & verſ. ſeq *Contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor rex Chaldæorum, & vinctum catenis duxit in Babylonem.* 4. Reg. 24. dicitur de eo. *Et dormivit Ioakim cum patribus ſuis.* Et rurſum Ierem. c. 22. hic quoque de eo vaticinatur: *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus & projectus extra portas Ieruſalem.* Quæ loca ut intelligantur mutuo non contrariari; ſciendum eſt quod Nabuchodonoſor hunc regem Ioakim ceperit captivum, & vinxerit catenis, ad hoc ut duceret eum in Babylonem; attamen poſteà, mutato conſilio eo quod rebellaverat contra ipſum, & rupiſſet pactum cum eo initum, juſſit eum interfici; & cadaver extra muros Ieruſalem inſepultum projici; quemadmodum & refert Joſephus in Antiquit. Judaicis. Ita impleta fuit illa prophetia Jeremiæ: *Sepultura aſini ſepelietur.* Quod ergo habemus (*Vinctum catenis duxit in Babylonem*) alij ex Hebræo clarius vertunt, *Vinxit eum catenis duabus, ut duceret in Babylonem.* Quod verò in libro Regum dicitur; *Dormivit cum patribus ſuis,* non ſepultura ſignificatur, aut locus ſepulturæ; quaſi corpus ejus appoſitum fuerit in ſepulchris patrum; ſed tantùm ſignificatur eum mortuum fuiſſe; ſicut patres ejus mortui erant.

℣. 8. *Reliqua verborum Ioakim, & abominationum ejus, quas operatus eſt, & quæ inventa ſunt in eo.* In Hebræo habetur ſingulariter, *quod inventum eſt in eo.* Et intelligi volunt tum Hebræi, tum etiam multi Chriſtiani expoſitores, quod inventa ſunt in corpore ejus quando inſepultum abjectum fuit, ſtigmata quædam, quæ corpori ſuo imprimi curaverat in honorem idolorum, quæ colebat. Nempe ſicut etiamnum hodie impoſtores quidam hominibus credulis, & ſuperſtitioſis quædam ſigna, & figuras ſeu imprimunt, ſeu tradunt, quaſi ad certos quoſdam effectus valitura; ita olim, imprimis cultores idolorum, ſibi aliqua hujuſmodi ſigna imprimere ſeu incidere ſolebant. Notatur ergo hujus regis ſumma ſuperſtitio, circa cultum idolorum. Poteſt tamen etiam intelligi ſecundum conſuetam ſcripturæ phraſim hoc modo; (*& quæ inventa ſunt in eo*) id eſt, quæcunque deprehenſus eſt commiſiſſe. Sic Pſalm. 16. dicitur, *Non eſt inventa in me iniquitas,* & Dan. 5. *Scientia & ſapientia inventa ſunt in eo, &c,* & 6. *Iuſtitia inventa eſt in me,* & cap. 13. *Quia non eſſet inventa in ea res turpis.*

℣. 23. *Hæc dicit Cyrus rex Perſarum; Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli. & ipſe præcepit mihi.* Vide cap. præced. v. 21. ubi explicatur quomodo Deus aliquando legatur quædam indicaſſe, vel præcepiſſe gentilibus: quibus hoc adde, quod præceptum Cyro factum à Deo, intelligi etiam poſſit; ſcilicet, quod ex Iſaiæ prophetia, ſibi à Iudæis exhibita, in qua Cyrus proprio nomine deſignatus erat (vide cap. 44. & 45) intellexerit hoc Deum à ſe poſtulare.

FINIS LIBRI II. PARALIPOM.

ANNO-

ANNOTATIONES
IN LIBRVM I. ESDRÆ.

CAPUT PRIMUM.

ỷ.2. HÆc dicit Cyrus rex Perſarum. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa.* Hyperbole eſt, in eo quod dicit; *omnia regna terræ*, nam in ſola Aſia Cyrus regnavit. Quod autem dicit Cyrus Deum ſibi præcepiſſe, ut ædificaret ei domum in Ieruſalem, non tam de privata aliqua revelatione ipſi facta intelligendum videtur, quàm quod à populo Iudaico, qui erat in Babylone, ubi imperabat Cyrus, intellexiſſet, quid de eo prophetaſſet ante annos ferè ducentos Iſaias. Sunt hæc Iſaiæ verba cap. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro: cujus apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante eum gentes, & dorſa regum vertam.* Deinde addit: *Ipſe ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet.* Hæc ergo duo agnoſcit Cyrus. Ex quo videtur quod hactenus habuerit veri Dei notitiam, quatenus id opus eſſet ad remittendum populum liberum, & dandam poteſtatem ædificandi civitatem & templum. Nam alioqui non apparet eum receſſiſſe à cultu idolorum. Ob quam cauſam etiam fortaſſe poſteà tam turpiter cecidit in prælio, & à Thomyri fœmina, Regina Scytharum poſt mortem ſumma ignominia fuit affectus, demerſo capite ejus in utrem ſanguine plenum illa dicente: *Satia te nunc ſanguine, quem ſitiſti.* Quomodo autem dicat Deum ſibi regna dediſſe, cum multa non jure, ſed vi armorum occuparit? *Reſpondeo*, reſpectu Dei nihil eſt injuſtum in diſtribuendis regnis, aut aliis temporalibus bonis; ipſius enim ſunt omnia: Unde & Iob. 22. dicitur de Deo reſpectu impiorum: *Cùm ille impleſſet domos eorum bonis.*

ỷ. 5. *Et ſurrexerunt principes patrum de Iuda & Beniamin & ſacerdotes, & Levitæ, & omnis, cujus Deus ſuſcitavit ſpiritum, ut aſcenderet ad ædificandum templum Domini.* Nota, non omnes omnino Iudæi, qui in regno Babylonis habitabant, aſcenderunt ad ædificandum templum in Ieruſalem; ſed ſoli illi, quorum Deus ſuſcitavit ſpiritum, ut aſcenderent. Multi enim ad reditum tardi erant, quia jam manumiſſi, uxores, & filios & poſſeſſiones acquiſierant in Babylone; quibus quaſi compedibus retinebantur, ne redirent in patriam. Simul agnoſce in his verbis motionem Dei efficacem. Sic enim & Dominus in Evangelio Ioan. 6. *Omnis, qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.*

CAPUT II.

ỷ.1. HI *ſunt autem provinciæ filij, qui aſcenderunt de captivitate.* Conferendum eſt hoc caput ab initio uſque ferè ad finem (ad eum ſcilicet uſque locum v. 68. *Et de principibus patrum*) cum c. 7. Nehemiæ, ſeu 2. Eſdræ, in quo tota hæc ſcriptura repetitur.

ỷ.43. *Nathinæi: filij Siba, filij Haſupha &c.* Ac deinde v. 55. *filij ſervorum Salomonis, filij Satai, filij Sophereth &c.* Nathinæi interpretantur, *dati*, vel *donati*, hoc eſt conſecrati in miniſterium templi. Hi erant ſacerdotum ac Levitarum miniſtri, quantum ad opera ſervilia circa miniſterium templi peragenda.

A Erant autem poſteri Gabaonitarum, quos Ioſue primum, deinde & David rex conſtituit in hoc, ut cæderent ligna, & aquas comportarent in uſum ſacrificiorum. Filij autem *ſervorum Salomonis* erant proſelyti, ex eorum poſteritate, per quos Salomon extruxerat templum Domini, & quos deinceps deputaverat ad ejuſdem templi perpetuam conſervationem & inſtaurationem. Hi ergo ſignificantur, reſervatis ſuis officiis quæ habuerant ante deſtructionem templi; unà cum reliquo populo aſcendiſſe in Ieruſalem, quod eorum opera circa templi ædificationem, vel inprimis foret neceſſaria.

ỷ. 63. *Et dixit Atherſatha eis, ut non comederent de* B *Sancto ſanctorum, donec ſurgeret ſacerdos doctus atque perfectus.* Scilicet ut ipſe de his ex veteribus monumentis perſcrutatis, vel ſua prudentia, reſponderet. Similis locus eſt 1. Machab. 4. & 14. Sed *quæres*, cur Eſdras ſacerdos non fuerit ad hoc idoneus? *Reſpondeo*, veriſimiliter illum fuiſſe idoneum. Sed is, dum hæc gerebantur, nondum venerat in Jeruſalem. Nam infrà cap. 7. adventus ejus deſcribitur. At *inſtas*, Similia quoque ſcribuntur Nehemiæ, ſive 2. Eſdræ 7. quo tempore jam aderat Eſdras. *Reſpondeo*, eo loco tantum repeti, id quod hoc loco ſcribitur; non autem commemorati novum aliquod factum. Totum ergo illud ad C tempus hujus capitis pertinet.

CAPUT III.

ỷ. 12. PLurimi, *qui viderant templum prius, cum fundatum eſſet & hoc templum in oculis eorum, flebant voce magna.* Obſcurus ſermo. Septuaginta ſic habent: *Qui viderant domum primam in fundatione ejus, & hanc domum oculis ſuis.* Quod tamen ſic intelligendum eſt, domum ſtantem ſuper fundamenta ſua. Nam quingenti an circiter fluxerant, ex quo Salomon eam fundaverat. Hebræa ſic ſonant. *Et multi ex ſacerdotibus &c. qui viderunt domum primam, in fundando hanc domum in oculis eorum, flebant*; quibus verbis ſatis D ſignificatur de fundamentis potius novi templi agi. Viderant ergo multi prius templum (nam undecim annis poſt captivitatem Ioakim, templum prius conflagraverat, vix elapſis jam ſexaginta annis.) Sed cum viderent fundamenta novi templi, non promittere tantum ſplendorem, quantus prius fuerat, flebant. Quod an acciderit idcirco, quod fundamenta non fuerint tantæ capedinis, (de quo vide infrà cap. 6. & locis ibi citatis) an verò quod lapides fundamentales, reliquuſque apparatus non eſſent tam magnifici ut in priori templo; non ſatis conſtat. Id certum videtur, hos non fleviſſe ex lætitia, ſed triſtitia; nempe quia opponuntur iis alij E mixtim lætantes.

Hac occaſione *quæritur* quomodo ergo dicat Aggæus cap. 2. loquens de hoc ſecundo templo: *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ, plus quam primæ dicit Dominus.* Quidam hoc ſic exponunt, ideo tribui majorem gloriam domui poſteriori, non quod ſtructura eſſet magnificentior, ſed quia majoris virtutis & laudis erat, exiguas captivorum reliquias tantum opus perficere, quàm opulentiſſimum regem Salomonem ſuum opus, etſi ſplendidius. Et eſt quidem bonus hic ſenſus; ſed teſtimonio prophetæ non conveniens: Nam propheta loquitur de tempore Chriſti,

A quando futurum erat; ut gloria domus illius major eſſet, quàm prioris? Nempe quia in priori domo tantùm fuis arca teſtamenti, quæ erat figura Chriſti; in hac verò domo ipſe Chriſtus verſari, & docere dignatus eſt. Es hoc ſic ſignificare prophetam manifeſtum eſt, quia addit: *Adhuc modicum, & veniet deſideratus cunctis gentibus*. Nec obſtat, quod Joſephus teſtetur, templum illud iterum fuiſſe deſtructum, & ab Herode reædificatum. Nam templum aliquod eodem loco reædificatum poteſt etiam quodammodo dici idem templum: ſicut & civitas, etiamſi aliquando deſtructa, dicitur tamen ſemper eadem civitas.

CAPUT IV.

℣.3. N*On eſt nobis & vobis ut ædificemus domum Deo noſtro, ſed nos ſoli ædificabimus.* Duplici B ratione Samaritæ repellendi erant à communi ædificatione: rtum quia hoſtes erant, ut dicitur initio capitis (unde intelligitur eos cum dolo locutos fuiſſe) tum, quia licet verum eſſet aliquo modo ipſos colere Deum Iudæorum, eique victimas immolaſſe à diebus Aſor Haddan regis Aſſyriorum, à quo fuerant in Samariæ locum tranſlati (ut patet 4. Reg. 17.) non tamen ita ut Iudæi quærebans Deum Iſraël; quia ſimul cum illo, qui ſolus eſt verus Deus, ſuos etiam colebans falſos Deos; quemadmodum eodem loco ſcriptura memorat. Hinc ergo Samaritæ illi invidia moti, tandem falſam calumniam illis inurunt, quaſi ad rebellandum civitatem reſtaurarent. Nihil enim moliebantur Iudæi, niſi juxta edictum Cyri ædificare domum Domini Dei.

℣.7. *Et in diebus Artaxerxis ſcripſit Beſelam Mithridates.* C Quis fuerit hic Artaxerxes, & quis Aſſuerus, de quo verſu præcedenti, vide Eſther 1. Cæterum quod hic Beſelam ponitur tanquam nomen proprium, aliis magis placet vertendum fuiſſe (*in pace*) eò quod ita interpretentur verbum Hebraicum. Hinc Pagninus vertit (*ſcripſit verbis pacificis*) & alij interpretantur, quaſi latenter & ſecretò. Sed poteſt etiam eſſe nomen proprium. Chryſoſt. lib. 1. contra vituperatores vitæ Monaſticæ ſub initium, ſcribit hos Samaritas, propterea quod impedire voluerunt ædificationem templi, poſteà peſte & vermibus conſumptos periiſſe.

CAPUT V.

℣.8. N*Otum ſit regi, iſſe nos ad Iudæam.* Notandum, quod hi, qui tempore Darij leguntur quæſiviſſe ex Iudæis, quo conſilio & qua authoritate hanc domum ædificarent; non id fecerint ad impediendam ædificationem templi, & cultum Dei, ſicut Samaritæ, de quibus cap. præced. ſed tantùm ad hoc, ut cognoſcerent ſuper hac re regis voluntatem; eaque cognita, vel prohiberent, vel permitterent; prout ſcirent regi placere. Unde etiam, quaſi ad laudem Dei, in Epiſtola ponunt; vocantes domum Dei Magni. Quare rectè Beda hunc locum *myſtice* exponens, per Samaritas, qui Iudæos accuſabant, intelligis hereticos: per iſtos autem duces, qui trans flumen habitabant, eos, qui in gentilitate viventes, veritatem tamen inquirunt, ut in ea conquieſcant.

Ad domum Dei magni, quæ ædificatur lapide impolito. *Quæritur* quomodo hoc ſit accipiendum, cum oporteat lapides, poliendo, ad ædificium aptari? Quidam ſic intelligunt (*lapide impolito*) id eſt, novo; quem quidem impolitum repererunt, ſed poliendo aptaverunt ædificio. Alius quidam ſic; *lapide impolito*, id eſt, in quo nullæ fierent ſculpturæ imaginum, ſed qui tamen aptaretur ad uſum ædificij. Sciendum interim vocem Hebræam non ſignificare propriè impolitum, ſed magnum. Id autem dupliciter quoque intelligi poteſt; vel mole, vel pretio. Secundum prius, quidant vertunt (*ex lapide ingenti*) ſecundum poſterius (*ex lapide marmoreo.*) Quam poſteriorem intelligentiam, ut de pretio & qualitate intelligatur, confirmant ſeptuaginta interpretes, qui habent (*de lapidibus electis*) id eſt, pretioſis. Septuaginta Romæ impreſſi habent, (*ex lapidibus politis pretioſis.*)

CAPUT VI.

℣.3. E*T ut ponant fundamenta ſupportantia altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres &c.* De priori templo Salomonis ſic habemus 3 Reg. 6. *Domus quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.* Hinc videri poteſt domum priorem Salomonis fuiſſe longè minorem hac ſecunda; ut quæ triginta tantum cubitos habueris in altitudine, & viginti in latitudine; cum B huic tribuantur tam altitudinis, quàm latitudinis ſexaginta cubiti. Sed contra eſt, quod ſuprà cap. 3. v. 12. hujus libri, ſatis indicatur ſecundi templi fundamenta non reſpondiſſe magnitudini primi templi. Ad hoc, 2. Paral. 3. narratur altitudinem primi templi fuiſſe centum viginti cubitorum; hujus autem ſecundi templi altitudo tantum deſcribitur fuiſſe ſexaginta cubitorum. Quomodo autem intelligi debeas, quod de triginta cubitis altitudinis adfertur; ex dicto loco 3. Regum 6. annotatis, clarum eſt. Porrò quod dicitur, ſecundi templi latitudinem fuiſſe cubitorum ſexaginta, de longitudine videtur accipiendum. Vox enim Hebræa ſignificat *extentionem*, quam rectius longitudinem interpreteris quàm latitudinem; eſtque vox C diverſa ab ea quæ 3. Reg. 6. & 2. Paralip. 3. latitudinem ſignificat.

CAPUT VII.

℣.6. I*Pſe Eſdras aſcendit de Babylone; Et ipſe ſcriba velox in lege Moyſi, &c.* Notandum ſcribas dici in populo Iudæo, non quorum officium eſſet deſcribere vel geſta, vel inſtrumenta civitatum, aut reipublicæ, quales hodie ſcribæ vocantur, ſed quorum officium erat ex lege Moyſi, & prophetarum libris, aliiſque ſcripturis & monimentis, reſpondere ad interrogata, & ſubortas difficultates: ſicut apud Romanos erant certi quidam deſignati, qui ex Sibyllinis libris reſpon-D ſa redderent. Hi autem apud Iudæos, non alij erant, quàm legiſperiti. Unde quos Matthæus & Marcus in ſuis evangeliis ſcribas vocant, eoſdem Lucas fere vocat legiſperitos. Deinde vox Hebræa *Sopharim*, non à ſcribendo, ſed à libro, vel littera deducitur. q. d. librarios, à libris evolvendis, & enarrandis. Talis ergo fuit Eſdras de quo hìc dicitur. quod fuerit *Scriba velox in lege Moyſi*, id eſt, doctor, & enarrator legis peritiſſimus, quod Eſdras legem Moyſi, & reliquos veteris ſcripturæ libros à Chaldæis concrematos, reſtituerit: Sed illud, quanquam traditione quadam ſic receptum ſit, ex hoc tamen loco pro certo ſtatui non poteſt.

℣.24. *Vobis quoque notum facimus de univerſis ſa-*E *cerdotibus & Levitis, ut vectigal & tributum & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos.* Sic præcipit rex ille ethnicus Artaxerxes præfectis provinciæ Iudææ, nolens miniſtros templi Domini ullo onere perſolvendi tributi gravari. Quod ſanè æquiſſimum eſt, ut qui divino ſervitio ſunt mancipati, ab oneribus communitatis, cui ſerviunt, ſint exempti. Hoc tunc ita ſtatuit rex ille ethnicus qui modicam adhuc veri Dei notitiam habebat. Et veriſimile eſt propterea hoc eum ſtatuiſſe, quia ſacerdotes idolorum jure gentium tali immunitate fruebantur, de quo Geneſ. 47. Multo magis igitur Chriſtiani principes, qui ſunt filij Eccleſiæ, eandem libertatem viris Eccleſiaſticis, tanquam patribus ſuis ſpiritualibus, inviolatam ſervare debent. Vide etiam 2. Par. 31. v. 4.

℣.26. *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo, ſive in mortem, &c.* Rex ethnicus ſtatuit pœnas tranſgreſſoribus legis Dei, eaſque varias, & eſt veriſimile intelligi leges ad cultum Dei pertinentes. Nam quæ ad politiam pertinebant, leges regis erant. Hinc ergo oſtendi poteſt pertinere ad principes ſæculares punitionem eorum qui in religionem peccant; etiamſi de rebus religionis non cognoſcant, niſi ex Eccleſiæ judicio ſeu teſtimonio, ſicut rex iſte ethnicus de religione Judaïca non cognoſcebat, niſi generaliter fidem habens teſtimonio & judicio ſacerdotum.

℣. 27. *Benedictus Dominus Deus patrum noſtrorum qui dedit hoc in corde regis ut glorificaret domum Domini quæ eſt in Ieruſalem.* Aperta confeſſio gratiæ Dei efficaciter operantis in cordibus hominum. *Qui dedit hoc*; ſcilicet, ut tale decretum faceret pro inſtaurando cultu & ceremoniis templi; *Vt glorificaret*, ſcilicet *Deus, domum Domini*. Senſus eſt, Deum dediſſe hoc in corde regis, volentem per hoc glorificare domum Domini, & conſequenter ſeipſum; ad cujus cultum domus illa erat extructa. Nam Deus refert omnia tandem ad gloriam ſuam.

CAPUT VIII.

℣.15. Q*Væſivique in populo & in ſacerdotibus de filijs Levi, & non inveni ibi.* *Quæſtio* ex his verbis oritur, nempe quomodo dicat ſe in ſacerdotibus, id eſt, inter ſacerdotes quæſiviſſe de filiis Levi, & non inveniſſe, cum ſacerdotes eſſe non poſſent, niſi de tribu Levi? *Reſpondeo*, Levitas in ſcriptura ſacra dupliciter dici. Uno modo, omnes qui ex Levi progeniti ſunt, cōprehenſis etiā ſacerdotibus. Alio modo eos, qui ex illa tribu ſunt non ſacerdotes. Nam nomen generis ſæpè apud ſcriptores attribuitur ſpeciei imperfectiori, ſicut vulgo ſolas beſtias vocamus animalia, & tamen revera etiam homines ſunt animalia. Ita ergo ſacerdotes quidem erant Levitæ; ſed vulgò apud Iudæos nomen Levitarum referebatur tantum ad Levitas non ſacerdotes. Et tales Levitas requirebat Eſdras inter ſacerdotes, & non inveniebat.

℣. 21. *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino, & peteremus ab eo viam rectam, &c.* Hoc exemplo monemur, ut quotieſcumque opus aliquod magni momenti aggredimur; jejunium & orationes præmittamus. Notandum etiam quod jejunium præmittitur orationi. Primò enim dicit: *ut affligeremur coram Domino*, deinde verò, (*& peteremus ab eo viam rectam.*) Et ſimiliter paulò pòſt rurſum; v. 23. *jejunavimus & rogavimus Dominum.* Oportet enim, inquit Beda, ut quicunque ad precandam miſericordiam Domini ingreditur, primum ſe, continentius vivendo, dignum exaudiri præbeat; & ſic confidenter orationis effectum à Domino expectet. Sic ille. Item jejunium mentem reddit aptam orationi, quia purificat, & elevat ut Eccleſia canit. Et in propoſito, hi ad iter ſe paraturi, per jejunium ſeipſos affligentes, & peccata præterita caſtigentes, præveniunt manum Dei, ne eos fortè juſtè puniret objiciendo periculis itinerum.

CAPUT IX.

℣.2. M*Anus etiam principum & magiſtratuum fuit in transgreſſione hac prima.* Vox illa

A (*prima*) vel conjungi poteſt cum (*tranſgreſſione*) ut ſit ablativi caſus, & ſignificetur, quod hæc fuerit prima tranſgreſſio poſt reditum è captivitate: Vel potius eſt nominativi caſus, ut ſit ſenſus: Manus principum fuit prima in hac tranſgreſſione, ſic ut eorum exemplo, etiam reliqui ex plebe fuerint inducti ad peccandum. Et hic eſt verus ſenſus iſtorum verborum, quemadmodum patet ex Hebræo & ſeptuaginta. Etenim Hebræa hoc modo clarius verti poſſunt: *Manus principum & magiſtratuum prima fuit in hac prævaricatione.* Porrò notandum hîc, quàm grave peccatum æſtimetur in ſcriptura ſacra ducere jugum, id eſt, inire connubia cum infidelibus. De quibus Dominus 3.
B Reg. 11. *Certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos eorum.* v. 2.

℣. 8. *Et daretur nobis paxillus in loco ſancto ejus.* *Paxillus*, id eſt, firmus locus, ſeu firmamentum. Pridem legebatur monoſyllabum (*pax*) quaſi felicitas quietis peteretur. Sed rectè juxta Hebræa, & Græca, & veteres Latinos codices in bibliis Sixtinis correctum eſt; ſicut & verſu proximo, ubi legebatur, (*ſpem*) monoſyllabum pro diſſyllabo, (*ſepem.*) Senſus enim idem eſt cum præcedenti, ſcilicet, ut daret eis Deus ſepem, ſeu munimentum firmum, contra irruptiones hoſtium: metaphora ſumpta à ſepibus, quibus feræ & fures ar-
C centur ab hortis.

℣ 12. *Et non quæratis pacem eorum & proſperitatem eorum uſque in æternum.* *Quæritur* quare id non ſit contra præceptum de diligendo proximo, etiam inimico? *Reſpondeo*, quia proximum tenemur diligere ad ſummum bonum. Bona itaque temporalia ita eis præſtare, aut impendere debemus, quatenus eos, vel etiam nos non remorentur à bonis æternis. Si ergo amicitia, aut beneficiorum impenſio malis facta, reddit eos pejores, vel nos in periculum ſeductionis conjicit, ut erat in propoſito; tunc non tenemur iis externa ſigna benevolentiæ exhibere.

D

CAPUT X.

℣.11. E*T nunc date confeſſionem Domino Deo patrum veſtrorum, & facite placitum ejus, & ſeparamini —— ab uxoribus alienigenis.* Placitum hoc Dei intelligit Eſdras præceptum Dei Deut. 7. & alibi; quo prohibebantur filij Iſrael ducere uxores alienigenas. Et notandum, quod etſi expreſsè aliud præceptum non eſſet, niſi de Chananæis in conjugium non aſſumendis, quorum terram poſſeſſuri eſſent; tamen Eſdras etiam extendit, (ut patet capite præcedenti verſu primo) ad Ammonitas, Moabitas, & Ægyptios; idcirco ſcilicet, quia jam eadem ratio in iſtis locum habebat, quæ nuper in Chananæis ſolis,
E in quorum medio habitabant; nempe ne abducerentur per eos ad cultum idolorum. Utrum verò hæc ſeparatio fuerit tantùm quoad thorum & habitationem, an etiam quoad vinculum; non ita conſtat. Vide quæ diximus in 4. Sent. diſt. 39. cap. 3. Similiter non ſatis conſtat utrum cum matribus & filij, ex hujuſmodi conjugiis nati, rejecti ſint. Schenias quidem princeps dixit ad Eſdram; *ut projiciamus univerſas uxores, & eos qui de his ſunt*; tamen utrum ita factum ſit, ſcriptura non commemorat. Beda quoque annotat, quod filios non abjecerint, ſed apud ſe ſervatos docuerint renunciare maternæ infidelitati; & per circumciſionem eos Domino, & fidelium ſocietati, conſecraverint.

FINIS LIBRI I. ESDRÆ.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM II. ESDRÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. E*T factum eſt in menſe Caſleu, anno vigeſimo.* Annum vigeſimum intellige regis Artaxerxis. Sic enim habetur initio cap. proximi: *Factum eſt autem in Menſe Niſan anno vigeſimo Artaxerxis regis.* Verùm quæſtio hinc oritur, quomodò Nehemias audierit afflictionem populi ſui anno illo vigeſimo, menſe Caſleu, ac deinde cap ſequenti eodem anno menſe Niſan, narretur auxilium à rege petiiſſe; cum menſis Niſan præcedat menſem Caſleu? Variæ ſunt *reſponſiones*; ſed ſimpliciſſima videtur eſſe; quòd etſi apud Judæos in decurſu anni, Niſan præceſſerit menſem Caſleu; ac proinde eodem anno Judaico non poſſint præceſſiſſe ea quæ facta ſunt in menſe Caſleu, ea quæ facta ſunt menſe Niſan; tamen potuiſſe hæc fieri eodem anno vigeſimo Artaxerxis; nempe quia Artaxerxis regni initium & anni, inceperint computari circiter à menſe Caſleu; quomodo etiam anni Auguſti Cæſaris, & aliorum Imperatorum, non incipiuntur ſemper à Calendis Januarij, ſed ſingulorum ſæpè diverſimodè.

℣.3. *Et murus Ieruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſta ſunt igni.* Quidam interpretantur hunc locum de diſſipatione facta per Samaritas, & alios hoſtes Judæorum, de quibus cap. 4. libri ſuperioris. Sed nuſquam hoc legitur. Et conſtat Cyrum non dediſſe poteſtatem reſtaurandæ civitatis, ſed tantùm templi. Hoſtes quidem Judæorum cap. illo 4. libri præced. accuſabant Judæos, quod muros civitatis extruerent, & pararent rebellare; ſed mentiebantur, ut etiam ibi oſtenſum eſt. Senſus ergo horum verborum eſt; etſi templum jam ædificatum eſſet, contribules tamen Nehemiæ Iudæos expoſitos adhuc eſſe injuriis hoſtium, eo quod civitatis muri, & portæ nihilominus jacerent deſtructæ, & deſolatę; ſicut deſtructę fuerant à Nabuchodonoſor.

℣.6. *Confiteor pro peccatis filiorum Iſraël, quibus peccaverunt tibi. Et ego & domus patris mei peccavimus,* Sic & Tobias, cap. 3. *Ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.* Et Daniel. cap. 9. *Cum confiterer peccata mea & peccata populi mei.* Quidam hæc ſic interpretantur, ut quamvis iſti fuerint innocentes, tamen in confeſſione junxerint ſe peccatoribus, tantum quia membra erant populi peccatoris; Sed hoc dici, non poteſt. Nam ſic tantum dicerent, *Nos peccavimus*; & nòn in ſingulari per vocem (*Ego*) aut per vocem (*peccata mea*) confeſſionem ſuam pronuntiaſſent, niſi mentiri voluiſſent. Proinde dicendum ſanctos veraciter etiam propria peccata confiteri; & agnoſcere, quod propter illa patiantur afflictionem in qua erant conſtituti. Quomodo autem multis modis juſti inter peccatores, participes fiant peccati ipſorum, & per conſequens etiam vindictæ & afflictionum temporalium, doctè explicat D. Auguſt. lib. 1. de civit. per multa capita.

CAPUT II.

℣.1. F*Actum eſt autem in menſe Niſan anno vigeſimo Artaxerxis regis.* Quomodo hæc narrentur facta menſe Niſan, anno vigeſimo Artaxerxis, & alia quæ præceſſerunt, narrata ſint facta eodem anno menſe Caſleu, qui tamen Caſleu ſequatur menſem Niſan, vide explicatum cap. præcedenti v. 1.

℣.20. *Vobis autem non eſt pars & juſtitia, & memoria in Ieruſalem.* Dicit hoc Nehemias ad Samaritas volentes impedire murorum ædificationem; ſicut & ante conati fuerant extructionem templi. Senſus ergo eſt: Hæc ſtructura nihil pertinet ad vos, cum ſitis Samaritæ, & alieni à religione noſtra. Juſtitia enim ponitur pro jure. q. d. Nullum jus habetis in hanc civitatem, nec unquam de ea benè meriti eſtis. Hinc *myſtice* oſtendi poteſt infideles non eſſe admittendos ad baptiſmum & Eccleſiam, quamdiu fide ac devotione non plenè oſtendunt, ſe ejus ſocietatem ex animo deſiderare Cur autem hoc de Samaritis iſtis non facilè ſperari poſſet, vide lib. præced. c. 4. v. 3.

CAPUT III.

℣.1. E*T ſurrexit Eliaſib ſacerdos magnus.* Hic Eliaſib, qui dicitur fuiſſe ſacerdos magnus, filius fuit Ioachim, filij Joſue ſacerdotis magni. Itaque iſte jam tertius poſt captivitatem Babylonicam fungitur ſummo ſacerdotio. Ex quo colligitur, non ſtatim, neque brevi poſt ſolutam Babylonicam captivitatem cœpiſſe ædificari muros Jeruſalem, ſed multo tempore poſt. Et, ut colligi poteſt ex ſupputatione temporum regum Perſarum, qui tunc regnaverunt; inter primum reditum populi ex captivitate ſub Zorobabel principe, & Ioſue ſacerdote magno, & extructionem murorum ſub Nehemia, interceſſerunt plus minus octoginta anni. Nam Cyrus, cujus ſecundo anno templum cœpit ædificari, regnavit triginta annis, Darius, ſub quo templum perfectum eſt, annis triginta ſex; quem ſecutus eſt Artaxerxes, cujus anno vigeſimo inſtaurati ſunt à Nehemia muri civitatis. Unde nihil mirum eſt, quod hic nominatur ſummus ſacerdos Eliaſib nepos Ioſue.

Myſticè, per hoc quod inſtauratio civitatis cœpta legatur à ſacerdote Magno, & fratribus ejus ſacerdotibus; docemur, quod qui in ordine & dignitate præcedunt alios in Eccleſia, præcedere etiam debeant in Eccleſiæ ædificatione, hoc eſt, in ſtudio bonorum operum, & ſancta converſatione. Tali enim modo ſpiritualiter ædificantur muri Ieruſalem.

℣.5. *Et juxta eos ædificaverunt Thecueni. Optimates autem eorum non ſuppoſuerunt colla ſua in opere Domini ſui.* Thecueni vocantur, ſicut v. 2. Viri Iericho. Senſus igitur eſt; Plebei loci Thecue (ex quo Amos propheta oriundus erat) certam ſuam partem murorum quoque extruxerunt; ſed optimates ejuſdem loci, id eſt, ditiores & potentiores non paruerunt Domino, nec præfecto ſuo, præcipienti, ut collaborarent in inſtauratione murorum. Nam ſupponere collum ſuum operi alicui, eſt opus aliquod faciendum ſuſcipere. Ubi duo moraliter conſiderare poſſumus. Unum eſt, ſæpè pauperes & plebeios plus miniſterij & ſubſidij conferre ad opera Eccleſiæ, quàm ditiores, & potentiores. Alterum, quod per iſtos optimates, qui non ſuppoſuerunt colla ſua in opere Domini ſui, ſignificari poſſunt illi Eccleſiæ præfecti, quos Dominus in Phariſæis reprehendit, *quod aliis imponant onera gravia & importabilia, & ipſi digito ſuo nolint ea movere.*

CAPUT IV.

℣. 5. N*E aperias iniquitatem eorum, & peccatum earum coram facie tua non deleatur, quia irriſerunt ædificantes.* *Quæritur* quomodo iſta præcatio Nehemiæ non adverſetur charitati, quæ ex præcepto Dei etiam extendere ſe debet ad inimicos? Et ſicut majoris eſt charitatis impendere beneficia ſpiritualia quàm corporalia, ita videtur magis charitati contrariũ imprecari mala ſpiritualia, quod hic Nehemias facere videtur. quam corporalia, quod facit verbis præcedentibus? *Reſpond.* talia verba, quoties in ſcriptura ſacra occurrunt, dicta vel à prophetis, vel ab aliis ſanctis viris, non ſunt imprecatoria, quaſi in miſeria ſuorum inimicorum per ſe oblectentur (hoc enim pertinet ad vindicandi ſtudium, & charitati adverſatur) ſed partim ſunt prophetica, partim approbativa juſtitiæ divinę, & talia, quibus declaretur, quam vindictam homines impij mereantur, accedente etiam hominis juſti conſenſu, quo talem vindictam tanquam juſtam approbat. Id autem non eſt contra charitatem, maximè quando impij pertinaces ſunt in malo, & eorum converſio deſperatur; ſed eſt quædam approbatio pulcherrimi ordinis à Deo inſtituti; qui ordo requirit, ut de iis qui contumaciter peccant, juſta ſumatur vindicta.

℣. 17. *Una manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium.* Figuratus eſt ſermo; quo ſignificatur eos ad utrumque fuiſſe intentos, ut & opus facerent ædificando muros civitatis, & gladio accincti parati eſſent ad defenſionem ſuam contra hoſtes. Myſticè ſignificatur quod homo Chriſtianus ad utrumque aſſiduè intentus eſſe debeat, & ad faciendum opus virtutis, & ad repellandas inſurgentes diaboli tentationes.

CAPUT V.

℣. 5. E*T nunc ſicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtra ſunt, & ſicut filij eorum, ita & filij noſtri.* Hoc à nonnullis ita exponitur. Reducti ſumus in hanc terram, promiſſa nobis libertate & proſperitate; Nunc autem contrarium reipſa experimur. Quia ſicut fratres noſtri, qui remanſerunt in Babylone cum filiis ſuis, ſunt in afflictione, & egeſtate, ita, & nos qui ſpe proſperitatis reverſi ſumus in terram, quia non minus cogimur ſervire & laborare, quàm ſi in captivitate remanſiſſemus. Hic ſenſus etiamſi ſatis commodus; tamen non videtur germanus hujus loci, Continent enim verba iſta clamorem plebis contra fratres ſuos, id eſt, alios Judæos ditiores, à quibus opprimebantur. Sit ergo hic ſenſus: Nos & illi eadem caro ſumus, id eſt, ex eodem genere prognati; proinde liberi eſſe debemus, ſicut illi; & ſimiliter filij noſtri non debent eſſe deterioris conditionis, quàm filij eorum; & tamen oppreſſi paupertate cogimur filios noſtros vendere & illis ſubjicere in ſervitutem, tanquam alienos. Querela itaque eſt pauperum contra divites, qui uſuris, aliiſque modis eos opprimebant.

℣. 15. *Duces primi, qui fuerunt ante me gravaverunt populum, &c. Ego autem non feci ita, propter timorem Dei.* Laudat ſeipſum, non ſtultè tamen, nec ſine juſta ratione; ſed partim ad excitandam in Deum fiduciam ex conſcientia boni operis; partim, ut declaret quod ſit officium boni ducis ac principis; fortè etiam propter quoſdam æmulos, & calumniatores, quomodo Paulus, & Iob, quoque ſeipſos laudaſſe leguntur. Et ſic etiam accipiendum eſt quod ſubjicit aliquoties: *Memento mei Deus meus in bonum.* Nam ſic David quoque dicit: pſal. 118. *Feci judicium & juſtitiam &c.* Et Ezechias 4. Reg. 20. *Memento Domine quomodo ambulaverim coram te, &c.*

A

CAPUT VI.

℣. 2. V*Eni, & percutiamus fœdus pariter in vinculis, in campo Ono.* Mirum quid potuerit oſcitantia librariorum; Nempe hic duplex irrepſerat error. Nam ſic pridem legebatur, (*in vitulis, in campo uno*) quaſi in vitulorum, ſeu taurorum oblatione, in aperto campo, pro ſecuritate utriuſque voluerint fœdus ſanciri. Sed rectè corrigunt Sixtina biblia, tam ex Hebræis quàm ex ſeptuaginta. Nempe ut ſenſus ſit percutiamus fœdus in vinculis, ſeu locis, quæ ſunt in campo, ſeu planitie, quæ vocatur Ono. Unde patet Allegoriam, quam nonnulli ad hunc locum adferunt
B de hæreticis, qui cum Catholicis volunt inire fœdus ſocietatis, in campo uno latioris viæ, quæ ducat ad interitum; & trahere ad ſocietatem ſacramentorum, quæ per vitulos ſignificentur, falſo & inani niti fundamento; etiamſi etiam apud Bedam hæc allegoria reperiatur. Nempe, inde apparet, etiam ipſum uſum fuiſſe vitioſis exemplaribus.

℣. 3. *Miſi ergo ad eos nuntios, dicens: Opus grande ego facio, & non poſſum deſcendere, ne fortè negligatur.* Hæc inter cæteras una erat cauſa, quare non poſſet ad eos deſcendere; quia videlicet per ejus abſentiam opus illud ædificationis murorum minus graviter proceſſiſſet; & fortaſſe impeditum fuiſſet. Hæc tamen non videtur fuiſſe præcipua cauſa, quare nollet deſcendere ad eos, à quibus ad feriendum fœdus invitabatur: Nam
C præcipua erat, quia metuebat inſidias, & quia vitabat amicitias improborum & infidelium. Quo exemplo Chriſtiani principes admonentur ut vitent fœdera cum infidelibus, tanquam inſidioſa & pernicioſa. Deinde, hoc exemplum docet, non malè eos facere, neque mendacij accuſandos eſſe, qui facti alicujus rationem reddentes, ſubticent eam cauſam quæ poſſit ipſis eſſe adverſa & noxia; & exprimunt aliam cauſam, licet minus principalem; dummodo vera ſit cauſa. Ita Nehemias prætexit occupationem neceſſariam, idque verè, licet altera cauſa eſſet principalior, nempe metus inſidiarum. Ita & Samuël, etiam à Domino inſtructus, quando venit in Bethlehem ad hoc principaliter, ut regem novum ungeret; cauſam protulit ſecundariam,
D dicens: ſe eò veniſſe ad ſacrificandum Domino. Quanquam quod ad Nehemiam attinet, cauſa principalis etiam in verbis ejus comprehenſa intelligi poteſt. Nam ſi deſcendiſſet ad eos, incidiſſet in eorum inſidias, & ita non tantum neglectum, verùm etiam omnino impeditum fuiſſet opus ædificationis.

℣. 11. *Et quis, ut ego, ingredietur templum, & vivet? Non ingrediar.* Rectè verſio Vatabli hoc modo: *Num quiſpiam, qualis ego ſum, templum ingrediatur, ut vitam tueatur?* Senſum enim hunc tam antecedentia, quàm ſequentia omninò adſtruunt.

CAPUT VII.

E ℣. 6. I*Sti filij Provinciæ &c.* Habetur hic catalogus, etiam 2. Eſdræ 2. ſed tamen nominibus, & numeris non parum alter ab altero diſcrepans. Quæ ſit diſcrepantiæ cauſa, non ſatis liquet. Alij rejiciunt culpam in librarios, alij in exemplar ab initio corruptum, quo interpres uſus fuit. Sed quoad nomina, ſæpè etiam aliàs contingit, vel eundem pluribus nominibus appellari, vel eadem nomina nonnihil variari.

℣. 64. *Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu, & non invenerunt, Et ejecti ſunt de ſacerdotio.* Ejecti ſunt de ſacerdotio, non quomodo illi, qui propter crimen aliquod deſtituuntur ſacerdotio, quomodo abiathar per Salomonem amotus fuit à ſummo ſacerdotio: ſed quomodo illi, qui ſacerdotij ſui certum documentum, ſeu teſtimonium proferre non potuerunt; qui quidem, ſi poſteà id proferre poſſent, rurſum ad fun-

ctionem ſacerdotij admitterentur. Nam iſti de quibus A hîc agitur ; non poterant proferre geneslogiam ſuam, ex qua oſtenderent ſe eſſe de genere ſacerdotali. Ex hoc loco confirmatur Eccleſiæ Canon , qui nullum admittit ad celebrationem Chriſtiani ſacrificij , niſi fidem faciat legitimæ ſuæ ordinationis.

℣.65. *Dixit Atherſatha eis, ut non manducarent de ſanctis ſanctorum , donec ſtaret ſacerdos doctus & eruditus.* Sancta ſanctorum hîc vocantur cibi , de quibus ſolis ſacerdotibus veſci licitum erat : cujuſmodi erant panes propoſitionis , hoſtiæ pro peccato , & delicto. De quibus & Ozeas cap. 4. *Peccata populi mei comedent* , id eſt, hoſtias pro peccato. Porrò quod ſequitur, (*donec ſtaret ſacerdos doctus & eruditus*) Hebraicè eſt *donec conſurgeret ſacerdos in Vrim & Thumim*) Sed idem ſignificatur,& alluditur ad Exodi 28.ubi nos habemus : *Panes in rationali judicij doctrinam & veritatem* , & Hebraicè,ſimiliter pro doctrina & veritate eſt B *Vrim* & *Thumim*. Vide ibi plenius. Septuaginta hoc loco ſic habent : (*donec ſurrexerit ſacerdos illuminans*) & 1. Eſdræ 2. (*illuminantibus & perfectis.*) Simplex autem ſenſus eſt;donec ſurgat ſacerdos doctus, qui alicunde eruat eorum genealogiam , & doceat quod ſint de genere ſacerdotali ; aut ſaltem reſpondeat , quid de talibus agendum cenſeat: Vide etiam 1. Eſdræ 2.

CAPUT VIII.

℣.8. *ET legerunt in libro legis Dei,diſtinctè & apertè ad intelligendum , & intellexerunt cum legeretur.* Significatur his verbis apertam & diſtinctam lectionem ſcripturæ ſacræ juvare quidem ejus intellectionem , tamen non ſufficere eam , neque grammaticam verborum ſignificationem ſatis eſſe ad ſcripturæ C ſacræ intellectum. Oſtenditur etiam hoc ipſo loco,dum mox verſu ſequenti , ponuntur Levitæ interpretantes univerſo populo.

℣.10. *Ite , comedite pinguia,& bibite mulſum ; & mittite partes his qui non præparaverunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt.* Nehemias hortatur populum ad lætitiam ſpiritualem,de qua paulò poſt dicit : *Gaudium enim Domini eſt fortitudo veſtra* , id eſt , poſt hoc divinum & ſpirituale gaudium efficiemini animis robuſtiores & alacriores. Sed quia ad hanc ſpiritualem lætitiam confert etiam corporalis lætitia , modò ſit temperata,ſicut maximè patet in ſenſu viſus & auditus: D nam propterea pulchrè exornantur templa , & pulſantur organa & exercitatur ſuavis melodia, ut per ſenſus corporeos ſuaviter affectos lætitia tranſmittatur ad animum : Quia ergo corporalis lætitia ad ſpiritualem aliquam habet proportionem , hinc populum hortatur ad comedendum pinguia & bibendum mulſum, id eſt,ut lautiori cibo & potu corpora ſua reficiant. Ex quo etiam patet,quod non malè Chriſtiani in ſolemnitatibus , & lætioribus quibuſdam diebus lætitiam ſuam etiam refectione corporali declarent , modò id fiat intra limites temperantiæ & ſobrietatis. Non tamen ex hoc facto bacchanalia , quæ à quibuſdam Chriſtianis non Chriſtianè celebrantur , accipiunt ullum patrocinium. Nullum enim ibi eſt gaudium ſpirituale neque E ullius talis gaudij teſtimonium , aut memoria alicujus beneficij à Deo præſtiti , ſed tantum bacchanalia, ab hominibus carnalibus inventa ſunt , ſeu potius accepta à gentilibus , quaſi ſolatium aliquod abſtinentiæ quadrageſimalis ſequentis. Sed revera faciunt,ut dies primos quadrageſimalis jejunij ex recenti memoria proximarum epularum tanto majori cum tædio homines decurrant. Notandum quoque quod additur; *Et mittite partes his qui non præparaverunt ſibi.* His enim verbis ſignificatur Chriſtianos ita debere feſtos dies lautiori corporis refectione celebrare,ut maximè pauperum memores ſint , iiſque etiam ultro mittant. Ex hoc item loco manifeſtè oſtenditur,aliud eſſe jejunium,aliud ſobrietatem. Nam ſemper ſervanda eſt ſobrietas,at non ſemper jejunandum. Nemo enim ſani judicij dicet eos jejunare qui comedunt pinguia,& bibunt mulſum , & alia faciunt,quæ hic dicuntur.

CAPUT IX.

℣.2. *ET confitebantur iniquitates ſuas, & peccata patrum ſuorum.* Quæritur cur patrum ſuorum peccata fuerint confeſſi ? cum non debeamus aliena confiteri peccata , ſed noſtra tantùm ; & parentum vitia non nudare, ſed tegere magis conveniat ? *Reſpondeo* , confeſſio peccatorum apud Deum fit ad conſequendam eorum remiſſionem ; petitur autem remiſſio eorum qua poterant puniri & vindicari. Atqui lex teſtatur Deum vindicare iniquitates patrum in tertiam & quartam generationem. Igitur ad avertendam hujuſmodi vindictam pertinet hæc confeſſio; id quod apertius ſignificant verba Tobiæ cap. 3. *Ne reminiſcaris delicta mea vel parentum meorum* , id eſt , noli ea in me vindicare. Qua autem ratione vindicentur peccata parentum in filiis,dictum eſt Exod. 20. verſ. 5. Hinc autem verè dicere poterant Iudæi in captivitatem ducti illud quod eſt apud Jeremiam Thren. 5. *Patres noſtri peccaverunt & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Adde quod ſicut confeſſio peccati proprij includit propoſitum recedendi ab eo & non amplius committendi; ita confeſſio peccati majorum, profeſſio quædam eſt voluntatis illud deteſtantis & imitari nolentis.

C ℣.6. *Et exercitus cæli te adorat.* Per exercitum cæli hoc loco, ſicut in præcedenti ſententia , videtur intelligere militiam cæli, ut alibi vocatur , id eſt, ſolem, lunam,& ſtellas;hæc enim in ſcripturis ſæpiſſimè exercitus cæli vocari conſtat. Hic exercitus Deum adorat, vel ut eſt in Hebræo , Deo incurvatur,quia ad nutum ei obtemperat tanquam acies quædam militum ordinata,quorum nullus præſcriptos ſibi limites egreditur. Qui quidem ordo eſſi eſt in omnibus rebus ; in ſtellis tamen evidentiſſimè conſpicitur. Loquitur autem hoc modo Eſdras , ut innuat exercitum cæli non eſſe à nobis adorandum , quandoquidem ipſe Deum adoret, ejuſque imperio ſe ſubjectum quaſi agnoſcat. Si quis tamen locum hunc de exercitu angelorum malit interpretari,ſenſum habebit manifeſtum.

D ℣.7. *Tu es ipſe Domine Deus,qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum.* Pro igne Chaldæorum Hebr. eſt , (*de Vr Chaldæorum.*) Septuaginta habent (*ex regione Chaldæorum.*) De his ſic Hieron. ad illud Gen. 11. *Mortuus eſt Aran ante Thare patrem ſuum in Vr Chaldæorum.* Hic , inquit , fabulantur Hebræi , quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem noluit adorare, quem Chaldæi colunt ; & auxilio Dei liberatus de idololatriæ igne profugerit ; Aran autem mortuum fuiſſe in *Vr*, id eſt,in igne Chaldæorum,quod videlicet ignem nolens adorare , igne conſumptus ſit. Hæc Hebræorum ſententia eſt , non tamen omnium : Et quidem probabilius eſt, illo Geneſis,per *Vr*, propriũ E nomen loci deſignari. (Nam poſteà ibi ſubjungitur, quod Thare pater Abraham eduxerit filios ſuos, & filiam Saram de *Vr* Chaldæorum in Meſopotamiam ; quod nullo modo intelligi poteſt de omnibus miraculosè ex igne liberatis)attamen,quia hic interpres noſter pro (*Vr Chaldæorum*) tranſtulit (*de igne Chaldæorum*) ſaltem ſic illud accipiendum videtur , quòd Deus de idololatria Chaldæorum , (qui ignem ut Deum colebant) liberavit;& eduxerit Abrahamum.

℣.36. *Ecce nos ipſi hodie ſervi ſumus. Et fruges terræ multiplicantur regibus,&c.* Notandum, quod quamvis Judæi erant liberati à captivitate Babylonica , ita ut liberè eis liceret redire in terram ſuam , & in ea habitare

tate eamque colere; non tamen liberabantur à jugo ſubjectionis per omnia, ſed tenebantur regibus Perſarum perſolvere tributa de frugibus, aliiſque proventibus, aliaque onera ſubire; à quibus liberi erant ſoli ſacerdotes & miniſtri templi, ut dictum eſt 1. Eſdræ 7. Et propter hanc ſubjectionem, hic vocant ſe ſervos; quod faſtu quodam ſibi perſuadebant non debere ſe parere externis regibus, quia populus Dei erant. Sed deinceps à tali ſervitute nunquam fuerunt liberati. Unde patet, quam mendaciter Judæi in Evangelio Ioan. 8. dicant: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam.* Non enim ſolum in Ægypto ſervierunt & in Babylone, ſed etiam hoc loco adhuc ſe ſervos confitentur; & ſimiliter eodem tempore quo iſta mendaciter Ioan. 8. jactabant, multis jam annis Romanis erant ſubjecti, iiſque tributa præſtabant, tametſi inviti.

CAPUT X.

℣. 31. ET *dimittemus annum ſeptimum, & exactionem univerſæ manus.* Dimittere annum ſeptimum, eſt eum dimittere, vel tranſigere ſine cultura agrorum, & ſine collectione fructuum, etiamſi ſponte aliquid naſceretur. Nam quicquid eo anno ſponte naſcebatur, id in commune colligi poterat ab omnibus qui indigebant. Quod autem additur (*& exactionem univerſæ manus*, ſcilicet dimittemus) ſignificat annum remiſſionis. Nam quolibet anno ſeptimo ex lege Deut. 15. non licebat quoque repetere ullum debitum à proximo. Quomodo autem id intelligendum ſit, inter interpretes controverſia eſt. Communior ſententia habetur, quod eo anno debita antea contracta erant ſimpliciter remittenda, non quidem omnibus, ſed tantum pauperibus, qui non erant ſolvendo. Aliorum ſententia eſt, nec illa improbabilis, quod ſicut ſeptimo anno terra vacabat à cultura, ita ceſſare debebat exactio debitorum omnium ſimpliciter, ſive ea à divitibus, ſive à pauperibus deberentur. Sed eo anno exacto, ſicut rurſum colebantur agri, & fructus colligebantur; ita rurſum quoque licuiſſet priora debita exigere. Pro hac ſententia facit quod annus remiſſionis Hebraicè vocetur annus ſubtractionis, quaſi manus exactoris retrahatur, non quidem per remiſſionem, ſed per dilationem. Quo etiam facit, quod ibidem Deuter. 15. dicitur tantum, quod eo anno repetere non poterit; non autem quin poſteà poſſit repetere. Prior tamen ſententia in eo fundatur, quod ſicut fructus ſeptimi anni pauperibus relicti erant, ſic remiſſio debitorum quoque iis fieret.

℣. 34. *Sortes ergo miſimus ſuper oblationem lignorum inter ſacerdotes, Levitas, & populum, ut inferrentur in domum Dei mei.* Hoc intelligendum de lignis quibus aſſiduè nutriebatur ignis in altari holocauſtorum. Fit autem mentio ſacerdotum, Levitarum & populi, quia ſacerdotes debebant hunc ignem lignis appoſitis nutrire; Nathinæi autem, qui hîc ſub Levitis comprehenduntur, ex officio ea ligna apportare; populus autem donare, ſeu pretium eorum perſolvere. Inter ſingulos ergo ſortes mittebantur, ut ſciretur, qui pro tempore per vices ſibi mutuo ſuccedendo, hæc officia præſtare deberent.

℣. 38. *Erit autem ſacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum, & Levitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri.* Videtur hic eſſe ſenſus: Sacerdotes filij Aaron pariter cum cæteris Levitis accipient decimas populi; atque inſuper ipſi offerre debebunt Levitæ decimam partem ſuarum decimarum, quas à populo acceperant, juxta legem Num. 18. Itaque hic locus videtur quædam explicatio illius legis. Vide etiam infrà c. 12. v. 46.

CAPUT XI.

℣. 22. ET *Epiſcopus Levitarum in Ieruſalem Azzi filius Bani, &c.* Epiſcopus hoc loco non ſignificat ſummum ſacerdotem. Nam loquitur hîc ſcriptura de Levitis, qui non erant ſacerdotes; inter quos dicit hunc fuiſſe Epiſcopum. Itaque Epiſcopus hoc loco intelligitur præfectus, ſeu præpoſitus; id enim ſignificat vox Hebræa, quam ſeptuaginta vertunt, Epiſcopus, & noſter interpres ſervavit. Epiſcopus enim Græcè dicitur à viſitando, obſervando, inſpiciendo. Et ſi etymon vocis ſpectemus, ſignificat inſpectorem ſeu ſpeculatorem. Qua ratione olim apud Athenienſes quoque Epiſcopi vox, magiſtratus cujuſdam nomen erat, qui mittebatur ad jus dicendum per ea oppida quæ Athenienſium ditioni patebant. Rectè autem, & convenienter poſteà hoc vocabulum uſu Apoſtolico, & Eccleſiaſtico tranſlatum eſt ad ſignificandum eum, qui in quaque provincia ſacerdotibus & Eccleſiæ præeſt. Nam hoc vocabulo admonetur ſui officij; quod eſt diligenter circumſpicere, & obſervare mores & converſationem ovium ſibi commiſſarum, ut ea quæ corrigenda ſunt corrigat.

℣. 23. *Præceptum quippe regis ſuper eos erat, & ordo in cantoribus per dies ſingulos.* Incertum de quo rege ſcriptura loquatur. Quidam ad Davidem referunt, qui primus in certas vices & ordines diſtribuit miniſteria cantorum in templo, de quo cap. proximè ſequenti: *Iuxta præceptum David viri Dei.* Alij, inter quos Cajetanus, malunt illud ad Darium regem Perſarum referri, qui mandaverat ducibus ſuis habitantibus trans flumen, ut omnibus templi miniſtris neceſſaria ad miniſterium ſuum ſuppeditarentur, per ſingulos dies, ut habemus libro præcedenti. Et ad hoc dicunt conſtitutum fuiſſe iſtum Meſebel, ut quicquid de ſumptu regis eſſet adminiſtrandum, per ejus manus præberetur. Nihilominus veriſimilior eſt prima ſententia, nam c. ſeq. v. 24. in ſimili argumento de vicibus Levitarum dicitur: *ut laudarent & confiterentur juxta præceptum David viri Dei, & obſervarent æquè per ordinem.*

CAPUT XII.

℣. 19. I*oſue genuit Ioachim; Ioachim Eliaſib; Eliaſib Ioiada; & Ioiada genuit Ionathan; & Ionathan genuit Ieddoa.* His verbis ponitur ſeries ſummorum ſacerdotum à Joſue, vel Ieſu filio Ioſedech, qui poſt captivitatem fuit primus uſque ad Ieddoa, qui à Ioſepho vocatur Iaddus. De hoc Iaddo, ſeu Ieddoa refert idem Ioſephus, cum Alexander Magnus cum exercitu Ieroſolymam contenderet, ut eam expugnaret, tanquam faventem partibus Darij regis Perſarum; contra quem bellum ſuſceperat, quod Iaddus pontifex ei obviam proceſſit extra muros indutus pontificalibus indumentis, comitatus caterva aliorum ſacerdotum, qui & ipſi ſacerdotali veſtitu ornati erant; Alexandrum autem, cùm hoc videret, de equo deſcendiſſe, & honorificè cum reverentia eos excepiſſe, pacemque civitati permiſiſſe. Plura etiam alia addit Ioſephus. Nobis ſufficit ex ea hiſtoria oſtendi, iſtum Ieddoa ſeu Iaddum uſque ad tempora Alexandri Magni pertigiſſe.

Sed *quæſtio* hinc difficilis oritur, An ergo Nehemias etiam uſque ad illa tempora pervenerit, ut qui hujus Ieddoa meminerit? Sed id impoſſibile videtur. Nam Nehemias pincerna fuit regis Artaxerxis, poſt quem uſque ad Alexandri imperium fluxerunt amplius quàm centum anni. Unde dicendum videtur, quod Nehemias pertingere potuerit, non quidem ad tempora ſacerdotij hujus Ieddoa, quando ipſe Alexandro occurrit, ſed tamen uſque ad ejus infantiam; & quod is longè poſt mortem Nehemiæ ad ſummum ſacerdotium pervenerit, & Alexandro occurrerit.

ỷ.27. *In dedicatione autem muri Ieruſalem requiſierunt Levitas de omnibus locis —— ut facerent dedicationem & lætitiam &c.* Nota, non ſolum celebratur à Judæis dedicatio templi, quod propriè ad honorem divinum extructum erat; ſed etiam portarum & murorum civitatis. Nempe, quia licet civitas ejuſdemque munitio proximè ordinaretur ad habitationem, & ſecuritatem populi; ulterius tamen ordinabatur ad reſtitutionem cultus divini, ejuſque conſervationem; & propterea rectè & convenienter à ſacerdotibus legitur ipſa civitas quoque, ſeu murorum ambitus Deo dedicatus; ut per ejus protectionem intra civitatem poſſint divinum cultum ſecurè, & quietè exercere; præſertim quod in ea ſola civitate & templo liceret ſacrificia Deo offerre: cumque ea typus eſſet Eccleſiæ Chriſti & cœleſtis Jeruſalem: unde & merito ſancta vocata eſt.

ỷ.46. *Et omnis Iſraël —— dabant partes cantoribus & janitoribus per ſingulos dies, & ſanctificabant Levitas, & Levitæ ſanctificabant filios Aaron.* Prius explicat id quod poſteriori loco ponitur. Sanctificare enim hic nihil aliud eſt, quàm partes dare, id eſt, ſubſidia corporalia ſubminiſtrare ſacri miniſterij cauſa. Sic etiã Eccleſ. 7. dicitur: *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes ejus ſanctifica.* Sic enim deinde aliis verbis repetitur: *In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & miniſtros ejus ne derelinquas.* Et confirmant hunc ſenſum ea quæ ſuperius dicta ſunt capite 10. hujus libri, de decimis dandis à populo Levitis; deque decima parte decimarum rurſum offerenda filiis Aaron in domo Domini. At verò quod hîc pluraliter nominentur filij Aaron, & cap. 10. tantum ſingulariter, ſicut & lib. Num. ſolus Aaron, veriſimile eſt totum ſemper genus Aaron intelligi.

CAPUT XIII.

ỷ.1. *Inventum eſt ſcriptum in eo, quod non debeant introire Ammonites & Moabites in Eccleſiam Dei uſque in æternum.* Hæc ſcriptura variè accipitur; Quidam per Eccleſiam Dei intelligunt locum orationis, qui erat atrium ipſum ante templum, quò populus conveniebat. Sed contra eſt, quod nulla natio fuit repulſa à cultu unius Dei, ſed ex qualibet natione, qui volebant circumcidi, & fieri proſelyti, admittebantur ad populum Dei. Exodi 12. Alij itaque intelligunt per Eccleſiam Dei, ſenatum populi Dei; ut ingredi in Eccleſiam Dei ſit habere aliquam functionem publicam pertinentem ad regimen populi, ut eſſe Judicem, tribunum, Centurionem &c. Et ab hujuſmodi functionibus dicunt excluſas fuiſſe certas nationes, quæ Deut. 23. enumerantur; idque, vel perpetuo, vel ad tempus. Tertij intelligunt, ut prohibeatur, ne tales uxorem ducant Iſraëlitidem, eo quod mox ſubjungatur. *Et factum eſt cum audiſſent legem, ſeparaverunt omnem alienigenam.* Sed poteſt hoc etiam intelligi de ſeparatione, quantum ad dignitates & functiones publicas.

ỷ.5. *Fecit ergo ſibi gazophylacium grande &c.* De Eliaſib ſacerdote magno hoc dicitur. Non ſignificat ſcriptura quod fecerit ſibi ipſi gazophylacium: ſed quod fecerit Tobiæ Ammonitæ, qui et erat affinitate conjunctus. Verti quoque poterat hoc modo: *fecerat ei gazophylacium*, ſicut vertit paulò pòſt. *Et intellexi malum quod fecerat Eliaſib Tobiæ ut faceret ei theſaurum in veſtibulis domus Dei. Malum quod fecerat Tobiæ.* id eſt, quod commiſerat in gratiam Tobiæ. Id autem erat quod fecerit ei gazophylacium, ſeu theſaurum in veſtibulis domus Dei. Non autem ſignificatur, quod theſaurus vel pecunia, quæ mittebatur in gazophylacium, cederet in utilitatem Tobiæ; ſed quod ipſum gazophylacium, id eſt, conclave illud quod factum erat ad reponendum theſauros templi, tradiderit in uſum iſtius gentilis hominis, ut ille in eo ſuas arcas & theſauros reponeret, tanquam in loco tutiſſimo. Id autem Nehemias tolerare noluit, partim quod Ammonites eſſet, partim quod ſciret eum eſſe animo hoſtili erga populum Judæorum.

ỷ.7. *Et veni in Ieruſalem, & intellexi malum quod fecerat Eliaſib Tobiæ, ut faceret ei theſaurum in veſtibulo domus Dei. —— Et projeci vaſa domus Tobiæ foras.* Quomodo per hoc & alia quæ ſequuntur, non vendicaverit ſibi Nehemias dux authoritatem ſuprà ſummum ſacerdotem & res ſacras, vide explicatum in ſimilibus factis Ezechiæ pij regis 2. Paralip. 29. v. 15.

ỷ.21. *Si ſecundò hoc feceritis, manum mittam in vos.* Juſtè hoc comminatur Nehemias, etiam alienigenis. Et ratio eſt; quia licet ipſi lege ſabbathi non tenerentur; peccabant tamen & perturbabant rempub. Iudaicum ſcilicet populum à ſuæ legis obſervatione impedientes, & ad tranſgreſſionem ſollicitantes. Et quamvis iſti aliani erant, poterat tamen Nehemias eos punire, utpote peccantes in loco ſuæ juriſdictionis. Patet autem clariſſimè ex hoc loco, etſi emere & vendere non ſint propriè opera ſervilia; prohibita tamen illa eſſe lege de ſabbatho, Exod. 20.

FINIS LIBRI II. ESDRÆ.

ANNOTATIONES
IN LIBRUM TOBIÆ.

PRÆFATIUNCULA.

IN hoc libro inter noſtra Latina & Græca exemplaria quæ hodie extant; non parva pleriſque in locis differentia eſt. Apud Græcos Tobias ipſe c. 1. 2. & 3. loquitur in prima perſona, tanquam ipſe ſcriptor & author eſſet hiſtoriæ. In ultimo capite etiam multa ſunt in Græcis, quæ in noſtris non habentur. At noſtram editionem omni jure præferendam eſſe, non dubitabit, qui ſciet eam à S. Hieronymo ex fonte Chaldæo expreſſam.

Quis ſit author libri non cõſtat. Saltem cum utriuſque Tobiæ mors in eo deſcribatur, manifeſtum eſt neutrum totius ſcriptionis eſſe authorem; partes tamen ab iiſdem ſcriptas eſſe, conjectura à nonnullis ſumitur, ex eo quod in Græcis Tobias ipſe primis capitibus in prima perſona loquatur. Non eſt autem abſimile vero, ſcriptum fuiſſe librum poſt reditum populi ex captivitate; quo tempore, propter varias prophetias omnium ferè prophetarum tunc promulgatas, explicatius cœpit credi ab illo populo, de felicitate quæ poſt hanc vitam expectanda erat: Unde & hoc libro c. 2. dicit Tobias: *Nolite ita loqui; filij enim Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Hinc & in libris Machabæorum aliquoties mentio ingeritur de reſurrectione mortuorum.

C A-

CAPUT PRIMUM.

℣.2. **I***N captivitate tamen poſitus, viam veritatis non deſeruit &c.* Liber hic totus moralis eſt continens pulcherrima præcepta & exempla pietatis in Deum, & miſericordiæ in proximum. Quorum utrumque ex ſolo primo capite intelligi poteſt. Primum enim laudatur ejus pietas in Deum, quod cum cæteri ejuſdem tribus concurrerent ad vitulos aureos, quos erexerat Ieroboam, ipſe eorum conſortia fugiens, aſcenderet in Jeruſalem ad templum Domini, offerens primitias, decimas & primogenita ſecundum legem. Deinde quod in captivitate poſitus cibis gentilium, quos lex prohibebat, nunquam fuerit contaminatus. Tertiò commendantur ejus opera miſericordiæ; quod videlicet concaptivis fratribus egentibus omnia quæ habere & conſequi poterat, quotidie fuerit impertitus, quod eis ſalutis monita dederit, quod Gabelo egenti mutuo dederit decem talenta argenti. Denique quod mortuis & occiſis ſepulturam ſollicitus exhibuerit. In eodem proponitur nobis exemplum patientiæ, dum propter officium pietatis erga mortuos exhibitum, à rege Sennacherib ad mortem quæſitus, cogitur cum tota familia exulare, tota ſubſtantia ejus fiſco addicta.

℣.11. *Igitur cum per captivitatem deveniſſet in civitatem Niniven, cum omni tribu ſua: cum omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam.* Notandum eſt, quamvis Chriſto docente, *quod intrat in os, non coinquinat animam*; ſcilicet coinquinatione ea quæ animam obliget peccato: legaliter tamen immundus efficiebatur Judæus, ſi cibos ſecundum legem immundos comedebat; imò conſequenter etiam fiebat moraliter immundus; nempe quia peccabat in legem Dei, quandocumque ſine neceſſitate veſcebatur cibis ſecundum legem immundis. Igitur ab utraque contaminatione ſe, & animam etiam ſuam, ut hîc dicitur; Tobias ſervavit; quod inſigne exemplum eſt, ne Catholici converſantes inter hæreticos, putent ſibi licitum eſſe, ne ab aliis rideantur, contra præſcriptum Eccleſiæ veſci cibis vetitis.

℣.17. *Cum in multa turba Gabelum egentem videret, ſub chirographo dedit illi pondus argenti. Quæritur* an hoc non ſit contra præceptum Chriſti, qui dicit, Luc.6. *Mutuum date nihil inde ſperantes*: & imprimis contra præceptum de eleemoſynis: *Reſpondeo*, aliud eſt donare, aliud mutuo dare. Et aliquando quidem ſuadet aut jubet charitas, donandum eſſe; ſcilicet quando is qui eget non videtur ditior aliquando futurus, ut poſſit reddere; ſed aliàs etiam ſufficit, ut mutuum detur, ſi videlicet videatur poſſe reſtitui. Factum eſt itaque hoc à Tobia prudentiſſimè; nempe ſi ipſe poſtea egeret (quod accidit) ut repetere poſſet; aut, etiamſi ipſe non egeret, & Gabelus poſſet reſtituere, poſſet pecuniam illam aliis rurſum egentibus impertiri; & ita miſericordiam ſuam ad plures extendere. Quod igitur donatur, repeti non poteſt; ſed bene quod mutuo datur, & utrumque opus ex charitate procedit. Nec obſtat illud dictum Chriſti; *Mutuum date nihil inde ſpectantes*; quia ſenſus eſt: Nihil expectetis ultra ſortem, ſeu ſummam mutuo datam; ſed neque ut vobis aliquando ſimile beneficium præſtetur viciſſim ab iis quibus mutuum dederitis. Hoc enim tantum velle Chriſtum eo loco, patet ex toto contextu.

CAPUT II.

℣.8. **A***Rguebant autem eum omnes proximi ejus dicentes: jam hujus rei cauſa interfici juſſus es &c.* Dubitet quiſpiam meritòne fuerit arguendus Tobias, quod cum periculo vitæ ſuæ mortuorum corpora voluerit dare ſepulturæ? Neque enim mortui ſepultura tanti eſt, ut propter eam quis mortis periculum ſubeat. Reſpondeo, ubi præſens eſſet periculum homini ſepelienti mortuum aut ſepelire conanti, abſtinendum eſſe; quia neque exequi poſſet officium ſepulturæ poteſtate impediente, aut ſepultum mox iterum eruente; & ipſe occideretur & inſepultus abjiceretur, & ſic malum duplicaretur. Si verò periculum non eſſet præſens; nec etiam futurum valde probabile, metuendum tamen aliquo modo; non debet hoc caſu reprehendi, ſed laudari qui adhibita cautela, ſicut hîc Tobias feciſſe legitur, mortuorum corpora ſepelit; maximè piorum & ob odium veræ religionis interfectorum, ut olim erant martyres, quorum corpora qui abſtulerunt & occultè ſepelierunt, eos à tota antiquitate laudatos legimus. Siquidem hujuſmodi opus non tantum eſt officium humanitatis in proximos & proteſtatio futuræ reſurrectionis mortuorum; verum etiam actus religionis in Deum, ſicut eſt ipſa martyrum confeſſio.

℣.15. *Nam ſicut beato Iob inſultabant reges.* In libro Iob Hebræo ſeu Chaldæo non dicuntur reges, ſed tantum amici Iob, qui cum eo diſputaverunt, non ſine contumelia & inſultatione, dicentes eum ſuo merito talia pati. Iob, 2. Nihilominus in Græco exemplari reges vocantur, nempe Eliphaz Themanorum rex, Baldad Suchæorum tyrannus, & Sophar rex Minæorum. Sed rex ſeu tyrannus ſæpe ſignificat eum qui quemcumque gerit principatum, etiamſi exiguum.

℣.16. *Parentes & cognati ejus irridebant vitam ejus dicentes: ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas & ſepulturas faciebas?* Ista verba tametſi dicta ſint ab Iſraëlitis, qui habebant fidem unius Dei; videntur tamen proceſſiſſe ex infidelitate; qua videlicet non credebant poſt hanc vitam reſtare aliam in qua redditurus ſit Deus unicuique ſecundum opera ſua, præmia bonis, ſupplicia malis. Qui enim hoc non credit, etiamſi fateatur ſe habere fidem unius Dei, revera infidelis eſt, etiam circa religionem de Deo: quia detrahit Deo attributa neceſſario ei competentia: videlicet juſtitiam & providentiam ad quam pertinet retributio bonorum & malorum. Item tollit fundamentum ſpei. Et ex hoc loco ſatis apparet multos fuiſſe in illo populo qui tantum temporalem retributionem pro legis obſervatione expectandam putarent. Qui proinde non videntur verè fuiſſe fideles, ne quidem fide implicita eorum quæ neceſſario credenda ſunt. Neque enim illis tribuenda eſt fides implicita providentiæ Dei, qui expreſsè illi detrahunt, ſicut iſti feciſſe leguntur. Tobias autem ad ſpiritualem, & verè fidelem populum Dei oſtendit ſe pertinere, quando illis reſpondens ait: *Nolite ita loqui quoniam filij ſanctorum ſumus*; quaſi diceret: Idem credere debemus quod ſancti Patriarchæ, quorum filij ſumus, crediderunt, in qua etiam fide defuncti ſunt. Quæ autem ſit illa fides, oſtendit ſequentibus verbis; *Et vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo.* Hoc eſt: credimus nos, ſi in fide & ſancta converſatione permanſerimus, conſecuturos vitam æternam. Hic etiam notandum fidem ſemel habitam amitti poſſe. Id enim ſignificat, quod ait: *Quam Deus daturus eſt his qui fidem ſuam nunquam &c.* Item notandum nihil æquè hominem Chriſtianum confirmare ad toleranda omnia adverſa hujus vitæ, & ad ſuperandas omnes tentationes malas, quàm ſi fidem futuræ vitæ & æternæ retributionis ſæpius in ſe excitet, & recenti recordatione accendat, quemadmodum docet Apoſtolus ad Hebr. 11. Non dicit: quoniam ſancti ſumus; tum quia ſibi ſanctitatem tribuere, humiliter noluit; tum quia illi ad quos loquebatur, revera ſancti non erant. Denique dùm dicitur: *Nolite ita loqui, quoniam filij ſanctorum ſumus*, oſtenditur quem uſum habere debeat generis nobi-

nobilitas; id eſt, ex majoribus, virtute & nobilitate illuſtribus prognatum eſſe; ut videlicet deſignare nolimus, quod talibus majoribus indignum ſit: ſed eorum virtutem, ſanctitatem & religionem ita nobis ſemper ponamus ante oculos, ut eam moribus & factis exprimere ſtudeamus.

CAPUT III.

ỳ.6. P*Recipe in pace recipi ſpiritum meum. Quæritur* occaſione horum verborum, quibus Tobias mori precatur, cum poſtea adhuc vixerit annis quadraginta duobus, quomodo in fine hujus ejuſdem capitis dicatur oratio ejus exaudita? *Reſpond.* Exauditus eſt Tobias, non quia id quod petivit ei præſtitum eſt, ſed quia aliquid melius ei à Deo conceſſum eſt, ut etiam viſum reciperet. Vel potius, exauditus eſt; quia non petiit abſolutè mori, ſed addidit: *ſecundum voluntatem tuam fac mecum.* Diſiunctiva ergo ejus fuit oratio, ſicut & Saræ: *Peto Domine, ut de vinculo improperij hujus abſolvas me, aut certè deſuper terram eripias.* Diſiunctivè autem veritas, etiam in unius tantùm partis veritate, præſtatur.

ỳ.7. *Vt Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum. Quæſtio* ex his verbis movetur contra fidem præſentis hiſtoriæ. Cum enim, inquiunt, hîc dicatur Saram habitaſſe in Rages civitate Medorum, pugnat id cum eo quod capite primo v.16. itidem dicitur habitaſſe in Rages civitate, Medorum, Gabelus. Nam capite nono angelus proficiſcitur ad Gabelum tanquam habitantem in loco procul diſſito ab habitatione Saræ. Ad hoc *reſpondent* nonnulli Saram habitaſſe *in Ecbatanis civitate Medorum;* ſic enim legit Græcus textus hoc capite, & capite ſexto, pro eo quod nos habemus (*in Rages civitate Medorum.*) Sed nihil opus eſt verſionem noſtram propterea erroris accuſare. Nam intelligi poteſt, vel ipſam Ecbatanis quoque alio nomine vocatam fuiſſe Rages; vel certè in eadem provincia diverſas civitates fuiſſe ejuſdem nominis; ſicut notum eſt olim in Aſia fuiſſe plures Antiochias, Alexandrias, Cæſareas, & nunc paſſim in plurium provinciarum civitatibus idem locum habet.

ỳ.11. *Et tribus diebus & tribus noctibus non manducavit neque bibit.* An propriè hoc dictum, an ſynecdochicè, ſicut illud Evangelicum Matth.12. quod filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus? Et ſicut Eſther 4. præcipitur Judæis ne comedant & ne bibant tribus diebus & tribus noctibus. Et quidem apparet ſic intelligendum, quia ſequitur quod tertia die, ſcilicet expleto jejunio poſt orationem benedixerit Dominum, ſicut Chriſtus tertia die reſurrexit, & ſicut Eſther die tertia, nempe expleto jejunio, induta regalibus veſtimentis adiit regem. Vide annot. Eſther 5. & Matth. 15.

ỳ.25. *Et miſſus eſt angelus Domini ſanctus Raphaël, ut curaret eos ambos.* Raphaël, id eſt, medicina Dei. Quo nomine rectè vocatus eſt hic angelus, qui ad hoc miſſus fuit ut Tobiam à cæcitate, & Saram à dæmonio verus à Deo medicus liberaret.

CAPUT IV.

ỳ.11. Q*Voniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Priorum verborum ſenſus eſt; quod eleemoſyna primò liberat à reatu omnis peccati, juxta illud Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime:* deinde, quòd etiam Deus clementer miſeretur largiendo ſuam gratiam his qui veras & puras faciunt eleemoſynas; ut poſſint reſurgere à peccatis; juxta illud: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. Porrò de eo quod poſteriori loco dicitur: *Eleemoſynam non pati animam ire in tenebras*, eleganter Auguſt. in pſal. 96. Hoc, inquit, loquebatur ille qui in tenebris erat. Et paulò pòſt: Et quare hoc dicebat; niſi quia aliam lucem videbat. Ita ille? Ex his etiam obſerva quod animæ juſtorum veteris teſtamenti, poſt mortem corporis, jam tum verſabantur in pace; ut patet ex oratione Tobiæ capite præcedenti, v. 6. qua de re diximus in 3. diſtinct. 22. §. 3.

ỳ.16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquãdo alteri facias.* Senſus eſt, quod, tanquam injuſtum, oderis ab alio tibi fieri; vide ne alteri facias. Et eodem modo intelligendum eſt affirmativum illud præceptum in Evangelio Matth. 7. *Quæcumque vultis ut vobis faciant homines, eadem & vos facite illis.* Senſus enim eſt; Quæcumque vultis juſta & rationabili voluntate vobis ab aliis fieri. Explicant enim hæc duo præcepta naturæ, iſtud præceptum Dei, & viciſſim ab eodem explicantur; *Diligas proximum tuum ſicut teipſum.*

ỳ.18. *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue.* Circa epulas quæ fiunt in gratiam defunctorum, error fuit quorundam gentilium, ut putarent mortuos cibis corporalibus indigere, ideoque ſepulchris eorum cibum & potum imponebant. Alij verò non tam errore, quàm prava conſuetudine ſuper ſepulchra parentum magnifica convivia inſtruebant, quæ magis fiebant ad oſtentationem, quàm ad pium aliquem uſum; de quo in ſermone, quem titulo Auguſtini legit Eccleſia in cathedra Petri Antiochena. Quod autem hoc loco Tobias admonet filium, omnino pium & juſtum eſt, ut videlicet in exequiis juſtorũ & potu reficiantur pauperes; ſive id fiat ſuper ſepulchro, ut olim fieri ſolet, ſive alibi. Non moneret autem peculiariter id faciendum in morte vel exequiis juſti, niſi illud opus miſericordiæ etiam aliquo modo ad juſtum pertineret, id eſt, niſi fructus aliquis inde ad animam hominis defuncti pertingeret. Unde hinc non incongruè confirmatur oblatio eleemoſynæ pro defunctis.

ỳ.23. *Multa bona habebimus ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus benè.* Videtur hic ſenſus eſſe; Si timuerimus Deum &c. Deus nos largiter remunerabit in futuro ſæculo. Conſtat enim ex ſuperioribus Tobiam bona opera exercuiſſe ob ſpem vitæ æternæ. Nec ipſe ſperabat ampliora bona temporalia in hac vita homo cæcus & ſenex, & in mortis expectatione poſitus. At Græca ſic habent: *Sunt tibi multa bona ſi Deum reveritus fueris, & quod gratum ei ſit, ſtudueris facere.* Quorum ſenſus hujuſmodi videtur eſſe: Si Deum timeas, & quod ei gratum eſt facias, ſat dives eris. Sunt enim hæc magna & præcipua bona: timor Dei; & obedientia mandatorum ejus. Uterque ſenſus bonus & pius eſt.

CAPUT V.

ỳ.7. A*Ngelus interrogatus à juniore Tobia, unde eſſet? reſpondit; Ex filiis Iſraël,* & infrà v. 18. *Ego ſum*, inquit, *Azarias Ananiæ magni filius. Quæritur*, quomodo in his verbis non ſit mendacium? *Reſpondeo*, quia ſicut actiones angelorum inter homines non ſunt accipiendæ, ut actiones humanæ, ſed ut actiones humanis quidem ſimiles, ſed aliud ulterius ſignificantes, ſicut videntur comedere, ut oſtendant ſe cibo & potu inviſibili & immortali apud Deum frui: ſic etiam ſermones ipſorum accipiendi ſunt potius ut ſigna quorundam myſteriorum, quàm ſecundum proprietatem verborum. Quod ergo Raphaël angelus dicit ſe eſſe *ex filijs Iſraël*, ſignificat ſe, per amorem & miniſterium, filiis Iſraël, veri Dei cultoribus, adeſſe. Ac ſimiliter accipiendum eſt quod ait: *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius.* Nam *Azarias* ſignificat adjutorium Dei, *Ananias* verò nubem Domini, & divinationem Domini. Itaque ſignificat ſe divinæ providentiæ conſilio miſſum in adjutorium Tobiæ.

Poteſt

Poteſt etiam aliter reſponderi. Videlicet angelum, loqui ſecundum ſimilitudinem perſonæ aſſumptæ, ut ſenſus ſit: Sum ex filiis Iſraël, id eſt, ſimilitudinem gero unius ex filiis Iſraël, nimirum, ut poſtea explicat, Azariæ filij Ananiæ, hominis eo tempore noti; quod colligitur ex ijs verbis, quibus Tobias reſpondit dicens: *Ex magno genere es tu. Sed peto, ne iraſcaris, quod voluerim cognoſcere genus tuum.*

℣.21. *Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro, & angelus eius comitetur vobiſcum.* Ecce, non ſolum exemplum angeli Raphaëlis, ſed etiam verba Tobiæ oſtendunt hominum curam angelis eſſe à Deo commiſſam. Subjicit enim quaſi explicans quod dixerat; *Sit Deus in itinere veſtro, & angelus eius comitetur vobiſcum.* Sic rurſum poſtea identidem dicit; v.27. *Credo enim quod angelus Dei bonus comitetur eum.* Facit ergo hoc, ſicut & ſimiles Scripturę, contra hereticos, qui negant Sanctorum angelorum pro hominibus apud Deum interceſſionem. Si enim cura noſtrę ſalutis à Deo illis commiſſa eſt, ergo & interceſſio. Adde, quod angelus idem infrà c.12. apertè dicit: *Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.*

CAPUT VI.

℣.8. *Cordis enim particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Vide infrà cap.8.

℣.12. *Tibi debetur omnis ſubſtantia eius.* Ratio erat, quia ſecundum legem Num.ult. filia, quæ fratrem non habebat, nubere debebat alicui de ſua cognatione, ne poſſeſſiones de tribu in tribum, aut de familia in familiam transferrentur. Jam verò Tobias erat de eadem tribu, imo & propinquus de tribu illa, id eſt, de cognatione etiam, & non ſolum de tribu. Quod patet, tum ex verbis angeli hoc eodem capite proximè præcedentibus. *Eſt hic Raguel nomine, vir propinquus tuus,* tum quod cap. ſequenti Raguel vocet Tobiam conſobrinum ſuum.

℣.14. *Audivi quia tradita eſt ſeptem viris, & mortui ſunt.* Serarius putat hos eſſe ſeptem illos viros, de quibus Sadducæi Chriſto quæſtionem movebant, dicentes Matth.22. *In reſurrectione cuius ex ſeptem erit uxor?* Sed fallitur Serarius; hæc enim mulier Sara habuit octo viros, Tobiam ſcilicet octavum. Debuiſſent ergo quærere *cuius ex octo?* Et facile fuiſſet reſpondere ſecundum ingenium illorum hominum carnalium, etiam illis ipſis judicibus, quod ipſe Tobias ſine dubio illam habere debuiſſet, utpote quod ipſe ex ea ſolus, & non alij, liberos ſuſcitaſſet. Sed de ſeptem viris propoſita eſt quæſtio, quorum æquum omnibus eſſet jus; atque ita difficulter putabant Chriſtum ad hanc quæſtionem reſponſurum; ſed ille reſpondit: *Erratis, &c. in reſurrectione neque nubent, neque nubentur.*

℣.22. *Accipias virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quàm libidine ductus.* Comparatio eſt impropria, qualis eſt in Scriptura frequens. Sic illud Eccl.7. *Melior eſt patiens arrogante;* ubi non eſt ſenſus, quod arrogans minus bonus ſit, ſed quod patiens bonus & laude dignus, arrogans autem non. Sic & illud intelligitur: *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Poſtremum enim omnino malum eſt. Eſt itaque & hic verborum iſtorum angeli ad Tobiam, ſenſus: *Accipies virginem amore filiorum, & non libidine.* Sic enim illa intelligit Tobias c.8. dicens ſe non luxuriæ cauſa, ſed ſola poſteritatis dilectione conjugem accipere. v.9.

CAP. VII.

℣.10. *Hic hodie non manducabo neque bibam, niſi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam.* Quod Tobias eo modo ſe obſtringat; ſcilicet ſe neque manducaturum neque bibiturum eo in loco, niſi prius voti compos fiat, non eſt adſcribendum eius temeritati, aut imprudentiæ; ſed conſilio angeli Raphaëlis factum creditur; à quo jam ante inſtructus erat, ut peteret hanc ſibi in uxorem. Et quamvis nondum ſciret eum eſſe angelum Dei, ſed putaret hominem; tamen multis indiciis jam didicerat eſſe pium, ſanctum, & prudentem; de quo non dubitabat, quin ipſi optimè conſuleret. Si quis *abjiciat* illum ſaltem malè feciſſe, quod inſcio patre has nuptias adierit: *Reſpondeo,* nequaquam, quia hanc filiam petiit ſibi uxorem eius conſilio, cuius curæ pater ipſum commiſerat; & negotium ſine magno incommodo differri non poterat. Moraliter, hic Scripturæ locus & factum Tobiæ junioris, admonent non eſſe contrahenda ſponſalia, multo minus matrimonia, poſt pocula, aut poſt epulas; quando ratio minus viget, ſed ante cibum & potum, & à ſobriis tam ſanctum opus eſſe tractandum; maximè tempore novæ legis, quando matrimonium eſt unum ex ſeptem Sacramentis.

℣.14. *Et credo, quoniam ideo* (Deus) *fecit vos venire ad me, ut iſta conjungeretur cognationi ſuæ ſecundum legem Moyſi.* Nempe Num.36. præcipitur, ut fœminæ, quæ fratribus carerent, non nuberent niſi viris ſuæ tribus & cognationis, ne hæreditas patris earum tranſiret ad aliam tribum ſeu cognationem. Et ſuprà, Tobias vocatur à Raguele conſobrinus: Sicque Sara, quæ filia unica erat, conſultiſſimè, & omnino divina diſpoſitione, data eſt Tobiæ, qui ſimiliter unicus erat filius. Quod tamen Raguel dicit (*credo*) non eſt firmiter omnino aſſentientis, ſed probabiliter tantum exiſtimantis: Nam paulò pòſt Raguel adhuc metuebat Tobiæ ſimilem cum prioribus exitum. Nam foveam fieri juſſit, in qua eum, ſi fortè ſimiliter à dæmone oppreſſus fuiſſet, ſepeliret. Potuit tamen prius ſatis de Deo confiſus fuiſſe, ſed poſtea iterum vacillaſſe. Verbum enim (*credo*) in Scriptura, ut minimum ſignificat (*confido*) quomodo & Tobias Senior dicit cap.5. *Credo quod angelus Dei bonus comitetur eum.*

CAPUT VIII.

℣.2. *Recordatus Tobias ſermonum angeli, protulit de caſſidili ſuo partem jecoris, poſuitque eam ſuper carbones vivos. Tunc Raphaël angelus apprehendit dæmonium, & religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Primo ſciendum eſt, non pugnare hic dici de parte jecoris, id quod capite 6. de corde eiuſdem piſcis dictum eſt. Nam ſæpe quod uno loco omiſſum eſt, alio loco ſuppletur; & dicendum, tam cordis, quàm jecoris partem à Tobia fuiſſe carbonibus ſuperpoſitam. At verò ne hic occurrat ulla ſuſpicio ſuperſtitionis; certum eſt, nullam rem merè corpoream poſſe naturaliter agere in creaturam ſpiritualem, qualis eſt dæmon. Itaque partes iſtæ cordis & jecoris, aut fumus ex iis procedens, nihil omnino naturaliter agere potuit in dęmonem, virtutem eius debilitando, vel prorſus impediendo: Sed duobus modis, quod hic dicitur, intelligi poteſt. *Uno modo,* ſi dicamus ita placuiſſe Deo, ut per hæc corporalia tanquam per inſtrumenta quædam ſupernaturaliter operaretur in fugandum dæmonem; quemadmodum per Sacramenta Eccleſię dęmonicis poteſtas cohibetur, & maximè per baptiſmum. *Altero modo,* ſi dicamus hęc fuiſſe mera ſigna & figuras earum rerum, quæ per ſe valebant ad dæmonem fugandum. Nempe ſupra dictum eſt actiones angelorum hominibus apparentium figurativas eſſe. Cor itaque ſignificat mentem ſeu voluntatem hominis; jecur concupiſcentiam, juxta illud hymni: Lumbos jecurque morbidum adure igne congruo; fumus fervorem orationis aſcendentis ad Deum. Dum ergo mens per orationem ad Deum erigitur, & concupiſcentia igne devotionis refrænatur; dæmon

fugatur. Sed priori explicationi magis ſuffragari videtur quod cap.6. v.5. dicentur *medicamenta*, ſcilicet medicamenta ſupernaturalia.

℣.9. *Domine tu ſcis quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam, ſed ſola poſteritatis dilectione.* Hinc ſcilicet & illud Apoſtoli 1.Cor.7. *Et iterum revertimini in idipſum. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium.* Vide etiam ſuprà cap.6. v.22.

CAPUT IX.

℣.1. *Tunc vocavit Tobias angelum ad ſe, quem quidem hominem exiſtimabat, &c.* Hoc caput in Græco textu multo paucioribus verbis contexitur, nempe his tantum: *Et vocavit Tobias Raphaëlem, & dixit ei, Azaria frater accipe tecum puerum, & duos famulos, & vade in Rages Mediæ ad Gabelū, & porta mihi argentum, & eum adduc ad nuptias, quoniam juravit Raguel, non exiturum me. Et pater meus numerat dies, & ſi tardavero multum triſtabitur valde. Et abiit Raphaël, & manſit apud Gabelum, & dedit ei chirographum. Ille autem obtulit thecuias in ſigillo, & dedit ei. Et mane ſurrexerunt ſimul, & venerunt ad nuptias; & benedixit Tobias uxorem ſuam.* Hæc, nec plura in Græco textu.

℣.3. *Et vadas ad Gabelum in Rages civitatem Medorum.* Nonnulli ex eo quod in Græco non habetur (*civitatem*) ſed tantum (*in Rages Mediæ*) dixerunt hunc Gabelum habitaſſe in agro civitatis Rages ſubjecto, Saram verò in ipſa civitate. Verum quia noſter Latinus textus utroque loco clarè habet (*in Rages civitatem Medorum*) nempe de Sara ſuprà cap.3. v.7. & hoc loco de Gabelo, diſſolvendus eſt hic nodus eo modo quo eum ad cap.3. ſolvimus.

CAPUT X.

℣.3. *Coepit autem contriſtari nimis* (Tobias) *ipſe & Anna uxor ejus.* Nihilominus v.6. ſic Tobias ad uxorem: *Tace & noli turbari.* Per hoc quod Tobias prius contriſtatus eſt, ſignificatur præveniens motio partis ſenſitivæ, quam homo omnino excludere non poteſt; per hoc autem quod poſtea forti & virili animo etiam uxorem fuerit conſolatus, ſignificatur, quod officium rationis ſit cohibere motus illos ſenſitivos, contra imperium ejus inſurgentes, & non permittere ut dominentur. Quod igitur uxor dicitur: *fleviſſe irremediabilibus lachrymis*, ſignificatur, quod ſenſualitas non ſua natura, ſed tantum à ratione refrænari poſſit; unde & mulier conſolari (ſcilicet plenè) non poterat, ſed tantum vir, quia mulier ſenſualitatem, vir autem rationem ſignificat. Ad litteram commendatur magna & perfecta patientia Tobiæ, quod poſitus in tot malis, videlicet paupertatis (dixerat enim cap.4. *pauperem vitam gerimus*) cæcitatis, ſenectutis, abſentiæ filij, immoderatæ triſtitiæ uxoris; nihilominus tamen ſe & uxorem piis verbis conſolatus ſit.

℣.13. *Monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, &c.* Nempe parentes Saræ ultimo diſceſſu monent filiam, honorare ſoceros aliaque præſtare, & in primis ſeipſam irreprehenſibilem exhibere; idcirco, ut hæc noviſſima verba altius ejus memoriæ infigerentur. Paulus ad Epheſios & Coloſſenſes, & Petrus in 1. ſuæ epiſtola, admonent uxores, ut ſint maritis ſubjectæ, nulla facta expreſſa mentione dilectionis, & ſimiliter Geneſ.3. ad Evam dicitur: *Sub viri poteſtate eris.* Sed iſta non repugnant ei quod hoc loco Saræ à parentibus præcipitur, ut maritum ſuum diligat, quia quod uno loco dicitur, non eſt neceſſe ubique inculcari, ſed in aliis locis etiam ſubintelligitur. Etenim non poteſt mulier ſubjecta eſſe viro in educatione prolis, reddendo debito, & aliis, niſi eum diligat. Nam ſubjectio iſta non eſt talis, qualis eſt ſervorum, aut filiorum, ſed qualis ſocij ad ſociam. Unde & Adam dicit eodem cap.3. Geneſ. *Mulier quam dediſti mihi ſociam, &c.*

CAPUT XI.

℣.7. *Vbi introieris domum, ſtatim adora Dominum Deum tuum, & gratias agens, accede ad patrem tuum, &c.* Sumitur ex hoc generalis inſtructio omnium Chriſtianorum, ut quoties ex itinere, maximè longinquo, & periculoſo, domum redeunt, ante omnia Deo gratias agant de ejus protectione, priuſquam cum amicis, aut propinquis incipiant colloqui, aut aliud quid agant.

℣.9. *Tunc præcurrit canis, qui ſimul fuerat in via, & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat, &c.* Solent nonnulli mirari, quomodo hæc tam minuta & levia ſcripta ſint dictante Spiritu Sancto; & veluti in dubium revocant; an neceſſario credendū ſit, canem habuiſſe caudam. Quibus *reſpondeo*, non cenſenda eſſe minuta & levia, quæ juſtā habuerunt cauſam cur ſcriberentur, quale iſtud eſt de cane Tobiæ. Deſcribitur enim hic canis, tanquam *nuncius adveniens*, ut ſcriptura loquitur, hoc eſt, ut nuncius filij advenientis, quo tantopere pij illi parentes ſunt recreati. Deinde ad hujuſmodi per ſe exigua ſcribenda, idcirco Spiritus ſanctus movit authores ſacros, ut docerent Dei providentiam ad omnia omnino etiam minutiſſima extendi juxta illud Matth.c.10. *Vnus paſſer non cadit in terram ſine voluntate patris.* Pertinent autem hujuſmodi ad fidem, non quaſi articuli fidei, ſed ratione quadam ſecundaria; tali, qualem jam explicuimus; vel ſaltem ea, qua creditur Scripturam non poſſe errare, aut narrare falſum.

℣.13. *Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, linivit oculos patris ſui. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam, &c.* Quidam hæc *myſticè* interpretantur, quod corporalis afflictio, & correptio divina, quamvis amaræ ſint homini carnali, inſtar fellis; tamen aperiant oculos mentis noſtræ. Alij *litteraliter*, ſed intelligunt fel iſtius piſcis etiam naturaliter valuiſſe ad tollendam hanc albuginem ex oculis Tobiæ. Non enim, inquiunt, propriè cæcus erat ex corruptione ſenſus videndi, ſed tantùm ex impedimento albuginis, qua pupilla tegebatur; qualis cæcitas naturaliter curari poteſt. Verùm quia Scriptura ſuprà cap.2. v.13. plagam cæcitatis appellat, rectius puto dicendum, operationem hanc miraculoſam fuiſſe, & ſupernaturalem; tum quia nulla naturalis Hiſtoria refert fel alicuius piſcis valere, ad tollendam ab oculo hujuſmodi albuginem aut pelliculam; tum etiam, quia calida ſtercora, quæ inciderant in oculos Tobiæ, non albuginem tantum pupillis obduxiſſe facile intelligi poſſunt, ſed potius lumina extinxiſſe; ſicut calx extinguere ſolet. Ac tertio, quia angelus ſuprà cap.6. ſicut affirmat jecur piſcis valere ad extricandum omne genus dæmoniorum, eodem tractu orationis dicit, fel valere ad ſanandos oculos in quibus fuerit albugo. Atqui illud prius valuit tantum virtute ſupernaturali, ut ſuprà oſtenſum eſt cap.8. v.2. Ergo & iſtud. Nec obſtat, quod meminit albuginis, & membranæ tegentis oculos, quia id accidit etiam in oculis verè excæcatis, ut ceſſante uſu obducantur pelliculâ.

CAPUT XII.

℣.2. *Pater quam mercedem dabimus ei?* Quære non fuit hæc cogitatio ſimoniaca, cum inter ea beneficia quæ hic Tobias enumeret ſibi præſtita, quædam ſint miracula, de quibus in Evangelio univerſim præcipit Dominus: *Gratis accepiſtis, gratis date?* Reſponderi poteſt, vel generatim intelligi mercedem, quomodo etiam de ſpirituali labore dicit Dominus: *Dignus eſt operarius mercede ſua*, nomine mercedis intelligens id, quod quis opere ſuo meretur, etiamſi non ſit pretium, ſed potius honorarium, quod

honoris

honoris cauſa datur ei, cuius opus excellentius eſt, quàm ut ei pretium æquari poſſit. Vel diſiunctivè locutum eſſe Tobiam: *Quam mercedem dabimus ei: aut quid dignum poterit eſſe beneficiis eius?* id eſt, aliquo modo tantis beneficiis reſpondens. Quod ſi *dignum* intelligas æquale; dicemus Tobiam hac interrogatione voluiſſe negare, poſſe ſe reddere æquale, ſicut & illis verbis quæ ſequuntur: *Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?* quaſi diceret, nihil; Eſt quoque notandum angelum c.5. vocaſſe ſe mercenarium, cum ait: *Genus quæris mercenarij an ipſum mercenarium?* Et in Græco legitur, quo diurno denario pactus fuerit ſe ducem ac comitem futurum filij. Ea igitur parte, qua ducatus operam præſtiterat, potuit Tobias, neſciens eum angelum eſſe, propriè mercedem vocare, quod ei deberi exiſtimabat, non autem eâ, qua miracula fecerat.

℣.7. *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare honorificum eſt.* Ratio diſcriminis eſt, nempe, quod occulta regum conſilia non ſunt prodenda, nec in publicum proferenda; ſic enim impediri poſſet eorum ſucceſſus; ſed illud in operibus & conſiliis Dei locum non habet. Nihil enim illa impedire poteſt, ſicut ſcriptum eſt; *Omnia quæcumque voluit fecit in cælo & in terra*, & alia multa huiuſmodi.

℣.12. *Quando orabas cum lachrymis, &c. ego obtuli orationem tuam Domino.* Eleganter Bonaventura in magiſtrum lib.4. diſt.11. ad textum, exponens illud canonis ſacri; Jube hæc perferri per manus ſancti angeli tui, &c. docet, quomodo angeli Deo offerant preces noſtras, videlicet, non propter ignorantiam Dei, cui omnia ſunt nota, etiam antequam fiant, ſed propter utilitatem noſtram, quia ſuis ſanctis & puris effectibus nos adjuvant, & opera noſtra bona in conſpectu Dei replicant. Vide etiam ſuprà cap.5. v 21.

℣.15. *Ego ſum Raphaël angelus, unus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum.* Ianſenius agens de Gabriële, qui ſimiliter Lucæ 1. dicit ſe adſtare ante Dominum, ſic habet; Adiecit Gabriel; *Qui adſto ante Deum*; ſignificans ſe non eſſe unum ex angelis, qui ejecti ſunt à facie Dei, ſed ex his, qui Deo ſemper ſunt præſentes. Dicuntur autem angeli adſtare ante Deum metaphorica locutione, ad ſimilitudinem miniſtrorum adſtantium ante regem, nempe, quod vultum Dei aſſiduè contemplentur, paratique ſint ad omne obſequium divinæ voluntatis peragendum. Hæc ille. Septenarius ergo numerus nihil aliud, quàm univerſitatem ſignificat. Nec veriſimile quoque eſt Raphaëlem fuiſſe ex ſupremo angelorum ordine: nam non miſſus eſt ad miniſterium aliquod redemptionis noſtræ, vel bonum aliquod univerſale publicandum; ſed tantùm ad ſpecialem conſolationem paucorum; ideo tamen nominatur in Litaniis cum Michaele & Gabriële, quia nomina ipſorum, & non aliorum, in Scriptura nobis ſunt expreſſa.

CAPUT XIII.

℣.11. I*Eruſalem civitas Dei, caſtigavit te Dominus in operibus manuum tuarum.* Id eſt, propter peccata tua. Quomodo autem caſtigatio hæc intelligenda ſit, indicat verbis ſubjectis, cum dicit: *Confitere Domino in bonis tuis, & benedic Deum ſæculorum, ut reædificet in te tabernaculum ſuum, & revocet ad te omnes captivos.* Intelligit ergo ita caſtigatam fuiſſe Ieruſalem, ut tabernaculum, id eſt, templum dirutum fuerit, & populus eius abductus in captivitatem. Sed difficultas eſt, quomodo Tobias dicat id factum eſſe, cum conſtet id longè poſt accidiſſe. Nam Tobias tranſlatus eſt in captivitatem à Salmanaſar rege Aſſyriorum, ut patet cap.1. huius libri; quod factum eſt tempore Oſee regis Iſraël, regnante in Juda Ezechia filio Achaz (vide 4. Regum 17.) Conſtat autem multo poſt, nempe non niſi ſub Sedechia civitatem cum templo deſtructam

Eſtij Annotat. in Script.

A fuiſſe. Dicendum ergo hanc Tobiæ orationem, ſed hymnum potius eucharisticum pro gratiarum actione, pro magna parte, & maximè in allegatis verbis eſſe propheticum, quo Tobias afflatus Spiritu Sancto prædicit ſtatum civitatis Ieruſalem futurum. Quod ergo ait (*caſtigavit te Dominus*) prophetico more, præteritum pro futuro poſitum eſt, quia Deo & prophetis futura tam certa ſunt, quàm ſi jam facta eſſent. Et in Græco etiam expreſsè eſt futurum (*caſtigabit*) pro eo quod nos legimus in præterito.

℣.21. *Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius.* Mos eſt prophetarum, ut quando de rebus terrenis aliquandiu locuti ſunt, ad res ſpirituales tranſitum faciant. Sic & hic Tobias. Cum enim locutus eſſet de B Ieruſalem terrena, eiuſque poſt captivitatem futura reſtitutione, hic ſub finem ea adjungit, quæ de terrena illa civitate intelligi non poſſunt; & proinde admonent nos animum erigere ad ſublimiorem intellectum; de illa ſuperna civitate Ieruſalē, quæ eſt Eccleſia triumphans. Ait enim, *quod regnum eius erit in ſæculum, & quod Deus eam liberabit ex cunctis tribulationibus*; quod conſtat in terrenam Ieruſalem non competere. Similiter ergo & iſtud, quod portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & omnis circuitus murorum ex lapide pretioſo; ſpiritualiter intelligendum eſt de nova Ieruſalem illa triumphante, quæ & in Apocalypſi deſcribitur, iiſdem prorſus coloribus depicta.

C

CAPUT XIV.

℣.6. P*Rope erit interitus Ninive. Non enim excidit verbum Domini.* Ionas quidem propheta circa tempora Amaſiæ Regis Iuda, & Ieroboam regis Iſraël denunciaverat ſubverſionē Ninive, quando miſſus ad ipſam civitatem, prædicavit in ea dicens: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur.* Sed cum ad prædicationem eius pœnitentiam egiſſent; Deus civitati pepercit, ut tunc quidem non everteretur. At verò cum poſtea Ninivitæ ad peccata conſueta converſi, iterum adverſum ſe iram Dei provocaſſent; ut ait Hieronym. præfatione comment. in Nahum, rurſum per Nahum prædicta eſt eorum everſio; quæ tandem per Chaldæos facta eſt, poſt obitum Tobiæ ſenioris. Quod D ergo hic dicitur: *propriè erit, &c.* nullam habet difficultatem ſi referatur ad verbum Domini factum per Nahum prophetam, cuius tota prophetia adverſus Ninive. Illa enim prophetia non fuit tantum comminatoria, ſicut Ionæ, ſed ſimpliciter prænuntiativa eius quod abſolutè futurum erat in Dei diſpoſitione. Si quis *objiciat* Græca exemplaria nominare hic Ionam prophetam; ſic enim habent; *Perſuaſum habeo, quanta locutus eſt Ionas propheta de Ninive.* Et rurſum: *Omnia evenient, quæ locutus eſt propheta Ionas. Reſponderi poteſt* intelligi prophetiam Ionæ, primo quidem de quadraginta illis diebus, ſub conditione, niſi pœnitentiam agerent; ſed ſimiliter quoque abſolutè Ninivem ſubvertendam, niſi porro continuarent pœnitentiam, quod videbat Tobias eos non facere. Poteſt etiam dici hæc E in Græco adjectitia eſſe.

Et fratres noſtri qui diſperſi ſunt à terra Iſraël, revertentur ad eam — & domus Dei, quæ in ea incenſa eſt, reædificabitur. Græca habent hoc modo: *Et quod fratres noſtri in terra diſpergentur à bona terra, & Ieruſalem erit deſerta, & domus Dei in ea comburetur, & deſerta erit uſque ad tempus. Et iterum miſerebitur eorum Deus, & convertet eos in terram, & ædificabunt domum, non qualis prior, uſque quo compleantur tempora ſæculi.* Ita Græca. Ex quibus multi dicunt in noſtro textu, præteritum illud (*diſperſi ſunt*) pro futuro debere accipi more prophetico, quibus futura tam certa ſunt, ac ſi jam facta eſſent. Nec improba-

probabiliter. Nam antè mortem Tobiæ videtur fieri non potuiſſe, ut templum fuerit deſtructum, ſicut & capite præcedenti verſ.15. annotavimus; maximè ſi ei tantum tribuamus centum & duos ætatis annos, ut

A noſter textus habet hoc capite. Nam ſi ei dentur ex Græco textu anni centum quinquaginta octo, forte eo vivente deſtructum fuit templum. Sed præſtat nos inhærere textui Latino.

FINIS LIBRI TOBIÆ.

ANNOTATIONES IN LIBRVM IVDITH.

CAPUT PRIMUM.

℣. 5. *Anno igitur duodecimo regni ſui Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, &c.* Ex his verbis alij revocant fidem huius Hiſtoriæ in dubiũ, quod nullus rex Aſſyriorum legatur dictus Nabuchodonoſor, ſed tantùm rex Chaldæorum. Alij, ſaltem hoc ex eo confici volunt, quod Hiſtoria hæc contigerit ante captivitatem Babylonicam, ſtante ſcilicet adhuc regno Aſſyriorum. Sed ad primum dicendum, quod etiam Darius Perſa 1. Eſdræ 6. v. 22. vocetur *rex Aſſur*, nempe, quia erat ſimul rex Perſarum, Aſſyriorum, & Chaldæorum. Ad difficultatem autem quo tempore hæc Hiſtoria contigerit; plura ſunt, quæ omnino convincere videntur eam contigiſſe poſt reditum populi è captivitate Babylonica. Nam Achior Ammonites cap. 5. v. 23. narrat Holoferni, populum illum pridem ex captivitate rediiſſe in Ieruſalem. Deinde Hiſtoria iſta nullius regis Iuda, vel Iſraël mentionem facit, ſed tantùm ſummi Sacerdotis Eliacim vel Ioachim. Creditur autem is eſſe filius Ioſue Sacerdotis magni, ſub quo templum ſuit reædificatum. Ex quo ulterius ſequitur contigiſſe poſt tempora Darij, ſub quo templum inſtauratum fuit (nam hic c. 4. v. 29. fit mentio templi.) Et veriſimile eſt hunc Nabuchodonoſorem fuiſſe Darij ſucceſſorem; qui à prophanis Hiſtoriis vocatur Artaxerxes; eodemque modo omnes reges Perſarum, poſt deſtructum imperium Chaldæorum, vocatos fuiſſe Nabuchodonoſores; ſicut reges Ægyptiorum omnes paſſim in Scriptura ſacra vocantur Pharaones. Melchior Canus tamen, & Bellarminus exiſtimant Hiſtoriam iſtam referendam eſſe ad captivitatem, qua Manaſſes cum ſuis abductus fuit. Additio B. P. Cenſoris. Accedit his Serarius Comment. in Iudith, & Haræus in Concordia Sacræ ac prophanæ Hiſtoriæ anno V. c. 45. qui ab illo diſſentit hac in re, quod putet Manaſſe adhuc captivo accidiſſe; quum Serarius reverſo. Sed D. Auguſtinus lib. 18. de civitat. c. 16. ſentit eam poſt captivitatem circa tempora Darij contigiſſe; quæ ſententia nobis etiam magis probatur. Additio eiuſdem Cenſ. Franciſcus Ribera quoque ad cap. 2. Nahum, fusè tradit quæ hoc libro continentur accidiſſe circiter annis quinquaginta poſt reditum ex captivitate Babylonica; & objectiones ſuas diſſolvit. Sulpitius quoque Severus hanc Hiſtoriam conſtituit ſub Artaxerxe Ocho filio Memnonis, octavo Perſarum Monarcha. Vide Haræum Concordiæ ſuprà dictæ authorem, anno V. c. 388. Confer infrà ad c. 15. v. 9.

℣. 11. *Qui omnes uno animo contradixerunt.* Quæritur quomodo rectè contradixerint Iudæi, qui poſt captivitatem Babylonicam manſerunt ſub imperio Perſarum, ut patet ex libris Eſdræ. Et hoc eſt argumentum eorum, qui ſuſtinent Hiſtoriam hanc non contigiſſe poſt reditum ex captivitate Babylonica. Sed *Reſp.* poteſt, vel quod regnum illud Perſarum, cui ſubjecti

A erant Iudæi poſt reditum, diverſum erat ab illo quod Nabuchodonoſor commemoratur habuiſſe in Ninive, ſcilicet quia in Babylone captivi fuerant, non in Ninive; vel quod Iudæi exemplo vicinorum regnorum, & regionum, idcirco maximè quod audiebant Holofernem omnes Deos auferre, ſolumque Nabuchodonoſorem velle dici Deum, recuſaverunt imperium, aliàs non recuſaturi.

℣. 12. *Tunc indignatus Nabuchodonoſor juravit, quod defenderet ſe de omnibus regionibus his.* Simili phraſi noſtri interpretis c. 2. legitur, *ut defenderet*, & c. 9. *in defenſionem alienigenarum*, id eſt, in vindictam. Ad eundem ergo modum, & aliæ quædam Scripturæ intelligendæ ſunt, ut illa Rom. 12. *Non voſmetipſos defendentes chariſſimi*, id eſt, non vindicantes. Nam moderata

B defenſio licita eſt. Ita pro eo quod in pſal. 8. habemus; *ut deſtruas inimicum & ultorem*, pro (*ultorem*) olim legebatur (*defenſorem*) ut obſervare licet apud Severum Sulpitium in vita S. Martini. Itaque hic juravit defendere ſe, id eſt, ut vindicaret ſe de omnibus regionibus quæ eum non recepiſſent.

CAPUT II.

℣. 13. *Effregit autem civitatem opinatiſſimam Melothi.* Opinatiſſimam, id eſt, celeberrimam. Quidam legendum ſuſpicantur (*opimatiſſimam*) quaſi pinguiſſimam & opulentiſſimam. Sed inuſitata ſunt Latinis vocabula, ſuperlativus ille, & eius poſitivus *opimatus*, pro opimus. At verò à celebritate opinionis aliquid dici opinatiſſimum pro celeberrimo, obſer-

C vare licet apud Ruffinum ſub initio Hiſtor. Eccl. quam adjunxit Euſebianæ. At verò quæ fuerit civitas Melothi, difficile eſt conjicere. Nam in Græco nullius civitatis nomen exprimitur, ſed habentur tantum hæc verba; *Et incidit* (id eſt, effregit, vaſtavit) *Phud & Lud, & prædatus eſt filios omnes Raſos, & Iſraël, &c.* Veriſimiliter per Lud ſignificatur Lydia.

CAPUT III.

℣. 13. *Præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet, ut ipſe ſolus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubjugari.* Affectabat haberi Deus,

D & quidem ſolus, non à populis regni ſui, quibus id non fuiſſet auſus præcipere, ut Aſſyriis, Chaldæis, Perſis & Medis, deos ſuos colentibus, qui tam ſuperbo regis imperio noluiſſent parere; ſed ut hic dicitur à nationibus vi armorum ſibi ſubjungandis, quarum lucos exſcindi & deos exterminari jubebat. Multa enim imponuntur victis, quæ non poſſunt imponi populo regni. Similis ſuperbia fuit Sennacherib glorianris deos gentium ſibi non potuiſſe reſiſtere, & illis connumerantis Deum Iſraël 4. Reg. 18. & 2. Paralip. 32. Item Darij regis, Danielis 6. qui, ſatrapis inſtigantibus, edixit, ne quis peteret quidquam à Deo vel homine ſpatio triginta dierum, niſi ab ipſo ſolo; per hoc utique ſe Deum ſignifi-

ſignificans; ut mirum non ſit, ſi Alexander magnus A quoque voluerit haberi Deus; & ethnici Romani, plures Imperatores ſuos retulerint inter deos. Adde ex cap. 5. v. 29.

CAPUT IV.

℣. 2. *TRemor & horror invaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Jeruſalem & templo Domini, quod fecerat cæteris civitatibus & templis earum.* Ex eo quod dicitur (*& templo Domini*) ſatis colligitur templum jam fuiſſe reædificatum, dum iſta, quæ hîc narrantur, contingerent. Sed idem etiam clarius oſtenditur ex Græcis, in quibus ſic legitur: *Exterriti ſunt, eo quod recenter aſcendiſſent ex captivitate, & nuper omnis populus congregatus fuerat ex Iudæa, & vaſa, & altare, & domus* (id eſt templum) *à profanatione ſanctificata* B *erant.* Ecce hîc fit mentio reditus è captivitate, deinde & populi collecti in Jeruſalem, videlicet ad dedicationem templi. Ex quo manifeſtum eſt, templum jam perfectum & conſecratum fuiſſe, quando iſta fiebant. Hic notanda eſt pietas populi, qui magis ſollicitus erat pro conſervatione templi, quàm propriæ vitæ vel bonorum temporalium. Sed pauci Chriſtiani hoc imitantur.

℣. 8. *Humiliaverunt animas ſuas in jejuniis. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis, & infantes proſtraverunt contra faciem templi, &c.* Illuſtre exemplum voluntariæ afflictionis & humiliationis ſui coram Deo, quo oſtenditur nobis Chriſtianis, quid etiã nos facere debeamus, maximè tempore afflictionis & pœnitentiæ. Sed & fru- C ctum huius voluntariæ caſtigationis declarat Sacerdos Magnus dicens: *Scitote, quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis & orationibus in conſpectu Domini.* Porrò quod hic additur, *Et altare Dei operuerunt cilicio:* Id factum in ſignum luctus publici, & ad provocandam miſericordiam Dei tali externo cultu ipſius altaris. Nõ diſſimile eſt & fortè ex antiqua iſta Judæorum conſuetudine tractum, quod tempore quadrageſimalis jejunij, quod eſt tempus pœnitentiæ, Chriſtiani, quicquid in templis ſpecioſum & pulchrum eſt, velant quibuſdam tegumentis; ſcilicet ad ſignificandum publicum luctum, triſtitiam, & humiliationem, ſicut contrà ornatus eſt ſignum publicæ lætitiæ.

CAPUT V.

℣. 4. *ET quare præ omnibus qui habitant in Oriente, iſti contempſerunt nos?* Suprà cap. 2. legimus Nabuchodonolorem præcepiſſe Holoferni principi militiæ in hunc modum: *Egredere adverſus omne regnum Occidentis, &c.* Et ex Geographia manifeſtum eſt Judæam reſpectu Perſarum & Aſſyriorum eſſe in Occidente ſitam. *Quæritur* ergo, quomodo hic dicat Holofernes de Judæis tanquam in Oriente commorantibus: *Et quare præ omnibus qui habitant in Oriente; iſti contempſerunt nos?* Ad hanc quæſtionem *reſpondetur* non malè, quod licet Judæa ſit in Occidente reſpectu regni Aſſyriorum; tamen abſolutè loquendo, ſi totam terram habitabilem conſideremus, Judæa (ſicut & tota Aſia) ad Orientem ſita eſt; ſicut Europa tota ad Occiden- E tem. Græca lectio nullam habet difficultatem. Ibi enim, pro (*Oriente*) habemus (*Occidente*) hoc modo: *Quare contempſerunt, ut non venirent in occurſum meum, præ omnibus qui habitant in Occidente?* Fortè etiam omnes illæ nationes, quæ contempſerant Nabuchodonoſor, dicuntur habitaſſe in Oriente, nempe reſpectu Judææ, ubi ſcripta eſt hæc Hiſtoria.

℣. 29. *Ut ſciat omnis gens, quoniam Nabuchodonoſor Deus terræ eſt, & præter ipſum alius non eſt.* Obſervandum quod Nabuchodonoſor vocetur Deus terræ, & non cæli. Videntur enim gentiles in ea perſuaſione fuiſſe, quod Deus cæli, ſi quis eſſet, tantùm curaret cæleſtia, & quod eius poteſtas aut providentia non extenderet ſe ad res humanas, & regna terrena; juxta illud Iob 22. *Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Unde reges Aſſyriorum cum eſſent in terra admodum potentes, vocabant ſe deos terræ, & omnes alios deos nationum jubebant exterminari. Vide quæ diximus de eadem re ſuprà c. 3. v. 13. quibus adde, quod Dan. 4. idcirco quoque Nabuchodonoſor dicatur ejectus è conſortio hominum, donec agnoſceret quod dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Igitur Nabuchodonoſor non agnoſcebat Deum cæli dominari ſuper regnum hominum.

CAPUT VI.

B ℣. 15. *DOmine Deus cæli & terræ, intuere ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem Sanctorum tuorum attende.* Ita & in cantico Deipara virgo de ſe: *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ;* His & ſimilibus Scripturæ locis, humilitas non ſignificat virtutem illam, qua quis humiliter & modeſtè de ſe ſentit, quæ à Latinis propriè vocatur modeſtia, & Græcè ταπεινοφροσύνη, ſed ſignificat vilem & abjectum ſtatum, ſeu conditionem hominis, præſertim in afflictione conſtituti; qualis hic erat populus Iſraëliticus. Græci vocant ταπείνωσιν. Senſus igitur eſt, *Reſpice ad noſtram humilitatem*, id eſt, ad afflictionem noſtram, & miſerabilem ſtatum noſtrum, ſimulque ad externam humiliationem, quam ultro aſſumimus, jeju- C nando, ciliciiſque nos induendo.

Et faciem Sanctorum tuorum attende. Quidam iſtud ſic interpretantur: Converte oculos tuos non ad noſtra merita, quæ nulla, aut exigua ſunt, ſed ad merita Sanctorum tuorum Abrahæ, Iſaac, Iacob, & aliorum Sanctorum Patrum, ut qui noſtra iniquitate premimur, eorum meritis liberemur. Eſt quidem ſenſus ille pius; ſed non videtur germanus huius loci. Græci ſic legunt: *Et reſpice in faciem eorum qui tibi ſanctificati ſunt.* Erat autem Deo ſanctificatus totus populus Jſraeliticus, quia totus erat deputatus & conſecratus ad veram religionẽ & cultum Dei; eumque cultum non animo ſolùm ſervabant, ſed etiam profitebantur per multas cæremonias externas. Hinc ergo populus Jſraël vocatur populus peculiaris Dei, hæreditas eius, & populus ſanctus. Senſus D igitur eſt; Reſpice in populum tuum, quem de cunctis nationibus tibi ſegregaſti, & elegiſti ad cultum tuum, ut in eo invocaretur nomen tuum. Et ſimile eſt quod in completorio ex Ierem. 14. legimus: *Tu in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos; ne derelinquas nos Domine Deus noſter.* Nota præterea quod vox Græca quoque verti poſſit in neutro genere (*eorum, quæ tibi ſanctificata ſunt*) ſed eodem rediret.

℣. 15. *Quoniam non derelinquis præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de ſua virtute glorianter humilias.* Hic præſumere de Deo non in vitio intelligitur, ſicut quando dicitur peccatum in Spiritum Sanctum contra quod Eccleſiaſticus cap. 5. *Ne dicas, miſeratio Domini magna eſt, &c.* Sed ſignificat confidere, fiduciam in E Deo collocare. Eſtque ſenſus: Non derelinquis confidentes tuo auxilio, ſed humilias fidentes viribus ſuis.

CAP. VII.

℣. 4. *FIlij autem Iſraël, ut viderunt multitudinem illorum, proſtraverunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua.* Ita & cap. 4. dicitur quod Sacerdotes præcincti ciliciis obtulerunt ſacrificia Domino, & erat cinis ſuper capita eorũ. Et alibi frequentiſſimè meminit Scriptura huius cæremoniæ ſeu obſervationis, qua ferè utebantur filij Jſraël quotieſcumque in magnis anguſtiis erant poſiti. Huius autem cæremoniæ & obſervationis ratio eſt, quod per eam

* *Eſtij Annotat. in Script.*

homini in memoriam reducatur, quam originem habuerit, & quem finem ſeu exitum ſit habiturus ſecundum corpus. Nam de terra factus eſt & ſecundum ſententiam Domini ad Adam, in terram convertetur: A Unde iſta cæremonia magnam habet vim ad excitandam in homine humilitatem, dum ei ante oculos ponitur vilitas ſuæ conditionis. Unde & Eccleſia Chriſti aptiſſimè hanc cæremoniam in ſuum uſum accommodavit, eo tempore, quo maximè intenta eſt, ut filios ſuos ad humilitatem & pœnitentiam provocet; hoc eſt, initio quadrageſimæ, quando cinis ſacer cuiuſque fronti, vel vertici aſpergitur cum hoc elogio: Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Unde & vocatur dies cinerum.

℣.27. *Conteſtamur hodie cœlum & terram, & Deum patrum noſtrorum, qui ulciſcitur nos ſecundum peccata noſtra, ut jam tradatis civitatem in manu militia Holofernis.* Ideo quod conteſtantur cœlum & terram, eſt B quædam proſopopœia. Quomodo Moyſes in cantico dicit Deut.32. *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Et Ioſue ad populum cap. ult. *En lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba, &c.* Senſus eſt: declaramus vobis neceſſitatem noſtram & periculum in quo verſamur, & petimus ut civitatem tradatis in manum Holofernis; idque facimus in præſentia cœli & terræ, & in præſentia Dei Patrum noſtrorum, ut niſi faciatis quod petimus, teſtes nobis ſint adverſum vos, huius noſtræ querelæ & petitionis. Vide annot. Deut. 31. v.28.

℣.20. *Quia pius es, miſerere noſtri; aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras.* Nota pium dictum illius populi. Nam, etſi non ſatis confidere videbantur de ſuperno auxilio; tamen piè poſtulant, ut potius à Deo flagellentur, ſive per peſtem, ſive per famem; quàm C ut tradantur in manus hominum infidelium; utpote quod per eos non ſolum ipſi necarentur, ſed etiam cultus Dei exterminaretur. Eodem modo & David, optione ſibi trium propoſita, peſtem elegit potius, quàm tradi hoſtibus, adjiciens hæc verba 2. Reg. ult. *Melius enim eſt incidere in manus Dei, quàm in manus hominum, quia multæ miſerationes eius ſunt.* Sic & populus iſte quoque miſericordiam conſecutus eſt.

CAPUT VIII.

℣.9. *Miſit ad Presbyteros Chabri & Charmi, & venerunt ad illam.* Presbyteri hîc vocantur D non Sacerdotes, ſed ſeniores populi, ſeu populi ſenatus. Unde & infrà c.15. ubi Ioachim ſummus Sacerdos cum univerſis Presbyteris ſuis dicitur veniſſe in Bethuliam, ut videret Iudith, in Græco textu habetur hoc modo: *Et Ioachim Sacerdos magnus, & ſenatus filiorum Iſraël habitantes in Ieruſalem venerunt ad Iudith, &c.* Unde corrigenda eſt annotatio marginalis, quæ in quibuſdam bibliis habetur ad hunc locum, his verbis: Reprehendit Iudith Sacerdotes, quinto die civitatem tradere volentes. Liran. etiam hîc graviter hallucinatur, putans hîc intelligi Sacerdotes. Qui error ex eo natus eſt, quod nunc conſuetudine Eccleſiæ Sacerdotes vocentur Presbyteri. Sed non ita fuit tempore veteris teſtamenti. Unde non exiſtimo in toto volumine veteris teſtamenti reperiri locum, ubi Presbyter ponatur E pro Sacerdote. In Hiſtoria Suſannæ apud Danielem habemus etiam nomen Presbyterorum, ſed manifeſtum eſt, non alios quàm ſeniores & judices populi intelligi, ut patet ex contextu. Quod autem Iudith miſit ad Presbyteros ſeu ſenatores, ut ad ſe venirent, & ipſa ad eos non acceſſerit, non eſt tribuendũ ſuperbiæ aut faſtui Iudith, quaſi ſibi videretur eſſe maioris dignitatis, aut ſanctitatis; ſed tribuendũ eſt ſtudio caſtitatis, & honeſtatis publicæ. Eſt enim indecorũ maximè, in illis regionibus, viduam, præſertim juvenem & formoſam, qualis erat Iudith, in publico apparere, aut ad viros accedere,

intra. ſ

A ℣.20. *Quod eſt hoc verbum, in quo conſenſit Ozias, ut tradat civitatem Aſſyriis, ſi intra quinque dies non venerit vobis adiutorium?* Ut intelligatur, quare Ozias hac in parte peccaverit, ſciendum, quod ex ſalute huius civitatis Bethuliæ dependebat ſalus quoque & conſervatio civitatis Ieruſalem, & per conſequens quoque conſervatio cultus divini, quia in illa ſola civitate licebat Deo offerre ſacrificia. Patet hoc clarius in Græco. Ubi ſic Iudith loquitur: *Ex nobis dependet anima fratrum noſtrorum, & ſancta, & templum, & altare nobis innituntur,* id eſt, illorum conſervatio ex hac civitate dependet. Propterea ergo tenebantur civitatem illam ad extremum defendere, & nullo modo certum diem deditionis aſſignare.

℣.22. *Abraham tentatus eſt, & per multas tribulatio-* B *nes probatus, Dei amicus effectus eſt.* Hoc ſic intelligendum, ſicut dicitur ex operibus juſtificatus Iac.2. Non quod tum demum primam acceperit juſtitiam, & per amicitiam fuerit Deo conjunctus, ſed quod in juſtitia & Dei amicitia promoverit, vel quod majora amicitiæ ſigna progreſſu temporis ei Deus exhibuerit: vel quod magis magiſque juſtus, & Dei amicus fuerit declaratus.

℣.33. *Vos autem volo ut ſcrutemini actum meum.* Quomodo non igitur privato conſilio & authoritate Iudith Holofernem interfecit? Reſponſionem vide ad Judicum 3. v.16.

Quæri etiam poteſt cur non egerit ſtultè & temerariè, & arroganter, nolens de re tanta tamque periculoſa conſilium conferre cum ſenioribus, & prudenti- C bus? An dicendum quod ſentiebat ſe impelli ad illud facinus divino quodam inſtinctu, ideoque noluit nec debuit ſuper eo conſilium capere humanum, maximè quia veriſimiliter illi ſecundum humanam prudentiam rem tam arduam & periculi plenam mulieri diſſuaſiſſent, atque etiam impediviſſent: & metuendum erat ne res propalaretur quæ debebat eſſe ſecreta. Dixiſſent enim rem tanti momenti, tantæque audaciæ non tentandam inconſulto ſenatu.

CAPUT IX.

℣.2. *Domine Deus patris mei Simeon.* *Quæritur*; quomodo hic Iudith vocet Simeon patrem ſuum, cum cap. præcedenti eius genealogia referatur ad Ruben, fratrem, ut apparet Simeonis? Ad hanc D apparentem diſſonantiam poteſt duobus modis *reſponderi, uno modo* quod ex parte patris, cuius genealogia præced. cap. texitur, fuerit ex tribu Ruben, ex parte matris verò ex tribu Simeon. Non rarò enim contingebat tribus permiſceri, modo fieret extra caſum, qui habetur Num.36. *Alio modo* reſpondetur, quod Ruben, ad quem refertur eius genus capite præcedenti, non fuerit Ruben Patriarcha, ſed aliquis alius in tribu Simeon clarus & celebris. Et hæc ſolutio probabilior videtur. Notandum enim, quod Græca exemplaria non perducant eius genus ad Ruben, ſed per alios quoſdam medios uſque ad Iſraëlem, nullo duodecim Patriarcharum nominato.

Domine Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi E *gladium in defenſionem alienigenarum.* Defenſionem intellige vindicationem ſeu ultionem in Sichimitas alienigenas. De qua ſignificatione defenſionis diximus etiam ſuprà cap.5, v.12. Cæterum *quæſtio* hîc oritur, quomodo Iudith laudat hoc factum Simeonis, cum Geneſ.34. Iacob Patriarcha graviter illud reprehendat? & gravius etiam Geneſ.49. ubi pro benedictione videtur maledictionem in Simeonem & Levi, propter hoc facinus, congerere. Sic enim ait; *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia —— Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura.* *Reſpond.* primum, non Scripturam ipſam hoc loco commendare factum Simeonis, ſed Iudith tantum in

ſua

ſua oratione. Non eſt autem neceſſe verba eius omnia habere pondus & authoritatem ſcripturæ ſacræ; ſicuti poſteà patebit in verbis quę ad Holoſernem locuta eſt. Deinde poſſumus in hoc facto duo conſiderare. Alterum eſt zelus eorum, & indignatio illa qua indigniſſimè ferebant rem tam fœdam fuiſſe perpetratam contra Iſrael; ſcilicet ſororem ſuam Dinam ab alienigena eſſe ſtupratam. Et hic zelus ſeorſim conſideratus, meritò commendatur; ut ſic Judith dicat, *(qui zelaverunt zelum tuum.)* Alterum eſt facinus ipſum, cum omnibus ſuis circumſtantiis conſideratum, & ſic illicitum fuit, tum quia id authoritate privata, inconſulto & inſcio patre, cum maximo eius periculo, ut ipſe explicat Geneſ. 34. aggreſſi ſunt; tum quia id fecerunt per fraudem, & contra pacta. Vide etiam dicto loco Geneſ. 34.

CAPUT X.

℣.4. C*Ui etiam Dominus contulit ſplendorem, quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat.* *Quæritur*, quomodo hoc verum ſit, cum cap. præcedenti Judith orans, de Holoferne ſic loquatur; *Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me.* v. 13. *Reſp.* non peccavit Judith in hac parte; quia illud malum, quod Holoſernes exarſit in eius concupiſcentiam, non fuit ipſius Judith, neque tenebatur illud impedire, propter maius illud bonum, quod ipſa, Deo diſponente, conſecuturum confidebat; nempe populi Dei liberationem. Et hoc ſignificat in eadem oratione Deum alloquens his verbis: *Et percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Tu ſcilicet Deus illum percuties. Deinde, ipſa non procuravit peccatum illud alienum, quia pulchritudo aut ornatus fœminę nõ eſt propriè cauſa illiciti amoris, ſed corrupta hominis natura, & concupiſcentia latens.

℣.12. *Quæ reſpondit: Filia ſum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in prædationem.* *Quæſtio* antiqua eſt, an Judith in his, & aliis quæ ſequuntur non ſit mentita, & peccaverit? Quidam eam excuſare conantur, dicentes verba eius ſub conditione intelligenda, ſcilicet, quod ſciret Judæos in manus Holofernis tradendos, niſi agerent pœnitentiam. Sed id dici non poteſt; quoniam Judith capite ſequenti non tantum affirmat iterum quod tradentur, ſed etiam quod jam multa impiè propoſuerint contra legem Dei ſui facere, ſcilicet ſanguinem bibere, ſanctificata contingere, &c. Alij itaque dicunt verba Judith eſſe Prophetica, eaque intelligenda de everſione populi iſtius, quæ poſtea per Titum & Veſpaſianum facta eſt. Sed manifeſtum eſt, eſſe verba Hiſtorica, & de rebus præſentibus eam loqui. Itaque fatendum, eam non omnino excuſari à mendacio, ſed mendacium fuiſſe officioſum & maximum bonum per hoc illam intendiſſe. Sed ſicut in Scriptura in obſtetricibus laudat miſericordiam, & non mendacium, ita & in Judith virtus eius ad liberandum populum commendatur, licet id ſine mendacio non fecerit.

CAPUT XI.

℣.13. E*T miſit me Dominus hæc ipſa nunciare tibi.* Hæc Iudith ad Holofernem, & ſimilia repetit v. 16. & 17. quorum verborum occaſione meritò *quæritur*, quomodo in his mendaciis non ſit culpa etiam mortalis peccati? cum in ſcriptura graviſſimè increpentur, qui dicunt, *Hæc dicit Dominus, cum Dominus non miſerit eos.* Sic & Paulus 1. Cor. 15. ſcribit eos falſos eſſe teſtes contra Deum, qui dicerent Deum aliquid feciſſe, quod non fecerit. Ad hæc nonnulli reſpondent, Deum etiam aliquo modo Judith ad hæc miſiſſe, nempe quia poſt orationem & jejunium opus aggreſſa eſt, & feliciter perfecit, ſine dubio divina ope. Sed aliter *Reſponderi* poteſt, multum intereſſe inter mendacia pſeudoprophetarum, & hæc verba Judith. Nam mendacia pſeudoprophetarum perniciosa erant populo, quia per ea ſovebatur populus in peccatis. Similiter perniciosum fuiſſet, ſi Apoſtoli falſo prædicaſſent Chriſti Reſurrectionem, de quo ibi agit Paulus 1. Cor. cap. 15. At verò verba omnia Judith tendebant ad bonum finem, qui etiam eſt conſecutus. Quamquam ad mendacium Judith excuſandum, etiam hoc facit, quod à muliere dictum ſit; cui non facile credi debet in rebus magnis, & à qua ſi quis mendacio deceptus fuerit, irrideri magis ſolet quàm vindicari. Denique nota verba Iudith rectè ſic accipi poſſe ſecundum eius intentionem, ut non voluerit dicere ſe expreſſo mandato per revelationem accepto, miſſam à Deo, ſed miſſam generali ratione miſſionis; quia nimirum profectio eius in caſtra erat à Deo; quamvis non à Deo ad illum finem quem addit, ſcilicet, ut hæc quæ loquebatur, Holoferni nuntiaret. Nam in hoc fuit mentita.

CAPUT XII.

℣.2. N*Unc non poteram manducare ex his, quæ mihi præcipis tribui, ne veniat ſuper me offenſio.* Simile eſt quod de Daniele narratur Dan. 1. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa Regis, &c.* Sed *quæritur*, quare de cibis Aſſyriorum Iudith noluerit comedere, ne quidem etiam poſtea, cum convivio Holofernis interfuit, ut ſequitur hoc eod. cap v. 19. quandoquidem veriſimile ſit, in tanto apparatu ciborum; nonnulla ſaltem fuiſſe, quæ non erant lege prohibita; Quidam dicunt quod cibi gentilium, maximè in ſolemnibus conviviis erant omnes oblati prius idolis; & proinde contaminati. Poteſt etiam aliter *reſponderi*, multos Judæos ex pia conſuetudine abſtinuiſſe non ſolum à cibis lege prohibitis, verùm etiam ab aliis cibis lautioribus; ut patet de Dan. & ſociis, qui paſti ſunt leguminibus. Rechabitæ etiam abſtinebant à vino. Sed hæc ſolutio non multum præſenti loco quadrat. Nam Iudith, ut narratur cap. 10. ſecum attulerat ex Bethulia aſcoperam, ſeu utrem vini ad potum ſuum. Igitur dicendum puto, omnes Judæos ſolitos eſſe ſimpliciter abſtinere à conviviis gentilium, propter periculum contaminationis; ſicut contrà conſtat ex Gen. 43. Ægyptios quoque exiſtimaſſe illicitum ſibi eſse convivium inire cum Hebræis. Itaque ut vitarent illicita, etiam abſtinebant à licitis. Vide etiam Danielis 1.

℣.7. *Exibat noctibus in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fonte aquæ. Et ut aſcendebat, orabat Dominum Deum Iſraël, &c.* Nempe ante orationem corpus abluebat aqua. Nam baptizare ibi non eſt aliud, quàm abluere, quo ſenſu & Eccleſ. 34. dicitur, *Qui baptizatur à mortuo* (id eſt, lavat ſe poſt contactum mortui) *& iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* cadavera ſcilicet immunda erant apud Iudæos. Porrò lavit ſe Judith ante orationem, vel quod putaret, ſeu metueret immundiciam aliquam legalem ſe fortè contraxiſſe ex conſortio gentilium; vel quia hoc habebat traditio Judaïca, ut ante orationem corpus lavarent.

CAPUT XIII.

℣.7. C*Onfirma me Domine Deus Iſraël, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, ut ſicut promiſiſti, Ieruſalem civitatem tuam erigas.* Sic & paulò poſt v. 18. ad cives ſuos; *& in me ancilla ſua adimplevit miſericordiam ſuam, quam promiſit domui Iſraël.* Sed *quæritur*, ubi Deus hoc promiſerit? *Reſpondeo* non videri hîc aliam promiſſionem ſignificari, quàm illam generalem, qua Deus frequenter in lege & prophetis promittit populo illi antiquo liberationem ab omnibus inimicis ſuis, modo permanerent in cultu Dei & in obſervatione mandatorum ejus. Et quia

ſciebat Iudith multa in hac conditione ex parte populi deeſſe; hinc ſcilicet, ſimul & miſericordiam, & promiſſum, idem beneficium Dei vocat.

Et hoc quod credens per te poſſe fieri cogitavi, perficiã. Notandum quod non ait, quod per te futurum, ſed *quod credidi per te poſſe fieri*, ad excludendam vanam præſumptionem hæreticorum noſtri ſæculi; qui volunt nos credere certum ſemper eventum. Videmus enim hic ſatis eſſe credere, quod Deus poſſit facere, & confidere humiliter ipſum facturum quod petimus, Ita & Dominus Matth. 9. *Creditis quia hoc poſſum facere?* Requirit enim Deus à nobis fidem certam & indubitatam ſuæ omnipotentiæ, ut de ea omnino non ambigamus; de qua ambigebant illi, quorum corpora proſtrata ſunt in deſerto, qui dicebant Pſalm. 77. *Numquid & panem poterit dare, aut parare menſam in deſerto?* Quod autem ad effectum attinet, ſi Deus etiam illum expreſsè promiſerit, certa fide quoque ille credendus eſt. Unde graviter peccavit, ideoque à Deo punitus eſt, Zacharias pater Ioannis Baptiſtæ, dubitans de eo, quod Angelus Dei promittebat. Luc. 1.

CAPUT XIV.

℣. 6. *Tunc Achior videns virtutem, quam fecit Deus Iſraël, relicta gentilitatis ritu, credidit Deo.* *Quæritur*, quomodo Achior hic primum dicatur credidiſſe Deo, cùm ſuprà cap. quinto, longa oratione coram Holoferne confeſſus, & teſtatus ſit virtutem & potentiam Dei Iſraël? *Reſp.* dicitur Achior nunc primum, occaſione tam illuſtris facinoris & beneficij, credidiſſe; nempè, quia nunc primum plenè & perfectè credidit; & ut hic additur, relicto prorſus gentilitatis ritu, omnia omnino, quæ erant populo Iſraëlitico divinitus revelata, firmo aſſenſu recepit. Deinde poteſt hoc referri non tam ad fidem internam, quàm ad externam fidei profeſſionem per circumciſionem, de qua ſequitur. Nam & olim in Eccleſia Catechumeni, etiamſi omnino credenda firmiter tenerent, tamen non vocabantur propriè fideles, niſi cum eſſent baptizati.

Et circumcidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad populum Iſraël. Non dubium, quin hoc ſanctè & piè ab Achior factum ſit. Sed *quæret* aliquis, utrum hoc fuerit ei ad ſalutem neceſſarium, ut circumcideretur, & incorporaretur populo Iſraëlitico? *Reſp.* videri quod non, & colligitur ex c. 6. huius libri, in quo leguntur ſeniores filiorum Iſraël dixiſſe ad Achior: *Sit Deus tecum in medio noſtri, ut ſicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus converſeris nobiſcum.* Ubi ex eo, quod dicitur (*ſicut placuerit tibi*) colligitur, non fuiſſe neceſſarium ad ſalutem ipſum circumcidi. Certè Naaman Syrus ſuſcepta fide unius Dei non eſt circumciſus, quod haud dubiè ipſi præſcripſiſſet Heliſæus, ſi fuiſſet neceſſarium ad ſalutem. Ratio autem huius eſt, quia circumciſio ſoli populo Iſraëlitico imperata fuit, & ad eos ſolos pertinebant, ſicut & Apoſtolus ait ad Rom. 3. *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, ijs qui in lege ſunt loquitur.* Interim poterant & alij circumcidi, ſcilicet qui vellent illi populo incorporari, & proſelyti dicebantur; ſed non tenebantur, & talis fuit Achior. Si *quæras* ulterius, quomodo ergo potuiſſent gentiles ſine circumciſione ſalutem conſequi? *Dico*, eodem modo quo omnes pij veteris Teſtamenti ſalvati ſunt ante inſtitutam circumciſionem. Nempe vel ſola fide mediatoris, vel etiam per aliquod ſimul externum ſacrificium, vel Sacramentum nobis ignotum.

CAPUT XV.

℣. 9. *Ioachim autem ſummus Pontifex de Ieruſalem venit in Bethuliam, cum univerſis Presbyteris ſuis, ut videret Iudith.* Cum Presbyteris, id eſt, cum A ſenatu Ieroſolymitano. Id enim vox Græca ſignificat γερουσία. Manifeſtum eſt autem ex hoc loco Hiſtoriam hanc contigiſſe tempore Ioachim ſummi Sacerdotis. Quis autem fuerit iſte Ioachim, non ſatis convenit inter interpretes. Qui enim putant accidiſſe hanc Hiſtoriam tempore Cambyſis filij Cyri regis Perſarum, & per conſequens tempore Ioſue filij Ioſedech Sacerdotis magni, bifariam iſtud exponunt de Ioachim. Alij dicunt filium fuiſſe ad tempus in ſummo Sacerdotio patris vicarium, patre videlicet abſente propter negotia publica. Sed contra facit, quod nulla conſuetudine receptum ſit, ut vicarius regis, aut ſummi Pontificis, vocetur rex aut ſummus Pontifex: hic autem Ioachim non ſemel, ſed ſæpius ſummus Pontifex vocatur. Alij igitur dicunt, Ioſue alio nomine etiam di- B ctum fuiſſe Ioachim. Sed & hoc vanum eſt, cum ex nullo alio loco id poſſit probari. Unde omnino dicendum eſt, accidiſſe hæc poſt mortem Ioſue, filio eius Ioachim fungente ſummo Sacerdotio, idque tempore Artaxerxis regis Perſarum, qui in hoc libro generali nomine vocetur Nabuchodonoſor. Vide de hoc etiam ſuprà, cap. 1.

℣. 11. *Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum alterum neſcieris.* In his verbis duo occurrunt notanda. Primum, quod factum tam egregium & virile Iudith, tribuat ſummus Sacerdos merito caſtitatis eius (intelligit autem caſtitatem vidualem. (Unde patet, non ſolum virginalem caſtitatem, ſed etiam vidualem eſſe C magni meriti apud Deum, licet minoris meriti, quàm ſit caſtitas virginalis. Alterum verò quod hinc diſcimus. eſt, ut obſervemus Iudith quoque ex eo laudari, quod poſt primum virum ſuum, alterum neſcierit. Ex quo patet, non ſolum tempore novi Teſtamenti commendari viduas, quæ ad ſecundas nuptias nõ tranſeunt; verùm etiam tales fuiſſe commendabiles tempore veteris Teſtamenti. Unde nullo modo recipiendum videtur apocryphum illud de S. Anna matre Deiparæ virginis, in quo traditur eam tribus maritis viciſſim fuiſſe copulatam; ſed potius id eſſe rejiciendum, tanquam figmentum & tam ſancta muliere indignum.

CAPUT XVI.

D ℣. 1. *Tunc cantavit canticum, &c.* Quæri poteſt an canticum hoc ita fuerit inſpiratum à Deo ſicut Scriptura divina, & ſicut alia cantica, quę ex ſacris litteris accepta in Eccleſia canuntur, ut canticum B. Virginis, Zachariæ, Simeonis, utrumque Moyſi, Iſaiæ, trium puerorum, & ea quæ ſunt in Prophetis? Nihil arbitror obſtare quo minus ita dicatur, & de hoc cantico, & de eo quod cecinit Debora & Barac poſt adeptam victoriam contra Regem Chanaam; quamvis neutrum horum in Eccleſia canatur; ideo fortaſſe quod ordini divi officij minus congruant quàm cætera. Nam nec omnes ſacræ Scripturæ partes in Eccleſiaſtico officio leguntur. Vide annotat. Iudicum 5.

℣. 8. *Non enim cecidit potens eorum à juvenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi, ſed, &c.* Sic & Græcè; *nec* E *filij Titanum percuſſerunt eum.* Sciendum vocabulum iſtud, Titan ſeu Titanes, nuſquam alibi in Scriptura reperiri, quamvis ſit apud Ethnicos ſcriptores frequens. Fabulantur enim Poetæ Ethnici Titanes fuiſſe gigantes proceros, genitos ex cœlo & terra, eoſque cum vellent cœlum invadere, à Ioſue fuiſſe profligatos, & deturbatos in terram. Sed hoc loco non eſt veriſimile reſpici ad illam fabulam gentilium, ſed ſpeciem pro genere poſitam, ùt per Titanes aut Titanum filios generaliter gigantes intelligantur. Id enim ſignificant verba ſequentia: *Nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi.* Sicut autem Ethnici gigantes vocabant Titanum

filios,

filios, ita ſacris litteris peculiare eſt eos vocare filios Enacim vel Raphaim. Illi enim antiquis temporibus fuerant famoſi gigantes.

ỿ.16. *Adonai Domine, magnus es tu.* Adonai unum eſt ex decem nominibus Dei, apud Hebræos; de quibus vide Epiſt. B.Hieron. 136. Et ferè ubicunque in Scriptura legimus geminatum nomen Domini, ut *Dominum Deum*, vel *Domine Dominus noſter*, prius nomen eſt tetragrammaton, poſterius autem Adonaï; etiamſi hic ordo in latino textu noſtro non ſervetur. Significat autem nomen *Adonai* propriè idem quod *Dominus*; & Deo, tantum ex tempore competit. Non enim Dominus fuit ab æterno; quia nihil exiſtebat ante mundum iſtum conditum, cuius reſpectu Dominus diceretur.

ỿ.26. *Erat etiam virtuti caſtitas adjuncta.* Non habetur in Græcis hodiernis. Non ſignificat autem caſtitatem non fuiſſe virtutem, id eſt, habitum bonum moraliter, ſed tantum aliquid virtuti adjunctum pro ornamento; ſed virtutem pro fortitudine animi accipit, quam Iudith declaravit in illo ſuo tam inſigni facinore. Ei virtuti pro magno ornamento adjuncta erat vidualis caſtitas.

ỿ. 28. *Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinque.* Non ſignificatur, quod poſt mortem viri ſui adhuc ſupervixerit tot annis, ſed quod manens, ſeu commorans in domo viri ſui, tanquam eius ſolius vidua, & non accipiens alium virum, pervenerit ad ætatem centum quinque annorum. Eſtque id etiam clarius ex Græco, ubi ſic legitur: *Et ſenuit in domo viri ſui uſque ad annos centum & quinque*; ut ſignificetur tota ætas eius fuiſſe tot annorum. Et ſimiliter accipiendum eſt, quod Lucæ 2. dicitur de Anna propheteſſa: *Hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor.* Similiter poteſt intelligi quod de Iob dicitur in fine libri eius, nempe quod vixerit poſt plagas centum quadraginta annis. Vide ibidem & Lucæ 2. Annotat.

ỿ.31. *Dies autem victoriæ huius feſtivitatis ab Hebræis in numero Sanctorum accipitur, & colitur à Iudæis uſque in præſentem diem.* Tota hæc poſtrema clauſula libri non habetur in Græco. Vide tamen de ea in ſimili argumento ad Eſther 9. S.Hieronymus eam dedit ex Chaldaïco Originali.

FINIS LIBRI IVDITH.

ANNOTATIONES IN LIBRVM ESTHER.

CAPUT PRIMUM.

ỿ.1. IN *diebus Aſſueri, qui regnavit ab India uſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias. Quæritur* quis fuerit hic Aſſuerus? Quidam putant fuiſſe Cambyſem ſecundum Monarcham ex Perſis, filium Cyri. Alij proximè ei hunc Aſſuerum anteponunt, nonnulli etiam proximè poſtponunt, Sed nulla Hiſtoria, nec ſacra, nec profana illis temporibus aliquem Aſſuerum vel Artaxerxem agnoſcit. Nempe qui Hebræis Aſſuerus dicitur, à Græcis interpretibus vocatur Artaxerxes. Unde probabilior eſt ſententia eorum, qui eum Dario Hiſtaſpis tertio Monarchæ Perſarum poſtponunt. Ioſephus laudato libro undecimo Antiquit. teſtatur eum fuiſſe quartum regem Perſarum Xerxem dictum filium Darij, ſub quo perfectum eſt templum. Alij nihilominus Artaxerxem Longimanum filium Xerxis, quintum Monarcham Perſæ: quidam etiam Artaxerxem Memnonem intelligi volunt. Nec malè quoque in horum ætatem congruit hæc Hiſtoria. Hieronym. in Ezech. 4. Artaxerxem Memnonem ſeptimum Monarcham Perſarum fuiſſe dicit: quod idem ſentit Euſebius in Chronico. Quod autem objicitur de ætate Mardochæi, ſuo loco ſolvetur cap. 2. Nec obſtat quod Suſan dicitur regni huius Aſſueri fuiſſe exordium. Etenim non ſignificatur ijs verbis, quod ibi primum cœperit regnare, ac deinde regnum ſuum propagaverit etiam ad alias civitates, & provincias, ſed ſenſus eſt hanc civitatem fuiſſe Metropolim totius regni. Nam vox Hebræa, pro qua habemus (*exordium*) ſignificat generaliter, principium, caput, & id quod eſt principale in unaquaque re. Itaque ſignificatur Suſan ei fuiſſe civitatem primariam, ſedemque regalem.

ỿ.8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, ſed ſicut rex ſtatuerat, præponens menſis ſingulos de principibus ſuis, ut ſumeret unuſquiſque quod vellet.* Hoc propterea ſcribitur, quia erat mos quarundam nationum, ſicut (proh dolor!) & hodie noſtrarum verſus Septentrionem, hoſpites ad bibendum, vel ad certos hauſtus cogere. Id itaque rex Aſſuerus fieri vetuit in ſuo regali epulo, ſed juſſit præſtò eſſe miniſtros, qui omnibus poſcentibus, quantum vellent, præberent. Ita hæc interpretatur etiam Ioſeph lib. 11. Antiq. c. 6. Utinam hanc legem, qua neminem licebat ad bibendum cogere, bene ſervarent Chriſtiani.

ỿ. 12. *Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per Eunuchos mandaverat, venire contempſit.* Utrum hæc juſta fuerit cauſa repudiandæ reginæ, dubitari poteſt: Sulpitius laudat factum Vaſthi & damnat factum Aſſueri. Ac primum videtur quod imperium regis quoniam factus hilarior & poſt potationem mero calefactus juſſit reginam in locum convivij introduci, ut eius pulchritudinem cunctis populis & principibus oſtenderet; haudquaquam fuiſſe legitimum, nec potuiſſe veræ legis habere rationem. Attamen peccaſſe videtur Vaſthi non in legem, quæ ut dixi, legitima non fuit, ſed ratione ſcandali & contumaciæ. Quam cauſam graviter explicat oratione ſua Mamuchan Regis conſiliarius. Cæterùm non videtur hæc fuiſſe ſatis juſta repudij cauſa: maximè ſi de ſeparatione perpetua loquamur, quam lex divina non permittit, niſi in caſu fornicationis. Sed leges divinas gentiles non habebant, & lex naturæ in ijs erat obſcurata.

CAPUT II.

ỿ.5. ERat *vir Iudæus in Suſan civitate vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini* (id eſt Benjamin) *qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem, eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat.* Obſervandus diligenter totus hic contextus. Ex hoc enim loco colligunt quidam, fieri non poſſe, ut hæc Hiſtoria

Eſther contigerit poſt tempora Darij; quia hîc dicitur, inquiunt, Mardochæus fuiſſe tranſlatus de Ieruſalem ſimul cum Iechonia rege Iuda. Ex quo tempore uſque ad finem regni Darij fluxerunt anni ut minimum centum quinquaginta. Et hoc unicum eſt argumentum, quare nonnulli ante Darij tempora collocent quemdam Aſſuerum vel Artaxerxem, quem nulla Hiſtoria agnoſcit. (Vide etiam Hieron. Ezech.4. ubi inter reges Perſarum, Aſſuerum, de quo hoc libro agitur, ſuo quoque ordine numerat.) Sed id facilè ſolvitur, idque duobus modis. Primò ſi dicamus cum Burgenſi, id quod dicitur; *qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem, &c.* non referri ad Mardochæum, ſed ad proavum eius, cuius nomen antecedit, atque adeo proximè ante hæc verba. Alio modo etiam dici poſſet ipſe Mardochæus tranſlatus eſſe illo tempore, nempe non in perſona propria, ſed in aliquo majorum ſuorum, ſimili phraſi, qua Apoſtolus dicit Hebr.7. Levi decimatum fuiſſe in lumbis patris ſui Abrahæ. Atque hoc modo verba hæc accipi poſſe ſignificat, quod infrà cap.11. Mardochæus dicitur fuiſſe de eo numero captivorum, quos Nabuchodonoſor tranſtulerat; nempe, qui ex captivis naſcebantur, etiam ipſo jure erant captivi, & victoris ſui juri cedebant.

℣.18. *Et juſſit convivium præparari — pro coniunctione & nuptiis Eſther. Et dedit requiem univerſis provinciis, ac dona largitus eſt. Quæritur* quam requiem potuerit dare ſuis provinciis? Neque enim in poteſtate regis eſt ſuis Provinciis dare pacem ab incurſione hoſtiū, cum id dependeat ab hoſtium voluntate? *Reſp.* intelligendum eſſe, quod propter novum connubium, & gratas nuptias cum regina Eſther, relaxaverit Aſſuerus eo anno provinciis ſolita tributa, nempe, ut hoc modo omnes regiæ lætitiæ & liberalitatis eſſent participes.

CAPUT III.

℣.1. *POſthac rex Aſſuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de ſtirpe Agag.* Agag fuerat rex Amalec, quem Samuel interfecit, ut habemus 1.Reg.15. Et ob hanc cauſam fieri potuit, ut Aman jam ante etiam concepiſſet odium adverſus Judæos, eò quòd Amalecitarum natio ferè tota ab Iſraëlitis deleta fuerit. Sed auctum fuit hoc odium ex eo quod Mardochæus, ut hoc eodem cap. narratur, noluerit eum adorare. Sed contra hoc quod diximus Aman fuiſſe Amalecitem, objicitur, quod infrà c.16. idem Aman dicitur fuiſſe animo & gente Macedo: Verùm facilis eſt reſponſio. Fieri enim potuit, ut qui genere paterno eſſet Amalecites, idem ex materno genere eſſet ex Macedonia oriundus, vel contra. Nam per diverſas ſtirpes utriuſque ſexus, non raro quoque ad diverſas & longiſſimè diſſitas origines genealogiæ referuntur. Poteſt autem dici Amalecitas poſt internecionem ſub Saüle factam, variè diſperſos fuiſſe, & quoſdam in Macedoniam perveniſſe, & inde etiam fuiſſe Aman. Sic Act.2. dicuntur Iudæi ex omni natione quæ ſub cœlo eſt; & Aquila ſimiliter vocatur Iudæus, & tamen Ponticus genere.

℣.2. *Solus Mardochæus non flectebat genu, nec adorabat eum.* Scilicet Aman. *Quæritur* an Mardochæus rectè fecerit, negando ei honorem, quem rex volebat honorari; cum principes omnes, etiamſi mali ſint debeant honorari? ſicut & David legitur adoraſſe Saülem ipſum perſequentem, & Iudith Holofernem, & poſtea Mardochæus regem. Sunt qui dicant Aman ex collo ſuſpenſum habuiſſe quoddam idolum, & ideo Mardocheum noluiſſe eum adorare, ne videretur adorare illud idolum. Aut ſi idolum in collo non habuerit, ſaltem eū voluiſſe adorari cultu divino. Sed eodem modo debuiſſet Mardochæus poſtea nec regem honorare. Nec veriſimile eſt alios adoraſſe Aman cultu divino. Nam & Mardocheus poſtea ſimili honore juſſus eſt ab omnibus honorari; qui quidem ſi divinus fuiſſet, nullo modo

A Mardochæus eum debuiſſet permittere. *Optima ſolutio* videtur, quod eum noluerit adorare Mardochæus, imò nec ei aſſurgere, quia Aman Amalecites erat; Scriptura autē præceperat Iſraelitis Deut.25. exercere perpetuas inimicitias contra Amalec. Et hunc ſenſum innuit ſcriptura hoc eodem cap. *Dixerat enim Mardochæus ſe eſſe Iudæum.* Ita & Caietan. Et tunc ſenſus illorum verborum Mardochæi c.13. ubi dicit; *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quenquam adorarem excepto Deo meo,* ita accipiendus eſt, ne honorem & adorationem Dei, per tranſgreſſionem talis præcepti Deut.25. in ſpeciem videretur violaſſe.

℣.7. *Menſe primo (cuius vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in urnam, quæ Hebraicè dicitur Phur, coram Aman, quo die & quo menſe*
B *gens Iudæorum deberet interfici: & exivit menſis duodecimus qui vocatur Adar.* Aman fuiſſe deditum ſuperſtitioſis obſervationibus ſatis hinc apparet, quod putaverit ſorte quærendam diem interfectionis Iudæorū, quaſi fauſtus futurus eſſet quem ſors deſignaſſet. Et quod tam uxor eius, quàm conſiliarij ſimili ſuperſtitionis opinione fuerint imbuti, colligitur ex eo quod c.6. dicunt: *Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius;* ut ibid. annotat. Menſis Niſan noſtro Martio potiſſimum reſpondet, ſicut Adar noſtro Februario.

Quæ Hebraicè dicitur Phur. Quæ, non *urnam* refert, ſed *ſortem.* Nam urna in Hebræo non habetur. Sic enim ibi habetur: *Fecit projicere phur,* id eſt ſortem, coram
C Aman, à die in diem, & à menſe in menſem 12. Ipſe eſt menſis Adar.

CAPUT IV.

℣.3. *IN omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat.* Nota decretum ſeu edictum regium vocatur *dogma*, ἀπὸ τοῦ δοκεῖν, quia eo ſtatuitur & dicitur quod viſum eſt principi. Intelligi autem ipſum edictum, patet, quia hoc eodem cap. v.8. ſubjicitur de Mardochæo mittente ad reginam Eſther: *Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Suſan dedit ei, ut reginæ oſtenderet.* Scilicet internuncio illi inter ipſum & reginam.

℣.16. *Non comedatis & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter jejuna-*
D *bo; & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens non vocata, tradenſque me morti & periculo.* De jejunio iſto dicemus cap. ſeq. De altero an Eſther fecerit contra legem? *Reſpondeo,* etſi nec ipſa, utpote regina, verbis legis contineri videretur, juxta illud quod dicit ad eam rex infrà c.15. *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt;* nihilominus, etiam poſito tali periculo, tenebatur regem adire. Neceſſitas enim eripiendi totam gentem ſuam de interitu, meritò in corde eius præponderare debebat periculo privato; maximè quia interitus gentis jam certò erat deſtinatus; periculum autem perſonæ eius non erat certum. Atque ita ex lege naturæ obligabatur Eſther, ſervare gentem ſuam, & populum Dei ab injuſta cæde vindicare; maximè
E tam ſerio à Mardochæo, ut præmittitur, admonita.

CAPUT V.

℣.1. *DIe tertia induta eſt Eſther regalibus veſtimentis.* Et paulò pòſt additur, quod eodem die regem vocaverit ad ſuum convivium. *Quæritur* hac occaſione, quomodo cum hoc conſiſtat, id quod dicitur c. præcedenti, ipſam ſimul cum populo Iudaïco jejunaturam tribus diebus & tribus noctibus? Nam ſi tertio die regem invitavit ad convivium, igitur eo die non jejunavit. An fortè dicendum, quod Eſther non totum triduum jejunaverit, ſed reliquis adhuc jejunan-

jejunantibus, ipſa ſit ingreſſa ad regem, ut maturè conſuleret ſaluti Iudæorum? Sed id non apparet, quia nondum eo die propoſuit petitionem ſuam regi, ſed diſtulit in diem ſequentem. Quare non eſt improbabilis ſententia eorum, qui *reſpondent* hoc jejunium dici triduanum per ſynecdochen, quia jejunium iſtud inceptum à prandio primi diei, & continuatum toto die ſecundo, demum ſolutum ſit in prandio vel veſpera diei tertię, ita ut toto illo tempore nihil comederint. Sic enim dicitur cap. præced. v. 16. *Non comedatis, & bibatis tribus diebus & tribus noctibus*, ſed ſynecdochicè ut jam expoſui, acceptis. Et hæc expoſitio adjuvat nos ad intelligendum illud Matth. cap. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus*, nempè, intelligendo de tempore quo fuit Chriſtus in ſepulchro, & lymbo, à feria 6. uſque ad paſcha manè.

℣. 9. *Cumque vidiſſet Mardochæum non ſolum non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem loco, &c.* Hic rurſum dicitur, quod Mardochæus noluerit adorare ſue venerari ſuperbum Aman; atque adeo moviſſe quidem ſe loco, veniente Aman cæteriſque eum adorantibus. Ex quibus verbis ſatis colligitur, Mardochæum non ſolum divinum honorem recuſaſſe impendere Aman, ſed etiam civilem, aliis principibus exhiberi ſolitum. Vide plura de hoc ſuprà cap. 3. v. 2.

CAPUT VI.

℣. 3. **Q***Vid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.* Notandum, quod duabus rebus potiſſimum continetur Reſpublica, ſcilicet præmiis ac ſuppliciis. Nam præmiis excitantur animi ad adjuvandam & fulciendam Rempublicam: ſuppliciis vero deterrentur improbi, ne lædant. Hinc ergo meritò Rex Aſſuerus pro ſalute regni ſollicitus, quærit, quid honoris ac præmii Mardochæus fuerit conſecutus; qui detectis inſidiis, non ſolum Regis, ſed totius regni ſaluti ac paci conſuluerat. Sed *quæritur*, quomodo id quod hîc dicitur Mardochæus nullam pro ea re mercedem recepiſſe, non pugnet cum eo quod infrà c. 12. v. 5. legitur in hæc verba, Mardochæo prodente has inſidias *Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commentariis, ſed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit. Præcepitque ei Rex, ut in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus.* Quidam *reſpondent* id quod capite 12. dicitur non ita ad ſcripturam pertinere, ut ex annotationibus à D. Hieron. adjectis liquere volunt. Sed melius reſpondetur iſta non pugnare, & quod ideò c. 12. juſſus ſit Mardochæus in aula palatij morari, ut oblatâ occaſione, dignam ſuâ fide, quam erga regem oſtenderat, mercedem acciperet; nec tamen illam uſque ad tempus illud acceperit ſcilicet officium aliquod tantâ fide dignum, ſed tantùm donum aliquod extemporaneũ, donec aliquis maius ſe offerret.

℣. 7. *Homo quem rex honorare cupit, debet indui veſtibus regiis, & imponi ſuper equum, qui de ſella regis eſt, & accipere regium diadema, &c.* Iſtud poſtremum non legitur circa Mardochæum obſervatum, idcirco (veriſimiliter) quod Mardochæus hoc modeſtè recuſaverit, indignum exiſtimans quemquam alium præter regem coronari regio diademate, etiamſi id Aman ſic pronunciaverit, *reputans*, ut inquit Scriptura, *quod rex nullum alium præter ipſum vellet honorare.* Sed prorſus contra mentem ſuperbi hominis accidit. Porrò quod hîc dicitur verſu 9. *Sic honorabitur quemcumque voluerit rex honorare*; & infrà v. 10. *Hoc honore condignus eſt, quemcumque rex voluerit honorare*: Apud Hebræos utroque loco iiſdem prorſus verbis ſcriptum eſt, ne quis in hac diverſitate aliquid myſterij quærat.

℣. 13. *Cui reſponderunt ſapientes quos habebat in conſilio, & uxor eius. Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere, ſed cades in conſpectu eius.* Hoc ſapientes dicebant eo quidem animo quo alia, ſuperſtitioſè, ſecundum falſam artem divinatoriam; ſed Deo agente ut rem veram dicerent, & quodammodo prophetarent; ſicut Caïphas non à ſemetipſo dicebat, ſed cum eſſet Pontifex, &c. Ioan. 11. Sic Sacerdotes Dagon de arca dicebant quædam inſtinctu divinæ veritatis neſcientes 1. Reg. 6. Aut ſenſus eſt: cum Mardochæus cum quo cœpiſti exercere inimicitias, ſit Judæus, tu autem Amalecita, ſitque inter utramque gentem à priſcis temporibus capitalis inimicitia, poſtquam cœpiſti coram illo cadere, & ille cœpit apud regem exaltari; non ceſſabit donec te penitus perdat, uſurus ad hoc amicitia Regis apud quem nunc plurimum valet.

CAPUT VII.

℣. 4. **A***Tque utinam in ſervos & famulas venderemur, eſſet tolerabile malum —— Nunc autem hoſtis noſter eſt, cuius crudelitas redundat in regem.* Poſteriora verba apud Pagninum ex Hebræo, ſic transferuntur: *Quamquam hoſtis nec recompenſaret damnum regis.* Ut ſit ſenſus, quod pereuntibus Judæis etiam rex damnum paſſurus fuerit, nec pecuniam ab Aman regi promiſſam ad eius fiſcum ullatenus poſſe compenſare tributa, quæ ex Iudæis recipiebat. Alij ſic exponunt: Satius fuiſſet gentem noſtram totam vendi in ſervitutem. Sic enim multò plus acciperet rex quàm offert Aman. Neuter ſenſus malus eſt.

CAPUT VIII.

℣. 1. **D***Ie illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman adverſarij Iudæorum.* In eo quod dicitur rex dediſſe Eſther domum Aman, ſignificatur, quod dederit ei omnem eius ſubſtantiam, & quidquid ad domum & familiam eius pertinebat, ut ſervos, & ancillas, agros, jumenta & pecora. Et hoc modo præſentem locum expoſuerunt Septuaginta, qui ſic habent: *Et in illa die rex Artaxerxes donavit Eſther omnem ſubſtantiam Aman diaboli*, id eſt, calumniatoris. Et quod domus pro univerſa familia & ſubſtantia accipiatur, frequens eſt in ſacris litteris. Sic Dominus dicitur Exodi capite primo ædificaſſe domum obſtetricibus nolentibus ſecundum imperium Pharaonis infantes Hebræorum perdere; id eſt, familiam eorum copioſam & opulentam reddidiſſe. Et David ad Dominum 2. Reg. 7. *Tu locutus es ſervo tuo, quod ædificares ei domum*, id eſt, quod familiam eius, poſterorumque claram & illuſtrem redderes.

℣. 10. *Ipſæ epiſtolæ, quæ regis nomine mittebantur annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per veredarios; qui per omnes provincias diſcurrentes, veteres litteras novis nunciis prævenirent.* Illud totum (*qui per omnes provincias, &c.* Non eſt in Hebræo nec apud Septuag. Sed in Hebræo ſic legitur: *quæ mittebantur per manum curſorum, qui vehebantur equis velocibus, mulis filiis equarum.* Deinde quod dicitur in noſtro textu; *ut veteres litteras novis nunciis prævenirent*, præciſe intelligendo verum eſſe non poteſt: Nam litteræ Aman jam ante duos menſes miſſæ erant, & ad ſingulas provincias pervenerant, ſicut expreſſè habemus ſuprà cap. 4. *In omnibus provinciis, oppidis, & locis, ad quæ crudele regis edictum pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos.* Itaque propriè loquendo litteræ Aman novis iſtis nuntiis non poterant pręveniri; ſed ſenſus eſt, *qui per omnes provincias diſcurrentes veteres litteras novis nuntiis prævenirent*, videlicet ſecundum effectum. Nam litterę Aman nondum fuerant executioni mandatę, quia

quia per eas tantum data fuerat poteſtas occidendi omnes Iudæos menſe duodecimo: hæ autem litteræ miſſæ ſunt menſe tertio. Atque ita per eas tempeſtivè ſatis veteros illæ litteræ fuerunt præveniæ & inefficaces redditæ.

℣. 11. *Ut ſtarent pro animabus ſuis & omnes inimicos ſuos, &c.* Stare pro animabus non eſt reſiſtere hoſtibus, ſeque & vitam ſuam defendere? Neque enim jubentur Iudæi pugnare contra hoſtes qui erant parati ipſos occidere: Nam ſi pugnando agendum erat, potuiſſent non minus occidi Iudæi quàm hoſtes eorum. Ubi enim pugnatur, ut in bello, utrimque cadunt corpora. Sed *ſtare pro animabus* eſt paratos eſſe ad vindicandum, animas ſuas, id eſt, vitam ſuam, quam tollere voluerant ipſorum inimici. Unde explicationis gratiâ ſubditur: *Et omnes inimicos ſuos cum conjugibus ac liberis ——— interficerent atque delerent.* Id autem non B erat futurum per modum pugnæ, quia ut dixi, ſic etiam Iudæi cadere potuiſſent, ac fortè etiam majori numero: ſed per modum executionis juſtitiæ publicæ, ita ut ſicut ſecundum edictum Aman hoſtes Iudæorum talem in eos acceperant poteſtatem ut Iudæis non licuiſſet repugnare, ſed tantum quatenus poſſent fuga ac latebris ſalutem quærere: ſic viciſſim juxta edictum Mardochæi non licuerit hoſtibus Iudæorum ſumptis armis repugnare, ſed tantum fugiendo aut latitando, quatenus poſſent ſibi cavere. Et veriſimile eſt quod per ſingula loca poteſtas publica ex Regis mandato debuerit Iudæis internecionem hoſtium ſuorum exercentibus, aſſiſtere; quemadmodum & feciſſet ipſis hoſtibus contra Judæos. Nam alioqui ejuſmodi edictum videretur temerarium & periculoſum. Imò hoc ipſum de aſſiſtentia judicum & ducum Provinciarum, ſatis ſignificatur cap. proximo.

Quæret aliquis quare edictum regium non fuit injuſtum, utpote contra abſentes & inauditos? Reſpondeo, hîc dicitur quod litteræ ſcriptæ erant ad judices & principes qui centum viginti ſeptem Provinciis præerant, ſcilicet ut illi ſecundum juſtitiam inquirerent qui verè eſſent hoſtes Judæorum; & illos traderent Judæis interficiendos. Sed quo jure cum conjugibus ac liberis? Reſpondeo fuiſſe permiſſionem, non juſſionem, qua parte conceſſum Judæis fuit etiam conjuges & liberos hoſtium interficere, idque ideo permiſſum à Rege, quia Aman impetraverat Judæorum cum liberis & conjugibus interfectionem.

D

CAPUT IX.

℣. 5. **I**Taque percuſſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga, & occiderunt eos, reddentes eis, quod ſibi paraverant facere. *Quæri* poteſt, utrùm rectè hoc factum fuerit? & quomodo non fuerit contra præceptum Domini, de non expetenda vindicta? Nam videri poſſet, quod Judæis ſufficere debuiſſet, ſe eſſe à periculo imminente liberatos; & quod non debuiſſent ultra procedere ad inimicorum ſuorum interfectionem. Sed *reſpondeo* factum illud fuiſſe juſtum & legitimum. Nam proceſſit à publica & legitima poteſtate, videlicet regis Aſſueri, qui jure poterat hoſtes Judæorum tali E modo punire. Deinde juſtum fuit quantum ad cauſam, quia populus Judæorum erat populus Dei, ita ut in ſolo populo illo tunc reſideret cultus veri Dei; unde hoſtes illius populi ex conſequenti erant hoſtes veræ religionis, ſicuti hodie in hac patria hoſtes regis Catholici & ſequacium eius, meritò præſumuntur hoſtes eſſe religionis Catholicæ. Quantùm autem ad Judæos exequentes hanc cædem, non videtur dubitandum, quin Mardochæus & Eſther habuerint piam intentionem, videlicet conſervandi populi Dei, & vindicandi cultum divinum, qui tunc in eo ſolo populo erat. Et idem ſentiendum de aliis piis viris, in illo populo. Neque curandum, quod plures in illo populo

A Judaïco fuerint, qui magis ad vindicandas ſuas injurias intenti fuerint, quàm ad pium hujuſmodi ſcopum? Nam & hoc tempore principes non debent omittere bella juſta, etiamſi ea gerere non poſſint, niſi ſimul per multos milites improbos.

℣. 10. *Quos cum occidiſſent, prædas de ſubſtantiis eorum agere noluerunt.* Satis veriſimile eſt id fuiſſe conceſſum Judæis, ut etiam bona hoſtium diriperent. Id enim per literas miſſas ab Aman fuerant contra Judæos conceſſum eorum hoſtibus. Noluerunt tamen Judæi hac conceſſione uti, duas ob cauſas. Una eſt, ut per hoc oſtenderent, quod cædem hanc in hoſtes authoritate regia exercuiſſent, & non ex cupiditate bona eorum, ſeu poſſeſſiones invadendi. Altera, ut per hoc regi gratificarentur, quia omnia ejuſmodi bona hoc modo cedebant fiſco regio. Et ita ex conſequenti iſta cædes etiam B cedebat in magnam regis utilitatem.

℣. 20. *Scripſit itaque Mardochæus omnia hæc, —— & miſit ad Iudæos ——— ut quartam-decimam & quintam-decimam menſis Adar pro feſtis ſuſciperent.* Idemque repetitur verſu 23. 27. & 28. Et poſteriori loco ſic legitur: *Iſti ſunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio, & per ſingulas generationes cuncta in toto orbe Provincia celebrabunt.* Ubi obſervandum, ſi præter feſtos dies per Moyſen à Deo præſcriptos, proceres populi Judaïci inſtituere potuerunt alios inſuper dies feſtos in memoriam certorum Dei beneficiorum; potuerunt idem etiam facere proceres ſeu præpoſiti C Eccleſiæ, in memoriam beneficiorum per homines ſanctos, ejus ſingulares amicos, nobis præſtitorum; celebrando eorum dies anniverſarios. Sic etiam Judith ultim. dies quo Holofernes cæſus eſt, feſtus inſtituitur, & 1. Machab. 4. dies quo reſtitutum eſt & dedicatum altare.

CAPUT X.

℣. 4. **D**Ixitque Mardochæus: *A Deo facta ſunt iſta, &c.* Ea quæ deinceps in hoc libro ſequuntur, in Hebræo non habentur, quemadmodum etiam in ipſis Bibliis Sixtinis verbis D. Hieron. annotatum eſt. *Quæritur* ergo de his additamentis, utrum habenda ſint ut Scriptura canonica? Diſputatum fuit pridem etiam à Catholicis: ſed pro parte D affirmativa videntur eſſe rationes firmiores. *Prima ratio*, quia Concil. Trident. Seſſ. 4. definit libros à ſe nominatos (inter quos & Eſther) eoſque integros prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis ſuſcipiendos eſſe. Ita Concilium. *At dicet aliquis.* Appendix hæc non eſt libri pars, ſed adjectum aliquid aliundè deſumptum, & poſt finem libri adjectum. *Reſpondeo*, non eſt quidem libri pars, ut in Hebræo legitur, ſed ut legitur in Eccleſia, & habetur in veteri vulgata latina editione; & ſic loquitur Concilium Tridentinum. Alioqui ſimiliter dicendum eſſet, Hiſtoriam Suſannæ & Belis, non pertinere ad Scripturam ſacram, quia poſt librum Danielis abjectæ ſunt; E & tamen omnes Catholici recipiunt has Hiſtorias, ut ſacram Scripturam.

Alia ratio eſt, quia veteres ex hac appendice Eſther citant ſubinde teſtimonia velut Sacræ Scripturæ. Et nominatim Auguſt. contra Pelagianos citat & vehementer urget illud ex cap. 15. hujus libri, *Convertit Deus ſpiritum regis in manſuetudinem.* Adde quæ ſunt ad cap. 14. v. 13. Quin etiam ex capite 13. quo continetur oratio Mardochæi ad Deum, Eccleſia deſumit lectionem in officio ſacro Miſſæ pro Epiſtola cantandam ſeu legendam, feria quarta poſt Dominicam ſecundam quadrageſimæ. Et hoc tam in Miſſali Romano quàm aliorum Eccleſiarum. Non reperitur autem per totum anni circulum, ut epiſtola Miſſæ ſumatur aliunde,

aliunde ; quam ex libris canonicis ſacræ Scripturæ. A Denique quicquid contra hanc appendicem, vel appendices adferri poteſt, idem etiam objici poteſt contra hiſtorias Suſannæ, Belis, & Canticum trium puerorum, & Epiſtolam Hieremiæ; quæ tamen, ut diximus, ab omnibus Catholicis, ut Scriptura ſacra recipiuntur.

CAPUT XI.

ADditio Cenſoris. Hujus capitis initium eſt ibi demum; *Anno ſecundo regnante, &c.*

℣. 2. *Vidit ſomnium Mardochæus filius Iaïri, filij Semei, filij Cis, de tribu Benjamin, ——— vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.* Narrat ſcriptura hoc ſomnium à Mardochæo viſum anno ſecundo, regnante Artaxerxe rege maximo, ſeu, ut Græca habent, tantum B in poſitivo (*magno.*) Verùm cum tunc nondum detexiſſet Mardochæus inſidias duorum Eunuchorum, *quæritur* quomodo hîc dicatur vir magnus, & inter primos aulæ regiæ, cum non niſi diu poſt à rege juſſus eſt honorari? Etenim de inſidiis Eunuchorum, & aliis primum narratur cap. ſequenti. *Reſpondet* per prolepſim ſeu anticipationem illum hîc vocari magnum & honoratum, ut qui poſteà talis fuerit, quod non rarum eſt in Scriptura. Aut etiam quod dicatur vir magnus, & inter primos aulæ regiæ, quia erat miniſter regius, aulam ſeu atrium regis cum aliis obſervans. Sic enim accipi hîc nomen aulæ regiæ, omnino apparet ex iis quæ capite ſequenti narrantur.

℣. 4. *Erat autem de eo numero captivorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor.* Græcè eſt : *Erat ex captivitate quam captivaverat Nabuchodonoſor.* Quæ verba C non tam ſignificant eum in perſona captivum fuiſſe abductum cum iis, qui tempore Iechoniæ tranſlati ſunt, quàm eum fuiſſe de illo populo, qui eo tempore fuit abductus in captivitatem. Nam totus ille populus vocabatur captivitas. Unde & Cyrus & Darius dicuntur captivitatem remiſiſſe in Judæam, eum tamen jam poſt annos ſeptuaginta captivitatis pauciſſimi eſſent, qui in propria perſona fuiſſent captivi adducti ; ſed ſcilicet in ſuis majoribus, ex iiſdem in captivitate nati.

℣. 7. *Ut pugnarent contra gentem juſtorum*, & pauló pòſt ; *Conturbata eſt gens juſtorum.* Populus Iu- D daïcus vocatur gens juſtorum, quia etſi non omnes Judæi eſſent juſti, erat tamen in illo populo inſtitutus à Deo verus ipſius cultus ac religio, & lex data, cujus obſervatores verè juſtificarentur, erantque in eo populo multi verè juſti legis obſervatione. Quantò igitur magis Eccleſia Chriſti, licèt in ea quoque mali bonis permixti ſint, propter inſtituta divina, profeſſionem ſanctitatis, ac veram ſanctitatem in multis ejus membris relucentem, vocabitur gens juſtorum & Eccleſia ſancta?

CAPUT XII.

℣. 9. A*Man voluit nocere Mardochæo, & populo* E *ejus pro duobus Eunuchis regis, qui fuerant interfecti.* Hæc una fuit cauſa odij Aman in Mardochæum. Nam hujus conſpirationis videtur Aman fuiſſe conſcius, aut etiam particeps. Nam capite ultimo dicitur ; quod conatus fuerit regem regno privare & ſpiritu. Nihilominus huic cauſæ accedebant & aliæ duæ. Una, quod Aman erat genere Amalechita, & proinde inviſum habebat populum Iſraeliticum, ex cauſis allatis capite 3. verſ. 1. Altera, quia Mardochæus Iudæus recuſabat ei deferre honorem. capite 5.

Additio Cenſ. In verbis B. Hieronymi ſubſequentibus non legendum eſt (diripuerunt) ſed (diriperent.) Reſpicitur enim ad cap. 3. v. 13.

CAPUT XIII.

ADditio Cenſ. Hujus cap. initium eſt ibi : *Epiſtola autem hoc exemplar fuit.*

℣. 2. *Cum plurimis gentibus imperarem, & univerſum orbem mea ditioni ſubjugaſſem, &c.* Non propterea hæc appendix rejicienda eſt, quia hîc dicitur Artaxerxem, ſeu Aſſuerum univerſum orbem ſuæ ditioni ſubjugaſſe, quem tamen conſtat, ne decimam quidem partem orbis tenuiſſe; tum quia hæc non ſunt ſcripturæ verba, ſed ipſius Aſſueri, cujus hic Epiſtola ponitur, tum quia hæc ipſa verba commodum & verum ſenſum habere poſſunt. Nam etiam ante has appendices Scriptura ſacra ſic habet : *Rex verò Aſſuerus omnem terram, & cunctas maris inſulas fecit tributarias.* Utroque autem loco locutio eſt hyperbolica, qua omne vel univerſum ponitur pro valde multo. Nec abhorret talis locutio à communi loquendi conſuetudine. Vulgò enim dicimus totam civitatem concurrere ad aliquod ſpectaculum, ſi valdè multi concurrant ; & totum mundum infeſtari bellis & ſeditionibus; etiamſi tantum de Europa, aut magna ejus parte loquamur. Sic dicitur Aſſuerus ſibi ſubjugaſſe univerſum orbem, quia ſubjugaverat magnam orbis partem ; videlicet totum ferè Orientem, qui multas & magnas Provincias complectitur.

℣. 14. *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Græcè ſic habemus: *Sed feci illud, ut ponerem gloriam hominis ſuper gloriam Dei.* Vide etiam quæ dicta ſunt ſuprà ad caput tertium v. 2. itemque ad cap. 5. v. 9.

CAPUT XIV.

℣. 13. T*Ribue ſermonem compoſitum in ore meo, &c.* Ut magis conſtet hanc appendicem eſſe Scripturam ſacram, de quo aliqua diximus ad cap. 10. notandum hæc verba citari à Chryſoſtom. hom. 3. ad populum Antiochenum. Et citatur quoque ab Auguſtino lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. penult. Ubi quia Auguſtinus ex hoc loco ſumit piam admonitionem ad eos, qui verbum Dei tractant, verba ipſius proferemus: Sive, inquit, apud populum, vel apud quoſlibet dicturus aliquis, ſive apud populum dicendum, vel à quibuſcumque legendum, dictaturus, oret, ut Deus ſermonem bonum det in os ejus. Si enim regina oravit Eſther, pro ſuæ gentis temporaria ſalute locutura apud regem, ut in os ejus Deus congruum ſermonem daret; quantò magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum ſalute in verbo & doctrina laborat? Hæc Auguſtinus. Quæ ejus admonitio etiam perpetua Eccleſiæ conſuetudine confirmatur. Nemo enim in Eccleſia ſuggeſtum conſcendit ad docendum vel exhortandum populum, niſi prius iſta oratione ad Deum.

℣. 13. *Et transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, ut & ipſe pereat & cæteri qui ei conſentiunt.* Juſtum odium intelligit, quale eſſe debet omnium principum ac judicum, quorum eſt perſequi & punire malos. Unde David Pſalmo 100. *Facientes prævaricationes odivi.* Et 138. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi.*

℣. 15. *Et noſti, quia oderim gloriam iniquorum, & deteſter cubile incircumciſorum, & omnis alienigenæ.* Citat hunc locum Auguſt. Epiſt. 199. & Hieron. aliquot locis. *Quæret* aliquis : Quomodo ergo nupta erat regi Aſſuero homini incircumciſo & idolorum cultori? Neque enim invita ad hoc compulſa fuerat, ſed in numerum puellarum regiarum, conſentiente patruo ſuo Mardochæo, fuerat relata, ea ſpe, ut apparet, ut in uxorem à rege duceretur. *Dicendum* ergo, ſicut lex illa de vitando conjugio alienigenarum, exceptionem

habebat, quoties alienigena tranſiret ad religionem Iudaïcam; ita etiam meritò eadem lex diſpenſationem patiebatur, ſi ex tali conjugio non metueretur, ne fidelis alienaretur à cultu veri Dei, & ſimul magnum reipubl. bonum inde poſſet expectari. Ita enim fuit in propoſito. Nempe Eſther ita erat inſtructa à Mardochæo patruo, ut periculum ei non eſſet, ne averteretur à paterna religione; & conjugium iſtud multum prodeſſe poterat populo Dei, ſicut & profuit. Unde Mardochæus cap. 4. dicebat ad eam: *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris, &c.* id eſt, ut ad tale tempus, videlicet anguſtiæ populi tui eſſes parata ad eum de anguſtia liberandum. Itaque Eſther & voluntariè nupſit Aſſuero; & tamen dicit hîc ſe deteſtari cubile; Nempe ut mox ſubjicit: *Tu ſcis neceſſitatem meam*, nupſerat ſcilicet, ut neceſſitatem & calamitatem populi levaret, quæ aliter mitigari non poſſe videbatur. Unde & concludit hanc ſuam orationem his verbis: *Deus fortis ſuper omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam ſpem habent; & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.*

CAPUT XV.

℣. 1. HÆc quoque addita reperi in editione vulgata. Scilicet ad cap. 4. v. 8.

℣. 3. Nec non & iſta quæ ſubdita ſunt. Scilicet addita reperi in illa vulgata; nempe ad initium c. 5.

℣. 4. Non dubium quin pro (ornatus) ſit legendum (oratus) Quod vocabulum extat Baruch 4. v. 20. Confer cap. 14. v. 2.

Tres iſtæ additiones ſunt ejuſdem Cenſoris.

℣. 10. *Cum rex elevaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit.* Hunc locum inter alia *abjiciunt*, qui huic poſteriori parti libri Eſther detrahunt authoritatem, tanquam repugnantem ei, quod ſuprà cap. 5. habetur: *Cumque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis ejus.* Ubi videntur hæc duo omnino contraria dici, nempe hîc quod corruerit in terram; & ibi cap. 5. quod rex eam viderit ſtantem. Sed facilis eſt *reſponſio*. Nam intelligendum eſt, quod primò timore perculſa corruerit in terram, poſtea ſublevata ſteterit, & placuerit oculis Aſſueri.

℣. 11. *Convertitque Deus ſpiritum regis in manſuetudinem.* Citat hunc locum Auguſtinus libro de gratia Chriſti cap. 24. Et argumento ex his verbis petito, tanquam teſtimonio ſacræ Scripturæ urget Pelagium & Cæleſtium, contra quos ſcribit. Docebat Pelagius, eum demum hominem participem fieri gratiæ Dei, ſi primum homo ſua libera voluntate ſe Deo ſubjiciat, & cor ſuum in manu Dei ponat. Contrà docet Auguſtinus, ſecundum rectam & Catholicam fidem, Deum non ſolum voluntatem indifferentem, & non reluctantem, per gratiam ſuam trahere ad bonum; verùm etiam efficaci gratia ſua malam & repugnantem voluntatem ad bonum convertere; idque oſtendit exemplo regis Aſſueri, qui cum ardentibus oculis furorem pectoris ſui indicaret, teſtatur ſcriptura Deum ſubitò ſpiritum & indignationem ejus in manſuetudinem convertiſſe. Valet quoque idem argumentum, contra omnes eos, qui negat aliquam gratiæ operationem; ſine prævio motu voluntatis. Vide etiam Iob 12. & Proverb. 21.

℣. 16. *Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei.* Verba ſunt Eſther ad Aſſuerum. Nec tamen in his verbis adulatio eſt, videlicet, non magis quàm in verbis Iacob ad Eſaü fratrem ſuum impium, Geneſ. 33. cum itidem dicit, *Sic vidi faciem tuam quaſi viderim vultum Dei.* Nam talibus verbis non aliud ſignificatur, quàm mitis, blandus, & gratioſus aſpectus. Nam Dei & Angeli maximè proprium eſt hominibus benefacere, & fauſtum aliquid adferre, & vocula (*quaſi*) ſimilitudinem denotat non æqualitatem. Quod autem apud regem infidelem Eſther mentionem fecerit Angeli, non eſt mirandum. Nam ipſa ſuo more loquebatur, etiamſi inter infideles verſaretur. Quin etiam legimus 1. Reg. 29. Achis regem Geth dixiſſe ad Davidem: *Bonus es tu in oculis meis, ſicut Angelus Dei*, veriſimiliter, quia tam brevi tempore; verſante apud eum Davide, hujuſmodi phraſim, modumque loquendi ab eo didicerat. Niſi velimus loquendi morem eſſe à Scriptore ſacro: ſicut Danielis 13. 55. 59.

CAPUT XVI.

℣. 1. REx magnus Artaxerxes. Hoc totum eſt in Græco codice poſt ea quæ nos habemus cap. 8. v. 12 Hæc eſt additio ejuſdem Cenſoris.

℣. 10. *Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo.* Quomodo hæc non pugnent cum eo quod Aman fuit Amalecites, vide explicatum ſuprà capite 3. verſ. 1.

℣. 15. *Nos autem Iudæos necè deſtinatos in nulla penitus culpa reperimus ——— filius altiſſimi, & maximi, ſemperque viventis Dei.* Significant hæc verba, utpote ab ipſo Aſſuero ſcripta, eum, cum iſta ſcriberentur, habuiſſe notitiam unius veri Dei; & fortaſſe de ea re inſtructum fuiſſe à Mardochæo, qui factus erat princeps palatij. Neque id mirum videri debet de Aſſuero, cum etiam majores ejus aliquam talem notitiam habuerint. Sic in primis Nabuchodonoſor tandem agnovit, quod excelſus dominetur ſuper regnum hominum, & cui voluerit det illud, Danielis 4. cap. Deinde Cyrus, ut habemus 1. Eſdræ 1. & 2. Paralip. ult. dicit. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi ut ædificarem ei domum in Ieruſalem.* Item Darius ſimilia confitetur 1. Eſdræ 6. & Danielis 6. Ex quibus oſtenditur mirum non eſſe, ſi etiam Aſſuerus confuſam de Deo habuerit notitiam. Poteſt tamen & aliter dici, hinc Epiſtolam ſcriptam eſſe, dictante Mardochæo præfecto palatij. Ita enim habemus cap. 8. regem dixiſſe ad Eſther: *Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet ex regis nomine ſignantes litteras annulo meo.* Utraque ſolutio bona eſt.

℣. 18. *Et ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis.* *Quæritur* quomodo hæc vera ſint, cum Epiſtola hæc ſcripta ſit, menſe tertio, ut patet ex cap. 8. & capite nono dictum ſit decem filios Aman demum interfectos fuiſſe; & in patibulis ſuſpenſos menſe duodecimo? Ad hanc apparentem repugnantiam *Reſpondeo*, id quod hic dicitur, (*& omnis cognatio ejus*) non eſſe intelligendum de filiis ejus, qui poſteà menſe duodecimo interfecti leguntur; ſed de iis tantum, qui nondum emancipati, & alibi commorantes, adhuc in domo ejus inventi ſunt, tam ſanguine illi juncti quàm alij domeſtici. Nam vox Græca ſignificat domeſticam familiam, ſcilicet uxorem, liberos nondum Emancipatos, & miniſtros. Alterum autem locum cap. 9. accipiendum eſſe de filiis, qui uxoribus ductis, ſeorſim aut aliis in locis, habebant familias. Idque ſatis conſonat cum eo quod ibidem ſubditur: *Quos cum occidiſſent, prædas de ſubſtantiis eorum tangere noluerunt.*

FINIS LIBRI ESTHER.

ANNO-

ANNOTATIONES IN LIBRVM IOB.

PRÆFATIUNCULA.

PRæcipuus hujus libri ſcopus eſt proponere lectori inſigne ac memorabile exemplum patientiæ Iob, ut eo cognito ad ſimilem patientiam in adverſis animemur. Unde illud Iacobi 5. *Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Verùm in quo potiſſimum verſetur diſputatio Iob cum amicis, duæ ſunt opiniones. D. Thom. in Comment. in hac quæſt. ſummam diſputat. conſtituit: *Vtrum res humanæ divina providentia regantur?* Sed hęc opinio vacillat. Nam neutra pars, ut apparet, negabat providentiam Dei. Proinde verior eſt altera opinio quæ diſputat, ſummam ponit in hac quæſtione: *Vtrum Deus juſtis hominibus aliquando adverſa immittat? an verò juſtis tantum bona, & injuſtis tantum mala?* Confer notat. Lucæ 13. v. 3. Priorem partem quæſtionis Iob conſtanter, & verè defendit. Sermo autem eſt de notabili proſperitate vel adverſitate. Convenit ergo argumentum hujus diſputat. cum argum. Pſalm. 72. *Quam bonus Iſraël, &c.* & cum altercatione Habacuc; & Ieremiæ prophetaſum cum Deo.

CAPUT PRIMUM.

ỷ. 1. *VIr erat in terra Hus nomine Iob.* In quibuſdam editionibus Septuag. in fine hujus hiſtoriæ aſcribitur, quod Iob fuerit ortus ex Eſaü, quintus ab Abraham, & ante quem proximè regnarit Balac filius Beor. Et refert Chryſoſt. homil. 1. & 2. de patientia Iob. Sed magis probabile videtur, quod fuerit ex poſteria Nachor, qui duos habuit filios, Hus, & Buz ut ſic Iob fuerit Huſſites, & Eliu amicus ejus (de quo poſteà) Buzites; nominibus illis tam terræ, quàm generi communibus. Confer infrà, 32. v. 2. Severus Sulpitius in hiſtoria lib. 1. narrans de Moyſis exilio apud Madianitas, dicit: Hoc tractatu temporum Iob fuit, legem naturæ, & agnitionem Dei, & omnem juſtitiam complexus. Non eſt tamen rejicienda eorum ſententia, qui dicunt eum eſſe ex poſteris Eſaü, quam ſequitur & Vatab. eò quòd terra Hus ponatur in Idumæa. Sic enim legitur Threnorum Jeremiæ 4. v. 21. *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Ubi Hebr. eſt idem vocabulum cum iſto Hus. Ut ut ſe res habet, id conſtat, eſſe veram hiſtoriam, & ſcripturam canonicam; utpotè cujus authoritatem confirment prophetia Ezechielis, Liber Tobiæ, & Epiſtola Iacobi Apoſtoli.

ỷ. 5 *Ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Nota, (*benedicere*) per antiphraſim poſitum eſt pro (*maledicere*) ſicut & cap. ſeq. ubi uxor eum ad impatientiam provocans dicit: *Benedic Deo & morere.* Et manifeſtiſſimè 3. Reg. 21. ubi pro cauſa necis Naboth dicitur: *Benedixit Deum & regem*, q. d. maledixit, & blaſphemavit. Cujus locutionis ea ratio eſt, quod eo tempore crimen blaſphemiæ tam habebatur enorme, & execrabile, ut etiam proprio vocabulo, illud appellari non ſuſtinerent.

ỷ. 6. *Quadam autem die cum veniſſent filij Dei, ut aſſiſterent coram Domino, affuit inter eos etiam Satan. Quæritur.* An ergo Sathan ſimul adfuerit in cœlo? *Reſpondeo* id non ſequi; eſt enim Deus ubique præſens. Dicitur autem Sathan adfuiſſe ſimul inter filios Dei quos plerique angelos bonos intelligunt, & habent etiam ſic ſeptuaginta tam hîc quàm c. 38.) non quod

A loco, aut dignitate ſimul cum illis fuerit; ſed quod ſicut angeli boni ſemper parati adſtant ad juſſa Dei complenda; ita & Sathan ſemper paratus adſit ad nocendum, & invidiam ſuam erga homines explendam. Vide Annot. 3. Reg. ult.

ỷ. 12. *Ecce univerſa quæ habet in manu tua ſunt.* Non ſolæ intelliguntur poſſeſſiones agrorum & pecorum, verùm etiam familia univerſa, ſervorum, filiorum, &c. Unde Scriptura narrat pueros, id eſt, ſervos ejus, partim gladio hoſtili percuſſos, partim igne cœleſti conſumptos; imò & filios & filias ruina domus oppreſſos. Neque tamen universè Sathan uſus eſt hac poteſtate ſibi data. Nam uxori ejus pepercit ad hoc, ut per illam provocaretur ad blaſphemiam. Pepercit etiam nuntiis ma-
B lorum, quæ intulit ſancto viro (quos exiſtimandum eſt de familia ejus fuiſſe, id eſt ſervos ejus, quia aliorum interitum nuntiantes, dicunt ſe ſolos effugiſſe) pepercit, inquam, ad hoc ut eſſent certi & repentini nuntij malorum; quo ſic animus ſancti viri de repentè perturbatus factus, inclinaretur ad impatientiam & blaſphemiam contra Deum. Neque enim ſemper utitur diabolus omni ſua poteſtate corporaliter nocendi ſibi permiſſâ, ſed ſæpe parcit in corpore, ut gravius noceat in anima, velut dum ceſſat à maleficiis maleficorum interventu, aut ſignis amotis.

ỷ. 22. *In omnibus his*, id eſt, in toto hoc negotio afflic-
C tionis ſibi illatæ. Intellige autem uſque ad illud tempus de quo loquitur tam hoc capite quàm ſequenti. Utrum autem poſtea diſputando cum amicis peccaverit labiis, & ſtultum aliquid dixerit, vide annot. c. 39.

CAPUT II.

ỷ. 3. *TV autem commoviſti me adverſus eum, ut affligerem eum fruſtra. Quæritur* quomodo Deus fruſtra eum affligit qui nihil omnino fruſtra fecit, aut facit, ſed omnia ſapientiſſimè diſponit & in fines ſuos ordinat? Deinde quomodo fruſtra afflixit, qui eum ad hoc afflixit, ut virtutem patientiæ ejus coronaret? Item ut poſteri in eo haberent exemplum patientiæ, ſicut Scriptura teſtatur Tobiæ 2. *Hanc autem tentatio-
D nem ideo permiſit Dominus evenire illi, ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus, ſicut & beati Iob?* Quidam illud (*fruſtra*) referunt ad conatum diaboli, non ad flagellum Dei, & jungunt cum illa voce (*commoviſti*. Sed hæc conſtructio coacta videtur. Unde potius jungendum illud (*fruſtra*) cum voce proximè adjunctæ quod & Hebr. & Septuag. videntur ſequi; & adſtipulatur Greg. ut ſignificetur, quod Deus eum fruſtra afflixerit. Sed quomodo fruſtra? Videlicet hoc ſenſu: Tu me adverſus eum commoviſti, ut eum affligerem,
E ſed fruſtrà, id eſt, præter meritum ſuum; cum ſit homo juſtus & innocens & adhuc in innocentia ſua perſeverans. Hoc enim modo (*fruſtra*) Hebrçâ phraſi frequenter accipitur in ſacris litteris, ut ſignificet non ſolum ſine cauſa; ſed & abſque merito, & abſque mercede. Sic & cap. præced. *Nunquid fruſtra Iob timet Deum?* id eſt, ſine mercede? Item Proverb. 1. *Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà*, id eſt, nihil tale merentem. Item in Pſal. 118. *Perſecuti ſunt me gratis.* Item Ioan. 15. *Odio habuerunt me gratis*, & ſimilia.

ỷ. 6. *Ecce in manu tua eſt. Verumtamen animam illius ſerva.* Hoc variè exponitur. Alij de vita ſpirituali accipiunt, ut ſit ſenſus: Prohibeo tibi, ne tentando eum ſuperes, & in mortem animæ inducas. Sed hic

A ſenſus repugnat ſcopo hujus certaminis, quod diabolo contra Iob à Deo conceſſum eſt. Nam ſi non licebat eum ſuperare fruſtra certamen ſuſcepiſſet? Et omnino diabolus ſic maluiſſet abſtinere à tentando, quàm tentare eum, quem ſciret ſe non poſſe ſuperare. Alij ergo rectius de vita corporali intelligunt, ut ſenſus ſit, prohiberi diabolo, ne eum occidat corporaliter. Sic Aug. Sunt qui intelligunt de uſu rationis. Sed nec id apparet. quia etiam illud, ſicut & primum, repugnat ſcopo certaminis. Nam uſus rationis ad utrumque erat neceſſarius, ſive, ut Iob vinceret diabolum, ſive, ut ab eo vinceretur, quia ſine uſu rationis peccari non poteſt.

℣.9. *Benedic Deo & morere.* Quomodo hîc (*benedic*) per antiphraſim ponatur pro (*maledic*) dictum eſt cap. præced. v.5. Senſus ergo eſt; Maledicendo ſeu blaſphe-
B mando extorque, quod precando non potes impetrare; ſcilicet mortem: ut ea tibi afflictio ſit beneficium. Quæ eſt expoſitio Auguſt. libro de Urbis excidio cap.3.

CAPUT III.

℣.3. PEreat dies in qua natus ſum, &c. Vide annotat. Ieremiæ 20. ubi ſimilia verba habentur. Quod autem quidam putant eſſe verba ſenſualitatis, id eſt, quibus exprimitur quas tentationes impatientiæ Iob paſſus fuerit, licèt iis mens non acquieverit, minus videtur probabile; quia hæc quæ hîc ſcribuntur, non tantum cogitata fuerunt, ſed etiam ore prolata, & proinde à deliberatione mentis, ut apparet profecta. Et ſanè, ſi quis præ malorum, quæ patitur, magnitudine, in
C blaſphemiæ verba erumperet; non excuſaretur, quaſi ſola ſenſualitas loqueretur. Unde potius videtur dicendum, hîc eſſe hyperbolicam exaggerationem propriæ infelicitatis, quaſi uno verbo diceret; homo ſum infeliciſſimus, itaque pereat dies in qua natus ſum, nec anniverſariè recolatur; ſicut ſolet recoli natalis regum, & aliorum ſuaviter viventium; quin etiã piget ipſius meæ nativitatis. Nam & huc uſque progrediuntur verba Iob.

℣.11. *Eliphaz Themanites, &c.* Hi vocantur reges Tob. 2. atque etiam hoc loco ſecundum verſionem Græcam. Vide annotat. Tob. 2. Chryſoſt. homil. 4. de patientia Iob: venerunt, inquit, tres reges ad regem, rex enim erat ante hæc qui dicebat: *Cum ſederem quaſi rex circumſtante exercitu.*

D *Quæri poteſt*, ſi Iob habuit amicos reges, id eſt, homines potentiſſimos, quorum etiam tanta fuerit humanitas, ut audito illius acerbo caſu, ſinguli locis ſuis relictis, ad eum venerint ex condicto, *ut pariter venientes viſitarent eum & conſolarentur*, quemadmodum hîc dicitur; quomodo non ſtatim (quod utique oportuit, & faciliimè ab iis fieri potuit) de opibus ſuis ſublevaverunt inopiam ejus, præſertim cum paucis egeret, jam liberis omnibus orbatus, & ſolam habens uxorem? & quomodo non ſtatim in domos ſuas, ut amicum afflictũ receperunt, aut omnino in ſterquilinio ſedere permiſerunt. Item quomodo Iob in ſterquilinio ſedere coactus fuit, cum ſuam adhuc domum ſalvam haberet cum famulis & ancillis domeſticis? Nam de horum amiſſione
E hic nullum verbum: domus autem ejus mentio fit cap. ult. Item cur amici non ſaltem cibum famelico & egeno præbuerunt? Sic enim ipſe ait, c.6. *Anima enim eſurienti etiam amara dulcia videntur. Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Certè non eſt veriſimile amicos tam potentes hæc modica humanitatis officia denegaſſe amico: maximè cum conſtet ex tota eorum diſputatione, fuiſſe viros ſapientes, & virtutum ſtudioſos. Nec certè niſi tales fuiſſent, colendam cum iis amicitiam ſanctus propheta putaſſet. Denique non propter inhumanitatem reprehenduntur à Deo, quaſi neceſſitatibus amici ſubvenire noluiſſent: ſed ideo tantum, quia Sanctum Iob accuſabant magnorum criminum, propter quæ dicebant eum hæc adverſa paſſum. Hujuſmodi argumentis quidam moti exiſtimaverunt hoc libro non tam deſcribi hiſtoriam rei geſtæ, quàm contineri narrationem ad proponendum patientiæ exemplum ſapienter excogitatum. Sed falli eos perſpicuum eſt, cum Ezechiel & Iacobus ſancti Iob mentionem faciant, tanquam hominis ob juſtitiã & patientiæ virtutem inſigniter Deo chari; & ille quidem eum annumeret cum Noë & Daniele: hic verò cum Prophetis atque ipſo Prophetarum Domino. Quod utique de perſona fictitia ab illis ſcriptum quis credat? Neque exhortatio B. Iacobi quidquam momenti haberet, ſi pro exemplo patientiæ, & præmij pro ea accepti, adduceret perſonam ex comœdia, in qua quidlibet poteſt fingi.

Ad hæc reſponderi poteſt, afflictionem & calamitatem Iob fuiſſe admodum repentinam, & priuſquam amici accurrerent, eum hæc paſſum quæ commemorantur; ipſos verò poſtquam advenerunt, fuiſſe paratos ad ſuccurrendum amico; ſed occaſione verborum Iob, in quæ prorupit dicendo: *Pereat dies, &c.* quibus videbatur impatientiam animi ſui declarare, Deumque ut injuſtum accuſare; interpoſitam fuiſſe totam illam diſputationem ipſius & amicorum, quæ hîc latè deſcribitur ſtylo magis poëtico quàm hiſtorico; ſic tamen ut ſalvus ſit ſenſus & ſcopus diſputationis. Statim autem poſt eam diſputationem, Dei providentiâ virum ſanctum fuiſſe in priſtinam felicitatem reſtitutum. Fortè autem ideo ſedere voluit in ſterquilinio, ut locus ſeſſionis calamitati ſuæ reſponderet.

℣.13. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* Inferunt hinc quidam parvulos in ſolo peccato originali decedentes nullum ſentire dolorem. Sed id ex his verbis non convincitur. Senſus enim verborum Iob tantum eſt; Si in utero matris mortuus eſſem, nequaquam jam has querelas effunderem, & omnium mortuorum more, ceſſarem conqueri. Cæterum an parvuli tales etiam dolorem ſentiant, an tantum pœna illis ſit, quod careant divina viſione, Patres diſputativè loquuntur, præter unum, S. Fulgent. de fide cap. 3. & 7. qui eos etiam dolorem ſenſus pati, vult eſſe fidei. Sed alij putant non eſſe fidei; atque adeò, ſi ſentiunt dolorem, putatur is leviſſimus. Ita D. Auguſt. Enchiridij cap. 93. & lib. 5. cont. Julianum, cap. 12.

CAPUT IV.

℣.7. RE*cordare obſecro, quis unquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt?* Hæc ſententia certo modo intellecta, certiſſimam habet veritatem. Nemo enim innocens, & in innocentia ſua perſeverans, ſimpliciter periit; licèt perire aliquando videatur in oculis hominum. Unde Sap. 3. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.* Si autem intelligatur ſecundum intentionem diſputantis, nempe de interitu hujus vitæ; falſa eſt. Nam Abel occiſus eſt in ſua innocentia, ſimiliter Naboth, Sancti Prophetæ, & omnes Martyres. Sciendum itaque verba amicorum Iob, non habere authoritatem Scripturæ ſacræ. Continentur tamen in iis multæ præclaræ ſententiæ, quibus ſcriptores Eccleſiaſtici ſæpè utuntur, tanquam veris ac certis; quale eſt illud hoc cap. *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Et cap. ſequenti; *Qui apprehendit ſapientes in aſtutiâ eorum.* Quam ſententiam poſteriorem videtur citare Apoſt. 1. Corinth. 3. cum ait; *Scriptum eſt; Comprehendam ſapientes in aſtutiâ eorum.* Sanè idem Paulus etiam aliàs citat dicta Poëtarum. Quod ad præſentem autem locum attinet, quaſi innocens nemo perierit, perperam omnino amicus Iob, ut oſtendimus, contra innocentem allegat.

℣.17. *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur; aut factore ſuo purior erit vir?* Argumentum hujus diſputatoris eſt hujuſmodi. Si Deus innocentem affligeret,

ret, innocens ille eſſet juſtior Deo; quia juſtus injuſtè affligeretur. Atqui nullus homo eſt juſtior Deo, ergò Deus nullum innocentem affligit. Sed reſpondetur, negando primam propoſitionem. Nam nemo eſt omnino innocens: *Quis enim gloriabitur ſe habere caſtum cor? aut dicet, Mundus ſum à peccato?* Deinde quod Deus affligit eum qui apud homines habetur innocens, magis etiam ſæpè, quàm hominem impium; ipſius judicio relinquendum eſt; qui ut Dominus totius creaturæ pœnas nunc infert, nunc differt pro ſua inſcrutabili prudentia; maximè quod affligendo juſtos, hoc eſt, à gravioribus peccatis immunes, non tam puniat, quàm probet.

℣.18. *Et in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Argumentantur ex hoc nonnulli, quaſi Angeli, qui lapſi ſunt, non ſint creati in gratia. Sed reſponderi poſſet, *Primò* quod hæc ſint verba Eliphaz Themanitæ, cujus verba non intendit Eccleſia omnia canonizare. Sed etiam abſolutè reſpondetur, ſenſum verborum tantum eſſe: *reperit pravitatem*, ſcilicet, quia illi propria voluntate à Deo receſſerunt. Interim quia in Hebræo ſic (ut quidam ſupplent) legitur: *At in Angelis ſuis non poſuit laudem vel lucem*; plenius dicimus, Deum non poſuiſſe in eis laudem vel lucem, id eſt, ut ſequentibus verbis in Hebræo explicatur) *Deum ſe ſuper eos non firmaſſe*, hoc eſt, Non auxiſſe gratiam, ſicut fecit in aliis, mox, ut illi gratia communiter omnibus data, bene uti cœperunt. Et planè vox Hebræa non ſignificat quamcumque lucem, ſed lucem excellentiſſimam, ut etiam Vatablus annotavit.

CAPUT V.

℣.1. V*Oca ergo, ſi eſt qui tibi reſpondeat; & ad aliquem ſanctorum convertere.* Utuntur quidam hæretici iſtis verbis ad impugnandam invocationem ſanctorum, quaſi ipſi ignorent preces noſtras. Sed valdè imperitè. Nam Hebr. ſonat: *Convertere ad ſanctos, an aliquem reperias, qui tibi ſit ſimilis*, id eſt, circumſpice, an aliquis ſanctus & juſtus ita à Deo flagelletur, ſicut tu; & cum neminem inveneris, intellige ex his plagis, te non eſſe juſtum. Certè manifeſtiſſimum eſt ex præcedentibus & ſequentibus Eliphaz diſputando nihil aliud voluiſſe obtinere, quàm Iob pro peccatis ſuis à Deo flagellari. Ac ſi dicat: Cùm homo Dei comparatione juſtificari non poſſit, & in Angelis ſuis repererit pravitatem; vade nunc, & diſputa cum Deo; quando nec ad aliquem Angelorum meritò audeas pro hac tua ſententia vultum attollere, cum & ipſimet inventi ſint inſtabiles, quoad naturam ſuam.

℣.2. *Verè ſtultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.* Pridem legebatur (*virum*) id eſt, hominem ſtultum, ſed rectè in Sixtinis Bibliis reſtitutum eſt adverbium (*verè*) & eſt aſſeverantis, ut patet ex Hebræis, Chaldæis & Græcis. Porrò pro (*parvulum*) Hebr. eſt vox, quæ ſignificat eum, qui cor ſuum inclinat ad ea quæ videt. Sic enim verbum illud Hebræum Pagninus reddidit. Arias vocat (*ardelionem.*) Senſus totius verſus eſt, Malos affligi ſuis ipſorum vitiis, utpote, quod cauſam ſui tormenti intra ſe gerant. Sic nihil miſerius eſt, aut inquietius homine invido, & rerum alienarum, aut earum quæ ſuprà ejus conditionem ſunt, appetitore. Veriſſimumque iſtud Stoïcorum: *Omnis malus eſt miſer.* Poteſt etiam ſic intelligi, quod unumquemque vitia & peccata ſua tandem ad miſeriam & interitum ducunt.

CAPUT VI.

℣.1. R*Eſpondens autem Iob dixit; Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* Circa verba Iob generalis quæſtio movetur, utrum omnia quæcumque Iob in tota ſua diſputatione, quam cum amicis habuit, dixiſſe legitur, habeant vim authoritatis divinæ, ſicut habent verba Prophetarum. Nam & ipſum Iob ſatis conſtat in hac diſputatione locutum eſſe quædam verba Prophetica, ut cap.19. *Scio quod redemptor meus vivit.* Quorumdam eſt opinio, omnibus ejus ſententiis authoritatem divinam eſſe tribuendam. Alioqui, inquiunt, planè incerti eſſemus, quæ verba ejus à Spiritu ſancto profecta ſint, & quæ à ſpiritu humano. Sed aliis magis placet diverſa ſententia. Primum, quia poſteà à Domino reprehenditur, tanquam quædam inſipienter locutus. Secundò, quia ipſe quoque ſe reprehendit, dicens: *Vnum dixi, quod utinam, &c.* Tertiò quia Beda & D. Thomas agnoſcunt quædam talia eſſe in ejus verbis, quæ digna fuerint reprehenſione. Et nominatim Beda cap. ſeq. eadem annotat. Et horum ſententiam ferè ſequuntur etiam recentiores. Quod ergo objiciebatur, hac ratione nos ſemper fore incertos, quæ in ejus verbis eſſent divina, quæ non; reſpondent, iis qui diſcretionem habent ſpirituum, non eſſe uſquequaque incertum, quæ verba à Spiritu Sancto profecta ſint, quæ non.

℣.2. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in ſtatera; quaſi arena maris hæc gravior appareret.* In Hebræo nulla eſt mentio peccati, ſed ſic legitur: *Vtinam appenderetur ira mea, & calamitas quam patior, ſimul in ſtatera; quoniam arenâ maris hæc gravior appareret.* Ut (*arenâ*) ſit ablativi caſus. Et ſenſus eſt, Utinam ira, id eſt, pœna mea ex ira Dei proveniens & calamitas appenderetur in una parte ſtateræ, ſeu bilancis, & arena maris in altera parte; planè calamitas mea appareret gravior quàm ipſa arena maris. Et ſic non eſt niſi hyperbolica querela Iob deplorantis & exaggerantis ſuam miſeriam. Secundum noſtram tranſlationem hunc reddunt ſenſum: Utinam peccata mea, & calamitas, quam patior, hinc inde appenderentur in ſtatera, ſeu trutina; certè calamitas mea tanquam ingens pondus, & comparandum cum arena maris, gravior eſſet & præponderaret meis peccatis. *Quæritur* hac occaſione, an non ſit hoc Deum injuſtitiæ accuſare? Reſponſio haberi poteſt ex dictis c 4. v. 17. ſimul hoc addito, quod Deus non reddit unicuique ſecundum merita ſua in hac vita, ſed in futura.

CAPUT VII.

℣.1. M*ilitia eſt vita hominis ſuper terram.* Septuaginta habent *πειρατήριον*, id eſt, *tentatio*; Quamquam vox Græca etiam aliquando ſignificet receptaculum, ſeu latibulum piratarum, & latronum. Et ſatis veriſimile eſt Septuaginta hanc poſteriorem ſignificationem ſpectaſſe; unde & noſter verterit (*militia.*) Nam magis hoc cum Hebræo convenit.

℣.9. *Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcenderit ad inferos non aſcendet.* Non negat hîc Iob reſurrectionem corporum, quam poſteà cap. 19. manifeſtiſſimè adſtruit dicens: *Scio quia de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum, &c.* ſed tantum ſignificat hominem non reverti ad ſtatum præſentis vitæ. Id enim clarè docent ſubſequentia verba: *Nec revertetur vir in domum ſuam, nec cognoſcet eum amplius locus ejus.*

℣.20. *Peccavi, Quid faciam tibi ô cuſtos hominum, &c.* Verſio Vatablina hoc modo: *Peccavi, quomodo me geram erga te, ſi hominis facta obſervare velis?* ut dicatur cuſtos hominum, quia diligens obſervator omnium humanorum actuum. Iuxta quem ſenſum ſimile hoc eſt illi, *Si iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit?* Pſal. 129. Et conſonat illud ejuſdem Iob c. 14. *Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, ſed parce peccatis meis.* Et ſimilia ſunt c. 13. & 31. Porrò quod addit: *Quare me poſuiſti contrarium tibi? & factus ſum mihi metipſi gravis?* ſimilia ſunt, cap 6. *Sagittæ Domini in me ſunt*, & cap. 16. *Poſuit me quaſi in ſignum*, & nihil aliud ſunt quàm querimoniæ ob ſuam gravem calamitatem.

℣. 20. *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis?* Hæc non expoſtulans Iob dicit, ſed deplorans legem membrorum, hoc eſt, originalis culpæ concupiſcentiam; de qua & Apoſtolus Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, &c. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Ex quibus quoque locis patet peccatum originale non tantùm eſſe carentiam juſtitiæ originalis; ſed inſuper concupiſcentiam pravam, propter quam & mox erubeſcebat Adam. Geneſis 3.

CAPUT VIII.

℣. 3. **N***unquid Deus ſupplantat judicium, aut omnipotens ſubvertit quod juſtum eſt?* Hæc ſententia veriſſima eſt. Neque enim poteſt Deus, qui eſt ipſa juſtitia, juſtitiam pervertere, aut aliquid, contra juſtitiam facere. Ex hac autem ſententia diſputator iſte ita videtur velle ratiocinari contra amicum ſuum Iob, Deus juſtiſſimus eſt, & per conſequens omnia juſtè facit, ergo & te juſtè affligit. Quod ſi ita eſt, ergo hanc afflictionem peccatis tuis meruiſti, quia juſtitia reddit unicuique quod meretur.

Hæc argumentatio fallax eſt, & captioſa; latet autem fallacia in vocabulo juſtitiæ. Nam juſtitia alia eſt generalis, & ſignificat generaliter rectitudinem operis quod fit à voluntate; alia eſt ſpecialis, quæ ſignificat virtutem reddentem unicuique quod ſuum eſt. Quod ergo dicitur Deus omnia juſtè facere, ſi de generali juſtitia intelligas, veriſſimum eſt; quia omnia opera ejus ſunt recta, bona, irreprehenſibilia, juxta illud: Deut. 32. *Dei perfecta ſunt opera, & omnes viæ ejus judicia.* Et illud; Pſalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Si autem de juſtitia particulari intelligatur, certum eſt non eſſe verum. Nam opus creationis mundi, non eſt opus juſtitiæ particularis; & multò minus converſio peccatoris, & juſtificatio impij, quæ ſunt opera merè gratuita, & in quibus nullo modo datur quod debetur. Ita cum Deus affligit juſtum, qui fortè tantam afflictionem non meruit; juſtè facit ſecundū generalem juſtitiam, quia rectè facit; ſed ſecundum ſpecialem juſtitiam, neque juſtè neque injuſtè, quia ibi non eſt propriè retributio aliqua, quæ præcipuè ſervatur futuro ſæculo; ſed illatio eſt afflictionis propter alium finem; ut probetur talis, & augeatur ejus meritum, ſi talem afflictionem patienter ferat. Itaque tale opus ad generalem Dei juſtitiam pertinet, non ad ſpecialem.

℣. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga patrum memoriam.* Amici Iob in ſua diſputatione hæreticorum figuram gerunt, qui ſæpe veras & præclaras ſententias proferunt, ſed iis pravè ad ſuam falſitatem abutuntur. Unde Gregorius de iiſdem hæreticis in hanc ſententiam: Sed, quia (inquit) eorum verbis non facilè creditur, quoniam ſæpè vita contemptibilis demonſtratur; aliquorum Patrum ſententias proferunt, earumque rectitudinem in argumentum ſui erroris inflectunt. Sic ille: Et res ipſa docet, nullam eſſe hæreſim, quæ non ex verbo Dei, & Patrum teſtimoniis errorem ſuum confirmare conetur.

CAPUT IX.

℣. 1. **E***T reſpondens Iob ait. Verè ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo compoſitus Deo, &c.* Ex hoc loco docere conantur noſtræ ætatis hæretici, Lutherus, & quotquot eum ferè ſequuntur; nullum hominem verè interna animi qualitate eſſe juſtum coram Deo; quia, inquiunt, teſtatur Iob hominem non juſtificari compoſitum Deo, id eſt, coram Deo. Allegant pro ſe & hanc ſententiam Gregorij in hunc locum: Sanctus vir, quia omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium conſpicit, ſi ab interno arbitro diſtrictè judicetur; hinc A ſubjungit: Verè ſcio, &c. Sed *reſpondetur* nihil hæc contra veritatem Catholicam facere. Eſt quidem triplex hujus loci expoſitio. Quidam enim ſic exponunt; Homo volens ſe comparare cum Deo, non juſtificabitur; quia illa comparatio magnæ eſt ſuperbiæ, & eo ipſo, quo ſe Deo comparat, juſtitiam, ſi quam habet, amittit. Et hæc expoſitio eſt Gregorij, ut patet ex ejus contextu. Alij hoc modo exponunt: nullus hominum eſt juſtior Deo; non tamen intelligendo quod homo ſe Deo velit componere, ſed loquendo de homine verè juſto; & hic videtur verus ſenſus. Nam hoc ſenſu dixerant amici ejus ſuprà cap. 4. *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir?* c. 4. verſ. 17. Alius eſt ſenſus, quod hominis juſtitia, ſi cum juſtitia Dei comparetur, nulla eſt. Sed neque ex eo ſequitur, quod volunt hæretici. Nam hoc, eodem ſenſu B dicitur (& verum eſt) quo dicimus, lumen candelæ nullum eſſe comparatione luminis ſolis; & tamen verè eſt aliquod lumen candelæ. Ac deinde Gregorius non loquitur de uno aliquo opere, ſed de toto curſu & converſatione vitæ noſtræ, quæ ſi diſtrictè judicetur, propter multa occulta & aliena peccata, nec non manifeſta, ſæpius commiſſa, etſi reconciliatione miſericorditer dimiſſa, ſed tamen ſi & nos dimittimus debitoribus noſtris; plus in univerſum vitij, quàm virtutis in ſe continebit.

℣. 13. *Deus cujus iræ nemo reſiſtere poteſt.* An non Moyſes, Samuël, David & alij ſancti viri reſtiterunt iræ Dei, & oppoſuerunt ſe murum pro populo Dei ne à Deo diſperderetur? Comminationi ejus reſtiterunt C ac reſiſtere poſſunt ſancti, at decretæ ac definitæ ejus ſententiæ, qua ſtatuit punire peccatores, nemo omnium reſiſtere poteſt. Et tamen reſiſtendo ſententiæ comminatoriæ non reſiſtunt Deo, ſed magis cum Deo faciunt, quia & gratum eſt hoc Deo ut apud ſe ſancti pro peccatoribus intercedant, & hoc ipſum in ſanctis ſuis ipſe, ut faciant, operatur. Poteſt autem de peccatoribus intelligi hæc ſententia, id eſt, de illis ipſis quibus Deus iraſcitur, quos ſi perdere aut punire voluerit Deus; reſiſtere non poterunt, quia nulla eſt vis quæ reſiſtat potentiæ divinæ, eamque ab effectu prohibere poſſit. Vide S. Gregor. in hunc locum.

℣. 16. *Et cum invocantem exaudierit me, non credo* D *quod exaudierit vocem meam.* Et ſimilis eſt ſententia verſ. 21. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Sanè coarguunt hæ ſententiæ manifeſtiſſimè falſitatem hodierni dogmatis hæreticorum, quo docent, eum tantùm juſtificari, & exaudiri à Deo, qui certò perſuaſum habet, ſibi per Chriſtum dimitti peccata, aut ſe exaudiri; cum contra Sanctus Iob dicat, *ſe non credere*, id eſt, non præſumere, ſed cum filiali reverentia, & non ſine timore ſuæ fortè indignitatis, ſperare tantum ſe eſſe exauditum. D. Auguſtinus ſcribens in hunc locum, allegat & illud 1. Cor. 4. *Sed neque meipſum judico. Nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me Dominus eſt.* Vide ibi noſtrum Comment.

E ℣. 31. *Et abominabuntur me veſtimenta mea.* Id eſt, abominabilem me facient. Intelligit autem hoc de concupiſcentia prava relicta ex peccato originali, D. Greg. lib. 9. Moral. c. 28. & 29. Eſtque ſimilis ille locus in Epiſt. Iudæ: *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.*

CAPUT X.

℣. 3. **N***unquid bonum tibi videtur, ſi calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & conſilium impiorum adjuves?* q. d. ſi ita me tractes, quaſi videaris me calumniari & opprimere; id quod faciunt mei amici, & tantò magis ipſi mihi inſultant quoque, quaſi & tu conſilium eorum probes. Verba ſunt oppreſſi graviſſimis miſeriis.

℣. 15.

ỷ. 15. *Et ſi juſtus, non levabo caput.* Non pugnat hoc cum eo quod dicitur 1. Ioan. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Nam ſenſus hujus loci eſt, (*Non levabo caput*) id eſt, non gloriabor; tum ſcilicet (ut ſubjungit) quia ſaturatus & incurvatus afflictione & miſeria; tum etiam, quia Apoſtolus univerſim loquens dicit 1. Corinth. 4. *Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Ita Bernard. Epiſtola 190. ad Innocentium Papam.

CAPUT XI.

ỷ. 5. **A**Tque utinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia ſua tibi, ut oſtenderet tibi ſecreta ſapientiæ, & quod multiplex eſſet lex ejus.* Illud poſtremum (*& quod multiplex eſſet lex ejus*) variè exponitur. D. Gregor. intelligit charitatem, quæ cum in ſe una, eademque ſit, tamen multiplex dicitur, quia ad omnia virtutum opera ſe extendit, juxta illud Apoſtoli 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, &c.* Ubi ejuſdem charitatis variæ actiones enumerantur. Alij intelligunt legem Dei ad omnes omnino actiones humanas ſe extendentem, ita ut homo carnalis difficillimum putet non offendere; ac proinde Iob malè ſe juſtum affirmet. Sed hic ſenſus non videtur huic loco conveniens. Nam amici Iob non loquuntur de quotidianis offenſis, ſed de peccatis gravioribus; ſcilicet volebant oſtendere eum graviter peccaſſe, quia tam graviter puniretur.

In Hebræo ſic legitur (*Et duplicia ſecundum legem*) & aliquid ſubintelligendum eſt. Si ſubintelligatur (*ſunt*) ſenſus erit; quod duplex ſit lex Dei, id eſt, lex æterna, & naturalis; vel abſcondita, & manifeſta. Sed melius videtur ſubintelligendum verbum (*meruiſti*) vel aliquid ſimile; ut ſit ſenſus; Et duplo graviora ſecundum legem pati deberes. Et hic ſenſus optimè quadrat cum eo quod immediatè ſubjungitur: *Et intelligeres, quòd multò minora exigaris ab eo, quàm mereatur iniquitas tua.*

ỷ. 18. *Et habebis fiduciam propoſita tibi ſpe; & defoſſus ſecurus dormias.* Illud (*& defoſſus ſecurus dormies*) ferè intelligunt de ſepulchro, vel de morte. Beda hoc modo: Habebis hanc fiduciam, ut defoſſus in morte, certuſque de reſurrectione, ſecurus dormias, requieſcas in inferno; & non erit illic tortor adverſarius tuus; ſed potius quicumque ſunt, preces tibi ſupplices fundent, ut tartarei cruciatus ſuis orationibus temperantur. Hæc Beda, inſinuans, quod mortui tempore veteris teſtamenti, qui adhuc purgatione egebant adjuvabantur orationibus Patrum Sanctorum, qui plenè purgati erant, & tamen adhuc detinebantur in limbo. Sed videndum, an tam profundè amicus Iob Sophar fuerit Philoſophatus. Hebræa ſic habent: (*Quaſi circumfoderis ſecurus dormies*) q.d. Securus, & ſine timore ſomnum capies, tanquam circumcinctus valle, aut foſſa contra incurſus hoſtiles.

CAPUT XII.

ỷ. 17. **A***Dducit conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem.* Similes ſententiæ quoque aliæ ſubjunguntur, ſcilicet v. 20. *Commutans labium veracium, & doctrinam ſenum auferens.* Item verſ. 24. *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos.* Abutitur his & ſimilibus locis Calvinus, quaſi Deus ſit author peccati. Sed *reſpondendum* in his operibus quædam eſſe quæ Deus operatur, & quædam quæ permittit; nullo modo tamen illum operari peccatum. Agit quidem potenter (nam Iob de potentia Dei diſputat) objiciendo ea quæ per ſe bona ſunt, ſed quæ hominibus malis, & concupiſcentiæ labe infectis, mox fiunt offendicula & occaſiones peccatorum. Neque negandum eſt, quin peccatum ſit dictum aliquod vel factum; ſed factum illud ſeu actus non dicitur peccatum, niſi ſub ratione mali & deficientis, ſcilicet, quatenus voluntas creaturæ rationalis ab incommutabili bono deficit. Quòd cùm non ſit potentiæ, ſed deficientiæ ſeu defectus; nullo modo Deo adſcribi propriè poteſt, ſed eo modo tantum, quo diximus; ſcilicet, & quod bonis quæ Deus homini malo objicit, ipſe ſuo vitio ad mala abutatur; & ad actum omnem, quatenus actus eſt, concurrens, permittat liberam hominis voluntatem ab incommutabili bono deficere.

CAPUT XIII.

ỷ. 7. **N***Umquid Deus indiget veſtro mendacio?* Rectè hoc uſurpatur contra illos, qui falſa confingunt miracula, quaſi pro honore Dei, & ſanctorum; Itemque contra eos, qui ſanctos quoſdam in immenſum laudant, tribuentes illis excellentiam, non quam conſtat eos habere, ſed quam libet eis affingere, ſive ex indiſcreta devotione, ſive ex alio affectu. Item contra eos, qui ſcripta Patrum & imprimis Sacræ ſcripturæ corrumpunt, addendo, demendo, vel mutando aliquid, ut faciant libros loqui quod ipſi volunt. Quæ mendacia ſunt perniciosa, & ſevera animadverſione digna.

ỷ. 18. *Si fuero judicatus, ſcio quod juſtus inveniar.* *Quæritur*, quomodo iſta ſententia conveniat cum hac ſuprà cap. 9. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*, & aliis ibidem allatis? *Reſpondeo*, præſentis loci ſenſum eſſe; Si cauſa mea ad judicium deducatur, & diligenter examinetur, perſuaſum mihi habeo, ex dictamine & conſolatione conſcientiæ meæ, me juſtum & innocentem judicandum. Perſuaſio autem intelligitur humana, quæ non eſt omnino certa, ſed falli poteſt. Et ideo ſuprà dixit; *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Et ſimiliter quod eodem cap. 9. præcedit: *Cum invocantem exaudierit, non credo quod exaudierit.* q.d. non certò cognoſco, videlicet, quia cor hominis etiam ſibi ipſi eſt inſcrutabile. Et ſecundum hanc diſtinctionem pſalmiſta nunc dicit pſalm. 142. *Non intres in judicium, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, nunc verò pſalm. 17. confidenter; *Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam, &c.* Sic & Paulus qui dixerat 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum ſed non in hoc juſtificatus ſum:* idem de Timothæi fide dicit 2. Tim. 1. *Certus ſum autem quod in te*, ubi (*certus ſum*) nihil aliud ſignificat, quàm (*mihi perſuadeo.*) Sic & hic: *Scio quod juſtus inveniar*, id eſt, bene confido. Vide etiam quæ ſuprà cap. 9. v. 16. dicta ſunt. Aut etiam ſententia hæc intelligi poteſt de cauſa præſenti, quæ controvertebatur inter Iob, & ejus amicos, ut ſenſus ſit: Si ad judicium deducatur hæc cauſa, quæ agitatur inter nos; ſcio, id eſt, planè mihi perſuaſum habeo, quod cauſam obtinebo, & pro me feretur ſententia. Quod & factum eſt quando Dominus dixit ad amicos ejus cap. ult. *Non eſtis locuti rectum ſicut ſervus meus Iob*, non autem quod Iob hic cum Deo velit judicio contendere.

CAPUT XIV.

ỷ. 4. **N***Onne tu qui ſolus es?* Significatur Deum ſolum eſſe, nimirum illo excellentiſſimo modo, quod à nullo ſuum eſſe accepit. Ita 1. Tim 6. *Solus Deus potens*, & Rom. 16. *Solus ſapiens*. Item Deuter. 32. *Videte quod ego ſim ſolus, &c.*

ỷ. 5. *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt. Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.* Hac ſententia & ſimilibus olim abuſi ſunt hæretici quidam ad ſtatuendum fatum, id eſt, inevitabilem quandam cauſarum connexionem, quæ & tempori vitę humanę, & omnibus ejus actionibus neceſſitatem inducat. Nam ſi certus eſt numerus menſium & dierum, item ſi termini vitę ſic ſunt conſtituti

ut præteriri non poſſint, videtur ſtatui talis neceſſitas. A Dicendum nihil aliud hic ſignificari, quàm apud Deum eſſe certiſſimam præſcientiam dierum & menſium, quibus homo victurus eſt, ſimulque præordinationem, quando ultra non ſit victurus; Neque inde ſequitur ulla neceſſitas in reipſa præcognita & præordinata. Nam ſicut non eſt neceſſe hominem ambulare, etſi videam eum ambulare (nam liberè ambulat) ita non eſt neceſſe hominem tamdiu vivere, quamdiu Deus prævidit, neceſſitate ſcilicet ipſius rei. Nam res ipſa præcognita eſt contingens, & tollitur vita hominis variis ex cauſis; ſed tantum dicitur eum tamdiu debere vivere, quamdiu Deus volet, neceſſitate ſcilicet conſequentiæ, eodem modo, ſicut Philoſophi dicunt, de ambulatione, vel de quocumque actu libero jam exiſtente: Quod eſt, dum eſt, neceſſario eſt. Nam & B Dei præſcientiæ & præordinationi omnia ſunt præſentia.

ỷ.12. *Sic homo cum dormierit, non reſurget, donec atteratur cælum non evigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo.* Quomodo his & ſimilibus verbis, Iob nullo modo neget reſurrectionem corporum, patet ex ipſius verbis c.19. & aliis quæ attulimus c.7. ad v.9. quod autem ad expoſitionem præſentis loci pertinet, pro eo quod nos habemus (*donec atteratur cælum.*). Hebr. etiam amplius videtur dici (*donec cælum non ſit.*) Ex quo quis ſic argumentatur; at verò cœlum nunquam deſinet eſſe, ſed erit perpetuum; ergo homo nunquam evigilabit. Quidam interpretes concedunt illationem, ſed intelligunt illud, *non evigilabit homo*, ſcilicet naturali virtute, & volunt Iob hoc voluiſſe. Sed non eſt neceſſe C eò confugere. Nam ſecundum morem loquendi Scripturæ ſacræ, cœli non ſunt æterni, quia mutandi ſunt velut in alios. Unde & Chriſtus dicit Matth.cap.24. *Cælum & terra tranſibunt.* Et Petrus 2.epiſt.cap.3. teſtatur cœlos igne reſolvendos, & novos cœlos, ac novam terram nos expectare. Significat ergo Iob hominem non reſurrecturum quamdiu durabit hic ſtatus mundi; quando autem hic ſtatus mutabitur, tunc & hominem mutandum per reſurrectionem ad immortalitatem. Unde & ſubdit hoc eodem cap.v.14. *Expecto donec veniat immutatio mea.* & clariſſimè c.19. v.25. *Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea.*

ỷ.14. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea.* D Utrum immutatio ex hac vita ad mortem, an ex morte ad vitam beatam, de qua immutatione Paulus 1.Cor.15. *Et nos immutabimur?* Poſterior ſenſus reſpondet verbis proximè præcedentibus: *Putaſne mortuus homo rurſum vivet?* Sic Eccleſia in ſymbolo: Et expecto reſurrectionem mortuorum. Eam expectationem pluribus verbis exponit Apoſtolus 2.Cor.5. Quin & nomen expectationis ad rem bonam refertur, quod innumeris ſcripturæ exemplis probari poteſt.

ỷ.21. *Sive nobiles fuerint filij ejus, ſive ignobiles, non intelliget.* Scilicet homo mortuus. Sed nihil aliud ſignificatur, quàm mortuos naturaliter non cognoſcere, quid agant vivi, ſicut nec vivi ſciunt naturaliter quid agant mortui. E Vide Greg.l.12. Moral. c.53. ubi & docet, ſicut viventes de ſtatu futuri ſæculi multa noverunt ex revelatione fidei; ita & qui in Chriſto mortui ſunt ac Dei claritate fruuntur, multa, imò omnia, quæ ad ipſorum beatitudinem pertinent, in Deo videre. Sic Lucæ 16. legitur Abraham preces divitis epulonis cognoviſſe. Vide de his etiam Aug. lib. de cura pro mortuis, maximè c.15. & 16. nam prioribus capitibus diſputat magis quàm aſſerit; deinde verò dictis capitibus 15. & 16. docet defunctos juſtos divina revelatione ſcire quæ hic aguntur, & in his maximè pias preces viventium ad ſe ſpectantes; imò quod etiam interdum præſentes adſint viventibus.

CAPUT XV.

ỷ.15. *Ecce inter ſanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* Non ſunt hæc verba Iob, neque Scripturæ ſacræ, ſed Eliphaz amici Iob. Et proinde quidam putant, non eſſe neceſſe hujuſmodi ſententias, tanquam veras defendere & ſecundum verum ſenſum exponere. Attamen quia etiam iſtis ſententiis veteres paſſim utuntur, tanquam veris & receptis, adeo ut Beda ſuper hoc caput ſcribens, dicat ab amicis Iob multa dicta eſſe prophetico Spiritu; videndum, quomodo iſtud accipiendum ſit, quod dicit: *Ecce inter ſanctos ejus nemo immutabilis.* In Hebræo ſic habetur (*Ecce in ſanctis ſuis non ponit veritatem,*) ſcilicet, ab- B ſolutam omninò & perfectam. Id interpres noſter paraphraſi explicavit. Et ſenſus eſt. Deus Angelos ſuos nō ita creavit, ut abſolutam haberent juſtitiæ perfectionem. Videlicet, quia, ſi natura eorum ſpectetur, & primus ſtatus, in quo creati ſunt; deficere à juſtitia potuerunt, & aliqui defecerunt. Nō agit autem de ſtatu Angelorum, quatenus jam quidam in juſtitia confirmati ſunt; Nam illud non eſt naturæ, ſed remunerationis divinæ. Vide etiam Commentarium noſtrum in 2.ſent.d.15.

Et cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus. Uno modo cœli figuratè accipiuntur pro Angelis, qui in cœlo ſunt. Et tunc ſenſus idem eſt, qui verborum immediatè præcedentium, ut unum ſit explicatio alterius. Quod ſi de cælis corporeis intelligamus; ſenſus erit, cœlos item non eſſe perfectos, ſeu mundos, ſi cum Dei perfectione C conferantur. Nam omnis creatura, ut talis, deficere poteſt; & niſi à Deo conſervaretur, in nihilum redigeretur.

CAPUT XVI.

ỷ.4. & 5. *Atque utinam eſſet anima veſtra pro anima mea; Conſolarer & ego vos ſermonibus, & moverem caput meum ſuper vos.* Non eſt exiſtimandum Spiritu vindictæ & malevolentiæ hæc verba dicta fuiſſe à Sancto viro Iob contra amicos ſuos; quaſi optaret eis in afflictione conſtitutis paria referre; Sed revera contrarium planè ſignificatur. Nam ubi nos habemus (*utinam*) Hebræa & Græca habent conditionalem (*ſi*) quæ tamen aliquando apud Hebræos optantis D eſt. Denique illud (*moverem ſuper vos caput*) non ſignificat hoc loco affectum deridentis, ſicut in pſalm.21. *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & moverunt caput*, id eſt, inſultarunt mihi. Sed hoc loco notat affectum condolentis; ſicut etiam aliquando affectum congratulantis, ut cap.ult. ubi de propinquis ejus dicitur, quod moverunt caput ſuper eum, ſcilicet tandem ei congratulantes poſt miſeriam, Ita & vocabulum (*euge*) aliquando laudantis eſt, ut in Evang. *Euge ſerve bone & fidelis.* Aliquando inſultantis ſuper aliena miſeria, ut pſalm.69. *Confundantur omnes, qui dicunt mihi euge, euge.* Senſus ergo horum verborum Iob eſt: Si vos eſſetis loco meo, id eſt, in tanto dolore conſtituti, ego vos ſerio conſolarer, imò capitis motu commiſerationis affectum erga vos declararem.

E

CAPUT XVII.

ỷ.2. *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Ad litteram Divus Gregorius ſic intelligit: Culpam non feci, & tamen flagella ſuſcepi. Deinde reſpondens objectioni, quod Iob aliàs fateatur ſe peccaſſe; ait: Nec tantum peccavit, ut flagella mereretur, nec tamen eſſe ſine peccato potuit. Item Beda circa hunc locum dicit, quod Iob bona conſcientia pœnas patiebatur indebitas. Igitur juxta horum ſententiam non eſt dicendum, quod quicquid ſancti patiuntur in hac vita, id propter peccata ſua patiantur. Divus Gregorius *myſticè* etiam refert

ad

ad Chriſtum, qui cum eſſet agnus immaculatus, noſtra A
peccata in cruce portavit. Hebraicè tamen hæc ſententia aliter legitur: (*Si non illuſores mecum.*) Sententia eſt imperfecta, quam quidam perficiunt hoc modo: Si non paterer illuſores, ſeu calumniatores innocentiæ meæ, non optarem cum Deo diſputare de mea innocentia. Alij ſic: Malè ſit mihi, aut peream, ſi non amici mihi illudunt; id eſt, profectò amici mei calumniis me afficiunt. Et hic ſenſus non omninò diſcrepat à noſtra lectione. Nam ea erat amicorum calumnia, quod dicerent eum peccaſſe ut illa pateretur. Quam calumniam reprimens dicit: *Non peccavi, &c.*

℣.13. *Si ſuſtinuero, infernum domus mea eſt.* Quidam interpretes, ubicumque in Hebræo legitur, pro quo nos habemus (*infernum*) ferè vertunt (*Sepulchrum.*) B
Sed, ut apparet, non rectè; quia etiam apud Hebræos diverſa ſunt vocabula, quorum alterum ſepulchrum, alterum infernum ſignificat, ut doceri poteſt ex hoc capite, in quo utrumque vocabulum reperitur. Sepulchri ſignificatio nota eſt. Quid autem infernus ſignificet, non perinde liquet. Videtur autem infernus in Scriptura ſacra ſignificare locum illum hominis poſt mortem, in quo nondum ſit beatus. Quod addo, quia Paradiſus aut cœlum nuſquam inferni nomine ſignificatur. Porrò locus hominis mortui intelligi poteſt dupliciter. Scilicet vel ſecundum corpus, & hoc modo ſepulchrum interdum vocatur infernus; vel ſecundum animam, & hoc modo infernus plura loca complectitur. Nam & limbus patrum hoc modo frequenter infernus dicitur, & purgatorium animarum in officio C
Eccleſiaſtico infernus vocatur. Sed propriiſſimè & uſitatiſſimè apud Chriſtianos infernus vocatur locus damnatorum; de quo canit Eccleſia, *In inferno nulla eſt redemptio.* Vide plura ſi placet in Commentario noſtro in Magiſtrum lib. 4. diſt. 45.

CAPUT XVIII.

℣.4. N*Unquid propter te derelinquetur terra? & transferentur rupes de loco ſuo?* q.d. Baldad ad Iob: Num ut tu juſtificeris, dum fateri non vis ob peccata tua te iſta pati, propterea derelinquetur terra à Dei providentia? Videlicet amici iſti Iob putabant cum providentia Dei non conſiſtere hominem juſtum tantis malis affici. Itaque ſic argumentabantur, & concludebant; D
Ergo aut tu juſtus non es, aut non eſt providentia Dei in terra. Sed captioſa erat argumentatio, ut oſtendimus ſuprà capite octavo verſ. 3. Vide etiam D. Thomam in Commentario hujus loci.

CAPUT XIX.

℣.6. S*Altem nunc intelligite, quia Deus non æquo judicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit.* In omnibus verbis beati Iob nihil invenitur tam durè, ſeu crudè dictum, quàm hæc ſententia. Unde Gregorius: ô quàm durum ſonat vox juſti verberibus afflicti. Beda etiam ſubindicat, hoc eſſe ex iis, de quibus poſteà Iob pœnitentiam agens ait: *Inſipienter locutus ſum, &* E
quæ ultra modum excederent ſcientiam meam. Greg. tamen hæc verba ab errore & peccato defendit in hunc modum: Cum, inquit, Iob dicit ſe non æquo judicio afflictum, hoc libera voce locutus eſt, quod Dominus Diabolo dixerat; Commoviſti me adverſus eum, ut affligerem eū fruſtrà. Quod enim dicit Deus, ſe fruſtrà eum percuſſiſſe, hoc & Iob ait, dicens: ſe non æquo judicio à Domino afflictum. In quo itaque peccavit, qui à ſententia ſui authoris in nullo diſcrepavit? Hæc D. Gregor. Hebr. ſic ſonat: (*Sciate nunc, quod Deus pervertit me.*) Quod etiam poteſt accipi in eundem ſenſum, ſcilicet ut dicatur Deus pervertere eum, vel judicium ejus, quia ſine merito flagellat, nec tamen injuſtitia eſt; quia non ad puniendum, ſed ad probandum flagella immittit. Et licèt non ſit opus juſtitiæ ſpecialis, juſtum tamen eſt ſecundum generalem juſtitiam, quia rectum & bonum. Poteſt etiam dici eſſe non æquum judicium, quia eſt præter ordinarium modum punitionis in hoc ſæculo. Vide locum hæc pluribus explicantem ſuprà cap. 8. v. 3.

℣.25. *Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, &c.* Hunc locum tam Septuaginta, quàm Hebræi paulò aliter habent. In qua tamen varietate ſenſus ferè idem eſt, ita ut hic omninò aſtruatur à ſancto Iob, Reſurrectio mortuorum; licèt, quidam Hebræi in alium ſenſum conentur verba ejus detorquere. Septuaginta ſic legunt: *Scio quod æternus ſit, qui me ſoluturus eſt ſuper terram, ut reſuſcitet pellem meam, quæ iſta exierat. A Domino enim hæc mihi conſummata ſunt, quæ ego mihi ipſi perſuaſa habeo, quæ oculus meus vidit, & non alius.* Hebræa hoc modo habent: *Ego novi redemptorem meum vivum, & noviſſimus ſuper pulverem,* (vel ſuper terram) *ſurget. Poſtquam verò circumdederit hæc mea pelle, ſpectabo Deum in carne mea. Quem viſurus ego mihi, & oculi mei videbunt, & non alius.* Sic Hebræa. Nec dubium, quin hæc verba apud utroſque eundem ſenſum referant, cum noſtra vulgata verſione. Illud quidem quod in noſtra verſione Iob de ſe dicit; id ſecundum Hebræa de ipſo redemptore dicitur. Sed id non pugnat. Nam ſenſus eſt: (*& noviſſimus ſuper pulverem ſurget*) ſcilicet ad reſuſcitandum ſua præſentia mortuos in die judicij, quod ex ſubjectis verbis manifeſtiſſimum eſt. Atque adeò tam clarè Iob de Reſurrectione prophetat, ac ſi diceret: Hoc ipſum corpus & anima, neutrum in aliud commutatum, ſed utrumque numero idem, & ex utroque conflatus idem numero homo reſurget. Vide etiam in 4. diſt. 44.

CAPUT XX.

℣.4. & 5. H*Oc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram. Quod laus impiorum brevis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Nomen hypocritæ videtur hoc loco poſitum pro quolibet impio, ſicut & in aliis aliquot locis hujus diſputationis. Non enim ſermo eſt de eo qui ſimulat ſanctitatem, ſed de iis qui manifeſtè impij ſunt, & miſerorum oppreſſores; talem enim deſcribit verbis ſequentibus. Cæterùm hæc ſententia, licet ad hoc prolata ſit à Sophar, ut oſtendatur brevis eſſe felicitas impiorum in hoc ſæculo; tamen ſecundum ipſius Sophar intentionem, qui inde colligere volebat Iob eſſe impium quia erat infelix; vera non eſt. Nam, ut Eccl. dicit c. 9. *Omnia æquè eveniunt juſto & impio*; abſolutè tamen vera ſententia eſt: Videlicet, quia quantumcumque diu in hoc ſeculo impius fruatur proſperitate; tamen totum illud tempus eſt inſtar puncti reſpectu æterni temporis, in quo omnes impij poſteà cruciabuntur. Imò & hoc ipſum ſignificant verba iſta ſequentia, v. 18. *Luet quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur.* Licet Sophar non niſi de temporali miſeria intellexerit. Secundùm verum itaque ſenſum, optimè quoque hæc ſententia poſterior, & quæ ſequuntur, intelliguntur de pœnis infernalibus. Hoc ſenſu: *Luet omnia quæcumque fecit & pœnas pro iis dabit, nec tamen unquam conſumetur*, quia tam ipſi quàm pœna eorum æterna erit juxta illud; *Quærent mortem & fugiet ab eis.* Apoc. 9. v. 6.

℣.26. *Devorabit eum ignis qui non ſuccenditur.* Ad litteram videtur intelligi ignis divinus, qui non opera humana accenditur, ſicut incendiarij alicui domus ignem injiciunt, ſed qui de cœlo mittitur; quod eſt manifeſtum indicium vindictæ Dei. Nam ita Sodoma, & Gomorrha perierunt, & duo Quinquagenarij, imprecante Elia, 4. Regum 1. ita ut hic Sophar oblique videatur notare Iob tanquam impium, utpote cujus ſubſtantia igne cæleſti conflagravit. Nihilominus patres aptiſſimè hunc locum quoque referunt ad ignem

ignem infernalem; *qui non ſuccenditur*, quia (ut ait D. Geeg.) cum ſit corporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat; nec ſtudio tamen humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel, durat inextinguibilis. Hæc D. Gregorius.

CAPUT XXI.

℣. 4. N*Vnquid contra hominem diſputatio mea eſt, ut merito non debeam contriſtari? Attendite me, & obſtupeſcite.* Hæc verba ſignificare videtur Iob non contra hominem, ſed contra Deum ſibi inſtitutam eſſe diſputationem. Sed quomodo diſputatio ejus eſt contra Deum? cum in Deum neque error cadat, neque injuſtitia; ac proinde per diſputationem neque erroris convinci poteſt, neque de injuſtitia redargui. Ad quod *reſpondemus*, Iob dicere ſe habere diſputationem contra Deum, non quod Deum accuſare velit, ſed amicos ſuos, quod quaſi Dei cauſam agere videbantur, dum ſuſtinent Dei juſtitiam defendi non poſſe, niſi confitendo, quod Iob, & omnis homo, qui à Deo affligitur, propter peccata ſua affligatur, quod oſtendimus cap. 8. v. 3. eos non rectè ſuſtinuiſſe. Iob ergo contra Deum ſe diſputare dicit, quia contra eos diſputat qui Dei cauſam agebant, ſed malè & perperam, quia juſtitiam Dei non legitimo modo defendebant. Et mitius hæc verba Iob ſonant in Hebræo, ubi ſic legitur: *An ego ad hominem eloquium meum?* Nam intelligi poteſt, non eſſe arguentia verba, ſed tantùm inquirentia cauſam ſuorum flagellorum; ſicut & alibi dicit: *Indica mihi, cur me ita judices.* cap. 10. v. 2.

℣. 13. *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Dictum hoc de impiis, poteſt dupliciter intelligi; Vel ut pertineat ad explicandam impiorum proſperitatem, ſicut multa quæ præcedunt; vel ad ſignificandam ſubitam, & inexpectatam eorumdem punitionem. Pro priori ſenſu facit contextus loci, & intentio loquentis. Nam beatus Iob contra amicorum ſuorum ſententiam oſtendere vult, impios in hoc ſæculo aliquando ſumma proſperitate frui, adcò ut uſque ad mortem in ea ſæpe permanere ſinantur. Et ita ſenſus erit: Ducunt in bonis dies ſuos, feliciter & proſperè tranſigunt totam vitam ſuam; ita ut ne in fine quidem flagellum aliquod ſentiant, neque etiam longo aliquo morbo affligantur, ſed velut in puncto ac momento temporis ad inferna, id eſt, ad ſepulchrum, deſcendant. Sed aliter quoque hæc ſententia intelligitur de punitione impiorum; quomodo eam interpretantur veteres. Et tunc ſenſus eſt: Eos, qui diu in hac vita in ſua iniquitate tolerantur, ſæpè repentina morte rapi ex hac vita, & ad inferni pœnas deſcendere; ut eis non concedatur ſpatium cogitandi de morte, aut per pœnitentiam ad Deum ſe convertendi.

℣. 27. *Certè novi cogitationes veſtras.* Similis locus eſt Pruv. 17. *Corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Non quod homo, imò nec Angelus propriè inſpiciat (ſolus enim Deus inſpector cordium eſt) ſed quod ex ſignis quibuſdam exterioribus homines ſagaces de cogitationibus cordium perſæpè judicare poſſint.

CAPUT XXII.

℣. 12. A*N non cogitas, quod Deus excelſior cœlo ſit, & ſuper ſtellarum verticem ſublimetur?* Pridem ſine negatione legebatur, (*an cogitas*) ſed rectè in Sixtinis reſtituta eſt negatio, *an non cogitas*? Nam ita exigunt tam Hebræa quàm Græca. Sine negatione legit Gregorius; & pridem etiam illa lectio magis probabatur, tanquam intentioni hujus diſputatoris magis congrua; ſed non ita eſt, ſi exactius rem conſideremus. Explicabatur tum ſententia iſta hoc modo: *An cogitas, quod Deus excelſior cœli ſit?* id eſt, quod ſolum ſuprà ſtellarum verticem, & non etiam in his inferioribus dominetur? ut idem ſit cùm eo quod ſubjungitur: *Et dicis: Quid enim novit Deus? Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat, & circa cardines cœli perambulat.* Sed illud non ſignificat phraſis Hebræa & Græca; pro quo noſter poſuit, (*excelſiorem eſſe, & ſublimari*) ſed eſſe excellentiorem, nobilioremque. Itaque hic eſt ſenſus: An non cogitas, id quod omnium mentibus impreſſum eſt, quod Deus ſit quiddam multò nobilius, & majoris activitatis quàm ſit ipſum cœlum & ſtellæ? Et adhuc *dicis* (id eſt, audes dicere.) *Quid enim novit Deus?* Videlicet hoc eſt argumentum Eliphaz contra Iob, tam hoc loco quàm aliis: ô Iob, alterutrum neceſſe eſt, aut te juſtè affligi à Deo, quod fateri non vis; aut Deum non habere providentiam actionum humanarum, ſed circa cardines cœli obambulare. Atqui hoc abſurdum eſt; Ergo, &c. Sed quid reſpondendum ſit ad hoc captioſum dilemma, jam ſupra ad caput octavum v. 3. diximus. Vide etiam quæ Iob cap. ſeq. reſpondet.

CAPUT XXIII.

℣. 4. P*Onam coram eo judicium, & os meum replebo increpationibus.* Beatus Iob optat pro ſua defenſione, & manifeſtatione veritatis, controverſiam, quam cum amicis habet, examinari in judicio Dei. Id, inquit, ſi mihi poſſet contingere, ponerem coram eo judicium, id eſt, cauſam meam ei proponerem, ejuſque judicio committerem, nihil dubitans de victoria; & (quod ſequitur) *os meum replerem increpationibus*; videlicet, quibus de veſtra injuſta accuſatione apud Deum conquererer, & vos apud illum increparem, ex Hebræo alij ſic vertunt: *Et os meum argumentis replerem*, id eſt, rationes meas & argumenta apud Deum diligenter exponerem. Et ſciendum (quod etiam jam anteà aliquoties indicavimus) quod principalis quæſtio in hoc verſabatur, utrum Iob à Deo fuerit afflictus propter ſua peccata? Iob utique conſtantiſſimè negat: Amici ejus affirmant, adeoque in eo perſiſtunt, ut ei non ſine calumnia objiciant graviſſima ſcelera, à quibus ſanctus vir erat alienus. Quare, ut cauſam ſuam juſtificet, provocat ad judicium Dei. Illud autem judicium poſteà latum eſt à Deo, quando ait cap. ult. ad Eliphaz: *Iratus eſt furor meus in te & in duos amicos tuos; quia non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſervus meus Iob, &c.* Ex quo ſatis manifeſtum eſt, quod beatus Iob, licèt duriora quædam verba ei exciderint, cauſam tamen principalem obtinuerit; videlicet ſe non ſuo merito, nec propter ſua peccata, tam graviter à Deo fuiſſe flagellatum, ſed ob cauſam Deo notam; ſcilicet ut probaretur ejus innocentia, ſicut indicat verbis ſubjectis v. 10. cum dicit; *Ipſe verò ſcit viam meam, & probavit me quaſi aurum quod per ignem tranſit.*

℣. 17. *Non enim perij propter imminentes tenebras; nec faciem meam operuit caligo.* q. d. nequaquam ceſſit calumnia eorum, qui me injuſtè accuſabant. Ubi notandum eſt in beato Iob, quod licet patientiſſimus eſſet, & verè humilis (nam patientia vera non eſt ſine vera humilitate:) tamen nullo modo acquieſcere voluit accuſationi amicorum dicentium ipſum eſſe impium & peccatorem; ſed ſuam juſtitiam & innocentiam ubique fortiter defendit. Ex quo intelligimus non pertinere ad veram humilitatem, ſi homo, cujus cor eum non redarguit (ut loquitur Ioannes 1. epiſt. 3.) putet ſe omni virtute & juſtitia vacuum eſſe. Nam ſanctos Dei non latent dona ipſis à Deo collata, quin ſaltem humana probabilitate ea in ſe cognoſcant. Unde Apoſtolus 1. Cor. 2. *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt; ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis.* Deinde Deo gratias agere non poſſent de gratiis acceptis, ſi omnino eas in ſe eſſe ignorarent. Quod autem omnis homo, quantumcumque juſtus debeat agnoſcere ſe peccatorem

rem, hoc ad venialia pertinet, & quæcumque peccata occulta, & aliena.

CAPUT XXIV.

ỳ.2. A*Lij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, &c.* Gregorius myſticè hæreticos intelligit. Pro (*tranſtulerunt*) Hebraicè eſt (*attingent, ſeu attigerunt*) videlicet quia nefas ſit, vel attingere terminos antiquos, utpote rem ſacram. Et commendat illa lectio etiam magis hunc myſticum ſenſum, de patrum dogmatibus non mutandis. Qui enim audent, vel in minimo convellere terminos illos antiquos; mox conſequitur, ut variè diripiant gregem Dominicum, & in eum graſſentur, quidvis pro ſuo capite ſtatuentes.

ỳ.13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini.* Id eſt, Deo, vel legi naturali cordibus eorum impreſſæ. Simile eſt cum eo quod dixit capit. 21. *Qui dixerunt, Recede à nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Unde & hîc ſequitur: *Neſcierunt vias ejus, &c.*

CAPUT XXV.

ỳ.2. P*Oteſtas & terror apud eum eſt; qui facit concordiam in ſublimibus ſuis.* Hebraicè eſt; *Dominium, & pavor cum eo, qui facit pacem in ſublimibus ſuis. Quæritur* quæ ſit hæc concordia, ſeu pax, quam dicitur facere Deus in ſublimibus? Philoſophi quidam, videlicet Pythagorici finxerunt in ſublimi concentum quemdam muſicum, & ſuaviſſimam harmoniam, quam dicebant cœlos, attritu ſuorum orbium, dum moventur, excitare. Sed illud tanquam figmentum rectè rejiciunt Philoſophi ſaniores. Alij concordiam iſtam intelligunt ignis & aquæ, dicentes ſtellas eſſe ex igne, orbes autem cœleſtes ex aqua. Sed & illud phyſicis principiis contrarium eſt. His ergo opinionibus repudiatis, ad litteram videtur ſignificari ſumma concordia corporum cœleſtium inter ſe, quantum ad motus & revolutiones cœleſtes, aliaſque cœlorum operationes. Nam mirabili concordia motus & tempora obſervant, juxta legem ab initio à conditore Deo præſcriptam. *Myſticè* verò facit Deus concordiam in ſublimibus, quia cæleſtes illos ſpiritus ſumma concordia, & ſibi, & inter ſe, connectit, ita ut nec à Deo unquam voluntate diſſentiant, nec adverſus judicem contraria expetendo contendant. Item fecit in cœleſtibus concordiam quando ejecit inde Diabolum ſuperbum cum Angelis ejus.

ỳ.3. *Nunquid eſt numerus militum ejus?* Gregor. lib. 17. Moral. cap. 9. exponit de Angelis, quod eorum numerus tantus ſit, ut à nobis non poſſit percenſeri. Sed ad litteram videtur hic ſermo eſſe, non de Angelis, ſed de ſtellis, tanquam Dei militibus; eo modo, quo tota illa cœleſtium luminum multitudo vocari ſolet in ſcriptura exercitus cœli.

ỳ. 4. *Nunquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus, natus de muliere?* Hoc ſignificat iſta ſententia aliæque ſimiles; Si homo cum Deo contendat, ſicut in judiciis humanis unus homo contra alium litem intentat; quod nunquam fiet, ut hominis cauſa ſuperet, id eſt, ut homo juſtus comprobetur, Deus autem injuſtus. Et eodem pertinet, quod ſequitur.

ỳ. 5. *Ecce luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus.* Non enim hoc ita poteſt intelligi, quaſi coram Deo nihil ſit mundum: (*Nam vidit Deus cuncta quæ fecit, & erant valde bona.* Gen. 1.) ſed ſenſus eſt: Etiam ipſa Luna, quæ hominibus valdè ſplendida apparet, collata cum claritate luminis divini, omninò non erit ſplendida, ſed tenebroſa. Et ſtellæ ſimiliter comparatæ cum ſplendore divinæ majeſtatis, immundæ erunt & tenebroſæ. Quæ ſi ad Angelos referantur, ſignificabitur, nec eos cum Deo comparatos, juſtos, aut mundos dici poſſe, ſicut majus lumen obfuſcat minus.

CAPUT XXVI.

ỳ.11. C*Olumnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus.* Multa hoc capite dicuntur admiranda, quæ variè à variis exponuntur; & difficile eſt de ſenſu litterali judicare, cum Hebræa ſint obſcuriſſima. Illud tamen conſtat, Iob hic docere, quod Deus humano auxilio, aut conſilio nequaquam indigeat, eò quòd ex admirandis ejus operibus manifeſtiſſimum ſit eum eſſe ſummè potentem & ſapientem. Quod ſi in his verbis: *Columnæ cæli contremiſcunt, &c.* de Angelis ſermo eſt, (quod multi volunt) dicuntur illi contremiſcere, & pavere, propter reverentiam, & conſiderationem majeſtatis, & imprimis terribilium judiciorum ejus. Unde & in præfatione miſſæ Eccleſia canit. Per quem (ſcilicet Chriſtum) Majeſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, Cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim, &c. Et eodem modo illud v. 5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*, de viris potentibus jam mortuis intelligitur. Pro (*gigantes*) enim Hebr. eſt (*Mortui.*)

CAPUT XXVII.

ỳ.2. V*Ivit Deus, qui abſtulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* Hoc unum eſſe videtur ex iis, de quibus Iob. c. 40. à Deo reprehenditur. Sic enim ibi loquitur ad eum Dominus; *Nunquid irritum facies judicium meum? & condemnabis me, ut tu juſtificeris?* Et Iob ipſe culpam agnoſcit, ſic loquens cap. 42. *Auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te. Idcirca ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Nec tamen ideo ſupplantatus eſt Iob à ſathana, velut inductus in blaſphemiam, ad quam & uxor ejus, ut diximus c. 2. concitabat eum dicens; *Benedic Deo, & morere.* Nam dicere vult S. Iob in his flagellis non vindicari peccata ſua, ut qui juſtè vixiſſet; nec ſecundum ordinarium modum, quo Deus in hac vita percutere ſolet peccatores, debuiſſe tam gravia pati. Quia tamen verba ejus duriora erant, & injuſtitiam adſcribere Deo videbantur; neque Iob modum tenuerat debitum in ſui defenſione, nec ſatis detulerat juſtitiæ Dei: idcirco de hujuſmodi verbis à Deo reprehenditur, ut in quibus peccaverit, etſi non perniciosè & mortaliter. Addi etiã poteſt ad excuſationem Iob, quod non iiſdem omnino verbis ipſe uſus fuerit, qualia hic habentur. Hæ enim diſputationes ipſius & amicorum, ut D. Hieronym. aſſerit, ſcribuntur ſtylo poëtico verſibus hexametris. Unde fieri poteſt, ut hic quædam dicantur fortius & vehementius, quàm ab ipſo Iob dicta fuerint.

ỳ. 6. *Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Illum reprehendere dicitur cor ſuum, qui ſibi gravioris culpæ conſcius eſt. Unde Ioannes Apoſtolus in 1. ſua Epiſtola, cum prius cap. 1. dixiſſet: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*; poſtea tamen cap. 3. dicit: *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Cæterum, quod dicitur (*in omni vita*) vel ad tempus totius vitæ referri poteſt, & ſic ſenſus eſt, quod Iob ſibi non fuerit conſcius, ſe aliquando in vita ſua mortaliter peccaſſe; vel potius ad totum genus vitæ & converſationis ſuæ reſpicit, quaſi dicat: in tota converſatione mea non ſum mihi conſcius culpæ gravioris, velut in Deum, in proximos, pauperes & divites, amicos & inimicos, ſervos & liberos, &c. & meipſum.

CAPUT XXVIII.

ỳ.12. & 13. S*Apientia verò ubi invenitur? Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter*

viter viventium. Illud(*ſuaviter*)nec in Hebręo reperi- A
tur, nec apud Septuaginta, qui ſic habent: *Non novit mortalis viam ejus, ſed neque inventa eſt inter homines.* Interpres noſter adjiciens illud (*ſuaviter*) ſignificare voluit ſapientiam non reperiri apud eos, qui ſuaviter, & in voluptatibus tranſiguns vitam ſuam; juxta vulgatum verſiculum: Non jacet in molli veneranda ſcientia lecto, &c. Quin etiam ipſa ſcriptura amplius aliquid ſignificat; videlicet veram ſapientiam neque ab hominibus agnoſci, neque ullo ſtudio humano comparari poſſe, niſi Deus eam demonſtraverit, & in animum hominis infuderit. Quò illud ſpectat, quod poſteà ſibi reſpondens, unde petenda ſit ſapientia, dicit: *Deus intelligit viam ejus, & ipſe novit locum illius*, quaſi dicas, homines eam non aliundè, quàm à Deo, accipere
poſſunt; ac proinde ab eo illam debent petere; juxta B
illud Iacob. 1. *Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo.* Et paulò poſt: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, &c.*

℣. 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia & recedere à malo, intelligentia.* Philoſophi ſapientiam difiniunt rerum divinarum humanarumque ſcientiam. Sed illa ſapientia, ſi compareretur cum ſapientia Chriſtiana; neque totam eam continet, neque tota ab ea continetur. Sunt enim & fuerunt multi ſapientes ſecundum Philoſophiam, qui multa divina & humana, terrena & cæleſtia cognoverunt, nec tamen ſapientes fuerunt ſecundum Deum, quia non habuerunt timorem Dei. Et contra, multi Chriſtianam habent ſapientiam, quia timent Deum, faciunt bona, & recedunt à malo, & ſic
verè ſapientes ſunt, neque tamen rerum abſtruſarum, C
ſive in natura, ſive in myſteriis divinis, habens cognitionem. Ac denique ſunt qui utramque ſapientiam tenuerunt: Dionyſius Areopagita, Iuſtinus Martyr, & alij. Nec derogat huic ſententiæ qua ipſe timor Domini vocatur ſapientia, illud quod David in pſalmis & Salomon in proverbiis dicunt, *Timorem Domini eſſe initium, ſeu principium ſapientiæ.* Nam (principium) non ſignificat ibi primam tantum partem vel originem (nam ita fides eſt principium ſapientiæ:) ſed ſenſus eſt: *Principium*, vel, ut eſt pſal. 110. *Initium ſapientiæ timor Domini*, id eſt, præcipua pars, & illud in quo principaliter conſiſtit ſapientia, eſt timor Domini. Sic & Auguſt. lib. 14. de Trinit. cap. 1. teſtatur ſapientiam eſſe verum
ac principuum Dei cultum; tametſi ſapientiæ nomen D
etiam largius aliàs ſumatur, ut 1. Cor. 12. ubi ſapientiam & ſcientiam Apoſtolus recenſet inter gratias gratis datas.

CAPUT XXIX.

℣. 2. **Q***Vis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinas, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me?* His verbis optas beatus Iob reſtitui ſibi bona, & felicitatem prioris temporis. Ubi *quæritur*, utrum intelligat bona ſpiritualia, an temporalia? Exponunt quidam de bonis ſpiritualibus; quia, inquiunt, bona ſpiritualia ſunt, quibus nullus malè utitur, quales ſunt virtutes, & pręſentia auxilia gratiæ Dei quę ſunt ſola ab-
ſolutè petenda vel optanda. Nihilominus potius dicen- E
dum eſt beatum Iob ad litteram loqui de bonis temporalibus; partim, quia expreſsè multa temporalia hic enumerantur, partim, quia ſi beatus Iob optaret ſibi reſtitui bona ſpiritualia, id eſt, virtutes, per quas aliquando fuerat gratus Deo, per hoc ſignificaret ſe jam illis bonis excidiſſe; quod eſt contra totam ejus diſputationem, qua aſſerit ſe non ſolum ſine ſuo merito tanta pati, cum ſit innocens; ſed uſque ad extremum ſpiritum in eadem innocentia velle permanere. Non eſt autem inconveniens virum ſanctum optare bona temporalia, quia illa tantum optabat ad uſum legitimum pro ſe & familia, &c. Et quia prius bene illis uſus fuerat, meritò confidit iterum ſe bene illis uſurum.

℣. 6. *Quando lavabam pedes meos butyro.* Non eſt ſuſpicandum S. virum in affluentia bonorum temporalium ad tantum luxum deveniſſe, ut pedes ſuos butyro velut balneo foveret; ſed figurato ſermone exprimere voluit ſummam rerum abundantiam; quaſi dicat, quando ita omnibus abundabam, ut ſi voluiſſem, vel opus fuiſſet, etiam pedes meos potuiſſem butyri balneo ſovere. Quæ phraſis ſeu figurata locutio, ut plenius intelligatur, ſciendum, divitias antiquorum ferè ſolas fuiſſe in pecorum & armentorum multitudine. Unde & pecunia quaſi à pecore dicta putatur. Præſtantiſſimum autem quod in uſum hominum de pecoribus accipitur, eſt butyrum. Unde ex abundantia butyri voluit B. Iob ſignificare abundantiam pecorum, quæ habuerat primo tempore.

CAPUT XXX.

℣. 1. **N***Unc autem deridens me, juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Hoc ſi accipiamus ut verba ſonant; videbitur ſignificari magna ſuperbia & arrogantia Iob, qui proximos ſuos tam contemptos habuerit, ut non fuerit dignatus eos ponere cum canibus ſuis. Quod ſi ita; prorſus immeritò quęritur, ſe præter ſuum meritum dejectum à priori fortuna, qua tam inſolenter fuerit abuſus. Sed dicendum, hoc figurato & Poëtico ſermone dici, ſicut & alia multa; & nihil aliud ſignificari, quàm patres eorum, à quibus irridebatur, fuiſſe abjectiſſimæ conditionis, ita ut non dignaretur eos ponere cum canibus, id eſt, cum iis qui alendis canibus præſunt; in quo ſenſu non eſt tanta arrogantiæ ſpecies. Hinc & quidem exponit, inter opiliones abjectiſſimos, & cuſtodes gregis mei. Quidam ſuſpicantur legendum non (*patres*) ſed (*partes:*) verum falluntur. Nam & in Hebræo & in Græco ſonat. (*patres*) id eſt, eorum majores.

℣. 21. *Mutatus es mihi in crudelem.* Non quod mutatio aliqua in Deo ſit, aut propriè ipſe ſit crudelis; ſed more humano ſcriptura ſæpe de Deo loquitur, nempe eum pœnitere, Geneſ. 6. quando deſtruit opus quod antea fecerat; quod ſolent homines facere, quos facti alicujus pœnitet. Nam perturbationes omnes abeſſe à Deo indicant eleganter hæ ſcripturæ Sap. 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas.* Et pſal. 105. *Et pœnituit eum ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ.* Sic & præſentem locum explicat Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23.

CAPUT XXXI.

℣. 26. **S***I vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum eſt in abſcondito cor meum; Et oſculatus ſum manum meam ore meo.* Declaras ſe immunem fuiſſe ab omni idololatria, etiam ea quæ apud omnes nationes frequentari ſolet, videlicet à cultu ſolis & lunæ. Solebant cultores Solis & Lunæ hac uti cæremonia, quando eos adorare volebant: Dum videbant Solem aut Lunam clarè lucentem, manum verſus eos extendebant, deinde ori ſuo admovebant, & oſculabantur, tali ſigno velut proteſtantes, quod cuperent, ſi poſſent, luminaria illa oſculari: atque per hujuſmodi cœremoniam ea venerabantur, tanquam numina. Atque hoc eſt quod B. Iob negat ſe unquam feciſſe; imò ne quidem cor ſuum in abſcondito lætatum fuiſſe, viſo Sole aut Luna, quaſi videlicet in iis agnoſceret aliquid divinum. Quod autem de tali cultu idololatrico loquatur, teſtantur verba ſubjecta, quibus ait; *quæ eſt iniquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum.* Nam quiſquis alium Deum agnoſcit præter verum Deum, is verum Deum negat, quia verus Deus unus eſt. Vide etiam 3. Regum 19. v. 18.

℣. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* Viros tabernaculi

intelligit familiares & domeſticos ſuos. Hanc ſententiam quidam hoc modo exponunt: Tanta fuit hoſpitalitas mea erga peregrinos & pauperes, ut miniſtri mei domeſtici laboribus fatigati, & tædio affecti, cœperint me odiſſe, quia eis tantum oneris imponerem in miniſtrando peregrinis, & laborando, ut mihi malè precarentur, dicentes: *Quis det de carnibus eius,&c.* q.d. ita odio in me exarſerunt, ut me optarent devorare. Sic Beda. Sed hîc ſenſus non ſatis congruit huic loco. Nam Iob deſcribit ſe non tantùm benignum erga advenas, ſed etiam clementem erga domeſticos, cum ait v.13. *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo,& ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me.* Proinde videtur longè alius,& planè contrarius eſſe ſenſus, videlicet iſte: Adeo gratus & dilectus fui omnibus domeſticis meis propter inſignem manſuetudinem meam, qua erga eos utebar, ut dicerent; *Quis det de carnibus eius, &c.* Hoc eſt, utinam liceret eum perpetuo habere præſentem. Utinam liceret, ſi fieri poſſet, de carnibus eius ſaturari, id eſt, utinam liceat eum habere ſemper nobis conjunctiſſimum, ita ut numquam à nobis ſepararetur. Et hoc ſenſu, qui videtur eſſe verus, verba iſta quoque accommodat Eccleſia in officio de venerabili Sacramento, ad deſiderium fidelium exprimendum, quo Chriſtum in venerabili Sacramento ſemper deſiderant habere præſentem, & ab eo paſci & ſaginari.

℣.33. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum, &c.* Ecce Iob inter ea crimina quæ à ſe removet, ponit etiam non confiteri peccatum ſuum. Unde ſatis liquet confeſſionem peccatorum non tantum tempore novi teſtamenti, ſed & ſemper fuiſſe neceſſariam. Sic & David pſal.31. *Dixi confitebor adverſum me*, & pſalm.37. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo.* Quin & ſcriptura quoque graviter notat Adam & Cain & alios, quod peccata ſua non ſint confeſſi.

CAPUT XXXII.

℣.2. *ET iratus, indignatuſque eſt Eliu, filius Barachel Buzites.* Hieron. in libro Trad. Hebr. ſuper Geneſim, loquens de filiis Nachor Huz & Buz, teſtatur beatum Iob ortum ex progenie Huz filij Nachor, fratris Abrahæ, non autem ex poſteritate Eſau, ſicut quidam opinati ſunt: hunc quoque Eliu, qui vocatur Buzites, fuiſſe ex progenie alterius filij Nachor nomine Buz; quin ſecundum Hebræos etiam fuiſſe hunc eundem cum Balaam propheta ſeu ariolo. Qui, inquit, primum vir ſanctus, & propheta Dei, poſtea per inobedientiam & deſiderium munerum, dum Iſraël maledicere cupit, divini vocabulo nuncupatur. Eandem opinionem etiam Beda commemorat, dicens ſic ſentire doctiſſimos Scriptorum. Deinde hîc notanda quoque eſt ſententia venerabilis Bedæ, & B.Gregorij, qui dicunt hunc Eliu veras & bonas ſententias protuliſſe, ſed in qualitate dicendi peccaſſe. Unde & poſtea reprehenſus fuit à Domino, dicente c.38. *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis* cum enim dicit ſententias, inquit beatus Gregorius, & non addit quales, vult proculdubiò bonas intelligi. Nam cum ſententiæ nominantur, ſine addito; in bono intelliguntur. Unde illud Prov. 26. *Piger ſapientior ſibi videtur ſeptem viris loquentibus ſententias.* Sed quia Eliu eas proferebat cum arrogantia & improperio; hinc dicitur eaſdem involvere ſermonibus imperitis. Hæc ille.

℣.7. *Sperabam enim quod ætas prolixior loqueretur,& annorum multitudo doceret ſapientiam. Sed,ut video, ſpiritus eſt in hominibus, & inſpiratio omnipotentis dat intelligentiã.* Senſus eſt: Non ex ætate comparatur ſcientia aut ſapientia, ſed à Spiritu Sancto proficiſcitur. Qua ſententia tamen non ſignificatur, quod quantum ad ſapientiam attinet, ætas ſit omnino indifferens. Nam ordinariè & plerumque ſenes prudentiores ſunt & ſapientiores A juvenibus; tum quod magis ſint liberi à perturbationibus affectuum, tum quod experientia & uſus multa doceant; tum denique quod paulatim per ſtudiũ aliquid ſcientiæ ſuæ adjiciunt. Sed ſignificatur, ſapientiam non ita alligatam eſſe ætati ſenili, quin aliquando Spiritus Sanctus donum ſapientiæ præſtet juveni, quod non præſtat ſeni. Unde David dicit pſ.118. *Super ſenes intellexi.* Et Ierem. & Daniel cum adhuc pueri eſſent, id eſt, admodum juvenes (ſcilicet Scriptura eos hoc ſenſu pueros vocat) acceperunt Spiritum prophetiæ,

CAPUT XXXIII.

℣.14. *SEmel loquitur Deus, & ſecundo idipſum non repetit.* Gregorius ſic: Deus ſingulorum cor- B dibus privatis vocibus non reſpondet, ſed tale eloquiũ conſtruit, per quod cunctorum quæſtionibus ſatisfacit. In Scripturæ quippe eloquio cauſas noſtras ſinguli, ſi requirimus, invenimus, nec opus eſt in eo quod ſpecialiter quiſque tolerat, reſponderi ſibi divina voce ſpecialiter quærat. In Hebr. ſic habetur: *Quia in una loquetur Deus, & in duabus intuebitur eum.* Ubi fœmininum pro neutro poſitum eſt, ut in pſalmo 26. *Unam petij à Domino, hanc requiram.* Pagninus ſic reddidit: *Quia in uno modo loquitur Deus, & duobus ei qui non videt eum.* Vatablina verſio habet hoc modo; *Etenim ſemel Deus loquetur, & iterum, ſi homo id non animadvertat.* Senſus literalis videtur eſſe iſte: Quereris ô Iob, Deum tibi non reſpondere ad ſingula: At ſcito, Deum reſponde- C re hominibus, non quidem ſtatim ad interrogata, ſed aliàs, idque non uno modo, ſed diverſis etiam per ſomnium, & in viſione nocturna. Ac tandem addit Eliu: *Increpat quoque per dolorem in lectulo*, quaſi dicat, jam ſatis flagellando tibi reſpondet.

℣.27. *Et dicit; Peccavi & vere deliqui,& ut eram dignus non recepi.* Hoc quiſque Sanctus in hac vita non ſolum humiliter, ſed etiam veraciter dicit. Nam pœnæ huius ſęculi non ęquant peccata, etiam juſtorum, ſecundum rigorem juſtitiæ divinæ. In quem ſenſum etiam Gregorius tractat hunc locum. Hieron. ſuper Ierem. 10. Meremur omnia quæ ſuſtinemus, & multò meremur maiora quàm patimur. Et ſuper Ephes.5. Hæc virtus eſt maxima ut in ipſis periculis atque miſeriis Deo gratiæ referantur, & ſemper dicamus: Benedictus Deus, D minora ſcio me ſuſtinere quam merear: Hæc ad mea peccata parva ſunt: Nihil mihi dignum redditur: conſonat pſ.102. *Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis: neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis.*

℣.29. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos.* Pro (*per ſingulos*) Hebr. eſt. (*cum viro*) & ſenſus eſt: Eo modo quo dixi, ſolet Deus agere cum hominibus, idque non ſemel, ſed ſępius. Malè igitur & contra Scripturas ex hoc loco ſtatuit Rabbi Salomon; referente Lirano, quod Deus tantum tribus vicibus peccatorem recipit ad pœnitentiam; & quod quarto peccantem reſervat ad gehennam. Quam ſententiam doctè refutat idem Liranus, & reſpondet hunc Eliu numero ternario utentem alludere ad humana judicia, in quibus ſententiam præcedit trina monitio. Et E notum eſt illud, cum interroganti Petro; *Quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? uſque ſepties?* Reſpondet Chriſtus, *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties.* Matth. 18.

CAPUT XXXIV.

℣.5. *QVia dixit Iob, Iuſtus ſum, & Deus ſubvertit judicium meum.* Quidam, inter quos Beda, negant beatum Iob hęc verba ſupra dixiſſe, ſed tantum (*Deus abſtulit judicium meum*) quaſi qui ſuſpenderit judicium tantum, non autem ſubverterit. Sed hæc diſtinctio ſecundum Hebræa nullum habet locum: Ibi

A enim utrobique eodem modo legimus, videlicet, *Deus abſtulit judicium meum*, id quod hoc poſteriori loco interpres noſter durius tranſtulit. Itaque non videtur hoc loco urgendum, nec dicendum, quod Eliu mala fide verba Iob retulerit; ſed tantum, quod ad ſenſum non verum ea detorſerit. Videlicet beatus Iob illis & ſimilibus verbis non voluit Deo objicere injuſtitiam aliquam (id enim ad blaſphemię peccatum pertinet, & ita de eo diabolus triumphaſſet, quod eſt contra authoritatem Scripturæ:) ſed tantum dicere voluit ſuam flagellationem non pertinere ad juſtitiam Dei ſpecialem, & ſecundum modum conſuetum; ſed quod tantum opus eſſet juſtitiæ divinæ generalis. De qua diſtinctione vide plenius ſuprà c.8. v.3.

B ℣.9. *Dixit enim: Non placebit vir Deo, etiamſi cucurrerit cum eo.* Verba ſunt Eliu accuſantis Iob. Senſus eſt: Etiamſi homo ſtudioſè ambulaverit cum Deo, tamen non placebit ei. Sed hoc beatus Iob non dixerat: Quin potius hoc dicunt noſtri temporis hæretici. Qui enim docent omnia opera hominum eſſe peccata, & labe concupiſcentiæ pravæ aſperſa; conſequenter aſſerunt nulla eſſe talia quæ ſimpliciter Deo placere poſſunt.

℣. 24. *Conteret multos & innumerabiles, & ſtare faciet alios pro eis.* Non debet hoc trahi pro ea ſententia qua docent quidam, Deum non permittere quemquam excidere ex gratia, quin aliquem alium loco eius ſubſtituat, quod facile poteſt probari falſum. Sed ſenſus eſt Dominum potentes dejicere & alios loco illorum evehere & erigere, juxta illud: *Depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.*

C

CAPUT XXXV.

℣.10. ET *non dixit: Vbi eſt Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte.* Loquitur de eo qui in tribulatione conſtitutus non recurrit ad Deum, neque opem eius implorat, ut à malis liberetur. *Talis*, inquit, *non dixit, ubi eſt Deus qui fecit me, &c.* quaſi dicat, Deum factorem ſuum non invocavit. Quod autem ſequitur (*qui dedit carmina in nocte*) variè exponitur. Hebr. eſt: *qui ponit carmina in nocte*, quod ſic exponi poſſe videtur; qui noctem ornavit ſtellis, quæ ſua pulchritudine velut quodam cantu homines invitant ad laudem & cognitionem Dei; juxta illud, *Cœli enarrant gloriam Dei*, pſalm. 18. Gregorij hic eſt commentarius: Carmen in nocte, lætitia eſt in tribulatione. D Itaque Deus dat carmina in nocte, qui facit homines in tribulatione gaudentes. Ita Gregor. Et commodus eſt hic ſenſus, quia ad litteram ſermo eſt de homine in tribulatione conſtituto. Eſt denique & alius ſenſus, ut per carmina quæ dantur in nocte, intelligantur revelationes, quæ à Deo hominibus nocturno tempore immittuntur magis & frequentius quàm de die. Et appellantur carmina, vel cantica, quia prophetiæ, ſeu revelationes frequentius carmine conſcribi ſolent, maximè apud gentiles, quod patet manifeſtè imprimis in carminibus Sibyllinis.

CAPUT XXXVI.

℣.5. DEus *potentes non abjicit, cum ipſe ſit potens.* Hebraicè hoc modo: *Ecce Deus fortis non abjiciet fortem corde.* Et dupliciter ſenſus reddi poteſt: Vel hoc modo: Deus qui potens eſt, non abjicit hominem velut ex invidia, licèt & ipſe homo potens ſit, quia Deus eſt homine longè potentior. Et ita ſignificatur Deum non propterea opprimere homines potentes, quaſi ab eorum potentia ſibi metuat, ſicut fabulati ſunt gentiles de ſuo Iove pugnante contra gigantes, ſed quod æquus ſit omnibus. Alio modo exponitur, ut fortis corde intelligatur homo intellectu & ſapientia pollens. Et ſenſus eſt: Deus potens eſt, & valens intelligentia, quia novit omnia: Itaque nec abjiciet à ſe hominem fortem corde, id eſt, magna ſapientia præditum; idque partim, quia homo Dei ſapientiam nullo modo æquare poteſt; partim, quia Deus ſui ſimilem ſpernere non poteſt. Bonus enim non abjicit bonum, nec ſapiens ſapientem.

℣.25. *Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul.* Intelligitur hoc de naturali & obſcura cognitione Dei, quæ ex creaturis habetur; ſic enim proximè ſequitur: *Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram; numerus annorum eius inæſtimabilis. Qui aufert ſtillas pluviæ.*

CAPUT XXXVII.

B ℣.7. QVi *in manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera ſua.* Abutuntur hac ſententia quidam ad chiromanticam. Nos reſpondemus per opera non ſignificari eventus, ſed actiones & operas: per manum autem, facultatem operatricem, quę ferè exercetur manuum miniſterio. Itaque ſenſus eſt Deum unicuique præſcribere opus ſuum; & deſignare tempora apta unicuique operi. Alij vertunt & exponunt. Vide verſionem Pagnini & Vatabli. Græca pro *opera ſua* habent *ſuas infirmitates.* Hebr. *In manu omnes homines obſignabit; ut ſciant omnes homines opus ipſius.* Et ſenſus hic eſſe videtur: Qui per tempeſtatem & pluvias velut manu ſua, omnes homines recludit in domibus ſuis, quomodo Deus tempore diluvij clauſit Noë & C filios eius manu ſua in arca; idque ut per hoc omnes cognoſcant opus Dei, id eſt, ut ſciant tempeſtates, imbres, pluvias, tonitrua & fulgura eſſe opus Dei, quo continentur domi tanquam ſigillo clauſi, ſicut tempore diluvij. Igitur illud (*in manu*) ſignificatio eſt inſtrumenti, quod Deo per Metaphoram tribuitur.

℣.11. *Frumentum deſiderat nubes, & nubes ſpargunt lumen ſuum.* Ac tandem v.13. *Sive in una tribu, ſive in terra ſua, ſive in quocumque loco miſericordia ſua eas juſſerit inveniri.* Secundum noſtram verſionem hic videtur eſſe ſenſus poſteriorum verborũ: Nubes aliquando pluunt in una tribu, ſeu parte alicuius regionis, & non in altera, aliquando pluunt in terra ſua, ubi elevatæ fuerunt, & per evaporationem eductæ; interdum verò in locis non ſuis, ſed alienis, ac multum remotis, velut D quando nubes ventis alio impelluntur. Interim, quia additur (*in quocumque loco miſericordia ſua*) Per hoc quoque indicatur ſenſus *myſticus*, quod videlicet nubes gratiæ Dei variè operentur, nunc in hoc regno, nunc in illo; & quod ipſa Eccleſia, quæ eſt regnum Dei, pro voluntate eius interdum aliò quoque transferatur, juxta illud Matth. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Alij ex Hebræo vertunt: *Sive pro flagello, ſive pro terra ſua, ſive pro beneficio quod offert.* Et tunc ſenſus eſt: Deus efficit ut nubes ferantur, vel pro flagello, ut videlicet affligat homines inundatione, vel intempeſtiva pluvia; vel ut dent humorem terræ neceſſarium, aut etiam, ut ea quæ humorem acceperunt, amplius accipiant, & hominibus præſtent magnam abundantiam naſcentium è terra.

E ℣.18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi, quaſi ære fuſi ſunt.* Dicuntur cœli ſolidiſſimi, quaſi ex ære fuſi, quia ſua natura ſunt incorruptibiles, indiviſibiles, & planè ſolidi. Unde ex hoc loco probari quoque poteſt ſententia Phyſicorum, qui docent cœlos eſſe orbes quoſdam ſolidiſſimos, in quibus ſtellæ infixæ ſimul cum orbibus moveantur; nullo autem modo ſic moveantur, ſicut aves in aëre, aut piſces in aqua, videlicet diviſione corporis in quo fit motus. Nam talis motus fieri non poteſt in corpore ſolido. Spiritualiter per cœlos, cæleſtes ſpiritus intelliguntur, qui etſi initio creationis erant mutabiles; poſtea tamen meritò perſeverantiæ ita ſolidati ſunt in dilectione ſummi il-

lius

lius & incommutabilis boni, ut & ipſi incommutabiles facti ſint, non per naturam, ſed per gratiam eius, qui ſolus natura incommutabilis eſt.

CAPUT XXXVIII.

℣.5. *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti, vel quis tetendit ſuper eam lineam?* Et infrà: *Numquid conſideraſti latitudines terræ?* Similis eſt ſententia Eccleſ.1. *Altitudinem cœli & latitudinem terræ & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?* Et tamen humana ingenia magnitudinem terræ & altitudinem cœli magna ſubtilitate ſcrutando invenerunt; aut certè inveniſſe ſe putant. Nam poſt Ptolomæum, Alfraganum & Fernelium inter ſe nonnihil diſcordantes, neoterici aſtronomi & geometræ terræ ambitum ſex mille trecentis ſexaginta leucis contineri aſſerunt; cuilibet cœli gradui quinquaginta tribus paſſuum millibus in terra attributis, hoc eſt, octodecim fermè leucis, ſi quælibet leuca communis Caſtellana tria paſſuum millia comprehendat. De qua re vide lib. 2. vitæ Ignatij c.18. Cæterùm nihil horum exactè noverunt iſti, nec niſi poſt multorum ſæculorum indagationem. Et quidem de altitudine cœli crediderim eos falli. In priori autem ſententia Iob loquitur de creatione terræ, ſeu prima eius fundatione.

℣.7. *Cum me laudarent ſimul aſtra matutina.* Quæritur quomodo vocet aſtra matutina, cum omnia aſtra nocte luceant? Reſp. quia loquitur de matutino, id eſt, primo tempore totius creaturæ, ſicut enim diei cuiuſcumque principium eſt mane, ita & totius temporis initium rectè mane vocatur. Laudare autem Deum dicuntur aſtra, etſi inanimata; quia admirabili ſuo ſplendore & pulchritudine gloriam factoris ſui velut prædicant; & prædicaverunt ſemper; quomodo quotidie canimus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Ubi etiam inter cætera nominantur, ignis, grando, nix, glacies, & ſpiritus procellarum, quæ conſtat prorſus eſſe inanimata. Senſus igitur eſt: Ubi eras tunc, quando, jam inde ab initio creationis mundi, aſtra à me condita, gloriam meam ſuo decore & pulchritudine prædicabant?

Et jubilarent omnes filij Dei? Sicut in pſ. 148. & in hymno trium puerorum Dan.3. provocantur ad Deum laudandum, nunc animata, tunc inanimata, ſed ſingula ſuo modo, ut de inanimatis expoſuimus; ita & hîc. Per filios Dei Angeli intelliguntur, ſicut & c.1. huius libri, ubi dicitur: *Cum veniſſent filij Dei & ſtarent coram Domino, &c.* Porrò ex hac ſententia quidam aſtruere conati ſunt Angelos fuiſſe creatos ante cœlum & terram, dicentes eos non potuiſſe in mundi creatione jubilare, niſi jam ante creati eſſent. Sed illud non ſequitur. Potuerunt enim creari in ipſa laude Dei, ſicut in bona voluntate reſpectu Dei. Deinde hîc conjunguntur aſtris & de utriſque æqualiter ſermo inſtituitur. At verò conſtat aſtra non ante quartum diem creata. Adde quod Septuag. ſic verterunt; *Quando facta ſunt aſtra, laudaverunt me voce magna omnes Angeli mei.* Inde ergo non ſequitur Angelos ante cœlum & terram factos, quemadmodum rectè probat Theodoret. q.3. in Geneſim.

℣.36. *Vel quis dedit gallo intelligentiam?* Intelligentiam figuratè vocat inſtinctum illum naturalem quo gallus gallinacius moveatur ad certas quaſdam & ordinarias actiones, maximè ad cantum matutinum, qui galli cantus vocatur, quo ſic Deo ordinante ea quæ fecit, excitantur homines à ſomno ad opera, ut pulchrè declarat Ambroſ. in hymno Eccleſiaſtico.

CAPUT XXXIX.

℣.33. *Reſpondens autem Iob Domino dixit: Qui leviter locutus ſum, reſpondere quid poſſum?* Eſtij Annotat. in Script.

A *Manum meam ponam ſuper os meum. Vnum locutus ſum, quod utinam non dixiſſem, & alterum; quibus ultra non addam.* Sic & c.42. *Ideo inſipienter locutus ſum.* Ac deinde: *Idcirco me reprehendo & ago pœnitentiam.* Cæterum quid potiſſimum in Iob reprehendatur, ex verbis Dei eum reprehendentis petendum videtur; & reprehendi videtur potiſſimum in duobus. Primùm, quod voluerit contendere cum Deo dicens: *Indica mihi, cur me ita judices?* & alia ſimilia. Unde hîc v. præced. dicit ad eum Dominus: *Vtique qui arguit Deum, debet reſpondere ei.* Per hoc enim videbatur derogare juſtitiæ divinæ apud amicos, licèt revera non derogaret ut oſtenſum eſt, c.19.v.6.c.21.v.4.c.23.v.4.& alibi. Alterum quod plus ſatis intentus fuerit commemorandis ſuis juſtis operibus. Unde & dicitur cap. ſeq. *Nunquid condemnabis*
B *me, ut tu juſtificeris?* In his tamen non niſi venialiter putandus eſt B. Iob deliquiſſe per exceſſum quemdam, & imprudentiam ſermonis. Vide plenius locis cit. Quod autem Iob dicit: *Vnum & alterum locutus ſum*, poteſt ſic intelligi, pauca quædam dixi; quemadmodum ſolemus dicere: Cupio tibi dicere unum & alterum verbum.

CAPUT XL.

℣.10. *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos commedet.* Interpres reliquit hoc loco vocabulum Behemoth, quod elephantem ſignificat. Eſt tamen vox Hebræa pluralis numeri. Unde & Septuaginta verterunt pluraliter (*animalia*) videlicet, quia
C elephas animal eſt tanta mole, ut ſit inſtar multorum animalium; quaſi diceretur beſtia beſtiarum, id eſt, beſtiarum maxima. Huc etiam pertinet, quod poſtea dicitur; *Ipſe eſt principium viarum Dei.* Principium enim in ſcripturis ſæpè vocatur id quod eſt præcipuum & principale. Ut ibi, *Principium ſapientiæ timor Domini.* Ut ſupra expoſuimus ad illud; cap. 28. *Timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Senſus igitur eſt: Hoc animal eſt principium viarum Dei, id eſt, inter omnia animalia à Deo creata primatum habet, quantum ad molem corporis & fortitudinem attinet; & in eo magis & excellentius quàm in cætera beſtiis voluit Deus declarare potentiam ſuam; & tamen fœnum quaſi bos commedet.

℣.18. *Ecce abſorbebit fluvium & non mirabitur: & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Per flu-
D vium intelligi videtur antonomaſticè Euphrates, ut alibi ſæpè in ſcriptura, ut Ioſ. ult. Pſal. 71. & ad litteram hyperbolicè ſignificatur immenſa bibacitas eius animalis, quod deſcribitur. Myſticè autem ad diabolum refertur, qui fluvium abſorbet, id eſt, univerſas nationes infidelium, quæ per Euphratem Babyloniorum fluvium ſignificantur. Inſuper autem confidit ſe etiam ex baptizatis & fidelibus qui per Iordanem in quo Chriſtus baptizatus eſt, & noſtrum baptiſma conſecratum denotantur, magnam multitudinem abſorpturum, & ad inferos pertracturum.

℣.20. *An extrahere poteris Leviathan hamo, & fune ligabis linguam eius?* Per Leviathan cetus marinus intelligitur. Et ſicut Deus ad declarandam potentiam ſuam propoſuit exemplum elephantis in nomine Behe-
E moth, qui maximus eſt inter animalia terreſtria; ita nunc exemplum adfert de eo animali, quod inter piſces maris maximum eſt, videlicet de ceto; qui ſi cum elephante comparetur, invenietur eum etiam magnitudine excedere. Myſticè per hæc duo animalia, quæ hîc deſcribuntur, intelligitur Diabolus; cuius propterea fortitudo & nequitia deſcribitur, ait Gregorius, ut ſciret Dei famulus non tantum quid in Deo diligendum eſſet, & honorandum; verùm etiam quid in hoſte tam capitali timendum. Dicitur autem Diabolus principium viarum Dei, duplici ratione, ſcilicet & ratione temporis, & ratione dignitatis ſeu excellentiæ: quia nimirum, inquit Gregorius, cum Deus cuncta

A crearet, hunc primum condidit, quem eminentiorem reliquis Angelis fecit. Primum condidit tempore, ſed quia hoc etiam aliis Angelis commune, hîc aliud additur quod ei proprium eſt, quia reliquis omnibus factus eſt eminentior, videlicet dotibus naturæ, perſpicacia intelligentiæ, & gratia etiam in ipſa creatione collata. Vide plura de hoc cap. & ſeq. in t. 2. ſent. diſt. 6.

CAPUT XLI.

℣. 1. NOn quaſi crudelis ſuſcitabo eum. Senſus litteralis eſt: Nihil opus eſt, ut crudelitate ſerina utar viribus meis adverſus eum; nam minimo negotio eum perdomare, mihique ſubjicere, atque in ordinem B redigere valeo; ſum enim potentiſſimus. Sic enim ſubjicitur: *Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?* Senſus autem myſticus de Chriſtu eſt, qui quaſi de diabolo ait: Non virtute omnipotentiæ meæ aggrediar diabolum, ut eum expugnem; ſed in infirmitate humilitatis meæ, videlicet in forma ſervi, quam ei objiciam: quod certamen elegantiſſimè depingit S. Leo in ſerm. de nativit. Domini. In Leviathan autem diabolum figurari, facilè declarant duo ultimi verſus huius capitis.

℣. 16. *Cùm ſublatus fuerit timebunt Angeli & territi purgabuntur.* Quid ſibi vult hæc ſententia ad litteram? Verſio Roberti Stephani ſic habet: *Cumque ſe commovet, fortiſſimi etiam expaveſcunt, ac animis conſternati neſciunt quò ſe vertant.* Hebr. ad verbum ſic ſonant; *Ab altitudine eius timebunt fortes, & à contritionibus purgabunt ſe.* C Vatablus reddit hoc modo: *Præ dignitate eius timebunt fortes, præ conſternationibus purgabunt ſeſe:* quod ille exponit, id eſt, præ magnificentia & excellentia eius fortes timebunt, præ metu maximo ſolvetur illis alvus. Myſticè Divus Gregorius purgationem Angelorum in eo interpretatur, quod diabolo cum Angelis ſuis ejecto è medio bonorum Angelorum, hi quodammodo purgati ſunt, quomodo purgatur triticum ablatis zizaniis, & grana difflatis paleis; timorem autem & terrorem eis tribui propter admirationem judicij Dei & ſummam reverentiam; quomodo in præfatione Miſſæ canitur; tremunt poteſtates.

℣. 24. *Qui factus eſt ut nullum timeret.* Hebr. *qui* D *factus eſt ad non conterendum.* Ad literam de Leviathan ſermo eſt, qui cum ſit piſcium maximus, aliis omnibus terribilis eſt, ipſe nullum timet. Unde poteſt accipi ſenſus myſticus de Diabolo, qui nullum timet dæmonum, ſed omnibus imperat & principatur, ſeque illis omnibus terribilem facit. Quem ſenſum confirmat quod ſtatim ſequitur: *Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ.* Alioquin, diabolus cogitur divinum timere judicium; & in Evang. timet mitti in abyſſum, & timet bonos Angelos, à quibus ſæpe conatus eius impediuntur. Item timet ſanctos homines tentamentis eius illudentes. E

CAPUT XLII.

℣. 3. QVis eſt iſte qui celat conſilium abſque ſcientia? Hæc verba ita ſonant, quaſi de alio aliquo loqueretur. Et eo modo à quibuſdam exponuntur hoc ſenſu: Scio Domine, quia omnia potes, & nulla te latet cogitatio; Et cauſa ſubjiciatur: Quis enim ita abſurdus eſſe poſſet, & à Dei cognitione alienus, ut putet aliquid fieri in hoc mundo ſine conſilio eius, aut qui conſilio Dei detrahit ſcientiam; quaſi dicat, imprimis nullo modo ego ita deſipio. Sed alij ad ipſum Iob referunt, & hunc reddunt ſenſum; Quis eſt iſte, qui conſilium Dei arguit imperitiæ? Ille nimirum ego ſum. Et huic ſenſui reſpondere videtur, quod ſequitur: *Ideo inſipienter locutus ſum, & quæ ultra modum excederent ſcientiam meam.* Et hoc modo erunt verba agnoſcentis culpam ſuam in eo, quod de Dei juſtitia & providentia non ſatis circumſpectè locutus fuiſſet.

℣. 5. *Auditu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Id eſt, famam operum tuorum antea audiveram: nunc autem verbis tuis edoctus, perfectius te & operum tuorum rationem intelligo. Nunc te præſentem mihi per allocutionem exhibuiſti, quaſi videndum oculis.

℣. 8. *Ite ad ſervum meum Iob, & afferte holocauſtum pro vobis. Iob autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem eius ſuſcipiam, &c.* Notandum contra hæreticos noſtri temporis, qui imperitè clamant interceſſionem Sanctorum, quam Catholica Eccleſia agnoſcit, & confitetur, derogare uni mediatori Chriſto. Hic enim ponitur beatus Iob ab ipſo Deo, interceſſor, & quodammodo mediator inter Deum offenſum, & amicos ſuos. Quod ſi illud eius factū non derogavit uni mediatori Chriſto (ſicut certum eſt non derogaſſe, eum factum ſit Deo jubente) certè nec ea invocatio, aut interceſſio Sanctorum; quam docet Eccleſia Catholica, illi derogat.

℣. 12. *Dominus autem benedixit noviſſimis Iob magis quàm principio eius, &c.* Sed *quæritur*, cum alia receperit duplicia, cur non etiam filios & filias? ſed eos tantùm recepit eodem numero quo prius? *Reſpondetur*, hoc factum eſſe ad teſtificandam reſurrectionem mortuorum: quo intuitu etiam in filiis & filiabus quodammodo duplum recepit, ut Divus Auguſtinus exponit de Symbolo ad Catechum. c. 3. videlicet quia filij eius & filiæ priores non prorſus interierant, ſicut jumenta eius & reliquæ beſtię; ſed eos in reſurrectione recepturus erat. Quin & hinc colligitur filios eius & filias priores non eſſe damnatas, ſed magis in numero electorum. Nam ſi damnati eſſent, tunc etiam verè periiſſent. Sic ergo quod dicitur: *Dominus benedixit noviſſimis Iob magis quàm principio eius*, etiam quodammodo generaliter tam de filiis & filiabus, quàm de aliis poſſeſſionibus verum eſt.

℣. 16. *Vixit autem Iob poſt hæc centum quadraginta annis.* Poteſt ſic intelligi, ut vixerit poſt percuſſionem illam, donec compleret ætatem centum quadraginta annorum: vel etiam ſimpliciter; ut poſtea tot anni ei acceſſerint; ſicut Ezechiæ poſt morbum acceſſerunt adhuc quindecim anni. Quod non debet incredibile aut inſolitum videri, quandoquidem Moyſes & Aaron & Maria eodem ferè ſęculo vixerint circiter centum octoginta annis, quos Iob non ſuperat, ſi ponamus eum quadraginta annorum fuiſſe, quando tentatus eſt; ſicut quadraginta annorum erat Moyſes, quando fugit in terram Madian. Si ante ponatur vixiſſe ſeptuaginta annis, tunc redditum eſt ei duplum, etiam quoad annos. Sed hoc non videtur dicendum, quia præcedentes anni non perierant, niſi quomodo omne tempus perit. Unde ſi ſic intelligas; habuiſſet in annorum numero triplum. Vide etiam Annot. Judith 16. & Luc. 2.

FINIS LIBRI IOB.

ANNO-

ANNOTATIONES
IN LIBRVM PSALMORVM.

PSALMUS PRIMUS.

℣.3. ET *folium eius non defluet, & omnia quacumque faciet, proſperabuntur.* Nota, prior pars cohæret cum præcedentibus, & intelligitur (*eius*) ſcilicet ligni. Durat enim adhuc comparatio ligni fructiferi cum homine juſto, *qui meditatur in lege Domini die ac nocte.* At verò in poſteriori membro, quo dicitur; *& omnia quacumque faciet*, intellige quod quæcumque faciet homo juſtus, qui ligno fructifero fuit comparatus, quod illa omnino proſpera erunt, & felicem ſortientur eventum & finem.

℣.5. *Ideo non reſurgent impij in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum.* Rectè Sixtina per futurum (*reſurgent*) legendum conſtituunt. Ita enim habent Septuaginta interpretes, ex quibus iſta noſtra verſio immediatè deſumpta eſt, cum cæteros libros veteris teſtamenti habeamus tranſlatos ex Hebr. per D. Hieronym. Et quamvis Hieronymus etiam Pſalmos ex Hebræo verterit; tamen Eccleſia illa eius verſione non utitur, ſed verſione ex Septuaginta. Cuius non alia videtur ratio, quam quod pſalmi tempore Hieronymi ita fuerint frequentati in Eccleſia, ſive in precibus Monachorum, ſive aliàs in uſu Eccleſiaſtico, ut interpretatio, quæ tunc in omnium erat manibus, & in omnium ore, mutari non potuerit. Atque hinc eſt, quod Pſalmos adhuc legamus ſecundum 70.

Quod ad hunc verſiculum attinet, non ſolum Septuaginta, ſed & Hebræa, & correctiora Latina habent futurum (*reſurgent.*) Sed *quæres*, quomodo negat impios in judicio reſurrecturos, cum Evangelium teſtetur Matth.25. omnes reſurrecturos, tam malos quàm bonos. Ad hoc dupliciter *reſpondetur.* Uno modo, ut ſubintelligatur *in judicio* (*juſtorum*) eo modo, quo mox ſubiungitur; *neque peccatores in Concilio juſtorum*; & ſenſus ſit: Non accipient judicium juſtorum. Alio modo, ut reſurgere ſit ſtare & conſiſtere; & ſenſus erit: Impij non ſtabunt, neque conſiſtent in judicio, quia ſententia judicis eos damnabit. Ille autem conſiſtit in judicio, qui cauſam obtinet, quique innocens declaratur, & multò magis, cui præmium à judice decernitur. Sic accipitur ſtare Lucæ 21. ubi dicitur: *Orate, ut digni habeamini ſtare ante filium hominis.* Et Pſalm.139. *In miſeriis non ſubſiſtent.* Ubi Hebręis idem verbum eſt, quod hoc loco. Oſtenditur autem ibi, quomodo impij in miſeriis non ſubſiſtent; nempe quia cadent ſuper eos carbones, &c.

PSALM. II.

℣.1. Q*Vare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Aſtiterunt reges terræ, &c.* Huius loci clariſſima interpretatio eſt Actor.4. ubi, quæ gentes, qui populi, qui reges & principes intelligantur, explicatum habemus. Quo etiam loco diſertè Davidi authori tribuitur hic pſalmus.

℣.7. *Ego hodie genui te.* Variè iſtud exponitur. Aut enim ad æternam generationem ex patre refertur, ut refert Apoſtolus ad Hebr. 1. Vide ibidem noſtra. Aut ad reſurrectionem, qua natus eſt in vitam immortalem, ut Act.13. Aut ad temporalem ex matre nativitatem, quomodo accipit Fulgentius reſp. 3. contra Arianos.

A ℣.12. *Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus.* Quod ſecundum Septuaginta hic legitur. *Apprehendite diſciplinam.* D. Hieron. ex Hebr. vertit. *Adorate purè.* Alij rurſum ex Hebræo vertunt, *Oſculamini filium.* Quam verſionem etiam B. Hieronymus approbat. Et revera vox Hebræa *oſculari* ſignificat: altera autem vox frequenter *filium* ſignificat, licèt aliquando etiam ſignificet (*purè*) Omnes autem interpretationes eodem concurrunt; videlicet, ut apertiſſimam de Chriſto prophetiam contineant. Et ſenſus eſt: Oſculamini filium; amplectimini filium toto mentis affectu; ſuſcipite eum; ſubjicite vos ei, & adorate eum; & diſciplinam eius apprehendite. Phraſis enim
B inde ſumpta eſt quod Iudæi, & omnes Palæſtini oſculo manuum alicuius, ſignificare ſolent ſe ei ſubiectos, & eum agnoſcere pro Domino, & principe. Unde phraſi illa non tantùm amor, cuius oſculum apud omnes nationes eſt Symbolum; verùm etiam obedientia, & ſubiectio ſignificatur. Vide Hieron. contra Ruffinum excuſantem ſe de ſua verſione. Reſpicitur autem ad illud ſuperius: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, &c.* q.d. Quoniam ergo Deus me filium ſuum pronunciat, meque conſtituit regem; me eius filium oſculamini, adorate, & colite tanquam regem veſtrum.

Ad Pſalm. III. Nihil erat annotatum.

PSALM. IV.

C ℣.1. C*Um invocarē exaudivit me Deus juſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.* Quod dicitur, *Deus juſtitiæ meæ*, obſcurum eſt, & variè ſuppleri poteſt. Vel hoc modo: Deus qui eſt author juſtitiæ meę. Vel, teſtis juſtitiæ meæ contra meos calumniatores; vel denique, vindex juſtitiæ meæ adverſus perſecutores. Porrò quod adjungitur. *In tribulatione dilataſti mihi*, Septuaginta habent per accuſativum caſum, *dilataſti me.* Et ſic legit quoque Eccleſia feria 3. poſt 1. Domin. quadrageſimæ ad Communionem. Utroque modo verti poteſt ex Hebr. Si legitur (*mihi*) ſubintelligitur viam meam, vel aliquid ſimile. Latitudo autem in Scripturis, modo charitatem, modo lætitiam, modo
D capacitatem ſignificat. Charitatem, ut pſalm.18. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Videlicet charitate. Ita & capacitatem ſignificat, quando dicit Scriptura 3. Reg. 4. Deum dediſſe Salomoni latitudinem cordis, id eſt, maximæ Sapientiæ capacem feciſſe. Denique lætitiam Iſaiæ 60. *Tunc videbis, & affluet, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, &c.* Et hoc modo hîc accipitur; ut ſenſus ſit. Cùm eſſem in tribulatione poſitus, lætificaſti me gaudio interiori, & conſolatione Spiritus Sancti. Sicut enim tribulatione animus anguſtiatur, & angitur, ita gaudio & conſolatione dilatatur. Vide etiam 2. Cor.6.
E ℣.5. *Iraſcimini & nolite peccare.* Ac ſi dicat: Quod ſi iraſci vos contingat, cohibete iram, ne erumpat in opus aliquod, quo me lædatis (David loquitur) & ita graviter in Deum peccetis. Nec enim videtur propheta loqui de ira juſta, & laudabili, quam rectè interdum aſſumit is, cuius eſt ſcelera punire; ut nec Apoſtolus de ea loquitur ad Epheſios 4. hanc ex pſalmo citans ſententiam. Vide ibi noſtra. In Hebræo eſt; *Paveta, & ne peccetis.*

℣.7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Lumen vultus Dei ſignificat ſavorem Dei,eiuſque effe-ctum. Sic Pſalmo 66. *Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis, Illuminet vultum ſuum ſuper nos,& miſereatur noſtri.* Et Dan.9. *Illumina faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod eſt deſolatum*, ſecundum Hebr. Senſus igitur eſt, ac ſi dicat: Deus favorem ſuum conſtabilivit, & tanquam ſigillo obſignavit ſuper nos. Et hoc eſt, quod aliis verbis in pſal.116. dicitur: *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius.* Nota tamen in Hebræo legi precativè: *Eleva ſuper nos lumen vultus tui Domine.* q. d. tanquam ſignum militare aut ſalutare erige in altum ſuper nos lumen vultus tui, ut dum omnibus conſpicuum apparet, mentes noſtræ animentur certa ſpe ſalutis. Sic & pſalm.89. *Sit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos*, id eſt, benignus favor.

PSALM. V.

℣.5. N*On Deus volens iniquitatem tu es.* Apertè oſtenditur malitiam non eſſe à Deo, contra Melanchtonem; qui impiè dixit,tam opus eſſe Dei proditionem Judæ,quàm converſionem Pauli. Sic Iacobi 1. *Deus enim intentator malorum eſt, ipſe verò neminem tentat.* Et Habacuc 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.* Et Sapient.14. *Odio ſunt Deo impius & impietas eius*; aliiſque penè infinitis locis. Quin & ipſa ratio blaſphemiam illam explodit: Nam Deus non eſt cauſa deficiens, ſed tantum efficiens; malitia autem eſt defectus boni.

℣.9. *Dirige in conſpectu tuo viam meam.* Quidam pridem legendum contendebant, *Dirige in conſpectu meo viam tuam.* Ad quam lectionem quoque inclinare videtur D. Hieron. in epiſt. ad Suniam & Fretellam; de quo prolixè F. Lucas in ſuis Notis. Sed juxta Sixtinam editionem legendum, *in conſpectu tuo viam meam.* Neque pro hoc amplius contendendum; quandoquidem, ut & F. Lucas concludit; Cum via Domini nobis eſt recta, tunc & via noſtra Deo recta eſt. Hunc locum ſic exponit D. Auguſtinus: In conſpectu tuo dirige iter meum, id eſt, ubi nullus hominum videt; quibus credendum non eſt, laudantibus aut vituperantibus. Non enim ullo modo poſſunt de aliena conſcientia judicare, in qua iter dirigitur ad Deum. Et ſimili modo hunc locum Caſſiodorus, Beda, Haymo, & ante eos quoque Apollinaris, qui in Græcum carmen olim Pſalterium tranſtulit, acceperunt.

℣.13. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.* Illud (*tuæ*) neque eſt apud Septuaginta, neque apud Hebr. non malè tamen additur, quia adjuvat ad concipiendum ſenſum huius ſententiæ. Non enim hìc intelligitur bona voluntas noſtra, quæ eſt charitas Dei diffuſa in cordibus noſtris; quomodo aliàs etiam, maximè apud ſcriptores Eccleſiaſticos, bona voluntas accipitur (quamvis ille ſenſus non ſit omninò contemnendus) ſed intelligitur bona voluntas ipſius Dei; ſicut pſalm. 50. *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion*, id eſt, ſis Sioni clemens & propitius; placabilis, & bene affectus. Hieron. hoc loco quoque vertit pro bona voluntate, placabilitatem: *Domine ut ſcuto placabilitatis coronabis eum*, videlicet juſtum. Senſus igitur eſt; Coronabis, vel coronaſti nos, vel juſtum; id eſt, cinxiſti, tutum reddidiſti bona voluntate tua, id eſt, gratia & benevolentia tua, tamquam ſcuto, id eſt, bona voluntate tua tamquam clypeo muniens eum contra hoſtes. De hoc D. Auguſtinus epiſt. 106. ad Paulinum & alibi, dicit gratiam præcedere voluntatem hominis. Nempe quia prior eſt Dei voluntas, qua homini bene vult quàm voluntas hominis accipiens Dei beneficium. Unde illud pſalm.58. *Miſericordia Dei præveniet me.* Vide noſtra in 2. Sentent. diſtinct.26.

PSALM. VI.

℣.7. L*Avabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrimis meis ſtratum meum rigabo.* Hyperbolicus ſermo eſt, ſicut & Pſalm.118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei.* Magis etiam apparet Hyperbole in Hebræo. Unde Hieron. ità vertit: *Natare faciam tota nocte lectum meum.* Significat autem Propheta in perſona hominis pœnitentis, ſe tanto dolore & contritione cordis peccata deploraturum, ut ſi fieri poſſet, etiam lectum ſuum rigaret, & natare faceret in lacrymis, quas præ doloris vehementia emitteret.

PSALM. VII.

℣.5. S*I reddidi retribuentibus mihi mala.* Illud (*mala*) ad utrumque referendum eſt, & ad (*reddidi*) & ad (*retribuentibus.*) Senſus enim eſt, ſi reddidi malum pro malo; ſi retribuentibus mihi mala, ego iterum illis mala reddidi, *decidam meritò ab inimicis meis, inanis.* Pro (*meritò*) Græcè eſt ἄρα id eſt, *utique, ſane.* Quomodo autem David hoc non fecerit ulciſcens ſe de filiis Ammon. Vide 2. Reg.10. & de Semei 3. Reg.2. nempe poſt longam patientiam ultus eſt Dei injuriam, non ſuam privatam.

℣.12. *Deus judex juſtus, fortis & patiens; nunquid iraſcitur per ſingulos dies?* Sic per præſens non per futurum legunt Biblia Sixtina. Hoc loco in Hebr. tantùm eſt: *Deus judex juſtus, & Deus indignans in omni die.* Dicitur autem omni die indignari & iraſci, quia numquam deſinit peccatoribus comminari ſupplicia, tum per legem ſcriptam, tum per legem naturalem.

℣.13. *Niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: arcum ſuum tetendit*, & Hebr. *Si non converſus fuerit, gladium ſuum acuet, arcum, &c.* Illud, *Si non*, ſenſum poteſt efficere affirmativum, ut alibi ſæpe, q. d. Deus qui eſt judex juſtus, & toties comminatur impio, certè tandem convertetur ad vindictam. Jam enim gladium ſuum acuit & vibravit, arcum ſuum tetendit, &c. Dicitur Deus converti tam in bonum quàm in malum, quando facit aliquod opus miſericordiæ aut juſtitiæ & vindictæ, quod aliquamdiù facere diſtulerat. Sic Pſ.70. *Converſus vivificaſti me: & converſus conſolatus es me.* Et 84. *Deus tu converſus vivificabis nos.* Et Pſal.79. *Deus virtutum convertere*; ſcilicet vindicans in hoſtes, noſque de eorum manibus eripiens. Et 89. *Convertere Domine uſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.* Alii, ſi non converſus fuerit ad Deum peccator, Deus gladiũ ſuum vibrabit &c. Sed non apparet; quia neque peccator nominatur, neque additur, ad Deum, vel aliquid tale; quod tamen ſolet quando huiuſmodi converſionis eſt mentio, ut Pſal.21. *Convertentur ad Dominum univerſi fines terræ.*

℣.14. *Et in eo paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.* Vaſa mortis, id eſt, mortifera, tela ſcilicet ſeu ſagittas. Porrò pro eo quod additur (*ardentibus*) alii ex Hebræo vertendum putant (*perſequentibus.*) Utrumque enim ſignificat vox Hebræa. Secundum eos ſenſus eſſet; Operatus eſt ſibi ſagittas contra eos, qui me ardenter & infensè perſequuntur. Sed rectiùs fortè hoc modo exponendum eſt: Sagittas ſuas ardentibus carbonibus fabricatus fuit. Ferrum ſcilicet, quod eſt cuſpidis loco, in ſagittis, igne fabricatur.

℣.15. *Ecce parturiit injuſtitiam, concepit dolorem; & peperit iniquitatem.* Pro *iniquitatem*, alii vertunt, *nihil*, alii, *mendacium*, id eſt, rem inanem, ut ſenſus ſit: Conatus illius & machinationes, quas ſtruit contra juſtum, non habituras ſucceſſum.

PSALM. VIII.

℣.3. E*X ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Ex his verbis, & aliis ſequentibus, probabile eſt Davidem ceciniſſe hunc pſalmum, quando

adhuc

adhuc parvulus paſcebat oves patris ſui, quaſi dicat. (A) Non dedignaris laudari, & hymnis celebrari à me, etſi parvulo & contempto, & minimo fratrum meorum. Huc pertinet quoque quod ſubdit : *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* David enim nocte cuſtodiam agens gregis ſui (ut illi paſtores Evangelici Luc. 2.) contemplabatur cœlum, & in cœlo lunam & ſtellas, & in illis tanquam Dei operibus admirabile Dei nomen, & potentiam ſuſpiciebat. Solis autem non meminit, quia ſol nocte non videtur. Adde, quod honorem Domini ſuper creaturas decantans, primo loco oves nominavit; dicens : *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus ; oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi* ; quia nimirùm circa oves primaria ejus cura verſabatur : Adjunxit deinde, quæ (B) proxima ſunt, *boves & pecora campi*, deinde remotiora, *Volucres cœli & piſces maris.*

℣.6. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum.* Hunc pſalmi verſum de Chriſto eſſe intelligendum, manifeſtum eſt ex authoritate Apoſtolica. Nam Apoſtolus Paulus ad Hebr. cap. 2. illum de Chriſto interpretatur, ſicut de eodem Chriſto 1. Cor. 15. citat illud : *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.* Cæterùm pro, (*Angelis*) Hieron. ex Hebr. vertit : *Minues eum paulò minùs à Deo.* Id quod nihilominus in Chriſtum competit. Nam ſecundùm humanam naturam minor factus eſt Deo. Si *quæritur*, utra interpretatio ſit præferenda ? Omninò videtur præferendum quod nos habemus ex Septuag. Nam licet vox Hebræa frequenter Deum ſignificet, aliquando tamen Angelos ſignificat, ut in Pſalm. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* (C) Et urget nos authoritas Apoſtoli ad Hebræos, ubi Apoſtolus non tantùm ita legit, ſed etiam interpretatur, & docet quomodo Chriſtus Angelis minor factus ſit per aſſumptam humanam naturam, qui alioqui erat Dominus Angelorum per naturam divinam. Si legis (*Angelis*) ſenſus eſt, propè æquaſti eum Angelis. Si (*Deo*) itidem ſenſus eſt, propè æquaſti eum Deo. Sed in hoc ſenſu nimia eſſet hyperbole. Itaque potiùs legendum : *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*, itemque exponendum. Vide noſtr. Comm. citatis locis ad Hebr. 2. & 1. Cor. 15.

PSALM. IX.

(D) Titulus. IN *finem pro occultis filii.* Vide Hieron. in epiſt. ad Paulinum, de libris Scripturæ ſacræ. Idem Hieron. lib. 6. ſuper Iſaiæ 14. cap. docet hunc novum Pſalmum propriè contra Diabolum eſſe. Vide etiam Ariam in Prolegomenis ante Biblia Sacra, notatione 3.

℣.21. *Conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt.* Hieron. vertit. *Pone Domine terrorem eis*, id eſt, incute illis metum ; terrorem immitte in eos ; ut ſciant ſe eſſe mortales & infirmos. Septuaginta verterunt (*legiſlatorem.*) Auguſt. legiſlatorem in malam partem accipit, intelligens Antichriſtũ. Et ita ſenſus erit, Domine, occulto tuo judicio, ſed juſto tamen, mittes eis, qui Chriſtum tuum recipere noluerint, Antichriſtum, per quem ſeducantur ; ita omnibus notum fiet, quod ſint homines, id eſt, ad omne malum proclives, & in errorem proni. (E) Sed quia legiſlatoris nomen alibi ſemper in bonum accipi ſolet, ut Pſ. 83. *Etenim benedictionem dabit legiſlator* ; hinc aliis magis placet, ut per legiſlatorem Chriſtus intelligatur, author novæ & ſanctæ legis. Ita ſenſus erit : *Conſtitue legiſlatorem ſuper eos.* Id eſt, da eis legiſlatorem Chriſtum, ut lege ejus accepta diſcant, & agnoſcant ſe homines eſſe, id eſt, deſinant ſuperbire, & propriam miſeriam atque infirmitatem agnoſcant, & ſciant Chriſti gratiam ſibi ad ſalutem eſſe neceſſariam.

℣.6. Poſterioris partis pſalmi : *Non movebor à generatione in generationem ſine malo.* Affirmativè explicandum hoc modo : Immobilis ero per omnes generationes ſine malo, id eſt, ita ut nullum mihi malum ſuperveniat. Ubi (*non moveri*) ſecundùm Scripturæ phraſim ſignificat uti bona & conſtanti fortuna, & perpetua quadam frui felicitate. Unde Pſal. 14. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum*, id eſt, perpetuò beatus erit.

℣.14. *Vides, quoniam tu laborem, & dolorem conſideras, ut tradas eos in manus tuas.* In Reſponſorio Eccleſiaſtico dicitur : *Tu ſolus laborem & dolorem conſideras.* Unde videtur ſenſus eſſe. Tu ſolus noſti afflictionem, dolorem & anguſtiam cordis ; quam patitur pauper oppreſſus à divite, & aliis, ideoque tanquam juſtus judex trades oppreſſores in manus tuas, id eſt, vindicabis injuriam pauperis. Unde ſequitur : *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.*

PSALM. X.

℣.5. O*Culi ejus in pauperem reſpiciunt.* Similia verba habentur pſalmo præcedenti v. 9. partis poſterioris, ſed prorſus contrario ſenſu. Ibi enim de peccatore, & ſecundum quoſdam de Diabolo illud dicitur, hîc de Deo. Igitur ibi oculi peccatoris, vel Diaboli in pauperem reſpiciunt, ut eum perdat. Sequitur enim ; *Inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua ; inſidiatur, ut rapiat pauperem !* hîc verò oculi in pauperem reſpiciunt, ut eum eripiat de manu peccatoris ipſum opprimentis.

℣.6. *Dominus interrogat juſtum & impium : Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam.* Secundùm noſtram verſionem, quæ eſt ex Septuaginta, ſenſus eſt : (C) Dominus utriuſque, & juſti, & impii examinator & cognitor eſt, utrumque ſecundum merita ſua judicabit : *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam ſuam*, id eſt, grave nocumentum ſibi ipſi affert, ſcilicet, quia propter illam iniquitatem in æternum condemnabitur. Non igitur quis directè odit animam & vitam ſuam, *Nemo enim* (ait Apoſtolus ad Epheſ. cap. 5. *unquam carnem ſuam odio habuit*, multò minùs animam ; ſed quia neceſſariò ſequitur, eum qui iniquè agit, peſſimè animæ ſuæ conſulere, utpote quod à Deo omnis boni authore recedat. Contrario autem prorſus modo accipitur odiſſe animam ſuam, Ioan. 12. ubi dicitur : *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* & (D) Lucæ cap. 14. *Qui non odit patrem & matrem &c. inſuper & animam ſuam, non eſt me dignus.* Ibi enim odiſſe animam ſuam, eſt temporalem vitam negligere & contemnere pro Chriſto ; hîc autem, odiſſe animam eſt id facere, unde anima grave detrimentum conſequatur. Sic & Angelus Tobiæ cap. 12. *Qui autem faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ.*

S. Hieronymus ex Hebr. paulò aliter vertit : *Dominus probat juſtum, impium autem & diligentem iniquitatem odit anima ejus.* Senſus eſt : Dominus approbat & diligit juſtum, & bene ei facit ; hoc enim eſt diligere Dei, benefacere. Contrà verò, anima ejus, id eſt, ipſe Deus, odit impium, & eum qui diligit iniquitatem, id eſt, graviter puniet eum. Nam odiſſe Dei, punire eſt.

Poteſt ſecundum 70. & ſic intelligi : Dominus interrogat juſtum & impium, & odit animam ejus, αὐτοῦ, (E) qui diligit iniquitatem.

℣.8. *Æquitatem vidit vultus ejus. Vidit*, id eſt, approbavit. Repetit enim aliis verbis, quod proximè dixit : *Juſtitias dilexit.* E contra dicitur Habacuc 1. *Reſpicere ad iniquitatem non poteris.*

PSALM. XI.

℣.2. L*Abia doloſa in corde & corde locuti ſunt.* Græcè, ἐλάλησα κακά, id eſt, *locuta ſunt mala.* Janſenius videtur falli dum verbum refert ad homines, eſt enim numeri ſingularis conſtruendum cum neutro χείλη δόλια, licet rectè annotet, labia doloſa dici pro omnibus quorum ſunt labia doloſa.

In corde & corde, id eſt, in duplici corde. Duplex enim cor eſt quo aliud intus cogitatur, aliud exterius ſignificatur. Nam corde ſignificari quod ore dicitur, manifeſtum eſt. Os enim ad ſignificandum expectat cordis imperium.

ŷ.9. *In circuitu impij ambulant.* Dicuntur impij in circuitu ambulare, quia circumquaque oberrant, tanquam vagi, inſtabiles, certam ſedem non habentes. Ita in primis de Judæis dicitur Pſalm.58. *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* Videlicet, quia ſicut canes famelici oberrant plateas civitatis, ita Judæi, diſperſi per orbem circumeunt Eccleſiam, nec tamen intrant. Ita & de hæreticis dicere licet, quod in circuitu ambulant; tum quia ſemper in opinione ſua & hæreſi inquieti ſunt, & inſtabiles, ex uno errore labentes in alium; tum quia ita oberrant circa Eccleſiam Dei, diſputantes de doctrina Dei, de Scriptura Sacra; ut tamen eam non ingrediantur, nec ſtabilem in ea locum accipiant.

PSALM. XII.

ŷ.1. V*Squeque Domine obliviſcêris me in finem? Vſquequo avertis faciem tuam à me?* Hic obiter notandum eſt legendum eſſe, *obliviſceris*, in futuro, non obliviſceris, licet ad ſenſum parum aut nihil interſit. Sic legendum patet ex Septuaginta & Hebr. Utrobique enim eſt futurum tempus. Deinde generaliter notandum, circa huiuſmodi precationes, quæ habent formam interrogationis, revera non eſſe interrogatorias, ſed precatorias, ut ſit ſenſus; *Vſqueque Domine obliviſceris me?* ne obliviſcaris me, neque avertas faciem tuam à me. Sic & illud Pſalm.21. *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* id eſt, noli me derelinquere. Et hoc eodem Pſalmo v.3. *Vſqueque exaltabitur inimicus meus ſuper me?* id eſt ne permittas inimicum meum ampliùs exaltari ſuper me.

PSALM. XIII. nullam habebat Annotation.

PSALM. XIV.

ŷ.1. D*Omine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Tabernaculum Dei, & mons eius ſanctus ad litteram intelligitur Synecdochicè terra promiſſionis, in qua erat tabernaculum Dei, & mons Sanctus Sion, deputatus extruendo templo, ſenſu autem myſtico habitatio regni cæleſtis.

ŷ.3. *Qui loquitur veritatem in corde ſuo; qui non egit dolum in lingua ſua.* Potiùs videbatur inverſo modo dicendum: Qui loquitur veritatem in lingua ſua & qui non egit dolum in corde ſuo. Nam corde verſant dolos homines maligni, lingua autem inſtrumentum eſt loquendæ veritatis. Verùm cauſa ordinis poſiti à Propheta, eſt quia hoc lingua proloqui vir bonus debet, quod corde clauſum geritur, ut & doli expers ſit in lingua. Pars poſterior huius ſententiæ ſic in Hebræo legitur: *Qui non obtrectat lingua ſua.*

ŷ.4. *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus*, Hebraicè, *contemptus in oculis eius rejectus*; quod Pagninus ita reddidit: *Qui deſpicit ſe in oculis ſuis, abjicit ſe.* Vatablus ſic eodem ſenſu: *Qui contemptibilis eſt in oculis ſuis & deſpicabilis.* At verſio qua Vatablus utitur conſentit cum vulgata, id eſt Septuaginta. Sic enim habet: *Contemptus eſt in oculis eius reprobus.* Atque huic ſenſui valdè appoſitè reſpondet quod ſequitur, *Timentes autem Dominum glorificat.* quaſi diceret: Improbos contemnit, probos honore proſequitur. Quod alibi à Deo dicitur: *Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1.Reg.2.

ŷ.5. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* A Quaſi dicat, quamvis ad tempus commoveatur, non tamen commovebitur in æternum; ſed tandem ad illud bonum pertinget, quod numquam amittet. Ita ſancti patriarchæ Abraham, Iſaac, Iacob peregrinati ſunt, & tranſlati de loco in locum, & David fugere compulſus à facie Saülis & errare per varia loca, & alij ſimiliter, de quibus ad Hebræos capite 11. *In ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cavernis terræ*; ſed omnes tandem ſtabilem invenerunt locum; nonnulli etiam in hac vita, ſed omnes ac præcipuè in futura vita; ubi è loco ſuo numquam dimoveantur. Sic & Proverb.cap.10. *Iuſtus in æternum non commovebitur.*

PSALM. XV.

B ŷ.5. D*Ominus pars hæreditatis meæ.* Iubentur recitare hunc verſiculum, qui Clero adſcribuntur, teſtantes ſe deinceps pretioſiſſimum habituros, Dei voluntatem ſequi. Neque ſequitur hinc quod quidam imperitè dixerunt, clericos & Eccleſiaſticos non poſſe habere temporalia. Nam David, qui hæc dixit ſimul potentiſſimus erat rex: ſed tantùm oſtendere voluit, quod ante omnia Deo placere ſtudebat. Hinc idẽ rurſum Pſ.118. *Portio mea Domine, dixi cuſtodire legem tuam.*

ŷ.10. *Non derelinques animam meam in inferno.* Iſtud Davidem dixiſſe in perſona Chriſti, manifeſtè docet Petrus Act.2. itemque 1.epiſt. cap.3. ubi teſtatur Chriſtum Spiritu, id eſt, ſecundùm animam, his qui C in carcere erant prædicaſſe. Atque hic ſcilicet eſt articulus fidei, quod *deſcendit ad inferos.*

PSALM. XVI.

ŷ.4. P*Ropter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* Auguſtinus de Chriſto intelligens, ita exponit. Propter verba pacis reconciliandæ inter Deum & hominem cuſtodivi vias duras, videlicet paſſionis & mortis. Si in genere intelligatur dictum in perſona cuiuſque hominis juſti, ſenſus erit: *Propter verba labiorum tuorum*; id eſt, conſideratione æternæ remunerationis cuſtodivi vias laborioſas mandatorum tuorum; eodem modo, quo idem Pſalmiſta dicit Pſal. 118. v.11. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Si quæras, D quomodo illud (*vias duras*) non contrarietur illi ſententiæ Chriſti Matthæi cap.11. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Itemque 1. Ioan. quinto: *Mandata eius gravia non ſunt.* Reſpondeo, quod mandata Dei, ſi in ſe ſpectentur, facilia ſunt, & jucunda, quia ſpiritui & rectæ rationi conformia. Vocantur tamen hoc loco viæ duræ, & ſimiliter Matthæi cap.7. *anguſta porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam*; partim, quia contrariantur homini carnali, & ad malum poſt lapſum proclivi; partim propter perſecutiones hominum malorum, qui juſtos perſequendo, & multa mala inferendo, viam ſalutis aſperam illis faciunt & laborioſam. Hieronymus ex Hebræo vertit *vias latronis*, alij *graſſatoris*. Quod ad Diabolum referri poteſt, cuius viæ & laquei omnes diligenter obſervandi ſunt, ut E ab ijs declinemus.

ŷ.11. *Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.* Id eſt ſtatuerunt non miſereri, ſed crudelitatem ſuam ex odio conceptam in me explere. Vel, ſtatuerunt non cogitare Dei judicium, tanquam vindicis ſcelerum; noluerunt Deum proponere ante conſpectum ſuum, excluſerunt à ſe Dei timorem, noluerunt Deum judicem ſibi ob oculos ponere. Sic Danielis cap.13. de duobus illis ſenibus, qui in concupiſcentiam Suſannæ exarſerunt, dicitur: *Et everterunt ſenſum ſuum & declinaverunt oculos ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum.*

ŷ.14. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam*

ab

ab inimicis manus tuæ. Domine à paucis de terra divide eos in vita eorum : de abſconditis tuis adimpletus eſt venter eorum. Saturati ſunt filij &c. Ego autem in juſtitia &c. Hic finis pſalmi ſimilis eſt fini Pſalmi 143. *Erue me de manu filiorum alienorum. Quorum filij ſicut novellæ, &c. Beatum dixerunt populum &c. Beatus populus &c.* Hebræa ſic habent : *Erue animam meam ab impio gladio tuo, à viris, manu tua Domine, à viris de tempore, pars eorum in vita, & abſcondito tuo implebis ventrem eorum. Saturabuntur filij & reponent reſiduum ſuum parvulis ſuis. Ego in juſtitia videbo faciem tuam, ſatiabor in evigilando imaginem tuam.*

Senſus eſt : eripe me Domine periclitantem ab homine impio qui gladius tuus eſt, & viris hoſtibus meis qui ſunt manus tua, id eſt, flagellum tuum quo peccata filiorum tuorum punis, qualis v.g. Attila fuit flagellum Dei. Vel, ut mavult Ianſenius, Eripe me ab impiis hoſtibus meis gladio tuo & manu tua, id eſt, virtute juſtitiæ & potentiæ tuæ ; ut *gladio tuo & manu tua* ſint ablativi inſtrumentales. Eripe me, inquam, à viris qui ſunt de tempore ſive de mundo, id eſt, qui addicti ſunt huic ſæculo, quorum ſcilicet pars & felicitas eſt in hac vita; quorum ventrem imples de abſcondito tuo, id eſt, quibus largiris copiam bonorum temporalium de theſauro ſeu penu tuo; ex quo ſaturati ſunt non ipſi modo, ſed & filij eorum, qui inſuper ex ijs bonis bonas reliquias relinquunt parvulis ſuis; illorum nepotibus. Ego verò in juſtitia tibi ſerviens, atque eiuſdem juſtitię merito, aliquando videbo faciem tuam ; & de bonis tuis quę juſtis teque timentibus reſervaſti, *Satiabor, cum evigilaverit imago tua*, id eſt, cùm apparuerit gloria, ſplendor, & pulchritudo vultus tui, quę nunc nobis in hac vita mortali & miſera degentibus quaſi dormit quia abſcondita eſt. Quod verò Græca quędam exemplaria pro υἱῶν, id eſt, *filiis* habent ὑῶν, id eſt, *ſuibus*, quaſi ſenſus ſit : Saturati ſunt porcina, (à qua veluti immunda nos populus tuus per legem tuam abſtinemus) & reliquias eiuſdem immundę carnis diviſerunt filijs ſuis quos immunditię ſuę faciunt participes; hoc (inquam) tantùm ex vicinitate Gręcarũ dictionum natum eſt, cùm ſit ab Hebraica lectione & à vero huius loci ſenſu alienum.

PSALM. XVII.

℣.27. *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris.* De Deo hoc dicitur non ita ut vulgari proverbio uſurpatur de hominibus. Vult enim pſalmiſta, Deum bonis bonum, benignum ac placidum eſſe ; malis verò ac perverſis malum atque perverſum, id eſt, durum, inclementem, & rigidum pœnarum exactorem. Qui ſanè loquendi modus ne Latinis quidem authoribus inuſitatus eſt. Ait enim ita Plautus in Moſtell. Nam ut ſervi ſuum volunt herum eſſe, ita ille ſolet. Bonus cum probis eſt, malus cum malis. Sic in Pſal. 72. *Quam bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde.* Non ergo bonus, ſed malus ijs qui pravo ſunt corde. Similis locus eſt Levitic. 26. ubi ſecundum Septuag. legitur : *Si ambulaveritis ad me perverſi, & ego ambulabo contra vos furore perverſo*, citante Hieron. in Malach. cap. 3. & in Eccleſiaſt. c. 7. ubi nos habemus, *In furore contrario.* Vide etiam 2. Reg. 22. Scholaſtico loquendi modo diceremus; Cùm malis malitia culpæ Deus malus eſt malitia pœnæ. Sic Ieremiæ cap. 26. *Pœnituit Dominum mali, quod locutus fuerat adverſum eos.* Interdum tamen patres hanc ſententiam quoque ad mores ſociorum perverſorum vitandos accommodant. Ambroſ. libr. de bono mortis cap. 9. & alij.

℣.44. *Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.* Explicat hunc locum Apoſtolus ad Rom. 10. his verbis Iſaiæ 65. *Iſaias autem audet & dicit : Inventus ſum à non quærentibus me ; palam apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Iſraël au-*

A *tem dicit ; Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.* De contradictionibus ergo illius populi agit Pſalmiſta. Et ſicut prioribus verbis ſignificatur Judæorum reprobatio, ita verbis ſequentibus, vocatio, ſeu electio gentium. q.d. *Conſtitues me in caput gentium*, id eſt, caput Eccleſiæ ex gentibus convocandæ. Et concordat quod ſequitur ; *Populus, quem non cognovi ſervivit mihi*, ſcilicet gentilis populus, quem mea præſentia non viſitavi. Vide noſtr. Comm. ad Rom. 10. ſicut & pro Annotat. ſequent.

PSALM. XVIII.

℣.1. *Opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Firmamenti nomine cœlum intelligitur,
B Hebraicè dictum ab expanſione, quia longè lateque ſupra nos expanditur. *Opera* Hebraicè *opus*, Græcè *operationem* ποίησιν. Senſus eſt : Cœli pulchritudo nobis annuntiat & loquitur quàm admiranda ſit Dei operatio, quàm admirabilis ſit Deus in operibus ſuis. Vide Ianſenium. Vel, Expanſio, id eſt, cœlum ſtellis pulcherrimè pictum indicat, oſtendit, & annuntiat ſe eſſe opus Dei ; juxta illud Pſalmi 8. *Videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.* Et Pſal. 101. *Opera manuum tuarum ſunt cœli.* In Hebræo utrobique numero ſingulari, *Opus.*

℣.2. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* Subaudiendum, ſuccedens, aut quid ſimile a hoc modo ; dies diei ſuccedens, eructat nobis verbum
C de Deo ; ſimiliter & nox nocti ſuccedens ſuggerit nobis de Deo ſcientiam : id eſt, ſinguli dies & ſingulæ noctes, vel ipſa dierum & noctium ordinatiſſima ſucceſſio loquitur nobis ſapientiam & potentiam Dei.

℣.5. *In omnem terram exivit ſonus eorum.* Scilicet *cœlorum.* Explicat id Apoſtolus ad Rom. 10. de ſpiritualibus cœlis, ſcilicet de Apoſtolis, qui Evangelium per totum orbem prædicârunt. Et rectè. Nihilominus Chryſoſt. homil. 9. ad popul. Antioch. exponit quoque litteraliter de creaturæ prædicatione. Porrò quod dicitur : *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Hebræum ſic ſonat : Soli poſuit tabernaculum in eis, id eſt, in cœlis. In quem ſenſum etiam Euthymius id quod in Græco eſt, exponit. Vide noſt. Comment. in cit. Apoſtoli locum.

℣.13. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce*
D *ſervo tuo.* Nota, ſi non eſſet neceſſarium ſingula peccata Deo confiteri, quæ occurrere poſſunt, deque ſingulis conteri ; non tam anxiè ita propheta oraret. Porrò quod dicitur (*& ab alienis*) etſi intelligi poſſit de alienis, id eſt, de hoſtibus, quia ſequitur in maſculino genere. (*Si mei non fuerint dominati*) tamen & de peccatis alienis intelligi poteſt, quia immediatè præcedit : *Delicta quis intelligit ?* non quatenus propriè aliena ſunt, ſed quatenus vel juſſione, vel conſenſu, vel ſimili modo noſtra ſunt.

AD PSALM. XIX. nihil erat ; ITEM nec ad XX.

PSALM. XXI.

E ℣.1. *Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti ?* Cuius ſint hæc verba nemini dubium eſt legenti Hiſtoriam Paſſionis Domini apud Evangeliſtas. Neque quemquam movere debet quod hic paulò amplius ponatur quàm Evangeliſtæ referant Chriſtum in cruce exclamaſſe.

Hic enim additur, *reſpice in me*; quod Chriſtum dixiſſe non legimus. Primùm enim reſponderi poteſt, non tam verba urgenda quàm ſenſum : hoc ipſo autem quo dixit, *quare me dereliquiſti ?* orat ut Deus ipſum reſpiciat, & non diu derelinquat. Quod ſi verò inſpiciamus Hebraicam & Chaldaicam lectionem : protſus inveniemus hîc eadem atque ipſiſſima verba quę Chriſtus

in cruce protulit, neque ampliùs neque minùs. Ita enim **A** eſt Hebraicè: *Eli Eli lammaſabacthani*, hoc eſt *Deus meus Deus meus, quare dereliquiſti me?* Quod ergo nos legimus, *reſpice in me*, in Hebræo non eſt, ſed à Septuaginta additum.

Quare me dereliquiſti? Quamvis ſit ſenſus orantis, Noli me penitùs delinquere; tamen ſimul ſignificatur eum aliquo modo & ad id tempus fuiſſe derelictum. Derelictus autem fuit à Patre Chriſtus, ſeu potius à Deo; quia non ait, Pater mi, ſed, *Deus meus*; non eo modo quo imaginantur hæretici, Calvinus & ſuiquod tunc ſenſerit horrorem damnatorum, qualem ſentiunt qui pro peccatis ſuis à Deo condemnantur: Nam iſte horror maximè conſiſtit in mala & perturbata conſcientia, & in deſperatione ſalutis; quæ duo non ſine gravi blaſphemia Chriſto tribui poſſunt. Sed derelictus **B** fuit homo à Deo, id eſt, humana infirmitas à virtute divina; non quod virtus divina ei non adeſſet, ſed quia humanam infirmitatem tunc non adjuvaret. Nam licet eſſet filius Dei; in cruce tam graves dolores ſuſtinuit, quàm ſi fuiſſet purus homo, ita ut acerbitatem cruciatuum, & triſtitiam animi, divinitas eius non mitigaverit.

Longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Delicta ſua vocat delicta eius corporis, cuius ipſe erat caput id eſt, Eccleſiæ. Ea vocat ſua propter totius corporis unitatem: vel etiam quia, ut ait Iſaias Propheta capite 53. *Poſuit Deus in eo iniquitates omnium noſtrum*; ut videlicet pro iis tanquam pro propriis mortem ſubiret. Hebræa lectio prout vertit Hieronymus & alii, nullam habet difficultatem. *Longè à ſalute mea verba rugitus mei.* id eſt clamoris mei.

℣.31. *Et anima mea illi vivet.* Hebraicè, *& animam ſuam non vivificabit.* Hieronymus, *& anima eius non vivet.* Quod autem ſequitur: *Et ſemen meum ſerviet ipſi*, in Hebræo eſt. *Semen ſerviet ei.* Quod totum videtur ſic intelligendum ſicut illud Iſaiæ 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Item illud, *Pro eo quod laboravit anima eius; videbit & ſaturabitur.* Item. *Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam &c.*

PSALM. XXII.

℣.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Notandum, quod tam 70. quàm Hebr. pro (*Dominus regit me*) habent, *Dominus paſcit me*, quomodo etiam Hieron. vertit. **D** Comparat enim ſe oviculæ, & Deum paſtori; qui adeò oves ſuas ſumma cura & providentia paſcit; & hoc agit ut nihil deſit, ſed ut etiam abundanter habeant. Sic Chriſtus Ioan. 10. *Ego ſum oſtium. Per me ſi quis introierit, ſalvabitur & paſcua inveniet. Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant. Ego ſum paſtor bonus &c.*

℣.4. *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Perſiſtit in allegoria paſtorali. Paſtores enim virga ſeu baculo utuntur ad coërcendum oves, ne longius aberrent, aut devient à reliquo grege. Unde in virga & baculo duo intelligi poſſunt beneficia, divina videlicet directio in via Dei juxta illud; *Dirige me in ſemitam rectam*, & caſtigatio aberrantis juxta illud: *Ego* **E** *quos diligo, arguo & caſtigo.* Hæc duo conſolantur unumquemque fidelem, quia ſigna ſunt dilectionis divinæ & per conſequens argumenta, quod ſumus filij Dei, & hæredes regni æterni. Sic & ad Hebræos capite 12. *Quem diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.*

℣.6. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Ex hoc loco collato cum eo quod eſt Pſalmo 58. *Miſericordia eius præveniet me*; conſtituitur celebris illa diſtinctio gratiæ prævenientis, & ſubſequentis, de qua ſic Auguſt. Enchiridij cap. 32. Gratia Dei nolentem prævenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit. Et nihilominus conſiſtit libertas arbitrij, de quo ſic Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. *In ſacris litteris, cum dicitur; Convertimini ad me, & ego convertar ad vos* (Zach. 1.) *Libertatis noſtræ admonemur: Cum reſpondemus* (Thren. 5.) *Converte nos Domine ad te, & convertemur; Dei nos gratiâ præveniri confitemur.* Ita Concilium.

PSALM. XXIII.

℣.2. *Quia ipſe ſuper maria fundavit eum, & ſuper flumina præparavit eum.* Sine dubio, *orbem terrarum*, illud enim præcedit. Fundavit ergo terram ſuper maria & flumina, id eſt, fecit & creavit eam ab initio, & quidem ſic, ut ipſa maribus & fluminibus altior emineret. juxta illud Gen. 1. *Congregentur aquæ in locum* **B** *unum* (nempe humiliorem) *& appareat arida.* Videlicet ut ſit apta habitationi hominum & beſtiarum, & producendis herbis, fructibus, & arboribus. Sic etiam verbum (*fundaſti*) ſimpliciter pro *creaſti* accipitur in illo Pſ. 8. *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas quæ tu fundaſti*, id eſt, creaſti. Adde quod certum eſt, pſalmiſtam reſpicere utroque loco ad Script. Gen. 1. Ubi tamen de terra ſuper aquis tanquam fundamento collocata, nihil dicitur, ſed tantum; remotis aquis & in unum locum collectis, de terra diſcooperta.

℣.7. *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Hebraicè, Hieron. interprete ſic: *Attollite portæ capita veſtra.* Cui reſpondet quod ſequitur: *Elevamini portæ æternales.* **C** Senſus tamen utriuſque lectionis ferè coincidit. Iudæi dicunt eſſe apoſtrophen per proſopopœiam, ad portas per quas introducenda erat arca Domini à Davide. Quod ſi ita eſt; tamen dubitare non debemus ſub hac ſententia, & toto pſalmo, latere alium ſenſum ſubliniorem & propheticum. Quidam referunt ad Chriſti deſcenſum ad inferos, ut ſit apoſtrophe ad principes inferorum. Sed pleriſque patribus magis placet, ut ſit ſermo Angelorum inter ſe, videlicet eorum, qui ſunt ordinis inferioris, ad ſuperiores, cohortantium eos ad ſuſcipiendum cum gloria & triumpho Chriſtum in cælos aſcendentem. Dionyſius Areopagita capite ſeptimo cœleſtis hierarchiæ ex hoc loco docere conatur, Angelos alios ab aliis doceri de myſteriis Chriſti.

PSALM. XXIV.

D ℣.4. *Confundantur omnes iniqua agentes ſupervacuè.* Hebr. *prævaricantes inaniter*, vel ut Pag. vertit, gratis. Id fere ſic exponunt. Pudore afficiantur, ac ſpe ſua excidant, qui non per errorem aut infirmitatem, ſed ſine cauſa, & malitioſè patrant & committunt ſcelera. Sed puto veriorem hunc eſſe intellectum: Confundantur omnes, qui me, alioſque juſtos gratis, id eſt, immeritò, & ſine cauſa perſequuntur; quod quidem magnæ eſt iniquitatis. Conqueritur enim propheta de inimicis ſe injuſtè perſequentibus, de quibus jam dixerat *Neque irrideant me inimici mei.* Poteſt etiam ſic intelligi: Confundantur, & pudore afficiantur omnes prævaricantes legem tuam; quam quidem prævaricantur ſu**E**pervacuè, & inaniter, id eſt, ſine fructu, imò gravi detrimento, ac malo ſuo. Ut ſit liptote in vocabulo (*ſupervacuè*) quâ minùs dicitur, & plus intelligitur, ut Pſ. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.*

℣.10. *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Ex hoc loco, & ſimiliter ex illo Pſalm. 76. ubi dicitur, *Non continebit in ira ſua miſericordias ſuas*, colligunt quidam etiam in damnatione impiorum miſcendam miſericordiam. Sic & Divus Thom. 1. parte quæſt. 21. artic. 4. ad 1. dicens, Deum in iis aliqualiter alleviare, dum punit citra condignum. Sic & Bonaventura in 4. diſtinct. 15. Alij tamen dicunt id ex his locis non omninò convinci. Nam ut ſciamus quibus miſericordia

petat,

petat, expreſsè ſic dicit Pſalmiſta : *Vniverſa via Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.* Nempe ſolia vaſa miſericordię. Vide etiam D. Auguſt. lib. 21. de civitat. cap. 24. A

PSALM. XXV.

℣. 2. P*Roba me Domine & tenta me.* *Quæritur* occaſione horum verborum, An vir juſtus poſſit deſiderare ſe tentari ? Et *Reſpond.* diſtinguendo, nam petere tentari ad peccatum, eſt periculoſum. *Qui enim amat periculum,* ait Sapiens Eccl. 3. *peribit in illo.* Sed tentari à Deo, & probari velle, ſicut probatus eſt Abraham, & Iob, non ſolùm licitum eſt, ſed etiam Sanctum; cum humili tamen fiducia, & oratione, ut Deus ſimul B faciat cum tentatione proventum. Unde & David hîc addit, *Vre renes meos, & cor meum.* Senſus ergo eſt : Explora me, qualis ſim, quàm tibi ſinceriter ſerviam ; quam firmiter adhæream. Ita Deus hominem probat, quando per experientiam externorum operum, objecta tentatione aliqua, facit palam innoteſcere, id quod in homine latebat : innoteſcere, inquam, non Deo, qui omnia novit, ſed vel ipſi homini, vel aliis cum eo converſantibus. Hinc ergo ſubjungit ; *Vre renes meos, & cor meum.* Ac ſi dicat, intimos affectus cordis mei ure, & tenta igne tribulationis. Uſtio enim afflictionem ſignificat, ſicut & ignis in Scriptura.

PSALM. XXVI.

℣. 4. V*Nam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* In Hebr. in neutro genere eſt : *Vnū petij à Domino, hoc requiram.* Senſus eſt, Unam rem petij à Domino: & C eam inſtanter requiram. Ea eſt, ut inhabitem in domo Domini. Ubi domus Domini eſt Eccleſia Chriſti, ſive hic in terris militans, ſive in cælis triumphans. Neque multum referre videtur, utra hoc loco intelligatur; quia altera petitio alteram includit. Quicumque enim perſeverat in Eccleſia militante, eius vivum membrum omnibus diebus vitæ ſuæ, id eſt, uſque in finem vitæ; ſine dubio habitabit quoque in ea, quę in cœlis eſt, & contrà ; neque enim hæc duo à ſe mutuo ſeparari poſſunt.

Vt videam voluptatem Domini. Irrepſerat error, ut (*voluntatem*) id eſt, juſſionem, pro *voluptate* legeretur. D Sed rectè Sixtina Biblia errorem correxerunt. Voluptatem enim ſeu delicias domus Dei deſiderare prophetam, docent Gręca, & Hebræa exemplaria etiam M.SS. meliora & veterum interpretatio. Et contrarius huic error accidit Micheæ 6. ubi vice verſa, pro *voluntatibus* irrepſerat (*voluptatibus*) quem & rectè correxerunt Sixtina, v. 16. hoc modo : *Et cuſtodiſti præcepta Amri, & omne opus domus Achab in voluntatibus eorum*, quaſi dicat, præcepta ſcilicet & voluntates ſeu juſſiones impiorum iſtorum es ſecutus. Auguſt. quoque in hoc pſalmo legit : *Vt contempler delectationem Domini.*

℣. 10. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.* Vixerunt quidem pater & mater Davidis, uſque dum eſſet grandævus, & perſequeretur eum Saül. (Nam ſic loquitur E ipſe ad regem Moab 1. Reg. 22. *Maneat oro pater meus & mater mea vobiſcum*) ſed declarat David à patre vel matre ſibi nullum eſſe auxilium. Itaque ad Dei ſolius confugit opem.

℣. 12. *Et mentita eſt iniquitas ſibi.* Huius apud ſanſenium vide duos aut tres ſenſus. In Hebræo non aliud habetur quàm, *efflans ſeu loquens rapinam* ſive *injuſtitiam* : ſubauditur ex ſuperiori membro, *inſurrexit in me*. Septuaginta partem hanc ſententiæ accipiunt ut abſolutam quaſi in hunc ſenſum ; & loquitur injuſtitiam, iniquitatem non ſine mendacio, id eſt, confingit ſibi quo me calumnietur aut mihi noceat.

A ℣. 13. *Credo videre bona Domini in terra viventium.* Hebraicè ſuſpenſa eſt ſententia, quæ ſenſum hunc habet. Niſi credidiſſem me viſurum atque experturum bonitatem Domini in terra viventium, ſubaudi, defeciſſem inter tot calamitates & anguſtias. Terra viventium ad literam intelligitur de vita hac præſenti, ſicut & Pſal. 51. & 141. & apud Ezech. 26. & 32. Sentit enim Pſalmiſta ſe inter tot adverſa non abieciſſe animum ; ſed fretum Dei promiſſis, credidiſſe ſe adhuc viſurum bona à Domino ſibi præſtanda inter homines viventes. Sic Iſaiæ 38. *Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium.* Atque, id eſt, quod in alio pſalmo breviter & planè dicitur : *Non moriar, ſed vivam.* Pſ. 117.

B

PSALM. XXVII.

℣. 4. D*A illis ſecundum opera eorum, & ſecundum nequitiam adinventionum ipſarum. Secundum opera eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipſis.* Propheticè vindictam hoſtibus imprecatur, prævidens & approbans quod Deus facturus erat. *Redde retributionem eorum ipſis.* Phraſis Hebraica eſt, quam ita reddas Latinè. Repende eis condignam, & operibus eorum reſpondentem talionem.

℣. 5. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius ; deſtrues illos, & non ædificabis eos.* Malè pſalteria noſtra hactenus verſum hunc dividunt, illud (*& in opera manuum eius*) jungendo cum eo quod ſequitur, cùm adhærere debeat verbis præcedentibus. Senſus enim eſt : Quoniam noluerunt intelligere, nec C conſiderare opera Domini, quæ ſunt opera potentiæ eius, idcircò meritò deſtrues, & perdes eos. Scilicet phraſi Hebræa *intelligere in opera* idem eſt quod intelligere opera, id eſt, ijs animum advertere. Et tam priori loco, quàm poſteriori textus Hebræus habet præpoſitionem (in.)

PSALM. XXVIII.

℣. 3. V*Ox Domini ſuper aquas, &c.* Non prętaribo hoc loco piam contemplationem cuiuſdam, hos verſus interpretantis de ſeptem Sacramentis Eccleſiæ ad hunc ferè modum. *Vox Domini* Dei patris audita eſt ſuper aquas Iordanis de Chriſto quem Ioannes bap- D tizabat, dicentis : *Hic eſt Filius meus dilectus.* Et per eam vocem Dominus majeſtatis intonuit; vox enim illa inſtar tonitrui fuit: ſicut & Ioan. 12. de ſimili voce audita dicebant turbæ, tonitruum eſſe factū. Et quia Chriſtus quando baptizatus eſt in Iordane, ſanctificavit omnes aquas ad uſum ſalutaris baptiſmi credentium. Ideò Dominus ſuper aquas multas vocē virtutis ſuæ effudit. *Vox Domini in virtute*, ſcilicet Spiritus Sancti, quâ induuntur ex alto qui confirmationis Sacramentum accipiunt.

Vox Domini in magnificentia, quam nulla in re magis declaravit, quàm quando inſtituit & nobis reliquit pretioſiſſimum & ſuaviſſimum epulum Corporis & Sanguinis ſui.

Vox Domini confringentis cedros, id eſt, homines per ſuperbiam excelſos & erectos. Quæ quidem eorum ſu- E perbia confringitur & dejicitur per contritionem & confeſſionem, & per humilitatem actionis pœnitentiæ. In ſuperbia autem, tanquam capite ac regina, intellige & cætera peccatorum genera.

Et confringet Dominus cedros Libani, quæ ſunt celſiſſimæ, quia nulla mens tam elata per ſuperbiam, quam Dominus voce potentiæ ſuæ non confringat cum voluerit : nullum peccatum adeo grave, cui non ſit per pœnitentiæ Sacramentum parata medicina.

Et comminuet eas tanquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium. Id eſt, Excelſa corda ſuperborum comminuendo rediget ad eam humilitatem, ut ſint teneri, molles, tractabiles tanquam

vituli

vituli Libani. dicuntque quod unus eorum proſtratus dixit, *Domine quid me vis facere?* & ut qui propter ſuperbiam erant Deo exoſi, per humilitatem fiant delecti, quomodo pullus unicornis diligitur à matre.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, id eſt, refrænantis ac domantis æſtum libidinis ac carnalis concupiſcentiæ, per gratiam benedictionis nuptiarum.

Vox Domini concutientis (& encolentis) deſertum huius mundi, per Eccleſiæ miniſtros ſacra ordinatione inſtitutos; dum prædicatione verbi Dei, & Sacramentorum adminiſtratione & ſanctæ vitæ exemplo corda peccatorum concutiunt, ſana doctrina excolunt, & omnes ad Deum adducunt.

Vox Domini præparantis, ad ingreſſum futuri ſæculi cervos, id eſt, animas per morbum corporis & periculum mortis imminentis ex hoc ſæculo fugitivas & ad expectationem divini judicij trepidas. Quæ quidem præparatio fit per Sacramentum Extremæ Unctionis. Vide S. Vincent. de Valentia in ſerm. 2. Dom. 2. Quadrageſ.

PSALM. XXIX.

℣.3. D*Omine eduxiſti ab inferno animam meam; ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum.* Si ad Davidem referatur, ſenſus eſt; Eripuiſti me à periculis inferni ſeu mortis in quibus verſabar propter hoſtium perſecutiones, juxta illud quod ait Pſalm. 17. *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt me. Salvaſti me à deſcendentibus*, vel ut Hebr. eſt, *vivificaſti me à deſcendentibus*, id eſt, ſalvaſti me ne deſcenderem in lacum. Ita Hieronymus vertit, id eſt, eripuiſti me è periculo mortis. Si ad Chriſtum referatur, ſenſum habet illuſtriorem: *Eduxiſti ab inferno animam meam*, id eſt, non es paſſus animam meam morari in inferno, ſicut ait Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Vivificaſti me à deſcendentibus in lacum, id eſt, cito me revocaſti ad vitam, ut caro mea non videret corruptionem.

℣.4. *Eduxiſti ab inferno animam meam.* Vide ſuprà ad illud Pſal. 15. *Non derelinques animam meam in inferno.* Nempe, ut de deſcenſu Chriſti ad inferos agatur.

℣.6. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Quidam ſic intelligunt: In indignatione Dei eſt quidem ira, dum punit nos delinquentes; ſed nihilominus in eius voluntate & intentione eſt vita: quia ad hoc punit, ut ad eum convertamur. Hunc etiam ſenſum reddit Ianſenius. Verùm magis apparet hic eſſe antitheſim; qua velut contraria Dei opera quæ ſunt, iraſci, favere, percutere, ſanare, celebrentur ac laudentur. Eam antitheſim ita breviter reddidit Genebrard. Ad indignationem ſiquidem eius ſequitur plaga, ad favorem autem eius vita & ſalus. Conſtat enim voluntatem Dei pro benevolentia ac beneplacito ſæpè accipi in Scripturâ. Chald. paraphraſtes hoc modo: *Vita æterna in eius beneplacito.*

℣.7. *Ego autem dixi in abundantia mea: Non movebor in æternum.* Et v. ſeq. *Avertiſti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus.* Huius exemplum eſt in Ezechia rege 2. Paral. 32. Ille enim elevatus, tentatus, deinde derelictus, conturbatus, humiliatus ad mentem redijt.

PSALM. XXX.

℣.1. N*On confundar in æternum.* Nota, *Confundar*, non eſt futurum indicativi, quaſi affirmet ſe non confuſum iri, ſed eſt optativi modi. Græcè καταισχυνθείην habens vim precandi. q.d. Confundi ne patiaris famulum tuum.

℣.13. *Oblivioni datus ſum, tanquam mortuus à corde.* Sic ordina ſententiam: Oblivioni datus ſum à corde, tanquam mortuus, id eſt, ita penitus ex corde eorum deletus ſum & oblivioni traditus, atque ſi jam dudum mortuus eſſem.

A ℣.20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine quam abſcondiſti timentibus te. Perfeciſti eis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum.* Quidam ita intelligunt, quaſi Pſalmiſta his verbis diſtinguere velit inter eos qui timent Dominum, & eos qui ſperant in Domino; quod videlicet multitudo dulcedinis divinæ abſcondatur ab ijs qui timent Dominum, ſed perficiatur & oſtendatur ijs qui ſperant in Domino. Sed ſatis manifeſtum eſt Pſalmiſtam non voluiſſe tale diſcrimen indicare. Nam tota Scriptura veteris teſtamenti tum in Pſalmis, tum alibi eodem loco habet, timere Dominum, & ſperare in Domino; & utrumque tribuit juſtis, & utroſque vocat beatos. *Beati omnes qui timent Dominum; Beati omnes qui ſperant in Domino.* Proinde intelligendum eſt utraque parte ſententiæ idem, vel

B ſimile quid ſignificari hoc modo: *Quam abſcondiſti*, id eſt, quam reſervas apud te tanquam theſaurum quendam abſconditum, ut des aliquando timentibus te. Et *quam perfeciſti*, id eſt, præparaſti, vel operatus es, ut vertit Hieron. ijs qui timent & ſperant in te. De hoc vide Ianſen. in Pſalm. 36. Quomodo autem hac Scriptura quidam voluerint abuti ad probandum quod pœnæ damnatorum non eſſent æternæ, vide apud Auguſt. lib. 21. de civitat. cap. 18.

PSALM. XXXI.

℣.1. B*Eati quorum remiſſæ ſunt iniquitates.* Quod Propheta non in ſola remiſſione peccatorum

C conſtituat juſtitiam, patet ex ſecundo verſu: *Nec eſt in ſpiritu eius dolus*, ubi ſignificatur hominem remiſſo peccato jam in peccato ampliùs non eſſe, nec dolum, id eſt, malitiam, jam eſſe in eo; ſed ei ſucceſſiſſe contrarium eius; videlicet bonitatem & juſtitiam.

℣.2. *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* Diſputant Scholaſtici an rectè parvulis imputetur peccatum Adæ, hoc eſt, peccatum originale. Et neceſſe eſt reſpondere quod ſic. Nam ut Apoſt. dicit: *Omnes naſcimur filij iræ*; ſi autem non imputaretur, jam non filij iræ, ſed beati, ſeu juſti, ut Apoſt. hunc locum ad Rom. 4. interpretatur, naſceremur. Verùm quomodo id juſtè fiat, cum ipſi parvuli, ut videtur, non peccaverint; paulò maior difficultas eſt. Sed reſpondet Apoſt. ad Rom. 5. dicens: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes ho-*

D *mines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ecce etiam parvuli in Adam peccaverunt; ſcilicet ut totum genus humanum repræſentante. Vide noſtrum Comm. in dictum locum Apoſtoli ad Romanos.

℣.3. *Quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* Duo pugnantia hîc dici videntur: *Quoniam tacui, & dum clamarem.* Quod ita à quibuſdam conciliatur, ut dicant, aliud eum tacuiſſe, aliud eum clamaſſe. Tacuiſſe peccata ſua, clamaſſe & jactaſſe merita ſua. Hieron. ex Hebr. ſic vertit: *Quia tacui, attrita ſunt oſſa mea, in rugitu meo tota die.* Alij, *in fremitu meo.* Ubi *tacere* videtur pertinere ad hoc, quod culpam ſuam erubuerit palam profiteri; rugitus autem vel fremitus ad gemitum, & ſuſpiria quotidiana, quibus dolorem ſuum, & conſcientiæ gravamen teſtabatur, licet

E ipſum peccatum detegere per confeſſionem non auderet. Itaque ſenſus eſt; Dum taceo peccatum meum, celans illud in pectore, *inveteraverunt oſſa mea*, id eſt, omnis virtus mea contabuit, ita ut eſſem tota die in gemitu & ſuſpiriis, quæ naſcebantur ex perturbata & inquieta conſcientia, donec tandem apertè peccatum meum confeſſus ſum. Et hoc eſt quod ſequitur: *Delictum meum cognitum tibi feci, &c.*

℣.4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Secundum noſtram verſionem & Septuaginta ſenſus eſt. Volutatus ſum in miſeria mea perinde, ac ſi mihi infigeretur ſpina. Ita enim habent Septuaginta.

In

In infigendo mihi ſpinam. Ex Hebræo vertunt : *Immutatum eſt humor meus in ſiccitates æſtivas.* Cuius ſenſus eſt manifeſtus, videlicet, per hoc, quod peccatum ſuum tegebat, & non confitebatur, paulatim ſuccus omnis & vigor animi elanguerat, & in ariditatem quandam ſpiritus converſus fuerat.

℣.5. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* *Arguunt* hinc hæretici non eſſe neceſſarium confiteri Sacerdoti, quando quidem Deus propter contritionem remiſit peccatum, etiam propter ſolum votum confitendi Deo. Sed *Reſpondetur* hic nihil aliud ſignificari, quàm Deum non alligaſſe virtutem ſuam Sacramentis, ſed vehementem illam contritionem Davidis in pauciſſimis reperiri. Poteſt etiam eſſe ſenſus ; & melior ; *Dixi confitebor* ; quod poſtquam feci ; *ecce tu remiſiſti* : quem ſenſum quoque indicat D. Auguſt. q. 154. ſuper Exodum ; quamvis in huius pſalmi enarratione, priori modo verba iſta exponat, reſpiciens ad ſingularem Davidis contritionem. Sed poſteriori expoſitioni quadrat verſus immediatè præcedens. Additio Cenſoris.

℣.6. *Veruntamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.* Ambiguum videretur, an ad Deum an ad ſanctum, de quo dixit : *Pro hac orabit ad te omnis Sanctus*, referendum hoc ſit. Sed ex tranſlatione Hieron. patet ad ſanctum referendum ; quæ ſic habet : *Vt dum inundaverint aquæ multæ ad illum non accedant.* Senſus eſt. Etiam Sancti orant Deum pro remiſſione peccatorum. Et per eam hoc conſequuntur, ut quando inundaverint multæ aquæ tribulationum, aquæ illæ, ſeu tribulationes ad eos non accedant ; eò videlicet modo, quo ad impios ; qui pro ſuis peccatis flagellantur. Similis locus eſt Pſalm. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Ad juſtum ſermo eſt.

℣.11. *Lætamini in Domino & exultate juſti & gloriamini omnes recti corde.* In ſecundo & tertio membro repetendum, *in Domino. Exultate in Domino, gloriamini in Domino.* Hebraicè pro *gloriamini* jubilate, ſcilicet Domino.

P S A L M. XXXII.

℣.15. QVi finxit ſigillatim corda eorum. Sigillatim Græcè κατὰ μόνας, id eſt, per ſingula. Hebraicè, *pariter.* Senſus tantùm eſſe videtur ; omnia nullo excepto.

℣.17. *Fallax equus ad ſalutem.* Græcè *mendax.* Hebr. mendacium. Senſus eſt : Fallax auxilium ; incertum, infirmum in equo, *& in abundantia virtutis ſuæ non ſalvabitur*, ſcilicet equus, ait Euthymius. At in Hebræo eſt (*eruet*) ſcilicet, equus nequaquam eruet hominem. Et ſic quoque in noſtra verſione, quæ eſt ex Septuaginta (*ſalvabitur*) ad hominem referendum eſt. Neque enim de ſalute equi loquitur Pſalmiſta, ſed de ſalute hominis per fortitudinem equi.

P S A L M. XXXIII.

℣.3. IN *Domino laudabitur anima mea.* Pro (*laudabitur*) Hebr. eſt, (*laudabit ſe*) id eſt, gloriabitur. Quicumque enim gloriatur, ſeipſum laudat. Sed ne malè id fiat, additum eſt (*in Domino*) Phraſis hæc in pſalmis frequens, ut Pſal. 43. *In Deo laudabimur tota die.* Et Pſal. 62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Rurſum Pſal. 63. *Laudabuntur omnes recti corde*, & Pſalm. 104. *Laudamini in nomine ſancto eius.*

℣.8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* Græcè eſt, παρεμβαλεῖ, id eſt, caſtrametabitur. Quædam miſſalia habent, *immittet Angelum Dominus.* Sed vitioſè, & contra Græcam & Hebræam veritatem, vitio eorum, qui exiſtimabant, verbum (*immittet*) A neceſſario poſt ſe habere debere accuſativum. Senſus itaque eſt, ut ſignificetur Angelum Domini per modum caſtrorum omni ex parte protecturum timentes Dominum, ſicut protexit olim caſtra filiorum Iſraël in exitu de Ægypto, & in deſerto.

Eſtij Annotat. in Script.

℣.17. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Pro (*vultus*) Græcè eſt πρόσωπον, facies. Nec videtur vis facienda in vocabulo *vultus*, quaſi auſterum quid & durum ſignificet ; ſed cum ſit vocabulum indifferens, determinatur per id quod ſequitur ; *Vt perdat de terra memoriam eorum.* Sic in bonum accipitur in Canone Miſſæ : Suprà quæ placido ac ſereno vultu reſpicere digneris. Et ſimiliter in præcedenti verſu oculi & aures per ſe nihil benignum ſignificant, ſed benignitas Dei in juſtos ſignificatur per id quod ſe- B quitur, *in preces eorum*, id eſt, ad exaudiendum eos. Vide etiam 1. Petri 3.

℣.22. *Et qui oderunt juſtum delinquent.* Et v. ſeq. *Et non delinquent omnes, qui ſperant in eo.* Pro (*delinquent*) Græcè utrobique eſt πλημμελήσουσι. Vox Hebræa, ſignificat (*deſolabuntur.*) Atque hoc habet ſenſum clariorem.

P S A L M. XXXIV.

℣.13. EGo *autem cum mihi moleſti eſſent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meã.* Secundum noſtram verſionem ſignificatur, quod in tempore anguſtiæ, quâ ab inimicis premebatur, non C tantùm confugerit ad Deum per orationem, & invocationem auxilij divini, ſed etiam per voluntariam afflictionem corporis ſui ; videlicet induendo cilicium, & humiliando in jejunio animam ſuam. Hoc exemplum etiam nos docet, quid in anguſtijs conſtituti facere debeamus, & quibus modis opem à Deo petere. Qui ſenſus, quamvis admodum pius ſit ; tamen ſecundùm lectionem Hebræam non minùs, imò & magis pius ſenſus ſignificatur, hic nimirùm : *Et ego, quum ipſi infirmarentur, indumentum meum ſaccus : Humiliabam in jejunio animam meam, &c.* Quibus verbis ſignificatur magna charitas Davidis etiam erga ſuos inimicos, ipſum perſequentes. Ipſis (inquit) exprobrantibus mihi, ego corpus meum cilicio, & jejunijs affligebam, ut Deus illorum vellet miſereri. Et huic ſenſui aptiſſi- D mè reſpondet id quod ſequitur : *Et oratio mea in ſinu meo convertetur.* Vel ſignificantius ſecundùm Hieron. *in ſinum meum revertetur.* Quod duobus modis accipi poteſt. Vel hoc modo : Quia oratio mea pro illis fuſa propter eorum malitiam illis non profuit, ſaltem mihi proderit, & in ſinum meum revertetur, id eſt, ego orationis meæ fructum capiam. Vel hoc modo. Sicut pro illis ſyncerè & ex animo oravi, non autem malè precatus ſum ; ita opto, ut Deus mihi retribuat, & talia mihi præſtet, qualia inimicis meis per orationem ad Deum optavi.

℣.15. *Congregata ſunt ſuper me flagella & ignoravi.* Auguſtinus ſuper hunc pſalmum legit, *ignoraverunt.* Item Tract. 10. in Ioan. *neſciebam.* Græcè οὐκ ἔγνων ambiguum eſt Hebraicè, *& non cognovi* ; ſcilicet con- E ſpirationem eorum contra me. Quod verum eſt ad litteram de Davide : Chriſtus autem non cognovit ; quia fuit tanquam neſciens.

℣.20. *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur ; & in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.* Septuaginta habent : Et ſuper iram dolos cogitabant, id eſt, præter hoc quod irati in me erant, etiam doloſè contra me egerunt. Hebræa paulò aliter habent, & ſenſus multo manifeſtior eſt, hoc modo : *Et contra humiles vel manſuetos terræ verba fraudulenta cogitabant.* q. d. me, qui ſumma manſuetudine ſemper cum illis verſatus ſum, fraudulentis verbis, & artibus cogitabant circumvenire.

℣.24. *Iudica me ſecundum juſtitiam tuam Domine, Deus meus.* *Quæritur*, quomodo idem propheta alibi dicat: *Non intret in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*, Pſalm. 142. Auguſt. hunc locum ſic intelligit: Judica me ſecundum juſtitiam tuam, non meam, id eſt, ſecundum juſtitiam mihi à te donatam, non ſecundum juſtitiam, quæ mihi ex lege eſt, quam Apoſtolus detrimentum vocat, & ſtercora. Alij Chriſtum hic loqui interpretantur. At *verior reſponſio eſt*, Davidem petere ſuam cauſam, non quæ ei cum Deo ſit, propter ſua peccata in Deum commiſſa, ſed quæ ei ſit contra ſuos inimicos, à Deo ſecundum eius juſtitiam, judicari. Hunc enim ſenſum manifeſtè exigunt antecedentia, & ſequentia, & maximè illud proximè præcedens: *Exurge & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus, in cauſam meam.* In altera verò ſententia Pſal. 142. quæ pugnare videtur, loquitur de judicio, quod eſt inter Deum & hominem, in quo neceſſe eſt hominem cauſa cadere propter multiplices in Deum offenſiones, ſi non miſericordia temperet juſtitiam.

℣.27. *Exultent & lætentur qui volunt juſtitiam, meam*, id eſt, qui favent cauſæ meæ juſtæ. *Et lingua mea meditabitur juſtitiam tuam*; quâ ſcilicet juſtè pro me judicaſti.

PSALM. XXXV.

℣.5. *Malitiam autem non odivit.* Intelligit hoc loco Auguſt. per malitiam, id quod habitat in homine peccatum, id eſt, concupiſcentiam, eamque vult ut odio habeamus, ſicut etiam odit Deus; ſumpto etiam argumento ex pugna, quâ ei à nobis reſiſtitur. Et concione 8. in Pſ. 118. ad illud: *Concupivit anima mea deſiderare &c.* diſertè affirmat odiendam concupiſcentiam noſtram, quâ caro concupiſcit adverſus ſpiritum; & inde probat diligendam eſſe dilectionem Dei. Hinc & Apoſt. Rom. 7. teſtatur ſe odiſſe malum, quod carne faciebat, etſi nullo mentis accedente conſenſu.

℣.7. *Homines & jumenta ſalvabis Domine. quemadmodum multiplicaſti miſericordiam tuam Deus.* Senſus eſt. Tam magna & multiplex eſt bonitas tua, per univerſum orbem diffuſa, ut non homines tantùm, ſed etiam jumenta ſalves, id eſt, eorum curam habeas, ea ſuſtentes, & foveas, dans vitam & alimenta. Ne autem putaretur eadem ſalus eſſe communis hominibus & brutis, & homines præ illis nihil ampliùs habere, addit: *Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt.* Vel ut eſt in Hebræo, *in umbra alarum tuarum*, q. d. filiis hominum præter ſalutem temporalis vitæ, etiam ſpem dediſti vitæ æternæ, de qua adjicit. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, &c.*

℣.10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Apud te*, perinde eſt ac ſi diceret, Tu es fons vitæ; Et ſimiliter (*in lumine tuo videbimus lumen*) perinde ac ſi dicatur: In te, temetipſum videbimus. Nam Deus eſt ipſum lumen beatum, quod videbimus, & lumen illud non in alio lumine, ſed in ſeipſo videbitur. Videbitur enim non quomodo lumina creata & corporalia videntur per aliquod medium, ſed ſine medio, atque in ſeipſo, ita ut mens immediatè illo lumine perfruatur. Hieron. ſuper Habac. 3. *In lumine tuo videbimus lumen* ſic exponit. In Filio videbimus Spiritum Sanctum. Vult enim hæc verba dici ad patrem tanquam fontem luminis & vitæ.

PSALM. XXXVI.

℣.25. *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Quomodo id verè dictum eſt, cùm non tantùm experientia nos doceat, frequenter juſtos temporalibus ſubſidiis ita

A deſtitutos ut panem quærere cogantur, ſed etiam manifeſtè nos doceat Scriptura Sacra Abraham tempore famis coactum deſcendere in Ægyptum, & panem ibi quærere? Nec ipſe ſolùm, ſed & ſemen eius Iſaac & Iacob cum tota familia fame & penuria preſſi, in Ægyptum deſcenderunt panem quærentes, quo ſe & ſuos alerent. Quin & multi Martyres fame enecti leguntur. Nam in Martyrologio Romano 12. Ianuarij quadraginta duo monachi fame conſumpti Martyrio coronantur, & 3. Iulij S. Hyacinthus Trajani Imperatoris cubicularius, in carcere fame extinctus legitur. Similia ſunt 23. Iulij, 4. Octobris, & 22. Decemb. & apud Cyprianum epiſtola 22. quæ eſt Luciani, ubi agitur de quibuſdam Martyribus fame necatis.

S. Hieronymus ſuper Amos 8. de hoc Scripturæ lo-
B co agens. Quanti, inquit, Martyres in perſecutionibus perierunt fame, & indiguerunt frumento, alimentiſque iſtis corporum? Unde ut difficultati ſatisfaciat, ſubinfert: Ergo de eo dicit pane qui de cœlo deſcendit, quem qui comederit, nec eſurire poterit nec ſitire. Ita ille. S. Auguſtinus intelligit de pane verbi Dei. Hoc pane juſtus non deſtituitur dum juſtus manet, quia juſtus ex fide tanquam ex pane ſuo vivit. Sed hi non videntur eſſe proprij ſenſus huius loci. Notandum eſt, omnia corporalia beneficia juſtis & ſervantibus legem promiſſa, eſſe figuras beneficiorum ſpiritualium vel huius vitæ, vel futuræ, & tunc vel maximè impleri quando implentur ea quorum ſunt figuræ: Verbi gratia illud Exodi 12. *Os non comminuetis ex*
C *eo*, magis impletur in Chriſto crucifixo, quàm in agno paſchali qui erat Chriſti figura. Dicendum ergo juſtum non derelinqui, nec ſemen eius panem quærere; quia juſtus in juſtitia perſeverans pane illo æternæ felicitatis in æternum non fraudabitur, qui panis ſignificatus eſt per panem, vel quemcumque cibum corporalem in lege promiſſum. Dici etiam poteſt ſenſum eſſe: nec ſemen eius quærens panem & non inveniens; non quod nunquam id accidat, ſed quia Deus juſtorum ſingularem curam habet etiam in temporalibus; juxta illud: *Pietas ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis & futuræ*: & Deus facilius exaudit juſtos in neceſſitatibus ad ſe clamantes, quàm impios. Si tamen contingit, ut juſtus fame moriatur, vel pro confeſſione nominis Chriſti, vel
D aliter; Deus illud maiori bono compenſat. Quod dum fit, non eſt dicendum quod juſtus quæſivit panem & non invenit; velut ſi quærens argentum inveniat aurum pari pondere, non dicitur fruſtra quæſiviſſe argentum quaſi quæſitum non invenerit; feliciùs enim invenit quàm ſi ipſum inveniſſet argentum. Conferatur autem cum hoc loco quod dicitur Pſalm. 33. *Non eſt inopia timentibus eum; divites eguerunt & eſurierunt; Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*, ſenſus enim utriuſque prorſus idem videtur. Conferatur item hîc locus cum eo qui eſt Proverb. 10. *Non affliget Dominus fame animam juſti.* Et Eccleſiaſt. 2. *Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim, &c.* Qui locus poteſt eſſe huius explicatio. Denique
E S. Thom. 1. 2. q. 114. art. 10. videtur ſic intelligere. Non vidi juſtum derelictum, ita ut deeſſet quantum ei expediebat ad perveniendum ad vitam æternam. Similiter intelligit illud Pſalmi 33. *Timentes Dominum non minuentur omni bono.*

℣.33. *Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.* Vel ſic intelligitur, quoniam innocentia & æquitas ſunt reliquiæ homini pacifico; Vel, quoniam homini pacifico ſunt reliquiæ, id eſt, tandem inveniet reliquias, id eſt, mercedem ſuæ innocentiæ. Vel ex Hebr. quia reliquiæ, ſeu noviſſimum viro, ſcilicet talis pax. Ita illud, quod mox ſequitur: *Reliquiæ impiorum interibunt.* Hebr.

noviſſi-

noviſſimum impiorum excidetur. Pagninus ſic vertit: *Merces unicuique pax; merces impiorum ſucciſa eſt.*

AD PSALM. XXXVII. Nihil habebatur.

PSALM. XXXVIII.

℣.5. L*Ocutus ſum in lingua mea, Notum fac mihi Domine finem meũ, Et numerum dierum meorum quis eſt; ut ſciam, quid deſit mihi.* Variè hoc exponi poteſt. Vel quod David petierit ſcire numerum dierũ, quibus adhuc erat victurus. Quod ſi hic ſit ſenſus, non propterea idem nobis imitandũ eſt, ut quis petat à Deo ſibi revelari ſpatium vitę ſuę. Nam David propheta erat, cui à Deo multa revelabantur, ideoque ex juſta cauſa videtur etiam hujus rei revelationem petere potuiſſe. Vel accipi poteſt, non de tempore vitæ, ſed anguſtię, in qua erat conſtitutus, ut ſenſus ſit: Fac ut ſciã, quamdiu in hac tam gravi tribulatione mihi manendum ſit. Atque hoc etiam petierit ut propheta. Quare tertio exponunt, non de certo aliquo numero dierum vel annorum, ſed in genere de brevitate vitæ, hoc ſenſu: Fac ut finem vitæ ſemper ante oculos habeam. Vel, Fac ut cogitem ſemper, quàm exiguus ſit numerus dierum vitæ meæ, quàm brevis ſit hæc vita mortalis. Huic ſenſui ſatis congruunt quæ ſequuntur: *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tanquam nihilum ante me.* Quæ verba non de ſe tantùm intelligit, ſed de toto genere humano, quia ſequitur generaliter: *Verumtamen univerſa vanitas omnis homo vivens. Verumtamen in imagine pertranſit homo,* quæ verba pertinent ad generalem hominum conditionem.

℣.6. *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.* Illud (*univerſa*) apud Septuaginta reperitur eſſe numeri pluralis & accuſativi caſus, ſubaudita κατὰ. Secundùm quæ, hic erit ordo ſententiæ: Omnis homo eſt vanitas ſecundùm univerſa, vel omnia, q. d. quidquid humanum eſt; quidquid fit ab homine, & quidquid homo molitur, infirmum, caducum & vanum eſt. Sed iſta diverſitas numeri & caſus non eſt apud Hebr. in hoc vocabulo. Unde ſecundùm eos accipi poteſt ut libet, vel in ſingulari, vel in plurali: *Verumtamen omnis homo vivens eſt omnis vanitas*, id eſt, perfecta vanitas, vel omni ex parte vanitas, ſicut & ſubjungitur: *In imagine pertranſit homo*, q. d. vita eius præterit tanquam imago, & umbra. Hinc & Iob 14. *Fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.*

℣.12. *Opprobrium inſipienti dediſti me. Obmutui & non aperui os meum, quoniam tu feciſti. Amove à me plagas tuas.* In eo quod dicit: *quoniam tu feciſti*, ſignificat Deum omnis ſuæ pœnæ, tribulationis & anguſtię auctorem eſſe, etiam eius quod ab inſipientibus & malis hominibus accidit. Non eſt enim malum quod Dominus non fecerit: malum (inquam) pœnæ, non culpæ. Quò pertinet etiam illud præcedens: *Opprobrium inſipienti dediſti me.* Et illud ſubſequens: *Amove à me plagas tuas.* Male enim ab inimicis illatas plagas, Dei vocat. Et hac conſideratione ſilentium ſibi imperat dicens: *Obmutui & non aperui os meum;* ſcilicet ne videar Deo obmurmurare. Sic enim & Ezechias in Cantico apud Iſaiam 38. *Quid dicam cum ipſe fecerit?* Sic enim ibi legendum, non fecerim.

℣.14. *Priuſquam abeam, & ampliùs non ero.* Solùm ſignificatur hac ſententia & ſimilibus, animam hominis non reverti in corpus ad ſtatum præſentis vitę: De quo vide pleniùs ad illud Iob 7. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos non aſcendet.*

PSALM. XXXIX.

℣.7. S*Acrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non* A *poſtulaſti: Tunc dixi ecce venio. In capite libri Scriptũ eſt de me, &c.* Hęc de Chriſto exponit Apoſtol. c.10. ad Hebr. v.5. & ſeq. Vide ibidem noſtrum Comment.

Eſt in Annotat. in Script.

PSALM. XL.

℣.7. E*T ſi ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor eius congregavit iniquitatẽ ſibi.* (*Cor eius*) utrum pręcedentibus, an ſequentibus jungendum? In Hebr. & Gręco ſic diſtingui invenio, ut pręcedentibus jungatur, & commate ſeparetur à ſequentibus. Adde quod Gręcis cor (καρδία) fœminini generis eſt, (*ſibi*) ἑαυτῷ maſculini, ſignificant *ſibi ipſi*. Itaque hoc relativũ non poteſt ad *cor* referri, ſed ad hominem. Quare ſuppoſitum verbi *Congregavit* non erit cor, ſed homo, niſi B coactè ſetis relativum referas ad *eius* hoc modo: Cor hominis impij congregavit iniquitatem ſibi ipſi, id eſt, homini impio. Unde miror Ianſenium, Hopperum, Titelmanum; & Snoium hanc conſtructionem elegiſſe. Campenſis videtur jungere verbo pręcedenti. Nã illud; *congregavit iniquitatem ſibi*, ſic interpretatur: Addebat ſceleri ſcelus, ſcilicet inimicus meus. Idem indicat textus eius. Conſentit & Gagneius tam textu quàm carmine. Et manifeſtè Euthymius priorem conſtructionem, ac ſenſum præfert poſteriori; Ita & Lind. Senſus igitur eſt, quod inimicus Davidis amicitiam ſimulans, cùm inviſeret eum ægrotantem aliud ore, aliud corde locutus fuerit, & ita ſibi iniquitatem auxerit peccatum fictę amicitię jungens peccato verę inimicitię. Similia ſunt: C *In corde & corde locuti ſunt.* Pſal. 11. *Ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant.* Pſalm. 61. Sic & alibi homo in corde, vel cor ipſum loqui dicitur.

PSALM. XLI.

℣.3. S*Itivit anima mea ad Deum, fortem, vivum.* Conſtanter cum Clementinis, retinenda vox (*fortem*) id eſt, robuſtum, pro eo quod pridem corruptè legebatur (*fontem*) à fons, occaſione verbi (*ſitivit.*) Nam ita manifeſtè habent Septuaginta & plura M.S. Latina. Sic etiam Hieronymus vertit ex Hebræo, tametſi alij geminatò vertant (*ad Deum, Deum vivum.*) Hebraicè ſunt duo nomina Dei, *Elohim*, & *El*. Et ſimilis locus eſt Iſaiæ 9. Et utroque loco Septuaginta D verterunt, *Deus fortis*.

℣.8. *Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.* Sententia hæc obſcuritatem habet, quia valdè figurata eſt, quod ad litteralem ſenſum attinet. Nam myſticè plures adferuntur ſenſus. Leo Serm. 9. de Paſſ. Domini intelligit de veteri & novo teſtamento, quæ ſibi mutuo atteſtentur. Gregor. lib. 27. Moral. cap. 16. dicit; Abyſſum abyſſum invocare, eſt de judicio ad judiciũ pervenire, ſcilicet de judicio propriæ conſcientię ad judicium Dei, quod ſequetur. Quidam etiam ſic exponunt; Abyſſus miſeriæ invocat abyſſum miſericordiæ, alij aliter. Quod ad litteram attinet, ſignificat propheta in exilio longè à ſancto tabernaculo conſtitutus, ſe ita malorum & periculorum mole preſſum eſſe, ut non in una abyſſo conſtitutus videatur, ſed ſiE cut fluctus fluctum impellit, ita abyſſus abyſſo ſuperimpoſita videatur; idque in voce cataractarum Dei, id eſt, cum magno ſonitu aquarum è cataractis cœli deſcendentium. Hunc ſenſum indicant verba ſeq. *Omnia excelſa tua & fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Nam pro (*excelſis*) multi etiam vertunt (*gurgites*) & Gręcè eſt (*elevationes*) ſcilicet undarum.

Senſus igitur eſt, Ingentes moles undarum & fluctuum, id eſt, variarum tribulationum & calamitatum ſuper me tranſierunt, me urgent & premunt. Itaque hac figurata locutione duorum verſuum ſignificare voluit, multitudinem & magnitudinem anguſtiarum quibus erat involutus.

Ad Psalm. xlii. Nulla erat Annotatio.

PSALM. XLIII.

℣.13. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio. Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Sine pretio, id eſt, gratis tradidiſti eum in manus hoſtium, juxta illud Iſaiæ 52. *Gratis venundati eſtis*, quaſi dicat. In tantum diſplicuit Deo populus iſte, peculium eius, propter peccata ſua, quibus ſe vilem fecit, ut à Deo abdicatus ſit, & alienatus, & in manus aliorum dominorum tranſlatus, nullo accepto pretio. Et idem ingeminatur, cùm ſubjungitur: *Et non fuit multitudo in commutationibus eorum.* Ubi Hebr. eſt: *Et non multiplicaſti in pretiis eorum*, id eſt, nihil tibi acceſſit ex pretiis eorũ; quia nimirùm pretia nulla accepiſti, ſed tradidiſti gratis, ut dictum eſt. Alij utrumque exponunt de lucro. Nam & illud (*ſine pretio*) verti poteſt ex Hebr. (*ſine lucro.*) Tum ſenſus erit. Vendidiſti populum tuum, ſed ex ea venditione non feciſti lucrum, nec exindè factus es ditior. Ac ſi dicat: Commutaſti populum tuum aliquo pretio, ſed nullum tibi inde acceſſit fœnus. Vide Genebrardum. Ianſenius in Paraphraſi miſcet utrumque ſenſum. Sed prior nobis magis placet propter loca ſimilia Iſaiæ 52. & 55. quæ ſignificant gratuitam omninò venditionem & emptionem: & quia reverà fingere non poſſumus quod pretium ex populo ſuo vendito Deus receperit.

PSALM. XLIV.

℣.2. *Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Titulus pſalmi eſt inter cætera: *Canticum pro dilecto.* Secundum Hebræos poſteriores epithalamium eſt, ſeu carmen nuptiale nuptiarum Salomonis, & filiæ Pharaonis. Sed ſecundum Chriſtianos expoſitores, nuptias decantat Chriſti & Eccleſiæ, quam ſibi Filius Dei per Incarnationem deſponſavit. Quamquam non eſt negandum, quin Hiſtoria de nuptiis Salomonis, & filiæ Pharaonis, occaſionem dederit conſcribendo huic pſalmo, ſicut & Canticum Canticorum. Quod autem Pſalmus totus ad litteram de Salomonis nuptiis intelligi non poſſit, ſatis ex ipſius pſalmi quibuſdam verſibus perſpicuum eſt, potiſſimùm tribus; quos ſuis locis mox exponemus. Unde & Targum Judæorum & antiquiores aliquot Rabbini, de Meſſia quoque hunc pſalmum interpretantur.

℣.7. *Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga directionis virga regni tui.* Sanè ad regem ſponſum Sermonem dirigi, qui vocatur hîc Deus (quod numquã Salomoni tributum eſt) patet ex præcedentibus & ſequentibus. Quidam hoc eludere volentes dicunt, quod (*Deus*) eſt nominativi caſus, hoc ſenſu; Deus eſt ſedes tua in ſæculum ſæculi. Quibus reſpondendum eſt contortam illam eſſe expoſitionem & conſuetudini loquendi Scripturæ contrariam. Quia ſæpè quidem legimus, cœlum, terram, Angelos, homineſque juſtos eſſe ſedem Dei; ſed nuſquam legitur, Deum eſſe ſedem hominis, neque ulla phraſis Scripturę hoc habet. Deinde Apoſt. ad Hebr. 1. hunc locum profert ad probandam Chriſti divinitatem. Itaque non alius hîc ſenſus agnoſcendus eſt, quàm, ô Deus, ô Chriſte ſponſe, tu es Deus, & Dei filius, & tua ſedes, id eſt, ſedes regni tui eſt in ſæculum ſæculi. Hebr. *in æternum & ultra.* Per quod ſignificatur abſoluta & interminabilis æternitas.

℣.12. *Et concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus.* Ecce ſecundum argumentum, pſalmum hunc non de Salomone, ſed Chriſto eſſe intelligendum, utpotè quod ſponſus vocetur Dominus Deus ſponſæ. In Græco quidem & Hebræo, tantùm poni videtur: *Quoniam ipſe eſt Dominus tuus*, ſed tamen ponitur illud nomen, quod communiter & in Pſalmis, & alibi Deo tribuitur; videlicet Adonaï.

℣.16. *Adducentur in templum regis.* En tertium argumentum, quod rex iſte & ſponſus Deus eſt: quia templum ſolius Dei eſt. Vide noſt. in 1. cap. ad Hebr.

PSALM. XLV.

℣.6. *Deus in medio eius, non commovebitur.* Senſus eſt. Deus tamquam in medio civitatis ſuæ exiſtens cuſtodit, fovet, protegit, & conſervat eam; & proinde civitas ipſa non commovebitur, id eſt, à proſpero ſtatu ſuo non dimovebitur. Ita enim frequentiſſimè commoveri in ſacris litteris accipitur. Nempe, ut ponatur comma poſt illud, *Deus in medio eius*, ac deinde legatur; *Non commovebitur.* Scilicet ipſa civitas. Nam commoveri, aut non commoveri, non rectè videntur Deo tribui, ſed (*non commoveri*) in felicitate hominis juſti ferè ponitur. Sic Pſal. 14. *Qui facit hæc, non movebitur in æternum.* Et Pſalm. 20. *Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia altiſſimi non commovebitur.*

PSALM. XLVI.

℣.5. *Speciem Iacob, quam dilexit:* Pridem in maſculino legebatur (*quem*) ſed rectè Sixtina Biblia reſtituerunt fœmininũ (*quam.*) Nam ſic Gręca habent *τὴν καλλονὴν Ἰακὼβ, ἣν ἠγάπησεν*, id eſt, pulchritudinem Iacob, quam dilexit. Sic & Hieron. Gloriam Iacob, quam dilexit. Pagnin. tamen, Arias, & alij nonnulli ex Hebr. verterunt in maſculino (*quem*) quod relativum Hebraicum ſit omnis generis, ut annotat Genebr. Sed ſenſus ferè eodem recidit, maximè ſi per ſpeciem Iacob, Hebræa phraſi intelligas ipſum Iacob ſpecioſum.

℣.7. *Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite, quoniam rex omnis terræ Deus, pſallite ſapienter.* Græcè eſt (*intelligenter*) quomodo etiam habet Auguſt. Hebr. ſonat, (*eruditè*) quomodo vertit Hier. Itaque hæc tria; videlicet ut pſallamus ſapienter, intelligenter, & eruditè, in omni officio pſallendi potiùs intelligamus debere eſſe conjuncta. *Eruditè*, ad artem pſallendi pertinet. Nam ſicut eſt ars pulſandi citharam, ita eſt & ars quædam pſallendi, non tantùm in pſalterio inſtrumento muſico, verùm etiam ſicut nos quotidie facimus ſola voce ſine alio externo inſtrumento. Huc ergo pertinet debita pſalmorum pronuntiatio, velut conveniens verborum ac ſyllabarum diſtinctio, interpunctio & mora, & vocis modulata elevatio, & quidquid ad decentem & perfectam pronuntiationem ſpectat. *Intelligenter* verò pſallit, qui quod legit, intelligit, & ad ea quæ legit, attendit. *Sapienter* denique pſallit, qui quodam devotionis affectu fertur ad ea quæ verbis ſignificantur, quæ pſallit, & cui verba illa divina ſapiunt, & ſuavia ſunt, & illis ſpiritualem percipit delectationem.

℣.10. *Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham; quoniam dij fortes terræ vehementer elevati ſunt.* *Quæritur* qui ſint dij fortes terræ, quos dicit vehementer elevatos? Auguſtin. intelligit de populo Judaico, quem Deus ſibi peculiarem elegerat, & exponit hoc modo. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, id eſt, principes gentium imitati ſunt fidem Abrahæ; idque propterea, quia dij fortes terræ, id eſt, populus Iudaicus per ſuperbiam ita elevatus eſt, ut Chriſtum à ſe rejecerit. Ut impleatur illud: *Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham &c. Filij autem regni ejicientur foras.* Hieron. vertit: *Quoniam dij ſcuta terræ vehementer elevati ſunt*, id eſt protectores terræ. Et ſenſus eſſe videtur. Quantumcumque dij terrarum elevati ſint, tamen totus mundus congregabitur cum Deo Abraham: Alij ſic: Quoniam diis protectoribus terræ longè ſuperior eſt; ſcilicet Deus Abraham. Et hic ſenſus eſt apertiſſimus.

Hebr. ad verbum ſic: *Quoniam Dei ſcuta terra, vehementer elevatus eſt*, ut hic ſit ſenſus: *Quoniam* (ipſius) *Dei ſcuta* (id eſt protectiones) *terra*; *vehementer* (enim) *elevatus eſt*.

PSALM. XLVII.

℣.3. F*Undatur exultatione univerſa terra mons Sion, latera Aquilonis, civitas regis magni.* Multi codices habent, ut illud *Mons Sion, latera Aquilonis* conſtruatur cum ſequentibus, non cum præcedentibus. Nam ſuppoſitum verbi (*fundatur*) videtur eſſe (*civitas*.) Hoc enim præceſſit: In civitate Dei noſtri. Vide Hebræo. Conjunguntur autem; *Mons Sion, latera Aquilonis*, ſcilicet, quia mons Sion ſitus eſt ad plagam civitatis Ieruſalem Aquilonarem.

PSALM. XLVIII.

℣.8. F*Rater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem ſuam.* Priori loco per præſens legendum eſſe, (*redimit*) patet ex Græco. Hebr. ſic ſonant: *Fratrem non redimendo, redimet vir?* Et ſenſus eſt: Nemo vel in fratrem ſuum ullo pretio redimere queat à morte. Sic & quod ſequitur: *Non dabit Deo placationem ſuam*, Hebr. eſt propitiationem: quaſi dicat, nihil dare poterit, quo Deus propitietur, ut immunem faciat ipſum, vel fratrem à morte. Dicit autem iſta, ut oſtendat vanitatem divitiarum, & quàm ſtultè faciant, *qui* (ut ſuperiori verſ. dicitur) *confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur.*

℣.15. *Et dominabuntur eorum juſti in matutino.* q.d. maturè & brevi futurum eſt, ut juſti eorum dominentur. Eſt enim Hebræa Phraſis, *Manè*, ſeu in matutino, pro eo quod eſt maturè ac properè. Ita & Pſ. 100. v. ult.

PSALM. XLIX.

℣.1. D*Eus Deorum Dominus locutus eſt*: Quidam ſic verti poſſe putant ex Hebræo: Deus, Deus, Deus locutus eſt, & hoc modo apertè inſinuari perſonarum Trinitatem in Deo, eò quòd Hebraicè ſit, *El, Elohim, Iehova*, quæ ſingula ſunt Dei nomina. Sed cauſam relego ad eius linguæ peritiores, ut illi judicent, utrum Scripturæ phraſis hoc, aut patiatur, aut requirat. Certè alibi verus Deus vocatur Deus Deorum, ut Deuter. 10. Eſther 14. Dan. 2. 3. & 11. & in pſalmis frequenter. Ianſ. hoc loco Deum Deorum interpretatur Deum Judicum. Nam Judices in Scripturis Dij aliquoties appellantur etiam in pſalmis. At idem Ianſ. in Pſalm. 135. cenſet dici Deum Deorum, etiam eorum, qui falſo putantur Dij, quia eſt ſuper omnes, id eſt, omnibus maior. Et hic videtur verus ſenſus. Quod & oſtenditur ex aliis Pſalmis, ut 85. *Non eſt ſimilis tui in Diis Domine*, & 94. *Magnus ſuper omnes Deos*, & in primis ex Pſ. 95. ubi dicitur: *Terribilis ſuper omnes Deos*, ubi manifeſtum eſt prophetam loqui de falſis Diis gentium, ſequitur enim: *Quoniam omnes dij gentium dæmonia.* Vide ad Deut. 10.

℣.5. *Congregate illi ſanctos eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrificia.* Hebr. *Congregate mihi pios meos, ferientes pactum meum ſuper ſacrificium.* Videri poſſet per Sanctos intelligi Angelos, per quos datum eſt pactum legis, teſte Stephano in Actis, Paulo ad Galat. Sed obſtat, quod ipſis Angelis hæc dici videntur; ut ipſi ſcilicet congregare jubeantur iſtos ſanctos, ſicut & Matth. 24. dicitur: *Et mittet Angelos ſuos, & congregabunt electos eius.* Adde quod Angeli fuerunt miniſtri in danda lege, ſed homines, qui legem acceperunt, propriè dicuntur pepigiſſe fœdus cum Deo de lege ſervanda. Item Stephanus & Paulus loquuntur de lege Decalogi, non de legibus ſacrificiorum poſtea ſeparatim Moyſi traditis, poſtquam populus peccaſſet in vitulo aureo.

A ℣.16. *Et invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Quidam illud: *Honorificabis me*, referunt ad ſuperius illud: *Et invoca me*, hoc ſenſu: Invocando me præſtabis mihi honorem. Sed magis videtur ad id quod proximè præcedit, referendum, ut ſit ſenſus: Cùm invocaveris me, eruam te de tribulatione: tu verò liberatus à periculo, gratias mihi ages, & agendo gratias honorificabis me.

PSALM. L.

℣.1. M*Iſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Pſalmi huius celeberrimi argumentum ſatis indicat iſte eius titulus: *Pſalmus David, cum venit ad eum Nathan Propheta,*
B *quando intravit ad Bethſabée.* Igitur hoc pſalmo David canit pœnitentiam Deo, ſuper adulterio, & homicidio à ſe commiſſo. Nam utroque graviſſimè Deum offenderat, & de utroque reprehenſus fuerat à Nathan. *Dicet* aliquis. Dixerat ei Nathan 2. Reg. 12. *Tranſtulit Deus peccatum tuum.* Quomodo ergo illius peccati adhuc petit à Deo remiſſionem? Ad hoc duobus modis *Reſpondetur.* Quidam ſic reſpondet. Quamquam remiſſam eſſe ſibi culpam intelligeret; dicente ſibi Nathan: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum*; intelligens tamen cui pœnæ obnoxius eſſet, miſericordiam à Deo poſtulat, & ad vitæ puritatem atque novitatem ſe inſtaurari precatur. Qui cum dicere videatur quod petat remiſſionem pœnæ tempo-
C ralis; huic obſtat, quod pœnæ temporales non fuerint ei poſteà remiſſæ, ſed luere eas debuit. Nam & filius, qui natus erat ei, mortuus eſt, & perſecutiones graviſſimas ſuſtinuit, tum à proprio filio, tum ab aliis. Et quæcumque Nathan prædixit ei eventura, evenerunt. Unde alij reſpondent, quod illud; *Tranſtulit Deus peccatum tuum*, more prophetico dictum ſit pro; Mox transferet Deus peccatum tuum, ita ut mortem æternam non incurras; de qua addiderit, *Non morieris.* Sic Ambr. in Apologia David. Et eſt propheticus loquendi modus ut propter certitudinem ſæpè præteritum ponatur pro futuro. Alij exponunt hoc dictum de morte temporali. Hanc enim David evaſit, permanens in regno, uſque ad ſenectutem, & moriens in pace. Prædixit ergo propheta transferen-
D dum peccatum eius, ſed hoc ipſum mediante hac tam ſupplici eius prece.

℣.6. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Illud, *ut juſtificeris*, ſi jungatur cum verbis proximè præcedentibus, & malum coram te feci, tunc illud (*ut*) non cauſam ſignificabit, ſed eventum, hoc ſenſu: Tibi ſoli peccavi, & ſic tamen futurum eſt, ut dum mihi etiam peccanti promiſſa ſerves, appareat apud omnes juſtitia tua, & vincas iniqua aliorum de te judicia. Clarior quoque erit ſenſus, ſi per hyperbaton referatur ad verba ſuperiora. *Miſerere mei Deus, &c.* hoc ſenſu; Miſerere mei, & dele iniquitatem meam, & ne perdas me jam pœnitentem, ut juſtus & verax appareas in tuis promiſſionibus, quibus remiſſio-
E nem peccatorum promiſiſti omnibus verè, atque ex animo dolentibus de peccatis admiſſis. Vel etiam (reſpiciendo ad aliam promiſſionem ſpecialiter ipſi David factam) ut appareas verax in promiſſione mihi & poſteritati meæ facta; videlicet de ſemine meo poſt me regnaturo, de regno meo ſtabiliendo in æternum, & Chriſto promiſſo ex ſemine meo naſcituro. Nam de illis promiſſionibus valde ſollicitus erat David.

℣.9. *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam*, id eſt, facies me audire læta nuntia, unde futurum, ut qui mœrore conficiebar & tabeſcebam, totus exiliam præ gaudio.

[1] Eſt q Annotat. in Script.

℣.19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Videri hic A
poſſet, ubi eſt cor contritum, ibi quoque ſtatim adeſſe remiſſionem peccatorum; ſed non ita eſt ordinariè. Nam dicitur tantùm Sacrificium quod Deus non deſpicit; ſicut & orationes, & Eleemoſynæ quodammodò ſunt Sacrificia; quæ etſi fiant, & Deo ſint gratiſſima; tamen non ideo mox conſequitur remiſſio peccatorum; ut patet in Cornelio Centurione; cui etſi horum intuitu, non tamen niſi poſteà remiſſa ſunt peccata.

PSALM. LI.

℣.3. QVid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Tota die injuſtitiam cogitavit lingua tua.* Ex Hebræo vertunt hoc modo Pagninus & B
alij, Cur gloriaris in malitia, ô potens in iniquitate? Miſericordia Dei eſt omni die. Vide nihilominus Genebrardum defendentem noſtram verſionem ut Hebræo fonti conformem.

℣.11. *Confitebor tibi in ſæculum, quia feciſti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum.* An ſic: Expectabo nomen tuum in conſpectu Sanctorum tuorum, quoniam bonum eſt? An verò ſic; quoniam bonum eſt in conſpectu Sanctorum tuorum? Item an *Sanctorum* generis maſculini, an verò neutri? Janſen. maſculinum accipit, & jungit cum (*bonum eſt*) Hopperus maſculinum quoque intelligit, ſed illud (*in conſpectu Sanctorum*) jungit cum superioribus. Pagninus ex Hebræo; *coram miſericordibus tuis.* C
Et videtur ſenſus eſſe, Confitebor tibi; & nomen tuum, quoniam bonum eſt; expectabo palam apud Sanctos tuos, quos miſericordiæ ac bonitatis tuæ beneficijs proſequeris, ut *miſericordes* paſſivè accipiatur; pro iis in quos miſericordia præſtatur.

PSALM. LII.

℣.4. O*Mnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt &c.* Hæc & alia his ſimilia refert Apoſtolus Rom.3. Vide ibidem noſtrum Commentarium.

PSALM. LIII.

℣.3. D*Eus in nomine tuo ſalvum me fac.* In nomine tuo, id eſt, in virtute tua. Sequitur enim D
expoſitio: *Et in virtute tua judica me*, id eſt, per virtutem & potentiam judica pro me contra inimicos meos, debellans, & conterens eos.

℣.9. *Quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.* Pro *deſpexit*, Hebr. eſt, *vidit.* Deſpicere enim non ſignificat hîc contemptum, quamvis etiam non ſit ille incommodus ſenſus, ut dicat ſe contempſiſſe inimicos ſuos, tanquam invalidos, & qui proditione ſua ei nocere non potuerint; ſed eſt videre, inſpicere. Et ſenſus eſt: Oculus meus vidit ultionem ſuper inimicos meos; Et ita eripuiſti me de manibus eorum, ut etiam ultionem eorum viderim; juxta illud Hierem. *Videam ultionem tuam ex eis.* Itaque ſignificat impletum in eos, quòd paulò E
ante optabat: *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde eos.*

PSALM. LIV.

℣.16. E*T deſcendant in infernum viventes.* Infernus in genere ſignificat infera loca. Quidam hîc ſepulchrum intelligunt. Sed videtur omninò ſic intelligendum, quod hic dicitur, quomodo illud, quod eſt Num. 16. de Dathan & Abiron, qui hiatu terræ viventes abſorpti ſunt. Vide eius loci Notat. Nam ad eam Hiſtoriam hîc alluditur.

℣.19. *Redimet in pace animam meam, ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.* Auguſt. legit, *In multis*, in neutro genere, & intelligit verſum de hæreticis, qui in multis ſcilicet ſunt cum Catholicis, utpote quia multa cum iis habent communia, ut Scripturas, Sacramenta aliqua, cæremonias; denique multorum articulorum quaſi fidem: Non tamen omnia; nempe non ea, propter quæ ſunt hæretici. In Hebr. habetur: *Quoniam in multis fuerunt mecum.* Pagninus vertit: *Quoniam multi ſunt mecum.* Hieron. Multi enim fuerunt adverſum me. In Græco: quia in multis erant mecum: ubi vox (*multis*) tam neutro, quàm maſculino genere accipi poteſt, quæ Græcè eſt πολλοῖς, ad utrumque ambigua.

PSALM. LV.

C*Vm tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Allophyli dicuntur Philiſthæi, Latinè alienigenæ, quo nomine ijdem ſignificantur Pſal. 59. 82. 86. & 107. idque ex verſione Septuag. juxtà quam Eccleſia pſalmos legit. Nam in Hebr. ſemper eſt illud nomen quod Philiſthijm vel Philiſthæi Latinè reddi ſolet. Hieronymus quidem hoc loco vertit Allophylos, at reliquis quatuor locis Philiſthæos aut Palæſtinam. Sed quæritur quid ſecuti Interpretes Septuaginta pro Philiſthæis dixerint Allophylos, cùm nec vox Hebraica ſi eam interpreteris, hoc ſonet? Videtur dicendum quod quo tempore Septuaginta interpretes verterunt Biblia, Philiſthæi fuerint quaſi proprio ac peculiari nomine à populo Judaico vocati alienigenæ, ſive quia vicini erant illi populo, & tamen gente ac genere planè diverſi, & cum quibus eorum maiores ferè continua bella geſſiſſent; ſive quia etiam ipſis Chananæorum populis erant alienigenæ ſeu gentis alienæ homines. Non enim Philiſthæi ex Chanaan filio Cham progediti fuere, ut cæteri terræ illius incolæ, ſed ex Meſraim alio filio eiuſdem Cham, ut habemus Geneſ. 10. & 1. Paralip. 1.

℣.8. *Sicut ſuſtinuerunt animam meam, pro nihilo ſalvos facies illos, &c.* Sic quidem Græca, quaſi dicat ſicut ſuſtinuerunt, id eſt, exſpectaverunt animam meam; pro nihilo ſalvabis eos. Quod Auguſt. ſic intelligit, *pro nihilo*, id eſt, gratis ſalvos facies eos, non ex meritis ipſorum, quæ non erant niſi mala. At ex Hebræo longè alius apparet ſenſus. Sic enim ſonat: *Super iniquitatem evaſio eis?* Pagninus. *Num propter iniquitatem evaſio erit eis?* Hieron. quia nullus eſt ſalvus in eis. Miror Janſenium non meminiſſe huius varietatis. Sed & notandum, quod in noſtris eſt (*pro nihilo*) non ſic dictum quomodo Pſalm. 80. *Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Nam in Hebræo vocabula ſunt prorſus diverſa. Vide eius loci Annotat.

℣.11. *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo ſermonem.* Hebr. iiſdem verbis repetitur, *Laudabo verbum.* Intelligitur autem Verbum Dei, ſicut ſuperiùs expreſſerat: *In Deo laudabo verbum eius* ſcilicet, ſecundùm Hebr. loco eius quod nos habemus v. 5. *In Deo laudabo ſermones meos.* Senſus eſt, in Deo & per Deum laudabo, vel, in Deo ſperans laudabo & prædicabo verbum promiſſionum eius ad me factum per Samuelem & Nathan Prophetas. Alij verbum pro re accipiunt, hoc ſenſu; Boni conſulam etiam cùm laude, quidquid mihi Deus immiſerit, ſive proſperum ſive adverſum.

PSALM. LVI.

℣.7. F*Oderunt ante faciem meam foveam.* Non eſt ſenſus, ante faciem meam, id eſt, me inſpiciente; ſed ante me, & mihi; & in via mea, quà eram iturus; ut in foveam mihi paratam inciderem. Sic alibi. *In via qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi.* Pſalm. 141.

PSALM. LVII.

A

℣.9. *Sicut cera, quæ fluit, auferentur, ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Priorem partem vertit Hieron. *Sicut vermis tabefactus pertranſeat.* Alij cochleam, vel limacem vertunt, ſimilitudine rei quæ æſtum ſolis ferre non poteſt, cuiuſmodi eſt vel cera vel limax; & ſignificatur interitus impiorum coruſcante lumine divinæ juſtitiæ. Porrò pro eo, *ſupercecidit ignis &c.* Hieron. ſic: *quaſi abortivum mulieris quod non vidit ſolem.* Hic ſenſus clarus eſt. Secundum lectionem noſtram ſenſus eſſe poteſt: Cecidit ſuper eos ignis vindictæ divinæ, ita ut penitus extincti ſolem non ampliùs viderent.

℣.10. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in irâ abſorbet eos.* Obſcurus locus. Hebraicè ſic ſonat. *Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum quaſi viventes, quaſi in ira tempeſtas rapiet eos.* Eſt autem mutatio perſonæ etiam in eadem ſententia, quod apud Hebræos non eſt rarum. Nam primò primam facit perſonam; deinde tertiam. *Spinæ veſtræ — abſorbet eos.* pro eo quod diceret; *abſorbet vos*, vel *abſorbebit vos.* Senſus ergo eſt: Priuſquam veſtræ ſpinæ adhuc teneræ & exiguæ excreverint & adoleverint in rhamnum juſtæ magnitudinis, in ſylvam ſpinoſam, id, inquam priuſquam fiat, tempeſtas iræ divinæ rapiet vos, ſuccidet vos, & auferet de terra, quaſi diceret; non ſinet Deus malitiam veſtram ad perfectionem pervenire, ſed ſuccidet vos adhuc in prima ætate *ſicut viventes*, id eſt, ſicut ſucciduntur, qui ſunt in flore vitæ, quibus adhuc lubet vivere. Auguſt. pro *(intelligerent)* legit *(producerent.)* Qui ſenſus convenit etiam cum Hebræis.

℣.11. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* Lætabitur non delectatione miſeriæ alienæ, quod eſt crudelitatis, ſed amore juſtitiæ divinæ. Porrò pro eo quod dicitur. *manus ſuas lavabit &c.* Hebraicè eſt (pedes) & eodem redit. Senſus enim eſt; lætabitur vindicta ſumpta de impiis, eò quòd ſanguis impiorum fundetur uſque ad ſatietatem vindictæ, ita ut juſti etiam manus & pedes, ſi vellent, in ſanguine eorum intingere & lavare poſſent.

PSALM. LVIII.

℣.7. *Convertentur ad veſperã, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.* De Iudæis dicitur, ut pleriquè exponunt, qui ad veſperam, id eſt, in fine ſeculi ad Chriſtum convertentur. Sic Hier. Caſſiod. & alij plures in hunc locum. Vide etiam noſtra in 4. ſent. diſt. 47.

℣.11. *Miſericordia eius præveniet me.* Vide ſupra ad illud Pſ. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Item ad illud Eſther 15. *Convertitque Deus ſpiritum regis in manſuetudinem.*

℣.17. *Et exultabo mane miſericordiam tuam.* Ita legendum cum ultima vocali (u) non cum prima (a) exaltabo, ut ante correctionem Sixtinam paſſim legebatur. Sic enim legunt Græca, & multa etiam M.SS. Latina. Sic & Pſalmo 50. *Exultabit lingua mea juſtitiam tuam.* Niſi quis putet Hieron. caſtigantem pſalterium, legiſſe (exaltabo) quod eſt conforme Hebræo. Additio eſt Cenſoris.

PSALM. LIX.

℣.5. *Potaſti nos vino compunctionis.* Videlicet, aceto. Nam acetum ex vino eſt, & acore ſuo pungit ſenſum guſtus. Alij aliter. Vide Genebrardum. Verſio Vatabli habet lethale.

℣.10. *Moab olla ſpei meæ* Hebr. *Moab olla lotionis meæ*, q. d. erit velut olla ſeu pelvis in qua manus lavare ſoleo; erit mihi inſtar vilis mancipij. Vide an non matula ſignificetur per ollam lotionis; conſule Genebrardum.

Ad Pſalm. lx. Nihil erat annotatum.

PSALM. LXI.

℣.2. *Non movebor ampliùs.* Idem eſt cum eo quod infrà dicit: *non emigrabo.* Quia utrobique totus verſiculus pene idem eſt. Significat autem non futurum ampliùs ut ob perſecutiones hoſtium cogatur velut errabundus ſubinde è loco in locum migrare; & ut ſemel dicam, ſtabilem quietem ſibi à Deo pollicetur.

℣.5. *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere, cucurri in ſiti, ore ſuo benedicebant &c.* Pro (*pretium*) Græcè eſt τιμὴν, quod & pretium ſignificat & honorem; ſed ex Hebræo magis apparet honorem
B ſignificari. Vox enim Hebræa ſignificat, (*exaltationem.*) Cæterum quod dicitur (*cucurri in ſiti*) Græcè eſt ἔδραμον, quod ambiguum eſt, ad *cucurri*, & *cucurrerunt*. In Hebræo nulla eſt ambiguitas. Habetur enim ibi verbum tertiæ perſonæ pluralis numeri. Ambroſius quoque lib. 5. de fide cap. 7. legit: *cucurrerunt in ſitim.* Hebr. eſt: *Dilexerunt mendacium.*

℣.6. *Ab ipſo patientia mea.* Hebraicè: *expectatio mea*, ſeu *præſtolatio mea*, ut vertit Hieronymus. Senſus autem eſt: A Deo mihi, vel tibi, ô anima mea, venient bona quæ patienter expecto.

PSALM. LXII.

C ℣.2. *Sitivit in te anima mea; quàm multipliciter tibi caro mea. In terra deſerta, invia, & inaquoſa; ſic in ſancto &c.* Obſcuritatem parit incommoda diſtinctio. Nam illud (*in terra deſerta &c.*) jungendum omninò videtur cum præcedenti. Item pro eo (*quàm multipliciter tibi caro mea*) Hieron. & alij ex Hebræo vertunt: *Deſideravit te caro mea.* Secundum noſtram quoque verſionem ſubaudiendum videtur (*deſideravit*) vel aliquid ſimile. Et hic erit ſenſus: Sitivit ad te anima mea, vehementerque ac multipliciter deſideravit te caro mea, ſcilicet in terra deſerta, invia & inaquoſa, id eſt, tota virtute corporis & animi deſideravi te, idque dum verſor in exilio; in terra deſerta, &c. Ac deinde ſequatur, *Sic in Sanctis apparui tibi:* q. d. Eò tendit omne meum deſiderium, ut aliquando
D in Sanctuario coram te appaream; ut ibi videam virtutem tuam, & gloriam tuam, ut eam liceat tunc mihi in cœtu Sanctorum prædicare & celebrare. Hinc & aliqui ſic vertunt: *Sic ut in ſancto appaream tibi.*

℣.10. *Introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.* De hoſtibus hoc dicit; & Hier. vertit imprecativè. *Introeant in extrema terræ*, id eſt, moriantur & pereant. *Partes vulpium erunt.* vel (*pars*) Hebr. id eſt, cadavera eorum vorabuntur à vulpibus, aliiſque beſtiis, iiſque cedent in ſortem.

℣.12. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Non ſignificatur, quod quiſquis per Deum jurat, rectè faciat, ſive verum, ſive falſum juret; ſive circumſpectè, ſive temerè & ſine cauſa; Sed figuratè ponitur actus exterior pro interiori, videlicet juramentum per
E Deum, pro cultu interiori, quo ſolus Deus populi illius pro vero Deo agnoſcebatur. Itaque ſenſus eſt: Quicumque Deum verum colit & veneratur, ille *laudabitur*, id eſt, publicè ab omnibus agnoſcetur, talem eſſe laude dignum. Aut ſenſus hic eſſe poteſt per negationem, laudabuntur omnes, qui quando jurandum eſt, non jurant niſi in vero Deo, non autem in idolis.

PSALM. LXIII.

℣.8. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.* De hoc loco ita F. Lucas: Non judicarunt Romani Correctores præpoſitionem (*ad*)

commutandam cum conjunctione (*&*) quod alij multi A judicant. Sic ille. Videtur Author. libri de oper. Cardinal. apud Cyprianum in præfat. legiſſe (*ad cor altum.*) Quantumlibet, inquit, ad cor altum homo aſcendat, exaltetur Deus. Eſt author ille Salvianus Auguſtino poſterior.

PSALM. LXIV.

℣.2. **T**E *decet hymnus Deus in Sion; & tibi reddetur votum in Ieruſalem.* Secundum lectionem noſtram ſenſus ſatis apertus eſt, qui tamen non caret myſterio, modo intelligamus illud (*in Sion*) non eſſe jungendum, cum (*Deus*) ſed cum verbo (*decet*) vel nominativo (*hymnus*) ut ordo ſit; O Deus hymnus te decet in Sion, & votum tibi reddetur in Ieruſalem. B q. d. Te decet, tibi gratus & acceptus eſt hymnus, qui canitur in Sion; & ſola ea vota acceptas, & rata habes quæ tibi redduntur in Ieruſalem. Per Sion enim & Ieruſalem Eccleſia intelligitur. Unde intelligimus nullas laudes, nullas gratiarum actiones, nulla Sacrificia Deo grata eſſe quæ extra Eccleſiam, quę eſt vera Sion & vera Ieruſalem, offeruntur & exhibentur. Hebraicè paulò aliter habetur; *Tibi ſilentium, laus, Deus in Sion.* q. d. ſibi ſilet laus in Sion: Et hoc duobus modis exponitur. Vel hoc modo: Tanta ſunt opera tua, ut nemo te dignè in Eccleſia laudare poſſet, ac proinde laus te digna ſilet, quia proferri à nobis non poteſt. Vel hoc modo: Tibi ſilet, id eſt, te manet, te expectat laus, q. d. te ſuis laudibus prædicandum tota expectat Eccleſia. Qui enim expectat, in ſilentio expectare ſolet. Sic Iſaiæ 30. *Salvi* C *eritis in ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.*

℣.3. *Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.* Hoc quidam referunt ad reſurrectionem generalem; & extremum judicium, in quo omnis caro ſiſtetur tribunali Dei. Sed ita intellecta ſententia non ſatis cohæret cum præced. & ſequentib. Hebr. tantùm legitur: *Exaudiens orationem* & non additur (*meam.*) Et ſenſum hunc reddunt. Cùm tu exaudias orationem eorum, qui te invocant, ideò omnis caro ad te veniet, id eſt, omne genus hominum neceſſitate aliqua preſſorum ad te confugient, & opem tuam implorabunt, ut eis ſubvenias. Imò quidam extendunt non ad homines ſolùm, ſed etiam ad cuncta animalia, quæ omnia ſuo modo à Deo expectant alimenta ſua, juxta illud: *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore.* Pſalm. 103. D

PSALM. LXV.

℣.9. **Q**VI *poſuit animam meam ad vitam.* Cùm anima ipſa ſit vita, quomodo poſuit animam ad vitam? niſi quomodo alibi dicitur anima mori, & interfici, ut anima pro ipſo homine vivente & habente animam, ponatur. Poſuit ergo animam meam ad vitã, quia cum periclitaret de vita, eam mihi Dominus conſervavit; eripiens me periculo. Quod & altero membro ſignificatur; *Et non dedit in commotionem pedes meos.*

℣.12. *Reddam tibi vota mea quæ diſtinxerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione mea,* id eſt, reddam ea quæ vovi diſtinctè & expreſſè pronuntiando labiis meis, quæque locutus ſum ore meo dum eſſem in tribulatione & anguſtia conſtitutus. Vide E Annotat. Oſeæ 14. Habes quoque Pſal. 105. phraſim illam diſtinguere labiis, pro eo quod eſt diſertè & expreſſè pronuntiare & eloqui. Vide & eius loci Annot. & hoc loco Genebrardum.

℣.18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Senſus eſt: Si cogitavi iniquitatem facere, ſi machinatus ſum aliquid mali in corde meo, non exaudiat me Dominus. Non eſt autem ſenſus: Si ſum mihi alicuius peccati conſcius, quod nondum mihi remiſſum eſt; non exaudiet me Dominus: quia ſic non fuiſſet exauditus publicanus, qui dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori.

AD PSALM. LXVI. Nihil habebat.

PSALM. LXVII.

℣.2. **E**X*urgat Deus, & diſſipentur inimici eius, &c.* Juxta Hiſtoriam Pſalmus hic gratulatorius eſt ſuper victoriis, quas David debellatis hoſtibus ſuis reportaverat, & deſcriptus eſt inſtar epinicij, id eſt, carminis victorialis ſeu triumphalis. Propheticè tamen idem de Chriſto intelligendus eſt, eiuſque victoria & triumpho, quem de Diabolo habuit, captivos eius liberans, & ſecum in triumpho ducens. Id patet imprimis ex illo v. 19. *Aſcendiſti in altum, cepiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus;* quem Apoſtolus ad Epheſ. 4. de Chriſti Aſcenſione, & diſtributione donorum Spiritus Sancti interpretatur. Multa in hoc Pſalmo obſcura ſunt, tum propter figuratum Sermonem, & ſenſuum profunditatem, tum propter variam tranſlationem, adeò ut ſolus hic pſalmus ſufficiat convincendis hæreticis, qui fingunt, omnia in Scripturis Sacris plana eſſe & aperta ei qui tantùm in Grammatica ſit inſtructus. Non aliquot ſaltem ſententias explicabimus.

℣.14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Cleros, id eſt, ſortes. Per ſortes autem terminã intelliguntur. Alij tamen ex Hebr. vertunt, *ollas*, ſeu chytropodes. Et ſenſus eſt: Etiamſi hactenus fueritis adeò abjecti ut dormiretis, vel in terminis terræ, vel inter ollas nigras & fuliginoſas, id eſt, oppreſſi fueritis magna calamitate, tamen futurum eſt, ut omnia vobis poſthac candida, id eſt, fauſta & felicia provenient, & ut ſimiles ſitis columbis candidis, quarum pennæ referunt colorem argenteum, intermixto etiam colore pallentis auri. Ac ſi dicat, ad ſummam felicitatem pertingetis.

℣.28. *Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu. Principes Iuda duces eorum. Principes Zabulon & Nephthali.* Per Beniamin Paulus ſignificatur, qui fuit de tribu Beniamin, de quo Act. 7. in lapidatione Stephani: *Et teſtes depoſuerunt veſtimenta ſua ſecus pedes adoleſcentis, qui vocabatur Saulus.* Dicitur autem is (*in mentis exceſſu*) propter multas poſteà revelationes ei factas. 2. Cor. 12. Primo autem loco mentio Pauli, quamvis ultimo vocatus eſſet, quia plus omnibus laboravit. Sic & *Principes Iuda, duces eorum* ſignificantur generatim Apoſtoli duces & arietes gregis Dominici, ac primum *principes Iuda*, quia ex Apoſtolis quidam fuere de tribu Iuda, ut Iacobus & Judas fratres Domini. Deinde *principes Zabulon & Nephthali* ſcilicet cæteri Apoſt. qui ferè erant ex his tribubus. Erant enim Galilæi. Atqui Galilæam occupabant tribus Zabulon & Nephthali. Videntur ergò ex his tribubus fuiſſe Petrus, Andreas, Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, Philippus, Bartholomæus, Thomas, Matthæus & Simon. In eadem quidem regione reſidebat quoque tribus Iſſachar, ſed huius non meminit propheta, fortè quia ex illa tribu nullus fuit Apoſtol. niſi Judas Iſcha-riotes proditor.

℣.31. *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati ſunt argento. Vt excludant.* Hieron. vertit, *calcitrantium contra rotas argenteas.* Alij, *Conculcatorum cum fragmentis argenti.* Senſus eſt hic: Diſperde gentes armatas longis haſtis ſeu fuſtibus, qui ſunt inſtar arundinum, Congregationem taurorum cum vaccis, ſeu, (ut Hebr. habent) vitulis populorum; id eſt, diſperde fortes nationes & validas inſtar taurorum; & protervas inſtar vitulorum: *calcitrantium*, id eſt, ſuperbientes in fragmentis argenti, & opibus ſuis auro & argento fidentes. Vel, ut alij vertunt (*conculcatorum cum fragmentis*

mentis argentis) id eſt, ita humilientur, ut ultro veniant A & provolvant ſe ad pedes tuos, & munera auri & argenti pro tributis adferant.

PSALM. LXVIII.

℣. 2. S*Alvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.* Pſalmus eſt hominis in graviſſimis anguſtus conſtituti, & orantis Deum, ut ex ijs eripiatur. Pertinet autem ſine dubio hic Pſalmus ad Chriſtum. Imò totus deſcriptus eſt in perſona Chriſti. Id patet ex aliquot verſibus. Imprimis ex v. 10. *Zelus domus tuæ comedit me.* Nam Ioannes Evangeliſta c. 2. teſtatur in Chriſto illum fuiſſe impletum, quando commotus zelo pro honore Patris ſui, eiecit è templo B vendentes & ementes, dicens: *Nolite facere domum Patris mei domum negotiationum.* Ex eodem loco patet ſenſus horum verborum: Senſus enim eſt: Zelus, id eſt fervor, æmulatio, & ingens ſtudium, quod gero pro honore tuo & honore domus tuæ, *comedit me*, id eſt, ita penitus affecit me, & ſollicitum me habuit, ut cura illa nominis tui me videretur exedere, & rodere. Et ſimilis ſenſus eſt eius quod ſequitur: *Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* q. d. opprobria tibi facta & in te coniecta perinde æſtimavi atque ſi in me coniecta fuiſſent. Idem eſt enim honor Patris & Filij. Et citatur in perſona Chriſti, Rom. 15.

Rurſum idem patet ex illo v. 22. *Et dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Hoc enim ex Evangeliſtis certum eſt ad Chriſtum pertinere C & de eo nemo Chriſtianus dubitat. Matth. 27. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum*, videlicet ante crucifixionem. Poſteà verò cum dixiſſet, *ſitio*, obtulerunt ei acetum. Denique eſt & ille locus v. 26. *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.* Nam act. 1. ex oratione Petri patet hanc increpationem pertinere ad Judam proditorem, & cooperarios eius Iudæos, quorum habitatio facta eſt deſerta, quia Judas ab Apoſtolatu deiectus: Judæi autem & temporale regnum perdiderunt, & æternum, juxta illud Matt. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructum eius.* Vel quia tota illa veteris populi & legis inſtitutio unà cum templo, Sacerdotio, Sacrificiis carnalibus, per Chriſtum abrogata eſt, & D quodammodo in ſolitudinem redacta.

℣. 13. *Adverſum me loquebantur qui ſedebant in porta.* Hilarius in huius pſalmi expoſitione intelligit de ijs qui in portis orandi victus cauſa ſedebant. Rectiùs tamen ut alibi in ſacris litteris, de ijs intelligitur, qui judicij, vel publicorum negotiorum cauſa in portis ſedebant. Solent enim in portis eſſe judicum & magiſtratuum conventus.

℣. 14. *Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva.* Hoc in Judæos prophetice dictum eſſe ipſe Apoſtolus interpretatur ad Rom. 18. Attamen non ſignificari abſolutam æternitatem, docet locus Pſal. 58. ubi dicitur: *quod convertentur ad veſperam*, itemque ipſe Paulus eodem loco Rom. 11. cùm dicit: *quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret & ſic omnis Iſraël ſalvus fieret.* E Igitur vocula (*ſemper*) ſignificat tempus, cuius terminus ignoratur: vel ſic intellige (*ſemper*) id eſt, quamdiu illorum ille ſtatus permanebit. Et omninò putantur non convertendi Judæi niſi in fine ſæculi per Eliam, Chriſto mox ad judicium venturo.

℣. 29. *Deleantur de libro viventium.* Non eſt hinc conſequens prædeſtinationem electorum non eſſe immutabilem. Nam, ut Auguſtin. hunc locum intelligit, ſenſus eſt; Deleantur, id eſt, ſentiant ſe non eſſe Scriptos in libro viventium, quamvis id falſo putarint. Sanè de ſceleratis loqui pſalmiſtam manifeſtum eſt. Alij interpretantur, de libro viventium, id eſt, de numero

A juſtorum, qui actu juſti ſunt. Neque id etiam malè. Nam præcedit ante hæc verba; (*Non intrent in juſtitiam tuam*) & ſimiliter ſequitur; *& cum juſtis non ſcribantur.*

Ad Psalm. LXIX. Nulla erat Annotatio.

PSALM. LXX.

℣. 6. Q*Voniam tu es patientia mea.* Senſus eſt: Te patienter expecto, objectivè enim Deum patientiam ſuam vocat. Indicat hoc id quod ſequitur: *Dominus ſpes mea à juventute mea*, id eſt, tu es in quo ſpero & confido. Ita Iob 17. *Ubi eſt ergo nunc præſto-* B *latio mea?*

℣. 7. *Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.* Hoc variè exponitur. Quidam ſic: Multis factus ſum, tanquam prodigium, id eſt, ita fugerunt à me, & receſſerunt, tanquam à prodigio & monſtro quodam abominabili & horrendo; ſed, illis deſerentibus, tu factus es adiutor meus. *Alij ſic:* Multi admirati ſunt, tanquam rem prodigioſam, quod ſim à te deſtitutus, cùm ſemper ſoleam in te collocare fiduciam meam: ſed tu contrarium oſtendiſti; quod videlicet me in te fiduciam collocante, non deſerueris, quia etiam nunc factus es adiutor meus. D. Auguſt. intelligit hominem pium eſſe prodigium impiis; ſcilicet, quia ſequitur viam arctam, & anguſtam, & ea quę ſunt carni & ſenſibus dura & moleſta; quod impiis videtur prodigio C ſimile, juxta illud 1. Petri 4. *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem.*

℣. 11. *Et qui cuſtodiebant animam meam, conſilium fecerunt, &c.* Cuſtodiebant, id eſt, obſervabant, non ad conſervandum, ſed ad perdendum.

℣. 15. *Quoniam non cognovi litteraturam; introibo in potentias Domini.* Illud: *Quoniam non cognovi litteraturam*, pręcedentibus jungitur in Hebræo, non ſequentibus; hoc modo: *Os meum annunciabit juſtitiam tuam, tota die ſalutare tuum, quoniam non cognovi litteraturam.* Præterea vox Hebræa (*ſephoroth*) ambigua eſt, ſignificans vel *litteraturas*. Unde Cariath Sepher, civitas litterarum Ioſue 15. vel *numeros*. Si (*litteras*) intelligamus, erit hic ſenſus; Os meum ſanè annuntiabit D juſtitiam tuam, imò tota die occupabitur in decantanda laude tua: *quoniam non cognovi*, id eſt, tametſi ſim ignarus litterarum, id eſt, non ſim imbutus arte rhetoricâ quæ tradit præcepta explicandi artificioſè laudes alicuius: quia quod deeſt ex arte, id ſupplebit magnitudo devotionis, gratitudinis & pij affectus quem erga te gero. Si legamus (*numeros*) ſenſus adhuc clarior eſt, hic videlicet: Os meum annunciabit laudem tuam, imò tota die & perpetuò occupabor in decantandis tuis laudibus, *quia non cognovi numerum*, numerum ſcilicet beneficiorum tuorum; quæ tam multa ſunt, ut nullo numero comprehendi poſſint, ideoque meritò numquam tacebo à laudibus tuis: quandoquidem, ut ait D. Leo, ipſa materia ex quo eſt ineffabilis, fandi ſemper tribuit facultatem, nec poteſt deficere quod dicatur, dùm numquam poteſt ſatis eſſe quod dicatur. E Græcis Codices habent eam diſtinctionem quæ eſt in noſtris Latinis, & ſatis commodè exponitur. Additio Cenſoris.

PSALM. LXXI.

℣. 7. O*Rietur in diebus eius juſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna.* At luna cum cæteris ſyderibus putatur fore perpetua. Ianſenius ſic explicat; donec ab officio ceſſet luna, quod erit poſt tempus extremi judicij. Spiritualiter ita intelligitur; donec auferatur mutabilitas Eccleſiæ, quæ eſt in hac vita. An intelligendum, ſicut illud in Evangelio: *Cælum & terra tranſibunt*, Matth. 24. Scilicet ut ſignificetur

lunam

lunam auferendam, id eſt, tranſituram ſecundum ſtatum quo nunc exiſtit, & tranſmutandam in ſtatum longè meliorem, juxta illud Iſaiæ 30. *Et erit lumen lunæ, ſicut lumen ſolis, & lumen ſolis ſeptempliciter,* An denique ſignificatur aliquid impoſſibile, quo denotetur juſtitiam regni Chriſti futuram perpetuam? eò quòd nunquam luna auferetur, quemadmodum vulgo dicitur, ad Calendas Græcas.

℣.10. *Reges Tharſis & inſulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent.* Non temerè à quibuſdam obſervatum in hoc verſu ſignificari quatuor terræ plagas ad Chriſtum convertendas. Cæterùm quæ Saba intelligatur, Vide Ianſ. & Notationem etiam 3. Reg. 10.

℣.20. *Defecerunt laudes David filij Ieſſe.* Sic adſcriptum eſt huic Pſ. 71. Unde quidam colligere voluerunt, hunc pſ. ultimo loco à Davide compoſitum, Sed ut ut eſt, nullo modo ſaltem dici poteſt, hunc Pſalmum ita dici noviſſimum, quaſi omnes qui ſequuntur non ſint Davidis. Nam imprimis Pſ. 109. ex ipſius Chriſti teſtimonio conſtat eſſe Davidis. Nam ita ex illo citat Matth. 22. *Quomodo ergo David in ſpiritu vocat eum Dominum dicens; Dixit Dominus Domino meo?* Et idem apparet de Pſ. 77. & 82. item 84. & 88. Et de 94. apertè teſtatur Apoſtolus ad Heb. 4. his verbis: *Hodie in David dicendo, poſt tantum temporis; Hodie ſi vocem eius audieritis &c.* Vide ibid noſtrum Comment.

PSALM. LXXII.

℣.1. QVàm bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde. (*Iſraël*) dativus eſt, non genitivus, quod manifeſtum eſt ex articulo Græco, & Hebræo. Exordium autem abruptum eſt, explicandum hoc, aut ſimili modo: Videmus pleriſque hominibus malis omnia feliciter ſuccedere, & tamen dubitandum non eſt de bonitate & æquitate Dei, quod videlicet bonus ſit & propitius Iſraëli; hoc eſt iis, qui recto ſunt corde Hebr. eſt, *qui mundo ſunt corde.* Et ſic illud (*his qui recto ſunt corde*) explicationis cauſa adjectum videtur, ne quis per Iſraelem intelligat ſolum & omnem Iſraëlem carnalem: Nam in eo erant multi pravo & immundo corde.

℣.9. *Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in terra.* Hieron. ſic: *Deambulavit,* id eſt; Deum blaſphemavit, *os eorum, & hominibus maledicunt.* Scilicet ponere in cœlum os ſuum phraſis Hebraica eſt Deo & ſuperis maledicere: quod etiam hodie fit ab hæreticis noſtri temporis, qui ſuperis cum Deo regnantibus, & eorum ſanctitati & miraculis impudenter detrahere non verentur. Per *terram* autem mortales intelliguntur, quos impij ſua felicitate inflati, non tantùm contemnunt, verùm etiam improperiis impetunt.

℣.16. *Exiſtimabam ut cognoſcerem hoc, Labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſimis eorum.* Senſus eſt, ſollicitè apud me cogitabam, ut ſcirem illud, videlicet, *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?* id eſt, Utrum, & quomodò Deus ſua providentia gubernet hæc inferiora, cùm ſinat impios vivere in tanta felicitate? *Sed labor eſt ante me,* id eſt, ea inquiſitio viſa mihi fuit difficilis, & permoleſta, *Donec intrem in ſanctuarium Dei,* id eſt, donec contuli me ad conſideranda arcana Dei. Nam illa hic intelliguntur nomine ſanctuarij vel ſacrarij. *Et intelligam in noviſſimis eorum.* id eſt, donec intellexi & conſideravi finem impiorum. Ac ſi dicat; Tandem ex contemplatione divinorum ſecretorum didici ac deprehendi veritatem huius quæſtionis. Videlicet impios tametſi ad tempus proſperè agant, tamen tandem vel hic, vel in futuro ſæculo illa proſperitate excidere, & ſuæ impietatis graviſſimas pœnas luere.

℣.25. *Quid enim mihi eſt in cælo & à te quid volui ſuper terram? A te* dupliciter accipi poteſt, vel hoc

A modo: quid expecto à te largitore ſuper terram; vel extra te quid volo aut quæro ſuper terram? Græcè παρὰ σοῦ, id eſt; præter te. Significatur ergo in nulla re præter Deum debere ſibi hominem ſtatuere ſuam felicitatem. Quod & ſignificant verba ſequentia: *Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*

PSALM. LXXIII.

℣.2. REdemiſti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion, in quo habitaſti in eo. Quædam exemplaria habent in accuſativo (*montem.*) In Græco & Hebr. ambiguum eſt, & legi poteſt utroque modo, vel (*mons*) vel (*montem.*) Clarior tamen ſenſus videtur, ſi legamus in accuſativo (*montem.*) Hieron. quoque ex Hebræo vertit (*montem*) Virga verò hæreditatis ſignificat portionem hæreditariam, quia ſcilicet olim vel virgis, vel perticis, vel funiculis dividi ſolebat terra; maximè apud Palæſtinos. Unde & portio terræ, quæ per huiuſmodi diviſionem alicui obtingebat, vel virga hæreditatis vocatur, vel funiculus hæreditatis. Similis locus eſt Pſalm. 77. *Et elegit tribum Iuda montem Sion quem dilexit;* Ubi in Græco ſimilis eſt ambiguitas ut hic τὸ ὄρος. Et interpres reddidit per accuſativum.

℣.5. *Poſuerunt ſigna ſua ſigna, & non cognoverunt, ſicut in exitu ſuper ſummum.* Hieron. ſic: *Poſuerunt ſigna ſua in trophæum.* Quæ interpretatio ſenſum reddit eius, quod eſt in Hebræo. Nam Hebr. ad verbum eſt, ſicut nos habemus, & Septuaginta. *Poſuerunt ſigna ſua*

C *ſigna.* Quorum verborum ſenſus, ſecundùm interpretationem Hieron. eſt iſte: Signa, id eſt, vexilla ſua ſtatuerunt in medio templi, tanquam victoriæ ſuæ inſignia. Et huic ſenſui reſpondet, quod mox ſequitur: *Et non cognoverunt, ſicut in exitu ſuper ſummum.* Ubi Hieron. habet, *Manifeſta in introitu deſuper.* q. d. ſigna illa poſuerunt in ipſo introitu templi, idque in loco excelſo, ut ab omnibus manifeſtè conſpici poſſent. Alij ſententiam illam; *Poſuerunt ſigna ſua ſigna,* referunt ad ſigna ſuperſtitioſa, quibus gentiles fidem habentes incitabantur ad movendum bellum populo Dei. Cuius exempli habemus Ezech. 21. *Stetit rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum divinationem quærens, commiſcens ſagittas interrogavit idola, exta conſuluit.* Ac tandem: *Ad dexteram eius facta eſt divinatio ſuper Ieruſalem, &c.* Et ſic ſenſus erit: *Poſuerunt ſigna ſua ſigna,* id eſt, cre-

D diderunt ea ſigna, quibus adducebantur, ut expeditionem ſuſciperent contra populum Dei, eſſe vera ſigna, ac proinde victoriam inde conſecutam tribuerunt ſuis idolis. Huic ſenſui favet quod poſteà dicitur: *Signa noſtra non vidimus,* q. d. illi habuerunt ſua ſigna, & eventum ſignis reſpondentem: nos autem ſigna & prodigia qualia olim Deus fecit in gratiam populi ſui, non ampliùs videmus, nihil ſimile nunc experimur, perinde atque ſi Deus populum ſuum penitus repuliſſet.

℣.12. *Deus autem rex noſter ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Beda lib. de locis ſanctis c. 3. refert in medio civitatis Ieruſalem ſtare celſam columnam, quæ æſtivo ſolſtitio umbram non faciat. Unde putant, inquit, medium eſſe terram, & Hiſtoricè di-

E ctum: *Deus ante ſæcula operatus eſt ſalutem in medio terræ,* Verum ſimplicius eſt, *in medio terræ,* phraſi Hebr. poſitum pro *in terra.* Neque verum eſſe poteſt, quod alieno ex relatu narrat Beda de columna; quia Ieroſolyma, citra tropicum cancri eſt, & ſeptem adhuc gradibus ab eo diſtat verſus polum. Neque etiam ſi ultra tropicum eſſet, idcircò eſſet in medio orbis terrarum; quia medium tribuendum eſt ijs tantum qui ſub Æquinoctiali ſunt. Vide apud Ptolemæum tabulam quartam Aſiæ, ubi Ieroſolymæ tribuitur latitudo pluſquam triginta unius graduum, in tertio videlicet & climate boreali. Additio Cenſoris.

PSALM.

PSALM. LXXIV.

℣.5. *QVia calix in manu Domini, vini meri, plenus miſto. Et inclinavit ex hoc in hoc: verumtamen fæx eius non eſt exinanita.* Quæritur; quomodo non pugnent miſtum, & merum? Hieron. ex Hebræo vertit: *Vino meraco uſque ad plenum miſtus.* Et ſanè miſcere in ſacris litteris ſæpè non aliud quam proponere vel ad bibendum parare ſignificat. Ut Prov. 9. *Bibite vinum quod miſcui vobis.* Porrò illud: *Et inclinavit ex hoc in hoc.* Sic intelligendum eſt ſecundum Hieron. in 3. Malachiæ; miſericordia juſtitiam temperat, & juſtitia quoque ipſam miſericordiam. Auguſt. legit *(ex hoc in hunc)* & exponit, ex Iudæo populo in gentilem.

PSALM. LXXV.

℣.8. *TV terribilis es, & qui reſiſtet tibi? ex tunc ira tua.* Hoc Rupert. lib. 1. de Victoria Verbi Dei c. 16. ſic exponit: Non ex quo quiſque peccat, ſed ex quo tibi reſiſtit peccator, ira tua vim ſuam exercet, cui reſiſtere nemo poteſt. Verùm ad litteram hoc modo rectiùs exponas. Adeo terribilis & potens es, ut nemo reſiſtere tibi valeat, ex quo cœperit ira tua deſævire. Sermo enim eſt eclypticus, ita ſupplendus: *Quis reſiſtet tibi? ex tunc, cùm ira tua fuerit commota.*

℣.12. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro.* Hortatur ad vovendum, & reddendum, ita ſcilicet, ut ſi voveas, neceſſitatis ſit reddere, quemadmodum & aliæ Scripturæ declarant. Conantur hoc hæretici ſic eludere ut dicant ad tempus veteris Teſtamenti pertinere. Quibus *reſpondemus*, ſi tunc gratum Deo fuit, nunc ingratũ eſſe non poteſt; cùm non pertineat ad cæremonialia, ſed ad moralem Dei cultum. Sed circumſtantiæ ſatis ſignificant, eſſe quoque prophetiam ad Eccleſiam gentium pertinentem. Denique quod ait Chriſtus, Matth. 19. *Sunt qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Dei*, non poteſt ſine voto fieri. Itaque vota Deo placent.

PSALM. LXXVI.

℣.10. *NOn continebit in ira ſua miſericordias ſuas.* Vide ſuprà ad illud Pſalm. 24. *Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas.*

℣.12. *Memor ero ab initio mirabilium tuorum.* Ordo eſt iſte: Memor ero mirabilium tuorum quæ ſunt ab initio, id eſt, quæ ab origine mundi & deinceps feciſti. Et ſimile eſt illud: *Miſericordiarum tuarum quæ à ſæculo ſunt.* Quamquam apud Septuaginta non præfigatur articulus τῶν. Hebr. ſic: *recordabor à quondam miraculi.* Quod habet etiam eum ſenſum quem dixi.

℣.19. *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota.* Multi ſic exponunt, in rota, id eſt, in ſphæra & aëre; eſt enim aër circularis figuræ. Imò & Auguſt. ſic exponit. Sed rectiùs fortaſſe *(in rota)* id eſt, in turbine, qui eſt ventus vorticoſus, & in orbem actus, inſtar rotæ. Deſcribit enim Pſalmiſta tempeſtatem: quam quidem vehementiſſimam turbines illi concitare ſolent. Unde illud Virgilij Æneidos 1. Venti velut agmine facto, Qua data porta, ruunt, & terras turbine perflant.

PSALM. LXXVII.

℣.1. *APeriam in parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.* Citatur hic verſus Matth. 13. & ita citatur, ut ſignificetur eſſe prophetia de Chriſto aliquando locuturo ad populum in parabolis. *Hæc omnia* (inquit) *locutus eſt Ieſus in parabolis ad turbas; & ſine parabolis non loquebatur eis, ut impleretur quod dictum erat per prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Quod ait, *abſcondita*, ubi nos ex Septuaginta habemus, *propoſitiones*, Græcè προβλήματα, Hebraicè

A eſt, *ænigmata*, id eſt; dicta quædam obſcura. Sed quæritur quid hic parabola ſignificet? Nam ſi ſignificat ſimilitudinem, id eſt, allegoricum illud figuræ genus, quo tota oratione aliud narratur, aliud intelligitur; verum quidem eſt Chriſtum parabolas ſic locutum eſſe; ſed propheta, ſive Aſaph, cuius titulum pſalmus habet, ſive David, nullas eiuſmodi parabolas hoc pſalmo proponit, ſed tantùm aperto ſermone commemorat beneficia Dei ipſi Iſraeli exhibita. Sin autem parabolam generaliter accipias pro qualibet ſententia vel oratione gravi, docta, jam non conveniet iſte verſus propoſito Evangeliſtæ, qui eum accommodat Chriſto loquenti parabolas propriè dictas. *Reſpond.* ſicut res quædam minùs perfectè competunt figuris, perfectiùs autem figuratis, ut quæ prædicta ſunt de
B ſtabilitate regni Davidis & Salomonis, ipſis quidem imperfectè competunt, perfectiſſimè verò Chriſto cuius illi typum gerebant; qui fuit verus David & verus Salomon. Ita, quod hic dicitur de Aſaph (cui hic Pſalmus adſcribitur.) *Aperiam in parabolis os meum*, imperfectè quidem, & tantùm generali ratione convenit, quatenus parabola vocatur, quidquid graviter & ſapienter dicitur; perfectè autem Chriſto, quatenus videlicet, parabola ſpecialem habet ſignificationem; qua ſignificat allegoricum ſermonem quo ex alio aliud intelligatur.

℣.24. *Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis, Panem Angelorum manducavit homo.* Pro *(panem cœli)* Hebr. eſt, *(triticum cœli)* id eſt,
C de cœlo ſive ex aëre deſcendens. Ad litteram tamen de manna intelligitur, de quo præcedit: *Et pluit illis manna ad manducandum.* Cæterùm in eo quod ſubditur; *Panem Angelorum manducavit homo*, manna vocatur panis Angelorum, quia miniſterio Angelorum formatus eſt, non autem quod revera illo cibo Angeli utantur, qui non egent cibo corporeo. Neque etiam quod deſcendat ex habitaculo Angelorum, etſi ſic habeat Chaldæa Paraphraſis: Scilicet non de cœlis propriè dictis, ubi Angelorum eſt domicilium, manna deſcendit: ſed de cœlo aëreo, à quo dictæ ſunt volucres cœli. Ipſe tamen panis verus, id eſt, corpus Chriſti ſub Sacramenti inſtitutione, cuius manna typus fuit, verè fuit, & eſt panis Angelorum, quia etiam eo perpetuo Angeli reficiuntur. Et verè dixit ipſe Chriſtus Ioan. 6. *Ego*
D *ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi.*

℣.39. *Spiritus vadens & non rediens.* Vide explicatum ſuprà ad illud Pſalm. 38. *Donec abeam, & ampliùs non ero*, itemque pleniùs ad illud Iob 7. *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic & qui deſcendit ad infernum non aſcendet.*

℣.63 *Iuvenes eorum comedit ignis & virgines eorum non ſunt lamentatæ. Lamentatæ* paſſivè ponitur; ſicut indicat quoque verſus ſequens: *Et viduæ eorum non plorabantur.* Unde Hieron. ad vitandam amphiboliam hîc vertit: *Virgines eorum nemo luxit.* Sic etiam Pſ. 89. verbum *(meditabuntur)* ſumitur paſſivè.

℣.66. *Et percuſſit inimicos ſuos in poſteriora.* Plerique intelligunt de Philiſthæis percuſſis in ſecretiori parte
E natium; ut habetur 1. Reg. 5. Alij ſic vertere volunt ex Hebr. *Percuſſit inimicos ſuos retrorſum*; id eſt, ita ut terga verterent perſequentibus, & ita poſtremi eorum cæderentur. Sed priori expoſitioni præter locum Scripturæ 1. Reg. 5. favet etiam quod hîc ſubjungitur; *Opprobrium ſempiternum dedit illis.* Fuit enim Philiſthæis illa percuſſio opprobrium ſempiternum, ut pleniùs patet jam dicto loco 1. Reg. 5.

℣.67. *Et repulit tabernaculũ Ioſeph & tribũ Ephraim non elegit: Sed elegit tribum Iuda.* Cur non potiùs dixit, Deum repuliſſe tribum Beniamin, de qua erat Saül, quo abiecto regnum tranſlatum eſt ad domum David de tribu Iuda? Sed dicendum loqui prophetam de tabernaculo teſtimonij, quod eatenus fuerat in Silo quæ

erat

erat ſortis Ephraim; ſed ex eo tempore quo capta & reducta fuit arca tranſiit ad ſortem Juda, & tandem illata in montem Sion. Unde ſequitur; *montem Sion quem dilexit, & ædificavit ſicut unicornium ſanctificium ſuum in terra.* De regno autem ſequitur: *& elegit David ſervum ſuum, &c.* Vide Ianſenium.

PSALM. LXXVIII.

P*Salmus Aſaph.* Eſt is Titulus Pſalmi. Et veriſimile eſt hunc Pſalmum compoſitum ab Aſaph, vel aliquo filiorum eius, certè longè poſt tempora Davidis. Nam ad litteram continet querimoniam de calamitate illata civitati Hieroſolymorum, quando gentes polluerunt templum Domini, & poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam, ut Pſalmus loquitur. Videtur autem intelligi calamitas, & excidium illius urbis per Nabuchodonoſor. Vide & confer ea quę ſunt 1. Mac. 7.

ỳ. 6. *Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. Quæritur*, cum Chriſtus doceat inimicos diligendos, & orandum pro calumniantibus & perſequentibus: quam doctrinam etiam in cruce pendens ſuo exemplo confirmare dignatus eſt, dicens: *Pater ignoſce illis, quia &c.* quomodo Pſalmiſta vindictam imprecetur inimicis ſanctorum? Tractat hanc quęſt. latè & pulchrè Aug. ſcribens in hunc Pſal. Summa eſt, duobus modis ad hoc reſponderi poſſe. *Uno modo*, hæc & ſimilia, eſſe verba nō optantis, ſed prophetantis. Sed rurſum, quia multa in Scripturis oſtendunt non tantùm prophetìcè huiuſmodi dici, ut de Martyribus Apoc. 6. petentibus vindictam, & de vidua quæ interpellat injuſtum judicem: quòd exemplum accommodat Dominus juſtis petentibus vindictam de impiis: quæ exempla oſtendunt juſtos verè petere vindictam à Deo & non tantùm prædicere, *Reſp.* tandem quoque Aug. quamdiu impij ſunt in hac vita, juſtus magis debet petere, ut corrigantur, quàm ut puniantur: ita tamen petit ut puniantur, quatenus hoc cedat ad illorum converſionem, vel in exemplum aliorum. Si autem impius punitur in futuro ſæculo, rectè juſtus lætatur de Dei juſtitia, quando jam pro eo ſperari non poteſt Dei miſericordia. Cęterùm in omnibus his cavendum eſt, ut non ideò placeat vindicta Dei in impios, quia in nos peccaverunt, ſed quia peccatum eſt contra juſtitiam, & contra legem Dei.

PSALM. LXXIX.

ỳ. 17. I*Ncenſa igni & ſuffoſſa, ab increpatione vultus tui peribunt.* Incenſa igni & ſuffoſſa, ſcilicet ipſa vinea, de qua præcedit, ut patet ex Græco. Itaque ſequentium hic eſt ſenſus: *Ab increpatione vultus tui peribunt*, ſcilicet inimici noſtri, qui vineam tuam Jeruſalem incenderunt igni & ſuffoderunt. Auguſt. tamen in huius loci commentario, & in Pſal. 38. Græco textu, ut videtur, non inſpecto, exponit, illa; *incenſa & ſuffoſſa*, ut neutra pluralia, & conſtituit cum verbo *peribunt.*

PSALM. LXXX.

ỳ. 6. T*Eſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam quam non noverat audivit.* Præcedit: *Buccinate in neomenia tuba*, v. 4. & 5. *Quia præceptum in Iſraël eſt.* q. d. Deus hoc præceptum celebrandæ ſolemnitatis neomeniæ primi menſis dedit populo, cum exiret de terra Ægypti; in qua, ut peregrini, linguam ſibi ignotam audiverant. Sic plerique, & rectè, quamvis diſſentiat Ianſenius, qui hoc interpretatur de voce Dei in monte Sinai. Atqui Deus non fuit ibi locutus lingua peregrina; ſed Hebraica, id eſt, propria illius populi, & quam omnes optimè intelligerent. Scripturæ autem more lingua ignota vocatur idioma peregrinum. Neque dicit propheta populum audiviſſe linguam ignotam in ipſo exitu de Ægypto, ſed cùm in Ægypto peregrinus habitaret. Eſt enim ἔλλειψις in eo Sermone, quem ita ſuppleas; *Teſtimonium in Ioſeph poſuit illud, cum exiret de terra Ægypti, ubi linguam quam non noverat audivit & quando divertit ab oneribus dorſum eius, ubi manus eius in cophino ſervierunt.*

ỳ. 11. *Dilata os tuum, & implebo illud.* Vide ad illud Eſther 15. *Convertit ſpiritum regis.*

ỳ. 15. *Pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* *Forſitan* Græcè eſt, *utique*. *Pro nihilo*, id eſt, facillimè ac nullo negotio, vel potiùs brevi tempore. Hebraicè, *quaſi parum*. Senſus eſt: Si Iſraël poſtquam à me introductus fuit in terram promiſſam, ſervaſſet legem meam; cito inimicos eorum omnes deleviſſem, aut ſubjugaſſem eis: ſed quia legem meam non ſervarunt, nolui hoſtes eorum delere, nec niſi multò poſt eis ſubjeci; quod totum teſtatur liber Judicum.

PSALM. LXXXI.

ỳ. 2. F*Acies peccatorum ſumitis*, id eſt, perſonas peccatorum accipitis. Nam Græcè facies & perſona uno vocabulo dicuntur, πρόσωπον. Si quæratur utro modo meliùs vertatur; arbitror meliùs facies dici. Nam vox Hebr. faciem ſignificat propriè, & phraſi Hebr. dicitur aliquis aſpicere ſeu reſpicere in faciem alicuius, qui conſiderat hominis aliquam qualitatem in judicando quam non deberet; quod eſt contra juſtitiam. Unde juſtitia pingitur cœca. Hinc Christo dicebant: *Non enim vides in faciem hominum*, Marci 12. Vide noſtrum Comment. ad Rom. 2. v. 11.

ỳ. 3. *Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem juſtificate.* In Exod. c. 23. dicitur; *Pauperis non miſereberis in judicio.* Et rurſum: *Non declinabis in judicium pauperis.* Quomodo ergo hîc dicitur: *Iudicate egeno & pupillo?* Reſpondendum eſt, hoc loco nihil aliud præcipi, quàm juſtitiam fieri. Senſus enim eſt; Vos, ô dij, ô judices divinitùs conſtituti ut juſtum judicium judicetis, *Uſquequo judicatis iniquitatem?* id eſt, iniquè. *Uſquequo faciem peccatorum ſumitis*, id eſt, perſonam accipitis eorum qui vobis munera adferunt, & in eorum gratiam judicium pervertitis? *Iudicate*, id eſt, Jus dicite *egeno & pupillo*, qui neque munera dare poſſunt neque patronum habent: *Humilem & pauperem* abſolvite, ſi quando à divitibus injuſtè opprimuntur. Hic ergo juſtitia præcipitur; In Exodo verò prohibetur ea miſericordia, quæ faciat judicem declinare in alteram partem. Eſt enim ſenſus, nolo vos judices ita miſereri pauperum & pupillorum, ut in eorum gratiam, velut ſpecie pietatis, declinetis à rectitudine judicij, & divitibus faciatis injuriam. Quare nec præceptum illud Eccleſ. 4. In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum, non repugnat præcepto Moyſi. Debent enim Judices miſereri pupillorum & pauperum hactenus ut non ſinant eos opprimi injuſtè. Et hoc vult Eccleſiaſticus & hîc Pſalmiſta; Prohibemur autem eorum miſereri, ſenſu jam explicato.

Neque enim Judex omnem affectum exuere debet amoris, odij, miſericordiæ; ſed affectibus huiuſmodi etiam per ſe licitis non debet moveri ad declinandum à regula juſtitiæ. Cur autem non dicitur: Judicate diviti, & divitem juſtificate? ſi ſcilicet habeat bonam cauſam. Reſpondetur, non opus eſſe hoc monere. Satis enim per ſe judices ad hoc inclinantur, ſicut non præcipitur, dilige te, ſed dilige proximum.

ỳ. 5. *Movebuntur omnia fundamenta terræ. Movebuntur*, nutabunt, vacillabunt. Senſus eſt: Reges terræ & reſpublicæ commoventur, periclitantur, ſubvertuntur ob perverſa judicia & pauperum oppreſſiones. Aliter Ianſenius nec etiam malè, ut ipſi judices dicantur

funda-

fundementa terræ, ſicut principes vocantur anguli populorum. Et *mavebuntur*, id eſt, moventur. Nam & illud, *in tenebris ambulant*, in Hebræo eſt, *ambulabunt*; & videtur de iiſdem dici, *In tenebris ambulabunt*, & *movebuntur*; quia qui in tenebris ambulat, offendit, vacillat, ac facilè labitur. Unde ſenſus erit: Judices quamvis ſint fundamenta terræ, ideoque maximè firmi ac ſtabiles eſſe debeant, quia tamen partim inſcitia, partim affectibus depravati in tenebris ambulant, movebuntur & cadent. Principes, *populorum angules* vocat Scriptura Judicum 20. 1. Regum 14. Iſaiæ 19. & alibi. Vide Annotat. Judic. 20.

℣. 6. *Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes.* Ter in hoc Pſalmo habemus nomen Deorum. Initio bis; hîc ſemel. Quamquam quod præcedit. *In Synagoga Deorum*, Hebr. eſt, *in Synagoga Dei*. Senſus tamen ferè convenit: quia eadem eſt Synagoga Dei, & Synagoga Deorum, id eſt, judicum vel principum: & tamen Dei Synagoga, quia à Deo inſtituta, ſicut eadem eſt Eccleſia Chriſti, & fidelium. Citat Chriſtus hoc teſtimonium Ioan. 10. ut oſtendat ſe rectè ſemetipſum appellaſſe filium Dei, & Deum, dicens: *Ego dixi, Dij eſtis. Si eos dixit Deus ad quos ſermo Dei factus eſt, &c.* Ubi non eſt putandum, ſicut Ariani voluerunt, quod Chriſtus tantùm participativè ſe dixerit Deum; Sed argumento à proportione ſumpto, oſtendit ſe verum Deum, & naturalem Dei filium. q. d. Scriptura vocat Deos participatione, eos, ad quos ſermo Dei (Græcè λόγος, id eſt Verbum) factus eſt, ergo ipſum Verbum jam miſſum in mundum à Patre cujus participatione homines dij dicuntur, non tantùm participatione, ſed ſanè natura eſt Deus, ac Dei filius.

PSALM. LXXXII.

℣. 7. T*Abernacula Idumæorum, & Iſmaëlitæ.* Et mox ſubditur v. 8. *Moab & Agareni. Quæritur*, quomodo Iſmaëlitæ diſtinguantur ab Agarenis? Liranus poſt authorem Traditionum in Paralip. apud Hieron. putat Agarenos dici eos, qui poſt mortem Saræ ex Agar ſunt geniti, de quibus Geneſ. 25. Putant enim eam, quæ ibi Cethura dicitur, eſſe ipſam Agar. Sed quàm probabiliter vide Annot. Geneſ. 25. Fieri poteſt, ut certa quædam progenies Iſmaëlitarum poſteà nomen illud aſſumpſerit, ut Agareni dicerentur; ſicut omnes progeniti ex Chanaan filio Cham, generali nomine ſunt Chananæi; & tamen certa quædam progenies illius generis id nomen proprium ſibi vendicat, quotieſcumque legimus in ſcriptura, Chananæos, Gergezæos, Pheręſæos, &c. De quo vide quoque Gen. 10.

℣. 14. *Deus meus pone illos ut rotam.* Id eſt, perpetuò circumagantur, ut rota, nullam habeant quietem, ſemper ſint in motu & commotione, nuſquam inveniant locum ſtabilem. Quæ eſt veteris Teſtamenti maledictio. Quomodo è contra dicitur de viro juſto: *Qui facit hæc non movebitur in æternum.* Poteſt etiam per rotam turbo intelligi, de quo diximus Pſalm. 76.

PSALM. LXXXIII.

℣. 4. E*Tenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.* Ad litteram videtur hic eſſe ſenſus: Paſſer, turtur, ſive hirundo, ut alij vertunt, id eſt, aves, quæ liberè huc atque illuc vagantur, tamen poſtquam volaverint, habent domos ſuas, id eſt, nidulos, in quibus requieſcant, & reponant pullos ſuos; Quantò magis ergo anima mea, & caro mea debent ſibi locum requirere, & præparare, ubi requieſcant? Is autem locus in quo anima mea requieſcere poſſit, non eſt alius, quàm templum tuum, & tabernaculum tuum, id eſt, cœtus ſanctorum, & Eccleſia Dei.

Myſticè in paſſere commendatur ſolitudo contemplationis, juxta illud Pſalm. 101. *Sicut paſſer ſolitarius in tecto*: In turture, caſtitas converſationis. Significatur ergo, quod potiſſimùm per hæc duo, videlicet rerum divinarum contemplationem, & vitæ puritatem, homo hoc conſequatur, ut aliquando ingrediatur in æterna tabernacula; de qua habitatione ſubjungitur. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.*

℣. 8. *Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.* Duo nobis legiſlatores commendantur in Scriptura ſacra ſicut duæ leges. Eſt enim lex vetus & lex nova. Veteris legiſlator eſt Moyſes, novæ autem legiſlator Chriſtus. Sed hoc diſcrimine; quod Moyſes bonam quidem legem tulit, utpotè divinam & divino ore allatam, ſed benedictionem dare non potuit, quâ fieret, ut lex illa impleretur: Chriſtus ſimul cum lege gratiam & benedictionem attulit, quâ lex ejus impleretur. Imò benedictiones attulit. Sic enim habent Septuag. εὐλογίας, quia multiplicem gratiam præſtat, & benedictionem, qua facit legem ſuam & voluntatem impleri. Unde ſequitur: *Ibunt de virtute in virtutem*, ubi pro (*virtus*) Græcè eſt, δύναμις, id eſt, potentia, & Hebr. *fortitudo* vel turma. Unde hîc ad litteram non intelligitur virtus moralis: Sed ſenſus eſt. Ibunt de fortitudine in fortitudinem, id eſt, ibunt magna virtute & fortitudine, vel, ibunt turmatim, quod etiam ad fortitudinem pertinet. Tamen quia fortitudo fidelium conſiſtit in animo, non in corpore; hinc rectè ex conſequenti quoque intelliguntur virtutes morales. Fideles enim accepta benedictione legiſlatoris, paulatim proficientes de virtute in virtutem, tanquam in fortitudine ambulantes, tandem perveniunt ad domum Dei, & in æterna tabernacula; in quibus videbitur Deus deorum in Sion, non jam per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem.

℣. 11. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Ad litteram abjectus eſſe aliquis poterat in domo Dei, id eſt, in tabernaculo vel templo veteri, velut oſtiarij aut ſcoparij, aut ligna & aquam portantes, ut Gabaonitæ. Similiter in Eccleſia Dei quidam ſunt contemptibiles juxta Apoſtolum. At in domo Dei æterna & cœleſti, de qua propriiſſimè verum eſt illud hujus Pſalmi. *Beati qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te*, nemo abjectus, nemo contemptibilis eſt; ſed ſunt omnes magni piſces; omnes reges & ſacerdotes. Itaque hic verſiculus ſi de regno cœleſti accipiatur ſic erit intelligendus: Si fieri poſſet, ut in domo illa cœleſti ſit quiſquam contemptibilis; talis ibi malim eſſe, quàm primas tenere & amplo eſſe loco inter peccatores.

PSALM. LXXXIV.

℣. 5. C*Onverte nos Deus ſalutaris noſter.* Vide ſuprà Pſalm. 58. ad illud: *Miſericordia ejus præveniet me*, & loca ibi citata, ſcilicet Pſalm. 22. *Miſericordia tua ſubſequetur me.* Et Eſther 15. *Convertit Deus Spiritum regis.*

℣. 7. *Deus tu converſus vivificabis nos.* Alia vetus verſio habet (*convertens*) quod etiam in officio divino legitur Dom. 2. Adventus in reſponſ. matutini. Græcè eſt ἐπιστρέψας, id eſt, convertens, ſeu potiùs; poſtquam converteris. Hebr. ſonat, *converſus*, ſeu reverſus. Quod ergo olim legebatur (*convertens*) ſupplendum, ſcilicet te, id eſt, poſtquam te ad nos converteris, id eſt, benigno vultu nos reſpexeris: ſic *vivificabis nos*, id eſt, benefacies nobis, è periculis nos erues.

AD PSALM. LXXXV. Nihil habebat.

PSALM. LXXXVI.

℣. 1. F*Undamenta ejus in montibus ſanctis, Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Exordium abruptum eſt. Cùm enim nullius civitatis antea meminiſſet, utitur tamen relativo dicens,

fundamenta ejus. Cauſam abrupti exordij adfert Auguſtinus; quia Propheta repletus Spiritu Sancto, & multa de amore ac deſiderio hujus civitatis ſecum volvens in animo, tandem in hæc verba erumpit; *Fundamenta ejus.&c.* Ejus videlicet, cujus jam in Prophete præceſſerat intenta meditatio. Poteſt etiam hoc ipſum referri in phraſim linguæ Hebraïcę, qua ſicut interdum antecedens ponitur pro relativo, uti (*Dominus pluit à Domino: Dominus dixit quod domum facias mihi Dominus.* Gen. 19 & 2.Reg.7.) ita ſubinde relativum ponitur, ubi antecedens non pręceſſit, ſed ſequitur, ut in hoc loco: *Fundamenta ejus in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion.* Ubi *Sion* eſt antecedens. Et tota oratio hoc ordine conſtrui poteſt: Dominus diligit portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob, cujus Sionis fundamenta ſunt in montibus ſanctis, Vel, ut vertit Hieron. (*ſanctuarij.*) Et ſenſus eſt: Dominus elegit in locum cultus ſui, civitatem Sion, vel Ieruſalem fundatam in montibus ſanctis, id eſt, præ cæteris civitatibus terræ ſanctæ.

Myſticè ſignificatur Eccleſiam Chriſti tanquam cæleſtem Ieruſalem à Deo dilectam eſſe, & electam ſuper tabernaculo Iacob, id eſt, ſuper tranſitorium illum & terrenum ſtatum, veteris populi, & legis.

℣. 5. *Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus in ea?* Apud Septuag. duplex eſt lectio. Quædam exemplaria habent: *Nunquid Sion dicet?* Alia, *Mater Sion dicet.* Priori modo legit Commentarius Hieronymo adſcriptus, addens occaſionem erroris, cur alij legant (*mater*) ex ſimilitudine vocum μήτι & μητήρ. Auguſtinus tamen & Caſſiodor. legunt (*mater*) & ſic habent hodierna exemplaria Græca. Vera tamen lectio videtur eſſe *Nunquid*; Idque ſatis concordat cum Heb. ubi ſic legitur: *Sioni dicetur.* Unde & id quod nos habemus ſimiliter intelligendum, *Nunquid Sion?* id eſt, Sioni dicet aliquis, id eſt, verè aliquis dicere poterit Sioni: *Homo & homo natus eſt in ea.* Hebr. ſic: Vir & vir natus eſt in ea, id eſt, quàm plurimi viri robore, & ſapientia præſtantes in ea nati ſunt. Prophetia autem eſt de ſpirituali civitate Dei, id eſt, Eccleſia in qua omnium nationum homines, & inter eos, viri quoque ſæculari ſapientia prę ſtantes per fidem aliquando regenerandi eſſent.

AD PSALM. LXXXVII. Nulla erat Annotat.

PSALM. LXXXVIII.

℣. 1. M*iſericordias Domini in æternum cantabo.* Tribus modis intelligi poteſt, primò, in æternum, id eſt, ſemper, omnibus ſæculis cantabo miſericordias & benignitates Domini. Secundò, Cantabo miſericordias Domini, quæ ſunt in æternum, id eſt, ſemper duratura. Tertiò, miſericordias Domini Cantabo in æternum; id eſt, poſteritati; ut ſcilicet poſteri eas cognoſcant, & prædicent. Cui ſenſui favere videtur quod ſequitur: *In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo*; id eſt, in futuras generationes, ut illis veritas tua ſit nota.

℣. 12. *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra; orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundaſti. Aquilonem & mare tu creaſti. Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* His verbis Propheta commendat majeſtatem & potentiam Dei, ſignificans Deum totius mundi, & omnium partium ejus eſſe authorem. Et notandum paucis verbis à Propheta comprehendi ſex differentias poſitionum in mundo. Cum enim ait: *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra,* ſignificat Deum condidiſſe ſupera & infera. Nam cœlum ſurſum eſt, terra deorſum. Cùm addit: *Aquilonem, & mare tu creaſti*, tribuit Deo authori ſiniſtrum, & dextrum totius mundi. Nam aquilo, id eſt, regio Septentrionalis ſiniſtra eſt, reſpectu Palæſtinæ, Mare autem ad auſtrum ſeu Meridiem; atque ita dextra convertenti ſe ad Orientem. Cùm denique addit: *Thabor & Hermon, in nomine tuo exultabunt.* Orientem nominat & Occidentem, tanquam partem mundi priorem & poſteriorem. Nam Thabor, mons erat in Occidente, Hermon in Oriente; Unde & figuratè pro illis partibus mundi accipiuntur.

℣. 39. *Tu verò repuliſti & deſpexiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum. Evertiſti teſtamentum ſervi tui.* Rectè correctum: (*Evertiſti*) per ſecundam vocalem, non (*avertiſti*) per primam. Ita enim Græca, Hebræa, & ferè omnia M. SS. Senſus eſt: Subvertiſti fœdus, quod tam magnificè iniiſti cum ſervo tuo. Non eſt autem putandum Davidem loqui de calamitate aliqua temporis ſui, propter quam tam graviter conqueratur, Deum irritas facere ſuas promiſſiones. Nam & ipſe erat Chriſtus Domini. Proinde locum non habebat pro eo tempore, *Diſtuliſti Chriſtum tuum*, & illud. *Prophanaſti in terra ſanctuarium ejus.* Sed hæc querimonia Davidis docet nos, promiſſiones Davidi factas de ſtabilitate, & æternitate regni ejus; & de miſericordia nunquam à ſemine ejus auferenda, non omninò & perfectè pertinere ad regnum terrenum & carnale; ſed ad regnum ſpirituale Chriſti, & Eccleſiæ. Quod enim ad regnum terrenum attinet, reprobatum eſt unà cum populo Judaïco, & ejuſdem ſacerdotio. Quod autem ad regnum ſpirituale; promiſſio hæc complementum & perfectionem accepit in Chriſto, & regno ejus, quod eſt Eccleſia. De quo regno Angelus ad B. Virginem Lucæ 1. *Dabit ei Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Vide & Annot. 2. Paralip. 7. & 2. Reg. 7.

PSALM. LXXXIX.

℣. 10. A*Nni noſtri ſicut aranea meditabuntur.* Meditari ſignificat aſſiduum alicuius rei ſtudium, cum frequenti iteratione. *Senſus* igitur eſt: Quidquid moliuntur homines toto tempore vitæ ſuæ, tale eſt, ac ſi aranea telam texat; nimirùm rem mox perituram, multo & magno labore moliuntur. Significatur enim vanitas hujus vitæ. *Vel hoc modo:* Totum tempus vitæ noſtræ *meditabitur*, id eſt, reputabitur (ut meditari paſſivè accipiatur) velut tela araneæ; quæ multo labore & ſtudio contexta, minimo negotio perrumpitur, & diſſipatur. Sic ſuprà Pſal. 77. paſſivè accipiebatur; *Virgines eorum non ſunt lamentatæ.* Et 2. Theſſ. 2. *Myſterium operatur iniquitatis.* Vide ibid. noſtrum Comment.

℣. 17. *Et opera manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.* Scilicet opera noſtra, quę, Deo authore facimus, omnia unum opus quodammodo ſunt, ſicut omnia dominica præcepta unum præceptum ſunt, ut ait Greg. homil. 27. in Evangelia. Sunt enim multa per diverſitatem operis, ſed unum in radice charitatis. Et quidem Septuag. hoc modo tranſtulerunt variato numero. Verùm in Hebræo fonte nulla eſt numeri mutatio, ſed utrobique opus ſingulari numero legitur; quod tamen collectivè accipitur, pro univerſo ſcilicet operum corpore.

PSALM. XC.

℣. 1. Q*Vi habitat in adjutorio altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Hic ſtatim occurrit dubitatio, quomodo hæc duo membra hujus primi verſiculi inter ſe differant? Videlicet habitare in adjutorio altiſſimi, & in protectione Dei cœli commorari? Nam videntur hæc eadem eſſe, quia habitare idem eſt quod commorari, adjutorium & protectio etiam eadem videntur: & ſimiliter eadem ſunt, altiſſimus & Deus cœli. Quidam hoc modo diſtinguunt: ut prius pertineat ad motum hominis in Deum per ſpem & fiduciam; poſterius autem ad opem Dei hominem protegentis; ut ſit ſenſus: Qui firmam fiduciam collocat in Deo, confidens de ejus adjutorio, is

à Deo

à Deo protegetur; & ſub ejus protectione tanquam in arce quadam tutus & ſecurus commorabitur. B. Auguſt. primam partem jungit cum ſequenti, tanquam ab ea pendentem hoc modo: Qui habitat in adjutorio altiſſimi, & commoratur in protectione Dei cœli, ille dicet Domino, *Suſceptor meus es tu, &c.* Atque ita ſenſus eſt non multum diverſus; videlicet; quod qui firmam ſpem in Deo & in ejus auxilio collocat, is in omni anguſtia Deum confidenter invocabit. Vocabit Deum ſuſceptorem ſuum & refugium ſuum, quia ut ſequitur verſu ſequenti, Deus eum verè liberabit de laqueo.

℣. 3. *Liberavit me de laqueo venantium & à verbo aſpero.* Ibi (*à verbo aſpero*) verbum pro re ſumitur, phraſi Hebraïca. Itaque verbum aſperum eſt res quæcumque aſpera, & moleſta. Et ſimili modo intelligitur quod ſequitur verſ. 6. *à negotio perambulante in tenebris.* Nam pro *negotio*, eadem vox eſt, quam ſuprà Septuag. verterunt, (*verbum*) & res quæcumque ſignificatur. Igitur negotium ambulans in tenebris, eſt res quæcumque lædens, vel nocens in tenebris. Sciendum tamen vocem Hebraïcam utroque loco eſſe ambiguam, prout diverſis punctis ſignatur. Septuaginta ſic acceperunt, ut verbum, id eſt, rem ſignificet. Hieronym. & alij poſteriores aliter punctuant, ut ſignificet mortem vel peſtem. Et ſecundùm illam interpretationem ſenſus adhuc clarior eſt. Sic enim Hieron. vertit; pro (*verbo aſpero.*) *A morte inſidiarum*, & pro (*negotio perambulante in tenebris*) à peſte in tenebris ambulante.

PSALM. XCI.

℣. 12. **E**T *in inſurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.* Pridem alterum illorum (*in*) omittebatur. Nonnulli etiam M.SS. Codices habent (*ab inſurgentibus*) Sed rectè ſic duplicato legendum (*in*) Sixtina Biblia tradunt. Eſt enim Græcè ἐν τοῖς ἐπανιςαμένοις. Senſus eſt: De his qui in me inſurgunt, & lædere me volunt, audiam læta & grata; ſcilicet Deum in eos vindicaſſe injuriam meam, & eos humiliaſſe. Neque enim illud (*audiet auris mea*) trahendum ad id quod ſequitur, *Iuſtus ut palma florebit*, quaſi hoc ſit auditurus. Eſt enim tacita quædam antitheſis in hac ſententia ad ſuperiorem, q. d. Audiam vindictam de inimicis meis, hominibus impiis, & injuſtis; nempe quod defecerint & perierint: At contrà; *Iuſtus ut palma florebit, &c.*

PSALM. XCII. nullas habebat Annotationes.

PSALM. XCIII.

℣. 14. **Q**VIA *non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuam non derelinquet.* Illud (*quia non repellet Dominus plebem ſuam;*) canitur etiam quotidie ad invitatorium matutini, in hymno ſeu pſalmo: *Venite*, Legimus enim ſic: *Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus ſuper omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem ſuam, &c.* Sed ſciendum eſt illa verba in Pſalmo illo *Venite*, qui reipſa eſt Pſalm. 94. non haberi, neque apud ſeptuaginta, neque apud Hebr. Unde autem ſic canatur in officio divino, ratio reddi poteſt quod veteres etiam ſecundum aliquam tranſlationem ſic legerint. Nam & Auguſt. hæc verba in illius Pſalmi expoſitione legit & explanat. Similiter & Arnobius, & Commentarius aſcriptus Hieron. Interim ſive eo loci hæc verba legantur, ſive non, ſatis conſtat verba eſſe Scripturæ ſacræ, à Spiritu Sancto prolata, tum quia reperiuntur in hoc Pſalmo, tum etiam quia citantur ab Apoſtolo ad Rom. 11. Vide ibi noſtra.

℣. 15. *Quoadusque juſtitia convertatur in judicium. & qui juxta illam, omnes qui recti ſunt corde.* Non eſt legendum interrogativè: *qui juxta illam?* ut deinde reſpondeatur, *omnes qui recti ſunt corde.* Eſt id manifeſtū ex Græcis & Hebræis Septuaginta legunt: *Et habentes eam*, vel *adhærentes ei omnes recti corde.* Hebr. ſic: *Et ſequentur, ſive ſectabuntur hanc juſtitiam*, vel hoc judicium, *omnes recti corde.* Et ſenſus eſt; Omnes, qui recto ſunt corde, ſectabuntur juſtitiam Dei, vel approbabunt judicium Dei ſuper impios.

℣. 20. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Multa M.SS. habent (*dolorem.*) Græca vox propriè moleſtiam ſignificat & afflictionem, ſicut & vox Hebræa. Deinde Græc. & Hebr. legitur participium? *fingens laborem in præcepto.* Quod non ad Deum, ſed ad ſedem iniquitatis potius referendum videtur, hoc modo: Nunquid adhæret tibi, vel (ut Hebræa ſonant) ſociabitur tibi ſedes, ſeu ſolium inſidiarum, vel iniquitatis, quæ ſedes fingit laborem in præcepto? Ac ſic ſenſus eſt. O Deus, qui juſtè judicas, num tibi quicquam commune erit cum ſolio tyrannico, de quo procedunt injuſtæ ſententiæ? quod ſolium fingit laborem, id eſt miſeros moleſtia, afflictione & injuria afficit, in præcepto, id eſt, prætextu legis, quaſi dicat. Sub obtentu juſtitiæ, & legum opprimunt miſeros, juxta illud: *Summum jus, ſumma injuria.* Et huic ſenſui etiam noſtra verſio accommodari poteſt hoc modo: Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis? & nunquid tu es qui fingis laborem in præcepto? q. d. Non.

PSALM. XCIV.

℣. 10. **Q**VADRAGINTA *annis offenſus fui generationi illi.* Pro (*offenſus*) Eccleſia in officio matutinali quotidiano canit (*proximus.*) In Epiphania tamen Domini canit (*offenſus:*) hoc juxta Pſalterium Gallicanum, illud juxta Romanum. Septuaginta habent προσώχθισα, offenſus fui. Cui lectioni favet quoque Hebraïca veritas, quæ habet: *litigavi*, contendi; cum generatione iſta; vel ut Arias exponit dictionem Hebraïcam, *Faſtidio habui*, vel ut Hieron. *Diſplicuit mihi.* Apoſtolus quoque Paulus ad Hebr. 3. habet eandem vocem quam Septuaginta; quam Latinus interpres reddidit *infenſus fui.* Nihilominus vox Græca etiam ſignificat, *propinquare*, ut eſt in lexico Græco. Et poteſt intelligi propinquatio, qualis eſt dum qui vult punire, accedit ad eum quem vult punire. Vide etiam ad Hebr. 3.

PSALM. XCV.

℣. 5. **Q**VONIAM *omnes Dij gentium dæmonia.* In Hebræo pro (*dæmonia*) hoc loco vocabulum eſt, quod Hieron. vertit, *ſculptilia*, Pagnin. *idola*, Arias reddidit, *vana.* Semper tamen erant *dæmonia*, quia in ſimulachris illis deorum etiam Iovis, Martis, Veneris, Neptuni, quamvis homines fuiſſent, dæmones ſe ingerebant, & oracula fundebant. Et generaliter, ſicut in omni ſuperſtitione ineſt pactum, ſaltem tacitum, cum dæmone; ita & in omni idololatria fuit ſaltem tacitus cultus dæmonum. Vide etiam 1. Cor. 8.

℣. 7. *Afferte Domino patria gentium.* Rectius *familia gentium*, ſicut alibi vertit, ut Pſalm. 21. *Adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Ubi tam Græcè quàm Hebr. vox eadem eſt, quæ hoc loco. Græcè quidem eſt πατριαὶ, ſed hoc vocabulum Latinis familiam, parentelam, tribum ſignificat, non autem id quod Latini patriam vocant, id eſt, terram natalem.

℣. 10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.* Auguſt. ſcribens in hunc locum addit (*à ligno*) & exponit, & urget contra Donatiſtas. Commentarius Hieronymo adſcriptus in hunc locum non addit; cum tamen interpretetur ſecundum Septuaginta. E contra canitur in hymno Eccleſiaſtico: Impleta ſunt quæ concinit, David fidelis carmine, dicens in nationibus, regnavit à ligno Deus. Et Tertull. lib. adverſus Judæos citat: *Dominus regnavit à ligno.* Et Juſtinus adverſus Triphonem, dicit eraſum fuiſſe à Judæis.

Nam Tertullianus quoque illud citat lib. 3. contra Mar- A
cionem. Vide ſi places, Iſaci apologiam ad Lindanum, & notat. Pamelij in Tertullianum.

PSALM. XCVI.

℣. 9. *Quoniam tu Dominus altiſsimus ſuper omnem terram, nimis exaltatus es ſuper omnes Deos.* Prophetia eſt de tempore novi Teſtamenti, ſicut & in verbis præcedentibus: *Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulachris ſuis.* Utrumque enim novi Teſtamenti tempore impletum eſt, quando religione unius veri Dei per orbem propagata, paſſim innotuit, nec idola, nec Deos idolis ſignificatos eſſe Deos; & per hoc unus ſolus verus Deus ab omni- B
bus agnoſci cœpit, adeò ut etiam plures, etſi à Chriſti religione alieni, ut Mahometani, non niſi unum tamen Deum credant, & colant: Quod quidem ipſum nihilominus Evangelio Chriſti per orbem prædicato acceptum ferri debet.

PSALM. XCVII. Nihil erat.

PSALM. XCVIII.

℣. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* Scabellum pedum Dei quodnam ſit, alij aliter exponunt. Quidam intelligunt arcam fœderis; quidam corpus Chriſti; quidam animam Chriſti; quidam crucem ejus. Et quidem de omnibus his ſanè C
accipi poteſt. Ad litteram tamen omninò hic locus de arca fœderis accipiendus videtur. Primum, quia initio Pſalmi fit mentio Cherubim, quorum alæ erant expanſæ ſuper arcam, ſic enim ibi legitur; *Dominus regnavit, iraſcantur populi: Qui ſedet ſuper Cherubim, moveatur terra.* Deus autem ſuper, vel inter Cherubim ſedere dicebatur, quia ibi exhibere ſolebat ſuam præſentiam, dando reſponſa. Sicut ergo alæ Cherubim ſuper arcam expanſæ erant velut ſedes Dei; ita arca ſubjecta erat velut ſcabellum pedum ejus. Huic accedit, quod ſcriptura alibi manifeſtè arcam vocet ſcabellum pedum Dei. 1. Paralip. 28. *Cogitavi,* inquit David, *ut ædificarem domum in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Adorabatur autem illud ſca- D
bellum, quando coram eo procidebatur, & adorabatur Deus, eo modo, quo Chriſtiani in imaginibus coram quibus procumbunt, honorant Chriſtum & ſanctos. Et ſicut filij Iſraël adorantes arcam, non committebant idololatriam, ſed cultum Deo exhibebant; ita dicendum quoque de veneratione imaginum ſacrarum.

Auguſtinus *per ſcabellum pedum ejus*, intelligit corpus Chriſti. Qui ſenſus, licet literalis non ſit, ſed myſticus, optimè tamen in literali fundatur. Arca enim multis rationibus geſſit typum corporis Chriſti. Docet autem Auguſtinus in illo Commentario, quomodo Chriſtiani adorent corpus Domini. Et eſt locus valdè notandus contra Sacramentarios. Nemo, inquit, E
carnem illam manducat, niſi prius adoraverit. Item. Non ſolùm non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando. Loquitur autem de ea adoratione, de qua dictum eſt; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.*

℣. 6. *Moyſes & Aaron in ſacerdotibus ejus, & Samuël inter eos, qui invocant nomen ejus.* Moyſes ſacerdotio functus eſt in conſecratione Aaron, & filiorum ejus, ut habetur Exodi 28. De Samuele controverſia eſt, an fuerit ſacerdos? Scriptura nuſquam id teſtatur, imò hoc loco contrarium innuit. Quod igitur legitur ſacrificaſſe, intelligendum eo modo, quo Saül, David & Salomon; nempe non per ſe, ſed per ſacerdotes, ad quorum officium id pertinebat. Auguſtinus in hunc locum & alibi putat fuiſſe ſacerdotem, & 2. retractat. cap. 43. fuiſſe ex

A filiis Aaron, ſed repugnat ſcriptura 1. Paralip. 6. quæ eum numerat extra Aaronitas. Proinde omnino videtur tenenda ſententia authoris quæſtio. vet. & novi teſtamenti apud Auguſt. quæſt. 46. ubi prolixè, & multis rationibus oſtendit Samuëlem neque ex genere ſacerdotali fuiſſe, neque ſacrificium per ſe unquam obtuliſſe. Hieron. quoque lib. 1. contra Iovin. latè oſtendit Samuelem non fuiſſe ſacerdotem. Legitur quidem apud Hieron. Epiſtola 125. quæſtio. 3 Samuël Propheta connumeratus Moyſi in ſacerdotio Dei. Sed verior lectio eſt; in Pſalterio Dei. Reſpicit enim ad verſiculum hujus Pſalmi. Vide Scholion Victorini. Ignatius tamen in Epiſtola ad Magneſianos dicit Samuelem fuiſſe Principem ſacerdotum, & Cypr. lib. 3. Epiſt. 9. ſacerdotem
B quoque vocat.

AD PSALM. XCIX. Nullam habebat Annotat.

PSALM. C.

℣. 8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Hebraïſmus eſt *in matutina* pro maturè, & tempeſtivè, quaſi dicat, in regno meo maturè & incunctanter interfeci, & ſuſtuli impios. Sed *quæritur,* Quomodo David hoc verè dicat, cum Ioab bis homicidam ſuſtinuerit uſque ad finem vitæ ſuæ? nec eum interfecerit, niſi tandem mandato ſuo quod moriens filio Salomoni dedit? *Reſpond.* interfeciſſe ſe dicit David peccatores in matutino, id eſt, maturè; & quidem etiam
C Ioab homicidam, ſed in voluntate & præparatione animi. Nam Ioab ſtatim interfici reipſa, non expediebat ob cauſas 2. Reg. 3. expoſitas. Quare hîc fecit quod prudentiæ ratio dictabat; ſcilicet ut in eum judicium exerceret, quàm primum opportunum tempus ſe offerret. Hinc & pſal. 74. canit: *Cum accepero tempus, ego juſtitias judicabo.*

PSALM. CI.

℣. 4. *Quia defecerunt ſicut fumus dies mei, & oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* *Cremium,* quidam intelligunt carnem frixam uſque ad ariditatem. Alij rectiùs lignum aridum, vel ſtipulam aridam, & quidquid ita areſactum eſt, ut facilè incendatur. Id
D enim etiam vox Græca ſignificat. Ex Hebræo vertit Hieronym. *Et oſſa mea quaſi frixa contabuerunt.* Senſus eſt. Omnis virtus corporis mei, quæ potiſſimum conſiſtit in oſſibus, penitus emarcuit, ita ut nihil in me remanſerit virium.

℣. 15. *Quoniam placuerunt ſervis tuis lapides ejus. & terra ejus miſerebuntur.* Alij: *Et pulveris ejus miſerebuntur.* Sic enim ſonant Græca & Hebræa. Loquitur autem de lapidibus & ædificatione Sionis, id eſt, Eccleſiæ Chriſti, ut patet ex præcedentibus & ſequentibus. Præcedit enim: *Tu exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.* Sequitur autem: *Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua.* Senſus ergo eſt: Servi tui magno affectu afficiuntur
E erga lapides Sionis, id eſt, vehementer optant ac deſiderant ut Sion ædificetur: optant videre Eccleſiam extructam ex lapidibus vivis. *Et terra ejus* ſeu pulveris *miſerebuntur*, id eſt, & miſeret eos pulveris, ſeu humilitatis Sion, cupiunt eam extolli de pulvere, & glorioſam fieri per omnes gentes. Unde ſequitur: *Et timebunt gentes nomen tuum, & omnes reges terræ gloriam tuam.* Vel poteſt etiam illud (*miſerebuntur*) imperſonaliter accipi, phraſi ſcripturæ non inuſitata, ut ſit ſenſus: Futurũ eſt, ut poſt diuturnã afflictionem tandem miſereantur ejus, etiam inimici qui eam bello ſubjugaverant & populum ejus captivum duxerant; Ut reges Perſarum qui nõ tantum captivitatem populi relaxârunt, verùm etiam vaſa templi remiſerunt, & inſuper ſumptus ſuppeditarunt in ædificationẽ templi, & ſacrificia, ut patet ex lib. Eſdræ.

Quæ

Quæ res quoque typus fuit ædificandæ & provehendæ veræ Sionis, id eſt, Eccleſiæ Chriſti, per Conſtantinum Imper. & alios reges terrenos. Et ſimile eſt quod infrà Pſalm. 105. clarè dicitur: *Et dedit eos in miſericordias, in conſpectu omnium, qui ceperant eos.*

PSALM. CII.

℣. 4. Q*Vi coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Litteralis ſenſus videtur: Qui velut corona cingit te, & circumvallat multiplici miſericordia. Ita illud Pſalm. 8. *Gloria & honore coronaſti eum Domine*, id eſt, cinxiſti. Non enim ſignificatur præmium, maximè ſi Pſalmus de creatione hominis intelligatur. Simile & illud Pſalm. 5. *Domine ut ſcuto bonæ voluntatis coronaſti nos.* Item Iſaiæ 22. *Coronans coronabit te tribulatione*, quaſi dicat, cinget & circumvallabit te multiplici calamitate & miſeria. v. 18.

℣. 16. *Quoniam Spiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.* Senſus eſt. Spiritus vitæ non permanet in homine, ſed pertranſit, ac recedit. Quo recedente homo non amplius ſubſiſtit, quia mortuus eſt, & non amplius cognoſcit locum ſuum priſtinum, id eſt, non redit ad hanc vitam mortalem, nec ad ſuas poſſeſſiones, ſicut redit homo, qui peregrè profectus fuerat. Vel etiam hoc modo ut referatur ad florem de quo præceſſit, *tanquam flos agri ſic efflorebit*: quem videlicet cum ſpiritus, id eſt ventus urens pervaſerit, ſtatim emoritur & perit, ut locus ejus amplius non cognoſcatur: Hebraïcè eſt, neque agnoſcit eum ultra locus ipſius.

PSALM. CIII.

℣. 3. E*Xtendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora ejus.* Hoc ferè intelligunt de cœlo propriè dicto, & aquis, quæ ſuprà illud cœlum ſunt; ſive ſint propriè dictæ aquæ, ſive cœlum aqueum dicatur ob perſpicuitatem. Tamen minimè rejicienda eſt expoſitio, de cœlo aëreo; tum propter ea quæ dicta ſunt ad Geneſ. 1. tum quod ipſe hic pſalmus ſic declaret iſta ſuperiora quorum hic meminit. Nam v. 13. eadem phraſi dicit: *Rigans montes de ſuperioribus ſuis*, quod ſine dubio de nubibus accipiendum eſt, ex quibus pluviæ decidunt. Et utrobique eadem vox Hebraïca eſt. Vide etiam noſtra in 2. ſentent. diſt. 14.

℣. 4. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Hieronymus, *currum tuum*; id eſt, nubes ſunt inſtar curruum & vehiculorum quibus Deus vehitur. *Qui ambulas ſuper pennas ventorum*, id eſt, venti ſunt velut alæ, ſeu pennæ quibus Deus fertur & quaſi volat. Hæc omnia ſignificant magnificentiam divinæ majeſtatis, & quod Deus omnibus creaturis ad nutum & voluntatē ſuam utatur.

℣. 5. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus.* Senſus eſt: qui facit ſpiritus, Angelos, ſeu nuncios ſuos. Et quidem nonnulli hunc locum intelligunt de ventis, de quibus dicitur: Pſalm. 148. *Quoniam ſpiritus procellarum faciunt verbum ejus*; & ſimiliter quod ſequitur; *& miniſtros ejus ignem urentem.* quoniam & ignis, id eſt, fulgura faciunt verbum ejus; nihilominus non malè ex hoc loco probatur Angelos rationales, creaturas eſſe incorporeas, Nam de illis clarè hunc locum interpretatur Paulus Heb. 1. Vide ibidem noſtrum Comment.

℣. 17. *Herodij domus dux eſt eorum.* Hebr. Ciconiæ domus in abietibus vel pinis. Altiſſimè enim Ciconiæ nidificant. Et aptè hoc ſubjungitur ei quod dixerat: *Illic paſſeres nidificabunt.* Vide tamen, ſi placet, de Herodio in Comment. Hieron. adſcripto.

℣. 25. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus.* Potentiam Dei declarat à magnitudine & vaſtitate maris. Græcè eſt ἐυρύχωρος, quæ eadem vox eſt Matth. 7. ubi dicitur: *Quam ſpatioſa via quæ ducit ad mortem.* Poteſt tamen eadem vox minimâ mutatione facta ſignificare (*latum manibus*) nempe ſi ſcribatur ἐυρύχειρος. Hebr. manifeſtè legitur (*latum manibus.*) Quod ut intelligatur; ſciendum, quod ſicut figuratè mari tribuuntur brachia & ſinus, etiam apud Ethnicos ſcriptores; ita hîc ſimili ſchemate mari tribuuntur manus, id eſt, fines & extremitates; & ſenſus ſit: Mare non tantùm capacitate magnum eſſe, ſed etiam longiſſimè manus ſuas & fines extendere. Fortè ſeptuaginta verterunt ἐυρύχειρος.

℣. 26. *Illic naves pertranſibunt, draco, quem formaſti ad illudendum ei, &c.* Hebr. *Leviathan*, de quo in libro Iob cap. 3. & 40. ubi dictum eſt Leviathan ad litteram ſignificare cetum marinum. De hoc piſce, quem ſcriptura vocat Leviathan, mira & abſurdiſſima fabulantur Hebræi; nos primo litteralem ſenſum, deinde ſeorſim myſticum ponemus. Illud (*ad illudendum ei*,) verti poteſt, *ad ludendum in eo*, ſcilicet mari. Et ſenſus eſt. Illic in mari ſunt animalia parva cum magnis; illic nimirum, ubi naves pertranſeunt: illic etiam eſt cetus ille marinus ingenti mole corporis, quem formaſti, ut in mari ludat, id eſt, natatu ſuo & circumgiratione velut ludum quemdam exerceat, ſicut etiam alij piſces in mari ludere ſolent. Et quod ad litteram de bellua aliqua proprij nominis intelligi debeat, patet ex verbis ſequentibus: Nam ſubjicitur. *Omnia à te expectant, ut des illis eſcam in tempore. Myſticè* autem idem ille intelligendus eſt, qui in libro Iob per Behemoth & Leviathan ſignificatur, ſcilicet Diabolus.

Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei. Nec ſignificatur tamen hîc Diabolum à Deo creatum fuiſſe malum, ſed tantum fuiſſe illum præcipuam quandam Dei creaturam: quem cum Deus præſciret peccaturum, voluiſſe tamen eum creare, quod ſciret quantum ſuis electis illius malitia ad virtutem eſſet profutura. Qua ratione fieret, ut ei à ſanctis, vel Angelis, vel hominibus conatus & machinationes ipſius fruſtrantibus, meritò illuderetur. Hanc rem pulchrè declarat Hilarius in ſerm. quodam de S. Iob; qui quidem non exſtat, ſed verba leguntur apud Auguſtin. lib. 2. cont. Iul. cap. 8.

℣. 32. *Qui tangit montes & fumigant.* Hieronymus ſcribens in Iſaiæ 4. putat hîc per fumum ſignificari gloriam, id eſt, nebulam lucidam, qua ſignificetur glorioſa Dei præſentia. Videtur enim Pſalmiſta reſpicere ad eam claritatem qua illuſtratus eſt mons Sina, quando in eum Dominus, legem populo laturus, deſcendit & quaſi tetigit.

PSALM. CIV.

℣. 3. L*Audamini in nomine ſancto ejus.* Heb. ſonat: *Laudate vos in nomine ſanctitatis ejus*, id eſt, gloriemini in nomine ſancto ejus. Nam qui gloriatur, laudat ſeipſum. Hoc autem non malè fit, quamdiu fit in nomine Domini, juxta illud: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* 2. Cor. 10.

℣. 18. *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſijt animam ejus.* Simile eſt illud Lucæ 2. ad Beatam Virginem. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, qua phraſi vehemens tantum, & acerbus dolor ſignificatur. Neque enim ex Hiſtoria Geneſis apparet Joſephum, de quo hic Pſalmiſta loquitur, ita malè in Ægypto tractatum, ut aliqua pars corporis ejus fuerit ferro perforata; ſicut nec de Deipara Virgine gladius corporalis accipitur; ſed tantùm prædicebatur à Simeone, eam ſuo tempore graviſſimis angoribus & triſtitiis exercendam.

PSALM. CV.

℣. 6. P*Eccavimus cū patribus noſtris, injuſtè egimus.* Ezechielis 18. reprehenduntur quidem qui dicebant: *Patres noſtri peccaverunt, & dentes filiorum obſtu-*

obſtupeſcunt. Sed hoc dicitur contra eos, qui ſe putabant innocentes. Alioqui Jeremias quoque Threnorum ultimo cap. ſic queritur: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus*, non tamen ſua vel populi peccata excludens; ſicut & hic manifeſtè utrumque exprimit Pſalmiſta, dum dicit: *Peccavimus cum patribus noſtris.*

℣.20. *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Rectius, *gloriam ejus*, nempe Dei, juxta illud ad Rom. 1. *Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Nam Græcè eſt *αὐτῶ*, non *αὐτῶν*. Hebraicè tamen videtur ſonare, *gloriam ſuam ipſorum*, ſed & ſic accipi poteſt pro gloria Dei, quandoquidem Deus illorum erat gloria. Pagninus itaque vertit quoque ex Hebræo (*gloriam ſuam*) Vide ad Rom. 1.

℣.28. *Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Hebr. ſonat: *adunati ſunt*, vel, ut ſic loquamur, adjugati ipſi Beelphegor, ita ut ei tenaciſſimè adhærerent. Et alluditur ad hiſtoriam Numerorum 25. ut etiam patet ex ſubjectis verbis de Phinées. Eadem phraſi dicitur ab Apoſtolo 2. Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Quod autem additur, *& comederunt ſacrificia mortuorum*, ſenſus eſt: & comederunt immolata mortuis, ſeu vita carentibus, ſcilicet Diis ipſorum. Nam Deus verus ſolus eſt Deus vivus.

℣.32. *Et vexatus eſt Moyſes propter eos quia exacerbaverunt ſpiritum ejus.* Vexatus eſt à Domino, quia excluſus à terra ſancta, quod Deum non ſanctificaſſet ad aquas contradictionis cujus peccati ejus, populi malitia dederat occaſionem. Hebr. eſt: *Et malum fuit Moyſi propter eos.* Vide Deut. 1. & 3. *Quia exacerbaverunt ſpiritum ejus.* Vel Moyſis, vel, ut mavult Janſenius, Domini. Deus enim exacerbatus incredulitate & rebellione populi etiam in Moyſen excanduit. Unde illa verba Moyſi, Deuter. 1. *Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit; Nec tu ingredieris illuc.*

PSALM. CVI.

℣.8. **C**Onfiteantur Domino miſericordia ejus & mirabilia ejus filiis hominum.* Hic verſus quater hoc Pſalmo reperitur; ſicut & ille, ſaltem paucis immutatis: *Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de neceſſitate eorum eripuit eos.* Cæterum tunc opera cenſentur Deo benedicere, aut confiteri, quando homines conſideratione operum Dei, & miſericordiarum ejus, excitantur ad laudandum Deum. Ita enim intelligendi quoque ſunt plerique verſus Cantici trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Quin facilior quoque & expeditior ſenſus occurrit, ſi ipſos Septuaginta & verſionem Hebræam inſpiciamus, idque tantum unius caſus mutatione; ſi videlicet, (*miſericordia*) mutetur in (*miſericordias*) quomodo ex Hebræo vertit Hieron. Vox Græca ambigui caſus eſt, cum ſit neutrius generis, ſicque etiam legi poterit: *Confiteantur Domino miſericordias ejus.* Et ſenſus erit: Homines ſupradicta mala à Deo liberati, confiteantur Domino miſericordias ejus, agnoſcant beneficia ab eo accepta; & mirabilia Dei confiteantur & prædicent apud filios hominum. Sicut dicit Angelus Tob. 12. *Coram omnibus viventibus confitemini ei.*

℣.26. *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos.* Hyperbole eſt, qualis & illa apud ethnicum Poëtam: *Iam jam tacturos ſydera ſumma putes.* & mox: *Iam iam viſuros tartara nigra putes.* *Myſticè* ſignificatum intelligi poteſt, quod in mari hujus ſæculi conſtituti fideles, modo per impulſum divinæ contemplationis, & caſtarum ſanctarumque cogitationum, quaſi in cœlum aſcendant, modo verò per tentationes turpium & malarum cogitationum, quibus ſæpe etiam caſtæ mentes graviter infeſtantur; deprimantur uſque ad infernum. Vel quia utrumque ad tempeſtates ventorum & impulſus undarum pertinet, per aſcenſum uſque ad cœlos intellige tentationem elationis & ſuperbiæ, per deſcenſum uſque ad abyſſos, tentationem fornicationis & immunditiæ. Bonavent. lib. 2. de perfect. relig. cap. 4. ſic exponit: Aſcendunt uſque ad cœlos per fiduciæ ſecuritatem; & rurſum, deſcendunt uſque ad abyſſos, per timorem ſuccumbendi in tentatione. Vel aſcendunt uſque ad cœlos aſpiciendo divinæ pietatis auxilium, & deſcendunt uſque ad abyſſos intuendo propriæ fragilitatis defectum.

℣.40. *Effuſa eſt contemptio ſuper Principes.* Manifeſtum eſt hoc loco legendum eſſe, *contemptio*, id eſt, deſpectio, vel vilipenſio; à verbo *contemno*, non *contentio* à *contendo.* Nam vox Græca ſignificat *nihilipenſionem.* Hebraïca quoque deſpectionem & contemptum; quomodo etiam vertit Hieron. Et ſenſus eſt: Deus effudit contemptum & abjectionem ſuper principes, id eſt, reddidit eos viles & cõtemptibiles, qui antea erant in ſumma authoritate. Et huic reſpondet, quod velut per antitheſim ſubjicitur. *Et adjuvit pauperẽ de inopia*, q. d. è cõtra eũ, qui anteà pauper & cõtemptus erat, ſublevavit de inopia, & ad magnam potentiam & gloriam evexit. Reperitur utrumque hemiſtichium Iob. 12. & indicatur his verbis idẽ illud quod B. Virgo in Cantico cecinit: *Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles.* Lucæ 2.

AD PSALM. CVII. Nihil erat annotatum.

PSALM. CVIII.

℣.3. **L**Ocuti ſunt adverſum me lingua doloſa.* Chriſtus in hoc Pſalmo de adverſario ſuo, nunc ſingulari numero loquitur, nunc plurali Nam immediatè præcedit: *quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.* Et ſequitur etiam mox v. 6. *Conſtitue ſuper eum peccatorem, & Diabolus ſtet à dextris ejus.* Unus ergo, intelligitur Judas proditor. (Nam de ipſo Petrus Act. 1. partem hujus Pſalmi citat.) Plures verò, intelliguntur Judæi, juxta quod ipſos quoque Stephanus Actor. 7. proditores Chriſti vocat. Judas enim Judæis Chriſtum tradidit, Judæi verò Pilato, ut ex Evangelio notum eſt.

℣.5. *Conſtitue ſuper eum peccatorem.* Rupertus in Matthæum libro decimo enumerat ex hoc Pſalmo triginta maledictiones Judæ, reſpondentes triginta denariis quibus vendidit Dominum.

Conſtitue ſuper eum peccatorem, id eſt, homo impius & peccator ſit eo ſuperior, dominetur ei, & ſit ei in caput.

Et Diabolus ſtet à dextris ejus, id eſt, calumniator vel adverſarius & hoſtis ejus (nam Græcè eſt Satan) prævaleat ei, & obtineat contra eum; ſive in pugna, ſive in judicio. Nam de judicio ſequitur: *Cum judicatur exeat condemnatus*, id eſt, causâ cadat, & pœnæ addicatur. Aliter accipitur ſtare à dextris in fine hujus Pſalmi, ubi dicitur de Deo: *Quia aſtitit à dextris pauperis ut ſalvam faceret à perſequentibus animam meam.* Aſtitit enim tanquam auxiliator & vindex. Vide annot. in Pſalmum proximè ſequentem, v. 3.

℣. 24. *Genua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter oleum.* Hebr. ſic: Poplites mei labârunt ſeu nutârunt à jejunio, id eſt, præ inedia. Porrò quod ſequitur: *Et caro mea immutata eſt propter oleum*, quidam ſic exponunt: Caro mea in maciem & ſtrigoſitatem mutata eſt propter defectum olei, id eſt, quia non amplius, ut ſolebam, carnem meam perunxi oleo; eo modo quo Dominus in Evangelio præcipit, *Unge oleo caput tuum, ne videaris hominibus jejunans.* Verum Hebræa alium ſenſum poſtulare videntur. Sic enim habent: *Et caro mea marcuit à pinguedine.*

vel

vel mentita eſt à pinguedine. q. d. Caro mea jam exhauſta eſt pinguedine ſua, amiſit omnem pinguedinem ſuam, & totus macie confectus ſum. Quanquam etiam ad priorem ſenſum Hebræa accommodari poſſunt.

PSALM. CIX.

℣. 1. D*ixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Pſalmum hunc ad Chriſtum pertinere, nulli Chriſtiano dubitare licet. Nam primus hic verſus ab ipſo Chriſto Matth. 22. Meſſiæ, ſeu Chriſto adſcribitur, quando quærit ex Scribis & Phariſæis, quomodo David Chriſtum vocet Dominum ſuum, his ipſis ſcilicet verbis; ſi filius ejus ſit. Qua interrogatione inſinuabat eis Chriſtus ſuam divinitatem, ſecundum quam erat Dominus Davidis; ſicut ſecundum carnem erat ejus filius. Deinde illud quoque, *Sede à dextris meis*, citat Apoſtolus & Chriſto attribuit ad Hebr. 1. Vide ibidem noſtrum comment.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Citat hoc & Chriſto attribuit Paulus 1. Corint. 15. *Oportet*, inquit, *illum regnare, donec ponat omnes inimicos ſuos ſub pedibus ejus. Quæres*, An tunc deſinet regnare, quando jam poſuerit eos ſub pedibus ejus? *Minimè*, nam de Chriſti regno dictum eſt in Daniele, *Poteſtas ejus poteſtas æterna, & regnum quod non auferetur.* Et Angelus ad Virginem Lucæ 1. *Et regni ejus non erit finis.* Sed hic locus oſtendit, quem uſum habeat vox iſta (*donec*) in Scriptura ſacra. Non enim ſignificat tempus, quo completo, deſinat illud, quod uſque ad tale tempus fieri, vel eſſe dicitur; ſed ſignificat uſque ad illud tempus fieri; ſive etiam poſteà fiat, ſive non. Itaque ſenſus eſt: *Sede à dextris meis*, id eſt, ſis conſors regni mei, gloriæ meæ, & omnium bonorum meorum; (quæ per dextram ſignificantur) etiam eo tempore, quo nondum ſubjugati ſunt omnes inimici tui; ſed adhuc hoc agitur, ut ſubjugentur & debellentur. Eſt autem hoc totum tempus militantis Eccleſiæ. Non autem quod poſteà deſinet ibi ſedere: Quin potius conſequens eſt, argumento à minori ſumpto, multo magis Chriſtum ſeſſurum ad dextram Patris, poſtquam debellatis inimicis regnum habebit omni modo pacatum. Id ergo addictum eſt his verbis quod minus erat veriſimile, & omiſſum illud, quod per ſe notum erat. Ex quibus intelligitur, quomodo etiam illud Matth. 1. de Joſepho & Maria ſimiliter exponendum ſit: *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Et quomodo inde non ſit conſequens quod poſtea cognoverit eam. Vide etiam noſtrum Comment. ad citatum cap. 15. 1. ad Corinth. & annot. ad citatum cap. 1. Matthæi.

℣. 4. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Hunc locum de ſacrificio altaris incruento omnes veteres conſtanter interpretantur, ut alij prolixè oſtenderunt. Imprimis inſignis locus eſt Cypriani lib. 2. Epiſt. 3. ubi hæc inter alia, Ut ergo, inquit, in Geneſi per Melchiſedech ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſet ritè celebrari; præcedit antè imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta; quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit; & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Hæc ille. Vide noſtrum Comment. ad Heb. 5. & 7.

℣. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Docet Calvinus in merito Chriſti nihil aliud noſſe Scripturam, quàm quod ad nos redit. Verùm hic locus docet Chriſtum etiam ſibi, ut homini, meruiſſe, Huc pertinent etiam illa: Lucæ 24. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam*: Et Philip. 2. *Humiliavit ſemetipſum, &c. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Senſus autem præſentis loci eſt: Copioſa erit effuſio ſanguinis inimicorum, ut ſanguis

A effuſus efficiat torrentem; de quo quis bibat: & quia tam inſignem de hoſtibus reportabit victoriam, *propterea exaltabit caput.* Sic Sasbout in caput 63. Iſaiæ. Alij ſic: De torrente ſeu aqua tribulationis & afflictionis bibet in via hujus ſæculi; propterea in vita æterna exſaltabit caput ſuper omnem creaturam. Qui ſenſus à ſcripturę phraſi minimè eſt alienus. Nam & *aquam* pro afflictione, ut Pſalm. 68. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ, &c.* Et *viam* pro vita præſenti, ejuſque actionibus, ut, *Beati immaculati in via*, ſæpiſſimè Scriptura accipit. Vide etiam quæ diximus in 3. diſtinct. 18.

PSALM. CX.

℣. 10. I*Nitium ſapientiæ timor Domini. Intellectus*
B *bonus omnibus facientibus eum. Quæritur* quo referatur (*eum.*) Alij dicunt eum, ſcilicet, intellectum, ut ſit ſenſus: Sapientia bona eſt omnibus amplectentibus & ſectantibus ſapientiam. Quidam legendum putant in fœminino (*eam*) ut referatur ad ſapientiam, de qua præcedit. Hieron. ex Hebr. ſic: *Doctrina bona cunctis qui faciunt eam.* In Græco, intellectus, ſapientia, & teſtamentum (quod longiuſculè præcedit) omnia ſunt ejuſdem generis, & relativum ad omnia illa æquè referri poteſt.

PSALM. CXI. Nullam habet Annotationem.

PSALM. CXII.

C ℣. 1. L*Audate pueri Dominum.* Pueros intellige non ætate ſed miniſterio, id eſt, ſervos vel miniſtros. Hebraïcè עבד quod hic Septuaginta παῖδες, ſed Pſalmo 133. & 134. ubi Hebraïcè eadem vox eſt, & ſimilis ſententia, verterunt δούλους. Pagninus ex Hebræo ſic vertit: *Laudate ſervi Domini, laudate nomen Domini.* Eſt autem ſchema ſermonis uſitatum Hebræis; maximè in canticis & verſibus, dum in priori parte verſus retinent nomen verbi, & ſuſpenſam relinquunt orationem, ut eam in poſteriori parte verbo repetito perficiant. Nam cum dictum eſſet, *Laudate ſervi Domini*, quaſi quæreretur, quid laudate? ſubjunxit, *Laudate nomen Domini.* Sic Pſalmo 28. *Afferte Domino Filij Dei*, quaſi quæreres, quid afferte Domino? ſubjecit,
D *Afferte Domino filios arietum.* Similiter & alij verterunt ex Hebræo, tametſi in Hieronymi verſione legatur, *Laudate ſervi Dominum*, niſi mendoſus ſit codex. Sic Pſalm. 133. *Ecce nunc benedicite Dominum omnes ſervi Domini.* Nec unquam *ſervum* cultorem Dei ſignificat in ſacris literis, niſi addatur genitivus, *Domini*, vel *Dei*, vel quid ſimile. Quare & Pſalm. 134. ubi idem habetur verſus cum iſto, partibus, ſeu colis tantum tranſpoſitis, hoc modo: *Laudate nomen Domini, laudate ſervi Dominum*, ex Hebræo vertunt, *ſervi Domini*, quod & Genebrardus ſnnotavit.

℣. 5. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat? & humilia reſpicit in cœlo & in terra.* Quomodo humilia reſpicit in cœlo; ubi omnia ſunt ſublimia, ubi
E nihil humile & abjectum? Sed rectè intelligitur de beatis illis ſpiritibus, qui omnem ſuam excellentiam & tam naturæ quàm gloriæ ſublimitatem per virtutem humilitatis acceptam referunt Deo. *Hebræa* alium ſenſum poſtulare videntur. Sic enim habent: *Qui ſe elevat ad habitandum; Qui ſe humiliat ad videndum in cœlo, & in terra.* Ac ſi dicat: Qui cum in altiſſimis habitet, non tamen rerum providentiam abjicit, ſed dignatur videre & curare non ea tantum quæ in cœlo, verùm hæc etiam quæ in terra ſunt. Eſt dictum contra eos qui dicebant Iob. 22. *Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Diverſus igitur hujus loci ſenſus eſt, ab illo Pſalm. 137. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Vide ejus loci Annotat.

PSALM. CXIII.

℣.2. F*Acta eſt Iudas ſanctificatio ejus, Iſraël poteſtas ejus.* Ex Hebræo ad verbum ita reddi poteſt: *Facta eſt Iudas in ſanctitatem ejus, Iſraël in poteſtatem ejus.* Senſus autem fit iſte: Tunc quando eduxit populum ſuum ex Ægypto, Judas, id eſt, populus Judaïcus (ut in una tribu eâque præcipuâ, totus populus intelligatur) Deo conſecratus eſt in populum ſanctum, & peculiarem, ſicut in Exodo & Deuteron. aliquoties repetitur: Tunc Iſraël factus eſt poteſtas ejus, vel in poteſtate ejus, id eſt, tunc populus Iſraël factus eſt regnum Dei; in quo ipſe regnaret, & in quo declararet coram gentibus magnitudinem potentiæ ſuæ.

℣.4. *Simulachra gentium, argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur, &c.* *Quæritur.* Anne hæc omnia etiam verè dici poſſint de imaginibus Chriſtianorum? Et omnino ita videtur, nam imagines noſtræ ſunt argentum & aurum opera manuum hominum, &c. & hos verſus hujus Pſalmi vehementer urgent hæretici contra Catholicos, quaſi hæc verba non modo valeant contra idola Paganorum, ſed etiam contra imagines ſanctorum. *Reſpondetur* non magis hæc valere contra imagines Chriſtianorum, quam contra imagines, quas vel Moyſes in tabernaculo, vel Salomon in templo, Deo jubente collocavit, & fieri juſſit. Cujuſmodi erant Cherubim, leunculi, boves aliaque ejuſmodi. Nam & de illis dici poterat, quod eſſent *argentum & aurum, opera manuum hominum, &c.* Quod ergo de illis reſpondetur, idem & de noſtris reſpondemus. Nam illa quidem nec mentem, nec ſenſum, nec motum habebant; ſed non erant ad hoc facta, ut colerentur, ſed tantum, vel ad ornatum, vel ad ſignificationem. Sic & noſtræ imagines neque loqui, neque palpare, neq; ambulare poſſunt; ſed nō ad hoc ſunt conſtitutæ in Eccleſia, ut ab iis beneficia expectentur; ſed ut ex earum inſpectione memoria nobis ingeratur Sanctorum, quorum ſunt imagines. Itaque imprecatio illa quam Propheta ſubjungit: *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis;* non magis in eas locum habet, quàm in imagines quæ erant in templo Judaïco: Cum nullam fiduciam nec Judæi, nec nos Chriſtiani collocemus in ligno & lapide, ſed tantum in re ſignificata.

℣.15. *Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Hebræa & Græca habent ſine præpoſitione *à Benedicti vos Domino.* Quomodo etiam Auguſtinus legit. Ita & Geneſ. 14. Melchiſedech dixiſſe legitur: *Benedictus Abraham Deo excelſo.* Et Judicum 17. ait mater Michæ: *Benedictus filius meus Domino*, & 2. Reg. 2. David ad viros Iabes Galaad, *Benedicti vos Domino*: Et ſenſus in his omnibus eſt optativus, hic, aut ſimilis; Benedicat, ſeu benefaciat Deus Abrahæ, &c. Quippe Dei benedicere, benefacere eſt. Nec ad ſenſum tamen intereſt etiamſi addatur præpoſitio, eamque ſanè Pagninus quoque adjecit hoc loco, & in libro Judicum, itemque 2. Reg. 2.

℣.17. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum. Sed nos qui vivimus benedicimus Domino, ex hoc, &c.* Similes ſunt ſententiæ in Cantico Ezechiæ, Iſaiæ 38. *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, &c. Vivens vivens ipſe confitebitur tibi ſicut & ego hodie.* Eccleſiaſtici 17. *Ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis & laudabis Deum.* Baruch. 2. *Non mortui qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt honorem & juſtificationem Domino.* Harum ſententiarum variè redditur ſenſus. Uno modo: mortui & damnati in infernum non te laudant, ſed viventes Deo, ſive in hoc ſæculo ſive in futuro. Secundò aliter, mortui ſecundum ſpiritum ſive corpore vivant ſive non, non te laudant. Tertiò aliter: Mortui non te laudant, ſi non prius in hac vita te laudaverint, ideoque dum vivimus, laudemus Dominum, ut & poſt mortem eum laudare poſſimus. Quartò aliter; Mortui, ut mortui, non laudant Dominum, quia ut mortui non ampliùs ſunt, ſed eſſe deſierunt; licet animæ adhuc exiſtant, Unde dicitur; *A mortuo quaſi nihil*, id eſt, tanquam ab eo qui jam non ſit, *perit confeſſio.* Quintò aliter: Mortui non te laudant eo modo quo viventes, nempe laudes tuas ore, lingua, & inſtrumentis muſicis decantantes, quomodo nos facimus convenientes in Eccleſiam ad laudandum Deum, & aliis etiam hominibus mirabilia ejus annuntiantes. Unde in Cantico Ezechiæ: *Non annuntiabunt qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.* Iſtud autem maximè verùm fuit ante paſſionem Chriſti, quando omnes mortui in infernum deſcendebant, ubi magis erat locus expectationis (de limbo patrum loquor) quàm laudis & confeſſionis. Vide Ianſenius in hunc Pſalm. & Eccleſiaſtici 17. Simile in Pſalm. 87. *Nunquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt*, ſupple eos, & ipſi ſuſcitati *confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & juſtitia tua in terra oblivionis?* Cum his conferendus quoque eſt locus Pſalmi 29. *Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?* Huic enim congruit ſenſus quartus ſuperius redditus; quia homo redactus in pulverem non amplius eſt homo; & ideo ſimpliciter non exiſtit, ſed corruptus eſt per mortem. Mors enim corruptio eſt animalis, etiam hominis: quod autem non eſt, non poteſt Deum laudare. Vide annotat. Eccleſiaſt. 9. Huc etiam pertinet illud Pſalmi 145. *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero*, ubi innuitur hominem ideo poſt mortem non laudare Deum quia tunc non eſt. Nam homo mortuus non eſt homo; & ideo ſcriptura benè propriè loquitur, quando dicit nos poſt mortem non laudaturos Deum; quia tunc non ſumus. Quod autem Pſalmiſta non ſentiat mortuos Dei cultores nullo modo Deum laudaturos, oſtenditur ex Pſalmo 60. ubi dicit: *Sic benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi*; qui tamen ſciebat ſe non victurum in ſæculum ſæculi. Sunt & aliæ ſimiles ſententiæ in Pſalmis, ut Pſalm. 118. & maximè 144.

PSALM. CXIV.

℣.8. Q*Uia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione vivorum.* Similis prorſus concluſio Pſalm. 55. *Quoniam eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos de lapſu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.* Simul autem utriuſque loci collatione, intelligitur, quodnam ibi lumen viventium, & quæ hîc dicatur regio vivorum? ſcilicet beatitudo cœleſtis.

PSALM. CXV.

℣.10. C*Redidi propter quod locutus ſum.* Nemo miretur hîc aſcriptum verſum decimum, cum apud nos ſit Pſalmi initium. Nam hunc Pſalmum nectunt Hebræi ſuperiori, & pro uno recitant. Sed minus rectè: quia ſuperior Pſalmus deſinit in clauſula ſpei ac fiduciæ conſequendæ ſalutis. Cæterum citat hæc verba Apoſtolus 2. Cor. 4. cum ait: *Habentes eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt, Credidi, propter quod locutus ſum; & nos credimus, propter quod & loquimur.* Quibus verbis ſignificat Apoſtolus, quod

ſicut

ſicut propheta ex fide quam habebat divinis promiſſionibus, excitabatur ad confeſſionem, & celebrationem laudis divinæ; ita nos fideles per fidem excitari debeamus ad ejuſdem fidei confeſſionem, & prædicationem, etiamſi ea confeſſio & prædicatio non careat periculo propter inimicos fidei. Senſus igitur eſt: Credidi firmiter tuis promiſſionibus ad me factis, propterea os meum aperui ad laudem tuam, & confeſſionem bonitatis tuæ; etiamſi mihi inde provenerit perſecutio, per quam ab inimicis meis humiliatus, & anguſtiatus ſum nimis. Vide noſtra loco citato.

℣. 11. *Ego dixi in exceſſu meo, Omnis homo mendax.* Quid per exceſſum hic intelligi debeat, ambiguum eſt. Vox Græca ἐκστάσει ſignificat exceſſum mentis, qualis eſt hominis attoniti & ſtupentis. Vox Hebræa magis ſignificare videtur exceſſum corporis. Significat etiam ſubitam feſtinationem, ac præcipitem fugam. Quare cum talis fuga ferè cum ſtupore mentis conjuncta ſit, poteſt hic utrumque ſimul intelligi; Videlicet fuga corporalis conjuncta cum mentis ſtupore, & perturbatione. Qui enim ſubitò fugere coguntur, plerumque ſunt inopes conſilij, & animo valdè perturbato. Pro (*mendax*) Hebr. eſt (*mendacium.*) Senſus ergo eſt: Cum perſecutionem paterer ab hoſtibus meis, & fugam arriperem, eſſemque proinde animo valdè perplexus & perturbatus, cogitavi mecum unde peterem mihi auxilium. Cogitanti autem de auxilio humano; ſane dixi, *Omnis homo mendax*, id eſt, vanus, & cui non ſit fidendum; quia facilè fieri poteſt, ut vel nequeat juvare, vel confidentem in ſe deſerat. Proindè confugi ad auxilium Dei, qui ſolus omnia poteſt; & qui neque falli neque fallere poteſt; & dixi: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Ubi calix ab aliis intelligitur, tribulationis; ab aliis, & rectius, confeſſionis & laudis. Vovet enim his verbis Deo ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, ſi è tribulatione eripiatur.

AD PSALM. CXVI. Nihil erat annotatum.

PSALM. CXVII.

℣. 5. O *Domine ſalvum me fac.* Illud (*me*) non eſt in Hebræo nec Græco, & nonnullis MSS. Senſus eſt. O Domine, ſalvum fac regem, ut eſt in pſalm. 19. Vel, ſalvum fac lapidem illum Chriſtum, qui faciat utraque unum; & proſpera regnum ejus. Eſt enim manifeſta prophetia de Chriſto ejuſque regno, ut patet Matth. 23. ubi de hoc plura. Secundum noſtram lectionem *Salvum fac*, ſenſus eſt, ut David de ſe loquatur in perſona Chriſti.

℣. 22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud & eſt mirabile in oculis noſtris.* Locum hunc de Chriſto intelligendum eſſe patet ex Act. cap. 14. verſ. 11. & ex 1. Epiſtolæ ſancti Petri cap. 2. ubi locum hunc adducit ſanctus Petrus, & de Chriſto exponit. Vide ibidem noſtrum comment.

PSALM. CXVIII.

BEATI IMMACULATI IN VIA, &c.

ALEPH.

PSalmus hic Hebr. ſcriptus eſt per alphabetum, ſic ut ſingulæ litteræ alphabeti unum perficiant octonarium. Totus pſalmus moralis eſt, complectens encomium legis divinæ, ex cujus obſervatione dependeat ſalus & beatitudo hominis; & quàm firmum præſidium ſit lex Dei adverſus omnia mala: Notandum autem quod in toto hoc pſalmo nullus eſt verſus, in quo non lex Dei nominetur, vel ſub ipſo nomine legis, vel ſub

A alio nomine idem ferè ſignificante: Cujuſmodi ſunt hæc vocabula, mandatum, præceptum, judicium, juſtitia, juſtificatio, via, teſtimonium, ſermo, verbum, eloquium, ordinatio. Quod autem propheta omnibus iſtis vocabulis legem, aut mandata legis voluerit ſignificare, facilè quiſque deprehendet, ſi in ſingulis verſibus pro quolibet iſtorum vocabulorum legem ſubſtituat. Id enim ſi faciat; nihilominus clarum & apertum ſenſum inveniet, imò in quibuſdam etiam clariorem.

Item obſervavi in hoc pſalm. 118. omnes verſiculos ad Deum dirigi, id eſt, ſermonem eſſe prophetæ Deum alloquentis, exceptis tribus primis verſibus, in quibus de Deo loquitur in tertia perſona, qui ſunt quaſi præparatorij ad reliquum corpus hujus Pſalmi, tanquam orationis cujuſdam ad Deum dirigendæ; & ex-
B cepto tertio verſiculo Samech, in quo facit apoſtrophen ad malignos impedientes meditationem legis divinæ, cum ait: *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei.*

℣. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Iſte verſiculus, imò totus ille Pſalmus vehementer adverſatur doctrinæ hæreticorum hujus temporis de Juſtificatione. Docent enim juſtificationem noſtram conſiſtere in ſola continua remiſſione peccatorum, non in operatione virtutum: Contrà verò pſalmus iſte, docens, in quo ſita ſit hominis fœlicitas, id eſt, juſtitia hujus vitæ; vix uſquam meminit remiſſionis peccatorum, ſed paſſim beatitudinem collocat in obſervantia mandatorum Dei; idque facit primo hoc verſu quo dicit *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege*
C *Domini.* Et tantum abeſt ut omnia opera hominis juſtificati vocet peccata, (ut faciunt hæretici) ut juſtificatum hominem potius appellet ſtatim in ſuo exordio *immaculatum.* Non quod aliquis vivat ſine peccato, ſed quia rectè immaculati dicuntur, qui coram Deo ſine crimine, & coram hominibus vivunt ſine querela. Hinc pſalm. 18. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Græcè *magno*, id eſt, mortali. Ecce quomodo qui à peccato mortali mundi ſunt, immaculati vocantur in ſcriptura.

BETH.

℣ 13. IN *labiis meis pronunciavi omnia judicia oris*
D *tui.* Quomodo huic ſententiæ non adverſetur illud Apoſtoli ad Rom. 11. *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, &c.* pulchrè exponit Gregor. lib. 1. dialog. cap. 16. ac dicit prophetam in labiis ſuis pronuntiaſſe omnia judicia, non ſimpliciter, ſed oris Dei, id eſt, quæ Deus locutus eſt homini, non autem ea quæ Deus tacet, & occulta eſſe vult. Itaque Sancti, inquit, judicia quæ Deus tacet, neſciunt; quæ Deus loquitur, ſciunt.

GIMEL.

℣. 17. R*Etribue ſervo tuo, vivifica me, & cuſtodiam ſermones tuos. Quæres.* Quid petit ſibi retribui? *Dicendum*, quod phraſi Hebraïca retributio frequenter accipitur pro datione, ſeu donatione liberali, &
E gratuita; ſicut reſpondere pro eloqui. Unde illud: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* id eſt, pro omnibus beneficiis quæ dedit & tam liberaliter in me contulit? Senſus igitur eſt: *Retribue ſervo tuo*, quaſi dicat hoc beneficium mihi ſervo tuo conferas, ut vivam. Et quidem ſi me vivificaveris, cuſtodiam verba tua. Verba ſunt hominis juſti petentis ampliorem juſtitiam, & vitam.

VAU.

℣. 48. E*T levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi.* Levat homo manus ſuas ad mandata Dei, quæ diligit: quando ſic ea diligit, ut etiam ſan-

ſanctis operibus exequatur. Levat autem manus, quia ad ea opera implenda, divinum deſuper auxilium expectat. Et rectè. Nam ſi, teſte Apoſtolo, non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis 2. Corinth. 3. quanto minus aliquid boni facere? Vide ſi placet comment. noſtrum ad citatum Apoſtoli locum.

LAMED.

℣. 91. **O***rdinatione tua perſeverat dies, Quoniam omnia ſerviunt tibi.* Pro *ordinatione*, Hebr. eſt, *judicio*, quaſi dicat; lege tua, & ordinatione, etiam dies diei ſuccedit poſt intermediam noctem. *Quoniam omnia ſerviunt tibi*, vel voluntate, vel neceſſitate, ait Bonaventura lib. 1. de perfect. religioſ. cap. 22. Nam etiam mali, Deoque rebelles, Deo ſubſerviunt; dum vel juſta punitione, vel gratuita condonatione Deus, ut juſtus, & miſericors agnoſcitur & glorificatur.

℣. 96. *Omnis conſummationis vidi finem, Latum mandatum tuum nimis.* Ex Hebræo verti poteſt: *Omnis perfectionis vidi finem.* Cujus ſenſus hic reddi poteſt. Vidi res omnes, quantumcunque perfectiſſimas, & conſummatiſſimas in hoc ſæculo, tandem finem aliquem habere: quaſi dicat, Nihil, quantumcumque perfectum in rebus humanis, eſt perpetuum, ſed tandem aliquo fine concluditur. At verò, *Latum mandatum tuum nimis*, id eſt, lex tua ſola infinita eſt, tantamque habet latitudinem, ut fine, aut menſura aliqua comprehendi non poſſit. Atque hoc eſt, quod ſuprà dixit hoc eodem octonario; *In æternum Domine, verbum tuum permanet in cælo, In generationem & generationem veritas tua.* Dicuntur autem hæc ad commendationem legis Dei, comparatione omnium aliarum rerum. Nam lex Dei æterna eſt, cætera caduca, & tranſitoria. Huic ſimile eſt: *Cælum & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt*, tum vulgatus ille verſiculus: *Omnia prætereunt, præter amare Deum.* Nam lex Dei amorem præcipit: Qui autem diligit, legem implevit.

MEM.

℣. 98. **S***uper inimicos meos prudentem me feciſti.* Quidam ſic intelligunt. Cum inimici ſoleant eſſe perſpicaciſſimi in notandis vitiis ejus, quem oderunt, ego tamen hanc eorum perſpicaciam ac diligentiam ſuperavi in perſcrutandis vitiis meis, & perveſtiganda vita mea, *Mandata tua*, id eſt, ex directione tui mandati & legis. At ſimplicior ſenſus iſte videtur: Licet inimici mei aliis nominibus, velut induſtria artium humanarum, ac peritia rei bellicæ me ſuperent, me tamen eis ſuperiorem, doctiorem, prudentiorem feciſti *mandata tua*, id eſt, cognitione ac diligenti ſtudio præceptorum tuorum. Vide etiam pſalm. 145.

℣. 100. *Super ſenes intellexi.* Præcedit: *Super omnes docentes me intellexi.* Et ſignificat David ſe meditatione mandatorum Dei etiam præceptoribus ſuis doctiorem evaſiſſe. De hoc ſic Gregor. homil. 16. in Ezechiëlem; Sciendum eſt, quia per incrementa temporum crevit ſcientia ſpiritualium patrum. Plus namque Moyſes quàm Abraham, plus prophetæ quàm Moyſes, plus Apoſtoli quàm prophetæ in Dei ſcientia eruditi ſunt. Vide etiam noſtra in 3 diſtinct. 25 §. 3.

℣. 103. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* Quidam ſic, *ſuper mel ori meo*, id eſt, dulciora ſunt mihi eloquia tua quàm ori mel. Ita Genebrardus, Ianſenius & Cajetanus. At multo magis placet, ut quod facit Auguſtinus, fauces & os eodem referantur, ut ſicut fauces cordis intelligi oportet, ita & os cordis non corporis intelligamus. Eſt enim hæc conſtructio & ſententia. Quam dulcia faucibus interioribus mentis meæ ſunt eloquia tua: Certè ſuper mel

A dulcia ſunt ori interiori cordis mei. Non eſſet autem appoſitus ſermo, ſi ſic diceretur: Eloquia tua ſunt dulciora faucibus meis quàm mel dulce eſt ori meo. Nam ſi os corporale poſteriori loco ſignificabatur, oportebat priori loco vocabulum ponere ad animum pertinens, & dicere hoc vel ſimili modo: Eloquia tua ſunt dulciora cordi meo quàm mel ori meo.

NUN.

℣. 109. **A***nima mea in manibus meis ſemper:* quaſi dicat, verſor in magnis & continuis periculis, neque tamen legis tuæ ſum oblitus. Similis phraſis eſt Judicum 12. & 1. Regnum 19. Et hic ſenſus etiam explicatur per verſum ſequentem, cum dicit; B *Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi.* Cui quomodo conſonet, quod poſteà dicit in Tau, verſ. 176. *Erravi ſicut ovis quæ periit*, vide ibid.

℣. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Unus hic verſus duo deſtruit dogmata hæreticorum noſtri temporis. Quorum *alterum* eſt, Liberum arbitrium habere ſe merè paſſivè in bono opere, nec habere poteſtatem ſeſe inclinandi ad bonum, ſed tantum ſuſcipiendi gratiam, quæ operetur. Contra hoc enim dicit propheta: *Inclinavi egomet cor meum*; non quidem gratiam excludens, ſed liberi arbitrij vim activam aſtruens. *Alterum* eſt, Non eſſe benè operandum intuitu mercedis alicujus à Deo expectandæ, ſed, ut ajunt, liberali C animo, & gratis. Contra illud ergo ait propheta: *Inclinavi cor meum, &c. propter retributionem.* Et quæ eſt illa retributio? Indicat illam verſio Hieronym. ex Hebræo qui ſic vertit: *Inclinavi cor meum, ut facerem juſtitias tuas propter æternam retributionem.* Scilicet, ſervus eſt, & non filius, qui Deo ſervit propter temporalem retributionem, ſed qui ei ſervit propter æternam retributionem, quæ non eſt aliud quàm Deum cognoſcere, eoque frui; ille liberaliter amat Deum, ipſique ſervit, quia pro mercede non aliud quærit, quàm ipſum Deum; ut ei amore & cognitione perfecta conjungatur. Vide etiam ad illa verba Dei ad Abraham, Geneſ. 15. *Ego merces tua magna nimis.* Et noſtra in 1. diſtinct. 1. D §. 3.

AIN.

℣. 121. **F***eci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me.* En fiduciam bonorum operum coram Deo. Sic Ezechias, & Nehemias quoque, opera ſua bona allegant apud Deum. Nec verò aliud hic de ſe canit David, quàm quod de eo alibi ſcriptura teſtatur; feciſſe ſcilicet eum judicium & juſtitiam omni populo ſuo 2. Reg. 8. & 1. Paralip. 18.

PHE.

E ℣. 136. **E***xitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.* Hæc ſententia à pleriſque ita exponitur: Oculi mei ubertim lachrymas effuderunt præ doloris & pœnitentiæ magnitudine, quia videlicet iidem oculi legem tuam non cuſtodierunt, quia per eos tanquam per feneſtras mors animæ, id eſt, peccatum ſubintravit. Senſus quidem pius; ſed, ut apparet, non proprius hujus ſententiæ. Nam propheta toto hoc Pſalmo non induit perſonam hominis pœnitentis. Unde, ſicut initio dixi, nuſquam meminit remiſſionis peccatorum, neque in ea ponit beatitudinem; ſed perſonam repreſentat hominis juſti, qui propter juſtitiam patiatur perſecutionem, & nihilominus in lege Dei delectetur, & magno zelo accendatur contra peccatores, & qui in juſtitia cupiat

piat proficere. Unde & ille verſus Heth. 5. *Funes peccatorum circumplexi ſunt me*, quo videtur agnoſcere A peccata ſua quibus ſit circumplexus; non ita intelligendus eſt, quaſi genitivus (*peccatorum*) veniat à nominativo *peccatum*, ſed à nominativo, *peccator*, ut ex Græco & Hebr. eſt manifeſtum. Ut ſenſus ſit: Funes hominum impiorum me circumdederunt, id eſt, impij ſuis fraudibus & inſidiis me circumvenerunt, & tamen legem tuam non ſum oblitus? quomodo poſtea dicit hoc eodem pſalmo: *Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & à mandatis tuis non erravi*. Itaque & illud: *quia non cuſtodierunt legem tuam*, non ad oculos referendum eſt, Nam & illud ſatis impropriè diceretur, ſed ad homines impios, & ſuos inimicos; de quibus ſuprà & infrà ſæpè meminit. Et ſenſus eſt: Multum dolui, multum ploravi, & ex animo me malè habui, quod illi inimici mei, & B tui, non cuſtodierint legem tuam. Similes ſunt aliæ ſententiæ: *Tabeſcere me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua inimici mei*. Item, *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam*, quia eloquia tua non cuſtodierunt. Hujuſmodi ſententiis declarat zelum ſuum pro lege Domini quam inimici contemnebant.

S I N.

℣ 165. PAx multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. Non hoc ſignificat quod juſtus ſcandalizari non poſſit exemplis malis aliorum, ſed tantum commendatur hic fructus juſtitiæ; nempe habere pacem, & carere ſcandalo. Ut ſenſus ſit. Qui legem tuam diligunt, multa pace fruentur, & à ſcandalis, C id eſt, offenſionibus & nocumentis inimicorum liberi erunt, idque vel in hoc ſæculo, vel ſaltem in eo ſæculo, quod eſt tempus retributionis, id eſt, in vita futura. Simile quid ſignificatus pſalmo 90. de juſto homine. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*, id eſt, ne ulla res te lædat.

T A U.

℣. 176. ERravi ſicut ovis quæ periit, quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus. *Quæritur* quomodo ergo ſuperius verſ. 109. dixit: *Et legem tuam non ſum oblitus*? & verſu proximo: *& D mandatis tuis non erravi*? *Reſpondeo* hoc loco, ubi propheta dicit ſe erraſſe ſicut ovem quæ periit, non intelligitur error à mandatis Dei. Nam toto hoc pſalmo propheta loquitur, ut homo juſtus & mandata Dei obſervans, & in lege ejus ambulans, & proficiens; neque uſquam peccatum ſuum hic proponit, aut veniam petit; Sed erraſſe ſe dicit, id eſt, vagum & profugum fuiſſe, propter inſidias & perſecutiones hoſtium, quarum ſubinde meminit hoc pſalmo.

PSALM. CXIX.

℣. 3. QUid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam? Auguſt. exponit hoc modo: Quid dari tibi poſſit, aut apponi, quo te munias adver- E ſus linguam doloſam? q. d. lingua doloſa eſt malum immedicabile, & inevitabile, &, ſicut dicit Jacobus Apoſtolus, capite 3. *Linguam hominum nullus domare poteſt*. Huic ſatis convenit, quod ſequitur: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis*, ut intelligatur linguam etiam eſſe aliquid tale. Videlicet, ſicut ſagittæ acutæ ab homine potente & robuſto emiſſæ vitari non poſſunt; & ſicut carbones incendio omnia vaſtant; ita mala lingua omnia penetret, omnia vaſtet, & vitari non poſſit. Huic quoque ſimile eſt quod ait Jacobus ibidem: *Ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit! & lingua ignis eſt univerſitas iniquitatis*.

Poteſt & hic eſſe ſenſus: *Quid detur aut quid apponatur tibi?* id eſt, quod gravius malum dari aut apponi poſſet homini, quàm lingua doloſa? Ita enim ſubinde loquitur Scriptura: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*: Ex Hebræo offertur & alius ſenſus: ita enim legitur ad verbum: *Quid detur tibi, & quid apponatur tibi lingua doloſa?* ubi ſi (*lingua doloſa*) eſt nominativus, ſermo eſt ad impium doloſè loquentem. Ac ſi dicat: ô impie, quid dabit tibi, aut apponet tibi lingua doloſa? id eſt, quem fructum expectas ex calumniis & dolis, quibus me impetis? Si eſt vocativus, ſubaudiendum aliquid erit, hoc aut ſimili ſenſu. O lingua doloſa, quid det tibi Deus, aut apponat? id eſt, quo ſupplicio te juſtè & pro merito tuo puniat? Vide ſi placet noſtrum commentarium citato Iacobi loco.

℣. 6. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: cum loquebar illis, impugnabant me gratis*. Dicit Apoſtolus Rom. 12. *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Quod ergo hic dicitur: Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, intelligendum, quantum ex parte Davidis erat. Alioqui conſtat Davidem bella cum multis geſſiſſe, ſed ſcilicet, quorum ipſi hoſtes ſibi erant authores. Hebr. alia eſt diſtinctio, ſed ſenſus ferè eodem recidit, ſic enim habet: *Multum peregrina fuit anima mea cum odientibus pacem*. Deinde ſequitur: *Ego pacem, & cum loquebar, ipſi ad bellum*. Ut ſenſus ſit iſte: Ego ſtudebam paci, & loquebar cum illis pacificè, ſed illi ſtatim inſurgebant ad movendum mihi bellum. Vide ſi placet noſtrum comment. ad citatum locum ad Rom.

PSALM. CXX.

℣. 6. PEr diem ſol non uret te, neque luna per noctem? In poſteriori membro, vel ſubintelligendum eſt, ſcilicet per contrarium, neque luna erit quoque moleſta nocturno frigore, ſicut ſimiles phraſes ſunt Iacobi 1. & 1. Timoth. 4. Vel (*urere*) generale vocabulum accipiendum eſt, ſignificans quamcumque gravem & acerbam ſenſus moleſtiam, ſive à calore inferatur, ſive à frigore. Nam & frigus vehemens aliquando urere dicitur. Ita Geneſ. 31. capite, Iacob ait: *Nocte & die, æſtu urebar & gelu*. Similis phraſis eſt in ſerm. B. Auguſtini de Innocentibus, vel quiſquis author eſt cum dicit, primos illos martyrum flores hyeme exortos quandam perſecutionis pruinam decoxiſſe. Et apud Ovidium lib. 3. Triſt. eleg. 2. dum dicit: Plurima ſed pelago, terraque pericula paſſum, Uſtus ab aſſiduo frigore Pontus habet: & rurſum elegia 4. Me tenet aſtricto terra perusta gelu.

PSALM. CXXI.

℣. 4. IEruſalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipſum. Hebr. ſic; *Ieruſalem ædificata ut civitas, quæ juncta eſt ſibi ſimul*. Et interpretantur hoc quidam de ædificiis pulchro ordine inter ſe conjunctis. Alij verò, &, ni fallor, rectius, de unanimitate, & concordia civium, quæ ſolet eſſe civitatum laus maxima.

Nihil habebant quatuor pſalmi proximi, ſcilicet: CXXII. CXXIII. CXXIV. & CXXV.

PSALM. CXXVI.

℣. 4. SIcut ſagitta in manu potentis, ita filij excuſſorum. Illud (*excuſſorum*) eſt participium paſſivum præteriti temporis, ut patet ex Græco. Hieron. vertit; *Filij juventutis*. Vide etiam de *excuſſis* apud eundem Hieron. in Epiſtola ad Marcellam, ubi & alia quædam hujus pſalmi diſcutit.

℣. 5. *Beatus vir qui implevit deſiderium ſuum ex ipſis; non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta*. Græcè pluraliter; *Non confundentur, cum locuti fuerint*

rint inimicis ſuis in porta. Et ſic ſermo eſſet de filiis ejus, A quem dicit beatum. Vel etiam ipſe pater ſecundum noſtram lectionem non confundetur, maximè ſi reliquerit liberos probos, qui audeant & ipſi inimicis ſuis reſpondere, juxta illud Eccl. 11. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis ſuis agnoſcetur vir.*

PSALM. CXXVII.

℣. 2. L*Abores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Quæritur*, quomodo hoc verum ſit, cum ad maledictionem humani generis pertineat illud Geneſ. 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo? Reſpondeo* ad maledictionem pertinet, non quod veſcatur vel manducet panem ſuum, ſed quod il- B lo veſcatur in ſudore & labore, quia terram patitur rebellem, ſpinas & tribulos pro bono fructu germinantem. Sed hoc loco ſignificatur, quod eſt nihilominus Domini benedictio, ſi largus eſt proventus ſementis, ſi hoſtis non tollat, ſed ipſe qui ſeminat fruatur; ſicut & illud, de quo ſubjungitur, ſi uxorem habeat fœcundam, & jucundos liberos. Hoc enim ſignificant illa verba: *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filij tui ſicut novellæ olivarum, &c. Ecce ſic benedicetur homo qui timet Dominum.*

PSALM. CXXVIII.

℣. 3. S*Vpra dorſum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Pro eo (*fabricaverunt peccatores*) Hebr. eſt (*araverunt aratores*) C Vide Ianſenium. Quod autem nos habemus (*prolongaverunt iniquitatem ſuam.* Auguſt. legit & exponit (*longè fecerunt injuſtitiam ſuam.*) Sed rectius Græcam vocem reddidiſſe videtur noſter interpres. Nec etiam ſatis propriè dicitur: *longè fecerunt iniquitatem ſuam peccatores*, cum de iis pſalm. 118. ſcriptum ſit: *Appropinquaverunt iniquitati peccatores, à lege autem tua longe facti ſunt.* Sed ſecundum noſtram verſionem, *prolongaverunt iniquitatem ſuam*, id eſt, longam fecerunt, & longo tempore eam continuarunt.

AD PSALM. CXXIX. Nulla erat annotatio.

PSALM. CXXX.

D

℣. 2. S*I non humiliter ſentiebam, ſed exaltavi animam meam, Sicut ablactatus eſt ſuper matre ſua, ita retributio in anima mea.* Duos ſenſus hic refert Ianſenius in annotat. ad hunc pſalm. Præter quos, poteſt & tertius probabilis adferri hujuſmodi: Domine, ſi non humiliter de me, ac modeſtè ſenſi, ſi exaltavi per ſuperbiam animam meam; ſi non fui apud te, ſicut ablactatus ſuper matre ſua, ſemper ad matrem reſpiciens, & ab ea dependens; veniat pro merito ſuperbiæ meæ retributio in animam meam, id eſt, Deus me puniat, ut meritus ſum. Sic & pſalm. 7. dicitur: *Domine ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis, ſi reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.* Similia E quoque habentur Iob. 31. Hic ſenſus tertius eſt Chryſoſtom.

PSALM. CXXXI.

℣. 1. M*Emento Domine David & omnis manſuetudinis ejus.* Deſcribit ſtudium ac deſiderium ſuum, quo arcam Domini optavit introducere in locum à ſe præparatum. Repetit deinde promiſſiones ſibi à Deo factas de regni æternitate, & Chriſto venturo. Huc ſpectant illa verba verſ. 4. & 5. *Si dedero ſomnum oculis meis, &c. Donec inveniam locum Domino.* Pro eo quod habemus (*& omnis manſuetudinis ejus*) nonnulli ex Hebræo vertunt (*& omnis afflictionis ejus*) id eſt, laboris quem ſubiit, ut cultum ſui nominis amplificaret. Vide 1. Paralip. 15.

A ℣. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus.* Illud ad litteram videtur intelligendum de tabernaculo quod David præparaverat arcæ Domini, ut habemus 1. Paralipom. 15. Illud autem (*adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus*) Hebr. eſt, *Adorabimus ſcabellum pedum ejus.* Quid autem intelligatur per ſcabellum pedum ejus, indicat verſu ſequenti, dum dicit: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ.* Scilicet per ſcabellum pedum ejus intelligitur arca Domini, quemadmodum etiam pſalm. 98. ubi dicitur: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Myſticè* verò & tabernaculum Dei & arca Dei eſt ipſa Eccleſia, in qua ſola rectè & fructuosè Deus colitur & adoratur.

B ℣. 10. *Propter David ſervum tuum, non avertas faciem Chriſti tui.* Quidam in hoc verſu per David & Chriſtum, eundem intelligunt hoc ſenſu: *Non avertas faciem Chriſti tui*, id eſt, ne me Chriſtum tuum, ſeu unctum tuum repellas. Hoc ſenſu David peteret à Deo exaudiri commemoratione ſuæ devotionis, ſicut & v. 1. dicitur: *Memento Domine David, & omnis manſuetudinis ejus.* Sed utcumque ſe habeat iſte ſenſus, non eſt dubitandum ſublimiorem quoque ſenſum ſub velamine iſtorum verborum contineri. Auguſt. hoc modo interpretatur: Propter filium tuum, qui ex ſemine David naſciturus eſt, id eſt, propter Chriſtum, ne avertas faciem Chriſti tui, id eſt, ne notitiam Chriſti tui penitus à populo Judaico tollas, ut quamvis populus ipſe reprobandus ſit, tamen ex eo populo reliquiæ ſalvæ C fiant. Alij ſic intelligunt: *Propter David ſervum tuum.* id eſt, propter pietatem ejus: & religioſam erga te devotionem, non avertas faciem Chriſti tui Salomonis, q. d. ſuſcipe me Chriſtum tuum à te rege unctum, & conſerva propter Davidem patrem meum, qui tibi placuit. Vide 2. Paralip. 6. Et huic expoſitioni quoque favet quod ſequitur: *Iuravit Dominus David veritatem & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* In quibus tamen verbis fit tranſitus manifeſtus à regno temporali ad regnum Chriſti ſpirituale, quod eſt Eccleſia: Nam de ea tantum abſolutè verum eſt quod dicitur v. 14. *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.*

PSALM. CXXXII.

℣. 2. S*Icut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* Hebr. *Sicut unguentum bonum*, id eſt, præſtans. Hieron. vertit (*optimum.*) Meminit autem tantum ſummi ſacerdotis, quia ſolus ſummus ſacerdos præſtanti illo oleo ungebatur in ſua conſecratione, ut patet Exodi 29. & 30. Senſus igitur eſt. Sicut tale unguentum præſtantiſſimi odoris effuſum ſuaviſſimè redolet, ita res eſt longè jucundiſſima, & Deo gratiſſima, fratres concordes eſſe, & habitare in unum. Cæterum quod ſubjungitur: *Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus*, intelligendum non de ora in- E feriori, ſed ſuperiori, per quam caput inſeritur. Nam Hebr. ſonat: *Quod deſcendit ſuper os veſtimenti ejus.* Illud autem foramen, per quod caput inſeri ſolet, os veſtimenti apud Hebr. vocatur. In eam enim partem ex barba, proximè defluebat unguentum in caput ſummi ſacerdotis effuſum.

℣. 3. *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Hermon mons eſt, (quemadmodum etiam Auguſt. teſtatur) longè diſſitus à monte Sion, eoque etiam multo humilior, ut ſecundum litteram fieri non poſſet ut ros ex Hermon deſcenderet in Sion, ſed, ſi eò veniret, potius deberet aſcendere, cum Sion ſit altior. *Quæritur* ergo quomodo hic dicatur: Sicut ros, &c. Auguſtinus confugit ad ſenſum myſticum & ſpiritualem. Non quidem malè; ſed primum fundare oportet ſenſum litteralem, cui ſuperſtruatur

ſtruatur allegoria ; & videndum, quomodo non abſurdè dicatur : *Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.* Dicendum igitur in Hebræo ſermone eſſe frequentes ellipſes, id eſt, defectus, ſeu hiatus ſermonis, ut ſæpe ad habendum plenum & commodum ſenſum, aliquid ſit ſubaudiendum. Ita hoc loco ſermo ita ſupplendus eſt : *Sicut ros Hermon*, id eſt, qui deſcendit in montem Hermon, & ſicut ros, *qui deſcendit in montem Sion* ; ſic ſcilicet bonum & jucundum eſt habitare fratres in unum. Proindè non ſignificatur unum numero rorem deſcendere in Hermon ac deinde in montem Sion : ſed comparatio ſumitur ab utroque & eo qui deſcendit in montem Hermon & eo qui deſcendit in montem Sion. Et ſenſus eſt. Sicut ros deſcendens in montes illos gratiſſimus eſt, ſimul & ſuaviſſimus, ita concors & unanimis cohabitatio fratrum, res eſt longè jucundiſſima. A B

℣.4. *Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem & vitam uſque in ſæculum.* Poteſt hoc referri ad primum verſum, ut illic, id eſt, in concordi fraternitate Dominus intelligatur mandaſſe benedictionem & vitam ſempiternam. Sed magis videtur referendũ ad id quod proximè præcedit, id eſt, ad montem Sion, per quem more Scripturæ ſignificatur Ieruſalem, ipſaque Iudæa veri Dei cultrix. Solet enim pſalmiſta Sioni, Iſraëli, Ieruſalem benè precari in fine pſalmorum, ut nominatim videre eſt in his canticis graduum, ſcilicet pſ. 124. 127. Ezech. 133. 134. Adde quod in pſalmo qui hunc proximè antecedit, ſimilia quædam de Sione ſcribuntur ; *Quoniam* (inquit) *elegit Dominus* Sion, *elegit eam in habitationem ſibi, Hæc requies mea in ſæculum ſæculi.* C

Ad Psalm. CXXXIII. Nulla habebatur annot.

PSALM. CXXXIV.

℣.14. *Q*Via judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis deprecabitur.* Nota verbum (*deprecabitur*) ſumendum eſſe paſſivè pro (*exorabitur*) eodem modo, ſicut alibi frequenter oſtendimus paſſivè quoque ſumi, *meditari, operari, recordari*, & ſimilia.

PSALM. CXXXV.

℣.1. *C*Onfitemini Domino, quoniam bonus, &c.* Itidemque verſ. 2. & 3. reperitur. Quâ phraſi confeſſio laudis ſignificatur, ſicut & alibi in Scripturis ſæpè, præcipue in pſalmis. Et notandum eam laudem, quæ confeſſio vocatur, ſoli Deo in Scripturis tribui, cum hominibus ſimplex laus tribuatur, ut Eccl. 44. *Laudemus viros glorioſos* & alibi, ſcilicet quia confiteri Deo, & Deo dare laudes, eſt cum grata animi recordatione fateri & agnoſcere magnitudinem & præſtantiam divinitatis eius ; cui à nobis nec dicendo, nec cogitando quicquam ſuperaddi poteſt, cum Dei natura comprehendat omnem perfectionem. Hinc ſcilicet cauſa adjungitur : *Quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius.* Ubi alij vertunt, Quoniam benignitas eius ſempiterna eſt. D

℣.5. *Qui fecit cælos in intellectu.* Caietanus hæc verba ſic aliquo modo accipi poſſe putat, ut ſignificentur, cœlos à Deo factos in intellectu, id eſt, intelligentes, & ut Philoſophi quidam docuerunt, animatos ac mente præditos. Sed non advertit phraſim eſſe Hebræam, qua ſignificatum eſt cœlos à Deo factos ſumma arte & ſapientia. Quomodo Scriptum eſt Ieremiæ 10. v. 12. *Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cælos.* Quo loco, quod interpres vertit *prudentiam*, idem eſt in Hebræo vocabulum, cum eo quod hîc vertit, (*intellectum.*) Intellectus igitur non cœlorum, ſed ipſius Dei intelligendus eſt. E

Eſtij Annotat. in Script.

PSALM. CXXXVI.

℣.1. *S*Vper flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cum recordaremur Sion.* Non videtur hic pſalmus à Davide conſcriptus, nec Davidis tempore ; ſed magis tempore captivitatis Babylonicæ. Hanc enim, ut præſentem ſonat totus pſalmus. Apud Septuaginta titulum habet : *Pſalmus David per Ieremiam.* Quamquam nec Hieremias videtur author, qui numquam ingreſſus eſt Babylonem, aut Chaldæam, niſi fortè eum à ſe compoſitum miſerit captivis Babyloniis cantandum, ſicut ſcripſit ſuos Threnos.

℣.5. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, oblivioni detur dextera mea.* q. d. obſtupeſcat mihi dextera, ne poſſit pulſare cytharam, aut aliud muſicum inſtrumentum. Alij malunt interpretari activè : *Obliviſcatur dextera mea*, ſcilicet artis pulſandi cytharam. Sed eodem recidit.

℣.7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem, qui dicunt : Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Supplenda eſt ſententia hoc vel ſimili modo ; Domine, memento Idumæorum, qualiter ſe geſſerint *in die Ieruſalem*, id eſt, tunc, quando Ieruſalem ab hoſtibus vaſtabatur, quomodo exultaverint & ad vaſtitatem noſtram manus comploſerint, dicentes : *Exinanite, exinanite, uſque ad fundamentum in ea*, id eſt, evertite Ieruſalem funditus : Memento, inquam, ad eorum juſtam vindictam & punitionem, ſicut & de Babyloniis ſequitur.

℣.8. *Filia Babylonis miſera ; beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis : Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.* Tuos, ſcilicet ipſorum Babyloniorum. Ita enim legendum eſſe, non (*ſuos*) rectè decreverunt Biblia Sixtina. Prædicit enim propheta Deum ita proſperaturum conatus Medorum & Perſarum contra Babylonios, ut abundè vindicent, quæ Babylonij commiſerant in Iudæos. Vide Ianſenij annotat. ubi profert ſimile quid, ex Iſaia. *Myſticè* parvuli iſti intelliguntur primi peccatorum motus ad petram Chriſtum allidendi.

PSALM. CXXXVII.

℣.2. *I*N conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Pro *Angelorum* Hebr. eſt *Elohim*, quod alij vertunt, *coram judicibus*, regibus, poteſtatibus. Quidam etiam *coram Dea*, id eſt, coram arca. Cui interpretationi favere videtur quod ſubnectitur : *Adorabo ad templum Sanctum tuum.*

℣.6. *Quoniam excelſus Dominus & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.* Hebr. *Et humilem videbit, & altum à longè cognoſcet.* Senſus eſt, quod quamquam Dominus ſit omnibus excelſior, omniaque ſua potentia latè complectatur, tamen pro immenſa ſua clementia, & benignitate, ad eos maximè ſe extendit, qui de ſe modeſtè & humiliter ſentiunt ; hoſque benedictione ſua & benignitate proſequitur, *Alta verò* id eſt, eos qui per ſuperbiam ſe efferunt, eorumque arrogantes cogitatus & conatus, cognoſcit quidem (cum omnia eius cognitioni pateant) ſed *cognoſcit à longe*, id eſt, velut eminus inſpicit, & aſpernatur, nec probat ea, ſed tantum ad puniendum ea ſcit, & obſervat.

℣.7. *Si ambulavero in medio tribulationis*, id eſt, per medias tribulationes ; quomodo quis dicitur ambulare per ſpinas. *Vivificabis me*, id eſt, in vita conſervabis me, periculis eripies me, conſueta phraſis Scripturæ, vivificare, pro, ſervare in vita.

PSALM. CXXXVIII.

℣.1. D*Omine probaſti me & cognoviſti me: tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam, &c.* Senſus eſt, tu me penitus exploratum & cognitum habes. Et ad litteram ſingula hic applicari poſſunt: *Tu cognoviſti ſeſſionem meam & reſurrectionem meam*, id eſt, omnes actiones meas, quas ago; ſive ſedeam, ſive ſurgam, ſive quodcumque aliud agam. Nam ſicut alibi per introitum, & exitum compendio ſignificentur omnes actiones hominis, ita hic per ſeſſionem & reſurrectionem. Vel per ſeſſionem quies ſignificatur (nam Hebræa vox quietem ſonat) per reſurrectionem verò actio. Quin ſubjungit propheta quoque quod perfectius eſt, dicens: B *Intellexiſti cogitationes meas de longe*, q.d. quin etiam procul intelligis cogitationes meas, & priuſquam cogitem aliquid facere, jam longè ante nota tibi eſt mea cogitatio.

Eccleſia primum verſum Chriſto accommodat. Hoc modo verba ſunt Chriſti ad Patrem, teſtantis Patri latam incarnationis ſuæ œconomiam imprimis ipſi cognitam fuiſſe & probatam. Vel hoc modo: *Probaſti me & cognoviſti*, id eſt, variis tribulationibus probatum & cognitum aliis feciſti. *Tu cognoviſti ſeſſionem meam*, id eſt, Cathedram meam & authoritatem docendi in me approbaſti, utpote à te acceptam: *Vel ſeſſionem meam*, id eſt, humilitatem paſſionis, *Et reſurrectionem meam*, id eſt, gloriam reſurrectionis, C qua poſt illam ſeſſionem & humilitatem paſſionis me coronaſti, & exaltaſti, uſque ad dexteram tuam.

℣.6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.* Clarior eſt B. Hieron. interpretatio ex Hebræo: *Super me eſt ſcientia, & excelſior eſt, non potero ad eam.* Hebr. ad verbum: (*Mirabilis ſcientia à me*) quod Hieron. vertit, ſuper me eſt ſcientia. Senſus eſt. Scientia tua, qua me formaſti, & omnia cognoviſti, adeò eſt admirabilis, ut longè ſit ſuprà me, & captum meum ſuperet. Et hoc eſt quod dicit: *Et non potero ad eam.* q.d. non poſſum eam aſſequi, nec comprehendere. Quò pertinet quoque quod ſequitur v. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur*, cuius ſenſum iſtum reddit idem Hieron. ſuper Amos 4. D Antequam conderer, priuſquam deformarer in membra, dum adhuc in ſemine continerer, viderunt & cognoverunt me oculi tui.

℣.24. *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.* Senſum hunc reddunt plerique: Vide num viæ & actiones meæ pravæ ſint tibique adverſæ. Quod ſi, uti ex teſtimonio bonæ conſcientiæ confido, tale non repeteris vitæ meæ inſtitutum, ſed rectum tuæque legi conſentaneum, *deduc me in via æterna*, id eſt, in viam æternam, vel, conſtanter me deduc in via non peritura, ſed ducente in viam æternam. Sciendum autem in Hebræo pro *via æterna* legi *viam ſæculi*, quam quidam interpretantur mortem quæ alibi vocatur via univerſæ carnis, & hunc volunt eſſe ſenſum: Vide num fecer iniquitatem; quod ſi ita E repereris, trade me in mortem: Quomodo dicit idem David pſalm 7. *Si eſt iniquitas in manibus meis, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Perſequatur inimicus animam meam: comprehendat & conculcet in terra vitam meam.*

PSALM. CXXXIX.

℣ 9. N*E tradas me Domine à deſiderio meo peccatori.* Secundum hanc noſtram lectionem, quæ ſumpta eſt ex verſione Septuaginta, poteſt hic reddi ſenſus, *Domine ne tradas me peccatori*, id eſt, A ne permittas, ut in eius poteſtatem veniam; & ille mihi dominetur, idque *à deſiderio meo*, id eſt, propter pravam meam concupiſcentiam; ſine qua non vivo, & quæ me aſſiduè impellit ad malum. Hoc eſt, ne ſinas me ſuperari à concupiſcentia mea, & ita venire in manus inimici, ut dicere poſſit, prævalui adverſus eum. In Hebræo paulo aliter legitur, & ſenſus clarior eſt. Sic vertit Hieronym. *Ne des Domine, deſideria impij.* Senſus eſt: Domine, ne facias impium deſideriorum ſuorum compotem. Et explicatur idem verbis ſequentibus: *Cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur.* Senſus enim eſt: Deſiderium eorum eſt, ut me perdant, ſed tu ne derelinquas me, ne fortè illi exaltentur, & prævaleant contra me.

B ℣.10. *Caput circuitus eorum, Labor labiorum ipſorum operiet eos. Caput circuitus*, id eſt, caput hoſtium undique me prementium, & circumvallantium. *Labor labiorum ipſorum*, id eſt, malum quod labiis ſuis & linguis virulentis mihi ſtruxerunt, operiet eos. Senſus itaque eſt iſte: Malum, quod mihi per calumnias ſtruxerunt, operiet & comprehendet caput circuitus eorum, id eſt, ducem & anteſignanum hoſtium me circundantium. Atque hunc volunt eſſe Doeg Idumæum; neque illum tamen tantum, ſed & omnes eius fautores. Quod verò ſit iſtud malum, explicatur verſu ſequenti.

℣.11. *Cadent ſuper eos carbones, in ignem dejicies eos, in miſerijs non ſubſiſtent.* Breviter ſignificentur C his verbis æterna ſupplicia impiorum. Et illud, *In miſeriis non ſubſiſtent*, hunc ſenſum habet: quaſi dicat: In tantas miſerias incidant, quas ſuſtinere non poſſint, ferre tamen debeant, Hieronym. ex Hebr. hoc modo: *In foveas, ut non conſurgant.* Ac ſi dicat; dejicies eos in foveam interitus æterni, è qua conſurgere ſeu emergere numquam poſſint. Alij ſic exponunt: In miſeriis numquam quietem habebunt, ſed alia ſuper aliam eis perpetua quadam viciſſitudine ſuperveniet. Sed hæc expoſitio non videtur fonti congruere.

AD PSALM. CXL. & CXLI. Nihil erat annotat.

PSALM. CXLII.

D

℣.2. E*T non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Hieron. ad illud ad Epheſios 1. *Sancti & immaculati*, duas adfert huius interpretationes. Videtur hic ſenſus eſſe: *Non intres in judicium cum ſervo tuo*, id eſt, ne velis exacto & ſevero judicio mecum contendere, nullam adhibendo miſericordiam. Nam id ſi facere velis, nullus mortalium erit, qui penitus abſolvatur; ita ut nullas debeat pœnas. Ut juſtificari, ſit abſolvi tanquam juſtum omninò, ac nulla ex parte culpabilem; & proinde nullius pœnæ debitorem. Talis autem homo nullus in hac vita reperitur. Et ſimile eſt illud pſalm. 129. *Si iniquitates obſervaveris, Domine, quis ſuſtinebit?* Auguſt. lib 2. de pecc. mer. cap. 19. cum E dixiſſet eum ſuos Sanctos in hac vita non ita ſanare, ut omninò careant vitiis & peccatis; ſubdit: Ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis eius, non juſtificetur in conſpectu eius omnis vivens. Sicut & Ambroſius in pſalm. 36.

Cæterum Hieronym. in epiſtol. ad Damaſum de filio prodigo ſic intelligit; Tui comparatione nemo juſtus erit, non Apoſtoli, non prophetæ, non Angeli, non Archangeli; quia ſolus Deus eſt, in quem peccatum non cadit, id eſt, cadere non poteſt. Sed non placet hic ſenſus, quia non diceret pſalmiſta de beatis illis ſpiritibus, ut apparet, quod non juſtificantur in conſpectu Dei; ſed id peculiariter dicit de homini-

hominibus in terra viventibus. Item illo ſenſu fatendum eſſe quod nec anima Chriſti coram Deo juſtificaretur : quia nec eius juſtitia cum ſit creatura donum comparanda eſt cum juſtitia Dei increata. Nec dicitur, tui comparatione ; ſed, *coram te*, id eſt, in judicio tuo, ſi velis intrare in judicium cum homine, id eſt, exactè judicare nihil diſſimulando. Similiter intelligenda videntur quæ habentur Iob 9. v.2. & 16. Vide ibidem Annotat.

PSALM. CXLIII.

℣. 12. Q*Vorum filij ſicut novella plantationes in juventute ſua : Filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ ut ſimilitudo templi*, &c. Hæc omnia, quæ ſequuntur uſque ad finem, ſecundum verſionem Septuaginta referri videntur ad filios alienos, id eſt, hoſtes populi Iſraël. Ita enim immediatè præcedit : *Et erue me de manu filiorum alienorum ; quorum os locutum eſt vanitatem quorum filij*, &c. Ita ſenſus erit. Filij alieni omnibus huius ſæculi bonis abundant, magna rerum ſuarum fruuntur proſperitate, omnia illis pro voto ſuccedunt, & in ea re poſitam putant fœlicitatem, & *Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt*, ſed verè, *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius*. q.d. Etiamſi illa bona temporalia nobis non adeſſent, eſſemus tamen illis feliciores, quia verum Deum colimus. Et hic eſt ſenſus ſecundum verſionem Septuaginta.

Cæterum in Hebræo longè aliter habemus. Quæcumque enim hîc de tertia perſona dicuntur, id eſt, de filijs alienis, ea omnia in Hebræo dicuntur in prima perſona, id eſt, ad populum Iſraël referuntur. Ita enim legitur interprete Hieronym. *Vt ſint filij noſtri ſicut novella plantationes, & filiæ noſtræ, & promptuaria noſtra*. Et ita manifeſtè habent codices Hebræi. Huius autem lectionis poteſt non incommodus ſenſus reddi, etiam coincidens cum ſenſu priori. Ac ſi dicat : Sicut eripis nos de manibus inimicorum ; ita etiam multa præſtas beneficia temporalia populo tuo ; quod videlicet filij & filiæ noſtræ in ſanitate, robore, & pulchritudine corporis adoleſcant, quod promptuaria plena ſint cibo & potu, quod greges ovium & armentorum multiplicentur, &c. Deinde ſequitur : *Et beatum populum cui hæc ſunt*, beatus, inquam, hominum carnalium opinione ; & revera beatus, loquendo de beatitudine huius ſæculi, quam carnales deſiderant : Sed hanc ſententiam corrigens propheta addit ; *Beatus populus cuius Dominus Deus eius*. q.d. etiamſi hæc omnia habemus, è quibus æſtimatur vulgò fœlicitas, ego tamen propterea magis beatos nos puto, quia Dominus eſt Deus noſter. Ipſe enim eſt ſummum & beatificum bonum, facit autem hominem beatum ſui cognitione & amore.

PSALM. CXLIV.

℣. 9. S*Vavis Dominus univerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Poſteriorem hanc partem quidam ſic intelligunt, ut opera miſericordiæ Dei ſuperent multitudine & magnitudine cætera eius opera. Sed hunc non eſſe ſenſum oſtendit membrum præcedens : *Suavis Dominus univerſis*. Significatur ergo miſericordiam, id eſt, bonitatem, benignitatem ſeu beneficentiam Dei extenſam, & expanſam eſſe ſuper omnia eius opera ; quia, quod ſint, quod permaneant, quod formam, ſpeciem, qualitatem, motum, actionem, & ordinem habeant, totum habent à Dei bonitate. Neque pugnant hæc verba cum illo Iacobi 2. *Iudicium ſine miſericordia illi qui non facit miſericordiam*, quia in hoc pſalmo, itemque pſalm. 118. ubi ſimilia verba habentur, tantum eſt ſermo de donis naturalibus : Sicut & Chriſtus dicit de patre ſuo cœleſti *quod ſolem*

Eſtij Annotat. in Script.

A *ſuum facit oriri ſuper juſtos & peccatores*. Vide noſtra in 4. Sentent. d.46.

℣. 13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*. Hic verſus non eſt in Hebræo. Cuius rei cauſam difficile eſt invenire. Ac videri poteſt in Hebræo aliquando fuiſſe. Incipit enim ſi Hebraicè reddatur, à littera Nun, quæ ſola deeſt alphabeto illi, quod decurrit per initiales litterales verſuum huius pſalmi. Sed quæ ratio potuit eſſe tollendi hunc verſum, ſi in Hebræo fuit ? maximè cum tam facile fuiſſet mox ablationem factam deprehendere ex violatione alphabeti ? Unde nullo modo fit veriſimile fuiſſe hunc verſum aliquando in Hebræo, licet, ut dixi, cauſam alphabeti ſuccisi reddere non ſit promptum nec facile. Vide de ea re Genebrardum
B conjecturam adferentem. Quod ſi Nun litteram omittere hoc loco voluit in odium Nabal, ſtolidi hominis inimici ſui, contra quem & pſalmum 13. ſcripſit ; quis dicat ?

PSALM. CXLV.

℣. 3. N*Olite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus*. Confidere in principibus, vel in homine, quod hîc prohibetur ; non eſt ſubſidium aliquod ab homine ſperare, aut expectare. Hoc enim ad humanam ſocietatem & charitatem mutuam pertinet, mutua officia præſtare, ac viciſſim expectare : Sed confidere dicitur in homine, qui ita
C ſpem ſuam in homine collocat, ut in eo principaliter nitatur, tamquam in ſimpliciter potente, veraci, ac fideli ad præſtandum beneficium ; atque ita confidens in homine, revocatur, aut impeditur à fiducia Dei, in quo principaliter confidendum eſt. Et talis incurrit maledictionem illam Ierem. 17. *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Deo recedit cor eius*. Proinde quiſquis ab homine beneficium expectat, duo conſiderare debet ; ſcilicet omnem hominem eſſe mendacem, id eſt, fieri poſſe, ut ſententiam mutet, & ſic non præſtet quod promiſit : Deinde etiam omnem hominem eſſe infirmum, id eſt, impediri poſſe, ut præſtare nequeat. Deus autem ſimpliciter verax eſt, ſimpliciter ſufficiens, & potens ; Ac proinde principaliter in eo fidendum.

D ℣. 4. *Exibit ſpiritus eius & revertetur in terram ſuam*. Eccl. ultim. dicitur : *Donec revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Quod ergo hîc dicitur : *& revertetur in terram ſuam*, non ad ſpiritum referendum eſt. Neque enim ſpiritus hominis eſt de terra, ut dici poſſit eum in terram reverti : Sed revertitur ad Deum tamquam judicem ſuum ut referat prout geſſit. Sed debet referri ad ipſum hominem, ſeu principem, de quo hîc ſermo eſt. Itaque ſenſus eſt. *Exibit ſpiritus eius*, nempe hominis aut principis ; *&* ipſe (homo, vel princeps) *revertetur in terram ſuam*, unde erat creatus. Revertetur autem in terram ſecundum corpus, non ſecundum animam. Nam ratione corporis dictum eſt primo parenti Geneſ. 3. *Donec revertaris in terram, de qua*
E *ſumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Vox Hebræa quę hoc loco terram ſignificat, ea eſt, à qua primus homo nominatus eſt Adam, quia de terra ſumptus erat. Unde Hieron. in Latina ſua verſione ſimilem ſervavit alluſionem. Vertit enim : *Revertatur in humum ſuam*. Nam ſicut Adam ab Adamach, id eſt, terra, ita homo ab humo dicitur apud Latinos. Præceſſerat autem in pſalmo (*in filijs hominum*,) ubi Hebr. eſt *Adam*. Et ad illud vocabulum voluit Pſalmiſta alludere.

PSALM. CXLVI.

ỳ.4. QVi *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Senſus eſt; quod Dei tanta eſt ſcientiæ, ut innumerabilem nobis ſtellarum multitudinem numeratam habeat; & poſſit ſingulis, ſi velit, nomina propria imponere. Intelligitur autem, quod ſimili modo quoque ſibi in numerato habeat ſuos electos, qui inſtar ſtellarum fulgebunt, quamquam jam variè diſperſos.

AD PSALM. CXLVII. non habebat Annotation.

PSALM. CXLVIII.

ỳ.4. L*Audate eum cæli cælorum, & aquæ quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen Domini.* Nituntur quidam ex hoc & ſimilibus locis definire, quæ ſint aquæ; de quibus dicitur Gen. 1. *quod ſint ſuprà firmamentum.* Sed infirma hæc ſunt. Nam in Cantico trium puerorum Daniel. 3. omninò alius ordo ſervatur. Itaque aut ex firmioribus de his eſt diſputandum, aut (quod magis cenſeo, & D. Thom. feciſſe videtur) res in medio eſt relinquenda. Vide annotat. dicto cap. Gen. 1.

ỳ.6. *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi.* Hæc de cœleſtibus corporibus, de quibus præcedit. Et quidem huic poſſit videri contrarium quod Petrus in 2. epiſt. cap. 3. v. 12. teſtetur cœlos perituros igni: *Cæli*, inquit, *ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent.* Sed ad hoc duobus modis reſponderi poteſt. *Vno modo*, ſi dicamus, Petrum loqui, non de cœlo propriè dicto, in quo ſunt luminaria cœli, ſed de cœlo aëreo, quod terræ vicinum eſt; à quo denominantur volucres cœli. Id enim apparet ex illis verbis, quibus ait v. 7. *Cæli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem judicij.* Scilicet cœlum ſtellatum non fuit poſt diluvium repoſitum ſimul cum terra & mari: Nam nullam immutationem paſſum fuerat per diluvium, ſicut mundus iſte inferior. *Aliter* etiam dici poteſt illam totius mundi combuſtionem non hoc effecturam, ut cœli deſinant eſſe, ſed ut cœleſtis creatura cum cæteris liberetur à ſervitute corruptionis, & velut aurum igne purgata commutetur in melius.

Præceptum poſuit, & non præteribit. Illud (*præteribit*) incertum eſt quo referri debeat: An ad Deum, an ad præceptum, an denique ad ipſam creaturam cæleſtem? Quidem ad Deum referunt hoc ſenſu: Deus poſuit orbibus illis præceptum quoad motus ordinatiſſimos, *& non præteribit*, id eſt, nec deinceps mutabit, ſed ordinem illum vult eſſe perpetuum. Alij ad ipſum præceptum referunt hoc ſenſu; Præceptum quod ſemel dedit *non præteribit*, id eſt, non ceſſabit.

A Poteſt nihilominus & ad ipſa cœleſtia corpora referri, de quibus dixit: *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi*, & immediatè ſubjungit, *præceptum poſuit & non præteribit.* Cui ſenſui ſuffragatur, quod è Græco verti poteſt numero plurali (*præteribunt*) eò quòd neutrum genus pluralis numeri præceſſerit. Hunc ſenſum confirmat ſimilis locus pſalm. 103. ubi dicitur: *Terminum poſuiſti eis, quem non transgredientur*, videlicet aquæ. Ita hîc præceptum poſuit, quod non præteribunt, videlicet cœli, quia leges motuum ſemel præſtitutas perpetuò ſervant.

PSALM. CXLIX.

B ỳ.1. C*Antate Domino canticum novum, laus eius in Eccleſia Sanctorum.* Auguſt. hunc pſalmum: Cantate vocibus, cantate oribus, cantate moribus, cantate Domino canticum novum. Et rectè additur: *Laus eius in Eccleſia Sanctorum.* Quia etſi mali quoque ſuo modo laudent Dominum, non eſt tamen ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et idem hîc pſalmiſta, pſalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras juſtitiam meam? &c.*

ỳ. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum.* Planè legendum (*exaltationes*) per primam vocalem, non (*exultationes*) per *u* vocalem ultimam, ut & Biblia Sixtinæ rectè reſtituerunt. Nam ita manifeſtè poſtu-

C lant Græca & Hebræa, & ex vetuſtis non pauca M.SS. Quin & in lect. 6. Feſti Aſſumptionis Beatæ Mariæ dudum ex Athanaſij ſermone quoque legitur (*exaltationes.*)

ỳ 9. *Vt faciant in eis judicium conſcriptum.* An quia in illo judicio ex libris judicabitur? id eſt, ex certiſſima ſcientia, ſicut Apoc. 20. dicitur: *Et libri aperti ſunt?* An quia ſententia omnium animis perfectiſſimè intimabitur, ac ſi ex ſcripto legeretur?

PSALM. CL.

ỳ.4. L*Audate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo.* Gregor. Homil. 8.

D pulchrè hunc verſiculum transfert, & accommodat ad ſenſum allegoricum.

ỳ. 6. *Omnis ſpiritus laudet Dominum.* Commodè accipiendum eſt univerſale ſignum (*Omnis.*) Non enim Dæmones, aut animæ damnatæ invitantur ad laudandum Deum, ſed omnes ſcilicet ſpiritus, tam beati, quàm qui ad beatitudinem tendere adhuc poſſunt, ubi in æternum Deum laudent. Græcè ſic ſonat, ut quidquid ſpirat, aut quidquid habet vocem, ea utatur ad laudandum Deum, ſive cum inſtrumento aliquo, cujuſmodi aliquot jam nominata ſunt, ut tuba, pſalterium, cythara, tympanum, cymbalum, organumque, ſive ſine inſtrumento artificiali, ut dum viva voce cantantes, Deum laudamus.

FINIS LIBRI PSALMORVM.

ANNO-

ANNOTATIONES IN LIBRUM PROVERBIORUM.

PRÆFATIUNCULA.

SEptuaginta interpretes librum hunc *Parabolarum* vocârunt; quod quidem nomen latius accipiendum eſt; ut ſignificet ſcilicet quaſcumque ſententias argutè & ſapienter dictas; ſive illæ obſcuritatem aliquam habeant ænigmaticam, aut quocumque modo figuralem; ſive etiam planę ſint, atque apertę. Latino vocabulo valdè appoſito *Sententia* dici poſſent, & liber ipſe *Liber Sententiarum*, quomodo & Proſper ex D. Auguſt. ſcriptis, Librũ Sententiarum collegit. Vide quoque Genebrardum in Pſalm. 48. ſuper illud; *Inclinabo in parabolam aurem meam:* Ubi ſignificatum Hebraicæ vocis (*Miſle*) explicat, & librum hunc Sententiarum ſimiliter vocat.

CAPUT PRIMUM.

℣. 7. T*Imor Domini principium ſapientiæ.* Nonnulli illud exponunt de timore filiali, quomodo Iob 28. dicitur: *Timor Domini ipſa eſt ſapientia.* Et Eccl. 1. *Plenitudo ſapientiæ timere Deum*, ut per principium intelligeretur, velut id quod præcipuum eſt. Verùm de timore juſti judicis, quem Scholaſtici vocant ſervilem, exponit quoque hunc locum Beda poſt Auguſt. tract. 9. in primam epiſt. Ioannis. Cui expoſitioni favet illud Eccl. 1. *Timor Domini expellit peccatum*, & illud Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Sanè hunc timorem etiam Paulus in ſua converſione ſenſit, teſtante Scriptura, dum ait de eodem, Act. 9. *Et tremens ac ſtupens dixit; Domine quid me vis facere?* Vide etiam Concil. Trident. Seſſ. 6. can. 8. & cap. 6.

℣. 17. *Fruſtra autem jacitur rete ante oculos pennatorum.* Quomodo hoc ad rem? cum loquatur de imperitis & incautis, qui facile capiuntur inſidiis. An vult eos ad ſapientiæ ſtudium invitare, ut laqueos inſidiantium tamquam oculati alites evadere poſſint? Vel potius, ex innocentia & imperitia iſtorum incautorum, exaggerat malitiam inſidiantium? ut illud (*fruſtrà*) idem ſit quod immeritò & ſine cauſa; quemadmodum alij ex Hebręo vertunt, quaſi dicat Sapiens: Inſidiatores iſti immerentibus & incautis parant inſidias, & eos irretire conantur. In Græco additur negatio, οὐ γὰρ ἀδίκως, id eſt, non enim injuſtè. Aliter, non enim fruſtra. Fortè melius; *Non enim impunè.* Nam vox Græca potius videtur ſignificare (*impunè*) quàm (*fruſtrà.*) Sic & paulò ante, v. 11. *Abſcondamus tendiculas contra inſontem fruſtrà*, id eſt, contra inſontem, immeritò.

℣. 26. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Vel ſignificatur quod divina ſapientia delectabitur, & placebit ſibi in ſua juſtitia, quam exercebit puniendo impios, qui noluerunt audire diſciplinam, (ſicut & pſal. 57. ſcriptum eſt: *Lætabitur juſtus, cum viderit vindictam, lavabit manus in ſanguine peccatoris.* Vel etiam dictum eſt ἀνθρωποπαθικῶς, id eſt, ſecundum ſimilitudinem affectuum humanorum. Sicut enim homines deridentes & ſubſannantes alios in periculo &
A miſeria conſtitutos, nolunt eos adjuvare, ſed eos deſerunt; ita & Deus nolens exaudire, neque adjuvare, ſed juſtè deſerens impios; dicitur ridere & ſubſannare in interitu eorum. Sic enim ſequitur: *Tunc invocabunt me, & non exaudiam, eò quòd exoſam habuerint diſciplinam.* Confer quæ ſunt Sapient. 5. atque etiam Ieremiæ 5.

CAPUT II.

℣. 4. S*I quæſieris eam quaſi pecuniam*; id eſt, tanto ſtudio quanto ſolent homines avari quærere pecuniam; quamvis alioqui longè maius ſtudium debeatur quærendę ſapientię quàm pecunię. Simile illud B Apoſtoli Rom. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis —— ita nunc exhibete, &c.* Vide ibid. noſtr. comment.

CAPUT III.

℣. 3. M*Iſericordia & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo.* Nota; Miſericordia & veritas in Scriptura Sacra nobis frequentius commendantur; & modò Deo tribuuntur, modò homini præcipiuntur. Deo tribuuntur in pſalmis: *Miſericordia & veritas præcedent faciem tuam.* Item, *Super miſericordia & veritate tua, ne quando dicant, &c.* Homini verò pręcipiuntur hoc loco. Eſt autem miſericordia Deo attributa, qua gratis, & ſine merito, imò homini malè merenti, vel gratiam vel quodcumque beneficium præſtat, vel aliquid promittere dignatur. Hæc C enim omnia abſolutè gratuita ſunt, & ſolùm ad miſericordiam pertinent. At è diverſo, veritas pertinet, vel ad præſtationem promiſſorum vel ad retributionem mercedis. Unde Deus verax dicitur, dum vitam juſtis, ſupplicia injuſtis rependit; Verax etiam, dum pœnitenti veniam donat; quia promiſit, juxta illud pſal. 50. *Vt juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Ecce enim veritatem dilexiſti.* Sic & miſericordia quæ homini præcipitur, ſpectatur in ijs officiis charitatis, quæ homo gratuito & ex benignitate præſtat proximo; Veritas autem in ijs, quæ ex debito & juſtitia, Deo, vel proximo impendit.

℣. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra eius divitiæ & gloria.* Hæc, inter alia, in laudibus Sapientiæ: Quibus verbis ſignificat Sapiens, ſapientiam adferre ſecum omnium rerum, quæ deſiderari D poſſunt, affluentiam; cujuſmodi maximè ſunt, longitudo vitæ, divitiæ & gloria. Non quod omnis, qui verè & Chriſtianè ſapiens eſt, hæc bona conſequatur: Hinc enim ſequeretur ſolos divites, & ſolos longævos & glorioſos ſapientes eſſe; quod eſt abſurdum, & contra Evangelicam doctrinam, quæ paupertatem præfert divitiis: Sed partim ſignificatur, ad quid valeat ſapientia, partim autem, & potius, ſub bonis corporalibus intelligenda ſunt ſpiritualia bona; quæ nobis præſtat vera & Chriſtiana ſapientia. Longitudinem verò vitæ, dexteræ attribuit, divitias autem & gloriam, ſiniſtrę; quia dextera in bonis, aut melioribus intelligitur, ſiniſtra in malis, aut minus bonis. Iam

verò longitudo vitæ inter bona temporalia præſtantius bonum eſt, quàm vel divitię, vel gloria huius ſęculi : hęc enim externa bona ſunt, longævus verò vigor & vita bonum internum.

CAPUT IV.

ỷ.7. P*Rincipium ſapientiæ, Poſſide ſapientiam.* Sententia obſcura, eò quòd non ſatis intelligatur, cui cohęreat illud, *principium ſapientiæ*. Quidam hoc modo interpretantur. Per principium ſapientię poſſide ſapientiam, id eſt, per timorem Domini, qui eſt principium ſapientię, compara tibi ſapientiam. q. d. Si ad ſapientiam pervenire velis, principium eius primò tibi comparandum eſt, nempe timor Domini, per quem ad ſapientiam pervenies. Alij hoc modo intelligunt : Principium ſapientię eſt illud, quod tibi pręcipio : nempe poſſide ſapientiam. q. d. hoc ipſum magnę eſt ſapientię, & velut principium ſapientię, ſi quis hoc agat & curet, & ad hoc laboret, ut poſſideat ſapientiam. Et hic ſenſus videtur probabilior ; & ita principium ſapientiæ intelligitur, vel initium, vel magna & præcipua pars ſapientiæ. Nam ex animo amare ſapientiam, & ad eam comparandam laborare, ipſius ſapientiæ opus eſt. Unde rectè quoque à gentilibus Philoſophis, ſapientia dicta eſt Philoſophia, id eſt, amor ſapientiæ ; & ipſi non ſe ſapientes, ſed modeſtiori vocabulo Philoſophos, id eſt, amatores ſapientiæ appellabant ; cum tamen & hoc ipſum vocabulum ſignificaret eos eſſe ſapientes.

ỷ.23. *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit.* Sicut à corde principium eſt vitæ corporalis, teſte Ariſtotele lib.2. de partibus animalium, c.10. & lib.3. c.4. & alibi ; Plinio lib.11. Hiſt. natural. cap.37. & alijs : ita à mente ſignificat Sapiens eſſe principium vitæ rationalis. Diſſentiunt quidem peripatetici poſteriores, quatenus in cerebro ſenſus tres interiores collocant ; ſed Ariſtotelem ſequitur Tertull. libr. de anima c.15. & dicit eam eſſe Chriſtianorum quoque ſententiam, fundatam in Scripturis ; itemque de reſurrect. carnis cap.15. Significat ergo Sapiens hac ſententia ipſam mentem noſtram, quæ eſt facultas cogitandi, intelligendi, ratiocinandi, eſſe principium bonarum omnium actionum, ſicut etiam malarum. Cui nec repugnat quod alibi voluntas hominis dicitur eſſe tale principium, intelligaturque ea per arborem bonam, vel malam ; de qua procedunt fructus boni, vel mali. Nam aliter voluntas, aliter mens ipſa principium eſt. Videlicet voluntas eſt principium executivum, mens autem cognitivum ; quia per cognitionem præviam dirigit voluntatem, eò quòd voluntas appetere nihil poſſit, niſi cognitum prius ab intellectu.

ỷ.27. *Vias enim, quæ à dextris ſunt, novit Dominus ; perverſæ vero ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt.* Totum hoc uſque ad finem capitis non eſt in Hebræo, ſed habetur apud Septuaginta & exponitur à Beda. Ut autem ſenſus congruat cum præcedentibus, ubi tam dextrum quàm ſiniſtrum in malam partem accipitur (ſic enim dicitur : *Ne declines ad dexteram, neque ad ſiniſtram,*) poteſt hoc modo intelligi : Vias, quæ à dextris ſunt, novit Dominus, quales ſint, ſcilicet, licet nobis ſæpè occultæ ſint, propter virtutis ſpeciem, & ſanctitatis hypocriſim : Quæ autem à ſiniſtris, illæ apertè malæ & perverſæ, atque diſtortæ ſunt. Nam illud (*novit Dominus*) non ſemper notitiam approbationis ſignificat, ſed interdum indicat etiam rem nobis occultam ; ut cum dicit Apoſtolus 2. Corint. 12. *Sive in corpore ſive extra corpus, neſcio ; Deus ſcit.* Et Pſalmiſta pſal.39. *Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt.* Quibus ſimilia ſunt 4. Regum 8. pſalm.43. Luc.16. & 1. Cor. 3.

CAPUT V.

ỷ.9. N*E des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli.* Poteſt duobus modis intelligi. Scilicet vel *prohibitivè* ; ut ſenſus ſit : *Noli omnino dare alienis honorem tuum, &c.* Vel *conſecutivè* ad præceptum præcedens, hoc modo : Longè recede à muliere impudica ; ne ſcilicet contingat tibi eius cauſa pati honoris tui, & ætatis detrimentum. Unde & ſequitur ſimili ſenſu : *Ne fortè impleantur extranei viribus tuis, &c.* Et hic ſenſus congruit veritati Hebraicæ, in qua ſic legitur : *Ne fortè des alienis honorem tuum.* Itaque per hæc incommoda deterret juvenem Sapiens à conſuetudine meretricia. Porrò illud (*alienis*) maſculinum eſt, ſicut & id quod ſequitur (*extranei.*) Deſignantur autem ſimul meretrices, lenones, paraſiti, alijque ſocij turpitudinis, quibus amator dat honorem ſuum & annos, quando propter eos, honorem ſuum proſtituit, & diſperdit ; & annos vitæ, & non ſolum opes ſuas diminuit.

ỷ.16. *Deriventur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas divide. Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui.* Videtur poſterior ſententia contradicere priori. Sed ſolvendum ; ut prior intelligatur de filiis ex conjugio gignendis ; poſterior de ipſa conjuge. Vel potius cum Ianſenio ; Poſterior ſententia monet hominem, ut tales ſtudeat habere proles, de quibus certus ſit, (ipſe caſtus vivens, nec dans occaſionem adulterij uxori) quod ipſius proles ſint ; & non ſpuriæ. Hoc enim indicare videntur hęc verba honeſto quodam involucro.

ỷ.18. *Lætare cum muliere adoleſcentiæ tuæ, &c.* Verba hęc accipienda ſunt non aliter quàm illa Pauli 1. Cor. 7. *Revertimini in idipſum.* Nempe ſicut Apoſtolus ibi ſe explicat ſubjungens : *Hoc autem dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperium* ; ita & Sapiens ſatis declarat, ſe non ob aliud iſta dicere, quàm ut vitetur adulterium. Docent hoc, tum pręcepta quę pręcedunt de vitanda muliere extranea, tum quod proximè ſequitur : *Quare ſeduceris, fili mi, ab aliena, & foveris in ſinu alterius?* & in libro Eccl. c.3. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.*

CAPUT VI.

ỷ. 1. F*Ili mi, ſi ſponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam. — Fac ergo quod dico tibi, & temetipſum libera.* Videtur Sapiens his verbis dehortari à ſponſione, ſeu fidejuſſione facienda in gratiam amici : id autem pugnare videtur cum charitate, quam pręcipit Chriſtus. Nam ſicut charitatis eſt, amico, aut cuicumque proximo egenti dare mutuum, ita multo magis eiuſdem charitatis officium eſſe videtur, pro eo apud creditorem ſpondere. Quomodo ergo Sapiens ab hoc officio charitatis deterret? *Reſpond.* Doctrina iſta non eſt charitati contraria. Nam charitas quidem monet aliquando eſſe fidejubendum pro amico in neceſſitate conſtituto ; ſed ſapiens tantum indicat duas circa fidejuſſionem cautelas. *Unam,* ne facilè, leviter, & pręcipitanter quis pro alio ſpondeat : Id enim qui faciunt, plerumque multis malis ſe & familiam ſuam involvunt ; & dum extraneos adjuvare volunt, ſeipſos, & liberos ſuos depauperant. Unde etiam apud ethnicos dictum cuiuſdam ſapientis celebratur : *Sponde ; noxa præſto eſt.* *Alteram,* ut qui fidejuſſit pro altero, det operam, ut quàm citiſſimè ab ea obligatione ſe liberet, excitando videlicet eum, pro quo ſpopondit, ut creditori ſatisfaciat.

ỷ.6. *Vade ad formicam, ô piger.* Opportunè adverſus pigros & otioſos homines adhibetur formicę exemplum, ſicut adverſus eos qui nimia ſollicitudine peccant, à Domino prolatum eſt exemplum volucrium

cœli

cœli Matth. 6. Sicut enim aliis exemplis ad regulam mediocritatis revocandi ſunt timidi, aliis audaces, item aliis profuſi, aliis tenaces & avari; & ſicut juſto celerius currenti dicitur, cohibe curſum, tardiori autem dicitur, propera: ſic alio exemplo piger, alio nimia laborans anxietate, & cura rei acquirendæ trahi debent ad medium virtutis & rectæ rationis, legiſque divinæ.

℣. 16. *Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius.* Pro (*ſeptimum*) Hebr. eſt (*ſeptem*) ut ſit ſenſus: Sex ſunt quæ odit Dominus; imò ſeptem ſunt quæ anima eius deteſtatur ſeu abominatur. Sic Iob 5. *In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima non tanget te malum.* Ubi ſimiliter in Hebræo eſt (*ſeptem*) ſic fortè etiam illud accipi poteſt, 1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*, ut ſit ſenſus. Propter tria ſcelera Damaſci, imò propter quatuor omninò eum expellam in captivitatem. Vide etiam infrà capite 30. ubi itidem pro (*quartum*) in Hebr. eſt (*quatuor.*)

℣. 30. *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit.* Comparat furtum adulterio, docens adulterium eſſe peccatum longè gravius furto. Non itaque negat Sapiens furtum eſſe magnum peccatum. Nam & Zachariæ 3. Dominus maledictionem furibus comminatur, & Apoſtol. 1. Corinth. 6. negat fures regnum Dei poſſeſſuros; ſed dicit Sapiens, furtum non eſſe grandem culpam, reſpectu adulterij; & maximè quando habet adjunctam circumſtantiam, de qua ſubjungit dicens: *Furatur enim, ut eſurientem expleat animam.*

℣. 20. *Conſerva fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Si lex matris carnalis retinenda eſt, quanto magis matris ſpiritualis, id eſt, Eccleſiæ; Et ſi mater carnalis poteſtatem habet præcipiendi aliquid filio ſuo, ſic ut in conſcientia & coram Deo filius teneatur obedire; quanto magis huiuſmodi poteſtas agnoſcenda eſt in matre ſpirituali?

Cap. vii. Nullam habebat annotationem.

CAPUT VIII.

℣. 15. PEr me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: Per me principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Quod ait Sapientia. *Per me reges regnant*, & rurſum: *Per me principes imperant*, vel ut Hebr. ſonant, per me Domini dominantur, poteſt duobus modis accipi. Videlicet, vel abſolutè, vel cum additamento. *Abſolutè*, hoc modo: Omnes reges, quicumque verè reges ſunt, id eſt, legitima via principatum adepti ſunt, vel ſaltem legitimè poſſident; per me regnant, id eſt, illam regnandi ſeu imperandi poteſtatem à me acceperunt, juxta illud Apoſtoli Rom. 13. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Cum additamento autem exponitur hoc modo: Reges per me regnant juſtè, id eſt, quod reges juſtè regnant, & ſicut oportet populum ſuum regunt; id habent à ſapientia eos regente & docente. Huic ſententiæ favent circumſtantiæ, quia addit, *Et legum conditores juſta decernunt* Et paulò pòſt: *Et potentes decernunt juſtitiam.* Secundum hunc ſenſum Salomon ſuo exemplo docet reges non aliunde quàm per ſapientiam hoc conſequi, ut populum in juſtitia & æquitate regnant. Auguſtinus lib. 5. de civit. cap. 19. priorem ſenſum habet, indicat tamen & aliter accipi poſſe.

℣. 17. *Ego diligentes me diligo*, id eſt, illis me præbeo, illos mei compotes facio, qui me diligunt non ſolo affectu animi, ſed re ipſa, id eſt, qui dant operam acquirendæ ſapientiæ, qui ſtudio ſapientiæ incumbunt & invigilant. Sequitur enim: *Et qui manè vigilant ad* A *me; invenient me.* Senſus igitur eſt, neminem acquirere ſapientiam niſi magno affectu, & ſtudio eam quærat.

℣. 22. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum &c.* Tametſi ſuperiora tribui poſſint ſapientiæ creatæ, cuius hîc velut perſonam quamdam introducit Sapiens, per eam figuram rethoricam, quæ dicitur proſopopœia, id eſt, perſonæ fictio; hîc tamen neceſſariò confitendum eſt, eum loqui de ſapientia Deo coæterna. Ea autem non alia eſt, quàm ipſe Deus, ac Dei filius, qui eſt ſapientia Patris. Neque enim eſt alia ſapientia, quæ dicere de ſe poſſit, *Ab æterno ordinata ſum.* Quod autem ſubjungit: *Et ego jam concepta* B *eram*, non ſic intelligendum, quaſi paulatim ex imperfecta evaſerit in ſapientiam perfectam: Sed, ſicut in divinis idem eſt cogitare, velle, dicere, facere (quæ omnia ſignificant æternam voluntatem Dei) ita & in generatione filij eadem ſunt, concipi, generari & naſci; iis enim vocibus nihil aliud ſignificatur, quàm æterna Filij Dei nativitas.

℣. 31. *Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Hoc dupliciter intelligi poteſt. *Uno modo*, ſicut dicitur illud pſalmo 103. *Lætabitur Dominus in operibus ſuis*; per quod ſignificatur Deo grata eſſe ſua opera, eoque unumquodque gratius, quò eſt præſtantius & nobilius. Unde quia homo eſt creatura rationalis, in qua ſingulariter relucet Sapientia Dei; hinc divina ſapientia delicias ſuas dicit eſſe cum filiis hominum. *Alio* C *modo*, ut iſtud referatur ad immenſum amorem, quo Filius Dei, ac Dei Sapientia hominem dilexit, ita ut cauſa eius ſalvandi ac redimendi, ſit incarnatus, & homo factus inter homines voluerit converſari. Quomodo autem ex hoc loco non ſequatur, Deum fore incarnandum, etiamſi homo non peccaſſet, diximus Commentario in librum tertium Sentent. diſtinctione primâ.

CAPUT IX.

℣. 1. SApientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem &c. Hæc referri poſſunt ad ſapientiam creatam, vel etiam increatam, id eſt, Filium Dei, qui eſt Sapientia Patris. Si ad ſapientiam creatam re- D ferantur hæc verba, dicta erunt per Proſopopœiam, nec non allegoricam quamdam, ut per hanc ſententiam, qua ait eam ſibi ædificaſſe domum & excidiſſe columnas ſeptem, id eſt, ædificaſſe domum ſumptuoſam, magnificam & benè firmam, non aliud ſignificetur, quàm ipſius ſapientiæ magnificentia, firmitas, decor, & ornamentum; ſicut & ſequentibus verbis, cum dicitur: *Immolavit victimas, & miſcuit vinum, propoſuit menſam*, id eſt, epulas inſtruxit, ſignificatur eiuſdem ſapientiæ gratiſſima & jucundiſſima poſſeſſio, ut meritò quilibet, ſive magnificentiam quærat & ornatum, ſive dilicias & caſtam voluptatem, pro ſapientia comparanda laborare debeat.

Non eſt tamen dubitandum quin vel litterali, vel ſaltem myſtico ſenſu hæc etiam pertineant ad ſapientiam E increatam, id eſt, Filium Dei. Sic enim ait ſanctus Ignatius in epiſt. ad Smyrnenſes: Verbum habitavit in carne. Sapientia enim ædificavit ſibi domum &c. Et tunc ſenſus eſt: Sapientia, id eſt, Filius Dei, ædificavit ſibi domum ipſam Eccleſiam, quam quidem ædificavit verbo & exemplo, cum in terris verſaretur. Et eam ita firmavit gratiæ ſuæ promiſſione, ut portæ inferi numquam adverſus eam ſint prævaliture. Porrò columnæ ſeptem, vel univerſitatem ſignificant Paſtorum atque Doctorum, quibus Eccleſia nititur, (quales maximè Apoſtoli & Prophetæ) vel ſeptem Spiritus Sancti dona, quibus Eccleſia perpetuò ſtabilitur.

℣.2. *Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Senſus eſt: *immolavit victimas ſuas*, nempè tam ſacrificium in cruce, quàm eius memoriale in cœna noviſſima; quæ quidem, etſi actione diverſa fuerunt, re tamen oblata, & virtute, unum idemque fuerunt & ſunt ſacrificium. *Miſcuit vinum* in calice benedictionis, de quo teſtatur Apoſtolus 1. Corinth. 10. quod *communicatio Sanguinis Chriſti eſt. Propoſuit menſam*, quia hæc myſteria ſuis fidelibus participanda exhibet in ea menſa, de qua Apoſtolus eodem loco ſubjungit: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Sanè de ſacro convivio cœnæ Dominicæ intellexit Cyprianus & Ambroſius lib. 1. de fide cap. 7.

℣.12. *Si ſapiens fueris, tibimetipſi eris.* Non pugnat hæc ſententia, cum alijs, quibus prohibetur, ne quis ſapiens ſit apud ſemetipſum. Proverb. 3. & Rom. 12. Ibi enim prohibemur, ne nobis placeamus, & ſapere videamur, & prudentiæ noſtræ nitentes, aliorum conſilia reſpuamus; Hìc verò docemur ſapientiam potiſſimum prodeſſe ei, qui eam habet, eaque utitur, ſicut illuſori (de quo ſubjungitur) ſua nocet malitia.

CAPUT X.

℣.3. NOn *affliget Dominus fame animam juſti.* Quidam ſic: Quamvis Dominus ſubinde permittat fame affligi juſtum, ſecundum corpus, non tamen ſecundum animam. Verus ſenſus eſt, ut per animam juſti ipſum juſtum intelligamus more Scripturæ Sacræ. Unde Pſalm. 104. de Ioſephi compedibus: *Ferrum pertranſijt animam eius*, & Gen. 46. *Anima egreſſa de femore Iacob*, id eſt, ipſi homines. Aut certè anima juſti, vita temporalis intelligitur. Declarat autem hæc ſententia Dei ergà ſuos curam & protectionem; quam juſti ſæpè experiuntur etiam in his, quæ ſunt huius ſæculi; ſed perpetuam tamen veritatem non obtinet, niſi in futuri ſæculi bonis, quorum iſta ſunt umbræ & figuræ. Et quia vetus teſtamentum umbra eſt novi; hinc in illo ſub promiſſione bonorum, vel comminatione malorum temporalium, paſſim ſignificata ſunt æterna. Et hunc ſenſum confirmat quod præcedit: *Iuſtitia verò liberabit à morte.* Non utique à morte temporali, ſed ab æterna. Denique ſciendum, quomodo huiuſmodi particulares ſententiæ valent, & proferuntur à Spiritu Sancto ad confirmandam generalem fidei noſtræ ſententiam, quod Deus juſtos non deſerat in finem; etiamſi ſubindè ad tempus eos ſinat affligi.

℣.12. *Odium ſuſcitat rixas, & univerſa delicta operit charitas.* Citat Petrus 1. epiſtol. cap. 4. & alludit Iacobus in fine ſuæ epiſtolæ. Quorum locorum collatione apparet ſenſum hunc eſſe: Sicut odium ſuſcitat rixas & diſſidia inter proximos; ita è contra charitas etiam ſuſcitata diſſidia ſedat, & peccata atque offenſiones, quæ rixarum cauſa eſſe ſolent, tolerando, ac diſſimulando, atque excuſando, operit, ut diſſenſiones inde nullæ enaſcantur. Hinc illa epitheta charitatis 1. Cor. 13. *Charitas patiens eſt, benigna eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Vide plenius ad dicta loca, & Comment. noſtrum in 4. Sentent. diſt. 15.

CAPUT XI.

℣.10. IN *bonis juſtorum exultabit civitas, & in perditione impiorum erit laudatio.* Pridem legebatur (*exaltabitur*) ſed rectè reſtituerunt Biblia Sixtina ſeu Clementina, (*exultabit*) id eſt, lætabitur ſeu gaudebit. Ita enim legendum eſſe convincunt Hebr. & complura etiam exemplaria M.SS. Error natus erat duplici ex cauſa, primò, quod vicina ſint vocabula (*exaltare*) & (*exultare*,) ita ut facilè Scriptorum

A vitio unum in alterum commutetur; tum quia verſu proximo habetur exaltandi vocabulum, dum dicitur: *Benedictione juſtorum exaltabitur civitas.* Unde arbitrati ſunt etiam in hac ſententia ſic legendum eſſe. Atqui in Hebræo omnino diverſa ſunt vocabula, non tantum hæc duo, ſed & cætera quæ hic eodem & uno vocabulo redduntur, videlicet (*juſtorum*) & (*civitas.*) Sicut autem hic irrepſerat (*exaltabitur*) pro (*exultabit*) ita è contra pſalm. penult. pridem legebatur; *exultationes Dei in gutture eorum*, pro (*exaltationes.*) Nam illam veram eſſe lectionem conſtat non modo ex Græcis & Hebr. ſed etiam ex multis M.SS. Latinis, ut ſenſus ſit: *Exaltationes Dei*, id eſt, laudes Dei, quibus Deus exaltatur, reſonant in eorum gutture.

B ℣.18. *Seminanti juſtitiam merces fidelis.* Seminat juſtitiam qui ſpargit bona opera, id eſt, paſſim oblatis occaſionibus ea facit. Iuſtitia pro operibus juſtis frequentiſſimè ponitur, ut 1 Ioan. 3. *Qui facit juſtitiam juſtus eſt.* Item: *Feci judicium & juſtitiam.* pſal. 118.

℣.21. *Manus in manu, non erit innocens malus, ſemen autem juſtorum ſalvabitur.* Figurata eſt locutio, & proinde obſcura, quam aliter atque aliter authores explicant. Quidam hoc modo reddunt ex Hebræo: *Manus manui juncta non erit expers mali.* Quod intelligunt hoc modo: Impij, tametſi ſibi mutuo manum præbeant, id eſt, auxilium ferant (id enim fieri ſolet jungendo manum manui) tamen nihil proficient, neque per hoc evadent juſtam punitionem. Et hic ſenC ſus eſt ſatis probabilis. Nam ſequitur: *Semen autem juſtorum ſalvabitur.* Opponuntur ergo non eſſe innocentem, id eſt, impunitum, & ſalvari. Alij ſic interpretantur: *Manus in manu*, ſeu Manus ad manum, id eſt, illico & continuò non erit innocens malus; ſed ſtatim ſequetur eum juſta vindicta à Deo. Nam nihil tam facile & promptum eſt, quàm manum manui conjungere. Beda hoc modo exponit: Qui manum jungit in manu, nihil utique operatur; Sed *manus in manu non erit innocens malus*; quia etſi ab iniqua actione manum ad horam ſubtrahat, cordis tamen innocentiam malus habere non valet. Unde & præmittitur; *Abominabile Domino cor pravum.* Ita ſenſus erit. Malus non ideò innocens eſt, quia exterius nihil operatur, imò tunc vel maximè, cum manum inſeD rit manui, corde malum machinatur. Et hæc expoſitio videtur cæteris præferenda, quam & ſimilis Scriptura confirmat Eccl. 4. *Stultus complicat manus ſuas*, id eſt, quietus & otioſus eſt, ac nihil agit. Quem ſenſum eſſe eius loci, manifeſtum eſt locum inſpicienti. Verior explicatio habetur ex c. 16. v. 5.

℣.27. *Qui abſcondit frumenta maledicetur in populis: benedictio autem ſuper caput vendentium.* Myſticè pertinet ad eos qui habent ſpiritualem frumentum, id eſt, ſcientiam ſalutarem & vitalem. Nam maledicetur coram toto mundo in die judicij qui abſcondit frumenta, id eſt, non erogavit ſalutarem doctrinam ad aliorum utilitatem; tanquam qui ſit auditurus: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare, &c. Benedictio* E *autem ſuper caput vendentium*, id eſt, erogantium doctrinam ſalutarem ad aliorum utilitatem, tanquam qui ſunt audituri. *Venite benedicti, eſurivi & dediſtis mihi manducare.* ibidem.

℣.31. *Si juſtus in terra recipit, quantò magis impius & peccator?* Recipit ſcilicet mala, id eſt, affligitur, adverſa patitur. Nec puto urgeri verbum *recipit*, quaſi ſignificetur juſtum puniri pro ſuis peccatis. Nam intelligi poteſt dictum *recipit* pro accipit, ſuſtinet, patitur; ſicut in illis verbis Abrahæ ad divitem in inferno poſitum Lucæ 16. *Recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala.* Vide eius loci annotat. Sic retribuere interdum pro ſimplici

tribuere

tribuere ponitur pſal. 115. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* In eo autem quod ſequitur, *Quanta magis impius & peccator?* non eſt ſubaudiendum, *recipit in terra*, ſed tantum *recipit*. Sæpè enim impius in terra, id eſt, in hoc ſæculo non recipit mala, ſicut dives ille epulo, ſed omnes recipiunt aliquando, ſcilicet in ſæculo futuro. Et ſic Petrus hanc ſententiam interpretatur 1. Petri 4. dicens: *Et ſi juſtus vix ſalvatur, impius & peccator ubi parebunt?* ſcilicet in Dei judicio. Nam & ante dixerat, *Quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio?* Quod pertinet ad futurum ſeculum. Vide ibidem noſtrum comment. [A]

CAPUT XII.

℣.21. N*On contriſtabit juſtum quidquid ei acciderit.* Quomodo hæc ſententia non excludat à Chriſto Domino veram triſtitiam, Vide in 3. Sent. diſt. 15. §. 4. [B]

CAPUT XIII.

℣.1. F*ilius ſapiens doctrina patris; qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur.* Quidam ſic exponunt, quod ſapiens etiam eo aliquando proficiat, ut eum à quo doctus eſt, ipſe docere poſſit; ut dicatur, *doctrina patris* activè, quia patrem; id eſt, magiſtrum, à quo ſapientiam didicit, viciſſim docere poſſit. Sic Beda. Rectius alij hoc modo: In filio ſapiente relucet doctrina & inſtitutio patris, ut ſit metonymica locutio, [C] qua effectus cauſæ appellationem accipit. Nam patris doctrina & inſtitutio, filium fecit ſapientem. Eſt & alius ſenſus non contemnendus, ut legatur in quarto caſu (*doctrinam*) ita enim etiam poteſt, & ut ſubaudiatur (*audit*) vel aliquid ſimile. Et ſic ſenſus erit: Filius ſapiens audit doctrinam patris, & obtemperat ei inſtruenti ipſum. Huic ſenſui favet quod ſequitur: *Qui autem illuſor eſt, non audit cum arguitur*, ut opponatur, audire docentem, & non audire arguentem.

℣.4. *Vult & non vult piger.* Septuaginta ſic: *In deſiderijs, omnis piger ſeu otioſus.* Græcè enim eſt ἀεργὸς. Quæ ſententia patribus in morali doctrina ſatis eſt familiaris. Hebræa ad verbum hoc modo ſonant: *Concupiſcens, & non, anima pigri.* Eſt autem ellipſis Hebr. ita ſupplenda. Concupiſcit, & non conſequitur anima pigri quod deſideravit; ſcilicet, quod fugiat laborem, [D] ſine quo deſiderata non habentur.

℣.7. *Eſt quaſi dives cum nihil habeat, & eſt quaſi pauper, cum in multis divitijs ſit.* Hoc duplicem recipit interpretationem ad literam. Vel enim hic ſenſus eſt: Quidam ſunt quaſi divites, id eſt, ſe divites ſimulant, cum revera ſint pauperrimi: alij contra, quaſi pauperes ſunt, id eſt, paupertatem ſimulant, cum revera ſint divites. Vel iſte. Sunt quidam, qui in omnium rerum penuria divites ſunt, quia modico quod habent, contenti ſunt; & animo tranquillo & ſecuro vivunt, tanquam in multis divitiis. Unde Apoſt. ad Philipp. 4. *Scio abundare, & penuriam pati.* Item 2. Cor. 6. *Nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Et è contra; Sunt alij, qui cum multas opes habeant, pauperes tamen ſunt animo & uſu; quia rebus à Deo conceſſis non utuntur. [E] Hi ſunt avari, de quibus vulgare illud: *Avaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet.*

Beda interpretatur de paupertate & opibus ſpiritualibus. Eſt, inquit, qui dives ſibi videtur, ut dives ille epulo, ſed verè pauper erat, quia non erat in Deo dives. Contrà, eſt qui pauper videtur, ut Lazarus, revera autem dives, quia dives in Deum, dives in bonis operibus, denique dives ſpe regni æterni.

℣.11. *Subſtantia feſtinata minuetur, &c.* Hebr. Subſtantia cum vanitate, id eſt, quæ malis actibus acquiritur. Vide Ianſenium.

CAPUT XIV.

℣.1. S*Apiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam, &c.* Ædificare domum eſt familiam proſperare, atque honeſtam ornatamque reddere, familiæ bene præeſſe, & juxta Apoſtolum, liberos procreare, matres familias eſſe, domum ſuam bene regere. Exemplum huius mulieris deſcribit nobis Sapiens ultimo capite huius libri. Sic ædificare domum Scriptura ſæpe accipit. Ut Exodi 1. Dominus legitur obſtetricibus miſericordibus ædificaſſe domos, id eſt, eorum familias auxiſſe, proſperaſſe, ac celebres effeciſſe. Ita Dominus David promittit ſe ei ædificaturum domum, id eſt, familiam & ſtirpem eius fœlicem ac glorioſam effecturum. Vide infrà cap. 24. v. 3. Ita quoque intelligendum illud pſal. 126. *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*, ut patet ex conſequentibus pſalmi: *Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris, — beatus qui implevit — non confundetur cum loquetur, &c.* Nam tale quid etiam dictum ultimo capite huius libri.

℣.10. *Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, in gaudio eius non miſcebitur extraneus.* Hoc quidam ſic interpretantur: Cor quod novit amaritudinem animæ ſuæ, id eſt, quod verſatur in amaritudine & dolore, propter peccata quibus Deum offendit, poſtea gaudebit, & triſtitia illa in gaudium commutabitur; videlicet; de percepta venia peccatorum, & recuperata dignitate adoptionis filiorum Dei; in quo gaudio ſanè non miſcebitur extraneus, id eſt, eius gaudij non erit particeps, qui eſt à vera pœnitentia alienus, & qui huius amaritudinis particeps eſſe noluit. Beda amaritudinem, intelligit tribulationem huius ſæculi, & gaudium vitæ æternæ, ut ſenſus ſit: Cor quod in hac vita novit patienter ferre miſerias huius ſæculi, conſequetur gaudium æternum, à quo extraneus erit, qui in hac vita non fuerit particeps tribulationum.

Litteralis & ſimplex ſenſus talis reddi poteſt: Mens ipſa novit triſtitiam, & gaudium conſcientiæ ſuæ, & non alius, id eſt, homines quidem interdum exterius ſimulant ſe lætos, vel triſtes, ſed nemo certius novit vel dolores ſuos, vel gaudia ſua, quàm ipſe homo. Et optimè accommodatur ad pios & electos, qui aliquando videntur eſſe in ſummis anguſtijs, cum interius magna fruantur dulcedine conſolationis cœleſtis. Unde quidam: Vident afflictiones noſtras, ſed non vident conſolationes. Nam afflictiones exterius apparent, conſolationes intus latent.

℣.12. *Eſt via, quæ videtur homini juſta; noviſſima autem eius deducunt ad mortem.* Quæ eſt hæc via? Quidam intelligunt de via peccatorum, quæ peccatoribus videtur juſta. Atque hæc eſt via lata & ſpacioſa, quæ ducit ad interitum. Sed videtur Sapiens de aliqua particulari via loqui, & quæ aliquam habeat juſtitiæ ſpeciem: non de ea, quæ manifeſtè vitioſa eſt. Hanc viam quidam interpretantur juſtitiam carnalem, Iudaicam, Phariſaicam. Illa enim ſpeciem quidem juſtitiæ habebat; & Iudæi carnales eam ſectantes putabant per eam ſe vitam conſecuturos; ſed revera eos duxit ad mortem. Poteſt quoque intelligi de prudentia qua quis prudens eſt apud ſemetipſum; & neque legibus, neque conſilijs alienis regi vult, ſed ſibi ipſi eſſe in omnibus dux, & magiſter, & conſiliarius. Hæc via videtur homini valdè juſta, maximè ſi conjunctas habeat externas quaſdam obſervationes, & ſimulata ac vana quædam juſtitiæ ſigna; revera autem ad mortem ducit; quia talis prudentia non eſt ſpiritus, ſed carnis, de qua dicit Apoſt. ad Rom. 8. *Prudentia carnis mors eſt.* Neque eſt iſta *ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Iacob. 3. Eadem ſententia habetur infrà cap. 16. v. 25.

℣.15. In

ỳ.15. *Innocens credit omni verbo.* Innocens in vitio accipitur pro imprudente, incauto, & inconſiderato, quod declarant verba ſubiecta. *Aſtutus conſiderat greſſus ſuos*, id eſt, prudens, & cautus. Et conſonat illud Eccl. 19. *Qui citò credit, levis eſt corde.* Sed quæritur, quomodo ergo charitas omnia credit? ſecundum Apoſt. 1. Cor. 13. *Reſp.* credit omnia, Deo; non hominibus. Aut credit omnia credenda. Ut ſenſus ſit, Non eſt cervicoſa, non eſt tarda corde ad credendum, facile ei veritas perſuadetur. Unde plura locis citatis. A

ỳ.22. *Errant qui operantur malum.* Errant circa judicium practicum, etiamſi alioqnin ſint doctiſſimi. Neque enim voluntas eligere quidquam poteſt, niſi ratio dictaverit id eligendum, ſicut appetitus ſenſitivus nihil proſequitur niſi ſenſibus fuerit jucundum. B Quomodo vero ex hoc loco non ſequatur, omne peccatum fieri ex ignorantia, diximus Comment. in 2. Sent. diſt. 23. §. 18.

ỳ.23. *Ubi verba ſunt plurima, ibi frequenter egeſtas.* Sic fere natura comparatum, ut verboſi laborem fugiant, & lingua prompti manus habeant remiſſas. Videtur Salomon idem voluiſſe dicere Eccl. 6. v. 7.

CAPUT XV.

ỳ.8. *Victima impiorum abominabiles Domino: vota juſtorum placabilia.* Senſus eſt. Victimæ, oblationes, orationes impiorum non placent Deo, ſed abominabiles ſunt in conſpectu eius; è contra autem vota, orationes & oblationes juſtorum ſunt placabiles. Ubi *placabile* activè ſumitur, pro eo quod Deum placare poteſt. C Impij autem dicuntur, qui in affectu ſunt impietatis & peccati, non qui in reatu tantum impij. Tales enim etſi quodam ſenſu impij dicantur, quia nondum juſtificati, tamen; ſi pœnitet peccatorum ex animo, jam juſtitiam diligere cœperunt, & per pœnitentiam Deo ſtudent reconciliari, & talium orationes etiam ſunt placabiles; ut fuit oratio Publicani Lucæ 18.

Sed quid *dicemus* de ſacrificio Impij Sacerdotis, utrum illud etiam ſit Domino abominabile? *Reſpond.* Hic propriè agi de victimis, votis & orationibus, quas offert, vel offerri facit impius pro ſe. Si autem impius pro alio offerat, idque pro ratione officij Sacerdotalis, quo fungitur, ſacrificium illud, quatenus eſt impij Sacerdotis actio, vitioſum eſt, & abominabile, D quia actio illa peccatum eſt, & grave peccatum: Quatenus autem in tali Sacerdote Eccleſia offert, non poteſt non Deo eſſe gratum. Nam oblatio ipſius Eccleſiæ pro membris ſuis ſemper eſt Deo grata, per quemcumque fiat Sacerdotem. Res quoque quæ Deo offertur in novæ legis ſacrificio, per ſe Deo eſt gratiſſima, ſive bonus Sacerdos offerat ſive malus.

ỳ.24. *Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet ab inferno noviſſimo.* Beda, Homini erudito, qui non tantum ſcientia, ſed & operatione perfectus eſt, ſemita vitæ deſuper aperta eſt, id eſt, cœli janua patet. Quidam ſic interpretantur: Semita vitæ ſurſum ducit eruditum & ſapientem, & efficit, ut declinet ab inferno noviſſimo. E Hoc loco igitur per infernum noviſſimum non poteſt intelligi vel ſepulchrum, vel mors corporis, tum quia additur (*noviſſimo*) ſeu Infimo, quod dicitur ad diſtinctionem inferni ſuperioris; tum quia juſti & pij non magis evadunt mortem corporis quàm impij. Unde omninò intelligendus videtur infernus damnatorum. Neque enim eſt alius infernus, qui noviſſimus dici poſſit. Et ab illo inferno vera ſapientia hominem liberat, & ſurſum ducit ad cœleſtem & beatam vitam. Et eodem modo videtur accipi hoc eodem cap. ſuprà v. 11. *Infernus & perditio coram Domino.* q. d. ea etiam quæ videntur longiſſimè abeſſe, ſunt Deo cognita. Et rurſum pſalm. 138. *Si aſcendero in cœlum, tu illic es. Si deſcendero in infernum, ades.* Quæ notanda ſunt contra eos qui negant infernum in Scriptura veteris Teſtamenti accipi pro loco damnatorum. Vide etiam Iob. 14.

ỳ.27. *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata.* Per fidem intellige opera juſtitiæ, ut ſunt, ſtare pactis & promiſſis, unicuique quod ſuum eſt tribuere, neminem fraudare. Ita ſequenti capite, *Miſericordia & veritate redimitur iniquitas.* Aliter fides accipitur ab Apoſtolo Petro quam dicit Actor 15. *Fide purificans corda eorum.* Nam fidem intelligit qua creditur in Deum juſtitiæ largitorem & in Chriſtum propitiatorem.

CAPUT XVI.

ỳ.1. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et poſteà v. 9. *Cor hominis diſponit vitam ſuam, ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.* Priorem ſententiam olim Catholicis objecerunt Pelagiani; docere ex ea volentes, inchoationem boni operis ad hominem pertinere ſine adjutorio gratiæ Dei; conſummationem verò eiuſdem operis ad Deum, humanam infirmitatem adjuvantem. *Reſpondet* ijs Auguſt. libr. 2. contra duas eorum epiſtolas c. 8. & explicat hoc modo: Ideo Scriptum eſt; Hominis eſt præparare cor, & à Domino reſponſio linguæ, quia homo præparat cor, non tamen ſine adjutorio Dei qui tangit cor. In reſponſione autem linguæ, id eſt, in eo quod præparato cordi lingua divina reſpondet, nihil operis habet homo, ſed totum eſt à Domino Deo. Sic Auguſt. adferens hoc ſimile, quod alibi dicitur: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Homo enim aperit os, ſed non ſine gratia eius qui dicit: *Domine labia mea aperies, &c.* Deus autem implet illud ſine opere humano. Ita ergo homo animum præparat ad aliquid boni dicendum vel faciendum, licet non ſine Dei adjutorio; ſed illius operis vel ſermonis certa & infallibilis directio ad ſolum Deum pertinet. Et hoc eſt, quod etiam vulgo dicitur: Homo proponit, ſed Deus diſponit. Vide plura in 1. Sent. diſt. 6.

ỳ.4. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Cum dicitur (*propter ſemetipſum.*) Aut ſignificatur cauſa efficiens, eaque ſufficiens, Ut ſenſus ſit: Omnia per ſuam voluntatem operatus eſt Dominus, eaque fuit ſufficiens cauſa productionis omnium rerum. Atque hoc eſt quod Beda annotat. Nullam fuiſſe Domino cauſam creandi creaturam viſibilem & inviſibilem, niſi ſuam voluntatem. Aut rurſum (*propter ſemetipſum*) intelligi poteſt cauſa finalis: Quæ tamen referenda eſt, non ad ipſum Deum. Nam Deo nulla perfectio acquiri poteſt, cum ſit ipſe perfectiſſimus; Finis autem eſt perfectio operantis. Sed cauſa hæc finalis referenda erit ad res ipſas conditas à Deo: quæ ideo ſcilicet conditæ ſunt, exiſtunt, moventur, operantur, ut unaquæque, pro ſuo modo & ſuæ naturæ conditione, particeps fiat bonitatis divinæ: cæteris autem longè excellentius ipſa creatura rationalis; quæ ad hoc creata eſt, ut per cognitionem & amorem Deo conjungatur.

Quod autem additur: *Impium quoque ad diem malum*, hunc ſenſum habet, id eſt, in eo quoque, quem ſcivit futurum impium, hunc finem ſpectavit, ut iſte pro ſua impietate juſtè puniretur, & per hoc etiam in illo juſtitia Dei commendaretur. De hoc ſic Auguſt. libr. 1. de doct. Chriſtiana cap. 31. Ille igitur uſus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad eius, ſed ad noſtram utilitatem refertur, ad eius autem tantummodo bonitatem. Sic ille. Nempe ad eius bonitatem declarandam. Sed & hoc de malis quoque earumus verum eſt, quia Deus mala, (quæ non ab ipſo fiunt, ſed à creatura deficiente) ordinare novit ad maiorem bonita-

bonitatem, & gloriam ſuam erga electos oſtendendam; dum aliorum malitia illis ſervit ad maiorem coronam. Vide etiam in 1. Sent. diſt. 1.

℣. 33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Quare inde non eſt conſequens ſortes divinatorias eſſe licitas, cum & illæ à Domino temperentur? Reſpondeo, Sapiens non oſtendit ſortes aliquas eſſe licitas ex eo quod à Domino temperantur; ſed ſive licitè fiant, ſive non, dicit eas à Domino temperari, docere volens in rebus in quibus vel maximè caſus & fortuna locum habere videntur, nihil accidere ſine Dei providentia, quæ tamen non ſemper hoc agit quod homines intendunt; ut videlicet vel pandatur crimen occultum, vel adſciſcatur ad functionem aliquam qui maximè idoneus ſit: ſed quæ cogitationes habeat à noſtra cogitatione remotas. Interdum tamen etiam illicitas ſortes Deus temperat ad eventum quem quærit divinator, de quo vide annot. Ezech. 21. & 1. Reg. 6. Vide etiam Ianſenium. Huic ſententiæ ſimilis eſt illa cap. 18. v. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & etiam inter potentes dijudicat.* Denique poteſt dici quod ſapiens hic tantum loquatur de ſortibus diviſoriis, vel etiam conſultoriis, quatenus licitè fieri poſſunt, de quo vide D. Thom. 22. quæſt. 95. art. 8.

CAPUT XVII.

℣. 15. *QVi juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deũ.* Iuſtificat quidem Deus quoque impiũ, ut eſt Rom. 4. & alibi, ſed longè alia ratione, quam is juſtificator impij, qui hic dicitur abominabilis. Videlicet Deus juſtificat impium, quia ex impio ſua gratia, juſtum facit, impietatem auferendo, & juſtitiam largiendo; ſed homo hic dicitur juſtificare impium, & ideò eſſe abominabilis, cum ſua ſententia abſolvit eum, qui propter impietatem ſuam damnari debet; id quod eſt iniqui judicis, ſicut & illud quod adiungitur: *Et qui condemnat juſtum*, ſcilicet qui ſententia ſua damnat eum, qui propter juſtitiam ſuam abſolvi debuit. Et patet ſimul ex hoc loco abſurditas doctrinæ Lutheri, & aliorum hæreticorum noſtri temporis, qui dicunt Deum juſtificare impium ſola reputatione, ita, ut nihilominus homo impietati ſubiectus maneat. Nam id ſi ita eſt, ergo etiam ad Deum pertinebit hæc ſententia: *Qui juſtificat impium abominabilis eſt*, quia ſecundum eos non ex impio juſtum facit, ſed tantum ſententia ſua, eum in impietate manentem, à reatu impietatis abſolvit.

℣. 16. *Quid prodeſt ſtulta habere divitias, cum ſapientiam emere non poſſit?* Quomodo ſapientia divitiis emi non poteſt, cum regnum cœlorum ematur pecunia, ut ſæpè patres teſtantur? Unde illud Auguſt. Regnum cœlorum tanti valet quantum habes, & ſi quis tantum habeat calicem aquæ frigidæ, eo propter Deum dato comparare poteſt vitam æternam. Matth. 10. *Reſpondeo*, omne bonum opus factum ab eo qui filius Dei eſt, meritorium eſt vitæ æternæ. Impropriè autem dicitur emi regnum cœlorum auro vel argento, tum quia meritum ipſum non propriè eſt id quod datur, ut puta, aurum, argentum, panis, calix aquæ frigidæ; ſed opus hominis, tale quid dantis ex amore Dei, quatenus illud externum opus unum eſt cum opere interno voluntatis, in qua radix eſt omnis meriti. Sapientiam verò, id eſt, bonitatem, juſtitiam, pietatem (ea enim ſapientia toto hoc libro intelligitur, ſicut & in Iob dicente: *Pietas ipſa eſt ſapientia*) ſtultus, id eſt, malus & injuſtus, emere non poteſt divitiis; primum quidem ad ſenſum ſapientis, quia ſapientiæ, id eſt, juſtitiæ, non poſſunt ullæ divitiæ comparari ſecundum præmij æqualitatem, neque pro ullis corporeis & mundanis theſauris ſapientia venalis proponitur. Sed hoc modo

A nec regnum cœlorum pecunia emitur. Deinde nec eo modo ut ullum opus hominis inſipientis, id eſt, injuſti divitias ſuas erogantis in bonos uſus, propriè, id eſt, ex condigno mereatur juſtitiam. Nam juſtificationis gratia non cadit ſub merito; ſed regnum cœlorum merces eſt operum juſtitiæ.

℣. 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit; ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.* Non proponeret nobis hanc ſententiam Scriptura Sacra, niſi etiam ad pietatem faceret, & non tantum ad valetudinem corporis. Quamvis ergo Scriptura nobis utrumque commendet, imò præcipiat, & gaudere, & triſtari; gaudere in Domino, & contriſtari ſecundum Deum, per pœnitentiam, de peccatis; tamen lætitiæ affectum magis nobis commendare videtur, magiſque vult in nobis eſſe aſſiduum, quam triſtitiæ.
B Unde de gaudio ſpirituali ait Apoſt. Philip. 4. *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete.* Et rurſum Iacobi 1. *Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, &c.* De triſtitia verò 2. Cor. 2. *Ita ut è contrario magis donetis, & conſolemini, ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur, qui eiuſmodi eſt.* Hinc etiam ſtatui poteſt homini Chriſtiano plerumque magis ſperandum eſſe de bonitate Dei, quàm timendam eius ſeveritatem.

CAPUT XVIII.

℣. 1. *OCcaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Exemplum inſigne & ſuctuoſum in Græcis,
C qui ab obedientia Romanæ Eccleſiæ ſubducere ſe volentes, & ſuum principatum & regnum quærentes ſtatuere, varias occaſiones quæſierunt, & calumnias adverſus Latinos; velut de additione in ſymbolo, ubi de Spiritu Sancto agitur; *Qui ex patre filioque*, de azymo, & ſimilia nonnulla.

℣. 10. *Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum currit juſtus, & exaltabitur.* Id eſt, nomen Domini eſt inſtar Turris fortiſſimæ & munitiſſimæ. Per nomen autem Domini, non vocabulum aliquod intelligitur, quo vel Deus, vel Chriſtus Filius Dei appellatur; Sed nomen Domini divinam potentiam ſignificat, ſicut & alibi frequenter in Scriptura Sacra. Pſal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus.* Et in Evangel. Matt. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*,
D Ad hoc ergo nomen, vel hanc Dei potentiam currit juſtus & exaltabitur, cum illud invocantem juſtũ Deus exaltat, & honorificat invocantes ſe. Vel potius ſignificatur ſecuritas hominis in Deo confidentis, ut ſenſus ſit: *Exaltabitur*, id eſt, erit in alto & ſecuro loco, & ut aiunt extra telorum jactum, juxta illud pſal. 90. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*

℣. 17. *Iuſtus prior eſt accuſator ſui. Venit amicus eius, & inveſtigabit eum.* Hebr. *Iuſtus primus eſt in lite ſua*, vel in cauſa ſua. Senſus coincidit. Significatur enim, quod juſtus tam apud Deum, quàm apud hominem judicet cauſam ſuam, integrè, & apertè eam exponat, nihil diſſimulet, nihil prætermittat: tam ea proferat,
E quæ contra ipſum, quàm quæ pro ipſo faciant; atque ita etiam ſui ſit accuſator; quo fiat, ut facilius indulgentiam conſequatur apud Deum; à judice quoque propter ſynceritatem collaudetur. Cæterum quod ſequitur: *Venit amicus eius, & inveſtigabit eum.* Si ita intelligas, *Amicus inveſtigabit juſtum.* Senſus eſt etiamſi poſteà facta eius ſcrutetur amicus, nihil doloſum aut fucatum inveniet, ſed omnia ſyncera. Si ſic; *Iuſtus inveſtigabit amicum*, ſenſus erit. Tum demum juſtus etiam poterit ſcrutari conſcientiam amici ſui, & eum corripere pro delictis; cum ſcilicet ipſe prius ſuam conſcientiam perfectè Deo judici aperuerit.

CA-

CAPUT XIX.

℣.14. **D**Omus & divitiæ dantur à parentibus ; à Domino autem propriè uxor prudens. Ratio eſt, quia licet domus & divitię etiam dentur à Deo (*Dominus enim pauperem facit & ditat.* 1. Reg. 2. Et Dominus dicit per Aggæum : *Meum eſt aurum, & meum eſt argentum*) ſingulariter tamen uxor bona & ſapiens eſt Dei donum, non parentum ; tum quia raro inveniri poteſt : tum quia, quænam talis futura ſit, ſolus Deus exactè novit (nempè homines in eius rei judicio ſæpè falluntur) tum, quia Deus dat prudentiam, non homines ; tum denique quia ſolent parentes ferè magis eſſe ſolliciti, ut procurent filio uxorem benè dotatam, quam benè moratam.

℣.22. *Homo indigens miſericors eſt.* Senſus eſt, facilius eum commoveri ad commiſerandum alijs egenis, qui ipſe egeſtatis incommoda ſentit, etiamſi ipſo opere fortè ſubvenire non poſſit ; Vel etiam *homo indigens*, id eſt, qui fuit aliquando indigens ; ut ſenſus ſit, hominem miſerias aliquando expertum promptius ſubvenire miſeris, quàm qui miſerorum conditionem experti non ſunt. Unde illud Virgilij : Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco. Et de Pontifice ſummo ait Apoſtolus ad Hebr. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur — qui condolere poſſit ijs qui ignorant, & errant, quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.*

CAPUT XX.

℣.1. **L**Uxurioſa res vinum & tumultuoſa ebrietas ; quicumque his delectatur non erit ſapiens. Fabulati ſunt olim Manichæi, vinum eſſe ſed principis dæmoniorum ; ſed ſecundum Catholicam veritatem, *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Itaque vinum dicitur res luxurioſa, & in eo, ſecundum Apoſtolum ad Epheſios 5. eſt luxuria; quia dum intemperanter ſumitur, & uſque ad ebrietatem, calore ſuo facilè ad libidinem provocat. Sic & Eccl. 19. *Vinum & mulieres Apoſtatare faciunt ſapientes.* Vide item ad Epheſios 5.

℣.9. *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum ? purus ſum a peccato ?* Quomodo hic locus & ſimiles intelligendi ſint, explicat Concil. Trident. Seſſ. 6. can. 23. his verbis : *Si quis dixerit hominem poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Sic Auguſt. Enchirid. cap. 64. aſſerit vitam juſtorum eſſe poſſe ſine crimine, & non ſine peccato, item Hieron. in Jerem. 17. Et Gregor. lib. 18. Moral. cap. 4. Sciendum eſt, inquit, quod ſunt peccata quæ à juſtis vitari non poſſunt. Non quod ullum ſit nominatim quod ſeorſim vitari non poſſit ; ſed quia univerſim ſecundum curſum præſentis fragilitatis non vitantur ; hinc patres dixerunt, non poſſe vitari, ſcilicet niſi ex ſingulari Dei privilegio, ut verba Concilij explicant. Nam alioqui error Manichæorum eſt, hominem non poſſe vitare peccatum, & ſimiliter omnium ferè hæreticorum noſtri temporis. Vide etiam noſtra in 2. Sent. diſtinct. 41.

℣.10. *Pondus & pondus. Menſura & menſura utrumque abominabile eſt.* Hebraicè ſic : *Lapis, & lapis, Epha, & Epha, abominatio ſunt iſta ambo coram Domino.* Senſus eſt. Diverſa pondera, & diverſi modij, utraque abominationi ſunt Domino, ut his nominibus quælibet menſura intelligatur. Et contra eos loquitur Sapiens ; qui maiore menſura emunt, & minori vendunt, fraudantes de menſura publica, quod manifeſtæ & abominabilis injuſtitiæ eſt.

CAPUT XXI.

℣.1. **S**Icut diviſiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Nonnulli intelligunt diviſiones aquarum quæ ſunt ſuprà firmamentum ab his quæ ſunt ſub firmamento. Sed veriſimilius eſt, quod Sapiens voluit ſimilitudine aliqua nota, & obvia, declarare facilitatem operationis divinæ. Eſt itaque ſenſus. Sicut in poteſtate eſt cultoris hortorum, aquas irriguas, quocumque velit, deducere, ita & *Cor regis in manu Dei eſt*, id eſt, in poteſtate Domini, ut inflectat illud ad quamcumque partem, & ad quamcumque operationem voluerit. Non eſt tamen hinc conſequens Deum inclinare cor regis ad malas actiones. Neque enim generaliter dicitur, inclinabit illud ad omnia, tam bona, quàm mala, quæ ab homine, vel rege fieri poſſunt, ſed quocumque voluerit ipſe Deus, inclinabit illud ; Atqui Deus cum omnia poſſit, malum tamen velle non poteſt. Neque enim illud objectum eſſe poteſt voluntatis divinæ, dicente pſalmiſta : *Non enim Deus volens iniquitatem tu es.* Et malum eſt à cauſa deficiente, Deus autem eſt agens perfectiſſimũ. Vide etiam notat. Iob 32. & Eſther 15.

℣.2. *Omnis via viri recta ſibi videtur. Quæritur.* An ergo nemo ex certa malitia peccet ? *Reſpondetur*, imò : Et nihilominus hi qui ex malitia peccant, etiam ex ignorantia quodammodo peccant, videturque illis via, quam ingrediuntur recta, etſi non ſit. Nempe neſciunt intellectu practico, non eſſe faciendum, nec ſuſtinendum (ut D. Thomas loquitur 1. 2. q. 78. art. 1. ad 1.) pro conſecutione eius boni, quod intendunt, actum illum, quem alioqui abſolutè ſciunt eſſe malum. Atque hoc eſt, quod ſuprà dixit Sapiens Proverb. 14. *Errant qui operantur malum.* Et Dionyſ. de divin. nominibus c. 4. *Nemo reſpiciens ad malum operatur.* Imò & Ariſtoteles lib. 3. Ethicorum cap. 1. dicitur : *Omnis malus eſt errans.* Vide annot. cit. c. 14.

℣.31. *Equus paratur ad diem belli ; Dominus autem ſalutem tribuit.* Non hoc ſignificatur, quod fortè quiſpiam ex hac ſententia concipiat, fruſtra equum, arma & milites ad diem belli parari ; cum ſolus Dominus ſalutem tribuat. Neque enim hic eſt talis antitheſis inter iſtas duas huius ſententiæ partes, ut alterum reprehendatur, alterum commendetur : Sed docemur, unde potiſſimum ſit expectanda ſalus & victoria ; nimirum à Deo ; & Deum propterea eſſe orandum : ita tamen, ut non omittantur ſubſidia humana. Nam qui ita putat Deo confidendum eſſe, ut ingruente articulo hoſtilis oppugnationis, nolit manibus ſe defendere, neque vim hoſtilem vi armorum repellere, is Deum tentat : quia victoriam à Deo expectat velut quodam miraculo ; cum poſſit ipſe impetum hoſtilem vi & ratione, quam natura præſcripſit, avertere. Eſt enim lex naturæ ; Vim vi, ſalva lege juſtitiæ, repellere.

CAPUT XXII.

℣.2. **M**Elius eſt nomen bonum quàm divitiæ multæ : ſuper argentum & aurum gratia bona. Utraque parte ſententiæ idem ferè ſignificatur. Nam nomen bonum intelligitur fama bona ; ſic & gratia bona, dicitur benevolentia, quam alicui bona fama ; & vitæ innocentia conciliat apud homines. Significat ergo Sapiens bonam famam, & benevolentiam hominum pluris æſtimandam eſſe, quàm multas divitias, & theſauros auri & argenti. Et deſtruit hæc ſententia imprimis vulgi perſuaſionem, apud quem ferè pluris æſtimatur divitem eſſe, quàm boni nominis & famæ. Deinde, ſimul oſtendit, quàm grave ſit detractionis vitium, (quod tamen à multis parvi æſtimatur, & velut pro nihilo reputatur ;) Nam ſi nomen bonum

bonum præſtantius eſt opibus; igitur & detractio, qua fama hominis læditur, deterior eſt furto, quo pecunia aufertur. Eò enim deterius eſt quodvis peccatum, quò majori bono hominem ſpoliat.

℣.28. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui.* In Hebræo eſt; (*terminos ſæculi.*) Ad litteram putant quidam intelligendum de terminis agrorum, id eſt, lapidibus, quibus olim agri diverſorum dominorum ab invicem diſterminari ſolent; ut moneat Sapiens, Ne quis per fraudem occupet poſſeſſionem vicini ſui. Sed dubitandum non eſt, in his verbis etiam ſublimiorem ſenſum contineri, quem nobis veteres tradiderunt; qui quidem intelligunt ſententiam, de terminis Catholicæ fidei à patribus conſtitutis. Sic V. Beda: Ne tranſgrediaris terminos fidei, quos Catholici ab initio ſtatuere Doctores. Et Gregor. lib. 16. Moral. cap. 21. tractans illud Iob 24. Alij terminos tranſtulerunt: Quos, aliorum nomine, niſi hæreticos deſignat; qui à Sanctæ Eccleſiæ gremio extranei exiſtunt? Ipſi enim terminos transferunt, quia conſtitutiones patrum prævaricando tranſcendunt. De quibus nimirum conſtitutionibus Scriptum eſt. Ne tranſgrediaris terminos antiquos.

CAPUT XXIII.

℣.1. Q*Vando ſederis, ut comedas cum principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam. Et ſtatue cultrum in gutture tuo, ſi tamen habes in poteſtate animam tuam.* Senſus litteralis eſt: Si quando invitatus es, ut cibum capias cum principe, diligenter attende, id eſt, circumſpectè utere iis, quæ appoſita ſunt, ne voluptate cibi captus indecenter comedas in præſentia tanti viri; item ne cibo, aut potu gravatus, aliquid indecenter dicas, aut facias in præſentia principis. Porrò quod ſubditur: *Et ſtatue cultrũ in gutture tuo*, ſermo figuratus eſt: q. d. cohibe teipſum ab intemperantia, pone gulæ tuæ modum, perinde ac ſi cultrum aut ſpinam gutturi infixam haberes, quod eſſet impedimentum cibi capiendi. Addit autem: *ſi tamen habes in poteſtate animam tuam*, oſtendens libertatem arbitrij in homine, qua poteſt, modo velit, ſibi imperare, & cupiditatem nimiam refrænare.

D. Auguſt. tract. 47. & 84. in Ioannem ſic legit ex Septuaginta: Si ſederis cœnare ad menſam potentis, ſapienter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manũ tuam, ſciens quia talia te oportet præparare, & exponit myſticè hoc modo: Quæ menſa eſt potentis, niſi unde ſumitur Corpus, & Sanguis eius, qui animam ſuam poſuit pro nobis? Et quid eſt ad eam ſedere, niſi humiliter accedere? Et quid eſt intelligere quæ apponuntur, niſi dignè tantam gratiam cogitare? Et quid eſt ſic mittere manum, ut ſcias, quia talia te oportet præparare? niſi quia ſicut pro nobis Chriſtus animam ſuam poſuit, ſic & nos debemus animas pro fratribus ponere? Ac deinde oſtendit, quomodo id Sancti Martyres fecerint.

℣.3. *Ne deſideres de cibis eius, in quo eſt panis mendacij.* Quidam iſta jungunt præcedenti ſententiæ, hoc ſenſu. Ne capiaris deſiderio ciborum eius, quia eſt panis mendacij, id eſt, cibi eius fallaces ſunt, ineſcabunt te, ut facias aliquid, quod non conveniat. Beda ſeorſim dictum accipit hoc ſenſu: Ne participes, nec ſis conviva menſæ hominis illius, cuius cibi per injuſtitiam acquiſiti ſunt, id eſt, eius qui opes ſuas ex quibus inſtruit epulas, per injuſtitiam & mendacia comparavit.

℣.13. *Si enim percuſſeris eum virga, non morietur.* Non eſt ſententia; Virga cædendo, non occides eum, ſicut occidi poſſet, ſi baculo, aut alio duriori inſtrumento cæderetur; ſed, Tu virga eum cædendo efficies ut non incidat in mortem, in quam alioqui pro ſuis meritis ferè incidunt, qui virga non caſtigantur. Et hunc ſenſum ſubjecta verba apertè evincunt. Sic enim

A ſubdit Sapiens: *Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.* q. d. efficies, ut in infernum non deſcendat.

℣.23. *Veritatem eme, & noli vendere ſapientiam.* Emere pro comparare, vendere pro alienare & à ſe dimittere ponitur. Senſus eſt: Compara tibi veritatem & ſcientiam etiamſi magno conſtiterit ſtudio, labore, ſumptu; & noli ſapientiam à te dimittere quacumque compenſatione propoſita.

CAPUT XXIV.

℣.3. S*Apientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur.* Non ſignificat Sapiens ſapientiam iſtam, de qua agit, requiri in extruendo ædificio B materiali; quæ conſtat ex lignis & lapidibus. Quamvis enim architectus quiſque ſapiens ſit in arte ſua; hoc tamen loco & libro de tali ſapientia non eſt ſermo, ſed de ea quæ præcipuè conſiſtit in pietate, & timore Domini, & cognitione rerum divinarum; Sed per domum, uſitato more loquendi ſcripturæ, intelligit familiam, & poſteritatem aliquam. Et ſenſus eſt. Per ſapientiam familia exaltatur, & proſperatur coram Deo, & hominibus; & per prudentiam, id eſt, prudentem adminiſtrationem roborabitur, ita ut firma ac ſtabilis permaneat. Ad eundem modum intellectum fuit illud capite 14. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiens extructam quoque manibus deſtruit.* Senſus enim eſt: Mulier ſapiens familiam ſuam illuſtrem & honorabilem fa-C cit; inſipiens verò mulier eſt pernicies ſuæ familiæ & perinde ferè agit ac ſi manibus domum materialem deſtrueret. Vide annot. ſuprà c. 14.

℣.15. *Ne inſidieris & quæras impietatem in domo juſti, neque vaſtes requiem eius. Septies enim cadet juſtus, & reſurget.* Solet adjici (*ſepties in die*) ſed illud non habent, neque Hebræa neque Græca, neque ulla M.SS. neque etiam correctiora impreſſa. Senſus prioris partis eſt iſte: *Ne inſidieris*, id eſt, ne objicias juſto impietatem, nec quæras calumniam, qua infames eum. *Neque vaſtes requiem eius*, ſeu cubile eius, id eſt, ne ſcruteris eius intima, quaſi invenire aliquid poſſis, quod ei impingas. Et cauſa ſubditur: *Septies enim cadet juſtus, & reſurget.* q. d. etiamſi ſepties ceciderit, reſurget tamen. Hoc plerumque de lapſibus D quotidianis, ſeu venialibus peccatis accipitur; poſt quos ſcilicet lapſus ſtatim tamen reſurgit, Deo ipſum erigente. Et ita calumniator nihil grave invenire poteſt, in quo accuſet eum. Sic Beda. Auguſtinus tamen & nonnulli alij, non de peccatis, ſed de afflictionibus intelligunt. Sic Aug. lib. 11. de civit. cap. 31. Septies cadet juſtus & reſurget, id eſt, quotieſcumque ceciderit, non peribit. Quod non de iniquitatibus, ſed de tribulationibus ad humilitatẽ perducentibus intelligi volunt. Sic ille eo loco, & ſimiliter in pſal. 118. conc. 31. Conſentit quoque ſententia pſalmi 34. *Multæ tribulationes juſtorum, & de omnibus liberabit eos Dominus.* Et pſalmo 36. *Cum ceciderit juſtus, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* Uterque ſenſus pius eſt, & E protectionem divinam erga juſtos commendat.

℣.20. *Quoniam non habent futurorum ſpem mali.* Non negat malos ſperare bona etiam futuri ſæculi, ſed vult ſpem illam vanam eſſe & ſine effectu, quia non habent virtutem & pietatem cui futura bona promiſſa ſunt. Contrà paulò ante hoc capite dicitur ſapientiæ ſtudioſo: *Habebis in noviſſimis ſpem, & ſpes tua non peribit.* Vide noſtra in 3. diſt. 26. §. 2.

℣.29. *Ne dicas, Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei. Reddam unicuique ſecundum opus ſuum.* quaſi dicat: imitabor Deum, qui reddit unicuique ſecundum opera ſua, ſed prava eſt imitatio. Non enim nobis facienda ſunt omnia, quæ facit Deus, ſed quæ nobis præcepit, ut faceremus. Præcepit autem, ut offenſas condonemus; &

Eſtij Annotat. in Script.

prohibet vindictam; ita jubens nos quotidie orare: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* A In eo autem quod reddit unicuique ſecundum opera ſua, partim conſtituit judices terræ, partim ipſe, in futuro ſeculo maximè, juſtitiam plenam exercebit. Univerſim autem omnibus præcepit, ut imitemur eius miſericordiam. Sic Matth. 5. *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, ut ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt.*

CAPUT XXV.

ỷ. 2. G*Loria Dei eſt celare verbum, & gloria regum inveſtigare ſermonem.* Hoc videtur ex diametro pugnare cum eo quod Angelus Raphaël Tobiæ 12. ait: *Sacramentum regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei revelare & confiteri honorificum eſt.* B Revera tamen non eſt contrarium. Nam illa ſententia, quam Angelus protulit, ſignificatur ſecreta regis celanda eſſe, opera autem mirabilia Dei prædicanda; quod & paſſim commendat Scriptura; At verò quod hic dicitur, talem habet ſenſum: Verbũ Dei, id eſt, Scriptura Sacra, quod ſit ſecreta, obſcura, & multis difficultatibus involuta, id ad gloriam Dei pertinet. Ita enim fit, ut & infideles à Scripturarum lectione arceantur, & fideles in iis perſcrutandis ſalubriter exerceantur; indoctiores verò reverenter eas habeant, & temere attingere, aut tractare non audeant. Quæ omnia cedunt ad gloriam Dei. Gloria autem regum, id eſt, omnium principum, tam ſacrorum quàm profanorum, eſt inveſtigare ſermonem, id C eſt, diligenter inquirere in Scripturis Sacris voluntatem Dei, ut plebem ſibi commiſſam juxta eius præceptum regere, & per viam ſalutis deducere valeant.

ỷ. 21. *Si eſurierit inimicus tuus; ciba illum: Si ſitierit, da ei aquam bibere. Prunas enim congregabis ſuper caput eius.* Alludit ad hunc locum Paulus ad Rom. 12. Et D. Thomas occaſione huius loci putat tantum in caſu neceſſitatis præceptum eſſe, effectum dilectionis inimico exhibere. Nam & Exodi 23. de bove & aſino inimici tantum errante, & ſub onere jacente præcipitur. Verùm, quia Chriſtus dicit Matth. 5. *Ego dico vobis diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Et Luc. 6. *Orate pro calumniantibus vos.* Et mox, *Prout vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter;* melius dicendum videtur: Primò, præceptum D eſſe generali dilectione omnibus indiſtinctè, bonum; & nulli malum velle; Deinde etiam, evidenti oblata occaſione, extra neceſſitatem quoque, affectum erga inimicum reipſa oſtendere: Ita tamen, ut aliud ſit, quippiam eſſe præceptum; aliud, eſſe tale, ut niſi fiat, homo à gratia Dei excidat; ut patet in his in quibus venialiter peccatur. Vide noſtra in 3. Sent. diſt. 30.

Porrò quod additur: *Prunas enim congregabit ſuper caput eius*, figurato ſermone dictum eſt, de quo ſic Auguſt. lib. 3 de Doctrina Chriſt. c. 16. Ne dubites, inquit, figuratè dictum. Et cum poſſis dupliciter interpretari, uno modo ad nocendum, altero ad bonum præſtandum, ad beneficentiam te potius charitas revocet, ut intelligas carbones ignis eſſe urentes pœnitentiæ gemitus, quibus ſuperbia ſanatur eius, qui ſe dolet ini- E micum fuiſſe hominis, à quo eius miſeriæ ſubvenitur. Sicut enim carbones urunt, ita pœnitentiæ dolor hominem urit, angit, & affligit. Beda de ardore charitatis interpretatur, quem concipit inimicus ex beneficio ſibi præſtito ab eo quem oderat.

ỷ. 27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum. Sic qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.* Scrutator eſt maieſtatis divinæ; non qui ſcrutatur Scripturas, debita cum humilitate; neque qui conatur eas intelligere, neque qui Chriſtianæ religionis myſteria ſtudet cognoſcere, explicare, & contra calumnias adverſariorum defendere, eorumque rationes diſſolvere, quod faciunt ſemperque fecerunt Eccleſiæ DD. quodque proprium eſt ſcientiæ Theologicæ, uti docet S. Auguſt. ſed qui vult intellectu prorſus penetrare, & comprehendere omnia myſteria; Velut de Trinitate, de Verbi Dei Incarnatione, de Sacramento Euchariſtiæ, & ſimilia. Nam ita fit, ut tales à gloria, id eſt, claritate ac fulgore divinæ maieſtatis percuſſi & oppreſſi, dum eam intueri & ferre non ſuſtinent, in varios incidant errores, ut Ariani, Sabelliani, Neſtoriani, Sacramentarij.

CAPUT XXVI.

ỷ. 4. N*E reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris ei ſimilis.* Ita Sapiens. Et nihilominus proximo verſu ſubjungit, velut in ſpeciem pugnantem ſententiam. Ita enim dicit: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* Sed revera non pugnant hæc præcepta. Nam in prima ſententia, is reſpondet ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, qui ſtultè & inſipienter loquenti, ſtultè & inſipienter reſpondet: In poſteriori verò, qui reſpondendo, ſtultitiam eius coarguit, & reſpondet, prout meretur eius ſtultitia.

ỷ. 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.* Vide quem ſenſum faciat D. Thomas 2. 2. q. 63. art. 3. Sed eum merito rejicit Ianſenius. Hebræa ſic habent: *Sicut qui ligat lapidem in funda, ſic qui dat ſtulto gloriam.* Pro funda tamen alij cumulum lapidum accipiunt, hoc ſenſu. Sicut qui lapidem pretioſum mittit in cumulum lapidum communium, rem facit ineptam; ita & qui honorat ſtultum. Alij *purpuram* vertunt, ut ſenſus ſit, qui lapidem communem & groſſum immittit purpuræ, cui tantùm intexi ſolent lapilli pretioſi, rem facit præpoſteram; ita & qui inſipientem tamquam deformem lapidem collocat in honore. Juxta quem ſenſum ſimilis eſt illa ſententia cap. 11. v. 22. *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua.*

ỷ. 14. *Sicut oſtium vertitur in cardine ſuo, ita piger in lectulo ſuo.* Aptiſſima comparatio. Sicut enim oſtium vertitur huc, illuc, ita tamen ut à cardine non moveatur, ſed ſemper illi adhæret; ſic piger volutatur huc, illuc, in lecto ſuo, à quo præ ſegnitie & ſomnolentia non poteſt avelli, ſed manet illi quaſi affixus.

CAPUT XXVII.

ỷ. 5. M*Elior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus.* Correptio manifeſta, non eſt intelligenda correptio publica. Loquitur enim de correptione amici ab amico. Ea autem publicè fieri non debet, ſed ſecretò prius & inter ipſos ſolos, ut eſt Matth. 18. Sed manifeſta correptio hic vocatur, qua liberè, apertè, ac citra diſſimulationem alter alterum corripit. Tali enim modo amicus amicum corripere debet, quoties neceſſitas poſtulabit. Dicit quidem Chriſtus, *Corripe eum inter te & ipſum ſolum*, id eſt, ſecretò, ſed tamen verbis apertis; ut is qui corripitur, delictum ſuum agnoſcat, & emendetur. Nempe manifeſtæ correptioni opponit ſapiens *amorem abſconditum.* Ubi amorem abſconditum Beda intelligit amorem illicitum, turpem, adulterinum, quem amantes propter turpitudinem ſolent abſcondere. *Nam qui male agit odit lucem.* Sed magis veriſimile eſt per amorem abſconditum intelligi amorem in corde latentem, & facto exteriori non ſe prodentem. Ita erit pulchra antitheſis inter duas partes ſententiæ, q. d. Melior eſt manifeſta & aperta correptio, ex qua provenit amico fructus emendationis; quàm occulta dilectio, quæ non ſe prodit in opus, & ex qua nullus fructus provenit ei qui amatur.

ỷ. 23. *Diligenter agnoſce vultũ pecoris tui, tuoſq; greges conſidera. Non enim habebis jugiter poteſtatem, ſed*

corona tribuetur in generatione & generationem. Quamvis ad litteram accipi poſſit, ut Sapiens hortetur ad paſturam ovium, & ad agriculturam; in quibus olim certiores erant divitiæ, quàm in theſauris argenti aut auri, aut negotiationibus; tamen rectè Patres intelligunt dictum Paſtori ovium ſpiritualium. Beda hoc modo exponit, idque valdè appoſitè ad paſtoralis officij declarationem: Paſtori, inquit, Eccleſiæ dicitur: Diligenter adhibe curam eis, quibus te præeſſe contigerit. Agnoſce tuos, actuſque ſingulorum; Et ſi quid in eis vitij ſordidantis inveneris, citius caſtigare memento. Non enim tu ſemper oves Dominicas paſcendi poteſtatem habebis, ſed æterna eſt corona, quam percipies, ſi commiſſum tibi gradũ tuo tempore benè miniſtraveris. Hęc Beda. In quibus id præcipuè iis qui in tali officio aliquando verſabuntur notandũ quod ait: *Agnoſce, &c.* Ex quibus verbis non tantùm ſtatuitur neceſſitas perſonalis reſidentiæ, ſed etiam talis cura qua non tantùm ſtatum plebis ſuę in genere cognoſcat, ſed etiam ſingulorum vitam & mores quantum fieri poteſt, habeat perſpectos.

A

B

CAPUT XXVIII.

ỳ. 13. Q*Vi abſcondit ſcelera ſua non dirigetur. Qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur.* Rectè quidem poſſunt, imò & debent abſcondi ſcelera ad vitandum ſcandalum, & ad conſervationem famæ. Nemo enim ſine juſta cauſa ſeipſum infamare debet, ſed ſenſus eſt. *Qui abſcondit ſcelera ſua*, id eſt, qui admonitus, & correptus de peccatis ſuis, non vult ea agnoſcere, ſed abſcondit, excuſat, negat, is non dirigetur, id eſt, non proſperabitur; ſed malè cum eo agetur. Qui autem admonitus confitetur & agnoſcit ſe peccaſſe, inſuper & peccata reliquerit, miſericordiam conſequetur, ſemper quidem apud Deum (qui omnibus verè pœnitentibus promiſit veniam) frequenter autem quoque apud homines. Nam & homines agnoſcentibus peccata, & veniam petentibus atque ex animo dolentibus, ſolent non ægrè veniam tribuere. Nec pertinet hæc ſententia propriè ad confeſſionem Sacramentalem. Ea enim tum nondum erat inſtituta. Rectè tamen uſurpatur ad excitandos homines, ut Sacerdoti confiteantur, præſuppoſito, ſcilicet, eo, quod Sacerdoti Ioan. 20. data eſt poteſtas remittendi & retinendi peccata. Si enim ſecundum dictum Sapientis, omnis qui confeſſus fuerit, & reliquerit peccata, miſericordiam conſequetur; multò magis is qui confitetur Sacerdoti Dei vicario.

C

D

ỳ. 14. *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus. Qui verò mentis eſt dura, corruet in malum.* Mira ſententia. Maximè enim pugnare videntur beatitudo, & perpetuos pavor. Quid enim infelicius homine, qui in continuo timore verſatur? Unde nec ipſa Dei viſio, niſi ſecuritatem haberet adjunctam illius boni numquam omittendi, beatum non faceret. Quomodo ergo *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus?* Sed beatitudo intelligenda, quales in Evangelio Matth. 5. enumerantur octo beatitudines: quibus ſcilicet quis beatus dicitur, non jam in re, ſed in ſpe, & expectatione. Sicut ergo *beati pauperes ſpiritu*, propter ſpem regni cœlorum: unde additur, *quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, & ita de aliis: ita hoc loco, Beatus, qui ſemper eſt pavidus, propter ſpem æternæ ſecuritatis in futuro ſæculo. Senſus ergo eſt. Homo, qui ſemper eſt pavidus, id eſt, in omnibus viis ſuis, & conſiliis circumſpectus, & metuens ne quid mali faciat, & Deum offendat, is certa ſpe beatus eſt. *Qui autem mentis eſt dura & præfracta*, id eſt, homo temerarius, præſumptuoſus, *corruet in malum.* Valet ſententia contra hæreticos noſtri ævi, fiduciarios, & præſumptuoſos, qui docent nihil metuendum, tantùm credendum firmiter Chriſtum pro nobis per omnia ſatisfeciſſe.

E

CAPUT XXIX.

ỳ. 13. R*Ex qui judicat in veritate pauperes, thronus eius in æternum firmabitur. In veritate*, id eſt, in juſtitia, & ſenſus eſt: Qui facit judicium pauperi, pupillo & viduæ, nec ſinit eos opprimi à potentioribus, nec reſpicit perſonas divitum; thronus eius firmabitur. Non dicit autem, Qui judicat in miſericordia pauperes; quia ſicut non licet à recto declinare in partem divitis, propter divitias; ita nec in partem pauperis, propter eius paupertatem. Eſſet enim ea perverſa & injuſta miſericordia. De qua & Exodi 23. ſcriptum eſt: *Pauperis quoque non miſereberis in judicio.* Et iterum: *Non declinabis in judicium pauperis.*

ỳ. 18. *Cum prophetia defecerit, diſſipabitur populus.* Quamvis id de ea intelligi poſſit prophetia, qua futura prædicuntur, hoc ſenſu, Tunc diſſipabitur & peſſum ibit populus Judaicus, quando deſinet habere prophetas, juxta illud pſalm. 73. *Iam non eſt propheta; & nos non cognoſcet amplius*; quia tamen ſententia generalis eſt, & ad mores pertinet, ut cæteræ; rectius prophetia intelligitur divinę legis explicatio & annuntiatio ad populum, quod fit per prophetas & Sacerdotes. Ut ſenſus ſit, diſſipari, & perire populum, quando caret iis, à quibus inſtituatur in lege Domini. Quomodo prophetia accipitur 1. Cor. 14. atque etiam accipi videtur. Rom. 12.

CAPUT XXX.

ỳ. 1. V*Erba Congregantis, filij Vomentis. Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait, &c.* Juxta hanc noſtram verſionem, ſic exponi poſſet: *Verba congregantis*, id eſt, Salomonis, qui congregat Eccleſiam, ſeu cœtum hominum, & ad eum ſermonem habet. Unde & Eccleſiaſtes vocatur proximo libro. Item *filij Vomentis*, id eſt, eructantis ex corde ſuo verbum bonum. Cæterum longè veriſimilius eſt, iſta vocabula, *Congregans, Vomens*, item, *Cum quo eſt Deus*, & *Confortatus*, eſſe apud Hebræos propria nomina. Et Hebræa ſic ſonant: *Verba Agur, filij Iace, Viſionem hanc dixit vir ad Ithiel & Vchal.* Et juxta hunc intellectum, caput iſtud non eſt Salomonis, ſed cuiuſdam nomine Agur, qui hanc prophetiam, ſeu doctrinam propoſuit Ithieli, & Uchal, qui fortè erant filij eius, vel diſcipuli. Et notandum, ſolum iſtud caput in hoc lib. vocari, Viſionem ſeu prophetiam; vel ut Hebr. *Maſſah*; Aſſumptionem ſeu *Onus*. Salomon autem hoc libro tantum tradidit doctrinam morum. Unde ut noſtram verſionem huic ſenſui accommodemus, verba illa, *Congregantis, Vomentis, Cum quo Deus*, accipienda ſunt, non ut appellativa, ſed ut propria. Ad quod ſignificandum ferè etiam in Bibliis nomina illa imprimuntur litteris majuſculis initialibus. Et generaliter ſciendum, omnia propria nomina Hebraica, eſſe ſignificativa etiam cum appellativè ſumuntur.

ỳ. 2. *Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum.* Verba ſunt ipſius Agur, qui rogatus à diſcipulis, ut doceret ipſos ſapientiam, Reſpondit, *Stultiſſimus ſum virorum.* Poſſet etiam verti hoc modo. *Stultus ſum præ viro, & intelligentia Adæ non eſt mecum. Non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam Sanctorum*, videlicet, ut priori parte neget ſe habere tantum ſapientiæ, quantum fuit in Adam primo omnium parente: poſteriori, neget ſe habere ſcientiam Sanctorum, id eſt, Angelorum. Hæc profeſſio autem inſipientiæ ad hoc valet, ut diſcamus humilitatem; & diſcamus, quod non ſolùm innocentiam, verùm etiam ſapientiam & ſcientiam perdiderimus,

per prævaricationem primi parentis. Si generaliter ad homines referatur; ſenſus erit, unumquemque eſſe ſtultiſſimum ex ſe, quia videlicet, niſi divinitus illuſtretur, nihil novit eorum quæ ad ſalutem ſuam pertinent.

℣.8. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* Abutuntur hoc loco hæretici ad damnandam mendicitatem eorum, qui gratis ponunt Evangelium, & à jure exigendi vitæ ſtipendia abſtinent. Nam eodem argumento, quo damnant voluntariam mendicitatem, deberent etiam ex hoc loco damnare eos qui divitias, utiq; non involuntarij, poſſederunt; ut Abrahamum Davidem, imò & ipſum Salomonem, qui hæc dicit. Oratio igitur eſt ſapientis in perſona hominum imperfectorum, quibus neque divitias habere expedit, neque inopia premi, propter cauſas in textu ſubjunctas. Nam & divitiis facilè inſoleſcunt, & Dei obliviſcuntur; & inopia facilè adiguntur ad furta, rapinas & perjuria. Perfecti autem utriſque utuntur ad ſuam ſalutem. Et, ſic ſcilicet, omnes qui religionem monaſticam profitentur, ipſa illa profeſſione ad perfectionem tendunt. Vide etiam Notat. Eccleſiaſt. 27.

CAPUT XXXI.

℣.4. N*Oli regibus ô Lamuël, noli regibus dare vinum quia nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Verba ſunt matris Salomonis ad ipſum Salomonem. Sic enim habet titulus capitis: *Verba Lamuëlis Regis, Viſio quâ erudivit eum mater ſua.* Vocat autem hic ſeipſum Salomon *Lamuëlem*, quod interpretatur, *cum ipſo Deus*: quod in Hebræo magis convenit cum vocabulo Salomon, quàm in Latino. Hac autem ſententia non tam prohibet mater Salomoni, ne aliis regibus det vinum bibendum, quàm ne ipſe, qui erat rex futurus biberet, ut ſenſus ſit; Noli regibus, id eſt, tibi ipſi regi futuro, & filiis, indulgere vini uſum, ut videlicet largius bibant & inebrientur. Id enim ſignificant verba ſequentia: *quia nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Poteſt etiam ex Hebræo ſic legi: *Non eſt re-*

A *gum, ô Lamuël, non eſt regum bibere vinum, nec principum quærere ſiceram.* Sicera autem ſignificat omne id quod inebriare poteſt. Unde Hieron. vertit ebrietatem. Quare autem principibus id peculiariter prohibeatur, rationem addit: *Ne fortè bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis*, id eſt, pervertant cauſas afflictorum.

℣.8. *Aperi os tuum muto, & cauſis omnium filiorum, qui pertranſeunt.* Quod dicit (*muto*) ſenſus eſt, ei qui pro ſemetipſo, vel per imperitiam, vel per verecundiam, non poteſt, vel non audet loqui. Illi aperi os tuum, id eſt, cauſam eius age. *Et cauſis omnium filiorum qui pertranſeunt*, Hebr. eſt, in cauſa omnium filiorum interitus vel exciſionis. Ubi quidam intelli-B gunt omnes homines, qui continuo tranſeunt à vita ad interitum, id eſt, ad mortem. Sed rectius intelliguntur per filios interitus, omnes illi, qui ita per injuriam affliguntur, ut de interitu, id eſt, de morte periclitentur. Nam conſuetum eſt in Scriptura filium mortis vocare eum, qui de morte periclitatur. Commendat ergo mater his verbis Salomoni illud, quod maximè ad officium & curam regis debet pertinere; videlicet, ut defendat innocentes, & oppreſſos vindicet à morte aliiſque injuriis.

℣.12. *Stragulatam veſtem fecit ſibi. Byſſus & purpura indumentum eius.* At Luc. 16. vituperatur, qui induebatur purpura & byſſo. Et mulieres prohibentur ornare ſe veſte pretioſa, 1. Timoth. 2. & 1. Petri 3. C *Reſpond.* prohiberi ſuperfluum & immodicum cultum; qui ſit præter ſtatum & conditionem perſonæ, maximè, neglectis pauperibus. *His autem præcedit: Manum ſuam aperuit inopi, &c.* Deinde hæc mulier deſcribitur, ut uxor viri nobilis & ſenatoris. Sic enim ſequitur: *Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ.* Nec obſtat quod dicitur, quæſivit lanam & linum, & operata conſilio manuum ſuarum, & digitos eius apprehendiſſe fuſum, nam olim etiam nobiles matronæ hujuſmodi operibus ſe, ſuaſque filias ſimul exercebant, ut otium pellerent.

FINIS LIBRI PROVERBIORVM.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM ECCLESIATÆ.

PROOEMIUM.

HIeronymus in c. 1. Aiunt Hebræi, inquit, hunc librum Salomonis eſſe pœnitentiam agentis, quod in ſapientia divitiiſque confiſus per mulieres offenderit Deum. Idem habet ſuper Ezechielem. Contra alij, ut Bellarmin. cenſent ſcriptum priuſquam cor eius depravaretur amore mulierũ. Inter cetera adfert illud quod Sapiens c. 2. dicit: *Sapientia quoque perſeveravit mecum.* Ergo, inquit, hunc librum ſcripſit cum nondum per mulierum amorem excidiſſet à ſapientia. Alij tamen iterum reſpondent potuiſſe ſapientiam cum peccato conſiſtere.

CAPUT PRIMUM.

℣.2. V*Anitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Rectè, Sapiens, Eccleſiaſten, id eſt, concionatorem ſe appellat; videlicet, quia non ad unum, aut alterum hominem ſermonem

A hoc libro inſtituit, aut ad paucos; ſed ad univerſum hominum genus, velut ad ingentem concionem, ſeu hominum congregationem, quam cupiat à ſtudio rerum caducarum avocare. *Vanitas ergo vanitatum, & omnia vanitas*, ſenſus eſt. Omnem creaturam, maximè eam quæ in uſus hominum venit, eſſe non vanam modò, ſed vaniſſimam. Id enim ſignificat geminatio illa, *Vanitas vanitatum*, ſicut poſtea Canticum Canticorum quoque ſumitur pro excellentiſſimo Cantico. Sed *quæritur*, Quomodo vocet omnem creaturam vanam, cum bonum ſit quidquid à Deo conditum eſt? univerſa enim valde bona, ut eſt Geneſ. 1. capite. *Reſpondeo*, Vanum hoc loco dicitur, non quod natura ſua malum eſt, ſed quod caducum, fluxum, inſtabile, & inſtar vaporis brevi evaneſcens; Denique quicquid eiuſmodi eſt, quod ſuum poſſeſſorem beare non poteſt. Hoc modo conſtat creaturam omnem vanam eſſe, quia nihil eſt in rebus creatis, cuius poſſeſſione homo efficiatur beatus, cum ſolus Deus rerum conditor, hominem beatum facere poſſit. Hinc ad Rom. 8. *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non volens, ſed propter eum*

qui

qui ſubjecit eam in ſpe. Vide ibi noſtrum Commentarium.

ỷ.7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum unde exeunt flumina revertuntur.* Hinc quidam contra philoſophos naturales dicere volunt originem fontium & fluminum eſſe ex mari, non ex aëre viſceribus terræ incluſo, & in aquam frigiditate loci converſo. ſed conſiliari hæc poſſunt, dicendo quod flumina exeant de mari, non per occultos meatus, ut illi volunt, quod eſt contra experientiam; ſed quia de mari evehuntur in altum exhalationes, quæ in nubes concretæ pluviatim deſcendunt, & implent atque augent flumina in more fluentia. Simile eſt quod proximè dixerat de ventorum reditu. Neque enim venti redeunt ad originalia loca, niſi quia ſimiles aliæ exhalationes paſſim evehuntur è terrâ.

ỷ.10. *Nihil ſub ſole novum, &c. jam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerunt ante nos.* Videntur prima fronte hæc verba ſignificare, res eaſdem per revolutiones temporum, iterum iterumque in mundo extitiſſe, ſicut opinatus fuit Epicurus teſte Hieronymo ſuper hunc locum. Quale quid etiam Plato, & eum ſecutus Origenes ſenſerunt. Sed hoc modo ponitur mundus æternus; quod eſt contra illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Senſus itaque eſt; nihil eſſe novum; ſcilicet quod non in ſpecie, vel in ſimili jam ante prioribus ſæculis præceſſerit contigeritvè; non tamen infinities, ut illi volebant; ſed aliquoties; utpote à Salomonis tempore uſque ad creationem mundi multa tempora tranſierant. Vide noſt. in 2. ſent. diſt. 1.

ỷ.16. *Præceſſi omnes ſapientia qui ante me fuerunt in Ieruſalem.* Item. *Et propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole.* Et infrà. *Dedique cor meum ut ſcirem prudentiam atque doctrinam.* Et cap. ſeq. *Tranſivi ad contemplandam ſapientiam,* Et cap. 7. *Dixi Sapiens efficiar.* Ex his manifeſtum eſt non ita Salomonem ſapientia divinitus infuſa dotatum fuiſſe, ut non etiam ſtudio & inveſtigatione multarum rerum ſcientiam ſibi inſuper adjunxerit. Deus enim unà cum ſapientia dedit ei latitudinem cordis, ut multa poſſet experientia & ſtudio comprehendere. Vide annot. 3. Reg. 3. & Hieron. in hunc locum, ubi negat Salomonem fuiſſe ſapientiorem Abrahamo & Moyſe. Et in 2. ſentent. diſt. 23. ubi diſputatur an Salomon fuerit ſapientior Adamo.

ỷ.18. *Eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio. Et qui addit ſcientiam addit & laborem.* In multa ſapientia multa indignatio, quia quanto quis in ſapientia magis proficit, tanto magis agnoſcit & intelligit, quibus vitiis & miſeriis ſubjaceat; Tanto etiam plenius perſpicit, quàm multum ſibi adhuc ad perfectam ſapientiam deſit. Et ex utroque concipit piam quandam indignationem. Hinc prius verſu 13. dixit: *Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum,* id eſt, laborioſiſſimam & ærumnis plenam; ſicut & Græcis malum ab ærumnâ & labore dicitur, πονηρὸς ἀπὸ τοῦ πόνου. Et hic ſubjungitur. *Et qui addit ſcientiam, addit & laborem,* quod eundem ferè habet ſenſum. Quanto enim quis magis proficit in ſcientia, hoc magis dolet & laborat, quia videt clarius, quàm parum profecerit, & quantum ſibi adhuc deſit. Nam ferè indocti fortius & confidentius de rebus iudicant quàm docti. Auguſtin. in pſalmo 98. ſic intelligit. Quanto quis plus proficit in cogitatione peccatorum ſuorum, tanto magis dolebit. Accommodat & ad cognitionem peccatorum alienorum: quanto inquit major charitas tanto majores plagæ de peccatis.

CAPUT II.

ỷ.16. NOn enim erit memoria ſapientis ſimiliter ut ſtulti in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter operient. Annotat. in Script.

A *[oblivione cuncta pariter operient.]*

Eſtij Annotat. in Script.

Commemorat Sapiens quàm ſtultum ſit velle apud homines memoriam ſui habere perpetuam. Id enim obtineri vix poteſt, & tandem omnis talis memoria perit. Quod autem nihil iſta & ſimiles ſententiæ convincant Eccleſiaſten malè de immortalitate animæ, vel judicio futuro ſenſiſſe, probatur ex pluribus huius libri locis. Nam ſic habet mox capite 3. *Iuſtum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* & capite 5. *Neque dicas coram Angelo; Non eſt providentia.* & capite 6. *Quid habet amplius ſapiens à ſtulto; & quid pauper, niſi ut pergat illuc ubi eſt vita;* Sic & capite 8. & 9. & 11. Ac demum cap. ult. *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicio pro omni abſcondita, ſive bonum, ſive malum ſit.* Hæc autem & eiuſdem loca huius libri benè notanda

B ſunt propter alia quædam quæ poſſent ſimplicem lectorem offendere quaſi dicta contra Dei providentiam aut faventia doctrinæ Epicureæ. Quæ loca requirunt humilem lectorem & doctum expoſitorem.

ỷ.24. *Nonne melius eſt comedere & bibere & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis; Et hoc de manu Dei eſt.* Sic & cap. 3. *Cognovi quod non eſſet melius, niſi lætari & facere bona in vita ſua.* Et ſimilia ſunt cap. 5. & alibi. Sed ſciendum eſt Sapientem loqui de uſu divitiarum, deque voluptatibus honeſtis; & deliciis recta ratione moderatis. Quæ quidem recta ratio quoque oſtendit diſtinguenda eſſe tempora. Nempe alia congruere tempori veteris teſtamenti, alia novi. Quod autem de uſu moderato & rationabili tantum agat,

C perſpicuum eſt, quia dicit hoc eſſe de manu Dei, ſeu Dei donum eſſe; Deinde conjungit, lætari & facere benè, ac denique hoc eodem cap. verſ. 26. vocat hominem bonum, cui Deus dedit ſapientiam talem & lætitiam, & opponit eum homini peccatori. Sic & cap. 9. *Vade ergo & comede in lætitiâ panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua.*

CAPUT III.

ỷ.1. O*Mnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt univerſa ſub cœlo.* Non de rebus, ſed de hominum actionibus ſermo eſt, ut patet ex ſubſequentibus. De ipſis rebus autem dicit verſu 14. *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus perſeverent in perpetuum,*

D cuius explicationem vide capite primo ad illa verba: *Nihil ſub ſole novum.* Porrò quod dicit Sapiens verſu 8. *Tempus dilectionis & tempus odij.* Nonnulli intelligunt tempus dilectionis tempus novi teſtamenti; & tempus odij tempus veteris teſtamenti, juxta quod dicitur Matth. 5. *Dictum eſt antiquis; Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Sed melius ad litteram exponitur tempus dilectionis, id eſt, tempus præſtandi externa dilectionis opera, ut tribuere præmia, atque alia conferre beneficia; *Tempus autem odij,* id eſt, tempus exercendi ea opera, quæ ab odio vitiorum & criminum juſtè procedunt, ut hoſtibus bellum inferre, ſuppliciis afficere ſceleratos, & ſimilia. Hinc David pſal. 118. *Iniquos odio habui.* Et rurſum. *Nonne qui oderunt te Domine, oderam; & ſuper*

E *inimicos tuos tabeſcebam.*

ỷ.19. *Vnus eſt interitus hominum & jumentorum; &c.* Intelliguntur hæc verba tantum de conditione corporum. Sequitur enim: *De terra facta ſunt, & in terram pariter revertentur.* Nec aliud vult Salomon, quàm pater eius David dicens pſalmo 48. *Homo cum in honore eſſet non intellexit,* nimirum quod per peccatum mortem corporis incurrerit. Paulò majorem difficultatem habent verba illa hic ſubjecta: *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendit ſurſum, &c.* Ubi etiam de animâ agitur. Sed ſenſus eſt: quotuſquiſque eſt hominum, qui ſeriò recogitet quod ſpiritus filiorum Adam poſt hanc vitam immortalitatem aſſequantur?

tur? Atque hunc ſenſum tradit Hieron. in commentario. Sanè Salomonem immortalitatem animæ credidiſſe patet cap. ult. cum dicit, *Spiritum hominis redire ad Deum*; videlicet ab eo judicandum. Unde & retributionis poſt hanc vitam ibidem in fine cap. meminit. Vide etiam quę dicta ſunt cap. præced. v. 16. item quę de immortalitate animæ diximus in 4. Sent. diſt. 43.

CAPUT IV.

ỹ. 5. *STultus complicat manus ſuas, &c. dicens: Melior eſt pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore.* Sed quomodo ſtultum vocat, qui aliàs vocatur ſapiens, & laudatur, juxta illud: *Benè qui latuit, benè vixit?* *Reſpondeo* damnatur magis evangelicus ſervus, qui acceptum talentum involvit in ſudario, & defodit in terram, id eſt, occultavit in quiete & otio hujus vitæ, operiens illud cupiditate rerum terrenarum; fugiens laborem & afflictionem ſpiritus, quæ ferè conjuncta ſunt cum diſpenſatione talenti cœleſtis in proximos. Huic ſcilicet aliquando dicetur illud Matth. 25. *Serve nequam ſciebas, quia homo durus aſſum, &c. Nonne ergo oportuit te pecuniam meam dare ad uſuram?* Meritò ergo ſtultus vocatur. Poteſt etiam dici, non ſimpliciter damnari, neque reprobari illam ſententiam: *Melior eſt pugillus cum requie*, ſed tantùm ipſum ſtultum, qui abutitur hac ſententia & parabola, ad velamen ignaviæ ſuæ, & inutilis otij. Nam etſi vera, *tamen indecens eſt in ore ſtultorum parabola.* Proverb. 26. Et, *ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore ſuo.*

ỹ. 9. *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm unum.* Nempe eſt homo animal ſociale, etiam ſecundum innocentiæ ſtatum, quando dictum eſt, Gen. 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum; Faciamus ergo ei adjutorium ſimile ſibi.* Et multo magis nunc, quando propter varias neceſſitates quotidianas mutua opera indigent homines quàm maximè. Nec tamen ſententia hæc contrariatur vitæ monaſticæ, quæ apud Chriſtianos eſt, maximè quæ cœnobitica frequentatur; imò cum ea pulcherrimè conſonat, & numquam ad anachoreticam admittendus eſt, niſi qui prius cœnobiticam probaverit, & vitam communem plurium, ſub obedientia prælati, à quo ſemper dependeat, promiſerit. Illa autem vita cœnobitica, vel maximè eſt ſocialis; eoque præterea ſanctior, quò diſciplinæ obſervantior. Quin nec talibus egredi è monaſterio unquam licet, niſi comitatis, ut cum ceciderint, habeant ſublevantem ſe.

ỹ. 17. *Multo enim melior eſt obedientia, quàm ſtultorum victima.* Servit hæc ſententia loco expoſitionis multarum aliarum ſententiarum, in quibus obedientia præfertur ſacrificio. Intelligendum enim utrumque ſeorſim ſumptum cum altero comparari, videlicet obedientiam ſine victima, & victimam ſine obedientia: quæ & meritò hic vocatur victima ſtultorum. Et hac collatione propoſita, nemo dubitet obedientiam ſacrificio eſſe præferendam. Vide 1. Reg. 15. & Iſaiæ 58.

CAPUT V.

ỹ. 1. *DEus in cœlo, & tu ſuper terram, idcircò ſint pauci ſermones tui.* Hortatur hac ſententia Sapiens non temerè, neque multùm, ſed parcè, & circumſpectè loquendum eſſe de divina majeſtate; hoc eſt, de eius natura & eſſentia; de myſterio Trinitatis, & ſimilibus. Rationem autem reddit, *quia Deus in cœlo, & tu ſuper terram.* Quam rationem duobus ferè modis explicant. Uno modo ſic: Deus in cœlo habitans, inde velut ex altiſſima ſpecula omnia hominum facta, dicta & cogitata proſpicit. Et proindè non ignorat ea quæ tu, hic in terra poſitus, dicas aut facias.

A Aliter Hieronym. &, ut apparet, rectiùs. Quantum diſtat cœlum à terra, tantum abeſt imbecillitas noſtræ intelligentiæ à vero & proprio conceptu naturæ divinæ. Ac præterea ſicut è terra uſque ad cœlum conſcendi non poteſt naturaliter, ita mens noſtra ad Deitatis intelligentiam naturæ viribus pervenire non poteſt. Idcirco, ſcilicet, ſint pauci ſermones tui, de tantis myſteriis.

ỹ. 3. *Diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Stulta promiſſio non ea intelligitur qua quid ſtultum, vanum, inutile, quodve pietati aut charitati ſit contrarium, promittitur: ſed promiſſio facta improvidè, temerè, non ſatis matura cum deliberatione; aut certe non cum firmo propoſito præſtandi; quomodò vovere ſolent ſtulti, leves & imprudentes homines,
B etiamſi ea quæ vovent, bona ſint. Hunc ſenſum probat & id quod præcedit: *Si quid voviſti Deo ne moreris reddere.* Et id quod ſequitur: *Sed quodcumque voveris, redde.* Quæ univerſales ſententiæ non niſi de votis ex objecto bonis accipi poſſunt, & tamen vult Sapiens ut etiamſi inconſultè quis voverit aliquid huiuſmodi, omnino præſtet, quia temeritas vovendi non tollit obligationem, ut in humanis contractibus. Huic intelligentiæ prorſus favet Hebraica lectio. *Quia non eſt voluntas in ſtultis*, vel, ut Hieronymus *in inſipientibus.* Id eſt, homines ſtulti qui faciles ſunt ad promittendum, nec curant promiſſa ſolvere, & per hoc infideles ſunt ad præſtandum, Deo non placent.

ỹ. 5. *Ne dicas coram Angelo, non eſt providentia.*
C Hieronym. ſecundum Septuaginta legit: Ne dicas in conſpectu Angeli, quia ignorantia eſt. Simile quid vox Hebræa ſonat. Senſus tamen fere in idem recidit. Eſtque talis: Si quando peccaveris, ne excuſes peccatum tuum, dicendo nullam eſſe providentiam, ſed velut per ignorantiam, id eſt, fortuito caſu omnia fieri in mundo; & neque virtutibus præmia, neque peccatis ſupplicia propoſita eſſe. Qui enim olim fingebant non eſſe providentiam, procliviores erant ad peccandum. Alij intelligunt de ignorantia ipſius hominis, q. d. Si quando peccaveris, ne excuſes te, & dicas, per ignorantiam vel imprudentiam te peccaſſe. Addit autem illud (*coram Angelo*) eodem modo, quo Paulus de mulieribus velandis dicit 1. Corint. 11. *Ideo debet mulier poteſtatem habere ſupra caput propter Angelos.*
D Ac ſi dicat: Ut ſi non revereretur mulier homines, ſaltem Angelos ubique nobis præſentes revereatur. Ita hoc loco: *Ne dicas coram Angelo*, quem ſcilicet malitia tua latere non poterit. Item annotat hoc loco Hieron. unicuique homini comitem, id eſt, cuſtodem adeſſe Angelum, qui dicta & facta hominis ſtatim perferat ad Dominum. Ex quo relucet mirabilis circa hominem Dei providentia, ut non tantum per ſe curet res humanas, ſed etiam ad hoc utatur Angelorum ordinatiſſimo miniſterio.

ỹ. 11. *Saturitas autem divitis non ſinit eum dormire.* Dupliciter id intelligi poteſt, vel de ſaturitate cibi, qui ob copiam & cruditatem, ſomnum impedit: idque fere accidit divitibus & otioſis: vel de abundantia opum; quæ cum ſollicitudinem gignat, ſæpe divitiE bus eſt impedimento ne ſuaviter ſomnum capiant.

CAPUT VI.

ỹ. 2. *NEc tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo.* Vel quia prius ei auferuntur, quàm iis uti queat; vel quia propter avaritiam abſtinet, & poſt mortem, ut ſequitur, homo extraneus vorabit illud; ſcilicet quod ipſe avare ſibi denegaverat.

ỹ. 7. *Omnis labor hominis in ore eius.* Clarius ſic dici potuiſſet, omnis labor hominis ipſi ori eius, vel pro ore eius, ſcilicet implendo. Ideo enim homo laborat ut manducet, juxta verbum Domini, Gen. 3. *In ſudore*

ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Sub victu tamen etiam veſtimentum intelligitur.

CAPUT VII.

℣. 4. **M**Elior eſt ira riſu. At paulò pòſt dicitur: *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit.* Sed nulla eſt contrarietas. Nam hoc loco per iram intelligitur triſtitia vultus & ſeveritas erga delinquentem. Sequitur enim: *Quia per triſtitiam vultus, corrigitur animus delinquentis.* Infrà autem iracundiæ effectus ſignificatur, qui etſi per ſe non ſit improbandus, proclivitas tamen ad iraſcendum, & frequentia; etiam multo magis perſeverantia eius damnatur; de qua propterea dicitur; quod *ira in ſinu ſtulti requieſcit*, id eſt, immoratur, permanet, perſeverat, ac tandem in odium vertitur. Hinc illud: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Epheſios 4.

℣. 9. *Melior eſt finis orationis, quàm principium.* Hebraïcè (*finis verbi*) & variè hæc ſententia exponitur. Uno modo, melior eſt in oratione epilogus exordio: Quia in epilogo dicentis ſollicitudo finitur, in exordio incipit. Alio modo ut referatur ad audientem; cui ſimiliter melior eſt finis orationis, quàm principium; Quia qui incipit audire ſermonem docentis vel concionantis, deſiderium quidem habet diſcendi aliquid, ſed nondum didicit; qui verò uſque ad finem audivit, jam doctus eſt, per ea quæ audivit. Poteſt etiam referri ad ſtatum præſentis ſæculi & futuri. Dum enim in hoc ſæculo ſumus, in principio ſemper ſumus, quia parum profecimus, & ſemper multum deeſt, dum erimus autem in futuro, tum perfecti conſummati erimus. Itaque hoc ſæculum eſt velut principium orationis: futurum autem velut finis, in quo vita noſtra perficitur.

Hebræa lectio ſuggerit intellectum ampliorem. Legitur enim (*finis verbi*) verbum autem ſæpè pro quacumque re ſumitur. Unde quidam vertit. Potior eſt extrema negotij pars, principio. Ut ſenſus ſit, Quod ſatius ſit extremum cuiuſque negotij expectare patienter, quàm per impatientiam hærere ſemper in principio. Hæc expoſitio etiam eſt apud Hieron. Itaque hoc ſenſu monet Sapiens, ut benè cœpta perducamus ad exitum. Nam parum eſt benè cœpiſſe, niſi cœptis progreſſus & finis reſpondeant. Nõ enim qui benè cœperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.

℣. 12. *Vtilior eſt ſapientia cum divitiis, & magis prodeſt videntibus ſolem.* Hebr. eſt, (*cum hæreditate.*) Dicit autem *utilior*, non *melior*. Nam ſapientia per hoc quod cum divitiis conjuncta eſt, propriè neque melior efficitur, neque deterior, neque maior, neque minor; ſed tantum ex occaſione aliquando fit melior aut deterior, ſeu potius utilior aut inutilior: Melior, ſi quis bene utatur divitiis, prout ſapientia ſuadet; Deterior, ſi quis cor apponat divitiis affluentibus, & ita cor eius abſtrahatur à ſtudio ſapientiæ. Abſolutè tamen dicit Sapiens: *Sapientiam cum divitiis eſſe utiliorem, & magis prodeſſe videntibus ſolem*, id eſt, viventibus: Scilicet quia ſapiens, ſi ſimul dives ſit, & divitiis illis utatur juxta dictamen ſapientiæ ſuæ, multis prodeſſe poteſt, largiendo, & aliter utendo opibus ad honorem Dei, & proximorum utilitatem. Qui autem ſapiens eſt, & non dives, poteſt docere quod bonum eſt, inquit, Hieron. ſed non poteſt præſtare interdum quod petitur. Sed *quæres*, Quare ergo ſapientia novi Teſtamenti hortatur objicere divitias? *Reſp.* quia propter pravam hominis cupiditatem, & propenſionem naturalem ad malum, ſæpius fit, ut divitiæ impediant hominem à ſapientia, quàm ut homo per ſapientiam iis benè utatur; maximè cum ſecum afferant multas curas, & multiplicem ſollicitudinem.

℣. 19. *Qui timet Deum nihil negligit*, ne quidem

A venialia peccata, quia ſemper tendit ad perfectionem, & quotidiana peccata ſtudet quotidianis remediis eluere, ut orationibus, Eleemoſynis, jejuniis, agens continuam quandam de iis pœnitentiam; ſicut multis locis docet Auguſt.

℣. 30. *Hoc inveni, quod Dominus fecerit hominem rectum.* *Quæritur* an etiam in ſupernaturali gratia ſit creatus? Nonnulli diſputant; dicuntque gratiam, qua mereri poſſet vitam æternam non quidem in ipſa creatione, ſed poſteà tamen ante lapſum inditam, & per peccatum amiſſam. Et hoc ut minimum tenendum eſt, ſic enim definit Synodus Trid. Seſſ. 5. can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, anathema ſit.* Et ſimilia habet Seſſ. B ſeq. cap. 1. & 7. Ubi etſi Concilium tantum dicat hominem in juſtitia ante lapſum fuiſſe *conſtitutum*, & non exprimat eum in illa fuiſſe *creatum*, tamen propter hunc locum Eccleſiaſtæ & ſimiles, probabilior ſententia eſt, eum in juſtitia (qua æternam beatitudinem, ad quam creatus erat, poſſet mereri) etiam fuiſſe creatum. Vide noſtra in 2. diſt. 25.

℣. 30. *Et ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus.* Ergo multitudo & perplexitas quæſtionum ex peccato. Nam in ſtatu innocentiæ, ubi intellectus erat clarus, & ſtatim ex uno multa videns, non fuiſſet illa quæſtionum infinitudo quæ nunc eſt. Item multæ inutiles nunc moventur quæſtiones. Ita cœcitas & ignorantia ex peccato: hinc quæſtiones & inquiſitiones plurimæ. C Igitur multæ rationes ſunt cur in ſtatu naturæ corruptæ potius quàm integræ locum habeat quæſtionum infinita multitudo. Vide noſt. in 2. diſt. 25.

CAPUT VIII.

℣. 2. **E**Go os regis obſervo, & præcepta juramenti Dei. Quod ait: *Ego os regis obſervo*, dictum eſt in perſona cujuſvis ſapientis, & juſti hominis, q. d. Quilibet ſapiens meritò debet os regis obſervare, id eſt, ſtatutis & legibus regum, principũ & magiſtratuum obedire; Quæ vocantur os regis, quia ab ore regis procedunt. Septuaginta interpretes hanc ſententiam imperativè verterunt, idque clarius, hoc modo: *Os regis cuſtodi, vel obſerva*, id eſt, obtempera præcepto regis. D Quin & ex Hebræo quidam ſic vertunt: Equidem moneo, ut os regis obſerves. Porrò quod ſequitur (*& præcepta juramenti Dei*) ſimiliter ſubaudiendum vult, obſervo, vel, ſecundum Septuaginta, obſerva. Et ſenſus eſt. Quilibet verè Sapiens diligenter obſervat præcepta de juramento Dei, id eſt, per Deum; ſenſus eſt, ſedulò cavet ne nomen Dei aſſumat in vanum, nec aliter juret, quàm quomodo præcepta eius jurandum eſſe præſcribunt. Quidam etiam præcepta juramenti Dei intelligunt omnia præcepta legis, ad quæ ſervanda populus Iſraëliticus, interpoſito juramento ſe obſtrinxerat, quando fuit ei data lex à Moyſe; ut dicantur præcepta juramenti Dei, quæ Deo jurata ſunt præſtari.

℣. 5. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali.* Hebr. eſt: Non cognoſcet verbum malum. Sed E *cognoſcere* pro experiri, & *verbum* pro re, frequentia ſunt apud Hebræos. Itaque interpres ſenſum reddens rectè vertit. Non ſignificatur tamen eum, qui præceptum cuſtodit, prorſus ab omni malo immunem futurũ, ſed tantùm à ſuppliciis impiorum; mala autem hujus ſæculi ei ceſſura in bonum, juxta illud Apoſt. Rom. 8. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Poteſt etiam accommodari ad præceptum regis, ſeu principis hoc modo: Qui cuſtodit præceptum regis, nihil mali experietur, nõ incurret ullam pœnam legibus conſtitutam. Principes enim ut eſt Rom. 13. *Nam ſunt timori boni operis; ſed mali.* Item, *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa.*

℣.10. *Vidi impios ſepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum.* Hebraïcè. *Et tunc vidi impios ſepultos, & venerunt, & à loco ſancto ambulabant, & oblivioni tradentur in civitate qua ſic fecerant.* Senſus videtur hic reddi poſſe: Vidi impios pacificè mortuos & honorificè ſepultos; id eſt, ad ſepulchrum uſque feliciter degentes, ut qui in magno honore fuiſſent apud ſuos. Venerunt autem alij poſt eos ſanctè, tamquam in loco ſancto, ambulantes, quorum tradita eſt oblivioni memoria in civitate in qua ſanctè vixerant, & multa bona fecerant. Campenſis ita reddidit paraphraſticè; Itaque vidi impios ad ſepulchrum uſque feliciter degere, & ipſos veluti reſurgere in filiis, verſari inter honoratos in loco ſancto: eos autem qui bene faciunt, B contemni à civibus. Sed coactum videtur quod illud, *venerunt*, interpretatur de reditu in filiis. Quare prior ſenſus, reſpondens etiam verſioni Pagnini, nobis magis probatur. Improbè autem faciunt qui hunc locum eò torquent ut doceant aliquando honorari in Eccleſia quoſdam mortuos pro ſanctis qui impij fuerint in vita. Vide Hieronymum. Vide & verſionem qua Vatablus utitur, eiuſque expoſitionem.

CAPUT IX.

℣.1. S*Vnt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, Et tamen neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit.* Opera juſtorum dicuntur eſſe in manu Dei quia merces illis repoſita eſt apud Deum; C ſive quia ſunt ſub cuſtodia & protectione Dei, & ab eo in finem æternę felicitatis diriguntur. Simili modo Sapient. 3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.* Ita quoque Pſalm. 21. verbis à Chriſto in cruce repetitis: *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et rurſus Pſalm. 30. *In manibus tuis ſortes meæ*, id eſt, omnes meæ actiones à te diriguntur & proſperantur. Senſus autem hujus loci eſt. Licet Deo cognita ſint & probata opera juſtorum, tamen ipſe juſtus ſuam ipſius juſtitiam ignorat, id eſt, certò in hac vita ſcire non poteſt, utrum opera ſua talia ſint, quæ amore digna ſint, an odio. *Sed omnia*, addit Sapiens, *in futurum ſervantur, incerta*, id eſt, in tempus futuri judicij ſtatim poſt cujuſque mortem. Tunc enim homo ſibiipſi manifeſtabitur, D quoad opera totius vitæ, ſicut in judicio generali manifeſtabitur toti mundo.

Locus apertiſſimus contra abſurdiſſimas hæreticorum noſtri temporis opiniones, aſſerentium, hominem certum eſſe quod ſit filius Dei, quod habeat remiſſionem peccatorum, & quod conſecuturus ſit vitam æternam: Neque tantum eum certum eſſe, ſed hoc ipſum credere debere, & per talem fidem eum omnia illa conſequi; veniam peccatorum, adoptionem filiorum Dei, ipſamque vitam æternam. Quæ ſi ita ſint, fallitur Sapiens, qui dicit neſcire hominem utrum amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervari incerta. Quibus tamen verbis haudquaquam excludit probabilem conjecturam, & fiduciam, quam quis poteſt ex veriſimilibus ſignis accipere, quod ſit filius Dei, E & prędeſtinatus. Habentur enim quædam ſigna talium rerum, non tamen certitudo illa infallibilis, qualem ſtultè & temere ſibi præſumunt hæretici. Sed Calvinus alia interpretatione eludere conatur, hunc enim dat ſenſum: Neſcit homo, utrum ab hominibus, qui amici eius videntur, ametur an odio habeatur. Sed hic ſenſus minimè cohæret præcedentibus, ubi juſtus eiuſque opera conſiderantur, ut ſunt coram Deo. Sed & ſequentia quoque idem clamant.

℣.3. *Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub ſole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt.* Peſſimum à malo miſeriæ, non culpæ dicitur, id eſt, inter miſerias hujus vitæ maximum. Eſt enim tale quod multorum peccatorum A ac ſcelerum occaſionem præbeat malis hominibus, ut probant verba ſequentia. *Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia, &c.*

℣.4. *Melior eſt canis vivus leone mortuo.* Objiciebat hoc Catholicis Vigilantius adverſus honorem, quem reliquiis Sanctorum impendunt fideles, ut refert Hieronym. in libro adverſus eum ſcripto. *Reſponſio* eſt, Sapientem loqui de homine vivo & mortuo, quantum ad operationes, quæ pertinent ad uſum & negotia præſentis vitæ, ut ſunt agros colere, ædificare domos, edere, bibere, &c. Sic enim paulò pòſt dicitur: *Nec habent partem in hoc ſæculo, & in opere quod ſub ſole geritur; Scilicet ipſi mortui.*

℣.5. *Mortui verò nihil noverunt amplius, nec habent B ultra mercedem, quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.* Vide ad illud Iob 14. *Sive nobiles fuerint filij eius, ſive ignobiles, non intelligit.* Item ſuprà cap. 2. v. 16. Itemque Pſalm. 113. ad illud: *Non mortui laudabunt te Domine*, & in 4. diſtinct. 21. § 6. & diſt. 15. §. 11.

℣.18. *Qui in uno peccaverit multa bona perdet.* Videtur huc alluſiſſe Iacobus cum ait cap. 2. *Qui in uno offenderit factus eſt omnium reus.* Senſus autem eſt. Qui unum crimen aut ſcelus admiſerit, amittit fructum omnium quæ bona operatus eſt, ſive mercedem æternam ſpectes, ſive famam bonam & gloriam apud homines. Huc pertinet quod ſequitur; *Muſcæ morientes perdunt*, id eſt, vitiant, corrumpunt, *ſuavitatem unguenti*, dum immoriuntur: Unguenti autem odor famam bonam in Scriptura ſignificat 2. Cor. 2. Vidè C noſtr. Comment. cit. cap. 2. Iacobi.

CAPUT X.

℣.1. P*Retioſior eſt, ſapientiâ & gloriâ, parva ad tempus ſtultitia.* Senſus eſt. Prudentia ſimplex & recta, minimeque callida, aut oſtentatrix, quæ paſſim pro ſtultitia reputatur, eſt pretioſior ſapientia & gloria, hoc eſt, quàm glorioſa & ambitioſa prudentia, quæ eſt prudentia huius ſæculi, injuriarum impatiens prætextu famæ, & honoris, & ambitioni ſtudens prætextu honeſtatis. Malè in quibuſdam Codicibus pridem legebatur, *Pretioſior eſt auro ſapientia.* Nam illud (*auro*) additum ab imperito quodam qui ſen- D tentiam putavit eſſe incompletam & ablativum deſiderari.

℣.16. *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt.* Huic contrarium videri poteſt, quod Ioſias octo annorum, & ipſe Salomon quoque fortè, (nam de eius ætate diſputatur) pueri ad regnum promoti ſint, nec tamen væ fuit illorum regnis, ſed fœlicitas. *Reſpondetur*, ordinariè malum videri, ſi puer regno præficiatur, quia puero deeſt ſcientia, ſapientia, maturitas judicij, authoritas, experientia, quæ omnia rectoribus regnorum neceſſaria ſunt: Cæterùm extraordinariè interdum ſecus accidere poſſe, dum pietas, & virtutum quædam præmaturitas & bona indoles, & bonorum conſiliariorum aſſiſtentia, & ſingularis Dei providentia defectum ætatis ſupplent. Alio- E qui etiam inter comminationes Iſaiæ 3. cap. illud eſt: *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*

Quęritur utrum ſit deterius puerum tenere gubernacula regni an mulierem? *Reſpondetur*, mulierem, quia puer defectum ętatis habet, mulier ſexu deficit; Atqui ętatis defectus corrigitur annorum acceſſu: ſexus autem mutari non poteſt. Nec facilè eſt ut mulier viriles induat affectus & virtutes, quod hanc ei perfectionem natura negaverit. Utrumque certè veriſſimum eſt: Vę terrę cui rex puer eſt, & cui fœmina princeps.

CAPUT XI.

℣.1. **M**Itte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas; *quia poſt tempora multa invenies illum.* Parabolica locutione hortatur ad Eleëmoſynam. Panis autem nomine omnis cibus intelligitur. Porro illud, (*ſuper tranſeuntes aquas*) Hebraïcè & Græcè ſonat (*ſuper faciem aquarum*) id eſt, liberaliter & profuſè, perinde, atque ſi opes tuas in aquas profunderes. Ne autem exiſtimaret quis Eleëmoſynam ſic liberaliter effuſam perire, ſicut perit, quod in aquam dejicitur, ideò addit Sapiens: *quia poſt tempora multa invenies illum*, quaſi dicat; nihil inde ibi peribit, ſed quidquid contuleris in pauperes, tandem, etiam poſt longiſſimum tempus, cum fœnore ad te redibit. Hoc eſt quod in Evangelio Dominus dicit Luc. 14. ubi hortatur ad invitandum pauperes & eos qui retribuere non B poſſunt. *Retribuetur enim tibi* (inquit) *in reſurrectione juſtorum.* Hieronymus ſic annotat: Ad Eleemoſynam cohortatur, quod omni petenti ſit dandum, & indiſcretè faciendum benè. Sic ille. Ubi neminem offendat, quod ait (*indiſcretè.*) Non enim ſignificat imprudenter faciendam Eleëmoſynam; Neque diſcretus & indiſcretus hoc apud Latinos ſignificant, quod prudens & imprudens; Sed indiſcretè benefacere, eſt paſſim omnibus ſine diſcrimine & nullo excepto benefacere. Sicut enim omnes diligere jubemur, ita & quantum licet, omibus benefacere.

℣.2. *Da partem ſeptem, nec non & octo, quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram.* Vitiosè quædam exemplaria pridem habebant pluraliter (*partes.*) Eſt ea lectio contra Hebraïcam veritatem, textum Græcum & fidem M.SS. Latinorum. Nam (*ſeptem & C octo*) ſunt dativi caſus. His ergo verbis Sapiens iterum hortatur ad Eleemoſynam largè & copioſè faciendam, eſtque ſenſus: Da ſeptem hominibus, imò octo, id eſt, multis, & valdè multis, partem & portionem cuique ſuam; id eſt, conare omnibus benefacere. Certè uterque numerus eſt perfectionis; ſeptenarius in lege veteri, propter Sabbatum, octonarius verò in nova propter diem octavam reſurrectionis; per quam ſimul *myſticè* innuitur æterna retributio, quam percipiet, qui Eleëmoſynam fecit, poſt hanc vitam. Addit denique Eccleſiaſtes: *quia ignoras, quid futurum ſit mali ſuper terram.* q. d. per Eleemoſynam liberaberis à malis imminentibus, interdum etiam huius ſæculi, ſed certiſſimè ſæculi futuri. Innocent. III. ſerm. in Dom. Lætare, D ſic myſticè de ſeptima & octava ætate: Septenario dandæ ſunt partes glorificationis in corde; octonario dandæ ſunt partes glorificationis in corpore.

℣.3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Abutuntur hoc loco hæretici contra purgatorium. Sed nihil efficiunt. Nam duo loca quæ hic conſtituit Eccleſiaſtes, auſter & aquilo, exponente Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum, cap. 22. intelliguntur, nempe auſter locus electorum ſeu juſtorum, aquilo verò reproborum:

A Atque adeò cum in purgatorio non conſtituantur niſi boni, ſed nondum plenè purgati; ſunt illi jam in auſtro & ſemper manebunt in auſtro. Atque hoc modo etiam intelligenda ſunt verba Hieronymi in hunc locum Eccleſiaſtæ. Vide noſtra in 4. diſt. 21.

CAPUT XII.

℣.1. **A**Ntequam veniat tempus afflictionis, & appropinquant anni, de quibus dicas: *Non mihi placent.* Figuratam, & velut ænigmaticam ſubjicit deſcriptionem ſenectutis. Porrò quod dicit de annis qui non placent; vide Platonem de republ. Dialogo primo, de cogitationibus & ſcrupulis quæ homini in ſenectute objiciuntur. Unde rectè monet hic Sapiens. *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ*, tum quia neſcis, an ad ſenectutem pertinges; tum quia, B ut Plato etiam docet, ſenes ſæpè torquentur conſcientia vitæ malè actæ. Vide etiam Ciceronem lib. 4. Tuſculan. quæſt. & in Catone majore.

℣.5. *Excelſa quoque timebunt, & formidabunt in via — & diſſipabitur capparis.* Hoc poſtremum interpretantur Hebr. de deficiente venere, ſeu appetitu coïtus, referentes quod capparis ſtimulat venerem. Atque nemo bonus ſenex id reputabit pro incommodo; quod appetitus talis in ipſo refrigeſcat. Nec decet caſtitatem Scripturæ Sacræ hoc referre pro incommodo ſenectutis, quod multi boni & caſtitatis ſtudioſi, etiam in juventute exoptant. Imò & Cicero in lib. de Senectute, id recenſet inter commoda, & beneficia ſenectutis, quod hominem à libidinis æſtu velut à tyranno quodam liberet. Itaque multo magis placet interpretatio de deficiente ciborum appetentia, quam capparis excitare C ſolet. Unde Berzellai ſenex dicebat ad regem David 2. Reg. 19. *Octogenarius ſum hodie. Numquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuave, aut amarum? Aut delectare poteſt ſervum tuum cibus & potus? &c.*

℣.7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Vide Auguſtin. lib. 1. retract. c. 1. Ubi verba quædam ſimiliter à ſe dicta exponit, adducens hunc ſimilem locum, & verba quædam Cypriani ſimiliter dicta & ſimiliter intelligenda. Corpus dicitur reverti in terram, quia ex ea primò ſumptum, tanquam ex principio materiali atque in eam eandem reſolvitur, pulvere mediante. Et quia ſpiritus non eſt ex materia; ideo eius origo refertur in Deum, qui ſine materia atque ex nihilo ipſum condidit. Redit D autem ad Deum ſpiritus, etiam malorum hominum, dum ſiſtitur eius judicio; de quo paulò pòſt dicit; Cuncta *quæ fiunt, adducet Deus in judicium.* Igitur ex hoc loco poteſt oſtendi omnem hominem ſtatim à morte judicari à Deo, & probatur immortalitas animæ rationalis, de qua plenius egimus in 4. diſt. 43. §. 2.

℣.11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli & quaſi clavi in altum defixi.* Clavis ac ſtimulis ſapientum verba comparantur, quia culpas delinquentium neſciunt palpare, ſed pungere, ait Gregorius Homilia in Evangelia.

FINIS LIBRI ECCLESIASTÆ.

ANNO-

ANNOTATIONES IN CANTICVM CANTICORVM.

PRÆFATIUNCULA.

Hieronymus lib. 1. contra Iovinianum ex eo probat in hoc Cantico nihil carnalium amorum cogitandum eſſe, ſed omnia ſpiritualia; quia dicit Sponſus ad Sponſam: *Veni ſoror mea ſponſa.* Nam ſororis, aut fratris nomen in talia amoribus non poteſt honeſtè intermiſceri. Et Bernard. ſerm. 1. in Cantica: Conſtat, inquit, hoc opus non humano ingenio, ſed ſpiritus arte ita compoſitum, ut quamvis ſit difficile intellectu, ſit tamen inquiſitu delectabile. Rupertus totum librum interpretatur de Beata Virgine Maria, tamquam ſponſa, & Chriſto, ut ſponſo. Sed ſenſus ille non tam proprius eſt quàm accommodatitius. Sed Auguſt. lib. de Unitate Eccleſiæ, cap. 14. citans illud, cap. 2. Cantic. *Sicut lilium* B *inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Quod, inquit, de Sancta Eccleſia dictum, omnis Chriſtianus agnoſcit. Unde & vocatur *Canticum Canticorum*, id eſt, Canticum excellentiſſimum, quia ſermocinationem continet Chriſti ſponſi, & Eccleſiæ ſponſæ.

Hebræi quidem ſcriptum putant, velut Canticum amatorium, quo Salomonis regis, & uxoris eius filiæ Pharaonis amor deſcribatur; Sed nullo modo putandum eſt, Spiritum Sanctum hoc Canticum ad declarationem illius amoris dictaſſe; ſed ſicut Pſal. 44. *Eructavit cor meum verbum bonum*, principaliter ſcriptus eſt velut epithalamium Chriſti, & Eccleſiæ, ſumpta tamen occaſione ex nuptiis Salomonis; ita & iſtud Canticum principaliter, etiam ad litteram tamquam in figuratis & parabolicis locutionibus, ad Chriſtum & Eccleſiam eius ſponſam pertinet; ſicut Apoſtolus dicit ad Epheſios 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, Ego* C *autem dico in Chriſto & Eccleſia.*

CAPUT PRIMUM.

℣.4. *Nigra ſum, ſed formoſa, filia Ieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, &c.* Eccleſiæ verba ſunt. De Eccleſia autem id variè exponitur. D. Auguſt. lib. 3. de Doctr. Chriſtiana, cap. 32. dicit, quod fuſcam, ſeu nigram Eccleſia ſe vocet, propter malos, qui ſunt in ea permixti; formoſam tamen, propter bonos. Qua expoſitione ſatis oſtendit intra Eccleſiæ militantis gremium ſimul contineri malos bonis permixtos. Alij ſic: *Nigra* origine, quia ex gentilibus idolorum cultoribus & peccatoribus orta; ſed formoſa per gratiam Chriſti, qui eam mundavit lavacro aquæ. Alij rurſum: *Nigra ſum* propter perſecutiones, D quas pro Chriſto patior, & vilis, atque deſpicabilis habeor in mundo; ſed formoſa & exornata fide, ſpe, charitate, & omni genere virtutum, ſto coram Deo. Hunc ſenſum confirmat, quod ſequitur: *Quia decoloravit me ſol*, quaſi dicat, quia æſtus perſecutionis ita me nigram, id eſt, vilem, & in ſpeciem, turpem, & abjectam reddidit.

℣.6. *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* Non eſt ſic diſtinguendum, ut illud (*in meridie*) ſit reſponſio præcedentis interrogationis; quaſi dicat Sponſus: Ego cubo in meridie, ſicut volebant Donatiſtæ, nitentes ineptè ex hoc loco oſtendere Eccleſiam Dei in ſola Africa remanſiſſe,

A quæ in meridie ſita eſt; ſed continuo ductu legendum: *Ubi cubes in meridie?* id eſt, tempore meridiano. Nec enim meridies loci, ſed temporis ſignificationem habet. Et ſenſus eſt: Indica mihi, ubi recubes & quieſcas flagrante æſtu diei horis meridianis. Scilicet ſolent paſtores eo tempore diei propter æſtum requieſcere, & refrigerari in umbra ſub arbore, vel in tuguriolo aliquo.

CAPUT II.

℣.2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Hoc de Sancta Eccleſia dictum, omnis Chriſtianus intelligit, ait S. Auguſt. de Unitate Eccleſiæ, capite 14. Exponit autem hoc modo: Unde appellat ſpinas? niſi propter malignitatem morum? Et eaſdem, unde filias? niſi propter communionem B Sacramentorum? Intelligit ergo Eccleſiam ſecundum partem principaliorem, quatenus in ea ſunt boni; quos neceſſe eſt, hac vita durante, tolerare & verſari inter malos.

℣.4. *Ordinavit in me charitatem.* Charitatem ordinatam requirunt Dei præcepta, ut videlicet Deum diligamus ex toto corde, proximum autem ſicut nosmetipſos. Unde Dominus: *Qui diligit patrem, &c. plus quàm me, non eſt me dignus.* Item, *Qui non odit patrem, &c. adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*; ut odiſſe ſit, ordine dilectionis poſtponere. Poſſunt autem hæc ſponſæ verba duobus modis intelligi, vel de charitate ſponſæ, vel de charitate ſponſi erga ſponſam. Priori modo ferè accipiuntur in hunc ſenſum: Sponſus meus amorem meum ordinat, id eſt, ordinatum & rectum facit; ſcilicet ut Deum omnibus præponam, ac ſecundo loco dili- C gam meipſam, tum proximos eo dilectionis ordine quem lex divina præcipit. Poſteriori modo ſenſus eſt: Sponſus meus ſuum in me direxit, emiſit, fixit amorem. Ac priori quidem ſenſu pronomen *me*, ablativi caſus eſt, poſteriori, accuſativi; Qui poſterior ſenſus magis congruit cum lectione Hebræa, quæ ſic habet: *Et vexillum ſuper me amor.* In Græco verba ſunt ſecundæ perſonæ modi Imperantis in tota ſententia. *Introducite me in domum vini, ordinate ſuper me dilectionem.* Quod in Hebræo eſt, videtur hunc ſenſum habere: Vexillum quod mihi oſtendit ſponſus meus, & quo tamquam ſigno me poſt ſe trahit, quomodo ſolent duces vexillo poſt ſe trahere milites, eſt amor quo me diligit. Quamquam & hoc ad ipſius ſponſæ amorem referri poteſt. Nam ut Auguſtinus ſuper D Ioannem veriſſimè dixit, trahitur animus amore, ſcilicet ad rem amatam & deſideratam; ita ſponſa eo amore quo ſponſum diligit, à ſponſo & ad ſponſum trahitur. Vide quæ de ordine charitatis diximus in 3. Sentent. diſt. 29.

℣.7. *Adjuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, cervoſque camporum; ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit.* Hæc ſententia repetitur proximo cap. & iterum cap. 8. Niſi quod tertio loco non additur illud, *per capreas cervoſque camporum.* Significatur autem hac ſententia quàm ſit in Eccleſia ſtatus excellens eorum qui vacant contemplationi; quæ propter quietem & ſuavitatem aptiſſimè comparatur ſomno: Non cuicumque tamen, ſed

illi

illi de quo dicitur infrà cap.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sancti enim homines vacantes ſtudio contemplationis dormiunt quidem à negotiis & tumultibus externis, ſed cor eorum vigilat in aſſidua cogitatione rerum cœleſtiũ. Unde propter hos peculiariter Eccleſia à ſponſo ſuo dilecta vocatur, quia contemplatio accendit amorem juxta illud Pſalmi 38. *In meditatione mea exardeſcet ignis.* Hos igitur vetat ſponſus excitari, id eſt, avocari à quiete contemplationis ad negotia externæ actionis, donec ipſi velint, quia quamvis neceſſitas proximorum nonnunquam poſtulet, ut etiam tales relicto contemplationis otio, ad actionem ſe transferant; eius tamen neceſſitatis judicium Eccleſiæ competit, non tam in iis qui ſoli ſunt dediti actioni, quàm in iis qui etiam amatores ſunt vitæ contemplativæ, eamque exercent, in actu, vel in habitu: velut qui ad judicandum huiuſmodi neceſſitatem ſunt aptiores. *Spiritualis enim judicat omnia.* 1. Cor. 2.

ỷ.15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Per vulpes intelligi hæreticos, qui perverſa doctrina Eccleſias demoliri ſtudent, omnium doctorum eſt conſenſus. Sed cur additur (*parvulas?*) An propter humilitatem quam ſimulant? Humiles enim in Scriptura parvuli dicuntur, ut 1. Reg. 15. *Cum eſſes parvulus in oculis tuis*, Et Pſalm. 114. *Cuſtodiet parvulos Dominus.* An potius, quia monet Spiritus Sanctus hæreticis reſiſtendum eſſe, dum adhuc parvuli ſunt, id eſt, mox cum incipiunt novitates ſuas ſerere, neque expectandum, dum adoluerint, & vires acceperint, & turbas poſt ſe trahere inceperint, quia tunc difficilior & periculoſior eſt cum eis conflictatio. Capere autem eos eſt impedire ne noceant, rationibus è Scriptura petitis convincendo & convertendo; ſive etiam pœnis compeſcendo.

CAPUT III.

ỷ.1. IN *lectulo meo per noctes quæſivi quem diligit anima mea; quæſivi eum, & non inveni.* Variè iſtud exponitur. Nos una expoſitione contenti erimus. Quæritur ſponſus in lectulo, quando quæritur in otio & quiete rerum terrenarum. Sed ita quæſitus ſponſus non invenitur, quia ut ait Iob cap. 28. de vera ſapientia: *Neſcit homo* (ſcilicet terrenus) *pretium eius, nec invenitur in terra ſuaviter viventium.* Sed ad eam inveniendam multo labore & ſudore opus eſt. Unde Sapientia monet Proverb. 8. *Ut vigilemus ad fores eius quotidie, & obſervemus ad poſtes oſtij eius*, id eſt, ut ſumma vigilantia & cura contendamus eam conſequi. Rurſum quæritur ſponſus *per noctes*, cum quæritur per Philoſophiam & humanam ſapientiam, quæ rectè nocti comparatur, quia plena eſt tenebris ignorantiæ & errorum. Sed nec hoc pacto quæſitus invenitur, quia ut Ioannes ait cap. 1. *Tenebræ eam* (ſcilicet lumen) *non comprehenderunt*, ſed poſt cuſtodias nocturnas, id eſt, poſt depulſam caliginem humanæ ignorantiæ, veniente aurora veræ lucis, Item poſt circuitum civitatis, id eſt, poſt diligentem, ſtudioſam, & laborioſam inquiſitionem invenitur & perfectè tandem cognoſcitur quem diligit anima noſtra, Chriſtus, qui eſt ſapientia patris & Eccleſiæ ſponſus.

ỷ.7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, &c.* Bernardus ſerm. ad milites templi, cap. 4. ad ipſos hoc refert. Tales, inquit, ſibi elegit Deus, & collegit à finibus terræ, miniſtros ex fortiſſimis Iſraël, qui veri lectulum Salomonis, ſacrum ſcilicet ſepulchrum vigilanter, fideliterque cuſtodiant; omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Nec inepta alluſio. Nam lectulus idem mox v. 9. videtur vocari ferculum. Sic enim ſequitur: *Ferculum fecit ſibi rex Salomon, de lignis Libani, columnas fecit argenteas, &c.* Ubi ferculi nomine non miſſus menſæ,

A ſeu ferculum propriè dictum intelligitur, ſed umbraculum, ſeu domus portatilis, ſive tantorium quod geſtari poteſt, quomodo circumferuntur lecticæ. Per hoc autem intelligitur ipſa Eccleſia, in qua velut in tabernaculo ſuo Chriſtus verus Salomon requieſcit. Porrò in eo quod ſequitur: *Reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum, media charitate conſtravit propter filias Ieruſalem*, illud (*media*) eſt accuſativus pluralis Hebraïcè; *medium ſeu intimum*, quaſi dicat: Medium illius ferculi, id eſt, Eccleſiæ, quæ eſt tabernaculum Chriſti, totum conſtratum eſt charitate. Scilicet, quia in duobus præceptis charitatis tota lex pendet & Prophetæ, & qui diligit, legem implevit. Ac denique qui charitatem non habet, alienus eſt ab eius conſortio, qui in Eccleſia, tanquam in tabernaculo requieſcit.

B

CAPUT IV.

ỷ.7. TOta *pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Hoc ſponſæ dicitur, id eſt, Eccleſiæ Chriſti. Sed *quæritur* quomodo Eccleſia ſit tota pulchra, & ſine macula, cum tam multi in ea ſint mali in quibus Eccleſia pulchra non eſt, & ipſi boni multis quoque maculis levium & quotidianorum peccatorum aſperſi. Auguſtinus tam alibi, tum ſerm. 31. de verbis Apoſtoli, tractans illud: *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*, docet Eccleſiam in hoc ſæculo non eſſe ſine macula, & ruga; C ſed ad hoc eam mundari, & purgari quotidie in hac vita, ut tandem Chriſto ſuo ſponſo exhibeatur in futuro ſæculo glorioſa, non habens maculam, aut rugam, quando veniet eò quò nihil intrabit coinquinatum. Igitur quod hic dicitur, *Tota pulchra es, & macula non eſt in te*, pertinebit magis ad Eccleſiam triumphantem, quàm militantem. Quod ſi tamen etiam ad militantem referamus; poterit Eccleſia intelligi eſſe tota pulchra, & immaculata, quantum ad profeſſionem ſanctitatis & fidei. Nihil enim in fide falſum, nihil in moribus pravum Eccleſia præſcribit; ſed omnia pura, ſancta, incoinquinata, macula & ruga carentia. Et ſicut ſancta vocatur profeſſione, ita non immeritò tota pulchra & immaculata dicitur, quia talis omnium eſt profeſſio, nec quidquam tale invenitur apud quaſcumque D ſectas. Vel denique immaculata dicitur quia in principalibus ſuis membris qui ſunt juſti, caret macula peccati gravioris, atque damnabilis, à qua ſola vocantur homines maculati: & qua qui carent immaculati in Scripturis dicuntur, ut ex Pſalm. 118. v. 1. Vide ibidem Annotationes.

ỷ.12. *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa.* Eccleſia comparatur horto concluſo propter pulchritudinem & ornamenta virtutum, ac variorum Spiritus Sancti chariſmatum, veluti florum atque herbarum diverſi generis. Nempe in hortis apertis, ac perviis hæc conſervari impoſſibile eſt. Vel concluſus hortus vocatur, quia concluditur ſepimento, ut ab eo arceantur, & excludantur beſtiæ vaſtaturæ hortum. Sic Eccleſia vallatur protectione Dei, ut nullæ ſpirituales beſtiæ E eam vaſtare & perdere poſſint. Nec diſſimili ratione vocatur fons ſignatus, id eſt, clauſus & obſeratus, ne alieni acceſſum habeant. Solent enim putei ſignari, maximè propter infectionis periculum. Unde illud Proverb. 5. *Habeto eas* (aquas) *ſolus nec ſint alieni participes tui.* Ineptè verò Donatiſtæ per puteum ſignatum intelligebant baptiſmum, volentes hinc docere fontem baptiſmi non eſſe communem hæreticis, ideoque ab eis baptizatos iterum eſſe baptizandos. *Ineptè* dico; quia manifeſtè hic attribuitur Eccleſiæ quod ſit hortus concluſus & fons ſignatus, non autem Sacramento Eccleſiæ. Egimus contra hunc errorem in 4. diſtin. 1. §. 25.

ỷ.16. *Surge*

A ℣.26. *Surge Aquilo, & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Aquilo ſpirat ex ſeptentrione, Auſter ex meridie. Et ille ventus frigidus eſt & ſiccus; hic calidus & humidus. Itaque contrarij ſunt, & loco & qualitatibus. Proinde non eſt intelligendum, ut uterque advocetur ad perflandum hortum; maximè cum Aquilo ſit noxius hortis; Sed Aquilo jubetur ſurgere & recedere; Auſter autem venire, & perflare hortum; quomodo etiam Hieron. hunc locum intelligit in Comment. Habacuc 3. dicens: Aquilonem ſponſus abigit, & Auſtrum vocat. Scilicet per Aquilonem Diabolus intelligitur, per Auſtrum Spiritus Sanctus. Nam ſicut Aquilo habet qualitates mortis, & ſpirat ex loco mediæ noctis, & de eo dicitur Ierem. 1. v. 14. *Ab Aquilone pandetur malum*; ita Diabolus princeps eſt mortis, & primus author, & ſuaſor, & prin- B ceps tenebrarum. Sicut autem Auſter qualitates habet vitæ, & ſpirat ex meridie; ita Spiritus Sanctus eſt vivificator mentium noſtrarum, & lumine ſuo ac fervore charitatis replet ſuorum corda fidelium. Chriſtus autem & illum jubet recedere, de quo ait Ioan. 12. *Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras*, & contra, Spiritum Sanctum ad nos advocat juxta illud: *Et ego mittam vobis paracletum, &c.* Ioannis 15. Hinc & illud: *Deus ab Auſtro veniet, &c.* Hab. 3.

CAPUT V.

℣.7. I*Nvenerunt me cuſtodes, qui circumeunt civitatem. Percuſſerunt me, & vulneraverunt me, tulerunt* C *pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Quæritur an iidem hoc loco intelligantur cuſtodes, qui ſuprà cap. 3. in illis verbis: *Invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem. Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inveni, quem diligit anima mea*: Certè, aut non iidem intelliguntur, aut quod factum narratur, diverſo tempore factum eſt. Illic enim interrogantur de dilecto, & interrogantem dimittunt, ſine moleſtia: Hic verò percutiunt, & vulnerant, & pallium tollunt. Quid ergo hæc ſignificant? varij variè explicant.

℣.10. *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto?* Id eſt, ex dilectis; videtur enim eſſe enallage numeri, ut ſit ſenſus: Qualis eſt dilectus tuus quem ſic prædicas tamquam egregium inter dilectos? Cui bene reſpondet illud ſponſæ quod ſequitur: *Dilectus meus candidus &* D *rubicundus electus ex millibus.*

℣.11. *Coma eius quaſi elata palmarum, nigra quaſi corvus.* Elatæ penult. brevi. Græcum vocabulum eſt ἐλάτη. Et ſignificat tenerum germen palmarum. Vide Calepini dictionarium & Lexicon Græcum, & ibi Homeri verſum, ex quo conſtat ſecundam, ſeu penultimam brevem eſſe. Septuaginta ſic: *Coma eius elata nigra ſicut corvus.* Hebr. hoc modo. *Cincinni eius criſpi, nigri, veluti corvus.*

CAPUT VI.

℣.7. S*Exaginta ſunt reginæ, & octaginta concubinæ; & adoleſcentularum non eſt numerus.* Per ſexaginta reginas intelligi poſſunt omnes Eccleſiæ Epiſ- E copales; quæ vocantur reginæ, eodem nomine quo ſponſa; quia Epiſcopi Eccleſiarum ſuarum ſponſi propriè ſunt, & nomine participant cum ſponſo totius Eccleſiæ Vicario. Sunt enim Epiſcopi propriè Pontifices, non autem illius Vicarij. Imò apud veteres vocantur ſummi Sacerdotes; & per annulum deſponſant Eccleſias ſuas, ut ſponſas. Octoginta autem concubinæ intelligi poſſunt Eccleſiæ Parochiales, quarum Paſtores, non ita propriè Eccleſiarum ſponſi ſunt. Unde & facilius permittuntur eas relinquere. At dices: Quomodo tantum octoginta? cum ſint immenſo numero comparatione Eccleſiarum Epiſcopalium? Reſp.

A initio Eccleſiæ, erant paucæ propter paucitatem tum Presbyterorum, tum ſubditorum: poſterioribus temporibus ita in immenſum auctæ ſunt. Et ſecundum hunc ſenſum, adoleſcentulæ, quarum non eſt numerus intelliguntur ſinguli fideles. Alio ſenſu, per concubinas intelligit Gregorius eos qui ita prędicant Verbum Dei, ut tamen voluptates carnis ſectentur; id eſt, prædicatores mercenarios, & per adoleſcentulas multitudinem reproborum. Una eſt electa ſcilicet univerſalis Eccleſia, quæ à ſponſo ſuo dimitti non poteſt; licet non in ſingulis membris.

℣.9. *Pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata.* Primum & poſtremum Eccleſiæ militanti convenit; medium, potiſſimum triumphanti. Eſt enim Eccleſia militans pulchra ut Luna; B quia licet claritate mutabilis ſit, pulchritudinem tamen ſuam, qua ſponſo placet, numquam amittit. Eadem terribilis eſt ut ordinata caſtrorum acies, propter hierarchiam ordinatiſſimam, quam in ea Chriſtus inſtituit; cuius protectione ſit adverſus eam numquam prævalituræ ſint inferorum portæ, Matth. 16. Petro in ea præſidente, eamque per ſubjectam Epiſcoporum, Presbyterorum, ac cæterorum miniſtrorum ordinatam varietatem, gubernante. Terribilis autem eſt tam dæmonibus quàm hæreticis & Schiſmaticis, ceteriſque eius adverſariis. Sed triumphans Eccleſia propriè electa eſt ut ſol; quia ſolis electis conſtat, qui poſt reſurrectionem fulgebunt omnes ut ſol, nec amplius mutabuntur, creſcendo, aut decreſcendo. Si quis au- C tem etiam Eccleſiam militantem dicere velit electam ut ſol; poterit hoc ſenſu; non quod pulchra ſit ut ſol (Nam claritas ſolis ſemper eadem eſt, non autem claritas Eccleſiæ militantis:) ſed quod electa ſit ut ſol; quia ſicut ſol inter omnia ſidera excellit, ita electio Eccleſiæ prorſus eximia eſt.

Cap. vii. Nullam habebat Annotationem.

CAPUT VIII.

℣.3. L*Æva eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Verba ſunt ſponſæ, id eſt, Eccleſiæ de ſponſo ſuo Chriſto, quę etiam ſuprà habentur, cap. 2. v. 6. Lęva, ſeu ſiniſtra ſignificat ea quæ ſunt deteriora, vel minus bona: Dextera verò ea D quæ præſtantiora. Per ſiniſtram ergo, ſeu lævam, intelligi poſſunt bona temporalia; per dexteram, bona æterna. Ita læva eſt ſub capite ſponſæ, quia Eccleſia admittit quidem bona temporalia, & his utitur ad ſalutem ſuorum membrorum; ſed non propterea ſervit Deo. Ideo ſunt ſub capite, id eſt, capiti ſubjecta, hoc eſt pręcipuę intentioni tantum ſervientia. Dextera autem amplexatur eam, quia ad æternam beatitudinem tota mentis intentione adſpicit.

Poteſt in læva quoque vetus Teſtamentum; in dextera novum intelligi. Hoc modo læva Chriſti eſt ſub capite ſponſæ, quia tota veteris Teſtamenti inſtitutio non propter ſe eſt. (*Nihil enim ad perfectum adduxit lex*) ſed erat pædagogus ad Chriſtum & ſerviebat ſy- E nagoga tanquam ancilla, Eccleſię tanquam liberę. Dextera autem amplexatur eam, quia novi Teſtamenti gratiâ ſponſa Chriſti Eccleſia perficitur.

℣.6 *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Dilectionem eam intelligit, quâ Chriſtus Eccleſiam, & illa viciſſim ſponſum ſuum Chriſtum diligit. Ea enim dilectio inviolabilis eſt. Unde & Apoſtolus in perſona Eccleſiæ & electorum dicit ad Roman. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* Senſus ergo eſt. Sicut mors à nemine vinci poteſt, ſed ipſa victrix eſt omnium; ita mutua illa ſponſi & ſponſæ charitas nullo umquam tempore extinguetur. Et ſimilem ſenſum habet, quod ſequitur, *dura ſicut infernus æmulatio.*

æmulatio; ut per æmulationem zelotypia intelligatur conjugum inter ſe, qua nec ſponſa alium ſponſum, nec ſponſus aliam ſponſam admittit: quæ *dura* dicitur, id eſt, valida, ſicut infernus, ſive mors, ſive infernus propriè dictus. Nam ſicut infernus implacabilis eſt, ut quidquid ſemel hauſerit, nunquam refundat, ita A ſponſus & ſponſa nunquam ſeparentur.

℣.7. *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem.* Non ſequitur hinc charitatem non poſſe amitti; quia manifeſtum eſt hîc non agi de quavis charitate, ſed de illa eximia tantum, qua Chriſtus & Eccleſia invicem copulantur.

FINIS CANTICI CANTICORUM.

ANNOTATIONES
IN LIBRUM SAPIENTIÆ

PRÆFATIUNCULA.

AUTHOR hujus libri non ſolum Doctor, ſed & propheta fuit; præclarè enim prophetavit de Chriſto cap. 2. Nec ideò tamen malè inter prophetas, noviſſimus recenſetur Malachias (qui utique iſto authore eſt antiquior:) Malachias enim eorum prophetarum ultimus numeratur, qui ex profeſſo prophetias ſcripſerunt. Nam hic author ex profeſſo non vaticinium ſcribit, ſed præcepta tradit pietatis, & ſapientiæ. Quod dum facit, interim etiam à Spiritu Sancto movetur ad aliquid de Chriſto, ut dictum eſt, prænuntiandum.

CAPUT PRIMUM.

℣.4. Q*Voniam in malevolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Græcè ſonat, *maleficam*, fraudulentam, ea enim vis vocis κακότεχνος. Et ſanè ſi ſapientia non eſſet aliud, quàm cognitio nuda rerum divinarum & humanarum, qualis à Platone definita eſt, poſſet intrare in malevolam animam, & habitare in corpore ſubdito peccatis. Sapientia ergo alia hoc loco intelligenda; ſcilicet rerum divinarum notitia affectuoſa, eamque Scripturæ ſancta tum hîc, tum alibi paſſim commendat. De hac Auguſt. Enchirid. cap. 2. Hominis, inquit, ſapientia pietas eſt. Ita enim ſcriptum eſt (in Iob 28.) Ecce pietas ipſa eſt ſapientia; pietas autem, inquit, ea intelligitur, quæ Græcè dicitur θεοσέβεια, id eſt, cultus Dei. Colitur autem Deus fide, ſpe, charitate: Ita ille. Igitur in his tribus Theologicis virtutibus ex ſententia S. Auguſtini conſiſtit vera & Chriſtiana ſapientia. Ex quo manifeſtum eſt, quare ſapientia non intret in malevolam animam, nec habitet in corpore ſubdito peccatis. Nempe, quia ubi charitas, ibi malitia, ſeu fraudulentia cordis eſſe non poteſt.

℣. 6. *Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum à labiis ſuis.* Græcè pro (*benignus*) φιλάνθρωπος, id eſt, humanus, & hominum amator, & pro (*maledicum*) βλάσφημον, id eſt, contumelioſum maximè in Deum. Et quod dicitur (*non liberabit*) ſo- E nat, *non impunem habebit.* Senſus ergo eſt, Spiritus ſapientiæ amans benignitatis, & humanitatis; & proindè non ſinet impunitum hominem maledicum, & blaſphemum, impiè in Deum & ſanctos ejus loquentem; quin graviſſimè in eum vindicabit. Id enim ſignificat illa negatio (*non habebis impunem*) dum minus dicitur, & plus intelligitur, ſicut pſalm. 50. *Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies*, quaſi dicat tale cor gratiſſimum tibi eſt, ſuper omnia ſacrificia & holocauſta, & cætera, quæcumque tibi ab homine offerri poſſunt.

℣.7. *Et hoc quod continet omnia ſcientiam habet vo-*
B *cis.* Poteſt hoc ad ſpiritum referri, de quo immediatè præcedit: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Etenim pro ſpiritu, Græcè eſt πνεῦμα neutrius generis, ut ſit ſenſus: *Spiritus qui continet omnia*, id eſt, cum omnia contineat & penetret etiam intima cordis; multò magis quoque vocis à quocumque prolatæ ſcientiam habet. Vel, *qui continet*, id eſt, conſervat, regit, gubernat, cohibet omnia. Sic infrà cap. 6. ad principes terræ: *Qui continetis multitudines*, id eſt, qui populos imperio regitis. Sed prior expoſitio melior eſt, eo quod per eam ſignificetur aliquid divinitati proprium. Inſinuat itaque Sapiens, Deo (qui ſpiritu ſuo omnia implet & continet) etiam vel de verbo otioſo reddendam rationem; quia cum omnia penetret, nihil eum latere, vel ante oculos ejus abſcondi poſſit.

℣. 21. *Os quod mentitur, occidit animam.* Ex hoc C loco, ſicut & ex illo pſalm. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, & ſimili Apocal. 21. videri poſſet omne mendacium eſſe peccatum mortale. Sed ſciendum eſt, ſicut in Scriptura ferè non agitur niſi de veritate religionis & cultus divini, quando de veritate ſermo eſt, ita & mendacium, jam dictis locis, potiſſimùm accipiendum eſt quod tali veritati contrariatur: ſub quo mendacio etiam continetur illud, quod eſt in injuriam proximi, quem Deus jubet diligi. Et vox Græca hoc loco omninò tale mendacium nocivum ſignificat.

CAPUT II.

D ℣.1. D*Ixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè.* Introducitur ſermo atheorum, ſeu impiorum, aut ſaltem eorum, qui poſt mortem corporis, negant animas manere ſuperſtites, negantque retributionem bonorum & malorum, & in genere providentiam Dei. Tales apud gentiles fuere Epicurei, omni voluptati ſe tradentes, propterea quod nullam virtutis expectarent remunerationem; & apud Judæos Sadducæi, de quibus habemus in Evangelio, quod non credebant reſurrectionem, & latius apud Ioſephum. Ex horum igitur perſona hæc dicuntur, quibus ſibi perſuadere nitebantur, nihil potuerſe poſt mortem, ideoque liberè E & ſecurè indulgendum voluptatibus.

Non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis. Hinc ſcilicet impij colligunt non eſſe inferos, neque ullam damnatorum pœnam, ſed hæc tantum eſſe inventa & excogitata ad continendum homines in officio. Qua in ſententia etiam fuit Plinius ſenior dicens nullam revera eſſe religionem, nullum numen, ſed utiliter tamen id hominibus perſuaderi, ut reverentia & timore vindictæ in officio contineantur. Sed ad hoc reſpondendum: Si experientia cognitum eſſet, inferos eſſe, & damnatos ibi torqueri; nulla eſſet laus, aut meritum fidei. Unde de Chriſto reſuſcitato illud dictû Ioan. 20. *Beati qui non viderunt & crediderunt*; de inferis

Eſtij Annotat. in Script.

quoque meritò dicitur. Et diabolitum eſt, nihil velle credere, niſi quod experientia notum ſit. Unde & factum peculiari Dei providentia, ut quamvis legamus quoſdam à morte à Chriſto fuiſſe reſuſcitatos ad vitam; non tamen inveniamus eos aliquid narraſſe de ſtatu mortuorum, aut pœnis damnatorum. Quin nec diviti epuloni permiſſum eſt fratribus nunciare, quæ apud inferos ipſe pateretur, ſed dictum eſt ei: *Si Moyſen & prophetas non audiunt; neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Lucæ 16. Quibus verbis fides rerum inviſibilium commendatur.

℣. 12. *Circumveniamus juſtum, quoniam inutilis eſt nobis.* Et verſ. 18. *Si enim eſt verus Filius Dei, ſuſcipiet illum, &c.* Ex poſterioribus verbis collatis cum iis quæ ſunt in Evangelio Matth. 27. manifeſtiſſimum eſt hæc propheticè dici, de paſſione Chriſti & occultis Judæorum adverſus eum conſiliis. Ita teſtantur quoque Auguſtinus lib. 17. cap. 20. de civit. Cyprianus, Cyrillus, & alij. Et etiamſi illi non teſtarentur, res ita aperta eſt, ut non prophetiam, ſed hiſtoriam hic author ſcribere videatur. Notandum quoque quod ſufficiens impiis ratio eſt perſequendi juſtum; quia opera ejus ſunt operibus eorum contraria; ne quis anxiè inquirat, quare perſecutionem fortè patiatur. Unde & Joannes dicit Caïn odiſſe Fratrem ſuum Abel, nempe *quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem juſta.* 1. Ioan. 3.

CAPUT III.

℣. 1. I*Uſtorum autem animæ in manu Dei ſunt*, id eſt, in cuſtodia & protectione Dei. Hoc à Sapiente ſcriptum eſt tempore veteris teſtamenti de animabus juſtorum poſt mortem. Ergo animabus illis bene erat, licet conſpectu Dei nondum fruerentur. Vel in genere de animabus juſtorum, ut ſenſus ſit, juſtorum animas à Deo conſervari, ut etſi affligantur in hac vita & per mortem perire videantur, tamen non pereant, ſed poſt mortem corporum feliciter agant. Vide annot. Eccl. 9. v. 1.

℣. 5. *In paucis vexati, in multis benè diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit eos dignos ſe.* In eo quod dicitur, (*invenit eos dignos ſe*) ſatis oſtenditur in juſto homine aliquid eſſe, propter quod rectè & verè dicatur dignus eſſe Deo, id eſt, dignus, qui à Deo, cui complacuit, accipiat remunerationem æternæ vitæ; & Deo perpetuo amore adhæreat. Id autem per quod homo dignus Deo efficitur, aliud eſſe nihil poteſt, niſi ipſa juſtitia. Nempe ideò juſti Deo placent, injuſti diſplicent, quia illos juſtitia Deo commendat, hos injuſtitia eidem exoſos facit. Nam ſicut *odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*; id eſt, ſicut impium odit propter impietatem, ita amat juſtum propter juſtitiam. Verùm, quia juſtitia non eſt homini à ſeipſo, ſed ab eo qui juſtificat impium, ideo & dignitas iſta quæ juſtitiam conſequitur, ſimul cum ipſa juſtitia ejuſdem Dei beneficio accipitur, dicente Apoſtolo ad Coloſſ. 1. v. 12. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum.*

Quod ergo dicitur, (*invenit eos dignos ſe*) non ita intelligẽdum, quaſi dignitatem illam ſuis viribus eſſent conſecuti; ſed quia tales invenit, poſtquam eos tales fecit. Quia enim juſtos & ſanctos fecerat, ideo dignos ſe invenit. Et notandus hic locus contra hæreticos, impugnantes dignitatem & merita operum, quæ ex fide & charitate quoque procedunt. Quod enim hic de operum dignitate ſermo ſit, manifeſtum eſt ex ſequentibus, ubi inter cætera ait: v. 15. *Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus*; fructum ſcilicet intelligens mercedem immortalitatis.

℣. 7. *Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Verba iſta duas dotes corporum glorificatorum declarant, claritatem, & agilitatem. Vide Ianſenium. Græcè ſonat; *tanquam ſcintillæ in ſtipula.*

℣. 13. *Felix eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto; habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* Vix ullus locus eſt æquè manifeſtus in veteri Teſtamento ad commendationem perpetuæ caſtitatis. Vetus enim Teſtamentum aliququi felices prædicabat fœcundos, & infelices ſteriles. Sed hic velut præco novi Teſtamenti, ſteriles & ſpadones (ſeu, ut Græca habent, eunuchos) præfert fœcunditati. Intelliguntur enim non qui natura ſteriles, ſed qui voluntatis electione; neque eunuchi ſic nati, aut ab hominibus facti, ſed de quibus Chriſtus in Evangelio Matth. 19. *Qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum Dei.* Prærogativam autem eorum in regno cœlorum declarat Sapiens cum addit: *Dabitur illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima*, ſcilicet præ aliis. Cui ſimile eſt, quod Iſaias item Evangelicus Propheta de eunuchis talibus dicit c. 56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*

CAPUT IV.

℣. 7. I*Uſtus ſi præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Intelligitur in aliquo ſaltem refrigerio, nempe cap. præced. dicuntur juſti eſſe in manu Dei, & in pace, hoc eſt in ſecuritate ſalutis, etiam hi qui morte præoccupati purgantur in purgatorio. Orat tamen adhuc Eccleſia eos transferri ad locum refrigerij, illius ſcilicet, ubi nullus eſt dolor.

℣. 11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus.* Poteſt ergo juſtitia ſemel habita amitti, quod negant ſectarij noſtri temporis. Sequitur etiam non eſſe hominem certum de perſeverantia, cum poſſit ejus intellectum malitia mutare, quod item negant. Rationem autem hujus mutabilitatis & incertitudinis addit Sapiens, dicens: *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.* Græcè eſt νῦν ἄκακον, id eſt, mentem integram, ac malitiæ expertem. Quibus verbis duæ rationes hujus mutabilitatis inſinuantur; ſcilicet, hinc impugnans concupiſcentia, inde in eo quod dicit (*tranſvertit*) volubilitas liberi arbitrij.

℣. 16. *Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios.* Simile eſt illud Matth. 12. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio, & condemnabunt generationem iſtam.* Condemnabunt ſcilicet ſui comparatione. Etenim etſi quidam juſti in extremo die judicabunt cum Chriſto aſſeſſoria dignitate juxta illud: *Vos qui reliquiſtis omnia & ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſraël*, Matth. 19. quidam tamen, teſte Auguſtino, cum ea dignitate non judicabunt, ſed tantum miſericorditer erunt judicandi; ex quorum tamen comparatinne etiam impij juſtè condemnabuntur. Porro verba iſta Sapientis de Enoch intelligenda non ſunt, ſicuti præcedentia illa, *Placens Deo factus eſt dilectus*, & ſequentia de illo certum eſt intelligi; Nam, ut Apoſtolus ait Hebr. 1 s. *Fide Enoch tranſlatus eſt, ne videret mortem.* Itaque non poteſt computari inter juſtos mortuos; ſed referuntur hæc verba ad quemcumque juſtum, qui juvenis moritur, de quo cœperat dicere v. 7. *Iuſtus autẽ ſi morte præoccupatus fuerit in refrigerio erit.* Vide noſtrum commentarium cit. loco ad Heb. 11.

CAPUT V.

℣. 4. N*Os inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore.* Quod homines impij & carnales vitam juſtorum & piorum reputent eſſe inſaniam, nihil ſanè mirum. Id

enim

enim neceſſariò conſequens eſt ex ſtudiis eorum. Carnales enim ſectantur quæcumque carni & ſenſibus grata ſunt, voluptates, opes, honores; Qui autem ſecundum Deum vivunt, eadem contemnunt. Proinde homini carnali videtur inſaniæ ſimile, contemnere ea, quæ grata & jucunda ſunt ſenſibus; ſectari autem humilitatem, abſtinentiam ab omni corporea voluptate, aliaque hujuſmodi. Unde Petrus de impiis: *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eandem luxuria confuſionem*. Porrò quod ſervi Dei ab hominibus carnalibus inſani appellati ſint, multis quoque aliis locis teſtatur ſcriptura ſacra. Sic principes Iſraël 4. Reg. 9. de propheta quodam dicebant ad Iehu: *Quid venit inſanus iſte ad te?* Et Feſtus ad Paulum Actor. 26. *Inſanis Paule; multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Talia ſunt inſenſatorum de ſanctis judicia. Unde & infructuoſè tandem pœnitentes hic dicunt: *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam. Et ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, &c.*

℣. 26. *Ergo erravimus à via veritatis; & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Ex his verbis argumentum ſumitur ad oſtendendũ non omnibus hominibus dari à Deo ſufficientem gratiam. Nam ſi omnibus ſufficiens gratia datur, conſequens erit omnibus lucere lumen juſtitiæ. Et falſum erit illud Domini in Evangelio Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus, qui miſit me, traxerit eum.* Neque enim quiſquam dicet omnes trahi; Nam ipſo tractu Patris ad Chriſtum venitur. Sunt ergo aliqui quibus non lucet lumen juſtitiæ. Neque tamen excuſationem habent de peccato infidelitatis & impietatis, quia quicquid mali ab iis committitur, non neceſſitate, ſed libera committitur voluntate. Quomodo autem illud intelligendum ſit Ioan. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, vide ſuo loco explicatum. Sanè D. Auguſtinus ſerm. 4. de S. Ioanne Baptiſta, docet ex his verbis Sapientis, Chriſtum, qui eſt Sol juſtitiæ, non omnibus ortum eſſe. Et concione 3. in pſalm. 103. negat impiis ortum eſſe; ſed iis ſolis qui intelligunt Chriſtum. Et dicit non eſſe ſimile de ſole viſibili, qui oritur ſuper bonos & malos.

℣. 27. *Laſſati ſumus in via iniquitatis —— & ambulavimus vias difficiles.* Scilicet ſæpe magnis laboribus & moleſtiis, terroribus & timoribus ſuas emunt voluptates impij; quas inſuper plerumque ſequitur carnifex conſcientia; At juſtis magna eſt animæ ſecuritas; *Et ſecura mens quaſi juge convivium*; Proverb. 15. v. 15. denique ſerena conſcientia velut paradiſus voluptatis. Itaque etiam in mediis afflictionibus magnam habent conſolationem juſti; tum ex conſcientia rectè factorum, tum ex amicitia Dei, tum ex ſpe retributionis æternæ, quorum omnia contraria ſunt in impiis.

CAPUT VI.

℣. 6. & 7. *Iudicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia; potentes autem potenter tormenta patientur, fortioribus autem fortior inſtat cruciatio.* Sententiæ ſunt meritò extimeſcendæ omnibus, qui in principatu, aut præfectura ſunt conſtituti, ſive politica, ſive Eccleſiaſtica. Sed *quæritur*, quæ ſit ratio, quare potentes gravius punientur, quàm plebei & privati homines, cum Deus perſonam hominis, & potentiam vel dignitatem non aſpiciat, ſed tantùm expendat operis qualitatem? Unde hic etiam ſubditur: *Non ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus.* Ad quod *reſpondetur*, duplicem eſſe rationem, quare potentes potentius punientur, & quare eorum graviora ſint peccata. *Una*, quia ad eos pertinent majora & præſtantiora virtutum officia, quàm ad privatos; nempe remp. adminiſtrare, jus dicere, leges præſcribere, prævaricatores punire, bonos præmiis afficere. Quanto autem officium virtutis præſtantius, tanto ejus tranſgreſſio gravior eſt. Ideoque hac parte gravius peccant principes, quàm homines privati in ſua privata adminiſtratione. *Altera ratio* eſt, quia circumſtantia perſonæ ſæpè redundat in ipſum opus, ſi perſona publica ſit & magnum ſcandalum naſcatur ex ejus delicto. Ita ſi Epiſcopus aut ſacerdos grave aliquod delictum committit, maximè ſi pluribus innoteſcit, gravius eſt, quàm ſi privatus aliquis aut laicus idem faceret. Unde quidam: Ioꝯ cus, blaſphemia eſt in ore ſacerdotis.

Porrò quod dicitur, *Exiguo conceditur miſericordia*, Miſericordia vocatur minor pœna, non autem quod aliqui damnati infrà meritum puniantur.

℣. 8. *Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter ei cura eſt de omnibus.* Difficultatem habet quomodo dicatur (*æqualiter*) cum conſtet Deum non omnibus æqualiter providere, neque omnibus æqualem gratiam largiri ad ſalutem conſequendam, ſed alios miſericorditer eripere ex maſſa perditionis, alios juſto judicio in ea relinquere; idque pertinere ad occulta ejus judicia? *Reſpondetur*, Græcè non eſſe (*æqualiter*) ſed ὁμοίως id eſt, ſimiliter. Quamquam ſi (*æqualiter*) legatur, commodum quoque habeat ſenſum. Intelligitur enim hoc loco providentia Dei, non quæ reparationem hominis ſpectat, quæ eſt veluti conſequens providentia; ſed providentia antecedens, quæ reſpicit primam hominis, & omnium rerum conditionem. Hoc enim modo æqualiter eſt Deo de omnibus cura, ſicut teſtatur Apoſtolus, 1. ad Timoth. 2. quod Deus omnes homines velit ſalvos fieri; voluntate nimirum antecedente; quæ primam naturæ conſtitutionem & inſtitutionem reſpicit, cum alioqui voluntate conſequente ex maſſa perdita alios ſeparet ſalvandos, alios relinquat perituros. Vel *dicendum*, quod Sapiens hac ſententia velit tantum à Deo removere acceptionem perſonarum, in retributione præmiorum & ſuppliciorum. Id enim potiſſimum agitur in antecedentibus & conſequentibus.

℣. 24. *Quid eſt autem ſapientia, & quemadmodum facta ſit, referam.* Meritò quæri poteſt, de qua Sapientia loquatur? an de creata, an de increata? Capite ſequenti multa dicuntur, quæ tantum competunt in ſapientiam increatam. At quia hîc dicitur (*quemadmodum facta ſit*) id propriè de ſapientia increata intelligi non poteſt. Item hoc cap. & ſeq. multa dicuntur quæ propriè tantum ad creatam ſapientiam videntur pertinere. Itaque videtur author primario de creata ſapientia, ejuſque acquiſitione loqui, per occaſionem autem inſerere quædam de ſapientia increata, quæ fons eſt ſapientiæ creatæ; hæc enim illius participatio quædam eſt; quomodo Joannes in Epiſtola ſua prima commendans charitatem fraternam, quæ utique creata eſt, meminit etiam cap. 4. charitatis increatæ, dicens ſemel & iterum: *Deus charitas eſt.*

CAPUT VII.

℣. 1. *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus.* Quamvis non ſit veriſimile Salomonem hujus libri authorem eſſe, cum ſtylus planè redoleat Græcam eloquentiam, ut Hieron. teſtatur; Et Auguſt. libr. 17. de civit. Dei c. 20. dicit doctiores non dubitare, Sapientiæ & Eccleſiaſtici libros, non eſſe Salomonis; tamen quæ hoc cap. & ſequentibus duobus habentur, omninò dicta videntur ex perſona Salomonis. Narrat enim quomodo ad tantam ſapientiam pervenerit & oratio illa cap. 9. prorſus in perſona Salomonis dicitur.

℣. 2. *Decem menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine.* Quidam putant hoc de Salomone dici peculiariter, & non ita paſſim omnibus convenire. Nam plerumque fœtus novem menſibus tantum geſtatur. Imò & partus Chriſti non fuit niſi novem menſium à con-

conceptu, quemadmodum patet ſupputanti à die Annunciationis uſque ad diem Nativitatis, id eſt, à 25. Martij uſque ad 25. Decembris. Sed dicendum nihil hîc de Salomone dici peculiare, quod ſatis clarum eſt ex iis quæ præcedunt, & ſequuntur. Significat enim qui hæc loquitur, ſe habuiſſe originem, conceptum & nativitatem ſimilem cæteris hominibus. Dicit enim prius; *Sum quidem & ego mortalis homo ſimilis omnibus*; Et poſteà: *Et ego natus accepi communem aërem, &c.* Igitur quod de decem menſibus dicit, commune omnibus aut pleriſque vult eſſe. Sed oportet aut intelligere menſes lunares, ſicut veteres multi computabant: non communes, qui lunaribus ſunt paulò longiores: aut intelligendi ſunt menſes non integri, ſed ita, ut homo naſci intelligatur in menſe decimo. Itaque ſi ſupputemus verbi gratia à 25. Martij uſque ad 25. Decembris, inveniemus menſes lunares novem, & dies novem; atque ita ſynecdochice menſes decem: Sic & Poëta Ecloga 4. *Matri longa decem tulerint faſtidia menſes.* Quomodo autem Ariſtoteles lib. 7. de animalibus dicat hominem poſſe naſci decimo & undecimo menſe, alibi magis quàm hîc eſt diſquirendum.

ỷ. 20. *Vim ventorum, & cogitationes hominum.* Intellige eo modo, quo dicit idem Salomon, in cujus perſona hæc ſcribuntur. Proverb. 27. v. 19. *Corda hominum manifeſta ſunt prudentibus.* Et ſanè ipſe declaravit hanc ſuam ſapientiam in judicio duarum meretricum, de quo 3. Regum. 3.

ỷ. 21. *Et quæcumque ſunt abſconſa & improviſa didici.* Poſt enumerationem ſingulorum univerſim concludit, ſe omnia naturæ ſecreta perdidiciſſe. Cujus occaſione *quæri poteſt*, utrum ergo parem cum primo homine Salomon acceperit rerum totius naturæ ſcientiam? Hoc enim ſignificari videtur his, poſt ea quæ præcedunt, in quibus nihil videtur prætermiſſum. Sed *reſpondetur*, quod univerſa didicit, id eſt, quod de univerſis ſcrutatus eſt, & diſputavit; ſicut hoc ipſum explicat Scriptura 3 Regum 4. in fin. & cap. 1. & 2. Eccleſiaſtæ: non autem quod omnium ſcientiam plenam ſit aſſecutus. Cæterum quàm perfecta fuerit Adami ſcientia oſtendimus in 2. ſentent. diſt. 23.

ỷ. 22. *Eſt enim in illa, ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, unicus, multiplex.* Probabilius hic locus exponitur, ut Spiritus intelligentiæ dicatur unicus ſimul, & multiplex. *Unicus*, id eſt unigenitus (id enim vox Græca ſignificat) vel quia Filius Dei, qui eſt Sapientia Patris, unigenitus eſt: vel quia quicquid de illo Spiritu participatur ab homine, unum eſt genere, ſeu origine, utpote à Deo authore profectum. *Multiplex* verò, quia idem intelligentiæ ſpiritus, circa multa, id eſt, omnia, quæcumque ſunt intelligenda, verſatur; ipſum hominem rerum plurimarum cognitione imbuit. Et hunc ſenſum, ea quæ proximè præcedunt, omnino exigere videntur.

ỷ. 24. *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia.* Tribuitur hoc ſapientiæ, nempe quod per omnia extendat & diffundat ſe ejus operatio; quodque omnibus rebus motum & actionem tribuat, ipſa in ſe immobilis permanens. Exponit idipſum Sapiens initio capitis ſequentis, dicens: *Attingit ergo à fine ad finem fortiter &c.* Huc pertinet, quod Plato dixit Deum ſeipſum movere, ſcilicet, ut D. Thomas explicat parte 1. q. 9. art. 1. ad 1. quia per ſe agit & movet, non motus ab alio principio.

CAPUT VIII.

ỷ. 1. *ATtingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Scilicet Deus omnes alias cauſas movet, & ad operationes ſuas applicat, adeoque prius natura, etſi non prius tempore, effectus omnes cauſarum ſecundarum ipſe producit: ſed ſuaviter, hoc eſt ſecundum rationem ipſius cauſæ ſecundæ. Vide ad Eſther 15. *Convertit Deus ſpiritum regis.*

A ỷ. 19. *Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam. Et cum eſſem magis bonus; veni ad corpus incoinquinatum.* Illud (*magis*) refertur non ad (*bonus*) propriè ſed ad id quod ſequitur (*veni.*) Ita enim Græcè ſonat: Magis autem, cum eſſem bonus, veni ad corpus incoinquinatum, q. d. Cum eſſem bonam ſortitus animam, inſuper etiam ſortitus ſum corpus incoinquinatum. Sed *quæritur* quomodo hæc non repugnent fundatiſſimæ fidei de peccato originali, qua credimus animam cujuſlibet hominis, ſimul ut creatur, in corpus infundi, adeoque in ipſa infuſione maculari peccato. Id ſi verum; quomodo iſte dicit ſe animam accepiſſe bonam, & ſimul veniſſe in corpus incoinquinatum, ſeu mundum? Auguſtinus lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 17. accomodat ad Chriſtum, cui dubium non eſt ita competere. Ipſe enim ſolus ſortitus animam omni modo bonam;
B ipſe ſolus venit ad corpus omni modo incoinquinatũ.

Verùm ex cap. præcedenti conſtat, non poſſe ad litteram hæc de Chriſto intelligi, quia ibi v. 2. is qui hîc loquitur dicit ſe coagulatum in ſanguine ex ſemine hominis, ſeu viri, ut Græca habent, quod in Chriſtum nullo modo convenit, quod & Auguſtinus eodem loco obſervavit. Itaque dicendum animam bonam hoc loco intelligi non bonitate morali, aut gratiæ juſtificantis, ſed bonitate naturali; quæ eſt quædam ad multas virtutes morales, in quibuſdam hominibus, diſpoſitio; ex quo dicuntur eſſe bona indole, & bonas habere propenſiones. Sic Iob cap. 31. dicit quod de utero egreſſa ſit ſecum miſeratio. Corpus autem incoinquinatum intelligitur liberum à defectibus corpo-
C ris, cum quibus multi alij naſci ſolent, id eſt, corpus pulchrum, ſanum, robuſtum.

ỷ. 24. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det &c.* Pro (*cõtinens*) Græcè eſt *ἐγκρατής*. Quæ vox etſi ſæpè ſignificat eum, qui voluptatum eſt continens ſeu abſtinens; tamen etiam pro eo qui compos ſit alicujus rei, eamque obtinet, eaque potitur, accipi poteſt. Neque ea acceptio à ſacris litteris aliena eſt. Ita *ἐγκρατὴς* accipitur Eccle. 27. ubi dicitur: *Vir peccator continens erit illorum*, ſcilicet iræ & furoris. Neque enim ita continens erit iſtorum vir peccator, ſicut quis voluptatum dicitur continens, ut ab iis abſtineat, ſed potius, ut iræ & furori ſit obnoxius. Et Eccleſ. 6.
D *Et continens factus* (ſcilicet ſapientiæ) *ne derelinquas eam.* Itaque ſenſus hujus loci eſt; *Ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens, &c.* id eſt, cum viderem ſapientiam mihi adeo neceſſariam, & tamen ſcirem me non alia ratione poſſe ſapientiæ compotem fieri, niſi Deo dante: adij Dominum &c. De ea enim ſola in antecedentibus & ſequentibus eſt ſermo, & nihil ſpeciatim de virtute caſtitatis. Accommodatur tamen non malè etiam ad virtutem illam; ſcilicet quatenus ſapientia de qua hic ſermo eſt, continet ſimul fidem, ſpem, & charitatem ac proinde omnem virtutem, ut dictum eſt ſuprà c. 1. v. 4. Confer Eccleſ. 26. 20.

CAPUT IX.

E

ỷ. 4. *ET noli me reprobare à pueris tuis.* Nota primò, Non ergo certus erat ſe prædeſtinatum ad ſalutem. Iterum quæret quis, An Salomon hac parte orationis ſuæ fuerit exauditus? Si ſic; An ergo ſalvatus? An dici poteſt hactenùs eum exauditum, quia hoc ad tempus conſecutus eſt, ut non abjiceretur; poſteà gravi ſua culpa commeritum, ut reprobaretur, id eſt, ut ad effectum perduceretur ab æterno facta reprobatio. Sed vide plenius de hoc diſputatum 3. Regum. 11.

ỷ. 14. *Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Rationem his verbis reddit Sapiens, quare homini tantopere neceſſaria ſit ſapientia; videlicet, quia cogitationes mortalium timidæ ſunt propter incertitudinem eventus, & ſimul incertæ ſunt

pro-

providentiæ noſtræ,id eſt,conſilia noſtra,quibus de rebus agendis deliberamus. Ideo ergo in omnibus opus hibemus directione divina, per ſapientiam ab eo acceptam. Poteſt hic locus quoque proferri contra hæreticos noſtri ſæculi, qui omnimodam ſecuritatem ſibi ſuiſque pollicentur, & nihil timendum, vel iram Dei, vel offenſam vel ſupplicium gehennæ.

℣. 15. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* Græcè ſic: Terrenum tabernaculum deprimit mentem plenam curarum. Auguſt.lib. 13.de civit.c. 16. oſtendit qua ratione corpus animam aggravet. Neque enim putandum eſt animam propter peccata aliqua præcedentis alicujus vitæ detruſam eſſe in corpus, velut in carcerem, ſicut opinatus eſt Plato cum ſuis, & poſt eum quoque Origenes; ſed longè alia ratione corpus quod corrumpitur, aggravat animam; de quo ſic Auguſtinus dicto loco: Corpus, inquit, corruptibile aggravat animam. Utique addendo(corruptibile,)non qualicumque corpore,ſed quale factum eſt ex peccato, conſequente vindicta, perhibuit animam aggravari. Quod etiamſi non addidiſſet,nihil aliud intelligere deberemus. Sic ille.

Quæret aliquis, An quia corpus corruptibile aggravat animam,dicendum ſit animam habere cauſam peccati ex corporis conſortio? Et utrum caro corruptibilis ſit vitiorum omnium cauſa, ut Plato voluit? Ad hoc Auguſt. lib.14 de civit.cap.3. *Reſpondet* corporis corruptionem non eſſe cauſam primi peccati animæ, ſed pœnam potius. Neque enim primitus corpus corruptibile animam fecit peccatricem;ſed anima peccatrix carnem reddidit corruptibilem. Imò ſi anima jungeretur carni, etſi corruptibili,quæ tamen ex Adam non eſſet propagata; ea pateretur quidem corruptibile corpus,ſed peccato non eſſet obnoxia,neque ex corpore ad peccatum inclinata. Tantum ergo ſignificatur, quod corruptio corporis ſit pœna peccantis animæ.

CAPUT X.

℣. 1. H*Æc illum qui primus formatus eſt à Deo, cuſtodivit, & eduxit à delicto ſuo.* Primos homines per pœnitentiam peccati ſui veniam & ſalutem conſecutos eſſe, ac præcipuè protoplaſten Adam; tam conſtans eſt Eccleſiæ totius ſententia, ut hæretici jam olim habiti fuerint,qui illorum ſaluti contradicerent, quales fuêre Encratitæ & Tatiani. De quibus Irenæus lib. 3. c.33. & ſeqq. & poſt eum Epiphan. & Philaſtrius in hæreſi eorundem,item Auguſt.hęreſi 25. qui etiam libr. 2. de pecc. merit. & remiſſ. cap. 34. de utroque primo parente id meritò credi dicit.

℣. 2. *Et dedit illi virtutem continendi omnia.* Senſus eſt. Dedit illi imperium ſuper omnia,dedit ei poteſtatem dominandi omnibus. Id enim vox Græca ſignificat.Accepit autem primus homo hoc imperium à Deo in ſtatu innocentiæ, quando dictum eſt ei & conjugi Evæ; *Creſcite & multiplicamini,& dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animantibus quæ moventur ſuper terram.* Geneſ. 1. Imminutum quidem eſt imperium hoc poſtea per peccatum, non tamen omninò periit.Nam Gen.9. rurſum dictum eſt: *Creſcite & multiplicamini,& replete terram. Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animantia.* Ubi cum jam non dicitur: *Dominamini cunctis*,ut ante peccatum dictum fuerat,ſed tantum; *Terror veſter ſit ſuper cuncta*, innuitur,quod ſicut homo peccando inobediens facta eſt Deo; ita meritò & beſtiæ, quæ naturaliter homini parere deberent, eidem rebelles, & multæ etiam noxiæ, factæ ſint, ita ut tamen hominis terror ſuper omnia adhuc manſerit.

℣. 7. *Et incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis.* A Græca hoc modo: *Imperfectis temporibus fructiferentes plantæ,& incredulæ, ſeu non credentis animæ monumentum ſtans ſtatua ſalis.* Quæ quid ſignificent, vide ad Geneſ.19.

℣. 10. *Et oſtendit illi regnum Dei & dedit illi ſcientiam ſanctorum.* Tunc ſcilicet Iacob patriarchæ oſtendit Deus regnum cæleſte, quando vidit ſcalam erectam in cœlum,& Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes; quando ipſe ait Geneſ.28. *Terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Tunc *& dedit illi ſcientiam ſanctorum*, facta ſcilicet per ſomnium myſteriorum cœleſtium revelatione.

CAPUT XI.

℣. 18. O*Mnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa.* Græcè ἐξ B ἀμόρφου ὕλης,ex informi materia.Si intelligas materiam primam, ea non tempore, ſed natura tantum præceſſit orbem terrarum,Græcè τὸν κόσμον, id eſt,mundum,qui & Græcè & Latinè ab ornatu nomen accepit,quaſi dicat Sapiens, Deum hoc ornatiſſimum univerſi corpus finxiſſe ex rudi & informi materia. Poteſt etiam materiæ nomine intelligi cœlum, & terra, uti primo die creata ſunt, quando *terra adhuc erat inanis & vacua*,ut dicitur Geneſ.1. *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*,& cœlum nec lumen,nec ſtellas habebat;qui ornatus tandem acceſſit diebus ſequentibus. Sic & ad Hebr. 11. *Ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* Vide ibidem noſtrum comment.& annot. Gen.1.

℣. 24. *Sed miſereris omnium, quia omnia potes,& diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Intel- C ligendum Deum omnium miſereri, ita tamen ut non contrarietur ei quod ſupra dictum eſt cap. 5. verſ.6. *Iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* Oratio quoque Eccleſiæ ſolis electis tribuit dicens: *Omniumque miſereris,quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis.* Vide etiam D. Thomam in epiſt. ad Roman.c. 11. lect.4. ubi dicit Apoſtolus. *Concluſit Deus omnia ſub peccato,ut omnium miſereatur.* Quo loco ſanè intelligitur miſericordia perducens ad ſalutem,& proinde nullo modo de omnibus omninò hominibus accipiendum,ſed de generibus hominum, Judæorum ſcilicet & gentilium,ut patet ex Apoſtoli diſputatione.

Interim poteſt etiam quodam modo id quod hic dicit Sapiens, intelligi de bonis naturæ, & de auxi- D liis externis, ut maximè eſt mundi pulchritudo, ex qua Deum cognoſci poſſe docet capite 14. Qui intellectus confirmatur quoque ex probatione ſequenti: *Diligis enim omnia quæ ſunt.* Sed inde nullo modo conſequens eſt omnibus hominibus dari ſupernaturale quoddam auxilium, ſed videtur Sapiens velle docere ea probatione, Deum per ſuam bonitatem omnibus naturis providere bona, ſecundum ſuum ſtatum & modum. Provider autem hoc pacto hominibus; imprimens eis legem naturæ, & ad eam ſervandam ſubinde excitans. Item præbens eis pulcherrimum ſpectaculum corporalis creaturæ, cœleſtium & terreſtrium, quod eos meritò excitet ad inveſtigandum & laudan- E dum authorem. Item benefaciens de cœlo, dans pluvias,& tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Per hæc enim affirmat Apoſtolus Actor.14. Deum non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquiſſe. Verùm quia natura humana,per peccatum corrupta eſt; ideò hæc teſtimonia ſine alio ſpeciali auxilio (quod non omnibus hominibus datur, ut patuit ſuprà cap.5. v.6.)ad Deum glorificandum,& mandata ejus ſervanda, non ſufficiunt.

℣. 25. *Et nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Convincitur hinc malum non eſſe à Deo,contra Manichæos,& Calvinum dicentem Deum etiam eſſe authorem proditionis Judæ. Nam paſſim ſcriptura teſtatur Deum odiſſe

iniquitatem, & peccatum. Vide plenius ad illud pſal. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

CAPUT XII.

℣. 2. **I** *Deoque eos qui exerrant, partibus corripis.* Pridem quædam exemplaria legebant; *Qui errant ex partibus, corripis*, ut referretur etiam illud (*ex partibus*) ad præcedentia. Sed rectè biblia Sixtina præpoſitionem ſuſtulerunt, & illud (*partibus*) diſtinguendo retulerunt ad ſequentia. Sic enim ſonant Græca: *Delinquentes, paulatim corripis.*

℣. 3. *Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ.* Vocat inhabitatores terræ ſanctæ, id eſt, illius terræ quæ poſtea ſancta cognominata eſt propter populum Dei, in ea habitantem & verum Dei cultum, qui in ea vigebat. Multò magis terra ſancta cœpta eſt dici à Chriſtianis, poſtquam in ea ſanctus ſanctorum humanâ carne indutus converſatus, paſſus & mortuus eſt. Cæterum ex hoc loco ubi Judæam author vocat terram ſanctam; argumentum accipitur hunc librum ſcriptum eſſe poſt captivitatem Babylonicam. Neque enim uſquam ante id tempus legimus terram illam fuiſſe ſanctam appellatam; poſteà verò ſic, ut 2. Machab. 1. v. 7. ubi dicitur: *Ex quo receſsit Iaſon à ſancta terra.* Quin nec Jeruſalem ante captivitatem legitur vocata civitas ſancta, ſed demum poſt captivitatem, ut Dan. 3. & 9. item 2. Eſdræ 11. ſemel & iterum, 1. Machabæorum 2. 2. Machabæorum 1. 2. & 15. Matth. 4. & 27. & alibi.

℣. 8. *Et miſiſti antecesſores exercitus tui veſpas.* Satis manifeſtum eſt hæc de certo genere animalium intelligi, non de timoris aculeis, ut quidam in Deuteronomio c. 7. 20. locum exponunt. Nam & hoc eodem capite dicit eos per minuta animalia, quæ colebant, punitos fuiſſe.

℣. 10. *Et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* *Quæritur* quomodo cum hac ſententia conſiſtat, quod paulò ante præceſſit, Deum illis dediſſe locum pœnitentiæ? Neque enim locum pœnitentiæ habet, cujus cogitatio mala in bonum mutari non poteſt. Imò hoc eodem capite poſteà dicitur: v. 20. *Dans tempus & locum, per quæ poſſent mutari à malitia.* Contraria enim videntur, poſſe, & non poſſe mutari. Poſſet uno verbo *reſponderi*, potuiſſe mutari malitiam eorum ſubveniente gratia Dei, non potuiſſe autem ex ſola hominis voluntate ſine Dei gratia. Poteſt tamen & *aliter reſponderi*, &, ut apparet, convenientius, ad locum præſentem. Quod enim ait: *Non poterat mutari cogitatio illorum*, intelligendum eſt non de eo quod abſolutè eſt impoſſibile, ſed de eo quod admodum difficile eſt, ſicut dicimus impoſſibile eſſe ut diuturna aliqua & prava conſuetudo in populo mutetur, id eſt, admodum eſſe difficile. Sic Chriſtus in Evangelio, dicit impoſſibile eſſe divites qui in pecuniis confidunt, intraturos in regnum cœlorum. Et propheta Jerem. cap. 13. v. 23. dicit: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & pardus varietatem ſuam: & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malè.*

℣. 15. *Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas à tua virtute.* Liranus legit, (*condemnas, & externum æſtimas.*) Et exponit hoc modo: Aliquando, qui puniri non debet, id eſt, innocentem, *condemnas*, id eſt, punis ad patientiæ probationem, & *externum æſtimas*, id eſt, æſtimari permittis, à tua virtute, ſicut æſtimatus fuit Job ab amicis, & habitus tanquam peccator. Sed ea lectio planè vitioſa eſt, & legendum ſicut meliores codices ſemper habuerunt, conformiter Græcis, per infinitivum (*condemnare*) & non in indicativo (*condemnas.*) Senſus ergo eſt. Condemnare eum, qui non debet puniri, id eſt, qui damnatione dignus non ſit, id à tua, *virtute*, à tua juſtitia & dignitate alienum & externum eſt, q. d. ſolos eos deputas æternis ſuppliciis, qui peccatis ſuis hoc commeruerunt. Invenitur tamen quoque & exponitur prior illa lectio apud Gregor. lib. 3. Moralium cap. 11. de Chriſto, qui innocens paſſus eſt pro nocentibus. Unde liquet mendum eſſe antiquum.

℣. 18. *Subeſt enim tibi cum volueris poſſe.* Simile illud leproſi Matth. 8. *Si vis potes me mundare.* Non ſignificatur Deum non alia poſſe quàm quæ vult, ſed tantæ eſſe potentiæ ut quidquid voluerit, ſtatim exſequatur. Intelligit enim poſſe cum effectu.

CAPUT XIII.

℣. 4. **A** *Ut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis.* Agit contra eos qui Solem & Lunam, & alias creaturas Deos putaverunt, docetque Sapiens, quomodo potius ex creaturis deveniri debeat in cognitionem ipſius creatoris; Videlicet, quia dum in unaquaque creatura conſideramus id quod in ea excellit, ſive ſit ſpecies, hoc eſt pulchritudo, ſive potentia & efficacitas operandi, ſive quid aliud, ſemper debeamus, argumento ducto ab effectu ad cauſam, diſcere, quanto ergo ſit ille pulchrior, ſapientior & potentior, qui hæc omnia condidit? Neque hoc modo in primam Dei cognitionem deducendi ſunt tantum infideles; verum etiam ipſi Chriſtiani, hac eadem via ſuam fidem de uno Deo optimo maximo, ſubinde renovare debent. Verbi gratiâ, ſi quam creaturam valdè pulchram & elegantem vident, mox cogitare, quàm pulcher ſit ſupremus ille opifex, qui illam fecit. Ita fiet, ut oblectatio, quæ ex creatura ſumitur, in Deum terminetur. Et interim fides noſtra quam de Dei excellentia habemus, ejuſmodi cogitationibus per res creatas in nobis exerceatur.

℣. 5. *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ, cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Pro (*cognoſcibiliter*) Græcè eſt ἀναλόγως, id eſt, analogicè. Et ſic interpretantur Chryſ. Cyrillus & Gregor. in Moralibus, ut ſenſus ſit: Ex magnitudine enim, & ex ſpecie, id eſt, pulchritudine rerum creatarum poterit per analogiam quandam ipſe Deus cognoſci, qui eſt earum rerum author & opifex. *Analogicè*, id eſt, mutua quadam collatione. Quod fit modo ſupradicto, dum videlicet effectum comparamus cum cauſa efficiente; opus cum opifice, & ratiocinamur hoc modo: Præſtans eſt opus, igitur præſtantior ipſe opifex. Chryſ. hom. 9. ad populum Antiochen. ita habet: Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum proportionabiliter (ita interpres reddit) ipſarum author conſideratur.

CAPUT XIV.

℣. 7. **B** *Enedictum eſt enim lignum per quod fit juſtitia.* Ad litterã hoc intelligitur de arca Noë. De ea enim ante dixerat, quod tempore diluvii ſpes orbis, id eſt, Noë cum filiis, ad ratem, id eſt, arcam, confugiens remiſerit ſæculo ſemen nativitatis; quæ arca manu Dei erat gubernata. De eadem ergo ſubjungit. *Benedictum eſt enim lignum per quod fit juſtitia.* Et ſenſus eſt, Benedictum & meritò prædicandum eſt illud lignum, id eſt, arca ex lignis facta, per quam fit juſtitia, id eſt, quæ aptata fuit in juſtum & legitimum uſum, videlicet, ut malis diluvio pereuntibus, Noë juſtus cum ſemine ſuo in arca ſervaretur. Id enim juſtum erat; juſtũ ſervari, impios perire. *Myſtice*, aptiſſimè accommodatur ad lignum crucis Chriſti, cujus quædam figura præceſſit in arca, quæ hîc lignum vocatur. Nam ſicut tunc toto mundo pereunte, ſoli illi ſervati ſunt, qui ad lignum illud confugiebant; ita omnes illi pereunt in æternum, qui non confugiunt ad ſalutem in ligno crucis propoſitam. Unde meritò exclamat Apoſtolus. *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ad Gal. 6. Deinde per illud lignum, facta eſt juſtitia;

quia

quia in crúce pro peccatis totius mundi Patri ſuo pleniſſimè Chriſtus ſatisfecit. Denique ſit juſtitia, quia non aliter niſi per crucem homo juſtificari poteſt.

℣. 8. *Per manus autem quod fit idolum maledictum eſt, &c.* Id eſt idolum quod fit manibus. Græcè. *Manufactum autem execrabile ipſum, & qui fecit illud.* Idolum, id eſt, ſtatua vel imago ſeu ſimulachrum ad hoc factum ut pro Deo colatur. Non ergo ſol aut luna aut angeli ſunt idola, licet à quibuſdam colantur aut culti ſint pro diis; ſed quæ manibus fiunt ad eum uſum, idola ſunt.

℣ 9. *Similiter odio ſunt Deo impius & impietas ejus.* Vide ad illud pſalm. 5. *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

℣. 11. *Creatura Dei in odium facta ſunt, & in tentationem animabus hominum.* Quomodo creaturæ non per ſe ita factæ ſint, ſed tantum quod homines ſua culpa illis malè utantur, Deo per hoc etiam gloriam ſuam manifeſtante; vide explicatum ſupra ad illum Prov. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et quomodo creaturæ per ſe ſerviant, ut ad Deum nos ducant; Sapiens cap. præced. latè proſequitur, & nominatim cum dicit: *A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.*

℣. 27. *Infandorum enim idolorum cultura omnis mali cauſa eſt, & initium & finis.* Quomodo hoc cum aliis ſententiis conveniat quibus dicitur. *Initium omnis peccati eſt ſuperbia;* Et, *Radix omnium malorum avaritia?* An tantum hoc ſignificat ex cultura idolorum, quæ eſt craſſa quædam Dei ignorantia, tanquam principio boni ignorato, hominem præcipitari in omne genus vitiorum? Quem ſenſum arguere videntur ſequentia. Sed & alio modo idololatria omnis mali cauſa eſt, videlicet meritoria, ut Apoſtolus explicat Rom. 1.

℣. 31. *Non enim juratorum virtus, &c.* Pridem legebatur; *Non enim jurantium eſt virtus.* Egregia loci emendatio (ait Fran. Lucas) qua & omiſſum eſt verbum ſubſtantivum (*eſt*) & pro *jurantium* participio activo, poſitum eſt participium paſſivum (*juratorum*,) quod eſt, eorum per quos juratur. Deinde in eo quod ſequitur (*perambulat ſemper injuſtorum prævaricationem*) Cave ne adverbium (*ſemper*) mutes in præpoſitionem (*ſuper*) vel unum vocabulum (*injuſtorum*) diſtrahas in duo. Hæc ille. Cæterum his verbis oſtendere vult Sapiens perjuria eorum qui per idola jurarunt, puniri, non per virtutem ſeu potentiam idolorum, quæ nulla eſt: ſed quia ipſa juſtitia divina ab injuſtis & perjuris hominibus juſtam ultionem exigit. Senſus ergo eſt. Pœna, quæ perjuros plerumque ſequitur, non eſt adſcribenda potentiæ inanium Deorum, per quos juratum fuit; ſed imputanda eſt fraudi, & ſceleri pejerantium; quos ipſa juſtitia impunitos eſſe non permittit. Oſtendit quoque hic locus juramentum etiam per falſos Deos factum, neceſſariò ſervandum eſſe, & graviter peccari & puniri, ſi non ſervetur.

CAPUT XV.

℣. 2. ETenim *ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam; & ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati.* In priori parte pro (*magnitudine*) Græcè eſt κράτος, quod robur, & potentiam ſignificat: Quomodo etiam legit Auguſt. cap. 22. de fide & operibus. Et ſenſus eſt. *Si peccaverimus, tui ſumus*, id eſt, ſub tua poteſtate permanemus, nec potentiam tuam, quia juſtè vindicas peccata, evadere poſſumus; nec eſt quiſquam tam potens, qui poſſit nos eripere de manu tua. Poſterior pars ſic in Græco ſonat: Non peccabimus autem; ſcientes, quoniam apud te ſumus computati: quomodo etiam legit Auguſt. loco ſupradicto. Et tunc ſenſus eſt: Benè confidimus nos non peccaturos (loquitur de peccato idololatriæ) ſcientes quia tibi curæ ſumus, quodque gratiæ tuæ præſidio nos à tam gravi peccato conſervabis immunes. At verò ſecundum noſtram lectionem ſenſus eſt. *Si non peccaverimus, apud te ſumus computati*, id eſt, ſumus in numero tuorum, ſumus filii tui & mercedem æternæ hæreditatis abs te expectabimus, æternamque retributionem.

℣. 3. *Noſſe enim te, conſummata juſtitia eſt, & ſcire juſtitiam & virtutem tuam, radix eſt immortalitatis.* Poſterior pars hujus ſententiæ nullam habet dubitationem. Certum eſt enim fidem, quæ eſt cognitio quædam juſtitiæ & virtutis Dei, eſſe radicem immortalitatis, quia ex fide initium eſt, & origo ſalutis & beatitudinis noſtræ. Chriſtus quoque dicit Ioan. 17. *Hæc eſt*
B *vita æterna ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti, &c.* Sed *quæſtio* eſt quomodo in priori parte dicatur; *Noſſe te, conſummata juſtitia eſt*, cum fides ſine operibus mortua ſit? Ac rurſum eodem Apoſtolo Jacobo teſtante cap. 4. *Scienti & non facienti peccatum eſt illi?* Sed *ſciendum* duplicem Dei notitiam nobis inſinuari in Scriptura ſacra, alteram ſolam & nudam, alteram cum pio affectu conjunctam, quo videlicet aliquid ita cognoſcitur, ut quis illud laudet, probet, amet, proſequatur. De hoc poſteriori 1. Ioan. 2. dicitur: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Et Chriſtus ad quoſdam. *Neſcio vos*, id eſt, facta veſtra non approbo. Ita ergo & hoc loco; *Noſſe te conſummata juſtitia eſt*, ſcilicet, te noſſe ea notitia qua decet, id eſt, qua quis te colit fide, ſpe, chari-
C tate. Vide etiam ſuprà ad caput 1. v. 14.

CAPUT XVI.

℣. 2. E*Scam parans eis ortygometram.* Ortygometra ſignificat ducem coturnicum. Et hoc vocabulum reddiderunt ſeptuaginta in Exodo, Num. & Pſalm. pro eo quod in Hebræo eſt coturnix. Dicitur autem ὀρτυγομήτρα non ἀπὸ τοῦ μέτρου, id eſt, à menſura, converſo ε, in η, ut vult Janſenius. Neque enim illa converſio in illo vocabulo uſquam ulum habet, ſed ἀπὸ τῆς μήτρας, id eſt, à matrice. Unde & Gaza ſimpliciter matricem interpretatur ortygometram. Vocatur ergo coturnix iſta, coturnix matrix, tanquam ea, ex qua
D multitudo coturnicum ſit edita, ſicut ex gallina multi pulli. Quomodo & μητρόπολις dicitur civitas matrix, id eſt, ex qua aliæ, vel ortæ ſunt, vel religionem acceperunt.

℣. 14. *Cum exierit ſpiritus, non revertetur.* Vide in Job duobus locis. Nempe ad illud Iob. 7. *Sicut conſumitur nubes, ſic qui deſcenderit ad inferos non aſcendet;* tum etiam ad illud Iob 14. *Sive nobiles fuerint filii ejus, ſive ignobiles, non intelliget.*

℣. 20. *Paratum panem de cælo præſtitiſti, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem.* Et ſubditur v. 21. *Deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur.* *Quæritur*, An
E hoc ita intelligendum, ut quiſque illatim prout optabat, quemcumque vellet ſaporem perciperet ex manna? Homilia de carne & ſanguine Domini titulo Hieron. tom. 9. dicit, quod manna veteris legis hoc unicuique ſapiebat, quod deſideriis concupierat. Itē, unumquemque variis & alienis ſaporibus refeciſſe mellifluum pluviæ illius donum. Et addit: Quod illic aviditas faciebat hîc fides faciat. Sed mirum, quare ergo filii Iſraël nauſeantes ſuper manna, petierint carnes. D. Auguſt. lib. 2. retract. cap. 21. retractat, quod Epiſtola 118. cap. 3. dixerat, quia unicuique ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiebat. Quod tamen, inquit, fidelibus potuit provenire, non illis adverſus Deum murmuratoribus. Sed nec iſtud quidem probant, propterea quod dicat Apoſtolus 1. Corinth. 10. Omnes eandem eſcam manducaſſe. Itaque hi ſic illud expo-

nunt, *Omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuavitatem*, id eſt, perfectam delectationem & ſuavitatem, quomodo Iacobi, 1. dicitur: *Omne gaudium exiſtimate fratres, &c.* Illud verò quod ſequitur v. 21. *Deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod quiſque volebat, convertebatur*, intelligunt ſcilicet per variam coctionem & condicturam. Nam inquiunt, legitur de manna Exodi 16. *Quæ coquenda ſunt coquite*, ubi Hebræa ſic habent: *Quod coċturi eſtis coquite, & quod lixaturi eſtis, lixate.* Ecce varia coctura, inquiunt, ipſius manna, vel aliorum ciborum cum ipſo.

CAPUT XVII.

℣. 2. V*Inculis tenebrarum & longa noctis compediti, incluſi ſub tectis jacuerunt.* Hoc de tenebris, quibus percuſſa fuit Ægyptus Exodi 10. Subjungitur inter illa ſtupenda & horrenda, de iiſdem, etiam iſtud v. 15. *Deinde ſi quiſquam ex illis decidiſſet, cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus.* Nec mirum. Nam & Exodi 10. dicit Dominus ad Moyſem v. 21. *Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti tam denſæ, ut palpari queant.* Porrò hæc ita intelligenda quidam exiſtimant, quod aër divina virtute contra ſuam naturam, ita fuerit condenſatus, ut tranſitum non permitteret, ſed ubicumque quis deprehenſus fuiſſet, orientibus his tenebris, ibi teneretur, ut ſe de loco movere non poſſet. Ita enim quoque dicitur in Exodo: *Nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco, in quo erat.* Alij tamen palpabiles dicunt vocatas tenebras per hyperbolen. Sic enim & vulgo appellare ſolemus tenebras denſiſſimas & obſcuriſſimas. Quorum ſententiam confirmare videntur duo. Alterum, quod in Exodo dicitur Pharao miſiſſe ad Moyſem & Aaron, ut tenebræ tollerentur, quod fieri non potuiſſet ſine motu. Alterum, quod hîc dicitur de motu animalium. Et hi ad ſuperiora reſpondent, quod nemo ſe moverit, ſcilicet ad conſuetum opus; quia in tenebris nihil operari poſſibile, & periculoſum multum ſe movere. Utraque ſententia ſuos habet aſſertores.

℣. 10. *Cum ſit enim timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis. Semper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientiâ.* Nota quod in Græco (*ſæva*) pluralis eſt numeri. Unde & rectè poſt illud poſitum eſt comma. Item quod (*conſcientiâ*) habet vim ablativi: Illud autem (*perturbata*) nominativi caſus. Videlicet, ut (*perturbata*) referatur ad (*nequitiam*) de qua præcedit.

℣. 13. *Illi autem qui impotentem vere noctem.* Multæ reperiuntur librariorum circa hæc verba corruptelæ, ſed præcipuè duæ. Una qua vox illa (*impotentem*) diſtrahitur in duas, hoc eſt præpoſitionem (*in*) & adjectivum (*potentem.*) Altera, qua adverbium (*verè*) converſum fuit in verbum (*venere.*) Et meritò ſublatæ ſunt hæ mendæ in Sixtinis. Sic enim Græcè legitur, οἱ δὲ τὴν ἀδύνατον ὄντως νύκτα. Et regitur à participio (*dormientes.*) Rurſum in eo quoque quod ſequitur. (*Et ab infimis, & ab altiſſimis inferis ſupervenientem.*) Nequaquam omittenda eſt vox (*inferis.*) Illa enim verba itidem reguntur ab eodem participio (*dormientes.*) Epitheta autem illa duo (*infimis & altiſſimis*) idem ſignificant, *altiſſimis*, inquam, id eſt, profundiſſimis. Denique in eo ſimiliter (*eundem ſomnum dormientes*) quędam manuſcripta pro participio (*dormientes*) ſcripſerant verbum (*dormiebant.*) Sed nihil opus erat hac mutatione, cum participio facilè ſubaudiatur verbum (*erant.*) Græca hoc modo ſonant: *Et ex impotentis inferni penetralibus ſupervenientem*, ubi (*ſupervenientem*) jungi debet cum nocte, non cum ſomno, ut ex Græco patet.

CAPUT XVIII.

℣. 14. C*Vm enim quietum ſilentium, contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet; omnipotens ſermo tuus —— durus debellator in mediam*

A *exterminij terram proſilivit.* Manifeſtum, ſcripturam ad litteram loqui de nece primogenitorum in terra Ægypti. Per ſermonem tamen non intelligitur Angelus. Neque enim Angelus uſquam in ſcriptura, Verbum vel ſermo Dei dicitur, neque Angelus omnipotens eſt. Imò nec videtur intelligi ad litteram Filius Dei, qui eſt ſermo Patris. Neque enim hujuſmodi effectus Filio Dei peculiariter tribui videntur. Itaque videtur intelligi voluntas & præceptum Dei, juxta illud: *Ipſe dixit & facta ſunt.* Item, *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos*, pſalm. 106. Unde & ſubditur quaſi per appoſitionem; *gladius acutus, inſimulatum imperium tuum portans*, Græcè ἀνυπόκριτον, id eſt, ſimulationis expers, apertum ac verum imperium. Sic Apoſtolus Rom. 12. *Dilectio ſine ſimulatione*, Græcè ἀγάπη ἀνυπόκριτος.

B Nihilominus, ſicut Patres illud pſalmi, 106. *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos*, & alia ſimilia ſolent quoque intelligere de Filio Dei; ita & præſens locus de filio accipi poteſt. Verè enim Filius, ſive Verbum Patris ad hujuſmodi effectus à Patre miſſum eſt, ſicut Spiritus ſanctus ad alios effectus mitti dicitur, de quo in 1. ſenteni. plenius agitur. Notandum quoque exterminationem primogenitorum Ægypti attribui Verbo Dei, id eſt, Filio; & tamen etiam Angelo percutienti, quia Angelus id fecit in perſona Filij, ſeu Filij perſonam repræſentans, ſicut & in monte Sina, & alibi; quemadmodum veteres docent, præſertim Gregorius. Quod facit etiam pro ea ſententia, quæ dicit Angelum percuſſorem, fuiſſe bonum Angelum. Neque enim Diabolus ordinaretur ad aliquid agendum in perſona Dei, id eſt, C tanquam Dei perſonam repreſentans. Huc etiam facit quod Judas Apoſtolus in Epiſtola dicit quod Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans ſecundò eos qui non crediderunt, perdidit, ſcilicet in deſerto per Angelum exterminatorem. Vide ibidem noſt. comm.

℣. 24. *In veſte enim poderis totus erat orbis terrarum.* Græcè, *mundus*, quod latius patet quàm terrarum orbis. Ποδήρης ſignificat veſtem ad pedes uſque demiſſam. Quomodo autem in ea ſacerdotis veſte totus mundus fuerit, vide Gloſſam ordin. & Liranum. Item Joſephum, & Philonem & Hieron. de veſte ſacerdotali.

℣. 25. *His autem ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Hæc de exterminatione ipſorum Iſraëlitarum murmuratorum in deſerto, quando ſacerdos cum indu- D mentis ſacris ſtans inter mortuos & vivos, exterminatoris imperium velut reſtinxit. Sic enim præcedit v. 20. *Tetigit autem tunc & juſtos tentatio mortis, &c.* Et in margine aſcriptum eſt Num. 16. Sed ex his verbis videri poſſet exterminatorem illum fuiſſe de numero Angelorum malorum. Nam bonis Angelis, ut videtur, nihil accidere poteſt, ob quod timeant, ſed ſicut promptiſſima voluntate obediunt Deo ad percutiendum, ita etiam ad ceſſandum à plaga inferenda. Nihilominus dici poteſt extimuiſſe, per tropum; quo ſignificatur Angelum intercurrente ſummo ſacerdote ſacris infulis & thuribulo munito, ſtatim ceſſaſſe à plaga, quaſi ad earum rerum conſpectum extimuiſſet. Quomodo etiam Patres dicunt Angelos cum tremore & reverentia aſſiſtere ſacerdotibus offerentibus Deo tremendum ſacri- E ficium corporis & ſanguinis Chriſti.

CAPUT XIX.

℣. 14. D*Vcebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas.* Imò Græcè eſt (*trahebat.*) Unde quæri poteſt, quæ hoc loco neceſſitas intelligatur, quæ Ægyptios ad illum finem trahebat? Cum enim libera voluntate Hebræos perſecuti fuerint, non videtur neceſſitas dicenda, quæ eos traxit, ſed propriæ voluntatis malitia. Quidam non ſatis Chriſtianè pro *neceſſitate* vertendum putant (*fatum.*) Quod vocabulum licet bona ſignificatione accipi poſſet, quia tamen Chriſtianis

Docto-

Doctoribus inuſitatum eſt, & malè uſurpatum ab ethnicis, pro neceſſitate ſcilicet inevitabili alicujus eventus; hinc non temerè à ſacris ſcriptoribus vel interpretibus uſurpari debet. Itaque *reſpondendum* hîc ſignificari neceſſitatem non abſolutam, qua quid ita fit aut futurum eſt, ut omninò vitari, aut aliter fieri non poſſet; (Nam revera poterant Ægyptij, ſi voluiſſent, non perſequi populum Dei, atque ita etiam evadere talem interitum) ſed neceſſitas tantum conſequentiæ eſt, ſive factum ipſum, id eſt, perſecutionem illam, ſive eorum interitum ſpectemus. Deus enim utrumque prævideràt. Unde neceſſariò ſequebatur utrumque eventurum, etſi Ægyptij non neceſſariò Iſraëlitas perſequerentur, ſed ſua ſponte & voluntaria malitia, ut dictum eſt, & quivis etiam mali gloriantur ſe malefacere, quia ita lubet.

℣.16. *Percuſſi ſunt autem cæcitate, ſicut illi in foribus juſti.* Pro cæcitate in Græco eſt *ἀορασία*, quaſi dicat, *non videntiam*, vel, ut Auguſt. reddit, (*avidentiam.*) Non enim ea vox propriè ſignificat cæcitatem, quæ Græcis alio vocabulo exprimitur, ſed injectum quoddam oculis videndi impedimentum ad tempus, idque

B duobus fit modis, vel ne omnino quicquam videatur, ſicut Ægyptiis accidit, vel ut certa quæpiam res videri, aut ſaltem viſu agnoſci non poſſit. Ita Sodomitæ oſtium Loth invenire non potuerunt Gen. 19. Item Syri Heliſæum quærentes, 4. Reg 6. nec eum, nec civitatem agnoverunt. Quin Auguſt. quæſt. 43. in Geneſim, putat etiam duos diſcipulos; qui cum Domino poſt reſurrectionem ambulabant in via, Lucæ 24. hujuſmodi *ἀορασία* impeditos fuiſſe, ne Dominum agnoſcerent.

℣.17. *Sicut in organo qualitatis ſonus immutatur.* —
B *Vnde æſtimari ex ipſo viſu certo poteſt.* Hic locus arguit authorem hujus libri Græcæ philoſophiæ non fuiſſe ignarum, ſicut & alia aliquot loci. Tamen Græca ſenſum nonnihil diverſum adferunt, hoc modo: *Sicut in pſalterio ſoni rythmici nomen permutant, &c.* q.d. Cum elementa in ſe, id eſt, inter ſe commutantur, planè accidit ſicut fit, cum in organo ſeu pſalterio ſoni rithmici ſinguli nomen permutant, & in unam harmoniam tranſeunt: *Vnde*, id eſt, quod quidem, *ex ipſo viſu*, id eſt, ex ijs quæ tunc acta & viſa ſunt, *æſtimari*, ſeu
C cognoſci *certò poteſt.*

FINIS LIBRI SAPIENTIÆ

ANNOTATIONES
IN ECCLESIASTICVM.

PRÆFATIUNCULA.

AUTHOR hujus libri eſt Jeſus filius Sirach, ut dicitur capite penultimo. Scripſit autem Hebraïcè, ut habemus ex prologo; ſed in Græcum tranſlatus eſt à nepote authoris. Hebræum non exſtat, Latinum noſtrum à Græco ſæpè diſcrepat. Credibile eſt Interpretem Latinum multa ex Hebræo poſuiſſe quæ Græco deſunt. Vixit author circa tempora Machabæorum, ut doceri poteſt ex cap. penult. hujus libri, collato cum 2. Machab. cap. 3. & 4. Hæ duæ additiones ſunt Cenſoris.

CAPUT PRIMUM.

℣.4. PRior *omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo.* Duo in ſpeciem contraria videtur complecti hæc ſententia: videlicet, creatam eſſe ſapientiam, & tamen ab ævo ſeu æterno extitiſſe. Neque reſponderi poteſt per ſapientiam intelligi, Sapientiam Dei, hoc eſt Filium Dei, qui fuit ab æterno, & nihilominus dicitur creatus impropriè, quia ex Patre genitus; Id, inquam, dici non poteſt: quia paulò pòſt de eadem ſapientia loquens ſcriptura ait v.9. *Ipſe creavit eam in Spiritu ſancto.* Quod de Filio intelligi non poteſt. Non enim Filius ex Patre per Spiritum S. genitus eſt, ſed contrà Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit. Eſt enim Spiritus Sanctus, ſi originem ſpectemus, perſona Filio poſterior. *Reſpondendum* ergo videtur Eccleſiaſticum loqui de ſapientia indirectè, id eſt, non diſtinguendo creatam ab increata. Ita ut ea quæ hîc ſapientiæ tribuuntur, partim conveniant Sapientiæ increatæ, velut quod fuerit ab æterno, & quod ſit incomprehenſibilis; partim creatæ, velut cum dicit: Timorem Domini eſſe initium ſapientiæ, imo eſſe ipſam ſapientiam; & ſimilia. Quod autem dicitur v. 9. *Ipſe creavit eam in Spiritu ſancto*, in Græco non habetur (*in ſpiritu Sancto.*) Si tamen (ut faciendum eſt) ſecundum vulgatam editionem legamus; facilè intelligi-

A tur, quomodo id verùm ſit de ſapientia creata. Etenim illam Deus in nobis infundit per Spiritum ſanctum, eodem modo, quo de charitate teſtatus Apoſtol. Rom. 5. Et quod addit: *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis*, ſignificat non ipſam ſapientiam, de qua agit, eſſe Verbum Dei, id eſt, Filium Dei, ſed hunc eſſe ſapientiæ fontem.

B ℣.10. *Et effudit illam ſuper omnia opera ſua.* Non omnis creatura capax eſt ſapientiæ, ſed ſola rationalis. Quod ergo ait: *Et effudit illam ſuper omnia opera ſua*, hunc ſenſum habet: Deus ſuam divinam ſapientiam declaravit in omni re creata; quia nulla eſt creatura, in qua Dei ſapientia non relucet: omnia opera Dei teſtantur bonitatem, & ſapientiam ſui opificis. Sed creatura rationalis hoc præ aliis habet, ut etiam ſapientiæ Dei ſit capax; videlicet, quia per participationem ſapientiam
C in ſe ſuſcipere poteſt, proficiſcentem à ſapientia divina.

℣. 16. *Initium ſapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus eſt.* Intelligendum eſt ſecundum ſemina quædam & inclinationes ad ea officia, quæ requirit vera pietas, quomodo dictum eſt Sap. 8. Sapientem dicere ſe animam ſortitum bonam; & Iob dicit miſericordiam ſecum egreſſam de utero matris; Vel dicitur: *Timor Domini concreatus in vulva*, ſecundum prædeſtinationem; quomodo Jeremias ſanctifica-
D tus dicitur ut propheta eſſet, ab utero matris. Vel ſecundum Græca, reſpiciendo ad id quod proximè præcedit; *Initium ſapientiæ timor Domini, & cum fidelibus in vulva concreatus eſt*, legi poteſt in fœminino genere (*concreata*) ut referatur ad ipſam ſapientiam. Porrò de ſenſu prioris partis. *Initium ſapientiæ timor Domini*, hoc eſt, de quo timore ibi agatur, vide Proverb. 1. ad ſimilia verba.

℣.27. *Timor Domini expellit peccatum.* Non quod
E ſolus timor ſufficiat, ſed ut ſubjungitur; *quia qui ſine timore eſt non poterit juſtificari*, ut intelligatur initium ſalutis eſſe hunc ſalubrem timorem, quod negant novatores. Vide plenius ſupra ad illud Proverb. 1. *Timor Domini initium ſapientiæ.*

CAPUT

CAPUT II. A

℣.2. E*T ne feſtinet in tempore obductionis.* Utrumque vocabulum,& feſtinare,& obductio,ſuā peculiarem habet ſignificationem. Feſtinare enim dicitur, qui moram non ferens, ſtatim ſibi exhiberi vult quod promiſſum eſt.Unde illud Iſaiæ 28.*Qui crediderit, non feſtinet*, id eſt,non velut per impatientiam ſtatim ſibi exhiberi velit, quod promiſſum eſt;ſed patienter expectet. certus de divina promiſſione ſuo tempore præſtanda. Hinc Abacuc de eodem Salvatore loquens cap.2.ait: *Si moram fecerit,expecta eum.* Et hæc de vocabulo feſtinationis. Porrò obductio hoc loco ſignificat calamitatem,anguſtiam, afflictionem ; hæc enim eſt velut obductio quædam,& obnubilatio mentis, ſicut è B diverſo proſperitas videtur animum hominis ſerenare. Senſus ergo eſt:*Ne feſtines in tempore obductionis*,id eſt, quando premeris aliqua calamitate , noli per impatientiam feſtinare,ad hoc ut inde libereris,ſed patienter expecta tempus , quo Deus te liberare conſtituit , nec ex impatientia confugias ad remedia vel auxilia ſuperſtitioſa,vel aliàs illicita.

℣.4. & 5. *Omne quod tibi applicitum fuerit,accipe, & in dalore ſuſtine . &c.* D. Auguſt. lib. de patientia cap.14. legit. (*Omne quod tibi ſupervenerit,accipe*) & probat ex hoc loco,quod non liceat propter ulla hujus vitæ mala ſeipſum occidere, ſed omnia ſuſtinenda eſſe. Et rectè. Etenim quanta ſit utilitas tribulationum, declarant ſubjecta verba: *Quoniam in igne probatur aurum, & argentum ; homines verò receptibiles in camino* C *humiliationis.* q. d. homines Deo dilecti, & receptibiles,id eſt, qui ab eo recipiuntur, inſtar auri & argenti ſunt. Huc alludit Apoſtol.ad Hebr. 12. cum ait : *Flagellat omnem filium,quem recipit.* Hoc ſcilicet eſt eſſe receptibilem.Vide ibidem noſtrum Comment.

℣.11.*Nullus ſperavit in Domino & confuſus eſt.Quia ſpes non confundit.* Rom.5. *Et ſpem habemus velut ancheram animæ firmam ac tutam.*Hebr.6.Unde ſequitur: *Quis enim permanſit in mandatis ejus,& derelictus eſt ?* Quamvis enim interdum deſeratur in hac vita , ſecundum quod clamabat ad Patrem in cruce Sanctus Sanctorum,*Quare me dereliquiſti?*In perpetuum tamen nemo juſtus, permanens in juſtitia,derelinquitur à Deo. Vide annot. pſalm. 36. & noſtr.comment.citatis locis D Rom.5.& Hebr.6.

℣.14.*Væ duplici corde — & peccatori terram ingredienti duabus viis.* Illud(*terram*)in Græco non habetur. Similis quædam ſententia habetur cap. ſeq. *Cor ingrediens duas vias,non habebit ſucceſſus.* Porrò ingredi dicitur duabus viis,vel duas vias;qui ſervire ſe poſſe putat duobus Dominis, quod Dominus in Evangelio teſtatur impoſſibile eſſe,dicens,Matth.6.*Nemo poteſt duabus Dominis ſervire*, videlicet ut uterque perfectam requirat obedientiam,& Dominium , quales ſunt Deus & Diabolus. Alioqui ſi alter alteri eſt ſubordinatus , ut Rex ſub Deo, vel Epiſcopus ſub Deo;aut ſi ſecundū diverſa ſunt Domini,ut Rex & Pōtifex,fieri poteſt,imò oportet ut utriq; obediatur. Tales, ſcilicet qui duobus Dominis ſervire,& proinde duabus viis ingredi volebant, E erant filij Iſraël ad quos Elias aiebat 3.Reg.18. *Uſquequo claudicatis in duas partes ? Si Dominus eſt Deus,&c.*

℣.20. *Qui timent Dominum præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas.* Nota etiam ipſum hominem ſanctificare ſe , ſeu animam ſuam. Nota etiam liberi arbitrij actionem minimè otioſam ; qua nimirum homo cor ſuum præparat , & animam ſuam ſanctificat.

℣.22. *Si pœnitentiam non egerimus , incidemus in manus Domini , & non in manus hominum.* Simile quid Suſanna dicebat. Et Apoſtolus Hebr.10.*Horrendum eſt incidere in manus , &c.* Vide annot. 2. Reg. ult. & comment.ad Hebr.cap.cit.

CAPUT III.

℣.11. B*Enedictio patris firmat domos filiorum : maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Significatur tam benedictionem quàm maledictionem parentum in filios ſæpenumerò efficacem eſſe. De maledictione matris cujuſdam in decem filios exemplum inſigne,vide apud S. Auguſt. de diverſis ſerm. 31. ubi recitatur libellus,& 32.ubi citatur hæc Scriptura.

℣.15.& 16.*Eleemoſyna enim patris non erit in oblivione. Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum.* Senſus prioris partis eſt,ſcilicet, quod miſericordia patri exhibita , id eſt , obſequia & toleratio ſenectutis & B infirmitatum ejus,non carebunt ſua mercede apud Deū. Itaque & poſteriora verba ſimili quodammodo exponenda ſunt,ut ſit ſenſus;Quin & pro moleſtia,infirmitate,aut moroſitate matris quam toleras,dum ei miniſtras, reſtituetur tibi bonum. Tale enim quid hoc loco peccati nomine accipiendum eſſe , ſatis patet ex circumſtantiis Græca ſic habent, *Et pro peccatis reædificatur tibi.*

℣.20.*Quantò magnus es,humilia te in omnibus.* Intelligendum hoc non ſubjiciendo ſe ſerviliter aliis,ſed propriam infirmitatem agnoſcendo. Id enim eò magis neceſſarium eſt,quò quis ad majora evehitur,etiam teſtatur ethnicus author Cicero lib.1.Officiorum dicens: Rectè præcipere videntur,qui monent,quantò ſuperiores ſumus , tantò nos ſubmiſſius geramus. Et Chriſtus tanquam ſingulare præceptum proponit Matth. 11. C *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde* : Et , *Qui major eſt in vobis, fiat ſicut miniſter,&c.*

℣.22. *Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutatus fueris.* Non prohibet indagationem operum Dei. Nam dicit pſalm.76 *Meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor*,ſed prohibet curioſitatem,quā vel ea,quæ excedunt captum noſtrum,ſcrutamur,ut myſteria Trinitatis,prædeſtinationis,judiciorum Dei ; de peccato originali, & ſimilia;quæ tantum ad certum terminum nobis cognoſci hîc datur;vel quæ cognita uſum non adferant,& ad profeſſionem ſcrutantis nihil pertineant ; ſed mera curioſitate , & vanitate queruntur. Cujuſmodi ſunt multa in rebus naturalibus, in hiſtoriis,in fabulis,in rumoribus. De priori genere D dicit *Altiora & fortiora*,id eſt,quæ infirmitas humanæ mentis nequit comprehendere. De poſteriori,v.24. *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter.* De utroque verò : *Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt,videre oculis tuis.* Ad prius quoque pertinet illud ; *Qui ſcrutator eſt majeſtatis , opprimetur à gloria.* Vide ad Rom.12.& Auguſt.in pſalm.130.Proverb.25.v.27.

℣.22. *Sed quæ præcepit tibi Deus,illa cogita ſemper.* Non excluduntur conſilia Evangelica.Hæc enim ordinantur ad præcepta melius & perfectius implenda. Quod hîc præcipit Eccleſiaſticus,facit ille de quo dicitur pſalm.1. *Sed in lege Domini voluntas ejus,& in lege ejus meditabitur die ac nocte.*Fecit & David ſicut ipſe E declarat toto illo prolixo pſal.118. ut teſtantur plurimi ejus verſus.

CAPUT IV.

℣.1. F*Ili,eleemoſynam pauperis ne defraudes.* Græcè eſt *vitam pauperis ne prives*, id eſt, victu pauperem ne prives , ne defraudes. Eſt enim defraudatio quædam non dare quod debetur , etiamſi tantum ex debito charitatis debeatur.

℣.3. *Et non protrahas datum anguſtianti.* Arbitror interpretem ſcripſiſſe paſſivè (*anguſtiati.*) Nam anguſtianti ſenſum non efficit , niſi deponenter accipias,pro (*anguſtiam patienti.*) Nam interpretari , anguſtianti , id eſt,ſeſe crucianti,verè vitium ſonat,aut certè imperfectionem. Græcè eſt genetivus [illegible] , id eſt, angu-

anguſtiati,paſſivè,item rogantis aut obſecrantis. Senſus igitur eſt; Ne differas, quod erogaturus es in egenum rogantem te. Vocatur autem datum ipſius anguſtiati,quia ei debetur lege charitatis. Qui ergo protrahit & differt dationem,quaſi injuriam illi facit.

℣.7. *Presbytero humilia animam tuam.* Id eſt,ſeniori,ſeu ætate, ſeu dignitate ac magiſtratu, te humiliter ſubmitte, & obedientem erga eum te gere. Cui ſimile eſt,quod ſequitur: *Et magnato humilia caput tuum.* Ne quis ſuſpicetur per presbyterum ſacerdotem ſignificari, aut humilitatem confeſſionis peccatorum. Oportet enim Catholicos ſolidis argumentis uti, contra errores hæreticorum. Magna enim veritati fit injuria, cum ſophiſticis,aut alioqui infirmis argumentis fides Chriſtiana defenditur. Et nuſquam deſunt ſolida argumenta,ſi diligenter inquirantur,ut paſſim oſtendimus.Et de cõfeſſionis ſacerdoti faciendæ neceſſitate, manifeſta ſunt teſtimonia,Matthæi 16.v.18.Ioan.20.& alibi.

℣.10. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater, & pro viro matri illorum.* Quomodo non adverſetur hæc ſententia præcepto legis quod habetur Exodi 23. vide annot. pſalm.81.

℣.24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum.* Illud (*pro anima tua*) intelligi poteſt duobus modis. Vel hoc modo: *pro anima tua*, id eſt,pro vita tua conſervanda. Ut ſenſus ſit: Ne quidem propter vitæ periculum deſeras veritatem,nec tibi charior ſit vita,quàm veritas;Potius mortem oppete, quàm contra veritatem aliquid dicas,aut facias. Et hoc generaliter de omni veritate intelligendum. Non quod ſemper & paſſim omnem veritatem confiteri oporteat, ſed quia nunquam veritas deſerenda eſt, ſic ut ſcienter aliquid contra eam dicatur. Poteſt & hoc modo intelligi: *pro anima tua*, id eſt, propter conſcientiam tuam, ne illam lædas, aut Deum offendas,& pecces in animam tuam. Ut ſit ſenſus:Ne confundaris dicere veritatem,maximè in negotio fidei,& religionis,ne per hoc graviter Deum offendas,quia ut ait Dominus in Evangelio: *Qui erubuerit me coram hominibus,erubeſcam & ego eum &c.*

℣.25. *Eſt enim confuſio adducens peccatum,& eſt confuſio adducens gloriam & gratiam.* Confuſio erubeſcentiam ſeu pudorem ſignificat. Docet confuſionem aliàs bonam,aliàs malam eſſe.Bona confuſio eſt quando pudor revocat nos ab eo quod turpe eſt,ne illud committamus.Item bona confuſio quando aliquem pudet peccati commiſſi, & per hoc deterretur ne illud committat. Unde illud: Salva res eſt,erubuit. Mala confuſio quando pudore homo revocatur à neceſſaria peccati ſui confeſſione; quemadmodum frequentiſſimè accidit iis qui ad Sacramentum confeſſionis accedunt,dum peccata ſua præ pudore non integrè aperiunt Dei vicario. Hæc confuſio adducit peccatum quia ſicut is, qui vulnus ſuum non aperit medico,curari non poteſt; ita qui peccatum non detegit ſacerdoti,mundari à peccato nõ poteſt, imò propterea majorem damnationem ſibi acquirit,dum indignè ſe ingerit ad Sacramenta Dei.

CAPUT V.

℣.5. D*E propitiato peccato noli eſſe ſine metu,neque adjicias peccatum ſuper peccatum.* Plurima M.SS.legunt(*de propitiatu peccatorum.*)Et videntur favere Græca, in quibus ſic legitur; *De propitiatione ne ſis ſecurus, ut apponas peccatum peccatis.* Nihilominus Sixtina editio legit (*De propitiato peccato.*)Et poteſt ſententia dupliciter intelligi. Vel ſic: Noli eſſe ſecurus de obtenta peccatorum remiſſione, ſed adhuc metuas; partim, quia homo nunquam eſt certus omninò de remiſſione peccatorum. *Neſcit enim*, ut ait Eccleſiaſtes cap.9. *utrum amore an odio dignus ſit*; partim,quia remiſſo peccato, adhuc reſtat luenda temporaria pœna. Atque ita monetur homo, peccata,etiam condonata,in

A ſeipſo vindicare, ut effugiat vindictam Dei: Quæ ſententia magis convenit illi lectioni (*propitiato peccato.*) Pridem cum etiam legeretur;(*de propitiatu peccatorum*) iſte ſenſus quoque reddebatur:Noli eſſe ſecurus de obtinenda remiſſione peccatorum. Ea enim non datur niſi verè pœnitentibus:Atqui nemo certus eſt ſe acturum veram pœnitentiam,maximè de peccato, in quo adhuc permanet. Et huic ſenſui favere videtur,quod ſequitur: *ne adjicias peccatum ſuper peccatum*,videlicet præſumens de hujuſmodi ſecuritate. Utraque expoſitio valet contra hæreticos noſtri temporis; prior quidem ſpecialiter contra eos, qui negant,remiſſa culpa, relinqui pœnam temporalem ſolvendam;Utraque autem pariter contra eoſdem,quatenus docent hominem certum & ſecurum eſſe debere de peccato remiſſo,vel remittendo.

B ℣.6. *Et ne dicas; Miſeratio Domini magna eſt,multitudinis peccatorum meorum miſerebitur.* Non prohibet Eccleſiaſticus dicere,Miſericordiam Dei magnam eſſe, revera enim magna eſt miſericordia Domini, & major quàm verbis explicari aut cogitatione à nobis comprehendi poteſt,& omnis Scriptura ſacra nobis peccatoribus commendat magnitudinem miſericordiæ Dei;ſed prohibet hoc dici ex ſecuritate illa, & præſumptione remiſſionis peccatorum obtinendæ. Nempe,ſicut alibi ſcriptura commendans miſericordiam Dei, erigit peccatores pœnitentes in ſpem veniæ;ita hic locus peccatores in peccato perſeverantes,& nihilominus de miſericordia Dei confidentes,terret;ut potius juſtitiam Dei conſiderent,quàm miſericordiam. Et hoc eſt quod ſequitur: *Miſericordia enim & ira ab illo proximant & in*

C *peccatores reſpicit ira illius.* Ubi per peccatores intelligit in peccatis permanentes,& pœnitentiam differentes.

CAPUT VI.

℣.20. E*T continens factus ne derelinquas eam.* Græcè ἐγκρατὴς γενόμενος, id eſt, compos factus,hoc eſt, ut ſemel conſecutus fueris ſapientiam, ne derelinquas. Eadem vox eſt Sap.8. *Et ut ſcivi quia aliter non poſſem eſſe continens* (id eſt,compos) ſapientiæ; Vide ibi annot.

CAPUT VII.

D ℣.5. N*On te juſtifices ante Deum.* Id eſt, ne tuam juſtitiam prædices, ſicut Phariſæus ille qui dicebat; Luc.18. *Gratias tibi ago,&c.quoniam agnitor cordis ipſe eſt*, videns ſecreta mala in corde noſtro quæ ipſi non videmus. Hoc proferri poteſt contra eos qui certò ſtatuunt ſibi remiſſa peccata;& ita ſe ante Deum juſtificant.

℣.6. *Noli quærere fieri judex,niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Hinc liquet, quod non liceat ſuſcipere principatum ſuper aliquos, cum pactione permittendæ hæreſeos, vel cujuſcumque injuſtitiæ. Sed quare contra hoc præceptum non peccavit David, qui Ioab principem ſui exercitus,homicidam voluntarium & fraudulentum duorum præſtantium virorum,puni-

E re non auſus, toleravit uſque ad finem regni ſui? An *dicendum* quod ideò contra hoc præceptum non peccavit, quia crimina illa in omni regno toleranda ſunt, quæ corrigi non poſſunt ſine totius regni perturbatione?Sapiens autem loquitur de ſceleribus puniendis in genere;quod Davidem feciſſe teſtatur ſcriptura 2.Reg. 8.& 1.Paralip.18. dicens eum feciſſe judicium, & juſtitiam omni populo. Nec obſtat illud quod hîc addit Sapiens: *Ne forte extimeſcas faciem potentis.* David enim non tam extimuit faciem Ioab, quàm periculum perturbandæ per eum totius reip. ideoque licet ſcelus ejus ad tempus reliquerit impunitum, tamen magno zelo poſtea ejus punitionem commiſit filio ſuo Salomoni.

℣.14.

℣.14. ***Noli velle mentiri omne mendacium. Aſſiduitas enim illius non eſt bona.*** Senſus eſt. Noli velle, id eſt, affectare, ullum mendacium. Non quaſi mendacium non affectatum, propterea licitum ſit, ſed illud peculiariter prohibet, quod præcipuè eſt cavendum; videlicet ſtudioſè, & ex propoſito mentiamur: Unde ſequitur; *Aſſiduitas enim illius non eſt bona.* Vel ut Græca, & Auguſtinus habent, *Non erit ſibi in bonum*, id eſt, erit tibi valdè noxia. Tractat hunc locum Auguſtinus lib. de mendac. cap. 16. & 17. indicans ejus plures ſenſus. Sed omnino verus ſenſus videtur, quem dedimus. Poteſt tamen & ſic intelligi: Uſque adeò ſis alienus ab omni mendacio, ut ne voluntate quidem mentiaris, multò minus facto. Secundum quem intellectum prohibetur hac ſententia ſimpliciter omne mendacium. Sed priori B intellectui magis congruit quod adjungitur; *Aſſiduitas enim illius non eſt bona.*

℣.15. ***Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum, & non iteres verbum in oratione tua.*** Presbyter nihil aliud quàm ſeniorem ſignificat toto hoc libro, imò in toto veteri Teſtamento. Itaque admonet juniores, ne ſint verboſi apud ſeniores; ſed potius taceant, & ſtudeant ex eorum ſermonibus aliquid diſcere. Porrò quod ſequitur: *Et non iteres verbum in oratione tua*, de oratione, quæ fit ad Deum, intelligendum eſt, Græcè προσευχῇ Prohibet autem idem quod Dominus in Evangelio dicens; *Orantes nolite multum loqui, &c.* Videlicet multiloquium, & iterationem illam precum, quæ ex infidelitate procedit, aut irreverentia; quaſi C apud Deum opus ſit multis verbis ad exponendam neceſſitatem noſtram; vel ad perſuadendū ut faciat quod petimus, ſicut fit apud homines; aut quaſi eadem iteranda ſint tanquam prius dicta non ſatis intellexerit. Hæc enim ad infidelitatem gentilium pertinent. Sed iterant Chriſtiani eaſdem preces ad continuandam mentis elevationem in Deum, vel etiam excitandam verbis illis ſæpius repetitis, majorem devotionem.

℣.37. ***Et mortuo non prohibeas gratiam.*** Quamvis hoc intelligi poſſet de moderato luctu, & honorifica ſepultura; tamen probabile eſt Eccleſiaſticum etiam reſpexiſſe ad preces & oblationes pro mortuis; quæ tempore ejus, eo magis cœperunt frequentari apud Iudæos, quia naſcebatur hæreſis Sadducæorum, negantium reſurrectionem. Vixit enim, ut veriſimile eſt, Eccleſia- D ſticus circa tempora Machabeorum. Hinc & illud 2. Machab. 12. de Iuda Machabæo curante pro defunctis ſacrificium offerri: *Et quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam.* Ecce & ibi nomen *gratia*, ut hìc. Vide ibidem annotationem.

℣.40. ***In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua & in æternum non peccabis***, quia actualis cogitatio eorum quæ nobis futura ſunt ut præmia juſtorum, ſupplicia impiorum, mors, judicium Dei, magnam vim habet ad revocandum hominem à peccato. Contingit tamen malitiam hominis vel paſſionem, tantam eſſe, ut præſenti recordatione noviſſimorum non deterrea- E tur à peccato, ſed ſequatur impetum libidinis ſuæ. Sed quid plerumque fiat & fieri natum ſit, hìc dicitur. Græcè eſt, *In omnibus ſermonibus tuis.*

CAPUT VIII.

℣.6. **N**E ***deſpicias hominem avertentem ſe à peccato; neque improperes ei, &c.*** Notatur vitium quorundam, qui aliis peccata ſemel commiſſa ſemper objiciunt, & improperant; etiamſi per pœnitentiam deleta ſint, & manifeſtum ſit hominem ea jam planè & ex animo deſeruiſſe. Et rationem addit; *Memento quoniam omnes in correptione ſumus*, quaſi dicat; omnes ſumus obnoxii correptioni ſeu reprehenſioni, neque quiſquam noſtrum eſt per omnia irreprehenſibilis. A *In multis enim offendimus omnes*, Iacob. 3. Et ſimile eſt quod dicit Dominus Ioan. 8. *Qui ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat.* Itaque magis oportet nos eſſe imitatores Dei, qui peccatum ſemel dimiſſum, numquam in æternum amplius imputat, aut improperat, uſque adeò, ut eorum etiam oblitus eſſe dicatur. De quo in ſacris litteris iſta; *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum.* pſalm. 31. *Et peccatorum ejus non recordabor amplius*, Ezech. 18.

℣.8. ***Noli de mortuo inimico tuo gaudere; ſciens quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire.*** Intelligendum id de hoſte privato, de cujus malis gaudendum non eſt, ne videamur ſtudere privatæ vindictæ. De publico autem hoſte extincto gaudere licet; propter bonum communitatis, reipub. vel Eccleſiæ. Id quod & multis exemplis veteris Teſtamenti facilè probatur; velut de morte Pharaonis, Siſaræ, Goliath, Holofernis, Nicanoris, Antiochi, & ſimilium. Cæterùm quod ſubjungitur. *Et in gaudium nolumus venire*, id eſt, non volumus; rectè reſtitutum eſt in Sixtina bibliis pro affirmante (*volumus*) Sic enim legunt Rabanus, & Gloſſ. ordin. & ſenſus longè commodior eſt; videlicet iſte: Noli gaudere de inimico tuo mortuo, quia & nos omnes mortales ſumus, & nolumus venire per mortem noſtram in gaudium inimicis noſtris. Ac ſi dicat: nolumus alios de morte noſtra, vel aliis malis noſtris, gaudere; ideoque neque nos de inimici morte gaudere debemus, juxta legem naturæ, à Deo quoque confirmatam: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

℣.13. ***Non incendas carbones peccatorum, arguens eos.*** In Græco eſt illud (*arguens eos.*) Additum videtur ad explicandum ſenſum. Et docemur correptionem peccatoris, non ſemper eſſe in præcepto, imò aliquando eſſe noxiam. Et ſenſus eſt, Nè irrites iram peccatorum, ſcilicet, obſtinatorum. Hoc enim ſignificent quæ ſequuntur: *Et ne incendaris flammâ ignis peccatorum illorum. Ne contra faciem ſtes contumelioſi, ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo.* Ecce de contumelioſo & incorrigibili peccatore ſermo eſt.

CAPUT IX.

℣.3. **N**E ***reſpicias mulierem multivolam.*** Græcè eſt, ἑταιριζομένην, id eſt, proſtitutam. Quidam ſuſpicantur interpretem vocaſſe (*multivolam*) à volatu, quaſi inſtabilem. Sed id minus veriſimile eſt, eò quòd vox Græca nullam habeat ad volatum ſignificandum affinitatem. Sanè Catullus quoque ad Mallium dicit: *Multivola eſt mulier.* Fortè, quia ſe proſtituens multos appetat, & à multis appeti velit.

℣.5. ***Virginem ne conſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius.*** Hic ſcandalizari non eſt ex alieno facto anſam capere peccandi, ſed ſimpliciter ſignificat impingere ad peccandum, ſeu quacumque ex cauſa, peccandi occaſionem contrahere.

℣.18. ***Longe abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi.*** Homo poteſtatem habens occidendi eſt princeps populi; maximè ſi abſolutum habeat dominium. Non vetat autem Sapiens, ne quis cum rege aut principe populi converſetur; quippe neceſſe eſt, ut ille ſuos habeat domeſticos, conſiliarios, ſcribas, cæteroſque miniſtros; ſed monet, ne quis ambitione ductus affectet regum aut principum amicitiam aut familiaritatem; eo quod res iſta admodum periculoſa ſit, cum ſi quis offenderit (facilè autem offendunt homines honoribus inhiantes) facile & promptum ſit principi illos punire. Hinc illud: *Dulcis inexpertis cultura potentis amici; Expertus metuit.*

CAPUT X.

℣.9. **A**VARO ***nihil eſt ſceleſtius.*** Et verſu ſequenti; ***Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam.***

enim & animam ſuam venalem habet. Vocat Sapiens avaritiam rem ſceleſtiſſimam, ſcilicet quia eſt cupiditas maximè inordinata; utpote amor rei abiectiſſimæ; videlicet pecuniæ, quæ eſt res prorſus terrena, & in infimo ordine, (ſi natura eius ſpectetur) rerum creatarum; atque adeò hac ratione, minimus vermiculus præſtantior eſt, & nobilior omni auro & argento; ille enim animatus eſt, hoc inanimatum. Hinc Apoſtolus avaritiam vocat idololatriam, ſeu idolorum ſervitutem Epheſios 5. Intellexit & Cicero, quàm vilis & homine indigna ſit cupiditas pecuniæ, dicens Offi. l. 1. *Pecuniæ fugienda eſt cupiditas. Nihil enim eſt tam anguſti animi, tamque parvi, quàm amare divitias; nihil honeſtius magnificentiuſque quàm pecuniam contemnere.* Porrò Sapiens cauſam ſubdit; *Hic enim & animam ſuam venalem habet, quoniam in vita ſua projecit intima ſua.* q.d. proſtituit ſalutem animæ ſuæ mentiendo, peierando, &c. & quicquid habet etiam alioqui cariſſimum, ut ſunt viſcera hominis, poſtponit divitiis. Denique avaritia quoque nihil eſt ſceleſtius; quia ad omnia ſcelera, & flagitia perpetranda inducitur homo ſpe pecuniæ. Et ita coincidet hoc dictum cum illo: *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* 1. Tim. 6. Vide ibidem noſtrum comment.

ỳ. 14. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo.* Et mox additur, *quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia.* *Quæritur* quomodo hoc non pugnet cum illo Apoſtoli ſupra citato ex 1. ad Tim. 6. *Radix omnium malorum cupiditas?* D. Auguſt. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 15. putat ſpeciem pro genere poſitam, quam ſequitur & D. Thom. 1. 2. q. 84. Sciendum eſt vocem Græcam apud Apoſtolum eſſe φιλαργυρίαν, quæ ad verbum ſignificat argenti ſeu pecuniæ amorem. Sententia itaque Apoſtoli videtur hæc eſſe; Avaritiam eſſe omnium malorum radicem, quia omne genus malorum ex avaritia emanat. Nullum enim eſt tam grave ſcelus, aut flagitium, ad quod hominem non aliquando impellat avaritia; quin etiam inducit homines ſimul in graviſſima pericula, quæ ſunt mala pœnæ: Nam de utriſque malis videtur loqui Apoſtolus. Sic enim eo loco præcedit: *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* At verò quod hîc dicitur: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia*, ſic intelligendum eſt, quia ſuperbia fuit primum peccatum ex quo cætera peccata initium ſumpſere.

ỳ. 34. *Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in ſubſtantia? & qui gloriatur in ſubſtantia, paupertatem vereatur.* Græca ſic ſonant: *Qui glorificatur in paupertate, & in divitiis quotupliciter? Et ingloriſ in divitiis, in paupertate quotupliciter?* Et ſenſus videtur eſſe; Qui in paupertate poſitus, ſibi honeſto opere comparat vitæ neceſſaria eoque nomine laude dignus eſt, quantò magis honeſtè ſe geret in divitiis? Qui autem divitias negligenter, & malè diſpenſat per ſocordiam, quantò minus in paupertate honeſtatem ſtatus conſervare poterit? Vel hoc modo: ſi quis honoratur pauper exiſtens, quantò magis honorabitur, ſi opes ei accedant? Et ſi quis dives eſt ſine honore; quantò magis, ſi pauper fuerit? Itaque paupertatem vereatur.

CAPUT XI.

ỳ. 8. **E**T *in medio ſermonum ne adjicias loqui.* Rectè pro (*ſeniorum*) id eſt, hominum ſenum ſubſtituerunt Biblia Sixtina (*ſermonum*) id eſt, verborum. Ita enim non tantum correctiora habent M. SS. ſed & Græca; quæ hoc modo habent: *καὶ ἐν μέσῳ λόγων μὴ παρεμβάλλε*, q. d. Et in medio ſermonum ne immittaris. Hanc quoque lectionem præcedentia poſtulant. Vult enim Sapiens non eſſe ſermonem alterius interpel-

Eſt ij Annotat. in Script.

A landum, ſed plenè prius audiendum, & auſcultandum alterius dictum, ut ſapiens ſit noſtra reſponſio.

ỳ. 14. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt.* Mala intelliguntur ea, à quibus homo miſer dicitur, hoc eſt, mala pœnæ, & non culpæ. De quibus & propheta Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Quod autem ea mala intelligantur, & non mala culpæ, id eſt, peccata, ſequentia membra declarant; *vita & mors, paupertas & honeſtas.* Nam mors, & paupertas, mala ſunt pœnæ, & Deum habent authorem, juxta illud 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivificat.* Et ſimiliter: *Dominus pauperem facit & ditat, &c.* Quid autem per honeſtatem intelligatur, ſatis docetur ex contrario, quod eſt paupertas.
B Unde patet per honeſtatem intelligi divitias. Qua ſignificatione frequenter accipitur iſtud vocabulum hoc libro, & in libro Sapientiæ, ſicut & honeſtare pro divitem facere. Sic infrà eodem cap. *Facile eſt in oculis Domini ſubitò honeſtare pauperem*, id eſt, divitem facere. Et Sapientiæ 10. *Honeſtavit illum in laboribus eius*, id eſt, ditavit. Ratio locutionis eſt, quia divitiæ homines in mundo reddunt honoratos.

Neque repugnant quod dicitur Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non fecit.* Ibi enim ſignificatur mortem hominis non eſſe ex prima Dei inſtitutione, quia immortalis factus eſt, & immortalis fuiſſet, ſi non peccaſſet. Eſt tamen mors à Deo, ſicuti hic Sapiens dicit, quia poſtea juſto Dei judicio homini peccatori fuit inflicta.

ỳ. 16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt.*
C Multa exemplaria tum Latina, tum Græca pridem non habebant iſta verba. Veriſimile eſt à quibuſdam ſciolis fuiſſe ſublata, quod viderentur patrocinari errori Manichæorum. Sed notandum, quod non dicatur errorem & tenebras eſſe à Deo, vel apud Deum; ſicut ſupra dixerat de bonis animi, ſed tantùm eſſe concreata. Poteſt autem id *duobus modis* intelligi. *Uno*, quia eo ipſo, quo quis peccator eſt, in tenebris eſt, in errore aliquo verſatur; & ſibi ipſi cauſa eſt multorum errorum. *Alio modo*, ut de omnibus hominibus intelligatur, utpote quia omnes peccatores naſcuntur. Itaque concreata, id eſt, congenita ſunt eis error, & tenebræ; quia ſicut in peccato, ſic in ignorantia & errore naſcuntur.
D Et tamen ſicut Deus non eſt author illius peccati, in quo naſcuntur, ita nec illius ignorantiæ & erroris. Vide etiam Prov. 16. ad illud: *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.*

ỳ. 28. *Quoniam facile eſt coram Deo in die obitus retribuere unicuique ſecundum vias ſuas.* Id eſt, revera faciet, atque adeo facile hoc ei eſt; quomodo ſi dicas, facile eſt Deo deprimere tyrannos & humiliare omnem ſuperbum. Hinc ergo bene ſtatuitur judicium particulare ſingulorum hominum in morte.

ỳ. 36. *Admitte ad te alienigenam & ſubvertet te in turbine.* Non prohibet hîc Sapiens admittere, vel ut Græcè eſt, in domum recipere alienigenas ſeu peregrinos, ſed vult ut hominibus exteris & ignotis non nimium fidamus, neque eis poteſtatem concedamus in
E familia noſtra.

CAPUT XII.

ỳ. 1. **S**I *benefeceris, ſcito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.* Docet cum delectu beneficentiam & liberalitatem exhibendam. Nam ad hoc ut largitio cenſeatur opus virtutis, requirit debitas circumſtantias, ſicut & alia virtutum opera; ut videlicet largiamur quando, quibus, & quantum oporteat, aut deceat largiri. Unde in ſequentibus ait: *Benefac juſte & invenies retributionem.* Et ſimilia ſunt infrà v. 5. vide ibid.

℣.4. *Impijs & peccatoribus reddet vindictam.* Ita legendum in tertia perſona; *reddet*, ſcilicet altiſſimus, non in ſecunda perſona imperativi, ut quædam exemplaria pridem habebant (*redde.*) Nam ex præcedentibus repetendus eſt nominativus (*altiſſimus*) quod ex Græco manifeſtius eſt; ubi ſic legitur: *Nam & altiſſimus odit peccatores; & impijs reddet vindictam.* Monet nihilominus Sapiens, ne ſuſcipiamus peccatorem, eo modo, quo dicit David pſalmo 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Item 138. *Nonne qui oderunt te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?* malitiam ſcilicet odiendo, ſed vindictam Domino relinquentes.

℣.5. *Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dare, ne in ipſis potentior te ſit.* *Quæritur*; quomodo ergo Dominus in Evangelio Matth.5. moneat tam malis quàm bonis benefacere? & quidem exemplo patris cæleſtis, qui *ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos?* Item ſi cum tanto delectu facienda eſt Eleemoſyna, fient homines tardiores ad Eleëmoſynas largiendas? Ob quam cauſam S. Chryſoſtomus & alij frequenter monent, non eſſe curiosè ſcrutandos pauperes, ne ſcilicet tepeſcat fervor charitatis. *Reſpondeo*, Sapientem hoc loco non agere principaliter de collatione Eleëmoſynarum; quæ dantur tantum intuitu egeſtatis; ſed de beneficentia, quæ ad amicitiam refertur, deque ea largitione, quæ innititur juſtitiæ diſtributivæ, qua beneficia diſtribuuntur pro meritis, & dignitate perſonarum. Itaque contra eos potiſſimum agit Sapiens, qui in homines paraſitos, otioſos, inutiles & improbos bona expendunt, menſæ eos admoveos; aut officia quæſtuoſa, vel beneficia Eccleſiaſtica in eos conferunt. Non autem agit primario de Eleemoſynis; in quibus prima ratio habenda eſt egeſtatis; ſecundariò autem tantum reſpiciendũ eſt ad probitatem, maximè ſi propter juſtitiam expulſi ſint bonis. Item pauperi improbo tantum dandum eſt quantum præſens neceſſitas poſtulat, ne ſi plus dederis, ſtatim malè prodigat. Pauperi verò bono etiam largè tribuere convenit; quia præſumitur quod ſi quid in præſens ſupereſt, tamen bene utetur poſteà. Item boni beneficijs fovendi ſunt, non mali; quamvis & mali beneficiis provocandi ſint, ut fiant boni, juxta illud Prov.25. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, &c. Hoc enim faciens, carbones congeres ſuper caput eius.*

CAPUT XIII.

℣.2. **P***ondus ſuper ſe tollet, qui honeſtiori ſe communicat.* Clarius Græca hoc modo: *Pondus ſuper te ne tollas, & fortiori te, & ditiori ne communices.* Et eumdem ſenſum quoque indicat noſter textus ita ſubjungens: *Et ditiori te ne ſocius fueris.* Significatur autem, ne quis ditiori & potentiori nimium fidenter, & familiariter ſeſe conjungat. Hinc illud imprimis de conjugiis: Si qua voles aptè nubere, nube pari. Et fortè hoc quoque ſignificatum illis verbis legis: *Non arabis in bove ſimul & aſino.* Deut.22. Vide eius loci Annotationem.

℣.10. *Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris.* Græcè ſic: *Ne humilieris in lætitia tua.* Secundum Latinam lectionem ſenſus videtur: Ne nimis vilem habeas ſapientiam tuam, ne contemnas in te donum Dei, ſed ſcias & agnoſcas, quæ à Deo donata ſunt tibi, ijſque utere ad ſalutem proximorum, q.d. Talentum ſuum agnoſce, & expende, nec dicas: Nihil in me eſt, quo poſſim juvare proximum; prodeſſe Eccleſiæ, ſervire reip. ſed quod habes, liberaliter eroga; quia juxta illud Evangelij Matth.13. *Habenti dabitur; ei autem qui non habet*, id eſt, non utitur, *etiam quod habet, auferetur ab eo.* Secundum

A Græcam lectionem iſte eſt ſenſus: Noli in lætitia eſſe nimis profuſus, ne te contemptibilem facias, ſed in ipſo gaudio & riſu ſerva modeſtiam, & gravitatem, quod enim ſequitur: *Ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris*, non eſt in Græco.

℣.12. *Advocatus à potentiori diſcede, ex hoc enim magis te advocabit.* Non docet hypocriſim, ſed monet parcè utendum familiaritate hominis potentis: ita enim fiet ut ſis ei gratior.

CAPUT XIV.

℣.1. **B***Eatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo.* Sic Iacob.3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Vide eius loci commen. *Et non eſt* B *ſtimulatus in triſtitia delicti*, id eſt, quem non pungit conſcientia criminis alicuius, qui non torquetur conſcientia peccati, ſcilicet gravioris, qui non eſt ſibi malè conſcius. *Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam*, ob delictum. Senſus, felix quem non momordit conſcientia gravioris delicti.

℣.12. *Memor eſto, quoniam mors non tardat, & Teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi.* Teſtamentum inferorum vocat diſpoſitionem Dei immutabilem de morte ſemel obeunda ab omnibus, juxta illud Hebr.9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori, &c.* Et mors ſeu ſtatus mortuorum ſæpiſſimè in veteri Teſtamento intelligitur nomine inferni, vel inferorum; ſcilicet quia tunc omnes, quotquot moriebantur, ad in- C feros deſcendebant. Hoc ergo Teſtamentum demonſtratum eſt omnibus & ſingulis; quia omnibus notiſſimum eſt, ipsâ quotidianæ mortalitatis noſtræ experientiâ, ſic conſtitutum eſſe à Deo; ut omnes moriamur. Græca hoc tempore pro (*quia*) legunt (*non*) hoc ſenſu: Teſtamentum inferorum non eſt demonſtratum tibi. q.d. certum ac determinatum tempus mortis non eſt cuiquam declaratum: quia ſicut morte nihil certius, ita hora mortis nihil incertius. Et quod ſequitur: *Teſtamentum huius mundi morte morietur*, non reperitur in Græco, quod quidem Liranus ſic exponit: Hæreditas bonorum huius mundi, quæ filiis à parentibus Teſtamento legatur, morte morietur, id eſt, citò deficiet. Alij legunt, *Morte morieris.* Et hoc ſenſum habet iſtum: Ac ſi dicat, Teſtamentum ſeu diſpoſitio huius D mundi, id eſt, eorum quæ pertinent ad mundum hunc inferiorem, continetur iſta ſententia: *Morte morieris.* In illam ſcilicet ſententiam incidit homo cum tota ſua poſteritate per peccatum.

℣.13. *Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundum vires tuas exporrigens, da pauperi.* Meritò hoc monet Eccleſiaſticus, quia poſt mortem non ſunt noſtra; ac proinde de ijs tunc benefacere non poſſumus. Unde Vulgatum illud & veriſſimum: *Da tua, dum tua ſunt; poſt mortem, tunc tua non ſunt.* Quid ergo dicemus de legationibus teſtamentariis, per quas aliquid dari videtur poſt mortem? Non improbat Sapiens hac ſententia eiuſmodi donationes, ſeu legationes. Tales enim quoque non fiunt poſt mortem, ſed in vita, etiamſi effectum ſuum non ſortiantur niſi morte do- E nantis ſeu legantis. Unde tales legationes hoc loco minimè damnantur, modo fiant legitimè, id eſt, ne fraudentur legitimi hæredes. Veteres ſcriptores, ut Auguſt. Chryſ. & præcipuè Salvianus Epiſcopus, ſæpè, ac multum commendans eas teſtamentarias legationes, in quibus Chriſtus hæres ſcribitur, ſaltem in parte; id eſt, quibus Eccleſiæ Chriſti, & Miniſtris eius aliquid legatur. Atque ita dictum eſt: *Ante mortem benefac amico tuo*, ſicut diceretur: Ante mortem age pœnitentiam, quomodo & paulò poſt dicitur: *Ante obitum tuum operare juſtitiam.* Mortui enim huiuſmodi opera exercere non poſſunt, ſed ſunt in ſtatu retributionis; non in ſtatu merendi.

℣.16. Da

℣.16. *Da & accipe, & juſtifica animam tuam.* Græca habent: *ſanctifica animam tuam.* Senſus eſt: De opibus tuis da aliis, & accipe tibi, id eſt, utere iis in tuis & aliorum neceſſitatibus, & ſanctifica animam tuam, id eſt, genium tuum ne defraudes, ſed tibi honorem impende ex bonis quæſitis, & ſuſtenta te convenienter, quia non erit tibi opum tuarum uſus apud inferos, id eſt, poſt mortem, ut perſuadeat tibi te illic inventurum cibos, & alia, quæ hic tibi ſubtraxeris. Pro eo quod habemus: *quia non eſt apud inferos invenire cibum.* Græcè eſt τρυφὴν quod delicias ſignificat. Pro quo interpres noſter legit, τροφὴν, id eſt, nutrimentum.

CAPUT XV.

℣.1. **Q**Vi timet Deum faciet bona. Græcè eſt, *(faciet* B *illa.)* Latina M.SS. habent *(illud.)* Quod mutatum videtur in *(bona)* ex lectione Eccleſiaſtici officij in quo pro *(illud)* poſitum eſt *(bona)* ut ſenſus eſſet perfectior. Nam alioqui vox *(illud)* non habebat quo referri poterat, cum ſententia hæc ſit Eccleſiaſticæ lectionis initium. Sed in contextu biblico in Græco, & in M.SS. Latinis, refertur ad illa quæ ſunt præcedenti capite, ſicut & quod ſequitur: *Et qui continens eſt juſtitia apprehendent illam,* nempè *ſapientiam;* de quâ in fine capitis ſuperioris. Et ſenſus eſt: Et qui compos juſtitiæ factus fuerit, exercens opera juſtitiæ, apprehendet, & aſſequetur ſapientiam. *Et obviabit illi quaſi mater honorificata.* Non homo ſapientiæ, ſed ſapientia homini colenti juſtitiam, ſcilicet obviabit, & amplectendam C & poſſidendam ſe præbebit tamquam mater filio.

℣.14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* Scripturam hanc non ſolum ad hominem integrum, ut cavillantur hæretici oſores libertatis arbitrij, ſed ad hominem etiam peccato vitiatum pertinere; partim ex loci ipſius contextu patet; partim ex loco Deut. 30. ad quem manifeſtum eſt hic loco Eccleſiaſticum reſpexiſſe; ubi ſic legitur v. 15. & 19. *Propoſui in conſpectu tuo vitam & bonum, & è contrario mortem & malum.* Et infrà v. 15. *Elige ergo vitam &c.* Et ſimilis locus eſt Iſaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me; bona terræ comedetis: Quod ſi nolueritis, &c.* Tale eſt & illud Zachariæ 11. *Si bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam, & ſi non, quieſcite.* Et Matth. D 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: Aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.* Legimus quoque Davidi datam optionem, ut ex tribus plagis, quam vellet, eligeret. 2. Reg. ult. & 1. Paralip. 21. Sed & Suſannæ in anguſtiis conſtitutæ deliberatio, atque electio (quę deſcribitur Danielis 13.) palam arguit hanc arbitrij libertatem. Pertinet etiam huc illud 1. Cor. 7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* His enim verbis non tantum excludi neceſſitatem coactivam, ut illi interpretantur, ſed & naturalem, patet ex eo quod præcedit: *Quod vult faciat.* q. d. utrumlibet liberè eligat.

℣.18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Communis ſententia E Doctorum eſt eademque veriſſima, voluntatem ac liberum arbitrium non appetere niſi bonum; verum, vel ſaltem apparens. Nam malum, ut malum ſub objecto voluntatis non continetur, niſi per oppoſitionem ad proprium actum voluntatis. Sicut enim per ſe volumus bonum, ita per ſe nolumus ac refugimus malum, illi bono contrarium. Neque tamen dictæ ſententiæ Doctorum contrariantur hæc verba Eccleſiaſtici. Nam vult Sapiens, bonum & malum; id eſt, quæ ſecundum rem talia ſunt; ſub objecto voluntatis contineri materialiter; ſed quatenus ſub ratione boni apprehenduntur. Quod niſi eſſet, non poſſent homines peccare, quia non poſſent malum eligere. Unde & additur: *Quod placuerit ei.* q. d. quod bonum ei viſum fuerit,

A Quamvis ſententia Eccleſiaſtici, non de bono & malo morali proprię accipienda eſt, ſed de præmiis & ſuppliciis homini benè vel malè agenti propoſitis. Hoc enim ſatis ſignificatur per ea quæ immediatè præcedunt: *Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Itaque per aquam & ignem, vitam, & mortem, non tam bona & mala moralia intelliguntur, quàm præmia & ſupplicia homini benè vel malè agenti præparata. Et ſicut illis verbis; *(quod placuerit ei)* ſignificatur hominem præmia illa, vel ſupplicia liberi ſui arbitrij electione mereri; ita quod adjungitur *(dabitur illi)* indicat Eccleſiaſticum proprię tantum loqui de ipſis præmiis & ſuppliciis: & non de bono vel malo morali. Nam de malo culpæ, falſum eſt quòd detur à Deo; ſicut teſtatur Eccleſiaſticus hoc B eodem cap. 12. dicens: Non dicas, *Ille me implanavit,* (id eſt, decepit) *non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus, &c.*

CAPUT XVI.

℣.5. **A**B uno ſenſato inhabitabitur patria, tribus impiorum deſeretur. Pridem legebatur *(& a tribus impijs deſeretur.)* Sed rectè Biblia Sixtina veram lectionem reſtituerunt. Nam Græca clarè ſic habent *(tribus impiorũ deſeretur)* & in quodam M SS. Latino etiam ſic legitur: Senſus eſt. Per unum hominem prudentem civitas, patria, ſeu quæcumque familia replebitur habitatoribus, & frequentes habebit cives vel domeſticos, propter felicem ejus adminiſtrationem; ubi C è contra, tribus, ſeu familia impiorum, quamtumcumque ampla, deſeretur; id eſt, paulatim deſerta reddetur; propter improbitatem & impietatem adminiſtrantis.

℣.18. *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti, & non pepercit peregrinationi Loth, & execratus eſt eos, &c.* In priori ſententię parte de illis loquitur qui generali diluvio deleti ſunt, inter quos fuere gigantes ſuperbiſſimi, ac Dei contemptores, de quibus Gen. 6. In poſteriori parte olim ſic legebatur; *(& non pepercit peregrinationi illorum.)* Sed rectè Sixtina cum Græcis legunt, *(& non pepercit peregrinationi Loth.)* Præter enim Græcæ lectionis authoritatem, conſtat Scripturam Sacram non facilè malis hominibus tribuere peregrinationem ſuper terram, ſed bonis; de quibus Apoſt. Hebr. 11. quia pere- D grini & hoſpites ſunt ſuper terram; Malis autem tribui ſolet habitatio ſuper terram. Senſus autem hujus veræ lectionis eſt, ut Eccleſiaſticus alludat ad orationem Abrahæ pro Sodomitis & Gomorrhæis hominibus potentibus in impietate, in qua oratione à quinquaginta juſtis deſcendit ad quinque; ulterius autem deſcendere non eſt auſus, quamvis ſciret unum ibi eſſe juſtum, videlicet Loth; maximè quod Loth magis eſſet advena, quàm domeſticus in Sodoma. Senſus ergo eſt, Perdidit Deus homines impios, & ne quidem pepercit illi loco, in quo Loth vir juſtus peregrinabatur, & incola erat.

CAPUT XVII.

E ℣.1. **D**Eus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipſam. Scilicet hominem ſecundum corpus convertit iterum in terram, juxta ſententiam Dei ſuper hominem poſt peccatum latam, Geneſ. 3. *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Porrò in verbis quę ſubdit Sapiens, *Et ſecundum ſe veſtivit illum virtute:* per virtutem, fortitudo ſignificatur. Et illud *(ſecundum ſe)* referri poteſt vel ad Deum, vel ad ipſum hominem. Si ad Deum, ſenſus eſt: Deus ad ſui ſimilitudinem veſtivit, ſeu ornavit hominem fortitudine; videlicet, quia donavit eum acumine intellectus, quo multa & mira excogitare poteſt. Si ad hominem, ſenſus eſt: Ornavit hominem variis ingenij dotibus

ſecundum ſe; id eſt, prout naturæ eius conveniebat; quippe qui eſſet creatura rationalis. Sunt qui hæc verba putant ad ſolum primum hominem pertinere, in quo magna fuit intelligentiæ vivacitas & præſtantia? Poteſt nihilominus referri ad totum genus humanum, de quo generatim Eccleſiaſticus in ſequentibus.

℣.12. *Et mandavit illis, unicuique de proximo ſuo.* Quid mandavit? opera dilectionis, & beneficentiæ, juxta illud; *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum*; idque plus vel minus, pro ratione circumſtantiarum temporis, loci, & qualitatis perſonarum. Nec modo corporalis dilectio; verùm etiam, & maximè, ſpiritualis beneficentiæ opera mandata ſunt; inter quæ eſt fraterna quoque correptio, de qua Chriſtus Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum, &c.*

℣.26. *A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio.* Græcè eſt ὡς μηδὲ ὄντος; hoc eſt à mortuo quaſi ab eo qui non ſit. Intelligitur autem confeſſio laudis. Eſtque ſententia ſimilis cum illa pſalm. 113. *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum.* Sicut & illud quod ſequitur, *Vivus & ſanus laudabis Dominum*, ſimile eſt illi quod in eodem pſalmo ſubditur; *Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino.* Vide annot. eius loci. Quod autem hic author non ſentiat homines omnino perire per mortem, ut nec animo ſuperſint, Deumque laudent, ſi ſtatum huiuſmodi hîc vivendo meruerunt, patet, quia in ſuperioribus dixit, quod Deus unicuique in die obitus ſui reddet ſecundum opera; quod falſum eſſet, ſi homines tunc omnino eſſe deſinerent, & bonorum animæ non eſſent in eo ſtatu felicitatis, quo Deum laudarent. Sed mortui dicuntur non laudare Dominum, quia mors eſt viventis correptio, & ſic homines per mortem quodammodo deſinunt eſſe. Superſunt quidem animæ, ſed propriè ipſi homines non ſuperſunt, qui mortui ſunt, donec poſteà reſurgant.

CAPUT XVIII.

℣.1. QVi vivit in æternum creavit omnia ſimul. Et hoc loco & alijs rationibus exiſtimabat Auguſtinus lib. 4. de Gen. ad litt. c. 33. omnia à Deo ſimul tempore creata eſſe; & diſtinctionem dierum Gen. 1. commemoratam non ſignificare niſi diſtinctas cognitiones, quibus Angelis res creatæ innotuerint. Sic idem l. 11. de civit. c. 7. Sed alij patres Baſil. Ambr. Chryſoſt. & Gregorius verè ſpatia dierum diſtincta intelligunt. Et hanc ſententiam, eò quòd Moyſes rudibus Iudæis, & non Angelis, Geneſ. ſcripſerit, paſſim Doctores comprobant, reſpondentes hoc loco illud (*ſimul*) non referri ad (*creavit*) ſed ad (*omnia*) quod & Græca manifeſtè docent, quæ legunt (*creavit omnia pariter*) quod univerſitatem rerum creatarum ſignificat, non autem tempus. Senſus itaque eſt, omnia in univerſum ſine exceptione à Deo creata ſunt, nihil eſt in rerum natura quod non ſit eius opus & factura. Itaque non aliud hîc dicitur quàm quod Ioannes ſub initium Evangelij ſui dicit de verbo Dei: *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Deus ſolus juſtificabitur, & manet invictus rex in æternum. Quæritur quomodo hoc conſiſtat cum eo quod ſubditur v. 22. de ipſo homine: *Non impediaris orare ſemper, & ne verearis uſque ad mortem juſtificari?* *Reſp.* Aliter Deus juſtificatur, aliter homo. Deus juſtificatur, & ſolus juſtificatur, quia ſolus ſine ullo defectu perfectus invenitur, in quo nihil injuſtitiæ, nihil imperfectionis eſt; cum ſit ipſa juſtitia & ſumma perfectio. Homo verò juſtificatur, & uſque ad mortem juſtificatur, quia etſi juſtitiæ opera facit, & in eis proficit; numquam tamen in ea ita perfectus eſt, quin ei neceſſe ſit in juſtitia ſemel accepta, uſque ad mortem proficere.

℣.8. *Numerus dierum hominis ut multum centum*

A *anni.* Quæſtio naſcitur; Quomodo ergo David, qui præceſſit hunc ſcriptorem octingentis circiter annis, dicat pſal. 89. *Si in potentatibus, octoginta anni, &c.* An David ponit quod in pluribus accidit; hic autem Author quod in pauciſſimis? Saltem hinc apparet poſt tempora Davidis uſque ad huius ſcriptoris ævum, ætatem hominum fuiſſe imminutam; fortè nec uſque hodie.

℣.12. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.* Id eſt, ſuper omnem hominem, non quaſi non omnis homo ſit proximus, ſed quia non poteſt unius hominis beneficentia extendi ad omnes homines; ſed tantùm ad eos qui obvij ſunt, & quibus ſe proximum declarare poteſt, ſicut Samaritanus opere ipſo monſtrabat ſe proximum eſſe illi vulnerato à latronibus. Luc. 10. At beneficen-
B tia Dei (id enim ſignificat hoc loco miſericordia Dei) diffuſa eſt in omnem carnem. Neque enim fieri poteſt ut quiſquam miſericordiæ Dei ſit expers, cum ſaltem naturam & ipſum eſſe acceperit beneficio Dei. Simile illud: *Pater cæleſtis ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Fortè etiam caro generaliter ſumitur pro omni animali, ſicut capite ſuperiori: *Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem.*

℣.23. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Secundum Catechiſmum ad Parochos, cap. de præparatione ante orationem adhibenda: Tentat Deum, is, qui cum benè orat, malè agit; & cum loquatur cum Deo, à precibus animus eius aberrat. An fortè is quoque intelligi po-
C teſt in oratione tentare Deum, qui hæſitat de potentia, bonitate, vel certitudine promiſſionis divinę? prout à Iacobo dicitur cap. 1. *Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans.* Vide ibidem noſtrum comment.

CAPUT XIX.

℣.1. QVi ſpernit modica, paulatim decidet. Quidam hinc colligunt per venialia minui charitatem. Sed fortè non eſt hic ſenſus litteralis. Loquitur enim Sapiens, ut apparet, de imminutione bonorum temporalium. Immediatè enim præcedit: *Operarius ebrioſus non locupletabitur.*

℣.4. *Qui credit cito, levis corde eſt, & minorabitur*; Magna vituperatio eius, qui cito & facile credit.
D *Quomodo* ergo charitati tribuit Apoſtolus hinc proprietatem, quod omnia credat? 1. Corint. 13. Et fides Chriſtiana tantò commendabilior eſt, quantò promptior. Unde Dominus ad Thomam, Ioan. 21. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti; Beati qui non viderunt & crediderunt.* Et ſicut reprehenduntur illi, quibus dicitur: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*; ita communiter illi commendantur, qui mox ad prædicationem Apoſtolorum crediderunt, nullis conſpectis ſignis. *Reſpondeo*, præceptum Eccleſiaſtici eſſe præceptum prudentiæ; quo admonetur homo quomodo erga hominem ſe habere debeat; quia ſcriptum eſt, *Omnis homo mendax.* Et ſenſus eſt: Qui citò & facile credit homini, aliquid de proximo ſuo narranti, & maximè eidem detrahenti, is levis eſt corde, & *mino-*
E *rabitur*, id eſt, patietur detrimentum famæ, & exiſtimationis ſuæ. Quod autem Apoſtolus dicit: *Charitas omnia credit, omnia ſperat*, intelligendum eſt, ſicut omnia ſperat à Deo promiſſa, id eſt, bona æterna, non temporalia, quia ſcit Deum fallere non poſſe; ſic etiam omnia credit Deo, id eſt, quæcumque Deus revelavit, vel per ſe, vel per Eccleſiam ſuam, ea omnia ſtatim indubitanter ſuſcipit, & credit. Unde qui miracula expectabant, D. Thomas & alij, tardiores fuerunt in credendo Deo; & propterea meritò à Chriſto reprehenſi ſunt; quia Deo tamquam primæ veritati ſtatim credendum eſt; & non poteſt ei nimis citò & facilè credi.

℣.8. *Amico*

℣.8. *Amico & inimico noli narrare ſenſum tuum. Et ſi eſt tibi delictum, noli denudare.* Prohibet Sapiens, ne paſſim cuilibet, homo aperiat ſecreta cordis ſui, & maximè ea quæ pertinent ad ſuam ipſius infamiam, id eſt, peccata ſeu delicta ſua. Si enim propria vitia tegere non poteſt, quomodo tacebit aliena? Non prohibetur autem confeſſio peccati, quæ fit Deo, coram Sacerdote. Etenim ſi prudentia humana non vetat, conſilij cauſa, aperire peccatum noſtrum amico fideli & prudenti, ut curetur; multò minus prohibet detegere Sacerdoti ad conſequendam à Deo remiſſionem. Græca longè alium habent ſenſum, videlicet; *Neque amico neque inimico narres vitas alienas*, id eſt, mores alienos, *Et ſi potes abſque peccato, ne detegas*, ſcilicet vitia aliena. Ubi illud (*ſi potes*) adjectum eſt; quia certis caſibus tenetur homo peccata aliena prodere; nempe ſi vergant in notabile periculum totius alicuius communitatis. Ita quidem Græca Complutenſia.

CAPUT XX.

℣.2. C*Oncupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam, ſic qui facit per vim judiciū iniquum.* Vide Theodor. lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. c. 24. de Epiſcopo, qui cum ſe caſtraſſet, non tamen ſuſpicionem in quam venerat, à ſe amovere potuit. Ianſen. hunc locum optimè exponit. Vatabli verſio ſic habet, & benè: *Qualis eſt ſpadonis puellam vitiandi libido, talis eſt, qui per vim exercet judicia.* Vide etiam Baſilium latè hâc de re diſſerentem l. de verâ virginit. Item Aug. l. 6. cont. Iul. c. 14. de Calligono Valentiniani junioris eunucho.

℣.32. *Sapientia abſconſa, & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?* Igitur ſapientiæ ſeu doctrinæ talentum juxta Evangelicum quoque præceptum in aliorum utilitatem expendendum eſt, ne nobis dicatur illud Matth. 25 *Serve male, & piger, ſciebas, quia meto ubi non ſemino. &c. oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, &c.* Non tamen abſcondit ſapientiam qui propterea non profert in publicum, quia ad miniſterium prædicationis, vel publicæ functionis non vocatur; ſufficit enim quod paratus ſit proferre, ſi vocaretur.

CAPUT XXI.

℣.1. F*Ili peccaſti, ne adjicias iterum; ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur.* Oſtendit duo eſſe neceſſaria ad veram pœnitentiam de peccatis anteà commiſſis. Quorum alterum eſt, non adjicere iterum, id eſt, peccata non iterare. Alterum deprecari pro peccatis commiſſis, ut dimittantur. In priori intelligitur nova vita, hoc eſt, commutatio vitæ veteris in novam, & abjicere veterem hominem cum actibus ſuis. In poſteriori intelligitur ſatisfactio, id eſt, ſtudium reconciliationis per opera ad hoc deſtinata: Cuiuſmodi ſunt, orationes, jejunia, eleëmoſynæ. Unde patet falſum eſſe illud apud hæreticos hodiernos pervulgatum & decantatum: Optima pœnitentia nova vita. Quod ſi verum eſſet, jam ſufficeret vitam in melius commutare, neque oporteret ſollicitum eſſe deprecari de priſtinis, ut dimitterentur. Hinc Auguſtin. libr. 1. de nupt. c. 26. Si à peccando deſiſtere, hoc eſſet peccatum non habere, ſufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura, *Fili peccaſti, non adjicias iterum.* Non autem ſufficit; ſed addidit: *Et de priſtinis deprecare; ut tibi remittantur.* Manent ergo niſi remittantur. Sed quomodo manent ſi præterita ſunt, niſi quia præteriērūt actu, manent reatu?

℣.4. *Quaſi romphæa bis acuta omnis iniquitas; plagæ illius non eſt ſanitas.* Bis acuta, id eſt anceps, & hinc inde ſcindens. Græcè eſt δίστομος, & pro eo quod habemus (*ſanitas*) ἴασις, id eſt curatio. Nec tamen hac ſententia ſignificat Sapiens iniquitatem curari non poſſe per pœnitentiam, & veniam ſubſequentem; quaſi ſit aliquod peccatum, cuius non poſſit impetrari remiſſio. Nam hoc eodem capite dixit; *De priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur:* Sed plaga eius intelligitur mors æterna; quæ ubi propter iniquitatem ſemel inflicta fuerit, jam plaga illa curari non poteſt. Interim, quamdiu homo vivit, per pœnitentiam agi poteſt, ut iniquitas plagam illam non inferat. Alij intelligunt de curatione peccati, quantum eſt ex parte ipſius hominis; utpotè quod is ſibi relictus morbos quidem corporis curare poteſt, morbos autem animi, id eſt, plagam peccati, ſine gratia Dei ſanare non poteſt. Poteſt etiam hyperbolicè ſignificari difficillimam eſſe curationem graviorum iniquitatum.

Cap. XXII. Nullam habebat annotationem.

CAPUT XXIII.

℣.6. E*T anima irreverenti & infrunitæ ne tradas me.* Infrunitum apud Latinos priſcum & obſoletum vocabulum eſt, ſignificans inſipientem, ſtolidum; nimirum idem quod Græcis ἄφρων, ſicut è contra frunitus idem eſt, quod Græcis φρόνιμος. Hoc loco Græcè tantum eſt: *Anima inverecunda ne tradas me.* Et eſt idem vocabulum cap. 31. *Tortura viro infrunito*, ubi Græcè eſt ἀπλήστου, id eſt, inſatiabili. Vide Beroaldum in lib. 4. Aſini aurei, ubi vocabulum hoc exponit, & antiquos eo uſos eſſe docet.

℣.9. *Iurationi non aſſueſcat os tuum, Multi enim caſus in illa.* Prohibet hic Sapiens conſuetudinem jurandi; ſimpliciter autem jurare non prohibet. Quid verò Chriſtus ſibi velit Matth. 5. dicens: *Ego autem dico vobis non jurare omnino.* Et Jacob. c. 5. *Nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum.* Vide noſtrum comment. dicto Iacobi loco.

℣.10. *Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis.* Prohibet frequentem divini nominis expreſſionem in ſermone, ſive in juramento, ſive extra. Nam ne quidem extra juramentum nomen Dei aſſumere licet in vanum. Id enim generaliter prohibetur ſecundo præcepto Decalogi: *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Intellige quocumque modo; ſive jurando, ſive ſimpliciter loquendo. Porrò quod nos habemus; *Et nominibus Sanctorum non admiſcearis*, Græcè eſt: *Et nominationi Sancti non aſſueſcas.* Sancti autem, ſive Sanctorum, vel ad perſonam, vel ad rem ſanctam referri poteſt. Si ad perſonam referatur, ſenſus eſt: Non aſſueſcas facilè, ac leniter nominare Deum, qui eſt Sanctus Sanctorum; aut etiam ſanctos homines jam vitâ functos, & ſanctitatis opinione celebres. Si ad rem ſanctam, ſenſus erit. Ne facilè nomines ipſum Sanctum Sanctorum, quia eſt ſacratior pars templi, neque alias res ſacras; ut templum, altare, arcam, tabernaculum. Notatur autem prava Iudæorum conſuetudo; qui facilè res iſtas ſacras nominabant, aut etiam per eas jurabant, ut patet Matth. 5.

CAPUT XXIV.

℣.14. A*B initio & ante ſæcula creata ſum: &c.* Abutebantur hoc loco Ariani, quaſi Filius Dei, qui eſt Sapientia Patris, fuiſſet creatus & factus. Sed *creare* in Scriptura ſacra nonnumquam etiam pro (*gignere*) ponitur, ut ibi pſalm. 101. *Populus, qui creabitur laudabit Dominum*; ſine dubio populus, qui gignetur, & naſcetur ex parentibus ſuis ordinaria via. Igitur Sapientia Patris ante ſæcula genita eſt, imò, ut præcedit v. 5. *Ex ore altiſſimi prodivi.* Nempe, ut ex ore corporis procedit verbum ſenſibile, ita & ex Subſtantiâ Patris, velut ex ore, ab æterno procedit Verbum increatum, & inſenſibile; qui eſt Filius Dei.

Alibi dicitur & ex utero procedere, ut pſalm. 109. *Ex utero ante luciferum genui te.* Aliàs quoque ex corde patris, ut in hymno illo: *Corde natus ex parentis, &c.* Sed diverſis Metaphoris res eadem ſignificatur; videlicet generatio Filij ex ſubſtantiâ Patris. Et quidem quæ hîc dicuntur de Sapientia æterna, uſu Eccleſiaſtico decantantur in laudibus B. Virginis Deiparæ; non quod propriè in eam competant hæc verba, ſed quia ad eam ſenſu non inepto accommodari poſſunt; videlicet ut ipſa intelligatur ſingulari quodam, & præ aliis hominibus excellentiori modo, ab æterno fuiſſe ordinata, id eſt, prædeſtinata ad ſublimiorem ſanctitatis honorem; & eum gradum, ut mater præordinaretur æterni illius Patris Filij. Cæterùm quòd æterna Dei Sapientia ſubjungit: *Et in habitatione ſancta coram ipſa miniſtravi*; ſignificat Eccleſiaſticus; quod Sacerdotes in tabernaculo Deo deſervierint per Sapientiam Dei, eodem modo quo ad Rom. 8. *Spiritus Sanctus dicitur poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Vide ibi noſt. com.

℣.29. *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient.* Si de præſenti ſæculo intelligatur; ſenſus erit. Quicumque mei compotes fiunt, majori adhuc deſiderio accendentur, ut magis mei fiant participes. Nam ſapientia ex parte acquiſita majorem ſui excitat cupiditatem. Si de futuro, ſenſus erit: Qui mei compotes facti fuerint nullum mei faſtidium patientur, ſed ſemper adhuc eſurient & ſitient, id eſt, ſemper in eis manebit appetitus ac deſiderium meæ præſentiæ; qui tamen appetitus in illa beata vita à te deſiderata numquam ſeparabitur. Prior tamen ſenſus magis congruit contextui; ſicut & verborum illorum, quæ præcedunt verſ. 11. *In omnibus requiem quæſivi*, hic ſenſus eſt; In omni creatura quæſivi locum habitationis. Unde & ſequitur: *In Iacob inhabita, &c.* videlicet, quia in populo Iſraëlitico Sapientia Dei ſpecialiter ſibi ſedem fixit.

℣.45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* Hæc loquitur Sapientia Patris Chriſtus Dominus, deſcenſum ſuum ad inferos ſignificans, quo illuminavit & recreavit patres dudum illum expectantes. Vide elegan-ter Irenæum lib. 4. cont. hæreſ. c. 39.

CAPUT XXV.

℣.13. Q*Vàm magnus qui invenit ſapientiam & ſcientiam, ſed non eſt ſuper timentem Dominum.* Hæc ſunt ex poſtremis inſuſpicabilibus, quæ hîc decem enumerantur. Pro (*inſuſpicabilibus*) alij vertunt (*conjecturas.*) Significat ergo decem eſſe genera hominum, quos ſecundum morem huius vitæ beatos dicere, ſeu ſuſpicari poſſumus. Ubi octavo loco ponit eum, qui invenit ſapientiam. Et quidem nonnulli intelligunt nonnulli eum qui invenit ſcientiam; & decimũ timentem Deum, & ita diſtinguunt inter ſapientiam & ſcientiam; quod illa ſit rerum divinarum, hæc humanarum. Sed ſciendum eſt ſcientiam in Græco non haberi. Et proinde qui habet ſapientiam ponitur octavo loco; qui autem timet Dominum, nono loco, ut ſenſus ſit: Magnus quidem eſt qui ſapientiam acquiſivit, ſed eo adhuc major eſt, qui timet Dominum. Intelligit autem ſapientiam non ſecundum plenam ſui rationem, quâ dicitur Iob 28. *Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia*, ſed tantum qua parte per eam res divinæ cognoſcuntur. Sed *quæſtio* hinc naſcitur. Quod ergo ſit decimum inſuſpicabile? *Reſpondeo.* Ubi habemus: *Timor Domini ſuper omnia ſe ſuperpoſuit*, Græca quædam non timorem habent, ſed dilectionem. Ut hîc illud ſignificetur, quod Apoſtolus ait 1. Corinth. 13 *Major autem horum eſt charitas.* Nam etiamſi in præcedenti ſententia intelligatur quoque timor, ſeu reverentia filialis; tamen in filiis præſtantioris virtutis actus eſt, cum affectio divinior, ipſa dilectio, quàm timor aut reverentia.

℣.17. *Omnis plaga triſtitia cordis eſt, & omnis malitia, nequitia mulieris.* Significatur præcipuam plagam eſſe triſtitiam cordis, & præcipuam malitiam, malitiam mulieris. Id enim indicant ſubjecta verba quibus dicit: *Omnem plagam, & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris.* q. d. omnem quidem plagam ſuſtinere poteſt homo, ſed non plagam & triſtitiam cordis; & ſimiliter omnem nequitiam, excepta nequitia mulieris; item omnem obductum, id eſt, impetum, excepto impetu odio flagrantium; & quamvis vindictam, excepta ea, quæ ab inimico & hoſtili animo proficiſcitur. Et eſt phraſis Hebræa; *Omnem plagam, & non plagam videbit cordis*, pro omnem plagam, ſed non plagam cordis, vel, excepta plaga cordis; eo modo quo in Evangelio dicitur Matth. 12. *Omne peccatum dimittetur homini, ſpiritus autem blaſphemia non dimittetur*, pro eo quod diceret; excepta blaſphemia ſpiritus. In Græco quidem non eſt verbum illud (*videbit*) ſed ſupplendum eſt, vel illud, vel aliud ſimile.

CAPUT XXVI.

℣.20. O*Mnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ.* Græcè eſt, libra, ſtatera, pondus. Et ſenſus: Nullum auri vel argenti pondus comparandum eſt cum anima continente, id eſt, cum muliere caſta. In Græco additur (*eius*) ſcilicet mulieris, ut hic genitivus regatur à præcedenti genitivo (*animæ.*) Nec propterea ſenſus mutatur. Poteſt autem & hoc modo ſententia intelligi: Nihil comparari poteſt cum eo, qui continens, id eſt, compos factus fuerit animæ illius, ſcilicet caſtæ mulieris. Nam continens pro compos ſæpiuſculè in his libris legitur.

℣.28. *Difficile exuitur negocians à negligentiâ, & non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum.* Priori loco Græcè eſt, ἔμπορος ἀπὸ πλημμελείας, id eſt, mercator à delicto. In poſteriori autem non additur illud (*Labiorum.*) Sed parum refert. Interpres noſter ſignificat mercatorem imprimis delinquere, multarum rerum, quas facere deberet, neglectu, & omiſſione. Alioqui in iis quæ ad mercaturam pertinent, conſtat diligentem, & ſollicitum eſſe mercatorem; ſed earum rerum quæ ad pietatem pertinent, negligentem. Secundum Græcam lectionem, ſignificatur, mercatores ſæpè in multis peccare; ut laudando merces pluſquam oportet, & in ſimilibus; quæ tamen conſiſtere poſſunt cum intentione quærendi tantum juſtum lucrum, & commodum honeſtum, tam privatum, quàm publicum. Unde nec hinc concludi poteſt, negotiationem Chriſtianis eſſe prohibitam, ſicut nec cauponariam, aut officium publicanorum, id eſt, eorum qui redimunt publica vectigalia, ſed tantùm, in omnibus his multa eſſe pericula.

CAPUT XXVII.

℣.1. P*Ropter inopiam multi deliquerunt.* Græcè χάριν ἀδιαφόρου, id eſt, propter rem indifferentem. Quâ Græcâ voce ſignificantur divitiæ; quas & Stoici dicebant non in bonis collocandas, ſed indifferentes eſſe. Senſus autem eodem recidit, ſicut & immediatè ſubjungitur: *Et qui quærit locupletari, avertit oculum ſuum.* Videlicet propter opes acquirendas, & inopiam vitandam, multi deliquerunt; nonnulli quoque malè perierunt, dum malis artibus inopiam avertere; & opes acquirere ſtudebant. Neque tamen propterea paupertatis profeſſio apud Chriſtianos damnatur; de quo vide Proverb. 30. ad illa verba; *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi.*

12. *Homo ſanctus in ſapientiâ manet, ſicut ſol. Nam ſtultus ſicut luna mutatur.* Non ſignificatur hominem

ſanctum

ſanctum perpetuo ſanctum eſſe, & à ſanctitate vel ſapientia non poſſe excidere. Id enim eſt contra dictum Apoſt. 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*; & Chriſti Matth. 26. *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem*, item contra illud Apoc. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: Imò contra doctrinam ipſius Eccleſiaſtici capite præcedenti. v. 27. Ubi inter alia, ob quæ ſe dicit vehementer contriſtari, imò graviter iraſci, ponit hominem, qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum: Sed ſenſus eſt, Homo ſanctus, ſeu ſapiens ſervat continuò in ſermone ſuo eundem ſapientiæ tenorem; totus eius ſermo ſapientiæ eius teſtis eſt, ſicut ſol perſiſtit ſemper in pleno lumine. At verò ſtultus in uno eodemque ſermonis contextu ſæpè varius eſt; nunc ſana loquitur, nunc ſtultitiam ſuam prodit per ſermonis inopiam. Itaque mutatur ut luna, quæ quaſi continuò variat. Hunc ſenſum confirmat, quod Græcè eſt: *Narratio pii perpetua ſapientia eſt.*

D. Auguſt. ep. 119. ad Ianuarium ſublimiorem ſenſum in his verbis conſideravit, legens hoc modo: *Sapiens ſicut ſol permanet; ſtultus, ſicut luna mutatur.* Quis eſt, inquit, Sapiens, qui permanet, niſi ſol ille juſtitiæ, de quo dicitur, *Ortus eſt ſol juſtitiæ*, id eſt, Chriſtus? Quis eſt ille ſtultus, qui tamquam luna mutatur, niſi Adam, in quo omnes peccaverunt? In Adam intelligens omnes homines qui variè mutantur, nunc è bono in malum; ſæpè etiam è malo in peius; ſubinde tamen etiam è malo in bonum, more creſcentis lunæ, & decreſcentis.

ỷ. 33. *Ira & furor utraque execrabilia; & vir peccator continens erit illorum.* Execrabilia; nempe quia hominem, qui eſt naturæ manſuetum animal, admodum illa dedecent. Unde illud Poëtæ: *Candida pax, homines; trux decet ira feras. Et vir peccator continens erit illorum*: Græcè eadem vox eſt quæ legitur Sap. 8. *Vt ſcivi quia aliter non poſſem eſſe continens, &c.* Itaque non ſignificatur quòd vir peccator continebit ſe, hoc eſt, abſtinebit ab ira & furore; ſed contrarium potius, quod continebit illa intra ſe, & quòd illorum compos erit, id eſt, vitiis illis obnoxius.

CAPUT XXVIII.

ỷ. 1. QVi vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. Græca ſonant hoc modo: Qui vindicat, id eſt, qui vindictam ſumit de injuria ſibi illata, is ſuorum peccatorum vindictam à Deo inveniet, id eſt, Deus graviſſimè in eius peccata vindicabit. Et ſenſum non malè expreſſit Latinus interpres: Quia non ſolum qui vindicat actu, verùm etiam qui ſolam apud ſe ſervat vindicandi voluntatem (licet occaſio exequendæ vindictæ numquam ſe offerat) à Domino ſentiet vindictam. Deinde non ſolùm, qui vult vindicare per ſe; verùm etiam qui vult vindicari quoquo modo, per alium, id eſt, qui cupit injuriam ſibi illatam vindicari, per quemcumque alium. Quod uſque adeo verum eſt, ut etiam de eo intelligatur, qui vult vindicari à Deo. Id eſt, qui hoc optat & expectat à Deo ut ille injuriam, eius vindicet. Ratio eſt, quia homo tenetur injuriam ſibi à proximo illatam remittere, id eſt, nullam vindictam pro ea exigere, ne quidem à Deo, quia adhuc merito ei dicetur: *Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam?* q. d. à Deo petit vindictam in proximum, & ab eodem medelam, id eſt, veniam ſui peccati. Neque obſtat, quod dicitur, *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus*; quia hæc ſententia non ſignificat petendam à Deo vindictam, ſed ei relinquendam, ut pro ſua divina ſapientia vel juſtè retribuat, vel miſericorditer remittat. Cæterùm quod hîc dicitur: *Peccata illius ſervans ſervabit*, & paulò pòſt, *Et tunc deprecanti tibi peccata ſolventur* —— *& à Deo quærit medelam?* — *& de peccatis ſuis deprecatur?* — *& propitiationem petit à Deo? Quis orabit pro delictis illius? &c.* Hæc omnia conferenda ſunt cum eo quod dicitur in oratione Dominica, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Et cum eo quod ſubjungitur Matth. 5. *Si enim dimiſeritis, &c. Et, ſi non dimiſeritis hominibus, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Et cap. 18. *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris.* Et Marc. 11. *Quod ſi non dimiſeritis: nec Pater veſter qui in cælis eſt dimittet vobis peccata veſtra.* Et cum quibuſdam ſententiis Auguſtini, de quibus vide noſtra in 3. diſt. 30.

ỷ. 16. *Lingua tertia multos commovit, & diſperſit illos de gente in gentem.* Linguam tertiam vocat, quæ ſeminat diſcordias. Eſt enim ea tertia, id eſt, media inter linguas eorum, quos diſcordes facere ſtudet. Et ſenſus eſt: Lingua tertia multos commovit ad diſſenſionem, neque id tantum inter privatos, verùm etiam ſæpè inter principes, & reges; ita ut inde bella & graviſſimæ calamitates oriantur, ob quas multi ſedibus ſuis ejecti, errare cogantur à gente in gentem. Græca quædam exemplaria pro (*lingua tertia*) habent (*lingua duplex*) id eſt, quæ aliud coram uno, aliud coram alio loquitur; & quæ aliud profert, aliud in animo gerit.

CAPUT XXIX.

ỷ. 2. FOenerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius. Fœnerare, id eſt, da mutuum. *Quæri* poteſt, quare Scriptura potius hortetur nos ad dandum mutuum, quàm ad ſpondendum pro amico? Hoc enim Prov. 6. & hoc loco v. 18. & ſeqq. diſſuadet. Mutuò autem dandum eſſe, etiam Dominus in Evangelio monet, dicens Luc. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* *Reſp.* per ſponſionem graviſſima ſæpè mala incurruntur, quæ & hoc cap. & in Proverb. explicantur, & experientiis nota ſunt. Oriuntur autem ex obligatione, qua ſe pro amico quis debitorem facit: Unde fit, ut totam familiam ſuam oneret, & in magnum diſcrimen ſæpè conjiciat. Qui autem mutuum dat, non dat niſi quod habet, nec ullo modo ſe ad aliquid obligat, nihilo magis, quàm ſi aliquid donaret, & poteſt donando liberari ab omni ſollicitudine repetendi. Atque hinc etiam eſt, quod pro ſponſione poteſt aliquid accipi ſine periculo uſuræ, non autem pro mutuo.

ỷ. 20. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris. Dedit enim pro te animam ſuam.* Sic & Prov. 6. *Si ſpoponderis pro amico, defixiſti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui & captus propriis ſermonibus.* Vide eius loci annotationem.

CAPUT XXX.

ỷ. 9. LActa filium & paventem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te. Senſus eſt, Si lactes filium, id eſt, indulgenter eum habeas, erit tibi cauſa pavoris. Si ludas cum eo; contriſtabit te. Non enim præcepit Sapiens ut pater lactet filium, & cum eo ludat, ſed magis abſterret & prohibet. Unde ſequitur prohibitio: *Non corrideas illi, ne doleas, &c.*

ỷ. 18. *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſita ſepulchro.* Græca variant. Nam in quibuſdam eſt vox, quæ ſignificat (*abſcondita*) in aliis (*effuſa.*) Dicitur ſententia in eos, qui bonis uti non audent ſibi à Deo conceſſis. Et ſenſus eſt: *Bona abſcondita*, id eſt, repoſita & theſaurizata, ſunt velut homini habenti os clauſum, id eſt, ei qui bonis uti non audet, nec inde audet comedere; & proinde quoque velut fercula ciborum appoſita ſepulchris mortuorum, de quibus mortui ipſi ſanè non comedunt. Hinc illud: *Quæ mihi divitiæ, ſi non conceditur uti?* Si legatur (*effuſa*) ſenſus erit: Bona effuſa, vel

offuſa, id eſt, oblata ori clauſo, id eſt, homini avaro, A qui non audet partis uti, ſunt quaſi epulæ ad ſepulchra mortuorum poſitæ. Quin ſublimiori ſenſu monet quoque Sapiens, unumquemque, cui talentum aliquod à Deo creditum eſt, quo proximo ſuo & Eccleſiæ prodeſſe poſſit, legitimè illud expendere. Quod qui abſcondit, bona habet abſcondita in ore clauſo; id eſt, ſcientiam & eloquentiam in ore pigro ad docendum: De quo dicit Judex in Evangelio Matth. 25. *Ejicite ſervum inutilem in tenebras exteriores.*

℣. 22. *Triſtitiam non des animæ tuæ* —— *Multos enim occidit triſtitia, & non eſt utilitas in illa.* Sic 2. Cor. 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur.* Vide illius loci comment. Hic Sapiens loquitur de paſſione triſtitiæ, non de triſtitia voluntariè aſſumpta per rationem, ad delenda peccata & placandum Deum. Paſſio B autem triſtitiæ de rebus amiſſis quas ſecundum ſenſum & carnalem affectum vehementer diligebamus, ſemper eſt immoderata, & proinde noxia corpori; ut de amiſſis pecuniis, domo, agro, parentibus, filiis, uxore; amicis: hæc enim ſolent homines vehementer cruciare amiſſa. At triſtitia de commiſſo peccato, ad partem rationalem pertinet; ideoque numquam eſt immoderata; licèt interdum ex redundantia voluntatis rationalis in appetitum ſenſitivum, contingat oriri paſſionem triſtitiæ immodicam. De qua re vide in 4. diſt. 16. de contritione.

℣. 24. *Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* Græcè: *Dilige animam tuam.* Senſus idem eſt. Agit autem hîc C peculiariter Sapiens de ea dilectione, ſeu miſericordia, qua quis ſibi ipſi uſum legitimum, & neceſſarium bonorum temporalium non ſubtrahit; ut per animam vita intelligatur. Sicut enim vituperat triſtitiam inordinatam, eam maximè quæ eſt de adverſis huius ſæculi, quam dicit eſſe inutilem, multoſque per eam periiſſe; ita hilaritatem mentis collaudat, & animum tranquillum & ſerenum cum hilaritate utentem bonis ſibi à Deo conceſſis: ſimul tamen cum patientia, cum opus eſt, ſuſcipientem mala, & adverſa de manu Domini. Rectè tamen S. Auguſtinus hanc ſententiam ſæpè ad ſpiritualem accommodat Eleëmoſynam, quam unuſquiſque ante omnia ſibi ipſi debet impendere. Sic Enchiridij c. 76. Et de civit. Dei lib. 21. cap. 27. Qui vult Eleëmoſynam ordinatè dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primùm dare. Eſt enim Eleëmoſyna opus D miſericordiæ, veriſſiméque dictum eſt: *Miſerere animæ tuæ, placens Deo.* Nec pugnat cum hac ſententia, quod ab Apoſtolo vituperantur homines ſeipſos amantes. Nam illi ſeipſos apud Apoſtolum amare dicuntur, qui contemptis alijs, omnes actiones ſuas ad privata & temporalia commoda referunt.

CAPUT XXXI.

℣. 1. V*Igilia honeſtatis tabefaciet carnes.* Honeſtas hoc libro ferè pro divitiis ponitur, eò quod vulgò honeſtas ex divitiis æſtimatur, & homines opulenti honeſti vocantur. Ita & ſupra cap. 11. *Honeſtas & paupertas à Deo ſunt.* Et de Iacob Patriarcha Sap. 10. *Honeſtavit illum in laboribus, &c.* Senſus ergo huius E loci eſt, nimiam & immoderatam curam colligendi opes, hominem emacerare, & tabem corpori eius adducere, ſomnumque & quietem nocturnam impedire. Vide etiam Sap. 7.

℣. 10. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus.* Illuſtris locus pro libertate arbitrij contra noſtri temporis Manichæos, Calvinianos. Cuiuſmodi libertas etiam Pilati verbis à Chriſto approbatis ſignificata eſt Ioan. 19. dum dicit: *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* Quamquam non ſolùm ad liberum arbitrium hic reſpexit Sapiens, ſed ad aliquid præterea, quod divitibus peculiare eſt. Nempe dives probus & juſtus ex eo laudatur, quod cum poſſet tranſgredi, id eſt, ex divitiis multas habeat occaſiones peccatorum, adeoque etiam, quod ad homines attinet, impunè ſæpè peccare poſſit; non tamen peccat; ſed utitur hoc mundo, tamquam non utatur, & divitiis affluentibus cor non apponit: Quales fuere Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, David, aliique juſti multi veteris teſtamenti.

℣. 25. *Et ſi coactus fueris in edendo multum, ſurge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.* Nemo miretur præceptum hoc tuendæ ſanitatis à Sapiente præſcribi. Neque enim alienum hoc eſt à Scriptore Sacro, non magis, quàm quod Paulus ſcribit ad Timot. 1. epiſtolæ cap. 5. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Quia hæc præcepta ſcribuntur, quatenus media ſunt deſtinata ad Dei cultum ſupernaturalem, & ſalutem animarum. Quâ ratione, etiam panem quotidianum & ſanitatem corporalem à Deo petimus, & cætera huius vitæ neceſſaria: Quæ omnia non aliter à Deo petenda ſunt, quàm quatenus conducunt ad prædictum finem. Porrò de vomitus utilitate ad ſanitatem conſervandam, Vide B. Thomam in Summa (& alios) 2. ſec.

CAPUT XXXII.

℣. 10. A*Doleſcens loquere in tua cauſa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput reſponſum tuum.* Sapiens diligenter ac multis præceptis adoleſcentiores inſtruit, ut potius tacere diſcant, & audire, quàm loqui. Nempe loqui & docere ad maiorem ætatem pertinet; tacere, audire, diſcere, ad ætatem juvenilem; idque propter multam & craſſam ignorantiam, cui omnes ex ipſa nativitate ſumus obnoxij. Pro eo quod habemus (*in tua cauſa*) Græcè eſt (*ſi tui uſus ſit*) id eſt, ſi tuo ſermone ſit opus in re aliqua. Item (*Habeat caput reſponſum tuum*) Græcè ſonat, Conclude in caput, vel in ſummam, ſermonem, in paucis multa: ut ſit ſenſus: Adoleſcens, loquere ſi quando cauſa poſtulat, idque vix, etiam bis interrogatus. Ac ſi dicat: Primum, cum verecundia te excuſa, tamquam adoleſcentior. (Neque enim jubet eum interrogatum prorſus tacere, quod eſt ſtupidi & ruſtici hominis, ſed primum verecundè ſe excuſare.) Secundo autem interrogatus reſponde, ſed breviter, ita ut reſponſionem tuam in caput, vel ſummam, id eſt, in pauca verba conferas. D. Gregorius parte 3. Curæ paſtoralis admonit. 26. ſic legit: *habeat initium reſponſio tua*, q. d. demum ſecundo interrogatus incipe reſpondere. Sed verbum Græcum non ſignificat incipere, ſed in caput & ſummam redigere, κεφαλαίωσον.

℣. 24. *Fili ſine conſilio nihil facias.* Intellige, nihil grave & dignum conſilio, ne quis nimium anxius ad minuta quæque ex alterius ore exiſtimet ſe pendere debere; vel apud ſe quoquo modo nimium ſe in ſingulis diſcruciet: Sic enim habet hic idem Eccleſiaſticus capite proximè ſequenti: *Servo malevolo tortura & compedes, mitte illum in operationem ne vacet:* Et poſt pauca: *Verùm ſine judicio nihil facias grave.*

CAPUT XXXIII.

℣. 12. & 13. E*X ipſis benedixit & ex ipſis maledixit, Quaſi lutum figuli in manu ipſius.* Hîc mirè exultat Calvinus, etſi aliàs hunc librum non recipiat ut canonicum. Sed priora verba vide explicata ad illud Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Quod autem ad ſimilitudinem luti attinet; ſolùm per eam ſignificatur, totam maſſam cuius uni parti Deus benedixit, & alteri maledixit, fuiſſe corruptam & inſtar

luti

A lpti abjectam. De quo ſic Auguſt. lib. 1. ad Simpl. q. 2. Ut odiſſet (*Deus*) Eſau, niſi injuſtitiæ merito, injuſtum eſt. Et concludens; Non igitur odit Deus Eſau hominem, ſed odit Deus Eſau peccatorem. Et Enchirid. cap. 98. Jacob dilexit per miſericordiam gratuitam; Eſau autem odio habuit per judicium debitum. Et epiſt. 105. Quid oderat Deus in Eſau niſi originale peccatum. Vide etiam quæ diximus ad illa verba Eſther 15. *Convertit Deus ſpiritum regis.* Et huc ſpectat; quod dicit D. Thomas in 1. diſtinct. ult. Deum non velle damnationem alicuius per ſe, ſed ordinem hunc juſtitiæ, ut qui moritur in peccato damnetur.

℣. 15. *Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi. Duo & duo, & unum contra unum.* Sic proſus & Græca; δύο, δύο, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός. Senſus eſt, Deus creavit multa duo, id eſt, multas res, quarum altera alteri contrariatur. B Et eſt Hebræa phraſis, qua vox aliqua repetita multitudinem ſignificat. Sic apud Ezechielem cap. 14. *Homo, homo de domo Iſraël*, id eſt, quicumque homo; Et in pſalm. 86. *Homo, homo natus eſt in ea*, id eſt multi homines. Et hunc eſſe ſenſum docent quoque ea quæ præcedunt, ſic enim proxime præmittit Eccleſiaſticus; *Contra malum, bonum eſt; & contra mortem, vita; ſic & contra virum juſtum, peccator. Et ſic intuere in omnia opera altiſſimi, &c.*

CAPUT XXXIV.

℣. 4. *Ab immundo quid mundabitur, & à mendace, quid verum dicetur?* q. d. Nihil. Nec C tamen huc trahenda eſt ſententia, ut per eam ſignificari putetur, Sacerdotum aut Epiſcopum Sacramenti miniſtrum, ſi peccatis ipſe obnoxius ſit, peccata non poſſe remittere. Senſus enim tantum eſt; Ab immundo, quâ parte immundus eſt, nihil mundari poſſe; quâ autem parte mundus eſt, & opus Dei exercet; tamquam miniſter mundare poteſt; quatenus videlicet perſonam Chriſti repræſentat, qui eſt Agnus immaculatus, ex cuius Sanguine profluit omnis virtus Sacramentorum. Sic & quod additur; *A mendace quid verum dicetur?* ſimiliter intelligendum, à mendace, quâ parte mendax eſt, nihil verum expectari poſſe. Dicit quidem Diabolus, qui ſimpliciter mendax eſt, aliquando vera, ut illud in Evangelio Marc. 1. *Scio qui ſis, ſanctus Dei*, & Act. 16. D *Hi ſunt ſervi Dei excelſi*; & conſultoribus ſuis ſæpè vera nunciant dæmones; ſed fecerunt prima quidem illa, quaſi coacti; poſteriora verò faciunt, ut magis fallant, & per veritatem temporariam perducant in damnationem æternam. Unde & eiuſmodi verum, ex fine mendacium eſt, quia eo fine à dæmonibus profertur, ut homines per illud in errorem inducantur.

℣. 31. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?* Senſus eſt, Si quis laverit ſe poſt contactum cadaveris, & ſtatim iterum contingit cadaver; nihil prodeſt prior lavatio; quia æquè immundus per contactum poſteriorem erat ſecundum ritum legis. Donatiſtæ, teſte Aug. lib. contr. Donat. cap. 34. hinc colligere volebant, ab hæretico E non conferri verum baptiſma, cum hæreticus ſit Deo mortuus. Sed fallebantur in ſenſu huius ſententiæ. Quia non dicitur; Qui baptizatur per miniſterium alicuius mortui, ſed (*à mortuo*) id eſt, poſt contactum mortui. Et non aliud hâc ſimilitudine docere vult Eccleſiaſticus, quàm eum, qui mundatus eſt à peccatis per pœnitentiam & veniam, & mox ad eadem peccata relabitur; ex priori illa mundatione nullam utilitatem capere; ſed potius hoc ei cedere ad gravius judicium.

CAPUT XXXV.

℣. 1. *Qui conſervat legem, multiplicat oblationem. Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate.* Olim multa exemplaria, pro (*oblationem*) habebant (*orationem.*) Sed ſecundum Sixtina rectè (*oblationem*) legimus. Id enim ſignificat vox Græca, & idem requirunt ſententiæ ſequentes, quæ de oblatione ſeu ſacrificio loquuntur. Docet autem hac ſententia, & aliquot ſequentibus Sapiens, quid ſit verum ſacrificium, quod per ſe Deo placeat. Id autem eſſe docet internum Dei cultum, quo Deus vera pietate, juſtitia, & innocentia colitur. Sed *dicet aliquis*, An ergo ſacrificium externum non eſt verum? B *Reſpond.* Verum ſacrificium duobus modis intelligi poteſt. Uno modo ſacrificium proprij nominis, ut opponatur ſacrificio falſo, vel improprio, id eſt, actio illa externa, quæ ad hoc tantùm aſſumitur, ut per eam proteſtatio fiat ſummæ majeſtatis ac dominij. Sicut vera vitis dicitur arbor illa, quæ uvas profert, non quam pictura, vel metaphora exprimit. Alio modo verum ſacrificium dicitur, quod typico & externo ſacrificio ſignificatur, & ſine quo illud placere non poteſt. Ita ſicut interior cultus, reſpectu externi dicitur verus cultus, quia externus ad interiorem refertur; ſic internum ſacrificium, quod in ipſa pietate conſiſtit, verum eſt reſpectu typici & externi ſacrificij, per quod illud ſignificatur, & quod ad illud refertur, ſicut C Chriſtus dicit Ioan. 15. *Ego ſum vitis vera*, non per proprietatem naturæ, ſed quia ſimilitudo vitis aptiſſimè in eum quadrat, ſicut de homine avaro dicitur; Eſt verus canis; aut de voraci, verus lupus. Quod autem Eccleſiaſticus ſacrificia externa non excludat, ex ſequentibus clarum eſt, ubi exhortatur ad liberalem eorum oblationem.

℣. 3. *Et deprecatio pro peccatis, recedere ab injuſtitia.* Non eſt ſenſus, ad remiſſionem peccatorum, & placandam Dei iram ſufficere, ſi deſiſtamus à peccato, & bona opera deinceps faciamus, ſicut volebat Lutherus, quando dixit; Optima pœnitentia nova vita. Sed docetur, illud præcipuè, & ante omnia neceſſarium eſſe, ut peccata relinquantur, & vita per ſtudium bonorum operum renovetur, Nihilominus pro peccatis præteri- D tis etiam orationes, aliaque pia exercitia aſſumenda eſſe, jam ſuprà cap. 21. docuit hîc ibidem Eccleſiaſticus, dicens; *Fili, peccaſti, ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur*, ut ibi plenius quoque ex Auguſtino confirmavimus.

℣. 14. *Noli offerre munera prava, non enim ſuſcipiet illa.* Totum illud apud Græcos velut unico verbo dicitur, quod ſignificat, minus arrodere, vel circumcidere; ſicut quidam ſolent circumcidere, vel accidere nummos aureos & argenteos. Huc ergo Sapiens videtur alludere, ſignificans liberaliter & integrè Deo & miniſtris eius offerenda dona conſtituta, primitias, decimas, & ſimilia, eaque nulla parte minuenda.

CAPUT XXXVI.

E ℣. 4. *Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis, ſic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis.* Deus in conſpectu gentium ſanctificatus eſt in populo Judaico, quando gentes videntes, vel audientes mirabilia, quæ Deus in illo, & pro illo populo faciebat, agnoverunt, & admirati ſunt eius potentiam, bonitatem, juſtitiam; eumque propter hæc etiam laudare & colere cœperunt. Viciſſim quoque Deus in conſpectu Judæorum magnificatus eſt in gentibus; quando Judæi, conſpectis mirabilibus Dei operibus, quæ fecit inter gentes, excitati ſunt in maiorem agnitionem, & admirationem potentiæ, bonitatis & juſtitiæ.

juſtitiæ divinæ. Et hoc fieri optat Sapiens. Quod maximè impletum eſt in vocatione & converſione gentium ad fidem Chriſti. Hinc illud Judæorum Act. 11. *Ergo & gentibus Deus dedit pœnitentiam ad vitam?*

℣. 11. *In ira flammæ devoretur, qui ſalvatur.* Pro (*qui ſalvatur*) Græcè eſt σωζόμενος. Quæ vox ſæpè ſignificat eum qui evaſit periculum, vel qui, ut extra periculum ſit, in arces, vel alia clauſa & munita loca ſe recipit. Quos alibi Scriptura (*clauſos*) vocat. Senſus eſt. Qui incluſi ſunt munitionibus, ut gladius noſter eos comprehendere non poſſit, flammis abſumantur; ſive cœlitus emiſſis, ſive ab adverſariis ſubjectis, & admotis ad loca, in quæ ſe receperint.

℣. 14. *Et Iſraël quem coæquaſti primogenito tuo.* Id eſt, quem elevaſti ad dignitatem primogeniti tui inter omnes populos terræ; quem feciſti primogenitum tuum B inter populos. Exod. 4. *Filius meus primogenitus Iſraël.* Nihil igitur hæc ſententia ad naturalem Filium Dei.

℣. 18. *Da mercedem ſuſtinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur.* Quidam hoc ideo dictum putant, quod oratio ſaltem de congruo meritoria ſit eius; quod per eam impetratur. Et hoc modo antiqui patres oratione ſua adventum Meſſiæ meruiſſent, quod tamen meritum ita proceſſerit ex Chriſti paſſione, ſicut ipſa oratio ex Chriſti paſſione ſuam bonitatem habebat. Alij tamen id negant; ſicut nemo, vel de congruo mereri poteſt primam gratiam. Et ſic merces impropriè ſumenda eſt, pro fructu ſeu effectu orationis. Quod autem additur, *Ut prophetæ tui fideles inveniantur*, ſenſus C eſt, ut compleantur promiſſa tua per prophetas prædicta. Sic enim invenientur fideles, id eſt, veraces.

CAPUT XXXVII.

℣. 8. **O**Mnis *conſiliarius prodit conſilium, ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo.* Docet cautelam habendam non ſolum in deligendis amicis, verùm multò magis in eligendis conſiliariis, id eſt, iis quorum conſilio uti volumus, in rebus gerendis. Quod autem ait (*Omnis*) non eſt prorſus generaliter accipiendum. Nam ita nemo eſſet adhibendus ad conſilium, ſi omnis omnino talis eſſet, qui conſilium proderet. Sed ſicut dicit Apoſtolus. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt*, ad Philipp. 2. id eſt, maxima pars hominum, ita & illud intelligendum; *Omnis conſiliarius prodit* D *conſilium*, id eſt, magna pars talis frequenter deprehenditur, ut infideles ſint, & conſilia prodant. Unde rectè monuit idem Eccleſiaſticus quoque cap. 6. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille.* Et Hieron. 9. *Unuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat.* Græca hunc ſenſum habent: Omnis conſiliarius extollit conſilium, ſed eſt qui conſulit in rem ſuam. q. d. Noli omni conſilio credere, quia licet omnes extollant, & commodent conſilium ſuum; ſunt tamen, qui conſulunt non utilitati proximi, ſed in rem ſuam, & ad commodum ſuum.

℣. 23. *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt, in omni re defraudabitur.* Auguſt. lib. 2. de Doctr. Chriſt. 31. indicat duplicem intellectum huius ſententiæ. Prior eſt. Eccleſiaſticum monere, cavendam eſſe libidinem rixandi, & puerilem quandam oſtentationem, & cupidinem decipiendi adverſarium, quod potiſſimum fit per ea quæ apud Dialecticos vocantur captiones & ſophiſmata. Cuius ibidem ponit hoc exemplum. Quod ego ſum, tu non es; Ego autem homo ſum; Tu igitur non es homo. Quod cum conſtet ſophiſma eſſe, tamen homini aliquam difficultatem adfert expediendæ ſolutionis. Huiuſmodi ergo ſophiſmatibus uti in ſeria diſputatione, odioſum eſt, & puerile. Poſterior ſenſus ab eodem Auguſtino redditur, ut ſophiſticus ſermo dicatur, non captioſus quidem, ſed tamen nimium luxurians, & abundantius, quàm gravitatem

A argumenti decet ornamenta verborum conſectans; quem ſolemus affectatum ſermonem appellare, qui rebus non eſt accommodatus, ſed oſtentationi ſervit. Et hic ergo ſermo quoque auditoribus ſignificatur eſſe odioſus.

CAPUT XXXVIII.

℣. 1. **H**Onora *medicum propter neceſſitatem. Etenim illum creavit altiſſimus.* Præcipit honorari medicum corporalem propter neceſſitatem corporis; videlicet quia honore digni ſunt qui neceſſitatibus proximorum ſubveniunt. Quod ſi hoc præcipit Scriptura de medico corporis, multò magis intelligitur præceptum eſſe de medico animæ, & tantò ma- B gis, quantò anima corpore eſt dignior. Honor autem intelligitur non tantum in externa ſalutatione ſeu veneratione, quæ fit verbis & motibus corporis, per quam, eius quem veneramur excellentiam teſtamur; verùm etiam in honeſta perſolutione mercedis; quæ ei propter artem & curam debetur. Conſtat enim frequenter in Scriptura Sacra honorem ſic accipi. Sic Tobiæ 1. Tobias decem talentis argenti honoratus legitur à rege. Item illud, *Honora patrem, &c.* Et apud Apoſtolum 1. Tim. 5. *Presbyteri, qui benè præſunt, duplici honore digni ſunt*, id eſt, ampliori ſtipendio. Quod autem hîc talis honor intelligatur, indicat ſententia ſequens: *A Deo enim eſt omnis medela, & à rege accipiet donationem.*

C ℣. 9. *Fili in tua infirmitate ne deſpicias teipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te.* Duo utilia præcepta continentur hic ſententia. Unum eſt, ut homo implicatus morbo corporali non ſeipſum deſpiciat, id eſt, valetudinem corporis ſui parvi faciat, quaſi hoc ad perfectionem hominis pertineat, ſanitatem corporis negligere; cum illud potius ſit inordinatæ & præpoſteræ pietatis. *Nemo enim*, inquit Apoſtolus Epheſios 5. *Carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam.* Non ad delicias, ſed ad neceſſariam ſervitutem animæ. Ac præterea tenetur quiſque diligere proximum ſicut ſeipſum. Atqui proximo ægrotanti ſuccurrere tenetur juxta illud Matth. 25. *Infirmus fui & viſitaſtis me.* Igitur eamdem curam quoque ſibi ipſi debet. Porrò alterum quod hîc Sapiens docet, eſt, non repugnare ut ſani- D tatis recuperatio ſimul expectetur à Deo, & à medico; ſed à Deo principaliter, qui etiam ſine medico curare poteſt; à medico verò tamquam miniſtro ordinario; per cuius artem Deus plerumque ſanitatem reſtituit. Unde nec tentandus eſt Deus, ut quando medici copia eſt, à Deo immediatè ſanitas expectetur.

CAPUT XXXIX.

℣. 33. **S**Unt *ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt, & in furore ſuo confirmaverunt tormenta ſua.* Non ſatis liquet de quibus ſpiritibus loquatur, utrum de dæmonibus, ut illi creati dicantur ad vindictam; quia Deus ad impiorum ſupplicia utitur naturalibus viribus dæmonum; & ita nititur, ut hoc ab æterno ſe facturum diſpoſuerit; unde rectè ad vindictam impio- E rum creati dicantur. Alij quoque intelligunt eos creatos ad vindictam, id eſt, ad pœnam propriam; quia videlicet Deus præſcivit eos peccaturos, & ſic eoſdem in ſua præſcientia ordinavit ad pœnam. De quo modo explicandi vide plenius ſuprà ad illa verba Proverb. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Alioqui poteſt quoque non incommodè accipi præſens ſententia, de illis ſpiritibus, de quibus in pſalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*, id eſt, de ventis, procellis & tempeſtatibus quæ creata dicuntur ad vindictam, ſcilicet quia

talibus

talibus Deus utitur ad ſumendam vindictam de peccatis hominum, & ad hoc ſe uſurum in eorum creatione prævidit, & præordinavit. Hunc ſenſum confirmant quæ hoc eodem capite ſequuntur: *Ignis, grando, fames & mors, & omnia hæc ad vindictam creata ſunt.*

℣.39. *Omnia opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrabit.* Scilicet Deus. *Non eſt dicere, Hoc illo nequius eſt. Omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur.* Non ſignificat Sapiens nullos eſſe gradus bonitatis, aut præſtantiæ inter creaturas; Id enim manifeſtè falſum eſt, & contra Scripturas, quæ inprimis hominem teſtantur cæteris nobiliorem creatum; utpote factum ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Ac deinde non eſt dubium, viventia non viventibus, æterna caducis eſſe præſtantiora; & inter ipſas ſtellas diſcrimen eſſe teſtatur Apoſtolus 1. Corinth. 15. Sed docet Sapiens hac ſententia, ſicut & ſuperioribus, nihil eſſe in rerum natura, quod non bonum ſit, & uſum ſuum habeat in tempore ſuo. Senſus ergo eſt: *Non eſt dicere, Hoc illo nequius eſt*, ſcilicet, quia nihil omninò ex ſua creatione eſt nequam, vel malum, ſed ut eſt Geneſ. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

CAPUT XL.

℣.1. **O**ccupatio *magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum, uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium.* Nempe creata ſeu conſtituta eſt occupatio ſeu moleſtia, & hoc grave jugum ſuper filios Adam, non ex prima humani generis inſtitutione, ſed ex quo dictum eſt homini prævaricatori. Geneſis 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua ſumptus es.* Et quare? *Quia audiſti vocem uxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes.* Sed *quæres*, Quare cum jugo peccati, quod tollitur per gratiam redemptoris in baptiſmo, non ſimul tollitur jugum iſtud grave miſeriæ? *Reſp.* Auguſt. cap.66. Enchiridij; Magis propter futurum judicium fit remiſſio peccatorum. In hac autem vita uſque adeò valet quod ſcriptum eſt, *Grave jugum ſuper filios Adam*, ut etiam parvulos videamus poſt lavacrum regenerationis, diverſorum malorum afflictione cruciari; ut intelligamus totum quod ſalutaribus agitur Sacramentis, magis ad ſpem futurorum bonorum, quàm ad retentionem, vel adeptionem præſentium pertinere.

℣.29. *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas; melius eſt enim mori, quam indigere.* Græcè ſic: *Vitam mendicitatis ne vivas, melius eſt enim mori quàm mendicare.* Hujuſmodi autem ſententia admonet hyperbolicôs, ſummòpere vitandam mendicitatem, non tam ratione ſui, quàm ratione eius, quod plerumque eſt cauſa mendicitatis, ſcilicet ratione ocij & ignaviæ. Id quod Sapiens ſignificat verbis ſubiectis, dicens; *Vir reſpiciens in menſam alienam, non eſt vita eius in cogitatione victus*, q. d. piger eſt, ignavus, delicioſus, & minimè ſollicitus de comparando victu per honeſtum laborem: Cùm ſcriptum ſit 2. Theſſ. 3. *Qui non vult operari, nec manducet.* Unde patet has ſententias minimè adverſari pio propoſito eorum, qui diligenter laborant in Eccleſia Dei miniſtrantes populo Dei Spiritualia; Qui cum carnalia eorum, id eſt, ſuſtentationem corporis velut jure ſuo exigere poſſent, juxta illud Chriſti Matth. 10. *In quamcumque domum intraveritis comedite quæ apud ipſos ſunt, &c. Dignus eſt enim operarius mercede ſua*; tamen nolunt; ſed ut nullam offenſionem dent Evangelio, mendicare malunt, quàm debitum poſcere. Vide etiam ſuprà c.27. v.1. & Proverb.30. v.8. Porrò de ignava illa mendicitate rectè dicit Sapiens, etſi hyperbolicôs, melius eſſe mori, quàm mendicare; ſcilicet tum propter vitium ignaviæ, tum propter infamiam conjunctam, quæ eſt ſimul quaſi ſpecies quædam ſervitutis.

CAPUT XLI.

℣.5. **N**oli *metuere judicium mortis. — Et quid ſuperveniet tibi in beneplacito altiſſimi, ſive decem, ſive centum, ſive mille anni.* Judicium mortis eſt pœna mortis, ſeu mors ipſa; quatenus homini à Deo in vindictam peccati infligitur. Et ſanè mortem rectè metui poſſe oſtendit exemplum ipſius Chriſti; qui imminente paſſione & morte, cœpit pavere, & tædere, & mœſtus eſſe, ita ut diceret Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et, *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte?* Idem oſtendit ſententia Pauli 2. Corinth. 5. cum dicit: *Nolumus expoliari, ſed ſupervеſtiri*, idemque docet ipſa natura, quæ mortis timorem & horrorem omnibus quaſi impreſſit. Itaque hæ ſententiæ Sapientis non improbant naturalem illum affectum timoris mortis qui eſt in parte ſenſitiva; quem & Chriſtus, ut ſe verum hominem oſtenderet, & ut ſuo exemplo martyres ſolaretur, voluntate, non neceſſitate ſuſcepit; ſed tantum timorem mortis, ex deliberata voluntate procedentem; quo homo cuperet, ſi poſſet, mortem omnibus conſtitutam evadere. Itaque monet, ut divinæ conſtitutioni patienter acquieſcamus, & cum Chriſto concludamus; *Veruntamen Pater, non mea, ſed tua voluntas fiat.*

℣.7. *Non eſt enim in inferno accuſatio vitæ.* Diligenter attendendum quod præcedit; *Et quid ſuperveniet tibi in beneplacito altiſſimi, ſive decem, ſive centum, ſive mille anni.* q. d. Apud inferos, id eſt, poſt mortem, non accuſatur aut punitur vitæ brevitas vel longinquitas. Neque refert, quamdiu aut parum quis vixerit, dummodo benè. Itaque nemo queratur ſe parum vixiſſe, ſed hoc agat, ut quàm optimè vivat. *Sat diu, ſi ſat bene?* Cæterùm, in alio ſenſu apud inferos, quam maximè, eſſe accuſationem & deplorationem vitæ prioris, patet Sapient.5.

℣.17. *Sapientia abſcondita, & theſaurus inviſus; quæ utilitas in utriſque?* Habetur eadem ſententia ſuprà c.20. qua monet Sapiens, ut unuſquiſque ſapientiam ſibi à Deo conceſſam, & generatim omnem facultatem qua proximo ſuo docendo vel juvando prodeſſe poteſt; eroget in aliorum utilitatem, & neutiquam eam præ ignavia, aut inordinata verecundia, abſcondas, neque talentum ſuum inſtar pigri illius ſervi Evangelici in terram defodiat. Nam ſicut meritò accuſatur tamquam invidens communitati uſum rei utilis, qui abſcondit theſaurum auri & argenti, ita longè gravius accuſandus eſt, qui abſcondit ſapientiam; utpote quia ſapientia prodeſt animæ, theſaurus autem auri vel argenti tantum corpori atque inſuper theſaurus defoſſus aliquando inveniri poteſt mortuo eo qui defodit, ſapientia autem non item, ſed ea ſimul cum homine partim perit, migrat in aliam vitam. Vide annotat. cap. 20.

CAPUT XLII.

℣.2. **D**e *lege altiſſimi, & teſtamento & de judicio juſtificare impium, de verbo ſociorum, & viatorum, &c.* In omnibus his repetendum eſt ex præcedentibus (*ne confundaris.*) Sic enim immediatè præcedit: (*ne pro his omnibus confundaris.*) q. d. Ne cedas pudori, neque reſpicias perſonam cuiuſquam, ut delinquas; videlicet in lege Dei, & teſtamento, ſeu pacto eius; ut videlicet legem & pactum eius tranſgrediaris propter perſonam cuiuſquam, magni aut potentis. Item in judicio, ne reſpectu perſonæ cuiuſcumque juſtifices impium, nec per ſententiam abſolvas, qui

qui condemnandus erat. At verò illud quod in fine ad- A ditur, (*Et ſervo peſſimo iatus ſanguinare*) hunc habet ſenſum. Nec verearis quoque latera mali ſervi plagis ita cædere, & multare, ut vel cruor inde emanet. Et pertinet ſententia ad diſciplinam domeſticam.

℣. 14. *Melior enim eſt iniquitas viri quàm mulier benefaciens.* Similia ſunt iſta Proverb. 27. *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula amantis. Nam plus nocet inſidiator occultus quam hoſtis manifeſtus.* Videlicet benefica mulier, Græcè ἀγαθοποιὸς, ea intelligitur, quæ blanditur, vel ad libidinem, vel ad aliud malum. Iniquitas autem viri pro ſeveritate, duritia, ac rigore videtur poni, quo utitur in caſtigandis peccatis. Vel potius hîc videtur ſenſus: Melius eſt à viro perſecutionem, & quaſi injuriam pati, quàm à muliere accipere beneficia; eò quòd beneficia & B blandimenta mulieris illiciant ad peccatum, & mulier frequenter benefaciat, ut urat. Huic ſenſui favet contextus loci. Sic enim præcedit: *In medio mulierum noli commorari: de veſtimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Ac deinde verba illa ſubjunguntur: *Melior eſt enim, &c.*

CAPUT XLIII.

℣. 10. S*Pecies cæli gloria ſtellarum.* Et v. ſeq. *In verbis ſancti ſtabunt ad judicium, & non deficient in vigiliis ſuis.* Non ſignificatur corpora cæleſtia, ſolem, lunam, ſtellas ventura ad judicium coram tribunali Dei, quaſi animata ſint & mente prædita, ſicut Origenes olim ſenſit & docuit, teſte Auguſtin. lib. 11. civit. c. 23. & Hier. epiſt. ad Avitum. Sed ſumpta metaphora à rebus animatis, ſcilicet à diſciplina militantium, declarat ordinem illum pulcherrimum, quem aſtra ſervant in ſuis revolutionibus. Senſus ergo eſt: *In verbis Sancti*, id eſt, ad imperium Dei omnipotentis, *ſtabunt*, id eſt, conſiſtent ordine ſuo, nec temerè, ſed *ad judicium*, id eſt, ea ratione, judicio, & loco, qui unicuique deſignatus eſt. *Et non deficient in vigiliis ſuis*, ſeu excubiis. q. d. Neque unquam obrepet eis ſomnus, aut ullam patientur imbecillitatem aut fatigationem, ut ſtationes ſuas aliquando deſerant, ſed eas perpetua lege ſervabunt.

Liranus hoc modo: Ad nutum omnipotentis Dei omnia ſydera ſtabunt ad judicium, id eſt, in die ex- D tremi judicij, & deinceps quieſcent, conſiſtent, non amplius movebuntur, ceſſabit motus cœlorum. Verùm etſi non improbabile ſit dogma ſcholaſticum de motu cœlorum ceſſaturo poſt diem judicij, non tamen videtur hic eſſe verus ſenſus huius loci. Nam ſtare hîc ſignificat non quieſcere, ſed perſiſtere in ordine, ſicut & in Cantico Habacuc. *Sol & luna ſteterunt in habitaculo ſuo.*

℣. 25. *Siluit ventus, & cogitatione ſua placavit abyſſum, & plantavit in illa Dominus inſulas.* Pridem legebatur (*Et plantavit illum Dominus Ieſus*) ſed error irrepſerat in Græco ut pro νήσους, id eſt, (*inſulas*) multa exemplaria haberent Ἰησοῦς. Sed nullum habebat ea lectio commodum ſenſum. Cum Sixtina hac correctione concordant etiam Biblia regia. E

℣. 33. *Benedicentes Dominum exaltate illum, quantum poteſtis. Maior eſt enim omni laude.* Quæritur quomodo id non contrarietur ei quod ſubjungitur: *Ne laboretis? Reſpond.* quod ait: *Ne laboretis*, hunc ſenſum habet ſecundum quoſdam: Nolite defatigari in hoc opere laudandi Deum, nec ceſſare tanquam fatigati præ labore. Sed clarior ſenſus videtur, quem alij tradunt. Ne laboretis comprehendere, & aſſequi laudando magnitudinem divinæ maieſtatis. Nam rationem ipſe Sapiens addit. *Ne laboretis, Non enim comprehendetis*, ſcilicet quia incomprehenſibilis eius maieſtas, & ut præcedit, major eſt omni laude.

CAPUT XLIV.

℣. 16. E*Noch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum.* Nota in Græco codice non nominatur paradiſus, ſed tantum mentio fit tranſlationis Enoch, non addito loco, in quem fuerit tranſlatus. Et aperta eſt S. Auguſtini doctrina lib. de peccato originali c. 23. incertum eſſe, nec ad fidem pertinere, utrum in Paradiſo illo, ex quo eiectus eſt Adam, ſint Enoch & Elias, an alibi. Reliqua de paradiſo, & tranſlatione Enoch vide ad illa verba Geneſ. 2. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis ab initio.* Et hoc propter locum illius primi paradiſi, qui ignoratus à veteribus, à recentioribus etiam non exiſtere putatur. Nihilominus Enoch & Eliam adhuc vivere, & ut de Enoch hîc dicitur, *ut det gentibus pœnitentiam*, eos ante judicium contra Antichriſtum prædicaturos, vetus eſt Eccleſiæ traditio, cuius plerique patres etiam meminerunt. Quin ex poſterioribus, Aretas dicit inviolabiliter à tota Eccleſia credi, quod Enoch & Elias venturi ſint, ut Antichriſto ſe opponant. Et Rabanus in tractatu de Antichriſto, dicit fidem Chriſtianorum hoc tenere, quod ijdem ambo venturi ſint ante diem judicij. Vide noſtra in 4. diſt. 47.

℣. 17. *Noë inventus eſt perfectus juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio.* Perfectus juſtus, conjungenda ſunt, id eſt, perfectè juſtus, ſecundum perfectionem, & excellentiam quandam juſtitiæ, quæ haberi poteſt in hac vita. Et veriſimile eſt alios etiam C quoſdam ex poſteritate Seth fuiſſe juſtos; ſed nemo ita juſtus inventus eſt, ut in tempore iracundiæ fuerit factus reconciliatio; ſicut Scriptura de Noë aſſeverat, *Factus eſt autem reconciliatio*, non ut mundus diluvio non periret, ſed ut reliquiæ tamen ſervarentur, ex quibus rurſus humanum genus multiplicari poſſet. Et merito ipſius Noë, veriſimile eſt filios quoque eius, & filiorum uxores fuiſſe ſervatos ab aquis diluvij, qui alioqui fortè non erant tantæ ſanctitatis, ut ſuo merito ſervari potuiſſent.

℣. 20. *Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non eſt inventus ſimilis illi in gloria, &c.* Scilicet tanta fuit huius Patriarchæ gloria, ut nemo omnium qui uſque ad ætatem iſtius ſcriptoris vixerunt, fuerit ei comparandus. Quam quidem gloriam apud poſteritatem conſecutus eſt, tum ex inſigni obedientia, quam præſtitit juſſis divinis, etiam paratus immolare filium unicum, (quod ſignificatur illis verbis: *Qui conſervavit legem excelſi*) tum ex eo quod Deus dignatus eſt fœdus cum eo, eiuſque ſemine, paciſci, duraturum in multa ſæcula, de quo ſubjungitur; *Et fuit in teſtamento cum illo.*

CAPUT XLV.

℣. 1. D*ilectus Deo & hominibus Moyſes. — Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, &c.* Senſus eſt: Coæquavit gloriam eius cum gloria Sanctorum priorum, ſcilicet Abrahæ, Iſaac & Iacob. *Magnificavit eum in timore inimicorum*, id eſt, magnum eum fecit, & potentem in terrendis hoſtibus, per mirabilia ſigna & portenta. *Et in verbis ſuis monſtra placavit.* q. d. Nec tantum dedit Deus Moyſi, ut ad nutum eius & imperium horrenda ſigna & prodigia fierent, quibus Ægyptus terreretur & affligeretur; verùm etiam hoc ei conceſſit, *ut in verbis eius*, id eſt, ad imperium eius eadem ſigna ceſſarent, ſicut manifeſtum eſt ex Hiſtoria Exodi.

℣. 6. *Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, docere Iacob teſtamentum ſuum, & judicia ſua Iſraël.* Rectè Sixtina Biblia reſtituerunt una dictione (*coram*) pro eo quod in multis vitiosè

duabus

duabus voculis legebatur (*cor ad.*) Nam ex Græcis manifeſtum eſt, ſic eſſe legendum, quæ habent ;) *ſecundum faciem.)* Et eſt alluſio ad id quod ſcriptura teſtatur, Moyſem facie ad faciem locutum fuiſſe cum Deo, ſicut loquitur vir cum amico ſuo. Senſus ergo eſt: Deus tradidit illi coram , id eſt, ipſe præſens, Decalogi præcepta, & univerſam legem vitæ & diſciplinæ , idque ut doceret populum Iſraël teſtamentum ſuum & judicia ſua, id eſt, præcepta, quorum interventu Deus iniit pactum cum populo illo.

℣.19. *Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus, ſicut dies cæli, &c.* Hæc de Aarone ejuſque ſacerdotio. Sic & infra de Phinees ejus nepote : *Vt ſit illi & ſemini ejus ſacerdotij dignitas in æternum.* Dicitur autem teſtamentum, & ſacerdotium æternum, quia teſtamentum ſeu pactum illud non erat reſcindendum, neque ſacerdotium à ſtirpe Aaronis, & Phinees auferendum, quamdiu lex illa vetus, & ſacerdotium ejus erat duraturum. Itaque in eo quod dicitur (*ſicut dies cæli*) temporis illius diuturnitas hyperbole quadam ſignificatur.

CAPUT XLVI.

℣.1. **F***Ortis in bello Ieſus Nave, ſucceſſor Moyſi in prophetis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum.* Pro (*in prophetis*) Græca plura legunt (*in prophetiis*) id eſt, in munere prophetico. Per quod ſignificatur Joſue fuiſſe ſucceſſorem Moyſi , non tantum in ducatu populi, verùm etiam in dono prophetiæ, quamvis non tantus fuerit propheta, quantus Moyſes , dicente Scriptura Deut. ult. *Et non ſurrexit ultra propheta in Iſraël ſicut Moyſes, &c.* De Joſue autem ibidem dicitur. *Ieſue verò filius Nun repletus eſt Spiritu ſapientiæ , quia Moyſes poſuit ſuper eum manus ſuas.* Quod autem hoc etiam ad Spiritum prophetiæ pertineat, clarum eſt ex libro Joſue, ubi Dominus frequenter Joſue de futuris inſtruxit.

℣.5. *An non in iracundia ejus impeditus eſt ſol , & una dies facta eſt quaſi duæ ?* Nota eſt hiſtoria ex Ioſue
10 *In iracundia ejus*, Græcè eſt (*in manu ejus.*) Utraque lectio bonum habet ſenſum. Si in iracundia, ſenſus eſt. Nonne cum hoſtibus iratus eſſet Ioſue , & vellet eos uno die profligari , ſol reſtitit ad petitionem ejus ? Si legas, *in manu*, eodem recidit, q.d. Nonne ſol reſtitit, & manſit immotus in manu ejus? hoc eſt juſſione ejus? Sic enim ibi legitur : *Non fuit antea nec poſteà tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Id eſt, poteſtatem ſuam accommodante ad vocem hominis.

℣.16. *Dilectus à Domino Deo ſuo Samuël.* Et tandem v. 23. *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, &c.* Græcè clarius : *Et poſtquam obdormiſſet, prophetavit, & oſtendit regi, &c.* Sicut & in noſtro Latino ſubditur ; *Et exaltavit vocem ſuam de terra in prophetia delere impietatem gentis.* Quibus verbis clarè innui videtur, non dæmonem in figura Samuëlis, ſed ipſum Spiritum Samuëlis apparuiſſe, & regi Saüli indicaſſe finem vitæ ſuæ. Quod ſi per dæmonem actum fuiſſet, nullo modo ſcriptura id poneret in laudibus Samuëlis. Deinde hic ſenſus clarè quoque facit pro immortalitate animæ. Vide hiſtoriam 1. Reg. 28. item, quæ ibi ſunt notata.

CAPUT XLVII.

℣.2. **E***T quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filiis Iſraël.* Græcè eſt; quaſi adeps ſeparatus à ſalutari. Quod tametſi videatur obſcurum, revera tamen multum illuſtrat hanc ſententiam , ejuſque indicat genuinum ſenſum. Scilicet , *ſalutare*, vocat victimam, quæ pro ſalute offerebatur, ſecundum legem. Eam quoque ſeptuaginta interpretes ſæpè vocant (*ſalutare*) ut Exodi 24. & Levit. 3. Hieronymus eam victimam ex Hebræo vertit hoſtiam pacificorum. Ejus ergo hoſtiæ adeps à reliqua carne & corpore totius hoſtiæ ſeparabatur ; & cremabatur in altari in odorem ſuaviſſimum Domino, cum reliquum hoſtię partim cederet in uſum ſacerdotũ, partim in uſum offerentium. Significat ergo hæc ſententia , totum quidem populum Iſraël fuiſſe Deo conſecratum, inſtar ſacrificij, ut Deo ſerviret ; ſed ſingulari quodam modo Davidem præ reliquo populo ejus ſervitio devotum, & conſecratum fuiſſe; ſicut tota quidem hoſtia offerebatur, ſed ſolus adeps cremabatur, & conſumebatur igne in honorem Dei.

℣.15. *Salomon imperavit in diebus pacis, cui ſubjecit Deus omnes hoſtes, &c.* Sed tandem v. 21. *Et inclinaſti femora tua mulieribus: poteſtatem habuiſti in corpore tuo, dediſti maculam in gloria tua, &c.* Illud (*poteſtatem habuiſti in corpore tuo*) ſic exponi poteſt, id eſt, Oſtendiſti te habere poteſtatẽ ad implendum voluptates corporis, & omninò abuſus es corpore tuo ad explendas voluptates venereas. Gręca contrarium quendam ſenſum prętendunt, & clariorem: Sic enim habent, *Superatus es*, vel *victus es in corpore tuo.* Ac ſi dicat Sapiens : ô Salomon cum eſſes tam ſapiens, ut nemo mortalium te ſapientia ſuperaret , ſed tu ſuperares omnes ; tamen paſſus es te vinci & ſuperari ab obſcœna & turpi voluptate corporis. Et ita dediſti, ſeu inuſſiſti magnam maculam gloriæ tuæ, quam tibi per ſapientiam comparaveras.

CAPUT XLVIII.

℣.5. **E***T ſurrexit Elias propheta , &c.* Ac tandem v. 10 *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini , conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Sixtina, teſte Franciſco Luca, reſtituerunt (*judiciis*) per u vocalem, non (*indiciis*) per n conſonantem. Græcè eſt , (*in reprehenſionibus in tempora.*) Ac ſi dicat Eccleſiaſticus; deſignatus eſt Elias ad reprehendenda, & judicanda peccata populi, ſed certo tempore; nempe in fine ſæculi, ut tunc leniat & mitiget iram Dei, antequam ſuperveniat dies judicij. Item *conciliare cor patris ad filium*, id eſt, ad reconciliandum cor patris filio, ut videlicet filius paternam ſequatur pietatem & religionem, *& reſtituere tribus Iacob.* Quibus verbis manifeſta fit alluſio ad prophetiam Malachiæ ult. *Mittam vobis Heliam prophetam , antequam veniat dies Domini magnus , & horribilis , ut convertat cor patrum ad filios, &c.* Patet quoque hinc locum illum Malachiæ ad litteram de ipſo Elia intelligendum , & non de Ioanne Baptiſta , quamvis ille venerit in ſpiritu & virtute Eliæ, ut patet Luc. 1.

℣.13. *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus.* Et v. ſeq. *Et mortuum prophetavit corpus ejus. Quæritur* quid prophetavit ? aut quomodo prophetare potuit corpus mortuum ? *Reſpond.* Græcè eſt , *In dormitione prophetavit corpus ejus.* Per quod ſignificatur ſanè dormire potius, quàm mortuum eſſe corpus Eliſæi, id eſt, ita illud quieſcere, ut aliquando ſit reſuſcitandum. Nam qui dormiunt, evigilaturi dormiunt. Hanc ergo reſuſcitationem mortuorum, quam corpus Eliſæi expectabat , idem ipſum corpus etiam prophetabat. Sed quomodo prophetabat ? non ſermone, ſed opere & miraculo; quando videlicet contactu ſuo ſuſcitavit aliud corpus mortuum, 4. Reg. 13. Per hoc enim ſignificatum eſt , & ipſum Eliſæi corpus multò magis reſuſcitandum eſſe, & non eſſe impoſſibilem generalem mortuorum corporum reſurrectionem. Nec ſatis vim hujus ſententiæ explicant , qui dicunt corpus Eliſæi mortuum prophetaſſe , quia miraculum fecit, quaſi hoc loco prophetare non ſit aliud , quàm miraculum facere ; plus enim illa voce ſignificatur, ut jam oſtendimus.

℣.25. *Et fidelis in conſpectu Dei.* Græcè , ἐν τῇ ὁράσει αὐτοῦ , id eſt , in viſione ſua vel ejus. Significat Iſaiam fuiſſe prophetam fideliter referentem omnia quæ ſibi in viſione prophetica fuerant oſtenſa. Qua in re non tantùm diſtinguitur à pſeudoprophetis mentientibus

tientibus ſe habere revelationem à Deo, ſed etiam à prophetis quibuſdam prophetantibus ad gratiam, addendo vel detrahendo aliquid iis quæ ſibi erant revelata, vel præ metu omnino tacentibus, qualis erat Jonas quando fugit à facie Domini, ne prædiceret everſionem Ninive.

℣.26. *In diebus ipſius retro rediit ſol.* Vide hiſtoriam 4. Reg. 20. *Ipſius* intellige Iſaiæ; nam ipſius nomen proximè præcedit, & non Ezechiæ. Et conformiter eidem Iſaiæ tribuendum, quod immediatè ſubjungitur: *Et addidit regi vitam*, juxta quod idem Iſaias cap. 38. ſuæ prophetiæ commemorat, ſe dixiſſe ad regem: Sic enim ibi legimus: *Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens: Vade, & dic Ezechiæ.* Addidit ergo regi vitam, exhibito prodigio, quo Deus teſtificabatur ad vitam regis additum iri quindecim annos. B Gloſſa interlinearis hoc de ſole interpretatur, qui ſuo retroceſſu addiderit, id eſt, additam oſtenderit regi vitam. Sed nos cum Lirano & Janſenio melius de Iſaia accipimus. De quo etiam continuò ſequitur: *Spiritu magno vidit ultima, & conſolatus eſt lugentes in Sion.*

CAPUT XLIX.

℣.5. P*Raeter David, & Ezechiam, & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt:* Peccatum infidelitatis & idololatriæ videtur intelligi. Nam ita ſequitur: *Nam reliquerunt legem altiſſimi, & contempſerunt timorem Dei.* Sed *quæritur*, quomodo id verum ſit, cum Ioſaphat & Ioathan non legantur Dei cultum reliquiſſe, ſed omninò videantur in pietate defuncti. Et quidem Ioathan nulla omninò in re culpatur, niſi quod populus adhuc C immolabat in excelſis. Itaque dici poteſt, eos peccaſſe permittendo excelſa, quod non permiſerunt Ezechias, & Ioſias. David autem licitè illa permiſit, quia tunc templum nondum erat ædificatum. Vide Notat. 3. Reg. 15. & 2. Paralip. 20. & 27. Ioſaphat autem etiam in eo graviter deliquit contra Dei religionem, quod fœdus & amicitiam junxerit cum impiiſſimo Achab; quodque ab eo fœdere, nec monitus quidem à propheta, receſſerit: quia continuavit illud etiam cum Ochozia filio Achab. Item quod nurum ſibi aſſumpſerit Athaliam filiam Achab impiiſſimi, ipſam quoque non minus impiam in Deum, ut liquet ex hiſtoria Regum & Paralip. per quam graviſſima mala in religionem, & D rempub. poſteà conſecuta ſunt.

℣.7. *Dederunt enim regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam aliena genti.* Dederunt, non ſua voluntate, ſed dediſſe dicuntur, quia peccatis eorum effectum eſt, ut regnum illud glorioſum Juda veniret in manus alienorum Regum & gentium, quomodo & Proverb. 5. ſcriptum eſt: *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli, ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena.*

℣.17. *Neque ut Ioſeph — & oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt.* Quomodo prophetaverunt, *quæri* poteſt. *Reſpond.* quia mandatum ipſius & cura filiorum Iſraël de oſſibus ejus transferendis, non leve erat præpoſitum argumentum reſurrectionis futuræ. Significatur enim, ea propterea tam honorificè E tractari, non tantùm quia fuerunt, ſed etiam quia aliquando ſurſum erunt templa Dei. Gentiles autem ſpem reſurrectionis non habentes, non curabant oſſa ſuorum ſervare, etiamſi veldè caros habuiſſent; tantum cineres eorum ſtudioſè includebant, ne quam fortè contumeliam acciperent.

℣.19. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt.* Quæritur quare in laudibus ſanctorum patrum nulla mentio de Melchiſedech? An quia non fuit laudabilis? Sed quis hoc dicat de eo, cujus nuſquam niſi in bonum Scriptura meminit; qui fuit rex & ſacerdos, Chriſti typum velde expreſſum gerens; de quo tam multa & tam præclara Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos? An A quia non fuit homo ſed Angelus aut Spiritus ſanctus, ideoque non inter homines laudandus? Sed exploſa jam olim eſt iſta opinio.

Dices fortè non eſſe prætermiſſum, quia idem eſt cum Sem, qui hoc extremo loco, laude non extrema extollitur. Sed nec illud recipi poteſt propter rationes alibi ſcriptas Geneſ. 14. Vera igitur ratio hæc videtur, ideo ſcilicet prætermiſſum Melchiſedech, quia inſtitutum fuerat Eccleſiaſtico laudare non omnes viros celebritate nominis laudabiles, ſed eos ſolùm qui ad genus populi Iſraelitici pertinerent aliquo modo. Sic enim ait cap. 44. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua:* Melchiſedech autem ad genus illius populi non pertinuit. Fuit enim de genere ac gente Chananæorum, ex poſteritate Cham, ut diximus, B citato cap. 14. Gen.

CAPUT L.

℣.1. S*Imon Oniæ filius.* Hic Simon, cujus hoc loco laudes ponuntur, fuit pōtifex Judæorum poſt captivitatē, tempore Ptolomæi Evergetis regis Ægypti. Onias autem pater hujus, non eſt ille, de quo mentio fit 2. Machab. 3. qui legitur crudeliter fuiſſe interfectus, cap. 4. v. 34. ſed aliquot pontificibus interpoſitis fuit ante eum. Quamvis autem nulla alia ſcriptura canonica mentionem faciat hujus Simonis Oniæ filii, non tamen dubitandum eſt de laudibus ejus, quas hoc loco Eccleſiaſticus, Ieſus filius Sirach commemorat, maximè cum ille eodem ferè tempore extiterit, ita ut ea narrare videatur, quæ ipſe oculis conſpexit, ſicut in C hunc locum ſcribens teſtatur Rabanus.

Qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit templum. Utraque parte ſententiæ idem dicitur. Videtur, ſcilicet, eum inſtauraſſe & firmaſſe templum Domini, quod per Zorobabel erat fundatum, & ædificatum. Porrò hæc ſententia uſu Eccleſiaſtico attribuitur ferè ſanctis confeſſoribus pontificibus, nō iam propter materialis templi ædificationem vel inſtaurationē (quamvis nec illam ſancti pontifices neglexerint) ſed magis propter ædificationem, & inſtaurationem templi ſpiritualis, quod ex vivis conſtat lapidibus; & creſcit, ſcilicet, per fidem, & ſanctam converſationem.

℣.27. *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non eſt gens, quam oderim. Qui ſedent in monte Seir, & Phi-* D *liſthiim, & ſtultus populus, qui habitat in Sichimis.* Illud *tertia autem non eſt gens, quam oderim*) Liranus ſic interpretatur. Tertia gens ejuſmodi eſt, ut non ſit alia gens, quam æquè vel magis oderim. Græcè tantum eſt, *Tertia non eſt gens.* Hoc enim de Sichimitis intelligendum, id eſt, iis qui habitabant inter Iſraelitas in Sichimis, ſeu Samariæ. Hi autem ſimul cum diis Aſſyriorum unde tranſlati illuc erant, colebant ſimul Deum terræ. Vide 4. Reg. cap. 17.

CAPUT LI.

℣.1.2.& 3. O*Ratio Ieſu filii Sirach. Confitebor tibi Domine rex, &c.* Hujus orationis magnam partem Eccleſia ſanctis Virginibus, in officio E Eccleſiaſtico accommodat. Cujus ratio potiſſima videtur, quia hic dicitur: *Liberaſti corpus meum à perditione.* Et rurſum; *Liberaſti me à preſſura flammæ, quæ circumdedit me.* Quæ verba aptiſſimè recitantur in perſona ſanctæ Virginis, ejus maximè, cujus pudicitia aliquando fuerit periclitata, propter vim quæ videbatur inferenda. Ita perditio intelligitur corruptela corporis; flamma & ignis, concupiſcentia turpiter amantis, à qua confitetur ſe liberatam. Ad literam perditio intelligitur mors corporis; preſſuræ flammæ & ignis, magnitudo tribulationum; è quibus ſe ereptum fatetur, pro quo gratias agit Deo.

℣.13. *Pro morte defluente deprecatus ſum*, Græcè pro

mortis

mortis defluxu; id eſt, ne inciderem in mortem; qua corpora noſtra defluunt, & reſolvuntur in terram & cinerem. Græca non tantum defluxum ſignificant, ſed etiam liberationem. Quo modo ſi legamus, ſenſus etiam erit manifeſtior, q. d. Pro mortis liberatione deprecatus ſum, & oravi Deum, ut me à morte liberaret. Significat autem hac oratione Sapiens, ſe in gravi quodam mortis periculo conſtitutum, ſingulari ope divina inde fuiſſe liberatum.

℣. 14. *Et in tempore ſuperborum.* Tempus ſuperborum tunc eſt, quando ſuperbi florens & prævalent. Sic in Evangelio: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

℣. 18. *Cùm adhuc junior eſſem, priuſquam oberrarem,* A *quæſivi ſapientiam palam in oratione mea.* Commemorat, quomodo ſtudio ſapientiæ ſe dederit jam tunc, quando adhuc junior erat, id eſt, à prima ætate. Hæc ergo ſententia indicat longè facilius eſſe homini diſcere ſapientiam in prima ætate, id eſt, ab annis pueritiæ, vel adoleſcentiæ, quàm in ætate virili, aut ſenili. Quia qui eam diſcit in ætate virili, aut ſenili, plerumque imbutus eſt vitiis & erroribus contractis per ætatem contractis. Itaque duplici labore opus eſt; & ad extirpandum germina vitiorum & errorum, & ad tolerendam ſapientiam. In puerili autem ætate nondum radices egerunt vitia, aut opiniones erroneæ. Et hoc eſt quod ait (*priuſquam oberrarem*) id eſt, priuſquam in varios errores & vitia progreſſu ætatis præcipitarer.

FINIS ECCLESIASTICI.

ANNOTATIONES

IN PROPHETIAM ISAIÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣. 1. *Viſio Iſaiæ filij Amos.* Tradunt Hebræi, ut ſcribit S. Hieron. in principio Commentarij ſuper Sophoniam, cujuſcumque prophetæ pater aut avus ponatur in titulo, ipſos quoque prophetas fuiſſe. Unde & Amos unus de duodecim prophetis qui dixerat; *Non ſum propheta nec filius prophetæ, ſed paſtor caprarum vellicans ſycamoros*; patris nomen in titulo nō habet. Illud autem ita eſſe Hieron. non affirmat, ſed magis utrum ita ſit, dubitat. Subjungit enim eodem loco: Hoc ſi verum eſt; Sophonias propheta, &c. At ſanè non apparet verum eſſe. Conſuetudo enim eſt Hebræorum, ut nominibus ſuis propriis, cognominum loco addant nomen patris, hoc modo, *Ioſue filius Nun, David filius Iſai, Abner filius Ner.* Sic Iſaias lib. 4. Reg. & 2. Paralip. vocatur filius Amos nulla facta ſignificatione quod Amos pater ejus, fuerit propheta. Qua ratione, & ipſe hoc loco & aliquoties infra ſe ſcribit filium Amos. Idem fecerunt plerique alij prophetæ. Nonnulli verò, ut Sophonias & Baruch plures attexuerunt majores; non quod illi quoque prophetæ fuerint, ſed vel ob generis claritatem, vel ob gratam majorum ſuorum memoriam, vel aliam quamcumq; ob cauſam. Quidam verò tacent omnino patris nomen, ut Amos, Abdias, Michæas, Nahum, Abacuc, Aggeus, Malachias; non ob cauſam quam tradunt Hebræi: ſed quia non ita mos erat Hebræorum, addito patris nomine ſe nominare, quin ſæpe etiam patris nomen omitterent. At hujuſmodi exemplis plena eſt Scriptura. Addiderūt autem hi prophetæ nomen patriæ ſeu loci habitationis; exceptis Abdia, Abacuc, Aggæo & Malachia, nam Amos Thecuiten ſe vocat, Michæas Moraſthiten, Nahum Elceſæum.

℣. 5. *Super quo percutiam vos ultra addentes prævaricationem?* Sicut magna miſericordia Dei eſt, quod affligat hominem peccantem, ut pœnis admonitus reſipiſcat; ita magna & extrema eſt hominis malitia, ſi ne caſtigatus quidem ad Deum convertatur. Et hoc eſt quod ait: *Super quo percutiam vos ultra?* q. d. me puniente vos propter peccata, & apponente plagas plagis, & vobis nihilominus addentibus peccata peccatis, & prævaricationem prævaricationi, tantum abeſt, ut flagellis admoniti reſipiſcatis. Porrò illud (*ſuper quo?*) A duobus modis accipi poteſt. Vel, *ſuper quo?* id eſt, ſuper quo membro, vel in qua corporis parte? q. d. ita omni ex parte corporis percuſſi eſtis, ut nullum reſtet membrum percutiendum. Conſiderat enim propheta totum populum tanquam unum corpus; cujus diverſa membra, ut principes, ſacerdotes, plebeji variè fuerant afflicti; neque tamen à peccando deſiſtebant. Vel hoc modo; *ſuper quo?* id eſt, qua plaga vel afflictione vos ultra percutiam? Ac ſi dicat: Omne genus plagarum adhibui, B & conſumpſi ad vos percutiendos & reducendos ad me, ita ut vix ulla plaga infligenda ſuperſit. Utraque expoſitio eſt apud Hieron.

℣. 6. *A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Non de ſingulis hominibus loquitur, ſed de populo, quem comparat corpori multis membris conſtanti. Eſtque ſermo hyperbolicus, quo ſignificatur paucos, & vix ullos eſſe in illo populo ſanos, & integros ſecundum animum, coram Deo. Sed *dices*, Nunquid non Ezechias rex, qui erat vertex illius populi, ſanus & ſan- C ctus erat tantoperè laudatus in hiſtoria ſacra? *Reſpondeo* non conſtare quod hæc verba ſcripta fuerint tempore Ezechiæ. Nam vel tempore Achaz, vel tempore Manaſſæ, qui peſſimi reges fuerunt, ſcripta fuiſſe dici poteſt. Deinde per *verticem*, non unus homo, ſed multi poſſunt intelligi, videlicet proceres omnes & capita multitudinis.

℣. 9 *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſe-* D *mus.* Quidam ſic: Niſi Dominus reliquiſſet nobis paucos illos, ex captivitate Babylonica reverſos in Judæam, ſub Zorobabel & Jeſu, tota gens noſtra periiſſet, ſicut Sodoma & Gomorrha. Sed aliam veriorem, & ſublimiorem nobis interpretationem ſuggerit Apoſt. Paulus Rom. 9. hanc videlicet, *Niſi Dominus reliquiſſet nobis*, id eſt, judaico populo parvas reliquias, videlicet Apoſtol. ac diſcipulos Chriſti, ſanctas aliquot fœminas, alioſque paucos, qui crediderunt ex Judæis; tota Judai- E ca gens quantum ad veram pietatem, fuiſſet abolita, & deleta. Scilicet, quia populus Judaicus Chriſtum repulit, pauci tamen ſupradicti eum receperunt.

℣. 11. *Plenus ſum*, id eſt, his abundo, habeo quantum volo; imò omnia mea ſunt. Hoc breviter dicit quod multis verſibus Pſalmiſta pſalm. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam mea ſunt aves, feræ ſylvarum, jumenta in montibus*

& boves. Cognovi omnia volatilia cœli; & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Vel ſenſus eſt: Satur ſum (ſic enim eſt in Hebræo) id eſt, abundè ſatis hæc mihi obtuliſti. Quomodo aliquis cui nimia copia ad edendum apponitur, jam ſatiatus diceret: Quo mihi hæc ciborum copia?

℣.13. *Incenſum abominatio eſt mihi.* Videtur hoc ex diametro pugnare cum eo quod Exodi 29. de incenſo, id eſt, de ariete toto in incenſum oblato dixerat Dominus: *Oblatio eſt Domino, odor ſuaviſſimus victimæ Domini.* Et iterum: *Incendes univerſa ſuper altare in holocauſtum, odorem ſuaviſſimum in conſpectu Domini.* Sed antilogiam facile tollit loci circumſtantia. Subjungitur enim hoc loco cauſa abominationis: *Quia manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Placet ergo oblatio ex pietate profecta: diſplicet quæ procedit ex hypocriſi, & animo impuro.

℣.18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Sermo improprius, neque enim peccata dealbantur, aut munda, aut pulchra ſiunt quando ea homini remittuntur: Sed hoc dicitur ea phraſi qua dicimus ſordes purgari; quomodo Chriſtum dicit Apoſtolus Hebr. 1. purgationem peccatorum facere, id eſt, hominem purgare à peccatis. Sic igitur hunc locum expone: Si peccata veſtra vos totos reddiderint immundos & commaculatos, perinde ac ſi coccino aut vermiculo tincti toto corpore eſſetis: ita ea penitus à vobis auferam & delebo, ut inſtar nivis & lanæ mundiſſimæ albi & candidi, id eſt, mundi, efficiamini, fiatque vobis quod Pſalmiſta precatur Dominum, dicens pſalm. 50. *Lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Vide comment. Hebr. 1.

℣.19. *Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis, ſi autem nolueritis, &c.* Locus apertiſſimus pro libero arbitrio. Cæterum quomodo conſiſtat libertas arbitrij cum efficaci operatione gratiæ Dei, vide Eſther. 15. v. 15. ad illud, *Convertit Deus ſpiritum regis.*

℣.22. *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: Vinum tuum miſtum eſt aqua.* Invehitur in multiplices injuſtitias habitatorum Jeruſalem, ut quod ſcoriam pro argento venditarent, quod vinum dilutum pro mero venderent. Unde Septuaginta poſteriorem ſententiam ita verterunt: *Caupones tui miſcent vina aquam.* Ad hæc autem & hujuſmodi principes populi connivebant muneribus corrupti. Unde ſequitur. *Principes tui infideles, ſocij furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones.*

℣.23. *Omnes diligunt munera.* Hieronym. in hunc locum: Non dixit, qui accipiunt; hoc enim ſæpe neceſſitate fit: ſed qui non putant amicos niſi à quibus dona perceperunt, nec os conſiderant amicorum, ſed manus, &c. Sed propheta propriè de illis agit qui reſpectu munerum pervertunt juſtitiam. Contra quas munerum acceptiones ſæpiſſimè agit Scriptura.

Omnes ſequuntur retributiones. Adferunt quidam hunc locum, ut oſtendant Deo non eſſe ſerviendum propter mercedem aliquam aut retributionem; Nam graviter videtur id propheta hic reprehendere. Sed facilis reſponſio eſt: Nam agitur hic de retributionibus, quæ non ſunt Deus. Nam præcedit: *Omnes diligunt munera*, ubi ſatis oſtendit ſe agere de muneribus & retributione, quæ extra Deum eſt. Sed non pugnare inter ſe, gratis Deo ſervire, & ſervire Deo, ut fruamur ſolo Deo, apertè docent illa verba, pſalmo 118. quæ ſunt Davidis viri ſecundum cor Dei: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem;* quibus ſimilia ſunt de Moyſe Hebr. 11. de Apoſtolis Matth. 19. Et prius Deus ipſe, ut Abrahamum excitaret, dixit Geneſ. 15. *Ego merces tua magna nimis.* Vide etiam Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. & can. 13. Denique Eccleſia quoque de ipſis Martyribus canit; Omnes ſancti quanta paſſi ſunt tormenta ut ſecuri pervenirent ad palmam. Item, Tradiderunt corpora ſua ut hæredes fierent in domo Domini. Et iterum; Sed permanent immobiles vitæ perennis gratia. Vide noſtra plenius in 1. ſent. diſt. 1.

CAPUT II.

℣.2. E*T erit in noviſſimis diebus, præparatus Mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Noviſſimi hi dies deſignant tempus de quo Joannes 1. Epiſtolæ cap. 2. *Filioli noviſſima hora eſt*, & complectitur ultimam ætatem mundi, ſcilicet tempus ab adventu Meſſiæ in carnem, uſque ad diem judicij. Mons verò domus Domini ab aliis intelligitur ipſe Chriſtus, de quo Dan. 2. Videlicet lapis qui percuſſerat ſtatuam, & factus eſt mons. Alij ipſam Eccleſiam Chriſti intelligunt, ut ſit idem *Mons domus Domini*, & ipſa domus Domini. Id quod poſterioribus verbis ſatis indicatur, dum dicitur: *Venite, aſcendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob*, quaſi idem ſit mons Domini & domus Dei Iacob. Et notandus hic locus contra hæreticos, ad oſtendendum Eccleſiam eſſe viſibilem & manifeſtam; & talem, quæ non modo ab iis qui in ea ſunt, conſpici ac demonſtrari poſſit; verùm etiam ab iis, qui nondum eam ſunt ingreſſi. Neque enim omnes gentes confluxuræ ad eam dicerentur; & alius alium invitaret, dicendo, *Venite aſcendamus ad montem Domini, &c.* niſi certis quibuſdam ſignis conſpicua eſſet Eccleſia, & demonſtrabilis. Unde magna eſt cæcitas hæreticorum, qui Eccleſiam Chriſti videre ſe negant, quam viderunt omnes gentes, etiam ipſi perſecutores Eccleſiæ. Neque enim eam perſequi potuiſſent, niſi cognitam ſibi & perſpicuam. Sed ita cæci ſunt hæretici more Sodomitarum, ut, ſcilicet, non poſſint invenire oſtium domus, quo intrent.

℣.3. *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Hoc factum eſt in die Pentecoſtes & deinceps, quando Apoſtoli legem Chriſti novam, & Evangelium prædicaverunt, primum Jeroſolymis, deinde per Judæam & Samariam, ac demum per gentes in variis mundi partibus; juxta id quod præceperat & prædixerat eis Dominus Actor. 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.* Et Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes.* Et rurſum Lucæ 24. *Prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Ieruſalem.*

℣.22. *Quieſcite ergo ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.* Obſcura ſententia, & variè exponitur. Hieron. de Chriſto intelligit hoc modo: *Quieſcite ergo ab homine, &c.* q. d. Moneo vos, ut diligenter caveatis ab homine, qui ſpirat & vivit more cæterorum animalium, id eſt, ab homine mortali, neque eum contemnendum putetis; quia licet mortalis ſit ſecundum hominem, tamen *excelſus reputatus eſt ipſe*, ſecundum naturam ſuperiorem, nempe divinam. Alij ferè omnes tam vetuſti quàm recentiores interpretes, illam poſteriorem ſententiæ partem (*quia excelſus reputatus eſt ipſe*) vertunt ferè hoc modo per interrogationem (*In quo enim reputatus eſt ipſe*)? Eſt enim vocabulum Hebræum ambiguum ad (*excelſum*) & (*in quo?*) Et ſenſum hunc reddunt. Deſinite timere hominem mortalem, cujus vita conſiſtit in ſpiratione, qua ceſſante, extingui eum neceſſe eſt: Nam quanti talis æſtimandus eſt? q. d. Nihili. Sed potius timete Deum immortalem & omnipotentem. Et huic ſententiæ favet, quod immediatè ſubnectitur capite proximo: *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, &c.*

CAPUT III.

℣.12. P*Opule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Qui te beatum dicunt, id eſt, qui tibi proſpera futura nunciant, & quæ ad felicitatem pertinere videntur humanæ vitæ. Loquitur enim contra Pſeudoprophetas, qui ſolebant, ut placerent hominibus, omnia fauſta polliceri. Contra quos Jeremias in Threnis, nec non Ezechiel, & Michæas, ille qui redarguit Pſeudoprophetam Sedechiam. 3. Regum 22. qui aſſumptis cornibus falsò dixerat regi Iſraël: *His ventilabis Syriam, donec atteras eam*, imò fuit Michæas propter reprehenſionem, hujus falſi prophetæ miſſus in carcerem.

℣.18. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, &c.* Enumerat viginti & unum ornamenta veſtitus ac ſupellectilis, ſeu mundi muliebris. Notandum autem prophetam non reprehendere filias idcirco propriè, quod hujuſmodi ornamenta habuiſſent, iiſve uſæ fuiſſent. Nam & Rebecca talia accepit, donata ſibi à ſervo, & procuratore Abrahæ, Geneſ. 24. Et Eſther taliter coronata proceſſit ad regem; imò & Iudith vidua poſt jejunia & orationes, mundum hujuſmodi muliebrem ſumpſit, eoque ſe ornavit, proficiſcens ad Holofernem, Iudith 10. Sed reprehendit hic Iſaias abuſum eorum ornamentorum, quod filiæ Sion iis abuſæ eſſent ad ſuperbiam & laſciviam. Sic enim præcedit ante hæc verba verſ. 16. *Pro eo quod elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulaverunt pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant; Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, &c.* Ac mox iſta ſubjungit: *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas, &c.* Illis ergo aufert iſta, quæ iis fuerant abuſæ. Quamquam etiam tam longa enumeratione ornamentorum illud in eis reprehenſione dignum ſignificat, quod vario & multiplici cultui comparando plus ſatis deditæ fuerint. Quomodo in illis qui divitias juſtè acquirunt & poſſident non eſt reprehendendum quod divitias habeant, ſed quod iis malè utantur, quodque iis congerendis nimium ſtudeant.

CAPUT IV.

℣.1. E*T apprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illa dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur: Tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos, Aufer opprobrium noſtrum.* Secundum litteram refertur ad captivitatem Babylonicam, & exciſam tunc Jeroſolimam, atque etiam ad excidium poſteà factum per Romanos. Et ſignificatur tantam tunc futuram virorum cædem, ut ſeptem mulieres, id eſt, multæ mulieres vix unum maritum invenire poſſint. Sic enim præceſſit in fine capitis præcedentis: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mœrebunt, atque lugebunt portæ ejus, & deſolata in terra ſedebit*; Scilicet Jeruſalem. Quod ergo dicunt: *Tantummodo invocetur nomen tuum ſuper nos; aufer opprobrium noſtrum*, ſenſus eſt: Hoc tantum petimus, ut dicaris noſter maritus, & nos tuæ uxores; nam ita fiet, ut auferatur opprobrium noſtrum: Scilicet probroſum erat in illo populo mulierẽ manere innuptam, & non facere ſemen in Iſraël. Deut. 7. Cæterùm ex hoc loco diſcimus, phraſi ſcripturæ, invocari alicujus nomẽ ſuper alium, nihil aliud eſſe, quàm aliquem appellari addito nomine alterius. Ita Iacob Gen. 48. de Manaſſe & Ephraim: *Invocetur nomen meum ſuper eos*, id eſt, vocentur filij Iacob. Sic Eccl. 36. *Plebi ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*, id eſt, quæ vocatur plebs tua, populus Dei. Ita quoque illud Ier. 14. *Tu autem in nobis es* A *Domine, & nomen ſanctum tuum invocatum eſt ſuper nos*, id eſt appellamur populus tuus: quæ appellatio ad magnum illius populi honorem pertinebat.

Eſtij Annotat. in Script.

Myſticè autem hæc prophetia ad multiplicationem Eccleſiarum novi Teſtamenti ſub ſeptenario numero pertinet, & ſignificatur quod omnes apprehendent virum unum, Chriſtum ſcilicet, & quod ſuper omnes invocabitur nomen Chriſti, id eſt, quod omnes appellabuntur Eccleſiæ Chriſti, non Arij, aut Sabellij, non Lutheri, aut Calvini, &c.

CAPUT V.

℣.1. C*Antabo dilecto meo Canticum patruelis mei, vineæ ſuæ.* Imprimis obſerva illud (*vineæ ſuæ*) eſſe dativi caſus. Id enim manifeſtum eſt, tum ex B Hebræo, tum ex Græco. Itaque hic intelligendum (cantandum) vel aliquid ſimile. Cæterùm *dilectum ſuũ* & rurſum *patruelem ſuum* vocat propheta Chriſtum; non tantùm, quia ex eodem populo, nempe Judaico Chriſtus erat naſciturus; ſed etiam quia ex eadem ſtirpe. Erat enim propheta Iſaias ex tribu Juda, & regio ſanguini per matrimonium commixtus. Unde rectè Chriſtũ patruelem, id eſt, conſanguineum ſuum (aliis, gentilem ſuum) vocat. Senſus igitur eſt: Lubet canere in gratiam Chriſti dilecti mei, Canticum ejuſdem Chriſti patruelis mei, id eſt, conſanguinei ſecundum carnem, *canticum vineæ ſuæ*, quod videlicet Chriſtus, ubi in carnem venerit, cantabit vineæ ſuæ populo Judaico. Sanè cecinit hoc carmen Chriſtus Matth. 21. quando parabolam propoſuit de patrefamilias, qui plantavit vi- C neam, & locavit eam agricolis. At *dicet* aliquis. Non ibi vinea culpatur, ſed agricolæ, non adferentes Domino ſuo fructum ex vinea. *Reſpondeo* in parabolæ ratione idem eſt, ſive vinea fructum facere dicatur, ſive vineæ cultores fructum ex vinea Domino adferre. Utroque enim modo ſignificatur populus Judaicus à Domino honoratus & excultus; & fructum tamen minimè adferens. Habetur eadem parabola etiam Marci 12. & Lucæ 20. & multa ibi conveniunt cum his quæ hic habentur.

℣. 4. *Quid eſt quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci ei?* Deus vineæ ſuæ, ſi propriè loquendum eſt, nihil debet, ſed loquitur hic humano more, & parabolicè, aſſumens ſimilitudinem vineæ & cultoris. Culto- D ris enim officium eſt adhibere culturam externam, quanta opus eſt, ut vitis fructum ferat. Ita Deus egit in illo populo: magna beneficia præſtitit, elegit eum ex omnibus populis, & ab illis ſeparavit; quaſi ſepem circumdans, legem dedit & ſacerdotium; prophetas miſit, Doctores dedit; & tamen vinea fructum non fecit. Nota autem quod non dicit: Pluviam dedi in tempore, ſolis ardores prohibui, fœcunditatem præſtiti. Hæc enim non exiguntur à cultore vineæ, cui ſe Deus comparat. Unde non rectè ſumunt ex hoc loco argumentum, qui docent Deum omnibus hominibus dare ſufficientia ſalutis auxilia. Non enim gratia Dei ſuſpenditur ex hominum acceptatione, ut non ſit gratis & prædeſtinatio hominis merè gratuita. Vide Ambr. lib. 7. in Lucæ 20. ubi exponens hunc locum tantùm intelligit adminicu- E la externa, ut legem, prophetas, &c. Adde, quod hic peculiariter ſermo eſt de populo Iſraëlitico. Unde non ſequitur, ſi illi ſingularia illa præſidia data ſunt à Deo; ergo omnibus hominibus data eſſe: Imò potiùs contrarium ſequitur, non omnibus data eſſe.

℣. 12. *Et opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis.* Hebraïcè in utroque membro *opus* ſingularis eſt numeri, licet diverſa ſint vocabula. Sic pſal. 89. in fine, licet noſtra verſio bis habeat opera, & ſemel opus; in Hebræo tamen ſingulare tantùm legitur. Hoc loco per opus vel opera manuum Domini, quidam intelligunt pauperes, de quibus Salomon Proverb. 17. *Qui deſpicit pauperem exprobrat factori*

eius. Et cap. 22. *Dives & pauper obviaverunt ſibi: utriuſque operator eſt Dominus.* Sic ſenſus erit: Ita ſeſe occupant deliciis & luxu, ut nullam habeant curam pauperum. Quidam intelligunt legem Dei ob id dictam opus Domini, quia digito ejus ſcripta fuit. Alij univerſam creaturam Dei; cujus attenta contemplatio mirificè excitare ſolet homines ad laudem Dei. Sic dicitur pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Hic ſenſus præ cæteris placet, utpote Scripturis aliis admodum conſentaneus, quemadmodum exemplis bene oſtendit Forerius; qui tamen etiam alium ſenſum annectit.

℣. 13. *Propterea captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Nota, Deus ſcientiam requirit, nec ſolùm in præfectis, ſed etiam in populo, nempe pro populi conditione, ut videlicet de Deo, religione, moribus, ſciat, quæ ipſi ad benè vivendum ſunt neceſſaria. Neque debet paſtoribus ſatis eſſe populum habere catholicum, etſi rudem. Debent enim hoc quoque agere, ut eundem erudiant, & utcumque intelligentē faciant eorum quæ credit. Unde etiam patet illud Apoſtolicū: *Scientia inflat*; non crudè accipiendum, ſed intelligendum de ſcientia, quæ adverſus charitatem ſe erigit: Unde connectit illa Apoſtolus 1. Cor. 8. *Scientia inflat, charitas verò ædificat.* Et patet hic intellectus, quia immediatè præcedit in hoc ipſo capite: *Et opus Domini non reſpicitis, nec opera manuū ejus conſideratis.* Culpatur ergo populus, quod non habuerit ſcientiam, id eſt, quod non conſideraverit, ut debebat, opera Domini.

CAPUT VI.

℣. 5. ET *regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* Veriſimile eſt vidiſſe in illuſtri ſpecie humani vultus, quem Chriſtus in carne habiturus erat. Vide Annot. Num. 12. & noſtra in 2. ſentent. diſt. 8.

℣. 8. *Et dixi: Ecce ego; mitte me.* Offert ſe propheta ad munus propheticum, & annunciandum populo voluntatem Dei; quæ functio hodie ad paſtores Eccleſiæ pertinet. Ex quo manifeſtum eſt licitum eſſe, ut quis ſe cum modeſtia ad munus paſtorale offerat; modò illud obſervetur, quod Iſaias propheta obſervavit, id eſt, ut non niſi velut mundatus contactu calculi ex altari; id eſt, ſuperna gratia, & purgatus ab omni pravo affectu, & ſiniſtra intentione, ad tam eximiam functionem ſe accingat; nequaquam autem ut ditescat, honoretur, aut præſit; ſed tantùm ut proſit. Inſignis eſt D. Bernardi ſententia Epiſt. 42. Aliud, inquit, eſt ambire dignitatem humano affectu, aliud ardere deſiderio benè merendi de plurimis. Quod ſanè non modò eſt licitum, ſed & eximiæ charitatis indicium, ſummaque laude proſequendum. Hinc namque Apoſtolus ait: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Et Greg. de cura paſtorali: Laudo quod quæritis, ſed prius diſcite, quid quæritis. Et adfert hoc exemplum de Iſaia, qui ſe obtulit ad prædicationis officium, ſed prius mundatus. Vide etiam Hieronym. in 2. ad Damaſum Epiſt.

℣. 10. *Excæca cor populi hujus.* Nota in ſcriptura peculiariter, & quaſi per excellentiam eos dici excæcari, & obdurari à Deo, qui propoſito ſibi divinitus inſigni aliquo lumine ac præſidio ſalutis, quo ad credendum, vel agendam pœnitentiam moveri debebant, tanti boni occaſione redduntur multò magis obtenebrati ac depravati Deoque rebelles; adeò ut tunc quaſi impoſſibile ſit eos converti; ſicut naturaliter impoſſibile eſt hominem cæcum illuminari, aut durum lapidem emolliri. Quo ſenſu Dominus in Exodo aliquoties dicitur induraſſe Pharaonem. Vide ibi, & in comment noſtro in 1. ſentent. diſtinct. 40.

CAPUT VII.

℣. 9. SI *non credideritis, non permanebitis.* Paſſim hoc citatur ſecundum Septuaginta. *Niſi credideri-*

A *tis non intelligitis.* De quo dicto ſciendum eſt, quod videtur huic contrariari, id quod dicit Aug. in pſ. 118. con. 18. ubi dicit quædam eſſe quæ non credimus, niſi prius intelligamus. Sed explicat ſe Auguſtinus dum ſubjungit: Cum fides ſit ex auditu, auditus autem per Verbum Dei, quomodo credit prædicanti fidem, qui, ut alia taceam, linguam ipſam, qua loquitur, non intelligit? Vult ergo Auguſtinus ad eam fidem, quæ ex auditu eſt, ſuſcipiendam, neceſſarium eſſe, ut præcedat grammatica ſaltem, & vulgaris verborum intelligentia. Primum ſcilicet intelligi debet ſermo prædicantis; deinde fides ejus verbis accommodanda; poſtremò, tanquam fidei merces expectanda eſt ipſius rei creditæ intelligentia aliqualis, utpote imperfecta in hoc ſæculo, perfecta verò in altero. Vide noſtr. in 3. diſt. 24.

B ℣. 12. *Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.* Sophiſticum eſt hoc reſponſum, unde & propheta rectè ſubjungit: *Nunquid parum vobis eſt moleſtos eſſe hominibus; quia moleſti eſtis & Deo meo?* Nam ſophiſtarum proprium eſt moleſtos eſſe. Eſt autem verè ſophiſticum reſponſum hoc Achaz; ſcilicet, quia in Deum regerit præceptum ipſius. Ac ſi diceret: Prohibuit Deus ne quis ipſum tentet, juxta illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, nunc autem vult id agi, per quod tentetur. At ego parebo prohibitioni ejus, & non tentabo eum. Sed diſcutitur ſophiſma, cum oſtenditur Deum non tentari, tunc cum non ex incredulitate, aut fidei infirmitate, aut curioſitate petitur ſignum inſolitum, & non neceſſarium, à Deo, ſed juſta ex cauſa. Juſtiſſimam autem cauſam eſſe conſtat, C cum fit Deo jubente.

℣. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Inter Chriſtianos nulla eſt quæſtio quin his verbis contineatur vaticinium de partu Virginis, ſeu Nativitate Salvatoris ex Virgine. Nam hic locus Matth. 1. expreſſè ad eius rei teſtimonium citatur. Sed Chriſtianis quæſtionem movent Iudæi, qui dicunt vocabulum Hebræum non virginem ſignificare, ſed adoleſcentulam, ſive ea virgo ſit, ſive non. His jam olim reſpondit Hieron. dilucidè & ſolidè ſcribens in hunc locum. Cujus itaque verbis nos quoque iiſdem reſpondebimus: Quando, inquit, dicitur: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*: novum debet eſſe atque mirabile. Sin autem juvencula vel puella, ut Ju-D dæi volunt, & non virgo, pariat; quale ſignum poterit appellari? q. d. nullum. Et paulò infra: (Alma) inquit, non ſolum puella vel virgo, ſed cum epitaſi virgo abſcondita dicitur & ſecreta, quæ nunquam virorum patuerit aſpectibus, ſed magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Lingua quoque Punica, quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè virgo Alma appellatur. Et idem in Trad. in Geneſ. Oſtendant Judæi in ſcripturis alicubi poſitum (Alma) ubi adoleſcentulam tantum, & non virginem ſignificet; & concedimus eis, illud, quod in Iſaia apud nos dicitur; (*Ecce virgo concipiet*) non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam. Vide etiam eundem Hieron. lib. 1. contra Jovinianum probantem E eadem ex ſcripturis.

℣. 15. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum & eligere bonum.* Statuitur ex hac ſcriptura, & ſimilibus, in Chriſto homine, præter infuſam & congenitam ſcientiam, alia quoque ſcientia, dicta acquiſita ſeu experimentalis: de qua D. Thom. parte 3. q. 12. art. 2. Et ſecundum hunc modum accipiendus eſt Ambroſius ſuper Lucæ 2. dicens Chriſtum verè profeciſſe: nimirum per experientiam, id eſt, notitiam rerum à ſenſibus acceptam. Non quod eam notitiam ignorantia præcederet, ſed quoniam quod anteà ſciret, id novo cognoſcendi modo, id eſt, experiendo, per ætatis acceſſum diſceret. Vide quæ de Chriſti ſcientia diximus in 3. ſent. diſt. 14.

CAPUT VIII.

℣. 3. **E***T acceſſi ad prophetiſſam, & concepit, & peperit filium.* Nemo ſuſpicetur Iſaiem hic ſignificare jam tum impletum fuiſſe illud, quod ſuperiori capite prædixerat futurum, dicens: *Ecce virgo concipiet & pariet filium:* quia ex Matth. 1. cap. conſtat illud primum impletum eſſe in conceptione, & Nativitate Chriſti. Ac deinde ſi hoc voluiſſet hic Propheta, addendum erat; *quod nomen eius vocaretur Emmanuel*, (hoc enim cap. præcedenti dicitur) de iſto autem partu dicit Dominus, *Voca nomen eius, Accelera ſpolia detrahere, feſtina prædari.* Quare dicendum hic narrari non Virginis partum, ſed tamen aliquid, quod aliquo modo ſit typus virginei partus. Ita intellexit Forerius, dicens hanc prophetiſſam fuiſſe uxorem Iſaiæ Prophetæ, Nam non ſolùm verba prophetarum, ſed & facta eorum prophetica eſſe, tum in B hoc propheta, tum in Ezechiele & alijs, certius eſt, quàm ut probatione egeat. Vide ſi placet ipſum Forerium probabiliter ſuam ſententiam explicantem.

℣. 4. *Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam.* Sciat, id eſt, poſſit quoad inſtrumenta naturalia loquendi, quæ in puetia paulatim per ætatem apte redduntur & formantur ad loquelam. Sic dicitur quod claudus neſcit ambulare. Sic dicimus, neſcio hoc facere, id eſt, non poſſum, non valeo. Itaque locus hic non probat ignorantiam in Chriſto puero. Vide quæ de Chriſti ſcientia diximus in 3. diſt. 14.

CAPUT IX.

C

℣. 3. **M***Vltiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam: Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, &c.* Hoc ſecundum Thomam ad litteram intelligeretur de exercitu Sennacherib, ut ſit apoſtrophe prophetę ad Deum, quaſi dicat. Permiſiſti quidem ut Sennacherib cum innumera multitudine hominum ingrederetur terram Judæ; ſed non ei dediſti, ut victoriam conſequeretur, eâque potius lætus domum rediret. Itaque Judæi ab obſidione tot hoſtium liberati, *lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia.* Sed plenius Hieron referens hæc omnia ad Chriſtum, & populum Chriſtianum, ut ſit apoſtrophe ad Chriſtum, hoc ſenſu: Factum, eſt tua, & Apoſtorum D prædicatione, ut magna gentium multitudo conjungeret ſe fidei Abrahæ; ſed non ex eo lætificaſti populum Judæorum, cui eras peculiariter promiſſus; eò quod populus ille invidens ſalutem gentibus, magnam ex gentilium fide ſumpſerit triſtitiam. Hic ſenſus ſive litteralis ſit, ſive tantùm myſticus, certior eſt; quia verba illa præcedentia: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam*, haud dubiè pertinent ad Chriſti prædicationem, teſtante Matthæo, cap. 4. ſui Evangelij.

℣. 6. *Et vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Hæc omnia nomina ſunt pueri, de quo præcedit, *Parvulus natus eſt nobis. & Filius datus eſt nobis*, id E eſt Chriſti. Sunt autem nomina ſex, & ſingula ſeorſim intelligenda. Scilicet, *Admirabilis* propter unionem duarum naturarum in una hypoſtaſi ſeu perſona, aut etiam, quia admirabilia opera in terra facturus eſt, juxta illud in Evangelio. *Vidimus mirabilia hodie.* Secundò, *Conſiliarius*, quia executor admirabilis conſilij divini de homine perdito ad ſalutem revocando, *Deus*, propter naturam divinam. *Fortis*, quia moriendo Diabolum vicit. *Pater futuri ſæculi*, Hebr. *Pater Ad*, id eſt, pater æternus, ſeu pater ſæculi & æternitatis. *Princeps pacis*, id eſt, author pacis, de qua Chriſtus dicit Joan. 14. *Pacem meam do vobis, pacem*

A *meam relinquo vobis: Non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Scilicet pacificat Deum homini, & hominem Deo; imò & hominem ſibi ipſi, tollens paulatim pugnam, quæ homini eſt ex peccato inter carnem & ſpiritum. His autem nominibus vocabitur, id eſt, revera talis futurus eſt. Vide annot. Matth. 1. v. 23.

CAPUT X.

℣. 5. **V***Æ Aſſur, Virga furoris mei, & baculus ipſe eſt; in manu eorum indignatio mea.* Quæri ſolet, quare Deus permittat malos eſſe in mundo? cum ſecundùm judicium humanum rectius videretur ſe habitura rerum univerſitas, ſi nihil omninò in ea mali eſſet, ſed omnia bona. Quibus *reſpondet* Auguſt. Enchiridij cap. 11. dicens: In hac rerum univerſitate illud, quod malum dicitur, benè ordinatum, & ſuo loco B poſitum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis. Neque enim Deus omnipotens, cum ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali eſſe aliquid in operibus ſuis, niſi uſque adeò eſſet omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo. Hæc ille. Benefacit autem Deus de malo, multipliciter. Vel ut bona malorũ comparatione magis placeant? Quis enim ſciret quantum, & quàm optabile bonũ ſit pax, niſi bellorum calamitates tandiu eſſemus experti? Vel ut mali corrigantur, ut Saulus, & quotquot de ſtatu peccati transferuntur ad Deum: vel ut boni per malos exerceantur, mali puniantur.

Utriuſque exemplum habemus in propoſito. Nam in populo Iſraëlitico, qui tam graviter affligebatur à rege C Aſſyriorum; quidam erant boni, quidam mali. Boni exercebantur ad virtutẽ; mali juſtam luebant pœnam. Et ruiſum, inter malos alij flagellis emendabantur, & in ijs commendabatur bonitas divinę; alij duriores evadebant, & in ijs declarabatur Dei juſtitia. Sic ergo aptiſſimè Dominus Aſſyrios vocat virgam furoris ſui; etiamſi hoc ipſi Aſſyrij ignorarent, ſicut de Aſſur ſeptimo verſu ſubjungitur: *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor ejus non ita exiſtimabit; ſed ad conterendum erit cor ejus.* Perſecutores ergo intendunt everſionem & internecionem, ſed Deus ſuos purgat & probat.

℣. 11. *Numquid non ſicut feci Samariæ & idolis ejus, ſic faciam Ieruſalem & ſimulachris ejus?* Jeruſalem eo tempore non habebat ſimulachra. Nam ea omnia ſuſtulerat piiſſimus rex Ezechias. Sed loquitur rex impius D Aſſur more ſuo, de Deo Jeruſalẽ, ſicut de dijs gentium, neque majeſtate diſtinguens, neque potentia, neque unitate naturæ, cum ille ſit unus, itemque optimus & maximus; dij gentium autem multi & infirmi.

℣. 22. *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam.* Id eſt, populus Judaicus penè conſumptus, & ad exiguum numerum redactus abundabit juſtitia & pietate in Deum & replebitur donis Spiritus ſancti. Hoc impletum eſt in Apoſtolis & alijs Judæis qui per Apoſtolorum prædicationem crediderunt in Chriſtum, & adeo ferventes erant pietate, ut omnia ſua conferrent in commune, habentes inter ſe cor unum & animam unam. ut habetur in Actis Apoſt. cap. 4. Vide Com- E ment. noſtr. ad Rom. 9. v. 27.

CAPUT XI.

℣. 1. **E***T egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice ejus aſcendet.* Manifeſta eſt prophetia de Chriſto, etiam conſenſu Rabbinorum, qui & ipſi hunc locum de Meſſia interpretantur. Quamquam hoc intereſt, quod illi expectent adhuc venturum, quem nos veniſſe credimus. Duplex autem eſt hujus loci expoſitio. *Vna*, ut per virgam ipſa Dei genitrix virgo Maria intelligatur, per florem filius ejus Chriſtus. Et flos naſcatur de radice, non immediatè, ſed per virgam

ex radice naſcentem. Huic expoſitioni obſtare videtur, quod virgæ vocabulum apud Hebr. non tam ſignificare videatur fruticem, ſeu ſtirpem enaſcentem, quàm baculum, aut ſceptrum regale. Sic enim accipitur ſupra ca. 9. *Virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti.* Item Num. 24. *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſraël.* Itaque *altera* expoſitio utrumque ad Chriſtum refert, ut in Chriſto, & virga & flos intelligatur. *Virga*, propter regnum, *flos*, ſive (ut eſt in Habræo) ſurculus propter inſignem ſanctitatem. Utraque expoſitio pia eſt, & magnam habet ſenſus ſublimitatem.

℣. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus Sapientiæ, & intellectus, &c.* Calvinus graviter invehitur in imperitiam Catholicorum, præſertim ſcholaſticorum, qui ex hoc loco ſtatuunt numerum ſeptenarium donorum Spiritus ſancti. Dicit enim in Hebræo tantum haberi ſex diverſa vocabula, atque ita ad ſummum non ſignificari niſi ſex dona Spiritus ſancti effuſa abundè in Chriſtum, & per participationem communicata credentibus in Chriſtum. Ejus reprehenſioni breviter *reſpondemus*, in Hebræo quidem ſex dumtaxat vocabula diſtincta reperiri, ſed unum bis repetitum; Atque ita nihil prohibere, quin quod ita repetitur à Propheta, nonnihil variet ſignificationem. Eſt autem vox illa, quæ communiter ſignificat timorem Domini. Quem cum conſtet non eodem modo ſemper accipi, hinc uno loco in textu noſtro vocatur, ſpiritus pietatis, in alio ſpiritus timoris. Sic & in Græco textu apud Septuaginta priori loco ponitur, τῆς εὐσεβείας, & poſteriori τοῦ φόβου θεοῦ, eoſque ſecutus eſt Hieron. Vide noſtra in 3. diſtinct. 34.

℣. 10. *Ipſum gentes deprecabuntur.* Septuaginta & Paulus Rom. 15. *In eum gentes ſperabunt.* Quod argumentum divinitatis eſt Chriſti, quia ſecundum Scripturam non eſt in homine ſperandum, ſed in ſolo Deo. *Maledictus homo qui confidit in homine: nolite confidere in principibus, in filiis hominum in quibus non eſt ſalus.* Pſalm. 14. Vide etiam noſtrum Comment. citato cap. 15. ad Rom. v. 12.

CAPUT XII.

℣. 1. *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus & conſolatus es me.* Senſus eſt. Gratias tibi ago, quia poſtquam iratus mihi fuiſti, converſus eſt furor tuus & placatus, & ſic conſolatus es me. Simile eſt quod dicit Paulus Rom. 6. *Gratias Deo, quod fuiſtis ſervi peccati obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi eſtis.* Phraſes ſunt Hebraïcæ. Vide noſtra ad Rom. 6.

℣. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Scilicet, novi Teſtamenti tempore fideles hauriunt aquas de fontibus Salvatoris; dum abundantiam gratiæ & donorum Spiritus ſancti percipiunt ex Sacramentis novi Teſtamenti. Unde patet ex hoc loco Concilia Florentinum & Tridentinum rectiſſimè definiviſſe, Sacramenta novæ legis, non ſignificare tantùm, ſed & continere gratiam. Et clarius Hugo Victorinus ante annos amplius quadringentos lib. 1. de Sacramentis parte 9. cap. 3. in Sacramentis velut quibuſdam vaſculis antidota ſpiritualia homini porrigi teſtatur. Senſus ergo eſt: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris*, id eſt, multiplicem gratiam è Sacramentis velut vaſis ac fontibus ſeu puteis, aquam vivam continentibus. Vide 4. ſent. diſt. 1.

CAPUT XIII.

℣. 1. *Onus Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos, &c.* Onus Hebr. eſt *Maſſah*, quod vocabulum ab interpretibus Græcis variè redditur. Aquila vertit *viſionem*, Symmachus & Theodotio *ſumptionem* vel aſſumptionem, idque maximè in minoribus Prophetis. Sed in Iſaia Septuaginta, vertunt modo *viſionem*, modo *verbum*, Rectè & eruditè annotat. B. Hieron. vocabulum Hebr. propriè ſignificare (*onus.*) Et ubicumque ponitur in Prophetis, eſſe prophetiam non qualemcumque, ſed quæ gravia & triſtia comminatur, & prænuntiat civitati alicui, aut regno, aut populo. Quod genus Prophetiæ aptiſſimè vocatur *Onus*. Unde D. Hieronymus ubique ferè vertit. *Onus*; quod etiam faciunt hodierni interpretes ex Hebræo. Eſt tamen locus Proverb. 30. & 31. ubi hoc vocabulum Hebraïcum ab Hieronymo non transfertur, *Onus*, ſed *viſio*. Sed ad hoc reſponderi poteſt dupliciter; vel ſpeciem pro genere poſitam; videlicet vocabulum quod ſpeciatim ſignificat Prophetiam comminatoriam, pro quacumque Prophetia in genere: Vel etiam eo loco onus quoddam ſignificatum eſſe, non quidem comminationis, ſed præcepti. Traduntur enim ibi quædam præcepta, quæ ſub interminatione pœnæ ſervanda ſunt, & ita oneris nomine rectè etiam cenſentur.

℣. 9. *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, &c.* Prædicatur ad litteram everſio Babylonis per Medos & Perſas, & tempus illud vocat propheta diem Domini crudelem. Sed quia quæ hîc interſeruntur à Propheta, non omnia ad litteram conſtat tunc facta fuiſſe, velut quod ait: *Stellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum; Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo; & luna non ſplendebit in lumine ſuo*; hinc neceſſe eſt agnoſcere in hoc loco, tranſitum quendam à typo ad myſterium. Nam ſicut Nabuchodonoſor rex Babylonis typum geſſit Diaboli, ita regnum & civitas Babylonis typus fuit regni Diaboli; quemadmodum etiam conſtat ex Apocal. 18. ubi per meretricem Babylonicam ſocietas impiorum ſignificata legitur. Itaque excidium Babylonis, quod hîc ad litteram prædicitur, ſignificat finem mundi ſecundum præſentem ſtatum, & excidium regni Diaboli in fine ſæculi futurum per Chriſtum. Tunc enim propriè futura ſunt ea quæ hîc prædicuntur de obtenebratione Solis, Lunæ, & Stellarum. Nihilominus Hieron. lib. 5. initio, omnia ad litteram docet intalligenda de Babylone, & in ea eſſe completa.

CAPUT XIV.

℣. 12. *Quomodo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris: corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes?* Quis eſt Lucifer iſte, in quem tanta verborum vehementia exclamat Propheta? In verbis ſuperioribus certum eſt Prophetam loqui de rege Babylonis, & comminationem adverſus eum dirigere. Ita enim paulò ante ad populum Judaïcum Propheta: *Sumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices; Quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum?* Unde D. Hier. hæc quoque verba ad litteram de rege Babylonis exponit; quem dicit vocari Luciferum per antonomaſiam, quomodo magnum aliquem principem vocaremus Solem Aſiæ, aut Europæ, propter illuſtrem potentiam. Ita ſenſus ariti Tu qui eras inſtar Luceferi ſplendidiſſimus, & inter reges terræ maximè illuſtris, quomodo Lucifer ſtella inter ſtellas omnes primatum tenet luminis. Ac præterea in ſequentibus Hieronym. hyperbolen agnoſcit.

Aliorum ferè omnium Commentarij de Principe dæmoniorum exponunt hunc locum. Qui haud dubiè, vel litteralis, vel ſaltem myſticus eſt hujus loci ſenſus. Lucifer ergo fuit diabolus; non poſt lapſum, tunc enim ex Lucifero in teterrimum Dei hoſtem eſt commutatus; ſed ex prima conditione, in qua à Deo ſummis ingenij dotibus fuit cumulatus. Unde additur: *Qui manè oriebaris*, id eſt, in primo ortu tuo inſigniter præ aliis ſpiritibus lucebas. Hinc etiam patet, non admodum convenienter dæmoniorum principem vulgo vocari

cari

cari Luciferum; cum illud nomen magis in bonum, quàm in malum Angelum competat. Imò Scriptura ſacra 2. Petri 1. illud nomen Chriſto attribuit, dicens: *Donec Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Et in Apocalypſ. cap. ult. quoque idem Chriſtus dicit: *Ego ſum ſtella matutina.*

℣. 13. *Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum ——— ſimilis ero altiſſimo.* Quid voluerit deſertor Angelus hæc dicendo, & quomodo cadere potuerit, qui in tanta claritudine à Deo creatus erat; Vide ad illud Geneſ. 3. *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.*

CAPUT XV.

℣. 2. M*Oab ululavit; in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur.* Figuratè ex ſigno vult intelligi rem ſignificatam. Nam apud gentiles antiquitus raſura capitis & barbæ, erat luctus judicium; maximè ſi quid admodum triſte & lamentabile incidiſſet. Apud Jeremiam omninò ſimilia verba repetuntur adverſum Moab, 48. cap. *Omne caput calvitium, & omnis barba raſa erit.* Et Ezech. 7. de populo Juda, cui extremam calamitatem minatur; *In univerſis capitibus eorum calvitium.* Unde etiam apud Judæos eadem videtur conſuetudo fuiſſe. Et de Iob jam percuſſo ulcere peſſimo, & in luctu conſtituto dicitur c. 1. *Tonſo capite corruens in terram adoravit.* Ratio autem hujus conſuetudinis fuit, quia capilli capitis & barbæ, ad hominis ornatum faciunt. Unde ſicut in luctu ornatus veſtimentorum abjici ſolet, & indui ſaccus, aut pulla veſtis, ita etiam abjiciebant ornatum à natura conceſſum; videlicet pilos capitis & barbæ, ad ſignificandam luctus & mœroris magnitudinem.

℣. 6. *Cor meum ad Moab clamabit. Vectes ejus uſque ad Segor vitulam conternantem.* Pridem legebatur (*conſternantem*) quaſi peſſundantem aut conculcantem, ſed vitioſè. Nam legendum eſt (*conternantem*) id eſt, trinam, vel triennem. Ita enim Hebr. exigunt & Græca, & complura MSS. Latina, & Biblia Sixtina meritò correxerunt. Septuaginta habent hoc modo: *Vitula enim eſt triennis.* Quo Epitheto Propheta notat civitatem Segor, quæ prius parvula & humilis fuerat, paulatim factam robuſtam, populoſam & potentem, & inſtar vitulæ triennis laſcivam. Nam hac ætate vituli valentiſſimi ſunt. Simul indicatur hoc Epitheto cauſa everſionis & vaſtationis hujus civitatis; quod videlicet propter luxum & laſciviam ſuam hoc meruerit, ut tam gravem ruinam pateretur. Et valdè credibile eſt eandem fuiſſe cauſam ruinæ & miſeriarum tantarum noſtri Belgij

CAPUT XVI.

℣. 1. E*Mitte agnum Domine, dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem filiæ Sion.* Hujus loci varia eſt expoſitio. Rabbini ferè intelligunt per irriſionem hoc dictum ad Moabitas. Conſueverant enim Moabitæ loco tributi pendere regi Iſraël centum millia agnorum. Sed poſt mortem Achab ab eo ſe onere ſubtraxerunt, ut patet 3. Reg. 2. Poſteà verò tempore Ezechiæ aiunt eoſdem in eandem ſervitutem iterum redactos fuiſſe. Legunt autem pro (*dominatorem*) in dativo (*dominatori*) & hunc faciunt ſenſum: O Moab, emitte dominatori terræ, regi Ezechiæ, ſicut olim facere conſueviſti, eumque adducas de petra deſerti, id eſt, regione veſtra, uſque ad montem filiæ Sion, id eſt, Jeruſalem. Ac ſi dicat: Brevi cogêris iterum pendere tributum agnorum regi Iuda, quod olim pendere conſueviſti regi Iſrael. Sed hæc conjecturalis expoſitio eſt, neque enim uſquam legitur. Moabitas poſtmodum ad idem tributum compulſos fuiſſe.

Rectius proinde Hieron. qui de Chriſto exponit,

A qui eſt agnus ille, de quo Ioannes cap. 1. ſui Evangelij, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Qui idem eſt dominator terræ, quia *data eſt ei à Patre omnis poteſtas in cœlo & in terra*, Matth. 28. Senſus ergo eſt. O Moab, poſt tanta mala jam prædicta, habeto hoc ſolatium; quia de te egredietur agnus immaculatus, qui erit dominator terræ. Scilicet quia Petra deſerti intelligitur regio Moab, ex qua orta eſt Ruth Moabitis; ex cujus poſteritate per Davidem (ut conſtat Matth. 1.) natus eſt Chriſtus, & emiſſus ad montem filiæ Sion, id eſt, ſpecialiter ad Iudæos, ſicut ipſe Chriſtus dicit, Matth. 15. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.*

℣. 5. *Et ſedebit in veritate in tabernaculo David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod*
B *juſtum eſt.* Alibi Scriptura teſtatur Deum tardè reddere, quod juſtum eſt, ſcilicet, vel præmia juſtis, vel ſupplicia improbis. Unde Iacobi ult. *Patientes eſtote uſque ad adventum Domini, &c.* Sed ſolvit quæſtionem Petrus Epiſt. 2. cap. 3. *Vnum hoc*, inquit, *non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus. Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiã reverti.* Tardius eſt ergo, comparatione hujus temporis; ſed velociter redditur, ſi reſpiciamus ad æternitatem. Sic & Apocalypſ. ult. *Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt.*

CAPUT XVII.

C ℣. 8. E*T non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus.* Metonymia eſt pro eo quod diceret; ad idola, ſeu deos, quos ſibi manibus ſuis fecerunt. Scilicet continens, pro contento, altare, pro idolo, quod in eo ponitur & colitur. Id patet ex antitheſi partis præcedentis. Sic enim dicitur: *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi ejus ad ſanctum Iſraël reſpicient:* quaſi jam ſubjungat; Nequaquam verò Inclinabitur ad altaria quæ fecerint manus ejus, id eſt, ad idola.

℣. 10. *Propterea plantabis plantationem fidelem.* Heb. eſt in tertia perſona (*plantabit*) ſed tertia perſona pro ſecunda ponitur, ſicut & in proxima ſententia, *germinabit:* Et rurſum *dolebit graviter*, pro dolebis, germinabis.
D Quædam exemplaria habent (*infidelem*) & Septuaginta ἄπιςον. Heb. tamen eſt (*fidelem*) quomodo etiam conſtat veriſſe Hieron. qui hic agnoſcit ironiam, q. d. minimè fidelem.

CAPUT XVIII.

℣. 1. V*Æ terræ, cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.* Hæc ſententia propter obſcuritatem variè exponitur, & ab ejus expoſitione pendet ſenſus totius capitis. Totum illud: *Terra, cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*, multorum ſententiâ eſt periphraſis Ægypti: & dicit Hier. vocari cymbalum alarum, propter accelerationem meſſis, &
E celerem maturitatem frugum, ſicut velox & concitatus volatus avium, ſonitum quaſi reddit cymbali. Sed id videtur admodum longè petitum. Haymo ſic dictam putat Ægyptum, propter ſuavem & blandam promiſſionem auxilij. Nempe quia Ægyptij tali promiſſione fruſtra lactarant filios Iſraël, & concitarant contra Aſſyrios. D. Thomas aliam rationem reddit, ita dictam putans, propter cataractas Nili fluminis, quæ aſſiduum quaſi ſtrepitum longè ſonantem efficiant. Vox Hebræa, quam *cymbalum* tranſtulit Hieron. aliquando etiam umbram ſignificat. Unde hodie ex Hebræo vertunt: *Væ terræ umbra alarum.* Umbra autem alarum dicitur, vel propter promiſſas copias auxiliares; (ſcilicet promiſſio ſine re, eſt inſtar umbræ ſine corpore) vel propter vela navium, quibus Ægyptus abundat, quæ vela terram velut obnubilent, & obumbrent.

Hanc

Hanc expoſitionem habet Paraphraſtes Chaldæus. Alij intelligunt ſic dictam propter multitudinem avium ibi volantium. Denique totam hanc ſententiam quidam non improbabiliter pertinere putant, non ad Ægyptum, ſed ad regionem quandam aliam, & longinquam ultra Æthiopiam ſitam. Et hæc non eſt improbabilis expoſitio, quia hîc additur: *quæ eſt trans flumina Æthiopiæ*, Ægyptus enim reſpectu Judææ propinquior eſt quàm Æthiopia, niſi Æthiopia intelligatur Arabia, vel ejus pars, aliquando etiam Æthiopia dicta. Quin etiam juvat hanc poſteriorem expoſitionem, quod ſequenti cap. expreſsè ponitur, *Onus Ægypti*. Unde videtur hîc alia regio ſignificari, non Ægyptus.

℣. 2. *Ite Angeli veloces ad gentem convulſam & dilaceratam, & populum terribilem.* Vox cenſetur regis Ægypti, mittentis Angelos, id eſt, nuncios ad Judæos, quos vocat *gentem convulſam*, quia bellis attrita erat; *terribilem* tamen propter ſigna & prodigia, quæ occaſione illius populi aliquando in Ægypto & ſolitudine facta erant. Imò & addit: *poſt quem non alius*. q.d. cui non eſt alius populus comparandus: *gentem expectantem*, id eſt, quæ hoc habet proprium, ut expectet auxilium à Deo, quem tamen non videret. Propter quam cauſam à cæteris gentibus Judæi ridebantur. Unde illud de Judæo apud Poëtam: *Nihil præter nubes, & cœli numen adorat.*

CAPUT XIX.

℣. 1. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus.* Hoc de adventu Chriſti pueri in Ægyptum, quando Herodes eum ad necem quærebat, plerique interpretantur. De qua re vide Sozom. hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 20. & Nicephorum lib. 10. cap. 31. item Palladium in hiſtor. Lauſ. cap. 52. Aſcendit autem ſuper nubem levem, quia venit indutus humana carne nullo peccato gravata.

℣. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti.* Prophetia eſt manifeſte de ſacrificio, & altari Euchariſtico novi teſtamenti, contra novatores, qui illud ſacrificium eſſe negant. Non enim hoc de altari crucis intelligi poteſt; nam idem hic Iſaias cap. ult. de filiis novi teſtamenti prophetans, exprimit Sacerdotes & Levitas, ne quis fingat, ſolum Chriſtum eſſe Sacerdotem. *Aſſumam*, inquit, *ex iis in Sacerdotes & Levitas, dicit Dominus.* Et ſimilia ſunt Jeremiæ 33. v. 18 & ſeq. Neque poteſt hic locus referri ad templum quod Ioſepho referente, in Ægypto extruxit Onias quidam. Nam promiſſio rerum eſt bonarum & lætarum, factum autem Oniæ malum fuit, utpote legi Dei contrarium. Deinde templum illud erectum fuit Judæis in Ægypto habitantibus, non ipſis Ægyptiis, aliiſve gentibus. At hæc promiſſio manifeſtè ad Ægyptum & gentes pertinet. Unde paulò pòſt ſequitur: *Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis & in muneribus, & vota vovebunt Domino, & ſolvent.* Sed nec de interno ſacrificio locus intelligi poteſt. Reclamat enim forma locutionis & totus contextus. Vide noſtra in 4. diſtinct. 12. §. 11.

CAPUT XX.

℣. 2. *Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus & diſcalceatus.* Prophetæ aliquando verbis, aliquando rebus futura prædicunt. Jeremias portans catenas, primum ligneas, deinde ferreas, prænunciabat populum Juda ſubiturum jugum regis Babyloniæ. Ezechiel quoque certo dierum numero dormiens in latus, modò dextrum, modò ſiniſtrum, ſignificabat tempus obſidionis Jeroſolymorum. Ita hoc loco Iſaïas incedens nudus & diſcalceatus, portentum eſt, ut

A loquitur ſcriptura, ſuper Ægyptum & Æthiopiam; quod videlicet cum tali ignominia in captivitatem eſſent abducendi. Cæterùm quod ait; *Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis*, ſatis ſignificatur conſuetum & quotidianum prophetæ indumentum fuiſſe ſaccum, id eſt, ſacceam tunicam, ut interpretatur Hieron. hoc eſt ex aſpera & vili materia confectam, ex qua fieri ſolent ſacci. Tali ſcilicet veſte Prophetæ pro conſuetudine utebantur, tanquam plangentes peccata populi; quod etiam indicatur Zach. 13. Unde non eſt aſcribendum hypocriſi, quod etiam hodie monachi certo & peculiari habitus genere utantur. Id enim partim humilitatis, partim ſignificationis cauſâ rectè inſtitutum eſt, & ſanctè obſervatur: dummodo hoc obſervetur, non eſſe cultum Dei aut pietatem propriè in ea re conſtituendam.

B Sed *quæſtio* eſt, An Propheta Iſaïas verè & omnino nudus juxta hoc præceptum Domini inceſſerit? *Quidam*, ne turpitudinem in hoc facto agnoſcere cogantur, non corporaliter, ſed in viſione imaginaria duntaxat hoc factum eſſe dicunt. *Alij* hactenus nudum ambulaſſe, quod proceſſerit in publicum ſine habitu prophetico, id eſt, ſine ſacco, non tamen prorſus omni veſtitu ſpoliatus. Aug. contra Manichæos diſſerens & Hier. in Commentario hujus loci, planè nudum eum inceſſiſſe arbitrantur, & dicunt id propter obedientiam ad ſingularem prophetæ laudem pertinere. Quod tamen ſic intelligendum videtur, ut nihilominus membra illa, quæ ob pudorem natura omninò tegenda admonet, aliquo tegumento velaverit, etiamſi Ambroſ. Epiſt. 36. prorſus nudum ambulaſſe videatur ſentire. De hoc facto ita

C Hieron. Ex hoc loco diſcimus prophetarum obedientiam, quod vir nobilis non erubuerit nudus incedere; ſed Dei præceptis nihil honeſtius judicans, depoſuerit ſaccum; quo abjecto, nudus fuerit, unicam prius habens tunicam, & ipſam cilicinam.

CAPUT XXI.

℣. 7. *Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini & aſcenſorem cameli; & contemplatus eſt diligenter.* Catachreſis eſt in (*equitum*.) Nam hi equites non equorũ, ſed aſini & cameli aſcenſores erant. Per aſcenſorem autem aſini, & aſcenſorem cameli multi intelligunt Cyrum, & Darium; quod Cyrus ante ſuſce-

D ptum regnum ignobilis fuerit. Alij quod ferè eodem recidit, duos populos Perſarum & Medorum intelligunt; ubi prior deſcribitur aſcenſor aſini, eò quòd Perſæ ante Cyrum obſcuri fuiſſent inter populos.

CAPUT XXII.

℣. 1. *Onus vallis viſionis.* Per vallem viſionis Jeruſalem civitatem intelligit, ſicut ex ſequentibus manifeſtum eſt. Nam paulò pòſt eandem hanc vallem viſionis vocat, filiã populi mei, ſcilicet, Jeruſalem; dicens: *Nolite incumbere, ut conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.* Vocat autem Jeruſalem civitatem, vallem per Tapinoſin. Cùm enim civitas illa partim

E in monte, partim in valle collocata fuerit, hîc potius eã vallem appellat, quàm montem, ut rem magnam humili nomine ſignificaret; quia ea commemoraturus erat, quæ ad humilitatem ejus pertinebant. Vocatur autem Jeruſalem *Vallis viſionis*, id eſt, prophetiæ, quia civitas illa velut ſeminarium fuit omnium prophetarum, & in ea prophetæ ſuam præcipuè habuerunt ſedem. Neque in ulla alia civitate magis verſati ſunt, quàm in Jeruſalem.

℣. 3. *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Impiorum vox eſt, eorum ſcilicet qui poſt mortem non credunt animas vivere. Quorum in perſona per mimeſin hæc ſententia ab Apoſtolo repetita eſt. 1. Cor. 15. Vide ibid. noſt. Comment.

℣. 14. *Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini.*

mini. Primò notandum ſermonem imperfectum eſſe A ut ſubintelligatur iſtud aut ſimile, non ſim Deus; aut non ſim verax. Deinde non ſignificatur ullum eſſe peccatum tam grave, quod per pœnitentiam deleri non poteſt; ſed Deum aliquando conſtituere propter peccati gravitatem, pœnitentiam non dare, per quam peccatum illud deleatur. Tertiò notanda locutio, donec moriamini: qua non ſignificatur in morte aut poſt mortem dimittendam eam iniquitatem; ſed potius nunquam delendam. Et facit iſta ſententia ad explicandas alias ſimiles, ut, *Non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum.* Matth. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam, &c.* Pſalm. 109. quibus ſententiis non ſignificatur tempus in quo aliquid deſinat aut aliud incipiat, ſed ad quod uſque aliquid fiat, vel non B fiat, ſive in eo terminetur ſive non. In eo autem quod dicit, *donec moriamini*; voluit alludere Propheta ad illud quod dicebant, *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*, q. d. vos cogitatis uſque ad mortem dare operam voluptatibus veſtris, ego verò annuntio vobis Dei vindictam uſque ad mortem, id eſt, quæ à vobis non auferetur ante, ac multò minus poſt mortem. Dimittitur enim iniquitas quando vindicta peccato debita remittitur. Vide annot. cit. cap. 1. Matth. v. 18.

℣. 20. *Vocabo ſervum meum Eliacim.* Et paulò pòſt v. 22. *Et dabo clavem domus David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Ad litteram hæc de Eliacim dicuntur, qui ſecundum prophetiam Iſaiæ ſucceſſurus erat Sobnæ præpoſito templi, idque in officio illius præfecturæ; C vel, ſecundum alios, in ipſo ſummo pontificatu. Et ſenſus eſt: Cura & œconomia totius familiæ David, & ſumma rerum, quæ ad domum Domini, & ſacerdotium pertinent, erit penes eum. Quomodo vulgò de aliquo primario familiæ dicimus: Eſt promus & condus. Id enim ad litteram ſignificatur hîc per clavem, & per apertionem & clauſionem. q. d. Erit penes eum plena commiſſio rerum ad domum David, vel templum Dei pertinentium. Sed hæc Apocalyp. 3. *Myſticè* ad Chriſtum referuntur, & rectè. Nam ſicut olim repudiato Abiathar. Sadoch aſſumptus ad ſummum ſacerdotium, ſignificabat, repudiato veteri ſacerdotio, Chriſtum ſummum ſacerdotem aſſumendùm; ita rejecto Sobna, aſſumptus Eliacim, Chriſti quoque præfecturam & œco- D nomiam ſignificavit, repudiata lege veteri. Et prorſus ibi Apoc. 3. eadem clavis deſcribitur quæ hîc. Vide ibidem noſtram annotat.

CAPUT XXIII.

℣. 15. E*T erit in illa die, in oblivione eris, ô Tyre, ſeptuaginta anni. ſicut dies unius regis.* Manifeſta & evidens prophetia; qua non ſolum civitatis illius deſolatio prædicitur, ſed & certum ac definitum tempus, quo illa deſolatio duratura ſit. Unde B. Hieronym. Tyri deſolationem comparat cum tempore captivitatis Babylonicæ, quod ſimiliter duravit ad annos E ſeptuaginta. Poſt quos, ſicut Ieroſolyma inſtaurata eſt; ita & Tyrus reſtituta, non ſine quadam ſignificatione myſterij. Numerus ille, inquit Hieron. perfectam & cōſummatam ſignificat pœnitentiam; quia ex duplici perfecto numero componitur; ſeptenatio, & denario inter ſe multiplicatis. Itaque ſignificatur per ſeptemplicem gratiam Spiritus ſancti, & decem præceptorum obſervantiam, animam, quæ poſt varias concupiſcentias fuerat fornicata, ad priſtinum integritatis ſtatum reverti. Quod autem dicit (*ſeptuaginta annis, ſicut dies unius regis*) Rhetorica interpretatio eſt, & habet hunc ſenſum: Tot annis durabit vaſtitas, quot annis vivere ſolent ij, quibus omnia ad vitam & valetudinem commoda ſuppetunt, quales ſunt imprimis reges. Id autem eſt tempus ferè ſeptuaginta annorum. Alij de Davide rege in-

A telligunt, qui tot annis vixit. Sed rectius generaliter intelliguntur, ut dictum eſt.

℣. 18. *Et erunt negotiationes ejus, & mercedes ejus ſanctificata Domino.* Hoc ad litteram nuſquam factum legitur. Unde etiam ipſi Hebræi expoſitores hæc ad ſuum Meſſiam referunt; qui dicunt negotiationes Tyriorum conſecrandas eſſe in uſum templi, & miniſtrorum ejus. Nos de Chriſto, ſeu vero Meſſia interpretamur. Et ſenſus eſt: Tyrus jam inſtaurata verum Deum colere incipiet, Chriſtique Religionem amplectetur; eoque modo fiet, ut negotiatione ſua, & mercedibus jam non amplius utatur ad ſerviendum Diabolo, ut ante facere conſueverat, ſed uni vero Deo.

B

CAPUT XXIV.

℣. 2 E*T erit ſicut populus ſic ſacerdos, & ſicut ſervus, ſic dominus ejus, ſicut ancilla, ſic domina ejus, ſicut emens, ſic ille qui vendit, &c.* Hebræis ad verbum ſic ſonat: *Sic populus, ſic ſacerdos.* Hebræi enim quoties duas res inter ſe comparare volunt, repetunt idem ſimilitudinis vocabulum. Et ita reddi poteſt vel ut interpres noſter reddit; vel hoc modo; Et erit ſic populus ſicut ſacerdos. Rectius tamen, ut in textu. Vult enim ſignificare propheta, quando Deus ad puniendum veniet, neminem ratione dignitatis aut potentiæ liberum futurum, ſed tam ſacerdotem, quàm populum, tam dominum, quàm ſervum, tam divitem, quàm pauperem meritas pœnas luiturum. *Abutuntur* quidam hac ſententia, ut oſtendāt in inferno omnium ſuppliciorū eſſe pa-
C ritatem; & ex conſequente in hac vita etiam omnia peccata eſſe paria; quod Stoïcorum fuit paradoxon, à Cicerone inter alia paradoxa tractatum. Sed *reſpondendum*, hîc tantum ſignificari, quod ſcriptura alibi frequentiſſimè inculcat, apud Deum non eſſe acceptionem perſonarum; ſed tantū eſt apud eum acceptio & diſcretio operum. Iudicat enim unumquemq; ſecundum opera ſua, & non ſecundum perſonas. Et hoc vult hîc Propheta.

℣. 21. *Et erit in die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cœli.* Militia cœli, ut aliundè conſtat, ſunt Sol, Luna, & Aſtra. Origenes hunc locum ad ſuum errorem accommodat, quo putavit quaſdam etiam animas Aſtris eſſe alligatas, eaſque viſitandas, & judicandas in judicio extremo: Catholici duplicem ferè ſenſum reddunt.
D *Vnus eſt.* Viſitabit Dominus militiam cœli, diſperdendo de terra idola eorum, qui aſtra pro diis colunt. Unde ſequitur: *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol.* Quia videlicet intellecta idolorum vanitate, cultores eorum magno pudore & ignominia perfundentur. *Alter* ſenſus ab iſto non multum diſcrepat, ut per militiam cœli intelligatur exercitus dæmonum, quos viſitabit Dominus in die judicij, puniendo eos, & mittendo in ignem æternum, ſicut ſubditur: *Et claudentur in carcere, & poſt multos dies viſitabuntur*; ſcilicet viſitabuntur, non ad liberationem, ſed ad punitionem; & quidem poſt multos dies, id eſt, poſt quantumcumque multos dies adhuc viſitabuntur, quia vermis eorum non morietur, & ignis
E non extinguetur. Viſitabit, non quomodo medicus ægrotum, ſed quomodo carnifex condemnatum. Sic alibi; *Viſitans iniquitatem patrum in filios.* Dicit quidē Hieronym. ſuper hunc locum, viſitanda aſtra, quomodo Medicus viſitat ægrotum. Sed ſciendum hanc non eſſe Hieronymi, ſed Origenis ſententiam, quæ irrepſit; ipſe autem Hieron. ſententiam ſuam aperit ad cap. 45. Vide noſtra in 2. ſentent. diſtinctione 15.

CAPUT XXV.

℣. 6. E*T faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Primum notandum ſchema ſermonis. Cùm enim dixiſſet, convivium pinguium, convivium vinde-

miæ;

miæ; deinde utrumque repetit, ſed cum incremento, addito videlicet eo, quod orationem reddit longè vehementiorem, dicens: *Convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Nam inter pinguia maximè laudantur medullata; & inter vina, purum & defæcatum præſtantiſſimum eſt. Itaque per hæc duo ſignificantur ſummæ deliciæ. Porrò cum dicit, (*in monte hoc*) non alius quàm mons Sion intelligitur, quatenus tamen typum gerit illius montis Sion, qui ſurſum eſt, id eſt, cœleſtis Jeruſalem. Senſus ergo eſt: In monte Sion cœleſti exhibebit Dominus omnibus populis, id eſt, ſanctis ſuis ex omni natione electis, ſplendidiſſimum & delicatiſſimum convivium. Judæi hæc carnaliter intelligunt de deliciis corporalibus, quas expectant tempore ſui Meſſiæ. Sed contra eos facit quod dicitur (*omnibus populis*) Non ſolis ergo Judæis. Itaque nos ſicut cœleſtem Sion intelligimus, ita & cœleſte ſpirituale convivium omnium ſanctorum in cœlis: quia *regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed juſtitia & gaudium & pax in Spiritu ſancto.* ad Rom. 14. v. 17. Vide ſi placet ibidem noſtrum Comment.

CAPUT XXVI.

ỳ. 12. O*Mnia opera noſtra operatus es nobis.* Ex hoc loco patet, quodam ſenſu ex parte Dei omnem gratiam dici poſſe prævenientem: Quatenus nimirum Deus omne bonum ac totum, ab initio bonæ voluntatis, uſque ad conſummationem boni operis, in nobis efficaciter operatur; faciens ut faciamus. Hoc enim veriſſimè eſt prævenire, ſcilicet ordine cauſalitatis. Hinc & Apoſtolus 1. Cor. 4. *Quid autem habes quod non accepiſti?* Quomodo autem per hoc non tollatur libertas arbitrij, vide ad illud Eſther 15. *Convertit Deus Spiritum regis*, & noſtra in 2. diſt. 26. §. 7. 9. & 20.

ỳ. 14. *Morientes non vivant, gigantes non reſurgant.* Huic contrarium videri poteſt, quod paulò poſt dicitur v. 19. *Vivent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* Sed reſpond. De aliis mortuis loquitur in poſteriori ſententia, & de aliis in priori. In priori enim agit de impiis, qui in peccatis ſuis moriuntur in poſteriori de piis qui in Domino moriuntur: illos negat reſurrecturos, ſcilicet ad beatam vitam, hos autem prædicit ſic reſurrecturos. Senſus itaque prioris eſt: *Morientes* (ſed non tui) id eſt, qui in te non moriuntur, *non vivant* in æternum, *gigantes*, id eſt, ſuperbi ac Dei contemptores *non reſurgant* ad beatam vitam. Poſterioris: *Vivent mortui tui*, ut ſit vox Prophetæ, q. d. Domine mortui tui, id eſt, qui in te moriuntur, vivent in æternum. Ac deinde verba ſequentia ſint Dei reſpondentis; Imò vel ſanè: *Interfecti mei reſurgent.* q. d. Verum & certum eſt, quod dicis, Quicumque in me moriuntur, vel injuſtè, propter me, vel juſtitiam interfecti ſunt, reſurgent ad vitam æternam. Vide etiam Iob. 7. & noſtr. in 4. diſt. 43. §. 6.

CAPUT XXVII.

ỳ. 1. I*N illa die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi & forti, ſuper Leviathan ſerpentem vectem, &c. —— & occidet cetum qui in mari eſt, &c.* Quamvis per Leviathan ad litteram intelligi poſſit ſignificatus fuiſſe rex Babylonis, ejuſque hoc loco prædicta oppreſſio & interitus; rectius tamen & convenientius, etiam ad litteram, hoc dictum intelligitur de Diabolo. Nam in eam expoſitionem omnes ferè conveniunt tractatores, nec tantum Chriſtiani, ſed etiam Hebræi. *Leviathan* propriè ſignificat certum genus piſcis vaſtum & immane; quemadmodum apud Latinos *Cetus* aut *Balæna*; quemadmodum patet ex 40. cap. Iob, quo loco ad litteram Cetus intelligitur myſticè autem Diabolus. Sed hoc loco ad litteram, etſi figuratè, Diabolus vocatur Leviathan; idque propter poteſtatis magnitudinem; Et ſignificat propheta Dominum in fine ſæculi diabolum, etſi admodum potentem. (*Non eſt enim poteſtas in terra*, ut eſt Iob. 41. *quæ comparetur ei*) tamen ſua majori potentia confecturum & exitio daturum, ut non ſit piis amplius terrori.

Super Leviathan ſerpentem vectem, & ſuper Leviathan ſerpentem tortuoſum. Nota, hæc quoque Metaphoricè Diabolo aptiſſimè tribui. Serpens enim dicitur propter fallendi artem & voluntatem. Unde & in ſpecie ſerpentis primos homines decepit, Geneſ. 3. Vectem autem quidam dictum putant Diabolum, propter longitudinem, id eſt, amplitudinem & extenſionem poteſtatis ejus per univerſam terram. Vectes enim ſunt ligna, vel pali oblongi. Alij ſic dictum volunt, quod nihil in ſe rectum habeat, ſed totus ſit pravus & tortuoſus. Huic putant ſuffragari, quod velut exponendo additum ſit *ſerpentem tortuoſum.* Sed alij malunt vectem dici, quod potentiſſimus. Vectes enim ligna ſunt fortia & firma, ut in iis onera portentur. Huc reſpexit Theodotio, qui ſenſum, non verba reſpiciens, vertit *ſerpentem robuſtum.* Alij denique conſiderant quod vectibus portæ claudantur, ſcilicet, lignis oblongis, quæ objiciuntur foribus. Et Diabolum vectem dicunt, quia multos in ſuam poteſtatem redactos velut carcere claudat. Ad quē ſenſum Symmachus vertit, *ſerpentem concludentem.*

ỳ. 9. *Et iſte omnis fructus ut auferat peccatum ejus.* Senſus: Deus populum ſuum, electos ſuos non percutit ut perdat, ſed ut miſereatur & peccata remittat & ſanet. Vide Comment. Forerij.

ỳ. 11. *Non eſt enim populus ſapiens, propterea non miſerebitur ejus.* Nota etiam in populo, & non tantum in ſacerdotibus vel principibus requiri ſapientiam, id eſt, ſcientiam rerum divinarum quæ ad ſalutem ſunt neceſſariæ; prout dicitur ſuprà cap. 5. *Captivus ductus eſt populus meus quia non habuit ſcientiam.* Unde & illud, *Qui ignorat, ignorabitur.* 1. ad Cor. 14. Vide ibid. noſtr. comment. & annot. ad cit. c. 5. hujus Prophetiæ.

CAPUT XXVIII.

ỳ. 16. E*Cce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, &c. —— qui crediderit non feſtinet.* Citatur hæc Scriptura de Chriſto vero lapide angulari, Matth. 21. Actor. 4. Roman. 9. & 1. Petri 2. Cæterùm quod additur: *Qui crediderit non feſtinet*, Apoſtolus ad Rom. 10. ſecundum Septuaginta citat hoc modo: *Omnis qui crediderit in illum, non confundetur.* Ubi etſi apud Septuaginta non additur nota univerſalis, ſed tantùm effertur indefinitè; tamen vim habet univerſalis. Senſus quoque coincidit cum noſtra verſione. Scilicet increduli feſtinare ſolent ex diffidentia veritatis promiſſionis, cupientes mox oculis conſpicere, & reipſa experiri, quod promiſſum eſt, moram ac dilationem -ret promiſſæ non ferentes. At, qui firmiter credit, per patientiam expectat bona promiſſa, etiamſi in longum dilata fuerint, nihil dubitans de veritate promiſſionis. Sic ad Heb. 11. Sancti patres per fidem graviſſima mala pertulerunt, nondum tamen acceptis repromiſſionibus, ſed de quibus nihil dubitarunt. Et 2. Petri 3. incredulorū vox eſt: *Vbi eſt promiſſio aut adventus ejus?* Sed contra eos armat fideles Petrus per fidem & patientiam. Ideo ergo non feſtinet, quia non confundetur. Vide noſtrum Commentarium citatis locis.

ỳ. 21. *Vt faciat opus ſuum, alienum opus ejus.* Opus ſuum propter juſtitiam, ſed tamen alienum, quia quodammodo ad illud cogitur propter peccata hominum, & quia malum aliquod habet adjunctum, nempe malum pœnæ. Opus autem ipſius proprium eſt miſereri; quia per hoc etiam malum noſtrum & culpæ, & pœnæ tollit: quod maximè ad ſummam illam & perfectiſſimam bonitatem pertinet. Hinc Eccleſia: Deus cui proprium eſt miſereri, &c. Et in alia collectâ: Qui omni-

A omnipotentiam tuam parcendo maximè & miſerando manifeſtas. Et in pſal. 144. *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Et Iacobi 2. *Superexaltat autem miſericordia judicium.* Vide ibidem noſtr. comment.

CAPUT XXIX.

℣. 1. **V**Æ *Ariel, Ariel, civitas, quam expugnavit David.* Per Ariel Ieroſolyma intelligitur. Significat autem Ariel, leonem Dei, vel leonem fortem. Nam (*El*) utrumque apud Hebræos ſignificat, & Deum, & fortem. Unde in pſalm. 41. *ad Deum fortem, vivum*, quidam vertunt, *ad Deum, Deum vivum.* Ieruſalem itaque vocatur *Ariel*, id eſt, leo Dei, quia quondam fortiſſima fuit civitas; id quod etiam ſignificat
B verbis ſubjectis: *civitas, quam expugnavit David*, id eſt, quam David rex fortiſſimus ægrè expugnare potuit; quando adhuc tenebatur ab Iebuſæis. Putant quidam vocem hanc *Ariel* primario attributam fuiſſe apud Judæos altari templi, quod erat Ieroſolymis. Nam conſtat ex Ezech. 43. altare vocatum fuiſſe Ariel, ubi dicitur: *Ipſe autem Ariel quatuor cubitorum.* Ita ſenſus erit: Væ altari, altari, quod eſt in civitate, quam expugnavit David. Et juxta hunc ſenſum ſynecdoche erit in ea voce (*Ariel*) ut per altare, quod eſt in civitate, ipſa civitas intelligatur. Et ita comminatio iſta nihilominus ad totam civitatem pertinebit.

℣. 14. *Peribit enim ſapientia à ſapientibus eius & intellectus prudentum eius abſcondetur.* Hanc ſententiam memorat Apoſtolus ſecundum Septuaginta 1. Cor. 1.
C v. 16. Vide ibidem noſtr. comment.

℣. 23. *Eò quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me, &c.* Hoc contra hypocriſim Judaicæ gentis dictum eſſe, manifeſtum eſt ex Evang. Matth. 15. & Marci 7. ubi à Domino eadem verba contra eos proferuntur: illi enim ſummam pietatis in externo cultu tantum ponebant. Nec tamen apud Chriſtianos deſunt qui ſimili vitio laborant. Quin etiam Sasboldus ſcriptor pius, & doctus, in hunc locum ita commentatur: Sanè qui & hodie legunt certas preces, & audiunt ſacrum, & iis abſolutis conferunt ſe ad pocula, aut his ſimilia, illi quoque ſunt qui hic dicuntur labiis ſuis honorare Deum, cor autem eorum longè eſſe. Quod valdè horribile eſt in homine
D Chriſtiano, & maximè in Sacerdote, exiſtimante, omnia tunc rectè ſe habere, quando lectæ ſunt horæ, non cogitante interim, ut mens elevetur in Deum, & cor ei per amorem jungatur; ut ſit humiliatum & contritum; & res fluxas atque mundanas contemnat. Sic ille. Neque eſt quod dicamus tantùm contrà eos hæc poſita, qui in precibus evagationes mentis patiuntur. Nam Judæi & Phariſæi verè de Deo cogitabant, quando Deum laudabant nominatim Phariſæus dicens: *Gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri homines*; Sed generaliter ponitur hæc ſententia contra eos qui verbis Deum honorant, factis autem eum contemnunt.

CAPUT XXX.

℣. 1. **V**Æ *filij deſertores dicit Dominus; ut faceretis*
E *conſilium, & non ex me.* — Et v. 2. *Qui ambulatis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis.* Hæc verba ita ſonare videntur prima facie, quaſi ſine oraculo divino illicitum fuerit Judæis in Ægyptum fugere, perſequentibus eos Aſſyriis; imò quaſi nullum conſilium ſuſcipiendum ſit, nullumque opus aggrediendum niſi conſulto Dei oraculo. Sed ſi legamus ea quæ habentur Ierem. 42. & 43. intelligemus aliter hæc eſſe accipienda, & ex negatione intelligendam eſſe oppoſitam affirmationem. Ibi enim legimus Judæos, deſerto & contempto Dei conſilio, quod eis dabatur per Ieremiam, per rebellionem quamdam volun-
Eſtij Annotat. in Script.

A tatis abiiſſe in Ægyptum. Deus enim expreſsè id prohibuerat. Unde & hîc vocantur, *filij deſertores.* Et alibi ubi de cultibus idololatricis dicit Deus, *quæ non præcepi eis*, id eſt, quæ prohibui; minus enim dicitur & plus intelligitur. Senſus igitur hujus loci eſt: *Ut faceretis conſilium, & non ex me*, id eſt, expreſſæ voluntati meæ repugnaretis. *Et ordiremini telam, & non per ſpiritum meum*, id eſt, profectionem illam ſuſciperetis contra voluntatem meam. *Et os meum non interrogaſtis:* quin etiam expreſſum oraculum meum per Ieremiam Prophetam vobis ſignificatum, reſpuiſtis. Hinc patet quàm falſo nitantur fundamento Lutherani, dum nolunt ab Eccleſiæ præfectis ullas condi leges quæ in Scripturis Sacris non ſint expreſſæ: quod ſi conſequens eſſet, etiam ſequeretur nullum opus, qualecumque id ſit, nobis aggre-
B diendum eſſe ſine Dei oraculo, quod eſt abſurdiſſimum.

℣. 10. *Videte nobis errores.* Alluſio eſt ad illud, *videntibus*, quibus jam dixerant, *Nolite videre.* Nunc autem dicunt eis: *Videte nobis errores*, id eſt, non quærimus à vobis veras prophetias, verum Dei Verbum, ſed videte nobis, id eſt, vos videntes dicite, annuntiate quæ placeant, quæ delectent, etiamſi ſint errores.

℣. 18. *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Senſus eſt, quòd Deus noſtram expectat pœnitentiam, ut auferat à nobis flagella, & tribuat bona pœnitentibus & legem ſervantibus promiſſa. Interim & ipſa etiam pœnitentia, Dei donum eſt, quam tamen rectè exigit Dominus; nempe quia etiam eſt actus liberi arbitrij.

℣. 26. *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis, ſep-*
C *templiciter, ſicut lux ſeptem dierum, in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui.* Hieron. refert ad diem judicij, in quo, ſicut dicit Apoſt. Paulus Rom. 8. v. 19. *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, & ipſa creatura liberabitur à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Tunc enim omnis creatura, (ſcilicet cui convenit permanere in illo ſtatu incorruptionis) in melius commutabitur. *Erunt cæli novi & terra nova*, id eſt, in ſtatum meliorem commutata; Iſaiæ 65. & 66. Apoc. 21. 2. Petr. 3. Sic luna accipiet ſplendorem ſolis, & ſolis ſplendor augebitur in ſeptuplum. q. d. omnia tam cœleſtia quàm terreſtria, quæ tunc permanſura ſunt, longè fient præſtantiora, ut ſerviant beatorum immortalitati, eorumque felicitati. Vide noſtr. Comment. citat. cap. 3. epiſt. B. Petri.

D

CAPUT XXXI.

℣. 8. **E**T *cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum. Et fugiet non à facie gladij.* Loquitur propheta de exercitu Sennacherib regis Aſſyriorum, de quo 4. Reg. 19. de quo, ut ibidem narratur, percuſſit Angelus Domini una nocte in caſtris centum octoginta quinque millia. Senſus ergo eſt: Cadet exercitus Aſſyriorum in gladio non viri; & gladius non hominis vorabit eum, id eſt, percutietur, non ab homine aliquo, cui reſiſtere & quem viciſſim repercutere poſſit, ſed ab Angelo. Et fugiet ipſe rex, non à facie gladij, ſed territus nimirum ſubita clade ſui exercitus. Quidam legendum poſtremum illud putant affirmati-
E vè; *Et fugiet à facie gladij*, putantes Hebræa favere illi lectioni; tum etiam quod hoc ipſo v. 8. dicat: *Et cadet Aſſur in gladio.* q. d. in gladio ſcilicet, etſi non viri, nec hominis, ſed in gladio Angeli; Sed Sixtina Biblia legunt negativè, & ſenſus, ut vidimus, eodem recidit.

℣. 9. *Et pavebunt fugientes principes eius, dixit Dominus, cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.* Periphraſis mirabilis, & terribilis veri Dei, ſeu Dei Iſraël. Nempe Propheta iſte paſſim in deſcriptionibus ſuis utitur grandibus admodum figuris, ſicut & totus eius ſermo & ſtylus ſupra modum ſublimis eſt, & heroïcus; adeò ut cæteri Prophetæ huius comparatione admodum humiles in ſermone videantur.

Quod ergo ait: *Cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem*; Periphraſim continet ex ea re, quæ ſoli vero Deo debetur; Videlicet ex ſacrificio, quod nulli præterquam uni vero Deo licitè offertur. q. d. Dominus cui ſacrificium & holocauſta offeruntur in Sion, & in Ieruſalem, hæc dicit, & ſuo tempore rata faciet. Per ignem ergo & caminum ſacrificia intelliguntur, maximè holocauſta, quæ tota incendebantur.

CAPUT XXXII.

℣.20. B*Eati qui ſeminatis ſuper omnes aquas, immittentes pedem bovis & aſini.* Apoſtolis hoc dictum eſt, qui ſeminarunt Verbum Dei ſuper omnes populos, concludentes, & quaſi pedicis quibuſdam illaqueantes *pedem bovis & aſini*, id eſt, populum Judaïcum & Gentilem. Ubi per bovem Judaïcus populus intelligitur, propter jugum, de quo Petrus Actor. 15. *Et nunc quid tentatis Deum, imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus?* Per aſinum autem, populus gentilis, propter ſtoliditatem & ignorantiam unius veri Dei.

CAPUT XXXIII.

℣.7. E*Cce videntes clamabunt foris, Angeli pacis amarè flebunt.* Hæc ſententia obſcuritatem habet, propterea quod Angelis, quos conſtat ſine omni doloris aut triſtitiæ permixtione beatos eſſe, tribuatur fletus, iſque amarus, qui cum perfecta & plena beatitudine conſiſtere non poteſt. Sed ſolvitur hæc difficultas, ſi intelligamus, qui hoc loco dicantur Angeli pacis, & quis ſit huius loci ſenſus litteralis. Agit propheta de graviſſimo periculo, in quo verſabatur rex Ezechias & Ieruſalem tota, eo tempore, quo in Judæam inerat Sennacherib rex Aſſyriorū cum ſuo exercitu, quando miſſis ad eum legatis pacem impetrare non potuit; quin potius rex ſuperbus extrema quæque minabatur ſanctæ civitati, & templo Dei, ipſique populo captivitatem. Senſus ergo eſt: *Ecce videntes clamabunt foris.* q. d. Mittentur à rege Ezechiæ ſpeculatores, (eos videntes vocat) ut contemplentur exercitū regis Aſſyriorum, ſimulque petant pacem, (quos propterea hîc Angelos pacis vocat.) Sed re infecta redeuntes hi ſpeculatores, videntes, Angeli ſeu nuntij, edent miſerabiles clamores, ac deſperata pace, amarè flebunt. Cæterùm hæc omnia idcircò exaggerantur, ut tanto magis commendetur potentia Dei, quæ eos à tali hoſte liberavit. Vide etiam noſt. in 2. Sent. diſt. 7.

℣.14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Hoc non de inferno intelligendum eſt, quia dicit Propheta hominem juſtum & Sanctum cum igne illo & ardoribus habitaturum. Sic enim ſibiipſi reſpondet verſu immediatè ſequenti; *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam, &c.* ſed illa (*ignis devorans*) & (*ardores ſempiterni*) per periphraſim Deum ſignificant. De quo dicitur Deut. 4. & citatur ad Hebr. 12. quia *Deus ignis conſumens eſt.* Senſus ergo eſt. Quis audebit ſe conjungere Deo, qui tantus eſt vindex blaſphemiæ Aſſyriorum omniſque impietatis? Ac deinde, ſcilicet reſpondet; non impium, nec hypocritam cum Deo habitaturum; juxta illud Pſal. 5. *Non habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injuſti ante oculos tuos*: ſed eum qui ambulat in juſtitiis & veritate. q. d. Eſt quidem Deus admodum formidabilis impiis, & horrendum eſt incidere in manus Dei viventis; ſed homo juſtus confidenter & ſine nocumento cum Deo habitare, & converſari poterit. Et nota hîc contra hæreticos noſtri temporis, quod vita hominis juſti ſuſtinet juſtum judicium Dei.

℣.18. *Vbi eſt litteratus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?* Citat hunc locum Apoſt. 1. Cor. 1.

A v. 20. neque lectionem Hebræam, neque Septuaginta planè ſecutus. Vide noſtr. Comment. ibidem.

CAPUT XXXIV.

℣.4. E*T tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium, &c.* Locus ſimilis eſt Apoc. 6. *Cœlum receſſit ſicut liber involutus.* Liber involutus, (quem rotulam Teutones, & Galli *rolle*, vocant) ſi expanditur, legi poſſunt quæ in eo ſcripta ſunt; ſi involvitur, minimè: ita ſol, luna & ſtellæ, quæ velut litteræ annuntiant nobis gloriam Dei, ſubtrahentur, neque in terra apparebunt. Illi qui dicunt ſignificari motum cœli ceſſaturum, videntur ſubtiliter magis, quàm
B ad litteram locum hunc exponere.

CAPUT XXXV.

℣.8. E*T erit ibi ſemita, & via, & via ſancta vocabitur. Non tranſibit per eam pollutus. Et hæc erit vobis directa via, ita ut ſtulti non errent per eam.* Ex his verbis quidam oſtendere conantur Eccleſiam ita ſanctam eſſe, ut omnes, quotquot in ea ſunt, & quotquot ſunt eius membra, ſancti ſint, mundi, & impolluti, quia dicitur: *Non tranſibit per eam pollutus.* Et rurſus, *ita ut ſtulti non errent per eam.* Ex quo colligunt nec pollutum, nec ſtultum in Eccleſia eſſe. Quibus reſpondendum eſt, hæc non de Eccleſia dici, ſed de ſemita & via
C Eccleſiæ, quæ vocatur ſancta. Via autem Eccleſiæ doctrina eius eſt. Quiſquis autem per hanc viam incedit, id eſt, quiſquis doctrinam Eccleſiæ, quæ ad fidem & mores pertinet, ſequitur; is mundus eſt & ſanctus; Ex quo conſequitur ſcilicet hominem pollutum per eam non tranſire, & ſtultum per eam non errare.

CAPUT XXXVI.

℣.4. E*T dixit ad eos Rabſaces.* Ac tandem verſ. 7. *Quod ſi reſponderis mihi: In Domino Deo noſtro confidimus. Nonne ipſe eſt, cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria?* Suadere vult Rabſaces, ne confidant in Deo ſuo, propterea quod ipſum etiam graviter offendiſſet Ezechias. Sed quod Rabſaces putabat contra Dei honorem ab Ezechia factum, id ab eo factum erat
D ex Dei voluntate, & ſecundum legem. Abſtulerat enim Ezechias excelſa, & altaria, partim idolorum, quibus nullo modo ſacrificare licebat; partim veri Dei non ſuis locis conſtituta. Non enim licebat ſacrificare Deo vero, eo tempore, niſi in uno loco ab ipſo deſignato; videlicet in templo Ieruſalem. Et hoc ipſum eſt, quod imperitus harum rerum Rabſaces etiam adjecit: *Nonne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa, & altaria, & dixit Iuda & Ieruſalem; Coram altari iſto adorabitis?* Intelligitur autem adoratio per ſacrificium. Nam ſimpliciter adorare licebat extra templum, etiam extra Ieruſalem, ſicut Daniel fecit in captivitate poſitus, ſed ſacrificium offerre alibi non licebat.

℣.17. *Donec veniam & tollam vos ad terram, quæ eſt
E ut terra veſtra.* Id eſt, ſimilis terræ veſtræ, ut eſt 4. Regum 18. Ubi obſerva, quod barbarus iſte quantumvis grandis, & magnificus in promiſſis, non tamen audet dicere, terram quam promittit, meliorem eſſe terra Iſraëlitica; ſed tantum dicit illi ſimilem eſſe; tametſi & hoc fraudulenter dicat. Fecit autem hoc etiam ad commendationem fertilitatis, & felicitatis terræ promiſſionis, ſeu Palæſtinæ, qualis quidem tunc fuit.

CAPUT XXXVII.

℣.3. H*Æc dicit Ezechias. Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc; quia venerunt filij uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.*

Notan-

Notandum quod Ezechias inter mala; quibus tam ipſe quàm civitas & populus Dei afficiebatur, hoc etiam commemorandum & deplorandum apud prophetam Domini Iſaiam præcepit, quod Deus blaſphemaretur ab hoſtibus. Dixerat enim Rabſaces Deum Iſraël non magis liberaturum populum ſuum de manu Aſſyriorū, quam dij cæteri, qui ſuos cultores liberare non potuerant. Quam blaſphemiam oſtendit Ezechias ſe indigniſſimè ferre; & quidem etiam tunc; quando acceptis epiſtolis blaſphemiæ plenis, à rege Aſſyriorum, aſcendit in templum, & expandit eas coram Domino; orans, ut tam gravem blaſphemiam velit vindicare. Ita & Catholici inter multa mala, quæ ab hoſtibus Eccleſiæ patiuntur, præcipuum hoc ducere debent, non bonorum rapinam aut oppreſſiones miſerorum; ſed blaſphemiam in Deum & Sanctos eius, Eccleſiarum direptiones, & Sa- B cramentorum prolanationem; denique, quod ab illis tam multi miſerè ſeducantur, & præcipitentur in æternam damnationem. Quod additur; *quia venerunt filij uſque ad partum, & virtus non eſt pariendi*, hunc ſenſum habet: In tali dolore conſtituti ſumus, qualem ſentit mulier in difficili partu, quando venit fœtus uſque ad partum, & tamen virtus non eſt pariendi.

℣.23. *Et levaſti altitudinem oculorum tuorum.* 4. Reg. 19. *Et elevaſti in excelſum oculos tuos.* In Hebræo utrobique. *Et levaſti excelſum*, ſeu *altum oculos tuos*. Subauditur, in, ut ſit ſenſus, in altum, in excelſum præ animi tui ſuperbia. Deſcriptio eſt hominis vehementer tumidi & elati, qualis erat Sennacherib, & ſimiles.

C ℣.31. *Quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſalvatio de monte Sion.* Hoc impletum tempore Chriſti in Apoſtolis eius & alijs fidelibus Judæis, qui Apoſtolorum prædicatione crediderunt, ut habemus in Actis. Nam illi interpretante Apoſtolo Rom. c.9. v.27. fuerunt reliquiæ ex illo populo ſalvatæ, qui de Ieruſalem exeuntes, totum mundum Evangelio Chriſti repleverunt. Itaque per eas ſalvatio ſeu ſalus egreſſa eſt dè monte Sion, id eſt, de Ieruſalem in univerſam terram. Non tamen improbabile eſt ad litteram ſignificari quod Deus propter ſe & propter David ſervum ſuum adhuc parciturus ſit illi populo ut non vaſtetur à rege Aſſyriorum, nec ab eo ducatur in captivitatem, ſicut ille comminatus fuerat. Vide noſtrum Commentar. citato cap.9. ad Rom. & cap. 11. v.5.

D ℣.36. *Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia*: Hic obiter notanda eſt concordia Hiſtoriæ Sacræ cum Hiſtoria profana, ne quis profanus fortè ſuſpicetur hoc tantùm miraculum vel à propheta, vel à Judæis eſſe confictum. Hieronymus enim in Commentario huius loci citat etiam duos profanos authores Herodotum & Beroſum: Una nocte, inquit, juxta Ieruſalem centum octoginta quinque millia exercitus Aſſyrij peſtilentia corruiſſe narrat Herodotus, & pleniſſimè Beroſus Chaldaïcæ ſcriptor Hiſtoriæ, quorum fides de proprijs libris petenda eſt. Hæc Hieronym. Quod autem Judæi tradunt igne extinctos fuiſſe, non repugnat. Nam & peſtilentia ignis nomine frequenter ſignificatur.

CAPUT XXXVIII.

℣.3. **M***Emento quæſo quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Hic locus evertit tria aut quatuor hæretica noſtræ tempeſtatis dogmata. Primum, oſtendit rectè hominem juſtum confidere ſeu fiduciam aliquam collocare in juſtitia ac meritis ſuis, ſicut & David ait. *feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me.* Pſalm. 118. Secundum, poſſe hominem in hac vita legem Dei implere ſeu perficere, ſic ut cor perfectum habeat; perfectione videlicet huius peregrinationis, quæ multam adhuc imperfe- A ctionem habet adjunctam. Tertium, opera quæ à fidelibus fiunt, non ſolum humano judicio, ſed & divino verè bona eſſe, & ſecundum juſtitiæ regulam fieri. Ait enim, *coram te*, ac ſurſum, *in oculis tuis*. Poſtremum quod ex omnibus iſtis eſt conſequens, non omnia juſtificati hominis opera eſſe peccata.

℣.9. *Scriptura Ezechiæ regis Iuda, cum ægrotaſſet, &c.* Et poſtea v. 12. *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me quaſi tabernacula paſtorum.* Senſus eſt, Vita mea ablata eſt, & convoluta, quomodo convolvi, & transferri ſolent tabernacula paſtorum. Paſtores enim in calidis regionibus tabernacula circumferunt contra æſtum; & quoties mutant paſcua, convolvunt tabernaculum, & aliò transferunt. Ita, inquit Ezechias rex, convoluta eſt quoque vita mea & ablata. In nomi- B ne autem generationis poteſt quoque non improbabiliter aliquid amplius intelligi. Ezechias ſcilicet nondum habebat ſucceſſorem, quando in hanc infirmitatem incidit, quia Manaſſes nondum natus erat. Quod ita oſtenditur. Ezechias vixit quindecim annis poſt hunc morbum, patet 4. Regum 20. Manaſſes autem regnare cœpit poſt mortem patris cum eſſet duodecim annorum, ut dicitur in eodem libro quarto Regum cap. ſequenti, id eſt, 21. Igitur natus eſt Manaſſes poſt hunc annum anno tertio. Quod ergo ait: *Generatio mea ablata eſt*, ſic intelligi poteſt; Filium non habeo, & ecce jam morior, & tollitur omnis ſpes poſteritatis meæ, neque promiſſus ille Meſſias ex poſteritate Da- C vid, ex me naſciturus eſt, ut ſperaram. Nempè pij reges Juda ſollicitis erant de poſteritate; ſperantes Chriſtum ex ipſis naſciturum; ſicut & per Ezechiam natus eſt, ut patet Matth. 1. Quod ſi Ezechias ſine ſobole mortuus fuiſſet, jam per aliam ſtirpem ex Davide naſciturus fuiſſet Chriſtus Meſſias promiſſus.

℣.11. *Quæſivi reſiduum annorum meorum.* Hebraicè privatus ſum reſiduo annorum meorum.

Dixi: non videbo Dominum Deum in terra viventium, id eſt, inter viventes & cum viventibus non amplius intrabo templum Domini viſurus tabernaculum eius, ubi ſingulari modo ſeſe ſolet exhibere præſentem. Unde precatur David pſ. 26. *Vt videam voluptatem Domini & viſitem templum eius.* Atque hoc deſiderium viſitandi templi Domini ſignificant apertè illa Ezechiæ verba in fine huius capitis; *Quod erit ſig-* D *num quia aſcendam in domum domini?*

℣.14. & 15. *Domine vim patior, reſponde pro me. Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?* Pridem quidam codices corruptè legebant in primâ perſona, *cum ipſe fecerim?* Sed Sixtina rectè confirmant lectionem in tertia perſonâ. Et ſenſus eſt: Domine graviſſimè affligor vehementia morbi, *vim patior*; ut ſuſtinere nequeam, *Reſponde pro me*, id eſt, ſuſcipe patrocinium meum, mitiga dolorem. Et hactenus quidem ut homo fragilis. Sed ecce, deinde reprehendens ſuam velut impatientiam, ſubjungit: *Quid dicam?* q.d. Cauſabor ne contra Deum factorem meum, quaſi vim ab eo patiar? *Aut quid reſpondebit mihi, cum ipſe fecerit?* Id eſt, quid expecto patrocinium ab eo qui huius morbi author eſt? Ac ſi dicat: Ipſe eſt Deus qui fe- E cit, qui certo conſilio hunc morbum immiſit. Igitur patienter tolerandum eſt, donec ei placeat quod immiſit, auferre. Simile eſt illud pſalmi 38. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti.*

CAPUT XXXIX.

℣.1. **I***N tempore illo miſit Merodach Baladan, filius Baladan rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam.* Per libros, intellige litteras, epiſtolam. Sic enim idem Hieron. vertit 4. Reg. 20. ubi hæc eadem Hiſtoria narratur. Hebræa vox generalis eſt ad libros, & epiſtolas, & quodcumque ſcripti genus.

℣.8. *Bonum verbum Domini, quod locutus eſt; Fiat tantum pax & veritas in diebus meis.* Hebraïcè eſt in ſecunda perſona, *quod locutus es*, quomodo interpres idem vertit 4. Reg.20. ut dirigatur ſermo Ezechiæ ad Iſaiam prophetam, gravia illi ex præcepto Domini comminantis. Et eodem recidit. Senſus enim eſt: Quod mihi nuncias à Domino bonum Verbum Domini interpretor. Verba enim ſunt, voluntatem ſuam ſubjicientis Dei voluntati; & juſtitiam eius probantis. Tamen hoc adjecit: *Fiat tantum pax & veritas in diebus meis.* Ubi pax quietem & tranquillitatem in bono ſignificat, veritas ſtabilitatem. Et ſenſus eſt. Tantum precor, ut quoniam de diebus meis nihil mali nuncias, regni mei ſtatum habeam pacatum & ſtabilem; quoad vivam. Sic & Eccleſia orat; *Da pacem Domine in diebus noſtris.* Non ergo peccavit his verbis Ezechias, quod B
non fuerit conatus avertere iram Dei à poſteris quoque ſuis, quod ei impingunt Hebræi; ſed ſcilicet cognitæ per prophetam abſolutæ Dei voluntati ſuam voluntatem piè accommodavit.

CAPUT XL.

℣.2. L*Oquimini ad cor Ieruſalem, & advocate eam, quoniam completa eſt malitia eius.* In Scriptura Sacra completam eſſe alicuius malitiam ferè in malam partem accipitur; ut ſit idem, quod iniquitatem eius perveniſſe ad ſummum; ita ut jam vindicta non ſit diutius differenda; velut dum dicitur de gentibus terræ Chanaan, quod nondum completæ erant iniquitates eo- C
rum Gen.15. Hic autem omnino diverſum quid ſignificatur hac phraſi. Eſt enim ſenſus ſecundum noſtram lectionem: *Completa eſt malitia eius*, id eſt, ablata & finita malitia, facta remiſſione peccatorum. Id enim declaratur immediatè ſequentibus verbis: *Dimiſſa eſt iniquitas illius.* Interim ſciendum eſt quod quædam exemplaria pro (*malitia*) habeant (*militia.*) Et vox Hebræa (*Sebah*) militiā ſignificat, unde eſt illud *Deus Sabaoth*, id eſt, Deus exercituum pluraliter. Ex commentario Hieron. non liquet, utrum legerit malitiam, an militiam. Septuaginta habent; *completa eſt humiliatio eius.* Itaque ſi ſecundum noſtram lectionem, per *malitiam* intelligamus pœnam & afflictionem, quæ ex bellis & militia provenit; utcumque cum lectione illa ex Hebræo jam convenit noſtra. Sic enim & in Evangelio: D
Sufficit diei malitia ſua, id eſt, miſeria, Matth.6.

Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. Hebræi intelligunt duas captivitates, Chaldæorum & Romanorum, ut ſenſus ſit: Bis punita eſt pro peccatis ſuis. Alij aliter. Sed quia hîc eſt annuntiatio Evangelij, & lætus nuntius, videntur hæc verba non ad pœnam, ſed ad beneficia pertinere; hoc ſenſu. Nec tantùm dimiſſa eſt iniquitas eius; (hoc enim præcedit) verùm etiam poſt tam gravia peccata, quibus Deum offendit, multis ac variis beneficiis à Deo affecta eſt. Nullo modo ergo ex his verbis argumentari licet, Deum aliquem punire ultra meritum, aut duplā punitione. Quod ſi ad pœnas tamen referatur; poteſt hic reddi ſimplex & commodus ſenſus: Jam ſatis ſuperque afflicta eſt, & punita Ieruſalem pro peccatis ſuis. Sic & Apoc.18. di- E
citur de Babylone: *Duplicate ei duplicia ſecundum opera eius.* Poteſt etiam hîc intelligi Ieruſalem accepiſſe duplicia, ſi reſpiciatur ad modum quo ſolet Deus in hac vita punire civitatum aut populorum peccata.

℣.13. *Quis adjuvit ſpiritum Domini?* Quomodo ergo Paulus dicit, 1.Cor.3. Dei enim ſumus adjutores? Vide eius loci Comment.

CAPUT XLI.

℣.3. Q*Uis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe?* Senſus eſt. *Quis ex omnibus veſtris dijs*, quos colitis (inſulas gentium alloquitur) hoc potuit præſtare quod ego? ſuſcitando videlicet ab Oriente juſtum quendam; & vocando eum, ut ſe ſequatur, ac ſibi obtemperet, ſicut ego facturus ſum? Sed quæritur, quis ſit iſte juſtus, de quo Dominus contra gentium Deos gloriatur? Quidam intelligunt Abraham. Hic enim ex Oriente, videlicet ex Chaldæa vocatus eſt à Deo, ut ipſum ſequeretur, ſed quæ ſequuntur, majora ſunt, quàm quæ in Abraham competant. Sequitur enim: *Dabit in conſpectu eius gentes, & reges obtinebit.* Item: *Viderunt inſulæ, & timuerunt, & extrema terræ obſtupuerunt.* Alij igitur Cyrum regem Perſidis, (quæ regio Iudæis Orientalis eſt,) intelligunt; alij ad Chriſtum referunt, qui ſolus propriè juſtus & ſanctus eſt; de quo Act.3. *Vos autem juſtum & ſanctum negaſtis.* Item, *Qui prænunciabant de adventu juſti*, cap.7. v.52.

Sed hæ duæ expoſitiones de Cyro & Chriſto non repugnant, ſed ſubordinatæ ſunt; ita ut alter ſenſus ſit litteralis, alter myſticus, in littera propriè fundatus. Id enim in prophetis frequens eſt, ut ſub typo alicuius hominis, vel populi, Chriſtus, vel eius Eccleſia; & rurſum alibi, Diabolus, eiuſque ſequaces ſignificentur. Quod autem Cyrus fuerit typus Chriſti, expreſsè oſtendit initium cap.45. ubi ſic legimus: *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* At *quæres*, quomodo Cyrum juſtum vocat? *Reſp.* Hebr. eſt (*juſtitia*) quæ tamen pro juſto ſæpè ponitur. Juſtus itaque vocatur, quia fuit miniſter juſtitiæ Dei adverſus gentes; & ſimul miniſter bonitatis erga populum Dei, populum Iſraël; quando eius captivitatem relaxavit eumque remiſit in patriam, ut eſt 1. Eſdræ 1.

℣.23. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.* Hinc ſcilicet conſequens eſt, ſolius Dei eſſe futuros eventus præſcire, & prædicere. Angeli igitur nihil tale præſciunt, ſeu boni, ſeu mali, niſi quantùm eis divinitus revelatur. Cæterùm quod ſubjungitur: *Bene quoque aut malè, ſi poteſtis facite*; non de bonitate aut malitia morali intelligendum eſt: Sic enim malè facere in Deum non convenit; Sed de beneficiis & pœnis accipiendum eſt. q. d. præſtare ſi poteſtis, veſtris cultoribus ſanitatem corporum aliaſque felicitates, & hoſtes eorum affligite.

CAPUT XLII.

℣.2. N*On clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris.* Hoc teſtimonium cum verbis aliquot ſequentibus citat Matthæus Evangeliſta cap.12. idque ad declarandam inſignem Chriſti manſuetudinem erga omnes. Et ſciendum eſt, quod tam Chaldæus Paraphraſtes, quàm omnes quoque Iudæi hunc locum de Chriſto accipiunt. Et Chaldæus Paraphraſtes expreſsè ſic; *Ecce ſervus meus Meſſias.* Matthæus loco horum verborum habet: *Non contendet neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Senſus eſt. Non litigabit, neque contentiosè clamabit; ſicut quidam ſolent; qui cum rationibus & argumentis non poſſint, clamore volunt adverſarium vincere. *Neque audietur vox eius foris*, vel, ut Matth. habet, *in plateis*, id eſt, non jactabit in plateis, vel foro ſuam doctrinam; quaſi per tumultum, vel oſtentationem; ſed ſedatè aget, docens in locis ad docendum accommodis, cujuſmodi eſt ſynagoga, deſertum, ad mare, &c. In ijs enim locis Chriſtus docuiſſe legitur. De clamore huiuſmodi Paulus agit ad Epheſios 4. *Omnis ira & indignatio, & clamor tollatur à vobis.*

Neque accipiet perſonam. Id eſt, diſtribuet unicuique quod ei debetur. Hoc enim eſt juſti judicis, in præmiis diſtribuendis merita ſpectare, non qualitates impertinentes. Item Chriſtus ut Deus accipere perſonas non poteſt, quia nihil cuiquam debet: in gratuitis autem locum non habet acceptio perſonarum.

℣.4. Non

℣.4. *Non erit triſtis neque turbulentus.* Non negat Propheta futurum in Chriſto triſtitiæ affectum, qui de ſeipſo veriſſimè dixit Matth. 26. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem:* Sed triſtitia, cujus hîc fit mentio ad intellectum pertinet, non ad affectum; & ſignificat caliginem ſeu obſcuritatem mentis in judicando. Unde alij vertunt: *Non caligabit*, vel *non hallucinabitur*, *& non feſtinabit.* Et ſenſus eſt: Chriſtus nullam patietur ignorantiam, aut difficultatem in cognoſcendis ijs, de quibus ei judicandum erit, ſed erunt ei omnia expedita, & manifeſta. Item *non erit turbulentus*, ſeu, *non feſtinabit*, id eſt, in judicando non erit præceps, non præcipitanter proferet ſententiam, quod eſt in judicando graviſſimum vitium, ſed cum maturitate, & ſumma prudentia judicabit, & ſententias proferet.

CAPUT XLIII.

℣.8. E*Duc foras populum cæcum, & oculos habentem; ſurdum, & aures ei ſunt.* Poteſt hoc vel de Judæis intelligi, vel de gentibus. Si de Judæis accipiatur, prophetia eſt comminatoria excæcationis Judæorum; & ſenſus erit: Produc foras, ut omnibus innoteſcat, populum qui oculos habet, & tamen cæcus eſt, aures habet, & tamen ſurdus eſt. Scilicet, populo Judaïco oculi quidem ſunt & aures ad legendum, & ad audiendam legem & prophetas; ſed cæci ſunt, & ſurdi; quia legentes non intelligunt, & audientes non credunt verum Meſſiam. Si de gentibus intelligitur, læta eſt prophetia, & hunc habet ſenſum: Educ foras, velut è tenebris, & è carcere, populum quondam cæcum per infidelitatem, ſed nunc habentem oculos illuſtratos lumine veritatis; ſurdum quondam ad prædicationem cœli & terræ, nunc autem aures habentem, quibus audiat prædicationem Apoſtolorum. Et hic ſenſus magis convenit contextui ſermonis; quia quæ præcedunt, ad fideles pertinent, & de gentibus ſubjicitur generalis ſententia: *Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul.*

℣.25. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Abutuntur hac prophetæ ſententia hæretici, quia ita remiſſionem peccatorum volunt eſſe gratuitam, ut nulla pœnitentiæ opera ad eam conſequendam requirantur. Contrà docent Catholici eſſe quidem remiſſionem peccatorum gratuitam, ita ut nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promereantur, ut declaravit & definivit Concilium Tridentinum Seſſ.6. cap.8. Sed ſicut neceſſe eſt hominem fide præparari ad conſequendam peccatorum veniam, quod & hæretici concedunt; ita etiam dicimus requiri pœnitentiæ opera, eaque tamquam media quoque propinquiora ad remiſſionem peccatorum, & juſtitiam obtinendam. Neutra tamen, neque fides, neque opera pœnitentiæ meriti rationem habent, ſi de merito propriè dicto loquamur. Unde verè hîc dicit Deus: *Ego qui deleo iniquitates tuas propter me.* q. d. omnino gratuitò, propter bonitatem meam; non propter opera; imò ne quidem propter fidem, tamquam meritum condignum. Poteſt etiam dici Deus gratis delere iniquitatem, quia omnino gratuitò inſpirat homini fidem & pœnitentiam, per quæ pervenit ad gratiam remiſſionis, ſicut & Ezech. 36. dicit: *Non propter vos ego faciam, ſed propter nomen ſanctum meum.*

Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates. Ergo (inferunt Novatores) Sacerdos non delet aut remittit peccata. *Reſp.* diſtinguenda eſt duplex deletio iniquitatis, ſeu vivificatio animæ: Altera per converſionem cordis præcedentem: Altera per remiſſionem peccati ſubſequentem. Priorem Deus ſolus operatur ſine miniſterio hominis, ſaltem efficaci. Neque enim ad effectum converſionis internæ Deus propriè conſtituit Sacramenta, ſed potiùs converſionem in adultis ad ſuſcipienda Sacramenta prærequirit. Poſteriorem verò per miniſterium hominis Sacramentum conferentis operatur, ſicut ipſa veritas in diſcipulos ſuos inſufflans, & poteſtatem communicans, dixit Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

CAPUT XLIV.

℣.15. E*T facta eſt hominibus in focum —— de reliquo autem operatus eſt Deum.* Et rurſum v.17. *Reliquum autem ejus Deum fecit, & ſculptile ſibi. Curvatur ante illud —— & obſecrat dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.* Quæ hîc dicuntur de idolis gentium à Propheta, ea ab Iconomachis noſtri temporis, nominatim, Io. Oecolampadio, & Conr. Pellicano, utroque apoſtata Monacho, detorquentur ad imagines Chriſtianorum. Hinc quoque dicunt illi, ethnicos non uſque adeò fuiſſe craſſos, & ſtupidos, ut lapides & ligna pro diis colerent, ſed eodem modo idola ſua coluiſſe, ut Chriſtiani colunt ſuas imagines. Sed *Reſp.* falſum eſſe aſſumptum: dicimuſque, idololatras fuiſſe in triplici differentia. Qui rudiores erant, ipſa ſimulachra aurea & argentea deos putaverunt, ut patet hoc loco & alibi. Alij paulò intelligentiores, non quidem ipſa ſimulachra Deos putabant; ſed tamen ijs adſiſtere vel ineſſe divinam quandam virtutem exiſtimabant. Qui denique inter ethnicos cordatiſſimi videri voluerunt, ſimulachra tantùm, ut ſimulachra honoranda duxerunt, hoc eſt, ut imagines, Iovem, Martem & alios repræſentantes. Sed Chriſtiani colentes, vel venerantes imagines nullis horum poſſunt aſſimilari. Non primis; nam nemo ſanæ mentis dicet ullum Chriſtianum tam eſſe ſtupidum. Non ſecundis; nam Chriſtiani nullam vim divinam putant ineſſe ipſis imaginibus, ſed tantùm venerantur eas, tamquam illorum imagines; per quas ipſis grata eorum recordatio & communio in memoriam revocetur. In tertiis autem illud diſcrimen eſt, quod illi in ſimulachris ſuis illos colebant pro dijs, qui tantùm homines fuerant; Chriſtiani autem in imagine Chriſti, verum Deum colunt; in imaginibus autem Sanctorum, ſanctos quidem, non tamen ut Deos, ſed modo jam dicto. Et de hoc tertio diſcrimine ſic quoque Auguſt. Quid enim, inquit, intereſt ad errorem, ſive Iovem, ſive Iovis ſtatuam quis colat, cùm utroque modo honor Dei transferatur in creaturam? Hæc ille. Sed non ſic apud nos.

℣.28. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es; & omnem voluntatem meam complebis.* Senſus eſt. Qui Cyrum regem conſtituo, paſtorem populi mei, cujus videlicet curam habebit, ſicut paſtor ovium ſuarum. Admiratione dignum eſt, quod hic Propheta nomine ſuo Cyrum appellet, regem Perſarum & Medorum, qui multò poſt naſciturus erat, nimirùm poſt annos centum quinquaginta, aut circiter; idque non in Judæa, ſed in gente remotiſſima. Porrò cum ſubdit de eodem Cyro, *Et omnem voluntatem meam complebis*, non de voluntate ſigni loquitur, ut alibi in laudem Caleb & Iuſue dicitur, ſed de voluntate beneplaciti ſui. Senſus enim eſt: Quæ promitto & facere diſpono, circa populum meum è captivitate liberandum, & in terram ſuam reducendum, deque templo & civitate ejus reſtituenda, illa omnia Cyrus implebit, id eſt, ea per Cyrum implebo. Non ergo hinc rectè quis collegerit, quod Cyrus Deo placuerit, tamquam implens voluntatem Dei. Nam & per malos ſæpè ſuam implet voluntatem Deus, malis aliud cogitantibus, vel prava etiam intentione rem gerentibus. Nam & de Judæis Chriſti perſecutoribus dicitur Actor. 13. quod voces prophetarum, quæ de Chriſto erant, impleverunt, & conſummarunt. Neque etiam hinc ſequitur hominem ſine auxilio gratiæ Dei poſſe adimplere legem Dei, ut pleniùs oſtendimus in 2. Sent. diſt. 26. §. 40. & 41.

CAPUT XLV.

℣.4. **P***Ropter ſervum meum Iacob, & Iſraël electum meum vocavi te nomine tuo; aſſimilavi te, & non cognoviſti me*. Verba ſunt Dei ad Cyrum, ut patet ex initio capitis. Quod ergo ait: *Vocavi te nomine tuo*, hoc ſignificat, quod proprium eius nomen tanto tempore ante prædixerit. Illud autem: *aſſimilavi te*, quidam intelligunt, volui te gerere ſimilitudinem & typũ Chriſti mei, ſed vox Hebr. aliquid ſignificat: videlicet legere aut vocare aliquem, non aperto nomine, ſed occulto ac ſecretiori, quod ſit velut cognomen. Unde alij vertunt: *Cognominavi te*. Senſus itaque eſt. Non ſatis mihi eſt te proprio nomine vocare, ſed & adjeci cognomina, eaque talia, quibus excellentiam tuam declarem; videlicet hęc *Chriſtus, Paſtor, juſtus, Salvator*: In quibus omnibus Cyrus haud dubiè valdè expreſſum typum geſſit Chriſti veri Salvatoris qui genus humanũ eripuit è captivitate Diaboli, ſicut Cyrus populum Iudaïcum ex captivitate Babylonica. Verùm in eo quod addit: *& non cognoviſti me*: in eo Cyrus Chriſti typum non geſſit, ſed hoc addere voluit Propheta, ut oſtenderet aliud eſſe typum, aliud veritatem, & ſicut populus Iudaïcus, etiam neſciens præfiguravit veritatem Evangelicam; ita Cyrus homo gentilis, Chriſti quidem typũ geſſit, ſed neſciens.

Sed *quomodo* non cognovit Cyrus Deum, cùm dicatur 2. Paralip. ult. & 1. Eſd. 1. ex nomine ipſius Cyri: *Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus cæli. & ipſe præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Ieruſalem?* *Reſp.* cognoverat aliquo modo; Nihilominus rectè hîc dicitur: *Et non cognoviſti me*, ut intelligatur de cognitione certa, ſtabili, ac perfecta. Quia in religione veri Dei parum erat inſtitutus. Poteſt etiam referri ad cognitionem typi quem gerebat, hoc ſenſu; Magnificè te appellavi, & tamen, neſcis quàm magnæ, & eximiæ rei typum geras. Et notandum quod non loqueretur propheta tam granditer & magnificè de Cyro, niſi cujuſdam multò majoris perſonæ typum in his quæ ei tribuuntur, geſtaret. Nam Cyrus ipſe qui aliorum regnorum invaſor fuit & infelicem ſortitus eſt exitum, hæc encomia talibus verbis exornata non merebatur.

℣.9. *Nunquid dicet lutum figulo ſuo, &c.* Argumentatur ex hoc Calvinus; Ergo ſicut lutum tantùm patitur, & non agit, neque movere ſeipſum poteſt, neque reſiſtere, dum figulus ex ipſo facit opus aliquod; ita & homo ſe habet in his quæ Deus in ipſo operatur. Sed reſpondeo, eatenus hanc ſimilitudinem locum habere: quod homo non magis poſſit impedire voluntatem Dei, circa ipſum ſtatuentis ſive proſpera, ſive adverſa, quàm lutum impedire poſſit operationem figuli, deinde etiam ad ſignificandum non ex ullis meritis, ſed ex ſola Dei voluntate unum eligi, ut ex eo fiat vas in honorem; alium verò relinqui ut ſit vas in contumeliam. Neque repugnat hoc libero arbitrio. Nam cum homo ſit animal ratione præditum, ſic voluntas eius à Deo movetur, ut & ipſa ſeſe moveat, & quidem liberè, nimirùm Deo illam movente, ſecundùm modum naturæ eius. Vide pleniùs ad illud Eſther 15. *Convertit Deus ſpiritum regis*, & Comment. noſt. ad Rom. 9. v. 21. ubi Apoſtolus ad hunc locum alludit.

CAPUT XLVI.

℣.1. **C***Onfractus eſt Bel, contritus eſt Nabo*. Prophetia eſt, quâ prædicitur deſtructio idolorum Babylonis futura, in everſione regni Babylonici. Quæ res ulterius fuit figura abolendæ idololatriæ per univerſum mundum, coruſcante Evangelio Chriſti. Bel idolum erat proprium Babyloniorum, ut ex Daniele conſtat. Hunc Hieron. putat eſſe quem Græci Belum, & alio nomine Saturnum vocant. Cujus, inquit, tanta apud veteres fuit religio, ut ei non ſolùm hoſtias humanas captivorum, ignobiliumque mortaliũm, ſed & proprios liberos immolarent. *Nabo* autem, ſeu *Nebo* & ipſum erat idolum Chaldæorum, ſed ſecundi nominis, & authoritatis; quod interpretatur, *prophetia*, ſeu *divinatio*. Et per hoc ſignificatum eſt, poſt prædicationem Evangelij, omnia quoque oracula deorum, id eſt, dæmoniorum ceſſatura. Pro (*Nebo*) Septuaginta verterunt, (*Dagon*) quod fuit idolum Philiſthijm. 1. Regum 5.

℣.7. *Portant illum in humeris geſtantes*. Simile quid Baruch 6. improperatur idolis Babylonis. Torquent hujuſmodi loca ſectarij contra morem Catholicorum qui imagines Sanctorum circumferunt in publicis proceſſionibus. Sed propheta non vituperat quod aliquid circumferatur aut in humeris portetur: ſed quod ethnici cum aurum dicant Deum ſuum & ab eo ſalutem expectent, tamen ipſum tanquam infirmum & ſeipſum movere non valentem portant in humeris. Nos autem ab imaginibus Sanctorum nullam opem expectamus, ſed ſanctos etiam in ſuis imaginibus honoramus. Vide Annotat. cit. cap. Baruch 6.

℣.8. *Mementote iſtud, & confundamini: redite prævaricatores ad cor*. Hieron. legit *fundamini*, ut patet ex eius Commentario. Et vox Hebræa non ſignificat *confundi*, ſed fundari, ſeu roborari. q.d. Revocate in memoriam vanitatem idolorum; & fundamini, ſeu corroboramini, id eſt, pręſtate vos viros; eſtote fortes & fundati, ne iterum fortè vos idololatriæ turbo ſubvertat. Sic etiam legit Gloſſa Ordinaria. Tamen legendo (*confundamini*) ſenſus eodem recidit; Ac ſic dicat: Mementote, nec unquam deponatis ex animo priſtinam veſtram ſtultitiam: fundate vos in ſano jam propoſito, & ſic utiliter confundamini, ac redite ad cor.

℣.10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. De voluntate abſoluta quam beneplaciti voluntatem vocant, hoc accipiendum eſt. Nam voluntas ſigni ſæpè non impletur. Porrò huius ſententię duplex ratio eſt, altera quia Deus omnipotens eſt, ideoque non poteſt impediri à quoquam, quo minus ipſe impleat quodcumque voluerit: Altera, quia immutabilis eſt, & proinde ab eo quod ſemel decrevit, recedere aut dimoveri non poteſt.

CAPUT XLVII.

℣.1. **D***Eſcende, ſede in pulvere virgo filia Babylon*. Mirum quam Ioannes Apoc. 17. meretricem vocat, propheta virginem nominat. Sed reſpicit Propheta hic ad cultum, & ornatum & pulchritudinem, & quaſi ætatis florem in illa civitate, & in illo regno Babylonico; ob quę merito poterat cum virgine quapiam pulcherrima, & cultiſſima comparari, Ioannes autem de ſpirituali Babylone loquitur, quæ eſt mater fornicationum, & abominationum terræ, ut dicitur ibi Apoc. 17.

CAPUT XLVIII.

℣.18. **V***Tinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua*. Subinde talem ſermonem Scriptura Deo tribuit, quo videatur optare aliquid ut fiat; quod tamen videatur impetrare ſe ab hominibus non poſſe. Ita Deut. 5. v. 29. dicit: *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea?* Sed hæ ſententiæ non derogant omnipotentiæ divinæ: de qua veriſſimè dictum eſt, Pſal. 113. *Omnia quæcumque voluit, fecit*, Et. *Voluntati eius quis reſiſtit?* Rom. 9. & apud hunc ipſum prophetam Iſaiam cap. 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*. Tantùm, cùm dicitur: *Vtinam attendiſſes mandata mea*; & ſimilia, ſignificatur, Deum quantum ad externa nihil prętermiſiſſe, quo immutari potuiſſet ille populus ad ſerviendum Deo; externa dico; miracula, præcepta, inſtituta ſacrificiorum,

bona

bona temporalia, voces & oracula prophetarum. Unde dicit ſuprà capite 5. *Quid ultra facere debui vineæ meæ, & non feci ei?* q.d. omnem quam debui culturam adhibui. Vide Annot. Deut. 5. & cit. cap. 5. huius prophetiæ

℣. 22. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Sententiam hanc infrà quoque repetit capite 57. Senſus eſt. Ubicumque fuerint impij, & quidquid illis contigerit; evadant opulenti, potentes, magni in ſæculo; ſint fortes & ſani; quidquid eis contigit, pax eis vera non contingit. Eſt enim pax quædam huius ſæculi, pax mundana, quam mundus dare poteſt & de quâ 1. ad Theſſ. 5. *Cum dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus.* Et hanc quidem pacem impij habent; imò magis impij frequenter, quam pij, huius terrenæ pacis ſunt participes: Sed eſt alia pax vera, de quâ Chriſtus Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, Pacem relinquo vobis.* Hæc pax eſt conſenſio hominis ſecum, & cum Deo; quæ in hac quidem vita inchoatur, ſed in futura perficitur. De hac re etiam ethnicus homo Cicero in Paradox. Improbo bene eſſe non poteſt. Et lib. 2. de finibus. Animi conſcientia improbi ſemper cruciantur.

CAPUT XLIX.

℣. 1. *AUdita inſula, & attendite populi de longè. Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, &c.* Eccleſia quidem hanc ſententiam cum verbis aliquot ſequentibus accommodat B. Joanni Baptiſtæ, in officio Miſſæ feſti eius. Et poſſunt hæc verba de eo aliquo modo intelligi. Nam ab utero vocatus eſt, imò in utero matris ſanctificatus, *& de ventre matris eius Deus recordatus eſt nominis eius,* quia nomen ei imponi juſſit, antequam naſceretur, imò antequam conciperetur, *Et poſuit os eius quaſi gladium acutum,* quia liberrimè increpavit vitia hominum, etiam Phariſæorum, dicens: *Genimina viperarum.* Sed tamen ad litteram, & propriè, hæc de Chriſto ipſo intelligenda ſunt; & de eo valdè manifeſtam prophetiam continent; ut ex ſequentibus patet, maximè ex eo quod paulò pòſt v. 6. ait ſibi dictum eſſe: *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Quod Paulus quoque de Chriſto apertè interpretatur Act. 13. Accommodando ergo hæc omnia Chriſto, quod dicitur: *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei,* ex Evang. Luc. 1. ſatis intelligitur, ubi per Angelum Gabrielem, nomen Salvatoris noſtri, etiam ante conceptum intimatur his verbis: *Et vocabis nomen eius IESUM.* Quod autem ſequitur: *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum,* declarat nobis vehementiam, & energiam prædicationis Chriſti, quæ non obſtante quacumque animorum duritia, efficax fuit in convertendis iis, qui ad vitam erant prædeſtinati, ut patuit imprimis in Saulo. Simile huic eſt quod dicit Apoſt. de verbo Dei. *Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti,* ad Hebr. 4. Quibus verbis ſignificatur maxima verborum Dei efficacitas, quâ potiſſimè etiam obdurata corda emollit & flectit. Idem ſignificatur per id, quod ſequitur: *Et poſuit me quaſi ſagittam electam:* q.d. præſtantiſſimam, quæ maximè penetret. Unde & pſ. 44. de Chriſto dicitur: *Sagittæ tuæ acutæ in corda inimicorum regis,* id eſt, tuorum, phraſi Hebr. Et de Apoſt. pſ. 126. *Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.* In manu potentis, id eſt, in manu viri robuſti & validi.

℣. 4. *Et ego, dixi in vanum laboravi, ſine cauſâ & vanè fortitudinem meam conſumpſi.* Et v. ſeq. *Ut reducam Iacob ad eum, & Iſraël non congregabitur.* Fictio rhetorica eſt, quâ introducit propheta Chriſtum Filium quaſi conquerentem & expoſtulantem cum Patre, & Patrem reſpondentem, conſolantem, & pacantem filium promiſſione converſionis gentium. Propriè autem dici non poteſt, quod Chriſtus fruſtra laboraverit, ne quidem reſpectu Iudæorum; tum quia Chriſtus omnium eorum converſionem verè non intendit, ſed tantùm eorum quos efficaciter convertere voluit, qui principaliter ſunt electi. Nam & Paulus ait, 2. Timot. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut ſalvi fiant;* tum quia opus prædicationis Chriſti apud eos, qui non erant convertendi, uſum ſuum tamen habuit; vel quia erat futurum hoc illis in teſtimonium in die judicij; vel quia ad conſolationem noſtram id fecit; ut videlicet prædicatores Evangelij non nimium dolerent, & animũ abjicerent, ſi ſemen ab illis projectum aliquando viderent in animis audientium non fructificare. Qua ratione & Iudam furem in familia ſua tolerare voluit, tum ſciens, quid per eum boni eſſet facturus; tum ut nos doceret & moneret, tales quoque interdum tolerare.

℣. 8. *In tempore placito exaudivi te, &c.* Hæc verba à Deo Patre ad Chriſtum dicuntur, quibus ſignificat ſe filium ſuum exaudiſſe orantem pro electorum ſalute, eorum qui ex gentibus erant colligendi, idque in tempore placito, quod nimirùm à Deo erat ab æterno decretum ad converſionem & ſalutem gentium. Apoſtol. 2. Corint. 6. accommodat exauditioni fidelium à Deo, ſi opportunitatem temporis à Deo conceſſi quo ſalus illis paratur, non negligant, & gratiam Dei non in vacuum recipiant. Quamquam & ibi intelligi poteſt vox Patris ad Filium, ut eo loco annotavimus.

CAPUT L.

℣. 1. *HÆc dicit Dominus. Qui eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?* Verba ſunt Domini loquentis ad populum Judaicum, qua parte incredulus permanſit, & reprobatus eſt: Neque directè ſignificatur datum ſynagogæ repudium; ſed tantùm ex conſequenti. Nam ſenſus eſt: Quare accuſatis me, quaſi mea ſponte dimiſiſſem matrem veſtram dato libello repudij, ſicut ſolent moroſi ac difficiles mariti, levi occaſione repudiare uxores? *Aut quis eſt creditor meus, cui,* repetenti debitum, cùm non haberem quod ſolverem, *vos* filios meos in ſervitutem *vendidi* & tradidi? q.d. Nihil tale eſt. Et culpa huius rejectionis veſtræ non eſt neque in duritia mea, neque in paupertate mea, ſed in vobis, & in peccatis veſtris. Unde ſequitur: *Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram,* id eſt, Ecce & vos, & matrem veſtram ſynagogam repudiavi, non ob aliud, quàm propter iniquitates & ſcelera veſtra.

℣. 4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam — erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem.* Verba ad Chriſtum pertinent, ut ex ſequentibus manifeſtum eſt; ubi idem dicit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus,* quod conſtat Matth. 26. in Chriſto impletum. Illud verò (*manè, manè*) repetitum, proprietate ſermonis Hebraici ſignificat idem, quod per ſingula manè; ſicut, *homo, homo de domo Iſraël,* id eſt, quilibet homo, apud Ezechielem c. 14. bis. Senſus ergo eſt: Quotidie manè, & maturè Deus aurem mihi erigit, & jubet ſe auſcultare, tamquam magiſtrum. q.d. Et propterea nihil mihi deeſſe potuit, quod ad perfectiſſimum concionatorem, & annunciatorem voluntatis divinæ requiritur. Nam ubi Deus ſuggerit quod dicendum eſt, perfecta doctrina eſt. Propterea quoque omnes concionatores diligenter orare debent, ut huius divinæ inſtructionis fiant participes. Et hæc Chriſtus dicit ſecundum hominem, ſcilicet manè, id eſt, maturè, diligenter, cito. Similes phraſes ſunt Ieremiæ 25. 26. 29. & 44. pſal. 138. & alibi.

℣. 8. *Iuxta eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt adverſarius meus? accedat ad me.*

me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me? Ad hunc locum alluſiſſe videtur Apoſtolus Roman. 8. *Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus qui juſtificat; quis eſt qui condemnet? Chriſtus IESVS, &c.* Unde putant quidam hunc eſſe verborum Apoſtoli ſenſum: Quis accuſabit adverſus electos Dei, cum Deus eos juſtificet? Quis eos condemnabit, cum etiam Chriſtus pro iis apud Patrem interpellet? Sed hinc ſurgit objectio, Deum non aliter juſtificare electos ſuos quàm quia eos pro juſtis habet, eorumque cauſam approbet, non autem propriè ex impiis juſtos faciat. Nam Chriſtus qui hæc loquitur apud prophetam non aliter juſtificatur à Patre, quàm quia à Patre eius juſtitia & innocentia probatur, ac declaratur: propriè enim eum juſtificari, impium eſt dicere, cùm nulla in eo injuſtitia præceſſerit. *Reſpondeo*, juſtificare eſt juſtum facere, ſed id ulterius explicandum ſecundùm materiam ſubjectam, id eſt, pro conditione eius qui vel juſtificare dicitur, vel juſtificari. Proinde Chriſtus cum ſit ipſa juſtitia non aliter juſtificari dicitur quàm quia eius cauſa approbatur. Similiter cum homo hominem ſive juſtum ſive injuſtum juſtificare dicitur juſtum facit, non ſimpliciter, quia id non eſt humanæ poteſtatis, ſed quantum in ipſo eſt: id autem eſt juſtum habere, declarare, pronuntiare. Unde illud Proverb. 17. *Qui juſtificat impium, & condemnat juſtum, uterque abominabilis eſt coram Deo.* Item Iſaiæ 5. *Qui juſtificatis impium pro muneribus.* Cùm autem Deus hominem juſtificare dicitur, propriè cenſetur juſtum facere, quia & Deus id agere poteſt, & homo pati atque ſuſcipere. Itaque *juſtificare* eſt quidem juſtum facere, ſed modò propriè atque ſimpliciter, modò impropriè & ſecundum quid, prout circumſtantia poſtulat; mutaturque non tam ſignificatio vocis quàm accomodatio analogica. Simile quid doceri poteſt in vocabulis *remittendi* & *benedicendi*. Aliter enim Deus remittit qui pœnæ obligationem abſolutè ſolvere poteſt: aliter homo, qui deſiderio id facit, vindictam non exigens. Et tamen in eadem periodo conjuncta ſunt, cùm dicimus: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus.* Sic aliter Deus, aliter nos benedicimus; Deus benefaciendo, nos precando. Manet tamen in his vocibus eadem generalis ſignificatio, videlicet vindictam remittere, & bona præſtare; ſed Deus ea facit ſimpliciter, homo optando & deſiderando. Item aliter homo non habens poteſtatem Sacerdotalem dicit: *Hoc eſt corpus meum.* Si enim hoc dicit ſuper pane, falſum dicit: ſi ſuper Corpore Chriſti verum quidem dicit, ſed tantùm affirmat, nihil autem facit. At Deus & eius nomine Sacerdos ſi ſuper pane id dicit, verum dicit, faciens atque operans idipſum quod dicit.

CAPUT LI.

℣. 5. P*Ropè eſt juſtus meus, egreſſus eſt Salvator meus.* Verba ſunt ipſius Dei, qui Chriſtum vocat Salvatorem ſuum, non à quo ipſe ſalvetur, ſed Salvatorem à ſe dandum, mittendum, & per quem ſalvet homines. Sic ſuprà cap. 44. v. 28. Cyrum vocat paſtorem ſuum, non à quo paſcatur, ſed paſtorem à ſe conſtitutum, ut paſcat & regat populos. Ita & hoc tempore, qui à regibus præfici ſolent provinciis, Præfecti regis, & gubernatores regis appellantur; non quod ipſos reges gubernent, aut regibus ſint præfecti, ſed quod reges eos præfecerint, ut ſubditis præſint, eoſque gubernent.

CAPUT LII.

℣. 1. C*Onſurge, conſurge Sion — civitas ſancti; quia non adjiciet ultra ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus.* Hæc ſi intelligamus de terrena Ieruſalem, humilis & abjectus erit ſenſus; imò ut apparet, falſus, quia poſt tempora captivitatis Babylonicæ

A ſæpè adhuc incircumciſi civitatem & templum contaminaverunt, ut tempore Antiochi Epiphanis; ut narratur in lib. Machab. maximè verò ſub Tito & Veſpaſ. quando templum everſum eſt, & civitas incircumciſis tradita ad habitandum, & Judæi in omnes terras ducti captivi. Rectiùs ergò de Eccleſia Chriſti hæc intelliguntur. Sed *quaſt.* eſt, quomodo etiam de ea verum ſit: *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus?* cum in Eccleſia multi ſint immundi, & incircumciſi corde, & moribus? *Reſp.* tale tranſitum improborum non eſſe, nec fore, in Eccleſiâ, qualis fuit in ſynagogâ illâ, & templo Iudaico. Scilicet per Ieruſalem, qui typus fuit Eccleſiæ, talis fuit tranſitus incircumciſorum & immundorum ut tandem prævalerent; & univerſum populum illum abducerent captivum, maximè

B ſub Romanis. Sed numquam hoc futurum eſt Eccleſiæ Chriſti, (cuius Ieruſalem typus fuit) ut ſic per eam pertranſeant immundi, ut eam, quoad fidem, vel mores, penitus ſubvertant; quia juxta promiſſionem Chriſti Matt. 16. nunquam futurum eſt, ut *portæ inferi prævaleant adverſus eam.*

℣. 3. *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.* Si de populo Iudaico intelligitur, *quæritur*, quomodo gratis venundati, cum abducti ſint in Chaldæam merito peccatorum ſuorum? *Reſp.* Gratis, quia rex ille aut populus Chaldæorum nullo ſuo jure meruit, neque ullo modo ei debebatur, ut populo Iudaico prævaleret, eumque in ſervitutem abduceret. Et ſimiliter quoque dicitur: *& ſine argento redimemini*; ſcilicet, quia idem

C populus gratis, & ſine ſuo merito liberatus eſt è captivitate Babylonica, Deo animum Cyri, ut id liberaliter faceret, excitante. Ac ſimiliter ſi de generis humani redemptione per Chriſtum agatur, ſimilis *quæſtio* eſt, Quomodo gratis homo venundatus ſit Diabolo? cùm peccati ſui merito in Diaboli venerit poteſtatem? Sed ſimilis quoque eſt *reſponſio*. Nam licet homo id merito paſſus ſit; non tamen id Diabolo abſolutè debebatur, ut eius poteſtati homo ſubjugaretur; nam erat creatura Dei, & quidem apud eum reus læſæ Majeſtatis. Eodem quoque modo homo gratis redemptus dicitur, ſi merita hominis ſpectentur, quæ nulla ſunt ante redemptionem; ſed iterum non gratis, ſi conſideretur inæſtimabile pretium ſanguinis Chriſti, quo redemptus fuit, de quo Apoſtolus 1. Cor. 6. *Empti enim eſtis pretio magno.*

D Et canit Eccleſia: Guberna tuos famulos, quos ſanguine mercatus es. Sed imprimis, ut manifeſtum eſt, redemptus eſt omnino ſine argento.

CAPUT LIII.

℣. 2. E*T vidimus eum & non erat aſpectus, & deſideravimus eum.* Videtur in hac poſtrema parte repetenda negatio, & non deſideravimus eum, ſicut in Pſal. 43. *Et declinaſti ſemitas noſtras à via tua.* Nam & mox repetitur eodem ſenſu: *Vnde nec reputavimus eum.* Senſus: Adeò humilis & deformis erat, ut nemo deſideraret vultum eius intueri. Nam formoſi dicuntur aſpectu deſiderabiles. Vide Forerium qui ſenſum de repetenda negatione probat.

℣. 3. *Deſpectum & noviſſimum virorum, &c.* Reſpi-

E citur ad hoc caput, cum alibi tum Marci 9. v. 12. cùm dicitur: *Et quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur.* Unde Hieron. in epiſt. ad Paulinum, Iſaias non prophetiam mihi texere videtur, ſed Evangelium. Quod potiſſimum de hoc capite intelligendum, ubi non tam futura prædicere, quàm præſentem Chriſti paſſionem propriis oculis conſpectam narrare videtur; ſicut & in ſequentibus ſententiis manifeſtum eſt.

℣. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Tulit*, non eſt idem quod abſtulit, quamvis & hoc verum ſit, Chriſtum abſtuliſſe peccata noſtra; ſed *tulit*, id eſt, portavit, ut in verbis adjun-

ctis

ctis quoque explicatur. Ita & infrà, v. 6. *Poſuit Dominus in eo*, id eſt, ſuper eum, *iniquitatem omnium noſtrum*, & v. 11. & *iniquitates eorum ipſe portabit*. Sic & illud intelligendum Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, tollit, id eſt, portat, ſubeundo ſcilicet pœnam peccatis noſtris debitam in cruce. Citat hunc locum Matth. c. 8. referens ad infirmitates & ægrotationes corporales à Chriſto ſanatas; ſed ſanationes illæ præambulę erant ad ſanitatem animarum à peccatis; deinde & illæ ægrotationes corporales pœnæ ſunt peccatorum.

℣. 4. *Et nos putavimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo.* At infrà dicit ipſe Deus: *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.* Verè igitur & non noſtra ſolùm reputatione percuſſus eſt à Deo. Quomodo ergo putavimus eum quaſi percuſſum à Deo? *Reſpond.* putavimus eum ſic percuſſum ſicut alios homines, ſcilicet propter peccata ſua, quomodo Maria ſoror Moyſi, & rex Azarias fuerunt lepra percuſſi à Domino. Senſum hunc probat quod ſequitur: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.*

℣. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Tres ſunt illuſtres huius ſententiæ expoſitiones. *Prima*, ut intelligatur de divina & æterna generatione Filij Dei ex Patre, qua mirabiliter & ineffabiliter Filius Dei ex Patre, & ſemper naſcitur, & ſemper natus eſt. De hac exponit Alex. Alenſ. epiſt. ad Al. Conſt. & complures alij, ut D. Hieron. in 1. cap. Matth. *Secunda* eſt de Nativitate Chriſti Filij Dei, & Filij hominis ſecundum carnem ex Virgine Matre, id eſt, de generatione eius humana. Sic Leo ſerm. 9. de Nativit. Domini. In Chriſto Iesu Filio Dei non ſolum ad divinam eſſentiam, ſed etiam ad humanam ſpectat naturam, quod dictum eſt per prophetam: *Generationem eius quis enarrabit?* Utramque enim ſubſtantiam in unam conveniſſe perſonam, niſi fides credat, ſermo non explicat. Sic Leo. *Tertia* eſt de generatione Eccleſiæ, id eſt, de numero ac multitudine fidelium, qui poſt paſſionem in Chriſtum credent, maximè ex gentibus; ut ſit ſenſus: Beneficio huius paſſionis tanta in Chriſto naſcetur ſoboles & poſteritas, ſequentibus ſæculis, ut præ multitudine numerari non poſſit. De quo Apocal. 7. *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Huic ſenſui favet, quod ſequitur: *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum.* Et rurſum quod ſequitur: *Pro eo quod laboravit anima eius, videbit & ſaturabitur.* Item ea quæ pluribus verbis ſubjiciuntur, ſtatim, proximo cap. de Eccleſiæ fœcunditate, & filiorum eius immenſa multitudine. Hieronym. duas priores ponit expoſitiones. Aut enim, inquit, de divinitate eius accipiendum eſt, quod impoſſibile ſit divinitatis noſſe myſteria, aut de partu Virginis, quod difficulter poſſit exponi. Sic & Leo ſerm. 3. & 9. de Nativ. Chriſti: Aug. ſerm. 12. de tempore, dicit difficile eſſe judicare, de utra potiùs generatione dictum id accipi debeat. Vide ſi placet noſt. in 1. Sent. diſt. 7. §. 3.

CAPUT LIV.

℣. 1. L*Auda ſterilis quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum.* Quod quædam exemplaria pridem habuerunt (*Lætare*) ſumptum erat ex epiſtola ad Galat. cap. 4. ubi hanc ſententiam allegat Apoſtolus, & legit *Lætare* ſecundum Septuaginta. Nam Apoſtoli, ubi parum aut nihil intereſt ad ſenſum, ferè teſtimonia ex Scriptura citant ſecundum Interpretationem Septuaginta. Hebr. eſt, *Lauda* ſeu Jubila. Apoſtolus Paulus illo loco hanc Scripturam nobis interpretatur; per ſterilem illam intelligens Eccleſiam novi Teſtamenti, per maritatam autem ſynagogam, ſeu ſtatum veteris populi. Et ſenſus eſt. Eccleſia

A priùs quidem ſterilis erat, & deſerta; quia pauciſſimos filios pariebat Deo. Nam ante Chriſtum pauci, idque tantum in Judæa, per veram fidem & pietatem incorporabantur Eccleſiæ; poſt Chriſtum autem fœcundata eſt multitudine filiorum, quando ex omnibus gentibus nati ſunt ei filij. At verò Synagoga in populo illo Judaico plurimos pariebat & generabat in ſervitutem, ut Apoſtolus ibi loquitur ad Galat. 4. Poſteà autem penitus deſerta eſt, coruſcante tandem per totum mundum Evang. Chriſti. Vide noſtrum Comment. cit. loco ad Galat. 4.

℣. 10. *Montes commovebuntur & colles contremiſcent, Miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur.* Promiſſio eſt novi Teſtamenti, quod vocat hic fœdus pacis. Et oſtendit illud futu-
B rum æternum & nunquam abolendum, ſicut primum illud & vetus Teſtamentum abrogatum fuit; *quia ipſi non manſerunt*, inquit per prophetam Ierem. c. 31. v. 32. juxta Septuaginta, *in Teſtamento meo*. Senſus itaque eſt: Prius montes cõmovebuntur, & colles contremiſcent, quàm irritum faciam pactum meum, quod feriam tecum; vel, quàm auferam miſericordiam meam à te.

℣. 13. *Erunt omnes docti à Domino.* Hunc locum allegat Chriſtus Ioan. 6. & ſenſus eſt, quod illa ſcientia Dei, & mandatorum eius, ad promiſſionem novi Teſtamenti pertinet; Quæ non eſt nuda ſcientia, ſed conjuncta cum bono affectu & voluntate implendi legem. Hoc enim eſt, quod ex Ieremia citat Apoſtolus ad
C Hebr. 8. *Dabo leges meas in cordibus eorum.* De hac eadem ſcientia, ſeu doctrina loquitur pſalmiſta cum orat: Pſalm. 143. *Doce me facere voluntatem tuam.* Et Apoſtolus 1. Theſſ. 4. dicens: *Ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem.* Nam ſequitur: *Etenim illud facitis in omnes fratres.* Ubi ſatis ſignificat eos qui ſciunt & non faciunt, non eſſe doctos à Domino, ſecundùm prophetiam hanc filiis novi Teſtamenti dictam.

CAPUT LV.

℣. 1. E*Mite abſque argento & abſque ulla commutatione vinum & lac.* Id eſt, gratis accipite. Vox enim emendi quæ commutationem ſignificat, per ea quæ ſequuntur, abſtrahitur à propria ſignificatione. Simul & innuitur opera noſtra bona; quibus Deum
D promeremur, ita eſſe noſtra merita, ut ſint nihilominus ipſius dona. Vide Annotat. ſuprà cap. 52. & Pſal. 43.

℣. 3. *Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum miſericordias David fideles.* Quædam exemplaria pridem habebant (*fidelis*) in genitivo ſingulari. Sed ex Hebræo liquet legendum plurali numero (*fideles*) ut referatur ad miſericordias, non ad Davidem. Unde & Septuaginta ſic reddiderunt: *Diſponam vobis teſtamentum æternum, ſancta David fidelia.* Qua verborum forma ferè citatur etiam hic locus Act. 13. Senſus eſt: Inibo vobiſcum novum pactum, idque æternum & perpetuo duraturum. Quodnam autem ſit illud pactum, indicat, cùm ſubjungit; *miſericordias David fideles*, q. d. id quod miſericorditer Davidi promiſi, id nunc præſtabo, nunc fidelem me oſtendam in promiſſis, nunc fidem
E meam liberabo. Scilicet miſericordia fidelis eſt, quando pro miſſa miſericordia præſtatur. Alludit autem propheta ad pſalmum Davidis 88. Primum in voce (*miſericordias*,) nam ibi dicit David. *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Deinde in voce (*fideles*) nam dicit, *In generatione, & generatione annunciabo veritatem tuam in ore meo.* Veritas enim & fides in promiſſionibus eadem ſunt. Tertiò in voce (*Pactum*) nam itidem ibi dicitur: *Diſpoſui teſtamentum*, id eſt, pactum, *electis meis.* Quartò in voce (*David*) *Semel juravi, ſi David mentiar.* Ac denique in voce (*ſempiternum*) nam & ibi dicitur: *In æternum miſericordia ædificabitur in cœlis*, id eſt, ſempiterna erit illa promiſſio.

℣. 6. *Quæ-*

ỳ.6. *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt, invocate eum, dum prope eſt.* Hoc duobus modis accipi poteſt: Vel iſto, Agite pœnitentiam, & convertimini ad Dominum, dum eſtis in hac vita mortali, dum datur locus pœnitentiæ; *quia venit nox*, inquit Chriſtus Ioan. 9. *quando operari non licet.* Hic ſenſus generalis eſt. Alter ſenſus eſt, ut intelligatur dictum peculiariter ad Iudæos, qui futuri erant tempore Chriſti, quod fuit tempus acceptabile, & dies ſalutis, juxta illud quod ſuprà c. 49. dictum eſt: *In tempore placito exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te*; Et addidit Apoſt. citans eandem ſcripturã 2. Cor. 6. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Unde & Chriſtus in Evang. graviter Iudæos increpat dicens, Luc. 12. v. 56. *Faciem cæli & terræ noſtis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis*; Et ad Ieruſalem, Luc. 19. v. 44. *Eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ.*

CAPUT LVI.

ỳ.4. **Q**Via hæc dicit Dominus Eunuchis; *Qui cuſtodierint ſabbata mea, &c. Dabo eis in domo mea locum & nomen melius à filijs & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* Pertinet hæc promiſſio ad eunuchos, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum, quos commendat Dominus in Evang. Matth. 19. Illud: *Dabo eis nomen melius à filijs & filiabus*; multi intelligunt, nomen & dignitatem ſuper filios & filias, id eſt, ſuper carnales Iſraëlitas, legem non cuſtodientes. Greg. parte 3. Curæ Paſtor. admonit. 29. dicit eunuchos filiis à Domino præferri, in domo patris, ſcilicet in manſione æterna: Verùm nulla eſt oppoſitio inter eunuchos, & filios filiaſque; ſed magis inter eunuchos, & patres; quoniam eunuchi patres eſſe nõ poſſunt: Unde & dicit paulò ante eunuchis: *Ecce ego lignum aridum*, id eſt, ſobolem procreare non poſſum. Hinc, ni fallor, rectiùs ita intelligas: Dabo eis nomen melius; quàm ſi filios & filias haberent; & longam poſt ſe progeniem traherent. Huc faciunt Hebræa, quæ ſic verti poſſunt: *Nomen melius quam filiorum & filiarum*; ſcilicet nomen, quod aliqui habent de filiis & filiabus, ſeu propter filios & filias ex ſe progenitas. Nec aliud volunt Septuaginta qui ſic verterunt: *Dabo eis locum nominatum meliorem filiis & filiabus*, id eſt, quàm ſi haberent filios & filias.

ỳ.7. *Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Quia additur (*cunctis populis*) putant quidam hoc intelligi non poſſe de templo materiali Iudæorum. Unde & Auguſtin. in præfat. Pſalmi 130. Non enim illud templum, quod cecidit, hoc potuit dici domus orationis, de qua dictum eſt: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus.* Et hi pro ratione allegant, quia ad illud templum jam olim deſtructum non poſſunt accurrere omnes gentes orationis gratia.

Sed ſciendum eſt, Chriſtum apud tres Evangeliſtas hunc locum allegare, quando de templo illo materiali ejecit ementes & vendentes: Et Marco narrante, diſertè etiam illud adjeciſſe (*omnibus gentibus*:) Itaque ſecundùm prophetiam & interpretationem Chriſti, etiam domus illa materialis prædicitur futura domus orationis: & quidem etiam omnibus gentibus: ſcilicet quia poſt eius inſtaurationem factam à reditu ex captivitate Babylonica, futura erat ita glorioſa, ut paſſim etiam gentes, ſicut & in oratione Salomonis prædictum fuerat; orationis cauſa ad eam aſcenderent.

Hoc ipſum tamen ſecundum myſticum, & ſubliniorem ſenſum, à Spiritu Sancto quoque intentum, multò pleniùs impletum fuit in vero illo Dei templo, quod eſt Eccleſia; ad quam ex omnibus omnino gentibus uſque in hodiernum diem congregantur fideles. Cæterùm quod dicitur (*Domus orationis*) ſimul ſub oratione intelliguntur omnia quæ ad externum Dei cultum pertinent, & imprimis ſacrificium. Unde illud mulieris Samaritanæ ad Chriſtum Ioan. 4. *Vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus ubi oportet adorare*; Sine dubio intelligitur adorare, id eſt, ſacrificare, & cætera quæ ad Dei cultum inſtituta ſunt, peragere. Utpotè orationes & preces, ad Deum fieri poterant, etiam alibi, & quovis loco; nec id negabant Ieroſolymitæ, & cæteri Iudæi adverſarij Samaritanorum.

CAPUT LVII.

ỳ.1. **I**Vſtus perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo. *Et viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat.* Quæſtio, quem juſtum velit propheta hac ſententia ſignificare. Hebr. intelligunt ipſum Iſaiam; quem dicunt hic prædicere ſuam ipſius mortem, & immane ſupplicium, quo affectus fuit à Manaſſe rege, lignea ſerra diſſectus. Hier. per antonomaſiam intelligit de Chriſto dictum, qui eſt eximiè juſtus præ omnibus mortalibus; imò fons ipſe juſtitiæ. Sed Chriſto non admodum videtur convenire. Nam ille ſtatim poſt mortem factus eſt admodum glorioſus per reſurrectionem, & per miracula, & prædicationem Apoſtolorum. Deinde addit propheta plurali numero: *Et viri miſericordiæ colliguntur.* Unde apparet, non de uno aliquo dictum, ſed in genere de juſtis; ut ſenſus ſit: *Iuſti pereunt*, id eſt, diſcedunt ex hac vita; & viri miſericordiæ, id eſt, miſericordes ac benefici, colliguntur per mortem ad patres ſuos; & non eſt qui recogitet in corde ſuo, id eſt, nihil æſtimant mortem Sanctorum; neque eorum poſt mortem habent ullam memoriam; ſed videntur abiiſſe in oblivionem. Addit, *A facie malitiæ collectus eſt juſtus*, q. d. collectus eſt, & ſublatus, ne mala huius ſæculi non videret. Magnum ſcilicet Dei beneficium, quando virum juſtum per mortem eximit ex conſortio malorum, aliiſque huius ſæculi malis.

ỳ.19. *Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè eſt, & qui propè, dicit Dominus.* Hunc locum interpretatur nobis Apoſt. Paul. ad Epheſ. 2. v. 11. & ſeq. *Et veniens Evangelizavit pacem vobis, qui longè fuiſtis*, id eſt, gentilibus, Epheſij enim, ad quos ſcribit, erant gentiles; *& pacem iis qui propè*, id eſt, Iudæis. Scilicet Gentiles longè fuerant à Dei notitiâ, & à lege Dei prorſus alieni; Iudæi verò propè, quia erant populus Dei, *quorũ erat teſtamentum, & legiſlatio & promiſſa*; ut eſt Rom. 9. & alibi. Utriſque pacem annunciavit Chriſtus, quia utriſque reconciliationem cum Deo, per fidem in ipſum mediatorem, publicavit. Vide ſi placet Com. cit. locis.

CAPUT LVIII.

ỳ.5. **N**Vnquid tale eſt jejunium quod elegi? *per diem affligere hominem animam ſuam?* Qui hoc tempore jejunia Eccleſiaſtica vituperant, hoc Scripturæ loco abuti ſolent ad oſtendendum jejunia (cuiuſmodi in Eccleſia obſervantur) ad Deum colendum nihil habere momenti; ac nullum in iis Dei cultum conſtituendum eſſe: quia, inquiunt, illud jejunium, quo quis per diem affligit animam ſuam, id eſt, jejunat toto die uſque ad veſperam (ſic enim jejunare ſolent) non eſt jejunium illud, quod Deus eligit. Videndum ergo, quid hæc ſententia prophetæ voluerit ſignificare. Quod ut intelligatur; obſervandum quod & quotum jejunium ab eo reprehendatur.

Præcedit ante hæc verba, v. 3. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti?* Et reſpondet Dominus: *Ecce in die jejunij veſtri invenitur voluntas veſtra*, id eſt, indulgetis cupiditati & avaritiæ; *& omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones jejunatis.* Ac deinde ſubjicit: *Nunquid tale eſt jejunium quod elegi?* q. d. non eſt jejunium quod elegi, affligere jejunando animam ſuam, atque in eo ſiſtere; neque illud referre ad virtutem, vel carnis caſtigationem, vel mentis puritatem. Catholici itaque dum docent jejunium eſſe Dei cultum,

cultum, intelligunt jejunium Eccleſiaſticum, jejunium A Chriſtianum; ſcilicet eo fine ſuſceptum, ad quem ordinat Eccleſia. Nam alioqui eſt jejunium medicum, aut Phariſaicum. Et jejunium illud Chriſtianum, eſſe Dei cultum docent illa verba de Anna propheciſſa, Luc. 2. *qua non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.*

Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum? & ſaccum & cinerem ſternere? Notatur hic ſuperſtitio ſeu ſcrupuloſitas quorumdam qui etiam cum capitis dolore, vel certo valetudinis detrimento, jejunare volunt; quaſi id ſit Deo gratum. Sed non probat Dominus tale jejunium. Alij vertunt ex Hebræo: *Numquid, ut curvat quaſi juncum caput ſuum?* id eſt ut capite in terram deflexo, ipſo habitu corporis oſtendet jejunium B ſuum? Eſt enim hoc hypocritarum.

℣.6. *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes.* Colligationes impietatis, & faſciculi deprimentes ſunt peccata, quibus multiplicatis & quaſi in faſcem colligatis & conglomeratis homo tamquam gravi pondere onuſtus deprimitur, in quantum debitor eſt, & obnoxius pœnæ pro iis luendæ. Sic Threnorum. 1. *Vigilavit jugum iniquitatum mearum: In manu eius convoluta ſunt & impoſita collo meo.*

CAPUT LIX.

℣.4. *Conceperunt laborem & pepererunt iniquitatem.* *Quæritur* quæ ſit connexio, ut dicatur concipi labor, & deinde pariatur iniquitas? Ad hoc *intelligendum*, ſciendum eſt, eſſe etiam alia ſimilia loca. C Sic Iob 15. de impio: *Concepit dolorem & peperit iniquitatem.* Et Pſ. 7. *Ecce parturiit injuſtitiam. concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Et imprimis notandũ, quod utroque jam citato loco vertit Hieron. (*dolorem*) cum in Hebr. ſit idem vocabulum, quod hic. Quod quidem vocabulum Hebręum ſignificat (*laborem*) ut hic vertit, ſed non tamen qualemcumque laborem, ſed talem qualis eſt vel parientium, vel eorum qui ſe fatigarunt nimiũ laborando, id eſt, laborem cum dolore, & moleſtia conjunctum; ſicut & lingua noſtra teutonica dicimus parientes fœminas eſſe in labore. Hinc ergo factum eſt, ut vox iſta etiam uſurpetur pro dolore; quin etiam tandem tranſlata eſt ad ſignificandam malitiam & iniquitatem, quod ea doloris ſit cauſa. Atque adeò eo modo D accipitur vox illa tribus jam dictis locis. Ut ſenſus ſit: Meditantur malum & iniquitatem, & eandem paulò pòſt pariunt, & proferunt in opus. Quidam tamen per dolorem vel laborem intelligunt injuriam proximo illatam, ut ſit ſenſus: Meditantur, quomodo lædere poſſint proximum, idemque paulò pòſt perficiunt.

℣.7. *Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem innocentem, &c.* Apoſtolus Paulus ad Rom. 3. inter alias Scripturas quas citat, dicit etiam ſic: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum. Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt. Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, &c.* Non ex Pſalm. 13. ut quidam putaverunt, ſed ut apparet, ex hoc loco. De qua re ita Hieron. in præfat. lib. 16. in Iſaiam: Arbitror Apoſtolum non tam de Pſal. 13. quod in Hebræo non E habetur, quam eos, qui artem contexendarum inter ſe Scripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſiviſſe aptum locum, ubi aſſumptum ab eo teſtimonium ponerent. Et addit: Græci tractatores hos verſus in Pſal. 13. verum quoque adnotant, atque prætereunt; liquido confitentes in Hebræo non haberi, nec eſſe etiam in Septuaginta Interpr. ſed in editione tantùm vulgata, quæ Gręcè communis dicitur. Vide pleniùs ad Rom. 3.

℣.21. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui dicit Dominus, à modò & uſque in ſempiternum.* Hinc non ſolùm ſtatuitur perpetuitas Eccleſiæ, quodque veritas fidei penes eam ſemper manebit; verùm etiam quod in ea ſemper vigebit prædicatio veritatis, quia dicitur: *Non recedent de ore tuo.* Unde ſequitur Eccleſiã viſibilem ſemper eſſe, ratione prædicationis; & manifeſtè diſcernitur à conventiculis hæreticorum qui ſuorum dogmatum perpetuam prædicationem oſtendere non poſſunt. Vide infrà cap. 61. v. 9.

CAPUT LX.

℣.12. *Gens enim, & regnum quod non ſervierit tibi, peribit.* Manifeſtum eſt hoc de terrena Ieruſalem intelligi non poſſe. Numquam enim factum eſt, ut omnes gentes & regna ſervierint illi Ieruſalem; neque etiam ullum indicium eſt id aliquando futurum; quamvis Judæi carnales hoc aliquando futurum expectent, craſsè & carnaliter hanc prophetiam, ſicut & alias intelligentes. Multò autem minus verum eſſe poteſt, gentes & regna peritura, quæ illi terrenæ civitati non ſervierint. Sed ſicut totum hoc caput, ita & iſta ſententia, ſine ullâ dubitatione de Eccleſia Chriſti intelligenda eſt, de ea nimirum Ieruſalem, quæ ſurſum eſt, & hic uſque in finem ſæculi collecta, illuc tranſmittitur. Senſus ergo eſt: Quicumque in quacumque gente, aut regno non ſervierit Eccleſiæ, id eſt, non ſe ei ſubjecerit per fidem, & fidei Sacramenta; peribit eâ perditione, quæ omnibus impiis parata eſt. Unde liquet non ſufficere ſanam fidem de capite Chriſto, niſi & de corpore eius, quod eſt Eccleſia, ſana & integra fides retineatur; & in eius unitate atque obedientia permaneatur. Non enim habebit Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. ait Cypr.

℣.16. *Gaudium in generationem & generationem* Hebr. *gaudium generationis & generationis*, id eſt, faciã ut ſis jucunda & lætabunda in omnem poſteritatem: vel certè utrumque exponi poteſt objectivè, hoc modo: Reddam te ita felicem, excelſam & affluentem omnibus bonis, ut futura ſæcula de te glorientur, & futuræ generationes in te gaudeant, & de te ſibi gratulentur.

℣.20. *Non occidet ultra ſol tuus, & luna tua non minuetur.* Prophetia eſt de eo quod futurum eſt poſt judicium. Et ſenſus eſt: Non tunc amplius opus erit motu ſolis; nam tempus tunc non erit, ut eſt Apocalyp. 10. ſed immota perſiſtent ſingula in loco & ordine ſuo, ut etiam eſt Abacuc 3. Et luna ergo tunc non minuetur, id eſt, luna ſemper erit ſoli oppoſita, ut ſemper ſit plena & perfecta. Licet enim lux eius erit tunc, ut lux ſolis, eam ipſam tamen lucem, ut modò, à ſole accipiet. Rectè autem motus cœli ceſſaturus dicitur; tum quia ceſſabit cauſa eius finalis; id eſt; rerum ortus atque interitus; tum quia quies ſimpliciter motu perfectior eſt, utpotè terminus eius, & per quam primæ cauſæ immobili res unaquæque magis aſſimilatur. Vide noſtra in lib. 4. Sentent. diſt. 48.

CAPUT LXI.

℣.1. *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit Dominus me.* Quò pertineat hæc prophetia, manifeſtiſſimè docemur ex Evangelio. Nam Luc. 4. legimus Chriſtum in ſynagoga accepto libro Iſaiæ, incidiſſe in hunc locum, ubi ſcriptum erat: *Spiritus Domini ſuper me, &c.* eoque teſtimonio perlecto, dixiſſe: *Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris. Et omnes teſtimonium illi dabant.* Certum igitur eſt teſtimonio ipſius veritatis hanc prophetiam ad Chriſtum pertinere. Eſtque hoc totum: *Spiritus Domini ſuper me, eo quod unxerit me Dominus*: intelligendum, ſecundum hominem aſſumptum. Nam ſecundum divinitatem neque unctus erat, neque Spiritus Domini ſuper eum erat; ſed potiùs à Patre & Filio

Filio procedit ab æterno ipſe Spiritus Sanctus, & temporaliter ad homines mittitur ab iiſdem. Notandum verò quod unum hic ſit alterius expoſitio. Nam ideò dicitur Spiritus Domini ſuper eum, quia unctus eſt Spiritu Sancto, ſicut Petrus Actor. 10. de Chriſto loquens ait: *Hunc unxit Deus Spiritu Sancto & virtute.* Hoc ergo iſta phraſi ſignificatur, Chriſtum hominem gratia Spiritus Sancti largiſſimè & copioſiſſimè fuiſſe perfuſum, de cujus tamquam capitis plenitudine cætera omnia membra participarent, ſicut Ioannes dicit cap. 1. ſui Evangelij: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.*

Ad annuntiandum manſuetis miſit me. Septuaginta verterunt, (*Evangelizare pauperibus miſit me*) quomodo etiam citat hunc locum Lucas dicto cap. 4. ſecutus verſionem Septuaginta. Igitur per manſuetos & B pauperes iidem ſunt intelligendi, illi videlicet, qui ſpiritu pauperes, id eſt, humiles, miſeriam ſuam, iniquitatem, & ignorantiam agnoſcunt, & conſolatorem & liberatorem expectant. Non quod gratiam Chriſti in homine præcedat aliqua manſuetudo vel paupertas ſpiritus, quæ non ſit ab hac gratia: ſed quod prædicatio exterior ipſius Evangelij ſine hac occulta animi præparatione non fructificet. Pendet enim hæc occulta præparatio etiam ex munere Dei. Simile quid eſt Pſalm. 24. *Diriget manſuetos in judicio, docebit mites vias ſuas.* Quidam dicunt vocem Hebr. etiam ſignificare afflictos. Quod verum eſt de afflictione cordis, id eſt, triſtitia de ſuis malis; ut, in propoſito, de ſervitute peccati. Hos Scriptura etiam vocat contritos corde. C

℣. 9. *Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.* Item quod præcedit: *Et ſcietur in gentibus nomen eorum, &c.* Hæ ſententiæ concludunt non ſolùm Eccleſiam diſpergendam per gentes, verùm etiam cognoſcibilem ac manifeſtam fore, ſic ut monſtrari poſſint, & dicere; *Hi ſunt, &c.* Vide annotat. ſuprà cap. 59.

CAPUT LXII.

℣. 1. PRopter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur ut ſplendor juſtus eius.* Quidam hoc ſenſu dictum accipiunt. Non tacebo, neque ceſſabo à prædicatione mea, etiamſi carnalis Sion & Ieruſalem obſtrepat, quamvis loqui prohi- D beat, quemvis mortem minetur. Ita vulgò ſolemus dicere; propter contradictionem & ludibria improborũ, non eſſe omittendum opus pium, & ſanctum. Et hic ſenſus refert hæc verba ad carnalem Sion, & Ieruſalem. Sed magis apparet ex conſequentibus, in bonam partem accipiendum eſſe, quod dicitur: *Propter Sion, & Ieruſalem,* & de ſpirituali Sione, id eſt Eccleſia Chriſti; ut ſenſus ſit, In gratiam Sionis, id eſt, ſanctæ ſocietatis fidelium non ceſſabo ab annuntiando Chriſti adventu; per quem in omnibus gentibus Eccleſia ędificanda eſt. Poteſt etiam de populo Judaico, id eſt, carnali Iſraële intelligi hoc modo: In gratiam populi mei non quieſcam; ſed jugiter precabor Dominum, ut tandem aliquando ei exhibeat Meſſiam promiſſum, juſtum & Sal- E vatorem, qui ut ſplendor & lampas quædam clariſſima totum orbem illuſtret lumine veritatis. Hoc enim eſt quod ait; *donec egrediatur ut ſplendor, juſtus eius.*

℣. 2. *Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.* Putant quidam hoc nomen eſſe (*Eccleſia.*) Sed propheta ipſe mox addit quod ſit illud nomen, cùm dicit: *Non vocaberis ultra Derelicta, & terra tua non vocabitur ampliùs, Deſolata, ſed vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua, Inhabitata,* id eſt, valdè & benè habitata. Nomen tamen vocat Propheta, non vocabulum rei impoſitum, quo ab omnibus appelletur; Nam certum eſt Eccleſiam non ſignificari paſſim hoc vocabulo (*Voluntas mea in ea*) ſed inſignem ſcilicet aliquam

A proprietatem, qua res meritò appellari poſſit. Nempè Hebræi rebus ex ſuis proprietatibus vel adjunctis ſignificantia nomina ſemper indere ſolent: Sic & de Chriſto dicitur: *Et vocabitur nomen eius Emmanuël, quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus,* Matth. 1. cui tamen hoc nomen non fuit impoſitum: ſed eo vocabulo magnum myſterium ſignificatum fuit; quòd videlicet ſit Deus & homo; eoque nomine utraque ſimul Chriſti natura aptiſſimè intimata fuit. Sic hoc loco: (*Voluntas mea in ea*) vocatur Eccleſia, id eſt, in qua mihi complacui, hoc eſt, mihi dilecta ſponſa.

CAPUT LXIII.

℣. 16. *ABraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos.* B Utuntur novatores hoc loco Scripturæ contra invocationem Sanctorũ, quaſi ſancti ignorent res mortalium. Sed reſpondetur cum Hieron. commentante in hunc locum, ſignificari ignorantiam oppoſitam notitiæ amoris ſeu approbationis; ut ſit ſenſus: O Domine miſerere tu; quia Abraham & Iacob aſpernantur nos tanquam degeneres filios; quia ſciunt nos dereliquiſſe Dominum. Et ad eumdem modum Chriſtus comminatur Matth. 25. ſe quibuſdam dicturum: *Neſcio vos.* Unde ex hoc loco potius contrarium colligitur, nempe Abraham & Iacob cognoviſſe illorum improbos mores; Et certum quoque eſt Ieremiam & Oniam ſollicitos de ſtatu populi Dei pro illo oraſſe, 2. Machab. ult. Vide quæ diximus in 4. diſt. 45. §. 20.

C ℣. 17. *Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis: Induraſti cor noſtrum ne timeremus te?* Dicitur Deus facere nos errare, & cor noſtrum indurare, non quod errorem aut duritiam animi in nobis efficiat, ſed quia illa in nobis vel circa nos agit, quæ nobis ex noſtra malitia, vel ignorantia, vel infirmitate fiunt occaſiones erroris vel indurationis in peccato. Senſus autem eſt, Ne quæſo diutius ſinas nos aberrare à viis tuis, & indurari corde: ſed auſer à nobis errorem, & duritiam cordis, fac ut te timeamus. Loquitur autem propheta in perſona populi; Et eſt precatio; ſicut illud quod ſequitur: *Convertere, &c.* Vide pleniùs ſuprà cap. 6. v. 10. & loca ibi citata.

CAPUT LXIV.

D ℣. 4. *A Sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, Oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Citat hunc locum Apoſtolus 1. Corint. 2. magis ſenſum reddens, quàm verba. *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.* Et ſolet vulgo hæc ſententia proferri ad docendum incomprehenſibilia eſſe ea bona, quæ electis præparata ſunt in regno cœlorum. Sed alium ſenſum indicat nobis Apoſtolus Paulus. Refert enim ad myſteria religionis Chriſtianæ; ſcilicet quæ ante Chriſtum latebant, & obſcurè continebantur in lege, in pſalmis & prophetis; poſt Chriſtum autem manifeſtata ſunt credentibus, miniſterio Apoſtolorum. Sic enim progreditur Apoſtolus: *Loquimur,* inquit, *Dei ſapientiam in* E *myſterio; quæ abſcondita eſt; quam prædeſtinavit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram; quam nemo principum huius ſæculi cognovit. Sed ſicut ſcriptum eſt; Quod oculus non vidit, nec auris audivit, &c.* Quin & addit: *Nobis autem revelavit Deus per ſpiritum ſuum.* Ex quo manifeſtum eſt non pertinere hanc ſententiam propriè ad bona futuri ſæculi, ſed ad myſteria fidei Chriſtianæ. Vide noſtrum Comment. dicto loco.

℣. 5. *Ecce tu iratus es & peccavimus. Et pro quia.* Ideò enim iraſcitur Deus & pœnas vel infert vel comminatur (hoc quippe eſt Deum iraſci) quia homines peccaverunt. Hunc ſenſum etiam reddit verſio Vatabli: Quamquam & hoc modo poteſt intelligi: Iratus

es

es nobis propter priora peccata, atque ita juſtè traditi ſumus in alia atque alia peccata; ſicut de ſapientibus hujus ſæculi commemorat Apoſtolus Roman. 1. Vide ſi placet ibid. noſt. Comment.

℣. 6. *Et facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Sententia hæc frequens eſt in ore hæreticis noſtri temporis, qui docent in ſola remiſſione peccatorum juſtitiam hominis conſiſtere; nequaquam autem in operatione virtutum: eò quòd, (ut ex hoc loco volunt) omnia opera, etiam juſtorum ſint peccata. Sed *reſpond.* Primùm loquitur Iſaias non in perſona ſua, ſed populi; id quod circumſtantia ſermonis ſatis declarat. **B** Deinde de populo loquitur quatenus vetus erat, & ſervilis; cujus juſtitia ex ſola legis cognitione procedebat, non ex gratia Dei: ideoque omnis illa juſtitia nihil erat aliud quàm immunditia. Si qui erant ſancti in illo populo, qui ad ſpiritum libertatis pertinebant, pauciſſimi erant; & ſic in hac generali ſententia non eſt eorum habita ratio. At verò de operibus ipſis piorum, longè aliter loquitur ſcriptura. Sic Paulus ad Titum 2. v. 14. de Chriſto: *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem ſectatorem bonorum operum.* Ecce populus novi Teſtamenti eſt populus mundatus, & ſectator bonorum operum. **C** Hinc & Apoc. 19. v. 8. juſtificationes ſanctorum comparantur byſſino ſplendenti & candido.

CAPUT LXV.

℣. 17. **E**Cce enim ego creo cælos novos, & terram novam. Nomine cœlorum non ſolùm intelliguntur orbes cæleſtes; verùm etiam quidquid ſub illis eſt, uſque ad nos; id eſt, in genere, quidquid ſupra nos eſt. Totum enim hoc cœlum vocatur, more ſcripturæ, ut cùm toties dicitur, volucres cœli, & ſimilia. Hoc loco autem ſic generaliter accipi nomen cœli, ſatis patet ex 2. Petri 3. cum hoc loco collato. Item ex eo, quod propheta reſpicis ad primam rerum creationem, de qua **D** Geneſ. 1. *Creavit Deus cælum & terram*, ubi etiam cœlum ita generaliter accipitur. Denique quomodo hic locus intelligendus ſit, unde clarè Apocal. 21. & noſtrum Comment. loco citato B. Petri.

℣. 24. *Eritque antequam clament, ego exaudiam.* Similis locus eſt Pſalm. 31. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* Quibus modis loquendi, per quandam velut hyperbolen ſignificatur Deum citiſſimè & ſtatim exaudire, q. d. antequam clament, & clamorem finierint, ego exaudiam: quem ſenſum ſatis clarè ipſa Scriptura quoque indicat; cùm immediatè ſubjungit Dominus: *Adhuc illis loquentibus, ego exaudiam.*

CAPUT LXVI.

℣. 1. **H**Æc dicit Dominus; Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? Figuratè hoc dictum eſt ad exprimendam immenſam Dei majeſtatem, ut oſtendat, quàm modicum ſit ad tantam majeſtatem capiendam templum ab homine factum: cùm mundus univerſus eum capere non poſſit. Quare autem cœlum vocetur ſedes ejus, & terra ſcabellum pedum ejus, **A** non ſatis liquet. Quidam hoc ſchemate ſermonis nihil aliud ſignificatum putant, quàm quod ait Dominus Jerem. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Et quod canit Eccleſia; *Pleni ſunt cæli & terra gloria tua.* Poteſt tamen hujus locutionis etiam ſpecialior ratio reddi. Non enim ait, Terra ſedes mea, aut cœlum ſcabellum, ſed contrà. Loquitur enim propheta de Deo more humano ſeu anthropopathicè, quaſi aſcribens ei membra humana, & humanas qualitates. Cùm ergo cœlum ſurſum ſit, terra deorſum; rectè per eandem ſermonis figuram, cœlum vocatur ſedes Dei, quaſi in ea ſedeat, terra autem ſcabellum pedum ejus, quaſi in ea pedes ſuos figat more **B** humano. Simili modo dictus eſt ſedere ſuper Cherubim, & arca eſſe ſcabellum pedum ejus. Vide Pſalm. 98. & 1. Reg. 4.

Myſticè per cœlum homines cæleſtes, id eſt, pij; per terram, homines terreni intelliguntur. In piis enim tanquam in ſede reſidet Deus per gratiam ſuam; terrenos autem homines velut ſcabellum calcat, & premit potentia & juſtitia ſua. Porrò quod ſequitur: *Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi?* non eſt reprehenſio eorum, qui Deo templum ædificant, ſed inſtructio; ut ſciant templi uſum, non ut in eo Deus habitet (quem cœlum & terra capere non poſſunt) ſed ut homo Deum in templo, tanquam precationis loco, oraturus, **C** adferat illuc cor contritum, & humiliatum; quod ſolùm propter ſe Deo placere poteſt. Inde enim ſequitur: *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Hoc enim ſacrificium per ſe placet juxta illud Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Alia ſacrificia placere non poſſunt niſi ex pietate offerentium. Quæ ſi deſit, tunc (ut hîc ſubditur) *qui immolat bovem, quaſi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem.* Id eſt, rem faciat nefariam, quale eſt interficere virum: vel contemptibilem, quale eſt excerebrare canem. Et verò talia erant ſacrificia veteris legis, excluſa gratia novi Teſtamenti.

℣. 21. *Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Levitas.* **D** Refellitur hîc figmentum Lutheri, qui ut tolleret ſacrificium altaris, docebat omnes Chriſtianos eſſe ſpirituales ſacerdotes. Nam hîc apertè ſignificatur non omnes novi Teſtamenti filios fore ſacerdotes, imò nec Levitas, ſed ex eis certos quoſdam ad hæc munia aſſumendos. Eſt ergo in nova lege ſacerdotium quoddam, non omnibus Chriſtianis commune, ſed quibuſdam proprium: ad quod peculiariter à Deo aſſumpti ſunt. Id autem non aliud eſt, quàm poteſtas offerendi corpus & ſanguinem Domini, juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. Levitas autem vocat Diaconos; alioſque inferiores miniſtros. Unde Stephanus & Laurentius etiamnum in Eccleſia Levi**E**tæ appellantur. Et notandum illos duos ordines in hac prophetia potiſſimum exprimi, quia illorum inſtitutionem in novi Teſtamenti Scriptura expreſsè habemus; videlicet ſacerdotum in ultima cœna, ut dictum eſt Matth. 26. Et Diaconorum Act. 6. Et ſicut in veteri lege ſub nomine Levitarum aliquando omnis generis inferiores miniſtri tabernaculi intelligebantur, ita & hîc quoque novi Teſtamenti ordines reliqui, Subdiaconorum, Lectorum &c. comprehenduntur. Vide etiam ſimilem locum Jeremiæ 33. & noſtr. in 4. diſt. 12. §. 12. & diſt. 24. §. 19.

FINIS PROPHETIÆ ISAIÆ.

ANNOTATIONES IN PROPHETIAM IEREMIÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣.4. *FActum eſt verbum Domini ad me dicens: Priuſquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de vulva ſanctificavi te, & prophetam in gentibus dedi te.* Plerique ex his verbis conſequens eſſe putant, hunc prophetam Jeremiam in utero matris fuiſſe ſanctificatum, id eſt, à peccato originali mundatum, accepto Spiritu ſancto, quomodo de Ioanne Baptiſta dicitur Lucæ 1. *Spiritu ſancto replebitur ex utero matris ſuæ.* De utroque dubitare videtur Auguſt. Epiſt. 57. quæ eſt ad Dardanum, utens hoc argumento: Nemo renaſcitur qui non ſit natus, igitur qui in utero eſt, renaſci non poteſt per ſpiritum ſanctificationis. Quod argumentum, etſi non omninò convincit (nam de Chriſto nondum in lucem edito dictum eſt; *Quod in eo natum eſt de Spiritu ſancto eſt*, Matth. 1.) tamen, quantum ad Ieremiam attinet, non eſt improbabile, quod dicit Auguſt. prophetam hic dici ſanctificatum in utero, intelligi ſecundùm prædeſtinationem. Nam & id quod præcedit: *Priuſquam te formarem in utero novi te*, intelligendum eſt de notitia prædeſtinationis; ſimiliter illud quod ſequitur. *Et prophetam in gentibus dedi te.* Idem indicat Hieronymi commentarius, qui ſic eum dicit ſanctificatum in utero, quomodo Apoſtolus de ſe dicit ad Galat. 1. *Cùm placuit ei, qui me ſegregavit ex utero matris meæ.* Et Eccleſ. 49. v. 9. itidem de Ieremia dicitur. *Qui à ventre matris conſecratus eſt propheta.* Quibus verbis ſignificari videtur non aliam conſecrationem ſeu ſanctificationem eſſe intelligendam, quàm quâ conſecratus eſt per prædeſtinationem propheta. Vide etiam noſtra in 4. ſent. diſt. 6.

℣.6. *Et dixi, A, a, a, Domine Deus; Ecce neſcio loqui; quia puer ego ſum. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, puer ſum, quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis.* De hoc pulchrè Gregor. in lib. Curæ Paſtoralis parte 1. cap. 7. conferens inter ſe ſeu potiùs invicem opponens Iſaiam, qui ſeipſum obtulit dicens: *Ecce ego mitte me*, Iſaiæ cap. 6. & hîc Jeremiam, qui tergiverſatur dicens: *Ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum.* Sed notandum eſt, inquit, quia qui recuſavit, penitus non reſtitit: & qui mitti voluit, antè ſe per altaris calculum purgatum vidit (Iſaiam intelligit) ne aut non purgatus adire quis ſacra miniſteria audeat, aut quem Deus elegit, ſub humilitatis ſpecie ſuperbè contradicat. Hæc Gregorius. Vide etiam ſuprà ad Iſaiæ 6.

CAPUT II.

℣.2. *REcordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto &c.* Nota, Deus ſeipſum ſponſo, & populum Iſraël ſponſæ comparat, quam ſibi deſponſaverit per promiſſa patribus facta, Abrahæ, & Iſaac & Iacob; deinde in uxorem duxerit, quando eduxit ex Ægypto; denique etiam arctiùs copulaverit, quando ei in deſerto legem dedit. Quod ergo dicit, *miſerans adoleſcentiam tuam*, vocat ejus adoleſcentiam prima hujus populi tempora; quando videlicet primùm

A incepit tanta eſſe multitudine, ut populus dici poſſet: Id autem erat in Ægypto, & ſolitudine, unde addit: *quando ſecuta es me in deſerto.* Quod autem dicit: *charitatem deſponſationis tuæ*, non eſt intelligendum de charitate illius populi erga Deum; Semper enim populus ille actus fuit ſpiritu ſervitutis, non dilectionis, Et Dominus aliquoties ait: *Populus iſte duræ cervicis eſt*; Sed refertur hoc ad charitatem Dei erga populum, quam tot beneficiis in eum collatis declaravit. Senſus igitur eſt: Recordatus ſum tui, & miſertus, memor charitatis quæ me impulit, ut te mihi deſponſarem, id eſt, acciperem in ſponſam, & honorabile pactum tecum

B inirem.

℣. 13. *Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas.* Duo mala ſunt relinquere Deum, qui eſt, fons vitæ; & ad creaturam colendam, id eſt, ad idola, converti. Hæc enim duo hîc ad litteram intelliguntur. Et vocatur Deus fons aquæ vivæ, quia eſt prima origo omnis boni. Idola autem vocantur ciſternæ diſſipatæ, quia nullam vitæ actionem, nec in ſe habent, nec in aliis efficere poſſunt. Poſſunt hæc etiam referri ad

C verâm & falſam doctrinam, ad doctrinam Catholicam & hæreticam. Vera & Catholica doctrina ſanè eſt fons vitæ, quia ex ea vita procedit animæ; Primò, ut veritas cognoſcatur, deinde, ut cognita diligatur. Doctrina verò hæretica eſt inſtar ciſternarum diſſipatarum *quæ continere non valent aquas*; quia ſi quid in ea veri adhuc continetur, aliundè invectum eſt, vel relictum; & nec hoc ipſum quidem *continere poteſt*, id eſt, integrum & incorruptum conſervare; ſed permixtione falſi vitiat, & corrumpit.

CAPUT III.

℣.1. *VUlgò dicitur. Si dimiſerit vir uxorem ſuam,*

D *& recedens ab eo duxerit virum alterum; nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa?* Oſtendit Deus magnitudinem clementiæ ſuæ, comparatione rerum humanarum, quaſi dicat, Maritus dimiſſam uxorem non revocat, ſi illa jam alteri viro nupſerit; imò, nec revocare licet ſecundum legem Deut. 24. ubi dicitur: *Non poterit prior maritus recipere eam, quia polluta eſt, & abominabilis facta coram Domino.* Ego tamen (ait hîc Dominus, ad populum Iſraël) te, qui, me derelicto, fornicatus es poſt Deos alienos, revoco ad pœnitentiam; & invito ut revertaris; paratuſque

E ſum revertentem ſuſcipere. Cæterùm ſecundum legem id erat illicitum, tum propter fœditatem, cujus meminit lex, & hîc propheta; tum ne facilè mariti uxores dimitterent, aut uxores à maritis recederent; cùm certò ſcirent ſe ad conjuges ſuos non habituros reditum, ſi aliis jungerentur. Ubi & hoc notandum; quod pro eo quod nos habemus, *Nunquid non polluta erit mulier illa?* in Hebræo, pro (*mulier*) legitur (*terra illa?*) quod & Hieron. annotavit. Et ſenſus eſt: Id adeò fœdum reputatur, ut etiam terra ipſa, ubi hoc fit, cenſeatur tali fœditate pollui. Sic loquitur etiam dicto loco Deut. 24. Moyſes, addens poſt verba ſuperiora: *Ne peccare facias*

terram

terram tuam, quam Dominus Deus tuus tradiderit ſibi poſſidendam, juxta quam phraſim, terra cenſetur peccare, cùm habitatores ejus peccant, & terra contaminari dicitur, quando gravia ſcelera & flagitia ab habitatoribus terræ committuntur.

℣. 15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Promiſſio eſt facta filiis novi Teſtamenti. Hi paſtores poſt ſummum paſtorem Chriſtum fuêre primum Apoſtoli, & qui eos ſecuti ſunt Apoſtolici viri; & poſt eos ſancti Epiſcopi, & presbyteri: qui populum Dei, vel docendo, vel ſcribendo inſtruxerunt, & inſtruunt uſque in hodiernum diem. Et quamvis non omnes fuerunt juxta cor Domini, aut ſunt; tamen, qui inter eos eminuerunt in novo Teſtamento, plerumque fuerunt juxta cor Domini. Et notent paſtores, quod additur: *Et paſcent vos ſcientia & doctrina.* Hoc enim certum eſt eos facere non poſſe, qui ſcientiam & doctrinam ipſi non habeant. In quibus verbis, ſi diſtinctio adhibenda eſt, ſcientia ad mores, doctrina ad fidei dogmata refertur.

CAPUT IV.

℣. 2. ET *jurabis: Vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.* Primum hinc ſtatuitur contra Anabaptiſtas, licitum eſſe juramentum; modò fiat, ut hîc præſcribitur, in veritate, & in judicio, & in juſtitia. Deinde illud (*Vivit Dominus*) eſſe conſuetam jurandi formam in veteri Teſtamento. Senſus eſt: Jurando uſurpabitis nomen meum dicentes, hoc aut ſimili modo. *Vivit Dominus.* Quæ jurandi forma hunc aut ſimilem ſenſum habet: Quàm verè vivit Dominus, tam hoc verum eſt quod affirmo. In verbis autem ſequentibus (*in veritate, & judicio, & in juſtitia*) animadvertendum, inquit Hieron. quod juſjurandum hos habeat comites veritatem, judicium, & juſtitiam. Et addit. Si iſta defuerint, nequaquam erit juramentum, ſed perjurium; nomine perjurij, non ſolùm falſum, ſed omne illicitum comprehendens juramentum, ſcilicet ut perjurium ſit quaſi perperam, & pravè factum juramentum. Igitur ad hoc, ut rectè juretur, tria hæc ſunt neceſſaria; veritas, judicium, & juſtitia. *Veritas*, ne falſum juretur a *Juſtitia*, ne quid injuſtum juretur; ut ſi quis juret ſe hominem occiſurum: *Iuditium* ne temerè & in vanum, ac ſine juſta neceſſitate, juretur, etiam id quod verum & juſtum eſt, ut ſi quis non rogatus juret ſe redditurum librum commodato acceptum; etiamſi perjurij periculum non ſit; quia non urget juſta neceſſitas. Vide etiam noſtr. in 3. diſt. 39.

℣. 10. *Et dixi, Heu, heu, heu, Domine Deus, Ergone decepiſti populum iſtum & Ieruſalem dicens: Pax erit vobis, & ecce pervenit gladius uſque ad animam?* Turbatur propheta, inquit Hieronym. & in ſe Deum putat eſſe mentitum; nec intelligit illud (de felicitate Jeruſalem cap. præcedenti) multa poſt tempora eſſe repromiſſum; hoc autem (de vaſtatione) vicino futurum tempore. Verùm, in Deum mendacium, aut deceptio proprij nominis non cadit; quia Deus eſt veritas incommutabilis; quæ nec falli poteſt, nec fallere. Deinde non eſt veriſimile prophetam exiſtimaſſe Deum eſſe mentitum, quod videntur ſonare verba Hier. ſed interrogando hoc dixit propheta, ut oſtenderetur vaticinium illud de fœlicitate Jeruſalem cap. ſuperiori, alio pertinere, & aliàs implendum eſſe; nunc autem ex propinquo ea implenda, quæ hoc capite prænunciat de vaſtitate terræ. Quod qui non intelligit, decipitur, non tam à Deo, qui verum prædixit, quàm à ſeipſo, qui malè intellexit.

CAPUT V.

℣. 1. C*Ircuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Hac ſententia non vult negare propheta fuiſſe eo tempore juſtum quempiam in civitate Ieruſalem: Erat enim ipſe Ieremias propheta ſanctus, & juſtus: Erat Baruch; Erat rex ipſe Ioſias (nam ejus tempore videtur hujus capitis prophetia conſcripta) ſed hoc ſermonis modo indicare voluit, incredibilem juſtorum paucitatem in ea civitate. Quod autem adjungitur, (*& propitius ero ei*) ambiguum eſt, utrum intelligatur, civitati Jeruſalem, an viro illi juſto. Utrumque enim præceſſit. Hieron. refert ad civitatem. Et hîc notat ſingularem Dei miſericordiam qui propter unum juſtum velit parcere civitati Ieruſalem, cùm Abraham interpellans pro Sodoma & Gomorrha non auſus fuit deſcendere infra decem juſtos. Septuaginta habent, (*propitius ero eis.*) Scilicet quæ juſtum, ut habeat, cur toti populo parcat; ſed in numero ſingulari pluralis eſt intelligendus, ita ut intelligantur tot juſti propter quos conveniens ſit toti multitudini parcere.

Eſtij Annotat. in Script.

℣. 3. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem.* Quæritur, quæ fides intelligatur, utrum ea à qua dicuntur fideles, id eſt, veri Dei cultores? an quæ ſpectatur in promiſſis, & pactis ſervandis? Hieron. referre videtur ad fidem, quà in Deum creditur. *Domine*, inquit, *oculi tui reſpiciunt fidem*; non opera Iudæorum, in quibus juxta legis cæremonias exultabant, ſed fidem Chriſtianorum, per quam gratiâ ſalvi facti ſumus. Sic ille. Magis tamen probabile videtur intelligi fidem in pactis & promiſſis, quæ alio nomine veritas appellatur. Paulò ante enim dixerat, *An inveniatis virum facientem judicium & quærentem fidem*; ſeu, ut Symmachus tranſtulit (*veritatem.*) Ea autem non aliud eſt quàm juſtitia in promiſſis, & pactis, & juramentis ſervata. Præcedit quoque proximè ante hæc verba: (*Domine oculi tui reſpiciunt fidem.*) *Quod ſi etiam, vivit Dominus, dixerint, hoc falsò jurabunt*: q. d. nulla eſt fides in eis, ne quidem, ſi juraverint per nomen Domini.

CAPUT VI.

℣. 4. S*Anctificate ſuper eam bellum.* Id eſt, indicite bellum. Et ſic Ioëlis 3. & Michææ 3. *Sanctificant ſuper eum prælium.* Et Ioëlis 1. *Sanctificate jejunium.* Et 2. *Sanctificate Eccleſiam*, id eſt, indicite conventum.

℣. 7. *Sicut frigidam facit ciſterna aquam ſuam, ſic frigidam fecit malitiam ſuam.* Videlicet Ieruſalem; de qua præcedit: *Hæc eſt civitas viſitationis, omnis calumnia in ea.* Hîc duplex pridem fuit lectio in poſteriori membro: Vel ut utrumque poneretur in accuſandi caſu, ſicut jam poſitum eſt, vel ut poſtremum legeretur in nominativo (*malitia*) & ita habet textus Hieron. & ſic etiam interpretatur, ut mox oſtendemus. Secundum noſtram lectionem ſenſus eſt; Sicut ciſterna evomit aquam frigidam, ita & civitas Ieruſalem nihil aliud evomit quàm frigidam malitiam, q. d. valdè increvit, & invaluit malitia in ea. Videlicet virtus aquæ potiſſimum in frigore conſiſtit, quæ eſt naturalis ejus qualitas. In ſcriptura autem quæ bona ſunt, calori, quæ mala, frigori tribuuntur. Unde illud: *Quoniam abundat iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Matth. 24. Hieron. ſecundum ſuam lectionem ſic interpretatur, *Frigidam fecit malitia ſua*, id eſt, malitia quæ in medio ejus eſt, frigidam fecit ipſam civitatem Ieruſalem, omnemque calorem vitæ ſpiritualis in ea extinxit. Ex Hebræo hoc modo vertunt hodie: *Sicut ciſterna evomit aquas ſuas, ſic Ieruſalem evomit, ſeu ebullit malitiam ſuam.* Per quod ſignificatur abundantia & aſſiduitas quædam iniquitatis. Sed eodem ferè omnes ſenſus redeunt.

℣. 16. *Hæc dicit Dominus: State ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis quæ ſit via bona.*

& ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus A *veſtris.* Pia admodum admonitio, & hoc ſæculo imprimis neceſſaria. Nempe inde omnis hæretica novitas exorta eſt, quia hoc præceptum minimè ſervatum fuit; quia non perſtiterunt in viis antiquis; nec de iis interrogaverunt; ſed ab eis declinaverunt in diverticula. Et ſicut tempore veteris Teſtamenti viæ iſtæ antiquæ erant quæ monſtratæ erant à Patriarchis & prophetis, & veſtigiis eorum tritæ, mox ubi à Judæis derelictæ fuerunt, eis non refrigerium, ſed varios dolores attulerunt; ita & tempore novi Teſtamenti viæ antiquæ ſunt, quæ præſcriptæ ſunt ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris, eorumque ſucceſſoribus, per quas & ipſi ambulaverunt, & nobis, ut per eaſdem ambularemus, etiam ſanguine ſuo conſperſas reliquerunt. Hæ viæ ſunt doctrina Orthodoxæ fidei, B & doctrina ſanctæ converſationis; à quibus qui aberrat, & in iis non ambulat, nunquam inveniet refrigerium animæ ſuæ.

CAPUT VII.

℣. 3. B*Onas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto.* Oſtenditur in homine eſſe liberum arbitrium, idque activum, quo proprio & libero voluntatis motu poteſt vias ſuas, id eſt, actiones, & ſtudia ſua facere bona vel mala, tametſi bona facere non poſſit ſine adjuvante gratia Dei. Eſtque hoc diligenter obſervandum contra doctrinam Lutheri, Calvini, & aliorum ſectariorum noſtri temporis, qui liberum arbitrium, vel certè ejus activitatem C tollunt.

℣. 4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* Videndum contra quos verba iſta dirigantur à propheta. Non enim putandum eſt, omni modo prohiberi fiduciam in templo Domini. Nam in eo haud dubiè excelluit populus Judaicus præ cæteris nationibus; & meritò gloriari potuiſſe videtur, quod Deus ibi templum fieri, & ſacrificia offerri elegiſſet. Deinde preces in templo effuſæ ad Dominum, cæteris paribus, plus impetrabant, quemadmodum eſt manifeſtum ex iis quæ leguntur circa dedicationem templi Salomonis 3. Reg. 8. & 2. Paral. 6. Sed, ſcilicet, contra eos dirigitur hîc ſermo propheticus, qui cum malè viverent, & de vita in D meliùs mutanda non cogitarent; tamen ſibi promittebant impunitatem, & omnia tuta; tantùm ob id, quia apud eos erat templum Domini. Hæc enim cogitatio erat prorſus carnalis, & Deo indigna, ſtultè illis cogitantibus quaſi ſpecioſa illa templi ſtructura ita Deum delectaſſet, ut propterea ad peccata populi conniveret; cùm potiùs illa ipſa fuerit cauſa gravioris punitionis, quod peccatis ſuis locum illum contaminaſſet. Ex quibus patet, quàm ineptè hunc locum & ſimiles torqueāt ſectarij adverſus Catholicam doctrinam, quæ habet, quod propter Eccleſiæ preces in conſecratione ſeu dedicatione ejus factas, itemque propter conſenſum multorum in ea ſimul orantium, preces in baſilicis conſe- E cratis factæ plus valeant & impetrent, quàm factæ in locis privatis.

℣. 21. *Hæc dicit Dominus, Holocautomata veſtra addite victimis veſtris & comedite carnes. Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum, &c.* Et nonnullis interjectis: *Sed hoc verbum præcepi eis dicens &c.* frequentiſſimè inculcat Scriptura ſacra holocauſta & victimas Deo non placere propter ſe, ſed tantùm propter cultum internum qui eſt in animo. Ad hoc oſtendendum teſtatur hîc Dominus ſe populo Iſraëlitico primum, & mox ab egreſſu de Ægypto dediſſe Decalogum, poſteà autem, (quando peccaverant in adoratione vituli) addidiſſe præcepta de ſacrificiis offerendis; ne populus ſcilicet ad idola deflueret. Unde ſequitur, præcipuam pie- A tatem eſſe in iis quæ præcipit Decalogus; ſacrificia & holocauſta quaſi ſecundario addita, & velut ex occaſione: & proinde in iis ſummam pietatem non eſſe conſtituendam. At quæres: Nonne jam ante datum erat præceptum Agni Paſchalis? Erat; idque ex cauſa peculiari in memoriam admirabilis eductionis illius populi ex Ægypto: ſed congeries illa præceptorum cæremonialium de tam variis ſacrificiis, poſteà populo impoſita eſt, ex cauſa ſuperiùs allata. Vide Hieronymum in hunc locum.

CAPUT VIII.

℣. 7. M*Ilvus in cælo cognovit tempus ſuum, turtur, & hirundo & ciconia cuſtodierunt tempus* B *adventus ſui, populus autem meus non cognovit judicium Domini.* Similis ſententia, cum ea quæ eſt Iſaiæ 1. *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum &c.* Et juſta eſt hæc expoſtulatio Dei cum populo Iſraël; imò cum toto genere humano; quâ manifeſtè convincitur corruptio naturæ humanæ, cùm aliorum animantium natura euſque integra & incorrupta perſeveret. Nam ſicut aliis animantibus naturale eſt ſequi ea quæ ſenſui grata ſunt: & maximè quæ animali vitæ ſuſtentandæ ſunt neceſſaria; ita homini meritò cenſetur naturale Deum noſſe, & cognitum colere. Hæc eſt enim hominis vita, quatenus homo eſt, id eſt, quatenus animal rationale. Atqui videmus hominem naſci jam alienum à Dei cognitione; propenſum ad credendum falſis magis quàm veris; & ad vitia ſectanda, ubi è contra beſtiæ à natura ſatis in- C ſtructæ ſunt, ut finem ſuæ naturæ ſequantur. Unde neceſſe eſt vitium aliquod & corruptelam in humana natura agnoſcere, quàm meritò hîc Deus per prophetam deplorat.

℣. 11. *Et ſanabant contritionem filiæ populi mei ad ignominiam, dicentes: Pax, Pax: cum non eſſet pax.* Hier. Hoc, inquit, propriè de ſacerdotibus & Doctoribus intelligendum eſt, qui divitibus, & eis, quos vident in honore maximo conſtitutos, repromittunt proſpera, & clementem prædicant Deum; magis illos ſupplicio, & iracundiæ præparantes. Hæc Hieron. Referri etiam poteſt ad eos qui peccatoribus facilè manus imponunt, & ad reconciliationem admittunt; neque ſecurim ad radicem ponunt, ut peccandi voluntatem acribus admoni- D tionibus tollant ex animo confitentis, ſolùm oleum infundentes in vulnera, non etiam vinum. Hi ſcilicet dicunt Pax, cum non ſit Pax; quia talem ſententiam Deus non approbat.

CAPUT IX.

℣. 1. Q*Vis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Conſiderandum prophetam tanquam fidelem miniſtrum, & nuntium voluntatis Dei ad populum, ferventiſſimum eſſe tum in reprehendendis peccatis populi, tum etiam in annuntianda eis comminatione divinæ vindictæ. Ad cujus exem- E plum oportet omnes Verbi Dei concionatores, graſſantibus præſertim gravioribus peccatis, (ut hoc noſtro ſæculo) præcipuè incumbere in eam curam, ut peccata populi libera voce caſtigantes, & ſupplicia tam æterna, quàm temporalia peccatoribus parata denuntiantes, conentur à grege ſibi commiſſo iram Dei avertere: Sciantque ſibi dictum illud Iſaiæ 58. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Et illud Ezech. 33. *Si dicente me ad impium, Morte morieris, non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

℣. 14. *Et abierunt poſt pravitatem cordis ſui, & poſt Baalim, quod didicerunt à patribus ſuis.* Hieron. in contextu, & ſimiliter in commentario legit (*quos*)

ut

A ut ſenſus ſit : Eoſdem Deos, quos patres eorum coluerunt, acceperunt ab iis filij. Sed ad ſenſum non multum intereſt, ſive (*quos*) ſive (*quod*) legatur. Quando enim legitur (*quod*) ſignificatur filios hoc ipſum à patribus accepiſſe, quod ambularent poſt Baalim. Notat. Hieron. Ergo nec parentum, nec majorum error ſequendus; ſed authoritas ſcripturarum, & Dei docentis imperium. Sententia omninò veriſſima. Nulla enim authoritas valere debet ad ſequendum errorem. Sed non eſt hinc conſequens, (quod obtendunt hæretici) infirmo argumento niti Catholicos, dum doctrinam ſuam probant ex authoritate majorum. Non enim qualeſcumque majores allegant, ſed eos, quibus ipſa Scriptura ſacra teſtimonium perhibet veritatis, & ſanæ doctrinæ, de quibus Apoſtolus ad Epheſ. 4. *Dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios Evangeliſtas, alios paſtores & doctores in ædificationem corporis Christi, ut jam non ſimus* B *parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ &c.* Talium majorum authoritate nituntur Catholici; & per eos hoc conſequuntur, ut jam non ſint parvuli fluctuantes, ut ſunt hæretici. Sed abſoluté, non ſequitur: Majores ſic crediderunt, ergo ita nobis credendum eſt. Nam ita redeundum nobis eſſet ad cultum idolorum, quia majores noſtri ante mille annos idola coluerunt. Vide etiam ſuprà cap. 6. verſ. 16.

℣. 21. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras.* Quamvis ad litteram hoc rectè exponatur, de impetu & invaſione Babyloniorum, quod eorum tanta fuerit fortitudo, & velocitas, ut non expectarent aperiri fores, ſed per feneſtras & tecta conſcenderent ad mortem Judæis inferendam; utiliter tamen etiam ad morum inſtru- C ctionem accommodari poteſt; ſi ſpiritualiter intelligatur; quod per omnes ſenſus tanquam feneſtras quaſdam ad animæ interitum mors introeat peccatorum. Unde & à Pſalmiſta dictum eſt, Pſalm. 118. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.*

℣. 24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me; quia ego ſum Dominus.* Nequaquam hoc præſtat facit, qui de ſola fide gloriantur, & ex ea ſola juſtitiam & ſalutem expectant: Manifeſtè enim eos convincunt verba ſequentia, quæ ſic habent: *Quia ego ſum Dominus, qui facio miſericordiam, & judicium, & juſtitiam in terra. Hæc enim placent mihi, ait Dominus.* Quibus verbis ſignificat ita demum gloriandum eſſe, D in Dei cognitione, ſi quis faciat ea, quæ Deo placent, nimirùm miſericordiam, judicium & juſtitiam. Unde Ioannes in 1. ſua Canonica cap. 2. *Qui ſe dicit noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt.* Vide ibid. noſtrum Comment.

CAPUT X.

℣. 2. H*Æc dicit Dominus: Iuxta vias gentium nolite diſcere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timentes gentes, quia leges populorum vanæ ſunt.* Hac ſententia manifeſtè reprimitur vanitas, & ſuperſtitio Genethliacorum, quos olim Vulgus Mathematicos vocabat; qui ex aſtris, quæ ſunt poſita in ſigna annorum, temporum, menſium & dierum, de actioni- E bus mortalium, ſeu malis, ſeu bonis; deque aliis eventis fortuitis, audent vel certum, vel probabile aliquid pronunciare. Adverſus quorum ſuperſtitioſam præſumptionem, vide ſententias veterum ad cap. 1. Gen. Facit etiam hæc prophetæ ſententia contra abſurdam quorumdam opinionem, exiſtimantium, ſeu certè docentium; ſolem, lunam, aliaſque ſtellas eſſe mente præditas; cùm ſcriptura, & hoc loco, & initio Geneſis, volens Hebræos ab eorum cultu abſterrere, non aliud eis tribuat, quàm quod ſunt ſigna, quibus anni, menſes, dies, diſtinguuntur.

℣. 11. *Sic ergo dicetis eis; Dij cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt.* Eſt ij Annotat. in Script.

Alij intelligunt hoc dicendum de ipſis idolis, ut Hier. Alij de idolorum cultoribus; nempè Babyloniis; ad quos adducendi erant Judæi, contra quos etiam inſtruxit eos Jeremias in Epiſtola quæ connectitur libro Baruch, ut ſenſus ſit. Cùm eritis captivi in Babylone, & hortati vos fuerint Babylonij ad cultum idolorum, hoc eſt, deorum ſuorum, ſic dicetis eis: *Dij qui cœlos & terram non fecerunt, pereant*; ſcilicet, quia Dij non ſunt, ſed opera manuum hominum, aut etiam dæmonia: Quod autem dicit, (*Et de his quæ ſub cœlo ſunt:*) intelligit omne id, quod ſupra terram & ſub cœlo pro Deo colitur.

℣. 23. *Non eſt hominis via ejus: nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Dupliciter hoc exponi poteſt, ita tamen ut neuter ſenſus patrocinetur eorum errori, qui ex his verbis libertatem voluntatis humanæ tollere conantur. Prior ſenſus eſt: Non eſſe in hominis poteſtate, ut ad effectum perducat cogitationes & conſilia ſua, id eſt, ut proſperet actiones ſuas; quippe quæ multipliciter impediri poſſunt, vel divinitus, vel etiam aliunde. De quo ſenſu vide ad Deut. 28. Aliter ſenſus eſt, quo utuntur Auguſt. & Hier. contra Pelagianos, ut ſignificetur non eſſe poſitum in hominis poteſtate, ſine adjutorio gratiæ divinæ, ut greſſus ſuos dirigat, id eſt, ut rectas, ac bonas faciat actiones ſuas. Vide ſi placet noſtra in 2. diſtinct. 24 §. 15. & diſt. 26. §. 24. & 29.

CAPUT XI.

℣. 4. A*Udite vocem meam, & facite omnia quæ ego præcipio vobis, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Ex his verbis manifeſtum eſt eum recedere à pacto qui non ſervat omnia etiamſi quædam ſervet. Unde & in lege ſcriptum eſt: *Maledictus homo qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis*, citante Apoſtolo ad Galat. 3. Illud admonendum putavi ne quis exiſtimet maledictum legis ad eos tantùm pertinere, qui legem ſic penitus abjiciunt ut nihil ejus obſervetur; ſecundùm quorum ſententiam non erit maledictus qui idola colit: modo honoret parentes & non furetur.

℣. 14. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, & ne aſſumas pro eis laudem & orationem, quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me.* Laudem intelligit Hieronym. qua Dei clementia laudatur, commemoratione beneficiorum priorum; ut per hoc impetretur miſericordia in præſenti afflictione. Nam omnis oratio ferè laudem aliquam Dei habet conjunctam: velut cum dicitur: Omnipotens & miſericors Deus; laudatur potentia & bonitas Dei. Pro *laude*, alij vertunt, *clamorem*. Vox Hebræa ſignificat clamorem, aliquando laudis aliquando mœroris, ſeu lamentationis. Sed quare prohibetur propheta pro eis orare? Ipſe Dominus reſpondet: *Quia non exaudiam*, fruſtrà enim orat, qui certus eſt, ſe non exauditum iri. Sciendum autem loqui Dominum de afflictione temporali, non de pœnis æternis. Nam tenemur omnem hominem diligere, id eſt, ſalutem æternam ejus optare, quamdiu nobis non conſtat per revelationem de contraria Dei voluntate; quo caſu talis homo deſineret eſſe proximus. Addit autem Hieron. Ex quibus diſcimus, fruſtrà aliquem rogare pro alio, cùm ille non meretur accipere, pro quo rogatur Deus. Quod ſimiliter intelligendum eſt de afflictione temporali. Videlicet, quia nõ eſt rogandus Deus, ut auferat ab aliquo virgam temporalem, niſi ille per pœnitentiam oſtendat ſe aliquouſque correctum. Alioqui, pro indignis etiam, ſæpè rogat Eccleſia, ut Deus det eis pœnitentiam, inſpiret fidem, ut ex indignis dignos faciat, & ex rebellibus obedientes.

℣. 15. *Nunquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?* Carnes ſanctas vocat Deo ſanctificatas per immo-

immolationem, q.d. Nunquid victimæ Deo immolatæ auferent malitias, id eſt, purgabunt, expiabunt peccata tua? q.d. minimè.

℣.19. *Et ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognovi, quia cogitaverunt ſuper me conſilia dicentes: Mittamus lignum in panem ejus &c.* *Quæritur* utrum de Jeremia, an de Chriſto hæc accipienda ſint? Quod de Jeremia, omninò contextus convincere videtur. Sequitur enim, *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam.* Hoc ad Jeremiam pertinet, qui erat ex Anathoth, & à ſuis civibus perſecutionem patiebatur. Quod verò de Chriſto intelligatur, itidem videtur; quia, ut inquit, Hieron. omnium Eccleſiarum iſte eſt conſenſus, ut ſub perſona Ieremiæ à Chriſto hæc dici intelligant. Ac demum ſic concludit: Ut omni interpretationis moleſtia liberemur, illam ſequamur regulam, quod omnes prophetæ in typum Domini Salvatoris pleraque geſſerunt; & quidquid juxta præſens tempus completum ſit in Ieremia, hoc in futurum de Domino prophetari.

Itaque quod ſequitur: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium*; Similiter ad litteram intelligitur de ligno, veriſimiliter arboris taxi, cujus magna eſt copia in Judæa & Arabia; cujus arboris lignum, utpotè præſens venenum, cogitabant adverſarij Jeremiæ minutatim conciſum, mittere in panem, ſeu cibum ejus; ut ita ſanctum prophetam è vita tollerent. Sed cum Scriptura, ut dictum eſt, variis ſenſibus fœcunda ſit, intelligitur quoque juxta omnium Eccleſiarum conſenſum, ut ait Hieron. de Chriſto Domino, qui *quaſi agnus ductus ad victimam non aperuit os ſuum. & non cognovit*: ſubintellige (inquit Hieronymus) peccatum, vel fuit quaſi non cognoſcens ea, quæ in illum conſilia cogitabantur: Cujus inimici quoque dixerunt. *Mittamus lignum in panem ejus*, dum crucem corpori ejus pararunt; ejus, inquam, qui verè dixit, Ioan. 6. *Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi.* Et ſimiliter quæ ſequuntur, in Chriſtum optimè quadrant.

CAPUT XII.

℣.1. Q*Vare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt?* Sciendum expoſtulationem prophetæ cum Deo non aliud eſſe, quàm vehementem admirationem hominis juſti, & certo ſcientis; non eſſe injuſtitiam apud Deum, (ſicut & hîc Propheta præmittit: *Iuſtus quidem tu es Domine*) nondum tamen intelligentis, quo occulto Dei conſilio cuncta ferè proſpera impiis evenire permittantur. Similis eſt cum Deo diſputatio Davidis Pſalmo 72. & Habacuc prophetæ cap. 1. Quin ejuſdem quoque argumenti videtur prolixa illa altercatio inter Iob & amicos ejus. Et eſt quidem ea tentatio aliqua juſtorum, vel ad ſequendum vias impiorum, vel ad accuſandum Dei juſtitiam; ſed conſolantur tandem juſti, tum in illo Pſalm. 72. tum hoc loco: Cujus conſolationis ſumma eſt; quod impij ad tempus quidem proſperè agunt, ſed ad hoc, ut poſteà gravius, vel in hoc ſæculo, vel certè in futuro puniantur: juſti autem ad tempus affliguntur, ut in æternum ſalventur.

℣.2. *Plantaſti eos & radicem miſerunt: proficiunt & faciunt fructum.* Intelligitur hoc de proſperitate temporali, non de mala doctrina, quam neque Pater cæleſtis plantat, neque ſinit diu radices agere, juxta illud Matth. 15. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Neque repugnat huic ſententiæ illud Sapientis Sap. 4. *Spuria vitulamina*, vel (ut alia lectio habet) *adulterina plantationes, non dabunt radices altas.* Per hoc enim ſignificatur non fore perpetuam eorum felicitatem, ac plerumque etiam contingere, ut temporali proſperitate non diu

A fruantur, ſed citò eorum proſperitas extinguatur, ut probant exempla Sacræ Scripturæ, præſertim in Regibus Iſraël.

Ibid. *Prope es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Quidam dictum hoc volunt peculiariter adverſum ſacerdotes Anatoth, de quibus ſub finem capitis præcedentis. Cùm ſacerdotes eſſent, Deum quidem in ore habebant, ſed longè erat à renibus eorum; quia libidini vacabant, cujus ſedes in renibus eſt. Nam de illis ſcriptum accipiunt illud ſuprà cap. 5. *Unuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat.* Fortè rectiùs per renes accipiuntur intimæ cogitationes hominis, juxta illud Pſalm. 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Nam & ſuperiori capite dixit Deo: *Qui judicas juſtè, & probas renes & corda*, & alibi ſæpè hac ſignificatione ſumitur.
B Senſus igitur erit, Deum quem ſemper in ore habent, longè abeſſe à corde & cogitatione eorum, juxta illud Iſa. 29. *Populus hic labiis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me.*

℣.7. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum ejus. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylva.* Tametſi hæc verba ad litteram intelligantur de Jeremia qui perſecutionem patiebatur à civibus ſuis & gente ſua; ſecundum myſticam tamen intelligentiam non eſt dubium quin in perſona Chriſti prænuntiata ſint, qui reliquit domum ſuam gentem Judaïcam, juxta id quod dicit in Evangelio, Matth. 23. *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Qui dilectam animam ſuam dedit in manus inimicorum; juxta illud quod ait Ioan. 10.
C *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Cui hæreditas ſua facta eſt quaſi leo in ſylva, quando contra eum clamaverunt Judæi ut crucifigeretur, & quando contra eum à Patre miſſum conſpiraverunt dicentes: Matt. 21. *Iſte eſt hæres, venite occidamus eum.*

℣.10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis.* Dubium eſt, quos hîc intelligat nomine paſtorum. Vel enim intelligi poſſunt ipſius plebis principes, & ſacerdotes, qui paſtores quidem ſunt titulo tenus; revera autem demoliuntur vineam Domini; idque, vel malè docendo, vel falſa exempla præbendo; vel etiam ſola negligentia, ac defectu doctrinæ & diſciplinæ; contra quos
D paſtores alibi dicitur: *Væ paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos, gregem autem meum non paſcebant.* Vel intelligi quoque poſſunt paſtorum nomine principes non ipſius populi Iſraëlitici, ſed Chaldæorum, qui verè demoliti ſunt vineam Domini, quando devaſtarunt terram Juda, & populum duxerunt captivum. Ita de Chaldæorum principibus loquitur Jeremias cap. 6. *Ad eam venient paſtores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu.* Et David ſeipſum paſtorem vocat populi ſui 2 Reg. ult. quando dicit: *Ego ſum, qui peccavi, iſti, qui oves ſunt, quid fecerunt?* Et Homerus jam olim etiam in ſuis carminibus principes Græcorum, aliquoties vocat paſtores populorum. Aptiſſimè autem principes vocantur paſtores populi, quia eum paſcunt
E & dirigunt in pace & juſtitia.

CAPUT XIII.

℣.4. T*Olle lumbare, quod poſſediſti, & ſurgens vade ad Euphratem, & abſconde ibi illud in foramine petræ. Et abij, & abſcondi illud.* Totum hoc quod ſe feciſſe narrat propheta, quidam exiſtimant, non corporaliter factum fuiſſe, ſed in ſpiritu. Ratio interpretationis hujus eſſe videtur; quod difficillimè potuiſſet Jeremias ſemel, atque iterum excurrere uſque ad Euphratem, longè ab Hieroſolymis diſſitum. At cur non potuit, cùm hoc non legatur factum tempore obſidionis? Nec videtur dicendum,

Jeremiam corporaliter raptum fuiſſe per aëra ad Euphratem uſque, ut hæc faceret, licet ſic raptus ſit Habacue uſque ad lacum leonum ubi erat Daniel, quia hic dicitur *Surgens vade ad Euphratem*, & ipſe abiiſſe ſe ſcribit, quod greſſum pedum propriè ſignificat.

℣. 16. *Date Domino Deo veſtro gloriam, antequam obtenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad pedes caligineſas.* His verbis hortatur Jeremias populum ad pœnitentiam. Scilicet gloria Dei eſt humiliatio noſtra, pœnitentia & confeſſio peccatorum. Unde peccatoribus aliquoties dictum legimus: *Da gloriam Deo.* Sic Joſue ad Achan, Joſue 7. quando abſtulerat de anathemate Jerico: *Da gloriam Deo*, & Apocal. 16. verſ. 9. dicitur: *Non egerunt pœnitentiam, ut darent gloriam Deo.* Quod autem hîc additur, (*antequam obtenebreſcat.*) comminatio eſt grandis afflictionis, niſi pœnitentiam agant. Hieron. per montes caliginoſos intelligit Babylonem, de qua Iſaiæ 13. *Super montem caligineſum levate ſignum.* Alij generaliter accipiunt, per montes caliginoſos figuratè ſignificari maximas tenebras, id eſt, graviſſimas calamitates. *Myſticè* autem hoc dicitur omnibus peccatoribus; nempe, ut dent gloriam Deo, priuſquam adveniat tempus tenebrarum, in quibus operari non licebit, & pœnitentia erit inutilis, ſicut illorum impiorum de quibus Sapient. 5. Unde & Dominus in Evangelio dicit: *Operamini dum dies eſt, venit nox quando nullus operari poteſt.* Ioan. 9.

℣. 23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas. Et vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum. Quæret* aliquis: An ergo impoſſibile eſt, eum qui prava conſuetudine eſt imbutus; deflectere poſſe & venire ad virtutis ſtudium? *Reſpondeo*, non meis, ſed Chriſti verbis in Evangelio Matth. 19. ubi ſimilem ipſe ſententiam protulit dicens: *Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quàm divitem intrare in regnum cælorum*, quâ eadem phraſi etiam utuntur Marcus & Lucas: Verùm cum hoc audito, mirati eſſent diſcipuli dicentes: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* reſpondit Chriſtus: *Apud homines hæc impoſſibile eſt; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt.* Sic & hîc reſpondeo; apud homines fieri non poſſe, ut bene vivat qui longa conſuetudine didicit malum; ſed apud Deum omnia ſimiliter eſſe poſſibilia, cujus ſingulari & potenti adjutorio etiam prava & inveterata conſuetudo peccandi commutari poterit in ſanctam vitæ converſationem. Interim ſatis oſtendit hæc ſententia quàm ſit periculoſum, frequentia peccandi venire in peccati conſuetudinem.

CAPUT XIV.

℣. 9. TV *autem in nobis es Domine, & nomen tuum invocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos.* Verba ſunt Jeremiæ orantis pro populo. Quod autem dicit: *Tu autem in nobis es Domine*; Deus erat in illo populo per verum cultum & religionem. Item quia ibi templum, & propitiatorium erat; in quo dicebatur Deus requieſcere. Et quamvis multi eſſent in illo populo, qui defecerant ad idola; tamen notus tantùm erat in Judæa Deus, nondum in aliis gentibus. Sic enim dicit: *Et nomen tuum invocatum eſt ſuper nos*, quia licet eſſet Deus omnium per creationem & dominium; tamen peculiariter nominabatur Deus Hebræorum, & Deus Iſraël, propter cultum ejus, qui in ſolo illo populo ſervabatur; reliquarum enim gentium dij erant idola, aut dæmonia. Accommodat D. Hieronymus hæc ad Chriſtianos dicens: Nomen bonum invocatum eſt ſuper nos, ut appellemur Chriſtiani à Chriſto Deo & Salvatore noſtro.

℣. 12. *Cùm jejunaverint, non exaudiam preces eorum;*

A *& ſi obtulerint holocautomata, & victimas, non ſuſcipiam ea.* Hanc ſententiam; aliaſque ſimiles fraudulenter hæretici jactitant contra jejunia Eccleſiaſtica, & ſacrificium Chriſtianum; quaſi in illis nullum cultum ſibi gratum Deus agnoſcat; cùm potiùs his verbis ſignificetur eſſe quædam jejunia & ſacrificia, quibus placari poſſit. Qui enim negat ſe placari jejuniis impiorum, id eſt, eorum qui in malitiæ ſuæ propoſito perſeverant; ſatis inſinuat ſe placari jejuniis pœnitentium; & qui negat ſibi grata eſſe ſacrificia permanentium in ſuis peccatis, conſequenter ſignificat ſibi placere ſacrificia à peccatis convertentium ſe ad Deum. Hinc Hieron. hoc loco: Jejunia & victimæ & holocauſta tunc proficiunt, cùm recedimus à vitiis, & flemus antiqua peccata. Sin autem in ſceleribus permanentes, putaverimus votis atque ſacrificiis redimere nos; vehementer erramus. Sic ille. Vide plura ad

B ſimilem locum de ſacrificiis ſuprà cap. 8. verſ. 25. & de Jejunio, Iſaiæ 58. v. 5.

CAPUT XV.

℣. 1. S*I ſteterit Moyſes & Samuël coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.* In his verbis duo continentur notatu digna. *Alterum*, Sanctos, ſive hîc in terris viventes, ſive etiam vita defunctos, quales erant Moyſes & Samuël, interceſſione ſua poſſe avertere iram Dei à populo, id quod conſtat hos duos ſanctiſſimos prophetas in vita feciſſe; & ideò ſcilicet eos peculiariter nominat. Sic de Moyſe legimus Num. 14. cùm oraſſet Dominum dicens: *Dimitte obſecro peccatum populi hujus*, continuò reſpondiſſe Dominum:

C *Dimiſi juxta verbum tuum.* Et de Samuële 1. Reg. 7. *Clamavit Samuël ad Dominum pro Iſraël, & exaudivit eum Dominus.* Et hoc quidem primùm hîc notandum. Significatur tamen ſimul & hoc; tantam aliquando eſſe peccatorum gravitatem, ut Deus declaret ſe nolle miſereri, nec admittere preces orantium pro peccatoribus, ut plagæ avertantur. Et taliter hic ſe affectum declarat, dicens: *non eſt anima mea ad populum iſtum.* q. d. nullo modo miſerebor populi hujus. Sunt enim hæc dicta per figuram, Scripturæ maximè veteris Teſtamenti familiarem, quæ Græce vocatur ἀνθρωποπαθεία, qua nimirum ea quæ humana ſunt, ut corpus, anima, eorumque partes vel affectus, Deo tribuuntur, qui alioquì eſt ens ſimpliciſſimum. Vide etiam noſt. in 4. diſt. 45.

D §. 14.

℣. 3. *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies: Gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum &c. —— propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda.* Duo notanda; *Alterum*, poſteros puniri propter peccata majorum, ſi videlicet ea non deſinant imitari; etiamſi majores pœnitentiam egerint, ſicut legitur de Manaſſe. De hac re ita annotat Hieron. Quomodo Sanctorum merita deſcenderunt ad poſteros, ſicut David; & aliorum; ſic peccatorum flagitia, ſi liberi nepoteſque ſimilia geſſerint, ad poſteros perveniunt. Diſſimiliter tamen; quia merita majorum juvant minores ſine ipſorum merito; peccata autem majorum in minoribus non

E puniuntur, niſi & ipſi peccaverint. Et hoc primum. *Alterum* eſt, populum ſubinde flagellari à Deo propter peccata principum: Cujus exemplum etiam in Davide habemus; qui cum populum numeraſſet, vindicta Dei in univerſum Iſraël graſſata eſt, Annotavit & hoc Hieron. Id autem quoties fit, non eſt dubitandum juſtè fieri, quia populus, vel iiſdem, vel aliis peccatis obnoxius eſt, quæ ultionem divinam exigant.

℣. 10. *Væ mihi mater mea, Quare genuiſti me, virum rixæ?* Et paulò pòſt: *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quiſquam.* Vocat ſe Jeremias *virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra*, eodem modo ſicut de

Chriſto dicit Simeon Lucæ 2. *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & ſignum cui contradicetur.* Et fuit in hoc Jeremias typus quidam Chriſti: & ſicut hic Jeremias ſubiungit quod omnes illi maledixerint; ita & hoc impletum fuit in Chriſto, maximè quandò pependit in Cruce. Nam & proceres, & ſacerdotes, & ſcribæ, & milites, & plebs, & latrones ſupplicij conſortes, inſultabant ei, & maledictis laceſſebant. Quod ergo Jeremias dicit: *Non fœneravi, nec fœneravit mihi quiſquam; omnes maledicunt mihi,* Senſus eſt: Nec dedi mutuum, nec accepi, & tamen patior rixas & diſcordias? Videlicet, qui dant mutuum, & qui accipiunt, ſolent implicari litibus; illi, ut recipiant, iſti, quia non reddunt. Quaſi ergo dicat; Involvor, & obnoxius ſum litibus, diſcordiis, & contradictionibus, eodem modo, ac ſi mutuum dediſſem vel accepiſſem.

CAPUT XVI.

℣. 2. NOn *accipies uxorem, & non erunt tibi filij, & filiæ in loco iſto.* Diligenter notandum contra novos, hoc tempore, oppugnatores caſtitatis, & cœlibatus Eccleſiaſtici. Ex hoc enim loco duplex contra eos inſtitui poteſt argumentatio. Nam primò: Si præcepit Deus prophetæ, ne duceret uxorem, haud dubiè, poſſibile eſt abſque uxore in continentia vivere. Neque enim Deus præcepit quicquam impoſſibile. Et rurſum; Si id præcepit Deus propter captivitatem populi futuram, ne tribulationes majores pateretur propter uxoris & filiorum miſerias: quantò magis præſtari id poterit, gratumque erit Deo, ſi quis non præcepto compulſus, ſed voto proprio obligatus, uxore careat; & voluptatibus carnis renunciet, caſtretque ſeipſum propter regnum cœlorum? Ut loquitur Chriſtus Matth. 19.

℣. 5. *Hæc enim dicit Dominus: Ne ingrediaris domum convivij, neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos, quia abſtuli pacem meam à populo iſto.* Pro vocabulo (*convivij*) Hebr. eſt dictio, quæ convivium ſignificat, non qualecumque, ſed quale lugentibus ſuper mortuum, parari ſolet. Prohibet ergo Dominus prophetæ, ne hujuſmodi convivium accedat; neque jungat ſe plangentibus; neque eos conſoletur. Verùm cum ſit humanitatis officium conſolari lugentes; *Quæritur,* quare id Dominus prophetæ prohibeat? Hieronymus imputat hoc magnitudini peccatorum ipſius populi, ut ſicut præcipit Apoſtolus cum quibuſdam nec cibum ſumere, & Ioannes prohibet quibuſdam ave dici, id eſt, vel ſalutari; ita prophetæ præcipitur, ne ſe immiſceat inimicorum Dei conviviis. Sed reſponſio non videtur ſatisfacere. Neque enim omnes in illo populo tam grandes erant peccatores ut propheta prohiberetur omninò cum iis communicare, etiam in luctu. Proinde dicendum potius, præceptum eſſe propheticum, id eſt, quo prohibetur prophetæ, ne lugeat mortuos, aut conſoletur lugentes, quia illo facto prophetæ Dominus voluit ſignificare, tantam fore ſtragem & multitudinem interfectorum, & mortuorum in illo populo, ut defuturi ſint, qui ſepeliant; aut mortuos lugeant; aut lugentes conſolentur. Hoc ſignificari ſatis patet ex contextu.

℣. 16. *Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus & piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos.* Accommodat hæc Auguſt. doctiſſimè ad Eccleſiam, ejuſque miniſtros ſerm. 61. in Novis, qui idem eſt Tomo 9. inter 14. num. decimus. De utilitate jejunij cap. 9. Primò inquit, piſcatores miſit Deus, poſteà mittit venatores. Piſcatores erant Apoſtoli: Neminem coëgerunt, neminem impulerunt, quia piſcator retia mittit in mare, non cogit; ſed trahit quod incurrit. Ita infideles in Eccleſiam congregati ſunt. Venator autem ſylvas cingit, dum os
A excutit, & terroribus undique multiplicatis cogit in retia. Id Eccleſia facit potiſſimum per ſæculares poteſtates, dum pœnis & terroribus cogit eos qui in montibus & collibus, id eſt, ſuperbis hæreticorum doctrinis vagantur; ut ad gremium matris ſuæ redeant. Hæc Auguſt. Locus utilis ad oſtendendum, quare hæreticos potiùs quàm paganos ad fidem præſtandam cogat Eccleſia.

CAPUT XVII.

℣. 5. MAledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum &c. Et poſteà
℣. 7. *Benedictus vir qui confidit in Domino; & erit Dominus fiducia ejus.* Ut reſpondeamus hæreticis, qui nobis Catholicis objiciunt, nos juxta prophetæ ſen-
B tentiam maledictos eſſe, qui confidamus in hominibus, ſeu vivis, ſeu mortuis, quos invocamus; & quorum opem imploramus; explicabo quis, ſecundùm mentem prophetæ, confidere dicatur in homine & quis confidere in Deo. Confidit itaque in homine, qui neglecto, aut deſperato Dei auxilio principaliter ad hominis auxilium reſpicit. Id indicat propheta, dum addit: *& ponit carnem brachium ſuum, & à Deo recedit cor ejus.* Confidit autem in Domino, qui à Deo expectat auxilium per ea media quæ à Deo ordinata ſunt. Non ergo maledicti, ſed benedicti potiùs ſunt, qui veniam peccatorum, & Dei amicitiam per ſanctorum interpellationem expectant, non ab alio quàm ab ipſo Deo. Neque illi in homine, ſed in Deo confidunt. Sed male-
C dictus potiùs eſt qui interceſſione ſanctorum contempta, temeraria & ſuperba præſumptione ſalutarem aut veniam peccatorum à Deo audet expectare. Alioqui maledicti erant, qui dicebant Samuëli 1. Reg. 12. *Ne ceſſes orare pro nobis.* Et Samuël ipſe maledictus, qui reſpondebat, *Abſit à me hoc peccatum, ut ceſſem pro vobis orare.* Maledictus erit & Paulus, qui toties eos ad quos ſcribit, rogat, ut pro ſe orent.

℣. 9. *Pravum eſt cor omnium, & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* Pridem legebatur (*cor hominis*) ſed legendum eſt (*omnium*) ita expreſſè habet Hieronymus interpres noſter, in textu & in commentario. Ita completa MSS. Item Hebræa & Septuaginta. Et poteſt
D meritò iſtud ad omnes omninò homines referri, propter concupiſcentiæ malum, quæ omnibus ferè bonis operibus noſtris inſidiatur; ita ut homo certò & infallibiliter de opere ſuo cognoſcere non poſſit, utrum Deo ſit acceptum, an ſecus; ſed tantum humiliter confidere, ſi cor ejus non arguat eum; ut Ioannes loquitur 1. Epiſtolæ cap. 3. Et ob hanc eandem cauſam dictum eſt à pſalmiſta Pſalm. 18. *Ab occultis meis munda me Domine;* nempe cogitationibus, inquit Hieron. in hunc locum ſcribens. Quæ diligenter notanda ſunt contra hæreticos dicentes, unicuique certò perſuaſum eſſe debere, ſe eſſe filium Dei. Et ne quis reſpondeat, prophetam tantùm dicere, aliis ſuum cor eſſe inſcrutabile, ſed non ſibi-ipſi; ecce addit ex perſona Dei: *Ego Dominus ſcrutans*
E *cor.* q. d. Nemo id ſcrutatur præter me. Nec etiam obſtat illud 1. Cor. 2. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?* Hoc enim intelligitur de cogitatione: non de qualitate cogitationis, aut intentione. Scit enim homo quid cogitet, ſed quid cogitatione ſua finaliter proſequatur, non penitus novit. Unde idem Apoſtolus 1. Cor. 4. *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Vide ſi placet noſtrum Comment. citatis Apoſtoli locis.

CAPUT XVIII.

℣. 6. E*Cce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſraël.* Solent hac ſimilitudine uti hæretici ad evertendum liberum arbitrium, & ad

oſtendendum æquè utraque, tam mala, quàm bona, A eſſe ab authore Deo, quia, inquiunt, ſicut figulus pro arbitrio ſuo fingit vas in honorem, vel in contumeliam, idque ſine ulla cooperatione luti; cùm lutum tantùm patiatur formæ impreſſionem; ita Deus agit cum homine. Sic & Apoſtolus, inquiunt, dicit ad Rom. 9. *Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic?* Reſpondeo, clarum eſſe hanc ſimilitudinem à propheta Jeremia non adduci propter diverſitatem operum humanorum; ſed tantùm propter eventus proſperos & adverſos. Et ſenſus eſt: Sicut lutum eſt in manu figuli, ut inde faciat opus quale vult; ita vos in manu mea, quantum ad præmia vel ſupplicia temporaria & æterna. Nam, inquit, etiamſi vaſtitatem & calamitatem denuntiavero alicui genti; ſi tamen gens illa agat pœnitentiam, tam facilè poſſum ſententiam retractare, & convertere in bonum, quàm figulus ex luto diſſipato rurſum facit vas honorificum B & utile. Imò nec Apoſtolus utitur hac ſimilitudine, ad oſtendendum Deum efficere operum diverſitatem; ſed tantùm ad hoc, ut doceat Deum pro ſuo arbitrio alios eligendo, facere vaſa in honorem: alios relinquere, ut ſint vaſa in contumeliam. Vide noſt. Comm. dicto loco ad Rom. 9.

℣. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei, &c.* *Quæret* aliquis Quomodo pœnitentiam agit Deus, qui nihil agit pœnitendum? & de quo ſcriptum eſt, Rom. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio*: & tamen hîc etiam addit hoc Dominus; *Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum, ut facerem ei?* *Reſpondeo.* C Figurata eſt locutio, qua Deus in Scripturis dicitur pœnitentia duci, aut pœnitentiam agere, ex ſimilitudine affectuum humanorum, quos frequentiſſimè Scriptura Deo tribuit, ut, iram, amorem, odium, deſiderium. Sicut ergo iraſci dicitur Deus quando vel punit, vel ſtatuit punire hominum peccata; & amare dicitur, quando vel præſtat, vel ſtatuit præſtare beneficium (ſic enim homines faciunt, qui propriè iraſcuntur vel amant:) ita etiam Deus dicitur agere pœnitentiam, quando id facit, quod facere ſolent homines qui pœnitentia ducuntur. Hi enim ducti alicujus operis pœnitentia, deſtruunt illud opus, & pœnitentia ducti alicujus promiſſionis, vel comminationis, promiſſionem abolent, & minas remittunt. Ita Deus dixit Geneſ. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem*, D ſcilicet, quando hominem quem fecerat, ſtatuit propter peccata diluvio delere. Ita & hoc loco pœnitentiam agere dicitur, ſuper comminatione malorum, quando propter pœnitentiam populi, ea mala remittit; & pœnitentiam agere ſuper bonis promiſſis, quando propter peccata populi, ea promiſſa abolet; propterea quod tantùm ſub conditione erant intelligenda.

℣. 23. *Tu autem Domine ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur.* Non propriè orantis eſt. Eſt enim omnis oratio gratiæ poſtulatio; Sed ſervata orationis forma, propheticè prædicit, quid futurum ſit; Videlicet, ut Deus pec- E cata impiorum qui veritati, & doctrinæ ſanæ malitioſè reſiſtebant, in æternum non deleat, ſed æterno puniat ſupplicio. At *inſtas*; quare precantis modo utitur? *Reſpond.* quia non ſolùm prædicit, ſed cognita Dei voluntate, etiam ſuam voluntatem, ſuumque deſiderium juſtitiæ divinæ conformat, Deique decretum ſe approbare declarat. Et ſunt frequentes ſatis hujuſmodi precationum formæ in prophetis & pſalmis.

CAPUT XIX.

℣. 5. *Et ædificaverunt excelſa Baalim ad comburendos filios ſuos igni, in holocauſtum Baalim, quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec &c.* In eo quod dicitur (*quæ non præcepi &c.*) notanda eſt figura quæ Græcè dicitur, λιπτοτὴ id eſt, extenuata loquendi forma; quando videlicet minus dicitur, & plus intelligitur: Senſus enim eſt: *quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*, id eſt, quæ præceptis meis, & verbis meis, imò & cogitationi cordis mei prorſus contraria ſunt. Non enim non præceperat tantum; quia etiam expreſsè prohibuerat Dominus in lege, & prophetis, ne colerent Deos alienos; nève iis offerrent ſacrificia; & maximè ne filios aut filias idolis immolarent. Similis ſententia eſt in iis verbis Pſalm. 56. *Cor* B *contritum & humiliatum Deus non deſpicies*, q.d. imò tanquam rem gratiſſimam & acceptiſſimam ſuſcipies. Et illud 1. Corinth. 11. *Laudo vos, in hoc non laudo*, id eſt, vehementer improbo. Item in his verbis Sapientis. Eccl. 7. *Aſſiduitas mendacij non eſt bona*, id eſt, valdè mala. Notandum quoque iſtud, propter hæreticos noſtri temporis, qui ex hujuſmodi Scripturis, (*quæ non præcepi, quæ non locutus ſum,*) docere volunt, nihil eſſe faciendum in Dei cultu, aut in religione credendum, quod non ſit disertè poſitum in Scriptura ſacra, per hoc oſtendentes ſuam imperitiam circa phraſes, & figuras, ſeu modos loquendi Scripturæ ſacræ.

℣. 6. *Non vocabitur ampliùs locus iſte Tophet, & Vallis filij Ennon, ſed Vallis occiſionis.* Idem habetur C ſuprà cap. 7. Ab illa valle originem habet vocabulum (*Gehenna*) in Evangelio frequens. Habebat enim vallis illa tria nomina. Vocabatur *Gehen Hinnon*, id eſt, vallis filij Hennon; vel omiſſo (*Ben*) (*Gehinnon*) id eſt, vallis Hinnon vel Ennon; vel tertio dicebatur (*Tophet*) ut hoc loco, ſcilicet à tympano, quod pulſabatur, quando pueri ſacrificabantur & comburebantur idolo Moloch ſeu Baalim; ne à parentibus, & aliis audiretur graviſſimus eorum ejulatus. Ab hac ergo valle locus damnatorum vocatur *Gehenna*; tum quia vallis illa à Joſia rege fuerat contaminata, & abominabilis facta; congeſtis illic oſſibus mortuorum, 4. Reg. 23. tum quod in ea valle, pueri ut dictum eſt, à parentibus inaudita crudelitate comburebantur in holocauſtum, idolo Moloch. Atque ita ſcilicet Gehenna pro inferno, loco maximè D abominabili, & loco maximorum cruciatuum, meritò accipitur.

CAPUT XX.

℣. 7. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum; fortior me fuiſti, & invaluiſti.* *Quæſtio* eſt, quomodo ſic loquatur propheta, ut, dicat ſe à Deo deceptum aut ſeductum? cùm Deus ſit æterna veritas, & ideò fallere minimè poſſit aut falli? Quidam *reſpondent* hæc dicta, & ſcripta fuiſſe à propheta non divino, ſed humano ſpiritu. Sed abſit, ut in ſcriptis prophetarum aliquid, vel in Dei, vel etiam ipſorum perſona E dictum agnoſcamus, quod non à Spiritu ſancto dictatum ſit; & Verbi Dei authoritatem habeat. Aug. ad Hieron. quoque ſcribens ait: Scripturis Canonicis hanc debeo reverentiam, ut ſcriptores earum nihil in eis omninò erraſſe, nihilque fallaciter poſuiſſe non dubitem. Itaque putamus hoc pacto *reſpondendum*, ſeductionem, ſive deceptionem dupliciter accidere poſſe: Aliquando, vitio vel culpa dicentis, vel promittentis; dum videlicet mendacium loquitur, aut certè fallitur promittendo; Aliquando autem vitio ejus cui aliquid dicitur, vel promittitur: Si videlicet is, id quod dictum, aut promiſſum eſt, non rectè, aut plenè intellexerit. Atque ita res ſe ha-

berg

bere videtur in propoſito. Promiſerat Dominus primo A capite ſecuritatem Jeremiæ, adverſus inimicos ſuos, dicens: *Bellabunt adverſum te, & non prævalebunt.* Quibus verbis non fuit ſignificatum, eum nihil ab adverſariis paſſurum, ut intellexiſſe videtur Jeremias; ſed nunquam futurum, ut perſequendo & affligendo, virtutis ejus conſtantiam penitus expugnarent.

℣. 14. *Maledicta dies in qua natus ſum, dies in qua peperit me mater mea non ſit benedicta.* Hæc & cætera quæ ſequuntur, non impatientiæ aut deſperationi adſcribenda ſunt, non magis quam verba illa Iob 3. quibus dixit; *Pereat dies in qua natus ſum.* Qui locus huic ſimillimus eſt. Côſtat enim patientiam Iob ſingulariter à Deo commendatam; teſtante etiam Iacobo Apoſtolo: *Patientiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* D. Hieron. intelligit utroque loco exaggerationem B quandam hyperbolicam; qua verbis atrociſſimis exprimatur ingens miſeria, in qua uterque propheta conſtitutus erat, dum hæc verba proferrent. Alij dicunt his verbis exprimi, non quid ratio dictaverit, aut voluntas rationalis approbaverit; ſed quam tentationem propheta paſſus fuerit, ex parte appetitus inferioris, incitantis prophetam, ad hoc, ut potiùs vellet omninò non eſſe, quàm in tantis malis verſari. Utraque expoſitio probabilis eſt. Greg. lib. 4. Moralium c. 4. totam ſententiam ad myſticam, & moralem transfert interpretationem.

CAPUT XXI.

℣. 4. *Ecce ego convertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt, & quibus vos pugnatis adverſum regem Babylonis.* Et v. 5. *Et debellabo ego vos in manu extenta.* Vetat Dominus per prophetam regi Sedechiæ, C ne reſiſtat regi Nabuchodonoſor moventi bellum adverſus ipſum; imò promittit vitam incolumem omnibus, qui ſponte transfugerint ad Chaldæos. Itaque abutitur hoc loco Lutherus ad oſtendendum & probandum ſuum illud dogma novum, & paradoxum: Non licere Chriſtianis principibus reſiſtere Turcis bellum inferentibus. Id enim non aliud eſſe fingit, quàm reſiſtere divinæ voluntati & viſitationi. Breviter *reſpondeo*, Nequaquam reſiſtit divinæ viſitationi is, qui mala à Deo immiſſa, ſive per homines, ſive alio quocumque modo, patienter ſuſtinet; etiamſi ea impedire conetur, ne veniant; aut repellere ſtudet, poſtquam advenerint. D Exempla manifeſta ſunt in morbis, fame, calumniis, & rapinis. Quæ omnia dum inferuntur patienter ſunt tolleranda; & tamen etiam remediis naturalibus, aut aliis quibuſcumque licitis, repelli poſſunt. Verùm ubi nobis conſtiterit de Dei voluntate, quâ certo decrevit & conſtituit, ut in manus hoſtium incidamus; ſicut hîc Sedechiæ à Deo per Jeremiam denuntiabatur; tunc inimicis reſiſtendum non eſt, ſed exemplo Salvatoris noſtri potiùs ipſis obviam eundum, ut decreto Dei nobis cognito ſatisfaciamus; ut doctiſſimè oſtendit in Apologia fugæ ſuæ Athanaſius. Meritò ergo increpatur Sedechias, qui cognita Dei voluntate per Jeremiam, nihilominus reſiſtere parabat. Adde quod Sedechias E etiam violato fœdere ſubjectionis, ſeu tributi, quod promiſerat Nabuchodonoſor regi Babylonis, fidem perfidè fregerat.

℣. 12. *Iudicate manè judicium & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis.* Illud (*judicate manè judicium*) B. Hieron. ſic intelligit: Invocate, inquit, manè judicium, non in tenebris iniquitatis; ſed in luce juſtitiæ. Secundum quam expoſitionem, (*Manè*) ſignificat lucem juſtitiæ; & ſenſus eſt: Judicate judicium juſtum. Sed puto Hieronymum in ea expoſitione magis indulſiſſe metaphoræ, quàm ſenſum litteralem reddidiſſe. *Mane* enim in Scriptura ſacra frequentiſſimè ponitur pro eo quod eſt ſedulò, diligenter, ſummo conatu, & ſtudio. Nam opus illud quod maximè nobis cordi eſt, prima luce aggredi ſolemus. Sic Iſaiæ 50. *Erigit manè, manè erigit mihi aurem*, id eſt, frequenter & diligenter in aurem mihi inſtillat Dominus veram doctrinam, ut eo loco dictum eſt. Ita & hîc; *Iudicate manè judicium*, id eſt, ſummo ſtudio, & intentione animi judicate judicium verum.

CAPUT XXII.

℣. 20. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu. Plangite eum, qui egreditur, quia non revertetur ultra, nec videbit terram nativitatis ſuæ.* Non prohibet humanitatis officium; videlicet lugere ſuper mortuum. Id enim Scriptura alibi commendat, dicens Eccl. 22. *Super mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Et iterum, *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit.* Et Apoſtolus 1. Theſſ. 4. Theſſalonicenſes non ita vult contriſtari de dormientibus, ſicut cæteri qui ſpem non habent; per hoc inſinuans; moderatè tamen nobis lugendum, qui ſpem reſurrectionis habemus. Quod ergo ait propheta, *Nolite flere mortuum* prophetia magis eſt, quàm præceptum: ut ſenſus ſit: Imò melioris eſt conditionis ille, qui mortuus eſt, quàm qui in captivitatem abducetur, ſcilicet, quia, qui in captivitatem abducetur, multa mala videbit, ſine ſpe redeundi aliquando in terram ſuam. Et proinde magis lugendus eſt ille, quàm qui mortuus eſt, & hujus vitæ miſeriis exemptus.

℣. 19. *Sepultura aſini ſepelietur, putrefactus, & projectus extra portas Ieruſalem.* Hæc dicuntur de Ioakim rege Juda, filio Joſiæ. Et ſenſus eſt. Cadaver ejus inſepultum abjicietur lacerandum à feris, & volucribus: ſicut accidit aſinis & equis. *Quæritur*, quomodo hoc non repugnet ei, quod teſtatur Scriptura 2. Paralip. 36. ubi dicitur de Ioakim, quod Nabuchodonoſor eum vinctum catenis duxerit in Babylonem, & 4. Reg. 24. quod dormierit cum patribus ſuis? *Reſpond.* quod dicitur dormiviſſe cum patribus ſuis, non neceſſariò ſepulturam convincit, ſed tantùm mortem: Mors enim ſomnus in ſacris litteris vocatur. Quamquam putent quidam poſteà impetratam à rege Nabuchodonoſor ejus ſepulturam, quod eſſet è regio ſanguine. Ad alterum dicendum; eum vinctum catenis fuiſſe, ut in Babylonem duceretur, & fortè aliquouſque ductum fuiſſe, ſed Nabuchodonoſorem mutata ſententia, propter violatum juſiurandum, præcepiſſe eum trucidari, & inſepultum juxta muros civitatis abjici.

CAPUT XXIII.

℣. 1. *Væ Paſtoribus qui diſperdunt, & dilacerant gregem paſcuæ meæ, dicit Dominus.* Et rurſum, v. 2. *Vos diſperſiſtis gregem meum & ejeciſtis eos & non viſitaſtis eos.* Multiplex genus paſtorum hoc capite nobis inſinuatur, partim ſecundum litteralem, partim ſecundum myſticam hujus loci intelligentiam. Et primum quidem loquitur propheta de malis paſtoribus: Secundò de bonis: Tertiò de uno bono paſtore, cujus participatione alij boni appellantur. Et paſtores mali rurſum in varia genera dividuntur; Nempe quatuor; quæ ſingula hoc modo explicantur breviter ab Hieronymo: Quidam perdunt; quidam lacerant gregem; quidam ejiciunt; quidam non viſitant. Perdunt oves, inquit Hieron. qui docent hæreſim; lacerant & diſſipant, qui ſchiſmata faciunt; Nam ſchiſma diviſionem ſignificat. Ejiciunt eas, qui contra juſtitiam de Eccleſia ſeparant, id eſt, qui injuſtas proferunt excommunicationes. Denique non viſitant qui pœnitentibus contrahunt manum; vel generaliter, qui cum nomen Paſtoris gerant, non tamen oves paſcunt doctrina & exemplo, ſed negotiis ſæcularibus aut etiam rebus illicitis implicantur.

℣. 4.

ỳ. 4. *Et ſuſcitabo ſuper eos Paſtores, & paſcent eos.* A Et verſu ſeq. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo David* (id eſt Davidi) *germen juſtum &c.* Hoc nunc de paſtoribus bonis; ac demum de Meſſia vero paſtore, & eſſentialiter bono. Et meritò dicit Dominus, (*& paſcent eos.*) Nam ille demum verus paſtor eſt, qui paſcit; non qui diſperdit, diſſipat, ejicit, aut vexat, aut per negligentiam pabulum ſubtrahit, & ad paſcua non educit, & tutò ad caulam reducit. Quod dicitur: *Suſcitabo David germen juſtum.* Hebr. eſt *Ledavid*, id eſt, Davidi. Et Græ. è τῷ Δαβὶδ ἀνατολὴν δικαίαν, eſt, Davidi ortum juſtum. Et ſine dubio de Chriſto Salvatore intelligendum eſt, qui de ſeipſo dicit Ioan. 10. *Ego ſum paſtor bonus*; & de quo expreſſiùs etiam Ezech. cap. 4. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David.* Nempe hic unus eſt, authoritate & excellentia: alij autem multi, miniſterio & participatione.

B ỳ. 23 *Putàſne Deus è vicina ego ſum? dicit Dominus: & non Deus de longè?* Eſt Deus è vicino, quia ubi eſt, ibi cognoſcit & operatur, id eſt, in omnibus rebus, quibus intimè ineſt; eſt autem Deus de longè, quia cum res ipſæ ab invicem longiſſimè diſtent, ita tamen eſt in una ut nihilominus cognoſcat aliam & in ea operetur, quoniam non minus eſt in hac quam in illa: verbi gratia, cùm ſit in cœlo cognoſcit omnia quæ ſunt & fiunt in terra, etiam ſecretiſſimas hominum cogitationes. Hoc enim ſequitur: *Si occultabitur vir in abſconditis & ego non videbo eum? dicit Dominus: nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus.*

CAPUT XXIV.

C ỳ. 1. *Oſtendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis, ante templum Domini &c.* Secundum *hiſtoriam* per calathum ficuum bonarum intelligitur tranſmigratio prior: nempe Iechoniæ & populi qui eum ſecutus eſt in Babylonem: per calathum autem malarum ficuum, Sedechias cum ſuis; qui contra Ieremiæ conſilium manſerunt in Ieruſalem, & ſe Nabuchodonoſori tradere noluerunt. Secundum allegoriam intelliguntur per malas ficus, Judæi illi qui in adventu Chriſti ei credere noluerunt, & obdurati ſunt in infidelitate ſua: per bonas autem ficus reliquiæ ejuſdem populi, id eſt, pauciſſimi, qui per Chriſti & Apoſtolorum prædicationem fidem ſuſceperunt. Vitanda itaque hîc eſt, & penitus rejicienda allegoria Origenis, qui D per ficus intelligit animas in cœleſti Jeruſalem exiſtentes, antequam in corpora mitterentur: Et per bonas quidem quæ in corpora velut in exilium miſſæ, tandem in cœleſtem Jeruſalem poſt mortem redeant, velut in patriam per malas verò, quæ in corporibus malè viventes à cœleſti patria maneant excluſæ. In genere, quidem ex allegoria certum argumentum doctrinæ non ſumitur, ſed peculiariter vitandæ ſunt illæ, quæ manifeſto patrocinantur errori.

ỳ. 6. *Ponam oculos meos ſuper eos ad placandum, & reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos, & non deſtruam. Quæritur* quomodo hoc verum ſit, cùm captivitas eorum ſeptuaginta annis duraverit, & ſuprà c. 22. E de Iechonia dictum ſit, eum moriturum in terra captivitatis? *Reſpondeo*, prophetiam hanc pertinere non tam ad perſonas, ſive ad ſingulos, quàm ad populum in genere, in quo non ſolùm ſpectantur præſentes, ſed etiam poſteri ipſorum. Ipſos enim qui abducti erant in Babylonem, reſpexit Dominus in bonum, quando eis inter ipſos hoſtes conceſſum eſt exercere terram, ædificare domos, plantare pomaria, ut de Ioakim & Suſanna legimus, quando item Iechonias à rege Babylonis Evilmerodach elevatus eſt ſuper alios reges, ut eſt 4. Reg. ult. conſtitutis ei cibariis à rege, & quando Daniel per miracula & ſomniorum interpretationem in principatum evectus eſt, & tres pueri glorioſi de fornace liberati ſunt. Item quando Mardochæus & Eſther fuerunt in honore, qui & ipſi erant ex tranſmigratione Iechoniæ, ut eſt Eſther 2. Ac denique generaliter populum iſtum Dominus reſpexit, quando expletis ſeptuaginta annis captivitatis, libertate accepta, ſub Zorobabel & Eſdra in Jeruſalem reverſi ſunt. Inter quos etiam fuiſſe nonnullos ſenes, qui ipſi de Jeruſalem tranſlati fuerant, Eſdras ſatis indicat.

CAPUT XXV.

ỳ. 9. *Et Nabuchodonoſor regem Babylonis ſervum meum.* Vocat Dominus Nabuchodonoſorem ſervum ſuum hoc loco, & iterum c. 27. non quod Nabuchodonoſor Deo ſervire, aut obſequi ſtuderet in iis quæ agebat; quomodo juſti & ſancti homines paſſim in Scriptura appellantur ſervi Dei; ſed quia Deus illum ad exequenda conſilia ſua ſuper everſione civitatis Jeruſalem & templi, ac ſuper punitione populi ſui faciebat ſibi ſubſervire: quod eſt univerſale quoddam ſervitij genus; de quo dicitur Pſalm. 118. v. 91. *Omnia ſerviunt tibi.* Et rex Aſſur Iſaiæ 10. v. 5. vocatur virga furoris Domini, & comparatur ſecuri, & ſerræ, quæ eſt in manu opificis.

ỳ. 15. *Quia ſic dicit Dominus exercituum: Sume calicem vini furoris hujus de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus.* Locus moralis inſignis ad proponendum populo pro concione, quomodo hic calix vini furoris Domini primò propinatus ſit populo Judaico, deinde verò nationibus infidelium. Etenim ea in re ſignificare voluit Dominus, in pœnis & afflictionibus temporalibus, licet eas pro peccatis immittat, primam tamen ac præcipuam curam ſibi eſſe electorum; ut quos non tam punit, quàm ad correctionem & emendationem caſtigat; & ipſos probat pœnis, velut aurum in fornace: Poſtremam verò ſibi curam eſſe de reprobis, quos ideò temporaliter ſæpè minus flagellat, ut in æternum puniat. Similis locus eſt 1. Petri 4. *Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Et Ezech. 9. *A ſanctuario meo incipite.* Et hoc loco: *Ecce in civitate in qua invocatum eſt nomen meum, ego incipiam.* Vide Comm. noſtr. 1. Petr. 4.

ỳ. 26. *Et rex Seſach bibet poſt eos:* In hac voce (*Seſach*) ænigma quoddam latet, voluit enim propheta latenter hac voce ſignificare regem Babylonis; ut Seſach ſit idem quod Babel. Non quod civitas illa unquam ſic fuerit appellata; ſed quod per ænigma, ut dixi, Babel ſignificetur. Pro cujus rei intellectu ſciendum eſt, in voce (*Babel*) eſſe apud Hebræos tres litteras, & ſimiliter tres in voce (*Seſach*) & quidem quæ eundem ordinem in Alphabeto obtineant ſed litteræ (*Babel*) incedendo in Alphabeto, ordine recto, litteræ verò reddentes vocabulum (*Seſach*) procedendo ordine inverſo. Hoc ergo ænigmate propheta per (*Seſach*) vult (*Babel*) ſeu Babylonem intelligi. Id quod prudenter à propheta factum fuiſſe rectè annotat Hier. ne regis, qui jam civitatem Jeroſolymam obſidebat, furorem contra ſe provocaret. Confer c. 51. v. 41.

CAPUT XXVI.

ỳ. 8. *Apprehenderunt eum ſacerdotes & prophetæ, & omnis populus dicens, Morte moriatur. Quæritur* quomodo non contrarietur huic id quod infrà v. 16. habetur? *Dixerunt principes, & omnis populus ad ſacerdotes & prophetas, Non eſt viro huic judicium mortis.* Ad hoc *reſponderi* poteſt dupliciter. Uno modo populum prius incitatum à ſacerdotibus & prophetis contra Jeremiam ſic conclamaſſe; poſteà verò junxiſſe ſe principibus civitatis, & pro Jeremia

locus

locutum. Citò enim, inquit D. Hieron. indoctum vulgus accepta ratione, mutat ſententiam. *Aliter dicendum*, non ſemper quæ univerſaliter dicuntur in Scriptura ſacra, univerſaliter omninò eſſe intelligenda; ſed notam univerſalitatis ſæpè multitudinem ſignificare, id eſt, pro multa poni. Sic enim & Apoſtolus loquitur 2. Tim. 4. *Omnes me dereliquerunt*, & *Omnes quæ ſua ſunt quærunt*. Philip. 2. v. 21. Itaque ſignificabitur magnam populi partem ſtetiſſe à partibus ſacerdotum accuſantium Jeremiam, & nihilominus alios multos quoque junxiſſe ſe principibus civitatis, qui Jeremiæ cauſam defendebant. Aut, quod eſt veriſimilius; multos etiam ex iis, qui anteà eum ad necem poſcebant poſtmodum principum authoritate motos, ſententiam mutaſſe. Et concurrere videtur utraque ſolutio.

℣. 13. *Nunc ergo bonas facite vias veſtras & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt adverſum vos.* Et intrà v. 18. *Michæas fuit propheta, & ait; Sion quaſi ager arabitur, & Jeruſalem in acervum lapidum erit. Nunquid morte eum condemnavit Ezechias Rex?* Attulerunt hoc poſtremum principes; Jeremiam ſcilicet defendere volentes. Porrò ex his locis diſcimus eas prophetarum prædictiones, quibus calamitatem & afflictionem, aut everſionem populo prænuntiant, non ſemper abſolutè ſic intelligendas, ut nulla ratione quod prædictum fuerit, impediri poſſit; quin potiùs per pœnitentiam populi eas plagas ſæpiùs poſſe, aut averti, aut certè differri. Ait enim hîc expreſsè Jeremias: *Bonas facite vias veſtras, & pœnitebit Dominum mali, quod locutus eſt adverſum vos.* Sunt ergo prædictiones hujuſmodi, tantùm comminationes, quas Deus pœnitentia populi placatus, nunc omninò remittit, qualis fuit illa Ionæ dicentis: *Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur*: aliquando ſaltem differt; quomodò illud, quod prædixerat Michæas, propter pietatem Ezechiæ regis non dimiſſum, ſed dilatum fuit. Et Ioſiæ ſancto regi promiſſum legimus 4. Reg. 22. colligendum eum eſſe ad patres ſuos, & ſepeliendum in pace, ne mala in libro Deuteronomij ſcripta & à prophetis prænuntiata oculis ſuis videret.

CAPUT XXVII.

℣. 1. *IN principio regis Ioakim filij Ioſiæ regis Iuda factum eſt verbum iſtud ad Ieremiam à Domino, dicens.* *Quæſtio* eſt quomodo vaticinium hoc factum in principio regis Ioakim filij Ioſiæ, cùm manifeſtum ſit ex ſequentibus, imò mox ex iis quæ ſequuntur, v. 3. Prophetiam hanc dirigi ad regem Sedechiam, inter cujus regnum, & primum annum Ioakim, ſeu, ut alij ſeribunt, Ioachim filij Ioſiæ, interceſſerint anni undecim? Hunc nodum ita ſolvendum putat Hier. ut hæc ſententia: *In principio regis Ioakim, &c.* referatur ad ſuperiorem prophetiam, ejuſque ſit clauſula. Septuaginta quoque interpretes hoc initium omittunt, abſolutè incipientes. *Sic dicit Dominus &c.* Sed quia in Hebræo reperitur hoc initium, non minus, quàm in vulgata editione; fit, ut alij, diſtinctione adhibita, hunc locum explicare conentur. Videlicet, id quod in verbis prophetiæ dicitur: *Fac tibi vincula & catenas, & pones eas in collo tuo*; dictum eſſe volunt & factum à propheta ſub initium regni Ioakim; ut habet principium hujus capitis. Quod verò ſequitur v. 3. *Et mittes eas ad regem Edom, & ad regem Moab, &c. ——— in manu nuntiorum qui venerant ad Sedechiam regem Iuda*: dictum eſſe à Domino, & factum à Jeremia tempore dicti Sedechiæ regis, ut etiam verba prophetiæ manifeſtè exigunt. Atque hæc explicatio ſuperiori probabilior eſt, proptereà quod prima capitis ſententia non niſi coactè videatur ad ſuperiora poſſe referri.

℣. 5. *Ego feci terram ——— & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas*
A *in manu Nabuchodonoſor regis, inſuper & beſtias agri.* Senſus eſt: Dedi terram ei, cui mihi complacuit dare, id eſt, cui volui; non propter ejus merita, ſed ex mero meo beneplacito. Nec eſt hinc conſequens, Nabuchodonoſorem juſtè occupaſſe terram, ſed ideò tantùm dicitur Deus eam dediſſe, quia ſine Dei voluntate nunquam eam occupare potuiſſet. Cæterùm quod additur, *Inſuper & beſtias agri dedi ei, ut ſerviant illi*, ſimile eſt ei quod dicitur Dan. 2. *Volucres quoque cœli dedit in manu tua*: quibus formis loquendi magnitudo potentiæ Nabuchodonoſor ſignificatur. Per hoc enim, quod omnes homines, id eſt, plurimæ nationes ei erant ſubjiciendæ, conſequens erat etiam ipſas beſtias in ejus poteſtatem venturas; quia, ut inquit Hieron.
B cum homine omnia traduntur, quæ ipſi ſubjiciuntur. Aut ſignificatur, quod non ſolùm regiones & oppida venient in poteſtatem ejus, in quibus habitant homines; verùm etiam deſerta & ſolitudines, item montes, & ſylvæ, in quibus feræ & volucres ſua habent receptacula. Vel eſt hyperbolicus ſermo ad exprimendam velut immenſam magnitudinem potentiæ ejus.

CAPUT XXVIII.

℣. 1. *DIxit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon: Adhuc duo anni erunt & ego referri faciam vaſa domus Domini.* Habemus hoc capite propheticas duorum prophetarum: Jeremiæ veri pro-
C phetæ Domini, & Hananiæ falſi Prophetæ. Ubi meritò occurrit *Quæſtio*, Quomodo verus propheta à falſo ſit diſcernendus? *Reſpond.* ex ſcripturis colligi multiplicem diſtinctionem.

Primum ſignum eſt, ſi non evenerit quod prædixit, falſus eſt: veri autem prophetæ vaticinium completur. Utriuſque exemplum eſt in hoc capite. Hananias prædixit infra biennium conterendum jugum regis Babylonis, & non evenit; Jeremias prædicit Hananiam eo ipſo anno moriturum, & factum eſt.

Item ſignum veri prophetæ eſt, quod cultum à Deo præſcriptum ſervet, ſervandumque populo præcipit; falſi autem, ſi ad idololatriam, vel illicitum cultum deflectat, & populum eò pariter abducere conetur: etiamſi
D fortè quædam prænuntiet, quæ ſic eveniant; quia, ut eſt Deut. 13. *Tentat eo modo aliquando populum ſuum Deus, ut palam fiat, utrum diligant eum, an non?*

Ruſum ſignum veri prophetæ eſt, prædicare populo, ut faciant judicium & juſtitiam, & miſericordiam cum proximo; prædicare pœnitentiam, acriter caſtigare peccata, & prænuntiare vindictam Dei propter peccata imminentem; Falſi ſignum, ſi nihil horum annuntiet populo, ſed, ſicut Hananias iſte, etiamſi populus in peccatis permaneat, prædicet proſperitatem rerum omnium; & mala, quibus premuntur, brevi avertenda eſſe.

Poſtremum ſignum, vita bona & mala. Ex quibus
E patet hæreticos noſtri ſæculi meritò falſis prophetis annumerandos; ut qui certam fidem de ſalute æterna pollicentur, atque interim jejunia damnant, pœnitentiæ opera contemnunt, virginitatis & perpetuæ continentiæ ſtudium, ut impoſſibile rejiciunt, & viam, quam Chriſtus dicit arctam, per omnia commodam faciunt.

℣. 6. *Et ait Ieremias, Amen, ſic faciat Dominus. Suſcitet Dominus verba tua, quæ prophetaſti*: Verba ſunt non approbantis. Sciebat enim Jeremias falſa eſſe quæ ab Hanania dicebantur. Sed, vel irridentis verba ſunt, ironico loquendi modo; vel optantis, ut, quæ dicebantur, poſſint vera eſſe. Optantis, inquam, non tamen abſolutè, quia velle non debebat, quod jam ex revelatione ſciebat Deum nolle; ſed voluntate quadam antecedente, vel conditionali; videlicet, quia

ros

rei in ſe bona erat, & optabilis; & ſi ita Deo viſum eſſet. Aut denique id optabat ſecundum appetitum inferiorem, quo pacto Chriſtus orabat Patrem, ut calix paſſionis tranſiret à ſe Matth. 26.

℣. 9. *Propheta, qui vaticinatus eſt pacem, cum venerit verbum eius, ſcietur propheta, quem miſit Dominus in veritate.* Hinc quidam colligunt quod prophetiæ ſeu prædictiones rerum proſperarum ſemper ſint abſolutæ; de rebus autem adverſis ſæpè comminatoriæ, & cum conditione intelligendæ, niſi reſipiſcant. Sed hoc non eſt conſequens. Nam ſuprà cap. 18. v. 8. & ſeq. docet Scriptura, utramque ſententiam, tam de proſperis, quàm de adverſis retractari poſſe, ſic enim ibi legitur: *Repentè loquar adverſum gentem, &c.* Et mox: *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi.* Item ſic: *Subitò loquar de gente & regno, ut ædificem & plantem illud.* Et deinde: *Quod ſi fecerit malum in oculis meis; pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum.* Quæ vide pleniùs eo loco explicata. Illud hîc patet, utramque retractari poſſe. Hoc tamen eſt diſcrimen; quod ad terrorem mala plerumque abſolutè dicantur, tametſi intelligatur conditio; bona autem, ſi non abſolutè eventura non abſolutè pronuntiantur à veris prophetis, ſed additur conditio, ſi pœnitentiam egeritis, aut aliquid ſimile, idque proptereà ne populi negligentia foveatur, & noxiæ ſecuritati detur occaſio.

℣. 16. *Hoc anno morieris: adverſum enim Dominum locutus es.* Generaliter quidem omnis mendax contra Dominum loquitur, in quantum loquitur contra veritatem quæ Dominus eſt: ſpecialiter autem contra Dominum loquitur qui dicit Dominum aliquid dixiſſe, quod Dominus non eſt locutus, etiamſi proſperum, vel etiam in ſpeciem pium ſit quod dicit. Talis enim ipſum Dominum mendacem facit. Huiuſmodi ſunt qui falſa miracula excogitant & populo annuntiant, vel revelationes ſibi oſtenſas dicunt. Sunt enim miracula Dei teſtimonia quibus vel doctrinam vel ſanctitatem alicuius approbat. Hi proinde gravi punitione digni ſunt, ſicut hic Hananias. Simili modo dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. *Invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum quod ſuſcitaverit Chriſtum quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgant.* Vide eius loci Comment.

CAPUT XXIX.

℣. 7. *QUærite pacem civitatis ad quam tranſmigrare vos feci; & orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis.* Primum ex hoc loco diſcimus præceptum de diligendis inimicis, & orando pro ipſis non primum à Chriſto impoſitum & traditum fuiſſe: verùm etiam veteri populo fuiſſe annuntiatum. Habitabant enim captivi iſti inter hoſtes ſuos, à quibus, vel ad quos abducti fuerant; & tamen eorum pacem ſtudioſè quærere jubebantur, & pro eorum pace & proſperitate Deum orare. Neque hoc tam ſanctum præceptum etiam lex Moyſi omninò prætermiſit. Præcipit enim Dominus Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo.* Et Proverb. 25. dicitur: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit, da ei potum.* Quæ ideò commemoro, ut oſtendam, præceptum de dilectione inimicorum nova quidem lege fuiſſe manifeſtatum, reverà tamen etiam ad veterem legem pertinuiſſe.

Alterum eſt, eos qui jugo ſervitutis, captivitatis, aut dominationis alicuius premuntur, non debere jugum illud per ſeditionem excutere, etiamſi ſub infideli & non Chriſtiano principe conſtituti ſint; imò & debere pro reip. illius ſalute precari Dominum, donec Deo

Eſt ij Annotat. in Script.

A viſum fuerit convenienti modo eos eripere. Ex quo diſcimus, quàm non divino, ſed ſatannico ſpiritu agantur hac noſtra ætate hæretici, qui legitimo & Catholico Principe per tumultum excluſo, ultro ac lubenter homini perduelli ſe ſubjicere non verentur.

℣. 13. *Quæretis me & invenietis, cùm quæſieritis me in toto corde veſtro.* Hæc ſententia expoſitio eſt ſententiæ Chriſti in Evangelio, quâ ait: *Quærite & invenietis.* Et rurſum: *Omnis qui quærit invenit.* Oſtendit enim, quod hæ ſententiæ hoc modo intelligendæ ſint: *Quærite & invenietis*, ſi tamen ex toto corde quæſieritis. Item: *Omnis qui quærit, invenit*; modò quærat ex toto corde. Atque hoc eſt quod docent Patres, omnem eum exaudiri, qui orat & petit aliquid à Deo, ſi modò
B petat, quomodo, & quantum res tanta orari, & peti à Deo debet.

℣. 22. *Ponat te Dominus ſicut Sedechiam, & ſicut Achab, quos frixit rex Babylonis in igne, pro eo quod fecerint ſtultitiam in Iſrael, & mœchati ſint in uxores amicorum ſuorum.* Quid de his duobus falſis prophetis ſentiant Hebræi, vide Hieronym. & Gloſſam Ordin. ſumptam ex eodem. Unde dubitari poteſt, an hi duo Pſeudoprophetæ ſint iidem cum duobus illis Presbyteris ſeu Iudicibus, de quibus Daniel. 13. in Hiſtoria Suſannæ. Sed non apparet, quia hi, de quibus hic Ieremias, frixi dicuntur in igne; illi lapidati. Item quia hi juſſu regis Babylonis affecti ſupplicio; illi ex decreto & ſententia populi Iudaici, qui erat in Babylone: Item hi Prophetæ, illi judices. Tu tamen, lector, exactiùs inquire. Interim, quia dicitur rex Babylonis eos
C frixiſſe in igne, magis puto referendum eſſe ad crimen rebellionis; quia fortè vaticiniis mendacibus excitabant captivos ad ſtudium rerum novandarum, dicentes brevi futurum, ut in terram ſuam redirent, ut capite præced. ab Hanania Pſeudopropheta factum patet. Si quæras, cur duo illi ſeniores, de quibus apud Danielem, judicati fuerint à populo, hi autem duo à rege; Solutio eſt, quia quamvis rex Iudæis permiſiſſet judicia ſecundum conſuetudinem legis ſuæ, etiam in quibuſdam criminalibus; crimina tamen graviora præſertim læſæ Maieſtatis, ſine dubio ſibi reſervavit.

CAPUT XXX.

D ℣. 3. *ET convertam converſionem populi mei Iſrael, & Iuda, ait Dominus; & convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum.* Quæritur quomodo hoc verum ſit de populo Iſrael, qui hîc à Iuda diſtinguitur; cùm ille, nec reductus legatur hactenus à captivitate; nec credatur unquam reducendus, ſic ut poſſideat terram olim datam patribus eorum. *Reſp.* quod ſimul cum populo Iuda multi ex aliis tribubus reverſi videantur. Nam tempore Chriſti erant in populo Iudaico, non ſolùm qui ex tribu Iuda, vel Levi, vel Benjamin oriundi erant, verùm etiam ex aliis tribubus. Sic legimus Iudam proditorem Iſcariotem, id eſt, de tribu Iſſachar, Annam viduam Luc. 2. de tribu Aſer. Et proſectò liberatio populi Iuda è captivitate Babylonica, videtur tranſiſſe libertatem etiam reliqui populi Iſraelitici ad
E redeundum in terram ſuam; ideò maximè, quod Cyrus, ſub quo ſoluta eſt captivitas Babylonica, non tantùm Babyloniis, apud quos degebant captivi ex Iuda & Benjamin, verùm etiam Aſſyriis, ad quos ejecti fuerant decem reliquæ tribus, imperabat. Et Cyrus ſic loquitur 2. Paralip. ult. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus. Quis ex vobis eſt in omni populo eius? Sit Dominus Deus ſuus cum eo, & aſcendat.* Quod idem repetitur in 1. Eſdræ 1.

℣. 8. *Conteram jugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam; & non dominabuntur ei amplius alieni.* Ex poſtremis verbis manifeſtum eſt, literaliter quæ dicuntur hoc capite, aliquo modo de carnalibus Iudæis &

eorumque liberatione, fuerint prædicta; tamen potiùs illa ad populum Iſraël ſpiritualem, & Chriſtum ducem pertinere: quod majora ſint, quàm ut in priorem illum populum competere poſſint, & imprimis quod hîc dicitur, *quod non dominabuntur ei ampliùs alieni.* Nam manifeſtum eſt, eos non modò ab Alexandro Magno, eiuſque poſteris, inter quos & Antiochus de quo in libro Machabæorum; verùm etiam à Romanis ſubjugatos fuiſſe, & ab iiſdem Romanis tandem exterminatos. Deinde addit Propheta: *& ſervient Domino Deo ſuo, & David regi ſuo, quem ſuſcitabo eis.* Iam verò regem poſt captivitatem nunquam habuerunt Iudæi; ſed duces qui nihilominus alienæ poteſtati erant ſubjecti; multò minùs eiuſmodi regem, quem propheta ob ſingularem præſtantiam Davidem appellaret. Nam hoc vocabulum in Scriptura ſacra poſt Davidem, filium Iſaï, nemini legitur attributum, præterquam Meſſiæ Chriſto, cuius ille in pluribus geſſerat typum valdè expreſſum. Denique quod additur. *Et eritis mihi in populum, & ego vobis in Deum,* peculiaris eſt promiſſio novi Teſtamenti. Erat quidem & vetus populus aliquo modo populus Dei, ſed per timorem; filij autem novi Teſtamenti ſunt eius populus per amorem.

CAPUT XXXI.

℣.22. *CReavit Dominus fœdus novum ſuper terram: Fœmina circumdabit virum.* Et poſteà v.31. *Ecce dies venient, & feriam domui Iſraël, & domui Iuda fœdus novum.* Citat poſteriora verba, & alia quæ ſequuntur Paulus ad Hebr. 8. & interpretatur de gratia novi Teſtamenti; tantùm id quod hic legitur v.33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum*, Apoſtolus effert pluraliter: *dando leges meas in mentem eorum*, non quod de alia lege agat quàm de lege Decalogi, & dilectionis, ſed quia Decalogi plura ſunt præcepta; dilectionis ſcilicet, ſaltem duo. Ulterius ſi *quæras*, quomodo illud hîc intelligendum ſit, *Fœmina circumdabit virum?* cùm Evangelio teſte, non dubitemus Salvatorem noſtrum, de quo hæc prophetia eſt, de virgine natum, per ætatum incrementa, poſt infantiam & pueritiam, demum ad virilem ætatem perveniſſe. *Reſpondeo*, quòd non reſpiciat Propheta, dum virum nominat, ad robur, aut molem corporis neque ad numerum annorum; ſed ad id quod ſcriptum eſt, à Ioanne Evangeliſta, Ioan.1. *Et verbum caro factum eſt*, item ad id quod eſt Iſaiæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, id eſt, Nobiſcum Deus. Chriſtum itaque quia ab initio conceptus ſui perfectus fuit Deus, & Dei filius; & proinde ſecundum animam perfecta intelligentia præditus, non tantùm virum, ſed & pluſquam virum dicere non dubitamus; virum ſcilicet propter perfectum rationis uſum, aliaſque animæ rationalis perfectas dotes; pluſquam virum verò, propter divinitatem humanæ naturæ in unitate perſonæ conjunctam. Vide etiam noſt. in 3. diſt.13. & 14.

℣.34. *Et non docebit ultra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me.* Libenter allegare ſolent hanc ſententiam hæretici novatores, qui noſtro tempore docent facilem eſſe Scripturam Sanctam, eiuſque intelligentiam paſſim omnibus eſſe obviam, neque opus eſſe ut quiſquam alterum doceat, dummodo, inquiunt, teneat quiſque Grammaticam, vocum vim & ſignificationem. Quæ doctrina haud dubiè abſurdiſſima eſt. Nam, nec Poetas, nec Hiſtoricos, nec oratores, intelliget quiſquam, ſola Grammatica inſtructus, niſi & verſatus ſit in figuris Rhetoricis, & linguæ proprietatibus. Multò ergo minùs intelligi poterit Scriptura Sacra; cùm & ſcripta ſit lingua aliena; videlicet Hebræa, vel Græca; & maximè figuris & allegoriis abundet.

A Porrò quod ad verum ſenſum horum verborum attinet, quidam ſententiam referunt ad futurum ſæculum. Sed non eſt neceſſe eò venire. Quod enim dicitur: *Non docebit ultra vir proximum ſuum*, intelligitur de eo quod ſequitur: *Cognoſce Dominum*, & cauſa ſubjicitur; *Omnes enim cognoſcent me à minimo uſque ad maximum, dicit Dominus*, q.d. omnes erunt inſtructi in fide. Sed non propterea ſtatim intelligent omnia quæ ſacris litteris continentur. Eſt enim omnium Chriſtianorum fides, ſed non eſt omnium intelligentia. Significatur inſuper notitiam veri Dei latiſſimè propagandam eſſe, quia Eccleſia Chriſti diffunderetur per univerſum mundum, & cum ea ſcientia Domini, juxta illud: *Repleta eſt terra ſcientia Domini.* Iſai.11. Adde, quod Prophetæ dixerant. *Cognoſce Dominum*, & parum profecerant;
B Apoſtoli autem, non tam prædicatione, quàm miraculis, & vitæ innocentia, Deo intus corda hominum tangente, multa millia hominum ſubitò convertebant. Hinc illud Actor.2. *compuncti ſunt corde*, & cap.16. prædicante Paulo, de Lydia illa: *cuius Dominus aperuit cor, &c.* Vide noſt. Comm. ad Hebr.8. v.10.

℣.32. *Fœdus novum non ſecundum pactum quod pepigi, &c.* Fœdus ſeu pactum more Scripturæ non ſemper includit conditionem ab utraque parte ſervandam; quaſi promiſſio novi Teſtamenti qua dicitur, *dabo legem meam, &c.* firma non ſit, niſi homo ſuum aliquid adferat præter id quod Deus ſe daturum promittit. Nam in ſacris litteris pacta dicuntur omnes
C promiſſiones & conſtitutiones de rebus agendis, ſive conditionem ex diverſa parte poſtulent, ſive non; Sic infrà cap.33. dicit: *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die & cum nocte.*

Ibid. *Pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus.* In epiſtola ad Hebræos cap.8. pro his verbis ſic legitur: *Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Sed in his ut & aliis eiuſdem epiſtolæ, ſecutus eſt Apoſtolus interpretationem Septuaginta. Vide ibidem noſtrum Comment.

CAPUT XXXII.

℣.7. *EMe tibi agrum meum, qui eſt in Anathoth; tibi enim competit ex propinquitate, ut emas.*
D *Quæritur*, quomodo jubetur Ieremias emere agrum, cùm fuerit Levita? & ex Sacerdotibus in Anathoth? Sacerdotibus autem & Levitis nulla pars terræ fuerit data in poſſeſſionem, ſed tantùm ſacrificia & primitiæ, & decimæ, aliæque oblationes populi? Nec ſufficit reſpondere juſſum fuiſſe Ieremiæ emere hunc agrum imperio Domini: Nam alia cauſa hîc additur: *tibi enim competit ex propinquitate ut emas.* Proinde dicendum eſt, hunc agrum non fuiſſe arabilem. Tales enim Levitis & Sacerdotibus poſſidere non licebat; ne diſtraherentur ſic à divinis, ſed tantùm eis conceſſa erant à Domino prædia ſuburbana ad alenda pecora ſua. Et de tali agro hîc locus intelligendus eſt.

℣.34. *Et poſuerunt idola ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut pollueren eam.* Reſpicit
E Propheta ad idololatriam, & abominationes commiſſas per Manaſſem regem Iuda. Neque enim alibi legimus idola gentium in templo Dei fuiſſe ab aliquo collocata, ante Ieremiæ tempora. Hiſtoria habetur 4. Reg.21. v.4. & 7. ubi ſic legimus de Manaſſe: *Extruxitque aras in domo Domini & altaria univerſæ militiæ cæli, in duobus atrijs templi Domini.* Item, *Poſuit quoque idolum luci, quem fecerat, in templo Domini.* Simul ex hoc loco diſcimus, etiam ea parentum peccata, quæ illis remiſſa fuerant, nonnunquam vindicari in filios in tertiam & quartam generationem, ut eſt Exodi 20. Nam Manaſſes quidem per pœnitentiam conſecutus ſcelerum ſuorum veniam à Domino fuit, ſed

eadem

eadem peccata in poſteris, parentum ſcelera imitantibus, vindicata leguntur. Unde & ait hoc cap. v. 18. propheta: *& reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum eorum poſt eos.* Et manifeſtius oſtenditur ex c. 15. huius prophetiæ; ubi Dominus comminatur Iudæis graviſſimas plagas; *Super Manaſſem*, inquit, *filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem.*

CAPUT XXXIII.

℣. 6. *Et revelabo eis deprecationem pacis & veritatis.* Ad gratiam novi Teſtamenti pertinet hæc promiſſio. Senſus eſt: Revelabo eis pacem & veritatem, pro qua deprecati ſunt patres eorum. q. d. quod patribus promiſi, filijs præſtabo. In Hebræo legitur paulò aliter, idque plenius & ſignificantius; *Et aperiam eis theſaurum pacis & veritatis*, ſcilicet ingentem copiam, & abundantiam pacis, juxta illud Pſal. 71. *Orietur in diebus eius juſtitia & abundantia pacis.* In pace autem intelligitur reconciliatio hominis cum Deo; in veritate autem fides promiſſorum: ut ſenſus ſit; Reconciliabo eos mihi, adoptans eos in filios, & præſtabo quidquid promiſi. Septuaginta Interpretes, nec deprecationem habent, nec theſaurum, ſed hoc modo: *faciam pacem & fidem.*

℣. 8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccaverunt mihi, & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum.* Similiter dictum eſt ſuprà c. 31. Cùm enim dixiſſet Dominus: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam:* poſteà ſubjicit: *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Ex quibus manifeſte conſequitur utramque juſtificationis partem, videlicet obedientiam legis, & remiſſionem peccatorum, æquè ad gratiam novi Teſtamenti pertinere; & neutrum eorum obtineri poſſe, ſine ſanguine mediatoris Chriſti. Et ſanè definita eſt Apoſtoli Pauli ſententia ad Hebr. 9. *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Quod ſi dicas, etiam veterem legem ad remiſſionem peccati valuiſſe, per ſacrificia & ſanguinem victimarum illius legis, occurrit rurſum idem Apoſtolus, & id, ne ſentiamus, prohibet; dicens cap. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Quod ſi eſt impoſſibile, & tamen ſi ſanguinis effuſione non fit remiſſio, (ut jam allegatum eſt ex cap. 9.) conſequens eſt, non niſi ſanguine Agni immaculati Chriſti, peccata deleri; & falſi eos, qui vel legem naturæ vel legem Moyſi, quantum in ipſis erat, dicunt valuiſſe ad remittenda pœnitentibus peccata. Vide noſtrum Comment. citatis Apoſtoli locis.

℣. 17. *Non interibit de David vir, qui ſedeat ſuper thronum domus Iſraël.* Et infrà. *Si irritum poteſt fieri* —— *& pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius qui regnet in throno eius.* Promiſſio eſt novi Teſtamenti impleta in Chriſto, teſte Gabriele Archangelo Luc. 1. *Dabit illi Dominus ſedem patris eius & regnabit in domo Iacob in æternum.* Similiter quæ hîc dicuntur de Sacerdotibus & Levitis perpetuò miniſtraturis & oblaturis ſacrificia, de miniſtris novi Teſtamenti intelligenda ſunt, ſicut & Iſa. ultim. cuius loci vide Annotat.

CAPUT XXXIV.

℣. 11. *Et converſi ſunt deinceps, & retraxerunt ſervos & ancillas ſuas, quos dimiſerant liberos.* Duo præcipua invenimus extitiſſe peccata propter quę populus Iſraël & Iuda à Domino ſæpè & variè afflicti, tandem in hoſtium venerunt poteſtatem. Alterum, contra Deum; alterum contra proximos. Contra Deum committebatur idololatria, & aliæ ſuperſtitiones, in quas paſſim invehuntur prophetæ: Contra proximum erant furta, rapinę, homicidia, adulteria, & imprimis op-

A preſſiones pupillorum & viduarum; itemque injuriæ adverſus ſervos & ancillas, de quo hoc capite. Etenim cum in lege præſcriptum eſſet Exodi 21. & Deut. 15. ut completis ſeptem annis ſervituris, unuſquiſque ſervum ſuum Hebræum, vel ancillam Hebræam dimittat in libertatem, & præceptum illud multis retro annis à populo non fuiſſet obſervatum, rex Sedechias cum principibus & univerſo populo, pactum inierat coram Domino, de manumittendis ſeptimo anno ſervis ſuis Hebræis. Verùm paulò pòſt pœnitentia ducti, eoſdem retraxerunt, & iterum ſervituti ſubjugarunt: Quod eorum factum tantopere Deo diſplicuit, ut hoc capite ſolùm illud peccatum à propheta commemoretur, propter quod tradendos eos dicit in manus inimicorum. Locus utilis, & inſignis ad oſtendendum, quantùm pro-

B vocetur ira divina, ſi non juſtè & clementer agamus etiam cum infimæ ſortis hominibus. Unde Iob c. 31. inter cætera pietatis ſuæ opera, etiam hoc ponit dicens; *Si contempſi ſubire judicium cum ſervo meo, & ancilla mea, cum diſceptarent adverſum me.*

CAPUT XXXV.

℣. 6. *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab pater noſter præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum* —— *& domum non ædificabitis, & ſementem non ſeretis, &c.* Suggeruntur hîc duo loci communes contra hæreticos noſtri ævi. Unus, ad ſtatuendam obedientiam quæ debetur Eccleſiæ, id eſt,

C prælatis Eccleſiæ. Optimè enim ſic argumentamur: Rechabitæ tanto ſtudio ſervaverunt præceptum patris ſui carnalis, ut nec biberent vinum, nec niſi neceſſitate preſſi intrarent civitatem; ſed habitarent rurì in tabernaculis, nullam penè corporis curam agentes; Multò igitur magis oportet nos obedire Eccleſiæ, quæ eſt mater noſtra, de qua Chriſtus Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & Publicanus.* Et Cyprianus, & poſt eum Auguſtinus; *Non habebit Deum patrem, qui noluerit Eccleſiam habere matrem.* Alter locus eſt ad confirmandam abſtinentiam à certis cibis in Eccleſia uſitatam. Si enim Rechabitæ, tantùm, ut apparet, propter obedientiam, perpetuò abſtinuerunt à vino, ipſi & poſteri eorum, ne præterirent præceptum Patris ſui Ionadab; quantò

D magis filij Eccleſiæ abſtinere debent, certis ſolùm & conſtitutis temporibus, à certis cibis? nec tantùm propter fructum obedientiæ, (quamvis illa ratio, ſeu fructus obedientiæ ſufficere deberet) verùm etiam, propter fructum caſtigationis, & mortificationis carnis, & ad redimendas ſimul pœnas peccatis prioribus debitas. Nam Rechabitæ tantùm obedientiam ſpectaſſe videntur, ad nos autem multiplex fructus pervenit huiuſmodi abſtinentiæ.

℣. 7. *Et domum non ædificabitis & ſementem non ſeretis, & vineam,* —— *ſed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus veſtris, &c.* Non præſcribitur hîc vita vagabunda & deſidioſa, quia non jubentur vagari per regiones, ſed habitare in tabernaculis more peregrinantium aut militantium. Nec jubentur in otio vivere

E ex alienis menſis, quia quamvis prohibeantur habere domos aut agros aut vineas quas ædificent, inhabitent, colant, plantent, habeant; non tamen prohibentur manibus laborare ad victum ſibi comparandum. Videtur autem in illis fuiſſe quædam figura monachorum novi Teſtamenti. Item hoc illis præceptum eſt in profeſſionem quandam fidei ac ſpei qua futura bona expectantur; & quod in hac vita ſumus peregrini tendentes ad cæleſtem patriam: ſequitur enim: *Ut vivatis diebus multis ſuper faciem terræ in qua vos peregrinamini.* Item erat imitatio quædam vitæ Sanctorum Patriarcharum qui habitabant in tabernaculis tamquam peregrini. Hebr. 11.

Eſtij Annotat. in Script.

A Ibid. *Vt vivatis diebus multis ſuper faciem terræ in qua vos peregrinamini.* Promittitur benedictio terrena, quales ſunt promiſſiones veteris Teſtamenti, ſed cum inſinuatione expectandæ melioris habitationis, in eo quod dicitur, *In qua vos peregrinamini.* q.d. Quamvis hanc benedictionem conſequamini, ut diu vivatis ſuper faciem terræ; tamen ſemper cogitare debetis vos in hac terra verſari tamquam peregrinos, ad patriam tendentes; ad quam proinde ſemper debetis ſuſpirare. Et notandum eſt Ionadab fuiſſe virum ſpiritualem, & zelatorem honoris divini, qui confortavit animam Iehu ad perdendum cultores Baal, & reſtituendum cultum veri Dei. Vide Annotat. 4. Regum 10.

CAPUT XXXVI.

B ℣.5. ET *præcepit Ieremias Baruch, dicens: Ego clauſus ſum, nec valeo ingredi in domum Domini. Ingredere ergo tu, & lege de volumine.* Notanda prompta voluntas prophetæ Ieremiæ, ad annunciandum populo verba Dei. Iam enim in carcerem miſſus erat propter Dei verba regi, principibus & populo nunciata, jam per ſe prædicationis officium implere non poteſt, ſed quod facere per ſe non poteſt, per nuncium facit & interpretem Baruch. Itaque re ipſa oſtendit, quod tametſi ipſe clauſus, & alligatus eſſet in carcere, tamen verbum Dei non eſſet alligatum. Talem zelum etiam Apoſtolus Paulus habebat, cuius hæc ſunt verba 2. Timot. 2. *In quo laboro uſque* C *in vincula, quaſi malè operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Quid ergo dicturi ſunt, qui liberi, & nulla perſecutione preſſi, in annunciando verbo Dei tam ſunt negligentes?

℣.9. *Prædicaverunt jejunium in conſpectu Domini omni populo in Ieruſalem, &c.* Hoc jejunium quod hoc loco præceptum legitur omni populo in Ieruſalem, & univerſæ multitudini quæ de civitatibus Iuda illuc confluxerat, quidam referunt ad feſtum expiationis, in quo debebant filij Iſraël juxta præceptum legis affligere animas ſuas. Sed ſciendum feſtum illud expiationis ſecundum legem celebrari ſolitum menſe ſeptimo, decima die menſis, ut habemus Levit. 23. iſtud verò jejunium, ut hoc loco expreſsè dicitur, D indictum fuit menſe nono. Quo tempore conſtat in lege nullum feſtum aut jejunium fuiſſe præſcriptum. Unde intelligendum eſt jejunium hoc de quo præſenti capite agitur, publica authoritate ſive regis ſive Sacerdotis, indictum fuiſſe, & populo impoſitum propter metum regis Babylonis qui eo tempore parabat cum exercitu adventare in Judæam. Quemadmodum etiam Ninivitæ prædicaverunt ſpontaneum jejunium audita Ionæ prædicatione de excidio civitatis ſuæ. Ioël quoque cap. 1. ad pœnitentiam cohortans populum, ait, *Sanctificate*, id eſt, indicite jejunium; ſicut, ſanctificare bellum, eſt indicere bellum. Verùm quia Deo non placet afflictio corporum ſine converſione mentis; hinc factum eſt ut hoc Judæorum jejunio Deus minimè fuerit placatus, quo minus per Ieremiam Prophetam graviſſimas comminationes eis publicaret; E quem tamen placatum legimus jejunio Ninivitarum. Manifeſta autem diverſitatis ratio fuit, quia Iudæi ſolùm corporale jejunium prædicaverunt, in peccatis prioribus nihilominus permanentes: Ninivitæ unà cum jejunio prædicaverunt ut converteretur unuſquiſque à via ſua mala, & iniquitate quæ erat in manibus eorum, Ionæ 3. Facit etiam hic locus ad oſtendendum poſſe pro temporis opportunitate à poteſtate ſuperiori indici populo jejunia, ſupplicationes publicas, aliaque pietatis opera, etiamſi ea divina lege non fuerint conſtituta.

CAPUT XXXVII.

℣.3. MIſit rex Sedechias ad Ieremiam, dicens: *Ora pro nobis Dominum Deum noſtrum.* Rectene, an ſecus hoc à Sedechia factum ſit, ſi quæratur, nemo dubitabit dicere; quin rectè, & ſanctè hoc factum fuerit, quod Sancti Prophetæ preces & interpellationem pro ſe, & regno ſuo ſupplíciter petierit; quamvis in eo peccaverit, quod non ſimul monitis Sancti Prophetæ obtemperaverit. Si rectè factum; nulla ergo in illis verbis continetur injuria, nec Dei, nec Chriſti mediatoris. Vanum ergo eſt, & calumnioſum, quod hæretici dicunt, noſtras preces, quibus ad ſanctos cum Chriſto regnantes dicimus, *Sancte Petre, Sancte Paule, orate pro nobis*; continere injuriam mediatoris; cùm nihil aliud dicamus, quàm quod hîc dictum eſt ad Hieremiam. Fatendum eſt ergo, Sanctos ita eſſe interceſſores, ut nihilominus verum etiam maneat, quod Apoſtolus ait, 1. Timoth. 2. *Vnus eſt mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS.* Vide pleniùs 2. Machab. 15. ubi Ieremias etiam defunctus pro populo orat.

℣.4. *Igitur exercitus Pharaonis egreſſus eſt de Ægypto, & audientes Chaldæi, receſſerunt ab Ieruſalem.* Et mox v.6. *Hæc dicit Dominus. Et redient Chaldæi, & bellabunt contra civitatem hanc, & capient eam.* Per hoc moraliter ſignificatur, Diabolum interdum ad tempus à tentatione ceſſare; ſed ſæpè poſt aliquantum temporis intervallum, majoribus viribus animam hominis oppugnare; quæ niſi ſingulari gratia Dei præmunita fuerit, & diligenti cuſtodia ſe obſervet; in laqueos Diaboli incidat, & fiant ſecundum Evangelium ſæpè poſteriora hominis illius, peiora prioribus.

℣.9. *Sed & ſi percuſſeritis omnem exercitum Chaldæorum ——— vulnerati ſinguli de tentorio ſuo conſurgent, & incendent civitatem hanc igni.* Potuit hoc ſine dubio Deus efficere, vel augendo vires Chaldæorum, vel minuendo vires & animum Judæorum, vel quocumque alio modo ſibi placito. Quamquam videtur in hoc ſermone eſſe quædam hyperbole qua ſignificetur, quidquid aliud acciderit, omninò futurum tamen id quod per Ieremiam prædixerat: ſcilicet ut Chaldæi civitatem capiant & incendant.

CAPUT XXXVIII.

℣.5. ET *dixit rex Sedechias. Ecce ipſe in manibus veſtris eſt. Nec enim fas eſt regem vobis quidquam negare.* Notanda eſt, & deteſtanda Sedechiæ regis levitas toto hoc capite. Primò, interpellatus à principibus contra Ieremiam, cùm nollet principes offendere. *Nec enim*, inquit, *fas eſt regem vobis quidquam negare*, permiſit Ieremiam in lacum lutoſum mitti. Deinde, ut ſequitur v.8. & ſeq. intercedente pro Ieremia Abdemelech Æthiope eunucho, præcepit eum de lacu levari, antequam moreretur. Sed rurſum, ſuadente ei Ieremia ex ore Domini, ut dederet ſe Chaldæis, iterum timore hominum prohiberi ſe, id ne faciat, asserit; v.19. *Sollicitus ſum*, inquit, *propter Iudæos, qui tranſfugerunt ad Chaldæos, ne fortè tradar in manus eorum, & illudant mihi.* Sanè commune eſt vitium, hæc animi inconſtantia, omnibus ijs, quibus propoſitum eſt, neglecto Dei timore nihil recuſare, quod hominibus placet, nihil facere quod ijs diſplicet. Contra quod vitium munit nos Apoſtolus dicens, Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.*

℣.15. *Dixit autem Ieremias ad Sedechiam, Si annunciavero tibi, numquid non interficies me? & ſi conſilium dedero tibi, non me audies.* Hæc ſententia duo continet meritò notanda. Unum, quod propheta, licet haberet à Deo revelationem, tamen velut in ſua

retinet arbitrio, utrum eam regi maniſaſtet an non. Ex quo patet propheticas prædictiones non fieri eo impetu, quem ratio & prudentia non moderetur; ſed poſſe eas eloqui, poſſe etiam tacere, prout dictat prudantia. *Nam ſpiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt*, ait Apoſtolus 1. Cor. 14. *Et ſi alteri fuerit revelatum, prior taceat.* Eſt & aliterum, ſimiliter ad commandabilem prophetæ prudentiam pertinans. Interrogatur à rege, quid de civitata ſit futurum? Recuſet Ieremias reſpondere, niſi promiſſa prius ſacuritate vitæ. Idque rectè. Nam ſciebat eum ſuo conſilio non obtemperaturum. Et hac ſimili prudentia etiam Chriſtianus prædicator uti dabet, ubi videt certum imminere mortis periculum; ut ſcilicet, ubi videt ex prædicatione nullam ſperari utilitatam, ſed è contra magna ſæpè pericula; potiùs cum Ieremia tunc nihil tamarè loquatur.

ỳ. 24. *Dixit ergo Sedechias ad Ieremiam. Nullus ſciat verba hæc, & non morieris. Si autem audierint principes, dices ad eos. Proſtravi ego preces meas coram rege.* Ex his verbis & adjunctis, diſcimus, aliud eſſe celare veritatem, aliud dicere mendacium; & hoc quidem ſemper illicitum eſſe; illud aurem licitum & conceſſum. Iaremias enim interrogatus à principibus, quid cum eo locutus eſſet rex, reſpondit, rogaſſe ſe regem, ne reduceretur in lacum. Id autem etiam eum petiiſſe, ſatis ex toto colloquio intalligitur. Cæterum de conſilio deditionis ſaciandæ prudenter tacuit. Simili ſcilicet prudentia. Abraham cum peregrinaretur cum Sera uxora ſua, ne eius cauſa interficeretur, interrogatus de ea, ſororem aſſa dixit, uxoram tacuit. Et Samual 1. Reg. 16. veniens in Betblehem, ut ungeret regem David, dicebat: *Ad ſacrificandum Domino veni.* Id dixit quod verum erat, & tuiò dici poterat; alterum autem, quod ſine periculo proloqui non potuiſſet, tacuit.

CAPUT XXXIX.

ỳ. 5. E*T comprehenderunt Sedechiam in campo ſolitudinis, & captum adduxerunt ad Nabuchodonoſor, & locutus eſt ad eum judicia.* In judicio duo aguntur. Cauſa diſcutitur, & ſententia pronuntiatur. Locutus eſt ergo judicia primò arguens eum da infidelitate & perjurio. Erat anim Sedechias à rege Babylonis conſtitutus poſt Iachoniam rex Juda, accepto ab eo jurejurando ſubiectionis, & tributi præſtandi; quod juſiurandum eb eo violatum fuit. Et hoc ad cauſæ diſcuſſionam. Quantum verò ed alteram judicij partem, judicia cum eo locutus aſt Nabuchodonoſor, quando, ſententiâ latâ, juſſit primùm filios eius, & proceres in conſpectu eius trucidari, ut hoc triſtiſſimum ſpectaculum oculis aius ingereretur poſtremum; ac dainde oculos eius effodi, quo inutilis eſſet ad omnem in poſtarum rebellionem; & ſic duci in Babylonem. Et notandum, quod phraſi Hebræa loqui judicia cum aliquo, aſt cum eo agere ſecundum rigorem juſtitiæ, ita ut nullus ſit miſericordiæ locus. Vida etiam ſuprà c. 1. Cæterùm dubitari poraſt an juſtè potuerit Nabuchodonoſor in Sedechiam animadvertera. Nam etſi Sedachias pactis non ſtaterit, & contra juſiurandum fecerit; injuſtè taman Nabuchodonoſor ſibi vendicabat terram Judææ, & reges quos injuſto bello ſubegarat, injuſta vi coegerat ad huiuſmodi pacta.

ỳ. 6. *Et occidit rex Babylonis filios Sedechiæ.* Id juſtè fieri non potuit niſi filij eſſent conſortes ac ſocij criminis paterni; nihilo magis quam liceat propter criman alicuius percutere eius amicos. Lex enim aſt naturalis ac divina, filios non eſſe occidendos pro patribus, nec contrà; & generatim, neminem pro alio.

ỳ. 13. *Vade, & dic Abdemelech Æthiopi.* Et infrà v. 18. *Eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam.*

Eſtij Annotat. in Script.

A En Dei providantiam circa Abdemelech, qui ſanctum propheram de lacu eduxerat, capite præcedenti; qui, cùm cæteri proceres regis trucidarentur, ipſe Dei nutu ereptus aſt. Pro eo quod nos habemus: *Erit tibi anima tua in ſalutem.* Hebræa aſt (*in prædam*) ſeu ſolium. Saptuaginta habent (*in inventionem*) q. d. erit tamquam res fortuitò inventa, quæ perierat. Et aſt ſenſus: Non incides in manus hoſtium, ſed vitam ſervabis, idque præter omnem ſpem, & expectationem, propter magnitudinem periculi in quo verſaris. Erat anim ipſe ex principibus regis, quos omnes Nabuchodonoſor neci ſpecialiter daſtinabat. Vida eandem phraſim etiam infrà cap. 45. ubi ad Baruch fit ſermo.

CAPUT XL.

B ỳ. 4. S*I placet tibi ut venias mecum in Babylonem; veni, & ponam oculos meos ſuper te: ſin autem diſplicet tibi, reſide; ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt.* Hæc clemantar princeps militiæ, juſſu Nabuchodonoſor, ad Ieremiam. Sed noluit Ieremias comitari populum ſuum captivum in Babylonem; maluitque remanere cum reliquiis in terra Iuda, cùm ijſdem iturus poſtaà in Ægyptum; quia magis erat his neceſſarius, tamquam doctor & propheta, quàm illis. Nam in Babylone jam arant Ezachial, Daniel, & Sacerdotum præcipui, paulò ante illuc abducti. Nec putandum eſt, factum fuiſſe abſque peculieri Dai diſpoſitione, quod cum reliquis remanerer in terra Iuda; vidalicet, ut
C poſteà in Ægyptum abeuntes, non eſſent ſine magiſtro & doctora.

ỳ. 13. *Miſit Iſmaël filium Nathania percutere animam tuam.* Itam, *Ibo & percutiam Iſmaël filium Nathania nullo ſciente ne interficiat animam tuam.* Quæritur quomodo ergo dicit Dominus in Evangalio Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus: animam autem non poſſunt occidere.* Duobus modis reſpondetur; uno modo accipiendo quidem animam propriè pro altera & præſtantiori parte humanæ naturæ, ſed ita ut agnoſcatur ſynacdocha, quâ pars pro toto ſumitur, anima pro homine, ut ſenſus ſit, percutere hominem, interficere hominem. Ita dicitur in Geneſi Saptuaginta animas egreſſas eſſe de femore Iacob, quod Latinè diceretur Sapruaginte capita, utrumque
D figuratè, per eandem figuram, pro ipſis hominibus. Aliter ut anima accipiatur ſicut frequentiſſimè in Scriptura accipitur, pro vita hic mortali & temporali; cauſa nimirùm pro effectu. Nam anima vitam efficit. Tum ſenſus erit: percutere vitam, interficere vitam, id aſt, percutiendo val interficiendo tollere vitam. Eadem phraſis eſt lib. 1. Machab. 2. v. 38. Vida Annota Act. 20 v. 24.

ỳ. 15. *Iohanan autem dixit ad Godeliam ſeorſum. Ibo & percutiam Iſmaël, nullo ſciente, ne interficiat te. Et ait Godolias, Noli facere verbum hoc, falſum enim tu loqueris de Iſmaël.* Locus hîc moralem docet cautionem; ne imprudanter cum Godolia in grava aliquod damnum incidamus. Nam quamvis non liceat facilà malum ſuſpicari da proximo, & ſemper propen-
E ſiores aſſe dabeamus, ut eius facta in bonum, quàm in malum interpretemur; tamen propter periculum, quod ab alio imminere poteſt, prudenter, & circumſpectè ſemper agandum eſt. Itaque Godulias, licet non debebat permittere, ut ex ſola ſoſpiciona Iſmaël occideretur, tamen debuiſſet eum in cuſtodia aſſervare, & cauſam diligentius inquirere, aut ſaltem ſibi cavere. Et hanc imprudentiam & ſtultam ſecuritatam etiam Sapians damnat Proverb. 22. v. 3. dicens: *Callidus videt malum, & abſcondit ſe; innocens autem pertranſijt, & afflictus eſt damno.* Ubi callidus pro prudente, & innocens pro imprudente & incauto ſumitur.

CAPUT XLI.

℣.4. **S***Ecundo autem die poſtquam occiderat Godoliam* —— *venerunt viri de Sichem, & de Silo & de Samaria — ut afferrent in domo Domini.* *Quæritur* quæ domus Domini hoc loco intelligatur? utrum templum, quod erat in Ieruſalem, an alia aliqua domus Domini? Quidam putant intelligi templum Domini, quod erat Ieroſolymis; dicentes viros iſtos, dum de locis ſuis egrederentur, ignoraſſe, quod à Chaldæis templum eſſet incendio abſumptum; quod cum in via audirent, idcircò, ſcilicet, eos raſiſſe barbam (quo habitu hîc deſcribuntur) veſteſque ſcidiſſe, lugentium more. Verùm id dici non poteſt. Nam ut infrà habemus cap.52. templum exuſtum eſt menſe quinto, viri autem iſti, ut eſt initio huius capitis, venerunt menſe ſeptimo. Atqui per ſpatium duorum menſium latuiſſe eos rem adeò memorabilem, & calamitoſam, videlicet templi exuſtionem, non eſt credibile. Quare probabiliùs ſentiunt, qui dicunt, poſt templi everſionem Godoliam in Malphat ædificaſſe altare Domino; ad quod accederent quicumque vellent ſacrificium Deo offerre. Nam tempore Samuelis per aliquantum tempus fuerat eo in loco arca Domini, & altare ad ſacrificandum, ut patet 1. Regum 7. Ad hunc igitur locum profecti videntur viri iſti, de quibus hîc eſt ſermo.

CAPUT XLII.

℣.2. **O***Ra pro nobis ad Dominum Deum tuum pro univerſis reliquiis, quia derelicti ſumus, &c.* Notandum quod populus hiſce verbis S. Prophetæ apud Deum interceſſionem poſtulet. Et ne quis ſuſpicetur populum prave aut perperam inſtructum in religione, non rectè feciſſe iſtud poſtulando; audiat quid reſpondeat propheta, & quibus verbis eorum petitionem confirmet. *Audivi* (inquit) *ecce ego oro ad Dominum Deum veſtrum ſecundum verba veſtra.* Si illi rectè invocaverunt Ieremiam prophetam ut pro ipſis oraret, quomodo rectè accuſat Catholicos hæreticus, tamquam uni mediatori irrogantem injuriam, quando dicit: Omnes Sancti Prophetæ orate pro nobis? Locus notabilis pro invocatione Sanctorum. Vide etiam Annotat. 1.Reg.12. & 2. Machab. ultim.

℣.5. *Et illi dixerunt ad Ieremiam: Sit Dominus inter nos teſtis, — ſi non juxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus, ſic faciemus.* Quod dicunt, *Sit Dominus inter nos teſtis*, juramentum eſt. Et quotieſcumque ad alicuius rei confirmationem dicimus: Teſtis eſt Deus, vel teſtor Deum, vel teſtem Deum invoco, juramentum eſt, & non tantum, ſi quis expreſsè dicat: Iuro Deum, vel per Deum quemadmodum graviter docet Auguſt. pluribus locis. Imò expreſſius eſt juramentum, quo dicitur, Teſtis eſt Deus, quàm quo dicitur, Iuro; quia illud explicat rationem juramenti, quæ eſt, Deum teſtem advocare, aut adhibere ad confirmandum id quod dicitur. Quod autem ſequitur, (*ſi non juxta omne verbum in quo miſerit te Dominus, ſic faciemus*) non ita cohæret cum præcedentibus, ut hunc ſenſum faciat: Sit Dominus teſtis, ſi non faciamus juxta verbum tuum. Nam ſenſus ille ineptus eſt & incompletus, & nihil ſignificat ad propoſitum: Sed prior pars ſic ſeorſim accipienda eſt: Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, id eſt, promiſſi noſtri, Poſterior verò pars, more Hebræo, ſic ſuppleatur; Et malè nobiſcum agatur, ſi non juxta omne verbum tuum faciamus.

℣.19. *Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Iuda: Nolite intrare Ægyptum: ſcientes ſcietis, quia conteſtatus ſum vos hodie.* Allegoricè nobis hîc inſinuatur utiliſſima doctrina, ſi, per Judæam, Eccleſiam Chriſti, per Ægyptum verò, ſocietatem malorũ & hæreticorum intelligamus.

A Etenim contingit aliquando tentari eos, qui ſunt in Eccleſia Dei, ut propter aliqua adverſa, quæ in Eccleſia tolerant, ab Eccleſia recedant, & jungant ſe ſocietati hæreticorum, aut quorumcumque hominum huius ſæculi, tamquam in ea pacem & ſecuritatem habituri: Sed reſpondet eis Dominus, per prophetam, id eſt, per Scripturas Sacras, & præcones verbi Dei; quod etſi exteriùs, & ad tempus perſecutiones, vel alias moleſtias in Eccleſia patiantur; in ea tamen ſola, eos inventuros veram pacem, id eſt, conſcientiæ tranquillitatem; ac tandem æternam pacem, & ſalutem conſecuturos, ſi in ea permanſerint. Sin autem ab ea receſſerint, & ſocietati malorum ſe junxerint; licet ad tempus videantur adepti pacem huius ſæculi (quæ tamen non eſt pax vera) tandem tamen eos omnes in poteſtatem regis
B Babylonis, id eſt, Diaboli tradendos.

CAPUT XLIII.

℣.2. **M***Endacium tu loqueris. Non miſit te Dominus Deus noſter. Sed Baruch filius Neriæ incitat te adverſum nos, ut tradat nos in manus Chaldæorum.* Conſideranda humanæ naturæ corruptio, & maximè veteris illius populi malitia, & inobedientia adverſus Deum. Nam ij iidem illi, qui capite præcedenti, cum juramento promiſerant Ieremiæ, dicentes: *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis & fidei, ſi non juxta omne verbum in quo miſerit te Dominus, ſic faciemus,* iidem, inquam, illi, jam cognita per Ieremiam volun-
C tate Domini, reſpondent: *Mendacium tu loqueris,* imitantes in hoc maiores ſuos; qui cum accepturi eſſent legem in deſerto per manum Moyſi, dixerunt: *Cuncta quæ locutus fuerit Dominus, faciemus:* Inde tamen paulò poſt, Moyſe moram faciente in monte, ad idololatriam converſi ſunt, dicentes Aaroni: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moyſi enim huic ignoramus quid acciderit.* Quibus & ſimilibus exemplis admonemur, quid ſit diſcriminis inter legem veterem, & novam. Veteris enim legis officium erat, manifeſtare quid faciendum eſſet, ſed vires ad perficiendum non ſuppeditabat; Lex autem nova, gratiam & vires adminiſtrat, ut perficiamus opere, quod per legem ſcriptam faciendum cognovimus, juxta illam novi Teſtamenti promiſſionem, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis.* Ezech.36.

D ℣.5. *Sed tollens Iohanan —— univerſos reliquiarum Iuda —— & omnem animam quam reliquerat Nabuzardan —— cum Godolia —— & Ieremiam prophetam & Baruch. Et ingreſſi ſunt terram Ægypti.* Quæritur quare peccaverint reliquiæ populi Judaici abeuntes in Ægyptum? Reſpondeo rationem eſſe in textu manifeſtam, quia Dominus per Ieremiam prohibuerat ne in Ægyptum irent, & præceperat ut manerent in terra Iuda. Huius autem prohibitionis poſſunt aliquot rationes aſſignari, Prima, quia Dominus in Deuteronomio prohibuerat filiis Iſraël ne unquam redirent in Ægyptum. Secunda, quia in Ægypto habituri erant occaſiones idololatriæ, ut paulò poſt paruit. Tertia, quia terram promiſſionis ſibi datam à
E Deo ad inhabitandum non debebant relinquere niſi urgente neceſſitate, quæ hîc nulla fuit. Atque hinc alia *quæſtio* naſcitur, cùm Dominus prohibuerit per Ieremiam populo Iudaico, qui relictus erat in Iudæa, ne aſcenderet in Ægyptum; quomodo populo contra præceptum Domini eunte in Ægyptum, comitatus eſt eos Ieremias & Baruch? Unam ſolutionem ſuggerit Scriptura ipſa: quæ cum dicit, *Tollens Iohanan univerſos — & Ieremiam, & Baruch. Et ingreſſi ſunt in terram Ægypti;* illud ſic accipi poteſt, quod Ieremias & Baruch non ſponte cum illis aſcenderint in Ægyptum, ſed coacti à reliquis. Sed ſi verba Scripturæ conſideremus, nihil ampliùs de Ieremia & Baruch

violen-

violentię ſignificatur, quàm de reliquo populo. Pagnin. ex Hebr. ſic vertit: *Et omnem animam quam reliquerat Nabuzardan cum Godolia — & cum Ieremia propheta, & cum Baruch.* Sic & Vatabl. *apud Gadeliam, & apud Ieremiam & apud Baruch.* Nihiluminus alij vertunt, ut Hieron. in hàc noſtrâ vulgatâ vertit. Quare magis dicendum videtur, præceptum illud Domini, de non aſcendendo in Ægyptum, non datum fuiſſe ad ſingulos, ſed ad principes & populum in genere. Jam verò, cùm ipſi principes irent, & reliquos partim voluntarios, partim involuntarios ſecum ducerent, potuit & Ieremias (& Baruch) eos cumitari tamquam doctor eorum & propheta; ut potè qui bonos non debebat deſerere; tum ut in Ægypto quoque omnibus Dei voluntatem annunciaret, & ab idololatriâ aliiſque peccatis averteret.

CAPUT XLIV.

℣.12. *ET erunt in jusjurandum & in miraculum & in maledictionem & in opprobrium.* Hæc eadem eodem ordine numerantur capite 42. niſi quod pro miraculo ibi interpres verterit ſtuporem; cùm in Hebræo ſit idem vocabulum ſignificans ſtuporem, qui eſt effectus vehementis admirationis. Pro jusjurando autem Hebraicè eſt execratio. Significatur ergo jusjurandum execratorium, quale eſt, Juro, ac ni fecero, faciat mihi meiſque Deus ut populo illi, &c. In ſtuporem ſen miraculum facti ſunt, quia ſuper eorum malis homines præ admiratione obſtupuerunt. In maledictionem, vel quia exectabiles habiti ſunt cunctis nationibus, vel quia quiſpiam alicui volens maledicere, imprecabatur ei ut eſſet ſicut Judæus. In opprobrium, vel quia ipſi Judæi probroſi paſſim habebantur, videlicet expoſiti probris hominum, vel quia alij aliis exprobrantes abutebantur Judæi nomine, dicentes, Tu Iudæe tu es ſicut Iudæus.

℣.15. *Reſponderunt autem Ieremiæ omnes* , —— *Sermonem quem locutus es non audiemus* , *ſed facientes faciemus* —— *ut ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, &c.* *Quærunt* interpretes, quæ intelligatur regina cœli? Hieron. vel lunam intelligendam putat, vel militiam cœli, ſcribens in 7. cap. Ieremiæ. Liranus lunam intelligit. Sunt qui Iunonem, alij eam, quæ apud ethnicos vocatur mater Deorum, id eſt, Opem accipiunt. Vocabulum Hebræum, nunc reginam nunc opus, ſeu machinam ſignificat, Unde quidam verterunt (*Machinam cœli*) id eſt, univerſum ſtellarum ordinem, & velut exercitum. Sunt rurſum Hebraicè docti, qui retinent *Reginæ* ſignificationem, & per reginam cœli intelligunt ſolem; idque ut videtur aptiſſimè. Una ratio eſt, quia ſol longè præſtat lunæ, ideoque principatus ſoli erat tribuendus. Deinde ſol Hebr. eſt fœminini generis, ideoque potius regina quàm rex appellatur. Tertiò, quia ſol in Ægypto, ubi id temporis erant Iudæi, erat in ſummâ veneratione. Unde etiam civitatem ejus nomine ædificatam habebat, quæ vocatur ἡλιόπολις, id eſt, civitas ſolis. Denique quia ſi luna diceretur Regina cœli, multò magis conſentaneum fuit ſolem dici regem cœli, & ut talem venerari, quod nuſquam legimus in ſcriptura; cùm tamen ſæpè objiciatur populo quod coluerint militiam cœli, in quâ principatum haud dubiè tenet ſol. Interim quidam etiam reginam cœli intelligunt fortunam: de quo vide, ſi placet, Alexandrum ab Alexandro libro 1. genialium dierum.

Sed imprimis hiſtoria huius capitis docet nos, quàm ſit periculoſum verſari, aut commorari in ſocietate malorum; præſertim hæreticorum. Videmus enim Iudęos vix ingreſſos terram Ægypti, quin ſtatim ad Idola illius terræ converſi fuerint. Doctrina huic tempori valdè opportuna; quando videmus tam multos, Catholicos alioqui, quaſi ſecuros in medio hæreticorum habitare; quorum quotidiana conſuetudine, commerciis, & colloquiis fieri vix poteſt, quin ſæpè numero maculæ contrahantur, & inquinetur eorum conſcientia. Habitavit quidem Abraham inter Chananæos, & Loth in Sodomis, ſed quis ſe eis comparet?

℣.17. & 18. *Et ſaturati ſumus panibus, & bene erat nobis, &c. Ex eo autem tempore quo ceſſavimus ſacrificare reginæ cœli, &c.* Quæritur an hoc verum ſit. Et dici poteſt verum eſſe. Nam ex luxu & proſperitate inciderunt in idololatriam, quæ aliquandiu manſit cum ipſa proſperitate: poſteà verò Deus ob eandem idololatriam graviſſimas plagas populo immiſit: qui tunc plagis admonitus deſiji ſacrificare militię cœli; nec tamen ſtatim plagæ ceſſarunt. Sed hi rebelles ratiocinantur ſophiſticè ex non cauſa ut cauſa. Non enim idololatria erat cauſa proſperitatis; & idolorum abiectio cauſa afflictionis, ut hi volunt; licet illa tempora ſimul eſſent: ſed contrà, proſperitas & luxus idololatriam peperit, & afflictio ad reſipiſcentiam adduxit.

CAPUT XLV.

℣.1. *VErbum, quod locutus eſt Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum ſcripſiſſet verba hæc in libro ex ore Ieremiæ.* Non eſt hoc intelligendum de verbis prophetiæ proximè præcedentis. Nam ea quæ continentur quatuor capitibus proximè præcedentibus prophetata ſunt, & dictata, poſt captam urbem Ieruſalem, partim in Iudæa, partim in Ægypto. Id autem quod hîc ſubjicitur dictum ad Baruch, accidit octodecim annis ante excidium civitatis. Ita enim ſequitur: *Anno quarto Ioakim filij Ioſiæ regis Iuda.* Hic autem fuit annus decimus octavus ante everſionem civitatis: Sed intelligitur verbum Domini per Ieremiam, quod ſuprà c.36. commemoratur; quando Ioakim allatum ad ſe librum conjecit in ignem; & Dominus præcepit prophetæ, ut dictaret alium librum comminationibus plenum, ſcribente Baruch. Quæ omnia Baruch cum ſcripſiſſet, quia erant triſtia & horrenda, erupit in hanc vocem: *Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, &c.*

℣.2. *Hæc dicit Dominus ad te Baruch: Dixiſti, Væ miſero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo.* Quidam intelligunt hoc Baruch dixiſſe, quia molestè ferret ſe non eſſe aſſecutum ſpiritum prophetiæ. Poſteaquam multo tempore ſerviiſſet Ieremiæ, cùm ſciret Ioſue miniſtrum Moyſi, & Heliſæum miniſtrum Heliæ prophetæ gratiam eandem poſt miniſterium ſuum accepiſſe; præſertim quod Ieremias eo tempore eſſet in carcere. Ita ſentiunt Hebræi. Verùm cum hic ſenſus neque ex loci circumſtantia, neque aliundè confirmari poſſit: doloris eius hanc potiùs cauſam aſſignamus; quia ſcilicet & præſentem afflictionem experiebatur, videns Ieremiam in carcere; & futuram calamitatem, quam Ieremias certò prædicebat imminere, formidabat. Unde & tandem conſolans eum dicit v. ultimo: *Ait Dominus, & dabo tibi animam tuam in ſalutem.* q. d. tu autem cæteris pereuntibus, cladem imminentem evades. Interim prius ſuaviter eum increpat dicens: v.4. *Ecce quæ ædificavi, ego deſtruo, & quos plantavi ego evello; & univerſam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? noli quærere.* q. d. quantumcumque tibi innocens videaris, malum commune eſt, ergo & tolerantia quoque communis eſſe debet. An autem Baruch fuerit propheta, vide Annotat. ad cap. 1. Baruch.

CAPUT XLVI.

℣.11. *ASconde in Galaad, & tolle reſinam virgo filia Ægypti.* Sarcaſmus eſt, ut patet ex tota narratione, id eſt, acerba & quaſi hoſtilis irriſio,

quos utitur adverſus exercitum Ægyptiorum, penè conciſum, ab exercitu Chaldæorum. Et ſenſus eſt, Vos Ægyptij, aſcendite in Galaad, quæ abundat optimo balſamo, aliiſque ſalutaribus ſeu medicis herbis, & inde accipite vobis medicamenta ad curanda vulnera veſtra, quæ quidem irridendo eſſe dicta, manifeſtè oſtendunt verba proximè ſequentia: Sic enim ſubjungitur: *Fruſtra multiplicas medicamina; ſanitas non erit.* q.d. fruſtra conaberis hinc tantam cladem reparare. Et notandum hîc obiter, adeò nullum eſſe tropum; nullum figuræ genus, quo non interdum utatur Scriptura ſacra, maximè in prophetiis.

℣.19. *Vaſa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti; quia Memphis in ſolitudinem erit.* Cùm propheta prioris huius capitis parte prædixiſſet cladem Ægyptiorum, quæ completa eſt eodem anno, quo

B prophetia ſcripta eſt: videlicet anno quarto regis Ioakim, qui fuit primus annus regis Nabuchodonoſor, quando ſuperatus eſt Nechao rex Ægypti à Nabuchodonoſor circa flumen Euphratem; jam poſteriori hâc parte capitis, prædicit idem propheta, etiam aliam cladem Ægyptiorum, quæ non niſi 22. annis poſt illam priorem completa fuit; quando videlicet Nabuchodonoſor anno regni ſui 23. cum exercitu ingreſſus eſt Ægyptum, eamque debellavit, atque ſibi ſubjecit; Cuius vaſtationis Ægypti, etiam participes fuerunt Judæi, qui in Ægyptum contra Dei prohibitionem profugerant.

Atque ex his accipere licet generalem regulam valentem ad interpretationem prophetarum.

C Videlicet, prophetias, ſeu prædictiones conjunctas, etſi etiam continua quadam oratione ſcriptas, non tamen ob id ſemper ad idem tempus referendas eſſe: & ſimiliter non rectè culpari Eccleſiaſticos Scripturarum interpretes à Iudæis, & etiam ab aliis nonnullis, quod in prophetia, quæ continuâ oratione texitur, partem unam referant ad temporalem regni Iudaici ſtatum, aliam verò partem ad regnum Chriſti Meſſiæ, & ſtatum populi Chriſtiani.

CAPUT XLVII.

℣.6. O *Mucro Domini! Vſquequo non quieſces; Ingredere vaginam tuam, refrigerare & ſile.* Eſt hic proſopopœia. Nam mucronem Domini tanquam perſonam quamdam alloquitur. Sed quid per

D mucronem Domini intelligemus; Intelliguntur ferè gladium regis Babylonis, cuius miniſterio Deus utebatur ad puniendas gentes; cui velut commiſerantis affectu primum dicit Propheta *Vſquequo non quieſces*; q.d. ſatis ſæviiſti, nunc tandem quieſce. Sed mox reſpondet ſibi idem propheta prophetico ſpiritu: *Quomodo quieſcet; cùm Dominus præceperit ei adverſus Aſcalonem?* Senſus ergo eſt: Decretum Domini eſt, ut gladius ſæviat in eos, uſque ad internecionem. Poteſt etiam per mucronem Domini ſynecdochicè intelligi juſtitia, & vindicta juſta Dei punientis. Nam mucro, ſeu gladius inſtrumentum eſſe ſolet juſtitiæ, & vindictæ adverſus impios. Et tunc ſenſus eodem recidens eſt; Quod quamvis ex commiſeratione quadam cuperet propheta punitionem Dei quieſcere; tamen ſpiritu prophetico

E mox approbarit Dei decretum, quo conſtitutum vidit vindictam capere uſque ad conſummationem.

CAPUT XLVIII.

℣.10. M*aledictus qui facit opus Domini fraudulenter, & maledictus, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine.* Senſus literalis eſt. Decretum eſt, & placet, ſumere graviſſimam vindictam de Moab, eiuſque regiones & urbes devaſtare per manus Chaldæorum. Igitur cum ea ſit definita Dei voluntas, ſit omnis miles paratus, & alacriter ac ſerio vindictam illam perficiat;

A non fraudulenter, neque dolo, id eſt, non ſimulet ſe occidere, cum non occidat. Quod ſi fraudulenter faciat; maledictus ſit & execrabilis. Et aptiſſimè hæc ſententia converti poteſt in quoſdam noſtri temporis judices, quibus cum gladius ſit datus à Deo in vindictam malorum, maximè eorum qui Eccleſiam oppugnant; diſſimulant ad eorum conventicula. Valet eadem ſententia etiam contra eos, qui cum regi Catholico militent adverſus ſeditioſos hæreticos, non hæc tamen præcipuè agunt, ut hoſtem opprimant, & religionem Catholicam integritati reſtituant; ſed id tantùm, ut per fas, per nefas marſupio ſuo benè conſulant, de religione & fine ſuſcepti belli, parum aut nihil ſolliciti. Septuag. pro (*fraudulenter*) legunt (*negligenter*) hoc modo: *Maledictus qui facit opera Domini negligen-*

B *ter.* Quâ occaſione etiam ſolet hæc ſententia non ineptè accommodari ad Sacerdotes, alioſque ſacros miniſtros, qui negligenter, oſcitanter, vel ſacrificium offerunt, vel Sacramenta adminiſtrant, vel preces canonicas curſim nimis legunt aut decantant. Qui ſi cogitent, quantus ſit ille, in cuius conſpectu miniſtrant; facilè intelligent non levem eſſe culpam, res tantas, negligenter, oſcitanter, aut tumultuariè agere.

℣.30. *Quod non ſit juxta eam virtus eius, nec juxta quod poterat, conata ſit facere.* Non eſt ſenſus quod minus conata ſit facere quam poterat, ſed quod plus, id eſt, quod conatum ſuum non attemperaverit poteſtati ſuæ, ſed eum extenderit ſupra vires, ſecundum illud Iſaiæ 16. *Superbia eius — pluſquam fortitudo eius.*

C Et hoc vult prior pars ſententiæ, ſc. quod non ſit juxta eam, id eſt, juxta eius conatum & arrogantiam, virtus eius, id eſt, vires non reſpondent jactantiæ.

℣.36. *Quia plus fecit: quàm potuit, idcirco perierunt.* Videri poſſet propheta hîc acculare in Moab idem quod Iſaias cap. 16. *Superbia eius & arrogantia eius & indignatio eius, pluſquam fortitudo eius.* Sed Hebræa aliud indicare videntur. Sic enim habent: *Ideò quia augmentum, ſeu divitia quas fecit, perierunt.* Quod ſic interpretantur: Ob id lugebo ſuper Moab, quia divitiæ, quas multo labore ſibi comperavit, perituræ ſunt. Poteſt etiam ſic verti, *Ideò, quia augmentum fecit, perierunt*, ſcilicet Moabitæ, id eſt, quia multas & ſuperfluas divitias Moab ſibi collegit; ideò perijt, id eſt, peribit. Nam futura prophetis tam certa

D ſunt, quàm ſi jam facta eſſent. Et huic ſenſui ſic aptantur verba noſtræ verſionis: *Quia plus fecit quàm potuit*, id eſt, quia ſupra modum dignitatis ac ſtatus ſui, Moab collegit ſibi opes, idcircò Moabitæ perierunt. Quidam *moraliter* etiam ad eos referunt, qui ſupra vires jejuniis, aliiſque auſterioris vitæ durioribus exercitiis ſeſe affligunt. Vide Bonaventuram libr. 2. de perfect. relig. cap. 12.

CAPUT XLIX.

℣.1. N*Vmquid non filij ſunt Iſraël? Cur igitur hæreditate poſſedit Melchom Gad?* Melchom idolum erat Ammonitarum. Et ſolent gentiles idolis ſuis tribuere victorias adeptas: Unde propheta ſe

E eorum loquendi conſuetudini attemperans, ſic loquitur, ſic & Iephte Judicum 11. ad Ammonitas, nominans alterum eorum idolum, dicit: *Nónne ea quæ poſſedit Chamos Deus tuus tibi jure debentur?* poſſidere autem hic eſt acquirere. Itaque manifeſtum eſt hæc dici ad ſenſum gentilium, qui ita opinabantur, non autem quod dæmones ſuis cultoribus ullas poſſint dare victorias, niſi Deo permittente. Poteſt illud etiam aliter intelligi: Videlicet ut per Melchom non intelligatur idolum Ammonitarum, ſed rex. Nam vox (*Melchom*) ſignificat idem, quod (*rex eorum.*) Unde quod habemus 2. Regum 12. v. 30. de victoria David contra Ammonitas: *Et tulit diadema regis*

eorum

coronam de capite eius, idem narratur 1. Paralip. 20. his verbis: *Tulit David coronam Melchom de capite eius*. Et utrobique eſt idem vocabulum (*Melchom*) in Hebræo; quod interpres noſter, modò interpretatus eſt, modò reliquit. Itaque cum ibi in libr. Paralip. veriſimilius ſit per vocem (*Melchom*) intelligi, (*regem eorum*) hoc enim (*Melchom*) ut diximus, ſonat, non autem idolum Ammonitarum; ita & hoc loco ſimpliciter vocem (*Melchom*) poſſumus accipere.

ỷ. 12. *Hæc dicit Dominus. Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent. Et tu quaſi innocens relinqueris.* Per hęc verba quę adverſus Idumęam diriguntur non ſignificatur, ut prima facie apparet, aliquam gentem Deo propinante bibere calicem indignationis eius, id eſt, temporalibus plagis viſitari à Deo, cui tamen genti non ſit judicium, id eſt, quę juſto Dei judicio id non mereatur: Nam ſi oculos circumferamus per omnes prophetas, non inveniemus ulli genti prædictam temporalem calamitatem quam non peccatis ſuis dicatur commeruiſſe. Quidam hoc pacto exponunt: Qui ſuo judicio non videbantur commeriti ut biberent, ſcilicet Judæi, biberunt. Nam Judæi propterea quod eſſent populus Dei, putabant iram Dei in ſolas gentes effundendam. Alij non ad gentem aliquam, ſed ad perſonas referunt, hoc pacto: Etiam ſancti quidam viri qui peccatis ſuis tantam pœnam non commeruerant, ut occiderentur aut captivi abducerentur, pœnarum populi fuerunt participes, ut Ieremias & Baruch, alijque ex eodem populo. Multò igitur minus immunes erunt qui graviter peccaverunt. Docet hic locus juxta poſteriorem expoſitionem non ſemper eos qui in pari afflictione verſantur, paria commiſiſſe peccata. Exempla plurima ſunt in Scripturis, ut in Daniele Ieremia, & tribus pueris, alijſque.

CAPUT L.

ỷ. 4. **A***mbulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent.* Ut hæc etiam ad litteram de reditu ex captivitate Babylonica quadrent, *Quæritur* quomodo propheta dicat eos reverſuros flentes? cùm Pſalm. 125. ubi item de captivitate & reditu mentio eſt, legatur: *Euntes ibant & flebant: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* An fortè intelligitur fletus non mœroris, ſed gaudij? Vel potiùs dicendum; alios gaviſos fuiſſe de reditu in patriam, ſed aliquos nihilominus ploraſſe, quod invenirent civitatem deſtructam, templum exuſtum, patriam deſolatam. Nam & in ipſa ædificatione templi poſt captivitatem legimus 1. Eſdræ 3. in fine, alios fleviſſe magna voce, alios exclamaſſe præ lætitia. *Nec poterat*, inquit, Scriptura, *quiſquam agnoſcere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.*

ỷ. 20. *In diebus illis quæretur iniquitas Iſraël, & non erit; & peccatum Iuda, & non invenietur, quoniam propitius ero eis.* *Quæret* aliquis, quomodo illud (*quæretur peccatum illius & non invenietur*) pertineat ad promiſſionem gratiæ, cùm Pſal. 9. idem videatur poni inter comminationes adverſus impium? ſic enim ibi legitur: *Contere brachium peccatoris & maligni; quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Solvitur hæc quæſtio, ſi oſtendamus utriuſque loci diverſam eſſe intelligentiam, licet verba ſint eadem. Huius quidem loci ſenſus utcumque manifeſtus eſt. Significatur enim peccati remiſſio, & reatus contracti abolitio, q. d. Si iniquitas Iſraëlis requiratur ad puniendum, non invenietur, quia dimiſſa eſt gratuitò. Quod autem in pſalmo dicitur, quidam hoc pacto accipiunt: Deus quæſtionem inſtituet de impietate peccatoris, & non invenietur peccator, id eſt, non audebit ſe ſiſtere in conſpectu Dei, ut cauſam ſuam defendat, utpotè ſibi malè conſcius, ſed quantum poterit judicium ſubterfugiet. Sed minus probabilis eſt hęc expoſitio. Neque enim quiſquam eſt, qui non ibi comparebit, dicente Apoſtolo 2. Corint. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* Probabilior ergo eſt hic ſenſus: *Quæretur peccatum illius, & non invenietur*: Ac ſi dicat; Contere, imò ſic penitus conteres, *brachium peccatoris, & maligni*, videlicet Antichriſti, ut ſi quæratur peccatum eius, id eſt, gravis illa perſecutio, qua fideles quaſi ad peccandum cogebat, non inveniatur amplius. Nam, ut Apoſtolus ait, 2. Theſſal. 2. *Dominus Ieſus interficiet illum ſpiritu oris ſui.* Locus igitur pſalmi non de reatu, neque voluntate peccandi intelligitur, ſed de opere tantùm externo; præſens autem locus ſignificat, pleniſſimam abolitionem peccati quoad omnia tria.

CAPUT LI.

ỷ. 6. **F***ugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Et rurſum v. 45. *Egredimini de medio eius populus meus, ut ſalvet unuſquiſque animam ſuam.* Notandum, quod prophetia quæ hoc & præcedenti capite contra Babylonem deſcribitur, ita à propheta dirigatur contra Babylonem terrenam, ut tamen aliquoties reſpiciat ad Babylonem ſpiritualem; quæ in Apocal. deſcribitur; id eſt ſocietatem impiorum, cuius caput eſt Diabolus. Quod enim ait propheta; *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet unuſquiſque animam ſuam*; id de ſpirituali Babylone Ioannes repetit his verbis: *Exite de illâ populus meus, ne ſitis participes delictorum eius.* Et quod Ieremias ait: *Omnia quæ fecit, facite illi*, id Ioannes his verbis exprimit: *Reddite illi, ſicut & ipſa reddidit vobis.* Et quod Ieremias ait: *Laudabunt ſuper Babylonem cœli & terra, & omnia quæ in eis ſunt*, ſic reddit Ioannes: *Exultate ſuper eam cœli, & ſancti Apoſtoli, & prophetæ, quoniam judicavit Deus judicium veſtrum de illa.* Et ſicut Ieremias juſſit mitti lapidem in Euphratem in fine cap. in ſignum perpetuæ deſtructionis Babylonis, ſic Ioannes vidit Angelum mittentem lapidem in mare & dicentem: *Hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra non invenietur.*

ỷ. 25. *Et dabo te in montem combuſtionis. Et non tollent de te lapidem —— ſed perditus in æternum eris.* Et v. 29. *Cogitatio Domini, ut ponat terram Babylonis deſertam & inhabitabilem.* Hæ ſententiæ ſatis declarant longè pleniùs hæc de Babylone ſpirituali dici quàm de terrena. Nam Babylon terrena non multò poſt everſionem hîc prædictam, à Perſarum regibus inſtaurata fuit, & habitata. Qui tamen hæc etiam ad litteram terrenæ Babyloni accommodare voluerit, dicere poterit, quod fuit deſerta & inhabitabilis, ſcilicet quia numquam fuit poſteà tam populoſa, quàm fuerat tempore Monarchiæ Chaldæorum; imò magna parte fuit deſerta. Item ſic poterit dici quod non extructa; ſcilicet ſicut antea fuit extructa. Et quia magna parte deſolata remanſit, ideò quoque aliquo modo verum, quod habitabunt ibi dracones, & ſtruthiones; Et maximè quia Babylon non fuit reædificata ſuo loco. Vide Hieron. in Iſaiæ 13.

CAPUT LII.

ỷ. 28. **I***ſte eſt populus quem tranſtulit Nabuchodonoſor: In anno ſeptimo, Iudæos tria millia, & viginti tres —— &c.* *Quæſtio* eſt, quomodo dicat Ieremias anno ſeptimo Nabuchodonoſor abducta in captivitatem Judæos tria millia & viginti tres, cum legamus 4. Regum 24. eodem illo tempore, id eſt, ſimul cum Iechonia rege, qui regnavit ante Sedechiam, in captivitatem tranſlata fuiſſe decem millia. *Reſpond.* Ieremias ſignanter dicit Judæos. Itaque comprehendit

tantùm

tantùm eos qui erant de tribu Iuda, quorum numerus ad tria millia aſcendebat. In quarto autem libro Regum, captivi recenſentur ex univerſa regione; in qua adhuc multi ex decem tribubus jam olim abductis, reſidui remanſerant. Quorum omnium numerus, comprehenſa etiam tribu Iuda, perveniebat ad ſummam decem millium. Hanc ſolutionem quoque indicat nobis ipſe locus 4. Regum 24. Cùm enim dictum eſſet decem millia abducta in captivitatem, paulò pòſt tantùm ſeptem millium fit mentio, ſubductis videlicet à priori numero his tribus millibus ex Iuda, qui per ſe ſuo numero cenſebantur. Itaque hæc duo loca mutua collatione hoc pacto eluceſcunt.

℣. 29. *In anno octavodecimo Nabuchodonoſor, de Ieruſalem animas octingentas triginta duas:* Quæritur, quomodo verum ſit quod Nabuchodonoſor, capta civitate ſub Sedechia, tantùm abduxerit octingenta triginta duas animas; cùm ſuperiùs dictum ſit, univerſam multitudinem populi, exceptis pauperibus terræ, tranſlatam eſſe; & conſtat civitatem Ieruſalem fuiſſe populoſiſſimam excepto prætereà populo, qui in aliis oppidis, & vicis morabantur. Ad hoc *reſpondendum*, totius multitudinis, quæ abducta fuit non facilè potuiſſe ſummam iniri, neque id ſcriptoribus

A curæ fuiſſe; ſed hoc loco (quemadmodum etiam 4. Reg. 24.) tantùm eos recenſeri, qui erant in toto populo illuſtriores; id quod etiam 4. Reg. 24. ſignificatur; cùm dicitur: *Tranſtulit Nabuchodonoſor omnem Ieruſalem; & univerſos principes, & omnes fortes exercitus, decem millia, in captivitatem.* Ubi illud (*decem millia*) non refertur ad illud (*omnem Ieruſalem*) quæ complectitur etiam vulgus innumerabile, ſed ad id quod ſequitur, (*& univerſos principes, & omnes fortes exercitus.*)

℣. 31. *Elevavit Evilmerodach rex Babylonis, ipſo anno regni ſui, caput Ioachim regis Iuda, & eduxit eum de domo carceris.* Fuit is annus tranſmigrationis eiuſdem Ioachim, ut præcedit, trigeſimus ſeptimus. Hoc autem ideò referri videtur à Propheta, ut intelligat

B Lector, quod diſcrimen Deus eſſe voluerit inter Sedechiam, qui violavit fœdus & juramentum, nec voluit audire Ieremiam, ut ſponte ſe traderet in manus Nabuchodonoſor; & inter Ioachim regem, qui etiam vocatur Iechonias, qui non legitur fœdus violaſſe, ſed ſponte ſe tradidit captivum in manus Nabuchodonoſor. Et hic eſt qui vocatur Iechonias in genealogia Salvatoris Matthæi 1. Confer quæ ſunt 4. Regum capite ultimo.

FINIS PROPHETIÆ IEREMIÆ.

ANNOTATIONES IN THRENOS IEREMIÆ.

PRÆFATIO.

De Threnis his, ſeu lamentationibus, quando, & qua occaſione ſcriptæ ſint à propheta, diverſæ ſunt Scriptorum ſententiæ. Quidam putant ſcriptas, mortuo Ioſia piiſſimo rege Juda, veluti lamentarium carmen ſuper eius morte, ſicut legimus 2. Paralip. 35. *Univerſus Iuda & Iſraël luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius omnes cantores atque cantatrices uſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant.* Ex quibus verbis quidem conſtat, ſcriptas eſſe à Ieremia lamentationes in obitum Ioſiæ, ſed tamen non docetur, neque veriſimile eſt eas fuiſſe has ipſas; quia continent luctum, non ſuper morte regis, ſed ſuper excidio, & deſolatione civitatis, nulla prorſus Ioſiæ facta mentione. Tum etiam quia populus Judaicus cui numquam potuit incidere in animum, civitatem Ieruſalem aliquando eſſe evertendam, minimè paſſus fuiſſet, publicè per cantores & cantatrices lamentationes has decantari, in quibus apertiſſimè deploratur civitatis & templi excidium. Proinde credibile eſt lamentationes ſuper obitu Ioſiæ ſcriptas intercidiſſe. Aliorum igitur opinio videtur veritati magis conſona, qui putant lamentationes has concinnatas poſt excidium civitatis à Babyloniis, quando populo in captivitatem abducto, Ieremias cum paucis in terra relictus eſt. Et id omninò confirmant verba illa in vulgata editione veluti argumenti loco præfixa: *Et factum eſt, poſtquam in captivitatem redactus eſt Iſraël, &c.* Quæ verba etſi in Hebr. non habeantur, apud Septuaginta tamen poſita ſunt, & in Bibliis Sixtinis poſtremò correctis ſimiliter leguntur.

A CAPUT PRIMUM.

℣. 5. *Facti ſunt hoſtes eius in capite, inimici eius locupletati ſunt.* Phraſis Hebraica eſt, pro eo quod diceretur; Hoſtes eius facti ſunt ſuperiores, & prævaluerunt: Ita Deut. 28. inter promiſſiones veteri illi populo factas: *Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam.* Quod explicans addit: *Et eris ſemper ſuprà, & non ſubter.* q. d. ſemper ſuperior eris hoſtibus tuis, ſi legem ſervaveris. Quod ad præſentem verſum attinet, fabulantur Hebræi, hunc librum Threnorum ſcriptum eſſe ab Ieremia multo ante excidium urbis, tempore Ioakim regis; & hunc eſſe librum, quem Ioakim rex Juda coram ſe legi præcepit Ierem. 36. Cumque, inquiunt, ventum eſſet ad hunc verſum. *Facti ſunt hoſtes eius, &c.* Regem gravi iracundia inflammatum, nihil ultra audire voluiſſe, ſed libellum mox conſcidiſſe, & in ignem conjeciſſe. Hæc nominatim

B commemorat Rabbi Salomon. Sed hæc fabula eſt Judaica: Primùm, quia eodem illo cap. 36. dicitur in illo volumine ſcriptum fuiſſe; *Feſtinus veniet rex Babylonis, & vaſtabit terram.* Quæ ſententia hîc non reperitur. Deinde toto hoc libro, non quid futurum ſit, ſed quid factum ſit, ſcribitur, & totus ſtylus declarat non prophetiam eſſe futurorum, ſed deplorationem rerum factarum.

℣. 7. *Viderunt eam hoſtes & deriſerunt Sabbata eius.* Meritò quidem Chriſtiani derident Sabbata Judæorum, quia poſt Chriſtum Sabbata non ſunt divina inſtituta, ſed divinis inſtitutis contraria: At lege Moyſi vigente ridere Sabbata Judæorum, erat ridere divinum inſtitutum.

℣. 8. *Peccatum peccavit Ieruſalem, proptereà inſtabilis facta eſt.* Dupliciter intelligi poteſt, quod ait, *peccatum peccavit*; Vel ut ſit phraſis Hebraica, qua per eiuſdem vocis geminationem ſignificatur ſtudium, aſſidui-

aſſiduitas, & perſeverantia in peccato; Ut ſenſus ſit: Graviter, aſſiduè, & perſeveranter peccavit Ieruſalem, quæ phraſis eſt frequentiſſima: ut *Expectans expectavi*, id eſt, magna cum patientia expectave; *Deſiderio deſideravi*, id eſt, vehementer & ardenter deſideravi; Vel, intelligi poteſt, per antonomaſiam certum quoddam enorme peccatum, illud nimirùm, de quo Dominus in Evangelio Ioan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* Neque enim fuiſſent ſine omni peccato, ſed grave illud infidelitatis peccatum non habuiſſent, quo veritati etiam manifeſtatæ reſiſtebant. Addit autem; *proptereà inſtabilis facta eſt*, id eſt, eiecta, & tranſlata de loco & terra poſſeſſionis ſuæ, in alienam terram, in exilium & captivitatem.

℣. 10. *Quia vidit Gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in Eccleſiam tuam.* Senſus eſt; Gentes quę prohibitę ſunt lege Dei Deuter. 23. intrare in Eccleſiam populi Judaici, id eſt, in ſenatu ſedere & magiſtratum gerere, coacta eſt Ieruſalem videre, non quidem intrare in Eccleſiam, ſed (quod multò maius eſt, magiſque proinde deplorandum) ingredi in Sanctum Sanctorum, quò ingredi non licebat niſi ſummo Sacerdoti. Vide Annotat. Deuter. 23.

CAPUT II.

℣. 1. NOn eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui. Scabellum pedum Domini erat arca fœderis Domini. Sed quomodo non eſt recordatus eius Dominus in hac vaſtatione civitatis & templi, cùm tamen juſſerit eam per Ieremiam duci in montem Sanctum, ut eſt 2. Machab. 2. & ibi abſcondi, ut inveniri non poſſet, donec Dominus congreget diſperſionem populi ſui? ut ibidem dicitur. *Reſp.* dicitur Deus non recordatus eius, quia propter arcam, ut ſæpiùs aliàs, populo non pepercit; nec ampliùs ex ea dedit reſponſa.

℣. 9. *Non eſt lex, & propheta eius non invenerunt viſionem à Domino.* *Quæritur*, quomodo hæc vera ſint, cùm populus ille etiam tunc habuerit ſuos prophetas? Habebat enim Ieremiam in terra Juda, qui etiam in Ægyptum reliquias populi ſecutus eſt, & uſque ad finem vitæ viſiones à Domino acceptas, eis annunciare non deſtitit. Circa quæ tempora etiam Habacuc in Judæa prophetavit, ut patet ex Hiſtoria Danielis. Habebant proptereà in Babylone ſecum Ezechielem & Danielem. Itaque videtur hic locus intelligendus de falſis prophetis, quales populus deſiderabat, qui loquerentur placentia, de quibus mox ſubjungitur v. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Quibus verbis etiam hoc nobis declaratur, non ſatis eſſe, ut prędicator verbi Dei, veritatem & ſanam doctrinam proponat; verùm etiam neceſſe, ut ſimul aperiat iniquitatem populi, & eum ad pœnitentiam provocet. Cæterùm ſecundùm altiorem & myſticam intelligentiam illud quod hîc dicit: *Non eſt lex: & propheta eius non invenerunt viſionem à Domino*: poteſt propheticè dictum accipi de tempore Judaici populi, poſt adventum Chriſti. Tunc enim revera lex vetus abolita eſt, ſuccedente nova; & umbra propheticarum viſionum evanuit, ſuccedente luce Evangel. veritatis.

℣. 13. *Cui comparabo te? — & conſolabor te virgo filia Sion?* Id eſt, quam urbem aut gentem reperire potero, æquè afflictam, attritam, vaſtatam ut te, ut eius commemoratione te poſſim conſolari? Solatium enim, qualecumque miſeris eſſe ſolet, habere ſocium in miſeriis. Unde ſequitur: *Magna eſt enim velut mare contritio tua.* q. d. incomparabilis & immenſa eſt tua contritio. Cùm enim aliorum afflictiones ſignificari ſolent per aquas, tua contritio tanta eſt, ut mari comparari meritò poſſit.

CAPUT III.

℣. 18. SEdebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſuper ſe. Pridem legebatur geminatè (*levavit ſe ſuper ſe*) ſed prius (*ſe*) ſuperfluum eſt, ut patet ex Hebræis, & M. SS. ut meritò Sixtina Biblia illud ſuſtulerint. Loquitur autem propheta de homine, qui ſperat in Domino, etiam in media tribulatione, & cum ſilentio expectat ſalutare Dei. Et ſenſus eſt: Talis homo ſolitarius ſedebit, reputans ſecum miſericordiam & juſtitiam Dei. *Et tacebit*, id eſt, non aperiet os ſuum contra Dominum, ut murmuret adverſus eius prudentiam, quia levavit ſuper ſe jugum Domini, id eſt, paratum ſe præſtat ad portandum & perferendum, quidquid Deus immiſerit. Alij ad Deum referunt, hoc modo: Quia Deus levavit, vel projecit jugum ſuum ſuper ipſum, proptereà ille ſolitarius ſedebit, & tacebit, patienter jugum illud ferens. *Solitarius*, id eſt, deſtitutus ope & conſolatione humanâ. *Tacebit* autem, ſcilicet, quia ſilentium patientiam ſignificat; quia patientes tacent, impatientes murmurant.

℣. 38. *Ex ore altiſſimi non egredientur nec bona, nec mala?* Non aſſertivè, ſed interrogativè legendum eſt, & ſic conjungendum ſuperioribus: *Quis eſt iſte, qui dixit, ut fieret Domino non jubente?* Et ſimiliter. Quis eſt iſte qui dixit: *Ex ore altiſſimi non egredientur nec bona, nec mala?* q. d. Quicumque dicit hęc facta eſſe, Domino non jubente; & qui dicit ex ore altiſſimi non prodire nec bona, nec mala, ſed caſu & fortuito accidiſſe; is contradicit, & injuriam facit providentiæ Dei. Et hunc ſenſum indicant ſequentia, cùm immediatè ſubjungitur: *Quid murmuravit homo vivens pro peccatis ſuis? Scrutemur vias noſtras, & quæramus, & revertamur ad Dominum*: q. d. agnoſcamus peccata noſtra, & agamus pœnitentiam; ac tum videbimus Deum has plagas à nobis auferre; & ex eo conſtabit non temerè, neque fortuitò, ſed juſta & definita Dei voluntate hæc mala nobis accidiſſe. Intelligit autem mala non culpæ, ſed pœnæ. Vide ſimilem locum Sophoniæ 1. & Iſaiæ 41. Hoc ſenſu etiam Dominus dici poteſt præcepiſſe Semei, ut malediceret David, id eſt, pœnam denunciaret 2. Regum 16.

CAPUT IV.

℣. 4. PArvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Ad litteram ſenſus manifeſtus eſt. Significatur enim tantam fuiſſe penuriam panis in illo populo, ut ne parvuli quidem à parentibus panem impetrare potuerint. Cæterum ſpiritualis maledictio his verbis ſignificata longè gravior eſt, magiſque metuenda. Parvuli enim ſunt, qui ad ſoliditatem doctrinæ, tamquam robur virile, nondum venerunt. Petunt autem panem, quando pleniùs inſtrui in Doctrina Chriſtiana cupiunt. Sed juſto ſæpè Dei judicio, propter peccata ipſorum præcedentia, fit, ut mittantur eis magiſtri eorum, &, quod gravius eſt, ut eorum doctrinę acquieſcant; ſicut hodie, proh dolor! fieri videmus. Proinde orandus Dominus, ut mittat veros potiùs, & fideles operarios, in meſſem ſuam.

℣. 6. *Et maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei, peccato Sodomorum, quæ ſubverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus.* Ex adjunctis videtur quòd præcipuè dicere velit, quod afflictio populi Juda ſit maior, quàm fuerit punitio Sodomorum. Nempe quia Sodoma ſubmerſa fuit in momento, id eſt, etſi ſubverſio ac pœna eius fuerit gravis, tamen fuit momentanea: *Et non ceperunt in ea manus*, id eſt, nulli ex eis ducti ſunt captivi; Judæi autem in captivitatem & ſervitutem abducti ſunt; quæ ſervitus longa quædam mors eſt. Hebr. ſic: *Et non adhibita eis manus.* Vel ut alij vertunt, *Et non caſtrametata contra eam caſtra.*

caſtra, q.d. non fuerunt excarnificati, ut illi in Ieruſalem longa obſidione.

℣.20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris.* Juxta tranſlationem noſtram ad neminem alium referri hoc poteſt, quàm ad verum Meſſiam Chriſtum Dominum Salvatorem noſtrum. Cuius ratio eſt, quia pro eo quod legimus (*Dominus*) Hebraicè eſt nomen Dei tetragrammaton, *Iehova*, quod ſoli Deo in ſacris litteris tribuitur, & in tanta apud Judæos veneratione fuit, ut illud effari fas non eſſet, ſed pro eo inter legendum ſubſtituerent vocabulum (*Adonai.*) Sciendum tamen ex Hebræo etiam verti poſſe, in genitivo (*Domini*) ſcilicet Chriſtus Domini. Atque ita ſicut David, & Saül leguntur dicti (*Chriſti Domini*) id eſt, uncti abeo, 2. Reg. 2. & alibi; ita & Ioſias, & Sedechias, & omnes reges Iuda potuerunt dici Chriſti Domini. Quidam ergo ſecundum litteram referunt ad Ioſiam regem, ut Hieron. lib.2. cont. Pelag. cap.9. putantes hoc libro deſcribi eius lamentationes. Sed Ioſias nuſquam captus legitur; ſed in pugna graviter vulneratus, inter manus ſuorum mortuus eſt. Reſtat ergo, ut ſecundum hanc poſteriorem verſionem ad litteram referatur ad Sedechiam, qui jam tum, dum iſta à Ieremia ſcribebantur recenter abductus erat in captivitatem. Neque mirum eſt, Ieremiam adeò honorificè loqui de rege improbo; cùm legamus etiam Davidem dicto loco 2. Reg. 1. in ſua lamentatione ſuper impium Saül, vocaſſe eum Chriſtum Domini. Sciebant enim Prophetæ, Ieremias, & David, ſcriptum eſſe Exod. 22. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.*

CAPUT V.

℣.4. A*Quam noſtram pecunia bibimus, ligna noſtra pretio comparavimus.* Ligna pretio comparare, modo non immoderato, non videtur res, quam deplorare debeat propheta: niſi fortè tanta apud Ieroſolymitanos ex montibus vicinis fuerit lignorum copia, ut cuique liceret ea ſine pretio auferre. In Hebræo ſic ſonat: *Ligna noſtra in pretio venerunt.* Græcè quoque eſt ἦλθον. Vatabli interpres ſic reddit; Ligna noſtra pretio venierunt, id eſt, divendita ſunt. Juxta quem tamen non eſt ſenſus, Iudæos ſibi ligna pretio comparaſſe; ſed hoſtes ligna Iudæorum pretio vendidiſſe. At Hieron. ſenſum eius, quod in Hebræo eſt, meliùs videtur aſſecutus. Et arbitror totius verſiculi hunc eſſe ſenſum: Aquæ noſtræ (ſic enim expreſsè in Hebræo eſt) id eſt quæ ad nos pertinebant, utpote hauſtæ ex puteis, & ciſternis, quos & quas occupaverant hoſtes noſtri; ligna quoque noſtra; id eſt, quæ ad nos pertinebant, quod ex ſilvis terræ noſtræ cæſa fuerint; pretio nobis comparanda fuerunt ab hoſtibus; qui domos noſtras, terras & ſilvas ſibi vendicarant.

℣.7. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Quæritur quomodo hæc ſententia non idem ſonet cum eo quod reprehendit Ezechiel c.18. dicens: *Quid eſt quod inter vos parabolam vertitis, dicentes: Patres comederunt uvam acerbam; & dentes filiorum obſtupuerunt?* Sic & Ieremias ipſe cap. 31. *In diebus illis non dicetur ultra, &c. Sed unuſquiſque in iniquitate ſua morietur.* Ad hoc duobus modis reſponderi poteſt. Una reſponſio eſt, hæc dicta eſſe à propheta, non in perſona propria, ſed in perſona carnalis populi, qui non ſuis peccatis ſe commeruiſſe putabat, ut ſic punirentur, ſed peccata parentum in ipſos, etſi innocentes, vindicari. Quæ populi illius perſuaſio reprehenditur ab Ezechiele, & Ieremia citatis locis. Verùm cùm hæc oratio ſit ipſius Ieremiæ; nullo modo probabile eſt ſolam hanc ſententiam ex populi perſona inſertam fuiſſe. Itaque *reſpondendum*; ſic loqui Prophetam, ſicut Exodi 20. Dominus loquitur, dicens: *Ego Dominus, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* Qua ſententia ſignificat Dominus ſe viſitare peccata parentum in poſteros peccata maiorum ſuorum imitantes; aut certè à parentum peccatis non omninò recedentes; ut videlicet parentum iniquitas ſit occaſio quædam punitionis poſterorum, qui poſteri propriè quidem affliguntur propter peccata propria, ſed occaſionem gravioris punitionis præbente parentum iniquitate. Atque hoc eſt quod Ieremias deplorat, præſentem afflictionem incidere in ſua tempora, propter iniquitatem parentum continuatam in filiis. Quod autem Deus in hac præſenti afflictione inferenda, non tantùm reſpexerit ad præſentis populi peccata, ſed etiam majorum, manifeſtum eſt ex 4. Regum 24. ubi dicitur: *Factum eſt hoc verbum Domini contra Iudam propter peccata Manaſſe univerſa — & ob hanc rem noluit Dominus propitiari.* Quod verò non ſint verba prophetæ querintantis, patet ex multis aliis locis eiuſdem prophetæ, & ex his ipſis Threnis, quibus docet ipſius populi peccata cauſam eſſe vaſtitatis, & captivitatis. Sic capite tertio. *Nos iniquè fecimus, & ad iracundiam provocavimus.* Vide etiam noſtra in 2. ſent. diſt. 33. §. 11.

FINIS THRENORUM.

ANNOTATIONES

IN PROPHETIAM BARUCH.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. ET *hæc verba libri, quæ ſcripſit Baruch filius Neriæ.* Quæritur utrùm Baruch fuerit Propheta? neque enim inter Prophetas numeratur, nec maiores nec minores. Neque Prophetam eum uſquam vocat Scriptura, ſed ſcribam ſolummodo. Neque ſcribitur uſquam: Verbum quod factum eſt ad Baruch, neque more aliorum Prophetarum ſic loquitur; Hæc dicit Dominus. Reſpondeo Prophetam fuiſſe. Tandem enim Prophetiæ donū accepit poſtquā venit in Babylonem. Quod oſtendi poteſt ex ipſo libro Baruch continente quædam vaticinia de futuro tempore. Nam in fine capitis ſecundi continetur promiſſio novi & æterni Teſtamenti, & c.4. bis prædicitur Judæorum liberatio & reditus à captivitate; ſimul & gentium vocatio, & filiorum Eccleſiæ ſub typo Ieruſalem congregatio. Non eſt autem mirandum Baruch neque maioribus neque minoribus Prophetis annumeratum fuiſſe. Cùm enim fuerit ſcriba Ieremiæ, placuit brevem eius librum oraculis Ieremiæ ſubnecti, velut in uno volumine. Sciendum quoque quod hoc libro ſcriba non vocetur,

Non

Non enim in eo ſcripſit ab homine dictata, ſed à Deo ſuggeſta. Quare etſi Prophetam ſe non dicat, nec legatur in eius libro, Verbum Domini quod factum eſt, &c. Hæc dicit Dominus (neque enim ſcripſit more aliorum) prophetam tamen fuiſſe, ipſæ prædictiones oſtendunt.

℣.10. *Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocauſtomata & thus, & facite manna, & offerte pro peccato ad aram Domini Dei noſtri.* Ex his verbis triplex *quæſtio* naſcitur. *Prima* quomodo dicatur. facite manna, cum de manna faciendo, vel offerendo, nihil in lege videatur præceptum? *Secunda*, quomodo dicatur ad aram Domini? cum templum una cum ſanctuario fuerit incendio conſumptum? Et quæſtionem auget quod poſteà v.14. ſequitur, *Legite librum iſtum, quem miſimus ad vos recitari in templo Domini:* cùm templum tunc nullum fuerit. Et *Tertia* quæſtio, quomodo omninò præſcribatur aliquid de oblatione facienda, cùm in ſua oratione Azarias, apud Danielem in captivitate poſitus, dicat cap.3. *Non eſt hoc tempore princeps, & dux & propheta*, neque ſacrificium, neque oblatio? *Reſpondemus*; Ad *primam*, manna hoc loco non intelligi quod de cœlo pluerat. Id enim ſervabatur in memoriam beneficij divini, non ad immolandum; Et erat in arca incluſum; quam ſecreto Ieremias recondiderat, ut eſt 2.Machab.2. Sed manna intelligendum videtur, quod Hebr. dicitur *Minha*, id eſt, libamen, cuius frequens eſt mentio in lege. Ad *ſecundam* dicendum templum quidem fuiſſe combuſtum, ſed in loco templi à Sacerdotibus in terra Iuda relictis, extructam fuiſſe aram, ad offerenda ſacrificia. Hic autem cum dicitur recitandum librum *in templo Domini*, intellige in loco, ubi fuit templum; & erant adhuc quædam veſtigia. Ad *tertiam* reſpondeo, quod verba Azariæ intelligantur de captivis ipſis, quibus in ipſa captivitate non erat ſacrificium neque oblatio, neque incenſum, quia hæc non niſi in loco ad hoc divinitus deſignato offerri poterant. Et hunc eſſe ſenſum, patet ex eo quod adjungit; *neque locus primitiarum coram te.* Nam alioqui Ieroſolymis etiam tunc erat locus, in quem primitiæ colligi poterant.

℣.11. *Et orate pro vita Nabuchodonoſor, regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius — ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor, & ſub umbra filij eius, &c.* Hic docemur, non tantum orandū eſſe pro inimicis; verùm etiam pro principibus infidelibus, ſub quorum jugo fideles ſerviunt, nec orandum quomodocumque, ſed etiam orandum pro eorum vita, ac diuturna incolumitate; ſicut hic dicitur, *ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram*; maximè cum principes tales permittunt coli à fidelibus veram religionem; ſicut hi reges permiſerunt pro majori parte. Quod cum legamus factum à Iudæis, multò magis facere debent Chriſtiani, qui abundantiorem charitatis ſpiritum monſtrare tenentur. Tantùm abeſt ut etiam legitimo principi prætextu religionis aut alterius cauſæ liceat privatis hominibus reſiſtere: quod noſtri temporis ſectarios facere videmus.

℣.15. *Domino Deo noſtro juſtitia*, ſupple, ſit. ſicut in Apocalypſi c.7. *Sapientia, virtus, fortitudo, ſalus Deo noſtro*, videlicet in laude noſtra, agnoſcamus eum juſtum, laudemus & glorificemus ut juſtum. *Nobis autem confuſio faciei noſtræ*; ſcilicet ſit, id eſt, agnoſcimus nobis pro peccatis noſtris deberi confuſionem & ignominiam, *ſicut eſt dies hæc*; quam uſque hodie patimur. Eadem verba repetuntur ſequenti capite, ubi additur, *& patribus noſtris*, quia & illis confuſio & ignominia debebatur pro peccatis ipſorum.

Ad Cap. II. Nihil erat annotatum.

CAPUT III.

℣.32. S*Ed qui ſcit univerſa, qui præparavit terram in æterno tempore. Quæritur* quomodo terram A præparavit in æterno tempore; cùm terra ſit creata in initio temporis; Tempus autem ipſum non ſit æternum, ſed unà cum rebus creatis eſſe cœperit? *Reſpond.* incommoda verſio parit obſcuritatem. Græcè ſonat: *Qui præparavit terram in tempus æternum*, id eſt, ut in æternum permaneret, & nunquam eſſe deſineret. Itaque tempus æternum non ad præteritum, ſed ad futurum eſt referendum. Et non aliud hic ſignificatur, quàm quod Sapiens dicit Eccleſiaſtæ 1. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum ſtat.* v.11

Eſt ij Annotat. in Script.

℣.36. *Hic eſt Deus noſter. — Hic adinvenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo. — Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* De hac poſtrema ſententia quæſtio movetur de quo intelligatur, & quomodo ſit intelligenda? Quidam ad B Deum referunt, quia de eo præceſſit, *Hic eſt Deus noſter, &c.* ſed nonnulli dicunt, illud: *Poſt hæc in terris viſus eſt*; impletum fuiſſe eo tempore, quo poſt datam legem in monte Sina, Moſes, Aaron, Nadab, & Abiu, & Septuag. ſeniores, & alij quidam ex multitudine, Exodi 24. leguntur Deum vidiſſe; quando etiam deinceps per quadraginta annos proximus fuit generationi illi, ut eſt Pſ.90. id eſt, cum illa familiari modo eſt converſatus. Alij ad Deum quidem referunt, ſed accipiunt tanquam vaticinium de Chriſto, qui in plenitudine temporum, in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus. Ut autem hic locus plenius intelligatur, ſciendum eſt, has voces (*viſus eſt, converſatus eſt*) apud Græcos ad omne genus referri poſſe, cùm non ſint participia, ſed verba. C Proinde cum tota ſuperiori deductione diſputaverit Baruch de ſapientia, non eſt improbabile hæc verba de ſapientia dicta eſſe. Atque ita litteraliter quidem ſignificabitur ſapientiam à Deo traditam Iſraëli, ſervo eius: poſt quem à tota eius poſteritate, id eſt, populo Iſraëlitico, viſa, id eſt, cognita eſt ſapientia. & cum illis converſata (*quia notus in Iudæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.*) Myſtico autem ſenſu, eoque haud dubiè à Spiritu Sancto intento, ſignificabitur, ipſam Dei Sapientiam, id eſt, Verbum Dei & filium Patris, poſt conſummatam umbraticam populi veteris ſapientiam, hominem eſſe factum: & in terris apparuiſſe, & cum hominibus fuiſſe converſatum: Atque ita quoque per univerſum Iſraël ſpiritualem, veram ſapientiam, id eſt, verum Dei cultum, Apoſtolorum prædicatione fuiſſe diſſeminatum.

D

CAPUT IV.

℣.22. E*Go enim ſperavi in æternum* Græcè eſt *ἐπὶ τῷ αἰωνίῳ*, id eſt, *in æterno*. Et ſic intelligi poteſt, in æterno, ſcilicet Deo; quomodo ſæpè in ſcripturis dicuntur pij in Deo ſperare, tanquam authoritate, & authore bonorum quæ ſperamus. Vatabli verſio quoque ſic habet: Nam ego jam ab æterno illo ſperare cœpi ſalutem veſtram. Et conſtat hoc cap. ſæpiùs Deum deſignari hoc epitheto *Æternus*, ſicut & illo, *Altiſſimus*. Ita paulò pòſt: *Et venit mihi gaudium à ſancto ſuper miſericordia, quæ veniet vobis ab æterno ſalutari noſtro.* Et prius v.20. *Et clamabo ad altiſſimum in diebus meis.*

℣.28. *Sicut enim fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Deo; decies tantùm iterum convertentes requiretis eum.* Hoc E referunt quidam ad tempus illius populi poſt reditum ex captivitate. Non enim leguntur Judæi, poſt illud tempus idola coluiſſe, præter paucos quoſdam tempore Antiochi Epiphanis; de quibus in lib. Mach. qui tamen timore magis, quàm voluntate id fecerint. Itaque putant de eius temporis Iudæis dictum; imò prædictum, quod decies tam multum, requiſituri eſſent Dominum, quantum anteà aberraverant per idololatriam. Græcè quoque ſic ſonat: *Sicut enim fuit cogitatio veſtra ad errandum à Deo, decuplate converſi quærere eum*, id eſt, decuplo tantùm nunc deinceps converſi quærite eum, ut poſſitis habere placatum. Et ſecundum hanc lectionem præceptum magis eſt, quàm prophetia. Si tamen

propheticè dictum intelligere libet, rectiùs referetur ad Iſraël ſecundum ſpiritum, quàm ſecundum carnem: id eſt, ad Apoſtolos, & eos qui per Apoſtolorum prędicationem crediderunt in Chriſtum. Nam de Iudęis ſecundum carnem, poſt reditum è Babylone uſque ad adventum Chriſti, dictum eſt illud: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.* Et iterum. *In vanum colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Licet enim non colerent idola gentium, ſibi tamen fabricabant in cordibus ſuis idola perverſarum opinionum.

A quod nihil aliud docere vult propheta, quàm ſimulachra gentium non eſſe Deos. Hinc toties pro concluſione inculcat illud: *Vnde vobis notum ſit quia non ſunt dij. Ne ergo timueritis eos.* Quod ergo de idolis gentium oſtendit propheta non eſſe Deos; & proinde non eſſe timenda, neque pro diis veneranda; libenter concedimus, etiam in noſtras imagines hoc ipſum competere: videlicet, non eſſe Deos, utpotè in quibus neque ſenſus inſit, neque motus; & proinde eas non eſſe timendas, neque pro diis habendas. Sed ex eo ſtatui non poteſt, nullam prorſus venerationem imaginibus habendam eſſe, ſi ad ſuum prototypum referantur, id eſt, ad Chriſtum vel Sanctum aliquem, cujus ea ſit imago. Sicut enim cum proferimus illud ſanctiſſimum nomen JESUS (de quo ad Philip. 2. *Vt in nomine IESV omne genu flectatur*) non ſonum vocis illius honoramus aperiendo

CAPUT V.

ỷ. 4. N*Ominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in ſempiternum: Pax juſtitia & honor pietatis.* Hęc prophetia manifeſtè ad Chriſti Eccleſiam pertinet; quæ in hoc ſæculo pacem juſtitiæ cum Deo habet inchoatam. (Unde illud in Nativitate Salvatoris ab Angelis publicatum: *Et in terra pax hominibus*) & poſteà perfectiſſimam obtinebit, in vita futura. De hac pace regni Chriſti nunquam finienda, etiam Iſaias c. 9. *Multiplicabitur eius imperium & pacis non erit finis.* Quod autem dicitur: *Nominabitur tibi nomen*; per nomen ſignificatur proprietas & ſpecialis nota. Hæc enim pax juſtitię, Eccleſię propria eſt: & ab ea nunquam auferetur, etiamſi aliquando variis perſecutionibus exerceatur.

B caput & genu flectendo; ſed ipſum filium Dei: ita cum Chriſtianus procumbit ante Crucifixi imaginem, non propriè imaginem adorat, ſed id cuius eſt imago, videlicet JESUM Chriſtum Salvatorem crucifixum.

ỷ. 5. *Viſa itaque turba de retro, & ab ante; adorantes, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari Domine.* Fortè hanc ſententiam Priſcillianiſta quiſpiam, vel politicus noſtri temporis pro errore ſuo rapiat: quaſi per eam ſignificetur, ſatis eſſe ut fidem quiſque ſuam corde retineat, & in corde dicat: *Te oportet adorari Domine*, etiamſi opere externo aliud ſimulet, & voce aliud dicat. Sed *Reſpondemus*, non ita eſſe dictum: *Dicite in cordibus veſtris*, quaſi ore, & opere diverſa & contraria liceat

CAPUT VI.

ỷ. 3. N*Vnc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos & lapideos, & ligneos in humeros portari, oſtentantes metum gentibus, &c.* Objiciunt Catholicis hanc epiſtolam magno ſupercilio hęretici; quaſi hic manifeſtè damnetur veneratio imaginum in Eccleſia Catholica recepta. Dicunt enim omnia ea, quæ hîc tribuuntur idolis gentium, totidem verbis dici poſſe adverſus imagines Chriſtianorum, eaque verboſiſſimè inculcare conantur imperitis. Verùm perſpicuè refellitur eorum calumnia, ſi inſpiciamus totius huius epiſtolæ ſcopum, & ſcribentis intentionem. Ea autem minimè obſcura eſt; quippe quæ frequenter reperitur. Sic mox in hoc initio (*oſtentantes metum gentibus*) quod non convenit in imagines ſacras. Et breviter contra multam ipſorum verboſitatem, manifeſtum eſt,

C oſtendere; ſed quamdiu nondum urget profitendæ fidei neceſſitas, aut evidens utilitas, interim in corde ſolo veritatem fidei poſſe, & debere retineri; Si verò neceſſitas eſt ore vel opere alterutrum declarandi; tum etiam voce & facto perhibendum eſſe teſtimonium veritati. Ita ſcilicet fecerunt tres pueri in Babylone in Hiſtoria Danielis; fortaſſe hac ipſa epiſtola Ieremiæ inſtructi. Statuam à rege erectam, primò tantùm non edoraverunt, dicentes in cordibus ſuis: *Te oportet adorari Domine*: nondum tamen facto, vel verbo manifeſtè damnantes, quod ab aliis fiebat. Sed poſtquam deprehenſi ſunt non adorare ſtatuam, & ad regem adducti, tum manifeſtè fidem declarebant dicentes; *Notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus.*

FINIS PROPHETIÆ BARUCH.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM EZECHIELIS.

CAPUT PRIMUM.

ỷ. 4. E*T ecce ventus turbinis — & nubes, & ignis involvens — & de medio eius, quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis, & in medio eius ſimilitudo quatuor animalium, &c.* Primò dicitur de his animalibus, quaſi in genere: *Et hic aſpectus eorum ſimilitudo hominis in eis.* Et poſteà v. 10. diſtinguuntur vultus ſingulorum; facies hominis, facies leonis, facies bovis, & facies aquilę. *Quæritur* quomodo hęc conſiſtant? *Reſp.* variè. Alij dicunt faciem hominis primo loco ſolùm nominari, proptereà, quia in aſpectu directo Prophetę prima occurrebat. Alij ideò, quia eſt facies animalis primi ſecundum dignitatem, utpotè ratione ac mente prędit. Alij, & po-

A tiſſimũ Hebr. dicunt omnes hos vultus fuiſſe humanos; ſed ita ut referrent ſimul quodammodo ea animalia, quorum facies poſteà diſtinctè recenſentur. Et ad confirmationem adſerunt, quod c. 10. ubi refertur eadem viſio, omiſſa facie bovis, ponitur facies Cherub. Cherub autẽ erat humana ſpecies. Sed optimè videtur hęc quęſtio ſolvi, ex ſignificatione huius viſionis. Nec enim dicitur primo loco: adſpectus ſeu facies hominis in eis, ſed tantùm, *ſimilitudo hominis in eis.* Per quod ſignificantur omnia 4. Evangelia, quæ per quatuor animalia ſignificantur, nobis annunciare myſteriũ Incarnat. Chriſti, & eius humanitatem. Poſteà verò facies nominantur; quę Hier. teſte, non ipſa Evangelia ſignificant, ſed principia Evangel. Itaq; dicendum in omnibus Evangeliis eſſe ſimilitudinem hominis, ob cauſam modo dictam; ſed ſpecies ſingulorũ eſſe diverſas, id eſt, initia. Nam in Matt.

facies

facies eſt hominis, quia initio ſui Evangelij texit Chriſti genealogiam: In Marco faciem leonis, quia initio ſui Evangelij deſcribit vocem clamantis in deſerto, tanquam leonis rugientis: In Luca facies bovis, aut vituli, quia initio Evangelij meminit ſacrificij Aaronici, in quo præcipua victima erat vitulus; In Ioanne facies aquilæ, quia initium facit ſui Evangelij à divina & incomprehenſibilis Chriſti majeſtate, tanquam volatu ad ſumma tendens, & humana tranſcendens. Confer c. 10. v. 14.

℣. 9. *Non revertebantur cum incederent, ſed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur* Et ſimiliter poſt pauca c. 10. *Nec revertebantur cum ambularent. Quæritur* quomodo hæc conſiſtant cum eo quod dicitur v. 14. *Et animalia ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis? Reſpond.* nulla eſt repugnantia: Nam duo priora loca ſignificant animalia dum irent, non retrò aſpexiſſe, neque huc illuc ad latera oculos deflexiſſe: Unde & quidam vertit: Inter eundū facies ſuas non reflexerunt; ſcilicet inſtar eorum, qui toti in actionem aliquam intenti nihil aliud cogitant. Poſterior autem ſententia ſignificat, animalia poſt actionem aliquam perfectam reverſa eſſe, velut parata ad aliam actionem pari diligentiâ obeundam: Quæ nimirùm diligentia, & alacritas ſignificatur etiam in eo, quod adjungitur: *& revertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis.*

CAPUT II.

℣. 3. *SI fortè vel ipſi audiant, & ſi fortè quieſcant. Audiant*, id eſt, obediant, obtemperent. *Et ſi fortè quieſcant*, id eſt, ceſſent à peccando. Dicitur autem bis (*ſi fortè*) tum humano more; quia ſic homines loqui ſolent, adhibentes doctrinam, monita, correptiones; utpotè ignari, an quidquam perfecturi ſint apud eos, quibus hæc adhibent: tum ad probandum liberum arbitrium eorum, qui moniti, atque correpti, vel obtemperant, vel non obtemperant nec acquieſcunt.

℣. 9. *Et vidi, & ecce manus miſſa ad me, in qua erat involutus liber* —— *qui erat ſcriptus intus & foris, & ſcriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.* Per librum ad literam intelligitur notitia rerum quas propheta jubebatur prædicere, & in libro deſcribere, id eſt, calamitates quæ populo Judaico imminebant, & quas paſſurus erat partim in obſidione Ieruſalem, partim in captivitate; hoc autem quod ſcriptus dicitur liber intus & foris, id eſt, omni ex parte conſcriptus ſignificatur multitudo eorum quæ erant annuncianda; per hoc verò, quod in eo lamentationes, & carmen, & væ; (pro quo alij vertunt *lamentationes & gemitus & planctus*) ſignificantur calamitates, earumque gravitates, quæ erant denuntiandæ.

Myſticè verò Propheta repreſentat quemlibet prædicatorem verbi Dei; liber verò deſignat Scripturam S. Vocatur autem hic liber *Volumen*, à convolvendo, teuton. *een rol* (nam talibus utuntur Iudæi uſque in hodiernum diem) ſcilicet propter obſcuritatem Scripturæ S. Unde etiam quæ obſcura ſunt, vulgò involuta dicuntur. Eſt autem ſcriptus *intus & foris*, vel ut Hebr. eſt, *ante & retro*, quia non tantùm de præteritis annuntiat, ſed etiam de futuris: vel quia ſcripturas continet utriuſque teſtamenti. Scriptæ denique ſunt in eo *lamentationes, & carmen, & væ*; quia præcipuè in eo ſunt quæ ad pœnitentiam pertinent, juxta illud in veteri Teſtam. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, & planctu.* Et in novo Teſtam. Chriſtus, Ioannes, Petrus, omnes auſpicati ſunt ſuum munus, dicentes: *Pœnitentiam agite.* Poteſt quoque *carmen* referri ad conſolationes Sanctorum, & ſpem vitæ æternæ: qualis eſt iſta Pauli ad Rom. 8. *Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriā, quæ revelabitur in nobis.* Continet autem hic liber etiam

Eſtij Annotat. in Script.

A væ, id eſt comminationem ſupplicij æterni adverſus impios impœnitentes: juxta illud Matth. 3. *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.*

CAPUT III.

℣. 1. *ET dixit ad me. Fili hominis, comede volumen iſtud.* Et mox v. 3. *Et comedi illud, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce:* Addit Ioannes Apoc. 10. ubi ſimilis viſio deſcribitur: *Cùm devoraſſem librum, amaricatus eſt venter meus.* Myſterium hîc ſignificatum tale eſt. Propheta repræſentat prædicatorem verbi Dei. Is devorat librum, quando avidè ſuſcipit cognitionem rerum divinarum, & intelligentiam myſteriorum Dei. Eſtque verbum Dei in *ore eius ſicut mel dulce*, id eſt, in guſtu contemplationis miram habet ſuavitatem. Si
B enim veritas omnis delectat, ſanè neceſſe eſt maximâ voluptate perfundi animum, ex contemplatione ſummæ veritatis. Attamen poſt comeſtionem, ut eſt Apocal. 10. *Amaricatur venter eius*; ſcilicet dum quaſi digerendo cibum comeſtum, & in membra diſtribuendo difficultatem patitur. Per quod ſignificatur amaritudo, difficultas, & tædium, quod pati ſæpè debent prædicatores verbi Dei, dum ea quæ cum ſuavitate didicerunt, in populum diſtribuunt, ut ad actionem referantur.

Sæpè enim contingit illis id quod huic Prophetæ dictum eſt, *quoniam increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas.* Et tamen urget eos præceptum Apoſtoli 2. Tim 4. *Prædica verbum, inſta opportune, importune; argue, obſecra, increpa, in omni patientia*
C *& doctrina.* Et terret iſtud prophetæ hoc capite: *Si dicente me ad impium, morte morieris, non annuntiaveris ei; ſanguinem eius de manu tua requirā, &c.* In his omnibus amaritudo eſt, adeò ſæpè ut cogatur exclamare præ dolore, *Ventrem meum doleo, &c.* id eſt, ferre non poſſum tantas moleſtias. Sed parata ſunt adverſus hæc, duo præſidia: alterum, gratia Dei confortans virum Dei. Ita enim hic ait ad Prophetam Dominus: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum; ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Et ad Ieremiam cap. 1. *Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum.* Alterum eſt conſolatio quam capiunt ex promiſſione divinâ, & ſpe præmij æterni. Licet enim amaritudinem habeat illud: *Euntes & ibant & flebant mittentes ſe-*
D *mina ſua*; maiorem tamen habet conſolationis dulcedinem illud: *Venientes autem venient cum exultatione portantes, &c.* Pſal. 125. & illud Danielis 12. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

℣. 18. *Si dicente me ad impium: Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram.* q. d. eius mortem in te vindicabo. Severa ſententia Epiſcopis, Paſtoribus, præfectis Eccleſiæ, & omnibus ijs quibus animarum cura commiſſa eſt, interminata. Continet autem ſententia duo documenta; *Unum*, quanta neceſſitas incumbat omnibus animarum præfectis annuntiandi impiis judicia Dei, pœnas, & comminationes adverſus peccata in ſcripturis propoſi-
E tas; ut ſi non faciant, & per defectum prædicationis pereat aliquis, ipſis imputanda ſit pereuntis perditio, & in ipſis vindicanda. *Alterum*, non excuſari nihilominus impium facilè per ignorantiam, etiamſi non fuerit ei annuntiata legis comminatio. Nam eſt quædam lex naturæ inſita. Et de lege ſcripta dicit Apoſtolus Rom. 2. *Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.*

℣. 19. *Si autem annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus ab impietate ſua* —— *ipſe quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti.* Quod dicitur: (*tu autem animam tuam liberaſti*) non ſic accipiendum eſt, quaſi propheta, aut paſtor, tunc tantùm liberat animam ſuam, ita ut nihil præterea mercedis ac-

eſpiat, quando impius eius prædicatione non convertitur ad juſtitiam: Nequaquam hoc ita intelligendum eſt. Nam etiam poſteà ſimiliter de juſto dicitur; quod ſi is prædicatione prophetæ perſtiterit in juſtitia, quod propheta liberabit animam ſuam. Sed ſenſus eſt: *liberabit animam ſuam*, id eſt, eo ipſo opere ſalvabit animam ſuā in quo merces æternæ vitæ includitur, quæ ei legitimè laboranti promiſſa eſt, ſive impius ſe convertat, ſive non. Unde illud Apoſt. 1. Cor. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Non dicit ſecundum fructum laboris. Fit enim ſępe, ut qui minùs laborat, plus fructus faciat; ſed *ſecundum ſuum laborem.* Labor enim voluntatis charitativæ eſt, fructus laboris pendet à Deo diſponente.

CAPUT IV.

ỳ. 5. E*Go autem dedi tibi annos iniquitatis eorum, numero dierum trecentos, & nonaginta dies.* Hoc plerique ſic dictum accipiunt, ut ſignificetur domus Iſraël, id eſt decem tribus futuras in afflictione per annos trecentos nonaginta; quorum initium faciunt à primà captivitate decem tribuum per Aſſyrios uſque ad tempora Aſſueri. Sed contra hoc facit, quod decem tribus nunquam fuerint reſtitutæ, eâ parte, quâ ductæ erant in Aſſyrios; licet pauci ex illis redierint in terram ſuam cum aliis ex duabus tribubus. Sunt qui non improbabiliter dicant his verbis non aliud ſignificari, quàm tempus obſidionis civitatis Ieruſalem; quæ obſidio duravit non per annos, ſed per dies; id quod circumſtantiæ loci ſatis etiam indicant: Agitur enim toto cap. de obſidione Ieruſalem, ut ſenſus ſit: Verti annos iniquitatis eorum in trecentos nonaginta dies. Præcipit ergo prophetæ, ut ſe tot diebus affligat dormiendo in latus ſiniſtrum & comedendo vilem panem & aquā in menſura bibendo, ad repræſentandam magnam afflictionē & famem, quā populus tempore obſidionis erat paſſurus. Sic Liran. Et notandum quod illi dies trecenti nonaginta collecti efficiunt quatuordecim menſes, quibus arctè fuit obſeſſa; omitti enim debent aliquot menſes ratione temporis, quo Chaldæi, adventantibus Ægyptiis coacti fuerunt aliquamdiu obſidionem intermittere. Hier. tamen annos exactè & ſtudioſè recenſet & colligit.

Et portabis iniquitatem domus Iſraël. Non ſignificatur his verbis, Ezechielem puniendum pro peccatis populi Iſraël, quo ſenſu queritur Ieremias Threnorum 5. *Patres noſtri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portavimus:* Quomodo etiam ille propheta infrà cap. 18. negat ampliùs futurum, ut filius portet iniquitatem patris, aut pater filij, ſed ſenſus eſt Metonymicus, q. d. portabis in figura ſeu imagine, id eſt, facto tuo ſignificabis, ac portendes punitionem iniquitatum domus Iſraël. Ideò enim peculiariter quoque hic propheta portentum dicitur in populo, quia nimirùm multa factis, & rebus, non tantùm verbis prophetavit. Sic ergo portavit iniquitatem domus Iſraël, quomodo ſimulachrum ſcelerati alicuius hominis, qui comprehendi non poteſt, è patibulo ſuſpenſum portat iniquitatem eius, quem repræſentat; portat, inquam, per ſignificationem; ac ſimul portendit ei, cuius eſt ſimulachrum, ſi comprehendi queat, verum ſuſpendium.

ỳ. 15. *Ecce dedi tibi fimum boum pro ſtercoribus humanis.* Iudæi panem comedunt in fimo bubulo, dum omnia propter carnem & ventrem, & terræ huius bona operantur; ut ſcribit Hieron. in hunc locum; non tamen in ſtercoribus humanis, deprecante propheta; quia non ſervierunt, ita ut priùs, idolis, nec coluerunt dæmonia. Nos autem Chriſtiani, inquit, comedimus panem, qui de cœlo deſcendit.

CAPUT V.

ỳ. 9. F*Aciam in te quod non feci, & quibus ſimilia ultra non faciam propter abominationes tuas.*

A Hæc verba ſignificare videntur, hanc obſidionem fuiſſe longè graviſſimam & graviorem eâ, quæ facta eſt poſtea à Romanis, ſub Tito & Veſpaſiano. Hieron. id ita ſolvit: Pulchrè dixit, *ſimilia non faciam.* Multò enim poſt interfectionem Chriſti duriora facturus eſt: aliud eſt enim coluiſſe iterum idola, propter quæ ante puniti fuerant, & aliud Dei Filium trucidaſſe. Sed rectiùs videtur referendum ad eadem merita, videlicet eadem peccata. q. d. Dominus per prophetam; propter eadem, vel ſimilia peccata non ultra inferam eadem, vel ſimilia ſupplicia; ſed propter ingratitudinem & graviora peccata, contemptum ſcilicet in Filium Dei, graviora multò inferam; multoque etiam ſeverius puniam. Alij dicunt illud *(ultra)* non ſignificare omnimodam perpetuitatem, ſed tantùm longum tempus, ſicut dicitur

B Iſaiæ 2. *Et non exercebuntur ultra ad prælium.* Et 1. Regum 7. *Et humiliati ſunt Philiſthijm, nec appoſuerunt ultra ut venirent in terminos Iſraël*, id eſt, multo tempore non redierunt. Ac ſanè hic ſenſus videtur maximè commodus & ſimplex.

ỳ. 10. *Patres comedent filios in medio tui, & filij comedent patres ſuos.* Similis locus eſt Ierem. 19. & in Threnis c. 2. & 4. quo poſteriori loco etiam tamquam rem jam factam deplorat, dicens: *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt cibus earum.* Quod quid clarius dici poſſet? maximè cum & Baruch 2. eadem confirmentur. Sed quid facimus de ijs quę dicta ſunt jam jam hoc eodem capite ad v. 9. Ubi Hieron. innuit, & communis opinio eſt graviora Iudæos eſſe

C paſſos in ultima obſidione per Romanos, quàm in hac per Chaldæos? Et tamen propheta non tantùm unius matris meminit, ut Ioſephus in illa obſidione per Romanos; ſed pluraliter de matribus, tres ſimul prophetę loquuntur; tum etiam quod patres filiorum, & filij patrum carnes comederint. Ad hoc dici poteſt, graviora etiam potuiſſe accidiſſe in poſtrema illa obſidione per Romanos, quàm quæ à Ioſepho commemorata ſunt; maximè cum eiuſmodi abominanda non in propatulo, ſed quàm occultiſſimè fieri ſoleant. Ioſephus autem, qui non erat propheta, unicum tantùm poſuit exemplum, quod tunc innotuerat (ut ſcribit) toti civitati; Ieremias autem, & Ezechiel ex Dei revelatione prædicunt etiam occultiſſima; imò idem Ieremias, & Baruch eadem jam facta deplorant. Quod ſi attendamus magnitudinem peccatorum, quibus utramque obſidionem

D Iudęi commeruerunt, inveniemus graviora fuiſſe peccata quæ poſteriori obſidione vindicata ſunt, quàm quæ priori. Qui enim primam obſidionem paſſi ſunt, idololatriam commiſerant, prophetas perſecuti fuerant, judicium & juſtitiam perverterant. Qui poſtremam, prophetarum Dominum ipſum Filium Dei perſequentes crucifixerunt, Apoſtolos, alioſque à Chriſto miſſos partim occiderunt, partim contumeliis affecerunt, tot miraculis conſpectis non redierunt ad pœnitentiam, ſed ſumma pertinacia Spiritui Sancto reſtiterunt; Quę omnia haud dubiè prioribus illis graviora ſunt. Unde non immeritò ſuſpicari liceat ipſam etiam afflictionem & preſſuram, quæ juſto Dei judicio talibus peccatis temporaliter reddita eſt, graviorem fuiſſe priori illa afflictione: quam

E gravia quidem peccata, ſed his minora provocaverant.

CAPUT VI.

ỳ. 2. F*Ili hominis, pone faciem tuam ad montes Iſraël, & prophetabis ad eos & dices: Montes Iſraël, audite verbum Domini.* Hîc ſi *quæratur*, quid per montes Iſraël intelligatur, & item per colles, quos hîc etiam alloquitur: *Reſp.* ad litteram intelligi montes, & colles terræ Iſraëliticæ; ſive, quod eodem recidit, ipſam terram Iſraël, quæ erat montoſa, & collibus abundabat. Cui terræ his verbis denuntiat vaſtationem, & hominum ſtragem, propter populi peccata. Proinde quod ait,

Montes

Montes Iſraël, audite verbum Domini, eſt perſonæ fictio; quâ ſermo convertitur ad rem inanimatam (quæ figura ſermonis eſt prophetis uſitatiſſima.) Nominat autem peculiariter montes, & colles; quia in montibus extructa fuerunt excelſa, & erecta altaria à populo idololatriæ dedito. Unde ſubdit propheta loquens ad eoſdem montes: *Diſperdam excelſa veſtra, & demoliar aras veſtras, & confringentur ſimulachra veſtra.*

℣. 12. *Qui longè eſt, peſte morietur, qui autem propè, gladio corruet, & qui relictus fuerit, & obſeſſus, fame morietur.* Senſus litteralis manifeſtus eſt: Qui procul fugerit ab hoſte, conſumetur peſte, qui propius acceſſerit ad hoſtem, cadet gladio hoſtili; qui autem continet ſe intra muros, & patitur ſe obſideri, peribit fame. Hier. pulchrè hæc tria explicat ſecundum ſenſum myſticum. Nempe qui de Eccleſia receſſerit, ſtatim peſte morietur; hæreſis enim velut peſtis eſt, & ſermo hæreticorum cancro comparatur. Qui ſciolus ſibi videtur, niſi caveris gladio inimici ferietur; quia propius accedit ad ſcrutanda myſteria, quàm oporteat. Qui ſimplici contentus fide, inſtar bruti cujuſdam animalis, verſatur quidem in Eccleſiâ; ſed in nullo bono opere ſe exercet, iſte fame morietur; quia torpet per ignaviam, & non paſcitur verbo Dei.

CAPUT VII.

℣. 2. F*inis venit, venit finis, ſuper quatuor plagas terræ. Quomodo* ſuper quatuor plagas terræ, cùm præſens prophetia tantùm dirigatur contra terram Iudæ? *Reſp.* ſicut per terram hoc loco intelligitur, non orbis terrarum, ſed tantùm terra Iudææ; ita & per quatuor plagas terræ non accipiendæ ſunt quatuor univerſi orbis plagæ, ſeu partes, ſed tantùm Iudææ, ſeu terræ Iſraëliticæ. At dicet aliquis. Ergo & illud Pſalm. 18. *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*, ſimiliter intelligi poterit; neque valebit illud teſtimonium pſalmi ad docendum, Eccleſiam per univerſum mundum diffundendam. *Reſp.* manifeſtum eſt, non poſſe eſſe ſimilem interpretandi rationem. Loquitur enim pſalmiſta ad litteram, de ſole, lunâ, ac reliquo cœlorum ornatu; qui ſanè non tantùm conſpicuus fuit in terrâ Iſraël; verùm per univerſum orbem terrarum. Quare quando eadem ſententia, interpretante Paulo Apoſtolo ad Rom. 10. accipitur de prædicatione Evangelij, æquè generaliter accipienda quoque eſt, ut ſignificetur, notitiam Evangelij per Apoſtolos, eorumque ſucceſſores diffundendam per univerſum mundum ſicut etiam Apoſtolus manifeſtè interpretatur.

℣. 13. *Quia qui vendit, ad id quod vendidit, non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum.* Loquitur propheta ſecundum morem illius populi Hebraici. Omnis enim poſſeſſio, quæ vendebatur ad venditorem redibat anno Jubilæo. Senſus igitur eſt. Is qui vendit poſſeſſionem aliquam, non revertetur ad eam anno Jubilæo, etiamſi ſit adhuc ſuperſtes: Id enim ſibi volunt illa verba; *& adhuc in viventibus vita eorum.* Ratio autem, quare non redibit ad ſuam poſſeſſionem; quia priuſquam annus ille advenerit, abducentur omnes in captivitatem: ibique detinebuntur; ideòque venditor non poterit frui legis illius privilegio, quæ eſt Levitic. 25. Nec repugnat his, quod tempore obſidionis Ieremias juſſus eſt emere agrum jure propinquitatis, Ierem. c. 32. Etenim factum illud propheticum erat, & quaſi realis prophetia: quâ ſignificabatur, captivitatem tamen hanc poſt ſeptuaginta annos ſolvendam, & quod tunc agri iterum emerentur pecuniâ, & poſſiderentur in terrâ illâ, quæ ad tempus futura erat deſerta.

CAPUT VIII.

℣. 3. E*t emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me, in cincinno capitis mei, & elevavit me ſpiritus*

Eſtij Annotat. in Script.

A *inter terram, & cœlum; & adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei. Quæritur*, An propheta in corpore, an tantùm in ſpiritu tranſlatus fuerit è Chaldæâ in Ieruſalem? Quod in corpore, inde apparet, quia dicit ſe apprehenſum in cincinno capitis ſui, ſic enim legimus Habacuch quoque apprehenſum fuiſſe, & deportatum in Babylonem ex Iudæâ, ſuper lacum leonum, in quo erat Daniel, haud dubiè ſecundum corpus. Pro altera ſententia facit, quod adjunctum eſt; *& adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei.* q. d. in imaginatione quadam à Deo exhibita & in mente formata. Huic ſententiæ ſubſcribens Hieron. Quando dicit, inquit, *adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei*, oſtendit ſe non in corpore, ſed in ſpiritu fuiſſe tranſlatum. Et idem habet cap. 11. Quod autem dicitur, *apprehendit me in cincinno capitis*

B *mei*, hoc ipſum intelligendum eſt etiam in ſpiritu factum fuiſſe ad aliquid ſignificandum. Si tamen exemplum quæritur, etiam præter Habacuch, ubi quiſpiam corporaliter tranſlatus legatur in diverſam regionem; exemplum habemus de Philippo Act. 8. qui poſt eunuchum baptizatum, tranſlatus eſt in Azotum. Et ipſe Ezechiel c. 3. teſte eodem Hieron. non in ſpiritu tantùm, ſed in corpore quoque tranſlatus fuit, & Helias in curru igneo. Unde & Iudæus quidam, ut refert Hieron. Prolog in Danielem, frivolo uſus eſt argumento ad refellendam Hiſtoriam Draconis, & laci leonum, quaſi nuſquam alibi legatur homo gravi corpore, ut ibi Habacuch, per aërem portatus fuiſſe. Nam etſi vel uno tantùm Scripturæ loco diceretur, credendum eſſet.

C *Ad Aquilonem, ubi erat ſtatutum idolum zeli, ad provocandam æmulationem.* Idolum hoc quod vidit Ezechiel in primo introitu templi, juxta expoſitionem Hieron. & aliorum, erat idolum Baal: quod aliquando à regibus collocatum fuerat in templo. Nam iſta viſio refertur, non ad unum aliquod punctum temporis, ſed ad univerſum tempus, ex quo populus Iuda cœperat ad idololatriam declinare. Vocatur itaque idolum zeli, quia ad zelum & indignationem provocarat, & provocabat Dominum Zeloten. Unde & illud, Deuter. 32. v. 21. *Ipſi me provocaverunt, in eo qui non eſt Deus*, id eſt, zelum meum adverſum te concitaverunt. Ideò autem maximè hæc res iram Dei provocabat, quia poſitum erat hoc idolum in ipſo templo; in quo ſcilicet ipſe Deus adorari debebat; veluti ſi uxor adulterum admit-

D tat, & collocet in ipſo lecto & thoro conjugali, qui proprius eſt mariti.

℣. 15. & 16. *Adhuc converſus videbis abominationes majores his.* —— *Et ecce in oſtio templi Domini inter veſtibulum & altare, quaſi viginti quinque viri dorſa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem.* Non damnatur hîc mos Chriſtianorum, (imò univerſalis Eccleſiæ traditio) adorandi verſus Orientem; ſed impietas eorum, qui dorſa habentes contra templum Domini, contemptoque vero Deo, in cuius honorem templum illud verſus occaſum reſpiciens, ædificatum erat, (ut noſtra verſus Orientem, de quo diſcrimine mox) facies vertebant verſus Orientem, non ut Deum adorarent, ſed (ut in ipſo contextu annectitur) *& facies ad Orientem, & adorabant ad ortum ſolis*, id

E eſt, ut adorarent ſolem Orientem; quod erat idololatriæ quoddam genus, apud omnes ferè nationes uſitatum; atque adeo apud Græcos quoque hæc religio ſeu ſuperſtitio nota fuit. Unde legimus Anaxagoram Philoſophum capitis accerſitum, quod dixiſſet ſolem non aliud eſſe, quàm ſaxum candens; velut qui Deo magnam eo dicto attuliſſet contumeliam. Teſtis eſt Auguſtinus lib. 18. de Civitate Dei, cap. 41.

Sed quæres, Cur Iudæi ad occaſum adorabant? nos Chriſtiani ad ortum? *Reſpondeo.* Per occaſum tenebræ ſignificantur; ſol enim abſcedens ſeu occidens, noctem adducit; per ortum verò lux deſignatur, quia ſol oriens diem reducit. Igitur Iudæi verſus occaſum ado-

rabant, quia lex Judaica umbra erat futurorum, ipſique Judæi velamen habentes ſuper cor poſitum, intendere non poterant in gloriam Dei aliquando revelandam; itaque velut in tenebris verſabantur. *Nos verò omnes*, inquit Apoſtolus 2. Corinth. 3. *revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tamquam à Domini ſpiritu.* Quia videlicet, per Chriſtum umbra tranſiit in lucem: & velo templi ſciſſo, declaratur, ceſſantibus figuris, adveniſſe ipſam veritatem. Unde & Chriſtus Oriens vocatur, dicente Zachariâ in Cantico Lucæ 1. *Per viſcera miſericordia Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto.* Et Zacharias propheta cap. 3. *Adducam ſervum meum Orientem*, & cap. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius.*

CAPUT IX.

ỿ. 4. *TRanſi per mediam civitatem, & ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus quæ fiunt in medio eius.* Omiſſis aliorum expoſitionibus ſuper littera *Thau*, quidnam per eam ſignificatum fuerit; non dubitamus affirmare cum Hieron. fuiſſe ſignum Dominicæ crucis; quia T. apud Hebræos ante tempora captivitatis Babylonicæ, pingebatur prorſus ad ſimilitudinem Crucis, eo videlicet modo, quo nunc pingitur apud Latinos littera T. majuſcula, & apud Græcos T. Quamvis enim poſt captivitatem Babylonis, figuræ litterarum Hebraicarum, teſte Hieron. & aliis fuerint mutatæ apud Iudæos, qui per Eſdram fuerunt reducti; priores tamen characteres ſeu figuræ, ubi Tau pingitur eo modo, quo diximus, etiam tempore Hieronymi apud Samaritanos adhuc in uſu erant. Fuit igitur figura huius litteræ in tribus primariis linguis eadem, videlicet iſta T. in modum Crucis. Unde & titulus Crucis non ſine ſingulari conſilio Dei, iiſdem tribus linguis conſcriptus fuit. Adde quod hoc ſignum non tantùm apud Hebræos (ut hoc capite videmus) vitale fuit; eoque ſignati morti ſubtracti ſunt; verùm fauſtum quoque fuit apud Gentiles. Scribit enim Iſidorus lib. 1. etymol. ita militari more, ſolere diſcerni vivos à mortuis poſt prælium, ut cæſi littera θ. theta, vivi autem littera Tau T. ſignarentur. Scribit etiam Aſconius Pedianus, ſortes, quæ in judiciis in urnam mittebantur, triplicem ſolere habere notam. Siquidem θ. erat damnationis ſymbolum; T. ſalutis & abſolutionis, λ. verò ampliationis; quâ poſtrema videlicet ſignificabatur, cauſam nondum ſatis explicatam eſſe, ſed ampliùs examinandam. Iuxta hanc igitur ſententiam ſignantur pœnitentes, & electi ſigno Thau; quia virtute crucis eripiuntur à poteſtate Diaboli; & ſalutem conſequuntur; cæteri qui eo ſignati non fuerint, internecioni deſtinantur.

ỿ. 6. *A ſanctuario meo incipite.* Quidam ita intelligunt dictum: Ne quidem iis parcatis, qui mihi ſerviunt, & per juſtitiam mihi propinquiores ſunt, ſcilicet, quia propter occulta & quotidiana peccata etiam temporalem pœnam iſti merentur; juxta illud 1. Petri 4. *Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei.* Sed hic ſenſus minus probatur; quia agitur de occidendis iis, qui ſigno T. non erant notati. Ergo hi de quibus hic loquitur Dominus per prophetam, impii erant. Proinde ſenſus erit, quod qui dignitate ſunt Sacerdotes, & præfecti in populo, ſed per idololatriam, Sacerdotium ſuum ſeu præfecturam, polluerunt; primo loco, id eſt, cæteris gravius ſint puniendi; quia ſcilicet gravius peccaverunt; quia non ſolùm ipſi peccaverunt idola colendo, ſed & populo eiuſdem ſacrilegij cauſa fuerunt. Generaliter ſignificatur dignitatem, præfecturam, ſcientiam, Sacerdotium, & ſimilia, in peccatoribus eſſe circumſtantias, quibus eorum peccata aggravantur, & gravius puniendi ſint. Nihil tamen vetat Petrum Apoſtolum loco citato huc alluſiſſe. Vide ibidem noſtrum comment.

CAPUT X.

ỿ. 14. *FAcies una, facies Cherub, & facies ſecunda facies hominis; & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* *Quæſtio* occurrit circa hanc viſionem, quæ hic ſecundò, ut videtur, oſtenditur, eadem quæ cap. 1. Nam quæ primo capite dicta eſt facies bovis, ſeu vituli, hoc loco vocatur facies Cherub. Quod ita ſolvit. Hieron. Ex quo intelligitur, inquit faciem Cherub eſſe faciem vituli. Alij dicunt viſionem hanc non fuiſſe omninò eandem, ſed certæ ſignificationis cauſa, faciem bovis mutatam fuiſſe in faciem Cherub. Alij rurſum non improbabiliter fatentur eandem omninò eſſe viſionem; quod etiam ſatis ſignificare videtur propheta v. 15. & 20. ſed omnia quatuor animalia fuiſſe Cherubin, quia allata erant; & prophetam primo loco poſuiſſe generale nomen Cherub, qui tamen faciem habebat vituli, in progreſſu autem, diſtinctionis gratia cætera animalia ſpeciali nomine ſingula deſignari. Et quod ipſa animalia vocentur Cherubin, manifeſtum eſt, quia dicit v. 16. *Cùm ambularent Cherubin, ibant pariter & rota.* Pro quo dixerat cap. 1. v. 19. *Cumque ambularent animalia ambulabant pariter & rota.*

Sed *quæres*: Quid quatuor iſta animalia ſignificant; quorum & hîc & primo cap. fit mentio? Varij variè ſuper hâc re ſcripſere. Duæ ſunt celebres & magis ſolidæ opiniones. *Una*, quam cap. 1. explicuimus, ſignificari quatuor Evangeliſtas; per hominem Matthæum; per leonem Marcum; per vitulum ſeu bovem Lucam; & per aquilam Ioannem. Rationes vide ad dictum caput 1. *Altera* opinio eſt, per quatuor iſta animalia, ſignificari quatuor Monarchias, pleniùs à Daniele prædictas. Scilicet per faciem leonis, quæ ſecundum Hebr. prima eſt, ſignificari putant regnum Chaldæorum: Nam rex Babylonis ſæpè leo vocatur in ſcripturis, propter ferocitatem; per faciem hominis, regnum Perſarum, quia iſtud regnum magnâ cum humanitate tractavit populum Iudaicum: per vituli faciem, regnum Græcorum, propter laſciviam; per faciem aquilæ, regnum Romanorum, quia cæteris excellius fuit, & aquilam etiam in ſignis prætulerunt.

CAPUT XI.

ỿ. 2. *HI ſunt viri qui cogitant iniquitatem — dicentes. Nonne dudum ædificatæ ſunt domus? Hæc eſt lebes, nos autem carnes.* Sermo figuratus, & obſcurus Hebr. ſic: *Dicunt enim: Non eſt propè, ædificanda domus, hæc eſt olla, & nos caro.* Senſus eſt. Iſti authores & ſuggeſtores mali conſilij dicunt; Non eſt propè ſeu in propinquo, quod prophetæ prædicunt & comminantur futurum, brevi id non implebitur. Hæc civitas eſt olla, & nos ſumus carnes; q. d. non egrediemur è civitate, non abducemur aliò captivi; quamdiu vixerimus, ſicut ſcilicet non eximuntur carnes ex ollâ, priuſquam plenè & ſufficienter coctæ ſint.

ỿ. 17. *Congregabo vos de populis.* Et poſteà v. 19. *Et dabo eis cor unum — & dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent:* Idem propheta Ezechiel infrà capite 18. dicit *Facite vobis cor novum*, hîc autem dicitur, *dabo eis cor unum, & ſpiritum novum*: ſcilicet, quia hîc gratiæ operatio prædicatur, ibi autem vis liberi arbitrij nihilominus oſtenditur. Et pertinet hæc prophetia ad reliquias illius populi tempore Evangelij, de quibus dictum eſt in Actis Apoſtolorum cap. 4. *Erat credentium cor unum & anima una.* Cor carneum autem dicitur à carne, non ea de quâ dictum eſt, Galat. 5. *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem*, & rurſum 1. Corinth. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*, à quâ carne homines vocantur carnales, ſed à certâ quâdam carnis proprietate, id eſt, ab eius mollitie & tractabilitate: Nempè cor carneum hic opponitur cordi lapideo, id eſt, duro, & præcepto-

rum

rum Dei, propter ſuam duritiam, incapaci. Ita dicit Apoſtolus 2. ad Cor. 3. *Eſtis epiſtola Chriſti miniſtrata à nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei; non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus.*

CAPUT XII.

℣.5. A*Nte oculos eorum perfode ſibi parietem, & egredieris per eum, In humeris portaberis, in caligine efferêris, faciem tuam velabis, &c.* Hæc de Sedechia, & populo eius dicta ſunt, ſignificando quænam eis eſſent eventura. Sedechias enim, deſperata ſalute civitatis, legitur de nocte, muro ſuffoſſo, fugiſſe ad deſerta Iordanis, idque, ut opinantur Hebræi, per viam ſubterraneam; atque ita ſcilicet in caligine effugit, faciemque ſuam velavit, ne quis cognoſceret eum eſſe regem. Additur autem (*in humeris portaberis*) ſic enim legendum eſt ſecundum Sixtina, & non activè (*portabis*) quia Sedechiæ effodiendi erant à Chaldæis oculi, atque ita non potuit abire pedibus, quomodo alij; ſed vel portari ab alijs, vel certè humeris aliorum inniti debuit, quomodo cœci ducuntur. Additur & hoc: *& non videbis terram*, & quidem generatim, quia excæcatus ductus in Babylonem, nec ipſam videre potuit. Et hæc in perſona Prophetæ adumbrata, completa fuiſſe poſteà in Sedechia ex hoc ipſo capite manifeſtum eſt. Sic enim ſubditur v.12. *Et Dux qui eſt in medio eorum, in humeris portabitur.* Et v.13. *Et adducam eum in Babylonem, in terram Chaldæorum, & ipſam non videbit.*

℣.6. *Quia portentum dedi te domui Iſraël.* Scilicet Ezechiel Propheta, non verbis tantùm, ſed etiam factis (quæ portentoſa videbantur inſpicientibus) prophetavit. Sicut etiam Iſaias c.20. prophetavit, incedens nudus & diſcalceatus; ſicut Ierem. c.27. vincula geſtans in collo; ſicut Oſee c.1. juſſu Domini ducens uxorem fornicariam. Sed in hoc genere excelluit Ezechiel; cuius complura facta, portentoſa, hoc capite & alijs leguntur: Unde & præ cæteris ei dictum videtur, *Quia portentum dedi te.*

CAPUT XIII.

℣.3. V*Æ prophetis inſipientibus.* Et poſt pauca u.5. *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Dicuntur hæc Pſeudoprophetis; & ſub eorum perſona, omnibus ijs, qui cum populo Dei præfecti ſint, non tamen veri paſtoris officium agunt ſed mercenarij ſunt, commoda ſua ſectantes, offenſiones, & pericula fugientes. Itaque in duobus hic deſcribitur officium veri paſtoris. *Unum* eſt, aſcendere ex adverſo; quod fit, graviter & intrepidè peccata populi increpando: *Alterum*, opponere ſe murum pro domo Iſrael; quod fit precibus, & ſacrificiis, & indictis etiam, (ſi Epiſcopis bonum videbitur) publicè jejuniis, iram Dei à populo avertendo. Quarum rerum exempla in Moyſe, Samuele, & omnibus prophetis habemus; & in primis dicti duo fuerunt muri, & obices quidam iræ divinæ oppoſiti. Unde Dominus ad Moyſen quaſi ſibi obſiſtentem, Exodi 32. *Dimitte me, & delebo populum iſtum.* Porrò quòd dicitur: *ut ſtaretis in prælio in die Domini*, tertium innuitur officij Paſtoralis membrum: videlicet hoſtibus tum viſibilibus, tum inviſibilibus fortiter pugnando reſiſtere; Quod hoc tempore vel maximè neceſſariũ eſt; quando hoſtium Eccleſię numerus in immenſum auctus, ſatis admonet Paſtores omnes, quantum pro grege ſuo vigilare debeant; & quàm conveniat eos eſſe paratos, ut hæreticorum inſidias ſpiritualibus armis repellant.

℣.19. *Et violabant me ad populum meum, — ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt.* Mirum quod hîc de Pſeudoprophetis dicitur, quod interficiebant animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt. Sed quomodo hæc intelligenda ſint, declarant ea quæ ſequuntur v.22. ubi dicit ad eos Dominus: *Pro eo quod mœrere feciſtis cor juſti mendaciter, quem ego non contriſtavi, & confortaſtis manum impij, ut non reverteretur à via ſua mala, & viveret; propterea eruam populum meum de manu veſtra, dicit Dominus.* Igitur interficere animas quæ non moriuntur, eſt hominem juſtum, & coram Deo viventem, ſua ſententia condemnare, tamquam peccatorem & morte dignum. Vivificare autem animas, quæ non vivunt, eſt ſceleratum & impium, qui in conſpectu Domini mortuus eſt, tamquam innoxium, & vita dignum, abſolvere. Utrumque ſcilicet etiam hodie faciunt pœnitentiarij Sacerdotes, qui in confeſſionibus audiandis colant culices, & glutiunt camelos.

CAPUT XIV.

℣.9. P*Ropheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Hoc loco abutuntur ad ſui erroris confirmationem Calvinus, & alij, qui Deum faciunt peccati authorem. Aiunt enim his verbis ſignificari, Deum non tantùm permittere, ut peccata committantur, ſed etiam efficienter, ac vi propria agere ad peccati operationem; &, ut augeant blaſphemiam, tam proprium eſſe opus Dei Iudæ proditionem, quàm vocationem Pauli. Sed id meritò damnat Concil. Trident. Seſſ.6. can.6. Et nos quoque ad argumentum ex hoc loco petitum *Reſpond.* Decipit Dominus Prophetam, id eſt, Pſeudoprophetam, quando exigente malitia populi, veros Prophetas audire recuſantis, Deus iratus objicit ei falſum Prophetam, placentia loquentem, per quem decipiatur: & ipſi Prophetæ objicit occaſionem populi cupientis audire placentia, etſi falſa. Atque ita ſibi mutuo ſunt in laqueum, Propheta falſus & populus, non Deus. Sic & 2. Theſſ.2. *Eò quòd charitatem veritatis non receperunt, Ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati.* Vide etiam Iob 12. & in Exodo aliquoties de obdurato Pharaone, & noſtrum Comment. ad citatum Apoſtoli locum.

℣.14. *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noë, Daniel, & Iob.* Et v.18. *Et tres viri iſti fuerint, non liberabunt filios neque filias, ſed ipſi ſoli liberabuntur.* Non hoc ſignificatur, meritis juſtorum Deum numquam parcere impiis: Aperta eſt enim Dei ſententia ad Abraham Gen.18. de Sodomitis; *Si fuerint decem juſti in ea, parcam civitati, propter decem juſtos.* Et ſæpè teſtatur Scriptura, Deum pepercîſſe Ieruſalem propter David ſervum ſuum; ſed ſignificat hoc loco Dominus, ita completam eſſe terræ iſtius, & civitatis malitiam, ut omninò decreverit ſuam juſtam vindictam ſuper eam effundere; maximè quia peccatum uſque ad contemptum pervenerat. Sic & Ieremiæ prohibuit Dominus ne oraret pro populo; quia ſcilicet prorſus decreverat non miſereri. Alioqui, Deum haud rarò parcere impiis propter juſtos, & ex hoc ipſo quoque loco patet. Nam propter Noë, qui hîc nominatur, pepercit olim filiis eius & uxoribus eorum, & reſtituit humanum genus. Ad preces quoque Danielis promiſit inſtaurationem templi, & civitatis. Ad interceſſionem denique & ſacrificium Iob, amicorum eius peccatum condonavit; & prius quoque filiorum ſuorum in conviviis peccata. Sed cur non nominatur Abraham? An propter tanti Patriarchæ reverentiam: quæ videlicet minui videretur apud eius poſteros, ſi diceretur preces eius, quas pro ipſis effunderet, non eſſe exaudiendas? An quia jam olim in Abraham quid ſimile contigerat? Intercedens enim apud Deum pro Sodoma & vicinis urbibus non impetravit, obſtante eorum ingenti malitia, & juſtorum paucitate: ſolùm Loth patruelem juſtum cum duabus filiabus precibus incendio eripuit.

CAPUT XV.

℣.2. F*ili hominis quid fiet de ligno vitis?* Et tandem v.4. *Ecce igni datum eſt in eſcam.* Aptiſſima comparatione oſtenditur quàm gravis damnatio iis debeatur, qui plus acceperunt à Deo, nec tamen in iis quæ acceperunt, permanent, aut donis à Deo acceptis non utuntur; ſive ſit religio vera, ſive doctrina & eloquentia, ſive quæcumque alia dona; ſed iis ad ſuum quæſtum & commodum abutuntur. Hos gravior longè ſequitur damnatio, quàm ſi eam donorum Dei excellentiam numquam habuiſſent. Idque ad inſtructionem noſtram frequentiſſimè inculcat Scriptura Sacra. Sic Luc.12. *Servus ſciens voluntatem Domini ſui & non faciens, vapulabit multis*, & 2.Petri 2. *Melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ quàm poſt agnitionem retrorſum converti.* Et alibi ſæpiùs. Hinc quoque ſtatui poteſt, cæteris paribus Chriſtianorum peccata, ut adulteria, fornicationes & ſimilia, graviùs punienda quàm infidelium; quia quod ſunt Chriſtiani, hoc ipſum eſt circumſtantia aggravans.

CAPUT XVI.

℣.3. H*Æc dicit Dominus Deus Ieruſalem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan; pater tuus Amorrhæus &c.* Alii ex Hebræo vertunt: *Manſiones tuæ & natales tui de terra Chanaan:* ſcilicet, quia Abraham, Iſaac & Iacob ibi peregrinantes, filios genuerunt. At Pagninus alium ſenſum ſua verſione indicat. Vertit enim hoc modo: *Opera tua ſunt, ac ſi habitationes tuæ nativitates tuæ fuiſſent de terra Chanaan.* Sic & illud: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Rabbi Salomon Amorrhæum intelligit Abrahamum, quia inter Amorrhæos habitavit Geneſ.14. & matrem Cethæam Saram, quia ſepulta fuerit in terra filiorum Heth Geneſ.23. Sed non eſt veriſimile, Abrahamum tam odioſo nomine vocari. Atque adeò verior ſenſus eſt, ut dictum ſit, *Pater tuus Amorrhæus*, ſicut Chriſtus Ioan. 8. dicit ad quoſdam; *Vos ex patre Diabolo eſtis.* ſcilicet non generatione, ſed morum ſimilitudine. Unde & illud in conſequentibus huius cap. *Sicut mater, ita & filia eius.* Ubi ſine dubio de morum ſimilitudine ſermo eſt. Quâ ratione etiam duas ſorores eidem populo tribuit; Samariam majorem, Sodomam minorem; earumque facta cum factis ipſius comparat.

℣.6. *Dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo: Vive.* Senſus eſt, tibi quę eras in ſanguine tuo, dixi, *Vive*, id eſt, te in ſanguine tuo volutatam & projectam aſſumpſi ut viveres, & non perires. Infans enim dum naſcitur, obvolutus eſt ſanguine menſtruo materno à quo mundari debet. Unde prodigii loco legitur de Albino Imperatore Romano, quod effuſus fuerit ex utero materno candidiſſimus, contra conſuetudinem aliorum puerorum. Cęterũ per verbum, *Vive*, non pręceptum ſignificatur, ſed beneficium, & quidem peculiare, quod præ cęteris nationibus pręſtitit Deus illi populo, ut in illo eſſet notitia & cultus veri Dei, id eſt, vera religio. *Non enim fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Pſal. 147. Vide quę Moyſes ad illum populũ dicit Deut.4. *Hæc eſt enim veſtra ſapientia — Nec eſt alia natio tam grandis — Quæ eſt alia gens ſic inclyta &c.* Et Ierem.13. *Agglutinavi mihi omnem domum Iſraël & Iuda ut eſſet mihi in populum, &c.* Hæc enim loca ſunt pro commentario huius loci parabolici. Sed quando dixit ei, *Vive*? Tunc potiſſimum quando poſt contaminationem Deorum Ægyptiorum, ubi, ſcilicet in Ægypto tamquam utero materno, populus iſte qui antea nondum erat populus, quodammodo natus fuit; Data eſt ei lex in Monte Sina. Ibi enim dictum eſt ei: Eritis mihi in populum peculiarem, regnum Sacerdotale, gens Sancta.

℣.49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant.* Notandum hîc non recenſeri graviſſimum illud peccatum, propter quod peculiariter legimus Sodomitas, & vicinos eſſe everſos. Voluit enim Propheta ad inſtructionem & cautelam poſterorum proferre non tam iniquitatem eorum, quàm cauſas & occaſiones tantæ iniquitatis. Erant autem iſtæ: *Superbia*, id eſt, faſtus & pompoſitas, *Saturitas panis*, id eſt, omnium quę ad cibũ & potum pertinent, affluentia, per quod omnium rerum temporalium proſperitas ſignificatur. *Et otium ipſius & filiarum eius*, id eſt, urbium ei ſubiectarum. Otium enim ex affluentia rerum plerumque naſcitur & ipſum rurſum multorum malorum cauſa eſt. Atque ex his ſcilicet cauſis & velut illecebris ſignificare vult Propheta eos prolapſos in abominanda illa peccata, propter quę deleti ſunt. Et poſtrema pars eſt: *Et manum egeno & pauperi non porrigebant.* Quibus verbis ſignificatur ab eis prætermiſſum fuiſſe remedium, quo ſua etiam graviſſima peccata apud Deum redimere potuiſſent. De quo Daniel ad regem, *Peccata tua Eleëmoſynis redime.* Et Chriſtus in Evangelio: *Date Eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Locus utilis ad oſtendendum quæ ſint plerumque peccatorum etiam magnorum occaſiones & qua via, quovè remedio peccata commiſſa aboleri poſſint. Conſideret quiſque, an non ſimiliter peccata, quę hic commemorantur, in Belgio occaſionem dederint huius graviſſimi mali, infidelitatis, hæreſeos & rebellionis, quod uſque in hodiernum diem graſſatur.

Et otium ipſius & filiarum eius. Otium vocabulum medium eſt, etiam in ſacris litteris. Nam otium non malum ſignificatur 1.Paralip.22. cùm dicitur, *Pacem & otium dabo in Iſraël cunctis diebus eius.* Eſt etiam otium ſanctum, ut otium Sabbathi, de quo cap. 25. huius Prophetæ. Tale etiam eſt otium vacantium inquirendæ veritati, de quo Auguſt.lib.10.de civit.c.19. Otium ſanctum quærit charitas veritatis. Sed frequentius in malam partem accipitur pro vacatione ab opere honeſto & utili, ut hoc loco, & in Proverbiis cap.12. & 28. & alibi. Otioſus autem & otioſitas ſemper in malo intelliguntur.

Manum egeno & pauperi non porrigebant. Sicut Sodomitæ perierunt igne & ſulphure, quia graviſſima ſua peccata non redemerunt Eleëmoſynis pauperum; ita in extremo judicio reprobis dicetur: *Ite in ignem æternum — eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare, &c.* Matth.25. id eſt, quia peccata ſua Eleëmoſynis & miſericordiæ operibus redimere non curarunt; quemadmodum hoc intelligit Auguſtinus. Fuit enim everſio Sodomorum figura quædam & imago perditionis impiorum omnium in extremo die judicii; & ignis illi temporarius typus quidam ignis æterni, ut ſignificat Iudas in ſua epiſtola. Vide Annotat. Matth.25.

CAPUT XVII.

℣.19. V*ivo ego dicit Dominus Deus; quoniam juramentum, quod ſprevit, & fœdus, quod prævaricatum eſt, ponam in caput eius.* Valet hic locus contra quorumdam olim opinionem, arbitrantium licitum eſſe principi, aut cuicumque homini Chriſtiano, recedere à promiſſione, fœdere, vel jurejurando, quo ſe hæreticis aut infidelibus, aut etiam rebellibus obligaverit. Nam Sedechias iſte cum rege infideli fœdus inierat. Quod quidem cum ille irritum feciſſet; ſive conſilio Sacerdotum, (ut quorumdam opinio eſt) dicentium, tale fœdus non obligare, contra quam moneret Ieremias; ſive tantùm quia ſpem collocabat in auxilio Pharaonis; graviſſimè illud in eo redarguitur: nullumque hoc loco aliud peccatum regi Sedechiæ objicitur, propter quod tradendus ſit in manus hoſtium, quàm violatio pacti, & juramenti, quod regi Nabuchodonoſori,

etſi infideli, fecerat. Non loquor tamen de pactis, quę ſine impietate, aut peccato ſervari non poſſunt; Nam illa, ſicus illicitè fiunt, ita quàm citiſſimè reſcindi debent: Sed ſermo eſt de pactis, quæ licitè fiunt; aut, etiamſi illicitè fortè & imprudenter facta ſunt, tamen licitè poſſunt ſervari.

℣.22. *Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis — de vertice ramorum eius tenerum diſtringam, & plantabo ſuper montem excelſum.* Mirum, quoſdam interpretes hunc locum exponere de Zorobabel, cùm in eum non competant verba adjuncta, niſi valdè hyperbolicè intelligantur: ſic enim ſequitur: *In monte ſublimi Iſraël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam: & habitabunt ſub ea volucres, & omne volatile ſub umbra frondium eius nidificabit.* Unde alij hunc locum magis pertinere putant ad Meſſiam venturum: & quidem etiam Hebræi non pauci, quamquam in eo ipſi fallantur, quod illi temporale Chriſti regnum accipiant, quod nos ſpirituale intelligimus, Id autem eſt, quo regnat ipſe in ſua Eccleſia, id eſt, in cœtu Sanctorum; cuius regni initium fuit poſt reſurrectionem, quando dictum eſt à Domino, Matt.28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra; Euntes ergo in mundum univerſum, prædicate, &c.* Per volucres verò & omne volatile, intelliguntur iidem, qui in parabola de grano ſinapis Matth.13. videlicet, potentes, & ſublimes huius ſæculi, tum reges, tum etiam multi Philoſophi, qui ſubmittentes collum jugo ſuavi Chriſti, ſub eius deinde protectione & alis libenter conquieverunt.

CAPUT XVIII.

℣.3. V*Ivo ego, dicit Dominus Deus, ſi erit ultra vobis parabola hæc in proverbium in Iſraël.* Id eſt, tandem agnoſcetur in Iſraël, ſaltem ſpirituali, id eſt, in Eccleſia, unumquemque puniri pro ſuis peccatis, etiamſi id ſæpè contingat occaſione peccatorum alienorum. Nam Eccleſia publicè confitetur: *Omnia quæ feciſti nobis Domine, in vero judicio feciſti quia peccavimus tibi.*

℣.20. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris.* *Quæritur* quomodo hęc conſentiant cum eo quod dicitur Exod.20. *Ego Deus zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios?* & cum querimonia Ieremiæ in Threnis: *Patres noſtri peccaverunt, & nos iniquitates eorum portavimus?* Item cum fundatiſſima Eccleſiæ doctrina, quâ docet quod ob inobedientiam primi parentis omnes naſcamur filij iræ? Ad hanc apparentem ſententiarum repugnantiam ſeu *ἀντιλογίαν* reſpondet Hieron. ſententiam Exodi intelligendam de filiis, qui patrum exiſtunt ęmulatores; expreſsè enim addit *his qui oderunt me.* Verùm quia noſtra lectio habet in genitivo, *eorum qui oderunt me* (quamquam Gręca habeant dativum, & Hebręa putentur utrumque ſenſum admittere) alij reſponſionem hanc Hieronymi etiam paulò latiùs explicant, dicentes: *Ego Deus zelotes viſitans iniquitatem uſque ad tertiam & quartam generationem.* Ac ſi dicat Deus: Etſi miſericors ſim, & differam vindictam quam parentes eorum meruerant, exſpectans eos ad pœnitentiam uſque ad extremum eorum halitum; tamen ſi non convertantur & in iiſdem peccatis filios ac nepotes habeant imitatores; occaſione eius iniquitatis quam commiſerunt parentes, & à qua poſteri non receſſerunt gravior in poſteros incumbet vindicta, quam ſi parentum peccata non præceſſiſſent. Atque hoc modo etiam querimonia Ieremiæ intelligenda eſt ut ibidem annotavimus. Ita quoque Chriſtianis hic idem dicere poſſet videns propter luxum ſuperiorum temporum, ac multiplicem abuſum atque peccata, homines nunc viventes affligi qui fortè tam gravia non commiſerunt; ita tamen ut non cum Deo expoſtulet quomodo hi quos Ezechiel re-

A prehendit, dicentes, *Patres comederunt uvam acerbam; & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Illi enim ſe innoxios, ac tantis pœnis indignos, tantùm propter parentum peccata affligi putabant, Deo non ſine blaſphemia adſcribentes injuſtitiam. Id quod etiam faciunt, qui traducem mortis agnoſcunt ex primo parente, ſine traduce peccati. Filij autem novi Teſtamenti ita ſe affligi intelligunt propter peccata parentum, ut tamen & ipſi ſuam agnoſcant iniquitatem, & dicant cum Sanctiſſimo Tobia cap.3. *Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum.* Vide etiam loca citata, & noſtra in 2. diſtinct. 11. §.11.

B

CAPUT XIX.

℣.2. Q*Vare mater tua leæna inter leones cubavit, in medio leunculorum enutrivit catulos ſuos?* Duorum leonum hîc fit mentio, de quibus dicitur, quod didicerunt prædas capere, & homines devorare, id eſt, ut ipſe propheta exponit, *viduas facere, & civitates in deſertum adducere.* Sed *quæritur* qui per duos leones intelligantur? Quod ad priorem attinet, omnes conſentiunt, intelligi Ioachaz filium Ioſiæ, quem Pharao Nechao rex Ægypti bello ſuperatum duxit in Ægyptum; idque ſatis manifeſtè quoque ſignificat propheta cum dicit: *Et adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti.* Maior quęſtio de altero leone, de quo dicitur. *Et miſerunt eum in caveam, in catenis adduxerunt eum*
C *ad regem Babylonis.* Liran. intelligit Ioakim. Sed iſte in Babylonem nõ fuit adductus, ſed extra muros Ieruſalẽ occiſus, & abiectus inſepultus. Alij, ut Hier. intelligunt Iechoniam eius filium. Sed iſte ſponte ſe tradidit regi Babylonis, nec pugnando captus eſt, neq; in vulneribus gentium, ut hic dicitur. Ponit Hieron. etiam ſententiam eorum, qui Sedechiam intelligi putant per hunc alterum leonem. Quod ſatis probabile eſt. Nam Sedechias non ſponte obijt in Babylonem, ſed bello ſuperatus & captus eſt, & excæcatus ductus eſt in Babylonem.

℣.14. *Et non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium.* Non fuit, id eſt, non ampliùs fuit, ex quo civitas à Chaldæis incenſa fuit, & terra vaſtata. Sed quomodo ergo verum eſt illud Geneſ.49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui*
D *mittendus eſt?* cùm hæc ſceptri ceſſatio contigerit ſexcentis annis ante Chriſtum? *Reſpond.* non intelligitur hoc loco omnimoda ceſſatio ſceptri, niſi fortè tantùm ad annos aliquot, durante captivitate Babylonis. Etenim poſt captivitatem ſceptrum iterum erectum fuit, etſi non ea fortitudine & potentiâ, quâ præſtabat ante captivitatem. Et hoc fortè innuitur hic cum dicitur: *Et non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium.* Scilicet quia non liberè, ſed ſub alio principe potentiore, eorum duces Zorobabel & cæteri, populum illum deinceps rexerunt. Unde & in prophetia illa Iacob Geneſ.49. non negatur, quin rex ſeu regia poteſtas ab iis auferetur: ſed tantùm (*non auferetur dux*) quod nomen eſt inferioris dignitatis.

E

CAPUT XX.

℣.6. L*Evavi manum meam pro eis ut educerem eos de terrâ Ægypti in terram quam provideram eis fluentem lacte & melle.* Et infrà: *Ego igitur levavi manum meam ſuper eos in deſerto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte & melle.* Et infrà: *Et pepercit oculus meus ſuper eos, ut non interficerem eos.* Quomodo ſecundùm juramentum non eſt contrarium primo? & quomodo poſtrema verba non ſunt contraria ſecundo juramento? Reſpondeo, quia populum introduxit in terram promiſſionis, ſicut primò juravit; & tamen in deſerto perdidit omnes eos qui à viginti an-
nis

nis & ſupra fuerunt egreſſi ex Ægypto; per quod implevit ſecundum juramentum. Pepercit autem populo, ſervando filios eos qui ex Ægypto fuerant egreſſi, & in terram promiſſionis introducendo: per quod & primum juramentum, & tertium dictum verum præſtitit.

ỹ. 21. *Quæ faciens homo vivet in eis.* Hoc & infrà adhuc bis repetitur. Reſpicitur autem ad promiſſionem divinam Levit. 18. Vide noſtr. Comm. Rom. 10. v. 3.

ỹ. 25. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Variè illud exponitur tum à veteribus, tum à recentioribus. In qua varietate cum primis cavendum eſt, ne ſic intelligamus præcepta non bona quaſi malum, id eſt, peccatum præſcripſerint, aut eorum quædam talia fuerint quæ natura ſua magis ducerent ad falſum & ſuperſtitioſum cultum, quàm ad cultum unius Dei. Quomodo enim Deus non erit author peccati, ſi ea præcipit quæ ſuaptè natura ad peccatum ducunt? Itaque teneamus Apoſtoli ſententiam dicentis ad Rom. 7. *Lex ſancta & mandatum ſanctum, & juſtum & bonum.* Et ne alia legis moralis, alia cæremoniarum eſſe ratio cuiquam videatur, ſciat utrumque præceptorum genus ab eodem Deo profectum eſſe, ac proinde non poſſe non eſſe ſanctiſſimum. Scit etiam non tantùm per Decalogum; verùm etiam per legem cæremoniarum populum Iſraeliticum à cæteris nationibus fuiſſe ſeparatum, teſtante Moyſe in Deuteronomio cap. 4. *Quæ eſt alia gens ſic inclyta ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem quam ego proponam hodie ante oculos veſtros?* Quæ cum ita ſe habeant; videndum quæ ſit præſentis loci intelligentia. Hieronymus hunc ſenſum præ aliis amplectitur quo ſignificatur quod præcepta quæ natura ſua erant bona, & judicia in quibus poſſent credentes vivere, facta ſint illi populo non bona, dum nequaquam valent in captivitate legis præcepta ſervare, & facere quæ divinus ſermo mandavit. Neque dixit (inquit) dedi eis præcepta mala, ſed non bona. Non enim ſtatim ſequitur, ut quod bonum non eſt, ſit malum. Alij hac ſententia putant expreſſam veteris legis ac veteris populi conditionem. *Quia nihil ad perfectum adduxit lex*, ſed potiùs *iram operatur* & auget prævaricationem in ijs qui ſola nitentes virtute liberi arbitrij, neque ſibi neceſſariam putantes gratiam novi Teſtamenti, ad legem accedunt, & ab ea juſtitiam exſpectant. His profectò illa præcepta bona non erant, quia eos ad juſtitiam non perducebant. Alium ſenſum innuit Hieronymus ex interpretatione Symmachi, quem dicit hunc locum manifeſtius fuiſſe interpretatum, dum pro præterito ponit futurum hoc modo: *Igitur & ego dabo eis præcepta non bona & judicia propter quæ non vivent.* Cuius ſenſum eſſe dicit: *Quia vidi filios ſceleribus patrum coæquari, ideò volui illos dividere in nationes, & dare illis præcepta non bona*; q. d. quia primogenita ſua, & alia quæ debebant Deo offerre ſecundum legem, seducti conſuetudine gentium, offerebant Baalim, aliiſque gentium idolis: præcepta Dei bona, facta ſunt eis non bona. Quem ſenſum indicat quod ſequitur: *Et pollui eos in muneribus cum afferrent*, ſive ut in Hebræo, *traducerent*, intellige per ignem, *omne primogenitum.* Item quod præceſſit: *In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec judicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum polluamini.*

Alij denique intelligunt leges quarum hîc mentio eſt, non à Deo, ſed à gentibus victricibus permittente Deo impoſitas, ut leges tributi, ſervitutis, & ſimilium oppreſſionum, q. d. Noluiſti parere legibus ad ſalutem datis; ideò permittam vobis imponi leges duras & aſperas; quas ferre cogemini ab ijs qui vos captivos abduxerint, aut in poteſtatem redegerint. Et nota quod nomen præcepti, ſicut & legis valdè latè pateat, ſignificans omne agendi morale principium, ſive bonum, ſive malum; unde vocamus præcepta Philo-

A ſophorum, & in collecta Eccleſiæ: *Da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum*, id eſt, doctrinam, *per quos*, &c. Hinc eſt apud Apoſtolum lex carnis, & lex membrorum. Imò & ad ordinationem Dei circa irrationabilia, præcepti nomen extenditur. Nam & *Dominus præcepit piſci ut evomeret Ionam in aridam.* Et Chriſto præcipiente ventis & mari, facta eſt tranquillitas magna. Igitur generali hac ſignificatione pravæ conſuetudines & præcepta maiorum rectè præcepta vocantur; ſed præcepta non bona. Et denique niſi eſſent etiam aliqua judicia non recta; non diceret David: *Iudicia Domini recta.* Pſal. 18.

ỹ. 39. *Et vos domus Iſraël. Hæc dicit Dominus Deus. Singuli poſt idola veſtra ambulate, & ſervite eis.* Si illud B veri præcepti rationem haberet, tum verum eſſet Deum illis dediſſe præcepta non bona, imò ſimpliciter mala, quia prorſus impium eſt quod his verbis præciperetur. Sed abſit ut Deus cuius eſſentia bonitas eſt, malum aliquid & impium præcipiat. Sed ironiæ ſpeciem habet hic ſermo, cùm adjuncta comminatione. q. d. Quandoquidem audire me non vultis; ite nunc, & colite idola, quibus hactenus ſerviviſtis; & videbitis quid ex eo tandem vobis accidet.

CAPUT XXI.

ỹ. 3. *Occidam in te juſtum & impium.* Quæritur quomodo hoc, cùm Abraham dicat ad Dominum Geneſ. 15. *Abſit à te ut hanc rem facias, & occidas juſtum cum impio. Non eſt hoc tuum, &c.* Poſſem reſ- C pondere, Septuaginta Interpretes aliter legere hoc loco; videlicet, *Et perdam ex te impium & injuſtum.* Quæ ſententia nullam habet quæſtionem. Sed cum lectio noſtra conſentanea ſit veritati Hebraïcæ; oſtendendum eſt eam non pugnare cum verbis ſanctiſſimi Patriarchæ. Itaque *reſpondeo* temporalibus pœnis & calamitatibus frequenter involvi juſtos ſimul cum impiis præſertim quod nemo ſit juſtus in terra, qui non peccet, & qui non peccatis ſuis, tametſi venialibus, aliquam pœnæ ſocietatem mereatur cum ijs, quorum peccata propriè vindicantur. Itaque in hujuſmodi temporalibus afflictionibus Deus juſtum quidem partim exercet ad virtutem, partim flagellat, ut filium; ſupD pliciis autem æternis juſtum pariter cum impio involvi, prorſus non patitur divinæ juſtitiæ regula; & hoc eſt quod Abraham ſeipſum explicans adjecit; *ſiatque juſtus ſicut impius* ſcilicet per omnia. Et planè Abrahamum in figura locutum eſſe de ſuppliciis æternis, inde oſtenditur, quia in ſpiritu vidit illam Sodomorum everſionem, quæ facta eſt in igne & ſulphure, præfigurare imaginem æterni incendij. Unde & illud Iudæ Apoſtoli: *Sicut Sodoma & Gomorrha & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram factæ ſunt exemplum ignis æterni.* Quia igitur illa ſubverſio gerebat exemplum ignis æterni, noluit Deus quemquam juſtum, ea tametſi temporali punitione comprehendi: alioqui juſti ex cauſis ſuprà allegatis poſſunt cum impiis iiſdem aliquando pœnis temporalibus ſimul involvi.

E ỹ. 21. *Stetit enim rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiſcens ſagittas, &c.* Deſcribit ſuperſtitionem regis Babylonis, qui poſitus in bivio, & incertus utram viam ingredi vellet. (Nempè altera ducebat verſus Ieruſalem Metropolim Iudææ, altera verſus Rabbath Metropolim Ammonitarum) divinatione ſolvere voluit dubitationem. Itaque commiſcuit ſagittas, projiciens eas in terram, ut videret in quam partem caderent: *interrogavit idola ſua, & conſuluit exta.* Quæ tria divinationis genera cum conſentirent, & monſtrarent ad dextram declinandum eſſe, ubi ſita erat Ieruſalem; mox apparatus fieri cœpit ad Ieruſalem obſidendam.

CAPUT XXII.

✠.26. *Sacerdotes eius contempſerunt legem meam —— & inter pollutum & mundum non intellexerunt.* *Quæritur*, quod mundum aut pollutum intelligat Propheta? Haud dubiè typicum dumtaxat, & umbraticum. Verbi gratiâ, non diſtinguebant inter ſanctũ & prophanum; ſi ignem offerrent non ſacrum, ſicut fecerant illi qui percuſſi ſunt à Domino; non diſtinguebant inter mundum & pollutum, ſi cadavere contacto, nihilominus illoti ad ſacrificandum irruerent. Ex quibus diſcimus, quantò majori cura nobis cavendum eſt, ne ſimilem ſententiam audiamus, nobis, inquam, quibus non umbratica, ſed vera ſancta commiſſa ſunt, Corpus & Sanguis Domini; atque etiam diſcretio, & judicium inter animam pollutam, & non pollutam. Videndum igitur ſedulò, ut ad convivium Domini debitè præparati, ut Paulus monet 1. Cor. 11. accedamus, ne judicium nobis manducemus & bibamus: Ne etiam manum nimis citò peccatoribus imponentes, communicemus peccatis alienis. Neque enim dubium eſt, tantò gravius in his peccari quàm in illis, quantò hæc illis majora ſunt & præſtantiora.

✠.26. *Et coïnquinabar in medio eorum.* Deus qui nullius eſt inquinamenti capax, dicit ſe coïnquinatum fuiſſe in medio Sacerdotum, quia per illorum malam & irreligioſam & indiſciplinatam vitam, nomen Dei malè audiebat, ut qui tam malos & improbos haberet miniſtros. Quomodo & filij Heli Deum coïnquinarunt malè verſantes in ſacro miniſterio. Unde patri eorum C dictum eſt 1. Reg. 2. *Qui me glorificaverit glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Contemnebant enim Deum quia propter eorum indignam Deo vitam, Dei nomen vile & contemptibile reddebatur. Sic Iudæis dicitur apud Iſaiam c. 52. & Rom. 2. *Propter vos nomen Dei blaſphematur in gentibus.* Contrà verò per bonam & ſanctam converſationem cultorum Dei, maximè Sacerdotum, Dei nomen ſanctificatur. Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Quia autem ſanctitati opponitur immunditia & coinquinatio, fit ut illi propter quos detrahitur Deo & nomini eius, dicantur Deum coinquinare. Vide noſtr. Comment. cit. c. 2. ad Rom. v. 24.

✠.30. *Et quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam; & non inveni.* D *Quomodo* non invenit? cum fuerint ibi Ieremias, qui & vivus & mortuus orat pro populo 2. Machab. ult. Erat & Baruch. Erant & in Babylone (tamen cives Ieruſalem) Ezechiel, Daniel & ſocij. *Reſp.* Liranus ſingularem numerum poſitum pro plurali, ut ſenſus ſit: *quæſivi virum*, id eſt, viros juſtos tanto numero, ut propter eos meritò parcere deberem toti civitati. Alijs expoſitio hæc coacta videtur. Itaque, an dici poſſit verba hæc referenda, non ad tempus Ezechielis aut Ieremiæ, ſed ad tempora ſuperiora, maximè regis Manaſſæ, quæ erant corruptiſſima? & quando occiſo Iſaia, nullus erat ſanctitate & meritis excellens, qui ſe interponeret ſepem contra Dominum, ſicut anteà fecit Moyſes, cum dixit ei Dominus: *Dimitte me, & delebo populum iſtum.* E Vide 4. Reg. 21. Ad ea ſanè tempora reſpexit Ieremias in Threnis dicens: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Ac denique an urgendum potius quod hîc dicitur (*de eis.*) Nempe ſupradictis Sacerdotibus, & falſis prophetis, contra quos loquitur Ezechiel? Hoc rectum eſt.

CAPUT XXIII.

✠.4. *Nomina autem earum Oolla major, & Ooliba ſoror eius minor —— Samaria Oolla; & Ieruſalem Ooliba.* Explicandum, quare Samaria major, Ieru- A ſalem minor ſororum dicatur; præſertim, cum regnum Ieroſolymitanum ſit regno Samariæ antiquius. Deinde quare his nominibus Oolla & Ooliba vocentur. Samaria dicitur ſoror major; vel ob multitudinem populi; complectebatur enim regnum Samariæ decem tribus, regnum autem Iuda duas dumtaxat. Sic 2. Reg. 19. populus Iſrael ad populum Iuda: *Decem partibus maior ego ſum, apud regem.* Addunt Septuag. *Et primogenitus ego ſum.* Vel etiam Samaria dicitur ſoror maior, quia prior fuit in ſpirituali fornicatione, & idololatria, quàm Ieruſalem. Vocatur autem Samaria *Oolla*, id eſt, tabernaculum, Ieruſalem autem *Ooliba*, id eſt, tabernaculum meum in ea, ſcilicet, ut inquit Hieron. quia in Samaria, id eſt, regno decem tribuum erat tabernaculum non Dei, ſed idolorum; in Ieruſalem verò erat tabernaculum B & templum ipſius Dei. Porrò quæ hîc dicuntur à propheta de ſpirituali fornicatione duarum ſororum, facilè poterunt à concionatoribus ad uſum præſentis temporis accommodari; ſi verbi gratia, per ſororem majorem placeat intelligere Germaniam ſuperiorem; per minorem Germaniam inferiorem.

✠.14. uſque 16. *Cumque vidiſſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos balteis renes, &c. inſanivit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* Ex his verbis duo notatu digna colligi poſſunt. *Primum*, ut intelligamus quem uſum habeant imagines decentes in Eccleſia receptæ & approbatæ. Nam ſi imagines & picturæ laſcivæ, & turpes animum inſpicientis ad laſciviam provocant, & ad C deſiderium rei conſpectæ, ut hîc ſignificatur: igitur è contrario, piæ & pudicæ imagines ac picturæ animum hominis inſpicientis ſimiliter ad pietatem, & pudicitiam provocabunt. *Alterum* eſt, ab Eccleſiis itaque longiſſimè arcendas eſſe illas imagines quæ laſciviam aliquam oculis ingerunt; item in quibus Sancti aut Sanctæ pinguntur amatorio habitu; & in genere omnes eas, quæ plus curioſitatis, quam pietatis oſtendunt. Imò non ſolum ab Eccleſiis, ſed & ab ædibus & cubiculis Chriſtianorum meritò eſſent amovendæ.

CAPUT XXIV.

✠.13. *Immunditia tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à ſordibus tuis.* D Huic loco ſimilis eſt ſententia Salvatoris dicentis ad Ieruſalem Matt. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti?* Et illud Apoſtoli: *Qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.* Quæſtio itaque eſt quomodo hæc loca conſentiant cum eo quod de Deo canit Pſalmiſta, *Omnia quæcumque voluit fecit*: Cui etiam dicitur, Eſth. 13. *Non eſt qui tuæ reſiſtere poſſit voluntati.* *Reſpondetur* diſtinctione duplicis voluntatis Dei. Alia enim eſt voluntas Dei abſoluta, quę appellari ſolet voluntas beneplaciti, id eſt, ordinatio ſeu diſpoſitio Dei de rebus, qua abſolutè & propriè aliquid vult fieri. Atque huic voluntati, quin ſuum effectum ſortiatur, reſiſtere nemo poteſt; & de hac etiam dictum eſt, *Omnia quæcumque voluit fecit.* Verbi gratia, vult Deus E omnes electos ſuos ad ſalutem perducere; Nulla creatura ſalutem illam unquam impediet. Alia eſt, quæ vocatur voluntas ſigni, qua videlicet Deus dicitur id velle, quod præcipit aut ſuadet, aut permittit, ſive ea quæ præcipiuntur aut prohibentur, ſuadentur aut diſſuadentur, ab hominibus fiant, ſive non. Et de hac voluntate intelligendus eſt præſens locus: Senſus enim eſt; *Mundare te volui, & non es mundata*, id eſt, legem dedi, cæremonias & ſacrificia inſtitui, prophetas miſi, promiſſionibus invitavi ad bonum, comminationibus & cladibus terrui à malo; quæ omnia eò tendebant, ut mundareris; nec tamen es mundata. Vide etiam noſtra in 1. Sent. diſt. 46. & noſtr. comm. cit. c. 1. Timot. 2. 4.

Sed

Sed nec mundaberis prius, donec quieſcere faciam indignationem meam in te. Prima facie occurrit hic ſenſus; quaſi videlicet tunc dicat eam mundandam à peccatis, quando Deus iram ſuam ab ea avertet. Sicut oramus: *Converte nos Deus ſalutaris noſter, & averte iram tuam à nobis.* Senſus quidem hic pius eſt; ſed huic loco non congruit. Itaque ſciendum, uſitatiſſimum eſſe in Scripturis, ut iſta vocabula (donec, priuſquam, quouſque) & ſimilia non ſignificent terminum rei, cui adjunguntur; ſeu quod tunc id quod dicitur finiendum ſit; ſed tantum quod id quod dicitur eouſque ſe extendet. Sic neceſſario accipiendum eſt illud pſalm. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c.* Non enim tunc deſinet ſedere; ſed tantum affirmatur, quod tamdiu ſedebit. Item Matth. 1. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* Igitur ſenſus eſt. Non mundaberis donec quieſcere faciam indignationem meam in te, id eſt, te penitus perdidero & delevero. Et ne tunc quidem mundaberis, quia extincta eris. Vide plura dicto loco Matth. 1.

CAPUT XXV.

℣. 3. P*Ro eo quod dixiſti: Euge, euge, ſuper ſanctuarium meum, quia pollutum eſt, & ſuper terram Iſraël, quoniam deſolata eſt, Idcirco, &c.* Ex hoc capite diſcimus quàm grave ſit peccatum exultare in malis alienis. Cùm enim hoc capite prædicat propheta excidium quatuor regnorum, videlicet, Ammon, Moab, Idumææ & Palæſtinæ; eius tamen excidij vix alia memoratur cauſa quàm quod læti fuerint ſuper calamitate & afflictione populi Iſraëlitici. Nam & de Idumææ inſultatione ſic habemus in pſal. 136. *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem. Qui dicunt, exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Cuius peccati gravitatem declarat nobis Sapiens Proverb. 17. v. 5. *Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* *Dicet* aliquis. Quid igitur eſt quod in perſona Sapientiæ dicitur, Proverb. 1. *Ego quoque in interitu veſtro gaudebo?* Et rurſum: *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam; manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris. Reſpond.* Aliud eſt quod fit cupiditate vindictæ; vel affectu malevolentiæ; aliud quod fit amore juſtitiæ vel ſtudio diſciplinæ. Nam qui hoc loco reprehenduntur, partim malevolentia ſubſannabant; ut Ammonitæ & Moabitę; partim cupiditate vindictę, ut Idumæi & Palęſtini ſeu Philiſthiim; de quibus etiam dicitur quod *ſeſe ulti ſunt tota anima, & veteres inimicitias impleverint.* Cùm verò juſtus lętari dicitur in vindictâ impiorum, & Deus ipſe ſubſannare ad interitum peccatorum; laudatur & commendatur ordo divinæ juſtitiæ, qui non minus exigit, ut nulla impietas maneat impunita, quàm ut nullum opus bonum ſua mercede fraudetur.

℣. 5. *Et ſcietis quia ego Dominus.* Et infrà: *Et ſcient quia ego Dominus.* Et adhuc infrà: *Et ſcient vindictam meam, dicit Dominus Deus.* Et in fine capitis: *Et ſcient quia ego Dominus, cum dedero vindictam meam ſuper eos:* Hic ſermo frequens eſt in Prophetis, & maximè apud Ezechielem. Significatur autem cognitio Dei, non laudabilis ac Deo placita, ſed qua Dei potentia cognoſcitur ab inimicis vel invitis, dum potentem eius manum ſuper ſe experiuntur. Unde hic dicit: *Scient vindictam meam.* Et, *Cum dedero vindictam meam ſuper eos.* Sic & Pharao qui prius dicebat: *Quis eſt Dominus?* Item, *Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Exod. 5. poſtea plagis edoctus agnovit Dominum. Similiter & magi eius dicentes, *digitus Dei eſt hic.* Exod. 8. Quomodo etiam dæmones teſte Iacobo c. 2. Deum credunt & contremiſcunt. Hujuſmodi ergo ſententiæ non continent promiſſionem alicujus boni, ſed comminationem graviſſimæ pœnæ; cui quidem adjunctum ſit aliquid boni, ſcilicet noſſe quia ipſe eſt Dominus; ſed quæ notitia malam illorum voluntatem nulla ex parte corrigat. Ideo tamen Dei hoſtibus ingeſta eſt, ut Dei virtus clarificetur. Pertinet enim ad potentiam eius demonſtrandam, quod non tantum hoſtes ſuos puniat pro meritis: verùm inſuper cogat eos potentiæ ſuæ magnitudinem agnoſcere vel invitos. Igitur propriè ad Dei gloriam declarandam pertinet quod apud hunc prophetam toties legitur, *Scietis quia ego Dominus.*

℣. 12. *Pro eo quod fecit Idumæa ultionem ut ſe vindicaret de filiis Iuda.* Annotat. Hieron. Eſaü & Seir, & Edom, & Idumæam eſſe plura nomina ejuſdem gentis. Et rectè: Id enim ſatis perſpicuum eſt legenti Scripturas Sacras. Hanc ergo ultionem Idumæorum de Iſraëlitis ſumptam, quidam intelligunt ultionem ob præreptam benedictionem paternam, quam Iacob præripuit à fratre ſuo Eſau: Ob quam cauſam, dicunt, non ſolum Eſau ipſe perſecutus eſt Iacob fratrem ſuum, ſed & poſteri Eſau poſteros fratris ſui. Poteſt nihilominus referri quoque ad aliquid recentius, & poſterioribus temporibus factum; videlicet ad ſervitutem, quam ſervierant Idumæi ſub regibus Iuda à tempore Davidis uſque ad tempora regis Ioachim filij Ioſaphat, ut eſt in libris Regum. Qua in re, ſcilicet impletum quoque fuerat ad litteram illud: *Major ſerviet minori.* Geneſ. 25.

CAPUT XXVI.

℣. 2. P*Ro eo quod dixit Tyrus de Ieruſalem; Euge confracta ſunt portæ —— Propterea ego ſuper te Tyre, &c.* Everſionis Tyri eadem deſcribitur ratio, quæ regnorum quatuor præcedentium. Sed hic notandum, in regno, vel civitate Tyri, præter ſenſum litteralem, allegoricè contineri figuram regni, ſeu civitatis Diaboli, atque inſuper de litterali in allegoricum ſenſum Prophetam tranſilire; ſicut etiam de Babylone alibi dictum eſt. Cuius rei argumentum primum eſt; quia aliquoties adverſus hanc civitatem Tyrum ingeminatur illud: *In nihilum redigam te, & nihil eris in perpetuum*, cum tamen conſtet Tyrum poſteà reædificatam, & extitiſſe nobiliſſimam & pulcherrimam civitatem Phœnicis, adhuc tempore S. Hieronymi. Et Iſaiæ 23. quoque de ea tantum dictum erat: *In oblivione eris ô Tyre, ſeptuaginta annis.* Secundum argumentum eſt; quia Ioannes in Apocalypſi utitur verbis iiſdem adverſus Babylonem ſpiritualem, quæ hic contra Tyrum dicuntur, maximè de negotiatoribus, & eorum lamentis & querelis. Tertium, quia in ſequentibus peculiariter dirigitur prophetia adverſus principem Tyri: De quo multa dicuntur, quæ ad litteram vix ad regem mortalem pertinere poſſunt, propriè autem & aptiſſimè referuntur ad principem tenebrarum Diabolum.

℣. 16. *Attoniti ſuper repentino caſu tuo admirabuntur.* Beatus Hieronymus hanc Tyri ruinam pulchrè etiam transfert ad ſenſum moralem; nempe ad lapſum alicujus juſti, qui diu in juſtitia ſteterat. Finge, inquit, aliquem diu ſervata pudicitia multis floruiſſe virtutibus, & poſteà in aliquod grave mortaleque peccatum eſſe lapſum. Nonne ad ſonitum ruinæ eius, interſecturamque virtutum eius, omnes inſulæ movebuntur? Per inſulas, intelligens ſuperbos, qui de juſtitia ſua gloriantur. Et poſteà: Aliorum enim ruinæ exempla ſunt juſtorum, dum omnes infirmo & imbecillo ſtatu, fluctuantique veſtigio in iſto ſæculo commoramur, & numquam eſt noſtra certa ſecuraque victoria. Cavendumque eſt, & ſemper timendum, ne veterem gloriam, & ſolidam firmitatem unius horę procella ſubvertat. Hæc D. Hieron. Quæ notanda ſunt, tum pro cautela omnium; tum etiam contra fiduciarios noſtri temporis hæreticos; qui ſibi perſeverantiæ ſecuritatem audent promittere.

CAPUT

CAPUT XXVII.

℣.2. *Aſſume ſuper Tyrum lamentum.* Non eſt hoc lamentum quales ſunt lamentationes Jeremiæ ſuper Jeruſalem & templo & populo Iudaico; quem veris lachrymis deploravit propheta ille in Threnis ſuis: Sed hoc lamentum, ut & alia quædam quæ ſequuntur, magis eſt inſultatio & ſarcaſmus in eam urbem quæ dæmonum cultui dedita, prius inſultaverat everſioni civitatis & populi Dei, ut habes initio capitis ſuperioris. Vocatur autem lamentum, quia miſeria ejus & deſolatio deſcribitur; non tamen cum commiſeratione & dolore, ut in veris lamentis, ſed magis cum exprobratione peccatorum, & declaratione B juſti judicij Dei, & denuntiatione interitus uſque ad nihilum. Hujuſmodi inſultationem habes infra cap. 32. adverſus Pharaonem, etiam titulo lamenti.

℣. 3. *Hæc dicit Dominus Deus: O Tyre, tu dixiſti, perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita.* Ad litteram notatur ſuperbia Tyriorum, qui ſibi placebant, propter pulchritudinem, opulentiam, & felicitatem civitatis, ac reipubl. ſuæ. Item quod admodum opportuno loco ſita eſſet, ad exercendum omnis generis negotiationes; nempe in corde maris, id eſt, in mari, ita ut nulla parte terræ hæreret, terræ tamen vicina; & ſic commodior eſſet acceſſu, quàm inſulæ longius à terra diſtantes. *Myſticè* per Tyrum ſignificatur civitas Diaboli, & maximè ſocietas hæreticorum; qui ſibi falsò & ſuperbè arrogant perfectum decorem, ſicut C Calviniani ſe vocant Reformatos, & olim Cathari, quaſi mundi; falsò, inquam, quia perfecta pulchritudo, ut ait etiam Hier. non eſt niſi in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, cui dicitur. *Tota pulchra es.* Tamen pulchritudo illa non eſt in externo apparatu, ſed intus, & in animo; Unde illud in pſalm. 44. *Omnis pulchritudo filiæ regis ab intus.*

℣. 11. *Sed & Pygmæi qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpenderunt, &c.* Vocabulum Hebræum *gammadim*, Aquila prima editione Pygmæos, Symmachus Medos, Septuaginta cuſtodes interpretati ſunt, ut Hieron. teſtatur, addens Pygmæos dici quaſi bellatores, & ad bella promptiſſimos ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id eſt, à certamine, ſcilicet eo quod cæſtibus aut pugnis D exercebantur. At his non conſonant quæ Plinius lib. 7. cap. 2. & lib. 4. cap. 11, & ante eum Ariſtoteles, & præter hos alij de Pygmæis tradiderunt; nempe ſtatura cubitales eſſe, cum gruibus pugnare, ſed vinci. Quare nec ἀπὸ τῆς πυγμῆς, ſed ἀπὸ τοῦ πυγῶνος, id eſt, à cubito dictos putant, quod altitudinem cubiti non excedant. Vocem Hebræam etiam à vocabulo quod cubiti menſuram ſignificat, deducit Rabbinus Kimchi, ut refert Munſterus. Aſtipulatur etiam Arias in epitome theſauri, *gammadim* interpretans Pygmæos quaſi cubitales. At eruditi quidam viri vehementer dubitant ſintne uſquam, aut fuerint aliquando Pygmæi. Nam à Plinio multa fabuloſa temerè congeſta fuiſſe de E monſtroſis quibuſdam gentibus, & ratio & experientia commonſtrat; licet ille ſuos ſecutus ſit authores. Quare malim alium aliquem populum eo nomine ſignificatum, intelligere; qui, quod iſta ſcriptura ſignificat, bellicoſus fuerit, & aptus cuſtodiæ civitatum, quicumque ille populus fuerit. Neque enim omnium populorum quos vel ſcriptura, vel hiſtoriæ ſæculares memorant, notitia ſub illis nominibus ad nos pervenire potuit.

℣.26. *Ventus Auſter contrivit te in corde maris.* Alij vertunt ventum Orientalem. Significatur autem ænigmaticè rex Nabuchodonoſor; qui ab Auſtro ſeu inter Auſtrum & Orientem cum exercitu Chaldæorum venturus erat, & expugnaturus Tyrum. Iterum autem addit, *in corde maris*, ut ſignificet nihil loci

A ſitum, & munimentum ipſi profuturum; quominus deſtruatur. Vide etiam de hac deſtructione Tyri, Iſaiæ 23.

CAPUT XXVIII.

℣.2. *Dic principi Tyri. Eò quod elevatum eſt cor tuum, & dixiſti: Deus ego ſum, &c.* Notandum quod multa quæ tribuuntur hoc capite regi Tyri, et difficillimè ſecundùm litteram accommodari poſſint, niſi multiplices & exceſſivas hyperbolas faciamus; ut faciunt Hebræi expoſitores: Veluti quod dicitur verſ. 13. *In delitiis paradiſi Dei fuiſti.* Et paulò pòſt: *Tu Cherub extentus & protegens; & poſui te in monte ſancto Dei.* Et ſimiliter, qui totum hoc vaticinium B pertinere volunt, ad caſum Diaboli, qui eſt princeps Tyri, id eſt, ſuperborum; & ipſi difficultates patiuntur. Sunt enim quædam ſententiæ, quæ propriè pertinent ad regem terrenum ut quod potentia ejus conſiſtat, in negotiatione, & in copia auri, & argenti & ſimilibus. Itaque duæ hic regulæ obſervandæ ſunt, ut hujus loci veram intelligentiam aſſequamur: Una eſt Ticonij inter regulas ejus 7. apud Auguſt. lib. 3. de doct. Chriſt. videlicet de Diabolo & ejus corpore. Sicut enim in eodem ſcripturæ contextu, ſæpè fit tranſitus à Chriſto tanquam capite ad Eccleſiam, quæ eſt Chriſti corpus, vel contra ab Eccleſia ad Chriſtum: ita non raro fit, ut ſcriptura tranſitum faciat à Diabolo tanquam capite, ad ejus membra, hoc eſt impiorum ſocietatem; vel contrà ab impiis, vel uno impio, ad caput C impietatis Diabolum. Ita hoc capite de impio & ſuperbo rege Tyri incipiens loqui propheta, aliquoties ea interſerit, quæ multò convenientius in principem ſuperborum Diabolum, ejuſque de cœlo ruinam dicantur, & intelligantur. Alia eſt regula Auguſtini, Gregorij, & aliorum patrum; ut videlicet, ſi ſecundum litteram, ſeu hiſtoricum ſenſum aliqua, vel piè, vel ſaltem dignè intelligi non poſſint, ea ad ſublimiorem intelligentiam referantur. Vide ſupra ad pſalm. 71. qui inſcribitur Salomonis, & tamen quia ibi dicitur: *Permanebit cum ſole & ante lunam; & benedicentur in ipſo omnes tribus terræ*, pro magna parte accipiendus eſt neceſſario de Chriſto, de quo ſcriptum eſt: *Ecce plus quàm Salomon hic.* Sic in propoſito ſententiæ quas ſupra commemo- D ravi: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientiâ. In deliciis paradiſi Dei fuiſti. Tu Cherub extentus, &c.* quia plus aliquid ſignificant quàm quod in hominem mortalem competere poſſit; altiorem poſtulant interpretationem; ut videlicet intelligantur de Angelo qui in creatione ſua perfectam quandam & expreſſam accepit Dei ſimilitudinem, ſive naturæ ſpecies nobilitatem, ſive gratiæ abundantiam, quæ naturæ ſuperaddita fuit. A qua tamen dignitate ille ſuperbiæ ſuæ culpa delapſus eſt, dum ſimilis eſſe voluit altiſſimo, ut eſt apud Iſaiam cap. 14 ſub figura Regis Babylonis. Vide etiam noſtr. in 2. diſt. 3. §. 3. & ſeq. itemque diſt. 6. §. 10.

℣. 3. *Ecce ſapientior es tu Daniele. Omne ſecretum* E *non eſt abſconditum à te.* In his verbis ſicut & in ſuperioribus hyperbole eſt: quomodo dicimus aliquem eſſe ſapientiorem Salomone, id eſt, valde ſapientem; & omnia ſcire, id eſt, valde multa. Danielem nominat qui tunc vivebat & famoſus erat, ob variam ſcientiam, qua inſtructus erat & habebatur etiam apud Chaldæos, ita ut rerum adminiſtratio ei à Rege delegaretur. Dan. 5. & 6.

℣. 13. *In deliciis paradiſi Dei fuiſti.* Et v. 15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* Ex his & aliis quæ præcedunt, & ſequuntur, quæ veteres patres conſtanter referunt ad principem Angelorum Apoſtatarum qui ceciderunt, manifeſtè convincitur, prævaricatores illos ſpiritus non ſtatim primo creationis ſuæ momento peccaſſe, aut malos fuiſſe; ſed aliquanto tempore in juſtitia ſtetiſſe; quamquam

quam in ea non perſeveraverint. Ait enim expreſsè propheta: Hæc dicit Dominus Deus: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia & perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti.* Ecce in deliciis paradiſi Dei; quæ ſanè deliciæ ſine juſtitia intelligi non poſſunt; erant enim ſpirituales deliciæ non corporales. Et præterea addit; *Perfectus in viis tuis, donec inventa eſt iniquitas in te.* Igitur non ab initio inventa fuit in eo iniquitas. Neque etiam dici poteſt ſignificari tantum ordinem naturæ, nō temporis. Nam juſtitia, & iniquitas reſpectu ejuſdem ſubjecti, omnino requirunt etiam ordinem temporis; ut unum tempore præcedat, alterum ſequatur. Vide etiam noſtr. in 2. diſt. 3. §. 3. & ſequent.

CAPUT XXIX.

B ℣. 3. ECce ego ad te Pharao ——— *& dicis; meus eſt fluvius, & ego feci memetipſum.* Notandum quod v. 9. cum eidem improperatur, tantum dicitur; *Pro eo quod dixerit, fluvius meus eſt, & ego feci eum.* Non autem ibi dicitur, (*ego feci memetipſum.*) Et ſanè difficile videtur uſpiam reperire, homini vel etiam Diabolo tantam tributam ſuperbiam, ut propriè diceret; *Ego feci memetipſum.* Si tamen uſpiam reperitur; (ſicut cap. præcedenti v. 2. legimus, *Et dixiſti, Deus ego ſum*) per hyperbolen ſignificatur intolerabilis ſuperbia. Alioqui priori loco in Hebræo eſſe poteſt, (*& ego feci mihi*) ſcilicet flumen illud; & in poſteriori (*& ego feci*), ſcilicet fluvium; & ita ſenſus coincideret. Per fluvium autem intelligitur Nilus, & per Nilum ſynecdochicè tota Ægyptus. Et ſenſus eſt ſecundum paraphr. Chald. C Ægyptus mea eſt; & ego mea prudentia eam mihi comparavi, ut ſit ſimile ei quod dicebat ſuperbus Nabuchodonoſor, Dan. 4. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ædificavi in domum regni in robore fortitudinis meæ?* Septuaginta utroque loco legunt, *& ego feci eos*, ſcilicet fluvios, intelligentes nihilominus Nilum, qui in multos alveos dividitur.

℣. 18. *Nabuchodonoſor ſervire fecit exercitum ſuum adverſus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt, & merces non eſt reddita ei.* *Quæritur* quomodo Deus quaſi ſollicitus ſit de reddenda Nabuchodonoſori mercede pro expugnata Tyro, cum D illam expugnaret, non ut Deo ſervitutem præſtaret, ſed ut regnum ſuum amplificaret, ſicut de Aſſur dicitur Iſaiæ. 10. *Ipſe autem non ſic arbitratur, ſed ad perdendum cogitatio ejus.* Nihilominus Hier. in hunc locum, Ex eo, inquit, quod Nabuchodonoſor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri. Si autem non fecit intuitu juſtitiæ, ſed dominandi cupiditate; intelligendum eſt, dictum eſſe humano more, quod hic de mercede dicitur. Hominibus enim gratum eſſe ſolet ſuum inimicum ab aliquo lædi, etiamſi is qui nocet, propriam ſpectet vindictam, non amicitiam alterius. Porrò quod dicitur, *omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus eſt*, ſignificatur quod Nabuchodonoſor multum laboraverit in expugnanda Tyro, E (quod idem poſteà de Alexandro Magno teſtatur Q. Curtius) ſcilicet, ut præ ſudoris aſſiduitate *omne caput decalvatum*, id eſt, capillorum defluvium pateretur, & *humeri eſſent depilati* ex aſſidua geſtatione onerum; cui inſigni labori inſignis merces reddenda videbatur.

CAPUT XXX.

℣. 13. HÆc dicit Dominus Deus. *Et diſperdam ſimulachra, & ceſſare faciam idola de Memphis.* Quod hic prædicitur de deſtructione ſimulachrorum Ægypti, id non uno eodemque tempore implendum eſt, ſed diverſis temporibus, quaſi per partes, ita tamen, ut priores deſtructiones, poſteriorum eſſent

A veluti figuræ quædam. Ita primo ibi deſtructa ſunt idola per Nabuchodonoſor, quando vaſtavit univerſam Ægyptum; in qua vaſtatione evertit omnia templa & idola, confuſo furore, neſciens tamen quid faceret. Nam ſimili furore evertit templum unius veri Dei in Jeruſalem. Secundo autem deſtructa ſunt ſimulachra Ægypti, quando Chriſtus adhuc puer, propter perſecutionem Herodis in Ægyptum aſportatus eſt. Tunc enim, ut habet multorum probabilis opinio, corruerunt ſimulachra Ægypti juxta illud Iſaiæ 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem*, id eſt, in carne immaculata aſſumpta, *& ingredietur Ægyptum; & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus.*

Et hæ quidem duæ deſtructiones tantum externæ fuerunt, & quibus, tantum de templis, non autem de cordibus Ægyptiorum ablata fuerunt ſimulachra. At B tertia, quæ facta eſt coruſcante Evangelio Chriſti, & tandem ſuſcepto per univerſam Ægyptum; fuit perfecta deſtructio: qua etiam de cordibus Ægyptiorum ablata fuerunt idola. Et proinde duæ priores tanquam imperfectæ figuræ, & quaſi prænuntiæ fuerunt hujus poſtremæ & perfectæ deſtructionis.

℣. 14. *Et faciam judicia in Alexandria.* Quod hic, & adhuc aliquoties hoc capite nominetur *Alexandria*: ſciendum eſt quod in Hebræo non eſt hoc nomen, ſed ibi vocatur illa civitas No: quod nomen habebat tempore Ezechielis; quam vocem etiam retinuerunt Symmachus, Aquila & Theodotion. Hieron. tamen vertit (*Alexandriam*) non quin ſciret aliquot poſt ſæculis hoc illi civitati nomen inditum ab Alexandro Magno C ejus inſtauratore ſeu ampliatore; ſed ut conſtaret nunc legentibus, de qua civitate hæc dicta eſſent. Nec novum eſt illud: Nam & arbor illa in paradiſo, etiam ante peccatum vocatur lignum ſcientiæ boni & mali; quæ tamen appellatio, non niſi ab eventu, qui poſteà ſequutus eſt, accepta noſcitur: qualia etiam ſunt alia quædam per prolepſim nominata.

CAPUT XXXI.

℣. 3. ECce *Aſſur quaſi Cedrus in Libano.* Et tandem v. 8. *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo Dei——— omne lignum paradiſi non eſt aſſimilatum* D *illi, nec pulchritudini ejus.* Ad litteram Aſſur comparatur Cedro, id eſt, arbori altiſſimæ; idque propter potentiam & magnitudinem regni ejus. Fuit enim penes Aſſyrios prima Monarchia, eaque duravit juxta hiſtoricorum plurium ſententiam, circiter annis mille ducentis. In hac igitur comparatione perſiſtens propheta, dicit cedros paradiſi Dei, id eſt, horti illius amœniſſimi omni genere arborum conſiti, non fuiſſe altiores, aut pulchriores illo. Per quod ſignificatur tantam fuiſſe illius regni & regis potentiam, & gloriam, ut nullum aliud regnum ei potuerit comparari.

Sed ſecundum *myſticam* interpretationem ſignificatur ille, qui in cœleſti paradiſo ab initio plantatus, & conditus, tanta fuit naturæ & ſcientiæ nobilitate do- E natus, ut nulla alia illius paradiſi plantatio, id eſt, nullus alius Angelorum, ſeu cœleſtium ſpirituum, altitudinem ſeu dignitatem ejus potuerit coæquare. Itaque cum iſte nihilominus per ſuperbiam è tam ſublimi dignitatis gradu deciderit, admonetur quilibet juſtus, quantumcumque in ſanctitate profecerit, ut illius exemplo non altum ſapiat, ſed ſimilem metuat de ſuperbia ruinam. Quam expoſitionem myſticam ſi amplectamur, faciet hic locus pro eorum ſententia, qui putant Diabolum cum ſociis non ex inferiori aliquo Angelorum ordine cecidiſſe, ſed ex omnium primo, & ſupremo.

℣. 11. *Tradidi eum in manus fortiſſimi Gentium faciens faciet ei; juxta impietatem ejus ejeci eum.* Quidam putaverunt hic prædici propheticè interitum regis Aſſur, maximè cum ſimul mixta ſint verba futuri

tem-

temporis. Sed illa confuſio temporum prophetis familiaris eſt, qui omnia ut præſentia intuentur; & ſatis conſtat ex ſupputatione temporum, regnum Aſſur tempore hujus prophetiæ omnino everſum fuiſſe. Jam enim Monarchia tranſierat ad Chaldæos, ſeu Babylonios. Proinde quicquid hic dicitur de dejectione regis Aſſur, accipiendum eſt, tanquam commemoratio rei præteritæ, non autem prædictio futuræ. Ideo autem commemoratur, ut hac comparatione oſtendat propheta, Pharaonem, contra quem hoc capite præcipuè prophetat, quantumvis ſit potens, ſimili quoque modo regno exuendum eſſe.

CAPUT XXXII.

℣. 7. *E Toperiam, cum extinctus fueris, cœlos, & nigreſcere faciam ſtellas ejus, omnia luminaria cœli mœrere faciam ſuper te.* *Quæres*; An ergo hæc facta ſint in interitu Pharaonis? *Reſpondet* Hieron. ad litteram intelligi non poteſt; nunquam enim factum, nec faciendum creditur. Unde *myſticè* ipſe ad Diabolum refert, in cujus ruina cœli operti ſunt, id eſt, ſpiritualia illa facta ſpiritualia nequitiæ, lumen ſuum amiſerunt; & ſimul corruerunt ſidera illa errantia, quibus caligo tenebrarum in æternum reſervatur. Alij ad litterã accipiunt; ſed hyperbolen in his verbis agnoſcunt, more prophetico, ut hæc dicta ſint ad deſignandum magnitudinem afflictionis & luctus, in quo verſabitur Ægyptus extincto Pharaone, regnoque ejus deſtructo; ita ut etiam cœli lugere viderentur tantam ruinam. Et quamvis ſic ad litteram accipi poſſit; non tamen negandum eſt, æquè ſubeſſe myſticum ſenſum, quo ſignificetur, vel prima Diaboli dejectio, quando propter ſuperbiam cœlo pulſus eſt, de quo jam diximus; vel poſtrema, quando in fine ſeculi, ablata ei omni poteſtate nocendi, mittetur in profundiſſimum infernum, ſibi, & Angelis ejus parati.

℣. 31. *Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt ſuper univerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio.* Ad litteram ſignificatur quod Pharao videns tam multos alios reges cum ſuis copiis ſuperatos & deletos eſſe, conſolatus fuerit ſuper ſua ac ſuorum clade, quam accepit ab exercitu regis Babylonis. Eſt enim quoddam ſolatium miſerorum habere ſocium in pœnis. Sed cum per temporales iſtas clades regum & populorum, ulterius *myſticè* æterna damnatorum miſeria ſignificetur, maximè eorum de quibus dicitur: *Potentes potenter tormenta patientur*; Sap. 6. Quæritur quomodo hic Pharao, cum ipſe eſſet in pœnis, nihilominus conſolatus eſt ſuos, qui fortè adhuc ſupererant; & contra dives epulo in Evangelio Luc. 16. rogarit ut mitteretur Lazarus ad fratres ſuos, ne venirent ipſi in locum tormentorum: hoc eſt, quomodo iſte recuſat ſocietatem in pœnis; Pharao autem de ſocietate conſolationem dedit, & accepit? *Reſpond.* hæc duo inter ſe non pugnare. Eſt enim in damnatis hominibus, ſicut & in dæmonibus, aliquid unde expetant ſocietatem in tormentis; Eſt rurſum aliquid, unde ſocietatem recuſent. Si enim attendamus ad malitiam voluntatis ipſorum, qua omnes alios oderunt, mala optantes, & bona invidentes; hac ratione cuperent omnes omnino homines ſuorum tormentorum ſocios & participes eſſe: Si verò conſideremus id, quod omnibus hominibus, & Angelis naturale eſt; videlicet pœnas fugere, & à tormentis abhorrere; hoc pacto ſocietatem in pœnis recuſant; eorum maximè, quibus aliquando in vita peccandi occaſionem dederunt; ſicut dives epulo, qui ſine dubio fratribus ſuis occaſio fuerat peccandi. Sciunt enim ex tali ſocietate, ſuam pœnam fore graviorem. Nam, ut rectè Scholaſtici docent, licèt eſſentialis pœna non creſcat, ſed eadem permaneat in damnatis; pœna tamen accidentaria augetur ex eorum ſocietate, quorum damna- A tionis ipſi ſuo exemplo, conſilio, negligentia; aut quocumque alio modo cauſa fuerunt; ſicut etiam, iiſdem ex cauſis in bono augetur beatorum fœlicitas; tametſi præmium eſſentiale unum idemque maneat.

CAPUT XXXIII.

℣. 7. *E T tu fili hominis, Speculatorem dedi te domui Iſraël. ——Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris, non fueris locutus, &c.* Proponitur hoc capite officium ſpeculatoris, id eſt, prophetæ, & omnis præfecti; ad cujus officium pertinet voluntatem Dei populo annunciare. Itaque hic inſtruuntur omnes Eccleſiæ paſtores, & ſui admonentur officij ex ſimilitudine officij ſpeculatoris. Et quidem ſpeculatoris duo ſunt B officia. *Unum*, ut ſumma diligentia circumſpiciat, ſi quod periculum, vel ab hoſtibus, vel aliundè immineat civitati: *Alterum*, ut hoc ipſum dato ſigno ſine mora annunciet. In utraque autem parte officij neglecta capitis diſcrimen incurrit, ſi vel dormiſſe, vel periculum non annunciaſſe deprehendatur. Et quadrant hæc aptiſſimè in paſtores Eccleſiæ. *Primum* enim ad eos pertinet omni diligentia circumſpicere, ne qua gravia peccata, vel pernicioſi errores, graſſentur in populo; & in univerſum, intueri vultum pecoris ſui, id eſt, diligenter conſiderare, quis ſtatus, quæ converſatio ſit tum totius gregis, tum etiam quantum fieri poteſt, ſingularum ovium. A quo officio illi quorum in hac re dignitas excellit, Epiſcopi, id eſt, inſpectores dicti ſunt. *Alterum* eſt, ut pericula cognita non ſilentio premant, ſed libera voce C annuncient, juxta illud: *Clama, ne ceſſes:* Iſaiæ 58. eoque magis, quo viderint pericula eſſe majora. Alioqui enim futurum eſt certiſſimè, quod Dominus hic comminatur, *ut ſanguis eorum qui pereunt, de manu ſpeculatoris requiratur*, de quo etiam ſupra cap. 3.

℣. 12. *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Et ſimiliter infrà v. 16. *Omnia peccata ejus quæ fecit, non imputabuntur ei.* Non negat propheta, Deum à peccatore converſo communiter adhuc exigere pœnas temporales, quod fecit in Davide & aliis: Sed loquitur de nocumento & imputatione ad mortem æternam. Quod facilè apparet ex aliis quæ hic dicuntur. Sic enim legimus: *Si dixero impio, Morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato ſuo,* D *feceritque judicium, & juſtitiam: vita vivet, & non morietur.* Hoc igitur eſt, non nocere ei impietatem ſuam, & peccata ejus non ei imputari; nimirum vita vivere, & non mori.

Nonnulli quaſi ex hoc loco ſolent allegare hujuſmodi ſententiam: *In quacumque hora ingemuerit peccator, ſalvus erit.* Verum id hoc loco, neque ſecundum Hebr. veritatem, neque ſecundum Septuaginta reperies: ſed apud Iſaiam cap. 30. juxta Septuaginta verſionem tale quid habetur.

℣. 13. *Si dixero juſto quod vita vivet; & confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur.* Quidam hoc intelligunt quantum ad mercedem æternam, alioqui putantes talibus ſaltẽ ali- E quam temporalem mercedem deberi. Sed graviter falluntur, ſi de mercede propriè dicta loquuntur. Poteſt enim Deus talem hominem, qui multas juſtitias operatus eſt, & deinde à Deo ſe avertit, juſtè ſtatim auferre ex hac vita, & judicare ſecundum qualitatem in qua invenit eum morientẽ; juxta illud Eccl. 11. *Si ceciderit lignũ ad Auſtrum, aut ad Aquilonẽ, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit.* Et illud tritũ apud veteres: *Qualẽ te invenio, talẽ te judico.* Unde conſequens eſt prioribus illis juſtitiis tali modo mortificatis, nihil mercedis deberi.

CAPUT XXXIV.

℣. 2. *V Æ paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur?*

Similia habentur Jeremiæ 23. & ſuprà cap. 13. Sed in re tam neceſſaria, nihilominus & hic quædam dicamus. Diſtinguit Dominus inter paſtorem falſum, & verum. Nempe paſtor verus, quod perierat requirit; quod abjectum erat, reducit; quod confractum, alligat; quod infirmum, conſolidat; quod pingue & forte, cuſtodit: quibus verbis multiplex cura paſtoralis ſignificatur circa oves exhibenda. Nam ſi qui aberraverint à via Dei, requirendi ſunt & reducendi; ſi qui gravibus peccatis tanquam vulneribus ſaucia vel colliſa gerunt membra, alligant, id eſt, ſpiritualibus fomentis curandi ſunt; ſi qui propter infirmitatem mentis terrena ſapiunt, ſolido cibo confortandi ſunt, & ad cæleſtia erigendi: ſi qui pingues & fortes, id eſt, in mandatis Dei ambulant ſine offenſione, diligenti cuſtodia conſervandi ſunt, ne deficiant. Et hæ ſunt partes veri paſtoris. Sed nihil horum præſtat falſus paſtor, prout decet, ſed tantum paſcit ſemetipſum, id eſt, jura & commoda paſtoris diligenter proſequitur; lac delicatæ ſuſtentationis comedit; & lanis honorum operitur; ſed de iis quæ dicta ſunt, circa oves parum curat. Ne autem deeſſet paſtoribus exemplar ad quod functiones ſuas paſtorales inſtituere debeant, dignatus eſt Dominus in hoc loco abſolutiſſimum exemplar proponere ad imitandum, de quo ſequitur.

℣.15. *Ego paſcam oves meas.* Auguſt. tractatu de paſtoribus cap. 11. Non ait Dominus, inquit, conſtituam alios bonos paſtores, qui faciant hæc, ſed ego, inquit, paſcam oves meas, nulli committam. Sed hoc poſtremum tamen exponit iterum cap. 13. docens omnes bonos paſtores intelligi in uno paſtore Chriſto, (de quo Ioan. 10.) etiam ipſum Petrum; in quo unitatem commendavit; quia in omnibus bonis paſtoribus unus Chriſtus paſcit. Eſtque promiſſio novi Teſtamenti, quia promiſſio eſt gratiæ. Nam etiamſi aliqui fuere tempore veteris Teſtamenti, quos Dominus Deus pavit; tamen & ipſi ad novum Teſtamentum pertinebant, ut ibi Auguſtinus pluribus docet. Et hæc promiſſio clarioribus etiam verbis declaratur, dum ſubjungitur.

℣.23. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum, qui paſcat eas, ſervum meum David.* Non diceret ſervum, niſi futurum hominem ſignificaret. Nam ut Filius Dei, non eſt ſervus. *Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem.* Hic eſt idem ille qui in Evangelio de ſe loquens ait Ioan. 10. *Ego ſum paſtor bonus, bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis.* Hic eſt paſtor unus, quia ipſe eſt caput omnium paſtorum, quia in eo omnes paſtores unum eſſe debent, & in unum ovile oves ſuas congregare, ſicut dicit Dominus in Evangelio: *Et erit unum ovile, & unus paſtor.* Unum ovile Eccleſia Chriſti, unus paſtor, ipſe Chriſtus. Sed hic unus paſtor non excludit alios paſtores, quos Apoſtolus ad Epheſios 4. dicit à Chriſto in Eccleſia conſtitutos. *Et ipſe quidem* (inquit) *quoſdam dedit Apoſtolos, alios autem prophetas, alios doctores & paſtores.* Neque etiam excludit hac ſententia unum paſtorem in terris Romanum pontificem, cui in Petro dictum eſt à Chriſto Ioan. 21. *Paſce oves meas.* Nam hi vicarij ſunt, ille primarius; ut nec excludit propheta, reges nec principes, qui hoc ipſo capite paſtores nominantur.

CAPUT XXXV.

℣.6. P*Ropterea vivo ego dicit Dominus: Quoniam ſanguini tradam te, & ſanguis te perſequetur; & cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te.* Duplex hujus ſententiæ traditur interpretatio, prout ſanguis duobus modis per figuram accipi ſolet in Scriptura. Aut enim pro conſanguinitate accipitur: aut pro cæde, & ſanguinis effuſione. *Priori modo* ſenſus eſt: Tradam te ſanguini, id eſt, Judæis conſanguineis tuis. A Nam ſermo eſt ad eos qui inhabitabant montem Seïr, id eſt, poſteros Eſaü, cujus frater Jacob, ex quo Judæi. q. d. illi te perſequentur: & cum eos oderis, illi viciſſim ut hoſtem te tractabunt; & ita ſanguis ſanguinem perſequetur, id eſt, frater fratrem, conſanguineus conſanguineum. *Altero modo,* Sanguini tradam te, id eſt, in gladium tradam te, & gladius te perſequetur; & cum gladium oderis, gladius perſequetur te. *Alij* mixtum dant ſenſum: Cùm enim dicitur, *& cum ſanguinem oderis, ſanguis perſequetur te*; priori loco ſanguinem cognationis intelligunt, poſteriori ſanguinis effuſionem, hoc ſenſu: Quia conſanguineos odiſti, gladius ſanguinarius perſequetur te. Præter hæc notandum prophetam hac ſanguinis congeminatione pulchrè alludere ad alterum nomen Eſaü, quo dictus eſt Edom. Nam Hebr. *Dam* B ſanguinem ſignificat, unde *Edam,* ſeu *Edom,* id eſt, ſanguinarius, ſeu ruſus.

℣.10. *Eo quod dixeris. Duæ gentes, & duæ terræ meæ erunt, & hereditate poßidebo eas.* Et hoc dupliciter exponitur. B. Hieron. per duas gentes, & duas terras, intelligit Idumæam, & terram Iſraël; quarum, Idumæam poſteri illi Eſaü tenebant, & terram Iſraël à Chaldæis deſolatam vendicare ſibi jam volebant. Alij intelligunt terram Juda, & terram Iſraël, quæ ſingulæ proprium regnum conſtituebant; illa regnum duarum, iſta decem tribuum regnum. Certè quod ſequitur: *cum Dominus eſſet ibi;* peculiariter ad populum Judaicum pertinebat; apud quem erat templum, tanquam domus Dei; & propitiatorium tanquam ejus ſedes.

CAPUT XXXVI.

C ℣.13. P*Ro eo quod dicunt de vobis: Devoratrix hominum es, & ſuffocans gentem tuam, propterea homines non comedes amplius, & gentem tuam non necabis ultra, ait Dominus Deus.* Iſtud opprobrium, quod à gentibus dicebatur in terram Iſraël, quod eſſet devoratrix hominum, jam multò etiam ante; ab ipſo populo Iſraëlitico dictum erat in eandem terram, Numer. 13. quando exploratores miſſi, ut terram perluſtrarent, renunciarunt dicentes inter cætera; ut hic: *Terra quam luſtravimus devorat habitatores ſuos:* atque ita detraxerunt terræ ſibi promiſſæ à Deo. Sed utroque loco aliquid ſuperſtitioſum ſubintelligendum eſt; per quod & tunc exploratores; & hoc loco gentiles iſta dicendo peccaverūt. Videlicet, quia ita iſta dicebant, quaſi D talis eſſet ipſius terræ qualitas, natura & conditio, ſeu, ut ethnici loquūtur genius, ut habitatores ſuos ſuſtinere non poſſit; ſed vel ejiciat per captivitatem & fugam; vel exterminet, & perdat morbis, gladio hoſtili, vel morſibus beſtiarum. Sed ſuperſtitio in eo erat, quia quod tribuendū erat juſtitiæ Dei vindicantis peccata habitatorum illius terræ, id aſcribebant naturæ ac genio terræ.

℣.20. *Et ingreßi ſunt ad gentes, ad quas introierunt: & polluerunt nomen ſanctum meum, cum diceretur de eis* (ſcilicet cum irriſione & exprobratione:) *Populus Domini iſte eſt.* Manifeſtant hæc verba quomodo Judæi inter gentes polluerint nomen ſanctum Dei; ſcilicet improba vita ſua, dando gentibus occaſionem malè loquendi de ipſis, & de Deo ipſorum. Nota etiam hic in Hebræo haberi nomen tetragrammaton *Iehova,* Ex E quo, ſicut & ex aliis nonnullis locis, apparet, illud nomen adeo non fuiſſe ineffabile, ut etiam infidelium labiis aliquando tereretur.

℣.22. *Non propter vos ego faciam, domus Iſraël, ſed propter nomen ſanctum meum.* In his & ſequentibus verbis apertiſſimè tota materia juſtificationis per Chriſtum, explicatur. Prima ſcilicet juſtificationis noſtræ origo eſt præveniens Dei gratia: de qua Apoſtolus ad Tit. 3. *Non ex juſtitia operibus quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam, ſalvos nos fecit.* Sic & hic (*Non propter vos.*) Proxima eſt fides, quam indicat propheta dicens v. 28. *Eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Tertium eſt agnitio propriæ in-

infirmitatis, & peccatorum ſuorum de quo ſic: *Et recordabimini viarum veſtrarum peſſimarum, ſtudiorumque non bonorum.* Quartum eſt, de iiſdem peccatis dolor, ac pœnitentia propter Deum; de quo ſequitur: *Et diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ, & ſcelera veſtra.* Quintum eſt, Sacramentum Eccleſiæ; quod cujuſmodi ſit, apertiſſimè prænunciat propheta, dicens: *Et effundam ſuper vos aquam mundam.* Atque effectum deinde Sacramenti ſubjiciens, ait: *Et mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* Quin & addit alteram juſtificationis partem, quæ in mentis renovatione conſiſtit: *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri.* Ac denique progreſſus hominis juſtificati in operibus bonis, cum ſubdit: *Et faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, &c.* Videmus hinc quam ſententia Catholicæ Eccleſiæ de juſtificatione ad amuſſim reſpondeat non tantum doctrinæ Apoſtolicæ; verùm etiam Scripturæ propheticæ. Videmus etiam quam multi hæreticorum errores de juſtificatione ex ſolo hoc capite; imò ex paucis illis verbis refelli poſſint.

CAPUT XXXVII.

℣. 3. **E**T *dixit ad me, Fili hominis; putaſne vivent oſſa iſta?* Quæ de oſſibus aridis hoc capite parabola proponitur, ad litteram pertinet ad reductionem filiorum Iſraël è captivitate in terram ſuam, ut eſt manifeſtum ex prophetæ verbis; quæ continuo parabolæ ſubjungit, v. 11. *Et dixit ad me Dominus; Fili hominis, oſſa hæc univerſa domus Iſraël eſt. Ipſi dicunt: Aruerunt oſſa, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus.* Poſt quæ verba ſtatim ſequitur promiſſio Dei prædicentis reditum eorum in terram ſuam. *Myſtica* autem expoſitio duplex eſt. *Altera* ad Eccleſiam præſentem pertinet, quæ ex omnibus nationibus congregata eſt, & uſque in finem ſæculi congregatur, tanquam ex oſſibus aridis; quorum vita deſperata eſt. Nam gentes ſine Deo erant in hoc mundo, ſpem vitæ aut futuri ſæculi non habentes. *Altera* eſt de reſurrectione univerſali mortuorum in die judicij. Et quamquam dicat Apoſtol. 1. Cor. 15. *In ictu oculi, in noviſſima tuba*, quo intelligimus in momento futuram reſurrectionem; tamen propheta per modum ſucceſſivæ reparationis eam nobis proponit; tum quia ea quæ ſimul in momento fiunt, tamen in momento narrari non poſſunt; tum quia per partes explicata pleniorem habent intelligentiam.

℣. 17. *Et adjunge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum: & erunt in unionem in manu tua.* Duplex eſt quæſtio, una; utrum conjuncta fuerint in medio tantum, ſic ut decuſſatam facerent figuram, quam crucis vocant? an verò ſic ut per miraculum ex duobus unum fieret? Quod ſi ex duobus unum factum eſt, valuit hoc haud dubiè ad illuſtriorem repræſentationem unionis duorum populorum, Juda & Iſraël, myſticè nobis ſignificantium unionem gentium & Judæorum in unam religionem. De qua ſæpe in Epiſtolis ſuis Paulus quam & hic propheta ad litteram adumbravit: *Et ſervus meus David rex ſuper eos; & paſtor unus erit omnium eorum.* Et infrà: *Et David ſervus meus princeps eorum in perpetuum.* Quæ non in alium quàm in Chriſtum competere poſſunt, qui unius ovilis unum ſe paſtorem dicit Ioan. 10. cum loqueretur de aliis adhuc ovibus adducendis. Qui ſecundum Apoſtolum Eph. 2. medium parietem maceriæ diſſolvens, fecit utraque unum, ipſe lapis angularis connectens in ſe uno duos populos. Quod ſi conjuncta fuerint decuſſatim; ligni crucis expreſſa nobis figura monſtratur. Nam & ipſum quamvis ex duobus lignis compoſitum, non tamen ligna ſed lignum crucis appellare ſolent Chriſtiani, tanquam unum. De quo Apoſtolus Epheſ. 2. ait quod per crucem ambos populos Chriſtus Deo reconciliaverit in corpore ſuo, interfectis in ſemetipſo inimicitiis, quibus à ſe invicem dividebantur. Meritò autem per Iſraëlem decem tribuum myſticè figurare eſt gentilitas. Nam populus ille à vera Dei religione primum deſcivit, & plures Deos more gentilium colere cœpit, & prior in captivitatem ductus eſt; nec inde poſtea reductus ſed inter gentes inveteraſcens, moribus earum & inſtitutis ut plurimum imbutus fuit. Tot igitur modis gentili populo aſſimilatus, typum ejus admodum congruenter in ſe geſſit. Cæterùm Chriſtus vocatur David, tum quia ortus ex ſemine David, ejuſque dictus filius; tum quia David in multis illuſtrem geſſit ejus figuram.

℣. 21. *Ecce ego aſſumam filios Iſraël de medio nationum.* —— *Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus Iſraël, & rex unus erit* —— *& non erunt ultra duæ gentes.* In Oſee legimus decē tribus ſine ulla ſpe reditus ablegandas in captivitatem, Oſeæ 1. capite idque ſub typo filiæ, quam vocabat, *Abſque miſericordia. Quæritur*, quomodo ergo hic etiam decem tribubus reditus promittitur? Judæi hæc referunt ad finem ſæculi, & ad regnum illud, quod ſomniant mille annorum in terris. Sed tale ſomnium jam dudum ab Eccleſia exploſum eſt. Proinde quod hoc loco dicitur, ad Iſraëlem ſpiritualem referre debemus, qui colligendus eſt ex omnibus gentibus. Ad eos enim propriè pertinet, & ad ſpiritualem populum, quod hic ſubjicitur: *Paſtor unus erit omnium eorum; in judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient.*

CAPUT XXXVIII.

℣. 2. **F**ILI *hominis pone faciem tuam contra Gog, terram Magog, principem capitis Moſoch, & Tubal.* Judæi & Judaizantes, Gog & Magog intelligunt gentes Scythicas immanes, quæ trans Caucaſum montem incognitas nobis ſedes incolerent. Quas gentes dicunt poſt regnum mille annorum terrenum, quod illi fingunt, à Diabolo eſſe commovendas; ut veniant in terram ſanctam contra ejus incolas pugnaturæ; adjunctis ſibi multis aliis gentibus quæ à propheta enumerantur. Confirmare quoque id ſtudent Judaizantes & Chiliaſtæ ex Apocal. 20. ubi dicitur: *Cum conſummati fuerint mille anni, ſolvetur Satanas de carcere ſuo, & exibit & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog. Et congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circuierunt caſtra Sanctorum, & civitatem dilectam, & deſcendit ignis à Deo de cælo, & devoravit eos.*

Verùm ſicut dubitare non debemus, regnum Chriſti millenarium, non terrenum, ſed ſpirituale intelligendum eſſe; ſicut Chriſtus dicit: *Regnum meum non eſt de hoc mundo*; ita ſecundum ſpiritum quoque accipienda eſt illa terræ ſanctæ, & dilectæ civitatis oppugnatio. Et hæc omnia conformem inter ſe poſtulant ſpiritualem interpretationem. Cùm ergo regnum illud mille annorum ſit decurſus Eccleſiæ præſentis temporis, in qua regnat Chriſtus uſque ad conſummationem ſæculi; ipſa dilecta civitas non alia eſt, quàm ſocietas Sanctorum, non locis, ſed animis unita & conjuncta. Per Gog quoque & Magog non una certa natio intelligitur, ſed omnis impiorum turba; qui conſummatis mille annis, id eſt, in fine ſæculorum, majoribus, quàm anteà unquam viribus, Eccleſiam Dei oppugnabunt, non uno loco aut civitate concluſam, ſed per univerſum orbem diſperſam. Hæc enim perſecutio ſignificatur cum dicitur, *Circuierunt, &c.* Nam per caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam non aliud quàm Eccleſiam debemus intelligere. Ac denique per hoc quod additur, *deſcendit, &c.* non aliqua præſentis tem-

temporis pœna deſcribitur; ſed æterni ignis incendium. De quo ſcribit Joannes miſſum eſſe Diabolum in ſtagnum ignis & ſulphuris. Hæc ſicut Joannis in Apocal. ita præſentis loci videtur eſſe interpretatio.

℣. 16. *Vt ſciant gentes me, cum ſanctificatus fuero in te in oculis eorum ô Gog.* Id eſt, cum glorioſus apparuero, & magnificatum fuerit nomen meum coram gentibus per judicia quæ in te exercuero. Sic ſanctificatus fuit Deus in Pharaone coram viciniis gentibus, ſicut ipſe dicit: *In hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam, & ut annuntietur nomen meum in univerſa terra.* Rom. 9. verſ. 17. Vide ibidem noſtr. comment.

℣. 17. *Tu ergo ille es, de quo locutus ſum in diebus antiquis, in manu ſervorum meorum prophetarum Iſraël.* Si certæ nationes ſignificarentur per Gog, & Magog; inveſtigari non poſſet, quomodo iſtud verum ſit, quod hic Deus per prophetam dicit. Nam ante Ezechielem, harum nationum nullus propheta meminit; niſi quod Num. 24. Balaam ſic loquitur ſecundum Septuaginta *Egredietur homo de ſemine ejus, & dominabitur gentium multarum, & exaltabitur Gog regnum ejus.* Sed id in Hebræo non habetur; & Balaam, inter Domini prophetas an ſit numerandus, dubitatur; ac deinde hic dicitur pluraliter; *In manu ſervorum meorum prophetarum.* Unde omnino intelliganda eſt perſecutio quam ſuſtinet Eccleſia, & maximè ſuſtinebit in fine ſæculi, à ſocietate impiorum & Antichriſto. Hujus enim perſecutionis omnes meminerunt prophetæ. Videatur etiam initium cap. 10. Geneſ.

CAPUT XXXIX.

℣. 1. **E**Cce ego ſuper te Gog, principem capitis Moſoch, & Tubal. Secundum hanc noſtram verſionem ſignificatur, quod Gog ſit princeps capitis, id eſt, inferioris principis, ſeu principum, Moſoch, & Tubal. Nec difficile eſt intelligere ſecundum interpretationem capitis præcedentis. Nempe Diabolus vel Antichriſtus eſt princeps omnium principum, ſeu regum tyrannorum; ſicut & Chriſtus eſt princeps ſuper principes Eccleſiæ Apoſtolos, Epiſcopos, & paſtores: de quibus ſcriptum eſt; *Conſtitues eos principes ſuper omnem terram, &c.* Poteſt tamen & ſic verti ad verbum, (*Gog principem caput Moſoch & Tubal*) per appoſitionem, quaſi præcipuum dicat principem, ac ſummum ducem illarum nationum. Nam in Hebræo nulla eſt nota genitivi caſus. Septuaginta verò pro illo (*capitis vel caput*) reliquerunt nomen Hebræum (*Ros.*) Quod etſi ſignificet (*caput*) tamen ipſi hoc modo verterunt: (*Principem Ros, Moſoch & Tubal*) quaſi principem trium nationum.

℣. 2. *Et circumagam te, & educam te.* Ad hunc locum ſic Franciſcus Lucas in ſuo Correctorio: Correctores, inquit, emendarunt (*educam*) quod eſt (*extra faciam*) pro eo quod eſt in libris quibuſdam (*ſeducam*) quibuſdam (*reducam.*).

℣. 17. *Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem ſuper montes Iſraël, ut comedatis carnem & bibatis ſanguinem.* Et paulò poſt: *Et comedetis adipem in ſaturitatem, & bibetis ſanguinem in ebrietatem, de victima quam ego immolabo vobis.* Metaphorica locutio eſt in eo quod homines in bello occiſi, victima vocantur. Neque enim propriè dici poſſunt ſacrificia Deo oblata, quia non offeruntur Deo tanquam præſtantia quædam bona, cum gratiarum actione, & agnitione beneficentiæ ejus, ac ſummi dominij; ſed tanquam peſtes ac noxæ tolluntur è medio. Deinde Deus hic loquitur; cui non convenit ſacrificium offerre, ſed accipere oblatum. Vocantur ergo victimæ, quia tanquam, victimæ cæduntur & mactantur, & ſuper iis victores epulantur læti de victoria & ſpoliis; Deus autem ſe quaſi victori comparat, invitans alios ad epulum quaſi à ſe paratum.

CAPUT XL.

℣. 2. **E**T dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium civitatis. Et infrà v. 46 *Porrò gazophylacium, quod reſpicit ad viam Aquilonis, ſacerdotum erit—— iſti ſunt filij Sadoc.* Quæritur de quo templo intelligenda ſit prophetia hujus capitis & ſequentium? Hieron. in commentario prius, quam ad hujus loci explicationem veniat, disertis verbis imperitiam ſuam confitetur. Ut autem in tanta obſcuritate aliqua tamen lux intelligentiæ appareat, primo rejicienda eſt Judæorum illorum opinio, qui deſcribi exiſtimarunt templum illud quod poſt captivitatem ſub Zorobabel ædificatum eſt. Templum enim illud hic apud Ezechielem multò auguſtius & ſplendidius deſcribitur, quàm ipſum etiam Salomonis; illud autem ſub Zorobabel, adeò fuit inferioris ſplendoris, ut fleverint, qui illud Salomonis vidiſſent, ut eſt apud Eſdram. Judæi poſteriores putant hoc templum ab Ezechiele deſcriptum; ædificandum eſſe in adventu Chriſti ſui; quem etiamnum expectant. Verùm & hac Judaica opinione rejecta; cum beato Hieronym. & Gregorio, potius totam hujus templi deſcriptionem referemus ad myſticam & ſpiritualem ædificationem Eccleſiæ Chriſti quæ ædificatur quotidie, & ſpiritualibus incrementis proficit, in fide, uſu Sacramentorum, & moribus. Eccleſiam enim eſſe templum Dei, etiam alibi teſtatur Scriptura. Unde illud ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino.* Et in Apocal. pluries per templum, Dei Eccleſia, id eſt, fidelium ſocietas intelligitur. Denique, ubique materiale templum, ſpiritualem Eccleſiam ſignificat. Unde apud Judæos unicum erat templum, ut ſignificaretur, unam Chriſti Eccleſiam futuram eſſe: & propterea apud Chriſtianos nunc plura eſſe permittuntur, quia veritate jam completa, ceſſat illius ſignificationis neceſſitas.

CAPUT XLI.

℣. 4. **E**T menſus eſt longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem ejus viginti cubitorum, & dixit ad me: Hoc eſt ſanctum ſanctorum. Annotat hoc loco B. Hieron. quod in deſcriptione tabernaculi Moſaïci dicatur pluraliter *Sancta Sanctorum*, hic autem ſingulari numero *Sanctum Sanctorum*, ut, inquit, poſt ſancta, veniamus ad Sanctum: ſicut poſt multa cantica ad Canticum Canticorum, quod omnium carminum carmen eſt; quod canentes ſcilicet, ſponſi copulamur amplexibus. Et notandum in primis in his vocibus *Sanctum Sanctorum*, & *Canticum Canticorum*, phraſim eſſe Hebraicam, qua ſignificatur ſanctum præcipuum, & primum; item Canticum excellentiſſimum. Et ſimili modo quoque iſto, Deus Deorum, Rex regum, Dominus dominantium, excellentiam ſignificant.

℣. 15. *Et menſus eſt longitudinem ædificij contra faciem ejus, quod erat ſeparatum ad dorſum, ethecas ex utraque parte centum cubitorum.* Quædam exemplaria habent (*ecthecas*) quædam (*hecthecas*) Hier. in commentario habet ἀκδίτρας: & quid ea voce ſignificetur explicat: ἀκδίτρας, inquit, Romæ appellant ſolaria, de cœnaculorum parietibus eminentia; ſive mœniana, ab eo qui ea primus invenit, quæ nonnulli Græcorum ἐξώςας vocant. Hæc ille. Ex quo patet hoc vocabulo ſignificari in ædificio illud ſtructuræ genus, quod ſignis extra murum prominentibus ſuperpoſitum eminet, & facit, ut ſuperiori parte ædificium majo-

majorem habeat latitudinem, quam infra; quod genus ſtructuræ, etiam hodie videmus in uſu eſſe.

CAPUT XLII.

℣. 14. V*Eſtientúrque veſtimentis aliis, & ſic procedent ad populum. Myſticè* ſignificatur ſanctum non eſſe dandum canibus, nec projici debere margaritas ante porcos, id eſt, myſteria cœleſtis doctrinæ non eſſe temerè objectanda iis hominibus, qui non ea reverenter ſuſcepturi videantur.

Item notandus hic locus, pro Eccleſiæ Catholicæ ſanctâ conſuetudine, contra hæreticorum miniſtrorum conventiculas; in quibus illi, contempto more Eccleſiæ, in qua Sacerdotes cum Clero celebraturi officia divina, certis ad hæc deputatis veſtimentis, & ornamentis utuntur, cum quibus nefas eſſet foras ad profanum vulgus, & loca profana procedere; quaſi non diſtinguentes inter ſacrum & profanum, iiſdem utuntur veſtibus intus, & extra ſuos conventus, & ſacra; non attendentes illud Apoſtoli: *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.* Nec eſt tamen, quod hinc ſibi blandiantur quidam in Clero; qui contenti geſtare habitum Eccleſiaſticum in templo, foris haud ſecus, atque alij laïci veſtiti incedunt. Eſt enim habitus duplex Eccleſiaſticus; & quidem unus, ſine quo nec in media platea debent apparere, qui in ſortem Domini aſcripti ſunt. Hîc autem agitur de habitu, cujus uſus tantum erat in ipſis ſacrificiis, & ille erat, & eſt deponendus in plateis, non ille alius.

CAPUT XLIII.

℣. 8. Q*Ui fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum,—— & murus erat inter me & eos; & polluerunt nomen ſanctum meum in abominationibus quas fecerunt.* Exprobratio eſt ad filios Iſraël, eos præſertim, qui erant per miniſterium Domino conjunctiores: Hæc enim conjunctio & propinquitas ſignificatur per hoc quod dicuntur fabricati limen ſuum juxta limen Domini. Iſti ergo, ſi tanto miniſterio indignos ſe præſtant, licèt Deo per miniſterium ſint conjunctiſſimi, tamen ſi merita ſpectemus, murum conſtruunt inter ſe & Deum, & nomen ſanctum ejus polluunt. Sed *quæritur,* Quinam propriè dicantur nomen Dei polluere? *Reſpond.* non omnis qui peccat, polluit nomen Domini; imò nec omnis quidem qui graviter peccat: nam nuſquam leguntur gentiles, qui alieni erant à cultu unius Dei, polluiſſe nomen Domini, ſed ille polluit nomen Domini, qui cum nomen ejus profiteatur, fidemque ejus ſit amplexus, non tamen vivit, quomodo vera religio vivendum eſſe dictat; maximè ſi mala ejus vita publica ſit, & notoria. Præcipuè autem polluunt, quorum profeſſio ſanctior eſt, (ſicut hoc loco indicat Propheta, Sacerdotes maximè notans) qui non ducunt vitam conformem ſuæ profeſſioni.

℣. 10. *Tu autem fili hominis oſtende domui Iſraël templum, &c.* Quæ hoc capite & ſequentibus dicuntur de templi ſtructurâ ejuſque partibus, de ſacerdotibus & Levitis, deque ſacrificiis eorum & ritibus ac veſtimentis, omnino neceſſariò ſpiritualiter & figuratè accipienda ſunt, quia ſecundum litteralem & proprium verborum ſonum accipi non poſſunt. Quod ita probatur, quia nec ad litteram pertinere poſſunt ad ſtatum veteris Teſtamenti, quando lex Moyſi adhuc vegebat uſque ad Chriſtum, & ſervandæ erant illius legis cæremoniæ, à quibus quæ hîc præſcribuntur, ut & templi forma ac menſura, diverſa ſunt. Unde nec Judæi hæc ſervarunt tempore veteris legis, neque adhuc ſervant; licèt tempus expectent quo ſervanda erunt, ſed fruſtra. Neque ad ſtatum novi Teſtamenti, in quo unicum eſt miſſæ ſacrificium, templa plurima non unam habentia formam: ſacerdotes non Aaronici, ſed ex omni gente ac tribu; ritus quoque & veſtitus ab iis, quos hîc Propheta deſcribit, multùm ſunt diverſi. Quod autem ad ſtatum futuri ſæculi hæc propriè & ſecundùm litteram accepta nõ pertineant, omnino per ſe clarum eſt. Quare fatendum eſt hujus totius deſcriptionis ſenſum litteralem nõ eſſe diverſum à ſenſo ſpirituali ſeu allegorico, ſed eundem prorſus, ut in ænigmatibus & parabolis accidit.

℣. 15. *Ipſe autem Ariel, quatuor cubitorum, & ab Ariel uſque ad ſurſum cornua quatuor.* Ariel hoc loco nomen Altaris eſt; Cujus appellationis hanc reddunt rationem; quia *Ariel,* idem eſt quod *Leo Dei,* Altare autem holocauſtorum per Ariel deſignatum, inſtar leonis devorabat carnes ſuperimpoſitas. Alij ſic dictum putant altare; quia ſuperior altaris pars latior erat parte inferiori, qualem diſpoſitionem habet corpus leonis, & corpora hominum robuſtorum. Vide etiam annot. Iſaiæ 29. & 31. 9.

CAPUT XLIV.

℣. 11. I*Pſi mactabunt holocauſta & victimas populi.* Et infrà: *Et non appropinquabunt ad me ut ſacerdotio fungantur mihi.* Hinc liquet quod mactare holocauſta & victimas non erat proprium ſacerdotibus, ſed in ea parte ſacrificij Sacerdotes à Levitis adjuvabantur. Neque enim ſoli Sacerdotes ſufficiebant mactandis & excoriandis victimis & in partes ſecandis, & effundendo ſanguini, quando magna multitudo victimarum offerebatur, ut in dedicatione templi ſub Salomone, & in oblatione Agni Paſchalis. Cæterùm Sacerdotibus propria erant quæ hîc infrà dicuntur, offerre adipem & ſanguinem, ingredi ſanctuarium, & accedere ad menſam propoſitionum.

℣. 20. *Caput ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondebunt capita ſua.* Apoſtata quidam nomine Hortenſius Landus in libello à ſe edito, cui titulum fecit, *De perſecutione barbarum,* multis convitiis inſectatur Clericos, & præcipuè Monachos, ritum radendi capitis, & barbæ ſervantes. Objicit eis inter alia præſentem locum, ejuſque commentarium ex Hieronymo, ubi ſic legitur: Quod autem ſequitur, Caput ſuum non radent, &c. perſpicuè demonſtrat nec raſis capitibus, ſicut Sacerdotes cultoreſque Iſidis atque Serapis, nos eſſe debere; nec rurſum comam demittere, quod luxurioſorum eſt, barbarorumque. Hæc ille. Sed *reſpondeo,* nequaquam Scripturam, aut Hieronymum velle, quod vult Apoſtata, ut mox apparebit. Atque inprimis dico, nullis ſaltem patrum decretis ſimpliciter prohiberi capitis aut barbæ raſuram: Quinimo extat, velut in contrarium in Concilio Carthag. 4. hujuſmodi Canon. 44. *Clerici neque comam nutriant, neque barbam.* Et in 4. Synodo Toletana ante annos ferè mille celebrata, Canon 40. figuram tonſuræ Eccleſiaſticæ præſcribens, ſic habet: Omnes clerici vel lectores, ſicut Levitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Omitto alia etiam vetuſtiora patrum & Pontificum teſtimonia; quibus etiam ſignificationem tonſuræ, quàm mox attingemus, explicârunt. Verba itaque Scripturæ ſacræ hoc loco, & B. Hieronymi, nequaquam contra Eccleſiaſticam conſuetudinem detorquenda ſunt; ſed dicta ſunt, adverſus perverſam intentionem, & pravam conſuetudinem tondentium & radentium; quorum alij ſcilicet, vana ſuperſtitione ſeipſos radebant ad imitationem gentilium illorum Sacerdotum; alij muliebri mollitie barbam radebant, aut etiam penitus evellicabant; è contra comam omnino demiſſam, inſtar mulierum nutriebant. At verò in Eccleſiaſtica radendi conſuetudine, excluſa omni ſuperſtitione, ſignificatio coronæ ſpineæ Domini ſervatur, & honeſtati nihilominus conſulitur, retenta extima ſeu inferiori capillorum parte.

CAPUT XLV.

℣.4. S*anctificatum de terra erit ſacerdotibus miniſtris ſanctuarij, qui accedunt ad miniſterium Domini.* Sed quid cauſæ eſt, quare in hac deſcriptione terræ ſanctæ, certa & ſeparata portio terræ attribuatur Sacerdotibus & Levitis? in prima autem diviſione facta ſub Ioſue, nulla certa portio ab aliis tribubus ſejuncta, eis attributa ſit, ſed tantùm inter alias tribus quædam oppida ad habitandum, & ſuburbana ad pecora alenda? Hîc primò notandum, in difficilibus ſacræ Scripturæ locis, & maximè in explicando ſenſu myſtico, ubi certa & aperta haberi non poſſunt; ea nobis ſectanda, quæ ſunt probabilia. Dico igitur hæc duo minimè pugnare, & diverſas quidem ſed tamen optimè conſentientes habere myſticas ſignificationes. Jubentur tempore Joſue Sacerdotes & Levitæ non ſeorſim partem habere, ſed miſceri reliquis tribubus, propter doctrinæ officium, ne videlicet ulla ſit tribus aut oppidum, in quo non ſit unus Sacerdos aut plures, qui populo miniſtrent doctrinam veræ religionis & pietatis. Et nihilominus hoc loco deſignatur Sacerdotibus portio ſeparata, eaque major cæteris; quia quod ad converſationem vitæ attinet, oportet Sacerdotes, & omnes eos, qui ſacris miniſteriis ſunt deputati, ſanctitate & integritate vitæ cæteris antecellere.

℣. 16. *Omnis populus terræ tenebitur primitiis his principi in Iſraël.* Hoc alij ad principem populi, id eſt, regem referunt. Quod quia abſurdum videtur (Non enim lex regi aſſignat primitias, ſed Sacerdotibus) hinc alij intelligunt de Principe Sacerdotum. Sed ex ſequentibus ſatis apparet, de rege dictum eſſe. Itaque notandum, hoc loco non ita diſtingui inter regem & ſummum Sacerdotem, quin propter pietatis communionem, & communia quædam officia, (quæ ſunt quieti communitatis providere & inquietos punire) poſſint etiam aliquando ex populo habere collationes quaſdam communes; maximè ſi in myſtica ſignificatione, quod hîc apud Ezechielem faciendum videtur, hæreamus. Et conſtat quod tam principi ratione officij publici, quo pacem conſervat, noxios punit, innoxios defendit, bella gerit, hoſtilia avertit; quam ſacerdoti, ratione ſacri miniſterij, debeantur juſta ſtipendia ſeu honoraria, lege divina & naturali; ſed determinatio horum fit lege poſitiva, ut tributa, vectigalia, vel etiam decimas, aut alias ſimiles collectiones accipiat. Unde decimi denarij exactio non eſt contra jus Dei, aut naturæ, etiam in principe ſæculari.

CAPUT XLVI.

℣.8. C*umque ingreſſurus eſt princeps; per viam veſtibuli ingrediatur, & per eandem viam exeat. Quæritur*, quid hoc ſibi velit quod princeps eadem porta, qua intravit exeat? & populus, ut mox ſubditur, ingreſſus per portam Aquilonis, exeat per meridianam & contra? *Reſpond.* Princeps eſt Chriſtus, qui in ſe neque deficit, neque proficit; & tam ad nos deſcendens, quàm ad cœleſtia conſcendens, eadem majeſtatis ſuæ utitur libertate. Quod autem populus diverſa via jubetur egredi templo, quàm ſit ingreſſus, ſignificatur, omnes eos qui in templo Domini verſari volunt, regredi nunquam debere, neque ad vitia ſemel relicta reverti, ſed proficere ſemper, progrediendo de virtute in virtutem: ſcientes ſcriptum eſſe Lucæ 9. *Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*; & uxorem Loth, quod retro adſpexiſſet, in ſtatuam ſalis converſam eſſe. Unde & Apoſtolus Galatis metuit ne revertantur ad infirma & egena elementa, & cum ſpiritu cœperint, carne conſummentur. Ad Gala. 3.

℣.12. *Cùm autem fecerit princeps ſpontaneum holocauſtum.* Spontaneum Septuaginta ὁμολογίας, id eſt,

A confeſſionis, non peccatorum, ut vult Pintus, ſed laudis & gratiarum actionis. Nam ſpontanea non erant pro peccatis; ſed in recognitionem ſummæ majeſtatis, item laudis, gratiarum actionis, vel pro victoria obtinenda. Unde & ſequitur de eodem genere: *Aut pacifica voluntaria Domino.*

℣. 18. *Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam & de poſſeſſione eorum, ſed de poſſeſſione ſua hæreditatem dabit filiis ſuis.* 1. Regum 8. Samuel exponens populo jus regis, inter cætera ait: *Agros quoque veſtros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis.* Dicet aliquis: Si ſervis ſuis dare potuit ſecundum jus Regis à Samuele expoſitum; ergo multo magis dare potuit alienas poſſeſſiones filiis ſuis? Quid ergo hîc ſibi vult Ezechiel? *Dicendum* locum illum 1. Regum 8. per hunc locum Ezechielis explicari.

B Videlicet hoc loco dicitur, quid principi liceat vel non liceat jure naturali & divino; Ibi autem, non quid liceat, ſed quantùm ſibi paſſim per vim uſurparent reges nationum. Ad hoc enim alluditur, quod ipſi petentes regem, dixerant, *ſicut habent & cæteræ nationes.*) Itaque ibi jus intelligendum eſt non verum, ſed per tyrannidem uſurpatum; quod & ipſe Achab rex impius ſatis agnovit, dum non auſus fuit uſurpare vineam Naboth, niſi per calumniam colore quæſito.

CAPUT XLVII.

℣.1. E*T ecce aquæ egrediebantur ſubter limen domus ad Orientem.* Et paulò poſt: *Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.*

C Quid per aquas quæ de domo Dei egrediuntur intelligatur, exponit nobis uſus Eccleſiæ, quæ Paſchali tempore ad fontem Baptiſmi canit in hunc modum: Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes ad quos pervenit aqua iſta ſalvi facti ſunt. Egrediuntur itaque hæ aquæ à templo, quia ab Eccleſia procedunt ad ſanitatem gentium. Deſcendunt autem ad latus dextrum, quia hominem transferunt de ſiniſtro damnationis ſtatu, ad dextrum juſtitiæ latus. Item redundant magis ac magis, propter multitudinem gentium, quæ per baptiſmum ad Eccleſiam venit. Vivificant verò omne animal, ad quod perveniunt, quia quantum eſt ex parte Sacramenti, omnibus vitam impertit ſpiritualem.

D Denique in ripa ejus ex utraque parte creſcit omne lignum fructiferum; quia omne genus operum bonorum, quæ ab Apoſtolo fructus ſpiritus vocantur, ex fonte procedit gratiæ Dei, quæ Chriſtianis in Baptiſmo infunditur. In littoribus autem & paluſtribus non ſanantur; quia qui lacunas ſequuntur perverſorum dogmatum, non poſſunt ſanitatem conſequi, ſed mortem. Alij quoque non malè per aquas iſtas ſalutarem Eccleſiæ doctrinam accipiunt: cui etiam omnia dicta facilè accommodari poſſunt.

℣.10. *Plurima ſpecies erunt piſcium ejus, ſicut piſces maris magni, multitudinis nimiæ.* Mare magnum ad litteram vocat Mediterraneum. Illud enim incolis Palæſtinæ vocabatur mare magnum comparatione quorumdam minorum;

E quale erat mare Tiberiadis, & mare mortuum ſeu ſalſum; quæ potius ſtagna erant, quàm maria. Qui verò per piſces intelligantur, explicat Evangelium. Scilicet mare, ſæculum eſt; piſces, homines qui in hoc ſæculo verſantur. Sed piſces magni & copioſi, qui in aquis vivis de domo Dei egredientibus vivunt, populus eſt credentium, & ſervientium Deo in ſanctitate & juſtitia.

CAPUT XLVIII.

℣.35. E*T nomen civitatis ex illa die, Dominus ibidem*, Manifeſtè ſignificatur, per civitatem iſtam, non aliud intelligi, quàm Eccleſiam Chriſti ſeu novi Teſtamenti. Cui nomen iſtud, *Iehova Sama*, id eſt, *Deus ibi*: propriiſſimè, atque adeò ſoli

perpetuò competit; ita ut Dominus nunquam etiam receſſurus ſit ab ea, ſicut olim receſſit à priori populo, id eſt, à ſynagoga Judæorum. Unde illud Chriſti Matth. 23. *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, & prius apud eundem Matthæum capite 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* At verò de ſua Eccleſia dicit Matthæi 16. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et Matthæi 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.*

FINIS PROPHETIÆ EZECHIELIS.

ANNOTATIONES

IN PROPHETIAM DANIELIS.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. **E**T *tradidit Dominus in manum ejus* (ſcilicet Nabuchodonoſor) *Ioakim regem Iuda, & partem vaſorum domus Dei.* Dicit partem vaſorum, non ſolum propter arcam Teſtamenti; quam abſcondit Jeremias, ut narratur 2. Machab. 2. ſed etiam, quia in iſta tranſmigratione (de qua hìc ſermo eſt) etiam multa alia vaſa relicta fuerunt, quæ poſteà univerſa ablata ſunt in ſecunda & tertia tranſmigratione ſub rege Iechonia & Sedechia.

℣.6. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias.* Danielem prophetam fuiſſe nec Judæi negant; quod malè putavit Theodoretus præfat. in hunc prophetam: Multò minus id negavit Hieron. quamvis id falsò ei impingat Ruffinus. Vide Hieron. Epiſtola 120. itemque Iſidorum lib. 6. Etymolog. Quod verò hujus libri author, non alius quoque ſit, quàm ipſe hic propheta Daniel, præter teſtimonia variorum, quæ profert Bellarminus & alij, illud non infimum argumentum eſt; quod liber hic Chaldaïcè ſcriptus ſit: Unde facilè apparet ipſum Danielem eſſe ejus authorem, ut qui in Chaldæa vixerit, & ut hîc dicitur v. 4. diligenter inſtitutus fuit in lingua Chaldæorum.

℣.8. *Propoſuit autem Daniel in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis.* Apud Auguſt. lib. 30. contra Fauſtum cap. 2. Fauſtus dicit Danielem cum tribus pueris non tantùm ab interdictis lege, ſed etiam à conceſſis, abſtinuiſſe ſecundum hanc ſcripturam; nec id reprehendit Auguſtinus. Sed ideo fortè metuebat pollutionem ex cibis regiis, vel quia omnes certis quibuſdam cæremoniis ex more conſecrabantur invocatis Diis; vel quia pars aliqua erat immolatitia, propter quam reliqui cibi quoque cenſerentur ſacri: quomodo nunc, ſi de aqua per ſacerdotem benedicta alteri aquæ permiſceas, tota cenſetur benedicta. Nec obſtat, quod objicitur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 8. ubi dicit: *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*; quia conſecratio talis, etſi reipſa nulla eſſet, æſtimari tamen debebat ex opinione hominum ſeu gentium quæ tali conſecratione utebantur. Item qui comedebant cum gentibus Judæi, id eſt, eâdem cum illis menſâ utebantur, cenſebantur vulgò omnibus iiſdem cibis uti, nec habere diſcrimen ciborum; etiam fortè ſtudioſè abſtinerent ab iis, quæ lege vetita eſſent. Ideò ad ſcandalum populi ſui vitandum debebant Daniel, & ſocij ſe ſubtrahere menſis gentilium; ſicut fecerunt etiam Tobias, & Judith. Itaque Daniel non ſolum abſtinentiæ cauſa, ſed propter legem, & vitandum ſcandalum quoque, menſæ regiæ unà cum ſociis communicare noluit.

℣.15. *Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, &c.* Quæritur utrum id factum naturaliter, an per miraculum? Athanaſius in Serm. ad Virgines videtur referre ad naturam, nec ſine ratione: videmus enim plerumque filios plebeiorum, mechanicorum ac ruſticorum, qui cibis veſcuntur ſimplicioribus ac vilioribus, melius habitos eſſe vultu ac toto corpore, quàm filios divitum qui delicatè nutriuntur. Et ratio eſt, quia qui vilioribus utuntur cibis temperantiùs eos ſumunt plerumque, quàm qui utuntur lautioribus. Hos enim ad exceſſum ſtimulat illecebra delectationis gulæ. Item quia mechanici & ruſtici qui vilioribus veſcuntur, exercent corpus labore, quod non faciunt divites qui utuntur delicatioribus. Ac prior quidem ratio locum habuiſſe putanda eſt in Daniele & ſociis ejus. Temperantius enim comederunt cibos viles, quàm alij principum pueri cibos regios. Sed poſterior ratio fortè in eis locum non habuit, quia non exercebantur labore corporali, ſed inſtituebantur artibus & ſcientiis, ſicut alij principum & nobilium filij. Unde probabile eſt totam cauſam cur vultus eorum meliores & corpulentiores fuerint, non eſſe petendam ex natura; ſed quia propter religionem Dei & ſtudium legis ſervandæ, abſtinebant à cibis menſæ regiæ, Deus etiam ſupra naturam ex cibis vilioribus contulit eis plus roboris & pulchritudinis in corpore.

CAPUT II.

℣.21. **D***At ſapientiam ſapientibus, & ſcientiam intelligentibus diſciplinam.* Non ſignificatur Deum addere ſapientiam ſapientibus, &c. ſed ſapientes ac ſcientes non aliundè ſapientiam & ſcientiam ſuam omnem habere quàm à Deo; juxta illud Eccleſiaſtici 1. *Omnis ſapientia à Domino eſt.*

℣.24. *Sapientes Babylonis ne perdas.* Cur Daniel non permiſit occidi ariolos & magos & maleficos & Chaldæos (ſic enim ſupra enumerantur) morte digniſſimos? Lex enim apertè dicit: *Maleficos non patieris vivere.* Exod. 22. *Reſpondeo* rectè & prudenter id feciſſe Danielem, eò quòd injuſta in illos eſſet regis ſententia. Non enim propter hoc erant digni morte quod ſomnium regi indicare non poſſent, ſed quia artem profitebantur illicitam, ſuperſtitioſam, diabolicam. Deinde nec cum tranquillitate, ſicut oportet, in illos ſententia ferebatur; ſed ſumma animi perturbatione. Dicit enim Scriptura: *Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit ut perirent omnes ſapientes Babylonis.* Expedit autem impediri executionem injuſtæ ſententiæ, etiamſi morte dignus ſit qui condemnetur: Ut, ſi quis adulter damnetur ut homicida. Magnum enim reipublicæ malum eſt per injuſtas ſententias homines interfici, licèt forſitan ob aliam cauſam morte dignos. Et certè alioqui coram Deo omnes ſumus digni morte, quia mors pœna peccati eſt. Porro ſententiæ per iram vel alium quempiam affectum

præ-

præcipitatæ, ſuſpendendæ ſunt, donec animus reſederit. Quod etiam hujus ſæculi ſapientes præceperunt.

℣. 34. *Videbas ita, donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus; & percuſſit ſtatuam in pedibus ejus ——— & comminuit eos.* Quid ſit lapis iſte abſciſſus de monte ſine manibus, exponit Auguſt. in Pſalm. 98. dicitque Chriſtum intelligi, de regno Judæorum ſine virili opera exortum; qui confregit regna omnia idolorum, & factus eſt Mons magnus, qui eſt Eccleſia Catholica; qui replevit faciem univerſæ terræ; juxta illud Matth. 28. *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Act. 1. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in Samaria & omni Iudæa, & uſque ad ultimum terræ.*

℣. 46. *Tunc rex Nabuchodonoſor cecidit in faciem ſuam, & Danielem adoravit, & hoſtias & incenſum præcepit, ut ſacrificarent ei.* Hunc locum olim calumniatus eſt Porphyrius ut falſum, dicens incredibile eſſe quod rex ſuperbiſſimus captivum adoraret. Quod ſi etiam facere voluiſſet, Danielem eum prohibere debuiſſe; maximè, ne hoſtias & incenſum ei ſacrificarent; ſicut Actorum 14. legimus Licaonios prohibitos fuiſſe à Paulo & Barnaba, ne illis immolarent. Ad hæc reſpond. Regem tametſi ſuperbiſſimum, tamen obſtupefactum divino Danielis reſponſo, & ſapientia, eum adoraſſe; hoc eſt, veneratum fuiſſe corporis inclinatione. Ita enim frequentiſſimè adorare in Scriptura accipitur. Unde & illud, *Adoravit Abraham populum terræ.* Geneſ. 23. Quod autem legitur præcepiſſe, ut ſacrificarent ei hoſtias & incenſum; Bellarminus lib. de Sanctorum beatitudine cap. 13. intelligit ſignificari, non ſacrificium, ſed munera & odores. Sed cum Hieron. verterit (*ſacrificarent.*) Et Pagninus ſimiliter; Alij autem (quod parum diſtat) Arias & Septuaginta, (*ad libandum ei:*) eſto; præceperit ita Nabuchodonoſor, ſed non inde ſequitur, quod ſit factum. Nec etiam valet argumentum, quod ſicut ibi prohibuerunt Paulus & Barnabas, ſic etiam Daniel debuiſſet ſcribere ſe prohibuiſſe: Nam ſe prohibuiſſe ſatis indicat, dum Nabuchodonoſorem loquentem inducit & dicentem: *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt, & Dominus Regum.* Non enim dicit: *Verè tu Daniel Deus es,* ſed tantum: *Verè Deus veſter Deus Deorum eſt.* Et quod ad prohibitionem Pauli & Barnabæ attinet, ſicut illo capite 14. Act. leguntur prohibuiſſe populum, ne pro diis eos haberent, ita in eodem libro Actorum cap. ultim. ſimiliter legitur, quod quidam de Paulo *dicebant eum eſſe Deum.* verſ. 6. Nec tamen additur, quod Paulus id dici prohibuerit. Et ita Scripturæ ex ſcripturis exponendæ ſunt; & non raro etiam ſupplendæ.

℣. 48. *Tunc rex Danielem in ſublime extulit ——— & conſtituit eum principem ſuper omnes provincias Babylonis, & præfectum magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis.* Quæres cur Daniel in ea ſublimitate & authoritate apud regem poſitus non petivit à rege populi ſui è captivitate liberationem? Cur etiam captivitatem quæ ſub Sedechia facta eſt ſua interceſſione non impedivit? Cur obſidionem atque everſionē civitatis Jeruſalem, & incendium templi, conſilio ſuo apud regem non avertit? Nam Danielis poſtulata pro popularibus ſuis grata regi fuiſſe, ſignificant hæc verba proximè ſequentia: *Daniel autem poſtulavit à rege, & conſtituit* (ſcilicet rex poſtulante Daniele) *ſuper opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Miſach & Abdenago.* Primò reſpondeo hiſtoriam hujus loci, & proinde Danielis exaltationem quæ hîc deſcribitur, contigiſſe aliquot annis poſt civitatem everſam, & templum incenſum, ideoque de his fruſtra quæri, cur Danielis interventu non fuerint impedita. Docet id Pererius. Ut autem populus jam captivus liberaretur; id ſibi poſtulandum non cenſuit, nec omnino poſtulare debuit; utpote propheta conſcius voluntatis divinæ; qua conſtitutum ſciebat populum non prius è captivitate dimittendum, quàm finirentur ſeptuaginta anni. Nam hoc & poſtea ei revelatum fuit, & jam ſcire poterat ex vaticinio Jeremiæ. Cognitæ autem Dei voluntati non licet contra niti. Sic enim & Jeremias prohibetur orare pro populo capite 14. & apud Ezechiel. cap. 14. Negat Dominus Danielem ſi in medio populi ſui eſſet, utique orans pro populo ejuſque liberatione, eum liberaturum. Quid ergò mirum ſi Daniel nihil tale poſtulavit à rege, quod ſciebat nec à Deo petendum, nec omnino ſecuturum? Vide ſi placet de hoc etiam Pererium.

CAPUT III.

℣. 1. *Nabuchodonoſor rex fecit ſtatuam auream ——— & ſtatuit eam in campo Duran:* Obſcurum quibuſdam videtur; num ſtatua hæc fuerit ipſius Nabuchodonoſor imago; an verò Dei alicujus, aut Deorum, quos ipſe coleret. Etenim accuſatores trium puerorum, ſic dicunt: *Deos tuos non colunt, & ſtatuam auream quam erexiſti non adorant,* quibus verbis unum per aliud videtur explicari: velut idem ſit, Deos non colere, & ſtatuam non adorare. Non dicunt autem (*te non colunt*) ſed (*non colunt Deos tuos.*) Sic & ipſe Nabuchodonoſor ad pueros: *Verene Deos meos non colitis; & ſtatuam quam conſtitui, non adoratis?* Et pueri ſimiliter reſpondent, *Deos tuos non colimus, & ſtatuam auream quam erexiſti non adoramus.* Nihilominus Hieron. hæc diſtinguit, quaſi dicerent: Nec Deos tuos colimus, nec ſtatuam tuam, in qua te adorari voluiſti, adoramus.

℣. 12. *Sunt ergo viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonia, Sidrach, Miſach & Abdenago, &c.* Facilè apparet accuſationem hanc ex invidia natam fuiſſe; quod homines externi & exules evecti fuiſſent ad præfecturas apud Babylonios victores. Quæritur cur non etiam cum his accuſatus & comprehenſus Daniel? *Reſpondeo* Dei providentiâ factum ut tunc abeſſet occupatus in negotiis regni. Aut certè tanta erat apud regem Danielis gratia, ut æmuli non ſperarent ſe quicquam adverſus eum accuſando poſſe proficere, ſed magis adverſum ſe regis iram provocaturos. De hoc vide ſi placet Pererium.

℣. 17. *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis. ——— Quod ſi noluerit; notum ſit tibi ô rex, quod Deos tuos non colimus.* Non dicit, Deus noſter eripiet nos de camino ignis, ſed poteſt nos eripere & liberare. De poteſtate itaque certi erant, de effectu verò adhuc dubitabant. Hic locus præter exemplum inſignis fortitudinis, qua liberè profitentur ſe impio mandato non parituros, etiamſi Deus eos liberare non velit; valet etiam ad deſtruendos duos errores: quorum unus fuit Joannis Wiclephi, & Brentij; qui docent Deum non alia facere poſſe, præter ea quæ facit. Hi enim pueri, cum dixiſſent, quod Deus eos poſſet liberare, nihilominus oſtendunt id pendere ab ejus voluntate. Sic & Chriſtus Matth. 26. *An non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Potuit ergo Chriſtus hoc rogare, potuit & Pater præſtare: nec tamen ille rogavit, nec iſte præſtitit. Alter eſt error communis omnium hæreticorum noſtri temporis, qui fiduciam Chriſtianorum in Deum talem eſſe debere docent, ut non modo expectent, verùm etiam certo ſibi ſtatuant impetraturos ſe, quidquid à Deo expectaverint. Alia longè fuit fides & fiducia horum trium puerorum. Non enim dicunt (*eripiet nos*) ſed (*poteſt eripere.*) Et quod non habuerint certam illam hæreticam perſuaſionem, indicant verba quæ ſubjungunt: *Quod ſi noluerit, notum ſit tibi ô rex, quod Deos tuos* (nihilominus) *non colimus.* Ita & Chriſtus in

Matth. 9.

Matth.9. *Creditis quia hoc poſſum facere?* Fidem requirit, non de effectu, ſed de potentia.

℣.22. *Porrò viros illos qui miſerant Sidrach, Miſach & Abdenago, interfecit flamma ignis.* Quæritur quomodo hæc conſiſtant cum iis quæ poſteà verſ.46. narrantur his verbis? *Et non ceſſabant, qui miſerant eos miniſtri regis ſuccendere fornacem.* Reſpondeo, non ſunt hæc duo unius & ejuſdem continuatæ narrationis, ſed priora ſunt narrationis ex Hebræo, quæ finitur v.23. & non continuatur iterum niſi verſ.91. Alia autem illa inſerta ſunt (ut videre eſt in Bibliis ipſis) ex Theodotionis editione. Quod ſi hoc ſufficere non videatur; dicaturque eſſe nihilominus utrumque in biblica narratione, dici poteſt, prius illud dictum eſſe per hyſteroſin; ut prius breviter referatur, & deinde plenius, quomodo factum ſit, explicetur.

℣.35. *Non auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſervum tuum, & Iſraël ſanctum tuum.* Locus apertiſſimus contra novos hujus temporis Vigilantianos, qui negant merita ſanctorum prodeſſe aliis. Ecce iſti tantæ ſanctitatis viri, ut etiam fornacem ignis ardentis non metuerent pro confeſſione unius Dei, tamen miſericordiam Dei implorant propter merita majorum. Quantò magis nos qui peccatorum pondere premimur, ſuppliciter ad ſanctorum ſuffragia & merita confugere debemus?

℣.48. *Et effundebatur flamma ſuper fornacem cubitis quadraginta novem, & erupit & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini deſcendit cum Azaria & ſociis ejus in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis neque contriſtavit, neque quicquam moleſtiæ intulit*, verſ. 92. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. Tunc acceſſit Nabuchodonoſor ad oſtium fornacis ignis ardentis* ——— *Statimque egreſſi ſunt* ——— *de medio ignis* ——— *Quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum & capillus capitis eorum non eſſet aduſtus* ——— *& odor ignis non tranſiviſſet per eos.* Ex his omnibus apparet duplex fuiſſe miraculum, alterum ignis è fornace excuſſi per Angelum, ita ut juxta ſtantes incenderentur. Alterum, incolumitatis trium virorum in medio ignis, ita ut nec ipſi nec capilli eorum, nec veſtimenta eorum ab igne læderentur. Utrumque miraculum clarè deſcribitur. Sed dubitari poteſt ſi ignis è fornace fuit excuſſus, quomodo qui in fornace erant, ambulabant in medio ignis? & quomodo de illis prædicatur quod nihil læſionis ab igne acceperint? Reſpondendum videtur ignem non totum excuſſum fuiſſe, ſed ex parte; neque eo fine ne læderentur qui miſſi erant in fornacem, ſed ut incenderentur qui eos miſerant. Nam qui in fornacem miſſi fuerunt, alio majori miraculo manſerunt incolumes, ut quamvis in medio ignis poſiti eſſent; non tamen comburerentur, Deo vim ignis mirabiliter ab illorum corporibus & veſtimentis cohibente.

℣.57. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Hîc inter opera Domini numerantur non ſolum ſubſtantiæ tam ſpirituales quàm corporeæ; verùm etiam accidentia, lux & tenebræ, dies & noctes, æſtus, frigus, æſtas, gelu. Sed nec ab hoc numero ſunt excludendæ virtutes & virtutum opera quæcumque ab hominibus fiunt. Cum enim univerſaliter dictum eſſet: Benedicite filii hominum Domino; conſequenter enumerantur homines ſecundum eas qualitates quæ tanquam opera Dei ad eam benedictionem nos debeant provocare; ut populus Iſraël, ut Sacerdotes Domini, ut ſervi Domini, ut ſpiritus & animæ juſtorum, ut ſancti & humiles corde, ac denique omnes religioſi id eſt, veri Dei cultores. Sunt ergo Dei opera, eſſe populum Dei, ſacrificare & ſervire Domino, eſſe juſtum, ſanctum, humilem, & religioſum; ſeu virtutes ipſas, ſeu virtutum opera intelligas his nominibus.

℣.65. *Benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.* Hoc loco Spiritus Dei intelliguntur venti, ſicut immediatè præcedit: *Benedicite omnis imber & ros Domino*; ſcilicet pluviæ, venti, & ſimilia ejuſdem ferè ſunt conditionis. Neque mirari quis debet, quod iidem venti hîc vocentur *Spiritus Dei*. Ita enim vocantur propter magnitudinem, ſi ſint vehementes & procelloſi, phraſi Hebræa, ſicut cedri Dei, montes Dei; vel quia ſunt miniſtri Dei, juxta illud: *Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, Pſalm. 148. Nequaquam autem intelliguntur Angelici Spiritus; quia jam ante v. 58. de iis dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino.* Itaque & quod poſteà dicitur, v.86. *Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino*, de aliis item ſpiritibus intelligendum eſt; de illa videlicet ſpirituali hominis parte, quæ contra animam, velut partem ſenſitivam diſtinguitur, ut 1. Theſſ.5. *Ut integer ſpiritus veſter, & anima, &c.* Vide ibid. noſtrum Comment.

℣.93. *Et ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Hunc Chriſtum interpretantur veteres, non quod Chriſtus jam tum carne indutus fuerit, ſed quia Angelus in ea ſpecie apparuit, in qua Dei Filius aliquando erat aſſumpta carne conſpiciendus. Huc ſpectare videtur quod in Eccleſiaſtico officio canitur: *Surrexit Chriſtus de ſepulchro, qui liberavit tres pueros de camino ignis ardentis.* Fuiſſe autem Angelum eum qui hîc dicitur ſimilis Filio Dei, Nabuchodonoſor ipſe paulò pòſt teſtatur, cum ait: *Benedictus Deus eorum* ——— *qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſervos ſuos, &c.* Prudentius in Apotheoſi contra Patripaſſianos, Chriſtum interpretatur. Vide noſtra in 2. diſt.8.

℣.96. *A me ergo poſitum eſt hoc decretum, ut omnis populus, tribus, & lingua quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach Miſach & Abdenago, diſpereat, & domus ejus vaſtetur.*

Decretum hoc regis Nabuchodonoſor conſonat legi divinæ Levit.24. ubi, quicumque blaſphemaverit nomen Domini, jubetur interfici, ſive civis ille fuerit, ſive peregrinus. Ex quo manifeſtum eſt pœnam illius legis comprehendere etiam eos qui religionem Dei Iſraël non ſuſcepiſſent, ut ibi annotavimus.

CAPUT IV.

℣.6. B*altbaſar princeps ariolorum.* Sic Danielem ſalutat Nabuchodonoſor, vel quia eum conſtituerat præfectum magiſtratuum, ſuper cunctos ſapientes Babylonis; ut habetur ſupra in fine cap. 2. Sapientes enim Babylonici erant dediti ſuperſtitionibus & incantationibus: Vel etiam, quia homo infidelis exiſtimabat ſapientiam & peritiam exponendi ſomnia, & prædicendi futura (quæ erat in Daniele) fuiſſe ejuſdem generis cum ea, quæ erat in ſapientibus Babyloniis. Similiter quoque proximo capite dicit Regina ad regem; Danielem à patre ejus Nabuchodonoſor, conſtitutum fuiſſe principem magorum, incantatorum, Chaldæorum & aruſpicum. Vide etiam Geneſ 44. de Joſeph.

℣.22. *Cum beſtiis feriſque erit habitatio tua.* Et v. 30. *Eadem hora ſermo completus eſt.* Et tandem v.33. *Senſus meus reverſus eſt in me* ——— *& figura mea reverſa eſt.* Non ſignificatur eum mutatum fuiſſe in figuram beſtiæ, ac multò minus veram fuiſſe beſtiam, quaſi deſcribat nobis ſcriptura, vel aſinum Apuleii, vel ſimile aliquod monſtrum; ſed ſignificatur, ita mente captus fuiſſe, ut inter beſtias agens, ferarum more vixerit, pilis ejus & unguibus ſine humano cultu creſcentibus, inſtar aquilarum aut aliarum avium; ut hîc clarè dicitur. In Epiſtola una ex iis quæ falsò in-

inſcribuntur Auguſt. ad Boniſac. dicitur, quod Na- A buchodonoſor ob ſuperbiam ſuam in bovem ex homine fuerit commutatus. Sed non eſt illa Epiſtola Auguſtini. Tertullianus in fine libri de Pœnitentia, ſcribit ad hunc modum de Nabuchodonoſor: Diu pœnitentiam Domino immolarat ſeptenni ſquallore exomologeſim operatus, unguium aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninum referente. Sic ille. Quibus verbis ſatis indicat eum non penitus in formam belluinam fuiſſe mutatum: Sed quæres? Quid eſt ergo quod Nabuchodonoſor ipſe verſ. 33. dicit: *& figura mea reverſa eſt in me*? Aliqui reſpondent, quod vox Hebræa ſignificet propriè ſplendorem; quaſi dicat priſtinum honorem, & ſplendorem ſibi redditum. Sed ſimplicius reſponderi poteſt; quod figura ejus reverſa eſt ad eum; ſcilicet, illa quæ receſſerat per B tantam deformitatem unguium & capillorum, iiſdem priſtino more reſectis. Atque item non eſt improbabile, eum diu more brutorum ſpectantem terram, manibus, pedibuſque reptaſſe, quo commodius fœnum & alias herbas terræ carperet; iis enim toto ſeptennio inter feras eum victitaſſe certum eſt ex v. 22. & 30. Vel hoc igitur modo figura ejus iterum reverſa eſt ad eum, dum iterum erecto vultu incepit ambulare.

✠. 24. *Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi. Et peccata tua eleemoſynis redime.* Invehuntur hæretici in Catholicos, quod ſatisfactionis vocabulum in Scholas invexerint, cum magna, ajunt, injuria Chriſti. Sed cur non potius invehuntur in Danielem; qui non tantum ſatisfactionis, ſed etiam redemptionis vocabulum videtur homini tribuere? Sic enim dicit; C *Peccata tua eleemoſynis redime*, At quæres: Quid? An ergo homo ſit ſuiipſius redemptor? *Reſpondeo*, ſi aliquo modo redimit ſe à peccatis, vel redimit ſua peccata, ut hîc ſuadet Propheta regi, certè conſequens eſt, ut ſit aliquo modo ſuus redemptor. Sed Chriſtus propriè redemptor eſt, quia paſſione ſua pretium patri exhibuit, quo peccata ſimpliciter redimuntur; ſcilicet quoad pœnam æternam eis debitam: homo autem per eleemoſynas & ſimilia, præſtat id, quo redimuntur pœnæ temporariæ; & etiam hoc ipſum opus ſatisfactionis ſeu redemptionis, non niſi de gratia & meritis unius redemptoris procedit; per quem & virtutem ſatisfaciendi accipit.

Cæterùm quæret hîc aliquis, cum rex per ſuper- D biam contra Deum peccaſſet, cur non potiùs ei Daniel præſcripſerit conſilium orandi? Nam ſicut eleemoſyna pro iis peccatis ſatisfacere ſolet quæ in proximos committuntur, ut jejunium pro iis quæ committimus in nos ipſos; ita oratio remedium eſt ſuperbiæ. An quia rex Barbarus parum idoneus erat ad orandum, facile autem poterat ex immenſis opibus quas poſſidebat, largas eleemoſynas conferre in pauperes? An verò quia non pro ſolo peccato ſuperbiæ, ſed pro injuſta invaſione regnorum, & oppreſſione miſerorum hoc ei conſilium ſuggerit propheta? Sed cur non ſuadet ante omnia reſtitutionem injuſtè ablatorum, ſine qua inutilis ac deriſoria eſt omnis ſatisfactio? Nam & hoc quæri poteſt quomodo potuerit prodeſſe regi hæc ſatisfactio permanenti in ſua infidelitate? Vel cur non potius & E ante omnia Danielei prædicat fidem unius Dei & mediatoris, ſine qua nulla pœnitentiæ opera ei poſſent prodeſſe? Nam fidelibus pœnitentia prædicanda eſt, ut apud Judæos fecerunt Joannes & Chriſtus & ejus Apoſtoli. Infidelibus autem primò omnium annuntianda eſt fides in Deum & mediatorem, quod apud Gentiles fecerunt Apoſtoli.

Dicere poſſumus Danielem ſuggeſſiſſe regi conſilium per ſe bonum, licet illi inutile propter ſuperbiam & contemptum Dei. Nec tamen tacuiſſe de fide unius Dei, quandoquidem ei annuntiat mala ſuperventura propter ignorantiam & contemptum divinæ

A poteſtatis. Quæ annuntiatione ſatis continebatur unius Dei prædicatio. Quin & ſuperius per miraculum trium puerorum in ardente fornace illæſorum edoctus fuerat, & palam confeſſus unum ſummum Deum. An autem ex hoc loco rectè ſtatuatur infidelium quædam opera moraliter bona, facere ad avertenda vel mitiganda hujus ſæculi mala; quæri etiam poteſt. Quod ſi ſic; tùm illud quod ſequitur: *Forſitan ignoſcet delictis tuis*, referri poterit ad pœnas hujus ſæculi, quas de congruo evadunt interdum infideles per opera miſericordiæ: ſicut & per opera virtutum moralium, quædam hujus ſæculi bona ſimili congruitate merentur.

✠. 27. *Reſponditque rex & ait: nonne hæc eſt Babylon magna, &c.* Reſpondiſſe dicitur non ad cujuſquam B alterius interrogationem, ſed quia erupit in verba prævia cogitationi ſuæ ſuperbæ reſpondentia. Vide annot. Matth. 11. v. 25.

CAPUT V.

✠. 1. **E**T *unuſquiſque ſecundum ſuam bibebat ætatem.* Hebr. nunc ſic legitur: *Et coram mille vinum bibebat*, ſcilicet Balthaſar rex, cujus ſenſus eſt, quod rex ipſe coram ſuis mille optimatibus epulatus ſit, vinumque biberit, fortè in menſa ſeparata, ſed tamen in eadem aula, ut ſolent reges. Unde mirum videri poteſt, quid ſecutus Hieronym. verterit: *unumquemque bibiſſe ſecundum ſuam ætatem*, cum nihil tale jam habeant Hebræa, quibus etiam conſonant C Septuaginta. Verùm Hieronymum certam rationem hac in re ſecutum, inde conjicere licet; quod in ſuo Commentario ſcribat in hunc modum: Unuſquiſque autem principum vocatorum juxta ſuam bibebat ætatem, ſive, ut cæteri interpretes tranſtulerunt, Bibebat ipſe rex vinum coram cunctis principibus quos vocaverat.

Additio B. P. Cenſoris: Advertendum eſt in Hebræo non eſſe (bibebat) ſed (bibens;) & à 70. hæc annecti ſequentibus, atque attribui regi Balthaſar: quo modo præcedentium iſtorum verborum ſenſus eſt, quod ante unumquemque illorum mille optimatum erat proprius crater cum vino, regia magnificentia id curante. B. igitur Hieronym. ſua interpretatione huc D accedit: conſequens enim erat ut unuſquiſque pro ſua ætate ſuaque appetentia biberit quantum placebat, ex proprio nimirum cratere. Porrò ſenſum quem diximus, Scholium græcanicum expreſsè hîc tradit, recitatum à Scholiaſte ad 70. Romanos.

✠. 2. *Præcepit jam temulentus, ut afferrentur vaſa aurea & argentea, quæ aſportaverat Nabuchodonoſor de templo.* Notandum quàm gravium peccatorum cauſa ſit ebrietas, & quàm gravem mereatur punitionem etiam temporalem. Rex temulentus & vino jam æſtuans jubet proferri ſacra vaſa templi Domini, ut biberent ex eis, ipſe & optimates & uxores & concubinæ, & inter hæc laudabant Deos ſuos aureos & argenteos, &c. Videmus in quàm horrenda peccata ducat ebrietas. Nec diu morata eſt vindicta Dei. Mox E enim præſagium datum eſt, & præſagii effectus conſecutus. Nam eadem nocte Perſis & Medis Euphrate tranſvadato civitatem occupantibus, rex ipſe, qui talia in convivio deſignaverat, interemptus eſt. Itaque ſic punitus eſt Balthaſar; primo propter ebrietatem, reliquorum peccatorum radicem; deinde, quia ſacrilegium commiſit, profanando vaſa Deo dicata: Ac tertiò, quia id fecit cum contumelia veri Dei, cui ſcilicet quodammodo inſultavit in vaſis cultui ejus dicatis, quando iis utentes in profano convivio, ipſe rex & optimates ejus, uxores & concubinæ illius, ut loquitur Scriptura, *bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos & ferreos*,

ſcilicet

ſcilicet tamquam victores Dei Iſraëlis. Habet rex iſte etiam hodie imitatores, eos ſcilicet qui per ſacrilegium ablata è templis vaſa ſacra convertunt in uſum impiiſſimum comeſſationum & compotationum ſuarum, inter pocula temulento ore ludibrio habentes Sacroſancta myſteria: quorum uſui vaſa illa ſerviebant, longè ſacratius quàm vaſa illa templi typici.

℣.13. *Tu es Daniel de filiis captivitatis Iuda?* Quæret aliquis quomodo Daniel non erat notus regi Balthaſari qui tam magnus & honoratus fuerat apud Nabuchodonoſor? Reſpondeo, fortè quia homo externus Iudæus non adulator, ſed rectus & integer, ideo impio regi minus placuerat: ac fortè ipſe Daniel ſeſe ex aula ſubduxerat quo liberius Deo vacaret. Verſabatur tamen in Babylone. Statim enim illâ ipsâ nocte vocatus adfuit. Adde quod Nabuchodonoſor non fuerit pater proximus Balthaſaris. Itaque facile fieri potuit, ut apud regem poſt tam longum tempus non exſtaret eorum memoria, quæ Daniel fecerat tempore Nabuchodonoſor.

℣.17. *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da.* Dicit hoc Daniel, ſciens quàm ſit impium rem ſacram vendere, & pro myſteriorum interpretatione pretia accipere. Ne autem propterea quis putet etiam honorarium gratuitum non licere poſt opus accipere, ſic de eodem ſub finem capitis legitur. *Tunc jubente rege indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo quod haberet poteſtatem tertius in regno.* Quamquam hæc verba non tam ſignificant accepiſſe Danielem quæ allata fuerant, quàm permiſiſſe, ut circa ſe fierent juſſu & imperio regis. Vide Hieron. in Commentario.

CAPUT VI.

℣.10. *Daniel feneſtris apertis in cœnaculo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, ſicut & ante facere conſueverat.* Locus notandus pro uſu cæremoniarum, contra eos qui earũ uſum vel damnant, vel plenè volunt eſſe adiaphorum ſeu indifferentem. Etenim, ſi res fuiſſet, aut eſſet indifferens, uſus cæremoniarum in Dei cultu, imprudenter ſanè feciſſet Daniel, qui ſe temerè & ſine cauſa objeciſſet periculo mortis, volens obſervare rem indifferentem, & ad pietatem nihil conducentem. Sed intelligebat Daniel per hujuſmodi externas cæremonias, videlicet per genuflexionem, & adorationem verſus templum Ieroſolymitarum, excitari & inflammari hominem ad maiorem interiorem devotionem.

℣.15. *Lex Medorum atque Perſarum eſt, ut omne decretum quod conſtituerit rex, non liceat immutari.* Non eſt ſenſus, regem ipſum non poſſe decretum à ſe ſemel conſtitutum abrogare, ſed decretum regium inviolabiliter debere ſervari, ideoque eum qui violaverit, meritò depoſci ad ſupplicium. Iſta ſpecie honoris & authoritatis regiæ regem urgent & conſtringunt ad puniendum Danielem, tamquam edicti Regij prævaricatorem. Hunc ſenſum probat etiam illud capitis 3. quod Nabuchodonoſor dicebat de tribus viris è fornace ſine læſione egreſſis: *Et verbum regis immutaverunt*, id eſt, fecerunt contra edictum meum nihil veriti mortem & acerbiſſimum ſupplicium ignis. Sequitur enim: *Et tradiderunt corpora ſua ut ſervirent, &c.* Item Numer. 22. dixit Balaam; *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare Verbum Dei mei, ut vel plus vel minus loquar.* Quaſi dicat ut noſtri dicere ſolent, pro toto mundo non audebo aliter facere, quàm mihi Deus præceperit. Quamvis enim malus eſſet Balaam, metuebat tamen gravem punitionem à Deo, ſi ſecus faceret quàm Deus præcepiſſet; videlicet maledicendo cui Deus præciperet benedici. Jam ante enim Angelus fuerat ei mortem

A comminatus. Quod autem ibi immutare ſit tranſgredi, doceri etiam poteſt ex cap. 24. ubi eadem ſententia repetitur à Balaam, & in noſtra verſione habemus: *Non potero præterire ſermonem Domini.* Notandum autem ſuperiùs hoc eodem capite dici, v.8. *Nunc itaque rex confirma ſententiam & ſcribe decretum; ut non immutetur quod ſtatutum eſt à Medis & Perſis nec prævaricari cuiquam liceat.* Hinc apparet, ſi Perſæ & Medi aliquid ſtatuiſſent cui confirmatio regis acceſſiſſet, eiuſmodi decretum firmum & inviolabile apud Perſas fuiſſe; ita ſcilicet ut capitalis eſſet eius tranſgreſſio ſine ſpe impunitatis. Hoc quoque pertinet quod habetur Eſther 1. in his verbis conſiliarij loquentis ad regem: *Egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur juxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illi-*
B *citum eſt.* Hinc etiam intelligi poteſt illud Salvatoris apud tres Evangeliſtas, Matthæum c. 24. Marcum 13. & Lucam 21. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, id eſt, omnia hæc quæ prædixi, certiſſimè implebuntur ſuo tempore, omnia immutabilia ſunt: etſi cœlum & terra quæ æterna videntur, immutanda ſint, mea tamen verba non mutabuntur; ſed firma & rata erunt. Vide ſi placet annot. cit. c. 24. Matth.

℣.22. *Et non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me.* Hîc duo docemur: alterum, eſſe in homine inhærentem & non tantùm imputativam juſtitiam: alterum, rectè aliquando & ſine vitio ſuperbiæ hominem allegare apud Deum vel apud alios ju-
C ſtitiam ſuam. Et nota quod idem Daniel hîc ſuam juſtitiam commemorat, qui alibi confitetur ſua & populi peccata. Unde intelligimus juſtitiam cum quibuſdam peccatis conſiſtere.

℣.26. *A me conſtitutum eſt decretum, ut in univerſo imperio & regno meo tremiſcant, & paveant Deum Danielis.* Hoc loco aliquoties utitur Auguſt. ut doceat poſſe compelli pœnis & legibus hæreticos ad rectam fidem, maximè quia illam deſeruerunt. Sed *quæritur* quem cultum hic rex præcipiat? Aliqui putarunt, quod voluit publica ſacra Deo Iſraël conſtitui, ſicut fecerunt Romani, quando aliquem novum Deum recipiebant. Sed *veriſimilius* eſt, quod Darius tantùm præceperit, ut omnes tremiſcerent, & paverent Deum Danielis, id eſt, ut omninò abſtinerent ab irreveren-
D tia eius, nec auderent linguam ullo modo laxare in eius contumeliam. Sic & ſupra cap. 3. Nabuchodonoſor poſt miraculum trium puerorum in fornace ignis: *A me ergo poſitum eſt hoc decretum; ut omnis populus, tribus & lingua, quæcumque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach & Abdenago, diſpereat, & domus eius vaſtetur.*

CAPUT VII.

℣.9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit.* Antiquus dierum eſt Deus unus & trinus, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus; ſicque vocatus propter æternitatem, qua creaturam omnem, & omnia tempora antecedit. Non
E poteſt autem hoc nomen tribui Patri comparatione Filij, ut quidam putaverunt; quia nullo modo Pater ſic generat, ut Filio dici poſſit antiquior, aut plus habens ætatis, aut æternitate præcellens; quia in æterno non eſt principium nec finis, ac proinde nec gradus. Quare nec infra verſ. 13. (ubi dicitur: *Et ecce cum nubibus cœli, quaſi filius hominis veniebat, & uſque ad antiquum dierum pervenit*) ſolum Patrem per antiquum dierum intelligendum putamus, ſed Deum unum, & trinum, æternum, ut jam diximus; ut ſenſus ſit: Chriſtum filium hominis, id eſt, verum hominem, ſublimatum eſſe ad eam gloriam, qua agnoſceretur ab omnibus etiam ipſe eſſe antiquus dierum,

id eſt, æternus ac verus Deus: Unde & ſubditur: *Et dedit ei poteſtatem, & honorem & regnum, & omnes populi ipſi ſervient.* Ac tandem: *poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.*

℣.10. *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Numerus certus pro incerto. Si enim ſinguli homines habent cuſtodes ſibi deputatos Angelos, & præterea alij ſint ſuperiores potioribus miniſteriis addicti: non dubium quin ſupradictum numerum, Angelorum multitudo longè excedat. Neque aliter differunt miniſtrare & aſſiſtere, quàm quod alterum ſit propter alterum. Ideo enim miniſtri aſſiſtunt Domino, ut miniſtrent & omnia eius juſſa ſine morâ exequantur. Vide noſtra in 2. diſt. 10. & noſtrum Comm. Hebr. 1. ad illa verba, *Nonne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis?*

℣.25. *Et ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, — & tradentur in manum eius, uſque ad tempus & tempora, & dimidium temporis.* De Antichriſto hæc dici fatis certum videtur; quin etiam eum regnaturum & ſanctos perſequuturum annos tres circiter & dimidium. Neque enim hoc loco tantum dicitur: *tempus, & tempora, & dimidium temporis*; id eſt, annum, & annos, & dimidium anni, ut communiter exponitur; ſed etiam Apoc. 12. Ac præterea alijs pluribus locis inveniuntur numeri, qui idem temporis ſpatium reddunt. Sic Apoc. 11. *Et calcabunt civitatem ſanctam menſibus quadraginta duobus.* Et eiuſdem libri cap. 13. *Data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*; qui numerus menſium itidem eſt trium annorum & dimidij. Ac denique *dimidium illud hebdomadis*, id eſt, dimidium ſeptem annorum, de quo infrà cap. 9 & *dies illi mille ducenti nonaginta*, quorum mentio eſt apud hunc eundem Prophetam cap. 12. & qui numerus proximè accedit Apocal. 11. & 12. *dierum mille ducentorum ſexaginta*, proximè omnia conficiunt annos tres & dimidium. Quomodo tamen etiam de Antiocho intelligi poſſit, vide cap. ſeq. v. 10.

CAPUT VIII.

℣.10. **E**T *dejecit de fortitudine, & de ſtellis. Et uſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit juge ſacrificium.* Quod hic dicitur de ablatione jugis ſacrificij. *Quæritur*, Utrum intelligendum ſit de ſacrificio Judæorum, an Chriſtianorum? Et ſi de ſacrificio Judæorum ad litteram; An etiam aliquo ſenſu poſſit, aut debeat accommodari ad ſacrificium Chriſtianorum? *Reſpond.* Ad litteram non videtur dubium, quin referendum ſit ad juge ſacrificium legis, id eſt, ad ſacrificium, quod ſecundum legem quotidiè & manè & veſperi offerri debebat: Quando ſcilicet Antiochus Epiphanes, de quo in libris Machab. (qui hic intelligitur per cornu modicum ex regno Græcorum exortum, & per regem impudentem) civitatem Ieroſolymorum vaſtavit; & templi deſolationem induxit. Ceſſavit enim tunc per tres annos, & amplius juge ſacrificium; conſtituto in templo Dei, Iovis Olympij ſimulachro; lex autem annis perduravit vaſtitas ipſius civitatis; poſt quos Iudas Machabæus templum repurgavit, ut eſt 1. Machab. 4.

Hæc ad litteram. Nihilominus eadem & ad tempora Antichriſti à multis, etiam teſte B. Hieron. referuntur; quem dicunt moturum tam gravem in Chriſtianos perſecutionem, ut etiam videatur juge ſacrificium ab eis abſtuliſſe. Sed alij contra objiciunt: Juge ſacrificium Chriſtianorum non eſt niſi ſacrificium altaris; at verò illud duraturum eſt cum ipſa Eccleſia uſque in finem ſæculi. Nam ſicut dictum eſt de Eccleſia Matth. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*; Ita & de ſacrificio corporis Domini dicit Paulus 1. Cor. 11. *Quotieſcumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.* Quibus reſpondendum, juge ſacrificium Chriſtianorum tunc ceſſaturum, non abſolutè, ſed quantum ad ſolemnitatem, & publicum eius uſum, qualis nunc eſt; quia ſcilicet Miſſarum ſolemnia in tanto ardore perſecutionis publicè celebrari non poterunt; occulto tamen uſu & celebratione continuandam eſſe uſque ad finem ſæculi ſine ullius temporis interruptione, quemadmodum etiam nunc multis in locis, proh dolor! propter hæreticorum perſecutionem publicè ſacrificium altaris offerri non poteſt. Ubi tamen ſimpliciter ſacrificium non ceſſat, quia in domibus privatis aliiſve locis abditis, adhuc quotidie offertur. Alij reſpondent breve illud triennij tempus pro nullo reputandum comparatione tot ſæculorum à Chriſti paſſione uſque ad finem mundi. Sed prior ſolutio magis placet. Occultam enim oblationem non eſt veriſimile impediendam, ſicut nec unquam graviſſimis principum ethnicorum perſecutionibus impediri olim potuit.

CAPUT IX.

℣.7. **T**ibi *Domine juſtitia: nobis autem confuſio faciei.* Senſus eſt: Tua juſtitia prædicanda eſt & agnoſcenda in omnibus quæ feciſti nobis: nos autem quibus illa omnia juſtè propter peccata noſtra acciderunt, meritò confundimur, & pudore afficimur.

℣.14. *Et vigilavit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos.* Malitiam vocat afflictionem quę malum eſt pœnę, ſicut & c. 2. Ioël: *præſtabilis ſuper malitia.* Confitetur juſtitiam Dei qui peccata populi ſui non ſinuerit inulta, ſed quaſi vigilans & diligenter obſervans virgam præparavit ad caſtiganda eorum peccata. Sic & dicitur: *Virgam vigilantem ego video.* Ierem. 1.

℣. 20. *Et confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſraël.* Auguſtinus ex hoc loco ſæpe oſtendit Sanctos non tantùm alieno nomine, ſed etiam ſuo, confiteri peccata ſua, & juſtitiam Dei peccata flagellantis, etiam erga ſe agnoſcere, & præcipuè libr. 2. de peccat. merit. cap. 10. Ubi & vide Annotat. Gravij. Item Hieronym. lib. 2. Dialog. contra Pelagian. ſub finem; quamvis anteà in epiſt. ad Algaſiam quæſt. 8. ſcripſiſſet, Danielem quaſi de ſe dicere cum pro alijs deprecatur, dicens: *Peccavimus, iniqua fecimus, injuſtè geſſimus, impiè geſſimus.* Sic & Tobias cap. 3. *Et nunc Domine memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea.*

℣.25. *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Ieruſalem uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomadas ſexaginta duæ erunt, &c.* Ex hoc maximè capite apparet, quàm verum ſit elogium de hoc Propheta, quod ponit Hieron. in Præfat. ſuorum Commentariorum, in hęc verba, Illud; inquit, commoneo, nullum Prophetarum tam apertè dixiſſe de Chriſto. Non enim ſolum ſcribit eum eſſe venturum, quod eſt commune cum cæteris, ſed etiam quo tempore venturus ſit, docet, & reges per ordinem digerit, & annos enumerat, ac manifeſtiſſima ſigna prænuntiat. Hæc ille. Itaque hebdomades iſtæ ſeptem, & ſexaginta duę, & hebdomada illa una de qua ſequitur v. 27. ſunt hebdomades ſimul Septuaginta, de quibus præcedit. v. 24. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt*; & intelliguntur tot hebdomades annorum, id eſt, toties ſeptem anni hoc eſt in univerſum anni ſeptuagies ſeptem, vel quod idem eſt, ſepties Septuaginta, qui efficiunt annos quadringentos nonaginta. Verùm ubi horum annorum initium ſit ſumendum, non ſatis convenit inter expoſitores, dum alij ab initio captivitatis à temporibus Sedéchiæ initium faciunt; alij poſt reditum ex captivitate ab initio reſtaurationis templi

&

& civitatis, id quod huic loco magis eſt conſentaneum.
Dicitur enim: *Scitote & animadvertite ab exitu ſermo-
nis, ut iterum ædificetur Ieruſalem uſque ad Chriſtum du-
cem*; Cuius ſenſus videtur eſſe; Ex quo compleri inci-
piet ſermo de reædificanda Ieruſalem, uſque ad Chri-
ſtum, erunt Septuag. hebdomades.

CAPUT X.

℣.13. **P**Rinceps autem regni Perſarum reſtitit mihi.
*— Et ecce Michaël unus de principibus pri-
mis venit in adjutorium meum.* Et intrà v. 20. habetur
enim de principe Græcorum, ubi & de Michaële ſpe-
cialiter dicit ipſe Gabriël (qui hic loquitur ad Danie-
lem;) *Niſi Michaël princeps veſter.* Ex quibus diſcimus
etiam integris regnis, ſeu gentibus, quin etiam infideli-
bus (quales tunc erant Perſæ & Græci) à Deo præpoſi-
tos eſſe Angelos, quorum curâ regna illa, ſeu gentes gu-
bernentur, & dirigantur. Diſcimus etiam Michaëlem
Archangelum fuiſſe principem Judaici populi, ſive ſy-
nagogæ: quem eundem poſt repudium ſynagogæ, fe-
ctum ſimiliter præfectum toti Eccleſiæ Dei, multis mo-
dis probabile eſt; tum ex Apocal. Ioannis, tum ex re-
cepta in Eccleſia ſententia, ſicut legimus in off. divino:
*Archangele Michaël conſtitui te principem ſuper omnes
animas ſuſcipiendas*; & alia ſimilia. Quod autem dicitur
princeps Perſarum reſtitiſſe Gabriëli Angelo, qui ad
Danielem loquebatur, & alterum adverſus alterum
fuiſſe præliatum; non putandum eſt bellum aliquod geri
inter cœleſtes illos ſpiritus, inter quos ſumma pax eſt
animorum conſenſio in Deo: Sed figurata locutione
ſignificatum eſt, quemlibet Angelum, qui vel homini
vel regno præpoſitus eſt, ſummâ curâ & ſtudio inſtare
pro parte ſibi commiſsâ, donec per revelationem ei
conſtet de divinæ voluntate aliquid diverſum ordinen-
te. Et poteſt intelligi, quod princeps Perſarum reſtitit
viginti & uno diebus, ſcilicet quia diebus illis evolutis
tempus erat, ut bonum Iudæorum prævaleret, deficiente
bono Perſarum. Unde & additur: *Et apparuit princeps
Græcorum*; videlicet quia per Græcos potentia Perſarum
proſtrata eſt. Nihilominus, præter Caſſianum, etiam
Rupertus principem Perſarum malum Angelum intel-
lexit. Imò & D. Thom. parte 1. q. 113. art. 8. videtur
innuere Hieronym. ſimiliter ſenſiſſe. Sed non exprimit
Hieron. bonuſnè fuerit, an malus. D. Gregor. libr. 17.
Moral. c. 7. ubi hunc locum tractat, concludit, Omnium
Angelorum unam eſſe victoriam, ſui ſuper ſe opificis
voluntatem ſummam: quam, inquit, dum ſemper aſpi-
ciunt, quod obtinere non valent, nunquam volunt.

CAPUT XI.

℣.21. **E**T ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribue-
tur ei honor regius, &c. Ab hoc loco uſque
ad capitis finem prophetia eſt in typo quidem, & ſe-
cundum litteram, de Antiocho Epiphane; in quem
aptiſſimè quadrant multa quæ hîc dicuntur, ut ex libris
Machab. oſtendi poteſt: Sed in ipſa veritatis exhibi-
tione prophetia eſt de Antichriſto; qui in noviſſimis
temporibus venturus eſt; maxime quod quædam valdè
difficulter Antiocho accommodentur. Unde rurſum
manifeſtum fit, illud quod v. 31. ſubjungitur: *Et au-
ferent juge ſacrificium*, eodem modo intelligendum
eſſe, ſicut illud expoſuimus ſupra ad cap. 8. v. 10.

℣.37. *Et Deum patrum ſuorum non reputabit; &
erit in concupiſcentiis fœminarum, nec quemquam Deo-
rum curabit.* Quomodo prius illud in Antiochum con-
veniet, non ſatis liquet; niſi intelligamus, ſicut ſequi-
tur; quod nullum Deorum curârit, & proinde nec
Deum patrum ſuorum. Quod verò ſequitur: *Et erit in
concupiſcentiis fœminarum*, in Hebræo ambiguum eſt;
Sic enim legitur ad verbum: *Super Deum patrum ſuo-*
A *rum non intelliget, & ſuper concupiſcentias fœminarum,
& ſuper omnem Deum non intelliget.* Ubi ambiguum
eſt (*& ſuper concupiſcentias fœminarum.*) Nam ſuppleri
poteſt, vel ex eo quod præcedit ſimul & ſequitur, (*non
intelliget*) vel, ut Hieron. ſupplevit, ſine negatione
(*intelliget*) ſed Hieronymi verſio probabilior eſt, quia
hoc ſaltem in Antiochum (de quo hæc, ut typo An-
tichriſti dicta ſunt) optimè quadret. Fuit enim tam
perditi, & projecti pudoris, ut etiam publicè, & in ocu-
lis totius populi turpes ſuas libidines expleret. Et effre-
nem eius in mulieres amorem, Scripturæ quoque ſatis
inſinuat, dum narrat 2. Machab. 4. v. 30. dicens: *Et
cum hæc agerentur, contigit Tharſenſes & Mallotas ſedi-
tionem movere, eò quòd Antiochi regis concubinæ dono
eſſent dati.*

B

CAPUT XII.

℣.2. **E**T multi de his qui dormiunt in terra pulvere
evigilabunt. Hoc non repugnat; quin omnes
intelligantur reſurrecturi, ſeu evigilaturi. Sic enim &
Apoſtolus ad Rom. 5. utrumque dicit: *per unum homi-
nem peccatores conſtituti ſunt multi.* Et item: *in quo
omnes peccaverunt.* Dominicus Sotus in 4. diſt. 43. q. 1.
art. 2. ex S. Thoma ibidem, etiam aliam quandam indi-
cat interpretationem. Vel dicendum, inquit, quod evi-
gilare plus eſt, quàm reſurgere. Quare parvuli abſque
baptiſmo defuncti reſurgent quidem, ſed propriè non
evigilabunt, imò & damnati poſſunt dici hoc pacto non
C evigilaturi, quia lucem non intuebuntur. Sic ille. Sed
quod damnati dicerentur non evigilaturi; hoc eſſet
contra textum, qui dicit; *evigilabunt, alij in vitam
æternam, & alij in opprobrium*: niſi Sotus fortè putârit
ſibi favere, quod ſequitur; ut ubi nos legimus (*ut vi-
deant ſemper*) ibi ipſe legerit (*ut viluant ſemper*) id
eſt, in perpetua vilitate & contemptu ſint. Sic enim
quidam ſecundum Hebr. & Græca pridem legendum
putârunt. D. Thomas in 4. diſt. 43. utramque adfert
ſolutionem; ſed prior, quam Auguſtini eſſe dicit, me-
lior eſt. Vide etiam noſtra in 3. cit. diſt. 43. § 6.

℣.3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firma-
menti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in
perpetuas æternitates.* Sententia hæc meritò omnium
noſtrum torporem & tarditatem excitare debet, ut
D quàm diligentiſſimè ſacrarum litterarum ſtudiis ope-
ram demus, ut poſſimus aliquando etiam alios erudire
ad juſtitiam; erigentes animum in ſpem præmij quod
hîc promittitur, ut fulgeamus aliquando quaſi ſplendor
firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Ne-
que tamen dicitur ſimpliciter; *Qui docti fuerint*, ſed
adjungitur, *qui ad juſtitiam erudiunt multos.* Qui enim
doctus fuerit quidem, ſed alios ad juſtitiam non erudit,
habendus velut is qui poneret lucernam ſub modio, &
tanquam is qui defodit talentum Domini ſui in ter-
ram, qui non ſolum non conſequitur præmium Docto-
ris, verùm etiam talento ſpoliatus, opprobrium patitur
ſervi nequam, nequam, pigri, & infidelis.

CAPUT XIII.

E
℣.5. **E**T conſtituti ſunt duo ſenes judices in illo anno.
Hos duos ſeniores, ſeu judices eſſe eoſdem
cum duobus Pſeudoprophetis, quos commemorat Ie-
remias propheta cap. 29. frixos in igne à rege Nebu-
chodonoſor, quod feciſſent ſtultitiam in Iſraël, & mœ-
chati fuiſſent in uxores amicorum ſuorum, opinio eſt
Hebræorum. Quæ an veriſimilis ſit; & quomodo Iu-
dæi in captivitate habuerint judices; an ſimul verum
eſſe poſſit, quod ibi dicantur frixi in igne, & hoc loco,
lapidati. Vide Hieron. ſuper dictum cap. 29. Ieremiæ,
& etiam ibidem noſtra.

℣.13. *Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in*

manum veſtear, quàm peccare in conſpectu Domini. Proponitur inſigne exemplum caſtitatis & confidentiæ erga Deum in Suſanna, quo docemur & caſtitatem ne periculo quidem mortis propoſito deſerere, & quod homo in omni periculo, & maximè calumniis oppreſſus, in Deo omnem fiduciam & ſpem ponere debeat, ſicut de Suſanna dicitur: *Erat cor eius fiduciam habens in Domino.* Locus moralis pro concione utiliter tractari poterit. Quomodo autem verba illa: *Melius eſt mihi, &c.* non re pugnent illi ſententiæ Davidis. *Melius eſt ut incidam in manus Domini quàm in manus hominum.* 2. Regum ult. Vide ibid. annot.

℣. 50. *Et dixerunt ei ſenes: Veni & ſede in medio noſtrum, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* Si ſenes intelliguntur duo illi ſeniores qui accuſaverant Suſannam, tum ironica hæc erit locutio; qua puerum volentem ipſorum calumniam detegere, conantur repellere & à propoſito deterrere. Sed veriſimilius eſt intelligi alios ſenes ſeu majores populi qui ex accuſatione calumnioſâ duorum ſeniorum, ignoranter ſententiam tulerant contra Suſannam; qui conſiderantes Danielem etſi puerum, divino ſpiritu ad ea verba dicenda impulſum, deferunt ei examen duorum ſeniorum, & ita eum aliqua ex parte judicem ſecum conſtituere videntur. Unde non eſt neceſſe dicere, ut videtur docere S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 1. quod Daniel immediatè à Deo & extraordinariè judex ſit conſtitutus; tum quia ſeniores ei detulerunt cognoſcendi & examinandi poteſtatem, tum quia ſententiam non tulit, ſed ſicut in Actis Petrus contra Ananiam & Saphyram, prædixit interitum futurum. Hunc ſenſum confirmat quod mox Daniel reſpondet iis qui ſibi hæc dixerunt: *Separate illos ab invicem procul, &c.* quod certè dictum non eſt ad duos illos calumniatores, ſed de illis.

℣. 54. *Dic quâ ſub arbore videris eos colloquentes ſibi? Qui ait, Sub ſchino.* Et alter verſu 59. *Sub prino.* σχῖνος & πρῖνος Græca ſunt arborum vocabula; quorum illud lentiſcum; hoc ilicem, aut certè ilicis quoddam genus ſignificat. Idem inſinuavit Hieronym. in prologo verſionis in Danielem. Antiqua ex hoc loco ſumitur *objectio* contra authoritatem huius hiſtoriæ Suſannæ; ſcilicet, quia alluſio nominum, vel paronomaſia, quæ hîc indicatur, non fundatur niſi in vocibus Græcis; conſtat autem, inquiunt, Danielem & ſenes illos Chaldaicè vel Hebraicè eſſe locutos, non Græcè. Ad quod breviter *reſpondemus*, ad fidem hiſtoriæ non requiri, ut ea quæ dicta ab aliquo narrantur, iiſdem prorſus vocibus referantur, quibus dicta ſunt; ſed ſufficit ut narrentur vocibus idem ſignificantibus, & res eadem. Sic Evangeliſtæ ſæpè in verbis diverſi ſunt; quos dubium tamen non eſt in re convenire. Itaque fieri poteſt, quod Daniel utrique ſeni reſponderit, Diſperdat te Deus, quia mentitus es; vel aliquid ſimile. Non tamen propterea ſenſum evertit Græcus ſcriptor, ſeu interpres, qui eandem rem grata quadam paronomaſia narrat. Nam nec veriſimile eſt Iob, & amicos eius carmina eſſe locutos; nec tamen propterea hiſtoria illa in dubium vocatur quod carmine ſeu rythmo ſcripta ſit.

CAPUT XIV.

℣. 3. *Qui miſerunt eum in lacum leonum, & erat ſex diebus.* *Objicitur* contra authoritatem huius hiſtoriæ hoc, & alia quæ ſequuntur; eò quòd videatur eſſe eadem hiſtoria quæ eſt cap. 6. ubi verſ. 18. ponitur una nocte tantum illum fuiſſe in lacu. Sed *reſp.* non eſſe eandem hiſtoriam, & hanc accidiſſe ſub Cyro, illam verò ſub Dario, ut colligitur ex ultimis verbis cap. præced.

℣. 33. *Dixitque Angelus Domini ad Habacuch, &c.* Apparet ex hac narratione quod Angelus apparuit Habacuch in aſſumpto corpore, per quod hæc loqueretur, ſicut locuti ſunt Angeli ad Abraham & Loth & alios. Quare etiam veriſimile eſt, illud quod ſequitur: *Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portavit eum capillo capitis ſui, poſuitque, &c.* totum factum eſſe ab Angelo in eodem aſſumpto corpore; & quidem manibus corporis aſſumpti; ſicut loquebatur lingua eiuſdem corporis. Nam ſicut lingua eſt loquendi inſtrumentum, ita manus apprehendendi & portandi; tametſi non dubium, quin etiam ſine corpore aſſumpto eadem virtute qua movit corpus aſſumptum, potuerit immediatè ipſum Prophetam tranſvehere.

FINIS PROPHETIÆ DANIELIS.

ANNOTATIONES
IN XII. PROPHETAS MINORES.
IN OSEÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣. 2. *Vade, ſume tibi uxorem fornicationum.* *Objecit* hunc locum olim Fauſtus Manichæus Auguſt. quaſi hîc flagitium à Deo præcipiatur. Unde ulterius ille conatus eſt criminari Deum veteris Teſtamenti tanquam flagitij authorem, ac præceptorem eò quòd præcipiat prophetæ, ut commiſceatur mulieri fornicariæ; quod utique ſine fornicatione non videtur ab eo fieri poſſe. Chaldæus paraphraſt. & Hebr. quidam dicunt iſtud, ſicut dictum in viſione, ita & completum in imaginaria viſione, non autem in rei veritate. Sed ſi attendamus ad alia, quæ prophetis fuerunt præcepta, ut facerent, velut Iſaiæ, ut iret nudus & diſcalceatus; Ieremiæ, ut catenas geſtaret, & ſimilia: quæ non imaginariè, ſed verè ſic acciderunt, ut & ex eorum ſcriptis eſt manifeſtum: videtur & iſtud ſimiliter accipiendum ut verè acciderit. *Reſpondemus* autem Fauſto, quod olim illi reſpondit D. Auguſtinus lib. 22. cap. 80. his verbis: Quid, inquit, adverſum me elementiæ veritatis? quid inimicum fidei Chriſtianæ? ſi meretrix, relicta fornicatione, in caſtam conjugem commutetur? Hæc ille. Clara reſponſio: Scilicet jubet Dominus, ut propheta ex meretrice faciat caſtam conjugem, nequaquam autem ut fornicetur.

Et fac tibi filios fornicationum. Notandum illud (*fac*) nec in Hebr. nec apud Septuaginta nec in Vetuſtiſſ. Mſ. SS. nec in Bibliis regiis legi. Unde ſenſus hic

eſſe

eſſe videretur: Sume tibi in uxorem meretricem ; & ſi
mul aſſume filios , quos ex fornicatione ipſa genuit.
Hieron. quoque non legiſſe (*fac*) manifeſtum eſt ex eius
commentario; dicit enim intelligendum (*ſume*.) Quod
ſi quis urgeat, vulgatam editionem etiam ipſam Sixti-
nam correctam, habere (*fac*) *reſpondemus* hæc dici eo
ſenſu, quo accipienda ſunt iſta verba Saülis ad filium ſuũ
Ionathan 1. Reg. 20. *Iratus autem Saül* (inquit Scriptu-
ra) *adverſum Ionathan, dixit ei : Fili mulieris virum ul-
trò rapientis , nunquid ignoro, quia diligis filium Iſai in
confuſionem tuam , & in confuſionem ignominioſæ matris
tuæ ?* Nam, quantum apparet, non multum intereſt in-
ter mulierem ignominioſam , & virum ultrò rapien-
tem , & iniat meretricem.

CAPUT II.

℣.2. Q*Voniam ipſa non uxor mea , & ego non vir
eius.* Hinc rurſum videri poſſet, non fuiſ-
ſe verum conjugium inter Oſeæ Prophetam , & mu-
lierem illam fornicariam. Sed *reſpond.* vel intelligi de
præterito tempore, hoc modo : Quoniam cum non
eſſet uxor mea nec ego vir eius , tamen miſericordiâ
motus ſumpſi eam mihi uxorem : Itaque vel nunc ſal-
tem deſinat fornicari. Et ſigna nter obſervandum ,
quod dicit (*auferat adulteria ſua*) hoc enim omni-
nò innuit eam jam conjugio copulatam. Vel etiam
ſenſus eſſe poteſt : Quia non deſinit fornicari , nec ha-
bet me pro marito ſuo , nec ego eam habeo pro uxore
meâ , ſed volo abjicere eam. Sed prior ſenſus magis
videtur congruere. Quod autem verè vir eius fuerit ,
id quoque manifeſtum facit, quod ſequitur, cum dicit,
Vadam , & revertar ad virum meum priorem.

℣.19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum , & ſpon-
ſabo te mihi in juſtitia & judicio , & in miſericordia ,
& miſerationibus.* Verba ſunt Dei , non ad Iudæos ſe-
cundum carnem , ſed ſecundum ſpiritum , id eſt , ad
Eccleſiam ; quæ eſt ſponſa Chriſti, columna & firma-
mentum veritatis : quæ non eſt umquam à ſponſo ſuo
Chriſto paſſura repudium , ſicut pertulit ſynagoga. At
quæres. Quomodo Deus ſibi Eccleſiam deſponſat in ju-
ſtitia & judicio , cum hæc deſponſatio ſit opus ſolius
miſericordiæ, qua prævenitur omnis noſtra juſtitia, &
meritum? *Reſpond.* agitur de juſtitia, ad quam Deus Ec-
cleſiam ſibi deſponſat. Et eſt ſenſus : Sponſabo te mi-
hi, facturus, ut ſicut ſponſa ſponſo, mihi reſpondeas om-
ni genere virtutum ; faciendo juſtitiam & judicium ,
neminem lædendo ; quin etiam erga proximos miſeri-
cordiæ opera exercendo.

℣.21. *Exaudiam cœlos , & illi exaudient terram, &
terra exaudiet triticum & vinum & oleum , & hæc ex-
audient Iezrahel.* Nihilo magis hinc colligas cœlos
animatos , & mente præditos , quam terram eſſe ani-
matam & triticum , & vinum & oleum : quia & de
his eadem dicuntur, quaſi orantem exaudiant. Sed tro-
picus ſermo eſt ; & Deus exaudit cœlos , ſcilicet con-
gregans ibi imbres ; cœli exaudiunt terram ſitientem
& ſiccam irrigantes aquis , ſeu imbribus; terra exaudit
triticum , vinum & oleum , dum hæc ex ſe abundanter
producit; hæc verò exaudiunt Iezrahel, dum copioſum
ſuum uſum populo præbent.

CAPUT III.

℣.1. A*Dhuc vade , dilige mulierem dilectam ami-
co , & adulteram.* Sive hæc mulier eadem
ſit cum ſuperiore , ſive diverſa , rectè accipitur de dile-
ctione , & acceptione conjugali. Sequitur enim : *ſicut
diligit Dominus filios Iſraël.* Et paulò poſt, *Dies multos
expectabis me , non fornicaberis , & non eris viro*, ſcilicet
alteri. *Sed & ego expectabo te.* Quæ ſunt circumſtantiæ
veri & legitimi conjugij. Nec obſtat illud : *Et fodi*

Eſtij Annotat. in Script.

A *eam mihi quindecim argenteis, &c.* Non enim ſignifica-
tur conductio meretricia, ut innuere videntur Septua-
ginta, ſed, ut Hebræa habent , ſenſus eſt , Poſſedi eam
dote quindecim argenteorum.

℣.4. *Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine rege , &
ſine principe , & ſine ſacrificio — & poſt hæc reverten-
tur ——— in noviſſimo dierum.* Significatur his verbis
populum Iudaïcum multis ſæculis futurum ſine ſacri-
ficiis & templo ; in fine autem mundi ad fidem Chri-
ſti convertendos. *Quæres* , quare intelligi non po-
teſt de tempore captivitatis Babylonicæ , deque re-
ditu populi poſt eam? *Reſpond.* quia durante eo tem-
pore populus permanſit in vero Dei cultu. Quare lo-
cum non habet quod hic dicitur : *Et poſt hæc rever-
tentur filij Iſraël , & quærent Dominum Deum ſuum.*
B Deinde nec omninò per id tempus fuerunt ſine ſacri-
ficio, & ſine altari: Nam etſi in loco captivitatis ſuæ il-
la non haberent, erat tamen Ieroſolymis altare , in quo
quotidie ſacrificia pro toto populo offerebantur , Ba-
ruch 1. Item dicitur mulieri præfiguranti populi ſta-
tum qui hic deſcribitur , *Et non eris viro.* At pro illo
tempore populus virum habebat Deum quem ante, quia
ab eius recto cultu non deflectebat. Denique quod ad
extremum dicitur , *In noviſſimo dierum* , ſignificat
omninò ad tempus aliquod poſterius referenda eſſe
quæ hic dicuntur. Sed cur non ad tempus adventus
Chriſti , quando ex Iudæis multi prædicatione Ioan-
nis Baptiſtæ & Chriſti converſi ſunt ad Deum , & Da-
videm regem ſuum , id eſt , Chriſtum receperunt ?
C Quod tempus etiam comprehenditur ſub tempore no-
viſſimo , dicente Ioanne 1. epiſtolâ 2. *noviſſima hora
eſt* , Et Paulo 1. Cor. 10. *In quos fines ſæculorum de-
venerunt.* *Reſpondeo* , rationes ferè eædem ſunt, quia
tum populus non deflexerat à verâ religione , licet
tempus jam eſſet religionem , id eſt , cultum veteris
Teſtamenti mutandi in cultum novi , eò quòd no-
vus legiſlator Chriſtus jam adveniſſet. Item quia ſu-
periori tempore non ſederant ſine ſacrificio , altari ,
Ephod , &c. Templum enim habebant in quo ſa-
crificia quotidie ſecundum legem offerebantur vero
Deo. Itaque nec illud verum , *& non eris viro.* Re-
ſtat ergo ut de converſione populi ad Deum per ve-
rum cultum , id eſt , per ſuſceptam fidem & religio-
nem Chriſti (qui rex eſt David populo promiſſus
D apud Ezechielem, & alibi) locus hic intelligatur. Ma-
nifeſtum eſt enim populum illum ſedere à tempore
templi everſi ſine omnibus iſtis ; & quia unius Dei
cultum , tametſi illegitimum , adhuc retinent , verum
quoque eſt illud , *Non fornicaberis.* Denique nec in
aliud tempus , quam in finem ſæculi , aptius quadrat
illud , *In noviſſimo dierum.*

CAPUT IV.

℣.2. F*Vrtum & adulterium inundaverunt , & ſan-
guis ſanguinem tetigit.* Sanguis ſæpius in
ſcripturis ſignificat peccatum quod committitur per
ſanguinis effuſionem, atque inſuper extenditur ad om-
E nem violentiam & iniquam oppreſſionem, ſive per ca-
lumniam, ſive alio modo. Præcedit enim hic ; *Maledi-
ctum , & mendacium , & homicidium.* Senſus ergo eſt;
Accumulaverunt peccata peccatis ; calumnias calum-
niis ; homicidia homicidiis. Et ſimilis phraſis videtur
Abyſſus abyſſum invocat. q. d. tribulatio una alteram
impellit, ſicut in mari unda impellit undam.

℣.8. *Peccata populi mei comedent , & ad iniquita-
tem eorum ſublevabunt animas eorum.* Peccata intelli-
guntur ſacrificia pro peccatis, ut 2. Corinth. 5. *Eum
qui non noverat peccatum , pro nobis peccatum fecit.* Sen-
ſus ergo eſt ; Sacerdotes edunt & ſaturantur de ſacri-
ficiis quæ à populo offeruntur ; & nihilominus fo-
vent populum in ſua iniquitate : non docentes ſatis

ſeriò legem, nec vitia carpentes, ſed ad peccata conniventes. Alij tamen aliter hæc interpretantur. Vide Riberam.

Ad Cap. V. Nihil erat annotatum.

CAPUT VI.

℣.5. **P**Ropter hoc dolavi in prophetis, occidi eos in verbis oris mei. Quidam de bonis & veris prophetis accipiunt, hoc ſenſu: ut te ad pœnitentiam revocarem, exagitavi prophetas meos, ut opportunè, importunè, tibi verbum meum annuntiarent; & velut occaſio necis eis fuit, velut cum populus improbus non ferens diutius Ieremiæ correptiones, eum lapidavit; & Manaſſes impius Iſaiam ſerrâ diſſecuit, ut tradit Epiphanius & alij. Aliis tamen placet magis, accipi de malis prophetis, id eſt, Pſeudoprophetis illis (non enim B additur *meis*) quos per Eliam ignis cæleſtis abſumpſit: quod ſcilicet fecit Dominus, ut ſaltem deinceps populus ceſſaret ab idololatria.

℣.6. *Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium; & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.* Hunc locum torquent hæretici contra ſacrificia; & in genere contra uſum omnium corporalium ceremoniarum, addentes ſimilem locum 1. Reg. 15. contra inobedientem Saülem prolatum, & alterum Chriſti hunc ipſum quoque locum Phariſæis objicientis. Sed non attendunt, quæ ſacrificia prophetæ, & Chriſtus improbent. Id autem manifeſtè nobis declarat alius locus jam dictis perſimilis, ſed unius vocis adjectione clarior. Sic enim loquitur Eccleſiaſtes c.4. C *Multò melior eſt obedientia quàm ſtultorum victima; qui neſciunt quid faciunt mali.* Ubi ſignificat non quibuſcumque ſacrificiis præferri obedientiam, ſed ſtultorum, ſeu impiorum ſacrificiis. Etenim cum inter ſe duo aliqua comparantur; debent ambo ſeorſum, id eſt, utrumque ſine altero conſiderari. Velut ſi compares hominem doctum cum pio, doctum intelliges pietate carentem, & pium ineruditum. Quo conſtituto, non dubitabis pronuntiare, hominem pium, homini docto præferendum eſſe. Itaque in propoſito; Si obedientiam ſine ſacrificio, confeceras ad ſacrificium ſine obedientia; quale erat ſacrificium Saül, & veteris ac rebellis populi ſaltem pro majori parte: ſimiliter dubitandum non eſt, obedientiam Deo placere, non autem ſacrificium. Alioqui ipſa etiam ſacrificia piorum placere, docet inter alia illud Proverb.15. D *Victimæ impiorum abominabiles, vota juſtorum placabilia.* In quem locum vide annotat. & etiam Proverb.21.& Eccleſ.4. Item nota Auguſt. dicere quod Dominus miſericordiam præferens ſacrificio, nihil aliud quàm ſacrificium ſacrificio præferendum eſſe ſignificaverit; videlicet ſacrificium internum ſacrificio externo. Nam illud ſine iſto placere poteſt, hoc autem ſine illo non poteſt. Perinde igitur eſt atque ſi dixiſſet, Sacrificium internum potius exigo quàm externum, in quo ſolo ſine interno ſibi placebant Iudæi. Nam per miſericordiam & ſcientiam Dei intelligit omne opus verè pium, atque ex charitate profectum, quod erga proximum vel Deum exercetur. Quare ibi comprehenſa ſunt omnia interna ſacrificia, id eſt, opera ad hoc facta, ut ſancta ſocietate Deo inhæreamus. Similiter de jeju- E nio externo & interno ſentiendum. Item opus internum extremæ virtutis melius eſt opere externo ſummæ virtutis. Vide annot. 1.Reg.15. & Iſai.58.

CAPUT VII.

℣.1. **C**Um ſanare vellem Iſraël, revelata eſt iniquitas Ephraim. Significat his verbis propheta, ſeu Dominus per prophetam, populum Iſraël per exhortationes, aliaque remedia peccatis eorum adhibita, etiam factum deteriorem. Nec hoc mirum. Nam etiam Apoſtolus dicit ad Rom. 7. *Cum veniſſet* A *mandatum, peccatum revixit.* Quod ergo Apoſtolus ait, *Peccatum revixit*, propheta dicit; *revelata eſt iniquitas Ephraim.* q.d. incremento quodam, occaſione frequentium correptionum, & velut vigore accepto, manifeſta & publica facta eſt iniquitas.

CAPUT VIII.

℣.4. **I**Pſi regnaverunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognovi. Videndum, quomodo locus iſte non pugnet cum eo, qui eſt ad Rom.13. ubi dicitur: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*. Et cauſa additur; *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Quidam reſpondent hunc locum pertinere ad reges Iſraël, quorum primus erat Ieroboam; qui tempore Roboam B filij Salomonis, regnum decem tribuum, inquiunt invaſit; quem dicunt proinde cum ſuis ſucceſſoribus regnaſſe non ex Deo, ſed per tyrannidem. Sed contra hanc ſententiam facit Scriptura 3. Reg. 11. ubi per prophetam Ahiam ipſe Dominus promittit Ieroboam regnum decem tribuum; imò & promittit regni proſperitatem, ſi permanſerit in cultu Dei. Deinde & alij reges, qui ei ſucceſſerunt, nonnulli, imprimis Iehu, à prophetis juſſu Dei uncti leguntur; quod haud dubiè ſignum eſt legitimæ poteſtatis. Itaque *reſpond.* in principe legitimo duo conſiderari; poteſtatem, & uſum poteſtatis. Poteſtas legitima à Deo eſt, ac de ea dictum eſt; *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Uſus autem poteſtatis, ſi bonus eſt, id eſt, ſi poteſtas ipſa juſta, & recta præcipit, eſt à Deo; C Unde dicit Proverb. 8. *Per me legum conditores juſta decernunt.* Si autem malus eſt uſus poteſtatis, & vergat in oppreſſionem pauperum & innocentium, aut præſcribat falſum Dei cultum, & ſimilia; non eſt à Deo. Atque hoc eſt quod hic dicitur: *Regnaverunt & non ex me.* Id eſt, poteſtate quam legitimam à me acceperant, abuſi ſunt contra præcepta & inſtituta mea. Vide annotat. 3. Reg. 12. Benedic. Ariam in hunc locum: Ubi & Ieroboam facit legitimum regem, & tamen populum culpat, quod ſine conſilio Dei regem elegerit. Et dicit, pro (*regnaverunt*) in Hebræo eſſe: (*regnare fecerunt*), & pro principes extiterunt, (*principem inſtituerunt*) quod verum eſt.

℣.6. *Artifex fecit illum & non eſt Deus.* Manifeſtum eſt ex hoc loco vitulum Samariæ, de quo iſtud dicitur, ita fuiſſe erectum, ut ipſe à populo pro Deo D coleretur, non ut veri aut falſi cujuſpiam Dei ſignum aut imago, uti volunt quidam Rabbini, quos ut Catholicorum ſacris imaginibus invidiam conflent, hac in opinione ſequuntur Calviniani. Vide annotation. 3.Reg.12.v.28.& cap.14.v.9.

CAPUT IX.

℣.4. **S**Acrificia eorum, quaſi panis lugentium; omnes qui comedent eum, contaminabuntur. Senſus eſt, Sacrificiis ſuis non ſolum placabunt me, verùm etiam ipſi ea offerentes magis contaminabuntur. Ratio eſt; quia, ut diximus ad cap. 6. ex Proverb. 15. *Victimæ impiorum abominabiles.* Sic & in novo Te- E ſtamento, qui indignè accedit ad menſam Dominicam, non ſolum non conſequitur ſalutem, ſed etiam, ut ait Paulus 1. Cor.11. *Iudicium ſibi manducat & bibit.* Sed quare comparatur pani lugentium? *Reſp.* Quia in quacumque domo erat cadaver, polluebantur ſecundum legem etiam homines ipſi, qui in eâdem domo verſabantur, & quæcumque alia quæ in domo eſſent, ut panis, & reliqui cibi, atque omnis ſupellex. Sicut ergo panis lugentium corporali ac legali immunditiâ comedentem contaminabat, ita & ſacrificia per ſuperſtitionem oblata polluebant offerentes.

℣.7. *Venerunt dies retributionis: ſcitote Iſraël ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter* multitu-

multitudinem iniquitatis tuæ. Profanum vulgus ſanctos Dei prophetas ſtultos & inſanos vocabat. Vnde dicebant principes Iſraël ad Iehu, *Quid venit inſanus iſte ad te?* Et Feſtus ad Paulum: *Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Act.26. Vide eius loci annot. Pro (*virum ſpiritualem*) Hebr. eſt (*virum ſpiritus*) ſeu venti, id eſt, virum ventoſum. Vide Hieron. Septuaginta hunc locum ita reddiderunt: *Affligetur Iſraël, ſicut propheta inſaniens, qui habet ſpiritum.* Et ſenſus tunc erit: Iſrael affligetur, & vertiginem ac delirium patietur; inſtar vatis arreptitij. Et hoc modo propheta inſanus, acciperetur pro ſalſo propheta arreptitio. Nam vates gentilium tale quid pati ſolebant, dum vaticinabantur. At de prophetis Domini ſcriptum eſt: *Spiritus prophetarum prophetis ſubjecti ſunt.* 1.Cor.14. Vide ibid. noſtr. Comment.

CAPUT X.

℣.1. V*Itis frondoſa Iſraël:* Pro (*frondoſa*) Hebr. eſt (*inanis*) quaſi quæ præter folia nihil habeat. Sic Salbol. in Iſaiæ 24. alij tamen aliter accipiunt.

CAPUT XI.

℣.1. P*Uer Iſraël, & dilexi eum; & ex Ægypto vocavi filium meum.* Hunc locum calumniatus eſt olim Iulianus Apoſtata dicens, quod de Iſraël ſcriptum eſt à propheta, id à Mattheo Evangeliſta callidè detortum ad Chriſtum, ut ſimplicitati credentium illuderet. Sed neſcivit, aut noluit ſcire Iulianus, multiplicem eſſe Scripturæ ſenſum; & ea quæ typicè præcedunt in aliis ſecundum Hiſtoriam, myſticè compleri in Chriſto, vel Eccleſia, ſecundum allegoriam. Senſus igitur litteralis C eſt iſte: Quum adhuc puer eſſet Iſraël, id eſt, cum adhuc exiguus eſſet populus, quando videlicet deſcendit in Ægyptum, tum dilexi eum; quam dilectionem ſatis oſtendi, quando eum tanquam filium meum vocavi ex Ægypto in manu Moyſi & Aaron, per tanta portenta, & prodigia. Alluditur autem ad illud Exod.4. *Dimitte filium meum, ut ſerviat mihi.* Et hunc eſſe litteralem ſenſum, docent quoque Septuaginta qui ſic verterunt: *Ex Ægypto vocavi filios eius,* ſcilicet Iſraëlis, id eſt, populum Iſrael. Senſum autem myſticum in Chriſto completum indicat nobis Matth. c.2. citans hoc prophetæ teſtimonium, tanquam vaticinium fugæ Chriſti in Ægyptum, & reverſionis eius. *Vt impleretur,* inquit, *quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: Ex Ægypto, &c.* Dicit, *ut impleretur;* quia quod jam olim geſtum fuerat in typo, adhuc implendum erat in rei ſignificatæ manifeſtatione.

CAPUT XII.

℣.4. I*Nvaluit ad Angelum, & confortatus eſt: flevit & rogavit eum.* Hæc ad Iacob Patriarcham pertinere, ex præcedentibus liquet. Et prior pars haud dubiè ad ipſum pertinet; quia ſcilicet, cum Angelo luctans, tota nocte ab eo ſuperari non potuit; nec dimittere eum voluit, niſi accepta benedictione, ut narratur Gen.32. Et ſimiliter pars poſterior quoque ferè ab expoſitoribus refertur ad Iacob, quaſi is cum fletu & lachrymis rogaverit Angelum dicens: *Non dimittam te niſi benedixeris mihi.* Sed ea verba magis cogentis eſſe videntur, quàm cum lachrymis ſupplicantis; maximè cum Iacob ibi tanquam fortior introducatur. Alij igitur referunt ad orationem, quam habuit ante illam noctem, dicens: *Erue me de manu fratris mei Eſau, quia valdè eum timeo.* Sed huic reſponſioni obſtat, quod verba illa non ad Angelum, ſed ad Deum dicta ſint. Alij igitur de Angelo dictum putant illud: *Flevit, & rogavit eum;* ut ſenſus ſit: Adeo Iacob confortatus eſt adverſus Angelum in illa lucta, ut Angelus velut ſupplex rogarit, dicens: *Dimitte me, jam enim aſcendit aurora.* Si cui videtur indignum eſſe ut Angelus homini hoc modo ſupplex fiat; conſideret quod paris eſt A rationis, non dedignatum fuiſſe Angelum cum homine luctari & ab eo ſuperari, de quo hic dicitur: *Invaluit ad Angelum & confortatus eſt.* Hæc enim omnia in figura contingebant illis. Huius expoſitionis meminit etiam Liranus ſcribens in hunc locum.

CAPUT XIII.

℣.9. P*Erditio tua Iſraël; tantummodo in me auxilium tuum.* Senſus eſt: O popule Iſrael, tu tibi ipſi es cauſa omnium malorum, quæ hactenus paſſus es, & quæ prænuntio tibi adhuc eventura; Ego autem ſolus tibi ſum author ſalutis. At quæres; quomodo etiam perditio & juſta damnatio non ſit ex Deo, cum ipſe ſit Judex juſtè puniens? *Reſpond.* Prophetam reſpicere ad primam malorum originem, quæ eſt mala voluntas. Ea enim per mala opera provocat Deum ad ſumendam de B peccatis vindictam, & infligenda ſupplicia. Quod ſi etiam huius malæ voluntatis Deus author eſſet, (quod impiè blaſphemat Calvinus & alij) jam non rectè diceretur: *Perditio tua Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum:* Idem enim eſt, ac ſi diceret; nullo modo perditio tua eſt ex me, ſed tantum auxilium ad ſalutem. In Hebræo ſic habetur ad verbum: *Corruptela tua Iſraël, quia in me in auxilio tuo.* Pagninus paraphraſticè ſic reddidit: *Vituli quos feciſti, fuerunt cauſa perditionis tuæ Iſraël, ſed in me auxilium tuum.*

CAPUT XIV.

℣.3. C*Onvertimini ad Dominum, & dicite ei; omnem aufer iniquitatem — & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Poſteriora illa verba pleriſque C figurata videntur, & explicanda ex aliis locis ſimilibus. Eſt autem in genere ſciendum, promptiſſimam & convenientiſſimam eſſe regulam interpretandi Scripturam Sacram, dum unus locus Scripturæ explicatur per alium ſimilem, ſed clariorem. Similia loca dicunt hæc eſſe in pſalmis, *Sacrificium laudis honorificabit me.* Item, *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis;* & rurſum, *Immolavi in tabernaculo eius hoſtiam vociferationis.* Per *vitulos* autem generaliter ſacrificia intelligunt, tanquam ex ſpecie genus. Vnde & illud de tempore novæ legis prædictum volunt pſalmo 50. *Tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Senſus igitur eſt ſecundum illos; perſolvemus tibi ſacrificia laudis & confeſſionis. Talia enim ſacrificia labiis perſolvuntur; ſic tamen, ut labia cordi conſonent, juxta illud eiuſdem pſalm. 50. D *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et confirmant hanc expoſitionem ex cap. 13. ad Hebr. ubi ſic legitur: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo; id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Videtur enim Apoſtolus ibi reſpexiſſe ad hunc ipſum locum, ſicut legitur apud Septuaginta. Nam illi pro (*vitulos*) reddiderunt (*fructum*) hoc modo: *Reddemus fructum labiorum noſtrorum.*

Et eſt hæc probabilis opinio; ſed eſt & alia, ut apparet, probabilior; utpote ſimplicior, planiorque; qua nimirum, de votis ſacrificiorum reddendis ſententia hæc accipitur, iſto ſenſu: Reddemus, & offeremus vitulos, & quodcumque aliud ſacrificij genus, quod in anguſtiis conſtituti, labiis noſtris, & ore vovimus nos oblaturos. Sic Deuter.23. *Quod ſemel egreſſum eſt de* E *labiis tuis, obſervabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es.* Sic voluntas & petitio labiorum etiam vocatur, id eſt, voluntas labiis pronuntiata; & è labiis egreſſa, pſalm.20. *Voluntate labiorum eius non fraudaſti eum.* Et pſalm.65. *Introibo in domum tuam in holocauſtis: reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione mea.* Hoc enim totum nihil aliud eſſe videtur, quàm quod hic paucis verbis dicitur: *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Vide dictum locum Hebr.13.

FINIS PROPHETIÆ OSEÆ.

ANNOTATIONES IN PROPHETIAM IOELIS.

CAPUT PRIMUM.

ỷ.13. A*Ccingite vos, & plangite Sacerdotes, ululate miniſtri altaris, ingredimini, cubate in ſacco, — Sanctificate jejunium.* Primùm demonſtratur his verbis officium Sacerdotum tempore imminentis aut ſævientis vindictæ divinæ in populo. Officium nempe illud eſt, cum planctu & fletu obſecrare Dominum pro populo, & dicere, ſicut capite ſequenti eis præcipitur: *Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium.* Qui autem ſic orat, pro populo intercedit. Ad hæc quoque jubentur cubare in ſacco, & ſanctificare jejunium, id eſt, opera pœnitentiæ & afflictionis corporalis, ſive in jejunio ſolo, ſive etiam in ſacco & cilicio, ſive alio quocumque modo exercere; & populo exercenda præſcribere. Id enim eſt quod jubet. *Sanctificate jejunium, vocate cœtum.* q. d. publicate atque indicite jejunium, & preces ſeu obſecrationes, ad avertendas plagas. Denique oſtendit manifeſtè hic locus Deum placari ſpontanea noſtra afflictione, & per eam redimi pœnas temporales debitas.

CAPUT II.

ỷ.12 C*Onvertimini ad me in tota corde veſtro, in jejunio & in fletu, & in planctu. Et ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum.* Hæc de vera pœnitentia quæ valet ad placandum Deum & delenda peccata dici, non eſt dubium. Sed quæritur, rectène vera pœnitentia ſuſcipiatur, aut omnino ſuſcipi poſſit ob eum finem qui tam hoc capite quàm præcedenti videtur ſignificari; ſcilicet ut auferantur temporales calamitates, & præſtetur rerum huius vitæ copia, ut frumenti, vini, olei? Qui enim propter hæc ſervit Deo, quique propter hæc pœnitentiam vel agit, vel agere ſe profitetur, filius eſt veteris Teſtamenti, ac proinde à gratia filiorum Dei alienus. Dicendum, veram pœnitentiam ad ea omnia vel conſequenda vel evadenda quæ propheta commemorat, valere; non tamen propter ea principaliter ſuſcipi poſſe, ut neque propter evitationem gehennæ. Quamdiu enim iſta vel ſola, vel præcipuè cogitantur à pœnitente, nondum eſt ea pœnitentia ad quam nos ſcripturæ hortantur. Verùm ſicut ſancti Patriarchæ Deum colentes, principaliter quidem ſpectabant Dei gloriam & retributionem æternam; at ſecundario reſpiciebant etiam ad bona quædam huius ſæculi, quæ Deus illis dignabatur promittere, & in quibus Dei bonitas agnoſcebatur; ita & veri pœnitentes primùm quærunt amicitiam Dei quam peccando amiſerunt, ſed ſecundo loco ſtudent per opera prævia pœnas avertere, etiam temporales. Pertinet enim hoc ad pleniorem amicitiam dum plenior fit & perfectior offenſæ divinæ remiſſio; ſublata non tantum æterna pœna, verum etiam, quoad juſtitia Dei patitur, temporali.

Et non veſtimenta veſtra. Non eſt prohibitio, ſed præcepti negatio. Senſus eſt: Præcipio & volo ut ſcindatis corda veſtra; non præcipio ut ſcindatis veſtimenta veſtra: quod quidam facere ſolent ad monſtrandum foris dolorem, qui ſæpe nullus in corde latet.

ỷ. 13. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum quia benignus & miſericors eſt, —— Quis ſcit ſi con-*
A *vertatur & ignoſcat?* Simile eſt, quod ad Nabuchodonoſor dicebat Daniel capite 4. *Peccata tua Eleemoſynis redime, forſitan ignoſcet delictis tuis Deus.* Quare dicit Ioel, *Quis ſcit ſi convertatur?* Et Daniel, *forſitan ignoſcet*; cum Deus pœnitentibus veniam promiſerit; juxta illud Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, vita vivet, & non morietur.* Et hoc capite, *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Hæ enim ſunt divinæ promiſſiones, de quarum certitudine dubitare non licet. Quidam putant dubitanter hoc à Ioële, & à Daniele dictum, propter incertitudinem veræ pœnitentiæ noſtræ. Sed hoc non videtur ſatisfacere; quia etiam eſt incerta virtutum operatio, & tamen nuſquam dictum legimus hoc aut ſimili modo: Serva mandata, forſitan vitam conſequeris æternam; ſed ſimpliciter dictum eſt; *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Voluit
B ergo propheta tali locutione ſignificare gratiæ eſſe, non juſtitiæ, quod operibus pœnitentiæ reddatur venia peccatorum; cum è contra bonis operibus juſto Dei judicio vita retribuatur æterna; dicente Apoſtolo 2. ad Timoth. 4. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex.* Quis autem pœnitens audebit dicere; repoſita eſt mihi venia peccati, quam reddet mihi juſtus judex? ſed dicit, quam donabit mihi miſericors pater. Atque hoc eſt, quod ſcholaſtici docent, opera bona de condigno mereri vitam æternam; opera verò pœnitentiæ de congruo dumtaxat mereri veniam. Poteſt etiam illud (*forſitan*) referri ad remiſſionem & ablationem pœnarum temporalium, quas Deus iratus propter peccata populi immiſerat; quas non ſemper pœnitentibus au-
C fert, etiam cum ipſa peccata dimittit, ſicut patet de David, ubi dicit ad eum Nathan 2. Reg. 12. *Dimiſit Dominus peccatum tuum, verumtamen filius qui natus eſt, morietur.*

ỷ.28. *Et erit poſt hæc, Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem; Et prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Quando, & quomodo prophetia hæc fuerit impleta, conſtat ex Act. 2. & 1. Cor. 14. Nempe impleta eſt tempore novi Teſtamenti. Etenim tametſi tempore veteris legis multi fuerint prophetæ, & illius temporis propriè videantur eſſe prophetiæ, utpote prædictiones de Chriſto venturo; Unde illud Luc. 16. *Lex & prophetæ uſque ad Ioannem*; tamen tempus novæ legis magis fuit propheticum, quoad revelationem myſteriorum fidei; & generaliter, quoad intelligentiam omnium ſcrip-
D turarum, & præcedentium prophetiarum. Tum etiam conſtat huiuſmodi prophetas fuiſſe multo plures tempore novi Teſtamenti, quàm veteris, ut patet 1. Cor. 14. Etenim in ſola Corinth. Eccleſia erant tam multi prophetæ, ut oporteret ordinem loquendi, & prophetandi inter eos conſtituere; ſicut ex eodem loco patet. Adde quod unius Philippi Diaconi quatuor filiæ virgines eſſent propheteſſæ. Quam multos ergo exiſtimandum eſt fuiſſe in tot Eccleſiis Judæorum & gentium?

ỷ.32. *Omnis qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Synecdochicè hoc dictum videtur, ut unus actus religionis, qui eſt invocare nomen Domini, pro tota religione ponatur, & ſenſus ſit: Quicumque colet verum Deum vero & ſyncero cultu, ſalvus erit; & ita huic non obſtat illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quia Sacramentum Baptiſmi, Sacramen-

tum

ſtum religionis eſt; & proinde continetur etiam in eo quod eſt invocare nomen Domini. Simile eſt illud pſ.62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo.* Nam & jurare per verum Deum eſt actus religionis, qui hic ponitur pro ipſa religione in genere. Item ſic intellige: Omnis qui invocaverit ex toto corde, ſicut ante dictum erat: *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Quamobrem huic ſententiæ non repugnet illud Prov.1. *Tunc invocabunt me, & non exaudiam.* Porrò allegat hunc locum Apoſt. ad Rom.10. Vide ſi placet ibid. noſtr. com.

CAPUT III.

℣.1. I*Nfirmus dicat: Quia fortis ego ſum.* Non adhortatur propheta ad mendacium, ſed ſenſus eſt: Omnes ſe parent ad bellum, & quidquid obvium habebunt, vertant in arma. Ipſi quoque infirmi accurrant, & quantulaſcumque vires contra hoſtem exerceant; velut ſi dicatur in die publici triumphi etiam ægrotos tamquam ſanos ad ſpectandum arrepſiſſe, & à communi lætitia noluiſſe abeſſe.

℣.12. *Conſurgant, & aſcendant Gentes in vallem Ioſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* Ioſaphat ſonat *Domini judicium*. Hinc alij vertunt: *Excitentur & aſcendant gentes ad vallem divini judicij.* Et cum iſtud ſecundum Hiſtoriam nuſquam factum legatur, neque à nobis Chriſtianis tali certo loco futurum expectetur; etiamſi Iudęi in regno ſuo mille annorū expectent implendum in gentibus Gog & Magog congregandis in illa valle; hinc neceſſe eſt, iſtud vel ad myſterium referri; vel ſecundum literę ſonum de extremo judicio intelligi, de quo vide noſt. in 4. d.48.

FINIS PROPHETIÆ IOELIS.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM AMOS.

CAPUT PRIMUM.

℣.3. S*Uper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum.* Idem repetitur de Paleſthæis, Tyriis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis, denique & de Juda & Iſraël. Nec tamen iſta verba ita accipienda ſunt, quaſi poſt ſcelus aliquod tertiò commiſſum, & condonatum, Deus proteſtetur ſe nolle amplius condonare, ſi quartò committatur; quem ſenſum continet præfatio, huic Prophetæ incerto authore in antiquis bibliorum editionibus præfixa; ſic enim habet: Tertiò peccatorum indulgentiam Deum dare poſſe ſignificat, quem quartò eadem peccata admittentibus, nec pœnitentiam, nec indulgentiam daturum annuntiat. Sic ibi. Sed opinio illa repugnat Sacramento reconciliationis, & conſuetudini Eccleſiæ: quæ nemini negat beneficium abſolutionis, etiamſi centies in idem ſcelus prolapſus eſſet, modo in peccatore appareant veriſimilia ſigna pœnitentiæ. Et cum Chriſtus jubeat Petro, ut dimittat fratri, *non tantum ſepties, ſed & ſeptuagies ſepties*, Matth. 18. multo magis ipſemet erit liberalis in peccatores. Senſus igitur eſt: Propter multiplicia Damaſci ſcelera non convertam eam ad miſericordiam meam, eatenus ſcilicet, quin puniam. Aliquando enim Deus dimittit peccata, & tamen punit temporaliter, ut patet de David 2. Reg. 12. Scilicet tria & quatuor faciunt ſeptem, qui numerus eſt completus & plenus. Unde & illud Poëtæ, ô terque quaterque beati, id eſt, ſepties & omninò beati. Vel etiam ſimpliciter poteſt accipi: *ſuper tribus ſceleribus Damaſci & ſuper quatuor.* q.d. imò & quatuor ſunt, & plura; & propterea non omittam, quin puniam, eo modo quo dictum eſt. Vide noſtr. in 4. diſt. 14. §. 11.

CAPUT II.

℣.1. E*O quod incenderit oſſa regis Idumææ uſque ad cinerem.* Aliàs Montanus hoc refert ad Hiſtoriam 4. Reg. 3. in fine. Sed alij improbant. Potius videtur ſignificari, quod populus Moab in Idumæos devictos ea crudelitate uſus fuerit, ut etiam graſſatus fuerit in mortuos, & mortuorum monumenta, dum oſſa regis ſepulchro extracta incendit uſque ad cinerem, in auras vel aquas ſpargendum, ne ſupereſſet ulla memoria. Quam barbariem egregiè imitati ſunt, Turonis, Pictavi, & alibi in Francia, Calviniani, infenſiſſimi Eccleſię hoſtes in reliquias Sanctorum. Quod autem non reſpiciat Propheta hoc loco ad Hiſtoriam illam 4. Reg. 3. ex eo videtur, quia ibi rex ipſe Moab victor, & pro ſua defenſione deſperans, id fecit; hic autem Propheta invehitur in ipſum Moab, tamquam qui in victos nimium ſævierit.

℣.9. *Cujus altitudo cedrorum, altitudo ejus.* Simile eſt cum eo quod Numer. 13. dicunt exploratores terræ promiſſionis: *quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Utroque enim loco de Amorrhæis ſermo eſt figuratus & hyperbolicus. Qui tamen à mendacio alienus eſt, quia non propriè ſignificatur, quod dicitur; ſed impropriè per rem incredibilem, quæ dicitur, ſignificatur & intelligitur quidam rei communis exceſſus; ſed tamen poſſibilis & credibilis. Nihil aliud ergo utraque illa phraſi ſignificatur, quàm fuiſſe Amorrhæos magnæ, & excelſiſſimæ ſtaturæ.

CAPUT III.

℣.6. S*I erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Malum pro afflictione ponitur, quod Doctores Scholaſtici malum pœnæ vocant, ſicut peccata ab iiſdem vocantur mala culpæ. Senſus igitur eſt: Quicquid mali patiemini, nō aliunde quàm à Domino vobis accidet propter veſtra peccata. Ac proinde admonemur hac ſententia; ut quotieſcumque in afflictione conſtituti ſumus, non tam cogitationem referamus ad homines, qui nobis ea mala infligunt, quàm ad Deum, qui per homines talibus flagellis caſtigat peccata noſtra. Talis enim cogitatio ad pœnitentiam, & ad implorandam Dei miſericordiam nos maximè excitabit; cum è contra ad vindictam ferè accendamur, dum intuemur malitiam hominum nos affligentium.

℣.7. *Quia non facit Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas.* Non repugnat huic ſententiæ id quod 4. Reg. 4. Eliſeus Propheta dicit de muliere hoſpite ſua, cujus animam videbat eſſe in amaritudine, cauſam tamen neſciens: *Dominus celavit me hoc verbum, & non indicavit mihi.* Loquitur enim hic Amos de plagis publicis; quas Dominus immittebat in populum. Quod facere non ſolet, niſi populo per ſuos Prophetas admonito, ut pœnitentiam agerent, & iram Dei piis operibus averterent.

CAPUT

CAPUT IV.

ỳ.4. V*Enite ad Bethel, & impiè agite, ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem.* Hæc verba licet præcipientis formam habeant, minimè tamen præcipientis ſunt. Nam ut Eccleſiaſt. cap. 15. *Deus nemini mandavit impiè agere.* Sed ſunt verba permittentis ac deſerentis juſtè populum in peccatis ſuis; quo fit, ut magis magiſque impingant; eſtque locutio ironica; quam explicat ſubjectis verbis: *Sic enim voluiſtis filij Iſraël*, q. d. Non hæc dico tamquam præcipiens, ſed tamquam declarans voluntatem ipſam veſtram, & ſtudia veſtra, in quibus ego quoque vos relinquam, ut ad me non redeatis. Simile eſt illud Apocal. 22. *Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc.* Et illud Chriſti ad Iudam: *Quod facis, fac citius.* Quibus ſententiis non ſignificatur, quid Deus præcipiat, ſed quid ab homine fiat, cum gratiâ Dei deſtituitur. Unde & oramus quotidie: *Ne nos inducas in tentationem.* Inducit enim in tentationem Deus, non impellendo aut præcipitando in malum, (ut impiè docet Calvinus) ſed ſubtrahendo juſtè manum auxilij ſui, qua ſubducta, à tentatione ſuperamur.

CAPUT V.

ỳ.1. V*Irgo Iſraël projecta eſt in terram ſuam.* Vocatur virgo non propter integritatem, ſed propter ornatum & pulchritudinem; quomodo etiam Babylon virgo vocatur apud Iſaiam c. 47. Nam in vocibus tranſlatè ſumptis modò hoc, modò aliud conſiderari ſolet: quippe alia ratione Chriſtus vocatur leo, alia ratione diabolus; & alia ratione prædicatores verbi Dei vocantur canes, alia homines impuri, alia maledici & obtrectatores.

ỳ.18. *Væ deſiderantibus diem Domini:* Quare Væ? cum moneat ſcriptura Luc. 21. *His autem fieri incipientibus reſpicite, & levate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra;* & quotidie jubemur orare: *Adveniat regnum tuum.* Sed in eos propheta invehitur, qui nec morte ipsâ evadent miſeriam, ſed potiùs incident in graviorem, videlicet in cruciatum æternum; eò quòd tot malis flagellati, non tamen reverſi fuerint ad Dominum. At verò qui in hac vita ſtudent piis operibus, & in iis occupati diem Domini expectant, iis dicitur, *Levate capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra.* Alij hunc locum intelligunt de iis, qui irridebant prophetas prædicentes ultionem divinam, ut ſenſus ſit: Væ iis, qui quaſi deſiderantes, & irridentes dicere ſolent; Ubi eſt dies Domini toties à prophetis prædictus? veniat; parati ſumus. His ergo vel maximè annunciat Væ; quia non tantùm non agunt pœnitentiam, ſed etiam augent peccata ſua, dum non credentes irrident voces prophetarum.

ỳ.21. *Odi & projeci feſtivitates veſtras.* Quomodo odit, qui inſtituit, & præcepit? Sed odit tales feſtivitates, quales ab aliis celebrantur, manentibus in peccatis ſuis, & putantibus ſe ſolo externo cultu Deo placere. Unde & ſignanter dicit (*veſtras.*) Si quæras an ſimiliter dicere poteſt Deus, Odi miſſas veſtras, contra eos qui in ſolis externis cæremoniis pietatem conſtituunt, cætera carnales? *Reſp.* eſſe adhuc diſcrimen; tum quia Iudæi erant in ſtatu ſervitutis, & ferè omnes erant carnales; non ſicut in novo Teſtamento. Deinde accedit, quod illa ſacrificia & feſtivitates erant aliquando abrogandæ, & in meliores commutandæ; quod autem deſtruere volumus, odiſſe dicimus. Ac demum res oblata in Miſſa, quiſcumque demum offerat, non poteſt non eſſe Deo gratiſſima.

CAPUT VI.

ỳ.1. V*Æ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ.* Mirè eſt eloquens hoc capite Amos, etſi alioqui paſtor ovium; quod diligenter annotavit Auguſt. lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 7. ubi & explicat artificium rhetoricum huius loci; ad oſtendendum, ſacris ſcriptoribus non defuiſſe ſuam eloquentiam

A tiam non illam affectatam & fucatam, ſed gravem, & cum dignitate materiæ, quam tractabant conſcientiam, ita ut ex re ipſa ornatus procederet, & non aliundè laborioſo ſtudio adſciſceretur. Hoc autem docet contra eos, qui Scripturæ S. ſtylum & ſermonem, velut horridum, incultum, jejunium, & ut infantem & indiſertum traducebant. Qua in opinione etiam ipſe Aug. aliquando fuerat, ut de ſe confitetur, & apud Deum deplorat in lib. confeſſ. Ideò autem ex hoc propheta potiſſimum deſumit exemplum; quia cum iſte fuerit ovium paſtor, maximè videbatur ſtylus eius à rethorico ſermone eſſe alienus. Alioqui idem multò uberius oſtendi poterat ex Iſaia potiſſimum, in quo relucet non modò civilis facundia, ſed etiam ſublimitas quædam & gravis grandiloquentia.

B

CAPUT VII.

ỳ.14. N*On ſum propheta, & non ſum filius prophetæ ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros.* Quomodo intelligendum ſit, quod dixit (*non ſum propheta*) declarat dum ſubjungit: *Et tulit me Dominus cum ſequerer gregem, & dixit ad me: Vade propheta ad populum Iſraël.* Senſus ergo eſt: Non eram natus propheta, ut Ieremias; nec filius prophetæ, id eſt, nec inſtitutione, quia filij prophetarum, quaſi ad donum prophetiæ, à parentibus præparabantur; neutrum mihi contigit; ſed cum ſequerer gregem, tulit me Dominus, & dixit: *Vade propheta ad populum Iſraël.* Hebr. eſt. *Non propheta ego, neque filius prophetæ ego.* Ubi ſuppleri poteſt aut verbum (*ſum*) ut fecit Hier. in noſtra editione,

C aut (*eram*) ut ſuppleverunt Septuag. & Pagnin. Et hoc modo ſententia nullam habet difficultatem, & ut diximus, noſtra editio tam ad illum ſenſum accommodanda eſt.

CAPUT VIII.

ỳ.11. E*Cce dies veniunt dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini.* Quæritur, an hæc verba contineant promiſſionem an comminationem? hoc eſt, an bonum aliquid prædicant, an malum? *Reſp.* eſſe comminationem & quidem graviſſimam adverſus Iudæos. Cùm enim ſuprà prædixiſſet propheta varias pœnas corporales, nunc etiam ſpiritualem prædicit, videlicet tenebras mentis. Senſus itaque eſt: Auferam à vobis veram intelligentiam Scripturarum, & mei cog-

D nitionem. Et iſtam famem Iudæi jam paſſi ſunt annos mille quingentos & amplius: quærentes intelligentiam Scriptur. iiſque paſci cupientes, & non invenientes, quia quærunt ſine Chriſto. Eandem famem patiuntur & hæretici, dum ſcripturarum libros volvunt, atque revolvunt, quærentes earum intelligentiam, & non invenientes, quia quæ quærunt ſicut oportet quærere; quia non quærunt in Chriſti Eccleſia. Et hunc ſenſum confirmant verba quæ ſequuntur; *Circuibunt quærentes verbum Domini, & non invenient.* Impij enim, maximè Iudæi, & hæretici, in circuitu, id eſt, extra Eccleſiam ambulant.

ỳ.14. *Qui jurant in delicto Samariæ*, id eſt, in vitulo, vel vitulis, quos erexerat Ieroboam, & colebant reges Samariæ cum populo decem tribuum. Dicitur autem delictum Samariæ, quia graviſſimi ſanè delicti, re-

E gis & populi, tum affectus, tum objectum fuit. Intelligi autem hos vitulos aureos, perſpicuum eſt ex eo quod ſequitur, cum dicunt impij illi: *Vivit Deus tuus Dan, & vivit via Berſabee.* Secundum litteram enim unus iſtorum vitulorum in Dan fuit, alter in Bethel, ut patet in Regum hiſtoria. 3. Reg. cap. 12. Et loca vicina erant Bethel, & Berſabee.

CAPUT IX.

ỳ.6. Q*Ui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ.* Hoc quidam de pluviis exponunt iſto ſenſu: Qui aquas maris calore ſolis verſas in vapores attollit in mediam aëris regionem, & ibi con-

cretas

cretas in nubem, es ſoluta, effunditſac depluit in terram. Sed non videtur hoc voluiſſe propheta. Simplicior ac germanior ſenſus eſt. Qui aquas maris, inundatione ac diluvio, cum vult, facit effluere, & effundi ſuper terram.

℣. 11. *In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius.* Commentarium huius loci habemus ex Concilio Apoſtolorum Ieroſolymis celebrato Actor. 15. ubi ad confirmandam gentium vocationem, profert hunc locum Iacobus Apoſtolus. Unde certo certius eſt, eum eſſe verum huius loci commentarium; ſecundum quem, de ædificatione Eccleſiæ Chriſti, (quod hic eſt tabernaculum David) & de gentium incorporatione in eam, exponitur. Ubi enim Apoſtolorum præcedit authoritas,

A inquit Hier. ibi omnis variæ explicationis tollenda ſuſpicio; & quod à tantis viris exponitur, hoc ſequendum. Citatur autem hic locus in Actis, non ex Hebræo, ſed ſecundum interpretationem Septuaginta : cuius interpretationis verba multo etiam clarius exprimunt gentium vocationem, quàm verſio Hieron. ex Hebræo. Ex quo intelligimus verſionem Septuaginta etiam Apoſtolica authoritate eſſe roboratam. Tabernaculum itaque David, eſt domus, familia David, quæ ſuſcitatur, quando poſt lapſum eius à priori dignitate, rurſus in regnum erigitur. Quod factum eſt ſpiritualiter per Chriſtum filium David, de quo nunciavit Angelus Mariæ, Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.*

FINIS PROPHETIÆ AMOS.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM ABDIÆ.

CAPUT UNICUM.

℣. 17. ET *in monte Sion erit ſalvatio, & erit Sanctum. Et poſſidebit domus Iacob eos qui ſe poſſederant.* Ad huius loci intelligentiam manifeſtè nos inducit Scriptura novi teſtam. quæ teſtatur omnes prophetas de Chriſto & ſtatu novi Teſtamenti locutos fuiſſe. Sic Act. 3. Petrus ait: *Omnes prophetæ à Samuel, & deinceps qui locuti ſunt, annunciaverunt dies iſtos.* Et cap. 10. idem Petrus de Chriſto loquens: *Huic omnes prophetæ teſtimonium perhibent.* Cum ergo tota præcedens huius prophetiæ pars ad Idumæos propriè pertineat: neceſſarium erit, hæc verba, tranſitu facto à carnali Iſraele ad ſpiritualem, ad Chriſtum & Eccleſiam eius referre, ut ſenſus ſit: *In monte Sion*, id eſt, in Eccleſia, cuius initium à monte Sion, ſeu Ieruſalem, *erit ſalvatio*, id eſt ſalvus per Chriſtum, *& erit Sanctus*, ipſe ſcilicet Chriſtus, Sanctus Sanctorum. Septuaginta verterunt, (*erit Sanctum.*) Scilicet in Eccleſia, & nuſquam extra

A eſt ſanctitas. *Et poſſidebit domus Iacob eos qui ſe poſſederant*, id eſt, ſpiritualis Iſraël, quæ eſt Eccleſia, de perſecutoribus faciet Chriſtianos; & hoſtes ſuos ad Chriſti fidem traducens ſic in ſuam transferet poſſeſſionem.

℣. 21. *Et aſcendent ſalvatores in montem Sion judicare montem Eſau*, Si, *quiſquis converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam eius à morte*, ut eſt Iacobi 5. certè nihil mirum, ſi hic ſalvatores intelligamus Apoſtolos, qui ſua prædicatione tot millia peccatorum ad Deum converterunt. Hi ergo aſcenſuri dicuntur, quia ſedebunt ipſi judicaturi duodecim tribus

B Iſraël, & maximè reprobos, qui per Eſaü ſignificantur. Et quidem *in montem Sion*, quia locus judicij putatur futurus ſuper, vel juxta montem Sion, & montem Oliveti, unde ad cœlos aſcendit Dominus. Vel alio modo. *Aſcendent in montem Sion*, quia ſublimes & principes erunt in Eccleſia, etiam militante. Sed prior ſenſus plenior videtur, quia additur: *Et erit Domino regnum*, ſcilicet perfectum, & plenum poſt judicium, ſicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. *Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri.* Vide ibi noſtrum Comment.

FINIS PROPHETIÆ ABDIÆ.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM IONÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣. 1. ET *factum eſt verbum Domini ad Ionam. Quæritur* quomodo Ionas meruit recenseri inter prophetas? cum nihil aliud legatur prædicaſſe quàm illud: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*; quod etiam non evenit. *Reſp.* Ionam non tam verbis, quàm rebus à ſe geſtis fuiſſe prophetam. Sicut enim Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Oſeę nō tantum ſermone, quod futurum erat prædixerunt, verùm etiam factis idipſum declararunt: ut Iſaias incedens nudus & diſcalceatus; Ieremias catenas collo geſtans; & alij aliter: ita & Ionas Chriſtum rebus geſtis præfiguravit, primò, orta tempeſtate dormiens in navi, deinde miſſus in mare, ut cæteri ſalvi eſſent; tertio manens in

A ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus (quod apertè præfiguravit Chriſti ſepulturam, Chriſto ipſe teſte) ac denique, quod tertio die ejectus ſit vivus in terram. Quin etiam in illis verbis propheta fuit; *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, ſubintelligendo niſi pœnitentiam egerint; quia menſuram horum dierum, & miſericordiam Dei tantiſper parcentem, nemo ſcire poteſt niſi ex revelatione. Et nihil refert quod non evenerit ipſa ſubverſio; quia ſcilicet non cenſetur prædicta, niſi ſub tali conditione. Quomodo autem ex his verbis & ſimilibus non ſequatur, voluntatem Dei eſſe mutatam, plenius diximus in 1. Sent. diſt. 8. §. 7.

℣. 3. *Et ſurrexit Ionas ut fugeret in Tharſis à facie Domini.* Cur Ionas fugerit, cauſa hic non exprimitur, ut nec paulò pòſt cum ab eo quærerent qui erant cum eo in navi: *Quid hoc feciſti?* Verùm poſteà c. 4. cùm

videret

videret Ionas non eſſe impletum, quod prædixerat, ſatis aperit cauſam, cum dicit: *Obſecro Domine, nunquid non hoc eſt verbum meum, cum adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupavi, ut fugerem in Tharſis. Scio enim, quia tu Deus clemens & miſericors.* Quibus verbis hanc fugæ ſuæ cauſam ſignificat, quod vereretur, ne falſum nunciaret, quod ſciret Deum propter hominum pœnitentiam facile retractare, ut ipſe interpretabatur, tales ſententias.

CAPUT II.

℣.10. E*Go autem in voce laudis immolabo tibi, quacumque vovi, reddam pro ſalute Domino.* Ecce propheta in periculo vitæ conſtitutus, non tantùm oravit, ſed etiam vovit. Rectè igitur faciunt Chriſtiani, qui in periculo conſtituti ab igne, aqua, morbo, vel hoſtibus, vel quocumque alio modo certa quędam vota Deo offerunt, ut à periculis eruantur. Sic etiam fecit Sanctus Patriarcha Iacob Geneſ. 28. dicens: *Si fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via, &c. Erit mihi Dominus in Deum: & lapis iſte, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

CAPUT III.

℣.10. E*T vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala. Et miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat ut faceret eis.* En opera, ad quæ reſpexit Deus. Primum fides; dicitur enim in præcedentibus: *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum.* Deinde converſio à peccatis ad juſtitiam; de qua ſic: *Convertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate ſua.* Tertio, oratio, quæ eſt ſignum fiduciæ in Deum, ad veniam conſequendam, quæ his verbis innuitur: *Clament ad Dominum in fortitudine.* Quarto, pœnitentiæ opera & afflictiones corporales; de quibus: *Prædicaverunt jejunium, & veſtiti ſunt ſaccis à majori uſque ad minorem.* Et rex ipſe indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Hæc ſunt opera ad quæ reſpexit Deus ut miſericordia motus ſententiam everſionis revocaret. Ex his colligere licet opera pœnitentiæ neque ſupervacanea eſſe, neque indifferentia ad juſtitiam conſequendam, aut ad Deum placandum: ac multò minus omnia

A opera eſſe peccata, ut impiè docent noſtri temporis hæretici. Quæ ſi vera eſſent, Deus ad ea reſpiciens non placaretur, ſed potius ad graviorem iram concitaretur, videns populum addere peccata peccatis. Et quidem eos egiſſe veram pœnitentiam, patet, tum quod ob eam Deus iis pepercerit, tum quod Chriſtus dicat in Evangelio, *Surgent Ninivitæ in judicio, & condemnabunt generationem iſtam, eò quòd pœnitentiam egerunt,* q.d. pœnitentiam quam ego prædico, & iſta generatio non vult facere. Deinde etiam Concil. Trident. Seſſ. 14. cap. 4. de contritione diſſerens, teſtatur Ninivitas timore pœnarum utiliter concuſſos ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egiſſe, & miſericordiam à Domino impetraſſe.

B *Et miſertus eſt Deus ſuper malitia quam locutus fuerat ut faceret eis.* Malitia hæc afflictio eſt & pœna quam civitati fuerat comminatus. Sic in Evangelio: *Sufficit diei malitia ſua.* Nec aliter accipiendum videtur quod ſequenti capite dicitur: *Et ignoſcit ſuper malitia.* Sicut hic dixit: *Miſertus eſt Deus ſuper malitia.* Quomodo & Ioëlis 2. dicitur: *Præſtabilis ſuper malitia.*

CAPUT IV.

℣.5. D*Onec videret quid accideret civitati.* Ex ſuperioribus ſatis apparet Ionæ fuiſſe revelatum à Deo, quod parciturus eſſet civitati propter pœnitentiam, & non eam poſt quadraginta dies deleret, ſicut fuerat comminatus. Quid igitur eſt, quod Ionas adhuc exſpectat, ut videat quid accidat civitati? Hebręa ſic habent: *Donec videret, quid eſſet futurum in civitate.*

C Unde multi non improbabiliter ſic exponunt; ut videret; Utrum Ninivitæ, qui erant in civitate, perſeverarent etiam in pœnitentia quam inceperant.

℣.11. *In qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam,* id eſt, eorum, qui non peccaverunt; ut interpretatur ſummarium huius capitis, in Bibliis caſtigationis Lovanienſis. Sed utrum hoc de infantibus & innoxia ætate tantùm accipiendum ſit, an verò etiam de aliis, qui jam pœnitentiam agere inceperant; non exprimunt. Veriſimile eſt, de utriſque promiſcuè intelligendum.

FINIS PROPHETIÆ IONÆ.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM MICHÆÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣.2. A*Udite populi omnes, & attendat terra & plenitudo eius.* Per plenitudinem terræ intelliguntur habitatores terræ, quemadmodum exponitur in Pſ. 23. *Domini eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarũ & univerſi qui habitant in eo.* Vocantur autem habitatores terrę plenitudo terrę, quia habitando quodammodo replent terrã, id eſt, ſuperficiem terrę, juxta illud Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.*

℣.3. *Et ecce Dominus egredietur de loco ſuo, & deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.* Dicitur Dominus egredi de loco ſuo, id eſt, de cœlo, quod eſt habitaculum eius; non quia locum illum deſerit, ſed quia cum in cœlo eſſet, poſteà nova quadam operatione cœpit eſſe alibi; videlicet in terra. Unde hic ſequitur: *Et deſcendet, & calcabit ſuper excelſa terræ.* Nempe Filius Dei, ut ipſe teſtatur, exivit à Patre, & de cœlo deſcen-

A dit in terram; quia cum prius cum Patre eſſet in cœlo, loco ſuæ præcipuæ gloriæ, poſteà per aſſumptam naturam humanam cœpit eſſe in terris.

CAPUT II.

℣.11. V*Tinam non eſſem vir habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer. Stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem, &c.* Verba ſunt Prophetæ dolentis ſuper magnitudine & gravitate malorum quæ Deus populo Iſraëlitico comminatur. Qui locus fortè offendet aliquem, quaſi Propheta mendacium optet loqui potius quam ut ſe vera loquente, in tam gravem populus incidat calamitatem. Itaque videndum quis ſit ſenſus hujus loci. Poteſt autem hoc modo intelligi, ut propheta potius optet ſe non habere ſpiritum propheticum, & falſa eſſe, quæ dicit, quàm ut eveniant gravia illa mala quæ prædicit. Sed hoc non decet prophetam, niſi conformans ſe divinæ voluntati ſtatim addat, *Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Quare alij ſic vertunt ex Hebræo: *Si*

vir eſſem ſpiritum ſequens, & mendacium concinnans, & prophetarem tibi de vino & ſicera; propheta eſſem pro hoc populo. q. d. Si eſſem vanus & mendax propheta, & placentia prænuntiarem; tunc eſſem propheta gratus huic populo. Et huic intellectui optimè quadrat cum facto Micheæ alterius, de quo legimus 3. Regum 22. Cui cum nuncius miſſus ab impio Achab rege Iſraël (non Achaz rege Iuda, ſub quo iſte Micheas prophetavit, amplius centum quinquaginta annis poſt) cum, inquam, nuncius ille dixiſſet: *Ecce ſermones prophetarum uno eorum regi bona prædicant; ſit ergo & ſermo tuus ſimilis eorum & loquere bona*: Propheta in conſpectu regis adductus, per ironiam bona prædixit: *Aſcende inquiens, vade proſperè, & tradet Dominus hoſtes in manus regis*. Et quidem ſi in tali reſponſione perſeveraſſet; laudatus fuiſſet, & remuneratus: Verùm quia ſeriò adjuratus, ut ex ore Domini loqueretur, triſtia & adverſa prophetavit, in carcerem miſſus fuit.

CAPUT III.

℣.10. *QVi ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate.* Id eſt, qui ampla & magnifica vobis ædificia extruitis, quibus ornatis Siō & Ieruſalem; non ex opibus juſtè partis, ſed ex oppreſſione pauperum, & injuſtitiâ collectis. Sanguinum enim nomine ſæpius in ſacris literis ſignificatur omnis injuſta vis in proximum, ſive ea fiat occidendo, ſive calumniis & extorſionibus opprimendo. Accommodant etiam quidam non malè hanc ſententiam, dicentes eos ædificare Sion in ſanguinibus, quorum ardens ſtudium eſt conſanguineos, ſive digni illi ſint, ſive indigni, ad ampla Sacerdotia, & præcipuas dignitates in Eccleſia Dei, quæ Sionis & ſpiritualis Ieruſalem nomine ſignificatur, quibuſcumque modis promovere.

℣.11. *Principes in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecuniâ divinabant.* Quàm gravia hæc peccata ſint, indicant verba quæ ſequuntur. Sic enim ſequitur: *propter hoc Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem quaſi acervus lapidum erit.* Non tamen prohibentur iſti neceſſaria vitæ accipere, ſed ne pro ratione munerum indicent, doceant, vel prophetent. Sic hoc loco paulò ante verſ. 5. *Si quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium.* q. d. ſtatim velut prophetico ſpiritu indicant illi prælium ſe bellum, & ſæva minantur. Et ſimiliter intelligendum eſt, quod dicitur: *Sacerdotes in mercede docebant.* Licere enim neceſſaria vitæ accipere, imò Doctores & Prædicatores jus & poteſtatem habere, ea ab iis, quos docent, accipiendi, prolixè docet Paulus 1. Cor. 9. etiamſi ipſe certis de cauſis noluerit eo jure uti. Vide ibidem noſtrum comment.

CAPUT IV.

℣.1. *ET erit in noviſſimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium.* Verba eadem habentur Iſaiæ 2. uſque ad illud: *Et ſedebit vir ſubtus vineam ſuam.* Et cum ambo eodem tempore prophetaverint, hic in Samaria; ille in Ieruſalem, dubium eſt, an alter ex altero ſua verba acceperit, an verò ambo immediatè ex inſpiratione Spiritus ſancti, neutro de alterius prophetia ſciente; Certè Iſaiam ſua verba non accepiſſe ex Michæa, ſed ex immediata Dei inſpiratione ſatis oſtendit illud, quod in primaria civitate, in ipſa Ieruſalem magnâ ſolemnitate prophetaverit; Sed & Micheas, ſi prius legit prophetiam Iſaiæ, non tamen inde verba ſumpſit, niſi dirigente Spiritu ſancto. Porrò complectitur hæc prophetia quatuor inſignes notas Eccleſiæ. Et primò quidem *Vnitas* ſignificatur, in eo quod ad unum montem omnem omnes confluant, *qui eſt in vertice montium*, & inde doctrinam accipiant. Secundò *Sanctitas* intelligitur in doctrinâ, quæ appellatur lex & verbum Domini, & maximè in doctrinæ obſervatione de quâ dicitur: *Ibimus in ſemitis ejus*, tertiò quod *Catholica* ſit, oſtenditur, quia, ut expreſſius Iſaias dicit, *fluent ad eum omnes populi*, quartò quod *Apoſtolica*, quia dicitur, *De Sion lex egredietur, & verbum Domini de Ieruſalem.* Ibi enim Apoſtolica cœpit prædicatio, atque inde diffuſa eſt in omnes gentes. Ac denique ſimul manifeſtè oſtenditur, quod Eccleſia ſit *viſibilis* & conſpicua; nempè quæ monti comparatur, & quidem in vertice montium collocato. Et certè niſi conſpicua eſſet Eccleſia, non poſſent hortari ſe mutuo populi, (id quod hic futurum prænunciatur) dicentes: *Venite aſcendamus ad montem Domini, &c.*

℣.8. *Et tu turris gregis nebuloſa, filia Sion.* Turris gregis mentio eſt, jam tum Gen. 35. v. 21. Cæterùm quam turrim Scriptura intelligat, vide latè apud Hieronym. hoc loco.

CAPUT V.

℣.2. *ET tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda, Ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël.* Citatur hic locus Matth. 2. *Et tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda.* Quomodo conſentiunt *parvulus es*, & *nequaquam minima es*, cum hæc è diametro videantur pugnare? *Reſp.* ſolere Evangeliſtas non verba anxiè citare ex Prophetis, ſed ſatis eis eſſe ſi ſententias reddant. Sententiam autem reddidit Matthæus dicto loco. Eſt enim hic ſenſus prophetæ: Tu Bethleem nunc quidem parvula es & deſpecta in millibus Iuda; quia oppidum exiguum & contemptibile: Sed futurum eſt, ut nequaquam amplius hominum opinione parvulâ dicaris quia ex te naſcetur qui regat populum meum Iſraël. A cujus dignitate tu, quæ antea parvula eras, magna deinceps in æſtimatione habeberis. Quærit S. Th. 3. p. q. 35. art. 7. Utrum Chriſtus debuerit naſci in Bethleem; & reſolvit quod fuerit valde conveniens ut ibi naſceretur ob duas rationes quas ponit in corp. art. Vide locum; & noſtra, citato loco Matth. 2.

℣.5. *Et ſuſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores & octo primates.* Per ſeptem & octo numeros intelligit numerum indefinitum, & per paſtores, & primates principes Medorum & Perſarum, qui terram Aſſur, & terram Nemrod, id eſt Aſſyriam & Babyloniam devaſtarunt. Pro eo autem quod in noſtrâ verſione vulgatâ habetur, *& paſcent terram*, eſt in Hebræo verbum *Rhabas*, & ideo poterat verti, & conterrent ſeu confringent terram; vel vi armorum conjungent terram Aſſur & terram Nemrod, id eſt, ex duobus regnis Aſſyriorum & Babyloniorum unum efficient; vel paſcent terram, id eſt, violenter gubernabunt. Hæc enim omnia ſignificat verbum *Rhabas*.

CAPUT VI.

℣.7. *NVnquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo?* Quare homo non dabit primogenitum ſuum pro ſcelere ſuo, ſi Deus Pater dedit unigenitum ſuum pro ſcelere noſtro? Reſpondeo, primogenitum ſuum nemo poteſt dare in mortem ſine proprio ſcelere parricidij, neque ibi quidquam eſt quod Deum poſſit placare, ſed quod graviter offendat. Placat autem Deum Patrem Filij obedientia, humilitas, patientia, quâ mandato accepto à Patre tradidit ſeipſum in mortem, mortem autem crucis.

℣.8. *Indicabo tibi, ô homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam & ſolicitum ambulare cum Deo tuo.* Primum eſt facere judicium, videlicet per opera

opera juſtitiæ vitam conſequamur. Secundò, diligere A miſericordiam, ut videlicet per opera miſericordiæ veniam impetremus. Tertiò, ſollicitum ambulare cum Deo, ut nimirum à juſtitia per baptiſmum, vel reconciliationem accepta, non excidamus. Ad eam enim rem vehementer expedit, ſemper ſollicitum eſſe, & numquam ſecurum de ſalute; juxta illud Proverb. 28: *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*, & 1. Cor. 10. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Et hujuſmodi loca diligenter notanda ſunt contra perniciosam illam ſecuritatem, quam ſuis ſectatoribus ingerunt hæretici noſtri temporis; requirentes ab eis fidem, id eſt, præſumptionem, qua certò ſtatuant ſibi peccata remiſſa; & Chriſtum per omnia pro nobis ſatisfeciſſe, ut nihil nobis pœnarum temporalium ſubeundum ſit, non intelligentes per talem fidem ſe eos præcipitare in damnationem. Sed contra monet Paulus Philipp. 2. Nempe, *ut cum metu & tremore ſalutem ſuam operentur.* Et B David Pſalm. 2. *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Debemus autem ſolliciti ambulare cum Deo, non propter illius moroſitatem aut difficultatem quæ nulla eſt; ſed propter noſtram fragilitatem quæ eſt maxima.

CAPUT VII.

℣. 2. **P**Eriit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, &c. Similis locus eſt Iſaiæ 64. *Facti ſumus, ut immundi omnes nos, &c.* Sed hic locus expoſitio quædam eſt illius apud Iſaiam. Hic enim Prophetam non agere abſolutè de omnibus, neque ſe inter eos connumerare oſtendit verbis ſequentibus dum ſubjungit v. 4 *Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.* Intelligenda eſt ergo utraque Prophetia de certo quodam genere hominum, nempe de Iudæis carnalibus ex lege ſibi juſtitiam vendicantibus.

℣. 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet. Quæritur,* Quomodo expectat judicari cauſam ſuam, cum ſe peccaſſe fateatur? *Reſp.* Fatetur ſe peccaſſe Domino, ideoque offert portare iram eius, id eſt, patienter ferre afflictionem ab eo immiſſam; Verùm quia illa afflictio erat inflicta per malos homines, injuriam ipſi inferentes, & injuſtè vexantes; hinc addit; *donec cauſam meam judicet*; nempe contra iſtos inimicos meos me affligentes.

FINIS PROPHETIÆ MICHÆÆ.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM NAHVM.

CAPUT PRIMUM.

℣. 1. **O**Nus Niniue. Ninive figuram gerit gentilis populi, ſed duplici modo. Qui enim tempore Ionæ, eius prædicatione commoti pœnitentiam egerunt, eam gentilis populi partem ſignificant, quæ per Apoſtolorum prædicationem ad Chriſtum vocata eſt, & ad ſalutem pervenit. Qui autem poſteà in veteri idololatria, aliiſque peccatis permanentes à Chaldæis expugnati ſunt, contra quos dirigitur præſens Prophetia Nahum, ſignificant eam gentilium partem, quæ Apoſtolorum prædicationi non acquievit, ſed in ſua permanſit infidelitate.

℣. 9. *Quid cogitatis contra Dominum? conſummationem ipſe faciet; non conſurget duplex tribulatio.* Poſteriora hoc modo tranſtulerunt Septuaginta. *Non vindicabit bis in idipſum in tribulatione.* Et ſenſus eſt: Dominus una punitione faciet conſummationem; id eſt, penitus diſperdet, & conteret vos, ut non ſit opus punitione ſecunda. Neque tamen ex his verbis rectè ſtatuitur, idem peccatum non poſſe ſæpius puniri; quamquam id quodam ſenſu verum ſit; ſcilicet, ſi loquamur de pœna, quæ ſit peccati adæquata menſura, id eſt, quæ gravitati peccati ſecundum juſtitiam reſpondeat. Nam alio ſenſu, peccata impiorum etiam, ſæpè bis puniuntur; nempe, quando & in hoc ſæculo temporalem, & C in futuro æternam pœnam ſuſtinent; ſicut de Herode, Antiocho, & aliis legimus; quia videlicet pœna præſentis temporis eis ad aliorum terrorem illata, tamen nequaquam adhuc erat tam gravium peccatorum juſta menſura. Nota etiam ſententiam prophetæ non eſſe univerſalem. Non enim dicit, quod numquam conſurgat duplex tribulatio, aut quod ſit injuſtum alicui ſecundo tribulationem inferri à Deo; nam *multa ſunt flagella peccatorum*, Pſalm. 31. ſed tantum loqui- A tur de ſtatu rei præſentis: nempe quod tunc ita ſemel vaſtabitur & conteretur Ninive, ut ſecundæ vaſtationi locus non relinquatur.

CAPUT II.

℣. 2. **Q**Via reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël. Cum iſta Prophetia non dirigatur contra Iſraël, nec contra Iudam, *quæritur*; quomodo Propheta meminerit ſuperbiæ Iacob & Iſraël? Ad hoc dupliciter *reſpondetur*. Hieronym. exponit hoc modo: Sicut Dominus ultus eſt Iudam de ſuperbia Sennacherib, interfecto exercitu eius in Iudæa, & ipſo à filijs ſuis jugulato; ſic ulciſcetur B Dominus Iſraël, id eſt, decem tribus quæ à ſuperbis Aſſyriis poſſidentur. Intelligit ergo Hieronymus per ſuperbiam Iacob & ſuperbiam Iſraël, eam quam hoſtes eius adverſus eam declararunt. Alij per ſuperbiam intelligunt magnificentiam, & ſic exponunt: Reſtituet Dominus magnificentiam & dignitatem populi ſui Iacob & Iſraël, ſubverſis hoſtibus, à quibus opprimebantur.

℣. 7. *Et ancillæ eius minabantur*, id eſt, ducebantur, quomodo grex ovium aut armentorum minari, & duci dicitur. Sic Exodi 3. de Moyſe paſcente oves Iethro ſoceri ſui: *Cumque minaſſet gregem ad interiora deſerti.* Et hanc eſſe vocis huius ſignificationem hoc loco, manifeſtum eſt ex Hebræo & Græco, ut planè reji- C ciendus ſit quorundam commentarius, de minis ſeu comminationibus, neſcio quibus, iſtarum ancillarum. Nam & ſequitur; *minabantur gementes, ut columbæ*, quod nullo modo videtur eſſe minas jactantium. Itaque & quod adjungitur; *murmurantes in cordibus ſuis*; de dolore tantum & amaritudine cordium intelligendum, non de minis.

CAPUT III.

℣. 18. Dormitaverunt Paſtores tui rex Aſſur, ſepelientur principes tui. Eoſdem vocat Propheta Paſtores quos principes; ſignificans officium omnium eorum, qui populo præſunt, ſive civiliter, ſive ſpiritualiter, eſſe, non dominari in populo, aut pro A imperio aut animi voluptate agere; ſed populum paſcere, id eſt, omne ſtudium ſuum, & adminiſtrationem conferre ad utilitatem, & ſalutem populi. Unde David Pſalmo 77. dicit ſe conſtitutum à Domino, *Paſcere Iacob ſervum ſuum, & Iſraël hæreditatem ſuam.* Nec tantum ſacræ litteræ hoc pacto loquuntur, ſed & apud Homerum legimus principes Græcorum Paſtores appellatos.

FINIS PROPHETIÆ NAHUM.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM HABACUC.

CAPUT PRIMUM.

℣. 2. *Uſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſalvabis?* Et tandem concludit; *quia impius prævalet adverſus juſtum, propterea egreditur judicium perverſum.* Hæc verba prima quidem facie videntur eſſe expoſtulantis cum Deo, & velut conquerentis de perverſa rerum humanarum adminiſtratione. Sed revera neque ex impatientia, neque ex errore circa providentiam Dei hæc oratio procedit; ſed tantum, cum exaggeratione aliqua oppreſſionis juſtorum ab impijs, petit de impijs aliquando ſumi ſupplicium. Ita, & Apocal 6. Martyres ſub altari poſiti clamant: *Uſquequo Domine, non vindicas ſanguinem noſtrum?* Et ſimili modo queritur Ieremias cap. 12. ſed omnem prius perverſæ de Deo opinionis ſuſpicionem ſimul tollit, ipſo querimoniæ initio, dicens: *Iuſtus quidem es Domine, ſi diſputem tecum, &c.* Ita ſcilicet & hic Propheta ſeq. cap. ſibi, & cuilibet alteri, providentiæ divinæ rationem nondum ſatis aſſequenti, reſpondet; *Si moram fecerit, expecta eum; quia veniens veniet & non tardabit. Et qui incredulus eſt non erit recta anima eius in ſemetipſo. Iuſtus autem in fide ſua vivet:* q. d. qui cum fide expectat promiſſiones Dei, etiamſi multa adverſa patiatur ab impiis, per eam fidem vivet.

℣. 13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* Hic ſine dubio *reſpicere*, idem eſt quod alibi, cognoſcere, ſeu approbare; ſicut illud in Evangelio, *Neſcio vos*, id eſt, non approbo, non recipio. Significat ergo Propheta Deo malum, id eſt, peccatum & iniquitatem minimè placere poſſe. Sed *quæritur* quid ergo ſibi velit, quod mox ſequitur; *Quare reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces devorante impio juſtiorem ſe?* Sic enim ſine negatione & tamen cum interrogatione legunt Biblia Sixtina correcta. Pridem legebatur cum negatione; *Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes?* & ſenſus reddebatur, quare non punis, quare non vindicas? Sed & nunc eodem ſenſus redit, q. d. Tu Domine non potes, ſat ſcio, reſpicere ad iniquitatem eam approbando, &, quare tamen reſpicis, & bene vides aliquos iniquè agentes, & taces? Et reſpondet ſuæ querimoniæ tandem cap. ſeq. cum ait; *Si moram fecerit, expecta eum, &c.*

CAPUT II.

℣. 4. *Iuſtus autem in fide ſua vivet.* *Quæritur* quæ fides intelligatur? *Reſpond.* accommodatur ab Apoſtolo ad Hebr. 10. ad fidem promiſſorum Dei, ut A patet ex cap. ſeq. ad Hebr. 11. Et nihilominus idem Apoſtolus ad Rom. 1. & ad Galat. 3. accipit de fide, qua in Chriſtum redemptorem creditur. Quare videtur tota fides Chriſtiana intelligi; qua credimus Deum eſſe, & Chriſtum ſua morte nos redemiſſe, ac denique juſtitiæ repoſitam eſſe coronam in cœlis. Vide plenius in commentario noſtro ad jam dicta loca. Iuſtus enim propter fidem, & ſpem futurorum bonorum, quæ credit, licet non videat, vivit, & perſeverat in juſtitia, & bonis operibus. Cognitio enim finis propoſiti, cum ſpe illum obtinendi, facit, ut homo propter illum finem bona operetur: quod latè declarat locus ad Hebr. 11. & fidei definitio ibi poſita.

Eſtij Annotat. in Script.

CAPUT III.

℣. 1. *Oratio Habacuc pro ignorantijs.* Hieron. videtur dicere quod Habacuc velut canticum pœnitentiæ hoc ſcripſerit, & ſe reprehenderit de eo, B quod cap. primo conqueſtus erat: *Uſquequo Domine clamabo, & non exaudies? &c.* Et ita loquitur Hieron. lib. 2. contra Pelagian. in fine, & in prologo commentarij huius loci. Verùm in ipſo commentario temperat ſermonem, dicens prophetam vel ex ſua, vel populi, vel humanæ impatientiæ perſona talia dicere. Atque adeò Prophetam Habacuc in illa querela non plus peccaſſe, quàm Ieremiam in ſimili; oſtenſum eſt ſuprà, cap. 1. ad dicta verba, *Uſquequo, &c.* Intellige ergo *pro ignorantijs*, ſcilicet populi.

℣. 2. *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.* Opus iſtud intelligitur totum myſterium redemptionis noſtræ; comprehendens ſcilicet Chriſti Incarnationem, Paſſionem, Reſurrectionem, id eſt, Evangelij, & novæ legis prædicationem, ac veteris legis in novam commutationem. Iſtud enim opus eſt, cuius promiſſi fidem ſupra requirebat, dicens: *Iuſtus* C *autem in fide ſua vivet. Vivificat* autem hoc opus Deus, dum illud implet; & quidem *in medio annorum*; id eſt, in plenitudine temporis; vel, ut alij exponunt, in dimidio hebdomadis: quando videlicet juxta Prophetiam Danielis prædicitur, abrogato veteri ſacrificio, venturus Chriſtus.

Septuaginta interpretes vertunt: *In medio duorum animalium cognoſceris.* Græce eſt ζώων, *animalium*, vel ζωῶν, *vitarum*. Eccleſia in nocte Nativitatis Domini canit animalia vidiſſe Dominum; ſcilicet reſpiciens ad hunc locum. Et in Circumciſione Domini expreſsè canit; *In medio duorum animalium jacentem in præſepio.* Quidam, ut meminit Hieronym. duo animalia interpretati ſunt, Filium, & Spiritum Sanctum. Sed videtur ea expoſitio quiddam Origenianum ſapere, nec eam probat Hieronym.

ſed tantum refert. Auguſt. lib. 18, de civis. cap. 30. in medio duorum animalium exponit, vel duorum teſtamentorum, vel duorum latronum, vel in medio Moyſi & Eliæ. Item in concione ad Catechumenos cont. Judæos cap. 13. tom. 6.

℣. 13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, In ſalutem cum Chriſto tuo.* Quamvis hoc modo vertat Hieron. idem tamen dicit in Hebræo ſic haberi: *Egreſſus es in* A *ſalutem populi tui, cum IESV Chriſto tuo.* Dices, Cur ergo non ita vertis? Videtur Hieron. non aliud velle, quàm Hebræa poſſe etiam in hunc ſenſum accipi; ſed ſectius priori modo. Commemorat ibidem ſextam editionem vertiſſe hoc modo: *Egreſſus es ut ſalvares populum tuum per IESVM Chriſtum tuum.* Et hac verſione dicis proditum manifeſtiſſimè Sacramentum. Pagninus vertit eodem modo quo Hieron.

FINIS PROPHETIÆ HABACVC.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM SOPHONIÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣. 5. **E**T eos qui adorant ſuper tecta militiam cœli, & adorant, & jurant in Domino & jurant in Melchom. Non vituperat jurationem in Domino; ſed peccatum jurantium per Deos falſos aggravat, ex eo quod iidem qui jurabant per Deum verũ, etiam jurarent per Deos falſos. Cedit enim in contemptũ Dei, ſi quis eodem ore juret Dominum, & Melchom, id eſt, Deum verum & falſum. Erat enim Melchom idolum Ammonitarum; de quo in lib. Regum & alibi. Tali modo & Iacobus Apoſtolus exaggerat malitiam linguæ, c. 3. his verbis: *In ipſa,* inquit, *benedicimus Deum & Patrem; & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt. Ex eodem ore procedit benedictio & maledictio.* Vide ibidem noſtr. Comment.

℣. 12. *Et erit in tempore illo, Scrutabor Ieruſalem in* B *lucernis, & viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis; qui dicunt, &c.* Verba ad litteram pertinent ad Ieruſalem vaſtatam à Chaldæis; in qua vaſtatione omnia, etiam abditiſſima loca, ſcrutabantur hoſtes, ſicut adhibitis lucernis fieri ſolet. Sed *typicè* ſignificatur extremum judicium: in quo Dominus in lucernis ſcrutabitur Ieruſalem, quando & occulta omnia cordium manifeſtabuntur, & in lucem proferentur à judice. Illud autem quod ſequitur; *qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet Dominus benè, & non faciet malè,* vox eſt virorum, qui *defixi ſunt in fæcibus ſuis,* id eſt, qui ita affixi ſordibus rerum terrenarum, ut omnem cogitationem divinæ providentiæ ſeponant, & abjiciant à ſe; proferentes has impias voces: *Non faciet Dominus benè,* id eſt, non reddet præmia juſtis: *Et non faciet malè,* id eſt, nec reddet ſupplicia impiis. Id autem non aliud eſt quàm providentiam negare. Vide etiam Thren. 3. C v. 37. & 38.

CAPUT II.

℣. 3. **Q**Værite Dominum omnes manſueti terræ, qui judicium ejus eſtis operati, quærite juſtum, quærite manſuetum. Sicut in Pſalmo dicitur: *Diligite* A *Dominum omnes recti corde,* qui tamen niſi Dominum diligerent, recti corde non eſſent: Ita hoc loco manſuetis terræ dicitur: *Quærite Dominum. Quæritur* autem quare hæc non ſit ſupervacanea Prophetæ exhortatio, cum eo ipſo, quo manſueti ſunt, jam antea Dominum quæſierint? *Reſpondeo,* quando *impiis* dicitur, *Diligite Dominum,* monentur facere id quod antea non faciebant; quando autem *rectis corde* dicitur, *Diligite Dominum,* monentur amplius & diligentius facere quod antea faciebant. Ita & cum dicitur malis & doctis; *quærite Dominum,* monentur facere, quod non faciebant; quando autem manſuetis dicitur, Quærite Dominum, (ut hoc loco) monentur, eum quem quærebant, majori ſtudio & devotione quærere. Quærere autem Dominum non eſt aliud quàm quærere regnum Dei, & juſtitiam eius, ut in Evangelio dicitur. Ex quo intelligitur juſtitiam quæri à juſto, ut juſtificetur amplius, juxta illud Apocal. 22. *Qui juſtus eſt, juſtifi-* B *cetur adhuc,* ubi termini mutationis ſunt, (ut Philoſophicè loquamur) minor juſtitia, & major; ſicut in accretione minor & major quantitas.

CAPUT III.

℣. 13. **R**Eliquiæ Iſraël non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium. Quamvis fortè ad litteram hoc dictum ſit de Judæis ex captivitate Babylonica reducendis in terram ſuam; quando poſteà ille populus non amplius deflexit ad idololatriam; certior tamen ſenſus eſt de reliquiis Judaïci populi, id eſt, paucis illis, qui in Chriſtum, per Chriſti & Apoſtolorum prædicationem, crediderunt. Sic enim reliquias Iſraël juxta Iſaiæ vaticinium cap. 10. v. 22. intellexit Paulus ad Rom. 9. v. 27. Et de his veriſſima eſſe cognoſces, quæ hîc à Propheta commemorantur, quiſquis C ſanctitatem & perfectionem primitivæ illius Eccleſiæ ex Iudæis, in Actis Apoſtolorum, & in epiſtolâ Pauli ad Hebræos diligenter obſervaverit. Non tamen ita dicuntur non facturi iniquitatem, quaſi nemo inter eos peccator fuerit (nam Ananias & Sapphira Spiritui Sancto mentiti ſunt Act. 5. & alij prætereà potuerunt eſſe peccatores) ſed quia congregatio illa pro majori parte laudem illam merebatur.

FINIS PROPHETIÆ SOPHONIÆ.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM AGGÆI.

CAPUT PRIMUM.

ỷ. 5. & 6. P*Onite corda veſtra ſuper vias veſtras; Seminaſtis multum, & intuliſtis parum, Comediſtis, & non eſtis ſatiati.* Monet Propheta populum, ut conſideratione privatorum ſaltem malorum, agnoſcant iratum ſibi Dominum, propter neglectam reædificationem templi. Senſus ergo eſt. Advertite animum ad ſtatum & ſucceſſum rerum veſtrarum, & ex ſterilitate quam patimini, certè colligite iratum vobis Dominum. Cùm autem etiam ſubjungit: *Bibiſtis, & non eſtis inebriati*, non idcircò putandum eſt ebrietatem computari inter divina beneficia; Nam ſecundum Apoſtolum ebrietas inter ea vitia collocatur, quæ excludunt à regno Dei; ſed vel ebrietatis nomine ſatietatem potus intelligit, ſed moderatam; ſicut præcedit: *Comediſtis & non eſtis ſatiati*, vel negat populo tantam fuiſſe abundantiam vini, unde poſſent inebriari: q. d. *Et non eſtis inebriati*, id eſt, & non potuiſtis inebriari.

CAPUT II.

ỷ. 7. A*Dhuc unum modicum, & ego commovebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et movebo omnes gentes, Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Apertiſſimum vaticinium eſt de adventu Chriſti & gratia novi Teſtamenti. Quod igitur dicit, *Adhuc modicum*, ſignificat poſt breve tempus venturum Chriſtum: quod imprimis contra Iudæos carnales notandum, qui uſque hodie adhuc ſuum Chriſtum expectant. Citans hunc locum Apoſtolus ad Hebr. 12. ſignificat Deum anteà ſemel moviſſe terram; nunc autem promittere, quod movebit non ſolum terram, ſed & cœlum. Terram ſemel movit Deus, quando apparens in monte Sina, per fulgura, & horrenda tonitrua exterruit populum illum terrenum, qui tamen A nihil aliud quàm terra remanſit: In adventu autem ſuo Chriſtus, non ſolum terram, ſed & cœlum movit; quando non terreſtria tantum, ſed & cœleſtia in ſuo ſanguine inſtauravit; aut certè, quod proprium eſt gratiæ novi Teſtamenti, quando terrenos homines in ſpirituales commutavit. Auguſt. in Pſal. 118. con. 20. & ſerm. 15. de diverſis c. 7. illud, *Et veniet deſideratus cunctis gentibus*, refert ad ſecundum Chriſti adventum. Sed obſtat; quod dicitur: *Adhuc modicum*. Agitur igitur de eo quod proximè erat futurum. Movetur Auguſt. hac ratione, quia primum adventum gentes non expectabant; hic autem dicitur, *veniet deſideratus*. Sed reſpondetur; dicitur *deſideratus*, id eſt, deſiderabilis, ut qui ſummum beneficium redemptionis & ſa- B lutis iis eſſet allaturus.

ỷ. 10. *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plusquam primæ.* Hoc nonnulli referunt ad tempora quæ Chriſti adventum præceſſerunt, quando, ut in lib. 2. Machab. cap. 3. verſ. 2. legimus, etiam reges externi locum illum ſummo honore dignum ducebant, miſſis eò muneribus, & ſubminiſtratis hoſtiis, & aliis ſumptibus ad ſacrificia. Alii ad Chriſti referunt adventum, cuius præſentia templo illi mirificum ſplendorem attulit; ibi ſcilicet oblatus eſt, ibi docens, ibi mira patrans fuit. Neque obſtare volunt huic ſententiæ, quod Antiquit. 15. c. ult. Ioſephus teſtetur templum hoc à Zorobabel ædificatum, ab Herode prorſus deſtructum, & aliud reædificatum fuiſſe: Nam dicunt, C eodem loco & iiſdem fundamentis fuiſſe ædificatum; & ſic idem poterat templum cenſeri. At hoc non conſentit cum illo c. 15. libri ult. §. 1. & 10. Additio Cenſoris. Sed ſine dubio, ſicut quod præcedit; *Et veniet deſideratus cunctis gentibus*, de Meſſia intelligitur, non tantum quatenus ad Judæos, ſed quatenus ad omnes gentes ſalvandas miſſus eſt; ſic & quod ſubjungitur de gloria domus illius noviſſimæ, maximè & principaliter de gloria Eccleſiæ ex omnibus gentibus collectæ intelligendum eſt.

FINIS PROPHETIÆ AGGÆI.

ANNOTATIONES
IN PROPHETIAM ZACHARIÆ.

CAPUT PRIMUM.

ỷ. 3. C*Onvertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Magni ponderis, profundique ſenſus ſententia, cui ſecundò illa verba juncta ſunt; *Dicit Dominus exercituum*. Cæterum quomodo hinc conſequens non ſit, liberum arbitrium aliquo modo ſaltem, ad bonum movere ſe poſſe, antequam Deus per gratiam ſe ad non convertat, quod olim volebant Pelagiani; vide explicatum infrà ad Malachiæ 3. v. 7. ad iſta verba prorſus A his ſimilia: *Revertimini ad me, & revertar ad vos.*

ỷ. 12. *Et reſpondit Angelus Domini, & dixit; Domine exercituum, uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem? —— iſte jam ſeptuageſimus annus eſt.* Habemus hic clarum, & irrefragabile Scripturæ teſtimonium; quo oſtenditur ſanctos Angelos intercedere pro hominibus apud Deum, ut divinam iram deprecari, & miſericordiam eius flagitare. Teſtimonium, inquam, ita clarum, ut mirum ſit, qua fronte illud hæretici obſcurare conentur. Quod ſi Sancti Angeli interpellant pro nobis; ergo multo magis Sanctorum hominum defunctarum animæ, quæ cum Chriſto regnant, pro fratribus ſuis hic adhuc in terra militantibus, Dei

Eſtii Annotat. in Script.

miſericordiam interpellabunt. Multo enim major eſt naturæ ſocietas hominibus inter ſe, quàm inter homines & Angelos. Quod autem additur: *Iſte ſeptuageſimus annus eſt*, convincit Septuaginta annos à Jeremia c.25. & 29. prædictos, eſſe impletos eo tempore, quo hæc Prophetia ſcripta eſt. Scripta eſt autem, ut hoc eodem c.7. dicitur, *anno ſecundo Darij*. Cognito autem illorum annorum termino, facilè etiam, facta ſupputatione, eorum initium inveniri poterit.

CAPUT II.

℣.4. A*Bſque muro habitabitur Ieruſalem præ multitudine hominum, & jumentorum in medio eius.* Hebraicè: *Inſtar villæ habitabitur*, quaſi dicat, Ieruſalem habitabitur more villarum; quæ ſunt abſque muris, ita ut ſemper extendi poſſint ulterius. Et ſenſus eſt, quod tanta erit multitudo confluentium Ieruſalem, ut ambitus murorum omnes capere non poſſit. Sed aptiſſimè refertur ad Eccleſiam novi Teſtamenti, in omnes gentes propagandam. Interpres Vatabli ſic reddidit: Vicatim habitabitur Ieruſalem, id eſt, per omnes vicos: ita ut nulla pars eius futura ſit habitatore vacua. Sed priorem ſenſum confirmat quod ſequitur: *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.*

CAPUT III.

℣.1. E*T oſtendit mihi Dominus IESVM Sacerdotem magnum — & Satan ſtabat ut adverſaretur ei.* Et v.3. *Et IESVS indutus erat veſtibus ſordidis.* Ecce JESUM filium Ioſedech Sacerdotem magnum; qui non tantum nomine, ſed & re geſta, quæ hîc deſcribitur, apertè prætulit figuram Chriſti Salvatoris. Primum ſcilicet, quando ſatanæ ſtanti à dextris eius, ut adverſaretur ei, adempta eſt omnis poteſtas nocendi. Ita enim Chriſtus de ſe loquitur Joan. 14. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Deinde in eo quod dicitur: *IESVS erat indutus veſtibus ſordidis, & dictum eſt aſtantibus: Auferte veſtimenta ſordida ab eo.* Quid autem per veſtimenta ſordida intelligatur, exponit ipſe Dominus, quando ablatis ijs ſic JESUM hunc, filium Ioſedech alloquitur: *Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Igitur veſtimenta ſordida iniquitatem ſignificant; non ipſius Chriſti Domini noſtri, qui fuit Agnus ſine macula, in cuius ore dolus inventus non eſt; ſed iniquitatem humani generis; ſicut Iſaias dicit cap.53. *Poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum:* Hanc iniquitatem Deus Pater abſtulit ab eo, *& induit eum mutatoriis*, quando poſt paſſionem excitavit eum à mortuis, induens eum veſte immortalitatis; & ſicut Apoſtolus ait ad Philip.2. *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.*

CAPUT IV.

℣.6. H*Oc eſt verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Poſt oſtenſam Prophetæ viſionem de candelabro aureo, & lampade in eo poſita, & duabus olivis; altera à dextris, altera à ſiniſtris; dicitur tandem hoc eſſe factum verbum Domini ad Zorobabel; *Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo, dicit Dominus.* Per aureum candelabrũ intelligitur Eccleſia; per lampadem, Chriſtus, qui ſuper caput candelabri poſitus eſt, quia *ipſe caput corporis ſui, quod eſt Eccleſia*, ad Ephel.5. eamque velut è ſublimi univerſam illuminat. Duas autem olivas intelligunt Moyſen & Eliam; qui cum Domino loquebantur in monte Matth.17. ut in Moyſe, lex; in Elia Prophetia intelligatur; quia Chriſtus ab utroque teſtimonium accepit. Et reſponſum eſt Zorobabel; *Non in exercitu, nec in robore:* quibus verbis ſignificatur verus Zorobabel, id eſt, Chriſtus, qui de ſemine Zorobabel naſciturus erat, non exercitu armato, aut humanis viribus redempturus genus humanum, aut ſubacturus adverſas poteſtates, ſed *in ſpiritu Dei*, tum quia de Spiritu Sancto conceptus eſt, tum quia cuncta redemptionis noſtræ myſteria in Spiritu Sancto peregit. Sententia quoque illa aptè accommodari poteſt ad principes Chriſtianos, qui tametſi exercitum parent ad bellum, in Deo tamen præcipuum fiduciæ robur, collocare debent canentes illud pſalmi 19. *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus.*

CAPUT V.

℣.2. E*Go video volumen volans.* Et v.4. *Quia omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur, & omnis jurans ſimiliter ex hoc judicabitur.* Quod de fure dicitur, difficultatem non habet; ſed id quod dicitur de jurante, imò de omni jurante; cum alibi quidam dicantur laudabiliter jurare; ut pſal.62. *Laudabuntur omnes qui jurant in eo*, & prius pſal.23. dicitur habitaturus in tabernaculo Domini, *qui jurat proximo ſuo, & non decipit.* Auget præſentem difficultatem, quod Euſeb. l.6. Hiſtor. Eccleſ. cap.5. narrat Baſilidem ex milite Chriſtianum factum, cum ab eo juſjurandum exigeretur, conſtanter affirmaſſe ſibi omnino non licere jurare; eò quòd Chriſtianus eſſet. Et huiuſmodi argumenta adferunt Anabaptiſtæ. Ad locum Prophetæ, prompta eſt reſponſio: Nam per eum qui jurat, intelligit pejerantem; quod manifeſtum eſt ex verbis ſubjunctis, quibus ait, de volumine loquens: *Et veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter.* Et c.8. ſimiliter dicitur: *Iuramentum mendax ne diligatis.* De Baſilide variè reſponderi poteſt. Primò; fortè nondum erat plenè inſtitutus in præceptis Chriſtianis; & ſic, quia Chriſtiani ſollicitè abſtinebant ne temerè jurarent, putavit ille apud Chriſtianos prorſus vetitum eſſe juſjurandum. Vel etiam, quod cauſa ob quam exigebatur juſjurandum, parvi erat momenti: Erat enim ei controverſia cum ſociis ſatellitibus. Vel denique quod juramentum exigebatur ab eo, non qualecumque, ſed quale illis in uſu erat, ut per Deos, per Iovem, per Herculem, per fortunam Cæſaris jurarer. Eo modo autem jurare omnino Chriſtiano non licet.

CAPUT VI.

℣.12. E*Cce vir, Oriens nomen eius.* Ad litteram Zorobabel hoc nomine ſignificatur, idem qui ſupra cap.3. ubi de eo ſcribitur: *Ecce enim ego adducam ſervum meum Orientem.* Myſticè verò non eſt dubium, nomen hoc, & utrumque locum ad Chriſtum pertinere, qui eſt verus Oriens; unde lumen & vita nobis funditur, de quo canit alter Zacharias Pater Baptiſtæ, Luc.1. *Viſitavit nos Oriens ex alto, &c.* Vide etiam, ſi placet, quod ſcribit Ribera de hoc prolixè in cap.3. huius eiuſdem Prophetiæ. Notandum enim, quod tam hoc loco, quàm cap.3 vox Hebræa eſt, quæ magis propriè videtur ſignificare (*germen*) quam etiam Hieronym. alibi Latinè *germen* reddidit, ut Ierem.23. *Et ſuſcitabo David germen juſtum*, tametſi etiam illic Septuaginta verterint ἀνατολὴν, id eſt, Orientem, ſicut hic utroque loco.

CAPUT VII.

℣.5. C*Um jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo (menſe) per hos Septuaginta annos, numquid jejunium jejunaſtis mihi?* Et ſimilia habentur capite ſequenti. Nec tamen illa eo ſenſu accipienda ſunt, ad quem ea detorquent hæretici noſtri ſæculi, quaſi ijs ſignificetur Deum non placari jejuniis, aut non exhiberi per ea cultum Deo gratum, aut non

ſatis-

ſatisfieri pro peccatis, cum teſtetur Lucas, cap. 2. Annam propheteſſam *jejunijs ſerviiſſe*, ſcilicet Deo, id eſt, cultum Deo exhibuiſſe. Id enim planè ſignificat vox Græca ibi poſita, λατρεύειν. Sed ſcilicet corrigit Propheta inutilem jejunandi modum, imò ſuperſtitionem Judæorum, exiſtimantium jejunio Deum placari, etiamſi à peccatis non abſtinerent. Propterea itaque ante omnia monet, ut opera juſtitiæ & miſericordiæ diligenter exerceant; ita demum futurum, ut Deo gratum & placabile ſit eorum jejunium; & ſic cauſam jejunij convertendam in occaſionem gaudij, & feſtivæ ſolemnitatis. Deinde loquitur Propheta non tam de jejunijs lege præſcriptis, quàm à populo poſt everſionem civitatis voluntariè aſſumptis. Nam jejunium quarti menſis ſervabant, quod eo menſe capta eſſet civitas; quinti menſis, quod in eo templum exuſtum eſſet; ſeptimi, quod in eo Godolias occiſus; decimi, quod in eo Nabuchodonoſor cœperit obſidere Ieruſalem. Hæc ergo jejunia promittit in gaudium convertenda; dum in tam felicem ſtatum civitatem reſtituendam dicit, ut prioris luctus memoria, quodammodo oblitteretur. c.8. v.19.

CAPUT VIII.

℣.19. H*Æc dicit Dominus exercituum: Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium decimi erit omni Iuda in gaudium & lætitiam.* Quid hæc ſibi valint, cap. præcedenti utcumque explicatum eſt. Qui tamen volet, ipſum Hieron. adeat, latè explicantem, quæ jejunia hic intelligantur, Nota tamen rationes jejunij allatas ex calamitatibus, quæ poſt Zachariæ tempora acciderunt, ad præſentem locum non poſſe pertinere. Quærendum etiam, an omnia hæc jejunia fuerint humanæ inſtitutionis, an in aliquod eorum etiam divinæ, ut jejunium ſeptimi menſis, die decimo. Levit. 16. & 23.

CAPUT IX.

℣.9. E*Xulta ſatis filia Sion, jubila filia Ieruſalem: Ecce rex tuus veniet tibi juſtus & ſalvator — aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ.* Pridem codices & expoſitores variabant, dum alij in maſculino aſinum, alij in fœminino aſinam legerent. Sed Sixtina correctio prætulit fœmininum. Cæterum quando hæc Prophetia completa ſit, Evangelium Matth. 21. nobis declarat; quando videlicet Chriſtus inſidens aſinæ, & pullo aſinæ, ingreſſus eſt Ieroſolymam, occurrente ei puerorum turba, & acclamante ex Pſalm. 117. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Neque ulla certior eſt Prophetarum expoſitio, quàm quæ novæ legis teſtimonio confirmatur; velut cum dicitur hoc vel ſimili modo: *Hoc autem factum eſt, ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam.* Quod autem Hieronymus ex Hebræo vertit, *pauper*, Septuaginta vertunt, *manſuetus*, quomodo à Matthæo citatur: ut hîc etiam intelligi poſſit authoritas Septuaginta interpretum, ab Evangeliſtis confirmata, utrumque autem in Chriſtum optimè competit: Qui *pauper* quidem dicitur, quia cum dives eſſet pro nobis pauper factus eſt; & tam pauper, ut non haberet ubi caput reclinaret; *Manſuetus* autem; quia nobis omnibus manſuetudinis exemplum factus. Unde & dicit Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.*

℣.11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Variè hoc exponitur. Illud conſtat, ſermonem eſſe ad Chriſtum de quo & ea quæ proximè præceſſerunt, abſque ulla dubitatione ſunt accipienda. Unus igitur ſenſus eſt, Chriſtum in ſanguine Teſtamenti ſui, id eſt, per me-

A ritum paſſionis ſuæ, & per ſanguinem illum in cruce effuſum quo dedicatum eſt novum Teſtamentum, omnes electos ſuos qui tenebantur tanquam vincti & incarcerati ſub poteſtate Diaboli, & ſub jugo peccati, ex ea iniquitate liberaſſe, juxta id quod ipſe Salvator ait: *Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Secundum hanc expoſitionem lacus in quo non eſt aqua, captivitas eſt humani generis, qua quamdiu detinetur, vacuum eſt ab aqua gratiæ divinæ, de qua in Evangelio Ioan. 7. *Qui crediderit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Alius ſenſus eſt, idemque celebratior apud authores, Chriſtum, ſimulatque novum Teſtamentum dedicaverat in cruce per mortem, deſcendiſſe ſecun-
B dum animam ad inferos, atque inde juſtorum animas quæ ibi in locis tanquam in vinculis & carcere detinebantur, liberas emiſiſſe, ſecumque adduxiſſe. Vocatus eſt autem ille carcer à Propheta lacus ſine aqua, non ob defectum gratiæ; neque etiam conſolationis: nam hac ratione reproborum carcer hanc appellationem potius merebatur. Etenim non ſolum in limbo Patrum gratia Dei erat & conſolatio, de qua Abraham ad Divitem; *Hic verò conſolatur*, ſed eſt etiam, tametſi gradu inferiori, in purgatorio. Gratia quidem, quia omnes ibi juſti ac Dei amici: Conſolatio verò, quia certa & infallibilis expectatio beatitudinis. Sed lacus ſine aqua dicitur carcer qui detinet quidem homines ut exire nequeant, ſed non necat: Necaret autem & ſuffocaret ſi aquam haberet. Unde Ioſeph à fratribus ſuaſu Ruben dicentis: *Non interficiamus eum*;
C miſſus legitur in ciſternam quæ non habebat aquam. Geneſ. 37. At de lacu aquoſo clamat David: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam: Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*, Pſalm. 66. Rectè igitur juſti quos Chriſtus eduxit ab inferis, in lacu fuiſſe dicuntur, in quo non erat aqua, quia vincti quidem ibi detinebantur ut egredi non poſſent, ſed conſervabantur à morte æterna, tanquam non ſuffocandi ab aqua. Vide ſi placet noſtra in 3. diſt. 22. §. 2.

℣. 17. *Frumentum electorum & vinum germinans virgines.* Quidam per *frumentum electorum* intelligit frumentum verbi divini, quo electi ad regnum æter-
D num paſcuntur: *Et vinum germinans virgines*, verbum divinum quod virginales & caſtas generat affectiones. Poteſt etiam intelligi Corpus & Sanguis Domini quod de altari ſumitur.

CAPUT X.

℣.2. Q*Uia ſimulachra locuta ſunt inutile.* Id eſt, idola ſeu dij gentium dederunt falſa reſponſa. Poteſt referri vel ad dæmones qui in idolis & per idola loquebantur, ſonos humanis vocibus ſimiles occulta quadam arte formantes; *Nam dij gentium dæmonia* Pſal. 65. Vel ad ipſa ſimulachra quæ locuta dicuntur propter huiuſmodi ſonos arte dæmonum ex ipſis editos; quomodo dicitur Apocal. 13. locutam fuiſſe
E imaginem beſtiæ. Sed quoniam hæc non eſt vera locutio, ſed mimetica dumtaxat ac deceptoria; propterea veriſſimum manet illud pſalmiſtæ de gentium ſimulachris: *Os habent & non loquentur.* Pſalm. 113.

℣.3. *Viſitavit Dominus exercituum gregem ſuum domum Iuda, & poſuit eos; quaſi equum gloriæ ſuæ in bello.* Et ſequitur, *Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælij, ex ipſo egredietur omnis exactor.* Hebræi hæc referunt ad Judam Machabæum, & fratres eius, & eorum poſteritatem, quæ multo tempore viriliter & feliciter hoſtibus Judaicæ gentis ſeſe oppoſuit. Sed hæc expoſitio congruere huic loco non videtur. Nam de domo Juda hæc dicuntur, Judas autem Machabæus non ex tribu Juda fuit, ſed ex tribu

Levi, ut patet 1. Machab. 2. Quare non in alium verius, quàm in Chriſtum, & Chriſti regnum competunt verba Prophetiæ. Chriſtus enim ex ipſo, videlicet Iuda ſecundum carnem genitus, ipſe eſt *angulus*. Non *Angelus* (per ſecundam vocalem) ut quidam perperam pridem legerunt & expoſuerunt; ſed *angulus*, per vocalem ultimam, id eſt, lapis angularis, faciens utraque unum. Idem & *paxillus* dicitur, quia ab eo dependet univerſa lex & Prophetæ. Unde in typo Chriſti apud Iſaiam, c. 22. Eliachim Sacerdos in templo Dei quaſi paxillus figitur. *Arcus autem prælij* intelligitur ipſum Verbum Dei, quod ab Apoſtolo etiam gladius ſpiritus dicitur. Denique ex ipſo *Exactor* egreditur, non qui opprimat populum; ſed qui operum exactor conſtitutus, urgeat operarios ad inſtaurationem ædificij ſpiritualis. Sunt tamen qui *Exactorem* in malam partem interpretantur, B & intelligunt Diabolum, vel Antichriſtum; quem egredi dicunt ex ipſo; hoc eſt, ejici, ac deturbari de ſocietate fidelium, quorum caput eſt Chriſtus, qui & eum interficiet ſpiritu oris ſui.

CAPUT XI.

℣. 4. H*Æc dicit Dominus Deus meus: Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant.* Prophetia eſt contra malos Paſtores quos graviter admodum increpat ſermo Propheticus. Increpatio autem malorum inſtructio bonorum eſt. Occidunt pecora, & non dolent, qui animas ovium ſuarum malis exemplis interficiunt, de quibus dicitur C generali ſententia Matth. 18. *Qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, expedit ei ut ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundum maris. Non dolent* autem qui cum Apoſtolo dicere non poſſunt: *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* 2. Corint. 11. Vendunt autem pecora, qui officium Paſtorale in quæſtum vertunt; exiſtimantes quæſtum & velut nundinationem, eſſe pietatem; qui dicunt, ut hîc à Propheta ſubditur; *Benedictus Dominus, divites facti ſumus*; id eſt, Si lac & lana abundant, ſibi gratulantur, ac Deo velut gratias agunt, tamquam de opimo Paſtoratu, interim parum aut nihil ſolliciti de ſalute gregis. Sed longè aliter Apoſtolus Paulus, qui dicebat ad Philipp. 4. verſ. 17. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in rationem* D *veſtram.* Fructum nempe quærebat ovium, non datum ſuum, id eſt, ovium ſalutem, non ſuum commodum.

℣. 15. *Adhuc ſume tibi vaſa Paſtoris ſtulti* —— *qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, &c.* Ecce adhuc alias conditiones malorum Paſtorum recenſet, & increpat Propheta. *Tropologicè* deſcribitur Paſtor non reſidens, & tamen pinguia comedens; fructus percipiens, imò ungulas ovium dura exactione diſſolvens, ſic enim intelligunt id quod hîc dicitur: *carnes pinguium comedet & ungulas eorum diſſolvet.* Et exclamat ſuper hoc Propheta: *O Paſtor & idolum, derelinquens gregem.* Et meritò idolum dicitur, quia Paſtoris nomen, honorem, & proventus habet; & officium non exercet; E ſicut idola dij dicuntur, & pro dijs honorantur, & nihil divini operis hominibus præſtant, ſed muta ſunt ſimulachra.

CAPUT XII.

℣. 10. E*T effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Ieruſalem ſpiritum gratiæ, & precum.* Pertinet hæc Prophetia ad miſſionem Spiritus Sancti in Apoſtolos & fideles Chriſti factam in die Pentecoſtes; quod & quotidie per univerſam Chriſti Eccleſiam in fidelibus completur. Et quidem ſpiritus gratiæ effunditur in nos; quia *Charitas Dei diffundi-* A *tur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum.* Rom. 5. Effunditur autem ſpiritus precum; quia nos, *quid oremus, neſcimus, ſed Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, ibid. c. 8. id eſt, poſtulare nos facit. Quod autem ſequitur; *& aſpicient ad me quem confixerunt*, quando impletum ſit, Ioannes Evangeliſta c. 19. oſtendit; quando videlicet perfoſſo latere Domini, effluxit ſanguis & aqua. Ex quo loco manifeſtum eſt, non de manuum & pedum affixione ad Crucem, ut quidam interpretantur, ſed de transfixione lateris Dominici hanc Prophetiam intelligendam eſſe. Et nihilominus Apoc. 1. refertur quoque ad diem judicij. Sed notandum in hac Prophetia duo contineri, & prædici: Alterum quod configent, alterum quod aſpicient. Confixio impleta B eſt Ioan. 19. Adſpectio autem, ſive quod hi qui eum confixerunt, eum cum magno ſuo dedecore videbunt, implendum oſtenditur in Apocalypſ. in die judicij. Et quia formaliter & cum energia illud accipiendum eſt (*quem confixerunt*) hinc rectè quoque ex ea ſententia colligitur, Chriſtum in die judicij ſigna vulnerum ſuorum oſtenſurum: quæ quidem videbunt boni ad gloriam, cum magna exultatione; mali verò, ac potiſſimum illi, qui vulnera inflixerunt, ad extremam ſuam confuſionem & ignominiam.

CAPUT XIII.

℣. 2. E*T Pſeudoprophetas & ſpiritum immundum* C *auferam de terra. Et erit cum prophetaverit quiſpiam ultra* —— *& configent eum pater eius & mater eius.* De Pſeudoprophetis hîc ſermo eſt. Et prædicitur zelus fidelium contra Pſeudoprophetas, qui in Eccleſia non alij ſunt quàm hæretici. Per patrem autem & matrem intellige quoſcumque neceſſarios; etiam conjunctiſſimos, qui ardore veræ fidei accenſi ſpretâ carnis neceſſitudine ad hoc laborabunt ut Pſeudopropheta exterminetur de populo. Locus hic conferendus cum Deuter. 13. ubi hæc eadem diſertiſſimis verbis præcipiuntur. Et notandus uterque locus pro juſta hæreticorum punitione per poteſtates ſæculares, & pœnas corporales. Quod autem dicitur; *configent eum*, non ſignificat eos privata authoritate occidendos, ſed ſepoſito omni carnali affectu, ſi aliter D corrigi non poſſint, (quandoquidem periculum ſit & alios per eos infici) eoſdem eſſe prælatis Eccleſiæ deferendos.

℣. 6. *Et dicetur ei: Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Hieron. & Theodor. & quidam alij hæc intelligunt de Pſeudopropheta plagis affecto à parentibus ſeu domeſticis ſuis, eò quòd mendacium locutus eſſet in nomine Domini. Qui ſenſus præcedentibus convenit. Sed alij potius de Chriſto interpretantur, qui & ipſe plagas in manibus & pedibus tamquam ſeductor populi accepit, affixus Cruci à Judæis; qui ei gente ac genere propinqui erant; & ob hoc diligere eum meritò debebant. Et huic ſenſui conveniunt, quæ proximè ſequuntur: *Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem* E *meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum; Percute Paſtorem, & diſpergentur oves.* Nam poſtrema illa verba Chriſtus apertè apud diſcipulos ſuos, de ſe & ſua paſſione jam imminente, interpretatur Matth. 26. & Marci 14.

CAPUT XIV.

℣. 5. E*T veniet Dominus Deus meus, omneſque ſancti eius cum eo.* Scilicet ad judicium. Hîc obſerva Chriſtum vocari Dominum & Deum. Sanctos autem intelligit beatos Angelos, de quibus etiam Moyſes Deuter. 33. *Apparuit de monte Pharan, & cum eo*

Sancto-

Sanctorum millia; ſcilicet Angelorum, quorum miniſterio datam fuiſſe legem teſtantur Paulus ad Galatas 3. & Stephanus Actor. 7. Cæterum de comitatu Sanctorum Angelorum ad judicium, apertè Chriſtus loquitur Matth. 16. *Filius hominis* (inquit) *venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis.* Et capite 25. *Cùm venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes Angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ.* Porro beati homines non cum eo venient ad judicium, ſed à mortuis reſuſcitati è terra, ſurſum rapientur obviam Chriſto in aëra, ut ſit occurſus Angelorum & hominum inter ſe. 1. Theſſal. 4. Vide ibidem noſtr. Comment.

℣. 20. *In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt, Sanctum Domino.* Hieronymus, Cyrillus & alij intelligunt hoc modo: Tam magna & alta pace fructur mundus, aut populus Dei, ut frænum (quod alij interpretantur phaleras, alij tintinnabula) ac cætera huiuſmodi ornamenta equorum atque equitum, vacantia ab uſu militari, Domino Deo ſanctificentur & conſecrentur in templo eius, & in ſacros uſus convertantur.

Cum hoc ſenſu congruunt quæ ſequuntur: *Et erunt lebetes in domo Domini, quaſi phialæ coram altari: & erit omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum, &c.* Id eſt, ex ternamentis & æramentis equeſtribus ſive ea ſint lupata, quibus alligantur fræni, ſive tintinnabula, ſive quid aliud, fient in domo Domini lebetes ad uſum coquendarum carnium oblatarum, adeò ut lebetes tanto ſint numero futuri, quanto phialæ. Vatabli Scholion ſic habet: Hebraicè, erit ſuper tintinnabula equorum ſanctitas Domino, omnia illa ornamenta equorum conſecrabuntur Domino; perinde atque ſi hæc duo vocabula, Sanctitas Domino, inſcripta ipſis eſſent. At verò Ambroſius in oratione ſuper obitu Theodoſij, Theodoretus, Sozomenus, Nicephorus in Hiſtoria, & ni fallor, Euſebius in vita Conſtantini, referunt prima illa verba ad frænum Conſtantini, cui infixit unum ex clavis Dominicis quos cum ſancta cruce invenerat mater eius Helena. Hunc quidem ſenſum ut ridiculum rejicit Hieronymus in Commentario. Sed quid vetat in Scriptura quæ pluribus ſenſibus eſt fœcunda, etiam hoc voluiſſe Spiritum Sanctum ſignificare? præſertim cum non dicat: erit frænum equi Sanctum Domino, id eſt, Domino ſanctificatum, ſed; *Erit id quod ſuper frænum eſt, Sanctum Domino*, quod juxta hunc ſenſum aptiſſimè dicitur. Adde quod frænum illud Conſtantini Domino fuerit quodammodo ſanctificatum, non quidem ad pacem, ſed ad præliandum prælia Domini, per clavum Dominicum ipſi infixum.

℣. 21. *Et non erit mercator ultra in domo Domini exercituum in die illa.* Non dicit in Iſraël, aut in populo meo, ſed *in domo Domini*, quia Chriſtus ejecit ex domo Patris ſui ementes & vendentes. Per quos ſcilicet illi ſignificati ſunt, qui gratiam Dei in Eccleſia venalem habent. Sed *inquies*, Tales adhuc multi ſunt in Eccleſia Dei. *Reſpondeo*, Prophetam hoc non velle, quod nulli tales ſint futuri, ſed Eccleſiam contra eos graviſſimas leges ſancituram, ut quantum in ipſa eſt, jam non ſint: Hoc autem Synagoga non fecit. Nam non ſolùm erant in domo Domini nundinatores quos Chriſtus expulit, verùm, quod deterius eſt; ſummum Sacerdotium apud Iudæos erat venale, jam plurimis annis ante Chriſtum; videlicet à tempore Machabæorum, ut ex Hiſtoria rerum ab ipſis geſtarum, atque etiam ex Ioſepho perſpicuum eſt. Nec tamen illi tantæ peſti Simoniacæ jam tot ſæculis ante Simonem graſſanti, per ullas Synagogicas, ut ita dicam, leges, adhibita fuit medicina. Alij pro eo quod habemus (*Mercator*) vertunt (*Chananæus*) quod & à Septuaginta factum videtur, non malè. Hoc enim vocabulum apud Hebr. ambiguum eſt ad nomen gentis, & ad mercatorem. Itaque putant interpretem noſtrum, mercatorem poſuiſſe, pro Chananæo, quomodo idem vice verſa Proverb. ult. Chananæum dixit pro mercatore in illis verbis: *Cingulum fecit & vendidit & tradidit Chananæo.* Et hæc interpretatio faciliorem habet ſenſum; quo nimirum ſignificetur, non futurum amplius, ut exteræ, & à cultu Dei alienæ gentes, ac populo Dei inimicæ, penetrent uſque in domum Domini; quod factum fuerat à Chaldæis, alijſque gentibus in everſione civitatis Ieruſalem; quemadmodum in ſuis Lamentationibus deplorat Ieremias. Huius ſenſus & Hieron. meminit, qui tamen Aquilam ſecutus, mercatorem vertere maluit.

FINIS PROPHETIÆ ZACHARIÆ.

ANNOTATIONES

IN PROPHETIAM MALACHIÆ.

CAPUT PRIMUM.

℣. 3. DI*lexi Iacob, Eſau autem odio habui.* Hinc neque ſequitur Iacob ſalvatum eſſe, nec Eſau damnatum, licet de Iacob quod ſit electus, aliunde conſtet, ut, ex Chriſti verbis Matth. 8. *Recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cælorum*, & Exodi 3. *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac & Iacob: non eſt Deus mortuorum, ſed viventium*, Matth. 22. ubi agitur de ſolis electis, nempe ijs qui erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Eſau autem ſalvatum eſſe, non improbabiliter quoque dicitur, quia in recta religione fuit inſtitutus à ſuis parentibus, & cum Iacob fratre rediit in gratiam. Niſi quis objiciat illud Hebr. 12. *Ne quis fornicator aut profanus ut Eſau —— reprobatus eſt. Non enim invenit pœnitentiæ locum, &c.* Sed id non convincit. Nam de reprobatione quoad hæreditatem benedictionis temporalis, à qua exclusus fuit Eſau, ibi agitur. Nec invenit paternæ pœnitentiæ locum, ut ſententiam ſuam de benedictione data minori fratri, pater mutaret, quamvis multis lachrymis inſtaret ut id faceret. Vide noſtra Commentaria cit. loco & Rom. 9. ubi Apoſtolus hanc ſententiam refert, & nos pluribus de ea egimus.

℣. 11. *Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus.* Hanc Scripturam magno conſenſu veteres de ſacrificio Corporis, & Sanguinis Chriſti, (quod, rejectis antiquæ legis ſacrificiis, per univerſam Catholicam Eccleſiam offertur) interpretati ſunt; ut Irenæus lib. 4. cont. hæreſ. cap. 32. Iuſtinus cont. Tryphonem, Cyprianus cont. Iudæos cap. 16. Euſebius demonſt.

demonſt. Evangel. l. 1. c. 6. & ult. Hieron. & Theodor. in hunc locum. Auguſt. lib. 18. de civit. c. 35. & lib. 19. c. 15. item lib. 1. cont. adverſ. leg. & Proph. c. 20. & 22. & in pſ. 106. Chryſ. orat. 4. contra Iudæos. Damaſcen. lib. 4. c. 14. Sanè & ipſe Propheticus loquendi modus oſtendit ſermonem eſſe de ſacrificio quodam novo, & externo, in locum ſacrificiorum veterum; quæ ſibi deinceps diſplicere dicebat, ſubſtituendo: ſic enim proximè ante hæc verba præcedit: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra*. q. d. Itaque jam aliud in eius locum conſtituam. Vide noſtra in 4. Sentent. diſt. 12.

CAPUT II.

℣. 7. L*Abia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt*. Verba clara ſunt, neque egent explicatione; ſed tantum diligenti conſideratione, & operis executione; ut tanto muneri reſpondere conemur; quotquot ad Sacerdotalem dignitatem vocati ſumus. Alioqui meritò audiemus, quod ſequitur: *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles* (id eſt, viles) *omnibus populis, ſicut non ſervaſtis vias meas*. Videtis rationem, quare apud multos hoc tempore in tanto contemptu ſit Sacerdotium. Sed *quæritur* nihilominus, an illud; *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*; pertineat ad omnes Sacerdotes? an verò ad eos ſolos, quibus committitur regimen animarum? *Reſp.* ad omnes pertinere; quia Eccleſia vult omnes qui Sacerdotio initiantur, habere doctrinã divinæ legis competentem; ſuper quo & præmittitur eorum examen, antequam ordinantur. Omnes enim Sacerdotes, etiam illi, qui curam animarum non habent, debent eſſe ſal populi; ut interrogati à laicis, de his quæ ad Deum, & ſalutem pertinent, poſſint ſaltem mediocriter reſpondere. Nam paſtores multò magis inſtructi eſſe debent; utpote qui laborare debent in verbo & doctrina juxta Apoſtolum.

CAPUT III.

℣. 7. R*Evertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. Similis eſt ſententia Zachariæ 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum*. Has, aliaſque ſimiles ſententias olim Pelagiani ad ſui erroris defenſionem produxerunt, docentes gratiam dari ſecundum merita noſtra: & Deum non prius homini ſuam infundere gratiam, quàm homo per liberam ſuæ voluntatis motionem ſe ad eam ſuſcipiendam præparaſſet. Qua de re Auguſt. tum alijs pluribus locis, tum inprimis de gratia & libero arbitrio c. 5. Sed quod Dei donum ſit etiam noſtra ad Deum converſio, pluries docent Scripturæ, ut pſal. 79. bis: *Deus converte nos, & oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*, & rurſum: *Deus virtutum converte nos*, & pſalm. 84. *Converte nos Deus ſalutaris noſter*. Et apertiſſimè Threnorum 5. cum dicit Ieremias: *Converte nos Domine, & convertemur*. Ergo, (ut verbis Concilij Tridentini utar Seſſ. 6. 5.) cum dicitur, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; libertatis noſtræ admonemur: Cùm verò reſpondemus: *Converte nos Domine ad te, & convertemur*; Dei nos gratia præveniri confitemur. Hæc Concil. Scilicet liberum arbitrium ſuo voluntario motu ad Deum ſeſe convertit quidem, tamen non niſi præveniente & cooperante gratia Dei. Quod autem additur, *Et ego convertar ad vos*, non ſignificat gratiam ſubjunctam eſſe libero arbitrio, motumque eius ſequi; ſed vel ſignificat poſteriorem gratiam promitti, quæ à ſcholaſticis ſubſequens, & comitans gratia vocatur; vel remiſſionem peccatorum cum remotione pœnarum, & afflictionum temporalium, & largitione bonorum. Eam enim promiſſionem frequentiſſimè inculcant Scripturæ veteris Teſtamenti.

CAPUT IV.

℣. 5. E*Cce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Duplex huius loci eſt expoſitio. Alij de Elia Thesbite intelligunt, qui venturus ſit ante diem extremi judicij, quem hoc loco dicunt vocari diem Domini magnum, & horribilem, ut convertat populum Judaicum ſua prædicatione ad fidem veri Meſſiæ. Alij exponunt de Ioanne Baptiſta, qui Elias vocatur, quia ut teſtatur Angelus Gabriel Lucæ 1. *Ipſe præcedet Dominum in ſpiritu & virtute Eliæ*. Ubi etiam quod hîc additur, *Et convertet cor patrum, &c.* ſimiliter Angelus Ioanni tribuit. Eandem expoſitionem confirmare videtur Dominus in Evangelio, de Ioanne loquens Matth. 11. verſ. 14. *Si vultis recipere*, inquit, *ipſe eſt Elias, qui venturus eſt*. Et cap. 17. *Dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum, ſed fecerunt in eum, quæcumque voluerunt*. Hanc poſteriorem expoſitionem pluribus locis ſequitur B. Hieronymus, & alij poſt eum. Priori tamen æquè favet Eccleſiaſtica ſententia, de Elia venturo in fine ſæculi. Unde apud Septuaginta hoc loco legitur; *Mittam vobis Eliam Thesbyten*. q. d. ipſum Eliam in perſona. Tertullian. quoque lib. de anima cap. 35. legit *Thesbiten*. Sic quoque apparet legiſſe Cyrillum lib. 1. in Ioannem cap. 24. Chryſoſtom. etiam homil. 58. in Matth. 17. apertè teſtatur Malachiam adſcripſiſſe Patriam, dicendo Thesbiten; ne illa Prophetia putaretur in Ioanne Baptiſta completa. Item Euthymius in Matth. 11. & 17. citat verba Prophetæ, addendo *Thesbiten*. Vide etiam annot. Luc. 1.

FINIS PROPHETIÆ MALACHIÆ.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM I. MACHABÆORVM.

PRÆFATIUNCULA.

QUod attinet ad titulum huius operis, quæritur qui ſint Machabęi à quibus hi duo libri vocantur libri Machabæorum? Nam in toto opere nemo præter Judam Matathiæ filium, Machabæus vocatus legitur. Fuitque hoc ei cognomen, ſicut & fratres eius ſinguli ſua habuere cognomina, quæ referuntur libr. 1. cap. 2.

Dicendum videtur, Machabæos dici quinque filios Matathiæ, communicato eis cognomine Iudæ, qui inter eos fuit præcipuus & nominatiſſimus: non quod illo tempore ſic fuerint appellati, ſed uſu fidelium à quibus illorum fratrum geſta ad poſterorum memoriam

dam tranſmiſſa ſunt. Cur autem ſeptem fratres quorum in ſecundo libro cap. 7. texitur inſigne martyrium dicti Machabæi, ibidem annotavimus.

CAPUT PRIMUM.

℣. 6. *ET poſt hæc decidit in lectum, & cognovit quia moreretur. Et vocavit pueros ſuos nobiles, & diviſit illis regnum ſuum, &c.* Hæc de Alexandro Magno: Quibus non ſatis concordare videtur Oroſius l. 3. cap. 20. ubi dicit Alexandrum miniſtri inſidiis veneno potato interiiſſe, & c. 23. ubi refert, poſt mortem Alexandri à variis diſcerptum eius regnum, & aliis aliam partem vendicantibus. Aliter tamen referunt Iuſtinus Hiſtoricus lib. 13. & Q. Curtius in Hiſtoriæ ſuæ fine. Oroſij ſententiam confirmat, quod eſt apud Hieron. in epiſt. ad Lætam: ubi ſic loquitur. Multo glorioſior mundi Philoſopho, qui non regem Macedonum, Babylonico periturum veneno, ſed ancillam & ſponſam Chriſti erudiam. Hæc ille. An dici poteſt, quod aliquamdiu ægrotaverit ex veneno propinato, & ipſe fortè neſcivit ſed res poſteà detecta fuerit?

℣. 14. *Ut facerent juſtitiam gentium.* Judæi qui relictis paternis legibus addixere ſe ritibus gentilium, dicuntur accepiſſe poteſtatem à rege ut facerent juſtitiam gentium, id eſt, ut ſecundum inſtituta & ritus gentium viverent.

℣. 15. *Et ædificaverunt gymnaſium in Ieroſolymis ſecundum leges nationum.* Gymnaſium interpretantur quidam Scholam publicam, in qua docerentur leges, & inſtituta gentilium, pertinentia ad cultum idolorum. Sunt etiam qui intelligunt gymnaſium litterarum, ac bonarum artium; atque ex hoc loco docere contendunt, quàm ſit vetus inſtitutum ſtudiorum Generalium, quas Univerſitates ſeu Academias vocant. Sed aliter Ioſeph lib. 12. Antiquit. Jud. cap. 6. qui gymnaſium intelligit Palæſtricum; in quo videlicet ad luctam exercebantur: quod exercitij genus apud Iudæos prius in uſu non fuerat, ſed tunc à gentilibus introductum eſt, ut Iudæi, ſuſceptis gentium moribus, & exercitiis, facilius ad ſimilitudinem religionis quoque traducerentur.

℣. 16. *Et fecerunt ſibi præputia, & receſſerunt à teſtamento ſancto.* Quidam hic interpretantur, ut inſtrumento quodam medico pelle reducta, præputia nova ſibi facerent, qui ante circumciſi eſſent. Sic Ioſephus libr. 11. Antiq. cap. 6. Ut nudi, inquit, non eſſent Græcis diſſimiles. Vide etiam Epiphanium, in libr. de pond. & menſ. de Symmacho bis circumciſo. Et eodem modo intelligunt illud 1. Cor. 7. *Circumciſus aliquis vocatus eſt, non adducat præputium.* Sed alij ſimplicius intelligunt, id quod dicitur, *Et fecerunt ſibi præputia*, ſcilicet id non factum eſſe in ipſis patribus, ſed in eorum filiis. Id enim tantum habebat lex Antiochi, (de qua infra hoc eodem capite ſcribitur) edictum fuiſſe, ut Iudæi filios ſuos relinquerent incircumciſos.

℣. 43. *Et ſcripſit rex Antiochus omni regno ſuo, ut eſſet omnis populus unus, & relinqueret unuſquiſque legem ſuam.* Quod Antiochus fecit in cultu falſo, id ab omnibus Chriſtianis principibus faciendum eſt in cultu vero. Videbat Antiochus unitatem populi non conſiſtere ſub diverſitate pugnantium religionum; quam tamen unitatem ſciebat neceſſariam eſſe ad regni & reipublicæ firmitatem & ſtabilimentum. Proinde ut regnum ſuum firmaret, in una religione conſentientem habere voluit univerſum populum ſibi ſubjectum. Sed in eo graviter ab Antiocho peccatum eſt, quod contempto Deo Iudaici populi, qui ſolus & unus Deus eſt, unitatem populi putaverit quærendam in multitudine Deorum gentilium. Chriſtiani autem principes qui unius Dei notitiam, & ſyncerum eius cultum ſuſceperunt, hac in parte errare non poſſunt;

A ſi unum illum verum, rectum & ſyncerum cultum univerſo populo ſibi ſubjecto præſcribant. Hac etenim ſola via conſequentur id quod officij ſui ratione potiſſimum ſpectare debent; nempe veram & ſolidam pacem & tranquillitatem reipublicæ. Pax enim eſt animorum conſenſio in bonum: Ubi autem religionis diverſitas, profectò talis conſenſio eſſe non poteſt. Ex quibus patet quantum aberrent à ſcopo legitimi principatus aut præfecturæ in republica, qui putant ad eius tranquillitatem neceſſariam eſſe libertatem religionis, cum ea unitati illi, & proinde paci, maximè repugnet.

CAPUT II.

B ℣. 22. *NOn audiemus verba regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes legis noſtræ mandata.* Et paulò pòſt verſ. 24. *Et vidit Matathias & doluit, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram; ſed & virum quem rex Antiochus miſerat. Quæritur*, utrum exemplo Matathiæ, licitum ſit reſiſtere regi aut principi injuſta imperanti? & miniſtros impietatis eius occidere? &, populo adverſus eum concitato, bellum movere? Talia enim hoc loco feciſſe legitur Matathias, & zelus eius comparatur cum zelo Phinéæ Sacerdotis. *Quæſtio* hoc tempore inter quoſdam agitata, & variè diſputata; alijs putantibus licitum eſſe principi apertam tyrannidem molienti, (maximè adverſus religionem) reſiſtere; non tamen per ſeditio-

C nem plebe concitata, ſed opponentibus ſe perverſo conatui principis, ijs ad quos pertinet toti Reipubl. proſpicere de juſta eius adminiſtratione; Qualis videtur fuiſſe Matathias. Vocatur enim hoc eodem cap. verſ. 17. *Princeps, & clariſſimus, & magnus in populo.* Alij exiſtimant nulla ratione, & nullo caſu lege divina permiſſum eſſe, ut legitimo principi aliquando per vim reſiſtatur, etiamſi injuſtè imperet, ſed putant ſubditos ſola patientia armari debere adverſus eiuſmodi tyrannidem. De facto autem Matathiæ reſpondent, eum non legitimo principi, ſed injuſto Judaïci regni invaſori reſtitiſſe. In hanc ſententiam extat libellus doctiſſimi viri, & Reverendiſſimi Domini ſanctæ memoriæ Cuneri Epiſcopi Lewardienſis. Contra ſentit Molanus, & alij doctiſſimi viri; & probatur

D exemplo reprobati Roboam 3. Regum 12. Nec valet reſponſio contrariæ opinionis. Nam Antiochus à majoribus ſuis acceperat regnum Iudææ; ſicut & poſteà Tiberius Cæſar, ab alijs Cæſaribus & populo Romano; de quo tamen Tiberio Chriſtus Matth. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.*

℣. 36. *Et non reſponderunt eis, nec lapidem miſerunt in eos, nec oppilaverunt loca occulta, dicentes: Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra, &c.* Erat hic zelus legis, ſed non ſecundum ſcientiam. Proinde nec videtur hoc factum à peccato poſſe omnino excuſari; maximè quoniam ex errore profectum fuit. Quamvis enim quiſpiam fidelis non teneatur ſe defendere ſi fortè ſolus à latrone invadatur, præſertim ubi anceps pugna futura ſit, & ipſe non videatur evaſurus niſi

E latronem interimat, quemadmodum rectè docet Franciſcus à Victoria; aliter tamen judicandum de multis qui velut communitatem quandam conſtituentes, ſi non quiſque ſuiipſius cauſa, ſaltem omnes defenſionem debent toti corporis atque etiam alij alijs, ut viri uxoribus, fortiores infirmioribus, vulgares præſtantioribus, quorum vita ſit reipublicæ neceſſaria. Talem autem hîc fuiſſe multitudinem declarant illa verba ſequentia: *Et mortui ſunt ipſi & uxores eorum, & filij eorum —— uſque ad mille animas hominum.* Verùm hanc illorum qualemcumque culpam ex ignorantia commiſſam, facilè delevit vehemens zelus quo piè accenſi erant erga legem divinam; adeò ut

ut occidi potius eligerent ab hoſtibus, quàm committere aliquid quod legi divinæ contrarium putarent. Ac ſanè ſi quis eos inter Martyres computandos cenſeat, non video quâ juſtâ ratione poſſit refelli. Mortem enim voluntariè & ſine reniſu ſuſceperunt illatam ſibi ab hoſtibus veræ religionis ea cauſa quod impiis ac ſacrilegis regis edictis, quibus ad ſacrificia prophana compellebantur, parere nollent. Dices eos non paſſuros fuiſſe ſe occidi ſi putaſſent ſibi licitum die Sabbathi hoſtibus repugnare, ſeque defendere, & proinde mortem hanc voluntariam ex errore proceſſiſſe; quod id ſibi illicitum putabant. Sed reſponderi poteſt, verè in illis fuiſſe fortitudinē martyrij, quia potius eligebant occidi quàm ſacrificare idolis; fuiſſe etiam actum martyrij conſummatum, quia hoc ipſum ſpontaneè moriendo præſtiterunt. Impertinens autem fuiſſe ſive exiſtimarent ſe licitè repugnare poſſe, ſive non. Quod etiam in noſtris, id eſt, novæ legis martyribus credibile eſt interdum accidiſſe; ſcilicet, ut ſi repugnare liceret, repugnaturi eſſent.

ỿ.40. *Si omnes fecerimus, ſicut fratres noſtri fecerunt, & non pugnaverimus adverſus gentes* (ſcilicet in Sabbatho) *citius diſperdent nos à terrâ.* Ex hâc re diſcimus primò zelum legis aut religionis temperandum eſſe ſcientia, quod prudentiſſimè à Matathia factum eſt, cum alij imprudenter & non ſecundum ſcientiam zelando legem, interierint. Deinde diſcimus hunc ordinem legis naturalis, & poſitivæ ad invicem, ut ſi quando ſimul ambæ ſervari non poſſint; lex poſitiva, etiamſi divina ſit, cedat legi naturali; quæ & ipſa divina eſt, nec divina tantùm, ſed & æterna. Verbi gratia, lex naturalis eſt vitam conſervari debere; lex poſitiva, Sabbatho quieſcendum. Ordo autem dictus admonet non ita Sabbatho quieſcendum eſſe, ut vitæ conſervationem negligamus. Sed *quæritur* an ſimiliter Judæi potius debuerint edere cibos lege vetitos, quàm permittere ſe occidi? cum etiam hic videantur concurrere lex poſitiva de cibis immundis non comedendis, & naturalis de vitæ conſervatione. At ſuperiori capite in fine dictum eſt, quod elegerunt magis mori, quàm cibis contaminari gentilium. Et ſimiliter hodie *quæri* poteſt; An quis potius debeat eligere mori, quàm comedere carnes in quadrageſimâ? *Reſpondeo*, ſi tantùm hæc duo concurrant, & nihil aliud accedat; ſervanda eſt lex naturalis, præ lege poſitiva, ut ſi Iudæus, vel Chriſtianus eſſet ſame moriturus, quia nihil aliud haberet; tunc liceret cibum vetitum comedere. Verùm cum Iudæus cogebatur à tyranno edere immundum propoſito ſupplicio mortis; tunc non tam agebatur de lege una poſitiva, quàm de tota religione, quam tyrannus hac ratione volebat auferre. Et ita quoque ſi hodie in contemptum legis Eccleſiaſticæ, quis metu mortis cogeretur à tyranno ad edendum carnes in quadrageſima; mortem eligere deberet. Agitur enim non tam de virtute illius legis Eccleſiaſticæ, quàm de obedientia quam fideles debent Eccleſiæ à quo tyrannus vult Catholicum avocare, & ideo potius mortem oppetere debet quam facto aliquo declarare ſe legi Dei aut Eccleſiæ eſſe rebellem. Nam etiamſi factum tale ſit quod in caſu alioqui eſſet licitum, hic tamen licitum non eſt, quia jubetur ſub ratione inobedientię & contemptus legis. Quando autem Iudęi pugnabant in Sabbatho, non faciebant ex pręcepto hoſtium ſub interminatione mortis, ſed ſimpliciter pro ſui defenſione contra hoſtes volentes eos occidere. Sed ſi tyrannus dixiſſet Iudæo, aut operaberis in Sabbatho, aut occidam te; debuiſſet Iudæus eligere mortem.

ỿ.46. *Et circumciderunt pueros incircumciſos, quotquot invenerunt in finibus Iſraël, in fortitudine.* Faciebant autem *in fortitudine*, id eſt, magno & forti animo non veriti hoſtes, à quibus dudum oppreſſi

A fuerant, quippe necdum erant exterminati. Quidam hinc colligere volunt, filios invitis parentibus, poſſe baptizari. Putant enim pueros, de quibus hîc agitur, invitis parentibus fuiſſe circumciſos, propter id quod additur; (*in fortitudine*) quod ſic intelligunt, forti & violenta manu. Sed magis probabilis eſt expoſitio, quam dedi. Nam fortiter tantum hæc egiſſe dicuntur contra eos, qui ſe prohibebant, juſſu regis Antiochi, ab obſervatione legis paternæ. Unde & ſequitur: *Et obtinuerunt legem de manibus gentium, & de manibus regum*, id eſt, hac fortitudine ſua legem inſtaurarunt, gentibus, ac rege eorum invitis. Dictum eſt quidem cap.1. de Iudæis, quod non auſi fuerint circumcidere filios ſuos metu mortis interminatæ ab Antiocho; ſed nihil obſtat quin tandem permiſerint filios ſuos circumcidi à ſociis Matathiæ, qui jam contra gentiles aliquantulum cœperant prævalere.

B

ỿ.58. *David in ſua miſericordia conſecutus eſt ſedem regni in ſæcula.* Miſericordia phraſi Hebræa, bonitatem, beneficentiam & pietatem ſæpè ſignificat. Senſus: David propter bonitatem & pietatem ſuam obtinuit à Deo ſolium regni in ſæcula. Obſerva quod addit, *in ſæcula*, cum non ignoraret jam nullum de ſtirpe David principem eſſe populi, idque pene à tempore reverſionis ex captivitate Babylonica. Vel igitur illud, *in ſæcula*, ſic intellexit, per aliquot ſæculorum ætates; vel intelligebat vir ſanctus regnum Davidis æternum fore, commutatione eius facta in regnum ſpirituale per Chriſtum ex Davidis ſemine naſciturum;

C de quo propriiſſimè dixit Angelus, *Regni eius non erit finis.* Luc.1.

ỿ.59. *Ananias, Azarias & Miſael credentes, liberati ſunt de flamma. Credentes*; id eſt, merito fidei. Nam in his omnibus ſententiis cauſa ſignificatur quæ meritum dicitur. Sed quo fidei merito dicuntur liberati? an quia noluerunt ſtatuam adorare, libere profitentes apud impium & ſuperbiſſimum regem ſe cultores eſſe unius veri Dei? an quia credebant, & credere ſe profitebantur Deum ſuum poſſe ipſos eripere de camino ignis ardentis? Huc enim peculiariter videri poteſt Matathias hoc loco reſpexiſſe. Eſt enim congruens, ut qui potentiam Dei credit & prædicat, per eam è periculo liberetur. Unde & hanc fidem Dominus exigit in Evangelio ab ijs quos ſanaturus erat, *Creditis* (inquit)

D *quia hoc poſſum facere vobis.* Vide annot. Daniel. 3.

CAPUT III.

ỿ.48. **E***T expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum.* Variè hoc exponunt: Primò de imaginibus Cherubim, quas in Sanctuario Dominus poni juſſit Exodi 25. juxta quas dicunt gentiles fabricaſſe ſimulachra, quæ pro diis colenda ponebant, ut ſic ad ſuum cultum Iudæos pertraherent. Græcè ſic legitur: *Et expanderunt libros legis, de quibus ſcrutabantur gentes, ut inſcriberent in ipſis ſimilitudines idolorum ſuorum.* Et ſenſus eſſe videtur: Et expanderunt ad Deum librum legis (quem ſervabant Sacerdotes) cuius libri

E exemplaria ſcrutabantur, & conquirebant gentiles; ut in ijs, vel ſuper ijs inſcriberent, ſeu pingerent ſuorum idolorum imagines; videlicet ad contumeliam unius Dei; vel, ut huiuſmodi imaginum impreſſione, libros ſacros ſuis Dijs vendicarent; & religionem ſuam velut cum Iudaïca conjungerent, facerentque communem.

ỿ. 55. *Et poſt hæc conſtituit Iudas duces populi.* Scilicet, eos qui ſequuntur: *Tribunos & centuriones, & pentacontarchos, & decuriones.* Non enim ſic intelligendum iſtud, quaſi alios adhuc conſtituerit duces, præter Tribunos & cæteros qui ſequuntur; Sed præmittitur generale vocabulum; (*duces*)

Græcè

A Græcè ἐπιστάτας, id eſt, præfecti, ut illud in ſpecies ſuas diſtribuatur. Ita hoc accipiendum eſſe patet Exodi 18. Ubi & de gradibus iſtarum præfecturarum & nominatim, de *pentacontarchis*, id eſt, quinquagenariis, qui peculiares fuiſſe videntur apud Judæos, dictum eſt.

CAPUT IV.

℣. 36. D*Ixit autem Iudas & fratres ejus. Ecce contriti ſunt inimici noſtri; aſcendamus nunc mundare ſancta, & renovare, &c.* Ecce Judas Machabæus, mox conceſſa nonnulla ſecuritate, cum non tantum Dux belli eſſet, verùm etiam ſacerdos, ut conſtat ex initio capitis ſecundi, totum ſe confert ad inſtaurandum in templo Ieroſolymitano cultum Dei; qui aliquanto tempore jam intermiſſus erat; & ad repurgandum ſacra loca, quæ gentilium abominandis cultibus B erant contaminata. Unde & dicitur: *Viderunt ſanctificationem deſertam*, id eſt, ſanctuarium. *Et altare profanatum.* Profanatum quippe erat duplici ratione; tum quia carnes lege prohibitæ in eo oblatæ erant, videlicet ſuillæ; tum, quod in eo ſacrificatum fuiſſet diis gentium, & quidem Iovi Olympio, cui Antiochus templum illud conſecrari juſſerat. *Et portas exuſtas, & in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu vel in montibus.* Quàm multa Chriſtianorum templa ſimilem deſolationem hodie paſſa ſunt! det Deus ut & ea brevi contingat à nobis exemplo Iudæ Machabæi inſtaurari & repurgari. Porrò quod ſequitur: *Et paſtophoria diruta.* Paſtophoria, alij exedras, alij thalamos exponunt, quæ tamen & ipſæ ſunt Græcæ voces. Latinè conclavia C dici poſſe videntur. Ea autem templo adhærebant, extructa in uſum ſcribarum & præpoſitorum templi, ut indicat Hieron. in 22. caput Iſaiæ, & colligi etiam poteſt ex 3. Eſdræ 8. & 9. Ribera lib. de templo dicit paſtophoria, gazophylacia & exedras idem ſignificare, & lapſos eſſe qui iſta diſtinxerunt. Nomen gazophylacij legimus Nehemiæ ult.

Cæterum non templi quamvis profanati, atque à ſe emundati, ſed altaris dedicationem fecerunt, quia templum olim dedicatum fuerat poſtquam novum ſub Zorobabel eſſet ædificatum, nec poſtea dirutum aut deſtructum fuit, ſed tantum profanatum: res autem Deo ſemel conſecrata quamdiu ſubſiſtit, ſicut D conſecrationem non poteſt amittere, ita nec debet iterum aliquando conſecrari: ſed ſi profanata fuerit, purgari poterit, ſicut hic de templo factum legimus. Altare verò quod à gentibus profanatum fuerat, deſtrui placuerat, ne populo eſſet in opprobrium, ut ſupra dictum eſt, & ejus loco novum priori ſimile erat erectum, quod proinde nova conſecratione opus habebat, ſicut & cætera, quæ prioribus deſtructis, nova facta fuiſſe hoc eodem loco commemoratur; ut portæ, & paſtophoria. Nihil autem vetat eandem rem ſemel Deo conſecratam, ſi ſæpius polluta aut profanata fuerit, ſæpius etiam emundari, purificari, & ut nunc de templis & cœmiteriis profanatis loquimur, reconciliari. Sic enim & homo ſemel per baptiſmum Deo conſecratus, quoties per peccatum mortale contaminatur, per Sacramentum pœnitentiæ reconciliari poteſt Deo, prima conſecratione ſemper manente.

℣. 56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo.* Et v. 59. *Et ſtatuit Iudas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia, ut agatur dies dedicationis ab anno in annum, &c.* En exemplar dedicationis altarium, & Eccleſiarum; quæ etiam in novo Teſtamento ſervatur. Et ſicut nunc in iis ſolemnitatibus templa quàm ſplendidiſſimè ornantur, ita & hic dicitur: *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, & ſcutulis: & dedicaverunt portas, & paſtophoria, & impoſuerunt eis januas.* Denique quod Iudas, totaque Eccleſia hîc leguntur ſanxiſſe, ut ageretur hæc ſolemnitas dedicationis quotannis, ſervatum

A eſt uſque ad tempora ipſius Chriſti, ut colligitur ex iis verbis Ioannis 10. v. 22. *Facta ſunt autem Encænia Ieroſolymis, & hyems erat;* quia videlicet, menſe Caſleu, qui noſtro Novembri reſpondet, dedicatio hæc facta eſt, ut hîc legitur. Hunc ergo dedicationis altarium, & templorum ritum ſervat etiam hodie Eccleſia, & ſervavit olim, quemadmodum ex vita S. Silveſtri, & Epiſtolâ Decretali Felicis 4. demonſtratur. Servat, inquam, non tanquam cæremoniam cultus Iudaici, ut calumniantur hæretici, ſed tanquam ritum, etiam novi Teſtamenti conditioni & ſtatui aptum, & convenientem, & à Chriſto ipſo ſua præſentia cohoneſtatum, ut patet ex dictis. Sicut enim non ideo altare non eſſe debet in Eccleſiâ Chriſti, quia fuit in templo Iudaico & ſicut non ideo panis uſus eſſe non debet in ſacrificio novi Teſtamenti, quia fuerunt panes propoſitionis in Teſtamento ve- B teri; ita non eſt conſequens ritum dedicandi aras aut templa ab Eccleſia rejiciendum eſſe, quod ſimili inſtituto jam ante uſa fuiſſet ſynagoga Iudaica.

CAPUT V.

℣. 5. E*T anathematizavit eos, & incendit turres eorum igni cum omnibus qui in iis erant. Anathematizavit*, id eſt, anathema eam eſſe voluit, devovit eam; quemadmodum olim Numer. 21. populus Iſraël fecerat quando voto ſe obligans ait: *Si tradideris populum iſtum in manu meâ, delebo urbes ejus.* Ita ſequitur: *Exaudivitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit, ſubverſis ur-* C *bibus ejus. Et vocavit nomen loci illius horma, id eſt, anathema.* Sic & Ioſue cap. 6. ait de Iericho: *Sit civitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt, Domino.* Lex autem hujuſmodi anathematis erat quæ ibidem ſequitur: *Vos autem cavete ne de his quæ præcepta ſunt quippiam contingatis, & ſitis prævaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint atque turbentur. Quicquid autem auri vel argenti fuerit, & vaſorum æneorum ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris ejus.* Debebat autem hujuſmodi locus cum omnibus quæ in ipſo reliqua erant, quæque contingi prohibebantur, igne conſumi; quomodo de Iericho factum fuiſſe, ſcriptura conſequenter teſtatur. *Urbem* (inquit) *& omnia* D *quæ inventa ſunt in eâ, ſuccenderunt, abſque auro & argento, & vaſis æneis ac ferro, quæ in ærarium Domini conſecrarunt.* Idem hoc loco factum narratur, niſi quod reſervationis auri, argenti, æris, ferri, in uſum theſauri ſacri, nulla hîc fit mentio. Veriſimile tamen eſt, ſi quid tale poſt incendium repertum fuit, ſacris uſibus traditum fuiſſe.

℣. 40. *Et ait Timotheus principibus exercitus ſui: Si tranſierit Iudas ad nos prior, non poterimus ſuſtinere eum.* Sermonem hunc Timothei, rei probavit eventus. Sequitur enim: *Et transfretavit ad illos prior Iudas, & contrita ſunt omnes gentes à facie eorum.* Simile quid habemus 1. Reg. 14. dictum à Ionatha ad armigerum ſuum, ubi & ſimiliter eventus ſermonem proba- E vit. *Quæritur* ergo utrum ſignum quod uterque, tum Ionathas, tum Timotheus ſibi propoſuit ad eventum belli, non fuerit ſuperſtitioſum? *De Ionatha* quidem *reſpondendum* videtur, quia ſignum ab eo propoſitum, paulò pôſt divino miraculo fuit comprobatum, etiam ſignum ipſum, divina inſpiratione fuiſſe ei demonſtratum. Ita ſentit Ioſephus in antiquitat. Videlicet Ionatham fuſis ad Deum precibus pro victoria contra Philiſthæos, accepiſſe à Deo dicti ſigni revelationem. *De Timotheo* autem duobus modis *reſponderi* poteſt; Vel per ſuperſtitionem eum ſibi ſuiſque tale ſignum propoſuiſſe, quòd eſſet homo divinationi deditus; & quòd talibus hominibus ſæpe Deus hujuſmodi evenire permittat, ut docet Auguſtinus in Enchiridio; vel ſignum illud ex parte fuiſſe naturale, & morale,

Tranſitus enim fluvij in fines hoſtiles, audaciæ & confidentiæ magnæ ſignum erat. Itaque ex tranſitu hoſtium meritò præſagiebat, & illorum victoriam, & ſuorum cladem.

ỹ.60. *Et fugati ſunt Ioſephus & Azarias, uſque in fines Iudeæ, & ceciderunt illo die de populo Iſraël ad duo millia viri.* Cauſam infelicis pugnæ non tacuit Scriptura, imò tres cauſas adfert. Primam, cum ait: *Quia non audierunt Iudam & fratres ejus.* En prima cauſa; Judas enim diſertè præceperat iis, ne bellum cum gentibus committerent, donec ipſe reverteretur. Quod ergo ab iis contra ducis juſſionem tentatum eſt, meritò ceſſit infeliciter. Secunda cauſa indicatur, cum ait; *Exiſtimantes fortiter ſe facturos*, id eſt, gloriam fortitudinis aucupantes. Dixerant enim: *Faciamus & ipſi nobis nomen:* Ac ſi dicant; Faciamus aliquid æterna memoria dignum, & nomen noſtrum poſteritati conſecremus. Hinc quoque diſcimus minus ſuccedere eas expeditiones bellicas, quæ non purè ad honorem Dei, & Eccleſiæ, ſed ad inanem gloriam, & nominis celebritatem conſequendam (ut ſæpè fit) ſuſcipiuntur. Tertia cauſa eſt, cum dicitur, *Ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſraël*, quorum verborum ſenſus eſt; quod Deus multis indiciis jam ſatis declaraverat ſe ad bellum illud gerendum pro populo Dei contra gentes, peculiariter delegiſſe, imò ſuſcitaſſe Duces Matathiam & filios ejus. Quoniam ergo Ioſephus & Azarias non erant de ſemine illorum, & temerè authoritatem pugnandi ſibi ſumpſerant, hinc meritò ſuæ temeritatis dederunt pœnas.

CAPUT VI.

ỹ.12. **N**unc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem, Et verſ.13. *Cognovi ergo quod propterea invenerunt me mala iſta.* In hoc Antiocho habemus exemplum inutilis pœnitentiæ; quæ non eſt ſecundum Deum, ſed ſecundum ſæculum; de qua Apoſtolus dicit, 2.Cor.7.v.10. *Sæculi triſtitia mortem operatur.* Fuit quidem in Antiocho verus dolor, & vera triſtitia; imo & ducebatur pœnitentia ſuper omnia mala, quæ fecerat in Ieruſalem, optans, ſi fieri poſſit, ſe ea non perpetraſſe: Sed dolor hic inutilis erat, & ad ſalutem eum perducere non poterat. Non enim naſcebatur ex conſideratione violatæ Iuſtitiæ, ac legis Dei, ſed extortus erat, & expreſſus magnitudine cruciatuum, quibus in morbo affligebatur. Et ſimilis fuit pœnitentia Eſau ſuper venditis primogenitis ſuis, de quo dicit Apoſtolus ad Hebr. 12. *quod non invenit pœnitentiæ locum, quamvis cum lachrymis eam inquiſiſſet.* Similis denique fuit pœnitentia Judæ proditoris, qui ductus pœnitentiâ retulit triginta argenteos, & peccatum agnovit: ſed dum ad fontem veniæ non recurrit, præ deſperatione laqueo ſe ſuſpendit.

ỹ.3. *Et vidit Eleazar filius Saura unam de beſtiis loricatam loricis regis, &c.* Ac tandem v.46. *Et ivit ſub pedes elephantis, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum.* De hoc facto Eleazari ſcriptores non eodem modo ſentiunt, Rabanus putat factum hoc non laude, ſed vituperatione dignum, tanquam profectum ex inordinato gloriæ appetitu: Quin, ne quidem boni publici cauſa cuiquam permiſſum eſſe ſemetipſum occidere, aut etiam id facere, ex quo ſui interitus certò conſequatur; veluti murum ſuffodere, ſub quod ſit opprimendus. Neque obſtare factum Sampſonis, qui, concuſſis delubri columnis, ſe pariter cum hoſtibus oppreſſit. Nam, ut ait Auguſt.lib.2.contra Epiſt.Gaudentij cap.23.ipſe non ſua ſponte id fecit, ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt, qui uſus eſt eo, ut id faceret. Vide annot. Judicum 16. Eſt & apud Gregorium locus de Eleazaro, ubi factum vituperat. Ambroſius tamen laudat libr.1.Offic. c.40.& legitur in officio Eccleſiaſtico Dom.1.Octobris. Sic & Franciſcus à Victoria ſub finem relect. 10. de homicidio, adducens hanc authoritatem Ambroſij; & dicit quod Eleazarus ſicut & Sampſon principaliter intendebat vindicare populum Dei, opprimendo hoſtes ejus; ſecundariò autem, ſeu potius conſecutivè, parare ſibi nomen. Nam ita & ipſe Judas Machabæus dicit c.9. *Non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Potuit etiam Eleazar cogitare quod beſtia in alterutram partem caderet, & ſic poſſet evadere. Cæterum quis fuerit hic Eleazar, non ſatis liquet. Ioſephus lib.12. antiq. c. 14. dicit fuiſſe fratrem Judæ Machabæi, & idem videtur ſenſiſſe Egeſippus. Et putant etiam alij eundem eſſe, qui ſupra cap. 2. vocatur Eleazarus cognominatus Abaron, & hîc filius Saura; eò quòd utrobique Græcè eſt, *αυαράν*. Sed quæſtio remanet, quomodo hîc vocetur filius Saura; ſi fuit frater de quo cap.2.

CAPUT VII.

ỹ.5. **E**t venerunt ad eum viri iniqui & impij ex Iſraël: & Alcimus dux eorum, qui volebat fieri Sacerdos. In Alcimo notandum exemplum hominis ambitioſi. Cujus ambitio imprimis deſignatur dum dicitur; *quod volebat fieri Sacerdos.* Intelligit autem Scriptura ſummum Sacerdotium. Nam erat jam Sacerdos, prout poſteà ſequitur dixiſſe populum: *Homo Sacerdos de ſemine Aaron non decipiet nos.* Et oſtenditur hoc exemplo, ad quanta mala perpetranda impellat hominem cæca ambitio. Nam Alcimus iſte, dum per fas, & nefas ad Pontificatum contendit, primo populum ſuum Judaicum apud regem ethnicum accuſat, falſa & odioſa crimina imponens Judæ, & fratribus ejus religionis & patriæ defenſoribus; ſecundò bellum concitat adverſus patriam, & cives ſuos innocentes; tertio fraude accerſitos ad ſe viros primarios, qui Aſſidæi vocantur, quorum conſiliis reſpublica regebatur, omnes ad unum interfecit. Hi ſunt portentoſi fœtus inſanæ ambitionis. Contra quod vitium eò magis nitendum eſt omnibus, quod ſoleat plerumq; eorum animos tentare, qui alia vitia ſibi utcumque expugnaſſe videantur. Nam hoc vitium appetentię honoris, ut primũ fuit in genere humano, ita ferè extirpatur poſtremum.

ỹ. 27. *Et venit Nicanor in Ieruſalem cum exercitu magno, & miſit ad Iudam, & ad fratres ejus verbis pacificis cum dolo.* In Nicanore exemplum eſt hominis fraudulenti, & maximè impij; qui & irriſiſſe legitur ritus ſacros, & ſpreviſſe, & polluiſſe, denique & ſuperbè comminatus cum jurejurando ſe ſuccenſurum domum Dei, ſi non Judas & exercitus ejus in manus ſuas traderetur. Sed ſicut Sennacherib rex Aſſyriorum 4. Reg. 19. non diu inultam tulerat blaſphemiam, quam per oratores ſuos evomuerat in locum ſanctum: ita & Nicanor iſte, perſequente eum vindicta divina, paulò pòſt cum toto exercitu ſuo interiit, & caput impij & dextra in ſublimi loco poſita contra templum Domini, omnibus documento fuêre juſtiſſimæ Dei adverſus impios ultionis. Sed *quid eſt*, quod Sacerdotes in oratione ad Deum præcantur hoc modo? *Fac vindictam in homine iſto, & exercitu ejus, & cadant in gladio. Memento blaſphemias eorum, & ne dederis eis ut permaneant*; cum vindictam expetere non liceat? *Reſpond.* duobus modis vindicta expetitur; vel ex dolore privatæ injuriæ; vel ex amore juſtitiæ divinæ. Priori modo non licet, poſteriori licet; ſicut & Ezechias ſuper Sennacherib vindictam expetiit, & Eliſæus ſuper pueris irridentibus ejus calvitiem, & Martyres ſuper perſecutoribus Apoc.6. Maximè ſi talis vindicta conjuncta ſit cum manifeſtatione gloriæ Dei, ut in dictis exemplis. Pertinet autem hujuſmodi precatio, tum ad illam orationis Dominicæ partem, *Libera nos à malo*, tum ad iſtam, *Sanctificetur nomen tuum.*

℣.33. *Et exierunt de Sacerdotibus populi ſalutare eum in pace, & demonſtrare ei holocautomata quæ offerebantur pro rege.* Græcè, *Exierunt de Sacerdotibus ex ſanctu & de ſenioribus populi ſalutare eum pacificè, & demonſtrare ei holocauſtum quod offerebatur pro rege. Ex ſanctu*, id eſt, è ſanctuario, ſive è loco templi ſanctiore. Hæc faciebant ut animam ferocem hominis lenirent, populoque Judaico conciliarent. Apparet autem quod in templum introduxerint eum, ſcilicit in eam templi partem in qua erat altare holocauſtorum, & ad quam vulgus promiſcuum admitti ſolet. Neque enim lege vetitum erat gentiles incircumciſos illuc intrare, ſed potius permiſſum, ut probat oratio Salomonis, habita in templi dedicatione, modò orationis gratiâ illuc accederent, aut certè à contumeliâ abſtinerent. Sperabant autem Sacerdotes Nicanorem religione loci commotum ſibi temperaturum ab injuria, maximè quod in eo loco etiam pro rege, cujus ille vices gerebat, Deo ſupplicaretur ac ſacrificaretur. An autem peccaverint Sacerdotes quod hominem impium & populi hoſtem introduxerint in ſacrum locum, *quæri poteſt*? Videtur factum eorum excuſari poſſe, quia id factum eo tempore quo Nicanor nondum manifeſtè ruperat pacem quam cum Juda & Judæis fecerat, ut apparet hunc locum conferenti cum iis quæ narrantur latius 2. Machab. 14.

CAPUT VIII.

℣.1. E*T audivit Iudas nomen Romanorum quia ſunt potentes viribus, & acquieſcunt ad omnia.* Ac tandem verſ. 16. *Et committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos. Quæritur*, quomodo hîc dicatur, uni apud Romanos commiſſum fuiſſe Magiſtratum cum conſtet poſt exactos reges, per duos conſules in ſingulos annos eorum rempublicam fuiſſe adminiſtratam? Aliqui *reſpondent*, adminiſtrationem quidem fuiſſe præcipuè penes Senatum populumque Romanum; ſed electos fuiſſe duos Conſules, qui ſecundum leges, & ea quæ à patribus conſcriptis decernerentur, Remp. ordinariè gubernarent: Atque adeò, etſi duo eſſent conſules; tamen, quia unus ſemper alterum aliquo modo præcellebat, & quia communi conſenſu ſine æmulatione primis illis temporibus gubernabant; non aliter huc fuiſſe, quàm ſi ab uno homine tota Reſpublica regeretur. Vel etiam *dici poteſt*, Scripturam iſta non affirmare, ſed tantum commemorare; & dicere, quod horum omnium fama venerit ad Judam Machabæum & Iudæos: Itaque non nimis anxiè de ſingulorum exacta veritate laborandum. Et huic reſponſioni favet phraſis illa mox in initio hujus narrationis: Et audivit Iudas, &c.

℣.17. *Et elegit Iudas Eupolemum, & Iaſonem, & miſit eos Romam conſtituere cum illis amicitiam & ſocietatem.* Scriptura hoc factum ita commemorat, ut neque laudet, neque vituperet. Improbandum videri poteſt ex ſimili; quia 2. Paralip. 16. reprehenditur Aſa rex Iuda, quod inito fœdere cum Benadab rege Syriæ, eum in auxilium vocaverit contra hoſtes ſuos, & c. 19. etiam reprehenditur Ioſaphat, quod impio Achab præberet auxilium; & ſimiliter Sedechias rex, qui à rege Ægypti petiit auxilium. Et Rupertus lib. 10. de vict. verbi cap. ult. etiam non probat hoc fœdus Iudæ cum Romanis. Nihilominus Scriptura hujus facti honeſtam cauſam reddere videtur, dum ſubjungit; *Et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in ſervitutem premerent regnum Iſraël.* Jugum ſcilicet illud, de quo toto hoc, & ſeq. libro: quo iſraëlitas quoque ad religionem Græcorum volebant transferre. Nec ſimile videtur de Aſa, vel Ioſaphat, qui nulla hujuſmodi premebantur neceſſitate. Nec in Sedechia quoque ſimile erat. Nam vetitum erat expreſsè in lege, ne animo redirent in Ægyptum. Deinde auxilium petebatur

A tur in re injuſta, quia Sedechias perjurus erat Nabuchodonoſori, & contra prophetias Iſaiæ & Ieremiæ nitebantur. Ac denique pro juſtificatione Iudæ, & fratrum ejus videntur etiam facere exempla ſanctorum Patriarcharum, Abrahe, Iſaac, & Iacob, & ſanctiſſimi regis Davidis, qui omnes confœderati fuerunt infidelibus, non tamen hoſtiliter odientibus populum Dei, nec ejus religionem; ſicut nec Romani tempore Iudæ & fratrum ejus odiebant, ne quis hoc exemplo patrocinari velit iis, qui cum Turca fœdus ineunt. Vide Molanum libr. 5. de fide ſervanda cap. 20. & 21.

CAPUT IX.

B ℣.20. E*T ait Iudas: Abſit iſtam rem facere ut fugiamus ab eis. Et ſi appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute propter fratres noſtros, & non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Quæri poteſt & de verbis Iudæ, & de facto, rectène ſe habeant? Verba enim ſonare videntur opinionem fati, quaſi ſenſerit ita præfixum eſſe cuique homini vitæ tempus & terminum, ut ultra vivere non poſſit, proindeque fruſtra fugam tentari in periculo. Factum autem ejus videtur non caruiſſe temeritate, qua & ſe & ſocios cum ipſi pauciſſimi eſſent, hoſtes verò plurimi, in manifeſtum diſcrimen atque exitium conjecerit. Imò & Deum tentaſſe eo facto videtur, quod cum poſſet ſibi & ſociis fuga conſulere ſeque ſervare in aliud opportunum tempus ad debellandum hoſtes, quemadmo-
C dum ei prudenter ſocij ſuggerebant, pugnare maluerit cum expectatione victoriæ à Deo contra ſpem omnem humanam. Sed dicendum nihil eſſe in his verbis, ut nec in facto Iudæ, quod nos cogat ad ejus reprehenſionem. Nam quod ad verba attinet, non de termino fatali vitæ loquitur ſecundum errorem Genethliacorum, ſed de tempore prædeſtinato à Deo in æterna ejus præſcientia. Senſus enim eſt: Si tempus nunc advenit quo nobis ſecundum Dei decretum moriendum ſit moriamur animosè & fortiter pro fratribus & populo noſtro. Sic Chriſtus Ioan. 2. *Nondum venit hora mea*, & cap. 7. dicit tempus ſuum nondum impletum eſſe, & cap. 12. & 17. dicit veniſſe horam clarificationis ſuæ & de eo dicit Evangeliſta cap. 7. *Nemo miſit in*
D *illum manum quia nondum venerat hora ejus.* Et cap. 13. *Sciens Ieſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex mundo ad Patrem.* Et quidem hora illa & tempus definitum erat non fato, quale tradidit humana ſuperſtitio, ſed decreto & voluntate Dei. Hujuſmodi definitum vitæ tempus agnoſcit Athanaſius in Apologia fugæ ſuæ, vocatque tempus à divina providentia conſtitutum. Cujus ignari ſancti homines fugiebant perſecutores ſuos, donec in illorum manus traderentur, ſi ita Deo viſum eſſet. Dices, igitur & Iudæ fugiendum erat, utpote ignaro periodi ſibi conſtitutæ. Reſpondeo, facile ex verbis Iudæ accipi poſſe rationem facti ejus, *Moriamur* (inquit) *in virtute propter fratres noſtros,*
E *& non inferamus crimen gloriæ noſtræ.* Ideo ergo fugæ conſilium ei diſplicuit, ne fratres, id eſt, populum ſuum in periculo deſtituere videretur. Periculum autem erat non tantum amittendæ libertatis, verùm etiam perdendæ religionis. Huic periculo voluit ſe Iudas tanquam fortis & pius bellator opponere quantum poſſet, morte etiam contempta, benè ſperans poſt mortem ſuam alium à Deo ſuſcitatum iri qui populum adverſus impios hoſtes defenderet. Certè ſi Iudas cum ſuis fugiſſet, eâ re non modo & hoſtibus audacia creviſſet, & fracti fuiſſent fratrum animi; verùm etiam hoſtibus terram & urbes, nullo ſatis viriliter reſiſtente, invadentibus, permagnam cladem accipere potuiſſet populus Dei, fuiſſetque ea res Iudæ probroſa, qui ceſſatione & fuga ſua videretur tanti mali cauſam dediſſe, ut meritò dixerit,

Et non inferamus crimen gloriæ noſtræ. Nam ei qui gloriam ex rectè factis adeptus eſt, magnâ curâ providendum ne quid committat quo gloriæ illius ſplendor infuſcetur; quod in Salomone reprehendit Eccleſiaſticus cap. 47. dicens: *Dediſti maculam in gloria tua.* Quocirca factum Judæ laudare & fortitudini aſcribere non dubitavit S. Ambroſ. libr. 1. offic. cap. 41. dicitque eum glorioſam potius mortem quàm turpem fugam ſuaſiſſe, illis verbis: ne crimen noſtræ relinquamus gloriæ; & ita concludit: Habet fortitudinem bellicam in qua non mediocris honeſti ac decori forma eſt, quod mortem ſervituti præferet ac turpitudini.

Notandum autem quod totum hunc Ambroſij locum legit Eccleſia ad Matutinum in Dominica tertia Octobris. Quoniam autem ex his liquet Judam habuiſſe juſtam cauſam pugnandi, & periculo ſe cum ſuis committendi, cumque jam ſæpè divinam opem ſibi præſentem in rebus valde dubiis expertus fuiſſet, illud quoque perſpicuum fit, Iudam hoc ſuo facto nec temeritate, nec tentatione Dei peccaſſe. Non enim tentat Deum, ſed honorat, qui, rebus humano judicio deploratis, quando ſubeundi periculi juſta ratio eſt, opem & ſalutem à Deo exſpectat. *Cur igitur*, inquies, fruſtratus fuit hac ſua exſpectatione, & in periculo derelictus? *Reſpondeo* juſtos propriè ſua pia expectatione nunquam fruſtrari, nec in periculis deſeri à Deo; quia vel hoc ipſum quod petunt, conſequuntur, vel aliquid melius. Item deſerti viſibiliter, inviſibiliter aut conſolantur, aut coronantur. Itaque Judas neque fruſtratus ſpe ſua dicendus eſt, quando ei poſt tot prælia feliciter geſta tandem etiam fortiter mori pro patriis ac divinis legibus datum eſt, & ſucceſſor in principatu contigit frater, cujus virtute à populo vis & injuria hoſtium averteretur. Neque deſertus in periculo qui per mortem glorioſam ſuſceptus eſt à Domino & ſanctorum patrum conſortio aggregatus. Jam ſi nudus prælij hujus ſucceſſus ſpectetur, ne ſic quidem rectè judicaverit quiſquam temerè illud à Iuda ſuſceptum fuiſſe. Quantulum enim abfuit à victoriâ? dexterum cornu hoſtilis exercitus quod fortius erat ac firmius, factâ viriliter impreſſione contrivit & in fugam compulit: dum autem incautiùs fugientes perſequitur, ab iis qui in ſiniſtro cornu erant ipſum à tergo inſequentibus, circumventus eſt & oppreſſus. Non ergo tam defectus roboris militaris aut paucitas militum, cauſa fuit ut vinceretur, quàm nimius ardor pugnandi & perſequendi hoſtem, quæ res effecit ut ſibi à reliquâ parte hoſtilis exercitus adhuc integra minus caveret. Superatus eſt igitur defectu cautelæ potiùs quàm virtutis; quod quidem perſæpè fortibus viris ſolet accidere.

ỳ. 36. *Et comprehenderunt Ioannem fratrem Ionathæ.* Quem etiam poſteà interfecerunt. Nam paulò pòſt ſequitur de Ionatha & Simone, *Et recordati ſunt ſanguinis fratris ſui.* Quamquam in Græco tantum eſt: & recordati ſunt Ioannis fratris ſui. Verùm cum de Ioanne nihil deinceps audiatur in hac hiſtoria, veriſimile eſt eum ab iis qui captivum duxerant, interemptum fuiſſe. Quod & Ioſephus disertè ſcribit, lib. 13. Antiq. cap. 1. ſcilicet Medabenſes Ioannem comprehenſum interfeciſſe cum omnibus ſociis. Item ſi vivum hoſtes retinuiſſent, de eo redimendo fratres egiſſent haud dubiè. Atqui leguntur injuriam cæde multorum vindicaſſe. Erat igitur ab hoſtibus occiſus. Alioquin eos non ad reddendum, ſed ad occidendum illum, provocaſſent.

CAPUT X.

ỳ. 18. R*Ex Alexander fratri Ionathæ ſalutem.* Et v. 20. *Et nunc conſtituimus te hodie ſummum ſacerdotem gentis tuæ.* De hoc Ionathæ facto quæri poteſt, an juſta reprehenſione careat, quod ab A ethnico rege, cui in ſacra Iudaica jus nullum eſſet, acceperit ſummum Sacerdotium? Et ſanè ſuprà legimus vehementer culpatum Alcimum, qui apud Demetrium regem pro ſummo Sacerdotio ſollicitaſſet. *Reſpondendum* videtur, nihil aliud hîc ſignificari verbis Alexandri regis, quàm Ionathæ confirmatum fuiſſe Sacerdotium, quo jam anteà fungebatur. Simul enim cum principatu Sacerdotium acceperat, poſt Iudam fratrem ſuum, ut clarè & diſtinctè narrat Ioſephus lib. 12. antiq. c. 17. & lib. ſeq. c. 5. Sed utrumque Alexander ſua regia authoritate confirmet; quam quidem confirmationem etiam Ionathas non petierat. Sic & poſteà cap. ſeq. Demetrius quoque ei ſtatuit Sacerdotium; & ſimiliter Antiochus; quæ non potuit impedire Ionathas. Neque obſtat, quod legitur paulò pòſt induiſſe ſe Ionathan ſtola ſancta in die ſolemni Scenopegiæ: Non enim tunc B primum cœpit fungi Sacerdotij munere; ſed tum primum indutus eſt ea ſtola, quæ facta erat ex purpura, quam rex Alexander ei dono miſerat. Et ſtola quidem Sacerdotis ornatus erat, purpura autem principis: unde Ionathas ſtola purpurea utens, & Sacerdotem ſe oſtendit, & principem.

CAPUT XI.

ỳ. 70. E*T fugerunt, qui erant ex parte Ionathæ omnes.*——*Et ſcidit Ionathas veſtimenta ſua, & poſuit terram in capite ſuo:* *Quæritur* an Ionathas hoc licitè fecerit? cum eſſet ſummus Sacerdos; de quo ſcriptum eſt Levit. 21. *Caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta ſua non ſcindet, &c. Reſpondeo*, locus ille C Levitici non prohibet, nullo omninò caſu ſummum Sacerdotem veſtimenta ſcindere; ſed loquitur totum illud caput de diverſis funeribus, & præcipit Moyſes, ne ſummus Sacerdos ad ullum omnino mortuum ingrediatur, nec ullo funere polluatur, ne quidem patris aut matris; idque ob certa myſteria ibi explicata. Alioqui 4. Reg. 18. Eliacim præpoſitus domus, audita blaſphemia, ſcidit veſtimenta ſua; & Caiphas etiam, cum diceret Chriſtum blaſphemaſſe. Et ſic etiam in periculo iſto, quòd blaſphemandum timebatur nomen Domini à gentibus, propter tantam cladem, non malè videtur Ionathas ſcidiſſe veſtimenta ſua; maximè cùm non ſolùm eſſet ſummus Sacerdos, ſed etiam princeps. D Sic & Eſdras Sacerdos 1. Eſdræ 9. ſcribit ſe ſcidiſſe pallium ſuum & tunicam.

CAPUT XII.

ỳ. 9. N*Os cum nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris, maluimus mittere ad vos, &c.* Ex hoc loco diſcimus, & admonemur in omni afflictione, ſolatio nobis eſſe debere ſanctos libros, ſive Scripturam ſacram, id eſt, eam doctrinam, quæ ſacris litteris continetur. Id quod ab Apoſtolo Paulo manifeſtius dictum eſt ad Rom. 15. *Quæcumque ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem* E *Scripturarum ſpem habeamus.* Ea autem conſolatio in hoc potiſſimùm conſiſtit, quod Scriptura ſacra certos nos faciat, eos omnes, qui tribulationem patiuntur in hoc ſæculo, propter leges Dei, & fidem Chriſti: atque in genere, quotquot perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, mercedem & gloriam adepturos eſſe æternæ felicitatis. *Nam ſi compatimur, & conglorificabimur. Non enim condigna ſunt paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Unde idem Apoſtolus non tantùm conſolationem nos accipere dicit in tribulationibus, ſed etiam gloriandi materiam nobis ſubminiſtrari, *Gloriamur*, inquit, *in tribulationibus, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio, ſpem, ſpes autem non confundit.* Vide noſtra ad Rom. 5.

ỳ. 50.

℣. 50. *Cum cognoviſſent, quia comprehenſus eſt Ionathas, & periit.* Sic & Simon cap. ſeq. *Horum gratiâ perierunt fratres mei omnes; & relictus ſum ego ſolus.* *Quæritur* quomodo his locis dicitur Jonathas periiſſe, qui tamen adhuc vivit capite proximè ſequenti? Sic enim ibi dicitur v. 12. *Et movit Triphon cum exercitu, & Ionathas cum eo in cuſtodia.* Et tandem legitur occiſus cum filiis in Baſcaman. Sed *Reſpondeo* quod ſcriptura ipſa prioribus iſtis locis non aſſerat illum periiſſe, ſed dicit tantum, & narrat quid ſocii Jonathæ fecerint; tunc ſcilicet cum *cognoviſſent*, id eſt, cum intellexiſſent ex vulgi fama certo præſupponentes Ionathan periiſſe. Et ſimiliter quoque intelligenda ſunt verba Simonis.

CAPUT XIII.

℣. 17. ET *cognovit Simon, quod cum dolo loqueretur ſecum; juſſit tamen dari argentum & pueros.* *Quæritur* an in hoc facto Simon non peccârit, filios fratris mittendo in tam certum diſcrimen? Cognovit enim, ut Scriptura loquitur, Tryphonem dolo agere; ſciebat etiam omnes comites Ionathæ fuiſſe interfectos; & proinde falſum eſſe prætextum Tryphonis de Ionatha detento, quod pro debitis in ratione regis detineretur. *Reſp.* Scripturam ipſam addere rationem: *ne*, inquit, *inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſraël, dicentes; quia non miſit ei argentum & pueros, propterea periit.* Itaque debebat Simon ex duobus incommodis & malis eligere quod minus erat. Atqui minus erat pueros perire, quam tumultum populi tempore tam difficili expectare; & quando nihilominus futurum erat, ut pueri mitterentur. Id enim populus omnino volebat. Adde quod nec omnino certum erat pueros perituros. Potuiſſet enim Tryphon pueros detinere vivos ad extorquendum plus argenti. Nec mittendo pueros cooperabatur Simon homicidio, quia illum actum non tenebatur omittere, ſed potius, ut jam diximus, facere causâ publici boni, ſeu potius permittere.

℣. 28. *Et ſtatuit ſeptem pyramides, unam contra unam, patri & matri, & quatuor fratribus; & his circumpoſuit columnas magnas, &c.* Sine dubio, ſcilicet, Simon ſeptimam pyramidem ſepulchralem ſibi ſtatuit. Verùm qui ſint hi fratres ejus quatuor, confer ea quæ ſunt cap. 2. hujus libri, cum iis quæ annotavimus ad c. 6. v. 43. de Eleazar.

CAPUT XIV.

℣. 4. ET *ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis. & quæſivit bona genti ſuæ, &c.* Sciendum eſt hunc Simonem, cujus hoc capite beneficia in populum ſuum, & laudes recenſentur, diverſum eſſe ab illo Simone, cujus laudes decantat Eccleſiaſticus c. 50. Hic enim Simon fuit frater Judæ Machabæi, & filius Matathiæ, ille autem filius Oniæ, ut ex dicto loco eſt manifeſtum, cujus pater cognominatus fuit Priſcus, quod cognomen & ipſe accepit. Cæterum ſub filio hujus Simonis Priſci, nomine Eleazaro, putantur, biblia ſacra rogatu Ptolomæi Philadelphi à Septuaginta interpretibus Judæis in linguam Græcam converſa: inter quos interpretes putant nonnulli unum etiam fuiſſe Jeſum filium Sirach, authorem, vel collectorem libri Eccleſiaſtici. Itaque Simon ille Oniæ filius antiquior fuit hoc Simone fratre Judæ Machabæi annis plus minus centum quinquaginta. Sanè niſi author libri Eccleſiaſtici antiquior eſſet Machabæis, nunquam laudes Machabæorum tantas & tam multas tacuiſſet.

℣. 40. *Et quia ſuſceperunt legatos Simonis glorioſè; & quia Iudæi & ſacerdotes eorum conſenſerunt eum eſſe ducem ſuum & ſummum ſacerdotem in æternum, donec ſurgat propheta fidelis.* Quidam hunc prophetam Chriſtum intelligunt, de quo Deuter. 18. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus, &c.* dicuntque filios Simonis tenuiſſe A principatum, & ſacerdotium uſque ad Herodem Aſcalonitam; cujus tempore natus eſt Chriſtus. Verùm in Græco, non eſt articulus; ut proinde non videatur excellens ille propheta intelligi, ſed propheta quicumque fidelis & doctus, ad eum modum, quo dicitur ſupra cap. 4. *Et repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret propheta & reſponderet de eis* ‹…› quid faciendum eſſet. Et ſicut Nehemiæ 7. *donec ſurgeret Sacerdos doctus & eruditus.* Ubi ſermo eſt, de iis, qui non potuerunt reperire genealogiam ſuam, cum tamen dicerent, ſe ſtirpis eſſe Leviticæ. Et ſimiliter 1. Eſdræ 2. Vide ea loca. Sic igitur & hîc, cum non ſatis liqueret, ad quem jure pertineret ſummum Sacerdotium, propter gravem & longam reip. Judaicæ perturbationem, cumque Judæa tunc temporis non haberet prophetas, B qui poſſent ſuper hac difficultate Deum conſulere: placuit, (ut hîc ſcribitur) & conſenſerunt Judæi & Sacerdotes eorum, ut Simon eſſet Dux & Sacerdos in æternum, donec ſurgeret propheta aliquis qui de hoc poſſet per os Domini reſpondere. Et ſic hæc accipienda eſſe, innuunt illa verba, (*conſenſerunt Iudæi & Sacerdotes.*) Nam ſi liquido jure id ei competiiſſet, nequaquam ſuffragiis Sacerdotum & populi opus fuiſſet.

CAPUT XV.

℣. 5. NUnc *ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, quas remiſerunt tibi ante me omnes reges.* —— *Et permitto tibi facere percuſſionem proprii numiſmatis in regione tua, &c.* Ex eo quod dicitur; (*quas remiſerunt tibi ante me omnes reges*) ſatis colligitur ordina- C riè conceſſas fuiſſe à regibus immunitates ſupradictas populo Judaico; & præcipuè civitati Jeroſolymitanæ; idque religionis cauſa, quod in ea civitate eſſet templum, quod etiam apud externos reges ac principes in ſumma veneratione haberetur. Quæ cum facta ſint à regibus ethnicis, obſcuram tantum imaginem religionis menti impreſſam habentibus; ſatis liquet, id multò magis obſervandum à principibus Chriſtianis, erga Eccleſiam Dei, ut velint ſcilicet, ac ſtatuant Jeruſalem, id eſt, Eccleſiam eſſe *Sanctam ac liberam*, ut hîc Scriptura loquitur. *Sanctam*, id eſt, inviolabilem; quod præſtant, dum neminem ſinunt impunè ſacra, aut jura Eccleſiaſtica violare, ſed etiam armis injuriam omnem D ab ea propulſare conantur; *liberam*, dum privilegia libertatis concedunt, aut ab aliis conceſſa conſervant. Utriuſque certè habemus illuſtria exempla in rege noſtro Catholico Philippo.

CAPUT XVI.

℣. 11. ET *Ptolomæus filius Abobi conſtitutus erat dux, & habebat argentum & aurum multum.* *Et exaltatum eſt cor ejus, &c.* En in Ptolomæo genero Simonis, rurſum nobis oſtenditur exemplum, & fœtus ambitionis: Ille enim, ut ait Scriptura, cum eſſet gener ſummi ſacerdotis, exaltavit, ſeu elevavit cor ſuum. En ſuperbia. *Et volebat obtinere regionem.* Ecce ambitio. *Et cogitabat dolum adverſus Simonem & filios ejus, ut* E *tolleret eos.* Ecce ambitionis fructus, ſeu fœtus, quem animo conceptum, paulò pòſt etiam peperit, & in publicum protulit; dum ſcilicet Simonem cum duobus filiis convivio exceptum crudeliter trucidavit ſimul & affinitatis, & hoſpitalitatis jura violans. Hîc ſanè illud Poëtæ completum eſt: Non hoſpes ab hoſpite tutus: Non ſocer à genero. Utrumque enim in hoc exemplo concurrit.

℣. 16. *Et cum inebriatus eſſet Simon & filii, &c.* Hîc miſerabilis exitus Simonis & filiorum ejus in convivio, nobis in memoriam revocat ſententiam Domini Salvatoris Luc. 22. *Cavete ne corda veſtra graventur in crapula, & ebrietate & ſuperveniat in vos repentina*

dies illa. Quamquam non eſt veriſimile ebrietatem hoc loco propriè accipi, quæ tollat uſum rationis; ſed quæ ſignificet ſatietatem cibi & potus cum hilaritate, ut ſæpè aliàs in ſcriptura accipitur, ut Cant. 5. *Comedite, bibite & inebriamini,* Aggæi 1. *Bibiſtis & non eſtis inebriati.* Vide Auguſt. Epiſt. 144.

FINIS LIBRI I. MACHABÆORVM.

ANNOTATIONES
IN LIBRVM II. MACHABÆORVM.

CAPUT PRIMUM.

℣. 13. N*Am cum in Perſide eſſet dux ipſe,* (de Antiocho ſermo eſt, ut patet verſ. ſeq.) *& cum ipſo immenſus exercitus, cecidit in templo Naneæ, conſilio deceptus ſacerdotum.* Scilicet poſteà dicitur; ſacerdotes, templo clauſo, poſt ingreſſum Antiochi, & aperto occulto aditu templi, miſſis lapidibus *percuſſiſſe ducem, & eos qui cum ipſo erant, eoſque diviſiſſe membratim.* Cui narrationi non ſatis conſentire videtur, quod libro præcedenti cap. 6 ſcriptum eſt, Antiochum de Perſide reverſum, præ animi ægritudine in lectum decidiſſe, factoque teſtamento, & inſtituto regni ſucceſſore filio, mortem obiiſſe. Et rurſum, quod cap. 9. hujus libri ſcribitur fugiens de curru cecidiſſe, & colliſis totius corporis membris, vermibuſque ſcatentibus inter horribiles dolores & fœtores, expiraſſe. Hoc argumento hæretici noſtri temporis conantur huic libro fidem abrogare, ne cogantur admittere orationes pro defunctis, in hoc libro apertiſſimè ſtabilitas.

B

Sed *reſpondeo*, has hiſtoriæ partes diligenter conſideratas & diſcuſſas, nullo modo inter ſe pugnare. Nam nihil obſtat quod Antiochus mœrore animi conſternatus in languorem inciderit, quod habetur 1. Machab. 6. & nihilominus hoc languore comprehenſus in fuga de curru deciderit, membriſque miſerè colliſis, & fœdiſſimo morbo correptus fuerit, quod narratur hoc libro cap. 9. Tantum explicandum eſt, quomodo hoc capite dicatur *cecidiſſe in templo Naneæ*, & paulò pòſt v. 19. *percuſſus cum ſociis, &c.* Nullo enim modo putandum eſt, eum unà cum ſociis in templo Naneæ fuiſſe occiſum. Id enim non dicitur; hæc enim ſunt ipſius Scripturæ verba: v. 15. *Clauſerunt templum cum intraſſet Antiochus, apertoque occulto aditu templi mittentes lapides, percuſſerunt ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis, foras projecerunt.* Nempe poſtrema verba vera ſunt, etiam de ſolis ſociis intellecta, Antiocho inter pugnandum effractis foribus elapſo. Similis locus eſt Geneſ. 14. ubi rex Sodomorum & Gomorrhæ v. 10. dicuntur cecidiſſe ibi, & quod reliqui fugerunt, & tamen poſtea narrantur adhuc vivere: item 1. Reg. 30. dicitur de Amalechitis, quod percuſſerint. Sic eleg. & tamen ſtatim poſt additur, quod neminem occiderint. Similis quoque phraſis eſt in vita S. Auguſt. cap. 12. Additio Cenſoris. Cæterum ſciendum ea quæ hìc narrantur, non de Antiocho Epiphane dici, ſed de Antiocho Sedete, qui & Soter dictus eſt; de quo 1. Machab. 15 v. 10. Videatur Marræus in concordia Hiſtoriarum ſacræ & profanæ, Anno V. C. 613. & 622.

C

D

E

CAPUT II.

℣. 29. V*Eritatem quidem de ſingulis, auctoribus concedentes, ipſi autem ſecundum datam*

A *formam brevitati ſtudentes.* Objiciunt nobis hæretici noſtri & hæc contra authoritatem hujus libri. En, inquiunt, huic authori non fuit cura de veritate; ſed tantum de commoditate compendij. *Reſpondeo* in Græco non eſſe nomen veritatis; ſic enim Græca ſonant. *Exactam pertractationem ſingulorum authori concedentes, inſequendo autem præſcriptum exemplar, compendio ſtudentes.* His igitur verbis non aliud ſignificat abbreviator, quàm ſe brevitati hiſtoriæ ſtudere relicta ſuo authori exacta de rebus ſingulis narratione. Quod & paulò pòſt in noſtra quoque verſione ſignificatur: ubi dicitur v. 31. *Etenim intellectum colligere, & ordinare*

B *ſermonem, & curioſius partes ſingulas quaſque diſquirere, hiſtoriæ congruit auctori, &c.*

CAPUT III.

℣. 1. I*Gitur —— cum leges adhuc optimè cuſtodirentur, propter Oniæ pontificis pietatem, fiebat ut & ipſi reges, & principes, locum ſummo honore dignum ducerent, &c.* Ex his verbis perſpicuè oſtenditur obſervationem legum, & pietatem ſacerdotum, inprimis cauſam & occaſionem eſſe, ut in veneratione ab omnibus habeantur loca ſacra. Unde conſequens eſt, etiam è contra fieri, videlicet, ut neglectus legum, & pietatis defectus in ſacerdotibus, cauſa ſit, ob quam loca ſacra,

C ipſumque ſacerdotium, & in univerſum tota religio in contemptum abeant, quemadmodum Malach. 2. etiam Dominus comminatus eſt, & experientia quotidiana manifeſtè demonſtrat.

℣. 4. *Simon autem de tribu Benjamin præpoſitus templi conſtitutus.* Ad corruptelam illius temporis pertinere videtur quod homo de tribu Benjamin templo fuerit præpoſitus, cum ea cura & functiones, ſicut & cæteræ omnes ſimiles, non debuerint in aliquos conferri extra tribum ſacerdotalem, id eſt, Leviticam. Hinc autem etiam liquet non eundem fuiſſe

D præpoſitum templi & principem ſacerdotum, cum hic Simon ne capax quidem fuerit ſacerdotij. Attamen ex hoc capite & ſequenti moveri quæſtio poteſt, an eò uſque corruptela illa proceſſerit, ut etiam qui de ſtirpe Aaronis aut omninò de tribu Levitica non eſſent, promoti fuerint ad ſacerdotium? Nam de Iaſone quidem conſtat ex ſequenti capite quod frater fuerit Oniæ Pontificis: erat ergo ex eadem tribu & ſtirpe ſi germanus fuit frater. At de Menelao & Lyſimacho qui fratres fuerunt, quorum alter poſt alterum functus

E eſt ſummo ſacerdotio, ſecus videri poteſt; habemus enim ſequenti cap. Menelaum ſupradicti Simonis fratrem fuiſſe: Simon autem, ut jam dictum eſt, Benjamiticæ tribus fuit. Sed reſponderi poſſe arbitror Menelaum & Lyſimachum fratres Simonis dictos eo modo quo fratres in Scripturis ſæpè vocantur fratrum aut ſororum filij. Quomodo & Chriſtus Dominus fratres & ſorores habuiſſe legitur Matth. 13. Potuerunt ergo Simon & Menelaus cum Lyſimacho nati eſſe ex duabus ſororibus, vel ex fratre & ſorore, & ea ratione fratres dici, permixtis copulatione conjugij tri-

tribubus, Levitica & Benjamitica. Sed vide Ioſephum A lib. 12. antiq. cap. 4. 5. 6.

℣. 12. *Decipi verò eos qui credidiſſent loco & templo, quod per univerſum mundum honoratur, pro ſui veneratione & ſanctitate omnino impoſſibile.* Obſcuritas hujus loci nata eſt ex incommoda tranſlatione. Nam in Græca lectione nihil eſt obſcuritatis. Sic enim ſonat; *Per injuriam autem fraudari eos, qui ſanctitate loci & majeſtate templi per univerſum mundum honorati, ejuſque immunitate confiſi aſſunt* (deponentes videlicet ibi pecuniam ſuam) *id perabſurdum eſſe ac prorſus indignum.* Scilicet, ſignificat Onias indignum eſſe, ac prorſus fieri non debere (quod interpres noſter vertit *impoſſibile*) ut fallerentur illi ſpe ſua, qui ſanctitate & ſecuritate loci confidentes, inibi theſauros ſuos B tanquam loco tutiſſimo depoſuiſſent.

℣. 25. *Apparuit enim illis quidam equus terribilem habens ſeſſorem, &c.* Quibus ſuppliciis digni ſunt violatores templorum, declarat horrendum hoc exemplum Heliodori, qui quum tentaret theſauris concreditis templum ſpoliare, continuò ſenſit vindictam divinam, apparente equo calces priores in eum impingente, & duobus juvenibus flagellantibus eum ſine intermiſſione, adeo ut vix precibus & interceſſione Oniæ ſummi Sacerdotis ſalutem impetraverit. Exemplum obſervatu dignum & diligenter inculcandum apud populum contra Iconoclaſtas, alioſque ſacrilegos & profanos Eccleſiarum violatores, quorum hodie proh dolor, meſſis eſt multo maxima.

CAPUT IV.

℣. 7. S*Ed poſt Seleuci vitæ exceſſum, cum ſuſcepiſſet regnum Antiochus —— ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum ſacerdotium, adito rege, promittens ei argenti talenta trecenta ſexaginta, &c.* In hoc capite annotari rurſum poteſt, quanta, & quàm multiplicia mala hominem præcipitet ambitio. Ea mala ſunt homicidia, calumniæ, Sacerdotij emptio & venditio, quæ à nobis uno nomine ſimonia appellatur, ipſa denique impietas & defectus à vero cultu Dei. Primùm enim hîc legimus Iaſonem Oniæ fratrem, promiſſis regi argenti talentis trecentis ſexaginta, & aliis octo & centum quinquaginta emiſſe à rege pontificatum. Deinde D quod Menelaus penſionem Iaſonis ad regem adferens, & majorem ſummam promittens; velut auctione facta, eundem Pontificatum ſibi acquiſierit: Ita, inquit Scriptura hoc eodem cap. v. 24. *In ſemetipſum retorſit ſummum ſacerdotium, ſuperponens Iaſoni talenta argenti trecenta; acceptiſque à rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum Sacerdotio, animos verò crudelis tyranni, & feræ belluæ iram gerens.* Sed & cum Iaſon ille promiſſis non ſtaret, ſimili conditione poſt eum Lyſimachus frater ejus ad pontificatum pervenit, & per hujuſmodi ſacrorum emptiones horrenda evenerunt, ut hîc narratur. Hæc exempla tametſi antiqua ſunt, & de veteri Sacerdotio deſumpta, opportunè tamen proferri poſſunt E in deteſtationem tam fœdi criminis, id eſt, labis ſimoniacæ.

CAPUT V.

℣. 19. V*Erum non propter locum, gentem, ſed propter gentem, locum Deus elegit.* Reprimit hæc ſententia eorum ſuperſtitioſam imaginationem, qui arbitrantur, Deum ita certo alicui templo, aut cuicumque alteri loco addictum & affectum eſſe, ut non obſtantibus peccatis incolarum, eum locum nihilominus tueri velit, & conſervare; idque, vel propter ſtructuræ majeſtatem & magnificentiam, vel aliam quamcumque loci qualitatem. Satis profectò oſtendit Deus his noſtris temporibus, quod non propter locum, quantumcumque magnificum & habitum

A ſacrum, gentem elegerit, ſed propter peccata gentis locum, imò tam multa loca ſacra rejecerit, & profanationi permiſerit, partim infidelium Turcarum, partim hæreticorum.

Neque tamen hac ſententia negatur, quin Deus aliquando parcat genti peccatrici propter merita Sanctorum, qui locum illum incoluerunt, & ſancta converſatione illuſtrarunt, vel etiam tantum ſuis ſanctis reliquiis ornant; ſicut Judæis ſæpè pepercit Deus propter Abraham, Iſaac, & Iacob, & propter David ſervum ſuum: & Sodomitis pepercisset propter decem ſolos juſtos, ſi in eo loco fuiſſent inventi; Sed aliud eſt eligere gentem propter locum, id eſt, propter nudam aliquam loci qualitatem, qua Deus incorporeus non delectatur; B aliud propitium eſſe populo peccanti, & vindictam debitam remittere propter merita Sanctorum, qui Deo placuerunt. Item Deus parcit peccatoribus, ſi confugiant ad locum divino cultui deputatum, & ibi Deum orent (quod Salomon in dedicatione templi à Deo petiit:) ſed nec hoc eſt gentem propter locum eligere; ſed tantum genti pœnitenti indulgere propter preces; quibus ſcilicet locus ille deputatus eſt; quod tamen non faciat, ſi populus permaneat in peccatis, quantumcumque cum iis de quibus Jeremiæ 7. dicant, & clament; *Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.*

CAPUT VI.

C ℣. 18. I*Gitur Eleazarus unus de primoribus ſcribarum — aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare, &c.* Proponitur exemplum fortis & conſtantis animi in Eleazaro; qui nec minis, nec blandimentis induci potuit, ut contra legem quidquam admitteret. Imitandum imprimis firmum illud viri ſancti propoſitum, de quo Scriptura. *Deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.* Hoc enim propoſitum gradus eſt ad vitæ perfectionem. Qui enim firmiter in animo ſtatuit, nihil illicitum committere propter amorem præſentis vitæ, non facilè cedet tempeſtati perſecutionis. Propoſitum autem illud ſuum confirmabat his verbis: *Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, ſed manum omnipotentis, nec vivus, nec de-* D *functus effugiam.* Eo hic ſanctus vir, etiam timore ſupplicij æterni, ne illud incurrat confirmat animum ſuum ad perferenda temporalia ſupplicia. Ut vel hinc quoque contra noſtri temporis hæreticos agnoſcamus hujus timoris utilitatem.

Denique quod maximè ad gloriam hujus Martyris pertinet, ne quidem eo induci potuit, ut ſimularet ſe carnes porcinas comediſſe, & ea ratione mortem evaderet. Sciebat enim (quod ille pulcherrima oratione & prolixa docet) non minus ſe nociturum aliis, ad pravum exemplum, hac ſua ſimulatione, quàm nocuiſſet per veram carnium prohibitarum comeſtionem. Nam utroque modo ſcandalizantur infirmi, E & pereunt animæ pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Vide noſtra 1. Corinth. 10. Simile exemplum habemus in Martyrolog. 12. Aprilis de Saba Martyre, qui carnes non immolatitias pro immolatitiis oblatas videns, ut juſſioni magiſtratus ſatisfeciſſe videretur, ad fideles palam proteſtatus eſt, edi non licere, dicens: Quicumque de his carnibus comederit, Chriſtianus non erit. De Eleazari quoque laudibus, Vide orationem Gregorij Nazianzeni in Machabæos, & Ambroſij lib. 2. de Iacob. & vita beata cap. 10.

CAPUT VII.

℣. 1. C*Ontigit autem & ſeptem fratres unà cum matre ſua, apprehenſos compelli à rege edere contra fas carnes porcinas.* Hi fratres à multis ſcriptori-

bus, atque etiam in Eccleſiaſtico officio 1. Auguſti appellantur Machabæi, non à Juda Machabæo, quaſi ad eum aliquo modo pertinuerint, ſed ſumpta communi appellatione à nomine fratris primogeniti, qui appellatus eſt Machabæus, ut ſcriptum reliquit Ioſephus in libello, quem de iſtorum fratrum paſſione compoſuit. Miranda profectò fortitudo, eo tempore, quo gratia Chriſti nondum erat manifeſtata. Nam, ut inquit Greg. Nazianzenus in oratione in hos Martyres; qui ante Chriſti paſſionem ſubiere martyrium; quid poſt Chriſtum facturi fuiſſent? Ratio autem cur tam diſertè hi Martyres, ſemel atque iterum inculcent fidem reſurrectionis, eaque ſe conſolentur, cùm id ante eorum tempora non ita manifeſtè factum legamus; ratio, inquam, hæc adſeritur, quia ſub hæc tempora, uti Ioſephus teſtatur, orti fuerunt apud Judæos Sadducæi, qui præter hanc momeneaneam vitam, aliam nullam expectantes, animas una cum corpore interire docebant, & reſurrectionem mortuorum negabant. Horum ergo doctrinam velut impiam, ac populo Dei indignam, cum aliis piis hi Martyres execrabantur; & in exitu vitæ conſtituti, tam diſertis verbis reſurrectionem mortuorum prædicabant, ſimulque ea ſe animari, tyranno exprobrabant, generosè proteſtantes: *Tu quidem ſceleſtiſſime, in præſenti vita nos perdis; ſed rex mundi defunctos nos pro ſuis legibus, in æterna vita reſurrectionem ſuſcitabit.*

℣. 32. *Nos enim propter noſmetipſos hæc patimur, peccantes in Deum noſtrum.* Loquuntur quidem hi Martyres de peccatis populi. Dicunt enim Deum genti ac generi ſuo eſſe ad tempus iratum, ſcilicet propter peccata; ſed ita tamen loquuntur in perſona populi, ut ſeipſos non excludant, ſicut & Daniel & Tobias expreſsè locuti. Confitentur ergo, & quidem veraciter, ſe pati propter ſua peccata; & tamen non hoc præcipuè ſpectavit in eorum paſſione Deus, ut eorum peccata punirentur, ſed ſcilicet magis, ut eorum patientia per paſſionem martyrij probaretur, & coronaretur.

℣. 41. *Noviſſimè autem poſt filios & mater conſumpta eſt.* Græce ἐτελεύτησε, id eſt, mortua eſt, conſummata eſt. Unde putant quidam eam non tormentorum vi conſumptam, ſed ſpontanea morte conſummatam. Marius Victorinus præceptor Hieronymi in carmine quod de ſeptem Machabæis fratribus compoſuit, ſcribit eam præ gaudio quod ex martyrio tam præclaro natorum ſuorum animo conceperat maximum, paulò pòſt mortuam concidiſſe, ut de quibuſdam matribus legitur apud Livium & Valerium Maximum. Joſephus tamen & alij plerique martyrem eam faciunt tormentis ſubjectam & extinctam. Atque hoc probabilius. Nam illud ſingulare mortis genus Scriptura non tacuiſſet, Nec verò ſatis congruere videtur cum egregia fortitudine animi hujus mulieris, præ immodica paſſione gaudij vitam ei defeciſſe. Vide Sixtum in fine lib. 5. bibl. ſanctæ. Et quia Scriptura jam eam ſapienter & fortiter loquentem introduxerat, ſicut & omnes ejus filios, hinc de ejus paſſione & conſummatione plura non diſſerit.

CAPUT VIII.

℣. 22. C*Onſtituit itaque* (Judas Machabæus) *fratres ſuos duces utrique ordini, Simonem, & Ioſephum & Ionathan.* Obſcurum eſt quis ſit hic Ioſephus, cum 1. Machab. 2. inter fratres Judæ filios Matathiæ nullus ejus nominis numeretur. Quidam exiſtimant Ioſephum eſſe, qui ibi alio nomine vocatur Eleazaros, & Aharon. Sed expendendum: an ille Eleazarus adhuc fuerit in hoc prælio ſuperſtes, cum occiſus legatur ſub elephante lib. 1. cap. 6. An forte Ioſephus hic connumeretur inter fratres Judæ, quia fuerit filius fratris aut ſororis? ſicut Abraham dicit ad Loth: *Fratres enim ſumus.* Geneſ. 13. fit enim hujus Ioſephi rurſum mentio infrà cap. 10. Mirè hic ſe involuit Liranus, falſus, ut videtur, vitioſo codice Ioſephi hiſtorici. Tu, ſi velis, ipſum adito Ioſephum, nihil huic noſtræ conjecturæ repugnantem, lib. 12. Antiq. cap. 8.

CAPUT IX.

℣. 6. I*Ta ut de corpore impij* (Antiochi) *vermes ſcaturirent, ac viventis in doloribus carnes effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.* Etſi mala hujus ſæculi communia ſint bonis & malis, imò plerumque boni magis affligantur quàm mali: Quaſdam tamen pœnas etiam in hoc ſæculo Deus ſuæ juſtitiæ peculiariter reſervat ad punitionem eorum qui inſigniter impij aut crudeles extiterunt: ut cæteri homines talibus eorum pœnis admoniti, juſtitiam Dei adverſus impios agnoſcant. Sic fœdo iſto morbo, non ſolùm hic impiiſſimus Antiochus interiit, ſed & Herodes Aſcalonita, qui infantes occidit, teſte Ioſepho, Herodes item; qui Iacobum Apoſtolum obtruncavit, & Petrum clauſit in carcere, & honores divinos admiſit, ut legitur Actor. 12. Apud Romanos etiam Sylla belli civilis author, & civium Romanorum crudeliſſimus proſcriptor, item Hunericus rex Wandalorum Arianus, qui Catholicos crudeliſſimè vexaverat. Neſtorij quoque hæreſiarchæ lingua blaſphema nolentis Mariam *Deiparam* vocare, ſed tantùm Chriſtiparam, à vermibus corroſa eſt. Ac denique Calvinum quoque pediculari morbo periiſſe teſtatur Bolſecus & alij.

℣. 17. *Super hæc & Iudæum ſe futurum*, religione ac cæremoniis quarum prima eſt circumciſio. Vovebat itaque proſelytum ſe fore. Ex quo apparet quod jam tum aliqui ex gentibus ad ritum Judaicum ſe transferebant, qui vocantur proſelyti. Nec mirum, nam exemplum ejus rei multò antiquius eſt in Achior, ut eſt in Iudith cap. 6. & 14. Naaman quidem Syrus qui etiam iſta tempora longè præceſſit, ex gentilitate converſus eſt ad Deum populi Iſraël, non tamen legitur religioni, id eſt, ritibus, ac legibus illius populi ſe ſubjeciſſe. Nec circumciſum eum fuiſſe veriſimile eſt.

CAPUT X.

℣. 1. M*Achabæus autem & qui cum eo erant, templum quidem & civitatem recepit.* Ac tandem v. 3. *Et purgato templo aliud altare fecerunt, & ſacrificia obtulerunt poſt biennium.* *Objiciunt* hunc locum hæretici tanquam contrarium ei quod lib. 1. c. 4. dictum eſt, purgatum fuiſſe templum, vivente adhuc Antiocho videlicet anno centeſimo quadrigeſimo octavo regni Græcorum, cum hic dicatur id factum biennio, ut apparet, poſt mortem Antiochi. Quidam *reſpondent*, Judam bis purgaſſe templum. Verùm id dici non poteſt. Non enim legitur ſub Juda ſecundo fuiſſe templum contaminatum, ſed tantùm ſemel. Deinde conſtat etiam ſatis ex circumſtantiis, eodemque loco, eandem templi purgationem deſcribi. Proinde *dicendum* eſt, id quod hîc dicitur (*poſt biennium*) Judam purgaſſe templum, non intelligendum de biennio poſt mortem Antiochi, ut hæretici pravè detorquent, ex eo quod ejus mors capite præcedenti deſcripta ſit: neque etiam de biennio poſt contaminationem templi: Accidit enim, ut ex præcedenti libro manifeſtum eſt, triennio poſt contaminationem, eodem videlicet menſe & die, quo illud polluerant gentes, tribus annis interpoſitis? Sed *biennium* illud accipiendum eſt ab initio principatus Iudæ Machabæi. Nam templum contaminatum eſt anno Græcorum centeſimo quadrageſimo quinto, Mata-

thias

thias autem pater Judæ mortuus anno quadrageſimo A
ſexto, cui ſtatim Judas ſucceſſit. Purgatio denique templi facta eſt biennio poſt, anno centeſimo quadrageſimo octavo; qui idem annus etiam notatur lib. 1. cap. 4.

℣. 16. *Deprecabantur Dominum ——— ut ſibi propitius, inimicis autem eorum eſſet inimicus, & adverſariis adverſaretur, ſicut dicit lex.* Id eſt, ſicut lex pollicetur, hoc eſt, Deus in lege. Legem vocat libros Moyſi legiſlatoris, in quibus non ſemel promittit Deus ſe inimicis populi ſui inimicum & adverſarium fore, ſi permanerent in obſervantia legis ab ipſo acceptæ, ut Exodi 23. *Quod ſi audieris vocem meam, & feceris omnia quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Levit. 26. *Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis.* Deut. 28. *Dabit Dominus inimicos tuos qui conſurgunt adverſum te, corruentes in conſpectu tuo.*

CAPUT XI.

℣. 6. V*T autem Machabæus & qui cum eo erant cognoverunt expugnari præſidia; cum fletu & lachrymis rogabant Dominum, ut bonum Angelum mitteret.* Hinc intelligimus præcipuum robur belli conſiſtere in adjutorio Dei, id quod ſuo exemplo Judas Machabæus ſolidiſſimè oſtendit, omnibus ſuis præliis præmittens invocationem auxilij cæleſtis. Deinde quoque addiſcimus, jam inde ab initio, perſuaſionem piorum fuiſſe, actiones noſtras dirigi Angelorum miniſterio, tum maximè quando Deus rogatur, ut Angelum ſuum mittat in auxilium; ut hîc fecerunt. Sic & Tobias precatur, ut Angelus Dei bonus comitetur filium ſuum; Tobiæ 5. Et vide, ſicut viſibili ſpecie Tobiæ filius Angelum comitem habuit, ita & hoc loco Judas Machabæus Angelum habuit prælij ducem. *Apparuit*, inquit Scriptura, *præcedens eos eques in veſte candida, armis aureis, haſtam vibrans.* Qui ſanè eques præcedens, & ad certam victoriam ducens, non alius fuit, quàm Angelus bonus, quem ad ſalutem ſui, & ſuorum, paulò antè ſibi mitti petierat. Confer. cap. 10. verſ. 26. & 30.

CAPUT XII.

℣. 43. & 44. O*Fferri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religiosè de reſurrectione cogitans: (niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, &c.)* Inculcat hic Author diligenter, & confirmat dogma Catholicum, orandum & ſacrificandum eſſe pro mortuis; & multis verbis imprimis replicat de reſurrectione mortuorum; ſcilicet contra hæreſim Sadducæorum, quæ illo tempore, teſte Ioſepho, exorta fuerat, & radices mittere cœperat in populo Judaico. Quomodo autem conſequens ſit, ſuperfluam & vanam fore pro mortuis orationem, ſublata ſpe reſurrectionis mortuorum; Vide noſtra 1. Corinth. 15. ad illud: *Miſerabiliores ſumus omnibus hominibus, ſi reſurrectio non eſt.* Atque illud interim obſerva, quod ſicut apud Apoſtolum de ſola beata reſurrectione præcipua ejus diſputatio eſt, ita & hoc loco, cum dicitur; *Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.* Nam reſurrectio quæ ſperatur, utique bona & beata eſt; impiorum autem reſurrectio, quoniam ad æternam erit miſeriam, & cruciatum, non ſperatur, ſed creditur tantùm. Proſunt autem defunctis in pietate, ſuffragia viventium, & ſacrificia, ad beatam reſurrectionem, quatenus illis proſunt ad miſericordiam, & veniam minorum delictorum & pœnarum reſtantium, ſine quibus, beatæ reſurrectionis non poſſunt eſſe participes. Vide noſtr. in 4. diſtinct. 21.

CAPUT XIII.

℣. 11. Q*Vippe qui lege, & patria, ſanctoque templo privari vererentur ——— ne ſineret blaſphemis rurſus nationibus ſubdi.* Notandum quod Judas hortans ſuos ad fortiter dimicandum primò nominat legem, deinde patriam: Nam idem repetitur quoque plenius v. 14. his verbis: *Vt fortiter dimicarent, & uſque ad mortem, pro legibus, templo, civitate, patria & civibus.* En primò nominat leges & templum; deinde civitatem, patriam, cives. Ex quo oſtenditur ante omnia pro pugnandam & defendendam eſſe religionem, ſecundum autem locum dandum defenſioni privilegiorum & publicæ libertatis. Eſtque id notandum contra quoſdam noſtri temporis viros alioqui magnæ æſtimationis, qui perverſo, ac præpoſtero judicio, cum viderent
B religionem periclitari (volebant enim Catholici videri) cumque ſimul perſuaſum haberent læſam eſſe publicam libertatem & violata privilegia patriæ; ſepoſito ad tempus, ut inquiebant, negotio religionis, cenſuerunt arma capienda pro defenſione patriæ contra eos, quos imaginabantur ſuæ libertatis hoſtes, priuſquam de religione eſſent ſolliciti. Non ita pugnavit Judas, imò nec ita præcepit Chriſtus, qui dicit Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

℣. 15. *Et data ſuis ſigno Dei victoria; juvenibus fortiſſimis electis, nocte aggreſſus aulam regiam in caſtris interfecit viros quatuor millia.* Senſus eſt: Cum dediſſet ſuis ſignum ſeu teſſeram militarem, hanc ſcilicet (*Dei victoria*) aggreſſus eſt hoſtem. En rurſum, quomodo Judas
C modis omnibus ſuis inculcare conatur victoriam à Deo expectandam eſſe! Id ſi hodie fieret à ducibus belli; non cum dolore noſtro ac detrimento religionis videremus tam lentum ſucceſſum belli pro religione ſuſcepti.

CAPUT XIV.

℣. 25. R*Ogavitque eum ducere uxorem, filioſque procreare. Nuptias fecit.* Quæres, rectè ne fecerit Judas ducendo uxorem ad hortatum Nicanoris? *Reſpondeo* rectè, quia in re licita obſecutus eſt cauſa pacis publicæ.

℣. 37. *Razias autem quidam de ſenioribus, qui pro affectu pater Iudæorum vocabatur*, Ac tandem verſ. 41.
D *Cùm jam comprehenderetur, gladio ſe petiit, eligens nobiliter mori, quàm ſubditus fieri peccatoribus.* Illud factum Raziæ ſunt qui excuſare conantur, & maximè Hebræi: duas adferentes cauſas, ob quas licitè quis ſibiipſi manus inferat: ſi videlicet (inquiunt) id faciat, ne poſtea tormentorum vi compellatur ad illicita; vel ne in Dei contemptum vivens poſteà ludibrio habeatur. Quorum utrumque dicunt juſtè metuiſſe Raziam. Verùm has exceptiones Chriſtiani ſcriptores non agnoſcunt. Nemo enim peccato ſuo debet impedire aliorum peccata: alioqui idem omnibus Martyribus licuiſſet. D. Auguſt. lib. 2. contra 2. Epiſt. Gaudentij c. 23. & Epiſt. 61. de Raziæ facto ita loqui-
E tur, ut neque laudandum dicat, neque imitandum, quin potius tandem reprehendit: In Epiſtola hæc ſunt ejus verba: Scriptum eſt, *Innocentem & juſtum ne occidas.* Si ergo iſte innocens & juſtus non fuit, cur proponitur imitandus? Si autem innocens & juſtus fuit, quare interfector innocentis & juſti (ipſe ſcilicet Razias ſuiipſius) inſuper putatur eſſe laudandus? Et cont. Epiſt. Gaudentij; Quomodolibet accipiatur à vobis hujus Raziæ vita laudata; non habet dignam Dei famulis patientiam. Et paulò ſuperiùs; Hoc, inquit, facere debuit, quod in iiſdem litteris leguntur ſeptem illi fratres, matre exhortante feciſſe, ut comprehenſus in dolore ſuſtineret, & in humilitate patientiam habe-

haberet. Hæc Auguſtinus, eumque ſecutus S. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 5. Quorum ſententia certior videtur & ſecurior. Litanus ut excuſet hoc factum, dicit fortè id eum feciſſe ex ſpeciali inſtinctu Spiritus S. Sed hoc qua facilitate dicitur, eadem rejici poteſt.

Porrò ex eo quod Razias hîc peccavit ſeipſum interimendo, non neceſſariò fatendum erit eum eſſe damnatum. Quamvis enim occiſio ſuiipſius ſit genere ſuo peccatum mortale, fieri tamen poteſt ut ob certas circumſtantias non peccet mortaliter is qui ſeipſum occidit. Velut ſi laboret ignorantia excuſabili, ut quia putavit licitum inductus opinione communi eorum inter quos agebat, quibus ut crederet, probabilem cauſam habebat; quia videbantur videlicet boni & docti: & niſi id faceret, ludibrio exponeretur hoſtibus; & quidem ſic ut ludibrium illud cederet in contemptum religionis. Qua ratione etiam factum Saül, qui ſeipſum amiſſa pugna peremit, ne ab incircumciſis vivus aut mortuus haberetur ludibrio, 1. Reg. 31. poſſet excuſari, niſi opinionem ſalutis ejus peccata præcedentia, à quibus per pœnitentiam non legitur receſſiſſe, nobis prorſus adimerent. Notandum quod etſi S. Auguſt. & S. Thom. factum vituperent (neque nos laudamus) non tamen affirmant de ſalute ejus deſperationem. Simile quid fortè dici poſſet de Chriſtiania quibuſdam virginibus quæ ſeipſas in aquas projecerunt ut violentam hoſtium libidinem evaderent; hoc enim licere, paſſim erat perſuaſum. Unde Hieronymus exceptionem facit hanc, niſi ubi caſtitas periclitatur. Quare etſi peccaſſe dicantur qui hoc aut illo modo ſibi ipſis violentas manus intulerunt, durum tamen eſt eos, ſi id ſine divina revelatione fecerint, damnatos dicere; ut & Eleszarum illum filium Saurs, de quo libro ſuperiori, cap. 6. quamquam & de ejus facto dubitari non immeritò poteſt, an propriè ſit occiſio ſui, ut eo loco annotavimus. Raziam præterea commendat, & nos à deſperatione ſalutis ejus revocat, quod moriturus *inteſtina ſua projecit, invocans dominatorem vitæ & Spiritus, ut hæc illi iterum redderet.* Qua precatione non ſimpliciter petivit corporis ſui reſtitutionem per communem omnibus reſurrectionem; quod enim certò futurum eſt, ita ut & malis futurum ſit commune, id oratione à Deo petere non ſolemus, velut ortum ſolis in craſtinum, & hujuſmodi. Petivit ergo reſurrectionem beatam, de qua dicebat unus è ſeptem fratribus ad Antiochum *Tibi reſurrectio ad vitam non erit.* Atqui Raziam extremo ſpiritu tam piè orantem non fuiſſe exauditum, durum eſt dicere. Item veriſimile eſt Raziam & illas virgines non audiviſſe contrariam doctrinam. Nam & apud gentiles qui ne in hoſtium manus venirent, ſeipſos interficere maluerunt, laudati leguntur, ut Cato.

At dices, Eccleſia eas honorat ut martyres, ergo laudat illud genus mortis. Reſp. neg. conſeq. quia Eccleſia laudat in eis & veneratur amorem caſtitatis, pro qua conſervanda etiam mortem ſubire maluerunt quàm eam perdere. Laudat ergo & virginitatem & tolerantiam mortis pro tuenda virginitate. Quod autem mortem ſibi intulerint, non laudat. Nam & alij martyres interdum in aggreſſu mortis & acceſſu judicis leguntur quædam imprudenter & temerè feciſſe: ſed hujuſmodi nævos & maculas facile abluit illa magna charitas qua erant parati animas ponere pro Chriſto & juſtitia; præſertim quia in illis non probandis circumſtantiis, excuſabat eos ignorantia. Non enim erant plenè inſtituti in talibus.

CAPUT XV.

℣. 14. **H***ic eſt fratrum amator, & populi Iſraël. Hic eſt qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate, Ieremias propheta Dei.* Hic locus manifeſtiſſimè aſtruit Sanctorum vita defunctorum interceſſionem pro ſalute virorum, etiam tempore veteris Teſtamenti; quando tamen defunctorum animæ, quantalibet ſanctitate præditi fuiſſent, nondum ad Dei conſpectum & gloriam regni cœleſtis admittebantur, ſed erant tantùm in ſinu Abrahæ, ubi tamen conſolabantur, ut Scriptura de Lazaro loquitur Lucæ 16. Quantò igitur magis tempore novi Teſtamenti credendum eſt Sanctos jam cum Chriſto regnantes, & perfecta Dei viſione beatos, pro ſalute fidelis populi adhuc militantis, apud Deum interpellare? Et hujus doctrinæ rationem & fundamentum etiam ipſa Scriptura non tacet: *Hic eſt*, inquit, *fratrum amator, & populi Iſraël*, ſcilicet, quia Sancti hac mortali vita defuncti amant adhuc viventes, cum quibus permanent ejuſdem corporis, id eſt, Eccleſiæ membra: fieri non poteſt, quin illum amorem etiam opere declarent, orando Deum pro viventibus, aliaque ſimilia beneficia iis præſtando. Id enim requiſit eorum amor, qui hic memoratur; tum etiam Sanctorum communio, quam in ſymbolo nos credere profitemur.

℣. 39. *Et ſi quidem bene, & ut hiſtoria competit, hoc & ipſe velim; ſi autem minus dignè, concedendum eſt mihi.* Et hæc verba rapiunt hæretici ad infringendam authoritatem horum librorum; En, inquiunt, author dubitat de veritate ſuæ hiſtoriæ. Sed *reſpondeo* authorem ſeſe excuſare, ac petere veniam, non de falſitate, quam metuat ſcriptis ſuis ſubeſſe, ſed de ſermone ac ſtylo, ejuſque ruditate, ſeu inelegantia. Quod ex verbis ſequentibus manifeſtum eſt: Addit enim; *Ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus*, q. d. ſtylus nimium exactus, nimiumque affectatus non ſolet ſemper eſſe gratus legentibus. Atqui Spiritus ſanctus non uno aliquo ſtylo utitur, ſed alio atque alio, pro diverſitate ſcribentium, ut ex variis Scripturæ partibus & libris eſt manifeſtum. Addo, quod pro eo quod nos habemus; *Si autem minus dignè, concedendum eſt mihi*, Græcè eſt: *Si autem exiliter, & mediocriter, hoc attingibile mihi fuit.* Ita illud (*concedendum*) non ſignificat veniam dandam, ſed menſuram, ad quam quis attingere poteſt admittendam. Similis locus eſt 2. Corinth. 11. ubi Paulus dicit de ſe: *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*, & dicere potuiſſet; concedendum mihi quod imperitus ſum ſermone. Vide ibidem noſtrum comment.

FINIS LIBRI II. MACHABÆORUM.

FINIS

ANNOTATIONUM IN VETUS TESTAMENTUM.

ANNOTATIONES

IN EVANGELIVM SECVNDVM MATTHÆVM.

CAPUT PRIMUM.

LIBER *generationis* JESU-CHRISTI. Non eſt ſenſus, hoc Evangelium eſſe librum generationis; Non enim verſatur totum hoc Evangelium, vel magna ejus pars, in recenſenda Chriſti genealogia, ſed ſenſus eſt, hic eſt liber, id eſt, Catalogus, ſeries, enumeratio generationis Jeſu-Chriſti; vel uno verbo, hæc eſt genealogia Jeſu-Chriſti. Phraſi enim Hebraica, liber accipitur pro quovis ſcripto, ſive parvo, ſive magno; quo aliquid deſcribitur, narratur, aut recenſetur. Refertur ergo non ad totum B Evangelium, ſed ad hoc initium, quo genealogia Chriſti continetur. Ita Geneſ. 5. *His eſt liber generationis Adam.* Ubi conſequenter Adæ poſteritas recta ordine recenſetur uſque ad filios Noë.

Ieſu Chriſti. Ieſus (quod Hebraicè ſcribitur Ieſuah) proprium nomen eſt illius hominis, qui ex Maria virgine natus, idem eſt filius Dei; *quod nomen vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.* Luc. 2. dicente videlicet Angelo infra hoc eodem c. *vocabis nomen ejus Ieſum*, id eſt græcè, σωτῆρα, latinè, Salvatorem. Nominis ratio ſubjungitur: *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Idem homo dignitatis nomine vocatur *Chriſtus*, id eſt, unctus. Fuit quidem C nomen *Ieſus* in veteri lege multis commune, ac frequentes eo nomine appellabantur; exemplo ſint, Jeſus filius Nave, Jeſus filius Sirach: Poſtquā verò hoc nomine vocari dignatus eſt filius Dei; factum eſt illud Chriſtianis incommunicabile, ob reverentiam Salvatoris. Sed & qui ex Judæis ad fidem Chriſti converſi, prius eo nomine vocabantur. illud religione quadam, in aliud vicinum commutabant. Sic Iaſon ille, cujus fit mentio, Rom. 16. prius dictus fuiſſe videtur *Ieſus*; item Juſtus ille de quo Coloſſ. 4. *Ieſus qui dicitur juſtus.* Simile quid in nomine Chriſti accidit; licet enim tempore veteris legis, reges, ſacerdotes, & prophetæ, ſæpius iſto nomine fuerint honorati; propriè tamen & perpetua conſuetudine novi teſtamenti, ſignificatur ille homo, D qui propter unionem in ſe divinæ naturæ cum humana, Spiritu Sancto unctus eſt *præ omnibus participibus ſuis.* Pſalm. 44. & Hebr. 1. Unde & in eo vocabulo ſolet intelligi hypoſtaſis, in quam duæ naturæ divina & humana conveniunt. Vide noſtrum comment. ad Rom. 1. v. 1 Item locis ſuprà citatis.

℣. 5. *Salomon autem genuit Booz de Rahab.* Notat. S. Hieronymus in genealogia Salvatoris nullum ſanctarum aſſumi mulierum; quod quidem verum de Rahab & Ruth non videtur, ut quæ in Scriptura non vituperantur ex profeſſo, ſed laudantur. Aliud de Thamar & Bethſabèe; quarum illa fornicata, tametſi deſiderio ſobolis; hæc adulterata cum Davide. Potius ergo dicendum videtur, has mulieres, ea occaſione poſitas in E genealogia Chriſti, quia de iis, vel earum cum viris conjunctione peculiare aliquid Scriptura prodidit.

℣. 11. *Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres ejus in tranſmigratione Babylonis. In tranſmigratione.* Id eſt, circa tempus tranſmigrationis. Nam conſtat Ioſiam mortuum fuiſſe, antequam populus in Babylonem duceretur. Quæritur autem quem dicat Iechoniam, & quomodo conſtet genealogiæ numerus, cum in ſecunda vel tertia teſſaradecade, videatur unus deeſſe? Qui-

A dam inter Ioſiam & Iechoniam, interponunt Ioachim, hoc modo: Ioſias genuit Ioachim, Ioachim autem genuit Iechoniam & fratres ejus, & hoc modo ſe inveniſſe teſtatur Rob. Stephanus in unico exemplari. Sed hoc veritati contrariatur, quia Ioachim filius Ioſiæ, non legitur niſi duos habuiſſe filios, qui in Scripturis non ita nobiles aut illuſtres fuere, ut propter eos ſpecialiter diceretur, *& fratres ejus*, quod rectè dicitur de filiis Joſiæ; quia tres illorum fuere, qui ſibi viciſſim in regnum Judaicum ſucceſſerunt, videlicet Ioachaz, & Ioachin, qui hic Iechonias dicitur, & Sedecias. Deinde cum Ioachim non niſi duos filios habuiſſe legatur; B non fuiſſet dicendum, Ioachim genuiſſe Iechoniam & fratres ejus, ſed fratrem ejus. Ita ergo ſolvitur hæc quæſtio ex S. Hieronymo, ut Iechonias filius Joſiæ, de quo dicitur, *genuit Iechoniam & fratres ejus*, diverſus ſit ab eo, de quo mox ſubditur, *Iechonias genuit Salathiel.* Nam hic Iechonias, illius Iechoniæ filius eſt, patri ſuo cognominis. Vide 1. Paralip. 3. quo loco etiam dicitur, quod Zorobabel fuerit filius Phadaiæ; ſed Phadaias iſte idem eſt cum Salathiel, qui ibidem ponitur, ſuntque plura nomina ejuſdem perſonæ, Salathiel, Melchiram, Phadaias, quod tamen alij aliter ſolvunt.

℣. 16. *Iacob autem genuit Ioſeph, virum Mariæ.* C Hæc genealogia propriè eſt Ioſeph, quæ in eo terminatur, ſicut, & ea quæ eſt apud Lucam cap. 3. quæque aſcendendo à Ioſeph incipit; hactenus tamen utraque Chriſti genealogia eſt, quatenus per genealogiam ſeu genus Joſeph oſtenditur genus Chriſti, eo quod Maria erat de eadem tribu & ſtirpe, de qua Ioſeph. Debuit enim Maria, quia fratres non habebat, nubere viro non ſolùm ex eadem tribu, ſed etiam ex cognatione; ne poſſeſſio nimium diſtraheretur, idque ſecundum legem, Numer. ult. Unde & Tob. 6. & 7. Raguel Tobiam vocat ſuum conſobrinum, & fatetur filiam ſuam unicam debere conjungi cognationi ſuæ (non dicit tribui ſuæ) ſecundum legem Moyſi. *Quæritur* 1. Utrum ex hac genealogia doceri poſſit, B. Virginem D fuiſſe ex ſemine David? Reſpondetur id directè probari de Ioſeph, ex conſequenti tamen etiam de B. Virgine; ut ex dictis eſt manifeſtum. Cæterum S. Auguſtin. lib. 2. de conſenſu Evangeliſtarum cap. 1. & lib. 23. cap. 10. contra Fauſtum Manichæum, docet B. Virginem ex ſtirpe David genus duxiſſe; quia Scriptura dicit Chriſtum eſſe ex ſemine David, & ejus matrem ſine ullius concubitu virginem Mariam: atque hoc dicit eſſe ex Scriptura clariſſimum & fortiſſimum documentum. Vide quæ diximus in Epiſt. ad Rom. 1. ad illa verba, *ex ſemine David ſecundum carnem.* *Quæritur* 2. quare per Ioſeph, & non per Mariam genealogia Chriſti texatur. Reſpondet S. Hieronymus, primum, non eſſe conſuetudinis ſcriptu- E rarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur: deinde, quia erant ejuſdem tribus, unde ex lege eam accipere tenebatur ut propinquam reſpiciens ad legem Num. ult. ſuprà citatam. Notandum quoque eſt Matthæum & Lucam, recenſentes genus Ioſeph & non Mariæ, ſeſe, quantum licuit, attemperare voluiſſe opinioni Judæorum, qui dicebant Ieſum eſſe filium Joſeph. q. d. & ſic oſtenditur eſſe filius David; quia Joſeph erat ex filiis David. *Quæritur* 3. An Chriſtus ortus ſit ex David per Salomonem,

No-

Negant multi, putantque à Luca deſcribi genus Chriſti ſecundum carnem, per Heli, id eſt Ioachim patrem Mariæ, & ſocerum Ioſeph; ducit autem ille genus Chriſti ex David per Nathan. Contraria tamen ſententia probari videtur his argumentis. 1. Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus & regnabit in domo Iacob in æternum.* Ubi ſignificatur, quod Chriſtus tanquam David, cæterorumque regum Iuda filius, regnum illud David, quod ipſe David & Salomon & cæteri tenuerunt, etiam teneret, idque in æternum; ſed commutato regno temporali in ſpirituale. Nam in ſede David ſederunt Salomon & cæteri, continuata ſtirpe uſque ad Iechoniam, qui ductus eſt in captivitatem cum populo, de quo dicitur Ierem. 22. *Scribe virum iſtum ſterilem. Reſpondetî ſolet*, hoc ideo dici, quia in illo ſtetit ſucceſſio regum. Quæ reſponſio ſupponit Chriſtum ex Ioachim ſive Iechonia genus ducere, & proinde ex Salomone, & cæteris mediis. Vide ibi noſtra; & hanc reſponſionem clariſſimè habet S. Hieronymus, omnino ſupponens & affirmans Chriſtum ex Iechonia genitum ſecundum carnem. *Secundò* Promiſſiones factæ Davidi 2. Reg. 7. & 1. Paral. 17. & Pſalm. 88. & 131. & alibi, non videntur bene conſiſtere, niſi per Salomonem, Chriſtus ex David natus ſit. Unde de Salomone in figura Chriſti dictum eſt; *Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium.* Item: *Firmabo ſolium ejus uſque in ſempiternum.* Et iterum: *Statuam eum in domo mea, & in regno meo uſque in ſempiternum, & thronus ejus erit firmiſſimus in perpetuum.* Ex quo patet quod etiam ſedes Salomonis, in poſteris ejus ſit æterna, & Pſal. 88. *Iuravi David ſervo meo: uſque in æternum præparabo ſemen tuum: & ædificabo in generationem, & generationem ſedem tuam.* Et infrà: *Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli.* Et iterum: *Semel juravi in ſancto meo; ſi David mentiar? ſemen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus ſicut ſol in conſpectu meo &c.* Et Pſalm. 131. *Iuravit Dominus David veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Et filij eorum uſque in ſæculum, ſedebunt ſuper tuam.* Hæc autem omnia in Chriſto completè perfecta ſunt; quod regnum ſuo modo perpetuum, id eſt, diuturnum per ſucceſſiones filiorum David, in ipſo, ex iiſdem oriundo, commutatum ſit in regnum ſpirituale, idemque perpetuo ac ſine fine duraturum. Unde dicit Angelus ad Mariam Luc. 1. *& regni ejus non erit finis. Tertiò,* quia, ut notat idem S. Hieronymus ad Iſaiæ 38. Ezechias rex indicata ſibi morte per Iſaiam Prophetam, ideo doluit quod nondum haberet prolem, deſperaretque Chriſtum ex ſemine ſuo naſciturum. Erat ergo perſuaſio regum etiam ſanctorum, Meſſiam ex ipſorum proſapia naſciturum. Et infrà, ad illud, *Generatio mea ablata eſt*; Timet ergo (inquit) ne generatio ipſius inſtar tabernaculi diſſolvatur, ne in telæ ſimilitudinem in ipſo lucis exordio præcidatur; & nequaquam de ſemine ejus Chriſtus oriatur. Vide alios ejus loci commentatores, & noſtra. Denique ſi per Nathan & non per Salomonem ortus eſt Chriſtus ex David; non ergo ex regali progenie ortus eſt; ſed ex unius regis David ſtirpe, per homines cæteros obſcuros: at Eccleſia canit de virgine Matre Chriſti; *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* Vide quoque F. Lucam in comment. ubi bene probat quod per Salomonem ex Davide Chriſtus deſcendat.

℣. 17. *Generationes quatuordecim.* Quomodo conſtet hic numerus, diximus ſuprà hoc eodem cap. v. 11. ad illud, *genuit Iechoniam.* Quid verò myſterij contineant ter quatuordecim generationes, vide ſi lubet, apud Prudentium in Apotheoſi contra Phantaſmaticos ſatis doctè explicatum.

℣. 18. *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Ioſeph.*

A Sic deſponſata, ut & uxor ſive conjux eſſet. Ita enim hoc eodem capite vocatur ab Angelo; & ipſe Ioſeph ab Evangeliſta vir ejus dicitur. Lucas verò c. 2. utrumque conjungit; *cùm deſponſata ſibi uxore.* Sed & hodie uxor ſponſa vocatur, quando nondum eſt cognita. Egimus de hoc B. V. cum Ioſepho matrimonio in 4. diſt. 30.

Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens. (*Habens*) pro (habere) poſitum eſt. Sic infrà cap. 11. *Cum conſummaſſet præcipiens*, & alibi frequenter. Hunc locum, uti & illum verſ. 24. *Et non cognoſcebat eam donec peperit filium ſuum primogenitum*: olim Helvidius, ejuſque ſectatores detorſerunt ad impugnandam perpetuam virginitatem Deiparæ virginis; ex quibus ſic ratiocinantur: ſi inventa eſt in utero B habens antequam convenirent: conſequens eſt ut poſtea convenerint. Et, ſi non cognoſcebat eam donec peperit primogenitum; conſequens eſt ut cognoverit eam, poſtquam peperit primogenitum. Item, ſi primogenitum habuit filium; habuit & poſteros genitos, quia primus non dicitur niſi reſpectu poſteriorum. His rationibus jam olim reſpondit S. Hier. contra Helvidium ſcribens, ubi pluribus exemplis oſtendit, hæc vocabula (*antequam donec*) non ſignificare quod poſtea factum ſit, id enim indefinitum relinquitur; ſed quod antea vel factum ſit, vel non factum. Ita dum dicitur: Pſalm. 109. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: non ſignificatur poſt ſubjectionem inimicorum, filius Dei non amplius ſeſſurus ad dexteram patris. Ita Iſaiæ 22. *Si* C *dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini;* ubi non ſignificatur poſt mortem dimittenda. Item Pſalm. 111. dicitur de juſto, *In æternum non commovebitur.* Et iterum: *Non commovebitur donec deſpiciat inimicos.* Ex quo manifeſtè liquet, vim illius vocabuli (*donec*) non eam eſſe, ut terminet verbum præcedens, ſed ipſum indeterminatum relinquere, ita ut æternitati non repugnet. Idem in voce (*antequam*) frequentiſſimè uſu venit, ut videre eſt in his locis, Iſaiæ 37. *Sicut herba tectorum, quæ exaruit antequam maturſceret.* & 66. *antequam parturiret, peperit.* & 65. *eritque antequam clament, ego exaudiam.* Pſalm. 57. *Priuſquam intelligerent ſpinæ veſtræ rhamnum*, ſecundum textum Hebr. Eccleſiaſt. 51. *Priuſquam aberra-* D *rem quæſivi ſapientiam*, & plurimis aliis. Sed & apud profanos authores talia non rarò leguntur. Sic Hippocrates de quodam delirante, ait; Mortuus eſt priuſquam reſipiſceret. Ubi non eſt ſenſus, quod poſtea reſipuerit. Quin & in vulgari ſermone res ita ſe habet; Si enim dicam, hic mortuus eſt priuſquam annum trigeſimum attinget; non ſignifico eum poſtea annum trigeſimum attigiſſe, aut ſi dicam, Helvidius mortuus eſt antequam pœnitentiam ageret, non ſignifico eum poſtea pœnitentiam egiſſe, imò verò ex eo quod dicitur: *antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto*: magis colligitur eos poſtea non conveniſſe. Significatur enim, quod finem congreſſus conſecuti ſunt ſine congreſſu, videlicet E prolem. Exempli gratia. Si dicam, ſanatus eſt antequam ad medicum veniret, magis ſignificatur quod poſtea non iverit ad medicum, quia conſecutus eſt quod quærebat. Item ſi dicam, aliquem profectum Romam, ut pontificem videret, ſed antequam eò veniſſet, vidiſſe pontificem Mediolani aut Venetiis, magis conſequens eſt eum poſtea Romam non profectum, quàm profectum fuiſſe, quia profectionis finem conſecutus eſt, antequam eò veniret. Ita & hîc, *antequam convenirent, inventa eſt in utero habens*: & proinde opus non fuit ut convenirent cauſa prolis habendæ. Dicere quidem poſſet aliquis, poſtea eos conveniſſe, cauſa ſecundæ & tertiæ prolis: ſed nobis ſufficit oſtendiſſe, hoc, ipſa phraſi non ſignificari,

ſed potius contrarium. Quam verò ſtivolum ſit argumentum quod ex nomine primogeniti ſumitur, quis non videt? Primogenitus enim in lege dicitur, non poſt quem alij, ſed ante quem nullus alius; ſive eum aliquis ſequeretur, ſive non; & ut dialecticè loquar, (primus negativè exponitur, non affirmativè. Ratio eſt, quia lex præcipiebat offerri pro primogenito ſacrificium, & redimi ipſum ſtatim ut natus eſſet, neque permittebat expectari donec alius poſt eum naſceretur, cujus reſpectu primus diceretur. Sed & hodie dicimus mulierem ex primo partu, atque ex primo infante occubuiſſe; ubi certum eſt, nec alium partum, nec alium infantem ſequi; & dicimus regem aliquem, vel Pontificem, mortuum eſſe primo anno regni, aut Pontificatus ſui, ubi ſecundus non ſequitur. Atque hæc pro honore intemeratæ virginis dicta ſint, quibus & in honorem ſponſi hoc adjicimus, ſcilicet contineri his verbis magnum teſtimonium caſtitatis Joſeph, quod etſi ignarus ſecreti myſterij, opus conjugale tamen non cogitaverit, uſque ad finem trium menſium, quando poſt reditum B. Virginis ab Elizabeth, vidit uterum eius intumeſcere, & fortè divinitus ita proviſum fuit, ut per trimeſtre abeſſet virgo, ne maritus eius intereà acciperet occaſionem tentandi conſummationem matrimonij, ſed utero jam intumeſcente, omninò abſtinendum ſibi duceret, & ſuſpicionem ſiniſtram ab eo depelleret Angelus.

ŷ.19. *Voluit occultè dimittere eam.* Publicè dato libello repudij dimittere non poterat gravidam, quia proles non erat alienanda à patre: Joſeph autem non potuiſſet negare eam ex ſe gravidam eſſe, niſi voluiſſet accuſare eam adulterij. Adulteræ verò non dabatur libellus, quia lapidanda erat. Item, adulterium probare non poterat, licet ſuſpicatus fuiſſet. Unde nec licebat illam traducere; & ideo additur *cum eſſet juſtus.* Nam nec verum crimen quod eſt occultum & probari non poteſt, licet proferre in publicum. Notandum quoque, pro (voluit) in Græco eſſe *ἐβουλήθη* diverſum ſcilicet verbum ab eo quod paulò ante habetur, ubi dicitur, & *nollet eam traducere*, Græcè *μὴ θέλων*. Magis itaque ſignificatur cogitatio, deliberatio ſeu conſultatio, quàm voluntas certa & fixa, & ſenſus eſt: capiebat conſilium de ea dimittenda, verſabat eam rem animo, jam tale quid cogitabat. Unde poſtea ſequitur; *hæc autem eo cogitante ecce Angelus Domini, &c.*

ŷ.20. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Ben. Arias vult, accipere conjugem, hic poni, pro ducere eam domum, ſicut & occultè dimittere, pro abſolvi à ſponſalibus. Sed inconvenienter. Jam enim Joſeph eam habebat uxorem, de qua dimittenda cogitabat; & ipſe, ut ad ſuperiorem verſum, diximus, vocatur vir eius, & ipſa eius uxor. Et unde Joſeph cognovit quod haberet in utero, ſi non duxerat eam domum? an non etiam res abſurda & indigna eſt, quod S. Virgo adhuc in domo parentum exiſtens habuerit in utero? Quod ſi ita eſt; magis parentibus eius, quàm Joſepho debuit per Angelum ſignificari quod concepiſſet ex Spiritu S. Item ſequeretur quod conceperit non in matrimonio, ſed ante matrimonium; & ita apud Judæos non potuiſſet evadere notam fornicationis, & pœnam mortis lege conſtitutam; quia virum nondum habebat. Quis autem credidiſſet parentibus de filia in ipſorum domo gravida, necdum virum habente, ſi dixiſſent eam concepiſſe de Spiritu Sancto?

ŷ.20. *Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu S. eſt.* Cum tota Trinitas operata ſit incarnationem Filij Dei; quæritur quare hoc opus peculiariter tribuatur Spiritui S. non hic tantùm, ſed & Luc. 2. atque etiam in Symbolo fidei? *Reſpon.* id propterea fieri, quia ſicut Patri appropiatur potentia; Filio verò ſapientia, ita Spiritui S. tribuitur bonitas, & quæ ex ea procedunt gratiarum dona. Vide noſtra in 3. diſt. 4.

A ŷ.23. *Et vocabunt nomen eius Emmanuel.* Qui verum id eſt, cum nuſquam toto Evangelio, neque alibi Chriſtum ſic vocatum legamus? R. phraſi Hebr. nomen pro re ſumi, ut ſenſus ſit, erit verus Emmanuel, quia nobiſcum Deus, Deus & homo. Ita nomen in prophetis ſæpè intelligitur. Sic quod alicubi dicit Dominus, propter me, alibi dicit, propter nomen meum. Item *Iſaiæ* 9. *& vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, &c.* uſque ad ſex nomina; ubi non aliud ſignificatur, quàm Chriſtum revera futurum admirabilem, &c. & celebrandum talem.

ŷ.24 *Filium ſuum primogenitum.* Quis in lege dicatus primogenitus, & reſpectu cuius, dictum eſt ad v. 18. Nunc quæret aliquis, cur pari ratione Chriſtus non dicatur filius primogenitus Dei Patris, ſicut B virginis matris cum utrique ſit unicus? Videtur dicendum, quia ita ex patre eſt natus, ut poſt eum & præter eum, nullus alius omninò naſci potuerit; quia planè impoſſibile eſt ex Deo alios naſci filios; quod non eſt impoſſibile ſecundum abſolutam Dei potentiam de matre, etiam virgine. Vide annotat. Col. 1. ad illud, *primogenitus omnis creaturæ.*

CAPUT II.

ŷ.1. *IN diebus Herodis regis.* Herodes alienigena erat, ſed proſelytus; ut teſtatur Hieronymus ſuper Oſeæ cap. 3.

ŷ. 1. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ieroſolymam.* Vox Syriaca, maguſcha, quamvis in Thalmudicis C libris malè ſonat, nimirum ſignificans deditos artibus magicis; in Syriaco tamen teſtamento, ſicut apud Perſas, vocabulum eſt honeſtum, ac ſignificat homines tum ſapientia, tum religione claros: ut habet Annotat. Syriacæ verſionis. Quales verò hi Magi fuerint & unde venerint variè diſputatur. Quæritur etiam, utrum ſicuti communiter vocantur, ita verè reges fuerint? Veriſimilior ſententia eſt, non fuiſſe niſi fortè generaliori ſignificatione, qua reges interdum vocantur, homines potentes aut reguli, quales plurimi erant in terra Chanaan, quando à filiis *Iſrael* fuit occupata. Sic Tob. 2. amici Job vocantur reges. Non fuiſſe autem propriè reges; probatur, quia hoc certè Evangeliſta non tacuiſſet, reges à longinquis regionibus veniſſe ad infantem Chriſtum adorandum, maximè quia hoc videretur D conſonum eſſe vaticiniis, Pſalmo 71. *Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent.* Item ex eo, quia dicit Evangeliſta, *Qui cum audiſſent regem*, ſi enim & illi fuiſſent reges; non diceret, *cum audiſſent regem*, ſed Herodem. Quæri hic etiam poteſt utrum adventus Magorum, prior fuerit præſentatione Chriſti in templo, an poſterior? Priorem fuiſſe apparet, quia feſtum Epiphaniæ Domini, qua Magis, id eſt gentibus apparuit, Eccleſia celebrat viginti ſeptem diebus ante feſtum præſentationis eius; tum quia poſt præſentationem Hieroſolymis factam, non videntur parentes eius reverſi in Bethlehem, ſed in Nazareth. Sic enim ait Luc. cap. 2. *Et ut perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam in civitatem ſuam Nazareth.* At Magi puerum E in Bethlehem invenerunt. Adde, quod ſi Magi poſtea veniſſent, non inveniſſent puerum in præſepio jacentem, quod de iis canit Eccleſia. Non enim credibile eſt, totis quadraginta & amplius diebus, non potuiſſe locum reperiri in diverſorio, ut neceſſe eſſet tenellum infantulum tamdiu præſepium habere pro cunis aut lectulo. Verumtamen poſterius adveniſſe Magos ex his certè probabilius apparet; primum, quia in Oriente jam viderant ſtellam nati regis, ſic enim ſciſcitantur, *Ubi eſt qui natus eſt rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in Oriente.* Veriſimile eſt autem quicumque ille locus Orientis fuit, ex quo venerunt Magi, pluſquam itinere tredecim dierum abfuiſſe

à Bethleem. Deinde quia ſtatim poſt diſceſſum Magorum, Joſeph in ſomnis monitus eſt, ut eum puero & matre fugeret in Ægyptum. Item, ſi poſt adventum Magorum, & inquiſitionem novi regis in Bethleem nati fuiſſet infans Ieruſalem, ubi Herodes erat, adductus, & in templo præſentatus; quomodo non fuiſſet objectus manifeſto diſcrimini necis ab Herode inferendæ? præſertim cum in ipſa etiam præſentatione quædam miranda acciderint, ex quibus puer ille Bethleemiticus, cuius famam concitaverant Magi, poſſet innoteſcere; ut Simeonis ſenis & Annæ viduæ Prophetica ſuper puero verba. Jamdudum enim tempus lapſum erat (ſi viginti ſeptem diebus præſentatio fuit poſterior) quo debuerant Magi referre reſponſum ad Herodem; qui proinde deluſum ſe dolens, & rem totam habens ſuſpectam; ſibique ac regno metuens, jam ſine dubio id verſabat animo, quod poſteà perfeciſſe eum, ſcribit Evangeliſta. Denique ſi præſentationem ſecutus eſt Magorum adventus; planè ceſſat quæſtio, de qua annot. Luc. 2. cur auro à Magis oblato ditata mater Chriſti, non obtulerit aurum in templo, pro ſua purificatione. Porrò quæ in diverſum allata ſunt, haud incommodè ſolvi poſſunt: ac primum quidem, ſi dicamus Eccleſiam feſtum Epiphaniæ celebrantem, accipere diem certum pro incerto, ut in aliis quibuſdam facit. Nam non tantum adventus & adorationis Magorum, verùm etiam Baptiſmi Chriſti, & aquæ in vinum converſæ in nuptiis, memoriam, illo eodem die celebrat Eccleſia; cum tamen de duobus poſtremis quo die acciderint, haud quaquam ei conſtet. Quid igitur vetat idem quoque dici de Magorum adventu? Secundum verò, Quia Lucas non dicit ſtatim ac continuo, poſt omnia ſecundum legem perfecta, parentes Domini reverſos fuiſſe in Nazareth. Quare reditus ille in Nazareth, rectè intelligitur factus poſt reverſionem in Bethleem ubi ſua reliquerant. Dices, quid opus erat ut poſt pueri præſentationem Ieroſolymis factam Ioſeph cum puero & matre eius rediret in Bethleem, ac non potius rediret in Nazareth? viciſſim ex te quæro, quid opus erat, ut Ioſeph ex Ægypto reverſus, iret in terram Iuda, videlicet in Bethleem (illuc enim iturus erat, niſi audiviſſet Archelaum filium Herodis, illic regnare pro patre ſuo) ac non potius iret in Nazareth civitatem Galilææ; quod ut faceret ab Angelo monendus erat? Itaque ad utrumque communis reſponſio eſt; Bethleem regale oppidum ei pro habitatione placuiſſe, quod locum illum jam reputaret ſanctificatum nova nativitate novi regis, nec debuiſſe puerum JESUM, alio loco educari, quàm ubi natus fuerat. Ad 3. Reſpondeo, Si tredecim diebus, tenellus infans, relictus eſt in præſepio (quod neceſſe eſt fateantur, ſi volunt propriè verum eſſe quod Eccleſia canit) mihi non incredibile videri, ſi etiam ad quadrageſimum uſque diem & ultra, relictus eſt in eodem cubili. Sed fortè id Eccleſia non canit pro certo; ac probabilius, quod pauló pòſt, turba hominum, qui ad diverſorium venerant, dilapſa, locus commodior puero cum matre fuerit à Ioſeph procuratus. (Et textus Scripturæ hic expreſsè dicit, Et intrantes domum. Additio hæc eſt Cenſoris.) Auguſt. libr. 2. de conſenſu Evangel. cap. 11.

℣. 2. *Ubi eſt, qui natus eſt, rex Iudæorum?* *Quæritur*, an Chriſtus verè fuerit rex Judæorum, quoad regnum temporale? *Reſpondeo*, ſecundum opinionem illorum, qui Chriſto ut homini tribuunt omnem poteſtatem juriſdictionis ac dominij, etiam temporalem, dicendum eſſe Chriſtum non ſolùm Judæorum, ſed etiam Romanorum, ac totius mundi, regem fuiſſe. Sed illa opinio magnis rationibus refellitur. Quæritur autem an Chriſtus ratione ſucceſſionis hereditariæ ex ſtirpe David, Judæorum rex fuerit? *Reſpondeo* non fuiſſe. Neque enim vel divino jure,

A vel humano ſpectabat regnum Judaicum ad poſteritatem Davidis; & jam principatus illius populi translatus fuerat ad Roman. imperium, à quo Herodes populo præfectus erat, cum titulo regis. Quin, etſi jure debitum fuiſſet regnum poſteris David, haud conſtat tamen idcirco Chriſto, ratione ſucceſſionis, debitum fuiſſe, quia multi erant poſteri David. Item, valde notandum, quod etſi Chriſto debitum fuiſſet regnum Judaicum per ſucceſſionem; tamen non fuiſſet rex niſi duarum tribuum, quia poſteri David, à Roboam ac deinceps jure tantum tenuerunt duas tribus; ut liquet ex Scriptura. Itaque, re bene conſiderata, quæſtio hæc tantum eſt, de regno duarum tribuum.

Vidimus enim ſtellam eius in Oriente. Fulgentius B in ſerm. de Epiphania. Hæc ſtella, inquit, nunquam ante apparuit, quia nunc puer iſte eam creavit: ſed creationem intellige ex aliqua præexiſtente materia. Nam valde probabile eſt, omnium rerum, etiam earum quæ ſola virtute divina ſubinde producuntur, materiam factam eſſe in mundi principio. Quidam dicunt hanc ſtellam, licet cometa non fuerit, fuiſſe tamen meteorum quoddam igneum ac lucidum, divina virtute generatum in ſublimi aëre. Nihil tamen vetat, imò rei ſignificatæ majeſtati valde congruit, ut dicatur fuiſſe in ſublimi cœlo ſtellato, motumque habuerit, quem Deus voluit, ad manifeſtandam gentibus, filij ſui nativitatem. Quid enim mirum? quando & anno 1572. his oculis vidimus ſtellam novam, C durantem toto anno, non cometis, ſed ſtellis perpetuis ſimilem, clarè & pulchrè lucentem, quæ doctiſſimorum aſtronomorum judicio, non ſub luna, ſed longè ſupra, inter ſtellas firmamenti, in ſede Caſſiopææ collocata erat. Quæ quidem ita torſit ingenia omnium naturaliter Philoſophantium, ut exitum difficultatis prorſus non reperirent, niſi manifeſtum agnoſcendo miraculum, aut fatendo generationes & corruptiones fieri in cœlo. Verumtamen etiam probabile eſt, ſtellam illam quę Magis apparuit, in ſublimi aëreo cœlo fuiſſe; hoc enim ducatui hominum magis congruit. Confer. v. 9.

℣. 4. *Et congregans omnes principes Sacerdotum & ſcribas populi.* Græcè ἀρχιερεῖς, quod etiam verti poteſt, Pontifices. At cum Iudęi uno tempore, unum tantum D haberent Pontificem, quomodo congregaſſe dicitur omnes Pontifices? niſi quia plures erant, qui Pontificatum adminiſtrabant diverſis annis, idque per vices, ſcilicet conductu annuatim à Romanis eo magiſtratu. Quamquam dici etiam poteſt, & ut apparet probabilius, ἀρχιερεῖς, hic vocari non ſolùm illos qui omnium primi erant, ſed quorum quiſque princeps erat in ſua claſſe. Nam viginti quatuor claſſes, ſeu familiæ Sacerdotum inſtitutæ erant à Davide. 1. Paral. 24. quarum ſingulæ ſuum habebant principem; quo nomine etiam eo loco vocantur. Nota legem requirendam ex ore Sacerdotis, etiam mali; unde & bene ſecundum legem reſponderunt iſti, dicentes eum naſciturum in Bethleem Iuda; & viam rectam aliis monſtraverunt, quam ipſi non ſunt ingreſſi. Illud quoque notandum, apud Judæos adeo E non ignotum fuiſſe, quod Chriſtus ex Bethleem naſciturus eſſet, ut etiam vulgo, certè quibuſdam ex vulgo, hoc notum fuerit. Unde Ioan. 7. Quidam ex turba dicunt: *Numquid à Galilæa venit Chriſtus? nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David, & de Bethleem caſtello ubi erat David venit Chriſtus?*

℣. 6. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda.* Mich. 5. *& tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Iuda.* Quomodo hæc duo conſentiant, vide annot. ad dictum locum Mich. 5.

℣. 7. *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ, quæ apparuit eis*, & infrà v. 16. *& mittens occidit omnes pueros — à bimatu & infra, ſecundum*

ſecundum tempus quod exquiſierat à Magis. Tempus ſtellæ vocat, à quo ſtella cœperat apparere. Nam idem eſſe tempus, ſive ætatem, pueri nati, exiſtimabat Herodes.

℣. 11. *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, &c.* Quæritur an invenerint puerum in præſepio jacentem? ſic enim canit Eccleſia, *Hodie ſtella Magos duxit ad præſepium.* At contra, non eſt veriſimile B. Virginem paſſam fuiſſe, ut puer tam diu non alia haberet cunabula, quàm præſepe, præſertim remota jam illa neceſſitate, quæ propter multitudinem diverſantium excludebat eam à diverſorio. Pro hac & præcedenti annot. Vide ſuprà ad v. 1. in fine.

Et procidentes adoraverunt eum. Ergo & in Euchariſtia Chriſtus adorandus eſt. Neque enim refert qua ſpecie nobis apparere & exhiberi velit, ſive hominis viri, ſive infantuli, ut hic, ſive ſub ſpecie panis & vini; modò conſtet ipſum ibi eſſe, vel contineri, ipſe enim quomodocumque & ubicumque appareat, verus Deus eſt & ob id unum adorandus. Deinde frivolum eſt, quod ſectarij aiunt, Chriſtum non ad hoc nobis exhiberi in Euchariſtia, ut adoretur, ſed ut manducetur. Nam nec Chriſtus erat in Betbleem ut adoraretur; nec omnino eo fine in terras deſcendit, ut adoraretur, prout ipſe dicit infrà cap. 20. *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, &c.* & tamen à Magis & à diſcipulis ſuis, & à cæco illuminato, in terris; imo adhuc in hac mortalitate poſitus, adoratus fuit. Ita nec rex ad hoc eſt in ſuo conclavi, vel in aula ut honoretur; nefas tamen eſt, ut quiſquam ad eum ingrediatur, qui ſine debita reverentia & honore præmiſſo; ipſum alloquatur. Si *quæras* quomodo adoraverint? *Reſpondeo*, omninò veriſimile eſt quod, ut S. Maximus Homil. 6. de Epiph. & plerique patres affirmant, adoraverint cultu latriæ. Sicut enim revelationem divinitus acceperunt, quod ſtella quæ apparuit, ſignificaret natum regem Judæorum, quodque ad eum adorandum cum muneribus proficiſci deberent; ſic planè credibile eſt, eos ex eadem divina revelatione ſeu admonitione angelica, didiciſſe, quo genere honoris eum colere deberent, nempe divini. Revelationem autem Angelicam eos habuiſſe, vel inde conjice, quod poſtea etiam reſponſo in ſomnis accepto, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.

Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham. Aurum regi, thus Deo, myrrham homini mortali. Sic Iuvencus & eum citans S. Hieron. in commentario: *Aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque, dona ferunt.* Prudentius quoque in Hymno Epiph. & S. Fulgent. in ſerm. de Epiph. Claudianus in miraculis Chriſti, ſic: *Dant tibi Chaldæi prænuntia munera reges: Myrrham homo, rex aurum, ſuſcipe thura Deus.* Alij in thure ſignificatum volunt Chriſtum eſſe Sacerdotem, juxta illud quod canit Eccleſia; *in thure Sacerdotem maximum conſidera.* S. Maxim. Hom. 3. Epiph. In auro, inquit, oſtenditur captivitatis noſtræ precioſa redemptio, in thure autem dæmoniorum ſuperſtitio ceſſatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur; in myrrha verò, qua exanima ſolent corpora reſervari, præfiguratur carnis noſtræ reparatio, & reſurrectio mortuorum. Denique quod hi reges adoraverint Chriſtum, & obtulerint ei aurum ad præſepe; ſignificat reges ad Chriſtum converſos, ſubmiſſuros capita Vicario Chriſti, & auro Eccleſiam daturos. Nos quoque Magorum exemplo, munera Chriſto offeramus, aurum bonorum operum, thus devotæ orationis, & myrrham mortificationis.

℣. 14. *Et ſeceſſit in Ægyptum.* Veriſimile eſt Ioſeph cum Jesu & matre ejus moratum fuiſſe in aliquo Ægypti loco, ubi morabantur Judæi, velut Alexandriæ. Nam Judæos permultos in Ægypto habitaſſe, nimirum à tempore Ieremiæ Prophetæ, conſtat ex Ioſepho,

A nec non ex c. 1. lib. 2. Machab. fit eorum etiam mentio, Act. 2. & rurſus Act. 6. ſub nomine Alexandrinorum.

℣. 15. *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Pro ſenſu hujus loci. vide Oſeæ 11.

℣. 16. *Videns quoniam illuſus eſſet à Magis.* Phraſi Hebraica decepti dicuntur illuſi. Senſus igitur eſt. Videns ſe deceptum à Magis, non redeuntibus, uti promiſerant. Vide noſtra 2. Pet. 3. ad illud, *in deceptione illuſores.*

℣. 20. *Surge — & vade in terram Iſraël: defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Enallage numeri in ſacris litteris uſitatiſſima uſus eſt, ſive Angelus, ſive Evangeliſta de ſolo Herode loquens, hoc enim præceſſerat, *defuncto autem Herode.*

℣. 23. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetas,* B *Quoniam Nazaræus vocabitur.* S. Hieronymus in commentatio negat ſumptum eſſe è certo loco Scripturæ teſtimonium, eò quòd dicatur plurali numero per Prophetas; idem tamen præfatione in Moyſi Pentateuchum, dicit haberi in Iſaia ſecundum Hebraicam veritatem, atque inter ea enumerat, quæ in novo teſtamento ex veteri ab Apoſtolis citata, in vulgatis codicibus, id eſt, Septuaginta verſione non habentur; quod ipſe de libris Hebraicis proferre ſe poſſe affirmat. Videtur Hieronym. reſpicere ad locum Iſai. 11. *& flos de radice ejus aſcendet*; ſed vide Ianſenium. Magna enim quæſtio eſt, quomodo rectè doceat Evangeliſta, illud quod dictum eſt per Prophetas, *quoniam Nazaræus vocabitur,* C impletum fuiſſe, per hoc quod Chriſtus habitavit in Nazareth, cum Nazaræi qui in veteri teſtamento dicuntur, longè alia ratione dicantur, ſintque vocabula diverſæ ſignificationis, & apud Hebræos diverſis characteribus conſtantia. Quare S. Hieronymo aſſentiendum recurrenti ad locum Iſaiæ 11. Idem docet & quidem apertius epiſt. 101. ad Pammachium c. 3. Cæterum notandum hoc nomen Græcè tribus modis ſcribi partim in Evangeliis, partim in Actis Apoſtolorum; plerumque quidem Ναζωραῖος ut eſt hoc loco, aliàs Ναζαρηνὸς, interdum, etiam Ναζαραῖος per alpha, niſi mendum ſit in codicibus. Quare autem Chriſtus potius dictus ſit Nazaræus, quàm Bethleemita, vide annotat. Ioan. 19. & Franciſcum Lucam in hunc locum.

CAPUT III.

D

℣. 2. P*Œnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cælorum.* Pauca quidem verba, ſed quæ ſummam ferè totius Evangelicæ prædicationis complectantur. Unde & Chriſtus ſequenti cap. iiſdem planè verbis Evangelij ſui prædicationem auſpicatus eſt. Pro eo quod Latinè dicitur, *pœnitentiam agite*, Græcè eſt una vox, μετανοεῖτε, quod in Actis ſimiliter una voce reddidit interpres, *pœnitemini*: quod Græcum verbum, ſi vocis originem attendamus, idem erit quod, transmentamini, ſeu reſipiſcite, nam μετάνοια transmentationem ſonat, ſi etymon attendamus; unde & hæretici noſtri temporis, ex hac voce ſumunt argumentum, ut doceant non aliud eſſe pœnitentiam, quàm vitæ mutationem in melius. Quibus ut reſpon- E deamus, primo ſciendum invalidum eſſe argumentum, quod hoc modo ducitur ex etymologia vocis: frequenter enim contingit vocem latius aut contractius uſurpari, quam ſinat ratio etymologica. Proinde videndum, quam ſignificationem uſus vocabulo tribuat: uſu autem loquentium & ſcribentium μετάνοια Græcis non aliud eſt, quàm pœnitentia Latinè. Præſens autem locus, non qualemcumque requirit pœnitentiam, id eſt, animi dolorem ob peccatum commiſſum, ſed eum qui conjunctus ſit, cum ſtudio placandi eius, qui peccato læſus eſt; idque etiam per aliqua ſigna & opera externa. Qui enim audiverunt ex Ioanne illud, μετανοεῖτε, obedientes illi voci, ſuſceperunt ab

eo baptiſma pœnitentiæ, confeſſi ſunt peccata ſua, dictúmque eſt eis: *Facite fructum dignos pœnitentiæ.* Hoc ergo totum in pœnitentia à Ioanne prædicata, continebatur. *Notandum* hic contra hæreticos, quod, cum illi ſolam fidem prædicent, Ioannes & Chriſtus à prædicatione pœnitentiæ legationem ſuam auſpicati ſint. *Dices* aliquis, fides eſt pœnitentia prior, oportebat ergo Ioannem & Chriſtum prius fidem prædicare, deinde pœnitentiam. *Reſpondeo*, ſic agendum apud eos, qui omninò ſunt infideles. Sic fecerunt Apoſtoli in Actis apud gentiles, quos primum evocabant ab idololatria ad cultum veri Dei; & deinde pœnitentiam & ſanctam converſationem prædicabant. Ioannes autem & Chriſtus Judæis prædicaverunt; qui verum Deum colebant, ſed multis peccatis erant obnoxij. Chriſti autem fides paulatim declaranda erat: Nam Chriſtus nondum erat manifeſtatus; & ita ad fidem Jesu Chriſti in particulari, nondum aſtringebantur; & tamen Ioannes Chriſtum non tacuit, dicens: *Qui autem poſt me venturus eſt, fortior eſt me.* Ita quoque egit S. Petrus, Actor. 2.

℣. 2. *Appropinquavit enim regnum cælorum. Appropinquavit*, non appropinquabit, legendum eſſe & hoc cap. & ſequenti docent utroque loco incorruptiores manuſcripti codices, Græco textui conſentientes. Quomodo & Marci 1. legitur, nullo codice diſcrepante, *Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei.* Ex quo etiam loco docetur, idem eſſe *regnum cælorum*, ut hic vocatur, & *regnum Dei*, ut illic. Dicitur illud appropinquaſſe, quia jam prope acceſſerat, & quaſi in foribus aderat: Chriſtus enim venerat, jam jam manifeſtandus, & prædicaturus Evangelium; qua prædicatione fundamenta jacere cœpit regni ſui, qui regnaturus erat per fidem, & charitatem in hominibus. Quod regnum, eſt Eccleſia Chriſti diffuſa per omnes gentes. Regnum autem dicitur ob multa; quia principem unum habet, Chriſtum; quia ampla; quia manifeſta ac celebris; quia certis inſtitutis ac legibus gubernatur, & continetur; quia variis conſtat ordinibus præfectorum, miniſtrorum, ſubditorum, & officiorum. Vocatur verò regnum Dei, tum quia ſpiritu ac gratia Dei regitur, tum quia ad Deum tendit. Vocatur & regnum cœlorum, quia finis & ſcopus eius eſt beatitudo cœleſtis.

℣. 4. *Eſca autem eius erat locuſtæ & mel ſylveſtre.* De his vide Iacobum Vitriacenſem lib. orientalis hiſt. cap. 5. p. 3. referentem quæ locuſtæ, & quod mel reperiatur in illo deſerto; & de opinione Monachorum illius loci. Græca vox ἀκρίδες, ſignificat enim arborum extremitates; ita & intellexit Nicephorus lib. 1 hiſtor. c. 14. dicens Ioanni pro cibo fuiſſe ἀκρόδρυων. Tametſi Lexicon Græcum contendat animal ſignificari, non fruticem, aut ſurculum, idque etiam probet. Sanè Moyſes Levit. 11. locuſtas inter animalia munda numerans, oſtendit eas eſui fuiſſe.

℣. 5. *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma & omnis Iudæa, &c.* Non tantum ad Ioannem baptizandi accedebant qui Ieroſolymis & in Iudæa habitabant, verùm etiam Iudæi ex remotis provinciis Ieroſolymam orationis cauſa venientes & illinc poſt redeuntes ad propria. Quales erant Apollo Alexandrinus Act. 18. *Sciens tantum baptiſma Ioannis*, & duodecim illi Epheſij diſcipuli, Ioannis baptiſmate baptizati Act. 19. Tanta erat fama & celebritas ſanctitatis Ioannis, ut omnes vellent ab eo baptizari. Vide annot. Actor. 18.

℣. 6. *Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* Hoc idem Marcus refert. Non dicitur autem confiteri peccata ſua, qui tantùm in genere confitetur ſe peccatorem eſſe, ſed qui peccata ſua cum agnitione culpæ enumerat. Videntur autem propterea confeſſi peccata ſua, qui ad Ioannem baptizandi accedebant; quia baptiſmus Ioannis erat externa quædam profeſſio pœnitentiæ, cui proinde conveniebat adjungi externam & vocalem peccatorum confeſſionem; eò maximè, quòd, qui à Ioanne baptizabantur, ſimul etiam quærebant conſilium vitæ in melius commutandæ, ut expreſsè Lucas refert; qui autem huiuſmodi petit conſilium, exponere debet acta vitæ præteritæ.

℣. 7. *Videns autem multos Phariſæorum, & Sadducæorum, venientes ad baptiſmum ſuum, &c.* Quomodo non pugnat cum hoc loco, quod ſcribit Lucas capite 7. Phariſæos & legiſperitos conſilium Dei ſpreviſſe in ſemetipſos, non baptizatos à Ioanne? quamvis enim fortaſſe non ex animo ut vitam corrigerent in melius, (ut qui ſibi præ aliis juſti videbantur) ſed magis ut populo ſuum pietatis ſtudium venditarent, pleríque eorum ad Ioannem baptizandi acceſſerint: verè tamen ab eo multos Phariſæorum baptizatos, hic Evangeliſta teſtatur: quod negare videtur Lucas. An dicendum Lucam loqui non de omnibus Phariſæis & legiſperitis, ſed de multis, & maximè de iis, qui Chriſto, ea quæ Lucas ibi commemorat, in Ioannis commendationem, dicenti, præſentes aderant? Neque enim pugnant hæc duo, multos Phariſæorum fuiſſe à Ioanne Baptizatos, atque item multos eorum à Ioanne non fuiſſe baptizatos. Poteſt & ſic exponi, quod dicit Lucas; Phariſæi, & legiſperiti qui à Ioanne Baptizati non fuerunt, ſpreverunt conſilium Dei in ſemetipſos. Qua expoſitione non dicitur, multine fuerint, an pauci; ſed tantum ſignificatur aliquos fuiſſe. *Progenies viperarum, &c.* S. Lucas cap. 3. refert hoc dictum ad turbas, quod hic refertur dictum ad Phariſæos. Sed turbis dixit præcipuè propter Phariſæos, qui in illis erant.

℣. 8. *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ* Patres Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 14. citant hunc locum, aut certè ſimiles Matth. 4. Luc. 3. ad ſtatuendam laborioſam pœnitentiam relapſorum, & ſatisfactionem dignam pro peccatis. Mirantur hoc quidam, cum hæc dicta ſint non baptizatis: ideoque potius videatur intelligenda pœnitentia baptiſmalis. Sed dicendum, hæc dicta fuiſſe circumciſis, nam & ipſi Sadducæi, etſi hæretici eſſent, erant tamen circumciſi ſecundum legem, quam recipiebant: ideoque talibus omnibus prædicanda erat pœnitentia relapſorum, quia antea per circumciſionem fuerant mundati à peccato.

℣. 9. *Quoniam potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Vide annot. Luc. 3.

℣. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: — ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni.* Differunt ergo baptiſmus Chriſti & baptiſmus Ioannis. Vide annot. Luc. 3. Actor. 18. & 19. & noſtra in 4. diſt. 2.

℣. 11. *Cuius non ſum dignus calceamenta portare.* Dignum ſe negat veraciter, & non tantum quaſi humiliter; non modo quia ex ſe dignus non erat, nam homo ex ſe nec minimo Dei beneficio dignus eſt, nec aura, nec pane dignus, quo veſcitur: ſed ad ſignificandam illius hominis infinitam ſuprà ſe dignitatem & excellentiam; quaſi dicat; tanta eſt illius perſonæ dignitas ſupra me, ut nulla parte attingam: eſt enim infinita dignitatis eius eminentia. Tacitè Chriſti divinitatem inſinuat. Unde nec recurrendum hic ad hyperbolen; quæ in hoc ſimplici & aperto Ioannis teſtimonio non debuit admitti; quandoquidem nec in aliis humanis teſtimoniis adhiberi debet. Quamvis autem ſenſu jam dicto, rectè neget ſe dignum; tamen Eccleſia, alio ſenſu, pronuntiat eum dignum, quando de eo canit: *Qui neſas ſæcli meruit lavantem tingere lymphis.* Maximè autem dignum ſe reddidit hac ipſa humilitate, qua ſe dignum negavit; & rurſum declarata illis verbis, quibus, ut ſtatim pòſt dicitur, prohibebat eum, dicens: *Ego à te debeo baptizari; & tu venis ad me?*

℣. 12. Cuius

℣.12. *Cuius ventilabrum in manu ſuâ, & permundabit aream ſuam, &c.* Denunciat extremum judicium, in quo judex ſeſſurus ſit idem ille, cuius nunc annonciat adventum.

Paleas autem comburet igni inextinguibili. Non videtur ex hoc loco poſſe colligi pœna ignis materialis, quia totus ſermo eſt metaphoricus, ut paret; *cuius ventilabrum in manu ſuâ: & permundabit aream ſuam: & congregabit triticum ſuum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Non magis ergo materialis ignis datur intelligi, quàm ventilabrum, area, triticum, horreum, paleæ, materialia & propriè dicta. Dicens ergo, ignem inextinguibilem; videtur tantum ſignificare voluiſſe ſupplicium, ſeu pœnam æternam.

B ℣.14. *Ioannes autem prohibebat eum, &c.* Prohibebat eum, id eſt, non admittebat ut à ſe baptizaretur. Neque enim propriè prohibuiſſe exiſtimandus eſt, cui ſciebat ſe nihil præcipere poſſe. Id autem faciebat ex humilitate; ſicut Centurio dicens Matth. 8. *Non ſum dignus ut intres ſub tectum meum, &c.* Sicut Petrus, dicens Ioannis 13. *Domine, tu mihi lavas pedes?*

Ego à te debeo baptizari. id eſt, ablui, mundari à peccatis. Ex quo bene colligitur Joannem Baptiſtam non fuiſſe ſine venialibus peccatis: juxta illud alterius Joannis 1. capite 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, &c.* Unde & Auguſtinus Joannem vult comprehendi inter eos juſtos, qui non vivunt ſine peccatis. Quod ſi ille, quo (veritate teſte) nemo C ſurrexit major inter natos mulierum, non caruit peccatis, à quibus opus habebat ablui: quis alius à generali regulâ exciperetur?

Et tu venis ad me? non mundari, ſed meo baptiſmo baptizari? ſcilicet inſtituto ad profeſſionem pœnitentiæ, quâ tu non indiges, qui totus mundus es, & aliena tollis peccata.

℣.15. *Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Nos, id eſt, te & me, te quidem obediendo, me autem humilitatis exemplo. *Omnem juſtitiam*, id eſt, perfectam juſtitiam, ita Iacobus capite 1. *Omne gaudium* & Apoſtolus ad Roman. 15. *Deus autem ſpei repleat vos omni gaudio*, & 1. ad Timothæos 6. *Servi Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur.* Sic ſæpè legimus omnem patientiam. Vel, *Omnem juſtitiam*, intellige etiam hanc, quaſi dicat: Omne genus virtutis, etiam D huius ſcilicet humilitatis.

℣.16. *Et ecce aperti ſunt ei cœli.* De apertione cœlorum, quomodo ſit intelligenda, vide annot. Act. 7.

℣.17. *Et vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe. Vidit*, ſcilicet Jesus. Hoc enim poſtulat contextus, idque etiam evidentius patet ex Marci 1. cum ait: *& ſtatim aſcendens de aqua vidit cœlos apertos, & ſpiritum tanquam columbam deſcendentem, &c.* Ubi profectò, *vidit*, non ad alium, quàm ad Chriſtum referri poteſt. Nam illud, *aſcendens*, de Jesu dicitur, ut patet ex Matthæo. Nec tamen negandum, quin potius affirmandum eſt, etiam à Joanne, imò & à turbis circumſtantibus, Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ viſum, & vocem patris auditam fuiſſe: ſicut audita fuit à diſcipulis in monte, infrà c. 17. E & à turbis in templo, Joan. 12. De Joanne, quod Spiritum ſanctum in ſpecie columbæ viderit, apertiſſimè ipſe profitetur apud Ioan. Evang. cap. 1.

℣.17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* In Græco emphaſim habet inculcatio articuli οὗτός μοῦ ὁ ἀγαπητός, *ille filius meus, ille dilectus:* ſcilicet non adoptivus, ſed naturalis, vereque ex me genitus. Cæterum hoc Dei Patris de Filio ſuo Jesu teſtimonium, iterum repetitur infra capite 17. eſtque tanti momenti, ut non ſatis fuerit Spiritui ſancto, narratum illud eſſe à tribus Evangeliſtis Matthæo, Marco & Luca, ſed voluerit etiam à Petro, tanquam quarto

Eſtij Annotat. in Script.

A Evangeliſta, repeti, 2. Epiſtolæ capite 1. Vide ibidem noſtra.

CAPUT IV.

℣.1. *TUnc IESUS ductus eſt in deſertum à ſpiritu.* Hanc hiſtoriam jejunij quadraginta dierum & trinæ tentationis Chriſti, non videntur Evangeliſtæ deſcribere ut à ſe viſam, aut ab iis qui viderunt, acceptam; Acta ſunt enim quæ hic deſcribuntur, nullo hominum præſente; ſed vel Chriſtus ea ſuis Apoſtolis poſteà narravit, vel in ſpiritu revelavit, ut ſcriberentur. Eadem ratio videtur de trinâ Chriſti oratione in horto; nam diſcipuli dormiebant: Item de Angelo confortante.

B *Ut tentaretur à Diabolo.* Tentare hoc loco, non eſt probare, ſive experiri, (quamvis & illud voluerit Diabolus) ſed ad peccatum ſollicitare. Quod ex eo liquet, quia mox dicitur, *& accedens tentator*, Græcè eſt, ὁ πειράζων, *qui tentat.* Quod epitheton eſt Diaboli; ſignificans eum eſſe ſollicitatorem hominum ad peccata, ſicut 1. Theſſ. 3. *Ne fortè tentaverit vos, is qui tentat.* Interpres autem, ſua libertate uſus, modo vertit tentatorem, modo, eum qui tentat. Luc. 4. dicitur: *Agebatur à ſpiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo.* Hoc S. Hieronymus ſic accepiſſe videtur, quaſi quadraginta diebus Chriſtus fuerit à Diabolo tentatus. Sic enim ait ſuper Habac. 3 de Diabolo: Qui quadraginta diebus tentavit eum in ſolitudine. Eraſ-C mus locum Lucæ ita vertit: Et actus eſt per ſpiritum in deſertum; ac quadraginta diebus tentabatur à Diabolo. Sanè illud (*quadraginta diebus*) rectius cum eo quod ſequitur, quàm cum eo quod præcedit, cohærere videtur. Non enim actus eſt in deſertum quadraginta diebus, quaſi iter quadraginta dierum fecerit uſque ad deſertum, ſicut Elias quadraginta diebus ambulavit uſque ad montem Oreb: Nam Marcus diſertè dicit, Chriſtum in deſerto fuiſſe quadraginta diebus. Sed Lucas non aliud velle videtur, quàm intra ſpatium quadraginta dierum, quo in deſerto fuit, tentatum eum fuiſſe à Diabolo. Quomodo Latinè dicimus, Superioribus diebus venit ad me tabellarius, non aliud ſignificantes, quàm quod aliquo ſuperiorum dierum venerit.

D ℣.2. *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Evangeliſta his verbis facit ingreſſum ad narrandam Chriſti à Diabolo tentationem, quaſi dicat: Poſtquam cœpit oſtendere famem & quærere cibum; id videns Diabolus, quaſi volens eſurienti conſulere, acceſſit ad eum dicens: O vir ſanctiſſime, video te valde eſurire in hoc deſerto, jube ergo lapides iſtos converti in panes. Sic enim & famem pelles, & ſimul oſtendes quod ſis filius Dei. Cæterum notanda eſt differentia inter hoc Chriſti jejunium & abſtinentiam Moyſi & Eliæ. Nam non eſt veriſimile Moyſen & Eliam paſſos fuiſſe moleſtiam famis, quando fuerunt ſine cibo per dies quadraginta. Non enim illi ſponte aſſumpſerunt jejunium, ut carnem edomarent, vel ut exemplum jejunij poſteris relinquerent; ſed tantum E divino miraculo circa eos factum eſt, ut tanto tempore ſine cibo conſervarentur in vita ſani & integri. Unde nec Iudæi eorum exemplo aliquod huiuſmodi jejuniũ inſtituerunt; ſicut jejunium illud quod celebrabant ante feſtum ſortium, ut eſt in libro Eſther. Chriſtus autem jejunium hoc ſponte aſſumpſit, ut exemplum jejunandi nobis præberet, & pro nobis ſatisfaceret; paſſus eſt ergo moleſtiam, ut in multis aliis, quæ pro nobis ſuſtinuit. Venerat enim ut peccata noſtra portaret, & pro nobis pateretur, non tantùm in cruce, ſed toto curſu vitæ. Unde Chriſtiani, Chriſtum caput ſuum pro ſe paſſum, etiam in hoc jejunio imitantur pro modulo ſuo. Nec obſtabat dulcedo contemplationis divinæ;

A Nam Chriſtus viſionis divinæ dulcedinem mente percepit ab initio ſuæ conceptionis; multa tamen paſſus per totam vitam in anima & in corpore. Caietanus nobiſcum ſentit. Vide Medinam in 3. p. q. 41. articulo 3. Item jejunium Chriſti fuit actus patientiæ, ſeu pœnalis abſtinentiæ; in quo nobis dedit exemplum, quod imitaremur. Sed *quæres*, quomodo Chriſti jejunium Chriſtianis imitandum rectè proponitur, cum fuerit miraculoſum quadraginta dies continuos à cibo abſtinere? Dicendum non illud proponi imitandum quod miraculoſum, ſed quod morale, nempe ipſum jejunium quadraginta dierum, quatenus ab homine ſervari poteſt.

℣. 3. *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* B Hinc videri poſſet perſuaſum fuiſſe Diabolo, quod filius Dei eſſet venturus in carne; fortè ex prophetis. Sed verior reſponſio eſt, Diabolum ſuæ interrogationis occaſionem habuiſſe ex voce Dei Patris cœlitus emiſſa ſuper Jesum, quando baptizabatur. *Hic eſt filius meus dilectus, &c.* Hoc enim immediatè præcedit, & hic eſt ordo hiſtoriæ. Non conſtat quod Diabolus notitiam Trinitatis habuerit; quamvis fidem Trinitatis accepiſſet initio: ſed quæ ei poſteà fuit ablata, cum cæteris donis ſupernaturalibus. Incertum itaque quem intelligat filium Dei, an conſubſtantialem Deo, an verò per excellentem adoptionem; quomodo Ariani de filio Dei loquuntur. Apparet tamen, quod filium Dei, propriè Deum intellexerit, ex eo quod filio Dei tribuat potentiam mutandi lapides in panes; & potuit huiuſmodi aliquam Trinitatis notitiam habere, C quaſi experimentalem (quod ſciret in ſcripturis eam doctrinam contineri) vel à prophetis prædicatam. Vide noſtra in 2. d. 7. de Scientiâ Dæmonum & in 3. d. 23.

IESUM eſſe Filium Dei, quamvis Diabolus non ſtatim cognoverit; poſteà tamen certò didicit per miracula, quæ Chriſtus in comprobationem ſuæ doctrinæ, qua ſe filium Dei diceret, faciebat; & quia videbat Diabolus per illam fidem homines eripi ſuæ dominationi, & ſalvari; quod erat certiſſimum & evidens argumentum, veram eſſe eius doctrinam. Itaque Dæmones quando Chriſtum confeſſi ſunt filium Dei, non per aſſentationem, aut ex opinione id ſolum dixerunt; ſed quia hoc jam ſciebant ſcientia experimentali jam D dicta; quomodo & credunt non ſolùm unum eſſe Deum, ut teſtatur Iacobus cap. 2. ſed etiam eſſe trinum, ac cætera myſteria religionis noſtræ, per quorum fidem vident homines à damnatione eripi, & provehi ad ſalutem. Vide Caietanum in Comment. & Maldonatum, qui ita ſentiunt. Ita enim Gregor. lib. 33. moral. cap. 7. Nec obſtat illud 1. Cor. 2. *Quam nemo principum huius ſæculi cognovit; ſi enim, &c.* quia ibi agitur de ſapientia in myſterio; ſcilicet, quod per crucem & mortem Filij Dei, poteſtas Diaboli eſſet deſtruenda. Id enim non ſcivit Diabolus, niſi poſtquam fuit completum. Sed contra hæc objici poteſt, quod apud Lucam dicatur, *& receſſit ab eo ad tempus.* Quod interpretes exponunt de tempore paſſionis eius, quando Diabolus tentationem ſuam inſtauravit, videlicet certius explorare volens an verè eſſet filius Dei. E Sic enim ibi loquitur per miniſtros ſuos ad eum: *Si filius Dei es, deſcende de cruce.* Matth. cap. 27. Apparet ergo Diabolum uſque ad illud tempus ignoraſſe de Iesu, num verè filius Dei eſſet. Sed fortè dicendum quod perplexus erat Diabolus in cogitationibus ſuis, hinc, videns miracula eius, quæ non poſſent niſi à filio Dei fieri, & quia per eius doctrinam ſentiebat homines eripi ſuæ poteſtati; inde, videns hominem eumque mortalem & paſſibilem. Videbatur autem ei impoſſibile & incredibile hominem eſſe Deum. Vide annot. Matth. 27. Marci 1. Luc. 4. & 1. Cor. 2.

℣. 4. *Non in ſolo pane vivit homo, &c.* Vide annot. A Deuter. 8. & Matth. 6. ad illud; *panem noſtrum quotidianum, &c.*

℣. 6. *Scriptum eſt enim: quia Angelis ſuis mandavit de te, &c.* Quid mirum eſt, hæreticos oppugnare Eccleſiam ex ipſa Scriptura Sacra; quando jam olim hæreticorum caput ad eundem modum oppugnavit caput Eccleſiæ? Hinc diſcimus non in legendo, ſed in intelligendo Scripturam Sacram conſiſtere; & ipſam ſui judicem eſſe non poſſe, quia & ab ipſo mendacij patre, contra veritatem ipſam citatur.

℣. 9. *Vade Satana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Abutuntur hoc loco, qui ex eo colligunt, nec ſanctis nec eorum imaginibus, ſine Dei injuria honorem deferri poſſe. B Quibus reſpondemus, Chriſtum his verbis ex lege citatis, non hoc oſtendere velle, nulli prorſus creaturæ deferendum eſſe honorem aliquem; cum toties diverſum præcipiat Scriptura Sacra; *Honora patrem & matrem. Regem honorificate. Cui honorem, honorem. Honore invicem prævenientes.* Sed docere, unum tantum pro Deo adorandum eſſe, eum videlicet qui totius univerſi creator eſt & adminiſtrator, eique ſoli divinum honorem tribuendum eſſe; quem honorem magis propriè ſignificat vox Græca λατρεύειν, tametſi & illa ſæpe ad honores non divinos referatur. Sanctos igitur honoramus non cultu divino, ſed eo cultu, qui debetur amicis Dei; quemadmodum propter regem, honoramus amicos regis; neque tamen in illos honorem regis transferimus. Imo ſicut propter regem, etiam imaginem eius honoramus, idque ſine ipſius regis injuria; C dum videlicet illam reverenter habemus, & cum veneratione contrectamus; ita imagines Chriſti & Sanctorum eius veneramur, non ut ligna & lapides, ſed quatenus eos nobis repræſentant, quos virtutis cauſa honoramus. Dictio (*ſoli*) quam addunt poſteriori parte Matthæus & Lucas, etiam ad priorem referenda eſt. Eſt enim ſermo præciſus, & proinde cum excluſione intelligendus; non quod (*adorare*) & (*ſervire*) habeant ſignificationem cultus aut ſervitutis ſoli Deo debitæ; ſed quia ſubintelligendum, hoc modo, Dominum Deum tuum, eumque ſolum adorabis, ut Deum; & illi ſoli ſervies, ut Deo.

℣. 11. *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Acceſſerunt ut miniſtri, non ut adjutores. D Vide Auguſt. in Pſalm. 56. Hinc probat Gregor. Homil. 16. in Evangelia Chriſtum Deum fuiſſe. Non enim Angeli miniſtraſſent Chriſto, niſi Deus eſſet, ſimilis probatio, Hebr. 1. Item Leo ſerm. 2. in Quadrageſima. Huius quoque miniſterij figura fuit, quando duo Angeli cum tertio, qui erat reliquis duobus honorabilior, & ab Abraham adorabatur, venerunt ad Abraham. Non enim Abraham eum præ reliquis duobus adoraſſet, ſi non vidiſſet alios duos ei tanquam Domino miniſtrare; unde etiam Dominum eum vocabat. *Et miniſtrabant ei.* Scilicet afferentes panem & potum, fortè & alios cibos, & pro potu vinum; ſicut decebat, corpus longo jejunio maceratum reficere. Veriſimile autem eſt id eos feciſſe in aſſumptis corporibus, aſtantes & miniſtrantes, ut ſervos Domino. Nam & Ioan. 1. diſcipulis E ſuis promittit, quod viſuri eſſent Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſuper filium hominis; utique in corporibus aſſumptis, ut miniſtros; & Luc. 22. Angelus de cœlo viſibiliter apparuit, confortans eum. Huc facit, quod hic dicitur, *Et ecce.* Item quia in ſpecie viſibili à malo Angelo tentatus fuerat. Huc poteſt etiam referri illud 1. Timoth. 3. *apparuit Angelis*, ſcilicet Deus. Vide noſtrum Comment. ibidem.

℣. 18. *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream.* Et poſtea.

℣. 19. *Et ait illis: venite poſt me, &c.* Non ita Petrus & Andreas hic vocantur à Domino, ut antea cum eo non fuerint. Nam Ioan. 1. leguntur apud eum manſiſſe; à quo

à quo non dubium quin etiam tunc cœleſtem doctrinam audierint.

℣.22. *Illi autem ſtatim relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum.* Fides commendatur, qua ſtatim Deo creditur, & eius authoritate ceditur, ratione non audita, non conſpectis miraculis. Non eſt putandum, quod patrem prorſus egentem reliquerint, tametſi fortunæ tenuis, ne contra præceptum Domini feciſſe videantur de honorandis parentibus. Hinc collige Monachum non debere exire monaſterium, ut patrem tenuiter viventem faciat lautius agere & commodius vivere, ſed tantum ut parentem neceſſitatem patientem adjuvet.

℣.23. *Et circuibat totam Galilæam, docens in ſynagogis eorum.* Quidam, non ſine gravi errore, Chriſtum opinantes ortum ex genere Sacerdotali, ac verè Sacerdotem Aaronicum fuiſſe, contra manifeſtam doctrinam Apoſtoli in Epiſt. ad Hebr. argumentum ſumunt ex hoc loco & ſimilibus. Non enim, inquiunt, abſque reprehenſione potuiſſet publicè docere in Synagogis, niſi Sacerdos fuiſſet. Sed hoc negamus. Non enim ſolis Sacerdotibus licitum erat, docere in Synagogis; verùm aliis doctrina legis inſtructis; ut erant illi, quos Evangelium paſſim vocat ſcribas, & legiſperitos; quales utique non erant ſoli Sacerdotes. Unde in Actis Apoſtolorum Paulus, quem de tribu Benjamin ortum fuiſſe conſtat, ſæpe legitur in Synagogas ingreſſus per Sabbatha, prædicaſſe Judæis Evangelium Chriſti, ab ipſis expectati, & in lege promiſſi.

CAPUT V.

℣.1. *ET aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: Beati, &c.* Huic ſermoni Domini in monte Matthæus non interfuit, nam poſtea vocatus eſt.

℣.2. *Et acceſſerunt ad eum diſcipuli eius.* Non ſoli diſcipuli hunc eius ſermonem audierunt: nam poſt finem ſermonis cap. 7. dicit Evangeliſta: *Et factum eſt cum conſummaſſet IESVS verba hæc, admirabantur turbæ ſuper doctrina eius.* Sed diſcipuli quidem propius acceſſerunt, turbæ vero proximæ ab eis circumſteterunt. Quod ergo quidam annotant ſolos diſcipulos aſcendiſſe cum Chriſto in montem, turbas vero remanſiſſe in campeſtribus, apparet dictum ſine accuratiore conſideratione.

℣.3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quidam *pauperes ſpiritu* ſolos eos interpretantur qui propoſitum paupertatis voto firmaverunt, ſed non rectè: virtutes enim eas hîc Chriſtus commendat, quas ab omnibus exigit Chriſtianis; ut ſunt, eſſe mitem, pacificum, mundum corde, &c. Deinde nec Abraham, nec David, nec Beata Maria, nec Chriſtus ipſe fuiſſent hoc modo pauperes ſpiritu, quia paupertatem non voverunt. Rectius Bonaventura lib.2. de profect. rel. cap.42. paupertatem ſpiritus interpretatur generaliter contemptum divitiarum; ac deinde quadripartitam hanc ſubjicit diſtinctionem. Quidam ſunt pauperes rebus, & non ſpiritu, ut cupiant opes quas non habent. Quidam pauperes ſpiritu & non rebus, ut Abraham, David, Iob, Loth, Ioſias & ſimiles. Item Gregorius Papa, & alij Sancti Epiſcopi. Alij pauperes ſpiritu & rebus, ut Sancti Monachi. Hos vocat feliciores, illos laudabiliores. Quidam denique (quod membrum Bonaventura omiſit) neque ſpiritu, neque rebus pauperes ſunt, ut divites divitiis cor apponentes. Cæterum cum dicitur, beati pauperes ſpiritu, ſubaudiendum (ſunt) non autem (erunt): ſentit enim eos eſſe beatos in ſpe, & in cauſa, quia beatitudinis meritum jam habent. Unde ſequitur; *Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: id eſt, quia illis propter hoc debetur regnum cœlorum, tanquam merces; ſicut infra vocatur. Quod autem verbum præſentis temporis ſupplendum ſit; patet, quia infra dicitur: *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, &c.* Itaque non tantum ſignificatur quid Deus miſericorditer promittat pro operibus juſtitiæ, quæ hic exprimuntur; ſed etiam ſignificatur, quid pro illis operibus debeatur, tanquam juſtitiæ merces & corona, quæ ſit expectanda à juſto judice Deo. Id quod clarè oſtenditur ex coronide harum octo beatitudinum, quæ ſic habet: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Si autem merces; igitur debita ratione operis, id enim requirit natura mercedis, ut pro opere aliquo debeatur. Unde malitioſè calumniatur Catholicos Calvinus, quod contra Chriſti & Apoſtolorum doctrinam in ſcholas invexerint nomen meriti reſpectu vitæ æternæ, aut regni cœlorum, non intelligens meritum & mercedem eſſe correlativa, ſicut pater & filius. Si ergo Scriptura nomen mercedis tribuit regno cœlorum, reſpectu operum noſtrorum per ſpiritum adoptionis factorum: cum Scriptura ſentit & loquitur, quæ nomen meriti tribuit operibus noſtris reſpectu regni cœlorum. Quamquam & meriti nomen expreſsè inveniatur bonis operibus attributum. Dicit enim Apoſtolus, de bonis operibus loquens, ad Hebr. 13. *Talibus enim hoſtiis promeretur Deus*, & Eccleſiaſtici 16. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.*

Quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Non dicit, erit, ſed, *eſt*, ut ſignificet iis qui pauperes ſpiritu ſunt (de cæteris beatitudinibus idem judicium) jam deberi regnum cœlorum, licet ad eius poſſeſſionem non prius admittantur, quàm vitæ huius curſum peregerint. Quod nota contra eos, qui negant opera juſtorum mereri vitam æternam, niſi ratione perſeverantiæ.

℣.4 *Beati mites quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Sumptum ex Pſalm. 36. *Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.* Quod de terra hac mortalium dictum videtur, more promiſſionum veteris Teſtamenti, ſub quarum tamen velamine comprehenduntur promiſſiones novi Teſtamenti. Congruenter autem hoc promittitur manſuetis, quia congruit ut qui tolerant mala, percipiant bona. Vide Ianſenium. Item omnes temporaliter volunt regi à manſuetis; & propter manſuetudinem & clementiam regiminis, diu durat & ſtabilitur eorum poſſeſſio ſuper terram.

℣.7. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Et contrà: *Iudicium ſine miſericordia illi, qui non fecerit miſericordiam.* Iacob 2. Vide ibid. noſtra.

℣.12. *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Ita feciſſe Apoſtolos teſtatur B. Lucas Act.5. dicens: *Ibant gaudentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV, contumeliam pati.* Ita & illi, de quibus Apoſtolus Hebr. 10. *Et rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Vide ibid. noſtrum Comment.

℣.13. *Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Phraſi Hebræa hoc dictum eſt, ut multa alia in Scripturis, pro eo quod diceretur: Ad nihilum valet amplius; ſed tanquam res prorſus inutilis, foras projicitur, & ab omnibus conculcatur. Id Lucas expreſſit cap. 14. *Sed foras mittetur.*

℣. 14. *Vos eſtis lux mundi.* Quamvis mundum illuminare Chriſto ſit proprium, de quo dicitur Ioan. 1. *Erat lux vera*, quique de ſeipſo teſtatur, *Ego ſum lux mundi.* Ioan.8. verſ.12. tamen & Apoſtolis ſuis honorem illius nominis communicatum voluit; dicens: *Vos eſtis lux mundi.* Quapropter & Eccleſia eoſdem ſalutat in hymno, *vera mundi lumina.* Verùm aliter Chriſtus, aliter illi lux mundi ſunt. Chriſtus enim lux eſt principaliter illuminans mundum; Apoſtoli verò tanquam illius miniſtri. Vide noſtr. Commentar.

2 Cor. 4. ad illud: *Ad illuminationem ſcientia claritatis Dei.*

℣.16. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hoc dicitur illis, quibus ſuprà dictum eſt, *vos eſtis ſal terræ, & vos eſtis lux mundi*, id eſt, præfectis Eccleſiæ; qui ſalem doctrinæ populo miniſtrant, & vitæ exemplo eundem illuminant. Neque pugnat quod initio ſeq. cap. dicitur, *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus.* Nam ut ait S. Gregorius Homil. 11. in Evang. ita opus fieri debet in publico, quatenus intentio maneat in occulto; ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua ſoli Deo placere quærimus, ſemper optemus ſecretum. Vide etiam Aug. Conc. 12. in Pſal. 118. ubi dicit laudem humanam non eſſe culpandam (quid enim tam optandum hominibus, quàm ut eis placeant, quæ debeant imitari?) adducens hunc Scripturæ locum. Et ſerm. ult. eorum quos Pariſienſes vulgaverunt, concordat hæc duo loca. Rurſum de ea re eſt egregius locus apud Greg. Curæ paſt. p. 3. admon. 36. ubi addit: fieri plerumque ut & bonum opus in occulto ſit, cum fit publicè; & rurſus in publico, cum agitur occultè, &c.

℣.17. *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Adimplet legem Chriſtus quatuor modis. Primò obſervando eam, quod fecit perfectiſſimè. Secundò, faciendo in nobis ut eam obſervemus, juxta illud Ezechiel. 36. *Faciam ut in præceptis meis ambuletis*; hoc facit per gratiam ſuam. Tertiò, implendo omnes figuras & omnem ſignificationem veteris legis; implentur autem in ipſo & Eccleſia eius. Quartò, explicando eam, & exprimendo ea, quæ tacitè tantùm in lege continebantur, ut dum dicit. *Ego autem dico, &c.* *Quæritur*, quem, aut quos modos Chriſtus in hac ſententia habuerit præ oculis; an omnes, an aliquos tantùm? Imprimis quartum; quia ille infrà declaratur. Item, ſecundum; item primum; quia fuit reprehenſus aliquando quod legem ſolveret. Principaliter tamen venit ut per gratiam eius, obſervatio legis impleretur in nobis: principalis enim cauſa adventus eius eſt juſtificatio noſtra.

℣.18. *Amen quippe dico vobis.* Solus Chriſtus legitur uſus hac affirmandi formula; eſtque notandum, quod vox ea, *Amen*, apud Ioannem ſemper geminatur, cæteri Evangeliſtæ unicum *Amen* ſcripſerunt. Vide annot. Ioan. 1. *Quæritur* an Chriſtus ſic loquendo juraverit; ita enim ſentit author Commentarij in Epiſtol. ad Hebr. 6. aſſcripti Sancto Ambroſio, item S. Chryſoſtomus & Theophylactus in epiſt. ad Hebr. 6. Sed minus rectè, ut apparet. Non enim jurat, ſed cum vehementia affirmat, qui dicit, In veritate dico vobis; aut, Verè dico vobis. Hæc autem eadem ſunt, cum iſto, *Amen dico vobis.* Nec ſanè conveniebat Chriſtum, qui præceperat non jurare omninò; toties jurejurando ſententias ſuas velle confirmare; & quidem in hoc ipſo ſermone, quo jurandum prohibet. Sanctus Hieronym. in fine Commentarij Epiſtol. ad Galat. ſignificat non eſſe juramentum. S. Ambroſ. de fide lib. 4. cap. 3. dicit eſſe quaſi jurisjurandi atteſtationem, & Amen, amen, vocat quandam Sacramenti repetionem. Ibidem tamen interpretatur, fideliter, fideliter; quod non eſt jurare. Item dicit (quaſi) & (quandam) ſubindicans non eſſe propriè juramentum.

Donec omnia fiant. Quomodo omnia fiunt, cum ſint tam multæ tranſgreſſiones? *Reſpondeo.* Omnia fiunt: quia neceſſe eſt omnia quæ in lege & Prophetis præfigurata & prædicta ſunt, impleri. Item Chriſtus per gratiam ſuam facit omnia legis præcepta impleri à juſtis & ſanctis; ita ut nullum ſit præceptum, quod non ab aliquo, vel aliquibus impleatur, aut impletum fuerit.

℣. 19. *Qui ergo ſolverit unum de mandatis iſtis minimis; & docuerit ſic homines; minimus vocabitur in regno cœlorum.* Videtur ſententia ad ſolos doctores pertinere; quia in utraque parte dicitur, *& docuerit.* Dirigitur enim hæc ſententia contra Scribas & Phariſæos, qui multa legis præcepta & ſolvebant, & ſic docebant; ut infra hoc eodem capite ſignificatur, cap. item 15. & alibi.

Mandatis minimis. Non eſt neceſſe intelligi mandata minima ea quibus peccata venialia prohibentur; ſed minima videntur intelligi, quæ vulgo reputari ſolent parvi momenti; eo quod illorum tranſgreſſiones apud homines non ponderentur; vel etiam ſimpliciter non exiſtimentur eſſe contra legem. Quale eſt de aſpectu mulieris ad concupiſcendam eam; quod apud Iudæos non exiſtimabatur peccatum: qualia quoque apud eoſdem erant, de ira, de non honorandis parentibus prætextu muneris templo devoti, de odiendis inimicis, de vindicta. Itaque hinc non ſequitur venialia peccata hominem excludere à regno cœlorum, tum quia additur, *& ſic docuerit*, tum quia non ſignificatur regnum triumphans, ſed militans; tum quia etiam minimorum mandatorum, de quibus hîc ſermo, tranſgreſſio perfecta mortalis eſt; & perfectam tranſgreſſionem ſignificat verbum (*ſolvere.*) Meritò hîc quæritur, utrum illud, *ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, intelligi debeat de ſolutione quæ fit per ſolam tranſgreſſionem; an verò etiam de ea quæ fit per doctrinam? Videtur non ineptè reſponderi poſſe, ſermonem tantum eſſe de ſolutione per tranſgreſſionem; ita ut illud, *& docuerit ſic*, exponatur, ſicut ego doceo. Talia ſunt Rom. 2. *Qui prædicas non furandum, furaris.* Et 1. Corint. 9. *Ne fortè cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Item, Iacob. 4. *Scienti bonum, & non facienti peccatum eſt illi.* Et de Scribis & Phariſæis infrà cap. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcumque dixerint vobis ſervate & facite; ſecundum opera autem eorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt.* Tales omnes docent ſicut Chriſtus docuit; ſed ea quæ docent, ſolvunt; & ideo minimi ſunt in regno cœlorum, id eſt, Dei judicio poſtremi & viliſſimi in Eccleſia; licet apud homines interdum magni fiant, propter præſtantiam doctrinæ & eloquentiæ. Vel etiam minimi ſunt hominum judicio; quia tales doctores opere deſtruentes doctrinam ſuam, etiam in ipſa Eccleſia habentur contemptibiles. Hic ſenſus confirmatur ex eo quod ſequitur: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum*; utpote imitator eius, de quo ſcriptum eſt Act. 1. *Cœpit IESVS facere & docere.* Diſtinguit enim hîc Dominus inter doctores bonam doctrinam tradentes. Quidam enim docent, & non faciunt, ſed ſolvunt; Alij docent & faciunt, & proinde confirmant doctrinam opere comitante. Sanè qui ſolvunt, & docent ſolvere, non minimi vocantur in regno cœlorum, ſed ſunt extra regnum cœlorum, id eſt, Eccleſiam; tales enim ſunt hæretici. Qui autem benè docet, & tamen ſolvit, ita eſt in regno cœlorum, ut in eo ſit minimus. Quod enim nonnulli etiam illum qui docet ſolvere, dicunt minimum vocari in regno cœlorum, quia indignus eſt regno cœlorum, & proinde ab eo excluſus; non videtur rectè dici. Sic enim Diabolus eſſet etiam minimus in regno cœlorum; nec ita ſolet loqui Scriptura; dicit enim Gedeon. Iud. 6. *Familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* & Saül 1. Reg. 9. *Ego ſum de minima tribu Iſraël, & cognatio mea noviſſima, inter omnes familias Benjamin.*

℣.21. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides, &c.* Senſus eſt: Audiſtis ex Scribis & Phariſæis vos docentibus, dictum eſt antiquis, id eſt, majoribus veſtris, in lege per Moyſen, *Non occides*: Ita & in ſequen-

ſequentibus exponi debet illud, *Audiſtis*. Non enim ſenſus eſt, Audiſtis in lege. Quædam enim dicuntur, quæ in lege non habentur, ſed Scribæ & Phariſæi ex lege malè intellecta allegabant. Confirmatur hic ſenſus, ex eo quod proximè præcedit: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, plusquam Scribarum & Phariſæorum; non intrabitis in regnum cælorum*; ac deinceps docet, quæ fuerit juſtitia eorum, id eſt, docta ab ipſis. Nam juſtitiam Scribarum & Phariſæorum hic vocat, non quam Scribæ & Phariſæi præſtabant, ſed quam docebant.

℣.22. *Ego autem dico vobis, &c.* Suam authoritatem opponit non Moyſi, aut legi Moſaïcæ; quam ut legem Patris ſui ſummoperè venerabatur, ſed Scribis & Phariſæis, quorum ex profeſſo corrigit doctrinas & traditiones. Unde dixit: *Audiſtis*, ſcilicet ex Rabbinis veſtris.

Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Olim quidam codices addebant, *ſine cauſa*: ut teſtatur Caſſianus lib. de ſpiritu iræ cap. 20. ſed eam lectionem improbat, ac dicit, multa novella exemplaria & antiqua omnia, illud non habere. Hodie tamen adhuc in græcis legitur, *εἰκῆ temerè*, & S. Chryſoſt. aliique exponunt. S. Hieronym. in Dialogo contra Pelag. negat haberi in vetuſtioribus Codicibus; & in Commentario ſimiliter. Ante dixerat: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio*, id eſt, condemnatione mortis: ergo hîc ſimiliter: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio*, id eſt, morte dignus. Itaque non apparet Dominum hic conſtituere gradus & incrementa peccati, ſcilicet iræ, contumeliæ, &c. ſed pluribus verbis explicare legem, ſupplendo eam; quaſi dicat: Ego dico vobis, quod non ſolùm qui occiderit, verùm etiam qui voluntatem habet occidendi, ſive eam corde premat, ut qui tantum iraſcitur, ſive etiam perfectè, aut imperfectè ſigno exteriori prodat, ut qui dicit racha, fatue, reus eſt condemnatione mortis & gehennæ ignis. Intelliguntur autem actus perfecti; ut ira, qua omninò vult ſe vindicare, vel occidendo, vel grave malum inferendo proximo; quomodo & Ioannes, ait, 1. Epiſt. 3. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Item dicere, racha, & fatue, cum deliberato & perfecto contemptu proximi; quomodo dicebant illi in Dominum: *Vah, qui deſtruis templum Dei, &c.* Non differunt autem ſecundum rem, reum eſſe judicio & Concilio; quia intelligitur Concilium in quo plures judicant, id eſt, condemnant aliquem ſua ſententia. Unde non alia apparet differentia, quàm quod Concilium ſit plurium, judicium eſſe poſſit unius tantùm. Hic ſenſus etiam ex eo probatur, quia infra quoad reatum non diſtinguit inter mœchantem, & eum, qui videt mulierem ad concupiſcendam eam, quem dicit jam mœchatum in corde ſuo. Ubi ſignificat pari pœna dignum eſſe. Ita hîc loquitur de iraſcente, exprimens eandem pœnam, ſcilicet judicij: per quod ſignificat eum qui iraſcitur fratri ſuo, jam eſſe homicidam in corde ſuo; ſunt enim hæ ſententiæ, aliæ ex aliis mutuo ſupplendæ. Vide noſtrum Comment. dicto loco 1. Ioan. 3.

℣.23. *Si ergo offers munus tuum ad altare, —— vade prius reconciliari fratri tuo.* Sic cap. ſequent. *Si non dimiſeritis hominibus; nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Igitur Deum oraturus, ſi obtinere deſiderat, omnem injuriarum memoriam deponat, neceſſe eſt. Vide noſtrum Comment. 1. ad Timot. 2. ad illud, *Levantes puras manus ſine ira & diſceptatione*, & in 3. diſt. 30.

℣.25. *Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum, &c.* Parabolicus ſermo eſt, quo admonet ut inimicis reconciliemur, priuſquam ad Deum judicem veniatur, cum periculo ancipitis judicij, Ne forte judex contra nos pronunciet, & in carcerem mittamur. Quomodo in humanis conſilium dari ſolet litigantibus, ut componant ante ſententiam judicis; ne fortè præter opinionem, is qui bonam exiſtimat cauſam ſuam cadat in judicio, & pœnæ ſubjiciatur. Sicut enim incertus eſt belli eventus, ita plerumque & judiciorum. Malè Origenes ſuper Lucam, item Theophylactus, & Euthymius adverſarium interpretantur Diabolum. Abſit enim Diabolo conſentiamus. *Quæ enim conventio Chriſti ad Belial?* 2. ad Cor 6.

℣.32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* Conjugem dimitti poſſe cauſa fornicationis; non poſſe tamen facto divortio aliud Matrimonium inire, latè docuimus in 4. Sent. diſt. 35.

℣.33. *Iterum audiſtis, quia dictum eſt antiquis, Non perjurabis: reddes autem domino juramenta tua.*

B ℣.34. *Ego autem dico vobis, non jurare omninò.* Senſus hic eſſe videtur. Scribæ & Phariſæi ita vos inſtituerunt, antiquis patribus à Moyſe prohibitum eſſe, ne pejerarent in nomine Dei; ſed ſi quis per nomen eius juraſſet, illud præſtandum eſſe; & hoc quidem ſufficere, ut paſſim per Deum liceat jurare. Imo ſi quis juret, non per nomen Dei, ſed per cœlum, terram, Ieroſolymam, caput ſuum; non teneatur: quia juramentum illud non eſt per nomen Dei; de quo ſolo dictum eſt, *Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Ego autem dico vobis, omnino non eſſe licitum jurare, etiamſi verum quis juret (quantum ſcilicet in vobis eſt;) ne quidem per creaturas: &, ſi etiam per creaturas juraverit; teneri ad reddendum juramentum. Id quod expreſſius docet,

C c. 23. infra. Sic etiam exponit S. Iacobus c. 5. dicendo: *Ante omnia nolite jurare, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* Ratio prohibitionis eſt, non ſolùm peccatum perjurij; ſed in genere, honor Dei: quia homo non debet Deum adducere in teſtem, abſque neceſſitate; quia nec auderet regem, nec quemlibet virum honoratū adducere in teſtem, niſi pro re alicuius magni momenti; facturus utique contra eorum honorem, ſi pro re levi, aut præter neceſſitatem, eos in teſtes advocaret. Hinc etiam intelligitur, cur dicat: *Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt*, id eſt, à Diabolo; quia etſi Diabolus ſit homini incentor ad omne genus peccatorum; ad ea tamen maximè inſtigat, quibus honor Dei, (quem ſemper violare conatur) aliquo modo læditur. Notandum

D ſecundum Scripturam Sacram jurare, neque ponendum in bonis; ſic enim hortaretur nos Scriptura ad jurandū, quod nuſquā facit. Non enim ſicut dicitur, vigilate, orate, date, dimittite; ſic etiam ſcriptum eſt, jurate. Neque ponendū in medijs & adiaphoris quia Scriptura de juratione nō loquitur ſicut de ambulatione, curſu, aut ſeſſione. Ergo ſecundum eandem ponendum eſt in malis, id eſt, fugiendis; non tamen ut fugiendis per ſe, ſed ratione periculi conjuncti, & quia extra neceſſitatem malum eſt. Vide noſtra in 3. diſt. 39. & dicto loco Iac. 5.

℣ 38. *Audiſtis quia dictum eſt: Oculum pro oculo, & dentem pro dente, &c.* Scribæ & Phariſæi ſic intelligebant hoc præceptum, quaſi liceret vindictam injuriæ petere à judice; cum præceptum tantùm dirigatur ad judicem, & lex ipſa docet contrarium, Levit. 19. *Non

E quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Itaque Chriſtus legem ex lege exponit. Vide annotat. Levit. 19.

℣.39. *Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo. Malo*, ſcilicet homini, græcè *τῷ πονηρῷ*. Hoc præceptum eſſe, ut & cætera, quæ hoc cap. dicuntur eſſe præcepta ſeu mandata, videtur intellexiſſe S. Auguſtinus, de fide contra Manich. cap. 38. Idemque apparet ex eo quod hoc cap. dicitur: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis.* Non prohiberi tamen hoc loco neceſſariam defenſionem oſtendimus lib. 3. Sent. diſt. 37.

℣.40. *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere; dimitte ei & pallium.* Quamvis

judicio

judicio contendere plerumque culpa non careat; aliquando tamen licitum eſſe, imò & laudabile ac neceſſarium judicio injuriam repellere, oſtendimus 1.Cor.6. verſ.7.

℣. 43. *Audiſtis quia dictum eſt. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Senſus eſt, Vos audiſtis ex Scribis & Pharilæis doctoribus veſtris, dictum eſt antiquis: *Diliges proximum tuum, &c.* Nam quia in Levit. 19. dicitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Proximum autem ſcribæ interpretabantur amicum: colligebant, & populum docebant, ſecundum legem licitum eſſe odiſſe inimicos; Argumento, quia oppoſitorum ſunt oppoſitæ rationes; &, quia tantum de amico expreſſum eſt præceptum dilectionis. Quam doctrinam falſam Dominus reprehendit, & corrigit, & hic apud Lucam, docent quis ſit proximus. Vide annotat. Levit. 19. & Comment. in 3. diſt. 30. itemque noſtrum Comment. ad Rom. 12. v. 14. Quibus locis oſtendimus, non amicorum ſolùm, ſed & inimicorum dilectionem, nobis eſſe in præcepto.

℣. 45. *Vt ſitis filij patris veſtri qui in cælis eſt.* Duobus modis hoc intelligi poteſt: vel ſic, Niſi hæc quæ præcipio de diligendis inimicis, & orando pro eis, feceritis; non eritis filij patris veſtri cœleſtis; ſed ille vos tanquam adulterinos, & degeneres abjiciet. Vel hoc modo. Si hęc, quę pręcipio feceritis, eo facto oſtendetis vos eſſe filios patris illius cœleſtis, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.* Priori ſenſui favet hoc, quod ſequitur: *Si enim diligitis eos qui vos diligunt; quam mercedem habebitis?* & illud ſuperius: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Pro poſteriori facit quod non videatur Dominus ſic exigere à nobis, ut pro perſequentibus nos oremus, & dimittamus debita non rogantibus & non pœnitentibus, ut ſi quis id non faciat, ideo non exaudiatur ipſe pro ſe rogans. Vide annot. cap. ſeq. & 18. itemque noſtra in 3. diſt. 30. Hic jam Chriſtus incipit aperire ac detegere gratiam novi Teſtam. cuius beneficium eſt nos facere filios Dei; ſicut Ioann. dicit, Evang. c. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* & 1. epiſt. c. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur & ſimus.* Vide ibid. noſtr. comm. & inf. c. ſeq. ad illud, *Pater noſter.* Vide etiam, ſi places in 1. Sent. diſt. 27. ubi diximus, multipliciter aliquos vocari filios Dei in Scriptura Sacra.

℣. 48. *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Perfecti*, juxta modum perfectionis, quam viatores aſſequi poſſunt. Non eſt enim cuiuſcumque ſimilitudinis ſignificatio, ſed exemplaris, & docetur quid nobis imitandum ſit. Vult enim nos eſſe patris noſtri cœleſtis imitatores, ut ſimus eius filij.

CAPUT VI.

℣. 5. *ET cum oratis, non eritis ſicut hypocritæ, qui amant in ſynagogis, & in angulis platearum ſtantes orare.* Non dicit in templo, ſed in Synagogis; quia templum erat locus orationis: *Domus mea*, inquit, *domus orationis vocabitur:* Synagoga verò locus erat deputatus legendę, audiendę, & explicandę legi Dei; & erat ſingularitas, ſuperbiæ ſpecies, illic velle orare cultu externo.

℣. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora patrem tuum in abſcondito, &c.* Abutuntur hac Chriſti ſententia hodierni hæretici, colligentes inde publicas orationes & ſupplicationes, quarum eſt uſus in Eccleſia Catholica, tollendas eſſe, tanquam Chriſti teſtimonio reprobatas. Quibus reſpondemus, Chriſtum ſibi ipſi minimè contrarium eſſe, qui alibi ex Propheta dicit domum Dei, eſſe domum orationis; de templo Salomonis loquens: quod ſanè

A erat oratorium publicum. Sed & ipſe Chriſtus finita cœna noviſſima, Patrem oravit in conſpectu Apoſtolorum; idemque & alibi feciſſe legitur. Et Apoſtoli Petrus & Ioannes aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam Act. 3. Et Apoſtolus Paulus ad Timothæum ſcribens 1. epiſt. cap. 2. publicas inſtituit orationes, pro omni ſtatu, ad Deum fundendas. Quod ergo ad præſentem locum attinet, non damnat Chriſtus orationem quæ fit in loco publico, ſed prohibet ſiniſtram & Phariſaïcam intentionem oſtentationis, & inanis gloriæ; & admonet, ut intentio noſtra tota in Deum feratur, Hoc enim eſt patrem in abſcondito, & in cubiculo, & clauſo oſtio rogare; nullam humanam laudem in oratione noſtra quærere.

℣. 7. *Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici.* B Hoc quoque locum torquent adverſarij contra Pſalmodias, horas Canonicas, aliaſque prolixiores orationes in Eccleſia Catholica uſitatas, quaſi Chriſtus aliud verbo docuiſſet, aliud exemplo monſtraſſet. Nam in horto exiſtens paſſioni vicinus, legitur prolixius oraſſe, & alibi in oratione pernoctaſſe. Præceptum etiam tale dedit diſcipulis, *Semper orate*, &, *Sine intermiſſione orate.* Non ergo damnat hoc loco Chriſtus orationes prolixas, ſed gentilium illam perſuaſionem ſuis diſcipulis vult adimere, qua putabant ſe exaudiri in multiloquio, & ſermone artificioſè compoſito; ac non potius in humili, ac ferventi cordis in Deum elevatione. Addit enim: *ſicut ethnici*, & ſequitur explicatio: *putant enim quod in multiloquio ſuo exaudiantur*, id eſt, in eo C quod multis verbis, arte compoſitis ad perſuadendum, declarent dijs ſuis neceſſitatem ſuam, & juſtum eſſe quod petunt: ſicut faciunt oratores, cauſam aliquam prolixè dicentes, coram ſenatu, aut judice, ut ſic eos moveant ad præſtandum quod petunt. Quod totum alienum eſt à Deo, qui immutabilis eſt, & quæcumque facit in tempore, decrevit ab æterno; ac multo minus opus habet declaratione noſtra, qua ei neceſſitates noſtras, & æquitatem petitionis noſtræ exponamus. Unde ſequitur: *Scit enim pater veſter, quid opus ſit vobis, antequam petatis eum*; & proinde apud eum, nec multis nec paucis verbis opus eſt, ut doceatur de noſtra neceſſitate. Orationem tamen exigit, ut nos ad obtinendum quod petimus, ſimus aptiores. Nam qui orat ex corde, ſicut debet; jam aliquo modo dignus eſt qui accipiat, & ad obtinendum quod petit præparatus. Sed & illa D ipſa præparatio, opus Dei eſt, qui ſic omnia ſuaviter diſponit, ut ad fines præparet, ac pręordinet media convenientia. Hoc enim pertinet ad ſapientiſſimam eius gubernationem, qua res omnes gubernat, ſive quoad naturam, ſive quoad gratiam.

℣. 9. *Sic ergo vos orabitis, Pater noſter qui es in cælis.* Quare Chriſtus qui aliàs hortatur diſcipulos ſuos, ut in nomine ſuo petant à patre; id non expreſſit in hac oratione, ut ſaltem adderet in fine, *Per Chriſtum Dominum noſtrum*, quod Eccleſia ſubnectit omnibus ſuis orationibus? *Reſpondeo*, Chriſtus quando hanc orationem tradidit diſcipulis ſuis, nondum propalaverat eis, nec palam declaraverat ſe eſſe Chriſtum Dei Filium; ut patet ex loco Matth. 16. *Vos autem quem* E *me eſſe dicitis?* ubi & præcepiſſe eis legitur, ne cui dicerent, ipſum eſſe Chriſtum, Apud Ioannem verò, tandem in ultima cœna diſcipulos monet, ut in nomine ſuo petant. Ac nihilominus etiam ante petiverant in nomine Chriſti, ſed implicitè tantum, quod pro tempore ſufficiebat, quando fideles nondum plenè de hoc myſterio erant inſtituti.

Pater noſter. Niſi Chriſtus præciperet, non auderemus ſic Deum orare, ut eum patrem noſtrum vocaremus. Non enim legimus à Sanctis Patribus veteris Teſtamenti, ſic oratum fuiſſe, ut Deum in oratione ſua patrem appellarent, ſed Dominum & Deum. Id videre eſt in omnibus Pſalmis. Dicit quidem Iſaias cap. 63. & 64.

& 64. *Et nunc Domine, pater noſter es tu*; ſed non appellat eum vocatvè patrem noſtrum; ſed tantum Dominum. Deinde patrem intelligit creatione, non adoptione: ſequitur enim. *Nos vero lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Item Eccleſiaſticus cap. 23. hic quidem orat: *Domine pater, & Dominator vita mea.* & rurſum: *Domine pater, & Deus vita mea.* Sed non dicit *Pater noſter*, aut *Pater meus*, ut ſe ſignificet eius filium; & patrem intelligit, authorem, creatorem. Hîc verò, pater adoptione intelligitur, ut liquet ex iis, quæ dicit Apoſtolus Romanorum. 8. & Galat. 4. Nec obſtat, quod etiam peccatores hanc orationem dicere debent: quia nemo rectè dicit hanc orationem, qui non ſit adoptione Dei filius, ſaltem voto, ac deſiderio, quo cupiat Deum habere patrem, aſpirans ad reconciliationem per veram pœnitentiam, & voluntatem obediendi Deo. Erant quidem juſti veteris Teſtamenti, etiam Dei filij; ſed quia ſub jugo legis ſerviebant unà cum iis qui ſervi erant, non filij; ideo & orationis modo communicabant, ut Deum, non patrem ſuum appellarent, ſed Dominum. At Chriſtus author novi Teſtamenti, ad quod filij pertinent, publicam fecit poteſtatem, ut in oratione, Deum Patrem noſtrum vocaremus. *Quoniam autem eſtis filij*, inquit Apoſtolus ad Galat. 4. *miſit Deus ſpiritum filij ſui, in corda veſtra, clamantem: Abba, Pater.* Vide Commentar. noſtrum Rom. 8. ad illa verba: *In quo clamamus; Abba Pater.* Nota, nomen patris ut hîc accipitur, non eſſe proprium primæ perſonæ in Deo, ſed commune toti Trinitati. Nam Deus non dicitur pater noſter, C à relatione, qua reſpicit filium ſuum naturalem (ſic enim ſolius ſecundæ perſonæ pater eſt) ſed à relatione qua nos reſpicit ut creator, conſervator, gubernator, denique ut adoptator noſter. Hæc autem paternitas eſt ſine dubio toti Trinitati communis. Quare non eſt neceſſe dominicam hanc orationem ita reſtringere, quaſi dicatur ad ſolum Patrem in divinis; ſed nec id probabile eſt; quoniam Chriſtus eo tempore, docuit homines hanc orationem, quando myſterium Trinitatis, nondum erat fidelibus apertè revelatum, ſed tantum implicitè creditum. Unde Judęi uſque hodie illud non recipiunt. Verumtamen Eccleſia in ſacrificio Miſſæ, hanc orationem dirigit ad Patrem, ſicut cęteras ferè omnes orationes, quæ ſub eodem ſacrificio recitantur à Sacerdote. Et de hac oratione id liquet, quia quibuſdam in- D terpoſitis ſubjungit clauſulam, *Per eumdem Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, &c.* Item Matth. 18. in fine Chriſtus reſpiciens ad orationem à ſe præſcriptam, dicit: *Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, &c.*

Nota ſecundo quod hæc duo vocabula, *Pater noſter*, complectuntur totam legem & Prophetas, id eſt, charitatem Dei & proximi. Si enim Deus tibi pater eſt, ergo eſt à te diligendus: ſi noſter pater, ergo fratres ſumus, & proinde mutuum amorem debemus. Brevem porrò expoſitionem orationis dominicæ, authore S. Franciſco, vide apud Titelmanum in Canonem Miſſæ.

Qui es in cælis. Cur dicere jubeamur, *qui es in cælis*, & non qui es ubique, rationem vide apud Au- E guſtinum epiſt. 57. ad Dardanum. (*cælis*) pro cœlo ponitur, nam in Hebr. cœlum caret numero ſingulari; quod monendum, ne quis hic Philoſophetur in numero plurali, quaſi ſignificatum ſit, in pluribus cœlis Deum reſidere.

Sanctificetur nomen tuum. Tres primæ petitiones ad Deum glorificandum & colendum pertinent, idque convenientiſſimo ordine. Sicut enim regi alicui bene volentes primum optamus ut longè lateque ſama eius, & gloria ſpargatur: Secundò, ut quam latiſſimè regnet: Tertiò, ut ſubditi eius omnes perfectè ei obediant: Ita & Deo patri noſtro, ac regi cœleſti, primum optamus ac volumus, ipſummet orando, ut nomen A eius ſanctificetur, id eſt, quaqua verſum celebretur, & clarificetur. Deinde, ut regnum eius amplificetur. Tertiò, ut omnes homines ei perfectè ſubjiciantur. Primum igitur eſt in petitione, quod primum in intentione, ſcilicet glorificatio nominis divini: eſtque prima hæc petitio, ad quam cæteræ referendę ſunt; eaque monemur in omnibus quærere gloriam & exaltationem nominis divini. Quo affectu incitatus Ioſue 7. dicebat: *Et quid facies magno nomini tuo?* Hoc ſanctiſſimum deſiderium ſanctificationis nominis divini, paſſim reſonant pſalmi Davidici. Hoc etiam Chriſtus ipſe oravit, Ioan. 12. *Pater, clarifica nomen tuum.* Nam eadem ferè ſunt, ſanctificare, clarificare, glorificare, honorificare nomen Dei. Non rectè autem vertit quidam ex ſecta- B riis; *Sanctè colatur nomen tuum.* Non enim idem eſt nomen Dei ſanctificari, & ſanctè coli; quin potius hoc in illo ſupponitur. Per hoc enim ſanctificatur nomen Dei, ſi ſanctos habeat cultores; per hoc verò blaſphematur, ſi cultores eius variis & magnis vitiis atque peccatis, ſint infames. Unde Rom. 2. *Propter vos nomen Dei blaſphematur in gentibus.* Per ſanctam igitur vitam Chriſtianorum ſanctificatur, & magnificatur, & glorificatur nomen Dei. Non rectè quoque Origenes Hom. 1. in Cant. dicit hoc eſſe optantis; ſicut illud: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Eſt enim orantis & petentis ut fiat; ſicut illud, *oſculetur, &c.* nec talia debent per ſolam optationem exponi.

ỳ. 10. *Adveniat regnum tuum.* Quidam ſupplent, *nobis*, adveniat nobis regnum tuum. Sed cur non expreſſit Dominus, ſicut in ſequentibus petitionibus, *da nobis*, C *dimitte nobis*? Dicendum igitur non magis hîc addendum (*nobis*) quam in præced. petitione, *ſanctificetur nomen tuum.* Nullus enim docet ibi ſupplendum, *nobis*. Item apud Lucam non additur, *nobis*. Nos enim qui oramus, ſumus regnum Dei, ſed petimus, ut propagetur ad alios longè & latè, utque manifeſtetur; atque omninò hac parte petimus quæcumque ad huius regni profectum, promotionem, honorem, & complementum pertinent; velut, ut augeatur numerus credentium, & in pietate Deo ſerviat. Unde huc pertinet illud, ex oratione Eccleſiæ, Feria 3. poſt Dominicam Paſſionis; *ut in diebus noſtris, & merito, & numero, populus tibi ſerviens augeatur.* Item ex Pſalm. 66. *Confiteantur tibi populi omnes*, & quæ ſequuntur.

D *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo & in terra.* Hoc idem eſt, quod S. Auguſtinus alijs verbis in ſuis Confeſſionibus: *Domine, da quod jubes*, id eſt, fac me facere voluntatem tuam, da ut faciam quod jubes. Deriſit Pelagius hanc precationem Auguſtini; ſed eodem jure, poterat deridere precationem dominicam. Idem S. Doctor ex hac petitione confirmat & ſtatuit gratię neceſſitatem lib. de dono perſeverantiæ cap. 7. & alibi. Vide noſtra in 2. Sent. diſt. 26. Innocentius III. lib. 5. myſteriorum Miſſæ cap. 25. ita exponit: *Fiat voluntas tua*; id eſt, opere compleatur quod præcipis, quod conſulis, quod ſuades.

ỳ. 11. *Panem noſtrum ſuperſubſtantialem da nobis hodie.* Panis hic non accipitur pro quolibet alimento; nam more Scripturæ, nuſquam caro, piſcis, caſeus, bu- E tyrum, pomum, vinum, ſicera vocantur panis; ſed accipitur in ſua conſueta & vulgari ſignificatione; ita tamen ut ſub eo, tamquam præcipuo, maximeque neceſſario, cætera alimenta relinquantur intelligenda: ſicut & alibi, manducare panem cum aliquo, eſt cum eo cibum ſumere. Item, ſolus panis hic nominatur, ut non cogitemus de varietate ferculorum, ſed de ſimplici victu. Similiter accipitur Deut. 8. *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Nam ibi manna non eſt panis; ſed contra panem diſtinguitur. Vide eius loci annot. & Exodi 16.

Superſubſtantialem. Luc. 11. *quotidianum.* Utrobique in Græco eſt ἐπιούσιον. Vulgatus interpres hic quo-

que

que vertit *quotidianum*, ſed pro eo S. Hieronymus ex A Græco repoſuit *ſuperſubſtantialem*. Vide eundem in Commentario huius loci, varia adferentem, nec ſatis reſolventem. Refert ibidem in Evangelio ſecundum Hebræos ſe reperiſſe, pro ſuperſubſtantiali, *craſtinum*. Quamvis & alij quidam ſic exponant. Id ipſe refellit; quia Chriſtus in conſequentibus dat præceptum, *Nolite cogitare de craſtino*. Item eſt contra textum, quia additur, *hodie*; niſi dicas ſenſum eſſe, da nobis hodie in craſtinum. Sed hoc prior ratio bene refellit. Syriaca verbo habet, *panem neceſſitatis noſtræ*, licet alius quidam vertat: *panem ſufficientiæ noſtræ*. Ambr. lib. 5. de Sacramentis cap. 4. ἐπιούσιος exponit *advenientem*; & adfert exemplum Græcum ἐπιοῦσαν ἡμέραν. At Græcis dies adveniens dicitur, ἡμέρα ἐπιοῦσα, à quâ voce, diverſa eſt, quæ hic legitur. Vide Lexicon Græcum in ἐπιοῦσα, & ἐπιούσιος. Arias ad verſionem interlinealem, ſic in margine notat: *poſt præſentem*, ad verbum vertendum cenſeo, non ſine magno myſterio. At in Commentario non explicat myſterium; tantum ſignificat temporalia non eſſe à Deo petenda, quod profectò erroneum eſt.

℣.12. *Et dimitte nobis debita noſtra*. Hac parte orationis, petimus liberari, ab omnibus malis pœnæ tam huius ſæculi, quàm futuri, quatenus ea procedunt à malis culpæ: quia pœnæ ſunt ex culpa; & dimittitur culpa, quando pœna ei debita laxatur. Unde non eſt neceſſe partem poſtremam, *Sed libera nos à malo*, extendere ad mala pœnæ, niſi fortè quatenus diabolus eorum author eſt; cum illic tantum directè petamus, liberari à malo, id eſt, diabolo, tanquam tentatore; quemadmodum ibi dicetur: Confirmatur hæc annotatio, quia in Scripturis ferè ubicumque petitur liberatio à malis pœnæ, additur confeſſio peccatorum, & petitur eorum remiſſio, ut Tobiæ 3. *Ne reminiſcaris peccata mea vel parentum meorum. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum*. Pſalm. 78. & alibi. Hanc autem orationis partem, *Dimitte nobis debita noſtra*, non tantùm in aliena perſona, ſed in ſua quiſque dicere debet; ſicut & confeſſiones peccatorum, quas in Scriptura legimus dici à juſtis, ut docet S. Hieron. libro 2. dial. cont. Pelag. ſub finem & probat ex Dan. 9. dicente: *Dum confiterer peccata mea, & peccata populi mei, &c.*

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Huic pacto ſatisfacere videtur, qui dimittit debitoribus ſuis ſe rogantibus. Nam ſenſus eſt ſecundum Auguſtinum: Dimitte nobis rogantibus, ſicut & nos dimittimus rogantibus nos. Tametſi plus ſine dubio conſequatur, qui dimittit etiam non roganti debitori, ſed adhuc inimicum animum gerenti. Sed vide annot. infrà cap. 18. & quæ ſcripſimus in 3. ſentent. diſt. 30.

℣.13. *Et ne nos inducas in tentationem*. S. Hieron. in illud Matth. 26. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem*. Unde, inquit, & in oratione dominica dicimus, *Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non poſſimus*; non tentationem penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus, deprecantes. Ambr. lib. 5. de Sacramentis. c. 4. & lib. 6. cap. 5. legit, *Ne patiaris induci nos in tentationem*.

Sed libera nos à malo. Græci addunt: *Quoniam tuum eſt regnum, &c.* quod Chryſ. etiam exponit; ſed omninò exiſtimandum eſt à nonnullis textui inſertum eſſe, ex Græcorum Liturgiis. Vide Ariam ad marginem Græci textus, cum noſtra verſione conjuncti.

Dicendo, *ſed*, ſignificat pertinere ad ſuperiorem petitionem, & eſſe eius explicationem quandam, qua docemur, quid ſit Deum nos inducere in tentationem; ſcilicet non liberare nos à malo, id eſt tentatore. Non inducit autem, quando liberat: nempe vel agendo ne tentatio gravior ingruat, vel ut eam venientem ſuperemus. *A malo* cuius epithethon eſt in Evangelio & apud Paulum, ἐκπειράζων tentans, tentator, is qui tentat: ex eo liquet quam aptè, hæc pars intellecta de diabolo, ſubjungatur præcedenti, *Ne nos inducas in tentationem*. Cypr. etiam de diabolo exponit, in tractat. de oratione Dominica: qui & hanc partem cum præcedenti habet pro una. Ita quoque Tertull. libro de oratione cap. 8. Vide ibi Pamelium.

℣.21. *Ubi enim eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Fulg. ſerm. de Confeſſoribus: Ut ergo, inquit, in cœlis theſaurizemus, cœleſtia diligamus. Vis noſſe ubi theſaurizes attende quid amas. Vis noſſe quid amas? attende quid cogitas: ita fiet ut theſaurum tuum, ex tuo amore cognoſcas, & amorem tuum indicio tuæ cogitationis intelligas. Sic ille. De hoc quoque vide inſigne miraculum in vita Sancti Antonij Paduani, capite 18. de uſurario, cuius cor in theſauro inventum B fuit. Apud Surium Iunij 13. Similis eſt ſententia Latinis uſurpata: Cuiuſque animum illic magis eſſe ubi amat, quàm ubi animat.

℣.22. *Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus*. Græcè, *lucerna corporis tui, eſt oculus*, conſentiunt multa M.SS. Latina. Senſus eſt, corporis humani lucerna, eſt oculus, quo nimirum prælucente, & præmonſtrante, corporis actiones & motus diriguntur. Quam ſententiam applicans ad doctrinam, ſubjungit Dominus: *Si oculus tuus fuerit ſimplex; totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam; totum corpus tuum tenebroſum erit*. Hoc quidam ſic intelligunt: Si recta fuerit intentio tua; totum corpus actionum, quas illa intentio dirigit, lucidum & ſpecioſum erit: C ſi verò prava fuerit intentio tua; totum corpus actionum quod ab illa intentione dirigitur, tenebroſum ac deforme erit. Sic autem exponunt, ne conſequens hinc videatur, vel omnes actiones juſtorum, bonas eſſe; vel omnes impiorum, malas. Sed nihil erit præjudicij, ſi totum corpus utrobique, abſolutè intelligas. Nam hominis juſti totum corpus actionum rectè lucidum & pulchrum dicitur; quia vita & converſatio eius, bona eſt & recta, propter intentionem rectam, qua ſyncerè ſtudet Deo placere; licet in quibuſdam venialiter offendat. Hominis quoque injuſti, totum corpus actionum, abſolutè tenebroſum & deforme dicitur; quia vita eius ſimpliciter mala eſt, propter defectum rectæ intentionis ſerviendi Deo; licet quædam opera faciat interdum non mala.

℣.24. *Non poteſtis Deo ſervire, & mammonæ*, id D eſt, divitiis. Mammona enim non dæmonis alicuius nomen eſt, qui præſit divitijs, aut divitiarum cupiditati, ut quidam putant; ſed ipſas divitias ſignificat. Retinuit autem Evangeliſta, vel qui Evangelium ex Hebræo tranſtulit, nomen Hebraïcum; ſicut & Lucas, quando ſcribit Dominum dixiſſe, *facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; fortè quia nomen erat etiam Græcè loquentibus, eo tempore ſatis uſitatum; quomodo the ſauri gazæ, etiam à Græcis dicuntur, licet nomen ſit Perſicum: aut certè quia fideles etiam Græcè loquentes, hoc nomen, ut multa alia, ex Hebræo, in uſu retinuerunt.

℣.25. *Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini*, & infrà: E *Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Nolite ergo ſolliciti eſſe, dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?* & denique, *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum*. Hîc nota Chriſtum nuſquam dicere, nolite comparare aut quærere vobis victum labore manuum, aut honeſto opere. Hoc enim ipſe fecerat, faber, & fabri filius; ſed vetat ſollicitudinem inordinatam, qualis eſt hominum avarorum, & qualis erat gentilium. Nam contra avaros jam ante multa dixerat, inter quæ poſtremum erat illud: *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ*. Cui mox ſubjunxit illud: *Ideo dico vobis, ne ſolliciti ſitis, &c.* manifeſtè ſignificans ſollicitudinem eorum qui

man-

A mammonæ ſerviunt, à ſe reprehendi. Gentilium quoque ſollicitudinem reprehendere ſe, ſignificat his verbis: *Hæc enim omnia gentes inquirunt.* Quomodo autem inquirunt? tanquam prima bona. Unde nobis dicitur: *Quærite primum regnum Dei.* Item ſic quærunt, quaſi ab ipſorum cura, & ſollicitudine, ſucceſſus operis principaliter dependeat; neutiquam projicientes curam ſuam in Deum, quem non noverunt. Unde nobis dicitur: *Scit enim pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Vide annotat. Marci 6.

℣. 27. *Quis autem veſtrûm cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam, cubitum unum?* Cogitans, Græcè μεριμνῶν, id eſt, ſollicitè agens aut cogitans. Senſus: Nemo poteſt ſua ſollicitudine, & anxia animi cura, adjicere ad ſtaturam ſuam, cubitum unum.

B ℣. 33. *Quærite ergo primum regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Ejus Græcè αὐτοῦ non αὐτῆς, id eſt, *Dei*, non regni, Græcè fœmininum eſt. Juſtitia Dei eſt, qua verè coram Deo juſti ſumus, & quæ nobis à Deo eſt. Vide annot. in Pauli Epiſtolas.

Et hæc omnia adjicientur vobis. Non ocioſis, ſed quærentibus ſecundariò, dum enim dicit; *Quærite primum regnum Dei*, ſignificat hæc ſecundo loco quærenda eſſe. Item, hæc dantur volucribus; non ocioſis tamen, ſed quærentibus ſuo modo.

℣. 34. *Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum.* Non dicit, nolite providere in craſtinum; nam & ipſe Dominus, pro ſua familia providebat in craſtinum, quando Judam illi præfecit diſpenſatorem, qui loculos ferret, & ea, quæ mittebantur, reciperet, ac ſervaret in uſus neceſſarios, etiam in craſtinum. Quando enim dictum C ei fuit, Quod facis, fac citius *quidam*, inquit Evangeliſta, *putabant, quoniam loculos habebat*, Judas, *quod dixiſſet ei Ieſus: eme ea quæ opus ſunt nobis, ad diem feſtum; aut egenis ut aliquid daret*, tunc nox *erat*, ut idem ſubjicit Evangeliſta; ergo pecunia, quæ in loculis erat, ſervabatur in poſterum diem. Sed & hoc ipſum, quod ſuſpicabantur diſcipuli, dixiſſe Jeſum, eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum; ſatis ſignificat, non ita Chriſtum cum diſcipulis vixiſſe in diem, ut numquam in alterum diem, de cibo, vel aliis neceſſariis providerent; nam emere ea quibus opus eſſet ad diem feſtum, utique erat in craſtinum proſpicere. Vide ſuprà ad v. 25.

CAPUT VII.

D ℣. 1. NOlite judicare, ut non judicemini. Non prohibetur judicium publica authoritate factum ſed privatum, & de occultis. Unde dicit Apoſtol. 1. Cor. 4. *Itaque nolite ante tempus judicare, quoad uſque veniat Dominus.* In quibuſdam codicibus ſequitur, *Nolite condemnare, ut non condemnemini*, ſed hoc in nullis eſt probatis codicibus, ut nec in Græco; neque aliud eſt, quàm interpretatio ſententiæ præcedentis. Tranſlatum eſt autem huc ex Luca cap. 6. ubi utrumque habetur, etiam in Græco. Vide ibi.

℣. 2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Non ſignificatur quod qui injuſtè & temerè judicavit, temerè & injuſtè à Deo judicabitur; ſed, quod ſecundum modum juſtitiæ divinæ, talionem recipiet, id eſt, E durè & ſine miſericordia judicabitur, qui in judicando proximo, durum & immiſericordem ſe exhibuit; juxta illud Iac. 2. *Iudicium ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam.* Unde & Deus malus, ſeu perverſus erga malos & impios videtur, juxta illud: *Cum perverſo perverteris*, pſalm. 17.

In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. An ergo qui injuriam fecit, injuriam patietur? Minimè, ſed ſignificatur unumquemque pro merito acceptusum. Qui miſericordiam fecit, miſericordiam accipiet: *Iudicium autem ſine miſericordia ei, qui non fecit miſericordiam*, Iac. 2.

A ℣. 5. *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo &c.* Vide Ianſ. cap. 43. bene explicantem, & oſtendentem, quomodo peccator alium admonens ex ſincera charitate, non faciat contra hoc præceptum Domini. Nam ſermo eſt de trabe cognita à fratre; & proinde impediente quo minus ille ferat ſibi feſtucam ex oculo eximi. Meritò enim in tali caſu, frater præſumitur magis ex faſtu & hypocriſi, utque comparatione fratris juſtus videatur, corripere ipſum, quàm ex charitate; & ſic impeditur fructus correptionis imò ſequitur contemptus ejuſmodi correptionis. Propterea talis correptor, debet prius ejicere trabem ex oculo ſuo, & oſtendere ſe verè eſſe converſum à ſuo peccato; & ita fratrem etiam invitare ad pœnitentiam.

℣. 6. *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis* B *margaritas veſtras ante porcos.* Conſonat huic ſententiæ illud Sapientis, Eccleſiaſtici 32. *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem.* Huic item Chriſti præcepto obtemperavit Paulus Apoſtolus, quando Judæos videns in ſua perfidia obſtinatos, reliquit eos, & tranſivit ad gentes. Actor. 13. *Sed quoniam repellitis illud* (ſcilicet ut canes) *ecce convertimur ad gentes.* Canes autem hoc loco, non iidem intelliguntur, qui in illis Domini verbis ad mulierem Chananæam, infrà c. 15. *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, id eſt, gentilibus. Canes enim hîc dicuntur, qui tantum parati ſunt ad mordendum & lacerandum; & pertinet hoc præceptum ad reverentiam myſteriorum ſanctæ fidei. Itaque potius Judæi erant canes, ut liquet ex hiſtoria Actorum. Vide noſtra com- C ment. in Philip. 3. ad illa verba, *Videte canes.* Huic ſuo præcepto nihil contrarium præcepit Chriſtus quando dixit: *Euntes docete omnes gentes &c.* Matth. ult. Sed nec ipſe contra hoc fecit, quando verba ſanctiſſimæ ſuæ doctrinæ, Phariſæis ac Scribis contemptoribus & calumniatoribus, locutus eſt, Ioann. 10. Quia non propter illos id fecit, ſed propter alios præſentes, qui erant ex ovibus ejus. Quomodo verò neque tunc fecerit contra hanc ſuam doctrinam, quando Judæ proditori porrexit corporis, & ſanguinis ſui ter ſancta myſteria; vide noſtra in 4. diſtinct. 9. vide & Ianſ. in hunc locum.

℣. 7. *Petite & dabitur vobis.* Non ideo nos prævenimus Deum: quia etiam ipſum petere, quærere, pul- D ſare datur nobis à Deo. Unde Auguſt. concord. 14. in pſalm. 118. Ipſe nos facit petere, quærere, pulſare.

℣. 8. *Omnis enim qui petit accipit, &c.* Non ſemper hoc quod petit, ſed vel illud ipſum vel aliud bonum; ſi tamen petit, ſicut & quantum oportet. Unde & infrà: *Quanto magis pater veſter, dabit bona petentibus ſe?* non dicit, Dabit eadem ipſa ſemper quæ petitis, etiamſi bona ſint; ſed dabit bona, vel eadem, vel alia. Omnis quidem qui petit, accipit: quia ſi petis, accipis. Nam omnis qui bene petit, ut minimum accipit ipſum petere. Non enim ſic peteret, niſi hoc ipſum ut petat, deſurſum accipiat. *Quia omne donum optimum deſurſum eſt, &c.* Iac. 1. Verùm ſententia hæc accipienda videtur propriè de dono ab ipſa petitione diverſo; quia ſequitur: *Qui quærit invenit, & pulſanti* E *aperietur.*

Nec videtur debere reſtringi ſententia ad ea, quæ pro ſe quis petit; quia & petitio pro aliis facta, ſuam habet promiſſionem; ut 1. Ioan. 5. Ubi cum dixiſſet *Quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos, & ſcimus, quia audit nos &c.* ſubjunxit pro exemplo, *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita, &c.* Vide quæ diximus Rom. 8. ad illud: *Quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis.* Videatur etiam ſi placet noſter comment. Iac. 5. *Multum valet deprecatio juſti aſſidua*, item 1. Ioan. 3. *Fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo.*

ỳ. 11. *Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, &c.* Malos etiam vocat Diſcipulos ſuos (nam & Luc. 11. hæc ad Diſcipulos loquebatur) propter malum habitans in carne noſtra, ſollicitans ſemper ad peccatum, & faciens, ut ſine peccato vivere non poſſimus; propter quod omnes homines etiam juſti ſe cum veritate fatentur eſſe peccatores. Niſi quis malit hunc ſenſum eſſe: ſi ergo vos, quamvis etiam mali & improbi, *noſtis bona data dare filiis veſtris.* Nam & impij & ſcelerati homines, dant bona filiis ſuis, amore naturali ducti.

ỳ. 12. *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Vide annot. Tob. 4. S. Greg. hom. 38. in Evang. ſic legit; *Quæ vultis ut faciant vobis homines bona, & vos facite illis.* S. Thom. 1. 2. q. 99. art. 1. ad 3. dicit his verbis explicari quandam regulam dilectionis proximi: quæ etiam implicitè continetur, in hoc quod dicitur: *Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.* Unde eſt, inquit, quædam explicatio illius mandati. Vide annot. Tob. 4. item noſtra in 3. ſent. diſt. 29. & ad Rom. 13. v. 9.

ỳ. 13. *Intrate per anguſtam portam.* Anguſtam portam & arctam viam intelligere videtur Dominus, legem ſuam; per quam ingreſſus eſt ad vitam, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Præceſſit enim, *quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Ubi adjecit: *Hæc eſt enim lex, & prophetæ.* Lata verò porta & ſpacioſa via, eſt diſſoluta illa, & libera, ac legis expers vivendi ratio, quam ſectantur mali.

ỳ. 15. *Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos, in veſtimentis ovium.* Veſtitum ovium exponit Vincentius Lirinenſis, Apoſtolorum, & Prophetarum proloquia; lupos rapaces, feros ſenſus hæreticorum; fructus eorum, falſam hæreticorum doctrinam & interpretationem. *In veſtimentis ovium*, id eſt, ſub ſpecie ſanctitatis. Vide noſtrum comment. 1. ad Tim. 4. ad illa verba: *In hypocriſi loquentium mendacium*; itemque ad illud 2. Epiſt. 3. *Habentes ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.*

ỳ. 16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Quidam per *fructus* doctrinam intelligunt; quia prophetæ fructus propriè eſt ejus doctrina; Sed quod ſequitur omninò oſtendit, *fructus* opera ſignificare; maximè illud, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Ac deinde infert iterum, *Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Unde dicendum videtur novos dogmatiſtas, ex operibus poſſe plerumque cognoſci, non tamen ſemper; quia ſubinde magnam ſanctitatem ſimulant; quæ tamen ſimulatio tandem ſe prodit. Ad hos fructus maximè pertinet rebellio & conſpiratio in ſuperiores; & ſchiſma, ac ſeparatio ab Eccleſia; & ſuorum ſectatorum concitatio contra Catholicos. Cujuſmodi fructus hodie permultos videmus. Itaque *fructus* ſunt opera; & *fructus* pſeudoprophetarum, ſunt opera falſorum doctorum, quatenus ipſorum falſæ doctrinæ conformia ſunt, cujuſmodi imprimis eſt inobedientia adverſus Eccleſiam: Id enim eſt omnibus commune. Deinde hodie ex hæreticorum doctrina provenit magna corruptela morum, quoad carnis vitia; quia jejunia, continentiam, & ſimilia pœnitentiæ ac virtutum opera habent pro indifferentibus, docentes ſolam fidem juſtificare, & nos propriam juſtitiam non habere &c. Vide Lenſæum in præfatione. De variis perſecutionibus, ubi eorum fructus opera mala intelligit; doctrinæ reſpondentia, & ex doctrina profluentia; cujuſmodi ſunt plerumque hæreticorum, numquam autem Catholicorum.

ỳ. 18. *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere.* Ex hoc loco ſtatuere quidam conantur omne opus hominis ſine fide factum, vel etiam extra gratiam factum, malum eſſe & peccatum; quia inquiunt, omne ejuſmodi opus fit ab arbore mala. Dicendum, ſicut non ſequitur de arbore bona, ita nec de mala; conſtat enim hominem bonum ſubinde peccare venialiter; *quia in multis offendimus omnes.* Iacobi. 3. Ita malus ſubinde boni aliquid facere poteſt, non qua parte malus eſt, ſed qua parte non omnino malus, ſed aliquid habet boni luminis, ac rectæ rationis. Itaque per arborem bonam, intelligitur bona voluntas; & per arborem malam, mala voluntas. Ex bona voluntate, non poſſunt niſi bona opera emanare; neque ex mala voluntate, niſi mala. Si objicias id quod ſequitur, *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur:* videtur ergo per arborem, non voluntatem, ſed hominem debere intelligi; non enim voluntas propriè, ſed homo in ignem mittitur. Reſpondetur poſſe etiam voluntatem aptè intelligi. Ea enim exciditur, quando ad eum ſtatum pervenit, in quo amplius operari meritoriè non poteſt, mittitur in ignem, quando operibus ejus æternum ſupplicium redditur. Nam voluntatem igne puniri Bernardus affirmat, Serm. 3. de reſurrectione cum dicit: *In quem deſæviet ignis ille, niſi in propriam voluntatem?* Præterea, ſciendum in parabolicis locutionibus, non perpetuo eamdem prorſus rem, eodem vocabulo ſignificari; ſed prout commodius eſt, ſignificationes ſeu aptationes vocum paulum inflecti, ut in parabola ſeminantis. Matth. 13. ubi ſemen, modo verbum, modo hominem ſignificare videtur. Aut poteſt per arborem intelligi homo in quantum voluntatem habet, in habitu, vel actu ad aliquid; per arborem bonam verò, homo, quatenus actu vel habitu vult bonum; & mala ſimiliter. Ita ferè S. Auguſtinus lib. 14. de civitate cap. 11. ubi arborem malam interpretatur aut voluntatem malam, aut ipſum hominem in quantum eſt malæ voluntatis. Poſteriorem hanc expoſitionem, ſecundum quam per arborem homo intelligitur, probabilem faciunt ea Scripturæ loca, quibus homines ſignificantur per arbores, plantationes, germina & palmites, ut infrà c. 12. Ubi cum dixiſſet Dominus: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, &c.* ſubjunxit: *Quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali?* Item: *Bonus homo, de bono theſauro profert bona, &c.* & Luc. 6. ubi rurſus cum dixiſſet, *Non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos*, ſubjunxit: *bonus homo, de bono theſauro cordis ſui, profert bonum, &c.* Item quia hîc dicitur; *A fructibus eorum cognoſcetis eos*, ſcilicet homines, ſicut cognoſcuntur arbores ex fructibus. Vide Ianſenium ſic docentem. Unde apparet, *malos fructus*, intelligi damnabiles; & *bonos*, Deo acceptos ad vitam æternam: & ſic bene conſtat ſententia, ut non ſit opus ſupplere (in quantum) vel aliquid tale.

ỳ. 23. *Et tunc confitebor illis: quia numquam novi vos.* Notitia prædeſtinationis, ſive approbationis ſecundum prædeſtinationem; de qua notitia Ieremiæ 1. *Priuſquam formarem te in utero novi te*, & 2. Timoth. 2. *Novit Dominus, qui ſunt ejus.* Vide ibidem noſtrum comment. itemque ad Rom. 8. ad illum locum: *Nam quos præſcivit.* Ubi de hac notitia latè diſſeruimus.

ỳ. 29. *Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens.* Græcè ἐξουσίαν, *authoritatem.* Senſus eſt; Non docebat, quaſi aliena nitens authoritate, ſicut Scribæ & Phariſæi, qui allegabant Moyſen & prophetas in ſua doctrina; ſed velut ipſe poteſtatem & authoritatem habens legis condendæ. Unde dicebat: *Ego autem dico vobis*, videlicet ut legiſlator. Hic ergo ſignificatur Chriſtum fuiſſe legiſlatorem; nec talem, qualis Moyſes, qui tantum erat Dei internuncius, verba Dei ad populum referens; ſed qui ſuam ipſius legem proferret.

CAPUT VIII.

℣. 2. ADorabat eum dicens. Quæritur an cultu latriæ? Omnino videtur fatendum; agnoſcebat enim ejus divinam potentiam, qua quodcumque vellet facere poſſet, dicens, *Si vis, potes me mundare.* Et videtur ſenſus confeſſionis eſſe: Si vis, efficies; omnia namque potes. Non autem ſignificat Dominum non alia poſſe, quàm quæ velit; ſed, ſola voluntate poſſe exequi, quod poteſt. Vel potius confeſſio eſt & oratio: confitetur enim Chriſtum poſſe; & orat ut velit, & proinde faciat, quaſi dicat Credo te poſſe, idque facturus es, ſi velis: Oro igitur ut velis, id eſt, ut facias. Cui aptè reſpondet Chriſtus: *Volo, mundare.* Vide noſtra in primum diſt. 43. Cæterùm ex hoc loco, itemque ex cap. ſequenti v. 27. & 28. ubi duobus cæcis clamantibus & dicentibus, *Miſerere noſtri fili David*, ait Dominus; *Creditis quia hoc poſſum facere vobis? qui reſpondent; Vtique Domine:* manifeſtè nobis oſtenditur, quod fides requiratur in nobis, quando Deum oramus, & orando aliquid ab eo impetrare contendimus: ſiva bonum illud temporale ſit, ſive ſpirituale. Ea fides eſt, qua credimus Deum hoc poſſe præſtare quod petimus, ut videlicet de ejus omnipotentia non dubitemus. Non autem talis fides, qualem excogitaverunt hoc noviſſimo ſæculo hæretici, qua videlicet quis certo & firmiter credat ſe conſecuturum id quod petit. Sæpe enim, vel ex parte rei quæ petitur, vel ex parte petentis, aut ejus pro quo petitur, defectus eſt, quo minus concedatur id quod petitur. Ita mater filiorum Zebedæi petivit quod non eſt conſecuta. Neſciebat enim quid peteret. Neque tamen dicimus nihil aliud requiri quàm fidem omnipotentiæ Dei; nam præter illam fidem adeſſe oportet fiduciam, ſeu confidentiam impetrandi. Eam requirit Dominus quando dicit paralytico, *Confide fili.* Sed ea fiducia multum diverſa eſt ab ea quam confingunt hæretici. Talis enim eſt per quam animus in ſpem erigitur; non tamen de effectu certus & ſecurus redditur. Vide ad dictum locum cap. ſeq.

℣. 3. *Et extendens Ieſus manum, tetigit eum.* Cur tangendo leproſum, non fecit contra legem? aut ſaltem non contraxit immunditiam legalem? *Reſpond.* primò, quia tactu mundum eum reddidit, & à leprà curavit. Itaque leproſum non tetigit, ſed mundum, quia ipſo tactu mundus eſt. Deinde etiamſi leproſum tetigiſſet, non fuiſſet hoc contra legem; quia à legis prohibitione excipiebantur opera divina & miraculoſa. Vide 4. Reg. 4. ubi Helizæus incumbit mortuo.

V. 4. *Oſtende te Sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyſes, in teſtimonium illis.* Quod ſcilicet non ſum adverſarius vel reprobator legis Moyſi; quod nemini ſum author legis non ſervandæ. Quod enim leproſus à Chriſto mundatus ejus juſſu oſtendebat ſe Sacerdoti, & munus offerebat quod Moyſes præceperat; teſtimonium erat Chriſtum ſervare legem.

℣. 5. *Acceſsit ad eum Centurio.* Acceſſit non per ſe, ut patet ex Luc. 7. ſed per interceſſores. Tractat hoc contra calumniam paganorum Auguſtin. lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 20. & contra calumniam Manichæorum lib. ult. contra Fauſtum cap. 7. & 8. Cæterùm hic Centurio typum geſſit populi gentilis, qui per fidem propius acceſſit ad Chriſtum abſentem, & à ſe non viſum, quàm Judæi, qui viderunt; ſecundum illud, *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Ioan. 20.

℣. 7. *Ego veniam & curabo eum.* At non venit, nec tamen mentita eſt veritas. Nam ſenſus eſt, Veniam ſi volueris, vel, Paratus ſum venire. Cùm autem id ex humilitate recuſaſſet Centurio; puerum ejus Chriſtus ſanavit abſens.

A ℣. 8. *Non ſum dignus, &c.* Cur non ita locutus fuerit Zachæus, Vide annotat. Lucæ 19. Quamquam & aliud hîc conſiderandum. Non enim oportebat Chriſtum intrare in domum hominis gentilis; ne id à Judæis in calumniam raperetur: Zachæus autem erat Judæus. Unde id tantum calumniantur quod ad hominem peccatorem divertiſſet.

℣. 10. *Audiens Ieſus miratus eſt.* Non propriè, nam admiratio propriè dicta procedit ex cauſæ ignorantia; ſed impropriè, quia hoc egit quod admirantes ſolent, id eſt, fidem Centurionis tanquam rem inſolitam & admiratione dignam, laudavit. Vide annot. Luc. 7. Vide etiam Auguſt. lib. ult. contra Fauſtum cap. 7. & 8.

℣. 10. *Amen dico vobis non inveni tantam fidem in*
B *Iſraël.* Scilicet quantam in hoc homine gentili. Tacita eſt exprobatio in Judaicum populum. Non quod nullus omnino in eo eſſet, qui fidem haberet comparandam cum fide hujus Centurionis: Neque enim majorem fidem hic habuit, quam mater Domini, cui dictum eſt: *Beata quæ credidiſti*, neque majorem quàm Ioannes Præcurſor Domini, qui & ipſe dixit: *Cujus non ſum dignus calceamenta portare*, ſuprà cap. 3. neque majorem quàm Petrus, qui Chriſtum Dei filium confeſſus, merito fidei petra Eccleſiæ factus eſt: Sed quia nemo omnium apud quos Evangelium annuntiavit, & miracula fecit, inventus eſt tantam habens fidem.

℣. 12. *Filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filios regni vocat Judæos, quod nati eſſent ex iis quibus de Chriſto & regno ejus factæ fuerant pro-
C miſſiones, vel ad quos regnum per Prophetas promiſſum, videbatur pertinere, quia erant filij Patriarcharum. Non addit autem *cælorum*; ſicut in parte præcedenti; quia carnales Judæi non regnum cæleſte ſed terrenum cum ſuo Meſſia ſibi pollicebantur. Tenebras autem exteriores tum hic tum cap. 22. & 25. vocat tenebras extimas, denſiſſimas & à lucis regione remotiſſimas.

℣. 16. *Et omnes malè habentes curavit: ut adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit: & ægrotationes noſtras portavit.* Citat ſecundum Hebr. veritatem. Quomodo autem hic impletum ſit Iſaiæ teſtimonium, vide annotat. Iſaiæ 53. & Ianſenium in hujus loci com-
D mentario.

℣. 20. *Filius autem hominis.* Hoc nomine ſignificare vult ſe hominem communi mortalitatis ac miſeriæ conditione natum. Et quamvis phraſis non plus requirat; tamen ſi quæratur: Cujus hominis filius? rectè dicitur filius Mariæ. Nec obſtat articulus maſculinus τοῦ, quia phraſis eſt indeterminata, in qua proinde maſculinus articulus ponendus erat, non fœmininus; ut ſi dicas, filius alicujus hominis, ſeu natus ex aliquo homine; ubi tamen ſi quæras, cujus, vel ex quo: rectè mater nominatur.

Non habet ubi caput ſuum reclinet. Intellige, ut filius hominis. Nam idem ille ut filius Dei, Domi-
E nus erat univerſorum. Vide annotat. Ioannis 1. ibi *Vbi habitas.*

℣. 21. *Dominum permitte me primum ire & ſepelire patrem meum.* Vide annot. Lucæ 9.

℣. 26. *Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Quæritur,* qua in re prodebant fidei infirmitatem; cum naturale ſit timere pericula? *Reſpondeo* cum Chriſtum haberent præſentem, & ſuæ familiæ patrem; confidere debuiſſent de eo tanquam cuſtode familiæ. Deinde, non opus erat eum dormientem & quieſcentem excitare; ſed credere debuiſſent eum exaudire non minus dormientem, quàm vigilantem. Igitur partim fiduciæ, partim fidei in illis defectus erat. Sicut ergo fuit fidei infirmitas in Regulo, & Archyſynagogo, putantibus Chriſtum præſentem poſſe quod non poſſet abſens;

ita quoque fuit in diſcipulis exiſtimantibus vigilantem poſſe quod non poſſet dormiens. Nec peccabant dicendo, *Salva nos*, modo id dicerent cum debitâ fide & fiduciâ.

℣. 29. *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei?* Vel adulando hoc dicunt, vel quia quadam naturali ſagacitate ex vi miraculorum, & vaticiniis completis, aliiſque effectibus, ſaltem probabiliter intelligebant eſſe Dei filium. Unde Ambr. in Luc. 4. dicit quod diabolus per naturam Chriſtum Deum confitetur: Non enim erat fidei lumine illuſtratus.

Veniſti huc ante tempus torquere nos? *Ante tempus*, ſcilicet extremi judicij. Sciebant enim ſe tandem judicandos, & poteſtate quam in homines exercebant, exuendos; ſcilicet quando futurum eſſet omnium generale judicium. Sed non ſuſpicabantur, ante illud tempus magna parte illius poteſtatis ſe privandos; tum quoad corporales hominum vexationes, tum (quod vehementius metuebant) quoad velut dominium in animas hominum, inducendo eos & impellendo in omne genus peccatorum, præſertim in idololatriam. Unde ajunt; *Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Sed quo tormento? Marcus explicat c. 5. *Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.* Eſt enim dæmonibus graviſſimum tormentum, impediri ab eo quod ſummoperè expetunt, id eſt, à procurando nocumento, & perditione hominum. Prius autem ejicitur ex corporibus paucorum, deinde ex animabus plurimorum; quia illud erat hujus figura quædam, & typica ſignificatio. Nam miracula Chriſti non tantum erant beneficia corporalia, ſed etiam ſpiritualium beneficiorum ſigna. Vide noſtra in 2. ſent. diſtinct. 6. ubi egimus de pœnis dæmonum.

℣. 34. *Rogabant ut tranſiret à finibus eorum.* Aliter quàm Petrus, qui dixit, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Luc. 5. Hoc enim Petrus ex humilitate, quod indignum ſe reputaret, qui peccator cum eſſet, Chriſtum Dei filium ſecum in navicula ſua præſentem haberet, metuens ex ea quaſi irreverentia divinam adverſum ſe vindictam. Item aliter quàm Centurio, hoc eodem cap. qui dicebat ex perfecta humilitate: *Domine non ſum dignus ut intret ſub tectum meum.* Sic vidua illa Sareptana 3. Reg. 17. ad Eliam: *Ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ?* At Geraſeni, quod ad ingreſſum Chriſti porcos amiſiſſent, non ex humilitate (neque enim peccatores ſe fatentur, ſicut Petrus & vidua) ſed aviditate bonorum temporalium, quæ metuebant amittere, rogabant Dominum ut diſcederet. Nec dicunt, Diſcede à nobis, ſed, à finibus noſtris; nimirum de conſervandis agris & poſſeſſionibus cogitantes. Vide annot. Luc. 5. & 3. Reg. 17.

CAPUT IX.

℣. 1. ET *venit in civitatem ſuam.* Scilicet Capharnaum, de quâ ſuprà cap. 4. *Et relicta civitate Nazareth, venit, & habitavit in Capharnaum maritima:* Et Luc. 4. *Et deſcendit in Capharnaum civitatem Galilææ ibique docebat illos Sabbathis.* Videlicet ut illic habitans. Et Ioan. 2. *Poſt hoc deſcendit Capharnaum ipſe & mater ejus, & fratres ejus & diſcipuli ejus, & ibi manſerunt non multis diebus.* Dicitur ergo Capharnaum civitas Jeſu, ratione habitationis; ſicut Nazareth ratione educationis.

℣. 2. *Et videns Ieſus fidem illorum* (portantium) *dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Hic locus apertè convincit alieno merito aliquem à Deo juvari; non tantùm ad conſequenda corporis bona, ſed etiam ad ea quæ ad ſpiritum pertinent; quale eſt illud de quo dicitur; *Remittuntur tibi peccata tua.* Quod tamen bonum, videlicet remiſſionem peccatorum, nemo adultus conſequitur, niſi etiam propria fide ad Deum accedat. Unde nec paralyticus iſte propria fide caruit. Neque enim per tectum demitti ſe permiſiſſet, neque remiſſionem peccatorum accepiſſet, niſi prius credidiſſet. Nec dubium, quin ante remiſſionem peccatorum, ſaltem ordine naturæ, fuerit ei vera pœnitentia inſpirata. Cæterum in infante qui per baptiſmum à peccatis abluitur, ita Dominus ad fidem portantium, vel ipſius Eccleſiæ reſpicit, ut propriam in eo fidem non requirat. Valet igitur præſens locus contra novum dogma hæreticorum, quo docent unum pro alio mereri non poſſe, neque ſanctorum meritis poſſe fideles adjuvari.

Sed aiunt, Paralyticus hic dicente Chriſto, *Remittuntur tibi peccata tua*, credere debebat ſibi remitti peccata: ergo & nos id credere debemus; maximè cum Sacerdos vice Chriſti eadem ferè verba dicat. *Reſpondeo* Chriſtus dicebat non tantùm poteſtate, quam habebat ad remittendum peccata; verùm etiam ſcientia, qua videbat cordis occulta, quaque videbat in corde Paralytici veram pœnitentiam; Sacerdos autem poteſtatem quidem habet abſolvendi à peccatis, ejuſque poteſtatis executionem ſignificat cum dicit, *Ego te abſolvo*; ſed tantum ex parte poteſtatis. Nam impedimentum eſſe poteſt ob ſimulatam confitentis pœnitentiam, quam Sacerdos videre non poteſt. Deinde, paralyticus, etſi hoc crediderit, non tamen per eam fidem conſecutus eſt remiſſionem peccatorum; quia fides illa poſterior erat remiſſione peccatorum. Quod ita probatur, Simul erant Chriſto dicere & facere; Hoc enim faciebat quod dicebat; ſed fides paralytici de peccatis ſibi remiſſis poſterior erat dicto Chriſti; Prius enim aliquid dicitur quàm dictum creditur, ſaltem natura; igitur eadem fides poſterior erat facto Chriſti quo remittebat ejus peccata. Quare dici non poteſt, fuiſſe illi remiſſa peccata per fidem qua ſibi remiſſa crederet.

℣. 6. *Quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Poteſtatem ſignificat non excellentiæ, quæ Chriſto ut homini competebat, ſed divinam. Loquebatur enim de eadem poteſtate, qua paralyticum verbo erat curaturus; quæ utique divina erat: quia per illud miraculum ſe Deum probabat. Item, de divina poteſtate loquebantur ſcribæ dicentes: *Quis poteſt peccata dimittere, niſi ſolus Deus?* Nec obſtat illud quod poſteà dicitur, turbas glorificaſſe Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus, quia etiam Chriſto homini poteſtas divina data erat, id eſt, competebat, per unionem hypoſtaticam.

Tolle lectum tuum. Scilicet cum lectica, quod ſignificat grabatum. Sic enim eſt apud Marcum cap. 2. *Tolle grabatum tuum.* Vide ibi annot.

℣. 8. *Glorificaverunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus.* *Quæritur*, quam poteſtatem? an dimittendi peccata, an paralyticum verbo ſanandi? De priori intelligendum videri poteſt; quia ſuprà, poteſtatem illam Dominus nuncupaverat dicens: *Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata.* Et hanc poteſtatem habere ſe, Dominus docuerat miraculo. At de poſteriori intelligendum, ex eo videri poteſt, quia Marcus loco iſtorum verborum dicit turbas dixiſſe, *quia nunquam ſic vidimus.* Et Lucas, *quia vidimus mirabilia hodie.* Atqui non viderunt turbæ internum donum remiſſionis peccatorum, ſed externum beneficium ſanationis. Quamquam intelligi poteſt turbas duo dixiſſe, & intellexiſſe diverſa; nempe de miraculo externo, & de remiſſione peccatorum, quam Dominus miraculo probabat. *Hominibus*, quibus? Eſt enallage numeri, id eſt, homini, ſicut Matth. 2. *Mortui ſunt qui quærebant animam pueri.* Itemque capite 27. *latrones improperabant ei.* Interim videri poteſt per hæc verba Spiritum ſanctum voluiſſe ſignificare, quod

quod poteſtas remittendi peccata multis hominibus id eſt, omnibus Sacerdotibus novæ legis, eſſet brevi communicanda; quando dicturus erat unus ille homo multis hominibus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.*

ỷ. 9. *Et ſurgens ſecutus eſt eum. Surgens*, ex telonio, id eſt, loco publico, ubi recipiebat publica vectigalia, quem locum veriſimile eſt fuiſſe diverſum à domo ejus propria. Significatur ergo, quod ſtatim ex eo loco ſurgens, ſecutus ſit Dominum: ita tamen, ut excepto ſpatio diſponendi res ſuas, ad domum ſuam deflexerit, ubi Christo paravit magnum convivium. Neque leviter aut temerè Chriſtum eſt ſecutus, ſicut arguit Porphyrius & Julianus; ſed intus tractus efficaci virtute gratiæ ejus; ſicut bene reſpondet S. Hieronymus. Qui enim tantæ erat virtutis, ut poſſet etiam mortuos evocare è ſepulchro ad vitam; ventiſque ac mari imperare, & morbos verbo fugare: quid mirum ſi potuit homines quos vellet, virtute vocationis ſuæ ad ſe trahere?

ỷ. 10. *Ecce multi publicani & peccatores venientes diſcumbebant.* Publicanum eſſe non erat illicitum, uti neque nunc eſt. Unde conſultus ab iis Ioannes, quid facerent; non reſpondit dimittendum eſſe officium; ſed dixit: *Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis faciatis.* Sicut & militibus præſcripſit quid faciendum, Lucæ 3. Apud Judæos tamen, quia publicani erant illi populo vehementer exoſi, ſignum erat inſignis avaritiæ, ſi quis Judæus apud eos eſſet publicanus. Unde ab iis hic reputantur cum peccatoribus: & Chriſtus ipſe reſpondens Phariſæis, etiam de publicanis reſpondet. Itaque ſenſus eſt: Multi publicani, & alij peccatores, venientes diſcumbebant cum Jeſu. Sed quinam iſti peccatores, præter publicanos? non uſurarij, quia Judæis non reputabantur peccatores, niſi ſi qui fratribus fœnerarentur. Non homicidæ, quia morte multabantur. Non adulteri, quia lapidabantur. An igitur intelligit ſcortatores, & comeſſatores, & ebrioſos? Atque ita videri poteſt: Nam Luc. 7. *Peccatrix*, de meretrice dicitur. Et hic infrà c. 21. dicitur ad principes Sacerdotum; *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Hoc ideò, quia peccata carnalia ſunt maximè manifeſta, nec ſpeciem habent boni.

ỷ. 13. *Diſcite quid eſt: Miſericordiam volo & non ſacrificium.* Vide annot. Oſeæ 6. Iſaiæ 58. *Quæritur*, an ſacrificium hic intelligatur res quæ offertur, an actus offerendi? Videtur apud Prophetam intelligi res oblata; quia ſequitur; *& ſcientiam Dei plus quàm holocauſta*; nomen autem holocauſti non actum, ſed rem ſignificat. Quamquam 1. Reg. 15. utrumque dicitur in ſimili comparatione; *Melior eſt obedientia quàm victima, & auſcultare magis, quàm offerre adipem arietum.* Et proinde hic poteſt utrumque intelligi. Non tamen ſi referatur ad ſacrificium miſſæ; in quo res oblata eſt corpus & ſanguis Domini: Non enim Deus opera noſtra miſericordiæ præfert filio ſuo, qui in miſſa offertur; quamvis præferat actui ſacrificantis, ſi tantum ſit actus externus, non habens internum virtutis religionis actum conjunctum.

Non enim veni vocare juſtos, &c. Vide annot. Luc. 5. & noſtr. comment. 1. Tim. 1. ad illa verba: *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.*

ỷ. 15. *Nunquid poſſunt filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus?* Quos Matth. & Lucas vocant filios ſponſi, Marcus vocat filios nuptiarum, ſeu potius interpres hanc facit diverſitatem. Nam apud omnes eodem modo legitur: priori quidem loco νυμφῶν posteriori νυμφίος. Cùm autem poſterius vocabulum ſine controverſia *ſponſum* ſignificet; prius autem ab eo diverſum ſit: non videtur hoc loco ſponſum ſignificare, licet hanc ſignificationem interdum habeat.

A Cur enim tres Evangeliſtæ ita variare voluiſſent, ut ſponſum ſignificare volentes, aliud atque aliud vocabulum omnes ſcripſiſſent in eadem ſententia? Significat ergo, vel nuptias (quod in Marco vertit interpres) vel thalamum nuptialem. Nam nuptiæ Græcè γάμος, uſitatiori vocabulo dicuntur. Dicit ergo Dominus: Nunquid poſſunt filij thalami nuptialis lugere, ſeu ut alij Evangeliſtæ expreſſerunt, jejunare, dum cum iis eſt ſponſus? Sed qui dicuntur filij ſponſi, ſeu nuptiarum, ſeu thalami nuptialis? *Reſpondeo* juvenes qui ſponſo tanquam Sodales adhiberi ſolent in nuptiis more veteri; quomodo legimus Iud. 14. Samſoni datos Sodales triginta qui eſſent cum eo in nuptiis. Filij autem vocantur nuptiarum, Hebræa phraſi, ſicut dicitur filius pacis, filius perditionis. Porrò Chriſtus hac comparatione ſignificare B voluit ſe eſſe ſponſum Eccleſiæ, ſcilicet illum ipſum de quo Ioan. Baptiſta teſtificatus fuerat, dicens: *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.* Ioann. tertio. Ad hoc enim Ioan. teſtimonium omnino reſpexit, eoque tacitè Chriſtus hic uti voluit; vel ob id maximè, quia ad diſcipulos Ioannis loquebatur, apud quos Magiſtri ſui teſtimonium maximi erat ponderis. Itaque eos, occaſione propriæ quæſtionis, ex doctrina magiſtri ſui inſtruit, & invitat ad credendum in ſe.

ỷ. 17. *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin, &c.* Totam hanc ſententiam bene explicatam, vide apud Thom. 1. 2. qu. 96 art. 2. ad 2.

ỷ. 18. *Sed veni, impone manum ſuper eam, & vivet.* C *Et ſurgens Ieſus ſequebatur eum.* Quare Chriſtus videns illam petitionem Archiſynagogi ex imbecillitate fidei procedere, quaſi non poſſet abſens mortuum ſuſcitare; non reſpondet, ſicut illi Regulo, Ioan. 4. *Vade, filia tua vivit?* Et cur nuſquam legitur mortuum, abſens ſuſcitaſſe, ut oſtenderet ſe non minus abſentem quàm præſentem tale poſſe? *Reſpondeo*, Chriſtus aliis multis miraculis ſatis oſtendit ſe eſſe Deum, & Dei filium, & proinde omnipotentem. In mortuorum autem ſuſcitatione, de quibus in Evangeliis mentio, id fieri non conveniebat; propter myſteria quædam in eorum ſuſcitatione ſignificanda. Nempe quia magna valde gratia opus ſit ad converſionem D eorum qui per peccata mortui ſunt Deo: maximè ſi conſuetudinem peccandi contraxerint, qui ſignificantur per Lazarum quatriduanum mortuum & ſepultum; qui ad id ſignificandum magno clamore excitandus erat. Item, per hoc quod ibi dicebatur Apoſtolis, *Solvite eum & ſinite abire*: ſignificatæ ſunt claves Eccleſiæ ad ſolvendum peccatores à vinculis criminum. Item, Chriſtus comitari voluit Archiſynagogum, ut eſſet occaſio ſanandæ hemorrhoiſſæ, in via. Qua in re etiam myſterium converſæ gentilitatis Patres contemplantur. Denique mortuos ita ſuſcitari oportuit, ut teſtes adeſſent tum alij, tum ipſi Apoſtoli, qui Chriſti Evangelium poſtea prædicaturi, teſtificarentur hoc ſeſe oculis ſuis vidiſſe; E juxta illud *Vos eritis mihi teſtes*, Luc. ultimo & Act. 1. Item Ioan. 1. *Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, quod manus noſtræ contrectaverunt de Verbo, annuntiamus vobis.* Quod ſi abſens aliquos ſuſcitaſſet verbo, ſicut curavit quoſdam infirmos; ut filium Reguli, & puerum Centurionis: minus certa fuiſſet fides ſine teſtibus; ac dici potuiſſet. Quis vidit mortuum? fortè non erat verè mortuus, &, Unde conſtat quod Jeſus ſuſcitaverit?

ỷ. 20. *Tetigit fimbriam veſtimenti ejus.* Vide Aug. Serm. 69. de diverſis, ubi pulchrè miraculum hoc mulieris tactu fimbriæ veſtimenti Chriſti ſanatæ, vertit ad allegoriam Eccleſiæ ſanatæ prædicatione Pauli, qui veſtimenti Chriſti fimbria fuit, dicens de ſeipſo, *Ego ſum minimus Apoſtolorum.* 1. Cor. 15.

℣.21. *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero.* Quamvis veſtimentum Chriſti neque naturâ ſuâ, neque divina inſtitutione valeret ad morbos pellendos; non tamen ſuperſtitioſè, ſed religioſè dictum eſt à muliere; *Si tetigero, &c.* quia veſtimentum Chriſti res talis erat, à qua rationabiliter, Deo operante, poterat expectari ſanitas; ſicut & à reliquiis ſanctorum, & aliis, quæcumque peculiarem habent; aut habuerunt conjunctionem cum Chriſto & ſanctis ejus. Ioan. quidem Calvinus hoc tribuit infirmitati fidei hujus mulieris, quod per contactum veſtimenti expectaverit ſanitatem, cum ſimpliciter debuiſſet credere & confidere ſe recepturam ſanitatem abſque rei corporalis adminiculo; Sed reſpondemus fidem hujus mulieris laudatam fuiſſe à Domino, nec ulla in parte reprehanſam, ſicut Reguli illius, qui rogabat Jeſum, ut deſcenderet & ſanaret filium ejus; cui dictum eſt: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Ioan. 4. Hic enim putabat eum non poſſe niſi præſentem ſanare; hæc autem mulier veſtimentum ejus contingere cupiebat, pia quadam devotione, & ut eo facto fidem ſuam proteſtaretur, poſſe Chriſtum etiam per rem minimam operari ſanitatem; non tamen excludendo, quod ſolo verbo & nutu idem præſtare poſſet. His accedit quod mulier illa populum gentilem ſignificavit; quodque eadem poſteà Cæſareæ Chriſto ſtatuam poſuit, ad cujus fimbriam uſque herbæ ſuccreſcentes, ſingularem medicandi vim habebant, ut eſt apud Sozom. c.5. v. 20. per quod, & fides & factum mulieris, etiam divinitus commendatum eſt. Fuit ergo fides ejus commendata duplici miraculo.

℣. 24. *Non eſt enim mortua puella, ſed dormit.* Intellige quantum ad facilitatem meam. Tam enim facile mihi eſt eam reſuſcitare à morte, quàm facile cuique eſt excitare dormientem; Imò facilius multò. Alij ſic: non eſt mortua, ſed dormit; quia more dormientium ſtatim excitabitur; cum alioqui mors ſecundùm ſe ſit ſomnus perpetuus, ſicut è contrario ſomnus imago mortis.

℣. 29. *Creditis quia hoc poſſum vobis facere?* Ecce non requirit fidem qua certo ſibi perſuaſum habeant Chriſtum hoc facturum, ſed facere poſſe. Vide cap. præcedentis v. 2.

℣ 30. *Videte ne quis ſciat.* v.31. *Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa.* In illis verbis, *videte ne quis ſciat*, non imperium eſt, ſed myſterium. Continet enim doctrinam noſtram, qua monemur, quoties quid boni, aut præclari agimus; quantum ad nos attinet habere illud ſecretum, & fugere laudem humanam. Ita enim nobis expedit ad cuſtodiam humilitatis. Non ſignificari autem imperium etiam ipſi quibus dictum eſt intellexerunt. Unde ſequitur: *illi autem exeuntes diffamaverunt eum.* Neque enim imperio ejus, à quo tam inſigni beneficio affecti erant, adeò manifeſtè repugnare voluiſſent, ſi ſilentium ſibi verè imperatum putaſſent. Et quidem hæc ſæpius accidiſſe ex Evangeliis liquet. Nec tamen uſquam ab Evangeliſtis ulla datur ſignificatio quod malè fecerint; ſed potius factum eorum commemorant tanquam laudabile. Porrò alibi Chriſtus exigens diffamationem impenſi à ſe beneficij, nihilominus exemplo humilitatis nobis conſuluit, quando gloriam facti in Deum tranſtulit, dicens: *Vade, & narra quanta tibi fecerit Deus.* Item, Chriſtus non ſe gerebat tanquam eſſet eorum ſuperior qui præcipere poſſet, ſed ſicut homo benefactor loquitur ad eum cui præſtitit magnum beneficium, dicens per modum præcipientis, Nemini dicas. Eſt enim ſignificatio modeſtiæ, & exemplum. Vide Cajetanum 2. 2. quæſt. 104. art. 4.

℣.37. *Meſſis quidem multa.* Scilicet in Judæis; non in gentibus; quia Judæi veram habebant religionem, & per Ioannem ad Chriſtum erant præparati. Hoc enim erat officium præcurſoris, *parare Domino plebem perfectam.* Poteſt etiam extendi ad proſelytos ex gentibus; etiam ex gentibus multi non proſelyti aſcendebant in templum Jeruſalem orandi cauſa; ut ille Eunuchus Æthiops; & alij de quibus apud Ioan. c.12.

CAPUT X.

℣.1. D*Edit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.* In ejiciendis dæmonibus poteſtatem acceperunt Apoſtoli, & in Apoſtolis Eccleſia, quam non accepit in faciendis miraculis; videlicet authoritativam & ordinariam, quod indicare videtur Ambr. in Luc. 4. cum ait: Liberare à dæmonio & homines, ſed in verbo Dei, poſſunt, reſurrectionem mortuis imperare, ſolius divinæ eſt poteſtatis. Vide etiam Luc. 10. Hinc Paulus Actor. 16. cum imperio ait: *Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea.*

℣.2. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina. Quæritur* inter Apoſtolos quot & qui fuerint Chriſti conſanguinei. *Reſpond.* ſoli fuere Iacobus minor, & Judas Thadæus Iacobi frater. Nam Iacobum & Ioannem filios Zebedæi non fuiſſe cognatos Chriſti liquet ſatis. Vide annot. infrà cap. 20. De tertio, id eſt, Simone Cananæo dubium eſt, ſitne idem cum Simone qui cap. 13. numeratur inter fratres Domini. De ea re vide Baronium. Non videtur autem ſi ſuit ex Cana Galilææ non Nazareth, ut cæteri.

Primus Simon, qui dicitur Petrus, &c. Non diceret, *Petrus*, ſi non vellet ſignificare eum cæteris à Chriſto prælatum fuiſſe. Nam quod ad ordinem vocationis attinet, prior eo fuit Andræas frater ejus, Ioan. 1. quem tamen omnes Evangeliſtæ, ubicumque Catalogum Apoſtolorum contexunt, Petro poſtponunt. Item nec erat primus ætate, nec ſignificatur ordo nudus enumerationis. Cur enim omnes eum primo loco recenſerent, niſi cauſa aliqua recenſionis hujus ſubeſſet? Itaque primus erat ordine dignitatis, & primatus; non quem habebat tunc quando contingebant quæ hîc ſcribuntur, ſed quando hæc ab Evangeliſta ſcribebantur.

℣. 3. *Bartholomæus.* Non ut quidam putant legendum Bartholomæus tanquam filius Ptolomæi, voce ex Hebr. & Græco compoſita; ſed Bartholomæus, id eſt, filius Tholmai quod eſt proprium nomen Hebræum, etiam in Scripturis uſitatum, & antiquius nomine Ptolomæi. Fortè autem, quia regum Ægyptij hoc nomen eſſe ſolet, Ptolomæi, factum eſt, ut Bartholomæum Apoſtolum multi putaverint & ſcripſerint fuiſſe filium regis; quod interpretationem hanc nominis eſſe putarent, filius Ptolomæi. Sed hoc abſurdum eſt, cum ex ſola circumciſione, non ex gentibus, Chriſtus acceperit Apoſtolos Diſcipulos ante paſſionem. De qua re vide etiam comm. noſtr. 1. Cor. 1. ad illa verba, *Non multi nobiles.* Quis autem fuerit Bartholomæus, & utrum, ut multi putant, idem cum Nathanaële; vide annot. Ioan. 21.

Thomas & Mattham Publicanum. Dupliciter hîc modeſtiam ſuam inſignem declarat Evangeliſta, tum quia palam ſe publicanum nominat, quod in Catalogo Apoſtolorum ab aliis Evangeliſtis minimè factum eſt; tum quia ſe poſtponit Thomæ cui eum anteponunt Marcus & Lucas. Utrumque obſervavit Euſebius lib. 3. demonſtrat. Evangelic. cap. 7.

Et Iacobus Alphæi & Thadæus. Quare non addit, frater ejus, ſicut ſupra de Andræa & de Ioanne? an quia Thadæus non fuit frater germanus Iacobi? Alioqui, fratrem Iacobi ſe vocat in Epiſtola ſua. Hic locus videri poſſit favere iis qui dicunt hunc Iacobum eſſe diverſum à Iacobo fratre Domini, cujus Judas ſe fratrem ſcribit; ſed non favet. Nam & Marcus cap. 3. Andræam non ſcribit fratrem Petri, cum tamen Ioan-

Ioannem fratrem Iacobi ſcripſiſſet. Et Lucas cap. 6. è contrario, cum dixiſſet Petrum & Andræam fratrem ejus, ſubjunxit Iacobum & Ioannem, non addendo, fratrem ejus. Et quod amplius eſt, cum dixiſſet Iacobum Alphæi, interpoſito Simone, qui vocatur Zelotes, addidit, & Judam Iacobi, ſcilicet ejus quem proximè nominaverat. Ex quo liquet, Iacobum cujus fratrem ſe ſcribit Judas, eſſe unum de duodecim. Idem prorſus habet Lucas Act. 1. Vide noſtrum comment. ad Gal. 1. ad illud, *Iacobum fratrem Domini.*

℣. 4. *Simon Cananæus.* Hunc putant quidam non Cananæum dicendum, ſed Canaæum vel Cannitem. Et in Græco tum hoc loco, tum Marci 3. non legendum *Κανανίτης* ſed *Καναναῖος*; quod ex Hebræo eſt, & idem ſignificat quod Græcè eſt apud Luc. 6. & Act. 1. *ζηλωτὴς*; atque hoc modo, id quod Marcus & Matthæus Hebraicè poſuerunt, Lucas in Evangelio & in Actis Græcè poſuit. Itaque Simon dictus eſt à Canna; quæ vox Hebraicè Zeloten ſignificat. Unde falli mihi videntur qui Cananæum dici putant à gente Chananæorum; cum hi & Græcè per χ non κ, & Hebr. per Chaſ non per Cof ſcribantur à fronte. Porrò Chananæus genere eſſe non potuit hic Simon, quia Chriſtus Judæos ſolos in Diſcipulos elegit, non gentiles; imò nec voluit, ut gentibus prædicaretur Evangelium ante ſuam paſſionem. Notandum etiam quòd Egeſyppus & Euſebius hunc eſſe volunt Simonem vel Simeonem, qui poſt Iacobum, Jeroſolymorum rexit Eccleſiam, & cum eſſet 120. annorum martyrio affectus eſt. At repugnat vulgo recepta Hiſtoria de Juda & Simone, in Perſide poſt prædicatum Evangelium, martyrio defunctis. Unde & Rom. Breviarium diverſos facit, alterum collocans in Octobri, alterum in Febr. Vide S. Hieronymum in hunc locum, & Ianſenium, Baronium in Juda & Simeone, itemque noſtra. Joan. 19.

Et Iudas Iſcariotes. Ita dictus, vel quod eſſet de tribu Iſſachar; vel potius quod eſſet ex Carith vico in tribu Juda, cujus fit mentio Joſue 15. & alibi quaſi dicat vir de Carith, nam (*is*) Hebr. virum ſignificat.

℣. 8. *Gratis accepiſtis gratis date.* Senſus: Quoniam ergo hæc omnia vobis gratis dedi; ideò vobis præcipio ut ea vos etiam gratis aliis communicetis. Non ergo ſignificatur conſequentia neceſſaria eſſe, Gratis acceptum eſt: ergo gratis dandum. Sic enim non liceret pauperi, veſtem dono ſibi datam vendere, ut habeat panem. Sed ſignificatur ratio; ſicut ibi: *Omne debitum dimiſi tibi quia rogaſti me.* S. Gregor. lib. 7. Epiſt. 29. noluit accipere pecuniam pro lignis ad Epiſcopum Alexandrinum tranſmiſſis; quaſi Evangelio prohibente. Nos enim, inquit, ea quæ tranſmittimus ligna, non emimus; quomodo poſſemus pretium accipere, cum ſcriptum ſit: *Gratis accepiſtis, gratis date?* Vide 2. Cor. 11. v. 7.

Mortuos ſuſcitate. Hinc apparet Apoſtolos Chriſti in hac miſſione, quæ erat ad Judæos, reſuſcitaſſe aliquos mortuos.

℣. 9. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, &c.* Hujus loci authoritate nituntur, qui putant virum Eccleſiaſticum & verbi Dei prædicatorem, nihil proprium licitè poſſidere. Id enim dicunt his Chriſti verbis prohiberi, quibus dicitur: *Nolite poſſidere, &c.* Sed redarguit eos quod ſequitur. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Cujus loco Lucæ 10. legitur, *mercede ſua.* Unde ſequitur quod ſicut operario merces eſt propria, quam opere ſuo meretur; ita prædicatori verbi Dei ſtipendium eſt proprium, quo eum dignum eſſe Dominus teſtatur. Quare cum omnes proventus Eccleſiaſtici ſint ſtipendia officij Eccleſiaſtici; conſequens eſt eos non eſſe puras eleëmoſynas, id eſt, intuitu paupertatis oblatas; ſed debitos eſſe tanquam ſtipendia laborum. Verba igitur Chriſti, *Nolite poſſidere, &c.* non ſunt prohibentis, ſed dantis poteſtatem, ut qui Evangelio miniſtrat, de Evangelio vivat; idque ſignificat ſententia adjuncta. *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* Senſus igitur eſt: Cùm ad prædicandum Evangelium proficiſcemini, non eſt quod ſolliciti ſitis de cibo & potu, aliiſque vitæ neceſſariis, vobis comparandis: Illa enim omnia abundè vobis ſuppeditabuntur ab iis quibus Evangelium annuntiatis, quia *dignus eſt operarius cibo ſuo.* Vide quæ de debita miniſtris Evangelij ſuſtentatione diximus in noſtro comment. 1. Timoth. 5. v. 17. & 18. itemque 2. Theſſ. 3. verſ. 10. Adde, dici quoque poſſe, quod Chriſtus etiam pro tempore Apoſtolis hoc præceptum dedit: principaliter tamen voluit, quod dixit. Dixit autem *in zonis*, pro eo quod eſt in marſupiis, quæ ſolent ex zonis ſuſpendi.

℣. 10. *Dignus enim eſt operarius cibo ſuo.* Chryſ. homilia 35. in Geneſ. vocat hanc Apoſtolicam legem; quam etiam Abraham ſervaverit, quando nihil volens accipere pro victoria divinitus reportata, excepit ea quæ comederant juvenes. Et addit. Nihil enim ultra uſum ſuum accipere permittit. Dixit autem Dominus τροφῆς, non τρυφῆς, ut annotat Theophylactus, id eſt, cibo, non luxu, quia non oportet doctorem luxuriari.

℣. 11. *In quamcumque autem civitatem aut caſtellum intraveritis.* Græcè κώμην, id eſt, vicum, pagum; quod interpres noſter aſſiduè caſtellum vertit. Sic infrà c. 21. *Ite in caſtellum quod contra vos eſt,* & cap. 14 *Vt euntes in caſtella emant ſibi eſcas.*

Interrogate quis in ea dignus ſit. Id eſt, quærite de viro aliquo vitæ honeſtæ, quique bene audiat apud cives ſuos; ne fortè ſi veſter hoſpes laboret ex fama, labes in vos atque in Evangelium redundet. Vide Aug. de fide & oper. c. 17 vide etiam noſtra in 2. diſt. 26. de gratia non ex meritis.

Et ibi manete donec exeatis. Id eſt, apud ejuſmodi virum manete, donec exeatis ex ea civitate vel pago; nolite leviter & temerè mutare hoſpitium. Ea enim res arguit animi ac morum inconſtantiam: hæc autem mirum in modum minuit authoritatem, ſine qua irritus fieret labor Evangeliſtæ.

℣. 13. *Et ſi quidem fuerit domus illa digna, veniet pax veſtra ſuper eam; ſi autem non fuerit digna, pax veſtra revertetur ad vos. Digna*, id eſt, quam Deus dignetur & honorare voluerit ſuâ gratiâ. Igitur digna ſecundum prædeſtinationem gratiæ divinæ. Sic & (mereri) interdum ſumitur, ut dum dicit Auguſtinus, vel quiſquis author ſerm. 252. de tempore, quòd nullis præcedentibus meritis, per gratiam Dei meruimus fieri templum Dei. *Pax veſtra*, id eſt, pax quam imprecati fueritis ei, veniet ſuper eam. Tale eſt quod dicit Lucas Act. 13. *Et crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam. Revertetur ad vos.* Id eſt, Nolite exiſtimare fruſtra vos laboraſſe, ſi prædicatio veſtra non fuerit recepta. Nam merces operis veſtri ſemper vobis ſalva manet, ſive recepta fuerit prædicatio veſtra, ſive non: quia *unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*, 1. Cor. 3. etſi parum, aut nihil proficiat apud alios, propter eorum cordis duritiem.

℣. 14. *Et quicumque non receperit vos, neque audierit Sermones veſtros: exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus veſtris.* Marcus addit cap. 6. *in teſtimonium illis.* Lucas cap. 9. *in teſtimonium ſuper illos.* Legitur hoc feciſſe Paulus & Barnabas Actor. 13. Et ſimile quid Paulus feciſſe legitur Actor. 18. v. 6. excutiens veſtimenta ſua. Vide ejus loci annotat. Ubi etiam indicatur quid ſignificet

Ille pulveris pedum veſtimentorumque excuſſio; nempe proteſtationem innocentiæ ſuæ, quoad perditionem eorum quibus prædicatum eſt, & culpæ ipſorum. Cui addi poteſt, etiam illud ſignificari; quod apud illos qui Evangelium non recipiunt, nihil pro accepto habemus quod fortè dederunt, ſed totum rejicimus, hoſpitium, cibum, potum &c. ob quod etiam pulvis, qui fortè pedibus inhæſit, excutitur.

℣. 16. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes & ſimplices ſicut columbæ.* Apoſtolus ad Rom. 16. *Volo*, inquit, *vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Vide ibid. noſt. comment.

℣. 17. *Et in ſynagogis ſuis flagellabunt vos.* Quia occidendi non habent poteſtatem. Unde dicunt: *Nobis non licet interficere quemquam.* Ioannis 18. Stephanum quidem & Iacobum minorem occiderunt, ſed per tumultum. Vide annot. ad illum locum Ioan. 18.

℣. 18. *Et ad præſides & ad reges ducemini.* Scilicet à Iudæis; ut patet de Paulo in Actis Apoſtolorum.

℣. 19. *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini. Nolite cogitare*, Græcè μὴ μεριμνήσητε; *ne ſolliciti ſitis & anxij.* Vide annot. Marc. 13. Luc. 12 & 21.

℣. 23. *Cum perſequentur vos in civitate iſta; fugite in aliam.* Subaudi; quantum eſt ex parte veſtra, quia non debetis vos temerè ingerere periculis, nec perſequentium furorem manendo accendere; ſed potius declinando reſtinguere. Cæterùm ſi per fugam veſtram ſalus aliquorum in periculum vocaretur; ut eorum quibus Sacramentorum & conſolationis atque inſtructionis miniſterium foret neceſſarium; tum fugere paſtori non licet. Vide Aug. Epiſt. 180. ad Honoratum, & Ioan. Heſſel. in hunc locum.

℣. 24. *Non eſt diſcipulus ſuprà magiſtrum, nec ſervum, &c.* Impertinens eſt huic ſententiæ, an fieri poſſit, ut diſcipulus ſit magiſtro ſuo doctior; ſed ſignificatur, diſcipulo non eſſe expectandum, ut ſit melioris conditionis quàm Magiſter. Unde dicitur Ioan. 15. *Si me perſecuti ſunt; & vos perſequentur.* Et hic, *Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, &c.*

℣. 31. *Multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Non malè multis pro omnibus, dictum quidem interpretantur. Videtur enim ſenſus eſſe, meliores & præſtabiliores eſtis vos paſſeribus, quantumcumque multis. Nam unus homo pluris eſt, propter ſuæ naturæ excellentiam, universa multitudine avium & cæterorum irrationabilium. Unus quoque electus pluris eſt apud Deum tota ac innumerabili turba reproborum.

℣. 34. *Nolite arbitrari quia veni pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Hæretici, quoties à Catholicis oppugnantur, tanquam Authores ſeditioſæ doctrinæ, qua paſſim videmus plebem concitari contra magiſtratus, ſubditos contra reges, & principes; hac Chriſti ſententia ſe tueri conantur, eamque avidè pro ſe arripiunt, tanquam ſeditioſæ ſuæ doctrinæ faventem. Sed abſit ut ad ſeditiones concitandas venerit Chriſtus; qui præcepit reddi Cæſari quæ Cæſaris ſunt; qui Petro defendenti ſe præcepit, ut gladium reconderet in vaginam ſuam. Qui per Apoſtolos præcepit fidelibus, ut ſublimioribus poteſtatibus ſubditi eſſent; qui hoc eodem capite præcipit diſcipulis ſuis, ut in quamcumque domum ingreſſi, dicant; *Pax huic domui.* Nihil ergo aliud hoc loco docet Chriſtus, quàm ſe veniſſe in terram, non ut pacem terrenam ſtabiliret, in qua non habetur ratio pietatis, ſed tantùm tranquillitatis externæ; ſed ut mittat gladium, id eſt, diſſenſionem quæ oritur ex religionis diverſitate; quæ tamen diſſenſio non eſt ſeditioſa, ſed patiens injuriarum. Id eſt, per eam Chriſtianus non obluctatur ſuperiori poteſtati, ſed patitur etiam injuſtè perſequentem & judicantem. Talis diſſenſio fuit inter Martinum & parentes ejus, inter Barbaram & patrem ejus, inter Auguſtini matrem Monicam ejuſque maritum, alioſque multos; ex parte quidem infidelium impia & injuſta; ſed ex parte credentium Chriſto, pia, juſta & Sancta, & cum magna, Chriſtianaque patientia conjuncta. Nec repugnat quod Apoſtolus dicit: *Non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*, 1. Cor. 14. Loquitur enim Apoſtolus, de diſſenſione quæ inter fideles & ſanctos exoritur propter ordinem Eccleſiaſticum atque hierarchicum non ſervatum; cujus diſſenſionis non Deus, ſed Diabolus Author eſt. Nam per Chriſtum, fratres habitant in unum; Diabolus autem communiter fratres dividit. De ſuis Diſcipulis ait Chriſtus Ioan. 13. *In hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli mei eſtis; ſi dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc autem cognoſcuntur filij diaboli, ſi diſcordiarum & ſchiſmatum authores ſint.

℣. 38. *Qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Dubitare non debes, ex S. Leo Sermone 9. de quadrag. hanc vocem, non ſolum ad Diſcipulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles, totamque Eccleſiam pertinere: quæ ſalutare ſuum, in iis qui aderant, univerſaliter audiebat.

Eſt etiam obſervandum, Chriſtum Dominum primum eſſe authorem hujus phraſis, quæ *ferre crucem*; accipitur pro eo, quod eſt patienter ferre tribulationes: Quæ nimirum ſingulariter nobis commendare voluit Sacroſanctum myſterium crucis ſuæ. Quàm phraſim deinde ejus exemplo Apoſtoli & cæteri fideles uſurparunt, uſque in hunc diem. Vide noſtr. comment. in 2. Tim. 3. v. 12.

℣. 41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ.* Ex hoc loco ubi dicitur: *In nomine Prophetæ, in nomine juſti, in nomine Diſcipuli*; patet illam phraſim, *in nomine hujus aut illius*, non ſolum uſurpari de Deo, ſed etiam de aliis, licet de Deo frequentiſſimè, & ferè ſemper, dicatur in Scripturis. Romani Breviarij appendix, in Commendatione animæ emigrantis à corpore, attribuit ſanctis. Poſtquam enim dixit, *In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti*; addit, In nomine Angelorum & Archangelorum, in nomine Patriarcharum, & Prophetarum; In nomine Sanctorum Apoſtolorum, &c. Id eſt, cum invocatione illorum. Sic generaliter quærunt ex Petro & Ioanne Pontifices Act. 4. *In quo nomine feciſtis vos?* Quidam illud, *In nomine Prophetæ. In nomine juſti*; de Chriſto interpretantur, id eſt, in nomine Chriſti, qui eſt maximus Propheta & juſtus juſtorum, ut ſit idem cum eo, quod alibi dicit Dominus: *in nomine meo.* Et probari videtur ex eo quod præcedit. *Qui vos recipit, me recipit; & qui recipit me, recipit eum qui me miſit.* Sed manifeſte refellitur iſta ſpeculatio ex eo quod ſequitur: *Et quicumque potum dederit uni, &c. tantum in nomine Diſcipuli, &c.* ubi Chriſtum nullo modo intelligere licet, ſed hominem cui detur potus aquæ frigidæ. Quare & in duabus ſententiis præcedentibus ſimiliter intelligendus eſt ipſe homo qui recipitur.

Mercedem Prophetæ accipiet. Quia ei ad munus ſuum, prædicandi & exponendi verbum Dei, cooperatur, & voluntate atque affectu conjungitur. Sic in Martyrologio Rom. 4. Octobris, dicitur quod quidam martyribus ſervientes, mercedem martyrum receperunt. Accipiet ergo mercedem Prophetæ, qui Prophetam in nomine Prophetæ ſuſcipit; licet non ſemper in pari gradu, ſed pro magnitudine pij affectus, quo illi cooperatur. Sic in malo, qui recipit furem ut furem, mercedem furis accipiet. Ex quo etiam intelligitur phraſis illa; *in nomine Prophetæ*; Senſus enim eſt, ut Prophetam, & ea gratia quia Propheta eſt. Sic & iſta; *in nomine juſti, & in nomine Diſcipuli.* Ita & ſecundum leges civiles qui fures & latrones & hæreticos receptant, in ſupplicijs eorum participant.

C A-

CAPUT XI.

℣. 2. *Cum audiſſet in vinculis opera Chriſti.* Ideò dicit *Chriſti*, non Ieſu, ſicut alibi ferè ſemper, ut inſinuet nobis intentionem Ioannis mittentis diſcipulos ſuos ad Ieſum. Ea enim erat, ut ab illo docerentur (ſeu verbis, ſeu rebus exhibitis, id eſt, miraculis) ipſum eſſe eum, qui venturus expectabatur, id eſt, Chriſtum. Item, *opera Chriſti*, id eſt, qualia Chriſtum facturum prophetæ prædixerant. Huic intellectui reſpondent Chriſti verba; inter quæ & illud propheticum; *pauperes Evangelizantur.*

℣. 3. *Tu es qui venturus es?* Id eſt. Tu ne es ille qui exſpectaris jam jam adfuturus? Græcè ὁ ἐρχόμενος, quod participium quidem eſt præſentis temporis, ſed ſignificationem quandam habens futuri, id eſt, ejus quod eſt in procinctu ut veniat, quodque venire jam incipit. Idem eſt de verbo ἔρχεται. Eccleſia in officio divino feria 5. poſt Dom. 2. adventus interpretatur illud, *Tu es, &c.* hoc modo: *Tu es qui venturus es, Domine, quem expectamus, ut ſalvum facias populum tuum?* S. Hieronymus qu. 1. ad Algaſiam probat quæſtionem eſſe de adventu Meſſiæ in mundum, additque rationem cur hoc quæſierit Ioannes. Adfert tamen ibidem & alterum ſenſum, ſcilicet de deſcenſu Chriſti ad inferos; ſed pro illo nihil dicit. Cæterùm quæſtionem hanc non eſſe de deſcenſu Chriſti ad inferos vel inde liquet; quia Chriſtus nihil reſpondet, unde colligi poſſit, ad inferos deſcenſurum: Reſpondiſſet autem Ioanni amico ſuo & præcurſori, aut certè, cur id non eſſet quærendum, ſignificaſſet; ſi hoc à Ioanne quæſitum fuiſſet.

Fortè dices eum ad hoc reſpondiſſe per illa verba: *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me*, quod his verbis ſignificetur mors Chriſti, & conſequenter deſcenſus ad inferos; quia tum, communi lege omnes mortui ad inferos deſcendebant. At ſanè illa reſponſio Ioanni non potuiſſet facere ſatis; tum quia non ignorabat Ioannes Chriſtum moriturum, ut qui hoc ipſum ſub vocabulo agni tollentis peccata mundi jam prædixiſſet; tum quia dubitare adhuc poterat, utrum quem moriturum didicerat, credere deberet illum quoque ſubiturum legem communem, qua omnes mortui deſcendebant ad inferos, cum ſuſpicari poſſet Chriſtum agnum immaculatum ac Dei filium ab ea lege ſeſe eximere velle; maximè quod ille eſſet, per quem reſeranda eſſet janua regni cæleſtis. Unde nec latro qui cum eo pependit & mortuus eſt, ad inferos deſcendit, ſaltem aliorum more, ſed ſtatim ad paradiſum migravit, aditu ejus per Chriſti mortem jam patefacto.

℣. 5. *Cæci vident.* Græcè ἀναβλέπουσιν id eſt, *viſum recipiunt.* In officio Eccleſiaſtico; *ad lumen redeunt cæci.*

Claudi ambulant. Id eſt, gradiendi virtutem recipiunt. Vel hoc modo; qui paulò ante cæci erant, nunc vident; qui claudi, nunc ambulant. Priori ſenſui favet quod ſequitur: *Mortui reſurgunt, Leproſi mundantur*, non enim dicit mortui vivunt, leproſi mundi ſunt.

Mortui reſurgunt. Ergo plures quàm tres mortuos ſuſcitavit Dominus. Nam iſtud, ni fallor, dictum eſt priuſquam aliquis trium illorum, quorum nominatim meminerunt Evangelia, ſuſcitatus fuiſſet. Unde Auguſtinus ſerm. 44. de verbis Domini. Quot autem, mortuos viſibiliter ſuſcitaverit, quis novit? non enim omnia ſcripta ſunt quæ fecit. Ioannes hoc dicit. Multi ſunt ergo alibi ſuſcitati, ſine dubio fortaſſe; ſed non fruſtra tres commemorati. Huc facit quod Euſebius lib. 4. hiſtor. Eccl. cap 3. teſtatur. Quadratum, Apoſtolorum diſcipulum, in Apologia quam coram Adriano Imper. recitavit, ſcribere, quod quidam ex mortuis à Chriſto excitati, ad longinquum tempus fuerint ſuperſtites, adeò ut ad ſua uſque tempora quidam eorum vitam produxerint. Atque ut hæc ita ſint; non tamen convincit hic locus plures fuiſſe à Chriſto ſuſcitatos. Nam Luc. 7. ubi eadem hiſtoria narratur, immediatè præcedit narratio de filio matris viduæ ſuſcitato. Quin & apud hunc eundem Evangeliſtam c. 9. præcedit hiſtoria reſuſcitatæ filiæ Archiſynagogi, licèt apud Lucam ſequatur, capite ſcilicet 8. Vide Concordiam Ianſenij & aliorum.

Pauperes Evangelizantur. Hoc non adfert ut miraculum, ſicut cætera, ſed ut dictum propheticum, quod tunc evidenter implebatur; ut oſtenderet ſe eſſe illum, de quo prædictum fuerat. Reſpondebat enim ad quæſtionem: *Tu es qui venturus es?* Notandum, quod verbum Græcum εὐαγγελίζω & εὐαγγελίζεσθαι in hac ſignificatione qua ſignificat bonum nuntium adferre, proprium penè eſt ſacris litteris & ſcriptoribus Eccleſiaſticis Authores ejus ſunt Septuaginta interpretes 2. Reg. 18. Iſaiæ 52. & 61. Vide Hebr. 4. ibi, *quibus prioribus annuntiatum eſt.* Græcè eſt, *qui Evangelizati ſunt.* Qui pauperes intelligantur, vide etiam annot. Iſai. 61. Et quæri poteſt utrum iidem hic pauperes dicantur, qui paulò poſt parvuli; *& revelaſti ea parvulis.* Quod prædicatio Evangelica non prærequirat humilitatem animi; manifeſtum eſt. Nam Evangelium docet ac præcipit humilitatem, *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde*, hoc cap. Item, *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Item: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli; non intrabitis in regnum cælorum*, infrà 18. Item: *Quiſquis non recipit regnum Dei velut parvulus; non intrabit in illud.* Marci 10. Quæ quidem & ſimiles ſententiæ invitant etiam ſuperbos ad recipiendum Evangelium; ſed depoſito prius ſuperbiæ gibbo, & aſſumpta humilitate, ut ſine qua, vel omnino recipi nequeat, vel non utiliter recipiatur prædicatio regni Dei. Nam fides ipſa qua creditur Evangelio non eſt ſine aliqua humilitate voluntatis, captivantis intellectum ad credendum ea quæ captum ejus ſuperant. Unde in ipſa fide obedientia eſt; ſecundum illud Roman. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.*

℣. 6. *Beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Senſus eſt: Beatus eſt, quem humilitas converſationis meæ inter homines, & paſſionis ac mortis, non averterit à fide divinitatis meæ. Multi enim quod in Chriſto viderent tantam humilitatem, adduci non poterant, ut eum crederent eſſe Dei filium. Et ita in eo ſcandalizabantur. Sunt & hodie plurimi qui in Chriſto ſcandalizantur, non quidem in Chriſto capite, ſed in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia. Scandalizantur autem ſimili modo. Quia enim in Eccleſia Chriſti vident multos abuſus; eoſque magnos ac manifeſtos; verbi gratia, in clero ambitionem, avaritiam, libidinem, aliaque iſtiuſmodi mala: credere non poſſunt hanc eſſe Eccleſiam, cui tam magnæ & præclaræ factæ ſint promiſſiones; quod ſit permanſura uſque in finem ſæculi, & Spiritus Sancti præſentia nunquam deſtituenda. Qui hoc modo ſcandalizantur, ſunt hæretici: Sed beatus qui inter tot offendicula ſtabilis permanet in fide Eccleſiæ Catholicæ.

℣. 8. *Hominem mollibus veſtitum? Ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Non dicit eos peccare qui mollibus & pretioſis veſtibus utuntur, modo id faciant juxta decentiam ſtatus ſui; ut reges & principes. Quanquam in his ſæpè per exceſſum & ſtultam vanitatem & curioſitatem peccetur, non tam à principibus quam iis qui circa eos ſunt. Multò magis autem ab hominibus privatis, quorum ſtatus ſplendidum hujuſmodi cultum non exigit. Qualis fuit dives ille Epulo, qui induebatur purpura & byſſo Luc. 16. Vide Greg. hom. 6. in Evangelia; ubi oſtendit ex

præ-

præſenti loco, & ex ſententiis Petri & Pauli,in luxu A
& ſtudio pretioſarum veſtium, peccatum non deeſſe.
Et homil. 40. de divite & Lazaro; ubi habet hanc
ſententiam: Nemo veſtimenta pretioſa niſi ad ina-
nem gloriam quærit, videlicet ut honorabilior cæte-
ris videatur, &c. At Hier. lib. 1. contra Pelag. cap. 9.
reprehendit eum qui dixerat gloriam veſtimentorum
& ornamentorum Deo eſſe contrariam. Sed Hier.
reprehendit ſententiam tam generalem, ut etiam ad
mundiciem veſtium & ſplendorem ornamentorum
Eccleſiæ, extenditur. Deinde, negat inimicitias eſſe
cum Deo, ſi homines ſæculares precioſis atque niten-
tibus utantur veſtimentis, ſed non negat hoc eſſe pec-
catum. Gregorius quoque non quid ſemper, ſed quid
plerumque verum ſit, ſignificare voluit: Non enim
reges purpura utentes, ut dignitatem apud vulgus B
tueantur; reprehenderet.

ŷ. 9. *Prophetam, etiam dico vobis; & plus quam Prophetam.* Apud Lucam legitur *utique* pro *etiam.*
Sed in græco eadem vox eſt, ναὶ, certè, profectò Chri-
ſtus hîc non negat Ioannem eſſe Prophetam, quando
ita eum laudat, ut dicat eum plus aliquid eſſe quam
prophetam. Græcè περιϹότερον προφήτου. Nam in hoc
eodem ſermone, apud Luc. 7. Prophetam eum vocat
dicens: *Major inter natos mulierum Propheta Baptiſta nemo eſt.* Et de eo Zacharias in Cantico: *Et tu puer Propheta altiſsimi vocaberis.* Sed vocat eum pluſquam
Prophetam, id eſt, aliis Prophetis excellentiorem.
Quem enim alij indicaverunt venturum, iſte & ven-
turum prædixit, & præſentem monſtravit; quod
erat excellentioris gratiæ Propheticæ. Sic qui diceret C
Chriſtum fuiſſe pluſquam hominem; non negaret
hominem fuiſſe.

ŷ. 12. *A diebus Ioannis Baptiſtæ uſque nunc regnum cœlorum vim patitur.* Quia Ioannes cœperat prædi-
care pœnitentiam, & multi ejus prædicatione vitam
in melius mutabant: Per opera autem pœniten-
tiæ vis quædam fit regno cœlorum. Dicit autem,
uſque nunc, non quod poſtea non id factum fuerit,
cum conſtet etiam magis factum; ſed quia illud
tempus tanquam notum jam tum deſignari poterat,
etiamſi nihil diceretur de tempore futuro. Unde
apud Luc. 16. non eſt additum iſtud, *uſque nunc*, &
phraſi Hebr. *uſque ad*, non ſignificat rei finem, poſt
quem aliquid non ſit aut fiat amplius, ſed deſignat D
tempus certum rei aut actionis, etiam ſi fortè ulterius
protendatur.

ŷ. 17. *Cecinimus vobis & non ſaltaſtis.* Aug. in
Pſalm. 128. Sicut enim qui ſaltat, membra movet ad
cantum; ſic qui ſaltant ad præceptum Dei, operibus
obtemperant ſono.

ŷ. 18. *Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet.*

ŷ. 19. *Venit filius hominis manducans & bibens; & dicunt: ecce homo vorax, &c.* *Quæritur* utrum melius
manducare & bibere, an non manducare neque bibere?
Dicendum, hoc quidem melius eſſe, in genere, quàm
illud; quia ad virtutem abſtinentiæ magis pertinet:
verùm illud, in particulari, ob cauſas & circumſtantias
poſſe eſſe melius. Sicut contingit vitam activam me- E
liorem eſſe & præeligendam vitæ contemplativæ. Nul-
lum autem dubium quin in Chriſto tam hæc actio,
ſcilicet manducare & bibere, quàm cæteræ omnes, fue-
rint multo meliores & digniores, quàm quæcumque
actio Ioannis Baptiſtæ.

ŷ. 21. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, &c.*
Per virtutes intelliguntur miracula, ut patet ex ver-
bis præcedentibus. *Tunc cœpit exprobrare civitatibus in quibus factæ ſunt plurimæ virtutes*, id eſt, miracula; &
paſſim alibi virtutes pro miraculis. Unde hinc non ſe-
quitur, quòd cum æquali gratia alij convertantur, alij
non convertantur: quia miracula externa non ſunt
illa gratia, de qua contra Pelagium agitur. Item ſe-
queretur, Tyrios & Sidonios potuiſſe converti per
ſola externa miracula, ſine alia gratia, qua intus à
Deo ad pœnitentiam moverentur: quod eſt prorſus
Pelagianum. Itaque dicendum, quod Dominus Ju-
dæis exprobrat duritiem cordis, quæ in illis erat lon-
gè major quàm in Tyriis & Sidoniis. Nam hi, viſis
tot & tantis miraculis egiſſent pœnitentiam; quod
Judæi non fecerunt. Non tamen illi egiſſent pœniten-
tiam ſine ſpeciali auxilio efficaciter eos ad pœniten-
tiam movente, quod datum illis fuiſſet; & Judæis non
agentibus pœnitentiam, datum non fuit. Si quæras,
unde ſignificatur quod Tyriis & Sidoniis datum fuiſ-
ſet, ſi in illis factæ fuiſſent virtutes. *Reſp.* Chriſtum,
qui dixit hæc verba, illud ſciviſſe tanquam Deum
ſcientem omnia; præſertim ea quæ eſt operaturus vel
poſita conditione.

Poteſt autem dari ratio humana quare Deus ordi-
nariè ſic operetur exhibitis externis miraculis, ubi
corda minus dura ſunt; Diſponit enim & operatur
omnia ſuaviter certo modo & ordine. Non tamen
illa qualiſcumque cordis mollicies ullam habebat ra-
tionem meriti generaliter dicti reſpectu doni pœni-
tentiæ: uti nec bona indoles aut ingenium naturale
quod habent infideles, reſpectu fidei Chriſtianæ; licet
ordinariè qui meliori ſunt indole, facilius ac procli-
vius fidem Chriſtianam ſuſcipiant, ſi illis prædicetur;
Deo ſic operari volente.

Item, ſignificatur quod durities illa cordis eſt im-
pedimentum recipiendi Evangelij; ſed Deus potenti
ſua gratia poteſt etiam illud impedimentum removere.
Nec obſtat quod in uno homine ſint plura impedimen-
ta credendi, quàm in alio. Et quia impedimenta hu-
juſmodi voluntaria ſunt, ut erat illa durities: ideò
meritò hoc eis exprobratur præ aliis, in quibus hæc
non eſt; licèt ſint alia. Et nota quod Deus quamvis
interdum quædam faciat extraordinariè, ut oſtendat
ſe non eſſe alligatum ad certum ordinem agendi, ple-
rumque tamen ſervat ordinarium quemdam modum
agendi, per certa quædam & apta media. Ubi & hoc
notandum, ipſum non ſolum eſſe authorem actionis,
ſive effectus, ſed & omnium mediorum & actionum
intermediarum, quibuſcumque voluerit uti, ſeu quaſ-
cumque voluerit adhibere.

ŷ. 23. *Fortè manſiſſet uſque in hanc diem* Fortè, Græ-
cè ἄν, id eſt, *utique*. Vide annot. Ioan. 5. quamquam
interpres ferè vertit *fortè*. Ioannis tamen 8. v. 42. red-
didit, *utique*.

ŷ. 25. *In illo tempore reſpondens Ieſus dixit.* Hebraica
phraſi reſpondere dicitur, non ſolùm qui ad alterius
interrogata ſermonem reddit, verùm etiam qui erum-
pit in verba, præviæ ſuæ cogitationi reſpondentia. Vide
annot. Ioan. 4.

Et revelaſti ea parvulis. Notandum Chriſtum non
loqui hîc de gentilibus, qui Dei veri nullam habebant
notitiam; ſed de Judæis; apud quos erat vera Dei re-
ligio, ſed in multis velata. Erant autem inter eos alij
ſapientes & prudentes, ut Legiſperiti, ſibi placentes
in legis cognitione. Rom. 2. & eam cognitionem ar-
bitrantes ſibi ſufficere ad legem implendam. Erant
alij parvuli, id eſt, humiliter de ſe ſentientes, & ad
Dei auxilium in omnibus reſpicientes. His ergo par-
vulis, jam fidem implicitam myſteriorum habenti-
bus, revelavit Deus fidei myſteria, ut fidem acciperent
explicitam. Sapientes autem excæcati ſunt ſua ſuper-
bia. Quamquam & miſericorditer Deus quoſdam ſa-
pientes prius humiliatos donavit hac myſteriorum
cognitione; ut Saulum, Nicodemum, Apollon, Gama-
lielem, & multos illos Sacerdotes Judaicos de quibus
Act. 6. v. 7.

ŷ. 26. *Ita Pater; quoniam ſic fuit placitum ante te.*
Non dicit: quoniam hi ſunt parvuli; illi Sapientes:
Nam

Nam hoc ipſum quod parvulis potius quàm ſapientibus revelavit, inde erat quia ſic placitum.

℣.27. *Et nemo novit filium niſi Pater: Neque Patrem quis novit, niſi filius.* Non excluditur Spiritus Sanctus; haud magis quàm filius à priori membro, & Pater à poſteriori; ſed ſolum excluditur quidquid eſt natura diverſum; cum ea nihilominus reſtrictione quæ ſequitur, *Et cui voluerit filius revelare.* Ac ut intelligas non excludi Spiritum Sanctum; prorſus ſimilis eſt de eo ſententia, apud Apoſtolum 1. Cor. 2. *Quæ Dei ſunt*, inquit, *nemo cognovit niſi Spiritus Dei.* Itaque habemus hæc tria, Quæ Dei ſunt nemo novit niſi Pater, nemo novit niſi Filius, nemo novit niſi Spiritus Sanctus. Cæterùm hoc poſtremum, *& cui voluerit*, ad utrumque membrum præcedens referendum eſt. Significatur autem voluntas filij humana, quæ ſibi poſtulavit à Patre certum numerum electorum, quibus myſteria ſalutis revelaret. Quod
B ſi voluntatis divinæ meminiſſet: rem potius ad Patrem retuliſſet, ut ferè alibi, & hoc eodem loco verbis præcedentibus, *& revelaſti ea parvulis.*

℣. 30. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Quomodo igitur idem Dominus affirmat alibi, arctam eſſe viam ſalutis, & portam anguſtam? *Reſp.* Jugum Chriſti ſuave eſt & onus leve, ſi in ſe & ſecundum naturam ſuam conſideretur: Quid enim ſuavius & facilius eſt ſuaptè natura, quàm diligere Deum ſummè amabilem; & hominem ſuæ naturæ ſocium, propter Deum? Hoc autem Chriſti jugum eſt, ipſo dicente: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem.* Deinde, etiam reipſa nobis ſuave fit hoc jugum & leve fit onus, per gratiam Chriſti. Et quantò quis amplius in Chriſti
C gratiâ profecerit, tantò levius ſentit hoc onus tantoque fit ei jugum hoc ſuavius. Arcta eſt autem via ſalutis & anguſta porta, homini veteri, id eſt, carnali, quales omnes ex Adam naſcimur. Bene tractat hunc locum S. Auguſt. Sermone 9. de verbis Domini, ubi etiam inter alia dicit quod lex vetus propter ſarcinam innumerabilium obſervationum, erat revera grave jugum; ſed & duræ cervici convenienter impoſitum. Vide noſtrum comment. 1. Ioan. 5. ad illa verba: *Mandata ejus gravia non ſunt.*

CAPUT XII.

℣.1. *Cœperunt vellere ſpicas & manducare.* Vide annot. Marc. 2.

℣.3. *Quid fecerit David quando eſuriit, & qui cum eo erant.* Vide annot. 1. Reg. 21.

℣. 4. *Quomodo intravit in domum Dei, & panes propoſitionis comedit.* Similiter ferè Marcus. Non eſt ſenſus Davidem comediſſe panes illos in domo Dei, ſed panes qui illic erant, præbente, vel annuente Sacerdote, accepiſſe, & inde ablatos poſteà comediſſe, & comedendo diſtribuiſſe comitibus ſuis. Quem ſenſum expreſſiùs ſignificat Lucas, ita ſcribens cap. 6. *Quomodo intravit in domum Dei & panes propoſitionis ſumpſit* (id eſt, inde accepit) *& manducavit & dedit his qui cum ipſo erant.*

Neque his qui cum eo erant. Græcè οὐδὲ μετ' αὐτοῦ, id eſt, neque iis qui cum eo. Non ergo ſignificatur illos tunc Davidi adfuiſſe, quando panes accepit; ſed comites ejus fuiſſe, etiamſi tunc fortè ei non adeſſent.

℣.5. *Sabbatis Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt. Sabbatum violant*, qui non ceſſant ab opere, quod tamen opus, ſaltem ipſis, non eſt prohibitum in Sabbato. Vide annot. Eſther 4.

℣.12. *Itaque licèt Sabbatis benefacere.* Id eſt, opera beneficentiæ exercere erga proximos; quale erat curare infirmum. Neque enim Phariſæi negant qualiacumque bona opera fieri poſſe die Sabbati, ut orare, ſacrificare; ſed ea quæ proximis impendebantur, etſi eſſent officia beneficentiæ. Hoc autem fieri poſſe Sabbatho, rectè
A concludit Dominus ex eo, quod ovem fortè delapſam in foveam non dubitarent extrahere, etiam in Sabbato. Non quod hoc eſſet benefacere, ad ſenſum textus, nam ſicut juſtitia & liberalitas & miſericordia propriè non eſt erga bruta animalia: ita nec beneficentiæ virtus. Deinde illud non faciunt homines propter beſtias, ut illis bene ſit, ſed propter ſe, qui beſtiarum Domini ſunt, & jure accipiunt utilitatem, accepturi damnum ſi pereant. Sed probatio eſt à minori. Vide annot. Marc. 3. & Luc. 6.

℣.19. *Non contendet neque clamabit; neque audiet aliquis in plateis vocem ejus.* Iſaiæ 42. legitur: *Non clamabit; neque accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris.* Non eſt hoc poſtremum contrarium ei quod Luc. 13. dicitur quoſdam dicturos Domino, *In plateis noſtris docuiſti.* Non enim Iſaias negat Chriſtum in
B plateis docturum, qui prout occaſio ferebat paſſim docebat, vel in templo, vel in ſynagoga, vel in plateis, vel in deſerto, vel in via, vel in navi; ſed prædicat Chriſti manſuetudinem, animique moderationem & tranquillitatem, ut qui clamoſus & contentioſus futurus non eſſet. Talium enim vox, licèt intus in domo ſint, foris atque in plateis audiri ſolet.

℣. 16. *Et præcepit eis ne manifeſtum eum facerent.* Vide annot. cap. 9. v. 3.

℣.20. *Arundinem quaſſatam non confringet & linum fumigans non extinguet.* Chriſti exemplum hac in re malè obſervant, qui occaſione reſervationum, animas peccatis oneratas & mœrentes, alienant à pœnitentia; non condeſcendentes infirmitati & pudori.

C ℣.26. *Et ſi Satanas Satanam ejicit, adverſus ſe diviſus eſt; quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Apud Lucam 11. ſic: *Si autem & Satanas in ſeipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* Hinc apparet quod iis verbis, *Si Satanas Satanam ejicit*, non ſignificentur diverſi dæmones, quorum alter alterum ejiciat; ſed unus & idem dæmonum princeps, qui ſeipſum ejiciat. Ideò enim ſequitur, *adverſus ſe diviſus eſt*, & apud Lucam, *Satanas in ſeipſum diviſus eſt.* Dicitur autem ſeipſum ejicere, ſi ſuos miniſtros per quos exequitur regni ſui negotia, ejicit; quod volebant calumniatores. Sicut rex ſeipſum ejiceret, ſi miniſtros ſuos ſine quibus populum in officio continere non poteſt, ejiceret. Hinc
D etiam apparet ex hoc loco non poſſe ſtatui, quòd nomen *Satana* inferioribus etiam dæmonibus in Scriptura tribuatur, & non ſoli dæmonum principi; ſicut nomen Diaboli. Vide annot. Apoc. 20.

℣. 27. *Filij veſtri in quo ejiciunt?* Non videtur intelligi de exorciſtis Judæorum; quia parata erat reſponſio: *In virtute Dei ejiciunt*, tu autem in Beelzebub, neque de Chriſti Apoſtolis; quia dicturi erant: In Beelzebub ejiciunt, ſicut & tu eorum Magiſter. Itaque filios eorum intelligit vel Diſcipulos eorum qui iidem facti erant Diſcipuli Chriſti; vel propinquos & familiares eorum, ex quibus ſcilicet multi erant Diſcipuli Chriſti ex numero ſeptuaginta Diſcipulorum, qui non erant de familia Chriſti, ſed ejus doctrinam
E ſequebantur, & magna ex parte comminiſtrabantur eum, ſicut & illæ mulieres, Luc. 8. Nam Diſcipulos illos ſeptuaginta duos ejeciſſe dæmonia, clarum eſt ex Lucæ 10. Et quidem id jam fecerant ante Hiſtoriam hujus capitis, ut patet ex ordine ejuſdem Evangeliſtæ. His autem ſuis, vel Diſcipulis, vel agnatis, aut familiaribus non auſi fuiſſent impingere calumniam, quod in Beelzebub ejicerent dæmonia.

℣. 29. *Aut quomodo poteſt quiſquam intrare in domum fortis & vaſa ejus diripere, niſi prius alligaverit fortem?* Quomodo ergo poterit quiſquam ſuperare Diabolum in fine ſæculi, quando fiet illud quod dicitur Apocal. 20. *Poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore?* Quæſt. hanc verſat Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 8. & tandem reſpondet, nec illos qui tunc vivent ſu-

ſuperaturos Diabolum ſolutum, niſi jam ante alligatum. Magis ex mente Evangeliſtæ & Domini hæc loquentis, eſſe videtur, ſi dicamus, hic intelligi Chriſtum, qui Diabolum ſpoliaturus vaſis ſuis, id eſt, ſupellectili & præda ſua; prius eum alligat, id eſt, potentiam ejus refrænat.

℣. 30. *Qui non eſt mecum, contra me eſt; & qui non congregat mecum, ſpargit.* Vide Heſſel. & Ianſ. hoc loco. Bene dicit Heſſelius quod nulla eſt neutralitas in re Chriſtiana. Quicumque enim Chriſto non adhæret, eo ipſo Diabolo conjungitur & Chriſto adverſatur. Eadem ſententia eſt apud Lucam cap. 11.

℣. 31. *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur.* Phraſis Hebraica, pro eo quod diceretur, excepta blaſphemia ſpiritus; quæ non remittetur. Vide annot. Marc. 3. & in 2. ſent. diſt. 43.

Non remittetur ei, neque in hoc ſaculo, neque in futuro. Convincit hæc oratio quædam peccata remitti in futuro ſæculo. Alioqui ſuperflua, imò ridicula, fuiſſet iſta adjectio. Sicut ridiculè diceretur, Non remittetur ei, neque in terra neque in cœlo; cum conſtet iis qui in cœlo ſunt nulla peccata remitti. Ex quo ulterius rectiſſimè colligunt Catholici ſcriptores novi & veteres, orandum eſſe pro quibuſdam in futuro ſæculo conſtitutis, ut à peccatis ſolvantur. Sic intelligit S. Auguſt. lib. 21. de civit. cap. 24. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 39.

℣. 33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum.* Si ad ſuperiora refertur; Senſus eſt, Aut agnoſcite me bonum, ſicut mea damnare non poteſtis opera: aut ſi me damnatis; & opera damnate. Si ad ſequentia; ſenſus erit. Radicem operum veſtrorum, id eſt, voluntatem, bonam facite; ut & opera bona ſint. Quod ſi mala eſt voluntate, non poterunt non eſſe mala & opera. Huic reſpondet quod ſequitur, *Quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali?* Itaque poſterioris partis, *Aut facite arborem malam, &c.* hîc ſenſus eſt, non imperativus, neque exhortativus, ſed indicativus: Si omnino pergitis malam facere arborem, id eſt, vos ipſos, aut voluntatem veſtram; neceſſe eſt, ut & fructus faciatis malos, id eſt, opera mala. Utitur autem imperativo modo propter connexionem ſermonis.

℣. 34. *Ex abundantia cordis os loquitur.* Vide quæ de corde diximus ad Rom. 1. ad illud: *Inſipiens cor illorum.*

℣. 36. *Omne verbum otioſum quod locuti fuerint homines, &c.* S. Greg. homil. 8. in Evang. Otioſum verbum eſt, inquit, quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione juſtæ neceſſitatis caret.

Reddent rationem de eo in die judicij. Hoc etiam ad particulare judicium extenditur. Nam in judicio generali nemo condemnabitur, id eſt, punietur, propter ſolum otioſum verbum; quamvis etiam ibi patebit & declarabitur electos pœnis temporalibus fuiſſe dignos, iiſdemque affectos, ſive in hac vita, ſive in futura, propter ſola peccata venialia. Nam de condemnatione ſequitur.

℣. 37. *Ex verbis enim tuis juſtificaberis.* Verbum juſtificari non uno modo accipi in Scriptura, oſtendimus in comment. ad Rom. 2. v. 13.

Et ex verbis tuis condemnaberis, id eſt, punieris. Hoc enim extenditur etiam ad venialia; ut patet ex præcedenti ſententia. Vide quæ de hac re diximus ad Rom. 14. v. 23.

℣. 39. *Et ſignum non dabitur ei niſi ſignum Iona prophetæ.* Id eſt, quale fuit Ionæ Prophetæ, vel potius, ipſum ſignum quod fuit Ionas Propheta, quatenus ſignificabat quod Chriſtus foret ſeipſum reſuſcitaturus; quod nemo ſanctorum fecit. Vide S. Auguſt. in Pſal. 65. v. 3. Additio eſt Cenſoris.

A ℣. 40. *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; ſic erit & filius hominis in corde terra, tribus diebus & tribus noctibus.* Dies & nox periphraſis quædam eſt diei naturalis. Senſus igitur eſt; Sicut Ionas triduo fuit in ventre ceti; ſic & filius hominis triduo erit in ſepulchro. Triduum autem intellige ſynecdochicè; non quod duobus tantum, aut uno die, Dominus in ſepulchro jacuerit; Sic enim falſa fieret ſententia de triduo: ſed quia tribus diebus ibi fuit; non tamen integris ſeu totis; ſed medio quidem toto, reliquis autem duobus ſecundum partes. Mortuus eſt enim & ſepultus pridie Sabbathi, ante veſperam, quæ Sabbathi initium erat; ac rurſum manſit in ſepulchro poſt Sabbathum à veſpera uſque ad noctem mediam, B vel diluculum; juxta diverſas de hora Dominicæ Reſurrectionis opiniones; Toto autem Sabbatho in ſepulchro quievit. Vide Baronium tom. 1. ubi tandem in eandem nobiſcum ſententiam deſcendit, ex Iſidoro Peluſiota. Synecdochen hanc explicat S. Leo Sermone 2. de Reſurrect. Domini, dicens de Chriſto: Ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtitudo cruciaret; denuntiatam tridui moram, tam mira celeritate breviavit; ut, dum ad integrum ſecundum diem pars primi noviſſima, & pars tertij prima, concurrit; & aliquantum temporis ſpatio decederet, & nihil dierum numero deperiret.

℣. 40. *In corde terra.* Quidam exponunt, apud inferos; nempe ſecundum animam; juxta id quod in Symbolo profitemur Chriſtum deſcendiſſe ad inferos. C Nam de ſepulchro idcirco intelligi non poſſe, quia ſepulchrum non eſt in corde, id eſt, medio terræ, ſed quaſi in ipſa ſuperficie. Itaque hinc colligunt Chriſtum apud inferos ſecundum animam fuiſſe, non una, aut duabus, aut paucis horis, ſed toto triduo mortis uſque ad Reſurrectionem. Quod quamvis probabiliter dicatur, ut dicemus ad Lucæ 23. v. 43. tamen ex iſtis verbis non rectè colligitur.

Nam nec limbus patrum erat in corde terræ, ſi cor intelligas quod intimum & quaſi medium eſt. Nam, ut docet S. Auguſt. locus iſte ab inferis damnatorum, qui in medio terræ collocantur, erat remotiſſimus. Quare retinenda eſt explicatio de ſepulchro. Et illud; *in corde terra*, juxta Scripturæ phraſim exponendum, D ut ſit idem, quod *in terra*: quemadmodum aliorum locorum collatione ſatis probatum eſt, maximè de Tyro, quæ ſcribitur ſita in corde maris, Ezechiel. 27. cum non procul abeſſet à littore. Correctio paulò ſuperius facta eſt Cenſoris.

℣. 41. *Viri Ninivita ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt.* Et rurſus: *Regina auſtri ſurget, &c. & condemnabit, &c. quia venit a finibus terra, &c.* Condemnabunt; non auctoritate ſententiæ, ſed comparatione ſui. Ita Sap. 4. *Condemnat juſtus mortuus, vivos impios; & juventus celerius conſummata, longam vitam injuſti.* Vide ejus loci annot. Cur dicatur Regina Auſtri, & quomodo veniſſe dicatur à finibus terræ; vide E annot. 3. Reg. 3.

℣. 43. *Cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non invenit.* Senſus eſt, Cùm dæmon per pœnitentiam ejectus eſt è corde hominis, in quo, tanquam domo ſua per peccatum ante habitavit, *ambulat per loca arida*, ſive (ut ait Lucas) *inaquoſa*, quia inquietus eſt ob ſitim ac vehemens deſiderium nocendi hominibus, & pertrahendi eos ad peccata. Vel ambulat per loca arida, quia vagatur per mentes infidelium, de fonte gratiæ Dei nunquam irrigatas. Sed in illis requiem non invenit; quia non quieſcit donec recuperet antiquam poſſeſſionem, unde ſemel ejectus eſt. Et, quia multo pluris æſtimat ſi poſſit vel unum juſtum tentatione expugnare, & in jus ſuum retrahere,

quàm

quàm ſi multos infideles, qui nunquam juſti fuerunt, pacificè poſſideat: Unde Job 40. *Abſorbebit flumen & non mirabitur*, id eſt, non magnum hoc æſtimat, *& habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius*, id eſt, confidit ſe ſibi ſubjecturum etiam baptizatos & juſtos, è quibus per gratiam Spiritus Sancti ejectus fuit. Et propter hoc, tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret & abſorbeat. Dicit ergo v.44. *Revertar in domum meam unde exivi*. Magis enim deſiderat ad domum unde ejectus eſt redire, ſi queat, quàm novam occupare: quia præ ſuperbia valde dolet ob ignominiam ejectionis, ideoque omni ſtudio conatur in priſtinam domum reverti, & acceptum dedecus reſarcire, auctis etiam viribus, ſi difficilem ſibi reditum videat.

℣.44. *Revertar in domum meam unde exivi*. Hieron. in Hab. 1. dicit immundo ſpiritui hæc verba dicenti non eſſe credendum, ſiquidem, inquit, nulla rationabilis creatura ad hoc facta eſt, ut habitaculum dæmonis ſit. Quamquam etiam ſic intelligi poſſit, quod domus eius fuerit; quia homo per peccatum ſe fecit habitaculum dæmonis, qui ſenſus videtur ſimplicior.

Et veniens invenit eam vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam. Id eſt, mundam quidem invenit & ornatam dono juſtitiæ; ſed vacantem à cura & vigilantia conſervandi beneficium acceptum, per ſtudia bonorum operum, & pugnam aſſiduam contra tentationes peccati.

℣.45. *Tunc vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus ſecum nequiores ſe, & intrantes habitant ibi*. Id eſt, multo maiorum tentationum adhibet machinas, iiſque domum expugnat, expugnatam inhabitat; multoque magis eam ſuo dominatui ſubjectam tenet, quàm ante ſubjectam habuerat; in quantum hominem ad plura & maiora peccata committenda impellit. De quo proinde ſubditur; *Et fiunt noviſſima hominis peiora prioribus*. Huc reſpicit S.Petr. 2. epiſt. 2. v.20.

℣.45. *Sic erit & generationi huic peſſimæ*. Populum intelligit Judaïcum, qui per prædicationem Ioannis Baptiſtæ, & ipſius Chriſti, & Apoſtolorum eius, concepta pœnitentia, liberatus ab immundo ſpiritu variorum criminum; poſtea rediit ad vomitum, & prioribus peccatis multò deteriora commiſit, filium Dei occidens, & diſcipulos eius perſequens, tanquam à ſeptem immundis ſpiritibus, primo dæmone nequioribus, occupatus. Unde & in temporalem incidit graviſſimam calamitatem: de qua Lucas c.19. & 21. cæteris Evangeliſtis expreſſius ſcripſit; & in cæcitate perfidiæ ſuæ perſeverans mortem incurrit æternam.

℣.46. *Quærentes loqui ei*. Cur nullus Evangeliſta refert quicquam de hoc colloquio, cum de eo valdè opportunè potuiſſent aliquid hic ſubjicere? An quia eos ad colloquium non admiſit? ſed quis hoc credat de matre eius? An ideo de eo nihil ſcribi voluit Spiritus Sanctus, ut nobis inſinuaretur Chriſtum in his quæ Patris ſui erant occupatum, tantum obiter ſalutare voluiſſe propinquos carnales? quaſi iis diceret quod alibi dixerat; *Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Quærentes loqui ei*. Non ſtatim ac ſine mora, ſed finito Chriſti ſermone, quo populum docebat; licèt aliquis nimis officioſus ſtatim Chriſto nuntiaverit, interpellans eius ſermonem.

℣.50. *Ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*. Non addit, *& Pater eſt*; tum quia de Patre non fuerat ei nuntiatum, ſed tantum de matre & fratribus; nec illic aderant niſi mater & fratres, ſub quibus etiam ſorores comprehende: tum quia ob reverentiam Patris ſui cœleſtis, cuius erat naturâ filius, non debuit vel habere vel nominare ſibi aliquem Patrem in terris. Accidit & ea ratio, quod ſi Patrem quoque nominaſſet, ſuſpicio fuiſſet eum natum eſſe ex homine Patre, ſicut natus erat ex homine matre. Itaque etiam ob matris Virginis honorem tacuit Patrem. Item quia Patrem

A ſuum jam dixerat in priori parte ſententiæ: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt*. Ubi nullo modo conveniebat addere, ille meus Pater eſt. Addidit autem, *& ſoror*; tametſi de ſororibus nihil expreſsè fuiſſet nuntiatum; quia nomine fratrum, qui Græcis ἀδελφοὶ dicuntur, etiam ſoror quæ illis dicitur ἀδελφὴ comprehenditur; licet ſecus ſe habeant vocabula Latina. Atque hinc ſanè apparet etiam ſorores cum matre & fratribus illic adfuiſſe. Nam Chriſto fuiſſe etiam Sorores, proximo cap. diſcimus, ubi Sympatriotæ eius dicunt: *Et Sorores eius nonnè apud nos ſunt?* Cæterum qua ratione fuerint eius fratres & ſorores, ibi dicendum eſt.

B

CAPUT XIII.

℣.16. **V***Eſtri autem beati oculi quia vident*. Quomodo huic ſententiæ non eſt contraria illa eiuſdem ſalvatoris ad Thomam Ioan. *Beati qui non viderunt & crediderunt?* Reſpondendum, beatos dici, id eſt, meliores & Deo gratiores ac merito præcellentes, qui tam promptos ad credendum ſe exhibent, ut etiam non viſa, neque ratione naturali monſtrata, credant tamen propter authoritatem divinam, præ illis qui ita duri ſunt ad credendum, ut ad fidem non inducantur niſi per ſenſum, vel rationem naturalem; qualis erat Thomas, qui dixerat, *Niſi videro & tetigero, non credam*. At verò qui Chriſtum in carne viderunt, & mira operantem, & myſterium redemptionis C noſtræ complentem conſpexerunt; & ſermones eius audire, & eum alloqui meruerunt, ut Apoſtoli; dicuntur beati; non quia meliores, ſed quia tam inſigne bonum iis contigit, quod antiquis patribus ad Chriſti deſideratiſſimum adventum vehementer anhelantibus, non fuit conceſſum. Et huic impertinens eſt an fuiſſent credituri non viſa, an non.

℣.17. *Multi prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis*. S.Auguſt. Præfat. in Pſal.96. dicit quod licet magnam jucunditatem habuerint Prophetę, quando in ſpiritu videbant futura de Chriſto, tamen volebant, ſi fieri poſſet, etiam in hoc tempore nobiſcum vivere, & videre impleta, quæ ſpiritu prophetabant. Ad illam jucunditatem ſpiritus quam habebant prævidentes futura, referri poteſt illud Ioan.8. *Abraham exultavit ut* D *videret diem meum; vidit & gaviſus eſt*. Idem S.Auguſt. con. 20. in Pſalm.118. ad illud, *Defecit in ſalutare tuum, &c. Quale*, inquit, *deſiderium fuit in iſta ſene Simeone, tale fuiſſe credendum eſt in omnibus ſuperiorum temporum ſanctis*. Et probat per hunc locum. Sed quomodo cum hoc loco conſiſtit quod Apoſtolus dicit 2.Cor.5. *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc novimus*. Vide eius loci Comment.

℣.19. *Omnis qui audit verbum regni & non intelligit, venit malus & rapit quod ſeminatum eſt in corde eius*. Locus obſcurus in noſtra verſione, quia huic ſuppoſito, *omnis qui audit, &c.* nullum reſpondet verbum. Græca ſic habent παντὸς ἀκούοντος, quod duobus modis conſtrui poteſt; vel abſolute poſitis genitivis, hoc ſenſu; cum quivis audit ſermonem regni & non intelligit, ve- E nit malus & aufert quod ſeminatum eſt, vel ut illi genitivi conſtruantur cum eo, quod poſtea ſequitur ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ, hoc pacto; De corde cuiuſcumque hominis, qui audit & non intelligit, Diabolus veniens rapit quod in eo ſeminatum eſt. Eſſe enim videtur Hebraica quædam phraſis in his verbis, qua nimirum, antecedente poſito ſine dictione regente, attexitur relativum. Unde videri poteſt illud *Omnis*, in noſtra verſione eſſe genitivi caſus; quaſi dictum eſſet, Omnis eius qui audit, &c. *hic eſt, qui ſecus viam ſeminatus eſt*.

℣.20. *Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt, hic eſt qui verbum audit, &c.* Et denique, *Qui vero in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum &*

intelligit, &c. Seminatum eſſe, refertur haud dubiè A ad perſonam in his quatuor ſententiis, non ad verbum; licet & ipſum in Græco ſit maſc. generis, λόγος. Nam is qui ſeminatur, verbum audire dicitur. Quidam putant eum qui verbum audit, ſeminari, non quomodo ſemen aut verbum per ſemen ſignificatum, ſeminatur; ſed quomodo terram aut agrum ſeminari dicimus; quia ſemen projectum excipit. Quem ſenſum expreſſit Eraſmi verſio: ſed ea magis ingenioſa quam vera eſt explicatio. Nam pro eo quod dicit Matthæus; *Qui autem ſeminatus eſt in ſpinis*, Lucas habet, *Quod autem in ſpinas cecidit, &c.* Quare obſcuritas terminis explicanda eſt hoc modo, ut dicamus hominem, ſeminatum ſecus viam, ſuper petroſa, in ſpinis, in terram bonam: quia per ſemen in huiuſmodi loca projectum B ſignificatur, id eſt, per id quod in ſemine accidit. Vide Ianſenium.

℣.20. *Qui verò in terram bonam ſeminatus eſt, hic eſt qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert.* Solus ergo intelligit verbum, qui fructum affert; quia audire & negligere, non intelligere eſt. Quaſi enim non intelligit, qui bonum quod audit, agere negligit; unde in ſcripturis tranſgreſſores legis dicuntur avertere aures ne audiant legem; & de quodam dicitur. Noluit intelligere ut bene ageret. Pſalm. 35.

℣.23. *Et facit aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum.* Huius varias expoſitiones. Vide S. Auguſtin. lib. de ſancta Virginitate capite 45. & 46. ubi tandem ſic dicit; ſed Dominum tres arbitror voluiſſe fructificationis commemorare differentias; cæteras intelligentibus reliquiſſe. Vide annot. Marci 4. C

S. Hieron. ad Ageruchiam de monogamia capite 3. dicit quod centenarius pro virginitatis corona primum gradum teneat; ſexagenarius pro labore viduarum, in ſecundo ſit numero; tricenarius fœdera nuptiarum, ipſa digitorum conjunctione teſtetur.

℣.25. *Superſeminavit zizania in medio tritici.* Ex hac parabola tripliciter probatur eſſe in Eccleſia malos bonis permixtos, per zizania ſignificatos. Primum quia initio parabolæ dicitur, *ſimile factum eſt regnum cælorum.* Nam per regnum cœlorum Eccleſia præſentis temporis ſignificatur. Secundò, quia dicuntur zizania ſeminata in medio tritici, id eſt mali inter bonos; quod ſolum eſt in Eccleſia; nam extra Eccleſiam ſoli D ſunt mali. Tertiò, quia infrà in explicatione parabolæ dicitur, quod Angeli colligent de regno Dei omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem; ergo in regno Dei, id eſt Eccleſia, ſunt ſcandala & facientes iniquitatem. Nec valet in contrarium quod Auguſt. alicubi per zizania intelligit hæreticos, tum quia illa expoſitio reſtricta eſt, cum Dominus exponat filios nequam, & ſcandala, & facientes iniquitatem; qui multò latiùs patent hæreticis: tum quia Auguſt. intelligit hæreticos, qui in Eccleſia latent, donec inde manifeſtè ſeparentur. Nec rurſum obſtat quod Dominus agrum interpretatur mundum, non Eccleſiam; nam ſignificatur per hoc Eccleſiam toto mundo eſſe diffundendam, &; quia ante jactum bonum ſemen, non poteſt intelligi Eccleſia, quæ conſtat ex fructu ſeminis, id eſt, tritico; E propterea dicitur ſemen jactum in agrum, id eſt, mundum, non in Eccleſiam ex ſemine conſtruendam.

℣.28. *Vis imus & colligimus ea?* Dicentibus ſervis ad patremfamilias de zizaniis, quæ ſeminata erant in medio tritici, *Vis imus & colligimus ea?* Reſpondit paterfamilias. *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem.* Abutuntur hac parabola ſectarij, ut doceant hæreticos per juſtitiam civilem non eſſe tollendos è medio, ſed tolerandos in medio bonorum, tanquam zizania in medio tritici. Sed ego ex eis quæro, quid per zizania intelligant? certè aliud reſpondere A non poſſunt, quàm quod Chriſtus reſpondit, explicans diſcipulis parabolam; *Zizania, inquit, ſunt filij nequam*, v. 41. quos poſteà vocat ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Non ergo ſoli hæretici ſunt zizania, ſed etiam adulteri, homicidæ, raptores, ſacrilegi, & alia eiuſdem Eccleſiæ ſcandala. Quare ſi hinc conſequens eſt non tollendos hæreticos è medio; ſequitur ne in alios quidem filios nequam animadverti poſſe: quæ res politiam civilem penitus evertit. Non ergo ſignificatur manifeſtè noxios non eſſe tollendos, ſed non debere præfectum ſive Eccleſiaſticum ſive civilem laborare ad hoc ut ſemel ac ſimul omnes malos ſeparet à bonis, cum enim plurimi occultè mali ſint; multi etiam nondum ita perverſi, quin ſperanda ſit eorum ſalus: neque B poſſibile eſt, neque expediens, omnes malos à bonis corporaliter ſeparari: ſed per diſciplinam tum Eccleſiaſticam tum civilem, hoc fit ut exceſſus peccatorum juſta ſeveritate plectantur. Eam ergo collectionem zizaniarum vetat Dominus huius ſæculi decurſu fieri, qualem mandabit fieri per Angelos ſuos in fine ſæculi; id eſt, perfectam ſeparationem malorum à bonis. Eam enim ſi quis tentet nunc facere; fruſtra laborabit, ac nihil aliud efficiet, quàm ut colligere volens zizania, ſimul cum eis eradicet & triticum; & nec ſic quidem quod volet efficiet, ut zizania à tritico ſeparet; ſed magis triticum, id eſt, ſeipſum & alios, in zizania, perverſo ſeparationis ſtudio convertet.

Videtur porrò hæc parabola dirigi contra futuros hæreticos, qui tantæ eſſent ſuperbiæ, ut nullorum malorum communionem in Eccleſia admitterent, dicerentque ſolos bonos eſſe in Eccleſia; & ſi qui mali in C eam irrepſiſſent, continuo ejiciendos eſſe: ut Donatiſtæ, & alij ſimiles.

℣.35. *Aperiam in parabolis os meum.* Vide pſalm. 77. ex quo ſententia deſumpta eſt.

℣.40. *Sicut ergo colliguntur zizania*, ſubaudi, *& alligantur in faſciculos*, Sicut ſuprà dixerat in parabolâ *Colligite primum zizania & alligate in faſciculos.* Sic quod ſequitur de Angelis, *Et colligent de regno eius omnia ſcandala*: ſcilicet ea alligaturi in faſciculos. Per quod ſignificatur, ſecundum quorumdam piam & probabilem contemplationem, homines ſimilium peccatorum reos ſimiles ac ſocios fore in pœnis, ut adulteros cum adulteris, homicidas cum homicidis, raptores D cum raptoribus, ſacrilegos cum ſacrilegis, &c. Quamvis enim in malitia diſpares, & pœnis imparibus affligendi, tamen quædam erit pœnarum ſimilitudo, pro ſimilitudine peccatorum. Sicut & in regno cœlorum martyres cum martyribus ſpeciali gaudio communicabunt, & virgines cum virginibus; & ſic de aliis.

℣.43. *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Non omnes æqualiter fulgebunt, cum ſcriptum ſit, 1. Cor. 15. *Alia claritas ſolis, alia lunæ, alia ſtellarum; ſic erit reſurrectio mortuorum*; Sed ad ſignificandam magnam valde excellentiam fulgoris in corporibus beatorum, aſſumitur comparatio ſolis tamquam corporis in hoc mundo fulgentiſſimi.

℣.55. *Nonnè hic eſt Fabri filius?* S. Hilarius putat Ioſeph fuiſſe fabrum ferrarium: ſimiliter Euſeb. in E homilia feriæ 2. poſt Dominicam Oculi: dicens quod ſicut faber operatur in igne & ſpiritu, ita Chriſtus; ſecundùm illud: *Ipſe vos baptizabit in ſpiritu & igne.* Sed non dictum eſt, Ipſe fabricabit in ſpiritu & igne. Communis eſt ſententia, quam & picturæ veteres comprobant, fuiſſe fabrum lignarium. Nam *fabri* nomine, quando nihil additur, ſolet lignarius faber intelligi. Idque magis convenit myſterio; quia Chriſtus eſt filius illius fabri, qui totum mundum fabricatus eſt; quod per fabrum ferrarium non ſignificatur, ſed per lignarium. Adde, quod opificium ferramentarium ſordidum eſt, nigredine fuſcans & commaculans faciem & manus: In quo opere verſatum fuiſſe Dominum

Jesum (nam & ipſe faber vocatur Marci 6. *Nónne hic eſt faber?*) non eſt veriſimile. Denique Sanctum Ioſeph, ut patronum ſuum venerantur fabri lignarij, non ferrarij: quibus patronus eſt S. Eligius. Vide Annot. Marc. 6. Vide etiam Ianſen. F. Lucam, & Baronium. Cæterum, ex hoc loco ſatis apparet vulgo ignotum fuiſſe, quod Jesus erat Virginis filius, unde & Lucas c. 3. *ut putabatur filius Ioſeph.* Quare non eſt ſatis firmum quod dicit S. Maximus Hom. 1. de Epiphania Domini, ſcilicet, notum fuiſſe vulgo Jesum eſſe filium Virginis, quando ex aqua vinum fecit in nuptijs. Ac fortè nec diſcipuli id adhuc ſciebant; quia myſterium hoc non ita ſtatim prodebatur.

℣. 55. *Fratres eius Iacobus, & Ioſeph & Simon & Iudas: & ſorores eius, &c.* Quod hi non fuerint fratres Jesu ex eadem matre, ſatis clarum eſt ex Matth. 27. & Marci 15. ubi alia Maria, haud dubiè diverſa à Matre Domini, dicitur eorum eſſe mater. Et Judas initio ſuæ Epiſtolæ fratrem quidem Iacobi ſe appellat, ſervum autem Jesu Chriſti. Item fratres ex matre non fuiſſe, benè probat S. Hieron. contra Helvidium ex illis verbis, *Ecce filius tuus, Ecce mater tua,* Ioan. 19. Vide eius loci annotat.

An autem Iacobus iſte Domini frater, fuerit unus ex 12. Apoſtolis: vide annotat. Galat. 1. & Iacobi 1. Iacobum hunc non fuiſſe filium Mariæ matris Domini, ex eo etiam oſtenditur, quod Iacobus iſte ætate maior erat Domino, ſecundum Epiphanium & alios veteres; Dominus autem ſecundum Evangeliſtas fuit primogenitus; & B. Virgo dicebat Angelo, *Quoniam virum non cognoſco.* Item dicitur, *Priuſquam convenirent inventa eſt in utero habens.* Vocatur autem Iacobus Minor, non ætate, ſed aut ſtatura, aut alia ratione; Græcè, parvus.

℣. 56. *Nónne omnes apud nos ſunt?* hoc tantum referendum ad proximum, id eſt, ad ſorores. Nam fratres, præſertim Iacobus & Iudas, erant inter Apoſtolos Domini. Ea diſtinctio clarè patet ex Marci 6.

℣. 58. *Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.* Quomodo ergo verum eſt, ſigna fieri, ut increduli convertantur ad fidem? *Reſp.* ut ſigna ſeu miracula fiant ad aliquorum preces ſeu petitionem, debent illi qui petunt habere fidem; unde ait; *Si potes credere; omnia poſſibilia ſunt credenti,* Marci 9. Atqui in patria Chriſti valde pauci erant, qui ex fide peterent; quia magis contemptim de eo loquebantur, dicentes: *Nonnè hic eſt filius fabri?* & ita, vel non petebant, vel non ex fide; unde Chriſtus pauca miracula apud eos fecit. Eadem tamen illa quæ fecit, valebant ad converſionem infidelium. Vide annot. Marci 6.

CAPUT XIV.

℣. 1. *Audivit Herodes tetrarcha.* Hîc fuit filius Herodis Regis Iudææ, qui animam Chriſti pueri quæſierat. Quo mortuo regnum in quatuor tetrarchias fuit diviſum, ita ut tres eius filij tres tetrarchias obtinerent; Archelaus Iudæam, Herodes Galilæam, Philippus Ituræam & Traconitidem regionem, quartam autem tetrarchiam, id eſt, Abilinam, Liſanias obtinuit; ut eſt apud Lucam cap. 3. Et Archelao in Iudææ præfectura ſucceſſit poſtea Pontius Pilatus, non ut tetrarcha, ſed ut præſes. Dicit autem S. Auguſt. Herodem patrem regem fuiſſe, filium non regem, ſed tetrarcham dictum fuiſſe, lib. 2. de conſenſu cap. 17. Verum quamvis Lucas Herodem filium (nam patrem initio ſui Evangelij regem Iudææ vocat) nuſquam regem vocet, ſed tetrarcham, idque ſemel tantum, nempe cap. 3. initio; Matthæus tamen, qui & ipſe ſemel eum tetrarcham vocaverat; poſtea regem aliquoties nominat. c. 14. Marcus autem nuſquam tetrarcham nominat, ſed regem tantum c. 6. Crediderim, magis vulgi aſſen-

Eſtij Annotat. in Script.

A tatione, ne minor patre videretur, quàm juſto titulo, fuiſſe ſic appellatum. Nec abſurdum eſt, Evangeliſtas in nomine ſeu titulo honoris attemperaſſe ſe ſermoni vulgi. Vide Ianſen. cap. 11. Concord. Evangel. & Ioſephum lib. 17. Antiquit. cap. 8. & ſeqq.

℣. 2. *Et ideo virtutes operantur in eo.* Græcè ἐνεργοῦσιν agunt, efficaces ſunt, & per ſigna ac miracula ſe produnt. Senſus, Miracula fiunt per eum.

℣. 4. *Dicebat enim illi Ioannes: Non licet tibi habere eam.* Ioannem hoc ei palam; & multis præſentibus dixiſſe; credibile eſt: Erat enim peccatum publicum, & peſſimi exempli; quod proinde publica caſtigatione opus habebat; juxta id quod præcipit Apoſtolus 1. Tim. 5. *Peccantes coram omnibus argue.* Unde & Chriſtus palam arguit peccata Scribarum, & Phariſæorum.

B Rectè autem reprehendit Ioannes Herodem, etſi poteſtatem ſuper eum non haberet tanquam ſummus Sacerdos. Fecit enim ut Propheta; quemadmodum legimus in libris Regum non rarò reges à Prophetis fuiſſe, pro publicis ſuis delictis, increpatos. Adde, quod Ioannes in populo authoritatem obtinuerat ut magnus Propheta, & legatis Hieroſolyma ad ſe miſſis; à Principibus Sacerdotum, jam ſatisfecerat, oſtendens ſe à Deo miſſum, juxta hoc oraculum Iſaiæ Prophetæ: *Ego vox clamantis,* cap. 40. Refert Ioſephus Herodem propriam uxorem, nempe filiam Aretæ Regis propter Herodiadem, abjeciſſe, unde poſtea bellum illi ab Areta ſuſcitatum eſt.

℣. 9. *Et contriſtatus eſt Rex.* Vide in hunc locum C Hieron. & noſtras annotat. Marc. 6.

℣. 16. *Non habent neceſſe ire, date illis vos manducare.* Hoc ad inſtructionem noſtram dicit, ut pauperes aliquid à nobis petentes non mittamus ad alios homines, aut ad alia loca, quando ipſi habemus quod tribuamus.

℣. 19. *Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus, aſpiciens in cælum, benedixit & fregit, & dedit diſcipulis panes. Benedixit,* videlicet panibus. Quid autem ſit *benedicere* in Scriptura Sacra, diſtinctione explicandum eſt. Nam vel creator dicitur benedicere creaturæ, vel creatura creatori, vel creatura una alteri. Deus benedicit creaturæ quando illi benefacit, ſive temporalia bona largiendo, quæ eſt benedictio veteris teſtamenti; ſive ſpiritualia, quæ eſt novi teſtamenti. D Creatura autem Deo benedicit, quando eum laudat, glorificat, gratias agit. Creatura creaturæ duobus modis benedicere poteſt, vel bene faciendo, vel bene precando. Hinc Eleemoſyna ab Apoſtolo vocatur benedictio; & nihilominus bona precatio patris ſuper filium, & Sacerdotis ſuper populum, benedictio vocatur. Priori modo benedicit pauperi, qui dat ei Eleëmoſynam; Benedicit & ille pauperi, qui nihil quidem largitur ſed bene precatur, dicens, Deus adjuvet te, quamvis hanc benedictionem pauperes non libenter audiant. Præſentis loci benedictio, precationem ad patrem ſignificare videtur, qua petebat beneficium multiplicationis panum. Petebat autem ut homo, quod idem præſtabat ut Deus. Hic intellectus etiam ex eo probari poteſt, quia quando Chriſtus benedicebat, E nondum fiebat multiplicatio panum, ſed poſtea facta eſt in manibus diſcipulorum, & uſu manducantium. Non ergo benedicere eſt multiplicare panes, ſed multiplicationem panum benedictio præceſſit, tanquam precatio pro obtinendo panũ multiplicatione. Quemadmodum & in ultima cæna, benedictio præceſſit prolationem horum verborum, *Hoc eſt Corpus meum;* ipſamque proinde converſionem panis in Chriſti corpus. Vide annotat. Matth. 26. & commentarium noſtrum. 1. Cor. 10. Quomodo vero facta fuerit hæc panum multiplicatio, diſputant Theologi circa 2. Sent. diſt. 18. Vide ibi noſtra. Bene perpendatur Ioan. 6. v. 13. Additio Cenſoris.

℣.20. *Et manducaverunt omnes, & ſaturati ſunt.* Quidam contemplantur, quod manducantes ex his panibus & piſcibus, perceperint ex ijs ſaporem quemcumque vellent; ſicut qui comedebant manna. Sed ſtulta eſt hæc contemplatio; Chriſti enim omnia miracula talia fuerunt, quæ ſubſervirent utilitati, ac neceſſitati hominum; non voluptati, aut curioſitati. Et in eo diſtinguuntur eius miracula à falſis miraculis Antichriſti, Simonis magi, & aliorum; ſicut in 2. Sent. diximus. De manna quoque alibi dictum. Et quidem in nuptiis præbuit vinum per miraculum, non tamen ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem; quia vini laborabant defectu, quod ut in nuptiis præbeatur convivis, honeſtas omnino poſtulabat.

℣.26. *Et videntes eum ſuper mare ambulantem, turbati ſunt dicentes, Quia phantaſma eſt.* Id eſt, ſpectrum; tametſi hoc Græci, magis propriis, *φάσμα* vocant, nam phantaſma generalioris eſt ſignificationis. Quo tamen vocabulo utitur etiam Marcus c.6. hanc eandem ſcribens Hiſtoriam.

℣.29. *Ambulabam ſuper aquam.* Quæritur quomodo hoc miraculum factum fuerit, an ſuſpendendo Petri corpus ne mergeretur: an verò aquas ſubiectas ſolidando? Patres nunc huius modi, nunc illius meminerunt: uterque ſine dubio poſſibilis Deo.

℣.33. *Qui autem in navicula erant, venerunt, & adoraverunt, dicentes: Verè filius Dei es.* Quomodo poſtea c. 16. tam magnificè laudatur fides Petri dicentis; *Tu es Chriſtus filius Dei vivi*; cum hîc legamus, Diſcipulos jam ante idipſum confeſſos eſſe; niſi quia in illa confeſſione, plus vidit Petrus ex revelatione Patris cœleſtis, quàm alij; ſcilicet Ieſum eſſe Chriſtum, eundemque Dei filium omninò propriè, id eſt; Patri ſuo conſubſtantialem, æqualem, Deum de Deo; quod alijs diſtinctè non erat cognitum; ſed cogitabant filium Dei ſingulari quodam modo, non tamen ipſum modum animo diſtinguentes. Vide Annot. Ioan. 1. de Nathanaele, & c. 11. de Martha.

CAPUT XV.

℣.2. *Quare Diſcipuli tui tranſgrediuntur traditionem Seniorum?* Seniores hîc non intelliguntur ut ſæpe alibi, præfecti, ſeu magiſtratus populi, ſed maiores, antiqui, qui ante nos fuerunt. Habebant enim varias traditiones à maioribus acceptas, quas vocabant *δευτερώσεις*, quæ partim erant præter legem à Deo datam, ut de indifferentibus, & nihil ad pietatem & proximi charitatem conducentibus; partim contra legem.

℣.3. & 4. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit; Honora patrem tuum & matrem; &, Qui maledixerit Patri, vel Matri, morte moriatur.* Cùm addit: Et, *Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur*; ſignificat eos, contra quos ipſe loquitur, non tantum peccaſſe in hoc præceptum: *Honora patrem, & matrem*; verùm etiam in illam comminationem incidiſſe, *Qui maledixerit, &c.* Unde apparet quod qui dicebant patri, *Corban*, ut eſt apud Marcum, id eſt, *munus quodcumque eſt ex me, tibi proderit*; non ſolum fraudabant parentes honore ſuſtentationis debito; verum etiam maledicebant, ideò fortè quia hoc ab eis, Phariſaica doctrina imbutis, dicebatur cum contemptu quodam & irriſione. Niſi enim aliquid tale eſſet; non tam ſtudioſè Dominus, referente utroque Evangeliſta, addidiſſet illud: *& qui maledixerit patri aut matri morte moriatur.* Quæritur autem, An illæ traditiones erant conſtitutæ à legitima poteſtate, ſcilicet Pontificis? Et non apparet: Videntur enim tantum fuiſſe quædam obſervationes introductæ à Scribis & Phariſæis, & conſuetudine receptæ; ita ut viderentur habere vim legis. Unde vocabantur *traditiones Seniorum*; non autem Sacerdotum aut Pontifi-

A cum. Et ita præter defectum materiæ, erat etiam defectus poteſtatis legitimæ. Vide infrà ad v.9.

℣.5. *Munus quodcumque eſt ex me, proderit tibi.* Id eſt, Munus quod Deo offerre decrevi etiam tibi proderit, quia pro te offeram. Et ita, contra Dei legem, parentes fraudabantur ſubventione ſibi debita à filiis. Huiuſmodi autem non ſunt Eccleſiaſticæ leges; ſed omnes ad nutriendam pietatem ſunt inſtitutæ.

℣.6. *Et non honorificavit patrem ſuum.* Id eſt; liberũ erit ei non honorare patrem, & matrem; impunè poterit non honorare; non tenebitur honorare. Quod quàm ſit erroneum, manifeſtum redditur ex vero intellectu præcepti de honorandis parentibus; de quo conſule noſtra in 3. Sent. diſt. 37. & ad Ephes. 6. v. 2.

℣.9. *Sine cauſa autem colunt me, docentes doctrinas,*
B *& mandata hominum.* Detorquent hæretici hunc locum, contra omnes Eccleſiaſticas conſtitutiones, & ceremonias; quas dicunt comprehendi ſub doctrinis & mandatis hominum; quia (inquiunt) ab hominibus tradita ſunt, & excogitata. Quibus reſpondemus, Si omnia quæ præſcribuntur & præcipiuntur ab hominibus, intelligenda ſunt in doctrinis & mandatis hominum; igitur & leges regum ac principum quibus ſubjectum ſibi populum in juſtitia continent, pertinebunt ad mandata hominum; & poterunt eodem jure damnari, quo Phariſaicę traditiones à Chriſto damnatę ſunt. Quod ſi abſurdum eſt dicere (everteretur enim hoc pacto omnis diſciplina reipublicæ, & omnis humana ſocietas:) pari ratione, ne leges quidem Eccleſiaſticæ,
C hac Chriſti ſententia concluduntur. Vocat enim Chriſtus doctrinas & mandata hominum, non quæcumque ab hominibus traduntur aut præcipiuntur, ſed quæ ex humano corde conficta, vel ad pietatem nihil conducunt, vel etiam pietati, aut legi Dei adverſantur. Utriuſque exemplum habemus in textu. Ad pietatem nihil conducebat, lavare manus ante cibum: pietati autem & pręcepto Dei repugnabat ea traditio, qua filios docebant dicere parentibus: Munus quodcumque eſt ex me tibi proderit. Sicut quidem aliquæ hujuſmodi traditiones in Eccleſia, non tamen Eccleſiaſticæ; ſed hominum, aut collegiorum particularium v.g. quod novus Canonicus expectare debeat neſcio quot annos priuſquam fructus integros percipiat: quod alicubi propter unius horæ abſentiam fraudatur reſidentia cur-
D rentis anni, ut vocant, & eiuſdem anni fructibus. Hæc enim & multa huiuſmodi excogitavit avaritia contra legem Dei, & charitatem proximi. Et tamen pro hujuſmodi traditionibus, &, ut vocant, ſtatutis majorum, multò certatur animoſius, quàm pro legibus divinis, & Eccleſiaſticis. Vide quæ de doctrinis hominum diximus ad Col. 2. ad illud: *Secundum præcepta & doctrinas hominum.* Itemque ad Titum. 1. *Mandatis hominum averſantium ſe à veritate.*

℣.11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.* Vide Marci 7. v.15.

℣.13. *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Videtur intelligere ipſos Phariſæos, tanquam plantationem reprobam, & ſucci-
E dendam; de quibus proinde non ſit curandum quando ſcandalizantur. Habet enim conſuetudo Scripturæ, ut ipſos homines vocet palmites, genimina, arborem. Simile illud: *Omnem palmitem non ferentem fructum, tollet eum.* Vide annot. Ierem. 12. & ſimilia Scripturæ loca, ubi homines ipſi vocantur plantæ, germina, palmites, arbores. Sicut Ierem. 2. Amos 9. Iſai. 5. & 60. Ioan. 15. Unde & probabile eſt Matth. 7. ſic intelligi arborem. Vide eius loci Annot.

℣.14. *Sinite illos.* Scilicet ſcandalizari, præceſſit enim: *Scis quia Phariſæi audito hoc verbo ſcandalizati ſunt?* Ergo quorumdam ſcandala negligenda. Egimus ea de re latè ad Rom. 14. v. 21. itemque 1. Cor. 8. v. 13.

℣.14. Cæci

℣.14 *Cæci ſunt & duces cæcorum.* Non eſt hæc conſtructio: Phariſæi ſunt cæci, iidemque duces cæcorum: ſed iſta quam verſio noſtra planè oſtendit; Cæci ſunt duces cæcorum, vel cæci ducunt cæcos, cæci monſtrant viam cæcis. Patet id ex Græco, ubi ſic eſt; ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν, duces ſunt cæci cæcorum.

℣.18. & 19. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.* *Quæritur,* quomodo hæc omnia dicantur de ore exire: nam de falſis teſtimoniis & blaſphemiis, nullum eſt dubium, ſed de cæteris obſcurum eſt. Apud Marcum quidem nulla dubitatio eſt, nam ibi non dicitur, *de ore* ſed *de homine & ab intus*, & *de corde*. Itaque hoc loco, quando dicitur *de ore*, vel idem eſt quod ab intus, & de homine, ut non tam os corporale, quàm ſpirituale, id eſt, os cordis intelligatur; Nam nec quæ de ore per vomitum, vel excreationem egrediuntur, & ejiciuntur, coinquinant hominem: Vel ad retinendam in ſermone antitheſim, dixit verſu 11. *ſed quod procedit ex ore.* Hæc autem procedunt ex corde; licet non ſola, ſed & alia hìc enumerata. Quibus poſtremo loco adjunxit duo ex ore procedentia; nempe falſa teſtimonia, & blaſphemias; quod Scribæ & Phariſæi his duobus peccatis oris maximè peccaſſent, & peccaturi eſſent in filium Dei. Itaque Synecdoche eſt, os, pro homine.

Homicidia, adulteria, fornicationes, &c. Homicidia φόνοι, rectius quàm quædam φθόνοι, *invidiæ.* Voluit enim nominare Chriſtus ea quæ diſertè decalogo prohibentur, ut ſunt quæ ſequuntur; adulteria; furta, falſa teſtimonia. Adulteriis autem ſubjunxit *fornicationes*, ut eam decalogi partem explicaret, ſimulque falſam quorundam Judæorum opinionem corrigeret, exiſtimantium ſimplicem fornicationem non eſſe peccatum. Quem ob cauſam etiam primo loco poſuit *malas cogitationes*, ſimulque ut malorum operum fontem & ſcaturiginem in capite poneret. Marcus etiam habet φόνοι, cap. 7. Vide ibidem annot.

℣.23. *Rogabant eum dicentes: Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Abutuntur hoc loco hæretici contra Sanctorum interceſſionem, dicentes, interceſſionem Apoſtolorum cum muliere Chananæa rejectam fuiſſe. Quibus *Reſp.* nec planè fuiſſe rejectam; quia Dominus tantum eis reſpondit docendi gratia: *Non ſum miſſus, &c.* & , ſi rejecta fuiſſet, non inde ſequi, damnari & inutilem eſſe aliorum pro aliis interceſſionem, quam Scriptura alibi toties commendat; velut quando Apoſtolus, eos ad quos ſcribit, rogat ut pro ſe orent; & ubi dicitur; Orate pro invicem ut ſalvemini, &c. Ratio, quia diſcipuli non tam ſtudio juvandi mulierem, quàm ut à moleſtia poſt ipſos clamantis liberarentur, videntur interceſſiſſe. Unde dicunt: *Quia clamat poſt nos*, & præterea, quia videtur fides huius mulieris maior fuiſſe quàm ipſorum quorumdam diſcipulorum. Unde ei dicitur: *Magna eſt fides tua*; cum diſcipulis ſubinde dicatur: *modicæ fidei*. Item, voluit Dominus fidem huius mulieris manifeſtari, atque eluceſcere diſcipulis, per inſtantiam & perſeverantiam orationis. Non enim ita quærendi ſunt interpellatores, ut nos ab orando deſiſtamus: quemadmodum bene ad hunc locum admonet Chryſoſt. Item Chriſtus non reſpondet diſcipulis; Fruſtra vos oratis pro ea; Oret ipſa pro ſe, & exaudiam; ſed aliam dedit rationem dilatæ, vel negatæ exauditionis.

℣.24. *Non ſum miſſus niſi ad oves quæ perierunt domus Iſraël.* Erat quidem Dominus miſſus ad ſalvandas gentes; non tamen erat miſſus ad gentes, ſed ad populum Iſrael; nempe ut in eo populo naſceretur, converſaretur, Evangelium prædicaret, miracula faceret. Quorum nihil fecit apud gentes. Unde Chriſtus fuit Apoſtolus Judæorum, non gentium. Quare & Pau-

A lus eum vocat miniſtrum circumciſionis: Rom. 15. & ad Hebræos, id eſt, Iudæos, ſcribens, vocat eorum Apoſtolum cap. 3. Vide Comment. noſtrum in citata loca. Non igitur repugnat huic loco illud Ioan. 10. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere.* Hoc enim non per ſe, id eſt, in propria perſona, fecit, ſed per Apoſtolos, quos poſt reſurrectionem juſſit ire, & docere omnes gentes. Porro quæritur, utrum oves intelligat ſolos electos, an quoſcumque ex illo populo? Reſpondendum videtur quod hoc loco quivis ex eo populo promiſcuè intelligatur, id eſt, totus populus. Nam ad eos miſſus fuit, quibus prædicavit; at non ſolis electis prædicavit, ſed multis etiam reprobis, ut Scribis, & Phariſæis, licet propter B electos id faceret; quia *omnia propter electos*; 2. Tim. 2. ut ait Apoſtolus. Sic Apoſtoli non ad ſolos electos miſſi fuerunt, tam in gentibus, quàm in Iudæis. Unde Dominus ad Hieruſalem reprobam; *Lapidas eos qui ad te miſſi ſunt.*

℣.26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* At Chriſtus ipſe hoc fecit, qui regnum Dei à Judæis abſtulit, & tranſtulit ad gentes; quique dixit filios regni ejiciendos foras, ſuſceptis gentibus, qui hìc canum nomine deſignantur. Sed dicendum, hæc verba non parabolicè dici, ſed propriè. Revera enim, in familia non eſt bonum auferre filiis panem, & projicere canibus. Unde tamen Chriſtus voluit mulierem aliquid ſublimius cogitare, videlicet, Iudæos eſſe velut filios, gentes velut canes. Quod & ipſa intelligens, C humiliter ita reſpondit ut ſe canem non negaret, & tamen catellorum more aliquid de pane filiorum percipere poſſe diceret. Quod ſi omnino iſtud allegoricè dictum contendas; reſpondebo ſenſum eius accipiendum ex verbis illis præcedentibus; *Non ſum miſſus, &c.* Senſus enim erit, nondum eſſe tempus tollendi regnum Dei à Iudæis, & tradendi gentibus; id enim demum poſt Paſſionem Chriſti, per Apoſtolorum prædicationem futurum erat, filiis panem illum repellentibus; juxta illud quod dixit Apoſtolus in Actis cap. 13. *Vobis oportebat primum*, (ſcilicet tanquam filiis) *loqui verbum Dei; ſed quia repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ; ecce convertimur ad gentes.* Et cap. 18. contradicentibus Iudæis & blaſphemantibus excutiens veſtimenta ſua dixit ad eos. *Sanguis veſter ſuper caput* D *veſtrum: mundus ego ex hoc ad gentes vadam.* Reſponderi item poteſt, Chriſtum hoc dicere ex perſona Iudæorum, qui gentiles contemnebant ut canes: quaſi dicat; Poſſet tibi objici à populo meo, Non eſt bonum, &c. Et tamen hæc mulier jam non erat canis; quia dicitur ei: *Magna eſt fides tua.*

℣.26. & 27. *Et mittere canibus. At illa dixit, Etiam Domine, & catelli edunt, &c.* Græcè utrobique diminutivè catelli; & videtur hic ſenſus eſſe: eſt quidem ita Domine, ut dicis; verumtamen etiam catelli non omnino negliguntur, edunt enim de micis, &c. Ceterum, qua ratione Iſraëlitæ fuerint filij, gentiles vero canes, expoſuimus ad illud Rom. 9. *Quorum adoptio eſt filiorum*, & Philip. 3. *Videte canes.*

℣.28. *O mulier magna eſt fides tua.* Unde huic mu- E lieri fides; quæ Syrophœniſſa erat genere, à finibus ſuis egreſſa; nec Chriſtum, nec Apoſtolos audiverat prædicantes; cum Paulus dicat: *Quomodo credent ſine prædicante?* Et rurſum: *Fides ex auditu; auditus autem per verbum Chriſti.* Rom. 10. Reſpondeo quod de Chriſto Salvatore promiſſo audire potuit ex Judæis, apud quos jam multa & certa erat expectatio Meſſiæ intra breve tempus venturi. Nam & mulier Samaritana huiuſmodi ſuam & publicam expectationem clarè expoſuit. Ioan. 4. Deinde, fama miraculorum Chriſti per omnia vicina loca jam erat pervagata: atque ita ex auditu credidit. Nam *auditus* pro fama, frequens eſt in ſacris litteris.

℣.34. *Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos piſciculos.* Inter hoc miraculum panum, & illud capitis præcedentis, multiplex eſt differentia. Illic quinque panes, & duo piſces: hîc ſeptem panes, & pauci piſciculi. Illic, ſaturantur quinque millia hominum; hîc quatuor millia. Illic tolluntur duodecim cophini fragmentorum; hîc ſeptem ſportæ. Denique illic panes ſunt hordeacei, hîc triticei, juxta Innoc. 3. Quod autem illic plures homines paucioribus panis ſaturati ſunt quàm hoc loco, non defectus eſt virtutis Chriſti, ſed ſignificatio myſterij. Per illos enim ſignificantur homines veteris teſtamenti, id eſt, carnales: per hos, novi teſtamenti, id eſt, ſpirituales. Nam de illis dicitur Ioan. 6. quod ſequebantur Dominum quia manducaverant de panibus. Qui rectè ſignificantur per numerum quinarium; quo comprehenditur Pentateuchus Moyſi. Hi verò per quaternarium, quia lex nova, id eſt, Evangelica, quatuor libris Evangeliorum continetur. Et illic, quinque panes, ob dictam rationem; hîc ſeptem, propter ſeptiformem gratiam Spiritus Sancti. Et illi quidem hordeacei, id eſt, viliores, reſpectu illorum qui triticei fuerunt; quia triticeus panis convenit filiis, hordeaceus ſervis. Item illic piſces duo, qui numerus eſt imperfectus, hîc, pauci, id eſt, duobus plures. Illic ſublati duodecim cophini propter duodecim Patriarchas, in quibus carnalis populus conſiſtebat; hîc ſeptem ſportę, propter ſeptiformem, ut dictum eſt, gratiam Spiritus Sancti. Quanquam, ut annotavimus, ſeptem ſportæ plus capiunt, quàm cophini duodecim.

℣.36. *Gratias agens fregit.* Non ſunt omnino diverſa, gratias agere, & benedicere. Cuius rei argumentum eſt, quod nuſquam ſimul ponantur, ſed ſæpe quod apud unum Evangeliſtam, vel uno loco dicitur, *benedixit*, id apud alium, vel alibi, dicitur; *gratias egit.* Additio Cenſoris. Confer quod hoc loco eſt cum his quæ ſunt Marci 6. v.41. & cap. 8. v.6. & 7.

Significant autem orationem pro re aliqua, cum gratiarum actione; quia orationis initium eſſe debet gratiarum actio; ut impetret futura beneficia, qui agnoſcit præterita. Sed quæritur, De quo beneficio Chriſtus hic egerit Patri gratias? *Reſpondeo*, Vel de eo quod antea ſemper fuerat exauditus, quomodo ſuſcitaturus Lazarum dicit: Ioan. 11. *Gratias ago tibi quoniam audiſti me.* Vel de æterno eius decreto præſentis beneficij præſtandi, quod tamen quia decretum erat præſtandum per ipſius orationem, ideo adjungit precationem qua beneficium impetret.

CAPUT XVI.

℣.4. F*Aciem cœli dijudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis?* Quomodo eos notat quod ſigna temporum non dijudicent, cum dicat Lucæ 17. *Regnum Dei non venit cum obſervatione? Reſp.* Signa temporum adventus Chriſti prænuntiata erant per Prophetas: Primò, quia à Daniele tempus præfinitum erat. Secundò, quia locus Nativitatis, id eſt, Bethleem; quod non ignorabant Scribæ ab Herode conſulti. Tertiò, quia Prophetæ paſſim prædixerant miracula quæ Meſſias erat facturus. Denique quia jam conſtabat, impletam Prophetiam Iacob, *Non auferetur ſceptrum, &c.* Gen. 49. v. 10. Hæc ſigna merito debuiſſent obſervaſſe, & potuiſſent facilè; niſi eos malitia excæcaſſet. Reliqua vide Luc. 17.

℣.4. *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ; Niſi*, Hebræo more, idem eſt quod (ſed tantum.) Petebant enim ſignum de cœlo; quale non erat ſignum Ionę, ſed magis de mari, in Iona; vel de terra, in Chriſto. Senſus itaque eſt: Hęc generatio ſignum quęrit de cœlo: at non dabitur eis ſignum de cœlo, ſed tantum dabitur eis ſignum Ionæ prophetæ quale non quęrunt, quia erit eis ingratum. Per id enim manifeſtè confun-
A detur & redarguetur eorum malitia. Signum illud fuit reſurrectio filij hominis. Vide Annot. Marci 8.

℣.12. *Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum à fermento panum, ſed à Doctrina Phariſæorum, & Sadducæorum.* Vide Luc. 12. ubi fermentum vocatur hypocriſis. Sed quæri poteſt, Quomodo cavendum moneat à doctrina Phariſęorum, qui cap. 23. dicit: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* Sed & Actor. 23. dicit Apoſtolus ſe eſſe Phariſęum, filium Phariſęi & 26. dicit ſecundum certiſſimam ſectam Judęorum Phariſęum ſe fuiſſe, nimirum hoc nomine ſe commendans. *Reſpondeo*, videtur Phariſęorum ſectam ex ſua origine & inſtitutione non fuiſſe damnabilem, quia tantum continebat profeſſionem maioris
B ſanctitatis prę reliquo vulgo, unde & Phariſęi, id eſt, ſeparati, dicti ſunt; nec ullam privatam ſequebantur doctrinam, ſed à maioribus traditam retinebant. Poſtea verò ut fit, ſuas quaſdam conſtitutiones, obſervationes, traditiones inſtituere cœperunt; & primum quidem indifferentes, & ad pietatem, nihil aut parum facientes; deinde verò etiam noxias & legi Dei contrarias; ut patet ex cap. pręcedenti. Atque illa eſt doctrina Phariſęorum, quam hîc Dominus fermentum vocat, à quo cavendum admonet. Apoſtolus autem de Phariſęis loquitur ſecundum originem, & profeſſionem, non ſecundum doctrinam acceſſoriam. Sadducęi autem, ab initio & ex profeſſo hęretici erant, ut patet ex Ioſepho, & actis Apoſtolorum, docentes ea quibus
C evertebantur fundamenta verę religionis. Quomodo autem ſit accipiendum illud: Super cathedram, vide infrà cap. 23.

℣.14. *Alij Ioannem Baptiſtam.* Quomodo aliqui dicebant JESUM eſſe Ioannem Baptiſtam, cum ambo vixiſſent eodem tempore, & proinde notum eſſet alterum eſſe ab altero diverſum? *Reſpondeo* JESUS Ioanne vivente nondum celebris erat; ſed poſt eius mortem fama eius longè lateque ſpargi cœpit, unde videri quibuſdam poterat (ut Herodi, qui Ioannem occiderat, nec adhuc de IESU ſciebat) Ioannem in IESU reſurrexiſſe; unde dicebat: *Ioannes quem ego decollavi, ſurrexit à mortuis; & ideò virtutes operantur in illo.* Nam & ipſe Ioannes dixerat: *Me oportet minui, illum autem creſcere.* Crevit autem poſtquam Ioannes
D capite fuit minutus.

℣.14. *Aut unum ex Prophetis.* Scilicet, antiquis, ſive anterioribus. Quod clarius expreſſit Lucas his verbis: *Alij verò; quia unus propheta de prioribus ſurrexit.*

℣.16. *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Petrus hac reſponſione proſtravit Neſtorij hęreſim; quando filium hominis dicit eſſe filium Dei. Nam de filio hominis erat interrogatus. Non ergo ſunt duę perſonę, ſed unus & idem eſt filius hominis, & filius Dei.

Quęritur: An Petrus reſponderit pro ſe tantum, an pro omnibus? *Reſp.* Si pro omnibus intelligitur reſpondiſſe, quatenus cupiebat omnes idem ſecum ſentire & dicere; ſic verum eſt quod pro omnibus, aut ut Hieron. loquitur, in perſona omnium, reſponderit ac profeſſus fuerit. Si verò pro omnibus reſpondiſſe intelli-
E gitur, tanquam habens mandatum à cæteris idem profiteri volentibus; ſic non reſpondit pro omnibus, ſed pro ſe tantum: unde & non eſt à Domino reſponſum; Beati eſtis mei Apoſtoli; ſed: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi.* Quare & quod ſequitur: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* non ad omnes Apoſtolos, ſed ad ſolam Petri perſonam pertinere credendum eſt.

℣.17. *Beatus es Simon Bariona.* Id eſt, filius Iona vel Ioanna; vide annot. Ioan. 21.

Caro & ſanguis non revelavit tibi. Per carnem & ſanguinem ſignificari hominem mortalem, latè oſtendimus in comment. Epheſ. 6. v. 12.

℣.18. Et

ỳ.18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* *Tu es Petrus.* Alluſio eſt ad Petri confeſſionem, *Tu es filius Dei vivi*: ac ſi dicat, Ego tibi viciſſim dico, ac pro mercede reddo quod tu es Petrus, &c. Quæritur autem de quo dicatur; *ſuper hanc Petram*; de Chriſto, an de Petro? Certum quidem eſt Chriſtum eſſe Petram Eccleſię ſolidiſſimam; dicente Apoſtolo, 1. Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus*; Et Epheſ. 2. *Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto IESV*: Sed ſicut Chriſtus ſolus Paſtor, cuius tamen participatione etiam alij ſunt Paſtores; & ſicut Chriſtus fundamentum Eccleſiæ, cuius tamen participatione etiam Apoſtoli duodecim Apoc. 21. dicuntur eſſe fundamenta civitatis Dei; atque ita in multis aliis: ſic nihil repugnat, imò ſenſus communis nobis ſuggerit, Petrum eſſe & hîc dici Petram, ſuper quam ædificanda eſſet Eccleſia; tametſi principaliter ædificata ſit ſuper Chriſtum. Ædificata ſuper Chriſtum; quia Chriſtus merito paſſionis ſuæ, gratiam fidei, eiuſque firmitatem, ac ſoliditatem toti communicat Eccleſiæ. Super Petrum; quia Petrus miniſterio poteſtatis ſibi à Chriſto traditæ, Fratres ſuos, id eſt, Eccleſiam univerſam, in fide confirmat. Neque hoc loco diſtinguenda ſunt Petrus, & Petra, cum apud Hebræos vel Syros (quo ſermone Chriſtus utebatur) ſit vocabulum prorſus idem; velut ſi dicatur; Tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et ſenſus eſt, Ego te voco Petram; & ſuper hanc Petram, id eſt, ſuper te, tamquam firmam & immobilem Petram, ædificabo Eccleſiam meam; quia videlicet, tuo, ac ſucceſſorum tuorum miniſterio, in fide ſtabilis permanebit; ita, ut portæ Inferi, id eſt, adverſariæ poteſtates gentilium, & hæreticorum, nunquam adverſus eam prævaleant, nunquam eam expugnare poſſint. Si ad Chriſtum referas; omninò torta ac violenta erit interpretatio, imò ſermo Sophiſticus. Cum enim præcedentia, & ſequentia Petro dicantur; quî convenit, ut hoc medium de alio accipiatur? Quin potius eius quod præcedit eſt explicatio, dat enim rationem nominis impoſiti, docens quomodo ſit petra, & quid ſuper ea Petra ſit exſtruendum. Quaſi ergo ſic loquitur; Tu es rupes, Tu es Petra, ſuper quam ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi, quem dixi rupem, dabo claves. Vide de huius loci expoſitione ac germano ſenſu. Bellarminum lib. 1. de Rom. Pontif. c. 10. & 11. ubi & multas Patrum citat ſententias, quibus Petrum, Petram eſſe Eccleſię demonſtrant. Vide etiam quę diximus 1. Petri 1. & 2. epiſt. cap. item 2. & v. 1.

ỳ.18. *Et portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Scilicet Eccleſiam, idque propter petræ firmitatem; ſuper quam Eccleſia ſit ædificata, huiuſmodi enim eſt, ut portæ Inferi non ſint prævalituræ.

ỳ.19. *Et tibi dabo claves regni cælorum; Et quodcumque ligaveris.* Sciendùm quod ſicut Chriſtus principaliter eſt petra, fundamentum, caput, Princeps, paſtor Eccleſiæ, Simon autem Petrus hæc eadem eſt ſecundariò, ita quoque Chriſto principaliter competit habere claves regni cœlorum, id eſt, poteſtatem gubernandi Eccleſiam, & ligare, & ſolvere, claudere, & aperire, juxta id quod habetur Apoc. 3. *Qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Et ſecundariò hæc eadem competunt Petro, ut Chriſti miniſtro & vicario. Imò competunt etiam cæteris Apoſt. Epiſcopis, & Sacerdotibus Chriſti, prout quiſque de poteſtate ea communicat. Vide Annotat. Apocal. 3. Cæterum non eſt vis facienda in numero; Nam huiuſmodi poteſtatem Scriptura modò nomine clavis, modò clavium, deſignat. Numero ſingulari, Iſai. 22. & Apoc. 3. de Chriſto, *qui habet clavem David*, id eſt, domus David, & aptè dicitur clavis domus, quia una clave ſolet domus aperiri: claves autem regni; quia regnum multis conſtat civitatibus, quarum unaquæque ſuam habet clavem, qua claudatur & aperiatur. *Quæritur*: Quid per regnum cœlorum intelligatur; an Eccleſia, ut paſſim in novo teſtamento, an cœlum beatorum? Et videtur omninò intelligi Eccleſia, ut ſenſus ſit: Dabo tibi claves, id eſt, poteſtatem, & adminiſtrationem ſuper totam Eccleſiam. Sic Janſ. Hunc ſenſum etiam Sectarij quidam reddunt. Poteſtas autem illa ex parte exprimitur ſequentibus verbis; *Et quodcumque ligaveris ſuper terram*, Ubi non dicitur, ligatum erit in regno cœlorum, ſed in cœlis, id eſt, divino judicio. Non eſt autem dicendum quod quilibet Epiſcopus, aut parochus acceperit claves regni cœlorum; quia licet habeat claves Eccleſiæ vel parochiæ ſuæ particularis: non tamen Eccleſiæ univerſalis, quæ ſola vocatur Regnum; particulares enim Eccleſiæ ſunt velut unius regni Provinciæ vel regiunculæ. Porrò poteſtas hîc promiſſa Petro, datur ei, & exhibetur, Ioan. ult. quando ei dictum eſt: *Paſce oves meas.* Hîc promittit tantum; diſertè teſtatur Hieron. in commentario.

Et quodcumque ligaveris, &c. Non dicit; Et quodcumque clauſeris, erit clauſum; & quodcumque aperueris, erit apertum; cum id magis dicendum videretur, quia clavium metaphora uſus erat: Sed voluit Dominus pluribus metaphoris excellentiam, & amplitudinem poteſtatis, quam Petro promittebat, declarare; ut per quam & clauſa aperiat, & aperta claudat; itemque ligata ſolvat, & ſoluta liget. Quibuſdam enim actibus huius poteſtatis magis convenit ſimilitudo claudendi & aperiendi; quibuſdam verò magis ſimilitudo ligandi & ſolvendi. Aperit enim admittendo credentes ad Eccleſiam; claudit, repellendo non credentes; ligat, imponendo ſatisfactiones, & vinculo excommunicationis innodando, & leges ſanciendo; ſolvit, ſatisfactiones per indulgentiam relaxando, ab excommunicatione abſolvendo. Item, claudere & aperire, ad res tantum referri poteſt, ligare & ſolvere etiam ad perſonas.

ỳ.20. *Tunc præcepit Diſcipulis ſuis, ut nemini dicerent quia ipſe eſſet Chriſtus.* An ita præcepit, ut illis dicere vel prædicare non liceret, Jesum eſſe Chriſtum, quomodo proximo capite præcepit tribus Diſcipulis, ne cuiquam dicerent viſionem, donec reſurrexiſſet à mortuis? An verò ita, quomodo quibuſdam à ſe ſanatis præcepit ne cuiquam dicerent; qui rem factam diffamantes, non leguntur reprehenſi? Sanè hinc apparet, Diſcipulos Chriſti quando miſſi fuerunt ad prædicandum per Iudæam, Matth. 10. & Luc. 10. non prædicaſſe Jesum eſſe Meſſiam. Fruſtra enim id hoc loco, id eſt, multò poſterius, prohiberetur, ſi jam antè prædicando ab ipſis publicatum fuerat; ſed, ſicut ibi præceptum fuit, prædicaſſe quod appropinquaret regnum cœlorum. Qua tamen in re tacitè continebatur prædicatio adventus Meſſiæ. Vide annot. Luc. 9. & Marc. 8.

ỳ.23. *Vade poſt me Satana.* (Satan) ſignificat adverſarium, id eſt, qui reſiſtit, aut obſtat in re aliqua, ſicut quando dicebat David ad filios Serviæ, *Cur efficimini mihi hodie in Satan?* 2. Reg. 19. Item: *Non eſt Satan, neque occurſus malus.* 3. Reg. 5. *Non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum.* De hac Dei ſapientia, & ei contraria hominum ſapientia, latè egimus in comment. 1. Cor. 2. v. 6. & 14.

ỳ.28. *Sunt quidam de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec, &c.* *Quidam.* Scilicet, Petrus, Iacobus, & Ioannes; qui conſequenter narrantur interfuiſſe Transfigurationi Domini. Ita ſentit Auguſt. ſerm. 69. de diverſis. Quid vero phraſi Scripturæ ſit guſtare mortem, expoſuimus in comment. Hebr. 2. ad illud, *pro omnibus guſtaret mortem.*

CAPUT XVII.

℣.1. **E**T *poſt dies ſex aſſumit IESVS.* Sic etiam Marcus: At Lucas hoc modo; *Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo, aſſumpſit, &c.* Facilis eſt conciliatio. De qua vide annot. Luc. 9.

℣.1. *In montem excelſum.* Franciſcus Lucas opinatur Libanum montem ſignificari, idque probat ex circumſtantiis hiſtoriæ Evangelicæ. Pro Thabor facit, quod videatur hæc transfiguratio facta in Galilæa, quia infrà dicitur hoc eodem capite. *Converſantibus autem eis in Galilæa:* At mons Thabor, in medio Galilææ ſitus eſt. Cæterum pro Libano facit, quod ex ſuperiori capite appareat factam hanc tranſmigrationem non procul à Cæſarea Philippi, in iis enim partibus erat Jesus quando Petro promiſit claves regni cœlorum, nec uſque ad hunc locum ſignificatur ex iis partibus receſſiſſe. At Cæſarea Philippi ſita eſt, ad radices montis Libani. Quem etiam Authores altiſſimum prædicant. Vide Hieronym. in locis Hebr. Nota etiam Marcum ſtatim poſt hiſtoriam transfigurationis, & continuo ſubſecutæ curationis lunatici, quæ ad eiuſdem montis pedem facta eſt, ſubjicere: *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam.* Unde profectò apparet ea quæ ſuperius narraverat, non in Galilæa fuiſſe geſta, ſed alibi. Cùm his etiam Lucas conferendus, qui transfigurationis hiſtoriam recitat ſtatim à confeſſione Petri facta in partibus Cæſareæ Philippi. Hoc etiam adferunt Prophetiam de gloria Libani, apud Iſai. cap. 35 *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron.* Moxque ſequitur: *Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri,* & cap. 60. *Gloria Libani ad te veniet.* Ubi etiam ſubjungitur: *Et locum pedum meorum glorificabo.* Quamquam has Scripturas in alium ſenſum ad litteram interpretati ſunt doctiſſimi authores. Baronius communem ſequitur opinionem, quod fuerit mons Thabor, Sanctus Hier. ſuper Oſeæ 5. hunc montem deſcribit, & dicit à ſeptuaginta vocari Itabyrium; ea ratione qua Hebræa nomina Græco ſermone declinant; ut dum pro Edom, dicunt Idumæam. Beda item in libro de locis ſanctis c. 17. ſcribit Thabor eſſe montem in quo Petrus dixit: *Faciamus hic tria tabernacula;* & altitudinem eiuſdem montis deſcribit. In Concilij quoque Florentini procemio, Græci dicunt Chriſtum in monte Thabor reſplenduiſſe; & Eccleſia in feſto transfigurationis Domini pro antiphona canit: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.* Vide Ianſenium concord. Evang. cap. 67. & F. Lucam in hunc locum.

℣.2. *Moyſes & Elias.* Difficulter explicari poteſt, quomodo Moyſes apparuerit, & locutus fuerit cum Jesu, ſi non fuit reſuſcitatus. Nam animæ ſeparatæ non habent vim neque formandi ſibi corpora, neque ea movendi ad locutionem, cæteraſque vitalibus ſimiles operationes: ſicut habent Angeli. Si ergo totum factum eſt Angelico miniſterio, ſicut ſolet fieri in huiuſmodi apparitionibus: quid ibi egit anima Moyſi? An verò dicendum, apparuiſſe Moyſen, quia Angelus in aſſumpto corpore tali, quale habuerat Moyſes, repræſentavit Moyſi perſonam etiam in ſermone? At ſic, verè ibi Moyſes præſens non fuit, neque ſecundum animam neque ſecundum corpus. Unde, qui ſentiunt Moyſen ad horam fuiſſe reſuſcitatum, ut gloriæ Domini ſui ſerviret, probabilius ſentire videntur. Nec inde quidquam ſequitur abſurdi; quia potuit corpus illud rurſum ſtatim ſine dolore deponi. *Sed* unde diſcipuli ſciebant eos eſſe? An ex pictis eorum imaginibus, ut quidam putant? Non eſt veriſimile pictas ad vivum imagines eorum, poſt tantum tempus, & tantas populi mutationes, fuiſſe ſervatas apud Judæos. Sed id cognoverunt ex colloquio eorum cum Chriſto; de quo Lucas ait, *quod dicebant exceſſum eius, &c.* cap. 9.

A ℣.11. *Elias quidem venturus eſt.* Similiter de Antichriſto dicit Ioannes 1. Epiſt. c. 2. *Antichriſtus venit,* id eſt, venturus eſt. Sicut ergo venturus adhuc denuntiatur Antichriſtus huiuſmodi ſermone: ita & Elias. Vide annotat. Marci 9. & hic S. Hieron. & noſtrum comment. dicto loco 1. Ioan. 2.

℣.14. *Quia lunaticus eſt.* Quo ſenſu lunaticus dicatur, Vide Ianſen. diligenter exquirentem capite 68. Concord. Evangel.

℣.18. & 19. *Tunc acceſſerunt diſcipuli ad IESVM ſecretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis IESVS, Propter incredulitatem veſtram.* Notat Chryſ. eos Apoſtolos qui in fide firmiores erant, videlicet Petrum, Iacobum & Ioannem, non adfuiſſe; erant enim cum Chriſto in monte. Sed & hoc
B notandum non tantùm propter incredulitatem petentium, ſed etiam eorum à quibus petitur, miraculorum effectum impediri. Incredulitatem hæretici intelligunt eam, qua non certò quis credit ſe conſecuturum quod petit; ſed dubitat utrum exaudietur. Sed huic expoſitioni textus manifeſtè repugnat. Addit enim Dominus; *Hoc genus non ejicitur niſi per orationem & jejunium.* unde ſequitur, quod etſi diſcipuli certam habuiſſent perſuaſionem ejiciendi Dæmonium; non tamen ejeciſſent non adhibito jejunio & oratione: Proinde falſa fuiſſet illa eorum fides. Incredulitatem ergo non aliam intelligere debemus, quam eam quæ repugnat fidei de omnipotentia ac divinitate, vel de promiſſione Chriſti Salvatoris; in cuius virtute conabantur
C dæmonium ejicere. Quam tamen fidem Chriſtus vult conjunctam eſſe cum oratione & jejunio, ut ad miraculum efficiendum valeat.

Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis. Non eſt ſenſus, ſi habueritis tantillum fidei, quantulum eſt granum ſinapis, ut reſpiciatur ad quantitatem illius grani; quod perexiguum eſt: Sed ſenſus eſt. Si habueritis fidem tam fortem, quàm eſt granum ſinapis, ut ad fortitudinem ſeu virtutem illius grani reſpiciatur, de quo ſuprà capite 13. *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis.*

℣.20. *Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & jejunium.* Aliud impedimentum, propter quod non potuerunt hoc dæmonium ejicere, quidam, inter quos Dominicus Sotus 4. diſt. 19. q. 2. art. 3. intelli-
D gunt hic requiri jejunium & orationem ex parte obſeſſi. Sed certè non apparet hoc Chriſtum velle, cum plerumque obſeſſi ita ſint corpore malè affecti propter vexationem dæmoniacam, ut magis fomento ac bono nutrimento egeant juvari, quàm jejuniis macerari. Et ex Marco ſatis apparet, ad diſcipulos, id eſt, ipſos ejicientes, hoc referendum eſſe: ut hîc ſignificetur alterum impedimentum ejectionis dæmonum ex parte eorum per quos ejiciendi ſunt: & id quidem ſpeciale. Nam ſuperius impedimentum generale erat ad omnem curationem, aliamvè miraculi operationem, quæ imprimis fidem requirit. Hoc autem, ſpeciale eſt, quia ut ait Dominus: *Hoc genus non ejicitur, &c.* Id eſt, dæmones ita ſævi & immanes, qualis erat qui hunc puerum occuparat, non facile ejiciuntur, ſed tantum
E præmiſſis jejuniis & orationibus; quibus tantum beneficium à Deo impetretur. Hinc quoque diſcimus alios dæmones aliis pejores & ſæviores eſſe, *Non ejicitur:* Marcus; *In nullo poteſt exire.*

℣.23. *Acceſſerunt qui didrachma accipiebant — Magiſter veſter non ſolvit didrachma?* Utrobique (*didrachma*) pluralis eſt numeri, ut Græca manifeſtè docent: Ac ſenſus prioris eſt; Acceſſerunt publicani, qui ea tributa quæ didrachma vocabantur, principis nomine exigebant. Poſteriores autem; Magiſter veſter an non ſolet ſolvere tributa, quæ vocantur didrachma? An ab iis ſolvendis aliqua ratione exemptus eſt? Dicit ergo plurali numero, *didrachma,* quia ſæpius ſolvendum

dum erat didrachmum. De quo vide *Ianſen.* Idem docet etiam Petrum debuiſſe, quia viritim ſolvebatur, non domeſticatim. Sed eſto qood viritim ſolvi debuerit, ſi quis tamen paterfamilias liber erat & exemptus, videtur eius cauſa, ſamiliam quoqoe totam exemptam eſſe oportuiſſe, præſertim ſi filius Regis eſſet; quod etiam tandem indicat *Ianſ.* & ita rectè plorali numero dicitur: *Vt autem non ſcandalizemus eos.* Quia nec Petrus, nec cæteri diſcipuli illo caſu debebant. Franciſcus Lucas dicit pro templo collectum fuiſſe: Sed non apparet, quia Chriſtus loquitur de Regibus terræ; & Publicani conſtituebantur nomine Cæſaris; ideoque erant exoſi. Et apparet quod fuerit tributum itinerantium, quia ex ...ctum cum intraſſent Capharnaum. Res expendatur. Certè illud: *Reges terra*, valde urget, ut de prophano tributo intelligatur. Cardinalis Baron. tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 33. docet didrachma ſolvi ſolitum ex lege ad uſum tabernaculi, quod poſtea, templo deſtructo, verſum ad uſum Capitolij ex edicto Cæſaris. Ac ſanè probabiliter id docet, authorem citans *Ioſephum.*

℣. 25. *Ergo liberi ſunt filij.* Filiſius in 7. Præcept. c. 6. ait quod Chriſtus erat liber à tributo, quia ſecundum humanam naturam erat filius Davidis. Sed hoc non videtur conſequens; quia non omnes qui ſunt ex ſtemmate regio ſunt liberi à tributo; ſed tantum rex cum ſua familia, & quibus præconceſſum eſt id privilegium. Unde rectius ad divinam Chriſti naturam hoc ſpectare videtur, ut omnes ferè exponunt; quia nimirum erat naturalis Dei filius. Nemo enim tradit quod Ioſeph & Maria non tenebantur ſolvere cenſum niſi ad vitandum ſcandalum.

℣. 26. *Vt autem non ſcandalizemus eos.* Vide comment. Gal. 4. *factum ſub lege.* Colligunt hinc quidam legem humanam tantum obligare ubi eſt periculum ſcandali, non autem in conſcientia. Quibus reſpondendum; aliud eſſe de Chriſto, eiuſque familia, cui præerat jure œconomico; aliud de cæteris fidelibus. Oportebat enim Chriſtum, filium Dei, & per conſequens eius familiam liberam eſſe à tributis; nec jure humano conſtringi poterat; atque inde dixit: *Ergo liberi ſunt filij.* Sed Chriſto mortuo, illa familia deſijt eum temporaliter habere præfectum; Unde nec Apoſtoli, nec eorum ſucceſſores, alijque fideles dici poſſunt hac ratione ſoluti & liberi à legibus politici magiſtratus. Chriſtus tamen cum ſua familia etſi ad ſolvendum tributum non teneretur, voluit, ad evitandum ſcandalum infirmorum, tributum præſtare. Unde Auguſt. epiſt. 239. Notat Dominus (inquit) aliud jus, quo nihil tale debebat; ſed eo jure ſolvebat, &c. nempe ad vitandum ſcandalum infirmorum; ſicut Paulus à Corinthiis non accipiebat debita ſtipendia. Sed cur etiam pro Petro dari tributum juſſit, cum ad ſcandalum vitandum ſufficeret pro ſe ſolo dari tanquam capite familiæ? Unde tantum dictum fuerat à Publicanis; Magiſter veſter non ſolvit didrachma? *Reſp.* Factum id, tum abundantioris cautelæ cauſſa, quia plus dando, magis vitavit ſcandalum, tum propter myſterium, ut ſignificaret Petrum totius familiæ Chriſtianæ caput à ſe aliquando inſtituendum. Vide S. Hieron. in Commentario, & noſtras annot. Luc. 2. & 23. & Gal. 4. loco ſupra citato.

℣. 27. *Invenies ſtaterem.* Stater valebat duo didrachma, id eſt, quatuor drachmas, ut teſtatur S. Hieron. in Ezechiel 4. Alterum ergo didrachmum pro ſe dari juſſit, alterum pro Petro. Ideo verò tantum quærebant, Magiſter veſter non ſolvit? &c. non autem, Vos non ſolvitis? quia ſatis intelligebant ſi magiſter exemptus eſt, domeſticos quoque eius exemptos cenſeri.

Illum ſumens da illis pro me & te. Cur non etiam non aliis diſcipulis; quandoquidem viritim dabatur didrachmum? An cæteri diſcipuli tunc ibi non erant? ſequitur enim initio cap. ſeq. *In illa hora acceſſerunt*

A *diſcipuli ad IESVM.* An pro cæteris ſoluta ſunt didrachma ex loculis Iudæ? cauſa autem myſterij, ſeorſim Dominus ſolvere voluit pro ſe & Petro; & quidem per miraculum. Vide Franc. Lucam, qui dicit cæteros inopiæ cauſa fuiſſe excuſatos.

CAPUT XVIII.

℣. 1. Q*Vis putas maior eſt in regno cælorum?* Regnum cœlorum vocant, quod Chriſtus prædicabat, ignorantes tamen quale illud futurum eſſet. Imaginabantur enim regnum quoddam huius mundi. Chriſtus autem reſpondens illis: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum;* Diſtinctè loquitur de ſuo regno cœleſti & ſpiri-
B tuali quale erit poſt hanc vitam. In hac enim vita potius eſt militia, quàm regnum.

℣. 2. *Et advocans IESVS parvulum.* Hic (parvulus) non ſignificat infantem qui nec loqui, nec incedere poſſit, ſed granduſculum, qui vocatus poſſit venire, qui & credere poſſit. Unde dicitur infra: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt.*

℣. 3. *Niſi converſi fueritis.* Scilicet, ab iſta veſtra ambitione, quâ ſuperiorem quæritis locum in regno meo. Non ſignificatur ambitionem hanc in illis fuiſſe damnabile peccatum, per quod eſſent à Deo averſi; ſed tale tamen quod gravem mereretur increpationem, & à quo tanquam malo ad bonum ei oppoſitum, id eſt, humilitatem eſſent convertendi; aliter enim fieri
C non poſſe, ut intrent in regnum cœlorum. Nam & venialia peccata ſuo modo ab ingreſſu regni cœleſtis hominem impediunt. Nihil enim coinquinatum in illud intrabit.

Et efficiamini ſicut parvuli; non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum. Duo hîc quæruntur: primum, quomodo parvuli diſcipulis Chriſti proponantur imitandi, cum diſcipuli fuerint meliores & ſanctiores parvulis, quorum ſenſus multis adhuc vanitate occupatus eſt; neque habere videntur humilitatis virtutem, ſed tantùm eius quandam in moribus ſimilitudinem. Alterum; Quomodo poſterior ſententia non repugnet priori; cum prior ſententia ſimpliciter excludat à regno cœlorum, eum, qui non
D fuerit effectus ut parvulus; poſterior autem neget maiorem eſſe in regno cœlorum, & proinde concedere videatur eſſe eum poſſe in regno cœlorum, licet non maiorem. Nam & ſic interrogaverant diſcipuli: *Quis putas maior eſt in regno cælorum?* Ad primum videtur reſpondendum; parvulos proponi imitandos, hac ratione ut ſicut in ijs eſt propter ætatem humilitas, & ſimplicitas, & placabilitas quædam naturalis; ita adulti dent operam ut eadem habeant ex virtute. Quomodo etiam ad formicam piger remittitur à Sapiente; & Chriſtus eos qui ſuperfluâ laborant craſtini ſollicitudine, remittit ad lilia agri & volucres cœli; quia etiam à rebus ſenſu vel ratione carentibus exempla virtutum poſſunt deſumi, propter virtutum quaſdam in ijs naturales ſimilitudines. Quod enim Chriſtus non
E velit parvulos eſſe imitandos, quomodo ipſe ſe imitandum præbet quando ait: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde;* & quomodo ſancti homines imitandi proponuntur, ſicut ait Paulus, *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti:* inde liquet, quia ſequenti cap. cum dixiſſet: *ſinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos;* non addidit, quia illorum eſt regnum cœlorum, ſed *quia talium eſt regnum cælorum;* id eſt, eorum qui ſe humiliaverint ſicut parvuli, & Apoſtolus 1. Cor. 14. ait: *Nolite pueri effici ſenſibus; ſed malitia parvuli eſtote.* Quia videlicet parvuli propter rerum inexperientiam, adhuc malitiæ, id eſt, doli, ſunt expertes.

Ad

A Ad alterum dicendum apparet, quod priori ſententia regnum cœlurum intelligitur fœlicitas beatorum, quam nemo intrat niſi effectus fuerit ut parvulus, quomodo dictum eſt: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Poſteriori verò, Eccleſia præſentis ſæculi; non enim ibi loquitur de intrando, ſed præſupponit intraſſe, & de eo pronunciat; ut ſenſus ſit: Qui ſe humiliaverit ſicut parvulus iſte, is in Eccleſia præſenti coram Deo, maior, dignior, & melior eſt, licet fortè hominibus contemptibilis appareat. Unde etiam colligitur Eccleſiam conſtare bonis & malis, humilibus, & ſuperbis. Qui enim non ſe humiliaverit, ſed per ambitionem locum quæſiverit altiorem, hic minor eſt in regno cœlorum. Similiter Dominus loquitur cap. 5. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis*, B Vide annotat. eius loci.

℣.7. *Væ mundo à ſcandalis.* Scilicet, activis; quia ſequitur: *væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Videtur eſſe ſenſus: væ mundo; quia per ſcandala replebitur iniquitate: & neceſſe quidem eſt ſcandala veniant, quia per malitiam hominum multa paſſim ſeſe offerunt mala exempla; ſed illis maximè væ per quos mundus ſcandalizabitur. Unde prius væ videtur pertinere ad mundum ſcandalizatum, poſterius ad homines ſcandalizantes.

Neceſſe eſt enim ut veniant ſcandala. Luc. 17. *Impoßibile eſt ut non veniant ſcandala.* Vide eius loci annotat.

C ℣.8. & 9. *Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum*, & iterum, ———. *Bonum eſt tibi unum oculum habentem in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Quamvis abſolutè melius ſit debilem vel claudum, vel luſcum eſſe in regno cœleſti, quàm integris membris & ſanis ſibus eſſe in gehenna: Non hoc tamen iſtis ſententiis ſignificatum eſt, ſed hoc potius, melius eſſe homini ſi in hoc ſæculo debilis ſit vel claudus, vel luſcus, poſtea ingreſſurus vitam æternam, ubi omnis defectus & deformitas tolletur: quàm ſi in hoc ſæculo membra omnia habeat integra, poſtea mittendus in gehennam, ubi nihil ei proſit membrorum integritas, in quibus æternum ſit cruciandus. Hinc autem intelligendum, in univerſum melius eſſe homini, ſi in hac D vita careat auxiliis hominum, aut rerum ſibi multum neceſſariarum, quæ tamen ei futuræ ſint occaſiones ruinæ: ſicque liber à ſcandalis, ad vitam perveniat: quàm ſi copiam talium auxiliorum habens, per ea ſcandalizetur & pereat.

℣. 10. *Videte ne contemnatis, &c. quia Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris.* Vis probationis converſione propoſitionis probantis, melius perſpicietur; hoc modo: *Ne contemnatis, &c.* quia qui ſemper adſtant Patri meo & aſſiduè faciem eius vident, ſunt iſtorum parvulorum Angeli. Ex quo intelligitur eorum dignitas. Hîc agnoſcitur uſus converſionis dialecticæ. Colligitur præterea ex hoc loco unumquemque hominem habere angelum cuſtodem. De quo E plura in 2. Sent. diſt. 11.

℣.12. *Relinquit nonaginta novem in montibus.* Apud Lucam. *in deſerto*, ſed nulla eſt diſſenſio, præſertim cum ſermo ſit tantùm parabolicus. Oves in montibus, humiles ſunt in excelſis. Tales ſunt Angeli in cœlo, id eſt, in ſumma excellentia, naturæ, gratiæ & gloriæ; nihil ſibi arrogantes, ſed omne bonum ſuum perfectè tranſcribentes Deo creatori; & beatificatori ſuo, *In deſerto*, quia cœlum à ruina Angelorum malorum uſque ad Chriſti paſſionem tanto numero civium ſuorum vacuatum, quaſi deſertum magna ex parte remanſit, donec in eorum locum homines per Chriſtum redempti, reducerentur.

A ℣.14. *Sic non eſt voluntas ante patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis.* Heſſelius & Ianſ. ad ſolos electos referunt. Vide ſi placet noſtrum comment. ad illud 1. Tim. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, itemque 2. Pet. 3. *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.*

℣.15. *Si peccaverit in te.* Intelligit quidam *in te*, id eſt, coram te, vel te ſciente, quia ſi tantum correptio præcipitur dum contra nos peccatur, videbitur fieri ſtudio vindictæ magis quàm charitatis. Sed ſatis conſtat, *in te*, idem eſſe quod contra te; Nam & poſtea Petrus quærit: *quoties peccabit in me frater meus?* Quod omninò intelligendum, contra me: quia additur: *& dimittam ei?* Nempe contra me peccanti. Naque conſequens hinc eſt, eos qui, vel in alios, vel in ſeipſos B tantum peccant, non eſſe à nobis corripiendos: quia hoc intelligendum relinquitur ex paritate rationis. Ideo autem tantum nominat peccantem in te, quia de eo peccato tibi certius conſtat. Senſus ſententiæ. Ne retineas offenſam in animo, & vindictam cogites: ſed magis ſtude ex charitate, ut fratrem qui in te peccavit corrigas, adhibita benigna admonitione. Ita reddes ei bonum pro malo. Sic Levit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum.* De ſcolis huius loci vide Dom. Bannes agentem. 2. 2. quæſt. 33. art. 2.

Corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quomodo huic non contrarietur illud B. Pauli 1. Timot. 5. *Peccantes coram omnibus argue*, vide noſtrum comment. ibid. C *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Similia loca ſunt Rom. 11. v. 14. 1. Tim. 4. v. 16. & Iacobi 5. v. 20.

℣.16. *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, aut duos.* Videtur omnino loqui de peccato quod pluribus innoteſcere poteſt, ſaltem per iterationem facti; & ſic intellexit Auguſt. in Regula, quamvis Thomas aliter ſentiat. Nam ſi eſt omnino occultum, quod tu ſolus ſcias, nec iteretur: quomodo adhibebis teſtes coram quibus eum moneas? &, qua utilitate; cum ille offenſus proditione occulti ſui peccati, magis te odio ſit habiturus ob injuriam, & palam negaturus ſe feciſſe? Nec obſtat quod dicit Auguſt. Ne vulnus putreſcat in corde: Id enim cavendum quantum in nobis eſt; Et ſecundum Auguſt. cavetur, quando peccatum iteratum innoteſcit aliis. Res tamen examinetur propD ter peccata occulta, ſed communitati vel Eccleſiæ, vel reipublicæ, pernicioſa. Vide Ianſen. Franc. Lucam, & Heſſelium.

℣.17. *Quod ſi non audierit eos: dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audierit: ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Controverſia eſt inter Catholicos & Hæreticos quid nomine Eccleſiæ intelligendum ſit. Ioan. Hus, & eum ſecuti hæretici noſtri temporis definiunt Eccleſiam, prædeſtinatorum univerſitatem: Catholici definiunt Societatem eorum qui per rectam fidem & Sacramenta ſibi mutuò cohærent. Hanc controverſiam jam antea ſuſtulit ſententia Chriſti, dicentis; *Dic Eccleſiæ.* Si enim crimen fratris deferendum eſt ad Eccleſiam: oportet ergo eam notam eſſe, manifeſtam, E viſibilem, & acceſſibilem. Talis autem eſſe non poteſt cœtus prædeſtinatorum; cum ſoli Deo notum ſit qui prædeſtinati ſint, qui reprobi. Non ergo prædeſtinatorum ſocietas intelligenda eſt nomine Eccleſiæ, ſed ſocietas eorum, qui, quam habent Chriſtianam fidem profitentur. Ea autem ſocietas non eſt occulta: cum profeſſio fidei per doctrinam publicam & uſum Sacramentorum, eam ſatis quotidie manifeſtet. Dicitur autem Eccleſiæ, quando dicitur alicui præfectorum Eccleſiæ: ſicut defertur ad civitatem, quando ad ſenatum defertur; & ad Imperium, quando ad Imperij caput, id eſt, ad ipſum Imperatorem. Sicut enim in homine, caput & loquitur & audit pro toto corpore: ita in republica rex aut princeps, aut magiſtratus, audit

dit

dit & reſpondet de publicis negotiis nomine totius A communitatis.

℣.17. *Sit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*, id eſt, eo loco quantum ad converſationem externam, quo vos Iudæi habere ſoletis ethnicos & publicanos a cum quibus ne colloquium quidem habere ſuſtineris. Vide noſtra in 4. ſent. diſt. 18. itemque in 1. Cor. 5.

℣.18. *Quæcumque alligaveritis ſuper terram.* Promiſſio eſt poteſtatis ligandi & ſolvendi; ſicut & ſuprà capite 16. quando ſimilia verba Petro dicta ſunt. Et quidem ubi Petro datum ſit quod illic promittitur, non eſt obſcurum: conſtat enim illis verbis datum eſſe. Ioan. 21 *Paſce oves meas.* Sed ubi datum cæteris Apoſtolis quod hic promittitur? An illis verbis Ioan. 10. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos?* Certè pars poteſtatis data eſt verbis eodem loco ſequentibus: *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Sed etſi B nuſquam legeremus datam eſſe; non tamen fas eſſet nobis dubitare, quin Chriſtus quod promiſit, impleverit. Vide annotationes dicto loco Ioan. 20. Egimus de hac Apoſtolorum poteſtate in 4. diſt. 14. Cæterùm hinc non ſequitur cæteros Apoſtolos in hac poteſtate æquales fuiſſe ei cui dictum eſt cap. 16. *Quodcumque ligaveris*; velut ſi pluribus dictum eſſet, Vos eritis principes Eccleſiæ; non cenſeretur unuſquiſque eorum totius Eccleſiæ princeps futurus; ſicut ſi uni, & quidem coram cæteris dictum eſſet, Tu eris princeps Eccleſiæ; tu reges populum meum. Item rex in longinquam regionem profecturus diuque abfuturus, uni dicat: Te conſtituo gubernatorem regni mei; & poſteà ipſi ſimul C cum aliis dicat; Vos conſtituo gubernatores regni mei; debet intelligi, illum cui ſoli dictum fuerat, cæteris in gubernatione regni eſſe præpoſitum, ut quendam univerſalem, maximè ſi addat & alia verba id expreſſius ſignificantia, ut Matth. 16.

℣.21. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Loquitur de fratre poſt peccatum culpam agnoſcente; & veniam rogante. Sic enim præcepit Dominus. Luc. 17. *Si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te, dicens, pœnitet me; dimitte illi.* Sic etiam hoc capite, in ſubjecta parabola, ſervus nequam arguitur quod conſervi ſui, rogantis ſe, non fuiſſet miſertus. Quare & clauſula illa parabolæ: *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque* D *fratri ſuo de cordibus ſuis*: de eo fratre loquitur, qui facti pœnitens veniam rogat. Ex quo tamen non eſt conſequens non præcipi nobis ut dimittamus fratri nondum pœnitenti, ſed adhuc in mala voluntate & actu nocendi perſeveranti. Si enim jubemur orare pro perſequentibus & calumniantibus nos, Matth. 5. jubemur & dimittere, quantum in nobis eſt; hoc enim ſignificant illæ orationes Chriſti & Martyris eius, pro interfectoribus ſuis: *Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Verùm hoc cum ſit maioris perfectionis, non ita præcipitur, ut ſi non fiat, non exaudiatur oratio precantis, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, id eſt, dimitte nobis petentibus, ſicut & nos dimittimus ijs qui nos rogant. De quo vide annot. ſupr. cap. 6. Quod autem dicit Author. E Sermonis inter homilias Patrum, Feria 3. poſt Dominicam 3. Quadrageſ. nos non poſſe dimittere ijs qui permanent in inimicitiis: non videtur benedictum. Nam dimittimus eis, ad ſenſum Scripturæ & orationis Dominicæ quando petimus, ut Deus non vindicet. In quo includitur ut inſpiret eis Deus pœnitentiam, qua peccatum ſuum agnoſcant, & veniam petant.

℣.31. *Videntes autem conſervi eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valde, & narraverunt domino ſuo.* Laudandi igitur ſunt qui pio zelo peccata fratrum ſuorum, quæ vident aliter corrigi non poſſe, & in detrimentum publicæ diſciplinæ cedere, ad ſuperiorem referunt, cor-A rigenda, aut punienda; tantum abeſt ut delatorum vocabulo ſint infamandi.

℣.34. *Quoadusque redderet univerſum debitum.* Quæritur: Quo jure potuerit exigere debitum remiſſum, cum debitum remiſſum jam non debeatur? Nam ipſa remiſſione ſolvitur obligatio. An aliquo jure humano redit obligatio, propter inſignem ingratitudinem? At ea ingratitudo intelligitur in benefactorem, non autem in alium. An non omnino in alium, quæ fuit in conſervum, id eſt, eiuſdem domini ſervum; ut ea ingratitudo redundaverit in dominum? Poteſt etiam dici quod illa debiti remiſſi exactio, fuerit punitio ingrati facta per dominum, quatenus Rex erat: cuius eſt, malos, improbos, ingratos punire. Sic enim habet exordium parabolæ. *Aſſimilatum eſt regnum cælorum* B *homini Regi.*

CAPUT XIX.

℣.3. *SI licet homini dimittere uxorem ſuam?* Putavit quidam divortium ſic fuiſſe permiſſum antiquis, ut dimittendo non peccarent. Sed aliud indicat Chriſtus; quærentibus enim an liceret; reſpondet, *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet.* q. d. non licet homini ſeparare, quod Deus conjunxit. Licet illa ſeparatio ad duritiam cordis eorum fuerit permiſſa. Et Auguſt. tract. 9. in Ioan. ad illud: *Nuptiæ factæ ſunt*; dicit, divortium à diabolo eſſe, per quod ſatis ſignificat ſemper fuiſſe illicitum. Putant etiam nonnulli quod C ducendo aliam poſt divortium, non committebant adulterium, licet maneret vinculum cum priore; quia in veteri lege conceſſum erat plures uxores ducere. Quæ opinio vera videtur. Si enim licebat aliam ducere priore retenta, cur non etiam dimiſſa? Quomodo ergo dicit Dominus; *Qui aliam duxerit, mœchatur?* An his verbis, ſicut & ſuperioribus, revocat matrimonium ad primam inſtitutionem?

℣.5. *Et erunt duo in carne una.* Græcè εἰς σάρκα μίαν, id eſt, in carnem unam; ſic enim & Septuaginta locum Geneſ. 2. reddiderunt, retento Hebraiſmo; pro quo diceretur; erunt duo una caro; quomodo dixit Iacob, Geneſ. 28. *Erit mihi in Deum*, id eſt, erit mihi Deus; & Dominus de Salomone; 2. Reg. 7. *Ero ei in patrem & ipſe mihi erit in filium.* Senſum hunc reddit D ipſe Dominus, cum ſubjungit: *Itaque jam non ſunt duo ſed una caro.* In Hebr. quidem tantum legitur; *Et erunt in carnem unam*; non addendo *duo*; ſenſus tamen eam adjectionem poſtulat intelligi, quia dictum erat; *Et adhærebit uxori ſuæ*, non uxoribus. De quo vide annotat. Geneſ. 2. unde rectè item Septuaginta, quàm Latinus noſter interpres addiderunt; *duo*. Vide noſtra in 4. diſt. 33.

℣.6. *Quod ergo Deus conjunxit; homo non ſeparet.* Sermo eſt de materia ſubjecta. Neque enim quæcumque à Deo conjuncta ſunt, talia ſunt, ut ab homine ſeparari non poſſint, aut non debeant. Nam judex qui juſtè hominem occidit, animam eius à corpore ſeparat, quam Deus tamen conjunxit. Et, quàm multa in natura ſeparantur quæ Deus conjunxerat? Senſus igitur eſt; E virum & mulierem, tam arcto vinculo conjunctos eſſe à Deo, & ex primæva Dei inſtitutione, in matrimonio; ut nullus homo nec debeat nec poſſit eos ſeparare, ſic ut vinculum illud diſſolvat utroque vivente. Hoc autem Eccleſia interpretatur de conſummato, & fidelium matrimonio. Nam & de eo quæſtio erat propoſita; & lex Dei poſitiva ad ſolos fideles videtur propriè pertinere; nam infideles, ut tales, ſolam habent legem naturæ. Pro huius loci & præcedentium intelligentia, vide quæ diximus in 4. diſt. 33. & 35. item Rom. 7. v. 2. 1. Cor. 7. v. 16. 1. Tim. v. 2. Eph. 5. v. 21.

℣.12. *Sunt Eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum.* Calvinus interpretatur propter prædicatio-

dicationem Evangelij, cuius ſenſus refutationem vide apud Leſſium lib. 2. de Iuſtitia & jure, capite 2. dubitation. 25. Certè cum paulò pòſt dicitur: *Talium eſt enim regnum cælorum*, non intelligitur prædicatio Evangelij. Et adhuc infrà; *Dives difficile intrabit in regnum cælorum*. Ubi regnum cælorum vocat, quod anteà & poſteà eodem capite, vitam æternam. Item ſi ille eſt ſenſus; cur igitur miniſtri Calviniani propter Evangelij ſui prædicationem ſeipſos non caſtrant? Cur nec ipſe M. Lutherus id fecit; qui cum monachus eſſet, Evangelium ſuum novum dedicavit novis nuptiis initis cum monacha? Itaque hæc interpretatio ipſos reformatos, ut ſe vocant, Evangelij miniſtros confundit.

℣. 14. *Talium eſt enim regnum cælorum*. Non dicit illorum, ſed talium, ſicut dixerat cap. præcedenti, *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Et: *Quicumque humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum*. Non enim ſignificat veram virtutem humilitatis parvulis ineſſe, ſed ſicut dicit ſupra cap. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ*; ita hîc proponit puerorum humilitatem imitandam; ut quod in beſtiis & pueris eſt ſecundum quandam ſimilitudinem, id homines exprimant per veram virtutem. Igitur ex eo quod hîc dicit: *Talium eſt enim regnum cælorum*; non poteſt inferri, pueris deberi regnum cælorum: ſed ex verbis præcedentibus, *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire*; bonum ſumitur argumentum, parvulos, etiam in illa ætate ſalvari poſſe; præſertim cum Dominus iis etiam benedixerit; quia ſequitur: *Et cum impoſuiſſet eis manus*.

℣. 21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes, & da pauperibus*. Pro *ſi vis perfectus eſſe*, apud Marcum, & Lucam eſt: *unum tibi deeſt*; quod etſi poteſt intelligi ad perfectionem; non malè tamen intelligitur abſolutè ad ſalutem: quia iſte adoleſcens confidebat in divitiis, & ideo penè opus illi erat divitias relinquere, ut ſalvaretur. q. d. Unum tibi deeſt ſine quo valde difficile eſt ut ſalveris. Locus notandus contra huius temporis hæreticos, dicentes nulla eſſe Evangelica conſilia, ſed omnia eſſe præcepta; neque quidquam boni eſſe quod homo faciat, ad quod non ex præcepto teneatur. Ea doctrina fons eſt alterius perverſi dogmatis, videlicet Hominem in omni opere peccare; quia nullum opus facit tam perfectè, quin poſſit illud perfectius facere, ſaltem in hac vita. Si perfectius poteſt facere, & non facit; peccat: quia ex præcepto, (ut inquiunt) tenetur illud facere quam poteſt perfectiſſimè. Ita unus error alium trahit. Sed contrà Eccleſia docet ex hoc loco & aliis, quædam eſſe quæ conſuluntur, non præcipiuntur; talia tamen quæ ad adimplenda charitatis præcepta reddant hominem magis idoneum. Item illud, *Vende, & da pauperibus*, longè rectius quàm Crates Philoſophus, qui legitur ingens auri pondus in mare projeciſſe ut liberius Philoſopharetur. Quo facto ita ſe ſupervacuo pecuniarum onere liberavit, ut tamen egentibus nihil conferret; nec intellexit ita aurum contemnendum eſſe, ut tamen in uſus legitimos ſit convertendum. Rectius quoque Cratete Antiſthenes Philoſophus de quo S. Hieronymus lib. 2. contra Iovin. c. 9. qui vendidit quæ habebat, & publicè diſtribuit; nihil ſibi amplius quàm palliolum reſervans. Nimirum hic ad Chriſtianam philoſophiam propius acceſſit. Idem Hier. ad Demetriadem cap. 7. Da pauperibus, non divitibus. Si quæras an aliter perfectus eſſe homo non poſſit, niſi omnia quæ habet relinquat: *Reſp*. Poſſe, nam Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſes, David, perfecti fuerunt; & tamen multas divitias poſſederunt. Sed proponit Dominus medium quiddam ad perfectionem conſequendam neceſſarium infirmioribus, qui difficillimè poſſent opes poſſidere, & iis cor non apponere; qualis etiam erat iſte adoleſcens; uti patuit ex eo quod

A tali audito conſilio, abiit triſtis, eò quòd habebat multas poſſeſſiones. Iis autem qui divitiis quas poſſident, quàm minimum afficiuntur, conducit quidem hoc conſilium ad perfectionem, non tamen eſt neceſſarium, imò, ob certas cauſas iis interdum non eſt ſuſcipiendum, ut regibus, principibus, quibus cura alendæ familiæ incumbit; ſicut & olim ſanctis Patriarchis, & hodie Epiſcopis, qui ſunt in ſtatu perfectionis, licèt non ſint in ſtatu religionis. De quo vide Thom. 2. ſect. quæſt. 184. Vide annot. Luc. 9. & 14. Iterum ſi petatur quomodo huic Chriſti conſilio ſatisfecerit S. Franciſcus, Evangelicæ perfectionis zelator eximius; qui ſua omnia non pauperibus, ſed patri ſuo carnali dimiſit? *Reſp*. Franciſcus ſuorum bonorum non habebat liberam diſpoſitionem. Impediebatur

B enim à patre, à quo conveniebatur coram Epiſcopo; & ſic coram eo bonis omnibus renuntiavit, & ea patri carnali volenti retinere, dimiſit; Loquitur autem hic Dominus de iis quæ vendi poſſunt & quorum habeas poteſtatem non impeditam. Porrò cum dicitur; *da pauperibus*, certum eſt non excludi pauperes in commune viventes, ad quorum vitam communem ſe transfert ille, qui vult perfectus eſſe. Hoc docet praxis primorum fidelium. Actor. 2. & 4. Item ſermo eclipticus eſſe videtur: Quod enim vendis non das, & quod das, non vendis. Senſus igitur eſt: Vende quæ habes, & pecuniam ex rebus venditis contractam da pauperibus. Vel hoc ſaltem ſignificatur: Vende res tuas, & ſic eas da pauperibus; non in ſeipſis ſed in

C pecunia ex iis conflata.

℣. 22. *Cum audiſſet autem adoleſcens, abiit triſtis. Erat enim habens multas poſſeſſiones*. Vide quæ de hoc adoleſcente refert Origenes ex Evangelio Hebræorum ſuper hunc locum Matthæi. *Quæritur*; An peccaverit hic adoleſcens non obſequendo conſilio Chriſti. Ita enim videri poteſt, quia ſequitur eius reprehenſio; *Quàm difficile, &c.* & , quia non videtur ſaltem ſine veniali peccato, poſſe omitti conſilium ab ipſo Deo immediatè alicui oblatum. Item, quia nemo ſine peccato aliquo dicit; Nolo perfectus eſſe; quia omnes ad perfectionem ut minimum conari debemus. Negatio ex eo probatur, quia conſilium cum non ſit præceptum, eius eſt naturæ, ut non obliget, licet ſit boni melioris. Sed ad hoc reſpondetur quod etſi ſimplici-

D ter non obliget, obligat tamen, ſaltem ad veniale, in certo caſu, & poſitis certis circumſtantiis, maximè eſſe mihi datum à Deo. Contra: Omnibus datur hoc conſilium à Deo; ergò omnes peccant non ſequentes illud: Negatur antecedens: quia conſilium proponitur in communi, ſed multis particularibus non expedit, ob cauſas vel publicas, vel privatas, ut Abrahæ, Davidi, &c.

℣. 23. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum*. Per hanc ſententiam interpretandæ ſunt ſequentes: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm, &c.* & : *Apud homines hoc impoſſibile eſt*. Rectius enim *impoſſibile* per *difficile* exponitur quàm *difficile* per *impoſſibile*. Conſtat enim *impoſſibile*, per hyperbolen ſive exaggerationem quandam rheto-

E ricam ſæpiſſimè poni pro difficili, non è diverſo. *Sic* apud Marcum 10. *Quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt!* Et iterum: *Quàm difficile eſt confidentes in pecuniis in regnum Dei introire!* Et apud Luc. 18. *Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt*. Dicit autem Dominus, id admodum eſſe difficile, non quatenus homo deſtitutus ſit auxilio Dei, ſic enim id eſt ſimpliciter impoſſibile: hoc autem eadem ratione diceretur de quovis alio vitio, vel minimo ſuperando, in ordine ad intrandum regnū cœlorum. Nam ſine auxilio Dei, etiam ſpeciali, nihil ad ſalutem conducens poſſumus. Sed id dicit, quia cupiditas divitiarum, præſertim quando habentur & poſſidentur.

tena-

tenaciſſimè conſtringit animum hominis & affixum tenet rebus terrenis; & multorum malorum cauſa eſt, teſte Apoſtolo 1. Tim. 6. *Radix omnium malorum cupiditas*, &c. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli*, &c. Hinc ſimpliciter eſt hominibus confidentibus in divitiis, (ut addit Marcus) quales plerique divites ſunt, res valde difficilis & ardua, intrare in regnum cœlorum, quia valde difficilis illis eſt propter affectum, quem affixerunt divitiis rebuſque terrenis, divitias vel earum amorem relinquere. Ne tamen propterea de divitum ſalute deſperemus, ſicut videbantur diſcipuli Chriſti, dicentes; *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Addit Dominus, hoc eſt poſſibile, id eſt, facile, apud Deum (cui omnia poſſibilia & facilia ſunt) nempè facere ut dives intret in regnum cœlorum; ſcilicet auferendo ab eo amorem divitiarum, inſpirando contemptum earum, & legitimum uſum. Idemque, à Dei bonitate ſperandum & expectandum eſſe. ut etiam illi ſalventur, quos ſalvari penè impoſſibile eſt.

℣.22. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire.* Vide Lexicon Græcum, in quo κάμηλος ſignificare dicitur funem nauticum; ſed non allegat Authores niſi Bulgarium, id eſt, Theophylactum, & Suidam. Calepinus etiam ſic ea ponit; ſed nulla authoritate. Rudens quidam noſtra lingua vocantur *Kabel*, Gallicè *Chable*, quod à *camelo*, tanquam *Kamel* & Chameau quidam dictum ſuſpicantur: At ſciendum Syris & Arabibus, apud quos camelorum copia, fuiſſe hanc à camelo animante ſumptam comparationem, familiarem. Unde & eam legimus in chronicis Saracenorum; ſic enim cuidam loquitur Mahometh: non erat à camelo tranſitus per foramen acus difficilior, quàm tibi ingreſſus in paradiſum. Objicit Cajetanus, comparationes ſumi à rebus poſſibilibus, & iis quæ interdum accidunt: At fallitur; dum ad ſignificandam cuiuſpiam rei impoſſibilitatem aut magnam difficultatem comparatio adhibetur; ut apud Ierem. c. 13. *Si poteſt æthiops mutare pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas?* Vide Catherinum contra Cajetanum. Sic dicimus; citius cœlum digito tetigeris, quàm hoc effeceris. Sic apud Plautum in Euclione, Citius aquam ex pumice.

Quam divitem intrare in regnum cœlorum. Significat impoſſibile eſſe, ut apud alium Evangeliſtam exprimitur. Sed quæras, Quare hæc Domini ſententia non ſit contraria ſuperiori doctrinæ, qua quærenti quid ſibi faciendum ſit ut habeat vitam æternam reſpondet: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Moxq; ea enumerat, dicens: *Non homicidium facies*, &c. Hæc enim omnia cum divitiarum poſſeſſione conſiſtunt; ſcilicet non occidere, non adulterari, non furari non falſum teſtimonium dicere, honorare patrem & matrem, proximum ſicut teipſum diligere. Unde & adoleſcens qui dives erat dicebat, *Omnia hæc cuſtodivi*. Sed dicendum divites, id eſt, divitiis fidentes, in his ſæpè peccare; quia ut dicit Apoſtolus, loco paulò ante citato. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli: & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Eadem autem ratio eſt de iis qui in divitiis confidunt, & de illis qui cor iis apponunt. Iſti enim per cupiditatem, quæ malorum omnium radix eſt, quærunt, illi cum cupiditate poſſident. Nec videtur verum quod reſpondit adoleſcens; *Omnia hæc cuſtodivi*; licet ita exiſtimaret, non enim videbat profunda cordis ſui, & latentem in animo ſuo cupiditatem; quâ ſtatim poſt factum est ut audito Domini conſilio, triſtis abſcederet.

℣.25. *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* Quare hoc quærunt, cum non omnes ſint divites, ſed plurimi pauperes? An ideo quia videbant ferè omnes homines ſaltem affectu & habendi cupiditate divites eſſe, unde ſequi videbatur ex verbis Domini vix ullos ſalvos fieri poſſe.

Eſtij Annotat. in Script.

A ℣.27. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Hic fundantur omnia tria religionis vota: paupertatis & caſtitatis, in eo quod dicitur omnia, inter quæ etiam uxor numeratur; obedientiæ verò in eo quod dicitur, *Et ſecuti ſumus te.* Erant ergo & ipſi Apoſtoli religioſi in familia Chriſti, tanquam cœnobio, ſeu vita communi. Quod hoc loco in comm. Hieron. vulgo legitur: Hoc enim & Socrates fecit Philoſophus; corrige, & pro Socrate Cratem lege. Non enim Socrates, ſed Crates Thebanus omnia ſua reliquiſſe legitur. Ita rectè ex bonis codicibus caſtigat Marianus.

℣.28. *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* In quo numero judicantium (ut Auguſt. homil. 50. cap. 41.) omnes intelliguntur, qui propter Evangelium omnia ſua dimiſerunt, & ſecuti
B ſunt Dominum. Imò ſignificat eodem loco ſolos illos judicaturos. Dicit enim: His ergo exceptis, cætera omnium hominum multitudo in duas partes dividetur, id eſt, oves, ad dexteram collocandas; & hœdos, ad ſiniſtram. Sed hoc totum intelligendum de iis, qui non tam actu quàm effectu omnia dimittunt: hi enim omnes & ſoli propriè hoc faciunt propter Evangelium, iidemque propriùs Chriſtum ſequuntur. Nam alioqui (quod eſt abſurdiſſimum) Abraham, David, Ieremias, aliique ſanctiſſimi Patriarchæ, Reges, Prophetæ, qui proprias poſſeſſiones habuerunt, ſtabunt judicandi: multi verò eorum qui actu omnia dimiſerunt ſanctiſſimis illis viris haud comparandi, ſedebunt judicaturi, etiam illos quibus ſanctitate vitæ longè fue-
C runt inferiores: utpotè à rerum terrenarum cupiditatibus & curis non uſquaquaque remoti: quæ ſunt abſurda. Nihil verò prohibet quo minus intelligatur judicium condemnationis. Sic enim & ſuprà capite 12. & Lucæ 11. dixit in re omnino ſimili: *Ipſi judices veſtri erunt.* Et ferè alibi ſemper *judicium* in malam partem accipitur: ut cum dicitur: *hi accipient prolixius judicium*, Marci 12. *Reus erit judicio* ſuprà cap. 5. *Qui credit in eum non judicatur qui non credit, jam judicatus eſt.* Ioan. 3. Sic igitur dictum videtur judicandas eſſe duodecim tribus Iſraël, ſicut dictum eſt cap. 8. *Filij regni ejicientur in tenebras exteriores.* Neque hinc ſequitur omnes electos judicaturos. Non enim ſolum per comparationem exponendum eſt hoc judicium, ſed maximè intelligitur de aſſeſſoriâ quâdam dignitate, ad
D quam aſſumendi erunt Apoſtoli, & Apoſtolici viri, ut ſimul cum Chriſto judicent mundum, & maximè duodecim tribus Iſraël quæ illis credentibus credere noluerunt, ut ait S. Hieronymus. Quomodo autem hæc ad Judam non pertineant; vide infrà c. 26. & Luc. 22. Certè Judas aut non erat inter eos qui Chriſtum omnibus relictis, fuerant ſecuti, ſi ut hîc intelligitur: aut in eo perſeveravit. Et ſciendum Chriſtum alloqui Collegium Apoſtolorum, quod conſiſtebat in duodecim hominibus, licet non ad ſingulos eorum hæc verba pertinerent: ſciebat enim quis ipſum traditurus eſſet, & quem in eius locum ſuffecturus, ad quem hæc promiſſio pertineret. Porrò quomodo hæc ſententia non repugnat huic, quæ eſt apud Apoſtolum Romanor. 14. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Vi-
E de in noſtro comment. ad dictum locum.

℣.29. *Aut uxorem.* Cur non pugnat cum eo quod ſuprà docuit non licere dimittere uxorem niſi cauſa adulterij? R. Illic intelligi repudium quo uxor invita penitus repellatur à thoro; & dimittatur in perpetuum; quod non licet niſi cauſa fornicationis: hic verò ſeparationem quæ fit mutuo conſenſu, ad hoc ut ambo perfectius & ſine impedimento ſerviant Deo, pari conſenſu caſtitatem ſervantes: ita nimirum ut uxor talem quoque legem ſibi imponat, per quam numquam liceat ei cogitare de reditu ad virum. Ea lex eſt votum perpetuæ continentiæ, præſertim ſi ſit ſolemne.

Aut patrem, aut matrem, aut filios. Quomodo præmium meretur qui filios relinquit, cum filij egeant cura parentum? Nam nec pater, nec mater relinquendi ſunt amore perfectioris vitæ, ſi indigeant ope filiorum. An loquitur Dominus de filiis jam ſibi ſufficientibus; & ſignificat perfectionis eſſe, quod nec amor parentum, nec amor filiorum, qui ſolet animum hominis quàm maximè trahere, & à perfectione Evangelica ſectanda Chriſtoque perfectè ſerviendo retrahere ac remorari, impediat hominem quominus illis etiam relictis (quo caſu rectè relinqui poſſunt) atque omni carnali affectu ſuperato, Chriſtum expeditè ſequatur?

Centuplum accipiet. Vide annot. Marci 10.

℣.30. *Multi autem erunt primi noviſsimi.* Hoc videtur addere, tum hîc, tum apud Marcum, quod prævideret multos in Eccleſia futuros quia omnia relinquerent actu, non tamen affectu, ad quos ſupra dicta promiſſio non pertinet.

CAPUT XX.

℣.1. *Simile eſt regnum cœlorum homini Patriſfamilias.* Parabola de operariis in vinea Domini, multa utilia documenta continet. Primò oſtendit opera bona mereri præmium vitæ æternæ. Id indicatur, cum dicitur; *Quod juſtum fuerit dabo vobis.* Item: *voca operarios, & redde illis mercedem.* Item: *tolle quod tuum eſt*, id eſt, quod tibi debetor. Quod autem initio dicitur. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno.*; ſignificat æternam beatitudinem, ita eſſe præmium, ſeu mercedem bonorum operum, ut tamen non ex natura ſua, ſed ex voluntaria Dei inſtitutione & quaſi conventione quadam cum homine inita, id habeant opera bona, ut valeant ad promerendam mercedem vitæ æternæ. Hæc omnia notanda contra eos, qui negant meritum bonorum operum. Quod autem æqualem accipiant mercedem & eundem denarium ultimi cum primis; ſignificat, apud Deum temporis diuturnitatem vel brevitatem in labore præſtito, moleſtiæ etiam & laboris magnitudinem, (quia dicitur; *qui portavimus pondus diei & æſtum*) per ſe non valere ad præcipiendam majorem vel minorem mercedem. Verbigraria; ſunt duo quorum alter ſeptuaginta annis Chriſto ſervivit, alter uno anno; & de hac vita exeunt in pari juſtitiæ vel charitatis perfectione; pares erunt in præmio; nec poterit prior ille dicere Patrifamilias; Hic noviſſimus una hora fecit, *& parem illum feciſti.* Dominicus in 4. conſentit in hanc interpretationem. Vide etiam noſtra in 4. diſt. 49. ubi oſtendimus, ex hac parabola minimè ſequi parem futuram omnium beatitudinem.

Qui exiit primò manè, id eſt, prima hora diei. Hîc præterea nominantur hora tertia, ſexta, nona & undecima; Ioannis 1. nominatur hora decima, & cap. 4. hora ſeptima. Marci 11. nominatur veſpera hora. Ioannis 11. duodecim horæ diei. Reliquæ horæ non inveniuntur in ſcriptura nominatæ. Credo propterea horas tertiam, ſextam & nonam frequentius nominari, quod eſſent horæ ſacrificiorum & orationum. Certè Actorum 3. & 10. hora nona ſignificatur fuiſſe hora orationis. Et quidem has ipſas horas, primam, tertiam, ſextam, & nonam videtur Eccleſia elegiſſe ſuis publicis orationibus, imitatione quadam horarum, quæ in populo Iudaico orationibus erant deſtinatæ.

℣.7. *Dicit illis: ite & vos in vineam meam.* His verbis, ad undecimam horam dictis, addunt item Græci & Syriaci codices, *Et quod juſtum fuerit, accipietis.* Unde ſignificatur etiam denarium datum illis qui venerunt undecima hora, habere rationem mercedis, ſcilicet, ex conventione & promiſſo.

℣.15. *Aut non licet mihi, quod volo, facere?* Non hîc excluditur meritum, quia Deus libera ſua volun-

A tate meritum conſtituit faciet quod vult. Certè, in ſuperioribus, dixit vocatis tertia hora: *Et quod juſtum fuerit, dabo vobis.* Quod idem videtur intelligendum ad undecimam horam. Ergo erat merces, ſcilicet ex promiſſione ſeu conventione.

℣.16. *Sic erunt noviſsimi primi; & primi noviſsimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Ex hoc loco videri poſſet electos dici, non qui ad ſalutem prædeſtinati ſunt, aliis in perditionis maſſa derelictis; ſed ut Catharinus vult, qui inter prædeſtinatos ſunt futuri altiori gradu fœlicitatis, tanquam prædeſtinatorum primitiæ quædam. Hos enim videtur Dominus vocare electos, quos dixerat primos; eos autem tantum vocatos, quos dixerat noviſſimos. Atqui tam noviſſimi quàm primi ſunt prędeſtinati, omnes enim accipiunt

B denarium, dicente Domino: *Redde illis mercedem, incipiens à noviſsimis uſque ad primos.* Reſpondendum nobis videtur ad hunc modum. *Primi & noviſsimi* duobus modis hîc dicuntur, ſicut in fine capitis pręcedentis, unde parabola ſumpſit occaſionem: Videlicet reſpectu hominum, & reſpectu Dei. Senſus enim ſententię eſt; Multi hominum judicio primi, erunt coram Deo noviſſimi, & multi hominum judicio noviſſimi, erunt Dei judicio primi. *Primi* autem dicuntur priores dignitate, ſanctitate, merito; *noviſsimi* autem, poſteriores, ſive comparationem propriè accipias, ut videlicet etiam ipſi ſancti ſint & futuri beati, licet minus quam illi; ſive impropriè, ut ſanctitas verè iis non competat. Nam apud Lucam capite 13. v. 28.

C manifeſtum eſt noviſſimos apud Deum intelligi qui foras expellentur, & Matthęi 5. minimus in regno cœlorum is dicitur ſecundum quoſdam, qui non erit in regno, ſecundùm alios, qui in præſenti Eccleſia contemptibilis eſt, atque nullius pretij. Patet ergo quomodo electi ſint primi, & reprobi noviſſimi. Quid ergo de parabola in qua primi ſecundum homines; & noviſſimi ſecundum Deum, etiam denarium accipiunt? *Reſpondetur*, non omni parte parabolas eſſe accommodandas; & multiplicem in parabola doctrinam contineri. Primò, contingere, ut qui ob moleſtiam laboris & temporis diuturnitatem præferendus alteri in mercede videbatur, ei æquetur; quod ſignificatur per eundem denarium: Secundò, ut etiam poſtponatur ac minus percipiat mercedis, quod ſignificatur per hoc

D quod dicitur: *Incipiens à noviſsimis uſque ad primos*; quaſi videlicet noviſſimi fuerint primis pręlati. Tertiò, ut non poſtponatur modò, verùm etiam rejiciatur & mercede careat, quod ſignificatur per illud: *An oculus tuus nequam eſt; &c.* Omnia autem hęc intra ſe complectitur illa ſententia: *Sic erunt noviſsimi primi, & primi noviſsimi.* Quam rurſum ſententiam probat alia anguſtior, quam ſubjungit: *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Heſſelius quoque in fine cap. præced. noviſſimos intelligit reprobos. Et hanc parabolam non malè ex mente Salvatoris ad Judæos reprobos, & gentiles electos accommodat: quia Judæi receperunt quod ſuũ eſt, id eſt, denarium temporalem gentiles autem denarium æternum. Et ita locum habet utraque ſententia; *Erunt noviſsimi, primi, &: Multi vocati, pauci verò electi.*

E Sic & Ianſen. certum eſſe dicens quod hic ſit germanus parabolæ ſenſus. Vide quæ de duplici vocatione diximus Rom. 8. v. 30. & in 1. ſent. diſt. 41.

℣ 19. *Et tradent eum gentibus.* Non ſine myſterio; quod Chriſtus à ſuis, id eſt, Iudęis, non acceptus, ſed repulſus, ad gentes eſſet tranſiturus. Tradiderunt gentibus, quando tradiderunt cum Pilato & militibus eius.

℣.20. *Tunc acceßit ad eum mater filiorum Zebedæi.* Multorum hodie perſuaſio eſt Zebedæi filios fuiſſe Chriſto conſanguineos; ſed eius rei ſcriptura nuſquam ullam dat ſignificationem; nam nec mater eorum Salome, nec Zebedæus leguntur Chriſtum aut matrem eius ſanguine attigiſſe. Venerabilis Beda dicit hãc

quam

A quam maximè dilectam fuiſſe Domino; non tamen meminit cognationis. Fuit autem Chriſto multum dilecta; quia de facultatibus ſuis ei miniſtrabat. At verò eam non fuiſſe ſororem matris Domini, bene probat Franc. Luc. in cap. 2. Matth. Vide etiam Molanum lib. 3. de picturis, cap. 28. & Janſenium cap. 104. Concordiæ. Ratio fiduciæ quare præ cæteris dignitatem ambirent, fuiſſe videtur, partim, quia uti diximus, mater eorum ex illis erat mulieribus quæ Chriſtum, à Galilæa ſecutæ, facultatibus ſuis alebant; partim quia ſemel & iterum ſe cæteris omnibus præferri, ſolo Petro excepto, comperiſſe ſe putabant; nempe quando ad mortuam filiam Archiſynagogi ſimul cum Petro ſoli admiſſi ſunt; & iterum quando iidem interfuerunt B Chriſti glorioſæ transfigurationi. Lego tamen apud Theoph. præfatione in Ioannem, Ioannem cognatum eſſe Domini: ſed apocrypho & falſo nititur fundamento, nempe Ioſeph ex priore uxore habuiſſe ſeptem liberos, ex quibus Salomen matrem Ioannis; & ita facit Chriſtum Ioannis avunculum; quod eſt contra inveteratam apud multos opinionem, Ioannem ex parte B. Virginis attigiſſe Chriſtum. Unde autem illud Theophylactus habeat ignoro. Heſſelius in hunc locum putat non fuiſſe cognatos. Galenus Catech. 17. ex Epiphanio dicit, Ioannem, alioqui ſanguine extraneum, ſub cruce accepiſſe virginem in cuſtodiam. Vide quoque annot. Marci 10.

℣. 22. *Dicunt ei; Poſſumus.* Poſſe ſe putabant; at C revera non magis poterant, quàm Petrus, cui dictum fuit: *Non potes me modo ſequi; ſequeris autem poſtea.* Ioan. 13. Nam & ibidem omnibus dictum eſt: *Quo ego vado vos non poteſtis venire.* Omnes quoque audierunt: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me.* Verè igitur non poterant; non quod liberum arbitrium ad boni electionem non haberent, ſed quia vires & robur nondum habebant quantum opus erat ad ſequendum Chriſtum, uſque ad mortem, & bibendum calicem paſſionis eius. Quod robur demum acceperunt in die Pentecoſtes, juxta illud Lucæ ult. *Sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto,* & Actor. 1. *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti in vos, & eritis mihi teſtes ſeu martyres;* id eſt, teſtimonium perhibebitis Evangelio meo cum ea conſtantia, & fortitudine animi, qua poſſitis ac parati ſitis, etiam mortem ſuſtinere pro veritate teſtimonij veſtri.

D ℣. 22. *Neſcitis quid petatis.* Beda in Homil. Feſti S. Iacobi Apoſtoli, dicit; ideo eos neſciviſſe quid peterent, quod in regno cæleſtis patriæ quemquam ad ſiniſtram Chriſti ſeſſurum eſſe putarent, cum omnes electi ad dexteram ſummi Regis ac judicis legantur eſſe ſtatuendi. Verùm ea obſervatio non videtur huic loco quadrare, cum Chriſtus ipſe fateatur, quoſdam in illo regno ad ſiniſtram ſuam ſeſſuros eſſe, dicit enim: *Sedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed, quibus paratum eſt à Patre meo.*

℣. 23. *Calicem quidem meum bibetis.* Quomodo calicem Domini biberint: vide explicantem Bedam ſupra dicto loco. Act. 5. Ioannes cum cæteris Apoſtolis E cæſus fuit. Vide etiam Franc. Lucam. Videatur & Act. 4. & Apocal. 1. v. 9.

Sedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis. Videtur dicendum quod ſedere ad dexteram alicuius, ſit proximam ab eo dignitatem in eius gloria obtinere: ſedere autem ad ſiniſtram, ſecundum dignitatis locum obtinere. Hoc enim petebant filij Zebedæi: neque enim ſolum petebant ut eſſent aliquo loco in regno Chriſti, bonorum eius participes, cum ſe viderent electos ab eo eſſe in Apoſtolos, atque inter eos honoratiores: Neque, ſi hoc ſolum petiviſſent concitata fuiſſet aliorum diſcipulorum adverſus eos indignatio: Neque ſeorſim hoc petere debuiſſent,

e *Eſtij Annotat. in Script.*

ſed communiter cum cæteris Apoſtolis. Sed cùm animadverterent ſe aliquoties alijs ferè omnibus honore prælatos, ſcilicet quando introducti fuerunt in domum Archiſynagogi, & aſſumpti in montem ſolo Petro adjuncto, cui non obſcura primatus ſigna fuerant declarata; id ambitione per matrem egerunt apud Dominum, ut ipſi primi eſſent, ac cæteros omnes præirent in regno ipſius. Videtur autem ſimilem omnino ſignificationem habere ſeſſio Chriſti ad dextram Patris; quâ nimirum ſignificetur Chriſtum ſecundum humanam naturam eſſe in cœlo, ubi ſedeat jam & requieſcat, exaltatus ſuper omnem creaturam; & proinde, ſecundum eandem naturam, quaſi proximus Deo. Nam ſecundum naturam aſſumptam id intelligi debere, ſatis oſtendit contextus Symboli, in quo & præcedentia & ſequentia de Chriſto dicuntur, ut homine. *Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; paſſus, crucifixus, mortuus, ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit, adſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris, inde venturus judicare vivos & mortuos.* Unde nec legimus in Scripturis aut apud Patres, Chriſtum ab æterno ſediſſe ad dexteram Patris: Quod tamen fatendum eſſet, ſi illa ſeſſio ſignificat æqualitatem ſedentis cum Patre. Et de Chriſto ut homine loquebatur B. Stephanus quando dicebat Actor. 7 *Video cælos apertos, & IESVM ſtantem à dextris Dei.* Igitur & illud Pſalm. 109. *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos,* ſimiliter intelligendum. Neque ex his verbis Chriſtus intelligi voluit æqualitatem ſuam cum Patre, ſed ex illis: *Dixit Dominus Domino meo.* Matth. 22. Quod videlicet David eum Dominum vocaret; non ſic vocaturus filium, niſi eſſet altioris naturæ. De quo vide annotat. Marci 12. Hinc etiam apparet quod Apoſtolus Hebr. 1. dicens nemini Angelorum dictum eſſe à Deo: *ſede à dextris meis,* tantum oſtendere voluit Chriſtum eſſe omnibus Angelis ſuperiorem etiam ſecundum humanam naturam, quâ minor eſt patre; ut qui ſecundum eam ſedeat à dextris Dei, quod nulli angelorum dictum eſt. Quin potius omnes angeli ſunt ipſius Chriſti, etiam ut hominis, adminiſtri in negotio procurandæ ſalutis noſtræ. Unde Matth. 4. Angeli Chriſto homini poſt quadraginta dierum eſuriem cibos miniſtrant. Secundum illud ergo quod ait, *Pater major me eſt,* ipſe ſedet à dextris Dei, exaltatus ſuper omnes cœlos & major omnibus Angelis. Vide & annot. Marci ult.

Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Vobis, Non eſt in Græco, nec Syriaco, neque hîc, neque apud Marcum capite 10. quo loco etiam latini quidam manuſcripti codices id non habent. Apud eundem quoque non additur illud, *à Patre meo.* Vide Franc. Luc. Liquet ergo non eſſe emphaſim ſententiæ, in (*vobis*) ſed in (*meum*) quaſi dicat: Id præſtare quod petitis non eſt meum, ſcilicet, quatenus homo ſum, & à quo, ut homine illud petitis, humanum quoddam ac terrenum regnum meum imaginantes; ſed dabitur & continget illis, quibus paratum eſt à Patre meo. Dabitur (inquam) à Patre meo, ut qui præparavit, etiam tribuat. S. Auguſt. libr. 1. de Trinitat. cap. 12. citat aliquoties, ſine; (*vobis*) & intelligit dictum ſecundum naturam humanam; ut ſenſus ſit: non eſt humanæ poteſtatis hoc dare. Vel breviter ac dilucidè ſenſus erit; Non eſt meum dare niſi quibus paratum eſt; ut (*ſed*) pro (*niſi*) ſumatur; ſicut contrà frequenter (*Niſi*) ponitur in Scripturis pro (*Sed*) Hic ſenſus nullam habet dubitationem, quo non negat Chriſtus ſuum eſſe dare ut ſedeant; ſed negat, ſe alijs dare poſſe, quàm quibus à Patre jam ab æterno paratum ſit. Dicendo autem: *à Patre meo,* non excludit ſeipſum, ſed magis includit; juxta illud: *omnia quæ habet Pater mea ſunt.* Ioan. 16. Reſpondet vero

hoc pacto, ut rejiciat improbam petitionem. Non enim Iacobus & Ioannes, ac multo minus mater ipſorum fœmina pro filiis ambitioſa, ſcire debebant illud ſecretum, quibus paratum eſſet. A

℣. 25. *Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos.* Non prohibet Dominus his verbis præfecturam inter fideles; neque tollit Eccleſiaſticam poteſtatem, ut volunt hæretici, qui non aliam agnoſcunt in Eccleſia poteſtatem quàm annunciandi verbum Dei. Id non prohiberi manifeſtum eſt, quia ſententiam hanc confirmat proprio exemplo: *Sicut* (inquit) *filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Nemo tamen dicere audebit Chriſtum non habuiſſe poteſtatem condendi leges, dandi præcepta & tranſgreſſores puniendi. Prohibet itaque Chriſtus talem dominationem, qualis erat inter gentiles, qui poteſtate ſua abutebantur ad ſua commoda & honores: B Et monet ſuos diſcipulos ut in eo quod præſunt, non aliud ſpectent, quam ſalutem & utilitatem ſubditorum. Ita autem præeſſe aliis, eſt revera miniſtrare, atque eorum ſaluti inſervire. Nec id ſolum debent Eccleſiaſtici præfecti, verùm etiam ſeculares. Unde Ezech. 34. ad paſtores, id eſt, principes Iſraël, cum gravi reprehenſione dicitur: *Cum auſteritate imperabatis, & cum potentia.* Quare nec principes Chriſtiani dominari debent, aut poteſtatem exercere ad eum modum, quo hic prohibetur Apoſtolis. Vide annot. Marci 10.

℣. 26. *Non ità erit inter vos.* Rectius ſic intelligitur, ut velit ſuos diſcipulos, qui erant futuri præfecti Eccleſiæ, non ſic regere ſubditos, ſicut faciunt principes C ſæculares, etiam boni; ſcilicet ad terrorem portantes gladium, & externo apparatu oſtendentes potentiam ſuam, cum multo ſatellitio, & magna pompa prodeuntes. Hoc enim convenit ſæculari poteſtati, quæ gladium portat; cuius etiam eſt bella gerere, non autem Eccleſiaſticæ, quam Chriſtus incruentam eſſe voluit, & in qua magis apparere voluit manſuetudinem quam ſeveritatem, & magis amorem, quam terrorem. An ſimiliter intelligendum quod Petrus dicit; *non dominantes in cleris*; 1. epiſt. cap. 5. Vide in noſtro comment. Vide & Annot. Luc. 22.

℣. 26. & 27. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter: Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Locus iſte exponendus ex Lucæ 22. *ſicut miniſter, ſicut ſervus.* Nam illic dicitur, D *ſicut iunior, ſicut miniſtrator.* Non ergo tollit ſuperioritatem in Eccleſia; ſed vult ſuperiores ſtudere ſaluti & utilitati ſubditorum ſuorum, & non quæ ſua ſunt quærere. Qua ratione, & Chriſtus dicit ſe veniſſe ad miniſtrandum; & ſummus Pontifex ſe vocat ſervum ſervorum Dei. Et Paulus 1. Cor. 9. *Omnium me ſervum feci.* Hoc autem facere debent etiam ſeculares principes; quamvis magis eminere debeat hoc ſtudium in prælatis Eccleſiæ. Sanctus Hieron. lib. 2. contra Iovin. c. 18. Si omnes in cœlo æquales futuri ſumus; fruſtra nos hîc humiliamus, ut ibi poſſimus eſſe maiores. Sed quæritur, An recta ſit operis intentio ſi quis ſe humiliet in hoc ſeculo, ut alios antecellat in futuro; Videtur non hoc directè ſpectandum eſſe; neque hoc velle ſententias prædictas; ſed tantum ſignificari, quo E dignus ſit qui ſe verè & ex animo humiliat. Dignus eſt enim non tantùm exaltari, ſed & aliis præponi. Tametſi Dominus non de futuro loquatur ſeculo, ſed de præſenti, in quo prior gradus indecenter appetitur etiam per humilitatem: nemo tamen eo dignus ſit, niſi per humilitatem. Verus ſenſus eſt, Qui vult eſſe maior, ſuperior, præfectus aliorum; ſciat ſe debere eſſe ſervum & miniſtrum aliorum; id eſt, debere ſubſervire aliorum commodis, id eſt, publicæ utilitati, non ſuæ privatæ.

CAPUT XXI.

℣. 3. **D**icite quia Dominus his opus habet. Quomodo non adverſatur huic illud pſal. 15. *Quoniam bonorum meorum non eges?* An hic loquitur Chriſtus de neceſſitate aliqua aſſumpta, qualis fuit ea quâ indigebat cibo, potu, ſomno, quiete poſt laborem? At non apparet; quia nulla eiuſmodi neceſſitas eum, ſecundum naturam aſſumptam, cogebat ut aſino veheretur, qui poterat pedibus illud iter breve conficere. Reſpondetur, Deum ſimpliciter non egere bonis noſtris, qui in ſe & per ſe perfectiſſimus eſt, ſibique ſufficientiſſimus; nec minus beatus, ſi nullam condidiſſet creaturam, quàm nunc poſtquam condidit. Dicitur autem Chriſtus, vel etiam Deus opus habere re aliqua, quando ea uti vult ad certum aliquem finem; etiam ſi finem eum etiam aliter, & abſque ulla media & creata cauſa, poſſit conſequi. Unde quod Matthæus habet: *Quia Dominus his opus habet*; & Marcus: *Quia Domino neceſſarius eſt*: Lucas ſic dixit; *Quia Dominus operam eius deſiderat*, & mox ſubjicit diſcipulos dixiſſe, *Quia Dominus eum neceſſarium habet.* Senſus igitur eſt; Quia Dominus iis, (ſecundum Matthæum) vel eo, (ſecundum alios) uti vult; nempe ad glorioſum ingreſſum in Hieruſalem. Sic Deus rege Aſſur uſus eſt, Iſaiæ 10. juxta Prophetam; *tanquam virga furoris ſui*, ad caſtigandum populum ſuum. Sic quidam ſunt Domino ſervi utiles alij inutiles, juxta illud; *Servum inutilem projicite, &c.* & illud 2. Tim. 2. *Si quis emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem, ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Vide ibid. noſtra Comm.

℣. 7. *Et eum deſuper ſedere fecerunt.* Quæſtio eſt, an Dominus ſuper utramque ſederit ſucceſſivè, ſuper aſinam & ſuper pullum, quod videtur hic locus ſignificare; ſimiliter & Zachar. 9. ſed vide eius loci annot. & Ianſen. cap. 110. Concord.

℣. 9. *Hoſanna filio David.* Id eſt ſalvum fac filium David, ſalutem præſta (quæſo) filio David. Non enim illud *Filio* (*David*) ut quidam volunt, jungendum verbo (*dicentes*:) vult enim Evangeliſta turbas Chriſto acclamaſſe, & eum appellaſſe filium David, & ei ut filio David ſuper ſe regnaturo, comprecatas ſalutem & regni fœlicitatem. Sic infrà, repetit Evangeliſta pueros in templo clamaſſe & dixiſſe: *Hoſanna filio David.* Eſt autem id ſumptum ex pſal. 117. ubi talis deſcribitur populi acclamatio: *O Domine ſalvum fac*, quod Hebr. eſt, *Hoſanna, ô Domine proſperare*; ſubauditur autem, *regem*, vel, *Chriſtum lapidem angularem*, cuius & hoc loco Chriſtus infrà mentionem facit, in explicatione parabolæ hæredis occiſi, ut adverſarij, ex occaſione unius Scripturæ, etiam alterius meminiſſent, quæ in eodem eſt pſalmo. Erat autem ea ſolemnis acclamatio apud Iudæos, qualis hodie cum dicitur: Vivat Rex. Huc etiam pertinent pſalmi: *Exaudiat te Dominus, &c.* & : *Domine in virtute tua lætabitur rex.* Quin Chriſtus ipſe ad Patrem precatus eſt, qui poterat eum ſalvum facere à morte, ut in epiſtola ad Hebr. cap. 5. dicitur. Impertinens eſt autem an turbæ ſic Chriſto acclamantes, crediderint eum eſſe Deum. Hoc enim pauciſſimis erat revelatum, qui tamen etiam clamare poterant, *Hoſanna, &c.*

Benedictus qui venit in nomine Domini. Quidam ſic interpretatus; Qui venit tanquam Dominus, quomodo dictum eſt, *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ*, id eſt, tanquam prophetam. At certè huic loco ea expoſitio non convenit. Sumpta ſunt enim verba ex pſal. 117. ubi ſic legitur: *O Domine ſalvum fac, ô Domine proſperare, benedictus qui venit in nomine Domini.* Quæ eſt precatio ad Dominum pro Chriſto veniente in nomine Domini, ut jam dictū eſt. Venit igitur Chriſtus in nomine Domini, quia venit miſſus à Domino

Deo;

Deo; rex & Salvator populi: ſic enim Luc.19. eidem turbæ clamaſſe leguntur: *Benedictus qui venit rex in nomine Domini*, id eſt, rex à Deo miſſus. Et quamvis idem Chriſtus verè eſſet Dominus Deus; non tamen hoc iſta phraſi ſignificatum eſt. Nam & Prophetæ locuti ſunt in nomine Domini, & David eis ad Philiſtæum 1.Reg.17 *Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei Iſraël.* Neque tamen hi venerunt ut Domini; ſed Prophetæ quidem ut à Domino miſſi; David autem ut virtute Dei certamen initurus. Unde liquet; illud: *In nomine alicuius*, non unam habere ſignificationem, in Scripturis, & pro loci circumſtantia debere exponi.

ỳ.13. *Scriptum eſt; Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Illud, *Scriptum eſt*; ad utrumque quod ſequitur referendum, quorum alterum apud Iſaiam Scriptum eſt; alterum apud Ierem. Nam & Marcus & Lucas ita hoc referunt, ut allegatio Scripturæ poſſit ad utrumque aptè referri. Vide Annot. Marci 11. & Iſai.56.

Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Ex Ierem.7. Bis Dominus è templo ejecit vendentes & ementes; Semel Ioan.2. quando dixit; *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.* Quia abſurdum eſt & irreligioſum negotia ſæcularia tractari in domo Dei, ad hoc inſtituta ut Deus ibi colatur, & homines ſtudio avaritiæ intentos eſſe, ubi eos oportebat pro peccatis ſuis exorare. Iterum verò, quando dixit: *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, &c.* quæ verba graviorem reprehenſionem continent. Significant enim eos non tantùm negotiationi ac lucro ſtuduiſſe; verùm etiam venditores ab ementibus plus extorſiſſe, quam res valebant; quomodo ſolent latrones per vim ac metum viatoribus auferre pecunias. Cum enim qui ad templum accedebant petentes pro ſe ſacrificia offerri, & de longè venientes non poſſent ſecum hoſtias offerendas adducere; cogebantur emere ab iis qui ad eam rem fortè à Pontificibus deputati in templo erant. Hi verò & ſuum, & fortè ipſorum Pontificum ex pacto quæſtum facere volentes, juſto pluris vendebant. Ac ſanè veriſimile eſt ipſos Sacerdotes, qui avari erant, hanc rem primum excogitaſſe, ita ut lucri certa portio ad ipſos rediret. S.Hieron. in Abacuc.2. dicit quod qui hæretica docent, faciunt domum orationis ſpeluncam latronum. Qui verò non quidem hæreticam tradit doctrinam, ſed tamen turpi lucro intendit, & vendit columbas in templo, id eſt, dona Spiritus Sancti in Eccleſia pretio ſubjicit; non facit quidem domum orationis ſpeluncam latronum, ſed facit eam domum negotiationis.

ỳ.19. *Niſi folia tantum.* Id eſt, verba ſine fructu. Auguſt. in enarratione 2. in pſalm.31. Alij folia cæremonias exponunt.

ỳ.23. *In quâ poteſtate hæc facis?* Non de miraculis quæſtionem movebant; vera enim miracula per ſe oſtendunt quod non niſi divina poteſtate fiant: ſed de iis quæ in templo faciebat, ejiciens ex eo vendentes & ementes, & non ſinens ut quis vas per templum ferret. Talia enim faciendi poteſtatem unde haberet, quærebant; cùm ipſe nec Pontifex nec Sacerdos eſſet illius templi, nec à Pontifice mandatum haberet.

ỳ.25. *Baptiſmus Ioannis unde erat; è cœlo, an ex hominibus?* Quaſi dicat: Ioannes in qua poteſtate baptizavit? Quod vos me interrogatis de iis quæ ego ago, id ego vos interrogo de iis quæ egit Ioannes, ut accepta reſponſione ad meam de Ioanne quæſtionem, intelligatis reſponſum fore ad veſtram de me quæſtionem. Quæres quid reſpondendum quæſtioni? *Reſp.* è cœlo fuiſſe, prout ipſe Ioannes dicit Ioan.1. *Qui miſit me baptizare ille mihi dixit.* Item: *Fuit homo miſſus à Deo.* Hinc arguunt hæretici conſequens eſſe ut idem ſit baptiſmus Ioannis & Chriſti; quia uterque de cœlo. Sed hoc merum eſt ſophiſma; non enim omnia quæ divinitus inſtituta ſunt, vel eiuſdem ſunt, vel paris momenti & efficaciæ. Nam & veteris legis Sacramenta de cœlo erant, non hominum arbitrio inſtituta; multò tamen quàm novæ legis Sacramenta minoris dignitatis ac virtutis.

Sed dices: Si de cœlo erat baptiſmus Ioannis, quid igitur eſt quod ipſe ait Ioan.3. *Qui eſt de terra, de terra eſt, & de terrâ loquitur: Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt.* Videtur enim his verbis ſignificare, ſe ſuamque prædicationem eſſe de terra; Jesum autem eiuſque miniſterium eſſe de cœlo. *Reſpondeo*, Ioannem illic non aliud velle, quàm ſuum miniſterium utpotè puri ac terreni hominis comparatione miniſterij Chriſti, qui erat homo cœleſtis, eſſe admodum humile, ut qui tantùm in aquâ venerat, non in Spiritu; & ita ſe habere reſpectu illius, ut ſi terra cœlo comparetur. Vide illius loci Annot. Vide quoque noſtra in 4. diſt.2. ubi de diſtinctione baptiſmatum Chriſti & Ioan.

An ex hominibus? Ex hominibus, more Scripturæ, eſſe dicitur, quod ab hominibus excogitatum eſt abſque authoritate legitima, id eſt, quæ ſit inſtituta à Deo. Sic Actor.5. Gamaliel loquitur: *Si eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur*; id eſt, ſi humanum eſt commentum, quod iſti prædicant de ſalute per Jesum Chriſtum. Ita in Scripturis reprehenduntur traditiones & præcepta hominum.

ỳ.27. *Neſcimus.* Verum dicebant, & mentiebantur. Excæcati enim malitia ſua, neſciebant veritatem quæſtionis, magiſque exiſtimabant baptiſmum Ioannis ex hominibus fuiſſe, id eſt, inventionis ac præſumptionis humanæ. Si enim verè credidiſſent ex Deo fuiſſe; credidiſſent eius teſtimonio de Jesu. *Venit Ioannes* (ait Dominus cap.11. huius Evangelij) *neque manducans neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet.* Et *omnis* quidem *populus & Publicani*, referente Luca cap. 7. *juſtificaverunt Deum, baptizati baptiſmo Ioannis: Phariſæi autem & legiſperiti conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos, non baptizati ab eo.* De iiſdem ait ſuprà cap.17. *quod Eliam* (id eſt *Ioannem*) *non cognoverunt, ſed fecerunt in eo quæcumque voluerunt.* Non ergo ſciverunt dignitatem Ioannis, quod miniſterium eius eſſet de cœlo. Mentiebantur autem; quia locuti ſunt contra mentem, exiſtimabant enim veram eſſe partem quæſtionis poſteriorem. Quam tamen reſpondere non ſunt auſi, quia timebant turbam, cui certò perſuaſum erat Ioannem eſſe Prophetam. Simul nota, hæc eſſe connexa; Ioannem eſſe Prophetam, & baptiſmum eius non eſſe ex hominibus, ſed ex Deo. Nam ideò dicere non ſunt auſi principes Sacerdotum baptiſmum Ioannis ex hominibus fuiſſe, quia reputabatur à populo Propheta.

ỳ.28. *Vade hodie, operare in vinea mea, &c.* Parabolicè ſignificat populum Judaicum legis profeſſorem, non factorem. Vide Comment. noſt. Hebr.12. v.25.

ỳ.37. *Verebuntur filium meum.* Nec tamen veriti fuerunt. Vide Annot. Luc.20.

ỳ.38. *Hic eſt hæres; venite occidamus eum.* Utrum ergo Judæorum principes cognoverint Jesum eſſe Chriſtum & filium Dei. Unde noſtra Comment. 1. Cor. 2. v.8.

ỳ.41. *Aiunt illi; Malos malè perdet.* Vide Annot. ibid. Lucæ ſcilicet 20.

ỳ 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti.* Per regnum Dei intelligitur vera religio, via ſalutis, notitia ſalutaris veritatis. *A vobis*; id eſt, à populo Iudaico, quia tunc adhuc erat verum de illis, *Vos* (Samaritani) *adoratis quod neſcitis; nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt.* Ioan.4. Item, *Quæ dixerint vobis facite*, cap.23. Ericus ſerm. feriæ 6. poſt Dominicam 2. Quadrageſimæ, regnum Dei interpretatur Scripturam, Hieron. ſecutus, qui ita ſcribit in huius loci

Eſt ij Annotat. in Script.

Comment. Aliquoties dixi, regnum Dei Scripturas Sacras intelligi; quas Dominus abſtulit à Iudæis & nobis tradidit, ut faciamus fructus earum. Et mox dicit, Iudæos nomen tantùm habere Scripturarum, quia non operantur in vinea. Sed videtur Hieronymus per Scripturas Sacras intelligere medullam earum, id eſt, veram intelligentiam; juxta id quod alibi dicit, Scripturas non in legendo, ſed in intelligendo, conſiſtere. *Et dabitur genti facienti fructum eius. Facienti*, non ex ſe, ſed ex Dei gratia, quâ Oleaſter inſertus eſt in olivam, non habens unde glorietur adverſus ramos. Rom. 11. Unde Leo ſerm. 2. de Nativit. Domini. Quantam gratiarum actionem debeamus Domino pro illuminatione gentium, probat obcæcatio Iudæorum. Itaque nihil hic locus facit pro Pelagianis; qui gratiam ac prædeſtinationem quærunt ex meritis. Neque enim ſenſus eſt, Et dabitur genti quæ faciet fructus eius; ſed, dabitur genti quæ faciet fructus eius, utique per gratiam meam. Verba ſunt ſimilia verbis Prophetarum Ierem. 31. & Ezechiel. 30. ubi repudiato veteri Teſtamento, tradunt promiſſionem novi, non ex ullis meritis, ſed ex ſola Dei gratia. Dicit enim Dominus. Non propter vos ego faciam. Ezech. 36.

℣. 44. *Super quem ceciderit, conteret eum.* Vide noſtra Comment. Rom. 9. v. 33.

CAPUT XXII.

℣. 10. C*ongregaverunt omnes quos invenerunt, malos & bonos.* Quos bonos; cum extra Eccleſiam nemo ſit verè bonus? Sed bonos intelligi ſecundùm modum quemdam humanæ converſationis, & officia quædam virtutum; quales inter ethnicos fuere juſti, temperantes, fortes, liberales, divitiarum contemptores, ſed nulli ſimpliciter boni, quia Deum bonitatis & juſtitiæ fontem non cognoverunt, aut certè non glorificaverunt, aut gratias egerunt. Per bonos non poſſunt intelligi Iudæi, velut jam ante prædicationem Apoſtolicam tenentes veram religionem; per malos autem, gentiles qui colebant idola: Nam Iudæi ſignificantur per illos, qui invitati venire noluerunt, quibus proinde relictis, & juſtæ damnationi deſtinatis, mittuntur ſervi, id eſt, Apoſtoli, Chriſti ad diſperſionem gentium. Aliter, cùm dicit ſuprà cap. 10. *Interrogate quis in ea dignus ſit.* Hoc enim dicebat diſcipulis, quos mittebat ad prædicandum Evangelium per Iudæam, ſcilicet iis qui veram tenebant religionem, & Meſſiam Salvatorem expectabant; quorum certè aliqui verè boni & juſti erant. Tametſi (*dignus*) ibi propriè non dicitur juſtus, ſed vir aliquis honoratus, qui ſit boni nominis & famæ. Vide Annot. dicto loco.

℣. 12. *Non habens veſtem nuptialem.* Eam Auguſtinus charitatem interpretatur, fragmento 7. & Innocentius 3. ſerm. In Dominicam Lætare.

℣. 14. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.* Atqui, inter epulantes unus tantùm fuit, qui veſte nuptiali careret, & ob id foras proiectus eſt; cæteri ergo omnes electi. Sed *Reſp.* Dominum reſpicere ad invitatos, quorum plurimi deſignati fuerant venire. Verùm manet quæſtio de iis, qui convivium regale, id eſt, Eccleſiam per fidem ſunt ingreſſi, inter quos tantùm unus repertus fuit, qui, quòd veſte charitatis careret, foras projici meruit. *Reſp.* Non omnia urgenda in parabolis exponendis. Nam & ſimiliter, ex omnibus qui ad piſcinam probaticam jacebant, unus ſanabatur; & cum omnes currant, unus accipit bravium: ſed ſicut hic ſignificatur, quòd nemo ſalvatur niſi in unitate Eccleſiæ conſtitutus; ita ibi ſignificatum intelligi poteſt, malos, etſi multi ſint in Eccleſia, non minùs tamen oculo cognitionis notari, quàm ſi ſinguli eſſent. Deinde, verba regis aptiùs introducuntur ad unum loquentis, quàm multos; quamquam hic non *unus* dicitur, ſed *homo*. Et hac

A quoque ſententia collige, non omnes eſſe vocatos, ſed multos: eſſent autem omnes vocati, ſi omnibus ſufficiens ad ſalutem gratia daretur, quod quidam non rectè ſentiunt. *Vocatos* hìc intellige quotquot externa vel interna prædicatione ad Chriſtum invitantur. Non enim *vocati* intelliguntur ſoli qui fidem ſuſceperunt; ſicut apud Apoſtolorum Rom. 1. & alibi, ſervis enim dictum erat; *vocate ad nuptias*, quod & fecerunt. Erant igitur & illi vocati, qui noluerunt venire. Unde, & hi *invitati* appellantur, cùm dicitur: *Sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Et Lucæ 14. expreſſiùs dicitur, *Quod nemo virorum illorum qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Vide Annot. c. 20. v. 16.

℣. 16. *Cum Herodianis.* Epiphanius Herodianos recenſet inter hæreſes. Numer. 20. Et dicit eos fuiſſe, B qui Herodem dicerent eſſe Chriſtum. Miror unde id habeat. Simile quid habet Tertullianus lib. de Præſcriptionibus cap. 45. vide ibi Pamelium; & Ianſenium cap. 38. & 116. ubi tamen variat. Vide & F. Lucam.

Magiſter, ſcimus quia verax eſ. Auguſt. in Pſalm. 57. legit & exponit: *quia juſtus es*; nec malè, quia ut ſequentia docent, veritas in opere intelligitur; ea autem eſt juſtitia & rectitudo hominis.

℣. 17. *Licet cenſum dare Cæſari, an non?* Apud omnes tres Evangeliſtas quærunt, an liceat? Ex quo liquet opinionem fuiſſe in populo, non tantùm quod non tenerentur; verum etiam quod non liceret dare. Vide Annotat. Marci 12. Quidam putant, ut Dominicus Bannes, quod jure non debebant tributum, eò quòd C contra jus ſubjugati eſſent à Romanis; ideoque Chriſtum ambiguè reſpondiſſe, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*, id eſt, ſi jus habet, ſi quid ei debetis, ſolvite: At contrà, Chriſtus ea reſponſione minimè ſatisfeciſſet. Quærebatur enim an Cæſar jus haberet exigendi, & an ei deberetur tributum à Iudæis. Ad quod non erat diſſimulanter & conditionaliter reſpondendum. Deinde conjunxit hæc duo: *Reddite quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei Deo.* Poſterius autem debet abſolutè intelligi, ergo & prius. Certè ſi quæreretur an latroni vel oppreſſori ſit dandum aliquid, non certò reſponderetur; Reddite quæ latronis ſunt latroni. Itaque dicendum, Romanos jure dominatos fuiſſe Iudæis. Nam Iudæi à tempore captivitatis Babyloniæ ſemper fuerant ſub aliena dominatione; Primum ſub D Chaldæis, deinde ſub Perſis, tum ſub Græcis, denique ſub Romanis; ac toto eo tempore non fuerunt ſui juris, etiam ſi aliquando reges habuerint: Erant enim illi reges ſubordinati ſuperiori principi. Et quamvis fortè ab initio contra jus ſubacti fuerint à rege Nabuchodonoſor (quod tamen dubitari poteſt propter perfidiam regis Sedechiæ) tamen eius ſucceſſores paulatim jure eis dominari cœperunt, Iudæis ſponte agnoſcentibus eorum imperium; quia videbant eſſe Dei voluntatem. Quod ſatis liquet ex libris Eſdræ & Machabæorum. Agnoverunt enim Nabuchodonoſor & filium eius Balthaſſar regem ſuum: & poſtea Cyrum, Darium, Artaxerxen ſive Aſſuerum reges ſuos, deinde etiam reges Græcorum, Alexandrum, Seleucum, Antiochos, Demetrios, &c. denique Romanos. Etenim in li- E bris Machabæorum nuſquam negatur Antiochum fuiſſe verum eorum principem, ſed reprehenditur regnum eius tyrannicum. Sanè, niſi ſucceſſu temporis & longa poſſeſſione ſaltem, jus acquireretur politici principatus; vix ullus eſſet rex in mundo habens regnum ex ſucceſſione, qui eſſet legitimus: & ita populis ſemper in promptu eſſet occaſio rebellandi. Nam Romani ne in alios quidem populos ab initiò jus habuerunt eos ſubjugandi, ſed dominatum arripuerunt ſæpè ex levi occaſione, tantùm ſtudio propagandi imperium, ut docet Auguſt. in libris de civitate Dei; Et tamen Apoſtoli præcipiunt tam Iudæis quàm gentibus, ut eis, tanquam ipſorum principibus, obediant, & tributa ſolvant,

docentes

docentes eos in conſcientiis ad hoc teneri, ut Rom. 13. Tit. 3. 1. Petr. 2. nec admiſiſſent conditionalem interpretationem ſuorum præceptorum; Solvite ſi debetis.

ỳ. 19. *Oſtendite mihi numiſma cenſus.* Similiter apud Marcum in Græco legitur, *Cenſus.* Apud Lucam autem eſt *φόρ☉*, id eſt, tributum; quod eſt contra eos, qui dicunt Iudæos non recuſaſſe tributum, ſed cenſum dare Cæſari, id eſt, eum dumtaxat nummum, qui capitatim à ſingulis ſolvebatur in profeſſionem ſeu recognitionem ſubjectionis. Idem poteſt ſatis etiam refelli ex Ioſepho; unde & Rom. 13. *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Item: *Propter hoc & tributa præſtatis.* Chriſtus autem probando deberi denarium cenſus, multò magis idem colligendũ reliquit de aliis tributis.

ỳ. 21. *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c.* Quomodo hoc ſequitur ex inſcriptione & imagine Cæſaris nummo impreſſa? *Reſp.* quia eo ipſo quo externi principis nummo utebantur, profitebantur ſe eius ſubditos, eique debere vectigalia. Nam & nummos cudere & vectigalia imponere, ad ſolos principes pertinet. Utebantur autem ſic, ut propriam monetam non cuderent aut haberent. Quamvis enim nos utamur nummis aliorum Principum; tamen propriè utimur nummis cuſis authoritate & cum inſcriptione Alberti Principis noſtri, & majorum eius; & per hoc fatemur nos eius ſubditos, eique vectigalia debere; niſi ſi quos benignitate ſua velit haberi exemptos. Efficax omninò erit collectio, ſi denarius cenſus erat cuſus in eum finem, ut eo utentes ipſo facto profiterentur ſuam ſubjectionem, & ſe vectigalium debitores. Vide Ianſenium & Franciſcum Lucam S. Auguſt. in enarratione pſalm. 4. ad illud; *Signatum eſt in nobis lumen vultus tui Domine*, dicit quoſdam prudenter intellexiſſe in his Domini verbis, quaſi diceretur. Quemadmodum Cæſar à vobis exigit impreſſionem imaginis ſuæ, ſic & Deus ut quemadmodum illi redditur nummus, ſic Deo anima, lumine vultus eius illuſtrata atque ſignata.

ỳ. 23. *Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem.* An Sadducæi fuerint apud Iudæos hæretici, vide Annot. cap. ſeq. & in 4. diſt. 43.

ỳ. 25. *Erant autem apud nos ſeptem fratres &c.* Proponunt Achillem ſuum, partim ex lege, partim ex caſu qui evenerat, vel evenire poſſet. Quod argumentum Phariſæi ſolvere non poterant, utpotè imbuti carnali & Iudaica ſua opinione, futuram quidem mortuorum reſurrectionem, ſed ad vitam animalem, in qua & cibo & potu opus eſſet, & conjugia rurſum jungerentur, & liberis procreandis operam darent. Quem ſenſum retundit ſua reſponſione Dominus. Fatebantur quidem Phariſæi futurum, ut vir unus plures haberet uxores; hoc enim lex permittebat, & probari videbatur exemplis SS. Patriarcharum: quod autem una mulier plures haberet maritos, ſeptem, inquam, nec lex Moſaica, nec ulla alia umquam conceſſit. Neque illis viris alias dare poterant uxores; quia quiſque ſuam erat recepturus in reſurrectione, ſecundum eorum opinionem. Unde hoc Sadducæorum argumento in anguſtias cogebantur. Solvit autem uno verbo Dominus, dicens: *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſimiles Angelis Dei.* Erunt enim immortales, & ita non erit opus generatione, quâ alii aliis morientibus ſuccedunt; ſublata autem generatione ſolluntur nuptiæ.

ỳ. 32. *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Quomodo hoc non ſit contrarium illud Apoſt. Rom. 14. *In hoc Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur:* vide ibid. Comment. Nec repugnat illud quod Deus ſæpè vocatur Deus Deorum, ſcilicet falſorum: vocatur enim eorum Deus, quia ſi quid in illis excellentiæ eſt, verus Deus tamen illis omnibus major, melior, potentior, perfectior eſt. At alio ſenſu dicit: *Ego ſum Deus Abraham;*

A *Deus Iſaac, & Iacob*; nempe tanquam benefactor & amicus; & dignatus eos hoc honore; ut illorum, tanquam ſuorum cultorum, Deus vocetur. Vide Annotat. Deuter. 10. & Pſalm. 49. itemque diſtinct. 43. libro 4. ſentent. ubi latè egimus de mortuorum reſurrectione.

ỳ. 37. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Quis proximus, vide Annot. Lucæ 10. *Quæritur*, utrum ſenſus ſit, *ſicut teipſum* diligis, an, ſicut teipſum diligere debes? Pro priori ſenſu facit illud: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Et, Quæcumque vultis ut faciant vobis homines & vos facite illis. Et hoc probabilius; quia illud *ſicut teipſum*, ponit ut regulam diligendi proximum, eamque notam: Dices; Multi ſeipſos male diligunt: quomodo ergo ſenſus, ſicut teipſum
B diligis? *Reſp.* Senſum eſſe, ſicut teipſum diligis, in genere; nolens tibi à quodam inferri injuriam, ſed volens tibi ab aliis bene fieri. Eſt autem præceptum legis naturæ, quod tamen à Chriſtianis modo ſupernaturali debet obſervari: quia & ſe & proximos diligere debent ex charitate, nempe ad vitam æternam nobis à Deo in Chriſto promiſſam.

ỳ. 39. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Senſus huius præcepti, vide in noſtris ad diſt. 17. lib. 3. Sent. & Annot. Deuter. 6 & 30. ex quo loco conſtat hoc præceptum ſervari poſſe in hac vita. Latè de his duobus præceptis egimus in 3. Sent. d. 27. 28. 29. & 30.

C ỳ. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet & Prophetæ.* In quo ſenſu verum ſit, vide in 3. Sent. diſtinct. 37. itemque in Comment. ad Rom. 13. verſ. 8. & 9.

ỳ. 42. *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei, David.* Primum, voluit hac quæſtione Phariſæis occaſionem dare diſquirendi, num ipſe Jesus qui interrogabat, eſſet Chriſtus. Nam ſi ad Ioannem, quem ſciebant eſſe filium Sacerdotis ex tribu Levi, miſerunt ut quærerent an eſſet Chriſtus, qui tamen nullum fecit miraculum; quantò magis de Jesu, quem etiam mendici publicè inclamabant filium David, quique tot fulgebat miraculis, & de quo Ioannes ipſe teſtimonium perhibuerat, quærere debebant, num eſſet Chriſtus? q. d. de Ioanne quæſiviſtis, quem ſciebatis non eſſe filium David; de me filio David,
D cur non quæritis, cùm certum habeatis Chriſtum eſſe filium David?

ỳ. 44. *Sede à dextris meis.* Sententia deſumpta ex Pſal. 109. Vide eiuſdem expoſitionem ſupra cap. 20. ad illud. *Sedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram in regno tuo.* Itemque noſt. Comment. Hebr. 1. v. 13. & 1. Cor. 15. v. 25.

CAPUT XXIII.

ỳ. 2. **S**uper *Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.* Quare dicit *ſederunt* & non *ſedent*? *Reſp.* Græco verbo ſignificatur præteritum cum continuatione præſenti. Sicut etiam Latinè dixit Poëta.
E Conſedere duces. q. d. collocati ſunt. *Sy ſijn gheſeten. Sunt aſſis.* Unde bene Eraſmus vertit *ſedent.* Ita Chriſtus dicitur conſediſſe ad dexteram Patris, Hebr. 8. ἐκάθισεν, & Hebr. 1. ubi interpres vertit: *Sedet ad dexteram, &c.* Hoc monendum, ne quis in vocabulo præteriti temporis philoſophetur; *ſederunt*, ſed non ſedent, ut video quoſdam facere. *Scribæ & Phariſæi*; non addit, *Sadducæi*, tametſi etiam ex iis fuerunt principes Sacerdotum, quia eorum profeſſio erat hæretica. Non deſunt tamen qui arbitrentur, Sadducæos non fuiſſe hæreticos, priuſquam falſitas doctrinæ eorum per Ioannem Baptiſtam, & demum per Chriſtum eſſet declarata, quando prædicaverunt regnum cœlorum; quod ante id tempus nunquam fuerat palam prædicatum.

Itaque exiſtimant in illo populo non fuiſſe neceſſarium credere animæ immortalitatẽ, & regni cœleſtis præmia juſtis eſſe repoſita; quia hæc in illo populo neque per Moyſen, neque per alios prophetas ac Sacerdotes palam fuerant prædicata. Unde apud Moyſen omnes promiſſiones ſunt de felicitate terrena, ſicut & omnes comminationes de miſeria hac temporali: Nuſquam illic nec regni cœlorum, nec gehennæ ignis poſt hanc vitam impiis paratæ, mentio; ſed primi Ioannes & Chriſtus utrumque prædicaverunt. Probant hanc ſententiam ex Hieronymo & Chryſoſtomo in Matthæo. Contrà tamen facit quod Tobias clarè profeſſus eſt ſpem alterius vitæ, & uxorem atque amicos redarguit dicens: *Filij Sanctorum ſumus, & vitam illam expectamus, &c.* Tobiæ 2. & libro 2. Machab. *Eleazarus* & ſeptem fratres Machabæi palam in tormentis eam fidem profeſſi ſunt; idque ut eſt veriſimile, propter Sadducæorum errorem tunc exortum. Item, quomodo excuſari poteſt quod negaverint Angelum & ſpiritum; cum tota ſcriptura tam apertè hæc profiteatur? At dices, Sadducæos propter hæc numquam fuiſſe ejectos è Synagoga, tanquam qui traderent dogmata religioni Iudaicæ contraria. *Reſp.* id pertinuiſſe ad corruptelam Synagogæ & populi illius, quod tam prava dogmata tolerarent; fortè propter Sadducæorum potentiam. Nam ex iis etiam fuere Pontifices? Certè apparet quod à tempore Machabæorum, doctrina, quæ negat corporum reſurrectionem fuerit ſatis manifeſtè rejecta & improbata à piis & ſanctis hominibus illius temporis; quia reſurrectionem clarè & palam, etiam coram ethnicis infidelibus, profitebantur; atque ita doctrina Eccleſiæ illius temporis de reſurrectione, Iudæis omnibus erat ſatis apertè manifeſtata. Quare qui non acquieſcebant, hæretici erant. An autem ſine fide immortalitatis animarum aliquando potuerint homines ſalvari, vide noſtra in 4. diſtinct. 43. & Annotat. Tobiæ 2.

℣. 3. *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite; ſecundum opera verò eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt.* Dominus volens commendare poteſtatem ſpiritualem, quam in Synagoga inſtituit, & poſtea in Eccleſia inſtituturus erat; & excitare volens ſubditos ad obedientiam illi poteſtati debitam; *Omnia*, inquit, *quæcumque dixerint vobis &c.* Utitur gemino ſigno univerſali; *Omnia & quæcumque*; ut ſciremus nihil ab illa univerſitate excipiendum eſſe, niſi quod lex aliqua ſuperior; imò lex ſuprema, excipi juberet. Lex illa ſuperior eſt, Deum diligendum ſuper omnia; &, magis obediendum Deò quàm hominibus. Quam exceptionem etiam in aliis ſimilibus præceptis intelligere oportet; ut Coloſſ. 3. *Filij obedite parentibus per omnia.* Et ibidem; *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus.* Imò in his (*Omnia*) aliter exponitur. Ad eundem modum hîc generaliter dicitur: *Omnia quæcumque dixerint vobis*, id eſt præceperint vobis, juxta phraſim Hebraicam. Ex hoc igitur loco, contra doctrinam hæreticorum noſtri temporis, diſcimus & olim proceres Synagogæ, & nunc præfectos Eccleſiæ habere poteſtatem condendi novas leges, & canones, pro loci & temporis exigentia, ad ædificationem populi fidelis. Vide noſtrum Comment. locis ſuprà citatis, itemque Hebr. 13. v. 17.

℣. 4. *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum digito autem ſuo nolunt ea movere.* Videtur hoc dictum de lege Moſaica, quam Petrus Actor. 15. teſtatur eſſe jugum quod nec ipſi tunc Iudæi, nec patres eorum portare potuerint; ad cujus tamen exactam obſervationem, Scribæ & Phariſæi aſtrictum eſſe dicerent ac docerent vulgus Iudæorum, licet ipſi de ejus obſervatione multum ſibi remitterent, atque in quamplurimis ſibi per licentiam indulgerent. Tale enim erat ingenium illorum magiſtrorum, ut

A in alios duri eſſent ac rigidi; erga ſeipſos molles & laxi, potiſſimùm in occulto. De iis quoque Paulus dixit ad Galatas 6. *Neque enim qui circumciduntur legem cuſtodiunt; ſed volunt vos circumcidi, ut in carne veſtra glorientur.* Fortè etiam huc pertinet quod Chriſtus ad Iudæos dicit Ioan. 7. *Moyſes dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem.* Non ſolum enim moralia legis non obſervabant, ſed nec ceremonialia. Quoniam tamen etiam ad hæc populus Iudaicus obligabatur, licet gravia & portatu difficilia; ideò præmiſit Dominus; dicens, *Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſervate & facite.* Quod utique non diceret de traditionibus eorum & mandatis præter legem excogitatis, iiſque partim vanis & inutilibus, partim etiam noxiis; quas ſæpè reprehendit, ut Matth. 15. & alibi. Quare nec de

B his videtur accipi poſſe, quod ſtatim ſubjungit; *Alligant enim &c.*

At dices, hac ſententia Scribas & Phariſæos reprehendi, quod populum iniquo onere præceptorum & obſervationum gravarent. Quidam reſpondent, ad reprehenſionem eorum pertinere, non priorem hujus ſententiæ partem, ſed poſteriorem, quâ dicitur; *Digito autem ſuo nolunt ea movere.* Valdè enim in illis erat reprehenſibile, quod ipſi non facerent, quod tanquam legis interpretes & populi doctores, ab aliis ſeverè exigebant. Attamen dici poteſt, etiam in priori parte contineri reprehenſionem; vel quod nimia cum ſeveritate, etiam minuta quæque legis exigerent; vel quod de peccatorum in legem commiſſorum gravitate perverſè judicarent, exiguum ſtatuentes momentum in

C tranſgreſſione præcipuorum, graviter verò ponderantes ea quæ minima erant. Tale quid etiam illis improperatur infrà cum eis dicitur; *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Denique, dici poteſt Chriſtum hortari plebem, ad omnia quæ imponebantur ab illis ſeveris magiſtris, ſervanda & facienda, etiamſi valdè gravia eſſent: non quod omnia ſimpliciter obligarent, ſed ſaltem ad vitandum ſcandalum, & ſpeciem rebellionis; & ne ullam viderentur Scribæ & Phariſæi juſtam habere occaſionem dicendi, quod Chriſtus populum ab eorum obedientia avocaret. Sicut & Chriſtus ipſe legem ſervavit, & vectigal ſolvit pro ſe & Petro, ad vitandum ſcandalum; ſicut & ipſe declarat. Vide Ariam Montanum in hunc locum. Et ita ſenſus erit:

D Omnia quæcumque dixerint vobis; etiamſi gravia & importabilia videantur, quæ nec ipſi faciunt; ſervate & facite; præſtate plenam obedientiam, etiam in his ad quæ fortaſſe non teneremini, ſalva tamen lege divina & naturali, ſi quid fortè contra eam præciperent.

℣. 5. *Omnia verò opera ſua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Omnia quæcumque coram hominibus faciunt, ea faciunt ut ab hominibus videantur, & hominum laudem captent; nec tamen ea prorſus omnia; ſed pleraque. Unde patet non eſſe conſequens omnia eorum opera eſſe peccata.

℣. 8. *Vos autem nolite vocari Rabbi.* Senſus: Nolite amare hujuſmodi titulos. Hoc enim præceſſit: *Amant autem primos recubitus, &c. & vocari ab hominibus Rabbi.* Prohibet ergo ambitionem & cupiditatem

E hujuſmodi honorum & titulorum. Nam ut nemo nos talibus titulis compellet, in noſtra non eſt poteſtate. *Unus eſt enim magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis?* Senſus: Cogitare debetis unum eſſe magiſtrum omnium veſtrum, qui omnes docet & omnia novit; vos autem invicem fratres eſſe ac diſcipulos, ſub illo uno patre ac magiſtro. Quod ſi cogitaveritis; non erit ut quis amet vocari magiſter, videns & ignorantiam ſuam, & humilem conditionem atque ſubjectionem ſub uno communi magiſtro.

℣. 10. *Nec vocemini magiſtri.* Intellige ut ſuprà. Nam certè Paulus ſeipſum vocat magiſtrum gentium. 2. Tim. 1. volens commendare & honorificare mini-

ſterium ſuum. Idem vult Epiſcopum eſſe doctorem, id eſt, magiſtrum: Imò omnes Paſtores vult eſſe *Doctores* Epheſ.4. Vide noſtra Comm. Iacobi 3. Itaque Chriſtus non damnat titulos eruditionis, quorum eſt uſus in Academiis, & alibi; ut perversè hunc locum accipiunt hæretici. Alioqui nec patrem ſalutare liceret patris nomine, cùm & hoc additum ſit: *Et patrem nolite vocare vobis ſuper terram: unus eſt enim pater veſter qui in cælis eſt.* Sed prohibet ne talem patrem aut magiſtrum nobis vocemus in terra, qualis eſt pater & magiſter cœleſtis; cui videlicet pareamus, & quem ſequamur ſine reſpectu ad patrem & magiſtrum ſuperiorem. Itaque ille vocet patrem ſuper terram, qui ita alicui mortalium obediendum putat, ut quidquid ille præcipit, juſtum putet. Ille magiſtrum ſibi vocat ſuper terram, qui ita doctrinam alicuius ſequitur ut verum putet quidquid ille docuerit, tantùm quia ab illo profectum eſt. Huic ergo Chriſti reprehenſioni obnoxij ſunt, qui putant certum & infallibile eſſe argumentum; N. aut N. ait; igitur ita eſt: dicit; igitur verum eſt. Laborabant huiuſmodi errore apud Apoſtolum qui dicebant: *Ego ſum Cepha, ego Pauli, ego Apollo.* 1.Cor.1. Vide ibidem noſtra Comment.

ỷ.13. *Va autem vobis Scriba & Phariſai.* Quare hæc verba non ſunt maledicentis & contumelioſi? an quia Chriſtus ut Deus, jure poterat malitioſis & perverſis hominibus non prædicere tantum, ſed & inferre æternum væ, propter ipſorum peccata? Et non eſt dicenda contumelia, ſed juſtiſſimus zelus, quando ſuperior palam increpat peccatores maniſeſtarios & incorrigibiles; ut ſaltem alij ab eorum vitiis ſibi caveant, & timorem habeant. Sic Paulus in Actis, *O plene omni dolo, &c.* Act.13.

ỷ.15. *Va vobis Scriba & Phariſai hypocrita, quia circuitis mare & aridam ut faciatis unum proſelytum.* Quid ergo ſibi vult quod Gregor. Hom. 40. in Evangelia, exponens allegoricè narrationem de divite & Lazaro, dicit quòd Lazarus vulneratus cupiebat ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat, quia gentilium quemque, ad cognitionem legis, admittere ſuperbus ille populus deſpiciebat? Nam hic locus magnam ſignificat diligentiam & ſtudium legis religionis ſuæ propagandæ. An in eo ſita erat illa ſuperbia, quod neminem vellent ad cognitionem veræ religionis admittere, niſi paratum ſe ſubjicere jugo & ſervituti legis Moſaicæ; quomodo ſubjiciebant ſe proſeliti? Certè non legimus Judæos prædicatione ſua propagaſſe ad alias gentes veram unius Dei religionem, ſed magis eas ſuperbè contempſiſſe, ut canes; & ab eorum conſortio ſtudioſè abſtinuiſſe. Nam & Judæi ad Chriſtum converſi, ut in Actis Apoſtolorum legimus, ægre ferebant Evangelij gratiam ad gentes propagari. Act.

Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Vide plures ſenſus huius loci apud Heſychium & Ianſenium. Senſus expeditus eſſe videtur, quia proſelyti ab eis facti, offenſi mala vita & hypocriſi magiſtrorum ſuorum, vel etiam gravi onere legis; reſiliebant à propoſito, & redibant ad Paganiſmum & veterem idololatriam: itaque fiebant illis poſteriora peiora prioribus &c. 2. Pet. 2. Vide etiam Caiet. 2. 2. quæſt.66. art.8. quomodo Chriſtiani hac in re peccent.

ỷ.19. *Qui jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus quæ ſuper illud ſunt; & qui jurat in templo, jurat in illo; & in eo qui habitat in ipſo, &c.* Igitur ſervanda ſunt juramenta, etſi per creaturas facta. Vide noſtra in 3. Sent. diſt.39.

ỷ.23. *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Utrum ſenſus. *Hæc* quæ poſterius dixi, id eſt, graviora legis *oportuit facere; & illa*, quæ prius dixi, ſcilicet minora legis, ut eſt decimare omne olus, oportuit *non omittere*? hunc enim ſenſum poſtulare videntur pronomina demonſtrativa, *Hæc & illa.* An verò ſenſus eſt: Hæc minora quæ facitis, oportet facere; ſed illa graviora non oportuit relinquere? Sic Ianſenius, & ut mihi videtur bene, & conformiter cum textu. Neque ſemper illa duo pronomina, ſic ponuntur in oratione, ut (hoc) referatur ad vicinius; (illud) ad id quod longius præceſſit; ſed ſæpè ad id quod in intelligentia vicinius aut longius eſt: atqui graviora legis erant remotiora à mente & opere Phariſæorum. Vide Ianſen. cap.84. & noſtram Annot. Luc.11.

ỷ.24. *Excolantes culicem.* Greg. curæ paſtoralis part. 3. Admonit. 34. legit; *Liquantes culicem*, neſcio quem interpretem ſecutus.

ỷ.26. *Phariſæe cæce, munda prius quod intus eſt calicis & paropſidis; ut fiat id quod deforis eſt, mundum.* Quomodo jubet id quod intus eſt calicis & paropſidis mundari; cùm illud non minus ad externum & corporalem nitorem pertinere videatur, quàm mundatio eius quod deforis eſt? Sed pro intellectu huius ſententiæ, reſpiciendum ad id quod proximè præcedit, quod quidem in plerisque Latinis codicibus ſic habetur: *Va vobis* —— *quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia.* Sed vetuſtiora M. SS. conſentienter cum Græcis pro *Pleni eſtis*, legunt *Plena ſunt.* Eſt igitur hic ſenſus: Væ vobis, qui mundatis exteriora calicis & paropſidis, id eſt, qui munditiam & nitorem corporalem calicis & paropſidis ſollicitè curatis; cùm heu! ipſa impleatis rapina veſtra & immunditia ſive intemperantia, id eſt, potibus ac cibis per rapinam acquiſitis, & quibus intemperanter atque ad gulam & luxum utimini. Itaque, Munda priùs quod intus eſt calicis & paropſidis, id eſt, à rapina & gula abſtine, quibus quodammodo interiùs immunda reddebantur vaſa menſæ tuæ; quod ſi feceris, tum poterit non diſplicere exterior vaſorum munditia, reſpondebit enim munditiæ interiori.

ỷ.29. *Va vobis Scriba & Phariſæi hypocritæ quia ædificatis, &c.* Quidam codices habent, *qui ædificatis*, ſed rectiùs *quia*, quomodo habent M. SS. & Græca. Et in Græco magnum eſt diſcrimen inter *quia ædificatis, & qui ædificatis*, quod dicendum eſſet per participium. Miror in Clementinis haberi, *qui*, Lovanienſis, *quia*, ſine ſcrupulo. Similiter Luc. 11. legendum, *quia ædificatis*, licet codices vulgati habeant, *qui ædificatis.* Sententiæ totius videri poſſet hic ſenſus; Itaque teſtimonio eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorum qui Prophetas occiderunt. Eſtis, inquam, vobis teſtimonio, per hoc quod dicitis, *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum.* Nam dicendo: *Patrum noſtrorum*, & non recedendo à moribus eorum, agnoſcitis vos eſſe filios homicidarum; idque ad ignominiam veſtram, quia redditis vos eis ſimiles. Verùm ex Luca magis apparet illud quod dicitur: *Teſtimonio eſtis vobis* vel *teſtificamini*, ut illic dicitur, eſſe referendum ad factum, non ad dictum. Nam illic non fit mentio eius quod dixerunt, ſed ſolùm quod fecerunt. Vide eius loci Annot. cap. 11. v.47.

ỷ.35. *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt, &c.* Quare id non eſt injuſtum, ut ab iis repetatur vindicta omnis ſanguinis juſti jam olim effuſi, cùm in omnia illa homicidia, illi non conſenſerint? Reſp. Luc. 11. expreſsè dicitur: *Profectò teſtificamini, quod conſentitis operibus patrum veſtrorum.* Itaque ſciendum, quod ſicut eſt communio Sanctorum, & inter omnes ſanctos participatio quædam mutua meritorum, proveniens ex eo, quòd omnibus omnium bona opera placeant, & ita pro conſenſu, eam participationem conſequuntur; ſic & inter malos communio quædam eſt & conſpiratio animorum in malum, ita

ut

ut omnibus omnium mala opera placeant, ſaltem in aliqua parte malitię; unde naſcitur & malorum meritorum participatio; maximè in eodem genere peccati; ut in propoſito, in cæde juſtorum. Sic enim Phariſæi affecti erant, Chriſtum perſequentes & occidere volentes, ſicut Cain occidens fratrem. Unde & conſenſiſſe dicuntur patrum ſuorum operibus. Et revera, quiſquis peccatum aliquod committit; ſicut in ſe, ſic & in alio ſimile quid faciente, approbare cenſetur: Imò aliquo modo approbari videtur quodvis aliud peccatum, ſaltem in generali ratione operis, contra legem Dei perpetrari. Et ita ſtatuitur generalis communio impiorum, ſicut à nobis creditur communio ſanctorum.

℣. 35. *Uſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ.* Zachariam Jojadæ ſummi Sacerdotis filium deſignari, non videtur dubitandum. Quomodo autem Barachiæ filium eum vocet, variant ſententiæ. Sciendum eſt autem nomina Hebræa ſciendum à *Bar*, quod filium ſignificat, ſæpè apud Hebræos eſſe cognomina & quaſi patronymica. Sic enim Simeon Petrus, Bariona vocatur apud Matthæum & Ioannem: Sic cœcus Timæi filius, Bartimæus; ſic Nathanaël, Bartholomæus, & magus ille Elymas, Barieſu. Fieri itaque potuit, ut qui proprio nomine dictus fuit Jojada, cognominativum habuerit nomen, ut Barachias vocaretur; eò quòd patrem habuerit; nomine Achiam. Quod etſi probare non poſſimus; hac tamen ratione difficultatem diſſolvi nihil prohibet.

Neque eſt inter alias ſolutiones illa poſtrema, quod Matthæus ſcripſerit: *filij Jojadæ:* quamquam ſtatim poſt Apoſtolorum tempora codices fuerint vitiati, dum ſcriba imperitus, reſpiciens ad Zachariam Prophetam, qui penultimus eſt inter minores Prophetas, & Barachiam patrem habuit; pro *filij Jojadæ*, ſcripſit *filium Barachiæ*; ac deinceps errorem hunc inoleviſſe. Nam & de loco huius eiuſdem Evangelij capite 27. ubi dicitur: *Per Ieremiam Prophetam*, quidam ſimile quid ſuſpicati ſunt, ut pro Zacharia poſitus ſit Ieremias. At fortè Matthæus neutrum ſcripſit, ſed additio eſt ab aliis facta. Hunc Zachariam filium Jojadæ intelligi docet S. Hier. in Commentario: eumque Latini ferè ſequuntur, ut Beda & alij Homiliaſtæ, & qui in Matthæum ſcripſerunt S. Auguſt. quoque libro contra adverſarium legis & Prophetarum capite 5. intelligit de Zacharia filio Jojadæ. Alij tamen intelligi malunt Zachariam, patrem Ioannis Baptiſtæ; ſed refelli poſſunt his argumentis; 1. Si Zacharias, pater Ioannis Baptiſtæ ſignificaretur, potius dixiſſet Dominus, Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ: nam ſermo fuiſſet vehementior propter maximam Ioannis authoritatem quâ valuerat apud Judæos; adeò ut etiam Chriſtus eſſe crederetur. Nec ullo modo veriſimile eſt Ioannem, apud illum populum, atque etiam apud Phariſæos (nam & hi monita ſalutis à Ioanne requirebant, Matth. 5.) tantæ authoritatis futurum fuiſſe, ſi pater eius fuiſſet ut aiunt, à Scribis aut Phariſæis, aut Sacerdotibus interfectus. Nec ſanè eius rei mentionem Evangeliſtæ omninò prætermiſiſſent. Deinde quæ cauſa erat occidendi Zachariam? An quia Salvatoris prędicabat adventum? at omnes Iudæi Salvatorem expectabant, & ipſius Zachariæ filium Salvatorem eſſe exiſtimabant. An quia Jesum Mariæ filium dicebat eſſe Salvatorem? At Jesus latuit uſque ad tempus prędicationis ſuę, ut de eo dixerat Ioannes: *Medius veſtrum ſtatit quem vos neſcitis*; adeò ut & ipſe cum turbis acceſſerit ad baptiſma Ioannis Baptiſtæ. Adde quod filio eius Ioanni illa prærogativa ſervabatur, ut Chriſti Jesu jam præſentis adventum prædicaret, fieretque hac ratione pluſquam Propheta.

An quia Matrem Jesu perhibebat eſſe virginem? Hanc enim cauſam aliqui referunt; ſed & hæc apparet commentitia. Nam etſi credibile eſt hoc Zachariam ſciviſſe; non tamen placuit ſapientiæ divinæ, ut tam

A cito proferretur in publicum. Unde Jesus paſſim à Iudæis credebatur eſſe filius Ioſeph: nec ipſa virgo eam opinionem corrigebat, rem diſſimulans, & Ioſeph eius patrem coram aliis vocans. *Ego*, inquit, *& pater tuus dolentes quærebamus te*, Luc. 2. Quòd ſi eius rei cauſa Zacharias interfectus fuiſſet; res illa profectò ad vulgi notitiam emanaſſet, ac ea de re ſermo fuiſſet ambiguus in populo; quod non apparet factum. Conſtans enim fuit opinio, Ioſeph eſſe patrem Jesu, imò ob eam cauſam virgo Ioſeph nuptui tradita fuit, ut myſterium celaretur, néve ipſa tanquam adultera à Iudæis lapidaretur; cui quidem virginis periculo magnam occaſionem præbere potuiſſet, illa Zachariæ de eius virginitate præmatura prædicatio. Item. Quare Judæis tantoperè diſpliceret, ſi Maria diceretur virgo peperiſſe, ut

B propterea eum qui hoc diceret, interficerent, cùm Judaïca gens miraculis divinis eſſet aſſueta, & dicat Apoſtolus. 1. Corint. 1. *Iudæi ſigna quærunt*? Sed & hoc quod aiunt Zachariam patrem Baptiſtæ ideo interfectum ab Herode, quod ſuum filium occultaſſet, nihil habet rationis. Non enim edicto prohibiti fuerant parentes occultare filiolos ſuos; & certè nemo paruiſſet, id enim eſſet vim inferre naturæ. Nec ſolus id fecit Zacharias, ſed omnes quicumque potuerunt. Imò repentè immiſſi fuerunt ſatellites ad necandum pueros, nullo edicto prævio. Denique ſi pater occiſus, quia filium occultavit, quantò magis ipſe filium poſtea diligenter quæſitum & inventum, occidiſſet? Non enim Zachariam metuebat regni ſucceſſorem; ſed ex pueris

C aliquem. His adde, quod conſtabat Zachariam, & proinde Zachariæ filium, eſſe de tribu Sacerdotali Levitica, atqui ſciebat Herodes regem expectari à Iudæis è tribu Iuda & poſteritate David, idque ſonabat oraculum à ſcribis allegatum. Item, Herodes non habebat neceſſitatem violandi locum ſacrum cęde Sacerdotis; poterat enim alibi id facere; ſicut alter Herodes de Iacobo & Petro. Imò Herodes ille voluit quàm maximè videri honorare locum ſacrum; Nec certè Sacerdotes zeloſiſſimi pro templo, præſertim illo tempore, id permiſiſſent aut inultum reliquiſſent. Facilè poſſent & alia adſerri, quibus hæc ſententia refellatur; ſed nihil eſt opus.

At dicunt neceſſariò oportere intelligi Zachariam aliquem ſub illud tempus, quo Chriſtus hæc loquebatur, occiſum, eò quòd Dominus dicens: *ut veniat*

D *ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ*, complecti voluerit omnem ſanguinem injuſtè fuſum à primo, qui fuit Abel uſque ad ultimum, quod non in alium magis quàm in Zachariam Ioannis Patrem competere poſſit. Certè in Zachariam Jojadæ (qui octingentis ferè annis Chriſtum præceſſerat) omninò competere nequeat. *Reſpond.* Chriſtum dicentem; *A ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ*; non velle metiri univerſum tempus ab initio uſque ad ſeipſum; ſed duobus inſignibus & notiſſimis exemplis voluiſſe complecti duo tempora, quorum alterum olim evolutum erat, alterum adhuc fluebat, licèt termino jam proximum. Illud erat tempus ante legem, iſtud,

E ſub lege: quæ duo tempora quia conſtituebant totum tempus, quod fluxerat uſque ad Chriſtum, convenienter ex hac forma locutionis intelligendum reliquit Dominus omnem ſanguinem juſtum ad illud uſque tempus effuſum, ſuper Judæos Chriſti perſecutores & interfectores, venturum: Nec oportebat aliquem nominari tunc recenter interfectum (alioqui, quis potiùs nominandus erat quàm magnus ille Ioannes Zachariæ filius, idemque recentiſſimè & injuſtiſſimè occiſus; præſertim cum ex verbis Salvatoris Matth. 17. dicentis *fecerunt in eo quæcumque voluerunt*, appareat non ſine conſenſu & conſilio Scribarum Ioannem occiſum fuiſſe) quando Chriſtus ipſe mox ab ijs interficiendus

ciendus erat, in complementum malitiæ ipſorum; A Chriſto ad eos dicente. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Nec premit argumentum ex illis verbis: *Quem occidiſtis inter templum & altare;* quaſi ab illis qui tunc vivebant aut etiam præſentes aderant, Chriſto hæc loquente; facta ſignificetur illa cædes Zachariæ. Similiter enim ſtatim poſt dicit, *Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas &c.* ſine dubio reſpiciens ad facta maiorum. Adde rationem cur illi duo fuerint nominati, Abel ſcilicet & Zacharias filius Iojadæ; quia Scriptura ſic refert utriuſque iniuſtam necem, ut ſimul ſignificet Deum exacturum de illis iuſtam & ſeveram vindictam. De Abel quidem, Deo dicente ad Cain, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Unde de eo dicit Apoſtolus Hebr. 11. *quod defunctus adhuc loquitur.* De Zacharia verò, Spiritu B Domini per os eius loquente, *Videat Dominus, & requirat.* Ad has igitur Scripturæ voces reſpexit Dominus quando dixit, ſuper Iudæos priſcorum homicidarum imitatores, venturum omnem ſanguinem iuſtum iam olim effuſum à ſanguine Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ; Deo ſcilicet vindicante, & requirente ab eis tanquam illorum ſcelerum conſortibus & ſociis. Denique nullus eſt auctor claſſicus qui id ſcribat; qui ſcribunt autem non aliunde habent, quàm ex fonte apocrypho, ut ſcribit S. Hieron. Pro cuius ſententia non parum facit, quod Eccleſia in Officio divino bis terve per annum, legat illa eiuſdem S. Hieronymi verba, quibus traditionem illam de Zacharia Patre Ioannis, reiicit ut ſomnium apocryphum. C

ỳ. 37. *Quoties volui congregare.* Volui voluntate ſigni, mittendo Prophetas, ut Hieronymus intelligit; Nam quod in Homilia Hieronymi ſuper Evangelia, in Feſto B. Stephani, inter Homilias Patrum legitur: Volui ex mea parte, ſed noluiſtis ex veſtra; non eſt in Hieronymo, ſed ab alio quopiam inſertum, ut alia ibidem nonnulla. Varias huius loci, & quorumdam ſimilium expoſitiones, vide lib. 1. Sent. d. 46.

ỳ. 39. *Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit, &c.* Scilicet in ſecundo meo adventu, qui glorioſus erit, quando vel inviti cogemini agnoſcere gloriam meam. Vide Annot. Luc. 13. in fin. & Comment. Phil. 2. v. 10.

CAPUT XXIV. D

ỳ. 4. V*idete ne quis vos ſeducat. Multi enim venient, &c.* Et infrà. *Et multi Pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos.* Et adhuc infrà: *Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.* Item, *Ecce in deſerto eſt, nolite exire.* Pro huius loci intelligentia lege Ioſephum l. 2. belli Iudaici cap. 12. S. Hieron. Ianſenium, & Maldonatum & Heſſelium. Dicuntur hæc ad Iudæos, & peculiariter pertinere videntur ad populum Iudaicum, in quo poſtquam Chriſtum venientem in propria non receperunt; ſurrexere ſeductores qui dicerent ſe eſſe Chriſtos, & præſtigiis ſectatores ſuos miſerè deluſerunt.

ỳ. 14. *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* Nec ſolùm prædicabitur; ſed etiam credetur, iuxta illud Pſalmo 85. *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient & adorabunt coram te.* Quod ergo dicit; *In teſtimonium omnibus gentibus*, id eſt, adverſus omnes gentes in die iudicij: Intellige de omnibus gentibus, ex parte eorum qui non credent, de quibus ſuprà dixit: *Et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Quodam igitur ſenſu, omnes gentes credent; & omnes gentes odient. Aut: *In teſtimonium omnibus gentibus*, id eſt, ad teſtificandum gentibus veritatem Evangelij; ſicut dicitur Lucæ ult. & Actor. 1. *Vos eritis mihi teſtes uſque ad ultimum terræ.* E

A ỳ. 15. *Cùm ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelligat.* Quomodo dicta à Daniele Propheta, cùm vaticinium illud Danielis ſpectet ad tempora Antiochi, & deſolationem templi ab eo factam? An eiuſdem vaticinij etiam alius eſt ſenſus, ſed myſticus? imò alij ſenſus. Nam pertinet etiam ad tempora Antichriſti. Et ideò dictum, *Qui legit, intelligat:* quia intellectus eſt multiplex. An ſenſus eſſe poteſt: *Quæ;* id eſt, qualis *dicta eſt à Daniele Propheta.* q. d. hæc erit ſimilis illi, aut etiam gravior. *Abominationem deſolationis*, an ſenſus, Idolum abominabile & execrandum templi deſolati & profanati? Tale enim fuit in templo per Antiochum profanato, poſitum. Alij ſic. *Abominationem deſolationis*, id eſt, deſolationem abominabilem B phraſi Hebraica. Vide Maldonatum. Fortè intelliguntur copiæ Romanorum gentilium, ſervientium idolis. Nam apud Dan. 9. Hebraicè eſt, *Alam deteſtationum.* (Ala) autem phraſi Hebraica regiones ſeu copias ſignificat. Idem probari videtur ex Lucæ 21. qui *abominationem deſolationis*, interpretati videtur exercitus a quibus cingenda eſt Hieroſolyma.

ỳ. 20. *Orate autem ut non fiat fuga veſtra hyeme vel Sabbatho.* Cur addat *vel Sabbatho*, dubitari poteſt, tum quia Sabbathi lex tunc ceſſatura erat; maximè fidelibus, quibus loquebatur, & quibus dicebat: *Orate.* Nam oratio nolentis Chriſtum recipere non erat exaudibilis; tum quia Sabbathum, ſicut non prohibebat pugnam ſi hoſtis urgeret, ut prudenter ſtatuerunt pij C Iudæi 1. Machab. 2. ita nec fugam. An dicendum, Iudæos Chriſtianos uſque ad templi everſionem ſervaſſe legem, multoſque infirmos ſic fuiſſe affectos, ut nec in periculo Sabbathi quietem putarent ſibi interrumpendam; Dominum autem etiam infirmis conſulere voluiſſe? Aliter Ianſenius non male in cap. 122. Concordiæ. Senſus enim eſt: Orate Deum, ut mala illa poſſitis effugere, nec ullum obſtet fugæ impedimentum.

ỳ. 22. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro. Sed propter electos breviabuntur dies illi.* Breviati phraſ. Hebræa, id eſt, contracti ad minorem numerum, quàm alioquin peccata illius populi merebantur. Sic apud Iob: *Breves dies hominis ſunt.* Sic contrà, longitudo dierum pro multitudine, paſſim D legitur. Senſus. Niſi Deus tempus illius tribulationis miſericorditer breviaſſet, nemo ſuperfuiſſet Iudæorum quos illa obſidio preſſerat; omnes enim fame fuiſſent abſumpti: ſed propter electos, tum qui ex illis erant poſtea credituri, tum qui ex illis, ſive credituris ſive non credituris, naſcituri, breviavit Deus tempus illud, nec permittere voluit ut omnes perirent. Nota quomodo omnia ſerviunt electis. Unde & Paulus profitetur ſe propter electos omnia ſuſtinere 2. Tim. 2. Vide etiam Comment. 2. Petri 3. v. 9.

ỳ. 23. *Tunc ſi quis vobis dixerit, Ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, &c.* Hoc loco malitioſè abutuntur hæretici, dum iſta verba ad Venerab. Sacramentum altaris detorquent, quaſi non ſit credendum Eccleſiæ Catho- E licæ dicenti: Ibi, hoc eſt, in altari inter manus Sacerdotis, eſt Chriſtus. Sed manifeſtum eſt Chriſtum loqui de falſis doctoribus, quorum quiſque prædicatione ſua, & falſis miraculis, conabitur populo perſuadere ſe eſſe verum Chriſtum; aut ſaltem, ſe veram de Chriſto doctrinam tradere. Hic ſenſus clarus eſt ex ſequentibus: *Surgent enim Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, &c.* Quod autem ſequitur: *Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire; Ecce in penetralibus, nolite credere:* aptiſſimè à Catholicis ad hæreticorum conventicula accommodatur. Hæretici enim dum profanas ſuas novitates diſſeminare incipiunt, non in publico conventu id faciunt, malè ſibi conſcij, ſed vel in deſerto, & in agris,

vel

vel in penetralibus & abditis locis conventicula colli- A gunt. Et utinam præceptum Chriſti diteatis : *Nolite exire , nolite credere* , à fidelibus omnibus ſedulò fuiſſet obſervatum ; non videremus hanc tam miſerabilem Eccleſiæ perturbationem.

Ecce hic eſt Chriſtus. Totus Chriſtus caput & corpus , inquit Auguſt. Itaque iſtud non tantum de Chriſti perſona, pauci enim ſe Chriſtos dixerunt, verùm de Eccleſia intelligi poteſt. Multi enim, imò omnes hæretici penes ſe eſſe volunt verum Chriſti Corpus, Eccleſiam ; ſed monſtrant ſua conventicula , cùm Chriſtus hæreditatem à patre acceperit omnes fines terræ ; quæ hæreditas ei permanebit in æternum.

℣.24. *Et ſigna dabunt magna & prodigia.* Scilicet mendacia. Sic enim exponendum ex Apoſt. 2. Theſ.2. Nam vera ſigna , id eſt miracula , Deus inſtituit ad B confirmationem veritatis ; & ad eam Chriſtus iis uſus eſt, & ſuos Apoſtolos uti voluit.

Ita ut in errorem inducantur , ſi fieri poteſt , etiam electi . Cùm dixiſſet : *& dabunt ſigna &c.* (quod de falſis & mendacibus ſignis intelligendum eſt) addit *Ita ut in errorem inducantur , ſi fieri poteſt , electi.* Quibus verbis ſatis apertè ſignificat Dominus electos, ſive prædeſtinatos in errorem induci non poſſe. Sed primò intelligenda eſt Domini ſententia de errore finali , id eſt , in quo quis uſque ad finem vitæ perſeveret. Nam alioqui fieri poteſt, & ſæpè fit , ut ad tempus in errore , etiam pernicioſo , verſentur electi. Deinde eadem ſententia accipienda eſt , ut Dialectici loquuntur, ſenſu conjuncto ſeu compoſito , ut ſignificetur fieri non C poſſe , ut hæc duo aliquando conjungantur : electum ; ſeu prædeſtinatum eſſe ; & in errore perſeverare. Alioqui , dubium non eſt aum hominem qui eſt electus , peccare poſſe , & in peccato mori , ſed id futurum non eſt, conſervante eum efficaci gratiâ prædeſtinationis divinæ. De qua & alibi : *Nemo poteſt eas rapere de manu mea.* Ioan. 10.

℣.28. *Vbicumque fuerit corpus , illuc congregabuntur & aquilæ.* Hoc de Chriſto , vel eius corpore non poſſe intelligi , bene oſtendit Ben. Arias. Græcè eſt πτῶμα , id eſt, cadaver, ſicut vertit Eraſ. At apud Lucam. 17. σῶμα , id eſt, corpus, ſed unum ex altero explicandum.

℣.29. *Statim autem poſt tribulationem.* Notandum totum hunc ſermonem Chriſti eſſe propheticum, ideo- D que non mirandum ſi multum habeat obſcuritatis , & ſubitò tranſeat ab uno ad aliud remotius & principalius ; quod frequens eſt in Prophetis. Ita Chriſtus hic vel in parte præcedenti , tranſitum facit à tribulatione Iudaicæ gentis ad tribulationem univerſalem gentium per totum mundum futuram in fine ſæculi.

℣.29. *Et ſtellæ cadent de cælo.* Quidam hoc interpretantur de meteoris , in quibus numerantur ſtellæ cadentes ; ſed profectò videntur intelligi ſtellæ æthereæ , quia eas commemorat cum ſole & luna. Quare ſicut in ſole & luna , ita & ſtellis eiuſdem ordinis ac naturæ prodigia apparebunt. Unde & quidam propriè dictum volunt , ut verba ſonant. Sed quomodo ? cùm fixæ ſtellæ ſint tantæ magnitudinis , ut unaquæque viſu notabilis , ſit major tota terra : Itaque una E ſola terram cooperiet ; quid igitur omnes ſimul , quæ ſunt innumeræ ? An ergo ad myſticum ſenſum recurrendum eſt , ut intelligantur illi qui velut ſtellæ fulgent in Eccleſia , lapſuri & defecturi à fide vel ſanctitate ? Sed tamen ad litteram videtur debere aliquid prodigioſum intelligi , cuius conſpectu homines præ timore contabeſcant ; ut ſatis colligitur ex hoc loco & Lucæ 21. Quod & Gregorius ſatis ſignificat in homil. Evang. *Erunt ſigna, &c.* dicens alia quidem prodigia jam eveniſſe ; ea verò quæ de ſole , luna , & ſtellis dicuntur , adhuc expectanda. Quare quæ hîc dicuntur licet aptiſſimè ad allegoriam accommodari poſſint, non tamen litteralem ſenſum putanda ſunt reſpuere. Eſt autem talis ; *Et ſtellæ cadent de cælo* , id eſt , ſubitò non apparebunt quaſi lapſæ de cœlo , id autem fiet quia non dabunt lumen, ſed obſcurabuntur. Nam omnino videtur Dominus idem velle dicere de ſtellis , quod dixerat de ſole & luna, licet verbis diverſis , ſicut & de luna idem quod de ſole diverſis verbis dixerat : ut hæc tria ſint eadem ; obſcurari, quod dixit de ſole : non dare lumen ſuum , quod dixit de luna ; & cadere de cœlo ; quod dixit de ſtellis. Et hic ſenſus confirmatur ex aliis locis , ubi hoc ipſum planè de ſtellis dicitur ; ut Ezech. 32. *Nigreſcere faciam ſtellas eius*, Et Iſai. 13. *Stellæ cæli non expandent lumen ſuum.*

Et virtutes cælorum commovebuntur. Quidam referunt ad præcedentia , ſcilicet ſolem , lunam & ſtellas ; Idque magis videri dicunt ex Lucæ 21. ubi poſt illud *Erunt ſigna in ſole* ; cum additum eſſet , *areſcentibus hominibus præ timore, &c.* quaſi repetendo ſubjungitur *Nam virtutes cælorum movebuntur* , id eſt, ſol , luna & ſtellæ ingentem patientur mutationem. Vide an idem ſenſus huic loco tam bene congruat , ubi tamquam diverſum à prioribus additur : *Et virtutes cælorum commovebuntur*, & ſimiliter apud Marcum 13. Vide Danielis 4. ubi habes etiam : *virtutes cæli* , in verbis Nabuchodonoſor. Alij cum Chryſoſt. hom. de cruce & latrone , putant de Angelis bonis intelligendum , qui modo quodam loquendi contremiſcunt ; quomodo homo tremore commoveri & concuti dicitur in re terribili & inſolita. Neque obſtat quod dicunt quidam Chriſtum hoc commemorare pro ſigno hominibus ad terrorem apparituro ; ſicut tria præcedentia. *Reſpond.* enim id non eſſe neceſſe , ſed potius addi tanquam effectum præcedentium, ut ſit ſenſus , Illa ſigna quæ dixi, tam terribilia erunt, ut iis viſis etiam virtutes cœlorum commoveantur & contremiſcant , quantò magis futurum , ut homines exareſcant præ timore & expectatione &c. ut eſt apud Lucam. Verumtamen non intelligi bonos Angelos, ſed malos aliis magis placet, ut ſenſus ſit, *Virtutes cælorum* , id eſt ; aëriæ poteſtates & ſpirituales nequitiæ in cœleſtibus , *movebuntur* propter judicium ſuum , & inſtantem regni eorum everſionem. Et moveri , pro conturbari , frequens in ſcriptura. Et ferè ſemper in malam partem accipitur ut : *Movebuntur omnia fundamenta terræ.* Pſalm. 81. id eſt, potentes huius ſæculi , qui ibidem Dij vocantur. Qui locus eſt huic valdè ſimilis, quia ſignificatur, quod Deo veniente ad judicium , movebuntur, turbabuntur , & pacata ſua poſſeſſione ejicientur principes mundi , ita hic quod dæmones exturbabuntur poſſeſſione , & exuentur imperio quod habuerunt in homines durante hoc ſæculo. Eſſe autem etiam inter malos Angelos *virtutes* , patet Roman. 8. & 1. Petri 3. Qui dicuntur *cælorum virtutes* , non quod habitatio eorum ſit in cœlo beatorum , neque quod ſint intelligentiæ motrices cœlorum , quas Scriptura ignorat , ſed quod verſentur in hoc infimo ſæculo , id eſt, aëre. Epheſ. 6. *In cæleſtibus.* Dicuntur autem commoveri , multò magis propriè , quàm Angeli boni : quia ſentientes ex eiuſmodi ſignis jam proximè inſtare diem judicij , quem valdè metuunt ; nimirum in modum trepidabunt & conturbabuntur. Præterea ; non intelligi Angelos bonos , apparet, quia timorem, trepidationem, commotionem , non ſolet ſcriptura tribuere bonis. Item , quia paulò pòſt de Angelis bonis ſub alio nomine fit mentio, cùm dicitur; *Et mittet Angelos ſuos cum tuba, &c.* ubi ſignificatur quod ipſi potius immittent aliis terrorem. Et cap. ſeq. *Et omnes Angeli cum eo.* Similiter apud Matc. c. 13. Denique in Evangeliis, Angeli boni , ſemper vocantur Angeli. Item paulò infrà , nomen *cælorum* ita generaliter accipitur : *A ſummis cælorum uſque ad terminos eorum* licet poſteà dicatur ; *Neque Angeli cælorum.* Eſt enim generalis *cælorum* ſignificatio.

℣ 30. Tun

ỳ.30. *Tunc patebit ſignum filij hominis in cœlo.* Signum crucis ferè intelligunt. Sic enim canit Eccleſia: *Hoc ſignum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Prudentius in hymno de natali Chriſti in fine; Judæi tunc fulmen crucis experta,&c. Auguſt. Tract. 118. in Ieonnem: *Quid eſt,* inquit, *ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti?* Idem docet Chryſ. Homilia de cruce & latrone, ſecunda, & proſequitur de ſplendore crucis, quo obtenebrabitur Sol & Luna & Stellæ. Item Ephrem in Sermone de ſancta & vivifica cruce.

ỳ.31. *Congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cœlorum uſque ad terminos eorum.* Græcè: *Ab extremis cœlorum uſque ad extrema eorum.* Significatur electos ex omnibus locis, ubicumque fuerint, congregandos. Qui adhuc erunt in terra, vel ſub terra, inde colligentur; qui verò jam in cœlis adepti fuerint manſiones, inde revocabuntur ad tribunal judicis. Sic autem dictum eſt, *ab extremis cœlorum uſque ad extrema eorum,* ſicut de ſole dicitur, Pſal. 18. *A ſummo cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus,* id eſt, curſus ſolis eſt ab extremo ad extremum, per medium; nimirùm ab ortu uſque ad occaſum per meridiem. Nam & ibi eſt eadem vox Græca ἄκρον, quæ extremitatem ſignificat. Vide Annot. ejus loci, & Deut. 4. ubi eſt ſimilis locutio, & 4. Reg. 10. itemque noſtrum Comment. 1. Theſſ. 4. v. 15.

ỳ.34. *Non præteribit generatio hæc donec hæc omnia fiant.* Non loquitur de omnibus quæ hîc dicuntur, implendis durante generatione hominum tunc viventium. Nam ſi Evangeliſtæ ſic intellexiſſent hæc Domini verba, ſuperſediſſent labori ſcribendi Evangelia, Matthæus videlicet, Marcus & Lucas; apud quos omnes ſunt hæc verba. Nam ſi omnia complenda erant intra tam breve tempus, ſcilicet Apoſtolis adhuc viventibus; quid opus erat ſcribere, quando ſupererant & ſuperfuturi erant teſtes oculati, iique ad prædicandum diligentiſſimi, donec finis mundi veniret? Certè, nec Ioaones voluiſſet ſcribere ſuum Evangelium, ſed & Apocalypſis ab eo ſcripta ſatis teſtatur mundi finem non ita brevi futurum. Imò, ibi loquitur de mille annis ante communem reſurrectionem. Sancti quoque Petrus & Paulus, ille 2. Epiſtol. 3. iſte verò 2. Theſſ. 2. negant inſtare diem Domini magiſque ſignificant adhuc multa ſæcula evolvenda ante illum diem. Sed & mater Domini ſic canit; *Beatam me dicent omnes generationes.* Quod non dieeret ſi non multæ generationes adhuc eſſent ſecuturæ. Itaque videtur ſententia Domini intelligenda de iis quæ prædixit eventura civitati Hieroſolymitanæ, & populo Iudaico, id eſt, de everſione templi & civitatis, & afflictione populi. Aliter Chryſ. & Theophylactus qui intelligunt *generationem* credentium Chriſto, id eſt, Chriſtianorum, quomodo dicitur Pſalm. 23. *Hæc eſt generatio quærentium Dominum.* Et ſecundum eos referuntur ad ſigna hîc prædicta, & implenda in fine ſæculi. Vide Iani.

ỳ.35. *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Habetur etiam Marci 13. & Lucæ 21. Tranſiturum dicitur cœlum & terra; non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſchemate, ſeu figura; juxta illud 1. Corinth. 7. *Præterit figura hujus mundi.* Totus enim mundus ſpeciem longè aliam & præſtantiorem accipiet, & generabilia omnia & corruptibilia, in quibus maximè figura mundi inferioris conſiſtit, non ampliùs erunt. De hoc tranſitu loquitur Petrus 2. Epiſtol. 3. Prudentius in Romano: *Poſt cœli tranſitum, Deus ſuperſtes ſolus, & juſti ſimul, cum ſempiterni permanebunt Angeli.* De hac phraſi, vide Annot. Dan. 6. Quidam ſic accipiunt: Citius cœlum & terra tranſirent, quàm verba mea tranſirent, ita ut non fieret quod dico; cùm alioqui cœlum & terra maximè videantur permanentia; quia de terra dicitur, *Terra in æternum ſtat:* de cœlo autem ſumitur æternitatis comparatio, *Sicut* A *dies cœli.* Sic interpretatur Euthymius: & huic interpretationi probabilitatem adfert quod Lucas dicit cap. 16. *Facilius eſt cœlum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.*

Eſt[illegible] Annotat. in Script.

Verumtamen hunc non eſſe ſenſum, prorſus apparet ex eo, quòd omnes tres Evangeliſtæ abſolutè ponunt hanc ſententiam; cui & alibi ſimiles leguntur, ut 2. Petr. 3. *Cœli magno impetu tranſient. Elementa calore ſolventur, terra & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Et iterum: *Cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent. Novos verò cœlos & novam terram expectamus.* Apocal. 21. *Vidi cœlum novum & terram novam. Primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare jam non eſt.* Iſaiæ 65. *Ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora.* Iſaiæ 66. B *Cœli novi, & terra nova, quæ ego facio.* Pſalm. 101. *Initio terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli; ipſi peribunt, ſicut veſtimentum veteraſcent, ſicut opertorium mutabis eos & mutabuntur.* Quæ verba, *Peribunt, veteraſcent, mutabuntur,* ſimul ad cœlum & terram referri debent, ut rectè refert Ianſenius. Sicut autem apud Petrum *cœlorum* nomine videtur accipi aëris elementum, partim nos ambiens, partim ſupra nos expanſum; nam orbes cæleſtes non ſunt ardoris & combuſtionis capaces: ita omninò videtur, & hoc loco, & aliis locis jam citatis, vel aer, vel ſaltem generaliter, quidquid ſupra nos eſt, intelligi. Ita autem exurentur iſta ab illo conflagrationis igne, non ut pereat terra, ſed ut hæc corpora repurgentur, atque in meliorem ſtatum reformentur ac renoventur. Vide noſtra Comment. C citato loco 2. Petr. 3. & Hebr. 1. v. 11. Ad illud autem quod ex cap. 16. Lucæ adfertur, reſpondendum, ita hoc dici, ut tamen ſimul intelligatur cœlum & terram, licet videantur eſſe perpetuò manſura, tamen revera tandem tranſitura eſſe: ut non ſit ſumpta comparatio ab impoſſibili, ſed à difficili aut opinabili; quomodo multæ ſumuntur comparationes, ut citiùs clavam extorſeris è manu Herculis; facilius eſt feras domari, quàm linguam; chalybem mollire quàm flectere cor tyranni. Et ita intelligendum eſſe, liquet ex eadem ſententia ut à Matthæo prolata ex cap. 5. *Donec tranſeat cœlum & terra; iota unum aut unus apex non præteribit à lege.* Vide etiam in 4. diſt. 47.

ỳ.47. *Amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona* D *ſua conſtituet eum.* Hæc verba non dicuntur de ſervo Dei, ſed de ſervo hominis, unde comparationem adducit Dominus; ad inſinuandum quid Dei ſervus, ſi officio ſibi commiſſo bene functus fuerit, à Domino ſuo expectare debeat; ſcilicet, ut ad magnam felicitatem evehatur, multiſque aliis in Dei regno præemineat, ſicut ille ſervus hominis, ſi fideliter ac prudenter in minori quapiam adminiſtratione ſe geſſerit, eo tandem evehitur, ut etiam ſuper omnia Domini ſui bona diſpenſanda conſtituatur.

ỳ.51. *Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis.* Sic Luc. 12. *Et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet.* Pro *dividet* utroque loco Græcè eſt διχοτομήσει, id eſt, diſſecabit, in duas partes dividet. Sen- E ſus eſt: Occidet, obtruncabit eum, & tractabit velut ſervum infidum & ſimulatum, non ex animo ſervientem, ſed ventri & gulæ deditum, & abſentia Domini ſui ad improbas ſuas cupiditates abutentem. Ianſenius putat illud (*dividet*) rectiùs exponi; ut idem ſit quod ſeparabit eum è familia & ejiciet. Verùm proprietas Græci vocabuli hunc ſenſum non videtur admittere.

Notandum autem Hebræa phraſi (*dividere*) pro eo poni interdum quod eſt interficere ac diſperdere; ut Exodi 19. ubi jubentur Sacerdotes ſanctificari, *ne fortè dividat in eis Dominus:* quo loco noſtra verſio habet: *Ne percutiat eos.* Quod & ſecundo repetitur de Sacerdotibus & populo. Sic 1. Paralip. 13. dicitur Dominus diviſiſſe, id eſt, percuſſiſſe Ozam; & vocatum

nomen loci, Diviſio, id eſt, Percuſſio Ozæ. Vide etiam ejus loci Annotat. & 1. Reg. 15. *Siccine ſeparat amara mors!*

CAPUT XXV.

℣. 3. **N***On ſumpſerunt oleum ſecum.* Oleum Auguſt. charitatem interpretatur: quia ſicut oleum cæteris ſupernatat liquoribus, ita charitas cæteris ſupereminet chariſmatibus, 1. Cor. 12. *Adhuc excellentiorem viam vobis demonſtro.* Et 13. *Maior horum eſt charitas.*

℣. 13. *Et uni dedit quinque talenta.* Talenta ſunt dona gratiarum, quæ dicuntur gratiæ gratis datæ, ut ſcientia, eloquentia, donum linguarum, interpretationis, exhortationis? Non illæ quæ gratum faciunt; nam qui unum talentum acceperat, fuit ſervus malus & piger. Et illæ quidem gratiæ ſubſiſtunt ſine uſu; iſtæ autem non ſic. Neque enim charitatem habet qui pro tempore & loco charitatis operi non exercet: ſicut ignis non eſt, qui appoſitam materiam non urit, qui frigentem non calefacit. Patet ergo etiam malos habere talentum, quod iſte ſervus piger defoderat in terram, & repreſentavit Domino ſuo, dicens *Ecce habes quod tuum eſt.* Non videtur autem dicendum omnes omninò homines habere talentum; non enim qui uſu rationis carent, talentum habent. At neque illi fortaſſis qui prorſus hebetes ſunt & indocti, nihil habentes quod commodent aliis ad ſalutem.

Cùm hoc loco conferendus eſt alius, qui eſt apud B. Petrum 1. Epiſtolæ 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes &c.* ubi liquet Apoſtolum loqui de gratiis gratis datis. Sic Rom. 12. *Habentes donationes ſecundum gratiam quæ data eſt nobis, differentes*, & 1. Cor. 12. *Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.* Vide Comment. horum locorum.

S. Gregor. hom. 9. dicit neminem eſſe qui non habeat aliquod talentum, quod poſſit in utilitatem proximorum expendere; ſed videtur talentum accipere generalius quàm pro gratia quæ dicitur gratis data; præſertim ſi etiam ad infideles ejus ſententia ſit extendenda. Idem S. Greg. ibidem ita tractat hanc parabolam, ut plus accepiſſe intelligatur, qui duo talenta accepit, quam qui quinque. Nam ſecundùm eum qui quinque accepit, etſi interna & myſtica penetrare neſciat, docet tamen alios de exterioribus quæ accepit; Quæ exteriora, quinario numero quinque ſenſuum exteriorum ſignificantur. Qui verò duo, intellectum & operationem percipiunt, ſubtilia de internis intelligentes, mira in exterioribus operantes. Verùm, ad litteram, ille quinque accepit cui plura vel majora dona conceſſa ſunt, qui proinde plus ſuperlucrari debet: ille duo, qui pauciora; à quo proinde minus lucrum expectatur. Unde & illi tanquam plus habenti, & plus ſuperlucrato, datur talentum ſervi inutilis; quia ſicut omni habenti dabitur, ita plus habenti plus dabitur. Et Eccleſia canit in perſona Sanctorum, qui doctrina & ſanctitate claruerunt: *Domine quinque talenta, &c.* non duo. Deinde eum plus accepiſſe qui quinque, quàm qui duo talenta accepit, etiam ex eo apparet quod apud Lucam 19. in ſimili parabola, qui decem mnas fuerat lucratus, conſtituitur ſuper decem civitates; qui quinque, ſuper quinque. Probantur ergo ex majori remuneratione utroque loco ſignificata. Cæterùm in eo quod dicit: *Vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundum propriam virtutem*: virtus intelligitur non moralis, ſed naturalis, Græcè δύναμιν: ut ſignificetur paterfamilias diſtribuiſſe talenta ſecundum facultatem & vires uniuſcujuſque, ut qui induſtria naturali plus valeret, plus acciperet. Ita Chriſtus plerumque dona ſua gratuita diſtribuit, ſecundùm propriam cujuſque virtu-

A tem, id eſt, pro ratione facultatum naturalium; ut v.g. ſcientiam majorem rerum divinarum ferè accipiunt, qui ingenio ſunt capaciori. Et ita de aliis donis. Quod autem qui quinque talenta, & qui duo acceperant, duplicaſſe leguntur ſua talenta, admonet nos unumquemque debere laborare ſecundum proportionem donorum ſuorum, ut qui plura, vel majora acceperit, ſciat ſe plus lucri Domino ſuo conquirere debere, juxta illud, *Cui multum datum eſt*, Lucæ 12. *multum quæretur ab eo.* Et illud Gregor. *Cùm augentur dona, creſcunt etiam rationes donorum.* Servus autem piger cui unum talentum creditum eſt, etiam ipſe accepit ſecundum propriam virtutem, ſed quia laborem fugiens defodit illud in terram, præponens nimirum commoda terrena lucro Domini ſui; hinc meritò audit illud:

B *Inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores:* Cùm alii contrà dictum eſſet; *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Vide G. Peraldum in Summa vitiorum differentem de avaritia ſcientiæ; & de iis qui abſcondunt talentum, ubi inter alia recitat hæc Gregorij verba. Qui ſcientia & virtute præditi, ſeceſſum ſpeculationis appetunt, tot animarum rei ſunt, quot animabus, in publicum prodeundo prodeſſe potuerunt. Auguſtin. tract. 10. in Joannis 2. ad illud; *Zelus domus tuæ comedit me*: Si fueris, inquit, frigidus, marcidus, ad te ſolum ſpectans, & quaſi tibi ſufficiens, & dicens in corde tuo: Quid mihi eſt curare aliena peccata? Sufficit mihi anima mea, ipſam integram ſervem Deo. Eia non tibi venit in mentem ſervus ille, qui abſcondit talentum & noluit erogare? nunquid

C enim accuſatus eſt quia perdidit, & non quia ſine lucro ſervavit? Idem S. Auguſt. lib. de vera relig. c. 54. talentum interpretatur ingenium, ſeu mentis aciem, quam dicit eos, qui non bene utuntur, habere in ſudario ligatam, aut in terra obrutam; id eſt, delicatis & ſuperfluis rebus, aut terrenis cupiditatibus, involutam & oppreſſam. Itèm dicit talentum quod malè utenti aufertur, illi dari qui talentis quinque bene uſus eſt: non quia transferri poteſt acumen intelligentiæ; ſed ita ſignificatum eſt, inquit, poſſe hoc amittere negligentes & impios ingenioſos: & ad eam pervenire diligentes & pios, quamvis ingenio tardiores. Non enim datum eſt illud talentum ei, qui acceperat duo; habet enim & hoc, qui jam in actione & cognitione bene

D vivit; ſed ei qui acceperat quinque. Nondum enim habet ad externa contemplanda idoneam mentis aciem &c. Ubi videtur Auguſt. dicere eum plus accepiſſe qui duo, quàm qui quinque talenta accepit, ſicut ſentit Gregorius: Sed eam expoſitionem minus probabilem eſſe ſupra oſtenſum eſt.

℣. 21. *Quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Dona præſentis vitæ quæ nobis eroganda ad Dei honorem committuntur, pauca dicuntur comparatione bonorum vitæ futuræ, quorum illic erimus poſſeſſores. Vide Comment. F. Lucæ.

℣. 26. *Sciebas quod meto ubi non ſemino, & congrego ubi non ſparſi.* *Sciebas*, ſubaudi; ut ais: Sic enim dixe-

E rat: *Scis quia homo durus es; metis ubi non ſeminaſti &c.* Neque enim metit quod non ſeminavit neque congregat quod non ſparſit, aut, ut apud Lucam eſt. Tollit quod non poſuit; cùm ſcriptum ſit: *Quid habes quod non accepiſti?* Sed ſervum pigrum ex ipſius opinione condemnat Dominus. Unde addit apud Lucam: *De ore tuo te judico ſerve nequam.* S. Thom. 2. 2. quæſt. 62. art. 4. ad 3. Deus, inquit, nihil requirit ab homine niſi bonum, quod ipſe in nobis ſeminaverit. Et ideò verbum illud, vel intelligitur ſecundum pravam exiſtimationem ſervi pigri, qui exiſtimavit ſe ab alio non accepiſſe (ſcilicet ſi quid boni operaretur ex talento: Nam de talento dicit: Ecce habes quod tuum eſt) vel intelligitur quantum ad hoc, quòd Deus requirit à nobis fructus donorum: qui ſunt

&

A

& ab eo & à nobis, quamvis ipſa dona à Deo ſint ſine nobis. Sic ille.

℣. 27. *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummulariis, & veniens ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura.* Hoc non dicit Deus hominibus talento non utentibus, ſed Dominus ille dives & avarus à quo ſumitur parabola, ſermo ſuo pigro qui talento non fuerat uſus ad lucrum. Significat autem parabola Deum à nobis exigere non lucrum uſurarium, ſicut ille Dominus; ſed verum & ſanctum, dum ſcilicet utimur donis ſcientiæ à Deo conceſſis ad lucrum animarum in quo glorificatur Deus. Certè huic Domino parabolico perinde erat, unde, aut quomodo ſervi lucrum facerent, ſive ex uſuris, ſive ex juſta negotiatione; eſtque illud impertinens ſcopo parabolæ, quare ea parte non debet applicari. Sequeretur alioqui, quod eſt abſurdiſſimum, nos teneri quærere lucrum ex uſuris.

B

℣. 29. *Omni enim habenti dabitur & abundabit.* Hinc colligunt quidam charitatem augeri per ſingulos actus, aut ſaltem ſingulis actibus hominem mereri augmentum charitatis. Sed id ex hac Scriptura non videtur ſtatui poſſe, quia hic de talento ſermo eſt, id eſt, de gratia gratis data, non de gratia gratum faciente. Item, non dicitur poſtquam proruperit in actum ferventiorem; ſed abſolutè; quod eſt contra S. Thomam. Neque ſenſus eſt, quod omni bene utenti gratia gratis data, addetur alia ſimilis gratia, vel quod augebitur ea quam habet; certum eſt enim hoc non ſemper fieri, maximè ſi quis ejuſmodi gratiâ temiſsè utatur: ſed ſenſus eſt, quod dabitur ei merces ampla pro bono uſu talenti à Deo accepti. Hoc enim præcedit: *Euge ſerve &c. quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Dicitur autem ei dari talentum à ſervo pigro ablatum; quia tam bene uſus fuit ſuis talentis, ac ſi etiam illud habuiſſet; & ita, quaſi pro illo bene expenſo, etiam mercedem accipit. Et nota quod non datur ei talentum ſervi pigri, ut in eo operetur, facturus Domino lucrum: ſed ut ipſe illud poſſideat: datur enim hoc ei pro mercede ſeu præmio.

C

℣. 30. *Inutilem ſervum.* Erant ergo priores utiles, tametſi nemo tam utilis ſervus, qui non ſe reputare debeat inter eos, qui jubentur dicere; *Servi inutiles ſumus*; ſcilicet ex nobis. Lucæ 17.

℣. 32. *Et congregabuntur ante eum omnes gentes.* *Quæritur*, an omnes omnino homines nemine omnino excepto. Fieri enim poteſt, ut omnes gentes congregentur, nec tamen omnes homines; ſi omnes quidem gentes nulla gente excepta, non tamen ſingulæ totæ omnino, nullis hominibus exceptis conveniunt. Verùm quia univerſale futurum eſt hoc judicium, & ut omnibus vel præmia reddantur vel pœnæ, nemine prorſus excepto; neceſſe eſt omnes judicari. Nam retributio fiet per judicium. Quare ne infantes quidem & amentes qui nihil propria voluntate egerunt boni & mali, hinc excipientur; ſed etiam in hoc judicio ſtabunt judicandi, & vel ob originale peccatum condemnandi, quia *peccatum ex uno in omnes in condemnationem*, vel pro dono juſtitiæ per Chriſtum acceptæ, ſalvandi. Auguſt. Homil. 50. cap. 4. excipit eos qui dimiſerunt omnia, & quibus dicitur: *Sedebitis & vos &c.* quia illi non judicandi ſunt, ſed judicaturi. His inquit, exceptis, cætera omnium hominum multitudo in duas partes dividetur. At dices: Infantibus dici non poteſt: *Eſurivi & dediſtis*, vel *non dediſtis, mihi manducare. Reſp.* illa verba non ad omnes dici, neque totam ſententiæ proferendæ cauſam continere; cùm certum ſit multa alia eſſe bona & mala opera, pro quibus ſunt homines judicandi. Unde docet Auguſt. lib. de fide & operibus c. 15. verba iſta: *Eſurivi, & non dediſtis &c.* ad ſolos illos pertinere qui crediderunt, ſed non ſecundùm fidem vixerunt, eoſdemque ſolos Domino reſponſuros. *Quando te vidimus eſurientem aut ſitientem —— & non miniſtravimus tibi?* Rurſum, inquies, crudele eſſe, ſi ob ſolum originale peccatum parvulis dicatur: *Ita in ignem æternum. Reſp.* ſub nomine ignis, cujus in pœnis ſumma eſt acerbitas, omnes pœnas inferni, quarum pro meritis maxima erit varietas, comprehendi; ſicut nomine regni in priori ſententia comprehenditur omnis gaudiorum varietas in regno cœleſti. Quamquam, ſicut ibi communis erit omnibus clara Dei viſio: ſic damnatis omnibus erit communis divinæ viſionis privatio.

D

℣. 34. *Poſſidete paratum vobis regnum*, Græcè *κληρονομήσατε*, id eſt hæreditate, & quaſi jure hæreditario accipite. Unde inferunt ſectarij noſtri. Ergo jure hæreditario debetur regnum filiis, & non propter operum merita. *Reſp.* Chriſtum hoc loco voluiſſe quod utroque modo filiis Dei danda ſit hæreditas regni cæleſtis, & jure filiationis, quia eo ipſo quo quis eſt filius Dei, hæres eſt regni; & propter opera juſtitiæ. Ideò enim additur: *Eſurivi enim & dediſtis, &c.* Opera autem neceſſaria ſunt in adulto & ſuperſtite, quia charitas quæ filium Dei conſtituit, non eſt otioſa, nec vacare poteſt à bono opere. Aliud eſt de infantibus, qui per infuſam gratiam Spiritus ſancti, digni quidem efficiuntur regno, quia tantus inhabitator dignos eos facit; ſed non merentur; quia meritum propriè non attenditur niſi in operibus.

A conſtitutione mundi. Atque paratum eſt ab æterno; ſed minus dicendo plus aliquid ſignificatum voluit. Vide Annot. Gal. 1. Ierem. 1. Tit. 1.

E

℣. 40. *Uni ex his fratribus meis minimis.* Cùm dicit; *Ex his &c.* Rex ſeu judex deſignat eos qui à dextris ſuis erunt, qui omnes erunt fratres Chriſti. *Minimos* autem ſignificat, qui inter eos erunt infimi, aut potiùs qui in hoc ſæculo inter Chriſtianos fuerint infimi, id eſt, abjectiſſimi humano judicio, ut ſolent reputari pauperes, & mendici, & afflicti. Dices. Ergo ſolis Chriſtianis iiſque bonis, erunt dandæ eleëmoſynæ mali enim non ſunt fratres Chriſti. *Reſpond.* non ſequi, Significatur enim talibus præcipuè dandam eſſe, monente Apoſtolo: *Operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* Galat. 6. Chriſtus enim imputat ſibi datum, quod talibus impenſum fuerit.

Uni ex his fratribus meis minimis. Et infrà: *uni de minoribus his.* Ex his locis accepta nomina, ni fallor, duorum ordinum mendicantium, quorum alter minorum, alter minimorum nuncupatur, tametſi in Græco utrobique eſt *ἐλαχίστων*, minimorum.

℣. 41. *Diſcedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Utraque pœna ſignificatur; & damni, & ſenſus. Damni, per illud; *Diſcedite à me.* Senſus, per iſtud: *In ignem æternum.*

℣. 42. *Eſurivi enim & non dediſtis mihi manducare.* Ergo mortale peccatum eſt, egentibus non dare eleëmoſynas, etiam extra caſum neceſſitatis extremæ; qui caſus rariſſimus eſt. Hic autem ſermo dirigitur ad ingentem multitudinem; Imò ad omnes, aut ferè omnes qui erunt à ſiniſtris. Commemorantur autem peculiariter opera miſericordiæ omiſſa; cùm tamen alia ſint multo digniora peccata, directè contra Decalogum commiſſa, ut Blaſphemiæ, hæreſes, perjuria, homicidia, adulteria &c. eaque proinde igne æterno multo digniora: ſed ideò, ut oſtendatur: quibus remediis potuiſſent alia peccata redimi; juxta id quod dicitur regi Chaldæorum Daniel. 4. *Peccata tua eleëmoſynis redime.* Quoniam ergo his remediis peccata impij non redemerunt, detruduntur in ignem æternum. Vide Annot. Ezech. 16. v. 49. Sed quare potiùs recenſuit Dominus opera miſericordiæ corporalia quàm ſpiritualia; cùm hæc illis ſint multo digniora? Primò, quia corporalia magis nota ſunt; magiſque in ſenſus incurrunt. Deinde quia magis communia;

A pauci enim ſunt, qui ignorantes docere, peccantes corripere, errantes in viam ſalutis revocare poſſunt; at plurimi qui eleëmoſynas corporales largiri, aut ſaltem calicem aquæ frigidæ poſcenti miniſtrare queant. Tertiò, quia nequaquam congruenter Dominus ſametſi in perſona membrorum minimorum dixiſſet: Erravi, & in viam ſalutis me reduxiſtis, peccavi, & corripuiſtis me; ignorans fui, & docuiſtis me. Hæc enim ejuſmodi ſunt quæ in Chriſti perſonam cadere non poſſunt, ſicut illa priora. Nam licet nuſquam legatur infirmus fuiſſe, ac fortaſſe nec unquam fuerit, potuit tamen in morbum incidere, ſicut & præ ſenio moriturus erat tandem, ſi non violenta morte è vivis fuiſſet ereptus. Sed quare non addit extremum illud, inter corporalia, miſericordiæ opus, dicendo: Mortuus fui & ſepeliiſtis me? Vide Reſponſ. apud Bellarminum in fine de purgatorio, ubi duas adfert rationes & S. Thom. 2.2. q 32. art. 2. ad 5. & ibi Bannes. An ratio, B quia ſepultura non impenditur homini, ſed tantùm corpori ejus mortuo; cætera ipſi homini?

CAPUT XXVI.

℣. 5. **D**Icebant autem, *Non in die feſta; ne fortè tumultus fieret in populo. Quæritur* an hæc poſtrema; *Ne fortè tumultus &c.* ſint verba concilij, an Evangeliſtæ. Videntur eſſe Evangeliſtæ, Nam ut ſint concilij, dicendum erat, *Non in die feſta, ne fortè tumultus fiat in populo.* Eadem quæſtio apud Marcum c. 14. Sed ſciendum quod in Græco apud Matthæum legatur γένηται, apud Marcum ἔσται, quod utrumque Eraſmus vertit: *fiat*; ut proinde videantur potiùs eſſe concilij verba, quàm Evangeliſtæ.

C ℣. 15. *Quidnam vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Quæri poteſt an Judas vendiderit Chriſtum, an verò tantùm operam ſuam locaverit ad ducendos Judæos ad locum ubi Chriſtum ſine tumultu capere poſſent? Non enim Chriſtum habebat in ſua poteſtate, ut vendere poſſet. Neque Judæi Chriſtum à Juda accipiebant velut emptum ab eo, ſed manibus & armis capiebant in loco ubi erat, & ad quem à Juda adducti erant. Unde non mirum ſi Judæ tantùm dederunt triginta argenteos; Nam pacti tantùm erant pro opera jam dicta.

Triginta argenteos. Tantùm valebant unde cœmeterium peregrinorum emi poſſet. Et tamen adhuc mirari ſubit, Judam hominem impiè avarum tam exiguo pretio contentum fuiſſe; D cùm ſciret principes ſacerdotum odio Jeſu vehementer incenſos. Adde etiam, divites, & ad nutum adminiſtrantes gazophylacia templi, facilè multò ampliùs daturos fuiſſe, ſi poſtularetur. Quod autem hi triginta argentei deſumpti fuerint ex templi gazophylaciis, inde apparet; quia poſteà dicebant: *Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt.* q. d. Deberentur quidem corbonæ unde ſumpti ſunt; ſed quia pretium ſanguinis facti ſunt, ideò non ſunt illuc remittendi. Vide F. Lucam in ſuo Commentario bene de hac reſcribentem. Triginta nummi erant pretium agri in ſepulturam peregrinorum.

E ℣. 19. *Ite in civitatem ad quemdam —— apud te facio &c.* Cùm his verbis Evangeliſtæ non cohæret quod Nicephorus lib. 1. c. 27. ſcribit Chriſtum noviſſimam cœnâ cum diſcipulis feciſſe in domo Ioannis Evangeliſtæ, quam habuerit Hieroſolymis, &c.

℣. 20. *Diſcumbebat cum duodecim Diſcipulis ſuis.* Hinc ſatis liquet etiam Judam interfuiſſe inſtitutioni S. Euchariſtiæ, quæ in illa cœna facta eſt; & proinde, etiam ſumpſiſſe corpus & ſanguinem dominicum. Sic & Marc. 14. *Veſpere autem facta, venit cum duodecim, & diſcumbentibus eis &c.* Item Lucas 22. *Diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo.* Idem ſatis manifeſtè indicat Ioannes. Vide Annot. Ioan. 13.

℣. 21. *Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus veſtrûm me traditurus eſt.* Veriſimile eſt Chriſtum priùs Euchariſtiam inſtituiſſe quàm de proditore loqueretur. Id non repugnat Matthæo & Marco, non enim dicunt quo ordine hæc geſta ſint. Conſonat autem cum Luca, qui de proditore narrat poſt inſtitutionem Euchariſtiæ; & ita quidem, ut ſatis ſignificet, ordine rei geſtæ poſteriùs factum. Idem colligi poteſt ex Ioanne. Atque hoc modo faciliùs oſtenditur Judam fuiſſe peccatorem occultum, quando Dominus ei dedit Euchariſtiam, ita ut nec Ioannes adhuc noſſet.

℣. 24. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille. Bonum* pro melius phraſi Hebræa; ſicut ibi: *Bonum eſt confidere in Domino quàm confidere in principibus*, & ſuprà cap. 18. *Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem &c. Melius* autem impropriè pro minus malo; ſicut illud: *Mare Ponticum dulcius cæteris* apud Plinium, id eſt, minus ſalſum. Neque enim non eſſe, propriè bonum eſſe cuiquam poteſt. *Quæritur* an idem de quocumque homine reprobo verè dicatur. Auguſt. lib. 5. cap. 15. art. 8. contra Julianum non putat dicendum de parvulis ſine baptiſmo mortuis; & ſubindicare videtur nec de aliis quibuſlibet rectè dici, ſed tantùm de hominibus inſigniter malis. Sed contra, ſatius videtur non eſſe, quàm in æternum ardere.

Si quæras, an ex his verbis Judas certus fuerit ſuæ damnationis. *Reſp.* non videri; tum quia non credidit, tum quia vim verborum non percepit. Et fortè, nec alij Diſcipuli hæc plenè intellexerunt. Nota etiam quod dicitur, *Bonum erat ei:* Nam nobis certè magnum bonum, per accidens fuit, illum hominem, per quem filius hominis traderetur in mortem, natum fuiſſe: quemadmodum pluribus locis ſignificat S. Auguſt. Eſt quoque ſimpliciter bonum illum hominem natum fuiſſe, quia Deus in illo oſtendere voluit juſtitiam ſuam, & eo uti ad magnum bonum. Vide B. Thomam, De potētia quæſt. 5. art. 4. ad ℣. ubi bene declarat, quo ſēſu iſtud ſit melius, & quo non melius.

Si natus non fuiſſet. Intelligitur natus in utero, ſicut ibi: *Quod enim in ea natum eſt*: vult enim Dominus ſignificare, quod melius illi erat nunquam fuiſſe, quam tale peccatum commiſſurum eſſe. Accipis autem homo eſſe in utero, per conceptum, ſeu potiùs per animationem.

℣. 25. *Numquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti*, id eſt. Id quod interrogando dixiſti, id ego affirmo ita eſſe. Non prodidit eum; ſed vel ita tacitè dixit, ut ſolus Ioannes audiret, vel clariùs quidem locutus eſt, ſed cum à multis ſimul, aut quaſi ſimul, interrogaretur; dicentibus. *Numquid ego ſum Domine?* & inter eos etiam Judas interrogares; non fuit animadverſum ad quem diceret: *Tu dixiſti.* S. Leo ſerm. 7. De paſſione Domini ſic Judam alloquitur: Ecce parcis auſibus tuis Dominus, & nulli te niſi tibi indicat Chriſtus: nec nomen tuum, nec perſona detegitur, ſed veritatis & miſericordiæ verbo cordis tui tantùm arcana tanguntur. Reſpicit S. Leo tantùm ad priora Domini verba Nam paulò pòſt dicit, quod poſteà manifeſtiùs eum deſignaverit, porrigendo buccellam. Sed de hoc vide Annot. Ioannis 13.

℣. 26. *Et benedixit.* Eraſmus vertit: *Et cum gratias egiſſet.* Græcè eſt εὐλογήσας, id eſt, cum benedixiſſes, nempe panem; & ita eandem vocem Græcam idem Eraſmus vertit in cap. 14. Marci. Ita enim Apoſtolus, *Calix cui benedicimus, nonne &c.* 1. Corinth. 10. ubi Græcè eadem vox eſt ὃ εὐλογοῦμεν, legitur tamen 1. Corinth. 11. εὐχαριστήσας, quod interpres vertit, *Gratias agens.* Similiter & Lucas. Marcus verò cum Matthæo habet εὐλογήσας. Vide Ianſenium. Improbabiliter noſtro judicio ſentiunt, qui hanc benedictionem putant fuiſſe ipſam conſecrationem corporis Domini; & dicunt referendam ad verba: *Hoc eſt corpus meum*:

quia

quia ex Græco patet benedictionem præceſſiſſe, quia dicitur *εὐλογήσας*, id eſt, *cum benedixiſſet, fregit & dedit dicens, &c.* quomodo & Concilium Trident. intellexit. Unde iſta benedictio fuit quædam invocatio cum gratiarum actione pro inſtitutione ſancti Sacramenti. Errant autem vehementer, qui putant hac benedictione, & non prolatione verborum, *Hoc eſt corpus meum*, Dominum conſecraſſe corpus ſuum. Sic & alibi, ubi Chriſtus dicitur panibus aut pueris benedixiſſe; bona imprecatio intelligitur. Quamvis enim Dei benedicere ſit benefacere; Chriſtus tamen, ut homo, ſicut multa petiit orando; ita & bene precatus eſt interdum, expectans effectum à Deo & ſimul effectum tribuens, ut Deus. Videatur autem utrum & hoc modo accipienda ſit illa benedictio, de qua 1. Corinth. 10 *Calix benedictionis cui benedicimus.* Vide ibidem noſtrum Comment. & ſuprà cap. 14. & 15.

Deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite. Et infrà: *Dedit illis dicens, Bibite ex hoc omnes. Dedit*, id eſt, porrexit. Nondum enim Diſcipuli habebant in manibus, aut in ore, quando Dominus hæc dicebat. Ait enim: *Accipite*, quod eſt porrigentis. Unde hinc non ſequitur Chriſtum protuliſſe ea verba, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus*; poſtquam illi jam acceperant de manu Domini, ea quæ porrigebantur.

Hoc eſt corpus meum. Oratio enunciativa eſt, eaque operatoria, ſive efficax ejus quod ſignificatur: velut ſi quis voluntate donandi dicat, Hic eſt ager tuus; hæc eſt veſtis tua. Et ſicut Chriſtus dixit, *Ecce filius tuus: Ecce mater tua*; quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Hic eſt filius tuus; Hæc eſt mater tua. Item ſi, quando aquam convertebat in vinum, dixiſſet; Hoc eſt vinum; fuiſſet enunciatio operatoria. Cùm enim Chriſtus ſit ipſa veritas, qui panem tenens manibus, dixit; *Hoc eſt corpus meum*: neceſſe eſt veram eſſe propoſitionem, vera autem eſſe non poteſt niſi fiat quod dicitur. Iam ſi quæritur, quid demonſtret *Hoc*: dicendum, demonſtrat, id quod prædicato ſignificatur: Talia enim ſunt ſubjecta, qualia permittuntur à ſuis prædicatis. Nec tamen ſenſus eſt, Corpus meum eſt corpus meum; ſed, hæc res demonſtrato corpore Chriſti, eſt corpus meum. Sicut ſi quis dicat, Hic eſt Ioannes; licèt Ioannes demonſtretur, non tamen ſenſus eſt, Ioannes eſt Ioannes, ſed hic homo eſt Ioannes. Item licèt nondum ſit corpus Chriſti, quando profertur pronomen *hoc*; vera tamen eſt propoſitio, quia in ipſo propoſitionis termino conſiſtit forma & veritas propoſitionis. Tunc enim completa eſt, &, ſi ſit operatoria vim ſuam ſortitur; ſicut propoſitiones aliæ ſimiles. Sicut & iſtæ, in contractu Matrimonij; Tu es uxor mea; Tu es vir meus. Denique, nulla eſt difficultas circa hæc verba conſecrationis, quæ non circa omnes alias operatorias propoſitiones moveri poſſit: niſi fortè dicat hæreticus non potuiſſe filium Dei convertere panem in corpus ſuum; quod ſumma eſt blaſphemia. Plura de hoc loco & ſeq. Vide in noſtro Comment. 1. Cor. 11. v. 23. & ſeq. item in 4. diſt. 8.

℣. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno patris mei.* Novum vocat vinum ſpirituale, nectar cæleſte, videlicet in ea menſa de qua dixit in eadem cœna, Lucæ 22. *Ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.* Vide Annotat. Lucæ 22 duobus locis, & in 4. diſt. 51. Malè quidam referunt ad ſumptionem potus cum diſcipulis pòſt reſurrectionem; quamvis enim fortè bene probent Chriſtum pòſt reſurrectionem cum diſcipulis non tantùm comediſſe, ſed etiam bibiſſe; quia Petrus Act. 10. dicit: *Qui manducavimus & bibimus cum illo:* Non tamen hic eſt ſermo de corporali illa bibitione; quia dicit, *Novum in regno patris.* Nam illud non erat novum hujus comparatione; & Apoſtoli nondum erant in regno patris; & Chriſtus bibit non

A quatenus in regno patris; ſed ad probandam reſurrectionis ſuæ veritatem. Imò in regno patris non edent neque bibent corporalem cibum aut potum. Cæterùm, ſanguinem ſuum conſecratum vocat vinum, ſicut corpus conſecratum, alibi panem; ſed cum emphaſi, *Hoc vinum, & hunc panem*; tum quia ex vino & pane facta, quomodo dicitur in Exodo: *Devoravit virga Aaron virgas magorum*: tum quia externa vini & panis ſpecies & operatio, in iis perſeverat; tum quia cum epitheto vocat vinum novum.

Cùm illud bibam vobiſcum novum in regno patris mei. Hinc colligunt quidam Iudam non interfuiſſe cœnæ, quando Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis corpus ſuum & ſanguinem. Non enim cum Iuda erat bibiturus in regno patris ſui. Sed infirma eſt collectio: loquitur B enim ad Apoſtolos in genere, ſive ad Apoſtolorum collegium; non ad ſingulos ex eo genere. Sic ſuprà cap. 19. dixit illis: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim &c.* ubi ſine dubio Iudas erat præſens. Eadem ratio de loco Lucæ 22 *Diſpono vobis ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraël*: quamvis ibi non dictum eſt. *Super thronos duodecim.* Vide ejus loci Annotat. & ſuprà cap. 19.

℣. 30. *Et hymno dicto.* Id eſt, cantato, Græcè *ὑμνήσαντες*, quod propriè cantum ſignificat. Unde Auguſtin. in Pſalm. 72. tradit cantum uſque adeò eſſe de ratione hymni, ut niſi cantetur, hymnus dici non poſſit. Et proinde Concilium Toletan. 4. cap. 12. de hymnis canendis in ſacro Officio, dicit nos exemplum Domini C habere. Eraſmus vertit. Et quum hymnum ceciniſſent. De hoc hymno, vide Baronium tom. 1. Annalium.

℣. 31. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte:* Scandalum paſſi ſunt, non tantùm fugiendo; ſed ideo maximè quia aſſumpta Chriſti infirmitas, quâ ſe etiam capi & malè tractari & occidi permiſit, fuit eis offendiculo. Et hoc modo omnes Apoſtoli in Chriſto fuerunt ſcandalizati, non habentes ſpem reſurrectionis ejus; uſque adeò ut eam factam ſibique annuntiatam credere noluerint, putantes eſſe deliramenta, quæ dicebantur à mulieribus, donec eis Chriſtus ipſe ſe redivivum exhiberet, & certis documentis probaret. Hinc patet figmentum eſſe, quod habetur in Evangelio Nazaræorum, & commemoratur ab Hieronymo in Ia- D cobo, eum juraſſe, ſe non guſtaturum panem ab ea hora, quâ calicem Domini biberat, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Sicut & alia quædam de eodem Iacobo ſatis probare non poſſum, ut quod veſte candida ſemper uſus, quod ſolus ingreſſus in ſancta ſanctorum. Non enim erat Sacerdos: &, ſi fuiſſet, non ſerviſſet ampliùs in templo legali, cujus obſervantiam per Chriſtum ſciebat abolitam. Vide quæ diximus in Annotat. de authore 1. Epiſtolæ Catholicæ S. Hieronym. lib. 2. contra Iovinianum cap. 14. *In paſſione Chriſti omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non fuit qui faceret bonum, non fuit uſque ad unum.* Hinc ſequitur etiam Ioannem, quamvis Chriſtum ſecutus fuerit in domum Pontificis, & poſteà ad crucem, ſcandaliza- E tum tamen fuiſſe.

Percutiam paſtorem &c. Ita etiam citatur Marci 14. At apud Zachariam cap. 13. dicitur, *Percute paſtorem*, ſed nulla eſt diſſonantia. Nam illud: *Percute*, dicitur ad frameam, de qua præceſſit, *Framea ſuſcitare &c.* Intelligitur autem framea Domini, & ad eam loquitur Dominus.

℣. 36. *Tunc venit Ieſus cum illis in villam quæ dicitur, Gethſemani.* Quomodo nocte potuit exire civitatem cum diſcipulis ſuis in villam? *Reſp.* propter ſolemnitatem paſchalem Iudæis undique confluentibus Hieroſolymam ad celebrandum paſcha; portæ civitatis, tota nocte relinquebantur apertæ: præſertim cum bellum tunc non eſſet in illis partibus, ſed pax & ſecuritas.

ỷ.38. *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*, id eſt, Ingenti triſtitia affectus ſum, & tam vehementi, ut ex ea perſeverante, mors conſequi nata ſit. Conſtat enim vel in Scripturis, triſtitiam vehementem & perſeverantem eſſe mortiferam. 2. Corinth. 7. *Triſtitia ſæculi mortem operatur.* Eccleſiaſtici 30. *Multos occidit triſtitia.* Verùm Chriſtus hanc triſtitiam tam intenſam & vehementem ſicut ſponte aſſumpſerat, ita paulò pòſt depoſuit, uſus ad hoc Angelica conſortatione, & conſolatione, de qua apud Lucam. Vide quæ de Chriſti triſtitia diximus in 3. ſentent. diſtinct. 15.

ỷ. 39. *Pater mi.* Meritò ac jure ſuo dicit, *Pater mi*; Non autem *Pater noſter*: ut bene annotavit Rupertus, exponens initium orationis Dominicæ. Longè enim alia ratione Chriſtus Dei filius eſt, alia nos: ille per naturam; nos per adoptionem. Ideò non debuit dicere, nec uſquam dixit, *Pater noſter*, ſicut nos dicere docemur.

Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat &c. Non dicit: Si potes, aut ſi tibi poſſibile eſt; ſicut dicebat pater ille filij lunatici. Marci 9. *Si quid potes, adjuva nos*; videlicet dubitans de Chriſti potentia: ſed, *Si poſſibile eſt*, id eſt, ſi res ipſa eſt de genere poſſibilium. Nam de iis quæ poſſibilia non ſunt, rectiùs dicas illa fieri non poſſe, quàm Deum ea facere non poſſe. Poſſibile autem hîc intelligitur ſenſu compoſito, quod conſiſtit cum æterno Dei decreto. Tale non erat calicem paſſionis à Chriſto tranſire, ut eum non biberet; erat enim patris decretum ut biberet; voluit tamen Chriſtus, qui ſciebat conditionem non ſubſiſtere, ſic orare: noſtræ conſolationis & inſtructionis cauſa; ut de non neceſſariis orantes, conditionem addamus, aut intelligamus, ſi vis, ſi ita placitum eſt tibi &c. Pro eo quod hîc dicitur: *Si poſſibile eſt*, apud Lucam legitur: *Si vis* c. 22. quod eſt hujus explicatio. Nam ſenſus eſt. Si eſt voluntas & decretum tuum; Nam alioqui non erit poſſibile: Nihil enim fieri poteſt, niſi tu volueris.

Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Indicatur trina voluntas in Chriſto, una quæ illi eadem eſt cum patre, eſtque ipſa eſſentia divina; cùm dicit: *Sed ſicut tu.* Altera humana, deſiderij naturalis; de qua dicit: *Non ſicut ego volo*; tertia humana, rationalis ac deliberata; ſecundùm quam dicit totum hoc: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Vide Annot. Lucæ 22. & Joannis 12. qui locus Joannis eſt huic perſimilis. Et hæc voluntas in Chriſto ſemper eſt divinæ voluntati conformis; non autem prior illa naturalis deſiderij. Nec tamen idcircò contrariæ ſunt hæ voluntates in Chriſto; quia ſic utraque fertur ſuo motu, ut neutra alteram impediat, ſed una alteri perfectiſſimè dominetur. Quamvis enim Chriſtus ſecundum voluntatem naturalis deſiderij vellet non pati & non mori, id tamen non erat ſimpliciter velle, ſed tantùm velle ſecundùm quid; abſolutè autem volebat pati & mori, nempè voluntate deliberata, quę hoc non minùs volebat propter ſenſum refugientem, ſed appetitui ſenſuali perfectè dominabatur, ut non moveretur niſi quantum ratio permittebat. Unde in Chriſto non erat pugna inter appetitum inferiorem & ſuperiorem, ſicut in nobis. Adhiberi hîc poteſt ſimilitudo de ſphæra prima & orbibus inferioribus, qui quamvis tendant in oppoſitum, non tamen motum primi mobilis impediunt, aut retardant: ſed potiùs ipſorum motus temperantur motu primo. Quomodo Chriſtus hîc fuerit exauditus, vide Annotat. Lucæ 19. & Hebr. 5. verſ. 7. ubi diſertè dicitur eum exauditum fuiſſe, ſed id aliò referendum. Vide etiam in 3. diſt. 17.

ỷ. 40. *Sic non potuiſtis una hora vigilare mecum?* Multi codices (*ſic*) legunt ſeorſum cum interrogatione; deinde, *non potuiſtis &c.* Videtur tamen rectè legi continua oratione; pro eo quod Latinè diceretur; Adeòne non potuiſtis una hora &c.

ỷ. 41. *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem*, id eſt, Ne ſuccumbatis tentationi, quæ mox ſuperveniet. Certiſſimè igitur non erant in Chriſto ſcandalum paſſuri, ſi vigilaſſent & oraſſent, ſicut juſſi erant facere. Non ergo neceſſitatem peccandi attulit eis prædictio Chriſti, quâ dixerat: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me, in iſta nocte.*

ỷ. 49. *Et oſculatus eſt eum.* An Dominus viciſſim fuerit Judam oſculatus, id eſt, oſculum ei impreſſerit, ex Evangelica hiſtoria non liquet. Ac ſanè non eſt veriſimile quod proditorem ſuum tanquam amicum oſculatus fuerit, quia non oſculo ibi, ſed correptioni magis locus erat. Unde dixit ei: *Amice; ad quid veniſti?* & ſecundum Lucam: *Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Canit quidem Eccleſia in Officio feriæ 5. Cœnæ Domini, quod Dominus ut agnus innocens non negavit Judæ oſculum, & Cyprianus in lib. de bono Patientiæ, dicit quod Chriſtus traditoris oſculum non recuſavit, & Aug. lib. de Patientia c. 9. quod labiis ejus doloſis non negavit oſculum pacis; Sed inde tantùm habetur quod Chriſtus, Judam ſe oſculari volentem, non repulerit, ſed oſculum ejus patienter acceperit atque admiſerit; non tamen reoſculando. Sic Ambroſ. in Lucam: Suſcipit oſculum traditoris. Quod autem apud Hieronymum legitur in Epiſtola 45. ad Antonium, quod Chriſtus traditorem oſculo excepit, in eundem ſenſum accipiendum eſt; cùm Hieronymus, hoc, ut exemplum adferat humilitatis Chriſti.

ỷ. 51. *Et percutiens ſervum principis, amputavit auriculam ejus.* *Quæritur*, an & quantum peccaverit Petrus hoc facto. Peccaſſe eum oſtendit increpatio Domini: peccaſſe autem eum mortaliter apparet, quia mutilare proximum aliquo membro contra ordinem juſtitiæ, peccatum mortale eſt; quod autem contra juſtitiæ ordinem Petrus hoc fecerit, apparet ex illa Domini reprehendentis ſententia: *Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*: Quod utique de uſu gladij contra ordinem juſtitiæ, intelligendum conſtat. Quæ eadem ſententia ſignificat peccare mortaliter omnes qui gladium dicto modo acceperint. Nam gladio utens cum peccato tantùm veniali, non cenſetur dignus qui gladio pereat. Adde quod Petrus videtur gladium vibraſſe in caput Malchi, ut ictum daret lethalem; ſed illo declinante tantùm auriculam ejus abſcidiſſe; ergo, quod ad voluntatem attinet & facti intentionem, homicida erat. In contrarium tamen adferri poteſt, quod Petrus hoc fecerit per modum defenſionis, & non invaſionis, licèt non cum moderamine debito, neque expectato reſponſo Domini; ut proinde videatur factum ejus licèt meritò culpabile, poſſe tamen excuſari à peccato mortali. Cui accedit quod Patres hoc peccatum non adeò exaggerant, quaſi per hoc Petrus gratiam amiſerit; ſed tunc demum mortale peccatum admiſiſſe, & reum mortis æternæ factum, gratiamque amiſiſſe, quando Dominum ſuum negavit. Unde non legitur Petrus egiſſe pœnitentiam cum lacrymis de priori hoc facto, ſed tantùm de poſteriori; de quo dicitur infrà: *Et egreſſus foras flevit amarè.* Non potuit autem veram agere pœnitentiam pro uno peccato mortali ſine alio; non videtur ergo in priori conſcientiam habuiſſe mortalis peccati, quando deflevit alterum. Item, fecit pro defenſione ejus quem ſciebat eſſe Dominum omnium; & fortè præſumebat ejus conſenſum; quia dixerat, *Domine num percutimus in gladio?* & ſilentium Domini habuit pro conſenſu, maximè quia videbatur urgere neceſſitas. Item Petrus meminerat Dominum eadem nocte dixiſſe: *Vendat tunicam ſuam & emat gladium*; Lucæ 22. Ex quo colligebat id præceptum datum, ut gladio ſe defenderent & Dominum ſuum; aut ſaltem id fuiſſe permiſſum.

ỷ.52.

℣. 52. *Converte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Sunt qui hoc loco abutantur ad oſtendendum nullum bellum eſſe juſtum, non intelligentes ſe eadem ratione legitimo magiſtratui gladium è manibus excutere; de quo tamen ab Apoſtolo dictum eſt; eum non ſine cauſa gladium portare. Chriſtus igitur hac ſententia neque bellum prohibet, quod juſta neceſſitate geritur; neque gladium juſtitiæ damnat, quem pro defenſione reipublicæ, ad terrorem & punitionem malorum gerit magiſtratus: ſed omnem uſum gladij aut cujuſcumque alterius inſtrumenti invaſivi, aſſumptum propria ac privata authoritate; cùm punitio hominum noxiorum, non ad unumquemlibet, ſed ad publicam poteſtatem pertineat: unde hac ſententia non aliud prohibetur, quam 5. præcepto Decalogi: *Non occides.* Illud autem: *Gladio peribunt*, Alij ſic intelligunt; meritò gladij malè uſurpati, peribunt. Alij ſic, & (ut appareret) convenientius, digni ſunt & hoc merentur ut gladio pereant, per legem talionis. Similis ſententia eſt Geneſ. 9. ubi quaſi lex naturæ à Deo promulgatur; *Qui fuderit humanum ſanguinem &c.* & Apocal. 13.

℣. 53. *Pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Quot milites unaquæque legio antiquitus habuerit, vide apud Alexandrum ab Alexandro lib. 1 Genialium dierum cap. 5. Nam quod dicunt de 6666. ille non habet, ac neſcio an quiſpiam vetuſtus auctor hoc tradat. Vegetius de re militari lib. 2. c. 6. Decem cohortibus legio plena fundatur; quæ habet pedites ſex millia centum; equites ſeptingentos viginti ſex. Additio Cenſoris.

℣. 61. *Duo falſi teſtes, & dixerunt; Hic dixit, Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Tale quid revera dixerat Ioannis 2. *Solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Sed hoc dixit *de templo corporis ſui*, ut declarat ibidem B. Ioannes. Poterat etiam deſtruere templum illud materiale; & deſtruxit per ſeditioſos & Romanos. Dicuntur tamen falſi teſtes, quia dicta immutabant, & aliò referebant.

Poſſum deſtruere templum Dei. Hoc peculiariter & ſtudioſè ei objectum fuit, ut redderetur exoſus plebi; quæ confidebat in templo, & de ejus deſtructione nolebat audire. Hinc dicebant ei pendenti in cruce: *Vah qui deſtruis templum Dei.* Et veriſimile eſt *principes Sacerdotum & ſeniores*, de quibus dicitur: *quod perſuaſerunt populis ut peterent Barrabam, Ieſum verò perderent*; hac præcipuè ratione id perſuaſiſſe, quod dixiſſet Ieſus *ſe deſtructurum templum Dei*, ut addit Marcus, *manufactum*; & pòſt *triduum ſe excitaturum aliud non manufactum*; tanquam dixiſſet, Iſtud manufactum non reædificabitur ampliùs.

℣. 63. *Si tu es Chriſtus filius Dei?* Duo interrogat; unum, an eſſet Chriſtus, nam Chriſtum Judæi expectabant. Alterum, an eſſet filius Dei quod quidem Judæis, Scripturas non intelligentibus, longè erat odioſius. Nam myſterium Trinitatis neſciebant. Et quia *filium Dei*, propriè intelligebant, ſcilicet naturalem filium, ideò ex eo quod Chriſtus diceret, aut ſignificaret ſe filium Dei, colligebant quod æqualem ſe faceret Deo. Hinc ſtatim exclamavit Pontifex. *Blaſphemavit*, id eſt dixit injuriam Deo, cui ſe fecit æqualem, affirmando ſe filium Dei. Nam illud, *Blaſphemavit*; non puto referendum ad illud quod ſe Chriſtum fateretur, verè enim Chriſtum expectabant Judæi; ſed quod ſe fateretur eſſe filium Dei. Nam Chriſtum purum hominem exiſtimant, & filium Dei omninò negant.

℣. 64. *Et venientem in nubibus cæli.* Id eſt, in candore circumfuſo, qualis eſt ſplendentis & candidæ nubis. Nec enim veriſimile eſt veras nubes tunc in aëre futu-

A ras, quando ceſſante hujus ſæculi curſu; mundoque renovato, ceſſabit omne hoc genus meteororum. Vide noſtr. Comment. Philip. 2. v. 10.

℣. 65. *Tunc princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemavit.* Non videtur peccaſſe in legem Levit. 21. ſed peccavit faciendo hoc ex indebita cauſa. De quo vide Annotat. 1. Machab. c 1.

℣. 69. *Et tu cum Ieſu Galilæo eras.* Et mox: *Et hic erat cum Ieſu Nazareno.* Sic alibi quoque Chriſtum, Galilæum; frequentiùs autem Nazarenum vocaverunt Judæi, etiam illi qui eum venerabantur, ut ſuprà c. 21. pia turba reſpondet: *Hic eſt Ieſus propheta à Nazareth Galilææ*, & Marci 10. de cæco: *Cùm audiſſet quia Ieſus Nazarenus eſt, &c.* Dæmones quoque ſupplices & tremebundi dicebant ei Marci 5. *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene?* Quam appellationem & in titulo crucis univerſa Eccleſia veneratur. At Galilæum,
B quod eo nomine quaſi per contemptum gentis diceretur, ferè à ſolis improbis & malevolis dictum legimus, ut hoc loco, & Ioan. 8. *Numquid & tu Galilæus es?* Hoc enim Nicodemo loquenti pro Jeſu, dicitur ab iis qui de Jeſu, ut Galilæo, cum aſpernatione loquebantur. Quorum exemplum ſecutus Julianus Apoſtata, ſicut illi Nicodemum Chriſti diſcipulum, ita Chriſtianos omnes deſpicabili nomine Galilæos vocitavit. Notandum eſt autem, Judæos etiam pios, qui de ortu Chriſti non ſatis erant inſtructi, non ſine errore aliquo Chriſtum vocaſſe Galilæum vel Nazarenum. Quamvis enim Chriſtus duplici ratione verè Galilæus & Nazarenus eſſet; ſcilicet quia in Nazareth conceptus ac natus in utero; ibi enim verbum caro factum
C eſt; Et quia in Nazareth, atque omninò in Galilæa, fuerat educatus; non tamen Galilæus aut Nazarenus erat, prout illi opinabantur, ſcilicet quod ibi natus atque in lucem editus eſſet. Ibi enim natum credebant, ubi educatum ſciebant, nihil de Bethlehem nativitatis ejus loco ſuſpicantes, unde de turba quidam Ioannis 7. dicebant, *Numquid à Galilæa venit Chriſtus: Nànne Scriptura dicit quia ex ſemine David, & de Bethlehem caſtello ubi erat David, venit Chriſtus?* & ibidem, Pontifices & Phariſæi ad Nicodemum. *Scrutare, & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Nec, id hoc Nicodemus quid reſponderit, narratur ab Evangeliſta; quia ut veriſimile eſt, ipſum quoque Nicodemum tunc adhuc latuit, ubi Chriſtus natus eſſet. Hæc enim res certo Dei conſilio ad tempus celabatur, donec completum
D eſſet redemptionis noſtræ myſterium.

Et tu cum Ieſu Galilæo eras. Intellige, ut diſcipulus. Sic enim Ioannis 18. dixiſſe referuntur: *Numquid & tu ex diſcipulis ejus es?* Petrus igitur reſpondens, *Neſcio quid dicis*; Et *Quia non nouiſſet hominem*: non quomodocumque negat ſe Chriſtum noſſe, ſed negat ſe ejus eſſe diſcipulum; & conſequenter, illum eſſe ſuum magiſtrum. Unde patet gravitas peccati hujus negationis. Quod autem mortaliter peccaverit, patet tum ex amaris ejus lacrymis; tum quia dictum ei erat, *Et aliquando converſus, &c.* Fuit ergo per hoc peccatum averſus à Deo; quod non fit niſi per peccatum mortale.

E ℣. 70. *At ille negavit coram omnibus.* De negatione multa commentatur Ambroſ. ſuper Lucam in fine operis, & ita loquitur quaſi Petrus negando Chriſtum, non peccaverit ſaltem mortaliter. Sed videtur Ambroſius revera peccare in hoc, quod peccatum Petri pro quo ille flevit amarè, nimium extenuet. Tale quid etiam apud Prudentium legitur in hymno ad Galli cantum, his verſibus; Flevit negator denique ex ore prolapſum nefas, cùm mens maneret innocens, Animuſque ſervaret fidem. Et mox: Caotuq́ue galli cognito, Peccare juſtus deſtitit. Sed ſenſum Prudentij hunc eſſe puto, quod mens Petri fuerit innocens quoad fidem, & bonum affectum erga Chriſtum, Dominum ac ma-

magiſtrum ſuum ; quia ſolo metu adactus voce tenus eum negavit. Unde & S. Leo in quodam ſermone dicit, Petri non charitatem everſam fuiſſe, ſed conſtantiam turbatam: charitatis nomine, amorem quo magiſtrum ſuum proſequebatur, intelligens. Non enim dum negarat, amare deſiit ; quamvis minus eum amaret, quàm vitam ſuam corporalem. Unde Auguſt. in Tract. de 4. feria, c. 5. Suſcepta eſt charitas ; deleta eſt iniquitas : rediit amor, & fugatus eſt timor.

℣. 27. *Quia non novi hominem.* Ambroſ. in Lucam, excuſat Petrum quod non Deum, nec Chriſtum ; ſed hominem tantùm negaverit. Quam interpretationem Hieronymus meritò rejicit, ut quæ mendacem faciat Salvatorem &c. Epiſt. 149. ad Marcellam. Imò ipſe Ambroſ. tandem agnoſcit non poſſe excuſari ; quia Petrus flendo culpam faſſus eſt.

CAPUT XXVII.

℣. 2. ET *tradiderunt Pontio Pilato Præſidi.* Pilatus Romanum nomen eſt, ductum à Pilo, quod erat teli genus Romanis peculiare ; quo qui utebantur, etiam *Pilati* interdum vocati leguntur. Martialis lib. 10. Epigr. Et Pilata redit, jamque ſubitque cohors.

℣. 3. *Videns Iudas qui eum tradidit, quod damnatus eſſet ; pœnitentia ductus.* Illud : *Quod damnatus eſſet* a licet ad Iudam referre quis poſſit ; rectiùs tamen ad Chriſtum refertur, qui jam in concilio principum Sacerdotum declaratus erat reus mortis, & ducebatur, ad Pilatum, ut Sacerdotum ſententiam, ſua ſententia & executione ratam faceret. Nam ipſe Iudas ſuam damnationem, quoad animam, tunc non magis videtur cognoviſſe, quàm anteà, quando dicebatur : *Melius eſſet homini illi, ſi natus non fuiſſet.* Hinc apparet infidelitas Iudæ. Quamvis enim ſciret Ieſum ſæpè fuiſſe elapſum è manibus eorum, qui volebant eum tenere & occidere : ac fortè putaret etiam elabi poſſe, poſtquam captus & vinctus eſſet ; ſcilicet ea virtute & arte, quâ mirabilia faciebat, unde dixerat, *ducite eum cautè.* Tamen poſtquam damnatus jam erat, exiſtimabat eum non poſſe evadere, ſed omninò tollendum è medio. Hinc animi dolor & deſperatio, quod hominem innocentem & juſtum & magiſtrum de ſe optimè meritum, in certum illud vitæ periculum adduxiſſet. Quidam opinantur id quod hîc narratur, contigiſſe poſt mortem Domini ; quia, inquiunt, principes Sacerdotum & ſeniores, ut verba ſuperiora, & totius hiſtoriæ paſſionis Domini contextus declarat, tam conſilio capiendo, quàm opere occupati erant in procuranda morte Chriſti ; idque ab ea hora, quâ in manus eorum traditus fuit, uſque dum in crucem ſublatus eſſet ; ut veriſimile non ſit eos intereà templum adiiſſe, in quo Judas narratur, audito eorum reſponſo, projeciſſe argenteos, pretium ſacrilegæ traditionis. At iſta non convincunt. Primùm enim non hîc dicitur Judam adiiſſe principes Sacerdotum & ſeniores in templo; potuit enim alibi congregatos adiiſſe, & reſponſo eorum in deſperationem actus accurriſſe ad templum, & ibi ante pedes miniſtrorum templi, velut in gazophylacium reponendos, argenteos projeciſſe. Fieri etiam potuit ut ex principibus Sacerdotum & ſenioribus aliqui propter neceſſitatem ſacrificiorum relicto concilio, in quo de Jeſu perdendo tractabatur, ad templum abierint, apud quos acta ſint, quæ de Juda hoc loco narrantur. Hæc autem contigiſſe ante mortem Chriſti ex eo liquet, quod non dicat Evangeliſta Judam vidiſſe, quòd mortuus eſſet Jeſus, aut quod crucifixus, ſed quòd damnatus eſſet, ſcilicet in concilio Iudæorum ; unde non dubitabat quin etiam ſententia Præſidis eſſet condemnandus, quod ſciret Iudæos non quieturos, donec condemnationem ejus à præſide extorſiſſent. Item non fuiſſet occaſio narrandi hoc loco, niſi contigiſſet circa hoc tempus. Nam quod ſubjungit : *Conſilio autem inito* ; id narrat per connexionem quamdam cum præcedentibus, licèt poſteà factum fuerit.

Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos. — Peccavi, tradens ſanguinem juſtum. Hæc pœnitentia Iudæ ; quamvis eatenus vera fuerit, quod factum ex animo diſpliceret, idque habita conſideratione excellentis innocentiæ Chriſti, contra quem peccatum erat, ut probant illa verba ; *Peccavi, tradens ſanguinem juſtum* : non tamen ſalutaris fuit, eò maximè quia deerat ſpes veniæ. Sed nec proceſſit ex amore Dei : nam & homo infidelis ex impulſu & ſtimulo conſcientiæ dolere poteſt, ſi hominem innocentem & de ſe optimè meritum inſigni injuria affecerit, atque ex animo dicere, Peccavi, quod hæc & illa contra eum fecerim. S. Leo dicit Iudam in hac pœnitentia peccaſſe.

℣. 5. *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Incertum planè quod quidam dicunt, ſi diſtuliſſet conceptum ſcelus ſuſpendij, uſque ad Chriſti mortem & effuſum ſanguinis ejus pretium in cruce ; futurum fuiſſe ut veniam conſequeretur. Nam Chriſti meritum etiam ante ejus mortem multis profuit ad ſalutem; & poſt ejus mortem quàm multis non profuit? Pilato, Herodi principibus Sacerdotum, aliiſque Iudæis, qui multi permanſerunt in ſua infidelitate : *Cujus enim vult, miſeretur ; & quem vult, indurat.* Rom. 9. Et ex duobus latronibus cum Chriſto crucifixis unus converſus, alter derelictus. Itaque res prorſus incerta, pendens ex Dei voluntate nobis incognita.

℣. 7. *Conſilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum.* Omninò veriſimile eſt poſt mortem Chriſti factum eſſe. De quo vide Annotat. Actor. 1.

℣. 9. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Ieremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiaverunt à filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.* Verba iſta apud Ieremiam nuſquam leguntur, ſed inveniuntur apud Zachariam 11. Ex quare, & ſimilibus teſtimoniis quidam concedendum putant ; in minutis quibuſdam, Evangeliſtas alioſque ſcriptores memoria lapſos errare potuiſſe. Sed abſit ut cum illis ſentiamus vel minimum errorem in ſacris litteris reperiri ; quas integras non dubitamus, Spiritu Sancto inſpirante, conſcriptas eſſe. Proinde reſpondendum, vel Matthæum reſpexiſſe ad factum Ieremiæ cap. 32. ubi legitur agrum numerato pretio emiſſe, quo facto quandã geſſit figuram ejus, quod hîc narratur: vel certè, nomen Ieremiæ inſertum fuiſſe ab iis qui apud alium neminem prophetarum hoc teſtimonium invenerant. Cùm enim in primitiva Eccleſia ſola tranſlatio ſeptuaginta in uſu eſſet, in qua apud Zachariam hujus teſtimonij vix veſtigium invenitur; pro Zacharia, ſcriptores Ieremiam poſuerunt quod apud eum fiat venditi agri mentio, ut diximus. Vide Annot. cap. 23. ad illud, filij Barachiæ. Neutrum videtur ſcripſiſſe Matth.

℣. 11. *Et interrogavit eum Præſes.* Non eſt improbabile Chriſtum cum Præſide locutum lingua Græca, quæ tunc erat valdè communis. Nam Pilatum hominem Romanum calluiſſe Hebraicam, ſeu Syriacam linguam non admodum veriſimile eſt : Neque enim Romani ferè præter ſuam Romanam alias linguas diſcebant, quàm Græcam. Quod ſi mitterentur in provinciam peregrinæ linguæ, utebantur interpretibus. Quare, niſi dicas Pilatum hîc interprete uſum, fit perquam probabile, Chriſtum Græcè cum eo collocutum fuiſſe. Nam quod titulum crucis Dominicæ Pilatus ſcripſiſſe legitur (*erat autem ſcriptus Hebraicè, Græcè, & Latinè*,) ut teſtatur Ioannes cap. 19. intellige factum juſſu ejus, non manu. Rurſum quod referunt Evangeliſtæ Pilatum allocutum fuiſſe principes Sacerdotum

dorum & ſeniores ſeu magiſtratus, ipſamque plebem : intelligi poteſt Græcè factum. Siquidem primarij quique viri Judæorum atque etiam multi è vulgo, Græcè ſciebant. Unde legimus Act. 21. & 22. cùm Paulus in tumultu alloqueretur multitudinem Judæorum lingua Hebræa, eos magis præſtitiſſe ſilentium, quia nimirùm gratior auditu eis erat ſua Gentilis patria lingua ; tametſi jam ante, cùm exiſtimarent eum Græcè locuturum, magnum feciſſent ſilentium, velut audituri eum & intellecturi. Quo loco & illud notandum quod tribunus Paulo ſibi dicenti, *Num licet mihi loqui aliquid ad te?* Reſpondit : *Græcè noſti?* q. d. Audiam te libenter ſi Græcè loqui potes. Quippe ſignificabat ſibi moleſtum fore, ſi Hebræa lingua, quam minus intelligebat, Paulus ipſum alloqueretur ; erat enim tribunus, homo gentiliſsimò Romanus, ut apparet ex prænomine ; vocabatur enim Claudius Lyſias.

Tu es rex Iudæorum? Verè quidem etiam erat rex Gentium ; ſed Pilatus hoc tantùm interrogat, de quo Dominus accuſabatur. Deinde peculiari ratione erat rex Judæorum, quia Judæis erat promiſſus vocibus Prophetarum, tanquam eorum rex & princeps futurus. Meritò igitur hoc faſſus eſt, quod clariſſimè de eo Prophetæ prænunciaverant. Ne tamen præſidi daret occaſionem ſuſpicandi de regno terreno ; ſe ipſum apertè expoſuit apud Ioannem, dicens : *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Dixit illi Ieſus : Tu dicis. Non reſpondet ad mentem interrogantis : quærebat enim ille de regno terreno. Verùm hoc ipſum apud Ioannem interpretatur, dicens, *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* *Quæritur* an Chriſtus fuerit rex Judæorum, quoad regnum temporale ipſius populi, jure ſucceſſionis ex David cæteriſque regibus? *Reſpond.* non fuiſſe; quia regnum jam pervenerat in poteſtatem Romanorum, & Tiberius verè ipſorum princeps erat, de quo ipſe Chriſtus, *Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari.* Licèt enim fortè per vim armorum Romani Judæam provinciam occupaſſent ; tamen partim populi conſenſu, partim tractu temporis facti ſunt Judæorum veri Domini ; ſicut in aliis multis regnis contingit. Deinde, etiamſi detur regnum debuiſſe jure deferri alicui ex poſteritate David ; non tamen conſtat jure propinquitatis ad Jeſum Mariæ filium pertinuiſſe : poterant enim alij ordine ac lege ſucceſſionis eſſe propinquiores. Vide Annot. infrà cap. 28. v. 18. & Ioan. 20.

℣. 9. *Miſit ad eum uxor ejus.* Hugo q. 20. ſuper 1. Corinth. putat hoc ſomnium uxori Pilati immiſſum à diabolo; cui tunc erat, ut ait, revelatum, quod per mortem filij Dei, jus ſuum perderet. Puto id pugnare cum loco 1. Cor. 2. *Si enim cognoviſſent &c.* Vide ibi noſtr. Comment.

Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. *Per viſum.* Græcè κατ' ὄναρ, id eſt, in ſomnis, per ſomnium, per viſionem oblatam inſomno. Fortè per viſionem terrores ei immittebantur, cum ſignificatione quod eos pateretur, propter injuriam homini juſto à marito ſuo illatam. Quæ viſio prognoſtica fuit exilij & malorum, quæ ipſa cum marito ſuo paſſura erat, in ultionem hujus tam injuſti judicij. Dicit ; *Hodie*, comprehendens in die præſenti noctem præcedentem, maximè ſecundum Iudæos, quibus dies naturalis incipiebat à veſpera. Dicit aliquis contra id quod diximus, à bono Angelo immiſſum fuiſſe ſomnium, non à malo : Bonus Angelus non erat ignarus conſilij Dei, quod per mortem Ieſu eſſet redimendum genus humanum : ergo noluit hic impedire, & proinde non fuit auctor uxori Pilati ut ſuggereret viro ne Chriſtum adjudicaret morti. *Reſpondeo* bonorum Angelorum qui ſunt hominum cuſtodes, eſt ſuggerere bona, etiamſi ſciant homines ea non facturos, & Deum mala voluntate hominum uſurum ad aliquod excellentius bonum ;

A quàm ſi id quod ſuggerebant, factum fuiſſet. Quâ in re ſimiles ſunt Deo, à quo eſt omnis bona inſpiratio ; etiamſi decreverit peccatum hominis inſpirationem bonam repellentis, permittere, ad majorem nominis ſui gloriam. Similes etiam Chriſto Domino ; qui Iudæos perſecutores ſuos ad fidem & pœnitentiam hortabatur, quorum tamen mala & impœnitenti voluntate cogitabat uti ad perficiendum opus; cujus gratia miſſus erat à Patre. *Fuit* autem hujus ſuggeſtionis etiam ille uſus quod per eam Chriſti innocentia fuit declarata, dicente muliere : *Nihil tibi & juſto illi.* Oportebat enim, ad manifeſtationem malitiæ Iudæorum, innocentiam Chriſti multis modis, & per multos declarari; ut per Iudam, Pilatum, uxorem ejus, centurionem, turbas ſequentes ipſum &c. Sed cur potiùs uxor monitus, quàm ipſe Pilatus? an quia dignior hujuſmodi admo-
B nitione? fortè enim Iudæa erat; ſicut Druſilla uxor Felicis præſidis Act. 24.

℣. 22. *Quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus?* Cur addit, *Qui dicitur Chriſtus?* Quidam additum putant diſtinctionis cauſa, quod etiam Barabbas proprio nomine vocatur Ieſus ; erat enim illud nomen multis commune, ut patet ex Ioſepho, & iis quæ diximus in Annotat. cap. 1. Nam Barabbam dictum exiſtimant, cognominativè, ſicut Petrus dictus eſt Barjona ; & ſicut Nathanaël, Bartholomæus. Alij rationem hanc adſerunt, ut Chriſti appellatione temperaret furorem expetentium Ieſum ad mortem. Unde & ait apud Ioannem. *Vultis dimittam vobis regem Iudæorum?* Et iterum; *Ecce rex veſter.* Et tertiò, *Regem veſtrum cruci-*
C *figam?* Ioan. 19.

℣. 24. *Lavit manus coram populo, dicens ; Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Hæc proteſtatio quod eſſet facto contraria, nihil prodeſſe potuit Pilato ad facti ejus excuſationem: tametſi, quia invitus & metu tumultus adverſum ſe conciliandi adactus, Chriſtum morti adjudicavit ; minùs peccavit quàm Iudæi, qui eum ipſi ex odio & invidia tradiderunt, Chriſto teſte quum ait ; *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.* Ioan. 19.

℣. 25. *Et reſpondens univerſus populus dixit : Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* Id eſt, mors ejus vindicetur in nos & in filios noſtros, ſi hic eſt inno-
D cens. Itaque vindicta conſecuta eſt, tam malorum temporalium, quàm ſpiritualium in eos & filios eorum ; quia poſt multa mala ſeditionum, cædium, famis &c. venerunt in poteſtatem Romanorum, & venditi ſunt in captivitatem, & uſque hodie ſunt ſervi & exules, & toto orbe diſperſi, & exoſi omnibus hominibus ; & , quod graviſſimum eſt malum, derelicti à Deo in ſua perfidia & obſtinata malitia, ita ut difficilè, vel pauci ex illis convertantur ad fidem Chriſti. Neque hæc vindicta Dei injuſta eſt in filios eorum; tum quia per hanc filiorum miſeriam & derelictionem, parentes puniuntur ; ſicut Cham punitus in Chanaan & poſteris ejus : tum quia ratione peccati originalis omnes obnoxij ſunt calamitatibus hujus vitæ; tum quia gratia vocatio-
E nis ad fidei veritatem nemini debetur.

℣. 26. *Ieſum autem flagellatum tradidit eis &c.* Quidam ſpeculationibus ſuis plus ſatis dediti ſcripſerunt, Chriſto quando flagellatus fuit, inflicta fuiſſe pluſquam quinque millia plagarum. Sed id vanum eſſe, & ex indiſcreta devotione confictũ, vel ipſa ratio convincit. Primùm, ad inferendas tot plagas, non una hora, nec duæ nec tres ſufficiebant ; cùm tamen Pilatus non tamdiu fuerit remoratus principes populi, ipſumque populum poſcentem eum ad necem. Deinde quia Romano more id fieri juſſit Pilatus per ſuos lictores, id eſt, Gentiles ; qui non habebant cauſam ita ſæviendi, cùm non eſſent accenſi invidia & odio illius hominis, ſicut Iudæi. Imò Pilatus, qui ſatagebat eum liberare, & cauſam in eo mortis non reperiebat ;

ullo

nullo modo paſſus fuiſſet eum ſic toto corpore crudeliſſimè laniari. Adde quod pòſt tot millia plagarum, non ſit naturaliter poſſibile hominem vivere; & quia plagæ omnes juxta illos Scriptores ſanguineæ erant; univerſus ſanguis totius humani corporis non ſufficeret tot plagis ad emanandum: itaque fuiſſet corpus Chriſti relictum prorſus exangue. Unde patet hujuſmodi ſpeculationes non tantùm veritati, ſed & rationi prorſus repugnare.

℣. 27. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium &c.* Hi Gentiles erant, non Judæi, qui Chriſtum flagellarunt, ſpinis coronarunt, illuſerunt dicentes; *Ave rex Iudæorum*; qui in faciem expuerunt, & arundine caput ejus percuſſerunt; denique crucifixerunt: juxta id quod Chriſtus prædixerat, ſuprà cap. 20. *Et tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum.* Marcus addit: *Et conſpuent eum.* Lucas. *Et conſpuetur.*

℣. 29. *Et plectentes coronam de ſpinis.* Quidam putant Chriſtum bis coronatum; priùs quidem corona ſpinea, de qua hoc loco; deinde corona ex tubo, cujus in quodam ſerm. meminit S. Chryſoſt. idque tunc quando crucifixus eſt. Vide Guillelmum Epiſcopum Tornacenſem in lib. de Vellere aureo, fol. 88. ubi oſtendere conatur, alteram coronam eſſe Aquiſgrani, alteram Pariſiis. Vide Molanum de Sacris Imaginibus lib. 4. cap. 7.

℣. 32. *Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem.* Hunc quidam Gentilem fuiſſe putant, propterà quòd Cyrenæus, ſeu Cyrenenſis vocatur à tribus Evangeliſtis. Sed id minimè conſequens eſt; Nam conſtat Judæos toto orbe fuiſſe diſperſos, & nominibus civitatum ſeu locorum in quibus nati eſſent, vocitatos. Hinc & ſynagoga erat Cyrenenſium, Act. 6. utique Judæorum, inſurgentium in Stephanum, Et Act. 11. inter fideles Judæos numerantur Cyprij & Cyrenæi. Magis igitur crediderim & hunc Simonem Judæum genere fuiſſe, præſertim cum nomen habuerit Judaicum, idque apud Judæos frequens. Vide Auguſt. tractatu de Paſtoribus, ſub finem, ubi contra Donatiſtas agens, diſputat de patria hujus Simonis.

℣. 35. *Poſtquam autem crucifixerunt eum.* Quod, ad modum crucifixionis attinet, pedes juxta invicem poſiti fuère, & ſingulis clavis affixi trunco ſeu ſuſtentaculo ligneo ſubtus ad crucem affixo; non pes alter alteri ſuperpoſitus, & uno clavo ambo transfixi; quomodo hodie paſſim pictores pingunt. Eo autem quo diximus modo multæ etiamnum viſuntur Chriſti crucifixi vetuſtæ imagines. Beatus quoque Franciſcus, in ſingulis pedibus ſingulos habuit clavos, repræſentantes clavos illos, quibus Chriſto pedes fuerunt perfoſſi & cruci affixi. Latrones ſimiliter cruci affixi fuerunt, non alligati. Quod probant vetuſtiſſimæ picturæ, & nomen crucifixionis, & cruces eorumdem inventæ ab Helena, quæ non poterant diſtingui à cruce Chriſti. Id quod inde quoque poteſt colligi, quod Pilatus fuerit miratus de Jeſu, quomodo tam citò præ aliis mortuus eſſet; quod mirari certè non debuiſſet, ſi Chriſtus ſolus clavis affixus fuerat cruci, alij verò funibus alligati. B. Athanaſius ſerm. in ſanctam paraſceven, ſic latronem alloquitur; *Oblitus es clavorum, non ſentis dolores.* Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum: Dominus, inquit, & latrones æquali judicio crucifixi ſunt. Loquitur autem de judicio pœnæ. Unde ibidem dicit, *Non aliter latro, aliter martyr occiditur.* Sic & Petrum crucifixum fuiſſe teſtatur S. Auguſt. Serm. 2. feria 4. Paſchatis, dicens Petrum clavos expertum. Et Chryſoſt. in Sermone qui legitur in Breviario Rom. die octava Petri & Pauli, & Ambroſ. Serm. 68. dicens: *Petrus crucis ſicut Salvator exitum tulit &c.* Nec aliter ſentiendum de S. Andreæ. Sanè à me viſa eſt effigies B. Andreæ, non cum cruce decuſſata, quam Burgundicam vocant, ſed rectangulari, qualis eſt Domini Salvatoris; viſa inquam, Coloniæ ad tumbam ſacram deauratam B. Gereonis, in Eccleſia nominis ejus quæ tumba per circuitum imaginibus duodecim Apoſtolorum ornata erat. Plautus in Moſtellaria Actu 2. *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excurrerit, ſed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.* Hinc collige, olim apud Romanos vel Athenis, ubi fabula illa acta fingitur, fuiſſe morem affigendi noxios cruci, fixis manibus & pedibus. Videtur autem quod quicumque crucifigebantur à Romanis, clavis affigebantur. Idem denique liquet ex vocabulo crucifigendi; non enim cruci alligare quempiam, eſt eum crucifigere, id eſt, cruci affigere. Vide Baronium & Molanum de Hiſtoria SS. Imaginum lib. 3. cap. 17. & lib. 4. cap. 4. 5 & 6.

Diviſerunt veſtimenta ejus. Chriſtum omninò nudum in Cruce pependiſſe, quomodo nudus egreſſus fuerat ex utero matris; ſentiunt Ioannes Heſſelius & P. Montanus in explicatione paſſionis Domini; & probant ex ſuis authoribus. Et eò referunt illud Pſa. 21. *Dinumeraverunt omnia oſſa mea. Ipſi conſideraverunt & inſpexerunt me.* Dicit quidem B. Anſelmus, in Dialogo, & Beda, vel quiſquis author, in meditationibus paſſionis Chriſti horæ ſextæ, matrem Domini velum quod habebat in capite poſuiſſe circa lumbos filij, & texiſſe locum verecundum: ſed non probant ex ullo authore. Quidam reſpondent milites poſtea velum detraxiſſe.

℣. 38. *Tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones.* Vide ſuprà v. 35.

℣. 40. *Si filius Dei es, deſcende de cruce.* Adhuc per miniſtros ſuos explorat diabolus, quod olim trina tentatione fruſtra quæſierat, num Jeſus verè ſit filius Dei. Itaque his & hujuſmodi vocibus ſatellitum diaboli, fit quod Lucas indicat cap. 4. Diabolum adhuc poſteà rediiſſe ad Dominum tentandum; cùm ait: *Et receſſit ab eo ad tempus.* Quæres an ergo diabolus uſque ad hoc tempus ignoraverit eum eſſe Dei filium. Vide Annot. ſuprà cap. 4. Vide etiam Annot. Sap. 2. Ex quo loco apparet fuiſſe Sadducæos qui talia dicerent, Non fecit quod petebant; quia majus aliquid facturus erat. Majus eſt enim mortuum è ſepulchro reſurgere, quàm vivum de cruce deſcendere. Nec tamen credituri erant, qui hæc dicebant; ſi de cruce deſcendiſſet; ſed artibus diabolicis, ut aliàs, miraculum illud attribuiſſent. Nam nec crediderunt alia miracula de cruce facienti; quod enim tenebræ factæ ſunt per univerſam terram, quod petræ ruptæ, quod velum templi ſciſſum, quod monumenta aperta; ejus potentiæ erat, qui in cruce pendebat. Quod idem magna voce clamans exſpiravit, tantùm miraculum fuit, ut diceret Centurio: *Verè filius Dei erat iſte*; multique alij hoc videntes crederent. His adde mirabilem illam converſionem latronis, tametſi non propriè fuerit miraculum.

℣. 46. *Et circa horam nonam clamavit &c.* Hinc ſatis liquet circa nonam horam, quæ nobis eſt tertia pomeridiana, Dominum in cruce mortuum fuiſſe. Quomodo ergo vulgò perſuaſum eſt eum mortuum in ipſo meridie? Ideò enim in meridie pulſu campanæ admonentur Chriſtiani commemorationis mortis Dominicæ. Dicendum hæc duo revera optimè conſentire. Nam quo tempore erat Palæſtinis hora diei nona, quæ eſt pòſt meridiem tertia; eodem erat terris Occidentalibus Galliæ, Germaniæ, Italiæ, hora meridiana, vel circa meridiem. Nam Orientalibus propter terræ globoſitatem prius ſol oritur, quàm nobis, & prius eſt illis meridies, quàm nobis; ita ut tunc quando nobis meridies eſt, ſit Palæſtinis tertia pomeridiana. Sicut ergo dicimus Eclypſim aliquam in meridie

con-

contigiſſe, quæ nobis in meridie contigit, etiamſi Orientalibus multò pòſt meridiem: ita verè dicimus & ſentimus Chriſtum in meridie mortuum; quia quando, verbi gratiâ, in Gallia meridies erat, mortuus eſt; etiamſi Judæis, tempus illud fuerit pomeridianum.

Eli, Eli, lammaſabathani. Fortè propterea voluit Dominus hæc verba clarè in omnium auribus inſonare, ut ſcribæ ac legiſperiti qui præſentes aderant, audientes initium Pſalmi, intelligerent eum Pſalmum jam compleri; cùm non ſit alius Pſalmus, qui tam expreſsè nobis proponat Domini paſſionem. Cæterùm hæc verba Hebraica ſunt, non Syriaca, ſicque à Domino recitata, ſicut in Pſalmo habentur. Unde factum, ut à quibuſdam Judæis (utebantur enim lingua Syriaca, non Hebraica) non fuerint intellecta, creditumque ſit ob vocabuli ſimilitudinem quod Eliam vocaret. Vide Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 16. ubi bene oſtendit hæc verba purè Hebraicè à Chriſto fuiſſe prolata, contrà quam exiſtimavit S. Epiphanius.

Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Non defuerunt hoc tempore hæretici, qui auderent inauditam blaſphemiam in Chriſtum evomere, dicentes eum in cruce deſperaſſe, cùm diceret; *ut quid &c.* & ob eam cauſam ipſum damnatum eſſe. Sed hujuſmodi blaſphemiam piæ aures etiam audire perhorreſcunt. Non ergo ſignificat Dominus hac ſua exclamatione, ſe penitus excluſum à miſericordia Dei, ſicut deſperantes; ſed humanam ſuam naturam, quæ in tam acerbis pœnis erat conſtituta, nihil accipere conſolationis, aut relevaminis pœnarum, à natura divina, quæ humanæ erat in unitate perſonæ conjuncta. Quantum enim ad pœnarum acerbitatem attinet, ita voluit Dominus eas ſubire & ſentire, ſicut eas ſenſiſſet purus homo. Sunt qui dicant diſpenſativè factum ad tempus, ut anima Chriſti ex viſione Dei non perciperet gaudium, & miraculosè viſionem à gaudio fuiſſe ſeparatam. Sed nobis parum id probatur; neque enim fieri poſſe videtur, ut voluntas in tanto mentis bono non delectetur. Nullo autem modo ſignificatur divinitatem fuiſſe ab humana natura, vel ejus partibus ſeparatam; de qua re vide noſtra in 3. diſt. 21. Sed cur non dixit, *Pater meus*, ſicut ante & poſt? Ante quidem: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Pòſt verò: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* An ideò, quia ſcriptum erat in Pſalmo; *Deus meus* & non Pater? Atqui illud etiam, *In manus tuas commendo*, de pſalterio ſumptum eſt; nec ibi tamen additur Pater; ſed initio Pſalmi dicitur Domine. Sicut ergo hic dixit: Pater, non Domine, quamvis ſic eſſet in Pſalmo: ſic & ibi pro Deus meus, Pater meus dicere potuit. Itaque cur id non fecerit, hæc adſerri poteſt ratio, quia non conveniebat ut filius diceret ſe à patre derelictum; cùm illis nominibus ſumma inter eos charitas & conjunctio ſignificetur, cumque pater jam ſemel & iterum clara voce proteſtatus de Chriſto fuiſſet, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus.* Sed creaturam, id eſt, hominem à Deo derelinqui in pœnis, non inconvenienter dicitur; quia Deus eſt totius creaturæ Dominus. At ubi filius pro peccatoribus apud Deum intercedit & miſericordiam petit; ibi ſuaviter ſonat nomen Patris; nemo enim gratior apud Deum advocatus pro peccatoribus quàm ipſius Dei filius. Et ideò dixit, *Pater dimitte illis.* Item quando ſpiritum erat emiſſurus & Deo commendaturus congruentiſſimè patrem nominavit, dicens: *Pater in manus tuas, &c.* quia hoc nomen, & charitatem inſinuat, & ſingularem curam pro filio.

Ut quid dereliquiſti me? Hic interrogativus orandi modus duo ſignificat; eum qui orat, derelictum eſſe, & petitionem ne diutius derelinquatur, ſed ut quan-
A tocyùs liberetur. Sicut cum dicit Propheta, *Quare faciem tuam avertis?* Senſus eſt. Avertiſti faciem tuam à nobis; ſed rogamus, ut jam digneris faciem tuam ad nos convertere. Item: *Quare obliviſceris noſtri?* id eſt, oblitus es noſtri, ſed rogamus ut deſinas obliviſci, & digneris recordari noſtri. Igitur hæc Chriſti exclamatio non aliud neceſſariò includere videtur, quam Chriſtum derelictum à Patre, ut talia pateretur; ſive conſolationem divinam in ſua paſſione ſenſerit, ſive non; ac deinde Chriſtum petere ac rogare patrem, ut non diutius relinquat: ſed ex anguſtiis paſſionis jamjam liberet. Quod & factum eſt, per mortem, & plenius per reſurrectionem poſt tres non integros dies ſecutam. Vide noſtr. Comment. Hebr. 5. verſ. 7.

℣. 49. *Sine, videamus an veniat Elias. Sine*, Græcè ἄφες, prohibentis q. d. ne detur ei acetum bibendum,
B quo hauſto ſtatim moriatur, Potiùs expectemus an veniat Elias eum liberaturus. Solet enim ſontibus in tormento ac ſupplicio mortis acetum bibendum dari ad mortem accelerandam. Fortè hic quorumdam ſermo, Heliam vocat iſte, ex ea traditione proceſſit quâ creditur Eliam adhuc vivere, utpotè translatum, non mortuum. Unde & alij dicebant; *Videamus an veniat Elias liberans eum.*

℣. 50. *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Ut impleret quod dixerat, ſe habere poteſtatem ponendi animam ſuam. Quod erat poteſtatis divinæ, ſicut docet Hieron. Epiſt. 150. ad Hedibium q. 8.

℣. 51. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt*, Hujus rei duplex eſſe poteſt ſignificatio: altera, per Chriſti mor-
C tem apertum eſſe cœlum, quod anteà clauſum erat: altera, per Chriſtum auferri velamen legis; ita ut deinceps per omnes Gentes prædicato Evangelio, paterent paſſim & ab omnibus caperentur myſteria reſurrectionis Chriſti. Ad priorem ſignificationem pertinere illud videtur Hebr. 9, *Nondum propalatam Sanctorum viam.* Ad poſteriorem, 2. Cor. 3. *Quoniam in Chriſto evacuatur*, loquens de velamine. Vide noſtrum Comment. dictis locis.

Simile huic prodigium, quod Ioſephus refert valvas templi media nocte ſponte ſuiſſe recluſas, non multo ante excidium Hieroſolymitanum. Poteſt enim ad ejuſdem rei ſignificationem utrumque referri; ta-
D metſi Ioſephus alio referat, non malè, ſcilicet ſignum illud fuiſſe quod profanæ gentes locum illum ſacrum ingreſſuræ & deſtructuræ eſſent.

Quæritur quod hîc intelligatur *velum templi*? utrum quod oppanſum erat ante ſancta Sanctorum, an quod locum ſacrum dividebat à loco profano, in quo plebs conveniebat. Nam locus ſacer, in quo incenſum ponebatur, Lucæ 1. vocatur *templum*, ibi; *Mirabantur quod tardaret ipſe in templo, &c.* Vide Ianſenium hic & illic, Item Baronium Tom. 1.

℣. 52. *Multa corpora Sanctorum.* Non antiquorum Patrum, ut Abrahæ, Davidis, Hieremiæ, &c. ut quidam opinati fuerunt, neque enim hoc Evangeliſta tacuiſſet, ſed Diſcipulorum Chriſti, id eſt, eorum qui in
E Chriſtum jam præſentem crediderant, & non iis dudum mortui ac ſepulti erant. Fideles enim primis Eccleſiæ temporibus vocabantur *Sancti*, quod patet ex Apoſtolicis litteris. Ac certè niſi fuiſſent ſatis recenter mortui, non fuiſſent agniti ab iis, quibus apparuerunt, nec cognitum fuiſſet eos eſſe à morte redivivos. Quare nec eorum apparitio, teſtimonium ſatis expeditum fuiſſet reſurrectionis Chriſti ad immortalitatem. Sanè ſicut Chriſtus non niſi notis apparuit; ſic & illi. Ita Ianſenius; qui ibidem ſentit ac bene probat, quod hi cum Chriſto reſurrexerint ad vitam immortalem, licèt ab Apoſtolis non viſi. Objicitur. Non habuerunt dotem claritatis. *Reſp.* habuiſſe, licet ea videntibus non appareret, ſicut nec claritas corporis Chriſti: quia mortales oculi, ſi claritatem ſolis non ſuſtinent,

ſuſtinent, quantò minùs claritatem corporis Chriſti? Vide noſt. in 4. d. 43.

℣. 53. *Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus, venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Græcè: *Egreſſi è monumentis.* Ambiguum eſt autem, utrum poſt Chriſti reſurrectionem egreſſi de monumentis an prius egreſſi, demum poſt ejus reſurrectionem ingreſſi fuerint ſanctam civitatem multiſque apparuerint. Poſteriorem ſenſum hæc ſuadere videntur. Primum, quia iis ſignis quæ in morte Chriſti acciderunt, annumerat Evangeliſta monumentorum apertionem, & (videtur prima fronte) corporum ſepultorum reſurrectionem. Deinde, quia ſi omninò ſignificare voluiſſet reſurrectionem eorum factam fuiſſe poſt reſurrectionem Chriſti; multò convenientiùs hoc addidiſſet priori ſententiæ, dicendo: Et poſt ejus reſurrectionem monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, &c. Aut, ſi contendas monumenta in morte Chriſti fuiſſe aperta; ſed reſurrectionem mortuorum factam, poſt reſurrectionem Chriſti; ſaltem ita dicendum erat: Et poſt ejus reſurrectionem ſurrexerunt ex iis monumentis multa corpora ſanctorum qui obdormierant. Sciendum tamen, fuiſſe apud Judæos ſepulchra quædam communia, ut annotat ex Thalmud. Baronius in additionibus primi Tomi Annalium. Itaque fieri potuiſſe, ut illa in morte Chriſti fuerint aperta & recluſa, in quibus multitudo erat cadaverum repoſita more Judæorum, cæterùm tertio demùm die, Chriſto reſurgente, quoſdam ex illis mortuis; ſcilicet qui ſancti & Chriſti fideles fuerant, reſurrexiſſe tanquam Chriſti reſurgentis quoſdam comites; ejuſque reſurrectionis ſua reſurrectione teſtes. Atque in hunc ſenſum non incommodè accipi poſſunt verba Evangeliſtæ, hoc modo: *Et monumenta aperta ſunt,* ſcilicet: eadem hora mortis Chriſti. Quippe ipſius terræmotus duo videntur ſignificari effectus, ſcilicet petrarum ſciſſio, & monumentorum apertio. Porrò reſurrectio mortuorum non eò pertinet neceſſariò; ſed quia monumentorum apertionis mentionem fecerat, addit, etiam mortuorum è monumentis exſurrectionem. At ne putaretur hæc ſtatim eodem tempore facta; rem pleniùs explicat ſequentibus verbis, dicens demum poſt Chriſti reſurrectionem egreſſos fuiſſe de monumentis mortuos, & veniſſe in ſanctam civitatem, & multis apparuiſſe. Itaque hoc loco, per prolepſim, reſurrectionis eorum meminit, tantùm ex occaſione, quia loquebatur de monumentorum apertione, quæ in Chriſti morte contigit; ſicut ſupra occaſione eorum quæ narrat de pœnitentia Judæ & relatis argenteis, ſubjungit conſilium de agro empto; licet id non ſtatim factum fuerit. Hic ſenſus non eſt improbabilis, ac videtur verus & genuinus. Confirmatur ex ipſo textu. Si enim poſt Chriſti reſurrectionem exierunt de monumentis, ergo poſt eum reſurrexerunt & non in morte Chriſti. Nam abſurdum eſt dicere eos triduo vivos delituiſſe in ſepulchris, quæ non ſunt habitacula vivorum, ſed receptacula mortuorum. Item, ſi demum poſt Chriſti reſurrectionem apparuerunt, ergo videtur quod non ante reſurrexerint. Nam finis reſurrectionis erat, ut apparendo hominibus teſtarentur Chriſti reſurrectionem. Neque Chriſtus poſtquam reſurrexit apparitiones diſtulit, ſed ſtatim apparuit ſuis, & quidem eodem die toties. Ita & alij qui tunc reſurrexerunt. Vide noſtrum Comment. 1. Cor. 15. ad illud, *primitiæ dormientium*, verſ. 20.

Et apparuerunt multis. Videlicet eo modo quo Chriſtus, qui poſt ſuam reſurrectionem non eſt familiariter converſatus cum hominibus, ſed multis per intervalla apparuit. Unde Petrus Act. 10. *Dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis, &c.*

℣. 56. *Maria Iacobi & Ioſeph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Hæc à Marco, Salome vocatur; illa à Ioanne, Maria Cleophæ. Vide Ianſenium cap. 104. & 143. Comment. in Concordiam, & cap. 19. Vide Annot. Marci 15. & Matth. 13. & Ioannis 19. Aderat autem his & Ioanna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, de qua Lucæ 8. & ult. Fuerunt ergo præter matrem Domini mulieres, quæ eum uſque ad crucem & ſepulturam ſecutæ, Maria Magdalene, Maria Iacobi, Salome, & Ioanna. Veriſimile eſt & alias adfuiſſe, quas Evangeliſtæ ſuis nominibus non deſignarunt, ſed comprehendunt generali clauſula dicentes: Lucæ 24. *Et aliæ mulieres.* Epiphanius Hæreſi 78. præter matrem Domini, enumerat quatuor adhuc alias Marias ſub cruce Domini, quarum unam vocat Mariam matrem Rufi, cujus & meminit Hæreſi 79.

℣. 58. *Tunc Pilatus juſſit reddi corpus.* Marcus; *Donavit corpus Ioſeph.* Ioannes: *Et permiſit Pilatus.* Non fuit hæc vera donatio, quia nullum jus in illud corpus habebat Pilatus, tum quia injuſtè eum fecerat occidi, tum quia corpus erat filij Dei, in quod nulli jus Dominij competere poteſt homini. Donavit ergo, ſua opinione & quantum in ipſo erat: Reverà autem tantùm permiſſio facta eſt ipſi Ioſeph à poteſtate quæ impedire poterat, ut tolleret corpus Jeſu. Unde Ioannes magis propriè locutus eſt.

℣. 60. *In monumento ſuo novo.* Quare novo? Reſpondet S. Ambr. in Lucam, ne alius ſuſcitatus à perfidis diceretur. Quare in ſepulchro alieno? Vide Reſponſionem in Serm. 135. de tempore, apud S. Auguſtinum.

℣. 63. *Recordati ſumus, quod ſeductor ille dixit adhuc vivens: Poſt tres dies reſurgam.* Unde ſciebant hoc eum dixiſſe, cùm id non dixerit, niſi ſecreto primum quidem tribus Apoſtolis qui præſentes adfuerant ejus transfigurationi; tametſi non addidit de triduo; deinde duodecim Apoſtolis cum aſcenderent Hieroſolymam, ſed ita ut ab illis non fuerit intellectus? Sed non prohibiti fuerunt ea quæ audierant, licet, non ſatis intellecta, aliis referre. Ac fortè Judas, quando conſilium cum Judæis contulit de Chriſto tradendo, etiam hoc ad eos detulit, ſe ex eo talia verba audiſſe. An quia dicunt, *Recordati ſumus,* quaſi ipſi ex eo audiviſſent: hoc eò referendum eſt, quod dixit Judæis Ioannis 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* Nam ſicut ibi ſubiungitur: *Cùm reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt Diſcipuli ejus quia hoc dicebat, &c.* ita fieri poteſt, ut Judæi poſtquam Chriſtum occiderant, recordati fuerint horum verborum; non fide inducti, ſed metu impulſi, ne fortè verba illa in ejus corpore reſuſcitando implerentur. Neque enim dubium, quin ea verba ſæpè apud ſe perpenderint; quandoquidem ex illis etiam calumnioſam accuſationem ei inſtruxerant apud Concilium & Pontificem ſuprà, cap. 26. verſ. 61.

CAPUT XXVIII.

℣. 1. V*Eſpere autem Sabbathi quæ luceſcit &c.* *Quæritur* an Chriſtus ſurrexerit nocte, an diluculo, poſt exortum ſolis. Vide alios Evangeliſtas, & ibi noſtras Annotat. Hieron. q. 6. ad Hedibiam, dicit eum reſurrexiſſe hora qua ipſe voluit, & quæ nulli mortalium cognita eſt. Ex Ioannis 20. v. 1. liquet ante lucem ſurrexiſſe. Additio Cenſoris.

℣. 2. *Et ecce terræ motus factus eſt magnus.* Non ad reſurrectionem Domini, ſed ad Angeli deſcenſum; *Angelus enim*, inquit, *Domini deſcendit de cœlo: Et accedens revolvit lapidem.* *Quæritur* an revolverit, ut Chriſto reſurgenti via pateret, an verò ad demonſtrandam veritatem reſurrectionis, per hoc quod ab omnibus jam videri poſſet ſepulchrum vacuum. *Reſpond.* eſſe omnium patrum ſententiam, Chriſtum Dominum reſurrexiſſe clauſo ſepulchro; de quo vide noſtra in 4.

in 4. diſt. 10. tametſi unus S. Leo Epiſt. 83. cap. 6. diverſum ſentire videtur, quo tamen loco expreſsè affirmat Chriſtum jannis clauſis ad Diſcipulos ingreſſum. Quod autem tantùm ad demonſtrandam veritatem reſurrectionis Chriſti revolverit Angelus lapidem ab oſtio monumenti, ipſa verba Angeli oſtendunt dicta ad mulieres; *Venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus*. Et apud Marcum: *Ecce locus ubi poſuerunt eum*, & apud Lucam & Ioannem Petrus & Ioannes inſpiciunt monumentum, nec reperiunt Corpus Domini. Itaque etſi nondum credentes, ſaltem dubitare cœperunt, & rem ſecum expendere, & conferre cum iis quæ Dominus prædixerat: Quorum nihil fuiſſet factum, ſi reperiſſent clauſum monumentum, ſed certò perſuaſum habuiſſent corpus eo adhuc contineri, apparitiones autem tantùm eſſe phantaſticas. In Martyrol. Uſuardi legitur Chriſtum reſurrexiſſe clauſo monumento. Ambr. ſerm. 74. in Natal. Mart. Annuntietis, inquit, ſanctis Martyribus Dominicæ reſurrectionis gloriam; ut dum ſepulturæ illius prædicamus reſerata clauſtra, & horum ſepulchra reſerentur, &c. ubi loqui videtur de reſeratione clauſtrorum facta ad prodeundum è ſepulchro, ſicut in fine ſæculi aperientur ſepulchra reſurrecturis. Vide Feu ardentium in Hæreſibus de Chriſto, Hæreſ. 10. multas Patrum auctoritates citantem: ubi & ſolvere conatur quod ex Leone objicitur; citat autem ipſius Calvini verba nobiſcum conſentientia. Chryſ. Homil. de Ioanne Baptiſta Tom. 3. vel quiſquis auctor, docet, lapide non remoto Chriſtum reſurrexiſſe; ſicut clauſis oſtiis intravit ad diſcipulos, & ex Virgine natus, idque eum feciſſe, ut per hoc virtus ipſius appareret. Vide Ianſen. cap. 145.

℣. 4. *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes*. Non fuerunt exterriti Chriſto reſurgente, quia reſurgentem eum nemo vidit. Et indignum erat ac prorſus incongruum ut Chriſtum glorioſè reſurgentem, impia militum turba videret. Niſi dicas eos ſic Chriſtum vidiſſe, ſicut in die judicij viſuri ſunt eum, qui eum pupugerunt. Neque enim veriſimile eſt milites ad cuſtodiendum ſepulchrum miſſos omnes obdormiviſſe.

℣. 4. *Non eſt hic, ſurrexit enim*. Bene ſequitur: Surrexit è ſepulchro, ergo jam ibi non eſt; ſi argumentum loquatur de Chriſto, ſecondum humanam naturam, & de naturali modo exiſtendi in loco. Et quidem eo modo tam Angelus reſpondens, quàm mulierculæ quærentes, Chriſti præſentiam intelligebant. Unde futile eſt quod objicit hæreticus, Chriſtus aſcendit in cœlum, ergo non eſt in altari. Vide noſt. in 4. diſt. 10.

℣. 7. *Ecce prædixi vobis*. Marcus in tertia perſona. *Sicut dixit vobis*. Græcè hoc loco ἰδοὺ εἶπον ὑμῖν, id eſt, *ecce dixi vobis*. Apud Marcum καθὼς εἶπεν ὑμῖν, *Sicut dixit vobis*. Non enim Angelus hoc ante prædixerat, ſed ipſe Dominus Matth. 26 *Poſtquam*, inquit, *reſurrexero, præcedam vos in Galilæam*.

Et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis. Malè quidem codices, Præcedet: Græcè προάγει. Adſtipulantur Latina M.SS. Senſus: Brevi præceſſurus eſt vos in Galilæam. Cur Angelus, & mox ipſe Dominus remittit diſcipulos in Galilæam, illic Dominum viſuros; cùm poſt hanc apparitionem, ipſo die, toties; ac deinde, octavo adhuc die Hieroſolymis viſus illis fuerit? Quia in Galilæa, non paucis, id eſt, ſolis Apoſtolis, pauciſque aliis, ut in Judæa, ſed pleno fratrum ſeu diſcipulorum numero, conſpiciendum ſe præbiturus erat. De qua apparitione Paulus ait: *Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul*. 1. Corinth. 15. Nimirum illi erant fratres, de quibus hic verſ. 10. ipſe Dominus: *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam*. Quando autem & quomodo viſus fuerit in Galilæa, vide Ianſenium & Baronium. Videntur in Galilæa contigiſſe duæ inſignes apparitiones; ſcilicet una ad mare Tiberiadis, de quâ Ioannis cap. ult. ubi S. Petrus

A coram condiſcipulis, creatus eſt à Domino totius Eccleſiæ Paſtor. Altera, in monte, de quâ hîc. Matthæus cæteras quæ Hieroſolymis ſtatim à reſurrectione Domini factæ ſunt apparitiones, ſilentio præterit: Marcus attingit: Lucas & Ioannes plenius proſequuntur.

℣. 9. *Et ecce IESVS occurrit illis*. Cur potius mulieribus, quàm viris apparuit Chriſtus redivivus? Quia mulieres magnam ſeduſitatem exhibebant circa ſepulchrum, & ſingulariter honorabant ſepultum, ementes aromata, ut venientes eum ungerent, ut eſt apud Marcum & Lucam. Item voluit Dominus reſurrectionem ſuam primum per mulieres innoteſcere viris, ſcilicet Diſcipulis, ut illi haberent occaſionem dubitandi, inquirendi, explorandi, priuſquam crederent; atque ita per eorum dubitationem nos in fide reſurrectionis ampliùs confirmaremur: ſicut Gregorius dicit,
B quod plus nobis profuit Thomas dubitans, quàm Maria citò credens.

Avete: Cur non dixit, *Pax vobis*? *Reſp.* Hebraicè ita dixiſſe, ſed Evangeliſta id Græcè reddidit; *Avete*; Quod & veriſimile eſt in Angelica ſalutatione; *Ave gratia plena*. Angelum dixiſſe; *Pax tibi gratioſa*. Imò erat Exemplum Tobiæ 5. v. 11. Et ſicut diſcipulos ſalutavit; *Pax vobis*, apud Lucam & Ioan. ita hic mulieres, id eſt, Salus vobis. Gaudium vobis. Addit. Cenſ.

Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius. Quomodo ergo dixit Mariæ Magdalenæ: *Noli me tangere*? Ioannis 20 *Reſp.* Tangenti dixit: *Noli me tangere*? ſicut aſpicienti diceretur, Noli me aſpicere; ſicut & illa
C dicebat, *Nolite me vocare Noëmi*, cùm ab illis ſic vocaretur: Sicut timentibus dicitur: *Nolite timere*, & in Pſalm. *Dixi iniquis, Nolite iniquè agere*. Vide Annotat. Ioan. 20. Veriſimile eſt enim hic præcipuè ſignificari Mariam Magdalenam, de qua Ioannes. Nam & ea hîc primo loco nominata eſt.

℣. 11. *Ecce quidam de cuſtodibus venerunt in civitatem*. Miro Dei conſilio factum eſt, ut nimia adverſariorum ſollicitudine cuſtodes ſepulchro dominico adhiberentur, per quos veritas Dominicæ reſurrectionis certius nobis ac manifeſtius innoteſceret; quemadmodum pulchrè declarat S. Maximus in Homilia Dominicæ reſurrectionis.

℣. 13. *Et furati ſunt eum nobis dormientibus*. Milites dormiviſſe nullo modo credibile eſt, tum propter ſe-
D verum mandatum principum Iudæorum, tum quia res erat maximi momenti, maximæque expectationis. Nec tamen Chriſtum viderunt reſurgentem; ſic enim ſtatim fugam cœpiſſent præ terrore, aut certè ſtatim abiviſſent nuntiaturi, quod vidiſſent. Manſerunt autem uſque ad adventum Angeli; cuius aſpectu territi fugerunt. Angelus autem veniens lapidem revolvit; eodemq́; deſcendente terræ motus factus eſt magnus. Simul ergo facta ſunt, adventus Angeli, terræ motus, & revolutio lapidis: at Chriſtus jam ante reſurrexerat; ſequitur ergo Chriſtum reſurrexiſſe clauſo ſepulchro.

℣. 17. *Et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt*. Illud, *Quidam autem dubitaverunt* ad tempus anterius referendum videtur, non enim dubitaverunt quando erant in monte Galilææ, ſed unus du-
E bitaverat, quum adhuc eſſent Hieroſolymis, ubi octavo à reſurrectione die dubitatio eius depulſa eſt. Itaque in eo quod dicit: *Quidam autem dubitaverunt*, etiam obſervanda eſt enallage numeri Scripturis non infrequens; tametſi non negamus etiam ad plures poſſe referri, ſcilicet eos, quorum ſecundum Marcum, incredulitatem & cordis duritiam Dominus exprobravit, quod iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non credidiſſent.

℣. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*. Ut hic locus bene intelligatur conferendus eſt cum aliis: ut Matt. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à patre meo*. Ioan. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu ejus*, & ſimilibus. Significatur enim his ſententiis, Chriſtum

conſtitutum eſſe principem ſuper univerſo regno Dei, quod ſibi colligere voluit in terris; juxta illud Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Item Pſalm. 8. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.* Quod exponens Apoſtolus Epheſ. 1. addit; *Et ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam.* Et Coloſſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens.* Vide etiam Comment. Hebr. 2. Sed quæritur quando data ſit Chriſto illa poteſtas. *Reſp.* datam quando Verbum caro factum eſt. Tunc enim unctus eſt Spiritu Sancto præ participibus ſuis, accipiens omnium gratiarum plenitudinem. Tunc igitur accepit dignitatem regni & Sacerdotij; licet executio harum poteſtatum dilata ſit in opportunum tempus. Nam, ut Apoſtolus docet Hebr. 2. Ne nunc quidem videmus omnia ei ſubiecta; hoc enim demum fiet in die judicij; quando omnes inimici ei perfectè ſubjicientur 1. Cor. 15.

Quidam hinc ſtatuere volunt Chriſtum ſecundùm humanam naturam, temporalem Dominum eſſe & fuiſſe totius mundi: Sed rectiùs videtur hic intelligi poteſtas ſpiritualis, quæ videlicet reſpicit ſalutem animarum. Nam de alia dicit apud Ioannem ad Pilatum; *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & Luc. 12. *Quis me conſtituit judicem & diviſorem inter vos?* Et ſi fuiſſet temporalis Dominus, debuiſſet illa poteſtate uſus fuiſſe aliquando; & conſtituiſſe & reliquiſſe in ea ſibi vicarium; ſicut fecit in poteſtate ſpirituali. Et deberent omnes legitimi reges & principes, etiam infideles, vocari Chriſti; ſicut vocatur Petri ſucceſſor, & quilibet Sacerdos utens abſolvendi poteſtate. Vide Annotat. Ioan. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.*

Hanc ſuam poteſtatem Chriſtus ex parte communicavit Apoſtolis ſuis, & eorum ſucceſſoribus tanquam vicariis. *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Quorum remiſeritis peccata, &c. Paſce oves meas*; quemadmodum & promiſerat; *Tibi dabo claves regni cælorum; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis, &c.* Ecce poteſtas in cœlo & in terra. Item 2. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, &c.* Matth. 18.

℣. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Paucis verbis comprehendit Dominus univerſam functionem Apoſtolicam: quæ eadem nunc omnibus Epiſcopis & Paſtoribus communis eſt. In eo enim quod dicit, *Docete*, Dat eis poteſtatem docendi, non ea tantùm quæ ad fidem pertinent, ſed etiam quæ pertinent ad pietatem & ſanctam vitæ converſationem. Additur enim explicandi gratia; *Docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Quod haud dubiè ad præcepta rectè vivendi referendum eſt. Vide circa hoc Comment. S. Hieron. Unde manifeſtum eſt falli eos qui ſolam fidem intelligunt in eo quod dictum eſt, *Docete omnes gentes.* Quod autem ſequitur; *Baptizantes &c.* alteram partem indicat functionis paſtoralis, quæ conſiſtit in adminiſtratione Sacramentorum. Ex baptiſmo enim, tanquam ex primo & maximè neceſſario Sacramento, facilè cætera Sacramenta intelliguntur; quorum omnium adminiſtratio ad præfectos Eccleſiæ pertinet. Convincuntur ex hoc loco hæretici, qui dicunt miniſterium Eccleſiaſticum conſiſtere in ſola prædicatione verbi Dei.

A *Docete omnes gentes.* Id eſt, omnium gentium homines, quicumque erunt doctrinę capaces. Tales autem ſoli ſunt adulti. *Baptizantes eos*, omnes quicumque erunt baptiſmi capaces; tales autem ſunt etiam infantes editi in lucem; poteſt enim illis cæremonia baptiſmi adhiberi. Si tamen totus hic locus de adultis cuipiam videatur accipiendus: non obſtat infantium baptiſmati; non enim præceptum de adultis excludit infantes. Nam hos etiam baptizandos eſſe ſatis oſtenditur ex verbis Ioan. 3. *Niſi quis renatus, &c.*

In nomine Patris, &c. Probabilis expoſitio eſt: In nomine, id eſt, in virtute. Nam ſæpę in ſacris litteris *nomen* ſignificat virtutem, ſeu potentiam; ut cum dicitur Marci ult. *In nomine meo dæmonia ejicient.* Sic Pſal. 53. *Deus in nomine tuo ſalvum me fac.* Sequitur enim quaſi expoſitio, *Et in virtute tua judica me.* Verum, quia in
B Græco eſt εἰς τὸ ὄνομα, videri poſſet hic ſenſus, Baptizantes eos in nomen Patris, id eſt, Baptizando, eos incorporantes & aſcribentes numero fidelium eorum, qui fidem SS. Trinitatis profitentur. Vide Ianſenium & noſtra in 4. diſt. 3. Item de illa phraſi, *in nomine huius, aut illius*, Vide Annot. ſuprà cap. 10. v. 41.

℣. 20. *Docentes eos ſervare, &c.* Primò docendi Catechumeni, deinde baptizandi, poſteà danda illis præcepta. Non enim priùs eis præcepta poſſunt imponi, quàm fuerint Eccleſiæ incorporati. Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare? 1. Cor. 5.

Servare omnia quæcumque mandavi vobis. Ergo mandata Dei poſſibilia ſunt; neque enim voluit ut diſcipuli gentibus imponerent onus importabile. Chriſtus autem mandavit ſervari legem; tum quando dixit: *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*; tum quando ait adoleſcenti, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*,
C ſuprà cap. 5. & 19.

Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Manifeſta eſt promiſſio Chriſti, quâ Eccleſiæ ſuæ promittit ſe cum ea futurum uſque ad finem ſęculi; qualem promiſſionem Synagoga nunquam habuit. Promiſſio autem abſoluta eſt, & conditionem annexam non habens: unde, nec improbitate malè viventium, nec crudelitate perſequentium, impediri, aut fruſtrari poteſt. Præſentia autem Domini de qua dicit; *Ego vobiſcum ſum*; duo complectitur neceſſaria Eccleſiæ; videlicet integritatem doctrinæ, & ſanctitatem vitæ. Horum alterum ſi deeſſet Eccleſiæ; tum verè dici poſſet eam à Chriſto ſponſo ſuo derelictam. Eſt enim utrumque ad conſequendam ſalutem
D neceſſarium: fides integra, & converſatio ſancta. Neque cavillari poſſunt hæretici, ut ferè circa alia teſtimonia ſolent, hanc promiſſionem ad ſolos Chriſti diſcipulos pertinere, qui tum præſentes aderant; non item ad ſucceſſores eorum; non enim tantùm dicitur, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus*; quod intelligere quis poſſet de omnibus diebus, quibus illi eſſent victuri; ſed additur, *uſque ad conſummationem ſæculi.* Cum autem ipſi Apoſtoli uſque ad conſummationem ſæculi non eſſent in hac vita permanſuri; omnino neceſſe eſt ea verba referri ad eorum ſucceſſionem, id eſt ad Eccleſiam per eos fundandam. Unde & ſtatuitur perpetua ſucceſſio ab Apoſtolis uſque ad finem ſæculi in Eccleſia. Vide noſt. Comment. 1. Ioan. 4. v. 6.

FINIS EVANGELII SECVNDVM MATTHÆVM.

ANNO-

ANNOTATIONES
IN EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

MArcum ex narrationibus Petri ſuum conſcripſiſſe Evangelium pluribus declarat Euſebius libr. 3. demonſtrat. Evangel. capite 9. rationem quare Petrus ipſe non ſcripſerit, idem repetit in Hiſtoria.

CAPUT PRIMUM.

ỷ.2. *SIcut ſcriptum eſt in Iſaia propheta.* Hieronymus in Malach.3. Marcus, inquit, Evangeliſta duo teſtimonia Malachiæ & Iſaiæ ſub unius Prophetæ Sermone contexens, ita exorſus eſt: *Initium Evangelij, &c.*

ỷ.4. *Et prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Senſus eſt, Ioannem prædicaſſe Judæis, ut ad ſuum accurrerent baptiſmum, ſcilicet ab ipſo baptizandi, ipſoque baptiſmo profiterentur ſuorum peccatorum pœnitentiam, per quam conſequi poſſent remiſſionem; non tamen in eius baptiſmo, ſed Chriſti, quod ipſe poſtea manifeſtè ſignificat, dicens ad homines à ſe baptizatos: *Ego baptizavi vos aqua, ille verò baptizabit vos Spiritu Sancto.* Nam & Spiritus Sanctus in Eccleſiæ precibus vocatur remiſſio peccatorum, Feria 3. Pentecoſtes. Alij malunt iſtud (*in remiſſionem peccatorum*) conſtruere cum verbo prædicans, hoc ſenſu, Baptiſmum pœnitentiæ prædicans, ad hoc ut peccatorum remiſſionem conſequerentur per Chriſtum, baptiſmo pœnitentiæ preparati. Et probant ex Cantico Zachariæ; Luc.1. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum,* ubi iſtud *in remiſſionem peccatorum*, conſtruitur cum, dare ſcientiam ſalutis, id eſt, predicare viam ſalutis. Vide annot. Matth.3.

ỷ.6. *Locuſtas & mel ſylveſtre edebat:* Beda lib. de locis ſanctis cap.14. docet quod genus locuſtarum hoc fuerit & quod mel ſylveſtre. Vide apud Ianſenium varias opiniones, & apud P. Caniſium in Ioanne Baptiſta, Plinius meminit locuſtarum, quæ eſui ſunt.

ỷ.7. *Cuius non ſum dignus procumbens ſolvere corrigiam calceamentorum eius.* Hoc tropo non ſignificat ſe eſſe peccatorem. Nam & angelus & beata Maria ita loqueretur; & ita fere locuta eſt, quando vocavit ſe humilem ancillam Domini; ſed ſenſus eſt: Cui ſum incomparabilis. Vide annot. Matth.3. v.11.

ỷ.12. *Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* Nempe idem Spiritus de quo modo dixerat, Spiritum tanquam columbam deſcendiſſe, & manſiſſe in ipſo.

ỷ.13. *Et erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus; & tentabatur à ſatana.* S. Thomas 3.p. q.41. art.3. ad 2. opiniones refert, an toto illo tempore fuerit tentatus, an tantum poſt 40. dierum jejunium, Sed veriſimilius, hoc quod Marcus dicit, & tentabatur à diabolo; ex Matthæo eſſe interpretandum, nempe poſt quadraginta dierum jejunium, eum eſurientem fuiſſe tentatum, quod & Lucas ſignificat. Vide annot. Matth.4.

ỷ.15. *Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquavit regnum Dei.* Vide annot. Matth.3. *Pœnitemini, & credite Evangelio.* Prius monet ut pœnitentiam agant. Deinde ut credant Evangelio: quia prædicabat ijs qui jam fideles erant, & per pœnitentiam præparandi ad Evangelium recipiendum; quo indicabatur

Eſtij Annotat. in Script.

A regnum Dei jam adeſſe, ſic enim & Ioan. prædicatio, qua pœnitentiam baptiſmo ſuo prædicabat, præparatoria erat ad Chriſtum.

ỷ.24. *Quid nobis & tibi, IESV Nazarene, veniſti perdere nos? Scio qui ſis; ſanctus Dei.* Et poſtea v.34. *Dæmonia multa ejiciebat, & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.* Ex his ſententiis videri poſſet aliqui, dæmones ante Chriſti Paſſionem & Reſurrectionem verè cognoviſſe ipſum eſſe verum Meſſiam, & filium Dei. Sed in contrariam ſententiam nos cogit Apoſtolus Paulus 1. Corint. 2. loquens de Sapientia myſterij divini: *quam*, inquit, *nemo principum huius ſæculi cognovit; ſi enim cognoviſſent, nunquam dominum gloriæ crucifixiſſent.* Proinde non eſt putandum dæmones verè ſciviſſe, quod ſe ſcire dicebant; & ſtultum eſt argumentum quod ſumitur ex verbis diaboli, qui mendax eſt, & mendacij pater. Tametſi ſatis conſtet diabolum vehementer ſuſpicatum fuiſſe, eum

B eſſe Filium Dei; unde tentans & explorans eum, dicebat: *Si filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant*, & rurſum: *Si filius Dei es; mitte te deorſum.* Matthæi 4. Quod autem dicitur: *Et non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum*, hunc ſenſum habet. Non ſinebat, ut dicerent ſe noſſe eum. Nam (quoniam) pro (quod) ponitur, Græca phraſi, ut ſit ſenſus, Non ſinebat ea dicere quod ſcirent eum. Vide annotat. Matthæi.4. ad illud: *Si filius Dei es.*

ỷ.25. *Obmuteſce.* Rationem quare immundos ſpiritus tacere jubeat; Vide apud Ambroſ. libr.6. in Luc.9. cap. ult.

ỷ.27. *Quænam doctrina hæc nova?* Novam vocat doctrinam, quia affirmabat appropinquare regnum Dei, & prædicabat regnum cœlorum, & dicebat, *Credite Evangelio.* Hæc enim prædicatio nunquam uſque ad id tempus audita fuerat. Accedebat modus doctrinæ,

C de quo ſuprà dicitur: *Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.* Denique, accedebat doctrinæ confirmatio per miracula, dæmonumque ejectionem. Sequitur enim: *quia in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Non tamen ſic nova doctrina erat, quaſi veteri contraria: *Non enim*, inquit, *veni ſolvere legem, ſed adimplere.* Quamquam contraria erat illis veteri doctrinæ, quam homines quidam tradiderant non ex Deo, de qua Chriſtus ait Matth.15. *Omnis plantatio quam non plantavit pater meus cœleſtis, eradicabitur.*

ỷ.44. *Vide nemini dixeris.*

ỷ.45. *At ille ingreſſus, cœpit prædicare & diffamare ſermonem &c.* Rectè fecit, Nam illud, *Nemini dixeris.* non eſt prohibitio, ſed humilitatis ſignificatio, ad no-

D ſtram inſtructionem. Figuratus enim ſermo eſt, quo ſignificat ſe ex eo facto non quærere humanam gloriam, ſicut alibi dicit, *Non quæro gloriam meam.* Ioan.8.

CAPUT II.

ỷ.2. *ET auditum eſt quod in domo eſſet.* Græcè εἰς οἶκον, *in domum, vel ad domum.* Sic & noſtrates loquuntur, potiſſimum Germani, quamquam poteſt ſubintelligi participium, εἰσελθὼν, ingreſſus, vel quid ſimile. Plurima ſunt loca, ubi εἰς pro ἐν ponitur, in novo teſtamento.

℣. 7. *Quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Dicunt hæretici, Ecce perſuaſiſſimum erat populo Judaico ſolum Deum poſſe remittere peccata; igitur intoleranda eſt, inquiunt, papiſtarum arrogantia, dicentium penes ſe poteſtatem eſſe remittendi vel retinendi peccata. Primum reſpondeo, Apoſtolos Chriſti, homines fuiſſe; quibus tamen dictum eſt. *Quorum remiſeritis peccata, &c.* Ioan. 20. v. 23. Ex quo conſtat, hominibus illam poteſtatem eſſe communicatam. Deinde, quod ad locum præſentem attinet; ſicut in præcedenti cap. non debuit nos movere diaboli teſtimonium ad credendum, quod ſciret hunc eſſe filium Dei; ita nec hoc loco moveri debemus murmuratione ſcribarum, ut putemus homini poteſtatem remittendi peccatà non poſſe communicari. Et tamen, quodam ſenſu verum eſt ſolum Deum remittere peccata; quia ſolus primam habet authoritatem remittendi pœnam peccato debitam; ſolus etiam mentem hominis interius renovat, & labem peccati tollit; juxta illud Iſaiæ 43. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates*: Sacerdos autem pœnam quidem relaxat vicaria poteſtate quam habet à Deo; mentem autem interius non renovat; niſi nudo miniſterio, ſicut qui baptizat.

℣. 11. *Tolle grabatum tuum.* Non tantùm ſanavit paralyticum, verum etiam tantas vires contulit, ut ferre poſſet lecticam unà cum lecto, uſque in domum ſuam. Nam apud Matth. cap. 9. dicitur: *Tolle lectum tuum*: hîc: *Tolle grabatum tuum*: Grabatum autem fulcrum eſt lecti, videlicet lecticæ genus quo pauperes & mendici ſolent uti, de quo conſule dictionarium latinum & Græcum. Maximus in ſermone quodam de adventu Domini, vocat cratem ligneam. Et hodie lecticæ pauperum ferè ſunt eiuſmodi. Vide Annot. Matth. 9.

℣. 17. *Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Vide Annot. Luc. 5.

℣. 18. *Et erant diſcipuli Ioannis & Phariſæi jejunantes; & veniunt, & dicunt ei. Quare diſcipuli Ioannis, &c.* Hoc dictum fuiſſe à diſcipulis Ioannis ſcribit Matth. 8. ex Luca autem apparet dictum fuiſſe à Phariſæis & Scribis: Marcus verò utroſque conjungit in hac querela. Niſi fortè illud, *veniunt & dicunt*, infinitè poſitum hoc loco accipias, ut ſit ſenſus, aliquos veniſſe ad Dominum qui hanc quæſtionem apud eum moverent, ſive illi fuerint Ioannis diſcipuli, quod dicit Matthæus; ſive Phariſæi & Scribæ, quod ſignificat Lucas, ſive præterea alij. Cui intellectui favet, quod non dicat Marcus eos dixiſſe; Quare nos jejunamus? ſicut apud Matth legitur; ſed, in tertia perſona, *Quare diſcipuli Ioannis & Phariſæorum jejunant?* Nam verba indefinitè poni per modum impersonalium, non eſt alienum à Scriptura Sacra: Sic apud Lucam; *Hac nocte repetent animam tuam à te.* Sermo eſt de jejuniis quæ ſupra ea jejunia quæ lege Moſaica præſcripta erant toti populo, Ioannes & Phariſæi ſervabant, ſuiſque diſcipulis injungebant; de cuiuſmodi jejunio dicebat ille Phariſæus, Jejuno bis in Sabbatho. Nam ſtata legis jejunia ſine dubio ſervabantur etiam in Chriſti familia, qui nulla in re contra legem fecit, aut à ſuis fieri permiſit. Unde dicebat Petrus Act. 10. *Abſit Domine quia nunquam manducavi omne commune & immundum.* Et quod ſermo ſit de jejuniis extraordinariis, latis apparet ex Matthæo cap. 9. *Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter?* Similiter apud Lucam 5. ubi additur: *Et obſecrationes faciunt*; ſcilicet frequenter. Nam alioqui diſcipulos Chriſti oraſſe, etiam ex Chriſti monito, conſtat. Vide Annot. Luc. 5.

℣. 25. *Quomodo introivit in domum Dei ſub Abiathar principe Sacerdotum.* Hoc non ſub Abiathar, ſed patre eius Achimelech principe Sacerdotum, contigiſſe, clarè docet Hiſtoria 1. Regum 21. Quomodò autem hic dicatur, *ſub Abiathar principe Sacerdotum*; duobus modis explicat Ianſenius; quorum priorem tradit etiam Gloſſa Ordinaria & Liranus. Poſterior conformis eſt Scripturæ 2. Regum 8. & 1. Paral. 18. & 24. quibus locis pater filij nomine vocatur, & contra, quaſi hæc duo nomina fuerint utrique communia. Quam proinde reſponſionem ego cum Ianſenio præceptore meo, ut probabiliorem amplector. Vide annot. Matth. 12.

CAPUT III.

℣. 4. *Licet Sabbathis benefacere, an malè, &c.* Dicet aliquis agricola, vel mechanicus opifex, Arare, ſeminare, metere, bona ſunt opera; igitur & ea Sabbathis facere licebit. *Reſp.* benefacere, eſt conferre alicui beneficium: Græcè eſt *ἀγαθοποιῆσαι*. Intelligitur autem de Beneficio neceſſario; ſicut egent famelici, ægroti, debiles, languidi, &c. quorum curatio etiamſi in alium diem differri poſſit; differenda non eſt: quia quamdiu differtur, ipſis egentibus malè eſt; ideoque pietas & charitas erga proximum requirit, ut talia beneficia ſtatim, cum poſſunt, exhibeantur. Quare nullo modo putandum eſt, talia meræ pietatis ac miſericordiæ opera, Sabbathi lege vetita eſſe. Ubi autem de opere ſervili agitur, non hoc reſpondet Dominus. Lucæ 6. v. 5. ſed ſe eſſe Dominum Sabbathi. Quamvis & hoc hic potuiſſet reſpondere, ſicut alibi reſpondet. Aut potius ſenſus eſt: Etiamſi opus ſervile, quale lege prohibetur in ſabbatho, facerem; mihi facere liceret, tanquam domino Sabbathi. Ubi etiam obiter inſinuat ſe eſſe Deum, qui Sabbathum inſtituerit. Quem ſenſum magis confirmat alterum membrum: *Animam ſalvam facere, an perdere?* quod tam de temporali quàm æterna ſalute intelligitur. Poteſt autem quod dicitur, *malefacere, &c., animam perdere*, referri ad priores boni operis omiſſionem, hoc modo: Licetne ei qui poteſt ægroto, aut famelico ſubvenire, ei benefacere ſubveniendo, aut malefacere non ſubveniendo? Item: licetne animam periclitantis ſalvare, ſubveniendo; an perdere non ſubveniendo? Qui enim proximum, in neceſſitate, cum poſſit, non adjuvat; lædit & occidit; juxta illud; *Si non paviſti, occidiſti.* Et; *Ite maledicti in ignem æternum: eſurivi enim, & non dediſtis mihi manducare &c.* 25. Vide Annot. Matth. 12.

℣. 5. *Et circumſpiciens eos cum ira.* Vera fuit ira in Chriſto. Et notandum aliter in nobis, aliter in Chriſto, aliter in Deo iram eſſe. In nobis, ira eſt perturbatio obnubilans & præveniens frequenter rationem, mentiſque quietem conturbans. In Chriſto, eſt affectus appetitus iraſcibilis plenè ſubjectus rationi, atque à ratione imperatus, quo inſurgit contra peccatum hominis, tanquam punitione & vindicta dignum. In Deo, ira figuratè ponitur; iraſci enim dicitur quando id facit quod homines irati ſolent; id eſt, cum punit & vindicat: & ſicut pœnitentia duci dicitur, quando opus ſuum deſtruit; quod ſolent homines operis pœnitentia ducti.

℣. 13. *Vocavit ad ſe quos voluit ipſe.* Significatur gratuita electio ſine reſpectu meritorum. Vide Annot. Actor. 1.

℣. 16. *Et impoſuit Simoni nomen, Petrus.* Sicut Dei benedicere eſt benefacere; ita dare nomen eſt conferre rem nomine ſignificatam. Sicut quando Abram vocavit Abraham, contulit ei benedictionem qua pater multarum Gentium efficeretur. Sic Simonem vocavit Petrum, cui daturus erat ut Petræ inſtar in fide ſtabilis eſſet, alioſque conſtabiliret juxta illud; *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. & Lucæ 22. *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Dubitatur autem utrum hoc loco, id eſt, quando vocavit ad ſe Chriſtus duodecim Apoſtolos, Simoni impoſuerit nomen, Petrus, an tantum ſignificetur id aliquando factum, ſcilicet Matth. 16. quando Simoni,

propter inſignem Chriſti confeſſionem, dictum eſt; *Tu es Petrus*. Quod quia Petro dictum fuiſſe Marcus omiſit; ideo fortè dixit hoc loco, non importunè, Petri nomen Simoni fuiſſe impoſitum. Vide Annot. Matth. 16.

℣. 17. *Et impoſuit eis nomina Boanerges, quod eſt filij tonitrui.* Non ut tonitrua, fulgura & ignes evocarent è cœlo, ut ipſi videntur exiſtimaſſe, quia dixerunt Lucæ 9. v. 52. *Domine vis dicimus ut ignis deſcendat de cœlo? &c.* Sed quia ſpiritualiter ambo filij tonitrui futuri erant; Ioannes quidem ſcribendo Evangelium, in quo ſic intonat: *In principio erat verbum, &c.* & alia ſublimia de Chriſti divinitate præ cæteris Evangeliſtis. Iacobus autem, quia tanto fervore Chriſti Evangelium intonuit prædicando, ut primus Apoſtolorum ad mortem raptus fuerit à Judæis, tonitrua verborum eius ferre non valentibus.

℣. 21. *Et cum audiſſent ſui, exierunt tenere eum, dicebant enim, quoniam in furorem verſus eſt.* Sui Græcè οἱ παρ' αὐτοῦ, id eſt, qui eum attinebant, hoc eſt propinqui. Pro, *in furorem verſus eſt*, Græcè ἐξέστη, id eſt, extra ſe factus eſt, mente alienatus eſt; quomodo rectius & mollius verti poſſe cenſet Gaignæus. Rationem huius cognatorum opinionis quidam reddit, eo quod Chriſtus ejiciendo dæmones non multum laboraret, nec difficultatem magnam oſtenderet; ſicut contingit Exorciſtis; qui non abſque gravi inquietudine, labore, anxietate, dæmones tandem expellunt. Verùm non ita ſentiendum de Domino, qui verbo ejiciebat dæmones, ſicut Evangelium teſtatur; Neque aliter expediebat, ut ſe ſua ac divina virtute id facere oſtenderet. Nam alioqui creditus fuiſſet miracula operari eo modo quo Prophetæ & alij ſancti viri feciſſent. Vide Ianſen. in comment. concord. cap. 49. ubi rationem reddit, quia nova & inaudita doceret, quomodo ſolent homines mentis impotes peregrina & malè cohærentia loqui. Adde, quod carnales homines de ſpiritualibus eorumque vita & doctrina malè judicant; quaſi ſtultitia ſit, & inſania. Sic & Ioan. 10. utrumque conjungunt quidam de Chriſto, dicentes: *Dæmonium habet & inſanit; quid eum auditis?* Et hîc etiam de dæmonio mox ſequitur. Sic Paulus 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi.* Sic crux Chriſti Gentibus fuit ſtultitia. Sic Paulo dictum eſt ab homine Gentili & carnali: *Inſanis Paule; multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Sic de Propheta quodam dicunt aulici ad Iehu, *Quid venit inſanus iſte ad te?* 4. Reg. 9. Sic denique queruntur impij in inferno: *Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam*, Sap. 5. Nimirum corruptiſſimum ſemper eſt carnis judicium de rebus ſpiritualibus, quæ carni nullo modo ſapiunt.

℣. 28. *Omnia dimittentur filijs hominum peccata & blaſphemiæ; quibus blaſphemaverint: qui autem blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti.* Id eſt æternæ pœnæ obnoxius erit propter delictum. Græcè eſt κρίσεως, id eſt judicij, ſed & hoc impropriè pro ſupplicio ponitur, quod judicio decernitur; ſicut delictum pro ſupplicio delinquenti debito. Similiter Zach. ult. peccatum pro pœna ponitur. Vide locum. Sic & Hebr. 6. *Et judicij æterni.* Vide noſtr. Comment. Cæterum ex hoc loco eſt manifeſtum, per peccatum in Spiritum Sanctum non omnia mortalia peccata intelligi; nam dicit quaſdam blaſphemias hominibus dimittendas, cum tamen omnis blaſphemia ſit mortale peccatum. Item, diſcrimen eſt inter peccatum in Spiritum Sanctum, & blaſphemiam in Spiritum Sanctum. Nam peccatum in Spiritum Sanctum eſt omne peccatum ex certa & deſtinata malitia factum; blaſphemia autem, eſt eiuſmodi convicium in Deum aut Dei opera; quale erat iſtud Scribarum divina miracula malitioſè calumniantium. Senſus autem eſt, quòd eiuſmodi peccata

A nihil in homine relinquant, ex quo ſperari poſſit eius pœnitentia, & per conſequens peccati remiſſio. Nam qui peccat etiam graviter ex ignorantia, præſumitur convertendus ſi veritatem eſſet edoctus; qui autem ex infirmitate peccat præſumitur acturus pœnitentiam, ubi vehemens carnis paſſio tranſierit: At qui ſciens & prudens ex deſtinata voluntate peccat, nihil eiuſmodi relinquit ex quo ſpem reſipiſcentiæ eius concipere liceat: Et fortaſſe hoc eſt peccatum ad mortem, de quo Ioannes 1. epiſtol. cap. 5. v. 16. Vide ibi noſtra comment. & in 2. Sent. diſt. 43.

CAPUT IV.

℣. 8. *ET afferebat unum triginta, unum ſexaginta, &* B *unum centum.* Quidam per triginta ſtatum conjugalem; per ſexaginta ſtatum vidualem; & per centum ſtatum virginalem intelligunt: Alij aliter: Prudentius in Agnete, per ſexaginta virginitatem; per centum intellexit martyrium. Similiter in fine libri 2. contra Symmachum, Lauſque pudicitiæ vitæ cum fine peracta. Hinc decies ſeni rediguntur in horrea fructus. S. Hieron. in Apol. pro libris contra Iovinianum c. 1. numerum centeſimum refert ad virgines, ſexageſimum ad viduas, trigeſimum ad nuptas. Ibidem tamen dicit omnes penè latinos & græcos tractatores centeſimum numerum ad martyres retuliſſe, ſexageſimum ad virgines, trigeſimum ad viduas. Senſus ſimpliciſſimus & maximè litteralis videtur, ut hîc numeri diverſitas C refeatur in genere ad diverſitatem fructuum ac meritorum in Eccleſia. Vide Annot. Matth. 13.

℣. 11. & 12. *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei: illis autem qui foris ſunt, in parabolis omnia fiunt: ut videntes videant & non videant: & audientes audiant, & non intelligant; ne quando convertantur, & dimittantur eis peccata.* Quidam illud (*nequando*) exponunt per ſi quando, ſicut accipitur (*nequando*) Græcè μήποτε, 2. Tim. 2. *Nequando det ei Deus pœnitentiam.* Vide ibi noſtr. Comment. & Ianſ. in hunc locum. Sed ex Matth. 13. ubi eadem hæc aliis verbis dicuntur, ſatis conſtat ſenſum eſſe negativum. Porrò in his verbis videtur latere myſterium, ut per turbas quæ foris erant ſignificetur populus Judaicus videns & non videns, audiens & non intelligens; & proinde non convertenD dus, nec remiſſionem peccatorum accepturus, ſed abjiciendus foras, ſecundum illud; *filij regni ejicientur foras*: per diſcipulos autem ſignificetur populus gentilis recepturus Meſſiam, & fidei myſteria atque ſalvandus. Sciendum enim tam in factis quàm in verbis Chriſti præter litteram contineri myſticas ſignificationes.

℣. 24. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis, & adjicietur vobis.* Videtur tantum in bonis intelligi, id eſt, in præmiis, ut ſit ſimile illi apud Lucam cap. 6. *Menſuram bonam & confertam & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Itaque hinc etiam ſequitur Deum præmiare ultra condignum. De malis non videtur poſſe intelligi; quia ſequeretur Deum punire ultra condignum, quod eſſet injuſtitiam Deo tribuere. Multi latini codices non habent; *& adjicietur* E *vobis*: Græca tamen habent, & addunt, *qui auditis*.

℣. 25. *Qui habet dabitur illi; & qui non habet etiam quod habet auferetur ab eo.* Sermo hic figuratus eſt, quo admonentur Apoſtoli, & in iis unuſquiſque noſtrûm, talentum ſibi à Deo concreditum utiliter & ad profectum ac ſalutem proximorum expendere. Licet autem ſit figuratus ſermo; minimè tamen à communi conſuetudine loquendi alienus, qua quiſpiam id habere dicitur, quo utitur, id autem non habere quo non utitur; ita latinè dicimus Avaro tam deeſſe quod habet, quàm quod non habet; quaſi dicas; Avarus id quod habet non habet; quia uti non vult. Ita vulgò hominem pigrum qui non admovet

manus operi, dicimus non habere manus; & enm qui non loquitur ubi opus eſt, dicimus non habere linguam. Senſus igitur eſt: Qui habet, id eſt utitur talento ſeu dono ſibi conceſſo, dabitur ei præmium pro apportato lucro; qui autem non habet, id eſt non utitur, ſed ſodit in terram, ſicut ſervus ille piger, etiam id quod habet, id eſt talentum ei commiſſum, auferetur ab eo. Id quod fiet poſt hanc vitam; quando ſervus inutilis mittetur in tenebras exteriores.

℣.26. *Sic eſt regnum Dei quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram, &c.* Vide Iani. cap. 52. conc. ſatis exactè parabolam hanc exponentem.

℣.28. *Vltro terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Herba* fidem vel timorem Dei ſignificat; *ſpica* ſpem ac fiduciam gratiæ conſequendæ; *plenum frumentum* charitas eſt, quia *plenitudo legis eſt dilectio; & qui diligit, legem implevit.* Dicitur ultro fructificare terra, non quod fructum ferre poſſit ſine operatione gratiæ Dei: *Qui enim adminiſtrat ſemen ſeminanti, idem multiplicat ſemen noſtrum, & auget incrementa frugum juſtitiæ noſtræ*, 2. Corinth. 9. ſed quia dormiente homine qui ſemen verbi projicit in terram, prædicando; terra cordis noſtri fructificat, ut non ſit opus hominem plantantem & rigantem continuò adeſſe. Quem ſenſum manifeſtè volunt verba præcedentia; *dormiat, & exurgat nocte & die, dum neſcit ille*, ſcilicet homo qui ſeminavit.

℣.38. *Et erat ipſe in puppi ſuper cervical dormiens.* Theophylactus ligneum fuiſſe hoc cervical putat, quale eſt in navi. Græca vox non aliud quàm cervical lignificat προσκεφάλαιον. Et ſatis veriſimile eſt Chriſto defeſſo & quieſcere volenti diſcipulos aliósve pios homines, officij cauſa, ſubdidiſſe capiti eius pulvillum quo commodius quieſceret; nec Chriſtum recuſaſſe officioſum miniſterium, ut & aliàs; velut cum permiſit ſe perfundi unguento, cibos ſibi parari, hoſpitium autem etiam juſſit quæri. Non recuſavit autem, tum ut verum hominem ſe oſtenderet, tum ut myſticè aliquid ſignificaret. Nam Chriſtus ſuper cervical dormiens, & inde orta tempeſtas; ſignificat, prælatis Chriſti vicariis dormientibus & molliter quieſcentibus otioque & voluptati vacantibus tempeſtates errorum & vitiorum in Eccleſia ſuſcitari. Cervical cuiuſmodi fuerit, Beda, Ianſ. Liranus, Gaignæus non meminerunt. Commentarius S. Hieronymo adſcriptus cervical myſticè interpretatur Corpus Domini, cui divinitas, ſicut caput, inclinata eſt. Eadem verba ſcribuntur in Gloſſa Ordinaria. Nihil tamen vetat catachreſim eſſe in vocabulo, *cervical*, ut accipiatur pro ligno ad puppim poſito, ſuper quod poſſet ad dormiendum caput reclinari. In Græco additur articulus τὸ, ut certum aliquod προσκεφάλαιον videatur ſignificari, id eſt lignum quod ita vocabatur à nautis.

CAPUT V.

℣.2. *ET neque catenis jam quiſquam poterat eum ligare: quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, diruptſſet catenas, & compedes comminuiſſet, & nemo poterat eum domare.* Non quod dæmones tantam fortitudinem homini tribuere poſſent, ſed quia ipſi verè & propriè talia operabantur utentes manibus hominis à ſe obſeſſi, velut quibuſdam inſtrumentis.

℣.9. *Quod tibi nomen eſt? Et reſpondit: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus.* Licet diabolus mendax ſit, & de ſuo loquatur quando mendacium loquitur; minimè tamen putandum eſt eum hac ſua reſponſione mentitum fuiſſe, compellente videlicet eum virtute Chriſti ad dicendam veritatem. Voluit enim Chriſtus omnibus præſentibus notum facere à quanta dæmonum poteſtate hunc hominem eſſet liberaturus. Per legionem autem non determinatus aliquis numerus, ſed numeroſa quædam multitudo intelligitur. Erant autem ut minimum tot numero quot porci in quos miſſi ſunt. A

Ex hoc autem Chriſti facto exemplum ſumere non licet ſecreta aliqua interrogandi ex dæmone, quia nobis, qui ſeduci poſſumus, eiuſmodi conſortium cum hoſte noſtro irreconciliabili, prohibetur: Chriſtus autem ſeduci non poterat: unde & ivit cum Diabolo tentatore ſuo in civitatem ſanctam; & in montem excelſum. Altera ratio, quia nos diabolum compellere non poſſumus ad verum dicendum; Et proinde ſemper erit periculum ne mendacio eius decipiamur. Excipiuntur tamen qui gratiam habent miraculorum, per quam ſic cogere poſſint diabolum ad promendam veritatem, ſicut ad relinquendum corpus obſeſſi. Et talis allocutio & interrogatio non eſt amicitiæ, ſed coactionis. B Quod autem verum dixerit dæmon, apertè ſignificavit Lucas, qui pro eo quod Marcus habet, *quia multi ſumus*, habet, *quia intraverant dæmonia multa in eum.* Et poſtea dicit; *Nuntiaverunt illis & qui viderant quomodo ſanus factus eſſet à legione.* Adde, quod inutilis fuiſſet interrogatio Chriſti, ſi mentiens fuiſſet dæmon, nec à Chriſto de mendacio reprehenſus. Sciendum eſt autem Angelos & dæmones non habere propria nomina, quibus tanquam vocabulis inter ſe diſtinguantur, cum ſint incorporei; qui proinde vocali locutione non utantur; ſed nomen Angeli proprietas quædam eius eſt, qua ab aliis diſtinguitur. Quæ proprietas interdum, noſtri cauſa, vocabulo exprimitur, ut Michaël &c. Quando ergo Dominus nomen ſibi edi C voluit, coëgit diabolum ad dicendam proprietatem quandam, quæ erat numeroſitatis, quia non unus erat ſed plurimi. Quam proprietatem maximè expediebat ab hominibus cognoſci, ut intelligeretur magnitudo beneficij divini in unius hominis obſeſſi liberatione. Cum autem Dæmones interrogati ab Exorciſtis de nomine reſpondent nomina quædam barbara incognita, nihil ſignificantia: per hoc hominibus illudunt, qui poteſtatis ſuæ limites egrediuntur, quærentes quod non oportet. Ac fortaſſe huiuſmodi nominum interrogatio ſuperſtitione non caret.

℣.18. *Cœpit illum deprecari qui à dæmonio vexatus fuerat ut eſſet cum illo, & non admiſit eum.* Non admiſit, vel quod nondum idoneus eſſet omnibus relictis ſequi Chriſtum; vel potius propter rationem D ſubjunctam ac redditam à Chriſto; ſcilicet quia magis expediebat eum apud ſuos manere, ut eius præſentia, & tanti miraculi perpetua quadam commemoratione, ad Chriſti & Evangelij amorem excitarentur, qui propter temporale damnum porcorum ſubmerſorum, à Chriſto fuerant alienati. Simul etiam hoc pacto voluit monere eos Chriſtus vitandam omnem ſpeciem inanis gloriæ. Si enim hominem tanto miraculo à ſe curatum ſecum circumduxiſſet, videri potuiſſet id oſtentationis cauſa facere. Præterea, hinc patet alicui volenti ingredi religionem, etiamſi fortè ad eam aptus ſit, diſſuaderi poſſe, ſi videatur in ſæculo magis utilis Eccleſiæ, ut ſi verbi gratiâ cum magno fructu adminiſtraret curam animarum. Et talia tali E conſilio obſequens, ducet vitam monaſticam in habitu, quam non permittitur ducere in actu; ideoque non minus meritum habebit in conſpectu Dei; ſicut de continentia Abrahæ teſtatur, Sanctus Auguſtinus.[1] Notandum autem quod non dixerit ei Dominus, Annuntia quanta ego tibi fecerim; ſed *quanta tibi Dominus fecerit, & miſertus ſit tui.* Pro quo Lucas: *Narra quanta tibi fecit Deus.* Scilicet ad inſtructionem noſtri ita locutus eſt, totum tribuens Deo, & Deum in opere ſuo laudari & magnificari præcipiens; ſiquidem & Chriſtus homo, totum quod agebat & poterat, à Deo acceperat. Itaque hic habemus admirabile exemplum humilitatis in Chriſto. Sic & alibi; *Ecce, ſanus factus es*; non dicit;

Ego

Ego te ſanum feci. Qua in re merito confunditur noſtra ſuperbia, qui de bono opere laudem captamus, & facilè extollimur, & non totum opus cum laude ſua, Deo, cui totum debetur, refundimus.

℣.30. *Et ſtatim IESVS in ſemetipſo cognoſcens virtutem quæ exierat de illo.* Pro (*de illo*) Græcè, *ex ſeipſo.* Poteſt autem ſententia ſic etiam verti, *cognoſcens virtutem ex ſeipſo exiiſſe.* Sic enim Lucas teſtatur Dominum reſpondiſſe diſcipulis: *Tetigit me aliquis. Nam ego novi virtutem de me exiiſſe.* Quo loco Græcè eſt, ἐξελθοῦσαν participium, perinde ut hic.

℣.34. *Vade in pace; & eſto ſana à plaga tua.* Hæc verba: *eſto ſana à plaga tua*, non videntur eſſe ſanantis, ſed ſanitatem prius datam confirmantis. Nam ante hæc verba mulierem ſanatam fuiſſe à morbo ſuo, manifeſtum eſt: Confeſtim enim, ut tetigit fimbriam veſtimenti dominici ſiccatus eſt fons ſanguinis eius: & ſenſit corpore, quia ſanata eſſet à plaga. Chriſtus quoque poſtea ait ad illam: *Fides tua te ſalvam fecit.* An dici poteſt prius quidem eam ſanatam fuiſſe ut ſtaret & ſiccaretur fons ſanguinis eius; qui tamen iterum ſuborriturus & erupturus eſſet, niſi acceſſiſſet hæc ſecunda & perfecta curatio, qua dictum eſt ei, *eſto ſana à plaga tua?* Non enim ſemper Chriſtus ſtatim perfectè ſanavit, quoſcumque ſanavit, ſed aliquando cœpit ab imperfecto; ut patet de eo, qui videbat homines ut arbores ambulantes, & de puero Lunatico infrà cap.9. Nec obſtare videtur quod hic dicitur ſtatim ſiccatum fuiſſe fontem; ſiccatus enim intelligi poteſt, non quia omnis cauſa mali oblata, ſed quia ſtetit, ut alius Evangeliſta loquitur. Quod ſi contendas ſtatim perfectè curatam fuiſſe mulierem, ideòque prior ſenſus magis placeat; videndum num alibi Dominus ſic locutus inveniatur, ut poſt curationem perfectam diceret verba imperium curationis ſignificantia, ut Luc.7. ubi prius dixit, *Remittuntur ei peccata*, & poſtea, *Remittuntur tibi peccata.*

℣.41. *Thabita cumi; quod eſt interpretatum, puella (tibi dico) ſurge.* Illud (*tibi dico*) non eſt pars interpretationis, ſed addidit hoc Evangeliſta, ut ἐμφατικώτερον, & ut ſenſum vocantis atque imperantis exprimeret, ait Hieron. in Epiſtola ad Pammachium de optimo genere interpretandi cap.3. & nota, puellam, non Hebraicè, ſed Syriacè dici Thabitam.

CAPUT VI.

℣.3. NOnne hic eſt faber? Matth.13 *Nonne hic eſt fabri filius?* Utrumque eos dixiſſe credibile eſt. Loquebatur autem de re vulgò nota: Cùm enim Ioſeph nutricius JESU faber eſſet, & artem fabrilem exerceret, noluit JESUS in ætate juvenili in ædibus maternis otium agere. Neque enim ut litteras diſceret ad ludum mittendus erat; ſed ipſe cum patre putatitio & matre pauperculis, & victum honeſto labore comparantibus, manus operi admovere voluit; patriſque in eo opificio, quod exercebat, adiutorem, & cooperarium ſe præſtitit. Ubi nota Chriſtum quod non legitur verbo docuiſſe; monſtraſſe exemplo, ſcilicet victum opere aliquo honeſto quærendum eſſe; ne fortè quis ex eo, quod alibi curam craſtini excludit, exiſtimet eum otioſorum & labores fugitantium hominum, eſſe patronum. Cæterum per Apoſtolum Paulum illud ipſum pleniſſimè docuit; ut probant Acta Apoſtolorum, & Epiſtolæ eius. Nota etiam quod Chriſtus adjuvans patrem putatitium in opere mechanico; nobis quodammodo repreſentavit ſeipſum filium Dei, cooperantem patri in fabricatione & conſervatione machinæ totius univerſi; ſicut ipſe ait, Ioannis 5. *Pater meus uſque modo operatur & ego operor.* Vide Annotat. loco citato Matth.13.

Frater Iacobi, & Ioſeph, & Iuda, & Simonis. Alibi

A Evangeliſta Iacobo huic aliam matrem aſſignat, ſcilicet eam, quam vocat Mariam Iacobi & Ioſeph. Ex quo manifeſtè liquet hîc non intelligi fratres ex eadem matre: Ac proinde perperam ex hoc loco colligere Helvidium, quod Maria mater JESU alios adhuc filios habuerit. Hic Ioſeph ſeu Ioſes (ut eſt in Græco) quis fuerit non conſtat. Iudas, is eſt, qui in Epiſtola ſe vocat fratrem Iacobi; Simon is qui Iacobo in Epiſcopatu Ieroſolymitano ſucceſſit, diverſus à Simone Apoſtolo, qui Cananæus ſive Cannites fuit. Vide ſuprà Matth.10.

℣.4. *Quia non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua, & in domo ſua, & in cognatione ſua.* Ratio eſt propter invidentiam, quæ facilè inter cives & cognatos naſcitur; & propter familiaritatem, quæ contemptum parit: Et quia ſic comparatum eſt à natura,

B ut exotica & peregrina pluris ſemper faciamus. Unde illud apud Terent. *Ex Æthiopia eſt.* Quidam has rationes aſſignant, tum quia propinquis & familiaribus nota ſunt infirma vel vitia hominis: ut in Chriſto, infantia, pueritia, paupertas parentum, patris fabrile officium; hæc autem contemptum pariunt: tum quia, ut Philoſophus dicit, eos qui nobis in aliquo ſunt pares, facilè judicamus ſimpliciter pares paralogizando noſipſos. Inter domum & cognationem quidam ſic diſtinguunt, quod cognatio latius pateat; quaſi domus ſit eorum qui unâ habitant in iiſdem ædibus; ut vir & mulier cum liberis. At contrario modo res ſe habet; nam domus more Scripturæ genus ſignificat, unde domus Iacob, domus David, domûs Levi: Cognatio

C verò eſt eorum qui ſanguine propinqui ſunt, ut ſe invicem cognatos & conſanguineos vocent. Sic in Numeris cenſentur filij Iſraël primum per tribus, dein per domos, tum per cognationes.

℣.8. *Et præcepit eis ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs, ſed calceatos ſandaliis.* Hoc loco adverſari videtur quod apud Matth. cap.10. & Lucam cap.9. legitur. *Neque virgam*; & apud Matthæum *neque calceamenta*, cum hîc dicatur, *niſi virgam tantum*, & iterum, *ſed calceatos ſandaliis.* Quidam ut hunc nodum diſſolvant, ad myſticam confugiunt interpretationem, nos ſecundum litteram oſtendemus non eſſe pugnantia. Nam de alia virga loquitur Matth. & Lucas, de alia Marcus. Illi, de virga, quæ feriendi aut defendendi gratia ge-

D ritur. De hac Chriſtus noluit eos eſſe ſollicitos, velut ipſius præſidio tutos. Marcus de virga quam viator aſſumit cauſa ſuſtentandi corporis, quam velut proficiſcentibus neceſſariam, Chriſtus permittit. Et ſciendum apud Hebræos diverſis vocabulis has virgas appellari: de qua re, vide Ianſenium.

De calceamentis, reſpondemus non ſimpliciter prohibuiſſe Chriſtum apud Matth. ne geſtarent calceamenta; ſed ne calceamenta duplicia. Id enim ex præcedentibus repetendum eſt, hoc modo: neque duas tunicas, neque duplicia calceamenta. Sicut ergo admonet ne mutatorias tunicas ſecum ferant: ita monet ne ferant mutatoria calceamenta, quod eſt eorum qui plus ſatis ſolliciti ſunt de neceſſariis.

℣.13. *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.*

E Quidam codices, *ſanabantur*, At plures & meliores *ſanabant*; quod etiam in Græco eſt. Sed cur oleo jubebantur ungere; cum ea res miraculum offuſcaret? Oleum enim ſua natura ſanativum eſt. Certè aliàs Chriſtus ut oſtenderet ſupra naturam eſſe quod agebat; ad reſtituendum cæco viſum admovit lutum oculis eius; quo etiam ſani oculi potuiſſent excæcari. An ideo voluit oleo uti diſcipulos ſuos, ut typicam quamdã ſignificationem præferrent olei infirmorum, quod eſt in Sacramentis Eccleſiæ? Nam hoc apud Marcum loco, Sacramentum extremæ unctionis inſinuatum fuiſſe, teſtatur Synodus Tridentina Seſſ.14. c.2. de extrema unctione. Vide noſtr. in 4. diſt.23.

℣.20. *Et cuſtodiebat eum.* Græcè non eſt *ἐφύλαττε*, *cuſtodiebat*; ſed *Συνετήρει*, quod eſt *conſervabat*, vel *obſervabat*; conſervabat, ne ab Herodiade interficeretur; obſervabat; habens eum in reverentia, & libenter audiens. Priorem ſenſum habet Gaignæus. Poſterior magis placet Eraſmo. Ianſenius habet utrumque; addens poſteriorem ijs quæ ſequuntur magis conſonare.

Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Auguſtinus ſermone 10. & 11. additorum à Pariſ. dicit quod Herodes Ioannem propter dominum timebat, quodque eum diligebat. Quidam, ut Beda & Liranus hic & ſuprà Matth. 7. intelligunt, quod non verè, ſed ſimulatè, libenter eum audiebat. Vide annot. Actor. 8. ubi dicitur Simon crediſiſſe. Heſſelius in Matth. 14. ex eo quod illic dicitur, *& volens eum occidere timuit populum*, colligit ſimulatam fuiſſe triſtitiam de qua infrà. *Et contriſtatum eſt propter jusjurandum.* Et addit dictum id eſſe ab Evangeliſtis, non ex ipſorum ſententia, ſed ſecundum vulgi opinionem. Similiter Gozæus hunc locum ex Beda interpretatus eſt. Idem Beda in Luc. 2. ad illud, *Erant pater eius & mater eius mirantes*; & Homil. Dominicæ infra octavam Nativitatis Domini, dicit quod Evangeliſta opinionem vulgi exprimens, (quæ vera Hiſtoriæ lex eſt) Ioſeph nuncupat patrem Chriſti; cum verè pater eius non fuerit. Quæ verba ſumpta ſunt ex libro S. Hieron. contra Helvidium. Verùm ſi hoc admittimus: ſenſus tunc erit talium Scripturæ locorum, quod hoc ſit ſecundum vulgi opinionem, verbi gratiâ *pater eius*, id eſt, qui vulgò vocabatur pater eius. *Libenter eum audiebat*, ſpecie externa, Simon credebat, profeſſione externa. Nam alioqui, falſum diceretur; cum in his opinio vulgi falſa ſit. Vide & Hieron. ſuprà Matth. 14. *& contriſtatus eſt, &c.* ubi in eandem ſententiam loquitur. Pro ſenſu prædicto facit quod Chriſtus vocavit Herodem vulpem, notans vulpinum eius ingenium, & quod dixit diſcipulis: Luc. 13. v. 32. *Cavete à fermento Herodis, quod eſt hypocriſis*, ibid. infrà cap. 8. & quod cum ei nuntiaretur quod Herodes vellet eum occidere; non repreſſit delationem, ſed reſponſo ſuo ſatis ſignificavit verum eſſe quod dicebatur. Si ergo quæratur quis horum trium gravius peccaverit in Ioannis interfectione, Herodes, Herodias, an huius filia? Videtur dicendum, quòd Herodes gravius peccaverit, quia peccato odij adverſus Ioannem, quod gerebat in pectore, addidit hypocriſim, ſimulans ſe eum libenter audire & venerari & obſervare: Herodias autem apertè odiebat. Minimè vero inter tres puellam peccaſſe conſtat, quia quod fecit, tantùm fecit inſtructa & juſſa à matre.

℣.24. *Quæ cum exiſſet, dixit matri ſuæ.* Ergo mater non erat in convivio; vel quia turpe regi fuiſſet adulteram ſuam adhibere ſolemni convivio virorum honoratiſſimorum, vel quia præter conſuetudinem Judæorum fœminas unâ cum viris accumbere menſis in convivio. Unde Martha etiam in aliena domo, quo invitata erat, non accumbit convivio, ſed miniſtrat. Ioan. 12. Vaſthi Regina non intereſt convivio regis Aſſueri, nec uxor Baltaſar Regis. Dan. 5. v. 10.

℣.26. *Et contriſtatus eſt rex propter jusjurandum, &c.* Quare Herodes non fuit perplexus & conſtrictus, ut quocumque ſe verteret peccatum evadere non poſſet? ſive enim puellæ petitioni conſentiret, committebat homicidium; ſive non, perjurium incurrebat. *Reſpondeo*, Non incurrit perjurium qui quod juravit & ſine peccato præſtare non poteſt, non præſtat: quia talia & jurando peccat, & præſtando peccatum peccato addit; ideoque non tenetur præſtare. Perjurium autem commiſit, jurando quod ſine peccato præſtari non poteſt. Perinde enim eſt, ac ſi rem impoſſibilem juraſſet; quia cenſemur non poſſe facere, quod licitè non poſſumus. Sicut ergo qui rem impoſſibilem jurando

A promiſit, non tenetur; ita & qui rem illicitam juravit. Vide Auguſtin. ſerm. 11. Pariſ. ubi vocat laqueum bicipitem; & dicit Davidem è duobus peccatis 1. Reg. 25. quod minus eſt elegiſſe. Poteſt etiam dici, jusjurandum illud promiſſorium ſecundum ſe non fuiſſe illicitum; quia ſecundum judicium rectæ rationis intelligi debebat de ijs quæ erant in promittentis poteſtate. Jam verò in poteſtate Herodis non erat hominem innocentem occidere, & caput eius puellæ tradere. Poteſtatem intelligo qua ea poſſe dicimur, quæ licitè poſſumus. Quod enim non poſſumus niſi illicitè, id meritò cenſetur nobis impoſſibile. Adde quod illud, *licet dimidium regni mei*, quandam habet ſpeciem hyperboles, qua ſignificetur; etiamſi magnum quiddam ſit quod petis, impetrabis. Nam Herodes regnabat ex

B beneficio populi Romani: itaque non erat in eius poteſtate, ut regnum ſuum, aut regni dimidium transferret in alium, quemcumque vellet.

CAPUT VII.

℣.3. *Niſi crebra lavent manus, non manducant.* Pro *crebra*, Græcè *πυγμῇ*, quod potius ſignificaret certatim, pugillatim. Sed magis crediderim interpretem legiſſe *πυκνῇ*, quod ſignificat crebro, & de lotione dictum reperitur apud Alexandrum. Aphrod. in problem. *οἱ πυκνὰ λουόμενοι*, qui crebro lavantur. Videri itaque poteſt hanc eſſe veram in Græco lectionem.

C ℣.15. *Nihil eſt extra hominem intrans in eum, quod poſſit eum coinquinare.* Hanc ſententiam accipiunt Sectarij in patrocinium ſuæ doctrinæ, qua docent vanum, imò ſuperſtitioſum, delectum ciborum eſſe, qualis ſervatur in Eccleſia Catholica. Quibus reſpondemus hanc Domini ſententiam non magis pugnare cum lege & conſuetudine Eccleſiæ de delectu ciborum, quàm cum lege Moyſi de animalibus immundis; quàm etiam cum lege Apoſtolica, quæ præcipiebat abſtinere à ſuffocato & ſanguine & idolothytis; quàm denique cum lege quam dedit Dominus primo homini, ne ederet de arbore ſcientiæ boni & mali. Agit enim Dominus contra falſam & ſuperſtitioſam Phariſæorum opinionem, qua putabant cibos aliquos vel natura ſua immundos eſſe, ut eos qui lege Moſaica prohibiti erant; vel

D immundos fieri ex eo quod illotis manibus contrectarentur. Eccleſia autem nullos cibos prohibet tanquam immundos, vel natura, vel contrectatione; ſed ſicut in vetere lege quoſdam cibos prohibuit propter ſignificationem, & Apoſtoli quoſdam in Actis prohibuerunt ad declinandum ſcandalum: ita Eccleſia quibuſdam cibis interdicit certis diebus, propter carnis afflictionem pro peccatis, & mortificationem, ut liberius homo ſerviat Deo. Quando autem huiuſmodi leges homo tranſgreditur, non cibus hominem coinquinat, ſed ſuperbia eius & inobedientia; ſicut gula & intemperantia eum coinquinat, quando intemperanter comedit aut bibit.

℣. 24. *Et ingreſſus domum neminem voluit ſcire & non potuit latere.* Quomodo ergo omnipotens erat?

E *Reſp.* Ingreſſus eſt tanquam latere volens, id eſt, hoc faciens quod ſolent homines latere volentes; nempe ſubducens ſe clanculum à turba, & domum ingrediens, ac fortè prohibens hoſpiti ne cuiquam ſignificaret ſe intus eſſe. *Et non potuit latere*, id eſt, factum illud quod ſubduxit ſe clanculum, non ſatis valuit ad hoc ut lateret: quia ſtatim ob multitudinem, & ſollicitudinem quærentium eum, res facta eſt palam. Pertinet autem illa voluntas ad voluntatem ſigni, & vocari poteſt voluntas præparationis, de qua vide noſtra in 1. diſt. 46. Vide etiam Annot. infrà cap. 11. & Luc. 24.

℣.36. *Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant.* Altiſiod. lib. 3.

lib.3. tract.7. dicit mandatum Chriſti mox à Spiritu Sancto fuiſſe revocatum. Sed rectius dicemus, non fuiſſe præceptum propriè dictum, ſed ſignificationem quandam modeſtiæ; qua cupiebat non propalari miracula à ſe facta, niſi quatenus id ſpectaret ad gloriam Dei: juxta illud; *Ego non quæro gloriam meam, &, ſi glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Ioan. 8. Simul ut exemplum humilitatis & vitandæ gloriæ nobis omnibus oſtenderet. Vide Ianſenium & B. Thom. 3. p. q. 44. art. 3. ad 4. & quæſt. 13. art. 4. ad 2.

CAPUT. VIII.

℣. 12. **A**Men dico vobis, *ſi dabitur generationi iſti ſignum.* Quam vim habeat, *ſi*, in huiuſmodi ſermone alibi dictum eſt; Eſt enim oratio Eclyptica juxta phraſim Hebræis uſitatiſſimam, de qua vide Annot. Hebr. 3. & 6. Sed quomodo Dominus hic recuſat abſolutè, quod apud Matth. cap. 16. facit cum exceptione dicens: *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ? Reſp.* etiam apud Matth. abſolutè negari quod petebatur: Petebant enim ſignum de cœlo. Reſpondet autem eis Dominus, non dandum eis ſignum de cœlo; ſed tamen dandum aliquod ſignum de terra, imò ex inferno; idque eiuſmodi, per quod non convertantur. Quod factum eſt, quando Dominus ſecundum corpus è terra ſurrexit, ſecundum animam ab inferis rediit. Impropriè ergo (*niſi*) pro (ſed) poſitum eſt phraſi Scripturæ, ut non exceptivam, ſed adverſativam vim habeat, in illo loco, Matth. 16.

℣. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* q. d. nondum ita clarè, & perfectè video, ut diſcernere poſſim inter homines & arbores. Hoc exemplum oſtendit non ſemper ita Dominum curaſſe infirmos, aut ſenſu aliquo privatos, ut ſtatim perfectam reciperent ſanitatem, aut integritatem. Non diſſimile eſt quod legitur, Petrus Apoſtolus filiam ſuam Petronillam ægrotantem catenus tantum liberaſſe à morbo, donec convivis miniſtraret: Quo facto mox in eundem morbum incidiſſe. Quæ exempla faciunt contra perſuaſionem quorundam putantium neminem miraculosè ſanari, qui non perfectam & ſtabilem ſanitatem accipiat; quia, inquiunt, *Dei perfecta ſunt opera*, ut eſt in cantico Moyſi. Deuter. 32. Sed ea ſententia non aliud ſignificat, quàm opera Dei omnia eſſe recta & juſta, ita ut à nemine merito reprehendi poſſint. Nam ſequitur, *Et omnes viæ eius judicia.* Item: *Deus fidelis & abſque ulla iniquitate juſtus & rectus.* Ratio huius ſucceſſivæ curationis reddi poteſt, ut oſtendat Dominus ſe non tantum eſſe authorem rerum perfectarum, ſed etiam imperfectarum; quia & ſumma, & media, & infima ab eo ſunt, contra Manichæos, qui viles beſtiolas, ut vermiculos, lumbricos, culices, muſcas, negabant eſſe à Deo authore. Ob hanc rationem Deus mundum paulatim ex imperfecto ad perfectum perduxit. Alia ratio, ut intelligamus non ſolam juſtificationem hominis, ſed & diſpoſitiones ac præparamenta eius eſſe à gratia Dei. Non eſt ordo conſtructionis; Video homines ambulantes ſicut arbores ambulant: ſed; video homines ſicut arbores; arboribus ſimiles, eoſdemque homines ambulantes.

℣. 20. *Tu es Chriſtus.* Cur Marcus omittat illa magnifica promiſſa Petro facta à Chriſto quæ leguntur apud Matth. rationem vide apud Euſebium lib. 3. demonſt. Evang. cap. 7. Petrus ex humilitate noluit hæc referre Marco Scripturo Evangelium. Ubi nota reliquos tres Evangeliſtas ea commemoraſſe quæ ad Petri excellentiam & prærogativam pertinent. Matth. c. 16. *Beatus es Simon Bariona*, & quæ ſequuntur Luc. c. 22. *Ego rogavi pro te*, & quæ ſequuntur; & apud Ioannem 21. *Paſce oves meas.* Solum Marcum qui Evangelium ſcripſit ſicut Petro referente audierat, de his tacuiſſe. Quæ res inſignem B. Petri Apoſtolorum Principis modeſtiam

A nobis inſinuat & commendat. De eadem Petri humilitate; Vide Comment. Galat. 2. & noſtra 2. Petr. 3.

℣. 30. *Et comminatus eſt ne cui dicerent de illo.* An illa comminatio debeat intelligi ſicut aliæ factæ qui erant ſanati, ut hic proximè ante; v. 26. *& ſi in vicum introieris, nemini dixeris.* Et in fine c. præcedentis: & *præcepit illis ne cui dicerent*; An verò propriè dicta ſit prohibitio, qua vetuit ne ipſum palam prædicarent eſſe Chriſtum, quia prius oportebat redemptionis myſterium impleri? & hoc probabilius: Vide Annot. Matth. 16. & Luc. 9.

℣. 33. *Vade retro me ſatana.* S. Auguſt. tract. de 4. Feria cap. 5. dicit quod Chriſtus Apoſtolum Diabolum vocavit dicens, *Redi retro ſatana; non enim ſapis quæ Dei ſunt.* Rectius eſt, ut (Satanas) non aliud hic ſignificet, quàm (adverſarius) ſive is homo ſit, ſive dæ-

B monum princeps, quem Diabolum Scriptura vocat. Satan enim in Scripturis plerumque appellativum nomen eſt, quo ſignificatur is qui reſiſtit, aut obſiſtit alicui; ſicut hic Petrus Chriſto quantum in ſe erat obſiſtebat. Vide Annot. Matth. 16.

CAPUT IX.

℣. 13. **S**Ed dico vobis, *quia Elias venit.* Hieronymus in fine comment. in Malachiam ità videtur intelligere Eliam in Ioanne, quaſi Iudaicum & Phariſaicum ſit, Eliam aliquando venturum in perſona. Vide Annot. Matth. 17. & ipſum Hieronym. in Matth. ubi ſeipſum explicat, affirmans quod Elias qui in ſecundo

C Salvatoris adventu venturus eſt juxta corporis fidem; per Ioannem venit in virtute & ſpiritu.

℣. 18. *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Non hoc dicit diſcipulis, ſed turbis. Unde apud Matth. & Lucam additur, *& perverſa*; quod nequaquam ad diſcipulos dictum intelligi poteſt. Neque palam voluit diſcipulorum ſuorum incredulitatem; id eſt fidei infirmitatem, arguere, ſed ſeorſum, quando eis interrogantibus; *Quare nos non potuimus ejicere eum?* Reſpondit apud Matth. *Propter incredulitatem veſtram.* Nec ſanè huiuſmodi quicquam interrogaſſent diſcipuli, ſi jam ante tam graviter de incredulitate & perverſitate fuiſſent à Domino increpati. Verùm ne ſibi placerent, exiſtimantes ſolam aliorum incredulitatem in cauſa fuiſſe, cur dæmonium ejicere

D non potuiſſent; etiam in ipſorum incredulitatem Dominus culpam poſtea transfert.

℣. 22. *Si quid potes adjuva nos, miſertus noſtri.* Significatur his verbis manifeſta fidei infirmitas & defectus, in patre: Nun enim certo credebat Chriſtum hoc poſſe, idem dicit: *ſi quid potes adjuva nos*, ſicut ſolet dici medico, ſi potes ſana hunc ægrotum. Sed Chriſtus ſua reſponſione ſignificat impedimentum non ex ſua potentia, ſed ex incredulitate alterius. *Si potes*, inquit, *credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* In eo autem quod dicitur; *omnia poſſibilia ſunt credenti*, non ſignificat credentem omnia facere poſſe, ſicut omnia dicuntur Deo eſſe poſſibilia; quia nihil eſt quod Deus facere non poſſit. Sed ſenſus eſt, nihil eſt tam magnum & arduum quod firma & viva fides apud Deum impe-

E trare non poſſit. Omnia impetratu poſſibilia ſunt credenti. Vide Annot. Luc. 17.

Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Reſpondet ad illud (*ſi quid potes*) & ſignificat omnia ſibi poſſibilia factu, & illi poſſibilia impetratu fore, modo ille queat credere, id eſt, modo credat: Non quaſi Chriſtus facere non poſſet niſi illo credente; ſed quia voluit Chriſtus in miraculis faciendis illam ordinariam legem ſervare, ut ea non impenderet niſi credentibus aliquouſque iis qui ea fieri petebant. Per quod Eccleſiam ſuam docere voluit, beneficia ſalutis, ut ſunt gratia Dei, remiſſio peccatorum, vita æterna, non obtingere niſi per fidem

quæ

quæ prima datur, ut per eam cætera impetrentur. Eſt autem ſimile quod alibi de Chriſto dicit Evangeliſta; *Et non poterat ibi virtutem ullam facere propter incredulitatem eorum.* Marci 6. Matth. 13. Vide Annotat. Matth. 13.

℣. 24. *Credo Domine: adjuva incredulitatem meam.* Magnus & mirus fidei profectus. Qui paulo ante dubitabat de Chriſto, an morbum corporis pellere poſſet; modò non dubitat eum invocare tanquam medicum animæ, qui infidelitatem eius curare poſſet; quod eſt ſolius Dei. Quod dicit, *adjuva incredulitatem meam*, ſimile eſt illi: *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. 17. Et ita dictum eſt, *adjuva incredulitatem meam*, ſicut dicimus Deo, adjuva infirmitatem meam; & ſicut Scriptura dicit *purgari peccata*; non quo incredulitas & infirmitas hoc adjutorio fortior fiat, aut peccata munda fiant; ſed ut pulſa infidelitate & infirmitate ſuccedat fides, & firmitas; & deletis peccatis ſuccedat juſtitia. Adjuvatur itaque incredulitas, dum adjuvatur incredulus ut credat; adjuvatur infirmitas, dum adjuvatur infirmus ut roboretur; purgatur peccatum, dum purgatur peccator à peccato, ut juſtificetur. Itaque nota Dominum hîc prius voluiſſe ſpiritualiter ſanare patrem quàm corporaliter à dæmone liberaret filium. Voluit enim merito fidei paternæ filium reddere ſalvum; ſed ſic ut intelligeretur illud ipſum patris meritum eſſe ſuæ gratiæ donum. *Adjuva incredulitatem meam*; id eſt Adjuva me incredulum; vel Adjuva meam fidem infirmam.

℣. 36. *Et quicumque me ſuſceperit, non me ſuſcipit, ſed eum qui miſit me.* Id eſt, non tam me ſuſcipit quàm eum qui me miſit. Correctio Rhetorica, qualis illa, Ioan. 7. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Quæritur an loquatur de ſe ut homine, an ut Dei filio. Vide Annot. Ioan. 7. Videtur de ſe loqui ut homine.

℣. 38. *Nemo eſt enim qui faciat virtutem in nomine meo, & poſſit cito loqui malè de me.* Non enim conſiſtunt facere virtutem invocato nomine Jesu Chriſti, & malè loqui de eo, verbi gratiâ dicendo, ſeductor eſt, inſanus, blaſphemus, peccator, dæmoniacus, vorax & vini potator, talia enim mala de eo à malevolis dicebantur; ſed qui invocato eius nomine dæmones ejiciebant, eo ipſo honorabant eum, & bene de eo loquebantur.

CAPUT X.

℣. 5. *AD duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* Apud Matth. dicunt Phariſæi. *Quid ergo Moyſes mandavit dare libellum repudij, & dimittere? — Ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere.* Ex collatione facilè liquet, *mandare & præcipere*, poni pro permiſſione legis, id eſt, ea, quæ lege exprimuntur. Idem patet ex quæſtione quam proponebant. Non enim quærebant an oporteret dimittere, ſed an liceret, id eſt, lege permiſſum eſſet. Erat tamen aliquod in lege propriè præceptum, non abſolutè ſed poſita conditione. Nam volens dimittere tenebatur ex præcepto ſcribere libellum repudij, ut libellus eſſet mulieri teſtimonium dimiſſionis ſuæ. Vide Annotat. Matth. 19.

℣. 13. *Et offerebant illi parvulos.* Non ſatis conſtat, neque ex hoc loco, neque ex Matth. 19. neque ex Lucæ 18. an parvuli iſti fuerint infantes, qui nec fari, nec incedere poſſent. Apud Lucam quidem vocantur infantes, ſed tamen ibidem dicitur Dominus convocaſſe eos. Iſtud enim (*convocans illos*) ad infantes, non ad diſcipulos referendum eſſe, patet ex Græco: ſicut Matth. 18. dicitur advocaſſe puerum & ſtatuiſſe in medio diſcipulorum. Non advocantur autem, aut convocantur, niſi qui per ſe accedere & intelligere aliquid poſſunt. Unde non ſatis certò ex huiuſmodi locis ſta-

A tuitur baptiſmus infantum prorſus ratione carentium? Nam & Matth. 18. tales ſignificari videntur, qui etiam credere poſſint; cum dicitur: *qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis qui in me credunt.*

℣. 21. *IESVS autem intuitus eum, dilexit eum.* Id eſt vultu ſe eum diligere oſtendit. Neque id ſimulatè: verè enim dilectionis affectum erga eum animo tunc concepit; vera enim dicebat adoleſcens, & propter eam qualemcunque præceptorum Dei hîc enumeratorum obſervationem, dignus erat qui diligeretur humana Chriſti dilectione; imò divina: diligebat enim Chriſtus in eo dona ſua. Sed non inde conſequens eſt, quod dilectus fuerit ea dilectione, qua diliguntur ſoli electi; de qua ſcriptum eſt, *Iacob dilexi.* Neque ea dilectione qua diliguntur filij: Nam ſi Deus diligit omnia
B quæ ſunt, ut eſt apud Sap. 11. certè etiam hunc adoleſcentem Chriſtus diligebat, non ſolum ut creaturam ſuam, verumetiam ut habentem quædam dona ſua ad honeſtatem vitæ pertinentia: licet non præſtantia juſtitiæ Chriſtianæ.

Vnum tibi deeſt. Quæritur an defuerit ad ſalutem, an ad perfectionem. *Reſpondeo* ad perfectionem; quia apud Matth. 19. dicitur, *ſi vis perfectus eſſe.* Quomodo ergo addidit Chriſtus, *quàm difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt? Reſpond.* quia vix fieri poteſt, ut qui divitias habet non eis cor apponat. Item, Chriſtus hortando adoleſcentem hunc ad id quod erat perfectionis, nempe ad relinquendum divitias, oſtendit illum necdum feciſſe quod erat præcepti, id eſt, necdum
C affectum divitiarum reliquiſſe. Et tamen multi relicto affectu divitias poſſederunt, ut Abraham, &c. Vide Annot. Matth. 19.

℣. 29. & 30. *Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Quæſtio eſt, quomodo dicat, centies tantum recipiendum eſſe in hoc ſæculo; & videri poſſet hæc ſententia favere opinioni Chiliaſtarum qui ponunt terrenum Chriſti regnum & carnale 1000. annorum in terris; niſi additum eſſet, *cum perſecutionibus.* Dicendum, eos qui omnia relinquunt propter Chriſtum centuplum in
D hac vita recipere, non tantum propter ſpiritualia charismata, & internas conſolationes, quæ centuplo plus valent quàm bona terrena: ſed quia ita diſponit Deus, ut qui omnia relinquit, omnium uſum etiam in hoc ſæculo inveniat. Apoſtolis enim omnium Chriſtianorum domus patebant; omnes ijs tanquam fratres & ſorores miniſtrabant & de opibus ſuis neceſſaria ſuppeditabant, ut verè in eos competeret illud Apoſtoli: *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Habebantur autem hæc cum perſecutionibus; quia eo tempore quando ab hoſtibus fidei perſecutionem ſuſtinebant. Chryſ. Homil. 40. in Geneſ. 17. dicit hoc etiam completum fuiſſe in Abraham, qui relicta domo paterna exijt in terram peregrinam, ubi ipſe cum poſteritate ſua mirè, etiam temporaliter, exaltatus eſt. Un-
E de fortaſſe, ſi quis benè velit intueri, non ſolum centuplum hic accepit, ſed decies millies millecupla. Idem Hom. 65. in Matth. docet quomodo in Apoſtolis fuerit hoc impletum. Et in opere imperfecto Homil 33. ſub finem. Aug. epiſt. 89. ad Hilarium, exponit illud, *centuplum in hoc ſæculo*, per illud 2. Corint. 6. *nihil habentes, & omnia poſſidentes.* Marcus in Græco nominat uxorem ſicut Matth. & Lucas nominant. Matth. non addit, *in hoc ſæculo*; quamvis ex hoc loco apparet ſubintelligendum. Lucas dicit: *& non recipiat multo plura in hoc tempore.* Quod enim alij dicunt, *centuplum*; Lucas exponit & interpretatur *multo plura.* Quæritur ergo quomodo qui unam relinquit uxorem,

centum

centum recipiat uxores in hac vita, cum in ea re, ut Hieron. dicit appareat manifeſta turpitudo? *Reſp.* quod uxor præſtat viro in fomentis & auxiliis temporalibus (eſt enim uxor viro data in adiutorium) hoc Deus cultoribus ſuis, præſertim Evangelij præconibus, per ſuam providentiam abondè curabit ſuppleri per alios vel alias. Unde Apoſtoli, mulieres ſorores circumducebant, & ipſe Chriſtus Dominus à mulieribus ſibi permiſit miniſtrari, & neceſſaria ſuppeditari.

℣.35. *Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes.* Vide Annotat. Matth.20. Radulfus Ardens ſerm. in Feſto Iacobi, vocat matrem horum Apoſtolorum materteram Chriſti. Itaque putat eam fuiſſe ſororem matris Domini; quæ eſt hodie vulgaris opinio, non tamen vera, ut arbitror, neque ex antiquitate, ac multo
B minus ex ſacris literis probabilitatem habens. Et videtur hoc ad illam falſam, & B. Anna indignam opinionem pertinere, quod B. Anna tres habuerit maritos, ex quibus ſingulis ſingulas ſuſtulerit filias, cuius opinionis vanitatem alibi refutavimus; & doctè refellit Ianſenius: & Baron. tomo 1. Annal. agens de Salome, quam tenet pro certo fuiſſe Zebedæi uxorem, ac Iacobi & Ioannis matrem, nullam huius cognationis facit mentionem; & ubi agit de fratribus Domini. Item contra hanc cognationem, facit quod Iacobus minor, ad diſtinctionem maioris, appellatus fuit frater Domini. Itaque Iacobus maior non fuit frater, id eſt, conſanguineus Domini.

S. Hieronymus ſcribens in Matth. 20. putat hanc
C mulierem regni ſuſpicionem concepiſſe ex verbis Chriſti, quibus cum paſſionem ſuam prædiceret, poſt omnia dixit ſe reſurrecturum. Sed primum, meritò dubitari poteſt, utrum illa præſente fuerint hæc dicta à Chriſto. Nam Matth. teſtatur Chriſtum ea dixiſſe duodecim diſcipulis ſecretò aſſumptis. Deinde, ſi, ut Lucas ſcribit, diſcipuli nihil eorum intellexerunt; minus credibile eſt hanc mulierem, ut maximè audierit, intellexiſſe. Quare totum hoc ab ea factum eſt inſtinctu filiorum, qui, ut cæteri diſcipuli, JESUM credentes eſſe Meſſiam, temporale quoddam eius, in populo Iudaico, regnum & dominationem futuram imaginabantur. Quæ opinio perſeveraſſe in eis videtur uſque ad illud tempus, quando eum in cœlum aſcenſurum interrogabant, Num in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?
D Ac fortè uſque ad miſſionem in eos Spiritus Sancti. Vide Annot. Matth.20.

℣. 38. *Aut baptiſmo quo ego baptizor baptizari?* Plus aliquid hæc verba ſignificant, quàm præcedentia; videlicet non ſimplicem paſſionem, ſed paſſionum ac malorum quandam inundationem; ut Pſalm.68. *Quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam: veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Itaque *baptizari*, eſt paſſione, veluti imbre copioſo deſuper irruente, perfundi. Vide Annot. Matth.20.

℣ 42. *Et principes eorum poteſtatem habent ipſorum. Non ita eſt in vobis.* Non ſignificat inter diſcipulos & fideles Chriſti fore æqualitatem, ſic ut nemo in alterum poteſtatem habeat, ſed tantum prohibet faſtum & oſtentationem poteſtatis; eiuſque uſum ad gloriam
E & dominationem, non ad utilitatem ſubjectorum: ſicut dominabantur Principes gentium. Quod & Petrus prohibet. *Non dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*, 1. epiſtol. cap.5. Quod enim ſit poteſtas in Eccleſia imprimis oſtendit illud: *Quodcumque ligaveritis.* Matth.18. & illud Hebr.13. *Obedite præpoſitis veſtris.* Et Luc. 22. *Qui erit inter vos maior; & qui præceſſor, &c.* Et arguit comparatio quam affert à ſeipſo; *Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, &c.* qui tamen erat eorum prælectus, & caput & Magiſter. Sed vult, ut qui in Eccleſia præfecti ſunt, ament prodeſſe, non præeſſe; *miniſtrare*, id eſt, commoda & ſalutem aliorum quærere, iiſque
A ſubſervire, non autem ſuam quærere ſublimitatem. Unde Rom. Papa, huic ſatisfaciens Chriſti præcepto, ſcribit ſeipſum ſervum ſervorum Dei. Quod primus inter Pontifices feciſſe legitur vir ille ſanctiſſimus & humillimus Gregorius 1. quod tamen antea fecerat S. Auguſtinus in epigraphe epiſtolæ 107. Quod ad Gregorium attinet, videatur libri 9. epiſtola 38. Hæc additio eſt Cenſoris.

Vide Annot. Matth.20. ubi habes & alium ſenſum. Uterque ſenſus probabilis eſt; ſed iſte melior. Vide etiam Annotat. Luc.22.

CAPUT XI.

℣.13. *Cumque vidiſſet à longè ficum habentem fo-*
B *lia, venit, ſi quid fortè inveniret in ea.* Sciebat ſine dubio nihil eſſe in ea: Nam & alij ſciebant; quippe cum non eſſet tempus ficorum, ſed dicitur veniſſe ſi quid forte inveniret; quia ita acceſſit & oculis luſtravit ſicut facere ſolent homines quærentes & ſperantes ſe inventuros aliquid. Non autem in illo Chriſti facto ulla ſimulatio, quia nulla falſi ſignificatio. Non enim illo facto ſignificavit ſe neſcire aut dubitare, aut ſperare fructum ex illa arbore, id quod noſtro ſimili facto poſſet ſignificari: ſed ſignificare voluit myſterium, ſcilicet reprobationem Synagogæ & populi Iudaici: eo quod fructus fidei & bonorum operum in eo non reperiſſet. Conferendus eſt hic locus cum Marci 6. & 7. Luc.24. ubi dicitur Chriſtus voluiſſe latere, & finxiſſe,
C nam & hic dicere potuiſſet Evangeliſta, venit & voluit decerpere fructus; vel finxit ſe quærere fructus; ſcilicet eo intellectu quem illis locis dedimus.

Non enim erat tempus ficorum. Hinc manifeſtum eſt latere myſterium in hoc facto Domini. Neque enim tali tempore in ficu fructus quærere (quod alioqui ſtultum videri poſſet) niſi myſterium aliquod ſignificare vellet. Contigit hoc factum die 11. menſis primi; ſcilicet verno tempore, de quo Dominus infrà cap.24. *Ab arbore fici*, inquit, *diſcite parabolam. Cum jam ramus eius tener fuerit, & folia nata; ſcitis quia prope eſt æſtas.* Nondum ergo eo tempore fructus habebat ficulnea.

℣.16. *Et non ſinebat ut quiſquam transferret vas per templum.* Si Chriſtus hoc permittere noluit in templo
D illo umbratico, in quo ea agebantur, quæ non niſi figura & umbræ erant futurorum; quanto minus tale aliquid permittere debet Præfectus Eccleſiæ in templis Chriſtianorum, in quibus illud Sacrificium reipſa exhibetur & proponitur, quod veteribus illis adumbratum fuerat? Neque putandum eſt Chriſtum loqui de ſolo illo templo Iudaico. Nam verba ſatis convincunt eum loqui etiam de Oratoriis per univerſum mundum Deo extruendis. Adjecit enim: *Nónne ſcriptum eſt, Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus?* Et quidem ad templum Iudaicum numquam omnes gentes convenerunt. Quod autem de templo materiali loquatur, manifeſtum eſt; de tali templo ejiciebat vendentes & ementes. Quibus etiam objicit quod fecerint illud ſpeluncam latronum. Prædicit ergo
E his verbis Chriſtus, & ante eum Iſaias Propheta, futurum aliquando ut templa materialia Deo extruantur per univerſum mundum; Id quod nunc completum cernimus. Unde vehementer falluntur qui ex eo quod dictum eſt, *Spiritus eſt Deus*, ita putant Deo in Spiritu ſerviendum eſſe, ut neque templo materiali, neque ullis externis & corporalibus ceremoniis homini opus ſit ad perfectum cultum Deo in hac vita exhibendum. Vide Annot. Matth.21. & Iſai.56.

℣. 20. *Viderunt ficum aridam factam à radicibus.* Id eſt, viderunt eam radicitus exaruiſſe. Hoc dicitur ad declarandam vim & efficaciam maledictionis Chriſti.

℣.22.Ha-

℣.22.*Habete fidem Dei.*Id eſt,qua Deo credatis,aut Deum,ſcilicet omnipotentem & in promiſſis veracem. Sicut alibi vocatur charitas Dei , qua Deus diligitur,& timor Dei quo Deus timetur. Nec enim puto per fidem Dei intelligi fidem magnam & excellentem , ea phraſi, qua dicuntur montes Dei , exercitus Dei , pro magnis,excelſis,copioſis.

℣.23. *Quicumque dixerit huic monti,Tollere & mittere in mare , & non haſitaverit in corde ſuo , ſed crediderit quia quodcumque dixerit fiat;fiet ei. Propterea dico vobis.Omnia quacunque orantes petitis, credite quia accipietis; & evenient vobis.*Quidam *credere* i.ſc intelligunt poſitum pro confidere & *fidem* intelligunt fiduciam in in eo quod ait, *habete fidem Dei.* Vide Ianſenium. Sed rectius intelligitur fides propriè dicta,tum de omnipotentia Dei , tum de eius veritate & promiſſis ; atque adeo etiam de effectu ipſo impetrando , quatenus ſub promiſſione continetur : nimirum ſecundum conditiones quas ipſe Dominus requirit.Nam & hoc loco requirit primum fidem ipſam,deinde ut ignoſcatur fratri.Et ſimiliter Matth.6.Apud Lucam autem cap.11. requirit perſeverantiam ; & alibi aliæ requiruntur conditiones. Vult ergo Dominus ne dubitemus,ſed firmiter credamus eius promiſſioni,qua dixit, *Omnis qui petit accipit,* juxta ſenſum quo debet illa promiſſio intelligi.

Nec obſtat quod ait : *Quicunque dixerit huic monti &c.* id quod etiam dicitur Matth.17. quia ſenſus figuratus eſt , quaſi dicat ; quantumcunque ſit magnum & ſpem humanam ſuperans quod petitur , quale eſt montes moveri loco,& tranſplantari in mare ; modo petatur ſecundum conditiones ad orationem requiſitas, fiet ei. Vide Annot. Matth.17.

CAPUT XII.

℣.14. L*icet dari tributum Caſari : an non dabimus?* Non quærunt utrum oporteat dare , ſed utrum liceat. Ratio eſt, quia quemadmodum teſtatur Ioſeph, lib.18.antiq. Iudas quidam ex ſecta Phariſæorum,ſimul cum multis aliis Phariſæis, affirmabat indignum eſſe adeoque illicitum,ut populus Dei alicui alteri præterquam uni Deo ſubjiceretur : tributi autem ſolutionem nihil aliud eſſe quàm ſubiectionis profeſſionem.Chriſtus autem nihil veritus calumniam, liberè & apertè,prudenter tamen, reſpondet, non ſolum quid liceat,ſed etiam quid oporteat : quando præcipiendo dicit : *Reddite igitur quæ ſunt Caſaris Caſari.*q.d.non ſolum licet,ſed etiam oportet ut Cæſari tributum reddatis.Addit autem : *Et qua ſunt Dei, Deo* ; ut ſubvertat eorum rationem qua dicebant eſſe indignum ut populus Dei ſerviret hominibus : quaſi hæc duo repugnarent,ſubiectum eſſe Deo,& ſubiectum eſſe homini;cum ea duo maximè conſentiant. Præcipit enim Deus ut parentibus,ut principi pareamus. Itaque uno & eodem opere homo ſubjicitur Deo & homini, reddens Cæſari quæ Cæſaris ſunt , & Deo quæ Dei ſunt.

℣.33. *Et diligere proximum tanquam ſeipſum, maius eſt omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis.* Hoc eo ſenſu accipiendum quo dicit Auguſt. in illa ſententia, Miſericordiam volo,non ſacrificium;non improbari ſacrificium , ſed ſacrificium internum externo eſſe prælatum. Vide Annot. Oſeæ 6.Iſa.58.& 1.Pet.3.Neque tantum de ſacrificiis veteris teſtamenti,verum etiam de ijs quæ in nova lege offeruntur , veritatem habet ſapiens hoc reſponſum ; quia ſi utrumque ſeorſim ab altero ponatur, diligere proximum tanquam ſeipſum,& Miſſæ Sacrificium offerre ; illud iſto maius eſt ; ſemperque manet verum , maximum mandatum eſſe ut diligatur Deus ex toto corde ; ſecundum autem ab illo, ut diligat quis proximum tanquam ſeipſum. Quare utroque inferius eſt offerre ſacrificia.

℣.34.*IESVS autem videns quod ſapienter reſpondiſſet,* A *dixit illi. Non es longè à regno Dei.* Hæc non pugnant cum eo quod Matth.22. legitur hic ſcriba , ſive Legiſdoctor,ut ibi vocatur, tentans interrogaſſe Dominum. Tentavit enim, non ut duplici corde accedens , ac ſperans ſe eius inſcitiam proditurum ; ſed ſimpliciter , experiri volens quid de quæſtione hac, tunc temporis inter Legiſperitos controverſa , reſponderet. Unde & cum videret eum cum ſua opinione convenienter reſpondiſſe, laudavit Domini reſponſum , & ipſe viciſſim pro ſapienti ſua approbatione meritò laudatus fuit, tanquam qui non longè abeſſet à regno Dei. Vide Ianſen. c.118. Comment.in concordant.Regnum Dei ſignificat Eccleſiam Chriſti,& dicunt non longè abeſſe à regno Dei, quia prope erat ut in Chriſtum crederet, eiuſque doctrinam reciperet & adjungeretur Societati fide- B lium Chriſti. Habebat enim fidem Chriſti implicitam, reliquum erat , ut præſentem expreſsè reciperet ; ad quod jam erat per gratiam Dei præparatus.

℣.35. *Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum filium eſſe David,* cum David dicat eum Dominum,dicens: *Dixit Dominus Domino meo ?* Nunquam Dominus interrogat niſi ut magnum aliquid doceat. Sic ſuprà interrogans de Baptiſmo Ioannis unde eſſet ; docere voluit ſuam poteſtatem eſſe de cœlo. Ita hoc loco propoſita quæſtione de Chriſto, quomodo ſit filius David, cum David eum Dominum vocet ; magni myſterij dedit ſignificationem , quod poſterioribus ſæculis à tam multis hæreticis impugnatum fuit.Myſterium illud,eſt duplex natura in Chriſto , humana & divina. Secun- C dum naturam humanam Chriſtus eſt filius David:quia ex ſemine eius progenitus ; ſecundum divinam eſt Dominus Davidis; quia Deus , & filius Dei ab æterno ex Patre natus. Arguit autem hac quæſtione Chriſtus craſſam inſcitiam Scribarum & Phariſæorum , qui de ſuo Meſſia nihil agnoſcebant ſuprà hominem , divinitatis eius prorſus ignari. Nam ſi eius divinitatem cognoviſſent ; promptiſſimum fuiſſet eis ad hanc quæſtionem reſpondere.

℣.36.*Dixit Dominus Domino meo.*Quomodo Chriſtus hinc rectè probare intendit Chriſtum eſſe verum Deum ; cum in Hebræo priori tantum loco ſit nomen Deo proprium Iehova, poſteriori autem nomen Adonai , quod etiam hominibus tribuitur , & Dominum generaliter ſignificat ? *Reſp.* primum , in Sacris litteris D nomen *Adonai* frequentiſſimè Deo tribui , maximè in Pſalmis & Prophetis. *Deinde* Chriſtum quærere ex ſcribis cauſam , quare David Meſſiam ex ſuo ſemine naſciturum,& proinde ſuum filium, vocet Dominum. Nam ob magnitudinem regni & dominationis terrenæ , non erat quod pater rex filium regem vocaret ſuum Dominum ; quandoquidem , utcumque magnus & potens , non tamen in ipſum habiturus eſſet imperium, ut Scribæ ſentiebant , tantum temporale regnum Chriſto tribuentes. Vult ergo Dominus intelligi ex pſalmi verſiculo Chriſtum eſſe Davidis Dominum , eiuſque reddendam eſſe rationem ; quam reddere nullam potuerunt Scribæ Iudæorum. Ratio autem eſt ſecundum veritatem,quia Chriſtus eſt filius Dei & verus E Deus ; & proinde veriſſimè & propriiſſimè Dominus Davidis.Item quia regnum eius non temporale,ſed ſpirituale eſt, extendens ſe ad omnia tempora etiam præterita, & ad eos maximè, qui beneficiorum Chriſti, id eſt, remiſſionis peccatorum , juſtitiæ , ſalutis fuiſſent participes ; inter quos non infimus erat David. Denique jure redemptionis humani generis à ſervitute peccati , mortis, Diaboli. Qua ratione Chriſtus paſſim in novi teſtamenti Scriptura vocatur peculiariter *Dominus* ; & de eo dicitur Epheſ.4. & 1. Corint. 8. *Vnus Dominus.* Hoc modo etiam Davidis Dominum fuiſſe Chriſtum , ſcimus nos Chriſtiani : At Legiſperiti Iudaicæ gentis, tantum humiliter de Chriſto ſentientes , hæc omnia ignorabant. Vide Annotat. Epheſ.4. Vide Genebrad.

in

in pſalm. 106. ubi ſolvit quæſt. & noſtr. Commentar. 1. Cor. 15. verſ. 25. Hebr. 1. v. 13. itemque Annot. Matth. 20. & 22.

℣. 40. *Qui devorant domos viduarum ſub obtentu prolixæ orationis.* Græcè, *devorantes domos viduarum, & prætextu multa precantes.* Videtur hic eſſe ſenſus; qui fraudibus & calumniis opprimunt viduas, domoſque earum rebus neceſſariis exſpoliant; quomodo in Pſ. 13. contra potentiores dicitur; *Qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis.* Item, qui, ut ſancti videantur, ſimulant ſe facere longas orationes. Juxta quam explicationem, Græco textui conſentaneam, duo diverſa Dominus imponit ſcribis: Alterum, quod viduarum domos per columnias expilarent; alterum quod nihilominus magnam præ ſe ferrent, ſimulatis longis precibus, ſanctitatem: hoc eſt, rapinam & hypocriſim. Eadem ſententia eodem modo in Græco legitur, Lucæ 20. tametſi noſter interpres ſibi etiam conſtet, dum ubique vertit in eundem ſenſum, ut verti poteſt.

Hi accipient prolixius judicium. Accipere judicium, eſt ſubire pœnam judicii, pati damnationem. Sic Iac. 3. *Scientes quia maius judicium ſumitis*, vel potius ſumetis, ut in Græco eſt; id eſt, accipitis. Vide eius loci Comment. *Proxilius judicium*, Græcè περισσότερον κρίμα. Habetur etiam Lucæ 20. Sed vertit interpres apud Lucam, *Damnationem maiorem.* Græca propriè ſignificant, ſuperabundantius, excellentius, gravius judicium; tametſi intelligi poteſt alluſionem fieri ad prolixas preces ſcribarum. Sed tamen vocabula Græca, diverſæ ſunt ſignificationis, μακρὰ & περισσότερον.

℣. 44. *Omnes enim ex eo quod abundabat illis miſerunt: hæc vero de penuria ſua, omnia quæ habuit miſit, totum victum ſuum. Omnes*, intellige; præter hanc, ſequitur enim exceptio: *hæc vero.* Sic quod præcedit, *vidua hæc pauper plus omnibus miſit*; videlicet cæteris. Pertinet hoc ad idiotiſmum Hebraicæ linguæ; ſicut & ibi: *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus.* Matth. 12. & 2. Cor. 6. *Omne peccatum &c.* Sed quæritur, quomodo rectè fecerit hæc vidua paupercula dans in uſum templi; non ſuperflua, ſed neceſſaria. Unde & apud Lucam Dominus ait, *Hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit miſit*; & vocem Græcam βίον utrobique *ſubſtantiam* vertit Eraſmus. Reſpondetur quod miſerit totam ſubſtantiam præſentem; nec tamen tentabat Dominum, quia poterat operando manibus rurſum lucrari, quantum ſibi ad victum eſſet neceſſarium. Non enim tentat Dominum qui dat totum quod habet, quando medium ſuppetit humanum, quo comparet aliud, unde vivat.

S. Auguſt. Homil. 8. inter quinquaginta ſic ait: Quia enim præbebat ei Dominus victũ; jam ei duo nummi ſuperflui reſtiterant ad victum eius diei: ideo miſit illos in domum Dei, & emit ſibi regnum cœlorum. Ubi videtur ſentire quod illi nummi erant ei ſuperflui ad victum eius diei; neceſſarij autem in diem proximum.

Notandum etiam quod iſta oblatio non tam erat opus miſericordiæ, quàm actus religionis. Unde licet Eleëmoſynam dare ditiori ſe, ſit inordinatum; non tamen inordinatum eſt Deo in uſum templi eius (etiamſi templum illud ſit locuples, & amplos proventus habeat) offerri munus, ab eo qui ſit exiguæ fortunæ: quia offertur Deo in agnitionem ſummæ maieſtatis. Sicut non eſt inordinatum ut quis è vulgo Regi munus offeret, quo ſuam proteſtetur ſubiectionem.

CAPUT XIII.

℣. 11. **E**T cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini, ſed quod datum vobis fuerit in illa hora, hoc loquamini. Vide Annot. Lucæ 12.

℣. 32. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque* Eſtij Annotat. in Script.

A *angeli in cælo, neque filius, niſi Pater.* Illud, *neque filius*, etiam apud Matth. legunt quidam veteres. Ex his verbis olim Ariani conati ſunt oſtendere filium non eſſe patri æqualem; quippe qui non omnia noſſet quæ pater. Sed cum nemo Catholicus dubitare debeat filium omnia noſſe, dicente Petro: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te*: videndum eſt quo ſenſu ipſe Chriſtus de ſe dixerit, de die illa & hora ne filium quidem ſcire. Intelligi id poteſt duobus modis. Alter eſt ſi dicamus filium id ſimpliciter neſcire, ſecundum naturam humanam. Hic tamen modus difficultatem habet, quia Chriſtus, ut homo ab initio conceptionis fuit plenus gratia & veritate. Unde & videtur habuiſſe ſcientiam infuſam omnium rerum. Vide D. Thom. in 3 p. quæſt. 10. art. 2. & 3. Alter modus, idemque probabilior, ut dica- B mus filium hominem ignorare diem judicij, quia non ſic eum didicerat ex patre, ut illum hominibus ulterius manifeſtare deberet. Et ita ſenſus eſt, filius homo eſt quaſi non ſciens; quia non ita ſcit ut alios ſcire faciat. Hunc ſenſum declarat illud apud Ioan. cap. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à patre, nota feci vobis*, id eſt, quæcunque ſic audivi à patre, ut nota vobis facerem. Et illud de Spiritu Sancto, *Quæcunque audiet loquetur*, id eſt, quæcunque loquenda audiet, loquetur: & Actor. 20. *Quia miſſum annunciarem omne conſilium Dei vobis.* Vide ibid. Ita hoc loco filius non ſcit, id eſt, non audivit à Patre, ut videlicet notum vobis faciat. Dicitur autem, filius homo; quia filius, ut Deus, facit ſcire Spiritum Sanctum. Vide C noſt. in 3. Sent. diſt. 14. & Annot. 15.

CAPUT XIV.

℣. 3. **N**Ardi ſpicati precioſi. *Spicati* puto legendũ, non *piſti*, quemadmodum mecum ſentit Gaignæus. Nam quod Latini dicunt ſpicatum (quod quidem eſt Romanis genus unguenti præſtantiſſimi ex nardo) id Marcus voce ſervata, ſed facta μετάθεσιν litterarum vocavit πίστικον, quaſi σπικᾶτον. Alioqui πίστικον Græcis nuſquam, quod ſciam, ſignificat rem probatam & minimè adulterinam. Id quod apud illos γνήσιον dicitur. Sed interdum accipitur pro eo quod aptum eſt ad perſuadendum, & faciendum fidem: quæ ſignificatio huic loco non quadrat.

D Nota autem ſubinde apud Evangeliſtas ſimilia reperiri vocabula quæ à Romanis accepta ſint, ut σουδάριον, κουστωδίαν, πραιτώριον, aliaque eiuſmodi. Adde quod exemplaria manuſcripta plurima habent, ſpicati; ut proſus veriſimile ſit ſic vertiſſe interpretem, prudenter attendentem ad mentem Evangeliſtæ; licet eam vocabulo, non Græco, eoque corrupto, ſed ut arbitror, tunc uſitato, expreſſerit. Apud Ioan. tamen cap. 12. exemplaria conſtanter habent *piſtici.* Verum non eſt novum interpreti eandem vocem, locis diverſis aliter atque Latinè aliter reddere.

Notandum etiam legendum *ſpicata*, ut ad nardum referatur, non unguentum, cum Græcè ſit πιστικῆς. Vox autem quæ precioſum ſignificat, tum hoc loco, tum apud Ioan. cum ſit omnis generis, ad utrumlibet re- E ferri poteſt: quanquam aptius ad nardum referatur, tanquam proximum; quod & Eraſmo placet. Vide quod Annot. Marianus in indice operum S. Hieron. verbo *Nardus.* Huius ſententiæ meminit etiam Ianſen. nec eam reprobat; item Franciſcus Lucas.

℣. 3. *Effudit ſuper caput eius.* Græcè κατέχεεν αὐτοῦ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; quod duobus modis verti poteſt; *effudit eius ſuper caput*, ut ſit ordo mutatus *eius*, quod recto ordine dixit Matth. c. 26. vel, *perfudit eum ſuper caput*, quod Eraſmus vertit, *effudit illi ſuper caput.* Nam verbũ Græcum etiam genitivum regit rei perfuſæ: ut Pſ. 88. κατέχεας αὐτοῦ αἰσχύνην. *Perfudiſti eum pudore.*

℣. 8. *Prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.*

quaſi dicat, Mortuorum corpora ſolent ungi,ut ſepultа conſerventur incorrupta: Et ego quidem poſt paucos dies moriturus; quia officioſam hanc unctionem corporis mei mortui, celeritate reſurrectionis præveniam, idcirco mulier iſta,divino quodam inſtinctu mota,me moriturum unctione prævenit, id eſt, moriturum ungit, quem mortuum ungere non poterit. Quamvis enim corpus Chriſti cum aromatibus myrrha & aloë ſepultum, non tamen unctum.Nam mulieribus ungere mortuum volentibus, nunciatur vivus.

℣.20. *Qui intingit mecum manum in catino.* *Manum*, non eſt in Græco, ut nec in multis manuſcriptis Latinis. Non voluit autem Chriſtus his verbis prodere & manifeſtare ſuum proditorem; quia alij nec poſtea cognoverunt quis eſſet, ut patet ex Ioan.13. ſed ſenſus eſt. Unus eorum quos familiariſſimos habeo, & hactenus habui, & qui communi menſa mecum utuntur, & manum mittunt in eam paropſidem,me tradet. Sic in Pſalm.54. *Tu verò dux meus & notus meus, qui mecum dulces capiebas cibos, &c.* Item Pſ.40. *Homo pacis meæ, qui edebat panes meos, in quo ſperavi, magnificavit ſuper me ſupplantationem.*

℣.29. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint, ſed non ego.* Et poſt: *Non te negabo.* Quæri poteſt utrum Petrus gravius peccaverit his verbis, quàm poſtea Chriſtum negando; quod videri poteſt, quia hæc verba videntur continere manifeſtam contumeliam Dei: quia Chriſto, qui eſt ipſa divina veritas, impingunt falſitatem & mendacium: quod gravius eſt, quàm metu mortis Chriſtum negare. Videtur dicendum quod Petrus his verbis non voluerit Chriſto falſitatem impingere; ſed, quomodocunque ſe haberet prædictio Chriſti, eiuſque interpretatio; reſpondit Petrus de affectu ſuo, declarans ſe ita affectum, ut eſſet paratus mori cum Chriſto; licet non conſideraverit, imò ignoraverit infirmitatem ſuam, quæ prohiberet pium illum affectum perduci ad effectum. Imò, ſimiliter & cæteri Apoſtoli affecti erant. Sequitur enim: *Similiter autem & omnes dicebant.*

℣.35. *Orabat ut, ſi fieri poſſet, tranſiret ab eo hora.* Videlicet paſſionis. Addit conditionem, *ſi fieri poſſet*, fieri autem potuiſſe, ipſe Dominus teſtatur oratione ſua ad patrem, qua dicit, *Abba pater, omnia tibi poßibilia ſunt; transfer calicem hunc à me.* Cum igitur ſubſiſtat conditio illa; videri poterit Chriſtus abſolutè hoc oraſſe Patrem, ut calix paſſionis ab eo tranſiret. Quod cum factum non ſit; conſequens videtur, eum non eſſe exauditum à Patre.Quod ſi verum eſſet,quomodo verum erit quod Ioan.11.ſuſcitaturus Lazarum, dicit, *Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis?* Solvitur hæc quæſtio ex eo quod ſequitur, *ſed non quod ego volo, ſed quod tu.* Unde patet eum non abſolutè mortem deprecatum fuiſſe, ſed hoc potius voluiſſe, ut voluntas Patris fieret. In eo autem quod dicit; *Transfer calicem hunc à me*; non propriè continetur oratio eius, ſed declaratio deſiderij naturalis: Quod in eo oriebatur ex natura carnis, quam gerebat; & hoc deſiderium vocat impropriè voluntatem.Alioqui voluntas rationalis, ut talis, in Chriſto non aliud volebat quàm quod erat à Patre præordinatum, ut videlicet pateretur: & ab ea procedebat illa abſoluta oratio; *Fiat voluntas tua.* Vide Annot. Matth.26.

℣.37. *Et invenit eos dormientes.* Dormit Petrus; quando Prælati Eccleſiarum, ad quos pertinet cura paſcendi gregis dominici, dormiunt, id eſt, occupari ſæcularibus negotiis, aut dediti carnalibus deſiderиis, negligenter officium faciunt. Dormit Ioannes; quando viri vitam contemplativam profitentes, quorum proinde eſt aſſiduè orare pro populo fideli; curis ſæcularibus immerguntur; aut quod deterius eſt, carnis deſideria ſectantur. Dormit Iacobus, quando dormit Eccleſiæ diſciplina; quæ rectè per Iacobum, qui pri-

A mus Apoſtolorum ſanguinem pro Chriſto fudit, ſignificatur.

℣.38. *Spiritus quidem promptus eſt, caro verò infirma.* Vide noſt.Comment.Gal.5. ad illud: *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.*

℣.51. *Adoleſcens autem quidam.* Eraſmus in paraphraſi, de Ioanne Apoſtolo interpretatur, & amori eius erga IESUM tribuit, quod eum ſecutus aliquouſque fuerit præ cæteris diſcipulis. Theophylactus veriſimile eſſe dicit, eum fuiſſe è domo in qua comederant Paſcha, addens aliam opinionem eorum, qui dicunt fuiſſe Iacobum fratrem Domini,qui tota vita una veſte uſus fuit. Eadem habet Euthymius ſuper Matth.26. Baronius ſindonem cœnatoriam interpretatur, & de Ioanne intelligit, adducens authores Ambr. Greg. Bedam. B At quod de ſindone cœnatoria dicit, facile refellitur. Quamvis enim nox eſſet, tamen veſtem cœnatoriam non tam diu retinuiſſet,exeundo,diſcedendo ad hortum, & ibi manendo. Nam haud dubiè fuiſſet monitus à condiſcipulis. Item non erat nox obſcura, ſed plenilunium. Liranus tres adfert opiniones,de Iacobo, de Ioanne, & de Adoleſcente ex domo in qua erat cœnatum.

℣.52. *At ille reiecta ſindone nudus profugit ab eis.* Myſticè ſignificari poteſt, quod quando periclitamur ob rem quamcunque pretioſam huius ſæculi, ut ſunt opes, honores, amicitia potentium; illis relictis & abiectis, fugere debeamus, ut animas noſtras ſalvemus. *Quid enim prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur,* C *anima verò ſua detrimentum patiatur?*

CAPUT XV.

℣.21. ET *angariaverunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem eius.* Quidam putant Simonem hunc Cyrenæum dici,quod natus eſſet in Cyrene urbe Cypri, quam Cyrus condidit & à ſe Cyrenen nominavit. Ceterum S.Auguſt.libr.de Paſtoribus cap. ult. ſcribit eum fuiſſe ex Cyrene,quæ Africæ contigua eſt, idque rectius. Nam Scriptura Actor.2. Iudæos agnoſcit ex Libya, quæ eſt circa Cyrenen, id eſt, ex Libya Ægypto & Africæ vicina, quæ & Pentapolis dicta eſt, teſte ibidem S. Auguſt. At Cyrenæ D Cypriæ nulla eſt in Scripturis mentio. Nam & 1. Machab.15.quę nominatur Cyrene,proxime poſt Cyprũ, non eſt in ipſa Cypro ponenda; Sic enim ineptus ſermo videretur: Sed ea eſt Cyrene, de qua nunc loquimur, regio iuxta Ægyptum ſita, haud ita procul ab inſulis,quæ ibidem continuo contextu enumerantur. Neque enim ad Cyrenen Cypriam ſcriberent Romani alias litteras, quàm quas darent ad Cyprum inſulam, præſertim cum Cyrene Cypria ſit obſcura;vixque nota in Hiſtoriis. Idem cenſeo de loco Act.11. ubi Cyprios & Cyrenæos legimus. Nam nec illi Cyrenæi alij ſunt ab illis, quorum idem Lucas meminit Act.2.& 6. qui utique fuerunt ex regione Cyrenaica Libyæ. Plerique putant huius Simonis filios nominari, quod fuerint diſcipuli Chriſti. Rufi mentio fit Rom.16. ſed incer- E tum an ſit hic idem cum illo. Vide noſtr. Comment. citato loco, itemque Annot. Matth.27.

℣.23. *Et dabant ei bibere myrrhatum vinum, & non accepit.* Pro eo dicit Matth. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum guſtaſſet noluit bibere.* Lucas autem & Ioannes non meminerunt. Et infrà verſ.36. *Currens autem unus & implens ſpongiam aceto, circumponenſque calamo, potum dabat ei, dicens; Sinite, videamus,&c.* Matth.autem hoc modo: *Et continuò currens unus ex eis, acceptam ſpongiam implevit aceto, & impoſuit arundini,& dabat ei bibere.* Luc. autem ſic, *Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei.* Et apud Ioan. *Vas ergo erat poſitum aceto plenum;*

Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes A *obtulerunt ori eius.* Quæritur an Dominus biberit vinum myrrhatum ſeu felle mixtum.

Item an biberit acetum. Apud Prudentium ſic lego in Apoth. contra hæreſim, quæ patrem paſſum affirmat: Fel potat & haurit acetum. Hic tamen non aliud legitur, quàm quod guſtavit vinum felle mixtum, quod unus dicit Matthæus, ſtatim adjiciens quod noluit bibere. De aceto autem quod in cruce pendenti oblatum eſt, dicit Ioan. *Cum ergo accepiſſet IESVS acetum, dixit, Conſummatum eſt.* Vinum ergo myrrhatum ſeu felle mixtum non accepit; acetum accepit. Putat Baron. myrrhatum vinum fuiſſe præſtans & ſuave vinum; idque ex Plinio & aliunde probat; dicitque Chriſtum ideo cum guſtaſſet bibere B noluiſſe, quia non venerat guſtare jucunda & ſuavia, ſed amara. Verùm contra hanc opinionem facere videtur textus Matthæi dicentis, quod dederint ei bibere vinum cum felle mixtum; non ergo erat ſuave. Et quod ſequitur, *& cum guſtaſſet,* ſcilicet fellis amaritudinem, quo mixtum erat vinum, *noluit bibere:* idque ad declarandum ſe habere naturam humanam aliis ſimilem, fugientem ea à quibus natura abhorret; cuiuſmodi eſt fel; quod nullo modo eſt potus. Acetum autem accepit, quia uſum habet in cibis, & potu, & modicè ſumptum conducit. S. Auguſt. ſerm. 109. de diverſis, ſemel & iterum dicit, Chriſtum in cruce hauſiſſe acetum. Hieronymus in Matth. & alij quidam authores tradunt, vinum myrrhatum ſolitum dari damnatis ad conſopiendum; ideoque & Chriſto datum fuit, ſed præ odio Judæi illud felle C miſcuerunt, ut impleretur Prophetia. Nec Chriſtus recuſavit, quia ſuave erat; dicit enim in Pſalm. *Conſolantem quæſivi, & non inveni;* ſed quia fellitum, recuſavit; alioqui bibiturus; unde dicitur, *cum guſtaſſet, noluit bibere,* & quia dixit: *Non bibam amplius de genimine vitis, donec &c.* Cæterum quod ad Baronium attinet, is in additionibus, quas ſubtexuit Tomo 10. jubet tolli omnia quæ dixerat Tom. 1. an Chriſti 34. à §. 98. uſque ad 103.

℣. 25. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum.* Hoc alij Evangeliſtæ hora ſexta factum affirmant. Putant quidam hanc apparentem diſſonantiam ita conciliari poſſe, ſi Marcus tertiam nominet, non quæ in Palæſtina erat, ſed quæ erat in Italia, ubi eum D ſcripſiſſe Evangelium S. Hieronym. author eſt. Nam tribus fere horis ſerius emergit ſol Occidentalibus, quàm Palæſtinis. Itaque quæ ſexta hora, id eſt, meridiana erat Palæſtinis, eadem tertia ante meridiem erat Italis. Qua de re vide Annot. Matth. 27. Sed hunc locum ita intelligi non poſſe apparet ex ſequentibus, ubi Iudæorum more ſextam & nonam horam nominat, Matthæum fere ad verbum ſecutus. Alij mendum eſſe putant in numero, ut S. Hieron. titulo in Pſalm. 77. Alij ſignificari putant extremam partem horæ tertiæ, quæ nimirum terminabatur ad ſextam. Non enim nominabant Iudæi quartam & quintam horas, ſed tertia nominabatur, donec adveniſſet ſexta. Verſ. 44. Et nota quod Luc. dicit cap. 23. *Erat autem fere hora ſexta.* Id autem dicit quando jam diu E pependerat in cruce, ita ut ipſa crucifixio videatur facta una hora ante. Et hic infrà dicitur: *Et facta hora ſexta tenebræ factæ ſunt,* poſtquam ſcilicet aliquamdiu pependerat affixus cruci; qua in re non diſſonant Marcus à Matth. & Luc. qui ſatis ſignificant, Chriſtum multo ante ſextam horam fuiſſe crucifixum: quia dicunt tenebras factas hora ſexta, ante quas utique tenebras, contigerunt tam multa quæ ſcribuntur de irriſione Chriſti à Iudæis, & alia quædam. Sed tota difficultas eſt de Ioanne, qui ſcribit Chriſtum hora quaſi ſexta adhuc ſtetiſſe ante Palatum. Vide Ianſen. & alios. Id etiam obſervandum, quartam & quintam horas in

Eſtij Annotat. in Script.

Scriptura nuſquam nominari, quæ autem nominentur; Vide Annot. Matth. 20.

℣. 32. *Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.* Similiter Matth. plurali numero dicit, latrones qui crucifixi erant cum eo, improperaſſe ei. Lucas vero ſingulariter unum latronem dicit Chriſtum blaſphemaſſe, alterum vero blaſphematorem illum increpaſſe. Ad tollendam hanc apparentem repugnantiã, quidam dicunt, initio quidem utrumque latronem blaſphemaſſe, ſed paulò poſt altero in malitia ſua perſeverante; alterum repentina gratiæ inſpiratione reſipuiſſe. Sed hoc minus probabile eſt. Nam ita debuiſſet ante omnia tam manifeſtæ blaſphemiæ veniam petere à Chriſto, priuſquam peteret admitti in regnum eius: id autem feciſſe non legitur. Eſt ergo probabilius numerum pluralem pro ſingulari per enallagen poſitum, hic & apud Matth. ut latrones feciſſe dicantur, quod unus fecit. Quæ figura in Scriptura non eſt infrequens. Matth. 2. *Mortui ſunt enim, qui quærebant animam pueri;* cum de ſolo Herode loqueretur. Exod. 32. *Hi ſunt dij tui Iſraël;* cum loquerentur de ſolo vitulo aureo.

℣. 39. *Quia ſic clamans expiraſſet.* Per illum enim clamorem ſtatim expirans, ſignificabat ſe voluntariè, non coactè mori: imò ſignificabat ſe ſua ſponte & poteſtate ponere animam ſuam; juxta quod dixit: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Itaque intelligebat Centurio, divinum aliquid in eo eſſe, qui edita tali & tam magna voce, qua declarabat ſe dare animam ſuam in manus patris, continuo expiraſſet. Quare & fatendum eſt, Chriſtum in cruce atque adeo moriendo, miraculum feciſſe: Et vocibus dicentium, *Deſcendat de cruce, & credemus in eum,* non quidem acquievit, ut quod illi volebant faceret: oſtendere tamen voluit ſe id facere potuiſſe, quando quod maius eſt, fecit, nempe dum ſola voluntate animam poſuit. Unde hic conſiderandum venit, Chriſtum non tantùm miraculo conceptum, nempe ſine virili ſemine in utero virginali, & miraculo natum, nempe ſine dolore & læſione viſcerum maternorum: verùm etiam miraculo mortuum, nempe poteſtate voluntatis ſuæ, cum alioqui adhuc natura nondum extingueretur; quia & vulnera clavorum procul à corde aberant, & crura non fuerunt ei confracta, ſicut duobus latronibus; qui etiam ipſi clavis erant confixi; quod factum eſt, ad accelerandam eis mortem. Hinc & Pilatus miratus fuiſſe legitur, eum tam cito mortuum: Acceſſerunt & alia in morte eius miracula, nempe tenebræ per univerſam terram, veli myſtici ſciſſio, monumentorum apertio. Vide D. Th. 3. p. q. 47. art. 1. Ubi diſputat an Chriſtus fuerit à ſeipſo occiſus. Vide etiam Ianſen. Nec propterea negandum erit, Chriſtum à Iudæis ſeu gentibus occiſum fuiſſe, ſicut ipſe prædixerat, Luc. 18. dicens: *Et poſtquam flagellaverint, occident eum,* Et ſicut Petrus Act. 3. *Authorem vitæ interfeciſtis,* Et Marc. 10. *Et interficient eum,* Et Act. 7. *Cuius vos nunc proditores, & homicidæ fuiſtis.* Nam Iudæi quidem tradiderunt Pilato crucifigendum & occidendum; miniſtri verò Pilati crucifigendo occiderunt: quia inde mors nata erat ſequi & ſecuta eſt. Vide noſtra in 3. diſt. 20.

℣. 41. *Et Salome.* Quidam hanc etiam vocant Mariam; ſed hoc nuſquam legitur. Qui id putant, ex eo decepti videntur, quod putarent Salome, eſſe genitivi caſus, & ita dici Mariam Salomæ, ſicut Mariam Cleophæ, aut Iacobi aut Alphæi. Unde nomen *Maria* quod præcedit, ad hoc etiam vocabulum referunt ſed malè; cum ex Græco ſatis appareat non eſſe genitivum, ſed nominativum, nec à priori voce dependere. Non enim ibi dicitur, τοῦ Σαλώμης: ſicut τοῦ Ἰακώβου, ſed undè, Σαλώμη: ſicut undè quod præcedit Μαρία. Omnino enim illud, τοῦ, adjungendum erat, ſi genitivus eſſet, maximè cum jam interceſſiſſet illud, μήτηρ,

quod ad *Salomen* non poteſt referri. Et hoc modo A omnes Græci interpretati ſunt. Quare quod in Martyrol. Rom. ad 11. Cal. Nov. ſic legitur, Hieroſolymis S. Mariæ Salomæ, quæ in Evang. legitur circa ſepulturam Domini ſollicita; ſic eſt accipiendum, ut uſu populi Chriſtiani hæc vocetur Maria, quæ verò nomine Latinis dicitur Salome. Omninò autem puto hanc Salomen, fuiſſe matrem filiorum Zebedæi. Sic enim apparet ex collatione Marci cum Matth. qui cap. 27. eandem hanc mulierem vocat matrem filiorum Zebedæi. Vide annot. eius loci. Baronius in apparatu ad Annales, non Mariam, ſed ſimpliciter Salomen vocavit; oſtendens eandem eſſe cum matre filiorum Zebedæi.

℣. 43. *Et audacter introivit ad Pilatum.* Qui dudum erat occultus Chriſti Diſcipulus propter metum Iudæorum, ut eſt apud Ioannem: Idem Chriſto mortuo, B audacter & intrepidè, Chriſti ſe Diſcipulum profeſſus, petit ſibi donari corpus eius ad ſepeliendum: ut intelligamus ſicut in latrone, & in centurione, ita & in hoc decurione fuſum jam Chriſti Sanguinem, cœpiſſe vehementius operari, ut non ſolum crederent, verùm etiam palam in illo recenti ac præſenti crucis opprobrio, confiterentur dignitatem & gloriam crucifixi.

℣. 45. *Et cum cognoviſſet à Centurione, donavit corpus Ioſeph.* Non quod Pilatus Corporis Dominici propriè dominus fuerit: quomodo enim homo divini illius corporis, id eſt, hypoſtaticè cum divinitate uniti, dominus eſſe poſſet? Sed quia ſine juſſu præſidis nefas habebatur corpora eorum, qui ſupplicio affecti erant, tollere. C Chriſtus autem cum iniquis & facinoroſis, quorum corpora juſtè obnoxia erant huiuſmodi poteſtati, reputatus eſt. Pro *donavit*, Ioan. *dixit permiſit.*

CAPUT XXVI.

℣. 7. *Dicite diſcipulis eius & Petro.* Hoc ita dicitur quaſi Petrus eſſet pluſquam diſcipulus, id eſt, ſuprà alios diſcipulos. Senſus enim eſt, dicite diſcipulis eius, ac nominatim Petro, tanquam diſcipulorum præcipuo. Sic Actor. 1. *Cum mulieribus & Maria Matre IESV.* Sic etiam Actor. 26. *Nihil extra dicens quàm ea quæ locuti ſunt Prophetæ & Moyſes.* Vide iſtorum locorum annot. Sic 2. Reg. 22. *In die qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, &* D *de manu Samuel*, qui utique erat Davidis inimicorum præcipuus.

℣. 9. *Surgens autem manè prima ſabbathi* Græcè ἀναστὰς, id eſt, *cum reſurrexiſſet manè.* Quidam volunt eum reſurrexiſſe poſt ſolis exortum, ut inveniant Synecdochicè tertium diem, quo fuit in ſepulchro; ſed tertium diem artificialem non eſt opus invenire. Sufficit enim invenire Synecdochicè tres dies naturales. Nam nec tres noctes invenire illis, niſi admodum coactè, poſſibile eſt, de eâ re alibi. Quod dicitur *manè*, intellige ſole nondum exorto, ut ſatis ſignificant alij Evangeliſtæ, & etiam hîc initio capitis ſubindicatur. Itemque ex capite 20. Ioannis ſatis liquet Chriſtum reſurrexiſſe quando adhuc tenebræ erant. Scribit enim Mariam Magdalenam manè cum adhuc tenebræ eſſent, E veniſſe ad monumentum, & reperiſſe lapidem ſublatum. Falſum igitur eſt quod habet gloſſa ordinaria. Actor. 1. ideo Chriſtum quadraginta poſt reſurrectionem diebus ſe vivere confirmaſſe, quia quadraginta horis mortuus fuerat. Cum enim expiraverit hora nona, quæ nobis eſt tertia poſt meridiem, ſequeretur eum reſurrexiſſe hora ſeptima poſt mediam noctem, qua ſine dubio, poſt æquinoctium ſol dudum exortus eſt. At rectius quis dixerit Chriſtum tot horis mortuum fuiſſe, quot annos vixerat hic in terris, id eſt, triginta tribus aut quatuor potius, ut mortalitati annorum, mors horarum ſecundum numerum reſponderet. Sic enim reperietur reſurrexiſſe media penè nocte, ſeu hora 2. à media nocte. Vide annotationes Ioan. 20.

Apparuit prima Mariæ Magdalenæ. Ideò Mariæ Magdalenæ apparet primò Dominus poſt reſurrectionem, ut oſtenderet ſe totum incarnationis myſterium peregiſſe, ad hoc ut peccatores ſalvos faceret. Unde additur hoc loco; *de qua ejecerat ſeptem dæmonia:* per quæ myſticè ſignificatur univerſitas vitiorum. Alij ideò primum putant apparuiſſe Dominum Mariæ Magdalenæ, quia illa præ cæteris Dominum diligebat. Unde de ea canit Eccleſia: *Prima meretur gaudia, quæ plus ardebat cæteris.*

Non ignoro eſſe piam multorum perſuaſionem, Chriſtum poſt reſurrectionem, primo omnium apparuiſſe dilectiſſimæ matri ſuæ. Quæ opinio non prorſus eſt improbanda. Ita enim ſentire videtur Ambr. libr. 3. de virginibus, his verbis: Vidit Maria Reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit; vidit & Maria Magdalena quamvis adhuc illa nutaret. Idem ſentit Sedul. lib. 4. carminum, & Anſelmus lib. de excellentia Beatæ Virginis, & quidam alij. Ideo autem ab Evangeliſtis, hoc fuiſſe prætermiſſum dicunt, quòd pro filio inefficax habeatur teſtimonium matris. Hanc opinionem ſi recipiamus; dicendum erit Dominum primo apparuiſſe Mariæ Magdalenæ inter eos qui reſurrectionis teſtes erant futuri. Adferuntur pro hac ſententia rationes quædam congruentiæ: ſed circa huiuſmodi rationes notandum eſt, ante omnia reſpiciendum ad id quod Scriptura, vel Eccleſia docet; & eo cognito, rationes convenientiæ adhibendas, ad id probabilius reddendum; non autem è contrario aliquid ſtatuendum ex huiuſmodi rationibus contra id quod vel Scriptura vel Eccleſia dicit aut tenet. Quale eſt, ex quibuſdam rationibus congruentiæ velle probare Chriſtum à morte redivivum, primo ſuæ matri apparuiſſe; cum Scriptura tam clarè dicat eum primò apparuiſſe Mariæ Magdalenæ; nec uſquam alibi diverſum inſinuet. Quod ſi ſecundum huiuſmodi ratiunculas procedendum ſit; oportebit ut Chriſtus etiam matrem ſuam adhibuerit cœnæ noviſſimæ; eamque primo loco honoris cauſa collocaverit, & ei primum Corpus & Sanguinem ſuum diſtribuerit; ut bene argumentatur Heſſelius. Adde quod Chriſtus voluerit ijs primum apparere qui conſolatione, aut confortatione fidei indigebant, ut Mariæ Magdalenæ, quam valde diligebat; Petro, qui peccaverat; diſcipulis alijs, qui dubitabant & ſcandalizati fuerant. At mater Domini, firma in fide, & fortis in patientia, his non egebat.

℣. 12. *Duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie, euntibus in villam.* ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia forma,* ſcilicet in forma hominis peregrini, ut ſignificat Lucas. Non enim lineamenta faciei eius immutata fuerunt, quaſi aliam formam intuentibus oſtenderit; ſed habitum hominis peregrini aſſumpſerat, quales tunc multi erant, qui die feſto Paſchæ Ieroſolymam aſcenderant. Nam ex ſola facie non poterant judicare eſſe hominem peregrinum. Quod autem ad lineamenta vultus eius attinet; oculi eorum ſic tenebantur, ut in ea non intenderent, ſive propter impedimentum quoddam in ipſo videndi ſenſu poſitum, ſive in ſenſu interiori. Vide Annot. Luc. ult.

Euntibus in villam. Græcè εἰς ἀγρὸν, *in agrum.* Eraſmus *euntibus rus*, tametſi idem eandem vocem Lucæ 14. cum noſtro interprete vertit, *villam*, ubi dicitur *villam emi.* Vide eius loci Annot. Non eſt autem *villa* hoc loco idem quod Caſtellum Luc. ult. Sed Marcus de Caſtello, id eſt, vico ſeu pago ad quem ierunt, tacuit; & tantum dixit eos foras in agrum iviſſe, vel certè, ſi villa propriè accipitur, intelligendum eſt eam ſitam fuiſſe in vico Emaunte.

℣. 14. No-

℣. 14. *Noviſſime, recumbentibus illis undecim.* Græcè, *ὕστερον, poſtea, diſcumbentibus.* Hoc Auguſt. putat factum ipſo aſcenſionis die; ſanſ. die reſurrectionis. Illud verò: *Et dixit eis, Euntes in mundum univerſum, &c.* videtur longè poſt dictum, ſcilicet die Aſcenſionis. Item, non eſt veriſimile quod eo die, quo erat aſcenſurus in cœlum, exprobraverit diſcipulis incredulitatem & duritiam cordis; quia jam dudum deſierant eſſe increduli & difficiles ad credendum, ut patet ex aliis Evangeliſtis. Itaque veriſimilius eſt illud vel primo die contigiſſe, vel ſaltem paulò pòſt reſurrectionem. Imò, apparet factum ipſo die reſurrectionis, veſperi, januis clauſis: ut ſit eadem apparitio cùm illa Ioan. 20. quando dixit diſcipulis ſuis: *Accipite Spiritum Sanctum.* Id ſignificant etiam Annotationes marginales.

℣. 14. *Quia iis qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Græcè *ἐγηγερμένον*, id eſt, *reſuſcitatum*, ut bene vertit Eraſmus; Non enim ſignificatur quemquam illorum fuiſſe qui Jesum reſurgentem vidiſſent: nec hoc vult interpres noſter.

℣. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Subintellige humanæ. Hoc enim alibi additur, ut 1. Petr. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Alibi verò ſubintelligitur, æquè ut hoc loco, ut Col. 1. Ubi id factum teſtatur Apoſtolus, quod hic præcipitur, inquiens de Evangelio, *quod prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cœlo eſt.* Aut certè utrobique diſtributio eſt accommoda, ut ſenſus ſit, prædicandum, vel prædicatum eſſe Evangelium omni creaturæ, cui prædicari poteſt: ea verò ſola erat humana. Utitur autem Dominus vocabulo tam generali; ut inſinuet amplitudinem beneficij eius, nimirum prædicationis Evangelij; utpote à quo nullam creaturam, quæ ſit eius capax, excluſam velit. Omnibus enim ſine diſcrimine vult prædicari; cum ante paſſionem, diſcipulos ad ſolos mitteret Iudæos. Vide noſt. Comment. Rom. 8. v. 19. & cap. 10. v. 18. Col. 1. v. 23.

℣. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Quæritur an fides formata intelligatur, an informis? Videtur intelligi fides cum voluntate obſervandi mandata Dei; quæ tamen ſine remiſſione peccatorum non ſufficit; ideo additur, *& baptizatus fuerit*, & apud Matth. additur, *docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Iſtud autem de adultis dicitur, iis nimirum, quibus juſſi erant Apoſtoli prædicare Evangelium. Unde non ſequitur ex hoc loco; Infantes credere non poſſunt, ergo non ſunt baptizandi. Fides enim in adultis requiritur; parvulis autem, ut per baptiſmum regenerentur, fidem ſuam Dei voluntate accommodat mater Eccleſia. Conferenda eſt hæc ſententia cum alijs ſimilibus, ut Ioan. 3. *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Ioan. 4. *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, &c.* Ioan. 6. *Qui credit in me non ſitiet unquam, &, omnis qui videt filium & credit in eum non morietur in æternum.* Quæ omnia de fide viva & perſeverante ſunt intelligenda. Sicut ipſe Dominus exponit Ioannis 13. *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Et ibidem; *Si quis in me non manſerit, mittetur foras.* Item: *Manete in dilectione mea:* Et alibi: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Qui verò non crediderit, condemnabitur. Sic Ioan. 3. *Qui autem non credit, jam iudicatus eſt, quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.* Loquitur de infidelitate poſitiva, ſeu pravæ diſpoſitionis; dum quis audiens Evangelium, recuſat credere. Senſus enim eſt; qui verò vobis Evangelium prædicantibus noluerit

A credere; condemnabitur, merito illius infidelitatis, & ſimul propter alia ſua peccata. Sententia etiam veritatem habet de infidelitate purè negativa; quia ſine fide impoſſibile eſt hominem ſalvari; (etiamſi talis infidelitas non ſit peccatum) & proinde condemnabitur. Sed ſenſus non videtur eò ſe extendere.

℣. 17. *In nomine meo dæmonia ejicient: In nomine meo*, id eſt, in virtute mea; vel, cum invocatione nominis mei. Vide Annot. Matth. ultimo.

℣. 18. *Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.* Hinc diſce ſanctos dum huiuſmodi facerent miracula, certos fuiſſe de cooperatione divina. Nam alioqui, mortiferum quid bibens, periculo ſuæ interfectionis ſe expoſuiſſet; ut Ioannes, & ſi qui alij hoc feciſſe leguntur. De Ioanne refert hoc Iſidorus lib. de Patribus novi

B teſtamenti c. 74. cui & picturæ noſtræ adſtipulantur.

℣. 19. *Aſſumptus eſt in cœlum:* Non quodcunque, ſed ſupremum, ita ut dicat Apoſtolus Ephel. 4. eum aſcendiſſe ſuper omnes cœlos, id eſt, penetraſſe omnes cœlos uſque ad ſummum. Curioſius nonnulli ſcrutantur an Chriſto aſcendente diviſi fuerint cœli, an verò ſine diviſione eos penetraverit; quomodo clauſis januis ingreſſus fuerat ad diſcipulos. Quam quæſtionem ut non prorſus intactam relinquamus; arbitror dicendum, Chriſtum pertranſiviſſe cœlos æthereos, eo modo quo nunc eſt in ſummo cœlo; & quomodo omnes beati cum glorioſis ſuis corporibus illic verſaturi ſunt. Sed quo id modo fiet? Nihil certi: Crediderim tamen

C cœleſtia corpora ceſſura Sanctorum corporibus, eo modo quo noſtris hic corporibus aër cedit. Nam perpetuam illic dimenſionum penetrationem ponere, minus habet rationis. Sed quæres, Quomodo *aſſumptus*, qui propria virtute; tam divina, quàm humana, ſcilicet per dotem agilitatis, ſeipſum ſublevavit? Nam & remota dote agilitatis, quæ ante reſurrectionem ei non inerat, anima Chriſti in ſe virtutem habebat corpus illud movendi quocunque & quomodocunque vellet: ſecundum doctrinam D. Thom. 3. p. q. 57. art. 3. Nam quando Chriſtus ambulavit ſuper aquas, factum id fuit animæ eius virtute; retinentis, ne mergeretur. Itaque triplici ratione ſublevavit ſeipſum in cœlum; aſſumptus tamen dicitur hic & Actor. 1. vel propter miniſterium Angelorum eum comitantium, &, ut ita dicam, deducentium in cœlum, vel aſſumptus à nube, de qua

D dicitur Actor. 1. quod nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum; vel à divinitate ſibi unita. Vide Comment. noſtrum 1. Tim. 3. *Aſſumptum eſt in gloria.*

℣. 19. *Sedet à dextris Dei.* Dicit D. Thom. 3 p. q. 58. art. 2. Chriſtum ſedere à dextris Patris ſecundum divinam naturam, ſic ut illa phraſi ſimul importetur ordo originis ab eo, ad cuius dexteram ſedere dicitur. Sed hinc ſequetur, filium ab æterno ſediſſe à dextris; item Spiritum Sanctum ſedere à dextris Patris & filij: quæ nuſquam leguntur. Imò, ſymbolum ſignificat Chriſtum poſtquam aſcendit in cœlum, ſediſſe ad dexteram patris. Vide Barth. Medinam in dictam quæſtionem S. Th. ubi refert ex Antonio Nebriſſ. antiquitus moris fuiſſe, ut inferior clauderet dextrum latus ſuperioris. Sed hoc tantum apud Romanos; quæ conſuetudo nihil ad ſcrip-

E turam ſcriptam ab antiq. Hebræis. Itaque potius dicendum, ſicut alibi diximus, perſonam eius ad cuius dexteram aut ſiniſtram ſedetur, conſiderari ut medio & primo loco, quaſi in throno regio ſedentem; ad cuius dexteram ſtet aut ſedeat qui dignitate primus; ad ſiniſtram verò qui deinde proximus. Item; Cætera in Symbolo ab illo loco, *Dominum noſtrum, qui conceptus, &c.* De Chriſto dicuntur ſecundum humanam naturam, uſque ad illud: *Et in Spiritum Sanctũ.* Vide Annot. Matt. 20.

FINIS LIBRI EVANG. SECVNDVM MARCVM.

ANNOTATIONES IN EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. *Quoniã quidem multi conati ſunt.* *Quæritur* an Lucas etiam ſit conatus. Negat Ambroſ. ſed ſalva eius authoritate, nihil obſtat, quo minus etiam Lucas. Atque id ſignificat ſubjungens: *viſum eſt mihi aſſecuto omnia.* q.d. Conatus ſum & ego. Quamvis enim ſacri ſcriptores ſcriberent, inſpirante, ſive dictante Spiritu Sancto, non tamen ſine meditatione, ſtudio, conatu, & diligentia humana. Id enim manifeſtè confitetur author lib. 2. Mach. c. 2. *Nobis,* inquit, *non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum, & ſudoris aſſumpſimus.* Et infrà: *Libenter laborem ſuſtinemus.*

℣.2. *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis.* Non ergo (quod putat Theophylactus, in præfatione Commentarij quatuor Evangeliorum) Lucas unus fuit è Septuaginta Chriſti diſcipulis; ſed poſt eius aſcenſionem, ab Apoſtolis & diſcipulis Chriſti fidem ſuſcepit, & ea quæ ſcribit, ab eis accepit; ut veriſſimè dixerit Hieronymus, Lucam, Evangelium, ſicut audierat, ſcripſiſſe, Acta vero Apoſtolorum, ſicut viderat, compoſuiſſe.

℣.2. *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia à principio diligenter;* *Omnia,* quæ viderentur ſufficere. Sic Act. 1. *Primum ſermonem feci de omnibus, &c.* Vide eius loci Annot.

Optime Theophile. Græcè κράτιστε quod præſtantiſſimum, excellentiſſimum ſignificat. Ita Actor. 23. *Claudius Lyſias optimo præſidi, Felici, ſalutem.* Ubi Eraſmus, *potentiſſimo.* Et 24. *Optime Felix.* Ubi Eraſmus *præſtantiſſimè.* Et 28. *Optime Feſte.* Ubi Eraſmus, *optime,* ut hoc loco. Interim lubet mirari, quo conſilio, hanc varietatem ſectatus fuerit Eraſmus in uno vocabulo vertendo; cum ipſe tale quid, alicubi fallè notet in vulgato interprete. Si enim uno loco conveniebat *potentiſſimum* intelligi, oportebat & aliis, quando de præſide provinciæ erat ſermo. At revera ſignificatum generale eſt, ut optime verterit interpres noſter, *optimum,* id eſt, præſtantiſſimum. Porro nulla aſſentatio eſt, neque cum Lucas Theophilum, neque cum Paulus Feſtum, neque cum Lyſias & Tertullus Felicem, *optimum* vocant. Nam hoc epitheton vulgo ſolet viris primariis ac potentibus aſcribi, in inſcriptionibus, ſalutationibus, allocutionibus; ut & hodie quidam vocantur *excellentiſſimi.* Notum quoque eſt, ſuperlativum, Græcis & Latinis, non tam ſignificare ſummitatem, quam præſtantiam in aliqua re. Doctiſſimos enim vocamus qui ſunt non vulgariter docti, & ita in aliis. Et illud, κράτιστος, non tam ad mores, quàm ad dignitatem referendum eſt. Ita Dioſcorus hæreticus, Patriarcha Alexandrinus, in conſilio Epheſino reverendiſſimus vocatur.

℣.6. *Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationibus Domini ſine querela.* His verbis ſignificare vult Evangeliſta, fuiſſe in his duobus veram juſtitiam. Nam eſſe juſtum ante Deum, eſt verè juſtum eſſe; quia Deus nulla hypocriſi, nulla ſimulatione falli poteſt. Opponitur autem vera juſtitia? Primo, juſtitiæ falſæ, id eſt, ſimulatæ, qualis eſt juſtitia coram hominibus tantum. De ea dictum eſt Pharisæis: *Væ vobis, qui juſtificatis vos coram hominibus,* infrà cap. 16. Opponitur etiam vera juſtitia juſtitiæ imputativæ, qualem commenti ſunt novi dogmatiſtæ. Nam imputativè juſtus, non magis eſſe poteſt verè juſtus, quam imputativè doctus, verè doctus. Ut autem intelligamus non in ſola remiſſione peccatorum, conſiſtere veram juſtitiam, ſed etiam in operatione virtutum, additum eſt ab Evangeliſta, *Incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.*

℣.8. *Cum Sacerdotio fungeretur, in ordine vicis ſuæ, ante Deum.* Græcè ἔναντι τοῦ θεοῦ, id eſt, *contra Deum,* è regione Dei; hoc tabernaculi fœderis, qui locus eſt repræſentabat Deum. Nam coram Dei, in conſpectu Dei, Græcè diceretur, ἐνώπιον τοῦ θεοῦ. Ante Deum, ἔμπροσθεν τοῦ θεοῦ. Sic ad Rom. 9. κατέναντι τοῦ θεοῦ, quod ibi legitur, ante Deum. Vide eius loci commentarium.

℣.9. *Sorte exijt, ut incenſum poneret.* Beda in Ioan. 11. putat Zachariam fuiſſe ſummum Sacerdotem, quia, inquit, incenſum non licebat ponere, niſi ſummo Sacerdoti. Idem ſentit author ſerm. Feriæ 6. poſt Iudica, in Homil. Doctorum. Vide etiam Bedam, in Luc. 1. ſed falluntur, quia David conſtituerat viginti quatuor vices, non ſummorum Sacerdotum, ſed inferiorum. Item in catalogo Summorum Sacerdotum illius populi, non reperitur hic Zacharias. Et, ſi ſummus Sacerdos fuiſſet, non habitaſſet in montanis extra Ieruſalem, ſed in ipſa civitate. Dion. lib. de cœleſti hierarchia c. 4. vocat eum Pontificem, non tamen addit ſummum, fortè enim princeps erat Sacerdotum ſuæ vicis. Vide Dion. Græcum, in cœl. ἱεραρχία. Vide & noſtram Annot. Exodi 30.

℣.13. *Ne timeas Zacharia; quoniam exaudita eſt deprecatio tua.* Quæ deprecatio? An de eo quod ſequitur, *Et uxor tua Elizabeth pariet tibi filium?* At Zachariam id non petiviſſe, docent verba, quibus Angelo reſpondit, *Unde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Quomodo enim petivit, quod Angelo nuntiante, non credidit ſibi conceſſum, quodque putavit impoſſibile? An intelligitur deprecatio pro ſalute populi. Non enim dicit Angelus, *Uxor tua Elizabeth pariet tibi filium,* quaſi hoc fuiſſet petitum; ſed ſubjungendo, *Et uxor tua Elizabeth, &c.* incipit explicare, quomodo & per quæ media, precatio eius pro populi ſalute facta, ſit implenda; ſcilicet per nativitatem præcurſoris Domini ex matre ſterili, addens quid præcurſor ille facturus ſit: *& multos filiorum Iſraël convertet, &c. Et ipſe præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ.* Proximè præceſſerat, *Ad Dominum Deum ipſorum.* Ergo manifeſtè hîc ſignificatur Chriſtum eſſe Deum.

℣.15. *Erit enim magnus coram Domino.* Fuerunt multi alij magni coram hominibus, ut Alexander, Pompeius, Antiochus & alij, quibus Magni cognomen ab hominibus fuit inditum. Sed de hoc dicitur, quod *erit magnus coram Domino.* Hoc autem eſt verè eſſe magnum. Talis enim quiſque verè eſt, qualis eſt coram Deo.

Et vinum & ſiceram non bibet. Quid ſicera, bene deſcribit Hieron. ad Nepot. c. 14.

Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ. Id eſt, ex eo tempore, quo erit in utero matris. Eraſmus, *Iam inde ab utero matris ſuæ.* Ut cum dico: Repletum eſt à ſummo uſque ad imum, includitur utrumque: Ita hîc includitur tempus exiſtentiæ in utero.

℣.17. Ut

℣. 17. *Vt convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam justorum*, Sensus; In eo declarabit ſpiritum & virtutem Eliæ, quod ſicut Elias ante ſecundum Chriſti adventum, convertet corda patrum ad filios, &c. Malach. 4. Ita Ioannes, ante primum Chriſti adventum, convertet corda patrum, &c. Vide Annot. Malach. 4. Septuaginta habent, *& cor hominis ad proximum ſuum*, pro eo, quod Hebr. *Et corda filiorum ad patres eorum*. Hic autem dicitur, *& incredulos ad prudentiam juſtorum*. Vide Ianſenium.

℣. 18. *Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, &c.* Similia ferè verba ſunt B. Virginis. *Quomodo fiet iſtud?* Et Abrahæ Geneſ. 15. *Vnde ſcire poſſum? &c.* Et 17. *Putaſne centenario naſcetur puer? Et Sara nonagenaria pariet?* Unde diſcimus non verba, ſed intentionem culpari in Zacharia; quia verba ejus procedebant ex infidelitate, vel dubitatione; verba autem Virginis & Abrahæ, ex deſiderio ſciendi aliquo modo, quod credebant. Quod enim Zacharias dubitaverit, patet ex reſponſione Angeli, & punitione ejus. Quod autem B. Maria crediderit, patet ex verbis Elizabeth, quæ dixit repleta Spiritu Sancto. *Beata quæ credidiſti*. Item Zacharias non habebat rationem quærendi vel ſignum, vel modum; cum illius rei, jam ante, multa exempla præceſſiſſent, ut de Sara, Rebecca, Anna, matre Samuelis, & matre Samſonis. B. Virgo, ſollicita pro virginitate ſua, quam voverat Deo; merito quærit de modo, ne fortè cogeretur concipere, cum detrimento virginitatis; & quia nullum prioribus ſæculis exemplum præceſſerat, ut virgo pareret. Quod autem Angelus adfert argumenta tamquam ad perſuadendum, dicens non eſſe Deo impoſſibile omne verbum, & ipſam Elizabeth in ſenectute ſterilem concepiſſe; non fecit ut ei fidem faceret, ſed ut ſenſus minus fidei reclamaret.

℣. 19. *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Deum.* Græcè ὁ παρεστηκὼς, quod Eraſmus vertit, *qui aſtiti*, quod & approbat Ianſenius; ſed utrumque mihi falli videtur; vox enim Græca ſignificationem habet præſentis verbi, ut ex aliis innumeris Scripturæ locis facilè probari poteſt. Videantur hæc loca in Græco. Matth. 6. *In Angulis platearum ſtantes orare.* Matth. 16 *Sunt quidam de hic ſtantibus.* 20. *Vidit alios ſtantes*, &, *Quid hic ſtatis tota die otioſi?* 24. *Stantem in loco ſancto.* 27. *Quidam autem illic ſtantes.* Marci 3. *Non poteſt regnum illud, domus illa ſtare.* 10. *Stans IESVS præcepit.* Et hoc eodem cap. *Stans à dextris altaris.* Quomodo & Eraſmus vertit. Item Luc. 19. *Stans autem Zachæus.* Et iterum: *Et aſtantibus dixit.* Utrumque ita vertit etiam Eraſmus. Ioan. 19. *Diſcipulum ſtantem.* Actor. 4. *In hoc iſte aſtat.* παρέστηκεν. Quomodo & Eraſmus vertit.

℣. 20. *Et ecce eris tacens.* Græcè σιωπῶν, tacens, vel tacitus; & tamen ſatis liquet Zachariam etiam ſurditate percuſſum fuiſſe, poſtea enim dicitur: *& innuebant patri ejus.* Vide Theophylactum, qui hoc disertè teſtatur, quem & B. Thomas citat in catena. Vide & Ianſenium idem ſentientem, & ex Theophylacto probantem. Idem teſtatur Ambroſius.

℣. 26. *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo.* Unde didicit Evangeliſta, hunc fuiſſe Angelum Gabrielem? neque enim legitur nomen ſuum prodidiſſe, ſicut ante ſex menſes apud Zachariam, quando ei dicebat: *Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum.* Dici quidem poſſet Lucam hæc habere ex inſpiratione divina, qua movebatur ad ſcribendum; ſed magis crediderim, eum, ſicut ex ipſius virginis relatione, putatur hanc annunciationis & nativitatis Dominicæ Hiſtoriam accepiſſe; ita & Angeli annunciantis nomen, eadem referente didiciſſe. Acceperat autem illa nomen Angeli, non tunc demum, quando ei nunciatus fuit conceptus & partus filii Dei; ſed jam ante; quippe quæ ſæpius Angelica viſitatione dignata eſſet. Quæ cauſa eſt, cur hoc loco

A non legatur Angelus ad eam dixiſſe, ſicut ad Zachariam dixerat; *Ego ſum Gabriel.*

In civitatem Galilææ cui nomen Nazareth. Quatuor civitates à Chriſto Domino peculiariter honoratæ ſunt; in Nazareth conceptus eſt, & Verbum caro factum eſt; In Bethleem natus, Ieroſolymæ paſſus, Romæ perpetuum conſtituit vicarium ſuper regnum ſuum in terris.

℣. 27. *Et nomen Virginis Maria. Maria*, Hebraicè, Miriam, vel Mariam, interpretatur amaritudo maris, myrrha maris, ſtella maris. Item interpretatur Chaldaicè ac Syriacè, Magiſtra Maris, Domina Maris, quod in hanc Sacram Virginem aptiſſimè quadrat, ſi per mare, ſæculum hoc intelligas. S. Hieronymus lib. de nom. Hebraicis, in Exodo, inter alia interpretatur ſtel-
B lam maris, & in Matthæum rejectis aliis interpretationibus, dicit, Melius eſt, ut dicamus eam ſonare ſtellam maris, ſive amarum mare, ſciendumque quod *Maria* Syro ſermone, Domina nuncupatur. Sic ille. Sed cum (*Mariam*) nuſquam inveniatur pro ſtella, ſuſpicio eſt, pro *ſtella*, *ſtillam* legendam, Alioqui (quod abſit) imperitiæ erit culpandus in lingua Hebræa Hieron. Quidam vir doctus exiſtimat, *Mariam* non eſſe compoſitum nomen, ſed ſimplex, quod ſignificet, *exaltatam*; quod mihi non diſplicet. Vide lexicon Munſteri, ibi reperies hanc ſignificationem, & plenius in opuſculo Angeli Caninii de nominibus Hebraicis, cap. 13.

℣. 28. *Ave Gratiâ plena.* Veriſimile eſt, Angelum
C Hebraicè loquentem, dixiſſe more Hæbreo, *Pax tibi, gratioſa*; ſed Evangeliſta reddidit Græco more, χαῖρε, Et idem puto de illa Chriſti ſalutationis, Matth. 28. *Avete.* Author Homil. 1. de diverſis in Lucam, apud Chryſoſtomum, loco, *Ave*, quod Angelus dixit ad Mariam, ponit *Pax tecum.*

Gratiâ plena. κεχαριτωμένη. q. d. gratificata, vel gratiata, vel gratia prædita. Vide lexicon, ubi quid ſimile ex Homero citatur. Nota quòd veteres Latini legant, ut nos, *gratiâ plena.* Memini tamen apud veterem quemdam legiſſe, gratioſa, & teſtatur D. Lindanus ſcholiis ad Liturgiam B. Petri, in vetuſtiſſima novi teſtamenti verſione legi *gratiata*, Eraſmus vertit gratioſa.

Dominus tecum. Subaudi, *ſit*, eſt enim ſalutatio be-
D ne precantis. Quomodo Angelus ad Gedeonem ait Iud. 6. *Dominus tecum, virorum fortiſſime.* Et quomodo Booz ad meſſores ſuos, Ruth. 2. *Dominus vobiſcum.* Vide Annot. Iud. 6. Vide etiam Ianſenium. Sic Sacerdos ad populum, *Dominus vobiſcum*, ſubaudi, ſit. Poteſt etiam dici, quod ſit ſermo affirmantis, ſicut affirmativum eſt quod ſequitur: *Benedicta tu in mulieribus.* Sic enim Samuel ad Saul loquitur 1. Reg. 10. *Fac quæcumque invenerit manus tua; quia Dominus tecum eſt.* Item, bona precatio, ſive ſalutatio, jam ante dicta erat in principio, *Ave:* Hebraicè, Pax tibi, Unde videtur hic ſenſus: Ave tu, quia Dei gratia tecum, & cum qua eſt Dominus.

℣. 28. *Benedicta tu in mulieribus.* Hoc Angelicum repetit infra, Spiritu Sancto plena Elizabeth, dicens:
E *Benedicta tu inter mulieres.* Nam Græca ſententia prorſus eadem eſt. Senſum quidam hunc imaginantur; Tu ſola inter omnes mulieres benedicta; nam ceteræ omnes maledictæ ſunt, ob maledictum Evæ, cui ſubjacent; quia vel non pariunt, ſed ſteriles manent, ut virgines, vel non niſi corruptæ, & cum dolore pariunt: tu autem ſola, neque infœcunda manebis, neque virginitatis ſenties detrimentum, & ſine dolore paries. At magis conſentaneum eſt conſuetudini Scripturæ, ut hic intelligatur ſenſus: Tu benedicta ſupra omnes mulieres; id eſt magis quam ulla aliarum mulierum, etiamſi quædam illarum ſint magnopere benedictæ. Hoc enim ſenſu etſi non pari laude, nec ſimili

genere benedictionis, dictum eſt Iud.5. *Benedicta inter mulieres Iahel.* Et ad Iudith c.13. *Benedicta es tu filia a Domino Deo excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram.* Cæterum vocabulum (Benedicta) in ſacris literis frequenter fœcunditatem ſignificat, ut in Deuteronomio. Unde ſuſpicantur nonnulli etiam hoc loco, ſignificationem eſſe fœcunditatis, & fructus ex virgine naſcituri; ut ob eam cauſam non immeritò turbata fuerit virgo, de huiuſmodi ſalutatione: quod ſibi conſcia eſſet virginitatis Deo promiſſæ.

℣.29. *Quæ cum audiſſet, turbata eſt.* Græcè. *Quæ cum vidiſſet, turbata eſt.* Sic etiam nonnulla manuſcripta Latina, ſic Ambroſius; conſentiunt & Syriaca. Quoniam tamen ſequitur, *In ſermone eius;* videtur non in eo quod vidit, ſed quod audivit, cauſam fuiſſe perturbationis. Non enim dicitur turbata fuiſſe in aſpectu Angeli, ſed in ſermone eius. Unde & ſequitur: *Et cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio.*

℣.31. *Ecce concipies in utero & paries filium; & vocabis nomen eius IESVM.* Manifeſtè alludit Angelus ad Iſaiæ Prophetian. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Unde credibile eſt, Virginem ſtatim intellexiſſe, quo referenda eſſet, & pertineret, illa Angeli annuntiatio. Quidam exiſtimant, virginem tunc in lectione Sacræ Scripturæ occupatam, præ manibus illum ipſum Iſaiæ locum habuiſſe, cum Angelus ad eam ingrederetur. Quamquam dubitari poſſet, an Sacra Scriptura tunc ita vulgaris fuerit, ut cuivis copia eſſet, eam deſcribendi & legendi.

℣.32. *Et dabit illi Dominus Deus ſedem David, patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum.* Quomodo Chriſtus ſedeat ſuper ſedem David patris ſui, & regnet in domo Iacob, id eſt, quomodo obtineat regnum Davidis, vide 2.Paral.7. Sedet ſuper ſedem David patris ſui, ex temporali commutatam in ſpiritualem.

Et filius altiſſimi vocabitur, & infrà: *Vocabitur filius Dei.* Non ideo dicit (vocabitur) quaſi non propriè futurus eſſet filius Dei, ſicut iudices in Scripturis dij vocantur, honoris cauſa; ſed ſenſus eſt, hoc ei verè & propriè competet, ut ſic meritò ab omnibus vocetur. Ita mox: *Hic menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis,* id eſt, quam vulgo ſterilem eſſe conſtabat, ita ut paſſim ſterilis vocaretur.

℣.34. *Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Ex his verbis B. Virginis, vel neceſſario, vel certè admodum probabiliter colligunt Patres, eam, jam ante conceptionem Filij Dei, voto, emiſſo, conſecraſſe Deo ſuam virginitatem. Nam ſi non voverat, quæſtio iſta locum non haberet, non in ea magis, quàm in quavis alia virgine; facilè enim ei ſpondeti ei poterat; Etiamſi nondum virum cognoviſti, cognoſces tamen, & ita paries filium. Si dicas eam non voviſſe, ſed propoſuiſſe tantum; eadem obiectio eſt. Nam dici ei poterat, Muta propoſitum, ut parias filium Dei. Propoſitum enim etiam bonum, ſine peccato mutari poteſt; votum autem mutari non poteſt. Unde merito interrogat; *Quomodo fiat iſtud?* Vide noſtra in 4. d. 30. Refert Bannes de quodam, quod cum applauſu dixerit; B. Virginem hac interrogatione urgere & examinare Angelum; ſicut Chriſtus Philippum, Ioan.6. *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Dicebat enim ille B. Virginem, quæ prophetas diligentiſſimè legebat, & divinitus erat ſuper omnes alios homines illuminata, non potuiſſe ignorare modum, quo fieret mater filij Dei; nempe operatione Spiritus ſancti, ſalva virginitate, per miraculum. Sed hoc plauſibiliter magis dictum, quàm ſolidè, facileque refellitur; primum quia virgo turbata fuiſſe legitur in eiuſmodi ſalutatione; deinde, quia Angelus reſponſione ſua inſtruit virginem, adducens exemplum de Elizabeth, & inferens non eſſe quid-

A quam Deo impoſſibile; quæ non ſunt verba examinantis, ſed docentis. Neque decebat humilitatem Virginis examinare Angelum, tanquam ipſa doctior eſſet Angelo, per cuius revelationem docebatur. Neque huiuſmodi examinatio ullum fructum haberet, cum conſtet Angelos hominibus eſſe doctiores, & ad docendos atque illuminandos homines, Dei internuntios. Cæterum & quatenus B. Virgo dubitaverit dicens: *Quomodo fiat iſtud?* variæ ſunt Patrum ſententiæ. S. Damaſcenus in carmine de annunciatione virginis, introducit Virginem trepidantem, ne decipiatur verbis & promiſſis Angeli. Et S. Bern. ſer.33. in Cantica, ait: Hinc eſt quod Maria Angelica ſalutatione turbatur, dolum, ni fallor, ſuſpicans. Et in Pſal. *Qui habitat*, dicit: Quod Maria timuit dæmonium meridianum. At S. Auguſt.

B lib.16. de Civit. cap.24. oſtendit, quod nec Abraham, nec virgo Maria, huiuſmodi verba ex diffidentia protulerit. Quod enim, inquit, futurum eſſe, certa erat, modum quo fieret, inquirebat. Unde idem S. Auguſt. vel quiſquis eſt auctor, ſerm.21. de temp. Urge, inquit, virginem non de Dei munere diffidentem, ſed de muneris magnitudine cogitantem; (verba ſunt ad Angelum.) S. quoque Ambroſius uno loco negat eam dubitaſſe de verbis Angeli. Nec minus pulchrè de hac re ſcribit Franco Abbas tomo 6. de gratia Dei. Ait enim poſt alia: Jam ſe parituram incunctanter credit; modum tamen quo id fieri debeat, inquirit, quia hoc nec in propheta legerat, nec ab Angelo audierat. Non eſt filiorum Adam iſta lex, ut ſine viro concipiat mulier,

C ſine patre naſcatur puer. Hac lege, hoc ordine omnia, ab initio, ad nos uſque, ſæcula decurrerunt &c. Ex quibus patet, merito Virginem de modo quærere potuiſſe, potius quàm Zachariam: quia quod Zachariæ nunciabatur, jam aliquot habebat exempla; hoc autem, nullum, omnibus retro ſæculis. Nec contrarium eſt, quod idem Franco dicit, in præfatione tom.7. Virgini Mariæ infœcundam anum Elizabeth, fuiſſe propoſitam in exemplum, ut inde omnipotentiam Dei diſceret. Non enim hoc ita dicitur, quaſi omnipotentiam Dei prius ignoraret, ſed quia per experientiam exempli didicit, quod prius fide tenuit. Sic Chriſtus, ex iis quæ paſſus eſt, (Hebr.5. didicit obedientiam; qui ut pateretur, jam ante obediens erat. Porrò inter verba Zachariæ & B. Virginis quidam ſic diſtinguunt, quod ille

D dixerit, *unde hoc ſciam?* id eſt, qua ratione credam? Hæc autem quaſi jam credens, & modum inquirens, dixerit. *Quomodo fiat?* Sed hæc ex verbis eorum accepta diſtinctio, parum videtur ſolida. Nam & Abraham pater fidei noſtræ. Gen.15. dixit: *Unde ſcire poſſum?* Quare non tam in verbis, quam in mente loquentium, diverſitas conſiſtit. Item Capharnaitæ Ioan. 6. dicebant: *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Qui tamen omnino erant increduli. Vide Annot. Geneſ.15. & com. ad Rom.4. itemque ſuprà hoc eodem cap. v.18.

℣.35. *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Idem eſt, atque, *obumbrabit te:* neque in caſu dativo vis facienda. Sicut enim hic dicitur: *ἐπισκιάσει, obumbrabit tibi*, ita accuſativo caſu dicitur, infrà cap.9. *ἐγένετο*

E *νεφέλη καὶ ἐπεσκίαζεν αὐτοὺς facta eſt nubes, & obumbravit eos*, nam vox *ἐπισκιάζειν* indifferenter utrumque caſum regit.

Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Dicens, *Quod naſcetur ſanctum*, videtur alludere ad legem, quæ ſequenti cap. citatur, *Omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur.* q.d. Quod ex te naſcetur non modo ſanctum erit Domino, ea ratione qua omne maſculinum primogenitum Domino ſanctum eſt ſecundum legem; ſed erit eminentiſſimè ſanctum, quia vocabitur & erit filius Dei. Porro ex hac parte probabiliter colligitur per *virtutem altiſſimi* in ſuperiori ſententia intelligi filium Dei.

Dei. Niſi enim verbis iſtis ; *Et virtus altiſſimi obumbrabit tibi*, per virtutem altiſſimi, intelligas filium Dei, qui eſt virtus, & brachium, & potentia Patris; non videtur hæc ſententia ex ſuperioribus rectè inferri, ſcilicet, id quod naſcetur, fore filium Dei. Non enim ſequitur, Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, ergo quod ex te naſcetur, erit Dei filius; quia poteſt Spiritus Sanctus ſupervenire, ad alios effectus, ut quòd naſcatur homo Sanctus; qui non ſit filius Dei, id eſt, ut conceptus quidem & partus ſit virgineus, non tamen filius Dei ſit qui naſcatur. Hac ratione convinci videtur, per virtutem altiſſimi, intelligi ipſum Dei Filium, qui obumbraturus ſignificetur virginem, illapſu ſuo in uterum virginis, per occultum ſuæ incarnationis myſterium. Auguſtin. tamen tract. 99. in Ioan. intelligit Spiritum Sanctum; & probat. Vide noſtra in B 3. diſt. 4.

℣.36. *Et ecce Eliſabeth cognata tua.* Hoc exemplo vetulæ fœcundatæ, non id agit Angelus, ut Virginem inducat ad credendum, quod ei nuntiabat, ſed ut in ea, ſenſus fidei jam conceptæ minus repugnaret, utque fides ipſa quamvis firma, magis adhuc firmaretur. Qua etiam ratione, dictum eſt à S. Ambroſio, ad illud cap. 2. *Maria autem conſervabat*, &c. quod etiam à paſtoribus Maria fidem collegerit, id eſt, fidei maioris argumentum, ex eorum narratione acceperit. Sicut enim in ea charitas ab initio non tanta fuit, quin augeri poſſet, atque etiam ſubinde aucta fuerit, ita & ſpes & fides. Unde & exiſtimandum, adhuc poſtea, C Chriſto miracula faciente, quibus ſe Deum probabat, fidem matris in filium, quem Angelo nunciante filium Dei didicerat, auctam fuiſſe. Sicut enim durante via, qua tendebat in patriam cœleſtem, perſeverabat in ea proficiendi deſiderium, ita nunquam proficiendi ceſſabat effectus. Simul autem Angelus, hoc nuncio cognatæ impræegnatæ, voluit B. Virginem exhilarare (quod bonorum Angelorum eſt) & occaſionem ei dare boni operis, ſcilicet cognatam viſitandi, ſalvandi, congratulandi, & adjuvandi.

Cognata tua. Quomodo Elizabeth citra legis injuriam fuerit cognata B. Virginis, cum illa fuerit de filiabus Aaron, ut ſuprà dictum eſt, hæc autem de domo David; Vide Medinam in 3. p. quæſt. 2 a. art. 1. ubi tamen ſciendum, eam reſponſionem, quam adfert ex Sancto Auguſtino lib. 23. contra Fauſtum capite 9. D ſcilicet Ioachim, patrem B. Virginis, fuiſſe de ſtirpe Aaron; ſed matrem eius, illius uxorem, fuiſſe de ſtirpe David; non poſſe recipi. Sic enim ſequeretur, Chriſtum ſecundum genus paternum ſuæ matris, verè fuiſſe ex ſtirpe Aaron, non autem ex ſtirpe David; & ita magis eſſet de tribu Levi, quam de tribu Juda, contra Apoſtolum ad Hebr. 7. Imò revera non eſſet de tribu Juda; quandoquidem tribum quiſque ſortiebatur ex genere paterno. Certè S. Auguſtinus hanc reſponſionem ſimpliciter non probat, ſed ſuppoſita veritate fabulæ, quam adferebat Fauſtus, docet, quid tunc conſequenter eſſet dicendum. Vide ergo Annot. Num. ult. & comment. noſtr. Hebr. 7. verſ. 14. ubi latè de hac quæſtione egimus.

℣.38. *Ecce ancilla Domini*, & infrà: *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, Gregor. lib. 9. epiſt. 61. docet quare Sancta Maria dicatur mater & ancilla. Item, nota virginis inſignem humilitatem, quæ non ſolum priuſquam eſſet mater Domini, verum etiam mater jam effecta, adhuc ſe eius ancillam vocat.

℣. 39. *Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum feſtinatione.* Non eſt putandum, quod abierit ſine venia viri ſui Ioſeph, aut quod novella ſponſa ſine comitatu alicuius matronæ ei adjunctæ à viro, profecta fuerit per montana, & toto trium menſium ſpatio ſic abfuerit domo; ne ex ipſa eius abſentia, viro poſtea ſuſpicio naſcere- A tur, vel augeretur, adulterij, quando eam videret gravidam.

℣.40. *In civitatem Iuda.* Beda lib. 1. in Luc. c. 7. in fine, per civitatem hanc, Ieroſolymam intelligit. Sed non videtur; quia alibi ſemper Ieroſolyma, nomine ſuo deſignatur. Magis apparet oppidum quoddam fuiſſe, in montanis ſitum, obſcurum, in quo cum uxore morabatur Zacharias, quando vacabat ab officio Sacerdotali, quando autem ad eum vices officij recurrebant, abiiſſe in civitatem Ieruſalem, id eſt, vigeſima quarta quaque hebdomada; ſicut janitores, qui in viculis morabantur, ſtatis vicibus, ad officium redibant Ieroſolymam; ut habemus 1. Par. 9. his verbis: *Fratres autem eorum in viculis morabantur, & veniebant in Sabbatis ſuis de tempore uſque in tempus.*

B ℣.41. *Exultavit infans in utero eius.* Græcè *exiliit*, vel, *ſubſiliit*: ſic & paulò pòſt, *Exultavit in gaudio infans in utero meo.* Nam aliud eſt verbum in cantico virginis, *exultavit ſpiritus meus.* An hic locus convincat in Ioanne fuiſſe anticipatum rationis uſum, Vide apud Ianſen.

℣.42. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus, &c.* *Et benedictus*, id eſt, quia benedictus; Sic Theophylactus; declarans eam acceptionem conjunctionis (*&*) aliis quibuſdam Scripturæ exemplis.

℣.43. *Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Gregor. lib. 9. epiſt. 61. legit: Unde ego digna, ut mater Domini mei veniat ad me?

Et benedictus fructus ventris tui. Sicut fructus arboris, C eſt aliquid eius, & ex ſubſtantia eius procedit, ita qui naſcitur ex homine, fructus uteri eius vocatur, quia ex ſubſtantia eius procedit. Quod notat Theophyl. contra eos, qui Chriſtum per virginem, velut canalem tranſiiſſe dicebant.

℣.46. *Et ait Maria: Magnificat, &c.* Hic non additur, ſicut de Elizabeth, & de Zacharia, quod repleta Spiritu Sancto, dixerit hæc verba, & de Ioanne prædixerat Angelus, *Et Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris ſuæ.* Ideo, inquam, hîc non additur; quia Evangeliſta ex præcedentibus ut manifeſtum relinquit, quod B. Virgo plena erat Spiritu Sancto. Nam dixerat ei Angelus, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Denique, quomodo non repleta Spiritu Sancto, quæ Chriſtum Deum ac D Dominum in utero portabat? Item, hæc dicens, prophetavit; non minus quàm Zacharias, ſuum promens canticum; de quo dicitur infrà, *Et prophetavit dicens.* Quod ergo ibi dicitur, hîc intelligendum relinquitur. Utroque vero cantico prophetiam contineri, certum eſt. *Magnificat*, Græcè μεγαλύνει, id eſt, magnificè prædicat, vel magnificum prædicat.

℣.48. *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Græca vox non ſignificat virtutem humilitatis, ſeu modeſtiæ, ſed humilitatem, ſeu tenuitatem conditionis; quæ & ſignificatur per id, quod additur, *ancillæ ſuæ.* Nec ſatis conveniebat modeſtiæ virginis, ut ipſa in cantico hoc laudis & gratiarum actionis, ſuam virtutem prædicaret ſine neceſſitate; ſed potius ut ſe indignam re- E putans, magis digna tanto beneficio efficeretur. Sic & ſuprà dixerat, *Ecce ancilla Domini.* Sic Abigail ad David 1. Reg. 25. *Ecce famula tua ſit in ancillam, ut lavet pedes ſervorum Domini mei.* Sic & ille, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, de Chriſto: *Cuius non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamenti.* Humilitatem autem hoc modo in Scripturis accipi, frequens eſt, Pſ. 24. *Vide humilitatem meam & laborem meum.* Genel. 29. & alibi ſæpe; ubi videre ſeu reſpicere humilitatem, eſt aliquem ex humili & abiecta conditione ſublevare: vel eum, qui contemptus erat, honorabilem reddere. Pſal. 9. *Vide humilitatem meam de inimicis meis.* Et Pſalm. 30. *Reſpexiſti humilitatem meam, ſalvaſti de neceſſitatibus animam meam.* Sic &

populus

populus erat; Iudith.6. *Reſpice ad noſtram humilitatem.* *Humilitatem* hoc loco pro abiecta conditione parentum, etiam Iuvencus Presbyter intellexit, in carmine, cum ait; Quod me dignatus in altum erigere, ex humili celſum. Beda quoque in Homilia, quæ legitur Feria 6. quatuor temporum ante natalem Domini, intellexit B. Virginem his verbis ſignificare ſe indignam &c. Itaque humilitatem intellexit abiectam conditionem. S. tamen Ambroſius lib. in Luc. 5. videtur intellexiſſe virtutem humilitatis. Sed nota, quod rectè intelligitur virtus humilitatis in eo, quod virgo de ſe ita abiectè loquatur, vocans ſe ancillam humilem, id eſt, vilem.

Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Id eſt, fœlicem me prædicabit omnis poſteritas. Id completum eſſe, & quotidie compleri videmus per univerſam Eccleſiam. Eſt autem iſte verſiculus cantici, Propheticus.

℣.49. *Quia fecit mihi magna.* Græcè μεγαλεῖα, quod interpres Act.2. vertit *magnalia*; Eraſmus ubi obique *magnifica.*

℣.51. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* *Brachium*, metaphoricè pro virtute ſive potentia ſumitur, ut alibi ſæpiſſimè. Nec ideo tamen ſenſus eſt. Fecit potentiam in potentia; ſeu, virtute; ſeu potentia ſua fecit actus potentes; id eſt, geſſit res magnas: nam potentia ponitur in hoc verſu, pro actu potentiæ.

Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Illud (*ſui*) non ad Deum, ſed ad ſuperbos referendum eſt: eſt enim Græcè αὐτῶν, pluralis numeri; & ita ad verbum verti poteſt; *Diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum.* Non eſt igitur hic ſenſus: Deus ſua ipſius cogitatione diſperſit ſuperbos; ſed, Deus diſperſit ſuperbos de cogitatione, & conſilio cordis ipſorum, ut videlicet, cogitationem ſuam opere explere non poſſint. Clarius hoc modo; Diſſipavit ſtudia & conſilia ſuperborum; ſicut diſſipavit conſilium Achitophel, ſicut & diſſipavit ſtudium eorum qui ædificabant turrim Babel.

℣.56. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus.* Quæritur an B. Maria interfuerit partui Elizabeth, & an ſaltem manſerit uſque ad nativitatem Ioannis Baptiſtæ? Et videtur quod non, quia virginem intereſſe partui muliebri, non decet; licet interdum neceſſitas excuſet. Sed nec deerant Elizabeth, Sacerdotis uxori obſtetrices, quæ neceſſarium officium circa partum implerent. Putant autem aliqui, ne quidem eam manſiſſe uſque ad nativitatem Ioannis, quia dicitur, *quaſi menſibus tribus*, tanquam diceret, non omnino expletis. Sed ad hoc facile reſpondetur, ideo dici, *quaſi menſibus tribus*, quia mulier non exactè novem menſibus geſtat fœtum in utero; ſed plus minus, & aliæ paulo diutius, aliæ paulo brevius. Itaque hoc ſermone, *quaſi menſibus tribus*, videtur Evangeliſta voluiſſe ſignificare, quod manſerit uſque ad nativitatem Ioannis, & ſtatim poſt redierit domum; Deſiderabat enim B. Virgo videre puerum, de quo tam mira fuerant per Angelum prænuntiata, & qui tam inſigni miraculo, exultaverat in utero matris, ad ipſius adventum. Et certè niſi manere voluiſſet, uſque ad Ioannis nativitatem, non erat ratio, ut maneret quaſi menſibus tribus virgo deſponſata, & habens in utero, ſed potius ſtatim, poſt viſitationem factam, aut certè poſt paucos dies debuiſſet domum ad virum ſuum reverti. S. Bernardus ſentit eam manſiſſe uſque ad Ioannis nativitatem. Vide Annot. Matth.1.

℣.59. *Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui, Zachariam.* Moris erat in illo populo ut infantibus nomen imponeretur octavo die, quando circumcidebantur; ſic enim & proximo cap. dicitur de Chriſto: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius IESVS.* Morem autem

A illum non lege ſcripta acceperant, ſed traditione maiorum, eaque valde rationabili; ut tunc puero nomen daretur, quando per ſignum externum ad hoc inſtitutum, aggregabatur populo Dei, ut videlicet tunc nomen inciperet habere in populo, quando per ſignaculum circumciſionis nomen dabat populo. Qua ratione etiam in Eccleſia Chriſti nomina imponuntur infantibus quando baptizantur; hoc enim ſigno inſeruntur corpori Eccleſiæ, ac velut inſcribuntur in catalogum populi Dei. Quando autem apud Iudæos mos ille cœperit, incertum eſt. Nam in Geneſi legimus matres indidiſſe nomina filiis recens natis, ut Liam, Rachel non exſpectato die. Nam Rachel in ipſo partu, filio nomen indidit, & nurus Heli, 1. Reg. 4.

℣.69. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſæculo* B *ſunt prophetarum eius.* Clarius: per os, ſeu per ora Sanctorum Prophetarum ſuorum, qui fuerunt à ſæculo, id eſt, ab omni antiquitate.

℣.72. *Ad faciendam miſericordiam cum patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui ſancti.* Græcè; *facere miſericordiam cum patribus noſtris, & recordari, &c.* Quare, aut utrobique retinendus erat in verbone infinitivus, aut utrobique vertendum, ad faciendam miſericordiam, ad recordandum teſtamenti. Dicitur autem Deus facere miſericordiam cum patribus iam olim defunctis; dum in gratiam eorum, & ex amore, quo eos proſequitur præſtat beneficia poſteris eorum; ſive ea promiſerit ſe præſtiturum, ut eſt hoc loco, unde ſubjungitur mentio teſtamenti, id eſt, fœderis C & promiſſi) ſive etiam non promiſerit. Sic laudatur Booz Ruth 2. quod eandem gratiam (Hebraicè, miſericordiam) quam præbuerat vivis, ſervaſſet & mortuis.

℣.73. *Iusjurandum quod juravit ad Abraham Patrem noſtrum, daturum ſe nobis.* *Iusjurandum* accuſativi caſus eſt Græcè, ὅρκον. Videtur autem ſupplendum κατὰ, ſecundum; vel certè propter relativum ſequens, ὃν ὤμοσε, retentus eſt accuſativus, ὅρκον, Græco more; cum alioqui verbum præcedens genitivum poſtularet. Quæritur autem quo jurejurando, Deus hoc promiſit Abrahæ. Eraſmus vertit, *ad dare nobis, ut ſine timore &c.* ut non pendeat à jurejurandi, ſed à verbo longius præcedente, *locutus eſt*. Magis tamen videtur à proximis pendere, quia dicitur, τοῦ δοῦναι, qui arti- D culus ſuperioribus infinitivis non præponitur. Unde reſpondetur, Deum hoc promiſiſſe & juraſſe Abrahæ, quando promiſit ſemini eius benedictiones; quas Lucas, ſeu Zacharias bene hîc interpretatur ſpirituales; cuiuſmodi maximè eſt, Deo cum tranquillitate ſervire, in ſanctitate & juſtitia.

℣.74. *Ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi.* Pendet ab extremo ſuperioris verſiculi, *daturum ſe nobis*. Græcè, τοῦ δοῦναι ἡμῖν, *ut daret nobis*, ſubauditur enim, ἕνεκα, juxta Græcæ linguæ conſuetudinem. *Sine timore.* Græcè una dictio ἀφόβως. Syntaxis hæc eſt: Quo jurejurando juravit, daturum ſe nobis, ut liberati de manu inimicorum noſtrorum, ſine timore ei ſerviamus in ſanctitate & juſtitia omnibus diebus noſtris.

E ℣.75. *In ſanctitate & juſtitia coram ipſo.* Videtur idem aliis verbis dicere, quod poſtea Paulus, *Sobriè, juſtè & piè.* Nam ſanctitas, mundiciam ſignificat ab omni inquinamento, & impuritate; & reſpondet temperantiæ; juſtitia, ſe ſuo nomine ſignificat. *Coram ipſo*, id eſt, coram Deo; ſervire, ad pietatem pertinet. Vel, *coram ipſo* determinat *ſanctitatem & juſtitiam*; ut intelligatur vera, & quæ coram Deo probatur ſanctitas & juſtitia; quomodo Paulus è contrario ait quod ex operibus legis, non juſtificabitur omnis caro coram illo. Rom.3.

℣.77. *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum.* Convenit cum eo quod ſcri-
bit

bit Marcus c. 1. eum prędicaſſe baptiſmum pœnitentię, in remiſſionem peccatorum. Vide eius loci Annot.

℣.78. *Per viſcera miſericordia Dei noſtri, in quibus viſitavit nos, Oriens, ex alto.* Id eſt, per intimam, & ut ita dicamus, viſceralem miſericordiam Dei noſtri, qua nos oriens viſitavit ex alto. *Oriens*, hoc loco nomen eſt, non participium, Græcè *ἀνατολή*: Non ergo ſic ordinandus eſt verſus, Deus ex alto oriens viſitavit nos; ſed ita, *Oriens*, id eſt, ille cuius nomen eſt Oriens, viſitavit nos ex alto: Reſpicit enim Zacharias Sacerdos, ad Zachariam Prophetam, inter duodecim penultimum, apud quem cap. 3. & 6. Chriſtus, ſub typo Zorobabel, vocatur *Oriens*; ubi ſimiliter in Græco eſt, *ἀνατολή*. Vide Annot. Zach. 6.

℣.79. *Illuminare his, qui in tenebris, &c.* Græca vox, ut Latina, ambigua eſt ad modum imperativum, & infinitivum. Conventientius tamen intelligitur de infinitivo, hoc ſenſu: ut illuceſceret. Ita enim aptiſſimè cohæret proximè præcedentibus; hoc ſenſu: *Viſitavit nos, Oriens*, id eſt, Chriſtus, *ex alto*, ut illuceſceret *his qui in tenebris, & umbra mortis ſedent.* Hoc enim Chriſto, non Ioanni tribuitur, quod eſt apud Iſaiam, cap. 9. ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et de Ioanne expreſsè dicitur, Ioan. 1. *Non erat ille lux; ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Veruntamen ſi quis ad Ioannem referre malit, non puto repugnandum; tum quia ſimile eſt, eum eo, quod præceſſit, *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius*, nam dare ſcientiam eſt illuminare; tum quia quod ſequitur, *Ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*; Ioannis prædicatione continetur, ſicut illud ſuperius, *Parare vias eius.* Utrumque enim prædicabat; *Parate viam Domini; dirigite*, ſeu *rectas facite ſemitas eius.* Luc. 3. Accedit quod officium Eccleſiaſticum, id manifeſtè tribuit Ioanni; non ex alio loco, ut apparet, quàm iſto; dum canit: *Ipſe eſt Ioannes, qui viam Domino præparavit in eremo, ſed & agnum Dei demonſtravit; & illuminavit mentes hominum.* Et quamvis Ioannes non fuerit lux illa ventura in mundum, lucerna tamen ardens, & lucens, in eodem Evangeliſta vocatur, cap. 3. Eccleſia quoque in epiſtola Miſſæ feſti eius, accommodat ei, quod dicitur Iſaiæ 49. *Dedi te in lucem gentium.*

℣.80. *Et erat in deſertis, uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.* Non apparet Ioannem cum Jesu, in ætate puerili aut juvenili, ante illud tempus, quo ad illum venit Jesus ut baptizaretur, aliquando collocutum fuiſſe quamvis cognatum. Quia Ioannes à pueritia verſatus fuit in deſertis, ſcilicet Iudææ, ut exprimitur Matth. 3. Iudæa autem à Galilæa dividebatur. At Jesus adhuc infans, deportatus eſt in Ægyptum, poſt reditum autem educatus in Nazareth Galilææ, ubi & manſiſſe videtur uſque ad prædicationem Ioannis. Nam tunc demum, ut teſtatur Marcus cap. 1. venit Jesus à Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt à Ioanne. Hoc autem divinitus procuratum eſt, ne viderentur Ioannes & Jesus, communicato inter ſe conſilio, & ex compoſito, novam doctrinam populo annunciare, ſeque invicem præconiis extollere.

CAPUT II.

℣.7. ET *peperit filium ſuum.* Quem etiam mox ut in lucem edidit, adoravit. Nam eum eſſe Dei filium Angelo nunciante didicerat, & Elizabetha teſte crediderat. Quod ſi Magi, ſtatim ut invenerunt puerum procidentes adorarunt; quantò magis id credendum de virgine matre?

Et pannis eum involvit, & reclinavit in præſepio. Igitur ſine dolore & læſione viſcerum peperit filium: nam aliæ matres propter dolores partus, ex viſcerum læſione provenientes, id facere non poſſunt; maximè

A poſt primum partum. Auctor ſerm. de Nativitate apud Cypr. Genitrix eſt obſtetrix &c. Ibidem tamen dicit, quod Maria, ut legi ſatisfaceret, quaſi cum aliis mulieribus eſſet ei in hoc opere ratio ſimilis, diebus deſignatis recubuit, & depoſiti oneris laſſitudinem profeſſa, oblatæ quieti paruit. Tale etiam eſt, quod in picturis hodie cernitur, Maria puerpera in lecto decumbens, aliarum more puerperarum; quemquam hoc profectò fidem noſtram non ædificat. Prudentius in hymno, de natali Jesu, obſtetricis meminit, quod tamen de ipſa virgine poteſt intelligi. Sic habet: Obſtetrix, virgoque fœta. Legenda quam vocant auream, narrat fabulam de obſtetricibus duabus, à Ioſeph acceſſitis ad partum uxoris; ſed nulla eſt authoritas, & illud commentum, tanquam apocryphum, jam du-

B dum eſt ab Eccleſia exploſum. Poteſt & hac ratione refutari, quia, ut credimus, B. Virgo peperit ſine dolore: atqui non ſolent advocari obſtetrices, priuſquam mulier fœta, parturire, dolere, angi, niti incipiat. Quæ ergo occaſio impulit Ioſephum, ut obſtetrices advocaret, quando horum nihil in conjuge appareret? Mox enim ut ſenſit fœtus in utero maturitatem, nullam ex anguſtia viſcerum difficultatem, nec moram paſſa, peperit, & benedictum uteri ſui fructum edidit mundo. *In præſepio.* Bovem & aſinum præſepio aſtitiſſe, vetus opinio eſt. Ita ſentit Prudentius, in hymno de Chriſti natali; Ubi Eraſmus: A priſcis uſque ſæculis, manavit ad nos pictura, quę Jesu præſepi addit bovem & aſinum; quod tamen in ſacris litteris, nuſquam

C apertè proditum eſt. Sed occaſio ſumpta videtur ex Iſai. 1. *Cognovit bos &c.*

℣.11. *Quia natus eſt vobis hodie ſalvator.* Non dicunt nobis, ſed, *vobis*, quia non propter Angelos, ſed propter nos homines, propter noſtram ſalutem, incarnatus eſt filius Dei. Melius autem dicitur: *Salvator*, quàm *Servator*. Servator enim eſt, qui ſervat quod periturum erat: Unde ſervi olim dicti, id eſt, in bello ſervati, & non occiſi. At *Σωτὴρ*, ſalvator eſt, qui ſalutem dat ei, qui perierat, ut indicat Cicero; hoc autem Chriſtus fecit. Locus eſt apud Ciceronem act. 4. in Verrem: ubi teſtatur Græcam vocem, *Σωτῆρα*, non poſſe Latino aliquo vocabulo exactè reddi. Quare recipiendum eſt vocabulum (ſalvator) quod etſi Latinæ linguæ authoribus non fuerit uſitatum, ab Eccleſia tamen ha-

D ctenus receptum, & frequentatum eſt ut tale, per quod Græcę vocis ſignificatum, quàm optimè redderetur. Vide Baronium ad 9. Novembris. *Servator* nuſquam legitur in vulgata verſione, niſi Proverb. 24. Vide ibi Annot. Nam ibi aliam habet in Hebræo ſignificationem. Vide etiam lexicon Græcum in *Σωτὴρ*.

℣.14. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Non malè quidam (&) pro (quia) poſitum interpretantur, more apud Hebræos non infrequenti. Ideo enim gloriam Deo canunt Angeli in excelſis; quia per Chriſtum pace bonæ voluntatis, ac beneplaciti divini, hominibus allata, terrena cœleſtibus æterno fœdere conjuncta ſunt & reconciliata. Et in hunc ſenſum exponit author ſermonis de Nativitate Domini apud Cyprianum. Canticum hoc

E breviſſimum, tria membra habet in Græco, quorum primum eſt, *Gloria in altiſſimis Deo*: ſecundum: *Et in terra pax*; tertium, *hominibus bonæ voluntatis.* Sed ſciendum quod ſecundum & tertium, rem ferè eandem diverſis verbis ſignificant, quod in Pſalmorum verſiculis frequentiſſimum eſt, ut Pſalm. 50. *Lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Item, *Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Item: *In iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ita hoc loco, *Pax in terra; & bona voluntas in hominibus*, idem ſignificant, ſcilicet Deum hominibus, qui in terra ſunt, pacatum eſſe; & bonam ac propenſam

erga

erga eos voluntatem gerere, idque jam re ipſa declarare, miſſo Salvatore & pacificatore Chriſto. Primum membrum, hunc ſenſum habet; Gloria Deo, qui eſt in altiſſimis, ſive in excelſis, ſicut illud ſupra Marci 11. *Oſanna in excelſis*. Id eſt, ſalva, obſecro, ô Deus, qui es in excelſis. Vide Genebrard. in Pſalm. 148. Vide & S. Bernardum hoc pulcherrimè tractantem, ſerm. 13. ſuper Cantic. Ubi docet, quod nobis pax ſufficere debeat; gloriam verò omnis boni noſtri, integrè relinquendam Deo.

Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Græcè, bona voluntas εὐδοκία, quæ vox in ſacris litteris ſignificare ſolet, bonam ſeu propenſam voluntatem Dei erga homines, ut Pſalm. 5. & 50. Et ſenſus eſt, in terra pax eſt hominibus, ſcilicet bona voluntas Dei erga homines; quia miſit hominibus ſalvatorem. Vide Bellarminum lib. 1. de bonis operibus cap. 6. ſic interpretantem. Vel hoc modo; *Et in terra pax*, id eſt, hominibus qui in terra ſunt, hoc eſt, erga homines, ſeu humanum genus eſt Deus benevolus, & reconciliatus. Eſt enim Græcè, *in hominibus bona voluntas*. Quidam putant Græca vitiata eſſe ablatione, ς, ut pro εὐδοκία, quod omnes codices nunc habent, legendum ſit, εὐδοκίας, id eſt, bonæ voluntatis. Ita quidam mihi dixit ſe legiſſe in vetuſto quodam exemplari. Sed magis ſuſpicor, illud exemplar haud ſincerum fuiſſe, ut in quo quiſpiam Græco textui litteram ς, aſcripſerit, ut cum Latino reſponderet. Quod tamen ea mutatione non eſt aſſecuturus; quia Græcè non aptè dicitur, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας. Addendus enim eſſet articulus τῆς εὐδοκίας. Notandum autem, quod veteres latini, ac nominatim etiam S. Hieronymus, paſſim legunt ut noſtra habet vulgata editio: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Poteſtque ſic exponi; Pax annuntiatur hominibus bonæ voluntatis; id eſt, in quibus Deo beneplacitum eſt; ſeu quibus Deus conſtituit benefacere. Vide quæ de voce εὐδοκία diximus Epheſ. 1. v. 5. Ut Hieronymus ſic & Chryſ. tameſi Græcus. Homil. 2. in Evangel. Luc. 1. Tom. 2. col. 109.

℣. 19. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Bis hoc ſcribit Evangeliſta de Beata Virgine; ſemel poſt narrationem Hiſtoriæ de paſtoribus Chriſtum in præſepio poſitum viſitantibus; ſecundò, poſtquam filium ſuum invenit in medio doctorum ſedentem, & audivit ex eo, quod in his quæ patris ſui ſunt, eum eſſe oporteret. His verbis commendatur modeſtia B. Virginis, ſimul & prudentia? modeſtia, quia neque dedignatur diſcere à paſtoribus; & ſuam felicitatem non jactat muliebri loquacitate, ſed humili ſilentio intra ſe continet. Prudentia, quia non oſcitanter ea, quæ circa puerum geruntur, aſpicit; ſed omnia in animo conſervans, diligenti meditatione confert ad invicem. Locus moralis eſt, pro inſtructione fœminarum, maximè virginum. Bene quoque monet S. Ambroſius, Beatam Mariam à paſtoribus, & ijs, quæ ab illis dicebantur, *fidem colligiſſe*, id eſt, argumenta fidei, ut poſtea explicat. Unde etiam intelligi poteſt, quemadmodum inculpatè & laudabiliter reſponderit Angelo nunciantí ſibi partum filij Dei, *Quomodo fiet iſtud? &c.* Non tanquam incredula; ſed ex verbis eius fidem colligens, id eſt, argumentum & robur fidei ſuæ accipiens. Vide infra ad verſicul. 51.

℣. 21. *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer:* Nicephor. libr. 1. cap. 12. ſcribit Chriſtum circumciſum die dominico, in domo Ioſeph in Bethleem. Sic die dominico, ergo & die dominico natus eſt. At ſi Ioſeph domum habebat in Bethleem; quid neceſſe erat diverſorium ingredi, ubi nec locus erat niſi in præſepio? Item, an decuit puerperam tranſire in aliam domum, ante diem octavum partus ſui; cum ex more & honeſtate, debeant ſe domi contine-

A re puerperæ, etiamſi ſatis alioqui fortes ſint, ad egrediendum? Quod quidam imaginantur, Chriſtum in templo circumciſum, vanum eſt; nam templum unum erat Ieroſolymis; nec poterant infantes nuper nati in tota Iudæa perferri Ieroſolymam. Supra item cap. 1. de Ioanne dicitur; *Et die octava venerunt circumcidere puerum.* Quò venerunt? ad domum Zachariæ, ubi erat puer.

Petes an circumciſio fiebat miniſterio Sacerdotum? non conſtat, nec uſquam Scriptura hoc indicat, ſed magis contrarium. Abraham ſeipſum circumcidit, & totam familiam vel per ſe, vel unumquemque puerum opere parentum. Sephora Moyſi uxor ſuum filium circumcidit. Achior circumcidit carnem præputij ſui.

B Sichimitæ ſe & pueros ſuos circumcidebant. Ioſue circumcidiſſe dicitur filios Iſrael. Et in Machab. libr. 1. & 2. dicuntur mulieres, natos ſuos circumcidiſſe. Paulus circumcidit Timothæum. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe* Gal. 5. Ioan. 7. dicit turbæ: *Et in Sabbatho circumciditis hominem.* Nuſquam autem ſignificatur, quod ſolear fieri per Sacerdotes.

℣. 22. *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius.* Græcè αὐτῶν, *earum*, ſcilicet matris & filij. Sed quomodo filij, petendum ex Levitico. Quæritur primo, ex quo loco profecti, utrum ex Bethleem, an ex Nazareth? Ambroſ. Ansbertus, in ſerm. de Purificatione B. Mariæ, dicit ex Nazareth. Alij, ex Bethleem; eò quod Ioſeph in ſomnis admonitus, ut fugeret in Ægyptum, in Bethleem adhuc erat. Verùm, non conſtat, an Ioſeph ſtatim à diſceſſu Magorum fuerit ad-

C monitus, idque in Bethleem; an aliquanto poſt, in Nazareth. Vide Ianſenium & Franciſcum Lucam. Vide & noſtra, Matth. 2. Quæritur ſecundo quomodo poſt tot dies, potuerint tuto aſcendere Ieruſalem, Herode jam ſentiente ſe illuſum à Magis, & quærente puerum ad necem. Vide Auguſt. libr. 2. de Conſenſu Evangel. c. 11. & Annot. Matth. 2.

℣. 23. *Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, &c.* Hunc locum quidam hæretici detorſerunt, contra Beatæ Mariæ virginitatem in partu, eò quod clauſtra virginitatis eius, dicant per exitum naſcentis fuiſſe aperta. Reſpondetur autem duobus modis. Vel enim dici poteſt, ſecundum multos Catholicos doctores, uterum nullo modo fuiſſe apertum, ſed mira-

D culo quodam ſupernaturali, ſic Chriſtum prodiiſſe utero clauſo, ſicut prodijt clauſo ſepulchro, & ſicut ingreſſus eſt ad diſcipulos ianuis clauſis. Vel ſecundum Hieronymum & alios quoſdam dici poteſt, per naturalem meatum exiiſſe fœtum, ſine ulla materni corporis violatione; qualis fit in aliis matribus, quæ proinde magno cum dolore pariunt, maximè in primo partu. Itaque ſicut in primo ſtatu ſuiſſet partus naturalis, per meatus naturales, ſine detrimento maternæ integritatis; ita dici poteſt, & in illa matre accidiſſe, cui ſoli contigit ſine corruptione concipere. Nam & in primo ſtatu conceptus & partus, ſine virginitatis detrimento fuiſſet; quia corruptio eſt ex peccato. Quod dicatur *maſculinum adaperiens vulvam*. Vide Annot. Exod. 13.

E ℣. 24. *Et ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini.* Non exprimitur utrum hoſtia pro matre, an pro filio ſit oblata? Eccleſia tamen canit, *Obtulerunt pro eo, Domino, &c.* Levit. 12. ubi hæc lex ponitur, offerri præcipitur pro purgatione matris; & tamen ibidem dicitur, *pro filio, vel filia.* Quod hunc ſenſum videtur habere. Cùm impleti fuerint dies Purificationis ſuæ; ex partu filij vel filiæ; ut illud, *pro filio vel filia*, ad id quod præcedit, referatur, non ad id quod ſequitur de oblatione. Vide in hunc locum Ianſenium, qui dicit illud, *pro eo*, intelligendum, pro matre ratione partus filij, & hoc conforme eſt Levitico.

Pax

Par turturum, aut duos pullos columbarum. Quare A non obtulit agnum, eum ex auro quod Magi obtulerant, potuerit facilè manus ejus tam multum inveniſſe? Reſponderi poteſt multipliciter: Primum, juxta quorumdam ſententiam, Magos veniſſe in Bethlahem poſt purificationem, quia ſtatim pòſt Magorum diſceſſum, Ioſeph in ſomnis admonitus fugerit in Ægyptum. Qua de re vide annotat. Matth. 2. Secundò, quod aurum illud ſtatim, ut erat miſericordiæ mater, in eleëmoſynas pauperum expenderit, præſertim cum tempus eſſet brumale. Tertiò, quod etſi temporale aliquod munus, idemque pretioſum accepiſſet; non tamen offerre debuerit ſecundùm rationem præſentis muneris, ſed ſecundum modum ſui ſtatus. Erat autem conditione & ſtatu paupercula uxor fabri. B Quartò, quod verè obtulit agnum, quia præſentavit in templo Chriſtum qui verus eſt agnus immaculatus tollens peccata mundi; & ob hanc cauſam, non oportebat offerri agnum irrationalem, quia lumine præſente, ceſſat umbra. Item Chriſtus erat agnus anniculus, quia conceptus in Martio, & præſentatus in Februario; & ita comprehendit duodecim menſes, licèt duos non integros. Fuit enim perfectus homo, ab hora conceptionis; non ita alij homines, qui multò pòſt anima conſtituuntur rationali, ſine qua nondum ſunt homines. Plenè ergo & abundè ſatisfecit B. Virgo, quia cum lex poſtulet, aut agnum, aut par turturum, aut duos pullos columbarum, illa præſtitit utrumque; & agnum offerens pretioſiſſimum, hoc enim pignore erat ditiſſima; &, tanquam C conditione paupercula, par turturum adjecit, aut duos pullos columbarum. Non fuit autem viſum Spiritui ſancto deſignare utrum obtulerit B. Virgo, an turtures, an columbarum pullos. Quidam dicunt columbarum pullos, idque haberi ex revelationibus quibuſdam; ſed hoc eadem facilitate contemnitur qua dicitur. Quædam enim falſæ feruntur revelationes; & res non tanti eſt ut revelationem inde exſpectare ſit opus. Nota, Evangeliſtam, non facere narrationem ſuam alternantem, dicendo; quod obtulerit par turturum, aut duos pullos columbarum; qui modus narrandi videretur inconveniens, maximè in Scriptore ſacro inſpirato à Spiritu Sancto; ſed referre præceptum legis, quod eſt alternatum; ut ſcilicet D pauperiores offerant par turturum, aut duos pullos columbarum. Sic enim dicit: *Vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.* Putant quidem aliqui B. Virginem volentem abundè legi ſatisfacere, utrumque obtuliſſe, & par turturum & duos pullos columbarum; ſed non eſt veriſimile. Offerebat enim ut paupercula; non agnum; ſed aut par turturum, aut duos pullos columbarum; & ideò non debuit in hac oblatione liberalitatem ſuam velle oſtendere, offerendo duplum pro ſimplo. Et fortè id ſecundum legem non licebat; nam in ſacrificiis lege conſtitutis, ſicut nihil ad cæremonias addendum erat, ita nec adjiciendum quid- E quam ad numerum ſacrificiorum lege præſcriptum. S. Greg. homil. 2. ſuper Evangelia utrumque copulat, dicens: Unde & cum agnus, qui pro illo offerretur, defuit, columbarum pullos, & par turturum, ad ſacrificium mater invenit. Sed fortè conjunctionem copulativam, pro diſiunctiva poſuit; aut certè audaculus ſcriba mutavit.

℣. 25. *Cui nomen Simeon.* Veriſimile eſt, hunc fuiſſe doctum in Scripturis; & ex iis cognoviſſe, hebdomadas Danielis brevi complendas eſſe; quibus completis, Chriſtus prædicebatur venturus. Ideoque Deum oraſſe, ut tamdiu ſervaret in vita, dum Chriſtum videret natum; & datum ei reſponſum, non viſurum mortem, donec, &c. Ianſenius negat fuiſſe Sacerdotem: Galenus in Hebr. 7. affirmat, ex Epiphanio & Cyrillo,

Eſtij Annotat. in Script.

A Mihi magis probatur ſententia Ianſenij.

℣. 28. *Et ipſe accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum.* Et infrà: *Et benedixit illos Simeon.* Græcè utrobique idem caſus eſt accuſativus, *Deum, illos*; ſenſus tamen diverſus: Nam benedixit Deum, quia laudavit, & gratias egit, his verbis: *Nunc dimittis, &c.* Quomodo & Zacharias benedixit Deum, dicens: *Benedictus Dominus Deus Iſraël, &c.* benedixit illos, ſcilicet Ioſeph & Mariam; quia bene eis ſuit precatus. Nec malè etiam ad puerum Jeſum, hæc benedictio refertur; Chriſto enim homini ſæpenumero in Pſalmis bene precamur, ut & illi fecerunt, qui clamabant: *O ſanna filio David.* Cur non autem hoc pacto major à minore benedicatur, quod negat Apoſtolus ad Hebr. 7. Vide ejus loci B comment. Et hic Ianſenium.

℣. 30. *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* Id eſt, Chriſtum Salvatorem, quem in carne videndum mihi promiſiſti. Vide annot. cap. 3. ad illud: *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.*

℣. 32. *Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Chriſtus lumen eſt gentium, quia gentes verſabantur in denſiſſimis tenebris ignorantiæ Dei, è quibus ſunt liberatæ per Chriſtum. Eſt autem gloria plebis Iſraël, id eſt, claritas (nam δόξα etiam claritatem ſignificat, 1. Corinth. 15. & alibi) quia Iſraëlitæ jam antè quidam habebant lumen notitiæ veri Dei. Notus enim in Iſrael Deus; ſed auctum eſt eis illud lumen per Chriſtum, uſque ad claritatem. Illic enim tranſitus eſt à tenebris ad lumen; hîc verò à lu- C mine minori ad majus; & hoc videtur velle Simeon. Nam ſi gloriam, gloriationem interpreteris; jam gentes, quàm Iſrael in Chriſto gloriantur, ac fortè etiam magis. Dicitur autem Chriſtus *lumen ad gentium revelationem*, id eſt, illuſtrationem & illuminationem; quia Chriſtus verum lumen gentibus illuxit; vel potiùs, *ad revelationem gentium*, quia hoc lumen quod Chriſtus eſt, gentibus eſt revelatum.

Gloriam plebis tuæ. Quia magna erat gloria illius populi, quod Chriſtus in eo & ex eo natus eſſet. Unde Rom. 9 *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem.* (*Gloriam*) non regitur à propoſitione (ad) præcedente; ſed à verbo (paraſti) à quo regitur & (lumen.)

℣. 34. *Et in ſignum cui contradicetur.* εἰς σημεῖον ἀντι- D λεγόμενον. Vide annot. Act. 28 ad illud, *Quia ubique ei contradicitur.* Sic Ieremias in perſona Chriſti. Ieremias. 15. *Væ mihi mater mea; quare genuiſti me, virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra? Omnes maledicunt mihi.* Et ipſe Chriſtus, *Non veni mittere in terram, pacem; ſed gladium.* Matth. 10.

℣. 33. *Et erant pater ejus & mater ejus mirantes.* Quomodo Ioſeph dicitur pater Chriſti? an putatitius? ut indicatur ſequenti cap. verſ. 23. an quia nutritius Chriſti fuit? ut Bernardus & Origen. homil. 12. in Levit. Pro fideli miniſterio, inquit, *patris* ei vocabulum Scriptura conceſſit. An quia maritus erat matris, & in ipſo conjugio Chriſtus abſque conjugij injuria, concep- E tus? ut Aug. Vide noſtra in 4. d. ſt. 30. Similiter infrà, dicit Maria ad filium, *Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te.*

℣. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hoc claudendum parentheſi. Nam quod ſequitur, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, referendum ad ſuperiora & ſenſum habet concomitativum. Illud autem, *Et tuam, &c.* malè intelligit Origenes de gladio dubitationis. Nam gladius pro dubitatione nuſquam ponitur in Scriptura, frequenter autem pro percuſſione, preſſura, dolore, prorſuſque ſimile eſt illud Pſalm. 104. *Ferrum pertranſiit animam ejus*; per quod ſignificatur ſancti viri preſſura graviſſima. Significatur autem quod Beata Maria maximum patietur dolorem & anguſtiam animi, quando videbit filium ſuum, de quo tam præclara Angelo nuntiante credidit,

adeò deſpectum ab hominibus haberi, ut cum ſceleratis reputatus, ignominioſiſſimo mortis ſupplicio tollatur è medio; idque ab iis, qui eum ut Meſſiam & Dominum recipere debebant. Id enim ſignificant illa verba. *Et in ſignum cui contradicetur.* Nam populus Judaicus fuit populus contradicens, juxta illud Iſai 65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, ſed contradicentem.* Porrò fidem B. Mariæ prædicavit Eliſabeth, Spiritu Sancto repleta, dicens. *Beata quæ credidiſti.*

℣. 37. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor.* Quidam intelligunt hoc de ſolo tempore viduitatis; ſed rectiùs accipitur de tota ejus ætate. Nam alioqui oportuiſſet eam prætergreſſam fuiſſe annum centeſimum, atque ita videretur non ſatis potuiſſe præſtare ea, quæ hic de ipſa dicuntur; quod videlicet non diſcederet de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte & die. Eſt autem hic locus proferendus contra hæreticos noſtri temporis, qui negant jejunium, quale ab Eccleſia præſcribitur, eſſe cultum ſive ſervitutem, cum hic expreſsè dicatur, quod *Deo ſerviebat jejuniis & orationibus.* Unde ſicut precibus ad Deum fuſis, cultum præſtamus Deo gratum; ita dubitandum non eſt jejuniis ad placandum Deum, & ad elevandam mentem in Deum, ſuſceptis, ſimiliter exhiberi cultum Deo acceptum. Pro eo, quod Latinus habet *uſque ad annos octoginta quatuor*, Græcè eſt: *& hæc vidua, quaſi annorum octoginta quatuor*; quod magis congruit cum ſenſu ſupra dato. Vide ſimilem locum cum annot. Judith 16. & Tob. ult. Sic 1. Reg. 16. *Adduxit itaque Iſai ſeptem filios ſuos*, id eſt, reliquos uſque ad ſeptem; jam enim tres adduxerat.

Quæ non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte & die. Quidam putant hanc viduam habitaſſe in templo, id eſt, in manſiuncula aliqua templo contigua, quaſi parte templi, quo facilius poſſet, quoties vellet, ſtatim ingredi ipſum templum, & orationibus vacare, & eo ſenſu accipiunt quod dicitur, *Non diſcedebat de templo:* & illud: *ſerviens nocte ac die;* ſcilicet in eodem templo. Verùm ea res incerta eſt. Ad hujus autem narrationis veritatem ſufficit, quod quotidie, & quàm frequentiſſimè, templum acceſſerit orationis gratia; diuque, ac etiam noctu ſubinde perſeveraverit ibi in oratione. Nam prorſus ſimili locutionis modo, idem Evangeliſta cap. ult. de diſcipulis Chriſti dicit, quod erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Deum; quos non eſt veriſimile in hujuſmodi manſiunculis, templo adhærentibus, habitaſſe.

℣. 38. *Et hæc, ipſa hora ſuperveniens.* ἐπιστᾶσα. Quidam vertendum putant, *aſtans:* Eraſmus tamen vertit ut noſter, *ſuperveniens.*

Confitebatur Domino. Græcè ἀνθωμολογεῖτο, id eſt, viciſſim confitebatur vel alternatim confitebatur. *Et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël.* Græca & omnia ferè manuſcripta, *Jeruſalem*, niſi quod Græcè eſt *in Jeruſalem.*

℣. 40. *Puer autem creſcebat & confortabatur, plenus ſapientia.* Et infrà, v. 52. *Et Jeſus proficiebat ſapientia.* Quomodo non repugnant, *plenus ſapientia, & proficiebat ſapientia?* *Reſp.* Plenus ſapientia, quia perfectè ſapiens, nec quidquam ſapientiæ illi deerat. Proficiebat autem ſapientia, quatenus majora in dies opera ſapientiæ apud homines exercebat. Proficiebat ergo quoad actum, non quoad habitum; actus enim erant paulatim majores, habitu eodem & immutabili permanente. Vide annot. infrà v. 52. & in diſt. 53.

℣. 43. *Et non cognoverunt parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, &c.* Quomodo parentes Chriſti non ſunt culpandi gravis negligentiæ, quod filium ſuum non majori cura cuſtodiviſſent? Reſpondet Beda, fuiſſe morem Iſraelitarum, ut temporibus feſtis, Jeruſalem euntes vel redeuntes, ſeorſim viri, ſeorſim fœminæ incederent, infantes autem vel pueri cum his vel illis indifferenter. Poteſt etiam dici, quod ſapientiam pueri noſcentes, non metuebant ne amitteretur; donec non invenientes eum nequidem inter notos & cognatos, requirendum putaverunt; & parentum affectu, de eo amiſſo doluerunt. Item puer fortè ſic elapſus eſt è parentum cuſtodia, ut uterque apud alterum putaret puerum eſſe; ſi tamen verùm eſt, quod ſeorſim ibant viri & fœminæ. Nam ſcriptura dicit, quod exiſtimabant illum eſſe in comitatu. Nec facilè metuebant de eo, ne, ut ſolent pueri malè cuſtoditi, amitteretur, & aberraret quopiam, utpote ſcientes eum eſſe Dei filium & ſapientiam patris. Sed ut non invenerunt (maximè mater) doluerunt humano affectu, de filio amiſſo. Adde, quod potuerit puer, etiam adhibita ſumma parentum diligentia, ſubtrahere ſeſe, & elabi.

℣. 46. *Sedentem in medio doctorum.* Id eſt, inter doctores; phraſis Hebraica. *Et factum eſt poſt triduum.* Unde per illud triduum, victus puero Jeſu ſuppeditatus? an miniſtrantibus Angelis? an verò totum triduum jejunavit? fortè enim triduum ſynecdochicè accipitur, ſicut ibi, *Et poſt tres dies reſurget.* Suſpicatur S. Bernardus, ſive quis alius author ſerm. infrà oct. Epiphan. puerum illo tempore, victum mendicato quæſiiſſe.

℣. 47. *Stupebant autem omnes ſuper prudentia & reſponſis ejus.* Ex hoc colligitur. Jeſum non tantùm audiſſe, & interrogaſſe doctores; verùm etiam ad interrogata reſpondiſſe, & reſponſis ſuis ipſos doctores docuiſſe. Quamquam S. Hieron. in Epiſt. ad Paulinum, quæ bibliis præfigitur, tantùm interrogationis meminit, ſic inquiens: Duodecim annos Salvator impleverat, & in templo ſedens, de quæſtionibus legis interrogans, magis docet, dum prudenter interrogat. S. Auguſtin. Serm. 63. de diverſis cap. 10. ait quod diſputaverit in templo cum ſenioribus. S. Gregor. homil. 2. ſuper Ezechiel. Ipſe Dominus, anno duodecimo ætatis ſuæ in medio doctorum in templo ſedens, non docens, ſed interrogans voluit inveniri.

℣. 48. *Fili quid feciſti nobis ſic?* Quare Jeſus ſaltem parentibus non indicavit ſuam manſionem in Jeruſalem, ut matris illum dolorem averteret? *Reſp.* Quia hoc ei erat mandatum à patre cæleſti; cujus rationem hanc conjicere poſſumus, quia ſi eis indicaſſet; jam non rediiſſent Jeroſolymam quærentes illum, ſed expectaſſent eum reverſurum in Nazareth. Atqui expediebat ut in Jeruſalem, & in templo à parentibus quæreretur; tum ut parentes ejus, magis de ejus dignitate & ſapientia inſtruerentur, ut his ſatis indicatur; tum ut ſcribæ & legis doctores, haberent occaſionem ſciſcitandi de eo diligentius ex parentibus; ex quibus diſcere poterant, quomodo, & quando, & quo loco ſecundum ſcripturas conceptus, & natus, & divinitus per Angelum annuntiatus fuerat, & alia hujuſmodi; Unde intelligere debebant eum eſſe verum Meſſiam.

℣. 49. *In his, quæ patris mei ſunt.* Hoc propterea dixit, quia filius Dei erat in templo Dei; non autem ut ſignificaret Joſeph non eſſe patrem ſuum: ut ait Aug. ſerm. 63. de diverſis cap. 10.

℣. 50. *Et ipſi non intellexerunt verbum, quod locutus eſt ad eos.* Quidam hoc non ad B. Virginem referunt, ſed ad Joſeph & aſtantes; ita Bernardus ſerm. infrà oct. Epiphan. Qui tamen cuidam alteri aſcribitur. Deductio tamen textus omninò poſtulare videtur, ut ad parentes Chriſti referatur. Neque putandum eſt, B. Virginem ſtatim omnia myſteria, & filii ſui verba & facta intellexiſſe, ſed tamen ſi quid minus intelligeret, ſedulò & prudenter ſecum perpendebat. Unde & ſequitur.

℣. 51.

℣. 51. *Et mater ejus conſervabat omnia verba hæc in corde ſuo.* Beda hom. Dom. 1. poſt Epiphan. Omnia, inquit, quæ de Domino vel à Domino dicta, ſive acta cognoverat, mater virgo diligentiùs in corde retinebat, ſollicitè cuncta memoriæ commendabat, ut cum demum tempus prædicandæ ſive ſcribendæ incarnationis ejus adveniret, ſufficienter univerſa prout eſſent geſta, poſſet explicare quærentibus. Vide annot. ſuprà ad v. 19. hujus cap.

℣. 51. *Et erat ſubditus illis.* Quæritur an lege ſubjectionis tenebatur Chriſtus, reſpectu illorum, ſaltem reſpectu matris ſuæ, tamquam veræ parentis ac genitricis, ſic enim ad D. Virginem Ludovicus Vives in piis precationibus: En jus habuiſti injungendi miniſteria tuorum uſuum, cui mundus univerſus miniſtrat. Tu ergo Angelis hoc jure potior; huic enim Angeli obtemperant, hic tibi. At contrà, Chriſtus legi non erat ſubjectus, quamvis natus ſub lege; erat enim filius hominis Dominus etiam Sabbati, Lucæ 6. Igitur nec ſubjectus parentibus neceſſitate legis, ſed tantùm quantum ipſe ſe ſponte vellet ſubjicere. Sicut enim non neceſſitate, ſed voluntate mortuus eſt; ita non neceſſitate legis, ſed voluntate electionis ſubditus fuit. Vide annot. Luc. 23. & Gal. 4. v. 4. Matth. 17.

℣. 52. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.* Illud (*apud Deum & homines*) ad ſolam gratiam videtur referendum. Nam dicere non ſolemus, quempiam proficere ætate apud Deum & homines; nec ſapientia apud Deum, ſed gratia apud Deum & homines. Vide Ianſenium & noſtra in 3. ſent. diſt. 13.

CAPUT III.

℣. 2. S*Vb principibus Sacerdotum Anna & Caipha.* Quidam negant eos verè fuiſſe Pontifices ſeu principes Sacerdotum; tum quia pretio Pontificatum ſibi comparaverant; tum quia ſecundùm legem nemo poterat eſſe Pontifex, niſi in demortui patris locum ſuccederet. Sed facilè reſponderi poteſt, illegitimè quidem iſtos fuiſſe creatos Pontifices, ſic tamen ut verè tales eſſent. Nam ſi quis creatur Epiſcopus vel per ſimoniam, vel aliàs contrà Canones Eccleſiæ, atque omninò illicito modo; verè tamen fit Epiſcopus, quod ad ordinationem, & propriam rationem Epiſcopi attinet: &, ut loquitur Jureconſultus, multa malè fiunt, quæ facta tenent. Ac ſanè Scriptura ubique hos & ſimiles ſimpliciter vocat ſummos Sacerdotes ſeu Pontifices, ſicut malos reges, vocat reges: nec ullam vel in Evangeliis vel in Actis, ubi ſæpiſſimè Pontifices & ſummi Sacerdotes vocantur, dat ſignificationem, quod verè non fuerint tales. Quod ſi allata ratio valeret; jam nec Judas Machabæus, nec fratres ejus Ionathas & Simon, & quotquot deinceps ſecuti ſunt, ſummi Sacerdotes fuiſſent; quia Judas non ſucceſſit patri in eo munere. Quin nec Heli tempore Samuelis ſummus Sacerdos fuiſſet, quia non erat ex filiis Eleazar & Phinees, in quorum ſtirpe à Deo conſtituta erat illa dignitas: ſed ex filiis Ithamar; atque ita ab eo tempore, quo deſierat eſſe Pontificatus in poſteris Phinees, uſque ad Sadoc, in quo fuit ad eam ſtirpem revocatus, nullus fuiſſet in Iſraëlitico populo verus Pontifex; quod nemo unquam ſenſit, & manifeſtè pugnat cum Scriptura: nam & Chriſtus Marci 2. Abiathar vocat principem Sacerdotum. Denique ſi vera eſt prædicta opinio; jam non per legem novam, quam Chriſtus attulit, ſublatum eſt vetus Sacerdotium, quoad principatum ejus, id eſt, Pontificatum; verùm multò ante extinctum fuit, ſcilicet à tempore Machabæorum. Neque ſanè id ſilentio præteriiſſet Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos, in qua ex profeſſo, de Sacerdotii veteris abrogatione agit; nec tamen aliter, niſi per Chriſtum docet Sacerdotium unà cum lege tranſlatum eſſe. S. Auguſt. q. 23. in Levit. diſputat quare tandem apud Judæos, plures facti ſint ſummi Sacerdotes. Vide & S. Greg. homil. in hunc locum. Beda ex Ioſepho, lib. 18. antiq. cap. 4. putat oſtendi Annam primo anno prædicationis Chriſti; Caipham verò, qui & Ioſephus dictus eſt, ultimo anno Pontificatum geſſiſſe. Quod autem Caiphas fuerit Pontifex ejus anni, quo paſſus eſt Chriſtus, manifeſtum eſt, ex Ioan. 11. & 18. ubi id apertè aſſeritur.

℣. 3. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum.* Similis ſententia eſt Marci 1. Ex his autem verbis opinati ſunt quidam, & etiamnum hodie quidam affirmare audent, Ioannis baptiſma non fuiſſe diverſum, quantum ad efficaciam, à baptiſmo Chriſti. In utroque enim dicunt conferri remiſſionem peccatorum, in utroque dari Spiritum Sanctum; quippe cum remiſſio peccatorum, ſine Spiritu Sancto non fit. Sed hujus opinionis falſitas ex duobus oſtenditur. Primò, quia Ioannes ipſe dicit: *Ego baptizo vos in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt, baptizabit vos in Spiritu Sancto.* Ex quo diſcrimine conſequens eſt, Ioannem non baptizaſſe in Spiritu Sancto. Secundò, quia Act. 19. qui baptizati erant baptiſmo Ioannis, baptizati ſunt, jubente Paulo, in nomine Chriſti; quod fieri non debuiſſet, ſi Ioannis baptiſma eandem habuiſſet vim, cum baptiſmo Chriſti. Hinc rectè in concil. Trid. anathema ei dicitur, qui utrique huic baptiſmo, eandem vim tribuit. Quòd ad hunc verò locum attinet; *Reſpond.* Illud, *in remiſſionem peccatorum*, non jungendum cum accuſativo (*baptiſmum*) ſed cum genitivo (pœnitentiæ) vel participio (prædicans) ut ſignificetur Ioannes prædicaſſe baptiſmum pœnitentiæ, per quam, vel pœnitentiam, vel prædicationem præparati, tandem à Chriſto conſequerentur remiſſionem peccatorum. Vide noſtra in 4. diſt. 2.

℣. 6. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei.* In Hebræo apud Prophetam ſic legitur: *Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt*; hujus loco, Septuaginta ſic reddiderunt; *Et videbit omnis caro ſalutare Dei, quia Dominus locutus eſt*, vel *quod Dominus locutus eſt.* Senſus autem eſt, Chriſtum Salvatorem, à Deo promiſſum, venturum & converſaturum inter homines, & carneis eorum oculis videndum, ita ut ab ejus aſpectu nullus hominum arceatur. Hoc Ioannes nunciat jamjam futurum; qui idem eum monſtravit præſentem, & oculis conſpiciendum, dicens: *Ecce Agnus Dei.* De hoc ſibi gratulabatur Simeon ſenex, in cantico dicens: *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* De hoc Chriſtus ad diſcipulos infrà cap. 10. *Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis; quia multi juſti & Prophetæ, voluerunt ea videre, & non viderunt.*

℣. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Vide annotat. Matth. 23.

Quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Quidam, *lapides*, intelligunt, quos ibi poſuerat Ioſuë numero duodecim. Ioſ. 4. Senſus myſticus eſt, poſſe Deum, ex gentilibus, qui in peccatis ſuis obduruerant, facere fideles, qui per fidem filii ſint Abrahæ. Quod & fecit in vocatione gentium, & adhuc facit quotidie. Sed ad litteram ſignificatum videtur, poſſe Deum ex lapidibus illic coram poſitis, quos fortè monſtrabat Ioannes, creare filios Abrahæ ſicut dicebat Diabolus, *dic ut lapides iſti panes fiant.* Sed quomodo id poteſt: cum ſi ex lapidibus fiant homines, non jam ſint ex ſemine Abrahæ? ſi ex ſemine Abrahæ; non jam ſint ex lapidibus facti. Uno modo reſpondetur, etiam ad litteram poſſe intelligi veros Abrahæ filios, ſcilicet ſecundum fidem; ſicut Dominus dicit Ioan. 8. *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite.* Et Apoſtolus Rom. 2. *Non enim qui in manifeſto*

Iudam, ſed qui in abſcondito. Et 4. cap. *Vt ſit pater omnium credentium per præputium.* Hunc ſenſum explicatum vide apud Ianſen. cap. 13. Et is videtur germanus ſenſus horum verborum. Alio modo poteſt id fieri per tranſſubſtantionem, videlicet tranſmutando lapides in filios Abrahæ, jam dudum natos ex Abraham; ſicut panis convertitur in corpus Chriſti natum ex Virgine. Sed hic non videtur verus ſenſus hujus loci; quia voluit Ioannes dicere, quod Deus ex lapidibus poſſit procreare novos filios Abrahæ. Sed & tertio modo dici poteſt, Deum poſſe; non immediatè ex lapidibus faciendo filios Abrahæ, ſed mediatè, convertendo lapides in nutrimentum vel ſemen Judæorum, unde procreentur filij Abrahæ.

℣. 11. *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Det, Græcè μεταδότω, id eſt, *impertiatur, participem faciat.* Quod rectè ita quoque verteretur; *det alteram*; quomodo plerique ſententiam hanc citant; licèt illud (alteram) non ſit in Latinis codicibus emendatis. Duas tunicas habet, non qui pluribus veſtibus ſe induit neceſſariis ad honeſtatem, vel frigoris arcendi cauſa, neque qui veſtem habet aliam æſtivam, aliam hibernam; neque qui aliam domeſticam, aliam, qua in publicum prodeat; ſed qui unam habet neceſſariam, aliam ſuperfluam. Et de eſcis ſimiliter. Nota autem, quod non dicit, det frigore aut fame morienti, aut extremam neceſſitatem patienti; ſed, *non habenti*, id eſt, indigenti. Quare falluntur, qui in ſola extrema neceſſitate arbitrantur hujuſmodi præcepta ligare. Quod autem hîc dicitur, in præcepto eſſe; perſpicuum eſt; quia interrogabant turbæ, *quid faciemus*, id eſt, quid faciendum nobis eſt, ut evadamus iram Dei, quam nobis denuncias? Item cætera omnia, quæ hîc à Ioanne dicuntur, præcepti ſunt. Greg. homil. 17. citat ut nos legimus, *det non habenti.* Idem homil. 29. ſuper Evangel. urget non eſſe dictum, qui habet tunicam, dividat eam, quia ſic nemo tegeretur. Quid ergo de S. Martino, qui chlamydem diviſit? *Reſp.* Martinum non quidem feciſſe, quod Ioannes præcepit, ſed amplius aliquid feciſſe, cum enim non duas, ſed unam tantùm chlamydem haberet; eam diviſit, & dimidium dedit pauperi, quem etſi totum non tegeret, ex parte tamen texit, & factum à Chriſto approbatum eſt, per viſionem noctis ſubſequentis.

℣. 13. *Nihil amplius, quam conſtitutum eſt vobis, faciatis.* Græcè πράσσετε, id eſt, *exigite.* Eraſmus *exigatis*; ne quis hoc torqueat ad pravum dogma hæreticorum, nihil eſſe faciendum, niſi quod præcepti ſit; Qui ſenſus nullam in hoc loco habet conſequentiam. Cæterum hinc bene probatur, ſtatum ſeu officium publicanorum non fuiſſe ſimpliciter illicitum; quia Ioannes non prohibet, ſed regulam exercendi præſcribit, ſicut & militibus.

℣. 14. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Concuſſio ſignificat violentam oppreſſionem vel tractationem eorum, quibus defenſio debetur, aut eorum ſaltem qui hoſtes non ſunt; & concuſſioni ferè conjuncta eſt *calumnia*, qua falſa crimina confinguntur in cives aut colonos, ut jure videantur tanquam hoſtes tractari. Cùm autem dicit: *Contenti eſtote ſtipendiis veſtris*, ſubaudi acceptis vel accipiendis. Neque enim prætextu ſtipendij nondum ſoluti, concutere Provinciales licet. Non prohibet autem agere prædas ex hoſte, modo prædationi nulla calumnia ſit conjuncta. Nam hoc ad partem ſtipendij pertinet; ſed hanc poſtremam partem opponit duabus prioribus, concuſſioni, & calumniæ. S. Aug. Epiſtola 5. ad Marcellinum, ex his verbis Ioannis oſtendit, militiam non eſſe Chriſtianis prohibitam. Quibus, inquit, proprium ſtipendium ſufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit. Ferrandus Diaconus regula 2. militaris innocentiæ. Concutere, inquit, eſt apertè facere violentiam, calumniari, occaſionem nocendi quærere.

℣. 16. *Cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.* Negat ſe dignum, vel quatenus ipſe creatura erat, ille creator; vel quatenus ipſe peccator, ſecundum quod dicebat, *Ego à te debeo lavari*, ille Sanctus Sanctorum: & tamen dignus erat, quia amicus ſponſi, ad honorem amicitiæ ejus aſſumptus per gratiam. Ita nos digni ſimul & indigni dici poſſumus ut ſumamus corpus Domini, diverſa conſideratione. Vide annot. Matth. 3.

℣. 19. *Et de omnibus malis, quæ fecit Herodes.* Mala graviora eaque publicè nota intellige; vel ſimpliciter mala quæ ſub correptionem cadunt. Neque enim de quibuſcumque & qualibuſcumque proximos corripere debemus, præſertim reges. Simul nota libertatem Prophetæ, qui non de uno & altero, ſed de omnibus, quæ correptionem poſcebant, regem corripere non fuerit veritus.

℣. 22. *Deſcendit Spiritus Sanctus in ipſum.* Deſcendit tantùm ad ſignificationem, non ad operationem, ſicut ſuper Apoſtolos. Chriſto enim, qui ab initio conceptionis ſuæ plenus erat gratia, nihil acceſſit gratiæ aut ſanctitatis, per deſcenſum Spiritus Sancti ſuper ipſum, ſed hoc ſignificatum eſt, quod ante inerat.

℣. 23. *Filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* Illud (*qui fuit*) in tota hac genealogia, referendum, non ad Jeſum, ſed ad nomen proximè præcedens, hoc modo: Filius Ioſeph, qui Ioſeph fuit filius Eli, qui Eli fuit filius Mathat, & ita deinceps. Satis id liquet ex Græco, ſic enim habetur υἱὸς ἰωσὴφ, τοῦ ἠλὶ τοῦ [illegible]. Ubi illud primum, τοῦ, ad nomen præcedens genitivi caſus referendum; ſubjungitur enim nomini ſuo articulus, quo connectatur ei genitivus ſequens, more Græco; maximè in nominibus propriis parentum. Sic Matth 27. v. 56. Μαρία ἡ τοῦ ἰακώβου, *Maria Iacobi.* Poteſt ergo ſic reddi: filius Ioſeph ejus qui erat filius Eli, ejus qui erat filius Mathat, &c. Non videtur autem illud (τοῦ) jungendum, cum nomine ſequenti, quia non fuerat dictum, υἱὸς τοῦ ἰωσὴφ, ſed υἱὸς ἰωσὴφ. Quare nec in ſequentibus, τοῦ, nomini præpoſitum intelligi debet. Item ex genealogia, quæ eſt apud Matthæum, in qua ſemper qui proximè nominatus fuerat, repetitur. Item, primùm, τοῦ, non poteſt ad Jeſum referri, quia (Jeſus) erat nominativi caſus.

℣. 31. *Qui fuit Nathan, qui fuit David.* De concordia genealogiæ apud Matthæum & Lucam, vide prolixè Janſenium. Item videatur, an non potuerit ibi locum habere adoptio communis, qualis apud gentiles frequentata. Lex enim quamvis unius tantùm generis adoptionem tradat, & præcipiat; non tamen vulgarem adoptionem repudiat, aut vetat. Juxta eam autem videntur haud ægrè conciliari poſſe, ambæ genealogiæ. Vide annot. Matth. 1. v. 16.

℣. 36. *Qui fuit Cainan.* Septuaginta ſibi conſtantes, etiam 1. Paral. 1. (ſaltem in quibuſdam libris) Cainan interponunt inter Arphaxad & Sale. Illud tamen hoc loco mirandum, qua ratione accidere potuerit, ut Septuaginta unum nomen quod in Hebræo non legiſſent, interſererent generationi deſcribendæ non tantùm in Geneſi, verùm etiam in 1. Paral. 1. ſaltem in nonnullis libris. Tu vide eorum locorum annot. Vide & B. Pererium lib. 16. in Geneſ. diſp. 11. ubi recenſet quinque reſponſiones, ad difficultatem de Cainam interpoſito; Janſenij reſponſionem non probat, imò nec ullam aliam; confitens cum V. Beda quæſtionem ſibi eſſe imperſcrutabilem. Vide quoque ſi lubet F. Lucam in notat. ad Geneſ. 11. qui tamen non explicat, & B. Medinam 3. q. 31. art. 1. recenſentem varias opiniones Eugubini, Cani, Cajetani, Sixti,

Sixti, Bedæ, Aloyſij, &c. Credi poteſt Septuaginta in ſuis codicibus habuiſſe iſtam generationem.

℣.38. *Qui fuit Dei.* Qui Adam fuit Dei filius; non quidem filius naturalis, quia nec in omnibus præcedentibus intelligi oportet eum de quo dicitur, qui fuit illius, fuiſſe filium ejus naturalem: Quidam enim legales filij fuerunt; Adam verò Dei filius fuiſſe dicitur, quia factus immediatè à Deo, non quomodocumque, ſed ſecundum imaginem ejus & ſimilitudinem. Quamquam & omnes nos quotquot mediatè ſumus à Deo progeniti ſecundum imaginem & ſimilitudinem ejus, quadam peculiari ratione, filij ejus dici poſſimus; ſcilicet propter naturæ noſtræ quandam cum divina natura ſimilitudinem analogicam. Qua ratione dictum de nobis arbitror à Poëta, quem refert Apoſtolus Act. 17. *Ipſius enim & genus ſumus.* Vide ejus loci annotat.

CAPUT IV.

℣.1. **E**T *agebatur à ſpiritu in deſertum, diebus quadraginta, & tentabatur à Diabolo:* Vide annotat. Matth. 4. *à ſpiritu* videlicet ſancto, de quo hic præcedit, *Ieſus autem plenus Spiritu Sancto.*

℣. 2. *Diebus quadraginta. Et nihil manducavit in diebus illis.* Notandum jejunium quadraginta dierum, confirmationem ac teſtimonium habere à lege, prophetis, & Evangelio. A lege, quia Moyſes legem daturus, per dies quadraginta neque comedit neque bibit. A prophetis, quia Elias propheta priuſquam videret Dominum in Horeb, totidem dies jejunavit. Ab Evangelio quia Chriſtus Evangelij præco, totidem dies alimento abſtinuit, antequam ad Evangelij prædicationem procederet. Jejunat autem Eccleſia Catholica, totidem diebus, non quidem ex manifeſto aliquo Chriſti præcepto, ſed ad imitationem Chriſti, tanquam capitis, cujus omnis actio, noſtra eſt inſtructio. Ex præcepto autem & inſtitutione Apoſtolorum; quam per manus acceptam à majoribus, hactenus univerſa obſervat Eccleſia. Nos, inquit, S. Hieronymus ad Marcellam, unam quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, tempore congruo jejunamus. Imitamur autem factum Chriſti, non omninò, ſed pro modulo infirmitatis humanæ: Chriſtus enim toto illo tempore, nihil penitus alimenti ſumpſit; nos autem quadrageſimalis jejunij debitum exſolvimus, dum ſecundum morem Eccleſiæ, parcius ac rarius per eos dies cibum ſumimus, abſtinentes etiam ab iis, quæ ad finem jejunij conſequendum, impedimento eſſe poſſent, ut à carnibus & lacticiniis. Vide annot. Matth. 4.

℣. 3. *Dic lapidi huic, ut panis fiat.* Apud Matth. pluraliter, *Dic ut lapides iſti panes fiant*, ſed enallage numeri frequens eſt in ſacris literis, ut apud eundem Matth. *Mortui ſunt, qui quærebant animam pueri*, c. 2. Item: *Latrones qui crucifixi erant cum eo, conviciabantur ei*, cap. 7.

℣. 5. *Et duxit illum Diabolus in montem excelſum.* Item v. 9. *Et ſtatuit eum ſuper pinnam templi.* S. Greg. in homil. ſuper hoc Evangelio, quæ eſt 16. & S. Hilar. in Pſalm. 68. videntur hanc narrationem ita intelligere, quaſi Chriſtus à Diabolo fuerit ſublatus per aëra in montem, & ſuper pinnam templi. Alij tamen probabilius putant, quod in humana ſpecie cum Chriſto ambulans & colloquens, duxerit eum in montem aſcendendo, & in faſtigium templi per gradus, quibus in illud aſcendebatur. Nam ſi ſublatus fuiſſet in altum; ſtatim, etiam à puro homine fuiſſet intellectum, Diabolicum eſſe hoc opus. Rurſum alij aliter ſentiunt, nempe duas poſteriores tentationes à Diabolo factas, per viſionem imaginum, Chriſti oculis exterius exhibitarum. Ita poſt Theophylactum Janſenius & probat ex authore ſermonum de operibus Chriſti cardinali-

A bus. Vide & rationes ejus non improbabiles, cap. 15. Concord.

℣. 6. *Quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Mendacium loquitur mendacij pater. Non enim Diabolo tradita ſunt regna mundi; neque ea dare poteſt cui vult; hoc enim Deo tribuit Scriptura Daniel 4. *Dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.* Et Aggæi 2. *Meum eſt aurum, & meum eſt argentum, dicit Dominus exercituum.* Vocatur autem Diabolus princeps mundi hujus, de quo Ioan. 1. *Et mundus eum non cognovit*, id eſt, homines, quatenus carnaliter ex Adam fuerunt geniti; ſunt enim in poteſtate diaboli, donec inde eripiantur per Chriſtum, qui fortem illum armatum fortior ſuperveniens vincit & ejus ſpolia diripit. Vide annotat.

B Ioan. 14. & comment. noſtr. 2. Corinth. 4. v. 4 itemque Epheſ. 2. v. 2. Cur autem dicit, *Mihi tradita ſunt*; cum ſit tantæ ſuperbiæ, ut nollet videri quicquam habere ab alio, ſed tanquam Deus, habere omnia à ſeipſo? An ut apud hominem juſtum & ſanctum, faceret propoſitionem ſuam probabilem, quaſi Deum ſuæ poteſtatis authorem agnoſceret, ſicque facilius eum, ad id, quod volebat, faciendum induceret? Niſi enim aliquid verum aut probabile ſermoni ſuo miſceret; non falleret. Quod & ejus miniſtri hæretici in ſuis ſermonibus & libris facere ſolent.

℣. 13. *Receſſit ab illo, uſque ad tempus.* Quia nimirum tempore paſſionis rediit ad eum tentandum, Quod quidam putant ſignificatum à Chriſto, quando dixit in cruce pendens: *Quare me dereliquiſti?* Eu-

C thymius in Pſalm. 87. ad illud; *Terrores tui conturbaverunt me*, dicit Origenem per iras & terrores Dei dæmones ipſos intelligere; & ſubjungit: Ait igitur Chriſtus, quod paſſionis tempore invaſerint eum dæmones, & quòd, ut hominem, eum conturbaverint. S. Hieronymus lib. 2. contra Pelagium cap. 6. ſimiliter tempus paſſionis intelligit. Vide Athanaſ. de paſſione & cruce, ubi ſimiliter iſtud refert ad tempus paſſionis, & rem pluribus declarat. Comment. Ambroſ. ſuper 1. Corinth. 2. hunc citans locum, dicit conſilio & voluntate dæmonum, Chriſtum eſſe crucifixum. S. Hieronymus lib. 2. contra Iovinianum cap. 3. ait: quòd diabolus tertiò vulneratus, uſque ad tempus recedit, differens magis tentationem quàm auferens.

D Quod ſi etiam tunc tentavit Chriſtum; nondum ergo certò perſuaſum habebat eum eſſe filium Dei. Item ſicut Satanæ data fuit poteſtas tentandi & affligendi Iob, ſed ſalva vita corporali; ita ei data fuit poteſtas tentandi & affligendi Chriſtum per Judæos & Romanos, etiam cum amiſſione vitæ temporalis. Quò pertinet, quod ipſe dicit jam ab hoſtibus capiendus; *Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Nam anteà aliquoties, volentes eum capere, non poterant, *quia nondum venerat hora ejus.* Hoc quoque eſt, quod Zachariæ 3. legitur: Viſum Ieſum Sacerdotem magnum ſtantem coram Angelo Domini, indutum veſtibus ſordidis, & *Satan*, inquit, *ſtabat à dextris ejus.* Nempe ut eum tentando in lapſum impelleret. Sed reſpondet

E Dominus per pſalmiſtam Pſalm. 15. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper; Quoniam à dextris eſt mihi, ne commovear.*

Sed dubitatur quo modo tempore paſſionis, diabolus Chriſtum tentaverit; neque enim extra, corporali ſpecie acceſſit ad eum, ſicut hîc feciſſe eum apparet. An dicendum, quod ejus phantaſiæ ſpecies objecerit earum rerum, per quas putaret eum in deſperationem poſſe impelli? Hoc enim Origenes, & qui eum ſequuntur, velle videntur. Atqui Chriſtus interna tentatione non potuit tentari à diabolo, ut docet S. Gregorius ſed tantùm externa; quemadmodum docetur in 3. ſent. ad diſt. 21. niſi fortè exiſtimes Gregorium tantùm loqui de tentatione carnis, ſeu pravæ con-

concupiſcentiæ, quæ in nobis ſurgit à nobis. An probabilius dixerimus, Chriſtum in cruce pendentem fuiſſe tentatum à diabolo, per membra ejus, qui erant impij Judæi, ex eo oſtendentes ſe loqui ex diaboli inſtinctu, quia ſimilia iis quæ hîc legitur diabolus dixiſſe, verba proferebant, dicendo: *Si filius Dei es, deſcende.* Sic enim ille dixerat, *Si filius Dei es: mitte te deorſum.* Tunc ergo per membra ſua, Chriſtum tentavit diabolus, qui hîc eum tentavit per ſeipſum. Item tentavit per latronem à latere pendentem & dicentem: *Si tu es Chriſtus; ſalvum fac temetipſum & nos.* Tentavit autem ad inanem gloriam, dicendo; *Deſcende de cruce*, & ad deſperationem, dicendo, *Confidit in Deo; liberet nunc eum.* Et ſic intelligit Euthymius, ſcribens in Matth. 4. & ſimiliter ferè Theophylactus in hunc locum. Porrò S. Greg. hom. 39. in Evang. ſentit diabolum per ſemetipſum, ad Deum carne morientem, veniſſe, & ſuum aliquid quæſiviſſe, ſicut alios homines in extremis poſitos, & in die exitus, tentare ſolet. Vide annotat. Matth. 4. & 27. Ubi quæritur, an per hanc tentationem, Diabolus didicerit Jeſum eſſe filium Dei: cum hic locus ſignificet, eum ad id cognoſcendum, poſteà adhuc inſtauraſſe tentationem.

℣. 29. *Duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis. —— ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens per medium illorum, ibat.* Non eſt paſſus Dominus ſe præcipitari è monte, quia neque tempus adhuc aderat morti ejus deſtinatum, neque hic locus præordinatus erat, neque hoc genus mortis conſtitutum erat quo dejiceretur, ſed aliud, quo exaltaretur. Oportebat enim exaltari filium hominis; non deorſum præcipitari. *Ipſe autem tranſiens, &c.* Senſus eſt: Ipſe Jeſus cum pertranſiiſſet per medium illorum, abibat. Tranſiit autem per medium illorum, vel quod animum eorum à quibus ducebatur, obſtupefecerit, incutiens illis terrorem ac perturbationem ex præſentia ſuæ divinitatis, vel quod ſe inviſibilem reddiderit. Nam hoc pacto apud Ioannem, ſemel atque iterum legitur ſe liberaſſe de manibus Judæorum, quando dicitur, quod abſconderit ſe, & ſic exiverit de templo.

℣. 34. *Scio te qui ſis, Sanctus Dei.* Verumnè dixerit diabolus, vocans Chriſtum filium Dei, & dicens; *Scio te qui ſis, Filius Dei*; An ſola conjectura id opinatus ſit; aut adulari voluerit, ne cogeretur obſeſſum hominem relinquere? Vide annotat. Matth. 4. ad illud: *Si filius Dei es.*

In v. 16. & 18. hujus c. vide infrà ad c. 5.

CAPUT V.

℣. 6. R*umpebatur autem rete eorum.* S. Ambroſ. rumpuntur retia, nec labitur piſcis. Rectiùs S. Auguſt. qui talem intelligit rupturam, qua multi exeunt de Eccleſia. Quod tamen & S. Ambroſius ſignificat, quando ſubjungit: Oportet enim & hæreſes eſſe. Vide Auguſt. tract. 122. ſuper Ioan. ubi pulchrè locum hunc, & alterum qui eſt Ioan. 21. allegoricè exponit.

℣. 7. *Ita ut mergerentur.* Id eſt, ut in ſubmerſionem premerentur. Non enim merſæ ſunt, ſed tantùm periclitatæ. Sic S. Auguſt. ibid.

℣. 8. *Exi à me, quia homo peccator ſum, Domine.* Quare rogat Dominum ut à ſe recedat, cum peccator hoc potius deſiderare debeat, ut Dominus ad ſe veniat, & apud ſe permaneat? *Reſpond.* Duplicem intelligi Chriſti præſentiam; ſpiritualem, & corporalem. Spiritualis quidem præſentia, qua per gratiam ſuam adeſt homini, omnibus eſt neceſſaria; & eam omnes peccatores toto deſiderio expetere debent: corporalem autem præſentiam ejus, pro varia animorum affectione homo peccator vel expetere poteſt, vel deprecari ac ſubterfugere. Aliud enim ſuadet amor, aliud humilitas & conſcientia propriæ infirmitatis. Amor non ſuſtinet ab amato ſeparari. Hinc Maria Magdalena corpus Domini lavit, unxit, oſculata eſt, & aliàs à vivente, morituro & mortuo non receſſit. Et Zachæus (licèt peccator) eum ſuſcepit gaudens in domum ſuam. Humilitas exhorret tantæ majeſtatis præſentiam: Unde Centurio dicebat: *Domine non ſum dignus, &c.* Sic olim mulier Sareptana ad ſanctiſſimum Prophetam Eliam ait: *Quid mihi & tibi vir Dei? ingreſſus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 3. Reg. 17. Tale quiddam etiam Petrum hoc loco metuiſſe, ſatis apparet ex verbis Domini, dicentis: *Noli timere.* Quod de familiari converſatione cum Chriſto diximus, poteſt etiam ad ſumptionem corporis Domini in Sacramento referri. Nam & laudandus eſt, qui ex amoris affectu, frequenter accedit ad menſam Domini; & vituperari non debet, qui ex agnitione ſuæ indignitatis, interdum à tremendis illis myſteriis putat ſibi abſtinendum.

℣. 10. *Ex hoc jam homines eris capiens.* Ambr. *vivificans*, tum in textu, tum in explicatione. Græcè, ζωγρῶν, quod vocabulum ſignificatur vivum capere, quomodo piſces capiuntur retibus. Quæritur an hæc vocatio Petri è nave, ſit eadem cum illa, quam Matthæus cap. 4. & Marcus 1. deſcribunt. Omninò videtur eandem eſſe: tum quia non eſt credendum, quatuor illos diſcipulos, ſemel vocatos ut ſequerentur ipſum, paulò poſt ad naves & retia relicta, & piſcationem, rediiſſe; tum quia narratio præſentis loci à Matthæo & Marco non diſcordat, ſed bene convenit. Tantùm ea differentia eſt, quod Lucas commemorat quaſdam particulares circumſtantias, ab aliis prætermiſſas. Vide Janſ. Quod autem narratur Ioan. 1. ab hujus loci hiſtoria diverſum eſt. Vide ejus loci annot.

℣. 17. *Et erant Phariſæi ſedentes, & legis doctores, qui venerant ex omni Caſtello Galilææ, & Iudææ, & Ieruſalem: & virtus Domini erat ad ſanandum eos.* Hoc quod dicit (eos) non ad Phariſæos aut legiſdoctores referendum; ſed ad verba paulò ſuperiora, ubi dixerat: *Et conveniebat turba multa, ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus ſuis.* Igitur dicens, (*eos*) turbas intelligit, quæ Græcis ὄχλοι, dicuntur genere maſculino, tametſi nec alioqui ſermo ineptus eſt.

℣. 16. c. 4. *Et intravit ſecundum conſuetudinem ſuam, die Sabbathi in ſynagogam.* Conſuetudinem intellige, qua conſueverat intrare ſynagogas ad docendum, non ad audiendum. Præcedit enim: *Et ipſe docebat in ſynagogis eorum.* Ad audiendum verò nunquam ingreſſus legitur ſynagogas, ſed cum eſſet puer duodennis, ſemel duntaxat in templo, ſedit in medio doctorum, audiens & interrogans. Quod ſi ſæpiùs & conſuetudine quadam feciſſet, ſive in templo; ſive in ſynagogis, non dixiſſent de eo Judæi; *Unde hic ſcit litteras, cum non didicerit?* Ioan. 7.

℣. 18. c. 4. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me, Evangelizare pauperibus, &c.* Recitat hæc verba Lucas ex verſione 70. De intellectu ejus, quod eſt *Evangelizare pauperibus*, Vide annotat. Iſai. 61. & Matth. 12.

℣. 27. c. 5. *Et vidit publicanum nomine Levi, ſedentem ad Telonium.* Quod quidam, inter quos Durandus lib. de divinis officiis, Matthæum Levitam fuiſſe opinantur, ex eo quod Levi dictus fuerit, nullius eſt ponderis argumentum. Sæpè enim fiebat, ut quis geſtaret nomen alicujus patriarchæ, ſive ille ſui generis ac tribus author eſſet, ſive non. Ut Ioſeph, ſponſus B. Mariæ, Et Manaſſes Ezechiæ regis filius, ambo de tribu Juda, ex progenie David. Judas Iſchariotes, id eſt, de tribu Iſſachar. Item in genealogia Chriſti apud Lucam, habes Levi, Ioſeph, Simeon. Nec ſanè veriſimile eſt, hominem Levitam, quæ tribus erat Sacerdotalis?

&

& ſacris miniſteriis deputata, eò ſe abjicere voluiſſe, ut recipiendis vectigalibus, quæſtum exerceret, præſertim cum id eſſet Judaico populo vehementer exoſum, atque infame.

ỹ. 28. *Et relictis omnibus, ſurgens ſecutus eſt eum.* Eo modo, quo Petrus omnium diſcipulorum nomine poſteà dixit, *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matth. 19. Quo autem omnia? eodem loco hoc recenſetur. Ita Matthæus omnia reliquit, ſtatim quidem animo, voluntate, & actu incompleto, relinquens ea, quæ præ manibus erant; poſteà verò rebus ſuis diſpoſitis & ordinatis, reipſa reliquit omnia completè, Chriſto inhærens, cum cæteris ejus diſcipulis.

Et fecit ei convivium magnum Levi in domo ſua. Non eſt ſenſus, *magnum*, id eſt, valde ſplendidum, lautum & opiparum, ſed magnum multitudine hominum, quos ad illud convivium invitaverat. Quod ſignificatur ſequentibus verbis: *Et erat turba multa, publicanorum, & aliorum qui cum illis erant diſcumbentes.* Unde apud alios Evangeliſtas, non nominatur magnum convivium, ſed tantùm dicitur, quod Jeſu in domo Levi diſcumbente, multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum eo, & diſcipulis ejus. Sunt tamen qui exponant, (magnum) id eſt, ſplendidum, ſumptuoſum. Vide Janſenium.

ỹ. 31. *Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent.* Objicies ſanos etiam egere medicina præſervativa. *Reſpondeo.* Iis qui omninò ſani ſunt, & non propendent ad morbos (qualis imprimis fuit ſanitas hominis recens creati) non opus eſſe omninò medicina, ne quidem præſervativa; ſed ſufficere eis, ad ſanitatis conſervationem, convenientem cibum & potum. Qui verò ad morbos proclives ſunt, tali medicina indigent, quia non omninò ſani ſunt. Tales igitur ſunt homines juſti in hoc ſæculo, multum adhuc retinentes primæ infirmitatis, & in eam ſtatim relapſuri, niſi præſervante gratia Chriſti, tamquam medicina quadam, in accepta ſanitate cuſtodirentur.

ỹ. 32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Quæritur, Nónne Chriſtus venit ut omnes homines ſalvos faceret? Reſpondent quidam, *juſtos* intelligi, non qui verè juſti ſunt, ſed qui ſibi tales videntur. Quales erant Phariſæi, ad quos hæc dicebat. Verùm & quoſdam ex iis, legitur Chriſtus vocaſſe ad pœnitentiam & fidem. Senſus igitur eſt; *Non veni vocare juſtos*, quia tales nullos invenio. Nam ſi qui revera tales ſunt; mea vocatione, & occulta gratiæ inſpiratione præventi, ex peccatoribus tales facti ſunt. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*, totamque humani generis maſſam Chriſtus corruptam invenit. Verè juſtos debere intelligi, convincit comparatio præcedens. *Non opus habent ſani medico, ſed qui malè valent*, ubi ſani revera intelliguntur. Nam qui ſibi videntur ſani, cum non ſint, ut phrenetici, ij vel maximè opus habent medico.

ỹ. 33. *Tui autem edunt & bibunt?* In eo quod dicunt, *Edunt & bibunt*, etiam Chriſtum Dominum perſtringunt, qui de ſe ipſo alibi dicit: *Venit filius hominis manducans & bibens; & dicunt; Ecce homo vorax & potator vini.* Matth. 11.

ỹ. 35. *Tunc jejunabunt in illis diebus.* Id eſt, ſtata jejunia, certis ac præſcriptis temporibus obſervabunt. Sic enim jejunabant diſcipuli Ioannis, itemque Phariſæorum. Unde dicebat ille Phariſæus: *Jejuno bis in Sabbatho.* Reſpondet autem Dominus ad id, quod quærebatur: *Quare diſcipuli Ioannis jejunant frequenter, & obſecrationes faciunt, ſimiliter & Phariſæorum: tui autem edunt & bibunt?* Neque enim Chriſtus diſcipulos liberabat à jejuniis lege præſcriptis, qui uſque ad mortem, legem ſervavit, utpotè factus ſub lege, ſecundum Apoſtolum, Galat. 4. ſed præter illa jejunia, non

A eis imponebat alia, ſicut imponebant ſuis diſcipulis, Ioannes & Phariſæi. Vide annot. Marci 2.

ỹ. 39. *Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum; dicit enim, Vetus melius eſt.* Græcè πιών, qui biberit. Senſus: Nemo aſſuetus bibendo veteri vino, ſtatim petit novum, ſed novo bibendo paulatim aſſueſcit. Dicit etiam vetus ſibi melius eſſe, quia illi aſſuevit, etiamſi in ſe fortè non ſit melius. Ita docet, diſcipulos ſuos aſſuetos laxiori vitæ, non ſtatim, ſed paulatim ducendos eſſe, & transferendos ad inſtitutum vitæ auſterioris.

CAPUT VI.

ỹ. 1. *Factum eſt autem in Sabbatho ſecundo primo.*
B Matt. 12. & Marci 2. habetur numero plurali, *in Sabbathis.* Eraſmus paraphraſi in Luc. putat dictum ſecundò primum, eò quòd incidens inter duo Sabbatha videatur geminam habere religionem; quod & finis ſit Sabbathi præcedentis, & initium ſequentis. Duæ ſunt probabiles opiniones: una quod fuerit dies octava alicujus ſolemnitatis, ut Paſchatis vel tabernaculorum, quæ cum prima die, pari erat veneratione ſolennis. Altera (quæ eſt Chryſoſtomi) quod ſimul in Sabbatho aliud feſtum, ut novilunij, vel Pentecoſtes, incideret, & ita eſſet duplex Sabbathum. Unde fortaſſe Matth. & Marcus habent plurali numero, *in Sabbathis.* Vide Janſenium. Item Hieron. Epiſtola ad Nepotianum cap. 10. Et ibidem Marianum.

ỹ. 6. *Et manus ejus dextera erat arida.* Dextra ma-
C nus arida ſignificat impotentiam bonorum operum, quam per ſuam gratiam ſolus curat Chriſtus.

ỹ. 9. *Interrogo vos ſi licèt Sabbathis benefacere, an malè; animam ſalvam facere, an perdere?* Vide annot. Marc. 3. & Matth. 12. In quibuſdam codicibus manuſcriptis eſt: *Interrogabo.* Quibus & Græca lectio adſtipulatur. Poterat Chriſtus adverſarios ſuos refellere exemplo medicorum, qui ſine ulla reprehenſione, etiam in Sabbatho curabant ægrotos, & adhibebant eis medicamenta. Nec enim veriſimile eſt, id medicis non fuiſſe permiſſum apud Judæos, aut tam neceſſario eorum obſequio, ſcribas aliquando contradixiſſe; quoniam & ipſi in ſuis morbis medicorum opera indigebant. Non tamen uſus eſt hoc argumento Chriſtus, ſed alio
D fortiori, quod habemus apud Matthæum, in narratione ejuſdem hujus miraculi cap. 12. *Quis erit ex vobis*, inquit, *homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit & levavit eam? Quantò magis melior eſt homo ove?* Sic & alibi: *Cujus veſtrum bos aut aſinus, &c.* Validius itaque refutat obtrectatores ſuos argumento etiam à beſtiarum cura ſumpto, quarum cum homine nulla eſt comparatio; quàm ſi ſumpſiſſet argumentum à curatione hominum, quæ fit per medicos. Ut nec illud taceam, Chriſtum non voluiſſe in ſanandis hominum morbis ſimilem ſe videri medicis, qui naturalia tantùm remedia adhibent, eademque tardum & incertum plerumque effectum habentia; cum ipſe virtute divina ſolo verbo
E vel tactu, repentè atque integrè ſanaret infirmos; imò & ea faceret in curandis hominibus, quæ medici nullo modo poſſent. Qualia ſunt, cæcis viſum, ſurdis auditum, mutis loquelam reſtituere, &c.

ỹ. 12. *Et erat pernoctans in oratione Dei.* Id eſt, qua Deus oratur; ſicut charitas Dei, qua Deus diligitur. Sic Ioan. 6. *Habete fidem Dei.* Et Pſalm. 149. *Exaltationes Dei.* Id eſt, laudes Dei, quibus Deus exaltatur, & magnificatur. An Chriſtus hîc oravit & exauditus fuerit, etiam pro Judæis, Vide annot. Ioan. 6.

ỹ. 20. *Et ipſe elevatis oculis in diſcipulos ſuos dicebat.* Omnia quæ in hoc ſermone dicuntur, etiam habentur in ſermone, quem Matthæus cap. 5. 6 & 7. deſcribit in monte habitum. Ex quo apparet Lucam de eodem

ſermone loqui. Sed difficultatem facit, quod Lucas ſignificat habitum hunc ſermonem in loco campeſtri in quem deſcenderat cum diſcipulis, Matthæus autem apertè teſtatur, ſermonem, quem ipſe refert, habitum in monte. Vide quomodo Janſenius hunc nodum ſolvat.

Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei. Cui opponit hanc ſententiam: *Væ vobis divitibus, quia habetis conſolationem veſtram.* Ex hac ſententia, aliiſque ſimilibus, olim Pelagius oſtendere conatus eſt non licere homini Chriſtiano habere divitias; non attendens ſanctos Patriarchas Abraham, &c. divites fuiſſe, ſanctos item reges, Davidem, Ezechiam, &c. multis opibus affluxiſſe. Unde & Apoſtolus Paulus ad Timotheum ſcribens, non vult præcipi divitibus, ut abjiciant divitias, ſed dicit: *Divitibus hujus ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum; ſed in Deo vivo, &c. bene agere, divites fieri in operibus bonis, &c.* Et pſalmiſta: *Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere*, pſalm. 61. Hujuſmodi divites Scriptura nuſquam damnat; ſed eos, qui ſperant in incerto divitiarum, qui cor apponunt theſauris ſuis; Eos denique, qui ſpiritu divites ſunt: ſicut è contrario beatificat eos, qui pauperes ſunt ſpiritu. *Pauperes ſpiritu ſunt*, qui ne animo quidem divitias expetunt, ſed ſi eas habent, ſunt velut non habentes. Divites ſpiritu, qui tota animi intentione ad habendas vel retinendas divitias feruntur. Vide annotationes Matth 5.

℣.29. *Qui te percutit in maxillam, præbe & alteram. Et ab eo, qui aufert tibi veſtimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Legimus Ioan. 18. cum Chriſtus aſſiſteret coram Pontifice, & unus miniſtrorum ei alapam impegiſſet, reſpondiſſe: *Si malè locutus ſum, &c.* Et Paulus Act. 23. juſſu Pontificis alapa percuſſus, non ſine acerbitate reſpondit, dicens: *Percutiat te, &c.* Quæ Domini noſtri & Apoſtoli exempla ſatis convincunt, ſententiam hujus loci, non nudè uti ſonat, intelligendam; ſed id, quod hîc præcipitur faciendum eſſe in animi præparatione. Id eſt, Chriſtianum debere eſſe ea patientia & fortitudine in perferendis injuriis, ut plura etiam ferre paratus ſit potiùs, quàm de illata injuria ultionem expetat, modo id ſaluti ejus, à quo injuriam paſſus eſt, videatur expedire.

℣.30. *Omni autem petenti te, tribue.* Hieronymus ſuper Eccleſ. 7. dicit hoc eſſe præceptum. Hoc præceptum, arbitror, implere voluit S. Franciſcus, quando vovit, ſe nulli pauperi petenti, denegaturum eleëmoſynam. Debet enim hoc intelligi, concurrentibus circumſtantiis, quibus poſitis, recta ratio dictet id faciendum eſſe potiùs, quàm omittendum. Quia votum eſt de bonis melioribus. Et nota, quemadmodum promiſſio Chriſti, qua dixit: *Omni petenti dabitur*; intelligitur cum certis clauſulis ſi petat ſalutaria, quomodo & quantum oportet; ita & hoc præceptum intelligendum cum quibuſdam reſtrictionibus: Omni petenti, quod eſt ſecundum dictamen rectæ rationis, & quod ipſi conveniat accipere, & tibi dare.

℣.34. *Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia.* Si æqualia tantùm recipiunt; quomodo fœnerantur, cum fœnus ſuperet æqualitatem? *Reſp.* Æqualitas intelligitur non in redditione mutui; ſed in eo, quod ipſi egentes aliàs ab iis, quibus ad uſuram dederant, ſimiliter accipiant mutuum ad uſuram, tanquam beneficium pro beneficio. Vel potiùs, intelligi poteſt, de ſimplici mutuo. Eſt enim Græcè idem vocabulum, quod pauld ante. *Et ſi dederitis mutuum, &c.* Et quod ſtatim ſequitur: *Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Senſus igitur erit: Si mutuum dederitis his à quibus ſperatis in egeſtate poſiti mutuum recipere; quæ gratia? q.d. tale beneficium fiet, ut aliàs ſimili beneficio compenſetur, quod & peccatores faciunt, non propter Deum, ſed ſpe ſimilis beneficij, mutuum dantes. Vos autem mutuum date, etiamſi ſimile beneficium viciſſim non exſpectetis. Unde ex conſequenti ſtatui poteſt, uſuram prohiberi, quia qui dat ad uſuram, exſpectat non tantùm beneficium ſimile, ſed & tanquam debitum; nempè lucrum ultra reſtitutionem ſortis. Non poteſt autem ſenſus eſſe: Mutuum date, non exſpectantes ut ſors vobis reſtituatur; quia ſic ſententia ſecum pugnaret. Si enim datur mutuum, ſors reſtituenda expectatur. Quæ ſi non exſpectatur; donatio eſt, non mutuatio. Ideóque miror, hoc pacto Eraſmum interpretari. De Carolo Molinæo minus mirum, qui eripere voluit interpretationem, qua uſura prohiberi videretur. Quidam ſic exponit, mutuum date, cum deſperatione mercedis; quod eodem recidit. Intelligit enim mercedem apud homines, non apud Deum. Et hoc vult mutuandum eſſe, etiamſi non exſpectemus futurum aliquando, ut nobis in ſimili neceſſitate poſitis, is, quem mutuò dando juverimus, viciſſim mutui præſtet beneficium.

℣. 37. *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini.* Poſterior ſententia, eſt explicatio prioris. Vide annot. Matth. 7.

℣.38. *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Quomodo eâdem menſurâ, ſi dabitur ſupereffluens, id eſt, ſuperabundans menſura? Sed nota, dictum eſſe eâdem, non æquali. Quamvis etſi hoc dictum eſſet, non ſecundùm quantitatem intelligenda eſſet æqualitas, ſed ſecundum proportionem; quomodo dicit Apoſtolus: *Qui parcè ſeminat, parcè & metet. Et qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Videtur autem hæc ſententia; *Eâdem quippe menſura, &c.* referenda ad quatuor præcepta præcedentia. quorum duo prima erant prohibitiva; Unde locum ibi non habet redditio menſuræ ſupereffluentis; quia Deus non punit ultra condignum. Quod autem dicit, *Menſuram bonam, &c.* tantùm ad duo poſtrema refertur, quæ ſunt præceptiva dandi & dimittendi; quod qui præſtiterit, etiam ſuprà meritum recipiet in utroque genere. *Dabunt*, perſonale ponitur pro Impersonali; ſicut & *remetietur*; prodabitur & remenſurabitur. Simile eſt infrà, cap. 12. *Hac nocte repetent animam tuam.*

CAPUT VII.

℣.6. *NOn enim ſum dignus, ut ſub tectum meum intres. Propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus ut venirem ad te.* Quamvis in prioribus verbis, quæ ſola à Matthæo commemorantur, multum eluceat humilitas hujus centurionis, magis tamen adhuc elucere videtur in poſterioribus, quia plus ſe humiliat, qui negat ſe dignum venire ad Chriſtum, ad quem paſſim omnes accedebant; quàm qui negat ſe dignum, cujus ſub tectum intret Chriſtus; quod paucis conceſſum eſt, quodque majoris erat dignitatis. Quemadmodum magis ſe humiliabat Ioannes quando dixit; *Cujus non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum*, quam ſi dixiſſet: Cujus non ſum dignus menſæ aſſidere.

℣. 9. *Quo audito Ieſus miratus eſt.* Admiratio propriè dicta, ex ignorantiæ cauſa procedit; in Chriſto autem ignorantia nulla fuit; ſed miratus dicitur, quia hoc fecit quod ſolent homines mirantes, id eſt, eam rem quam admiratus dicitur, tanquam novam, inſolitam & hominibus admirabilem ſuis verbis prædicavit, dicens: *Non inveni tantam fidem in Iſraël.* Sic Marc. 6. dicitur miratus propter quorumdam incredulitatem; quia fortè eam apud ſuos commemorabat tanquam mirandam poſt tot miracula. Vide annot. Matth. 8.

℣.13. *Dixit illi, Noli flere.* Cur Jeſus mulieri prohibet flere ſuper filio mortuo, cùm ipſe fleviſſe legatur

ſuper

ſuper Lazaro mortuo? Ioan. 11. *Reſp.* Non tam prohi- A bentis, quàm conſolantis eſſe verba. Meritò autem ſic eam conſolatus eſt, cujus filium ſtatim erat ſuſcitaturus. Ipſe verò conſolatore non egebat, habens poteſtatem aſſumere dolorem ac fletum, & iterum deponere quando vellet. Quare quamvis & Lazarum erat ſtatim ſuſcitaturus; tamen flere voluit, ut & amorem ſuum quo eum proſequebatur oſtenderet, & verum hominem ſe probaret, flendo; qui mox Deum ſe probaturus erat mortuum ſuſcitando.

℣. 15. *Et dedit illum matri ſuæ.* Non dixit ei: *Sequere me*; quia videbat eum matri viduæ adhuc neceſſarium. Unde docemur, eos quorum opera parentibus ad ſuſtentationem adhuc eſt neceſſaria, non eſſe cohortandos ad ingreſſum religionis, ſed potius ad B honorandum parentes; ne irritum faciamus præceptum Dei propter conſilium. Quod certè eo caſu non eſt conſilium.

℣. 28. *Dico enim vobis, Major inter natos mulierum Propheta Ioanne non eſt.* Matthæus ſic habet: *Amen dico vobis, non ſurrexit inter natos mulierum major Ioanne Baptiſta.* Conferendo hunc locum cum Matth. 11. & alterum ex altero ſupplendo; verus ſenſus videtur: Inter homines non ſurrexiſſe, non exortum eſſe & apparuiſſe majorem Prophetam Ioanne Baptiſta, tam ex officio prophetandi, quàm vitæ ſanctitate & exemplo. Et quia inter homines prophetæ erant ſanctiores; hinc ulteriùs colligitur, Ioannem inter homines maximum fuiſſe ſanctitate. Quod tamen non ita univerſaliter accipiendum, quin potuerit eſſe excep- C tio. Nam ordinarium erat prophetas eſſe aliis ſanctiores, non perpetuum. Unde conſiſtit exceptio de B. Virgine Deipara. Si dicas eam fuiſſe prophetiſſam, & proinde Ioannem etiam ei præferri: *Reſpond.* Non ſurrexit propheta, id eſt, non apparuit, non data fuit populo prophetis, ut ei futura annunciaret, ſed manſit occulta. Nec enim populus ſcivit eſſe prophetiſſam, imò nec ſcivit eſſe matrem Virginem, nec cætera circa illam geſta myſteria, ſed ea poſteà per Apoſtolos propalata ſunt. Ridicula autem eſt quorumdam reſponſio ad objectionem de B. Maria, quâ dicunt eam non ſurrexiſſe, quia nunquam cecidit: Ioannem autem comparari tantum cum iis qui ſurrexerunt. Nam ſurgere in phraſi Scripturæ non aliud eſt, quàm exortum eſſe. D Matth. 24. *Multi pſeudoprophetæ ſurgent*, id eſt, exorientur. Ioannis 7. *à Galilæa propheta non ſurgit.* Imò & de Chriſto hoc ipſo capite: *Quia propheta magnus ſurrexit in nobis.* Et ad Hebr. 7. *Neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem.* Hic quoque non legitur *ſurrexit*, ſed apud Matth. Hic dicitur; *eſt*.

℣. 28. *Qui autem minor eſt in regno Dei, major eſt illo.* Hic Chriſtus ſe excipit à ſuperiori ſententia, qua dictum erat: *Nemo major, &c.* Senſus eſt: Qui in regno cœlorum, id eſt, in Eccleſia fidelium, quæ tum incipiebat manifeſtari, minor eſt, is revera major eſt Ioanne. Chriſtus minor Ioanne in regno cœlorum, id eſt, Ec- E cleſia, tribus modis intelligi poteſt; vel ætate, quia ſex menſibus junior; vel hominum opinione, quia de Ioanne tunc temporis adhuc major erat opinio quàm de Chriſto; vel prædicationis tempore, quia Ioannes prius cœpit prædicare pœnitentiam & annunciare regnum cœlorum, poſteriùs Chriſtus. Secundus modus videtur hoc loco intelligi. S. Auguſt. contra adverſarium legis & prophet. lib. 2. cap. 5. ſic diſtinguit: Qui autem minor eſt, videlicet ætate, is in regno cœlorum major eſt illo. Habet ibi tamen & aliam expoſitionem, quæ etiam eſt apud Cyrillum. Qui minor eſt in regno cœlorum, id eſt, inter angelos, major eſt Ioanne & quolibet ſancto homine, portante corpus quod corrumpitur. Habet hoc etiam S. Hieronymus in Commentario ad Matth. 11.

A ℣. 30. *Phariſæi autem & legiſperiti conſilium Dei, &c.* Hic primum nominantur *legiſperiti*; nec alius Evangeliſta eorum meminit niſi Lucas. Nec videntur iidem eſſe cum ſcribis; quia Lucas aliquoties etiam ſcribarum meminit: Sed tamen nuſquam eos conjungit, ut videri poſſit, quod eoſdem, modo ſcribas, modo legiſperitos vocet.

Conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos. Vide Ianſenium cap. 47.

Non baptizati ab eo. Vide annotationes Matthæi 3.

℣. 37. *Et ecce mulier quædam.* Meritò dicit *Ecce*, quia narraturus rem valdè ſingularem; nuſquam enim in Evangeliis legitur quemquam acceſſiſſe Chriſtum pro remiſſione peccatorum, præter hanc unicam mu- B lierem. Alij corporales ſanitates ab eo quæſierunt; hæc non aliud quàm curationem ſpiritualem. Cæterùm ſitne mulier iſta peccatrix eadem cum Magdalena Evangelica, itemque cum Maria ſorore Lazari: celebris eſt quæſtio: de qua latè egimus oratione habita pridiè B. Mariæ Magdalenæ ann. 1609. eſtque inter impreſſas numer. 14.

℣. 39. *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, &c.* Malè ratiocinatur hic Phariſæus, neque enim Prophetæ omnia noverunt. Unde Eliſæus; *Et Dominus à me celavit ſermonem.* 4. Reg. 4. At Chriſtus Simoni reſpondens, oſtendit non ſolum ſe ſciviſſe quæ & qualis eſſet iſta mulier, quod multi alij ſciebant; verùm etiam vidiſſe ipſius Simonis ſiniſtram de ipſo cogitationem, quam nemo alius noverat; dicente Apoſtolo 1. Co- C rinth. 2. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?*

℣. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quid, aut quem dilexit? hoc enim non exprimitur. Sed non dubium quin Chriſtum, à quo multorum peccatorum remiſſionem ſperabat. Nam parabola præmiſſa commemorat creditorem diligi ab iis quibus debita donavit. Notandum autem ex hoc loco, dilectionem eſſe cauſam remiſſionis, & viciſſim remiſſionem cauſam dilectionis. Quod enim dilectio ſit cauſa remiſſionis, apertè loquitur hæc ſententia: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Quod autem remiſſio ſit cauſa dilectionis; parabola docet, nec non verba hîc proximè ſequentia: *Cui autem mi- D nus dimittitur, minus diligit.* Dilectio igitur impetrat peccatorum remiſſionem; remiſſionis verò beneficium gratanter agnitum, auget dilectionem erga benefactorem. Item multum dilexit ut multum remitteretur; & multum dilexit, quia multa remiſſa ſunt. Hæc enim ejuſdem ſunt rationis, amare propter ſperatum beneficium, & propter impetratum. Unde Dominus non inconvenienter ab uno delabitur ad alterum, quaſi dicat. Non ſolum quis diligit multum, quia multa remiſſa ſunt; id quod directè vult parabola; verùm etiam ut multa dimittantur, multum diligit; & hac multa dilectione multorum impetrat remiſſionem. Vide noſtra in 3. ſent. diſt. 27.

E ℣. 48. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua.* Quomodo nunc demum audit ſibi remitti peccata, cui jam ante remiſſa erant? Jam enim dictum fuerat: *Remittuntur ei peccata multa.* An hæc verba poſteriora continent confirmationem ejus quod jam dictum erat? Quomodo Marci 5. legimus dictum mulieri hæmorroiſſæ: *Eſto ſana à plaga tua*, cùm jam ante per fimbriæ Dominicæ contactum ſanitatem recepiſſet. De quo vide illius loci annot. An vero quod dictum erat: *Remittuntur ei peccata multa, &c.* referendum eſt ad illud inſtans temporis, quo ſtatim poſt dicebatur mulieri; *Remittuntur tibi peccata tua*? Sic enim hoc ei dictum eſt, quomodo dictum fuerat paralytico ſuperius cap. 5. Et quidem familiare fuit Chriſto ſimul cum verbo præſtare effectum verbo ſignificatũ, ut quando dixit: *Volo, mundare; fiat tibi ſicut vis;*

Statim

Secundùm fidem veſtram fiat vobis; *Filius tuus vivit*; *Tibi dico, ſurge*: *Extende manum tuam*; *Reſpice*: & alia hujuſmodi. Sed etſi mulieri fuiſſet dictum: *Remiſſa ſunt tibi peccata tua*: non ſtatim conſequens foret ei jam ante illud verbum remiſſa eſſe peccata. Sic enim infrà cap. 13. dictum eſt mulieri inclinatæ, *Dimiſſa es ab infirmitate tua*. Nec tamen curata fuerat ante illud verbum; ſed curabatur ſimul eum verbo & manus impoſitione, ut ex ejus loci contextu patet. Quare verbo præteriti temporis potiùs videtur ſignificare voluiſſe operationem inſtantaneam, qua quid ſimul fit & factum eſt; quomodo ſimul aër illuminatur & illuminatus eſt.

℣. 50. *Fides tua te ſalvam fecit*. Quod paulò antè dilectioni tribuerat, id nunc fidei tribuit. Ex quo intelligitur fidem non impetrare Dei beneficia ſine dilectione.

B *Vade in pace*. Ita mulieri hæmorrhoiſſæ Marci 5. Lucæ 8. Item adulteræ Ioannis 8. *Vide, noli ampliùs peccare*. Et quomodo permitteret peccatricem, infamem mulierem, ſtatim à converſione, quæ in animo latet, inter tot calumniatores manere in ſuo comitatu? aut quis probaret, ſi quis alius tale quid faceret?

CAPUT VIII.

℣. 2. & 3. ET *mulieres aliquæ*. —— *Quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis*. Non ſic ſequebantur ut familiares & domeſticæ, ſed ut diſcipulæ, quæ ſcirent quid magiſtro ſuo deberent, nempe ſubminiſtrationem rerum ad præſentem vitam neceſſariarum.

C Nam & alij multi ſequebantur Chriſtum, non domeſtica conſuetudine cum eo fruentes, ſicut duodecim Apoſtoli, de quibus Marci 3. *Fecit ut eſſent cum ipſo*: ſed, ut quocumque pergeret, doctrinæ ejus, quam publicè prædicabat, fierent participes. Et puto quod nec ſeptuaginta diſcipuli, erant domeſtici ejus; fuiſſet enim familia nimia numeroſa & paſſim in Evangeliis ſatis ſignificatur, ſolos duodecim ita Chriſto fuiſſe familiares, ut eodem hoſpitio & menſa cum eo ordinariè uterentur. Unde nec in ultima cœna, quiſquam aliorum adfuit; & pòſt ejus reſurrectionem, primò ſolis undecim Apoſtolis unà congregatis Dominus apparuit.

D ℣. 4. *Et de civitatibus properarent*. Græcè κατὰ πόλιν, id eſt, *de ſingulis civitatibus*, quomodo vertit Eraſmus, quomodo etiam habet Syriaca lectio.

℣. 8. *Aliud cecidit in terram bonam*. Quomodo verbum Dei cadit in terram bonam, cum omnis terra ſit maledicta & ſterilis, antequam à Dei gratia præveniatur, fœcundetur? An terra bona intelligitur, non natura ſua ſed Dei gratia? Sed quomodo ſemen, id eſt, verbum Dei, cadit in terram bonam; cum per ipſum verbum Dei, cooperante gratia Dei, fiat terra bona? Dici poteſt ſimilitudinem non per omnia convenire oportere; ſatis enim eſt in eo comparationem eſſe, quod ſicut ſemen in bonam terram cadens fructificat; ita verbum Dei in quorumdam cordibus, qui illud, gratia Dei

E emolliti atque præventi, ſuſcipiunt pio affectu, fructum multiplicem proferat; non autem in eo quod ſicut ibi ante ſementem terra bona eſt; ita & hic pius affectus ante verbi prædicationem. An intelligi poteſt terra bona ante verbum annunciatum, ſicut regiones albæ ad meſſem, & ſicut digni aliqui dicuntur ad quos Apoſtoli prædicaturi diverterent Ioan 4. v. 35. Matth. 10. & 11. videlicèt propter aliquam animi præparationem divinitus proviſam atque effectam? Videtur per terram bonam intelligi cor fœcundum fidei ac bonorum operum; idque non per qualitatem aliquam præcedentem, quia etiam peſſimi homines ſuſceperunt fidem perſeveranter; ſed ſecundum prædeſtinationem Dei. Poteſt item dici parabolam referendam ad Iudæos quibus Dominus loquebatur, qui jam erant fideles, & proinde

A terra bona, ſi erant electi, quia præventi gratia Dei Meſſiam expectabant, recepturi Evangelium adventus ejus, & fructum ſalutis per eum accepturi. Sic regiones albæ dicuntur ad meſſem. Ioan. 4. v. 35.

℣. 11. *Semen eſt verbum Dei*. Significativè videlicet; ut ſenſus enunciationis ſit: Id quod per ſemen ſignificatur eſt verbum Dei. Vel, Verbum Dei, eſt id quod per ſemen ſignificatur. Nam *Verbum Dei* poteſt conſtrui à parte ſubjecti, ſicut in ſimilibus; *Petra erat Chriſtus*. *Aquæ multæ, populi multi*. Græcè eſt: ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. Non eſt autem dicendum, verbum *eſt* poni pro, ſignificat. Nuſquam enim (eſt) habet eam ſignificationem.

℣. 15. *Quod autem in bonam terram, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia*. Hoc membro ſoli comprehendi videntur electi, id eſt, qui in juſtitia perſeverant. Nam qui non perſeverant, aliqua tentatione revocantur à bono quod cœperant, & proinde aliquo ſuperiorum membrorum continentur. Similiter *fructum* intelligi videtur præmium æternæ vitæ; nam ejus meritum habent ad tempus etiam petroſi & ſpinoſi: quos tamen fructum referre negat Dominus.

℣. 28. *Quid mihi & tibi eſt, Ieſu fili altiſſimi? obſecro te ne me torqueas*. Et pòſt, v. 31. *Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyſſum irent*. Dæmones quidem omnes, jam inde à primo ſuo lapſu, torquentur generali illa afflictione, ad quam merito ſuæ ſuperbiæ damnati ſunt, ſicut animæ impiorum ſtatim pòſt mortem æternis pœnis addicuntur. Ac proinde illam pœ-

C nam hoc loco non deprecantur; ſed aliam. Una eſt, expelli ex homine quem jam poſſident. Sicut enim quibuſdam hominibus, qui ad extremum malitiæ devenerunt magna voluptas eſt aliis nocere, & magna pœna non permitti ut noceant. Ita omninò de diabolo omnium impiorum principe, ſentiendum eſt. Altera pœna eſt, in abyſſum relegari, & ibi torqueri ea condemnatione, quam ſciunt ſibi paratam in noviſſimo die judicij. Et hinc dicunt: *ante tempus*: Quia ſciebant diem judicij nondum advenïſſe.

℣. 30. *Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio*. Vide annot. Marci 5.

℣. 33. *Et impetu abiit grex per præceps, in ſtagnum,*

D *& ſuffocatus eſt*. Quid opus erat petere ut in porcos irent, quando mox inde erant abituri porcis ſuffocatis? *Reſpondeo* non fuerunt permiſſi, niſi ad momentum obſidere porcos, ut oſtenderetur Judæos illius regionis peccaſſe in Deum alendo porcos contra legem. Cæterùm juſſi ſunt ſtatim in abyſſum ire. Itaque ut nocerent hominibus quantum poſſent, porcos egerunt in mare præcipites; ipſi continuò deſcenſuri in abyſſum; vel ſanè porcos merſerunt, ſic à Deo juſſi, tanquam miniſtri juſtitiæ ejus adverſus ἀνόμους illos Judæos Geraſenos. Sic Prudent. in Enchiridio; Jubet hoſtem, porcorum raptare greges, ac per freta mergi.

℣. 35. *Et invenerunt hominem ſedentem à quo dæmonia exierant, veſtitum*. A quo vel, à quibus veſtitum;

E niſi ab Apoſtolis? Nondum enim ad hunc hominem alij acceſſerant. Id quoque teſtatur S. Hieronym. in comment. ſuper Eccleſ. 4. Salvator, inquit, eum, à quo dæmonia ejecerat, Apoſtolorum indutum veſtimentis abire præcepit.

℣. 38. *Rogabat eum vir à quo dæmonia exierant, ut cum eo eſſet. Dimiſit autem eum Ieſus dicens; Redi in domum tuam, & narra, quanta tibi fecit Deus*. Primùm nota hunc hominem, non tantum corpore, ſed & animo fuiſſe ſanatum, quia ſuis relictis Chriſto adhærere cupit. Quæ quidem ſanitas animi, non omnibus iis contigit, qui corpore ſanati ſunt. Nam & Malchus cui Petrus abſcidit auriculam, & novem leproſi ſanatore ſuo ingrati, corpore quidem ſanati ſunt, ſed non animo. Sed quare non permiſit Dominus ut ipſum ſequeretur?

Ratio

Ratio eſt, ut apud Gerazenos, qui Chriſti præſentiam non ſuſtinebant, hic homo relinqueretur præco & teſtis mirabilium operum Dei. Simul docemur non ſemper faciendum, vel aliis ſuadendum opus, quod ſua natura perfectiùs eſt, ſed interdum, illud potiùs eligendum, quod pro tempore & loco, Eccleſiæ Chriſti utilius eſt. Ita & ſuprà, filium viduæ reddidit matri ſuæ, non ſecum aſſumpſit; quia ſciebat eum matri eſſe neceſſarium. Unde nequaquam eſt improbandum conſilium ejus, qui ſuadet in præſenti Eccleſiæ neceſſitate, potius curam paſtoralem ſuſpiciendam eſſe, quàm induendum habitum monaſticum. Vide annot. Marc. 5.

℣. 39. *Et narra quanta tibi fecit Deus.* An his verbis Chriſtus ſignificavit ſe Deum eſſe? Non videtur, quia humilitatis cauſa ſic locutus eſt, quomodo omnes ſancti loqui debent, reſtituta per miraculum ſanitate; ſcilicèt Deum hoc feciſſe, &, prædicandum eſſe quid fecerit Deus. Quod autem Deus qui fecerat, ipſe eſſet Chriſtus (quamvis id veriſſimum fuerit) hic ſermo non ſignificat.

℣. 43. *Et mulier quadam erat in fluxu ſanguinis.* Hanc mulierem Ambr. l. de Salomone c. 5. Martham vocat. Quam ſi Mariæ ſororem intelligit, non videtur ejus opinio conſiſtere cum iis quæ Euſebius de hac muliere ſcribit lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 14. Ac ſanè Euſebio potius crediderim, ut qui ejuſdem urbis in qua mulierem illam habitaſſe ſcribit, & honorariam Chriſto ſtatuam erexiſſe, fuerit Epiſcopus. Martha autem & Maria morabantur in Bethania, quod erat caſtellum, ſeu vicus non procul ab Hieroſolymis, teſte Ioanne cap. 11. ſui Evangelij. Adde quod Lucas capit. 10. referens aliquid de Martha nominatim, non tacuiſſet illam, hanc fuiſſe, quam ante à fluxu ſanguinis liberaverat, ſi quidem hæc eadem eſſet cum illa.

℣. 46. *Tetigit me aliquis.* *Aliqui.* Græcè *τις*, quod commune eſt utrique ſexui; Nec de viro, ſed de muliere loquebatur Dominus. Nec tamen malè vertit interpres, neque ſanè vertere debuiſſet: *aliqua.* Nam Dominus indefinito & communi vocabulo uſus eſt quod poſſet tam ad virum quàm ad mulierem referri. Conitarium accidit in eo quod Chriſtus ſe vocat filium hominis, nam ibi Latinum commune eſt; Græcum, maſculinum; propter articulum τοῦ. Vide annot. Matth. 8.

℣. 50. *Noli timere, crede tantùm, & ſalva eris.* Sic Marc. 5. *Noli timere, tantummodo crede.* Ubi non eſt putandum, Chriſtum excluſiſſe quodvis aliud à fide diverſum. Non enim prohibuit eum ſperare, diligere; ſed timorem & ſolicitudinem, & dubitationem, & triſtitiam excludit. Præceſſit enim; *Noli timere.* Ut proinde fruſtra ac ridiculè pro ſe verbum hoc allegent, qui ſolam fidem ad juſtitiam, & ſalutem ſufficere volunt. Item, alij actus virtutum, aliis temporibus & occaſionibus conveniunt. Hic ubi nunciabatur ei, filiam ſuam defunctam eſſe, ideoque dubitare incipiebat, an is, quem credebat poſſe ſanare infirmam, poſſet etiam mortuam ſuſcitare; opus erat actu fidei ſpecialiter. Ideoque ei dicitur: *Crede tantùm.* Id eſt, hoc nunc tibi agendum eſt; Crede me poſſe ſuſcitare filiam tuam mortuam; & crede, me, id tibi affirmantem, etiam facturum. Si omne aliud excludas, ſequeretur nec fidem noſtræ juſtificationis per Chriſtum, eſſe neceſſariam. Nam de ea hîc non eſt ſermo.

CAPUT IX.

℣. 4. IN *quamcumque domum intraveritis, ibi manere, & inde ne exeatis.* Græcè eſt: *Et inde exeatis*, quomodo etiam habent quædam Latina manuſcripta: Apud Matthæum ſic legitur: *In quamcumA que civitatem aut caſtellum intraveritis; interrogate quis in ea dignus ſit, & ibi manete donec exeatis.* Maic.6. *Quacumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde.* Senſus omnium coincidit, & eſt hujuſmodi: Ingreſſi in civitatem vel pagum aliquem, inquirite de aliquo qui ſit probitate vitæ & hoſpitalitatis ſtudio commendatus; & apud eum divertite, & manete, donec egrediamini civitatem, vel pagum illum. Præcipit inquiri de digno ac probo viro; ne dignitas Evangeliſtæ, hoſpitis improbitate infametur. Vetat in eodem oppido mutare hoſpitium; ne tanquam vagabundi & inſtabiles contemnerentur, & per hoc vileſceret apud populum Evangelij majeſtas. Vide annot. Matth. 10.

℣. 18. *Et factum eſt cum ſolus eſſet orans, erant cum*
B *illo & diſcipuli ejus, &c.* Quomodo ſolus, ſi eum eo erant diſcipuli? An ſenſus eſt: Erat ſolus orans cum diſcipulis, ut ſignificetur præter diſcipulos alium neminem tunc illic adfuiſſe? Hoc enim etiam illa increpatio ſignificat, de quâ paulò pòſt; *At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.* Quod & alij duo Evangeliſtæ Matthæus & Marcus. An verò quia Marcus dicit Chriſtum in via interrogaſſe diſcipulos ſuos, quem ſe homines dicerent eſſe, hic ordo intelligendus eſt, ut Chriſtus priuſquam ſe cum diſcipulis in viam daret, ſolus, atque ab ipſis etiam diſcipulis ſemotus, oraverit; deinde cum diſcipulis iter egerit? Nam Chriſtum omninò ſolum orare ſolitum; alia etiam loca oſtendunt; ut ibi: *Exiit in montem ſolus orare.* Et in horto avulſus à diſcipulis oravit ſolus.

C ℣. 20. *Reſpondens Simon Petrus dixit: Chriſtum Dei: At ille increpans illos præcepit ne cui dicerent hoc.* Quomodo ergo ſuprà eodem hoc capite jubentur Apoſtoli prædicare regnum Dei; cujus prædicationis præcipua pars & velut fundamentum eſt, Jeſum eſſe Chriſtum Dei? *Reſpond.* Apoſtoli jubebantur tantum in genere prædicare pœnitentiam & regnum cœlorum; ut patet ex tribus Evangeliſtis: In particulari autem hunc eſſe Chriſtum, per quem ingreſſus foret ad regnum cœlorum, non prædicabant, imò nec ipſi ſatis firmiter adhuc credebant, ut patet ex aliquot locis Scripturæ. Illa ergo generali prædicatione regni Dei voluit Chriſtus præparari corda hominum ad ſuſcipiendum Evangelium; poſteà ſpecialiter poſt ipſius paſſionem & in cœlos aſ-
D cenſionem, prædicandum per eaſdem civitates & loca. Nam & ipſe Chriſtus prædicans Evangelium regni Matth. 3. non prædicabat publicè ſe eſſe Meſſiam promiſſum. Neque tale quid, quod vel ipſe per ſe, vel per diſcipulos ſuos, publica prædicatione, dixerit ſe Meſſiã, objectum ei fuit ab accuſatoribus ejus in judicio. Vide annotat. Matth. 19. Prohibuit autem Chriſtus ne cui dicerent hoc verbum; tum quia rectiùs judicabat hoc oſtendere factis, quàm prædicare verbis; facta enim ſatis declarabant ipſum eſſe verum Meſſiam; tum ne prædicatione impediretur ejus paſſio, ad redemptionem humani generis, ex æterno patris decreto, neceſſaria. Hanc poſteriorem rationem indicare videntur verba continuè ſequentia: *quia oportet filium hominis multa*
E *pati, &c.* Vide annot. Marc. 8. & Matthæi 16.

℣. 23. *Dicebat autem ad omnes, Si quis vult pòſt me venire; abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.* Non conſilij verba ſunt hæc, ſed præcepti. Omnes enim tenentur velle venire poſt Chriſtum, ſemetipſos abnegare, crucem ſuam tollere, & ita Chriſtum ſequi. In quantum autem hæc non facimus; peccamus. At dices, hæc ſunt perfectorum. *Reſpondeo*, quod omnes niti tenentur ad perfectionem, licèt non omnia media quæ ad eam ducunt, ſint in præcepto. Vide annotat. Matth. 19. & infrà 14. Omnes tenentur abnegare ſemetipſos; quia omnes tenentur abnegare voluntatem carnis, id eſt, omnia privati ſenſus & voluntatis deſideria, & per omnia ſubjicere ſe volun-

voluntati Dei. Omnes tenentur quotidie tollere crucem ſuam, quia omnes tenentur quotidianas preſſuras & tribulationes undecumque venientes, patienter ferre. Quod ipſum etiam pertinet ad conformitatem voluntatis noſtræ cum voluntate divina. Bernardus ſermone 7. in Cantica: Grande malum propria voluntas, qua fit ut bona tua bona non ſint. Hieron. Epiſt. 16. ad Principiam, dicit legi: *Quotidie*, juxta antiqua exemplaria.

℣. 28. *Factum eſt autem poſt hæc verba ferè dies octo.* Matthæus & Marcus ſex dies interceſſiſſe dicunt; ſed nulla eſt repugnantia; tum quia hîc additur, *ferè*; tum quia quod Lucas dicit, intelligi poteſt comprehenſo utroque die extremo; nempe eo quo Chriſtus dixit verba præcedentia, & eo quo facta eſt ejus transfiguratio. Quod autem alij dicunt Evangeliſtæ, de ſolis accipi poteſt mediis diebus. Simile eſt illud Sixti ad S. Laurentium: *poſt triduum me ſequeris*; cum tamen quinto die diſtent eorum martyria, ſed triduum dixit medium inter dies paſſionis ſuæ & paſſionis S. Laurentij. Ita Auguſt. tract. 27. in Ioannem. Vide annot. Matth. 17.

℣. 30. *Moyſes & Elias viſi in majeſtate.* Græcè; *In gloria, vel claritate.* Hinc videri poſſet illos habuiſſe corpora glorioſa; ſive ad tempus, ſive permanſura. Sed dicendum eſt, eos viſos in majeſtate, non ſua, ſed Chriſti; à cujus ſplendore valde illuminabantur; ſicut accidit corporibus albis aut candidis ſoli expoſitis, etiamſi ex ſe non habeant ſplendorem. Quæ reſponſio confirmatur ex eo quod paulò pôſt dicitur: *Et evigilantes viderunt majeſtatem ejus*, ſcilicet Chriſti, *& duos viros qui ſtabant cum illo.* Ubi quamvis iterum trium meminerit, tamen majeſtatem ſoli Chriſto attribuit.

℣. 31. *Et dicebant exceſſum ejus quē completurus, &c.* Græcè ἔξοδον, *exitum*; id eſt, mortem, qui eſt exitus animæ de corpore. Quibus dicebant? An Chriſto? quia præcedit: *Et ecce duo viri loquebantur cum illo*; an verò diſcipulis? Sanè videtur; hoc: *Et dicebant exceſſum ejus*, eſſe declaratio illius, *Et loquebantur cum illo.* Dicebant autem Chriſto, non quaſi ignoranti; ſed cum laude & prædicatione virtutis ejus; idque propter diſcipulos ibi præſentes. Adhuc autem Moyſes & Elias munere funguntur prophetico, quando prædicunt exceſſum Chriſti, id eſt, quod paſſurus eſſet in Hieruſalem, interprete Hieronymo in Malachiæ 4. Quare ſicut Samuël & Eliſæus aliquo modo poſt mortem prophetarunt; ita multò perfectiùs id præſtiterunt hi duo, Moyſes & Elias. Hinc etiam collige, Moyſen ibi fuiſſe in perſona, & non ſolùm ut repræſentatum ab Angelo.

℣. 46. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet.* Videlicet occaſione ejus quod ſuprà factum fuerat, quando tres ſoli cum Chriſto ducti fuerunt in montem, in quo viderant ejus tranſmigrationem. Qui, quia quod viderant, aliis diſcipulis patefacere noluerunt; facilè illi ſuſpicabantur magnum & ſingulare aliquid ibi geſtum fuiſſe, quod Dominus ipſos latere vellet. Inde nata invidia, & contentio de primatu. Videtur autem hujuſmodi contentio, quater ut minimum, inter diſcipulos Domini fuiſſe coorta; videlicet hoc loco, & poſt petitionem filiorum Zebedæi, & poſt ſtaterem pro Chriſto & Petro datum, Matt. 17. & 18. exponente Hieronymo, & in ultima cœna Lucæ 22. Quæritur autem cur ad diſcipulorum quæſtionem numquam Chriſtus abſolutè reſponderit, ſe velle in Petrum conferre primatus dignitatem, ut hac reſponſione placati & pacati, deinceps ab ejuſmodi contentione quieſcerent. Hoc enim argumentum contra Petri primatum ab hæreticis objicitur, dum dicunt, ſi Dominus Petro primatum conferre voluiſſet, ſaltem toties interrogatus: *Quis major, &c.* de Petro reſpon-

A diſſet. Sed *Reſpond.* Dominum aliàs ſatis apertè teſtatum fuiſſe, quo loco Petrum in Eccleſia & inter Apoſtolos eſſe vellet, Matth. 16. & 17. Lucæ 22. Ioan. ultimo. &c. Ad diſcipulorum autem vel interrogationem vel cogitationem, noluit reſpondere quòd Petrum primum eſſe vellet; ne per hoc, invidiam eorum & contentionis cauſam magis excitaret; ſed id reſpondit quod eorum morbo curando erat quam maximè opportunum. Cùm enim eorum contentio ex ſuperbia & invidia naſceretur; dedit eis antidotum humilitatis, dicens: *Qui minor eſt inter vos, &c.* & ad imitationem parvulorum (quorum mores à ſuperbia, ambitione & invidis ſunt maximè alieni) eos ſapientiſſimè invitavit. Quod interpres vertit: *Cogitationem*, Et mox plurali numero, *Cogitationes*; Græcè eſt διαλογισμὸς, quod
B verti poteſt diſceptatio, ſicut eſt, 1. Tim. 2. v. 8. Vide ibid. noſtr. comment.

℣. 50. *Qui non eſt adverſum vos, pro vobis eſt.* Vel; ut Græca habent & multa Latina; *Nos, nobis.* Senſus eſt. Quicumque non eſt nobis contrarius; etiamſi corporaliter nos non ſequatur, is pro nobis eſt; id eſt, per fidem nobis conjungitur. Hinc colligitur neminem ſine aliqua fide in Chriſtum, poſſe in nomine ejus dæmones ejicere, aut alia miracula facere. Unde qui in Actis Apoſtolorum id tentabant, invocantes Jeſum quem Paulus prædicabat, penè diſcepti ſunt à dæmonio. Huic ſententiæ è diverſo reſpondet alia Chriſti ſententia, Matth. 12. *Qui non eſt mecum contra me eſt*, id eſt, qui mihi per fidem non conjungitur; is mihi contrarius eſt. Significant ergo hæ ſententiæ nihil eſſe
C medium inter hæc duo, eſſe cum Chriſto & eſſe contra Chriſtum. Unde ſequitur etiam infantes non baptizatos, quia cum Chriſto nondum ſunt, habere aliquid in ſe propter quod Chriſto ſint contrarij. Et poſt hanc vitam, quia Chriſto non junguntur, permanere Chriſto contrarios; ac proinde beatos non eſſe, ſed miſeros. Idemque judicium de iis qui Chriſti cognitione deſtituti, opera quantumcumque laudabilia & ſpecioſa faciunt.

℣. 54. *Domine, vis dicimus ut ignis, &c.* Vide annotat. 4. Reg. 1. Iacobus & Ioannes à Domino cognominati Boanerges, id eſt, filij tonitrui, Marci 3. fortè exiſtimaverunt ideò ſibi datum hujuſmodi nomen, quod officij ſui futurum eſſet tonitrua ac fulgura exci-
D tare, & ignem de cœlo devocare ſuper inimicos regni Chriſti; ſicut feciſſe leguntur Moyſes, Samuël & Elias prophetæ. Fortè etiam ex prærogativa tanti cognominis ambiverunt primas ſedes pôſt Chriſtum in regno ejus. Similis fuit zelus S. Petri dicentis: *Domine, num percutimus in gladio?* & amputantis Malcho auriculam. Sed, quomodo non ſimiliter peccavit Petrus, quando Ananiæ & Sapphiræ verbo mortem attulit, propter fraudem & mendacium irrogatum Spiritui Sancto? An quia Petrus non fecit, ſed ſpiritu prophetico prædixit & denuntiavit? Actor. 5. Vide annotat. ejus loci.

℣. 55. *Neſcitis cujus ſpiritus eſtis.* Quaſi dicat; Hoc non ſuggerit ſpiritus patris mei, ſed caro & ſanguis.
E Sæpè videmur nobis aliquid facere zelo juſtitiæ; quod tamen facimus prædominante ſpiritu vindictæ. Vide Annotat. 4. Reg. 1.

℣. 59. *Domine, permitte me primum ire & ſepelire patrem meum.* Quidam ſic intelligunt: Permitte ut tantiſper maneam apud patrem, ejuſque foveam ſenectutem, donec moriatur & eum ſepeliam. Quem ſenſum probabilem faciunt, quia ſi pater ejus jam fuiſſet mortuus, & nondum ſepultus: filius ei ægrotanti & morienti adfuiſſet, nec receſſiſſet donec eum ſepeliiſſet. Deinde, Chriſtus officium humanitatis erga patrem; quod tam brevi tempore abſolvi poterat, non prohibuiſſet. Fieri tamen poteſt ut ei in comitatu Chriſti cōſtituto, & jam animum promptum ad eum omnibus

relictis

relictis ſequendum habenti; repentè nuntiata fuerit mors patris; cui cupiebat ex pietate quam patri debebat, extremum humanitatis officium impendere: ſed Chriſtum prohibuiſſe, quia videbat hoc ei impedimento futurum ad ſe ſequendum, quod retinendus fortè eſſet, & à ſancto propoſito avocandus hortatibus & blandimentis propinquorum; &, cupiditate hæreditatis paternæ. Hunc ſenſum magis exigere videtur huius rei narratio apud Matthæum cap. 8. ubi vocatur *diſcipulus*, quaſi jam ante ſe Chriſto in diſcipulatum & diſciplinam tradidiſſet. Certè Clemens Alexandrinus libro 3. Stromatum hunc fuiſſe Philippum Apoſt. ſcribit.

℣.62. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro.* Quis retro reſpicere dicatur, vide Gregorium Homil. in feria 4. Paſchæ, ad illud: *Vado piſcari*, & Antonium apud Athanaſium. Reſpicere retrorſum, inquit, nihil aliud eſt, quàm in eo pœnitere quod cœperas; & mundanis rurſus deſideriis obligari.

CAPUT X.

℣.1. **P***Oſt hæc deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos.* Horum nomina non expreſſit Evangeliſta; feruntur alicubi apud Dorotheum, ut fallor, Tyri Epiſcopum; ſed ea ſtudioſè collecta videntur tantum ex Pauli Epiſtolis; cum conſtet eorum multos numquam Chriſtum in carne vidiſſe; Imò pleroſque fuiſſe gentiles, quos Chriſtus nondum in ſuum diſcipulatum manifeſtè aſciſcebat. Martyrologium Rom. Febr. 22. ex Papia Ariſtonem unum ex Septuaginta duobus fuiſſe commemorat. Alij etiam Martialem cujus feruntur epiſtulæ, inter eos ponunt.

In Græco tantum eſt Septuaginta. Prudentius in Apoth. contra phantaſmaticos, Septenos decies conſcendit Chriſtus in ortus, Et duo; nam totidem doctores miſit in orbem. De his & horum nominibus vide Baron. Tomo 1. ex Hyppolito, Dorotheo, Epiphanio, Euſebio.

℣.2. *Meſſis quidem multa.* Vide annotat. Matth. 9. *Rogate ergo Dominum meſſis ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Rogandus Dominus; quia non eſt utilitas Domini, ſi mittat operarios in meſſem ſuam, & illi bonam meſſem colligant; ſed utilitas eſt noſtra, id eſt, hominum, qui debemus alter alterius ſalutem ſollicitè curare & orationibus ad Deum promovere.

℣.4. *Et neminem per viam ſalutaveritis.* Ad litteram hyperbole eſt, qua præcipitur ſumma in prædicando Evangelio diligentia. Similiter hyperbole 4. Regum 4. Vide eius loci annot.

℣.7. *Edentes & bibentes quæ apud illos ſunt.* Non ut mendici, nec ut indebitum accipientes beneficium, ſed ut poteſtatem & jus accipiendi habentes. Id docet ſententia ſequens: *Dignus eſt enim operarius mercede ſua.* Pro quo Matthæus, cap. 10. *Cibo ſuo.* Hic autem vocat mercedem, quia non minus debetur, quàm merces operario. Vel certè, probat à ſimili; ſicut Apoſtolus: *Non alligabis os bovi trituranti.* Vide noſtra in 4. de Simonia & com. 1. Cor. 9.

℣.8. *Manducate quæ apponuntur vobis.* Id eſt, ſitis contenti iis quæ apponuntur vobis, ut plura & lautiora non deſideretis. Hoc enim decet verum Evangeliſtam; & illa abſtinentia commendat Evangelium. Non vult Dominus ut comedant etiam vetitos lege cibos, velut porcinam: nondum enim venerat tempus abrogandæ legis; & nondum ad gentes, ſed in civitates Iudææ mittebantur diſcipuli. Itaque legis inſtituta omninò adhuc ſervanda erant; ſicut & à diſcipulis Chriſti adhuc ſervabantur. Unde Petrus etiam poſt reſurrectionem & aſcenſionem Domini, & acceptum Spiritum Sanctum; *Abſit à me Domine, quia commune & immundum nunquam intravit in os meum.* Act. 10.

℣.16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit,* *Eſtij Annotat. in Script.*

me ſpernit. Dominus mittens diſcipulos ad prædicandum, his verbis concludit ſermonem. Utuntur autem hac ſententia Catholici & rectè, ut oſtendant diſcipulis Chriſti & omnibus Eccleſiæ præpoſitis, datam eſſe poteſtatem non tantùm docendi, ſed etiam præcipiendi, & leges condendi pro temporum & locorum opportunitate. Nam vox illa *Audite* in Scriptura non tantùm ſignificat acquieſcere docenti ut volunt hæretici; ſed etiam obedire præcipienti. Manifeſta ſunt exempla: Pater de filio loquens: *Hic eſt*, inquit, *filius*, *&c. Ipſum audite.* Audite, non tantum ut doctorem, ſed etiam ut præceptorem. Unde Deus populo Iſraelitico ſic ait, Deuter. 6. *Audi Iſraël; Dominus Deus tuus Dominus unus eſt, &c.* hortatur ad obedientiam. Eodem modo, *Spernere* non tantùm ſignificat docenti non acquieſcere, ſed etiam, præcipienti non obtemperare. Vult ergo Dominus præpoſitis Eccleſiæ ſic eſſe obediendum, ſicut Chriſto; cum poteſtas illorum à Chriſto & Patre ſit derivata.

℣.19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici, &c.* Hæc poteſtas etiam hodie perſeverat in Eccleſia; quæ hac poteſtate utitur conſecrando ſalem & aquam, ut iis utatur contra diabolicas infeſtationes; item conſecrando cereos, campanas, ramos palmarum, aliaque eiuſmodi. Et de panis conſecratione, Apoſtolum habemus dicentem: *Sanctificatur per verbum Dei & orationem.* Vide Annot. Matth. 10.

℣ 20. *Gaudete autem quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Auguſt. in pſal. 130. dicit quod omnium bonorum Chriſtianorum nomina ſcripta ſunt in cœlis. Itaque ſecundum præſentem juſtitiam intelligi hoc dictum, non ſecundum electionem æternam. Vide noſtra in 1. Sent. diſt. 40. de certitudine prædeſtinationis. Senſus eſt: Gaudete in illo bono, vobis probabili, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Sicut enim meritò quis gaudet de bono quod probabiliter ſperat ſe habiturum, unde dictum eſt: *Spe gaudentes*; ita merito gaudet de bono quod veriſimiliter habet; ut de electione & prædeſtinatione ſua. Neque Chriſtus hîc affirmat nomina eorum eſſe ſcripta in cœlis; ſed hortatur ut de eo bono (videlicet ipſis probabili) gaudeant. Unde non ſequitur eos fuiſſe certos de ſua prædeſtinatione.

℣.30. *Homo quidam deſcendebat.* Quæritur utrum parabola ſit, an Hiſtoria. Nihil vetat Hiſtoriam dici, id eſt, rem verè geſtam. Vide Annot. infrà cap. 16. Poteſt tamen etiam dici tantùm eſſe parabolam.

℣. 32. *Similiter & Levita*; Non Sacerdos; genus enim poſuit pro ſpecie imperfectiore.

℣.33. *Samaritanus autem quidam.* Potius Samaritanum adducit, quam Ethnicum; quia Samaritani recipiebant Moyſen, & Prophetas, & circumciſionem; & fidem habebant unius Dei & Meſſiæ venturi, ut patet ex muliere Samaritana. Ioan. 4. Itaque potuit Samaritanus ex fide & charitate præſtare beneficium proximo; non autem ethnicus, fide non imbutus. Nec obſtat quod Samaritani erant ſchiſmatici; nam vitium fuiſſe videtur magis ex Judæis quam ex Samaritanis; quibus Judæi nolebant coüti, quod tantum eſſent ſemi-Iudæi & Judæorum terram occuparent, nec admittebant eos ad communionem ſui templi & ſacrificiorum. Deinde etſi gens eſſet aliquo modo ſchiſmatica; tamen multi ex illis non erant animo ſchiſmatici; ut ſatis apparet ex illo Samaritano; qui Judæum vulneratum, neglectum à Sacerdote & Levita, recepit in jumentum, & fovit & ſanandum curavit. Ita hodie multi ex Græcis & Moſcovitis non ſunt ſchiſmatici, licet eorum Eccleſiæ ſint ſchiſmaticæ. Alij enim, in corde ſuo oderunt ſchiſma; alij ſimpliciores, indifferenter ſeſe habent, cauſam ſchiſmatis ignorantes, nec de veritate inſtructi, parati tamen acquieſcere.

℣.35. *Quodcumque ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi*, id eſt, quidquid amplius impenderis, videlicet ſuprà duos denarios, quos tibi nunc prærogo, id omne tibi reddam: Itaque hic propriè non fundantur opera quę vocantur ſupererogationis; ſed potius in iis locis Scripturæ, quibus proponuntur Evangelica conſilia.

℣.36. *Quis horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi IESVS: Vade & tu fac ſimiliter.* Videtur Dominus approbare reſponſionem legiſperiti; ex ea autem reſponſione videri poſſet non Sacerdotem, non Levitam fuiſſe proximum ejus qui incidit in latrones, ſed ſolum Samaritanum; quia ſolus ille fecit miſericordiam cum eo. Quomodo ergo proximus eſt omnis homo? *Reſp.* ſenſum interrogationis Domini hunc eſſe; Quis horum trium tibi videtur functus officio proximi erga illum vulneratum? Non ergo ſignificat Dominus reliquos duos non fuiſſe proximos illius vulnerati; ſed non id feciſſe quod proximi officium poſtulabat. Quod autem omnis homo ſit proximus, exemplo Samaritani oſtenditur; qui etſi genere alienus, miſericordiam fecit cum vulnerato. Unde ſubjungit Dominus: *Vade, & tu fac ſimiliter*, id eſt, quemcumque hominem inveneris ope tua indigentem, eum puta tibi proximum eſſe, ac proinde miſericordiæ officiis adjuvandum. Vide annot. Levit. 19. & annotat. Matth. 5. & in 3. ſent. diſt. 38.

℣.38. *Intravit in quoddam caſtellum.* Scilicet Bethaniam, ut liquet ex Ioannis Evangelij cap. 11. ubi Bethania vocatur caſtellum Mariæ & Marthæ.

℣.38. *Quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini.* Hæc ſeſſio humilitatem ſignificat; unde Auguſt. ſerm. 27. de verbis Domini: Quantò humiliùs ſedebat, tantò ampliùs capiebat; confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.

CAPUT XI.

℣.2. *Cum oratis, dicite, Pater, &c.* S. Auguſtinus Enchiridij cap. 115. & 116. agens de oratione Dominica apud Matthæum & apud Lucam; dicit Lucam tantum quinque petitiones poſuiſſe; quia ex duabus primis tertia ſequitur, & quæ apud Matthæum videtur ſeptima, una eſt cum præcedente; & bene probat. Unde ſequitur, apud Matthæum revera tantum eſſe ſex petitiones ex mente S. Auguſt. Sequitur etiam, Auguſtinum hoc loco non legiſſe petitionem, *Fiat voluntas tua, &c.* quam nec hodie meliores codices habent. Vide annot. Matth. 16.

℣.4. *Et ne nos inducas in tentationem.* Lucas non addit: *Sed libera nos à malo*; ideò fortè, quia hoc in proximè præcedenti continetur, maximè ſi per *malum* intelligamus diabolum; ut Matthæi 13. *venit malus*; eſt enim Græcè τῦ πονηρῦ, *illo malo*, & eodem nomine alibi ſignificatur diabolus, ut *Zizania ſunt filij nequam* apud Matthæum cap. 13. & Epheſ. 6. *Tela nequiſſimi ignea.* Vide annot. Matth. 6. Idem malus & Matthæi 4. & ab Apoſt. vocatur is qui tentat, ὁ πειράζων. 1. Theſſal. 3. 5. Unde intelligitur alterum in altero contineri.

℣.5. *Quis veſtrûm habebit amicum, & ibit ad eum media nocte? &c.* Hortatur ad importunam orationem; tametſi Deo nulla oratio importuna eſſe poſſit. Simile exemplum proponit poſteà cap. 18. de vidua interpellante judicem. Sic David Pſalmo 118. ſeſe feciſſe commemorat; *Præveni immaturitate, & clamavi, &c.* ita legendum. Græcè ἀωρίᾳ.

℣.8. *Etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem, &c.* Ergo Deus etiam peccatores exaudit nondum amicos, ſi tamen tales ſint ut amicitiā Dei quam peccando amiſerunt, toto corde requirant.

℣.9. *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis pulſate & aperietur vobis.* Tria iſta, petere, quærere, pulſare, verbis, non ſenſu differunt, & res eadem ſignificatur. Terna autem repetitione ejuſdem rei, hortatur nos Dominus ad inſtantiſſimam petitionem, ut teſtatur Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 19. locum quemdam retractans, ubi hæc tria ſollicitè diſtinxerat. Subjicit autem generaliter Dominus; *Omnis qui petit accipit, &c.* Quæ ſententia accipienda eſt de eo qui petit ea quæ oportet, & quomodo oportet. Sæpè enim neſcimus quid petamus, quia neſcimus quid nobis expediat. Unde Apoſtolus Paulus qui ter Dominum rogaverat, ut auferretur ab ipſo ſtimulus carnis, non impetravit quod petebat, ſed audivit à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* Petebat ergo id quod Dominus ſciebat illi non expedire. Sic filij Zebedæi audierunt: *Neſcitis quid petatis.* Ut autem petamus quomodo oportet; præter perſeverantiam orandi, quam Dominus comparat cum improbitate pulſantis, requiritur ſimplicitas & rectitudo cordis. Unde Ioannes 1. epiſt. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus*, ab eo.

℣.13. *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe?* Quicumque bene petit jam habet ſpiritum bonum, hoc ipſum in eo operantem ut bene petat; & tamen adhuc datur ei ſpiritus bonus, ut etiam amplius, plenius, & perfectius habeat, *Habenti enim dabitur.* Matth. 7. *Dabit bona petentibus ſe. Bona* Intellige ſalutaria. Hujuſmodi autem omnia dona Spiritui ſancto, qui bonitas eſt, adſcribuntur.

℣.20. *Profectò pervenit in vos regnum Dei.* Quidam codices teſte Franciſco Luca in Variis lectionibus, habent, *Prævenit*, Græcè ἔφθασεν. Eadem varietas 1. Theſſal. 2. Vide ejus loci Commentarium. Senſus eſt: Præoccupavit vos regnum Dei, ſupervenit vobis ex improviſo, ac ne cogitantibus quidem nec expectantibus.

℣.23. *Qui non eſt mecum, contra me eſt.* Quia omnis homo juſtus eſt, aut injuſtus: ſi juſtus, cum Chriſto; ſi injuſtus, contra Chriſtum; ſive ut Deum, quia injuſtitia eſt legi divinæ contraria; ſive ut hominem, qui paſſione ſua deſtruxit peccatum, quia inter peccatum & deſtructorem ejus contrarietas eſt. Unde etiam qui peccat, ex diabolo eſſe dicitur, quia Chriſto contrarius eſt. Hinc ſequitur, etiam eos qui tantum negativè infideles ſunt, contra Chriſtum eſſe, quia ſub peccato ſunt. Sententia quidem generalis; ſed tamen ſpecialiter dicta contra diabolum, ut ex contextu ſatis liquet. Idque teſtatur Beda in Hom. Dominicæ 3. Quadrageſimæ.

℣.27. *Beatus venter qui, &c.* Iſta mulier prima incœpit implere vaticinium beatæ virginis, quæ dixerat: *Beatam me dicent, &c.* Imò figuram geſſit hæc mulier Eccleſiæ ex omnibus generationibus congregandæ; de qua cecinit B. Virgo. *Beatam me dicent omnes generationes.* Prius quidem Elizabeth dixerat: *Beata quæ credidiſti*, ſed hoc dixit ante canticum virginis; ita beata virgo & ante & poſt prædicata fuit beata.

℣.28. *Quin imò, beati qui. Quin imò* non corrigit quod dictum erat, ſed certius aliquid affirmat. Vide Ianſenium c. 50. Concord. & Lexicon Gręcum. Eadem vox eſt Rom. 9. *Atqui ô homo, tu quis es qui ex adverſo reſpondes Deo?* Græcè ἀνταποκρινόμενος. Unde ipſa Dei mater magis beata fuit audiendo & cuſtodiendo verbum Dei, quàm ſecundum carnem verbum Dei concipiendo, ut S. Auguſt. teſtatur. Ob quam cauſam Elizabeth accepta virginis ſalutatione, non dixit: Beata quę concepiſti; ſed, *Beata quæ credidiſti.* Hoc autem quod iſta mulier dicit, ita dictum eſt, quomodo ipſe Chriſtus cap. præced. *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis.* Si enim beati oculi videntes & aures audientes; quantò magis beatus venter qui portavit ac genuit, & ubera quæ ille ſuxit?

Noluit

Noluit tamen Chriſtus applaudere verbis mulieris, dicendo, Verè beatus eſt venter qui me portavit; ne huiuſmodi verbo ſeipſum laudare videretur. Quare illud ſubjecit in quo certior & conſummatior conſiſtit beatitudo, quodque poteſt omnibus eſſe commune; quod eſt, audire, & facere verbum Dei, quaſi dicat: Potiori ratione *Beati, qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Et tale erat quod Eliſabeth repleta Spiritu Sancto dixit ei: *Beata quæ credidiſti.*

ŷ.31. *Et ecce plus quàm Salomon hic.* Græcè ὧδε, *hic* adverbium, & ſimiliter in ſententia ſequenti. Et ſimiliter Matth. 12. *Templo major eſt hic.*

ŷ.32. *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt eam.* Non auctoritate judicandi, ſed comparatione meritorum.

ŷ.34. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Per oculum intelligit intentionem, quâ diriguntur actiones mentis, ſicut oculis diriguntur actiones corporis. Senſus eſt. Si intentio tua ſimplex & recta eſt; univerſa opera tua bona erunt & recta. Quæres quomodo id verum ſit; cum opus per ſe malum, ut furtum, non poſſit bonum fieri ex intentione bona; ſi videlicet quis furetur, ut paſcat pauperem? Reſpondet S. Bernardus in libro de præcepto & diſpenſat. ad hoc ut oculus ſit ſimplex, non tantum requiri, ut bonum diligamus, ſed etiam ut id quod bonum eſt, eligamus. Id eſt, Oculus ſimplex includit cum intentione, etiam operis bonitatem. Poteſt & hoc modo reſponderi; Dominum non loqui de ſingulis operibus, ſed de toto veluti corpore operum. Id autem totum, lucidum, id eſt, bonum erit; ſi intentio per omnia ſimplex & recta ſit; etiamſi in illo corpore, per ignorantiam, in quibuſdam venialiter delinquatur. Nam ſi ſcienter peccatur, certum eſt intentionem bonam non eſſe. Si *oculus* intelligitur dilectio vel amor; tum nullam ſententia difficultatem habet; quia ubi dilectio ſeu amor bonus & rectus eſt, ibi charitas eſt; & per conſequens totum corpus lucidum. Aut per *oculum* intelligitur intentio ex charitate profecta. Itaque hoc eſt quod dicit S. Auguſtinus: *Dilige, & fac quod vis.*

ŷ.41. *Date Eleëmoſynam.* Phariſæos dediſſe Eleëmoſynas, probat illud Matth. 6. *Cum facis Eleëmoſynam, noli tuba canere, &c.* quæ Eleëmoſynæ erant largæ. Item, hic & apud Matthæum dicitur quod decimabant omne olus. Unde unus illorum in oratione dicit: *Decimas do omnium, quæ poſſideo.* Et tamen pleni erant rapina & iniquitate, ut hic dicitur, & Matth. 23. & devorabant domos viduarum Matth. 23. Marci 12. & Lucæ 20. quia prætenſa ſanctitate captabant patrimonia & pecunias mulierculárum. Itaque, una parte injuſtè & fraudulenter captabant & capiebant aliena; alia parte, ad regendam hypocriſim, & ut honorarentur ab hominibus ut ſancti, dabant eleëmoſynas in publico cum tuba & præcone.

ŷ.42. *Sed væ vobis Phariſæis, quia decimatis mentam & rutam & omne olus: & præteritis judicium & charitatem Dei.* Non reprehendit decimationem olerum & herbarum, cum ſtatim dicat: *Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere;* ſed damnat perverſum ſtudium juſtitiæ. Et ſenſus eſt: Væ vobis, qui cum decimas reddatis herbarum & olerum; præteritis quod eſt graviſſimum & factu maximè neceſſarium, judicium ſcilicet & charitatem.

S. Hieron. intelligit decimationem accepturam: quem intellectum bene refellit. Ianſ. c. 84.

Quæri poteſt an lege præceptum fuerit, ut iſtarum rerum quæ hîc nominantur, decimæ ſolverentur? Reſpondendum, non fuiſſe præceptum; ſed Phariſæos, quo ſanctiores haberentur, eas ex abundanti reddere voluiſſe. Quod bene probat Ianſenius dicto cap. 84. & reſpondet ad iſtud: *Hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Videtur enim aliquid ſubaudiendum, hoc

Eſtij Annotat. in Script.

A modo: Hæc oportuit facere, tamquam imprimis neceſſaria; atque interim illa poteratis, ſi ita videbatur, non omittere. Ita ſcriptura alibi in poſteriori membro aliquid diverſum ſubaudit: *Prohibentes nubere, abſtinere à cibis &c.* 1. Tim. 4. Vide annot. Matth. 22.

ŷ.47. *Væ vobis qui ædificatis monumenta, &c. profectò teſtificamini* Græcè: *Quia ædificatis,* ſicut Matth. 23. Vide illic annotationem. Quomodo teſtificantur hoc; cum potius tali facto contrarium teſtificentur; ſicut & verbis contrarium teſtificabantur, ut eſt apud Matth. cap. 23. Quidam reſpondent monumenta erigi vel in honorem, vel ad ignominiam & deteſtationem, ſicut Abſaloni, Achan, &c. cum ergo Scribæ & Phariſæi vita & converſatione, & Chriſti perſecutione, ſatis declararent, ſe prophetarum ſanctitatem non diligere;
B ſed odiſſe potius; hinc quod iis erigebant monumenta, ſic accipiendum dicit Chriſtus, quaſi non in honorem, ſed contumeliam prophetarum ea erigerent. Quod & ſic explicari poteſt: Dum erigitis monumenta prophetarum, qui à patribus veſtris occiſi ſunt; nec tamen à peccatis patrum veſtrorum receditis; monumenta illa velut contra vos clamans, & teſtimonia quædam ſunt veſtræ malitiæ. Sicut homo ſceleratus laudans virum ſanctum, teſtimonium dicit contra ſeipſum, ſuamque malitiam & improbitatem magis facit apparere per comparationem ſanctitatis & integritatis eius quem laudat. Vide Ianſenium & Caietanum. Non diſſimile quod dicitur in pſal. 49. *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras juſtitias meas? Tu verò odiſti*
C *diſciplinam &c.* Item, *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Item: *Populus hic labiis me honorat.* Item Proverb. 26. *Indecens eſt in ore ſtultorum parabola.* Eccleſ. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola:* quia ſcilicet ſtulti & improbi homines uſurpando parabolas, id eſt, ſententias graves atque inſignes, magis ipſi ſtultitiam & improbitatem ſuam produnt; dum per hoc apparet mores eorum ſententiis non reſpondere. Ianſenius intelligit illam teſtificationem in eo quod fatebantur ſe filios illorum, qui prophetas occiderant; dicentes quod eſt apud Matthæum cap. 23. *Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non eſſemus ſocij eorum in ſanguine prophetarum.* Sed hoc loco nihil tale dicitur: ac nihilominus tamen dicit Dominus: *Profectò teſtificamini, &c.* ergo ad aliud reſpexit, quàm ad illud quod fatebantur
D ſe filios homicidarum.

CAPUT XII.

ŷ.1. *ATtendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Matthæus addit: & *Sadducæorum.* Marcus, *& à fermento Herodis.* Sed quomodò hic dicit fermentum illud eſſe hypocriſim, cum Matthæus illud exponat de doctrina dicens: *Tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum à fermento panum, ſed à doctrinâ Phariſæorum & Sadducæorum?* Deinde fermentum Herodis non videtur intelligi poſſe doctrina: Non enim Herodes docebat; ſed tantum vulpina eius vafrities, & ſimulatio pietatis, à quâ tamen erat
E alieniſſimus. Unde Dominus eum vulpem vocat, *Dicite, inquit, vulpi illi. Reſpond.* Fermentum iſtud, partim intelligi in converſatione vitæ; Omnes enim hi inſignem ſanctitatem præ ſe ferebant coram populo; ſed plenam hypocriſi. Partim in doctrina, quantum videlicet ad Phariſæos & Sadducæos attinet. Nam etiam hypocritica erat eorum doctrina. Unde Phariſæi, prætextu religionis erga Deum, docebant filios. Munus quodcumque eſt ex me, &c. Iidem prætextu prolixæ orationis devorabant domos viduarum.

ŷ.4. *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant.* Hunc locum objiciunt Catholicis heretici, ut oſtendant Chriſtianã ſepulturam, qua corpus in loco ſacro conditur apud

A reliquias ſanctorum, vel altare Domini, ubi preces pro defunctis funduntur, non poſſe mortuis prodeſſe; quia alioqui qui ſepulturam talem impediunt, haberent quod facerent, etiam poſt mortem. *Reſp.* Chriſtum loqui de martyribus, qui ſecundum corpus occiduntur à perſecutoribus. Tales autem ſicut ſuffragiis viventium non indigent (nunquam enim Eccleſia orat pro martyre) ita nec damnum aliquod ſalutis incurrunt, ex ſepultura negata. Deinde, non loquitur Dominus de quocumque nocumento, ſed de eo, quo anima ipſa occiditur. Sic enim habet Matthæus: *Animam autem non poſſunt occidere.* Et hic Lucas ſubjungit: *Timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam.* Item, propriè non nocet, id eſt, non infert nocumentum, qui impedit ſepulturam, ſed bonum quod non debetur, impedit. Vide Bellarm. libr.2. de B Purgat. cap.19. Ubi & aliam habet ſolutionem, nempe Dominum loqui de dolore, quo affici poſſunt corpora dum vivunt. Et eſt probabilis ſolutio. Quia opponit hoc ei, quod Deus poteſt facere poſt mortem; ſcilicet animam mittere in æternos cruciatus: Illi autem nullum amplius cruciatum poſt mortem poſſunt inferre.

℣.11. *Nolite ſolliciti eſſe qualiter aut quid reſpondeatis.* Hoc dictum eſt illis, qui ad tribunalia producendi, ſcire non poterant, de quibus eſſent interrogandi, in quibus ſuperflua eſt cura præmeditandi quid reſpondeant. Non idem judicium de concionatoribus & doctoribus, qui præmeditari poſſunt & debent ea quę ſunt dicturi. Utrique tamen totum à Deo debent exſpectare; illi per orationem & confidentiam: hi ſimul adhibito C ſtudio & meditatione; ſic enim Deus ordinavit. Vide Annot. Marci 13. Et nota quod hoc eodem cap. dicitur, *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtra quid manducetis.* Et iterum: *Qui autem veſtium cogitando, &c.* Unde videtur hic locus ſimiliter intelligendus, ſcilicet prohiberi ſollicitudinem inordinatam, quaſi Deo non eſſemus curæ: cum ſemper debeamus ab eius providentia dependere.

℣.15. *Videte & cavete ab omni avaritia.* Dicit, *ab omni avaritia*, ut parſimoniæ & frugalitatis prætextum tolleret, quem obtendere ferè ſolent avari. *Quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt, ex his quæ poſſidet.* Simile cum eo quod etiam vulgo frequentatur; Natura paucis contenta eſt. Senſus eſt, Vita hominis non conſiſtit in abundantia poſſeſſionum, ſed in uſu; ad uſum autem pauca ſufficiunt. Alij ſic intelligunt: Abundan- D tia divitiarum nihil prodeſt homini ad vitam prorogandam. Quem ſenſum probant ex ſubjecta parabola divitis qui cum multos adhuc annos ſibi promitteret, repentè ſublatus eſt è vita. Sed prior ſenſus magis congruit verbis. Parabola autem illa non ad probationem huius ſententiæ ſubjungitur, ſed generaliter ad reprehenſionem avaritię, contra quam inſtitutus erat ſermo.

℣.20. *Hac nocte repetent animam tuam.* Vide Annot. cap.6.

℣.21. *Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives.* Sibi theſaurizat qui congerit opes & pecunias, ut eas ſuis commodis, voluptatibus, honoribus, gloriæ, curioſitati ſervire faciat; qualis erat dives ille in præmiſſa parabola, dicens animæ ſuæ, *Requieſce, comede, bibe, epulare.* Quales, qui eas expendunt in numeroſo E famulitio, ſuperbis ædificiis, copioſa & pretioſa ſupellectile, hortis & agris coemendis, atque aliis id genus. In Deum autem dives eſt, qui divitiarum ſuarum uſum refert in Deum. Hoc autem facit, qui iis utitur ſecundum Dei legem; videlicet expendens eas in neceſſitates proximorum, & ad Dei cultum, & omnino in cauſas pias & Reipub. utiles. Obſervandum autem quod non dicat Dominus, & non Deo theſaurizat, ſicut dixerat, *qui ſibi theſaurizat*; ſed dicit, *& non eſt in Deum dives*: nam divitiis quidem habitis utendum eſt bene, ſed non ſunt quærendæ divitiæ (quod ſignificat nomen theſaurizandi) licet cogites illis bene uti. Res enim periculoſa eſt divitias quærere; quia earum ſtudium, facilè pervertit intentionem acquirentis. Unde ſimpliciter Apoſtolus reprehendit eos, qui volunt divites fieri; & quam ſit res periculoſa, declarat 1. Tim.6. Vide eius loci Comment.

℣.22. *Nolite ſolliciti eſſe animæ veſtra quid manducetis.* Hic, anima, pro vita ſumitur, ut alibi ſæpe. Nam ad vitam ſuſtentandam cibus eſt neceſſarius.

℣.24. *Conſiderate corvos, quia non ſeminant neque metunt, &c.* Cur non adverſatur Sapiens Proverb.6. dicens: *Vade ad formicam, ô piger.* *Reſp.* Rectè Sapiens pigrum & inertem & otioſum hominem exſtimulat ad opus, exemplo formicæ; non tamen ad ſollicitudinem. Rectè etiam Dominus homines, in genere, exemplo corvorum, & in genere volucrum cœli, & liliorum agri, revocat à ſollicitudine. Dico, *homines, in genere*; quia ſollicitudo quę hîc intelligitur, nempe inordinata, in hominum genere valde latè patet, dum ita rerum ſuarum, ac neceſſitatum ſolliciti ſunt, quaſi à providentia patris cœleſtis non dependeant.

℣.29. *Et nolite in ſublime tolli.* Hoc ſubjungit poſt præceptum quo vetat ſollicitudinem quid manducemus, aut quid bibamus: Quia ſolent homines adepti vitæ neceſſaria, non ibi ſiſtere; ſed quærere honores & dignitates; videlicet concupiſcentia non quieſcente. Non tamen hic dicit: Nolite quærere in ſublime tolli, ſed ſimpliciter, *Nolite in ſublime tolli*, quod de cibo & potu non dixit, nec dicendum fuit. Illa enim ſunt neceſſaria; hoc autem non item, ſed magis occaſionem ſuppeditat peccatorum. Illic ergo ſola damnatur ſollicitudo, hîc verò etiam ſine ſollicitudine voluntas ac deſiderium habendi in culpa eſt, ſicut & deſiderium habendi divitias, dicente Apoſtolo 1. Tim.6. *Qui volunt divites fieri, &c.* Utrumque ergo ſimpliciter prohibetur & reprehenditur in Scriptura Sacra.

℣.35. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Breviter exponit hoc præceptum S. Auguſt. lib. de continentia c.7. nec addit, *in manibus veſtris.* Item Leo ſerm.5. de Epiphania Domini non addit. Græca quoque non habent, nec Syriaca, nec pleraque manuſcripta, nec Ambroſius in Lucam. Sed nec Gregorius addit citans hanc ſententiam, libr.28. Moral. cap.4. & lib.22. cap.4. Vide Ianſenium & notationes F. Lucæ.

℣.36. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus, &c.* Videtur eſſe nova ſimilitudo diverſa à præcedenti, quę ſumebatur ab iis, qui ſunt parati & expediti ad opus; hæc autem, ab iis, qui Dominum ſuum ſolliciti & pervigiles expectant.

℣.38. *Et ſi venerit in ſecunda vigilia.* Unius vigiliæ ſpatium conſtabat tribus horis, teſte Auguſtin. in pſal.89.

℣.46. *Veniet Dominus ſervi illius, in die qua non ſperat, &c. Et dividet eum, partemque eius, &c.* Hinc colligitur, impiorum animas ſtatim eodem die & hora qua venit Dominus, id eſt, in hora mortis, puniri & torqueri, nec ſupplicia earum differri uſque ad diem extremi judicij. Idem innuitur ſuprà: *Beati ſervi illi, quos, cum venerit Dominus, invenerit vigilantes: Amen dico vobis quod præcinget ſe.* Tunc videlicet, quando venerit Dominus.

CAPUT XIII.

℣.3. *Putatis quod hi Galilæi, præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non, dico vobis; ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Dominus auditis iis, quæ acciderant Galilæis quibuſdam ſeditioſis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum ſacrificiis eorum, occaſionem doctrinæ arripiens, ait: *Putatis quod hi præ omnibus, &c.* His verbis reprimens vulgi errorem, quo ſolent

ferè

ferè ex pœnarum magnitudine, æſtimare peccati gravitatem; judicantes eos gravius peccaſſe, qui graviora in hoc mundo patiuntur; cum frequenter accidat contrarium, ut gravioribus malis obnoxius ſit, qui minus peccavit. In eodem errore verſabantur amici Iob, colligentes ex gravitate afflictionis, in qua videbant eum conſtitutum; fuiſſe eum graviſſimum peccatorem. Cùm autem dicit: *Omnes ſimiliter peribitis.* Non de eodem genere mortis loquitur. Neque enim quotquot non egerunt pœnitentiam, talia paſſi ſunt, qualia Galilæi illi; ſed ſignificet omnes impœnitentes malè perituros, vel in hoc ſæculo, vel ſaltem & certiſſimè in futuro.

℣.6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, &c.* Pulchrè hanc parabolam exponit Hieronymus ſuper Hab.3. de populo Judaico. Hæc eſt ficus, inquit, ad quam tertio venit paterfamilias, &c. Vide locum uſque ad illa verba, Hoc ipſum ſignificat & Ioannis vox, &c.

℣.12. & 13. *Mulier dimiſſa es ab infirmitate tua: Et impoſuit illi manum & confeſtim erecta eſt.* *Dimiſſa es,* id eſt, dimitteris, liberatis, libera es ab infirmitate tua. Non enim curatam fuiſſe mulierem ante illa verba, ſatis oſtendunt ea verba quæ ſequuntur, *Et impoſuit, &c.* Itaque exiſtimandum eſt Dominum ſimul cum his verbis manus impoſuiſſe mulieri, ſicque eam curaſſe. Dicit autem, *dimiſſa es*, quod Græcè eſt præteritum perfectum, *ἀπολέλυσαι*; ad ſignificandum eam curationem non fuiſſe ſucceſſivam, quales ſunt quæ fiunt à natura & arte, ſed repentè atque in inſtanti perfectam; de qua proinde ſimul verum ſit dicere, Fit, &, Facta eſt; ut in motibus inſtantaneis. Sic Marci 10. Cœco viſus reſtitutus legitur, hoc verbo, *Fides tua te ſalvum fecit.* Ubi ſimiliter Græcè eſt præteritum perfectum, *σέσωκε*. Rectè autem vertit interpres, *dimiſſa es*, non autem dimiſſa fuiſti, quaſi præceſſiſſet. Itaque, *dimiſſa es*, idem eſt; ac ſi diceretur, libera es ab infirmitate.

℣.15. *Unuſquiſque veſtrûm Sabbatho non ſolvit bovem, &c.* Vide Annot. cap. ſeq.

℣.24. *Contendite intrare per anguſtam portam: quia multi (dico vobis) quærent intrare, & non poterunt.* Non eſt ſenſus, multi quærent intrare per anguſtam portam. Mali enim non quærunt anguſtam portam, id eſt, viam ſalutis. Sed cum ex Domino quæſitum eſſet, *Si pauci ſunt qui ſalvantur?* Reſpondet: *Contendite intrare per anguſtam portam*, id eſt, ducentem ad ſalutem, quia multi quærunt intrare in ſalutem, & non poterunt: quia ſcilicet noluerunt intrare per anguſtam portam, quæ ducit ad ſalutem. Sic quinque fatuæ virgines quærent intrare ad nuptias, & excludentur; quia non contenderunt intrare per anguſtam portam. Quod autem non ſit ſenſus, multi quærent intrare per anguſtam portam; patet ex Matth. 7. ubi de lata porta & ſpecioſa via, quæ ducit ad perditionem, dicitur: *Et multi ſunt qui intrant per eam.* Dices, ibidem ſequitur de anguſta porta, *Et pauci ſunt qui inveniunt eam:* Ergo ſignificatur quod multi quærunt. *Reſp.* Pauci inveniunt quia pauci quærunt. Manifeſtum eſt enim quod homines carnales, qui mundum diligunt, non quærunt anguſtam portam & arctam viam; ſed toto agmine confluunt in viam latam. Poteſt etiam illud: *Qui inveniunt eam,* intelligi de vita. Nam præcedit: *Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*, ut ſenſus ſit, & ideo pauci inveniunt vitam; quia ſcilicet arcta via eſt ad eam.

℣.30. *Et ecce ſunt noviſſimi, qui erunt primi, & ſunt primi, qui erunt noviſſimi.* Legendum, *erunt*, non *erant*, ſic enim habent non tantùm Græca, ſed & omnia manuſcripta. Senſus eodem recidit, eſtque talis: Gentiles nunc quidem noviſſimi ſunt, id eſt, Iudæis poſteriores in participatione gratiæ Dei; ſed aliquando erunt primi, videlicet in extremo judicio, idque propter fidem & ſanctam converſationem, ad quam, per gratiam

Eſtij Annotat. in Script.

A Chriſti, multitudo gentium vocanda eſt. Contra autem Judæi, qui nunc ſunt primi in gratia Chriſti, fient noviſſimi; propter eandem gratiam repudiatam. Noviſſimi, inquam, id eſt, contempti & excluſi à regno cœlorum. Hunc ſenſum poſtulant ea quæ præcedunt, ubi dicitur: *Cum videritis vos expelli foras.* Ecce Judæi qui erant filij regni, fiunt noviſſimi, *Et venient ab Oriente & Occidente, &c. & accumbent in regno Dei.* Ecce Gentiles fiunt primi. Accommodari poteſt eadem ſententia, in malos quoſdam præfectos, aut ſimulatè ſanctos, qui in hoc ſæculo propter dignitates & præfecturam in bonore habentur, qui tamen in futuro ſæculo, ubi non dignitatem, ſed meritorum ratio expenditur, alios videbunt à Chriſto honorari, ſe autem à regno cœlorum excludi.

B ℣.32. *Ite & dicite vulpi illi.* Herodes vulpes, quia verſutus & veterator erat, multa ſimulans. Et fortè cupiebat Chriſtum videre, ſicut prior Herodes eundem puerum volebat adorare; ſcilicet ut occideret. Et ſicut ille occidere voluit puerum, quia à Magis ut rex Judæorum quærebatur: ita iſte; quia à populo quærebatur, ut facerent eum regem. Ioan.6. Erat enim hic Herodes tetrarcha Galilææ; in qua illud contingebat. Itaque quod hîc dicitur: *Quia Herodes vult te occidere,* Chriſtus non rejicit ut falſum; ſed magis admittit ut verum; & quaſi verum ſit, jubet Herodi nunciari, & dici id quod ſequitur. Quæ quidem verba præſupponunt Herodem quæſiviſſe Dominum ad necem, *Ecce ejicio dæmonia, & ſanitates perficio, hodie & cras: &* C *tertia die conſummor. Verumtamen oportet me hodie & cras & ſequenti die ambulare.* Quomodo hæc inter ſe non repugnent, vide Ianſenium.

℣.35. *Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat, cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Quidam hoc referunt ad illud tempus, quo Chriſto ingrediente Ieruſalem turbæ acclamarunt; *benedictus qui venit in nomine Domini.* Quod etiam ipſe Lucas infra commemorat, c.19. Alloquitur enim hoc loco Dominus civitatem Ieruſalem, quæ eadem poſtea legitur ei acclamaſſe, tametſi non iidem omnes, qui hîc audiunt: *Ieruſalem, quæ occidit prophetas*, ad numerum pertinent acclamantium Chriſto, & adventum eius gratulantium. Quod & prophetis eſt frequens, ut ad alios atque alios reſpicientes, eandem D civitatem modo durè increpent modo blandè conſolentur, divina promiſſa eis annuntiantes. Lege Iſaiam, Ieremiam, Ezechielem. Verùm obſtat huic ſenſui, quod (ut bene obſervarunt Auguſtin. & Beda) Matthæus, qui in Evangelica narratione magis ſecutus eſt ordinem temporis quam Lucas, refert hæc dicta poſt Domini ingreſſum in Ieruſalem, & turbarum acclamationem, ſcilicet in templo, quo ingreſſus fuerat ſtatim poſt ingreſſum civitatis. Sequitur enim ſtatim: *Et egreſſus IESVS de templo ibat.* Matth. 24. Magis probabile eſt, hæc verba pertinere ad judicium, & manifeſtationem regni Chriſti, quando etiam adverſarij Chriſto per potentiam ſubjecti, factique ſcabellum pedum eius, cogentur agnoſcere majeſtatem eius E ac divinitatem, & fateri quod ille ſit Dei filius in æternum benedictus, veniensque in nomine Domini, id eſt, homo poteſtatem habens in cœlo & in terra ſibi datam à Deo; quando implebitur illud Apoſtoli, *quod in nomine IESV flectetur omne genu*, non modo cœleſtium, & terreſtrium, ſed etiam infernorum. Philip.2. Quaſi igitur ita loquatur Dominus; Magna adverſum me invidia commoti eſtis hodie, quando turbæ & pueri mihi acclamarunt. Benedictus, &c. At prædico vobis futurum, ut vos ipſi etiam vel inviti, mihi eadem verba acclametis, tunc ſcilicet quando veniens in regnum meum, vos meæ poteſtati ſubjecero. Senſum hunc confirmat quod Chriſtus poſtea non diſſimilibus verbis, prædicit iiſdem hoſtibus ſuis, ſtans coram Pon-

tifice, *Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Matt. 26. & Marci 14. q. d. Cogemini tunc fateri; quod nunc me dicentem damnatis ut blaſphemum. Vide annotat. Apocal. 5. & noſtr. comment. Philip. 2. v. 10.

℣. 35. *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Non loquitur de templo, quia templum non fuit relictum deſertum, ſed deſtructum eſt à Romanis; ſed videtur loqui de loco habitationis eorum; quia Iudæi partim occiſi, partim ejecti, & in ſervitutem abducti ſunt; & ſic domus eorum, id eſt, locus habitationis eorum, relicta eſt deſerta; partim abſolutè, quia terra magna parte deſtituta fuit habitatoribus, partim deſerta quoad Judæos, quia ipſi deſierunt inhabitare. Sic Pſalmo 68. *Fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.* Alij de Synagoga deſerenda à Deo interpretantur. Sed prior ſenſus magis eſt literalis. Vide Ianſenium.

CAPUT XIV.

℣. 1. *Et ipſi obſervabant eum.* Et redundat phraſi Hebræa. Græcè eſt *& ipſi erant obſervantes eum*, id eſt, ſtudiosè eum obſervabant, ſive, ad hoc convenerant, ut eum obſervarent.

℣. 2. *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites; ne fortè te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio.* Prima facie prohibere videtur Dominus his verbis, ne quis ad convivium invitet amicos aut cognatos divites; dicit enim: *Noli vocare.* Quod ſi ita eſt, damnabimus tam multos viros honeſtos, qui humanæ ſocietatis & amicitiæ conſervandæ cauſa, amicos aut propinquos divites invitant. Senſus igitur ex alio ſimili loco colligendus eſt, ubi dicitur cap. 6. *Si benefeceritis his qui vobis benefaciunt: quæ vobis eſt gratia? ſiquidem & peccatores hoc faciunt.* Docet ergo ea, quæ mercedem habent in hoc ſæculo, plerumque amittere mercedem futuri ſæculi; quia ſæpe contingit talia fieri principaliter propter retributionem præſentem. Unde admonet ut in illos conferamus beneficia, à quibus temporalem non expectemus retributionem. Illud autem; *Noli vocare*, non eſt prohibentis, ſed ſenſus eſt: Non hoc tibi præcipio ut voces divites (id enim ſua ſponte, nimis ſæpe, faciunt homines) ſed potius præcipio, ut voces pauperes. Poteſt etiam intelligi prohibitio; ſed cum ea clauſula, *Ne fortè te & ipſi reinvitent.* Id eſt, ſpe retributionis temporalis, ſcilicet ut ea præcipuè ſpectetur. Illud, *Divites*, ad quatuor præcedentia referendum, ſcilicet amicos, fratres, cognatos, vicinos. Nam ſi amici, fratres, cognati, vicini, pauperes ſint; vel maximè erunt invitandi. Item, amicos, fratres, cognatos, intelligi divites, patet ex eo quod ſequitur: *Ne fortè te & ipſi reinvitent.* Nam ſi pauperes ſint; reinvitare non poterunt.

℣. 5. *Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die Sabbathi?* Dubitari poteſt quomodo valeat hæc ratio cum bos aut aſinus in puteum cadens, non patiatur auxilij dilationem in alterum diem propter præſens periculum. Hydropicus autem vel alius quiſpiam infirmus, non incommodè poſſit in alterum diem curandus differri? *Reſp.* Primò, quod Scribæ non docebant curam jumenti licitam eſſe die Sabbathi, propter periculum aut neceſſitatem ipſius, ſed propter periculum aut neceſſitatem hominis; ideóque multò magis conſequens erat, ipſius hominis curam in Sabbatho licitam eſſe. Atque hanc argumenti vim intelligentes legiſperiti non poterant ad hæc reſpondere illi, uti teſtatur Evangeliſta; Deinde, multò gravius malum eſt, parva miſeria in homine,

A quàm mors pecoris; eò quòd homo ſit tam nobilis creatura, tamque pecori præcellens, ut, quemadmodum Auguſt. teſtatur, natura pecoris ſit vitium hominis. Quare ſi Sabbatho licebat prohibere mortem, imò & acriorem ſitim pecoris ac jumenti, ut ſuperiori cap. dicitur de jumento adaquando; certè magis licebat tollere quamcumque infirmitatem hominis. Nam & productio miſeriæ eius in alterum diem, magnum erat hominis malum, idque etiam gravius quavis miſeria pecoris.

℣. 8. *Cum invitatus fueris ad nuptias.* Quod Chriſtus non velit docere, quem locum in nuptiis carnalibus eligere debeant homines, quod tantum ad morum quandam civilitatem pertinet; patet ex eo, quod dicit Evangeliſta Chriſtum ad invitatos dixiſſe parabolam; B & ex concluſione illa: *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur.* Unde Chriſtus humilitatem hîc docere voluit, & quòd invitati ad nuptias ſpirituales, id eſt, vocati ad Eccleſiam, ultimum locum accipiamus, cæteros fideles nobis meliores arbitrantes; & ita futurum eſt, ut à Domino nuptiarum præſide, merito humilitatis noſtræ exaltemur. Vide noſtr. comment. Phil. 2. Unde intelligetur, quomodo accipiendum ſit illud; *Recumbe in noviſſimo loco*, id eſt, exiſtima te omnium minimum, nemini te anteponas. Item: *Recumbe in noviſſimo loco*, Id eſt, nihil tribuas tibi ipſi, ſed omnia quæcumque bona habes, refer accepta gratiæ Dei. Sic Paulus, quando dixit ſe eſſe omnium ſanctorum minimũ, & ſe nihil eſſe; recubuit in noviſſimo loco. Aut pertinet illud C Auguſt. ſerm. 10. de verbis Domini; Magnus eſſe vis, à minimo incipe.

℣. 9. *Et tunc incipias cum rubore noviſſimum locum tenere.* Quomodo noviſſimum? non enim qui cedit cuipiam honoratiori locum primum, ſtatim tenet noviſſimum. Videtur, *noviſſimum*, poni comparativè, pro poſteriori ſive inferiori, & minus honorato; ſicut & in eo quod ſequitur: *Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in noviſſimo loco.* Neque enim honeſtas aut modeſtia civilis exigit, ut vir honorabilis invitatus ad convivium, ſumat ſibi locum omnium poſtremum. Sic noviſſimum accipitur Matth. 12. & 17. Actor. 2. 1. Cor. 15. Noviſſimus Adam, id eſt, ſecundus Adam, alter Adam. Vide Comment. 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3. & 1. Cor. 15. v. 45.

D ℣. 14. *Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorũ.* Spe retributionis invitat nós Dominus ad officia liberalitatis & hoſpitalitatis erga pauperes. Ex quo duo dogmata Catholica confirmantur, quæ hodie à ſectariis impugnantur; Alterum eſt, bona opera meritoria eſſe vitæ æternæ; Alterum ei conjunctum, quod rectè & laudabiliter ab homine bona opera fiant ſpe retributionis æternæ. Unde & David: *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*, Pſalm. 118. Et Hebr. 11. Moyſes aſpiciebat in remunerationem. Nominatur autem reſurrectio juſtorum, & non ſimpliciter futurum ſæculum; quia in reſurrectione demum plena erit retributio; quando totus homo, corpore conſtans & anima, perfectam felicitatem conſequetur. Unde Apoſtolus ibidem de E ſanctis defunctis, dicit, omnes non ſine nobis conſummari.

℣. 18. *Villam emi.* Græcè, *agrum emi*; tametſi Græcè vox ἀγρὸς interdum pro villa ſeu prædio ſumitur. Vide annot. Marci ult. *Villam emi, —— Iuga boum emi quinque, —— Vxorem duxi.* Significatur triplex concupiſcentia; de qua 1. Ioan. 2. *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Nam illud, *Vxorem duxi*, ſignificat concupiſcentiam carnis. Illud, *Iuga boum emi*, ſignificat concupiſcentiam oculorum, id eſt, avaritiam. Emit enim juga boum ad quæſtum, vel ex bobus impinguatis, vel ex boum labore. Solent enim boves jugatim aratra trahere.

trahere. Illud vero; *Villam emi*, ſignificat ſuperbiam vitæ vel ambitionem ſæculi, ut legit Auguſt. Videmus enim eos, qui villas & prædia coëmunt, & pagos ſeu vicos (qui interdum villę ſeu *ἀγροὶ* dicuntur, ut Marc. ult.) ſibi comparant, ex ambitione id facere, ut hujuſmodi locorum Domini ſcribantur & appellentur; id quod hodie valde frequens eſt.

℣.20. *Uxorem duxi & ideo non poſſum venire.* Alij dicunt; *Rogo te habe me excuſatum*: Hic ſolus dicit; *Non poſſum venire.* Quia inter tres concupiſcentias hîc ſignificatas, concupiſcentia carnis maximè impetuoſa eſt, ac minimè auſcultat rationi, imo rationem obruit.

℣.23. *Et compelle intrare.* Sæpe citat hunc locum Auguſt. ut doceat hæreticos rectè pœnis compelli ad intrandum Eccleſiam Catholicam. Nec minus valet B de infidelibus qui nunquam in Eccleſia fuerunt, ſuo modo compellendis. Et nota quod de prioribus dicitur: *Introduc huc*; De poſterioribus, *Compelle intrare*: Prius enim miſit Dominus, ſecundum prophetam Ierem, piſcatores, id eſt, Apoſtolos, qui nulla vi aut coactione adhibita, quaſi retibus piſces, caperent homines ſermone ſuę prędicationis: Poſtea verò miſit venatores, id eſt, principes Chriſtianos ac religioſos, qui etiam legibus conſtitutis, ac pœnis decretis, compellerent infideles, velut feras ſilveſtres, venabulis ſuis, id eſt, armis poteſtatis ſuæ, intrare in Eccleſiam. Vide Auguſt. epiſt.204. Qui & alibi locum Ierem. dicto modo exponit, ut tom.9. De utilitate jejunij. Nec propter C hoc cogitur voluntas, cum fides ſit voluntatis; ſed ſed pœnis ac minis hoc agitur, ut homo ex nolente fiat volens, dum vexatio dat intellectum.

℣.24. *Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* Quę pœna excuſantibus ſe, & cœnam recuſantibus, quod cœnam patrisfamilias non guſtabunt? Sed hîc jam Chriſtus Dominus loquitur in ſua perſona, & parabolam applicat; Dicit enim, *Dico vobis*, quæ non videntur eſſe verba patrisfamilias loquentis ad ſervum. Conteſtatur itaque Chriſtus, eos, qui per excuſatores illos parabolicos ſignificantur, hac pœna mulctandos, quòd excludentur à cœna ipſius, id eſt, à gaudiis regni cœlorum, quæ præparavit diligentibus ſe. Quæ ſanè graviſſima pœna eſt; & ita Ianſenius intelligit.

℣.26. *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuam, & matrem.* D Bernardus epiſtola 104. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia etſi impium eſt contemnere matrem; contemnere tamen propter Chriſtum, piiſſimum eſt.

Adhuc autem & animam ſuam. Ioan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Apocal. 12. *Et non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Vide Annotat. eorum locorum, itemque Rom.9. v.13.

℣. 33. *Sic ergo, omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Senſus eſt: Qui non in animi præparatione, omnibus renunciat, citius paratus omnia ſua amittere, quàm me offendere; E non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quare, hinc non ſequitur, nihil in Evangelio eſſe conſilij ſed omnia eſſe præcepti. Gregor. hunc locum exponens Hom.3. in Evang. ad fin. ait: Nolite poſſidere per deſideriũ, quod adhuc per uſum minimè reliquiſtis. Si enim nil in hoc mundo jam amando poſſidetis, etiam poſſidendo cuncta reliquiſtis. Et Aug. epiſt.89. ad Hilarium, vult hoc ad omnes pertinere baptizatos, qui in baptiſmo renunciant ſæculo; & citat Cyprianum. Liquet id etiam ex ſuperioribus: *Si quis venit ad me & non odit patrem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Atqui omnes debemus venire ad Chriſtum, & eius eſſe diſcipuli; Nam & in hac ſententia dicit, *Non poteſt meus eſſe diſcipulus*, Vide Annot. ſupra c.9. & Matt.19. Sicut ergo odit pa- A trem & matrem & animam ſuam pro Chriſto, qui propter eos Chriſtum non vult negare, nec Deum offendere; ita renunciat omnibus quæ poſſidet, qui paratus eſt hæc potius relinquere quàm Chriſtum negare, aut Deum offendere. In quo autem conſiſtat perfecta renunciatio, docet Baſilius in regulis fuſius explicatis, num.8. & legitur in eius feſto, die 14. Iunij.

CAPUT XV.

℣.7. D*ico vobis quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia.* Ex his verbis oritur quæſtio; Quomodo juſti dicantur non egere pœnitentia, cum dicat Eccleſiaſtes c.7. *Non* B *eſt juſtus in terra qui non peccet.* Et, cùm quilibet homo quantumcunque juſtus quotidie dicere debeat; *Dimitte nobis debita noſtra.* Quidam reſpondent Dominum non loqui de iis qui verè juſti ſunt, ſed qui putabant ſe juſtos, & pœnitentia non indigere; quales erant Phariſæi & Scribæ, ad quos hanc parabolam dicebat. Verùm iſta interpretatio non videtur parabolæ congruere; quia revera multò magis aberrat homo ſuperbus & elatus, qui ſe juſtum putat, & alios præ ſe contemnit; quàm qui verſatur in manifeſtis peccatis carnis. Et Paſtor noſter Chriſtus etiam ſimulatè juſtos ac ſibi placentes quærit, ut reducat ad pœnitentiam; & non tantum manifeſtos peccatores. Proinde dicendum videtur, C eos qui revera juſti ſunt, ſecundum eum modum quo in Scripturis aliqui juſti dicuntur; non egere pœnitentia; quia cum ſint in ſtatu ſalutis; nec ſtatum illum, nec voluntatem, in diverſum mutare debent; cum per bonam voluntatem & charitatem Deo ſerviant; tametſi iis ſit neceſſaria pœnitentia quædam quotidiana, qua purgentur venialia peccata; quæ pœnitentia non tam ad vitæ mutationem pertinet, quàm ad profectum ſanctæ converſationis. Vel, ſermo eſt de pœnitentia illa maiore qua egent peccatores. Ita legimus in oratione Manaſſæ: *Non poſuiſti pœnitentiam juſtis, Abraham, Iſaac, & Iacob, iis qui tibi non peccaverunt.* Item, ſi intelligantur qui ſibi juſti videntur; nulla eſt comparatio gaudij ſuper nonaginta novem juſtis, & uno peccatore pœnitentiam agente; quia ſuper illis juſtis eſt maior luctus, quàm ſuper peccatore nondum D agente pœnitentiam. Alia quæſtio ex iiſdem verbis naſcitur: Quomodo maius ſit gaudium in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtis; cum maius ſit bonum innocentia multorum, quàm unius pœnitentia. Si juſti intelliguntur qui ſibi tales videntur, nulla eſt difficultas, quia ſimulata & ſuperba juſtitia Deo & Angelis eius placere nullo modo poteſt. Item, ſuper talibus nullum eſt gaudium in cœlo. Sed hic ſenſus, uti diximus, parabolæ minus congruit. Senſus igitur ex ipſius parabolæ verbis ſumendus eſt, ubi dicitur, hominem magis gaudere ſuper una ove perdita & inventa, quàm ſuper nonaginta novem quæ non aberraverant; quia licet revera pluris faciat oves nonaginta novem quàm unam iſtam E quam recuperavit; ipſa tamen inventio ovis errantis excitat in eo actuale & præſens gaudium, quod non percipit ex reliquis conſervatis. Ita in Angelis Dei actualis lætitia excitatur ex inſperata converſione magni alicuius peccatoris; qualem lætitiam non ita in actu præſenti habent ex juſtorum innocentia. Sic Tertullian. lib. de pœnitentia c.8. Magiſque de regreſſu tuo, quàm de alterius ſobrietate lætabitur. Loquitur de filio prodigo. Vide Auguſt. lib.8. Confeſſ. cap.3. hoc explicantem bene.

℣.11. *Homo quidam habuit duos filios.* Exponit hanc parabolam S. Hieron. in epiſtol. ad Damaſum de filio prodigo.

℣.19. *Fac me ſicut unum ex mercenariis tuis.* Quæ-

ritur, Ab hoc dicendo peccaverit? Ita apparet ſecundum ſenſum quem dat Auguſt. nam propter mercedem temporalem velle Deo ſervire, peccatum eſt. Ideóque mutato animo ſervili in filialem, quando ad partem venit, non hoc dixit, quamvis dictorum ſe, habuiſſet in animo. Item, quia mercenarius non eſt filius, dum vult eſſe mercenarius, non vult eſſe filius. Unde & Eccleſia nuſquam docet fideles, ut ſic orent Deum: fac me ſicut unum de mercenariis tuis.

℣.20. *Et oſculatus eſt eum.* Et infra: *Citò proferte ſtolam primam.* Hæc duo licet in narratione dividantur, tamen rectè poſſunt intelligi de iis, quæ ſimul fiunt in re per parabolam ſignificata. Nam *oſculum* ſignificat reconciliationem, id eſt, peccatorum remiſſionem: *ſtola prima* charitatem. Hæc autem tempore conjuncta ſunt in hominis juſtificatione.

℣.23. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite,* & infra: *Et occidit pater tuus vitulum ſaginatum,* & iterum, *Occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Vitulus ſaginatus Chriſtus eſt, utpote per vitulos pingues, qui in lege offerebantur, ſignificatus. Eum Pater & jubet occidi, quia æterno decreto occidi voluit: & ipſe occidit, quia Deus ipſe ſuum decretum implet, etſi non abſque interventu malæ voluntatis hominum: De quibus dicitur Actor.4. quod convenerunt facere quæ manus & conſilium Dei decreverunt fieri. Aliter Franciſc. Lucas in Comment.

℣.31. *Fili tu ſemper mecum es; & omnia mea tua ſunt.* Tu ſemper huc uſque mecum es, id eſt, uſque ad tempus vocationis gentium; quia populus Judaicus per cultum veri Dei ſemper propè fuerat; Gentiles autem, procul; ut Apoſtolus loquitur Epheſ.2. *Et omnia mea tua ſunt*; quia illius populi erat adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, & cætera quæ proſequitur idem Apoſtolus ad Rom.9.

CAPUT XVI.

℣.8. ET *laudavit Dominus villicum iniquitatis.* Villicus diſpenſatorem ſignificat, unde Græcè eſt οἰκονόμος. Quidam hæc verba putant eſſe Evangeliſtæ interrumpentis Chriſti ſermonem; ut ſenſus ſit, Chriſtus Dominus commemorata hac parabola, laudavit villicum iniquitatis, quod prudenter ſibi proſpexiſſet. Verùm quia ſtatim ſequitur uno continuo contextu; *Et ego dico vobis, Facite vobis amicos*; magis eſt veriſimile etiam ſuperiora verba eſſe ipſius Chriſti, quibus ſignificat Dominum illius diſpenſatoris delectatum fuiſſe eius ingenio, ac prudentia, eumque laudaſſe; non quod fraudem commiſiſſet, ſed quod ingenioſè ac prudenter ſibi proſpexiſſet, ſicut interdum in furibus ingenium laudamus, ipſam nihilominus facti iniquitatem damnantes. Itaque intelligitur prudentia huius ſæculi.

Quia filij huius ſæculi prudentiores filijs lucis in generatione ſua ſunt. Non abſolutè prudentiores, quia illa non eſt vera prudentia; ſed prudentiores in ſuo genere; quia magis noverunt apta media ad fines ſuos quos intendunt excogitare, quàm filij lucis ad ſuos. Ratio eſt, quia ad temporalia & carnalia perſequenda per naturam incitamur; ad ſpiritualia verò & cæleſtia nihil omninò poſſumus, niſi quantum per gratiam reformamur; quæ reformatio in hac vita non eſt perfecta. Unde fit, ut juſti ſemper adhuc in talibus aliquo modo cæcutiant, & difficultatem ſentiant.

℣.9. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Falluntur qui hanc ſententiam eò rapiunt quaſi per eam ſignificetur bona per injuſtitiam parta, in Eleemoſynas eroganda eſſe, atque hoc pacto comparandos amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Nam earum di-

A vitiarum, quas quis injuſtè poſſidet, non eſt diſpenſator, unde eas vero Domino reſtituere debet, non largitione ulla alienare: ſed earum tantum diſpenſator eſt, quas juſto titulo poſſidet. Quas tamen Dominus hîc vocat mammonam iniquitatis, phraſi Hebræa, id eſt, mammona iniquum; ſicut villicum iniquitatis, pro villico iniquo: vocat (inquā) mammona iniquitatis, quia dives omnis aut iniquus eſt, aut iniqui hæres. Quam ſententiam D. Hieronymus dicit ſibi videri veriſſimam, Vix enim fieri poteſt, ut divitiæ colligantur ſine aliqua ſi non injuſtitia, ſaltem iniquitate. Quamquam & alio modo divitiæ vocantur iniquæ; quia videlicet ſunt materia circa quam injuſtitia & iniquitas committatur; ad quam committendam animos hominum cupiditate corruptos vehementer ſollicitant: & irritant:
B juxta illud; *Effodiuntur opes irritamenta malorum.* Eſt autem populo diligenter inculcandum quod additur; *Ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Significatur enim mira quædam vis & efficacia Eleëmoſynæ, quâ nimirum fit, ut merita ſpiritualia accipientium communicentur iis, qui dederint temporalia. Unde Apoſtolus 2. ad Corinth. 8. *Veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat; ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Ubi etiam contra hæreticos notandum, quod unius meritum alteri proſit. Porrò videtur eſſe catachreſis in dictione, *tabernacula.* Nam tabernacula temporalia ſunt, & ſerviunt paſtoribus aut militibus. Addens autem *æterna* ſignificat ea tunc non tabernacula fore, ſed domos
C ſtabiles & in æternum duraturas.

℣.16. *Lex & Prophetæ uſque ad Ioannem.* Addit Matthæi 11. *prophetaverunt.* Intellige de Chriſto & regno eius: Ioannes autem monſtravit præſentem; Unde & lex ceſſavit & Prophetæ; quia præſente Domino jam non amplius opus prænuntiis & præcurſoribus. Fuerunt quidem & poſtea Prophetæ, ut Agabus; & alij nonnulli; ſed non ad prophetandum de Meſſia; quod fuit primarium Prophetarum, qui uſque ad Ioannem, officium.

℣.17. *Facilius eſt autem cælum & terram præterire, quàm, &c.* Vide Annot. Matth.24. Quomodo hinc non ſit conſequens cœlum & terram non præteritura; Vide Annot. Matth.21.

℣.19. *Homo quidam erat dives. &c.* Hiſtorianè ſit,
D an parabola; vide noſtr. in 4. Sent. diſt. ult.

℣.20. *Quidam mendicus nomine Lazarus.* (Lazarus) per Aphæreſim dicitur pro (Eleazarus) quomodo eum vocavit Prudentius in Carmine de defunctorum exequiis; cum ait, Gremio ſenis abdita Sancti, recubabit, ubi eſt Eleazar.

℣.22. *In ſinum Abrahæ.* Quæritur an ille locus vocari poſſit in genere ſinus Patriarcharum, vel juſtorum? Clemens lib.8. Conſtitut. Apoſtolicarum c.47. facit Diaconum pro defunctis ita precantem; Collocet eum in ſinu Abrahæ, Iſaac, & Iacob. Et poſtea Epiſcopum; Colloca eum in ſinu Patriarcharum, Prophetarum, & Apoſtolorum, & omnium qui tibi à ſæculo placuerunt. Verùm Chriſtus videtur ita loqui propter aliquid ſingulare in Abraham; quia nimirum eſt pater omnium
E credentium, & quia ad eum factæ ſunt promiſſiones de benedictione conſequenda in ſemine, quod eſt Chriſtus. Quidam ſinum Abrahæ regnum cœlorum interpretatur, hoc argumento, quia Matth.8. dicitur: *Venient multi ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* At non ibi Chriſtus interpretatur ſinum Abrahæ; ſed ſignificat beatitudinem fidelium futuram cum S. Patriarchis in regno cœlorum. Nec poteſt per ſinum Abrahæ regnum cœlorum intelligi, quia ante Chriſti mortem nullæ animæ recipiebantur in regnum cœlorum. Quid ſit ſinus Abrahæ accuratè expendit Ioannes Lenſæus in libris de Purgatorio, & de Limbo Patrum.

℣.22. Et

℣.22. *Et ſepultus eſt in inferno.* Græcè & Syriacè, *Et ſepultus eſt; & in inferno elevans, &c.* Sic etiam quidam codices M.SS. Latini. Item ſic legit Aug. ſermon.25.de diverſis. Item tract.de urbis excidio cap.4. Arſit, ardet, & ardebit, vivet uſque ad judicium, recipiet carnem, non ad beneficium, ſed ad ſupplicium. Non ergo ſecundum carnem corpore ſepultus eſt in inferno. Ex hoc Auguſtini loco eſt ſermo ille apud Chryſoſt. de B. Job. Cæterum ſepulturæ meminit de divite dumtaxat, quia cum celebri pompa ſepultus eſt, & pretioſo ſepulchro illatus. Quorum neutrum contigit Lazaro. Annotavit hoc Euthymius.

℣.24. *Ut intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Figuratè ſignificatur damnatos non poſſe impetrare vel minimum refrigerij ſuarum pœnarum, quantulum eſt ſi intingas extremum digiti tui in aquam frigidam, & inſpergas in linguam hominis conſtituti in medio fornacis ignis ardentis. Nominat autem potius linguam quàm alia membra, quia hic dives maximè peccaverat linguâ & gulâ; dicitur enim quod *epulabatur quotidie ſplendidè.* Ubi & alia linguæ peccata, ut detractiones, ſcurrilitates, atque laſciviæ verborum, regnare ſolent.

℣.25. *Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic conſolatur tu verò cruciaris.* Nimirum ſecundum illud: *Væ vobis divites, quia habetis conſolationem veſtram.* Lucæ 6. Sed nonne & Abraham qui hæc dicebat, receperat bona in vita ſua; de quo ſcribitur quod erat dives valde; Reſpondeo, Non ea acceperat tamquam bona in quibus conquieſceret, & ex quibus perciperet conſolationem, iis fruendo ad voluptates & luxum; ſicut hic dives. Quidam ſic intelligunt quod dicitur; *recepiſti*, id eſt. pro bonis quibuſdam quæ feciſti in vita tua, accepiſti in eadem vita remunerationem; & Lazarus pro quibuſdam malis pœnam & afflictionem. Itaque & tu pro peccatis nunc in altera vita puniendus es; & ille pro juſtis operibus præmiandus. Quaſi videlicet illa opum abundantia pro quibuſdam bonis operibus illi fuiſſet reddita. Sed id non oportet: quia operibus tantum moraliter bonis nihil ex juſtitia debetur, ſi qua autem fecit meritoria, ea per ſequens peccatum mortificata, à mercedis debito jam exciderant. Simplicius itaque eſt & verius, ut recipere non aliud ſit quàm accipere, ſicut ſuprà eodem cap. *Ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Et alibi: *Si vultis recipere, ipſe eſt Elias.* Matth. 11. Et: *Qui recipit vos, me recipit; qui recipit Prophetam, &c.* Et ſicut retribuere non rarò accipitur in ſacris litteris pro tribuere. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Pſalmo 115.

℣.28. *Habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, &c.* Vide Gregor.lib.15.Moral.cap.31. ubi docet ex hoc loco, damnatos de cognatis ſuis quos reliquerunt, cogitare, & curam gerere; & addit; Omnis namque peccator prudens erit in pœna; qui ſtultus fuit in culpa; quia ibi cum dolore conſtrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clauſit; & pœna torquente exigitur ut ſapiat, qui hic excæcante ſe ſuperbia deſipiebat, &c. Sed illa tantum intellige de prudentia, ſapientia, & ratione ad vitandum mala pœnæ. Cæterùm ex his verbis divitis, & reſponſo Abrahæ, apparet hunc divitem cum fratribus ſuis infectum fuiſſe errore Sadducæorum negantium ſpiritum hominis poſt eius mortem ſupereſſe, ideoque illos vitam duxiſſe Epicuræorum in quotidianis epulis & voluptatibus, ſecuros vitæ & retributionis futuræ. Simul indicatur Abrahæ verbis illum errorem ex Moyſe & Prophetis (quod Sadducæi negabant) ſatis apertè redargui, nec quemquam Moyſi & Prophetis credentem, errori Sadducæorum conſentire poſſe.

Ne & ipſi veniant in hunc locum. Hoc dixit non ex charitate fratrum, ſed ex amore ſui; quia pœna eius accidentalis erat augenda ex damnatione fratrum, quibus dederat mala exempla, & quos ſocios vitæ luxurioſæ habuerat. Vide in 4.diſt.ult.

CAPUT XVII.

℣.1. **I**MPOSSIBILE *eſt ut non veniant ſcandala.* Valde frivolum eſt, quod hinc quidam colligunt hæreticos non eſſe tollendos è medio. Quamvis enim neceſſe ſit propter hominum malitiam ſcandala exoriri; pertinet tamen ad curam præfectorum Eccleſiæ, ut ea quantum fieri ſine Eccleſiæ perturbatione poteſt, auferantur. Quod monuit Apoſtolus dicens: *Auferte malum ex vobiſipſis.* Similiter autem non ſequitur; Impoſſibile eſt ut non naſcantur malæ herbæ inter ſegetes; Item, ut non peccemus aliquando venialiter; ut non committantur furta, rapinæ, homicidia: ergo noxiæ herbæ non ſunt evellendæ; ergo venialia peccata non ſunt vitanda; ergo in fures, raptores, homicidas; non eſt animadvertendum. Vide annot. Matth.18.

℣.3. & 4. *Et ſi pænitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te dicens: Pœnitet me; dimitte illi.* Ergo & illud quod Petrus interrogabat Matth.18. *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei uſque ſepties;* Quodque reſpondet Dominus: *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*, de eo fratre dictum videtur, qui converſus culpâ agnoverit. Vide annot. Matth.18.

℣.5. *Adauge nobis fidem.* Similis oratio cum illa Marci 9. *Adjuva incredulitatem meam.* De quâ vide eius loci annot. Unde & Eccleſia orat: Da nobis fidei ſpei, & charitatis augmentum. Erat autem hæc oratio, non parva fidei in diſcipulis commendatio. Non enim peterent ab eo ſibi fidem adaugeri, quem non crederent augmentum hoc in eorum cordibus poſſe operari. Eſt verò illud opus ſolius Dei. Multum igitur in fide profecerant, qui fidem ſibi poſſe augeri à Chriſto Domino, credebant.

℣.10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis.* Igitur omnia præcepta ſervari poſſunt, alioqui dicere debuiſſet. Cùm videritis vos præcepta non poſſe ſervare; dicite, Servi inutiles ſumus. Hinc certè manifeſtum eſt, non ideò juberi ut ſervos inutiles nos vocemus, quia opera noſtra Deo placere non poſſint. Quod etiam ex ſequentibus verbis planè liquet, *Quod debuimus facere, fecimus.* Nam ſi opera juſtorum omnia, peccata ſunt; dicere deberent: Non fecimus quod facere debuimus. Hinc ergo manifeſtè ſtatuitur juſtitia operum, id eſt, ea quæ in obſervatione mandatorum Dei conſiſtit.

Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis; dicite; Servi inutiles ſumus. Hunc locum detorquent hæretici contra fructum & merita bonorum operum. Cùm enim præcipiat Dominus iis qui fecerint quæcumque ſibi præcepta ſunt, ut dicant ſe eſſe ſervos inutiles; putant pronuntiaſſe Dominum omnia etiam juſtorum opera eſſe inutilia & infructuoſa ad recipiendam mercedem. Sed hunc non eſſe ſenſum verborum Domini, ex alia parabola clarum eſt, ubi eum qui talenta Domini utiliter expenderat, ſic alloquitur: *Euge ſerve bone & fidelis, &c.* Imò alibi eos non ſervos, ſed amicos vocat: *Iam (inquit) non dicam vos ſervos, ſed amicos.* Item: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Quod ergo hîc præcipit Dominus ut vocemus nos ſervos inutiles, cum omnia quæ nobis præcepit, fecerimus; hunc ſenſum habet, ut inutiles dicamur, quia Domino noſtro cui ſervimus, nihil utilitatis aut lucri per nos accedit. Ipſe enim, ſua natura perfectiſſimus, ex noſtro opere, commodi aut perfectionis nihil accipit. Vel *inutiles* dicimur, noſtra conditione; quia ex nobis nihil aliud quàm ſervi, & inutiles ſervi ſumus.

Alioqui,

Alioqui, dignatione gratiæ Dei, non ſervi inutiles, A ſed ſervi boni & fideles, imò amici Dei efficimur, & vaſa utilia ad omne opus bonum parata, 2. ad Tim. 2.

Notandum quoque quod Dominus non ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis*, tunc adhuc eſtis ſervi inutiles; ſed, *dicite, Servi inutiles ſumus*. Pertinet enim ad humilitatem, ut ipſi nos tales dicamus; Dominus autem vocat nos ſervos bonos, fideles, utiles, amicos. Item, non debemus alios vocare ſervos inutiles, ſed noſipſos; ſicut Paulus ſeipſum negat dignum vocari Apoſtolum. Quod tamen nos de illo dicere non debemus. Auguſt. lib. 2. q. Evang. 39. legit. *Servi ſupervacui ſumus*; & ita exponit. Nihil nobis operis reſtat; curſum conſummavimus, agonem perfecimus, B ſupereſt nobis corona juſtitiæ. Ecce prorſus contrarius ſenſus ab eo quem volunt hæretici.

℣. 14. *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*. Quomodo hinc non ſequatur Sacerdotes novi teſtamenti tantum declarare peccata eſſe remiſſa, ſicut Antiqui Sacerdotes tantum declarabant leproſos eſſe mundatos, Vide noſtra in 4. diſt. 18.

℣. 16. *Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus eſt; regreſſus eſt*. Utrum regreſſus eſt antequam acceſſiſſet Sacerdotes? Non: quia munditia eius debebat prius à Sacerdotibus probari, alioqui, tanquam immundus fuiſſet adhuc rejectus. Item, niſi cum cæteris novem acceſſiſſet ad Sacerdotes; quæſtio Domini locum non habuiſſet, qua dicebat. *Et novem ubi ſunt?* C Dixiſſet enim: illi acceſſerunt ad Sacerdotes, ego autem reverſus ſum priuſquam illos accederemus. Item, obedientia requirebat, ut ſtatim cum aliis perficeret quod Chriſtus juſſerat. Sed contrà: Hic Samaritanus erat; ergo non erat eundum ad Sacerdotes Levitici generis; quia diverſæ erant religionis Samaritani à Judæis, nec aſcendebant ad templum Hieroſolimitanum, ſed ad montem Garizim, adorandi cauſa, nec illis Judæi coutebantur. Unde videri poteſt non oſtendiſſe ſe Sacerdotibus, ſed id factum ſolum à cæteris, qui erant Judæi. In contrarium tamen facit præceptum Chriſti omnibus decem commune. An etiam Samaritani leproſi, ut inter Judæos poſſent converſari, debebant mundi declarari à Sacerdotibus Judæorum? Sanè apparet eum converſatum fuiſſe cum D novem leproſis aliis, qui erant Judæi; & fortè cum eis commune domicilium habuiſſe. Non enim lex vetabat Samaritanos cum Judæis conſuetudinem habere; ſed Iudæi per contemptum Samaritanos averſabantur. Nec arbitror omnes Samaritanos fuiſſe ſchiſmaticos, & prohibitos à templo; quandoquidem circumciſi eſſent, & legis obſervantes. Nam ſi proſelytos admittebant; cur non potius Samaritanos, qui erant ex parte Iudæi? Item, noluit Chriſtus hunc Samaritanum mittere ad ſuos Sacerdotes templi Garizim, ne ullo pacto communicare cum ſchiſmaticis videretur. Unde mulieri dixit; Ioan. 4. *Salus ex Iudæis eſt*; nec unquam ad montem illum & Sacerdotes ibi ſacra facientes, acceſſit; volens nos inſtruere quantoperè à communione Schiſmaticorum debeamus eſſe alieni. Ideo miſſus eſt E etiam hic Samaritanus ad illos Sacerdotes, apud quos adhuc erat verè populi Dei Synagoga, licet paulò poſt interitura. Item, Samaritani circumciſionem recipiebant, dicit autem Apoſtolus Galat. 5. *Quod omnis homo circumcidens ſe, debitor eſt univerſæ legis faciendæ*. Vide ibid. noſtr. Comment.

℣. 18. *Non eſt inventus qui rediret, &c.* Novem qui erant Judæi ſignificant populum Judaicum, ingratum gratiæ Chriſti, & in ſola lege, & viribus ſuis gloriantem, & ſuam juſtitiam ſtatuentem; qui proinde ad juſtitiam Chriſti quâ lex Decalogi impletur, non pervenit. Unde eſt quod ſiſtunt in novenario numero, & ad denarium non pertingunt. Samaritanus autem unus, idemque decimus, qui & alienigena hic dicitur, gentilem populum ſignificat, vocatum ad fidem; & donatum juſtitiâ Chriſti; ideoque legem Decalogi implentem; juxta illud Rom. 2. *Id quod ex naturâ eſt præputium, legem conſummat*. Hic gratus eſt Deo & gratiæ eius, omnia ſua bona, illi in ſe operanti, tribuens; & quæ deſiderat, ab eo exſpectans. Qui proinde in denario numero intelligitur, qui Decalogi impletionem deſignat; idemque unus eſt, propter unitatem Eccleſiæ ex gentilibus collectæ, vel propter charitatem omnes tales in unum copulantem, vel certè propter paucitatem verorum Chriſti fidelium qui gratiam beneficiorum eius agnoſcunt.

℣. 19. *Surge, vade, quia fides tua te ſalvum fecit*. Quomodo huic peccatori dicitur quod fides eius ipſum ſalvum fecerit, cum ſalus, id eſt, curatio fuerit omnibus decem communis, & omnes una voce clamaverint, *IESU præceptor miſerere noſtri*: Ex quo apparet etiam fidem quâ crederent Chriſtum poſſe ipſos curare, communem omnibus fuiſſe: Neque cæteri arguuntur infidelitatis aut modicæ fidei; ſed tantum ingratitudinis. An dicendum fidem huius multò fuiſſe perfectiorem, quando ex fide quam habuit, ipſe ſolus rediit magna voce Deum magnificans, & procidens in faciem ante pedes eius, gratias egit? Quæ argumenta ſunt magnæ fidei. Itaque, etſi alios etiam aliquo modo ſua fides ſalvos fecit; hunc tamen fides multò excellentior & vivacior ſalvum fecit; ut peculiariter ei meritò diceretur, *fides tua te ſalvum fecit*. Ianſ. c. 27. Concord. Evangelicæ, videtur ſentire plus aliquid huic collatum fuiſſe quàm cæteris, quando dictum eſt ei: *Surge, vade, &c.* Nempè ſecuritatem de beneficii ſibi allati perpetuitate. Nam etſi veriſimile ſit, beneficium curationis omnium fuiſſe perpetuum, ne in ſuſpicionem aliquam imperfectionis aut falſitatis vocarentur miracula Salvatoris, tamen ſecuri non erant, ut iſte; ſed magis cauſam habebant metuendi ne reciderent in lepram, propter ſuam ingratitudinem.

℣. 20. & 21. *Non venit regnum Dei cum obſervatione; Neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic*. Hoc etiam loco abutuntur Hæretici contra ſanam Eccleſiæ doctrinam, colligentes ex hac ſententia Eccleſiam Dei non eſſe manifeſtam & viſibilem, & quę oculis corporeis obſervari poſſit; ſed inviſibilem, ac latentem, minimèque obſervabilem. Quibus breviter reſpondemus, Dominum loqui non de quacumque obſervatione. Nam certè à fidelibus multis eo tempore regnum Chriſti obſervatum fuit; qui Chriſtum venientem ſtatim agnoverunt, & in eo regnum Dei venerati ſunt. Deinde, manifeſtè obſervari potuit regnum Dei quando Chriſtus & Apoſtoli eius prædicaverunt, dicentes: *Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum Dei*. Sed loquitur de ea obſervatione quam intelligebant Phariſæi, quærentes iſtud ex Domino, ut videlicet Meſſias Chriſtus tanquam rex aliquis potens terrenum regnum Iudaicum ſuſcepturus eſſet, & jugum gentium ablaturus. Cum igitur Chriſtus hoc pacto non venerit, ſed in ſumma humilitate; venit non cum obſervatione, quia ab iis non ita exſpectatus fuerat. Vide Annot. Matth. 16. Item: *Non venit regnum Dei cum obſervatione*, quia *regnum meum* (inquit) *non eſt de hoc mundo*. Eſt enim regnum humile. Et tamen ſicut Chriſtus fuit viſibilis & monſtrabilis; *Ecce Agnus Dei*; inquit Baptiſta; ſic & regnum eius, quod eſt Eccleſia. Unde Chriſtus: *Venient ab Oriente & Occidente, & recumbent, &c. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt*. Hoc eſt quod etiam Ioannes illis dixit: *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis*, id eſt, jam converſari cœpit inter vos, & neſcitis eum. Idem autem judicium de capite & de corpore, id eſt, de Chriſto & Eccleſia.

℣. 31. *In illa hora, qui fuerit in tecto, &c.* Vide Aug. hoc myſticè interpretantem de tribus hominum generibus

ribus in Eccleſia lib. 2. q. Evangel. 44. vide etiam apud Chryſoſt. ſerm. de Aſcenſione Domini, incerto authore, explicantem quid ſit mola, quid lectus.

CAPUT XVIII.

℣. 1. *Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam, &c.* Per parabolam de judice iniquo, qui neque Deum timebat; neque homines reverebatur, exoratus tamen fuit importunis viduæ precibus; oſtendit ſemper orandum. Illud Domini præceptum de ſemper orando, fuere olim qui ſic intelligerent ut dicerent ita perpetuò vacandum eſſe orationi, ut nullo temporis ſpatio intermitti deberet, citantes & illud Apoſtoli 1. Theſſ. 5. *Sine intermiſſione orate.* Hi fuere Pſalliani, ſive Euchitæ, ab oratione hoc nomen ſortiti; quos inter hæreticos annumerant Epiphanius & Auguſtinus, quos dicunt tanta aſſiduitate orare ſolitos, ut eis qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Certum autem eſt nihil impoſſibile à Deo præceptum eſſe: Proinde videamus quid hac ſententia Dominus præcipere voluerit. Auguſt. eodem loco, videlicet hæreſi 57. loquens de utroque & Domini & Apoſtoli præcepto; Sic (inquit) ſaniſſimè accipitur, ut nullo die intermittantur certa tempora orandi; id eſt, ut quædam orandi tempora omnibus diebus obſerventur. Indicat Auguſt. alio loco pleniorem ſenſum utriuſque ſententiæ, videlicet epiſt. 121. de orando Deum cap. 9. In ipſa fide, ſpe, & charitate, continuato deſiderio, ſemper oramus. Et rurſum: Quod ait Apoſtolus: *Sine intermiſſione orate*; quid eſt aliud, quàm beatam vitam ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? ſemper hanc à Domino deſideremus; & oramus ſemper. Hæc ille; aſſiduam orationem intelligens perpetuum deſiderium rerum cœleſtium, quod certis temporum intervallis, vocali etiam oratione ad Deum, explicatur. S. Ambroſ. libr. 2. de Abel & Cain c. 9. de hoc præcepto ita ſcribit: Impenſè & frequenter monuit orandum, non ut faſtidioſa continuetur oratio, ſed ut aſſidua frequenter effundatur.

Cæterum videri poſſet ſemper orare, & nunquam deficere, idem eſſe, ac alterum alterius eſſe explicationem. Id enim eſt ſemper orare, orando nunquam deficere, nunquam tædio affici quod nondum exaudiamur. Id enim ſignificat exemplum ſubjectum de vidua, quæ importunitate ſua judicem, etiam iniquum, compulit ad jus dicendum. Cùm autem oratione noſtra petamus præcipuè vitam æternam, & in ſancta converſione perſeverantiam; conſequens eſt nos nunquam deſiſtere debere ab oratione, dum in hac vita ſumus; quia de perſeverantia & vita æterna dum hîc vivimus ſecuri non ſumus. Ita (inquam) deſiſtere non debemus ut ampliùs orandum non putemus velut deſperata exauditione; non ut oratio nunquam vel ſomno, vel cibo vel alia neceſſitate interrumpatur. Ita & vidua illa quæ pro exemplo proponitur, non ita continuò judicem interpellabat ut ne momento quidem ab eo diſcederet, ſed ſtatis diebus ac horis non deſinebat eum convenire, donec quod peteret, impetraret. Omninò tamen hæc duo diſtinguenda ſunt; ut prius pertineat ad aſſiduitatem orandi, poſterius ad perſeverantiam. Semper orare, eſt ſine intermiſſione orare, ſic enim Apoſtolus exponit, id eſt, multum ac ſæpe orare, ſive id ſtatis fiat horis, ſive non. Nam poſſet quis ſtatis horis orare, ut ſemel aut bis in die certis horis, qui tamen non diceretur ſemper & ſine intermiſſione orare; quia raró oraret; ſicut non dicimur ſemper, & ſine intermiſſione comedere quia ſtatis horis ſemel aut bis in die comedimus; ſed is diceretur modo quodam loquendi ſemper bibere, qui multum & ſæpe potat, etiamſi id non faciat ſtatis horis. Nam de huiuſmodi dicere ſole-
A mus; Ille potat de manè uſque in veſperam. Cornelius Centurio ſemper orabat Deum. Act. 10. Vide noſtr. Comment. 1. Theſſ. 5.

℣. 5. *Ne in noviſſima veniens ſuggillet me.* De hoc vocabulo (*ſuggillet*) vide Ianſen. Senſus eſſe videtur: Ne tandem verſa in furorem præ impatientia, manibus & unguibus involet in faciem & oculos meos.

℣. 7. *Et patientiam habebit in illis?* Græcè καὶ μακροθυμῶν ἐν αὐτοῖς. Quod Eraſmus vertit, *etiam cum patiens fuerit in illis*; id eſt, quantumcumque diſtulerit vindictam, tamen aliquando vindicabit.

Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte? Hæc ita ſonare videntur quaſi electi petant à Deo vindictam. Idque etiam apparet ab exemplo viduæ, quæ petebat vindicari de ad-
B verſario ſuo. Sed dicendum, electos cupere vindictam fieri de adverſarijs ſuis, præſuppoſita eorum impœnitentia. Sic enim petunt impleri juſtitiam divinam, & divinæ voluntati ſe conformant. Pſalm. 57. *Lætabitur juſtus cum viderit vindictam.* Et Apoc. 6. *Vindica ſanguinem noſtrum qui effuſus eſt.* Et in Officio Martyrũ; è Pſal. 78. *Intret in conſpectu tuo, &c. Vindica ſanguinem eorum qui effuſus eſt.* Et quia conſtat multos adverſarios & bonorum perſecutores ex hac vita ſine pœnitentia, diſceſſuros, hinc abſolutè ſic orat Eccleſia. Sed quia etiam ſcit multos acturos pœnitentiam, Deo illis pœnitentiam inſpirante: hinc dicit in oratione Dominica; *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

℣. 8. *Filius hominis veniens.* Hoc non ineptè referri
C poteſt ad primum Chriſti adventum; cui & Eccleſia accommodat Feria 2. ante Vigiliam Nativitatis Domini, ad Laudes Antiphona 1. Omnes enim Antiphonę illæ ſonant primum Chriſti adventum; & ſenſus eſt: Chriſtus quem vos exſpectatis venturum, cum venerit, nunquid fidem inter homines inveniet, maximè in Judaico populo? q. d. non inveniet, non recipietur, juxta illud: *In propria venit & ſui eum non receperunt*, Ioan. 1. Loquitur autem Dominus de ſe tanquam adhuc venturo, reſpiciens ad eorum exſpectationem quibus loquebatur; ſicut & hoc dictum eſt: *Tu es qui venturus es?* id eſt, qui venturus exſpectaris à Iudæis? Item: *Elias cum venerit.* Si tamen præcedentia attendantur; videtur pertinere ad ſecundum adventum. Præcedit enim de vindicta electorum facienda in die judicij. Et
D in ſuperioribus deſcripſit adventum Chriſti ſecundum, quem identidem vocat adventum filij hominis. Aug. ſerm. 36. de verbis Domini, de fide perfectâ & plena intelligit; quam dicit vix reperiri in Eccleſia. Quis enim (inquit) non montes transferret, ſi plena eſſet fides? Porrò hinc Sectarij colligunt fidem Eccleſiæ aliquando defecturam, contra manifeſtas Chriſti promiſſiones. *Non deficiet fides tua. Ego vobiſcum ſum, &c. Mittam vobis ſpiritum veritatis qui maneat vobiſcum.* Sed Reſp. intelligi fidem validam, conſtantem, & charitate firmatam, ut idem ferè ſignificetur quod Matth. 24. *Quoniam abundavit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Deinde, interrogatio Chriſti non ſignificat nullam ſorte, ſed raram admodum; ut ſenſus ſit: Filius hominis veniens ad judicium, paucos admodum inve-
E niet, in quibus ſit vera, ſolida, & perfecta fides.

℣. 9. *Dixit autem & ad quoſdam qui in ſe confidebant. Ad quoſdam*, id eſt, de quibuſdam. Vide Comment. Hebr. 1. v. 7.

℣. 9. & 10. *Parabolam iſtam: Duo homines aſcenderunt in templum.* Non ita parabolam, ut non eſſet rei geſtæ narratio. Nam rem verè geſtam eſſe, ſatis apparet ex illa concluſione. *Dico vobis deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Et Eccleſia Feria 5. poſt 1. Dominicam Quadrageſimæ in reſponſorio ſic canit: Qui Chananæam & Publicanum vocaſti ad pœnitentiam. Sed parabolam vocat, quod narratio poſſit pro exemplo ad alios homines accommodari, quomodo di-

citur

citur Pſal.68. *Factus ſum illis in parabolam.* Et Sapientiæ 5. *in ſimilitudinem improperij*, id eſt; à me ſumitur exemplum improperij; dicendo, ſicut ille, &c.

Duo homines aſcendebant in templum ut orarent. Quæritur: An Phariſæus oraverit; quod non apparet ex verbis eius, quia tantum gratias egiſſe legitur. Et tamen dicit Scriptura: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat.* Quod duobus modis ſolvitur. Vel enim ſenſus eſt: Phariſæus hæc verba dixit loco orationis: vel, oratio generaliter accipitur ut comprehendat etiam gratiarum actionem, & in genere omnem mentis in Deum elevationem. Vnde 1. Reg. 2. habemus: *Oravit Anna; & ait.* Vbi tamen toto cantico nihil à Deo petitur; ſed tantum gratiæ aguntur pro perceptis beneficiis. Ita de S. Laurentio canit Eccleſia, *B. Laurentius orabat dicens: Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi merui.* Hoc tamen quæri poteſt, An Phariſæus hæc dicendo mentem in Deum elevaverit, ſicut oportet. Reſp. quod non; cum hæc ſuperbè ab eo dicta fuerint: & de eo meritò dici poſſit, quod oratio eius ſit ei facta in peccatum; quia ſic orando peccavit. Itaque oravit generali ſignificatione orationis, ut etiam malas & ſuperbas orationes comprehendat.

℣.11. *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat.* Non hoc in eo culpandum quod ſtans oraverit, Nam & Publicanus ſtans oravit; & Marci 11. dicitur: *Cum ſtabitis ad orandum.* Quare nec Matth.6. reprehenduntur ut hypocritæ, qui ſtantes orant; ſed qui amant in Synagogis & angulis platearum orare, ut videantur ab hominibus, ſive ſtantes id faciant, ſive alio corporis ſitu.

Gratias tibi ago. Si quis hòc pacto oraret: Gratias tibi ago Domine Deus, quia non ſum ſicut Iudæi, Turcæ, Pagani, hæretici, ſchiſmatici, adulteri, ebrioſi, uſurarij, concubinarij; puto quod non peccaret; quia neque ſe juſtum diceret, neque cæteros, id eſt, vulgus hominum aſpernaretur illa oratione, neque quemquam in particulari judicaret, maximè de quo ſibi non conſtaret quod malus eſſet: ſed tantum gratias ageret Deo quod à talibus vitiis & peccatis ingentibus, quibus ſatis perſpicit ſe non eſſe obnoxium, & quibus conſtat multos homines obnoxios; ſe miſericorditer præſervaverit. At iſte Phariſæus ſe præfert cæteris, id eſt, pleriſque, ac ferè omnibus aliis, quod eſt intolerandæ ſuperbiæ; præſertim cum de ſeipſo nemo certus ſit an in juſtorum ſit numero. Deinde, & cæteros in genere, & ſpeciatim hunc publicanum aſpernatur & judicat; cum ſcire non potuerit de eo quod injuſtus eſſet, quia officium tale erat quod ſine injuſtitia exerceri poſſet. Item tanquam juſtitiæ ſatur, nihil petivit, ne quidem remiſſionem peccatorum; cum Scriptum ſit: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Matth.5.

Non ſum ſicut cæteri hominum. Similem quendam orationem Pelagij, vide apud Hieron. lib.3. Dial. contra Pelagium cap.5. Ubi tamen dicit Hieronymus Pelagium Phariſæo pejorem eſſe, quia non agit gratias, ſicut Phariſæus; tantum dicit: Tu noſti Domine quam ſanctæ ſint manus quas ad te extendo, quàm juſta, quàm immaculata labia quibus tibi, ut mihi miſereatis, preces fundo. Sanctus quoque Auguſtinus alicubi dicit Phariſæum hunc Pelagianis fuiſſe meliorem, quia bona quæ habebat vel habere ſe putabat; adſcribebat beneficiò Dei, cum ea Pelagiani ſuis tribuant viribus. Verùm ſi attendatur occaſio huius parabolæ, quam indicat his verbis S. Lucas, *Dicebat ad quoſdam qui in ſe confidebant:* puto rectius diceretur hunc Phariſæum gratias egiſſe Deo, non corde, ſed labiis, quia revera ſibi ſua bona tribuebat. Hoc eſt enim in ſe confidere, non in Deo gloriari, ſed ſibi & ſuis viribus ſuam juſtitiam adſcribere. Erat enim hic Phariſæus ex eorum numero, de quibus Apoſtolus dicit: *Quod ignorantes juſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere; juſtitiæ Dei non fuerunt ſubiecti.* Rom. 10. Vide S. Bern. ſerm. 13. in Cant. qui Phariſæum magis ex conſuetudine, quàm ex animo ſic locutum dicit, & bene probat.

℣.14. *Deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo.* Id eſt, præ illo, non quod ille etiam juſtus eſſet, ſed quomodo dicitur Deus aliquos eligere præ aliis, ſcilicet reprobis. Nam Phariſæus neque juſtificatus, neque juſtus deſcendit in domum ſuam, ſed ſuperbus & injuſtus, & magis peccator receſſit à templo, quàm illuc venerat. Nam ipſa oratio facta erat ei in peccatum.

Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Non dicit: omnis qui exaltatur, humiliabitur; ſed, qui ſe exaltat, qui ſe humiliat. Non enim qui ab aliis exaltatur ſervata cordis humilitate, humiliabitur; ſed qui ſeipſum exaltat. Neque qui ab aliis humiliatur cum ſuperbiam teneat in animo, exaltabitur; ſed qui ſeipſum humiliat.

℣.16. *IESVS autem convocans illos.* Non diſcipulos, ſed infantes. Vide Annot. Marci 10.

℣.19. *Nemo bonus niſi ſolus Deus.* Auctor Commentarij Paulini apud Ambr. ſuper 1. Tim. 1. quamvis ſcriptum ſit; Bonus homo de bono theſauro profert bona, nemo tamen (inquit) niſi unus Deus bonus eſt, quia ipſe fons bonitatis eſt, ex quo cæteri mutuantur ut boni ſint. Hoc eſt quod aliis verbis dici ſolet; ſolum Deum eſſe bonum eſſentialiter, cæteros participativè tantum. Poſſet etiam ſic intelligi, Nemo inter omnes homines bonus, ita ut careat omni vitio, atque peccato; niſi ille homo qui ſimul eſt Deus, ſcilicet Agnus qui abſtulit peccatum mundi. Hinc cæteri, mali dicuntur juxta illud Matth.7. *Si vos cum ſitis mali.* Saltem Chriſtus hoc loco voluit innuere ſe eſſe Deum.

℣.38. *IESV fili David, miſerere mei.* Cur potius *fili David* quàm fili Abrahæ? Per hoc ſignificavit Jeſum eſſe Meſſiam, ex ſemine David promiſſum; & regnaturum in ſolio David. Quod & pueri & turbæ ſignificaverunt acclamantes, *Hoſanna filio David.*

CAPUT XIX.

℣.5. H*Odie in domo tua oportet me manere.* v.6. *Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens.* Quare non dixit Zachæus ſicut Centurio: *Domine non ſum dignus ut intres ſub tectum meum?* *Reſpondeo*, Dominus adventum ſuum non offerebat in domum Centurionis niſi illius cauſa; nempe ut curaret puerum eius. Quod Centurio humiliter excuſavit; negans ſe dignum ſub cuius tectum intraret; ſimul fidem ſuam declarans, quâ crederet Dominum etiam abſentem poſſe verbo ſanare. Hic autem Dominus requirit hoſpitium, ad quod divertat ipſe cum ſuis diſcipulis. Atqui hoſpitium requirenti recuſare prætextu indignitatis ſuæ, non tam humilitatis eſſe videretur, quàm avaritiæ & inhoſpitalitatis. Quare convenientiſſimè fecit Zachæus, quamvis peccator quod Dominum petentem apud ſe divertere, cum ſuis gaudens in domum ſuam receperit. Et cum tam diverſæ ſint rationes facti utriuſque, ob quas illum ſic, iſtum autem ſic facere oporteret: non ſunt hæc facta inter ſe comparanda, ut quæratur uter meliùs fecerit. Uterque enim fecit quod in re præſenti faciendum erat. Vide annot. Matth.8.

℣.8. *Ecce dimidium bonorum meorum, do pauperibus.* Totum pauperibus dare non potuit etſi vellet, quia ſervare debebat unde faceret reſtitutionem; ut Annot. Beda.

Et ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Id eſt, quibuſcumque defraudavi reddo quadruplum. Non enim (*ſi*) dubitantis eſt, ſed ſupponentis, & univerſaliter loquentis. Utitur autem verbis præſentis temporis, *do*, & *reddo*: ut ſignificet firmitatem propoſiti ſui; quaſi dicat; jam certò conſtituo me hoc facturum.

Duo

Duo autem dicit; *do, & reddo*; *do dimidium pauperibus*; *defraudatis reddo quadruplum*: Nam duo hæc neceſſaria ſunt omnibus iis, qui per injuſtitiam & fraudes bona ſua auxerunt. Et in his duobus conſiſtit perfecta talium hominum ſatisfactio; nempe ut & ablata reddant, (Non enim dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum) & peccata admiſſa Eleemoſynis rediemant, juxta conſilium Danielis. Quod autem dicit, Reddo quadruplum ſi quem defraudavi; cum lex Exod.22. tantum cogat ad duplum, ſummam oſtendit promptitudinem reſtituendi, etiam ſuprà quàm lege præſcriptum erat. Quo facto ſimul admonentur qui per fraudem aliena occupaverunt, non tantum reſtituere, quæ injuſtè ablata ſunt, ſed etiam damna reſarcire, quę per rerum ſuarum carentiam fraudati incurrerunt.

℣.9. *Eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Quaſi dicat: Quamvis vos eum tanquam degenerem & alienum reputetis, eò quòd Publicanus ſit; quod officium vobis eſt admodum invidioſum; verè tamen Abrahæ filius eſt ſecundum carnem, non minus quàm vos; & idcirco non fuit eius ſalus mihi negligenda, qui ſum miſſus ad oves quæ perierant domus Iſraël.

Neque verò ex eo quod Zachæus publicanus erat; conſequens eſt gentilem fuiſſe. Nam & Matthæus publicanus fuit. Imò, ſi gentilis fuit cur Judęi non potius in Chriſto reprehendebant quod ad hominem incircumciſum divertiſſet; quàm quod ad peccatorem? Sed & ipſum Zachæi nomen Hebraïcum eſt, non Græcum, quod & legitur 2. Machab. 10. Hebraïcè enim dicitur Zachai, ut habetur 1. Eſdræ 2. & Eſdræ 3, & 7. Item ex eo apparet Judæum fuiſſe, quia dicens, *reddo quadruplum*, ad legem Moſaïcam reſpexit, tanquam illi ſubiectus. Vide Ianſen. concord. cap. 109.

℣.12. *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, &c.* Hæc parabola non eſt eadem cum illa Matth.25. ſed multiplex eſt differentia. Nam illic talenta dantur ad negotiandum, hic mnæ; illic uni quinque, alij duo, alij unum; hic ſingulis ſingulæ dantur mnæ; illic tres ſervi ſunt, hic decem. Illic ſervus piger talentum abſcondit in terra, hic aſſervat in ſudario. Illa parabola dicta Hieroſolymis poſt ingreſſum Domini in Hieruſalem cum ramis palmarum, quī deſcribitur Matth. 21. Iſta prope Hieruſalem ante dictum ingreſſum, qui ſtatim poſt deſcribitur.

℣.14. *Cives autem eius oderant eum.* Id eſt; Iudæi, eiuſdem generis atque adeò eiuſdem tribus homines. Nam Judæi tempore Chriſti in Iudæa morantes plurimi erant ex tribu Iuda.

Nolumus hunc regnare ſuper nos. Verba illis ſimilia quæ ſunt in Pſal.2. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis jugum ipſorum.* Hoc autem dixerunt quando clamaverunt apud Pilatum: *Non habemus Regem niſi Cæſarem.*

℣.17. *Eris poteſtatem habens ſuper decem civitates.* Hoc videtur maximè implendum in futuro ſæculo poſt reſurrectionem. Nam Dominum in parabola ad illud tempus reſpicere, inde apparet; quod dicitur: *Et factum eſt ut rediret accepto regno.* Ibi autem ſignificatur ſecundus Chriſti adventus ad judicium univerſale, de quo additur: *Iuſſit vocari ſervos, &c.* Item, abſurdum videtur hìc deſcribi mercedem quandam tantum temporalem, quæ ceſſatura eſſet in tempore univerſalis retributionis.

℣.20. *Quam habui repoſitam in ſudario.* Mnam habet in ſudario repoſitam qui amore quietis, & otij; timore laboris & moleſtiæ, eam non erogat: ut ſunt qui quærunt ſuaviter & molliter vivere, ſine laboribus & moleſtiis. Apud Matth.25. in terra defodit talentum, qui impeditus cura & ſollicitudine rerum terrenarum, & coacervandæ pecuniæ; talentum non expendit. Rectè enim per *terram* opes terrenæ ſignificantur, quæ è terra effodiuntur. Unde Poëta: Effodiuntur

A opes irritamenta malorum. Vide Peraldum lib. de ſumma vitiorum cap.14. de Avaritia. p. de prædicatoribus ſibi ſolum vivere eligentibus; ubi pulchrè exponit, quis dicatur in ſudario talentum abſcondere. Vide etiam Annot. Eccleſiaſtæ 4. & Matth.25.

℣.22. *Sciebas quod ego homo auſterus ſum, tollens, &c. Sciebas*, ut ais, & ut putas. Hoc enim præcedit, *De ore tuo te judico.* Sic Matth.2. *Herodes videns quod illuſus eſſet à Magis.* Sic enim putabat, cum Magi nec dolo, nec mendacio uſi fuiſſent erga eum.

℣.23. *Et ego veniens cum uſuris utique exegiſſem illam.* Uſuras vocat omne lucrum ſupra ſortem, ſive juſtum, ut ex negotiatione; ſive injuſtum, ut ex mutuo, Et quia quidquid lucrantur ſervi ex pecunia Domini, dominorum eſt; ideò non injuſtè eiuſmodi lucrum à
B ſervis exigebat, ſcilicet id quod ex mnabus ſuis quiſque erat lucratus, ſimul cum ipſis mnabus. Quin etſi injuſtitia eſſet in ea re unde ſumpta eſt parabola; non tamen conſequens eſt in re ſignificata injuſtitiam eſſe; quia aliquando in Scripturis per res malas myſticè bona ſignificantur, ut per ebrietatem Noë; aliquando etiam parabolicè, ut per villicum iniquitatis, ſupra cap. 16.

℣.37. *Cœperunt omnes turba deſcendentium.* Multa M.SS. habent, *Diſcipulorum*; In quibuſdam exemplaribus legitur, *diſcedentium*; In aliis, *diſcentium*. Græcè μαθητῶν, id eſt, *diſcipulorum*. At fortè interpres *diſcentium* vertit; unde poſtea lectionis varietas occaſionem acceperit, quod à ſcribis non ſatis intelligeretur quæ eſſent turbæ diſcentium. Idem paulò pòſt repetitur, di-
C centibus Phariſæis: *Magiſter, increpa diſcipulos tuos.* Videtur interpres aut utrobique vertiſſe *diſcipulos*, (eſt enim utrobique in Græco idem vocabulum, ſignificans *Diſcipulos*:) aut certè priori loco, *diſcentes*: poſteriori loco, *diſcipulos*. Concordantiarum Collector haud dubiè legit *diſcentium*; nam poſuit ſententiam hanc ſub verbo, *diſco.*

℣.38. *Pax in cælo.* Videtur hic locus intelligendus quomodo ille apud Paulum, Coloſſ.1. *Pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſive quæ in terris, ſive quæ in cælis ſunt.* Et Epheſ.1. *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt.* Vide commentarium eorum locorum. Quę ergo Paulus utroque loco conjunxit, id Lucas ſigillatim diverſis locis poſuit; c.2. *In terra pax*; & hoc cap. *Pax in cælo.* Sicut ergo illud, In terra pax,
D hunc habet ſenſum; pax iis qui morantur in terra, id eſt, hominibus; ita illud intelligit; Pax iis qui ſunt in cœlo, id eſt, Angelis.

Et Gloria in excelſis. Grecè *in Altiſſimis*, quomodo interpres vertit cap.2. Senſus: Gloria Dei qui habitat in ſublimi cœlo. Vide Annot. cap.2.

℣.39. & 40. Phariſęis dicentibus, *Magiſter increpa diſcipulos tuos*: Dominus reſpondet: *Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ad litteram hac ſententia ſignificat Dominus ſuos diſcipulos Deo inſtigante ſibi acclamare; itaque fieri non poſſe ut prohibeantur. Ipſos autem Phariſæos perſtringit tanquam lapidibus duriores, qui tot & tantis conſpectis miraculis, nondum permoverentur ad celebrandam laudem Dei. Myſticè verò hæc ſententia duobus modis eſt ve-
E rificata. Uno, quando crucifixo Domino, diſcipulis tacentibus, lapides & ſaxa veluti clamaverunt, id eſt, Dominum prædicaverunt, dum petræ ſciſſæ ſunt, & terra mota eſt, & monumenta aperta, teſtantia gloriam Dei, adeò ut his conſpectis Centurio exclamarit: *Verè filius Dei erat iſte.* Altero modo, quando poſt Domini paſſionem, obmuteſcentibus ad gloriam Dei Iudęis, & Chriſtum non recipientibus, gentiles ad eum converſi gloriam eius decantare cœperunt, qui ſunt lapides illi, de quibus Ioannes Baptiſta: *Potens eſt Deus de lapidibus, &c.* Vide Hieron. qui ſchema huius ſententiæ doctè explicat in Comment. ſuper Habac. 2. adductis etiam ſimilibus ex Cicerone & Salluſtio ſententiis.

℣.41. *Videns civitatem flevit ſuper illam.* Ter lachrymatum fuiſſe Dominum legimus: hîc, quando appropinquavit civitati tempus viſitationis ſuæ non cognoſcenti, & eum in propria venientem non recipienti. Ioan. 11. quando Lazarum erat reſuſcitaturus, & Heb. 5. ubi dicit Apoſtolus, Chriſtum preces ſupplicationeſque ad eum qui poſſet illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerentem, exauditum eſſe pro ſua reverentia. Quod referri poteſt ad orationem fuſam in cruce, vel in horto. Utrobique enim pro ſalute oravit; & quod voluntate rationali petivit, impetravit, à morte liberatus per reſurrectionem tertio die ſubſecutam. Vide Comment. dicto loco Hebr. 5.

℣.42. *Quia ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Locus obſcurus; qui ut illuſtretur: notandum Imprimis, *Quia*, redundare, ut ſæpe alibi, proprietate linguę Hebraïcæ. (*Si*) videtur poſitum optativè, pro (ô ſi) vel, (utinam) *Quæ* non ad diem refertur; ſed ad cognoſcenda, eſt enim Græcè τὰ pluralis numeri. Hæc igitur eſt ſententia; Utinam cognoviſſes tu quoque, ſicut ego cognoſco (cuius cognitionis meæ teſtes ſunt hæ lachrymæ) ea quæ ad pacem tuam, id eſt, ſalutem & proſperitatem tuam pertinent. Id eſt, utinam ea ſeriò, & toto affectu cogitares, agendo pœnitentiam pro peccatis tuis, & Meſſiam Domini recipiendo. *Et quidem in hac die tua*, id eſt, in hoc tempore viſitationis tuæ. Nunc enim, quando prædicatur tibi Evangelium pacis ab ipſo auctore pacis, tempus eſt acceptabile, & dies ſalutis, juxta Iſaiæ vaticinium. At verò, quod vehementer dolendum eſt, ea quę ad pacem tuam pertinent non cognoſcis, nec cogitas, nec ſtatuis ante oculos; ſed abſcondita ſunt ab oculis tuis.

CAPUT XX.

℣.13. **F***orſitan cum hunc viderint, verebuntur.* Quamvis Deo omnia, etiam futura & cordium occulta, ſint notiſſima, dicit tamen, *forſitan*; propter libertatem arbitrij quâ poterant revereri, poterant etiam non revereri. Matthæus quidem & Marcus habent abſolutè, *verebuntur filium meum*. Sed illi ſignificaverunt quid merito humana conjectura ſit præſumendum, & quid futurum erat, niſi eos nimia malitia excæcaſſet. Adde, quod hæc verba ſint non Patris cæleſtis, ſed hominis patrisfamilias, de quo parabola narratur: Accommodantur autem juxta exigentiam parabolæ, Patri cœleſti, ſed certo modo intellecta, quomodo convenit intelligi humana, dum transferuntur ad divina; ſcilicet figuratè: ut ſenſus ſit, quamvis occiderint ſervos meos, Prophetas; tamen non eò procedere debet humana malitia, ut nec filio parcant.

℣.14. *Coloni viſo filio cogitaverunt intra ſe dicentes: Hic eſt hæres; occidamus illum, ut noſtra fiat hæreditas.* Coloni populum Judaïcum ſignificant, qui poſt cęſos & interfectos Prophetas, etiam unicum Dei filium occiderunt.

Sed quomodo de eo dicunt: *Hic eſt hæres, occidamus illum?* quæ verba ſignificare videntur, eos non latuiſſe quod hic eſſet Chriſtus, & filius Dei; cum dicat Apoſtolus Petrus in Actis c. 3. ad Iudæos: *Et nunc fratres ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.* Et Paulus 1. Cor. 2. *Si cognoviſſent; nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Reſp. Iudęi & Iudęorum Principes qui eum crucifixerunt, aliquid cognoverunt in eo, aliquid autem ignoraverunt. Cognoverunt aliquo modo quod Meſſias eſſet, & quod hæres regni populi Dei; putantes illud regnum terrenum & carnale futurum, non ſpirituale. Et quia tam humiliter de Meſſia ſentiebant; licet hinc ſatis intelligerent eum ipſum eſſe; tamen veriti non fuerunt in eum manus injicere, eumque occidere, ne per eum mutato rerum Iudaïcarum ſtatu, ipſi honoribus & emolumentis temporalibus exciderent. Deitatem autem eius prorſus ignorabant. Unde & quæſtionem de Chriſto cuius filius eſſet, non potuerunt explicare; quia non intelligebant eum ſic hominem futurum, ut ſimul Deus eſſet. Sic Ioſephus, quamvis IESUM teſtetur Chriſtum fuiſſe, non tamen fuit Chriſtianus; quia de Chriſto carnaliter & humiliter ſentiebat, non putans eum veniſſe ad redemptionem generis humani, nec fidem eius eſſe ad ſalutem neceſſariam; ſed fuiſſe inſignem aliquem Prophetam, qui potuiſſet ad regnum Iudaïcum pervenire, niſi odio fuiſſet impeditus; eumque fuiſſe juſtitiæ doctorem, ſicut alij Prophetæ. Unde de Chriſto ſentiebat ferè ſicut illi qui dicebant: *Quia propheta magnus ſurrexit in nobis.* Vide noſt. Comment. 1. Cor. 2. v. 8.

Ut noſtra fiat hæreditas. Hinc ſatis apparet, eâ parte; *hic eſt hæres*, non hoc neceſſariò ſignificatum eſſe, quod eſſet naturalis filius Dei; ſed tantum, quod potiturus eſſet bonis ſibi pręparatis ex Dei ordinatione, videlicet regno, quale Chriſto promittunt Scripturæ; quod tamen hi Iudæorum Principes non niſi terrenum intelligebant. Unde dicunt: *ut noſtra fiat hæreditas*, id eſt, ut nos ea bona deinceps ſecuri tanquam noſtra poſſideamus. Metuebant enim ne Ieſu in regnum evecto, ipſi, quorum mores vehementer oderat, ſtatu dignitatis ac potentiæ ſuæ dejicerentur.

℣.16. *Quo audito dixerunt: Abſit.* Quomodo conſentiunt hæc cum Matthæo, qui dicit ipſos Sacerdotes & Phariſæos reſpondiſſe, *Malos male perdet, &c.* Ad hoc variè poteſt reſponderi. Primum, ipſos Sacerdotes reſpondiſſe quod eſt apud Matthæum. Deinde Dominum hoc ipſum confirmaſſe, ut eſt hoc loco: Poſtea verò Sacerdotes, percipientes quod contra eos dicta eſſet parabola; dixiſſe, *Abſit*: ut videlicet vinea ad alios transferatur. Secundò, alios quidem eoſque ſaniores ex auditoribus, reſpondiſſe quod eſt apud Matthæum, approbante reſponſionem eorum Domino, ut eſt apud Lucam: Alios verò, id eſt, principes Sacerdotum & ſcribas Chriſti inimicos, id quod hîc dicuntur dixiſſe, *Abſit*, quod intelligerent adverſum ſe parabolam dirigi. Tertiò, & rectius, ut apparet, Auditores concorditer reſpondiſſe, *Malos malè perdet, &c.* Neque enim ſine impudentia aliter reſpondere potuiſſent; Dominumque ſuo calculo reſponſum eorum approbaſſe: Tum verò auditores, vel omnes vel aliquos dixiſſe: *Abſit*: Reſpicientes nimirum ad factum Agricolarum. q. d. μὴ γένοιτο. Ne fiat, Deus avertat, ne unquam tale quid accidat. *Abſit* (inquam) ut tantum ſcelus ab agricolis perpetretur. ut videlicet non modo ſervos Patris familias Domini vineæ, ſed & filium & hæredem interficiant. Quibus aptè deinde reſpondet Dominus: *aſpiciens eos*. ſcilicet Principes Sacerdotum & Scribas, qui tale quid perpetraturi erant; & dicens; *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* q. d. quamvis grave & enorme ſit ſcelus illud, verè tamen futurum eſt, juxta id quod prædixit David, lapidem reprobandum ab ædificatoribus; id eſt, interficiendum ab agricolis, Chriſtum à Sacerdotibus & doctoribus populi, quorum erat ædificare & ad pietatem inſtruere populum Dei. Quomodo Chriſtus factus ſit in caput anguli, id eſt, lapis angularis, docet nos Apoſtolus ad Ephel. 2. dicens: *Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, &c.* uſque ad finem. Et Petrus 1. epiſt. cap. 2. Vide noſtrum commentarium utroque loco.

℣.35. & 36. *Illi autẽ qui digni habebuntur ſæculo illo, neque nubent, &c. æquales enim Angelis ſunt.* Non dicit: Erunt Angeli, aut convertentur in Angelos, aut in ſpiritus, ſicut malè veteres quidam hęretici hunc locum intellexerunt, dicentes corpora reſurgentium fore merè ſpiritualia; ſed, quod erunt æquales Angelis Dei, non

non quidem ſecundum omnes proprietates, ſed ſecundum eas, quæ hic à Domino diſertis verbis exprimuntur. Sicut enim Angeli neque nubunt, neque uxores ducunt, neque mori poſſunt: ita filij reſurrectionis nuptiarum expertes erunt, & beata ac perpetua fruentur immortalitate.

℣.38. *Deus autem non eſt mortuorum, ſed vivorum; omnes enim vivunt ei.* Id eſt, Quamvis illi mortui ſint, Deo tamen vivunt, qui poteſt eos ſuſcitare ad vitam beatam. Quod & certiſſimè facturus eſt, quia eſt Deus eorum; non eſt autem Deus mortuorum ſed vivorum. Sic canit Eccleſia: Deus cui omnia vivunt, & cui non pereunt moriendo corpora noſtra. Et ad Invitatorium habemus; Regem cui omnia vivunt, venite adoremus. Et nota, illud, *Omnes enim vivunt ei*, eſſe declarationem eius quod præmiſit apud Matthæum & Marcum; *Erratis neſcientes virtutem Dei*, nempe quâ poteſt etiam mortuos ad vitam ſuſcitare: *omnes enim ei vivunt.*

CAPUT XXI.

℣.3. *Vere dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit.* Non dicit Dominus viduam plus meruiſſe apud Deum; aut, oblationem eius Deo fuiſſe gratiorem, quod tamen omnino verum eſt, ſed dicit (quod amplius mirandum eſt) eam plus dediſſe, quàm reliqui omnes, cùm tamen dicat Marcus: *multi divites jactabant multa.* Plus miſit hæc vidua non abſoluta comparatione quantitatis, ſed pro ratione proportionis ſuarum facultatum. Sicut enim puero plus eſt ferre decem pondo, quàm viro robuſto quinquaginta, ita pauperi ſæpe plus eſt offerre unum ſtuferum, quàm diviti, coronatum. Quod ſi eadem proportione divites miſiſſent cum vidua; mittere debuiſſent totam ſubſtantiam ſuam. Id enim feciſſe viduam teſtatur Dominus: *omnem* (inquit) *victum ſuum quem habuit, miſit.* Et quia opera externa ferè ſigna ſunt interioris affectus; voluit ex contrario Dominus ſignificare, hanc viduam ex maiori affectu charitatis & devotionis, miſiſſe, & proinde plus apud Deum meruiſſe. Quod ſi quis minus donat, plus mereri poteſt apud Deum; poterit & is qui nihil donat eo quod nihil habeat, modo promptam habeat voluntatem donandi, tantundem vel amplius mereri, quàm is qui donat aliquid. Item nota Chriſtum, tametſi à Sacerdotibus templi ad mortem quæreretur, non tamen impediiſſe oblationes, quarum pars in uſum Sacerdotum cedebat; qui fortaſſe malè expendebant, ſed potius eas commendaſſe. A quo ſpiritu longè abſunt noſtro tempore malevoli quidam ac ſemichriſtiani, qui quidquid in Sacerdotes Dei & Eccleſiam impenditur, rodunt, & reprehendunt, nec ipſi quicquam donantes; nec alios permittentes.

℣.4. *Hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit, miſit.* Quomodo deerat illi & habebat? Græcè eſt; *ἐκ τοῦ ὑστερήματος*. Eraſmus, *ex penuria ſua*, id eſt, ex eo quod ipſi neceſſarium erat ad victum, immò totum victum. Nam id quod ſequitur: *omnem victum, &c.* per incrementum accipiendum eſt, quaſi dicat; non tantum ex eo quod neceſſarium erat, ſed totum quod neceſſarium ſibi ad victum erat, miſit. Vide Annot. Marc. 12. & Comment. 2. Cor. 8.

℣.8. *Multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego ſum.* Id eſt, multi venient adſcribentes ſibi nomen meum; nempe id quod mihi verè competit, ſcilicet Chriſti, dicentes ſe eſſe eum, qui ego ſum, id eſt, Chriſtum. Neque enim hi Pſeudochriſti, de quibus hæc loquitur Dominus, aut quiſquam eorum dixit, ſe eſſe Jesum Nazarenum crucifixum, ſed ſe eſſe Chriſtum promiſſum, & à Prophetis prænuntiatum, quod ſoli Jesu Nazareno crucifixo verè competebat.

℣.14. *Ponite ergo in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis: Ego enim dabo vobis os &*

A *ſapientiam; cui non poterunt reſiſtere.* Vide Annotat. cap. 12.

℣.19. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras:* *Poſſidebitis*, id eſt, lucrifacietis, ſalvabitis, conſervabitis. Nam *poſſidere* phraſi Hebræa ſæpe ſignificat acquirere; comparare, vendicare ſibi tamquam poſſeſſionem. Sic Eva Gen. 4. *Poſſedi hominem per Deum.* Sic Petrus de Iuda Act. 1. *Poſſedit agrum de mercede iniquitatis*; & idem ad Simonem Magum Act. 8. *Exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri.* Igitur poſſidere animam ſuam, eſt animæ ſuæ ſalutem acquirere, quod alio loco dicitur, *invenire animam ſuam.* Nam quod Matth. 10. & 16. dicit: *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*; id Lucas cap. 9. & Marcus 8. dixerunt; *qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet* B *eam.* Atque in hoc loco eſt poſſidere. Similis huic ſententia eſt illa; *Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit.* Matth. 10. & 24.

℣.25. *Et erunt ſigna in ſole.* Quæſtio non parva eſt, Si hæc ſigna horrenda & univerſalia præceſſura ſunt adventum judicis, ut hîc manifeſtè dicitur; quomodo verum eſt quod infra dicit Dominus hoc eodem capite: *Et ſuperveniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Neque enim tot & tantis ſignis toti mundo prænuntiata dies, videri poterit improviſa; quod hæc poſteriora Chriſti verba ſignificant. An inter illa ſigna, & hunc judicij diem tantum intercedet temporis ſpatium, ut homines jam C illorum obliti reverſuri ſint ad ſolitas voluptates & cupiditates?

℣.27. *Et tunc videbunt filium hominis.* An potius dicendum, Quia fides vix erit in terra; homines quidem ſigna conſpecturos, ſed quod fide careant, non per ea exſpectaturos diem judicij; licet futuri ſint in maximo timore & exſpectatione eorum quæ ſupervenient univerſo orbi, ut in textu dicitur; videlicet neſcientes quid futurum ſit? At Dominus ſignificat homines futuros eſſe ſecuros, &, ſicut in diebus Noe, conſuetis humanis operibus, ut conviviis, nuptiis, plantationi, ædificationi vacaturos: quod futurum eſſe tantis ſignis apparentibus, non videtur credibile. Unde etſi quis dicat per ſedentes ſuper faciem terræ non intelligi juſtos, ſed ſæculo deditos homines; eò D quòd dies illa juſtis diem Domini exſpectantibus, non ſit tanquam laqueus superventura, ſed ſolis peccatoribus: non tamen ſolvitur difficultas, quæ remanet de ipſis peccatoribus, propter apparentia toto mundo horribilia ſigna. An igitur dicendum, diem Domini, quem dicit Dominus tanquam laqueum superventurum, comprehendere univerſum tempus ex quo ſigna illa incipient oſtendi, uſque ad ipſum judicium? hoc enim tempus ſuperveniet impiis tanquam laqueus, non ita tamen, quin adhuc poterunt agere pœnitentiam, & ad Domini adventum ſe præparare. Quam expoſitionem probabiliorem facit comparatio de diebus Noë, quam alibi Dominus adhibet, ſupra 17. & Matth. 24. Non enim qui tunc vivebant, morte comprehenſi ſunt ex improviſo, ſed diluvio, quod cœpit E à die quo intravit Noë in arcam, uſque ad quem diem comedentes & bibentes, &c. *Ita erit* (inquit) *& adventus filij hominis*; ſub eo nomine adventus comprehenſis videlicet ſignis præcurrentibus & proximum eius adventum nuntiantibus; ſicut aquæ diluvij Noë ingrediente in arcam, prænuntiabant interitum mundo. Securitas ergo hominum erit uſque ad oſtenſionem horribilium ſignorum; ſicut ibi erat uſque ad inſolitos aquarum imbres è cœlo ruentes; licet non ſtatim eodem die fuerint homines abſumpti. De his ſignis, vide Annot. Matth. 24. & in 4. Sent. diſt. 48.

℣.29. & 30. *Videte ficulneam & omnes arbores: cum*

producunt jam ex ſe fructũ, ſcitis quoniam propè eſt æſtas. Matthæus & Marcus à Luca diſſentire videntur. Nam fructum ſolum non nominant, verùm etiam videntur excludere; ſic enim habent: *A ficu diſcite parabolam: cum jam ramus eius tener fuerit, & nata folia, ſcitis quia propè eſt æſtas.* At cum ramus adhuc tener eſt, & nata folia, nondum fructum produxit. Sed obſerva textum noſtrum non dicere, cum produxerint, ſed *cum producunt ex ſe fructum.* Res enim dum adhuc generatur & producitur, nondũ eſt. Incipit autem generatio fructuum in gemmis primũ erumpentibus; at perficitur multò poſt, uti ſenſu notum eſt. Cæterum in Græco nulla eſt ambiguitas; ita namque habet: ὅταν προβάλωσιν ἤδη, id eſt, *quando projiciunt* ſeu *protrudunt jam*, ſubaudi gemmas: hoc eſt cum gemmas incipiunt emittere. Noſter interpres ſupplendi ſenſus cauſa addidit: *ex ſe fructum*; non malè ſi ſic intelligatur ut diximus. Aut certè pro eo quod in Græco ſequitur βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν, id eſt, *videntes, ex vobiſipſis*; legit καρπὸν ἀφ' ἑαυτῶν; id eſt, *fructum ex ſeipſis.* Quod vel ex eo magis fit probabile, quia pro his verbis non aliud reddidit.

℣.34. *Ne fortè graventur corda veſtra in crapula.* *Crapula*, pro gula metonymicè: Nam guloſitas gignit crapulam. *Et ſuperveniat in vos repentina dies illa.* Sciebat Chriſtus diem judicij non ſuperventuram iis ad quos loquebatur; quomodo ergo eos hortatur ad ſobrietatem, ne repentè illa die opprimantur; niſi, quia qualis quiſque in morte reperitur, talis quiſque ſiſtetur Deo in die judicij? Qualem ergo mors deprehenderit, talem C deprehendet judicij dies.

℣.36. *Vigilate itaq; omni tempore orantes.* Illud (*omni tempore*) poſitũ inter, (*vigilate*,) & (*orantes*,) utrobique commodè referri poteſt. Nam utrumque alibi Scriptura monet. Semper orandum eſſe ſupra c. 18. & alibi: & ſemper vigilandum; in eo quod vult nos quandocumque Dominus venerit, inveniri vigilantes. Nec ſatis apparet ad utrum hoc loco meliùs referatur. Secundum tamen non eſſe hic in Græco προσευχόμενοι; quæ vox erat Luc. 18. ubi dicitur πάντοτε προσεύχεσθαι, *ſemper orate.* Eſtq; magis abſolutum quam δεόμενοι, quod hic habetur, id eſt, precantes ſeu deprecantes, quod requirit poſt ſe expreſſionem rei quæ petitur. Unde ſequitur, *Ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante filiũ hominis.* Syntaxis igitur hæc eſt: Vigilate D omni tempore, & Deum precamini, ut det vobis effugere hæc mala quæ prædixi, & ſtare cum fiducia & exſpectatione redemptionis veſtræ, ante filium hominis.

℣.36. *Et omnis populus manicabat ad eum.* Græcè ὤρθριζε, Pſ. 126. ὀρθρίζειν, *ante lucem ſurgere.* Ubi Hebraicè eſt, *manicantibus ſurgere.* Et Gen. 20. *Et manicavit Abimelech in matutino.* In Concilio Turonico 2. Canone 14. *manicationes*, id eſt, matutinæ ſurrectiones.

CAPUT XXII.

℣.3. *INtravit autem Satanas in Iudam.* Ioannes teſtatur c. 13. quod poſt buccellam introiverit in eum Satanas. Sed dicendum eſt; quod & prius intraverat, & poſtea. Priùs quidem, ut & Ioannes eodem c. indicat, circa initium; quando ei inſpiravit & perſuaſit E ut Chriſtum Iudæis venderet, poſtea verò, quando cum eis venit ad tradendum. Quoties enim diabolus homini perſuadet grave & deteſtandum aliquod peccatum intrare in eum dicitur. Unde nihil vetat, quin ſæpius in eundem intret, etiamſi ab eo non fuerit egreſſus. Quomodo & ſpiritus Domini in Scriptura veteris teſtamenti dicitur in Sanctos inſiliiſſe, quotieſcumque egregium aliquod facinus, Deo in eis operante, fecerunt; ut in Gedeonem, Sampſonem, Iephte. Manifeſtum eſt ex hoc loco & aliis, diabolo impellente, Chriſtum fuiſſe traditum in mortem; & proinde myſterium divinæ Sapientiæ diabolum ignoraſſe; ut dicitur 1. Cor. 2.

℣.16. *Dico enim vobis quia ex hoc non manducabo* A *illud, donec impleatur in regno Dei.* Dubium an dicat de agno paſchali, an de corpore ſuo. Item de eo quod ſequitur paulò poſt; *Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*: an de calice cœnæ paſchalis, an de calice ſanguinis ſui. Vide Heſſelium in Matthæum, & in explicatione Paſſionis Dominicæ, & noſtra in 4. diſt. 11.

℣.19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Verba ſunt dantis poteſtatem; & ſimul præcipientis, ut poteſtate aliquando utantur. Præceptum eſſe intelligit Concil. Trid. cap. 1. Seſſ. 22. Quod autem hæc verba ſuo modo pertineant etiam ad omnes fideles, qui jubentur ſumere, idque in memoriam Paſſionis Dominicæ; patet ex Apoſtolo 1. Cor. 11. ubi recitatis his Domini verbis, ſubjungit, ad plebem Corinthiorum loquens; B *Quotieſcumque enim manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Patet item ex Canone Miſſæ in quo Sacerdos poſt illa verba: *Hæc quotieſcumque feceritis in mei memoriam facietis*; ſtatim ſubjungit; Unde & memores nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, eiuſdem Chriſti filij tui, tam beatæ Paſſionis: offerimus præclaræ maieſtati tuæ, &c. Vide Commentarium 1. Cor. 11.

℣.20. *Hic eſt calix novum teſtamentum in ſanguine meo.* Iiſdem verbis Apoſtolus 1. Cor. 11. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Senſum accipe ex Canone Miſſæ; ubi habes: *Hic eſt calix ſanguinis mei novi teſtamenti.* Et ex Matthæo & Marco; qui C plenius loquuntur dicentes: *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti.* Itaque ſic expono: Hic eſt calix ſanguinis mei, id eſt, id quod hoc calice continetur eſt ſanguis meus, quo novum teſtamentum confirmatur. Vide Comment. 1. Cor. 11.

Qui pro vobis fundetur. Ad calicem refertur, non ad ſanguinem, ut eſt manifeſtum ex Græco. Τοῦτο τὸ ποτήριον -- τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hic eſt calix qui pro vobis effunditur.* Neque in Græco additur verbum *eſt*, ſed ſubintelligitur. Funditur autem, dum bibitur, unde Theophylactus in 1. Cor. 11. ait quòd bibens è calice, profundit ſanguinem; & indignè bibens, temere profundit; ſicut fecerunt Iudæi Chriſtum occidentes. Vide loco ſupra citato 1. Cor. 11. & Annot. Matth. 26.

℣.21. *Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum eſt in menſa.* Ex his verbis dictis poſt præcedentia, prorſus D apparet Dominum de traditore ſuo locutum fuiſſe poſt miniſtratam Euchariſtiam. Vide Annot. Matth. 26. & Ioan. 13. Ex quo loco magis etiam id confirmatur.

℣.24. *Facta eſt autem & contentio inter eos.* Fortè nata occaſione ordinis in menſa, aut porrectæ Euchariſtiæ; Nam Ioannes recumbebat ſuper pectus Jesu: vel ex aliis quæ in menſa gerebantur. Non fuit autem propriè contentio, quæ fit cum clamore, & pugna verborum; ſed fuit diſceptatio quædam quæ fiebat ſubmiſſis verbis, ac muſſitando. Nam altis vocibus contendere in menſa, Chriſto præſente & audiente, non fuiſſent auſi: ut nec aliàs fecerant. Sed talia faciebant, vel tacitè, vel abſente Domino.

℣.26. *Vos autem non ſic.* Scilicet ſicut reges gentium, qui oſtentant poteſtatem ſuam, & magis vo- E lunt benefici vocari, quàm eſſe; & non ad bonum commune populi, ſed ad privata commoda referunt uſum ſuæ poteſtatis. Vobis contra præcipio humilitatem, & affectum ſubſerviendi bono publico, ut cogitetis vos eſſe quaſi miniſtros aliorum. Id ſignificant verba ſequentia: *ſed qui maior eſt in vobis*, id eſt, ſuperior, *fiat ſicut junior*, id eſt, minor: *& qui præceſſor eſt*, id eſt, præfectus *ſicut miniſtrator.* Scilicet; ad bonum commune. Idque mox declarat ſuo ipſius exemplo; qui tamen abſque dubio præfectus erat, & poteſtatem habens in ſuos diſcipulos. Item, id probant vocabula *maior, præceſſor.* Ergo volebat inter ſuos diſcipulos eſſe aliquem maiorem & præceſſorem. Hinc

ergo

ergo ſtatuitur primatus in Eccleſia. Poteſt etiam ſenſus A eſſe: Poteſtatem Eccleſiaſticam, quam vobis dabo, non debetis exercere quomodo poteſtas civilis & regia exercenda eſt, ſcilicet cum armis & terrore & oſtenſione poteſtatis, adhibito ſatellitio. Tamen pro altero ſenſu ſuprà allato faciunt verba illa, *Sed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut junior.* Hæc enim ſignificant prælectum debere ſtudere utilitati publicæ ſubditorum ſuorum. Quod etiam facere debent principes ſæculi. Vide Annot. Matth. 20.

℣. 28. *In tentationibus meis.* Id eſt, perſecutionibus, & laboribus; qui vocantur *tentationes*, vel quia Diabolus ſicut ante per ſe, ita poſtea per membra ſua variè Chriſtum tentavit, ſollicitans ad peccandum: vel quia perſecutionibus & adverſitatibus ſolent homines ad B impatientiam, deſperationem, vindictam & odium proximi tentari; licet Chriſtus induci in peccatum nullo modo potuerit. Item Chriſtus à Diabolo & hominibus tentatus fuit ſcire volentibus ex eius dictis & factis, quid ſentiret, quid noſſet, quis & qualis eſſet; ſive ſimpliciter, ſive ad ſtruendam ei calumniam. Sic legimus quod *ſurrexit Legiſperitus tentans eum, &c.* Phariſæi cum Herodianis conſulunt eum de tributo, ut caperent in ſermone; quibus reſpondit: *Quid me tentatis hypocritæ?* Tribulationes autem vocari tentationes oſtendit locus Iacobi 1. *Omne gaudium exiſtimate, fratres, cum in varias tentationes incideritis.* Vide eius loci Comment. Afflictiones vocantur item tentationes, id C eſt, probationes; quia per eas tentari, id eſt, probari, ſolent homines, & cognoſci quales ſint. Sic Deus tentavit, id eſt, probavit, Abraham. Geneſ. 22.

℣. 29. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis.* Bifariam intelligi poteſt: Vel hoc modo; Sicut Pater diſpoſuit, id eſt, conſtituit mihi dare regnum; ita & ego vobis dare regnum conſtituo, cuius regni dignitas explicetur verbis ſeqq. *Vt edatis, &c. & ſedeatis ſuper thronos, &c.* vel ita: Sicut Pater diſpoſuit mihi regnum, ita ego vobis diſpono & dare conſtituo hanc dignitatem, *ut edatis, &c.* Qui ſenſus prior videtur. Quaſi enim ita loquitur Dominus: Cùm Pater meus mihi præparaverit regnum; ego vobis pro eo quod permanſiſtis mecum in tentationibus meis, diſpono, præparo, & dare conſtituo maximum hoc beneficium, ut mihi in regno meo ſitis proximi, ac bonorum meorum participes; ſcilicet edentes, & biben- D tes, &c. Quæ omnia ſpiritualiter ſunt accipienda. Et huc ſpectat quod ſupra dixit: *ex hoc non manducabo, nec bibam, donec veniat regnum Dei;* vel, ut apud alios Evangeliſtas: *donec bibam illud novum in regno Dei.* Item ſic accipi poteſt: Ego diſpono vobis regnum, ſicut diſpoſuit, id eſt, injunxit, mihi Pater, ut vobis diſponerem regnum. Sed hic ſenſus mihi non probatur. Cæterum quidam hoc impleri putant in præſenti ſæculo, dum videlicet fideles reficiuntur cæleſti cibo Euchariſtiæ, qui miniſtratur de menſa Domini. Sed hoc fidelibus omnibus commune eſt; hîc autem aliquid peculiare promittitur Apoſtolis, maximè in eo quod ſequitur: *Et ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſraël.* Hoc enim ad futurum ſæculũ pertinere, conſtat ex Matt. 19. E *Cum ſederit* (inquit) *filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël.* Quomodo verò hoc ad Iudam non pertineat, qui erat unus ex duodecim; Vide Annot. Matth. 26 & 19.

℣. 31. *Ait Dominus, Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum.* Senſus eſt: Satanas popoſcit à Deo & impetravit, ſicut olim contra Iob, ut vos Apoſtolos meos tentationibus agitaret & commoveret, ſicut agitatur in cribro triticum, quando ſeparatur à pulvere. Ita concuſſi & agitati ſunt Apoſtoli, quando Chriſto relicto omnes fugerunt. Hinc diſcimus, diabolum non tantum vincere, ſed ne tentare quidem A poſſe hominem, niſi poteſtate accepta à Deo.

℣. 32. *Ego autem rogavi pro te.* Contentionem diſcipulorum de primatu ſuperioribus verbis expreſſit Dominus, exhortatione humilitatis. Nunc autem ſimpliciter dirimit ac tollit, declarans quem inter Apoſtolos vellet eſſe primum, videlicet Simonem Petrum, conſtituens eum fratrum ſuorum confirmatorem, idque facit, paulò pòſt moriturus; eò quòd eſſet res maximi momenti. Quo exemplo nos etiam monemur, ut controverſiarum cauſas quæ nobis vita defunctis exoriri, vel in grave aliquod malum prorumpere poſſent, ſtudeamus ſopire, & extinguere ante mortem.

Ego autem rogavi pro te Petre. Rogavit Chriſtus pro omnibus. Nam apud Ioannem dicitur, cap. 17. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo.* Singulariter tamen pro B Petro dicit ſe rogaſſe, propter illud quod ſequitur: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ideo autem pro Petro peculiariter rogaſſe ſe dicit, quia Petrus aliorum caput conſtituendus erat, imò aliorum firmamentum. Ideo enim à petra nomen accepit. Et hîc dicitur, *Confirma.* Sicut enim confirmat petra ædificium ſibi ſuperpoſitum; ita Petrus tanquam Petra fratres ſuos, id eſt, univerſam Eccleſiam, confirmaturus dicitur. Nam quod ad reliquos Apoſtolos attinet, illi poſt acceptum Spiritum Sanctum confirmatione Petri non admodum egebant. Nam & eorum fides non erat defectura in ipſorum perſona; ſed propter totam Eccleſiam illud ad Petrum dictum eſt.

Confirma fratres tuos. Per fratres videntur intelligi C Apoſtoli & omnes Coepiſcopi, quos ipſe Petrus in ſua epiſtola vocat compresbyteros. Antiquiſſimi enim moris eſt ut Romanus Pontifex cæteros Epiſcopos fratres vocet; & hi viciſſim illum vocent fratrem; ut patet ex epiſtolis Cypriani ad Romanos Epiſcopos. Quæ conſuetudo ex hoc loco comprobatur; & fortè inde etiam originem habet. Porrò confirmatis fratribus, id eſt, Coëpiſcopis, confirmantur per eos eorum ſubditi; Et ita ex conſequenti per Petrum & Petri ſucceſſorem confirmatur tota Eccleſia. Tunc autem maximè fratres ſuos, id eſt, Coëpiſcopos, confirmat Petrus, quando ſententiam Epiſcoporum in generali Concilio Romanus Epiſcopus confirmat.

℣. 36. *Sed nunc qui habet ſacculum, tollat; ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat* D *gladium.* Græcè & Syriacè, *tollet, vendet, emet.* Ita quoque legit Baſilius in regulis brevioribus, interr. 251. Utrovis modo legatur, ſignificatur non quid jubeantur facere, ſed quid facturi ſint, id eſt, qua cogitatione futuri, nempe quod abjecta fiducia Magiſtri ſui, accepturi ſint ſollicitudinem victus, & vitæ conſervandæ. *Et qui non habet,* ſcilicet gladium. Nam Chriſto magiſtro ſuo capto & interfecto incipiebant etiam ſibi, ac ſuæ vitæ timere, ne tanquam ſeductoris ac ſeditioſi hominis ſocij comprehenderentur etiam ipſi, & ad crucem raperentur. Vnde ſedebant domi januis clauſis propter metum Iudæorum.

℣. 42. *Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me.* Vide annot. Matt. 26. & Marci 14. *Si vis,* id eſt, ſi non obſtat æternum tuum decretum. Vel, ſi tibi placitum eſt.

E ℣. 43. *Apparuit illi Angelus de cælo, confortans eum.* Quidam ſic intelligunt: *confortans eum,* id eſt, fortitudinem eius prædicans; ſicut dicimur magnificare Deum quando magnitudinem eius prædicamus. Verùm circumſtantia hoc loco alium ſenſum poſtulat. Non enim Chriſtus hic oſtendebat divinitatis ſuæ potentiam; ſed humanæ naturæ infirmitatem, quantum ad inferiorem animæ partem attinet, quæ ſenſitiva dicitur. Proinde, citra injuriam fortitudinis, quæ erat in mente ſeu parte rationali, rectè intelligitur confortatus ab Angelo; quia convenientibus verbis eum conſolabatur ſuper triſtitia, de qua dicebat; *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Tametſi abſolutè

hæc conſolatio non fuerit ei neceſſaria, etiam ut homini, quia ratio parti inferiori perfectè dominabatur. A
Chriſtus itaque ſicut in ſe admiſit triſtitiam, ſic admiſit externam conſolationem, quam quia inter homines non reperiebat, juxta illud pſal. 68. *Suſtinui qui conſolaretur, & non inveni*; ideo ab Angelo ei data eſt. Per quod etiam nos docemur à Deo expectare conſolationem in adverſis, dum ab hominibus, vel deſerimur, vel impugnamur. Cæterùm quamvis hoc non malè intelligatur de Angelo in propria perſona loquente, quomodo Gabriel Virgini & Zachariæ locutus fuit, rectè tamen ac fortè convenientius, intelligi poteſt de Angelo Dei Patris perſonam repræſentante, & ipſius Patris ad filium verba formante, hoc aut ſimili modo: Fili, noli timere mortem, ſed fortiter age in hoc certamine quod pro ſalute generis hu- B
mani volens & obediens ſuſcepiſti. Iam tempus inſtat clarificationis tuæ: Suſtine adhuc modicum, &c. Certè conſtat ex Scripturis, Angelos ex Dei perſona ſæpiſſimè fuiſſe locutos, ut Abrahæ, Moyſi, & aliis. Hoc autem loco ita factum eſſe, ſuadet oratio præcedens, quæ erat ad Patrem. Quare rectè Pater tanquam filio reſpondens, eumque mœſtum conſolans, in hac Angelica apparitione intelligitur. Nam & aliàs Pater filio voce in aëre formata reſpondit. Cum enim Ioan. 12. dixiſſet filius; *Pater clarifica nomen tuum*; audita eſt vox Patris de cœlo, dicentis: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Quam vocem Angeli miniſterio factam fuiſſe, non malè exiſtimaverunt, qui eâ intellectâ dicebant: C
Angelus ei locutus eſt. Et ſanè notandum, eum locum, ſi bene expendatur, huic perſimilem eſſe. Dicit enim ibi filius: *Nunc anima mea turbata eſt*: hîc autem dicit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem* Ibi dicit; *Quid dicam? Pater ſalvifica me ex hac hora*. Hîc dicit; *Si fieri poteſt, transfer calicem iſtum à me*. Ibi dicit; *Sed propterea veni in horam hanc; Pater clarifica nomen tuum*: Hîc dicit; *Veramtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Et iterum: *Si non poteſt hic calix tranſire niſi bibam illum: fiat voluntas tua*. Hîc Angelus apparet de cœlo confortans eum: ibi Pater reſpondet, *Et clarificavi, & iterum clarificabo*. Vide B. Medinam in 3. q. 12. a. 4. & F. Lucam.

℣. 43. *Et factus in agonia prolixius orabat*. Nota exemplum prolixæ orationis. Sed quæ in Chriſto fuit agonia, cum in eo nulla fuerit pugna mentis & ſenſua- D
litatis? Reſpondendum, quod in Chriſto voluntas rationalis mortem volebat, quia hoc Patri placebat: at appetitus inferior, qui & ſenſitivus, non poterat non ſecundum ſuæ naturæ inſtinctum, mortem & dolores imminentes refugere; cui tamen appetitui rationalis voluntas plenè dominabatur; non quidem imperans ne motu ſuo naturali ferretur, ſed motum illum regens, ne vel rationem obluſcaret, vel ipſam rationalem voluntatem à propoſito deflecteret, ac ne quidem ad id ullo modo tentaret. Unde manifeſtum aliter in Chriſto fuiſſe hunc motum, aliter in nobis, in quibus per huiuſmodi motus & ratio turbatur, & voluntas ad deflectionem ab eo quod rectum eſt, aſſiduè ſollicitatur. Quæ propriè pugna quædam eſt. In Chriſto autem hactenus tantum agonia fuiſſe dicitur, quia quod ratio E
ſequebatur, id fugiebat ſenſus; ſed ſine rationis ulla perturbatione; & proinde propriè nulla erat pugna, quia utrumque ſine alterius impedimento perfectè in ſuum ferebatur objectum. Alij intelligunt *ἀγωνίαν*, voluntatis ſenſualis vel naturalis, adverſus mortem, quam ſenſus & natura ſummoperè refugit.

℣. 51. *Sinite uſque huc*. Rupertus in Matth. 4. ſic intelligi debere ait: Gladiis materialibus jam ſatisfactum eſt: Jam ſinite gladiis ejuſmodi, & pugnate novo genere prælij, &c.

℣. 51. *Et cum tetigiſſet auriculam ejus, ſanavit eum*. Paulò antè refert auriculam dextram fuiſſe amputatam. Significatur ergo myſterium non parvum: Nempè quod Judaicus populus per hunc ſervum Principis Sacerdotum ſignificatus, deinceps cariturus eſſet aure dextra, id eſt, auditum averſurus, aureſque clauſurus adverſus Evangelij veritatem; juxta illud Iſaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, &c.* Ideo autem hoc per auriculæ amputationem, potius quàm per oculi effoſſionem, ſignificari debuit, quia *fides ex auditu eſt*. Quod autem Chriſtus ſanavit eum auriculâ reſtituta; ſignificat populum Judaicum in fine ſæculi per gratiam Chriſti convertendum ad auditum &, obedientiam fidei.

CAPUT XXIII.

℣. 7. *ET ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet*. Non erat revera Chriſtus de poteſtate Herodis, qui filios eſſe liberos declaravit; ſeque etiam ſabbathi Dominum eſſe teſtatus eſt: ſed Pilatus qui Galilæum eſſe didicerat, nec aliud quàm hominem eſſe putabat, ſic judicavit. Quomodo ergo erat ſubditus illis, Luc. 2. & quomodo factus ſub lege, Galat. 4. Vide illorum locorum annot. & Matth. 17. Opinantur quidem non abs re; quod ideo Pilatus Chriſtum miſerit ad Herodem judicandum, tanquam eius poteſtati ſubditū, licet de eo tanquam in ſua ditione comprehenſo, judicare poſſet, ut eum placaret ac ſibi reconciliaret offenſum, ex eo quod quoſdam illi ſubditos Galilæos (fortè de quibus ſuprà c. 13.) ipſe judicaſſet, & morti dediſſet.

℣. 12. *Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus in ipſa die. Nam antea inimici erant ad invicem*. Scilicet, ut impleretur illud pſal. 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adverſum Dominum, & adverſus Chriſtum eius*. Hoc enim in Herode & Pilato conſpirantibus in necem Chriſti completum fuiſſe, teſtatur Apoſtolorum chorus, Actor. 4. ubi poſt hunc pſalmi verſiculum recitatum, ita loquuntur. *Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum IESUM, quem unxiſti Herodes & Pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſraël, facere quæ manus tua, &c.*

℣. 26 *Et impoſuerunt illi crucem portare poſt IESUM*. Matthæus & Marcus ſimpliciter dicunt hunc Simonem compulſum ut tolleret crucem JESU; ipſum autem JESUM crucem ſuam portaſſe non dicunt: At Ioannes hoc apertè ſcribit, nulla Simonis facta mentione, dicit enim; *Et bajulans ſibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum*.

Ioannem igitur cum Matthæo & Marco quidem ex Luca conciliandum putant hoc modo, ut eandem crucem ſimul portarint JESUS & Simon; ille præcedens & humeris geſtans ſuperiorem crucis partem in brachia extenſam; hic verò, ſequens & pedem crucis manibus ſuſtolens. Ita enim putant intelligendum quod Lucas dicit Simonem portaſſe crucem poſt JESUM. Hunc modum picturæ nobis paſſim referunt. Et in officio Eccleſiaſtico legimus, in die exaltatæ Crucis. Heraclium Imperatorem Dominicam crucem ſuis humeris detuliſſe in eum montem, quo eam Salvator tulerat.

At verò probabilius eſt hoc modo conciliandos eſſe Evangeliſtas, ut prius crux impoſita fuerit JESU, quàm ille tulerit aliquouſque: ſed cum eum milites viderent ob nimiam debilitatem ex flagris, & capitis coronatione, aliiſque perpeſſis eo die ac nocte moleſtiis contractam, diutius ferre non poſſe, crucem à Chriſto ablatam, impoſuerint humeris Simonis geſtandam uſque ad Calvariæ locum, Chriſto quidem præcedente, & Simone ſequente. Nec repugnat hiſtoria exaltatæ Crucis, Chriſtus enim tulit eam ſuis humeris ad montem, id eſt, verſus montem aliquouſque. Significatur autem myſticè, nos debere crucem portare poſt Chriſtum, id eſt, imitantes eum; juxta quod ipſe dicit: *Qui*

non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me A
dignus.

℣.28. *Converſus autem ad mulieres IESVS dixit: Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me; ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros.* Quidam ex his verbis

℣.39. *Vnus autem de his qui pendebant latronibus.* Hi latrones Iudæi erant; quod vel inde oſtenditur, quia ſignificant ſe quoque Chriſtum exſpectaſſe ſalvatorem. Dicit enim unus: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac ſemetipſum, & nos.*

ſeros deſcendens limbum Patrum vertit in Paradiſum, A quia felicitatem illis attulit. Vnde non repugnant pro eo tempore limbus Patrum & Paradiſus. Nam Paradiſum aliquem terreſtrem intelligi, nulla ratio cogit: Nam animę corporeo Paradiſo non egebant, cum ſint incorporeę. Hinc etiam nihil obſtat, & valdè probabiliter dici poteſt, Chriſti animam apud inferos manſiſſe donec corpus reſurgeret; maximè quia multi Patres ita loquuntur, nec eſt opus alium quærere locum animæ Chriſti pro illo tempore. Quidam autem hic quæſtionem movent quomodo ſalvatus fuerit hic latro ſine baptiſmo: Sed nulla eſt quæſtio; circumciſus enim fuerat octavo die, nec adhuc tempus venerat quo baptiſmus omnes obligaret. Quamquam & fieri poteſt, ut baptizatus fuerit ab aliquo Apoſtolorum, & poſtea in crimina relapſus. Quod tamen non eſt mul- B tum veriſimile.

℣.44. *Tenebræ factæ ſunt in univerſam terram uſque in horam nonam; & obſcuratus eſt ſol.* Hunc ſolis defectum, ſive per retractionem radiorum eius acciderit, ſive per corporis alicuius interpoſitionem, ſive per luminis extinctionem (modus enim incertus) certum tamen eſt, & minimè dubitandum, miraculoſum fuiſſe, & contra conſuetum naturæ ordinem. Paſcha enim Judaicum ſemper in plenilunio celebrabatur: Eo autem tempore nunquam ſolis defectus accidit, ſed aliquando lunæ, per interpoſitionem terræ. Deinde, quod dicitur, *in univerſam terram*, non tantum de terra Judaica intelligendum eſt, ſicut quidam intelligunt; ſed de univerſo orbe terrarum. C Nam Dionyſius Areopagita in epiſtola ad Polycarpum contra Apollophanem Philoſophum ſcripta, teſtatur ſe hanc eclypſim unà cum ipſo in Ægypto vidiſſe; hoc etiam addens quod facta ſit per interpoſitionem lunæ inter ſolem & terram, ſed præter naturalem ordinem. Luna enim eo tempore in oppoſitione erat, non in conjunctione.

℣.54. *Et Sabbathum illuceſcebat. Subſecutæ autem mulieres. Illuceſcebat* dictum eſt pro eo quod propriè diceretur, appellebat, inſtabat, eſtque catachreſis. Non enim incipit Sabbathum Judæorum à luce, ſed à tenebris, id eſt, à veſpera quæ initium eſt tenebrarum. Sed quia aliis gentibus dies naturalis ferè à matutino incipit, ideòque illuceſcere dicitur: hanc eandem vocem accommodavit Lucas ad Sabbathum Iu- D dæorum. Nec aliter intelligendum videtur quod eſt Matth. ultimo; *veſpere autem Sabbathi quæ luceſcit in prima Sabbathi*; id eſt, ea veſpera, quæ eſt initium diei primæ poſt Sabbathum. Pro *luceſcit*, poni poſſet *dieſcit*; id eſt, dies naturalis incipit; quæ quidem Iudæis incipit à veſpera.

℣.56. *Et Sabbatho quidem ſiluerunt ſecundum mandatum. Siluerunt*, id eſt, quieverunt, ut vertit Eraſmus. Hinc colligat quis quod in paraſceve non quieverunt ab opere ſervili: & ulterius, quod tunc non erat Paſcha, quia Exodi 12. v. 16. pręcipitur nihil operis in paſchate fieri, exceptis his quæ ad cibum pertinent. Poteſt dici quod opera quæ faciebant hæ mulieres, non erant opera prohibita fieri in die Paſchæ, quia non erant opera ſervilia; lex autem intelligitur de E opere ſervili. Dices: Ergo & in Sabbatho poterant ea facere: quia lex Sabbathi tantum prohibet opera ſervilia; & tamen, dicuntur ſiluiſſe ſecundum mandatum. Poteſt reſponderi quod ſervaverunt mandatum non tantùm ſecundum veram legis intelligentiam, verùm etiam ultrà, ſecundum conſuetudinem & traditionem Iudæorum, qui Sabbathi obſervationem faciebant arctiorem quàm erat ex intentione Legiſlatoris; ſicut extendebant immunditias, ad ingreſſum in ædes hominis gentilis. Unde & dicitur Ioan. 18. quod non introierunt in prætorium Pilati, ne contaminarentur; & Act. 11. Iudæi diſceptant adverſus Petrum Apoſto- A lum, eo quod in ædes Cornelij Centurionis introiſſet, & ibi manducaſſet.

CAPUT XXIV.

℣.1. **V**Na *autem Sabbathi.* Sic etiam Ioannes capite 20. ſic & Paulus 1. Cor. 16. Marcus autem dixit: *una Sabbathorum*, & idem, *prima Sabbathi.* Intelligitur autem prima dies poſt Sabbathum; quæ nobis Chriſtianis, propter Chriſti Domini reſurrectionem dominica dies vocatur, & octavo quoque die perpetuis temporibus celebris habetur. Vide commentarium 1. Cor. 16.

℣.5. *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non eſt hic; ſed ſurrexit.* Quærere viventem cum mortuis nihil B eſt aliud quàm inter mortuos, id eſt, in ſepulchris mortuorum quærere eum qui vivit. Quod autem ſequitur: *Non eſt hic, ſed ſurrexit*: mirè jactatur à vulgo Sacramentariorum contra præſentiam Corporis Domini in Euchariſtia; maximè cum argumenti vim habere videatur hęc ſententia, ut eſt apud Matthæum; ubi ſic habetur: *Non eſt hic, ſurrexit enim.* Ex quibus verbis non tantum hoc quod dixi de Euchariſtia, ſed etiam omnipotentiam Dei oppugnant, dicentes fieri non poſſe, ne à Deo quidem, ut idem corpus in diverſis ſit locis: eò quòd iſta firma ſit conſequentia. Surrexit, & hinc receſſit; igitur hîc non eſt. Sic illi omnipotentiæ Dei pręſcribunt ſuam ratiocinationem. Quibus breviter reſpondemus, Angelum loqui de conſpicua & C naturali corporis in loco exiſtentia, ſecundum extenſionem & quantitatem. Talis enim à mulieribus quærebatur corporis præſentia. Deinde Angelus præſupponit naturalem corporis conditionem, quâ unum idemque in diverſis locis naturaliter eſſe non poteſt, quam & mulieres pręſupponebant. Poteſt etiam breviter reſponderi, Angeli argumentationem eſſe hanc, IESUM Nazarenum crucifixum (& in cruce mortuum) vos quæritis: ſurrexit, ergo non eſt hîc ille mortuus quem vos quæritis. Eſt additio Cenſoris.

℣.16. *Oculi autem illorum tenebantur.* Caietanus contendit de oculis internis hoc dici; quod poſtea dicitur eos fuiſſe apertos. Conſtat autem (inquit) internos oculos fuiſſe apertos, non exteriores, non enim ibant oculis clauſis. Sed contra Caietanum eſt D quod ibidem ſtatim ſequitur: *Et ipſe evanuit ex oculis eorum.* Non enim evanuit ex oculis internis, id eſt, ex mente ſeu phantaſia, ſed ex oculis externis. Reſpondetur autem Caietano externos oculos dici fuiſſe apertos; quia ablatum fuit ab eis impedimentum; quo priùs tenebantur, ne fieret agnitio. Satis quoque hæc verba ſignificant non fuiſſe factam in effigie vultus Chriſti mutationem aliquam, ſed impedimentum oculis eorum injectum divinitus ne eum agnoſcere poſſent, & quadam eos percuſſos fuiſſe *ἀορασίᾳ*, quâ quod præſens erat non agnoſcerent. Eſt enim *ἀορασία* qua res quępiam vel non videtur, vel non diſcernitur atque agnoſcitur, tametſi ante oculos poſita; quomodo percuſſi ſunt Sodomitæ quærentes domum Loth, & Syrij quærentes Eliſæum, & Nazareni Chriſtum volentes E præcipitare; & non ſemel Iudæi, volentes Chriſtum lapidare vel tenere ad occidendum; & Philiſtæi quando cæſi fuerunt à Ionatha & armigero eius. Vide Annot. Marci ult.

℣.18. *Tu ſolus peregrinus es?* Videtur Chriſtus his duobus diſcipulis apparuiſſe quaſi fuiſſet peregrinus, qui ad diem feſtum aſcenderat Hieroſolymam, quales tunc multi erant. Peregrini enim ex habitu, quo ab incolis & domeſticis diſcernuntur, facilè cognoſci ſolent, non ita ex lineamentis faciei. Vide Annot. Marci ultim. Nulla autem falſitas aut ſimulatio fuit in eo quod in tali habitu apparere Chriſtus voluerit, ac ne quidem ulla fuiſſet ſi faciem ſuam immutaſſet.

Nam

Nam illa mutatio non fuiſſet facta ad ſignificandum falſum, id eſt, ad fallendum, ſed ob aliam juſtam & utilem cauſam, ſcilicet ut Chriſti tanquam abſentis deſiderium magis in illis creſceret, dum de eo quaſi per hominem incognitum plenius inſtruuntur.

℣.26. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Oportuit, ad hoc ut intraret in gloriam ſuam qua obtineret regnum in cœlo & in terra; quod regnum, eſt Eccleſia. Et oportuit per paſſionem; quia ſic erat ab æterno decretum, ut non niſi per Paſſionem Chriſtus eam gloriam conſequeretur. Item quia redimi homo, & regnum Eccleſiæ conſtitui, ſine paſſione filij Dei non potuit. Nam abſolutè potuiſſet Chriſtus ſine paſſione glorificari in ſua perſona, ſed non in regno populi à captivitate redempti.

℣.27. *Et incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis.* Loca ſimilia ſunt eiuſdem Sacri Scriptoris, Actor.3. *Deus quæ prænuntiavit per os omnium prophetarum pati Chriſtum ſuum, ſic implevit.* Et iterum: *Et omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, & annuntiaverunt dies iſtos.* Et cap.10. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Quæritur; Quo ſenſu verum ſit omnes Prophetas de Chriſto locutos fuiſſe. Nam de quibuſdam id docere, difficile eſt. An more Scripturæ omnes, id eſt, plerique, vel ferè omnes? An potius dicendum in omnibus Prophetis latere quædam, ſaltem myſtico ſenſu de Chriſto eiuſque regno dicta, etſi nondum à nobis intellecta?

Interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Græcè τὰ περὶ ἑαυτοῦ. *Ea quæ de ipſo erant*, ut ſit ſenſus: per omnes Scripturas ea quę de ſe conſcripta erant, illis interpretabatur & explicabat.

℣.28. *Et appropinquaverunt caſtello quò ibant: Et ipſe finxit ſe longius ire.* Hoc loco abutuntur qui patrocinium ſumunt mendacio. Si enim facto ſimulare licet; licebit & verbo: Chriſtum autem facto ſimulaſſe putant, quia finxit ſe longius ire. Sed abſit mendacium aliquod vel in verbo vel in facto, Chriſto adſcribamus, qui eſt ipſa veritas; à quo non minus alienum eſt fallere, quàm falli. Itaque reſpondeo, hoc Chriſti factum non fuiſſe ſimulationem proprij nominis, quâ videlicet quis facto ſuo alium fallere conatur. Compoſuit enim geſtum & motum corporis ſui, ſicut ſolet is qui longius vult ire; ſed hoc non ideò fecit ut diſcipuli putarent eum longiùs ire velle, quamvis ſciret eos hoc exiſtimaturos, ſed ideò ut eorum erga ſe amorem & benignitatem tali corporis compoſitione excitaret. Sicuti mater componens habitum corporis ſui tanquam digreſſura à filio, reſuſcitat in eo affectum amoris erga ſe, qui fortè ex aliqua cauſa conſopitus fuerit. Vel ſenſus erit, compoſuit inceſſum ad longius eundum; quod & revera facturus fuerat, niſi invitatus fuiſſet à diſcipulis ad manendum cum illis; ſicut faciunt illi qui domum ſe ituros dicunt, eo tamen animo ut ſi invitentur ab amico ad cœnam, conſtituunt illi acquieſcere, atque apud eum manere. Ubi ſicut mendacium non eſt in verbo, ita nec hic fuit in facto. Et perinde eſt ac ſi dixiſſet Evangeliſta. voluit longius ire, ſicut apud Marcum dicitur cap.6. *Volebat præterire eos*, & cap.7. *Neminem voluit ſcire, & non potuit latere*, id eſt, id faciebat quod faceret homo volens latere. Nam ingrediebatur domum. Ita Chriſtus hoc loco id faciebat, quod faceret homo volens longiùs ire. Vide eorum locorum Annot. & c. 11. eiuſdem Evangelij, v.13.

℣.30. *Et benedixit ac fregit.* Hæc benedictio fuit invocatio Dei ſuper panem; quomodo fideles ſumpturi cibum, prius benedicunt eum, id eſt, ſuper eo beneficentiam Dei invocant. Hinc liquet, Chriſtum, etiam poſt reſurrectionem, voce Deum oraſſe & invocaſſe.

A Item ex eo quod ſub finem huius capi. dicitur benedixiſſe diſcipulis ſuis, id eſt, bene precatus fuiſſe. Quid mirum ergo ſi in cœlo reſidens adhuc interpellat pro nobis? Benedixit itaque non ad effectum conſecrationis vel multiplicationis; ſed quomodo, juxta Paulum dicentem, *Sanctificatur per verbum Dei & orationem*; fideles benedicunt; quomodo veriſimile eſt & ipſum ſolere benedicere, quoties cum diſcipulis cibum ſumeret. Unde ex vacabulo *(benedixit)* nullum ſumitur argumentum pro conſecratione corporis Domini. Imò Chriſtum hîc non conſecraſſe corpus ſuum, etiam his argumentis monſtrari videtur; tum quia non dediſſet talibus nondum ſatis confirmatis in fide, (poteſt ad hoc dici; quod jam erant per Chriſti inſtructionem ſatis confirmati in fide reſurrectionis eius) tum quia

B non daret corpus ſuum iis qui de huius myſterij veritate nondum erant inſtructi; quia hi non adfuerant in cœna quâ inſtitutum fuit hoc myſterium. Nemini autem dandum eſt Corpus Chriſti, niſi illud myſterium cognoſcenti & credenti. Item ſi dixit: *Hoc eſt corpus meum*; jam ante debebant eum noſſe; quia in illo verbo, quod ex eo nunquam audierant, noſſe eum non potuiſſent. Vide noſtra in 4. diſt. 11.

℣.31. *Et aperti ſunt oculi eorum.* Veriſimile eſt oculos corporis intelligi; qui aperiebantur, non quia clauſi erant ſic ut nihil viderent, ſed ut videndo non agnoſcerent: Itaque aperti ſunt ad agnoſcendum quod videbant. Sive, ut magis propriè loquamur, talis per oculos viſio tunc facta eſt, ut per eam in ſenſu interio-

C ri, id eſt, in memoria ſenſitiva, agnitio naſceretur. Ea enim naſci ſolet, dum rem aliquando cognitam proprius atque exactius oculis contemplamur. Vide Caietanum loco ſuprà dicto. Sic Geneſ. 3. *Et aperti ſunt oculi amborum, & cognoverunt ſe eſſe nudos.* Vide ſup. v.16.

℣.35. *Et quomodo cognoverunt eum in fractione panis*, Poſſet videri ſenſus: *In fractione panis*, id eſt, dum frangeret panem: ſed illud; ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, magis videtur cauſam ſignificare. Quod & ſuperior narratio ſignificat. Innocentius 3. lib.6. de ſacro altaris myſterio, videtur intelligere de corpore Domini; & dicit Chriſtum ibi fregiſſe, non manducaſſe. Authores etiam alios complures ad hanc rem citat Pamelius in epiſtola 63. Cypriani. Et Lorinus ſuper Actor.2.

D v.40. Sed ſi ita eſt; ſequeretur Chriſtum conſecraſſe: & proinde, ſacrificaſſe ſub una ſpecie. Nam ſi conſecravit utramque ſpeciem; nulla ratio cur non porrexiſſet diſcipulis utramque. Hoc autem, ſcilicet ſub una ſpecie conſecrare; & ſacrificium Miſſæ celebrare e communiter habetur contrarium juri divino. Nec Chriſtus voluiſſet aliquid facere contra jus à ſe paulò ante inſtitutum.

℣.39. *Videte manus meas, & pedes meos.* Hæc membra nominat quia in illis erant vulnerum veſtigia quæ paſſus fuerat in cruce. Sed cur non etiam nominat latus? An quia latus tenuit veſte obtectum, poſtea Thomæ denudandum, qui plus cæteris incredulus fuit? Nam latus hic ſubaudiri nominatis manibus & pedibus, ut ſentire videtur Ianſenius, non eſt veriſimile; cum vul-

E nus lateris fuerit multò patentius, ideoque potius nominandum erat latus, ſi illud oſtendiſſet.

Palpate, & videte. Quæritur; Utrum hoc fecerint diſcipuli; nam Thomam palpaſſe ſatis concors eſt Patrum ſententia, ut oſtendemus ad Ioan 20. Non video autem cur non idem etiam hoc loco de diſcipulis ſit arbitrandum: Primum, quia per diligentem palpationem & contrectationem Corporis Chriſti, debebat fides eorum confirmari. Laborabant enim & ipſi incredulitate; uti præ cæteris diſertè commemorat Marcus. Sed & hoc loco ſubjicit Lucas, cum oſtendiſſet eis Chriſtus manus & pedes, utique palpandos, ut ex verbis antecedentis verſus intelligitur, adhuc tamen non credi-

credsdiſſe; & propterea additum à Chriſto alterum veritatis ſuæ carnis argumentum, ſcilicet manducationem cibi. Deinde, id factum propter nos; qui per diſcipulorum prædicationem eramus credituri in Chriſtum. Minus enim creditur ei qui vidit tantum, quàm qui etiam palpavit; maximè ubi de veritate corporis viventis agitur. Unde Ioannes Apoſtolus initio Catholicæ ſuæ epiſtolæ, etiam ex contrectatione fidem adſtruit ſuæ prædicationi, dicens: *Quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ; annuntiamus vobis.* Et hæc aperta ſententia eſt Auguſtini ſcribentis in Pſalm.56. Ignatius quoque in epiſt. ad Smyrnenſes, citante Theodoreto dial. 2. affirmat diſcipulos tetigiſſe. Sed petes, Cur ergo diſcipuli ad Thomam tantum dixerunt, *Vidimus Dominum?* An ſub viſu etiam tactus comprehenditur? Cur ergo Thomas non acquievit, ſi etiam illi palpaverant? An voluit certius adhuc palpare, ſcilicet explorando foramina vulnerum in latere, & in manibus, & pedibus; fortè enim diſcipuli dixerant ſe etiam hæc in corpore eius vidiſſe. Imò propterea dixit eis Chriſtus, *videte manus meas & pedes meos:* non nominans alia membra, quia ſcilicet in his erant reliquiæ vulnerum.

℣.41. *Adhuc autem illis non credentibus & mirantibus præ gaudio.* Si non credebant, quomodo gaudebant? Item, quomodo mirabantur præ gaudio, cum gaudium non ſit admirationis cauſa, ſed ignorantia cauſæ? Græcè eſt, *adhuc non credentibus illis præ gaudio, & mirantibus.* Vix enim credimus præſentia, quæ erant valdè inexpectata, quamvis jam gaudeamus. Ipſum etiam gaudium, ſi valdè magnum ſit, impedit judicium. Ita Jacob Patriarcha vix credidit nuntiantibus ſibi Joſeph filium adhuc vivere. Et Petrus è carcere liberatus putabat ſe viſum videre, & puellæ nuntianti Petrum ſtare ante fores, non eſt creditum.

℣.43. *Et cum manducaſſet coram eis.* Hæc ſine dubio vera manducatio fuit, ſed ex ea nulla ſubſecuta nutritio, quia nec illâ indigebat Corpus Chriſti jam glorioſum & immortale; nec eius uſus eſſe poterat ad probandam reſurrectionis veritatem; quia nutritio non percipitur oculis. Sed quæritur quò cibus ingeſtus evaſerit? videtur dicendum quod virtute caloris naturalis fuerit conſumptus & converſus in vapores & aerem.

℣.45. *Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent ſcripturas.* Erant ergo ſcripturæ obſcuræ, quæ ab Apoſtolis, Chriſto magiſtro tamdiu uſis, nondum intelligi poterant.

℣.49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos.* Hoc Montaniſtæ de ſuo Montano dictum volunt, affirmantes eum eſſe paraclitum à Chriſto promiſſum: Sed refelluntur ex eo quod ſequitur: *vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.* Neque enim juſſi ſunt ſedere in Hieruſalem donec veniret Montanus; Actor. 1. ſed ut expectarent promiſſionem Patris. Hoc eſt S. Iſidori Peluſiotæ lib. 5. epiſt. 499.

Quoadusque induamini virtute ex alto. Indicatur effectus Sacramenti Confirmationis, videlicet robur Spiritus ſancti; quem tamen effectum conſecuti ſint Apoſtoli non per Sacramentum, ſicut conſequuntur reliqui fideles. Et nota Apoſtolos qui baptizati erant & baptiſmo mundati, egere virtute ex alto.

℣.50. *Et elevatis manibus benedixit eis.* Non arbitror benedictionem hanc factam cum ſigno crucis; ſed, more recepto, manibus expanſis ſupra eos, quibus quis bene precatur. Nam uſus ſigni Crucis poſtea per Apoſtolos à Spiritu Sancto edoctos, in Eccleſiam introductus eſt.

℣.53. *Et erant ſemper in templo.* Medina, in 3. p. quæſt. 58. in fine probabile putat hoc referendum ad tempus poſt acceptum Spiritum Sanctum, & videtur bene probare ex Actor. 1. & quia uſque ad acceptum Spiritum Sanctum continebant ſe domi, propter Judæos.

FINIS LIBRI EVANG. SECVNDVM LVCAM.

ANNOTATIONES
IN EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. IN *principio erat Verbum,* λόγος. Vide Hier. in epiſt. ad Paulinū, quæ præfigitur bibliis; ubi etiam negat Platonem hoc myſterium cognoviſſe. Vide etiam Annot. Geneſ. 1.

Et Deus erat Verbum. θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ordo eſt: verbum erat Deus. Sicut infra c. 4. *Spiritus eſt Deus,* id eſt Deus Spiritus eſt. & 1. Cor. 10. *Petra erat Chriſtus,* id eſt, *Chriſtus erat illa petra.* Vide ibid. noſtr. Comment.

℣.3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Hæc poſteriora verba, *& ſine ipſo, &c.* duobus modis diſtingui poſſunt. Quidam ſic diſtinguunt; *& ſine ipſo factum eſt nihil;* deinde novam periodum faciunt, *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Hæc diſtinctio eſt ferè Latinorum interpretum. Græci ſic: *Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Deinde nova ſententia, *In ipſo vita erat, &c.* Secundum priorem diſtinctionem, quidam illud, *ſine ipſo factum eſt nihil,* affirmanter accipiunt, quomodo etiam olim Manichæi acceperunt, exponentes hoc modo. Sine ipſo factum eſt nihil, id eſt, res omnes corruptibiles; quas dicunt *nihil* vocari, quod continua corruptione ſemper in nihilum tendunt. Sed hæc expoſitio hæretica eſt, & ab Auguſt. pluribus locis exploſa; Credimus enim omnia viſibilia & inviſibilia à Patre per Filium facta eſſe. Alij per *nihil* intelligunt peccatum, quam interpretationem indicat Auguſt. magis, quam ſequitur, tract. 1. in Ioannem. Hic ſenſus verus eſt; nam peccatum non eſt à Deo; vocatur autem nihil, quia non eſt res aliqua poſitiva, ſed rei privatio; & ab homine vel angelo committitur, quatenus ipſe ex nihilo conditus, non quatenus eſt à Deo. Sed ſciendum Græca non habere οὐδὲν ſed οὐδὲ ἕν, id eſt, ne unum quidem, ut ſenſus ſit, ne unam quidem rem eſſe in univerſo, quæ non ſit per Filium facta. Deinde, ſecundum Græcos aptius iſtud cohæret cum eo quod ſequitur, *quod factum eſt;* ut ſenſus ſit, nihil prorſus eorum quæ facta ſunt, factum eſt ſine Verbo Dei; Deinde ſequatur nova ſententia: *In ipſo vita erat.* Huius ſententiæ variam diſtinctionem & pronuntiationem, vide apud Ambroſ. lib. 3. de fide c. 3.

℣.4. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Qui hoc ita conjungunt, hunc ſenſum reddunt: Quidquid factum

ctum eſt, eſt vita in Verbo, & ab æterno fuit vita in A Verbo: quia in Deo ſunt ab æterno ideæ rerum creatarum, quæ ideæ reipſa à Deo non ſunt diſtinctæ; & ita unaquæque res vita eſt in Deo, licet in ſua natura vitam non habeat; ut lapides, ligna. Unde ſequitur, rem unamquamque in Deo habere præſtantius eſſe, quam in ſeipſa. Nam & viventia in Deo vitam habent nobiliorem quam in ſeipſis. Sed hic ſenſus videtur præter mentem authoris, ſecundum quem iſtud, *quod factum eſt*, ad præcedentia pertinet.

℣.6. *Fuit homo miſſus à Deo, &c.* Hoc. cap. & alibi, mirè ab hoc Evangeliſta & aliis, inculcatur teſtimonium Ioannis; quia illud maximum momentum habebat ad confirmandam Chriſti doctrinam. Ioannes enim apud Iudæos in ſumma erat opinione ſanctitatis; B quia omnes eum prophetam habebant. Itaque Iudæi teſtimonio tanti prophetæ, cuius authoritati repugnare non audebant, convincebantur JESUM eſſe Chriſtum. Unde & Chriſtus hoc teſtimonium Phariſæis objicit, cum eos interrogat, Baptiſmus Ioannis utrum è cœlo eſſet, an ex hominibus: ut ſi de cœlo reſpondiſſent; audirent, Quare ergo non credidiſtis ei de me teſtimonium perhibenti? & c.5. huius Evangelij: *Vos miſiſtis ad Ioannem*, videlicet legationem, de qua hoc cap. *Miſerunt Iudæi, &c. & teſtimonium perhibuit veritati*, quando dixit: *Medius veſtrum ſtetit, &c. Fuit homo miſſus à Deo.* Eraſmus vertit; *erat homo, &c.* ſed notandum hoc loco Græcè eſſe *ἐγένετο*, diverſum ab eo quod ſupra, *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc* C *erat, &c.* ubi in Græco aſſiduè eſt *ἦν*. Obſervavit hoc author Homiliæ de Ioanne Baptiſta apud Chryſ. tomo 3. quem authorem certis conjecturis latinum fuiſſe puto. Itaque nihil opus erat ut hic à vulgato interprete recederet Eraſmus.

℣.7. *Vt omnes crederent per illum.* Scilicet Ioannem, id eſt, ut per eius teſtimonium omnes homines (quantum eſt ex parte teſtimonij) ad fidem Chriſti adducerentur. Græcum *δι' αὐτοῦ*, poſſet etiam ad *lumen* referri, id eſt, Chriſtum, ſed convenientius ad Ioannem referendum videtur.

℣.9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Cyrillus hinc ſententiam intellexit de lumine naturali: cuius facultas, quæ ratio vocatur, omnibus omnino hominibus inſita eſt. Chryſoſt. de lumine gratiæ; ut ſit ſenſus: Illuminat omnem D hominem, quantum in ſe eſt. Sed hæc expoſitio multam habet difficultatem; tum propter infantes non baptizatos, qui videntur ſimpliciter excluſi ab hoc lumine, tum etiam propter eos quos Deus è maſſa perditionis non decrevit ſeparare; Unde non videtur lumen gratiæ æqualiter ſe habere ad omnes. Probabilior expoſitio Auguſt. in Enchirid. & libr. 1. de peccatorum meritis, c.25. qui ita intelligit: Illuminat omnem hominem; id eſt, Nullus hominum ſine eo illuminatur, ſed quotquot illuminantur, per eum illuminantur. Sicut in pſalm. dicitur Dominus erigere omnes eliſos, & allevare omnes qui corruunt. Hunc ſenſum ſequitur etiam Rupertus. Impiorum quoque vox eſt, Sap.5. *Iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus* E *nobis; & Viam Domini ignoravimus.* Itaque non abſolutè intelligendum quod dicitur, *omnem hominem:* ſed ſicut dictum eſt ex Auguſt. Hieron. in Gal. 1. citans hunc locum, dicit neminem ſine Chriſto naſci. Similis eſt Pauli ſententia Titul. 2. *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus*, quia per Chriſti adventum toti mundo publicabatur, quod antè erat in ſola Iudæa. Vide comment. eius loci. Item, Chriſtus ſic illuminat omnem hominem, ſicut pro omnibus paſſus eſt, vel quia neminem à doctrina veritatis ſuæ prohibet; unde dixit; *Ego ſum lux mundi:* vel quia cuiuſcumque ſexus, ætatus, conditionis homines, omni ſæculo illuminat: vel potius quia per adventum ſuum & Apoſtolorum prædicationem, ſparſit lumen fidei per univerſum orbem terrarum, fundans Eccleſiam Catholicam. Illuminat enim omnem hominem, non ab initio mundi, nec priuſquam in carnem veniſſet; ſed veniens in mundum, id eſt, per ſuum adventum in carnem. Quo ſenſu etiam dictum eſt illud, quod eſt in reſponſorio 7. Dominicæ 2. Adventus, *Tunc ſalvus erit omnis homo*, ſcilicet in adventu Meſſiæ.

Venientem in hunc mundum. Græcè non eſt, *hunc*, ſed articulus *τὸν*. Verti poteſt ex Græco, *veniens in mundum*, ut referatur ad lucem. Græcè *φῶς*, neutrius generis. Ita verti poſſe S. Auguſt. teſtatur lib. 1. de peccatorum meritis cap. 15. Atque hoc omnino videtur voluiſſe Evangeliſta, ut qui proximè ſubjiciat de ipſa luce, *In mundo erat, &c.* & rurſum: *In propria venit:* & cap. 3. aliis verbis eundum ſenſum repetit dicens: *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Sic & Heſſelius intelligit: ubi ad marginem citatur hic locus tanquam ſimilis. Et paſſim Chriſtus teſtatur ſe (qui eſt lux vera, cap. 12. *Ego lux in mundum veni*) veniſſe in mundum; maximè apud hunc Evangeliſtam, nuſquam autem, quod ſciam, id de aliis hominibus dicitur. Chriſtus enim antequam huc veniret, erat in ſinu patris ab æterno: Alij autem antea nuſquam extiterunt. Et hic ſenſus tollit occaſionem erroris Origeniſtarum, cuius confirmatio peti ſolet ex hoc loco quaſi animæ priuſquam in terrea corpora mitterentur, alibi extiterint atque peccaverint. Senſus igitur erit, Chriſtum qui eſt lux vera, veniſſe in mundum, ut omnem hominem, id eſt, humanum genus illuminet adventu ſuo; annuntiando videlicet veritatem ſalutis: juxta illud quod ipſe ad Pilatum dixit; *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati.* Ceſſat igitur quæſtio quomodo omnis homo veniat in mundum & quomodo omnis homo veniens in mundum ab illa luce illuminetur. Verti item ſic poſſet, ſenſu etiam ambiguo: *Erat lumen verum, quod illuminat omne genus humanum, veniens in mundum.*

℣.10. *In mundo erat.* Antequam veniret in mundum per incarnationem; quia fuit in principio. *Et mundus eum non cognovit*; ſcilicet venientem in carnem.

℣.11. *In propria venit.* Id eſt, ad Iudæos venit, ad quos à patre miſſus erat, ut olim promiſſus. Hi dicuntur eius *propria*; quia ex illis & in illis natus erat; unde dicebat Pilatus; *Gens tua & Pontifices te tradiderunt mihi. Et ſui eum non receperunt*; ſed fuit lapis ab eis reprobatus.

℣.12. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, &c.* Græcè non eſt *δύναμις* ſed *ἐξουσία*, quod poteſtatem cum authoritate ſignificat, & dignitatem quandam. Itaque hoc loco non videtur ſignificari poteſtas quæpiam ab actu remota; quaſi poteſtatem quidam acceperint ut fiant filij Dei, nondum tamen facti ſint, ſed potius quod à Deo acceperint dignitatem illam ut ſint filij Dei. Cùm enim dicit eos ex Deo natos eſſe, ut ſequitur; conſequens eſt jam eſſe filios Dei, & non tantum eſſe poſſe.

℣.14. *Et Verbum caro factum eſt.* Hoc non ita dictum, quomodo proximo cap. aqua vinum facta, ſcilicet converſione unius in alterum: ſed aſſumptione ſeu acceſſione; quomodo dicitur Paulus vir factus, & quomodo homo factus Chriſtianus. Vide Bellarm. libr. 3. de Chriſto cap. 4.

Et vidimus gloriam eius. Hoc ad transfigurationem Domini quidam referunt, gloriam enim transfigurationis vidit Ioannes cum duobus aliis Apoſtolis.

Plenum gratia & veritatis. Græcè: *plenus gratia & veritatis*, ita ut ad ſequentia referri poſſit, *Ioannes teſtimonium perhibet.* Verùm rectius ſine dubio ad

præce-

præcedentia, ut ſubintelligatur, (qui eſt.) Gratiam autem dicere videtur miſericordiam, benignitatem, et beneficentiam. Sic enim accipitur in ſequentibus: *gratiam pro gratia*; et iterum; *gratia et veritas per IESVM Chriſtum facta eſt*. Solet enim Scriptura libenter conjungere hæc duo, miſericordiam et veritatem, ſeu juſtitiam et judicium. Unde etiam intelligitur quid intelligitur hic per veritatem; ſcilicet ea quæ ſita eſt in promiſſis adimplendis. Unde illud Pſalm. 24. *Univerſæ viæ Domini miſericordia et veritas*, id eſt, in omnibus Dei operibus relucet eius gratuita bonitas, et promiſſorum fides. Quidquid ergo gratuitò nobis datur, et quidquid juſtè retribuitur; totum habemus per Chriſtum.

℣. 15. *Et clamat dicens: Hic erat quem dixi, etc.* Utitur verbo, *clamat*; tum quia verè Ioannes hoc dixit cum clamore, tum ut alluderet ad illud quod de eo prophetatum erat Iſaiæ 40. *Vox clamantis in deſerto, etc.*

℣. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, etc.* uſque ad illud v. 19. *Et hoc eſt teſtimonium Ioannis, etc.* Quæritur, an ſint verba Ioannis Baptiſtæ; id enim apparet, quia verba proximè præcedentia ipſius ſunt. At contrà, Ioannes Baptiſta tantum videtur Chriſtum annunciaſſe venturum, et præſentem monſtraſſe; non autem nomine ſuo proprio deſignaſſe, dicendo *IESVM Chriſtū*; quod fit in his verbis. Deinde, videntur commodius poſſe referri ad ipſum Evangeliſtam. Quod enim dicit *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*; tale eſſe videtur; Quod dixi; *plenum gratiæ et veritatis*; adeo verum eſt, ut de plenitudine gratiarum eius nos Apoſtoli acceperimus ea quę ſcribimus et prædicamus. Unde mox ſequitur; *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, etc.* id eſt. Quamvis nemo mortalium Deum viderit, ut poſſit ſecreta Dei ad nos perferre; tamen *unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris*, in carne aſſumpta nobis enarravit quæ et ſcriberemus, et prædicaremus. Tum redit ad Ioannem Baptiſtam, dicens: *Et hoc eſt teſtimonium, etc.* Vide Ianſen. c. 16. Concord. qui ſic intelligit, ſecutus Cyrillum, et Chryſ. tametſi Origenes, Theophylactus, Leo ſer. 14. de Paſſione, juxta quædam exemplaria (nam alia habent Ioannem Evangeliſtam) item Auguſt. tract. 1. in Ioannem, et lib. de gratia et libero arbitrio cap. 69. ſentiant eſſe verba Ioannis Baptiſtæ.

℣. 17. *Et gratiam pro gratia.* Id eſt, legem Evangelicam pro lege Moſaica. *Quia lex per Moyſen data eſt; gratia. etc.* Sic Ianſen. ex Chryſoſt. et Cyrillo. Aliter Auguſt. Certè legem Moſaicam Scriptura nuſquam vocat *gratiam*. Vide hic Caietanum; qui *gratiam pro gratia* interpretatur gratiam ut gratiam; id eſt, agnitam ut gratiam: ſed repugnat Græcum ἀντὶ quod ſignificat oppoſitionem, et permutationem unius pro altero; ut ſi dicamus aurum pro argento. Unde magis quadrat expoſitio Chryſ. legem Evangelicam pro lege Moyſi. Item Auguſt. gratiam vitæ æternæ, quæ eſt gloria, pro gratia huius vitæ, quæ eſt juſtitia; juxta illud pſalm. 83. *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* Et eò poteſt referri quod ſequitur: *Lex per Moyſen data eſt; gratia et veritas per IESVM Chriſtum facta eſt*; id eſt, Nam lex quidem data eſt per Moyſen, ſed ſine gratia; *gratia autem et veritas*, id eſt, merces vitæ æternæ promiſſa pro gratia vitæ huius (quę merces etiam gratia eſt, juxta illud: *Gratia Dei vita æterna*, ad Rom. 6.) facta, data, præſtita eſt per Chriſtum, non per legem. Emmanuël Sà *gratiam pro gratia*, exponit omnem ſeu quamlibet gratiam, et probat ex vulgari ſermone, et Iob 2. *Pellem pro pelle*, id eſt, omnem pellem, ſcilicet alienam; vel ut ibi Caldæus exponit, *membrum pro membro*, id eſt, quodvis membrum. Arias ſic intelligit, nos grati ſumus Deo ex gratia, quâ ille gratiſſimus eſt, etc. Sed Græcus ſermo non videtur admittere hanc expoſitionem: et dicendum erat ἀντὶ non ἀντί. Sciendum tamen quod geminationes in Scriptura, ſive intercedente præpoſitione, ſive ſine illa, ſignificare ſoleant univerſalitatem, perfectionem, multitudinem, ut, *à ſæculo in ſæculum*, *à generatione in generationem*. Eructantia, *ex hoc in illud*, *De virtute in virtutem*; *homo homo*, id eſt, quicumque homo. Item in verbis geminatis ſignificatur frequentia, aſſiduitas, *Ut expectant expectavi*, *gaudens gaudebo*, *euntes ibant*. An ergo ſenſus eſt, *gratiam pro gratia*; id eſt, copioſam gratiam, ut reſpondeat ei quod præcedit, De plenitudine eius nos omnes accepimus? Sic Eccleſiaſtici 26. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta et pudorata*, id eſt, res valdè gratioſa. Græcè, χάρις ἐπὶ χάριτι. Zachar. 4. *Et exæquabit gratiam gratia eius.* Hebr. *cum clamoribus, gratia gratia ei*; id eſt, copioſa ac multiplex gratia ſit ei à Domino.

℣. 18. *Deum nemo vidit unquam. Nemo*, id eſt, nullus hominum. Quamvis enim Græcè ſit οὐδείς, id eſt, *nullus*, quod etiam ad angelos videretur poſſe extendi (unde nonnulli ſumunt argumentum hic ſermonem eſſe de viſione Dei comprehenſiva, cuius etiam angeli ſunt incapaces) tamen ex Paulo 1. Timoth. 6. diſcimus ſententiam ad homines reſtringendam eſſe. *Quem*, inquit, *nullus hominum vidit*. Non poſſe autem Moyſen excipi, patet ex hoc ipſo loco, præcedit enim; *Lex per Moyſen data eſt, gratia et veritas per IESVM Chriſtum facta eſt*. Demum ſequitur: *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, etc.* quaſi diceret: ne Moyſes quidem, quamvis per eum lex data fuerit, Deum vidit; quia nullus hominum vidit, excepto eo per quem gratia facta eſt. Is enim eſt unigenitus, qui eſt in ſinu patris, et patrem ſemper vidit per eſſentiam. Huic ſimile illud cap. 6. *Non quia patrem vidit quiſquam, ſed qui eſt à Deo, hic vidit patrem.* Qui locus ſimiliter cum iſto exponendus eſt. Vide noſtr. Comm. dicto loco 1. Tim. 6.

℣. 19. *Ut interrogarent eum, Tu quis es?* Non hoc ſolum interrogabant, ſed quærebant ex eo, num ipſe eſſet Chriſtus. Id patet ex reſponſo Ioannis: *Et confeſſus eſt, et non negavit; et confeſſus eſt, quia non ſum ego Chriſtus*, Quaſi ergo ſic interrogabant; Tu quis es; numquid Chriſtus es tu? Et hæc legatio confundit Judæos. Nam ſciebant jam tempus adventus Chriſti appropinquaſſe; et ad Ioannem mittunt, quamvis nullis fulgentem ſignis, nec ortum ex tribu Juda et ſtirpe David. Ad JESUM, qui paulò pòſt manifeſtatus fuit, et innumeris ſignis inclaruit, et quem etiam vulgus clamabat filium David, quamquam eum tot indicia manifeſtè proderent; non ſunt dignati mittere, videlicet odio et invidia excæcati. Tantum leguntur miſiſſe ad eum capiendum in ſermone, vel comprehendendum, ut perderent.

℣. 21. *Propheta es tu? Et reſpondit: Non.* Tres hujus quæſtionis ſunt expoſitiones. Prima ut Propheta intelligatur unus ille et præcipuus; de quo Moyſes ad filios Iſraël Deut. 18. *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus*, et infra, Ait Dominus. *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui.* At hunc Prophetam Judæi non alium intelligebant, et adhuc intelligunt, quam ipſum Meſſiam, de quo jam ante reſponderat Ioannes, dicens: *Quia non ſum ego Chriſtus.* Unde et ſtatim poſt repetunt legati reſponſum Ioannis, in eo quod dicunt: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?* Itaque expoſitio illa non eſt probabilis. Secunda eſt, ut quæſtio ſit generalis, ſitne omnino Ioannes Propheta; qui ſenſus probabilis eſt; nec ei repugnat reſponſio negativa, quamvis planè conſtet Ioannem fuiſſe prophetam, teſte Zacharia patre eius in Cantico: *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis.* Negat enim ſe Prophetam, quales

cæteri

cæteri fuerunt; qui Chriſtum longè venturum prænuntiant; cum ipſe ita eum annuntiaverit venturum, ut etiam præſentem noviſſet, eumque ſtatim eſſet digito monſtraturus. Atque hoc ipſe extremo ſuo reſponſo ſignificat, cum ait: *Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta.* Remittit enim nuncios ad ſe miſſos ad prophetiam Iſaiæ, ex qua diſcant ipſum eum eſſe; quo prædicante pœnitentiam in deſerto, ſtatim adfuturus ſit Salvator; de quo apud eundem Prophetam continuò ſequitur: *Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.* At neque obſtat huic ſenſui articulus Græcus, quaſi per eum certus quiſpiam ac nominatus propheta ſignificetur. Sæpè enim articulum illum uſurpant Græci, etiam ubi de re indefinita ſermo eſt, quod multis exemplis ex ipſis quoque Evangeliis oſtendi poteſt. Tertia expoſitio eſt Prophetam intelligi unum quemcumque de antiquis. Qui ſenſus non habet difficultatem; & probatur ex alio loco non diſſimili. Nam diſcipuli Chriſti interrogati ab eo quem homines ſe eſſe dicerent, reſponderunt: *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut unum ex prophetis,* antiquis ſcilicet. Hoc enim Lucas c.9. clarè expreſſit; tum in eo quod refert à quibuſdam dictum fuiſſe de Jeſu, quia propheta unus de antiquis ſurrexit: tum quod narrat Chriſto quærenti, reſponſum à diſcipulis inter alia fuiſſe, alios dicere, quia unus propheta de prioribus ſurrexit. Quales ergo ſermones ferebantur de Jeſu, tales prius etiam de Ioanne jactati fuerant. Atque inde proceſſit etiam hæc quæſtio legatorum: *Propheta es tu?* ſcilicet unus de antiquis. Cui proinde abſolutè quadrabat reſponſio negativa. Vide Franciſcum Lucam in hunc locum, qui prophetam intelligit quem Judæi expectabant venturum cum Meſſia; de quo etiam Moyſen intellexerunt, dicentem: *Prophetam de fratribus, &c.* Cui ſenſui videri poteſt etiam favere locus 1. Reg. 2. *Suſcitabo mihi Sacerdotem fidelem, & ambulabit coram Chriſto meo, &c.* Videtur enim dici poſſe, quod præter Eliam omnia reſtituturum, expectabant Chriſtum cum propheta. Sicut Saül habuit prophetam Samuël; ſicut David Nathan, ſicut Ezechias Iſaiam, ſicut Zorobabel Aggæum & Zachariam. Sicut & beſtia habebit ſuum prophetam in Apocal.

℣.23. *Ego vox clamantis in deſerto.* Vel ſenſus eſt: Ego voce mea clamo in deſerto; vel potius: Ego ſum de quo ſcriptum eſt: *Vox clamantis in deſerto,* ſcilicet audietur. Sic enim ſupplendum apud Iſaiam c.40.

℣.26. *Medius veſtrùm ſtetit.* Id eſt, inter vos ſterit, & converſatus eſt, phraſi Hebraica; Græcè ἕστηκεν, quod poteſt verti *ſtat*, & ita vertit Eraſmus, & legit Ambroſ. lib. 2. de Cain & Abel c. 2. ſecundum vetuſtiora exemplaria.

℣.27. *Ante me factus eſt.* Id eſt, ante me fuit, Græcè γέγονεν, Vel potius, mihi prælatus eſt. Vide comment. Hebr. 1. v. 4.

℣.28. *Hæc in Bethania facta ſunt.* Latina exemplaria & manuſcripta conſtanter habent Bethania; Græca Bethabara; indicant tamen Græci interpretes etiam alteram lectionem: Et Ioſephus lib. 17. antiq. c. 10. & 17. teſtatur ultra Jordanem fuiſſe locum, qui vocabatur Bethania, quem veriſimile eſt eundem eſſe cum iſto. Neque propterea vulgata lectio rejicienda eſt, quia Bethania caſtellum fuit non procul Hieroſolymis; Nam ejuſdem nominis reperiuntur plura etiam diverſiſſima loca, etiam in terra Judaica. Vide G. Wicelium in poſtilla Dom. 4. adventus, ubi omninò contendit legendum Bethbara, non Bethabara & multò minus Bethania: ſed ſine fundamento.

℣.29. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Peccatum*, habent Græca omnia, & latina pleraque manuſcripta. Videtur autem *peccata*, irrepſiſſe ex eo

A quod in Miſſa canitur; *Agnus Dei, &c. Qui tollit:* Ambiguum, an qui portat, an verò qui aufert; utrumque enim ſignificat *tollere*. Vox Græca αἴρων magis ſignificat eum qui portat ſive ad portandum accipit, quomodo quis dicitur tollere ſeu ſuſtollere onus quod accipit portandum. Et ſic Scriptura ſæpè de Chriſto loquitur, quod portavit peccata noſtra in corpore ſuo, per paſſionem, ut Iſaiæ 53. & alibi. Quamquam & alter ſenſus bonus eſt, portando enim peccata noſtra, abſtulit ea ac delevit. Utroque modo accepta reperitur vox Græca apud Evangeliſtas, ut Ioan. 10 *Quouſque animam noſtram tollis?* id eſt, ſuſpenſam tenes. Et Marci 2. *Alioquin aufert ſupplementum novum à veteri.* Priori modo, Chriſtus tollit peccatum mundi, ut homo; poſteriori, ut Deus: & etiam ut homo, quatenus me-B rito ac virtute ſuæ paſſionis abſtulit noſtra peccata. Et quia hoc ei tribuitur ut agno, id eſt, ſecundum naturam humanam innocentem & immaculatam; ideo prior ſenſus magis quadrat. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 4. legit *peccatum*; & ex gloſſa Beda interpretatur peccatum originale. Vide gloſſam ordinariam, & S. Thom. in comment. Idem 1. 2. q. 81. art. 2. inde probat peccatum originale unum eſſe in ſingulis non plura.

℣.30. *Poſt me venit vir qui ante me factus eſt, quia prior me erat*, Beda de Epiphania Domini valdè appoſitè Chriſtum ſoli. Ioannem lucifero comparat; quia lucifer ſolem præcedit & præmonſtrat; ſed ſol multò præſtantior eſt, & adveniens luce ſua luciferum obſcurat. Sic Ioan. ait, *Illum oportet creſcere, me minui.* Sic de illo Chriſtus: *Ad horam voluiſtis exultare in luce* C *ejus.* Ibidem Beda breviter & concinnè hanc ſententiam ita explicat: Poſt me venit, humanitate; qui ideo me præceſſit dignitate, quia prior me erat divinitate. Illud igitur *ante me factus eſt*, tale eſt, ac ſi dicas: Mihi prælatus eſt; primum judicio divino, deinde etiam præferendus humano: quia illum qui in ſe non creſcit, oportet creſcere in oculis & fide hominum, ut cognoſcatur quod ſit unigenitus Dei, Verbum patris & verus Deus.

℣.33. *Et ego neſciebam eum.* Hoc ſecundò repetitur à Ioanne, v.31. & 33. quod ſignificat Jeſum ſibi humana & familiari converſatione ignotum fuiſſe; ideoque non humanæ amicitiæ cauſa tale ei teſtimonium perhibere, ſed divina revelatione admonitum. Propterea addit: D *Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, ſuper quem videris, &c.* Hinc retunditur eorum opinio qui putant Jeſum & Ioannem in pueritia & reliquis ætatum gradibus, familiariter inter ſe vixiſſe. Vide Rupertum in Matth. 3. ubi hunc locum clarè explicat. Item illa opinio ex eo refellitur, quia Jeſus fuit educatus in Nazareth Galilææ; Ioannes autem in montanis Judææ circa Hieroſolymam, & citò recepit ſe in deſertum.

℣.38. *Magiſter ubi habitas? Dicit eis: Venite, & videte.* Non hinc ſequitur Chriſtum aliquid proprium poſſediſſe. Nam qui nihil habent proprium, poſſunt alicubi habitare, & habere uſum domicilij, cujus non habent proprietatem. Unde non pugnat hic locus cum illo Matth. 8. *Filius hominis non habet ubi caput ſuum* E *reclinet.*

℣.40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Ioanne.* Scilicet illud, *Ecce agnus Dei.* Hanc Ioannis vocem nequaquam oblivioni dedit Andreas, ſed bene retinuit tota vita ſua uſque ad paſſionem ſuam, quando coram judice teſtatus eſt populum fidelem manducare agnum, qui tamen integer perſeverat. Fuit autem Andræas frater Petri natu major, ut habet breviarum Romanum & eſt apud Epiph. hæreſi 51. Quod ſi verum eſt, magis hinc apparet Petri prærogativa præ cæteris Apoſtolis, quod in Catalogo Apoſtolorum, quem recenſent Evangeliſtæ, etiam fratri præponatur, licèt eo & ætate & acceſſu ad Chriſtum poſterior, & ab eo ad Chriſtum adductus,

℣. 42. *Et adduxit eum ad Ieſum.* Scilicet Andræas A
Simonem, non ita tamen ut cum eo deinceps permanerent. Nam eorum vocatio ad diſcipulatum Jeſu & domeſticum conſortium, poſteà facta eſt, & deſcribitur à tribus reliquis Evangeliſtis; ſed ut ad horam aut diem colloquio ipſius ſuaviſſimo fruerentur, quemadmodum docet Aug. in hunc locum.

Tu vocaberis Cephas. Id eſt, Petrus. Quæritur quando cœperit vocari Cephas, aut Petrus? Marci 3. ubi deſcribitur duodecim Apoſtolorum electio, dicitur: *Et impoſuit Simoni nomen Petrus.* Matth. 16. dicitur ei à Domino: *Tu es Petrus.* Chriſtus quoque poſt ultimam cœnam dicit ei Luc. 22. *Dico tibi Petre: Non cantabit hodie gallus, &c.* Et poſt reſurrectionem ait de eo Marci 16. *Dicite diſcipulis & Petro.* Verumtamen non ap- B
paret eum à condiſcipulis appellatum fuiſſe Petrum, niſi poſt acceptum Spiritum Sanctum; quia illud erat nomen dignitatis. Atqui de primatu inter diſcipulos erat æmulatio uſque ad tempus paſſionis Domini, ut patet ex Luca. Sed & Chriſtus in Evangelio eum paſſim vocat Simonem. Evangeliſtæ quidem nunc Simonem nunc Petrum vocant, nunc utroque nomine conjuncto Simonem Petrum; quia ſcribebant multò poſt paſſionem Domini, quando Petri cognominatio jam apud fideles invaluerat.

℣. 45. *Invenit Philippus Nathanael.* Nathanael quis fuerit, vide annot. Ioan. 21. & 1. Corinth. 1.

℣. 46. *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Quaſi diceret, Non. Non hoc dicit tanquam legiſperitus, ſed quia vulgo jam ferebatur apud Judæos, Chriſtum è C
Bethleem naſciturum, &c, è Galilæa nullum ſurgere prophetam. Unde dicebant quidem ex turba, Ioan. 7. *Nunquid à Galilæa venit Chriſtus? nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus?* Certè ſi propter hæc verba putatur Nathanael fuiſſe legiſperitus; cur non & Philippus, qui dicebat ei: *Quem ſcripſit Moyſes in lege & prophetæ, invenimus Ieſum?* Non eſt ergo cur propter hæc verba à Nathanaele dicta, putetur fuiſſe inſtitutus in lege & prophetis, & proinde non fuiſſe Apoſtolus ut colligit Auguſt. minus rectè, ſalva tanti viri reverentia. Qui in Pſalm. 65. dicit pronunciationem hanc interrogativam à prudentioribus non eſſe approbatam; ſed illos prudentiores non nominat. S. Bernardus Epi- D
ſtola 77. ad Hugonem utriuſque lectionis meminit. Rectius cum interrogatione Hier. ſuper. Iſai. 65. Senſus eſt, inquit, quomodo mihi Meſſiam adducitis è Galilæa & Nazareth, quem ego de Bethleem Juda ſcio eſſe promiſſum?

℣. 49. *Tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël.* Si Nathanael tam citò in Chriſto agnovit divinitatem, quod eſſet naturalis Dei filius; videbitur magis commendanda ejus fides, quàm Petri; qui id multò poſt confeſſus fuiſſe legitur Matth. 16. Fortè ergo dicendum, etſi ambo Jeſum Chriſtum Dei filium confeſſi fuerint. Petrum tamen, qui ea confeſſione meruit ſingularem prærogativam principatus totiùs Eccleſiæ, multò ſu- E
blimius de filio Dei ſenſiſſe, quàm Nathanael aut Martha. Vide annot. Ioan. 11. & Matth. 14. & 16.

℣. 51. *Amen amen dico vobis.* Solus inter Evangeliſtas Ioannes *amen* geminat in ſermone Chriſti, idque perpetuò obſervat; idcircò ut arbitror, quod Chriſtus verè ſic fuerit locutus. Nec tamen malè cæteri Evangeliſtæ unicum *amen* ſcripſerunt, quia qui unum ſcribit non negat duo; nec neceſſarium putarunt geminare, quia etiam unum ſolum *amen* vehementer affirmat; licèt vehementius id faciat duplicatum. Ejuſdem duplicati exempla habemus Num 5. 1. Eſdræ 8. & in tribus Pſalmis 40. 71. & 88. qui apud nos clauduntur per *fiat, fiat*, quod Hebraicè eſt *amen, amen*. Nam Pſal. 105. cujus etiam apud nos clauſula eſt *fiat, fiat*, in Hebr. clauditur per *amen, Alleluia*.

℣. 51. *Videbitis cælum apertum.* Vide annot. Act. 7. verſ. 55.

Et Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes. Bernardus ſerm. 11. ſuper. *Qui habitat*; Beati illi ſpiritus aſcendunt per contemplationem Dei; deſcendunt per compaſſionem tui, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Aſcendunt ad vultum ejus; deſcendunt ad nutum ejus; quoniam angelis ſuis mandavit de te: nec tamen vel deſcendendo viſione gloriæ fraudantur, quia ſemper vident faciem patris.

CAPUT II.

℣. 1. E*T die tertia nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.* Quæri hîc poteſt, an ut vulgo putatur, ſponſus harum nuptiarum fuerit Ioannes Apoſtolus, quem Chriſtus ſtatim à nuptiis inconſummatis ad Apoſtolatum vocaverit; Id enim habet præfatio Aug. nomine in tract. in Ioannem, & quædam præfatio (ni fallor) Hier. titulo in Evangelium Ioannis. Sed parum id nobis probabile videtur. Primum, quod nullus veterum, quod ſciam, id ita eſſe teſtetur. Nam duæ dictæ præfationes falsò dictis authoribus aſcribuntur. Secundò, quia Chriſtus ideo venit ad nuptias, ut nuptiis benediceret, quemadmodum Patres Epheſini Concilij & alij ſubinde teſtantur. Non ergo debuit eas nuptias inconſummatas diſſolvere; ſed potius conſummandas ſua benedictione augere. Tertiò, propterea voluit nuptiis intereſſe, ut nuptias eſſe licitas, & à Deo eſſe oſtenderet, contra futuros hæreticos, qui dicturi eſſent nuptias eſſe illicitas & à diabolo inventas: Atqui non id Chriſtus facto ſuo probaſſet, ſi eas ante corporum carnalem copulam diremiſſet; cum hæretici propter carnalem copulam illicitas eſſe nuptias docuerint. Unde ex facto Chriſti majorem ſtabiliendi ſui dogmatis arripere poſſent occaſionem. Quartò, quia per hoc detrahitur aliquid perpetuæ virginitati S. Ioannis, ſi dicatur aliquando contraxiſſe matrimonium & uxorem habuiſſe, cogniturus eam, niſi præter opinionem inde abſtractus à Chriſto fuiſſet. Poſtremò videtur Ioannes fuiſſe inter diſcipulos, qui unà cum Chriſto & matre ejus ad nuptias invitati fuerunt. Fuit enim Ioannes inter primos Chriſti diſcipulos, ut ſatis ex Matth. apparet; & hujus Evangelij c. 1. creditur haud immeritò fuiſſe alter duorum, qui Chriſtum Ioanne Baptiſta monſtrante ſecuti ſunt. De quo vide Ianſenium. Fabuloſum quoque eſſe videtur, quod in vita Ioannis refert liber falſo Abdiæ titulo, Ioannem morti vicinum commemoraſſe, quemadmodum tribus vicibus, cum propter ardorem juvenilis ætatis uxorem ducere voluiſſet, fuerit à propoſito per Chriſtum retractus. Primum per vocationem, ſecundo per morbum, tertio per alium modum mitiorem. Hæc enim perpetuæ virginitati Ioannis non parum derogare videntur, ſi propter carnis incentivum, quamvis ſemel & iterum ab eo propoſito retractus, adhuc tertio voluit contrahere matrimonium. Legitur in quadam ſequentia de S. Ioanne: *Tu leve conjugis pectus reſpuiſti, Meſſiam ſecutus; ut ejus pectoris ſacra meruiſſe fluenta potare.* Sed parvæ authoritatis eſt proſa. Pro Ioanne ſponſo quidam adſerunt Hieron. l. 1. contra Iovinianum, ubi de Ioanne dicit, Virgo & Maritus. *Reſp.* Virgo refertur ad Ioannem, maritus ad Petrum, ut patet ex contextu. Vide Baron. tom. 1. Annal. & noſtra in 4. ſent. diſt. 27.

Et erat mater Ieſu ibi. Cur non & Ioſeph maritus B. Mariæ? Neque enim decet mulieres vocare ad nuptias ſine ſuis viris. *Reſp.* Ioſeph jam mortuus erat. Nec enim Evangeliſtæ de eo tanquam adhuc vivente uſquam loquuntur poſtquam Jeſus adolevit in virum. Unde & fallitur Ambr. ponens divortium inter Ioſeph & Mariam, ex eo quod Chriſtus moriturus matrem ſuam Ioanni commendavit, non ipſi Ioſeph.

℣. 2.

ỹ. 2. Vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli ejus ad nuptias. Chriſtus nuptiis intereſſe voluit,ut oſtenderet nuptias eſſe rem bonam & honorabilem & à Deo inſtitutam, contra hæreſes quas videbat exorituras,quæ nuptias erant calumniaturæ; ſimul ut nuptias nova & ſpirituali benedictione ſanctificaret; atque in Sacramentum novæ legis inſtitueret; quod ſignificant Patres quando dicunt Chriſtum nuptiis benedixiſſe. Ex quo ſequitur, illud matrimonium fuiſſe primum matrimonium novæ legis Sacramentum. Diſcat hî Chriſti Sacerdos, exemplo Domini ſui,non accedere nuptias carnales, niſi valeat ex aqua facere vinum, id eſt, præſentia ſua nuptiis carnalibus ſpiritualem ac Deo gratum addere ſaporem: ut nimirum ejus ſermone & morum gravitate moderentur atque cohibeantur convivarum exceſſus. Alioqui certè metuendum ne dum nuptiali convivio ſe admiſcet,& convivis ſe accommodat; vinum ejus convertatur in aquam, id eſt,omnis ejus ſapientia vertatur in inſipientiam. Quod utinam Chriſti Sacerdotibus & Parochis animarum non contingat.

Et diſcipuli ejus ad nuptias. Non duodecim ejus Apoſtoli;quia nondum fecerat ſibi Apoſtolos:ſed diſcipuli quos jam habebat; ut Andræas,Simon,Philippus, Nathanael & alter ille qui unà cum Andræa ſecutus eſt Jeſum, quem Evangeliſta non nominat, fortè Ioannes,ut dictum eſt ad v. 1.

ỹ. 3. Vinum non habent. Quæritur,an Maria viderat unquam anteà filium ſuum facientem miraculum: Sic enim videri poteſt, ex eo, quòd hic tam confidenter exigat ab eo miraculum, quaſi rem ſibi non incompertam exigeret. At contrà teſtatur Evangeliſta Chriſtum hîc feciſſe initium ſignorum.Nam liber de infantia Salvatoris, in quo quædam à puero facta miracula referuntur; ut apocryphus ab Eccleſia reprobatur. Itaque dicendum quod Ieſus anteà nullum in carne aſſumpta fecerat miraculum in oculis hominum: Petitio autem Virginis argumentum fuit magnæ fidei, qua credebat filium ſuum eſſe filium Dei, ſicut ex angelo didicerat; ideoque non dubitabat quin omnia poſſet, etiam nihil tale facientem vidiſſe. Dico, *in oculis hominum* quia miraculum erat quod in Chriſto gloria animæ non redundaret in corpus. Item quod quadraginta diebus ſine cibo & potu vixiſſet. Sed hæc erant extra conſpectum & notitiam hominum. Notanda quoque modeſtia Virginis, dicentis tantummodo, *Vinum non habent*; ſicut illæ dicebant,*Ecce quem amas infirmatur.* Infrà c. 11.

ỹ. 4. Quid mihi & tibi eſt mulier? Igitur, inquiunt Anabaptiſtæ,nihil agnoſcit Chriſtus ſibi commune eſſe cum matre; & per conſequens non ex ea, id eſt, de ea, carnem accepit. *Reſp.* Mater Chriſti miraculum requirebat;quod divinitatis erat opus: quam quia ex matre non habebat,negat ſibi ea ex parte cum matre commercium eſſe. Ita David dicens ad Ioab & Abiſai 2. Reg.16. *Quid mihi & vobis eſt filij Sarviæ?* non eos negat ſuos conſanguineos, ſed in præſenti negotio, de quo agebatur, ſe cum illis ſentire. Phraſis autem Hebræa eſt. Quid mihi & tibi?id eſt,quid mihi tecum eſt?Sic Iehu. *Quid tibi & paci?* 4. Reg. 9. id eſt,qoid tibi cum pace? ſic Lucæ 8.dæmon ad Chriſtum: *Quid mihi & tibi eſt?*Porrò verba hæc non eſſe reprehendentis, ſed docentis;oſtendimus in 3.ſent.diſt.3.

Nondum venit hora mea. Quomodo id verum eſt, cum ipſo opere mox Chriſtus declaraverit horam ſuam miraculi patrandi veniſſe? Quidam non improbabiliter ſentiunt ſignificari horam, id eſt, tempus paſſionis. Id enim deſignare ſolet Ioannes nominans horam Chriſti, ut Ioan. 7. & 8. *nondum venerat hora ejus*; ſcilicet qua pateretur, & 12. *Pater ſalvifica me ex hac hora, ſed propterea veni in hanc horam.* Tunc enim appropinquare incipiebat tempus paſſionis,& 13.

A *Sciens Ieſus quia venit hora ejus*, & 18. *Pater venit hora,clarifica, &c.* Sic & alij Evangeliſtæ loquuntur ut Matth.26.*Ecce appropinquavit hora*,& Marci 17 *Oravit ut tranſiret ab eo hora*, & iterum: *Sufficit,venit hora.* Hanc ergo horam ſi intelligamus; alludet his verbis Chriſtus ad magnum myſterium; nempe de ſanguine ſuo in cœna noviſſima tradendo diſcipulis ſuis in ſpecie vini.Aug.quoque ſerm.76.de diverſis cap.10. intelligit horam paſſionis. Non ineptè tamen alij intelligunt horam faciendi miraculi; hoc ſenſu: Expecta paulisper donec omnibus convivis innotuerit vinum defeciſſe; ut ſit omnibus quoque miraculum, & per miraculum præſentia & divinitas mea innoteſcat, qua cognita in me credant & ſalventur; Et juxta hunc ſenſum, per iſta, *Quid mihi & tibi?* &, *nondum venit hora mea*; duo diverſa dicere voluit Domi-
B nus: primum, miraculi poteſtatem non eſſe ex natura de matre ſumpta; alterum opportunitatem miraculi eſſe exſpectandam.

ỹ. 6. Hydriæ ſex ——— capientes ſingulæ metretas binas vel ternas. Vide Janſenium,qui colligit ex Budæo & Roberto Senali, unam hydriam capientem duas metretas cepiſſe 24. noſtros quartarios, aut circiter. Igitur ſex hydriæ capiebant ferme 150.quartarios,quos Brabanti pottos vocant, id eſt, 75.geltas,quas vocant: quæ efficiunt lota Duacenſia 94.aut circiter. Jam ſi hydriæ ceperint metretas ternas (hoc enim dubiè dicitur ab Evangeliſta) accedent lota 46.& fiet univerſa ſumma,140.lotorum. Ex quibus colligitur,ad convivium hoc nuptiale valdè multos convivas fuiſſe invitatos,
C ubi pro ſupplemento defectus vini, tanta copia ſubminiſtrata fuit. Fortè invitati eo erant omnes incolæ Canæ; tametſi potius exiſtimandum quod more veteri nuptiæ durabant per complures dies. Nam ex Tob.8. & 10. apparet convivia nuptiarum Tobiæ junioris & Saræ celebrata fuiſſe per duas hebdomadas. Et Judic.14.nominantur ſeptem dies convivij nuptiarum Sampſonis. Non dico Chriſtum cum matre & diſcipulis tamdiu manſiſſe in nuptiis; ſed vini copiam pro conſueto dierum numero convivis reliquiſſe. Poteſt etiam dici Chriſtum ideò præbere voluiſſe multam vini copiam, ut manifeſtum & indubitatum eſſet omnibus miraculum; quando palam conſtabat tantam
D copiam non eſſe ex vino à parentibus ad nuptias comparato. Nam alioqui credi potuiſſet, hoc eſſe adhuc de vino reſiduum, aut ex vicinia allatum. Quamquam veriſimile eſt de hac copia fuiſſe aliquid etiam in vicinos, præſertim pauperes, diſtributum, quo celebrius eſſet miraculum.

ỹ. 9. Vt autem guſtavit architriclinus,&c. Hinc conſequens videretur, aquam mutatam in vinum non mutaſſe colorem: contra illud; *Aqua rubeſcunt hydriæ.* Nam ſi mutatus fuiſſet color in rubedinem; ex colore agnoviſſet architriclinus eſſe vinum, nec fuiſſet opus guſtare. Adde,quòd in Palæſtina dicitur vinum rubrum non naſci, ſed flavum, ſicut dicitur Prov. 23. *Ne intuearis vinum quando flaveſcit*: Ad illud autem, *Aqua*
E *rubeſcunt hydriæ*, reſponderi poteſt id Poëticè dictum, ut ex ſpecie genus intelligatur. Verumtamen illud de architriclino non videtur convincere; quia quod dicitur, *ut guſtavit aquam vinum factam*, non hunc habet ſenſum, ut guſtu percepit aquam converſam in vinum; ſed; ut guſtavit vinum in quod aqua converſa erat, ipſo tamen adhuc neſciente quid factum eſſet. Cui ſenſui optimè conſonant ſequentia; & ita non repugnant illa verba Evangelij quo minus aqua cum natura mutaverit colorem; præſertim quia dicitur, *Miniſtri autem ſciebant*; qui tamen non leguntur guſtaſſe, nec guſtare debuerant: quia miniſtrorum non eſt bibere vinum. Quod dicitur in Palæſtina non eſſe vinum rubrum, arbitror non omnino eſſe verum. Certè tempore Iſaiæ erat vinum rubrum; alioqui

Eſtij Annotat. in Script.

ſchemate ſermonis non dixiſſet c. 63. *Quare ergo rubrum eſt veſtimentum tuum ſicut calcantium in torculari?* Ad quod reſpondet: *Torcular calcavi ſolus.* Vide ibi Sasboldum. Item, vinum vocatur ſanguis uvæ, Deuter. 32. & 1. Machab. 10. A.

℣. 10. *Omnis homo — & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt; tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.* Ne inde colligas, iſtos convivas fuiſſe jam inebriatos, quando deficiente primo vino aliud vinum datum eſt: Neque enim potuit non ſanctum & honeſtum & moderatum eſſe convivium, cujus convivæ erant Chriſtus Dominus, & mater ejus, & diſcipuli ejus. Neque Chriſtus vini copiam per miraculum adhuc ſubminiſtrare voluiſſet convivis jam ebriis; Neque ſanctiſſima mater ejus pro ebriis, ut adhuc vinum B eis daretur, interpellare filium ſuum voluiſſet. Neque profecto verè diceretur convivis jam uſque ad ebrietatem vino repletis, *Vinum non habent*, id eſt, vinum deficit. Hoc enim præceſſerat; *Et deficiente vino, dicit mater ejus.* Igitur architriclini verba non aliud volunt, quàm in hoc contrà factum, quàm in aliis in quibus inebriantur convivæ, fieri ſolet. Et quidem meritò: nam ebrij digni ſunt quibus deterius vinum apponatur, qui autem moderatè ac temperatè bibunt, merentur tandem guſtare de vino Dominico.

℣. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus.* Mendax igitur eſt liber de infantia Salvatoris, in quo commemoratur jam ante feciſſe miracula. Certè ipſis etiam cognatis ſuis Chriſtus quando miracula facere cœpit, viſus fuit eſſe furore quodam phrenetico correptus; C adeò ut exirent tenere eum. Marci 3. Nulla ergo miracula facientem viderant quamvis ſecum converſatum. Nec diverſum nobis innuit quod in Eccleſia canitur Dominica 2. poſt Epiphaniam poſt communionem; *Hoc ſignum fecit Ieſus primum coram diſcipulis ſuis.* Non enim illud, *coram diſcipulis ſuis*, reſtringentis eſt; quaſi aliqua jam ante feciſſet, non coram diſcipulis: ſed magis explicantis, & declarantis cauſam ſigni faciendi; quæ erat ut diſcipuli crederent; prout ipſe Evangeliſta declarat, dum ſubjungit *Et manifeſtavit gloriam ſuam. & crediderunt in eum diſcipuli ejus.* Sed dices: Qua fiducia mater urget eum ad miraculum faciendum, dicens: *Vinum non habent*; ſi non ante conſpexerat eum miracula facientem? *Reſp.* id pertinere ad commendationem fidei matris Chriſti, quod firmiter D crediderit eum poſſe; ſciens eum eſſe filium Dei, ſicut ab Angelo didicerat, etiamſi nulla miracula facientem vidiſſet. Vide Ianſenium, & ſuprà annot ad v. 3. hujus ejuſdem capitis. Huic porrò primo miraculo Chriſti peculiare eſt, quod non verbo nec alio ſigno exteriori perpetratum fuerit à Chriſto, ſicut alia miracula; ſed quod ipſum ſola voluntas Domini tacentis effecit; ut ſcribit S. Maximus. Neque enim legitur Chriſtus hic dixiſſe aut feciſſe aliquid, per quod, ut inſtrumentum, ſaltem morale, faceret hoc miraculum: Sed quia patris Verbum erat: primum miraculum per ſolum verbum internum; cætera, verbis etiam ac ſignis externis ope- E rari voluit. Item, quia voluit latere miraculum, donec architriclinus guſtaret.

℣. 15. *Et cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes ejecit è templo, oves quoque & boves, &c.* Flagelli tantum hîc fit mentio; non apud tres alios Evangeliſtas, ſimile factum, quod multò poſterius contigit, narrantes. Vide Ianſ. c. 19. Ubi bene probat, nō homines, ſed oves & boves flagello expulſos fuiſſe è templo à Chriſto.

℣. 16. *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Vide annot. Matth. 21.

℣. 18. *Zelus domus tuæ comedit.* Vide Auguſt. in hunc locum tract. 10. pulchre admonentem unumquemque fidelem, quomodo debeat habere zelum ſalutis proximorum, & non dicere, Sufficit mihi ut ſervem animam meam.

℣. 19. *Solvite templum hoc.* Ergo Chriſtus aliquo modo ſolvitur; ſed non eo modo quo dictum eſt 1. Ioan. 4. *Omnis ſpiritus qui ſolvit Ieſum ex Deo non eſt.* De quo Ieſum ſolvendi modo, vide ejus loci commentar. *Templum hoc*, id eſt, animatum Chriſti corpus. *Hoc enim dicebat de templo corporis ſui*, quod perfectiſſimo quodam modo erat templum Dei; quia in eo Deus habitabat corporaliter per hypoſtaticam unionem, ad Coloſſ. 2. Solutum eſt illud templum, non unitæ Deitatis abſceſſu, ſed animæ ſeparatione, quoniam, ut dixi: templum illud erat corpus Chriſti animatum.

℣. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc.* Baron. tomo. 1. Annal. quærit de quo templo id dictum, referens ea quæ Ioſephus ſcribit. Et reſpondet, id dictum de templo ab Herode reſtituto; tempus autem 46. annorum computat uſque ad præſentem annum, quo iſtud à Judæis dicebatur. Quæ reſponſio probabilis eſt; ut ſenſus ſit; Jam quadraginta & ſex anni ſunt ex quo templum hoc ab Herode eſt cœptum ædificari ſeu reſtitui; nec tamen adhuc ſtructura eſt omninò abſoluta. Nam Ioſephus teſtatur ædificationem duraſſe uſque ad tempora Neronis. Vide Baronium.

℣. 21. *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Id eſt, de templo quod eſt corpus ſuum. Si enim omnium juſtorum corpora ſunt templa Dei, 1. Cor. 6. quanto magis corpus Chriſti erat templum Dei, utpote Deitati hypoſtaticè conjunctum?

℣. 23. *Multi crediderunt in nomine ejus, videntes ſigna ejus quæ faciebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, &c.* Quomodo hîc dicat Evangeliſta, quod Jeſus non credebat ſemetipſum eis, variè exponitur. Hæretici ſimulatam fidem intelligunt, ne cogantur fateri fidem aliquam eſſe ſine charitate. Sed verba Evangelij nimis aperta ſunt, *Multi crediderunt, &c.* Et c. 12. etiam apertius dictum eſt: *Multi ex principibus crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur ut è ſynagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Qui hæc ſcribit manifeſtè agnoſcit fidem Chriſti in eo qui gloriam hominum præfert gloriæ Dei. Alij intelligunt habentes fidem imperfectam, quibus tanquam rudibus ſe non credit Chriſtus; quia non tradit altiora fidei myſteria, quorum nondum ſunt capaces. Alij, de inconſtantia fidei interpretantur. Alij, quorum ſententiam Cajetanus ſequitur, vocabulum, *eis*, non referunt ad credentes, ſed ad eos in genere, qui Hieroſolymis erant in ſolemnitate paſchali, ut ſenſus ſit: Etſi multi in eum crederent; tamen Judæis, quorum adhuc maxima pars non credebat, non ſe voluit Chriſtus credere, ſed ſe ab illis ſubduxit. Significat ergo quoſdam eum quæſiviſſe ad necem; ideoque Chriſtum ſubduxiſſe ſe, eo quod nondum veniſſet hora ipſius.

℣. 25. *Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.* Divinitas Chriſti commendatur; in qua inculcanda aſſiduus eſt Ioannes.

CAPUT III.

℣. 1. E*Rat autem homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum.* Vide Epiſtolam Luciani presbyteri de revelatione corporis S. Stephani, Nicodemi, &c. ubi narrante Gamaliele legitur Nicodemus baptizatus eſſe à Chriſti diſcipulis; Qua re cognita Judæos eum removiſſe à principatu, & anathematizaſſe, & è civitate ejeciſſe; eumque poſteà uſque ad finem vitæ ſuſtentatum à Gamaliele, & ab eodem ſepultum.

℣. 2. *Hic venit ad Ieſum.* Factum eſt hoc Ieroſolymis, ubi Nicodemus habitabat, Eſtque continuatio hiſtoriæ, nam & præcedentia Hieroſolymæ geſta ſunt.

Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi fuerit Deus cum eo. Ergo ſunt quædam ſigna, quæ ab illis fieri non poſſunt qui

qui falſam doctrinam, per ea confirmare conantur. Ea A autem ſunt vera miracula. Ideo namque dicit, *hæc ſigna*, ut ea diſtinguat ab iis quæ fiunt interdum ope dæmonum adhibitis cauſis naturalibus. Et nota quod ſigna teſtimonium perhibeant doctrinæ; ait enim: *Scimus quod à Deo veniſti magiſter; nemo enim poteſt, &c.*

℣. 3. *Niſi quis natus fuerit denuo. Denuo* Græcè ἄνωθεν, quod infra hoc eodem capite noſter interpres vertit *deſurſum*, *Qui deſurſum venit ſuper omnes eſt.* Eraſmus utrobique *à ſuperne*, & in eum ſenſum quædam Græcorum ſcholia exponunt. Alterum tamen ſenſum arguit ex verbis Chriſti orta quæſtio Nicodemi: *Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? numquid poteſt in ventrem matris iterum intraire?* δεύτερον εἰς ἐλθεῖν. Quibus verbis ſignificat Chriſtum mentionem feciſſe iteratæ nativitatis.

B *Non poteſt videre regnum Dei.* Regnum Dei, Calvinus intelligit illud de quo alibi; *pœnitentiam agite; appropinquavit regnum cælorum.* Sed ea expoſitio repugnat expoſitioni omnium veterum & ſenſui totius Eccleſiæ, & phraſi Scripturæ; ſecundum quam intrare in regnum Dei, eſt intrare in vitam æternam; & opponitur ei quod eſt mitti in gehennam ignis. Marci 9. Imò eo loco habentur illa duo pro eodem; quia ſemel dicitur: *bonum eſt tibi claudum intraire in vitam æternam*; Et poſteà: *bonum eſt tibi luſcum intraire in regnum Dei.*

℣. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu; non poteſt intraire in regnum Dei.* Hæc Dei conſtitutio duo præcepta continet; quorum alterum ad legem naturæ pertinet; alterum eſt legis poſitivæ. Ad legem naturæ C pertinet, ut nemo ingrediatur regnum Dei, qui non ſit renatus ex ſpiritu: Et proinde renaſcentia ex ſpiritu, ita neceſſaria eſt, ut ſine ea nullo modo pateat ingreſſus in vitam æternam. Nemo enim ſaluatur qui non per ſpiritum renatus fuerit. Legis autem poſitivæ eſt, neminem conſequi regnum Dei, qui non ex aqua fuerit renatus. Quæ tamen lex; prout habet natura cujuſlibet legis poſitivæ, exceptionem aliquam pati poteſt; qualis eſt in caſu martyrij vel extremæ neceſſitatis, ita tamen ut in adultis votum ſuppleat realem baptiſmi ſuſceptionem. Vide noſtr. in 4. ſent.

℣. 6. *Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Spiritus* D priori loco intelligitur Spiritus Sanctus, ſicut ibi, *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Quod omnes de Spiritu Sancto interpretantur, qui & Deus eſt. Unde primo cap. *qui non ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Nam idem eſt hoc loco natum eſſe ex carne; & ibi, ex voluntate carnis: Itaque idem eſt hoc loco natum eſſe ex ſpiritu, & ibi, ex Deo. Ex quo etiam apparet quando dicitur, *Spiritus ubi vult ſpirat*: Spiritum Sanctum intelligi; niſi dictum hoc accipias velut comparationem Spiritus Sancti cum vento. Poſteriori autem loco *ſpiritus* ſignificat hominem ſpiritualem, utpotè ex ſpiritu natum ſeu renatum. Quomodo etiam illud accipi poteſt ad Gal. 5. *Spiritus concupiſcit adverſus carnem*, quia homo inquantum ſpiritualis eſt, ſibi ipſi contrarius eſt quatenus adhuc carnalis eſt; ad E Rom. 7. Unde Iob: *Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi gravis?*

Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Aliter hîc caro accipitur quàm ſuprà ubi dictum eſt: *Verbum caro factum eſt.* Nam verbum iſto modo neque caro eſt, neque ex carne natum. *Caro* enim hîc ſpiritui opponitur, ſicut ibi; *neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt*, & apud Apoſtolum ad Galatas 5. *caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Unde & hic ſequitur, *quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Vide comment. ad Galat. 5.

℣. 8. *Spiritus ubi vult ſpirat.* Sic 1. Cor. 12. *Hæc omnia operatur unus atque idem ſpiritus, dividens ſingulis prout vult.* Ex quo apparet, hunc locum de Spiritu Sancto debere accipi. Et quis dicat ventum ſpirare, ubi vult; cum ventus ſit res prorſus inanimata? Neque hujuſmodi improprietatem uſquam alibi ſonat ſcriptura. Item in præcedentibus non alius per ſpiritum intelligitur, quam Spiritus Sanctus. Sed quia primo c. ſignificata erat nativitas quædam ex voluntate carnis, & ex voluntate viri; ideo voluit Dominus hîc ſignificare nativitatem ex voluntate Dei, dicendo quod ſpiritus (qui utique Deus eſt) ubi vult ſpirat. Et ſic de Deo ſæpè loquitur Scriptura quòd faciat omnia pro ſua voluntate, & ſecundum conſilium ſuæ voluntatis: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Pſalmo 113.

Et vocem ejus audis; id eſt, doctrina foris ſonat & auditus; ſcilicet per prædicatores: *Sed neſcis unde veniat*, id eſt, ex quo Dei decreto, ſcilicet ſalvandi eum cui proponitur, an non. *Aut quò vadat*, id eſt, an is cui B proponitur, ſit prædeſtinatus, an non, *Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu.* Id eſt, ita; ut dixi, ſe habet cauſa & conditio ejus qui natus eſt ex ſpiritu, ut lateat mentes humanas, eſt enim nativitas arcana. Hæc itaque Scriptura de Spiritu Sancto aptiſſimè intelligitur; ſed ita, ut ad ſpiritum corporeum, id eſt, ventum, ejuſque naturam quædam ſignificetur alluſio. Author quæſt. veteris & novi teſtamenti, q. 59. omnino contendit de vento accipi debere. Vide ejus rationes.

℣. 10. *Tu es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* Nicodemus magiſter in Iſraël, & peritus in lege, idemque diſcendi avidus, (nam diſcendi cauſa Chriſtum acceſſerat) Chriſti verba coram audit: nec intelligit. Quomodo ergo cuilibet è vulgo omnia Scripturæ verba aperta erunt?

C ℣. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis, &c.* Quæ terrena dixerat? *Terrena* id eſt, humilia reſpectu altiorum myſteriorum. Tale erat quod oporteat renaſci ex aqua & ſpiritu, nam & Phariſæi ſe purgari ſecundum animam exiſtimabant ſuis baptiſmis quotidianis.

℣. 13. *Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit de cœlo. Aſcendit* præteriti temporis, ἀναβέβηκεν, id eſt, Nemo cæleſtia ſcrutatus eſt, nemo penetravit in intima & ſecreta Dei, cujus habitatio eſt in cœlis; *niſi qui deſcendit de cœlo*, id eſt, qui de cœlo, hoc eſt, ex Deo, habet originem. Id eſt, Dei filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Vide annotat. cap. 1. ad D illud: *Deum nemo vidit unquam, &c.*

Niſi qui deſcendit de cœlo; Deſcendit, non ſecundum naturam humanam, nam ſecundum eam non erat: ſed ſecundum divinam, quatenus filius Dei novo modo cœpit eſſe in terris, ſcilicet per aſſumptam naturam humanam, quo prius ibi non erat.

℣. 14. *Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto.* Supple, quem inſpicerent percuſſi, ne perirent, ſed ut ſanarentur à morſibus ſerpentum & viverent; *Ita exaltari oportet filium hominis; ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Itaque in illa hiſtoria ſerpentis ænei, non tantùm erat figura Chriſti Salvatoris, ſed etiam fidei in Chriſtum ad ſalutem neceſſariæ. Non enim ſanabantur niſi qui aſpice- E rent exaltatum ſerpentem; ſic non ſaluantur niſi qui credunt in Chriſtum exaltatum in cruce.

℣. 17. *Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, ut judicet mundum; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum. Iudicet*, id eſt, condemnet; quod intelligitur ex oppoſito, *ſalvetur*; Et ſermo eſt de miſſione filij Dei in mundum per incarnationem, id eſt, de adventu primo non ſecundo; Nam ſecundo adveniet ut judicet, partim damnando, partim ſaluando. Per *mundum* Auguſt. tract. 87. in Ioannem intelligit Eccleſiam, quia illa ſola ſaluatur; ne quis hic imaginetur auxilium ſufficiens offerri omnibus hominibus.

℣. 18. *Qui credit in eum, non judicatur.* Id eſt. Qui credit ea fide, quæ præſtat omnia, quæ fides exigit, idque perſeveranter; non condemnabitur, ſed ſalvabitur;

Eſtij Annotat. in Script.

quia ex fide juſtitia & ſalus. *Qui autem non credit ; jam judicatus eſt.* Id eſt, qui Chriſtum non recipit, ejus damnatio, jam certa & evidens eſt ; quia nimirum rejicit ſalutis fundamentum, quod eſt fides : ut ratio non ſit diſceptandi de ejus cauſa ; quia cum credere noluerit in Salvatorem, damnationem ſuam quodammodo ſecum adfert, ſicut dicitur de hæretico quod ſit proprio judicio condemnatus, ad Tit. 3. Eſt autem ſermo de infidelitate poſitiva, ſicut Marci ultimo : *Qui non crediderit condemnabitur.* Id patet ex eo quod ſequitur : *Quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.* Hæc enim fides ſi non prædicetur, non obligat. Sic in fine hujus cap. *Qui credit in filium habet vitam æternam : Qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.* Vide annot. Marci ult.

℣. 20. *Omnis enim qui malè agit, odit lucem.* Exemplum in prima hominis tranſgreſſione. Statim enim quæſivit latibulum, abſcondere ſe volens à facie Domini.

℣. 22. *Et baptizabat.* Non per ſe, ſed per diſcipulos; ut dicitur capite ſequenti. Nota quod diſcipuli Chriſti baptizantes non præmittebant alium Catechiſmum, quàm agendæ pœnitentiæ, & appropinquantis regni cœlorum : ſicut alibi ſatis indicatur. Non enim prædicabant myſterium Trinitatis : nec Jeſum eſſe Chriſtum : Id enim vetabantur tunc adhuc propalare ; ut Matth. 16. An igitur verum Chriſti baptiſma tunc conferebatur abſque invocatione Trinitatis, expendat Lector.

℣. 25. *Facta eſt autem quæſtio ex diſcipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione*, Id eſt, quidam ex diſcipulis Ioannis, cœperunt cum Judæis ad baptiſmum Chriſti confluentibus, diſceptare & quæſtionem illis facere de baptiſmo ; contendentes ad Ioannem non ad Jeſum accedere eos debere, baptiſmi & purificationis gratia. Baptiſmum vocabant *purificationem*, quia in baptiſmo fiebat profeſſio novæ vitæ, per pœnitentiam & deteſtationem vitæ prioris, vel, quia diſcipuli Ioannis nimium magiſtro ſuo tribuentes, putabant eo peccata remitti.

℣. 27. *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Accipere*, pro habere poſitum eſt. Unde in 2. Arauſicano concil. canone ultimo, abſque ſententiæ detrimento ſic citatur ; *Nemo habet quidquam boni, niſi datum illi fuerit deſuper.* Quidam exiſtimant hoc à Ioanne dictum eſſe propter Jeſum, quaſi diceret : Ille quem dicitis baptizare, id non poſſet niſi poteſtas ei de cœlo data eſſet. Sed probabilius eſt Ioannem hoc dicere propter ſeipſum ; quaſi diceret : Quid æmulamini pro me, & meo baptiſmo ? nemo poteſt quidquam habere poteſtatis, quod non ſit ei divinitus datum. Quod ego habeo, aliunde habeo ; ille, de ſe ; quia de cœlo venit è ſinu patris, ejuſdem cum eo ſubſtantiæ & potentiæ. Hunc ſenſum volunt ſequentia ; *Ipſi vos mihi teſtimonium perhibetis, &c.*

℣. 31. *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt.* Et infrà ; *Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt* : Utrobique verti poterat, *ſuper omnia eſt*, quomodo Cyrillus intellexiſſe videtur. Et plus eſt eſſe ſuper omnia, quam eſſe ſuper omnes : Nam ſuper omnia ſolus eſt Deus : Græcè *ἐπάνω πάντων*.

Qui de terra eſt, de terra eſt, & de terra loquitur. Vide Ianſen. hoc bene explicantem cap. 21. in concord. item, quomodo cum hac ſententia non pugnet, baptiſmum Ioannis fuiſſe de cœlo: Vide annotat. Matth. 21.

℣. 32. *Et teſtimonium ejus nemo accipit.* Verba hæc prophetica ſunt infidelitatis Judæorum : & congruunt cum eo quod initio dictum : *In propria venit & ſui eum non receperunt.* Senſus eſt : Perpauci Judæorum recipient teſtimonium & doctrinam ejus. Unde non repugnat quod ſequitur ; *Qui accipit ejus teſtimonium*, etiamſi hoc de Judæis intelligatur. Nec repugnat quod diſcipuli Ioannis paulò ante dixerunt de Jeſu, verſ. 27. *Et omnes veniunt ad eum.* Nam ſenſus eſt : Jam pro baptiſmo non amplius ad te venitur, ſed ad illum curritur ; ſcilicet ab illis qui baptizari volunt & pœnitentiam agere. Non tamen dicitur quam multi illi fuerint. Deinde, primus ille fervor poſteà ſe remiſit, ob frequentes Sacerdotum & Phariſæorum adverſùs Chriſtum calumnias ; adeò ut etiam magnis clamoribus eum poſtularint ad crucem.

℣ 34. *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum.* Scilicet illi, de quo loquor : Nam ut de plenitudine ejus nos omnes acciperemus; quiſque ſecundum ſuam menſuram : *dedit ei pater ſpiritum non ad menſuram*) quod membris competit) ſed profuſiſſimè & pleniſſimè, quantum capit ejus anima, & quantum congruebat dari homini Deo, qui totius Eccleſiæ & ipſorum quoque Angelorum eſſet caput. Vide comment. Coloſſ. 2. v. 9 & 10.

CAPUT IV.

℣. 1. **U**T *ergo cognovit Ieſus, quia audierunt Phariſæi. Vt cognovit*, id eſt poſtquam ei relatum eſt Phariſæos audiviſſe, &c. Sic infrà cap 6. *Cùm cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent eum regem ; fugit iterum in montem.* Relatio enim erat paritura in eo cognitionem, ſi eam anteà non habuiſſet. Poteſt etiam intelligi cognitio acquiſita per auditum, pertinens ad ſcientiam experimentalem.

℣. 2. *Quamquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli ejus.* Ob duas rationes id fecit : primùm, ut declararet ſe Ioanne majorem. Ioannes enim tantùm per ſe baptizabat ; Chriſtus autem, tanquam Dominus, ad baptizandum uſus eſt diſcipulis miniſtris. Deinde, ut hoc ſuo exemplo doceret Epiſcopos & paſtores Eccleſiæ, ut quæ præcipua ſunt, & majora in ſuis officiis, ea per ſe faciant ; minora aliis committant. Sic Petrus & Paulus in Actis, & rurſum Paulus 1. ad Cor. 1. non per ſe, ſed per alios, baptizarunt; & Act. 6. dicunt Apoſtoli, *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Baronius tomo 1. citat authores, qui dicunt Chriſtum baptizaſſe ſolum Petrum, Petrum verò alios diſcipulos. Baptizabat autem ſive per ſe, ſive per diſcipulos, baptiſmo à ſe inſtituto, qui eſt Sacramentum novæ legis; tametſi dubitari poteſt an verborum forma fuerit uſus qua ex ejus inſtitutione utitur Eccleſia ; &, an omninò aliqua forma fuerit uſus. Nam Trinitas perſonarum erat adhuc myſterium abſconditum. Vide annotat. cap. præced. v. 22.

℣. 5. *Iuxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.* Vide Scripturas Geneſ. 33. & 48. Ioſue 24. & 1. Paral. 5.

℣. 10. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, &c. Donum*, Græcè eſt *δωρεάν*, id eſt, donum gratuitum, quidam Chriſtum ipſum intelligunt, quaſi exegeticè additum ſit, *& quis eſt qui dicit tibi, &c.* Alij *aquam vivam*, id eſt, doctrinam ſalutis : alij gratiam Dei, quæ per doctrinam offertur dum annuntiatur. Veriſimile eſt doctrinam ſalutarem intelligi, ad quam tradendam Chriſtus erat miſſus : quam ipſe paſſim in hoc Evangelio *veritatem* appellat. Quaſi ergo ſic dicat : Si ſcires donum Dei, & eum per quem hoc donum præbetur hominibus ; tu utique petiviſſes, &c. Vel intelligitur præſens donum ſeu beneficium, quod erat Chriſtum cũ ipſa colloqui, offerentẽ aquam vivã. Vide Ianſ.

℣. 12. *Nunquid tu major es patre noſtro Iacob ?* Quomodo Iacob patrem ſuum vocat mulier Samaritana, aliena à genere populi Iſraëlitici; ut liquet 4. Reg. c. 17. Siquidem & hîc Judæos, qui erant poſteri Iacob, à Samaritanis diſtinguit, dicens : *Non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Solutionem vide apud Ianſen. in Eccleſiaſtici 50 & in Concordia Evangelica c. 22. ubi ſunt duæ rationes ; una, quia Judaicam religionem

aliqua

aliqua ex parte tenerent, ſanctos Patriarchas dicebant A patres ſuos (licèt falsò) quando id ſibi putabant utile & honorificum. Altera, quia revera multi Judæi qui duxerant uxores alienigenas, quoniam cum eis inter Judæos permanere non poterant, tranſierunt ad Samaritanos, & eorum genti incorporabantur. Quod nominatim accidit in Manaſſe fratre ſummi Sacerdotis, cui Sanaballath Samarita, ſocer ejus, extruxit templum in Garizim, in quo ſummo ſacerdotio fungeretur; ut ſcribit Ioſephus.

℣. 13 *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* Aquam ſpiritualem & myſticam intelligit, videlicet gratiam Spiritus Sancti, quæ purgat animam hominis à ſordibus peccatorum. Sed quomodo hæc ſententia Domini non pugnat cum ea quam de ſe loquitur æterna Dei ſapientia Eccleſiaſtici 24. B *Qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient?* Dicendum, aliam ſitim eo loco intelligi, aliam hoc loco. Hic enim *ſitis* ſignificat defectum rei nobis neceſſariæ; ut ſenſus ſit: Qui ſemel guſtaverit gratiam Spiritus ſancti, non ſentiet defectum amplius, ſed ea gratia ſemel ſuſcepta provehet eum uſque in vitam æternam. Intellige, niſi homo volens & ſponte gratiam illam abjiciat. Eccleſiaſticus autem per ſitim intelligit deſiderium, quo, quod imperfectè habetur, perfectiùs deſideratur; aut quod perfectè habetur; amatur ac retinetur ſine omni faſtidio. Hoc enim modo verum eſt, eos qui ſapientiam conſequuntur, perfectius eam deſiderare; & perfectè habitam ſemper retinere velle. Senſus quoque eſſe poteſt. *Qui biberit ex aqua quam ego* C *dabo ei.* Id eſt, ex doctrina quam ego trado; *non ſitiet iterum*: quia ſemel accepta ſufficit, modo retineatur & non abjiciatur. Vel, poſtquam ſemel eam hauſerit ad ſatietatem, quod erit in futuro ſæculo: *non ſitiet iterum*, id eſt, non amplius in æternum patietur ſitim, ſed ſemper manebit ea repletus & vegetatus. Qui ſenſus ſignificari videtur per id quod ſequitur: *Et fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*, id eſt, perducet eum ad vitam æternam, ubi non amplius ullum ſentiet defectum. Vel denique, hic ſenſus erit: *Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum.* Id eſt, quotieſcumque biberit, adhuc poſteà ſitiet: nunquam præſtabit ei ut deinceps non ſitiat. *Qui autem biberit ex aqua quam ego* D *dabo ei; non ſitiet in æternum.* Id eſt, non patietur æternam ſitim; non eſt futurum ut ſemper recurrat ſitis, poſt quantamcumque potionem: *Sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Id eſt, perducet eum ad vitam æternam; quò cum pervenerit, nunquam deinceps ſitim ullam patietur. Hic ſenſus probatur ex aliis locis; quibus oſtenditur non eſſe ſenſum, nunquam ſitiet; ſed, non ſemper ſitiet; aliquando futurum ut non amplius ſitiat. Nam cap. 8. dicit: *Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum*, & iterum, *non guſtabit mortem in æternum.* Item: *non manebit in domo in æternum.* Ubi non eſt ſenſus, nunquam morietur, ſed non ſemper morietur, non erit in morte æterna, non permane- E bit in morte, ſed habebit vitam æternam; ſicut alibi exponit; ut cap. 11. *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit vivet*; id eſt, à morte ſuſcitabitur. Unde ſequitur, Non morietur in æternum, & alibi: *Non manebit in morte, ſed tranſiet à morte ad vitam.* Vide annot. cap. 8. Porrò ſi quæras, Quomodo hinc non eſt conſequens eum qui ſemel gratiæ Spiritus Sancti particeps factus fuerit, ab ea ulterius excidere non poſſe? *Reſp.* Diſtingui aquam corporalem à ſpirituali: corporalis ſuâ vi non niſi ad tempus ſitim ſedare poteſt; ſpiritualis in perpetuum ſitim levat, quantum in ipſa eſt. At ex parte hominis qui gratiam acceptam abjicit per peccatum voluntarium, fit ut cogatur iterum ſitire. Aut dici poteſt, quod qui ex hac aqua biberit, cum per eam ſemel perductus fuerit ad vitam futuri ſæculi, non ſitiet amplius; quia tunc fons aquæ perduxit hominem in vitam æternam. *Fiet*, inquit, *in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* Et hoc rectius.

℣. 21. *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis patrem.* Adoratio hic poſita videtur pro toto genere cultus divini; cujus pars præcipua eſt ſacrificium, ait enim ſupra mulier: *Vos dicitis quia Ieroſolymis eſt locus ubi adorare oportet.* Non erat autem inter Judæos & Samaritas quæſtio, quin ubique Deum orare liceret; ſed de cultu externo & publico. Quando ergo dicit Chriſtus. *Neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis, ſed in ſpiritu & veritate adorandum Deum*; non tollit externum cultum, ſed præcipuè ſtatuit internum; Et ſimul ſignificat externum cultum, deinceps futurum per omnes gentes, & in omni loco: eo modo quo loquitur Malachias de oblatione munda. Non enim per hoc ſignificatur etiam in profanis locis oblatum iri ſacrificium Chriſtianorum, ſed per omnes nationes, & regiones, in locis ad hoc deputandis & conſecrandis. Vide Baſilium lib. 2. de baptiſmo cap 8. hoc pacto iſtud explicantem. Sic Iſaiæ 36. *Coram altari iſto adorabitis.* Id eſt, cum ſacrificij oblatione Deum coletis. Significare videtur Dominus, quod tempore novi teſtamenti etiam cultus externus futurus ſit in ſpiritu & veritate. Item, ſi Dominus intenderet excludere locum externum, ſequeretur ſimpliciter prohiberi adorationem. Nos enim qui corpore conſtamus, adorare Deum non poſſumus niſi in loco aliquo. Et ipſum vocabulum adorandi in Scripturis propriè ſignificat actum externum venerationis aut cultus: ut inclinationem, procubitum, genuflexionem. Et Chriſtus ipſe patrem adoravit inclinatione corporis, procubitu, genuflexione. Matth. 26. Lucæ 22.

℣. 22. *Nos adoramus quod ſcimus, vos adoratis quod neſcitis.* Quomodo ergo Judæi ſignis pro rebus utebantur, ſi ſciebant, id eſt, intelligebant quod colebant? Senſus videtur; Nos colimus eo cultu & iis cæremoniis, quas certi ſumus à Deo promanaſſe; vos autem non poteſtis probare Deum eſſe veſtri cultus authorem & inſtitutorem, ſed per ſchiſma conſtituitis vobis alium cultum, aliud templum & cæremonias. Vide Ianſen. qui exponit de vera Dei religione. Auguſt. tantùm intelligit dictum de Judæis ſpiritualibus, non de carnalibus, ſeu reprobis.

℣. 22. *Quia ſalus ex Iudæis eſt.* In quantum apud Judæos erat inſtituta vera Dei religio, erant prophetæ, & prophetarum libri, qui Chriſtum venturum præmonſtrabant; erant & cæremoniæ divinitus inſtitutæ, quibus ea quæ ad Chriſtum & Eccleſiam ejus pertinebant, præfigurabantur. In quantum denique Chriſtus, qui eſt ſalus mundi, ex Judæis erat proditurus, & Eccleſiam ſuam primum in Judæa & Judæis conſtituturus, & inde propagaturus in univerſum orbem. Nota, Chriſtum de populo ſuo apud externos loqui valde honorificè, licèt ejus vitia coram graviter inſectaretur.

℣. 24. *Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Abutuntur hoc loco Sectarij, dum ex eo concludunt peregrinationes, proceſſiones, uſum templorum, atque univerſum genus cæremoniarum, quæ in Dei cultum adhibentur, Deo placere non poſſe. *Reſp.* his verbis Dominus requirit cultum ſpiritualem, ita tamen ut corporalem non excludat; ſed eum requirit qui potior eſt, & qui prorſus eſt neceſſarius, & ſine quo corporalis cultus inutilis eſt & inanis. Alioquin, manifeſtũ eſt requirere Deum etiam corporalem cultum cum ſpirituali conjunctum. Vult enim ut carnem noſtram crucifigamus cum vitiis & concupiſcentiis; ut corpora noſtra ei exhibeamus hoſtiam viventem & ſanctam; ut non

corde tantum, ſed etiam ore laudemus, oremus, & A gratias agamus Deo, quæ ſine dubio per corpus fiunt. Quod autem ait: *Neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis*; Non locum corporalem excludit ab oratione, ſed potius ſignificat, ſublato errore adorantium in monte Garizim, ſublata etiam umbra ejus cultus, qui agebatur in templo Jeroſolymitano; futurum ut in omni loco, id eſt, per omnes gentes novus populus Deo ſerviat in ſpiritu & veritate; non tamen excluſa corporali actione circa cultum ſpiritualem. Nam ſicut ſpiritualis cultus neceſſarius eſt, quia Deus ſpiritus eſt; ita corporalis nobis convenit, quia non animo tantùm, verùm etiam corpore conſtamus. Tritum eſt illud Catonis: Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt; hic tibi præcipuè ſit pura mente colendus. Non excludit adorationem in templo, etiam B Jeroſolymitano: quia & Chriſtus ibi adoravit, & poſt acceptum Spiritum Sanctum Petrus & Ioannes aſcenderunt in templum ad horam orationis nonam; & Chriſti diſcipuli poſt aſcenſionem ejus in cœlum, erant quotidie in templo, &c. Lucæ ultimo.

℣. 25. *Scio quia Meßias venit.* Et infrà; *Adhuc quatuor menſes ſunt, & meßis venit.* Utroque loco Græcè eſt ἔρχεται, quod non tantùm ſignificat præſens tempus, ſed etiam futurum, cujus jam præcedat quædam præparatio, quodque jam quaſi ſit in procinctu. Unde Meſſias Judæis Chriſtum brevi venturum exſpectantibus, dicebatur Matth. 11. ἐρχόμενος, Eraſmus vertit hîc, *venturus eſt*, *veniet*. Simul obſerva non Judæis tantùm, verùm etiam Samaritanis Meſſiam expectatum fuiſſe; & apud eos jam tum increbuiſſe opi- C nionem adventus Meſſiæ jam inſtantis, perinde ut apud Judæos: utique ex prædictionibus prophetarum. Quod eſt validum argumentum adverſus pertinaciam Judæorum, qui Jeſum Chriſtum negantes, uſque hodie Meſſiam ſuum ſuſpenſi expectant.

℣. 27. *Et mirabantur quia cum muliere loquebatur.* Scilicet ſolus & abſque arbitris. Mirabantur autem, quia res erat inſolita, & quam nunquam vidiſſent. Scandalum tamen nec illis, nec cuiquam alteri ex eo facto generari poterat, quia colloquium hoc erat in publica via, velut ſi quis ſolus cum muliere loquatur in platea; nemo ſcandalizatur. Nec obſtat quod mulier erat impudica, & vivebat in ſtupro, nam occultum hoc erat. D

℣. 32. *Ego cibum habeo manducare quem vos neſcitis.* Cibus ille eſt facere voluntatem patris; ut Chriſtus ſequentibus verbis explicat. Non quia Chriſtus ſecundum animam nutriatur exercitio pietatis, tanquam defectibilis, quomodo nos ſecundum animam nutriri oportet cibo ſpirituali bonorum operum, ne deficiamus; ſed quia Chriſto ſuaviſſimum eſt oblectamentum facere voluntatem patris. Conſideratur ergo in hac cibi metaphora non nutritio, ſed oblectatio. Quo ſenſu etiam Latinè dicitur paſcere oculos, qui cum voluptate rem aliquam oculis inſpectat. Vel reſpicitur ad Chriſti deſiderium, quo, tanquam fame quadam, appetebat ſalutem humani generis, ut cibum ſuum.

℣. 43. *Et abiit in Galilæam. Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit, quia propheta in ſua patria honorem non habet.* E Quæritur, quo modo hoc hæreat cum præcedenti ſententia; & cujus reddat rationem dicendo, *enim?* Quidam ſic exponunt. Abiit in Galilææ partem à patria ſua Nazareth diverſam. Ideò autem non ivit in Nazareth, quia propheta in ſua patria, &c. Alij ſic: Civitatem Samariæ intraverat rogatus, non rogatus autem, ſed ſponte abiit in Galilæam; non rogatus autem, quia propheta, &c. ideò non requirebant, aut rogabant. Alij ſic: Abiit in Galilæam, quam reliquerat propterea quia propheta, &c. Rurſum conjunctio, *enim*, poteſt intelligi poſita tantùm expletivè, ut ſenſus ſit: Abiit in Galilæam, in qua, tametſi patria ſua, non eſt A in honore habitus, ſicut ipſe Jeſus teſtimonium perhibuit. Et hic ſenſus videtur ſimpliciſſimus. Alij denique patriam Chriſto hoc loco intelligunt Judæam, in qua erat Bethleem, quæ propria patria ejus erat: & rationem redditam quare relicta Judæa iverit in Galilæam, quia in Judæa, utpote patria ſua propheta honorem non habebat. Sed hæc opinio, tametſi eam Ianſenius probare videtur, propter duo non placet. Primum quia Scriptura Evangelica numquam alibi patriæ Chriſti appellatione Judæam aut Bethleem deſignat, ſed locum educationis, ut Galilæam, ejuſque civitates Capharnaum, & Nazareth. Alterum, quia de Judæa & Bethleem locum non habet ratio contemptus, aut non delati honoris; quia res iſta pendebat ab hominum opinione, ſecundum quam non Bethleem, ſed Nazareth, B putabatur patria Chriſti; & Nazareni eum habebant civem ſuum; quia parentes ejus & fratres, & ſtatum ejus noverant; unde contemptus oriebatur. Nihil autem tale erat in Bethleem.

℣. 46. *Et erat quidam regulus.* Græcè βασιλικός, quod magis *regium* quàm *regulum* ſignificat. Regulus enim Græcè βασιλίσκος dicitur, quod & ſerpentis nocentiſſimi nomen eſt, utraque linguâ. Fortè autem βασιλικός hic homo dicitur, quod fuerit de regio comitatu, videlicet Herodis regis Galilææ. Nam in Galilæa hoc miraculum accidit. Adde quod civitates Galilææ regulos non habebant, ſed tota Galilæa unum regem habebat Herodem, Romanis nihilominus ſubjectum, qui regij nominis titulum vix impetrarat à Romanis. De quo vide Ioſephum. Unde Lucas cap. 3. C eum tantum vocat tetrarcham Galilææ. Videtur etiam hic regulus ſeu regius homo, fuiſſe Judæus natione; tum quia nulla contrarij fit mentio, quod ferè ſemper ſolet, ubi gentiles Chriſtum pro beneficio interpellaſſe leguntur, ut de Cananæa muliere & Samaritana, deque Centurione, & gentilibus, qui Chriſtum videre cupiebant, Ioan. 12. & de Samaritano leproſo: Tum quia dicitur eis: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Nam peculiariter Judæi ſignorum requirebant demonſtrationem; juxta illud Apoſtoli, *Iudæi ſigna petunt.* Et Ioan. 6. *Quod ergo ſignum facis, &c.* Quidam dicunt regulum majorem eſſe Centurione, & in eo Philoſophantur, dicentes Dominum voluiſſe venire ad puerum Centurionis, non autem dignatum D venire ad filium reguli. Ita Gregorius, & rectè: tametſi non conſtet regulum eſſe Centurione majorem, quia regulus aulicum regium tantùm ſignificat, non autem præfecturam aliquam. At Centurio præfectus eſt centum militum. Sed illud urgeri poteſt, quod ad filium hominis Judæi venire noluit: ad ſervum hominis gentilis ire voluit.

℣. 48. *Niſi ſigna & prodigia videritis non creditis.* Si non credebat hic regulus; quomodo ergo exauditus fuit, cum dicat Iacobus cap. 1. de dubitante: *Non æſtimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino?* Vide ſolutionem in comment. Iacob. 1. & Gregor. homilia 28. in Evangelia.

E

CAPUT V.

℣. 4. *Angelus Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & movebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quâcumque detinebatur infirmitate.* Dominus locum illum tam evidenti miraculo honoravit, partim in commendationem ſacrificiorum legalium, quæ in hac aqua abluebantur, ad oſtendendum inſtitutionem eorum eſſe à Deo; partim ad adſtruendam fidem baptiſmi à Chriſto inſtituendi, ut Judæi videntes per aquam hanc morbos corporis miraculosè depelli, non judicarent abſurdum, per aquam baptiſmi deleri & ablui maculas animi. Quod autem quidam referunt

ferunt de ligno crucis dominicæ in hac piſcina natante, id authoritatem nullam ex probatis ſcriptoribus habet. Eſt autem hic locus objiciendus iis, qui Deum omni loco æqualiter exaudire & miracula facere dicunt, Ideoque certorum locorum viſitationem infirmitati fidei adſcribunt; cum hoc exemplum oſtendat non tantùm certo loco, ſed etiam certo tempore, miraculum ſanationis fieri ſolitum, ita ut qui locum & tempus illud non obſervaret, ſanitatem non conſequeretur.

Et movebatur aqua. Scilicet ab Angelo in piſcinam deſcendente. Faciebat autem hoc non contactu corporali, ſed virtuali quem vocant. Ineſt enim Angelis virtus ad movendum corpora ſecundum locum; quo motu mediante cæteros etiam motus in corporibus efficiunt. Quamquam hæc ſanatio quæ fiebat per aquam motam, non Angelicæ virtuti, ſed divinæ, quæ ſola miracula operatur, adſcribenda eſt.

℣. 18. *Sabbathum eſt: non licèt tibi tollere grabatum tuum.* Hoc dicendo non videntur peccaſſe, quia neſciebant hunc hominem infirmum fuiſſe à Chriſto miraculosè ſanatum ejuſque præcepto grabatum ſuum portare. Sed poſtquam id eis innotuit; ſi qui adhuc perſiſtebant in hujus facti reprehenſione, ſine dubio peccabant.

℣. 12. *Quis eſt ille homo qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula?* Non dicunt qui te ſanum fecit; nimirum ex odio, id ſolum repetentes quod calumniabantur.

℣. 15. *Abiit ille homo, & nuntiavit Iudæis, quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum.* Non ut accuſans; neque enim dicit, qui dixit mihi, tolle grabatum tuum & ambula, ſed ut prædicans beneficium. Ideò tantùm dicit, Ieſum eſſe qui ipſum ſanum fecit; contrario modo quàm fecerunt Judæi, beneficium ſanitatis diſſimulantes, calumniam ex præcepto ſtruentes.

℣. 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Occupatio eſt ejus objectionis quàm Judæi proferre poterant contra Chriſtum, dicentes, Sabbatho ceſſandum ab opere; cujus ratio in lege additur; *Quia & ipſe Deus poſt opera ſex dierum requievit die ſeptimo. Reſp.* non ita requieviſſe dicitur ſeptimo die, quaſi nihil eo die fuerit operatus; ſed quia poſt opera ſex dierum, quibus mundum & ea quæ in mundo ſunt, creavit varias rerum ſpecies producendo; ſeptimo die nihil tale amplius operatus eſt. Quid igitur operatus eſt ſeptimo die & deinceps? Operatus eſt & uſque hodie operatur, opus illud quod dicitur Conſervatio rerum, & gubernatio: quia ſemper alia ex aliis generantur, motus corporum cœleſtium continuatur; aliaque fiunt quæ ad totius univerſi directionem pertinent.

℣. 18. *Quia non ſolum ſolvebat Sabbathum.* Non verè, ſed ut illi criminabantur; eſt enim allegatio criminis, *quod non ſolum, &c.* Et notandum, nuſquam legi quod Chriſtus aliquid fecerit contra legem; quia nondum venerat tempus legis abrogandæ. Unde & circumciſus eſt, & per omnia factus ſub lege, ut ait Apoſtolus Galat. 4. nec veſcebatur cibis ſecundum legem illicitis; tametſi ſæpè cum peccatoribus manducaret. Quod ex eo ſatis intelligitur, quia nuſquam hoc ei Judæi objecerunt facturi haud dubiè, ſi feciſſet. Et manifeſtius ex eo quod Petrus Chriſti diſcipulus, omnium maximè familiaris, Act. 10. viſione ſibi oblata, qua jubebatur ex omni genere animantium comedere, reſpondit; *Nunquam manducavi omne commune & immundum.* Diligenter etiam, adhuc poſt Domini paſſionem, legem obſervabant Iacobus frater Domini, & cæteri diſcipuli. Denique, Judæi hoc ſolùm objiciebant quod Sabbathum violaret; ſcilicet malè intelligentes legem Sabbathi. De reliqua lege nihil illi ab eis objectum legimus. Vide noſtr. comment. citato loco Gal. 4.

A Cæterùm Chriſtus ſtudiosè plurimas curationes Sabbathi die facere voluit, quia his bonis operibus directè ſpectantibus glorificationem nominis divini, voluit honorare patrem ſuum, cui dies Sabbathi peculiariter erat conſecratus; ut, ſicut canit Poëta, Nunc dicenda bono ſunt bona verba die, ſic & de operibus exiſtimare nos oporteat, ac dicere: Nunc facienda bono ſunt bona facta die, qualia potiſſimum ſunt quæ per ſe ſunt ordinata ad Deum honorandum. Chryſoſtom. homil. 82. in Matth. dicit Chriſtum facto ſuo demonſtraſſe (quando agnum paſchalem edere voluit cum diſcipulis) ſe à principio circumciſionis ſuæ uſque ad diem paſchæ extremum, non fuiſſe contrarium divinæ legi; id eſt, legem Moſaïcam à Deo datam exactè obſervaſſe.

Sed & Patrem ſuum dicebat Deum. Suum, Græcè *proprium* ἴδιον, quod urget Ambroſ. lib. 2. de fide
B cap. 4. ſicut & lib. 1. urget ad Rom. 8. *Qui proprio filio non pepercit*: utrimque docens & hunc eſſe illius filium unicum, & verum; & illum hujus patrem unicum & verum. Vide comment. Rom. 8.

℣. 19. *Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit patrem facientem. Niſi* non ſignificat exceptionem, ſed adverſativæ particulæ vice fungitur, ut alibi ſæpiſſimè in Scripturis. Nam infrà prorſus abſolutè ſic loquitur; *Non poſſum ego à meipſo facere quidquam.* v. 30. Eſt igitur ſenſus: Filius non poteſt quidquam à ſe facere ſed quidquid facit, patre in ſe operante facit. Alibi exprimitur adverſativa dictio, ut cap. 8. *A meipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me pater, ſic loquor.* Et cap. 14. *A meipſo non loquor, ſed pater*
C *in me manens, ipſe facit opera.* Sed cur non à ſe, cum ſit Deus? *Reſp.* non ita à ſe quin habeat ab alio perſonaliter diſtincto, ſcilicet à patre; ita tamen ut non habeat ab alio naturaliter diverſo, eſt enim una natura patris & filij.

℣. 24. *Et in judicium non venit, ſed tranſiit à morte ad vitam.* Malè quidam codices *tranſiet*, contra fidem manuſcriptorum, & contra quàm eſt in Græco, ubi habes verbum præteritum, μεταβέβηκεν. Senſus tamen futuri eſt; nam ob certitudinem rei, præteritum pro futuro dictum eſt, more prophetico. Nam & *venit*, Græcè ἔρχεται, præſens eſt & futuri habet ſignificationem. Unde ἐρχόμενος, qui venturus eſt. Confer cum loco 1. Ioannis 3. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam.*

D ℣. 25. *Venit hora & nunc eſt quando mortui audient vocem filij Dei, &c.* Hæc eſt prima reſurrectio, ſcilicet à morte peccati ad juſtitiam; quæ fit durante hoc ſæculo, maximè à tempore prædicationis Chriſti. Ideò addit, *& nunc eſt.* Vel, mortui intelliguntur gentiles; quos conſtabat ſpiritu mortuos eſſe; ut ſit prædictio vocationis gentium ſtatim futuræ. Alij intelligunt mortuos corporaliter, quia ad confirmandam ſpem generalis reſurrectionis, voluit Chriſtus jam tunc aliquos paucos reſuſcitare.

℣. 27. *Et poteſtatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis eſt.* Id eſt, ſecundum quod eſt homo. Nam ſuperiora dixerat de ſe, ut filio Dei.

E ℣. 28. *Omnes qui in monumentis ſunt audient vocem ejus.* Malè quidam codices pro *ejus*, habent *filij Dei*, quod in nullis reperitur manuſcriptis, ac potius, *ejus*, intelligitur filij hominis: hoc enim præceſſerat, & hæc Chriſtus de ſe dicit ut homine, ſecundum quam naturam conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum. Hæc verò eſt ſecunda reſurrectio; Ideò non additur, *& nunc eſt*, quia fiet in fine ſæculi. Porrò in Apoc. 20. alia quædam nominatur *prima reſurrectio*; ſcilicet beatitudo animarum, ante generalem reſurrectionem.

℣. 29. *Et procedent qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in reſurrectionem*

Judicij. *Fecerunt*; *egerunt*, etiam in Græco diverſa ſunt vocabula *ποιήσαντες*, *πράξαντες*, tametſi videatur Evangeliſta rem eandem voluiſſe ſignificare. *Judicij*, id eſt, condemnationis; ut paulò ante, *In judicium non venit*, & alibi ſæpè.

℣. 30. *Non poſſum ego à me facere quidquam; ſicut audio, judico.* Videtur etiam hæc Chriſtus de ſe dicere ut filio hominis; qua ratione judicandi poteſtatem acceperat. Nec tamen ſenſus eſt: Sicut audio, judico; id eſt, judico ſecundum audita; ſed judicaturus ſum ſicut audio à Patre, id eſt, ſecundum voluntatem Patris, & operationem ejus in me, quia dixerat: *Non poſſum ego à me facere quidquam.* Unde & probat id quod ſequitur, *Et judicium meum juſtum eſt; quia*, inquit, *non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Quod manifeſtè ad humanam ejus pertinet naturam, ſecundum quam obediens erat voluntati & præceptis Dei, à quo miſſus erat.

℣. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de me; teſtimonium meum non eſt verum.* Nempe ſicut putatis. Ille enim noverat verum eſſe; ſed propter infirmos, propter incredulos, Sol lucernas quærebat. Aug. ſerm. 43. de verbis Domini. Vide annot. cap. 8. ubi dicitur aliquid in ſpeciem contrarium v. 14.

℣. 34. *Ego autem non ab homine teſtimonium accipio.* Accepit quidem à Ioanne, ſed non quaſi eo indigens; cum Ioannes ſit eo minor, & quivis alius homo; ſed propter Judæos, ut ad Chriſti fidem eo pacto perducerentur; quippe qui Ioannis teſtimonium plurimi faciebant. A patre autem, tanquam majore & priore ſecundum originem, accepit teſtimonium: tum per vocem patris; *Hic eſt filius*, &c. tum per opera, id eſt, miracula quæ faciebat per invocationem patris, tanquam teſtis ſuæ doctrinæ & deitatis.

Sed hæc dico ut vos ſalvi ſitis. Inter auditores Chriſti erant quidam, ac fortaſſe multi reprobi. Erant enim qui Chriſtum quærebant interficere, & quos Moyſes accuſabat & accuſaturus eſſet apud Deum, verſ. 45. Quod ergo dicit *ut vos ſalvi ſitis*; vel ſignificat non omnes, ſed aliquos illorum tandem credituros verbis Chriſti, & ita ſalvos futuros; vel ſignificat non loquentis intentionem, ſed finem operis ſecundum ſe ſpectati. Nam prædicatio verbi Dei pro fine ſpectat ſalutem auditorum; ſed Chriſtus occultiori ac divino conſilio non dirigebat illam ad ſalutem omnium, quibus verbum Dei loquebatur. Confer Ioan. 17. v. 9.

℣. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Non lux, ſed lucerna erat Ioannes, ab alio lumine accenſus; ardebat charitate, lucebat exemplo & doctrina. Cujuſmodi lucernæ eſſe debent omnes Eccleſiæ paſtores, imò omnes qui aliquo gradu eminent; ut ſi non verbo, ſaltem exemplo bonæ converſationis luceant proximis; juxta illud: *Sic luceat lux veſtra*, &c. Matth. 5.

℣. 37. *Neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.* Atqui legimus Exodi 20. populum audiviſſe voces Domini de monte, quando dabat decem præcepta legis; quodque amplius eſt, Exodi 24. dicuntur vidiſſe Deum 70. ſenes de populo Iſraël. Fortè dices Dominum de his ſolis loqui, ad quos verba faciebat. Non apparet: Si enim illis ſequentibus verbis; *Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis*; reſpicit ad poſteros Judæorum, qui pro Chriſto Antichriſtum ſunt accepturi: quidni iſtis verbis comprehendat etiam majores eorum, de quibus ſequenti cap. dicit: *Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto; & mortui ſunt?* Quocirca reſpondendum videtur, hunc locum exponendum eſſe juxta illud c. 1. *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus filius qui eſt in ſinu Patris; ipſe enarravit.* Senſus enim eſt, Deus per ſe non loquitur hominibus, ſed per prophetas & doctores, quos mittit ad homines. Sicut autem quondam miſit Moyſen alioſque prophetas ad populum; ita me miſit Unigenitum ſuum indutum carne humana; in qua & audiri poſſit ab hominibus & videri. Quem proinde, ut doctorem à Patre miſſum, recipere debent. Continent ergo hæc verba exprobrationem ad Judæos, quod cum Deus ſe per ſeipſum videndum & audiendum hominibus non præbeat, ſed ſolum per homines; nolunt recipere filium ejus in humana ſpecie & natura, inter ipſos natum, & ad ipſos miſſum, juxta illud cap. 1. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Sic enim & hoc loco ſignificat, ejus Patrem ad Judæos loqui per ipſum, & opera quæ per ipſum faceret, & doctrinam quam traderet, tametſi illis non credentibus. *Ipſa*, inquit, *opera quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia pater miſit me*, & poſteà: *Quem miſit ille, huic vos non creditis.* Quomodo autem filij Iſrael Dei vocem audiviſſe, ſpeciemque ejus vidiſſe, dicantur in Exodo; ac nihilominus verum ſit illud Deuter. 4. *Vocem verborum ejus audiviſtis, & formam penitus non vidiſtis*: quærendum ſuis locis.

Et qui miſit me pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me. Loquitur de teſtimonio Patris è cœlo dato, Matth. 3. *Hic eſt filius meus dilectus*, quaſi diceret: Non ſolum opera, id eſt, miracula, quæ facio, teſtantur me miſſum à Patre; ſed ipſe Pater de cœlo clara voce ac diſertis verbis de me teſtimonium perhibuit, me eſſe filium ſuum: Non ita tamen, ut propriam ejus vocem, tanquam hominis loquentis, audiretis; aut ſpeciem videretis, nam pater inviſibilis eſt, *quia Deum nemo vidit unquam.*

℣. 39. *Scrutamini Scripturas.* Verbum ambiguum eſt tam in Græco, quàm in Latino, ad modum indicandi & imperandi. Circumſtantia magis ſignificat indicativè dictum: ſequitur enim, *qui vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Non fallebantur autem in eo quod putabant; verè enim Scriptura eſt liber vitæ: ſed generalem exiſtimationem malè applicabant ad actionem; dum neque ſtuderent verum Scripturæ ſenſum aſſequi, neque ad ejus præſcriptum vitam inſtituerent. Nota autem, hæc dici ad eos qui vitam æternam credebant, licet quæ & qualis illa eſſet non intelligerent; id quod liquet ex argumento Sadducæorum de muliere ſeptemvira; quod argumentum ſolvere nequibant.

℣. 43. *Si alius venerit in nomine ſuo, illum recipietis.* De Antichriſto à Judæis recipiendo hoc plerique patres interpretantur. Vide noſtra in 4. diſt. 47. Gregor. lib. 29. moral. cap. 17.

℣. 44. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis*, &c. Non quia ſit impoſſibile, ſed quia difficile. Erat enim appetitus humanæ gloriæ magnum impedimentum credendi in Chriſtum. Non eſſe autem impoſſibile, docet idem Evangeliſta cap. 12. *Verumtamen*, inquit, *& ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur*, &c. Vide ibi.

℣. 45. *Eſt qui accuſat vos Moyſes.* Quidam putant Dominum reſpicere ad illa verba Domini Dei dicta ad Moyſen de Chriſto. Deut. 18. *Prophetam ſuſcitabo de fratribus tuis. Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit; ego ultor exiſtam*: probabilis expoſitio.

℣. 46. *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Hæc probatio convincit non forſitan, ſed omninò eos credituros, ſi Moyſi crederent, id eſt, teſtimonium ejus de Chriſto reciperent. Verùm in Græco non eſt forſitan, ſed ἄν, id eſt, utique, quod tamen hic interpres plerumque vertit *forſitan* ut Matth. 11. *Fortè manſiſſent uſque in hanc diem*, Ubi tamen paulò antè pro illo ἄν nihil reddit, in ea ſententia, *Olim in cinere & cilicio pœnitentiam*

untiam egiſſent. Nam & revera, in hujuſmodi locis, tantùm conſtituit modum potentialem vel conditionalem; ut non admodum referat, ſive pro eo aliquid reddatur, ſive non. In Pſalm. 50. interpres vertit *utique*, ubi ait: *dediſſem utique*. Non enim ibi *utique* jungendum eſt ſequentibus, ut quidam imperitè diſtinguunt; ſed præcedentibus. Sic infrà cap. 8. *Si me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis.* Ejuſdem cap. 8. verſ. 42. Interpres vertit, *utique*. Senſus autem eſt; Si Moyſi benè intellecto crederetis, etiam mihi crederetis, quia ille de me teſtatus eſt, mihi teſtimonium perhibuit. Credebant Moyſi, quatenus non dubitabant vera eſſe quæcumque Moyſes ſcripſerat; idque etiam (ut arbitror) ea fide, quæ eſt donum ſupernaturale, ſicut alij Iudæi: ſed multa non intelligebant; maximè de Chriſto; quæ ſi intellexiſſent, aut Chriſto credidiſſent, aut Moyſen negare debuiſſent. Vide annot. Act. 26. *Credis rex Agrippa prophetis, &c.*

CAPUT VI.

℣. 14. *Quia hic eſt verè propheta qui venturus eſt in mundum.* Quæritur quem intelligant prophetam, num Meſſiam, an alium? Nam Iudæi præter Meſſiam, quem Regem temporaliter gentibus dominaturum putabant, etiam prophetam expectabant, qui Meſſiæ vates & orator futurus eſſet, quemadmodum ſatis apparet ex diverſis illis ad Ioannem legatorum interrogationibus ſup. cap. 1. an Chriſtus eſſet, an propheta, vide annot. ejus loci. Videri poteſt ex ipſis verbis, de propheta, non de Chriſto homines loqui: Si tamen ſequentia videamus, apparet eos prophetam intelligere Chriſtum regem; quia continuò additur quod volebant eum facere regem. Quem regem, niſi à prophetis prædictum, id eſt, Chriſtum? Niſi dicas inter homines, de quibus hic ſermo (multi enim erant) alios ſuſpicatos eum eſſe prophetam illum comitem Meſſiæ, alios eſſe Chriſtum ipſum.

℣. 15. *Ieſus ergo cum cognoviſſet quia venturi eſſent ut raperent eum & facerent regem, fugit.* Vide annot. ſup. cap. 4.

℣. 29. *Hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem miſit ille.* Illi interrogabant de operibus, dicentes: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* Chriſtus autem de uno opere reſpondet, dicens: *Hoc eſt opus, &c.* Non rejicit cætera opera Chriſtus, quæ aliis locis diligentiſſimè commendat; ſed illud opus exigit, quod ante omnia alia eſt neceſſarium. Id autem eſt fides in Chriſtum filium Dei; per quam cætera bona opera ad vitam perducunt, & ſine qua cætera ad vitam perducere non poſſunt. Unde de eadem fide Dominus paulò ante dixerat: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Eſt quidem fides opus hominis, ſicut alia bona opera quæ ab homine fiunt; ſed Dei opus dicitur, vel quia Dei donum eſt, vel, ut Ianſen. exponit, quia Deus hoc opus à nobis exigit tanquam præcipuum ac fundamentum cæterorum ac totius noſtræ juſtificationis. Qui autem docent nullum opus ab homine factum poſſe Deo placere, fateantur neceſſe eſt, quod eſt abſurdiſſimum, etiam hoc opus, videlicèt fidem in Chriſtum, Deo non placere, cum ſit opus ab hominis libera voluntate proficiſcens.

℣. 32. *Non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Non negat Moyſen dediſſe Iſraelitis panem, id eſt, manna (tametſi propriè non dedit, ſed ut daretur, Dei ad populum nuncius & interpres fuit) ſed negat panem illum Moyſi miniſterio patribus eorum datum, fuiſſe de cœlo, id eſt, cæleſtem, ſcilicet eo modo quo ipſe de cœlo erat. Qui ſenſus patet ex eo quod ſequitur: *ſed pater meus dat vobis panem de cælo verum.* Quem panem mox ſeipſum interpretatur. Erat quidem manna

A panis cæleſtis, quia dimiſſus è ſublimi aëre; ſicque Scriptura loquitur: *Panem cæli dedit eis*, Pſalm. 77. *Panem de cælo præſtitiſti eis.* Sap. 16. Exod. 16. *Ecce ego pluam vobis panem de cælo*: Sed Chriſtus ex verbis Iudæorum, dicentium patribus ſuis datum fuiſſe panem de cœlo, capit occaſionem doctrinæ de pane vero, eoque verè cœleſti, cujus nimirum comparatione manna neque verus panis fuerit, neque verè cœleſtis. Verùm enim panem ſeipſum interpretatur, quia dat vitam mundo, ſic & verè cœleſtis eſt, quia divinus, imò Deus ipſe, propter naturam divinam humanæ conjunctam in unitate perſonæ.

℣. 37. *Omne quod dat mihi pater ad me veniet.* Et infrà: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum.* Et iterum; *Propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo.* In his tribus ſententiis, eadem ſunt con-
B vertibiliter, datum eſſe Chriſto à Patre, ad Chriſtum venire, tractum eſſe à Patre, & homini datum eſſe à Patre ut veniat: unde ulterius conſequens eſt, non omnibus dari auxilium ſimpliciter ex parte Dei ſufficiens ad hoc, ut veniat ad Chriſtum; quia non omnes ad Chriſtum veniunt, neque omnes à patre trahuntur, & quicumque non veniunt non trahuntur efficaciter; imò quicumque non trahuntur efficaciter (talis enim hic tractus intelligitur) non poſſunt venire ſenſu compoſito. Non enim ſimul conſiſtunt, non trahi à Patre, & venire ad Chriſtum. Vide comment. B. Thom. in hunc locum. Author qq. novi teſtam. parte 2. apud Aug. q. 32. adfert hujus loci non ſanum intellectum; nam & q. 41. manifeſtè πελαγιανίζει. Vide noſtr. in 1. ſent. diſt. 40. & in 2. diſt 24.

C *Et eum qui venit ad me, non ejiciam foras.* Græcè; *Et venientem ad me non ejiciam foras.* Senſus eſt: venientem ad me, poſtquam venerit, non ejiciam foras, ſed retinebo & conſervabo eum uſque in finem. Loquitur enim de electis, id eſt, iis, quos Pater dat filio, non ad tempus, aut ſecundum quid, ſed ſimpliciter.

℣. 45. *Eſt ſcriptum in prophetis, & erunt omnes docibiles Dei.* Id eſt, docti à Deo, de qua doctrina ſequitur; *Omnis qui audivit à patre, & didicit, venit ad me.* De qua item Apoſt. 1. Theſſal. 4. *Ipſi vos à Deo didiciſtis, ut diligatis invicem; etenim illud facitis.* Vide annot. Iſai. 54. ex quo loco Dominus citat hanc ſententiam. Vide etiam comment. dicto loco 1. Theſſ. 4. *In pro-*
D *phetis*, id eſt, in volumine prophetarum. Cæterum hæc ſententia diſtinguit filios novi teſtamenti à filiis veteris. Nam hi, docti ſunt à Moyſe & ab hominibus, aut omnino indocti; illi verò omnes, & ſoli, docti à Deo. Etenim quæ didicerunt, faciunt; juxta promiſſionem novi teſtamenti, *Faciam ut in præceptis meis ambuletis, & operemini.*

℣. 46. *Non quia Patrem vidit quiſquam; niſi is qui à Deo eſt, hic vidit Patrem.* Locus ſimilis illi cap. 1. *Deum nemo vidit unquam; unigenitus, &c.* etiam ſimiliter exponendus.

℣. 52. *Ego ſum panis vivus qui de cælo deſcendi.* Quo ſenſu Chriſtus de cœlo deſcenderit, ſitque panis cæle-
E ſtis, diximus in comment. noſtr. 1. Cor. 15. ad illa verba: *Secundus homo de cælo cæleſtis.*

℣. 54. *Niſi manducaveritis carnem filij hominis, &c.* Vide quæ de multiplici manducatione corporis Chriſti diximus in 4. ſent. diſt. 9.

℣. 64. *Spiritus eſt qui vivificat; caro non prodeſt quicquam.* Decantata ſententia hæreticis hodiernis, qua ſignificatum putant inutilem eſſe carnis Chriſti ſumptionem in Sacramento; ideoque non Sacramentaliter ibi à fidelibus, ſed ſpiritualiter tantùm manducari. Sed hunc ſenſum planè deſtruunt quæ præcedunt. Dixit enim: *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Item: *Panis*

quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Non ergo ſimpliciter intelligendum eſt carnem Chriſti nihil prodeſſe. Neque hinc tantum ſequeretur, carnem Chriſti in Sacramento nobis inutilem eſſe; verùm etiam, inutiliter Verbum eſſe carnem factum, ut habitaret in nobis. Senſus igitur verus colligi poteſt ex alia ſimili ſententia. Dicit Apoſt. 1. Cor.8. *Scientia inflat; charitas ædificat*; non vituperans ſcientiam tanquam inutilem; ſed ſignificans, charitatem quidem, etiamſi ſola ſit, ædificare poſſe; ſcientiam autem, ſi ſola ſit, inflare, & ſuperbum facere; cum charitate autem conjunctam plurimum prodeſſe. Ita hoc loco, Caro nihil prodeſt, ſi ſola ſit, & Spiritu Dei deſtituta. Niſi enim illa caro Deo eſſet unita, vivifica non eſſet; ſpiritus autem Dei vivificare poteſt, & per ſe, & per carnem. Neque dicit Dominus, Caro mea non prodeſt; ibi enim ſignificatur caro Deo conjuncta; ſed indeterminatè dictum eſt, Caro non prodeſt; ſicut ab Apoſt. Scientia inflat. Vide ejus loci comment.

℣. 65. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt.* Non eſt ſenſus qui non credunt ſermoni meo, quem nunc habui; ſed, qui non credunt in me, licèt me ſequantur & profiteantur ſe meos diſcipulos. q. d. Non mirum ſi meum hunc ſermonem quem nunc habui, non recipiant; quia nec ante crediderunt in me, ſed ficto animo acceſſerunt ad me. Qui ſenſus patet ex eo quod ſequitur; *Sciebat enim Ieſus ab initio qui eſſent non credentes.*

℣. 67. *Ex hoc multi diſcipulorum ejus abierunt retro.* Errant qui hoc de toto numero ſeptuaginta diſcipulorum intelligunt, ut comment. Ambr. ſup. Rom.8. ad illud: *Quos autem prædeſtinavit.* Nam de eo numero erant Matthias, & Barſabas, de quibus Petrus Act. 1. teſtatur eos omni tempore quo Chriſtus egerat cum duodecim Apoſtolis, ſcilicet à baptiſmo Ioannis, uſque ad ſuam in cœlum aſſumptionem, fuiſſe cum iiſdem Apoſtolis converſatos; nec ſolum hos, ſed & alios quoſdam; quia dicit: *Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum, &c.* Nota quoque ſecundum Janſen. Septuaginta diſcipulos poſteà fuiſſe electos. Unde ſecundum illum hic locus de ſeptuaginta diſcipulis non poteſt intelligi, de quorum electione agit cap.80. in Concord.

Et jam non cum illo ambulabant. Id eſt, nec amplius cum illo ambulabant; quomodo bene vertit Eraſmus.

℣. 71. *Nònne ego vos duodecim elegi?* Auguſt. q. 117. ſuper Geneſ. putat dictum ſynecdochicè; quia Judas non erat electus; & probat ex eo quod dicit, Ioan. 13. *Ego ſcio quos elegi.*

Et ex vobis unus Diabolus eſt. Judam fuiſſe Chriſti Diabolum, calumniatorem, obtrectatorem ſignificat Pſalm. 108. in eum præcipuè ſcriptus. Ubi inter alia dicitur. *Os peccatoris & os doloſi ſuper me apertum eſt. Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi. Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum. Induantur qui detrahunt mihi pudore.* Judam fuiſſe aliquando bonum cenſet B. Pererius ſup. Epiſtolam ad Rom. 8. diſp. 27. & citat Authores. Verùm Judam nunquam in Chriſti diſcipulatu bonum fuiſſe, apparet; quia Evangeliſta annumerat eum illis, qui ab initio non crediderunt. *Sciebat enim*, inquit, *ab initio Ieſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum*; intellige quis illorum non credentium: alioqui quod poſteà traditurus eſſet eum, nihil ad rem præſentem faceret. Nota autem quod dicit, *qui eſſent non credentes*; non, qui eſſent futuri non credentes: Ergo ab initio erant non credentes, ut qui ficto animo acceſſerant ad Chriſti diſcipulatum, ſua quærentes, ſicut ille cui dictum eſt: *Vulpes foveas habent, &c.* Matth. 8. Item de Juda Scriptura nihil uſquam boni refert, quod argumento eſſe poteſt, eum ab initio quo electus fuit, malum fuiſſe.

CAPUT VII.

℣. 1. *Non enim volebat in Iudæam ambulare; quia quærebant eum Iudæi interficere.* Non dicit, non enim audebat; quia non audere eſt animi agnoſcentis imbecillitatem ſuam, & ex ea conſcientia trepidantis, & nolentis aggredi malum quod objicitur. Quæ quidem conſcientia in Chriſto, qui erat omnipotens, & hoc optimè ſciebat, etiam ſecundum naturam humanam, locum habere non potuit. Sed cur non dixit, timebat enim? *Reſp.* quia Ioanni curæ erat oſtendere divinitatem Chriſti. Nam alioqui nihil abſurdi, ſi hìc timorem aliquem ſponte aſſumptum, in Chriſto agnoſcamus.

℣. 3. *Vt & diſcipuli tui videant opera tua quæ facis.* Diſcipulos intelligit vel eos qui receſſerant ab eo cap. præcedenti, vel qui erant ab eo baptizati cap. 3. & 4. licèt non eum corporaliter ſequerentur.

℣. 5. *Neque enim fratres ejus credebant in eum.* Bene probat Rupertus hoc non poſſe intelligi de Apoſtolis, Chriſti fratribus, Iacobo, Simone, & Thaddæo, quia cap. præcedenti dixit Dominus ad duodecim volentes cum Chriſto manere: Nònne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? Cæteri ergo credebant. Cæterum, hos quos Ioannes dicit non credidiſſe in eum, credibile eſt poſteà ad fidem ejus converſos; hoc enim ſignificat Luc. Act. 1. quando præter undecim Apoſtolos; dicit Jeroſolymis in oratione perſeveraſſe Mariam matrem Jeſu & mulieres, & fratres ejus; utique præter Apoſtolos, quos ante numeraverat. Unde non bene videtur dicere Ambroſiaſter in Galat. 1. Iacobum fratrem Domini aliquando fuiſſe incredulum, reſpiciens, ut opinor, ad hunc locum. Non enim, ut dixi, de omnibus ejus fratribus, hic loquitur Evangeliſta.

℣. 7. *Non poteſt mundus odiſſe vos.* Poteſt quidem una pars mundi odiſſe alteram; ut prodigus avarum, ſuperbus ſuperbum, figulus figulum, Saracenus Judæum, Calviniſta Lutheranum: Sed abſolutè mundus nullos odit malos; quia omnes mali de mundo ſunt, non poteſt autem mundus odiſſe quod ſuum eſt; ſic enim ait Dominus ad diſcipulos ſuos, cap. 15. *Si de mundo fuiſſetis; mundus quod ſuum erat diligeret.*

℣. 8. *Ego non aſcendo ad diem feſtum hunc.* Vel ſenſus eſt, nondum aſcendo, nempe vobiſcum. Ita enim ſequitur: *Vt autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit.* Vel, non manifeſtè; ſicut vos vultis, ut meipſum oſtendam mundo. Nam & hoc ſequitur: *Non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Pro priori quoque ſenſu facit quod poſteà ſequitur, *Iam autem feſto die mediante, aſcendit Ieſus in templum*; ut ſignificetur, eum aliquot diebus poſt fratres ſuos profectum, ita ut Jeroſolymam pervenerit, & templum ingreſſus fuerit circa medium ſolemnitatis Scenopegiorum, quæ durabat dies octo, ut eſt Levit. 23.

℣. 15. *Mirabantur Iudæi dicentes, Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit?* Non litteræ qualeſcumque intelliguntur, ſed ſacræ litteræ; eas enim Dominus apud populum explicabat, & ex eis inter docendum proferebat teſtimonia. Itaque noſſe litteras hoc loco, eſt intelligere Scripturam Sacram, aut ſaltem in ea exercitatum eſſe. Ex hoc loco patet, etiam vulgo Judæorum fuiſſe perſuaſum, Chriſtum nullo unquam præceptore uſum fuiſſe. Unde vanum eſt commentum Rabbinorum, apud quos in lib. Magillatæ Taaruch ſic legitur; Hiſtoriographi Iſraëlitarum dicunt, quod Joſue filius Perachiæ fuerit præceptor Jeſu Nazareni. Et quidem fides Chriſtiana dubitare non permittit, Salvatorem noſtrum à primo incarnationis ſuæ momento, omnium rerum perfecta ſcientia fuiſſe repletum.

Didicerat

Didicerat quidem à Patre; quia docuerat eum Pater, juxta quod alibi dicit: *Sicut docuit me Pater*, cap. 8. verſ. 28. quia omnem ſcientiam ſuam ab æterno accepit à Patre, ſed *non didicerat*, quomodo illi intelligebant diſcere, qui hoc dicebant. Sic enim Filius ab æterno didicit à Patre quicquid ſcit, quia omnem ſcientiam ſuam ab æternitate à Patre accepit, ſicut Pater ab æterno docuit Filium omnia, quia omnium rerum ſcientiam Pater Filio ab æternitate communicavit. Imò ſicut Pater ſemper gignit, & Filius ſemper gignitur; ita Pater ſemper docet, & Filius ſemper diſcit. Sicut enim perfectam Patris eſſentiam ſemper habet, & ſemper accipit: ita & perfectam Patris ſcientiam non ideò minus ſemper habet, quia ſemper recipit.

℣. 16. *Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Quærit Auguſt. ſi mea, quomodo non mea? ſi non mea, quomodo mea? Brevis reſponſio: mea, quia eam habeo, trado, & doceo. Non mea, quia non à me originaliter profecta. Senſus igitur eſt, doctrina quam ego vobis trado, non eſt à me primò & originaliter profecta, ſed à Patre meo, qui me miſit in mundum, ut hanc doctrinam mundo traderem. Sicut enim Filius Dei eſſe ſuum habet à Patre; ita quicquid eius eſt, ſive vita, ſive ſcientia, ſive operatio, ſimiliter eſt à Patre. Quia autem quæri poſſet; Unde ergo cognoſcemus doctrinam eſſe à Deo; rationem commonſtrat quo id cognoſci poſſit; *Si quis* (inquit) *voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrum ex Deo ſit, an ego à meipſo loquar*: Quibus verbis Dominus ſignificat bonam hominis voluntatem, & ſtudium obſequendi Deo, multum conferre ad diſcernendum an doctrina aliqua ſit ex Deo, an non. Unde Apoſtolus; *Spiritualis omnia dijudicat, animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei.* 1. Corinth. 2. Vide ibidem comment.

℣. 22. *Propterea Moyſes dedit vobis circumciſionem; non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus.* Moyſes circumciſionem præcepit, Levit. 12. & propterea circumciſio ad legem Moſaïcam pertinet; non tamen ex Moyſe eſt originaliter, ſed ex Patribus, quia primum omnium datum fuit Abrohæ circumciſionis præceptum Geneſis 17. Sed hoc præceptum cœpit pertinere ad legem Moſaïcam, poſtquam illud Deus per Moyſen populo Iſraelitico tradidit. Imò ex tunc, cœpit eſſe quædam profeſſio totius legis Moſaïcæ obſervandæ, juxta illud Apoſt. Galat. 5. *Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ.*

℣. 23. *Si circumciſionem accipit homo in ſabbatho ut non ſolvatur lex Mayſi; mihi indignamini quia totum hominem ſanum feci in Sabbatho?* Quidam intelligunt totum, id eſt, ſecundum corpus & animam, maximè quia dixerat ei: *Ecce ſanus factus es; jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Verùm hic ſenſus non videtur congruere, quia quod ſecundum animam ſanatus eſſet, non erat manifeſtum, & hoc negaſſent adverſarij. Sed manifeſta erat totius corporis curatio. Unde ſimplicius eſt de totius corporis ſanatione intelligere. Rectè autem ſequitur, ſi vulneratio permittitur, multò magis ſanationem non prohiberi, eamque inſignem, qua totus homo ſanatur.

℣. 28. *Et me ſcitis, & unde ſum, ſcitis.* Hoc dixit ſecundùm ſenſum eorum, qui dixerant: *ſed hunc ſcimus unde ſit*; nempe quæ mater eius, qui fratres, ex qua tribu, ubi educatus, & ſimilia ad originem & educationem carnis ejus pertinentia. Licet etiam hæc non ita ſcirent, quin in quibuſdam errarent, putantes eum natum ex ſemine Joſeph, & patriâ Galilæum eſſe, in Nazareth notum. Nam quod in Bethleem natus eſſet, ignoraſſe eos liquet, ex eo quod inferius hoc eodem cap. dicunt: *Nunquid à Galilæâ venit Chriſtus? Nonnè ſcriptura dicit, quia ex ſemine David, & de Bethlehem Caſtello ubi erat David, venit Chriſtus?* Imò hinc apparet eos etiam ignoraſſe quod eſſet ex ſemine David, utpotè homo Galilæus, Galilæi autem ferè erant Zabulonitæ, & Nephtalitæ. Non eſt huic ſententiæ contrarium id quod ſequenti cap. dicit; *Neque me ſcitis, neque patrem meum.* Ibi enim de ſe loquitur ſecundum naturam divinam.

Eſtij Annotat. in Script.

℣. 39. *Nondum enim erat ſpiritus datus.* *Datus*, Neque in Græcis additum habetur, neque in omnibus Latinis, neque apud Auguſt. Græci addunt, *ſanctus*, vide Franc. Lucæ notas. Auguſt. non legiſſe, *datus*, patet ex occupatione quam facit; licet codices ſint corrupti, addentes, *datus*, ex vulgatis bibliis. Item patet ex Hieron. ad Hedibiam, q. 9.

℣. 51. *Nunquid lex noſtra judicat hominem, niſi prius audierit ab ipſo, & cognoverit quid faciat?* Senſus: Nunquid lex quam dedit Moyſes, docet quemquam condemnandum eſſe inauditum, & cauſa prius non cognita, ac diſcuſſa? Hinc ergo non ſequitur ipſam legem, ſeu ſcripturam eſſe judicem, ſed, ſecundum eam judicandum eſſe. Nam quod dicitur, *audierit*, *cognoverit*, non ipſius legis propriè, ſed judicis, qui ſecundum legem judicare debet, officia ſunt.

CAPUT VIII.

℣. 5. *In lege autem Moyſes mandavit nobis huiuſmodi lapidare.* Quæritur an habuerint poteſtatem lapidandi; quandoquidem poſtea dixerint Pilato: *Nobis non licet interficere quemquam.* An intelligunt lapidandam mulierem, authoritate Pilati, ſed ſecundum legem ipſorum? quomodo dixerunt Pilato: *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori?* Orig. in cap. 7. epiſt. ad Rom. de lege Moſaica pro tempore Romanorum; ſic loquitur: Homicidam punire non poteſt, nec adulteram lapidare; hæc enim ſibi vendicat Romanorum poteſtas: & dubitas adhuc, ſi mortua ſit litteræ lex? Vide Annot. infr. cap. 18. & Act. 7.

℣. 7. *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Peccatum, grave intelligitur; remiſit enim accuſatores ad ſuam ipſorum conſcientiam, quę illis teſtari poterat, quod non leviora commiſiſſent eo peccato, de quo mulierem accuſabant. Neque hinc ſequitur, eum qui in peccato mortali eſt, privatum eſſe poteſtate judicandi alios, uti dixerunt Wiclef & Hus; ſed talem eſſe indignum qui illam poteſtatem exerceat, ac prius debere judicare ſeipſum per veram pœnitentiam, quàm ſententiam pronunciet in alios.

℣. 9. *Et remanſit ſolus.* Non omnino ſolus cum muliere, ſed ſine accuſatoribus, qui jam abierant. Nam quod non abſolutè ſolus cum illa, patet, quia ſequitur: *& mulier in media ſtans*, ſcilicet populi quem Jesus docebat, ut dicitur in principio cap.

℣. 11. *Nec ego te condemnabo.* Chriſtus neque condemnat eam, nec abſolvit à pœna lapidationis, ſed præſentia ſua liberat. Quod ſi abſolviſſet; ſumpſiſſet quidem ſibi partes Iudicis; non tamen feciſſet contra legem de lapidanda adultera. Nam lex ea, ſicut & lex de interficiendo homicida, admittebat interpretationem, ut propter graves rationes pœna legis poſſet remitti, vel compenſari; ſicut factum in David, & filiis eius Ammon & Abſalon. Vide hic quantâ prudentiâ Chriſtus evitaverit ancipitem calumniam, ab adverſariis ſibi paratam.

℣. 14. *Et ſi ego perhibeo teſtimonium de meipſo, verum eſt teſtimonium meum.* Videndum quomodo hæc Chriſti ſententia conſentiat cum ea quæ eſt cap. 5. ubi ait: *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo; teſtimonium meum non eſt verum.* Quæ ſententia videtur huic ex diametro repugnare. Et ad priorem illam ſententiam reſpicientes Phariſæi, objiciunt ei: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum.* *Reſp.* Frequenter legitur Dominus ſibi ipſi teſtimonium

perhibuiſſe : ſicut hoc loco ; *Ego ſum lux mundi* ; & A apud Samaritanum, *Ego ſum Meſſias*. Et cum ſit ipſa veritas; omnino non poteſt teſtimonium eius, etiam de ipſo prolatum, non eſſe veriſſimum. Proinde verè dicit; *Etſi ego, &c.* Quod autem 5. cap. dicitur: *Si ego teſtimonium, &c.* intelligitur hoc modo: Si ego à meipſo, ſive ſolus, ſine Patre, teſtimonium perhibeo de me, &c. Nam paulò ante dixerat: *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam*. Ac proinde nec poſſum à meipſo de me teſtificari; ſed ſicut naturam, ita & teſtimonium habeo à patre. Alij accipiunt dictum per conceſſionem: q. d. Sit ita, facilè id concedo; neque id contra me eſt, cum habeam ſufficiens teſtimonium à Patre.

℣. 17. *Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo; & teſtimonium perhibet de me* B *qui miſit me Pater.* Lex ita habet: *In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.* Quod non ita intelligendum, quaſi ſemper ſit verum tale teſtimonium; Nam qui contra Naboth & Suſannam & Chriſtum ipſum teſtificati ſunt, non verum, ſed falſum teſtimonium perhibuerunt. Sed ſignificatur tale teſtimonium pro vero recipiendum in judiciis, quando aliunde veritas manifeſtari non poteſt. Sed quomodo ex ea lege colligit Dominus ſuum & patris ſui teſtimonium recipiendum; cum lex intelligatur de teſtibus, non in propria cauſa, ſed aliena teſtimonium ferentibus? *Reſp.* Dominus conjungens ſuum teſtimonium cum teſtimonio Patris, ſuum intelligit, non ut prolatum à C Chriſto homine, ſed ut prolatum à Filio Dei, quatenus Patri ſuo eſt conſubſtantialis, & ab hominis natura diverſus. Itaque Deus Pater, & Deus Filius, velut diſtinctæ perſonæ teſtimonium perhibent de Chriſto homine tanquam naturâ ab ipſis diſtincto. Convincitur hac ſententia error Sabellij: cum enim lex duos requirat ad teſtificandum; conſequens eſt Patrem & Filium non eſſe reipſa unum & eundem, ut Sabellius volebat, ſed perſonali proprietate diſtinctos.

℣. 21. *Et in peccata veſtra moriemini.* An hic fuerit Judæis prædicta ſua damnatio, quæri poteſt? Et non videtur, quia comminatoria ſententia eſt, quam infrà mitigat, & exponit, adjuncta conditione, dicens: *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris. Si enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccata veſtra.* Item, Auſenſus ſit: propter peccatum veſtrum moriemini, id eſt, malè peribitis temporaliter, ſcilicet gladio, D fame, peſte, per obſidionem Romanorum; quomodo illud rectè intelligitur apud Luc. c. 15. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Quid ſit in peccato ſuo mori, vide Num. 27. & 1. Par. 10.

℣. 25. *Tu quis es?* Quia dixerat: *Si non credideritis quia ego ſum, &c.* nec tamen dixerat quis eſſet; nunc quærunt, *Tu quis es?* q. d. ne ſicut minaris, moriamur in peccatis noſtris, ſi non crediderimus, quia tu es: dic nobis quis ſis.

Principium qui & loquor vobis. Vide notas F. Lucæ. Veteres concordantiæ legunt: *principium quia & loquor vobis.*

℣. 28. *Sed ſicut docuit me Pater.* Vide Annot. cap. proximè præcedentis, v. 15. & 16. Si Pater docuit Fi- E lium; didicit ergo Filius à Patre.

℣. 34. *Omnis qui facit peccatum ſervus eſt peccati.* Vide comment. Roman. 6. & 2. Petri 2. & noſtra in 2. diſtinct. 24. reſp. ad objectionem 6. contra liberum arbitrium.

℣. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati.* Putat Euthymius hoc ab eis dictum, quia non ex Agar ancilla per ſtuprum, ut Iſmaëlitæ, ſed ex Sara legitimo matrimonio progeniti eſſent. Sed abſit ut ſentiamus Abraham ex fornicatione, & quidem adulterio ſuſcepiſſe liberos. Nec, ſi de fornicatione corporum hic loquerentur Judæi, idcirco de congreſſu Abrahæ cum Agar

locuti fuiſſe exiſtimandi ſunt; ac non potius generaliter dicere velle, ſe non eſſe natos ex fornicatione, ut aliæ quædam gentes. Sed etſi de illo congreſſu loquantur, eumque vocent fornicationem; non ideò cum illis ſentiendum nobis erit Abraham cum Agar fornicatum fuiſſe, ac non potius verò matrimonio copulatum, ſicut & Iacob cum duabus ancillis, quas uxores eius fuiſſe non eſt dubium. Verum rectius accipi poteſt ſententia de fornicatione ſpirituali, id eſt, idolorum cultu, quem fornicationis nomine, frequentiſſimè Scriptura ſignificat: Hunc enim ſenſum vult id quod ſequitur, *unum Patrem habemus Deum*, q. d. Nos ex idololatris non ſumus nati, qui à majoribus cultum unius Dei accepimus, & retinemus. Non eſt autem nobis laborandum, ut doceamus verum eſſe quod dicunt, cum multi ex majoribus eorum receſſerint à vero Deo, & fornicati fuerint poſt deos alienos.

℣. 44. *Ille homicida erat ab initio.* Id eſt, Diabolus fuit primus homicida, omnes alios præceſſit. Sicut 1. Ioan. 3. *Ab initio Diabolus peccat*, id eſt, primus peccavit. Unde bene ſequitur quod præceſſit. *Vos ex patre Diabolo eſtis*; videlicet imitatione, ſicut 1. Ioan. 3. probat ſimiliter eum qui facit peccatum, ex Diabolo eſſe, nimirum per imitationem eius qui primus peccavit. Et hic videtur omnino germanus ſenſus huius loci. Vide Comment. 1. Ioan. 3. Caſſianus coll. 8. cap. 25. duos ſenſus breviter aſſignat dicens: Ab initio factus eſt homicida; vel Adam in conditionem mortalitatis inducens, vel Abel inſtigatione per manum fratris interimens. Rupertus quidem ſcribens in hunc locum, negat Diabolum propriè fuiſſe homicidam; alioqui, inquit, & omnem corruptorem hominum, v. g. eum qui hæreſim docuit, publicè homicidam declaramus, & tanquam de homicida judicium publicum poſtularetur. Sed non videtur Rupertus conſideraſſe duo in Diaboli facto peculiaria: Alterum, quod oderat hominem, omnino eum perdere cupiens; quare imprimis voluntate erat homicida. Alterum quia ſuaſit homini illud facere, quod ei ſub interminatione mortis, fuerat à Deo prohibitum: hoc autem qui ſuadet, merito reputatur homicida, etiam propriè; quia ſuaſione ſua morti alterius cooperatur. Velut qui ſuaderet potionem veneni, dicens: Non tibi nocebit, ſed magis proderit ad longiorem vitam. Viguerius cap. 3. Inſtit. §. 2. verſ. 15. vult Diabolum ab initio homicidam dici, quia Angelos ſuaſu, & conſortio criminis, traxerit in interitum, ut dictus ſit homicida per catachreſim, quia fuit interfector, occiſor, inferendo mortem æternam ſociis Angelis. Sed longè petita eſt hæc interpretatio: Sicut enim Latinè homicida, ſic Græcè eſt apud Ioan. ἀνθρωποκτόνος, cum non deeſſet aliud magis tritum vocabulum φονεύς, quo uti potuiſſet, ſi ſimpliciter interfectorem dicere voluiſſet. Reſpexit autem ſine dubio ad hominem, ſeu humanum genus, ſuaſu ſerpentis in mortem adductum, q. d. Diabolus primum hominem, & in eo totum humanum genus, in mortem impulit; vos me ſecundum hominem morte afficere vultis: Itaque Diaboli eſtis imitatores & filij. Porrò illud, *ab initio*, intellige, non creationis ſuæ, quia tunc homo nondum erat, ſed, ex quo homo eſſe cœpit; quia licet non ſtatim occiderit eum, ſtatim tamen odio, & inimicitia motus fuit in eum; Scriptum eſt autem: *qui odit fratrem homicida eſt*. Quod autem non ab initio ſuæ creationis homicida fuerit, etiam ex eo colligi poteſt quod ſequitur; *Et in veritate non ſtetit*, id eſt, non perſeveravit; fuit ergo aliquando in veritate. Quod autem in veritate non ſteterit, probat, quia veritas non eſt in eo; nam ſi perſtitiſſet in veritate eſſet adhuc in eo veritas.

Et in veritate non ſtetit. Id eſt, non permanſit. Sic 4. Reg. 6. *Si ſteterit caput Eliſæi ſuper ipſum hodie*, id eſt, ſi permanſerit hodie caput eius ſuper ipſum. Rupertus aliter, In veritate non ſtetit, id eſt, inquit, filium

Dei;

Dei,qui eſt veritas , non dilexit; Sed ex contextu ſatis A liquet *veritatem* hîc generaliter intelligi , ut mendacio opponitur.

Cum loquitur mendacium,ex propriis loquitur. Etiam homo cum loquitur mendacium ex propriis loquitur ; dicit enim canon Arauſicanus: Nemo habet de ſuo,niſi mendacium ,& peccatum. Sed tamen aliquid peculiare dicitur hic de diabolo : nam loquens mendacium ita ex propriis loquitur,ut ne quidem id habeat ex alterius ſuggeſtione : At homo peccavit diabolo ſuggerente. Item,quia primus adinvenit mendacium;ut, ſicut celebrari ſolent variarum rerum inventores , ita diabolus dicendus ſit inventor artis mentiendi.

Quia mendax eſt & pater eius. Scilicet mendacij. Quod multi non intelligentes (ait Hieron.lib.6. ſuprà Iſai.14.)patrem diaboli volunt eſſe draconem qui reg- B net in mari,quem Hebræi appellant Leviathan.

℣.58. *Nonnè bene dicimus nos , quia Samaritanus es tu,& dæmonium habes?* Ad priorem contumeliam non reſpondit , quia puerile eſt hominis genus , aut gentem objicere,nec reſponſionem meretur huiuſmodi convicium,etiamſi falſum ſit. Simul ſignificare voluit Dominus , quod per ſuum Apoſt. poſtcà docuit,in Chriſto Jesu non eſſe Judæum,& Græcum,ſervum,& liberum, marem,& fœminam: *Et dæmonium habes?* id eſt, inſana & abſurda loqueris. Sic quidam,ſed non ſat plenè,nam dæmonium habere in ſacris literis, eſt obſeſſum eſſe à dæmonio. Nec refert an revera qui hoc convicij ingerebant Chriſto , putaverint à dæmone obſeſſum eſſe ; C nam ſæpe atrocia convicia jactantur in innoxios, ab iis qui ſciunt ea falſa eſſe. Et utique ſciebant eum non eſſe Samaritanum genere ; ſed mordebat eos quod per Samariam iter feciſſet, eiſque Evangelium annuntiaſſet ; ſuprà cap. 4. Item occaſio quædam eſſe potuit ex laudato Samaritano leproſo,præ Iudæis ingratis;& ex parabola de eo qui incidit in latrones , in quem non Sacerdos , neque Levita , ſed Samaritanus exercuit officium charitatis , & miſericordiæ. Quamquam & propter odium gentis, nomen Samaritani abierat in opprobrium apud Iudæos.

℣.51. *Mortem non videbit in æternum.* Et iterum : *Non guſtabit mortem in æternum.* An ſenſus : nunquam morietur? an verò , mors eius non erit æterna; Priori modo Iudæi intellexerunt,quando contra objiciebant, Abraham mortuum eſſe , & Prophetas. At poſteriori D modo videtur Chriſtus intellexiſſe ; quia alibi dicit , Ioan.5 *Tranſijt de morte ad vitam.* Et infrà c.11. *Etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Et ſubjungitur : *non morietur in æternum.* Simili prorſus ſenſu dicitur ſuprà, hoc eodem cap. *Servus non manet in domo, in æternum.* Vide etiam annot.cap.4. *Non ſitiet in æternum.* Item annot.pſal. 14. *Qui facit hæc , non commovebitur in æternum,*

℣.56. *Abraham exultavit ut videret diem meum e vidit,&c.* Videtur omninò Chriſtus velle quod Abraham ipſum viderit jam olim,quando vixit: Vult enim Dominus ſignificare ſe jam olim extitiſſe , etiam tempore Abrahæ , ut qui ab eo viſus fuerit ; & ſic Iudæi intellexerunt , reſpondentes: *Quinquaginta annos nondum habes ; & Abraham vidiſti ?* Quem intellectum E Chriſtus deinde confirmat , & auget dicens : *Amen amen dico vobis , antequam Abraham fieret , ego ſum.* Itaque ſenſus eſſe videtur; Abraham reputavit ſibi fore materiam magnæ exultationis & gaudij,ſi diem meum videret ; ſi me videre , meoque frui colloquio poſſet. Quod quidem ei contigit ; & vehementer gaviſus eſt. Id Patres factum dicunt, quando tres vidit, & unum adoravit. Geneſ.18.

Nec obſtat quod tunc non cognoverit , ſed homines eſſe putaverit. Nam poſteà , cum duo ex illis diſceſſiſſent , ad tertium velut ad Deum, locutus eſt, v. 23. & ſeqq. Vidit autem diem Domini , quia vidit eum tali ſpecie , quali venturus erat in carne : qui quidem ad-

A ventus fuit dies Domini ; velut cum quis in ſpeculo videt expreſſam alicuius imaginem , cenſetur ipſum hominem videre. Id etiam Moyſi contigiſſe teſtatur Dominus, idem Filius Dei; quando dixit ei Exod.33. *Poſteriora mea videbis* , id eſt , ſpeciem humanitatis meæ. Vide illius loci annot. Ita Nabuchodonoſor vidit in camino Filium Dei,id eſt, ſpeciem Chriſti. Sic exponit Auguſt.orat,ad Catech.contra Iudæos tom.6. & Prudent in Apotheoſi. Vide noſtra ad eum locum Danielis 3. Porrò alij quidam non inprobabiliter ſentiunt Abraham vidiſſe diem Chriſti , quando in lymbo , apud inferos exiſtens , cognovit Chriſtum jam in carnem veniſſe , quem venturum jam ante cognoverat. Per hoc enim impletum eſt quodammodo illud: *Beati qui vident quæ vos videtis, & audiunt , quæ vos auditis.* B Quodammodo enim vidit, & audivit per eos quorum veridico , & certiſſimo relatu eius adventum , & facta jam præſentia, ſeu præterita , cognoſcebat , ut Simeonis , Ioannis Baptiſtæ , & aliorum. Iuxta hanc autem expoſitionem, dies Chriſti tempus eius eſt in aſſumpta carne. Videtur autem ille dies , quando jam præſens cognoſcitur ; nam antea tantum ſperabatur, ſpes autem viſioni opponitur : *Spes enim quæ videtur, non eſt ſpes; quod enim videt quis , quid ſperat* ; Nec verò dubium, quin ſicut ingenti deſiderio ad Chriſti adventum ſuſpiraverunt Sancti Patriarchæ , perceperint etiam inæſtimabile gaudium ex præſenti eius adventu jam cognito. Poteratque Simeon, aut quiſpiam talis ad eos deſcendens,dicere illud Angelicum; *Ecce annuntio vo-* C *bis gaudium magnum,quia natus eſt vobis hodie ſalvator mundi.* In quibus & illud Leonis verum eſt : Gaudeat juſtus, quia appropinquat ad palmam.

℣.58. *Antequam Abraham fieret , ego ſum.* Non ait, ego eram,nec ait, ego factus ſum, quod tamen reſpondebat verbo , fieret: Itaque non obſcuro judicio hoc ſignificavit,ſe neque factum eſſe,neque mutabilem, ſed illud ſibi competere , quod Pſalmiſta ei tribuit , teſte Paulo Hebr. 1 *Tu autem idem ipſe es.*

CAPUT IX.

℣.2. R*Abbi quis peccavit , hic , aut parentes eius,ut cæcus naſceretur ? Reſpondit IESVS : Neque hic peccavit , neque parentes eius , ſed ut manifeſtentur* D *opera Dei in illo.* Quod dicit Dominus,*neque hic peccavit, neque parentes eius* , Non poteſt abſolutè intelligi. Non enim voluit Dominus ſignificare fuiſſe eos à peccato prorſus immunes; ſed intelligendum,*ut cæcus naſceretur.* Hoc enim à diſcipulis propoſitum erat in quæſtione : *Quis peccavit,&c.* Ad quod reſpondet Dominus: *Neque hic peccavit,neque parentes eius* , ſcilicet *ut cæcus*, naſceretur; ſed ideò cæcum natum eſſe, ut manifeſtentur opera Dei in illo. Docemur hac ſententia non ſemper immitti hominibus morbos , aliaſque afflictiones , & miſerias , ad hoc , ut vindicentur eorum peccata; ſed nonnumquam ad oſtenſionem gloriæ Dei, aliquando ad exercitium virtutum. In vindictam peccati afflictus fuit , cui dicebat Dominus : *Vade , &* E *jam amplius noli peccare, ne deterius tibi contingat.* Ad oſtenſionem gloriæ Dei , cæcus iſte. Ad exercitium virtutis , Iob Propheta , & Sancti Dei Martyres , & quicumque perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Cæterum ſicut Dominus his verbis, *Neque hic peccavit , neque parentes eius* , non removet ab eis omne peccatum , *ita* nec negat abſolutè cæcitatem in eo fuiſſe pœnam peccati , quod malè negat Theophylactus ; Sed Senſus eſt, cæcitatem ei non fuiſſe immiſſam à Deo præcipuè in pœnam peccati,id eſt, ut peccatum ejus aut parentum ejus puniretur; ſed ut Deus in opere illuminationis ejus glorificaretur , Sic cap.11.dicit de Lazaro: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem,ſed pro gloria Dei , ut glorificetur filius Dei per eam* ; cum tamen

verè fuerit infirmitas illa ad mortem; ſed, ut ait S. Auguſt. mors ipſa non erat ad mortem; ita hic pœna non erat ad pœnam. Denique poteſt & hic dari ſenſus, eos non ita peccaſſe, ut iſte præ aliis qui naſcuntur, cœcus naſceretur. Erant enim & alij homines, æquè, vel magis peccatores, quorum filij non naſcebantur cœci. Et ipſe non magis erat obnoxius peccato, quam alij homines, qui naſcuntur videntes. Ita Luc. 13. dicit eos quorum ſanguinem miſcuerat Pilatus cum ſacrificiis, & ſuper quos ceciderat turris in Siloe, non fuiſſe præ cæteris peccatores. Id quod ſolent homines facile judicare, ut ſi quis præ cæteris flagellatur à Deo, putent eum præ cæteris eſſe peccatorem. Quo perverſo judicio laborabant etiam amici Iob. Unde & Phariſæi dicebant huic cœco, tanquam magno peccatori; *In peccatis natus es totus.* Infrà v. 34.

ỷ. 3. *Sed ut manifeſtentur opera Dei in illo.* Fallitur Theophylactus, cum vult vocabulum ἵνα, id eſt, ut, hoc loco, ſicut ſæpè alibi in Scriptura poni, non ut cauſam, ſed ut eventum deſignet, quia ex hoc, inquit, quod cœcus ſanatus eſt, evenit glorificari Deum, fallitur, inquam, quia Deus omnia quæcumque facit in creatura, ordinat ad gloriam ſuam, ſive bona ſint, ſive mala, id eſt, adverſa, ut morbi, calamitates, mortes; Proverb. 56. Univerſa enim propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, adeo ut etiam permittat peccata, ob hunc finem.

ỷ. 6. *Expuit in terram & fecit lutum ex ſputo.* Dominus curaturus cœcum, *expuit in terram & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei, vade lava in natatoria Siloë, &c.* Præter myſticam ſignificationem quæ in huius ſententiæ verbis latet, voluit Dominus hoc ſuo facto declarare divinam ſuam potentiam, dum videlicet iis rebus utitur ad aperiendum oculos cœco, quibus dubium non eſt nullam eiuſmodi virtutem ineſſe; imò quæ potius integros oculos læderent, & excæcarent: ut lutum ſputo permixtum. Ex quo oſtenditur, miraculum totum virtuti operantis tribuendum, & non creaturis adhibitis. Deinde, hoc ſuo exemplo confirmat, rectè in adminiſtratione Sacramentorum, aliiſque functionibus ſacris, adhiberi externas cæremonias. Denique velle eum per res quaſdam corporales tribuere effectus ſpirituales, tametſi eos ſine illis dare poſſet: velut per aquam, regenerationem; ſicut hoc loco per lutum, eiuſque ablutionem, oculos exteriores illuminavit.

ỷ. 22. *Iam enim conſpiraverant Iudæi, ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret,* Vide Annot. infra cap. 16. *abſque ſynagogis, &c.*

ỷ. 24. *Da gloriam Deo.* Dare gloriam Deo eſt agnoſcere, & confiteri eius juſtitiam, aut potentiam. Videtur ſenſus eſſe: Hic homo peccator eſt, & indignum eſt opera divina aſcribere homini peccatori; Itaque pro honore Dei fatere veritatem, & nega tibi lumen reſtitutũ ab iſto homine. Vide annot. Iol. 7. Apoc. 11. & 16.

ỷ. 31. *Scimus quia peccatores Deus non audit.* Atqui exauditus eſt ille peccator, qui dicebat: *Deus propitius eſto mihi peccatori*; & qui dicebat: *Peccavi*, & mox audivit: *Tranſtulit Dominus peccatum tuum.* Nec dubium eſſe poteſt quin Deus audiat peccatores pœnitentiam agentes, & veniam petentes: ſed loquitur iſte de peccatoribus perſeverantibus in peccatis; & de exauditione ad facienda miracula. Neque tamen hoc abſolutè verum eſt. Erunt enim peccatores qui dicturi ſunt; *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus. &c.* Itaque ut iſtud veritatem habeat, quod à cœco illuminato dicitur, accipiendum de peccatore, ſeu prævaricatore circa religionem, & ad ſuæ doctrinæ falſitatem aſtruendam, invocata Dei ope, miracula conantem facere. Chriſtus enim miracula ſua omnia faciebat, ut oſtenderet ſe à Deo miſſum, ſuamque doctrinam eſſe à Deo; quod niſi ita fuiſſet, non eum ad miracula

A exaudiſſet Deus. Adde, quod miracula pleraque, velut propria authoritate faciebat, ut ſe Deum eſſe oſtenderet: quod non potuiſſet, ſi peccator fuiſſet. Unde ſupr. eodem cap. v. 16. quidam dicebant, *Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Et Nicodemus, cap. 3. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, niſi Deus fuerit cum eo.* Quamquam non eſt neceſſe, tam anxiè defendere veritatem omnimodam eius quod cœcus dixit. Similis ſententia Pſalm. 65. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et Proverb. 23. *Qui declinat aures ſuas ne audiat legem; oratio eius execrabilis.*

ỷ. 32. *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Legimus quidem à Prophetis mortuos ſuſcitatos; ſed cœcis, præſertim iis qui nunquam
B vidiſſent, oculos fuiſſe ad videndum apertos, nuſquam legimus ante Chriſti adventum.

ỷ. 34. *In peccatis natus es totus.* Quæritur an verum dixerint? David quidem de ſe confitetur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c.* Eſtque id commune toti humano generi; Sed plus iſti dicere voluerunt, nempe hunc totum ac præ aliis natum eſſe in peccatis, arguente id cœcitatis plaga, cum qua natus erat. Hoc autem falſum erat.

ỷ. 39. *In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Id eſt, veni ad gentilium converſionem, & Judæorum reprobationem. Gentiles enim non videbant, quia legem non acceperant: Iudæi videbant, quia legis habebant cognitionem, & Chriſtus erat eis promiſſus, & miſſus.

ỷ. 41. *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum;* Scilicet
C infidelitatis. Gentiles enim, quia de eo non audierunt, non habent peccatum infidelitatis. *Nunc verò dicitis quia videmus,* id eſt, arrogatis vobis notitiam legis; Rom. 2. *peccatum veſtrum manet,* id eſt, ſcientia veſtra, quâ inflati eſtis, eſt vobis occaſio peccandi, & permanendi in peccato, & Chriſtum Salvatorem nec requirendi, nec recipiendi.

CAPUT X.

ỷ. 3. **E**T *oves vocem eius audiunt.* Quæritur qui intelliguntur per *oves Chriſti*; utrum omnes, fideles, an ſoli juſti, an ſoli prædeſtinati? Pro prima expoſitione facit, quia per *ovile* intelligitur Eccleſia,
D quæ eſt omnium fidelium congregatio. Item illud; *Lupus rapit & diſpergit oves.* Item illud cap. ult. *Paſce oves meas.* Sed contra eam eſt, quod hîc dicitur. *Oves vocem eius audiunt.* Ac paulò pòſt: *& oves eum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius; alienum autem non ſequuntur.* Et infrà: *Cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.* Et adhuc infrà: *Oves meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis. & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Hæc autem non competunt in omnes fideles. Pro ſecunda expoſitione faciunt ferè hæc eadem quæ contra primam: niſi quod contra ſecundam & pro tertia facit illud imprimis; *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Et poſteà: *Et animam meam pono pro ovibus meis*, id eſt, pro electis; ſive jam juſti
E ſint, ſive non. Pro electis enim peculiariter Chriſtus mortuus eſt; quia & pro his peculiariter Patrem rogavit, Ioan. 17. Item quod ſequitur: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere.* Hæ namque oves vocantur, quamvis nec adhuc fideles eſſent nec juſtitiã adeptæ: Dicuntur ergo oves propter prædeſtinationem. Sed magis adhuc pro hac ſententia facit quod inferiùs dicitur, v. 26. *Vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Et iterum: *& ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum; & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Hæc enim neque in omnes competunt fideles, neque etiam in omnes juſtos, ſed in omnes, & ſolos prædeſtinatos. Hi quoque omnes, & ſoli,

finali-

finaliter, & perſeveranter audiunt vocem Chriſti, & Chriſtum ſequuntur, & vocem eius ſciunt: Alienum verò non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum. Hos omnes & ſolos cognoſcit Chriſtus, notitia prædilectionis æternæ. Unde & illi omnes & ſoli cognoſcunt Chriſtum, cognitione perſeverantis dilectionis. Denique his omnibus, & ſolis vitam æternam dat Chriſtus. Hi omnes & ſoli non peribunt in æternum; hos omnes & ſolos nemo rapiet de manu eius; iidem omnes & non alij, ſtabunt à dextris, in die judicij, ut oves, ab hœdis ſeparati, & vocem illam audituri; *Venite benedicti; &c.* Matth. 25. Quare manifeſtum videtur per *oves* intelligi prædeſtinatos. Quod autem objicitur de ovili, id eſt Eccleſia; ſolvitor in hunc modum: Eccleſia vocatur ovile, non quod in ea ſint omnes, ac ſolæ oves, id eſt prædeſtinati; ſed quia prædeſtinati, præcipua ſunt Eccleſiæ membra, eademque uſque ad finem in ea permanſura, & nunquam ab ea ſeparanda; & quorum gratia inſtituta eſt à Chriſto Paſtore Eccleſia. 2. Timoth. 2. v. 10. *Omnia enim propter electos.* Ad alterum reſpondetur, lupum diſpergere quidem oves, imò & rapere, temporaliter affligendo, perſequendo, vexando: non tamen ſeducendo, ſaltem finaliter. Vide Ianſen. Expreſſè enim dicit Salvator, *non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Quod autem dictum eſt Petro, *Paſce oves meas*; homini paſtori dictum eſt, qui in ſuo grege electus à reprobis diſcernere non poteſt; & ideò quantum ad eius curam paſtoralem, omnes oves ſunt; non autem Chriſto, ſupremo paſtori.

Et proprias oves vocat nominatim. Quia electos ſuos nominatim novit Deus, tamquam in libro deſcriptos habens eorum nomina. Vide annot. Apoc. 2. ad illud; *ſed habes pauca nomina, &c.*

℣. 9. *Et ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet.* Ingredi & egredi, phraſis Hebræa eſt, quâ ſignificantur actiones hominis, & tota eius converſatio. Sic 1. Reg. 18. de Davide: *Ipſe enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.* Hoc intellige quoad militiam; quomodo dicitur 2. Reg. 5. *Tu eras educens, & reducens Iſraël.* Item 2. Reg. 3. *Ad hoc venit ut deciperet te, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & noſſet omnia quæ agis.* Et 3. Reg. 3. *Ego ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum, & introitum meum,* id eſt, quæ mihi agenda ſunt. Et in Pſal. 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Similis phraſis, seſſio, & ſurrectio, in Pſal. 138. & Thren. 3. Chryſ. Theophyl. Auguſt. variè exponunt hunc ingreſſum & egreſſum; ſed præter litteram.

℣. 11. *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis, mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oves propriæ videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit:* Diſtinguit Dominus inter Paſtorem, & mercenarium. Diſcrimen illud multiplex eſt. Paſtor in eo quod oves paſcit, non ſuum commodum primò ſpectat, ſed ſalutem ovium: Mercenarius non ovium ſalutem, & commoda ſpectat principaliter; ſed privatum quærit commodum; de quibus Apoſtol. *ſua quærentes non quæ IESV Chriſti.* Paſtor cognoſcit oves ſuas, id eſt, ex animo eas diligit, fovet, & curat eas; Mercenarius non ex animo afficitur gregi, ſed eum paſcit tamquam alienum, & ad ſe non pertinentem. Denique paſtor veniente lupo oves ſuas non deſerit; ſed ſi opus ſit, etiam animam ſuam pro illis ponit. *Mercenarius videns lupum venientem, fugit, quia Mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus.* Fugit autem mercenarius aliquando corporaliter, quando ab iis recedens, oves à lupo dilaniandas relinquit, quas præſentia ſua poſſet defendere. Nam ſi eas defendere omninò non poteſt, & ne quidem adeſſe permittitur, ſine manifeſto ipſius & aliorum periculo: non videtur illicitum corporaliter abeſſe; modò non ſubtrahat ab iis de-

Eſtij Annotat. in Script.

A bitam ſolicitudinem, quantam præſtare poteſt etiam abſens. Et ſicut paſtor corpore abſens, animo & officio præſens eſſe poteſt; ita interdum mercenarius corpore præſens, animo fugit; quando videlicet timore alicuius commodi amittendi, vel periculi incurrendi, ſilet, non arguens vitia; cenſuras omittens, lupum in gregem graſſari permittens. Hoc enim facere, fugere eſt, & gregem deſerere.

Sed quæritur, rectène, ac ſapienter faciat opilio, ſi veniente lupo non fugiat, ſed ſe illi opponens, ſinat ſe ab illo devorari, aut occidi, ne ab eo devorentur oves; cùm debeat vitam ſuam præponere vitæ pecudum? *Reſp.* Dominum petere exemplum non à bono, & prudente homine, qui profectò potiùs vitæ ſuæ conſuleret fugiendo, quàm animam ſuam daret, id eſt, vitam
B certo periculo exponeret, pro pauculis ovibus; ſed à bono paſtore. Is autem dicitur bonus paſtor, qui quàm maximè providet ſaluti ovium, etiamſi id faciat cum diſpendio ſalutis ſuæ. Impertinens autem eſt an bonus paſtor etiam ſit bonus homo; ſicut & contingit bonum ducem, & bonum militem, & bonum pictorem, non eſſe bonum hominem. At homo, ſive Chriſtus, ſive quis alius, Chriſtianas oves ſibi commiſſas habens, ſi bonum paſtorem, in eo quod pro ovibus animam ponit, imitetur; non ſolùm bonus paſtor eſt, verùm etiam bonus homo; quia pro ovibus ſpiritualibus ex charitate animam ponens, ſuæ æternæ ſaluti quam optimè conſulit, magnumque apud Deum præmium meretur; imò & facere id tenetur, ne non paſtoris, ſed mercenarij nomen
C gerat. Vide etiam noſtra in 3. tit. de charitat. Nam dici quoque poteſt, opilionem rectè facere exponendo ſe periculo vitæ pro ovibus; ſicut quis pro defenſione bonorum temporalium, licitè ſe exponit periculo; eò quòd illa bona ſint familiæ ſuæ, id eſt, uxori, & liberis, quos alere tenetur, neceſſaria. Et videtur Dominus loqui de opilione, id eſt, paſtore ovium brutarum; ſicut & de mercenario, & ovibus, & fure, & latrone, & lupo; Ex quibus accipit ſimilitudinem. Dicit enim Evangeliſta: *hoc proverbium dixit eis.*

℣. 13. *Et non pertinet ad eum de ovibus.* Vide Annot. infrà cap. 12. v. 6.

℣. 15. *Et animam meam pono pro ovibus meis.* Quidam probi codices non addunt *meis*, nam nec in Græcis eſt, nec in Syriacis. Hic locus oſtendit Chriſtum non
D pro omnibus mortuum, ſed pro ſolis electis, ſcilicet ut ſalventur.

℣. 16. *Et alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere.* Non quaſi ſint ex alio ovili, & ſic de ovili ad ovile traducendæ: Neque enim habet Chriſtus niſi unum ovile, quod eſt Eccleſia. Item dicit: *vocem meam audient*; ergo nondum erant de ovili Chriſti, quia vocem eius nondum audiebant. Sed ſenſus eſt, Nondum ſunt de ovili meo; nondum eas in ovile meum collegi; ſed adhuc ſunt diſperſæ, & errantes. Colligentur autem in unum ovile cum Iudæis; & paſcentur ab uno paſtore. Hoc eſt, quod conſequenter dicit: *Et fiet unum ovile, & unus paſtor*, id eſt, erit omnium ovium unum ovile, quod eſt Eccleſia, ex Iudæis & gentibus collecta; & unus omnium paſtor,
E Chriſtus. Hos ſequenti cap. vocat filios Dei: *ut filios Dei qui erant diſperſi congregaret in unum.*

Et fiet unum ovile, & unus paſtor. Impleta eſt hæc Chriſti prophetia in vocatione gentium, facta per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores. Tunc enim oves aliæ quæ non erant de priori ovili, id eſt, de congregatione fidelium Judaici populi; per Chriſtum adductæ ſunt, & vocem eius audierunt. Tunc igitur factum eſt *unum ovile*, quia Chriſtus qui eſt omnium unus Paſtor, medium parietem maceriæ, qui erat inter Judaicum, & gentilem populos ſolvens; fecit utraque unum. Adducuntur autem gentes ad ovile, quod erat in populo Judaico; non contrà; quia ſalus ex Iudæis eſt, & quia

poſt abolitam ſynagogam Eccleſia Chriſti ab Ieroſolymis incipiens, inde diffuſa eſt uſque ad extremum terræ. Sic etiam S. Hieron. docet in cap. 2. Epheſ. ad illud: *Qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ ſolvens, &c.* Idem tamen S. Hieronym. ſuper Oſeæ 3. refert hæc ad finem ſæculi: poſtquam, inquit, plenitudo gentium ſubintroverit, & noviſſimus crediderit Iſrael, tunc fiet unus grex, & unus paſtor.

℣.18. *Ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me.* Anima videtur accipienda ut in ſuperioribus, pro vita temporali; dicit enim, *Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*, id eſt, vitam ſuam impendit pro ſalute ovium. Non enim dat, aut impendit animam rationalem, ſed eam maximè conſervat, eique conſulit. Vide Medinam 3. quæſt. 50. art. 3. de hoc loco diſſerentem. *Nemo tollit*, ſcilicet me invito.

Hoc mandatum accepi à Patre meo. Mandatum hoc referendum ad quod ſemel & iterum dicit, *ſe ponere animam ſuam*; non ad id, quod dicit ſe habere poteſtatem iterum ſumendi eam; quia ad reſurrectionem non eſt ponendum mandatum, ſed ad paſſionem, & mortem. Nec laudatur Chriſti obedientia in eo quod reſurrexit, & glorificatus eſt; ſed in eo quod paſſus, & mortuus eſt.

℣.22 *Facta ſunt autem Encænia in Ieroſolymis.* Quæ fuerint hæc encænia, & quando inſtituta, vide ſerm. qui habetur fer. 4. poſt Judica in homil. Doctorum, ubi trium meminit dedicationum templi Hieroſolymitani, diverſis annis temporibus factarum. Similia prorſus habet Beda in Ioannem cap. 10. Idem in eodem homiliarum opere, ſerm. 1. & 2. de dedicatione, his iiſdem verbis reperitur.

℣.23. *In porticu Salomonis.* Baron. tom. 1. ex Ioſepho probat hanc porticum fuiſſe ipſius Salomonis opus adhuc reſiduum; ſed vide Annot. Act. 3.

℣.33. *Sed de blaſphemiâ; & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.* Bene ex hac ipſa Iudæorum criminatione colligitur Chriſtum eſſe Deum; quandoquidem Chriſtus, ſi non agnoviſſet verum eſſe quod objiciebatur, debuiſſet pro Dei honore crimen objectum apertiſſimè refellere, dicendo; non ſum Deus; ſicut fecit Ioannes dicens *Non ſum ego Chriſtus*, & ſicut Paulus & Barnabas Actor. 14. qui conſciſſis tunicis exilierunt in turbas, volentes eis ſacrificare; & cum clamore dixerunt: *Quid facitis? & nos mortales ſumus, annuntiantes vobis ab his vanis converti, &c.*

Quia tu, homo cum ſis, facis teipſum Deum. Stulti & cæci Phariſæi, inquit Athanaſius, Apol. 1. pro Con. Nicæno; quippe quos oportebat potiùs invertere ſermonem, & dicere; Cur tu cum Deus eſſes, homo factus es? Et quidem Chriſtus verè ſeipſum faciebat Deum, ſecundum eum modum loquendi, quo quis ſeipſum facere dicitur, quod de ſe affirmat; quomodo cap. 8. dicebant *Quem teipſum facis?* Et alibi Evangeliſta: *Æqualem ſe faciens Deo*, cap. 5. v. 18.

℣.35. *Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt: quem pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi filius Dei ſum?* Non intendit hoc argumento probare ſe eſſe filium Dei; ſed ſe non malè, nec inconvenienter feciſſe, quod ſe dixerit filium Dei. Si enim homines, propterea quod ad eos ſermo Dei factus eſt, lex vocat Deos; quantò iuſtiùs ille quem pater ſanctificavit & miſit in mundum, abſque ſuſpicione blaſphemiæ, vocare ſe poterit filium Dei? Sed quia reſpondere poterant Iudæi, Falſum eſt quod dicis, te à Patre ſanctificatum, & miſſum in mundum, atque omninò Patrem tuum eſſe Deum; & ideò hæc dicens blaſphemas: propterea ſubjungit huius rei probationem, ex ipſis ſuis operibus: *Si*, inquit, *facio non opera Patris mei; nolite credere mihi: ſi autem facio, &c.*

℣.36. *Quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum.* Id eſt, quem omninò purum ab omni inquinamento,

A miſit in mundum, ut ſit hoſtia propitiatoria pro peccatis mundi. Infrà c. 17. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.*

℣.41. *Quia Ioannes quidem ſignum fecit nullum*; ne putaretur Chriſtus. Hoc enim Chriſto ſervari debuit, ſecundùm oracula Prophetarum; Ioanni verò talis vita congruebat, quæ authoritatem ei compararet, tamquam teſti veritatis irrefragabili; quia oportebat eum de Chriſto teſtari. *Venit enim in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Sed quare non fecit Ioannes ſignum, quando infans exultavit in utero matris? *Reſp.* quia Ioannes illud miraculum non tam fecit, quàm paſſus eſt. Non enim ipſe vel oravit, vel præcepit, vel quid ſimile fecit ut miraculum illud fieret; ſed in ipſo factum eſt à Deo miraculum. At neque ſignum dici
B potuit, quod ſola mater percepit: nam ea miracula ſigna dici ſolent, quæ multorum in oculis fiunt, ad ſignificationem præſentiæ divinæ. Quale fuit quod Zacharias pater eius, modò mutus, locutus eſt; quod tamen ſignum Ioannes non fecit; quamvis propter Ioannem à Deo factum fuerit. Sicut & illud quod uterque parens prophetavit, prout canitur in hymno Eccleſiæ: *Hinc parens nati meritis uterque abdita pandit.*

CAPUT XI.

℣.1. E*Rat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de caſtello Mariæ & Marthæ ſororis eius.* Quod ait, *de caſtello Mariæ, &c.* Deſcriptio eſt eius
C quod præcedit, *à Bethaniâ*; Lazarus enim Bethanienſis erat; Ipſa verò Bethania Caſtellum erat Mariæ & Marthæ, non tamquam illius loci dominarum, ſed tanquam eo in vico inhabitantium; quomodo Nazareth dicitur civitas JESU propter educationem; & Capharnaum eiuſdem JESU civitas propter habitationem; quomodo & Bethſaida vocatur civitas Andreæ & Petri capite 1. huius Evangelij. Potiùs autem Mariæ & Marthæ, quam Lazari, caſtellum hoc dicitur: quia duæ ſorores illæ notiores erant; vel quod ætate ſeniores, vel propter ſtudium ſanctæ hoſpitalitatis, quod Chriſto Domino, & diſcipulis eius exhibebant, vel aliam quamcumque ob cauſam.

Maria & Martha ſororis eius. Malè quædam exemplaria *ſororum eius*; Nam *ſororis* numero ſingulari le-
D gendum monſtrant cod. Græci & Latini omnes M.SS. *Eius* autem non ad Lazarum, ſed ad Mariam referendum, nam Græcè eſt αὐτῆς, fœmininum. Senſus enim eſt, Mariam cum Martha ſorore ſua habuiſſe domicilium in eo caſtello.

℣.2. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis ſuis.* Ex his verbis colligit S. Auguſt. lib. 2. de conſenſu Evangel. cap. 79. hanc Mariam eandem eſſe cum muliere peccatrice, de qua Lucæ cap. 7. Sed non eſt conſequens; quia quod dicitur, *quæ unxit eum unguento*, non eſt neceſſariò referendum ad unctionem aliquam præcedentem; ſed per prolepſim intelligi poteſt unctio quæ poſteà facta eſt, quam videlicet Ioannes, his iiſdem pene verbis narrat capite proximè ſequenti factam in Bethania; & ſicut
E Matth. & Marc. Sic enim Matth. 10. & 26. & Marc. 3. de Juda dicitur *qui tradidit illum*, cùm tamen traditio nondum facta eſſet eo tempore ad quod narratio Evangeliſtæ refertur. Objici quidem poteſt Ioannem non ſic loqui quando de Iuda loquitur, ut cap. 6. & 12. Nam utroque loco dicit, *qui erat eum traditurus.* At certè non eſt veriſimile Ioannem reſpexiſſe ad unctionem à ſe non deſcriptam, ſed potius ad eam quam deſcripſit. Sicut enim dixit cap. 7. & 19. de Nicodemo: *ille qui venit ad eum nocte*, reſpicit ad id quod ſuprà cap. 3. ipſe narraverat. Et cum dicit cap. ultimo de ſe: *qui & recubuit ſuprà pectus eius*, eo reſpicit quod ipſe de ſe ſcripſerat cap. 13. Ita quoque cum Matth. dicit,

Iſat

Iſai genuiſſe David regem; qui utique multò poſt factus eſt rex. Perinde eſt autem ſive dicat, David regem, ſive David qui fuit rex. Sic ipſe Ioannes ultimo, *Exivit ergo iſte ſermo inter fratres, &c.* qui tamen ſermo non tunc, ſed multò poſt exivit. *Hic eſt diſcipulus, qui ſcripſit*, non utique ante illud tempus, ſed multò tempore pòſt. Modus quoque ille loquendi neutiquam inſuetus eſt etiam apud Authores prophanos, ut perſona deſcribatur ab eo quod poſtea geſſit. Nicephorus porrò lib. 1. cap. 27. putat Chriſtum ter unctum à tribus diverſis mulieribus; bis circa paſſionem, & ſemel circa medium tempus prædicationis eius, tametſi non omnes Marias vocet. Fefellit eum hic locus; in quo non de diverſa aliqua unctione agitur, ſed de ea quæ proximo cap. deſcribitur, ut jam oſtendimus. Vide de tota hac re Ianſenium, & Annot. Luc. 7. & plura in noſtra B oratione habita de Magdalena Evangelica, quæ eſt 14. inter impreſſas.

℣. 3. *Ecce quem amas infirmatur.* Et infrà: *Diligebat autem IESVS Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum*, id eſt, familiaria dilectionis ſigna eis oſtendebat; propter inſignem familiæ honeſtatem, & pietatem, libenter utebatur eorum hoſpitio. Vide Annot. infrà cap. 13.

℣. 4. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* Illud, *per eam*, non poteſt, ad *mortem* referri, quia Græcè dicitur δι᾽ αὐτῆς θάνατος, autem maſculinum eſt. Itaque referendum ad infirmitatem, quæ Græcè eſt ἀσθένεια: niſi quis putet referri ad gloriam Dei, hoc ſenſu: Infirmitas hæc Lazari, non eſt ut morte ſemel finiat hanc vitam, ſed magis pro gloria Dei; ut & filius Dei, qui etiam ipſe Deus, per eam Dei gloriam, ortutam ex reſuſcitatione Lazari, glorificetur; quia gloria patris redundat in filium.

℣. 9. *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* Apud Iudæos dies in duodecim horas, nox in 4. vigilias dividebatur. Cùm enim dies actioni, nox quieti ſit deputata; magis particulatim diem diſtingui oportuit, quàm noctem. Erat autem dies ab ortu ſolis, ad occaſum: nox ab occaſu, ad ortum. Erant itaque tam dies, quàm noctes inæquales, id eſt, aliquando longiores, aliquando breviores: minori tamen differentia, quam apud nos; qui longius ab æquatore recedimus. Inde conſequens, etiam horas diei, fuiſſe inæquales, id eſt, æſtivo tempore longiores, hyberno breviores. Totum enim maius, partes eodem numero maiores reddit, quàm totum minus. Atque id affirmat S. Auguſt. libro de vera relig. cap. 43. horam brumalem æſtivæ horæ comparatam, minorem eſſe.

℣. 16. *Eamus & nos ut moriamur cum eo.* Quidam intelligunt *cum eo*, id eſt, cum Lazaro, ſed ſenſu parum commodo, licet hoc proximè præceſſerit, *Lazarus mortuus eſt, &c.* Rectius eſt ut intelligatur *cum eo*, id eſt, cum Chriſto; quia ſupra dixerant ad eum diſcipuli, *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare; & iterum vadis illuc?* Quem cum dehortari non poſſent à reditu in Iudæam; Thomas ſe, & alios animat ad commune periculum cum Domino ſubeundum. Quomodo etiam dixerunt diſcipuli poſt cœnam, & non ſolus Petrus: Si oportuerit nos mori tecum &c. Matth. 26. & Marc. 14. Theophylactus hic ex Origine de Thoma narrat fabulam quam ſomnium appellat, & ut ridiculam explodit.

℣. 22. *Sed & nunc ſcio, quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus.* Non audet apertis verbis rogare ut ſuſcitet fratrem ſuum, ſed id petit indirectè, profitens eum omnia poſſe à Deo impetrare. Notandum enim reſuſcitationem mortui, rem eſſe tam grandem, ut non legamus quemquam id auſum expreſsè petere à Chriſto, ut mortuum ſuſcitaret. Nam nec puella Archiſynagogi filia, nec adoleſcens viduæ filius, patre, A aut matre petentibus, ſuſcitati leguntur. Vide quæ circa hanc ſententiam annotamus infrà, ad cap. 22.

℣. 26. *Omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Quomodo intelligendæ ſint huiuſmodi Scripturæ, Vide Annot. Marc. 16.

℣. 27. *Ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Non videtur hoc adhuc crediſſe illa perfectione fidei, quâ crederet ipſum eſſe verum Deum. Nam paulò ante dixit: *ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*: quaſi ſcilicet ipſe non eſſet Deus. Nam ſi credidiſſet ipſum Deum; potiùs dixiſſet, Omnia tibi poſſibilia ſunt, Impera; & fiet.

℣. 35. *Et lachrymatus eſt IESVS.* S. Hilar. in Pſ. 88. putat Chriſtum non fleviſſe propter mortem Lazari, maximè quia ſupra dictum ab eo legitur; *Et gaudeo B propter vos, ut credatis*: ſed propter incredulitatem hominum. Attamen nihil vetat lætari, & triſtari de eadem re, ſecundùm diverſa: Si enim idem poteſt habere rationem boni & mali, ſecundùm aliud & aliud; ut mors, aliæque huius vitæ miſeriæ: nihil abſurdi fuerit, ut de eodem partim gaudeamus, partim doleamus. Quomodo & Chriſtiani, de morte, & Paſſionibus Chriſti. Lachrymatus eſt enim humano affectu amicum defunctum, ut ſe verum hominem probaret.

℣. 40. *Nonne dixi tibi quoniam ſi credideris, videbis gloriam Dei?* Non legitur ſuperiùs hoc expreſsè dixiſſe; ſed intelligi poteſt in eo quod dixit, *Reſurget frater tuus*; & in eo quod fidem ab ea requiſivit dicens: *credis hoc?* Itaque etiam ſignificatur Martham fide ſua C impetraſſe fratris reſuſcitationem.

℣. 42. *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis.* Duplici teſtimonio ex hoc c. confirmatur, omnem Chriſti orationem ſemper exauditam fuiſſe: Alterum eſt ex verbis Marthæ, dicentis ad Chriſtum: *Sed & nunc ſcio quia quæcumque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus*: Alterum ipſius Chriſti, de ſeipſo loquentis ad Patrem. *Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me; ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Ratio in promptu eſt, quia neque irrationabile quicquam petere poteſt, qui eſt ipſa ſapientia Patris, neque repelli poteſt juſta petens, qui eſt dilectus & unigenitus Filius Patris. Sed quare non ſuperfluè orat patrem, cùm in propria poteſtate habeat, ut faciat quod petit? *Reſp.* Una ratio eſt, ut oſtenderet, ſe hominem nihil tale poſſe, niſi etiam D. Deus eſſet. Altera, ut oſtenderet ſe quatenus eſt filius Dei, omnia habere à Patre, & in omnibus ſuis operibus velle honorificare Patrem.

℣. 43. *Voce magna clamavit, Lazare veni foras.* Clamavit voce magna, non quod ad mortuum excitandum magnitudine clamoris eſſet opus illi, qui ſolo voluntatis imperio facere poterat quæcumque vellet; ſed propter myſterium. Quatriduanus enim mortuus & ſepultus, ſignificat peccatorem inveteratum, qui mole conſuetudinis preſſus, difficiliùs convertitur; ideoque maiori clamore, id eſt, multis ac magnis Eccleſiæ precibus ac lachrymis opus eſt, ad impetrandum ei vitam animæ à Deo. Porrò non eſt putandum, vocem Chriſti à Lazaro fuiſſe auditam, mortuus enim E erat; audire autem vitæ operatio eſt; ſed ea vox operatoria fuit & efficax ex Dei virtute ad mortuum ſuſcitandum; quomodo verba quibus conſecratur Euchariſtia, & cætera Sacramenta perficiuntur, non operantur, quia audiuntur, ſed ut ex Chriſti inſtitutione proferuntur. Alioqui & ſolem, & lunam quibus Ioſue imperavit ut ſtarent; & mare, & ventos, quibus Salvator imperavit, ut quieſcerent dicens: *tace, obmuteſce*, Marc. 4. audiviſſe imperata, fatendum eſſet. Si quis tamen exiſtimet animam Lazari apud inferos degentem percepiſſe Dei virtutem, quâ juberetur ad corpus redire; non repugnamus.

℣. 44. *Et facies illius ſudario erat ligata.* S. Ambr. lib. de fide reſurrectionis pro *ſudario* legit *orario*, ſc. ab ore.

Dixit eis IESVS, Solvite eum, & ſinite abire. Quibus hoc dixerit, non addidit Ioannes; neque ſatis ex textu colligi poteſt utrum diſcipulis, an turbis adſtantibus. Ambroſ. lib. de reſurrectione, dictum exiſtimat Iudæis, qui erant præſentes S. Auguſt. tamen, & Gregor. ſentiunt, dictum eſſe diſcipulis; nempe iis, quibus ſolvendi peccata poteſtatem erat daturus. Vide Bellarm. libr. 3. de pœnitentia c. 3. Prudentius, ſororibus dici. Sic enim canit in Apotheoſi contra Homuncionitas: Solvite jam lætæ redolentia vincula ſorores. Verùm ſororibus non diceretur, *ſinite abire*; ſed ad vos recipite.

℣. 48. *Si dimittimus eum ſic; omnes credent in eum & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Timuerunt, inquit, S. Auguſtin. ne ſi omnes in Chriſtum crederent, nemo remaneret qui adverſus Romanos civitatem Dei, templumque defenderet; quoniam contra ipſum templum, & contra ſuas paternas leges, doctrinam Chriſti eſſe ſentiebant. At verior ratio, quæ aliis placet, videtur hæc: quia ſi omnes credant in eum, & pro Chriſto habent (putabant enim regnum Chriſti temporale eſſe) arguentur à Romanis defectionis, ac rebellionis, atque ita venient ut gentem noſtram, tanquam rebellantem, atque alium regem præter Cæſarem ſibi conſtituentem, tollant ac diſperdant, locumque vaſtent. Hunc eſſe ſenſum, liquet, quia hoc ipſum Chriſto objecerunt coram Pilato, quòd ſe regem faceret, quodque populum commoveret à Galilæa uſque in Iudæam. Unde & Pilatus ex eo quæſivit, num rex eſſet. Quod verò non illud metuerint, ne ſi omnes crederent in Chriſtum, nemo remaneret qui civitatem Dei, templumque defenderet adverſus Romanos, ſatis per hoc oſtenditur, quod Romani non erant infeſti civitati Dei, ac templo; quippe qui omnes gentes ſibi ſubjectas, ſinebant ſuis legibus ac cæremoniis uti. Nec erat civitas & templum defendendum contra Romanos; quibus ita erant ſubjecti Judæi, ut perniciosum illis eſſet contra Romanos ſeſe commovere.

℣. 50. Caiphas in concilio dixit: *Expedit ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem*, inquit Evangeliſta, *à ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit, quod IESVS moriturus erat pro gente.* Quomodo non dixit à ſemetipſo, cùm omnino hoc vellet, & aliis perſuadere cuperet, ut Chriſtus interficeretur? *Reſp.* ſecundùm eum ſenſum quem ipſe Caiphas intendebat, dixit à ſemetipſo; Voluit enim JESUM è medio tollere, ne populus Judaicus JESUM, tanquam alium à Cæſare regem, ſuſcipiens, à Romanis exterminaretur. Sed quatenus verba illa alium verum, & divinum ſenſum continebant; non ea dixit à ſemetipſo, ſed motus à Spiritu Sancto, ut illa verba proferret. Unde & prophetaſſe dicitur; non ut alij Prophetæ qui ſua verba intelligebant, & eorum myſteria utcumque capiebant: ſed tanquam nudum inſtrumentum, verba quidem ſonans, ſed intellectu non percipiens. Cùm enim ad rationem Prophetiæ imprimis neceſſaria ſit illuminatio intellectus (eſt enim Prophetia donum revelationis) liquet Caipham non Prophetam fuiſſe. Notandum interim, quantum Deus deferat Sacerdotio, etiamſi ab homine impio adminiſtretur; cùm enim eſſet Pontifex anni illius, voluit Deus per iſtum potiùs, quàm per alium, hoc tam divinum oraculum proferri. Quod ſi Sacerdotium vetus ac jam jam periturum, ita à Deo honoratum eſt, etiam in homine impio: quantò magis honorabit Pontificatum Eccleſiæ ſuæ, cùm qua voluit ſpiritum veritatis permanere in æternum?

℣. 51. *Sed cum eſſet Pontifex anni illius.* An Caiphas fuerit verè Pontifex, vide Annot. Luc. 3.

℣. 52. *Et non tantùm pro gente*, ſcilicet Judaica, (nam de ea locutus fuerat Caiphas) *ſed ut filios Dei, qui*
A *erant diſperſi, congregaret in unum*; filios Dei ſecundùm prædeſtinationem intelligit, id eſt, electos. Loquitur autem de electis ex gentilitate, quæ vocabatur diſperſio ut ſuprà cap. 7. *Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt? Congregaret in unum.* Id eſt, in unam Eccleſiam, in unum ovile, ſimul cum Iudæis; ſicut dicitur cap. præcedenti: *Habeo alias oves quas oportet me adducere, ut ſit unum ovile, & unus Paſtor.* Et nota quod ſicut ibi electi vocantur oves; ita hîc filij Dei.

Qui erant diſperſi. Scilicet per totum mundum, juxta illud 2. Ioan. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, id eſt, hominum, ſeu filiorum Dei, toto mundo diſperſorum.

B

CAPUT XII.

℣. 2. F*Ecerunt autem ei cœnam ibi.* Non dicit qui, ſed intelligendum de Simone leproſo, id eſt, eo quem Chriſtus à lepra mundaverat; quem honoris & gratitudinis cauſa excepit convivio, ſicut & Matthæus fecerat. De Simone Leproſo intelligi videtur ex Matth. 26. & Marc. 14. & conſequenter iſtam rem non fuiſſe geſtam in domo Mariæ, & Marthæ. Origenes tamen Homil. 35. in Matthæum docet eſſe diverſam unctionem & perſonam ungentem, hic, ab ea quæ in domo Simonis Leproſi. Et B. Ioannes non ſolet ea repetere quæ alij Evangeliſtæ dixerint. Hæc additio
C eſt Cenſoris.

℣. 6. *Non quia de egenis pertinebat ad eum.* Græcè ſic eſt: *Non quia de pauperibus cura erat ei*, id eſt, non quia res pauperum ei cordi erat, quomodo c. 10. dicitur: *Mercenarius fugit, quia mercenarius eſt. & non pertinet ad eum de ovibus*, ubi ſimiliter in Græco habes: *& non eſt ei cura de ovibus.* Neque enim ſenſus eſt, oves ad eum non pertinent tanquam ad Dominum; quod aliâ ſententiâ ibidem ſignificatur, hinc nimirum *Cuius non ſunt oves propriæ*: ſed ſenſus eſt; quoniam oves ei non ſunt propriæ, ideò eum non curare ſalutem ovium, ſed deſerere eas à lupo devorandas.

Et loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Scilicet, tanquam diſpenſator, ac proviſor familiæ Chriſti; à quo injunctum ei erat officium recipiendi,
D ſervandi, erogandi pecuniam, quæ à piis hominibus, atque etiam mulieribus, ut habetur Lucæ 8. ad ſuſtentationem ſanctæ familiæ offerebantur, non in puram Eleemoſynam, ſed ut naturali jure debitum iis, qui prædicant verbum Dei. Ex hoc loco, & eo qui eſt cap. ſeq. ubi dicitur Judas loculos habuiſſe ad emendum ea quibus opus eſſet, etiam in alterum diem, diſce non ſic Dominum prohibuiſſe ſollicitudinem in craſtinum, Matth. 6. ut domeſticam providendi de rebus neceſſariis curam excluderet. De qua re vide Annot. Matth. 6.

℣. 8. *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis.* Quod Dominus reſpondit Judæ, pium mulieris officium reprehendenti, ſub pretextu miſericordiæ in pauperes; id etiam hodie reſpondere
E poſſumus malevolis quibuſdam, qui cum ipſi nihil donent Eccleſiis, etiam aliorum pias largitiones rodere non verentur: dicentes ſatius eſſe ut pecunia illa erogaretur in pauperes. Quibus primò reſpondendum; Neminem eſſe reprehendendum qui facit bonum opus etiam ſi aliud melius facere poſſit. Unde Dominus dicit: *Quid moleſti eſtis huic mulieri? bonum opus operata eſt in me*, quaſi dicat, Bonum opus non debet pati moleſtiam reprehendentis. Deinde, iis reſpondendum quod hic ait, *Pauperes ſemper habetis vobiſcum.* Addit alius Evangeliſta. *Et cum volueritis poteſtis illis benefacere: Me autem non ſemper habetis.* Quaſi dicat: Sunt quædam bona opera, quorum non ſemper eſt

occaſio; talium autem occaſio ſuo tempore non eſt prætermittenda. Tale erat Chriſtum in carne paſcere, hoſpitio excipere, ungere. Alia ſunt quæ ſemper exerceri poſſunt; ut Eleemoſyna in pauperes; pauperes enim ſemper habemus nobiſcum. Quod ergo in eos uno tempore non fit, alio fieri poteſt; modò nunc arctam neceſſitatem non patiantur.

Quod ſequitur: *me autem non ſemper habetis*; Sacramentarij noſtri temporis torquent contra corporalem præſentiam Chriſti in Sacramento altaris. Reſpondendum, ut ex circumſtantiis manifeſtum eſt, non loqui Dominum de quacunque præſentia; Nam & poſt reſurrectionem non ita erat præſens diſcipulis ſicut ante. Unde ait, Luc.24. *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum ad vos, cum adhuc vobiſcum eſſem*, quaſi diceret, Jam non ampliùs vobiſcum ſum; & tamen corporaliter erat præſens. Loquitur ergo de ea præſentia, quâ, tanquàm homo humanis neceſſitatibus obnoxius, cum hominibus familiarem habebat converſationem. Eo (inquit) modo non ſemper me habebitis, ut mihi corporaliter benefacere, ungere, paſcere, hoſpitio excipere poſſitis. Cæterùm hoc nihil ad præſentiam Domini in Sacramento, quæ longè eſt diverſi generis.

℣.24. *Niſi granum frumenti cadens in terram*. Græcè πεσὼν, id eſt, quod cecidit lapſum. Poſſet verti, *projectum in terram*.

℣.25. *Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui, &c.* Hunc Evangelij locum legentibus, apertum videri; experientibus autem, obſcurum eſſe, affirmabat Franciſcus Xaverius, ut habetur lib.4. vitæ Ignatij cap.7.

℣.26. *Et ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Græcè ὁ διάκονος. Hinc eſt quod in Feſto S. Laurentij Diaconi, peculiariter legitur ex Evangelio præſens locus, idque à Diacono, pro Evangelica lectione.

℣.27. *Et quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc.* —— 28. *Pater clarifica nomen tuum.* Simile eſt cum eo quod Chriſtus oravit in horto: *Si fieri poteſt tranſeat à me calix. Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* Horam enim intelligit Paſſionis, ut ſæpè alibi. Illud: *Pater, ſalvifica me ex hac hora*; rectiùs cohæret cum præcedente interrogatione, hoc ſenſu: Num iſtud dicam, *Pater ſalvifica me, &c.* Imò non dicam; propterea enim veni, ut patiar. Itaque potiùs dico: *Pater clarifica nomen tuum*, id eſt, ſanctificetur, & illuſtretur in me, & per me, nomen tuum. Alij ſenſum faciunt; Quid dicam? hoc dicam: *Pater ſalvifica me, &c.* id eſt: *Tranſeat à me calix iſte.* Deinde quaſi corrigens addit, *Sed propterea veni in hanc horam.* Deinde orat: *Pater clarifica nomen tuum*, ut prior oratio non aliud ſit, quàm naturalis deſiderij declaratio; poſterior autem, ſit oratio à rationali voluntate profecta: quomodo in horto fuit, quaſi duplex oratio. Sed non eſt neceſſe ſic intelligere; & ſenſus prior huc etiam recidit.

℣.31. *Nunc judicium eſt mundi.* Quomodo *mundi*, an pro mundo, an contrà? videtur quod pro mundo, quia per Chriſtum liberatus eſt à malo principe, cui merito peccati fuerat ſubjectus; liberatus (inquam) per juſtitiam vindicativam, quâ princeps ille privatus eſt poteſtate, quam habebat in peccatores, dum ea abutitur in innocentem. Unde infrà cap.14 *Venit princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Hic eſt mundus quem Deus ſic dilexit, ut pro eo redimendo, daret unigenitum ſuum. Sic in Pſal.73. *Iudica cauſam tuam.* Et initio Pſalm.25. & 42.

Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Id eſt, is qui hactenus eſt princeps hujus mundi, ejectus foras principatum hunc amittet. Quod factum eſt per paſſionem Chriſti; Per hunc enim, & ex illo tempore,

A regnum Diaboli palam cœpit deſtrui. Vide Annotat. infrà cap.14.

℣.32. *Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Omnia*, id eſt, non ſolùm unum populum Iudaicum, ſed totum mundum; hoc eſt, omnes gentes per univerſum orbem terrarum, ſicut prædictum eſt in Pſalmis & Prophetis, ut mirum non ſit gentiles conſpectum meum deſiderare, quia latiſſimè ſum regnaturus in gentibus, poſtquam fuero exaltatus, à terra, & ſuſpenſus in ligno. S. Gregor. libr.6. Epiſtol.15. ſic exponit: *Omnia ſcilicet electa.* Quamvis hic ſenſus non ſit litteralis, ſed is quem ſuprà dedimus: tamen ſatis per hæc oſtenditur hunc locum nihil ſuffragari iis, qui dicunt Deum quantum in ipſo eſt, trahere omnes ad ſalutem. Quod ſi hoc loco ſigni-
B ficare vellet Dominus; non diceret, *Cùm exaltatus fuero, traham omnia*, ſed ab initio mundi traxi omnia. Vide etiam S. Auguſtinum in hunc locum; ubi diſertè excludit iſtum ſenſum quod omnes omninò homines trahat; quia (inquit) non omnium eſt fides; ſed vel, *omnia*, id eſt, corpus, animam, ſpiritum, vel, omnes prædeſtinatos; vel, omnia hominum genera. Trahit autem omnia non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam, & quidem potiſſimum ſecundum voluntatem, quâ venitur ad Chriſtum. Trahitur ergo voluntas ad Chriſtum per efficacem Chriſti gratiam, ut in eum credat, & ſperet, amet &c.

℣.34. *Nos audivimus ex lege quia Chriſtus manet*
C *in æternum.* Reſpici videtur vel ad Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*: vel ad Ezech.37. *David ſervus meus princeps eorum in perpetuum*: vel in genere ad hæc & ſimilia loca. Quod autem nomine legis, & Pſalmi, & Prophetæ, & Hiſtorici libri comprehendantur, patet ex aliis locis, ut Ioan.15. *Vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerunt me gratis.* Quod habetur Pſalm.24. Galat.4. *legem non legiſtis? ſcriptum eſt enim quoniam Abraham, &c.* Id habetur in Geneſi. Item 1. Corint.14. *In lege ſcriptum eſt: quoniam in aliis linguis, &c.* quod habetur Iſa.28. Patet autem ex hoc loco, Iudæis vulgò perſuaſum fuiſſe quod Chriſtus, id eſt, Meſſias ipſorum, non eſſet moriturus, ſed victurus. Unde & diſcipuli Chriſti, qui crediderunt eum eſſe Meſſiam, turbabantur quando ex eo audiebant quod eſſet moriturus. Sed
D quæritur, unde nomen exaltationis Iudæi ſic acceperunt, ut intelligerent hoc de morte: cùm vocabulum illud magis rem bonam ſignificet, ſcilicet honorem & gloriam? Quidam ſuſpicantur fuiſſe phraſim apud Iudæos, quâ exaltari quis diceretur; qui ſuſpendebatur in cruce; quomodo dicitur c.3. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.* Poteſt tamen dici Iudæos hunc ſenſum collegiſſe ex aliis Chriſti verbis præcedentibus, quibus mortis fecerat mentionem. Dixerat enim; *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum adfert.* Cui poſteriori ſententiæ prorſus reſpondet illud, quod poſteà dicit: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Hoc eſt enim granum frumenti mori;
E quod Chriſtum à terra exaltari; & hoc eſt granum frumenti multum fructum adferre, quod Chriſtum omnia trahere ad ſeipſum, id eſt, ex omni genere & gente homines ad ſe convertere; quod factum eſt poſt eius in cruce exaltationem. De qua re vide ſermonem S. Leonis 8. de paſſ. Dom.

℣.35. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt. Modicum*, id eſt, modico tempore, Græcè μικρὸν χρόνον. *In vobis.* Græcè μεθ' ὑμῶν, *vobiſcum.* Senſus autem perſpicuus eſt, Chriſtum, qui erat lux mundi, adhuc ad breve tempus cum illis futurum. Hoc volunt & ſequentia verba: *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant.* Et, *Dum lucem habetis, credite in lucem.*

Illud quoque nota obiter, unicum vocabulum Græcum φῶς, interpretem hîc & alibi, modò lumen, modò lucem vertere, nullo diſcrimine.

ỳ.39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias.* — verſ. 40. *Excæcavit oculos eorum, &c.* Senſus videtur; Non poterant credere, propter cæcitatem ſuam, quam prædixit Iſaias. Ita alibi negantur credere poſſe, propter ſuam ſuperbiam, & inanem gloriam, ut cap. 5. *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Et Petrus propter infirmitatem carnis non poterat Chriſtum ſequi modo. Infrà cap.13.

ỳ.41. *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius.* Scilicet Chriſti, *Et locutus eſt de eo,* ſcilicet, Chriſto. Nam ad Chriſtum pertinere has demonſtrationes, apparet ex ſuperioribus. Itaque & illud: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* ad Chriſtum pertinet, & de eo dictum eſt. Hinc apparet Chriſtum ab Iſaia viſum fuiſſe ea viſione, de qua ait: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Vide Annot. Iſa.6. Ita ſupra de Abraham, *& vidit, & gaviſus eſt.* Vide Ianſenium cap.111. Concordiæ.

ỳ.42. *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è ſynagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* Hic locus planè oſtendit fidem à charitate ſeparari poſſe. Nam iſti credebant, & charitatem Dei non habebant; utpotè gloriam hominum magis diligentes quàm gloriam Dei. Vide Annot. ſuprà cap.5. v.44. *Gloriam hominum*, id eſt, quæ ab hominibus eſt: *gloriam Dei*, quæ eſt à Deo. Roman.4. *habet gloriam ſed non apud Deum.* Ioan.5. *Gloriam quæ à ſolo Deo eſt non quæritis.* Nota quod ait, Principes propter Phariſæos non fuiſſe auſos confiteri. Nam certè Principes, erant potentiores Phariſæis: ſed Phariſæorum adeò creverat apud populum authoritas, ut Principes non auderent eos offendere, metuentes excommunicationem. Vide an non hodie ſimilia quędam fiant in Eccleſia Dei.

ỳ.49. *Sed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar.* Hinc ſatis apparet, Chriſtum omnia quæ fecerit in humana natura, & ſecundum eam, feciſſe ex præcepto Patris; & proinde, omnia opera eius fuiſſe obedientiæ opera. Quod & patet per id quod ſequitur, *Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* Hoc quomodo non repugnet libero arbitrio in Chriſto, alibi explicandum. Vide noſtr. in 2. diſt. 7 §.8. ad dubit.2.

CAPUT XIII.

ỳ.1. *ANte diem Feſtum Paſchæ.* Quæritur, An Chriſtus cœnam fecerit ipſâ veſperâ, quâ Feſtum Paſchę dies incipiebat, an pridie? Quod ſi prævenerit uno die, ut multi putant: apparet (quod Gręci dicunt) eum conſecraſſe in fermentato. Si non prævenerit; videtur conſecraſſe in azymo, quia in diebus paſchalibus non licebat fermentatum in domo habere. Nec tamen ſequitur, Prævenit uno die, ergo in fermentato celebravit. Sicut enim prævenit comeſtionem E agni paſchalis, ita conſequenter putandum eſt eum prævenisse cæteras ad hoc requiſitas ex lege obſervationes; ut videlicet, ſtantes, accincti, cum lactucis agreſtibus, &c. & ſimiliter ut non niſi cum azymo pane agnum ipſe cum ſuis diſcipulis comederit. Voluit enim legem ſic finire, & novum teſtamentum inſtituere, ut tamen finiendo, obſervaret totum quod lex pręſcribebat. Nec eſt improbabilis eorum ſententia, qui putant Chriſtum non propriè præveniſſe, ſed eo die ſeu veſpera feciſſe phaſe qua ſecundum legem fieri debebat; Judæos autem ex quadam traditione vel conſuetudine rejeciſſe in Sabbathum, quando primus paſchalis dies incide-

A bat in diem Sabbatho proximum, ne cogeretur duobus diebus continuis ab omni opere ſervili abſtinere: quod eis difficile erat propter rigorem legis de obſervando Sabbatho. Ad hanc rem intelligendam conferenda ſunt aliquot loca: velut Matth.26. *Scitis quia poſt biduum paſcha fiet.* Item ibidem: *Non in die feſto.* Item ibidem: *Primo Azimorum acceſſerunt diſcipuli ad IESVM dicentes; Vbi vis paremus tibi manducare Paſcha?* & iterum: *Veſpere autem facto, diſcumbebat &c.* & Matt.27. *Altera die quæ eſt poſt paraſceven convenerunt, &c.* ſimilia loca ſunt Marci 14. ubi ſic dicitur: *Erat autem Paſcha & Azyma poſt biduum.* Et iterum: *Primo die Azymorum quando Paſcha immolabant* (nempe Iudæi) *dicunt ei diſcipuli, &c.* & quæ ſequuntur. Et cap.15. *Quia erat paraſceve, quod eſt ante Sabbathum.* Similiter B Luc.22. & 23. dicuntur: *Et dies erat paraſceves, & Sabbathum illuceſcebat.* Et ruſſum: *Et Sabbatho quidem ſiluerunt ſecundum mandatum.* Unde apparet quod in die paraſceves non quieverunt ab opere; quod tamen oportebat in die Paſchæ. Igitur non illo die, ſed Sabbatho videntur celebraſſe phaſe, id eſt, non ea veſpera qua Chriſtus, ſed veſpera quæ erat initium Sabbathi. Hic autem dicitur quod ante diem Paſchæ cœnam fecerit; cum alij dicant id factum primo die Azymorum. Quamquam ad hoc reſponderi poſſet, eos conſentire; cùm alij veſperam intelligant ipſo die inchoatam; Ioannes nominat ſequentem diem cuius initium erat veſpera præcedens.

Sed magis urget quod dicitur cap.18. Pontifices, non C intraſſe in prætorium, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.* Igitur eorum paſcha erat Sabbathum. Hoc pertinet illud cap. 19. *Iudæi ergo quoniam paraſceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur.* *Magnum ſabbathum* vocare videtur propter concurſum diei Paſchæ. Item die Paraſceves Joſeph, Nicodemus, & mulieres piæ emerunt ſindonem, paraverunt aromata & unguenta ut dicitur Lucę 23. in fine. Igitur eo die non celebrabant Paſcha, quia die Paſchæ nullum opus ſervile facere licebat, imò nec ſepelire. Undè Ioannes indicat, quod propter imminens ſabbathum properaverint eum ſepelire in monumento proximo. cap.19. in fine: cùm alioqui maluiſſent eum honorificentius alibi cum maiori apparatu ſepelire, niſi Sab- D batho fuiſſent præventi. Igitur dies quo hæc faciebant, non erat illis Paſcha; dies, inquam, celeberrimus, & ſummè obſervandus. Sed vide Baron. tom.1. Annal. ubi hæc omnia ſolvere conatur; & docet Chriſtum & Iudæos eodem die celebraſſe Paſcha. Vide etiam noſtr. Comment. in 4. diſt. 8.

In finem dilexit eos. Beda Homil. in cœna Domini, id eſt, in tantum dilexit, ut ipſa dilectione vitam ad tempus finiret corporalem.

ỳ.5. *Et cœpit lavare pedes diſcipulorum.* Daturus diſcipulis ſuis panem filiorum; priùs eis pedes lavat; quâ lotione ſignificatur affectuum mundatio: nimirùm ad ſignificandum, quâ animi puritate ad illam menſam nobis accedendum ſit. Factam enim eſſe hanc lo- E tionem ante inſtitutionem Euchariſtiæ, ſatis apparet ex narratione Ioannis collata cum aliorum Evangeliſtarum narratione. Poſt hanc enim lotionem iterum recubuit, ſcilicet myſticam Cœnam novi teſtamenti cum diſcipulis acturus, qui typicam Agni Paſchalis cœnam jam ante præmiſerat. Poſteaquam verò myſteria complevit, locutus eſt de traditore ſicut & apud Lucam. Vide Annot. Matth.26. & Luc.22. Fuit autem hæc lotio, non modo myſterium, ſed etiam exemplum. An etiam ſanctificatio diſcipulorum; quæri poteſt; & eſt probabile quod Chriſtus lavando pedes corporis, purgaverit in diſcipulis ſuis affectus cordis, per pedes enim affectus ſignificantur. Certè Ambroſius lib.

lib. de Initiandis, affirmat fuiſſe myſterium & ſanctificationem.

℣. 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Non poſt alios, ſed omnium primo, quemadmodum rectè ab Auguſt. & aliis annotatum eſt, ut hac etiam in re, quod Petrum primum Dominus lavare voluit, eius prærogativa agnoſceretur. Cùm enim dicitur; *Cœpit lavare pedes diſcipulorum:* genus ponitur, ad ſpeciem autem, id eſt, ad particulares deſcendit, cùm ait; *Venit ergo ad Simonem Petrum.* Et ideò Petrus uſque adeò exhorruit tam humile erga ſe officium Domini ſui; quia ad ſe primo veniebatur. Nam ſi alij ante ipſum loti fuiſſent, vel unus, vel duo, vel plures; certè cauſam tam obſtinatæ recuſationis Petrus nullam habuiſſet, quando jam exemplum vidiſſet in aliis. Atque hoc ipſum etiam Dominus verbis ſuis ſignificaſſet, dicendo hoc aut ſimili modo; Cur tu recuſas, quod alij fratres tui jam priores permiſerunt? Nunquid tu minus, quàm illi meo indiges lavacro? Sed nihil tale dictum. Quocirca prorſus exiſtimandum, ad Petrum primò omnium ventum fuiſſe; eumque ut ſolebat, non ſuo tantùm, ſed & cæterorum nomine, tam vile obſequium Domini ſui detrectaſſe, cuius repreſſa contradictione, cæteri poſteà faciliùs idem obſequium admiſerunt.

Domine tu mihi lavas pedes? Hoc dixit, recuſando ex humilitate lavari à Domino, quem confeſſus fuerat eſſe filium Dei. Neque per hoc peccavit, ſed bene fecit. Sicut Ioannes Baptiſta, quando Chriſto accedenti ad ipſum, ut baptizaretur, dixit: *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Sicut & Centurio, voce Chriſti laudatus, quando Chriſto dicente, *Ego veniam & curabo eum;* dixit: *Domine non ſum dignus ut intres, &c.* Sed quando Chriſto inſtante & dicente; *Quod ego facio, tu neſcis modo;* pertinacius reluctatus eſt Petrus, dicens; *Non lavabis mihi pedes in æternum.* peccavit venialiter; peccaturus etiam damnabiliter, ſi poſt illa verba Chriſti ſubjuncta; *Si non lavero te non habebis partem mecum,* noluiſſet acquieſcere; quia per illa verba jam ſciebat, aut ſcire debebat, Chriſtum præcipere, ut ſe ſineret lavari, ſub interminatione amittendæ hæreditatis cœleſtis. Unde & illa verba; *Si non lavero te,* videntur ad litteram intelligenda de lotione illa corporali, qua Chriſtus lavare voluit pedes Petri, non quod illa ſecundum ſe Petro neceſſaria eſſet, ad ſalutem; ſed quia præcepto Chriſti obſequendum erat, ſicut olim præcepto Dei vetantis primis parentibus ne de ligno ſcientiæ ederent. Non tamen Chriſtus verba tam ſevera proferre voluiſſet; niſi myſterium aliquod in eis intendiſſet, idemque magnum; Quod nemo poteſt habere partem cum Deo, quem Chriſtus non laverit à peccatis.

℣. 10. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet; ſed eſt mundus totus.* Hæc ſententia quia obſcuritatis aliquid habet, breviter explicanda eſt. Quidam intelligunt corporalem lotionem pedum; quam putant velut Sacramentum quoddam poſt baptiſmum adhibendam ad abſtergendas reliquias peccatorum. Sed rectiùs intelligitur ſententia de interiori ablutione, & emundatione affectuum; quam tamen per illam externam pedum lotionem voluit ſignificare. Senſus igitur; Qui ablutus eſt à peccatis in Sacramento baptiſmi, non neceſſe habet eodem lavacro rurſum purgari; ſed tantùm pedes, id eſt, animi affectus ſubinde purgandi ſunt; quia ex fæce rerum terrenarum in quibus verſatur, non poſſunt non ſæpenumerò commaculari. Rectè per *pedes* affectus ſignificantur; quia ſicut corpus pedibus, ita animus movetur affectibus. Quod addit: *ſed eſt mundus totus;* non ſignificat eum ex omni parte mundum eſſe; quia pedes adhuc immundos habet: ſed ſenſus eſt; propter baptiſmum ita mundus eſt, ut ſimpliciter mundus dici poſſit; etiamſi una aliqua parte adhuc nonnihil immundus. Hinc collige contra ſectarios, regeneratos ſacro baptiſmo, ſicut & reconciliatos per pœnitentiam, ſimpliciter juſtos vocari, ac revera juſtos eſſe, etiamſi in venialia peccata quotidie impingant. Unde & ſequitur: *Et vos mundi eſtis.* Innocentius tertius ſerm. in cœna Domini, ita poſt hanc ſententiam ſubjungit: Multi loti ſunt ab operibus malis, qui tamen loti non ſunt à cogitationibus pravis. Et ideò multi lavant manus, qui tamen pedes non lavant. Quocirca qui lotas habet manus ab effectu peccati, lavet pedes ab affectu peccandi: & ſic mundus ſit totus. Porrò Chriſtus hic non inſtituit Sacramentum lotionis pedum, ut quidam videntur exiſtimaſſe: ſed factum eius, Sacramentum fuit, id eſt ſacræ rei ſignum. Rectè tamen Chriſtiani ad exemplum Chriſti, & in profeſſionem humilitatis, factum Chriſti imitantur, in feria cœnæ Domini. Vide noſtr. in 4 diſt. 3.

℣. 14. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* In eo quod dicit, *debetis*, obligationem præcepti ſignificat. Nec ad ſolos diſcipulos qui præſentes aderant, hoc pertinet, ſed ad omnes Chriſtianos; quibus omnibus huius rei exemplum dedit, juxta id quod ſequitur: *Exemplum enim dedi vobis; ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Præceptum eſt autem omnibus id facere, in animi præparatione, ita ut ſi ſalus proximi poſtulet, non refugiamus etiam infima & viliſſima miniſteria, & obſequia ei impendere, tametſi longè nobis inferiori. Quis enim homo dignitate tantùm præſtet homini, quantùm omnibus hominibus filius Dei, qui ad lavandos pedes diſcipulorum ſeſe dimiſit? In ſpecie autem genus intelligendum: id eſt, in lotione pedum, quodcumque genus ſervilis & abjecti miniſterij.

℣. 16. *Non eſt ſervus maior Domino ſuo, neque Apoſtolus maior eſt eo, qui miſit illum.* *Apoſtolus*, id eſt, legatus non eſt maior rege vel principe, vel etiam republica, à qua miſſus eſt. Non ſignificat omnem eum qui mittitur eſſe minorem eo à quo miſſus eſt. Aliquando enim æqualis æqualem, ut Pater Filium: aliquando minor mittit maiorem, ut parochiani Parochum, cives primum è Magiſtratu. Sic Actor. 8. Apoſtoli miſerunt Petrum & Ioannem. Sed ſenſus eſt, Apoſtolum non eſſe maiorem eo cuius eſt Apoſtolus, id eſt, principe, ſeu Domino, qui mittit eum, tanquam authoritatem habens ſuper eum.

℣. 23. *Erat ergo recumbens unus ex diſcipulis eius in ſinu IESV.* Et pauló póſt: *Cùm recubuiſſet ille ſuper pectus IESV.* Sic infrà cap. 21. *Qui & recubuit in cœna ſuper pectus eius.* S. Auguſt. Serm. 2. de diverſis, dicit quod Ioannes in illo convivio de Dominico pectore cœleſtia ſecreta bibebat, quæ poſtea eructavit; ut illud; *In principio erat verbum.* Quid ſit *recumbere in ſinu*, explicatur ab ipſo Evangeliſta, per *recumbere ſuper pectus.* Quod enim inter amplexus brachiorum medium eſt, Græcè κόλπος, Latinè *ſinus* vocatur; qui idem eſt locus pectoris. Talis autem ſitus unius hominis ſuper alterum, neque incommodus erat, neque inhoneſtus, ubi mos erat non aſſidendi menſæ, ut nos facimus; ſed accumbendi, ſeu diſcumbendi ſuper thoris: quod & Romanis, & aliis multis gentibus erat in uſu; de quo vide Ianſ. & Baron. Recubitus verò Ioannis in ſinu & ſuper pectus Jesu ſignificat nobis quietem, & dulcedinem vitæ contemplativæ: ſicut contrà, Petrus ſuper mare ambulans, & mergi incipiens ac periclitans, ſignificat inquietudinem & pericula vitæ activæ: cuius vitæ ſuſcipiendæ neceſſitatem, cum magno merito conjunctam Chriſtus declarat his ad eundem Petrum verbis; *Si diligis me: paſce oves meas.*

Quem diligebat IESVS. Id eſt, Ioannes, ut liquet ex ultimo capite; & ſenſus eſt, Cui familiaria dilectionis ſigna ſæpius oſtendebat. Sic cap. 11. de Lazaro: *Ecce quem amas, infirmatur.* Et mox: *Diligebat autem IESVS Martham, & ſororem eius Mariam & Lazarum.* Ita de Salomone dicitur quod dilexerit eum Dominus, id eſt, ſingularia quædam dilectionis ſigna oſtenderit ei,

ſcilicet

A ſcilicet mirabiliter proſperans & pacificans regnum eius. Ita de illo adoleſcente. *Et intuitus dilexit eum.* Matth. 10.

℣.24. *Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei; Quis eſt de quo dicit?* Dixit nutu, non voce. Hinc etiam patet Petrum in illa cœna non fuiſſe Chriſto proximum; alioquin ipſum interrogaſſet, ut aliàs familiariter facere ſolitus erat: Sed fuiſſe remotius à Chriſto quàm Ioannem, ita ut interrogare non poſſet, niſi ab aliis, qui medij erant, audiretur. Aut fortè erat è regione: Sic enim faciliùs innuere potuit Ioanni.

℣.29. *Reſpondit IESVS; ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero.* Secretò reſpondit, ſicut ſecretò fuerat interrogatus: nam hoc ab aliis non fuiſſe intellectum, ſatis ex eo colligitur, quod cum ſtatim poſt dixerit Jesus proditori; *Quod facis, fac citiùs;* nemo diſcum- B bentium, ut teſtatur Evangeliſta, ſciverit ad quod hoc diceret ei. Quamquam in eo quod dicit: *Hoc autem nemo ſcivit diſcumbentium, ad quid dixerit ei;* puto excipiendum ipſum Ioannem, qui jam audiverat à Domino quis eſſet traditor, atque ita facilè percipere potuit, quid ſibi vellent illa verba: *Quod facis, fac citiùs.* Vide Annot. Matth.26. Fortè tamen nec ipſe Ioannes intellexit.

Et cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ. Clemens lib.5. Conſtit. Apoſtolicorum cap. 13. dicit Chriſtum diſcipulis antitypa myſteria tradidiſſe abſente Iuda. Conſentit Clementi Dionyſius & Hilarius & alij. De quibus, vide *Turrianum & Bonium* in locum Clementis differentem. Interim non contemnendum, quod C alij docti de libris illis Conſtit. Apoſtolicarum cenſent. Aliter ſentiunt alij pleriqae, aſſerentes Judam unà cum aliis Apoſtolis ſumpſiſſe Corpus Domini. Ita S. Auguſt. lib. de adulterinis conjugiis c.27. & alibi. Item Nicephorus lib.1. c.30. (vide Annot. Matt.26.) Item Leo ſerm. 7. de Paſſione Domini. Vide Heſſelium. Pro priori ſententia facit quod tradiderit Dominus Iudæ panem intinctum. Nam videtur Dominus diſcipulis ſeorſum panem, & ſeorſum vinum conſecratum porrexiſſe. Hoc enim trium Evangeliſtarum & Pauli narratio planè poſtulat. Priùs enim dicit: *Comedite;* poſteà: *bibite.* At qui panem intinctum ſumit, tantùm comedit. Pro poſteriori facit, quod jam cœna facta eſſet, ut teſtatur Evangeliſta, ac poſt lotionem D iterum accubuerit Dominus; non profanum cibum ampliùs ſumpturus, aut diſcipulis daturus; ne poſtcœnium aut repotium inſtituere velle videretur: ſed, præmiſſa lotione pedum, tanquam affectuum mundatione facta, inſtituturus novum ſacrificium corporis & ſanguinis ſui, eademque myſteria daturus Apoſtolis. Videtur ergo quod nullum profanum cibum aut potum, poſteà Apoſtolis dederit; ſed ſacrum ſolummodò, ſcilicet corpus ſuum, & ſanguinem: quem etiam Judæ, ut occulto peccatori, denegare noluit; ut exemplo ſuo miniſtros Eccleſiæ doceret, quid ipſi circa malos, ſi occulti eſſent facere deberent; ut docet Auguſtin. & alij. Vide quoque Ionlen. cap.130. & 132. Ubi dicit conſtare quod Judas interfuerit inſtitutioni Euchariſtiæ, & quod ſumpſerit Corpus & Sanguinem Domini, idque Auguſtinum docere multis locis. Ad argumen- E tum de buccella ſeu offula, ſeu intincto pane, ex eodem reſpondetur; illum non fuiſſe panem myſticum, id eſt, Corpus Chriſti; jam enim antè ſumpſerat Corpus Chriſti & Sanguinem cum aliis; ſed eo ſigno porrectæ offulæ Chriſtum deſignaſſe proditorem, non omnibus diſcipulis, ſed ſoli Ioanni; nec ideò inſtituit poſtcœnium, ſed ex reliquiis panis & vini quæ in menſa erant, particulam panis vino intinxit, proditori dedit, judicij cauſa, non alimenti. Auguſtinus quoque iſtam buccellam Corpus Domini fuiſſe negat. Fortè ex hac offula Judæ tradita, exemplum ſumpſerunt quidam, quos legimus olim laicis porrexiſſe Chriſti Corpus intin- A ctum calici: quaſi nimirum hoc ipſe Dominus fecerit, quando Judæ panem intinctum præbuit. Sed vide Hugonem lib.2. de Sacramentis, parte 8. cap.4. ubi ex Auguſt. docet, Judam non accepiſſe Corpus Domini per intinctam buccellam, quia jam priùs cum aliis diſcipulis acceperat. Ex eo tamen (inquit) quod traditori ſuo Dominus, ad notandum eum, buccellam intinctam dedit; conſuetudo habet, ut Corpus Chriſti fideles intinctum non accipiant. (Vide noſtra in 4. diſt.9.) Id etiam habet Vitriacus Hiſtoriæ Occidentalis cap. ultimo, ubi in partem utramque diſputat, an Judæ dederit Chriſtus Euchariſtiam; & magis probat quod ſic, non tamen in buccella intincta.

℣.27. *Et poſt buccellam.* Quod priùs, *panem & intinctum panem;* hic *buccellam* vertit interpres, cùm in B Græco; idem ſemper ſit vocabulum, ψωμίον.

Quod facis, fac citiùs. S. Leo Serm.7. de Paſſione Domini, vox hæc non jubentis eſt, ſed ſinentis, non trepidi, ſed parati, &c. Ita Cyprianus dicebat Proconſuli, fac, quod vobis præceptum eſt; referente Auguſt. Serm.18. & Paſſionis cap. 14. Sic Helizæus ad filios Prophetarum importunè inſiſtentes, ut mitterent ad quærendum Heliam, dixit: *Mittite* 4.Reg.2. & Dominus ad Judæos: *Solvite templum hoc.* Ioan.2.

℣.29. *Aut egenis ut aliquid daret.* Scilicet pro more, Chriſto jubente. Hoc exemplo, cœnobia fratrum, licet paupertatem profeſſorum, ac verè pauperum, non debent vacare à dandis Eleëmoſynis. Unde & Franciſcani, & Capucini mendicantes, dant etiam ipſi aliis C egentibus Eleemoſynis.

℣.35. *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Præclarum Symbolum diſcipulorum Chriſti. Diſcipuli Ioannis agnoſcebantur ex jejuniis & vitæ auſteritate; diſcipuli Phariſæorum ex veſtitus genere, & variis corporalibus obſervantiis; Philoſophorum diſcipuli ex certis quibuſdam placitis & opinionibus: At diſcipuli Chriſti potiſſimum agnoſcuntur ex ſymbolo dilectionis mutuæ. Ex hoc ſymbolo agniti fuerunt fideles illi Eccleſiæ primitivæ, de quibus Lucas in Actis: *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Hinc igitur patet eos diſcipulos Chriſti non eſſe, qui hoc ſymbolo deſtituti ſunt. Nam tametſi dici poſſunt diſcipuli profeſſione, non tamen ſunt diſcipuli executione D eius doctrinæ, quam ſequendam ſuſceperunt. Non ponitur hîc nota totius Eccleſiæ; ſed tantùm eorum qui opere oſtendunt ſe eſſe diſcipulos Chriſti, id eſt, bonorum fidelium; vel etiam totius Eccleſiæ, ſed ſecundum partem meliorem & præcipuam; quomodo ſanctitas, eſt Eccleſiæ nota.

CAPUT XIV.

℣.1. *Creditis in Deum; & in me credite.* Iam creditis in Deum, verum id non ſufficit. Nam debetis etiam in me credere; ut mediatorem ad Deum. Utrumque enim ad ſalutem eſt neceſſarium, ad conſequendam vitam æternam, juxta illud infrà c.17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum,* E *& quem miſiſti IESVM Chriſtum.* Et quod hic paulò infrà dicitur; *Nemo poteſt venire ad Patrem, niſi per me;* ſcilicet ut mediatorem. Ideò non ſolùm in Deum, ſed etiam in me credere debetis.

℣.2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Paulò ante dixerat Dominus: *Quò ego vado vos non poteſtis venire.* Ne igitur occaſione illorum verborum deſperarent diſcipuli ſe perventuros ad gloriam regni cœleſtis; conſolatur eos his verbis, dicens: *In domo Patris, &c.* q. d. non mihi ſoli parata eſt manſio apud Patrem: ſed multa, eaque non unius generis in cœlo habitacula parata ſunt hominibus à Patre meo. *Per manſionum multitudinem & varietatem* ſignificat, &

futuram

futuram multitudinem civium cœleſtium, & gloriæ differentiam inter ipſos electos; idque pro meritorum diverſitate. Facit hic locus ad expugnandum dogma Ioviniani; qui ſecutus opinionem Stoicorum, & peccata omnia inter ſe, & virtutum opera, paria eſſe dicebat. Et quia parium meritorum par merces eſt, neceſſitate conſequentis, dicere compulſus eſt, & glorias beatorum, & pœnas miſerorum pares eſſe. Omnium enim iſtorum eadem ratio. Et uno expugnato cætera concidunt.

℣. 6. *Ego ſum via, veritas, & vita.* *Via*, converſationis ſanctæ; *veritas*, doctrinæ divinæ; & *vita*, beatitudinis ſempiternæ. Sic S. Leo ſermone 2. de reſurrectione Domini.

℣. 9. *Philippe qui videt me, videt & Patrem*: Non quod filius idem ſit qui pater, ſed quia idem eſt quod Pater. Dicitur enim hoc propter perfectam ſimilitudinem filij cum Patre ſecundum naturam. Sic enim & in humanis de filio patri vehementer ſimili dicere ſolemus hunc videas, patrem videas.

℣. 12. *Et majora horum faciet; quia ego ad Patrem vado.* Cauſa ſeu ratio ſignificata conjunctione *quia*, non perſpicitur, niſi adjungas ſequentia; *Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* q. d. etiam majora his faciet; quia cum ego jam ad Patrem proficiſcar; aſſumptus in gloriam ejus, & ſedens ad dexteram ejus, tunc tantò magis faciam ac præſtabo quæcumque vel ipſum, vel me, in nomine meo rogaveritis; quantò per humanitatis meæ gloriam ero ei conjunctior. Idque totum, *ut glorificetur Pater in filio*, id eſt, per filium illa facientem. Nam gloria Patris eſt filius ſapiens. Proverb. 17.

Et majora horum faciet. Quocumque modo hoc intelligatur, ſignificat Chriſtus non ſua ipſorum virtute hæc facturos; ſicut & S. Petrus in Actis profitetur, ſed virtute Chriſti: hoc enim volunt ſequentia verba.

℣. 13. *Et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Et iterum v. 14. *Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Non enim legendum ut multi excuſi codices habent præter fidem Græcorum & M.SS. *Et quodcumque petieritis Patrem*; ſed abſolutè *Quodcumque petieritis.* Quemquam, ſi ſupplees *Patrem*; nihilominus ſignificat Chriſtus, ac repetit ſe facturum quodcumque petiverint, etiam ſi majora poſtulent opera fieri, quàm quæ ipſe fecit. Unde ſenſus hic elici poteſt: Qui in me credunt, facere poterunt opera qualia ego feci, & iis etiam majora, ſi res poſcat. Tantùm cum fide & fiducia petant à me quidquid illud fuerit; etiamſi meis operibus majus, ego eis id præſtabo. Conſimile eſt illud Marci. 11. *Quicumque dixerit huic monti, Tollere, & mittere in mare; fiet ei.* Ubi & ſequitur de oratione: *Propterea dico vobis: omnia quæcumque orantes petitis, credite &c.* Rectè igitur illi qui exemplum adferunt de montis tranſlatione. Quod miraculum dici poteſt majus ſuſcitatione mortui, ſi ſpectetur admiratio hominum & rei ſtupendæ novitas; licèt abſolutè magis ſuperet naturæ vires mortui reſuſcitatio, & cœci illuminatio, quàm montis in alium locum tranſlatio.

Hic etiam locus ubi dicitur; *Si quid petieritis me*, confundit hæreticos, dicentes, non Chriſtum à nobis, ſed ſolum Patrem orandum eſſe.

Porrò exquirat ſtudioſus, an hic reddi poſſit ſenſus, ut *horum* accipiatur partitivè: *Qui in me credunt*, facient & ipſi opera, ſeu miracula cujuſmodi ego feci; nec tantum minora cujuſmodi ſunt morborum depulſiones, ſed etiam quæ inter hæc ſunt majora & excellentiora; ut ſunt illuminatio cœci, reſuſcitatio mortui. Sic enim 1. Corinth. 13. *Major*, (id eſt, maxima) *horum Charitas*, id eſt, inter hæc tria major eſt Charitas, & Lucæ 22. *Facta eſt contentio inter eos quis eorum videretur eſſe major*, id eſt, maximus.

℣. 15. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.* Infrà Eſtij Annotat. in Script.

dicit: *Qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* Et iterum: *Si quis diligit me, ſermonem meũ ſervabit.* Ex quibus duabus ſententiis apparet, illa duo converti, ſervare Dei mandata, & eum diligere. Et quia Catechumeni boni ſervant Dei mandata, hinc ſequitur eos diligere Deum, etiam ſicut diligendus eſt, & proinde habere charitatem, non quæ filus propria eſt, ſed generalius accepiam. De qua vide noſtra in 3. diſt. 27. Quomodo ergo hic dicit, *Si diligitis me, mandata mea ſervate*: cùm non poſſint illa duo ſeparari? *Reſp.* ſenſum eſſe: Si diligitis me, ſicut verè diligitis; eam dilectionem præſtate, & declarate per opera & obſervationem meorum mandatorum. Nam ſi non ſervetis mandata mea; verè me non diligitis, ſicut diligere debetis: ſcilicet ſuper omnia: idque efficaci dilectione declaratur per opera.

℣. 16. *Et alium paracletum dabit vobis.* Paracleti vocabulum eſt commune toti Trinitati. Nam & filius manifeſtè ſignificat ſe Paracletum eſſe, cùm dicit poſt ſui diſceſſum patrem daturum illis *alium* paracletum: Patrem autem paracletum eſſe, probat illud Apoſtoli 2. Cor. 1. *Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, qui conſolatur.* Id autem Chriſtus hic tacet, quia ſermo ei eſt de paracleto à Patre ad diſcipulos miſſo, aut mittendo; Pater autem non mittitur.

Interpres noſter conſulto retinuit Græcum vocabulum; videtur enim ambiguum eſſe ad conſolatorem & advocatum. Non ſignificari hîc advocatum, illud inter alia arguit, quia de advocato non erat dicendum: *Quem ego mittam vobis à Patre*, quod dicitur c. ſequenti, ſed potiùs quem ego mittam pro vobis ad Patrem. Nam advocatus mittitur pro reo ad judicem, ut apud illum pro reo interpellet. Item, in toto divino officio nuſquam legimus Spiritum Sanctum vocari advocatum; ſed conſolatorem, *Conſolator optime, in fletu ſolatium*; Et, *ejus ſemper conſolatione gaudere.* Item Theophylactus interpretatur conſolatorem, non advocatum; ſimiliter Euthymius. Adde quod advocati ſignificatio, huic loco minimè quadrat; quia Chriſtus dicit & profitetur ſe ire ad Patrem: Quid ergo opus erat mittere alium advocatum, quando Chriſtus jam ipſe deinceps futurus eſt Patri præſens, quo commodiſſimè fungi poſſet advocati officio? Aut, ſi Spiritus Sanctus, advocatus; non ergo ad diſcipulos mittendus erat hujus rei gratia, ſed potiùs manere debebat apud Patrem, ut ibi pro diſcipulis interpellaret.

S. Auguſtinus quidem tractatu 74. in Ioannem & Gregorius homilia 30. ſuper Evangelia interpretantur advocatum: ſed idem S. Aug. lib. 1. de ſermone Domini in monte, teſtatur Spiritum Sanctum maximè propterea paracletum nominari, id eſt, conſolatorem, ut temporalia amittentes æterna lætitia perfruantur. S. Greg. autem exponit hoc ſenſu; nempe quia *poſtulat pro nobis*, id eſt, poſtulare nos facit, ſicut ad Rom. 7. interpretati ſumus. Vide ibidem noſtrum Comment. Porrò Spiritum Sanctum hîc dici Paracletum, id eſt, advocatum, non convenit; loquitur enim Dominus de paracleto propriè, quia ſic eum Paracletum vocat, ſicut ſeipſum, dicens: *Et alium paracletum*, ſcilicet qualis ego ſum. Conſtat autem Chriſtum propriè eſſe advocatum noſtrum ſecundum humanam naturam, ſecundum quam eſt mediator & interceſſor noſter, non ſecundum divinam, quæ ſola eſt in Spiritu Sancto. Quare impoſſibile eſt Spiritum Sanctum propriè eſſe advocatum noſtrũ; & qui hoc diceret, incideret in hæreſim Macedonij. Ergo Paracletum hîc intelligit conſolatorem; de quo Lucas Actor. 9. *Eccleſia habebat pacem, & conſolatione Sancti ſpiritus replebatur.* Ecce, quomodo iſta promiſſio poſt Chriſti diſceſſum in Eccleſia impleta.

℣. 28. *Quia Pater major me eſt.* Tale eſt & illud; *Caput Chriſti Deus*, 1. Cor. 11. Vide Comm. ejus loci. & illud 1. Cor. 15. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri.*

Et iterum: *Tunc & ipſe filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Quæ omnia loca de Chriſto loquuntur ut homine, ſicut & præſens locus. Præcedit enim: *quia vado ad Patrem.* Nam Chriſtus ad Patrem ibat, non divinitatis ratione, ſecundùm quam à Patris gloria numquam receſſit, ſed humanitatis, ſecundùm quam diſcipulos relicturus. & ad Patrem erat adſcenſurus. A

℣. 30. *Venit enim princeps hujus mundi.* Epheſ. 2. Diabolus vocatur princeps poteſtatis aëris hujus, & 2. Corinth. 4. vocatur Deus hujus ſæculi. Vide noſtrum Comment. dictis locis.

Et in me non habet quicquam. Gregorius homilia trigeſima nona in Evangelia, bene explicat quomodo hoc ſoli Chriſto competat, & nulli aliorum ſanctorum. Item Hieronymus q. 8. ad Algaſiam dicit, & probat etiam per alias Scripturas, Chriſtum ſolum eſſe in quo princeps hujus mundi nihil invenerit, & ſic interpretatur, nihil ſui operis, ſuique veſtigii. B

CAPUT XV.

℣. 2. O*Mnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* Ergo ſunt aliqui palmites in Chriſto, fructum tamen non ferentes, & proinde amputandi à vite Chriſto. Sunt ergo mali in Eccleſia.

Ut fructum plus afferat. Augetur igitur in homine juſtitia; idque per bona opera. Unde conſequens eſt: non in ſola remiſſione peccatorum conſiſtere juſtitiam hominis.

℣. 3. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis.* Cui ſcilicet credidiſtis, id eſt, mundi eſtis per fidem. Sic ad Epheſios 5. Chriſtus Eccleſiam ſuam mundat lavacro aquæ, in verbo. Et S. Petrus in Actis c. 15. teſtatur fide purificari corda. Et Iacobus C c. 1. Nos regenerari verbo veritatis. Sed cur non ſimiliter fatendum eſt, nos mundari, & juſtificari per legem, ſi videlicèt eam faciamus? *Reſp.* Verbum creditum opponitur legi cognitæ, id eſt, fides cognitioni legis. Jam verò fides monſtrat nobis redemptorem & Salvatorem, à quo petenda eſt juſtitia; ipſaque fides initium quoddam eſt hujus juſtitiæ, non enim eſt ſine aliqua bona voluntate. At legis cognitio nihil tale; ſed tantùm monſtrat quid agendum, aut non agendum.

℣. 4. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo niſi manſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis.* Senſus eſt, ſicut palmites per ſe & ſeparati à vite fructum ferre non poſſunt, ſed tantùm cohærentes & manentes in vite; ita nec vos à vobiſipſis, id eſt, per voſipſos & ſine me, fructum ullius boni operis ferre poteſtis; D ſed tantùm mihi tanquam viti cohærentes & agglutinati per fidem. (*Niſi*) pro (ſed tantùm,) ut ſæpè alibi.

℣. 5. *Quia ſine me nihil poteſtis facere.* Hoc non tantùm ad opera meritoria, id eſt, ab eo profecta, quæ per inhabitantem Spiritum Sanctum, & per gratiam remiſſionis factus ſit filius Dei, & hæres regni, pertinet: ſed etiam ad ea, quæ aliter ducunt ad ſalutem. Cujuſmodi ſunt opera pœnitentis, vel Cathecumeni ante perceptum Sacramentum. Ita S. Auguſt. multis locis, & Concilium Arauſicanum ſecundum. Imò S. Auguſt. tract. 31. in Ioannem extendit ad operationem miraculorum. S. Thom. 1. 2. ſec. quæſt. 109. art. 6. ad 2. etiam E generaliter intelligit, extendens ad primum motum bonum voluntatis. Vide ibidem Cajetanum. *Sine me,* Non ſignificat cauſam ſine qua non: ut cum dico, nihil video ſine lumine; animal non poſſe reſpirare ſine aëre; cùm nec lumen efficiat viſionem nec aër reſpirationem; ſed cauſam ipſam principaliter agentem; ut ſenſus ſit: Nihil poteſtis facere ſine me faciente ut faciatis. Sic alibi: *Sine ipſo factum eſt nihil.* Et *unus ex illis non cadit in terram ſine Patre veſtro;* ſcilicet procurante & faciente. Vel certè, cùm Chriſtus hîc de ſe loquatur ut homine, quatenus vitis eſt, cui nos ut palmites inſerimur; hic ſenſus erit: *Sine me,* id eſt, ſine meo merito: vel, ſine me faciente per meritum meum, nihil poteſtis facere. Vide noſt. in 2. ſent. diſt. 26.

℣. 6. *Si quis in me non manſerit: mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* In Græco ſic habetur: *Niſi quis manſerit in me, ejectus eſt foras ſicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem mittunt, & ardent.* Ubi nota illud, *eos*, neceſſariò ad palmites referendum eſſe. Eſt enim in Græco neutrius generis *αὐτὰ*, ſubaudi *κλήματα*. Et illud *ardent* eſt quidem in Græco *καίεται*, ſingularis numeri, ſed more Græco pro plurali poſitum, propter neutrum plurale ſuppoſitum ſubintelligendũ *κλήματα*. Favent huic lectioni quædam M. SS. in quibus legitur *areſcit, colligunt eos, mittunt, ardent.* Vide noviſſima Biblia Plantini. Videtur ergo totum illud, *& areſcet & colligent &c.* de palmite, ſeu palmitibus vitis intelligendum, id eſt, de ea re à qua ſumitur comparatio; unde tamen intelligendum relinquatur ſimile quid futurum de palmite tropologico infructuoſo. Dicit ergo Dominus quid fieri ſoleat de palmitibus infructuoſis, & ideò loquitur in præſenti. Sic Matth. 7. in Græco, *Omnis arbor non faciens fructum bonum exciditur & in ignem mittitur*, quod ſimiliter de arbore infructuoſa dicitur in præſenti, quia ſic fieri ſolet. Dicuntur igitur hæc non de homine, ſed de palmitibus à quibus ſimilitudo ſumitur. Dicuntur, inquam, hoc ſenſu: Si quis in me non manſerit, mittetur foras; ſicut palmites mittuntur foras, & ſicut miſſi foras exareſcunt, & homines colligunt eos & in ignem mittunt & ardent. Ita nimirum fiet de homine illo. Hinc ſequitur palmites præcidi poſſe à vite, id eſt, homines ſemel Chriſto inſitos per gratiam, poſſe excidere & perire, & mitti in ignem gehennæ.

℣. 9. *Manete in dilectione mea.* An qua me diligatis, an qua ego vos diligam? Poſteriorem ſenſum velle videtur quod ſequitur: *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione.* Vide Ianſeniũ.

℣. 11. *Ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.* Id eſt, ut gaudium de me ſit in vobis, & illud gaudium veſtrum quod de me habebitis, impleatur, perficiatur. Ita Euthymius. Sic Rom. 3. *gloria Dei*, id eſt, gloriatio de Deo, vel potiùs, coram Deo. Et 1. Cor. 15. *per gloriam veſtram.* (Vide Ianſenium etiam alias adſerentem expoſitiones) & Nehemiæ 8. *Gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra.*

℣. 13. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Provocat diſcipulos ſuos ad mutuam dilectionem exemplo ſuæ erga illos dilectionis, quâ nulla major eſſe poteſt. Sed quæſtio eſt de veritate hujus ſententiæ, cùm ſit major dilectio ponentis animam pro inimicis, quàm ejus qui ponit pro amicis. Unde Paulus ad Rom. c. 5. *Commendat Deus charitatem, ſuam in nobis; quoniam cum adhuc inimici eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Quidam intelligunt non ſignificaſſe Dominum, quæ ſit ſimpliciter omnium maxima dilectio: ſed quæ ſit inter homines: ut per hoc oſtenderet quanta ſit ſua dilectio, quâ etiam pro inimicis animam poſuit. Sic S. Bern. intellexit, ſerm. Fer. 4. ante Paſcha. Poſt hanc ſententiam ſubjiciens: Tu majorem habuiſti Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Sed ad genuinum hujus loci ſenſum ducit nos quod ſequitur: *Vos amici mei eſtis, &c.* quibus verbis ſignificat ſe pro illis, tanquam amicis ſuis, animam poſiturum. Amicos autem vocat, non eos qui diligunt, ſed qui diliguntur, etiamſi ſint inimici. Unde & Judam amicum vocat Dominus, dicens; *Amice ad quid veniſti?* Amicum vocat, quia multa amoris ſigna ei exhibuerat. Itaque ſenſus erit: nullus eſt actus quo magis oſtendere quis poſſet ſe diligere quempiam, quàm ſi pro ejus vita & ſalute ſuam impendat. Vide Annot. Levit. 19. & noſtr. 3 ſent. diſt. 30.

℣. 14. *Vos amici mei eſtis.* Id eſt, tanquam amici me

redemp-

redamabitis, dignos vos præſtabitis amore meo, *ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.*

ỳ. 15. *Vos autem dixi amicos.* Quod probatur hoc ſigno: *Quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Omnia quæcumque ſic audivi, ut vobis deberent notificari; ſive omnia quæcumque audivi, dicenda. Sic regina Saba dicitur locuta fuiſſe Salomoni univerſa quæ habebat in corde ſuo; ſcilicet dicenda, id eſt, omnia dubia de quibus propoſuerat eum interrogare & conſulere 3. Reg. 10. Ita filius dicitur neſcire diem, neque horam adventus Domini ad judicium; quia non audivit, id eſt, non percepit à Patre ut aliis ulterius manifeſtaret. Sic Paulus Actorum 20. dicit ſe Epheſiis communicaſſe omne Dei conſilium; videlicet ſibi revelatum & concreditum ad patefaciendum aliis. Audierat enim in raptu quædam verba quæ non licet homini loqui. Et nota Chriſtum loqui tanquam legatū Patris. Unde ſenſus hic reddi poteſt: Omnia quæcumque tanquam legatus Patris accepi ab eo ad homines perferenda; vobis tanquam amicis nota feci. Quomodo legatus alicujus principis dicit: Hæc ſunt omnia quæ in mandatis habui à Domino meo; ſeu, quæ accepi à Domino meo. Vide Annot. Marc. 13. & Act. 20.

ỳ. 16. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos.* Videtur loqui de electione ad Apoſtolatum, quia ſequitur, *ut eatis, & fructum adferatis &c.* Unde tamen non ſequitur, Apoſtolos antequam ad Apoſtolatum aſſumerentur, nihil habuiſſe boni meriti, etiam in ordine ad Apoſtolatum; ſed totum hoc meritum fuiſſe ex gratia eligentis.

ỳ. 19. *Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret.* Vide Annot. ſup. cap. 7. ad illud: *Non poteſt mundus odiſſe vos.*

Sed ego elegi vos de mundo. S. Aug. lib. de patientia cap. 20. hinc probat quod Chriſtus non juſtos, ſed juſtificandos elegit Apoſtolos. Quod non ita intelligendum, quaſi tunc quando vocabantur à Chriſto ad ejus Apoſtolatum vel diſcipulatum, fuerint injuſti, ſed quod aliquando injuſti fuerant, & divina electione juſtificati fuerint. Addit enim Auguſt. Ne putarent ſe nunquam fuiſſe de mundo, quia dicit: *De mundo non eſtis*; ideò ſubjungit, *Sed ego elegi vos de mundo.*

ỳ. 25. *Qui in lege eorum ſcriptus eſt.* Habetur pſal. 24. non quod Pſalmi propriè pertineant ad legē (non enim Pſal. Davidici pro lege aut parte legis dati ſunt illi populo) ſed quia ſunt acceſſoria quædam legis; eademque divinitus probata, & accepta in illo populo. Quæritur an libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici, pari ratione ad legem illis pertinuerint. Non videtur: quia licet hi libri divinam habeant auctoritatem, non tamen ut tales fuere accepti apud Hebræos; nam tempore veteris Teſtamenti non erant in canone ſacro Hebræorum.

ỳ. 26. *Quem ego mittam vobis à Patre.* Senſus: quem ego mittam vobis, hoc ipſum habens à Patre, quod eū vobis mittam. Non poteſt hic dari ſenſus, quem ego precibus impetrabo vobis à Patre, juxta illud c. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*: quia precibus impetrare Spiritum ſanctum alicui dandum, non eſt eum mittere. Alioqui homines puri, nec ſolum Epiſcopi & Preſbyteri, ſed etiam laici & mulieres, poſſent mittere Spiritum ſanctum; quia poſſent eum aliis dandum impetrare à Patre. Id autem dicere abſurdū eſt & inauditū in Eccleſia Dei. Vide noſt. in 1. ſent. diſt. 15.

Ille teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis. Utrumque factum eſſe teſtantur Apoſtoli Actorum 5. dicentes, &c. *Nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus Sanctus quem dedit Deus, &c.*

Quia ab initio mecum eſtis. Idcirco Petrus Actorum 1. eligendum dicit Apoſtolum in locum Judæ, aliquem ex iis qui cum Chriſto converſati fuiſſent ab initio, ſcilicet ut idoneus eſſet more aliorum Apoſtolorum teſtimonium perhibere de Chriſto.

Eſtij Annotat. in Script.

A

CAPUT XVI.

ỳ. 2. *Abſque ſynagogis facient vos.* Hujus ejectionis extra ſynagogam mentio fit etiam ſuperius c. 9. & 12. Erat autem illa ejectio ſive excommunicatio, non divinæ, ſed humanæ inſtitutionis. Nam divina lege, rebelles Sacerdotis imperio, jubebantur occidi. Sed poſteaquam Judæis adempta fuit poteſtas occidendi; inſtituerunt hujuſmodi excommunicationem. De qua re vide noſtra in 4. diſt. 18. ubi oſtendimus eſſe in Eccleſia inſtitutam a Chriſto poteſtatem excommunicandi.

Arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Id eſt, cultum exhibere Deo gratum. *Obſequium*, Græcè λατρεία. Vide noſtr. comment. Rom. 9. v. 4. Congruit autem hæc ſententia cum illa ad Rom. 10. *Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.*

B ỳ. 4. *Sed hæc locutus ſum vobis: ut cum venerit hora, eorum reminiſcamini.* *Eorum*, conſtruendum cum verbo, *reminiſcamini*, non cum nomine *hora*: ut planè liquet ex Græco, ubi ſequitur verbum μνημονεύητε αὐτῶν. Quem ordinem ſi latinus interpres ſervaſſet, ambigui ſenſus non dediſſet occaſionem.

ỳ. 7. *Si non abiero paracletus non veniet ad vos.* Similis eſt ſententia c. 7. *Nondum erat Spiritus datus; quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Quare Paracletus non potuit venire ad diſcipulos, niſi poſt Chriſti diſceſſum? aut quare oportebat prius Chriſtum glorificari, quàm daretur Spiritus ſanctus? Hujus rei duplex eſt cauſa; una ex parte Chriſti, altera ex parte diſcipulorum, aliorumque credentium. Ex parte Chriſti, quia dare Spiritum ſanctum, ita copioſè & paſſim omnibus, ſicut
C poſt aſcenſionem factum eſt (de tali enim acceptione ſpiritus, ſermo eſt) id non conveniebat Chriſto mortalitatis adhuc carne circumdato & humiliter inter homines verſanti; ſed reſervabatur hoc ei poſt reſurrectionem regnanti, & devicta morte triumphanti. De quo triumpho loquens S. Paulus ait: *Aſcendens in altum captivam duxit captivitatem: dedit dona hominibus.* Ex parte credentium cauſa eſt: Quia quamdiu Chriſtum ſecundum carnem cognoſcebant, non habebant dignam de eo exiſtimationem: neque illius plenitudinis ſpiritualis erant capaces. Poſt reſurrectionem autem, jam non ſecundum carnem Chriſtum cognoſcebant; juxta
D illud Apoſtoli: *Nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem.* Vide comm. ejus loci 2. Cor. 5. S. Greg. lib. 2. dialogorum in fine: Quoniam, inquit, diſcipuli in carne Dominum cernentes, corporeis hunc oculis ſemper videre ſitiebant; rectè eis dicitur: Niſi ego abiero, paracletus non veniet: ac ſi apertè diceretur, Si corpus non ſubtraho, quis ſit amor ſpiritus, non oſtendo, & niſi me deſieritis carnaliter cernere, numquam me diſcetis ſpiritualiter amare. Ubi etiam hanc ſententiam applicat martyribus, dans rationem cur ſæpè non tanta beneficia per corpora ſua, quanta per reliquias oſtendant, atque illic majora ſigna faciant, ubi minimè per ſemetipſos jacent.

Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, &c.
E S. Leo ſermone 2. de aſcenſione Domini: Apoſtoli, (ait) poſt aſcenſionem Domini, ſublata ex oculis ejus humanitate, totam contemplationem animi in divinitatem ad Patris dexteram conſcendentis erexerant, nec jam corporeæ viſionis trahebantur objectu, quo minus in aciem mentis intenderent, quod, &c. ——— Et ineffabili modo cœpit eſſe divinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior. Et quæ ſequuntur. Ubi etiam huc refert illud. *Noli me tangere, Nondum enim aſcendi, &c.* In eandem ſententiam B. Auguſt. tract. 94.

ỳ. 12. *Adhuc multa habeo vobis dicere: ſed non poteſtis portare modo.* Abuſi ſunt olim hac ſententia hæretici quidam, & maximè Gnoſtici ut refert. S. Auguſt. in hunc locum: qui cum peregrina quadam

& abominanda docerent, dicebant ea eſſe de quibus Dominus dixit: *Adhuc multa habeo, &c.* Sed illi ex his ipſis verbis convincuntur. Non enim dicit Dominus; *Non poteſtis portare*, ſed addit, *modo*, ſignificans eos portaturos poſteà; quod & promittit ſequentibus verbis; *Cum autem venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Cum ergo ne poſteà quidem illa Gnoſticorum dogmata ab Apoſtolis tradita ſint; conſtat ea non eſſe de quibus dictum eſt; *Non poteſtis portare modò.* Hæc igitur de quibus Dominus hic loquitur; *Adhuc multa habeo, &c.* non ſunt diverſa ab iis quæ jam ante à Chriſto audierant; ſed eorumdem plenior & clarior explicatio; cujus nondum erant capaces. Hic ſenſus patet ex c. 14. ubi dicitur de Spiritu ſancto *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* q. d. Ea quæ me docente nondum capere potuiſtis; eadem illa Spiritus ſanctus ſuggeret vobis, aperiendo & explicando, ut intelligere poſſitis.

℣. 13. *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis; docebit vos omnem veritatem.* Id eſt, inſtruet vos de omnibus ſcitu neceſſariis, ad hoc ut Apoſtolico munere ritè fungi poſſitis. Inſpirabit vobis omnem veritatem neceſſariam ad fundandas Eccleſias. Totam doctrinam Evangelicam, & omnia myſteria ad eam pertinentia, vobis ſuggeret. Ex quo ſequitur, Apoſtolos omnibus Chriſtianæ fidei myſteriis fuiſſe perfectè inſtructos: ita ut quamvis in ſpeciali, atque ut ita dicam, in propria forma non tenuerint, fortaſſis omnia dogmata, quæ poſteà per Eccleſiam definita ſunt; ſic tamen Spiritu ſancto doctore tenebant omnia fidei principia, ut ſtatim mota quæſtione de aliqua concluſione, potuerint de ejus veritate judicare ex principiis. S. Auguſtin. lib. 32. contra Fauſtum c. 18. refert hoc ad ſeculum futurum, quando videbimus Deum ſicut eſt: ſed rectius ad diem Pentecoſtes videtur referendum; quando miſſus eſt in Apoſtolos Spiritus veritatis, & completa eſt iſta promiſſio. Sequitur enim: *Quæcumque audiet loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis.*

Quæcumque audiet loquetur. Senſus: Quæcumque audiet loquenda, loquetur; quia à quo habet eſſe, ſcilicet à Patre & Filio; ab eodem habet & loqui, & annuntiare ventura. Vide annot. Marci 13.

℣. 16 *Modicum, & jam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem.* Duobus modis hoc intelligi poteſt, ſecundum quod illud: *Quia vado ad Patrem*, ad diverſa referri poteſt. Si enim ad priorem ſententiæ partem referatur: Senſus erit, Poſt puſillum tempus me non videbitis; quia vado ad Patrem per aſcenſionem. Ut ſignificetur quod Eccleſia militans non ſit Chriſtum viſura uſque ad diem judicii. Hoc autem tempus modicum eſt, comparatum æternitati. Sic ordinat hunc ſermonem & intelligit S. Auguſt. Si verò ad proximam partem referatur, poteſt hic eſſe ſenſus, Modico tempore non videbitis me, ſcil. in triduo mortis; ac rurſum modico tempore videbitis me, ſcil. poſt reſurrectionem uſque ad aſcenſionem & non diutius; tunc enim vado ad Patrem. Uter ſenſus melior ſit, pendet ex ſequentibus; quæ ſatis favent poſteriori. Nã illud: *Nunc quidem triſtitiam habetis*, Intellige propter diſceſſum meum. Videndum tamẽ an poſterior ſenſus poſſit ſic reddi: Poſt modicum non videbitis me: & iterum, poſt modicum, (id eſt, modico tempore interpoſito) videbitis me: Nam phraſis illa, *modicum &*, videtur ſignificare *poſt modicum*, ut in Abacuc: *Adhuc modicum & ego movebo, &c.* id eſt, poſt modicum tempus movebo, &c. Sed quomodo tunc cohæret illud: *Quia vado ad Patrem?* An ſenſus eſt: Quandoquidem vado ad Patrem; id eſt, quia tempus inſtat ut revertar ad Patrẽ, qui miſit me? q. d. Duo ſunt brevi & breviter agenda; unum, ut modico tempore vobis ſubtrahar per paſſionem & mortem; alterum, ut vos reviſam poſt reſurrectionem, priuſquam abeam ad Patrem.

℣. 24. *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.* Græcè πεπληρωμένη *impletum*: quod Eraſmus vertit, perfectum, ſenſum magis reddens, quàm verbum. c. 15. *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit; & gaudium veſtrum impleatur.* Et c. 17. *Hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.* S. Aug. ſic ordinat: Petite ut gaudium veſtrum ſit plenum; & accipietis. At Chriſtus generaliter hortatur ad petendum aliquid in nomine ipſius *Si quid petieritis*, inquit, *Patrem in nomine meo, dabit vobis. Uſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo:* Deinde loquitur, *Petite*, nempe aliquid quodcumque pietas ſuggeret petendum, *& accipietis.* Sic enim & apud alios Evang. Matth. 7. & 21. Marc. 11. Luc. 11. admonemur ad petendum aliquid, in genere. Imò & ſuperius c. 15. in hoc eodem ſermone ita generaliter dicitur; *Quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.* Et iterum, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.* Et cap. 14. *Quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis me, in nomine meo, hoc faciam.* Ubi notandum, quod ſicut in his Chriſti verbis, illud; *ut glorificetur Pater in Filio*; Non debet ad petitionem referri, quaſi Chriſtus peculiariter hortetur ad hoc petendum, ſimulque polliceatur ſe hoc facturum: ſed magis ſignificatur fructus proventurus ex petitione illorum, & Chriſti exauditione: Ita & hoc loco, quo dicitur, *ut gaudium veſtrum ſit plenum*; ſignificat fructum, qui conſecuturus ſit ex petitione & acceptione. Poſtquam enim acceperint quæcumque petierint, jam plenum habebunt gaudium. In hoc enim conſiſtit felicitas, ſi quis habeat quidquid rectè voluerit. Et hunc ſenſum confirmant alia duo loca ex cap. 15. & 17. allegata. Nam & in iis fructus conſequens ſignificatur.

Uſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. Non dicit hoc tanquam increpans & expoſtulans, ſed tanquam docens. Anteà namque non docuerat eos orare in nomine ſuo, ſaltem expreſsè; nunc autem id docet; ita paulatim eos erudiens & ad fidei perfectionem adducens. Sed quomodo exauditi fuerant, cum Pater neminem propitius exaudiat, niſi reſpiciens in faciem Chriſti ſui? *Reſp.* Chriſtus nondum Apoſtolos docuerat orare in nomine ſuo: Implicitè tamen ratione fidei quam de Chriſto redemptore habebant, orabant in nomine Chriſti; quia cupiebant exaudiri eo modo & medio; quod Deus ab æterno præparaſſet ad ſalvandos homines; tametſi de Chriſto multum adhuc carnaliter ſaperent. Vide Janſ. c. 135. Chriſtus enim quando præſcripſit illis orationem quotidianam, nihil addiderat de petendo in nomine ſuo, adjungendo orationi; Per Chriſtum Dominum noſtrum, vel quid ſimile. Sed quare non id eis præſcripſerat, & ita docuerat? *Reſp.* Quia fides Meſſiæ & officii ejus erat palatim manifeſtanda ex Chriſti prædicatione, & operibus, quæ erant prædicta à Prophetis. Unde dixit Judæis, operibus credite. Et ipſe prædicationem Evangelii auſpicatus fuit, non à denuntiatione adventus Meſſiæ; ſed hoc tantùm pacto; Agite pœnitentiam, Appropinquavit enim regnum cœlorum. Idemque diſcipulis ut fieret mandavit.

℣. 26. *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem pro vobis; v. 27. Ipſe enim Pater amat vos.* Non negat ſe rogaturum Patrem pro ipſis, ſed tantùm dicit ſe hoc ipſis dicere; id eſt, diſcipulos non conſolari docendo quod pro ipſis eſſet rogaturus; ſed conſolatur eos, dicendo *Pater amat vos.* Hoc enim plus eſt quàm Chriſtum orare pro nobis. Orat enim etiam pro iis, qui adhuc inimici ſunt: ſed Pater tantum amat amicos q. d. Eſt in vobis jam, unde à Patre amemini. Verum quidem eſt, omnes electos amari à Patre ab æterno; ſed amat ut bonos faciat: Hîc autem dicitur amare quia boni ſunt, id eſt, propter bonũ quod in eis eſt, velle eos

præmiare

præmiſſe. Et prior quidem amor, ordine noſtræ intel- A
ligentiæ, prior eſt apud Deum, quàm poſterior.

℣. 28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Non dicit, Reliqui Patrem, & veni in mundum, ſicut dicit, relinquo mundum, & vado ad Patrem: Quia Chriſtus veniens in mundum, exivit quidem à Patre, ut nobis in carne viſibilis appareret; non tamen Patrem reliquit, ſed ſemper cum eo, & in eo manſit; ſicut ipſe ait: *Ego in Patre & Pater in me eſt.* cap. 14. v. 10.

℣. 30. *Quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi ut quis te interroget.* Atqui maximè interrogari convenit eos qui omnia ſciunt. An ſenſus eſt, nulla de re potes interrogari, quam neſcias? An potius, quoniam ſcis omnia; propterea tibi non eſt opus ut quis te interroget; quia & antequam quis interroget, noſti quid interrogaturus ſit. Sic non opus eſt Deo, ut quis eum oret; ſcit B
enim antequam oremus, &c. ſed utrumque opus eſt nobis, & orare Deum, & interrogare.

℣. 33. *In mundo preſſuram habebitis.* S. Aug. in Pſal. 96. Tranquilliora & meliora tempora nolite ſperare, fratres; fallitis vos. Quod vobis Evangelium non promittit, nolite promittere, &c.

CAPUT XVII.

℣. 3. HÆc eſt vita æterna: *Ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Qui fidem abſque operibus commendant, etiam hunc locum ad confirmationem erroris ſui ſolent proferre, quaſi ad vitam æternam conſequendam ſufficiat C
credere in Deum, & mediatorem Chriſtum. *Reſp.* Dominum loqui de tali cognitione & fide, quæ viva ſit & per dilectionem operetur. Ea enim eſt fides quam Scriptura paſſim commendat. Unde Ioannes in Epiſtola Catholica: *Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata ejus non cuſtodit; mendax eſt.* Poteſt & ſic intelligi, ut ſignificetur non quidem ſufficere ad conſequendam vitam æternam, ſed neceſſarium eſſe requiri, tanquam fundamentum ſalutis & vitæ æternæ conſequendæ, ut cognoſcamus ſeu credamus in unum verum Deum, & mediatorem. Ariani quoque olim hac ſententia abuſi ſunt ad oppugnandam divinitatem Chriſti. Cum enim dicitur, *Ut cognoſcant te ſolum Deum verum:* ſignificari pu- D
tabant filium ejus non eſſe verum Deum, ſed tantum eſſe & dici Deum propter eximiam quandam divinæ naturæ præ aliis omnibus creaturis participationem. Auguſt. ut Arianis hoc telum eripiat, hunc facit ordinẽ verborum: ut cognoſcant te, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, eſſe ſolum verum Deum. Poſſumus etiam reſpondere & melius, dictionem *ſolus*, tantum excludere ea quæ extra Patris ſunt naturam. Quomodo enim excluderetur filius qui in Patre eſt, & Pater in ipſo? ſupr. c. 14. Vide noſtra in 1. diſt. 21. & S. Thom. 1. q. 31. Ita in hymno Angelico, ad filium loquens Eccleſia, ait: *Tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dominus, &c.* quibus ſanè verbis non excludit Patrem neque Spiritum ſanctum; ſed quidquid natura à filio diverſum eſt. Secus eſt, ſi expreſ- E
sè vel tacitè fiat perſonarum inter ſe comparatio. Additur autem, *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, ut ſignificetur ad ſalutem neceſſaria præter fidem unius Dei, fides mediatoris. Ideo exprimit *nomen ſuum Ieſum*, id eſt, Salvatorem. Ac ne quis hinc colligat filium non eſſe verum Deum: proviſum eſt divinitus, ut idem Ioannes Apoſtolus, qui hæc ſcripſit, expreſſiè præ omnibus aliis ſcriberet in 1. Epiſtol. cap. ultimo, de filio: *Hic eſt verus Deus.* Cæterùm quod dicitur, *hæc eſt vita æterna* ſic exponitur; per hoc acquiritur vita æterna, pervenitur ad vitam æternam; ut cognoſcant te ſolum Deum verum, quæ fides etiam in ſtatu innocentiæ neceſſaria erat, & lege naturæ exigitur. *Et quem miſiſti Ieſum Chriſtum*, quæ eſt fides mediatoris; eademq; nonniſi poſt lapſum

Adæ neceſſaria ad ſalutẽ; quia nec mediatore opus erat homini integro. Denique illud: *Ut cognoſcant te ſolum Deum verum*, poteſt ſic ordinari & exponi, ut cognoſcant te eſſe Deum, illum, inquam, Deum, qui ſolus eſt verus Deus: vel potius, te eſſe illum qui ſolus eſt verus Deus. Sic intellecta ſentẽtia nullã habet difficultatẽ. Sic Apoſt. 1. Tim. 1. *Soli Deo*, id eſt, illi qui ſolus eſt Deus.

℣. 5. *Clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui prius quam mundus eſſet apud te.* Quæritur quæ ſit illa claritas, quam habuit Chriſtus ante mundum conditum? Eſt enim claritas idem quod gloria, Græcè *δόξα*. Gloria autem à S. Auguſtino dicitur, frequens de aliquo fama cum laude. Quæ quidem eſſe non potuit priuſquam eſſet aliquid creatum. Aug. intelligit claritatem, quàm Chriſtus ab æterno habuit apud Patrem in prædeſtinatione. Ianſen. mavult intelligere de claritate quam reipſa habuit; nec tamen hanc difficultatem diſſolvit, ac ne meminit quidem. Certè ſi claritas intelligitur quam reipſa ſemper habuit quatenus Deus, per claritatem intelligere oportebit ipſam divinitatem, quæ clarificatiónis apud homines & angelos aliquando cauſa futura eſſet. Interim vide an alicubi gloriã Deo tribuatur ab æterno. Nam angeli canunt gloriam in excelſis Deo, ſed non ſemper cecinerunt, quia nec ſemper fuerunt. Atque puto dicendum quod Trinitas ab æterno laudaverit & glorificaverit ſeipſam, aut una perſona aliam; cum laus & glorificatio Dei non ſint opera ad intra, quæ ſola fuerunt ab æterno; atque inſuper gloria famæ celebritatem importet, quæ non eſt niſi inter creaturas intellectuales. Proinde, ſi minus placet quod S. Auguſtinus dicit, poterit hic reddi ſenſus: ô Pater clarifica me gloriã & manifeſtatione ejus rei, quam habeo apud memetipſum, imò quàm habui apud te, ante mundum conditum & ab æterno. Secundum hunc ſenſum, mihi ſanè valdè probabilem dicitur Chriſtus claritatem habere & habuiſſe ante mundum conditum apud Patrem; quia habuit divinitatem apud Patrem, quæ eſt materia glorificationis ejus apud homines: Ponitur enim *gloria* pro objecto gloriæ. Nam alioqui, claritas, id eſt, gloria qua Chriſtus ſe petit clarificari in mundo, non poteſt eadem eſſe cum gloria quam habuérit ante mundum. Item, ſecundum hunc ſenſum, illud: *apud temetipſum*, eſt determinatio ejus quod ſequitur, *claritate*.

℣. 6. *Manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo.* Aut intelligit diſcipulos ſuos electos; Nondum enim omnibus electis manifeſtaverat nomen Patris: aut ſenſus eſt: Manifeſtare cœpi nomen tuum electis tuis, ac meis; & per eos quibus manifeſtavi, deinceps manifeſtabitur aliis. Quod de ſolis diſcipulis loquatur, apparet, quia ſtatim ſequitur, *Et ſermonem tuum ſervaverunt. Nunc cognoverunt, &c.* Ergo etiam illud: *Ego pro eis rogo*, de ſolis Apoſtolis intelligendum. Unde & poſteà dicit: *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.*

℣. 7. *Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dediſti mihi abs te ſunt.* Id eſt hoc ipſum cognoverunt omnia quæ dediſti mihi, abs te mihi data eſſe, id eſt, quod non habuerim illa à me, ſed omnia à te. Id eſt, cognoverunt talia eſſe qualia revera ſunt. Omnia ſunt à te; & hoc ipſum cognoverunt.

℣. 9. *Non pro mundo rogo.* Quomodo ergo poſteà dicit: *ut credat mundus quia tu me miſiſti? Reſp.* Mundus aliquando pro reprobis ſumitur, ſicut ibi: *ut non cum hoc mundo damnemur.* Item, *Mundus tranſit, & concupiſcentia ejus*; & ita non pro mundo rogat. Aliquando generaliter homines qui ſunt in mundo, etiamſi ſint peccatores. Ita ait: *Sed ut ſalvetur mundus per ipſum. Sic Deus dilexit mundum, &c.* Et hoc modo rogavit pro mundo; ſed tantum ſecundum eam partem quæ electos complectitur. Nam omnis Chriſti oratio exaudita eſt: Et quando in cruce oravit pro crucifixori-

burſuis, exauditus eſt pro omnibur pro quibus oravit. Et quid mirum? quoniam & Stephanus fuit exauditus pro Saulo orans.

℣. 11. *Et jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio.* Senſus, Jam deinceps non verſabor cum hominibus in terra, quia cras moriturus, & paulò pòſt reſurrecturus quidem, ſed ad vitam immortalem, & proinde à mortalium converſatione alienam, ideoque ad te venturus per aſcenſionem in cœlum. Hi verò diſcipuli mei adhuc manſuri ſunt in mundo, varias perſecutiones & tentationes à mundo paſſuri; quos proinde tibi commendo. Unde ſequitur: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* In eo autem quod ſequitur: *Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo,* non oportet intelligi vices quaſdam cuſtodiæ ſeu conſervationis diſcipulorum inter filium & Patrem quaſi filius eos ſervaverit uſque ad diſceſſum ſuum, & non ultra; deinde vero Pater commiſſam ſibi curam cuſtodiendi eos ſuſceperit. Jam enim ad hanc falſam intelligentiam excludendam, præmiſit dicens: *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt.* Sed ſenſus eſt: Quia diu cum eis fui ſecundum converſationem carnis, ſervans eos præſentia humanitatis meæ, exhibendo eis officia doctrinæ inſtructionis, exhortationis, correctionis, & præbendo exempla omnium virtutum; nec non operatione miraculorum monſtrando me eſſe Chriſtum filium tuum à te miſſum pro ſalute mundi: Hæc quia deinceps non facturus ſum, utpote corporaliter ab eis jamjam receſſurus: te rogo Pater ſancte, ut eos ſerves etiam ſine his officiorum humanitatis meæ adminiculis, idque in nomine tuo. Nam & ego quando ſervabam eos, non aliter ſervabam, quàm in nomine tuo, id eſt, per virtutem operationis tuæ. In hac enim phraſi per *nomen*, virtutem ſignificari, declarat illud Pſalmi: *Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me.*

℣. 12. *Quos dediſti mihi cuſtodivi & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Non ſignificat aliquem ex iis periiſſe, quos Pater ei dederat, ut vult Catharinus, & alij nonnulli: Nam Pater dat, prædeſtinando; unde ſupra cap. 6. *Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, &c.* ſed ſenſus eſt: Nemo ex iis periit quos dediſti mihi, ſed tantum periit Judas, quem non dediſti mihi, ſed erat filius perditionis. Impropria igitur locutio eſt, ſed Hebræis perquam familiaris. Ita 4 Regum 5. cap. dicit Naaman Syrus: *Non faciet ultra ſervus tuus holocauſtum aut victimam diis alienis; niſi Domino*, id eſt, ſed tantum Domino. Non enim ſignificare vult Dominum eſſe unum ex diis alienis. Vide Annot. Act. 27. Sic Apocalyp. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum; niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni.* Et Matth. 5. *Ad nihil valet ultra, niſi ut mittatur foras, &c.*

℣. 15. *Non rogo ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos à malo,* Græcè, ἐκ τοῦ πονηροῦ, quod vel neutrum eſt, à re mala; vel maſculinum, à diabolo; ſicut in oratione Dominica; ſed prius magis apparet, quia hic dicitur ἐκ, non ἀπό.

℣. 19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Sanctificat ſe filius Dei qui ab æterno ſanctiſſimus fuit, quia parat ſe offerre in oblationem pro electis. Hoc enim in Scriptura veteris teſtamenti ſæpe ſignificat *ſanctificare*, nimirum ad rem ſacram præparare. Sic & Ioan. 11. *Vt ſanctificarent ſeipſos.* Et Act. 21. *His aſſumptis, ſanctificate cum illis.* Verbis autem ſequentibus: *Vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate*; veram puritatem intelligit; ad quam electis ſuis conferendam Chriſtus ſe in hoſtiam ſanctificavit; quomodo *ſanctificari* ſæpè alibi accipitur: ut 1. Cor. 6. *ſed ſanctificati eſtis.* Eph. 5. *Vt illam ſanctificaret, mundans eam, &c.* Hinc quoque ſtatuitur vera Chriſtianorum ſanctitas & mundicia; contra ſectariorum juſtitiam imputativam. Alij ſic: Ego pro eis ſanctifico, id eſt, ſacri-

A fico, in ſacrificium offero meipſum. Bellar. lib. 1. de Chriſto cap. 3. ex Chryſ. Cyrillo & aliis. Sed neſcio an Scripturis poſſit probari. Sanctificavit autem ſe Chriſtus, id eſt, ad oblationem ſe paravit, ſancta & prompta voluntate moriendi, idque ab initio ſuæ conceptionis. Ab illo enim inſtanti uſque ad mortem habuit hujuſmodi voluntatem continuam, eamque continuo Deo obtulit.

℣. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Intelligit eos omnes & ſolos quos Pater filio dederat; de quibus ſupra: *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt.* Hi vero ſunt omnes & ſoli electi. Quare hic oportet intelligere eos qui credituri ſunt fide viva, & perſeverante uſque in finem. Nam qui non ſic credituri, non ſunt dati ſimpliciter, nec pro iis orat Chriſtus oratione quæ ſit ad ſalutem æternam. Rogat autem

B pro iis qui credituri ſunt; non quòd orationem Chriſti fides illorum in præſcientia Dei præveniat, ſiquidem & ipſa fides eſt ex merito & oratione Chriſti; Unde & mox dicit ſe rogare Patrem, *ut credat mundus, quia,* inquit, *tu me miſiſti:* ſed, quod Chriſti oratio extra illos qui credituri ſunt, non extenditur.

℣. 22. *Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis.* Claritatem intelligit filiationem: ſicut enim ipſe eſt filius naturalis, ita dedit electis eſſe filios adoptivos, Utraque autem, claritas ſeu gloria appellatur: Illa quidem Ioannis 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à patre*, hæc verò Rom 5. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* Et Epheſ. 1. *Vt ſciatis quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus ſint in ſanctis.*

C *Vt ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* Significatur ſimilitudo rei ad ſuum exemplar; etiamſi non poſſit adæquari. Sicut Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter perfectus eſt.* Nam optima quæque imitanda ſunt, etiamſi ea aſſequi ſit impoſſibile. Sic Levit. 19. *Sancti eritis, quia ego ſanctus ſum.*

CAPUT XVIII.

℣. 1. *VBi erat hortus, in quem introivit ipſe, & diſcipuli ejus.* Et mox: *quia frequenter Ieſus convenerat illuc cum diſcipulis ſuis.* Hortum libenter & frequenter cum diſcipulis intrat, ut oſtendat ſe eum eſſe, qui nos ad paradiſum reducat, ex quo in primo homine omnes ejecti ſumus.

℣. 3. *Iudas ergo cum accepiſſet cohortem, & à pontificibus & Phariſæis Miniſtros.* Cohors erat militum, qui

D parebant Præſidi; præter quam Pontifices & Phariſæi ſuos habebant miniſtros. Unde diſtinctè dicitur Judas accepiſſe cohortem, & à Pontificibus & Phariſæis miniſtros. Neque enim cohortem ab eis acceperat, niſi tanquam procurantibus ut Præſes cohortem mitteret. Sicut enim hodie poteſtas una ſæpe utitur miniſtris alterius, quando opus eſt majori numero, propter rei gravitatem; ita videtur quod Pontifices Judæorum petiverint ſuis miniſtris adjungi milites Præſidis, quia ille capiendus erat, qui ſæpe jam ſe miraculosè ſubduxerat ex eorum manibus. Sed ne tamen poteſtate Chriſtum cepiſſe viderentur, priuſquam capi ſe fineret, verbo

E eos proſtravit in terram. Fortè etiam dici poſſet, quod Pontifices non habebant poteſtatem capiendi ſine authoritate Præſidis, quam authoritatem daret adjungendo ſuos milites. Sed obſtat quod alibi legitur Pontifices miſiſſe qui Jeſum captum ad ſe adducerent ubi nulla mentio cohortis, nec militum Præſidis. Hinc autem oſtenditur quod non demum in flagellatione, vel coronatione, ac poſteà in crucifixione; verùm etiam in ipſa comprehenſione, gentiles, & non tantum Judæi Chriſtum hominem impiis manibus malè tractaverint. De cohorte quod fuerit militum Præſidis, habes Matth. 27. & Marci 15. cum dicitur: *Congregaverunt ad eum univerſam cohortem.*

Ac

Ac fortè illius cohortis Centurio erat, qui dixit: *Verè* A *filius Dei erat iſte.* Imò id omnino apparet, quia dicit Matthæus id dictum à Centurione, & aliis qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum. Atqui iidem cuſtodiebant crucifixum, qui crucifigendum adduxerant; & quorum in conſpectu fuerat ſpinis coronatus, & à quibus illuſus. An autem Centurio ſit idem cum Tribuno, de quo hic ſequitur: *Cohors ergo & Tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum*, quæri poteſt, ſed non videtur, cum non ſit idem præfectus centum militibus, quem Matthæus ἑκατοντάρχον, Marcus latino vocabulo κεντυρίωνα; & præfectus mille, quem Ioannes χιλίαρχον. Sed Centuriones multi parebant uni tribuno. Vide Actor. 27. Itaque, ex tota cohorte, una centuria cum ſuo Centurione ad cuſtodiendum B Chriſtum crucifixum, fortè etiam ad ducendum & crucifigendum deputata erat.

℣. 6. *Vt ergo dixit eis: Ego ſum: abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.* Apparet debilitatem eis immiſſam, ut ſtare non poſſent, ſed caderent in terram. Forte & ἀορασίᾳ percuſſi ut Jeſum præſentem non agnoſcerent. Nam alioqui interrogati à Domino; *Quem quæritis?* non reſpondiſſent, Jeſum Nazarenum, ſed Te ipſum quærimus, qui loqueris. Sic ergo eum præſentem non cognoverunt, ſicut Syri milites Eliſæum ad quem comprehendendum venerant.

℣. 8. *Sinite hos abire.* Verba ſunt non tam præcipientis, quàm operantis; ſicut illa. *Surge, Reſpice, Lazare veni foras.* Chriſtus enim his verbis efficaciter operatus eſt in cordibus Judæorum, ut diſcipulos ipC ſius non caperent, ſed ſinerent aufugere, quomodo Deus multa operatur in cordibus malorum, licet mali nullum inde habeant obedientiæ meritum. Fuiſſe tamen etiam præcepta, hæc verba; inde apparet, quia Judæi auditis his verbis revera tenebantur ex obēdientia facere quod Chriſtus dicebat, licet non ita fecerint.

℣. 9. *Vt impleretur ſermo quem dixit; Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quemquā.* Quomodo ſermo ille loquens de perditione æterna fuerit impletus per iſtam diſcipulorum evaſionem periculi temporalem; bene explicat hoc loco Cajetanus. Quia ſi capti fuiſſent & occiſi, periiſſent in æternum, quia à fide Chriſti averſi fuiſſent, aut ſaltem lingua eum negaſſent. Si enim Petrus, fortior cęteris, ita miſerè lapſus eſt: quid de aliis D fuerit exiſtimandum.

℣. 15. *Diſcipulus autem ille erat notus Pontifici.* Quid eſt quod Hier. in epitaphio Marcellæ ſcribit Ioannem ob generis nobilitatem fuiſſe Pontifici notum, cum conſtet eum filium fuiſſe piſcatoris? An piſcator ille nobilis erat? Nam uxor ejus una erat ex illis mulieribus quæ Domino miniſtrabant de ſuis facultatibus. Qua fiducia, auſa fuit petere filiis ſuis conſortium regni; fortè eo etiam ſpectans, quod cæteris eſſent genere clariores. An fortè nobilitatis aliquid trahebant ex genere materno? Cajetanus dicit incertum eſſe quis fuerit hic diſcipulus. Ianſenius c. 138. in Concord. bonas adfert rationes ob quas meritò putetur non fuiſſe E Ioannes, nec quiſquam de numero duodecim Apoſtolorum, ſed Hieroſolymitanus quiſpiam occultus Chriſti diſcipulus. Pontifici notus. Neque addit hîc Ioannes, quod alibi ſolet, *diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.* Hieronymus dicto loco addit, Ioannem ob eandem cauſam ſolum Apoſtolorum ſtetiſſe ante crucem; & virginem Salvatoris, matrem in ſua recepiſſe. At Iacobus frater ejus, primus Apoſtolorum raptus eſt ad martyrium pro Chriſto. Non ergo erant ob nobilitatem clari in aula Pontificis.

℣. 18. *Quia frigus erat.* Unde frigus in illa regione tempore meſſis? Nam tempore Paſchæ, quod agebatur die decimaquinta primi menſis, novas fruges colligi ſolitas, & offerri manipulum granorum viridium, ex Levit. 23. patet; ex Joſue item 3. 4. & 5. Exod. 13. ubi A dicitur: *Hodie egredimini menſe novarum frugum. Reſp.* ita hoc fuiſſe de novis frugibus latis ex iiſdem locis colligitur; ſed panes primitiarum ex novis granis maturis offerebantur ad Pentecoſten demum. Deinde, frigus erat non die, ſed nocte. Conſtat enim in locis æquinoctialibus & tropico vicinis noctes æſtivo tempore eſſe eò frigidiores, quò longiores quam ſint noſtris in partibus. Et quidem ſub ipſo æquinoctiali circulo, locis nonnullis noctes eſſe intolerabiliter frigidas, accedente fortaſſis montoſitate locorum, tradunt recentes hiſtoriæ rerum Indicarum.

℣. 19. *Pontifex ergo interrogavit Ieſum de diſcipulis ſuis & de doctrina ejus.* Non interrogabat ubinam eſſent ejus diſcipuli, aut cur ipſum deſeruiſſent; ut quiB dam interpretantur hunc locum. Hoc enim nihil ad præſens examen contra Chriſtum. Sed interrogabat cur diſcipulos colligeret, & quid eos doceret. Sunt enim conjunctæ quæſtiones de diſcipulis & de doctrina: neque nova erat hæc murmuratio de diſcipulis. Nam ejus meminit Ioannes etiam cap. 4. ubi dicit: Jeſum reliquiſſe Iudæam poſtquam cognovit Phariſæos audiſſe, quod plures diſcipulos faceret & baptizaret, quàm Ioannes. Utrique autem quæſtioni ſatisfecit una reſponſione; reſpondens ſe palam docuiſſe, nec proinde latere poſſe quidnam docuerit. Probata autem doctrina; conſequens eſt improbari non poſſe, ſi ſint diſcipuli quibus ea tradatur; maximè cum doctrina ejus hoc habeat, quod ipſe ſit doctor veritatis, & ipſa veritas, & lux mundi, & filius Dei. Conſtituta ergo tali C doctrina; ſuperfluè quæritur de diſcipulis.

℣. 20. *Ego palam locutus ſum mundo: Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quo omnes Iudæi conveniunt & in occulto locutus ſum nihil.* Quæritur quomodo id verum ſit, cum ſæpè etiam alibi & ſecretò docuiſſe legatur: docuit enim aliquando in deſerto, in navi, in via, in privatis ædibus, aliquando etiam de nocte, ut quando ad eum venit Nicodemus. Et Matth. 10. dicit Dominus ad diſcipulos: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Igitur & in tenebris, & in aure quædam ſuos diſcipulos docuerat Chriſtus. *Reſp.* Multa quidem in occulto & privatim ſuis dixit diſcipulis; ſed nihil diverſum ab his quæ palam docuit nihil etiam D quod non propalari & publicum fieri vellet. Senſus igitur eſt, *In occulto locutus ſum nihil*, quod non aliàs palam dixerim & docuerim, aut quod non vellem publicè prædicari. Hinc confidenter dicit diſcipulis: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, &c.* q. d. nihil iſtorum volo manere occultum.

℣. 28. *Sed ut manducarent Paſcha.* Ergo vel Iudæi in univerſum, vel Pontifices & Phariſæi, qui in Chriſti necem intendebant, ea veſpera erant facturi Paſcha ſuum. Priori modo ſentiunt Burgenſis, Gagnæus. & alij. De quo vide noſtra in 4. diſt. 8. Poſterius dicit Chryſ. & videtur etiam nobis probabilius. Vide Benedictum Ariam in hunc locum; ubi habet ſingularem E opinionem de traditionibus Hebræorum; de calice triplicis benedictionis.

℣. 29. *Quam accuſationem adfertis adverſus hominem hunc?* Rupertus in hunc locum dicit Pilatum fuiſſe diſſimulatione callidum, & quod in omnibus quæ dixit & quæ fecit, inſidiabatur Iudæis; ut in eos omne crimen refunderet apud Imperatorem Romanum: & comparat eum Herodi vulpi; quia cum libenter poſtulationem dominicæ mortis acciperet, defendere ſe illum finxit. Sed hæc parum conſonant cum hiſtoria Evangelica, & cum commentariis S. Auguſtini & aliorum Patrum, & cum eo quod Dominus ait: *Qui me tibi tradidit, majus peccatum habet.*

℣. 31. *Nobis non licet interficere quemquam.* v. 32. *Vt ſermo Ieſu impleretur, quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.* Intelligi puto ſermonem quo

prædixerat Matth.20. *Et tradent eum gentibus ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum.* Locum hunc ad marginem annotatum habent biblia Lovanienſia. Quidam referunt ad illud v.22.& 32. *Et ego ſi exaltatus fuero.* Et dicunt Judæis non licuiſſe crucifigere, ſed lapidare, & aliis mortibus efficere ſecundum legem. Sed hîc generaliter dicitur: *Nobis non licet, &c.* nulla crucis facta mentione. Et ita exardeſcebant in Chriſtum, ut quia metuebant ne à Pilato abſolveretur, omnino ſecundum legem ſuam eum lapidaſſent, nec ſub incerto eventu Pilato eum tradidiſſent. Quantum autem metuerint ne à Pilato dimitteretur, indicant hæc & ſimilia verba: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Vide Ianſ. & annotat. Act. 24. Et quæri poteſt an S. Stephanum lapidaverint, & Iacobum minorem occiderint, ordinaria poteſtate, an per tumultum vacante præfectura regionis, aut Præſide abſente. Nam Iacobum majorem Herodes decollavit in gratiam Judæorum, & Petrum occidere voluit. Adulteram autem ipſi Judæi, ſecundum legem ſuam videntur lapidare voluiſſe, Ioannis 8. Paulum verò periclitantem Tribunus eripuit è manibus Judæorum. Nullo autem modo veriſimile eſt eis ſolam crucifigendi poteſtatem fuiſſe ademptam: quia illa exceptio nulla fuiſſet, cum tot alia ſupperterent mortis ſuppliciorum genera, quibus quemcumque vellent, facilè poſſent tollere è medio; etiam acerbiori cruciatu, licet non pari ignominia. Vide annot. ſuprà cap. 8. & Act. 7.

ў.33. *Tu es rex Iudæorum?* v.34 *Reſpondit Ieſus: A temetipſo hoc dicis, &c.* Ex hoc colloquio ſecreto Pilati cum Jeſu, omnino apparet Chriſtum Græco ſermone uſum fuiſſe, vel ſaltem latino. Neque enim eſt veriſimile Pilatum hominem Romanum habuiſſe peritiam linguæ Hebraicæ; quam inter barbaricas reputabant Romani, nec diſcere dignabantur. Niſi fortè dixerit quis Pilatum, ut aliàs in hujuſmodi cauſis, ita hîc quoque in audiendo & examinando Jeſu fuiſſe uſum aliquo interprete, quod non eſt improbabile. Vide annot. Matth. 27.

ў. 35. *Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi.* *Pontifices*, non ſummi, ſed inferiores, de quibus ſæpe alibi; Tradiderunt tamen cum conſenſu & authoritate ſummi Pontificis Caïphæ.

ў.36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Quidam putant quod B. Maria vel Ioſeph hæreditario jure debuiſſent ſuccedere in regnum Judaïcum temporale: Et ita Jeſus, jure temporali, occupare potuiſſet ſedem David patris ſui. De quo vide Ioannem Gerſon in ſermone de nativitate B. Virginis. Puto tamen, inquit, probabilius quod regnum Chriſti ſupra Judæam non fuit temporale, ſed ſpirituale, &c. reddens cauſam quare Chriſtus peculiariter dictus ſit rex Judæorum. Vide Annot. Matth. ult. *Data eſt mihi omnis poteſtas, &c.* Chriſtum jure hæreditario fuiſſe regem temporalem, non apparet; quia jus illud jam erat extinctum populi conſenſu, ſicut extingui potuit. Nec conſtat quod B. Ioſeph, vel B. Maria & proinde Jeſus, primi fuiſſent ad coronam, etiamſi ſucceſſione ſanguinis debuiſſet retineri. Quo etiam dato, nec adhuc illud conſequens eſt, quod alij volunt, Chriſtum, ut hominem, fuiſſe Dominum temporalem totius mundi vel humani generis. Vide etiam annot. Apoc. 11.

Miniſtri mei utique decertarent. Qui miniſtri? diſcipuli ejus, an Angeli? de quibus dicitur, *quod accedentes miniſtabant ei.*

ў.38. *Ego nullam invenio in eo cauſam.* Quomodo ergo dicitur Matth. 27. Cauſam ipſius ſcriptam fuiſſe ſuper caput ejus, utique Pilato jubente; qui poſteà dixit, *quod ſcripſi, ſcripſi.* *Reſp.* Pilatus ſcripſit cauſam non quam ipſe veram æſtimabat, ſed quam accuſatores allegaverant, nempè quod faceret ſe regem Judæorum.

A Quamvis enim Chriſtus apud Pilatum faſſus eſſet ſe eſſe regem; tamen Pilatus inde nihil cauſæ ſuſpicabatur. Præfatus enim ac profeſſus fuerat Jeſus, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo.

CAPUT XIX.

ў.1. TUnc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellavit. Quidam putant Jeſum bis flagellatum fuiſſe, ſemel ante ſententiam mortis, & ſemel poſt. Hîc quidem, ante ſententiam; ad pacandum animos Judæorum hujuſmodi punitione & ignominia. Apud Matthæum autem & Marcum poſt ſententiam. Proptereà quod apud eos ſic legitur: *Ieſum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.* Verùm hæc
B verba non ſignificant flagellatum poſt ſententiam; ſed potius ante, præſertim in Græco apud utrumque Evangeliſtam. Sic enim ſonant: *Ieſum poſtquam flagellaſſet* (φραγελλώσας) *tradidit eis.* Dices, Romanis morem fuiſſe ut hominem morti adjudicatum flagellarent. Reſpondeo, Pilatum in Jeſu præ animi perturbatione hunc morem invertiſſe, ut prius flagellaret, deinde traderet. Vide Janſenium & F. Lucam. Porrò non flagellavit manibus ſuis ſed miniſtrorum.

ў.5. *Et dicit eis: Ecce homo.* Ex ſerie contextus videtur hoc ad Chriſtum, non ad Pilatum referri. Sic enim habetur: *Exivit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis: Ecce homo*, quaſi dicat: Videte me hominem à vobis tam malè tractatum. Quamquam fortè rectiùs ad Pilatum referas ſicut
C & illud quod poſteà dixiſſe narratur: *Ecce rex veſter*, ut hoc loco totum illud: (*Exivit ergo Ieſus portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum*) parentheticôs interſerat; quibus aptè ſubjungitur eundem Pilatum dixiſſe: *Ecce homo.*

ў.7. *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori.* Hoc quoque, ſicut illud Caïphæ, aliquo modo propheticum eſt: quia reverà ſecundum legem, id eſt, ſecundum Scripturas veteris teſtamenti, debebat mori, non tanquam legis tranſgreſſor, ſed tanquam legis conſummator; in qua prædictum erat Chriſtum moriturum. Igitur ſecundum legem debebat mori, ſicut ipſe ait: *Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati.* Lucæ 24.

D ў.11. *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Quod dicitur, *deſuper*, quidam referunt ad Cæſarem Romanum, à quo Pilatus ſuam vicariam acceperat poteſtatem. Verùm Græca vox magis ſignificat *è ſupernis*, id eſt, è cœlo; quomodo & Græcorum commentarij exponunt. Idem vocabulum eſt Ioannis 3. *Qui de ſurſum venit ſuper omnes eſt.* Non voluit autem Dominus hac ſententia ſignificare, Pilatum habuiſſe legitimam poteſtatem adverſus Chriſtum: Non enim ait, *non haberes poteſtatem ſuper me*, ſed, *adverſum me.* Atqui manifeſtum eſt Pilatum non accepiſſe à Deo legitimam poteſtatem adverſus Chriſtum. Sed poteſtatem intelligit permiſſivam à Deo, ut Chriſtum condemnaret & crucifigeret. Qualis
E poteſtas omnibus malis communis eſt: quando permittuntur aliquid mali facere. Simili modo ait iis à quibus comprehenſus fuit: *Hæc eſt hora veſtra; & poteſtas tenebrarum.* q. d. Hæc hora à Patre conſtituta, qua vobis permittit poteſtatem me capiendi. S. Thomas 3. p. quæſt. 67. art. 1. ad 1. quod erat: Chriſtus exhibuit ſe judicio hominis; ergo poteſt aliquis judicare non ſibi ſubjectum: Reſpondet, Chriſtum propria ſponte humano judicio ſe ſubdidiſſe; ſicut & Leo Papa ſubdidit ſe judicio Imperatoris. Unde apparet S. Thomam hunc locum intellexiſſe de poteſtate ſuperioritatis; ſed minus rectè. Nec enim Chriſtus ſubmiſit ſe judicio Pilati, ſed à Principibus Sacerdotum ad illius tribunal ductus eſt.

℣.14. *Erat autem Paraſceve Paſchæ, hora quaſi ſexta.* Vide annotat. Marc. 15. ubi hora tertia crucifixum fuiſſe videtur dicere.

℣.19. *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Vide annotat. cap. præced. v. 36. Nota quod ſicut ſuprà cap. 11. Caiphas prophetavit, neſciens quid diceret; ita hoc loco Pilatus prophetavit, neſciens quid ſcriberet. Sicut enim non ille à ſemetipſo dixit talia verba; ita iſte non à ſemetipſo ſcripſit hæc verba. Quod vel inde colligi: quia non permiſit Spiritus divinus ea mutari, iamenſi Pilatum rogarent iidem illi, quorum calumnioſæ petitioni ceſſerat, ut hominem ſuo judicio juſtum morti adjudicaret. Quin & uxor Pilati prophetavit aliquo modo, & quidem perfectiore, quàm illi duo; quia viſum acceperat nocturnum, & loquebatur ſciens quid diceret.

Sed petes, cur Jeſus potius ſit dictus Nazarenus, quàm Bethleemita? Quia in Nazareth educatus erat, & ibidem natus putabatur. Unde vocabant eum Galilæum; & ex eo arguebant eum non eſſe Meſſiam, neque omnino Prophetam; dicentes: *Nunquid à Galilæa venit Chriſtus?* & iterum: *Scrutare & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Ioannis 7. Nam in Bethleem natum prorſus ignorabant. Unde eodem capite. *Nonne Scriptura dicit quia de Bethleem caſtello, ubi erat David; venit Chriſtus?* Hoc autem dicebant ut oſtenderent Jeſum non eſſe Chriſtum; ſcilicet quia non eſſet ex Bethleem. Verumtamen in eo quod dicebant eum Nazarenum, putantes eum ibi natum; non omnino errabant. Verè enim ibi natus erat in utero materno; juxta illud: *Quod enim in ea natum eſt.* Itaque quadam ratione Nazareth dignior Bethleem, quia in Nazareth Verbum caro factum eſt: In Bethleem Verbum caro factum, in lucem editum eſt, & mundo prodiit. Ideóque non immeritò nos etiam, perfectiùs quàm Judæi illi veritatem cognoſcentes, Chriſtum potius Nazarenum, quàm Bethleemiticum vocamus. Nam & Dominus ſeipſum eo nomine appellare dignatus eſt, quando Saulum perſecutorem è cœlo allocutus eſt, dicens: *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Actor. 22. Quædam notabilia de hoc nomine, vide annot. Matth. 1.

℣.23. *Acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes.* Videtur plurale poſitum pro ſingulari, *veſtimenta* pro veſtimento, videlicet pallio; quod diviſerunt milites in partes quatuor, ut unuſquiſque partem acciperet.

Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Per hanc tunicam S. Patres Eccleſiam intelligunt, quæ inconſutilis eſt & indiviſa per unitatem fidei & nexum charitatis. Et ob hoc *deſuper contexta per totum*, quia tota, contextu quodam ordinatiſſimo & cohærente, ab uno capite regitur & gubernatur; eoque viſibili, ſicut ipſa viſibilis eſt. Alioqui, ſciſſuris obnoxia eſſet; nec in unitate conſervari poſſet. Ubi etiam notandum, quod non ſolum nos induimus Chriſtum, cum Chriſti virtutibus tegimur & exornamur; ad Roman. 13. & Galat. 3. verum etiam nos fideles Chriſti tunica ſumus, id eſt, Chriſtus nos induit ut veſtem ſuam, quando per opera virtutum, & ſanctæ converſationis, Chriſti ſumus ornamentum & gloriæ veſtimentum. Hanc Chriſti tunicam hæretici dividunt; & tamen ipſa manet indiviſa; quia dum illi ſe & alios ab Eccleſia per ſchiſmata ſeparant, deſinunt eſſe Eccleſiæ partes; ipſa verò illis digreſſis & ſeparatis, una manet & indiviſa.

℣.25. *Stabat autem juxta crucem Ieſu mater ejus, & ſoror matris ejus, &c.* Quamvis ex verbo *ſtabat*, nihil ſingulare de matre Dei colligere liceat de ejus conſtantia & fidei firmitate; idem enim de aliis fœminis dicitur: rectè tamen ſentiunt Catholici ſcriptores, eam non ſolum pedibus, ſed maximè animo, ſteuiſſe ſtabilem, immotam & infractam. Vide S. Ambroſ. Epiſt. 82. & lib. de inſtitut. Virg. cap. 7.

Et ſoror Matris ejus Maria Cleophæ. Hanc Mariam non fuiſſe eandem cum Maria Alphæi, matre Iacobi minoris, ex eo colligit Baronius in Apparatu; quia Maria Cleophæ dicitur cum matre Domini ſtetiſſe juxta crucem; hic apud Ioannem: Maria verò Iacobi mater, & Alphæi uxor, apud Matthæum & Marcum dicitur cum aliis mulieribus à longè ſpectaſſe. Sed hoc argumentum non convincit; quia inter utraſque recenſetur Maria Magdalene; inter illas, apud Ioannem; inter has, apud Matthæum & Marcum. Unde apparet eaſdem ſignificari, quæ juxta crucem ſteterunt, & quæ à longè ſpectabant; de cujus rei concordia vide Ianſ. Et fortè idem Ioanni eſt Cleophas, qui aliis tribus Evangeliſtis Alphæus: ſicut idem Ioanni Nathanael, qui aliis Bartholomæus. Vide annotat. Matth. 13. & 27.

B Dicitur verò *Cleophæ*, videlicet uxor. Cleophas autem hic diverſus eſt ab eo cujus meminit S. Lucas 24. cap. quia hic κλωπᾶς; ille κλεόπας in Græco vocatur. Quamquam hoc argumentum non convincit: cum poſſit in altero eſſe craſis, Græcis frequentiſſima; ſicut & Simon Petrus, aliquando Ioannis, aliquando Jonæ filius dicitur. Ianſen. putat hunc Cleopham Patrem fuiſſe S. Simonis Apoſtoli, fratris Iacobi & Judæ: & probat ex Egeſippo & Euſebio. Sed obſtat quod in Romano breviario diverſi ſint Simon Apoſtolus, in Octobri, & Simeon diſcipulus filius Cleophe, in Februario; & hiſtoriæ paſſionis diverſæ. Vide annotat. Matthæi 10. & Baronium in Apparatu & Annales.

℣.26. *Et Diſcipulum ſtantem quem diligebat.* Vide annot. ſupra, cap. 13. & 23.

C *Ecce filius tuus.* Chriſtus Dominus in cruce pendens, & morti proximus, cum poſſeſſiones terrenas non haberet, quas matri relinqueret: reliquit ei cuſtodem & curatorem; qui tanquam filius, ejus curam haberet, & omnia neceſſaria ſubminiſtraret. Et hoc fuit teſtamentum quod ei moriens reliquit; docens filios ita debere parentes honorare, ut nec in morte ſua, eorum, ſi ſuperſtites ſint, obliviſcantur. Quod dicitur *filius tuus*; intelligendum non naturâ, non adoptione. Neque enim Ioannes à Matria fuit aliquando adoptatus in filium, neque ratio adoptandi; quandoquidem ſola adoptandi cauſa eſſe ſolet, hæredem relinquere bonorum; quod in B. Maria, utpote paupercula, locum non habuit. Sed filius, officio & charitate filiali erga illam, de qua ei dicebatur: *Ecce mater tua.*

D Nota quod Chriſtus Virginem Virgini, dilectam dilecto commendavit: Ioannem enim permanſiſſe virginem, teſtantur S. Patres; Hieron. contra Jovinianum, & alij. Et in officio Eccleſiaſtico in feſto S. Ioannis ſæpius virgo vocatur.

Cæterùm ex hoc loco in primis colligitur, S. Ioſeph jam mortuum fuiſſe; alioqui enim matrem non tradidiſſet Chriſtus cuſtodi alteri. Deinde, colligit Ioannes Gerſon in ſermone de Nativitate B. Virginis, S. Ioſeph Virginem fuiſſe, quando accepit Mariam conjugem. Si enim Dominus matri jam provectæ dare non voluit cuſtodem niſi virginem; quantò magis id voluiſſe exiſtimandum in adoleſcentiori ætate? S. Ambroſius Epiſtola 79. putat Ioſephum adhuc vixiſſe; ſed rectius Epiphanius Hæreſi 78. putat eum mortuum fuiſſe, ante nuptias in Cana Galilææ; alioqui enim & eò vocatus fuiſſet cum matre Jeſu; & aliàs cum ea nominaretur in Evangelio, ut Ioan. 2. quod deſcenderit cum matre in Capharnaum: & alibi, mater ejus & fratres quærere eum dicuntur nulla facta mentione Ioſephi.

E ℣.27. *Ecce mater tua.* Cur matrem Ioanni commendavit potius, quàm cuiquam alij? quia valde decebat virginem virgini commendari; & in hoc facto

ſancta

ſancta virginitas nobis commendaretur. Cauſa non fuit, quia ſolus omnium diſcipulorum Ioannes ibi tunc præſens erat: Quin potiùs è converſo, ea providit Dominus ut Ioannes ibi præſens eſſet, quia volebat ei ſub cruce, moriturus, matrem ſuam commendare.

Bene porrò ex his Chriſti ad matrem & Ioannem verbis probat S. Hieron. ſcribens adverſus Helvidium, B. Mariam alios filios non habuiſſe. Nam ſi habuiſſet, ratio non erat cur Ioanni aſſumptitio filio commendaretur: Sed quia Chriſto mortuo jam filium naturalem in terris non erat habitura, & Ioſeph conjux ejus jam dudum mortuus erat; commendatur vidua & deſolata Ioanni dilectiſſimo filij amico & diſcipulo. Nam ex his verbis, ut jam diximus, illud etiam conſequitur, Ioſeph jam mortuum fuiſſe: Si enim adhuc ſuperfuiſſet, ei potiſſimum commendanda fuiſſet, ſicut ab initio ei fuerat commendata.

Ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Legendum *in ſua*, non *in ſuam*. Nam ita habent omnia M.SS. Græcis omnibus conſentientibus; quæ habent in propria. Et ita legit Hieron. Epiſt. 16. ad Principiam. Quærit S. Auguſtinus in quæ ſua Ioannes accepit matrem Domini? Neque enim non ex eis erat qui dixerant Domino, *Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Suſcepit ergo eam non in ſua prædia, quia nulla propria poſſidebat; ſed officia. Senſus eſt: Suſcepit eam in curam & tutelam ſuam; habuit ut matrem; tractavit ut matrem; quia dictum erat ei: *Ecce mater tua.* Verùm quia Græca videntur aliquam ſignificare rei proprietatem; non improbabile eſt, quòd quidam intelligunt domum & habitationem propriam; non quæ jam propria eſſet; ſed quæ aliquando propria, nunc facta erat communis. *Nemo enim eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat.* Act. 4. Sic item potuit Ioannes accepiſſe Domini matrem in ſua, ſicut Matthæus jam ſecutus Dominum, & omnibus relictis, fecit Domino convivium magnum in domo ſua, ut ſcribit S. Lucas cap. 5. Domum enim prius ſuam jam fecerat pauperibus Chriſti, quorum unus ipſe erat, communem. Eadem phraſis Actorum 21. ubi qui S. Paulum deduxerant, dicuntur revertiſſe in ſua. Græcè εἰς τὰ ἴδια; ubi ſimiliter non tam proprietas poſſeſſionis intelligitur, quam locus habitationis. Impertinens enim an habitaverint in proprio, an in conducto. Similiter ergo impertinens an habitaculum de quo hîc dicitur, *accepit eam in ſua*, proprium huic diſcipulo fuerit, an multis fratribus commune. Vide S. Ambroſium in exhortatione ad virgines, ubi explicat in quæ ſua receperit eam Ioannes, qui omnia reliquerat, ut & cæteri Apoſtoli. Vide & Franciſcum Lucam in hunc locum.

Notandum quoque matrem Ioannis, nomine Salome, fuiſſe unam ex mulieribus, quæ de ſuis facultatibus neceſſaria Chriſto & diſcipulis ejus præbebant. Itaque poteſt hîc intelligi domus Salomes, matris Ioannis, cujus uſum ipſa & filio ſuo Ioanni, & Matri Domini, & aliis fidelibus faciebat communem. Eam domum veriſimile eſt fuiſſe in Galilæa: Erant enim Iacobus & Ioannes, ut & reliqui diſcipuli, Galilæi: niſi fortè mater ejus etiam Ieroſolymis, aut in ejus vicinia, domum ſibi comparaverit pro obſequio Chriſti ac diſcipulorum ejus. Sed hæ conjecturæ tantum ſunt.

℣. 26. *Illi verò ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ori ejus.* Eſt cujuſdam valde probabilis conjectura, vitioſè legi ὑσσώπῳ, & legendum ὑσσῷ, id eſt, haſtili, vel pilo, quod alij Evangeliſtæ dixerunt καλάμῳ, id eſt, calamo, vel arundini. Alioqui, apud alios nulla mentio hyſſopi; & omnino doceri vix poteſt, quem in hac re uſum hyſſopus habere potuerit. Neque enim calami vicem ejus lignum ſupplere potuit cum ſit herba humillima: Atqui id ſignificari videtur: A Nam ſicut Matthæus & Marcus habent περιθέντες καλάμῳ, ita Ioannes ὑσσώπῳ περιθέντες. Hilar. in Pſal. 68. ut probabilem de hyſſopo lectionem faciat, legit, *hyſſopo admiſcentes.* Sed nec Græca lectio, nec ulla quæ hodie extet Latina verſio, conſentit. Vide Ianſenium in commentario. Pilum Romanum Græcis modo πίλος, modo ὑσσὸς dicitur. Et erant milites Pilati, (cui etiam cognomen inter Romanos à pilo contigit) ut apud Lucam expreſſius apparet, qui acetum Chriſto in cruce pendenti offerebant. Qui quidem Ethnici ac Romani erant, pilo utentes. Arundinis autem nomen ſeu calami, (id enim in Græco eſt) tum apud Græcos, tum apud Latinos extenditur ad ſignificandum quamcumque virgam, vel haſtile, vel inſtrumentum oblongum; ut patet Apoc. 11. & 21. ubi Hieruſalem cæleſtis menB ſuratur arundine aurea. Item in Exodo & Ezechiele, & apud Horatium eſt illud; Equitare in arundine longa. Et apud Virgilium Æneid. 7. perque ilia venit arundo, id eſt, ſagitta.

Franc. Torrian. lib. 2. pro Epiſtolis Pontificum c. 3. citat Magnetem, quendam vetuſtiſſimum ſcriptorem, dicentem pro eo quod unus Evangeliſta dixit, *calamo ſpongiam circumponentes*, dixiſſe alium propter ſimilitudinem arbuſti, *hyſſopo circumponentes*; cum dicendum eſſet, *calamo*. Verùm ea reſponſio non ſatiſfacit: quæ enim ſimilitudo inter calamum ſeu arundinem, præſertim talem, cujuſmodi in Palæſtina naſcebatur, id eſt, haſtæ in modum longam & firmam, & hyſſopum humillimam herbam, ejuſve lignum?

℣. 30. *Conſummatum eſt.* Non quidquid de me præC dictum eſt. Multa enim adhuc poſt mortem reſtabant: deſcenſus ad inferos, ſepultura, reſurrectio poſt triduum, aſcenſio in cœlum, miſſio Spiritus ſancti in Apoſtolos: ſed quidquid ad debellandum hoſtem humani generis, & redimendum ab ejus captivitate hominem, fieri à me oportere Prophetæ prædixerant. Mors una ſupererat, ſed ea tanquam in proximo ſubeunda, cum iis quæ jam facta erant, computabatur.

℣. 34. *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Quidam ante 200. annos docuit piè credi poſſe, quod Chriſto latus lancea fuerit apertum adhuc viventi & ſentienti; quod eſt ſatis apertè contra hanc Scripturam, quamvis ille per recapitulationem iſtud dictum interpretetur. Contrarium definit Clemens 5. in Concilio D Viennenſi, & illam opinionem inter hæreſes refert Guido Carmelita. Nec ullo modo patitur textus, ut dictum intelligatur per recapitulationem. Vide verba. Deinde obſtat, quod alij Evangeliſtæ dicunt eum clamantem expiraſſe, & de hoc admiratum Centurionem; quod non eſſet ſi accepto vulnere lateris cum clamore expiraſſet. Hinc etiam ſequitur non fuiſſe verum ſeu propriè dictum vulnus, quia non fuit factum in carne vivente, ſed mortua: Nec propriè Chriſto illatum, ſed corpori ejus mortuo. Fuit autem vulneris hujus apertura tam ampla, ut manus viri immitti in eam poſſet. Sic enim ſeq. cap. *Affer manum tuam & mitte in latus meum.*

Et continuò exivit ſanguis & aqua. In argumentum E veritatis humanæ naturæ, compoſitæ ex quatuor elementis, quorum unum eſt aqua; & ex quatuor humoribus, quorum unus eſt ſanguis. S. Thomas non ineptè. Nam veritas humani corporis in Chriſto à multis antiquis hæreticis oppugnata fuit. Innocentius 3. cap. Cùm Marthæ, videtur damnare ut hæreticum, ſi dicatur non fuiſſe veram naturalem aquam, quæ de latere Domini profluxit. Nec immeritò; quia Ioannes refert ut miraculum, hoc loco dicens: *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, &c.* & repetit in Epiſtola. Nec verò phlegma naturaliter in inſtanti poterat colligi in corpore, ut ſtatim facto vulnere efflueret per modum aquæ. Item myſterium ſignificatum requirit ut fuerit vera aqua. Vide locum Innocentij.

S. Am-

S. Ambroſ. lib. 1. de Sacramentis cap. 1. Quare aqua ? Quare ſanguis ? aqua ut emundaret, ſanguis ut redimeret. S. Thomas quoque ſentit quod fuerit aqua elementaris, non phlegmaticus humor, 3. p. q. 66. art. 4. ad 3. Et quæſt. 74. art. 7. ad 3. citans decretalem Innocentij 3. Quidam exiſtimant ſanguinem illum è latere profluentem, fuiſſe tunc repentè & miraculoſè genitum in Chriſti corpore; utpote prius per vulnera flagellationis, & coronationis, & manuum ac pedum, ſanguine penitus exhauſto. Sed falſum, quia ſine ſanguine non potuiſſet vivere. Et vanum eſt tot fuiſſe vulnera corpori Chriſti inflicta, quot quidam devotionarij ſupra omnem fidem fuiſſe contemplantur; imò impoſſibile. S. Aug. ſerm. 115. de diverſis, *de latere Domini aqua, ſanguiſque profluxit. In uno mundatio tua, in altero redemptio tua.* Idem tract. de quarta feria, c. 4. Ex ſanguine rubor, ex aqua ſplendor. Et vocat duo Sacramenta. Per ſanguinem autem rectè ſignificatur Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; & per aquam, Sacramentum Baptiſmi. Sub quibus duobus tanquam præcipuis cætera Sacramenta comprehenduntur: & ſignificatur quod Sacramenta profluunt de latere Chriſti, id eſt, virtutem ſuam omnem recipiunt ex paſſione Chriſti. Unde etiam veriſimile eſt aquam illam fuiſſe ſimplicem, ſive elementarem. Alij *per ſanguinem* intelligunt ſignificari martyrium: quia baptiſmus & martyrium ſunt duæ viæ, ſingulæ per ſe abſque altera ſufficientes ad ſalutem. Quidam *per aquam*, Eccleſiam intelligunt, mundatam & ſanctificatam ſanguine redemptoris; quam ſic profluxiſſe dicunt ex latere Chriſti, ſicut Eva ædificata de latere Adæ; & hanc rem illius fuiſſe typum præfiguratum. Cujus rei Patres non infrequenter meminerunt.

Prudentius in hymno, *Da puer*, ita canit; *ô novum caede ſtupenda vulneris miraculum: Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera. Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex ſanguine eſt.* Significat coronam martyrij; Sed videri poteſt Prudentius duo facere vulnera, quia dicit: *hinc, & parte ex altera.* Quod apertius idem ipſe videtur ſignificare in carmine ad Baptiſterium, dum ita canit:

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.
Ibitu hinc, ut quiſque poteſt per vulnera Chriſti, &c.

Et in Enchyrid. *Trajectus per utrumque latus.* Ubi & myſterium ſic expedit: *Sanguis, victoria; lympha, lavacrum eſt*, victoriam dicit martyrij. Attamen unicum lateris fuiſſe vulnus, & unicum latus fuiſſe apertum, ſatis ex eo apparet quod S. Thomas dixit: *Niſi mittam manum meam in latus ejus.* Et quia Jeſus dixit ei: *Affer manum tuam & mitte in latus meum.* Item quia fideles ſemper venerati ſunt quinque vulnera Chriſti, non ſex aut plura.

℣. 35. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis.* Ioannes allegat teſtimonium ſuum, non perhibens teſtimonium de ſeipſo, ſed quatenus ipſius teſtimonium per omnes Eccleſias erat receptum, tanquam Apoſtoli Chriſto ſingulariter dilecti & familiariſſimi; quique tunc quando hæc ſcribebat, ex omnibus duodecim Apoſtolis ſolus ſupererat. Vide annotat. infrà cap. 21. & comment. in 3. ejus Epiſtolam Catholicam. Hinc etiam patet eam rem quam narrat de aqua & ſanguine fluente ex latere Chriſti mortui, continere magnum myſterium, cujus gratia teſtimonium ſuum peculiariter alleget. Vide de hoc myſt. annot. ad v. præced.

℣. 36. *Facta ſunt hæc ut Scriptura impleretur; Os non comminuetis ex eo.* Implebatur quidem illa Scriptura ſecundum ſenſum litteralem, id eſt, primum & proximè à Spiritu Sancto intentum, quoties filij Iſraël

A agnum Paſchalem ſic parabant & edebant, ut ex eo os nullum confringerent: Sed quia illa res rurſum alterius rei figura erat, ex inſtitutione divina, hinc plenius & perfectius impleta eſt illa Scriptura in Chriſto, ſecundum ſenſum myſticum quidem, ſed certiſſimum; quippe quem Scriptura ipſa nobis aperit. Quem ſenſum quia Spiritus ſanctus intendit principaliter & finaliter; putant quidam etiam litteralem eſſe dicendum. Si tamen litteralis ille dicitur qui proximè ex intentione Spiritus ſancti verbis ſignificatur; non videtur dicendus litteralis, licet ſit principalis. Patet ex hac ſententia, verum non eſſe, quod quidam devotionarij ſpeculantur, coronam ſpineam capiti Chriſti impoſitam perforaſſe cranium capitis ejus. Eſt enim illud oſſeum,
B nec perforari poteſt ſine fractione.

℣. 37. *Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* Quomodo Scriptura hæc paſſione Domini fuerit impleta; cum idem Ioannes Apocal. 1. ſignificet eam implendam tempore judicij extremi? Vide annot. Zach. 12.

℣. 38. *Ioſeph ab Arimathæa, (eò quòd eſſet diſcipulus Ieſu, occultus autem propter metum Iudæorum.)* Diſcipulus Jeſu non quomodo Apoſtoli, aut ſeptuaginta diſcipuli, qui Chriſto ſubſerviebant in prædicando Evangelio: ſed diſcipulus, id eſt, unus eorum qui in ipſum credebant; quomodo etiam Nicodemus erat diſcipulus. Quo ſenſu dicebat cæcus: *Nunquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri?* ſuprà cap. 9. *Occultus autem propter metum Iudæorum.* Non quia Chriſtum nega-
C bat Dominum ac Magiſtrum ſuum eſſe; ſed quia palam apud alios non profitebatur ob metum Judæorum, ne extra Synagogam fieret; aut, quia dives erat, ne damnum pateretur. Nunc autem facto ipſo confitetur, Corpus Chriſti petens, atque in ſuo ſepulchro publicè ac honorificè ſepeliens. Ubi nota paſſionem Chriſti ſtatim virtutem ſuam exeruiſſe, non modo in latronem de cruce confitentem; verùm etiam in Centurionem, prædicantem Jeſum Dei filium; & in hunc Ioſephum divitem; dum pulſo timore facit eum curatorem ſepulturæ dominicæ. Et ad hoc ſignificandum dicitur Marci 15. *quod audacter introivit ad Pilatum, &c.* Item in Nicodemum, qui nocte venerat ad Chriſtum.

D ℣. 40. *Ferens mixturam myrrhæ & aloës quaſi libras centum.* Libras centum quidam interpretantur de nummo ſeu pretio, ſed quia hoc inſolitum, rectiùs alij pondere. Quod quamvis etiam multum ſit, tamen apparet conſuetudinis fuiſſe Judæorum, ut totum corpus hujuſmodi aromatibus involverent adverſus corruptionem. Hoc enim ſequitur: *Acceperunt ergo corpus Ieſu & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.* Dicet aliquis, Corpora non condiebantur nec involvebantur aromatibus, niſi prius exenterata; ergo & Chriſti corpus priuſquam aromatibus conditum mandaretur ſepulturæ, exenteratum fuiſſe, & proinde ſenſiſſe corruptionem. Reſ-
E pondendum videtur, primùm, quod exenteratio non eſt corruptio, qualis ſignificatur ibi; *non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; &, quando dicuntur corpora mortuorum aromatibus condiri contra corruptionem: ſed fit exenteratio ne corpus facilè contrahat corruptionem. Deinde nullo modo eſt veriſimile, corpus Chriſti fuiſſe exenteratum. Nam brevitas temporis quod reſtabat ante veſperam, qua Sabbathum incipiebatur, non ſinebat ut exenteraretur. Unde dicitur quod *ligaverint linteis cum aromatibus*, id eſt, aromatibus involutum linteis circumdederunt & ligaverunt. Idque fecerunt feſtinanter propter *paraſceven* Judæorum, ut ſequitur, id eſt, propter imminens Sabbathum. Item mulieres adhuc alia parabant aromata, ut poſt otium Sabbathi ungerent corpus Jeſu, quemadmodum referunt Marcus & Lucas. Non ergo

apparatum

A apparatus condiendi corpus mortui cum prævia exenteratione, jam perfectus erat. De corpore involuto in ſindone habes apud tres Evangeliſtas. Quod autem res feſtinanter acta fuerit, etiam Matth, ſignificat dicens: *Cum autem ſerò factum eſſet, venit quidam homo dives.——Hic acceſſit ad Pilatum,& petiit corpus Ieſu.* Hinc liquet quam parum temporis ſuperfuerit ad ſepeliendum corpus cum aromatibus. Sic & Marcus: *Et cum jam ſerò factum (quia erat paraſceve, quæ eſt ante Sabbathum) venit Ioſeph,&c.* Item Lucas: *Et dies erat paraſceves,& Sabbathum illuceſcebat.* Veriſimile eſt autem quod poſt Sabbathum exenteratio facta fuiſſet, niſi eam Domini reſurrectio præveniſſet.

CAPUT XX. B

℣.1. U*Na autem Sabbathi Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebræ eſſent,ad monumentum.* Hic apertè ſignificatur Chriſtum ante ſolis exortum, quando adhuc tenebræ ſunt, ſurrexiſſe. Vide annot. Marc. ultimo.

℣.8. *Et vidit,& credidit.* Credidit ſublatum Domini corpus, ſicut Maria nuntiaverat. Non intelligitur de fide reſurrectionis; quia ſequitur, *Nondum enim ſciebant Scripturam,quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Sic S.Greg.hom.22. in Evangelia. S.Ambroſius tamen in Lucæ 23. in fine & in cap. ultimum, de fide reſurrectionis accipere videtur. Si de fide reſurrectionis intelligatur; ſenſus erit ſententiæ ſequentis. Nondum enim uſque ad illud tempus ſciebant Scripturam, C quia, &c. ſed invenientes ſepulchrum vacuum,& tam ſermonibus mulierum,quàm hujus rei evidentia moti, credere cœperunt, ſicut Thomas,cui dictum eſt: *Quia vidiſti me Thoma credidiſti.* Vide Heſſel. in explicatione reſurrectionis Dominicæ.

℣.14. *Converſa eſt retrorſum,& vidit Ieſum ſtantem.* Videlicèt nondum à quoquam alio viſum, ut teſtatur Marcus. Quæritur an ſola viderit primò? Ita putant S. Auguſtinus, de conſenſu Evangeliſtarum. Et S.Greg.hom.25.ſuper Evangelia, idque etiam apparet ex hoc loco Evangelij. Contrarium apparet ex S.Matthæo, qui dicit eum in via apparuiſſe mulieribus, & eis dixiſſe *Avete.* Et ita ſentit Heſſelius. Vide S.Aug.& Heſſelium in Matthæum, & in explicatione reſurre- D ctionis dominicæ. Poteſt reſponderi quod inter eas quibus in via apparuit Dominus euntibus ad diſcipulos non erat Magdalena;& quod anteà jam apparuerat illi. Additio eſt Cenſoris.

℣.17. *Noli me tangere.* Quare eam Dominus prohibet à contactu ſuo; cum Thomam invitet ad contrectationem vulnerum ſuorum; & reliquis Apoſtolis dicat: *Palpate & videte:* cùm etiam apud Matthæum legamus de mulieribus, quod poſt reſurrectionem acceſſerint ad Dominum & tenuerint pedes ejus? *Reſp.* Noluit Dominus tangi à Maria Magdalene, eò quòd illa ſolita familiaritate eum contingere & amplecti vellet; neſciens corpus ejus jam immortale fa- E ctum, majori veneratione quàm antè, pertractandum eſſe. Unde Dominus impiis nunquam legitur corpus ſuum vel videndum exhibuiſſe poſt reſurrectionem. Nam cuſtodes ſepulchri non Dominum reſurgentem viderunt, ſed Angeli apparentis ſplendorem; quo exterriti facti ſunt velut mortui. Thomas autem utrum tetigerit, Evangelium non dicit expreſsè; canit tamen Eccleſia de eo: *O Thoma Didyme qui meruiſti Chriſtum tangere.* Et Patres idem confirmant. Non dubitandum autem, quin id fecerit ſumma veneratione, dicens: *Dominus meus & Deus meus.* Similiter & mulierculæ, de quibus dicitur, quod *adoraverunt eum.* In extremo quidem judicio etiam impiis apparebit, ſed tanquam ſeveriſſimus Judex. Cæterum eſt probabile Mariam Magdalenam poſteà tetigiſſe Dominum; vel cum iis A mulieribus, de quibus Matth. teſtatur quod tenuerunt pedes Jeſu;vel aliàs. Sæpè enim illi cum aliis Dominus apparuit: nec erat permittenda tunc tangere, quando ſola cum illo erat. Quo exemplo monemur, neminem quamvis ita ſanctus ſit, ut videatur jam mortalitatem hanc tranſcendiſſe; permittere debere, ut mulier ſola cum ſolo familiarius agat, ſed ſtatim debere ſe ab ea expedire.

℣.19. *Cum fores eſſent clauſæ &c. Venit Ieſus & ſtetit in medio, &c.* Catholici ut oſtendant idem corpus per divinam potentiam eſſe poſſe in diverſis locis, quod Sacramentarij audent negare; etiam hoc loco utuntur, ubi dicitur quod foribus clauſis Dominus in domum ingreſſus eſt: ex quo ſequitur duo corpora per Dei po- B tentiam ſimul eſſe poſſe; & per conſequens non eſſe Deo impoſſibile, ut idem corpus eſſe faciat in diverſis locis. Sunt enim hæc duo ejuſdem rationis. Utuntur Catholici præter hunc locum etiam aliis duobus exemplis. Nam & clauſo virginis utero, prodiit in mundum; & clauſo ſepulchro reſurrexit. Hunc locum variè eludere conantur. Alij illud: *Cum fores eſſent clauſæ,* ita intelligunt, tempore veſpertino, quando paſſim fores clauſæ ſunt. Atqui non tantùm dicitur: *cum fores eſſent clauſæ;* ſed poſteà repetitur, *Venit Ieſus januis clauſis.* Quæ verba non tempus, ſed modum intrantis ſignificant. Idem oſtenditur, quia additur: *Propter metum Iudæorum.* Sic enim diſtinguendum parentheſi interjecta: *Et fores eſſent clauſæ (ubi erant diſcipuli congregati) propter metum Iudæorum.* Aut certè illud: *propter* C *metum Iudæorum,* utrique parti præcedenti annectendum eſt. Nam & fores erant clauſæ propter metum Judæorum, & ſimul erant congregati propter metum Judæorum. Tametſi, quis non videt metum Judæorum potius eſſe cauſam claudendi & obſervandi fores, quàm congregationis diſcipulorum in unum, quia congregatio & conventus hominum in unum locum, magis eos perdere ſolet & ſuſpectos reddere, quàm à periculo liberare? Patet ergo ex mente Evangeliſtæ, ipſas illius domus in qua congregati erant diſcipuli, fores clauſas fuiſſe, ob peculiarem & propriam illi domui & congregationi cauſam; quæ erat metus Judæorum. Alij confugiunt ad ſophiſticas evaſiones; Intravit, inquiunt, januis clauſis, non penetrando januam, ſed tranſeundo D per feneſtram, vel rimam: quæ expoſitio indigna eſt quæ refutetur. Sufficit nobis veterum omnium ſimplex expoſitio, qua intelligunt Dominum corpore ſuo januam clauſam penetraſſe, ſicut clauſum ſepulchrum & matris uterum penetravit, S. Chryſtomus vel quiſquis author hom. de S. Ioanne Baptiſta tom.3. dicit quod Chriſtus per oſtia clauſa introivit ad diſcipulos; hoc exemplo ſimul & quòd ſepulchro clauſo reſurrexit, declarans poſſibile ut fuerit ex virgine natus. S. Hilar. lib. contra Conſtantium, Chriſti ingreſſum oſtiis clauſis, tanquam captum intellectus noſtri ſuperantem, valdè urget contra Arianos, ſcrutari volentes modum generationis divinæ. Sed dicet fortè aliquis E ſenſum eſſe poſſe, quod veniens invenerit fores clauſas; & virtute ſua divina ſubitò aperuerit, & ingreſſus iterum repente clauſerit. *Reſpondeo,* Secundum eum ſenſum nihil omninò peculiare diceret Ioannes; quia nos quotidie ſic intramus domum & conclave foribus clauſis, quia venientes invenimus clauſum, celeriter aperimus tranſimus & iterum claudimus. Quod autem quidam dicant eum per rimam oſtij tranſiviſſe vi ſubtilitatis ſuæ; prorſus abſurdè dicitur. Sic enim Chriſtus intrando amiſiſſet corporis ſui figuram, & membrorum lineamenta; dum ea coanguſtat in illam tenuitatem, qua poſſet per rimam duci. Atque eo pacto videretur potius eſſe corpus aërium, fluidumque, quàm ſolidum ex oſſibus & carne compactum. Deinde res ridicula eſt & Chriſto indigna ad hujuſmodi evaſiunculas confugere.

℣.21.

℣.21.*Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Id eſt, Ad quod miſit me Pater, ad hoc ego mitto vos; ſcilicet ad procurandum negotium ſalutis. In quo negotio ego ſum Apoſtolus Patris, ad Hebr. 3. In eodem vos Apoſtoli mei: ego legatus Patris, vos legati mei. Sic cap. 15. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Sicut autem ibi non ſignificatur dilectionis æqualitas; ſed ſenſus eſt: Ad quod dilexi vos, ſcilicet ad vitam æternam; ad hoc diligite invicem: Ita & hoc loco non ſignificatur par legati poteſtas ſive authoritas; ſed idem ſcopus ad quem cooperari Chriſto debent eius legati. Poteſt igitur generaliter intelligi ſignificatum his verbis totum negotium legationis Apoſtolicę, à quo deinde ad unum particolare, idemque pręcipuum ac maximè neceſſarium, deſcendat. Vide Ianſen.

℣.23. *Quorũ remiſeritis peccata remittuntur eis.* S. Auguſt. ſerm. 108. de diverſis: Hoc ad claves pertinet; de quibus dictum eſt, Quæcumque ſolveritis in terrâ, &c. Vide annot. Matth. 18. & noſt. in 4. diſt. 14.

℣.24. *Qui dicitur Didymus.* Id eſt, geminus, hoc ſignificat Hebręum nomen Toomas: Quod fideles mutarunt in Græcum δίδυμ☉, ſicut alia Hebraica, vel mutabant, vel accommodabant ad Gręca vel Latina. Quæri hic poteſt, quomodo *Thomas* accepit Spiritum Sanctum ad remittendum peccata, cum non fuerit cum aliis Apoſtolis, quando eis illa poteſtas collata eſt. Reſpondet Cyrillus in Ioannem, eum abſentem ſic accepiſſe eundem Spiritum & poteſtatem, quam reliqui Apoſtoli ſicut Eldad & Medad, qui remanſerant in caſtris, prophetaverunt, & Spiritus Dei participes facti ſunt, ſicut alij ſeptuaginta, qui egreſſi erant ad tabernaculum Num. 11. Poteſt & aliter reſponderi, vel Chriſtum poſteà eandem poteſtatem Thomæ contuliſſe, vel quod eam à ſuis coapoſtolis acceperit habentibus poteſtatem eam aliis communicandi, potiſſimum à S. Petro. Sed Cyrilli reſponſio magis placet; niſi obſtet quod Thomas fuerat incredulus.

℣.25. *Niſi videro in manibus eius fixuram clavorum.* Multi vetuſti exemplaria pro *fixuram* habent *figuram*, & ita eſt Græcè τὸν τύπον. Quod Eraſmus vertit *veſtigium*. Vide Franciſcum Lucam in notationibus. Veriſimile eſt diſcipulos hoc quoque retuliſſe Thomæ, vidiſſe ſe in Corpore Chriſti vulnerum veſtigia. Pręter rationes autem, quæ hîc complures adferuntur, cur voluerit Dominus ea veſtigia in ſuo corpore glorioſo retinere; hæc quoque non minima eſt, quam reddit S. Cypr. ſermone de Baptiſmo Chriſti; ut ſignificaretur ſemper uſque ad finem ſæculi oblationem Chriſti in cruce factam, eſſe efficacem ad delendum peccata; perinde atque ſi vulnera adhuc eſſent recentia. Semper, inquit, reſervatæ in corpore plagæ, ſalutis humanæ exigunt prætium, & obedientiæ donativum requirunt. S. Leo ſerm. 1. de aſcenſione Domini, dicit Chriſtum eas vulnerum fixuras retinuiſſe ad confirmandam fidem reſurrectionis; ut non dubitaretur idem corpus reſuſcitatum, quod fuerat crucifixum. Sic & S. Hilarius lib. contra Conſtantium: & utique, inquit, qui compunctus recognoſcendus ſit, neceſſe eſt, ut corpus, in quo eſt compunctus attolerit. Alias rationes, vide in 4. diſtinct. 44. Verùm petes, an Thomas Chriſtum tetigerit, an verò præ reverentia abſtinuerit; Eccleſia feria 5. poſt octavam Paſchæ canit: Miſi digitum meum in fixuram clavorum, & manum meam in latus eius, &c. S. Auguſt. lib 4. de Trinit. cap. 3. *Unus*, inquit, *ex diſcipulis cicatrices eius contrectans, exclamavit dicens; Dominum meum & Deum meum*, Et infrà: *à diſcipulis tangitur* ubi ſignificat ab aliis palpatum eius corpus fuiſſe; ſicut Lucæ 24. inviſat dicens: *Palpate & videte, &c.* Idem S. Aug. in pſalm. 56. dicit, Chriſti reſurgentis membra ab Apoſtolis palpata eſſe, & addit; Tetigerunt reſurgentem, & crediderunt. Reſpicere autem videtur S. Aug. ad illud Luc. 24. *Palpate & videte*; & poſteà

Eſtij Annotat. in Script.

A in eundem pſalmum; Has cicatrices tenuerunt diſcipuli, palpaverunt, manifeſtaverunt ſibi; exclamavit qui miſit digitos in compunctum latus, & ait: *Dominus &c.* Et in Pſal. 68. Palpaſti cicatrices, & inveniſti Deum tuum: palpaſti formam ſervi, & cognoviſti Dominum tuum. S. Ambroſius in ultimum Lucæ: Quomodo Thomas cum adhuc non crederet, tetigit tamen Chriſtum? Sic Hilarius ex eo quod ſequitur; *quia me vidiſti Thoma*, nempe per tactum, colligit ex Evangelio Thomam tetigiſſe, & tactu exploraſſe veritatem Corporis Chriſti. Idem teſtatur S. Gregorius hom. 26. in Evangelia, idem ſæpius inculcat, & homilia 29. ait: Ille dubitando vulnerum cicatrices tetigit, & de noſtro pectore dubitationis vulnus amputavit. Et quæ præcedunt: Nam ſola dubitatione no- B bis nihil contuliſſet, niſi dubitando exploraſſet, non ſolo viſu, quod & cæteri, verùm etiam tactu. Sicut ergo Chriſtus diſcipulum dubitare permiſit, ut noſtræ dubitationis vulnera curaret: ita ab eo contrectari voluit, ut de veritate reſurrectionis nos certiores efficeret. Petes, Quare Thomas ob hanc pertinaciam in errore fidei contrario, non erat hæreticus, præſertim cum veritas fidei per Apoſtolos, qui Eccleſiam repręſentabant, eſſe ei ſatis manifeſtata? *Reſp.* erat quidem in Thoma quędam pertinacia, quia dicebat, *Niſi videro, niſi palpavero, non credam*; ſicut eſſet nunc in eo qui diceret: niſi videro Chriſtum humana ſpecie in altari, non credam, ſed veritas non erat ita ſufficienter manifeſtata, ut pertinacia erroris oppoſiti hæreticum C facere poſſet; quia nondum erat traditum ſymbolum, nondum Eccleſia contrarium definierat, nondum Petrus quidquam ut Paſtor totius Eccleſiæ pronuntiaverat; imò nondum claves regni cœlorum acceperat; ſed diſcipuli tantùm ut privati homines, de eo quod viderant teſtificabantur; & ita Thomas non peccavit pertinaciter contra ſententiam Eccleſiæ, ut Eccleſiæ, ſibi ſatis manifeſtatam. Cur autem non habuit fidem teſtibus oculatis? an quia ſuſpicabatur eos mentiri? Minimè; ſed quia putavit eos phantaſmate Chriſti ſpeciem referente deluſos eſſe. Nam & ipſi diſcipuli Lucæ 24. Chriſto ſibi apparente, exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Voluit ergo Thomas fidem ſibi confirmari non ſola viſione, ſed quod certius erat, D contrectatione membrorum. Nam & Chriſtus dixerat, *Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Sed quia fortè diſcipuli præ reverentia non palpaverant, ſed tantum dicere poterant, *Vidimus eum*; hinc Thomas adhuc dubius remanſit, donec ipſe manibus ſuis Corpus Domini palparet. Quod totum factum eſt ad confirmationem fidei noſtræ. Plus enim mihi Thomas dubitando & palpando profuit, quàm Maria Magdalena, quæ quia ſtatim credidit, à contactu prohibita fuit.

℣.26. *Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus.* S. Hieronymus in commentario Matth. ſentit hanc revelationem non Ieroſolymis factam, ſed in Galilęa. Quam Hieronymi ſententiam refert, & rationibus non ineptis confirmat Rupertus libro 7. de divinis officiis cap. 22. Quibus etiam illud accedit, quod hîc non ad- E didit Evangeliſta; *propter metum Iudæorum*, ſicut dixerat in apparitione præcedenti. Apparet autem Thomam velut de Chriſti reſurrectione diffidentem prorſus ac deſperantem, ſtatim poſt mortem eius, relictis in Iudæa cæteris diſcipulis, abiviſſe in Galilæam patriam ſuam; tum ut ab inimicis Chriſti longius abeſſet, parum memor eius quod aliquando dixerat: *Eamus & nos, ut moriamur cum eo*; tum ut rebus ſuis proſpiceret; cæteros verò diſcipulos juſſos à Domino, ſtatim poſt reſurrectionis Chriſti diem, quo juſſerat, abiviſſe in Galilæam; atque ibi Thoma invento dixiſſe, *Vidimus Dominum, &c.* Aliter ſentit Franciſcus Lucas, ac certè probabiliter; quia quod dicitur, *januis clauſis*, videtur ex

ſupradictis ſupplendum, propter metum Iudæorum: ac mirum ſi id accidiſſet in Galilæa; Ioannem non id expreſſiſſe, qui ſolet etiam minores circumſtantias perſequi. Certè contextus exigere videtur, ut acciderit in eadem domo, qua primò.

℣.27. Et *affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Hinc patet, vulnus lateris, & vulnera manuum, tam magna fuiſſe, ut tota manus viri in apertum latus immitti potuerit; & digitus in vulnera manuum. *Et vide manus meas. Vide*, id eſt, explora, videlicet tactu, miſſo in fixuras manuum mearum digito.

℣.28. *Dominus meus & Deus meus.* Mira & magna confeſſio diſcipuli paulò ante increduli; & qualem antè non legimus. Quamvis enim Petrus atque etiam alij Chriſtum fuiſſent confeſſi filium Dei: nemo tamen ante Thomam legitur expreſſis verbis dixiſſe Chriſto: *Deus meus es tu.* Igitur ſicut in Paulo, ſic & in Thoma ſingulariter oſtendere voluit Deus potentiam gratiæ ſuæ, ut ubi ſuperabundavit delictum, ſuperabundaret & gratia. Eſt autem confeſſio veræ humanitatis & divinitatis Chriſti. *Dominus meus es tu*, videlicet jure redemptionis humani generis quæ facta eſt per crucem & mortem. Ipſum autem alloquens & Dominum ſuum vocans, confitetur eſſe viventem, & proinde à morte reſurrexiſſe. *Deus meus es tu*, manifeſta confeſſio eſt divinitatis. Cæterum veriſimile eſt Thomas hoc dixiſſe poſtquam tetigit. Prius enim tangere debuit, & poſtea credere, ut per illius dubitationem & contrectationem, qua ad credendum inductus eſt, noſtra fides confirmaretur. Si enim prius crederet & poſtea tangeret; talis tactus eius, ſicut non duceret ipſum ad fidem, ſic etiam minus conduceret ad fidem noſtram confirmandam.

℣.29. *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti.* Dices, ergo Thomas non palpavit, ſed vidit tantùm. Non ſequitur; quia videndi verbum ad omnes ſenſus extenditur. Eſt enim ſenſus: quia me explorasti per ſenſum, & experientiam; propterea credidiſti. Sic Lucæ ult. *Palpate & videte*, id eſt, percipite, & palpando explorate: Et hoc capite: *Infer digitum tuum huc & vide manus meas*, id eſt, immiſſis digitis explora.

Illud quod dicit *credidiſti* ſic expone: Credidiſti id quod negaveras, ſcilicet me reſurrexiſſe à mortuis. Ad hoc enim propriè inducebat illa viſio & palpatio corporis, & membrorum perforatorum; tametſi etiam amplius aliquid credidit, ſcilicet illum quem reſurrexiſſe cognoverat, eſſe Dominum & Deum ſuum. Huc enim etiam extendi oportere hanc ſententiam, ſatis apparet ex illa eius confeſſione, quæ proximè anteceſſit hanc Domini reſponſionem. Unde & quod ſequitur generale eſt: *Beati qui non viderunt & crediderunt.* Nempe non tantum reſurrectionem eius, ſed omnia quæ de ipſo per Apoſtolos erant prædicanda, quorum præcipuum erat Chriſtum eſſe Dei filium.

Sed cum hîc dicitur; *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti:* Quomodo ergo fides eſt non apparentium? Reſpondet S. Gregorius, quia aliud vidit, aliud credidit, vidit hominem, credidit Deum. Sed an non etiam tunc credidit hominem à mortuis redivivum? Id enim antea credere recuſabat. Proinde dicendum videtur eum id vidiſſe quod credebat; ſed per fidem habuiſſe eius rei longè certiorem perſuaſionem, quam per ſenſum; licet ſenſus ad credendum induxerit. Sicut in diſciplinis, ſenſus inducit ad credendum principia, quorum tamen aſſenſus longè certior eſt cognitione ſenſus. Unde & qui viderunt Chriſtum in cruce pendentem & patientem, ſi fideles erant, vel poſtea facti ſunt, ut B. Virgo, & alij, multò certius per fidem id verum eſſe credebant, quam ea perſuaſione quam ſenſus evidentia gignit, illuſtratione divina non accedente. S. Auguſt. ſerm. 146. de tempore in fine, ad Thomam: *Ipſa eſt tota fides tua, qua credis quæ vides;* laudo eos

A qui non vident, & credunt. Vide noſtra in 3. Sent. diſt. 24. *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Vide Annot. Matth. 13.

℣.31. *Hæc autem ſcripta ſunt ut credatis quia IESVS eſt Chriſtus filius Dei.* En cauſam finalem huius Evangelij à Ioanne conſcripti.

CAPUT XXI.

℣.2. **E**T *Nathanaël.* Inter diſcipulos nominat *Nathanaëlem*, imò inter Apoſtolos, quemadmodum & cap. 1. ubi cum Petro & Andrea & Philippo numeratur. Quæritur cur Nathanaelem Chriſtus non elegerit inter Apoſtolos, præſertim cum perhibuerit idem de Chriſto teſtimonium, ob quod Petrus inter
B Apoſtolos primatum eſt conſecutus. Auguſtinus & alij eum ſecuti, reſpondent cauſam eſſe, quia Nathanaël peritus erat in lege, ut ne prædicatio Apoſtolorum, & per eos converſio hominum, aſcriberetur humanæ ſapientiæ: ideo idiotas electos fuiſſe in Apoſtolos. At hac ratione nec inter Septuaginta duos diſcipulos erat aſſumendus. An autem Nathanaël revera fuerit in lege peritus, vide Annot. cap. 1. Rupertus putat & valde probabiliter hunc Nathanaelem fuiſſe eum, quem alij Evangeliſtæ Bartholomæum vocant: eo quod apud eos ſemper conjungatur Bartholomæus cum Philippo, ut Nathanaël Ioan. 1. in recenſendo Catalogo Apoſtolorum; ſicut Petro Andreas copulatur, & Iacobo Ioannes. Idem colligitur ex præſenti loco ubi Nathanaël
C numeratur inter diſcipulos Chriſti, quibus jam tertiò ſe Dominus manifeſtavit. Antea autem non aliis apparuiſſe legitur apud Ioannem, quàm Apoſtolis. Unde & hic Nathanaël unus Apoſtolorum fuiſſe videtur. Accedit quod Bartholomæus non videatur eſſe proprium nomen Apoſtoli ſicut nec Bar-Iona. Unde ſicut Simon Petrus à patre dicitur Bar-Iona; ita Nathanaël Bartholomæus tanquam filius Thomæi: Ioannes autem proprium eius nomen voluit exprimere licet Bartholomæus dictus fuerit uſitatiori nomine, à nomine patris, more Hebræorum; quod tempore Chriſti videtur frequens fuiſſe. Sic Marci 10. filius Timæi Bartimæus ſcribitur, quem veriſimile ſic vulgo à patris nomine appellatum, licet aliud proprium nomen haberet. Sic Act. 1. idem vocatur Ioſeph & Barſabas, non
D propriè binominis, ſed quia alterum erat nomen proprium, alterum velut patronimicum; fortè enim pater vocabatur Sabba. An autem etiam de Barnaba, cuius proprium nomen erat Ioſes, Actor. 4. idem dici poſſit, expendendum. Nec repugnat quod Lucas dicat eum ſic cognominatum ab Apoſtolis, & interpretetur nomen eius filium conſolationis: Certè inde conſtat Barnabam non fuiſſe nomen eius proprium; ac fortè ſic eum cognominarunt Apoſtoli, non novum nomen indentes, ſed morem ſequentes vulgarem, quo quis à patris nomine cognominabatur. Neque obſtat interpretatio, quam B. Lucas adfert. Vult enim ſignificare fauſtam fuiſſe illam cognominationem, ex interpretatione. Jam an ſimile quid ſit de Barabba latrone, expendi poteſt. De Simone Petro conſtat quòd à patris nomine
E dictus ſit Bar-Iona, nec uno loco. Nam Ioannis 1. dicit ei Dominus: *Tu es Simon filius Iona.* Hebraicè *Bar-Iona.* & hoc cap. 21. ubi legimus Dominum dixiſſe Petro, ſemel & iterum; *Simon Ioannis diligis me:* veriſimile eſt Dominum Hebraicè loquentem dixiſſe: *Simon Bar-Iona.* Item Actor. 13. magus Elymas, etiam nomen habebat Bar-Jesus, ſcilicet quod pater eius Jesus vocaretur. Erant enim eo ſæculo complures hoc nomine, ut apud Ioſephum, & etiam apud Apoſtolum, Sic Actor. 15. Iudas cognominatur Barſabas, prorſus ſimili, ut opinor, ratione; fortè & hinc ſolvitur quæſtio de Zacharia filio Barachiæ.

Cur autem uſitatius Bartholomæus quàm Na-

thanaël

thanaël dictus fuit hic Apoſtolus? fortè quia Apoſtoli gentibus prædicaturi Evangelium, ne vel nomine offenderent, vitabant quantum poterant barbariem nominum, & ea prout opportunum erat commutabant in formam & terminationem nominum Græcorum, aut Latinorum, aut in alia nomina Græcis ac Latinis gratiora, aut uſitata. Nulla enim Græca aut Latina nomina deſinunt in *el*, ſed pleraque Græca in *os*, & Latina in *us*. Hoc pacto Silas Silvanus dictus eſt, & Cephas Petrus, & Saül primùm Saulus, deinde Paulus, gratioſo apud Romanos vocabulo; & Levi, Matthæus; & Iacob Iacobus. Igitur ſimili ratione Nathanael magis vulgatè Bartholomæus dictus videtur. Pro hac autem opinione quæ Nathanaëlem eundem facit cum Bartholomæo; poteſt & hoc adferri quod de omnibus aliis Apoſtolis, quos Chriſtus elegit, ſcriptura aliquid commemorat factum aut dictum, aut ſaltem aliquid peculiare de illis dicit. Nihil autem prorſus uſquam de Bartholomæo, niſi quod eum nudo nomine Bartholomæi expreſſo ponit in catalogo Apoſtolorum apud tres Evangeliſtas, & Actorum primo. Nam de Petro, Andræa, Ioanne, & Iacobo fratre eius multa habemus. Item de Thoma, Philippo, utroque Iuda & Matthæo. Alter quoque Iacobus celebris eſt in Actis Apoſtolorum & 1. Cor. 15. & Galat. 1. & 2. & reliquit epiſtolam, ſicut & Iudas, frater eius. Et in catalogo vocatur Iacobus Alphæi, & Iudas, eius frater, tanquam celebrioris. Simon quoque deſcribitur Cannæus & cognominatur Zelotes, velut ab inſigni aliqua proprietate. Quare ne de ſolius Bartholomæi qualitate; vel actis prorſus tacuiſſe videatur Scriptura: ſuadet ratio ut amplectamur opinionem tot aliis rationibus ſuffultam, Bartholomæum ipſum eſſe Nathanaëlem, de quo tam præclarè meminit Scriptura. Facit & pro eadem quod ſequitur: *Qui erat à Cana Galilaæ.* Hoc addit, ut ſignificet ſe de eodem loqui, de quo ſcripſerat cap. 1. ſui Evangelij. Hunc autem Nathanaëlem non fuiſſe unum ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, & proinde fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis, etiam inde oſtenditur; quia ſeptuaginta duo diſcipuli multò pòſt vocati ſunt, ſcilicet Lucæ 10. *Poſt hæc*, inquit, *deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos*: Nathanael autem cum Philippo vocatur initio prædicationis Chriſti, Ioannis 1. eodem tempore quo Petrus & Andræas. Ex quibus pluſquam veriſimile eſt fuiſſe unum ex numero Apoſtolorum. Nam & ex eodem loco apparet, quod erat cum Chriſto manſurus; quia dicitur: *Videbitis cælum apertum & Angelos, &c.* Denique feſtum S. Nathanaëlis, ſub illo nomine non reperitur in Calendario. Heſſelius in Matth. 10. meminit huius opinionis, nec rejiciens eam nec approbans. Ab hac opinione de Nathanaële diſſentit Baronius in Martyrolog. & tomo 1. Annalium, ſed nullam reddit rationem. Arias Montanus ſimpliciter affirmat Nathanaëlem fuiſſe cognominatum Bartholomæum: ſuper Ioannem, & Matth. 10. Marci 13. Lucæ 6. & repetit hoc loco. Bellarm. libro 1. de Romano Pontifice capite 14. Nathanaëlem, inquit, multi Bartholomæum eſſe putant. Et videtur ipſe idem ſentire. Vult enim oſtendere Petro dictum eſſe: Paſce oves meas coram aliis Apoſtolis.

℣. 3. *Vado piſcari.* Quare non fecerit Petrus contra illud: *Qui mittit manum ad aratrum & reſpicit, &c.* Vide S. Gregorium homilia in hunc locum, Feria 4. Paſchæ.

℣. 11. *Plenum magnis piſcibus.* Vide Annotation. Apoc. 19 ad v. 5.

Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Eraſmus, *& cum tot eſſent*: Sic ſuprà capite 6. *Sed hæc quid ſunt inter tantos?* id eſt, tam multos. Et Matth. 15. *Unde nobis in deſerto panes tantos?* id eſt, tam multos.

Eſtij Annotat. in Script.

A Sciendum tamen vocem Græcam τοσοῦτοι non ſolum de multitudine, verùm etiam de magnitudine dici; & hoc quidem loco fortaſſe Evangelium ad utrumque reſpexiſſe. Erant enim piſces multi & magni, nec puto Græcis aliud vocabulum ſuppetere, quo magnitudinem ſignificare volentes, dicant, *cum tanti eſſent*; quàm quo uſus eſt Evangeliſta. Quare hoc loco magis placet vocabulum *tanti*, utpote patens ad utrumque, ſaltem uſu Scripturarum illius temporis. Poſſet autem explicatius verti hoc modo: *Et cum tot tantique eſſent.*

℣. 15. *Simon Ioannis.* Eadem ſunt, Simon Ioannis hoc loco, & Simon filius Iona cap. 1. huius Evangelij, & Simon Bar-Iona Matth. 16. Nam Iona contractum eſt à Ioanna. B Sed cur non dicit Simon Petre, præſertim cum hîc eum crearet paſtorem totius Eccleſiæ? an humiliare eum voluit, ac memorem eſſe ſuæ originis? quaſi diceret: Ego te Simonem piſcatorem, Ioannis piſcatoris filium, proveho ad tantam dignitatem, ut ſis totius ovilis mei, id eſt, Univerſalis Eccleſiæ, paſtor. Propterea & Matth. 16. dixit: *Beatus es Simon Bar-Iona.*

Diligis me plus his? Tam in Græco, quàm Latino Ambiguum eſſe poteſt, utrum *plus his*, id eſt, plus quàm hi, an plus, quàm hos? Sed non eſt dubium, quin prior ſenſus huic loco congruat, non poſterior. Neque enim ulla ratio aut ſuſpicio eſſe poterat, quod Petrus alios magis quàm Chriſtum diligeret. Neque ſi quis Chriſtum magis quàm alios diligat, ſtatim idoneus erit, qui oves eius paſcat. C Omnibus enim commune eſſe debet, Chriſtum magis quàm alios omnes diligere; alioqui Chriſto dignus non erit: *Qui amat patrem, &c. plus quam me non eſt me dignus.*

Quæri hic ſolet uter magis Chriſtum dilexerit, Petrus an Ioannes: & uter magis à Domino fuerit dilectus. Ioannem magis dilectum fuiſſe à Domino quàm Petrum, quidam probant hoc argumento, quia Chriſtus Ioanni commendavit matrem ſuam, Petro Eccleſiam, dignior eſt autem mater Chriſti, quàm reliqua Eccleſia, quia ſanctitatis excellentioris. Non valet argumentum: quia etiam Ioſepho commendata fuit mater Domini, & quidem tunc quando maxima myſteria agebantur, ſcilicet D Verbi incarnatio; nec tamen inde quis dixerit Ioſeph magis dilectum à Chriſto, quàm Petrum. Item, Eccleſia comprehendebat etiam B. Mariam, & proinde etiam illa Petro commendata fuit, tamquam Eccleſiæ ſanctiſſimum membrum. Aliud argumentum ſumunt ex ætate, videtur enim Chriſtus ex ſingulari quodam amore, ſuam ætatem Ioanni triplicatam largitus fuiſſe; Chriſtus enim vixit annos triginta tres, Ioannes verò nonaginta novem, ut refert Uſuardus in Martyrologio Decemb. vigeſima ſeptima. Reſpondetur, argumentum invalidum eſſe; Deinde nec verum, Ioannem vixiſſe eam ætatem. Nam doctè id refellit Baronius tomo 2. docetque eum natum annos nonaginta tres, ex hac vita migraſſe. Quidam etiam Ioannem magis Petro dilectum à Chriſto, probant hoc argu- E mento, quia Ioannes erat Chriſti conſanguineus: At conſanguinei diligendi præ extraneis. Reſp. non fuiſſe conſanguineum; & ut fuerit; non ſequitur; quia non ſemper, nec quoad omnia propinqui magis diligendi, quàm extranei. Sed cæteris paribus & quoad neceſſitates præſentis vitæ, &c.

Pro eadem ſententia adduci poſſunt Patres. Sanctus Hieronymus contra Iovinianum, dicit Ioannem plus cæteris dilectum à Domino, propter virginitatem. S. Auguſtin. lib. de continentia cap. 11. ait de Ioanne; quem præ cæteris diligebat. Idem epiſtola 89. ad Hilarium dicit quod Ioannem Chriſtus inter diſcipulos præcipuè diligebat. S. Gregorius in Evangelia dicit

quod Ioannes pro amore præcipuo ; in redemptoris A ſui pectore in cœna recubuit. Denique in Eccleſiæ officio canitur de eo, quod privilegio amoris præcipui cæteris altius meruit à Domino honorari. Item ibidem dicitur, Ioannes inter cæteros à Chriſto magis dilectus. Item, quia ſpecialis prærogativa caſtitatis ampliori dilectione eum fecerat dignum.

Verùm pro S. Petro facit S. Chryſoſt. hom. 87. in Ioannem, quæ & legitur in octava S. Ioannis ; ubi aſſerit, quod & Chriſtus majorem erga Petrum dilectionem teſtatus fuerit. Et favet hic locus, qui ſatis ſignificat quod Petrus plus cæteris Chriſtum dilexerit. Ideo enim hoc Dominus interrogat, ut eum tanquam præ cæteris amantem, ſuprà cæteros ovium ſuarum paſtorem conſtituat. Quod ſi autem Petrus plus cæteris Chriſtum dilexit : neceſſario conſequens eſt eum à B Chriſto præ cæteris dilectum fuiſſe, vel eo ipſo, quia plus dilexit. Illum enim Deus magis diligit cui majus beneficium tribuit: Tale eſt autem plus diligere Deum, reſpectu eius quod eſt minus diligere Deum. Sicut enim Deum diligere omnino non poſſumus, niſi ille dederit: ita nec plus diligere, niſi & hoc ipſum ab ipſo datum fuerit. Et hoc quidem conſequens eſt, ſi loquamur de divina dilectione reſpiciente præſentem hominis ſtatum. Nam ſecundum prædeſtinationem ſæpè, non ſolum plus à Deo diligitur, qui eum minus diligit ; verùm & qui ei adhuc per peccata inimicus eſt, imò & qui nondum eſt. Quod verò Ioannem dicitur præ cæteris dilexiſſe, peculiarem habet intellectum. C Certa enim quædam & peculiaris amoris ſigna ei præ cæteris exhibebat, fortaſſe propter integritatem virginalem. Eſt enim virginalis puritas, præſertim in adoleſcente, res quædam valde amabilis. Unde & Chriſtus mentem eius, tantò altius ad divina contemplanda ſubvexit, quantò magis à carnali voluptate eum abſtraxit. Vide S. Thomam 1. q. 20. artic. 4. ad 3. ubi quatuor adſert reſponſiones, quare Ioannes dicatur diſcipulus quem diligebat Jesus, cum Petrus plus dilexerit. Item 3. quæſtione 45. artic. 3. ad 4. vbi ſignificat Petrum magis dilexiſſe, licet Ioannes magis dilectus fuerit. Vide etiam B. Bonaventuram diſt. 32. lib. 3. q. ult. & noſtra in fine diſt. 31. eiuſdem lib.

Tu ſcis Domine, quia amo te. Piſcator ictus ſapit. Ante Chriſti paſſionem præ cæteris aliquid ſibi arroga- D bat tamquam plus cæteris diligens Chriſtum ; quando dicebat, *Etſi omnes hi ſcandalizati fuerint, ego non ſcandalizabor.* Nunc autem lapſu ſuo admonitus, non audet reſpondere, Amo te plus his ; ſed tantum dicit ; & quidem cum cautela. *Tu ſcis, Domine quia amo te*, lapſus eum humilem, & cautiorem reddidit. In Græco ἀγαπᾷς & φιλεῖς pro eodem poni liquet : quia dicit Dominum ter interrogaſſe φιλεῖς με, cum tamen bis dictum legatur ἀγαπᾷς με ; ac crediderim Dominum una & eadem voce Syriaca uſum fuiſſe. Porrò quod non in perſona omnium Apoſtolorum interrogatus fuerit, aut reſponderit, ut quidam volunt ; patet, quia Dominus dicit, *plus his* ; quod non conveniret, ſi in eos omnes interrogarentur Apoſtoli. Eſt ergo interrogatio propriè directa ad Petrum ; proinde & eius re- E ſponſio perſonæ eius propria eſt. Unde & Chriſti reſponſio, *Paſce agnos meos, Paſce oves meas*, propriè Petro redditur.

℣. 17. *Paſce oves meas.* Dat his verbis Dominus Petro poteſtatem ei promiſſam Matth. 16. quando dixit : *Et ego dabo tibi claves regni cælorum.* Et Petrum conſtituit Paſtorem ovium ſuarum ſine exceptione & reſtrictione, præſentibus aliis Apoſtolis ; ſicut etiam abſolutè ei fuerat dictum coram iiſdem Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claves, &c.* Aliis Paſtoribus tantum cum reſtrictione dicitur, Paſce hunc, vel illum gregem. Unde Petrus ad Epiſcopos ſeu Presbyteros ſcribens ; *Paſcite (inquit) qui in vobis eſt gregem*, id eſt, quiſque peculiarem gregem ſibi concreditum. Unde addit, *non dominantes in cleris*, id eſt ſortibus ; in ea videlicet portione gregis dominici, quæ unicuique quaſi ſortito obtigit. At B. Petro omnium ovium cura adeoque ipſorum Apoſtolorum, demandatur. Ipſos enim Apoſtolos comprehendi nomine ovium, probatur ex eo quod Dominus adſert ex Propheta dictum de ſe & Apoſtolis ſuis ; *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.* Nam & ipſe Petrus ovis erat illius gregis ; ſed exaltanda in paſtorem, & toti gregi vice Chriſti primarij paſtoris, præficienda.

Cæterùm quod tertiò rogat, *Diligis me*, per hoc ſignificat neminem eſſe idoneum ad paſcendum oves Chriſti, niſi Chriſtum diligat, non quomodocunque, ſed excellenti amore. Itaque ter de amore eum interrogare voluit, ut oves ſuas illi tertiò commendaret paſcendas. Quæ quidam tertiò repetita commendatio atque commiſſio, primum ſignificat quantum Chriſto Domino ſummo Paſtori curæ ſit ovium ſuarum ſalus. Deinde, quantum ipſi Petro eam curæ eſſe velit. Quæ enim vehementer nobis cordi ſunt, ut fiant : ea non ſemel, ſed ſæpius & cum inculcatione commendamus. Dum ergo poſt ſæpius repetitam interrogationem *Amas me?* ſubjungit, *Paſce oves meas*, idem eſt quaſi diceret, Si vis mihi rem gratam facere, ſi vis oſtendere reipſa quod me diligas, paſce oves meas. Significat hic ſermo, eſſe opus Chriſto gratiſſimum, paſcere oves eius. Non dicitur, Diligis me? Intra ſolitudinem aut monaſterium ; & ibi duc vitam duram & aſperam in abſtinentiis, jejuniis, vigiliis, cilicio : ſed *Paſce oves meas.* Ratio ; quia eſt opus quo maximè innuatur bonum commune Eccleſiæ, ut ad finem ſuum perducatur. Dices, Orare pro ſalute totius Eccleſiæ, & converſione peccatorum ; melius eſt. Reſpond. hoc opus in illo contineri, ut partem in toto. Eſt enim una pars officij paſtoralis orare Deum pro ſuis ovibus. Vide S. Chryſoſt. homiliâ 40. in Gen. & S. Greg. hom 15. in Ezechielem. Porrò *Paſce oves meas*, ad ſolum quidem Petrum vocaliter dictum eſt ; ſed non ad ſolum pertinet, verùm etiam ad omnes eius ſucceſſores. Voluit enim Chriſtus Eccleſiæ ſuæ proſpicere in perpetuum de Paſtore totius Eccleſiæ ; idque maximè ad conſervandam Eccleſiæ unitatem. Quod ſanè non tam erat neceſſarium Apoſtolorum tempore, qui facile ſine uno capite concordiam inter ſe ſervare potuiſſent, quam ſubſequentibus ſæculis, refrigeſcente charitate, & fidelium numero ſupra numerum creſcente. Unde rectius hinc ſtatuitur, etiam quemlibet eius ſucceſſorem, eſſe paſtorem omnium fidelium, id eſt, totius Eccleſiæ.

℣. 18. *Ducet quò tu non vis.* Scilicet voluntate ſenſitiva, quæ refugit mortem & dolores. Id etiam de Chriſto verum eſt aliquo modo, quod ductus ſit quò non vellet. Inde enim illa eius oratio ; *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis.* At diſcrimen eſt, quod in Chriſto inferior appetitus perfectè fuerit ſubjectus ſuperiori, non ſic in Petro, nec in aliis.

℣. 19. *Hoc autem dixit ſignificans qua morte clarificaturus eſſet Deum.* Non ſignificatur mors ſupplicio crucis inferenda, ſed in genere mors violenta pro Chriſto. Itaque quamvis ex ſcripturis non habeamus Petrum fuiſſe crucifixum) id enim ſola & indubitata traditione accepimus) tamen habemus ex Scriptura Petrum eſſe Martyrem, id eſt, morte affectum pro nomine Domini. Notandum etiam quod huiuſmodi duntaxat mortem Dominus à Ioanne removet in ſequentibus.

℣. 23. *Sic eum volo manere donec veniam.* Sic irrepſit pro ſi ; quod etiam accidit in Pſalmo 62. ubi vulgò legitur : *ſic memor fui tui ſuper ſtratum meum*, cum

cum *ſi* legendum ſit. Contra verò, *ſi* pro ſic irrepſit in Sapient.9. *Et ſi correcta ſint ſemitæ eorum.* Vide ibi Ianſen. *Si*, non *ſic*, legendum manifeſtè patet, ex Græco ἐὰν, non enim inter Græcas voces ἐὰν & οὕτως ea affinitas eſt, ut errore aliquo alterum in alterum mutari potuerit, ſicut apud Latinos *ſi* in *ſic* mutatum fuit. Idem confirmat ex vetuſtis Latinis codicibus, & ex authoritate Cardinalis Beſſarionis. Petrus de Rivo Theologus Lovanienſis, in lib. de anno, die, & Feria Dominicæ Paſſionis, tract.1. cap.3. particula 6. teſtificans Paulum à Middelburgo, contra quem alioqui ſcribit, id bene obſervaſſe. S. Auguſtinum legiſſe, *Si* non *ſic*; in explicatione huius loci putat Ianſen. At ex lib.4. de conſenſu Evangel.cap. ultim. apparet eum legiſſe, *Sic eum volo manere.* Clenardus quoque in epiſtola ad Rutgerum Reſcium, teſtatur in codice Arabico ante annos ſexcentos è Græco tranſlato, legi; *Si eum volo manere.* Syra tranſlatio *ſi*, non *ſic* legit. Miror Biblia Sixtinæ correctionis retinere *ſic*. Videtur autem huius lectionis occaſio fuiſſe ex officio Eccleſiaſtico de S. Ioanne, in quo *ſic* legebatur, idque juſta ratione, quia non addebatur, nec addendum erat, *Tu me ſequere*, quia officio non congruebat. Proinde ne imperfecta ac ſuſpenſa eſſet oratio, *Si eum volo manere, donec veniam:* placuit *ſi* mutari in *ſic*, ſenſu tamen ſalvo, quia *ſic* includitur in eo quod eſt *manere*. Ceterum hæc verba à fratribus, id eſt, fidelibus ſic intellecta ſunt, quaſi Ioannes eſſet victurus uſque ad ſecundum Chriſti adventum; non quod putarent Ioannem victurum aliquot ſæculis, ſed quia putabant adventum & judicium Domini non diu differendum. Sic enim multi tunc opinabantur. Unde & Paulus hanc Theſſalonicenſium opinionem corrigit, quaſi inſtaret dies Domini. Et Petrus eorum qui dicebant: *Ubi eſt adventus Domini?* Ac ſanè verba Domini prima facie videntur aliquid tale ſonare: Nam illud, *donec veniam*, videtur ſignificare ſecundum adventum; ſicut 1. Corint. 11. *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Et *manere* videtur dictum pro eo quod eſt remanere in vita; quia opponitur morti, quam Petrum paſſurum prædicit. Et tamen Dominum non hoc dicere voluiſſe ſignificat ipſe Ioannes, dicens: *Et non dixit ei IESVS, Non moritur*, id eſt, Verba quæ dixit ei; *Si eum volo manere donec veniam*, non ſignificant eum non moriturum.

At dices, Hæc bene conſiſtunt ut Ioannes maneat in vita donec Chriſtus ad judicium veniat, & tunc moriatur; ſicut habet communis ſententia, eos qui vivi reperientur adveniente judice, ſubito morituros, & mox reſuſcitandos. Unde ex correctione Ioannis non ſequitur, Ioannem non manſurum in vita uſque ad adventum Domini; tantum enim corrigit opinionem dicentium, *Non moritur.* Præterea, poteſt adferri pro eodem ſenſu, quod abſolutè dicit Dominus, *donec veniam*; ſicut 1. Cor. 11. Non autem, *donec veniam ad eum:* unde apparet ſignificari adventum

A Chriſti generalem, ſcilicet ad judicium. Vide noſtra in 4. diſt.43.

℣.23. *Exijt ergo ſermo iſte inter fratres, quia diſcipulus ille non moritur.* *Fratres* intelligit, non Apoſtolos; vel alios qui tunc aderant, quando iſta Jeſus dicebat, tametſi ſic videatur S. Auguſtinus intellexiſſe, tractatu ult. in Ioannem; ſed Chriſtianos, qui per horum prædicationem poſtea crediderunt, & *fratres* more Scripturæ vocantur. Horum enim multis ex his Domini verbis perſuaſum fuit, Ioannem non moriturum donec Chriſtus veniret ad judicium; adeo ut eo tempore, quo Ioannes hæc ſcribebat, & deinceps uſque ad eius obitum, hæc multorum fratrum, id eſt, fidelium, opinio perſeveraverit, teſte Tertulliano, cuius verba accipienda ſunt pro commentario huius ſententiæ. Quod ſi Apoſtolos voluiſſet intelligi, dixiſſet, ſuo & aliorum Evangeliſtarum more, *inter diſcipulos, quia*

B *diſcipulus ille non moritur.* Quidam prologus qui vulgo præfigitur Evangelio Ioannis, habet Ioannem vivum deſcendiſſe in ſepulchrum, quod ſibi fieri juſſerat. Falſo autem tribuitur Hieronymo; de cuius ſententia aliunde patet. Alij quidam mortuum eum fatentur, ſed dicunt paulò poſt à morte reſuſcitatum, cum corpore aſſumptum fuiſſe in cœlum; & huius rei argumentum eſſe, quod corpus eius nuſquam terrarum reperiatur. Quod non dicerent ſi veterum Scripta diligenter perluſtraſſent, ex quibus liquidè monſtratur non ſolum eum mortuum fuiſſe, verùm etiam corpus eius multis temporibus apud Epheſum fuiſſe aſſervatum; de qua re vide Annales Baronij.

Quæret fortè aliquis, quare ſolus Ioannes inter omnes Apoſtolos fuerit à paſſione martyrij immunis? Inter alias videtur hæc ratio reddi poſſe, quia ceteri

C omnes diſcipuli fugerunt & occultaverunt ſe, quando Chriſtus ad mortem ductus & crucifixus eſt; ſolus Ioannes, licet initio fugiſſet, redijt tamen, & Chriſto morienti ſub cruce aſtitit; & ita quodammodo in Chriſto patiente paſſus eſt, & doloris gladius animum eius tranſfixit. Ob hanc cauſam nec B. Virgo, nec Maria Magdalena martyrium paſſæ ſunt.

℣.24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc; & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.* Magnum erat Ioannis teſtimonium, maximique ponderis apud omnes Eccleſias, illo præſertim jam tempore, quo ipſe ſolus ex omnibus Apoſtolis ſuperaret; quem conſtabat Chriſto ſingulariter dilectum,

D ac familiarem fuiſſe, & ſuper pectus eius in cœna recubuiſſe, & morienti ſub cruce aſtitiſſe. Quod autem dicit, *ſcimus quia verum eſt*; in perſona fidelium dicit, q.d. Omnes Eccleſiæ teſtimonium eius tanquam verum & certum recipiunt. Vide Annot. ſuprà cap.19. v.35. & comment. in 3. eius epiſtolam Catholicam.

℣.25. *Nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, &c.* Hyperbola ſumpta ex vulgi ſermone. Sic & ſuprà c.12. dicunt Phariſæi: *Ecce totus mundus poſt eum abijt*, qui modus loquendi etiam hodie in uſu vulgi eſt.

FINIS ANNOTAT. IN QVATVOR EVANGELIIA.

ANNOTATIONES
IN ACTA APOSTOLORVM.

CAPUT PRIMUM.

℣.1. *De omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESVS facere & docere, uſque in diem, &c.* Senſus eſſe videtur: De omnibus quæ Jesus fecit & docuit; ſcilicet à tempore, quo cœpit facere & docere, uſque in diem aſcenſionis eius in cœlum. Dicit autem *de omnibus* quamvis ſine dubio multa Chriſti facta & dicta ſint ab eo prætermiſſa, quæ alij Evangeliſtæ tradiderunt, aut omnino à nemine ſcripta ſunt; quia multa & varia de Chriſti factis & doctrina fuerat illo libro complexus, quæ ſuo quodam modo dici poſſunt omnia; vel certè, quia ſcripſerat omnia, quæ ſibi propoſita habebat ad ſcribendum; vel omnia quæ merito poſſent ſufficere. Sic Lucæ primo, *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia.* Vide eius loci annotationes. Vide etiam Commentarium Bartholomæi Petri ad hunc v.

℣.2. *Vſque in diem, qua præcipiens Apoſtolis per Spiritum Sanctum quos elegit, aſſumptus eſt.* Dubium quo pertineat illud: *per Spiritum Sanctum*, num ad *præcipiens*, an ad *elegit*, an verò ad *aſſumptus eſt*. Eraſmus vertit in hunc modum: Ad eum uſque diem, quo poſtquam impertitus in hoc ipſum Spiritum Sanctum, mandata dediſſet, quos delegerat, Apoſtolis, ſurſum aſſumptus eſt. At difficile eſt Græca ad hunc ſenſum inflectere. Sic enim habent ad verbum: *uſque quo die præcipiens* (vel, *præcepta data*, eſt enim participium præteriti temporis ἐντειλάμενος) *Apoſtolis per Spiritum Sanctum quos elegit, aſſumptus eſt.* Sanè contextus vix permittit, ut alio referatur, quàm ad *præcipiens*. Senſus autem non incommodus eſt: Chriſtum Apoſtolis, quos elegit ad opus propagationis fidei, præcepta dediſſe per Spiritum Sanctum ad hoc ipſum opus pertinentia. Quæ præcepta partim indicat ipſe Lucas capit. ultim. ſui Evangelij, & plenius hoc 1. capite Actor. repetit; partim autem atque expreſſius habentur Matth. ult. & Marci ult. Quomodo autem præcepit per Spiritum Sanctum, niſi quia Chriſtus omnia opera ſua, maximè ad ſanctificationem noſtram ſpectantia, feciſſe dicitur per Spiritum Sanctum, utpote omnis ſanctificationis authorem? Sic enim ad Hebræos 9. dicitur per Spiritum Sanctum obtuliſſe ſemetipſum Deo. In hunc ferè ſenſum exponit Chryſoſtomus, quem citat Eraſmus in annot. Similiter de Chriſto dicitur, quod baptizat in Spiritu Sancto. Item: *In Spiritu Dei ejicio dæmonia. Et unctus Spiritu Sancto. Spiritus Domini ſuper me, &c.*

℣.3. *Loquens de regno Dei.* Græcè καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. Id eſt, *Et dicens ea, quæ de regno Dei*, Id eſt, pertinentia ad Eccleſiam, quæ eſt regnum Dei. Quæ Scriptura ſic ſecundum Græcum expenſa, manifeſtius facit pro traditionibus non ſcriptis.

Per dies quadraginta apparens eis. Non quod ſingulis diebus apparuerit eis, ſed quia intra tempus quadraginta dierum, frequenter ſe eis videndum exhibuerit.

℣.4. *Et converſans.* Valla & Eraſmus converſationem vel congregationem in unum locum hac voce ſignificari putant, ſed cum noſtro interprete conſentit Chryſoſt. & Oecumenius. Vide Gagnæum, qui vocis ἔτυμον & ſignificatum exponit. Vide etiam lexicon Græcum in ἁλίζω & συναλίζω.

A *Quam audiſtis*, inquit, *per os meum.* Græcè tantum eſt: ἣν ἠκούσατέ μου, id eſt, *quam*, ſive *de qua audiſtis ex me.* Rectè tamen explendi ſenſus cauſa, interpres interpoſuit, *inquit.*

℣.5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies.* Baptiſmus Spiritus Sancti videtur generaliter comprehendere & baptiſmum aquæ à Chriſto inſtitutum, & confirmationis Sacramentum, & utriuſque effectum, etiam ubi Sacramentum non adeſt. Nam in baptiſmo Chriſti baptizamur Spiritu Sancto propriiſſimè, juxta illud: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*; Quia in eo ſic aqua abluimur, ut etiam abundè in eo Spiritus Sanctus in nos effundatur. De quo & Ioannes Baptiſta: *Ille baptizabit vos in Spiritu Sancto.* Et in confirmatione; ut patet ex hoc loco, quia Apoſtoli effectum confirmationis, id eſt, robur Spiritus Sancti acceperunt. Idemque intelligendum in B omnibus, qui hoc Sacramentum cum eius effectu ſuſcipiunt; cuius Sacramenti res, ſine Sacramento præceſſit in Apoſtolis. Item Act. 15. Centurioni, eiuſque familiæ, qui ante baptiſmum acceperant Spiritum Sanctum, hoc idem tribuit B. Petrus, dicens, ſe recordatum illius ſententiæ: *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem, &c.* Nec ſola confirmatio, qua vel Apoſtoli, ſuper eos apparentibus linguis igneis, confirmati ſunt; vel cæteri fideles per Sacramentum manus impoſitionis confirmantur, baptiſmus eſt in igne; ſed etiam ipſum Baptiſmi Sacramentum; quod Apoc. 15. ſignificatur per mare vitreum miſtum igne. Vide eius loci Annot. Itaque baptizare Spiritu Sancto, eſt tingere, perfundere Spiritu Sancto, ſive id fiat in baptiſmi Sacramento, ſive confirmationis, ſive extra Sacramentum, ut factum in Apoſtolis. Cæterum locus hic intelligendus eſt de confirmatione Apoſtolorum per Spiritum Sanctum facta in C die Pentecoſtes. Erant enim Apoſtoli jam ante baptizati, quia ad baptizandos alios deputati: Ioan. 3. 4. & 13. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, &c.* Item quod de iſto deſcenſu Spiritus Sancti loquatur, patet ex Act. 11. ubi Petrus viſo delapſu Spiritus Sancti in Cornelium, & ſocios eius, ſicut & in ipſos initio; dicit recordatum ſe verbi Domini ſicut dicebat, *Ioannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto.* Quæritur, quomodo non eſt ſignificatus hîc Chriſti baptiſmus; cum Matth. 3. Ioannes ſimili ſententia dixerit de Chriſti baptiſmo: *Ego quidem baptizo vos in aqua — Qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni?* Dicendum utrumque eſſe baptiſmum in Spiritu Sancto, tam Sacramentum baptiſmi, quàm confirmationem; & ita D rectè de utroque dictum, quod per ipſum Chriſtus baptizet in Spiritu Sancto. Ideo autem confirmatio baptiſmi nomen accipit, quia eſt quoddam baptiſmi complementum, ut patet ex decreto Melchiadis Papæ. Sicut portò hinc non ſequitur Apoſtolos non fuiſſe baptizatos baptiſmo Ioannis, (nam quidem eorum fuerunt diſcipuli Ioannis, & proinde ab eo baptizati:) ita nec ſequitur eos non fuiſſe antea baptizatos baptiſmo Chriſti in aqua. Tantum enim opponit baptiſmum Ioannis, qui tantum erat in aqua, baptiſmo ſuo, qui eſt Spiritus Sancti; promittens hunc baptiſmum ſuis Apoſtolis, dicendo: *Vos autem baptizabimini, &c.* Quæritur tamen an Apoſtoli fuerint ante baptizati Spiritu Sancto? Nam ex his verbis videtur quod non. Si enim antea

antea baptizati fuerant Spiritu Sancto', quomodo id A id eis nunc, quaſi novum promittitur? Hinc videri poſſet, quod baptiſmus Chriſti, quem dedit ante paſſionem, non erat baptiſmus in Spiritu Sancto, ſed tantum in aqua: ſed vide noſtra in quartum, diſtinctione tertia, §.12. & Annot. Matth.3.

℣.10. *Ecce duo viri.* Angeli aſſumpta ſpecie virorum. Sic Euchariſtia panis vocatur.

℣.11. *Hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis in cælum.* Quomodo aſſumptus eſt, cum propria virtute aſcenderit? Vide annot. Marci ult. *Sic veniet quemadmodum vidiſtis*, id eſt, in forma humana deſcendet judicare vivos & mortuos, ſicut in ea aſcendit.

℣.14. *Cum mulieribus, & Maria matre IESV.* Non quod Maria non fuerit mulier, quod Evangelica & Apoſtolica ſcripta toties affirmant; ſed quia non vul- B garis mulier; verùm, ut ita dicam, pluſquam mulier. Senſus enim eſt: Cum mulieribus, inter quas prima & præcipua erat mater JESU. Simili modo dicitur Marci ultim. *Dicite diſcipulis eius & Petro.*

Et fratribus eius. Igitur credunt in eum fratres eius, de quibus Ioan.7. dictum erat: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Vide eius loci Annot. Item de fratribus Domini, vide Comment. 1.Cor.9. Inter Apoſtolos erant duo, Iacobus & Iudas. Ergo adhuc addens: *Et fratribus eius*, ſignificat præterea fuiſſe duos ut minimum. Alij plures enumerant.

℣.15. *Ferè centum viginti.* De myſterio huius numeri, vide Hieron. in epiſtola ad Paulinum de libris Scripturæ. Centum viginti, inquit, ab uno uſque ad C quindecim paulatim & per incrementa ſurgentes, quindecim graduum numerum efficiunt, qui in pſalterio myſticè continentur. Eam rem ad oraculum declarat Brito ille expoſitor prologorum Hieron. in Biblia, excuſus cum Lirano.

℣.17. *Et ſortitus eſt ſortem miniſterij huius.* Id eſt, ſortitò accepit hoc miniſterium. Sic autem loquitur Scriptura, non quia Chriſtus ſortium interventu Iudam ac cęteros Apoſtolos elegit; ſed, quia ſicut ſors non reſpicit meritum perſonæ; ita Chriſtus Apoſtolos elegit, non quia præ cęteris digni erant & idonei ad hoc munus, ſed ex beneplacito voluntatis ſuæ; qua etiam eoſdem quos elegit, procedente tempore idoneos facere voluit. Unde in Evangelio Marc. tertio, *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe.* D

℣.18. *Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis.* Græcè ἐκτήσατο, quod etiam verti poteſt, comparavit. Dicitur autem Iudas vel comparaſſe, vel poſſediſſe agrum pretio ſanguinis, quod hic vocatur merces iniquitatis; quia argenteis illis triginta, quos ille retulit & in templo projecit, ager comparatus eſt, ut Matthæus teſtatur, velut ſi dicatur domus alicuius, quæ pecunia ab illo relicta empta eſt, licet ille vivens id non mandaverit vel cogitaverit. Quamquam intelligi etiam poteſt, quod Iudas homo ſceleratè avarus jam ante cogitaverit, vel etiam pactus fuerit de agro ſibi comparando ex illo pretio ſanguinis: quod tamen non perfecerit præ animi dolore, quem ob ſceleris magnitudinem, remordens conſcientia attu- E lerat. Huc reſpicit Auguſtin. quando dicit in Tract. de 4. Feria cap.3. Iudam ex pretio ſanguinis Chriſti emiſſe & comparaſſe ſibi agrum figuli. Quod intelligendum ſicut hic locus. Unde & ait Iudam voluiſſe partem aliquam habere in ſæculo. Et addit: Quam nec ipſam poſſedit, quia ſceleris tanti ſibi conſcius, collum ſibi alligavit, &c.

Et ſuſpenſus crepuit medius. Ambroſ. lib.1. de fide cap.9. legit: Et in faciem proſtratus, crepuit medius. Græcè ad verbum: Et pronus ſeu præceps factus, crepuit medius. De huius loci intellectu, vide Ianſ.c.140. in concord. Vide etiam lexicon Græcum in vocabulo πρηνής.

Et diffuſa ſunt omnia viſcera eius. De avaro homine dicitur Eccl.10. *In vita ſua projecit intima ſua.* Vide ibi Ianſenium.

℣.19. *Et notum factum eſt omnibus habitantibus Ieruſalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama, hoc eſt, Ager ſanguinis.* Totum hoc parentheticum eſſe videtur, videlicet ſcriptum ex perſona authoris libri, qui in media oratione Petri, per occaſionem verborum eius de Iuda & agro, hæc interſeruit. Et ita ceſſat difficultas, quomodo Petrus dicat *lingua eorum*. Item quomodo dicat appellatum, *Haceldama*, cum non ſit veriſimile, tam citò poſt factum invaluiſſe cognominationem agri, ſed paulatim & progreſſu temporis, ut fieri ſolet in huiuſmodi. Idque etiam ſignificatur Matth. 27. quando dicit agrum ſic vocatum, uſque in hodiernum diem, id eſt, uſque ad id tempus, quo Matthæus Evangelium ſcribebat. Nam & illud, quod ibidem dicuntur principes Sacerdotum, inito conſilio emiſſe ex triginta argenteis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum, non exiſtimandum eſt, ſtatim ab illis factum fuiſſe, ſed poſtea opportuno tempore. Vide eius loci Annot. & ibidem Ianſenium & Heſſelium.

℣.20. *Scriptum eſt enim in libro pſalmorum: Fiat commoratio eorum deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea.* Pro *eorum* in quibuſdam Cod. M. SS. eſt *eius* conſentientibus etiam Græcis & Syris & textu venerabilis Bedæ. Veriſimile eſt pro *eius* irrepſiſſe *eorum* ex conſuetudine legendi verſum hunc in Pſalm. 68. ex quo deſumptus eſt. Ibi enim ſic habetur: *Fiat habitatio eorũ deſerta, & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet.* At Petrus ad Iudam peculiariter accommodavit, quod in pſalmo generaliter dictum eſt in Iudæos Chriſti perſecutores.

Et Epiſcopatum eius accipiat alter. *Epiſcopatum*, id eſt, prælaturam in Eccleſia Dei. Epiſcopatum autem intellige, vel quem habuit (fuit enim Apoſtolus licet incompletè; quia ante paſſionem tantum inſtituti erant legati ad prædicandum domui Iſraël, non omnibus gentibus) vel quem erat accepturus, niſi tanto ſcelere ſe contaminaſſet. Erat enim, ſicut cęteri undecim, auditurus à Domino: *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos.* Et: *Euntes docete omnes gentes; & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Ordinem Epiſcopalem Iudas non habuit. Hic enim Apoſtolis collatus eſt poſt reſurrectionem Domini. Sacerdos quidem inſtitutus eſt Iudas in cœna Domini cum cæteris Apoſtolis, ſed poteſtatem remittendi peccata, quæ data eſt poſt reſurrectionem, numquam habuit. Hoc quidem ſingulariter quaſi de uno dicitur in pſalmo, ſed ita ut in uno plures etiam intelligantur. Quod inde perſpicitur, quia tres præcedentes verſiculi, quorum primus: *Locuti ſunt adverſum me, &c.* de pluribus loquuntur; & maledictiones, quæ multæ ibi recitantur quaſi in unum hoc verſiculo demum concluduntur, *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adverſus animam meam.*

℣.21. *Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati.* Congregationem intelligit non præſentem, in qua Petrus hæc loquebatur, ſed converſationem cum Apoſtolis ab initio, in quo Chriſtus cœperat colligere diſcipulos. Quem ſenſum clarius expreſſit Eraſmus, dum pro *congregati* vertit *verſati*. *In omni tempore, quo intravit & exivit inter nos.* Intrare & exire, pro eo quod eſt continuo converſari, phraſis eſt Hebræa.

℣.22. *Teſtem reſurrectionis nobiſcum fieri unum ex iſtis.* Præcipua cura erat Apoſtolis, ut reſurrectionem Chriſti bene teſtatam facerent apud eos, quibus prædicabant Evangelium Chriſti; tum quia Judæi infideles hanc præcipuè in dubium vocabant; tum quia reſurrectionis Chriſti certa probatio, maximam fidem prædicationi Apoſtolorum

A conciliabat; tum denique quis reſurrectio Chriſti ſpes noſtra eſt. Si enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, utique beata reſurrectione, de qua diſſerit Apoſtolus Paulus 1. Cor. 15. Nam quo caput præceſſit, eo ſpes vocatur & corporis. Ob hanc cauſam etiam Paulo, tamquam gentium Apoſtolo, ne quid minus haberet à duodecim Apoſtolis teſtibus oculatis, neque teſtimonium eius tamquam auriti teſtis, minoris fieret: viſus eſt Chriſtus redivivus in carne. 1. Cor. 9. & 15. ex hoc loco conſtat, Matthiam & Barſabam fuiſſe ex his Chriſti diſcipulis, qui cum duodecim converſati ſunt toto eo tempore, quo Chriſtus, cum illis egit: nimirum à baptiſmo Ioannis, uſque ad aſcenſionem eius in cœlum; & proinde falſam eſſe eorum ſuſpicionem, qui cenſent omnes Septuaginta diſcipulos Chriſti ab eo receſſiſſe, poſt ſermonem illum Ioan. 6. B Ceterum qui viderant Chriſtum redivivum à morte, non tantum verbo prædicationis perhibebant teſtimonium reſurrectionis Chriſti; verùm etiam miraculis, in ſupplementum firmiſſimæ probationis; ne fortè quis infidelis dicere poſſet eos fallere, aut falſos fuiſſe, objecto per illuſionem oculis ipſorum phantaſtico corpore, aut non verè humano. Hinc Marcus dicit cap. ult. Apoſtolos prædicaſſe Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Sic Petrus capite ſequenti cum dixiſſet: *Hunc IESVM reſuſcitavit Deus; cuius omnes nos teſtes ſumus*; ſubjungit confirmationem ex dono linguarum, accepto per Spiritum Sanctum. Et capite tertio: *Cuius nos teſtes ſumus, & in fide nominis eius hunc, &c.* Et cap. 4. *Virtute magna* C *reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis IESV Chriſti*; Quia per miracula.

℣. 23. *Et ſtatuerunt duos.* Auguſt. lib. 1. contra Felicem Manichæum cap. 4. legit: *Et ſtatuit duos*, videlicet Petrus. Quæ lectio facit ad authoritatem Petri.

Ioſeph qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt juſtus. Quidam dicunt hunc Ioſeph nō ob aliud rejectū ab Apoſtolatu, quàm quia conſanguineus erat Chriſto, ne videretur conſanguinitatis habita ratio, in eius electione. Sed hoc non rectè dici videtur, tum quia non electione, ſed ſorte dirempta eſt paritas inter duos: Quis autem dicat, quid Deus in directione ſortium ſpectaverit, ut non ſuper Ioſeph, ſed ſuper Mathiam ſors caderet? tum quia inter Apoſtolos Domini, duo D erant eius conſanguinei, qui & fratres Domini dicuntur, nempe Iacobus minor frater Domini, & frater eius Iudas Thaddæus. Proinde ſatius eſt præſentis rei cauſam ignorare, quàm curioſè ſcrutari. Rectius dixeris, ideò ſorte Mathiam prælatum, quia à Domino, qui corda novit omnium, ut in ſua oratione dicit Petrus, agnoſcebatur magis ad Apoſtolicam functionem idoneus. Item non conſtat eum fuiſſe Chriſto conſanguineum. Nam Ioſeph, qui Matt. 13. numeratur inter fratres Domini, ab hoc diverſum eſſe inde colligitur, quod ille Græcè Ἰωσῆς, hic verò Ἰωσὴφ dicitur. Heſſelius tamen ſcribens in Matth. decimo fratrem fuiſſe putat. Item cum Lucas tam diligenter eum deſcribat, tribuens ei duo nomina & unum cognomen, certè non omiſiſſet & hoc addere, quod frater Domini fuerit, ſi id verum E eſſet. Denique diverſus hic eſt ab Ioſeph, qui dictus eſt Barnabas, de quo in fine cap. 4. Vide Annot. eius loci. Ac rurſum alius hic ab illo, qui Act. 15. Iudas cognomento Barſabas dicitur. De hoc etiam vide Euſebium lib. 3. cap. 33. & Martyrol. Rom. Iulij 20.

Qui cognominatus eſt juſtus. Græcè non eſt δίκαιος, ſed ἰοῦστος. Ita ad Col. 4. *IESVS qui dicitur Iuſtus*, Græcè Ἰοῦστος. Videtur tamen ex Latino acceptum, ſicut ſουδάριον, πραιτώριον, & ſimilia. Vide comment. Col. 4.

Et Mathiam. De Mathia extra hunc locum nihil legimus in Scriptura Sacra. Duo autem in eius doctrina memorabilia: alterum ex Dionyſio Alexand. alterum ex Clemente. Vide apud Galenum, Catech. 136.

℣. 26. *Et dederunt ſortes eis.* Non ſine electione proceſſit aſſumptio Mathiæ ad Apoſtolatum. Nam per electionem factum eſt, ut duo ex toto numero fratrum ſtatuerentur; qui cum viderentur pares eſſe, ventum ad ſortitionem. Igitur electio duos invenit pares, quos ſortitio diſcrevit. Non videtur ergo verum quod quidam dicunt, ideo Apoſtolos hic uſos ſortibus, quòd nondum accepiſſent Spiritum Sanctum: Poſtea verò accepto Spiritu Sancto electione conſtituiſſe ſeptem diaconos. Nam & hîc uſi ſunt electione, & illic non Apoſtoli elegerunt, ſed à multitudine electos ipſi approbarunt, & per manus impoſitionem diaconos inſtituerunt. Adde præterea, quod Apoſtoli, qui habebant gratiam operandi miracula, poterant confidentius uti ſorte, cum oratione ad Deum; quod ſcirent ſe eſſe exaudiendos. Si enim ad miracula certi erant de aſſiſtentia divina; cur non etiam ad ſortem ut per eam Deus oſtenderet, utrum ex duobus vellet eſſe Apoſtolum? Sed tamen, ſicut miracula non faciebant Apoſtoli, niſi urgente manifeſta utilitate; ita nec ſortem adhibuerunt, niſi quadam neceſſitate adducti. Quomodo verò ſors iſta facta fuerit, non omnino certum eſt. Dionyſius Areop. cap. 5. Hierarch. Eccleſiaſt. Part. 3. per ſortem iſtam intelligit divinum quoddam munus, quod illi Pontificum choro, eum, qui divino judicio, delectuque eſſet renunciatus, indicaret; id eſt, oſtenſionem aliquam divinitus factam. Sunt qui putent divinitus radium lucis ſuper Mathiam apparuiſſe. Verùm longè ſimplicior & receptior intelligentia eſt, ut ſortem intelligamus eam, qua in ſortiendo homines uti ſolent, & quæ tunc temporis in uſu erat apud Iudæos. Atque hinc colligitur ſortium uſum, præveniendo jus canonicum, licitum eſſe etiam in deſignandis Epiſcopis, aut præfectis; ſi modo illi, de quibus eſt quæſtio, digni ſint, & ita pares ut humanitus non appareat inter eos differentia. Sic Auguſtinus epiſtola 180. ſuadet mittendam ſortem inter presbyteros tempore perſecutionis, quando unus populo neceſſarius eſt, ut reliqui fugere poſſint, quando non conſtat quis inter eos fortior ſit ad ſubeundum martyrium. Atque hæc ſors propriè diviſoria fuit, ad hoc ordinata, ut duorum æqualium alter eſſet Apoſtolus. Fuit tamen etiam conſultoria, ſed licita, quatenus Deum orabant ut ſortem dirigeret in eum, qui dignior eſſet. Quod ſine dubio licitum eſt in tali caſu.

Quæritur, cur illam paritatem Apoſtoli non diremerunt ſuffragiis? Si dicas ſuffragiis inventos fuiſſe pares; cur Petrus tanquam illius collegij decanus & caput, paritatem illam ſuo ſuffragio non diremit? Videtur dicendum quod Apoſtoli, atque etiam ipſe Petrus Apoſtolorum collegio præſidens, judicaverunt eos pares, ita ut humanitus non invenirent, quo alterum alteri præferrent: Ideoque arbitrati ſunt ſibi recurrendum ad ſortes. Et ita factum ut etiam Mathias, more ceterorum Apoſtolorum, divinitus fuerit electus ad Apoſtolatum, & non ſuffragiis humanis.

Et cecidit ſors ſuper Mathiam. Aliter ſupra dictum fuerat de Juda: *Et ſortitus eſt ſortem miniſterij huius.* Phraſes enim diverſæ ſunt. Hoc loco ſignificatur ſortitio propriè dicta: Eam enim planè ſignificant hæc verba: *Et dederunt, &c.* Illic ſermo eſt de electione, qua Chriſtus Apoſtolos elegit, ſola uſus voluntate ſua ad eligendum; & ob eam cauſam ſic loquitur Scriptura; *Sortitus eſt ſortem, &c.* Fortè etiam ideò ſic loquitur, quia Levitarum miniſteria diſtributa erant per ſortes, ut habetur 1. Paralipom. 23. Unde etiam Zacharias S. Ioannis Baptiſtæ pater, ſorte exiiſſe dicitur, ut incenſum poneret. Luc. 1. Vide ibid. Annot.

CAPUT

CAPUT II.

℣. 1. *Et cum complerentur dies Pentecoſtes.* Pentecoſte Græcè, Latinè Quinquageſima. Quo nomine ſignificabatur totum tempus, quod eſt à die Feſto Paſchæ, uſque ad quinquageſimum inde diem, in quo die erat totius Pentecoſtes complementum. Et hoc eſt quod dicit: *Cum complerentur dies Pentecoſtes.* Id eſt, ipſo die quinquageſimo, qui erat ultimus dicti temporis. Lege Levit. 23. Num. 28. Deuter. 16. Græcè tamen eſt ſingulare, *τὴν ἡμέραν*; quia tantum una erat dies Pentecoſte, non plures; ut Paſchatis & tabernaculorum, quod patet ex locis Scripturæ ſupra citatis.

Erant omnes pariter. Græcè *ὁμοθυμαδὸν*, *unanimiter*, ut ſuperiori cap. vertit interpres. Hinc diſce Spiritum Sanctum non deſcendere, niſi in eos, qui vivunt inter ſe concordes. *In eodem loco.* Græcè *ἐπὶ τὸ αὐτὸ*, *in idipſum*, tametſi Eraſmus etiam vertit, *in eodem loco.*

℣. 3. *Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Ignis genitivus eſt, Græcè *πυρὸς*. Senſus: Tanquam linguæ ignis, eæ ſunt extremitates, in quas flamma ſurſum mota deſinit, ſimiles linguis peracutis aut gladiolis.

℣. 4. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Omnes ſcilicet centum viginti homines, de quibus meminit capite ſuperiori. Atque id diſertè teſtatur Auguſtinus Tract. 92. in Joannem. Vide Molanum lib. 4. cap. 15. de picturis & imaginibus, ubi idipſum confirmat, contra quendam hæreticum Theodorum Bezam, qui huc ad ſolos refert Apoſtolos.

℣. 5. *Erant autem in Jeruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi, ex omni natione, quæ ſub cælo eſt.* Hyperbole in eo quod dicitur: *Ex omni natione, quæ ſub cælo eſt,* quaſi dicat, ex nationibus multis diverſiſſimis & remotiſſimis. Niſi hoc modo intelligas: Ex omni natione diſperſionis Judæorum. Nam ex Judæis, qui erant in diſperſione, viri religioſiores orationis cauſa proficiſcebantur Jeruſalem, vel etiam eo commigrabant, quò convenienter cultui Dei vacare poſſent. Neque enim extra Jeruſalem fas erat offerre ſacrificia.

℣. 6. *Audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* Quæri hîc ſolet an ſinguli Apoſtoli, ſingulas linguas loquebantur, unus Græcè, alius Latinè &c. An verò ipſis propria, id eſt, Hebraïca lingua loquentibus, unuſquiſque audientium ſuam linguam capiebat, & uno loquente diverſarum nationum homines, ſuas diverſas linguas audirent & intelligerent. Videtur quæſtio poſſe diſſolvi hoc modo: ut ſtatim accepto Spiritu Sancto Apoſtoli cœperint loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis, id eſt, alij aliis. Nec enim ſoli erant ibi Apoſtoli, ſed multi alij diſcipuli uſque ad centum viginti. Ea re autem conſpecta multitudinem obſtupuiſſe. Petrum deinde una lingua Hebraïca omnes allocutum, rationem reddidiſſe rei tam mirabilis; hanc autem Petri orationem fuiſſe ab omnibus intellectam. Duplex proinde miraculum contigiſſe. Primum in eo, quod omnes diſcipuli Spiritu Sancto repleti, variis locuti ſunt linguis: alterum in eo quod Petrus una lingua loquens, fuerit ab omnibus, qui confluxerant, intellectus, tametſi diverſarum linguarum hominibus. Duplex hoc miraculum omnino videtur agnoſcendum. Et primò quod Apoſtoli diverſis linguis fuerint locuti, ex eo apparet, quia dicitur: *Cœperunt loqui variis linguis prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis.* q. d. Non omnes omnibus nec iiſdem linguis locutos, ſed alios aliis; itemque alios paucioribus, alios pluribus, prout dabat illis eloqui Spiritus. Item: *Audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes.* Item: *Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Item: quia diſpertitæ lin-

A guæ ignis Apoſtolis apparuerunt; ſeditque ſuper ſingulos eorum. Item myſterium ſignificatum, nempe quod Eccleſia eſſet locutura omnium gentium linguis. Item Apoſtolos verè locutos fuiſſe peregrinis linguis, etiam illud argumento; quia poſtea fideles accepto Spiritu Sancto variis linguis verè locuti ſunt, ut Act. 10. & 19. & 1. Cor. 14. Item Actor. 11. dicitur: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, &c.* Unde ex gratia viſibili, ſcilicet dono linguarum illis dato, ſicut Apoſtolis, colligit ſimilem gratiam inviſibilem. Sed & idem de Apoſtolis probatur ex Apoſtolo Paulo, qui 1. Cor. 14. de ſe dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrûm lingua loquor,* vel ut in Græco, *quod omnibus vobis amplius linguis loquor.* S. Hieron. ad Hedibiam q. 9. ſcribit Apoſtolos acce-
B piſſe diverſitatem linguarum omnium gentium, ut annuntiaturi Chriſtum, nullo indigerent interprete. Confirmatur & ex eo, quod nulla Hiſtoria referat Apoſtolorum quempiam, ad quamcumque gentem deveniſſet, interprete uſum fuiſſe.

Sed quid eſt quod idem Hieronymus in Catalogo Marcum vocat interpretem Petri? Certè non aliud vult, quàm quod Marcus Evangelium ſcripſit, ut Petro referente audiverat. Itaque per Evangelium Scriptum erat Petri interpres ad alios, quibus ea ſcribebat quæ Petrus dixerat. Vel etiam, quia explicabat pleniùs ea quæ B. Petrus brevius aut obſcurius dixerat. Vide Baronium & noſtrum Comment. 2. Cor. 2. de Tito.

C Sed dicet aliquis nihil opus fuiſſe, ut Apoſtolis daretur donum loquendi variis linguis, quandoquidem eis abundè ſufficere poterat donum ſeu miraculum, quo fieret, ut ipſi ſua ac nativa lingua loquentes ab hominibus omnium gentium ac linguarum intelligerentur; ſicut credibile eſt in Petro factum, quando una oratione omnes, qui confluxerant, allocutus eſt. *Reſp.* Incertum eſſe, an hoc donum Apoſtolis communiter conceſſum fuerit. Deinde, nec ſufficeret; quia non ſolum loqui aliis debebant, ſed etiam alios loquentes intelligere; quod non poſſent, niſi aliorum linguas noſſent. Niſi dicas etiam hoc eis conceſſum fuiſſe, ut aliis quibuſque ſua lingua loquentibus eorum ſermonem perciperent, tanquam loquen-
D tium Hebraïcè. Sed utrumque hoc eſſet nimium multiplicare miracula. Sic enim quotieſcumque homines externæ linguæ loquerentur Apoſtolis, & è diverſo quoties Apoſtoli illis; toties novum fieret miraculum. Nunc autem dicimus Apoſtolos ſemel per miraculum accepiſſe notitiam omnium linguarum, ut & loqui quibuſcumque hominibus poſſent, & quoſcumque audire & intelligere; nec poſtea fiebat novum miraculum, quando vel loquebantur vel loquentes intelligebant; ſicut viſum per miraculum multis cæcis Chriſtus reſtituit, qui poſtea ſine novo miraculo videbant. Fortè etiam ex hac doni iſtius varietate intellexerunt Apoſtoli, ad quas quiſque gentes proficiſci deberet prædicaturus Evangelium; nempe ad eas, quarum linguis loquendi donum acceperat. Cæterum ſaltem B. Petrum una lingua lo-
E quentem à pluribus diverſarum linguarum hominibus intellectum fuiſſe; negari non poteſt; & colligitur ex ipſa Hiſtoria; quia verba iſta: *Viri Iudæi & qui habitatis Ieruſalem univerſi, &c.* ſolus Petrus dixit univerſæ multitudini uno eodemque ſermone; eam autem fuiſſe hominum diverſiſſimarum linguarum, conſtat, ex eodem hoc capite. Neque hoc mirum videri debet, cum conſtet alios quoque ſanctos hoc donum accepiſſe. S. Antonius Paduanus, ut eſt in eius vita cap. 19. una lingua loquens ab hominibus diverſarum gentium, qui plurimi Romam confluxerant, ita auditus eſt, ut ſinguli plenè intelligerent idioma regionis ſuæ, in quo & nati & educati fuerant.

Simile

Simile quid dicitur de S. Vincentio Prædicatore lib.2. vitæ eius cap.8.

Cyprianus de oper. Cardin. ſerm. de Spiritu Sancto manifeſtè teſtatur Apoſtolos una & propria lingua locutos, ab omnibus tamen intellectus. Opus tamen illud Cypriani non eſt, ſed ut eſt valde probabile, Salviani. Gregor. quoque lib. Dial. cap.26. refert de puero quodam morituro, qui dicebat ſe in cœlo fuiſſe, & ibi accepiſſe ut omnium linguis loqueretur; quod & confeſtim probavit Græcè loquens & Bulgaricè. Quin & in die judicij quando Chriſtus una lingua profaret ſententiam damnationis; audiet unuſquiſque reprobus lingua ſua illum loquentem. Nam de electis probabile eſt quod omnes intelligent & loquentur linguam Hebraicam.

Porrò hîc quæri poſſet, an Apoſtoli ſingula idiomata loquebantur perfectè. Videtur quòd non, quia Paulus ſermone Græco fuit imperitus, id eſt, parum exactus. *Reſp.* Paulum Græcè locutum non per donum linguarum, ſed quia jam ante didicerat. Neque donum efficiebat ut Apoſtoli omninò eleganter & purè ac propriè loquerentur (alioqui viſi fuiſſent elegantia & ſplendore ſermonis attraxiſſe homines ad fidem Chriſti) ſed ut loquerentur intelligibiliter, quantùm opus erat juxta communem modum. Quemadmodum bene docet S. Thom. 2. 2. q.176. art.1. ad 1.

℣.9. *Et qui habitant Meſopotamiam, Iudaam & Cappadociam, Pontum & Aſiam.* Ex eo quod dicitur: *Et qui habitant*, ſatis intelligitur eos, qui hîc enumerantur non omnes fuiſſe habitatores Ieruſalem, nec proinde comprehendi ſub eo, quod ſuperius dictum eſt: *Erant autem in Ieruſalem habitantes Iudai viri religioſi ex omni natione.* Quare ſciendum alios quidem ex diverſis nationibus Iudæos commigraſſe Ieroſolymam ibique fixiſſe domicilia; alios verò alibi habitantes, Ieroſolymam cauſa religionis certis temporibus aſcendere ſolitos ſecundum legem.

℣.11. *Et advena Romani, Iudai quoque & proſelyti,* Vide annot. 1. Pet. 1. Diverſa ſunt in Græco vocabula, *advena & proſelyti.* Et advenæ quidem iſti veri erant Iudæi, non item proſelyti. *Iudai quoque & proſelyti:* Græcè ἰουδαῖοι τε καὶ προσήλυτοι, quod ita videtur intelligendum; *tam Iudai, quàm proſelyti*, vel, ſive Iudæi, ſive proſelyti; vel partim Iudæi, partim proſelyti; ut nimirum hæc pars ad omnia præcedentia referatur. Nam in omnibus hîc enumeratis regionibus habitabant Iudæi, habitabant & proſelyti; atque inde Hieroſolymam ad diem feſtum fuerant profecti, aut etiam Ieroſolymis fixerant ſedes, prout ſuprà dicitur: *Erant in Ieruſalem habitantes Iudai.* Poteſt etiam referri peculiariter ad id, quod proximè præceſſit: *Et advena Romani:* quia adhuc ſequitur, *Cretes & Arabes.* Fortè enim inter advenas Romanos plures erant proſelyti, quàm ex aliis gentibus.

℣.13. *Quia muſto pleni ſunt iſti.* Quidam ſic interpretatur: *muſto*, id eſt, vino; quia muſtum non inebriat: ſed arbitror eum falli. Quæres cur non dicebant vino, ſed muſto, cum Scriptura paſſim vino ebrietatem aſcribat; & certè commodius ſit vino inebriari, quàm muſto. *Reſp.* Quia erat tempus vindemiæ, quo muſtum bibi ſolet, quando res iſta contingebat. Nam in Iudæa, ſicut tempore Paſchæ offerebantur manipuli frugum; ita vindemia eſſe poterat quinquageſimo poſt die. Nam in illis calidis regionibus omnia multo citius maturescebant, quàm in noſtris frigidioribus.

℣.14. *Stans autem Petrus, &c.* Petrus una lingua loquens ab omnibus intellectus fuit. Sed qua lingua loquebatur? Hebræa, an Græca, an Romana? nam de ſingulis rationabiliter dici poteſt. Hebræa, nam ea lingua prima eſt, & idioma loci, ipſique Petro maternum. Græca, nam ea maximè erat pervulgata. Romana, quia Iudæa Romanis parebat, & quia Pe-
A trus Romanæ Eccleſiæ præfuturus erat, ac Romæ poſteros ſuos ſucceſſores relicturus. Cæterum per hoc quod Petrus una lingua loquens ab hominibus omnium nationum, quæ ſub cœlo erant, intellectus ſuit; Spiritum Sanctum ſignificare voluiſſe veriſimile eſt, quod unius Petri ſummi paſtoris & ſucceſſorum eius, vocem audituri eſſent, & audire debeant homines omnium gentium ac linguarum; præſertim quia additur illic fuiſſe viros *ex omni natione qua ſub cœlo eſt.* Unde & hîc Petri primatus rectè nobis in quodam myſterio commendatur.

Viri Iudai, & qui habitatis Ieruſalem univerſi. Addit: *Et qui habitatis, &c.* propter proſelytos Ieroſolymis habitantes, quorum erat magnus numerus.

℣.15. *Non enim, ſicut vos aſtimatis, hi ebrij ſunt,*
B *cum ſit hora diei tertia.* Hora tertia ab ortu ſolis. Qua quidem hora non ſolent homines ebrij eſſe, ſed jejuni. Vide Baron. tom.1. Hæc verò hora reſpondet noſtræ octavæ vel nonæ ante meridiem. Nam prima hora erat Judæis ab ortu ſolis. Atqui ſol illis propius ad æquinoctialem conſtitutis, oriebatur circa diem Pentecoſtes paulò pòſt horam quintam noſtram matutinam. Igitur tertia hora quæ hîc nominatur, incipiebat ſub medium nonæ noſtræ. Ex hoc loco probat Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum c.60. non eſſe cibum ſumendum ante horam tertiam diei.

℣.16. *Per Prophetam Ioël.* Vide Annot. Ioël.2. de illius Scripturæ impletione.

℣.17. *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.*
C Hic inſinuatur vocatio gentium; quemadmodum & infrà, ubi Petrus dicit: *Et omnibus qui longè ſunt quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter.* Hæc in verbis Petri notanda, propter ea quæ habentur infrà c.10. ubi de vocatione gentium videri poteſt non ſatis fuiſſe inſtructus. Vide ibi. Per eos qui longè ſunt ſignificari gentiles, probatur ex Epheſ.2.

Filij veſtri & filia veſtra. De filiabus exemplum habemus hoc eodem libro, ubi ſcribitur Philippus Diaconus habuiſſe quatuor filias prophetiſſas virgines. *Prophetabunt — viſiones videbunt — ſomnia ſomniabunt.* Ex ſpecie genus accipiendum. Significatur enim quod in Eccleſia Chriſti, præſertim naſcente, varia erunt dona Sancti Spiritus. Quod autem interior gratia ſanctificans ſit conferenda etiam in poſteros, eodem hoc
D cap. ſignificat Petrus, cum ait: *Accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim eſt repromiſſio & filijs veſtris.*

℣.23. *Hunc definito conſilio & praſcientia Dei traditum.* *Praſcientia*, id eſt, prædeſtinatione, ſicut alibi accipitur, ut 1. Petri 1.

℣.24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni.* Græcè λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου. Id eſt, poſtquam ſolviſſet dolores mortis. Itaque actus ſolutionis dolorum, non ad Chriſtum refertur, ſed ad Deum. Quare ſenſus eſſe non poteſt: *Quem Deus ſuſcitavit*, poſtquam Chriſtus ſolviſſet dolores; ſed poſtquam ipſe Deus ſolviſſet dolores mortis, id eſt, quem Deus, pœna ac miſerijs mortis ablata, vitæ reſtituit. Cui congruit quod ſequitur: *Iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Græcè *ab ea*, ſcilicet morte, id eſt, juxta
E decretum ſuum æternum, revelatum per prophetas, quo ſtante fieri non potuit, ut in morte Chriſtus detineretur, ſed oportuit eum ſtatim reſurgere à mortuis. Id oſtendunt ſequentia: *David enim dicit, &c.* Hic videtur verus ac germanus eſſe ſenſus. Quare hinc non ſequitur patres illos ſanctos apud inferos fuiſſe in doloribus: Dolores enim ad Chriſtum referuntur, ſenſu jam dicto; ſolutio autem Chriſti à doloribus, ad Patrem. Sed etſi legatur, *Doloribus inferni* ſicut nos legimus; poteſt idem eſſe ſenſus: nam infernus ſtatum an locum mortuorum ſignificat, licet verificatio varietur; ut in eo quod ſubjungitur ex Propheta: *Non derelinques animam meam in inferno.*

Solutis

Solutis doloribus inferni. Græcè θανάτου, *mortis.* Vide Gagnæum. S. Auguſt. & S. Thom. intelligunt dolores patrum in lymbo, id eſt, triſtitiam conceptam ex dilatione adventus Chriſti & ſuæ liberationis. Sunt qui ad purgatorias pœnas referant, exiſtimantes Chriſtum ſuo deſcenſu etiam ad purgatorium penetraſſe, ibique effuſo indulgentiæ ſuæ theſauro omnes liberaſſe; qui iis pœnis detinebantur; atque hoc pacto eius indulgentiæ, quæ mortuis confertur, poteſtatem, ipſum primum exercuiſſe. Quod ut ſatis plauſibiliter dicitur, ita non videtur hoc loco ſignificatum. Simplicius enim eſt & textui conformius, ut ad Chriſtum ipſum, quod hîc dicitur, referatur: quia per reſurrectionem, ab inferni ſeu mortis doloribus ſolutus eſt, id eſt, morti, quæ pœna quædam eſt, exemptus, & vitæ reſtitutus; quia ſecundum prophetarum vaticinia, & patris æterni decretum, non debuit diu in morte detineri. Sic Græci; ut ſit ſenſus: Superata morte, à qua impoſſibile erat eum retineri: propter Scripturas, quas deinde profert: *David enim dicit, &c.* Vide de hoc loco Bellarm. lib. de Chriſti anima cap. 8. contra Calvinum.

℣. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* Rectè hinc ſtatuitur deſcenſus Chriſti ad inferos ſecundum animam. Quamvis enim anima interdum pro homine accipiatur, etiam ſecundum partem materialem & mortalem, velut cum Septuaginta animæ dicuntur egreſſe de ſemore Iacob: & cum quis dicitur percutere animam; & ita (hac quidem parte) nihil vetet hîc intelligi ſepulturam, ut quidam intellexerunt; obſtat tamen illud: *In inferno.* Hoc enim nuſquam pro ſepulchro ponitur, ſed ſemper pro certo quodam ſtatu, ſeu loco animæ egreſſæ à corpore. Unde nec uſquam de brutorum animabus, quæ ſimul cum corporibus intereunt, tale quid dictum legitur; nec uſquam legitur anima eſſe in ſepulchro, aut deſcendere in ſepulchrum. Item diverſa ſunt in pſalmo, quem Petrus citat, animam non derelinqui in inferno, & carnem requieſcere in ſpe, ut non videat corruptionem. Unde & Petrus infert tamquam diſtincta, dicens: *Quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem.* Nempe illud referens ad animam, iſtud ad corpus.

℣. 29. *Et ſepulchrum eius eſt apud nos uſque in hodiernum diem.* Quidam hinc probare contendunt, Davidem unum ex iis fuiſſe, qui Chriſto reſurgente ſimul reſurrexerant; de quibus Matth. 27. quodque reſurrexerit non iterum moriturus. Vide ſerm. de Aſſumpt. Virginis apud Hieron. Auguſtinus tamen ex eodem loco probat, Davidis oſſa & cineres uſque ad id tempus apud Iudæos fuiſſe: in epiſtola 99. ad Evodium. Vide Domin. in 4. diſt. 43. quæſt. 2. artic. 1. Et bona eſt Auguſtini probatio. Vult enim Petrus oſtendere verba illa pſalmi: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem,* non eſſe dicta in perſona Davidis; ſed prophetice dicta in perſona Chriſti. Nam quod ad Davidem attinet, caro eius vidit corruptionem. Probat hoc Petrus: *Quia ſepulchrum eius,* inquit, *eſt apud nos uſque in hodiernum diem.* Quæ probatio bona non eſſet, niſi intelligatur continens cum contento, id eſt, ſepulchrum; in quo ſit corpus eius iam corruptum, in cineres redactum. Nam alioqui, & Chriſti ſepulchrum apud eos erat; & adhuc in terra eſt, uſque in hodiernum diem; ſed à triduo mortis ac ſepulturæ corpore vacuum. Adeo igitur hinc ſtatui non poteſt, Davidem unum ex iis fuiſſe, qui cum Chriſto reſurrexerant, ut planè contrarium ſequatur.

℣. 33. *Et promiſſione Spiritus Sancti accepta à patre, effudit hunc, quem vos videtis & auditis.* Scilicet per manifeſta ſigna oculis & auribus perceptibilia. Nam oculis apparebant diſpertitæ linguæ tamquam ignis A ſedens ſuper ſingulos eorum; Auribus percipiebatur ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis; percipiebantur etiam variæ linguæ, quibus Apoſtoli loquebantur magnalia Dei. Quidam ut Eraſmus, vertendum putant: *Effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Nam in Græco neutrum genus eſt, & putant ſubintelligi donum, de quo infrà: *Et accipietis donum Spiritus Sancti.* Sed ſciendum eo loco Græcè eſſe τὴν δωρεὰν fœminini generis. Proinde neutrum illud τοῦτο videtur omnino referendum ad πνεῦμα, ſpiritum, quod præceſſerat. Itaque rectè vertit noſter interpres, & ſenſus eſt, quem diximus.

℣. 36. *Quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc IESVM quem, &c.* Fecit eum Dominum, quando fecit redemptorem. Jesus enim ut homo, Dominus B eſt hominum iure redemptionis. Item fecit eum Dominum, quatenus data eſt ei omnis poteſtas in cœlo & in terra. Fecit eum Chriſtum, quando unxit Spiritu Sancto. Utrumque autem tunc factum, quando Verbum caro factum eſt; tametſi completa eſt redemptio in Cruce. Vide Cyrillum in Theſauro. *Hunc IESVM.* Emphaticè hoc dicitur: τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, quaſi diceret, *hunc,* inquam, *IESVM quem, &c.* Nam in Græco completam habet ſententiam, quod præcedit: *Quia Dominum & Chriſtum eum Deus fecit.* Sed maioris expreſſionis cauſa addit Petrus, non ſine articulo τοῦτον τὸν, &c.

℣. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine IESV Chriſti, in remiſſionem peccatorum.* C Hinc patet contra hæreſim huius temporis baptiſmum non eſſe nudam proteſtationem fidei, aut ſigillum remiſſionis per fidem acceptæ; ſed per ipſum conferri remiſſionem peccatorum. Quod additur: *Et accipietis donum Spiritus Sancti;* non videtur de baptiſmi effectu accipiendum, ſed confirmationis. Senſus enim eſt: Video vos anhelare etiam ad participationem Spiritus Sancti, quem per externa ſigna nos videtis accepiſſe. Itaque ut eius tanti doni vos quoque efficiamini participes, prius oportet ut baptizemini in remiſſionem peccatorum; ac deinde per impoſitionem manuum noſtrarum accipietis donum Spiritus Sancti.

℣. 39. *Et omnibus qui longè ſunt, quoſcumque advocaverit Dominus noſter.* Hic à Petro tacitè inſinuatur vocatio gentium. Nam apertè eam tunc prædicari apud D Iudæos non expediebat. Poteſt tamen etiam referri ad Iudæos abſentes & procul habitantes; quia præcedit: *Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris.* Nam promiſſio propriè facta eſt Iudæis, non gentibus. Rom. 15.

℣. 42. *Et communicatione fractionis panis.* Pro eo quod Græcis eſt ἄρτου, Syriaca verſio habet vocem, quę Euchariſtiam ſignificat, tum hoc loco, tum Act. 20. ut annotavit vir doctiſſimus Ioannes Harlemius in indice Bibliorum.

℣. 44. *Erant pariter & habebant omnia communia.* Simile quid fuit tempore veteris teſtamenti, in filiis prophetarum; ſub Samuële primum, deinde ſub Elia & Eliſæo congregatis. 1. Reg. 10. de quibus vide ſuo E loco, v. 5. Certè veriſimile eſt eos coluiſſe caſtitatem, quia de uxoribus eorum nihil legitur. Et in eiuſmodi congregatione non convenit ut ſint mulieres & parvuli. Item Elias & Eliſęus vixerunt cœlibes. Samuël quidem uxorem & liberos habuit, ſed veriſimile eſt eum uxore mortua, congregaſſe filios prophetarum, eiſque præfuiſſe. Auguſtinus in hæreſi Apoſtolicorum, quæ eſt 40. dixit: Apoſtolici dicuntur qui ſe hoc nomine arrogantiſſimè vocaverunt, eo quod in ſuam communicationem non acceperint utentes coniugibus, & res proprias poſſidentes: quales habet Catholica Eccleſia & clericos plurimos. Sed ideo iſti hæretici ſunt, quia ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipſi

ipſi carent. Ex quibus verbis ſatis intelligitur, in illa communi vita primorum fidelium, non fuiſſe qui uterentur uxoribus; ſicut non fuerunt, qui propria poſſiderent. Non omnes fideles illius temporis habuiſſe omnia communia, liquet, quia Petrus dixit ad Ananiam: *Nonnè manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat poteſtate.*

Et habebant omnia communia. Non etiam uxores juxta rempubl. Platonicam, legi naturæ repugnantem; ſed omnes poſſeſſiones. De iis enim ſequitur: *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, &c.*

℣.45. *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Intellige, per manus eorum, qui ad hoc erant deputati, ut infrà c.4. & 6. Quomodo autem impleverint illud Evangelicum; *Da pauperibus:* Matth.19. Vide infrà annot.cap.4. Notandum autem quod cum hæretici noſtræ ætatis paſſim jactent ſe Eccleſias ſuas inſtituere ad formam primitivæ Eccleſiæ; velut in electione Diaconorum & miniſterio menſarum: nullum tamen apud eos eſt veſtigium communis vitæ, quam Apoſtolicam Auguſtin. vocat; quæque hoc cap. & 4. tantoperè commendatur. Imò loca ea Catholicorum, in quibus illa vita ſervatur, id eſt, cœnobia, quæ à communi vita nomen habent, oderunt peſſimè; & ubi poſſunt funditus evertunt, aut in uſus profanos convertunt. In quo illi (egregiè ſcilicet) oſtendunt ſeſe primitivæ, id eſt, Apoſtolicæ Eccleſiæ æmulatores. Sed eorum cupiditas & ſuperbia nullo modo ferre poſſet illam communem vitam.

℣.46. *Et frangentes circa domos panem.* Græcè κατ' οἶκον, id eſt, per ſingulas domos. Sicut Tit 1. κατὰ πόλιν per ſingulas civitates. Non ergo in una domo omnes morabantur, nec de una menſa capiebant cibum, ut velle videtur Chryſ. in quodam ſermone, qui legitur intra octavam dedicationis Eccleſiæ. Neque enim fieri poterat, ut tot millia hominum una domus & una menſa caperet: ſed ex bonis in commune collatis, iis omnes, diverſis in domibus habitantes, fiebat æqua diſtributio; ut haberent unde viverent, nec quiſquam rebus neceſſariis egeret. Videtur autem ſignificari quod panem ab Apoſtolis conſecratum deferebant domum, & diſtribuebant domeſticis, & cum illis edebant.

CAPUT III.

℣.1. PEtrus autem & Ioannes aſcendebant in templum, ad horam orationis nonam. Hinc collige etiam ab Apoſtolis certas precandi horas obſervatas fuiſſe; quem morem deinceps tota Eccleſia obſervavit, obſervatque etiam hodie. Lutherus pervertere hunc locum conatus eſt torta explicatione, hoc modo: Aſcenderunt in templum ad orandum, idque hora nona; quaſi nona hora orationi non fuerit deputata, ſed id accidiſſe, ut hora nona aſcenderent ad orandum. At non dicit Lucas, ad orandum eos aſcendiſſe hora nona, ſed ad horam nonam, quæ erat orationis hora, id eſt, precationi deputata. Id quod etiam in Græco magis apparet, ubi illud *nona* articulum additum habet, ut ſit ſenſus, eos aſcendiſſe ad horam orationis: Et cum plures horæ ſint orationi deſtinatæ; ad certam aliquam ex illis, videlicet nonam, adiiſſe templum.

℣.6. *Argentum & aurum non eſt mihi.* Quomodo verè hoc Petrus dixit, ad cuius pedes tot agrorum pretia adferebantur quotidie? An quia nihil illorum propriè ad eum pertinebat? Sed objicitur, ita in commune poſſidebantur illa, ut egentibus elargiri inde partem aliquam liceret, maximè ab eo, qui congregationis caput eſſet. Dici poteſt, Petrum, reliquoſque Apoſtolos non ſervaſſe ſibi diſpenſationem illorum bonorum, utpote verbo & orationi intentos. Actor.6. ſed aliis eam curam demandaſſe. Quamquam & reſponderi poteſt, Petrum opportunè ſimul & verè reſpondiſſe *argentum, &c.* ſive ſignificaverit ſe in promptu & ad manum non habere, ſive proprium non habere; opportunè, inquam, ita reſpondiſſe, quando jam præſtiturus erat beneficium longè amplius, curationis videlicet ab imbecillitate corporis. *Quod autem habeo, hoc tibi do.* Senſus: Quod dare poſſum, quod habeo in poteſtate mea, id tibi do. Dabat enim ſanitatem, cuius dandæ poteſtatem habebat ex promiſſione Chriſti, qua dixerat eis; *Infirmos curate,* Matth.10. Hinc quoque diſce rectè dici ſanctos facere miracula. Hieronymus ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis c.14. cum citaſſet hunc locum, ſubjunxit: At nunc multi; licet ſermone taceant, opere loquuntur: Fidem & miſericordiam non habeo, quod autem habeo, argentum & aurum, hoc tibi non do.

· *In nomine IESV Chriſti Nazareni. In nomine* variè poteſt exponi; merito, virtute, authoritate, Quæ omnia probabilitatem habent; ſicut in illa phraſi, qua dicitur Apoſtolos baptizaſſe in nomine IESU. Vide noſtra in 4. diſt.3. — *Surge & ambula.* Sermo eſt operatorius, quo præſtatur, quod dicitur. Quæritur cur ſucceſſores Petri non dicant, *ſurge & ambula.* Quidam reſpondent, quia vita eorum non reſpondet ſanctitati Petri. Quæ reſponſio non convenit. Nam & Iudas fecit miracula; & multi dicent in illa die, Domine nonne in nomine tuo dæmonia multa ejecimus, & virtutes multas fecimus? &c. Matth.7. Item multi ſucceſſores Petri fuerunt ſancti. Vera reſponſio eſt, quoſdam Petri ſucceſſores ſimilia feciſſe, ut conſtat ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis. Cur autem paſſim non faciant; reſpondet Gregorius, quia non eſt opus. Hæc enim, inquit, neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos quando arbuſta plantamus, &c. Homil. 29. de Aſcenſione Domini.

℣.12. *Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini? quaſi noſtra virtute aut pietate fecerimus hunc ambulare?* Quæſtio eſt, quomodo neget Petrus ſua virtute ſe id effeciſſe, cum dicatur Matth. cap.10. *Dedit illis poteſtatem curandi infirmitates;* quod & Marcus repetit cap.3. Habebant igitur virtutem faciendi miracula. *Reſp.* Cum miracula fiant ſupra conſuetum & primò inſtitutum naturæ ordinem; fieri non poteſt ut ulla creatura ſua virtute miraculum aliquando operetur. Eſt enim ſolius Dei mutare naturas rerum. Hinc Petrus dicit ſe non ſua, id eſt, propria virtute (ita enim Græcè eſt) claudum ſanaſſe. Dedit autem Dominus Apoſtolis poteſtatem, quæ in ſolo miniſterio conſiſtit, & eſt divinæ poteſtatis inſtrumentum. Itaque propriè dicimus ad ſanctorum invocationem Deum talia operari; Quamvis etiam verum ſit, & Scripturis conforme, ſanctos hæc operari, invocando, præcipiendo, aut alio ſimili miniſterio. Et virtus illa non aliud eſſe videtur quàm gratia, ſeu beneficium; quod ſanctis quibuſdam contulit Deus, ut per eorum preces aut præſentiam miraculum operetur. Non eſt potentia neque habitus, ne quidem ſupernaturalis, cuiuſmodi ſunt Fides, Spes, Charitas; quia ſanctus non facit miraculum quando vult, quaſi ex habitu: ſed tantum cum peculiariter aſſiſtit Deus ad miraculum. Non eſt igitur donum inhærens per modum habitus, ſed aſſiſtens per modum tranſeuntis. Nota quod & fatetur ſe feciſſe; & tamen negat ſua virtute factum. Et poſtea dicit, *fidem, quæ per Chriſtum eſt, dediſſe integram ſanitatem.* Ipſe igitur fecerat invocando, impetrando, verba proferendo; ſed virtus Dei erat, & meritum Chriſti per fidem applicatum, ad huius effectum. Negat etiam factum ſua pietate; non quin Petri pietas potuiſſet hoc à Deo impetrare; ſed quia illa pietas non erat ei à ſeipſo.

℣.14. *Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis.* Vel hic ſenſus eſt: Vos negaſtis eum eſſe ſanctum & juſtum, quando

quando vocaſtis eum ſeductorem, & tanquam criminoſum interemiſtis: Vel iſte; Vos eum, qui ſanctus & juſtus eſt, negaſtis, id eſt, pro rege & Meſſia veſtro ſuſcipere eum noluiſtis, quando dixiſtis; *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Qui ſenſus magis placet, tum quia Græcè cum articulo legitur τὸ *ἅγιον καὶ δίκαιον*, tum quia ſequitur, *& petiſtis virum homicidam donari vobis.* Et nota, Ieſum *κατ' ἐξοχὴν* vocari *ſanctum & juſtum*, quod ejus comparatione nemo alius ſanctus neque juſtus ſit.

℣. 15. *Authorem verò vitæ interfeciſtis.* Chriſtus author eſt vitæ, quatenus Deus. Hinc ergo ſequitur Deum à Iudæis occiſum eſſe, & mortuum, ſed id ſecundum naturam aſſumptam, quæ ſeparatione animæ à corpore diſſoluta fuit. Hunc *interfecerunt*, non manibus ſuis, ſed plena ac perfecta voluntate, tradentes Pilato præſidi; accuſantes & tota inſtantia poſtulantes ad necem. Sic 1. Theſſ. 2. de Judæis, *qui & Dominum occiderunt*, & infrà cap. 7. Stephanus, *Cujus vos homicidæ fuiſtis.*

℣. 16. *Et in fide nominis ejus* —— *Et fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem.* Fidem intelligit non ejus, qui ſanatus erat quomodo ſæpe audimus in Evangelio; *Fides tua te ſalvum fecit*: Non enim legimus hunc claudum antè in Chriſtum credidiſſe; ſed fidem ſuam, ex qua dicebat: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge & ambula*: Quibus tamen auditis verbis, veriſimile eſt & ipſum claudum credidiſſe, licet id Scriptura non dicat.

℣. 21. *Quem oportet quidem cælum ſuſcipere uſque in tempora &c.* Ergo, inquit Beza, falluntur Papiſtæ, qui eum ſe in altari præſentem habere putant. At manifeſtum eſt, Petrum non de quacumque præſentia loqui, ſed ea, qua in humana ac viſibili ſpecie præſens eſt, ſecundum quam aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris & inde venturus &c. Imò & Petrus Romæ egreſſus, Chriſtum humana ſpecie obvium habuit. Et Paulus hoc libro teſtatur Dominum ſibi apparuiſſe, cap. 26. Unde nihil vetat, quin extraordinariè aliquando, etiam in terra, quibuſdam ſe viſibiliter præſentem exhibuerit.

Quem oportet quidem cælum ſuſcipere. Ambiguum etiam in Græco, utrum ſignificetur quod Chriſtus ſuſcipiat cœlum, an quod cœlum ſuſcipiat Chriſtum. Sed hoc poſterius magis videtur ſignificatum, ut probat Bellarm. lib. 3. de Incarnatione cap. 12. *Vſque in tempora reſtitutionis omnium*, Dixerant enim Apoſtoli ad Chriſtum cap. 1. *Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël?* Quibus reſpondit Chriſtus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora &c.* eò reſpicit Petrus in his verbis.

℣. 22. *Moyſes quidem dixit*; *Quoniam prophetam ſuſcitabit &c.* Vide annot. Deuter. 18. Citat etiam Stephanus in ſua ad Iudæos oratione, infrà, c. 7.

CAPUT IV.

℣. 1. ET *Sadducæi.* Ideò Sadducæorum meminit nominatim, quod his præ cæteris ægrè eſſet audire, quod Ieſus reſurrexerat, ut qui reſurrectionem mortuorum omnino non reciperent. Unde ſequitur: *Dolentes quod docerent populum, & annuntiarent in Ieſu reſurrectionem ex mortuis.*

℣. 2. *Et annuntiarent in Ieſum reſurrectionem ex mortuis.* Multi *in Ieſu*; idque conſentienter cum Græcis. Quod Eraſmus vertendum putavit, *in nomine Ieſu.* Senſus eſt: Quod annuntiarent & prædicarent expectandam eſſe reſurrectionem mortuorum per Ieſum Chriſtum, id eſt, per ejus meritum. Quomodo infrà dicunt Apoſtoli non eſſe aliud nomen, in quo ſalvi fieri poſſint homines. Quamquam videntur etiam ad cauſam exemplarem reſpexiſſe, quando in Ieſu reſurrectionem mortuorum annuntiabant. Sic enim & Apoſtolus Paulus 1. Cor. 15. reſurrectionem Corinthiis annuntiat, ipſius Chriſti, quem primitias reſurgentium vocat, exemplo propoſito.

Eſtij Annotat. in Script.

℣. 4. *Et factus eſt numerus virorum quinque millia.* Dubium utrum numerus eorum, qui tunc crediderunt, ſuprà eos qui ante crediderant, pervenerit ad quinque millia; an verò hic ſit ſenſus: Totus numerus fidelium, qui per Apoſtolorum prædicationem crediderant, cum prius eſſet tantum trium millium Act. 2. nunc auctus eſt ad quinque, ſcilicet ut tribus illis millibus, duo millia recenti prædicatione accederent. Probabile enim videri poteſt, quod plures fuerint converſi prima illa Petri prædicatione in die Pentecoſtes, eo quod grandi miraculo tota civitas ad unum locum eſſet convocata, quam hac ſecunda, quæ facta fuit ad ſanitatem hominis claudi, tam non confeſtim ita celebrem, ut tam multi accurrerent.

℣. 12. *Nec enim eſt aliud nomen ſub cælo.* Nomen aut virtutem ſignificat, (ita enim paulò ante dicitur: *In qua virtute, aut in quo nomine feciſtis hoc vos?*) aut rem vel perſonam nomine ſignificatam. Proximè enim præcedit: *Non eſt in alio aliquo ſalus.* Et ita ſenſus erit: non eſt alius quiſquam, per quem homines ſalvari poſſint. Et fortè utroque modo accipi poteſt illud Matth. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Nota autem quod dicit *ſub cælo*; nam Angeli propriè non ſalvantur per Chriſtum. Vide noſtr. in 3. ſent diſt. 25.

℣. 13. *Sine literis & idiotæ.* Græcè *ἀγράμματοι*, id eſt, illiterati. Idiotæ verò intelligi poſſunt vel homines privati, nullam habentes functionem publicam, vel rudes & indocti; utrumque enim Græca vox ſignificat. Atqui Petrus & Ioannes non ita fuerunt illiterati, ut litterarum eſſent prorſus ignari. Petrus enim duas ſcripſit Epiſtolas: Ioannes autem præter tres Epiſtolas, Evangelium & Apocalypſim. Neque prorſus ignari fuiſſe videntur ſacrarum litterarum etiam ante acceptum Spiritum ſanctum; tametſi piſcatores; quia Chriſtus ad Scripturas ſuos Diſcipulos interdum remiſit. Unde Ioannes de ſe & Petro; Ioan. 20. *Nondum enim ſciebant* (id eſt, intelligebant) *Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Et Luc. 24. *Aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas.* Legebant ergo Scripturas, quas ut intelligerent, ſenſum illis aperiebat Dominus. Sic Philippus ad Nathanael. Ioannis 1. *Quem ſcripſit Moyſes in lege & prophetis, invenimus.* Non ergo illiterati vocantur, quod litterarum prorſus eſſe putarentur ignari, ne ſacrarum quidem. Quomodo enim hoc exiſtimare poterant, quando Petrus in ſua apud eos defenſione Scripturam ſacram allegabat, dicens: *Hic eſt lapis &c.* Sed quod non eſſent inſtituti ab aliquo legis doctore; quomodo Paulus legem didicerat ad pedes Gamalielis; ſed ſi quid ſcirent, privatim videbantur didiciſſe. Vide quæ de nomine idiotæ diximus in noſtr. comment. 1. Cor. 14 v. 16.

℣. 20. *Non enim poſſumus, quæ vidimus & audivimus, non loqui.* *Non poſſumus*, ſcilicet licitè & ſalva conſcientia; quomodo poſſe dicimur, quæ licitè poſſumus.

℣. 27 *Convenerunt enim verè in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem unxiſti, Herodes & Pontius Pilatus.* Hinc patet Herodem quoque in Chriſti mortem conſenſiſſe & cooperatum fuiſſe; quod tamen ex Evangelio non omnino apparet. Hinc etiam apparet, quomodo ſecundum Lucam Herodes & Pilatus facti fuerint amici, cum prius inimici eſſent ad invicem. Vide annot. Luc. 23.

Adverſus ſanctum puerum tuum Ieſum. Et paulò poſt; *Per nomen ſancti filij tui Ieſu.* Quæritur an idem ſit *puer*, quod *filius*, quod quidem collatione harum duarum ſententiarum hoc eodem loco poſitarum, videri

poteſt. Sed omnino dicendum, *puerum* more Scripturæ poſitum pro ſervo. Sic paulò ſuperius in eadem Apoſtolorum ad Deum precatione: *Qui Spiritu Sancto per os patris noſtri David, pueri tui, dixiſti.* Et idem Lucas cap. 1. ſui Evangelij in cantico Zachariæ. *Erexit cornu ſalutis nobis, in domo David pueri ſui.* Unde eſt & illud in pſalm. 112. *Laudate pueri Dominum.* Chriſtum autem ſecundum naturam humanam ſervum Dei vocari, non eſt infrequens in prophetis & pſalmis. Vocatur autem hîc ab Apoſtolis priori loco ſervus, quia ſermo erat de ejus paſſione, quam ut homo ſuſtinuit: poſteriori, filius; quia prædicationem ſuam petebant confirmari miraculis, quorum operatio referenda eſt ad virtutem divinam. Si quis contendat puerum idem eſſe hoc loco quod filium, is confiteri debebit, Chriſtum ab æterno fuiſſe puerum, quia filium. Hoc autem à Scripturis alienum eſt, & fidelium aures refugiunt.

℣. 28. *Facere quæ manus tua & conſilium decreverunt fieri.* Non hinc ſequitur decretum Dei eſſe cauſam peccati, quia Deus non decreverat fieri peccatum illorum; ſed paſſionem & mortem filij ſui; quam & fecit. Fecerunt autem & illi, ſed mala voluntate & peccato ſuo, quam fecit Deus ſanctiſſima voluntate & conſilio ſuo; ſicut eleemoſynam facit Dominus ſancta intentione, quam eamdem interdum ſervus facit intentione perverſa. *Decreverunt.* Græcè προώρισε, id eſt, præfinivit, prædeterminavit, prædeſtinavit, ut legit Proſp. reſp. ad obi. 13. Gallorum. Eſtque idem vocabulum, quod interpres alibi vertit, prædeſtinare. Item ſic Aug. legit de prædeſt. ſanct. c. 6.

℣. 29. *Et nunc Domine reſpice in minas eorum.* Quæritur quomodo orant Apoſtoli Dominum ut reſpiciat in minas adverſariorum, cum præcipiat Dominus orare pro calumniantibus & perſequentibus; quod & exemplo ſuo docuit. *Reſp.* Hæc verba non ſunt expetentium vindictam, ſed tantum hoc petunt à Domino, ne adverſariorum minæ & perſecutiones ſucceſſum habeant, & per eas impediatur Evangelij promulgatio. Senſus igitur eſt: Reſpice in minas eorum eo fine, ut earum effectum impedias, ne perficere poſſint, quod comminati ſunt. Hunc ſenſum arguunt verba ſequentia: *Et da ſervis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum &c. Reſpice* non ad vindicandum ſed ad avertendum. Ita dicitur Exodi 14. *Reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum, interfecit exercitum eorum.*

℣. 31. *Et repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Nempe ad effectum, qui ſequitur: *Et loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Repleti quidem fuerant Spiritu Sancto in die Pentecoſtes ad eumdem effectum, ſed hinc diſcimus nos egere quotidiana gratia Dei etiam ad conſervandum & confirmandum robur, quod ſemel contulit. Quia homo ex ſe ſemper deficit & recedit à Deo.

℣. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una.* Id eſt, ſumma concordia, & ſummus conſenſus animorum. *Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat. Eorum* regitur ab (aliquid) ut ex Græco patet, & ſenſus requirit. Sed quomodo dicitur; *quæ poſſidebat*, cum repugnent poſſidere & ſuum negare? Græcè eſt ὑπαρχόντων, quod nominaliter ſumitur, & à tempore abſolvitur, & ſenſus eſt: Nemo facultatum ſuarum, quas habuerat, aliquid ſuum vel proprium (Græcè ἴδιον) eſſe dicebat. Vendiderant enim facultates, & pretium fecerant commune, ut conſequenter dicitur. *Sed erant illis omnia communia.* Hic origo eſt monaſticæ vitæ & perfectionis, vel potius progreſſus & incrementum. Nam origo erat in familia Chriſti, in qua omnes dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia.* Cajetanus putat nullum tunc interceſſiſſe votum, Aug. aliter ſerm. 10. de diverſis, & alibi; ut videre eſt in indice Scripturarum. Vide Annot. ſeq.

℣. 32. *Nec quiſquam, eorum quæ poſſidebat, &c.* Et paulò pòſt: *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant.* Videri poteſt tum ex his verbis, tum ex eo quod dicitur c. 2. Omnes qui credebant habuiſſe omnia communia; quod illo tempore nemo fidelium fuerit, qui non divenditis ſuis, contulerit ſe in vitam illam communem cum Apoſtolis. Sed imprimis ſciendum multos fuiſſe fideles, Chriſti Salvatoris prædicatione dudum converſos per univerſam Judæam, qui cum Jeroſolymis non habitarent, dici non poteſt, quod huic communitati fidelium, quæ Jeroſolymis erat, ſe adjunxerint. At nec veriſimile eſt eos omnes ſimpliciter ſua reliquiſſe; tum quia è vulgo hominum plurimi erant qui crediderant, tum quia ſatis apparet ex Evangelio fuiſſe inter eos, qui proprium aliquid poſſiderent. Nam Maria, Martha & Lazarus Chriſtum in ſuam domum frequenter hoſpitio excipiebant. Sed mulieres quædam, de proprijs facultatibus Chriſto ſubminiſtrabant neceſſaria, Luc 8. Et Dæmoniacus ille apud Gerazenos curatus, cum vellet Chriſtum corporaliter ſequi, juſſus eſt apud ſuos remanere. Nec veriſimile eſt, Centurionem & Regulum & alios multos, qui cum tota domo in Chriſtum crediderunt, omnibus ſuis divenditis, ſtatim ad communem aliquam vitam ſe contuliſſe; præſertim cum illius rei nec in Evangelio, nec alibi veſtigia probabilitatis, appareant. Jam autem nec illi fideles, qui Jeruſolymis erant, omnes omnino ſine exceptione, hanc Evangelici conſilij perfectionem amplexi videntur. Erant enim ibi Nicodemus, Ioſeph, Gamaliel alijque principes, de quibus Ioannis 12. quos iſtud feciſſe non apparet. Quod ergo ita univerſaliter dicitur & hoc & ſecundo cap. poteſt intelligi de illis duntaxat, aut potiſſimum, qui una & altera Petri prædicatione, poſt acceptum Spiritum ſanctum, crediderunt. Quamquam nec affirmare auſim omnes illos ſine exceptione ad tantam perfectionem ſe contuliſſe; maximè quod credibile ſit fuiſſe inter eos, qui, quod filij-familias eſſent, parentibus nondum credentibus; aut conjugati conjugibus nondum credentibus, aut alia ratione, non potuerint de bonis & ſtatu ſuo diſponere prout cuperent; etiamſi quam-maximè ad illam perfectionem Evangelicam aſpirarent. Fortè nec conjuges, qui filios habebant in illam ſe communitatem dederunt; quia debent parentes filiis theſaurizare, ſecundum Apoſtolum; Ananias autem & Saphira non leguntur habuiſſe filios. Eadem ratione nec illi conjuges, qui continere nollent ab opere conjugali, videntur in eam congregationem admiſſi fuiſſe, etiamſi filios non haberent. Poterant enim eis adhuc naſci filij. Totum hoc probabile fit, quia cap. 9. legimus ortum fuiſſe murmur Græcorum adverſus Hebræos, quod viduæ illorum minus curarentur in quotidiano miniſterio, quod fiebat ex marſupio communi. Nihil autem tale legitur de parentibus erga filios, ſcilicet quod queſti fuerint non ſatis ſibi ſuppeditari, ad nutriendum filios, præſertim infantes & pueros; pro quorum alimonia matres maximè ſolent eſſe ſollicitæ. Unde veriſimile eſt non alias mulieres, quàm viduas & virgines, aut alioqui continentes, in eam ſocietatem fuiſſe admiſſas. Atque id probatur ex Ephiphanio in hæreſi Nicolaitarum, ubi dicit Nicolaum primo ſe continuiſſe ab uxore, exemplo aliorum, quos Deo addictos videbat. Manifeſtum etiam, quod qui Chriſtiani fiebant, non jubebantur omnia ſua relinquere, & pretium rerum conferre in commune, quia Petrus dicit Ananiæ: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* id eſt, liberum tibi erat, ut bona tua & pretium ex iis comparatum vel conferres in vitam communem, vel tibi retineres? Tunc autem voto ſe ad communem vitam obligabant, quando ſua offerebant ad pedes

Apoſto-

Apoſtolorum. Unde Ananiæ non totum adferenti, & A tamen voventi vitam communem & rerum ſuarum dimiſſionem; dicitur: *Mentitus es Spiritui ſancto*, id eſt, fidem Deo datam feſelliſti, & irritam feciſti; id eſt, voviſti quod præſtare non cogitaſti; promiſiſti ore, non corde. Puto igitur iſtos omnia communia habentes, fuiſſe verè religioſos, quomodo nunc de religioſis loquimur, quia in manibus Petri tanquam Prælati vovebant vitam communem, & proinde etiam obedientiam, ſine qua vita communis non poteſt ſubſiſtere. Item continentiam, ſine qua vita illa eſſet plena turbarum, rixarum, & querelarum, propter filios nutriendos, eiſque providendum. Et Patres originem vitæ communis, qualis religioſorum eſt, referunt primùm ad familiam Christi & Apoſtolorum, qui dixerunt; *Ecce nos reliquimus omnia*; inter quæ etiam uxores nominantur; unde & vita Apoſtolica vocatur: B Deinde ad vitam communem primorum fidelium, qui Jeroſolymis per prædicationem Apoſtolorum crediderunt. Et tales fuerunt, qui ſub Marco vixerunt Alexandriæ, de quibus Hieronymus in Catalogo; & quales Philo deſcribit, abſtinentes etiam ab uxoribus & re conjugali. Vide etiam Auguſtin. in duobus ſermonibus de vita communi ſuorum. Poſſet tamen objici; Nicolaus advena Antiochenus, unus ex iſtis, legitur ardentius uxorem ſuam adamaſſe; ergo videtur ea adhuc uſus fuiſſe. Sed reſpondetur id in eo fuiſſe reprehenſum ab Apoſtolis. De hoc vide Epiphanium in hæreſi Nicolaitarum ſub initium; unde colligitur hujus objectionis ſolutio. Item ſciendum quod Apoſtoli vitam illam communem inſtituerunt ad exemplum vitæ ſuæ, quam egerant ſub C Chriſto Domino; de qua Petrus, *Ecce nos reliquimus omnia*. Et inde vocatur ab Aug. & aliis, *vita apoſtolica*, & ibi inter omnia nominantur etiam *uxores*, ut jam diximus.

℣. 34. *Neque erat quiſquam egens inter illos.* Quomodo ergo erant pauperes, utpote paupertatem profeſſi? *Reſp. Pauper* dicitur qui facultates non habet; *egens* cui neceſſaria deſunt. Erant ergo pauperes, quia nemo ſuum aliquid eſſe dicebat; egentes tamen non erant, quia diſtribuebatur ſingulis, prout cuique opus erat. Ita fit ut pauperes non egeant; ſicut & hodie in monaſteriis, ubi bona ſit diſpenſatio. Quemadmodum D contra fieri poteſt, ut dives egeat; quia ab uſu poſſeſſionum ſuarum prohibetur. Hieronymus in Philone dicens, quod nullus erat pauper in congregationibus fidelium in commune viventium, pauperem intelligit, qui hîc egens vocatur. *Quotquot enim poſſeſſores agrorum aut domorum erant.* Intellige de domibus, quæ ipſis non erant neceſſariæ ad inhabitandum. Has enim non vendebant, ſed retinebant, non tamen ut proprias, ſed ad uſum vel ſuum, vel aliorum fratrum, proprietate tamen earum tranſlata in communitatem. Et idem ſentiendum de aliis multis neceſſariis, ut ſupellectile, inſtrumentis mechanicis, veſtibus, libris, & ſimilibus. Propter uſum autem retentum aut conceſſum, dicebatur domus hujus aut illius; ut infrà c. 12. Petrus li- E beratus à carcere venit ad domum Mariæ matris Ioannis. Sic Philippus unus ex ſeptem Diaconis dicitur habuiſſe domum Cæſareæ c. 21. Sic domus Simonis in Evangelio; & Ioannes matrem Domini accepit in ſua, Ioan. 19.

Vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Hinc intelligitur eos etiam qui bona ſua conferunt in commune ad monaſterium ſeu communitatem, cui ſe in religione mancipant, ſatisfacere conſilio Domini in Evangelio, quo dicitur: *Vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me.* Dat enim pauperibus, qui confert in communitatem in qua nemo aliquid ſuum eſſe dicit.

℣. 36. *Ioſeph autem qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis.* Non Barſabas, Hic enim diverſus eſt ab eo, qui cum Matthia erat deſignatus ad Apoſtolatum, juxta Chryſoſtom. hom. 11. in Acta. Vide Gagnæum & paraphraſim Eraſmi in 1. & 4. cap. Omnia Græca exemplaria & omnia M.Ss. hoc loco habent Barnabas, cap. 1. Barſabas. Item prior in Græco vocatur *Ἰωσὴφ* hic autem *Ἰωσῆς*. Ac rurſum prior ille fuerat ex Chriſti Diſcipulis omni tempore &c. ut habet oratio Petri; hic autem recenter accedit ad Apoſtolorum familiam, omnia ſua relinquens; Vide annot. ad c. 1. Tametſi Clemens Alexandrinus lib. 2. Strom. dicit hunc unum fuiſſe è ſeptuaginta Diſcipulis. Verùm non legimus ſeptuaginta Diſcipulos omnia ſua reliquiſſe, ſicut fecerant Apoſtoli quorum nomine Petrus dicit; Ecce nos reliquimus omnia.

Levites, Cyprius genere, cum haberet agrum, Cyprius genere, id eſt, patria, quia in Cypro natus erat, vel quia parentes ejus Cyprij erant, id eſt, in Cypro nati. Nam Hebræi diſperſi erant toto orbe. Hinc etiam liquet Levitas habuiſſe poſſeſſiones agrorum.

CAPUT V.

℣. 2. **V***Endidit agrum & fraudavit de pretio agri.* Auguſt. ſerm. 10. de diverſis, pro *agro* legit *villam*. Græca, poſſeſſionem: ſed infrà; *Et fraudare de pretio agri*, eſt Græcè *agri*.

℣. 3. *Cur tentavit Satanas cor tuum? Tentavit*, tentatione efficaci per conſenſum cordis tui. Non enim increpandus erat Ananias, quod tentaſſet eum Satanas, cum id non eſſet in ejus poteſtate; ſed quod conſenſiſſet. Id quod Græca lectio ſignificat, *implevit*. Neque enim Satanas cor Ananiæ implere potuiſſet, niſi ille per conſenſum cor ſuum aperuiſſet pravæ ſuggeſtioni Satanæ, qua repleretur.

Mentiri te Spiritui Sancto. Nominatur Spiritus Sanctus, quia per votum res ſanctificatur Deo, & per hoc votum ipſe homo ſanctificabatur, id eſt, conſecrabatur Deo: ſanctificationis autem opera Spiritui Sancto appropriantur. Igitur mentiens in fraudem voti, rectè mentiri dicitur Spiritui Sancto. Quod poſteà repetens ait: *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Unde patet ſecundum Scripturam Spiritum ſanctum eſſe Deum. Sed quomodo negat eum mentitum hominibus? Non hoc abſolutè negat, ſed oſtendit factum non ſic æſtimandum quaſi hominibus mentiti ſint, ſed quaſi Deo, cum omne peccatum, licèt in homines, etiam abjectos, commiſſum videatur, revera in Deum committatur. Item quia votum propriè fit Deo; ideò hoc mendacium erat propriè contra Deum, quia in fraudem promiſſionis factæ Deo. Senſus ergo eſt: *Mentiri te Spiritui Sancto*, id eſt contra Spiritum ſanctum. *Non hominibus, ſed Deo*; id eſt, non contra homines, ſed contra Deum. Auguſtinus autem ſerm. 10. de diverſis hîc votum agnoſcit; & Fulgentius Epiſtola 1. cap. 8. Porrò pro eo quod nos habemus, *Mentiri te Spiritui ſancto*, Græcè eſt *mentiri te Spiritum Sanctum*: Sed accuſativus pro dativo poſitus. Nā infra dativus in Græco habetur, *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Sicut ergo in Scriptura habemus, benedicere Deum & benedicere Deo eadem ſignificatione; ſic & in propoſito. Vide annot. Eraſmi, qui vertit ut noſter.

℣. 4. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Græcè quidem eſt neutrum genus, ſed refertur ad poſſeſſionem ſeu agrum, quod utrumque etiam in Græco neutrum eſt. Nam (pretium) Græcis fœmininum eſt, unde ad illud referri non poteſt. Senſus eſt: Nònne ager, priuſquam eum venderes, tibi manere poterat, nemine cogente ut venderes; & venundatus in tua erat poteſtate, quoad pretium, nemine cogente ut pretium afferres?

℣. 5. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit &* A *exſpiravit.* Hieronymus Epiſtolæ ad Demetriadem c. 7. Petrus Apoſtolus, inquit, nequaquam imprecatur eis mortem, ut ſtultus Porphyrius calumniatur; ſed Dei judicium prophetico ſpiritu annunciat, ut pœna duorum hominum ſit doctrina multorum.

Audiens autem &c. Quamvis occidere hominem non ſemper peccatum ſit, ut cum fit juſta auctoritate; non tamen fatendum eſt, Petrum occidiſſe Ananiam & Saphiram, eo modo & ſenſu, quo concedimus Apoſtolos, per ſuas orationes ſanaſſe infirmos & luſcitaſſe mortuos. Nam hîc non interceſſit oratio, qua mors illorum à Deo peteretur; ſed in verbis Petri ad Sapphiram nuda fuit declaratio ſeu prædictio rei futuræ. Ad Ananiam autem nihil legitur de morte ejus futura locutus. Objicies. Gregor. lib. 9. Epiſt. 39. & habetur 2. quæſt. 7. Petrus: Dicit quod Petrus peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. B *Reſp.* Impropriè dici, quatenus Deus verbo illius tanquam inſtrumento utebatur ad occidendos peccatores. Nec verbum illud erat obſecrantis, aut imperantis, ut in aliis miraculis, ſed tantum indicantis ſive annuntiantis id quod divinitus erat futurum. Itaque ſi quis quærat: Quare non potuiſſet agi reus homicidij apud magiſtratum? *Reſp.* Quamvis Petrus ex Dei revelatione ſciverit occultum eorum crimen, & inſtantem vindictam; nihil tamen dixit vel fecit, quo ſignificaret ſe operari mortem eorum, vel etiam cooperari. Nam in verbis ad Ananiam dictis tantum eſt increpatio peccati, nulla mortis mentio. Saphiræ autem prædixit quidem mortem, dicens: *Ecce pedes eorum &c.* non tamen ſig- C nificavit ſe vel verbo mortem inferre. Unde B. Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 4. dicit Petrum non ſua auctoritate vel manu eos occidiſſe, ſed magis divinam ſententiam de eorum morte promulgaſſe. Quod tamen tantum apparet de Saphira. Sicut 4. Reg. Elias non occidit regem dicendo; *De lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris.* Ita nec Petrus proferens ſimilem ſententiam ex Dei revelatione, ſed uterque prophetice locutus fuit. Similiter Eliſæus, 4. Reg. 7. & Jeremias cap. 28. Hananiæ pſeudoprophetæ mortem denuntiat, quia contra Dominum locutus erat; quæ etiam ſeptimo poſt menſe ſecuta fuit. Ubi nota nominis convenientiam in eo, qui Jeremia, & eo, qui Petro denuntiante extinctus eſt. D

Cæterum quamvis Apoſtoli habebant poteſtatem faciendi miracula, tamen non expediebat ut eam in occidendis hominibus exercerent, ſicut in reſuſcitandis & ſanandis: tum quia id non conveniebat gratiæ & manſuetudini Evangelicæ, tum ne malè audiret Chriſti Religio apud reges, principes & magiſtratus, aliosque infideles. Unde hoc eodem cap. etſi legatur Petrus cum aliis Apoſtolis miſſus in carcerem, & productus ad tribunal Pontificum, non tamen legitur ei impoſitum crimen homicidij; quia palam erat, Petrum non fuiſſe morti horum hominum cooperatum. Vide Fulgentium Epiſtola 1. cap. 8. ubi dicit quod Ananiam & Saphiram non ſolum vox Apoſtolica tan- E quam divini juris pervaſores increpuit, ſed etiam ſeveritas juſtitiæ cœleſtis occidit. Vide etiam infrà annot. cap. 13.

Cæterum S. Auguſtinus videtur ſentire eos eſſe ſalvatos. Nam ſerm. 10. de diverſis ait: Credendum eſt, quod poſt hanc vitam eis pepercerit Deus. Magna eſt enim ejus miſericordia. Et poſt; Correpti ſunt mortis flagello, ne ſupplicio punirentur æterno. Sed hoc aliis non probatur: quia non apparet pœnitentia; imò nec videntur ſpatium habuiſſe pœnitendi, ut in iis locum habere potuerit illud pſalmi; *Cum occideret eos, quærebant eum.* Similiter loquitur Auguſt. lib. 3. contra A Epiſtolam Parmeniani c. 1. Vide plura loci, præſertim apud Lorinum.

℣. 23. *Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia.* Unde apparet quod clauſis januis educti fuerant; & tamen ſupra dicitur Angelus Domini aperuiſſe januas carceris. Vide Chryſoſt. & Bedam in hunc locum qui miraculum agnoſcunt tranſitus per januas clauſas. Vide etiam infrà cap. 12. & noſtra de Euchariſtia in 4. ſent.

℣. 29. *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Non negat eos habere poteſtatem præcipiendi & leges condendi, quod hodie de prælectis Eccleſiæ negant hæretici; ſed negat eis obediendum, ſi aliquid præcipiant, quod Dei legibus ſit contrarium. Nam humana poteſtas ſubordinata eſt divinæ.

℣. 32. *Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus.* Utrumque futurum B prædixerat Chriſtus Joan. 15. *Ille teſtimonium perhibet de me. Et vos teſtimonium perhibebitis; quia ab initio mecum eſtis.* Sed cur Apoſtoli poſteriori loco nominant Spiritum Sanctum? *Reſpond.* Quia hoc de Spiritu Sancto addunt pro confirmatione ſui teſtimonij, quaſi dicat; non credatur nobis teſtibus, niſi etiam Spiritus Sanctus manifeſtè teſtis accedat horum omnium, ſcilicet per manifeſta ſigna. Hoc velle Lucam liquet ex Græco, ubi ſic habetur; καὶ τὸ πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, id eſt, atque Spiritus ſanctus.

℣. 34. *Gamaliel legis Doctor.* De Gamaliele quomodo cum filio ſuo Abiba baptizatus fuerit; Vide Epiſt. Luciani preſbyteri de inventione Sancti Stephani.

C ℣. 38. *Si eſt ex hominibus, diſſolvetur.* Omne conſilium quod eſt ex hominibus, & non ex Deo, tandem diſſolvitur: ſed non ideo debet ceſſare vigilantia præfectorum; ut patet in rebellione ſubditorum adverſus principes, & aliis pravis machinationibus adverſus ſalutem publicam. Item conſilium quod eſt ex Deo, poteſt diſſolvi, non quod decretum Dei contingat fruſtrari, & conſilium everti; ſed quia bona conſilia, ſtudia, conatus, qui ſunt ex Deo, non ſemper exitum intentum conſequuntur; nec ſemper qui bene cœpit, perficit; licet bene cœpiſſe ſit ex Deo. Neque enim Deus cuicumque dat incipere, dat etiam perficere, nec omnibus juſtis dat perſeverantiam.

Cæterum hoc dilemma etiam hodie hæretici pro- D ferre ſolent, contra hæreticorum punitionem. Sed reſpondendum, dilemma non eſſe Scripturæ ſacræ, ſed Gamalielis, qui hoc apparenti argumento voluit eos quibus favebat, præſenti periculo liberare. Nam eodem modo dicere liceret de quavis improborum conſpiratione, *Si eſt ex hominibus &c.* Deinde ipſa exempla à Gamaliele producta, oſtendunt quidem malas hominum machinationes diſſolvi; non tamen id factum ſine poteſtate publica proconſulum; ut patet ex Ioſepho, & hîc ſatis ſignificatur. Deinde, ad principem Sacerdotum non pertinebat hos punire, tanquam rerum novarum authores; ſed ad præſidem Romanum, cui Apoſtolos, ſi culpandi fuiſſent, debebant deferre. Sed E ipſi principes Sacerdotum multa faciebant præſumpta authoritate; ut patet toto hoc libro; velut dum Saulum cum poteſtate & litteris mittunt Damaſcum; dum Stephanum lapidant; dum Paulo necem moliuntur.

℣. 39. *Si verò ex Deo eſt; non poteritis diſſolvere illud, ne fortè & Deo repugnare inveniamini.* Aliquid intelligitur, quod non exprimitur; Quandoquidem quod ex Deo eſt, diſſolvi non poteſt; dimitte eos (ſicut infra dicit) *ne videamini pugnare contra Deum.* Sed intellige, ſi ita ex Deo eſt, ut Deus velit permanere & incrementa capere & proſperari; non poteritis impedire; quod ſi conemini, eritis θεομάχοι, id eſt, bellum

bellum cum Deo ſuſcipietis, cum Deo pugnabitis. Nam Græcè eſt *θεομάχοι εὑρεθῆτε*.

CAPUT VI.

℣.1. **F***Actum eſt murmur Græcorum adverſus Hebræos.* Utrique Judæi ſeu Iſraelitæ erant; Nondum enim in gentibus prædicatum erat Evangelium; ſed Græci dicuntur Judæi qui in diverſis Græciæ, (ſeu potius gentilitatis (quæ aliquando Græcia dicitur, ſicut gentiles, Græci) partibus nati, Hieroſolymam cauſa religionis venerant; de quibus etiam loquitur Scriptura Act. 2. Ad hoc genus, Judæos ſcilicet in diſperſione gentium poſitos, ſcribunt Epiſtolas ſuas Petrus & Iacobus. Hebræi verò dicuntur, qui in Judæa nati erant. Ac fortè peculiariter his nominibus ſic appellantur, à lingua quam loquebantur. Qui enim in Judæa nati, loquebantur Hebraicè; qui in diſperſione, ut plurimum loquebantur Græcè, more gentium, inter quas verſabantur: ſicut hodie, qui morantur in Italia, loquuntur Italicè, qui in Germania germanicè. Et nota quod Græcè non dicitur *Ἕλληνες*, ſed *Ἑλληνισταί*, quaſi dicat Græciſtæ. Vide infrà annot. cap. 9. & 11.

Quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Deſpicerentur, id eſt, negligerentur, & Hebræis viduis poſthiberentur in ſubminiſtrandis vitæ neceſſariis. Quod id ſit viduas deſpici, patet ex eo quod eſt viduas honorari in Epiſtola ad Timoth. & *miniſterium quotidianum* intelligi, rerum quotidianarum ſuppeditationem, intelligi poteſt ex Apoſtolo dicente 2. Cor. 9. *Nam de miniſterio quod fit in ſanctos*, & Rom. 15. *Nunc igitur proficiſcar in Ieruſalem miniſtrare ſanctis.* Item: *Et obſequij mei oblatio accepta fiat.* Eſt autem ubique Græcè *Διακονία*, vel *Διακονεῖν*. Miror Eraſmum in paraphraſi ſua id non advertiſſe, dum miniſterium intelligit, quo viduæ Apoſtolis ac diſcipulis inſerviebant. Idem in ſcholiis in Epiſtolam Hieronymi ad Evagrium, ex eodem ſuo errore conatur locum ejus Epiſtolæ caſtigare, cum potius ex verbis Epiſtolæ debuiſſet admoneri rectæ intelligentiæ hujus loci. Nec id animadvertit in ſcholiis ſuis Marianus, qui Eraſmum taxat quidem more ſuo graviter, ipſe tamen in hunc eundem lapidem turpiter impingit. Quamquam & Bedam ſic ſenſiſſe apparet, tam in primo commentario, quàm in retractationibus.

Hinc porrò apparet, ea quæ dicuntur cap. 4. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos.* Et: *Dividebant autem ſingulis prout cuique opus erat.* Et: *Erat omnium credentium cor unum & anima una*: Non diu in ſua perfectione & exacta obſervatione permanſiſſe, propter hominum vitia & affectus carnales, ut ſolet in omnibus hujuſmodi fieri. Nihil enim tam bonum inſtituitur quod non paulò pòſt inclinet, hominum vitio ſeu negligentia. Hinc in Eccleſia & monaſteriis frequenti opus eſt reformatione.

℣.2. *Et miniſtrare menſis.* Quatenus hoc ſit, aut olim fuerit officium Diaconorum, vide noſtra in 4. diſt. 24. §. 16. ſub finem.

℣.5. *Et elegerunt Stephanum.* Hoc non intelligitur de electione Canonica, quæ dat jus electis, ſed de ea quæ plebi interdum indulgetur. Quod hîc eò propenſius factum eſt ab Apoſtolis, quia agebatur de miniſterio quodantenus profano, de recta diſtributione eorum, quæ conferebantur à plebe, & in illam primorum fidelium multitudinem, & ut plenius ſatis fieret querelis aliorum adverſus alios. Itaque electio iſta erat inſtar cujuſdam poſtulationis ſeu deſiderij ac voti; quod Apoſtoli ſua auctoritate approbarunt: ſatis quoque id oſtendunt verba præcedentia, quibus Apoſtoli dicebant: *Conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem,* ——— *Quos conſtituamus ſuper hoc opus.* Ideſt, perquirite tales & præſentate nobis, ut nos

Eſtij Annotat. in Script.

A conſtituamus &c. Eundem Stephanum ipſi Apoſtoli, ſicut in officio miſſæ de eo legitur, elegerunt, electione canonica; ſcilicet eo ipſo, quo collatis ſententiis approbarunt electionem à multitudine factam.

Et Timonem. Multa exemplaria M. S S. habent Timothæum; in Græco tamen lego *Τιμόνα*, Timonem. Certum eſt autem non bene fuiſſe Timothæum illum Pauli comitem. Nam ille incircumciſus diu fuit, donec à Paulo propter Judæos circumcideretur; eratque jam tum adhuc adoleſcens, ut patet ex Epiſtolis ad eum ſcriptis, multò poſt hoc tempus: Hi autem circumciſi omnes erant, & tanquam viri ſapientia pleni, ex tota multitudine delecti ad Diaconiam; quod in Timotheum illo tempore non potuit competere, imo tunc adhuc fortè puer erat. Hujus Timonis meminit martyrol. 19. Aprilis.

B *Et Nicanorem.* De Nicanore uno è ſeptem Diaconis, quod tandem in Cypro, gratia fidei & virtute admirandus, glorioſiſſimè coronatus ſit, habes in Rom. martyr. 10. Ian. ex Uſuardo, ni fallor, & 23. Ianuarij de Parmena, qui Philippis in Macedonia ſub Traiano coronatus eſt.

Et Nicolaum advenam Antiochenum, Græcè *προσήλυτον* quod Eraſmus vertit proſelytum, id eſt, ex gentilitate inſitum religioni Judæorum per circumciſionem. Sic in Evangelio: *ut faciatis unum proſelytum.* Vide annot. Apoc. 2. de Nicolao & Nicolaitis. Sicut autem Evangeliſtæ Judam Iſcariotem ultimo loco ponunt in Catalogo Apoſtolorum, eo quod illo ſancto conſortio, per ſcelus proditionis Domini ſui, indig-

C num ſe reddiderit, ita Lucas hunc Nicolaum ponit ultimum in Catalogo ſeptem Diaconorum, quod per hæreſim ſe illo collegio reddiderit indignum; ut nonnulli tradiderunt; vel certè eo quod eſſet proſelytus. Additiuncula Cenſoria.

℣.7. *Multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei.* Sacerdotes Aaronici intelliguntur, non Chriſtiani, ut quidam intellexerunt, imperitè. *Obedire fidei*, eſt credere, id eſt, fidem humili ſubmiſſione voluntatis ſuſcipere. Rom. 1. *Ad obediendum fidei in omnibus gentibus.* Vide ibi comment.

℣.8. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine. Plenus gratia*, id eſt, multa habens Spiritus Sancti

D charismata. Unde ſequitur; *Faciebat prodigia & ſigna magna in populo.* Item valebat eloquentia & doctrina, ut patet ex oratione quam habuit in concilio. Plenus *fortitudine*, id eſt, robore ſeu virtute Spiritus Sancti, quæ proprius eſt effectus Spiritus Sancti in Sacramento confirmationis. Quam fortitudinem Chriſtus Apoſtolis ſuis promiſit ante Aſcenſionem in cœlum Luc. ultim. & Actor. 1. & contulit abundè, in die Pentecoſtes: Actor. 2. Eademque fortitudo excellit in Stephano; ut patet ex hoc & ſequenti cap.

℣.9. *Quæ appellatur Libertinorum.* Libertinos quidam intelligunt eos, qui erant ex Lybia. Sed cum eos nuſquam libertinos dictos legamus, alij malunt eos intelligere, qui ex patribus libertis, id eſt, libertate

E donatis, poſtquam à Pompeio ſuperati & in ſervitutem abducti fuerant, erant progeniti. Tales enim propriè Libertini dicuntur. Vide Calepini lexicon. Utraque tamen interpretatio probabilitatem accipit ex 2. cap. Actor. ubi dicitur: *Et qui habitant Meſopotamiam* ——— *& partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen, & advenæ Romani.* Sicut enim ibi Libya cum Cyrene nominatur, ita hîc Libertini & Cyrenenſes conjunguntur. Sed rurſum, illic adjunguntur advenæ Romani; quos hic Libertinos intelligere poſſumus; juxta ſenſum datum; quia patres eorum apud Romanos ſervierant, & deinde manumiſſi fuerant, quem etiam ſenſum probat Chryſoſt. Græcè eſt *λιβερτίνων*. A Libya deducitur apud Græcos *λιβυστῖνος* authore Stephano. Quod vocabulum potuit quadam

loquentium corruptela mutari in λιβερτῖνος, maximè A apud barbaros.

Et eorum qui erant à Cilicia. Ex his erat Saulus natus in Tarſo Ciliciæ: ut veriſimile ſit eum etiam, ut erat ardens legis æmulator, cum Stephano diſputaſſe.

ỷ.13. *Et ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent: Homo iſte non ceſſat loqui verba adverſum locum ſanctum & legem. Audivimus enim eum dicentem, quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit traditiones, quas tradidit Moyſes.* Verum erat quidem Jeſum deſtructurum eſſe locum illum, & mutaturum traditiones; & tamen erant falſi teſtes, quia teſtabantur Stephanum hæc dixiſſe quæ non dixerat, & per quæ ſciebant commovendos Judæos, ut in Stephanum inſurgerent & morti traderent. B Alioqui, nec Stephanus, nec Apoſtoli hæc prædicabant, quamvis vera; quia non erat opportunum nec expediens talia prædicare, nec verò neceſſarium. Non opportunum, nec expediens; propter Judæos, quorum multi crediderant in Chriſtum ad prædicationem Apoſtolorum, nec credituri ſi hæc fuiſſent eis ingeſta. Non neceſſarium adhuc pro illo tempore; quia ſine diſpendio ſalutis eorum, poterant hæc taceri ad tempus, modo ſpem ſalutis non in Ceremoniis Moſaicis, ſed in Chriſto collocarent. Ac multo minus erat neceſſarium illis annuntiare, quod Jeſus locum illum eſſet deſtructurus. Et conſtat ex Actis Apoſtolorum, Apoſtolos talia non prædicaſſe. Sed etſi Stephanus talia dixiſſet; adhuc poſſunt intelligi fuiſſe falſi teſtes; quia teſtabantur blaſ- C phemias, quæ revera talia non erant. Vide Annot. Matth.

ỷ.15. *Tamquam faciem Angeli.* Id eſt, valde pulchrem & gratioſam. Deus enim gratiam vultus ejus auxerat. Sic linguæ Angelorum dicuntur pro eximia facundia.

CAPUT VII.

ỷ.6. ET *malè tractabunt eos annis quadringentis.* Vide Annot. Gen. 15. Exod. 12.

ỷ.14. *In animabus ſeptuaginta quinque.* Juxta interpretationem Septuaginta; cum textus Hebraicus tantum habeat ſeptuaginta. Sed à Septuaginta additi ſunt filij Ephraim & Manaſſe. D Cùm enim in hoc numero cenſerentur omnes filij filiorum Iacob, cumque Ephraim & Manaſſe, qui Nepotes erant, in filios fuerint adoptati; meritò eorum filij huic numero aſcribuntur. Vide Annot. Gen. 16.

ỷ. 16. *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filij Sichem.* Multiplex hic difficultas in hiſtoria concilianda. Ac primum leve illud eſt, quod poſtremo loco dicitur: *Hemor filij Sichem*, Cum Hemor pater fuerit Sichem. Nam in Græco tantùm habetur τοῦ Συχέμ quod juxta fidem hiſtoriæ Gen. & Joſue ult. vertendum potius erat, *patris Sichem.* Nec culpandus tamen eſt interpres Latinus, qui ſubaudit nomen (filij,) E quod ſane ſubaudiri poteſt: & facile fieri potuit ut Hemor habuerit patrem nomine Sichem, & filium eodem nomine, quod in memoriam avi ſui ei dederit, ut fit quotidie. Additio hæc eſt Cenſoris. Sed cætera multum diſcrepare videntur; nempe de ſpelunca duplici in Hebron, quam ab Ephron Hethæo emit Abraham quadragintis ſiclis argenti, ubi ſepulti ſunt; Sara, Abraham, Iſaac, Rebecca, Lia, Iacob, Gen. 23. 25. 35. 49. & 50. & de agro in Sichem, quem à filiis Hemor Hevæi patris Sichem emit Iacob centum agnis, ubi ſepultus eſt Ioſeph. De eo habes Gen. 33. & Joſue ult. Quidam putant mendum eſſe in nomine Abraham, quod ſcribæ poſuerint pro Iacob. S. Hieron. in Epiſtola ad Pammachium 101. cap 4 Differo ait ſolutionem. Additio Cenſoris. Sed ex his quæ habet in epitaphio A Paulæ, & in libro illo de optimo genere interpretandi, liquet eum docere quod duodecim Patriarchæ filij Iacob, ſint ſepulti in Sichem, ut hîc ait B. Stephanus.

ỷ. 19. *Ut exponerent infantes ſuos ne vivificarentur.* Id eſt, ne vivi permanerent. *Vivificare* pro vivum relinquere phraſis eſt Scripturæ. Sic 1. Reg. 27. *Virum & mulierem non vivificabat David.*

ỷ.25. *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius.* Hinc oſtenditur Moyſen non ſine voluntate divina, ſibi cognita, ſumpſiſſe ſibi poteſtatem vindicandi populum ſuum de oppreſſione Ægyptiorum. Nam quamvis id Hebræi non intelligerent; ipſe tamen jam tum intelligebat; ideoque cædes Ægyptij licitè & cum poteſtate ab eo facta videtur; B licet Auguſt. hunc locum non conſideranti aliud videatur, qui tamen quæſtio. 2. in Exod. hoc quoque obſervavit. Vide Annot. Exod. 2.

ỷ. 30. *Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Et infrà: *Hunc Deus principem & redemptorem miſit cum manu Angeli, qui apparuit illi in rubo.* Vide annotat. Exod. 3. Tres ſunt cauſæ cur Stephanus immoretur in hiſtoria & laudibus Moyſi. Prima ne propterea de legis abrogatione diſputaſſe videretur, quia de legiſlatore ejus Moyſe minus honorificè ſentiret. Ideò eum prolixè laudat & prædicat. Altera, ut exemplo Moyſi tanti benefactoris, toties tamen à populo contempti, exaſperati, & mortem expetiti; tacitè taxaret ingratitudinem Judæorum in Chriſtum, à quo tot affecti beneficiis & ſanctiſſimis C præceptis inſtructi, tandem eum poſt varias perſecutiones & contumelias in crucem egerunt propter quod eos in fine orationis vocat proditores & homicidas, patrum ſuorum imitatores. Tertia cauſa; ut in illius magni prophetæ manifeſtum de Chriſto teſtimonium, quod proferre volebat, commendabilius acceptabiliuſque redderet. Unde ita ſermonem de Moyſe concludit: *Hic eſt Moyſes qui dixit filiis Iſraël, Prophetam ſuſcitabit vobis Deus, &c.*

ỷ.35. *Principem & redemptorem.* Nota etiam Moyſen *redemptorem* dici, ſive injuria unius redemptoris Chriſti; quemadmodum idem etiam mediator ſive ſequeſter vocatur inter Deum & filios Iſraël. Multa enim Deo vel Chriſto propria, ἀναλόγως hominibus.

D ỷ.37. *Tamquam me.* Nota ſimilitudinem, non æqualitatem. Unde & intelligimus illud; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*, non neceſſario de æqualitate dilectionis eſſe accipiendum. Vide annot. Deut. 18. & in 3. ſent. diſt. 29.

ỷ.42. *Sicut ſcriptum eſt in libro prophetarum: Numquid victimas & hoſtias, &c.* Vide anno. 5. & Num. 23. Citatur autem hic locus ſecundum ſeptuaginta, excepto hoc poſtremo: *Et transferam vos trans Babylonem.* Pro quo tam ſeptuaginta quàm Hebræa habent, *trans Damaſcum.* Sed conciliari cum illis poteſt, quod hîc dicitur; quia ſignificatur eos ejiciendos eſſe in remotiſſimas à ſua terra regiones Orientem verſus, ut E non ſolum Damaſcum prætereant, verum etiam Babylonem, multo longius diſſitam. Porrò ſicut veriſimile eſt, Stephanum Hebraicè locutum fuiſſe in conſilio Sacerdotum Judaici populi; ita quoque credibile eſt, ab eo recitata fuiſſe ipſa verba prophetæ, ut in Hebræo habentur: Lucam verò, qui Græcè ſcribebat, in his retexendis uſurpaſſe verba ex verſione ſeptuaginta, quæ tunc verſabatur in manibus omnium, eorum, maximè qui Hebraicè neſcirent. Vide Gaignæum, & Oecumenium in hunc locum, & quæ ibi Hentenius annotavit.

ỷ.48. *Sed non excelſus in manufactis habitat.* Scilicet tamquam indigens habitationis loco, ſicut Paulus exponit Act. 17. & hoc ult. vult probatio ſequens, *Sicut propheta dicit, &c.* Alioqui Deum in templo habitare, pluribus locis ſcriptura teſtatur, ut Deuter. 12. 3.

Reg. 8.

Reg. 8. 2. Paral. 6. Vide annot. infrà cap. 17. Habitat autem in templo quatenus illic peculiari modo præſentiam ſuam exhibet, exaudiendo orationes, & beneficia, gratiamque conferens: & tamquam ibi habitans, vult ibi ſe conveniri per orationes, laudes, ſacrificia.

℣. 51. *Dura cervice & incircumciſis cordibus & auribus.* Phraſes Hebrææ ſunt. Duræ cervicis hominem vocant præfractum & qui monitis non credit; metaphora deſumpta à vitulis, qui jugum cervici impoſitum rejiciunt. Incircumciſis cordibus & auribus dicuntur, alluſione ad circumciſionem carnis illi populo legitimam. q. d. ut eſt apud Ezechielem; Carne quidem circumciſi eſtis; ſed cordibus & auribus incircumciſi; cordibus, quia ſancta monita à corde rejicitis, auribus, quia nec audire ſuſtinetis.

Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis. Ita legendum præſenti tempore, non, reſtitiſtis; conſentiunt omnia M. SS. aſtipulantur & Græca. Reſtiterunt autem tam ipſi, quàm patres eorum Spiritui ſancto, dum tot modis invitati ad veram pietatem; ſcilicet lege divinitus data, tot prodigiis & oſtentis divinitus exhibitis, tot præſtitis beneficiis eductionis ex Ægypto & introductionis in terram manantem lac & mel, tot miſſis ad eos Prophetis; ſemper tamen rebelles fuerunt Spiritui ſancto, cui tamquam ſummæ bonitati omnis illa beneficentia peculiari ratione aſcribitur.

℣. 52. *Et homicidæ fuiſtis.* Græcè φονεῖς, id eſt, occiſores, ut vertit Eraſmus. Unde non eſt hîc urgendum quod dicit Stephanus; *homicidæ*, & non Deicidæ; quia neutra natura in Græco exprimitur. Et ſanè Judæi non tantùm homicidæ, ſed & Deicidæ fuerunt, ſicut B. Virgo verè & propriè Deipara, quia Chriſtus, quem illi occiderunt & hæc peperit, Deus & homo eſt ſubſtantialiter. Cæterum non ſolus Judas Chriſti proditor fuit, verùm etiam Judæi. Nam ille quidem Chriſtum tradidit Judæis, Judæi vero Pilato & gentibus, juxta id quod Chriſtus ipſe prædixerat, ubi ait: *Et tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum.* Ideo autem addit B. Stephanus: *Et homicidæ*, quia in ſcelere occiſionis Chriſti, multo gravior fuit culpa Judæorum, qui ex pertinaci odio & invidia popoſcerunt eum ad mortem, falſis contra eum accuſationibus inſtitutis, quam Pilati, qui morti eum adjudicavit; aut miniſtrorum ejus gentilium, qui manibus ſuis eum crucifixerunt. Unde & Dominus ad Pilatum: *Qui me tibi tradidit*, inquit, *majus peccatum habet.* Verius ergo illo ſcelere Judæi homicidæ, quàm gentiles.

℣. 53. *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum.* Græcè *in diſpoſitiones*, & fortè ita vertit interpres. Eraſmus, *per diſpoſitiones.* Quia nimirum Angeli erant miniſtri illius legiſlationis. Sic Gal. 3. dicitur lex ordinata per Angelos in manu mediatoris Moyſi; & Hebr. 2. *Qui per Angelos dictus eſt ſermo.* Vide annot. Deut. 33. ubi explicatur quomodo lex data per unum Angelum, qui Moyſen & populum alloquebatur; & quomodo per multos. Vide etiam comment. 1. Cor. 10.

℣. 55. *Ecce video cœlos apertos.* Non hinc ſequitur cœlum fuiſſe diviſum, ut Stephanus videret Chriſtum, ſed aperti dicuntur cœli, quatenus Ieſus Dei filius in cœlo exiſtens, oculis corporeis videbatur. Nec opus erat diviſione, cum cœlum ſit corpus diaphanum. Item cœli propriè non ſunt viſibiles, nec aër. Sic alibi aperti dicuntur cœli, quando Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ viſus eſt; Quamquam hoc de cœlo aërio potius accipiendum. Sic intelligi poteſt, quod aliquando dicunt patres, Chriſtum aperuiſſe ſibi uterum maternum; quia inde prodiit ſua virtute.

Quæri poteſt, an Stephanus tunc etiam, quando lapidabatur, viderit apertos cœlos. Id hoc loco non dicitur; ſed tantùm in ejus officio canit Eccleſia: *Cum igitur ſaxorum crepitantium turbine quateretur, inter æthereos auia cæleſtis ſinus, divina ei claritas fulſit.* Idem. Prud. in hymno de S. Laur. Talemque & ille prætulit oris coruſci gloriam, Stephanus, per imbrem ſaxeum, cœlos apertos intuens, ubi tria diverſa conjungit Poëta. Item quæritur quomodo Chriſtus in cœlo empyreo exiſtens, vel ut S. Thomas vult p. 3. q. 57. artic. 4. ſupra cœlum empyreum conſtitutus, potuerit à Stephano in terris poſito videri; cum neque acies oculorum ad tantum ſpatium pertingat, neque ſpecies viſibiles à corpore viſibili tam procul effundantur? *Reſpond.* Si viſio fieret emiſſione radiorum viſualium ex oculo, ut Plato voluit; dicere poſſumus virtutem viſivam à Deo fuiſſe confortatam, ut radios tam procul emittere poſſet. Sed, cum longè probabilius ſit, ſpecierum receptione viſionem fieri, reſpondetur; vel naturaliter potuiſſe corpus Chriſti, utpote lucidiſſimum, tam procul videri ſicut ſol & ſtellæ ob inſignem claritatem longiſſimè videntur: (Nam ſi corporis parvitatem objicias, reſpondebo claritatem compenſaſſe quod quantitati deerat, ut tam procul videri potuerit) vel certe, divino miraculo ſpecies in tam longinquum ſpatium fuiſſe diffuſas.

Fruſtra quoque hic quidam imaginantur cœli factam diviſionem, ut Stephanus Chriſtum in cœlo ſtantem videret; non ſolùm quia cœlum corpus eſt diaphanum; verùm etiam quia diviſione poſita, aut hiatus ille alio corpore repleretur, aut non. Si ſic; ~~quoniam~~ corpore? quonam certè non alio dicent, quàm aëre. At quid opus diviſione ſi replendus erat hiatus alio corpore, & quidem eo quod non plus adferret adminiculi ad videndum, quàm cœlum ipſum faceret ſine hiatu? Deinde permagna aëris copia opus eſſet, ad implendum hiatum ab imo cœlo lunæ ſe protendentem uſque ad ſummum cœlum; Quod ſpatium tam magnum eſt, ut totum aeris elementum ei implendo non ſufficeret. Ut interim prætermittam quàm parum aptè probabiliterque, ponatur elementare corpus ad hoc ſolum ut Stephanus Chriſtum videat, ſurſum per hiatum, quaſi per fiſtulam vel caminum mitti per omnes cœlos, uſque ad ſummum. Quod ſi dicas hiatum nullo alio corpore fuiſſe repletum, jam vacuum ponis, à quo tota abhorret natura uſque adeo, ut nec per miraculum id uſquam admiſſum legamus. Imò hac ratione tollitur hoc ipſum, cujus gratia hujuſmodi hiatus ponebatur: ſcilicet ut Stephanus Chriſtum in excelſo cœlo poſitum videret. Nam ut in naturali Philoſophia didicimus, per vacuum viſio fieri prorſus nequit.

Et filium hominis ſtantem. An illud (*ſtantem*) poſſit intelligi, conſtitutum; ut non ſignificetur certus ſitus corporis, ſed tantum, quod erat à dextris Dei? Melius dicitur intelligi veram ſtationem; maximè ſi Stephanus ejus humanam formam vidit corporalibus oculis. Dicunt enim Theologi, diſputantes de ſitu corporis Chriſti in cœlis; eum ſtare, non ſedere; quod ſtatus ſit ſitus perfectiſſimus.

Et filium hominis ſtantem à dextris Dei. Non, *virtutis Dei.* Nam illud (*virtutis*) adjectitium eſt, quod nec in Græcis eſt exemplaribus, nec M.SS. Sed quomodo videre eum potuit ſtantem à dextris Dei, ſcilicet à Patris, cum dextra Dei ſit inviſibilis, imò propriè nulla; ut nec ſiniſtra, nec reliquæ poſitionum differentiæ, quæ ſolis aſſignantur corporibus? *Reſp.* Sermonem eſſe, improprium, ita explicandum; Video filium hominis, id eſt, Chriſtum in humana forma, eumdemque in cœlis regnantem, ſuprà omnem creaturam elevatum, & Deo proximum. Stantem autem dicit, quia verè illo ſitu corporis Chriſtum tunc videbat. Ita verò ſe Chriſtus tunc videndum exhibuit, ut ſe ſignificaret paratum ad adjuvandum martyrem pro

ſuo nomine pugnantem. Aut certè, ſicut ſeſſio, quietam felicitatis & regni poſſeſſionem ſignificat; ita ſtatus, ejuſdem felicitatis & regni firmitas inconcuſſa perpetuaque, poteſt intelligi. Nam per ſeſſionem ſignificari judicandi poteſtatem, in hac quidem locutione, qua dicitur Chriſtus ſedere ad dexteram Patris, non apparet. Nam nec filij Zebedæi poteſtatem judicandi; ſed regni conſortium, primaſque poſt Chriſtum in ejus gloria partes petebant, quando dicebant: *Da nobis ut unus ad dextram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam, ſedeamus in gloria tua.* Quod etiam intelligitur ex Pſalmo 109. Patre ad filium dicente; *Sede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos, &c.* Non enim dicit, ut tu ponas inimicos tuos, &c. tanquam judex; ſed s. *ſede à dextris meis* ex nunc uſque ad illud tempus, quo ego de inimicis tuis ſum judicaturus. Et utique fides B noſtra prædicat, Chriſtum ex quo tempore aſcendit in cœlum, ſediſſe ad dexteram Patris; Inde verò in fine ſeculi venturum ut judicet vivos & mortuos. Unde facilè colligitur, ſeſſionis nomine in hac phraſi, de qua nunc agimus, non ſignificari dignitatem judiciariam, ſed id potius quod diximus. Vide annot. locis citatis. Porrò, primo martyri talis viſio oſtenſa fuit, ad ſignificandum quod omnes martyres in certamine & labore martyrij, debeant Chriſtum ſuum *ἀγωνοθέτην*, à quo præmium ſunt accepturi, ante oculos mentis habere, & continuò quaſi præſentem intueri; ut ea fide & ſpe roborati perdurent in certamine.

℣. 58. *Secus pedes adoleſcentis.* Vide Baroninm tom. 1. de hoc loco & ætate Pauli. Putat enim eum tunc fuiſſe triginta quinque annorum. Sic Paulus ad C Timotheum: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* Nam Timothæus erat ut minimum triginta annorum; ſed *adoleſcentiam* dixit pro juventute. Et Cicero ſcribit Hannibalem juveniliter exultantem. Sic Romana juventus, id eſt, milites.

℣. 57. *Domine Ieſu ſuſcipe:* Invocat Jeſum non in terris præſentem, ſed in cœlis regnantem. Unde patet, quàm malè, imò impiè quidam olim ſenſerint, ſolum Patrem eſſe à nobis invocandum per Filium, non autem invocandum ipſum Filium; Cum hic clarè teſtetur Lucas Stephanum invocantem dixiſſe: *Domine Ieſu, &c.* Quæritur, cum Chriſtus in cruce pendens, prius oraverit pro inimicis, deinde commendaverit ſpiritum ſuum patri; cur Stephanus ordine contra- D rio, prius rogaverit ſuſcipi ſpiritum ſuum; deinde oraverit pro inimicis? Poteſt reſponderi, Chriſtum, qui excidere à juſtitia non poterat, de ſe ſecurum, oraſſe pro peccatoribus, ſimul ut oſtenderet eam fuiſſe ſui adventus & paſſionis unicam cauſam, ut peccatores ſalvos faceret: Stephanum autem, quod adhuc in vis poſitus poſſet excidere, de ſe primo loco fuiſſe ſollicitum, ordine charitatis; ideoque primum ſibi felicitatem cum Chriſto, deinde & inimicis indulgentiam petiviſſe.

Memorabile eſt quod refert S. Auguſtin. lib. 22. de civitat. c. 8. de Martiali quodam mirabiliter per interceſſionem & merita S. Stephani converſo ad fidem E Chriſtianam in ſua infirmitate; in qua deinceps uſque ad mortem, qua paulò pòſt extinctus fuit, continuò in ore habebat illa verba: Chriſte accipe ſpiritum meum, cum tamen neſciret eadem illa fuiſſe ultima S. Stephani verba.

CAPUT VIII.

℣. 1. P*Rater Apoſtolos.* Inſigne exemplum in Apoſtolis, imitandum omnibus paſtoribus, ut commota generali perſecutione fidelium, ipſi non fugiant, ſed permaneant, & impetum ac furorem perſecutionis ſuſtineant. Aliud ſi ſoli ipſi quærantur ad mortem. Tunc enim, exemplo Petri & Pauli, fugere

A eis licet: dummodo non deſint alij, per quos neceſſaria Sacramenta fidelibus ſubminiſtrentur. Quemadmodum B. Aug. docet in Epiſtola ad Honoratum num. 80.

℣. 2. *Curaverunt autem Stephanum viri timorati.* Græcè ἐυλαβεῖς, id eſt religioſi. *Curaverunt* id eſt, ea fecerunt quæ ad corpus ejus honorificè ſepeliendum pertinebant, tum propter honorem protomartyrij, tum ad proteſtationem fidei reſurrectionis, in hoc primo occiſo pro fide Chriſti. De hoc curationis officio & ſepultura Stephani, vide Epiſtolam Luciani presbyteri de inventione reliquiarum S. Stephani apud Auguſtinum tom. 10.

Et fecerunt planctum magnum ſuper eum. Non ſolum magnitudo luctus, ſed & pompæ funebris ſignifi- B catur, teſte Hier. in Epiſtola ad Marc. de obitu Bleſillæ, & adducit ſimile illud Gen. ult. de eo quod dicebant habitatores terræ Chanaan: *Planctus magnus eſt iſte Ægyptiis.* Nec hinc, ſtatui poteſt, quod fideles oraverint pro martyre defuncto; quia ſine hujuſmodi oratione, conſiſtit pompa exequiarum. Quæres quomodo planctum magnum, id eſt, ſolemnes exequias facere potuerint ſuper Stephano, à Judæis lapidato, ut ab iiſdem Judæis non prohiberentur? *Reſp.* Stephanus per tumultum lapidatus eſt à Judæis, & tamen lapidati non prohibebantur ſepeliri, imò jubebantur ſecundum legem. Sepultura autem fiebat ab amicis & propinquis, ſicut & ſepultura Chriſti, quamvis crucifixi. Itaque Judæis difficile erat impedire, quo minus ad ſepeliendum Stephanum multi convenirent honoris C gratia. Sed de hac re plura vide in Epiſtola Luciani presbyteri, de revelatione corporis S. Stephani, ex narratione Gamalielis facta eidem Luciano per viſionem, & de loco lapidationis, & de loco & tempore ſepulturæ, & de planctu ſeptuaginta dierum.

℣. 5. *Philippus autem deſcendens, &c.* Chryſ. hom. 35. in Gen. hunc Apoſtolum vocat; & alij nonnulli Philippum Apoſtolum fuiſſe putant, unum ex duodecim. Sed veriſimilius eſt fuiſſe Diaconum, unum ex ſeptem de quibus c. 6. Quod & pluribus placet, & probatur ex martyrologio Rom. 6. Junij; ubi & dicitur habuiſſe quatuor virgines filias, & Cæſareæ habitaſſe; quod certum eſt de Philippo uno ex ſeptem Diaconis accipiendum, teſte ſcriptura infrà c. 21.

D *In civitatem Samariæ, prædicabat illis Chriſtum.* Nondum gentibus prædicatur Evangelium, hæc enim Petro prærogativa ſervatur, ut primus Evangelizet gentibus: Samaritani verò ſemi-Judæi erant, utpote Judæis commixti, tam genere, quàm religione. Unde nulla offenſio erat, ſi illis quoque Evangelium prædicaretur. Nam & Chriſtus, quamvis aliquando dixerat Diſcipulis: *In civitates Samaritanorum ne intraveritis*; ipſe tamen poſtea & civitates Samaritanorum intravit, & Evangelium eis annunciavit, Ioan. 4. Ex quo Chriſti exemplo non dubitarunt Apoſtoli poſt acceptum Spiritum ſanctum, ſtatim ſe poſſe prædicare Samaritanis.

℣. 9. *Vir autem quidam nomine Simon.* De Simone E Mago dicit S. Aug. in Pſalm. quod magicis & ſceleratis artibus, cœlum ſe ſperaverit adepturum. Cùm autem dicatur v. 13. *Tunc Simon & ipſe credidit*; quæri poteſt, liceatne admittere quorundam expoſitionem, dicentium, fictè tantum & ſimulatè Simonem crediſſe, ut gratiæ patrandorum miraculorum particeps fieret. Sicut quod in Evangelio Marci 6. de Herode dicitur, quod Ioannem Baptiſtam libenter audiebat, ſic quidam intelligunt, eum, cum vulpina eſſet aſtutia, ſimulaſſe ſe libenter monita ſalutis accipere à ſancto viro. An ſenſus eſt: *Credidit*, id eſt, fidem ſuſcepto Sacramento profeſſus eſt? Nam fideles appellantur qui baptizati ſunt, quod nomen Catechumeni non habent, etiamſi vel maximè corde credant. Vide Annot.

Marci 6.

A Marci 6. Simonem verè crediditſe, apparet ex verbis Petri, quibus eum poſtea hortatus eſt ad pœnitentiam peccati ſui, quo voluit emere donum Spiritus ſancti. Si enim non verè credidiſſet, primum exhortandus fuiſſet ad credendum. Sed reſponderi fortaſſis poſſet, Petrum qui cor non videbat, proceſſiſſe in ſua correptione ſecundum exteriora, quæ videbat & audiebat. Et quia Scriptura non ſolet narrare ſecreta cordium, nullo ſigno prodita, propterea de internis aliquando loquitur, prout exterius hominibus apparent. Et ſic poteſt accipi locus Marci 6. Aug. lib. 5. contra Don. c. 11. & 12. quærit an Simoni fuerint in baptiſmo remiſſa peccata, & diſtinguit.

℣. 13. *Adhærebat Philippo.* Græcè ἦν προσκαρτερῶν τῷ φιλίππῳ erat adhærens Philippo, id eſt, erat cum eo B aſſiduus, ab ejus latere non diſcedebat. Nam cupidus erat diſcendi facere miracula, quæ videbat ab eo fieri.

℣. 14. *Miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* Scilicet ut impoſitione manuum darent eis Spiritum ſanctum, quemadmodum ex ſequentibus patet. Unde intelligitur Philippum, qui tantùm Diaconus erat, hoc ſacramentum impoſitionis manuum conferre non potuiſſe, quamvis populum baptizaſſet. Colligitur nec ſimplicem preſbyterum poſſe. Nam alioqui non miſiſſent Apoſtolos. Tametſi poſterior hæc collectio parum firma: quia dici poteſt Apoſtolos fuiſſe miſſos honoris cauſa, utque per eos magis ſolidarentur in fide Samaritani neophyti. Cæterum non ſolum ſuperior mittit inferiorem, ut Dominus ſervum: ſed etiam æqualis C æqualem; ut Pater filium & uterque Spiritum ſanctum. Item inferior ſuperiorem, ut quando collegium mittit prælectum ad principem ſuum, vel alium; alicujus negocij cauſa, ad quod induſtria ſimul & authoritas requiratur; ut capitulum Decanum. Sic Joſue 22. Iſraëlitæ miſerunt Phinees ſummum Sacerdotem ad duas tribus. Item dum quis ad regem vel principem mittit aliquem interceſſorem ſe majorem ac regis amicum; quod frequens eſt dum aliquid à Principe petitur.

℣. 15. *Oraverunt pro ipſis ut acciperent Spiritum ſanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Ieſu.* Acceperant quidem in baptiſmo Spiritum ſanctum D ad ſanctificationem, quia renati erant ex Spiritu ſancto; in cujus rei typum ſuper Chriſtum in Jordane baptizatum deſcendit in ſpecie columbæ Spiritus ſanctus; ſed non acceperant ad robur, quomodo acceperant Apoſtoli in die Pentecoſtes. Non eſt autem veriſimile omnes, quibus Apoſtoli manus imponebant, linguis fuiſſe locutos, ut eo ſigno cognoſceretur, quod Spiritum ſanctum accepiſſent. Dicit enim Paulus: *Numquid omnes linguis loquuntur?* quid ergo eſt, quod poſtea dicit Simon ad Apoſtolos: *Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum ſanctum.* Neque enim de interiori robore conferendo fidelibus per ſuam manuum E impoſitionem ſollicitus erat impius Simon; ſed externo miraculo famam & quæſtum aucupari cupiebat. Vide noſtra in 4. diſt. 7.

℣. 18. *Cum vidiſſet autem Simon, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum, daretur Spiritus ſanctus: obtulit eis pecuniam.* Quomodo hoc videbat, niſi quia viſibili ſigno locutionis linguarum, vel alio ſimili, foris oſtendebatur id, quod Spiritus ſanctus operabatur interius?

℣. 20. *Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Id eſt comparari. Sic enim (*poſſideri*) ſæpe alibi accipitur in ſcriptura.

℣. 27. *Eunuchus potens Candacis, &c.* Græcè δυνάστης, id eſt, præfectus, primas, præpotens; quo Græco nomine maximus dignitatis honor ſignificatur, ut Chryſ. hom. 35. in Geneſ. ubi & hunc locum pulchrè tractat, ut excitet auditorem ad lectionem & ſtudium ſcripturæ ſacræ exemplo hujus Eunuchi. Ab hoc Eunucho deinde Æthiopes Chriſti fidem acceperunt & uſque hodie retinent, ſed erroribus & Judaicis cæremoniis inquinatam. Vide vitæ P. Ignatij lib. 4. cap. 11. nonnulli tamen dubitant, de quibus Æthiopibus hic ſermo ſit. Certum eſt enim quoſdam in ſcriptura Æthiopes vocari, qui non adeo longè remoti erant à Palæſtina. Unde uxor Moyſi, quæ Madianitis erat, Æthiopiſſa vocatur. Nec veriſimile eſt exercitum illum mille millium Æthyopum, quem Dei auxilio delevit Aſa Rex Juda 2. Par. 14. adductum fuiſſe ex Æthiopia, quam nos hodie ſic vocamus, ſed ex regione quapiam viciniore; ut etiam ſentit Pererius ſcribens in Gen. ubi agit de fluminibus paradiſi. An de his Æthiopibus, quorum Candace Regina memoratur, ſimile quid dicendum ſit, cum non ſit veriſimile ex tam longinqua regione Eunuchum orationis gratia veniſſe Hieroſolymam; inquirendum. Quamvis autem hîc ſola Regina nominetur; non tamen ideo putandum eam ſolum ſine viro regnaſſe, & conjugij expertem fuiſſe. Idcirco enim regina nominatur non Rex; quia reginis adhiberi ſolent Eunuchi, in regionibus ad orientem ſitis. Interim de Candace, deque hoc Eunucho vide Baronium. Quod hodierni Æthiopes dicunt ſe ab illo Eunucho fidem Chriſti accepiſſe; quærendum qua ratione id probent, & an ulla vetus illius rei exſtet hiſtoria. Hunc Eunuchum fuiſſe proſelytum probare nititur Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 22. vide etiam annot. infrà cap. 11. Idem ſentit ac docet Baron. tom. 1. dicitque ita ſentire omnes Eccleſiaſticos ſcriptores, excepto Euſebio.

℣. 30. *Putaſne intelligis quæ legis? qui ait: Et quomodo poſſum ſi non aliquis oſtenderit mihi?* Hæretici hujus temporis, contra manifeſtam experientiam docere non verentur, ſcripturam difficultatis nihil habere, ſed ad intelligendum facilem eſſe, & quemvis Chriſtianum eo ſpiritu eſſe præditum, ut ſine externo magiſterio verum ſcripturæ ſenſum aſſequi queat. Sed qui hoc docent, tantum abſunt à vera ſcripturarum intelligentia, quantum à ſanitate abeſt phreneticus, qui morbum ſuum non agnoſcit. His inter cætera, rectè objiciunt Catholici exemplum hujus Eunuchi, qui cum ſcripturarum ſtudioſus eſſet, ita ut etiam in itinere in curru ſedens eas evolveret; tamen interrogatus à Philippo num ea quæ legeret, intelligeret, negavit ſe intelligere poſſe niſi aliquo oſtendente. Quanto minus homines profanos & carnales, qui de ſcripturis inter pocula diſputant, earum veram intelligentiam aſſequi putandum eſt?

℣. 36. *Ecce aqua quid prohibet me baptizari. Dixit Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum.* Non eſt putandum ſolum hoc ei fuiſſe propoſitum ad credendum, videlicet Jeſum Chriſtum eſſe filium Dei. Nam illa ſola fides ad ſalutem ſufficere non poteſt; ſed hoc ſolum exprimitur, quia erat inter omnia credenda difficillimum. Unde propter hujus articuli confeſſionem, maximè laudatur fides Petri, quando dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Quod autem plura ad credendum ei fuerint propoſita, ſatis apparet ex eo quod præcedit; *Et incipiens à ſcriptura iſta, Evangelizavit illi Ieſum.* Id eſt, Catechizavit eum, docens quæ de Jeſu erant credenda; ut nativitatem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, &c. Nam horum doctrinam manifeſtè exigebat locus Iſaiæ, quem Eunuchus habebat præ manibus. Neque ex hoc loco ſequitur de ſola fide interrogandos, qui baptizantur, eo quod hîc non fiat mentio mutationis vitæ; nam Eunuchus iſte vir erat laudabilis converſationis, qui religionis cauſa venerat ex Æthiopia, ut adoraret Jeroſolymis in têplo.

Itaque

Itaque non egebat niſi inſtructione in fide. Item conſtat quod Philippus eum inſtruxerat de Sacramento baptiſmi; quia dicebat: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?*

CAPUT IX.

℣. 1. **S***Aulus adhuc ſpirans minarum, &c.* Pro pleniori intelligentia hujus loci, vide cap. 22. & 26. ubi quædam dicuntur, quæ hîc non habentur, maximè de perſecutione ejus, cap. 26. notanda. Converſio Pauli accidit ſecundo poſt aſcenſionem Domini anno, ut teſtatur martyrologium Roman. & Baron. tom. 1. Annal.

Acceßit ad Principem Sacerdotum, & petiit ab eo Epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, ut ſi quos inveniſſet —— Vinctos perduceret in Ieruſalem. Notanda authoritas ſummi Sacerdotis in his, quæ ad religionem Judaïcam pertinebant, ut etiam in civitate alieni juris (Nam Areta Rex præerat Damaſco. 1. Cor. 11.) ſineretur perquirere viros ac mulieres Judæos exoſæ religionis, & vinctos adducere in Jeruſalem. Annotavit hoc Baron. dicto tom. 1.

℣. 4. *Audivit vocem dicentem ſibi.* Vidit etiam loquentem. Quod quamvis hîc taceatur, alibi tamen apertè dicitur. Nam hoc cap. Ananias ſic ad eum loquitur: *Dominus miſit me Ieſus, qui apparuit tibi in via.* Et Barnabas narrabat de Paulo, quomodo in via vidiſſet Dominum. Et cap. 22. *Deus præordinavit te ut videres Iuſtum, & audires vocem ex ore ejus.* Et c. 26. ipſe Dominus ad Saulum: *Ad hoc enim apparui tibi, ut conſtituam te miniſtrum.* Et ipſe ibidem ad Agrippam: *Non fui incredulus cœleſti viſioni.* Quin & hoc loco cum dicitur de comitibus ejus, quod *ſtabant ſtupefacti audientes quidem vocem, neminem autem videntes*; ſatis ſignificatur à Saulo viſum fuiſſe aliquem. Hoc ipſe Apoſtolus diſertè affirmat 1. Cor. 9. dicens: *Nonne Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum vidi?* & 15. *Noviſſimè omnium, tamquam abortivo, viſus eſt & mihi.* Non enim reſpexit his verbis ad illam viſionem, quam ſibi Jeroſolymam reverſo, contigiſſe narrat apud populum Act. 22. Ea enim viſio fuit ecſtatica, ut ibidem ipſe fatetur. Neque ad raptum in paradiſum, & in tertium cœlum; de quo 2. Cor. 12. Hic enim raptus utrum in corpore an extra corpus ſibi acciderit, neſcire ſe dicit. At 1. Cor. 15. palam ſe iis annumerat, qui Chriſtum à reſurrectione viderunt oculis corporeis.

Igitur in Paulo exceptionem patitur illa regula, quam ſtatuit Rupertus, lib. 2. de operibus Spiritus ſancti cap. 27. dicens, hunc eſſe penè naturalem manifeſtationis Chriſti modum, ut à nullo unquam bene & utiliter viſus aut videndus ſit exterius, à quo non prius per fidem aut dilectionem viſus fuerit interius. Eſt etiam manifeſta exceptio in Thoma, qui credidit, quia vidit. Nec dubium quin Judæorum multi, non prius in eum crediderint, quàm illum vidiſſent oculis, & ſermones ejus audiſſent. Certè Matthæus non prius credidit, quam vidit & audivit dicentem: *Sequere me.* Latro prius vidit, quàm converſus eſt. Et Ioan. 8. ſic dicitur: *Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.* Nec dubium quin id paſſim acciderit eo docente, & prædicante Evangelium; adeo ut qui miſſi fuerant ad eum comprehendendum Ioan. 7. eo viſo & audito repente fuerint mutati. Ac ſanè illa Ruperti regula non parum detrahit efficaciæ, benigniſſimo vultui & ſermonibus Chriſti, quaſi per eos nemo fuerit converſus, ſed quicumque in eum credidit, & eum dilexit; jam prius quàm illum coram videret & audiret, crediderit ac dilexerit.

Cæterum *audivit*, non è cœlo empyreo, ſed ex aëre vicino. Quamvis enim Chriſto poſſibile fuerit, ſe conſpiciendum dare Paulo, & audiendum è ſummo cœlo; ſicut Stephano conſpiciendum dedit (ſcribit enim de eo Lucas ſup. cap. 7. Quod *intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei: & ait, Ecce video cœlos apertos & filium hominis ſtantem à dextris Dei:*) tamen hoc loco, contextus & ſeries hiſtoriæ aliud vult intelligi; præſertim cum hîc non dicatur, quod cœlos apertos viderit, & Jeſum à dextris Dei ſtantem, aut aliquid tale, ex quo colligi poſſet; quod eum viderit & audiverit è ſummo cœlo loquentem. Vide de hac re noſtram quamdam orationem, quæ inter impreſſas eſt duodecima, & comment. locis ſuprà citatis.

Saule, Saule quid me perſequeris? Græcè *Saul, Saul, quid, &c.* ubi is qui loquitur, Dominus Jeſus, non obſcurè ſignificat ſuæ perſonæ typum præceſſiſſe in Davide, quem Saul Hebræi populi princeps tanta odij pertinacia perſecutus fuiſſe legitur. Infrà c. 26. dicit ſe audiſſe vocem Hebraïcè dicentem ſibi, *Saule, Saule.*

℣. 5. *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* Iſta verba non habentur eodem ordine Actor. 26. ubi eadem hiſtoria à Paulo narratur coram Agrippa; ſed & ibi alia quædam verba leguntur, quæ hîc non ſunt. Unde diſcimus neque ex compoſito hæc ſcripta eſſe à Luca, cum in diverſis locis ſit verborum diſcrepantia; neque ad verbum ſemper res geſtas & dictas, narrari, ſed ſecundum ſenſum; & quæ uno loco tacentur alio loco ſuppleri. Vide & confer hæc tria loca Actor. 9. 22. & 26. Hinc etiam diſce Paulum compulſum fuiſſe ad fidem, quia ſcilicet proſternitur in terram, & quaſi ſtimulo pungitur. Notandum hoc eſſe contra hæreticos, monet B. Thomas in 1. Cor. 15. lect. 1. Et Auguſt. Epiſt. 50. hoc argumento utitur contra Donatiſtas, ut doceat rectè compelli hæreticos ad Eccleſiam. Item hoc exemplo probatur, quod Deus noſtram juſtificationem à timore incipiat. V. Auguſt. illa Epiſtola 50. ad Bonifacium.

℣. 6. *Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Paulus tametſi externo miraculo, & externa voce ipſius Chriſti, ad fidem Chriſti converteretur; tamen jubetur ingredi civitatem & ibi diſcere quid ipſum oporteat facere. Potuit quidem Dominus, qui eum tam evidenti & efficaci miraculo convertit; etiam eodem inſtanti in fide inſtruere & docere quæcumque ad pietatem eſſent neceſſaria; ſed ad hominum miniſterium remiſit, ut nemo alius dedignaretur humano magiſterio inſtrui, quando ipſe doctor gentium juſſus eſt ab homine Catechizari. Civitas autem Eccleſiam ſignificat; unde & Apoſtolis dictum eſt: *Sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto.* Itaque ſignificatur neque extra Eccleſiam quærendum eſſe magiſtrum fidei, neque extra eam exſpectandum Spiritum ſanctum. Sed quomodo, cum hoc loco conſentit, quod Apoſtolus Gal. 1. de ſuo Evangelio dicit: *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per revelationem Ieſu Chriſti?* Reſp. Prima fidei rudimenta, quæ omnibus Catechizandis ſolebant proponi, accepit quando baptizatus eſt, more aliorum Catechumenorum: Cæterum profundiora Chriſtianæ religionis myſteria, immediatè à Chriſto edoctus eſt, eo fortaſſe tempore, quando raptus in tertium cœlum, audivit etiam alia arcana, quæ non licet homini loqui. De qua re vide comment. Gal. 1. & 2. Cor. 12.

℣. 7. *Stabant ſtupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Sic. Dan. 9. de comitibus Danielis dicitur: *Vidi ego ſolus Daniel viſionem, porro viri qui erant mecum, non viderunt, ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum.* Ubi ſignificatur, quod audiverint vocem confuſam, de qua præcedit: *Et vox ſermonum ejus ut vox multitudinis.* Facit hoc ad conciliandum locum hunc, cum eo qui eſt Actor. 22. Vide ibi.

℣. 9.

ỷ.9. *Et erat tribus diebus non videns.* An hoc triduo viderit Paulus myſteria arcana, de quibus 2. Cor. 12. vide Baron. tom. 1. Annal. & noſtra in comment. 2. Cor. 12. & Gal. 1. A

ỷ. 10. *Nomine Ananias.* De Ananiæ prædicatione Evangelij & martyrio, vide Martyr. Romanum 25. Ianuarij. Beda in Lucam cap. 69. innuit Ananiam fuiſſe Sacerdotem.

ỷ. 15. *Quoniam vas electionis.* Duplex Hebr. phraſis. Nam & (vas) pro inſtrumento, ſicut ſæpiſſimè in veteri teſtamento, & *vaſa* belli, pro armis bellicis; & vaſa tranſmigrationis; id eſt, ſupellex cum qua tranſmigratur; & vas interſectionis, id eſt telum ad interficiendum, ut gladius, &c. & genitivus abſtracti pro nominativo concreti ponitur. Senſus igitur eſt; quia iſte mihi erit inſtrumentum ſeu organum electiſſimum, aptiſſimum, qui nomen meum annuntiet omni hominum generi; vel, inſtrumentum à me electum adhoc ut portet nomen meum, &c. B

ỷ. 17. *Et imponens ei manus dixit: Saule frater, Dominus miſit me, ——— ut videas & implearis Spiritu Sancto.* Hic non ſignificatur, quod Saulus per impoſitionem manuum Ananiæ fuerit impletus Spiritu Sancto. Nam Ananias ſi non erat Epiſcopus, poteſtatem non habebat impoſitionis manuum ad accipiendum Spiritum Sanctum, ut intelligi poteſt ex cap. proximè præcedenti, de Philippo. Deinde ad illum effectum manus non debuit imponi ante baptiſmum. Sed impoſitio manuum facta eſt tantum ad hoc, ut viſum Saulus reciperet. Ita enim ſupra dicitur: *Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem ſibi manus, ut viſum recipiat.* Fuit enim hæc impoſitio manuum ejuſmodi, de qua Dominus Marci ult. *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Quod ergo additur: *Et implearis Spiritu Sancto*, ad baptiſmum referendum eſt. Propter duo enim miſſus erat ad Saulum Ananias, nempe ut viſum reciperet, quod per manuum impoſitionem factum eſt, & ut impleretur Spiritu Sancto, quod baptiſmo ei collatum eſt. Nam & ipſe Ananias, ut habetur cap. 22. poſtquam per impoſitionem manuum Saulo viſum reſtituiſſet; dixit ei: *Surge, & baptizare & ablue peccata tua.* Non ergo ita ad hoc Spiritum ſanctum acceperat Saulus, ut opinione Ananiæ baptiſmo ad abluenda peccata non egeret. C

ỷ. 25. *Per murum dimiſerunt eum ſubmittentes in ſporta.* Fugit Apoſtolus juxta præceptum Domini, *ſi vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Quod autem dicitur Ioan. 10. de mercenario quod videt lupum venientem & fugit: intelligendum eſt de lupo invadente oves, & de fuga non tam corporali, per quam interdum magis conſulitur ovibus, quàm mentali, qua nimirum ob metum quis ceſſat ea facere ac dicere, quæ pertinent ad ſalutem ovium. Nihil tale Paulus, ſed ad tempus ſubtraxit ſe corporaliter, propter perſecutionem, qua ipſe ſingulariter impetebatur; cum non deeſſent alij, per quos neceſſaria miniſteria populo exhiberentur; atque interim ipſe alibi oves Chriſti ſua prædicatione colligebat, & Eccleſias fundabat. Non enim erat peculiariter paſtor ſeu Epiſcopus Damaſcenorum, ſed Apoſtolus Chriſti ad prædicandum quaquaverſum infidelibus Evangelium Chriſti; cui officio Apoſtolico exequendo perſecutio ejus & fuga majorem occaſionem dederunt. Ita fuga utebantur in bonum Eccleſiæ. Quin & ſatis liquet Paulum non ſponte fugiſſe, quaſi metuiſſet ſibi ab inſidiis Judæorum, ſed Diſcipulorum, id eſt, fidelium, conſilio acquieviſſe, ut ſineret ſe demitti per murum, ſicque evaderet inſidias & periculum. Similiter, Jeruſalem cum veniſſet, & illic quoque Judæi eum quærerent occidere; fratres re cognita deduxerunt eum Cæſaream. Agebat hoc pia ſollicitudo fidelium pro D E

Paulo, alioqui mori parato; ne tam electum vas & inſtrumentum propagandæ fidei, ſtatim in initio opprimeretur, eaque in re ſubſerviebant divino conſilio. Nota, Chriſtianos modò diſcipulos, modò fratres vocari.

ỷ. 26. *Non credentes quod eſſet diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum illum duxit ad Apoſtolos.* Non prius ergo diſcipuli auſi ſunt ſe ſecurè committere Paulo fidei magiſtro, quam probata ejus doctrina fuiſſet ab Apoſtolis; ſicut ipſe ad Gal. 2. teſtatur ſe, divina revelatione admonitum, aſcendiſſe Jeroſolymam, & contuliſſe cum Apoſtolis Evangelium ſuum, ne fortè in vacuum curreret. Unde Aug. lib. 28. contra Fauſtum cap. 4. Ipſe Paulus Apoſtolus, inquit, poſt aſcenſionem Domini de cœlo vocatus; ſi non inveniret in carne Apoſtolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejuſdem ſocietatis eſſe appareret, Eccleſia illi omnino non crederet. Sed cum cognoviſſet eum hoc annuntiantem, quod etiam illi annuntiabant, atque in eorum communione & unitate viventem, accedentibus etiam per eum talibus ſignis, qualia & illi operabantur; ita eum Domino commendante, meruit authoritatem, ut verba illius hodie ſic audiantur in Eccleſia, tamquam in illo Chriſtus, ſicut ipſe veriſſimè dixit, locutus audiatur. Vide comment. loco citato.

ỷ. 28. *Et erat cum illis intrans & exiens in Ieruſalem. Intrans & exiens;* phraſis Hebræa, pro eo quod eſt converſans cum eis, frequentans eos.

ỷ. 29. *Loquebatur quoque gentibus & diſputabat cum Græcis. Gentibus* non eſt in Græco, & à Ven. Beda omittitur. Veriſimile eſt ex alia verſione, quæ pro (Græcis) poſuerit (gentibus) huc ad priorem locum tranſlatum eſſe. Nam & noſter interpres Græcam vocem aliquando Græcos, aliquando gentiles, interpretatur; tametſi propriè Græcos ſignificet, ſive (ut ſic dicam) Græcitas, *ἑλληνιστὰς.* Intelligit autem non gentiles, ſed Judæos in Græciæ partibus natos, quaſi qui aliquid de Græcorum indole ex loco nativitatis traxerant. Tale enim quid innuere videtur vocabulum *ἑλληνιστὴς*: quamquam fortè ob ſolam linguam Græcam, qua utebantur, ſic à Luca vocantur. Nam Græcè loqui, eſt *ἑλληνιστὶ λαλεῖν.* Gentiles non fuiſſe ſatis liquet; tum quia nondum cœperant Apoſtoli gentibus prædicare Evangelium, tum quia gentiles diſputatores in Paulum non tanto odio ſtatim exarſiſſent, ut eum ad mortem quærerent; quod de his legimus. Sequitur enim: *Illi autem quærebant occidere eum.* Similiter Græci intelliguntur Actor. 6. ubi dicitur ortum murmur Græcorum adverſus Hebræos. Nam & ibi legitur τῶν *ἑλληνιστῶν*, & infrà c. 11. Vide Bellarm. lib. 1. cap. 22. de Rom. Pontif. bene explicantem ex Chryſ. & Oecumenio, qui hîc Græci dicantur.

ỷ. 31. *Et conſolatione ſancti Spiritus replebatur.* Ita impleta eſt promiſſio Chriſti Ioan. 14. *Et alium paracletum* (id eſt conſolatorem) *dabit vobis.*

ỷ. 32. *Factum eſt autem, ut, dum Petrus pertranſiret univerſos.* De hoc loco vide Baron. lib. 1. annal.

Deveniret ad Sanctos qui habitabant Lyddæ. Hujus civitatis etiam fit mentio 1. Machabæorum, 11. Dicunt eamdem eſſe, quæ olim vocabatur Rama; Poſteà vocata fuit Dioſpolis. In ea celebrata fuit Synodus contra Pelagium; quæ paſſim Palæſtina à patribus appellatur, interdum Dioſpolitana. Vide Hieronym. Epiſtola 79. in commentario ſuper Abdiam, & præfatione commentarij ſuper Jonam. Item Theodoretum lib. 1. hiſtor. Eccleſ. c. 5. ubi teſtatur Lyddam poſteà vocatam Dioſpolim. Idem habetur in Epiſtola Luciani presbyteri de inventione S. Stephani.

ỷ. 36. *Quædam Diſcipula nomine Tabitha.* S. Thomas ſuper Ephes. 3. hanc vocat Beghinam S. Petri: ſi tamen hoc non eſt à quopiam adjectum ejus commentario.

tacio. *Quæ interpretata dicitur Dorcas.* Id eſt Caprea. *Tabitha* Syrum vocabulum eſt, ſignificans damulam vel capream.

Hæc erat plena operibus bonis ; & eleëmoſynis, quas faciebat. Non diceret Lucas eam plenam fuiſſe operibus bonis ; ſi nulla eſſent hominis opera bona, ſed omnia immunda & aſperſa labe concupiſcentiæ. Nam ita ; perinde eſſet atque ſi diceret, eam plenam fuiſſe immundis & contaminatis operibus. Deinde cum Scriptura ſacra utriuſque teſtamenti tam frequenter opera juſtitiæ commendet : mirum eſt reperiri ; qui ex Scriptura ſtatuere velint, opera ad juſtitiam non pertinere, ſed eſſe prorſus indifferentia ; aut quod pejus eſt, eſſe quædam juſtitiæ impedimenta. Præterea exemplum hujus ſanctæ fœminæ à mortuis reſuſcitatæ interpellatione pauperum, qui de ejus eleëmoſynis acceperant ; oſtendit illud Sapientis : *Eleëmoſyna à morte liberat*, non tantum de morte æterna veritatem habere, verùm etiam de temporali.

℣. 43. *Factum eſt autem ut dies multos moraretur in Ioppe.* Non ocioſus, ſed ſedulò propagans Evangelium, & miniſtros Eccleſiæ conſtituens, qui credentes baptizarent, & cætera miniſteria Eccleſiaſtica peragerent.

CAPUT X.

℣. 1. C*enturia cohortis, quæ dicitur Italica.* Non cohorti Italicæ præfectus, ſed unus ex centurionibus cohortis. Nam cohorti toti præficiebatur tribunus ; Græcè χιλίαρχος : erant autem ſub tribuno Centuriones, ut etiam patet infrà. Act. 22. vide etiam Annot. cap. 27.

℣. 2. *Religioſus ac timens Deum.* Hic centurio appellatur *Religioſus, ac timens Deum* ; Et Angelus operibus ejus teſtimonium perhibet tanquam Deo gratis, quando dicit : *Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleëmoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei.* Cum igitur vir iſte talis eſſet qui à Scriptura, & ab Angelo commendationem haberet ; quæritur, utrum ea opera, propter quæ commendatur, ex fide proceſſerint, an facta ſint ſine fide ? Oecumenius ex Chryſoſt. putat bona quidem fuiſſe, ſed mortua ; quòd fidem nondum haberet, ideóque miſſum ad eum Petrum, qui opera ejus dirigeret, eis præmium acquireret. Auguſt. lib. 1. de Prædeſt. cap. 7. dicit eleëmoſynas Cornelij acceptas fuiſſe, & exauditam orationem, antequam credidiſſet in Chriſtum. *Nec tamen*, inquit, *ſine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quomodo invocabat, in quem non crediderat ? Sed ſi poſſet eſſe ſine fide Chriſti ſalvus, non ad eum mitteretur Architectus Apoſtolus Petrus.* Et Conc. Arauſicanum 2. can. ult. fidem in eo agnoſcit. Vult ergo Auguſtinus eum habuiſſe fidem unius Dei, quia eum invocabat orando, & ex ea fide dabat eleëmoſynas ; non tamen, ut apparet, ſine aliqua implicita fide mediatoris. Verſabatur enim inter Iudæos, & eorum religionem colebat, hoc tamen excepto, quod circumciſus non eſſet, quod patet ex eo, quod poſteà Petrus à Iudæis fidelibus culpatur, quod ad incircumciſos introiſſet. Quia autem aderat tempus revelati Evangelij, oportebat eum, ſicut & Iudæos omnes inſtrui explicitè in fide Chriſti, ut videlicet crederent, hunc, nempe Ieſum crucifixum, eſſe filium Dei, & Redemptorem mundi. Vide & Gregor. hom. 19. in Ezechiel. ſimilia ſcribentem. S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ſentit cum Auguſtino, & dicit, eum habuiſſe fidem implicitam, nondum manifeſtata Evangelij veritate.

Et deprecans Deum ſemper. Noverat ergo Deum, quem timeret & oraret. Quæ notitia non erat tantum naturalis. Nam Cornelius non philoſophus, ſed miles erat. Quantulam ergo notitiam Dei ex rerum creatarum contemplatione poterat eſſe conſecutus ? ſed erat fides ſupernaturalis, per Dei gratiam accepta : Morabatur enim inter Judæos & de uno vero Deo veriſimiliter ab illis erat inſtitutus. Nam, ut hic dicitur v. 22. teſtimonium habebat ab univerſa plebe Judæorum. Quid vero ſit ſemper orare Deum, vid. Annot. Luc. 18. Porrò quæri poteſt ; quando Cornelius fuerit juſtificatus, utrum jam ante Petri adventum & auditam fidem Chriſti, quia jam implicitè credebat ; an tunc quando accepit Spiritum Sanctum ut plurimi putant ; an denique quando baptizatus eſt, ut quorumdam eſt opinio. Et hæc ſingula videntur probabiliter poſſe defendi. Vide noſtra in 4. diſt. 4.

℣. 6. *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere.* Hujus loco dicitur cap. ſequenti. *Qui loquetur tibi verba, in quibus ſalvus eris tu, & univerſa domus tua* ; ubi quæri poteſt ; Si Cornelius habebat fidem implicitam mediatoris, priuſquam ad eum mitteretur Petrus ; quomodo non poterat eſſe ſalvus, niſi à Petro audiret fidem explicitam, cum fides implicita omni tempore ſufficeret ad ſalutem iis, qui plenius non eſſent de hoc myſterio inſtituti ? Et quæro, quod ſi Cornelius fuiſſet mortuus, antequam fuiſſet ei annuntiata fides explicita ; nonne ſalvus fuiſſet ? *Reſp.* fuiſſet. Et tamen quia jam venerat tempus manifeſtandi myſterij per Apoſtolorum prædicationem ; oportebat illud palam hominibus prædicari, & inter hos, etiam Cornelio. Ad quem ſi Petrus non fuiſſet miſſus ſingulari beneficio providentiæ divinæ, potuiſſet ea quæ audiebat publico rumore ſpargi de Jeſu crucifixo, ejuſque mirandis operibus, & doctrina, contemnere, tanquam homo Romanus & nobilis ; ſicut multi etiam Judæi contemnebant, quibus crux Chriſti ſcandalum fuit ; aut certè potuiſſet animum non attendere. Et ita fuiſſet periclitata ejus ſalus.

℣. 10. *Cecidit ſuper eum mentis exceſſus.* Aug. concione 3. in Pſalm. 103. facta eſt illi mentis alienatio, id eſt, averſa eſt mens ejus à conſuetudine corporali ad viſum quemdam contemplandum alienum à præſentibus.

℣. 11. *Quatuor initiis ſubmitti de cælo in terram.* Quatuor lineis, ſeu initiis vas dependebat ; quia quatuor partes ſunt orbis, unde futuri populi erant. Et ideo quatuor Evangelia prædicant Chriſtum, ut gratia ipſius ad omnes quatuor partes orbis pertinere intelligatur. Auguſt. in Pſalm. 96. & concione 3. in Pſalm. 103.

℣. 14. *Abſit Domine.* Quod quidam dicunt, Petrum hîc admonitum jam adeſſe tempus prædicandi gentibus Evangelij dubitari poteſt : tum quia Petro non fuerat præceptum ut differret gentibus prædicare, donec admoneretur, ſed abſolutè dictum fuerat ; *Docete omnes gentes* ; (quamquam debebat exſpectare opportunitatem :) tum quia viſio non admonuit eum de tempore, ſed de reipſa. Igitur videtur dicendum quod hæc viſio fuerit ei oſtenſa, non propter ipſum, ſed propter alios Judæos ; quibus erat magnum paradoxum, & myſterium abſconditum à ſæculis, gentes fore cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto, ad Epheſ. 3. Liquet id etiam ex c. ſeq. Nec repugnat quod v. 34. ſequitur : *In veritate comperi*, quia iis verbis non dicit ſe id prius ignoraſſe. Sæpè enim quæ jam ſcimus, adhuc per experientiam, vel alia ratione plenius diſcimus.

Numquam manducavi omne commune, & immundum. Commune, & immundum eadem ſunt, eſtque unum alterius interpretatio. Immunda enim in commune relinquuntur ; munda verò ſeparantur, & aſſervantur. Et immunditia legalis facilè in publico per converſationem hominum, vel uſum rerum alioqui indifferentem, contrahebatur. Hic quoque notandum Chriſtum in ſua familia cum ſuis Apoſtolis ſervaſſe legem, qua parte prohibet immundorum eſum ; cu-

jus

jus familiæ poſt Chriſtum coriphæus erat Petrus. Munditias autem phariſaïcas, velut de lotione manuum ante cibum, & ſimilia non obſervabat Chriſtus, neque diſcipuli eius. Cęterum ex his non rectè collegerit quiſpiam Petrum hæc dicentem in fide erraſſe, aut fide infirmum fuiſſe, quales erant de quibus Paulus agit Rom. 14. Primum, quia hæc facta ſunt in ecſtaſi; in qua nihilo magis videtur eius, qui ecſtaſim patitur, voluntas aliquid agere liberè; quàm in ſomno. Deinde, quia non dicit Petrus ſe peccaturum ſi id faceret, quod jubebatur; ſed prætendit conſuetudinem, à qua, quamdiu inter Iudæos verſabatur, non erat ei recedendum, ne infirmiores offenderentur, quales erant pleriique, teſtante S. Iacobo infrà cap. 21. *Et omnes æmulatores ſunt legis.*

B ỳ. 20. *Et vade cum eis nihil dubitans.* Græcè, διακρινόμενος, quod Eraſmus vertit; *haſitans*. Cauſa hæſitandi fortaſſe eſſe poterat quod metueret fratrum reprehenſionem, ſi ad gentes præputium habentes accederet, & cum eis communicaret. Hæc enim reprehenſio ſequitur cap. ſequenti: ubi etiam noſter interpres habet hæſitandi vocabulum.

ỳ. 23. *Et quidam ex fratribus ab Ioppe.* Sex numero, ut dicitur cap. ſeq.

ỳ. 25. *Procidens ad pedes eius adoravit.* verſ. 26. *Petrus verò elevavit eum, dicens: Surge, & ego ipſe homo ſum.* Non eſt putandum quod Cornelius, qui unum Deum invocabat, & colebat; Petrum, quem ſciebat eſſe hominem, voluerit adorare pro Deo: Sed adoraſſe dicitur, quia externa corporis inclinatione honoravit eum tamquam fidei doctorem, & Apoſtolum. Petrus autem dicens: *& ego ipſe homo ſum*; nón ſignificat ſe repellere honorem divinum; ſed conſideratione humanæ conditionis, quam cum illo habebat communem, humiliter, & honeſtè honorem recuſat. Unde & Angelus in Apocal. honorem recuſat, propter communionem miniſterij; *quia*, inquit, *conſervus tuus ſum*. Hæc exempla nos docent, inferiores hoc debere conſiderare in ſuperioribus, propter quod honore digni ſunt; ut præfecturam, ſcientiam: ſuperiores autem, propter ſuperbiæ tentationem, debere viciſſim conſiderare, quod commune, aut etiam minus habent, quàm qui honorantur, ut inde humilientur.

C ỳ. 28. *Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo.* Veriſimile eſt Petrum habuiſſe hanc orationem Græco, aut Latino ſermone: Non enim exiſtimo, Cornelium aut familiam eius (cum eſſent Romani) ſciviſſe, aut intellexiſſe Hebraïcè; utebatur ergo Petrus dono linguarum accepto in die Pentecoſtes.

D ỳ. 35. *In omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* Non eſſe mentem B. Petri, quod homo prius timet Deum, & operatur juſtitiam; & per hoc acceptus Deo, poſtea vocetur ad fidem Chriſti; patet primò ex viſione Petri in qua præcipitur ei eſus animalium immundorum, quæ in viſione ei oſtendebantur. Ergo mittitur vocaturus immundos, id eſt, peccatores, non autem juſtitiam operantes, ac Deum timentes. Nec obſtat quod dicitur ei: *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris*, quia ſenſus eſt, Deum purificaſſe prædeſtinatione. Unde Petrus E ab illis, per Deum ipſius opera purificandis, abhorrere non debuit; ſed potius Deo ad ipſorum purificationem operam ſuam præſtare. Secundò, ex eo, quod Petrus ait; *Verbum miſit Deus filiis Iſraël, annuntians pacem per IESVM Chriſtum*; ergo pax & juſtitia ſine Chriſto haberi non potuit. Item ex eo quod ait: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.* Nomine autem remiſſionis peccatorum ſolet in Scriptura tota juſtificatio noſtra comprehendi; ergo priuſquam crederent, nihil habebant juſtificationis. Denique ſequenti capite dicebant fideles: *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*; utique per Chriſtum. Unde ſequitur, quod nec pœnitentiam ſalutarem malæ vitæ anteactæ habere poterant, niſi Deo dante per Chriſtum; quanto minus ipſam juſtitiam? Quod ergo Petrus dicit: *In omni gente, qui timet Deum, &c.* Hunc ſenſum habet; in quibuſcumque vera invenitur juſtitia, (quæ non eſſe poteſt niſi per fidem Chriſti;) accepti ſunt Deo. Atqui etiam gentibus conſtituit Deus impertiri veram juſtitiam, vocando eos ad fidem Chriſti; ergo erunt accepti Deo, & proinde à nobis minimè repellendi. Si tamen referas ad Cornelium jam timentem Deum, & operantem juſtitiam, id eſt, bona opera ſicut in textu dicitur: ſenſus erit quod eatenus fuerit Deo acceptus, quia jam habebat fidem Chriſti implicitam, & per eam bona opera operabatur, etſi nondum juſtificatus; acceptus tamen ad juſtificationem; quia per fidem & bonorum operum exercitium de congruo quis meretur, ut ad ipſam juſtitiam perducatur. Sed inde non ſequitur gratiam dari ex merito; quia totum illud ex Deo, & totum eſt gratia.

Eſtij Annotat. in Script.

ỳ. 36. *Verbum miſit Deus filiis Iſraël; annuntians pacem, &c.* Græcè; *Verbum quod miſit*; vel *ſermonem* (*λόγον*,) *quem miſit Iſraël.* Videtur intelligi verbum Evangelicum. Non accipitur λόγος, ſicut Ioannis 1. & alibi pro filio Dei; quia ſequitur: *Per IESVM Chriſtum.* Et ſtatim poſt: *Vos ſcitis quod factum eſt verbum per univerſam Iudæam.* Græcè ῥῆμα. Vide tamen an ſic rectè accipiatur ſecundum Græcos, Sermo, λόγος, quẽ miſit Deus filiis Iſraël, annuntians pacem per IESUM Chriſtum; is ipſe, inquam, ſermo, eſt omnium Dominus. An potius ſit ellipſis aliqua in ſermone, ut ſubaudiatur; *Annuntio vobis*; vel ex parte ſequenti; *noſtis.*

ỳ. 42. *Qui conſtitutus eſt à Deo judex vivorum & mortuorum.* Vide comment. 2. ad Tim. 4.

ỳ. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, &c.* Quomodo omnes Prophetæ; vide Annotat. Lucæ 24.

ỳ. 47. *Vt non baptizentur hi qui Spiritum Sanctum acceperunt, ſicut & nos? Nos*: an Apoſtoli, an Iudęi? videtur enim velle dicere quod gentiles non ſint prohibendi à baptiſmo, quo nomen dent Chriſto, quandoquidem jam Spiritum Sanctum acceperunt ſigno viſibili, ſicut & Iudæi acceperant. Ita cap. ſequenti. *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis qui credidimus in Dominum IESVM Chriſtum*, id eſt, Iudæis fidelibus. Et notandum quod Iudæi fideles non abſolutè putabant gentiles ab Evangelio repellendos, ſed volebant eos priùs circumcidi: Petrus autem docet id non eſſe opus; quia ſine circumciſione jam acceperant Spiritum Sanctum. Idem repetit Actor. 15. pro argumento ſuæ ſententiæ, quod lex non ſit gentibus imponenda.

ỳ. 48. *Et juſſit eos baptizari.* Per quos? utique per fratres illos quos ſecum adduxerat. Erant ergo illi fratres aut Presbyteri, aut ſaltem Diaconi, quos Petrus jam ante, multis diebus moratus in Ioppe, miniſtros Eccleſię ordinaverat. Itaque ſicut Chriſtus ipſe non baptizabat, nec Paulus, 1. Cor. 1, & Act. 19. ita nec Petrus per ſe, ſed juſſit id fieri per alios. Fuerunt ergo ab initio in Eccleſia qui Sacramenta adminiſtrarent, ſed ad Evangelizandum verbum Dei, minus erant idonei.

CAPUT XI.

ỳ. 2. D*Iſceptabant adverſus illum, qui erant ex circumciſione, dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum eis?* Hæc diſceptatio ſuſcitata eſt adverſus Petrum, non ab infidelibus Iudæis, ſed ab iis qui Chriſti fidem ſuſceperant. Proinde quæritur; Quomodo Petrum putaverint reprehendendum, cum ſcirent Apoſtolis à Chriſto præceptum eſſe, ut docerent & baptizarent omnes

gentes? *Reſp.* Primos illos Chriſtianos, qui erant ex circumciſione, tametſi in Chriſtum crederent, non tamen plenè fuiſſe inſtitutos in myſteriis Chriſtianæ religionis; quippe quorum non eſſent capaces, eò quòd nimis tenaciter adhærebant legi ceremoniali, & circumciſioni. Unde hæc duo, gentium vocatio, & legis abrogatio, paulatim debuerunt eis perſuaderi, non tam Apoſtolorum teſtimonio, quàm divina ſignificatione, qualis hæc erat per viſionem Petro oſtenſam, & datum viſibiliter Spiritum Sanctum. Quod ſi ſtatim initio hæc fuiſſent annuntiata, multi Judæorum à fide reſiliiſſent; imò nec fidem ſic annuntiatam recepiſſent. Nota inſignem Petri manſuetudinem, qui, cum eſſet princeps Apoſtolorum, & totius Eccleſiæ paſtor; diſceptantes adverſus ſe fideles placidè audivit, & ſuſtinuit, iiſque cum ratione ſatisfecit. Res omnibus Eccleſiarum prælatis imitanda, juxta ipſius præceptum 1. Petri 3. *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem*, idque cum modeſtia, & ſecundum id quod Paulus monet Epiſcopum Timothæum 2. Timoth. 2. ut ſit manſuetus ad omnes, docibilis, patiens, cum modeſtia corripiens reſiſtentes. Sed dicet aliquis; ſi primi illi fideles tam liberè diſceptabant adverſus Petrum, idque de facto eius ad Chriſtianam religionem pertinente; non ergo perſuaſum habebant, aut Petrum eſſe totius Eccleſiæ Paſtorem ac magiſtrum, aut in negotio religionis errare non poſſe; nam alioqui factum eius humiliter venerati fuiſſent, ac ſententiam ſine contradictione recepiſſent. Reſpondeo; primos illos fideles non ſtatim de omnibus Chriſtianæ religionis myſteriis fuiſſe inſtitutos; velut de iis, quæ ad hierarchiam Eccleſiaſticam pertinerent; quia nondum erant ſchiſmata quæ egerent huiuſmodi myſteria omnibus declarari; ſed tantum, aut præcipuè inſtituebantur de myſteriis ad Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ, ſpectantibus; nec de iis ſtatim omnibus, ſed paulatim prout capaces erant; & expedire videbatur; quemadmodum alicubi docet B. Ambroſius. Adde quod humilitas, & manſuetudo Petri reddebat fratres illos audaciores ad expoſtulandum cum eo, quamvis Apoſtolorum principe; quod non ignorabant.

℣. 3. *Ad viros præputium habentes.* Non dicunt ad gentiles, nam cum gentilibus ſi circumciſi eſſent, & proſelyti facti, licitum habebatur converſari; quia habebantur eodem loco cum Iudæis. Sed tota quæſtio erat de non circumciſis, an cum illis converſari liceret, eiſque ſalutem quæ in Chriſto eſt, prædicare. Exiſtimabant enim gentiles priuſquam in ſocietatem fidelium reciperentur, debere circumcidi, & fieri proſelytos: & ita interpretabantur Chriſti mandatum de Evangelio prædicando per omnes gentes.

℣. 15. *Sicut & in nos in initio.* Id eſt, in Iudæos. Non enim de ſolis Apoſtolis loquitur, ſed de Iudæis fidelibus, qui initio Spiritum S. accipiebant viſibiliter. Unde ſequitur paulò pòſt: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credimus in Dominum IESVM.*

℣. 16. *Recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat; Ioannes quidem, &c.* Vide annot. Actor. 1.

℣. 18. *Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.* Nota conſuetudinem fidelium; qui quoties in hominibus bonum aliquando obſervabant, ſtatim illud atque immediatè in Deum authorem referebant. Sic Galat. 1. *Et in me clarificabant Deum.* Vide eius loci comment. Iſtud; *ergo, &c.* colligi quidem poſſet per bonam conſequentiam ex eo quod Petrus narraverit ſibi dictum à Deo; *Quæ Deus mundavit tu commune ne dixeris.* Et rurſum ex illis verbis Petri: *Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis.* Sed magis apparet fideles id intuliſſe ex tota re geſta. Nam eo ipſo quo intelligebant gentes ad fidem Chriſti vocatas eſſe, totum bonum illud ſciebant Deo eſſe tribuendum. Sic enim erant inſtituti, ut quoties de aliquo boni aliquid audirent, ſtatim Dei beneficium agnoſcerent, & in eo bono Deum glorificarent. Nam hîc dicitur, *glorificaverunt Deum, dicentes: ergo, &c.*

℣. 19. *Et illi quidem qui diſperſi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ſub Stephano.* Recapitulatio eſt & reflexus hiſtoriæ ad anteriora, de diſperſione poſt Stephani necem. *Sub Stephano*; Græcè, ἐπὶ Στεφάνῳ. Quod Eraſmus malè vertit; *ob Stephanum.* Senſus eſt: tempore Stephani. Sic Hebr. 7. *Populus enim ſub ipſo legem accepit.* Id eſt, tempore illius Sacerdotij. Vide eius loci comment. Sic infrà hoc eodem cap. *Sub Claudio. Nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis.* Sub Iudæis etiam proſelyti comprehenduntur; hi enim pro Iudæis habebantur, propter legis Moſaïcæ profeſſionem. Proinde nec à Iudæis Chriſtianis repellebantur, tamquam indigni quibus annuntiaretur fides Chriſti. Sed fortè dices hoc loco ſubjungi exceptionem cum dicitur: *Erant autem quidam ex iis viri Cyprij & Cyrenæi, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, annuntiantes Dominum IESVM; & erat manus Domini cum eis.* Ex quibus verbis illud etiam everti videtur, quod à nonnullis dicitur, Petrum fuiſſe primum qui gentibus annuntiaverit Evangelium Chriſti, tunc ſcilicet quando monitus cæleſti viſione, Cornelio & iis qui cum illo erant, Chriſtum prædicavit. Vera ſolutio eſt Græcos hic intelligi, non gentiles, ſed Iudæos in Græcis natos, & Græca lingua utentes. Nam Græcè non eſt ἕλληνας, ſed ἑλληνιστάς, id eſt, Græciſtas. Sic ſuprà accipitur manifeſtè cap. 6. & 9. Cyprij ergo, & Cyrenæi, quoniam Græci erant, loquebantur verbum ad Græcos, & quia res fœliciter ceſſit, viſa fuit digna gratulatione, & ideò miſerunt Apoſtoli Barnabam, &c.

℣. 29. *Diſcipuli autem, prout quis habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. Quod & fecerunt; mittentes ad ſeniores, per manus Barnabæ, & Sauli. Ad ſeniores*, id eſt, Presbyteros; de quibus Act. 15. & 16. Hæc prima fuit legatio Pauli pro Eleëmoſyna perferenda pauperibus ſanctis in Iudæa. Quam & perfeciſſe cum Barnaba legitur in fine cap. ſequentis. Secunda eiuſdem generis legatio eius, longè poſt facta eſt, de qua ipſe meminit coram Felice. cap. 24. Vide ibi, & Comment. Galat. 2. Rom. 15. 1. Cor. 16. & latè 2. Cor. 8. & 9.

CAPUT XII.

℣. 2. O*Ccidit autem Iacobum, fratrem Ioannis gladio.* An Iacobus in Hiſpaniam profectus fuerit, & Evangelium illi genti prædicaverit, quæritur. De quo vide Martyrologia, & Baron. in Notis ad Martyrolog. Rom. & in Annalibus, certè non videtur: ob multas rationes. Non enim Spiritus inſtinctu illam regionem erat profecturus, ubi nullum erat facturus fructum, ac ſine fructu ſtatim Hieroſolymam rediturus. Deinde, quid in Hiſpania paſſus eſt? Quid egit? Nam ullam fundavit Eccleſiam, aut ullum reliquit ſucceſſorem Epiſcopum, aut Presbyterum? Deinde, quando occiſus eſt, vixdum cœperat Evangelium gentibus prædicari, ut ex præcedentibus, & ſequentibus patet. Necdum Apoſtoli diſperſi erant in remotas gentes: ſed eius rei commodum tempus expectabant. Denique nullus ſcriptor antiquus certæ fidei refert Iacobum Hiſpanias vidiſſe? Et Martyrologium Uſuardi negat.

℣. 5. *Oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia, ad Deum, pro eo.* Cur non ita pro Iacobo? niſi quia corpus multò magis ſollicitum eſſe debet pro ſalute capitis, quàm alterius cuiuſcumque membri.

℣. 6. *In ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites.* An ideo dormiens, & ſecurus, quamvis poſtera

die

die producendus ad ſupplicium, quia ſciebat ſe tunc non moriturum? Prædixerat enim ei Dominus Ioannis 21. *Cum ſenueris alius cinget te, & ducet quò tu non vis.* Itaque ſciebat ſe non moriturum ante ſenium. Præterea hanc ſecuritatem ei præſtabat conſcientiæ tranquillitas.

℣.7. *Et ecce Angelus Domini adſtitit.* Quæritur, an hic Angelus fuerit idem cum Angelo Petri cuſtode. Et probabile eſt eundem fuiſſe; quia & hoc ipſum ad Petri cuſtodiam pertinebat, ut è carcere liberaretur. Nec obſtat, quod infrà Petrus dicit: *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum:* quaſi hic Angelus prius non adfuerit Petro, ſed cœlitus ad eum liberandum miſſus fuerit; non obſtat, inquam; quia ſicut divina perſona, ſic & Angelus mitti dicitur propter novum aliquod opus exhibendum, etiamſi prius in eo loco fuerit, in quo operari iubetur.

℣.9. *Et exiens ſequebatur eum.* Videri poteſt, quod oſtiis clauſis exiverit; nam de ſola porta ferrea dicitur, quod ultrò fuerit eis aperta. Sic Actor.5. *Carcerem quidem invenimus clauſum cum omni diligentia, &c.* Vide annot. eius loci. Quin & portam ferream hactenus tantum apertam fuiſſe quidam volunt, quia tranſitum illorum non impedivit; quomodo dicit Stephanus: *video cœlos apertos,* quia Chriſti ſuper cœlos conſtituti conſpectum cœli non impediebant; non enim diviſum fuit cœlum, ut Stephanus Chriſtum videret.

℣.12. *Maria matris Ioannis, qui cognominatus eſt Marcus.* Vide infrà c.15. Hic Marcus c.13. bis tantum vocatur Ioannes. Alibi vocatur conſobrinus Barnabæ à Paulo. Petrus in epiſtola filium ſuum vocat. An autem hic idem ſit cum Marco Evangeliſta, Vide Baron. in Annalibus, ubi bene probat diverſum eſſe.

℣.15. *Illi autem dicebant; Angelus eius eſt.* Quidam per *Angelum* intelligunt quem vulgò dicitur, ſpiritum, hoc eſt animam hominis mortui, quam divina permiſſione contingit redire. Sed per Angelum animam hominis intelligi, nuſquam alibi, quod ſciam, legitur: at nec res ipſa patitur animam Petri intelligi; Neque enim adhuc Petrus mortuus erat, neque mortuum eum exiſtimabant fideles, qui hoc dicebant; ſed poſtera die producendum ad ſupplicium expectabant. Itaque multò rectius Angelus Petri intelligitur, qui Petro ab ortu nativitatis datus eſt in cuſtodiam. Eſt enim Eccleſiæ ſententia, unicuique fidelium ab initio nativitatis à Deo attributum eſſe Angelum tamquam cuſtodem, pædagogum ac directorem vitæ: Ita ſentit Hieronym. in illud 18. Matth. *Angeli eorum, &c.* & Baſil. lib.1. contra Eunomium, & alij complures. Et hic locus ſatis oſtendit fuiſſe communem fidelium perſuaſionem, unicuique ſuum Angelum eſſe deputatum à Deo; eamque à maioribus quadam traditione acceptam. Nam & Iacob Patriarcha meminit Angeli ſui, & Chriſtus, eandem perſuaſionem confirmans, dixit: *Angeli eorum in cœlis, &c.*

℣.17. *Et egreſſus abijt in alium locum.* Petrus etiam poſt ductum Angeli non omittit ea, quæ humanæ ſunt induſtriæ & curæ, pro ſua ſalute. Factum eſt enim per Angelum, quod per hominem ſolum fieri non potuit. Ceſſare autem homo non debuit in iis quæ per ipſum, atque humanitus fieri poterant.

℣.19. *Iuſſit eos duci.* Subaudi, ad quæſtiones, vel ad ſupplicium, vel aliquid tale. Phraſis eſt etiam Latinis authoribus uſitata. Plinius in epiſtola ad Traianum de Chriſtianis; *Confitentes iterum ac tertio interrogavi, ſupplicium minatus; perſeverantes duci juſſi. Neque enim dubitabam, qualecunque eſſet quod faterentur, pervicaciam certè, & inflexibilem obſtinationem debere puniri.* Itaque ducebantur ad punitionem, ſed innoxij.

℣.20. *Eò quòd alerentur regiones eorum ab illo.* Græcè, *Eò quòd aleretur ipſorum regio, ab ea quæ Regis eſſet.*

Eſtij Annotat. in Script.

A ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. Quod Eraſmus vertit; *annonam regiam,* Rectius videtur intelligi regio regia, ut ſubaudiatur, quod præceſſerat, χώρα. Senſus enim videtur eſſe; quod Tyrij, & Sidonij frumenti annonam compararent ex regione Herodi ſubjecta, quomodo Italia frumentatur à Sicilia.

℣.23. *Percuſſit eum Angelus Domini.* Utique bonus Angelus tamquam ultor injuriæ divinæ. Nec abſurdè quis dixerit fuiſſe Angelum cuſtodem Herodis; qui Deo jubente ex cuſtode factus ſit percuſſor, & exterminator; ſicut ille Angelus cuſtos ac præſes populi Iſraëlitici in deſerto, de quo dicit Dominus Exod.23. *Non dimittet, cum peccaveritis.* Vide eius loci Annot. Antiq.19.7.§.9. Ioſephus huius rei narrans Hiſtoriam non Angeli meminit, ſed bubonis ab Herode conſpe-

B cti, ſcilicet eiuſdem qui ei aliquando fœlicioris fortunæ index viſus fuerat. Sed ut de bubone res habeat, (in quo certè apparet aliquid ſuperſtitioſum) non eſt dubitandum, (quod Lucas refert) Herodem, dum divinos ſibi patitur honores deferri, percuſſum fuiſſe ab Angelo Domini, ſcilicet pro Domini ſui honore zelante. Miror autem Euſebium lib.2. Hiſtor. Eccl. cap. referentem verba Ioſephi pro bubone Angelum legere, cum ex Hiſtoriæ contextu manifeſtum ſit Ioſephum, non Angelum ſcripſiſſe, ſed bubonem. Neque dici poteſt Euſebij textum corruptum eſſe: Nam ſi Euſebius bubonem ſcripſiſſet, aliquid de ea Lucæ & Ioſephi diſſonantia adjici ab illo res poſtulaſſet, quod in aliis huiuſmodi facere ſolet.

C *Eò quod non dediſſet honorem Deo.* Id eſt, honores divinos ſibi delatos non recuſaſſet, ſed libens accepiſſet. Minus enim dicitur, & plus intelligitur. Nec tamen putandum ſolam hanc fuiſſe cauſam illius dedecoroſæ mortis, ſed & ea quæ ſupra narrata ſunt, de injuſta vexatione Chriſtianorum, cæde Iacobi, & incarceratione Petri. Eiuſdem enim pœnæ plures ſæpe ſunt cauſæ meritoriæ, vel totales vel partiales. Idque ſignificatum voluit S. Lucas, quando continuè poſt narrata illa de Iacobo & Petro, ſubjungit de Herode, quemadmodum extinctus fuerit. Quidam illud, *Eò quod non dediſſet honorem Deo,* referunt ad miraculoſam Petri liberationem, in qua divinum opus agnoſcere debuit. Sed melius ad divinos honores ſibi delatos refertur.

Et conſumptus à vermibus. Græcè unum vocabulum,
D σκωληκόβρωτος. q. d. *vermicomeſtus.* Naſcebantur hi vermes in corpore, & corpus exedebant.

℣.25. *Barnabas autem & Saulus reverſi ſunt ab Hieroſolymis, expleto miniſterio.* Vide Annot. cap. præcedenti, ad finem.

CAPUT XIII.

℣.1. *ET Lucius Cyrenenſis.* An iſte idem cum Luca Evangeliſta? Non; quia Lucas Antiochenus. Neque tunc adhuc Lucas videtur fuiſſe tantæ authoritatis. An idem cum Lucio de quo Rom.16. Vide ibi Comment. noſtrum.

℣.2. *Miniſtrantibus autem illis Domino.* Eraſmus; *Cumque illi ſacrificarent Domino;* λειτουργούντων. Sed
E mirandum eundem Eraſmum in paraphraſi hoc ſacrificium detorquere ad eam ſervitutem, qua omne ſuum ſtudium, ac dotes conceſſas conferunt pij, ad Eccleſiæ profectum. Hodie etiam Gallica & Teutonica lingua Miſſæ actio vocatur miniſterium: Gallicè, *le ſervice;* Teutonicè, *den dienſt.* At dices; loco verbi, *Miniſtrantes,* mox ſubſtitui verbum, *Orantes,* cum dicitur: *tunc jejunantes, & orantes;* ex quo ſuſpicari quiſpiam poſſet, miniſterium hîc non aliud intelligi, quàm orationis. Cui reſponſum ſit, orationis nomine ſæpe in Scripturis, maximè ubi orationis publicæ mentio fit, intelligi totum cultum Dei externum, cuius vel præcipua pars eſt ſacrificium. Ita ſcriptum eſt: *Domus mea,*

domus orationis vocabitur. Quia cum ubique orare liceret, in ea tamen ſola licuit offerre ſacrificium. Ita mulier illa Samaritana ad Dominum: *Vos dicitis, quia Hieroſolymis eſt locus, ubi oportet adorare.* Sic Apoſtolus Actor. 6. *Nos autem orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Sic Paulus 1. Tim. 2. *Volo orationes fieri pro omnibus hominibus*, quas Patres interpretantur, quæ fiunt in Miſſæ ſacrificio.

Dixit illis Spiritus Sanctus. Dixit, revelando, vel palam in Eccleſia dum ſacrificarent Domino, vel uni ex Prophetis, quorum præcipuus videtur fuiſſe Agabus. Nam & ille Antiochiæ per id tempus morabatur, ut intelligi poteſt ex fine capitis 11.

Segregate mihi Saulum, & Barnabam. Electio Dei non ſolum in eo, quod hos duos præ aliis aſſumat ad hoc opus; verùm etiam, quod Saulum Barnabæ præponat, quaſi minorem maiori, tyronem veterano. Nec tamen Barnabas invidit, ſed libens ſuſcepit cum eo communem legationem. Erat enim vir bonus.

℣. 3. *Imponentesque eis manus, dimiſerunt illos.* Non videtur hîc ſignificari ſacra ordinatio ad Presbyterium, vel Epiſcopatum. Nam Barnabam jam ante fuiſſe Apoſtolum ſatis liquet ex cap. 11. de Saulo idem videtur. Certè uterque huius capitis initio numeratur inter Prophetas, & doctores qui erant in Eccleſia Antiochena præcipui; & Barnabas quidem primo loco. Significatur ergo Barnabam, & Saulum cum cæremonia impoſitionis manuum adhibita oratione, & jejunio miſſos fuiſſe ad opus prędicationis Evangelicę, ad quod aſſumpti, & nominatim deſignati erant à Spiritu Sancto. Hanc manuum impoſitionem Arator tribuit Petro, ita canens:

> *Quem mox ſacravit euntem,*
> *Impoſita Petrus illi manu, cui ſermo Magiſtri*
> *Omnia poſſe dedit.*

℣. 6. *Cui nomen erat Bar-Ieſu.* Vide hîc prolixam annotationem Franciſci Lucæ, in Notationibus ad Sacra Biblia.

℣. 7. *Sergio Paulo viro prudente. Prudente* eo modo quo prudentia poteſt infidelibus competere, ſcilicet imperfectè. Vide noſtra in 3. Sent. diſt. 36.

Deſiderabat audire verbum Dei. Hoc deſiderium erat Dei donum. De quo vide in 2. diſt. 26.

℣. 8. *Elymas magus (ſic enim interpretatur nomen eius.)* Non illud nomen *Bar-Ieſu* (hoc enim interpretatur filius Salvatoris) ſed aliud nomen ei proprium, quod Lucas non expreſſit. Nam *Bar-Ieſu* non videtur fuiſſe nomen proprium; ſed ita dictus, quia filius erat Judæ cuiuſdam nomine Jesu. Nam multi erant hoc nomine; ut patet ex Ioſepho. Sic alibi Bartimæus filius Timæi. Sic puto Nathanaël dictum fuiſſe Bartholomæum, id eſt, Tholomæi filium. In libro interpretationis Hebr. nominum Scripturæ, ſic legitur, *Elymas*, id eſt, *magus, corruptor, pernicioſus.* Hieron. autem in nominibus Hebraïcis de Actis Apoſtolorum ſic Hebraïcè interpretatur, *ad tranſgreſſionem*, ſive *tranſgredi faciens.* Sed quia per *y* ſcribitur à Luca; veriſimilius eſt Græcum eſſe vocabulum, & Græcam habere ethymologiam. Et neſcio qua lingua Elymas ſignificet magum. Quare veriſimilius eſt ſenſum eſſe, Iudæum illum, cui nomen Bar-Ieſus & Elymas, fuiſſe magum; ſicut Simon qui Petro reſtitit. Cęterum de hac re vide Prateolum de hęreſibus in Elyma mago. Item Dionyſius Areopagita, cap. 8. de divinis nominibus, ubi refert aliquid huc pertinens. Vide quoque Baronium tom. 1. Annal. *Fili Diaboli*, alludit ad nomen, quadam antiphraſi, quaſi dicat; Vocaris Bar-Ieſu, id eſt, filius Iesu: At tu eo nomine indignus es, dignior qui voceris filius Diaboli qui eſt Iesu adverſarius.

℣. 11. *Et eris cæcus, non videns ſolem uſque ad tempus.* Interpretatio eſt, *Cæcus*, hoc eſt, *non videns ſolem uſque ad tempus.* Qui enim eſt non videns ſolem uſque ad tempus, non propriè cæcus eſt; niſi poſtea viſum per miraculum recipiat, ut ex cæco videns fiat. Quod non eſt de iſto credendum, niſi dicatur fuiſſe converſus; quod non apparet; quia Lucas id non tacuiſſet. Unde apparet, quod ad tempus fuerit in oculis eius immiſſum divinitus impedimentum videndi, ſalva potentia videndi; ſicut qui leguntur percuſſi *ἀορασίᾳ*, ut Sodomitæ, Syrij, & alij, ad tempus non potuerunt videre id quod quęrebant, etſi pręſens; & ſicut Iudęi, qui Chriſtum capere volebant, ad verbum dicentis; *Ego ſum*; ceciderunt in terram, per immiſſam debilitatem ſtandi, qua ſubmota ſtatim ſurrexerunt. Sicut autem hoc factum eſt à Chriſto, ut ſuam demonſtraret potentiam; nec tamen continuatum, ne paſſio ſua impediretur: Ita & hoc à Paulo factum ut Proconſul crederet; nec tamen continuatum, ne ad nocendum gratia miraculorum Apoſtolis data videretur. In vita S. Ianuarij Epiſcopi legitur Timotheo judici reſtitutum lumen, qui tamen non fuit converſus. Id fortè eodem modo intelligendum, nempe ad tempus impeditum, ne videret. Vide Breviarium Romanum in Ianuario, die 19. Septemb.

℣. 16. *Viri Iſraëlitæ, & qui timetis Deum, audite.* Et infrà: *Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum. Timentes Deum* quos ab Iſraëlitis, & filiis Abrahæ diſtinguit, intelligit proſelytos, quos paſſim Lucas hoc libro vocat *colentes.* Unde hoc eodem capite poſt Pauli orationem, v. 43. *Secuti ſunt*, inquit, *multi Iudæorum & colentium advenarum, Paulum, & Barnabam.* Quo loco advenas dicit proſelytos. Hoc enim nomen eſt in Græco.

℣. 22. *Suſcitavit illis David Regem, cui teſtimonium perhibens dixit: Inveni David filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Quæritur, ubi Deus hoc dixerit? videtur teſtimonium ex pluribus locis conflatum, Nam 1. Reg. 13. Samuël ſic: *Quæſivit Dominus ſibi virum, ſecundum cor ſuum*, & cap. 16. ait Dominus: *Providi in filiis Iſai mihi regem.* Et Pſalm. 88. rurſum ait: *Inveni David ſervum meum.* Quod autem addidit Paulus; *Qui faciet omnes voluntates meas*; explicatio eſt eius quod dixerat; *Virum ſecundum cor meum.*

℣. 26. *Vobis verbum ſalutis huius miſſum eſt.* Scilicet, juxta promiſſiones factas Patribus noſtris. Vide Comment. Rom. 15.

℣. 27. *Et Principes eius hunc ignorantes.* Sic Petrus ſuprà cap. 3. *Per ignorantiam feciſtis, ſicut & principes veſtri.* Hîc additur: *& voces Prophetarum, quæ per omne Sabbathum leguntur.* Ergo Scripturas de Chriſto non intelligebant. Vide Annotat. ſuprà capite 3. & Luc. 24.

℣. 28. *Petierunt à Pilato, ut interficerent eum.* Atqui ipſi noluerunt eum interficere, etiam dicente Pilato: *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum.* Reſpondebant enim: *Nobis non licet interficere quemquam.* In Græco ad verbum legitur; *Petierunt Pilatum tollere eum*, quod fortè ſic intelligitur; Petierunt à Pilato, ut ipſe tolleret eum è medio, & interficeret; hoc enim conſtat eos petiiſſe.

℣. 29. *Cumque conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant. De eo* paſſuro. Nam multa alia de eo ſcripta erant quæ per manus Iudæorum impiorum non erant conſummanda. Inter quæ erat id quod ſequitur. *Deponentes eum de ligno, poſuerunt in monumento.* Hoc non ad eoſdem principes populi refertur, qui petierunt eum à Pilato ad mortem; ſed videtur imperſonaliter dictum, ut interdum alibi Scriptura loquitur: *Dabunt in ſinum veſtrum: Repetunt à te animam.* Referendum autem eſt ad Nicodemum, & Ioſeph Arimathæum, qui non conſenſerant in necem Domini.

℣. 33. *Adimplevit filiis noſtris.* Dicit hoc Paulus in

perſons populi Judaïci; ne quis ex hoc loco cavilletur Paulum filios habuiſſe, & proinde uxoratum fuiſſe. At in Græco eſt, *filijs eorum nobis*.

Sicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt. Quædam exemplaria; *ſicut & in Pſalmo primo ſcriptum eſt*. Sed vide Genebrard. in Pſalm.2. & Not. Franc. Lucæ in hunc locum.

℣.34. *Quia dabo vobis ſancta David fidelia.* Ex Iſaiæ 55. ſecundum Septuag. ubi nos ex Hebr. legimus; *Miſericordias David fideles*. Vide illius loci Annot.

℣.38. *Quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur, ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari.* Græcè, *& ab omnibus*; ſic etiam nonnulli codices Latini. *Iuſtificari*, id eſt, mundari, ſanctificari, quod fit non ſola ac nuda peccatorum remiſſione, ſed inſuper interna mentis renovatione per effuſa in illam dona Spiritus Sancti. Cæterum hîc indicatur verum diſcrimen inter Sacramenta veteris, & novæ legis; quia videlicet, ex lege non eſt juſtitia, ſed ex fide in Chriſtum. Dicit autem: *Omnis qui credit, juſtificatur*; quia ſub fide comprehenduntur cætera, quæ fides præſcribit; ſicut nomine circumciſionis ſolet ſignificari tota lex Moyſi. Sic infrà cap.16. *Crede in Dominum IESVM, & ſalvus eris tu, & domus tua*. Senſus enim eſt; Suſcipe fidem, & religionem Chriſti, qua ſuſcepta, & ſervata ſalvus eris. Nam de baptiſmo ſtatim ſequitur; quod *baptizatus eſt, ipſe, & omnis domus ejus*.

℣.48. *Et crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Non ſignificatur ſolos electos credere; ſed omnes eos, qui electi ſunt & præordinati à Deo ad vitam æternam, credere fidemque ſuſcipere eo tempore, quo Deus prædeſtinavit, etſi multæ tribulationes & perſecutiones obſtare videantur, eoſque à ſuſcipienda fide alienare. Igitur hic locus facit ad declarandam vim prædeſtinationis divinæ. Ideo enim crediderunt, quia præordinati erant ad vitam æternam; in qua præordinatione continetur & præordinatio mediorum, quorum primum eſt fides. Eſt igitur prædeſtinatio ad vitam æternam prior præordinatione meritorum, ſicut prior eſt, deſtinatio finis, quam mediorum. Vide de hoc loco Lorinum varia adferentem, non omnia ſana.

℣.50. *Iudæi autem concitaverunt mulieres Religioſas, & honeſtas. Religioſas*, Græcè σεβομένας, id eſt, colentes. Unde videntur ſignificari proſelytæ mulieres.

℣.51. *At illi excuſſo pulvere pedum in eos.* Nempe juxta præceptum Domini ſcriptum à tribus Evangeliſtis. Vide Annot. Matth.10. Sic infrà cap.18. excutit Paulus veſtimenta ſua in Iudæos, prædicationi ejus contradicentes, & blaſphemantes; dicens: *Sanguis veſter, &c.* Vide ejus loci Annot.

CAPUT XIV.

℣.8. *QVi intuitus eum, & videns quia fidem haberet, ut ſalvus fieret.* Non ſignificatur fides qua crediderit, id eſt, certò ſibi perſuaſerit ſe ſanum futurum; nondum enim de ſanitate corporali verbum ab Apoſtolis audierat: ſed, vel ſignificatur fides qua poſſet ſalvus fieri, juxta illud; *creditis quia hoc poſſum?* &, *Omnia poſſibilia ſunt credenti*: vel habebat fidem, qua hoc merebatur ex congruo, vel certè ſignificatur fiducia ſanitatis conſequendæ concepta ex Pauli prædicatione, qua fortè meminerat miraculorum Chriſti, ſimul ex fama miraculorum, quæ ab Apoſtolis alibi facta fuerant.

℣.12. *Et vocabant Barnabam, Iovem: Paulum verò, Mercurium.* Cur Paulum vocaverint iſto nomine, ratio ſubjungitur; *Quoniam ipſe erat dux verbi*. Cur autem Barnabam Iovem dixerint, ratio non apparet,
A nisi fortè quia ſicut Mercurius Iovis comes, ita Paulus quem Mercurium putabant, Barnabæ comes erat. At fortè Barnabas vultu fuit, & habitu corporis magis auguſto quàm Paulus; quem puſillæ ſtaturæ fuiſſe ferunt.

℣.13. *Conſciſſis tunicis ſuis exſilierunt.* Tum ne gloria Dei ad homines transferretur: quia ſoli Deo ſacrificium debetur; tum ut à Lyſtrenſibus tam grave ſcelus averterent. Igitur hoc facto oſtenderunt Apoſtoli magnitudinem charitatis ſuæ erga Deum, & erga homines.

℣.14. *Et nos mortales ſumus, ſimiles vobis.* Græcè ὁμοιοπαθεῖς ὑμῖν. Vide Comment. Iacobi 5. ad illud: *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis*.

℣.15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes*
B *gentes ingredi vias ſuas.* Quomodo ergo dicunt quidam à Deo omnibus omnino hominibus præſto eſſe auxilium quoddam ſufficiens ad ſalutem? Nam quod ſubjungit Apoſtolus: *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit*, nequaquam poteſt ad illud occultum auxilium referri, cum ſequentia verba apertiſſimè declarent, quale hoc teſtimonium fuerit: *Benefaciens*, inquit, *de cælo, dans pluvias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda noſtra.* Quod autem dicit, *implens cibo, & lætitia corda noſtra*, hoc eſt, quod alibi dicit, *Qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum*, id eſt, percipiendum, non ſine delectatione 1. Tim. ult. Porrò illud: *Corda noſtra*: non ad cibum, ſed ad lætitiam referendum eſt. Nam cibo
C corpora implentur; ſed lætitiæ & delectatio, cordis eſt, id eſt, animi. Nec magni refert ſive legas *noſtra*, ut habent Græca, & textus Latinus impreſſus, ſive *veſtra* ut ferè omnia M.SS. Latina. Conjunctè legendum eſt illud: *de cælo dans pluvias*: ut ſatis apparet ex Græco; & ex phraſi Scripturæ, qua pluviæ de cœlo dari & deſcendere dicuntur.

℣.16. *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit.* Teſtimonium hoc in ſuo genere ſufficiens erat, per quod gentes Deum cognoſcerent; non tamen ita ſufficiens, ut præter illud non opus eſſet aliquo interno, & efficaci auxilio gratiæ Dei, ſine quo nullum bonum opus poteſt ab homine fieri.

D ℣.21. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Chriſtiani ſumus, non propter hanc vitam, ſed futuram. Notat Origenes quod tribulationes ſunt Sanctorum; ſed flagella peccatorum. At Apoſtolus dicit Hebr.12. *Flagellat autem omnem filium quem recipit.* Et Pſalmiſta de peccatoribus: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* De ſe autem, juſto: *Fui flagellatus tota die.* Non conſiſtit ergo diſcrimen Origenis. Vide noſtr. comm. loco citato ad Hebr.

℣.22. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros.* Sermo ſimilis illi ad Titum 1. *Et conſtituas per civitates Presbyteros.* Cum ergo ad Titum ſermo ſit de Epiſcopis, ut patet ex ſequentibus; etiam hic locus de Epiſcopis intelligi poteſt.

℣.26. *Retulerunt quanta feciſſet Deus cum illis.* Sic cap. proximo; *Annuntiantes quanta Deus feciſſet cum*
E *illis.* Et cap.21. *Narrabat per ſingula, quæ Deus feciſſet in gentibus per miniſterium ipſius.* Hoc non tantum referendum ad miracula, quæ per manus Apoſtolorum Evangelium annuntiantium fiebant; ſed etiam, & maximè, ad ipſam gentium converſionem. Nam miracula quidem phraſi Scripturæ fiunt à Deo per manus hominum, ut Apoſtolorum; non per miniſterium: At converſio hominum ad Deum, non per manus hominum fieri dicitur, ſed per miniſterium prædicationis. Hic ergo commendatur gratia Dei; cui accepto ferendum eſt, quod homines audita prædicatione ſalutari, conſenſum præbeant, credant, & convertantur ad Deum. Unde & ſequitur Actor.21. quod pro hoc beneficio

fideles *magnificabant Deum*; id eſt, pro tanto dono gratias agebant. Idem actum cap. 11. & 15.

CAPUT XV.

℣.1. **D***Ocebant fratres, quia niſi circumcidamini, ſecundum morem Moyſi non poteſtis ſalvari.* Horum antesignanum fuiſſe Cerinthum, exiſtimat Epiphanius hæreſim eius tractans. Nonnulli addunt Ebionem: verum Epiphanius in eius hæreſi ſcribit illum emerſiſſe poſt Iacobum fratrem Domini occiſum, & everſam Hieroſolymam.

℣.5. *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum.* Id eſt, de ſecta Phariſæorum; ſicut alibi (hæreſis) accipitur in Scriptura. Non enim ſignificatur eos fuiſſe hæreticos, qui dicebant quod gentiles oporteret circumcidi, & ſervare legem Moyſi: Nondum enim ea res erat tam clarè explicata, & definita, ut contradicentem faceret hæreticum; ſicut poſt definitionem Concilij quod hîc deſcribitur. Porrò quod factum Antiochiæ, idem etiam factum Hieroſolymis, ut gentes velint onerare jugo ſervandæ legis Moſaïcæ. Tantum apud Judæos valebat authoritas legis à Moyſe acceptæ, ut ſine ea putarent, neminem hominum poſſe ſalvari, quamvis in Chriſtum credentem.

℣.7. *Surgens Petrus dixit ad eos.* Petrus tanquam Apoſtolorum princeps, primus dicit ſententiam. Quam deinde approbat Iacobus, tamquam Hieroſolymorum Epiſcopus. An alij plures dixerint ſententiam, non eſt expreſſum à Luca. Veriſimile tamen eſt, alios etiam dixiſſe. Denique fit concluſio, quam finaliter etiam à Petro factam fuiſſe, ratione ſui primatus, licet Lucas id etiam non prodat, non dubitamus. Dixit autem ſententiam primo loco, quia primus erat: non tamen eam dixit ut abſolutè, & finaliter definiens, & aliis præjudicans; ſed ut judex loquens ordine ſuo. Omnibus autem auditis tandem concluſit, tam de quæſtione principali, quæ inter Apoſtolos nullam habebat diſputationem, quàm de decreto præſcribendo ad gentiles, quod Iacobus ſuggeſſerat.

℣.8. *Et qui novit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, ſicut & nobis; & nihil diſcrevit inter nos, & illos, fide purificans corda eorum.* Abutuntur hac ſententia hæretici, ut probent ſolam fidem ſufficere, ad conſequendam puritatem cordis, id eſt, ad juſtificationem hominis. Quibus breviter reſpondemus, intelligi eam fidem quam Apoſtolus alibi docet utilem eſſe, & valere aliquid in Chriſto Jesu. Ea autem, eſt fides, non quælibet, ſed quæ per dilectionem operatur. Ita ad Galat. 5. *In Chriſto IESU, neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per charitatem operatur.* Cum addit: *quæ per charitatem operatur*, ſignificat fidem otioſam, & non exercitam charitate, inutilem eſſe, & nihil valere in Chriſto. Quod expreſſius idem Apoſtolus dicit, 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero: nihil ſum.* Si ergo fides charitate vacua, nihil eſt; purificare cor non poteſt quamdiu charitate deſtituitur. Fide autem per charitatem operata purificantur corda dupliciter, fides enim de corde ignorantiam tollit; charitas autem pellit malam voluntatem. Sic exponit Auguſt. ſerm. 14. de variis cap. 11. Vide noſtr. Comment. dictis locis.

℣.9. *Fide purificans corda eorum.* Vide annot. Proverb. 15. Videtur autem Petrus reſpicere ad verba ſibi dicta in viſione; *Quæ Deus purificavit, tu commune ne dixeris.*

℣.10. *Quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum?* Hoc jugum quod Judæis fuerat importabile, magis adhuc importabile fuiſſet gentilibus, non aſſuetis huiuſmodi jugo ferendo: Deinde, quia procul

A à Judæa habitantes nonniſi ſumma moleſtia potuiſſent quotannis aſcendere Hieroſolymam ad Feſta & ſacrificia ibi celebranda. Deinde, habiti fuiſſent à Iudæis tantum loco proſelytorum. Hæc ſervitus ſine dubio alienaſſet totam gentilitatem à Chriſtianiſmo. Quare prudentiſſimè viſum eſt Apoſtolis, tanto periculo ſtatim occurrendum.

Quod neque nos, neque Patres noſtri portare potuimus. Quare ergo Deus non præcepit impoſſibile? *Reſpond.* Significari difficultatem magnam, præſertim, quæ accedebat ex parte carnalis illius populi. Item, quia jugum erat ſervile; propter obſervantias corporales per ſe non conducentes ad pietatem. Ita Matth. 23. ubi habemus *importabilia* Græcè eſt, *δυσβάστακτα*, id eſt, difficilia portatu. Opponunt adverſarij, nunc quoque B Chriſtianis imponi jugum importabile cæremoniarum, & præceptorum Eccleſiæ, & maximè illud de Confeſſione peccatorum facienda Sacerdoti. Quibus quomodo ſit reſpondendum. Vide Annot. Matth. 11. & de Confeſſione in 4. Sent. diſt. 17.

℣.13. *Viri fratres, audite me.* Dicit; *Audite me*; quia ſuggerere voluit conſilium de eo quod ſcribendum eſſet ad Eccleſias Gentilium. Quod cæteri ſecuti ſunt.

℣.18. *Notum à ſæculo eſt Domino opus ſuum.* Loquitur de opere vocationis & converſionis gentium. Quod eſt opus Dei, ac Deo notum à ſæculo; quia ab ipſo prædeſtinatum. Hinc patet præſcientiam Dei ac prædeſtinationem Dei in bonis ad idem referri, ſicut do-
C cent. S. Auguſt. & S. Proſper.

℣.19. *Propter quod ego judico, non inquietari.* Quidam putant, ut Medina 1.2.q.95. art. 1. Iacobum hunc Hieroſolymitanum Epiſcopum, tamquam judicem ordinarium in propria diœceſi reſidentem pronuntiaſſe Apoſtolorum ſententiam, etiam in præſentia Petri univerſæ Eccleſiæ Epiſcopi. Potiùs dicendum, quod dixerit ſententiam ut judex; quia omnes Apoſtoli erant judices, ſicut omnes Epiſcopi in Conciliis etiam generalibus. Sed ſolus Petrus, & eius ſucceſſor eſt ſupremus judex, qui concludit, & definit. Vide ſuprà, verſ. 7.

℣.21. *Moyſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis.* Occupatio eſt. Quæri enim poterat? Si ad gentiles ſcribendum, quid de Iudæis? Reſpondet, nihil opus, quod ad
D præſens negotium attinet, quandoquidem Moyſes eis legatur in Synagogis quas habent in ſingulis civitatibus, & per ſingula Sabbata; ex quo ſciant quæ præcepta moralia ſibi ſervanda ſint, item quæ cæremonialia, ſi adhuc ea ſibi ſervanda putent.

℣.22. *Iudam, qui cognominabatur Barſabas.* Hic Barſabas alius ab illo qui primo cap. Ioſeph cognomento Barſabas vocatur.

℣.29. *Ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.* De immolatis ſimulachrorum & fornicatione nulla quæſtio eſt. Ab immolatis jubentur abſtinere, ad vitandum ſcandalum; ut docet Apoſtolus. 1. Cor. 8. A fornicatione peculiariter abſtinere jubentur; quia gentiles eam non
E putabant eſſe peccatum. Unde apud eos fornicatio ſimplex numquam lege prohibita fuit. Sed de ſuffocato & ſanguine quæſtio eſt. Quidam per ſanguinem intelligunt homicidium, & per ſuffocatum oppreſſionem miſerorum. Alij intelligunt ſimpliciter prohiberi comeſtionem ſanguinis, & animalis ſuffocati. Huic expoſitioni favet Chriſtianorum conſuetudo, qua multo tempore ab his abſtinuerunt. Et de ea re ſunt tres expreſſi canones; videlicet 62. Apoſtolorum. Concil. Gangrenſ. 1. & 67. Synodi in Trullo. Conſuetudo autem & praxis Eccleſiæ interpres eſt legis. Aug. lib. 32. contra Fauſtum objicientem Catholicis, quod comederent morticina & immolata, munda, & immunda; capite 13. agnoſcit conſuetudinem de non edendo mortici-

morticino. Deinde ponens utramque explicationem jam dictam huius loci, addit: *Elegiſſe mihi videntur Apoſtoli pro tempore rem facilem, & nequaquam obſervantibus onerosam, in qua cum Iudæis etiam gentes aliquid communiter obſervarunt.* Sic ille. Nec tamen per hoc aliquid legale impoſitum eſt; ſed tamquam morale hoc præſcriptum eſt, ut per hanc abſtinentiam ab omni cæde & crudelitate eſſent magis alieni. Nam hac ratione etiam Noe, & poſteris eius, prohibita eſt ſanguinis comeſtio, teſte Chryſoſt. in Gen. 9. Alia quoque ratio eſt, ne Iudæi refugerent cum gentilibus Chriſtianis in unam colligi ſocietatem: Nam eſus ſanguinis, & ſuffocati ſpeciem quandam habet feritatis. Unde multi, natura quodammodo, ab iſtis abhorrent. Atque hinc intelligitur, cur Apoſtoli, non etiam vetuerint gentilibus Chriſtianis eſum adipis, porcinæ, leporinæ; quia ab his communiter homines non abhorrent; nec eorum eſus ſpeciem habet feritatis.

Quæritur 1. quo præcepto poſitivo Judæi fuerint prohibiti ab immolatitiis idolorum? *Reſpond.* Exodi 34. *Ne comedas de immolatis.* Item eo præcepto quo prohibebantur quicquam accipere in uſum ſuum, quod ad idolum aliquo modo pertineret; ſed totum, velut anathema, refugere, demoliri, & abolere, ut Deuteron. 7. *Sculptilia eorum combures; non concupiſces argentum, & aurum, de quibus facta ſunt; neque aſſumes ex eis tibi quicquam. Nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, ſicut & illud eſt. Quaſi ſpurcitias deteſtaberis, & velut inquinamentum ac ſordes abominationi habebis, quia anathema eſt.*

Petes porrò an lex iſta ſolum obligaverit in caſu ſcandali. Et ita videri poteſt, quia 1. Cor. 10. extra caſum ſcandali videtur Apoſtolus permittere eſum idolothytorum; ſed ubi metus eſt ſcandali vetat comedi; & addit; *propter conſcientiam non tuam, ſed alterius. Vt quid enim mea libertas, &c.* Videtur poſſe reſponderi duobus modis. Uno modo, Corinthios hic Apoſtolica lege non fuiſſe ligatos, quia epiſtola Apoſtolorum tantum miſſa eſt ad fratres, qui erant Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ; videlicet in Palæſtina, & eius vicinia, ubi plurimi erant Judæi. Unde & in fine capitis de Paulo dicitur, quod, *perambulabat Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Seniorum*, nempe conſtituta in Synodo Ieroſolymitano; illo decreto, *Apoſtoli & Seniores, &c.*

Si objicias; Multis annis poſt fuiſſe eam legem obſervatam ſtudiosè, etiam in aliis Eccleſiis, ut ex Tertulliano patet, & Canone quodam Apoſtolorum, & Synodo Gangrenſi, & ea quæ in Trullo habita: Reſpondere ſcitè poterit, non eam fuiſſe intentionem Apoſtolorum, ut perpetuò Eccleſiam univerſalem hac lege obſtringerent. Nam hodie nuſquam in Catholica obſervatur, maximè quod de ſuffocato, & ſanguine præceptum fuit; &, ſi qui ſervant, non id faciunt, quia ab Apoſtolis prohibitum, ſed quia horrent à talium rerum eſu, & diſertè dicit Auguſt. pro tempore fuiſſe hoc impoſitum: ſed tamen alias Eccleſias id ad tempus retinuiſſe, propter reverentiam legis Apoſtolicæ; ſicut lex vetus aliquamdiu poſt Chriſtum à Judæis Chriſtianis fuit obſervata, & cum honore, ad ſepulchrum deducta, vel quia legis ratio in quibuſdam Eccleſiis adhuc locum habebat.

Altero modo reſponderi poteſt, ſi dicamus, ſenſum legis eſſe, à talibus abſtinendum ubi metus aut periculum eſt ſcandali; & ita tantum fuiſſe explicationem legis divinæ de vitando ſcandalo, eiuſque determinationem, ſeu potius exemplorum declarationem, nempe in his caſibus. Atque hoc modo optimè conſiſtet hic locus, cum loco 1. Corinth. 10. Notendum tamen, quod ibi non dicit Apoſtolus, quod liceat co-

A medere ſi quis ſciat eſſe idolis immolatum: ſed quod quis neſciens an quod edendum proponitur, ſit immolatitium; non tenetur interrogare, an tale ſit; idque propter conſcientiam. Non etiam hoc habebat lex Apoſtolica; quòd fideles deberent interrogare; idque propter ſuam conſcientiam. Quod ergo ſubjungit Paulus: *Si quis autem dixerit, Hoc immolatitium eſt, nolite manducare, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam; conſcientiam autem dico, non tuam, ſed alterius;* videtur conſcientiam intelligere non generaliter peccati, ſed idoli, ſicut dicit cap. 8. *Quidam autem cum conſcientia uſque nunc idoli, quaſi idolothytum manducant;* id eſt, tanquam idolum ſit aliquid, & proinde cibus ille per ſe immundum reddat hominem;

B *Et conſcientia*, inquit, *ipſorum, cum ſit infirma, polluitur.* Hoc igitur eſt, quod ait cap. 10. *Conſcientiam dico, non tuam; ſed alterius;* quia tu non habes conſcientiam idoli, ſed alter, infirmus frater; quem proinde facto, & exemplo non debes provocare ad idolothytum manducandum; imò propter legem Apoſtolicam omnino abſtinere; ſimul atque cognoveris, id quod proponitur eſſe idolothytum. Apud Aug. lib. 31. contra Fauſtum cap. 1. Fauſtus dicit: *Omnes apud vos morticina; & immolata inquinamentum exiſtimant non parvum*, & cap. 3. lib. 32. Sed vide quid reſpondeat Auguſtin. ibidem cap. 13. morem quidem agnoſcens huius abſtinentiæ adhuc ſuo tempore, quoad morticina & ſuffocata; non tamen exactum, nec ſcrupuloſum. Et addit rationem huius decreti Apoſtolici; ac dicit Chriſtianos nullam cibi naturam, quam ſocietas

C admittit humana, refugere. Vide noſt. Comm. 1. Cor. 8. & 10.

℣. 32. *Iudas autem & Silas, & ipſi cum eſſent prophetæ, verbo plurimo conſolati ſunt fratres, & confirmaverunt.* Hic oſtenditur quod fuerit officium prophetæ, nempe ex verbo Dei conſolari, & confirmare fideles.

℣. 37. *Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus.* Hic Marcus filius eſt Mariæ, ad cuius domum venit Petrus poſt ſoluta ab Angelo vincula, Act. 12. & conſobrinus Barnabæ, ut dicitur Coloſſ. 4. An autem idem ſit cum eo, de quo 2. Tim. 4. *Marcum aſſume*, vide ibid. noſt. Comment. & loco citato Col. 4.

D ℣. 39. *Facta eſt autem diſſenſio.* Cur Paulus vir probatæ manſuetudinis, qui omnibus omnia factus erat; & Timotheo præcipit Epiſcopum debere eſſe manſuetum ad omnes; Barnabæ Evangelij ſocio nôn acquiſcit, ut Marcum admittat ad ſocietatem Evangelici muneris? *Reſp.* Rationem à Luca indicari. Nam quia per ignaviam ſemel eos deſeruerat, non abſque detrimento rei Evangelicæ; verebatur Paulus Evangelij promovendi cupidiſſimus, ne ſecundo ſimile incommodum per eius diſceſſum paterentur. Erat enim negotium Evangelicæ prædicationis, laboris, ac moleſtiarum, & periculi plenum; ob quam cauſam Apoſtolorum ſocietatem prius deſeruerat; & meritò idem ſecundò metui potuiſſet. Barnabas autem, amore conſobrini ductus, de eo plus ſperabat, quam Paulus ſecun-

E dum rectam rationem ſperari poſſe judicaret. Hieron. lib. 2. Dial. contra Pelag. c. 6. *Paulus ſeverior, ille clementior, uterque in ſuo ſenſu abundat: Et tamen diſſenſio habet aliquid humanæ fragilitatis.*

℣. 41. *Præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum.* Hæc clauſula huius capitis etſi non reperiatur in Græcis codicibus, hoc quidem loco; prorſus tamen ſimile eſt quod paulò pôſt habetur, capite ſeq. verſ. 4. his verbis: *Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Hieroſolymis.* Nam *dogmata* ibi non dicuntur doctrinæ, aut placita, cuiuſmodi ſunt placita Philoſophorum,

nullam obligandi vim habentia, tametſi alioqui vetiſſime; ſed præcepta ſive edicta. Hoc enim nomine edicta principum & imperatorum apud Græcos vocantur. Unde Luc. 2. pro eo quod nos habemus: *Exijt edictum à Caſare Auguſto.* Græcè eſt: ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, & horus lib. cap. 17 *Contra decreta Caſaris faciunt*, ἀπέναντι τῶν δογμάτων, & Eſther 4. *ad quam crudele Regis dogma pervenerat.* Vide eius loci Annot.

CAPUT XVI.

℣. 1. T*imotheum filium mulieris viduæ fidelis, patre gentili.* Græcè, *Mulieris cuiuſdam Iudææ* pro *mulieris viduæ*. Sicut & Latini quidam codices M.SS. *Fidelis* genitus eſt fœmininus πιστῆς, ne quis ſuſpicetur ad Timotheum referendum eſſe. Mulier hæc Eunice vocabatur 2. Tim. 1. *Patre gentili*, πατρὸς δὲ Ἕλληνος. *Patre autem Græco.*

℣. 3. *Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci: & aſſumens, circumcidit eum, propter Iudæos, qui erant in illis locis.* Quomodo Paulus Timotheum circumcidit, qui ad Galatas ſcribens ait: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit?* & cap. 2. *Sed neque Titus qui mecum erat, compulſus eſt circumcidi propter ſubintroductos falſos fratres.* Et cum cap. præcedenti præſente Paulo, conſtitutum eſſet in Concilio Apoſtolorum jugum legis, ac nominatim circumciſionis, non eſſe imponendum gentibus? *Reſpond.* Timotheus Iudæus erat ſaltem ex parte matris, idque notum erat Iudæis. Cùm igitur Apoſtolus per eas civitates erat profecturus, in quibus multi erant Iudæi, partim converſi, partim convertendi; ne propter Timotheum non circumciſum, quem Iudæum noverant, reſilirent à prædicatione Pauli; juſſit eum circumcidi. Titus autem gentilis erat, ideoque minimè circumcidendus, ne videretur jugum legis gentibus imponi. Illud autem; *Si circumcidamini, &c.* gentibus dictum eſt, qui non habebant cauſam ſuſcipiendæ circumciſionis, niſi ut inde ſalutem expectarent: Atqui hoc erat Chriſtum evacuare; Iudæi autem bene inſtituti, ut Paulus, Timotheus, legem ſervabant non ut neceſſariam, ſed ne infirmiores offenderentur, & ut ſynagoga, cuius inſtitutio erat à Deo, cum honeſtate velut ad ſepulchrum duceretur. Hoc ergo facto declaravit Apoſtolus ſe impleſſe illud 1. Corint. 9. *factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, ut Iudæos lucri-facerem.* Vide ibid. noſt. Comment.

Sciebant enim omnes, quod pater eius erat gentilis. Et ideo poſitus erat in oculis eorum, num eſſet circumciſus, & num Paulus Iudæum non circumciſum haberet in comitatu, nec ad circumciſionem urgeret. Nam ſi utroque parente Iudæus fuiſſet Timotheus, non fuiſſet dubitatum, quin circumciſus fuiſſet octavo die ſecundum legem. Sed pater gentilis id facilè poterat impedire, ſicut & in Timotheo factum eſt.

℣. 4. *Cum autem pertranſirent civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus qui erant Ieroſolymis.* Dogma, non propriè doctrinam ſignificat, ſed decretum, placitum, E edictum. Unde & ibi: *Exijt edictum à Caſare Auguſto.* Et Actor. 17. *Hi contra decreta Caſaris faciunt.* Græcè eſt, δόγμα, & pro *Senioribus*, Græcè eſt, Preſbyteris. Convincit ergo hæc ſententia, non modò Apoſtolos, ſed & Preſbyteros, atque eorum ſucceſſores habere poteſtatem præſcribendi leges, canones, & decreta, ſive ad fidem ſive ad mores ſpectent. Nam ad utrumque genus pertinebat decretum Apoſtolicum, videlicet, gentibus non eſſe imponendum jugum legis, quod ad fidei doctrinam pertinebat; abſtinendum tamen à ſanguine, & ſuffocato; quod ad mores. Quod ſi autem prælecti Eccleſiæ poteſtatem habent præcipiendi pro A loco, & tempore, conſequens eſt, ſubditos debere eorum præceptis & decretis obedire. Nam hæc duo ſibi reſpondent, præcipere, & obedire; & fruſtra, imò ridicula eſſet poteſtas præcipiendi, cui nemo obedire teneretur.

℣. 6. *Vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia.* Et mox; *Tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus IESV.* Ex hoc loco S. Auguſtin. & S. Proſper docent, occulto Dei judicio fieri, ut ad quoſdam, qui, vel quorum aliqui credituri fuiſſent, non perveniat prædicatio Evangelij; ſicut & de Tyrijs, & Sidonijs teſtatur Dominus in Evangelio. Unde eorum non eſt recipienda ſententia, qui dicunt propterea Apoſtolos prohibitos fuiſſe illis in partibus prædicare verbum Dei, quia non erant credituri, quod B ſentit Origenes Homil. 6. in Levitic. *Quia*, inquit, *tales erant auditores, in quibus & ſemen periret, & non poſſet haberi ſucceſſio.* Cuius falſitas ex eo ſatis convinci videtur, quia aliquanto tempore interpoſito prædicaverunt Apoſtoli in Aſia, & Bithynia, & non minus quàm alibi multos ad fidem converterunt. Sicut ergo Deus in præteritis generationibus permiſerat gentes ingredi vias ſuas; ad quas ſi prædicatores veræ fidei & pœnitentiæ miſiſſet; quis dicat nullos fuiſſe convertendos, cum ad unius Ionæ prædicationem tota Ninive, civitas vitiis corruptiſſima, fuerit ad pœnitentiam converſa? Ita voluit adhuc ad tempus has regiones permittere ingredi vias ſuas; ſicut & uſque ad noſtra ſæcula, multas remotiſſimas à Chriſtiano C orbe gentes, reliquit in ſuis erroribus; quas nunc demum per ſuam miſericordiam ad fidem vocavit; credituras prius, (ſaltem quoad aliquos homines, ut de Dei miſericordia confidendum eſt) ſi priùs vocatæ fuiſſent. Quidam reſpondent vetatos fuiſſe, quia Deus volebat ut alibi prædicarent. At hoc non eſt vetari à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia. Hac enim ratione vetati fuiſſent loqui verbum in toto mundo, præterquam in eo loco ad quem tunc mittebantur; quia prædicantes ibi, non ſimul poterant alibi prædicare. Nec dicendus eſt prohiberi ab aliquo opere, qui jubetur aliud facere, ſed tantum hoc jubetur, unde ſequitur quod alia ſimul eodem tempore non poſſit. Velut ſi pater jubeat filium ire in agrum, non prohibet ire in templum, ſed tantum ſequitur eum iſtud facere D tunc non poſſe, quia facere jubetur aliud, cum quo iſtud non conſiſtit. Nec talis de acceſſu templi rectè diceres, pater prohibuit. Adde quòd Paulus & Silas nondum juſſi erant divinitus ad aliam quampiam regionem secedere prædicandi Evangelij cauſa, quando vetiti dicuntur à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia & Bithynia; ſed poſtea per viſionem moniti ſunt tranſire in Macedoniam. Porrò S. Hieron. lib. 2. dial. contra Pelag. c. 6. *Quo maledicto*, inquit, *in ipſa provincia, puto uſque hodie hæreticos, qui contra Spiritum Sanctum faciunt, plurimos reperiri.*

℣. 12. *Et inde Philippos quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas, Colonia.* Alij Philippos in Thracia collocant. Vide Onomaſticon in Philippis. Nota hic etiam in Græco poni Latinum verbum, κολώνια.

E ℣. 13. *Egreſſi ſumus foras portam juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe.* Et infrà; *Factum eſt euntibus nobis ad orationem.* Non quamcumque orationem intelligit; ſed eam quæ conjuncta erat cum celebratione myſteriorum. Vide Comment. 1. Corinth. 7. Sic Act. 6. *Nos autem orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.*

℣. 17. *Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Non tantùm verum dixit, ſed & verum ſenſit eſſe quod dixit. Nam ipſa experientia didicerat Chriſti religionem veram eſſe; quippe per quam homines eripiuntur ex ipſius poteſtate, & ad æternam ſalutem, à qua nititur eos avertere, perveniunt.

Tale

Tale eſt illud c. 19. *IESVM novi, & Paulum ſcio.* Vide A eius loci annot.

ỷ. 18. *Dolens autem Paulus, converſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi, &c.* Hic Apoſtolus dolet, & non ſinit Dæmonem prædicare Chriſtum; qui alibi patitur quoſdam, ex contentione & invidia Chriſtum annunciare; Philip. 1. & de eo ſe quoque gaudere teſtatur: *Et in hoc,* inquit, *gaudeo, ſed & gaudebo.* Ratio diverſitatis eſt, quia Diabolus eſt capitalis, implacabilis, & irreconciliabilis humani generis hoſtis; ac divinæ gloriæ æmulus: cum quo proinde omnis ſocietas, etiam in rebus in ſpeciem optimis, nobis eſt prohibita. Homines autem etiamſi multa faciunt parva intentione; quia tamen & bona intentione ea facere poſſunt, & quia converti poſſunt, & quia in Eccleſiaſtico miniſterio ſæpè mali tolerantur; non ſemper fugiendi ſunt B dum bona dicunt, præſertim cum nobis eorum prava intentio non ſit comperta; ſicut compertiſſimum certiſſimumque eſt, Diabolum ſemper vigilare in perniciem noſtram. Vide annot. Lucæ 4. Item hic obſerva, quod Sancti habent poteſtatem cum imperio Dæmones ſubjiciendi, juxta Domini promiſſionem Lucæ 9. & 10. Unde etiam ſeptuaginta reverſi dicebant: *Domine, etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in nomine tuo.*

ỷ. 22. *Inferunt eos virgis cædi.* Cur Paulus non eſt conteſtatus ſe eſſe civem Romanum, priuſquam cæderetur; ſicut poſtea fecit Ieroſolymis? An quia putavit magis ad gloriam Dei pertinere, ſi pateretur ſe cædi; & quia ea occaſione exiſtimabat ſe plures poſſe C convertere ad fidem Chriſti? Unde mox carceris cuſtos cum tota domo ſua converſus eſt.

ỷ. 33. *Et baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuò.* Hinc Catholici quidam probabile argumentum faciunt pro baptiſmo infantium, quod veriſimile ſit in ea domo fuiſſe etiam infantes. Quibus objici poteſt, quod paulò pòſt ſequitur; *Et lætatus eſt cum omni domo ſua, credens Deo:* Ex quo tamen non rectè colligas, etiam infantes lætatos fuiſſe, & credidiſſe. Sed ad hoc poteſt reſponderi, utrobique univerſalitatem accommodatè exponendam, ut illic ſignificetur omnes fuiſſe baptizatos, quicumque baptiſmi, id eſt, cæremoniæ ſacræ & ablutionis erant capaces; quo in numero ſunt etiam infantes: hic verò lætatos fuiſſe & credidiſſe, quicumque lætandi, & credendi capaces D erant, id eſt, ſolos adultos jam uſum mentis habentes. Item, poteſt objici illud Ioan. 4. *Credidit ipſe, & domus eius tota.* Sed eadem eſt reſponſio, crediderunt enim quotquot actualis fidei capaces erant, & poteſt res à ſimili declarari; ut ſi dicam; Omnes huius familiæ ægrotant; etiam parvulos comprehendendo; Omnes huius familiæ ſunt hæretici, aut ebrioſi; nihil ea propoſitio ad infantes.

ỷ. 37. *Cæſos nos publicè indemnatos, homines Romanos miſerunt, &c.* Atrocitatem huius injuriæ Cicero Actor. 7. in Verrem oſtendit his verbis: *Facinus eſt vinciri civem Romanum: ſcelus verberari*, Prius ſolum cum feciſſet in Paulum Tribunus, Actor. 22. extimuit: At Philippenſes jam utrumque fecerant: quo major eis fuit cauſa timendi. Sed quomodo Paulo conteſtan- E te, ſe civem Romanum, tam facile crediderunt, hic magiſtratus, illic Tribunus? *Reſp.* Illo conteſtante debebant abſtinere donec de re conſtaret. Unde ſi quis poſt conteſtationem huiuſmodi, poſtea probare non potuiſſet ſe civem Romanum; graviùs fuiſſet punitus, ob impeditum injuſtè progreſſum juſtitiæ. Nec Paulus ſolum, ſed & Silas civis Romanus; & ideo fortè etiam nomen Romanum gerebat quemadmodum Paulus. Nam alibi Silvanus vocatur 2. Cor. 1. v. 19. & initio utriuſque ad Theſſal.

CAPUT XVII.

ỷ. 1. **V**Enerunt Theſſalonicam. Græci ſuper 1. Theſſalon. 1. ſcribunt Paulum bis veniſſe Theſſalonicam: Quod non video quomodo doceatur. Porrò tacuit Lucas apud Theſſalon. laboraſſe eum manibus; quod ipſe teſtatur, 1. Theſſ. 2. & 2. Theſſal. 3.

ỷ. 5. *Contra decreta Cæſaris faciunt, regem alium dicentes eſſe, IESVM.* Decreta, Græcè δόγματα. Sic Iudæi hoc dicto Paulum gravare conantur, quomodo Chriſtum eo nomine accuſaverant dicentes. *Omnis qui ſe facit regem, contradicit Cæſari.* Utrobique autem malitioſè, & contra ſuam conſcientiam; quandoquidem ipſi Meſſiam regem exſpectabant, & uſque hodie eo- B rum poſteri exſpectant. Atqui neque Chriſtus talem ſe regem dicebat, qualis erat Cæſar; neque talem eum Apoſtoli prædicabant: ſed ſpirituale eius regnum annuntiabant; de quo ipſe dixerat: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Ioan. 18.

ỷ. 11. *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Hunc locum objiciunt Catholicis hæretici, volentes oſtendere omnia decreta Eccleſiaſtica ſic examinanda eſſe ad normam ſcripturæ, ut non prius recipienda ſint quàm cognitum fuerit ea ſcripturis eſſe conformia: Quibus reſpondemus, iſtos de quibus loquitur hîc ſcriptura, non retractandi animo ſcrutatos eſſe ſcriptu- C ras, aut quaſi de prædicatione Apoſtoli dubitarent; dicitur enim quod *ſuſceperunt verbum cum omni aviditate;* ſed ſcrutabantur ſcripturas, ut in veritate accepta magis confirmarentur. Sicut Catholici ſcripturas evolvunt, non dubitantes de doctrina Eccleſiæ; ſed ut eius cum ſcriptura conſenſum agnoſcant. Si quis autem dubitans hoc idem faciat; non eſt laudanda dubitatio; ſed tamen in homine dubitante non eſt improbandum ſtudium diſcendi atque inquiſitio veritatis, modò id fiat ea humilitate, qualem lectio Scripturæ ſacræ poſtulat.

ỷ. 18. *Quidam autem Epicuræi, & Stoici Philoſophi.* Epicuræi à religione Chriſtiana longiſſimè diſſidebant ſummum bonum in voluptate corporis & ſenſuum, ponentes: Stoici omnium Philoſophorum proximè ad eam accedebant, in virtutum actione ſtatuentes D ſummum bonum. Et Epicuræi quidem animam perire cum corpore cenſebant: Stoici verò eam docebant immortalem eſſe. Quare etſi utrique doctrinam de reſurrectione corporum averſarentur, ad eam tamen Stoicorum ſecta propiùs accedebat. Nec verò ulla philoſophia ſæcularis agnovit corporum reſurrectionem; ut meritò dicat S. Auguſt. quod fides reſurrectionis propria Chriſtianorum eſt.

Novorum Dæmoniorum videtur annuntiator eſſe; quia IESVM & reſurrectionem annuntiabat eis. Nota, reſurrectionem Chriſti & mortuorum fuiſſe ſemper creditu difficillimam; quia valde repugnat ſenſui humano, ut corpus mortuum, in terram & pulverem converſum ac diſperſum, aut à beſtiis laniatum & comeſtum, aut in auras, vel mare, vel profunditatem disje- E ctum, diſſipatumque, aliquando collectum reviviſcat. Unde jam tempore Apoſtolorum 2. Timoth. 2. nata eſt hæreſis dicentium reſurrectionem jam eſſe factam. Et ſedulò monet Apoſtolus Timothæum ſuum dicens eodem cap. *Memor eſto IESVM Chriſtum reſurrexiſſe ex mortuis, ex ſemine David ſecundum Evangelium meum.* Et 1. Cor. 15. *Et quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.* Quod & totidem verbis repetitur in Symbolo Conſtant. Additur enim, *ſecundum Scripturas*, ad confirmandam fidem noſtram in articulo ad credendum difficillimo.

Novorum Dæmoniorum. Per Dæmonia, vel Deos, vel genios videntur intelligere. Erat enim apud Ethni-

cos

cos Dæmonis nomen medium, ſicut Genij. Deinde hîc magis in bonam partem accipi videtur; quia rationem reddens Lucas, addit: *Quia IESVM, & reſurrectionem annuntiabat eis.* Apoſtolus enim, JESUM tanquam ignotum Deum annuntiare iis videbatur. Unde dicebat: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis.* Suſpicabantur autem Paulum nova Dæmonia annuntiare, ex eo quod JESUM, & reſurrectionem eis annuntiabat; quia homo ex mortuo redivivus, præſertim talis qualem annuntiabat Paulus, ſcilicet non moriturus amplius, ſed immortalis, & beatus, Diis immortalibus, quàm hominibus ſimilior eſſe videbatur; ideoque in numero Dæmonum, quorum naturam ponebant mediam inter Deos & homines; meritò reponendus. Siquidem & Dæmonibus Platonici ſua tribuebant corpora

℣.21. *Athenienſes autem &c. ad nihil aliud vacabant, niſi aut dicere &c.* Thucydides hiſtoricus, lib. 1. belli Pelopon. cap. 7. Athenienſes vocat rerum novarum ſtudioſos, idque jam ſæculis aliquot ante Apoſtolum.

℣.23. *Ignoto Deo.* Vide V. Marianum in annotat. ad Hieron. in epiſtolam ad Tit. 1. Quæri hîc poſſet? Cur igitur non habuerint fidem implicitam, Deum verum ſibi ignotum colentes? *Reſp.* primum, quod verus Dei cultus non conſiſtit cum cultu idolorum. Deinde, quia unius veri Dei fides requiritur explicita ab omnibus. Tertiò, quia fidei etiam implicitæ repugnat ſi quid credatur ei contrarium; quale erat ignotum hunc Deum comparare cum Diis gentium, id eſt, cum Diis falſis atque adeò Dæmoniis. Nam niſi ſolus & unicus agnoſcatur Deus; non verè agnoſcitur. Hieron. dicit titulum hunc fuiſſe; *Peregrinis Diis Aſiæ, &c.* Sed nulla eſt repugnantia; quia in plurali continetur ſingulare, & Paulus ſingulariter dixit, quia unum prædicare voluit. Sic non pugnant Evangeliſtæ cum alius dicit titulum Crucis fuiſſe; *IESVS Nazarenus Rex Iudæorum.* Alius; *Hic eſt IESVS Rex Iudæorum*; alius; *Rex Iudæorum*, alius; *Hic eſt Rex Iudæorum*, quia res eadem. Lucanus libro 2. ſub finem, & citatur ab Auguſtino lib. 1. de Conſenſu cap. 30.

Et dedita ſacris
Incerti Iudæa Dei.

Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis. Id eſt, quod malè colitis, videlicet, ſub generalitate plurium Deorum, & proinde ignorantes quis ſecundum rei veritatem ſit ille Deus; hoc ego vobis annuntio, quid & quale ſit, ut bene colatis.

℣.24. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt; hic cæli & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliqua.* Loco hoc abutuntur adverſarij Eccleſiæ, contra cultum quem Deo in templis exhibent Chriſtiani. Quibus viciſſim objicienda ſunt alia Scripturæ loca, quæ teſtantur Deum in templo habitare, ut 2. Paral. 6. dicente Salomone: *Ego ædificavi domum nomini eius, ut habitaret ibi in perpetuum.* Matth. 21. *Qui habitat in templo.* Et alibi. Cum autem Scripturæ ſibi mutuò non adverſentur; dicendum eſt, & fatendum, Deum certo modo habitare in templis; alio verò modo, non habitare. Habitat in templis; quia ibi exaudit orationes, ibi propitius eſt, ibi vota & ſacrificia ſuſcipit, magis quàm alibi; quemadmodum ſatis apertè oſtendit oratio Salomonis in Templi dedicatione. Non habitat; quomodo gentiles putabant Deos ſuos in templis habitare, tanquam iis indigentes, & ea requirentes, velut honorifica & auguſta habitacula, ſicut Rex habitat in palatio. Hoc ſenſu Deus non habitat in templis manu-factis, imò nec in cælo. Unde Salomon in oratione dicit: *Si cælum, & cæli cælorum non te capiunt; quantò minus domus iſta, quam ædificavi?* Unde ad obſtruendum os adverſariis, omnino

A urgendum quod ſequitur; *indigens aliquo.* Habitat enim in templo Deus, habitat in unoquoque juſto, ſed non ut indigens aliquo. Vide annot. Act. 7. ubi ſimilia ſunt verba S. Stephani.

℣.25. *Nec manibus humanis colitur.* Id eſt, operibus manu-factis. Græcè *à manibus hominum colitur*; ſed videtur idem eſſe ſenſus. Ne quis hoc contra cæremonias divini cultus detorqueat, dicitur enim contra idola, de quibus pſalmo 113. *Opera manuum hominum.*

℣.26. *Fecitque ex uno, omne genus hominum habitare ſuper univerſam faciem terræ.* Ergo & Antipodes, & alij nuper in remotiſſimis inſulis inventi homines, ex Adam communi omnium parente prognati ſunt.

B ℣.27. *Si fortè attrectent eum.* Id eſt, ex beneficiis eius, quæ ubique in ſenſus noſtros incurrunt, & palpantur, cognoſcant eum.

℣.28. *Ipſius enim & genus ſumus.* Non ſola creatione, ſed etiam ſimilitudine quadam naturæ; propter quam; genus, & filij Dei poſſumus appellari; quia nimirum fecit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, id eſt, fecit eum mente, & libero arbitrio præditũ. Hoc enim videtur ſpectaſſe Poëta in hoc hemiſtichio. Neque enim lapides & cætera inanimata dixiſſet eſſe genus Dei, licet ſint Dei creaturæ. Quare & S. Lucas genus Chriſti ſecundum naturam humanam deſcribens; cum eum perduxiſſet uſque ad Adam primum hominem, atque eius & omnium intermedio-

C rum filium eſſe dixiſſet; hoc poſtremum addidit, *Qui fuit Dei*, ſcilicet, filius. Vide eius loci annotationes. Pro priori tamen expoſitione, nempe quod genus Dei ſimus creatione, facere videntur verba præcedentia; *In ipſo enim vivimus*, ſcilicet, tanquam in cauſa efficiente, movente, conſervante. Nec in iis verbis continetur quod ſimus facti ad imaginem Dei; Et tamen ſubdit: *Sicut & quidam veſtrorum &c.* quaſi non aliud intendens probare, quàm quod dixerat. Si tamen magis placet expoſitio generis de ſimilitudine quadam naturæ; dici poterit illud, *Sicut &*, ſic exponendum; & ſicut, imò ſicut, ac prætereà, ſicut; ut addentis aliquid amplius, & majus quàm dixerat, nempe hominem non quomodocumque eſſe Dei effectum, ab eo per omnia dependentem, ſed factum ad Dei ſimilitudi-

D nem. Tum id quod ſequitur: *genus ergo cum ſimus Dei*; hanc vim argumenti habet; Genus Dei ſumus, id eſt, ad eius imaginem facti, utique ſecundum mentem, & mens noſtra incorporea eſt, ſpiritus eſt, proinde figuræ corporeæ expers, ideoque nullis coloribus, aut lineamentis à pictore, vel ſculptore, aut ſtatuario exprimi poteſt. Quantò minus igitur Dei natura, cuius illa imago eſt, exprimi poterit aut effigiari ab ullo artifice? Non infert Apoſtolus nos non debere æſtimare, argentum, lapidem, ſculptile, eſſe Deum; quamvis id rectè potuiſſet; quia ſermo ei erat ad Athenienſes; in quibus multi erant Philoſophi docti, ſapientes, qui non ſentiebant cum vulgo ipſas ſtatuas eſſe Deos, licet eas cum vulgo adorarent; ſed tamen credebant Deos per ſtatuas, tanquam imagines ſuas, repræſentari. Con-

E tra hos igitur concludere voluit.

Cæterum Apoſtoli citatio non facit hemiſtichium illud Poëtæ, eſſe Scripturam ſacram; quia non fuit à Poëta ſcriptum dictante Spiritu ſancto: probat tamen eſſe verum, & indubitabile: quia Apoſtoli atteſtatio dat ei authoritatem, ſicut Tit. 1. ubi ait, *Teſtimonium hoc verum eſt.* Vide noſtrum Commentarium ibidem.

Sicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt. Enallage numeri, nam de uno loquitur Arato Poëta, in cuius Phænomenis hoc hemiſtichium legitur, quæ Cicero, Germanicus, & alij docti in Latinum ſermonem tranſtulerunt teſte Hieron. ſuper Tit. 1.

℣.31. Fidem

ỷ.31. *Fidem præbens omnibus; ſuſcitans eum à mortuis.* Eraſmus ex Græco; *fide præſtita omnibus, cum excitaris illum ex mortuis.* Significat Deum ſufficienter omnibus fidem feciſſe, Chriſtum eſſe virum illum, per quem judicaturus ſit orbem; quandoquidem in eius rei fidem & argumentum, eum à morte reſuſcitarit. Non ergo hic ſignificatur omnibus hominibus adeſſe ſufficiens auxilium ad credendum.

ỷ.32. *Quidam quidem irridebant.* Epicurei, ut eſt veriſimile. Nam ij nec animas à morte corporum credebant ſuperſtites.

In quibus & Dionyſius Areopagita. Falli Bedam docet ratio temporum, dum hunc Dionyſium dicit poſtea fuiſſe Corinthiorum Epiſcopum, qui multa ad Eccleſiæ utilitatem pertinentia ſcripſerit. Nam Dionyſius Corinthius, hoc Areopagita facilè toto ſæculo fuit poſterior. Nec tamen id Beda retractat. Cæterum Dionyſium hunc prius ſecta Platonicum fuiſſe apparet ex eius ſcriptis.

CAPUT XVIII.

ỷ.2. E*O quod præcepiſſet* (edixiſſet Græcè) *Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma.* Suetonius in Claudio cap.25. *Iudæos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit.* Dicitur autem, *Impulſore Chriſto*, quia ita Ethnici perſuaſum habebant, Chriſti doctrinam ad tumultus ſpectare, quam Iudæi multi tum etiam Romæ, cœperant amplecti, aliis nihilominus Iudæis tumultuosè obſiſtentibus. Poſtea tamen Iudæos rurſus in urbem admiſſos, ſatis liquet ex ult.c. Actorum, & ex epiſtola Pauli ad Romanos. Vide Gagnæum, qui ex Comeſtore aliam quoque cauſam huius edicti Cæſarei adjungit.

ỷ.3. *Et quia eiuſdem erat artis, manebat apud eos, & operabatur; erant autem ſcenofactoriæ artis.* Ars ſcenofactoria eſt ars conficiendorum tentoriorum, vel aulæorum. Nam Græca vox etiam ad aulæa ſeu tapeta extenditur. Alioquin tentoriorum uſus non eſt niſi in bello. Commendatur hic nobis admirabile ſtudium Apoſtoli Pauli in conciliandis ſibi animis Iudæorum, atque Gentilium. Cum enim eis ſubminiſtraret ſpiritualia bona, videlicet doctrinam ſalutis & veritatis cognitionem; & proinde jure exigere poſſet ſuſtentationem vitæ temporalis; Nam Chriſtus ordinavit, ut qui Evangelio miniſtrant, de Evangelio vivant: Ne tamen ullum offendiculum aut impedimentum per hoc Evangelio fieret, maluit omnino abſtinere ab accipiendo vitæ ſtipendio, & propriis manibus ſeſe transfigere; ſicut ipſe latius teſtatur 2. Corint.11. Puto autem expedire etiam hoc tempore ſubinde, ut imitemur exemplum Pauli, & ad vitanda infirmorum ſcandala; ſine Eccleſiæ præjudicio, de jure noſtro aliquid concedamus.

ỷ.6. *Contradicentibus autem eis, & blaſphemantibus; excutiens veſtimenta ſua.* Similis cæremonia excuſſionis pulveris pedum, quâ uſi ſunt, Paulus & Barnabas Actor.13. ejecti à Iudæis. De qua vide Annotat. Matt.10. *Dixit ad eos: Sanguis veſter ſuper caput veſtrũ; mundus ego, &c.* id eſt; Proteſtor hoc ſigno culpam perditionis veſtræ vobis imputandam, non mihi, quem vobis annuntiantem viam ſalutis adeò obſtinatè repelliſtis. Non igitur hæc verba ſunt imprecantis vindictã; ſed declarantis cui imputanda ſit eorum perditio.

ỷ.6. *Mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.* Videtur ſententia dividenda hoc modo: *Mundus ego*, ſum ſcilicet à ſanguine & interitu veſtro. *Ex hoc* autem, (quod Græcè eſt nunc) *ibo ad gentes*, prędicaturus illis Evangelium à vobis rejectum. Hic quoque obſerva Paulum non niſi occaſione repudiati à Iudæis Evangelij tranſire ad gentes, quamvis gentium eſſet Apoſtolus.

ỷ.7. *Intravit in domum cuiuſdam nomine Titi Iuſti.*
A *Titi*, non eſt in Græco. *Iuſti* nomen eſt proprium Græcè eſt, ὀνόματι Ἰούστου. Fieri poteſt ut mutila ſit Græca lectio, occaſione Τι bis poſiti, ut vera lectio ſit ὀνόματι Τίτου Ἰούστου. Nam illud Τίτου ablatum videri poteſt, quia prior eius ſyllaba eadem eſſet cum extrema ſyllaba vocabuli præcedentis; poſterior autem ferè eadem cum prima ſequentis. Et unde alioqui in Latino Titi?

Colentis Deum. Sic vocabantur gentiles, qui quoad cultum unius Dei Judaicam religionem æmulabantur; etiamſi non admitterent circumciſionem, nec legis onus ſubirent.

Cujus domus erat conjuncta ſynagogæ. Græcè συνομοροῦσα, id eſt, contigua. Ideò fortè domum Synagogæ contiguam elegit, ne videretur gentiſ ſuę operam
B prędicationis Evangelicę ſubtrahere, modò illi vellent ipſum audire.

ỷ.10. *Propter quod ego ſum tecum.* Clarius ita; proptere quia ego tecum ſum; vel, quandoquidem ego tecum ſum. Gręcè διότι.

ỷ.12. *Gallione autem proconſule.* Pręnomen utriuſque, Gallionis & Senecę videlicet, erat Annęus. Fuit his & tertius frater, L. Annęus Mela, Pater M. Annęi Lucani Poëtę, ut obſervatum in Annalibus Euſebij ſcribit Petrus Crinitus in Lucani vita. Sed utrius Senecę hi fratres fuêre; Senioris, an Iunioris? Vide Baron. anno Chriſti 53. veriſimile, Iunioris. Nam Hieron. apertè teſtatur in libro de Scriptoribus Eccleſ. Senecam, quem Nero ſuſtulit biennio ante Petrum, & Paulum, fuiſſe patruum Lucani Poetæ.
C
Rectè verò & prudenter Gallio judicium de controverſiis religionis à ſuo tribunali removit, dicens: *Iudex ego horum nolo eſſe.* Qua in re meritò eum imitari debent omnes ſæculares judices Chriſtiani. Sed illud non rectè, quod non fuerit ei curæ, cum Soſthenem percuti videret ante tribunal. Injuriam enim prohibere debebat.

ỷ.15. *Si verò quæſtiones ſunt de verbo & nominibus, & legis veſtræ; vos ipſi videritis.* Interpres videtur illud, *legis veſtræ*, referre ad *quæſtiones*, hoc modo: Si verò ſunt quæſtiones legis veſtræ. At commodius vertiſſet ablativo, *lege veſtra*, idque convenienter cum duobus vocabulis præcedentibus; hoc modo: *De verbo, & nominibus, & lege veſtra.* Et ita eſt in Bibliis
D Clementinis.

ỷ.17. *Apprehendentes autem omnes Soſthenem principem Synagogæ percutiebant eum.* Quæri poteſt, utrum Soſthenes hic ſit idem cum Criſpo paulò ante nominato, qui dicitur credidiſſe Domino cum omni domo ſua. Uterque enim dicitur Archiſynagogus; & non apparet Iudæos habuiſſe in una civitate plures Synagogas, quàm unam; ut indicatur Actor. 15. *Moyſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis.* Sed magis videtur non idem fuiſſe. Criſpum enim poſtquam credidit (ut nominis diverſitatem in eodem fere contextu ſermonis omittam) non permiſiſſent Iudæi increduli tam diu poſtea præeſſe ſynagogæ, nimirum annum & ſex
E menſes, quibus Paulus deinde adhuc legitur manſiſſe Corinthi, antequam illud de Soſthene contingeret. Itaque apparet in Criſpi locum Soſthenem ſuffectum; qui tamen prædicatione Pauli converſus, tamen & ipſe credidit, ideoque à Iudæis id indignè ferentibus coram Gallione cæſus eſt. Non enim ullo modo crediderim id quod dicitur, *Apprehendentes*, intelligi de fidelibus, qui Soſthenem tamquam accuſationis Pauli, & motæ contra eum ſeditionis authorem, conivente Gallione percuſſerint; primùm quia Chriſti fideles ferre injurias, non inferre ſolent; neque ſeipſos ulciſci, maximè coram judice infideli, de Chriſtiana religione accuſati. Deinde, quia Paulus id ſine dubio prohibuiſſet, atque etiam authoritate

ſua

ſua impediiſſet. Poſtremo, de Soſthene fideli ab incredulis verberato hunc locum accipis Martyrolog. Roman. 28. Novembris; ubi huius Soſthenis ita meminit; quod à Paulo ex principe ſynagogæ converſus ad Chriſtum, & ante Gallionem proconſulem acriter verberatus, præclaro initio fidei ſuæ primordia conſecraverit. Græca vide; quæ Græcis, id eſt, gentilibus id tribuunt. Deinde diverſos eſſe Soſthenem & Criſpum liquet ex 1. Corint. 1. ubi Soſthenes jungitur Paulo initio epiſtolæ, tanquam ſocius ſcribendæ epiſtolæ: de Criſpo autem; *Neminem veſtrum baptizavi niſi Criſpum & Caium.* Vide noſtrum comment. 1. Cor. 1.

℣. 18. *Et cum eo Priſcilla, & Aquila.* Sic Apoſtolus Rom. ult. *Salutate Priſcam, & Aquilam*, præpoſito mulieris nomine. Cuius cauſam vide in eius loci comment. & apud Chryſoſt. & in ſermone ſuper iis Apoſtoli: *Salutate Priſcam, & Aquilam.*

Qui ſibi totonderat in Cenchris caput. *Totonderat* numero ſingulari legendum, non plurali, *Totonderant.* Quomodo legiſſe videtur Petrus Lombardus lib. 4. ſentent. diſt. 24. ubi factum hoc tribuit Priſcillæ & Aquilæ; cum Lucas de Paulo hoc dixerit, ſitque manifeſtè apud Græcos ſingularis numeri participium, tametſi & ibi ambiguum eſt, utrum ad Paulum, an ad Aquilam referatur. Beda citans Auguſtinum & Hieronymum, de Paulo exponit: & rationem facti reddit in eius loci annotatione.

℣. 21. *Iterum revertar ad vos Deo volente.* Vide Annot. 1. Cor. 16. & Iacobi 4.

℣. 25. *Sciens tantum baptiſma Ioannis.* *Scire* ad factum refertur, ut alibi ſæpe in Scripturis. *Eum qui non noverat peccatum*, id eſt, non fecerat peccatum. *Quæ ignorabam*, id eſt, quæ non feceram, interrogabant me. Sic hoc loco. *Sciens tantum baptiſma Ioannis*, id eſt, tantùm baptizatus baptiſmo Ioannis; ſicut & alij de quibus proximo capite ſequitur. Igitur Apollo Catechumenus; prædicavit Evangelium non tamen ut authoritatem habens, ſeu poteſtatem; ſed ut habens ſcientiam; quam nemo quantumvis plebeius aut privatus aut vilis, prohibetur expendere, & communicare. Prædicabat autem non in Eccleſiis Chriſti, ſed in Synagogis Judæorum, tanquam vir eloquens & potens in Scripturis, ut hic dicitur. Talibus enim conceſſum erat in Synagogis docere, etiamſi non eſſent Sacerdotes. Vide Annotat. Matth. 4. Unde & hic de eo dicitur: *Hic ergo cœpit fiducialiter agere in Synagoga.* Non eſt autem dubitandum quin fuerit paulò poſt baptizatus, ut aliis ſeq. cap. & hoc inſinuatum videtur in eo quod hic ſequitur: *Priſcilla & Aquila aſſumpſerunt eum & diligentius expoſuerunt ei viam Domini.* Videlicet inter alia oſtendentes baptiſmum quem Chriſtus inſtituit, eſſe ei neceſſarium. Interim hic nota, etiam mulierem, & quidem priori loco ante maritum nominatam, docuiſſe privatim ea quæ erant Chriſtianæ religionis; ut etiam hic impletum fuerit illud: *Filiæ veſtræ prophetabunt.* Ioel 2. Sed petes; *Si ſciebat tantum baptiſma Ioannis*: Quid ergo docebat? Id dicitur præcedentibus verbis: *Et docebat diligenter ea quæ ſunt IESV*; id eſt, ut infrà explicatur; *Oſtendens per Scripturas eſſe Chriſtum IESVM*. Poterat enim tanquam vir in Scriptura veteris teſtamenti exercitatus, ex Prophetis & Pſalmis oſtendere, & convincere Jesum eſſe Chriſtum; & tamen neſcire baptiſmi Sacramentum a Chriſto eſſe inſtitutum, idque ad ſalutem neceſſarium. Et præcipuum dogma, de quo tunc cum Judæis agebatur, erat, Jesum eſſe Chriſtum. Apparet autem hunc ab ipſo Ioanne Baptiſta fuiſſe baptizatum. Nam baptiſma Ioannis non legitur à quoquam alio adminiſtratum. Quod enim de Chriſto legitur, eum per diſcipulos ſuos baptizaſſe, nuſquam legitur de Ioanne. Cur igitur

A Apollo à Ioanne non tranſijt ad Chriſtum, ſicut alij eius diſcipuli, quos ad Chriſtum miſit? An quia Apollo non fuit inter Ioannis diſcipulos, ſed cum turbis accurrentibus ad Ioannem ut baptizarentur, etiam ipſe acceſſit? Sed cur Chriſto prædicante & miracula faciente, non credidit? An quia genere Alexandrinus, non in Judæa morabatur, ſed ſtatim accepto baptiſmo reverſus eſt ad propria; & proinde ſerius ad illum, ut ad multos alios Evangelij prædicatio pervenit? eadem quæſtio eſt de Epheſiis de quibus cap. ſequenti; ac ſimilis reſponſio. Fuerant enim & illi à Ioanne baptizati. Ex qua re intelligitur quanti nominis fuerit Ioannes, ad cuius baptiſmum certatim undequaque concurrebatur; adeò; ut etiam peregrini qui orationis cauſa Hieroſolymam adſcendebant, ſtatim ad propria

B redituri; nollent committere quin à Ioanne baptizarentur.

℣. 28. *Oſtendens per Scripturas eſſe Chriſtum IESVM.* Ordo eſt; Jesum eſſe Chriſtum, ut ſuprà, v. 5.

CAPUT XIX.

℣. 2. *SI Spiritum Sanctum accepiſtis credentes?* Non hoc quærit utrum acceperint gratiam juſtificantem, quam Spiritus Sanctus interius in animo operatur; hoc enim certo non cognoſcitur ab homine, neque ex homine interrogari ſolet; ſed de Sacramento interrogatio eſt, utrum videlicet manus impoſitio eis adhibita fuerit, ut fit in confirmatione; & ſæpe viſi-

C bili ſigno præſentia Spiritus Sancti teſtata fiebat. Ponitur itaque pro effectu cauſa per Metonymiam. Nota vocari diſcipulos & credentes, qui nec baptizati erant, nec fidem adhuc tenebant de Spiritu Sancto, parati tamen perfectius inſtrui, ſicut & Apollo capite præcedenti, qui ſciebat tantum baptiſma Ioannis, & tamen edoctus erat viam Domini, & docebat diligenter ea quæ ſunt Jesu.

Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus — In quo ergo baptizati eſtis? Liquet baptizandos ſolere catechizari etiam de myſterio Trinitatis; ſcilicet ut crederent in Patrem & filium & Spiritum Sanctum; nam ex eo quod dicebant ſe non audiviſſe an Spiritus Sanctus ſit, id eſt, de ea re non eſſe inſtitutos; colligit Apoſtolus eos non eſſe baptizatos baptiſmo Chriſti. Unde

D è diverſo ſequitur, baptizatos Chriſti baptiſmo, myſterio Trinitatis per Catechiſmum fuiſſe imbutos. Niſi fortè quis dicat Paulum reſpicere ad formam verborum, quibus perficitur baptiſmi Sacramentum, in qua forma auditur nomen Spiritus Sancti; quare, ſi id non audierant, eo baptiſmo non erant baptizati. Sed quod prius dixi, probabilius eſt. Verum, quomodo nondum audiverant Spiritum Sanctum eſſe, cum Ioannes ad ſe venientibus teſtatus fuiſſet poſt ſe venturum, qui baptizaret in Spiritu Sancto; &, ſibi dictum eſſe: *Super quem videris Spiritum deſcendentem, &c.* Et illud: *Non ad menſuram dat Deus Spiritum?* *Reſp.* Ioannes hæc non dixit omnibus ad ſe venientibus, ſed quibuſdam, idque opportuno tempore; nam ab univerſa multitudine venientium ad ſe, tantum exi-

E gebat profeſſionem pœnitentiæ, & prædicabat venturum Chriſtum. Nam quod dicitur Lucæ 3. Ioannem dixiſſe *omnibus*; intellige, tunc præſentibus, & ſenſus eſt: Dixit non occultè, ſed palam coram quibuſcumque, quaſi voce publica.

℣. 4. *Ioannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum.* Manifeſtè oſtenditur diſcrimen fuiſſe inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, quia qui baptizati erant baptiſmo Ioannis, iterum baptizantur baptiſmo Chriſti. Quod autem ſit diſcrimen, non exprimitur hoc loco. Et Concil. Trident. anathema dicit iis, qui negant quidquam eſſe diſcriminis inter baptiſmum Ioannis & Chriſti; nec tamen etiam diſcrimen illud ex-

plicat

plicat, unde Canone illo Concilij non damnatur quorumdam veterum ſententia, ut Baſilij, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Cyrilli Hieroſolimitani, qui baptiſmo Joannis remiſſionem tribuunt peccatorum; baptiſmo Chriſti adoptionem filiorum. Vide noſt. in diſtinct. 2. quarti.

℣. 5. *Baptizati ſunt in nomine JESU.* Non à Paulo, ſed à diſcipulis. Paulus enim non tam ad baptizandum miſſus, quàm ad Evangelizandum, pauciſſimos baptizavit. 1. Cor. 1. Dicunt quidam quod à Barnaba ut Franciſcus Maironius in 1. diſt. 31. ſed falluntur tum quia Barnabas jam dudum à Paulo diſceſſerat, Actor. 15. tum quia Barnabas, non minus erat Apoſtolus, quàm Paulus. Quare dici non poteſt quòd Barnaba baptizante Paulus poſtea manus imponeret, velut poſt Presbyterum vel Diaconum Epiſcopus. Et quidem Barnabas in Apoſtolatu Paulo prior erat tempore, & à Liaconijs Iupiter putatus, cum Paulum dicerent Mercurium.

℣. 12. *Sudaria & ſemicinctia.* Utrumque ex Latino Græcum eſt, ſed & alibi ut Joannis 20. Latina vox Græcè poſita eſt. Vide Gagoæum ex Oecumenio de ſemicinctijs & orarijs quædam adferentem. Beda Retract. in Acta, refert, quid Gregorius Papa quando adhuc erat Archidiaconus, amico cuidam ex Britannia ſe conſulenti ſuper hac voce: *Semicinctia*, reſponderit. In Græco eſt Σιμικίνθια. Vide Calepinum ex Epigrammate Martialis de Semicinctio. Plautus in Aulularia nominat: Inter opifices, etiam ſemizonarios, quos Calepinus interpretatur qui ſemicinctia conficiebant.

℣. 9. *Segregavit diſcipulos.* Scilicet ſeorſim inſtituendos, & non in publica Synagoga, ubi à Judæis in ſua incredulitate obfirmatis ei reſiſtebatur.

Quotidie diſputans in ſchola Tyranni cujuſdam. Tyranni nomen proprium eſt. Videtur autem quiſpiam fuiſſe, qui ſcholam vel locabat, vel gratis præbebat, ad opus docendi & diſputandi. Sic 2. Machab. v. 40. *Duce quodam Tyranno,* ubi etiam videtur eſſe nomen proprium. Tyrannum dici pro homine potente, eſt veriſimile, quia tempore Lucæ, vocabulum illud tantum accipiebatur in malum apud Græcos & Latinos.

℣. 12. *Oportet me & Romam videre.* Sanè exiſtimandum eſt hoc quoque Paulum in ſpiritu dixiſſe, id eſt, per revelationem ſpiritus, ſicut in ſpiritu Hieroſolymam ire propoſuerat; & ob hanc cauſam puto eum poſtea cum à Judæis periclitaretur, Romam appellaſſe.

℣. 13. *De circumeuntibus Judæis exorciſtis.* Hinc apparet quod aliàs ejecerant Dæmones, ſicut illi de quibus Dominus in Evangelio Matth. 12. *Filij veſtri in quo ejiciunt?* Verum quia nondum credebant in Chriſtum, & tamen adjurabant Dæmonem per JESUM à Paulo prædicatum, ideo non potuerunt ejicere.

Invocare ſuper eos qui habebant ſpiritus malos. Et infrà: *Reſpondens autem ſpiritus nequam, dixit eis.* Et iterum; *Et inſiliens homo in eos in quo erat dæmonium peſſimum.* Pro malo, nequam, peſſimo, Græcè una eademque vox eſt τὸ πονηρὸν, ut mirum ſit cur hæc Latinarum vocum varietas interpreti placuerit. Sed & dæmonium Græcè eſt πνεῦμα Spiritus, ſicut in duabus ſententijs prioribus.

℣. 14. *Erant autem quidam Judæi Sceva principis Sacerdotum ſeptem filij.* Hic Sceva inter Pontifices Judæorum nuſquam numeratur nec à Joſepho, nec ab alio quoquam. Hinc ergo probabile fit nomen ἀρχιερεὺς, quod noſter interpres modo Pontificem, modo principem Sacerdotum vertit, non pertinuiſſe ad ſolum Pontificem, qui ſemper unus erat apud Judæos, ſed ad omnes illos qui in viginti quatuor claſſibus, in quas fuerant Sacerdotes à Davide diſtributi, primi erãt ac principes. De qua rè vide Annot. Matth. 2. Cæterũ filios quidam non ineptè interpretantur diſcipulos: nam diſcipulos dici filios, Hebraicæ conſuetudinis eſt. Vide Annot. Matth. 12.

℣. 15. *JESUM novi, & Paulum ſcio, JESUM,* tamquam Dominum & Dei filium; *Paulum,* tamquam verum ejus Apoſtolum. Noverat autem utrumque, evictus ipſa rerum experientia; videbat enim quotidie per Chriſti virtutem plurimos ſuo dominio eripi, & Chriſti religione imbutos, cœleſtia regni & fœlicitatis fieri participes. Unde certiſſimo argumento colligebat, religionem illam non poſſe eſſe falſam. Vide ſuprà ad cap. 16.

Vos autem qui eſtis? id eſt: Non novi vos; nullam veſtram expertus ſum virtutem quam timere debeam. Alios modo noverat eos, tamquam membra ſua, ad ſuum regnum pertinentia, erant enim infideles. Interrogatio autem contemptum ſignificat. q. d. Nullius eſtis poteſtatis propter quam noſſe vos debeam.

℣. 16. *Et dominatus amborum.* Duobus tantum contigit quod hîc narratur, licet & alij idem fruſtra tentaſſent, ut ſuprà ſignificatur.

℣. 18. *Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus ſuos.* Quidam, Sacramentalem confeſſionem hinc ſtatuunt, & nonnihil pro iis facere videtur quod in Græco eſt, πεπιστευκότων, id eſt, *eorum qui crediderunt*, Sed revera non alia videtur hic intelligi confeſſio quam qualis facta legitur Matth. 3. à Judæis venientibus ad Baptiſmum Joannis, quam conſtat non fuiſſe Sacramentalem. Erat autem quædam exterior profeſſio veræ pœnitentiæ, & ſinceræ converſionis ad Deum; ac deteſtationis peccatorum, ſi quis ea non vereretur etiam palam annuntiare; quod videtur hic factum ab iis qui recens crediderant, & baptizari volebãt, inter quos erant qui curioſa fuerant ſcrutati, id eſt, magica exercuerant; atque hoc peccatum ſuum etiam allatis ſecum libris, iiſque publicè combuſtis, confeſſi ſunt.

℣. 19. *Multi ex his qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros & combuſſerunt coram omnibus.* Quæ curioſa fuerint non dicitur, ſed dubium non eſt, quin fuerant artes non tantum curioſæ & vanæ; verum etiam continentes noxiam & magicã ſuperſtitionem. S. Auguſtin. in fine enarrationis Pſalmi 61. ſentit in his libris ſcripta fuiſſe, quæ pertinerent ad divinationes aſtrologicas, vocatque ejuſmodi doctrinam nefariam & ſacrilegam. Et iſtorum pœnitentium exemplo Mathematicum quemdam pœnitentem producit in publicum, libros portantem incendendos. Hieron. præfatione in epiſt. ad Epheſios dicit artium magicarum præſtigijs deditam fuiſſe hanc civitatem. Cæterum libros hujuſmodi ſuperſtitioſa continentes combuſſerunt ob duas potiſſimum cauſas. Primò, in deteſtationem magicæ ſuperſtitionis; Secundò, ne libri illi deinceps à quoquam alio lecti, ad ſimilem ſuperſtitionem ducere poſſent. Eadem eſt ratio comburendi libros hæreticorum, quem morem ab initio uſque ad hæc tempora ſemper Eccleſia ſervavit; accedentibus etiam vetuſtis Imperatorum ſanctionibus quæ hoc ipſum fieri præcipiunt. Nam & hæreticam omnem pravitatem maximè deteſtari debet omnis Chriſtianus: Et ſicut ſermo hæreticorum ore prolatus, ita & ſententia libris inſcripta, ut cancer ſerpit, ideoque omni modo conandum, ut ejuſmodi libri è medio tollantur.

℣. 21. *His autem expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu, tranſita Macedonia & Achaia, ire Hieroſolymam, &c.* Eo tempore quo hoc propoſuit, ſcripta eſt prima epiſtola ad Corinthios, ut ſatis apparet ex ultimo capite ejus epiſtolæ. Ex quo etiam ſequitur, Epheſi ſcriptam eſſe. Quod autem hic dicitur: *Paulum in ſpiritu*, id eſt, per revelationem Sancti Spiritus,

propoſuiſſe tranſita Macedonia & Achaia ire Hieroſolymam; non videtur illa revelatio ſpiritus pertinere ad tranſitum per Macedoniam & Achaiam; ſed tantum ad profectionem Hieroſolymitanam; de qua infrà adhuc teſtatur ipſe, & Agabus per ſpiritum, quod Hieroſolymis multa pati deberet, cap. 20. & 21. Quamquam verum eſt, quod in Macedoniam poſtea venerit, ut hoc capite narratur: Imò & in Achaiam, id eſt, Græciam, ut expreſsè dicitur ſequenti capite; atque adeo Corinthum, quæ primaria civitas Achaiæ erat, venit. Inde enim ſcripta eſt epiſtola ad Romanos; utique ſcripta poſt utramque ad Corinthios. Verum ad illum tranſitum, ut dixi, non pertinere revelationem quam à ſpiritu acceperat, ſatis oſtenditur ex 2. Corinth. 1. ubi de promiſſo non ſervato ſe excuſat, quia erat promiſſum humanum non divinum, tametſi poſtea venit. Vide ibid. noſtr. Comment.

℣. 25. *Quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio.* Cupiditatem quæſtus inter alia eſſe cauſam ſeu fomentum idololatriæ, docet Sapiens cap. 15. *Sed & æſtimaverunt*, inquit, *luſum eſſe vitam noſtram, & converſationem vitæ compoſitum ad lucrum, & oportere undecumque, etiam ex malo, acquirere*, (ecce acquiſitio.) *Hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere, qui ex terra materia &c.*

℣. 28. *Magna Diana Epheſiorum.* Hæc Diana quæ fuerit, vide S. Hieronymum in Præfatione comm. in epiſtolam ad Epheſ.

℣. 35. *Et cum ſedaſſet ſcriba turbas, dixit: Viri Epheſij &c.* Hæc dicuntur de ſcriba civitatis, non de Alexandro Judæo, quem quia Judæus erat, Epheſij tumultuantes audire nolebant; neque verba quæ hîc dicuntur, Alexandro Judæo conveniunt. Vide noſtra 1. ad Timoth. 1. & 2. ad Tim. 4. Item hîc Lorinum.

Joviſque prolis. Græcè καὶ τοῦ διοπετοῦς. Subauditur ἀγάλματος. Senſus autem eſt: Et à Jove delapſi ſimulachri. Ad ipſam Dianam referri non poteſt vocabulū Græcum, habet enim articulum τοῦ, non τῆς. Erat apud Epheſios ſimulachrum Dianæ, quod quo majori religione coleretur, vulgo perſuaſum erat è cœlo, & ab ipſo Jove demiſſum eſſe, quomodo Numa Pompilius perſuaſit Romanis ancile ipſum eſſe de cœlo.

℣. 37. *Neque blaſphemantes Deam veſtram.* Id eſt, Nulla maledicta nec probra jactantes in deam veſtram. Id hactenus verum, quia fortè nominatim in Dianam à Chriſtianis nihil dictum fuerat, ſed tantum in genere illud: *Non ſunt Dij qui manibus fiunt.* Non liquet autem utrum hîc ſcriba jam ad fidem unius Dei converſus erat. Certè quamvis ad ſedandum animos vulgi videatur honorificè loqui de Diana; oratio tamen ejus quamdam ſignificationem habet ſtudij erga Chriſtianos.

CAPUT XX.

℣. 1. *Vocatis Paulus diſcipulis.* Et Timotheo conſtituto Epheſi Epiſcopo 1. ad Tim. 1. per impoſitionem manus Presbyterij, 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 1.

Ut iret in Macedoniam. Scilicet per Troadem. Vide Comment. 2. Corint. 2. In Macedonia autem multa paſſus eſt, ut de ſe Paulus ſcribit 2. Cor. 7. Apparet ex hoc capite quod bis iverit in Macedoniam; ſed hæc à Luca valde ſuccinctè ſcribuntur.

℣. 4. *Et Timotheus.* Atqui 1. Tim. 1. dicitur: *Rogavi te ut remaneres Epheſi.* Quomodo hæc non pugnant? quia Timotheum quidem Epheſi reliquit, & ex Macedonia ad eum ſcripſit: Sed poſtquam venit in Græciam, rediit ad eum Timotheus. Vide Comment. Tim. 1. Imo Timotheus erat inter majores natu Eccleſiæ infrà hîc eodem cap. & multum lacrymatus cum cæteris, 2. Tim. 1. Vide ibid. noſt. Comment.

℣. 7. *Una autem Sabbathi cum conveniſſemus ad frangendum panem.* Apparet hîc ſignificari conventum fidelium ad communionem Corporis Domini, tum quia una Sabbathi diem Dominicum ſignificabat, ut alibi: tum quia per fractionem panis etiam alibi Lucas hoc myſterium innuit; tum quia cœna fuit. Nam eo tempore fideles adhuc Dominicam ſumebant cœnam, ut patet 1. Corint. 11. tum denique quia hanc cœnam concio Pauli fuit ſubſecuta, quam protraxit in mediam noctem. Vide Auguſtinum epiſt. 86. ad Caſulanum, ubi intelligit de fractione panis in Sacramento Corporis Chriſti, & unam Sabbathi interpretatur diem Dominicum. Vide etiam Annot. Act. 2. de voce Syriaca, v. 42.

℣. 8. *Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo ubi eramus congregati.* Hoc quidam interpretantur non improbabiliter de lucernis accenſis propter honorem Dominicæ cœnæ, quæ celebrabatur. Nam ad ſolas tenebras pellendas in cœnaculo, non opus erat copioſis lampadibus.

℣. 10. *Incubuit ſuper eum, & complexus dixit: Nolite turbari, Anima enim ipſius in ipſo eſt.* Dubium utrum mortuum hunc Paulus ſuſcitaverit incubitu & complexu, an verbo quo dixit: *Anima ipſius in ipſo eſt.* Magis apparet factum priori modo, ſic enim & Prophetæ Elias & Eliſæus 3. Reg. 17. & 4 Reg 4 leguntur pueros mortuos reſuſcitaſſe. Sic autem Paulus poſtea dixit: *Nolite turbari, anima enim ipſius in ipſo eſt*: ſicut Elias poſtea dixit matri; *En vivit filius tuus.* Et Eliſæus, *Tolle filium tuum.*

℣. 15. *Et ſequenti die venimus Miletum.* Græcè: *Et morati Trogyllij, ſequenti die venimus Miletum.*

℣. 16. *Feſtinabat enim ſi poſſibile eſſet, &c.* Hujus feſtinationis cauſa præcipua fuiſſe videtur, ut Eleemoſynam collectam ex gentilibus, adferret fratribus qui Hieroſolymis erant, utpote egentibus. Unde id cupiebat quàm citiſſimè perficere; tum quia bis dat, qui cito dat, egenti præſertim: tum quia genti ſuæ alioqui minus bene erga ſe affectæ, cupiebat hoc beneficio in tempore præſtito, gratificari. Hic commentarius ex eo confirmatur quod cap. 24. dicit de hac profectione: *Poſt annos plures Eleëmoſynas facturus in gentem meam veni; & oblationes & vota: In quibus invenerunt me purificatum in templo, &c.* Et hæc fuit ſecunda Eleëmoſyna Pauli in gentem ſuam. Nam prima deſcribitur cap. 11. in fine, quam fecit unà cum Barnaba.

Ut diem Pentecoſtes faceret Hieroſolymis. Pentecoſten non Judæorum, ſed Chriſtianorum intelligit Epiphanius contra Aëtianorum hæreſim ſcribens, atque ex hoc loco probat Paulum etiam Paſcha Chriſtiano more celebraſſe. Vide F. Turrianum lib. 5. pro epiſtolis Pont. cap. 18. qui ibidem citat Chryſoſtomum de Pentecoſte Judaica intelligentem, licet ipſe magis probet ſenſum Epiphanij. Similis locus 1. ad Cor 16. *Permanebo Epheſi uſque Pentecoſten.* Uterque tamen locus fortè rectius de Pentecoſte Judæorum accipitur, de qua cap. 2. *Dum complerentur dies Pentecoſtes.* Nam Paulus, ut ex hoc libro conſtat, propter Judæos ſtudioſè obſervabat legalia, ne eos offenderet; licet ea minimè pateretur gentilibus imponi. Certè cum Judæi qui Hieroſolymis erant, celebrarent Pentecoſten Judæorum, liquet Apoſtolum quando illîc erat, eamdem cum illis Pentecoſten celebraſſe. Vide noſtr. Comment. loco citato 1. Cor. 16.

℣. 21. *Vocavit majores natu Eccleſiæ.* Non Epheſinæ, id eſt urbis illius tantum, ſed Aſianæ, præcedit enim paulò ante: *Ne qua mora illi fieret in Aſia. Majores natu*, Græcè *Presbyteros*, Intelligit Lucas eoſdem quos Paulus infrà vocat Epiſcopos; nam hæc nomina utriſque communia adhuc erant; ſicut & ad Titum 1. eoſdem modo Presbyteros vocat, modo Epiſcopos. Et

Conci-

Concilium Trident. illud: *In quo vos Spiritus Sanctus* A *poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam, &c.* de iis qui propriè Epiſcopi ſunt, intellexit. Et probatur per illud: *Attendite vobis & univerſo gregi in quo vos, &c.* id eſt, quiſque emendat ſuo gregi bene paſcendo; quod propriè eſt Epiſcoporum. Neque enim putandum eſt, quamvis Apoſtolus Epheſum miſerit ad illos, eos omnes illic habitaſſe aut reſediſſe; ſed mittens Epheſum quæ erat Metropolis Aſię, juſſit evocari Epiſcopos ſingularum urbium, ut ad ſe venirent. Nec inter nomina nunc diſtinguit Lucas; quia ferè præter Epiſcopum, ſingulis locis non erat alius Presbyter, tum ob Presbyterorum raritatem, tum ob paucitatem fidelium, quibus in unaquaque civitate unus Epiſcopus idemque Presbyter ſatisfacere poterat. Vide Sasboldum ſuper 1. Tim. 3. & noſtrum Comment. ibidem, v. 8. & ad B Philipp. 1. verſ. ſimiliter 1.

℣. 21. *Teſtificans Iudæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.* Pœnitentiam nominat ante fidem propter Iudæos, quos priori loco nominaverat, illi enim jam aliquam habebant fidem. Unde & Ioannes & Chriſtus & Apoſtoli Iudæis prædicantes, ab exhortatione pœnitentiæ inceperunt; & apud gentiles, de fide prius erat agendum.

℣. 22. *Et nunc ecce alligatus ego ſpiritu, vado in Hieruſalem.* Dicit ſe alligatum ſpiritu, quia ſpiritu hoc ei revelante non poterat non ire, ſive ſpectes obligationem præcepti, ſive conſequentiæ neceſſitatem. Sic ad Gal. 2. dicit ſe aſcendiſſe Hieroſolymam ſecundum revelationem, quamvis ibi de alia profectione loquatur, nempe de qua ſcribitur Actor. 15.

℣. 24. *Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodo conſummem curſum meum &c.* Verba hæc: *Non facio &c.* difficultatem habent, cum alibi ſcriptura dicat, animam homini eſſe pretioſiſſimam. Unde illud: *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Item: *Quid prodeſt homini, ſi lucretur mundum univerſum, anima verò ſua detrimentum patiatur?* *Reſp.* animam non accipi hoc loco pro præſtantiori hominis parte, quæ immortalis eſt, & corpori opponitur, ſed pro vita hac caduca & temporali, ut ſenſus ſit: Vitam corporis non habeo D potiori loco, quàm meipſum; quemadmodum faciunt, qui propter vitam conſervandam perdunt ſe totos, dum negant fidem, vel perjurant vel aliud ſimile faciunt. Tales animam, id eſt, vitam ſuam faciunt pretioſiorem quàm ſeipſos. Græca aliter habent, hoc modo ad verbum: *Neque habeo animam meam pretioſam mihi ipſi*, id eſt, vita mea non eſt mihi cara, neque tanti eam facio, ut non libenter eam pro ſalute veſtra impendam. Sic legit Auguſtinus ſuper Pſalm. 36. Concione 2. *Quid confringitis cor meum? Non facio animam meam pretioſam mihi.* Similis phraſis eſt 1. Reg. 26. ubi Saül ad Davidem ait: *Nequaquam tibi ultra malefaciam, eò quòd pretioſa fuerit anima mea in oculis tuis hodie.*

℣. 27. *Non enim ſubterfugi quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis.* Quomodo igitur verum eſt quod alibi Scriptura dicit: *Quis enim hominum poterit* E *ſcire conſilium Dei?* Sap. 9. Et, *Quis conſiliarius eius fuit?* Iſaiæ 40. & ad Roman. 11. *Reſp.* Secreta Dei conſilia nemo novit, de quibus Sapiens, Propheta & Apoſtolus loquuntur; ſed myſteria fidei ad ſalutem hominum pertinentia Deus revelavit Apoſtolis, qui ea aliis annuntiarent. Ac de his tantum hic loquitur Apoſtolus; ſicut & Chriſtus ait Ioannis 15. *Omnia quæcumque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Utrumque enim ſecundum quandam univerſalitatem accipiendum, quam ſcholæ commodam diſtributionem vocant. Vide Annot. Ioannis 15. & comment. noſt. loco cit. Rom. 11.

Eſtij Annotat. in Script.

A ℣. 28. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos.* Oſtendit hæc Apoſtoli ſententia paſtores & præfectos Eccleſiæ, duplicem ſuſtinere perſonam, privatam & publicam. Quantum ad privatam eorum perſonam, dicitur: *Attendite vobis:* Quantum ad publicam, additur: *Et univerſo gregi veſtro.* Quatenus privatam & ſingularem perſonam gerunt, ſervire debent Deo cum omni humilitate, caſtitate, temperantia, & pietate. Verum illa paſtorem ad ſalutem perducere non poſſunt, niſi & ea etiam diligenter exequatur, quæ ad perſonam eius publicam pertinent, id eſt, niſi ſerio & ex animo ſaluti ovium ſuarum invigilat. De hac re, & toto paſtoris officio, late tractat B. Auguſtin. ſermone de Paſtoribus, & altero ſermone de ovibus. Habentur tomo 9.

B *In quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* Hoc quod ait: *Quam acquiſivit ſanguine ſuo*, non ad Spiritum Sanctum referendum, non enim Spiritus Sanctus ſuo ſanguine Eccleſiam acquiſivit, ſed ad Deum, id eſt, Chriſtum filium Dei. Itaque hîc manifeſtum locum habes, ubi Chriſtus Deus vocetur. Et Græcè eſt: *Quam comparavit per proprium ſanguinem.*

℣. 29. & 30. *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces; Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa: Propter quod vigilate.* Qualia locuturi ſint, monet Timotheum Epheſiorum Epiſcopum 1. Timoth. 4. Unde colligitur ea quę hîc dicuntur, fuiſſe ſtatim eventura, & non demum poſt aliquot C ſecula.

℣. 35. *Quoniam ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos.* Oportere dicit ad cavendum offendiculum infirmorum; cum alioqui poteſtatem haberet vivendi ex Evangelio, juxta Chriſti ordinationem. Unde ait 1. ad Cor. 9. *Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti.* Vide ibid. noſtr. Comment.

Beatius eſt magis dare quàm accipere. Hoc in Evangelio nuſquam habetur. Unde patet quædam de factis & verbis Salvatoris fuiſſe tradita non ſcripta. Dicet hic aliquis: Si dare beatius quam accipere; malè faciunt, qui omnibus relictis ex mendicato vivunt; ita enim D fit ut tantum accipiant dandi facultate ſibi ſemel præcluſa. *Reſp.* tales dederunt ſemel omnia, quod eſt heroicæ liberalitatis & magnæ perfectionis; poſtea verò ita accipiunt temporalia dumtaxat & neceſſaria, ut largiantur ſpiritualia; quod dationis genus eſt altero longè beatius, & ſingulare præmium, quod aureolam vocant, apud Deum meretur. Vide etiam Bedam in hunc locum. Itaque ſenſus Dominici dicti eſt: Beatius eſt dare beneficium, quàm accipere. Ratio, quia virtutis eſt dare, neceſſitatis accipere. Ex eadem Scriptura novi Ariani docere volunt, Deum Patrem eſſe filio beatiorem; ſed quid iis reſpondendum, vide noſt. 1. diſt. 9. Conſentit quoque ethnicus Philoſop. Ariſtoteles dicens, virtutis magis proprium eſſe *ἐυποιεῖν* quam *ἐυπάσχειν*.

CAPUT XXI.

E ℣. 3. VEnimus Tyrum — *Inventis autem diſcipulis.* Dixerat Dominus in Evangelio: *Si in Tyro & Sidone facta, &c.* Ecce pervenit Evangelij prędicatio ad Tyros; & crediderunt; & Paulum abeuntem, magno comitatu, maxima devotione, ad navem deduxerunt. Obſervavit hoc etiam Beda.

℣. 4. *Inventis autem diſcipulis manſimus ibi* (Tyri) *diebus ſeptem, qui Paulo dicebant per ſpiritum, ne aſcenderet Hieroſolymam.* Quomodo per ſpiritum monebant Paulum ne aſcenderet Hieroſolymam, cum Paulus ipſe ſuperiori capite dixerit: *Ecce alligatus ego ſpiritu vado in Hieruſalem?* Et hoc capite per

Agabum & alios teſtetur ſpiritus eum Hieroſolymis A
multa paſſurum; quod fieri non poterat niſi eò aſcenderet? *Reſpond.* ſenſus eſt: diſcipuli per ſpiritum videntes, aut per revelationem aliis factam intelligentes, quæ mala Hieroſolymis paſſurus eſſet; rogabant eum ne eò aſcenderet. Sed iterum quæritur, Si per ſpiritum ſciebant eum Hieroſolymis talia mala paſſurum; quomodo monebant ne aſcenderet: cum Prophetia illa impleri non poſſet niſi eò aſcenderet? Reſponderi poteſt eos putaſſe prædictionem illam conditionatam eſſe: nempe multa cum Hieroſolymis paſſurum, ſi eò aſcenderet: Et proinde hortabantur ne aſcenderet: quomodo Davidi conditionatè dictum erat; *Tradent te viri Ceila.* Aliter dici poteſt quoſdam diſcipulos vidiſſe per ſpiritum, & prædixiſſe quæ paſſurus eſſet; alios autem conatos eum revocare à profectione. Nam & B
paulò pòſt Agabus prædicit; alij autem deprecantur profectionem.

℣.6. *Illi autem redierunt in ſua.* Sic Ioannes dicitur accepiſſe matrem Domini in ſua, eſt enim utrobique Græcè εἰς τὰ ἴδια. Quæ phraſis quid ſibi velit, vide Annotat. Ioannis 19.

℣.8. *Et intrantes domum Philippi.* Non quam ut propriam poſſidebat, ſed quam fratribus fecerat communem; ſicut & Ioannes qui matrem Domini accepit in ſua. Erat enim Philippus ex iis qui omnia ſua contulerant in commune, atque adeo unus ex iis qui communium bonorum diſpenſationi fuerant ab Apoſtolis præpoſiti, Actor.6. At cur primi illi fideles non vendebant domos, ut earum pretia conferrent in commune, ſicut agros? Reſponſio perſpicua, quia debebant C
eas retinere ad inhabitandum; nondum enim erant cœnobiticæ domus fidelibus ædificatæ, quod poſtea cœptum eſt fieri. Itaque ſingulæ domus fidelium erant quædam cœnobia ſeu magis cœnœcia, id eſt, domos communes.

Philippi Evangeliſta, qui erat unus de ſeptem. Scilicet Diaconis. *Unus* non eſt in Græco, rectè tamen additum ab interprete ſenſus illuſtrandi cauſa. Quod & ab Eraſmo factum eſt; quamquam nonnulli M.SS. codices id non habent. Philippum Lucas vocat Evangeliſtam ab officio prædicationis Evangelicæ apud infideles: quod quam diligenter & quo fructu executerit, probat hiſtoria c.8. huius lib.

℣.9. *Huic autem erant quatuor filiæ virgines prophetantes.* In his impletum illud Ioelis: *Prophetabunt filiæ veſtræ.* Dubium autem utrum prophetaſſe dicantur, D
quia futura prænuntiabant; qualis propheta fuit Agabus, de quo ſtatim poſt: an quia donum à Deo acceperant exponendi ſcripturas, præſertim propheticas, quæ cęteris ſunt obſcuriores. De quo genere prophetiæ loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 14. Sanè quia pater inſignis Evangeliſta erat, idemque prophetarum doctus interpres (nam Eunucho laboranti locum Iſaię accuratè expoſuit) convenienter intelligitur & filias in ſcientia ſcripturarum à Spiritu Sancto, ſimul & à patre, inſtitutas fuiſſe. *Virgines* autem, intellige virum non cognoſcentes; eo modo quo Sanctiſſima Virgo dicebat: *Quoniam virum non cognoſco*; id eſt, E
perpetuæ virginitati ex voto conſecratas. Nam ſi viros erant accepturæ, non erat cauſa cur peculiariter Lucas commemoraret, quod fuerint virgines. Et quidem refert Euſebius libro 3. ex Polycrate, eas in virginitate conſenuiſſe. De iiſdem vide Baronium tomo primo Annalium. At Clemens libro 3. Stromatum, dicit eas viris traditas à patre. Sed magis credendum Polycrati utpote antiquiori. Fortè Clemens id habet ex aliquo apocrypho. Habet & alia paradoxa Clemens Alexandrinus: & Baronius dicit id omnium atteſtatione rejici. Polycrates dicit hunc Philippum fuiſſe unum ex duodecim Apoſtolis; quod eſt contra id quod hic dicitur fuiſſe unum ex ſeptem diaconis.

Vide Hieronymum in Polycrate. Cæterum virgines iſtę *prophetantes*, non erant puellæ, ſed adultiori ætate. Nam ea quę Lucas hic commemorat, contigerunt anno Domini 58. Nec credibile eſt Philippum poſtquam Diaconus factus eſt, procreaſſe liberos. Superabant ergo omnes hę filię annum ętatis 25. Quę res etiam facit ad probandum in eis perpetuę virginitatis propoſitum. Quin & ex eo quod dicuntur prophetaſſe, argumentum probabile ſumitur quòd virgines fuerint propoſito & voto. Nam virgines quę nuptias cogitant, parum aptę ſunt dono prophetię recipiendo.

℣.14. *Cum ei ſuadere non poſſemus, quievimus dicentes: Domini voluntas fiat.* Quę voluntas intelligitur, Beneplaciti an Signi? id eſt, voluntas abſoluta, an voluntas pręcepti? Utraque intelligi poteſt: Nam & abſolutè Deus volebat Paulum multa pati Hieroſolymis; quod ſatis ſignificabat per tam frequentes prædictiones. Ex iiſdem prædictionibus ſatis intelligebat Paulus ſibi præcipi à Deo, ut Hieroſolymam proficiſceretur. Vide Annotat. Matth.6. Sed quomodo dicitur de voluntate beneplaciti: *Domini voluntas fiat*, cum illa voluntas ſemper impleatur, etiam nobis repugnantibus? Reſpondetur non hunc eſſe ſenſum: Optamus vel oramus ut de Paulo fiat quod Deus ſtatuit; ſed iſtum. Non repugnemus amplius, ſed potius acquieſcemus voluntati ac beneplacito Dei, quod nobis per Prophetas ſuos declaravit. Ita Iudas Machabæus: *Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat*; loquens de incerto eventu ſui prælij. Ita etiam vulgo dicunt pij Chriſtiani in rebus adverſis: *Fiat voluntas Domini.* Quin & hoc modo intelligi poteſt petitio Orationis Dominicæ, ut ſenſus ſit: Placeat nobis omnis voluntas tua, & nunquam contra eam murmuremus; ſicuti placet Angelis in cœlo. Ferè tamen exponitur de voluntate ſigni, hoc ſenſu: Faciamus id quod præcipis.

℣.18. *Sequenti autem die introibat nobiſcum Paulus ad Iacobum.* Quare non ad Petrum, niſi quia Petrus Hieroſolymis non erat, ſed jam Romæ vel in Italiæ partibus agebat? unde hoc loco, ubi alioqui maximè oportebat, nulla Petri mentio.

℣.19. *Narrabat per ſingula quæ Deus feciſſet in gentibus per miniſterium ipſius. At illi cum audiviſſent, magnificabant Deum.* Vide Annot. ſuprà c.14. v.16.

℣.20. *Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores ſunt legis. Omnes*, id eſt, pleriqueomnes. Ægrè enim poterant adduci Judæi, ut avellerentur ab obſervatione legis, aut ut ſibi eam putarent non eſſe obſervandam: vel quia conſilium Dei de legis abrogatione per legem Chriſti, non ſatis capiebant, præſertim cum eſſet lex divina; vel propter conſuetudinem. De quo vide Comment. Roman.14. Ex quo loco etiam conſtat non omnino omnes Judæos qui crediderant, fuiſſe tales. Erant enim qui ſcientiam haberent libertatis non obſervandi; quamvis ea libertate quidam eorum per imprudentiam abuterentur, cum offendiculo fratrum infirmorum. Sed quæritur, an hi verè fuerint Chriſtiani, cum appareat eos fuiſſe Judaizantes, exiſtimantes legem debere ſervari? At Iacobus eos numerat inter fideles, dicens: *Quot millia ſunt in Iudæis qui crediderunt.* An hic locum habet illud ad Roman.14. *Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet?* Quod etiam de malè opinantibus circa religionem, intelligitur. Vide comment. illius loci.

℣.21. *Dicunt eos non debere circumcidere filios ſuos, neque ſecundum conſuetudinem ingredi.* Id eſt, malefacere Judæos ſi circumciderent filios ſuos, aliaſque legis ceremonias de more ſervarent. Nam etſi Judæi extra metum ſcandali ad hæc non tenerentur, atque id Paulus doceret; non tamen docebat illicitum illis
eſſe

A eſſe legalium obſervationem, ut calumniabantur adverſarij. Igitur *non debere eos*, idem eſt quod non licere eis; vel, tranſpoſita negatione, debere non circumcidere; Græcè tantum eſt: λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, &c. *Dicens non circumcidere eos filios*, id eſt, prohibens eis ne circumcidant. At ſenſum bene reddidit interpres, ut & iiſdem verbis Eraſmus.

℣.24. *His aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, ut radant capita.* Et infrà: *Poſtera die cum illis ſanctificatus intravit in templum annuntians expletionem dierum purificationis.* Cur hîc non eſt mendacium & ſimulatio, cum Paulus reverà dies à lege præſcriptos non expleſſet, ſed id tantum videatur præ ſe tuliſſe; adjungens ſe ſocium aliis qui expleverant? dicitur enim poſtera die quàm ad Iacobum veniſſet, id feciſſe. Reſponderi poteſt, Paulum hic non egiſſe Nazaræum, ſed ſuo facto palam probaſſe iſtorum quatuor Nazaræiſmum.

B *Et ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt.* Non dicit: Putabunt, ſed *ſcient*. Non ergo ſimulatio aliqua hic ſuadetur Paulo, ſed vera legis obſervatio, unde intelligatur quod revera non docuerat illicitam eſſe Iudæis obſervationem legalium eo tempore. Unde ipſemet Timothæum Iudæum circumciderat, ſuprà cap.16.

℣.26. *Tunc Paulus aſſumptis viris poſtera die purificatus, &c.* Quare Paulus in hoc facto non fuerit reprehenſibilis, ſicut Petrus ad Galat.2. à Paulo reprehenſus, quod abſtineret à cibis lege prohibitis. Vide Comment. ad Galat. 2. *Reſp.* quia Petrus fecit cum ſcandalo gentilium, non Paulus.

C ℣.28. *Inſuper & Gentiles induxit in templum.* Vide Annot. 3.Reg.8. & ad Hebræos 9. ad illud: *Sanctum ſæculare*, & ibi Riberam.

℣.30. *Et apprehendentes Paulum, trahebant eum extra templum.* Ergo hæc fiebant in templo. *Et ſtatim clauſæ ſunt januæ*, ſcilicet templi, velut prophanari per ingreſſum hominis gentilis.

℣.38. *Græcè noſti, &c.* Vide Annotat. Matth.27. Quare Paulus ei Græcè loquebatur, cum tribunus eſſet homo Romanus; quia Græca lingua paſſim erat uſitatior, & pleriſque etiam Romanis nota: ſicut nunc paſſim Gallica etiam apud Belgas, Anglos, Germanos. Unde Paulus etiam ad Romanos Græcè ſcripſit.

CAPUT XXII.

D ℣.3. I*Uxta veritatem paternæ legis*, Græcè, κατὰ ἀκρίβειαν. Vide Annot. 2.Mach.6.a.

℣.9. *Qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum.* Cap. 9. ſic legitur: *Viri autem illi qui comitabantur cum eo, ſtabant ſtupefacti, audientes quidem vocem; neminem autem videntes.* Quomodo illa conſentiunt: *Vocem non audierunt eius qui loquebatur mecum*; Et *Audientes quidem vocem?* Nam de aliis duobus nulla eſt difficultas; *Lumen viderunt*, Et, *Neminem videntes.* Licet enim lumen viderent, neminem tamen videbant cum Paulo loquentem. Reſponderi poteſt duobus modis. Quidam dicunt comites Pauli

E audiviſſe quidem ſonum confuſæ vocis: ſed quid ea ſignificaret, diſtinctè non potuiſſe intelligere. Sic Ioannis 12. legitur vox facta ad Chriſtum: *Et clarificavi, & iterum clarificabo*: De qua voce dicit Chriſtus, *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos*: & tamen eam turbæ audientes, non intellexerunt; ſed alij dicebant tonitruum factum eſſe, alij Angelum ei eſſe locutum. Aliter intelligi poteſt, comites Pauli audiviſſe quidem vocem ipſius Pauli reſpondentis, non autem Chriſti loquentis. Unde hic expreſsè additur: *Eius qui loquebatur mecum.*

℣.23. *Saule frater, reſpice. Reſpice*, verbum eſt *Eſtij Annotat. in Script.*

A operatorium, quo reſtitutus eſt Paulo viſus; ſicut in Evangelio Lucæ c.18. quando Dominus cæco dixit: *Reſpice.* Et ſicut illud, *Surge, & ambula*, & alia hujuſmodi.

℣.14. *Et videres Iuſtum, & audires vocem ex ore eius. Iuſtum*, id eſt Chriſtum, quem vocat *Iuſtum*, quod in eo vera & perfectiſſima eſſet juſtitia; & quod vera juſtitia non aliundè, quàm per ipſius meritum haberi poſſit. Quod quidem convenienter Saulo dicitur, qui juſtitiam ex lege quærebat, juſtitiæ quæ à Deo eſt per Chriſtum, nolens eſſe ſubjectus. Vidit Chriſtum oculis corporeis in humana ipſius & glorioſa ſpecie. Unde & ſtatim excæcatus eſt, claritatem non ſuſtinens. Vocem quoque ipſius ad ſe corporaliter loquentis audivit, ſed cum terrore; ſcilicet increpantis: *Quid me perſequeris? Durum eſt tibi, &c.* Veriſimile eſt autem Chriſtum Paulo apparuiſſe in ſublimi aëre

B vicino, non autem è ſummo cælo, ſicut Stephano; Stephanus enim certans pro Chriſto videre illum debuit ibi exiſtentem, ubi ſedebat in gloria Patris, & quò ipſe ſtatim per agonem mortis erat recipiendus, quaſi loco beatitudinis & gloriæ promiſſæ & exſpectatæ, ei monſtrato: Saulus autem perſecutor inde videre & audire Chriſtum debuit, ubi eum perſequebatur, ſcilicet in terra. Non poteſt autem dici hic intelligi viſionem tantum imaginariam; aut corporalem quidem, ſed Chriſti per Angelum in ſimilitudine corporis eius repræſentata; quia hoc non eſſet Chriſtum ipſum videre, ſicut alij Apoſtoli & diſcipuli eum viderunt poſt eius reſurrectionem, Atqui Paulus 1. Corinth. 15. ſe illis annumerat, tanquam veris &

C oculatis teſtibus reſurrectionis. Vidit ergo ſuis oculis ipſum Chriſtum in propriæ ſpecie humana. Vide Comment. 1.Cor.15.

℣.16. *Baptizare & ablue peccata tua.* Quomodo dicitur ei: *Ablue peccata tua*, cum nemo ſibi ipſi remittat peccata? *Reſpond.* ſenſus eſt: Suſcipe baptiſmum, & per baptiſmi lotionem accipe peccatorum tuorum remiſſionem. Poteſt verbum Græcum paſſivè verti; quod huic loco magis quadrat; & eſt in M.SS. Martinus Duncanus lib.2. contra Anabaptiſtas, dicit ex hoc loco apertiſſimè liquere, quod Paulus non prius, ſed per baptiſmum acceperit remiſſionem peccatorum. Et ſane Ananias, qui poterat ſaltem veriſimiliter cognoſcere magnitudinem contritionis in Paulo, de quo habebat tam inſignem revelationem; non ita fuiſſet

D locutus, niſi putaſſet ordinariè per contritionem non haberi remiſſionem peccatorum ante Sacramentum. At dices, Paulum illo triduo raptum in tertium cælum & in paradiſum, & audiſſe arcana quæ non licet homini loqui; proinde veriſimile eſſe quod jam erat in gratia Dei; neque enim Deus niſi amicum ſuum in cælum raperet, & ei ineffabilia arcana revelaret. Reſpondetur, revelationes illas, non hoc triduo factas, ſed alio tempore, ac fortè longè poſt: de quo vide Baronium, & noſtrum Commentarium in 2.ad Cor. 12. Quod non hoc triduo, vel ex eo manifeſtè colligitur, quod Paulo dictum eſt in ipſa ſui converſione: *Ingredere civitatem, & dicetur tibi*, ſcilicet à diſcipulis

E Chriſtianis, *quid te oporteat facere*, Id eſt, ibi Catechizaberis; quod certè opus non erat, imò planè fuiſſet ſuperfluum, ſi antequam ad eum Ananias veniret, jam divinitus erat inſtructus, non in rudimentis tantum fidei Chriſtianæ, ſed in ſummis ac ſecretiſſimis myſteriis. Bellarminus lib. 1. de Sacramentis in genere cap.15. dicit Scripturam hîc diſertis verbis docere, Sacramenta in præſenti gratiam adferre, & internam ablutionem tunc perfici, quum exterius baptizamur. Idem ſignificat lib.2. cap.3. Sed lib.2. de Pœnitentia c.14. ad hunc locum ſibi objectum pro ea doctrina quæ dicit contritionem poſſe eſſe ſine remiſſione peccatorum; conatur reſpondere, & multa dicit, ſed quæ non

videntur ſatisfacere. Objici tamen poteſt illud quod Concilium Trident. dicit contingere contritionem aliquando eſſe charitate perfectam, ante ſuſceptionem Sacramenti. Quod videtur maximè locum habuiſſe in Paulo; cujus tam mirabilis fuit converſio. Vide noſtra in 4. diſt. 17.

℣. 22. *Audiebat autem eum uſque ad hoc verbum.* q. d. Eo audito verbo non ſuſtinuerunt eum diutius audire, ſed levaverunt vocem ſuam, &c.

℣. 25. *Si hominem Romanum, &c.* Apoſtolus dicit ſe civem Romanum, quia jus & privilegia civitatis Romanæ poſſidebat; ii enim cives Romani vocabantur. Unde dicit Tribunus: *Ego ingenti ſumma hanc civitatem conſecutus ſum. Natus* autem erat *civis Romanus*; quia natus Tharſi, quæ Romana civitate donata erat. Itaque Paulus in eo privilegio natus erat. Privilegium illud erat, ut qui eo donatus erat, vel cum eo natus, ubicumque gentium ſub Romano Imperio eſſet, à vi liber & immunis eſſet, tantum commemoratione verbi, Romanus civis ſum. Legendum autem *Civitatem*, non *Civilitatem*, ut civitas intelligatur jus & privilegium. Græcè πολιτείαν. Vide Franciſcum Lucam in Notationibus.

CAPUT XXIII.

℣. 1. *Viri fratres, ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum.* Videtur loqui de vera juſtitia, qui addit, *Ante Deum*; & non addit à quo tempore. Sic Luc. 1. *Erant ambo juſti ante Deum, &c.* Vide Comment. 2. ad Tim. 1. Similis locus Act. 24. & 26. Vide quoque Com. ad Philipp. 3. & ad Titum 3.

℣. 3. *Percutiet te Deus paries dealbate.* Paulus juſſus percuti à principe Sacerdotum dicit ad eum, *Percutiet te Deus paries dealbate.* Quomodo hæc verba Pauli non continent maledictum & contumeliam adverſus principem Sacerdotum? Deinde maledictum agnoſcere videtur Paulus, quando ſe excuſans ait: *Neſciebam fratres, quia princeps eſt Sacerdotum; ſcriptum eſt enim; Principem populi tui non maledices. Reſp.* Quantum ad verba Pauli, non dixit: *Percutiat*, ſed *Percutiet*; & proinde non eſt imprecatio, ſed futuri prænuntiatio. Quamvis etiam reſpiciat ad hypocriſim perſonæ; erat enim Sadducæus, teſte Ioſepho & proinde indignus, qui vel Judaico Sacerdotio fungeretur. Quantum ad verba. *Neſciebam &c.* quidam hic intelligunt ironiam; quidam putant eum verè neſciſſe. Confer hîc Comm. B. P. in Actum Apoſt.

Cæterum maledicere judici palam injuſto, & manifeſtam reo injuriam facienti, ſicut hîc factum; non videtur illicitum, ſalvis circumſtantiis. Ita Sancti Martyres aliquando judicibus injuſtis reſponderunt. Ad præceptum legis, *Principi populi tui non maledices.* Reſpondetur, nec judici detrahendum, nec principi maledicendum, animo nocendi: imo nec ſimpliciter; niſi rei gravitas, & publica utilitas, & Dei honor poſtulent.

Paries dealbate. Similis locutio cum illa Evangelica: *Sepulchrum dealbatum.* Sicut enim ſepulchra dealbata exterius ſpecioſa ſunt, interius autem plena oſſibus mortuorum, ut ait Dominus: ita paries dealbatus exterius candorem oſtendit, intus autem luteus eſt aut argillaceus. Reſpicitur enim ad parietes ex luto vel argilla factos, non ex lapide nativo aut cocto. Qualis & apud Ezechielem cap. 13. ſignificatur: *Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis.* Porrò de hoc maledicto Pauli vide Pererium in epiſt. ad Romanos cap. 12. diſput. 5. & Lorinum.

℣. 6. *Ego Phariſæus ſum, filius Phariſæorum.* Vide annot. Matth. 16. Paulus verè erat Phariſæus ſecta, & Phariſæi filius, & Phariſæi Gamaliëlis diſcipulus. Nam Phariſæum eſſe non vitium nec errorem, ſed inſtitutum ſeverioris vitæ tantum ſignificat. Vide etiam annot. Matth. 23. Quæritur autem an Paulus ſignificet etiam tunc ſe fuiſſe Phariſæum, an tantum fuiſſe aliquando. Videtur dicere quod etiam tunc quando loquebatur, Phariſæus erat, nimirum quoad fidem doctrinæ, in qua ab eis diſſentiebant Sadducæi; non tamen veriſimile eſt Paulum eo tempore adhuc obſervaſſe Phariſaïcum vitæ inſtitutum quoad vivendi regulas, ut abſtinentias, jejunia, preces.

De ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor. Paulus bona quadam arte vitæ & cauſæ ſuæ conſulens, judices ſuos inter ſe committit, injecta mentione reſurrectionis mortuorum; dum crimen de quo accuſabatur, ex hypotheſi transfert ad theſim. Accuſatus enim quod prædicaret JESUM reſurrexiſſe; dicit ſe judicari de reſurrectione mortuorum; idque rectiſſimè, quia ut ipſe ratiocinatur 1. ad Cor. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt fides noſtra:* maximè ea parte qua credimus reſurrectionem mortuorum nullum ergo mendacium eſt in hac defenſione Pauli, neque vafrè quidquam egit, ſed prudenter & Chriſtianè.

℣. 8. *Sadducæi enim dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum.* Quomodo hîc dicitur quod Sadducæi dicant non eſſe Angelum, cum Sadducæi recipiant Pentateuchum Moyſi, in quo frequens eſt Angelorum mentio? Fortè per Angelum iis locis non aliud quàm Deum intelligunt humana ſpecie apparentem: aut, Origenis more, allegoricas faciunt locutiones, ut Angelus intelligatur inſtinctus bonus, vel admonitio bona à Deo humanæ menti inſpirata. Eſt enim hæreticis commune Scripturas etiam apertiſſimas detorquere ad alienum ſenſum. Fortaſſis ea loca Pentateuchi non recipiebant Sadducæi, ſicut Manichæi ex Evangelio recipiebant quod eis placebat; reliqua rejiciebant. Additio Cenſoris.

Neque ſpiritum. Dubium de quo ſpiritu hoc intelligatur, utrum de ſpiritu Dei, id eſt, de Spiritu Sancto; an de ſpiritu hominis, id eſt, de anima poſt mortem corporis ſuperſtite. Nam de ſpiritu Angelico non videtur intelligendum, quod jam Angelum nominaſſet tanquam diverſum; unde ſequitur: *Phariſæi autem utraque confitentur.* Qui & ſtatim referuntur dixiſſe. *Quid ſi ſpiritus locutus eſt ei aut Angelus?* quod ſanè videtur de ſpiritu hominis accipiendum, hoc ſenſu: Quid ſi ſpiritus hominis alicuius mortui, aut Angelus ei apparuit, & annuntiavit ea quæ prædicat, maximè de reſurrectione mortuorum? Nam contra peſtilentem doctrinam Sadducæorum erat eo tempore fidelium perſuaſio, non ſolum eſſe Angelos, & ſupereſſe ſpiritus humanos poſt mortem; verùm etiam interdum hominibus apparere & loqui. Unde diſcipuli Chriſti exiſtimabant ſe ſpiritum videre, quando Dominum ſuum redivivum cernebant. Et in hoc libro, fideles audita Petri voce, quem carcere clauſum putabant, dixerunt; Angelus ejus eſt. Neque poteſt hic ſenſus dari: Neque Angelum, neque omnino ſpiritum; quaſi dicat Sadducæos negaſſe Angelum; & in univerſum ſubſtantiam ullam merè ſpiritualem & incorpoream, in natura rerum exiſtere; quaſi ſpiritus ſit genus Angelum comprehendens: Nam Lucas ea vult eſſe diſtincta, cum dicit Phariſæos utrumque confiteri. Deinde, nec ſubjuncta Phariſæorum verba, in quibus ſpiritus præponitur, hunc ſenſum admittunt.

℣. 13. *Erant autem plus quàm quadraginta viri. Viri* non eſt in Græco, rectè tamen additum ab interprete, tametſi M. SS. non habent.

Qui hanc conjurationem fecerunt. Erat ergò devotio juriſjurandi religione firmata, quo minus liceret à propoſito reſilire.

CAPUT

CAPUT XXIV.

℣.5. **A** *Vtorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum.* Pro ſecta Græcè αἵρεσις, quæ tunc generaliter quamvis ſectam ſignificaſſe videtur, ſaltem vitioſam. Paulus in ſua reſponſione ait: *Secundum ſectam quam dicunt hæreſim.* Sed ibi pro ſecta Græcè eſt ὁδὸς; ut vertendum potius fuerit, *ſecundum viam quam dicunt ſectam*; concedit enim & fatetur religionem Chriſtianam eſſe viam, id eſt certam rationem, formam ac inſtitutum vivendi; non tamen ſectam; licet adverſarij ſic eam vocarent. Unde & Lucas poſtea hoc eodem cap. rurſum *viam* vocat dicens de præſide; *Certiſſimè ſciens de via hac*: id eſt, probè inſtructus de hoc genere vitæ B ac religionis. Non ergo ex hoc loco doceri poteſt religionis Chriſtianæ inſtitutum ſectam vocari. Cicero initio Paradoxorum: Cato in ea hęreſi eſt, quę nullum ſequitur florem orationis, &c. ubi hæreſim videtur vocare opinionem privatam & peculiarem, qua aſſerunt aliquid inopinabile, & à communi ſenſu diverſum. Cui religio Chriſtiana non rectè vocetur hæreſis, colligitur ex Hier. ſuper ad Galat. 5. & habetur apud Gratianum 24. q. 3. c. Hæreſes; quia ſcilicet non eligitur humano arbitrio, ſed tradita eſt divinitus. Vide Hieronymum.

℣.14. *Secundum ſectam quam dicunt hæreſim.* Quæritur an loquatur de religione Chriſtiana an de inſtituto Phariſaïco? Pro priori facit illud: *Quam dicunt hæreſim.* Nam Tertullus in ſua oratione religionem Chriſtianam vocaverat hæreſim. Sed reſponderi poteſt ſen- C ſum eſſe, *quam dicunt*, id eſt, quam (ſcilicet viam) vulgò vocant hæreſim, ſeu ſectam; quia etiam inſtitutum Phariſæorum vocabatur ſecta, Græcè αἵρεσις, id eſt, inſtitutum quoddam peculiare. Et Paulus hoc loco ſicut & in Concilio Sacerdotum ſe defendit ea ratione quod vixerit juxta inſtitutum Phariſæorum, quod erat apud Judæos probatum; unde & hic repetit quod illic dixerat de fide reſurrectionis mortuorum.

℣.15. *Spem habent in Deum, quam & hi ipſi expectant, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum.* Non ſignificat iniquorum reſurrectionem eſſe objectum ſpei, ſed reſurrectionem in genere; quæ magnum bonum eſt, licet iniquis non ſit bona.

℣.17. *Eleëmoſynas facturus in gentem meam; veni.* D Eas ſcilicet Eleemoſynas de quibus agitur Roman. 15. 1. Cor. 16. & in 2. Epiſt. cap. 8. & 9. Galat. 2. Erat hæc ſecunda legatio Pauli pro ſanctis pauperibus, qui erant Hieroſolymis, nam de prima, quam cum Barnaba communem habuit, agitur ſuprà cap. 11. in fine. Vide Comment. Galat. 2.

℣.20. *Si quid invenerunt in me iniquitatis. — Niſi de una hac ſolummodo voce, &c.* Non ſignificat eam unam inventam in ſe iniquitatem, quod exclamaverit, ſed phraſi Hebraica (*niſi*) pro (*ſed tantum*) ponitur; quaſi dicat; Sed tantum hoc in me accuſare poſſunt, quod exclamaverim, &c. Vide Ioan. 17. v. 12. Notandum quoque interdum contra, (*ſed*) pro (*niſi*) E phraſi Hebraica accipi, ut cum dicitur: *Omnis blaſphemia remittetur hominibus, ſed ſpiritus blaſphemia non remittetur*, id eſt, excepta blaſphemia in Spiritum Sanctū. Et 1. ad Cor. 6. *Omne peccatum extra corpus eſt, qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat*, id eſt, excepto peccato fornicationis.

℣.24. *Cum Druſilla uxore ſua qua erat Iudæa.* Et filia Herodis Agrippæ, de qua vide Ioſephum lib. 20. Antiquit. cap. 5.

Et audivit ab ea fidem, qua eſt in Chriſtum IESVM. Quæritur an crediderit, hoc enim videri poteſt, quod Felix eius concione tremefactus eſt, nemo autem timet quod non credit. Reſpondeo, videtur crediſſe judicium futurum, ſaltem opinativè, quia ratione naturali utcumque poteſt illud homo aſſequi; quantum A ad animas. Iuſtum eſt enim bona opera remunerari, & puniri malefacta. Item, quia conjugem habebat Iudæam, quæ ſecundum ſuam religionem id credebat. Sed de Chriſto non apparet quod crediderit aliquid ſecundum pietatem; ſed fortaſſis ſimulaverit, ut ſpem Paulo faceret, muneris aut pecuniarum interventu, evadendi.

℣.25. *Diſputante autem illo de juſtitia & caſtitate, & judicio futuro, tremefactus Felix.* De juſtitia, quia Felix avarus erat, & juſtitiam pretio habebat venalem. Nam & à Paulo ſperabat pecuniam; & cum non acciperet, gratiam voluit præſtare Iudæis relinquendo Paulum in vinculis. De caſtitate conjugali, quia gentiles paſſim, eo maximè tempore, ut ex Suetonio & B aliis auctoribus diſcere licet, variis atque infandis immunditiis etiam legitimum thorum commaculabant, pervertentes uſum naturæ, ut eſt ad Rom. 1. Unde & fornicatio ſimplex non reputabatur apud illos peccatum. Act. 15. De judicio futuro, ut eius commemoratione & fide revocaretur ab his & hujuſmodi peccatis. Et nota quod non fidem ſpecialem his Paulus prædicaverit, dicens: Credite vobis per Chriſtum donari peccata, vosque per ipſum juſtos eſſe; & certiſſimè ſalutem conſecuturos. Quod ſi dixiſſet, nihil fuiſſet opus terribilis judicij commemoratione, per quod Felix contremiſceret. Quæres an timor ille fuerit donum Dei. Sanè non dubium quin donum fuerit, in quantum erat aliquid boni, quo retrahebatur à malo. An autem pertinuerit ad gratiam Chriſti; maior quæſtio, C inde pendens an ille timor fuerit bonum aliquod ſalutare, id eſt pertinens ad ſalutem vitæ æternæ; de his enim bonis dictum eſt à Chriſto: *Sine me nihil poteſtis facere.* Videtur autem tale bonum fuiſſe, ſi ex fide aliqua Chriſti mediatoris proceſſerit; non item, ſi ex ſola commemoratione judicij divini; quomodo etiam Adam ſtatim ut peccavit; timuit, quia Deum ut judicem ſuum apprehendebat.

℣.26. *Quod pecunia ei daretur à Paulo.* Unde ſperabat pecuniam à Paulo paupere? Idcirco opinor quia Paulus dixerat ſe Hieroſolymam veniſſe facturum Eleëmoſynas in gentem ſuam. Unde ſuſpicabatur eſſe hominem pecunioſum, aut certè amicos habere divites; qui pro eius redemptione libenter eſſent multum D pecuniæ daturi.

CAPUT XXV.

℣.10. **A** *D tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari.* Huc dicit Paulus quia civis Romanus erat, id eſt, privilegium habens civitatis Romanæ; hujuſmodi autem periclitantes, ad Cæſarem appellare poterant. Hinc diſcimus non pertinere ad fortitudinem Chriſtianam, ſed potius eſſe inſanæ temeritatis, ſemet zelo quodam imprudenti in mortem præcipitare, aut etiam ubi patet via vel occaſio evadendi, eam non arripere; id quod Paulum ubique feciſſe legimus. E Nam Damaſci fuga evaſit, Philippis & Hieroſolymis ſe civem Romanum profitetur, Cæſareæ ad Cæſarem appellat, Romæ etiam apud Neronem primo & ſecundo cauſam ſuam egit, quam vocat defenſionem, atque huiuſmodi præſidiis non ſolum poteſt, ſed & debet uti Chriſtianus, tum ad vitæ ſuæ defenſionem, ad quam tenetur, tum ad avertendum in aliis homicidium. At dices: Nemo alius martyrum legitur appellaſſe à ſententia judicis contra ſe lata aut ferenda. Reſpondeo, non omnia eſſe ſcripta; & in præſenti facto multa concurrere, propter quæ omnino debuerit Paulus appellare; quia civis Romanus, quia Romæ ſe teſtificaturum ex revelatione didicerat, quia debebat adhuc gentibus prædicare, quarum erat doctor. Item ſciebat deferendum eſſe ſuæ appellationi. Quod ſi alij martyres appellaſſent, nec tamen fuiſſet delatum, viſi

fuiſſent non libenter mortem pro Chriſto oppetere. Chriſtus quoque non appellavit; quia nec civis Romanus erat, nec facere quidquam debuit in judicio nec dicere, ex quo videretur haud voluntariè pati. Forte S. Chryſologonus & alij quidam nobiles, aut Romani cives appellarunt ad Cæſarem.

Hinc etiam liquet quòd liceat appellare nondum audita inferioris judicis ſententia, quando videlicet judex ſuſpectus eſt aliquo modo. Non repugnat autem huic Apoſtoli defenſioni, ad Rom. 12. *Non voſmetipſos defendentes*; ibi enim vindicta prohibetur, non defenſio legitima; eſt enim Græcè, *vindicantes*. Unde & ſequitur; *Scriptum eſt enim: mihi vindictam*. Nec illud repugnat 1. Corinth. 6. *Iam omnino delictum eſt quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis?* ibi enim ſignificat lites plerumque non ſuſcipi & produci ſine peccato; propter odia & acerbitates animorum, quæ intercedunt, etiamſi juſtam quis cauſam foveat; ideoque in rebus minutis ſatius eſt eas dimittere, quàm temporis jacturam facere; Hic autem Paulus de vita periclitabatur, quæ toti Eccleſiæ adhuc multum erat neceſſaria; & revelationem acceperat à Domino, quod & Romæ oporteret eum teſtificari; ideoque appellandi Romam occaſionem hanc arripuit, tanquam oblatam ad perficiendum quod Deus prædixerat. Vide Comment. 1. Corinth. 6. Nec fecit Paulus contra illud *Audet aliquis veſtrum judicari apud infideles, & non potius apud ſanctos?* hoc enim locum habet cum ambo litigantes Chriſtiani ſunt; qui proinde in judicem vel arbitrum aliquem Chriſtianum conſentire & compromittere poſſunt & debent. At Paulo negotium erat contra Judæos incredulos, qui Chriſtianos infensè oderant & Chriſtianam religionem ex profeſſo impugnabant; tantum abeſt, ut Chriſtianum judicem admiſſuri eſſent. Unde Paulus neceſſitate compulſus ad Cæſarem appellavit; qui etſi etiam religioni Chriſtianæ tunc fuiſſet parum æquus: poterat tamen ab eo, tanquam neutrali, ſperari rectum judicium de eo quod Judæi Paulo intentabant; nempè utrum in templum & legem peccaſſet. Item hujuſmodi exemplis oſtenditur, etiam rectè feciſſe S. Ignatium, quando ſuam & ſuorum ſociorum innocentiam calumniis improborum quorundam impetitam, voluit adverſus eos, & ad totius ſocietatis honorem & Eccleſiæ utilitatem, publicis teſtimoniis eſſe comprobatam; neque ceſſavit uſque dum & pro ſe ac ſuis à judice lata eſſet ſententia; & rei geſtæ publicum in ſcripto obtineret inſtrumentum; quod extat in vita eius per Ribadeneiram, lib. 2. cap. 14.

Quæres, quomodo ex eo quod Paulus ait: *Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet judicari*, & rurſum, *Cæſarem appello*: non ſit conſequens ad judices laïcos pertinere judicium de controverſiis religionis? *Reſpond.* Dictum id eſt, ratione perſonæ, non cauſæ; erat enim Paulus civis Romanus. Nam quod ad cauſam attinet, ſubterfugere non poterat, quin vel Romæ judicaretur à Cæſare, vel Hieroſolymis apud ſuos adverſarios; elegit itaque id in quo minus erat periculi, quamquam & ratione cauſæ potuit aliquo modo judicari apud Cæſarem: accuſabatur enim Paulus velut ſeditioſus, & plebem commovens contra Cæſarem, quaſi alium regem prædicaret; cuius rei cognitio ad Cæſarem ſpectabat. Unde & ſuprà hoc eodem cap. crimen hoc depellit à ſe dicens: *Quoniam neque in legem Iudæorum, neque in templum, neque in Cæſarem peccavi.* Item, apud quemcumque judicem, etiam incompetentem, injuſtum & infidelem, licet cuique ſe & cauſam ſuam juſta ratione defendere, quando judicium declinare non poteſt, ſicut etiam apud privatos homines rectè quis ſe purgat, negando, vel cauſam reddendo facti ſui; ſi fuerit apud eos inſimulatus alicuius criminis. Per hoc enim non agnoſcit in eis poteſtatem publicam, ſed ſolùm judicandi rationalem facultatem. Item, appellat ad Cæſarem ut ab eo abſolvatur tanquam innocens, dum non probatur nocens.

Iudæis non nocui, ſicut tu melius noſti. Græcè: *Iudæos nihil injuriatus ſum, ſicut & tu melius noſti.* Quare dicit: *Melius?* non comparatione Pauli, ſed Judæorum fortaſſe, qui malitia excæcati nolebant videre Pauli innocentiam.

℣. 13. *Agrippa rex & Bernice deſcenderunt Cæſaream ad ſalutandum Feſtum.* Hic Agrippa filius fuit Herodis, quem Angelus Domini percuſſit, ſuprà c. 12. Bernice ſecundum quoſdam ſoror eius fuit, ſecundum alios uxor, quod & tradit Liranus, ex Ioſepho. Qui viri nomen eſſe dicunt, refelluntur ex Græco. Auctor interpretationis nominum propriorum Scripturæ, interpretatur gravem victoriam, vel pondus victoriæ, nimirùm ex Græcis vocabulis *βάρος* & *νίκη*. Equidem magis crediderim compoſitum eſſe ex Hebræo ſeu potiùs Syriaco (Ber) & Græco *νίκη*, & ſignificare filiam victoriæ. Nomen idem eſt cum *Veronica*, ſeu potiùs Beeronica, ô littera interpoſita, euphoniæ cauſa. Hinc & viri nomen Berocinianus, in actis Synodi Chalcedonenſis.

℣. 19. *Quæſtiones verò quaſdam de ſua ſuperſtitione habebant adverſus eum.* Græcè, *περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας*, quidam in bonum interpretantur; *de ſua ipſorum religione.* At non eſt neceſſe, ſed poteſt generatim intelligi, ut ſit vox media. Vide Lex. con Græcum.

CAPUT XXVI.

℣. 5. **S**ecundum *certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus.* Vide Annot. Matth. 16. Græcè eſt: *Secundum exactiſſimam*, ſeu ut Eraſmus vertit, *exquiſitiſſimam ſectam.* Pro *ſectam*, in Græco eſt *αἵρεσις*, quod vocabulum tunc generale erat ad omnem ſectam, poſteà ſpecialius uſurpari cœptum; imò & jam tum cœpit ſpecialem illam habere ſignificationem, ut patet ex his Scripturæ locis: *Oportet hæreſes eſſe. Hæreticum hominem poſt unam, &c.* Vocatur autem Phariſæorum ſecta certiſſima ſeu exactiſſima, quia probatiſſima inter ſectas Judaïcas. Sadducæi enim hæretici erant; Phariſæi, Orthodoxi quantum ad ea quæ profitebantur ex illo inſtituto quo erant Phariſæi, tametſi traditiones quædam partim vanæ, partim etiam noxiæ imò & impiæ, poſteà ab illis excogitatæ ſunt, & populo traditæ. At Sadducæi origine & profeſſione fuerunt hæretici, non multum diſſimiles à ſecta Epicureorum. Legitur quidem apud Ioſephum & Epiphanium Phariſæos docuiſſe *μετεμψύχωσιν*, idque probant quidam ex eo quia dicebant Chriſtum eſſe Eliam aut Hieremiam aut unum ex Prophetis. At non legimus Phariſæos hoc dixiſſe, ſed homines è vulgo. Deinde, ſi verè fuit ea doctrina Phariſæorum, referenda eſt non ad inſtitutum & profeſſionem eorum, ſed ad poſtea invectas corruptelas doctrinæ, à pleriſque eorum receptas. Certè conſtat ex Actor. 23. & aliunde Phariſæos credidiſſe reſurrectionem mortuorum; cùm qua non bene conſiſtit *μετεμψύχωσις*. Sic enim animæ migrant è corpore in corpus; quid igitur opus ut primum corpus quod habuit anima, aliquando reſurgat; cùm naturali eius deſiderio ſatisfiat per conjunctionem alterius corporis?

℣. 18. *Aperire oculos eorum.* Spirituales nimirum. Ubi nota non Deo tantum, ſed & hominibus Dei miniſtris tribui, *aperire oculos* mentis hominum à Deo aberrantium; ſed Deo id convenit principaliter, hominibus miniſterialiter. Et nota quod etiam id quod ſequitur, *ut convertantur*, in Græco activum eſt, *convertere à tenebris ad lucem*; ut utrumque tam aperire

quàm convertere Paulo tribuatur, ſed eo modo quo dixi.

Et ſortem inter ſanctos. Vocatur ſors quia non ex meritis. Additur tamen: *Per fidem quæ eſt in me*, quia fides eſt initium juſtificationis gratuitæ. Sic alibi docet nos juſtificari gratis per fidem, Rom. 3.

℣. 20. *Et gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* Nota manifeſtum locum ubi Paulus non ſola fide contentus, digna pœnitentiæ opera requirit ad juſtificationem. Qui locus objiciendus eſt iis, qui ex Epiſtolis Paulinis ſolam fidem nobis objectant; neque enim ſibi Paulus contrarius eſt. Item conferatur hic locus cum illo Matth. 3. & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Utrobique facere fructus dignos ſeu opera digna pœnitentiæ, ab iis exigitur, qui nondum erant baptizati, ſed tamen illi quibus Ioannes loquitur, erant circumciſi. Quare hic Paulus non nominat fidem? quia ſub pœnitentia etiam fides comprehenditur hoc loco, quia non poteſt quis infidelis pœnitentiam agere, niſi primum ex infidelitate convertatur ad fidem.

℣. 22. *Nihil extra dicens quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt, &c.* Non ſignificat nihil extra Scripturas doceri aut credi debere; ſed excuſat ſe tanquam nullo modo culpabilem, & juſtiſſima ratione abſolvendum, qui non aliud quàm quod expreſſum in Prophetis eſt, docuerit. Quod ſi quis importunius hanc Scripturam urgere velit ad rejiciendas traditiones; ſequitur nihil extra Prophetas eſſe docendum, & cæteros Scripturæ libros eſſe abjiciendos.

Quàm ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes. Addit *& Moyſes*, non quod Moyſes non fuerit Propheta, ſed hac expreſſione ſignificans eius excellentiam ſupra alios prophetas; quaſi diceret, ac nominatim Moyſes, quem Judæi ut legiſlatorem ſuum ac prophetarum præcipuum, plurimi faciunt. Sic in Evangelio Marci ult. dicit Angelus; *Dicite diſcipulis eius & Petro.*

Sicut Paulus nihil extra Prophetas, ita nos nihil extra Apoſtolos tradere debemus pro dogmate fidei: nam nihil eſt credendum fide, quod non ſit acceptum ab Apoſtolis, ſaltem in ſuis principiis.

℣. 23. *Si paſſibilis Chriſtus.* Non eſt ſenſus; Si Chriſtus pati potuit, ſi corpus habuit paſſibile, quod lædi & occidi poſſet; hoc enim à Judæis, quod ſciam, non fuit dubitatum. Neque etiam ſenſus eſt, Si Chriſtus eſſet aliquando moriturus; nam nec hoc videntur Judæorum Rabbini præcipui negaſſe; tametſi ex vulgo quidem perſuaſum habuerint eum non moriturum. Unde illud apud Ioannem 12. *Nos audivimus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum; & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filium hominis?* ſed ſenſus eſt: Si Chriſtus paſſurus, id eſt, ignominioſam Crucis Paſſionem & mortem ſubiturus. Hoc enim David, Iſaias, & alij prophetæ prædixerant. Et hoc erat quod Paulus docebat, imò in quo tota eius prædicatio verſabatur, ut 1. Corinth. 2. dicat, ſe non aliud ſcire quàm Jesum Chriſtum, & hunc Crucifixum. In eo autem Judæi omnes fide nondum illuminati ſcandalum patiebantur; neque enim inducere in animum poterant, ut eum pro ſuo Meſſia reciperent, quem tam probroſa morte affectum ſcirent. Græcè eſt παθητὸς *paſſibilis.* Quod rectè vertit Eraſmus: *Paſſurus.* Nomen verbale poſitum pro participio.

℣. 24. *Paulo rationem reddente*, ſuæ religionis; *Feſtus magna voce dixit: Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt.* Ea ſemper fuit, ſemperque erit hominum impiorum & carnalium opinio de ſanctis & ſpiritualibus hominibus; ut eos putent inſanos eſſe, & mente parum ſobrios, cuius opinionis ratio eſt; quia ut ait Apoſtolus, *Animalis & carnalis homo* A *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei; ſtultitia enim eſt illi.* Hinc de quodam ex filiis Prophetarum veniente ad Iehu, dicebant principes Iſraël: *Quid venit inſanus iſte ad te?* 4. Reg. 9. Et in perſona impiorum dicit Sapiens cap. 5. *Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam.* Et de Chriſto Iudæi, Ioannis 10. *Dæmonium habet, & inſanit: quid eum auditis?* Et Marci 3. etiam de cognatis eius dicitur, quod exierunt tenere eum, dicentes: *Quoniam in furorem verſus eſt.* Huiuſmodi opprobria ſervorum Dei, imò ipſius Dei & Chriſti capitis noſtri, conſolantur omnes pios & ſpirituales homines, ſi quando ſimilibus probris impetuntur ab hominibus carnalibus & profanis. Nam & hodie valdè vulgare eſt, Theologum vocari phantaſticum. Sed tale opprobrium verum & cordatum Theologum movere non debet. Vide etiam Annotat. B Oſeæ 9. & Sapientiæ 5.

℣. 27. *Credis rex Agrippa Prophetis? Scio quia credis.* Dicet aliquis: Si credebat prophetis; ergo Chriſtum Jesum recipiebat, & ei credebat, ipſo Chriſto dicente ad Judæos Ioan. 5. *Si crederetis Moyſi, utique crederetis & mihi. Reſpond.* quod credebat in generali tantùm, ſicut Judæi etiamnum hodie credunt: non autem in particulari; quia non intelligunt. Loquitur autem Chriſtus de fide particulari & diſtincta eorum quæ in prophetis continentur: vel loquitur de fide univerſali applicata ad particularia. Vide Annotat. Ioan. 5.

℣. 28. Agrippa commotus Pauli verbis ait: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Et Paulus: *Opto apud* C *Deum & in modico & in magno.* Quid eſt, In modico & in magno? variè exponitur. Quidam ſic: Brevi oratione mihi perſuadere tentas ut fiam Chriſtianus. Cui Paulus reſpondet: Sive paucis, ſive multis verbis opus ſit ad ſuadendum; opto te fieri Chriſtianum. Alij ſic: Parum abeſt quin perſuadeas me fieri Chriſtianum; propemodum perſuades. Cui Paulus reſpondit: Sive parum abeſt, ſive multum; omninò optarim apud Deum, te Chriſtianum fieri. Alij denique non improbabiliter hoc modo: Aliquantulum me commoviſti ſermone tuo, ut Chriſtianus fiam. Cui Paulus: Utinam non ſolùm aliquantulum, ſed etiam multum commotus eſſes ad ſuſcipiendam fidem Chriſtianam. D Multum adhuc aberat ut Chriſtianus fieret, ſed tamen aliquantulum oratione Pauli commotus erat, ut fieret. Secunda expoſitio non conſiſtit, quia Paulus optat in modico & in magno; nec tamen optabat, ut multum abeſſet ut Chriſtianus fieret. Epheſ. 3. vertit: *In brevi.* Vide eius loci Comment.

CAPUT XXVII.

℣. 9. *Eo quod jejunium jam præteriiſſet.* Omninò veriſimile eſt ſtatutum aliquod jejunium intelligi, idque Judæorum fortaſſe illud quod in menſe ſeptimo celebrabant ex lege. Verſio Syriaca habet: *Tempus jejunij Iudæorum*, Et Eraſmus vertit: *Cum* E *jejunij tempus præteriiſſet.* Quod de jejunio Judæorum ob mortem Godoliæ dicitur, neſcio quid habeat probabilitatis: quæ enim cauſa ut propter Godoliam jejunium inſtitueretur; ac non potiùs ob multos alios ſuæ gentis ſanctos viros ac deſideratiſſimos, vel occiſos vel præmatura morte abreptos? ut Ioſiam, Hieremiam, Iſaiam, &c. Vide Calendarium Hebræorum apud Genebrardum in Pſalterio; ubi multa habes jejunia, ſed quæ non omnia adhuc illo tempore quo facta ſunt, quæ hic ſcribuntur, erant inſtituta. Maximè veriſimile eſt intelligi jejunium illud celeberrimum, quod ſecundum legem Moſaïcam agebatur die decima ſeptimi menſis, qui noſtro ferè reſpondet Septembri; nam Paulus & Lucas & cæteri comites eius Judæi legem ſervabant, quod manifeſtè de Paulo conſtatur

ſtatur Iacobus cap. 21. huius libri; & quidem Iudæi à ſuis feſtis & jejuniis tempora nominabant ac diſtinguebant. Unde Lucas alibi in hoc libro nominat Paſcha & Pentecoſten Judaicam. Sed & ex eo probabile fit jejunium ſeptimi menſis intelligi, quia poſt menſem Septembrem propter intemperiem cœli vergentis ad hyemem, periculoſa incipit eſſe navigatio in mari. Unde & ſequenti capite dicitur quod propter imminentem imbrem & frigus, omnes accenſa pyra ſe reficiebant. Erat quidem etiam apud Iudæos jejunium decimi menſis, de quo Zachar. 8. ſed minus celebre, quod proinde abſoluto vocabulo jejunij non ſignificaretur; neque tempore illius jejunij incipiebat navigatio eſſe periculoſa, ſed multò ante. Quidam locum hunc interpretantur de jejunio decimi menſis Chriſtianorum, ſcilicet eo, quod menſe Decembri celebratur, & à Leone aliiſque Patribus jejunium decimi menſis vocatur. Sic Bellarminus lib. 2. de bonis operibus cap. 19. Sed nullum habet auctorem. Neque eſt probabile; quia jejunium illud, ut ſatis patet ibidem ex allegata epiſtola Calliſti quartum jejunium, quod eſt decimi menſis, aliis tribus poſtremum fuit additum. Et Chryſoſtomus & Oecumenius jejunium Hebræorum intelligunt. Ita & Baronius, affirmans Lucam anni tempus Hebraïco more deſcripſiſſe. Idem ſatis certum putat Lucam loqui de jejunio decimi menſis. Vide eius probationem. Item, nec menſes Hebræi, nec Romani, Græcè ſcribentibus erant in uſu. Vide Eraſmum in Annotat. de vocabulis Græcis νηστεία & κοινία, & Liranum, & ab eo bene diſſentientem Burgenſem.

ỷ. 11. *Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ dicebantur à Paulo.* Quæritur an peccaverit Centurio magis credens gubernatori, quàm Paulo. Videtur quod non, quia unicuique perito in ſua arte credendum. Verumtamen peccaſſe eum apparet ex Pauli reprehenſione, quâ poſteà dixit: *Oportebat, ô viri, audito me non tollere à Creta, &c.* Debuiſſet ergo Centurio Paulum audire potiùs quam gubernatorem, ac meritò; Paulus enim miraculis & ſanctitate vitæ celebris erat, neque id ignorabat Centurio, qui utique ſciebat qualem virum ſibi haberet commendatum à Feſto Præſide. Neque in obſcuro erant quæ geſſerat Paulus, & quæ paſſus fuerat, itaque conſilium eius, id eſt, tanti viri, ſaltem expendere debuiſſet, tanquam profectum ab homine Spiritum Dei habente. Quâ ratione præferendum fuerat conſilio naucleri tametſi periti: præſertim cum in huiuſmodi rebus dubiis & periculoſis contingat ſæpè etiam peritos artifices falli, propterea quod eventus pendeat ab occultis cauſis, velut in curationibus infirmorum, in quibus variant ſæpè medicorum conſilia.

ỷ. 22. & ſeqq. *Suadeo vobis bono animo eſſe: Amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. Aſtitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius ſum ego & cui deſervio, dicens: Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere. Et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. Propter quod bono animo eſtote viri; credo enim Deo, quia ſic erit, quemadmodum dictum eſt mihi.* Illud: *Cuius ſum ego & cui deſervio*, non eſt ad Angelum referendum, ſed ad Deum, ut ſenſus ſit: Aſtitit mihi Angelus Dei, cuius Dei ſum ego, videlicet cultor, & cui deſervio, id eſt, quem colo. Nam Græcè eſt λατρεύω.

Ex verbis commemoratis duo breviter notari poſſunt. Unum, quod ſicut interdum propter malos etiam boni puniuntur: ut fit in generalibus calamitatibus peſtis, famis, belli; unde & Abraham & Iſaac & Iacob propter famem peregrinari coacti ſunt: ita propter unum bonum parcit Deus aliquando multitudini, in qua plures mali ſunt. Nam hic propter Paulum parcit animabus ducentis ſeptuaginta ſex, id eſt omnibus illis donat vitam temporalem. Neque enim de æterna ſalute hîc agitur, ſed corporis; anima enim hic vitam ſignificat, aut hominem, ex parte totum intelligendo. Alterum; Deum aliquando promittere aliquid, quod cum promiſſum eſt; certum & eventurum: & tamen præſtatur per media humana & fallibilia, ſed quæ in Dei præſcientia certa ſunt. Nam hoc loco Deus Paulo promittit omnes qui ſecum in navi erant ſalvos fore; idque certum erat; unde Paulus dicebat, *Credo Deo, quia ſic erit:* Et tamen præſtitum eſt illud promiſſum per media apud homines admodum dubia. Nautæ enim fugere volebant, de quibus dicit Paulus, *Niſi hi in navi manſerint, vos ſalvi fieri non poteſtis.* Milites etiam, cuſtodias occidere volebant; quos prohibuit Centurio. Denique omnes naufragium paſſi, ad unum tamen evaſere; ita iſta media, in ſe dubia & mutabilia, Deus direxit ad implendum ſuum promiſſum. Sic etiam per humana media, & per homines, qui falli poſſunt, ſive Epiſcopos, ſive ſummos Pontifices, implet Deus promiſſum de Eccleſia in fide manſura. Et ſimiliter implet electionem ſingulorum: unde idem Paulus 2. Tim. 2. *Omnia ſuſtineo propter electos, ut ſalutem conſequantur.* Vide eius loci Comment. & Annotat. Iud. 20. & Geneſ. 32. & Auguſtin. ibi allegatum. Hieronymus contra Vigilantium allegat hunc locum pro meritis & interceſſione Sanctorum cum Chriſto regnantium.

Amiſſio nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. Impropria exceptio, non enim navis habet animam, ſed ſenſus eſt: Vobis omnibus ſalvis, navis peribit. Vide Annot. ad Ioan. 17. Simile quid 1. Cor. 7. *Nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu ad tempus.* Ita Actor. 24. *Si quid invenerunt in me iniquitatis, niſi de hac voce, &c.*

ỷ. 24. *Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere.* At cur timuit, qui jam ante cum adhuc Hieroſolymis eſſet, acceperat revelationem ſe teſtificaturum Romæ, ſicut fecerat Hieroſolymis? non ergo timere debuit ne naufragio vel alio modo vitam amitteret priuſquam Romam veniſſet. An timor ille tantùm fuit naturalis, & involuntarius affectus partis animæ inferioris, ortus ex præſentia periculorum? adverſus quem jubetur animum roborare, renovata ei revelatione futuri adventus ſui in urbem Romam. An verò ideò timebat, quod etſi ſciret ex revelatione ſe perventurum Romam, neſciret tamen quibus modis & mediis id eſſet implendum? Vide Annotat. Geneſ. 32. & præcedent. verſ. 23. Poteſt etiam reſponderi, non eſſe hinc conſequens Paulum timuiſſe, ut ſi cui dicam ne facias hoc aut illud, non eſt conſequens eum jam hoc facere; verba enim ſunt prohibentis ne fiat, quod alioqui quis facere poſſet. Ita Paulus induci potuit ad timendum; ſi non iterum confortatus fuiſſet Angelica revelatione.

ỷ. 33. *Nihil accipientes.* Id eſt, permodicum. Non enim cibo ſe refecerant aut ſatiati fuerant; ſicut ad Pauli exhortationem fecerunt, ut ſequentia verba teſtantur: *Et ſatiati cibo.* v. 38.

ỷ. 35. *Sumens panem gratias egit Deo in conſpectu omnium, & cum fregiſſet, cœpit manducare.* Nullo modo veriſimile eſt, quod quidam opinantur hic agi de ſumptione panis myſtici, id eſt, Eucharistiæ. Neque enim illa tremenda myſteria fas erat tractare coram infidelibus, ac multò minus ea infidelibus communicare. At hic dicitur quod gratias egit in conſpectu omnium, & inſuper additur, quod exemplo Pauli omnes animæquiores facti, ſumpſerunt cibum. Agitur ergo de pane & cibo vulgari; quia & illum cum gratiarum actione & oratione ſumere oportet. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem; & nihil*

rejiciendum, inquit, *quod cum gratiarum actione percipitur, & qui manducat, gratias agit Deo.* ad Rom. 14. Hoc autem faciens Apoſtolus Dei, coram omnibus etiam infidelibus, docuit eos à Deo omnia bona expectanda eſſe, & pro omnibus ei gratias agendas, hæc verè Chriſtiana diſciplina eſt. Item in Syriaco non eſt vox illa quæ Actor. 2. & 20. quæ Euchariſtiam ſignificat. Vide Annot. Act. 2. & conſule ipſum textum Syriacum. Cæterùm Lucam non loqui de pane myſtico, id eſt, de Euchariſtia; etiam ex eo probatur, quia hæc refectio facta eſt ad pellendam famem corporis, & ad vires corporis inſtaurandas. Nam Paulus exemplo ſuos cæteros omnes qui in navi erant, hortatur ut cibum ſumant pro ſalute ſua, id eſt, pro valetudine & robore corporis. Unde & poſteà ſequitur: *Animæquiores autem facti omnes & ipſi ſumpſerunt cibum.* Et paulò poſt: *Et ſatiati cibo alleviabant navem, jactantes triticum in mare*, at Euchariſtia non eſt inſtituta ad refectionem & ſatietatem corporalem; Aeneſas quidem eſt de ea ſumere uſque ad corporis ſatietatem.

CAPUT XXVIII.

℣. 2. B*Arbari verò præſtabant non modicam humanitatem nobis. Græcè* φιλανθρωπίαν. Vide Comment. Tit. 3. Hinc quoque diſce non omnia infidelium opera eſſe peccata; quod imprudenter à quibuſdam aſſeritur. Barbaros vocat, non lingua, erant enim Græci, ſed quod nec moribus nec diſciplinis exculti eſſent, utpote in inſula, ab ijs urbibus quæ cultiores erant remota, habitantes; homines alioqui non mali & ad humanitatem propenſi: Quod hic Lucas teſtatur, quaſi dicat Barbari, minimè erant nobis barbari, ſed valdè humani.

℣. 4. *Ut viderunt barbari beſtiam pendentem de manu ejus, ad invicem dicebant: utique homicida eſt homo hic qui cum evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere.* Omnium ferè animis ea impreſſa eſt opinio, ut putent inſolitam calamitatem accidere homini, ex inſolito & enormi aliquo peccato. Ita in Evangelio diſcipuli Dominum interrogant de cæco nato. *Quis peccavit, hic an parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Hoc etiam argumento contra ſanctiſſimum Job uſi ſunt amici ejus; ut quia videbant eum inſolita & gravi tribulatione affligi, putarent eum eſſe magnum peccatorem. Quod quia ex ejus externa converſatione non apparebat; dicebant eum eſſe hypocritam. Sed hanc opinionem Chriſtus apud Lucam, iniquam oſtendit, quando docet non fuiſſe majores peccatores quorum ſanguinem Pilatus miſcuerat cum eorum ſacrificiis, aut ſuper quos ceciderat turris in Siloë, præ aliis è vulgo; quibus dicit: *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Ratio cur ea opinio ſit iniqua, duplex eſt: Una, quia bona & mala hujus vitæ communia ſunt piis & impiis, imò interdum pii graviores patiuntur hic afflictiones quàm impii, quos Deus reſervat futuris & æternis ſuppliciis. Altera, quia charitati proximi adverſatur: Ad quam pertinet de proximo non malè judicare: Sed quamdiu aliud non conſtat, bonam de eo habere opinionem. Aliud eſt de pœnis eorum qui manifeſtè fuerunt ſcelerati, ut Antiochi, Herodis & ſimilium.

℣. 6. Ijdem barbari *cum viderent nihil in eo mali fieri, dicebant eum eſſe Deum.* Notanda vulgi inconſtantia, quem paulò ante ſuſpicati ſunt eſſe homicidam & ſceleratum, nunc miraculo converſi in aliam ſententiam, dicunt eſſe Deum: In uno temerè judicantes: in altero, ſupra humanum modum hominem extollentes. Paulus autem neque homicidam ſe, neque Deum, ſed miniſtrum Dei eſſe oſtendit, dum non virtute ſua, ſed per invocationem nominis Chriſti, infirmos eorum curat. Vide porrò quàm facilè gentiles quempiam deificabant. Non eſt autem dubitandum quin Apoſtolus ſtatim repreſſerit hanc illorum de ſe opinionem atque correxerit errorem, dederitque gloriam Deo; ſecus quàm Herodes qui ſimilia audiens à populo, tacuit; ideoque percuſſus fuit ab Angelo, ſuprà cap. 12. Paulum autem contradixiſſe, quamvis hic expreſsè non A dicatur, oſtenditur ex alio loco, ſuprà cap. 14. quando Lyſtri dicebant eum eſſe Mercurium, & Barnabam Jovem. Porrò gravius erat peccatum dicere Paulum eſſe Deum quàm dicere homicidam; nam illud continet injuriam Dei, & ad idololatriæ peccatum pertinet: hoc verò tantùm continet injuriam hominis. Gravius intellige ex genere ſuo: Nam propter circumſtantias fortaſſe non erat gravius, tum quia procedebat ex benevolentia quadam; tum quia hominibus Deorum cultoribus non adeo grave eſt ad numerum Deorum unum aliquem addere; & excuſat eos ex parte conſuetudo & ignorantia. In Chriſtiano autem valdè grave eſſet peccatum. Hinc collige, etiam Danielem prohibuiſſe ſibi offerri ſacrificium, licet rex id juberet: Danielis 3. quamvis id ſcriptum non ſit.

B ℣. 11. *Cui erat inſigne Caſtorum. Cui* ſcilicet navi, non inſulæ, ut patet ex Græco, ubi (Alexandrina) proximè præcedit. Inſula autem eadem ipſa quæ ſuprà, intelligitur nempè Melita, (*Caſtrorum*) Græcè Διοσκούροις, id eſt, Jovis filius, quo nomine peculiariter vocabantur Caſtor & Pollux Ledæ ex Jove filij, ſecundùm fabulas, qui & à Latinis prioris nomine interdum pluraliter *Caſtores* appellantur. Ideò autem ambos ſimul pro inſigni navis ſuæ libenter accipiebant nautæ, quia ſi ambo ſidera ſimul appareant, ſerenitatis indicium eſt, ſin alter ſeorſum, tempeſtatis. Per hos jurabant in duali numero: νὴ τὼ θεώ. *Caſtrorum* planè vitioſa lectio eſt.

℣. 13. *Venimus Puteolos, ubi inventis fratribus rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem; & ſic venimus Romam. Et inde, cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis* C *uſque ad Appij forum, ac tres Tabernas. Quos cum vidiſſet Paulus; gratias agens Deo, accepit fiduciam.* Non dubium quin utroque loco fratres intelligantur Chriſtiani. Neque enim Judæi non Chriſtiani ea fraternæ charitatis officia, quæ hîc deſcribuntur, Paulo exhibuiſſent. Unde etiam liquet ante Pauli adventum fuiſſe Romæ & circa Romam Chriſtianos, utique Petri Apoſtoli, qui jam dudum illuc aſcenderat, prædicatione converſos. At poſteà ubi Judæorum primarii loquuntur ad Paulum: *Neque adveniens aliquis fratrum nuntiavit, &c. Fratres* intelliguntur Judæi quicumque, nam non Judæis erat omnes gentiles ſuos *fratres* vocare. Cæterùm in eo quod poſt illa verba, *Et ſic venimus Romam*; ſubjungit de Appii foro & tribus tabernis, &c. quæ loca ſunt extra Romam; quædam recapitulatio eſt, nempe narratio de occurſu fratrum ipſis Romam D euntibus facto.

℣. 15. *Et inde, cum audiſſent fratres, occurrerunt nobis.* Hic nulla mentio Petri; igitur, inquiunt, ſectarij, non eſt probabile Petrum tanto tempore; id eſt, viginti quinque annorum, Romæ ſediſſe. *Reſp.* argumentum negativum eſt ab auctoritate; quod nullius eſt ponderis. Deinde poterat Petrus propter neceſſitatem Eccleſiarum ad tempus abeſſe; quæ abſentia non cenſetur interrumpere reſidentiam Romanam; ſicut nec hodie, ſi Pontifex ob cauſas abſit ab urbe; imò etiamſi per annum unum aut plures abſit, ſive relegatus in exilium, ſive aliam ob cauſam, dicitur tamen ſediſſe Romæ, ibique Cathedram ſuam habuiſſe toto tempore ſui Pontificatus. Unde cum dicitur; Sedit tot annos, non exi-E muntur ab eo numero anni quibus fortè ab urbe abfuit. Et idem ſervatur etiam in annotandis annis, aliorum Epiſcoporum, Cathedras & plebem habentium.

Occurrerunt nobis. Ergo jam tum magnum erat nomen Pauli apud Romanos, ad quos etiam ſcripſerat epiſtolam. Quod autem primi Judæorum quos convocavit minus de eo honorificè ſentiant; non mirum: erant enim fortè principes Synagogæ, & legi Moſaicæ ac cæremoniis nimis tenaciter adhærentes, & diligentes honorem hominum magis, quàm Dei; ſicut de ſimilibus dicitur Joannis 12. Qui locus cum iſto conferendus, propter citatum Iſaiæ teſtimonium.

℣. 17. *Poſt tertium autem diem convocavit primos Judæorum.* Capite 18 dicuntur Judæi Roma pulſi à Claudio.

dio. Sed intelligendum poſtea rurſum datam iis poteſtatem eo revertendi, aut certè paulatim edictum illud exoleviſſe, ut fieri ſolet in ejusmodi, cauſis nimirum ceſſantibus.

Nihil adverſus plebem faciens aut morem paternum. Legendum non *Legem* ſed *Plebem*. Sic omnia M. SS. & Græca, λαῷ. *Morem paternum*, id eſt, inſtituta majorum. Sed quomodo id verum, cùm Paulus docuerit legem abrogandam? *Reſp.* illud intelligendum, ſicut & Jacobus loquitur de Paulo c. 21. *Et ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt, ſed ambulas & ipſe cuſtodiens legem.* Paulus enim licet ſciret legem quoad cæremonias evacuari per Chriſtum; quia tamen nondum mortifera erat, eam inter Judæos ſervabat, purificans ſe, &c. & ideò enim injuſtè tamquam prohiberet legem obſervari, à Judæis accuſabatur. Inter gentiles autem, non ſervabat; ſicut nec volebat Petrum ſervare, licet eſſet is Apoſtolus circumciſionis, ut patet Galat. 2. Sed de hac re non accuſabatur Paulus. Itaque tantùm reſpondet ad Judæorum accuſationem; de legis autem abrogatione per Chriſtum, nullam facit mentionem: quia hujus myſterii nondum erant capaces. Et quæri poteſt anne iſti Judæi Romæ agentes, ex epiſtola ad Romanos ſcripta agnoverint, qualis eſſet ejus doctrina. Reſponderi poteſt, illam epiſtolam ad gentiles converſos ſcriptam, in manus horum non veniſſe; imò fortaſſe eo tempore Romam perlata eſt, quando juſſu Claudii Româ Judæi exulabant.

℣. 20. *Propter ſpem enim Iſraël catena hac circumdatus ſum. Spem Iſrael* vocat reſurrectionem mortuorum, quo articulo maximè Iſraelitæ à cæteris nationibus differebant; & inter Judæos, orthodoxi ab hæreticis Sadducæis. Unde hac defenſione perpetuò utitur contra ſuos adverſarios Paulus apud Judæos; ut primum Act. 23. quando in concilio exclamavit ſe de ſpe & reſurrectione mortuorum judicari. Deinde apud Felicem: *Spem habens*, inquit, *in Deum, reſurrectionem futuram juſtorum & iniquorum.* Ubi etiam affirmat nulli accuſationi ſe obnoxium, niſi de una hac voce quâ exclamaverat, de reſurrectione mortuorum ſe judicari. Item coram Agrippa: *Et nunc in ſpe quæ ad Patres noſtros facta eſt a Deo, ſto judicio ſubjectus, ——— de qua ſpe accuſor à Judæis.* Et poſteà de Chriſto: *Si primus ex reſurrectione mortuorum.* Eadem igitur defenſione & hic apud Judæos Romanos utitur. Alij ſpem Iſraël, Chriſtum intelligunt, vel de Chriſto, quem omnes Judæi expectabant: Sed prius illud veriſimilius.

℣. 22. *Nam de ſecta hac notum eſt nobis.* Sectam vocant, id eſt, αἵρεσιν Græcè, illi qui non credunt. Nam à fidelibus ſectam vocatam fuiſſe, in Scripturis, ni fallor, non legimus. Sed *via* vocatur interdum. Vide Annot. ſuprà cap. 24. v. 5.

Quia ubique ei contradicitur. Græcè: *Quia ubique* ἀντιλέγεται *contradictionem patitur.* Sic enim prædictum fuerat: *Et in ſignum cui contradicetur.* Græcè: εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον, id eſt, *in ſignum contradictioni obnoxium.*

℣. 30. *Manſit autem biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes, &c.* Hieron. in epiſtol. ad Philemonem, reddit rationem cur in conducto manſerit. Nec parva, inquit, ut reor, erat manſio, ad quam Judæorum turbæ quotidie confluebant. Mirum quod Lucas hic nullam faciat mentionem primæ defenſionis Pauli, de qua ipſe 2. Tim. 4. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, &c.* quam factam fuiſſe primo anno quo Romam venit, non videtur dubitandum. Sed procul dubio multa Actorum Pauli à Luca ſunt omiſſa; ut bene probat Baronius in Martyrologio ad Theclam. Ac fortaſſe Lucas meditabatur tertium librum, in quo repeteret acta illius biennii; ſicut Act. 1. quædam expoſuit tacita ultimo capite Evangelii.

FINIS ACTUUM APOSTOLORUM.

CANDIDO LECTORI, F. NORBERTUS D'ELBECQUE.

JAm dudum cogitavi hiatum illum implere, quem hîc videre erat, annotationes inter in Acta Apoſtolorum, & eas quæ ſunt in Apocalipſim: Ubi Lector monebatur quòd cùm Eſtius copioſos Commentarios ſcripſiſſet in omnes B. Pauli Apoſtoli Epiſtolas, itemque in eas quæ Catholicæ vocantur, ideò illis prætermiſſis, ab Actis Apoſtolorum factus eſſet tranſitus ad Apocalipſim. Cùm enim non pauci (ij præſertim quibus tam vaſta Commentaria evolvendi tempus non ſufficit, aut ea ſibi comparandi facultas non ſuppetit) vehementer deſiderent in præcipua etiam Epiſtolarum Apoſtolicarum loca breviores ex ipſo præclariſſimo Auctore annotationes; quò nempè uno volumine totius Scripturæ S. loca difficiliora habeant explanata: Eorum deſiderio ut (quoad quidem ferret mea tenuitas) facerem ſatis conatum adhibere ſtatui. Et ecce, ex vaſtiſſimis illis Commentarijs celebriora difficilioraque loca ſelegi, ea præſertim quæ ad morum informationem & fidei Controverſias magis ſpectant: Et quæ auctor celeberrimus ad illa, ſive pro litteræ intelligentia, ſive pro morum informatione, ſive pro Controverſiarum notitia fuſius proſequitur, per modum annotationum contraxi (ubi tamen contrahi potuerunt; nam nonnulla Commentaria reliqui integra, quòd aut non eſſent nimis prolixa, aut planè eſſent neceſſaria) retentis ubique, nedum ſenſu Auctoris, ſed & propria ipſius dictione, proprijſque terminis: Quod ita faciendum eſſe judicavi, quia mea ipſe phraſi & dictione Auctoris profundiſſimi Commentaria contrahendo, efferendove, fieri potuiſſet (quemadmodum fieri amat in ſimilibus) ut nec ipſius mentem, ubique ſublimem, perfectè fuiſſem aſſecutus, nec ſtyli eloquentiam atque puritatem propè inimitabilem. Conatus ſum autem ita diſponere annotationes in Epiſtolas, ut annotationes in Evangelia mole ſua propè æquarent, quemadmodum hæc cum illis propè ſunt molis æqualis. Hôc porrò qualicumque labore noſtro, Studioſe Lector, fruere, & vale.

Cum Licentia Superiorum Ordinis.

ANNO

ANNOTATIONES

In Epiſtolam ad Romanos.

CAPUT I.

℣. 7. OMnibus qui ſunt Romæ, dilectis Dei vocatis Sanctis. Sanctos, hoc eſt verâ præditos ſanctitate vocat Romanos fideles, non quia omnes & ſinguli ſancti erant : Sed quod Eccleſia Romana ad quam ſcribit, ut & alia quæcumque particularis Eccleſia, ſit ſanctorum cœtus & congregatio. Nam ſancti in unaquâque Eccleſiâ ſunt præcipua ejus membra. Propter quod non ſolum Eccleſia univerſalis, verum etiam quælibet particularis verè ſancta dici poteſt. Quare non eſt neceſſe (quod quidam faciunt) ſanctos hoc loco & aliis ſimilibus, interpretari eos qui per baptiſmum ſemel ſanctificati ſunt, etiamſi ab illâ ſanctitate jam exciderint : Hoc enim pacto, ſancti dicerentur, vel Romani vel alii, etiamſi nullus inter eos verè ſanctus, id eſt, juſtus eſſet : imo ſancta diceceretur univerſalis Eccleſia, tametſi nullus in ea vera ſanctitate & juſtitia præditus eſſet. Quod eſt omninò ab ſurdum.

℣. 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Rectè ex hoc Scripturæ loco & ex aliis ſimilibus docet Auguſtinus, aliique poſt eum Theologi, quædam ſic eſſe peccata, ut ſint etiam pœnæ peccatorum. Auguſtini loca ſunt lib. 5. cont. Julian. cap. 3. & lib. de Nat. & grat. cap. 22. & alibi. Sed cùm omnis pœna peccati ſit à Deo, atque hic etiam expreſsè dicatur Deus quoſdam tradidiſſe *in deſideria cordis eorum, in immunditiam*, & ut paulò poſt ſequitur, *in paſsiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum* : Quæſtio eſt, cur ex hac doctrina non ſit conſequens Deum eſſe peccatorum & flagitiorum, cujuſmodi hîc referuntur, auctorem. Quod ex his atque aliis ſcripturis ſtatuere conati ſunt veteres ac novi hæretici, non ſine grandi injuria ac blaſphemia in Deum. Nam & Apoſtolorum tempore fuiſſe qui ex Pauli ſcriptis malè intellectis hunc errorem hauſiſſent, apparet ex Epiſtola B. Jacobi in qua cap. 1. tam ſtudioſè fideles adversùs eum errorem munit, admonens ne peccatorum tentationes & incitamenta Deo aſſcribant, ſed ſuæ potius concupiſcentiæ; in Deum autem non niſi quæ bona ſunt referant : Alioqnin graviter erraturos. Verùm præſens locus nihil ipſis patrocinatur. Nam tradere hominem in aliquod malum culpæ vel pœnæ (quæ phraſis eſt in Scriptura frequens) non aliud eſt quàm hominem ejuſmodi malo exponere, videlicet deſerendo, non protegendo, non eripiendo, vel etiam occaſiones & offendicula ponendo : Denique quomodolibet permittendo ac permittere volendo, ut in ejuſmodi malum incidat : Sive is qui ſic traditur aliquo præcedente peccato id commeruerit, ſive non. Nam Deus filium ſuum innocentiſſimum in mortem tradidit; nec omninò fieri poteſt ut quis alterum occidat, niſi Deus eum tradat in manus illius, teſte Auguſtino quæſt. 79. in Exod. Et quod attinet ad traditionem in peccata, Eccleſiaſticus, utique juſtus, Deum ſic orat cap. 23. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi.* Et iterum ; *Animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.* Imo omnium juſtorum quotidiana oratio eſt. *Ne nos inducas in tentationem*, quod quid eſt aliud, quàm, ne tradas nos in tentationem? Quare & hoc loco non putamus in vocabulo *tradidit* includi reſpectum aliquem ad meritum peccati præcedentis. Hoc enim ſeorſim ſignificatur cauſali dictione prepoſita, *propter quod, propterea.* Et infra illis verbis : *Sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ.* Quamquam fatemur, ubi ſcriptura ſic loquitur, plerumque ſermonem eſſe de traditione quæ ſit ob culpam præcedentem. Ita Stephanus Act. 7. de filiis Iſraël, qui vitulum ſibi ad cultum erea erant : *Et tradidit eos*, inquit, *ſervire militiæ cæli.* Ut nimirum peccatum ſequens eſſet pœna prioris. Quod ergo dicit Apoſtolus, tale eſt : Deum

A peccatis illis philoſophorum ſupradictis offenſum ita eos auxilio ſuo deſtituiſſe, & cupiditatibus ipſorum permiſiſſe, ut in immunditiæ peccata ac fœdas libidines, de quibus in conſequentibus plura, proni ac præcipites irent. Senſum locutionis probat orthodoxorum Patrum Chryſoſtomi & aliorum interpretatio, qui traditionem hanc, ſicut & illam inductionem, paſſim exponunt per hæc verba, ſinere, permittere, deſerere, auxilium gratiæ ſubtrahere vel non impertire : Interdum addentes etiam poſitivam aliquam actionem, non reſpicientem peccatum, ſed res ſecundùm ſe bonas, quarum Deus author eſt, quæ tamen hominibus ad mala propenſis eſſe ſolent occaſiones & irritamenta peccandi. Quod etſi non adderent; per ſe tamen ſatis intelligitur. Nobis enim in quibus aſſiduè caro concupiſcit adverſus B ſpiritum, peccatorum occaſiones ac tentationes etiam externæ, nuſquam non ſunt obviæ; Mundus enim laqueorum plenus eſt. Quamquam aliis plures, aliis pauciores objiciuntur occaſiones, Deo vel propter hominum merita, vel alias ob cauſas in ipſo abſconditas, ita diſponente. Cur autem ad hunc modum loquatur ſcriptura, ut Deum dicat vel tradere homines in peccata, vel inducere in tentationem; ea ratio eſt, quia qui ſubducit auxilium malo ſuperando vel evadendo neceſſarium, aut id non præſtat cùm poſſit, tradidiſſe videtur & induxiſſe in malum. Et ita loqui ſolent homines de hominibus, quibus in culpam imputatur ſi periclitantibus opem aut non ferant, aut ſubtrahant. At verò Deus ſenſu jam explicato tradens homines in peccata, atque in tentationem inducens, neque culpandus eſt, C quia nihil cuiquam debet, neque peccatorum author dicendus, quia non ipſa peccata operatur, ſed ea bona quibus in malum ſuum homines abutuntur. Operatur etiam actiones malitiæ ſubſtratas, ut Theologi loquuntur : Sed & illæ bonæ ſunt, & de iis hic non eſt ſermo. Dices : Author eſt Deus omnis pœnæ : Si ergo quædam peccata ſunt etiam pœnæ peccatorum, conſequens eſt ut etiam peccatorum author ſit. Reſpondeo, quemadmodum id non ſequitur ex eo quod omnis actionis author eſt Deus, licet quædam actiones peccata ſint; ita nec ſequitur ex eo quod author eſt omnis pœnæ, licet quædam pœnæ ſint peccata. Nam ſicut omnis actionis author eſt, ut actio quædam eſt, non ut peccati deformitatem habet : Ita author eſt omnis pœnæ, quatenus juſtæ punitionis habet rationem, non quatenus etiam D peccatum eſſe contingit. Atque id eſt quod docet Auguſtinus lib. de prædeſt. ſanct. cap. 10. *Etſi ſunt*, inquit, *quædam quæ ita peccata ſunt, ut pœna etiam ſint peccatorum, unde dictum eſt, Tradidit illos Deus*, &c. *non ibi peccatum Dei eſt, ſed judicium.* Hæc enim verba ſignificant, idcirco peccata quædam eſſe pœnas peccatorum, quia præter malitiam culpæ, quæ non eſt à Deo, invenitur in illis bonum juſtæ vindictæ, quod haud dubiè à Deo eſt. Quomodo autem inveniatur, explicat ſanctus Thomas in commentario : Et in univerſum hac de re diſputant ſcholaſtici doctores in 2. ſent. diſt. 36. Jam ex his intelligi poteſt, quo ſenſu B. Auguſtinus contra Julianum ſcribens loco citato, reprehendat hæc illius hæretici verba : *Cum deſideriis ſuis traditi dicuntur, relicti per divinam patientiam intelligendi ſunt,* E *non per potentiam in peccata compulſi.* Non enim ſentit aut dicit homines per divinam potentiam in peccata compelli : Sed eatenus verba Juliani reprehendit, quod ille in Deo homines ſuis deſideriis tradente ſolam agnoſceret patientiam derelinquentis, non etiam potentiam operantis; cum Apoſtolus hujus epiſt. c. 9. ſimul utrumque poſuerit, dicens : *Si volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, attulit in multa patientia vaſa iræ quæ perfecta ſunt in perditionem.* Potentiam verò vult agnoſci in eo quòd circa peccatores operatur quædam ſive proſpera ſive adverſa, ſive qualiacumque, quibus ut occaſionibus aut offendiculis eos graviùs ac turpiùs impingere contingat : Non in eo quòd in peccata propriè compellat. Hunc enim modum tradendi diſertè excludit & damnat alibi, quum dicit Deum tradidiſſe

peccatores ſuis deſideriis, non cogendo ſed deſerendo, A ut ſerm. 9. de diverſis cap. 9. & lib. de natura & gratia cap. 23 necnon l. 1. contra 2. epiſt. Pelag. cap. 18. ubi Juliani verbis quibus dixerat ; *Nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi : Sed propria voluntate aut bonum facere aut malum*, hæc ſua verba opponit : *nec ex Dei potentia vel in malum vel in bonum invitum aliquem cogi ; Sed Deo deſerente pro meritis ire in malum, & Deo adjuvante ſine meritis converti ad bonum.* Scripſit autem hæc Auguſtinus poſt illa quæ ex libro 5. contra eumdem Julianum ſcripto proferebantur : Ut proinde mentem ſuam de eo quod priùs ſcripſerat, in his poſterioribus explicare voluiſſe exiſtimandus ſit. Vide Annot. Jacob. 1. v. 13.

℣. 25. *Amen.* Vox eſt Hebrea, paſſim omnibus nota, & à Chriſto Domino frequentata : Quâ Paulus ſexies poſuit B in hac epiſtola. Adhibetur autem ad confirmationem & approbationem ejus quod dicitur : Ac idem valet quod adverbium *verè*, aut verbum *fiat*, *verum ſit ac firmum.* Utitur eo Chriſtus in Evangelus (apud Joannem ſemper geminato) tamquam adverbio aſſeverandi : Idque initio ſententiarum quas vult confirmare, dicendo : *Amen*, id eſt verè *dico vobis.* Et quidem hoc ei peculiare fuiſſe videtur. Nam alibi in ſcriptura utriuſque teſtamenti uſurpatur pro clauſula ſermonis antecedentis, quâ cum optatione quod dictum eſt approbatur. Unde eſt illud de non intelligente 1. Cor. 14. *Quomodo dicit Amen ſuper tuam benedictionem ?* Ita accipitur hoc loco. Nam ſenſus eſt : Ut vere laudandus eſt in omnem æternitatem; ita fiat, in æternum laudetur. Hanc ejus vocis ſignificationem reddiderunt LXX. interpr. Græco verbo C *γένοιτο*, id eſt *fiat.* Quod geminatum legitur in fine pſalmorum 40. 71. 88. & 105. Idipſum Aquila, Symmachus & Theodotio *fideliter*, ſive *verè* interpretati ſunt, teſte Hieronymo in fine comment. epiſtolæ ad Galatas. Interdum quoque epitheton eſt Chriſti filii Dei, ut Apoc. 3. *Hæc dicit Amen, teſtis fidelis & verus.* Græcè ὁ Ἀμὴν, *ille Amen.* Ac ſi dicat : Hæc dicit ipſa veritas.

CAPUT II.

℣. 14. *CUm enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt.* Hujus loci tres feruntur expoſitiones, quarum una erronea eſt, imò hæretica : Reliquæ duæ ſanum continent ſenſum. D Pelagius in commentario, & apertius in epiſtola ad Demetriadem, cujus initium; *Si ſummo ingenio* : Itemque Joannes Caſſianus in collatione de protectione Dei, cenſent Apoſtoli Pauli in hoc loco doctrinam eſſe, quod ex gentilibus quidam ſine fide & gratia Chriſti per ſolas naturæ vires fecerint ea quæ legis ſunt, id eſt obſervaverint & impleverint legem Dei. Et hos naturaliter juſtos vocat Pelagius. Quæ doctrina damnata eſt in concilio Milevit. can. 5. Fuitque hæc ipſa Pelagii hæreſis, Dei præcepta ſine ejus gratia ſervari poſſe; ut conſtat ex multis quæ adverſus eam hæreſim ſcripſit Auguſtinus: Quam & diſertè exprimit in libro de hæreſibus. Alii nonnulli, inter quos Cajetanus, exponunt quidem hunc locum de gentilibus à fide Chriſti alienis, non tamen omnia quæ E legis ſunt facientibus, ſed aliqua : cujuſmodi ſunt honorate parentes, inopi ſuccurrere, reddere depoſitum, juſtam ferre ſententiam. Quæ expoſitio nihil habet ſanæ doctrinæ contrarium. Nam infideles poſſe facere quædam opera moraliter bona, communis eſt & vera Theologorum ſententia. Juxta quam Hieronymus quoque intelligendus eſt, ſcribens in Exech. 29. ubi locum hunc Pauli refert ad ethnicos infideles. Cæterum de hujuſmodi gentilibus, deque operibus ex ſola facultate naturæ profectis Apoſtolum loqui, ex eo probant; quia dicit eas gentes naturaliter, id eſt (ut illi interpretantur) ex naturæ viribus ea quæ legis ſunt facere. Sed hoc argumentum facilè evaneſcet audita veriore interpretatione. Eſt igitur tertius commentarius eorum qui de gentibus fide Chriſti mediatoris imbutis, & per ejus gratiam

A ea quæ legis ſunt facientibus, ſive Chriſti præceſſerint adventum, ſive ſecuti ſint, Apoſtolum exponunt; velut imprimis Auguſtinus lib. de ſpir. & lit. cap. 26. & aliquot ſequentibus. lib. 1. contra Julianum cap. 3. & lib. 4. cap. 3. & alibi. Item Proſper contra Caſſianum cap. 22. Fulgentius de gratia Chriſti cap. 25. & 26. Et ante hos omnes comment. Ambro. Denique Latini poſteriores, Hugo, Lombardus, Hervæus, Aquinas, Carthuſianus, aliique complures. Et ut ad Græcos tranſeam, primùm Origines de iiſdem ſenſiſſe videtur. Dicit enim legem ſcriptam in eorum cordibus Spiritu Dei vivi, reſpiciens nimirum ad locum 2. Cor. 3. qui ad fideles certiſſimè pertinet. Chryſoſtomus quoque & eum ſecutus Theophylactus pro exemplis huc adferunt eos gentiles, qui Deo per fidem placuerunt : Ut Mel- B chiſedec, Job, Ninivitas, Cornelium. Satis idipſum indicat etiam Oecumenius, quum illud exponens quod præceſſit : *Pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco*, dicit Græcum ibi intelligi verum Dei cultorem ac fidelem. Hunc autem commentarium valdè probabilem ac penè certum faciunt : Primùm ſcopus Apoſtoli, cui propoſitum erat oſtendere ſine fide Chriſti omnes eſſe ſub peccato, tam gentiles quàm Judæos : Quod & ſuperiori capite de gentilibus latè executus eſt. Nec certè uſquam alibi de gentibus à fide mediatoris alienis ita loquitur, ut tribuat eis aliquam veram legis obſervationem, ſed ubique varia eis aſcribit crimina, ut Eph. 2. & 4. Coloſſ. 3. 1. Theſſ. 4. De quibus & in hac epiſtola cap. ſequenti pronuntiat illud cum Judæis commune : *Omnes declinaverunt, ſimul* C *inutiles facti ſunt ; non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Deinde probat totius loci contextus, quem diligenter expendit Auguſtinus in lib. de ſpiritu & litera. Nam proximè præceſſit, factores legis juſtificari, videlicet ſive Judæos, ſive gentiles, ſive legem ſcriptam accepiſſent, ſive non. Et quia dubitari poterat de gentibus, quomodo legem faciendo juſtificarentur, quum legem non accepiſſent; idcirco modum hac parte declarat, dicens : *Cum enim gentes*, &c. Certum eſt autem ſecundùm fidem Catholicam, nullos infideles fuiſſe juſtificatos aut juſtos apud Deum, etiamſi nonnulla quæ legis ſunt facerent : Igitur neque ſubſequens hæc declaratio de gentibus infidelibus accipi poteſt : Sed de ſolis fidelibus eſt verificanda, cujuſcumque temporis fuerint. Eodem omninò facit illa ſententia præce- D dens : *Gloria & honor & pax omni operanti bonum.* Id eſt facienti ea quæ legis ſunt. Si ergo gentilis ſine fide facit ea quæ legis ſunt, ſecundùm Apoſtolum erit illi gloria & honor & pax, id eſt, ut jam ſupra expoſitum eſt, ipſa vita æterna. Quâ probatione ad refutandam iſtam de infidelibus expoſitionem utitur Fulgentius. Rurſum pro fidelibus faciunt ſimiles ſententiæ quæ hoc eodem capite ſequuntur, ut illa : *Si igitur præputium juſtitias legis cuſtodiat, nonne*, &c; Item : *Judicabit id quod ex naturâ eſt præputium legem conſummans, te qui per literam* &c. Ex quibus omnibus collige quòd eadem ſunt Apoſtolo ſex iſta, quæ in hoc capite leguntur, operari bonum, eſſe factorem legis, facere ea quæ legis ſunt, legem obſervare, juſtitias legis cuſtodire, legem conſummare. Atqui horum duo E poſtrema ſine controverſia tribuit Apoſtolus gentibus ad fidem converſis ; Quartum tribuit Judæis fidelibus : Primum & ſecundum generaliter iis qui coram Deo juſti ſunt, & gloriam apud Deum merentur. Quare & tertium, id eſt facere ea quæ legis ſunt, quod gentilibus attribuit, non aliis utique præterquam fidelibus attributum intelligi debet, iis qui coram Deo juſti ſunt. Adde, quòd & in ſequentibus ſignificat Apoſtolus, eorum opera de quibus hic dicit quòd quæ legis ſunt faciunt, remunerationem habitura in die judicii. Id enim volunt illa verba : *In die cum judicabit Deus occulta hominum.* At ea remuneratio non alia eſt quàm vitæ æternæ. Nam infidelium opera bona, quoniam mortua ſunt, nullam illic acceptura ſunt remunerationem. Denique & illud admodum ſuadet, quod gentilem juſtitias legis

custo-

cuſtodientem & legem conſummantem, in fine cap. A appellat *Judæum in abſcondito*, & juſtitiam ejus vocat *circumciſionem cordis in ſpiritu, non litera : Cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo.* Hæc enim planè congruunt cum eo quod hic dicit, gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt facere; ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis : Licet non habeant ſcriptum in tabulis, ſicut habebant Judæi. Igitur ex his omnibus ſatis abundè liquet, de quibus gentibus hic loquatur Apoſtolus. Cur autem de gentibus hæc verba ſuperiori ſententiæ ſubjecerit, jam antè dicta eſt ratio. Cui & iſta accedit, quia comparatione gentilium humiliare volebat Judæos, & peccatores oſtendere, ut patet ex ſequentibus. Verùm adhuc inſtant Pelagius & Caſſianus, negantes de fidelibus hæc Apoſtoli verba accipi poſſe : Quia loquitur de gentibus B quæ legem non habent : Fideles autem omnes præter legem naturæ cunctis inſitam, legem habent Chriſti: Sicut & Paulus de ſe teſtatur dicens 1. Cor. 9. ſe ſine lege non eſſe, ſed eſſe in lege Chriſti. Primùm reſpondeo : Quamvis hoc argumentum videri poſſit aliquid habere momenti, quantum ad gentiles attinet Chriſtianos, id eſt eos qui Chriſto nomen dederunt in baptiſmo : Nihil tamen ad eos pertinere gentiles qui Chriſti adventum præceſſerunt, & tamen in eum venturum crediderunt; quos hic etiam comprehendi jam antè dixi. Nam his nullam à Chriſto legem datam fuiſſe, manifeſtum eſt. Deinde plenius ac generaliùs reſpondetur, nec omninò Chriſtum ullam dediſſe legem in tabulis aut membranis ſcriptam : At neque principaliter attuliſſe legem operum, quam omnes à natura, Judæi in- C ſuper à Deo per Moyſen acceperant; ſed legem fidei. Non enim gentiles per operum legem traducti ſunt ad fidem, quemadmodum Judæi, quibus ſua lex pædagogus fuit ad Chriſtum : Sed nulla lege media vocati ſunt ad fidem, ut ea quæ legis ſunt facerent. Denique lex Chriſti præter legem naturæ & fidem myſteriorum pauca continet ſervanda : Magiſque conſiſtit in ſpiritu ac dono gratiæ quâ lex impleatur, quàm in præceptis, quæ jubeantur impleri. Sed nunc ad explicationem textus veniamus. Cùm enim gentes, inquit, quæ legem ſcriptam non acceperunt, naturaliter ac ſine lege ſcripta faciunt ea quæ ſunt legis ſcriptæ, id eſt ea quæ lege decalogi continentur; hi legem ſcriptam non habentes, ſibiipſis ſunt loco legis; dum ſua ſponte ac proprio judicio ſine externo legis jubentis adminiculo & im- D pulſu bonum operantur : Atque hoc pacto completur in eis quod dixi, *factores legis juſtificari*. Illud, *naturaliter*, Auguſtinus de ſpiritu & lit. cap. 27. exponit, ex natura per gratiam reparata. Alii ſic : *naturaliter*, id eſt, duce ac monſtrante ipſa natura ſeu naturali lumine rationis, abſque magiſterio legis ſcriptæ. Thomas utrumque commentarium adfert. Nec verò pugnant hi duo ſenſus. Neque enim duce natura poſſunt gentes ea quæ legis ſunt facere, niſi eadem natura per gratiam fuerit reformata. Cujus ratio eſt & ex parte luminis naturalis, quod peccato obſcuratum cùm ſit, non monſtrat omnia agenda & vitanda; & ex parte voluntatis, quæ ex peccato infirmitatem & malitiam contraxit, ut nec ea omnia quæ ratio naturalis agenda dictaverit, eligere poſſit, antequam fuerit per gratiam ſanata atque E adjuta. Nec aliud vult Auguſtinus, quum naturam interpretatur reparatam per gratiam. Non enim ſentit hic in nomine naturæ gratiam includi : Sed gentes id quod hic dicitur, facere non poſſe naturaliter, id eſt per naturam, niſi gratia reparatam. Ex his jam liquet, in verbis Apoſtoli naturam non gratiæ, ſed legi ſcriptæ opponi : & proinde ceſſare argumentum eorum qui ex vocabulo *naturaliter* colligebant hic Apoſtolum agere de gentibus infidelibus. Sunt qui vocem *naturaliter* ſic exponant, ſponte, libenter, ex animo, ut hoc opponat Apoſtolus illi modo quo Judæi ſub lege conſtituti legem obſervabant, nempe ſerviliter & coactè. Ratio locutionis patet, quia quæ naturali fiunt impulſu, ſponte & non coactè fiunt. Mihi tamen quod prius dictum eſt, magis germanum videtur. *Eſtij Annotat. in Script.*

CAPUT III.

℣. 8. *Et non ſicut blaſphemamur, & ſicut ajunt quidam nos dicere : Faciamus mala ut veniant bona? Blaſphemamur* βλασφημούμεθα, id eſt, maledicimur, malè de nobis homines loquuntur. Senſus : Et cur non potius dico (ſicut quidam malè de nobis loquentes ajunt nos dicere) faciamus mala, cumulemus peccata peccatis, ut veniant bona; quale eſt Deum glorificari : Suppleri ſententia poteſt etiam hoc modo : Et cur non potius facimus mala, ut Deus glorificetur? ſicut quidam calumniantur nos dicere, *Faciamus mala ut veniant bona.* Videtur Apoſtolus eos ſignificare, qui malè & calumnioſè interpretabantur id quod paſſim docebat, ſuperabundaſſe gratiam Dei, ubi ſuperabundavit hominum iniquitas. Simul inſinuat, pro regula tenendum, ne unquam malum faciamus cujuſcumque boni gratia. Cæterùm permittere & non impedire mala quum poſſis, ut bona majora eveniant; haud dubiè licitum eſt & laudabilis prudentiæ; quemadmodum & illud, conſulere cuipiam minus peccatum, quo à majori revocetur : Sicut ipſe fecit Apoſtolus, quædam ſecundùm indulgentiam dicens infirmis, non ſecundùm imperium, 1. Cor. 7.

Quorum damnatio justa est, ſcilicet eorum qui ſic loquuntur : *Faciamus mala*, &c. Rejectio eſt. Non enim dignatur illationem tam abſurdam pluribus refellere, ſed eam ſimpliciter condemnat. Sapientis enim diſputatoris eſt, non ad omnia objecta reſpondere, ſed quædam contemnere. *Damnatio* Græcè *judicium*, ſed intellige condemnativum, ut alibi frequenter.

℣. 24. *Juſtificati gratis.* Quod ſequitur, *per gratiam ipſius*, ἐξηγητικῶς additum eſt, ac ſi dicat *gratis*, id eſt *per gratiam ipſius.* Nam ſenſus eſt, homines peccatores juſtificari abſque ullo ſuorum operum merito, per ſolam gratuitam Dei bonitatem. Hoc autem intellige de tota juſtitia ab initio uſque ad finem : de qua ſub nomine ſalutis idem Apoſtolus verbis antea citatis : *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Hinc Auguſtinus epiſtola 105. quæ eſt ad Sixtum Romanum, docet juſtitiam & fidem nuſquam vocari mercedem; quamvis remiſſio peccatorum non ſine aliquo ſit merito, propterea quod reddatur fidei & orationi præcedenti. Cujus doctrinæ ratio eſt, quia juſtitia Chriſtiana complectitur totam hominis renovationem : cujus initium eſt a fide : Quæ prima datur, ut per eam cætera impetrentur; uti loquitur idem Auguſt. lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 7. Eumdem vide his conſentanea ſcribentem in epiſtola 106. ad Paulinum Nolanum Epiſcopum. Ab hac explicatione ſententiæ Paulinæ nihil diverſum eſt, quod docet Synodus Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. nos ideo gratis juſtificari, *quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur.* Loquitur enim de fide prorſus informi & mortua, quæ nihilo magis, quam donum linguarum aut prophetiæ aut ſcientiæ, ſi nihil adſit Chriſtianæ dilectionis, hominem Deo commendat, 1. Cor. 13. quemadmodum & de operibus totam juſtificationem præcedentibus; quæ nec ipſa qualiacumque ſint, hominem Deo commendare poſſunt. Dico, totam juſtificationem; cujus exordium eſt à Dei per Jeſum Chriſtum præveniente gratia, qua qui à Deo averſi ſunt, ut dicitur ejuſdem ſeſſ. cap. 5. nullis eorum exiſtentibus meritis ad convertendum ſe diſponuntur : Ad quod utique non diſponit fides omnino informis & otioſa. Et hanc eſſe mentem concilii ſatis etiam oſtendit ipſius ſubjuncta probatio : *Si enim gratia eſt, jam non ex operibus : Alioquin gratia jam non eſt gratia.* Siquidem parùm ſolida videretur hæc probatio, ſi de operibus à gratia Chriſti profectis, & proinde ſub latitudine juſtificationis comprehenſis, Synodus fuiſſet locuta Quamquam alioqui, & de hujuſmodi operibus, ſicut

& de fide invocante, ex qua procedunt ea opera, fatemur verè dici, quòd habitualem juſtificationis gratiam, quæ videlicet in amicitia Dei conſiſtit, & datur ſimul cum remiſſione peccatorum, non promerentur: Quatenus ſcilicet hoc promerendi vocabulo meritum condignum ſignificetur. Nam quòd eam ex congruo mereantur, ſacris literis & ſanctorum Patrum atteſtationibus valde conſentaneum eſt. Porrò ex hoc Apoſtoli loco & aliis ſimilibus conſtabilitur dogma Catholicum adverſus Pelagianos ac Pelagianorum reliquias, de gratia & prædeſtinatione Dei prorſus gratuita. De quo diſputant ex profeſſo Theologi in 1. ſent. diſt. 41. & in 2. diſt. 26. Vocat autem hoc loco gratiam Apoſtolus, quam in epiſtola ad Titum vocat miſericordiam, id eſt gratuitam Dei benignitatem ac beneficentiam erga miſeros & indignos.

℣. 28. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis.* Senſus eſt: Jam ergo colligimus & concludimus ex ſuperiori diſputatione hanc noſtram propoſitionem. Hominem ſive Judeum ſive Gentilem juſtificari per fidem qua juſtitiam apprehendat, etiamſi legis opera non adferat, ea videlicet quæ ſola cognitione legis adjutus fecerit: Ut quæ nihil ad juſtitiam conducant. Non igitur, ut Sectarii volunt, opera ſimpliciter excluduntur à negotio juſtificationis, ſed opera fidem præcedentia, vel non à fide profecta, quantumvis ad lumen inſitæ rationis lucerna ſcriptæ legis acceſſerit. Nam quod ad opera verè bona ac ſalutaria attinet, tenendum prorsùs quod in ſua docet epiſtola Jacobus Apoſtolus cap. 2. *Quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.* Sed hæc *opera ſunt ex fide non ex operibus fides* ait Auguſtinus lib. de Grat. & lib Arb. cap. 7. *Non enim virtutibus venitur ad fidem, ſed per fidem venitur ad virtutes*, teſte Gregorio Magno Homil. 19. ſup. Ezechiel: Siquidem & *Cornelius Centurio cujus eleemoſyna ante baptiſmum Angelo teſtante laudata ſunt*, ut de eo ſubjicit ibidem Gregorius, *non operibus venit ad fidem, ſed fide venit ad opera*, ſcilicet hæc ipſa quæ ab Angelo laudata ſunt, orationes & eleemoſynas. *Neque enim*, inquit, *poterat bona agere, niſi ante credidiſſet.* Porrò quæ fides hìc intelligatur, Auguſtinus loco proximè citato, fidem exponit de qua Paulus Galat. 5. ſcribit dicens: *In Chriſto JESU neque circumciſio aliquid valet, neque præputium: Sed fides quæ per dilectionem operatur.* Illud hoc loco plenius ac diſtinctiùs explicandum; quum aliis in locis Scriptura juſtificationem aſcribat nunc pœnitentiæ, nunc dilectioni, nunc invocationi divini nominis, nunc Sacramento Baptiſmi, ut Actor. 2. & 3. Luc. 7. Joel. 2. Joan. 3. Tit. 3. ſintque hæc omnia ad juſtificationem neceſſaria: quænam ſit ratio cur Paulus ita peculiariter eam attribuat fidei. Nam ſi reſpondeas fidem à dilectione, & cæteris illis non eſſe ſeparandam; è diverſo tibi dicetur, nec illa à fide ſeparanda eſſe, aut ſeparari poſſe, ut ad juſtitiam valeant. Itaque reſpondeo complures adferri poſſe rationes, ob quas ſecundum doctrinam Apoſtolicam ex fide juſtificari dicamur. Prima ratio eſt, quia fides humanæ ſalutis, ac proinde juſtitiæ ipſius, initium eſt: Non ſolum quia fides juſtitiam præcedit, ſed quia ſic eam inchoat, ut etiam ipſius pars quædam ſit: Quemadmodum à corde principium eſt vitæ hominis, quum tamen in ipſo etiam vita ſit. Quo referendum, quod Gregorius in homilia paulo antè citata, fidem vocat veſtibulum ædificii ſpiritualis: Quoniam huc non intratur niſi per fidem. Et tamen veſtibulum etiam eſt pars ædificii. Secunda ratio, quia fides fundamentum eſt omnis noſtræ juſtificationis: Ut quæ tota fidei innitatur, & ab ea continuò ſuſtentetur. Id quod præclarè docet Apoſtolus in epiſtola ad Hebr. 10. & 11. Tertia, quia fides ejuſdem noſtræ juſtificationis radix eſt: Utpote in qua virtute contineatur omnis juſtitia noſtra, & ex qua veluti pullulet atque ſuccreſcat. Circa quas duas rationes illud rurſus notandum; ſicut fundamentum pars eſt domus, & radix pars arboris; ita fidem eſſe partem quamdam juſtitiæ. Tres rationes jam dictas expreſſit ſynodus Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. Quarta eſt, per fidem ſive ex fide hominem juſtificari, quia fides impetrat juſtificationem, & quadamtenus eam meretur. Hac enim ratione dictũ eſt peccatrici Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit*, id eſt, à peccatis juſtificavit. Etenim fides ut hic accipitur, opus eſt Deo gratum, idemque primum, cujus intuitu cætera donantur, quæcumque ad juſtitiam & ſalutem hominis pertinent: Ut ob hanc cauſam meritò non ſolum impetrare, verùm etiam apprehendere juſtitiam fides dicatur. Adfert hanc rationem Auguſtinus libro de ſpiritu & litera cap. 29. & 30. & in epiſtola 105. ac alibi. Unde illud ejuſdem; *Fides impetrat quod lex imperat.* concione 16. in Pſalmum 118. Item: *Non opera, ſed fides inchoat meritum*, libro 1. retractationum cap. 23. Accedit & quinta ratio, quæ quartam confirmet; quod nimirum in fide magis quàm in aliis actibus Deo placitis appareat ac manifeſtetur, hominem non propria virtute, ſed Chriſti merito gratis juſtificari. Nam idipſum agnoſcit & proteſtatur is qui in Chriſtum credit. Qua quidem agnitione in ſpem erectus, fidensque Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore, provocat erga ſe miſericordiam Dei ad impertiendum ipſi juſtificationis beneficium: Sicut in quarta ratione dictum eſt. Quod verò ſectarii docent, per fidem ut cauſam formalem nos juſtificari, ſic ut non ſit alia noſtra juſtitia quàm fides; id quàm ſit alienum à mente Pauli, ſatis oſtendit illa dudum ab eo præmiſſa ſententia: *Factores legis juſtificabuntur.* Igitur utrumque confitendum eſt; factores legis juſtificari; nec tamen ex operibus legis quemquam juſtificari, ſed per fidem. Non enim factores legis ex operibus legis, ſed ex operibus fidei juſtificantur, quantumvis in juſtitia promoverint. Etenim etiam in hoc loco juſtificationem generaliùs accipi nihil vetat, ut comprehendat progreſſum & augmentum juſtitiæ; de quo ſcriptum eſt: *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc* Apocal. 22. Semper enim juſtus, dum in hoc ſeculo vivit, ex fide vivit. Ad extremum quæret aliquis, quomodo Paulus modò per fidem, modò gratis juſtificari nos dicens, non ipſe ſecum pugnet: Maximè ſi in fide ſecundùm prædicta ſtatuendum ſit aliquod meritum juſtificationis. Quidam huic quæſtioni non aliter ſatisfieri poſſe putant, niſi meritum hoc inficiando. Dicunt enim fidem eſſe nudam conditionem, quam Deus exigat ab homine præſtandam, ſi velit juſtificari: Sicut erat aſpectus ſerpentis ænei iis, quos momorderant igniti ſerpentes, Numer. 21. Hac enim utuntur comparatione, velut argumento ad rem figuratam: Quaſi videlicet aſpectus ille non debuerit eſſe cum obedientia conjunctus; ideoque etiam impetrationis ac meriti quamdam rationem habuerit; aut quaſi figura debeat per omnia reſpondere figurato: quum conſtet, ac multis exemplis doceri poſſit, etiam per actiones malas interdum actiones bonas & ſanctas in myſterio præfiguratas fuiſſe. Exempla ſunt Noë inebriati, Geneſis capite 9. Samſonis meretricem amantis, Judicum capite 14. Davidis inſaniam ſimulantis, 1. Regum cap. 21. & aliorum: quemadmodum viciſſim per actiones bonas, cujuſmodi multæ erant, quibus immunditia legalis contrahebatur, mala & immunda opera typicè ſignificata fuere. Dicendum proinde nullam in ea Pauli doctrina eſſe repugnantiam: Quoniam & fides ipſa gratis datur, tamquam juſtitiæ pars quædam initialis, ut antè dictum eſt. Nam fides non ſolum gratiam Dei qua juſtificamur, agnoſcit & impetrat: Sed & eam inchoat. Eſt enim fides, ut ſic dicam, gratiæ Dei per CHRISTUM filia primogenita. Nec verò prorſus ut oportet quis credit ſe gratis juſtificari, niſi credat & ipſam fidem qua juſtificatur, eſſe gratuitum Dei donum. Id quod perſpicuè docet Apoſtolus Epheſ. ſecundo: Ubi cùm utrumque conjunxiſſet, dicendo; *Gratia eſtis ſalvati per fidem*, ſtatim de fide ſubjunxit: *Et hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt.*

CAPUT IV.

℣. 15. LEx enim iram operatur. Probatio eſt ab effectu & eventu legis (ait Thomas) qui eſt iram operari: Tamquam dicat Apoſtolus: Adeò ex lege non obtinetur hereditas ſeu benedictio, ut lex potius iram operetur, id eſt pœnam augeat & maledictionem adferat. Hoc autem lex non per ſe facit & ex ſua inſtitutione, ſed ex occaſione; ſicut docetur infrà cap. 7. quomodo & Chriſtus dicitur poſitus in ruinam multorum, Luc. 2. & Apoſtoli quibusdam erant odor mortis in mortem, 2. Cor. 2. videlicet per occaſionem. Sic igitur & lex iram operatur, idque triplici ratione. Primùm, quia ſi lex non eſſet, nec eſſet transgreſſio legis. Unde docet Auguſtinus epiſtola 88. pejorem eſſe qui legem habet cum mala voluntate, quàm ſi legem non haberet. Nam cæteris paribus graviùs peccant ſcientes quàm ignorantes, Luc. 12. & Jac. 4. Secundò, quia legis occaſione augetur in homine concupiſcentia, dum ex inclinatione naturæ corruptæ magis ſemper nititur in vetitum, fitque ei dulcius quod prohibetur. Pluribus id declarat Apoſtolus infrà cap. 7. Ac de eo vide ſanctum Auguſtinum de ſpiritu & litera cap. 4. Tertiò, quia facilè ſibi promittit homo legis acceptæ impletionem, atque ex ea juſtitiam, non cogitans de neceſſario Dei auxilio: quemadmodum illi qui lege audita dicebant: *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes*, Exod. 24. Deinde in ſe confidit, ac ſibi placet tamquam juſtus, dum legem aliquatenus, ac vel opere vel ſpecie externa, Phariſæorum more, obſervat: itaque per hoc redditur ſuperbus & hypocrita. Rationis hujus meminit Auguſtinus lib. 3. contra duas epiſtolas Pelag. cap. 7. Et hi quidem effectus ſunt legis, à fide & gratia ſeparatæ, ſicut de ea nunc Apoſtolus diſputat. Quocirca malè contendunt ſectarii hinc oſtendere, quod nemo etiam juſtificatus legem impleat. Quæ eorum doctrina & ſcripturis apertiſſimè adverſatur, & in Chriſtum ejusque gratiam, quæ data eſt ut lex impleatur, vehementer injurioſa eſt. Cæterùm Apoſtolus hoc loco primum modum præcipuè conſideravit: ut patet ex eo quod ſequitur.

℣. 18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit*. Græcè, *qui præter ſpem in ſpe* vel *ſub ſpe credidit*. Sed & apud Latinos Pelagium, Primaſium & Hugonem legitur auferendi caſu, *in ſpe*; ut veriſimile ſit ita vertiſſe noſtrum interpretem. Qui etiam illud rectè, *contra ſpem*. Nam eam vim habet Græcum *παρά*, tum hic tum paſſim alibi: quemadmodum & Latinum *præter*. Ita nimirum illud accipiendum ad Galatas 1. *præterquàm quod Evangelizavimus vobis*: Et iterum, *præter id quod accepiſtis*. Quemadmodum eo loco pleniùs oſtendemus. Senſus eſt: qui præter ſpem, id eſt cùm prius non ſperaret, ſed magis deſperaret ſibi ſobolem ex Sara: Vel potius, præter ſpem naturæ; id eſt contra quam ex natura ſperari potuit, quia res erat naturaliter impoſſibilis; credidit divinæ promiſſioni, ſpemque certam ex ea concepit. Credidit, inquam, quod ſequitur.

Ibid. *Ut fieret Pater multarum Gentium*. Ideſt, ſe futurum Patrem multarum Gentium. Quidam ad ſpem referunt hoc ſenſu: Credidit ſperans ſe fore Patrem multarum Gentium. Sed prior conſtructio textui magis congruere videtur: Eamque vult etiam Syriaca tranſlatio.

CAPUT V.

℣. 1. J*Uſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*. Detorquent hunc locum ſectarii ad ſtabiliendam eam quam ab unoquoque credente exigunt, reconciliationis ac ſalutis ſuæ certitudinem infallibilem: Sed id faciunt imperitè. Nam pax reconciliationem ſignificat, non autem ejus certam notitiam. Itaque pacem habere poteſt cum Deo, qui tamen propter occultas latebras ſui cordis non omnino certus ſit, quod

A eam habeat. Nec aliud affirmat Paulus, quàm juſtificatos hanc pacem habere.

℣. 20. *Ubi autem abundavit delictum ſuperabundavit gratia*. Senſus: Ubi peccata occaſione legis inundarunt, & homines convicti ſunt ſuarum transgreſſionum, ibi redundavit gratia, id eſt benignitas & miſericordia Dei peccata remittens, & dona gratificantia tribuens. Nam quanto major iniquitas peccantis, tanto major gratia remittentis: Et quanto majorem peccatorem quis fuiſſe ſe agnoſcit, tanto majorem gratiam ſibi confitetur impenſam; quemadmodum docemur exemplo peccatricis Evangelicæ Luc. 7. & ipſius Apoſtoli Pauli 1. Tim. 1. Dicitur autem de peccato, *abundavit*, de gratia verò *ſuperabundavit*, quia gratia peccatis etiam multum abundantibus prævaluit ac potentior fuit.

B

CAPUT VI.

℣. 1. Q*Uid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet?*

℣. 2. *Abſit*. Quoniam dixerat gratiam ſuperabundare, ubi abundavit peccatum; nequis propterea putaret immorandum eſſe peccatis, & peccata peccatis cumulanda, quo ſcilicet amplius abundaret atque commendaretur Dei gratia: Repellit hujusmodi perverſam cogitationem Apoſtolus, dum de ea quæſtionem ſibi faciens, reſpondet: *Abſit*. Nam ut perabſurdum eſt ideo velle ægrotare, ut habeat medicina quod ſanet: Ita ſummæ dementiæ eſt, velle adhuc peccare, ut gratia Dei ſemper habeat quod remittat. Imò ſicut durante morbo non habetur ſanitas, nec apparet ars medici; ita C manente peccato non habetur juſtitia, nec oſtenditur virtus gratiæ Dei. Quare ut gratia commendetur, à peccatis recedendum eſt, non in illis manendum.

℣. 23. *Gratia autem Dei vita æterna. Gratia*, Græcè *χάρισμα*, id eſt donum gratuitum; & ſenſus eſt: Donum quod Deus ſervis ſuis largitur, eſt vita æterna accipienda per Jeſu Chriſti Domini noſtri merita. Quæritur cur non dixerit, ſtipendium aut merces juſtitiæ vita æterna: Sicut dixerat, *ſtipendium peccati mors*. Id enim poſtulare videbatur conſequentia ſermonis. Reſpondet hæreticus meritum omne juſtificatis detrahens, hanc eſſe cauſam: quia vita æterna tantum eſt gratia Dei, non etiam merces bonorum operum. Verùm B. Auguſtinus multis locis aliter & Catholicè reſpondet: Vitam æternam quamvis pro bonis operibus juſto Dei D judicio reddendam (ſicut ait ipſe Paulus, coronam juſtitiæ eam appellans, *quam reddet mihi*, inquit, *in illa die juſtus judex*, 2. Tim. 4. gratiam tamen eſſe, id eſt gratuitum Dei munus, quoniam ipſa bona opera pro quibus vita æterna redditur, gratia ſunt, id eſt gratis data: Eodem Apoſtolo teſtificante, quod ſumus *creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, Epheſ. 2. Ad hanc igitur gratiam commendandam maluiſſe Paulum loqui ad hunc modum, ut vitam æternam diceret gratiam Dei, quam ut ſtipendium juſtitiæ: quod alioqui verè dicere poterat. Ita docet Auguſtinus in epiſtola 105. ad Sixtum: libro de gratia & libero arbitrio capite 6. & tribus ſequentibus: De correptione & gratia capite decimotertio: Et Enchiridii capite 107. Quo poſtremo loco E ſic ait: *Ipſam vitam æternam, quæ certè merces eſt bonorum operum, gratiam Dei appellat Apoſtolus: Stipendium enim, inquit, peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Stipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit: Stipendium peccati mors: Ut mortem peccati non immerito illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò niſi gratis ſit, gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita eſſe Dei munera: Quibus cum vita æterna redditur, quid niſi gratia pro gratia redditur?* Hæc Auguſtini reſponſio, quam probant omnes orthodoxi, plenior erit & abſolutior ſi dicamus idcirco vitam æternam vocari gratiam, quod prædeſtinatio quâ ad ſalutem & vitam æternam præordinati ſumus, prorſus gratuita ſit, & ab omni prævisione me-

meritorum independens. Cùm enim prædeſtinatio Dei reſpiciat & vitam æternam, & opera bona; illam ut finem, hæc ut media ad finem; ſitque finis intentione primus: Utique conſequens eſt, prædeſtinationem ad vitam ordine rationis priorem eſſe prædeſtinatione ad opera quibus vitam mereamur: quemadmodum pluribus oſtendimus in 1. ſentent. diſt. 40. Sed & hanc rationem ad Auguſtini reſponſionem amplius ſtabiliendam adjungimus; quia Deus gratuitò dignatus eſt vitam æternam conſtituere mercedem ac præmium bonis operibus. Non enim iis hæc meriti ratio competit ex ipſorum natura, ſed ex Dei beneplacito quo ita ſtatuit ac promiſit. Quanquam, etiam idcirco non debuit Apoſtolus dicere; ſtipendium juſtitiæ vita æterna; quia Græcum vocabulum ὀψώνια non quadrabat in excellentiſſimum illud præmium juſtitiæ, quod eſt vita æterna. Quo plenius autem reſpondeatur adverſariis, ſciendum eſt χάρισμα Græcis interdum id ſignificare quod Latini donativum appellant, id eſt munus quod à principe militibus ob rem fortiter ac feliciter geſtam donatur. Et ita accipi hoc loco valde probabile eſt. Verſatur enim Apoſtolus, ut dictum eſt, in metaphora militiæ. Certe Tertullianus in libro de reſurr. carnis cap. 47. *donativum* tranſtulit, appoſitè nimirum & Romanè. Erat enim illa Romanorum imperatorum conſuetudo, donativa largiri militibus. Igitur in eodem Græco nomine quo Paulus uſus eſt, habemus & largitionem gratuitam, & laborum militarium remunerationem. Ex quo præterea confirmari poſſe videtur, quod Theologi communi conſenſu tenent; Deum omnibus ſuis electis præmia redditurum ſupra condignum.

CAPUT VII.

℣. 14. E*Go autem carnalis ſum*, intellige non mente, ſed carne adhuc concupiſcente contra ſpiritum. Quod non eſt abſolutè carnalem eſſe, ſed ſecundùm aliquid; quatenus ſcilicet homo per gratiam renovatus, adhuc fomitem peccati circumfert, aſſiduè commoventem in ipſo peccandi deſideria. Qui autem hoc tantum modo carnalis eſt, is ſimpliciter eſt ſpiritualis; utpote legi quæ ſpiritualis eſt, conſentiens, & proinde Deo, qui legem dedit. Porro connectuntur hæc cum ſuperioribus. Nam docere vult Apoſtolus: Etſi jam in Chriſto renati non amplius ſimus ſub lege; cujus occaſione peccatum in nobis operabatur omnem concupiſcentiam: Peccatum tamen illud non ita penitus in nobis exſtinctum eſſe, quin remaneat concupiſcentiæ fomes, occulta peccandi deſideria identidem in nobis excitans. *Quæ* tamen, *cum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus, non* valeat: Ut loquuntur patres concilii Tridentini ſeſſ. 5. cap. 5. Id enim eſt quod hic ad extremum infert Apoſtolus: *Nihil eſſe nunc damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu; qui non ſecundum carnem ambulant.*

Ibid. *Venundatus ſub peccato.* Non ſimpliciter, ſed, ut ante dixi, ſecundùm aliquid, id eſt ſecundùm carnem; ut ſenſus ſit: Carne adhuc ſervus ſum peccati; quomodo dicit in fine capitis, ſe carne ſervire legi peccati. Quo etiam ſenſu Sancta Eccleſia, B. Gregorio authore, in perſona omnium fidelium erat dicens: *Ut nos unigeniti tui nova per carnem Nativitas liberet, quos ſub peccati jugo vetuſta ſervitus tenet.* Quam Eccleſiæ orationem opponimus iis quibus abſurdum videtur in perſona juſti hominis dici quod carnalis ſit & venundatus ſub peccato.

℣. 15. *Quod enim operor non intelligo.* Græcè *non cognoſco*, id eſt non approbo, non conſentio: Quin potius improbo, diſſentio, repugno. Ad affectum enim, non intellectum hoc referendum eſt: Ut patet ex ſequentibus, ubi ſunt hæc vocabula, velle, nolle, odiſſe. Nam quod ad intellectus ſeu rationis juditium attinet, etiam mali ſæpe faciunt quæ non approbant. Unde illud cujuſdam apud poëtam; *Video meliora probo: deteriora ſequor.* Eſt autem nota phraſis ſcripturæ cognoſcere pro approbare. Igitur hic incipit Apoſtolus aperire qua in perſona loquatur, ſcilicet ejus qui pravis concupiſcentiæ motibus, quos in ſe ſentit, conſenſum non adhibet. Cohæret autem hæc pars cum ea quæ proximè præcedit, hoc modò; Carnalem me eſſe & venditum ſub peccatum, quamvis jam renatus ſim, inde conſtat, quia multa operor quæ non approbo; perinde ut ſervi empticij, multa operantur inviti ac nolentes. Operor autem non mente; ſic enim ea cognoſcerem, id eſt approbarem; ſed carne excitante in me motus ac deſideria peccandi. Nec malè dicit Apoſtolus ſe operari iſtiuſmodi motus, quamvis eos invitus patiatur, quia motus & appetitiones partis inferioris revera ſunt operationes hominis tamquam ſuppoſiti, licet non ſubjectæ imperio mentis ac rationis. Hinc Auguſtinus ſerm. 43. de verbis Domini, loquens de concupiſcentiæ motibus involuntarijs; *Ipſum*, inquit, *concupiſcere, facere eſt.* Igitur homo renovatus mente, talia non ſolum invitus patitur, ſed etiam invitus agit. Unde adhuc ſequitur.

Ibid. *Non enim quod volo bonum ago, ſed quod odi malum illud facio*, ſenſus: Non enim perficio id quod mente volo, ſcilicet bonum: Sed carne operor id quod mente odi, ſcilicet malum. Nam volo non concupiſcere, ne quidem carne, id eſt non ſentire motus concupiſcentiæ: Sed id non præſto, non aſſequor. *Facere ergo ſe dixit* id quod oderat, ait ex Auguſtino Primaſius, *non affectu conſentiendi & implendi, ſed ipſo motu concupiſcendi.*

CAPUT VIII.

℣. 14. Q*Uicumque enim ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filij Dei.* Verbum *aguntur* neque coactionem voluntatis ſignificat, neque ut hæretici volunt, neceſſitatem, ſed inclinationem paſſivam, qua nimirum voluntas efficaciter agitur & inclinatur: Quæ tamen non excludat libertatem voluntatis, qua homo etiam ipſe agat, & ut ita dicam, ſeipſum agat, & quidem liberè, ad ea opera ad quæ agitur & inclinatur à ſpiritu Dei? videlicet ipſo eodem ſpiritu totum hoc ut agat agente. Unde Auguſtinus ſerm. 13. de verbis Apoſtoli c. 11. falſum hujus loci intellectum removens: *Dicit mihi aliquis*, inquit, *ergo agimur & non agimus. Reſpondeo: Imo & agis & ageris: Et tunc benè agis, ſi a bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adjutor eſt. Ipſum nomen adjutores præſcribit tibi, quia & tu ipſo aliquid agis.* Et mox: *Nemo adjuvatur, ſi ab illo nihil agatur.* Idem ſerm. 43. de verbis Domini cap. 7. *Agis*, inquit, *ſi agaris: Et bene agis, ſi à bono agaris.* Hæc ille. Cæterùm adjuvari nos à ſpiritu Dei docet Apoſtolus infrà hoc cap. verſu 26.

℣. 16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij Dei.* Sive ſenſus Pauli ſit Spiritum ſanctum teſtari ſpiritui noſtro, ſive unà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei; quoniam tamen hoc Spiritus ſancti teſtimonium non poteſt non eſſe veriſſimum atque certiſſimum, conſequens videri poteſt, certa & indubitata fide credere nos debere, quod ſimus filij Dei, & proinde à peccatis juſtificati. Hoc enim argumentum ex iſto loco ſumptum, vel præcipuum eſt, quo ad ſtabiliendam fidem, quam vocant ſpecialem, nituntur hujus temporis hæretici. Cui quidem eorum objectioni ferè a Catholicis reſpondetur, Spiritum ſanctum duobus modis aliquid hominibus teſtari: Uno modo expreſsè, directè, & ſine ulla obſcuritate. Quomodo teſtificatus eſt per Chriſtum dicentem paralytico & peccatrici: *Remittuntur tibi peccata tua*, Luc. 5. & 7. & per Prophetam Davidi, *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, 2. Reg. 12. Atque hoc teſtimonium homini certum & infallibile eſſe. Alio modo teſtificari obſcurè & obliquè, ſcilicet per quædam indicia, quæ tantum probabilem faciant homini conjecturam. Cujuſmodi teſtimonium adoptionis eſt in baptizatis aut per ſacerdotem abſolutis, bonæ voluntatis conſcientia, ut quæ eos jam non

repre-

A reprehendat de ullo damnabili peccato aut affectu peccandi : Tum fiducia ad Deum inde nata; ſecundùm illud Joan. 1. epiſt. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Item ſtudium honoris Dei tamquam patris : Animus propenſus ad juvandum proximos, in ijs maximè quæ ſunt æternæ ſalutis; libenter audire & cogitare de rebus ad Deum & vitam quæ in Deo eſt pertinentibus. Prætetea tranquillitas & ſerenitas animi cum interna conſolatione : Quæ baptiſmum & reconciliationis Sacramentum ſincero corde ſuſceptum conſequi ſolent; uti de ſe baptizato confirmat Auguſtinus lib. 9. confeſſionum cap. 4. & 6. Et de reconciliatis, Synodus Trid. ſeſſ. 14. c. 3. Denique clamor, id eſt oratio devota ad Deum; qua Patrem eum fiducialiter appellant, filios ejus ſe per ea quæ jam dicta ſunt, agnoſcentes. B Igitur ſicut per hujuſmodi conjecturas non omnino certa fit hominis teſtificatio; ita nec prorſus certò, ſed probabiliter, ex tali teſtimonio novit ipſe homo ſe eſſe filium Dei : Eoque ſane probabilius, certiusque, quò plures, probabiliores ac certiores fuerint conjecturæ : Quarum tamen nulla ſit infallibilis. Hæc Catholicorum reſponſio bona eſt. Obſtrepit tamen adverſarius & replicat dicens, utrumque nobis certiſſimum eſſe debere, & quod Spiritus ſancti teſtimonium quodcumque & qualecumque verum ſit, utpote divinum; & quod Spiritus ſanctus nobis teſtificetur quod ſumus filij Dei. Nam hoc nobis eodem ſpiritu dictante, Paulus Apoſtolus affirmat. Reſpondeo, Paulum non dicere quod Spiritus S. teſtimonium hoc reddat ſpiritui meo vel tuo, ſed ſpiritui noſtro, aut certo nobis unà cum ſpiritu noſtro, juxta Græcorum expoſitionem. C Loquitur autem in perſona juſtorum, id eſt eorum qui verè ſunt filij Dei; quibus Spiritus S. perhibet teſtimonium, non tamen cuique de ſe planè certum, ſed tantum probabile, quod ſint filij Dei. Probabile, inquam, ex indicijs & conjecturis ſupradictis. Itaque teſtimonium adoptionis divinæ quod juſti in ſe ſentiunt, teſtimonium eſt Spiritus S. & proinde veriſſimum : Quod autem alij qui non ſunt juſti, ſed eſſe ſe putant, in ſe percipiunt, non eſt à Spiritu ſancto, ſed à fallaci conjectura; ideoque & ipſum falſum : Illud tamen ex Apoſtoli conſtat affirmatione, Spiritum ſanctum perhibere juſtis teſtimonium quod ſint filij Dei. Nam ſenſus Apoſtoli eſt : Spiritum ſanctum teſtificari nobis, non omnibus qui baptizati & fideles ſumus, ſed juſtis, quod filij Dei ſimus. At, ut dixi, ipſis juſtis ſingulis teſtimonium illud Spiritus S. non eſt pro certo cognitum : D Quia non poſſunt illud certò diſcernere à conjecturis fallacibus. Quo fit ut nec quiſque eorum de ſe certus ſit ſe eſſe juſtum & Dei filium. Quam ſit autem à Pauli ſententia alienum, quod ex hoc loco ſectarij colligunt, vel unus ille locus apertè probat, ubi dicit : *Sed neque meipſum judico; nihil enim mihi conſcius ſum: Sed non in hoc juſtificatus ſum*, 1. Cor. 4. Nam ſi per hoc teſtimonium Spiritus ſancti Paulus ipſe de ſe certus non erat, ut judicare ſeipſum poſſet, & dicere ſe juſtificatum eſſe; quanto minus quilibet alius?

℣. 23. *Redemptionem corporis noſtri.* Redemptionem corporis dicit, quia beata reſurrectio corpora noſtra nobis reſtituet, non qualia nunc habemus, ſed libera ab omni corruptione mortalitatis & concupiſcentiæ. E Quam quidem liberationem vocat *redemptionem*, Græcè *ἀπολύτρωσιν* : Quia libertas illa pretio ſanguinis Chriſti nobis comparatur. Solam verò nominat corporis redemptionem, quia animæ electorum quibus nihil reſtat purgandum, etiam ante corporum reſurrectionem ſua fruuntur, eaque perfecta beatitudine.

℣. 26. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Spiritus ſanctus poſtulare ſeu intercedere pro nobis dicitur, eo quod efficaci ſua in nobis operatione nos orantes ac poſtulantes faciat. Quod dum agit, quodammodo pro nobis intercedit. Similis locus eſt Gal. 4. *Miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pater.* Nec diſſimile illud Matthæi 10. *Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Huc etiam illa referri poſſunt, 1. Timoth. 2. *Qui vult omnes homines ſalvos fieri*, id eſt voluntatem hujuſmodi pijs hominibus inſpirat. Et quod in perſona Sapientiæ divinæ dicitur Eccleſiaſtici 24. *In habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi*; hoc eſt, in Tabernaculo ſancto Sacerdotes coram Deo miniſtrare feci. Loquitur enim ad hunc modum frequenter ſcriptura : Ne dubitemus Deum in nobis omnia bona operari. Hinc etiam intelligitur illam particulam *pro nobis*, non ſic accipi, quemadmodum infrà verſu 34. ubi de Chriſto dicitur, *qui etiam interpellat pro nobis*; & quomodo eam accipimus in litanijs ſanctorum dicentes, *Orate pro nobis* : Sed hoc ſenſu; pro nobis, id eſt defectum noſtrum ſupplens & adjuvans, dum facit nos poſtulare : Ut ita dictum ſit *pro nobis*, quomodo dicit Dominus ad diſcipulos: *Non vos eſtis qui loquimini.* Dicuntur autem gemitus inenarrabiles, ſive ineffabiles; vel quia procedunt à deſiderio rei ineffabilis, id eſt cæleſtis gloriæ, vel quoniam ipſi motus cordis, ut proficiſcuntur à Spiritu ſancto, ſatis enarrari non poſſunt, (quæ duæ rationes ſunt apud Aquinatem vel ſecundùm alios, quia propter cordis noſtri tenebras ipſis nobis inſcrutabile eſt & conſequenter ineffabile) quinam ſint gemitus & orationes noſtræ Deo placitæ ad exaudiendum, ac proinde à Spiritu ſancto procedentes. Nos enim *quid oremus, ſicut oportet, neſcimus* : Ut dictum eſt ſuprà. Quæ poſtremo ratio congruit etiam ſequentibus. Dicens enim ſcrutatorem cordium ſcire, quia ſecundùm Deum poſtulat ſpiritus pro ſanctis; utique ſignificat & nobis corda noſtra eſſe inſcrutabilia; & ideo nos neſcire num & quatenus poſtulationes noſtræ ſint ſecundùm Deum & à Spiritu ſancto.

℣. 32. *Pro nobis omnibus tradidit illum. Pro nobis omnibus*, ſcilicet electis. Jam enim conſtat in electorum perſona Paulum hæc dicere. Quo autem ſenſu dici poſſit etiam pro non electis traditus in mortem Chriſtus, diſputant Theologi in 3. ſent. diſt. 19. & bene definiunt pro omnibus traditum, quia paſſio ejus & mors ſufficiens erat omnibus omnino redimendis : Pro non omnibus, quia redemptionis proprietas penes ſolos eſt electos. Vide Proſperum in reſponſione ad primam objectionem Vincentianum, & ad nonum capitulum Gallorum. Illud etiam quæri ſolet, quo ſenſu Pater Filium tradidiſſe dicatur in mortem : De quo Theologi in 3. ſent. diſtinct. 20. Breviter autem dicimus hoc ſenſu : quia quem ab æterno decrevit ac voluit pro noſtra ſalute paſſurum & moriturum eſſe, eumdem in tempore per manus impiorum pati ac mori fecit.

CAPUT. IX.

℣. 3. **O**ptabam enim ego ipſe Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* Quæritur, quo pacto ſanctus Apoſtolus dicat optaſſe ſe ut eſſet anathema à Chriſto pro fratribus, cum nemini licitum ſit ullo caſu velle ſuam ſeparationem à Deo; nec ordo charitatis patiatur ut quis ſuam ſalutem poſtponat ſaluti aliorum. Cajetanus & alij quidam referunt hanc optationem ad tempus quo Paulus adhuc erat in Judaiſmo. Neque enim dicit opto, ſed *optabam*, ut ſit ſenſus : Ego aliquando in incredulitate & cæcitate mea volui me perdere pro fratribus meis; tunc ſcilicet quando Jeſu Chriſti nomen omni ſtudio perſequebar, optans potius tamquam anathema ab eo ſeparari, quam Judaiſmum, quem cum fratribus tenebam, relinquere. Sed improbabilis eſt hic ſenſus : Tum quia Saulus Jeſum Nazarenum perſequens Chriſtum eum eſſe negabat, ideoque verè non optabat à Chriſto ſeparationem; quomodo verè & propriè non dicitur optare miſeriam, qui expetit carnis voluptates, licèt hæ miſeros reddant homines. Deinde quia præſentem affectum erga Judæos non bene probaret Paulus ex affectu quem olim erga eos habuiſſet : Ut qui dicere poſſent eum cum religione etiam affectum mutaſſe. Proinde alij hæc verba referunt ad tempus quo jam Chriſtianus erat, Judaiſmo derelicto.

derelicto. Verum hi quoque variant. Nonnulli enim ſic
A
intelligunt. Aliquando præ vehemētia amoris, inordinati tamen, utpote minus adhuc inſtitutus in doctrina Chriſtiana, optabam ipſe ſeparari & alienus eſſe à Chriſto Jeſu & ſalute quæ per Chriſtum eſt; dummodo fratres mei Judæi ſalvi fierent. At certè non eſt veriſimile Paulum ex quo credidit in Chriſtum, ita malè inſtitutum fuiſſe, ut putaret ſe abſolutè poſſe tale quid optare pro aliorum ſalute: Tametſi optationem hujuſmodi licitam & laudabilem cenſet Hugo Victorinus: Quod nobis non videtur: Quia mea ſeparatio ſeu alienatio à Chriſto, non eſt nec eſſe poteſt ordinabile medium ad ſalutem aliorum: Ideoque nec ad eum finem optabilis eſt. Porrò S. Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſt. 9. & in commentario ſuper Zachar. 14. anathema interpretatur eum qui per mortem corporalem ſeparatur
B
ab hominum conſortio: Quomodo & Chriſtus dicitur factus maledictum, quia ignominioſa morte corporis affectus eſt. Itaque ſentit Apoſtolum dicere quod optaverit ſanguinem ſuum fundere, & animam ponere pro ſalute fratrum; quod quidem maximæ charitatis indicium eſt, dicente Domino: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Joan. 15. Sed huic intellectui reſiſtit addita particula *a Chriſto*. Qui enim martyrium ſubit pro fratribus, non fit anathema à Chriſto, ſed magis ei conjungitur, juxta illud ejuſdem Apoſtoli; *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, Philip. 1. Deinde non diceret, *optabam*, ſed opto; præſertim quia non tam præteritum affectum quam præſentem declarare volebat, & ardor ſubeundi martyrij pro fratribus; non in eo refri-
C
xerat, quando hæc ſcribebat, ſed cum charitate magis in dies auctus fuerat. Denique nihil ſingulare juxta hunc ſenſum diceret Paulus, qui pro omnium ſalute mortem ſubire erat paratiſſimus. Quo argumento Chryſoſtomus eam expoſitionem oppugnat. Alij alios ſenſus huc adferunt, quos videre eſt apud Toletum. Nobis maximè probatur eorum expoſitio, qui hunc ſenſum faciunt; Optarem ego ipſe, ſi liceret, & ſi fieri poſſet, eſſe anathema à Chriſto, id eſt ſeparatus & alienus a Chriſto, pro fratribus meis Judæis. Hæc ipſius Chryſoſtomi ſententia eſt; quam Theophylactus, & Photij verbis Oecumenius ſatis clarè explicant: quæ & alijs multis probatur. Secundùm quos verbum *optabam*, quod Græcè eſt ηὐχόμην, non ad præteritum tempus refertur, ſed poſitum eſt pro *optarem*, ut ſit
D
potentiale verbum. Sic enim apud Græcos interdum ſumitur præteritum imperfectum, etiam non addita conſueta vocula ἄν, quam hic ſubintelligunt authores memorati. Itaque ſenſus Apoſtoli eſt: Quamvis tanta cum Chriſto & in Chriſto bona exſpectemus, quanta dudum commemoravi; tamen ipſe equidem optarem, ſi per legem & juſtitiam Dei liceret omnibus illis privari, ut fratres mei Judæi eadem illa conſequantur. Quæ profectò verba ſunt immenſi amoris erga fratres, eoſque ſibi inimicos. Ab hoc ſenſu minimùm recedunt qui dicunt Apoſtolum Hyperbolico ſermone voluiſſe ſignificare magnitudinem ſui amoris erga fratres Judæos. Quam ſententiam præ cæteris probat Carthuſianus, & ſatis commodè explicat.

E
℣. 13. *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Hinc colligendum relinquit Apoſtolus, argumento à figura ad rem in figura ac myſterio ſignificatam, neque electionem hominum ad æternam ſalutem; neque reprobationem eſſe ex ullis operum meritis; ſed Deum ex ſolo ſuæ voluntatis arbitrio, alios eligere ad ſalutem; alios autem reprobare; non quod Deus aliquos damnare velit immeritò: Sed quia ſicut totus effectus prædeſtinationis non cadit ſub merito, ita nec totus effectus reprobationis. Quod enim Deus aliquos permittit cadere in peccatum, cujus merito poſtea damnationem incurrant (quæ quidem permiſſio primus eſt reprobationis effectus) non poteſt eſſe ex eorum merito; quandoquidem primi peccati permiſſionem nullum antecedit peccatum, quo illam mereri poſſent. Ac ſanè

A
de electione ſeu prædeſtinatione quod non ſit ex meritis, clarum eſt ex Apoſtoli Pauli doctrina, varijs in locis: Præcipuè verò ex ijs quæ diſſerit hoc capite: Sicut ex ſequentibus amplius patebit. De reprobatione verò non perinde omnes conſentiunt. Quidam enim dicunt Apoſtolum in præſenti doctrina ſupponere maſſam humani generis infectam peccato originali: Quam cùm totam Deus ob illius peccati meritum reprobare potuiſſet, ad ſolam referunt Dei voluntatem, quod ex ea alios præ alijs gratuita ſua bonitate ſeparandos, atque ad ſalutem perducendos elegerit, ut proinde electio quidem iſtorum non ſit ex merito; cæterorum autem reprobatio ſit ex merito peccati; quo tota maſſa ponitur infecta. Nec alio ſenſu fatentur aliquos reprobari ſine meritis, quàm quia nulla ratio
B
eſt ex parte hominum, cur alij præ alijs reprobentur, atque in maſſa perditionis relinquantur; eo quod peccatum ſit omnibus commune. Pro qua doctrina adducunt authoritatem B. Auguſtini libro 1. ad Simplicianum quæſtione 2. enchiridij 98. epiſtola 105. atque alibi, docentis reprobationem Dei propterea non eſſe injuſtam, quia neminem reprobat niſi ex merito peccati. Verùm ſi diligenter expendantur ea quæ de electione & reprobatione tradit Apoſtolus hoc capite, prorſus apparebit ex ejus ſententia, tam reprobationem quam electionem abſolutè non ex ullis eſſe prævisis meritis. Primum enim in eo quod dicit, *cum nihil egiſſent aut boni aut mali*, tam excludit actionem malam Eſau odio habiti, quam actionem bonam Jacob dilecti: & conſequenter excludendum relinquit
C
tam malum meritum reprobationis quàm bonum meritum electionis. Nam alioqui tantummodo dicendum erat, *cum nihil egiſſent boni*, ſi nempe ſolius vel dilectionis Jacob, vel electionis noſtræ meritum excludere voluiſſet. Unde etiam liquet Apoſtolum non ſupponere in hac ſua diſputatione maſſam corruptam peccato. Hæc enim ſuppoſitio pugnat cum verbis Apoſtoli jam dictis. Sed nec eam admittunt, aut reprobationem ex meritis intelligi ſinunt, quæ deinceps ſequuntur. Nam quæſtioni quam ſtatim ſibi movet: *Numquid iniquitas apud Deum?* non reſpondet ideo non eſſe iniquitatem, quia tota maſſa peccato vitiata eſt, & omnes digni damnatione; ut gratiæ ſit; inde quoſdam eripere ſalvandos; juſtitiæ, cæteros omnes in ea relinquere damnandos: Sed ita reſpondet, ut tam horum reprobatio-
D
nem, quam illorum electionem referat in ſolam Dei voluntatem; eo tandem dicto curioſum interrogatorem compeſcens, *O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo?* Jam illud maximè, quod pro comparatione adfert de figulo, ex eadem maſſa hiti faciente aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, maſſæ corruptæ hypotheſim excludit. Hic enim profectò nihil in maſſa ſupponitur, niſi quod ſit indifferens & formabilis ad utrumque; qualem utique eſſe oportet, ut voluntati & uſui ſerviat hominis figuli. Verùm hæc res tota plenius in ſequentibus explicabitur. In hanc porrò ſententiam acceperunt & interpretati ſunt præſentem Apoſtoli de electione & reprobatione doctrinam Petrus Lombardus lib. 1. ſent. diſt. 41. §. 2. & d. nec non in commentario hujus loci. Hugo Victorinus in hanc
E
epiſtolam quæſt. 233. & 233. S. Thomas in commentario lectione 3. & 4. atque alibi. Cajetanus tam in commentario hujus loci, quam primæ partis S. Thomæ quæſt. 23. Liranus in hunc locum. F. Titelmanus in argumento hujus ad Romanos epiſtolæ. Pererius quoque in diſputatione 12. hujus capitis. Denique ſcholaſtici doctores in Magiſtrum ſcribentes, adeò multi, ut fateatur Thomas Argentinenſis, quamvis diverſæ opinionis aſſertor, hanc ſententiam eſſe communem, ſicut eam quæ prædeſtinationem ex meritis negat. Sed & Dominicus Sotus in retractationibus quas ſubjunxit operi ſuo in quartum ſententiarum, in hanc ſententiam ut probabiliorem inclinatur, retractans quod in hujus loci commentario ſecus ſcripſerat. Porrò Cor. Janſenius tractans illa verba Eccleſiaſtici 41. *Si nati fueritis, in male-*

maledictione naſcemur; ſententiam hanc habuit ita A certam, ut errorem vocet *eorum qui propter præviſa omnium mala merita, aſſeruerunt quoſdam a Deo reprobari.* Cæteros hujus ſententiæ ſuffragatores, ne ſim prolixior, omitto recenſere, quorum complures citavimus ad diſt. 41. lib. 1. ſententiarum, ubi quæſtionem hanc de merito reprobationis ſatis operosè, Deo juvante, tractavimus. Inde & cætera ad hujus doctrinæ explicationem pertinentia petat qui volet: Atque illud inter alia, quomodò ſententia S. Auguſtini reipſa ab hac doctrina non diſcrepet, ut qui reprobationem non accipiat eodem prorsùs modo, quo S. Thomas & alij Theologi jam allegati: Qui tamen alioqui ſuam doctrinam ex Auguſtini ſcriptis, poſt Scripturam ſacram, potiſſimum ſtabiliunt.

Notandùm obiter, impertinens eſſe huic loco, an B Eſau ſit reprobatus ea reprobatione de qua diſſerit Apoſtolus: Atque adeo non videri improbabile, quod poſt depoſitum fraternum odium, de quo Geneſ. 33. in vera Religione à parentibus accepta defunctus ſalutem adeptus ſit. Quod enim hìc dicitur Eſau odio habitus à Deo; id ex mente Prophetæ, de odio ſeu rejectione quoad prærogativam temporalis ac terrenæ fælicitatis eſt intelligendum, & non tam in ipſius Eſau perſona, quàm in ejus poſteritate completum eſt. Vide Annot. Hebr. 12 v. 16. & 17.

℣. 21. *An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Senſus eſt: Cum figulus ex luto ſua fingens opera, liberam habeat poteſtatem fingendi ex eadem maſſa luti aliud quidem vas ſive opus ad uſum C honeſtum, aliud verò ad uſum vilem & inhoneſtum: Cur non liberrima ſit poteſtas Deo, ut ex eadem maſſa humani generis alios eligat & faciat vaſa ad honorem, alios reprobet, faciatque vaſa ad ignominiam? Faciat, inquam, vaſa ad honorem per effectus ſuæ electionis: Et vaſa ad ignominiam per effectus reprobationis. Oſtendit hæc comparatio, quemadmodum in partibus maſſæ luteæ non eſt ratio, cur vel ex hac parte fiat vas in honorem vel ex illa vas in contumeliam; ita in hominibus, velut partibus unius maſſæ humani generis, non eſſe rationem cur vel hic eligatur, vel ille reprobetur. Non igitur in hac diſputatione ſupponit Apoſtolus maſſam corruptam aut damnatam; licet etiam de ea, ſecundùm Auguſtini expoſitionem, habeat veritatem Apoſtoli ſententia: Sed intelligit maſſam abſolutè; D qualis erat etiam maſſa Angelorum, ex qua alij electi ſunt, alij reprobati. Nam ſcriptura paſſim adhibens comparationem luti, quod pro ſuo libito format figulus; de luto loquitur abſolutè, nullum ejus vitium ſupponens, ſed ſolam ejus naturam conſiderans qua formabile eſt ad omne opus figulinum. Unde nec ait Apoſtolus, figulum ex eadem maſſa aliud facere vas in honorem; aliud in ignominia maſſæ relinquere; ſed ex eadem maſſa facere in ignominiam. Neque dixit, figmentum ei qui ſe finxit non dicere; Cur me reliquiſti in maſſa corrupta? *ſed*, *Cur me feciſti ſic?* Id eſt vas ignominioſum & reprobum. Satis igitur apertè ex hac ſimilitudine, quam ſumpſit à figulo & maſſa lutea, facit intelligi, tam electionem quam reprobationem ex meritis non eſſe. E

CAPUT X.

℣. 14. *QUomodo credent ei quem non audierunt?* Senſus eſt. Quomodo credent in eum de quo non audierunt? ac ſi dicat, id fieri non poſſe; ſaltem juxta modum ordinarium acquirendæ fidei. Nam Deus ſic conſtituit, ut fidei myſteria diſcerent homines ab hominibus per auditum corporalem. Unde Saulum à Domino ad Ananiam, & Cornelium ab Angelo ad Petrum miſſos legimus, de fidei myſterijs inſtruendos, Act. 9. & 10. ne facile ſuſpicaremur quempiam abſque hominum miniſterio per ſolam divinam vel Angelicam revelationem edoceri viam ſalutis. Cæterum ſub auditu A lectio quæ viſu fit, comprehenditur. Sicut enim per auditum plurimi; ita per lectionem multi crediderunt Nam ad hoc ſcripta ſunt Evangelia, ut legentes credant. *Hæc ſcripta ſunt*, ait Joannes Evangelij ſui cap. 20. *ut credatis & credentes vitam habeatis.* Rectè nihilominus ab Auguſtino, cum de ijs loqueretur qui ſurdi naſcuntur ut audire non poſſint, dictum eſt lib. 5. contra Julianum cap. 4. *Quod vitium ipſam impedit fidem.* Nam ſurdus natus literas, quibus lectis fidem concipiat, diſcere non poteſt: Quia per auditum debet earum ſignificatio dari & accipi. Conſtat autem Apoſtolo ſermonem eſſe de auditione per ſenſum exteriorem, qua vox percipitur prædicantis. Nam ſequitur.

Quomodo autem audient ſine prædicante? Id eſt, Quomodo audient de eo in quem credituri ſint, ſi nemo B ſit qui eis annuntiet? ac ſi dicat, nec id fieri poſſe. Satis oſtendunt hæ duæ interrogationes Apoſtoli, ſicut & ijs reſpondentes duæ propoſitiones paulo inferius poſitæ, *fides ex auditu*; &, *auditus autem per verbum Dei*; non omnibus hominibus a Deo dari ſufficiens auxilium ad ſalutem, ut quidam putant. Conſtat enim plurimos eſſe, atque etiam multo plures olim fuiſſe, præſertim ante Chriſti adventum, quibus de fide ad ſalutem neceſſaria nihil eſſet prædicatum. Quos proinde ſufficiens auxilium habuiſſe quo ſalvi fierent, dici non poteſt: quum, teſte Apoſtolo, credere non poſſint homines, niſi prædicantem ea quæ credenda ſunt, audiverint. Hinc Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. 7. *Quicumque*, inquit, *ab illa originali damnatione divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium,* C *quod & procuratur eis audiendum Evangelium.* Unde & Gregorius in hom. 17. ſuper Evangelia, allegoricè tractans illud, Luc. 10. *Miſit illos in omnem locum quo erat ipſe venturus*: *Prædicatores ſuos*, inquit, *Dominus ſequitur: Quia prædicatio prævenit, & tunc ad mentis noſtræ habitaculum Dominus venit, quando verba exhortationis præcurrunt; atque per hoc veritas in mente ſuſcipitur.* Hæc ille, ſignificans utique Dominum, quibus decrevit fidem dare, prædicatores, quos audiendo credant, præmittere. Vide etiam Auguſtinum lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 22. & de dono perſeverantiæ cap. 19. Quo loco dicit *pauciſſimis eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum Dominum vel per Angelos cælorum, doctrinam ſalutis accipiant.*

D

CAPUT XI.

℣. 5. *SIc ergo & in hoc tempore reliquiæ, ſecundum electionem gratiæ, ſalvæ factæ ſunt.* Senſus eſt: Sicut olim Deus per ſuam gratiam ſibi ſervavit ſeptem millia virorum qui non flecterent genua ante Baal, licet id Eliam Prophetam Domini lateret; ſic & in hoc præſenti tempore (Græcè ἐν τῷ νῦν καιρῷ) videlicet promulgati Evangelij, per electionem Dei gratuitam ex populo Judaico Chriſtum recipere nolente, de quo Joan. 1. *& ſui eum non receperunt*; factæ ſunt reliquiæ, id eſt reliqui ſunt, remanſerunt, ac ſervati ſunt multi qui Chriſtum reciperent.

℣. 6. *Si autem gratiâ, jam non ex operibus. Gratia*, ablativus eſt reſpondens dativo Græco χάριτι, ac ſub- E audiendum ex præcedente ſententia, *reliquiæ factæ ſunt.* Itaque ſenſus eſt: Si per gratiam ſeu gratuitam Dei electionem ſervatæ ſunt reliquiæ quæ in Chriſtum crederent; non igitur ex operibus, id eſt ex aliquo operum merito, id conſecutæ ſunt, ſcilicet ut tamquam reliquiæ ſervarentur, alijs pereuntibus. Sic interpretatur Auguſtinus loco memorato libri de dono perſev. Probat autem Apoſtolus eam ſequelam neceſſario argumento, cum addit.

Alioquin gratia jam non eſt gratia. Alioquin Græce ἐπεὶ, *quandoquidem*, ut vertit Eraſmus. Et ſenſus eſt: Nam ſequeretur gratiam non eſſe gratiam, & falsò gratiam vocari. Quamquam clarius idipſum expreſſit noſter interpres per *alioquin*. Id, inquam, ſequeretur; quia repugnant gratuitum & debitum. Gratia namque

ſonat aliquid indebitum : Meritum autem omne, ut A tale, aliquo modo debitum eſt. Cæterùm abutuntur hoc loco ſectarii, Calvinus & alij, ad evertenda bonorum operum merita reſpectu vitæ æternæ. Si enim, inquiunt, vita æterna datur ex gratia; ſicut & ſuprà dictum eſt cap. 6. *Gratia Dei vita æterna* : Non ergo comparatur ex operum merito. Sic enim gratia non eſſet gratia, ſed debitum. Quibus reſpondendum eſt, Apoſtolum loqui non de quibuſcumque operibus, ſed de ijs quæ gratiam omnem præveniunt, & proinde ad ſolas naturæ vires referenda ſint; quomodo de operibus loquebantur Judæi, ſuam volentes ſtatuere juſtitiam; & quomodo poſtea Pelagiani, docentes gratiam dari ſecundùm merita. Quod ſi de operibus abſolutè loquamur, jam certè non pugnat, dari aliquid ex gratia ſimul & ex operum merito. Poſſunt enim ipſa B opera, quibus aliquid meremur, eſſe gratuito donata. Atque ita ſanè res ſe habet in promerenda vita æterna. Nam opera quibus eam meremur, à gratia Dei promanant; nec alia ſunt noſtra bona merita quam Dei dona; quemadmodum id declarat Synodus Tridentina ſeſſ. 6. cap. 16. verbis deſumptis ex epiſtola Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ cap. 12. Quantum autem ad totam hominis ſalvationem attinet, quam electio reſpicit; nihil boni meriti eam præcedit, ſed ipſa electionis gratia omnium bonorum operum ac totius renovationis noſtræ cauſa eſt. Loquitur autem Apoſtolus de gratia electionis, ut ex ſuperioribus conſtat. Unde ex hoc loco rectiſſimè ſtatuitur prædeſtinatio merè gratuita. Jam quomodo non ſit huic doctrinæ contra- C rium, quod Apoſtolus in ſuperioribus hujus epiſtolæ docuit, juſtitiam & ſalutem noſtram eſſe ex fide, quæ utique opus quoddam eſt; ex ijs quæ dicta ſunt ad illud cap. 3. *Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem ſine operibus legis*, petendum relinquo.

℣. 16. *Quod ſi delibatio ſancta eſt; & Maſſa : Et ſi radix ſancta & rami.* Ex iſtis Pauli probationibus quidam hæreticorum docere conati ſunt, Chriſtianorum filijs, ut ſanctificentur, non eſſe neceſſarium baptiſmi ſacramentum : quod eo ipſo quo Chriſtianos habent parentes, ſancti ſint, &, ut ajunt, promiſſionis ad Abraham factæ participes. Quod argumentum ſi valeret; multo magis oſtenderet omnes Judæos, utpote ex ſanctiſſimis Patriarchis prognatos, ſine exceptione ſanctos eſſe, nec ullo ſacramento ad ſanctificationem indigere. Quod falſiſſimum eſſe conſtat. Quare dicen- D dum eſt, Apoſtolum uti his comparationibus velut argumento probabili, ad docendum. Judæos potiori ratione participes fieri poſſe gratiæ Dei quam gentiles : Eo quod nati ſint ex patribus quibus factæ ſunt promiſſiones, quique ſancti fuerunt & accepti Deo. Cum enim per inſtitutionem plerumque fiat ut poſteri teneant eamdem cum ſuis majoribus religionem & pietatem; quod & futurum in poſteritate Abrahæ per ſanctam filiorum ejus educationem, Dominus ipſe teſtatus eſt Gen. 18. conſentaneum eſt Judaicum populum è ſanctis patribus ortum, ſanctitatem illam velut quodammodo hereditariam retinere. Sed etſi multò è populo ſua malitia à ſanctitate majorum deflexerint, futurum tamen ut facilius ad id quod eis naturale quodammodo eſt, revocentur, & fiat quod dicitur Malach. E ultimo; *Convertet cor filiorum ad Patres eorum.* Non ergo ſanctum vocat Judaicum populum Paulus, quod ſanctitatem in ſe habeat; ſed quia habet unde ſanctificetur, tamquam maſſa ex primitijs, & rami ex radice; ut proinde ſanctus dici poſſit in ſpe & cauſa probabili, & in quadam præparatione; quam ſcriptura non rarò ſanctificationem vocat. Quæ præparatio & cauſa eſt, habere ſanctos progenitores. Nam & ſimili ſenſu 1. Cor. 7. idem Apoſtolus ſanctos vocat filios, propter alterum parentem ſanctum, id eſt Chriſtianum : Tametſi is locus etiam aliter intelligi poteſt, ut ubi in Commentario videre eſt.

CAPUT XII.

℣. 14. **B**Enedicite perſequentibus vos. Senſus eſt : Benè precamini, & orate Deum pro ijs qui vobis mortem aut damna moliuntur inferre, vel etiam inferunt; quales potiſſimum erant perſecutores Chriſtianæ religionis. Eſt autem hoc non conſilij tantum, ſed præcepti; quod inter alia præcepta Chriſtus legiſlator noſter ſtatuit Matth. 5. dicens : *Ego dico vobis : diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt.* De cujus præcepti intellectu conſulantur Commentarij in Magiſtrum lib. 3. diſt. 30.

Ibid. *Benedicite, & nolite maledicere.* Græcè μὴ καταρᾶσθε, *ne exſecramini.* Senſus : Benè, inquam, precamini eis, non male. Quod intellige, vindicandi ſtudio vel affectu; ſicut paulo pòſt declarat, dicens : *Nulli malum pro malo reddentes.* Eſtque ratio manifeſta; quia vindicare & punire ſcelera, ſolius Dei eſt, & poteſtatis ab eo conſtitutæ. Quamquam nec abſolutè malis hominibus mala precari licet; quia contra charitatem eſt, niſi ſint ejuſmodi mala quæ illis in bonum ceſſura ſint, ut flagella temporalia quibus ad Deum revocentur aut niſi zelo & approbatione juſtitiæ divinæ id fiat adverſus eos quos certò aut probabiliter conſtet in malitia perſeveraturos. Quomodo legimus aliquando ſanctos Prophetas & Apoſtolos, ac nominatim Paulum ipſum, ut Act. 23. & 2. Tim. 4. mala quædam impijs imprecatos fuiſſe. Neque enim id fecerunt quo ſuas injurias ulciſcerentur, ſed quod ultionem divinæ juſtitiæ, quam malis ac deploratis hominibus impendere videbant, approbando, optarent in eos exerceri. Qua de re vide S. Thomam 2. 2. quæſt. 25. art. 6. ad 3. & quæſt. 83. art. 8. ad 1.

℣. 21. *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Elegans antimetabole, qua velut epilogo claudit exhortationem ſuperiorem de non ulciſcendis injurijs. *Malum* Græcè τὸ κακὸν neutri generis, id eſt malitiam ſeu maleficium : quemadmodum & bonum pro bonitate, id eſt beneficio accipit. Facere videtur hæc ſententia pro ijs qui ſuperiora verba in bonam partem interpretantur, quaſi dicat Apoſtolus : Ne tantum valeat inimici tui malignitas, ut vindictam de eo expetas, & per hoc fias illi ſimilis, id eſt malus : Sic enim ab ejus malitia vinceretis. Nam (ut docet Thomas 2. 2. quæſt. 108. art. 1.) vincitur à malo, qui vult peccare in alium, quia ille peccavit in ipſum. Sed tu contrà, vince ejus malitiam officijs charitatis, ut ex malo bonus fiat, & ex inimico amicus. Verumtamen nec ſecundùm alteram expoſitionem incommodus eſt hujus partis nexus cum præcedentibus : Si dicamus Apoſtolum hic non explicare, quid ſit carbones ignis congerere ſuper caput inimici, nec omnino ad eam poſteriorem ſententiæ partem reſpicere; ſed ad priorem qua dixerat : *Si eſurierit inimicus tuus* &c. & ad illud : *Non voſmetipſos defendentes.* Eſt enim hæc, ut dixi, concluſio quædam doctrinæ ſuperioris de non ulciſcendis inimicis. Et ſenſus eſt : Noli vinci à malitia inimici tui, ut teipſum ulciſci velis, non expectata Dei vindicta; ſed vince ejus malitiam tua beneficentia. Quod non tantum fit dum inimicus à malitia convertitur, ſed quotieſcumque beneficium illi præſtatur : In quantum ſcilicet non obſtante ejus malitia virtus beneficentiæ ſua conſtanter exercet opera; imò & occaſione malitiæ alienæ fit auctior atque illuſtrior.

CAPUT XIII.

℣. 5. **N**Eceſſitate ſubditi eſtote. Senſus eſt : Quia princeps ſeu magiſtratus Dei miniſter eſt in ulciſcendis malefactis; oportet vos ei ſubditos eſſe, id eſt legibus & edictis ejus obtemperare : Oportet, inquam, neceſſitate præcepti. Atque hujus neceſſitatis rationem rurſus explicat, hæc addens:

Ibid. *Non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.*

ſcientiam. Græci conſcientiam hic intelligunt beneficiorum quæ populo à principibus publicam pacem & quietem tuentibus proveniunt. Et huc referunt id quod ſubjungitur; *Ideo enim & tributa præſtatis*; ſcilicet in teſtimonium beneficiorum quæ ab illis accipitis. Verùm ſi reſpiciamus ad id quod proximè præceſſit, & ex quo pericopen hanc totam infert Apoſtolus, illud inquam: *Dei enim miniſter eſt* &c. necnon ad conſuetam ſignificationem vocabuli conſcientiæ (neque enim uſquam in ſcripturis ſic accipitur, quomodo Græci interpretantur) multo certè probabilior, imò vera omnino deprehendetur aliorum expoſitio, ſcilicet oportere nos principibus ſubditos eſſe, *non ſolum propter iram*, id eſt pœnam evadendam quam leges minantur, de qua jam dixerat, *vindex in iram Dei qui malum agit*, *ſed etiam* & maximè *propter conſcientiam*, id eſt, quia animus noſter lege naturali ac divina informatus hoc nobis dictat & loquitur, principibus obediendum eſſe tamquam Dei miniſtris & vicarijs; ac proinde nos in Deum peccare ſi minus illorum dictis & imperatis audientes fuerimus. Ex hoc loco ſic intellecto (qui ſenſus eſt omnium ferè Latinorum, idemque planus & obvius) manifeſtè ſequitur omnem legem & omne præceptum, quod proficiſcitur ab humana legitima poteſtate, ſive politica de qua nunc agitur, ſive Eccleſiaſtica, ſubditos obligare in conſcientia, id eſt coram Deo, & non tantum in foro, ut loquuntur, exteriori. Id enim eſſet propter iram & non propter conſcientiam ſubditum eſſe. Sanè contraria huic doctrina, ſcilicet eſſe aliqua præcepta legitimæ poteſtatis, quæ conſcientiam ſubditorum non teneant obſtrictam, non modò falſa eſt & à ſenſu ſcripturarum aliena; verùm etiam noxia & pietati inimica; quippe quæ homines reddat hypocritas, & quod alibi vituperat Apoſtolus, ad oculum & non ex animo ſervientes, Eph. 6. Col. 3.

℣. 8. *Qui diligit proximum, legem implevit.* Legem implere & perficere is dicitur, qui totam legem opere præſtat: Adeò ut ne unum quidem legis præceptum transgrediatur. *Qui enim offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Jac. 2. Quæritur ergo, quomodo qui diligit proximum, legem impleat, id eſt totam obſervet, cùm non ſola debiti erga proximum officij præcepta lex contineat, ſed etiam, & imprimis, erga Deum? Unde & diligendi Dei maximum & primum mandatum à Chriſto vocatur Matth. 22. Secundùm autem diligendi proximi, ſimile illi. *In* quibus *duobus mandatis*, inquit, *univerſa lex pendet & prophetæ.* Cajetanus reſpondet Apoſtolum loqui *de lege relata ad homines. Quoniam*, inquit, *tractat de debitis hominis. Cujus ſignum eſſe vult*, *quòd* non adferat niſi *præcepta debitorum hominibus*, cum de dilectione & cultu Dei jam ſuperius; hoc eſt præcedenti capite, docuiſſet. Quæ Cajetani reſponſio etiam alijs quibuſdam non immerito probatur. Subjungit tamen ipſe & aliam ſolutionem; idcirco rectè dictum quòd qui proximum diligit legem implevit, quia dilectio Dei in dilectione proximi includitur, velut cauſa in effectu. Quæ eadem eſt reſponſio S. Thomæ in commentario, conſentanea verbis S. Auguſtini dicentis in epiſtola 95. ſcripta ad Innocentium Papam: *Quoniam niſi diligat Deum, nemo diligit ſeipſum.* Neque enim vera dilectione quiſquam diligit proximum, niſi quem in Deo & propter Deum diligit. Unde neceſſe eſt ut ipſum Deum principaliter & ſummè diligat. Quod item declaratur hac ratione: Quia nemo diligit proximum ſicut ſeipſum, niſi ſeipſum diligat. Seipſum autem nemo diligit ut oportet, niſi ſummum ſuum bonum quod eſt Deus diligat eo modo quo diligi debet, id eſt, ut ſummum ac ſuper omnia.

℣. 14. *Et carnis curam ne feceritis in deſiderijs. Curam* Græcè πρόνοιαν *providentiam. In deſiderijs* Græce *ad deſideria*, ſeu *concupiſcentias.* Non ſimpliciter prohibet curam ſeu providentiam carnis, id eſt corporis, cùm ipſe alibi dicat; *Nemo carnem ſuam unquam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, Eph. 5. Verum prohibet ne carnis curam agamus *in deſiderijs*, id eſt ad ſatisfaciendum concupiſcentijs & voluptatibus carnis. Quod faciunt qui prætextu curandi corporis delicias & voluptates ſibi indulgent.

CAPUT XIV.

℣. 15. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Chriſtus mortuus eſt.* Exaggeratio eſt peccati ejus qui comedit cum ſcandalo fratris; addito argumento efficaciſſimo ab exemplo Chriſti. *Perdere* intelligunt quidam propter apoſtaſiæ periculum. Verùm Apoſtolus toto hoc capite non urget niſi illa duo, quæ modò dixi; judicium & exemplum. Senſus eſt: Non habeas fratrem tuum tam vilem, ut eum edulio tuo perdas, quem tanti fecit Chriſtus, ut pro eo mortem oppetere non dubitarit. Perdas, inquam, daturus occaſionem vel temerè judicandi te, vel infeliciter imitandi. Sic & 1. Cor. 8. *Et peribit in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.* Ex utroque loco probant, Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe, videlicet quoad ſufficientiam pretij, quod Patri moriens obtulit. Alij locum utrumque exponunt de fratre electo, quem quantum in ſe eſt, perdit qui ei peccandi occaſiones ingerit. Mihi veriſimilius eſt Apoſtolum abſolutè quidem loqui de perditione fratris pro quo tamen mortuus ſit Chriſtus, non ob ſolam generalitatem pretij ſufficientis, ſed quod fructum mortis ac redemptionis Chriſti verè perceperit, utpote baptizatus ac juſtificatus; licet hunc fructum perimat qui eum ſcandalizat.

℣. 23. *Omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* Non agit Apoſtolus adverſus infideles qui fide Chriſtiana carebant, ſed de infirmis in fide loquitur; id eſt de ijs qui nondum id fide ſatis inſtructi erant, ut crederent diſcrimina ciborum lege Moſaica præſcripta, non jam eſſe obſervatu neceſſaria, nihilque in cibis per ſe eſſe immundum. Itaque fides hic accipitur, ſecundùm materiam ſubjectam: ut ſit perſuaſio qua quis credit aut exiſtimat aliquid ſibi licitum. Hanc fidem de cibis legaliter immundis habebant firmi, non infirmi. Nam ſoli firmo dicitur, *Tu fidem habes*; quemadmodum & de fidelibus loquens idem Apoſtolus ait. 1. Cor. 8. *Non in omnibus eſt ſcientia.* Senſus igitur eſt: Omne quod quis agit non perſuaſus id ſibi licere, ſed vel illicitum putans, vel dubitans utrum liceat; peccatum eſt. Ita fidem acceperunt in hac ſententia Chryſoſtomus ac cæteri poſt eum omnes Græci interpretes. Inter Latinos verò commentator Amb. & Hugo Victorinus; &, ut de alijs taceam, etiam Patres concilij Lateranenſis ſub Innocentio 3. can. 41. qui ſic habet: *Quoniam omne quod non eſt ex fide peccatum eſt; ſynodali judicio definimus, ut nulla valeat abſque bona fide præſcriptio, tam canonica quam civilis* &c. Rectè autem ejuſmodi perſuaſio Græco nomine πίςις, id eſt fides vocatur. Nam πίςις dicitur ἀπὸ τοῦ πείθεσθαι perſuaſum eſſe. Et hanc fidem nihil prohibet eſſe in hominibus à fide Chriſti alienis. Unde liquet ex hac ſententia rite intellecta, non eſſe conſequens, omne quod agit infidelis, eſſe peccatum. Eſt autem Apoſtoli probatio ſyllogiſtica, continens argumentum à genere ad ſpeciem: Quicumque agit non ex fide, peccat & damnatus eſt; qui manducat diſcernens ſeu dubitans, agit non ex fide: Peccat igitur & damnatus eſt.

CAPUT XV.

℣. 4. *Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Loquitur Apoſtolus de ijs quæ olim ſcripta fuerant ex divina inſpiratione, id eſt de tota ſcriptura veteris teſtamenti. Doctrinam quoque intellige qua inſtruimur ad pietatem & ſalutem æternam. Quæ doctrina divinis ſcripturis propria eſt. Igitur hac ſententia declaratur proprius uſus ſcripturæ ſacræ: Quem & alibi pluribus verbis explicat idem Apoſto-

Eſtij Annotat. in Script.

Apoſtolus, ut 2. Tim. 4. *Omnis ſcriptura divinitus* A *inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum* &c. Redarguuntur autem hujuſmodi ſententijs, primùm veteres hæretici qui vetus teſtamentum rejecerunt: Deinde quicumque in ſcripturis ſacris aliquid contineri putant inutile, aut ſupervacaneum; aut omnino nihil ad pietatem conducens.

Ibid. *Ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Declarat illud, *ad noſtram doctrinam.* Non omnes quidem partes utilitatis, quæ ex ſcriptura ſacra colligi queat, recenſens; ſed finem annotans præcipuum. Pro conſolatione, commentator Amb. legit *exhortationem.* Vox enim Græca παράκλησις utrumque ſignificat: Sed huic loco magis convenit conſolatio, quia patientiæ adjungitur. Senſus eſt: Ut exhibentes in adverſis patientiam ad quam ſcripturæ B paſſim hortantur, & ex iiſdem conſolationem accipientes, nimirum futura & æterna bona promittentibus; ſpem habeamus eorum bonorum, atque in ea ſpe roboremur. Hortantur autem ad patientiam, & conſolationem ſuggerunt ſcripturæ, non ſolum monitis, ſed etiam propoſitis ob oculos exemplis eorum qui Deo placuerunt, maximè Chriſti Domini. Hunc ſcripturarum uſum non ignoravit Jonathas ſummus ſacerdos, quando, ut legitur 1 Machab. 12. ſcripſit in epiſtola ad Spartiatas, ſibi & ſuis inter tot adverſa ſanctos libros quos in manibus habebant, eſſe ſolatio. Jam illud obſerva, quomodo tria quæ hic nominat Apoſtolus, patientiam, conſolationem & ſpem, mox ad Deum authorem ita referat, ut his velut epithetis in obliquo caſu aſſcriptis, Dei nomen exornet, appellans C Deum patientiæ & conſolationis, & poſt aliquot verſus, Deum ſpei.

℣. 16. *Sanctificans Evangelium Dei.* Id eſt, adminiſtrans Evangelium à Deo miſſum hominibus, eoque miniſterio velut Sacerdotio fungens. Id enim ſignificat vox Græca ἱερουργῶν *ſacris operans*, rem ſacram faciens. Auguſtinus legit *conſecrans*, in hujus loci poſitione. Cum autem ſermo Pauli ſit, ut dixi metaphoricus: Ineptè Calvinus hinc arripit anſam ſugillandi Sacerdotium propriè dictum novæ legis, quod oblationibus quotidianis per totam Eccleſiam exercetur; quaſi non aliud in Eccleſia Sacerdotium agnoſcat Apoſtolus, quam quod in prædicatione verbi Dei conſiſtat, quod nequaquam conſequens eſt: Niſi & veteris legis Sacerdotium hac ratione tollatur, quòd in Prophetis & pſalmis paſſim legamus ſacrificia meta- D phorica, velut juſtitiæ, miſericordiæ, laudis, contriti cordis, ut Deo accepta commendari.

℣. 28. *Hoc igitur cum conſummavero, & aſſignavero eis fructum hunc. Cum aſſignavero*, Græcè σφραγισάμενος, id eſt, *cum obſignavero, conſignavero.* Quamquam rectè ſe habet *aſſignavero*, ſi aſſignare interpreteris ſignatum adferre & tradere: Quomodo ſolet reddi pecunia. Sic loquitur Paulus ſignificans ſe collectam à gentilibus pecuniam perferre nolle niſi obſignatam: Ne quis ſuſpicaretur eum in rem ſuam aliquid inde uſurpaſſe. Studioſè enim ſemper cavit, ne quam ſiniſtri rumoris occaſionem cuiquam vel Judæo vel gentili præberet. Fructum verò appellat eleemoſynam, quia res erat bona & utilis, quæ provenerat ex ipſius plantatione & cultura: Sicut ait, *Ego plantavi* 1. E Cor. 3. quaſi nunc diceret: Ecce apporto ſanctis pauperibus fructum ex mea arbore quam colui. Neque verò ſolum utilis erat accipientibus, ſed & ipſis à quibus provenerat, id eſt largientibus: Illis quidem ad temporalem vitæ ſuſtentationem: His autem ad incrementum juſtitiæ, meritumque vitæ æternæ: Quemadmodum pluribus explicat ipſe Paulus 2. Corinth. 9. Nam fructum referri potiſſimum ad largientes, ex alio ſimili loco docetur. Sic enim ait ad Philip. 4. *Non quia quæro datum, ſed requiro fructum abundantem in ratione veſtra.* Atque ita fructum exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius.

℣. 30. *Obſecro ergo vos fratres per Dominum* &c. *ut adjuvetis me in orationibus veſtris.* Libet hoc loco annotare & quærere: Si Paulus implorat orationes Romanorum fidelium pro ſe ad Deum; cur non viciſſim ac ſimiliter Romani implorent orationes Pauli? Et ſi Pauli viventis in hac carne mortali, cur non etiam hac mortalitate exuti, & regnantis cum Chriſto? Quod ſi in primo nulla eſt Chriſti mediatoris injuria; certè nec in ultimo. Argumentum validiſſimum adverſus ſectarios Eccleſiam Catholicam calumniantes, quod invocando ſanctos ut Deum pro nobis orent, uni mediatori Chriſto injuriam faciat. Et quidem Paulus frequens eſt in hujuſmodi petitione, ut Epheſ. 6. Coloſ. 4. 1. Theſſ. 5. 2. Theſſ. 3. Hebr. 13. & ad Philemonem.

CAPUT XVI.

℣. 16 **S**Alutate invicem in oſculo ſancto. Conſuetudo erat antiquis, quam Auguſtinus quæſt. 87. in Geneſim etiam ſuo tempore quibuſdam locis fuiſſe teſtatur, ut propinquos & amicos advenientes ſalutari oſculo exciperent. Qui mos etiam hodie apud multos ſervatur. Eſt enim oſculum amoris ſymbolum, à quo & nomen habet Græcis φίλημα. Sed quia amor quidam carnalis eſt; & rurſum alius ſimulatus: Hinc dicit Apoſtolus, *in oſculo ſancto*, id eſt cum oſculo quale decet ſanctos, quodque ſymbolum ſit amoris caſti, ſynceri, ſpiritualis ac divini, quam charitatem vocamus. Sanctum igitur oſculum dicitur non ſolum ad diſcrimen oſculi doloſi, quale fuit quod Joab porrexit Amaſæ 2. Reg. 20. & Judas proditor Chriſto, Matth. 26. vel oſculi impudici, quale eſt turpiter amantium; ſed cujuſcumque carnalis oſculi: quale quodcumque non a Chriſtiana charitate procedit. *Ex hoc ſermone*, inquit Origenes, *mos Eccleſijs traditus eſt, ut poſt orationes oſculo ſe invicem ſuſcipiant fratres.* Imò nonnulli probabile exiſtimant Paulum utentem hac forma ſermonis, (utitur enim & aliâs, ut in utraque epiſtola ad Corinthios capite ultimo, & 1. Theſſ. 5. utitur & Petrus 1. epiſtolæ 5.) loqui de oſculo pacis, quod tempore ſacrificij exhibetur ante myſteriorum perceptionem. Vide quæ Baronius hac de re ſcribit in annalibus, ad annum Domini 45. Porrò quibus omnino ex cauſis honeſtè ſibi mutuo fideles impendant oſculum corporale; docet aliquot cauſarum enumeratione ſcriptor libri de amicitia cap. 6. qui habetur inter opera B. Auguſtini tomo 4. Quæri poteſt hoc loco, cur Paulus in ſalutandis fratribus qui Romæ erant tam officioſus, non etiam Petrum collegam & Coapoſtolum ſuum ſalutet, utique vel primo loco ſalutandum, ſi Petrus jam tum Romæ Cathedram poſuerat, uti tradunt Catholici ſcriptores. Hoc enim, inter alia, argumentum eſt eorum qui Petrum negant Epiſcopum Romanum fuiſſe. Quibus reſpondeo, Petri ſalutationem a Paulo omiſſam eſſe, non quia Petrus non erat Romanus Epiſcopus, ſed quia tunc Romæ non erat quando ſcribebatur hæc epiſtola. Pulſus enim Roma Petrus edicto Claudij Cæſaris unà cum cæteris Judæis, necdum illuc redierat, occupatus videlicet in propagando longius ac latius Evangelio. Nec verò Paulus ignorabat Petrum verſari in officio ſuo Apoſtolico, ſicut & ipſe verſabatur; ideoque non uno loco conſiſtere: Sed partim ad eos quibus nondum annunciatus erat Chriſtus, Evangelij ſonum prædicando tranſmittere, partim eos qui crediderant reviſendo, in fide confirmare. Sanè ſi Petrus eo tempore Romæ fuiſſet; non utique prætermiſiſſet pro ſua authoritate & munere Apoſtolico, diſſidium componere, quod inter fideles Judæos & gentiles ortum fuerat, & errorem de juſtitia legis & operum, mentibus eorum penitus eximere. Sed nec Paulus ſibi ſumpſiſſet operam ſcribendi ad Romanos, qui præſentem haberent ſuum Apoſtolum & doctorem, præſertim tanti nominis virum. Quæres cur ſaltem Petrus ipſe ſi abſens erat, ad ſuos Romanos inter ſe diſſidentes non ſcripſerit? Propterea, credo, quod res ad eum procul agentem non eſſet perlata.

Niſi

Niſi dicere velimus, ait Baronius, hanc epiſtolam *pro ſua defenſione Paulum ſcripſiſſe, quod de abrogatis legalibus ſibi negotium factum eſſet.* Plenius hac de re idem author in annalibus ad annum Domini 58.

Ibid. *Salutant vos omnes Eccleſiæ Chriſti. Omnes.* Græca non addunt; exceptis paucis, in quibus poſtponitur, *Eccleſiæ omnes Chriſti.* Intelligit autem Eccleſias apud quas verſabatur. Hoc exemplo Pauli, rectè & ſine mendacio in epiſtolis ad amicos, aſſcribimus ſalutatores eos quos non convenerimus, dicentes, Salutat te ille vel ille: Modo tales ſint, qui verè ijs ad quos ſcribitur, optent & perferri cupiant ſalutem: Quales haud dubiè erant Eccleſiæ Chriſti, quæ Paulo non dederant peculiare mandatum ſalutandi Romanos; ſed quarum tamen ille charitatem & affectum noverat, quo Romanis bene & feliciter eſſe volebant. Sic ad Corinthios ſcribit primæ epiſtolæ ultimo. *Salutant vos Eccleſiæ Aſiæ.*

ANNOTATIONES
IN PRIMAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

℣. 16. *CÆterùm neſcio ſi quem alium Baptizaverim. Si*, pro *an, num.* Latinius ergo: *Præterea haud ſcio, numquid alium baptizaverim.* Id intelligi vel in univerſum, vel ex vobis; id eſt Corinthijs. De his enim ad quos ſcribit, propriè loqui videtur. Nec veriſimile eſt à Paulo neminem toto orbe præter pauciſſimos Corinthios quos hic excipit, baptizatum fuiſſe. Crediderim ſanè etiam cuſtodem illum carceris, de quo modò dicebam, fuiſſe baptizatum à Paulo: Ubi præter ipſum & Silam, qui domum ejus totam baptizaret, nullus aderat. Quæret aliquis: Si Paulus propè neminem Corinthiorum baptizavit, atque inde conſecutum eſt, ut nemo diceret ſe in nomine Pauli Baptizatum: quomodo igitur jam ante dixit, quoſdam dicere: Ego ſum Pauli? Verùm id dicebant, non quod à Paulo baptizati, ſed quod ab eo fidem & Evangelium edocti eſſent. Qua etiam ratione dicebant alij, *Ego Apollo, ego Cepha.* Nam nec Petrus per ſe baptizabat, ut mox oſtendemus. Itaque gloriabantur in magiſtris fidei; ſed magis adhuc gloriaturi, ſi ab eis etiam baptizati fuiſſent.

℣. 17. *Non enim miſit me Chriſtus Baptizare, ſed Evangelizare.* Occupatio eſt: Tamquam diceret quis Paulo: Quomodo gaudes te non baptizaſſe, cùm id ſit tui muneris? Reſpondet ſe non eſſe miſſum ad baptizandum, ſed ad Evangelizandum. At quæres: Si Chriſtus Apoſtolū Paulum non miſit ut baptizaret; qua igitur authoritate baptizavit? Ipſe enim hic fatetur ſe nonnullos baptizaſſe; quod ſanè nemini licet, niſi qui ad hoc miſſus fuerit. Reſpondeo, Chriſtum quando Paulum per revelationem Apoſtolum fecit, non ei injunxiſſe miniſterium baptizandi, ſed prædicandi Evangelium; id eſt, Apoſtolatum ei commiſiſſe: Cui tamen officio conſequenter etiam baptizandi poteſtas erat adjuncta, tamquam officium ſecundarium. Unde quod dicit, *Non miſit me Chriſtus baptizare*, ſic intellige: Non principaliter ad hoc me miſit; ea non eſt primaria pars legationis meæ. Genus locutionis eſt quale illud, *Miſericordiam volo & non ſacrificium*: Id eſt, miſericordiam potius ac principalius requiro, quam ſacrificium. Porrò docet nos hic locus, cum duo ſint Epiſcopi ſeu paſtoris officia; prædicare verbum Dei, & Sacramenta adminiſtrare; majus ac principalius, idemque magis arduum ac neceſſarium, eſſe verbi divini prædicandi officium: In quo proinde ſtudioſius oporteat eum verſari. Hinc etiam oſtenditur in eo quod dictum eſt Apoſtolus; *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos*, Matth. 28. duo quidem ſignificari officia paſtorum Eccleſiæ, doctrinam & Sacramentorum adminiſtrationem; ſed illud iſto tum principalius, tum etiam laborioſius. Nam, ut ait Auguſtinus lib. 3. contra literas Petiliani cap. 56. *Perfectè baptizare etiam minus docti poſſunt: Perfectè autem Evangelizare, multo difficilioris & rarioris eſt operis.* Jam quod Apoſtolis à Chriſto mandatum fuit, etiam Paulo, tacitè ſaltem, mandatum oportet intelligi; ut qui nihil minus habuerit cæteris Apoſtolis 2. Corinth. 12. Fecit ergo utrumque; ſed alterum per alios, à quibus id facilè fieri poterat: Ipſe in eo quod majus ac difficilius erat, totus occupatus. Unde & Act. 19. Epheſios illos, qui tantum noverant baptiſma Joannis, plenius à ſe inſtitutos non tamen per ſe baptizavit. Impoſuit autem ipſe eis manus; quia id ab alijs fieri non poterat. Sic & Petrus Act. 10. Cornelium & familiam ejus fidem Chriſti à ſe edoctos baptizari juſſit, non ipſe baptizavit. Idque adeò Chriſti Domini exemplo, qui per ſe docuit, non autem per ſe baptizavit, ſed per diſcipulos ſuos, Joan. 4. Quo ſuo exemplo docere voluit, eos qui ad verbi miniſterium apti ſunt, in eo munere præcipuè verſari debere; & Sacramentorum adminiſtrationem, ubi res poſtulat, alijs per quos fieri poteſt committere; ne ipſi à potiore officij ſui parte impediantur: Præſertim Epiſcopos, ut minora diſcant alijs demandare, quo ipſi ad majora per ſe exequenda ſint magis expediti. Quamquam etiam ob id non per ſe baptizabant Apoſtoli, ne ſchiſmatum occaſiones præberent, alijs dicentibus, Ego ſum Petri; alijs, Ego Pauli &c. quandoquidem etiam non ab illis baptizati, talia dixerint. Quod verò de baptizandi miniſterio dicit Paulus, & cum eo dicere poteſt quivis Epiſcopus: Id & de alijs ſimilibus dicere eum poſſe arbitror: Exempli gratia: Non miſit me Dominus exorcizare; ſed Evangelizare. Neſcio enim cur quidam magni ſeſe tantopere occupent ac fatigent in exorcizandis dæmoniacis: Cum id cuilibet ſimplici presbytero committi poſſit: Quando nec quidem presbyterorum illud proprium officium eſt, ſicut eſt baptizandi: Sed eorum qui presbyteris ordine minores ſunt, & ſuo nomine exorciſtæ vocantur: Multoque melius ſit unam animam prædicatione verbi divini è diaboli poteſtate eripere, quam multorum obſeſſa corpora ab illius vexatione liberare.

℣. 30. *In Chriſto qui factus eſt nobis ... & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Eodem ſenſu omnia hæc dicuntur, nempe cauſali, quod Chriſti merito juſtitiam, ſanctificationem & redemptionem à Deo accepimus. Illud enim *à Deo*, per ſingula repetendum eſt. Qui hunc locum adducunt pro juſtitia imputativa à Lutheranis invecta, ij ſacris literis aut ſtudio aut imperitia abutuntur: Ut quod figurato ſenſu dictum conſtat, propriè velint intelligi. Sicut enim Chriſtus ideo nobis ſanctificatio & redemptio factus eſt, quia per crucem ejus ſanctificati ſumus ac redempti: Sic utique factus eſt nobis juſtitia, quia per crucem ejus juſtificati ſumus: Non quia juſtitia ejus vel divina vel humana nobis imputatur. Sic alibi pax noſtra vocatur, quia pacem nobis ſuo merito conciliavit, Eph. 2. verſu 14.

CAPUT II.

℣. 15. *SPiritualis autem judicat omnia.* Græcè, *dijudicat quidem omnia*, pro quo interpres Irenei lib. 1. cap. 1. *examinat omnia.* Hieronymus in Commentario Epiſtolæ ad Galat. 4. *dijudicat omnia.* Sed & Hugo legit, *omnia diſcernit.* Senſus: Homo ſpiritualis (quem ſupra dixit perfectum) qui pro conſuetudine mentem habet exercitatam in divinis, utpote jam adultus & provectus in vita ſpirituali; idoneus eſt ad bene judicandum, non ſolùm de rebus ſenſibilibus atque terrenis (quod ſolum poteſt animalis) verùm etiam de ſpiritualibus, id eſt, altioribus ac difficilioribus Religionis noſtræ myſterijs; quæ à Chriſto *cæleſtia* vocantur Joan. 3. *Si*, inquit, *terrena dixi vobis; & non creditis; quomodo ſi dixero vobis cæleſtia credetis?* Ex hac Apoſtoli ſententia colligunt hæretici, penes unumquemque fidelem eſſe poteſtatem judicandi de con-

controverſijs religionis. Sed perperam id colligunt. Primùm, quia Paulus de ſolo ſpirituali homine loquitur; cùm ſint inter fideles, etiam bonos, multi animales, ac proinde ad judicandum de ſpiritualibus inepti. Deinde, quia non eſt hîc ſermo de judicio poteſtatis, ſed diſcretionis. Quæ duo noſtræ ætatis ſectarij ferè confundunt. Nam & Græcum ἀνακρίνειν, diſcretionem potius quam judicium ſignificat. Poſtremò, quia non ſenſit Apoſtolus ſpiritualem judicare omnia abſolutè, ſed omnia ſenſu jam explicato: Quoniam non ſolùm de rebus terrenis bene judicare poteſt, ſed etiam de cæleſtibus ac ſublimibus. Prout autem quiſque magis eſt ſpiritualis; eò certiùs ac meliùs de pluribus poterit judicare. Senſum hunc eruditè explicat Thomas in commentario: Et illuſtrat exemplis hominis vigilantis & dormientis; ſani & infirmi; fortis ac debilis: Denique in moralibus virtuoſi & vitioſi. Jam verò quamquam ſpiritualis homo poſſit, ut dictum eſt, de multis ad religionem pertinentibus bene judicare, ac ſuo judicio alios inſtituere; non tamen ſtatim habet authoritatem judicandi publicam; ſicut & legum peritus non ſtatim judex forenſis eſt. Etenim non ſolum inter eos qui præſunt, verùm etiam inter eos qui ſubduntur eis qui præſunt, inveniri ſpirituales homines affirmat Auguſtinus lib. 13. confeſſionum cap. 23. Cæterum in ipſam Chriſti Eccleſiam perfectè quadrat, quod Apoſtolus dicit ſpiritualem omnia judicare: Ut propterea meritò ad eam ſpectet non modò diſcretivum judicium, quo poſſit inter verum & falſum diſcernere; verùm etiam judicium publicæ poteſtatis, quod definitivum vocatur: Cui omnes fideles tam ſpirituales quam animales ſuum debeant judicium ſubmittere.

Ibid. *Et ipſe a nemine judicatur.* Græcè *Ipſe autem à nullo dijudicatur.* Sic & Hieronymus loco prius citato. *A nemine*, id eſt à nullo alio, qui videlicet non ſit ſpiritualis. Ita poſt Chryſoſtomum Theophylactus, adducta ſimilitudine de vidente & non vidente. Nam qui videt, & ſua videt, & ea quæ ſunt non videntis: Hic verò nec ſua, nec quæ illius ſunt videt. Alioqui ſpiritualem à ſpirituali judicari, quomodo Petrus à Paulo judicatus fuit Gal. 2. nihil prohibet. Unde nec ſequitur hominem ſpiritualem non judicari à lege. Nam & lex ipſa ſpiritualis eſt Rom. 7. Sed dices: Igitur à ſuo principe vel prælato ſi ſit animalis, judicandus non erit is qui ſpiritualis eſt. Verùm jam diximus hic non agi de judicio publicæ poteſtatis, quod eſt principum & prælatorum. Quamquam ſanè rectus ordo poſtulat, ut ſpirituales potius præſint animalibus, eoſque cum poteſtate judicent; quàm ut ab illis judicentur, præſertim in ijs quæ religionis ſunt. At verò cùm Eccleſia ſit maximè ſpiritualis: Hinc jam rurſum æſtima, nihil eſſe convenientius & ordinatius, quàm ut apud eam ſit ſuprema poteſtas judicandi de ijs quæ ad fidem & religionem pertinent.

CAPUT III.

℣. 15. I*pſe autem ſalvus erit; ſic tamen quaſi per ignem.* Quæritur an & quomodo probetur ex hoc loco purgatorium animarum poſt hanc vitam. Si enim opus uniuſcujuſque probabit ignis, atque ea probatio demum futura eſt in die Domini; & ad eumdem diem referendum eſt illud, *Salvus erit quaſi per ignem*; non modò non videtur ex hoc Apoſtoli loco conſtrui purgatorium animarum ſtatim à morte corporum, verum etiam deſtrui; cum tota purgatio reſervetur extremo judicio. Atqui purgatorium ex hac ſcriptura Latini Patres in concilio Florentino, licet Græcis diſſentientibus, ſtatuendum putaverunt. Reſpondetur, imprimis ex hac ſcriptura ſecundùm datam à nobis interpretationem manifeſtè haberi contra ſectarios, quod in futuro ſæculo quædam peccata remittenda ſint, ſcilicet eorum qui purgabuntur & ſalvi fient per ignem. Neque ſequitur ex igne purgatorio noviſſimi diei, nullum relinqui purgatorium animarum ante illum diem: quomodo nec ſequitur ex purgatorio animarum, nullam in hac vita fieri purgationem. Nam ignis ille, ſicut Apoſtolus dicit, probabit quidem uniuſcujuſque opus quale ſit; non tamen purgabit, niſi quod invenerit nondum expurgatum. Nam quæcumque peccata vel in hac vita per ſatisfactionem, vel poſt hanc vitam in pœnis animarum expiata ac plenè remiſſa fuerint; non illo igne noviſſimo abſumentur; ſed tamen quid antea factum fuerit, etiam eodem probatorio igne manifeſtabitur. Præterea ſciendum, quod ſicut ſcriptura ſæpe ex generali judicio vult intelligi particulare; & ex die noviſſimo quo omnes judicabuntur, vult intelligi diem mortis cujuſque, quo ſinguli judicantur: Ita ex igne qui faciem Chriſti judicis anteceſſurus eſt ad univerſale judicium, & purgaturus quidquid illo tempore purgandum reſtabit; intelligendum relinquit ignem aliquem, quo ſtatim poſt hanc vitam ad purgandas animas particulare judicium exerceatur. Itaque hac ratione pœna purgatoria animarum ex hoc Pauli loco bene & ſolidè colligitur. Sed cur Apoſtolus omiſſa mentione purgationis animarum quæ fit medio tempore, loquitur tantum de igne extremi judicij? Primum, quia non de animabus ſolis, ſed de hominibus anima & corpore conſtantibus ſermo erat. Unde & univerſalis judicij multo ſæpius mentionem habemus in ſcripturis, quam particularis; quod nimirum de judicio quo judicabuntur homines, agant ſcripturæ. Deinde quia ſolet Apoſtolus de ſe & alijs viventibus ſic loqui, tamquam adventus Domini ad judicium, ipſos viventes eſſet occupaturus. Unde dicit cap. 15. hujus epiſtolæ, *Mortui reſurgent incorrupti: Et nos*, id eſt qui viventes reperiemur, *immutabimur.* Et 1. Theſſ. 4. ſemel & iterum, *Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus*, &c. Sic igitur & hoc loco de doctoribus Corinthiorum loquitur, quaſi viventes eos deprehenſurus eſſet dies Domini. Quare conſequenter non de purgatorio animarum, ſed de illius diei omnium opera probaturo, loquendum illi fuit.

Præterea quæri poteſt, quomodò purgatio futura ſit ipſorū hominum in die generalis judicij; cum poſt reſurrectionem, omnium electorum corpora futura ſint impaſſibilia. Quidam reſpondent electorum corpora immortalitate donata, fore ad tempus paſſibilia, ſcilicet eorum quibus aliquid reſtabit purgandum. Sed id mihi videtur haud conſentire cum ijs quæ Paulus de corporibus electorum reſurgentium tradit hujus epiſtolæ cap. 15. Melius proinde reſpondetur, totam illam purgationem quæ per ignem fiet in conſummatione ſæculi, perficiendam eſſe ante communem reſurrectionem. Quod tamen tempus, ſecundùm ſcripturas, comprehenſum intelligi debet ſub generali nomine illius diei, quo creditur ad judicium venturus Chriſtus Dominus. Et quidem perſeverabit ignis ille etiam facta mortuorum reſurrectione, & ipſo judicio durante: Quia judicabitur ſæculum per ignem: Sed ita ut electos à reſurrectione jam impaſſibiles ignis haudquaquam ulla moleſtia ſit affecturus: Sed ſolos reprobos, quos eoſdem peracto judicio in denſitatem ſe colligens, involvet ac ſecum rapiet ad infima terræ æternum cruciandos. Hæc conſentanea ſunt, ut arbitror, teſtimonijs ſcripturæ & Patrum ſuperius adductis de hoc igne. Quare nec purgatio fiet ulla per ignem poſt reſurrectionem: Sed omnis ante illud judicium perficietur: Quemadmodum & Auguſtinus diſertè teſtatur lib. 21. de civitate Dei cap 13. & 16. Verùm de tota hac re nos plura & ex profeſſo ſuper 4. ſent. diſt. 47. ubi de igne conflagrationis ejuſque effectibus diſputatur à theologis. Ad quem locum remittenda ſunt & alia quædam dubia, quæ hic poſſent moveri.

℣. 22. *Omnia enim veſtra ſunt.* Hoc eſt, omnia propter vos ſunt, & ad veſtram ordinantur utilitatem. Nullus autem rectè gloriatur de ijs quæ ſunt propter ipſum; quoniam hac ratione inferiora ſunt ipſo. Propter vos autem, intellige electos. Horum enim gratiâ ſunt omnia. Quæ verò dixerit *omnia*, deinceps enumerando declarat.

Sive Paulus, inquit, qui plantavit: *Sive Apollo*,

qui

qui rigavit : *Sive Cephas*, id eſt Petrus, quamvis Apo- A ſtolorum Princeps, &, ut ait Thomas, *univerſalis paſtor ovium Chriſti.* Nam hi non aliud ſunt quam *miniſtri per quos credidiſtis*, uti ſuprà dixit; & paulo poſt repetit, dicens : *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti.* Nec ſolùm Chriſti ſunt miniſtri, ſed & ipſorum fidelium, quatenus ipſorum miniſterium ſubſervit fidelium utilitati. Sic enim ait 2. Corinth. 4. *Non enim noſmetipſos prædicamus, ſed Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum : Nos autem ſervos veſtros per Jeſum.*

Sive mundus. Id eſt univerſa corporea creatura, quæ ſine dubio propter electos eſt. Tale quid etiam legitur in apocrypho libro qui inſcribitur quartus Eſdræ cap. 9. Verba ſunt : *Inquire quomodo juſti ſalvabuntur, quorum ſeculum : Et propter quos ſeculum*, id eſt mundus.

Sive vita, ſive mors. Chryſoſtomus & Theophylactus ſubaudiunt, noſtra, hoc eſt, eorum qui vobis miniſtravimus Evangelium : Nempe ſecundùm id quod alibi Paulus dicit, *Omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur.* 2. Tim. 2. Quam rem latius etiam exſequitur capite ſequenti. Quamquam & verum eſt juxta aliorum expoſitionem, unicuique electo ſuam vitam & mortem utilem eſſe ad ſalutem. Quod hoc loco bene declarat Aquinas. Hinc & de ſe Paulus ait, *Mihi vivere Chriſtus eſt; & mori, lucrum*, Philip. 1.

Sive præſentia, ſive futura. Præſentia, Græcè, ἐνεστῶτα, quod Rom. 8. vertit *inſtantia.* Poſſunt hic intelligi præſentia & futura mala miniſtrorum Evangelij; id eſt afflictiones, perſecutiones & pericula, quæ vel ſuſtinent, vel in horas exſpectant. Tametſi & hoc generaliter intellectum de proſperis & adverſis, tam proprijs quàm C alienis veritatem habet; ſicut & illud Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.*

CAPUT IV.

℣. 4. **N***ihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Id eſt; conſcientia me non accuſans non certò me juſtum arguit ac immunem à culpa maleſidæ diſpenſationis : Quippe qui mihi ipſi non penitus ac perfectè cognitus ſim. Nam *delicta quis intelligit ?* Pſalmo 18. & ideo meipſum non judico. Rectè hoc Pauli teſtimonio Catholici ſcriptores utuntur ad deſtruendam novitiam fidem hæreticorum, quam ſpecialem vocant : Id eſt eam perſuaſionem qua quiſque D fidelis certò ſtatuat ſe juſtificatum eſſe. Rectè, inquam, quando nec ipſe Paulus id certò de ſe potuerit affirmare. Neque enim ille tantum negat hanc ſequelam, nihil mihi conſcius ſum, ergo ſcio me juſtum : Sed dicit ſe, quantumvis nihil ſibi malè conſcium, non tamen judicare nec pronuntiare ſe juſtum; eo quod occultæ ſint cordium noſtrorum latebræ, etiam nobis ipſis; quemadmodum ſequentia declarant. Certè ſi ſciebat Paulus ea certitudine cui falſum ſubeſſe non poteſt, ſe juſtum eſſe; poterat ergo judicare ſeipſum, dicendo : Juſtus ſum. Atqui id ipſe diſertè negat, dicens, *Neque meipſum judico.* Quare quod pro ſolutione Calvinus adfert, eam certitudinem non ex operibus haberi, ideoque Paulum dixiſſe, *nihil mihi conſcius ſum* : Sed ex promiſſione gratuita miſericordiæ Dei quæ nobis E offertur in Chriſto : Futile eſt, & ad labefactandum Catholicorum argumentum prorſus nihil facit. Nam ſive ex operibus ſive ex promiſſione certus fuerit Paulus ſe eſſe juſtum; dicere potuit, meipſum judico. Atqui dicere hoc non potuit; igitur ne quidem ex promiſſione de ſua juſtitia certus erat. Nec verò aliter hunc Apoſtoli locum intellexerunt orthodoxi commentatores tam Græci quàm Latini. Nec aliter Auguſtinus : Ut ea probant quæ ex illo Beda deſcripſit in collectaneis. Hinc & Bernardus in ſermone de converſione ad clericos, cap. 16. teſtatur Apoſtolum etſi nihil ſibi conſcium, tamen propter humani cordis abyſſum, judicantis ſeſe Domini ſententiam magnopere formidaſſe : De qua ſequitur.

Ibid. *Qui autem judicat me Dominus eſt.* Græcè ἀνακρίνει, *dijudicat.* Chriſti, inquit, judicio, qui Dominus eſt omnium noſtrum, reſervandus ſum; non à vobis conſervis judicandus. Illius judicium certiſſimum eſt : Veſtrum incertum & fallax.

℣. 7. *Quis enim te diſcernit ?* Magiſtrum alloquitur, ſibi placentem, ſeque ſupra alios efferentem vel doctrinæ, vel eloquentiæ vel ſapientiæ nomine. Alloquitur autē ut unum, cum multi eſſent: Quo magis premat his eorum. *Quis*, inquit, *te diſcernit* ab alijs quibus te anteponis : Quis te præſtantiorem alijs facit ? Id enim, inter alia, Græcum verbum διακρίνειν ſignificat : Pro quo minus rectè verterunt alij, *dijudicat*; cum ſit diverſum ab eo verbo quod ſuprà bis térvè potuit in ſignificatione dijudicandi. Quis, inquam, te diſcernit, niſi B Deus ? Hoc enim utique reſpondendum Apoſtolus relinquit, ut ſequentia declarant. Nec verò alia ratione magis humana jactantia comprimitur, quam ſi cogitet homo ſe nihil habere à ſeipſo : Sed omne bonum quo alios antecellere videtur, ſibi datum à Deo. Quod quidem ex hac Apoſtoli ſententia conſequens eſt. Nam quod de uno genere bonorum dicitur homini : *Quis enim te diſcernit ?* Idem de omnibus aliis ſimiliter dici verè poteſt : cum Deus omnium æquè ſit author & dator. Rectè proinde S. Auguſtinus hanc Pauli ſententiam uſurpat & inculcat adverſus Pelagianos, ut doceat omne bonum quo quis ab alio diſcernitur, atque alium præcellit, à Deo dari : Ideoque nec gratiam dari ſecundùm merita; neque ex meritis prævisis quemquam à Deo ad vitam prædeſtinari : Sed tam prædeſtinationem C quam gratiam, quæ prædeſtinationis effectus eſt, prorſus ac mere gratuitam eſſe. Vide quæ ſcribit Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. & libro de correptione & gratia capite 7. & epiſtola 46. ad Valentinum. Jam ex his etiam illi redarguuntur, qui dicunt, æquali dato vel oblato gratiæ auxilio perſæpe contingere ut hic agat, ille non agat; aut ut alius alio plus minùsve, ut diſcretio ſit ex libero hominis arbitrio, non ex gratia Dei. Quod Apoſtolicæ doctrinæ contrarium eſſe non dubitamus.

Ibid. *Quid autem habes quod non accepiſti?* Ne forè ſuperbus doctor interrogatus, *quis te diſcernit ?* Ex adverſo reſpondeat, Ego me diſcerno ſtudio, labore, induſtriá mea ab alijs, quibus præſto : Secunda hac interrogatione preſſiùs eum urget Apoſtolus dicens : *Quid* D *autem habes quod non accepiſti ?* Scilicet ab alio ? Nec aliunde quàm à Deo : Videlicet atteſtante Domini præcurſore Joan. 3. *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi fuerit ei datum de cælo.* Et Jacobo Apoſtolo capite primo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum.* Eſt autem vera Pauli ſententia, tam de bonis naturalibus, quam de ijs quæ naturæ terminos excedunt. Nam de naturalibus potiſſimùm gloriabantur Corinthiorum magiſtri, hoc loco taxati; velut de eloquentia & ſapientia ſeculari. Quamquam illud eſt diſcrimen inter naturalia & ſupernaturalia; quod illa quomodocumque ſint à Deo, hæc à Deo per Chriſtum. Rurſus autem ex hac ſententia docent Patres, idque certiſſimo & efficaciſſimo contra Pelagianos argumento, hominem nihil E boni à ſeipſo habere ſed quidquid habet boni, ut virtutes; bona opera, ſtudium, conatum, cooperationem, conſenſum, motum ac nutum voluntatis, id totum in Deum authorem & largitorem eſſe referendum: Adeò ut affirmare non dubitent, hominem de ſuo non habere *niſi mendacium & peccatum* : Uti definitum eſt in concilio Arauſicano can. 22. verbis deſumptis ex Auguſtino tractatu 5. in Joannem. Inſpice & cæteros ejuſdem concilij canones; nominatim ſextum & ultimum : In quibus ſua decreta Patres illi comprobant hujus ſcripturæ teſtimonio. Frequens eſt Auguſtinus in hac ſcriptura citanda pro confirmatione Catholicæ doctrinæ quam dixi. Vide quæ dicit libro 2. de peccatorum meritis & remiſſ. capite 18. & quæ libro de prædeſtinatione Sanctorum capite tertio, quarto & quinto: Ubi

inter

inter alia refert ac repetit, beatum Cyprianum dixiſſe, ac pro titulo poſuiſſe, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit*; atque ut hoc oſtenderet, adhibuiſſe Paulum dicentem: *Quid autem habes quod non accepiſti?* &c. Refert id & alibi; ut libro 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. additque teſtimonium hoc Apoſtolicum ejuſmodi eſſe, quo vel maximè Pelagianorum ora claudenda ſint. Locus autem apud Cyprianum eſt lib. 3. teſtimoniorum ad Quirinum cap. 4. Vide & Proſperum ad excerpta Genuenſium dubio 4. & contra Collatorem cap. 29. ac præcipuè lib. 1. de vocatione gentium, cap. ult. Verùm his & Chryſoſtomus accedat, cujus in Commentario hæc ſunt verba: *Nihil habes domo allatum, ſed a Deo acceptum.* Et iterum: *Acceptum habes non hoc aut illud, ſed omnia quæ habes. Non enim tua ſunt hæc rectè facta, ſed Dei gratiæ.* Et quæ ſequuntur.

CAPUT V.

℣. 1. F*Ornicatio qualis nec inter Gentes.* Quæret aliquis, quomodo dixerit Apoſtolus hujuſmodi fornicationem non eſſe, vel non audiri inter gentes: Cum Dominus in Levitico capite decimo octavo, poſtquam inter alia vetuiſſet dicens: *Turpitudinem uxoris Patris tui non diſcooperies. Turpitudo enim Patris tui eſt.* Subjunxerit in fine: *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes, quas ego ejiciam ante conſpectum veſtrum.* Nam & in alijs gentibus ſimilia, vel etiam turpiora quædam facta produnt hiſtoriæ. Quin & in familia Patriarchæ Jacob conſimile flagitium perpetratum legitur Geneſ. 35. Tale etiam David paſſus à filio ſuo Abſalomo, ſecundi Reg. 16. Primùm reſpondeo, Moyſen loqui de uxore Patris defuncti, aut ſaltem ea quæ repudiata eſſet, ut jam pro uxore non haberetur. Nam alioqui generalis erat & capitalis in lege prohibitio, *Non mœchaberis.* Hic autem ſermo eſt, de uxore Patris viventis. Deinde ſi quid ſimile huic aliquando factum eſſet inter gentes, vel etiam in populo Dei; id & rarum fuit, & non ſine horrore audiebatur. Quamquam non arbitror Apoſtolum loqui de gentibus in univerſum: Sed de gentibus illo tempore notis (quæ ut plurimum regebantur legibus Romanis, ad publicam honeſtatem accommodatis: ut non facilè apud eas audiretur, quempiam habere conſuetudinem cum uxore patris viventis.

CAPUT VI.

℣. 7. J*Am quidem omninò delictum eſt in vobis, quod judicia habetis inter vos.* Quidam hic non intelligunt peccatum, ſed imperfectionem; ac ſi diceret Apoſtolus: Hoc ad veſtram imperfectionem pertinet, quod veſtra judicio repetitis; cùm ſit Evangelicæ perfectionis, *non reſiſtere malo*, Matth. 5. Domino ibidem dicente, *Et ei qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tollere, dimitte & pallium.* Et Luc. 6. *Qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas.* Huc allegatur Theodoretus, qui dicit ea quæ Paulus hic tradit, eſſe perfectionis. At verò ſciendum eſt ea ipſa jam recitata Domini verba præceptum continere, ſicut ſaltem ad venialem culpam obligent, ſi non præſtentur ſecundùm animi præparationem. Qui verus eſt ejuſmodi præceptorum intellectus. Quare & hic Pauli locus ſic accipiendus eſt, ut verè proprieque delictum ſit, Chriſtianos habere judicia inter ſe: Quatenus ſcilicet hoc contrarium ſit memoratis Chriſti præceptis. Et ita locum hunc acceperunt veteres: Ut commentator Ambroſ. Sedulius, Primaſius, qui delictum interpretantur peccatum. Item Chryſoſtomus qui crimen vocat, id eſt peccatum juſta Pauli accuſatione dignum. Nec aliter Theophylactus & Oecumenius. A quibus nec admodum diſſentit Theodoritus, qui hæc monita Pauli *legem perfectiorem* vocat: Ut intelligas oppoſitam ei imperfectionem per ἥττημα ſignificatam eſſe ἀνομίαν quamdam, ideoque vitioſam & culpabilem. Quam proinde meritò noſter interpres atque etiam Eraſmus verterunt *delictum.* Hujuſcemodi namque minorationem quæ ex delicto naſcitur, aut ipſa delictum eſt, haud dubiè Paulus intellexit. Igitur ex Apoſtoli Pauli ſententia, ſicut eum interpretati ſunt Auguſtinus & alij ſcriptores memorati, delictum, id eſt peccatum eſt in judicio ſua repetere: non quod id per ſe malum ſit, ſed quia malũ non unũ, ſed multa ferè conjuncta habet. Nã ſuſcipiuntur hujuſmodi lites ut plurimùm ex inordinato rerum temporalium amore. *Contendit enim Chriſtianus* (inquit Auguſtinus in dicta Pſalm. 80. enarratione) *pro rebus terrenis amplius quam decet eum cui promiſſum eſt regnum cælorum. Nec totum cor ſurſum levat, ſed aliquam partem ejus trahit ad terram.* Deinde nec carent certo periculo multarum offenſionum, quæ ex illis naſcuntur: Ut ſunt ſiniſtræ de fratre ſuſpiciones & judicia, obtrectationes, odia, acerbitates, malevolentiæ. Nec leve malum eſt jactura temporis quam patiuntur omnes qui litigant; non ſine detrimento pacis ac tranquillitatis internæ, quam omnes quærere debemus. Propter quod malum vitandum præcipit Apoſtolus ut tempus redimamus, Epheſ. 5. Coloſſ. 4. Quocirca, niſi bono aliquo majore diſpendium hoc ſpirituale compenſetur, cum ſtudio cavendi pericula quæ dixi; non ſine peccato lites hujuſmodi forenſes ſuſcipiuntur; ac minus ſine peccato aguntur: Quantumvis quidam nimis cupidi rerum ſuarum poſſeſſores reclament. Compenſationem excipio: Nam certis caſibus delicto caret, imò laudabile & pium & neceſſarium eſt, injuriam judicio repellere: Velut ubi quis non ſuum ac privatum, ſed publicum alicujus communitatis agit negotium, ut Eccleſiæ, monaſterij, collegij, maximè ſi ex obedientia aut ex officio id faciat: Ubi quis bona pauperum, pupillorum, viduarum vel ablata, ſeu malè alienata repoſcit, vel ne tollantur obſiſtit: Ubi quis ſua repetit quæ conjugi & liberis alendis ſint neceſſaria: Ubi quis in judicio vitam ſuam defendit, præſertim multis profuturam: Quemadmodum ipſe Paulus fecit Cæſarem appellans, Act. 25. Denique cum adverſarius videtur futurus ad nocendum audacior, ac plures alios injurijs affecturus, ſi non authoritate judicis reprimatur.

℣. 12. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Paulus occaſione eorum quibus dixerat, *Sed vos injuriam facitis & fraudatis*, paululum digreſſus ad locum communem de judicio & miſericordia Dei: Hic jam declarat quod in priori doctrina de judicijs obſcurum ac minus explicatum videri poterat. Nam diceret aliquis: An non licet cuique jure agere pro re ſua? Reſpondet Paulus: *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.* Quam puto ſententiam ore ſapientum tritam fuiſſe. Argumento eſt, quòd invariatam infrà repetat. Cæterùm prorſus univerſaliter eam accipi non poſſe, manifeſtum eſt. Etenim quàm multa ſunt, quæ nullo modo licent? Proinde ſic exponatur: Multa mihi licent, quæ non expediunt, vel hoc modo; Non quæcumque mihi licent, etiam expediunt; ut ſignificetur quædam univerſalitas eorum quæ licent, quæ tamen non omnia expediant. Ea licere dicuntur Apoſtolo, quæ adiaphora vocantur, id eſt, quæ abſolutè non ſunt prohibita; ut edere carnem, bibere vinum, matrimonio copulari. Expediunt autem, quæ ſecundùm particulares circumſtantias conſiderata, bona ſunt & eligenda. Patet igitur multa licere quæ non expediunt. Atque tale eſt rem ſuam ab injuſto occupatore apud judicem repetere.

℣. 20. *Glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Concluſio eſt totius exhortationis de fugienda fornicatione. Deum hic intelligi Spiritum ſanctum, obſervat Auguſtinus locis ſuprà citatis, ſcilicet eum de quo jam dixerat, corpora noſtra eſſe templũ Spiritus Sancti. Quare & hic locus divinitatem Spiritus ſancti planè declarat. Porrò, *glorificate* dicit, quia Deum ignominia & contumelia afficit, qui templum ejus polluit. Contrà, glo-

tificamus Deum in corpore noſtro tamquam templo A ejus, quando ſervamus illud purum ab omni immunditia & ornamus bonis operibus. Per hæc enim Deus glorificatur apud homines, ſecundùm illud Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Portamus autem Deum in corpore noſtro, quando corpus totum obſequio Dei mancipamus. Metaphora ſumpta à jumentis quæ portant ſeſſorem, & ad ejus voluntatem moventur. Simile illud Rom. 6. *Exhibete membra veſtra arma juſtitiæ Deo.*

CAPUT VII.

℣. 2. P*Ropter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum* B *virum.* Non præcipit ut unusquisque vir Chriſtianus uxorem ducat, & unaquæque mulier virum capiat; uti perversè quidam hæreticorum hanc Apoſtoli ſententiam acceperunt, ex ea docentes conjugium omnibus Chriſtianis eſſe in præcepto. Quæ doctrina non modò refellitur ex conſenſu totius Eccleſiæ, & tot Sanctorum exemplis; verum etiam palam repugnat ijs quæ Paulus ipſe docet hoc capite. Mox enim profitetur ſe hæc dicere *ſecundum indulgentiam, non ſecundùm imperium.* Vult autem omnes homines eſſe ſicut ſeipſum. Non nuptis etiam & viduis bonum eſſe dicit, ſi ſic permaneant. Denique eum qui virginem ſuam non jungit matrimonio, melius facere dicit, eo qui jungit. Senſus igitur eſt: Quamvis dixi bonum eſſe homini mulierem, etiam uxorem, non tangere: Tamen prop- C ter fornicationem & omne genus immunditiæ vitandum, permittitur atque indulgetur, ut unusquisque maritus ſua utatur uxore, eique commiſceatur, & unaquæque uxor ſuo marito.

℣. 6. *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam.* Poterat enim videri hæc præcipiendo dixiſſe, quod ita fieri oporteret. Declarans igitur ſeipſum, affirmat ſe ea dixiſſe non ex præcepto, ſed ex permiſſione & indulgentia quadam: Qua nimirum ſolent minora quædam mala concedi ad averendum majora. Quocirca rectè B. Auguſtinus & alij Patres, ex hoc loco colligunt ac docere non dubitant, concubitum conjugalem quando fit per incontinentiam, ſemper eſſe peccatum: etiamſi vitandæ fornicationis cauſa fiat. Tunc autem ſolum culpa carere, quando non expetitur, niſi ſobolis procreandæ gratia: Ad exemplum ejus qui dicebat in ora- D tione ſua ad Deum: *Tu ſcis Domine quia non luxuriæ cauſa accipio ſororem meam conjugem: Sed ſola poſteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum.* Tob. 8. Auguſtini de hac re ſententiæ ſunt apertiſſimæ, ut Homil. 50. cap. 7. *Sola generandi cauſa eſt inculpabilis utriuſque ſexus commixtio.* Et in epiſtola 121. de orando Deo cap. ultimo; *Sola excuſat nuptias procreandorum cauſa filiorum.* Eadem doctrina ejus eſt lib. de bono conjugali cap. 6. & ſequentibus, ſermone 65. de diverſis capit. 13. & ſermone 41. de ſanctis, & alijs locis, quæ longum eſt hic annotare, & non neceſſarium: Quandoquidem per ſe clarum eſt quod ait Apoſtolus: *Hoc dico ſecundum veniam. Evidenter* enim, *dum tribuit veniam, denotat culpam,* inquit Auguſtinus lib. de peccato originali capit. 38. *Nam quis am-* E *bigat abſurdiſſime dici, non eos peccaſſe quibus venia datur?* Ait idem libro de bono conjugali capit. 10. Et *quis eſſe peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apoſtolica authoritas fateatur?* Enchiridij cap. 78. Neque tamen ſufficit generandi cauſa, ſi non & ea referatur ad ſanctam prolis educationem, *in qua,* ſicut ait Tobias, *benedicatur nomen Dei.* Nam, ut idem Auguſtinus præclarè ſcribit libr. 1. de nuptijs & concupiſcentia capit. 4. *Qui non hac intentione, hac voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi in membra transferant Chriſti; etiamſi tanta ſit obſervantia, ut ſecundum matrimoniales tabulas non niſi liberorum procreandorum cauſa concumbant, non eſt in eis vera pudicitia conjugalis.* Hæc ille. Dixi concubitum conjugalem tunc ſolum culpa carere, quando non expetitur niſi prolis generandæ cauſa. Nam ſi non expetitur, nec debitum exigitur, ſed tantum redditur, non peccatum eſt, ſed actus juſtitiæ, quem jam ante præcepit Apoſtolus illis verbis: *Uxori vir debitum reddat, & uxor viro.* Verùm hac de re tota latè egimus ad diſtinct. 31. lib. 4. ſentent.

℣. 7. *Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo: Alius quidem ſic, alius verò ſic.* Id eſt alius tale, alius autem tale. Non ſignificat omnes homines aliqua habere dona à Deo. Nam *multi ſunt,* inquit Hugo Victorinus in quæſtione hujus loci, *quibus nihil collatum eſt unde ſalvari poſſint:* (Quod notent, qui gratiam omnibus ſufficientem introducunt,) ſed de fidelibus agit Apoſtolus; ac dicere vult, non unum omnia habere, ſed alios alia. Quidam enim (ut à re propoſita ſumatur exemplum) donum habent caſtitatis conjugalis; alij vidualis, alij virginalis. Indicat autem Apoſtolus, ijs qui donum continentiæ qua omnino à concubitu abſtineant, ſentiunt ſe non habere nec ad illud ſeriò niti volunt; paratum eſſe remedium ex conjugio. Verùm de ijs loquitur, quibus non obſtat aut votum continentiæ ſponte emiſſum, aut lex Eccleſiaſtica ſponte ſuſcepta; quo minus illud remedium apprehendant. Nam aſtricti voto ſi nubere volunt, aut uti conjugio, *damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt,* ipſo Paulo teſte 1. Tim. 5. Par ratio de ijs qui legi ſe ſubmiſerunt. Tales igitur neceſſe eſt ad alia ſanctiora ſuæ incontinentiæ remedia confugere, cujuſmodi ſunt jejunium, oratio, vigilia, lectio ſacra, piæ meditationes, otij fuga, labores & occupationes honeſtæ, & quidquid his ſimile. Nam commune & obvium illud remedium quod hic oſtenditur ab Apoſtolo, jam eis factum eſt illicitum; & per hoc, moraliter & in genere agendorum, impoſſibile. Porrò ſicut ex hoc loco non eſt conſequens hominem conjugatum, ſi non habeat donum continentiæ conjugalis, ad eam ſervandam non teneri: Ita nec ſequitur, eos qui non habent donum continentiæ ſimpliciter, ad hanc præſtandam non teneri; ſi ad eam lege aut voto ſint adſtricti. Etenim ad multa tenentur homines partim lege Dei, partim lege ſuperiorum, partim etiam lege privata, quam quis ſibi vovendo imponit: Quorum habitum, facultatem, gratiam ſeu donum non habent; habere tamen poſſunt Deo donante, & habebunt ſi petant, ſecundùm id quod Dominus promiſit dicens: *Petite & accipietis.* Ideo non dicit Apoſtolus, unusquisque propriam virtutem habet; ſed, *proprium donum;* & addit, *ex Deo:* Ut & donum agnoſcatur, & author doni; & ab eo petatur, ſi nondum habetur.

℣. 21. *Servus vocatus? Non ſit tibi curæ.* Servus eras, inquit, quando vocatus es ad fidem? Non te res illa angat, ne doleas te qui jam religione Chriſtianus es, adhuc conditione ſervum eſſe. Nolo te ſolicitum eſſe, ut onere ſervitutis libereris.

Ibid. *Sed & ſi potes fieri liber, magis utere.* Senſus eſt Etiamſi poſſis aſſequi libertatem; magis tamen, id eſt, potius utere ſervitute, & in ea permane majoris boni cauſa, ſcilicet ad tuam exercitationem, & domini tui ſalutem. Nam ex tua ſervitute, ſi liberaliter & Chriſtianè ſervias, major ſpes erit dominum tuum lucrifaciendi Chriſto, quàm ex adepta libertate. In hunc ſenſum ferè commentatores exponunt.

℣. 22. *Qui enim in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini.* Rationem reddit ejus quod dixerat, *non ſit tibi curæ:* Ac docet ſervi liberique parem eſſe conditionem in Chriſto: Quandoquidem & ſervi ſunt liberti Chriſti, & liberi ſervi ſunt Chriſti. Qui enim, inquit, ſervus cùm eſſet, vocatus eſt ad fidem Chriſti Domini, libertus ejus eſt: Hoc eſt, è ſervitute peccati in libertatem ab eo vindicatus, eique tamquam liberatori ſuo obnoxius. Tales enim liberti dicuntur.

Ibid. *Similiter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt Chriſti.* Qui, inquit, conditione liber cum eſſet, vocatus

eſt ad fidem Chriſti Domini; ſervus eſt Chriſti, quia A redemptus ab eo. Nam hoc ſequitur.

℣. 23. *Pretio empti eſtis.* Emphaſis eſt in eo quod addit, *pretio*: Cùm alioqui quidquid emitur, pretio ematur. Significat ergo magnum & inæſtimabile pretium, videlicet ſanguinis ejus qui emit. Dicitur autem tam ad ſervos quàm ad liberos; adeoque communiter ad omnes fideles; quemadmodum & id quod ſequitur.

Ibid. *Nolite fieri ſervi hominum.* Infert generalem & ſalutarem admonitionem. Pretio ſanguinis ſui Chriſtus vos emit, & ſervos ſuos fecit: igitur nolite fieri ſervi hominum. Id eſt: Ne vos ita ſubjicite hominibus, ut Chriſto Domino debitum ſubtrahatis, aut quoquo modo minuatis obſequium atque ſervitium. Velut qui ſunt in obſequio regis hominis, ſi alijs ſe dedant, quo fiat ut minus queant regi debita præſtare miniſteria; B peccant in regem: ut milites, à quibus idem Apoſtolus Timotheum exhortans, exemplum ſumit 2. epi. 2. cùm ait: *Nemo militans implicat ſe negotijs ſæcularibus; ut ei placeat qui ſe probavit*, ac in militem delegit. Fiunt ergo ſervi hominum, qui ſic hominibus ſerviunt, ut Chriſto non ſerviant, aut minus ſerviant: Et omnino quicumque impenſa hominibus obſequia non referunt ad gloriam Chriſti: Sed ad ſolam reſpiciunt hominum voluntatem, quos vel timent vel amant inordinatè. Non diſſimili ſenſu Paulus alibi in vitio ponit hominibus placere, ut Gal. 1. verſu 10. Col. 3. verſu 22. & 1. Theſſal. 2. verſu. 4.

℣. 39. *Quanto tempore vir ejus vivit.* Pro quo Rom. 7. *vivente viro*, ſive, ut eſt Græcè: *viventi viro.* Ex utroque autem loco rectè docent Theologi, inſolubile eſſe matrimonium utroque conjuge vivente. Idque ex C profeſſo tradit, hac potiſſimum mente ſcriptura, Chryſoſtomus in ſermone de libello repudij. Intellige verò dictum Apoſtoli, extra caſum quem ipſe dudum excepit illis verbis, *Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat. Non enim ſervituti ſubjectus eſt* &c. Et quia de matrimonijs conſummatis Apoſtolo ſermo eſt; nihil quoque ejus doctrinæ obſtat diſſolutio matrimonij inconſummati, quæ fit in Eccleſia per religionis ingreſſum alterius conjugum.

CAPUT VIII.

℣. 8. E*Sca nos non commendat Deo, neque enim ſi manducaverimus abundabimus neque ſi non manducaverimus deficiemus.* Perversè locum hunc D contra ciborum abſtinentiam Eccleſiaſticam adducunt hæretici, tamquam ea ſecundùm Apoſtolum nihil faciat ad pietatem. Non enim dicit Apoſtolus, abſtinentiam cibi nos non commendare Deo, ſed cibum; neque negat nos ſi non manducaverimus, abundaturos; ſed ſi manducaverimus. Nam nec carnes edere, propriè actus virtutis eſt; ut nec vinum bibere: Sed à carnibus aut vino abſtinere, ea ratione qua id Eccleſia præcipit ac laudat. Siquidem abſtinere ab eo quod vel malè concupiſcitur, vel malè concupiſcendi fomitem præbet, ad temperantiæ virtutem ſpectat. Fit autem actus religionis, quoties hujuſmodi abſtinentia aſſumitur, ut per eam carne edomita ſpiritus promptior reddatur ad Deo ſerviendum.

℣. 13. *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Quare ſi quis numquam E poſſet ſine ſcandalo fratris comedere carnes, aut alium quemlibet cibum: Deberet ille tota vita ab eo cibo abſtinere. Quamquam caſus hujuſmodi non facilè eveniat. Cùm enim intelligatur hæc doctrina de ſcandalo hominis infirmi, non autem malitioſi; id eſt, ut Theologi loquuntur, de ſcandalo dato; non accepto; poteſt is qui infirmus eſt ſufficienter inſtrui & doceri, fratrem bene agere; quodque ejus facto offendi non debeat. Poſt quam ſufficientem ac plenam inſtructionem, ſi adhuc in ſcandalo perſeveret, non erit illud ſcandalum datum ſed acceptum; quia non jam ex infirmitate procedit, ſed ex malitia: Quale erat ſcandalum Phariſæorum, quod Dominus in Evangelio docuit non eſſe curandum, Matth. 15. Hinc igitur reſponſio patet ad iſtam quæſtionem & ſimiles; An Catholicus debeat potius emori fame, quàm in ſacra quadrageſima carnes comedere, conſtitutus inter infideles, aut ab ijs detentus, ſi nihil aliud in promptu ſit aut haberi poſſit quod edat: Aut ſi ad eſum carnium urgeat valetudinis neceſſitas. Nam ſi qui ſive fideles, ſive infideles per infirmitatem ſcandalum ex ejus facto ſint paſſuri, durante ſcandalo abſtinendum eſt, etiam cum vitæ ſeu valetudinis periculo. Par ratio ſi cederet ejuſmodi comeſtio in detrimentum honoris divini: Ut ſi carnes offerantur in contemptum religionis, aut legis divinæ vel Eccleſiaſticæ! Quemadmodum olim Eleazaro ſeni, & ſeptem fratribus Machabæis; quorum martyria deſcribuntur 2. Machab. 6. & 7.

CAPUT IX.

℣. 5. N*Umquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* Paulum cælibem fuiſſe, quo tempore ſcripſit hanc epiſtolam, ſatis arbitror conſtare ex ipſius verbis quæ ſcripſit cap. 7. v. 7. & 8. & ex Patrum teſtimonijs. Quorum auctoritati Clementis opinionem de uxore Pauli (quam tamen ſororis, non uxoris loco haberet) inter veteres ſingularem, jure meritò poſtponimus. Et quod ad hunc locum attinet, commentarium de uxore ex profeſſo rejicit Hieronymus libro primo contra Jovinianum cap. 14. ac docet Apoſtolũ *loqui de ſanctis* quibuſdam *mulieribus, quæ juxta morem Judaicum magiſtris de ſua ſubſtantia miniſtrabant: Sicut legimus*, inquit, *ipſi quoque Domino factitatum.* Eadem tradit Auguſtinus lib. de opere monachorum capit. 4. & 5. Uterque verò ex ipſius Apoſtoli verbis & verborum contextu convincit falſos eos fuiſſe qui Græcam vocem ambiguam, interpretati ſunt uxorem. Cum his planè ſentiunt commentator Ambro. & Sedulius: Nec non Primaſius ad Auguſtini verba alludens. Sed & antiquiſſimus Tertullianus libro de monogamia capit. 8. diſertè negat de uxore Paulum hic agere: Probatque iiſdem argumentis, quibus uſi poſtea fuerunt Hieronymus & Auguſtinus. Quem locum opponimus ijs qui pro diverſa ſententia Tertullianum adducunt, utpote libro de exhortatione caſtitatis cap. 8. ita loquentem: *Licebat & Apoſtolis nubere, & uxores circumducere.* Nec enim ea verba Tertullianus ex ſua dicit perſona, ſed eorum qui ſecundas nuptias quas ipſe oppugnat, ex hoc loco Paulino probare nitebantur, hujuſmodi argumento: Si licuit Apoſtolis uxores circumducere, licuit & accipere, etiam priore mortua: Cùm ſermo Pauli ſit generalis. Ubi Tertullianus quod de circumducendis uxoribus dicitur, pro loco diſſimulans, tantum reſpondet Paulum, ut ad exemplum nos ſuum provocaret, his uſum non fuiſſe, quæ ſibi licere dixerat. Vide ſcholion Jacobi Pamelij ad ea verba Tertulliani. Jam verò Latinis accedunt & Græci commentatores; qui omnes non de uxore, ſed de muliere rerum victualium euratrice, locum hunc interpretati ſunt. Eam quippe fuiſſe Apoſtolorum conſuetudinem, ut divites feminas comites haberent, quibus neceſſaria vitæ ſubminiſtrantibus, ipſi ſecurius atque expeditius Evangelio vacarent. Ac ſanè ad hunc intellectum cogit exemplum Chriſti, cujus & authores ſuprà dicti, præſertim Latini, meminerunt. Nam de eo refert Lucas capit. 8. quod eum ſecutæ *mulieres aliqua miniſtrabant ei de facultatibus ſuis.* Hoc autem erat mulieres circumducere. Quo potiſſimum exemplo idipſum fecerant Apoſtoli. Quod ſi nefas eſt eo loco uxorem, vel quod longè eſt abſurdius, uxores ſuſpicari: Neque igitur hic de uxore Paulum loqui putandum eſt. Et quidem quod ad Apoſtolos attinet, qui cum Chriſto fuere converſati, primùm, de nullo eorum conſtare, excepto Petro, quod uxorem habuerit, authores ſunt Tertullianus libro de monogamia capit. 8. & Hieronymus libro 1. adverſus Jovinianum cap. 14. Deinde ut habuerint: Quod de omnibus præter

Joannem ſentire videtur Ignatius in epiſtola ad Philadelphios, & nos de quibusdam non negamus: De nullo tamen omnium doceri poteſt, quod Evangelizans uxorem circumduxerit. Nec ratio patitur id opinari de illis qui Chriſtum ſecuti omnia reliquerant, etiam uxores, Matth. 19. Non enim facilè creditur eſſe continens ab uxore, qui eam apud ſe retinet, perque regiones & domos comitem trahit. Ut igitur ad verba Pauli redeamus; ea ſenſum hunc habent planum & perſpicuum: An non ego & Barnabas habemus poteſtatem adducendi nobiſcum, quoties Evangelij cauſa terras obimus, aliquam mulierem Chriſtianam, quæ ſuis ſumptibus (aut etiam alienis, ut vult Cajetanus) miniſtret nobis ea quæ ſunt humanæ neceſſitatis? Nominat autem mulierem potius quàm virum: Quia ſic erat apud Judæos conſuetudo: Propterea quod ad hujusmodi miniſteria, vel aptiores, vel promptiores ac magis officioſæ, ſoleant eſſe mulieres. Si quæras, quomodo mulierem quæ uxor non eſſet, circumducere, non fuerit apud homines, ſaltem infirmiores, ſcandaloſum: Reſpondetur, apud Judæos non fuiſſe; quia fiebat conſuetudine in tantum recepta, ut & CHRISTUS Dominus eamdem circa ſe admittere non fuerit dedignatus. Neque enim aſſumebantur ad hujusmodi miniſterium mulieres, niſi quarum caſtitas cum pietate conjuncta, adeò nota eſſet ac probata; ut omnem excluderet incontinentiæ ſuſpicionem. Adde quod & Apoſtolorum ea fuit vitæ perfectio, & perfectionis apud omnes exiſtimatio; ut nemo facilè ſiniſtrum quid, propter feminas comites, de eis ſuſpicari potuerit, quemadmodum nec Judæi, quantumvis malevoli, tale quid de CHRISTO ſuſpicati fuiſſe, ac ne quidem per calumniam objeciſſe, leguntur. Verùm quia factum hujusmodi poterat offendere gentiles, apud quos inopinabile erat mulierem paſſim circumducere & non tangere: Propterea Paulus gentium Apoſtolus, ne quod obſtaculum poneret Evangelio, prudenter admodum exiſtimavit ab eo ſibi abſtinendum. Qua de re tota ſic Hieronymus in commentario ſuper Matthæum ad illud capit. 27. *Erant autem ibi mulieres, quæ ſecutæ fuerant* JESUM *à Galilea, miniſtrantes ei*: *Conſuetudinis*, inquit, *Judaica fuit; nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de ſubſtantia ſua victum atque veſtitum præceptoribus miniſtrarent. Hoc quia ſcandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjeciſſe ſe memorat.* Sic ille. De loco Philipp. 4. quem perinde ut iſtum novatores ad uxorem Pauli referunt, agemus illic accurate: Simul ad Ignatium martyrem, quem ſuæ ſententiæ volunt eſſe, reſponſuri.

CAPUT X.

℣. 13. **F**IDelis autem Deus eſt qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Nonnulli locum hunc in eum ſenſum exponunt, quaſi Deus nullum hominem ſupra vires tentari permittat; idque pertineat ad fidem promiſſorum Dei. Qui commentarius hactenus admitti poteſt, quia Deus nihil homini præcipit impoſſibile; & quia ad implenda præcepta ſuum auxilium promiſit. Eſt autem ejus præceptum ut tentationibus reſiſtamus, eademque reſiſtendo ſuperemus. Et ſic intelligendum illud Cypriani capitulum 91. lib. 3. teſtimoniorum, *Tantum unumquemque tentari, quantum poteſt ſuſtinere.* Quod confirmat Paulino hujus loci teſtimonio. Sic etiam intelligendus Auguſtinus in tract. de Paſtoribus: ubi ſemel & iterum hæc Apoſtoli verba ſic accipere videtur, tamquàm universè de omnibus hominibus dicta ſunt. *Neque* enim *imperaret* quidquam *Deus ut faceremus, ſi impoſſibile judicaret, ut ab homine fieret*; ait idem Aug. in expoſ. Pſalm. 56. Verùm conſtat quamplurimis hominibus, præſertim infidelibus, & in profundum peccatorum demerſis, non eſſe poſſibile tentationes omnes ſuperare, niſi potentia multum remota: Nempe quatenus adhuc in via hujus vitæ conſtituti, dum utiliter pro eis orari poteſt, Deo miſerente poſſunt ad bonum converti, & tentationibus evadere ſuperiores. Sed neque promiſſio divina de non permittenda ſupra vires tentatione, pertinens ad omnes homines, invenitur in ſcripturis alia, quam qua Deus adjutorem ſe promittit afflictis & tentatis. Atqui non ijs ſimpliciter omnibus promittit, ſed petentibus. Ait enim, *Petite & dabitur vobis*. Et, *Omnis qui petit accipit*, Matth. 7. Quam multi verò tentati non petunt? Imò quàm multi nec petere poſſunt? ij maximè qui Deum non noverunt? Nam *quomodo invocabunt in quem non crediderunt*; Rom. 10. Sanè quod ad hunc locum attinet, non dicit Apoſtolus: *Fidelis Deus* qui neminem ſinit, ſed *qui vos non ſinet tentari ſupra id quod poteſtis.* Ex quo ſatis apparet, quod ſententiam ſuam reſtrictam eſſe velit ad certum genus hominum: Utpote vel ad fideles, vel ad juſtos, vel ad electos. Eſt autem optimus commentarius eorum qui de electis exponunt. Solet enim Paulus ad electos reſpicere, ſicubi fidem Dei allegat: Ut hujus epiſtolæ capit. 1. ubi cùm dixiſſet, *Qui & confirmabit vos uſque in finem ſine crimine*; mox addidit, *fidelis Deus*. Et manifeſtius 1. Theſſ. 5. *Fidelis eſt*, inquit, *qui vocavit vos, qui etiam faciet*. Et 2. Theſſ. 3. *Fidelis Dominus eſt, qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo.* Loquitur enim ad hunc modum Apoſtolus, propterea quod promiſſiones novi teſtamenti principaliter ad electos pertineant; quibus Deus abſolutè promiſit ac præordinavit vitam æternam, & omnia bona ad eam conſequendam neceſſaria; quale eſt vincere tentationes, & hoc ipſum à Deo petere. Nam hujusmodi promiſſio nec omnibus fidelibus, nec omnibus juſtis facta eſt, ſed ſolis & omnibus electis: Eo nimirum ſenſu, quia quamvis interdum Deus ſinat eos ſupra vires tentari, ac tentatione dejici; quemadmodum accidit Petro, qui ante tentationem *putabat ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat, quando dicebat Domino, Animam meam pro te ponam*, inquit Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 17. ſed non fallebatur qui dixerat ei, *Non potes me modo ſequi*, Joan. 13. Verumtamen finaliter nulla tentatione a Deo ſeparantur; ſecundùm illud quod in eorum perſona dicit Apoſtolus Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et iterum: *Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti?* Et quæ ſequuntur. Extant autem promiſſiones illæ partim apud Prophetas, partim in Evangelijs, potiſſimum apud Joannem, Domino de ſuis ovibus, id eſt electis, inter alia ſic loquente cap. 10. *Oves meæ vocem meam audiunt: Et ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Et ego vitam æternam do eis: Et non peribunt in æternum; & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* Nec obſtat huic expoſitioni quod aliqui Corinthiorum ad quos ſcribebat Paulus, non erant electi; ut nec omnes erant juſti. Nam in hujusmodi ſermone ſive primam perſonam exprimat Apoſtolus, ut ad Romanos ſcribens; ſive ſecundam, ut hic & alibi; reſpicit electos qui in illis erant ad quos ſcribit: Ut ſenſus hujus loci ſit; Fidelis Deus qui ſuos electos, quorum in numero multos veſtrûm eſſe confido? non ſinet tentari ſupra vires. In hanc ſententiam, id eſt de electis, præſentem locum acceperunt Leo, Hormiſdas, Gregorius. Nec diſſonant Chryſoſtomus, Theophylactus & Æcumenius; licet expreſſè electorum non meminerint. Dicunt enim omnem tentationem vires noſtras ſuperare, niſi Chriſtus auxilietur, & felicem eventum præbeat. Quod quidē finaliter ſolis præſtatur electis. Nec de alijs intellexit Theodoretus. Exponit enim de ijs qui divinum petunt auxilium, nempe ſicut oportet, ac inprimis perſeveranter. Quod ſoli faciunt electi. Jam nec aliud exiſtimandum eſt ſenſiſſe Patres concilij Tridentini, quando ſeſſ. 24. can. 9. loquentes de ijs qui continentiam voverunt, dicunt Deum *rectè petentibus non* denegare donum caſtitatis; cùm *non patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari*: nos inquam, rectè petentes. Id enim relinquitur intelligendum ex eo quod proximè præceſſit. At rectè petentes finaliter, ut dictum eſt, ſoli electi. Nam alioqui, in eo quod dicunt

donum illud rectè petentibus non denegari. ſatis profectò ſignificant, denegari, ſive non dari, non rectè petentibus, aut non petentibus omnino: qui proinde ſupra id quod in præſenti poſſunt, tentantur. Quod ipſum apertius docent ijdem Patres ſeſſ. 6. cap. 11. ubi cùm dixiſſent, *Deus impoſſibilia non jubet*; addunt ex Auguſtino de natura & gratia cap. 43. *Sed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis*. Deque ſuo; & *adjuvat ut poſſis*: Adjuvat, inquā, petentem. Hinc & Catechiſmus Romanus in expoſitione precationis Dominicæ docet, *petendum à Deo, ne nos tentari ſinat ſupra id quod poſſumus, ſed faciat etiam cum tentatione proventum*. Idque etiam admonet Auguſtinus libro de Catechiſandis rudibus cap. 25. his verbis: *Humilis eſto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas*. Ex capit ultimo: *Opera miſericordiæ cum pia humilitate, impetrant à Domino, ut non permittat ſervos ſuos tentari plusquam poſſint ſuſtinere*. Idem in fine tractatus de urbis excidio: *Oremus & gemiſcamus ad Dominum, ut ſervetur erga nos, quod Apoſtolus dicit, Fidelis qui non vos ſinet tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione etiam exitum*. Rurſus idem Auguſtinus libro 2. de ſermone Domini in monte capit. 9. exponens illam partem orationis Dominicæ, *Ne nos inducas in tentationem*: *Deus*, inquit *patitur eum quem ſuo auxilio deſeruerit, ordine occultiſſimo*. Et quibuſdam interjectis adferens hæc Apoſtoli verba, *Fidelis Deus* &c. ita proſequitur: *In qua ſententia ſatis oſtendit non id nobis orandum eſſe ut non tentemur, ſed ne in tentationem inducamur. Inducimur autem, ſi tales acciderint, quales ferre non poſſumus*. Quem locum Auguſtini cum alijs huc adducit Beda in collectaneis. De eadem re B. Hieronymus exponens illa Domini verba Matth. 26. *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem*. Sic ait: *Unde & in oratione Dominica dicimus: Ne nos inducas in tentationem, quam ferre non poſſumus: Non tentationem penitus refutantes, ſed vires ſuſtinendi in tentationibus deprecantes*. Sed illæ rectiſſimè. *Neceſſe eſt enim ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur*: Ut præclarè conſcripſerunt Innocent. 1. in epiſt. ad Concil. Carthag. & Cæleſtinus 1. ſui prædeceſſoris verba repetens in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 6. Poſſent huc & alia multa ex Scripturis & Patribus adferri, quibus oſtendatur non omnibus hominibus, nec ſemper, adeſſe vires quibus tentationi reſiſtant. Sed hoc argumentum alienius eſt loci. Denique non ad omnes homines, ſed ad ſolos electos Apoſtoli verba referenda eſſe, manifeſtè probat quod ſequitur.

Ibid. *Sed faciet etiam cum tentatione proventum*. Senſus enim ex Græco eſt; Is qui vos permittit tentari, faciet ut bonum exitum habeat tentatio? Hoc eſt, ut eam ſuperetis, ac victoriam inde reportetis. Quod quidem perſpicuum eſt non omnibus præſtari, ſed ſolis electis, eo ſanè modo quo dictum eſt ſupra, id eſt, finaliter.

Ibid. *Ut poſſitis ſuſtinere*. Origenes libro 3. periarchon capit. 2. ſcribit ideo dixiſſe Paulum, *ut poſſitis ſuſtinere*, non autem, ut ſuſtineatis; quia Deus dat poſſe ſuſtinere & vincere; non autem ipſum ſuſtinere & vincere. Qui locus, ut & alij multi ſimiles apud illum authorem, cautè legendi ſunt; ut qui ad hæreſim Pelagianam apertis tibijs prælndant. Veriſſimè namque dictum eſt ab Hieronymo in epiſtola ad Creſiphontem adverſus Pelagium ſcripta; Pelagij doctrinam Origenis eſſe ramuſculum. Senſus igitur Apoſtoli Catholicus ac germanus eſt: Deum ſubminiſtraturum vires, quibus reipſa & actu ſuſtineant ac ſuperent tentationem; ita nimirum, ut ad Dei beneficium non tantum referenda ſit vincendi poſſibilitas, quod vult Origenes, quodque poſtea docuit Pelagius; ſed ipſa victoria tentationis, id eſt, ipſum pugnare & vincere: Id quod perſpicuè teſtatur idem Apoſtolus infrà capit. 15. dicens: *Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Atque hunc ſenſum planè exigit particula præcedens; *faciet cum tentatione proventum*. Non enim facit proventum, ſed proventus tantummodo poſſibilitatem; qui non dat ſuſtinere, ſed tantum poſſe ſuſtinere. Jam quo manifeſtius etiam hæc pars ad electos pertineat, Lombardus gloſſam ſecutus interlinealem, ita ſupplet, *ut poſſitis perſeveranter ſuſtinere*. S. Thomas quoque perſeverantiam hic notari dicit. Unde patet ex hujus etiam doctoris ſententia præſentem locum de electis accipiendum eſſe. Ex dictis intelligitur, hac parte *ut poſſitis ſuſtinere*, non ſignificari cauſam finalem, ſed expoſitionem continere præcedentis vocabuli *proventum*: Quaſi dicat: faciet proventum per hoc quod vires dabit efficaces ad ſuſtinendum uſque in finem. Sic enim uſurpatur interdum infinitivus Græcus præfixo vel ſubintellecto articulo τοῦ: Quod obſervare eſt in canticis beatæ Mariæ Virginis & Zachariæ. Lucæ 1.

℣. 33. *Per omnia omnibus placeo*. Omnia, intellige qualia de quibus ſuprà diſſeruit, ac de quibus dixit, *Omnia mihi licent*, hoc eſt adiaphora, quæ & bene & malè fieri poſſunt: Ne quis ad ea trahat quæ legibus adverſantur, maximè divinis. Eadem ſententia cum illa capitis ſuperioris; *Omnibus omnia factus ſum*. Tale etiam eſt quod præcipit Rom. 15. *Unuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat*. Nec cum his pugnat quod ſcribit Gal. 1. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*. Negat enim illic ſe hominibus placere, id eſt, neglecta veritate id agere ut hominibus ea quæ carnis ſunt ſapientibus, placeat, eiſque ſuam doctrinam commendet. Quem ſenſum eo loco plenius explicatum invenies. Hic verò & alijs duobus locis allegatis, placere vult omnibus ad ſalutem. Dicens enim ſe omnibus omnia factum, addit; *ut omnes facerem ſalvos*: Et præcipiens ut quiſque proximo ſuo placeat, adjungit, *in bonum, ad ædificationem*. Similiter hoc loco, ne male intelligatur quod dixit ſe per omnia omnibus placere, ſubjungit:

Ibid. *Non quærens quod mihi utile eſt, ſed quod multis, ut ſalvi fiant*. *Ecce*, inquit Aquinas, *optimus modus placendi omnibus, ſi omnium utilitas, non privatum commodum, procuretur*. Id enim argumentum eſt charitatis, quæ *non quærit quæ ſua ſunt*, infrà capit. 13. Quid autem magis efficit hominem omnibus charum, quàm ipſa charitas?

CAPUT XI.

℣. 4. **O**Mnis vir orans aut Prophetans velato capite deturpat caput ſuum. Generaliter is Apoſtolo Prophetans dicitur qui divino ſpiritu afflatus occulta quædam profert auditoribus, ſive ſint res futuræ, ſive reconditi ſenſus ſcripturarum, præſertim propheticarum, ſive latens quodcumque myſterium. Conferatur etiam locus Rom. 12. *Sive Prophetiam, ſecundum rationem fidei*: Et alter 1. Theſſ. 5. *Prophetias nolite ſpernere*. Jam quod ait Apoſtolus, *deturpat caput ſuum*, non uno modo omnes accipiunt. Quibuſdam placet intellectus de myſtico ſeu metaphorico capite, de quo dixerat: *Omnis viri caput Chriſtus eſt*. Ut ſenſus ſit; tale viri factum vergere ad ignominiam Chriſti, qui caput ejus eſt. Tradit hunc ſenſum & pluribus explicat Cajetanus. Meminerunt etiam Theophylactus & Oecumenius. At verò plerique idem caput in utraque parte ſententiæ intelligunt, naturale videlicet: Ut orans velato capite dicatur deturpare caput ſuum hoc ipſum quod velat. Qui ſenſus & ſimplicior eſt, & congruentior ijs quæ de muliere ſequuntur: Eumdemque Theophylactus & Oecumenius adferunt priore loco. Verùm hujus dicti jam ratio quæritur. Non enim Paulus eam expoſuit, ſed expoſitoribus ſuis inveſtigandam reliquit; ex qua intelligatur adverſus ordinem divinitus inſtitutum fieri, ſi vir caput ſuum velet, mulier revelet. Dicimus igitur cum Oecumenio & alijs, virum capite velato orantem aut Prophetantem, ex Apoſtoli ſententia dehoneſtare caput ſuum; quia velando caput quodammodo

modo ſignificat & profitetur ſe in terris aliquem ſupra ſe principem ac rectorem habere. Quod ſignum eſt ei inhoneſtum ac dedecoroſum. Nam eo dignitatem ac libertatem ſui ſexus imminuit: Ut cui divina ordinatione ſolus Chriſtus caput ſit. Eſt autem hujus ſignificationis ratio, quia velamen capiti impoſitum facit reſpicere deorſum, tamquam ad principem in terra conſtitutum. Atqui princeps & caput viri in cœlo eſt: Ideoque debet vir ſurſum aſpicere; cui proinde velamen capitis incompetens eſt. Mulier autem quia principem habet in terra poſitum & de terra formatum, deorſum reſpicere debet: Quod facit velamen caput ejus contegens. Huc facit quod annotat Theophylactus, ad ſignificandam viri eminentiam ac mulieris ſubjectionem, ſymbola quædam utrique eſſe tradita à Deo: Ut ſunt in viro ratio vigens, corpus robuſtum, vox gravis, mentum hirſutum: Quibus omnia contraria ſunt in muliere: Tale verò & iſtud eſſe, ut vir aperto ſit capite, mulier velato. Quare & naturaliter indecens ac turpe judicatur, ſi vir caput obtegat muliebri more. Neque enim vir utitur tegumento capitis, quaſi naturalem ad hoc inſtinctum habens, ſicut mulier: Sed vel neceſſitatis cauſa, ut aëris injurias depellat, aut ut calvitiem tegat: Vel ad ornatum qui perſonam doceat; quomodo mitra Pontifices utuntur, diademate reges. Alioqui nec hiſtoria nec pictura prodit Chriſtum aut ejus Apoſtolos tecto capite vel oraſſe vel docuiſſe, vel omnino in publicum prodiiſſe: Excepta corona ſpinea, quam capiti Dominico deriſores ejus impoſuerunt. Quamvis igitur Paulus adjiciat hoc loco determinationes, *orans aut Prophetans*; non ideo tamen, ut Græci putant, extra orationem & Prophetiam viro permittit velamen in capite. Nam eo pacto (quod iidem Græci non admittunt) etiam mulier extra orationem & Prophetiam capite non velato poſſet apparere: Quoniam & de ea conſequenter agens Apoſtolus adjicit determinationes, *orans aut prophetans*. Quod ſi dicas Apoſtolum poſteà abſolutè præcipere mulieri, ut *velet caput ſuum*: Idem reſpondeo de viro; *Vir quidem*, ait, *non debet velare caput &c.* Quorſùm igitur, inquies, hic adjecit *orans aut prophetans*? quia ſermo inſtitutus erat ei de honeſtate ſervanda in publicis Eccleſiæ conventibus: Ubi turpitudo quam condemnat, apparebat in iis maximè qui orabant vel prophetabant: Tum viris, tum feminis.

℣. 6. *Nam ſi non velatur mulier, tondeatur.* Si non admittit mulier aſſumptitium velamen; abjiciat eâdem opera etiam illud quod dedit natura. Nam ſi decet eam non velari, decebit & tonderi.

Ibid. *Si verò turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari velet caput ſuum.* Concludit Apoſtolus ab oppoſito conſequentis: Si non velatur mulier, tondeatur, aut etiam radatur. Atqui tonderi non debet, multo minùs radi: Id enim turpe eſt ac muliebri honeſtati contrarium. Velet igitur caput ſuum. Quàm turpe ſemper habitum fuerit mulierem tonderi, vel illud exemplo ſit, quod olim apud Germanos, ut de eorum moribus refert Tacitus; uxorem adulteram accisis crinibus coram propinquis expellebat domo maritus, ſupplicii loco. Ex his Apoſtoli verbis oppugnant ſectarii morem Eccleſiæ Catholicæ in qua virgines religionem monaſticam profitentes raduntur capite. Contendunt enim morem hujuſmodi tam Apoſtolico præcepto, quàm ipſi naturæ contrarium eſſe. Nam à natura ſumit Apoſtolus argumentum, tam hoc loco, quàm infrà, quum dicit ipſam naturam nos docere, quod ſi mulier comam nutriat, ſit ei gloria: Propterea quod capilli pro velamine ei dati ſint. Proferunt & canonem 17. Gangrenſis concilii, idipſum, ut ajunt, ſub anathemate prohibentem. Sic enim habet ex Gentiana verſione: *Si qua mulier propter eam quæ exiſtimatur pietatem, tondeat comam quam Deus ei dedit ad recordationem ſubjectionis; ut quaſi ſubjectionis præceptum diſſolvat, ſit anathema.* Reſpondemus morem illum Eccleſiæ & laudabilem eſſe, & cum Apoſtoli doctrina minimè pugnare. Loquitur enim Apoſtolus de ſexu muliebri in genere; non præjudicans perſonis particularibus, quibus ob aliquam cauſam vel neceſſitatis, vel religionis, aliámve ſimilem, conveniat capillorum amputatio. Nam ob valetudinem id licere certum eſt. Meritò quoque laudatur factum cujuſdam Chriſtianæ virginis: quæ, ſicuti refert Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſtola 53. cum ſciret adoleſcentem quemdam ſuam deperire formam, ut illum ea cupidine liberaret, caput ſuum cute tenus abraſit, ac talem ſe ei ſpectandam obtulit. Quo deformi aſpectu mox in illo concupiſcentiæ flamma exſtincta eſt. Cur non igitur etiam religionis cauſa, citra Apoſtolici præcepti injuriam, ſacræ virgines comam ſuam deponant, ut omnem hujus ſæculi ornatum abjicere, & contemnere ſe, ea velut cærimonia profiteantur? accedente præſertim & alia ratione myſtica. Cùm enim in ſignum ſubjectionis dati ſint eis capilli, quemadmodum hic docet Apoſtolus: Chriſto jam deſponſatæ, & in libertatem quodammodo vindicatæ; quod ad ſubjectionem attinet conjugalem, nihil amplius viris debent aut debere poſſunt. Ad hunc enim modum & ſervos manumittere ſolebant Romani: raſis eorum capitibus. Quod ad rem propoſitam attinet, de ea B. Hieronymus in epiſtola ad Sabinianum diaconum numero 48. ita Scribit: *Moris eſt in Ægypti & Syriæ monaſteriis, ut tam virgo quàm vidua quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes omnes delitias ſæculi conculcarint, crinem monaſteriorum matribus offerant deſecandum: Non intecto poſtea contra Apoſtoli voluntatem inceſſura capite, ſed ligato pariter ac velato. Nec hoc quiſpiam præter tondentes novit & tonſas: Niſi quod quia ab omnibus fit; penè ſcitur ab omnibus.* Hæc ille, ſubjungens ejuſdem rei cauſas etiam quaſdam naturalis neceſſitatis. Non eſſe autem id honeſtati naturali contrarium, quando non incedit nudo capite mulier, ſed velato; ex recitatis Hieronymi verbis intelligitur. Sanè, ut etiam ex lege veteri profeſſam aliquid, ſi tonſura capitis muliebris ita eſſet inhoneſta, ut nullam ob cauſam admitti fierive poſſet; non ſanxiſſet Dominus Num. 6. legem Nazaræorum ejuſmodi, quam non ſolum viri, ſed etiam mulieres, ut illic expreſsè dicitur, ſubire poſſent. Qua quidem lege inter alia præcipitur, ut completis diebus conſecrationis coma Nazaræi amputetur, & igni altaris imponatur. Nec verò Gangrenſis canon nobis adverſatur. Nam, ut ex iis quæ Sozomenus ſcribit libro 3. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 13. facilè colligitur? Synodus illa non in virgines Deo conſecratas, ſed in hæreticas quaſdam mulieres, quæ viris ſuis relictis ſimulatione pietatis caput tondebant, & virilem habitum ſumebant, ſententiam anathematis tulit. De hoc argumento plura apud Baronium reperies in annalibus ad annum Chriſti LVII. & in notationibus ad Martyrolog. Rom. Septemb. 20.

CAPUT XII.

℣. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus JESUS niſi in Spiritu Sancto.* Nemo poteſt dicere quod Jeſus eſt Dominus: Quomodo Paulus ait Philip. 2. *Et omnis lingua confiteatur quia Dominus Jeſus Chriſtus*, id eſt, quod Jeſus Chriſtus ſit Dominus. Dominum autem intelligit ut & alibi paſſim, jure redemptionis humanæ: Propter quod dicere potuit: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Matth. 28. Quo ſenſu Dominum eum prædicabant Apoſtoli, & veri confitentur fideles. Nec tamen quicumque eo ſenſu prædicant aut confitentur Jeſum eſſe Dominum, id faciunt in Spiritu ſancto: Sed qui pio cordis affectu talem prædicant aut confitentur. Hoc enim Apoſtolo eſt Ieſum dicere Dominum: quod nemo poteſt, niſi ex dono Spiritus ſancti, tamquam authoris omnium bonorum ad pietatem & æternam ſalutem conducentium. Nam etſi Spiritus ſanctus, imò tota Trinitas, cujus indiviſæ ſunt operationes, omnia operetur in omnibus; ſicut de Deo paulo pòſt dicitur: Peculiari ta-

men ratione Spiritui ſancto, cui bonitas appropriatur, in ſacris litteris ea ſolent adſcribi, quæ ſpectant hominum ſanctificationem. Movet hoc loco Cajetanus & ſolvit aliquot objectiones: Sed nos eas omnes ſolvimus, cùm illud *dicere* interpretamur, dicere pio cordis affectu, quemadmodum & Hieronymus interpretatur dictis locis. Nam & Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte cap. 25. ſic exponit, *voluntate ac mente*. Et tract. 74. in Joan. *animo, verbo, facto, corde, ore, opere*. Et Gaudentius addita particula, *ut oportet*. Huc ergo pertinent verba dæmonum confitentium Jeſum eſſe filium Dei; & Apoſtolos ejus, ſervos Dei excelſi, annunciantes hominibus viam ſalutis, Matth. 8. Act. 16. Sed nec hominum verba, qui Chriſto dicunt *Domine, Domine* nec tamen faciunt voluntatem Patris ejus, Matth. 7. Quos quidem diſertè excludunt ab hac Apoſtoli ſententia Hieronymus & Auguſtinus antea citati. Quare nec illorum huc pertinet prædicatio, qui non ſincerè, ſed ex invidia & contentione Chriſtum annunciabant, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis Apoſtoli Pauli, Philip. 1. Hæc cùm dicimus; non diffitemur eam fidem quæ eſt in malis Chriſtianis, & informis vocatur, eſſe donum Spiritus ſancti: Sed prædicationem eorum, & fidei confeſſionem, ſi non ex ſincero & pio cordis affectu procedat; in Spiritu ſancto fieri, cum allegatis patribus negamus. Quod idem nobis dicendum videtur de cæteris Spiritus ſancti donis, de quibus conſequenter agit Apoſtolus.

CAPUT XIII.

℣. 7. **C***Haritas omnia credit*. Non hominibus ſed Deo: Non eſt tarda ad credendum omnia quæ credenda divinitus traduntur. Nam hominibus omnia credere levitatis eſt, non charitatis. Eſt enim Deus verax; omnis autem homo mendax, Roman. 3. Quare credentem omnia quæ dicuntur ab hominibus, neceſſe eſt ſæpenumero decipi. Hinc & in vitio ponitur Proverb. 14. *Innocens credit omni verbo*. Sic & Auguſtinus hanc partem intellexit; cum alibi, tum lib. de ſpiritu & littera cap. 32. ita ſcribens: *Ipſa charitas quæ omnia credit, non omni ſpiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit, ſed Deo: Quia non dictum eſt, omnibus credit*.

℣. 8. *Charitas numquam excidit*. Intellige quantùm ad temporis conditionem attinet: Senſus enim eſt, ita charitatem haberi in hoc ſeculo, ut ſi quis eam retineat usque ad exitum hujus vitæ, permanſura cum eo ſit in vita futura. Quem ſenſum ea quæ ſequuntur de alijs donis poſt hanc vitam ceſſaturis, palam oſtendunt.

CAPUT XIV.

℣. 14. **S***I orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt*. Per ſpiritum ſignificare partem animi ſuperiorem quæ affectiva eſt: Affectum rationalem ſeu ſpiritualem dicere poſſumus. *Spiritus enim*, ut ait Liranus, *importat vim quamdam motivam, & ideo voluntas quæ eſt affectus intellectivus, vocatur hic ſpiritus, quia movet alias animæ potentias ad agendum*. Ita ſpiritum accepit Apoſtolus ſuprà, dicens: *Spiritu autem loquitur myſteria*. Et quidem ſpiritum pro voluntate ſive affectu rationali ſumi, non eſt infrequens in ſacris literis, ut Act. 17. de Paulo, *incitabatur ſpiritus ejus in ipſo*. Et cap. 18. de Apollo, *& fervens ſpiritu loquebatur*. De quo ſpiritu dictum eſt & illud a Domino, Matth. 26. *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*. Porrò mentis nomine ſignificatur pars intellectiva, quatenus ejusmodi. Tale igitur eſt quod dicit Apoſtolus: Nam & ſi Deum orem lingua, id eſt, ad orandum Deum utar dono linguæ, non habens donum intelligentiæ: Spiritus quidem meus orat, id eſt, affectus elevatur in Deum, (hoc enim perpetuò conjunctum erat locutioni procedenti ex dono linguæ, ut annotatum eſt ſuprà.) Cæterùm mens, id eſt, intellectus meus, quia verborum ſignificationem ac ſenſum non aſſequitur, fructu proprio privatur, qui eſt intelligere, & intelligendo refici. Unde conſequenter fit ut nec meditari nec contemplari de rebus per verba ſignificatis queat. Iſtud ſanè quod Apoſtolus dicit, accidere conſtat ijs qui Latinitatis ignari Latino ſermone preces recitant. Hi namque ſpiritu quidem & affectu devotionis in Deum feruntur, ſi verè orant: ſed quia verba non intelligunt, mens eorum ſine fructu eſt, videlicet intelligentiæ. A quibus non multum differunt tam clerici quàm laici, Latinè quidem docti, ut per hoc verba ſecundùm grammaticam eorum ſignificationem utcumque intelligant, ſi attentè legant; ſed qui propter tropos ac figuras in illis latentes, ad ſenſum orationis non penetrant: Ut ferè contingit in pſalmorum lectione. Nam exempli gratia, quotusquisque recitans illa Pſalmi 59. verba, *Moab olla ſpei meæ: In Idumæam extendam calceamentum meum*. Vel iſta Pſalmi 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ* &c. vel hæc ejusdem Pſalmi, *Increpa feras arundinis; congregatio taurorum in vaccis populorum* &c. Sententiam aſſequitur orationis; quamvis ſingula per ſe verba quid ſignificent, etiam exactè noverit? Verùm non ob id damnandæ ſunt precationes, vel hoc, vel etiam priori modo non intellectæ, tamquam ſint inutiles. Nam etiamſi qui ſic orant, fructum intelligentiæ non percipiant, ideoque nec paſcantur ſenſibus per verba ſignificatis: habent tamen fructum mentis elevatæ in Deum. Id enim eſt oratio, mentis in Deum elevatio cum decentium petitione: Nec à vera oratione fructus iſte ſeparari poteſt. Habent ijdem etiam fructum reverentiæ erga preces ſacras: quas etſi non intelligant, bonum tamen & ſalutare eſſe quod ijs ſignificatur, non dubitant; atque hoc ipſum ſibi petunt à Deo donari. Quin etiam contingit, ut quiſpiam ſic orans, plus apud Deum mereatur & impetret, quam alius intellectu ſenſum aſſequens orationis: Si nimirum majori cum humilitate, pietate, fervore Deum oret. Ac certè verborum intelligentiam ſæpe non ſolum compenſat, verùm etiam in hominibus verborum & ſenſuum alioqui peritis; interdum abſorbet devotionis in Deum magnitudo. Quocirca rectè docet in commentario S. Thomas: cùm triplex ſit attentio orantis: Una ad verba quæ dicit, altera ad ſenſum verborum, tertia ad finem, id eſt, Deum: Primam attentionem, imò & ſecundam, aliquando nocere, *in quantum impedit devotionem*: Tertiam verò eſſe optimam ac neceſſariam. Per hæc tamen nolumus ijs patrocinari, qui Dominicam orationem ita Latinè recitant; ut non curent eam intelligere. Nam quæ in illa petuntur, non ſatis eſt confusè cognoſcere quod bona ſunt: Sed ea diſtinctè, & ſcire quæ ſint, & à Deo petere tenentur omnes Chriſtiani. Unde ſapienter ac neceſſariò multis jam ſynodis Epiſcoporum conſtitutum eſt: Ut quisque fideles orationem Dominicam ea lingua quam intelligat, recitare norit. Cæterum de fructu orationis etſi non intellectæ, videat ſtudioſus Aquinatem & Cajetanum in commentarijs.

℣. 15. *Quid ergo eſt?* Id eſt: quid igitur opus ut faciam?

* Ibid. *Orabo Spiritu, orabo & mente*. Operam dabo, ut non ſolùm ſpiritu, id eſt, cum devotionis affectu Deum orem; verùm, ut etiam verba orationis intellectu capiam. Sic enim majorem utique fructum ex oratione reportabo, quàm ſi ſolo ſpiritu orarem. Unde Eccleſia conjungit utrumque, canens de B. Virgine: *Cujus precibus nos adjuvari mente & ſpiritu devotiſſimè poſcimus*.

℣. 16. *Cæterùm, ſi benedixeris ſpiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem?* Si tu qui lingua peregrina loqueris, Dei laudes pronuntiaveris ſpiritu tantùm, & non mente, id eſt, cum pio in Deum affectu, ſed verba ipſe tua non intelligens; ut proinde nequeas ea interpretari:

Quomodo

Quomodo, non dico idiotæ, ſed is qui ſupplet idiotarum locum, & cujus eſt vice populi reſpondere, dicturus eſt Amen ad tua verba, quibus Deo laudes & gratiarum actionem depromis?

Ibid. *Quoniam quid dicas neſcit.* Verba tua non intelligit, utpote peregrina.

℣. 17. *Nam tu quidem bene gratias agis.* Nimirum quatenùs ſpiritu, id eſt, pia animi devotione id facis.

Ibid. *Sed alter non ædificatur.* Sed frater & proximus tuus nullum ex verbis tuis percipit fructum, non promovetur ad ſalutem: quũ tamen ea quæ fiunt in conventu publico, referri debeant ad bonum publicum. Ex hujus loci doctrina Cajetanus haberi dicit, quod ſit *melius ad ædificationem Eccleſiæ, orationes publicas quæ audiente populo dicuntur, dici lingua communi clericis & populo, quàm dici Latinâ.* Sectarij verò ex eadem Pauli doctrina planè contendunt publicas Eccleſiæ preces, hymnos, cantica, totumque divini cultus officium agi ac recitari debere ea lingua quàm univerſus populus intelligat: Ut apud Germanos Germanica: Apud Gallos, Gallica. Quibus primùm reſpondeo: Paulum non id velle, ut totus populus intelligat, ſed ut is ſaltem, qui ſua reſponſione & approbatione vicem populi ſupplet: Quem profectò cæteris doctiorem eſſe convenit; & in quo, tamquam ſuo vicario, populus quodammodo intelligit. Deinde loquitur Apoſtolus de lingua peregrina, qualis erat Corinthijs Perſica vel Æthiopica, fortè etiam Latina. Nam & eam adfert Chryſoſtomus pro exemplo. Verum iſta nobis peregrina non eſt, cum ſit maximè communis ac nota, non ſolum Eccleſiæ miniſtris, verum etiam multis extra clerum: adeo ut Epiſcopi quondam ad populum Latinè concionati fuerint, non in Italia modò, verum etiam in Africa & Gallia, tametſi multis è plebe non intelligentibus. Nam de Africa exemplum habemus Auguſtinus: de Gallia teſtimonium Proſperi l. 1. de vita contempl. cap. 23. Ac de Hiſpania arbitror idem eſſe judicium, propter uſum Romanæ linguæ illuc præcedentibus ſæculis importatum. His adde, quod non eadem eſt ratio, cur Amen dicendum ſit ab intelligente, nunc & tempore primitivæ Eccleſiæ, quo Paulus hæc ſcripſit. Tunc enim adferebantur ab ijs qui linguæ donum habebant, orationes & laudes quædam novæ ac prius inauditæ: Quo fiebat ut qui ad eas reſponderet Amen, prorſus neſciret quid approbaret, quando nec verba intelligebantur, nec preces eſſent Eccleſiæ judicio receptæ. Nunc autem qui reſpondet Amen, etiamſi verba fortè non intelligat, Novit tamen bonum & ſanctum eſſe quod ſignificatur; utpote jam olim ab Eccleſia approbatum. Prætera notandum eſt ea ad quæ reſpondet miniſter in ſacrificio miſſæ, pauca admodum eſſe: Ut propter illa mutari non debeat lingua totius miſſæ: cùm facilè laici diſcere poſſint ea pauca quid ſignificent; & Synodus Tridentina jam præceperit ſeſſ. 22. capite 8. ut talia pro concione inter miſſarum celebrationem populo à paſtoribus exponantur. Denique non eſſe contra Apoſtolum ut aliquid omnino dicatur in miſſa vel officio divino ea lingua quæ vulgo ignota ſit, hinc manifeſtum eſt: Quia ſecundùm Apoſtolum, is qui ſupplet idiotæ locum, reſpondet Amen, utique voce Hebræa. Certè ſi miniſter reſpondens debet intelligere verba ſacrificantis aut benedicentis; multo magis intelligere debet ſua ipſius verba. Si ergo quod dicit Amen aliena lingua, intelligit, quia docetur quid ſignificet; ſimiliter doceatur de pauculis alijs verbis Latinis quæ ad populum loquitur Sacerdos, & ad quæ ipſe populi nomine reſpondet; cujuſmodi ſunt, *Dominus vobiſcum, ſurſum corda, Gratias agamus Domino Deo noſtro,* Nam quod ad orationem Dominicam attinet, quod omnes eam aut Latinam intelligere debeant, aut ſua lingua poſſe recitare, jam ante diximus. Porrò quamvis per ſe bonum ſit, ut officia divina celebrentur eâ linguâ quam plebs intelligat (id enim per ſe confert ad plebis ædificationem, ut benè probat hic locus: Unde & formaliter atque abſtractè conſiderata, vera eſt Cajetani ſententia) non tamen illud bonum eſt conſideratis omnibus circumſtantijs. Primùm enim, ex tanta varietate linguarum admiſſa in officijs divinis, & Sacramentorum celebratione non leve periculum eſſet diſſenſionum & ſchiſmatum in Eccleſia, ad cujus unitatem conſervandam non parum conducit, imò penè neceſſaria eſt uniformitas divini cultus. Deinde quorumdam idiomatum abſurditas riſum & contemptum adferret ſacris actionibus & myſterijs. Huc accedit quòd indocti ac myſteriorum rudes, etiamſi verborum ſignificationem caperent, non tamen ſenſum orationis aſſequerentur; velut in Pſalmis, Prophetijs, & multis alijs: Sed pro carnali ſuo captu ſenſus alienos imaginatione volverent, animoque conciperent; atque ita non ſolùm fructu veræ carerent intelligentiæ, verùm etiam malè intelligendos novos ac periculoſos errores ſibi confingerent. Quod ex promiſcua lectione Bibliorum in vulgares linguas tranſlatorum accidiſſe, plus ſatis experientia docuit. Quæ rationes, aliæque ſimiles oſtendunt haudquaquàm expedire, ut miſſæ ſacrificium ac cætera divina officia & Sacramenta vulgari lingua paſſim per Eccleſias celebrentur.

CAPUT XV.

℣. 44. *SEminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Corpus animale,* Græcè ψυχικόν, ab anima dictum. Hoc autem quidam intelligunt corpus obnoxium paſſionibus ac neceſſitatibus, nec omnino ſpiritui ſubjectum. Non diſſimiliter Photius apud Oecumenium, animale corpus definiens, quod *animalibus ſubſervit affectionibus*, idem videlicet cum eo, quod prioribus membris dictum eſt ſeminari in corruptione, ignominia, infirmitate. Verùm repugnat huic intellectui probatio, quam mox ſubjicit Apoſtolus ex Geneſi; *Factus eſt primus homo in animam viventem.* Nam primus homo non ſic conditus eſt, ut corpus haberet, quomodo iſti deſcribunt, animale. Rectius igitur Aquinas. Cajetanus & alij, corpus animale dicunt ab Apoſtolo vocari, quod ſuſtentatur actionibus animæ, quatenus ipſum animat, id eſt, vegetat: Hoc eſt, actionibus potentiæ vegetativæ, quarum præcipua eſt nutritio: Quæ quidem abſque alimenti fieri non poteſt. Itaque corpus animale idem eſt quod corpus ad ſui conſervationem indigens alimenti ſubſidio. Cujuſmodi fuere etiam corpora primorum parentum ante peccatum. Corpus autem ſpiritale ſecundùm eoſdem vocat Apoſtolus, cui ſpiritus ita dominatur, ut ei ad perpetuam vitam & omnem actionem ſolus ſufficiat, abſque ulla alimenti neceſſitate. Eſt autem, ut ijdem authores bene tradunt, res eadem in nobis, anima, à qua dicitur corpus animale; & ſpiritus, à quo ſpiritale: Sed in anima, ſecundùm morem ſcripturæ, ſolet intelligi vita vegetabilis; in ſpiritu nuda vis operativa: Ut videlicet anima recipiat appellationem ſpiritus, quatenus per ſe & ſine externo ſubſidio conſervat, movet ac regit corpus vivens; habens illud ſibi perfectè ſubditum ad omnem quam voluerit operationem. Hoc ferè modo diſtinguit animale & ſpiritale corpus Auguſtinus compluribus locis, ut enchiridij cap. 91. lib. 12. de Geneſi ad literam cap. 7. lib. 13. de civitate Dei capit. 20. 23. & 24. Nec diverſum ſentit in epiſtola ad Conſentium, ubi corpus animale per mortale exponit. Nam & ante peccatum mortalis erat homo; quodam ſenſu: Quia ſic conditus, ut mori poſſet, ac moreretur ſi peccaret. Alioqui diſertè eodem loco vocat Auguſtinus *corpus animale, quale animatum eſt Dei flatu, cùm factus eſt homo in animam viventem:* Quando certè nondum erat ita mortale, ut mori deberet. Illud conſtat, ex hac voce *ſpiritale* conſequens non eſſe, quod per reſurrectionem corpora noſtra vertentur in ſpiritus: Ut quidam errantes opinati ſunt? Quorum meminit Auguſtinus in epiſtola memorata ad Conſentium. Nam præterquam quod illa non eſſet reſurrectio corporum ſed abolitio; Satis evidenter eum

falſum

A falſum intellectum excluſit Apoſtolus, dum expreſsè repetivit vocabulum corporis, dicendo; *Surget corpus ſpirituale*. Neque rurſum ſequitur corpora noſtra fore ſimilia aëri aut vento, qui ſpiritus dicitur; tamquam ſpiritualia futura ſint, eo quod aerea: Quod ſenſit Origenes. Non enim ab hujuſmodi ſpiritu ſpirituale corpus vocat Apoſtolus, ſed à ſpiritu vivificante: Quemadmodum ipſe mox declarat. Igitur *in reſurrectione ſpirituale erit, non ſpiritus*, inquit Thomas; *ſicut nunc eſt animale, non anima*. Accommodat autem hoc membrum idem doctor ad dotem ſubtilitatis: Qua videlicet corpus ut inſtrumentum expeditè & perfectè ſubjicietur animæ ad quamvis actionem organicam. Nam per agilitatem ſubjicietur ut mobile ad quemlibet motū. Sic enim rectè diſtinguuntur hæ duæ dotes. Verùm tamen ut idem doctor eruditè demonſtrat, ex hac dote B ſubtilitatis non id conſequetur corpus glorioſum, ut alia corpora queat penetrare: Sed id ei competet ex virtute divinitatis in eo exiſtentis: Quomodo nec Chriſti corpus eam vim habuit ex gloria reſurrectionis; ſed ex virtute divinitatis ſibi unitæ.

℣. 50. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt. Caro & ſanguis*, id eſt, opera carnis, quæ utique peccata ſunt (Galat. 5. v. 19.) non aſſequentur hæreditatem regni Dei. *Vel caro & ſanguis*, id eſt, homines ex carne & ſanguine conſtantes, ideoque naturâ mortales, ut tales ſunt, habere locum non poterunt in regno Dei. Quaſi dicat; in illa regni felicitate corpora jam non erunt ut in hoc ſæculo, qui mori & corrumpi poſſunt. Qui ſenſus explicatur per id quod ſequitur: *Neque corruptio incorruptelam poſſidebit.*

CAPUT XVI.

℣. 1. P*Er unam Sabbati unuſquiſque veſtrûm apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit*. Senſus eſt. Prout cuique bene dixerit Deus ac proventum proſperaverit, pro modo facultatum ſeu lucri hebdomadarij, quiſque ſeponat & cumulum faciat, tribuendum in collectam publicam. Et ita ferè expoſitores Græci. Locus moralis ad exhortandum ſimili modo plebem, ut de juſto lucro totius hebdomadæ portionem aliquam ſeponant in eleemoſynas pauperum: Eoque pacto ſua peccata redimere ſtudeant apud Deum.

℣. 22. *Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ſit anathema*. Ex hoc loco, & ex D epiſt. ad Galat. cap. 1. v. 8. & 9. deſumpſit Eccleſia formam edendi Canones dogmaticos cum anathematiſmis: Id quod maximè in concilijs Epiſcoporum obſerſervari videmus, cùm dicitur: Si quis dixerit aut negaverit hoc aut illud, anathema ſit; utique non alia ſignificatione anathematis, quam ut apud Apoſtolum accipitur: Videlicet pro ea re quæ cum execratione ſeparatur & abjicitur, ut deſtinata ad extremum exitium: Quod in hominibus eſt æterna damnatio. Non ſunt igitur hæc verba Pauli excommunicantis: Quomodo ſuprà c. 5. excommunicandum judicavit inceſtuoſum illum, id eſt Sathanæ tradendum, ut ſpiritus ſalvus eſſet in die Domini; ſed verba ſunt execrantis, & æternum interitum denunciantis ijs qui Chriſtum Dominum non amant. Quod intellige, niſi reſipiſcant. E Amant autem Chriſtum, non ſolum qui juſti ſunt: Verùm etiam ante perceptam juſtificationis gratiam boni Catechumeni, & omnes verè pœnitentes: Quibus proinde ab hoc Apoſtoli anathemate non eſt metuendum. Imò Chriſtum amant omnes fideles, quotquot erga Chriſtum & religionem Chriſtianam benè ſunt affecti; etiamſi multi eorum male vivant. Neque enim omnis peccator uſque adeò malus eſt, ut Deum aut Chriſtum oderit, aut omnino non amet. Hæc quippe malitia paucorum eſt, eademque valde deteſtabilis. At verò multi ſunt inter fideles, qui non ſuper omnia Deum ament amore, quod dici ſolet, efficaci; quo ſcilicet in ſuis actionibus Dei voluntatem omnibus alijs rebus anteponant: Quemadmodum & filius non ideo A Patrem aut odiſſe dicitur, aut non amare, quia juſſis ejus non obtemperat: Dum alioqui Patri bene velit, ejuſque felicitatem optet ex animo. Igitur anathema Pauli eos ſolos reſpicere videtur, qui cum inter fideles numerentur, tamen Jeſum Chriſtum cujus nomine & religione cenſentur, non amant. Quales forte erant inter Corinthios, qui ſæculari ſapientia Philoſophorum imbuti, Chriſtum ejuſque Doctrinam velut abjectam & humilem aſpernari jam cœperant. Adverſus quos egit Apoſtolus primis paginis hujus epiſtolæ: Vehementer acturus in ſecunda c. 11. Sanè B. Thom. ſenſum hunc indicat in commentario, dum ſic exponit: *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, id eſt, fidem Chriſti: & iſti*, inquit, *ſunt heretici*. Vide inf. Galat. 1. v. 8.

B Ibid. *Maranatha*. De hac voce conſultus Hieronymus ita ſcribit ad Marcellam epiſtola 137. אתא מרן *maran atha, magis Syrum eſt quàm Hebræum; tametſi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum ſonet: & interpretetur, Dominus noſter venit*. Ut poſt illud, *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum*, propterea ſubjungit Apoſtolus *maranatha, Dominus noſter venit*: Quod, uti ſcribit Hieronymus, *ſuperfluum ſit adverſus eum odijs pertinacibus velle contendere, quem veniſſe jam conſtet*. Quod quidem ruſus videri poteſt, propriè propter Judæos, tamquam pertinaces oſores Jeſu Chriſti, dictum eſſe: Et ad hoc inſinuandum, verbis ex Judæorum lingua ſumptis Apoſtolum uti voluiſſe. Quidam verò opinantur *maranatha* perinde ut *anathema*, velut quaſdam exC ecrandi formulas, in uſu fuiſſe apud Judæos, partim Græcè, partim Syriacè loquentes: Ideoque conjunctim poſitas ab Apoſtolo, ſicut alibi conjungit, *Abba, Pater*, Rom. 8. Gal. 4. Sed hoc de *Maranatha* tantum conjectura eſt.

ANNOTATIONES

IN SECUNDAM EPISTOLAM AD CORINTHIOS.

CAPUT I.

℣. 8. S*Upra modum gravati ſumus, ſupra virtutem. Supra modum*, Græcè καθ' ὑπερβολὴν, *per exceſſum*: Quomodo D & alibi loquitur Paulus, ut in priore epiſtola cap. 12. ver. ult. aliàs ὑπερβαλλόντως, *excedenter*, ut hujus epiſtolæ cap. 11. ubi nos legimus, *in plagis ſupra modum*. Quod ſequitur, *gravati ſumus*, malo *fuimus*. Nam gravatum eſſe etiam præſenti tempori convenit. Senſus: Scire vos volo, quod attinet ad afflictionem quam Epheſi paſſus ſum, eam uſque adeò gravem ac vehementem fuiſſe, ut & modum & vires meas excesſerit, ita planè ut ei ferendæ par non eſſem. Annotant Græci plus aliquid eſſe *ſupra vires* quàm *ſupra modum*. Nam ſupra modum eſſe dicuntur quæ permagna ſunt, etſi non omnino viribus majora; quaſi ſupra mediocritatem. Jam quomodo non repugE net hic locus illi ſententiæ qua dixit 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*, ex illius loci commentario ſatis intelligi poteſt. Nam hoc quidem loco non aliud ſentire videtur Apoſtolus, quàm afflictionem ſuam fuiſſe tantam, ut & communem modum & vires ordinarias hominis etiam in Dei gratia conſtituti excederet; quam tamen ipſe ſuperaverit potentiore gratia roboratus. Alia ſolutio eſt, Apoſtolum non dicere quod ſupra vires tentatus fuerit, ſed gravatus; ita nimirum, ut afflictio major viribus fuerit, non tentatio. Tunc autem afflictio vires excedit, quando ſui magnitudine hominem opprimit & extinguit; etiamſi animus patientiam non amittat. Et huic ſenſui convenit quod ſequitur.

Ibid. *Ita ut tæderet nos etiam vivere*. Non abſurdè

poteſt

poteſt intelligi tædium vitæ paſſus Apoſtolus ob gravitatem afflictionis. Nam & beatus Job inter adverſa dixit, *Tædet animam vitæ meæ*; cap. 10. Cæterùm textus Ambroſianus ſic habet: *Ita ut deſperaremus nos etiam vivere*, id eſt, vitæ ſpem abjiceremus. Quod voluit paraphraſtes Syrus his verbis: *Adeo ut propinqua eſſet vita noſtra ut projiceretur*. Tertullianus quoque lib. de reſurrectione carnis cap. 48. legit, *ut de vita hæſitaremus*. Atque in hanc ſententiam alij quoque interpretes vertere malunt verbum Græcum alioqui ambiguum ἐξαπορηθῆναι: Quod idem legitur infrà cap. 4. ubi noſter vertit, *ſed non deſtituimur*. Itaque ſentit Apoſtolus preſſuram malorum fuiſſe tantam, ut nec ſpes conſilium eſſet evadendi: Quomodo 1. Reg. 23. de Davide legimus quod *deſperabat ſe poſſe evadere a facie Saul*. Senſum hunc exprimunt etiam Græcorum ſcholia. Favet item quod ſequitur.

Ibid. *Sed ipſi in nobiſmet ipſis reſponſum mortis habuimus*. Connexio talis eſt: Adeò ut non ſperarem me ſupervicturum; ſed reſponſum mortis in memetipſo haberem, id eſt, omninò exiſtimarem me moriturum. Quidam reſponſum mortis dici putant metaphora ſumpta à criſi medicorum: Ac ſi diceret Apoſtolus, ſe & ſuo & aliorum judicio non potuiſſe mortem evadere: quomodo propter certa morbi ſymptomata de ægroto judicare ſolet medicus. At medici judicium hoc non ἀπόκριμα, ſed κρίσιν appellant. Potius arbitror phraſim eſſe Hebream, qua ſignificetur ſententia, dictamen, decretum mortis. Nam (reſpondere) pro (dicere) conſuetudo ſcripturæ eſt, ut Dan. 4. ver. 27. Matth. 11, v. 25. Marci 12. v. 35. Senſus igitur Apoſtoli eſt: Preſſuram tam gravem fuiſſe, ut non aliud ipſi loqui videretur quàm mortem inſtantem: Vel, ut ipſe ſibi in animo non aliud loqueretur, ac de ſe non aliter ſtatueret, quam ſibi moriendum eſſe. Quem poſteriorem ſenſum habet interpretatio Syriaca: *Et de his ſententiam mortis tulimus*. Significat in extremo vitæ periculo, certaque mortis exſpectatione poſitum ſe fuiſſe.

Ibid. *Ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo. In nobis*, Græcè ἐφ' ἑαυτοῖς, *in nobis ipſis*, quod magis emphaticum eſt. Ut ne confidamus, inquit, noſtris viribus id eſt induſtriæ, prudentiæ, conſilio noſtro: Sed auxilio Dei. Declarat fructum quem electis adferre ſolet afflictionis magnitudo. Qui fructus eſt, non ſibi fidere, ſed ad Dei auxilium in omnibus reſpicere, & dicere cum Propheta: *Oculi mei ſemper ad Dominum*, Pſal. 24.

℣. 24. *Non quia dominamur fidei veſtræ*. Theophylactus ex mente Chryſoſtomi hoc modo: *Non quod ſit mihi jus in fidem veſtram. Libera namque voluntatis fides eſt: Neque quiſquam cogit nolentem credere.* Porrò Theodoretus & apud Oecumenium Photius ſic interpretantur: Non quod dominemur vobis fide, id eſt, propter fidem veſtram, quam noſtro magiſterio didiciſtis: Quaſi propter eam jus aliquod ac poteſtatem, qualis eſt dominorum, ego & conſortes mei in vos uſurpare velimus. Atque hic videtur eſſe germanus ſenſus; quem & Gagneus probat, & ſua verſione expreſſit Eraſmus; *Non*, inquit, *quod dominemur vobis nomine fidei*. Senſus hic probabilis fit ex articuli τῆς collocatione; quemadmodum obſervat idem Eraſmus in annotatione. Neque enim ſcripſit Apoſtolus τῆς ὑμῶν πίστεως; ſed ὑμῶν τῆς πίστεως, ut ſubaudiatur ἕνεκα, cauſæ ſignificativum. Eſt autem dominari, præeſſe cum oſtentatione poteſtatis, eaque abuti ad privata commoda: Quod non ſolùm à prælatis Eccleſiaſticis abeſſe debet, verùm etiam à ſæcularibus. Quod ſi dominari eſſet præcipere, minari, punire: Ut quidam adverſus Eccleſiaſticam poteſtatem hunc locum interpretantur: Non bene Paulus à ſe dominationem removeret: Qui & præcepta dedit, tam Corinthijs quàm alijs: *Et in promptu habet ulciſci omnem inobedientiam*, infrà cap. 10. & minatur Corinthijs in utraque epiſtola, (minantis enim verba ſunt, *In virga veniam ad vos*? 1. Corinth. 4. &, *Si venero iterum non parcam*, infrà cap. 13.) & infamem illum apud eos fornicatorem ſeverè puniendum iiſdem Corinthijs præcepit, 1. Cor. 5.

CAPUT II.

℣. 10. *Quod donavi, ſiquid donavi, propter vos in perſona Chriſti &c.* Totus hic locus bene notandus eſt, ac diligenter expendendus propter hujus ſæculi Sectarios, qui omnes principe Luthero negant eſſe in Eccleſia poteſtatem indulgentias quas vocamus, conferendi. Nam hic multa ſummatim indicantur ad indulgentiarum doctrinam pertinentia. Primum eſt, ipſa poteſtas relaxandi pœnam temporalem ei qui pro peccato pœnitentiam agit, adhuc reſtantem: quæ quidem eſt poteſtas conferendi indulgentias. Hæc manifeſtè ſignificatur, cùm dicitur: *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt objurgatio hæc, ita ut è contrario magis donetis.* Et iterum: *Cui autem aliquid donatis, & Ego. Nam & Ego quod donavi &c.* Quem locum adducens Pacianus in epiſtola quâ contra Novatianos diſſerit: *Vides*, inquit, *Apoſtoli indulgentiam proprias etiam ſententias temperantem.* Secundùm eſt, quòd illa poteſtate utantur Eccleſiæ præfecti tamquàm Chriſti miniſtri, à quo eam poteſtatem acceperunt & cujus vice eam exercent. Hoc enim eſt quod ait, *in perſona Chriſti.* Unde & Ambroſius lib. 1. de Pœnit. cap. 6. de hac eadem re contra Novatianos agens, oſtendit Paulum in eo quod donare ſe dicit, quoniam expreſsè adjecit *in perſona Chriſti*, jus à Domino acceptum ſibi vendicaſſe, non indebitum uſurpaſſe. Nec obſtat quòd Apoſtolus generatim Corinthios fideles alloquens dicit: *Ut è contrario magis donetis*, &, *cui aliquid donatis*; quaſi iſta poteſtas ſit omnium, & non ad ſolos pertineat Eccleſiæ Præfectos. Nam intelligi poteſt non omnibus illud ſcribi, ſed ſolis presbyteris ac præfectis Eccleſiæ: ſive, quod eodem recidit, ipſi Eccleſiæ in ſuis præfectis. Conſtat enim ea quæ paſſim in ſuis Epiſtolis Apoſtoli præcipiunt, non omnia ad omnes pertinere: Sed alia ad alios, ut ad parentes, filios; viros, mulieres; dominos, ſervos. Sic nimirùm alia ſunt quæ ad præfectos Eccleſiæ cujuſque præcepta dirigantur: Alia quæ ad cæteros fideles. Vel aliter: ac rectiùs fortaſſe dici poteſt: Velle quidem Paulum illis verbis omnes ad quos ſcribit comprehendere; qui tamen non omnes condonent eodem ac ſimili modo. Nam præfecti id faciunt poteſtate, quam promittunt illa verba Chriſti, *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Matth. 18. Cæteri verò fideles unà cum præfectis condonant & ſolvunt conſenſu, deſiderio, commiſeratione & precibus ad Deum fuſis pro fratre peccatore: Sicut omnes aliquo modo remittimus fratrum peccata, qui ex animo dicimus illud in oratione quotidiana: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: Quemadmodùm teſtatur Auguſtinus tract. 58. ſup. Joan. Juxta quem ſenſum idem Auguſtinus diſputans adverſus Donatiſtas ſæpè dicit, pacem, charitatem, unitatem Eccleſiæ ſolvere ac dimittere peccata: Et per gemitus columbæ, id eſt, per orationes ſanctorum, remiſſionem peccatorum dari. Loca ſunt lib. 3. de Baptiſmo cap. 17. & 18. lib. 5. cap. 21. & lib. 6. cap. 4. Item tract. 121. ſup. Joan. & alibi. Sic & S. Ambroſius exponens illud Lucæ 19. *Solvite eum & adducite*: *Solvit eum*, inquit, *manus Apoſtolica; talis actus, talis vita, talis gratia. Eſto talis & tu, ut poſſis ligatos ſolvere.* Nec alio ſenſu dictum eſt a Theophylacto tractante verba Domini, *Quæcumque ſolveritis &c. non ſolum quæ ſolvunt ſacerdotes, eſſe ſoluta: Sed quæcumque & nos injuria affecti vel ligamus vel ſolvimus, & ipſa eſſe ligata vel ſoluta.* Ad hunc autem modum, & quidem multo perfectiùs, etiam ſancti cum Chriſto regnantes ſolvere nos à peccatis dicuntur: Scilicet interceſſione & meritò. Quod planè ſonant invocationes illæ in hymnis Eccleſiæ: Ut ad Dei matrem: *Solve vincla reis.* Et iterum, *Nos culpis ſolutos*,

mitesfac & caſtos. Et ad Domini præcurſorem; *Solve polluti labij reatum.* Et ad Apoſtolos: *Nos à peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus.* Et ad martyrem: *Nos ſolve vinclis ſæculi.* Dicuntur autem Apoſtoli juſſu ſolvere, propter impetrandi certitudinem ſimul cum alluſione ad poteſtatem quam in terris habuerunt. Hunc igitur modum ſolvendi & condonandi pijs omnibus communem, comprehendi putamus ſub illis verbis, quibus Corinthios ad condonationem fratri lapſo faciendam Apoſtolus hortatur: Admonens ut & conſolationis officium ei impendant, & ſuam in eum charitatem confirment: Ad quam pertinet in primis, ut pro fratre preces offerant Deo. Quo reſpiciens Ambroſius ita ſcribit lib. 1. de pœnitentia cap. ultimo: *Si ſatis ad condemnationem eſt objurgatio quæ fit à pluribus: Satis eſt quoque ad remiſſionem peccati obſecratio quæ fit à pluribus.* Omnes autem intelligi, ſtatim declarat, dicens: *Nec ſolum donavit ipſe, ſed voluit etiam omnes donare.* Porrò tertium eſt, quod illa pœnæ relaxatio non tantum ſit moderatio quædam rigoris Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſicut quidam errantes opinati ſunt: Verùm etiam valeat in judicio divino ad remiſſionem pœnæ alioqui in futuro ſæculo perſolvendæ: Valeat, inquam, perinde atque ſi Chriſtus ipſe hujuſmodi condonationem faceret: Quemadmodum & facit revera per ſuum miniſtrum, cui id faciendi poteſtatem dedit. Quod melius illa verba ſignificant, quibus affirmat Apoſtolus ſe donare *In perſona Chriſti*: Hoc eſt tamquam Chriſti vicarium, & Chriſto factum ipſius ratum ac gratum habente, velut à ſe factum eſſet. Ac ſanè, niſi coram Deo judice valuiſſent per Apoſtolum Paulum factæ condonationes, tam huic fornicario, quàm alijs lapſis: Feſelliſſet ille miſeros homines; quibus hujus ſæculi pœnam remitteret, pro qua longè gravior illis eſſet in altero ſæculo pœna luenda. Quod abſit ut de eo ſuſpicemur. Quartum eſt, cauſa ſeu ratio dandæ indulgentiæ, ſive ex parte pœnitentis, ſive ex parte Eccleſiæ. Ex parte quidem pœnitentis apertiſſimè ſignificatur cauſa cum dicitur, *Ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur qui ejuſmodi eſt.* Debet enim provideri, ne pœnitens in deſperationem actus, ad deteriora ſe convertat: Et in noſtra ſeveritate *pereat infirmus frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*: ut alibi in re ſimili loquitur Apoſtolus, Rom. 14. & 1. Corinth. 8. Ex parte Eccleſiæ cauſa redditur in eo quod dicitur, *propter vos*; id eſt, propter Eccleſiæ veſtræ publicam utilitatem. Sed & cùm additur, *ut non circumveniamur à Satana*, ratio faciendæ condonationis indicatur, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Eccleſiæ, juxta diverſas illius loci interpretationes. Quintum eſt, quod bona pars ſatisfactionis à pœnitente debeat eſſe expleta ad hoc, ut reliquum ei condonetur. Id enim eſt quod ait Apoſtolus: *Sufficit illi qui ejuſmodi eſt, objurgatio hæc.* Nam eam objurgationem non levẽ fuiſſe declarat metus Apoſtoli dicentis; *Ne fortè abundantiori triſtitia abſorbeatur.* Exigunt illud ipſum veteres Eccleſiæ canones, qui de ea re extant complures: Exigunt autem propterea, ne per indulgentiam enervetur Eccleſiaſtica diſciplina; quodque deterius eſt, ipſa pœnitentium ſatisfactio quæ legis divinæ eſt, evertatur ac peſſum eat. Quas ob cauſas etiam B. Cyprianus epiſtola 11. quæ eſt ad martyres & confeſſores in carcere conſtitutos, ſeriò monet eos ac rogat, ut non alios quàm *quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam*, id eſt, propinquam, *conſpexerint*, libellis ſuis ad plenam delictorum indulgentiam Epiſcopo commendent. Sed quæret ad extremum aliquis, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potius intelligenda veniat abſolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel à peccatis in Sacramento pœnitentiæ. Siquidem utraque abſolutione pœnitens ille egebat. Reſpondeo tam verba quàm contextum Apoſtoli planè reſpuere ejuſmodi intellectum. Nam primùm, relaxatio vinculi excommunicationis neque in ſcriptura ſacra, neque apud Patres uſquam condonatio vel indulgentia vocatur: Obſtante videlicet ipſarum vocum proprietate. Deinde, quod ait, *Cui aliquid*, hoc eſt, aliquam partem *donatis*; æquè in abſolutione excommunicati locum non habet: Ut nec in ea qua pœnitens à culpa abſolvitur? Fit autem illud, dum per indulgentiam matris Eccleſiæ, poſt aliquantam ſatisfactionem, pœnitentibus relaxatur ac remittitur quod reliquum erat pœnæ debitæ. Quam pœnæ relaxationem manifeſtius etiam declarat illud præcedens *ſufficit illi*: Quaſi dicat: Satis jam pœnarum dedit, reliquum ei condonetur. Hoc enim eſt quod ſequitur: *Ita ut è contrario magis donetis.* Veluti ſi ſonte quopiam per ſententiam judicis ad quadraginta plagas condemnato; poſt trigeſimam plagam dicat judex: Sufficit, aut, ſatis eſt: Non quod ſententiæ ſit ſatisfactum, ſed quia vult uti clementia, reliquum plagarum numerum ei gratiosè remittens. In quem ſenſum Chryſoſtomus & Theophylactus ea Pauli verba diſertè ſunt interpretati. Et hæc quidem dumtaxat occaſione præſentis loci Paulini de indulgentijs pœnitentium dicta ſint. Nam de toto hoc indulgentiarum argumento ſententiam Eccleſiæ Catholicæ plenius explicare conati ſumus in ſcriptis ſuper 4. ſentent. diſt. 20.

℣. 17. *Non enim ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei. Plurimi* Græcè πολλοὶ, *multi, plerique.* Niſi quod in tribus codicibus à Roberto notatis legitur λοιποὶ, *cæteri.* Quod nec veritati congruit, nec modeſtiæ Pauli: magiſque redolet Phariſaicum illud: *Non ſum ſicut cæteri hominis*, Luc. 18. Notat autem his verbis pſeudoapoſtolos, quorum mores expreſſius deſcribit cap. 11. *Adulterantes*, inquit *verbum Dei*, Græcè καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, id eſt, *cauponantes verbum*, ſive *ſermonem Dei. Cauponantes* etiam in antiquis concordantijs lego. Et ad eam lectionem alludunt veteres Latini. Pelagius, Primaſius, Sedulius; nec non eos ſecuti gloſſator & Lombardus: Dum hic citant illud Iſaiæ 1. ſecundùm LXX. *Caupones tui miſcent vino aquam.* Eſtque ſanè venuſtior hoc loco metaphora cauponari quam adulterare. Poteſt autem bifariam exponi, vel ut ſenſus ſit. Quæſtus & commodi ſui gratia verbum Dei prædicantes; ad quæſtum Evangelio abutentes. Quo ſermonis tropo Pyrrhus Epirotarum rex apud Ennium dixit, *Non cauponantes bellum, ſed belligerantes.* Cauponum enim eſt omnia ad quæſtum vertere. Et hoc attendit qui interpretatus eſt *venumdantes*, uti legit Hieronymus juxta priores editiones: Pro quo & reperit: *qui vendunt verbum Dei*; & exponit, *Qui quæſtum putant eſſe pietatem, & turpis lucri gratia omnia faciunt.* Vel hoc ſenſu; Vitiantes verbum Dei ſanamque doctrinam permixtione falſitatis. Qua ſignificatione Græcum verbum accepit tam noſter interpres, quàm ille, cujus textu uſus eſt Ambroſiaſter, dum vertit uterque, *adulterantes*, id eſt, quod ſincerum eſt corrumpentes. Quod item faciunt caupones vinum aqua miſcentes. Hoc autem poſterius ex priori ferè conſequitur. Nam ut caupones lucrandi ſtudio mixta pro meris, & vitiata pro ſinceris vendunt? Ita qui in Evangelio Chriſti prædicando quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Jeſu Chriſti, ad illum finem etiam ſuam doctrinam libenter inflectunt atque accomodant. Utrumque in cauponandi verbo conſiderarunt Chryſoſtomus & ejus ſequaces. Et quidem eos quos hac epiſtola inſectatur Apoſtolus, utrumque feciſſe, conſtat ex eorum deſcriptione quam tradit cap. 11.

CAPUT III.

℣. 6. L*ittera occidit: Spiritus autem vivificat.* Per Litteram Lex in tabulis ſcripta, ac veteri populo data ſignificatur. Per Spiritum verò Spiritus ſanctus intelligitur, quatenus author eſt noſtræ ſanctificationis ac renovationis, idque præcipuè per charitatem, quam cordibus noſtris infundit. Itaque ſenſus eſt: Lex ſcripta, quam Deus per Moyſen dedit, ſi ſola ſit, ac Spiritu deſtituta, (quod eſt lex vetus) occidit, hoc eſt, eos

quibus

quibus data eſt, æternæ morti reddit obnoxios: Non **A** quidem per ſe ſuoque vitio. (*Lex enim ſancta; & mandatum ſanctum & juſtum & bonum*, Rom. 7.) ſed ex occaſione latentis in eis concupiſcentiæ: De qua ſub nomine peccati ita ſcribit Apoſtolus eodem loco: *Occaſione accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat: Sed cum veniſſet mandatum, peccatum revixit; & inventum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.* Porrò Spiritus, per gratiam qua nos efficit legis obſervatores, vivificat nos, id eſt, æternæ vitæ conſtituit hæredes. Senſum quem dedi de litera occidente, illud præterea comprobat, quod proximè poſt verba jam citata ex epiſtola ad Rom. ſubjungit Apoſtolus: *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me, & per illud occidit*: utique reddendo obnoxium morti æter- **B** næ. Neque enim aliud eſt, peccatum occidere hominem per mandatum; quam, legem ſeu literam occidere hominem occaſione peccati. Conferendæ ſunt & aliæ Scripturæ, ut Rom. 4. *Ubi non eſt lex, nec prævaricatio.* Et cap. 5. *Lex ſubintravit ut abundaret delictum.* 1. Cor. 15. *Virtus peccati lex.* Et Gal. 3. *Lex propter tranſgreſſiones poſita eſt.* Ex quibus omnibus, ac potiſſimum ex cap. 7. epiſt. ad Romanos, ſatis liquet eos haud aſſecutos mentem Apoſtoli, qui literam interpretantur occidere, quod lex Moyſi temporale ſupplicium mortis, ut erant lapidatio, crucifixio, tranſgreſſoribus comminetur & irroget: Quæ Græcorum, & inter Latinos Ambroſiaſtri eſt expoſitio. Conſtat enim Apoſtolum eo loco non agere de ejuſmodi ſupplicio, **C** ſed de morte æterna: De qua dixerat cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Alioqui certè permulti, tempore veteris legis, vel occulte peccantes in legem, vel potentiores, qualis David adulter & homicida (quod utrumque crimen ſecundùm legem erat capitale) ſupplicium mortis evadebant: Ut in iis juxta ſenſum Græcorum, locum non haberet, *litera occidit*. Denique ſi literam occidentem de morte temporali interpreteris, oportebit & Spiritum vivificantem de vita temporali intelligere: Ut conſiſtat antitheſis. Id verò quam ſit à mente Pauli remotum, ſcopus doctrinæ ejus palam oſtendit. Atqui multo minus hac ſententia ſignificare voluit Apoſtolus, literalem ſive hiſtoricum ſcripturæ ſenſum, occidere, id eſt, noxam adferre, lectori: myſticum verò ſenſum, quem ſpiritualem vocant, vivificare, id eſt, ad pietatem **D** conducere. Qui ſenſus priori parte falſus eſt, & ad Origenis damnata dogmata rejiciendus. Quamquam interdum accommodatur hæc Apoſtoli ſententia non malè, (quemadmodum fecit Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 5. ad ſignificandum quod interpretari ſcripturam ubique ſic ad literam, ut verba ſonant; ducit in errorem? Ut ſi Deo caput, manus, pedes, animam propriè tribuas; quoniam hæc in ſcriptura Deo leguntur attributa. Quo ſenſu, litera occidit Anthropomorphitas; necnon eos qui ſimili ratione miſericordiam, iram, pœnitentiam, & alias hujuſmodi affectiones propriè putaverunt eſſe in Deo, velut Judæi, & inter Chriſtianos Lactantius, aliique nonnulli; quos Anthropopathitas appellere poſſumus.

♰. 17. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas.* Senſus eſt: **E** Spiritus Domini, cùm ipſe ſit Dominus, ideoque liberrimus; de quo ſcriptum eſt quod *ubi vult, ſpirat*, Joan. 3. & quod *omnia operatur prout vult*, 1. Cor. 12. tamquam velamine ſervitutis ablato, (removet enim illud *quia vult*, ait Thomas) libertatem communicat iis quos inhabitat, id eſt, Chriſtianis: Libertatem utique ſpiritualem, quia Spiritus eſt, à ſervitute legis & peccati eos liberans. Abuſi ſunt hac Apoſtoli ſententia jam olim hæretici quidam, uti refert Aquinas, ad ſtatuendum ſuum illud perverſum dogma, quo docebant viros ſpirituales lege divina non teneri, utpote per Spiritum aſſertos in libertatem. Cujus abſurditatem doctrinæ bene declarat idem doctor, oſtendens impoſſibile eſſe, ut quis, ſive homo ſive Angelus, præceptis Dei non ſubdatur. Libertas autem, de qua Paulus, immunitas eſt non tam à lege, quàm à ſervitute legis, ut dictum eſt.

CAPUT IV.

♰. 3. *QUod ſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum; in iis qui pereunt eſt opertum.* Non ſentit Apoſtolus ſcripturam ſacram ſolis infidelibus ac reprobis obſcuram eſſe: fidelibus autem & electis omnibus manifeſtam, id eſt, ad intelligendum facilem ac perviam: Quod ex hoc loco ſectarii quidam docere conati ſunt. Neque enim de ſcripturis intelligendis aut interpretandis hîc agitur, ſed de Evangelio palam prædicato: quod reprobi non recipiunt, ſed electi: aut ſi recipiunt illud reprobi quidam, non ita tamen ut oportet; quia non ei acquieſcunt, faciendo quæ lex Evangelii præcipit: aut ſi ſic aliquando recipiunt, non id faciunt perſeveranter. Itaque ſenſus eſt: Quod ſi adhuc velatum & occultum eſt quibuſdam Evangelium; quod prædicamus: Dumtaxat iis qui pereunt, id eſt, reprobis, velatum eſt & occultum, ac ſi dicat: Non ideo fruſtratur aut miniſterium noſtrum, aut intentio noſtra: Non enim propter reprobos ſed propter electos prædicamus. *Omnia* namque *propter electos, ut ipſi ſalutem conſequantur*, ait 2. Tim. 2.

♰. 11. *Ut & vita JESU manifeſtetur in carne noſtra mortali.* Id eſt, ut in corporibus noſtris mortalibus toties in mortem traditis, & tamen adhuc viventibus, manifeſtò appareat etiam Jeſum, quem prædicamus, vivere.

♰. 12. *Ergo mors in nobis operatur, vita autem in vobis.* Senſus germanus eſt igitur in nobis Apoſtolis, qui prædicamus vobis Evangelium ſalutis, mors agitur & exercetur. Nam (ut in ſuperioribus dictum eſt) *perſecutionem patimur: Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes; ſemperque in mortem tradimur propter Jeſum*: Ut viciſſim in vobis vita agitur & exercetur: Id eſt, per noſtra pericula noſtramque quotidianam mortem vobis gignitur, augetur, perficitur vita ſpiritualis. Nam Apoſtolorum & martyrum mors vita eſt Eccleſiæ. Vult enim ſignificare Paulus alterum eſſe cauſam alterius: Ac ſi dicat, Ex Evangelio per aſſidua moriendi pericula à nobis prædicato, provenit vobis fructus vitæ & ſalutis æternæ.

CAPUT V.

♰. 13. *SIve enim mente excedimus, Deo.* Quidam vertunt *inſanimus*. Dicere cœperat Apoſtolus quæ ad laudem ſuam & gloriam ſpectarent; idque adeo in conſequentibus hujus epiſtolæ, prolixiùs & copioſiùs facturus eſt, improbitate ſuorum adverſariorum ad eam rem impulſus: De eo nunc ſe excuſat, & hac ſententia Corinthios præmonet, ut intelligant id cum ratione, & ob juſtam utilitatem à ſe fieri. Quod autem hujuſmodi gloriationem, ſuique laudationem ſignificare voluerit nomine inſaniæ atque inſipientiæ; patet ex iis quæ ſcribit infra cap. 11. & 12. Ratio appellationis eſt, vel quia vulgus eos æſtimat parum ſanos, qui laudes ſuas prædicant: Vel potius quoniam id abſque juſta neceſſitate facere, revera ſtultum & inſanum eſt: Ut inſanire dicatur hoc loco qui facit quod ſolent homines non ſanæ mentis. Porrò ſupplenda eſt oratio repetitione verbi, in hunc ſenſum: Sive inſani ſumus glorioſè de nobis ipſis loquentes, Deo inſani ſumus: Id eſt, hoc ipſum facimus ad gloriam Dei: Ne, ſi nos ejus miniſtri vobis habeamur contemptui: ſimul ejus doctrina per nos prædicata contemnatur. Quæ res utique cederet in ipſius Dei contemptum.

Ibid. *Sive ſobrii ſumus, vobis.* Mentis ſobrietas intelligitur. Nam Græcè eſt, εἴτε σωφρονοῦμεν, id eſt *ſanæ mentis ſumus*, pro quo legit Ambroſ. *ſanum ſapimus*, Aug. verò *temperantes ſumus*. Quorum om-

nium ſenſus idem eſt, iſte : Sive de nobis humiliter ac A modeſtè loquamur; quod ſolent homines ſanæ mentis : Vobis tales ſumus, hoc eſt, id totum veſtri cauſa facimus, imbecillitati veſtræ non accommodantes, & humilitatis exempla præbentes.

℣. 16. *Neminem novimus ſecundùm carnem.* Cùm Pſeudapoſtoli, qui utique Judæi erant, inter alia gloriarentur de nobilitate generis, quòd Hebræi, quòd Iſraëlitæ, quòd ſemen Abrahæ eſſent : Ut infrà cap. 11. verſu 22. quod totum Apoſtolus ibidem verſu 18. vocat gloriari ſecundùm carnem : Docet hic, uſque adeò ſe ſibiipſi ac veteri vitæ mortuum eſſe; & in alium hominem transmutatum; ut jam nihil illorum magni faciat. Docet autem idipſum pleniùs in epiſtola ad Philip. 3. ubi adverſus eoſdē agens Pſeudapoſtolos *in carne fiduciam habentes*, ſcribit ſe quidem etiam habere B unde confidere poſſit in carne; ſed univerſam illam in carne gloriandi materiam æſtimaſſe propter Chriſtum ut detrimenta & ſtercora. Qui locus eſt pro commentario loci præſentis. Cujus proinde ſenſus quàm maximè probabilis, eſt iſte : Cùm itaque nos novæ legis miniſtri per Chriſtum mortui ſimus vitæ veteri ac nobis ipſis, & in novam cum Chriſto vitam transformati : Sanè ex eo jam tempore quo fungimur hoc miniſterio, neminem novimus ſecundùm carnem, notitia videlicet amoris & propenſioris affectus; id eſt, in nemine gloriamur carnalis propinquitatis cauſa; ne quidem in ipſo Abraham Patre noſtro *ſecundum carnem*; ut appellatur Rom. 4.

Ibid. *Et ſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum; ſed nunc jam non novimus.* Auget orationem Apoſto- C lus hac parte, quaſi in immenſum. Poterat enim dicere. Nec ipſum Abraham novimus ſecundùm carnem : Sed nominare voluit quemdam incomparabiliter majorem. Quin etſi, inquit, aliquando magnum & glorioſum putavimus, gentilem & conſanguineum eſſe Chriſti ſecundùm carnem, & nunc ita penitùs mortui ſumus affectibus vitæ veteris, ut non amplius in hujuſmodi re gloriandum nobis cenſeamus. Etenim Pſeudapoſtolos in eo vel imprimis gloriatos fuiſſe, quòd Chriſto eſſent carne & ſanguine conjuncti; non eſt dubitandum : Quandoquidem Apoſtolus Rom. 9. inter prærogativas Judæorum hoc etiam enumerat, quod ex ijs eſſet *Chriſtus ſecundùm carnem.* Verumtamen id non eſſe magnifaciendum, ipſe etiam Chriſtus docuit; quando quibuſdam ſibi nuntiantibus adventum ſuæ matris, D & fratrum; reſpondit : *Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt*, Luc. 8. liquet quam futiliter ex hoc loco probare nitantur Sacramentarij quidam abſentiam carnis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento : Quaſi ſenſus ſit, Chriſtum ex quo cœlos petivit, non amplius ut carne præſentem à nobis cognoſci. Quem ſenſum hujus loci nullus ſcriptor orthodoxus tradidit. Refellitur autem pari ratione, qua Fauſti ſenſum refellit Aug. quia ſi Chriſtum Paulus ideo non amplius noverat ſecundùm carnem, quod eum non noſſet carne præſentem : Igitur nec quemquam alium hominem cognoſcebat carne præſentem; quia generaliter dixit : *Ex hoc neminem novimus ſecundùm carnem.*

℣. 21. *Eum qui non noverat peccatum.* Dicitur E Chriſtus non noviſſe peccatum phraſi ſcripturæ; quia peccatum nullum fecit; id eſt, adeò fuit à peccato alienus, ac ſi prorſus peccatum ignoraret. Nec mirum, quando nec peccare potuit ille homo qui idem Deus erat. Ita loquitur in Pſalmo 34. *Quæ ignorabam, interrobant me.*

Ibid. *Pro nobis peccatum fecit.* Quod tribus modis intelligi poteſt, uti diligenter à Lombardo & Aquinate annotatum eſt. Primùm hoc ſenſu; Fecit eum hoſtiam ſeu ſacrificium pro peccatis noſtris. Nam more veteri ſacrificia pro peccatis peccata vocabantur. Unde dicitur Oſee 4. de Sacerdotibus, *peccata populi mei comedent*, id eſt, oblata pro peccatis. Hoc modo poſt Ambroſium exponunt Pelaſius, Primaſius, Sedulius & Haimo, locum adducentes ex lege Levitici 4. juxta verſionem interpretum LXX. *Et imponet manum ſuam ſuper caput peccati* : Quemadmodum & in Hebræo legitur. Pro quo Hieronymus; *ſuper caput hoſtiæ quæ pro peccato eſt.* Tale & illud eſt in Hebræo Levitici 10. *Cur non comediſtis peccatum?* Ubi LXX, *quod pro peccato*, Hieronymus *hoſtiam pro peccato.* Item Numerorum 6. ubi ſimiles occurrunt locutiones, obſervatæ ab Aug. quæſtione 12. ſuper Numeros. Placet hic ſenſus multis alijs, ac nominatim ipſi Aug. qui paſſim eum tradit; ut duobus locis jam ante citatis, ac præterea lib. de peccato originali cap. 32. lib. 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 6. ſermone 48. de verbis Domini cap. 4. & ſermone 6. de verbis Apoſtoli, cap. 8. & epiſtola 120. ad Honoratum cap. 30. Alter ſenſus eſt : Fecit eum peccatum, id eſt hominem morti, miſerijs ac paſſionibus ſubjectum, & per hæc peccatoribus ſimilem : Ut in peccato, ſimilitudo peccati, vel pœna peccati intelligatur. Hujus quoque ſenſus meminit Aug. locis prius notatis in Enchiridio & contra Maximum, & alibi. Meminit etiam Oecumenius; & probat Paulus Burgenſis. Tertius ſenſus; Fecit eum reputari peccatorem ab hominibus, ſicut ſcriptum eſt Iſaiæ 53, *Cum ſceleratis reputatus eſt*; ut hoc dictum ſit ea forma loquendi, qua aliquid dici ſolet tale; non quia ſit, ſed quoniam opinantur homines eſſe tale : Quo ſenſu dixit Bethſabee ad Davidem 3. Reg. 1. *Erimus ego & filius meus Salomon peccatores*; id eſt, reputabimur ut ſontes, ac de vita periclitabimur. Sed quia ſecundùm hanc expoſitionem videri poteſt Deus author falſæ reputationis, id eſt, erroris hominum ita malè judicantium : Idcirco tertium hunc intellectum cenſeo ſive corrigendum ſive explicandum eſſe per commentarium Græcorum, Chryſoſtomi ac cæterorum; quia peccatum emphaticȇs interpretantur magnum peccatorem : Ac ſi dicat Apoſtolus? Noſtri cauſa tractavit eum tamquam ipſum peccatum, ipſum ſcelus, id eſt tamquam hominem inſigniter ſceleratum ut *in quo poſuerit iniquitatem omnium noſtrûm*, Iſaiæ 53. Idque more capri emiſſarij, qui portabat omnes iniquitates filiorum Iſrael, quas ejus capiti Pontifex fuerat imprecatus. Levit. 16. Fecit igitur Chriſtum Deus peccatum, quando tradidit eum in mortem crucis; quo genere ſupplicij ſolent affici famoſi latrones, qualis Barabas; qualis & illi duo nequam cum Domino crucibus affixi, Luc. 23. Sic alibi Chriſtus dicitur factus pro nobis maledictum; *quia ſcriptum eſt* : *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, Gal. 3. & Deut. 21. Nam & illam ſcripturam huc adducunt Chryſoſtomus & alij. Hinc porrò jam ſequitur (quod habebat tertia expoſitio) Chriſtum reputatum fuiſſe magnum peccatorem, ſcilicet ab ijs qui ſolent ex pœnis æſtimare peccata.

CAPUT VI.

℣. 1. *ADjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Senſus eſt : Cùm Deus in Chriſto mundum ſibi reconciliaverit, cauſam exhibendo ſufficientem reconciliationis ejus ac juſtificationis, in merito paſſionis Chriſti : Nos Apoſtoli, quibus à Deo datum eſt miniſterium reconciliationis annuntiandæ & exequendæ; Deo cooperantes tamquam ejus miniſtri, cum obſecratione vos exhortamur, ut ne tantum Dei beneficium quod per nos vobis Corinthijs non modò prædicatum, verùm etiam impenſum eſt (quippe qui illud recepiſtis,) in vacuum & ſine fructu receperitis : Hoc eſt ne reddatis illud vobis inutile. Quod certè futurum eſt ſi in fide ſuſcepta non perſeveretis, aut fidem ſine bonis operibus arbitremini vobis ſufficere. Ita ferè exhortationem hanc de gratia Dei, ne ſit in vacuum recepta, veteres exponunt. Unde liquet non hic intelligi gratiam ſive habitualem, ſive actualem animæ inhærentem; uti rectè monet etiam Cajetanus; ſed generale illud beneficium reconciliationis mundi; de quo jam antè locutus fuerat Apoſtolus : & de quo ſcribit ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei*

Dei Salvatoris omnibus hominibus &c. Quod tamen beneficium, priuſquam applicetur, magis in Deo intelligitur, quam in hominibus; ut hæc gratia ſit benigna Dei voluntas, qua filium ſuum nobis dedit propitiatorem. Quamquam & inhærens gratia in vacuum recepta rectè dicitur, quando quis in ea non perſeverat, ſed peccando eam abjicit.

℣. 14. *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Quæres quid ſit jugum ducere ſeu jugo copulari cum infidelibus? Neque enim Corinthij vetabantur habitare cum infidelibus, neque negotiari, neque cibum ſumere. Dicit enim Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Si quis vocat vos infidelium, & vultis ire* &c. Et ejuſdem ep. cap. 5. cùm dixiſſet, *Ne commiſceamini fornicarijs*; addidit, *non utique fornicarijs hujus mundi* (id eſt infidelibus): *Alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe.* Denique nec prohibebantur habere conjuges infideles, atque cum ijs manere; juxta illud cap. 7. *Si quis frater uxorem habet infidelem.* Reſpondemus eos jugum cum infidelibus ducere qui cum eis arctam ineunt ſocietatem ſeu neceſſitudinem, ex qua nimirum oriatur periculoſa quædam neceſſitas communicandi in moribus & religione. Vel, ut habet Græcorum expoſitio, jugum ducunt cum infidelibus, qui talem cum illis ineunt ſocietatem, qua fiat ut in partem illorum declinent, mores eorum & vitia ſequentes, juxta illud Pſalmi 105. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.* Hujuſmodi verò ſocietas maxime eſt conjugium. Unde loco jam jam citato prioris epiſtolæ, quamvis non prohibeat Apoſtolus fidelibus permanere in conjugio cum infidelibus antea contracto, quando infidelis abſque religionis & pietatis injuria conſentit cohabitare cum fideli; prohibet tamen nova iniri conjugia cum infidelibus; ubi dicit, *Cui vult nubat, tantum in Domino.* Eſt autem manifeſta ratio diverſitatis inter eum qui conjugem habet infidelem, & eum qui ducit; quemadmodum & inter ſervum qui habet Dominum infidelem, & eum qui dat ſe ejuſmodi Domino in ſervitutem. Nam qui conjugatus eſt, jam non habet in poteſtate jugum illud abjicere; uti nec ſervus Dominum habens infidelem. Cæterùm in hac ſcriptura contineri prohibitionem ne fideles cum infidelibus contrahant matrimonia, quamvis à commentatoribus id non ita ſit expreſſum, ſed tantùm generali ſententia comprehenſum; apertè tradit Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 5. & in epiſtola ad Ageruchiam, de monogamia. cap. 2. Nec immeritò ſane; quandoquidem omnium ſocietatum humanarum ea ſit intima & arctiſſima, qua per conjugium ſibi invicem adhærent vir & mulier. Jam ſi propter periculum illicita ſunt fidelium conjugia cum infidelibus, id eſt, qui fidem numquam ſuſceperunt (hos enim infidelium nomine intelligit Apoſtolus:) Quanto magis cum hæreticis, quorum & periculoſior eſt cohabitatio, & difficillior converſio? Quod autem irrita nullaque ſint Eccleſiaſtico jure matrimonia quæ fideles cum infidelibus contrahere tentant; non item quæ cum hæreticis, id aliam rationem habet, explicatam à nobis in 4. diſt. 39.

℣. 17. *Exite de medio eorum & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis.* Apoſtolus hortatur fideles, non ut corporali converſatione & habitatione ſeparentur ab infidelibus; Sic enim (ut in priori epiſtola jam dixerat) debuiſſent de hoc mundo exire: Sed ut animo ſeparentur, malis non conſentientes, &, ſicut ſtatim initio ſequentis capitis explicat, ſeſe mundantes ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. Denique id facientes quod præcipit Epheſ. 5. dicens: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redarguite.* Hoc igitur eſt exire de medio infidelium & ſeparari, & immundum non tangere; ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, quo infideles coinquinati ſunt, ſeſe mundum ac purum præſtare; & malis eorum operibus non communicare; etiamſi aliqua neceſſitate exigente in medio eorum verſandum ac vivendum ſit. Quam doctrinam perſpicuè tradit Augu-
A ſtinus lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani cap. 3. & ſequentibus. Cæterùm quatenus cuique periculum eſt ſuæ ſalutis ex corporali cohabitatione ſeu converſione cum infidelibus; eatenus etiam corporaliter ab ijs ſe debet abſtinere; videlicet ex ea naturæ lege qua quiſque tenetur periculum ſuum vitare.

CAPUT VII.

℣. 10. QUæ *ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Secundùm Theophylactum & Latinos, parit pœnitentiam, quæ cauſa eſt ſalutis ſemper manſuræ, & numquàm pœnitendæ.

B Ibid. *Sæculi autem triſtitia mortem operatur.* Triſtitia ſæculi ſeu mundi, triſtitia eſt ſecundùm ſæculum: id eſt, exponente S. Thoma, quæ naſcitur ex amore ſæculi. De quo Joannes epiſtolæ 2. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Hujuſmodi triſtitia eſt quam patiuntur homines ex amiſſione, vel impedita perceptione, eorum quæ carnaliter diliguntur; ut voluptatum atque aliorum bonorum temporalium, vel etiam parentum, propinquorum, amicorum inordinatè dilectorum. Parit autem ea triſtitia mortem, vel æternam, quatenus Deus plerumque graviter per eam offenditur: Vel temporalem, eo quòd homines immodica triſtitia preſſi ſæpe in morbos incidant periculoſos & mortiferos; juxta illud Eccleſiaſtici 30. *Multos occidit triſtitia*, & Proverb. 17. *Spiritus*
C *triſtis exſiccat oſſa.* Quamvis & triſtitia quæ ſecundùm Deum eſt, ex redundantia doloris in partem inferiorem animæ, corpus lædere & mortem adferre poteſt. Unde eſt quod ait Salvator, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quocirca probabilior eſt de morte æterna expoſitio, maximè quod mortem Apoſtolus opponat ſaluti non corporis ſed animæ. Tale enim eſt quod dicit: Juſtum eſt me gaudere de hac triſtitia veſtra quæ ſecundùm Deum eſt; quia longè alius eſt effectus illius triſtitiæ, quàm triſtitiæ ſæculi. Nam illa ſalutem & vitam gignit perpetuam; hæc verò mortem æternam conciliat.

CAPUT VIII.

D ℣. 14. SEd *ex æqualitate in præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat.* Senſus eſt: Hoc volo & exigo ut vos qui bonis temporalibus abundatis (erat enim Corinthus opulenta civitas) de veſtra copia illorum (ſcilicet fratrum qui in Judæa ſunt) inopiæ temporali ſuccurratis; idque *ex æqualitate*, hoc eſt per quamdam æqualitatem vobis enim abundantibus, & illis indigentibus; multa eſt inæqualitas: quæ ad æqualitatem quamdam reducetur, videlicet non mathematicam, ſed civilem; dum præſtabitur ut ſit ſufficientia; ubi nunc eſt inopia. Sic enim æqualitas inter vos & illos erit, in eo quod eſt ſufficienter habere, & non indigere. Pronomen *illorum* quidam ad Macedones referunt; ſed ſanè præter Apoſtoli mentem. Quod verò addit, *In præſenti tempore*,
E vel hunc habet ſenſum, durante dumtaxat illorum præſenti neceſſitate; quam ſperamus non diu duraturam: Vel intellige, In hoc ſæculo. Nam in futuro ſæculo non erit opus. Uter ſenſus potior, mox patebit.

Ibid. *Ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.* Sunt qui etiam hanc partem de temporalibus intelligant; hoc ſenſu, ut alio tempore quando illos abundare & vos indigere continget, illi de ſua copia viciſſim veſtram ſuppleant inopiam. Pro quo intellectu facere putant id quod dixerat, *In præſenti tempore*, juxta priorem ejus particulæ expoſitionem. Sed obſtat illud Evangelicum Lucæ 14. *Ne fortè te & ipſi reinvitent, & fiat tibi retributio. Beatus autem eris, quia non habent retribuere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum.* Quare nullo modo probabile ſit, ſpe

temporalis retributionis voluiſſe Apoſtolum hortari Corinthios ad eleemoſynam; quæ profectò jam non eſſet eleemoſyna, ſaltem puta; ſed mutui quamdam ſpeciem haberet, ſi temporalem retributionem reſpiceret. Adde, quòd nec veriſimiliter expectandum erat, ut qui in Judæa erant fratres, aliquando locupletiores facti Corinthijs egentibus ſubvenirent. Nam illi partim omnia reliquerant, partim bonorum ſuorum rapinam paſſi fuerant; Corinthij verò ſua retinebant. Itaque juxta communem, pene omnium, interpretationem de bonis ſpiritualibus hæc pars accipienda eſt; quemadmodum prior de temporalibus. q. d. Apoſtolus, in hoc ſæculo veſtra temporalis abundantia ſuppleat illorum temporalem inopiam; ut viciſſim aliquando, nimirum in futuro ſæculo, ſpiritualis illorum abundantia veſtræ ſpiritualis inopiæ ſupplementum fiat. B Juxta illud Salvatoris: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*, Lucæ 16. & illud ipſius Apoſtoli, 2. Timoth. 1. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui; quia ſæpè me refrigeravit: Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illa die.* Senſum hunc confirmat quod capite proximè ſequenti dicit Apoſtolus, in eodem adhuc argumento perſiſtens; *Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, utique in futuro ſæculo. Et quod ad Galatas 6. *Bonum facientes non deficiamus; tempore enim ſuo metemus non deficientes*: Jam & alibi bona ſpiritualia Sanctorum qui Jeroſolymis erant, ita commendat Apoſtolus, ut dicat, *Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt gentiles; debent & in carnalibus miniſtrare illis.* Rom. 15. C Igitur illi ſancti primique fideles, & jam protogaverant ſpiritualia iis à quibus temporalia recipiebant; & rurſum in futuro ſæculo ſpiritualia ſua iiſdem communicaturi erant; videlicet ea communione, qua in Eccleſia Chriſti aliorum merita per charitatem ad alios derivantur. Unde locus hic Apoſtoli, contra noſtræ ætatis hæreticos, oſtendit poſſe Chriſtianos minùs ſanctos, meritis Sanctorum adjuvari, etiam in futuro ſæculo. Denique notanda virtus eleemoſynæ, quæ facit hominem participem meritorum ejus in quem confertur.

Ibid. *Ut fiat æqualitas.* Quidam repetitionem eſſe putant ejus quod antè dixit; *ex æqualitate*; ut tantùm de temporalibus ſit ſermo, juxta ſenſum ibi datum. Quod enim ſequebatur: *Ut & illorum abundantia* &c. Per parentheſim interjectum eſſe putat Gagnæus. D An ſanè probabilius eſt; præſentem particulam referendam eſſe ad utrumque membrum præcedens; ut æqualitatem Apoſtolus intelligat fieri quadantenus, etiam in ſpiritualibus, inter abundantes & inopes; dum quod quibuſdam fidelibus deeſt ad ingreſſum regni cælorum, per aliorum Sanctorum merita, quibus in hoc ſæculo benefecerunt ſuppletur. Fiunt enim hoc pacto Sanctis æquales, in eo quod eſt, ſufficientia bona habere ad ingrediendum in æterna tabernacula.

℣. 15. *Sicut ſcriptum eſt*, Exodi 16. Quod enim ibi ſcriptum eſt de colligentibus manna, quædam figura fuit æqualitatis hujus, tam temporalis quàm ſpiritualis, de qua loquitur Apoſtolus.

Ibid. *Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.* Id eſt, defecit, minus habuit. Cæterùm E in multis codicibus legitur oratione completa, *Qui multum habuit, non abundavit* &c. Syriaco textu aſtipulante; tametſi probabilius eſt verbum, *habuit*, non ab interprete, ſed poſtea ab alio quopiam ad ſupplendam ſententiam, additum eſſe. Nam in Græco non additur, nec apud Paulum, nec apud LXX. ſed intelligendum relinquitur (habuit) vel potiùs (collegit) aut quid ſimile. S. Aug. commodam in ſuo codice habuit hujus ſententiæ verſionem, lib. 2. contra adverſ. leg. & Proph. c. 7. hanc, *Qui multum non abundavit; qui modicum, non defuit illi.* Senſus enim eſt; Non plus habuit qui plus collegit; neque minus habuit qui minus collegit: Sed omnes æquè multum. Cùm enim filijs Iſraël præceptum eſſet, ut unuſquiſque col-A ligeret ex manna, quantum in diem ſibi ad edendum ſufficeret, ſcilicet menſuram gomor per ſingula capita; & tamen, ut fit, alij plus, alij minus colligerent: Poſtquam explorabant id quod collegerant ad menſuram gomor, inventum eſt, divino miraculo, neminem quidquam vel ſupra vel infra menſuram habere; ſed omnes tantum, quantum ea menſura capiebat; quæ eadem erat unicuique panis diurni menſura ſufficiens, nec redundans. Fuit autem ea res figura quædam utriuſque æqualitatis ſupradictæ; Impletur autem illa figura perfectè, quando qui bonis terrenis abundant, nihil volunt boni ſuperflui retinere, ſed totum indigentibus elargiri; & qui divites ſunt ſpiritualium bonorum, quantum in ipſis eſt, communicatione meritorum alios ſibi adæquant. Poteſt autem hæc ex Moyſe deprompta B ſententia, referri ad communionem ſacræ Euchariſtiæ; maximè quòd manna fuerit inſignis quædam & expreſſa ſacræ Euchariſtiæ figura. Quare ſicut illic, *qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit*: Ita & in perceptione ſacræ Euchariſtiæ, qui duplum ſumit, id eſt, utramque ſpeciem, non plus habet; & qui ſimplum, id eſt, alteram tantum ſpeciem, non minus habet: Sed fructus utrimque eſt æqualis. Porrò circa ſuperiorem Apoſtoli doctrinam qua vult eleemoſynas dari uſque ad quamdam æqualitatem accipientis cum dante; & pro abſurdo habet ita eas dari, ut remiſſio ſit accipientibus, dantibus autem anguſtia; dubitabit aliquis, quomodo contra hanc doctrinam non faciant, qui juxta conſilium dominicum omnia quæ habent, dant pauperibus aut ſæculo relinquunt, ipſi poſtea paupertate affligendi. Magis probanda videtur reſponſio C S. Thomæ quam accepit ex gloſſa interlineali, nempe quòd ſimpliciter melius ſit totum dare pauperibus, & affligi pro Chriſto; intellige, modò id voluntariè fiat & forti animo; & ita quidem ut ne quis ſemetipſum in extremam neceſſitatem conjiciat. Quod non eſt putandum viduam illam feciſſe; cùm ex labore manuum vixiſſe eam exiſtimandum ſit. Quod autem Apoſtolus hoc loco docet, id, inquit Thomas, condeſcendendo fecit; quia infirmi erant Corinthij, de quibus metuendum eſſet, ne fortè deficerent à fide ſemel ſuſcepta, ſi ejus occaſione inopia premerentur. Fortiores erant Macedones; qui etiam ſupra vires dare erant parati. Cui tamen reſponſioni illud etiam addendum, non licere eis qui familiam domi alendam habent, ita largiri D pauperibus externis, ut domeſtici indigeant; eſſet enim talis eleemoſyna contra rectum ordinem charitatis.

CAPUT IX.

℣. 7. N*On ex triſtitia, aut ex neceſſitate. Ex triſtitia* dat, qui dat avaro & triſti animo; ideoque dat minus quàm oportet. *Ex neceſſitate dat*, qui vel majorum authoritate vel aliorum exemplis impulſus, ac pudore inductus, dat, alioqui non tam multum daturus. Atque hic etſi det quantum oporteat, non tamen quomodo dandum ſit. Similis eſt locus Apoſtoli in epiſtola ad Philemonem ubi quidpiam ab eo petens, dicit ſe nolle ei imperare ſed rem permittit ipſius conſilio ac deliberationi; ut ne velut ex neceſſitate bonum ejus eſſet, ſed voluntarium. Nam & hic ſuperiùs dixerat, *Non quaſi imperans dico, ſed veſtræ charitatis ingenium bonum comprobans*, cap. præced.

Ibid. *Hilarem enim datorem diligit Deus. Hilarem datorem* vocat eum qui libenter & ex animo dat. *Hunc Deus diligere* dicitur, quia benefacere ei conſtituit, opus beneficentiæ ejus magnificè remuneraturus. Nam Dei diligere eſt benefacere velle. Triſtem verò datorem, id eſt; involuntarium, Deus non diligit; quia non approbat, non remunerat. Unde Auguſtinus in expoſitione Pſalmi 42. *Si panem dederis triſtis; & panem & meritum perdidiſti.* Similes ſcripturæ ſunt, Eccleſiaſtici 35. *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Rom. 12. *Qui miſeretur, in hilaritate.* Locum hunc Apoſtoli proferre ſolent hæretici contra vota quæ Deo fiunt à fidelibus.

Nam

Nam vota, inquiunt, ex neceſſitate reddenda ſunt; & A per hoc faciunt triſtem datorem; quem non diligit Deus. Reſpondeo, neceſſitatem, quam Apoſtolus à bono opere remotam eſſe vult, ut cauſam involuntarij, non eſſe neceſſitatem præcepti, ſed coactionis; ſive coactio hæc contingat ex præcepto ſive aliunde. Nam qui cogitur, invitus facit, ſaltem involuntario mixto. Præcepti verò neceſſitas per ſe neque cauſat involuntarium, neque omnino minuit bonitatem operis quod præcipitur; ſed potiùs auget. Propter adjunctum obedientiæ meritum. Quòd ſi hæc neceſſitas obſtaret operis bonitati: Tollenda eſſent omnia præcepta, ac nominatim primum illud maximumque præceptum de Deo ſuper omnia diligendo. Cæterùm vota, cùm liberè Deo fiant, non aliam quàm præcepti neceſſitatem inducunt; quia præceptum eſt divinum ac naturale quo quiſque quod vovit reddere B tenetur, ſi quis autem reddit triſtis & involuntarius; non id provenit ex obligatione voti aut ex neceſſitate præcepti; ſed ex defectu bonæ voluntatis; perinde ut ſi quis involuntarius reddat depoſitum, aut mutuum reſtituat, aut quodvis aliud faciat ad quod ex præcepto tenetur.

CAPUT X.

℣. 6. **I***N promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam.* Id eſt, ad manum habentes poteſtatem ulciſcendi omnem inobedientiam, animadvertendi in omnes inobedientes; ſcilicet eos qui fidem Chriſti ſuſceperunt: & inter fideles numerantur; *Quid enim mihi de iis qui foris ſunt, judicare?* Ait 1. Corinth. 5. Ulciſcitur autem Paulus & quilibet Apoſtolorum ſucceſſor C omnem inobedientiam, non gladio corporeo, qui principi aut magiſtratui politico datus eſt ad vindictam malefactorum, Rom. 13. & cujus uſus eſt in corporali militia; ſed gladio ſpirituali, id eſt, cenſuris Eccleſiaſticis, quarum præcipua eſt excommunicandi poteſtas. Hunc enim gladium Apoſtolus jam antè exeruerat adverſus illum fornicarium, quando eum à corpore fidelium amputavit. Nunc verò rurſus eodem uſurus ſe comminatur in quoſdam inobedientes atque impœnitentes. Nam *inobedientiam* vocat contumaciam; quæ ſola excommunicationem meretur. Hic igitur locus excommunicandi poteſtatem qua adverſus contumaces utuntur Eccleſiæ prælati, confirmat. Et B. Aug. epiſt. 50. ex hoc loco probat poteſtatem puniendi hæreticos.

℣. 8. *Nam etſi amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra.* Hoc eſt, ſi enim etiam amplius aliquid, ſive D præ illis qui mihi detrahunt, ſive præ eo quod eſt quomodocumque Chriſti miniſtrum eſſe; ſive amplius quàm ſoleam; gloriatus fuero de poteſtate noſtra Apoſtolica, qua non tantùm prædicare Evangelium, ſed etiam corripere & punire delinquentes poſſum;

Ibid. *Quam dedit nobis Dominus*, Chriſtus ipſe, non homo quiſpiam; ſicut ait Gal. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum.* Ne verò poteſtatis commemoratio moleſta ſit; addit.

Ibid. *In ædificationem, & non in deſtructionem veſtram aut veſtri.* Ad hoc, inquit, poteſtatem mihi dedit, ut vos & alios homines ædificem ſpiritualiter, id eſt ad ſalutem promoveam; non autem ut deſtruam, id eſt, à ſalute aut profectu ſalutis impediam. Significatur finis & legitimus uſus poteſtatis. Unde intelligi- E tur, quemadmodum Cajetanus annotavit, Eccleſiaſticam poteſtatem nihil poſſe adverſus bonos mores; imò nec adverſus meliora bona, qualia ſunt conſilia Chriſti: Quoniam hoc non eſſet poſſe in ædificationem, ſed in deſtructionem ſpiritualem. Quæret aliquis, quomodo non ſit huic loco contrarium quod dicit Dominus ad Jeremiam 1. *Conſtitui te ſuper gentes & regna, ut evellas ac deſtruas, & diſperdas, & diſſipes.* Reſpondeo, locum illum, ſalvo literali ſenſu, qui eſt de regnorum terrenorum deſtructione prophetanda, myſticè accipiendum de deſtructione veteris hominis, & evulſione cupiditatum ac vitiorum ejus; quibus eradicatis creſcat bona ſeges virtutum. Unde ad extremum ſequitur, *Et ædifices & plantes.* priùs enim exſtirpanda ſunt vitia; deinde inſerendæ virtutes. Hic verò ſermo eſt de deſtructione ædificationi contraria, id eſt, ea quæ eſt contra charitatem. Quomodo deſtruit ille, ad mentem Apoſtoli, qui indiſcretè utitur gladio excommunicationis, non ad ædificationem & ſalutem fidelium. Quapropter monet Tridentina Synodus ſeſſione 25. cap. 3. reformationis, gladium illum ſobriè magnaque circumſpectione exercendum eſſe; cùm experientia doceat, ſi levibus ex cauſis incutiatur, magis contemni quàm formidari, & perniciem potiùs parere quàm ſalutem. Notandum etiam quòd deſtructio quandoque non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, nam excommunicatio deſtructio quædam eſt, qua membrum à corpore præſcinditur; quæ tamen non eſt ad deſtructionem, ſed ad ædificationem; quando præciſio illa fit, uti fieri debet, pro ſalute & præſervatione totius corporis; imò & (quatenus poſſibile eſt) pro ſanatione & reſtitutione membri præciſi. Dicente Apoſtolo, *Ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini*: 1. Cor. 5. *Ut confundatur*; 2. Theſſal. 3. *Ut diſcant non blaſphemare.* 1. Timoth. 1. Vide inf. cap. XIII. v. 10.

CAPUT XI.

℣. 6. **N***Am etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia.* Quæritur, verène Paulus ſermone fuerit imperitus? Fuerunt enim qui dicerent Paulum hoc humiliter, non verè, de ſeipſo ſcripſiſſe: Quos refellit Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Titum cap. 1. ac rurſus in epiſtola 151. ad Algaſiam, quæſtione 10. ita ſcribens, Illud, quod ſæpe diximus, *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia*; nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat; & cùm ipſe ſentiat quod loquitur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone. Quem cùm in vernacula lingua habeat diſertiſſimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis viri in lege doctiſſimi; ſeipſum interpretari cupiens involvitur. Idem cùm alibi in commentarijs, tum exponens 3. caput epiſtolæ ad Epheſios, vitia ſermonis in Apoſtolo notat: Veluti ſolœciſmos, hyperbata, inabſoluta; & alia hujuſmodi. Quotieſcumque verò (inquit) tale quid annotamus: Non Apoſtolum pulſamus; ut malevoli criminantur, ſed magis Apoſtoli aſſertores ſumus, qui abſque rhetorici nitore ſermonis & verborum compoſitione & eloquij venuſtate, numquam ad fidem Chriſti totum mundum traducere valuiſſet, niſi Evangelizaſſet eum non in ſapientia verbi, ſed in virtute Dei. Hæc Hieronymus, ſubjungens ad eam rem ipſius Apoſtoli teſtimonium, 1. Corinth. 2. *Non veni in ſublimitate ſermonis.* Et iterum, *Sermo meus non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis.* At verò Auguſtinus libro 4. de doctrina Chriſtiana. cap. 7. ſermonis imperitiam prorſus à Paulo removet, eloquentiſſimum eum fuiſſe affirmans, idque adeo ex ipſius epiſtolis demonſtrari & conſtare cenſet. Neque tamen exiſtimat illud Paulum humiliter ac non verè ſcripſiſſe de ſeipſo, *Et ſi imperitus ſermone.* Nota eſt enim Auguſtini doctrina, humilitatem in parte mendacij non conſiſtere; nec ulla ratione fatendum; in ſacris literis aliquid falſi contineri: Sed aliter quàm Hieronymus verba Apoſtoli intellexit; quaſi concedendo obtrectatoribus, ſic locutus fuerit; non tamquam id verum agnoſceret confitendo. Non diſſentit ab Auguſtino Chryſoſtomus, qui Paulum ediſſerens frequentiſſimus eſt in explicando verborum & ſententiarum ejus artificio. Quin ipſe Hieronymus in epiſtola ad Pammachium 50. artificioſum Pauli ſermonem in epiſtolis ejus, maximè ad Rom. ad Gal. ad Epheſ. admiratur. Et ad eumdem epiſtola 61. Paulum, inter alia quæ ei tribuit encomia, vocat flumen eloquentiæ Chriſtianæ. Nec verò puta-

putamus Hieronymum dum hæc ſcribit à ſeipſo diſſentire: Verum eſt enim utrumque quod ſcribit. Etenim A Paulum eloquentem, & ut Hieronymus ait, diſertiſſimum fuiſſe, res ipſa teſtatur: Adeo reſperſæ ſunt ejus epiſtolæ pene omni genere troporum ac ſchematum quæ à Rhetoribus tradi ſolent; uti bene probat Auguſtinus lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 6. & 7. & , ſi res pateretur, copioſiùs à nobis poſſet oſtendi. Nec ſanè Paulum Lyſtrij Mercurium vocaſſent, quòd Dux eſſet verbi; quemadmodùm refertur Actor. 14. Si facundia (cujus principem Poëtæ Mercurium fingebant) illi defuiſſet. Erat autem Pauli facundia non ex Scholis Rhetorum petita, ſed quæ linguam viri divino ſpiritu pleni, magnoque affectu de magnis rebus loquentis, ſponte ſequeretur. Unde Auguſtinus loco memorato, Sicut, inquit, Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe B non dicimus: Ita quòd ejus ſapientiam ſecuta ſit eloquentia, non negamus. Sic ille. Cæterùm linguæ Græcæ nitorem, eloquentiam, facilitatem, qualis in ſcriptis Græcorum Oratorum, ac Philoſophorum conſpicitur; Item ſermonis perſpicuitatem, Paulo non adfuiſſe, ingenuè fatendum. Res enim clarior eſt ex ipſius epiſtolis, quàm ut opus ſit probari, aut ut negari poſſit. Atque hac parte verè ſenſit Hieronymus, & cum eo plerique interpretes Paulum fuiſſe ſermone imperitum. Hoc igitur eſt quod dicit: Etſi, quod ad ſermonem attinet; quô vobiſcum loquor aut ſcribo, ſim imperitus ac velut idiota: Non tamen quoad ſcientiam earum rerum quas docere me profiteor, ſcilicet divinarum, & ad veſtram ſalutem ſpectantium. Nam utique ſine hujuſmodi ſcientia, verus Chriſti Apoſtolus ac C Doctor Gentium eſſe non poſſem.

℣. 24. *A Judæis quinquies, quadragenas una minus, accepi.* Plagas intellige. Legimus Deuteronomij 25. præceptum Iſraelitis fuiſſe ut in flagellando fratre, id eſt Hebræo, quem dignum plagis comperiſſent, quadragenarium numerum plagarum non excederent. Judæi verò, ſive caventes ne forte in ipſo verberandi impetu præfinitum numerum tranſilirent; ſive clementiæ & humanitatis cauſa, memorato numero ſtatuerunt unam plagam demendam eſſe, etiamſi quis integrum numerum plagarum commeruiſſet. Quod quidem arbitror referendum ad Judaicas traditiones in Dei legem injurioſas: Neque enim illis licebat numerum legis, in quo etiam myſterium continebatur, unitate dempta mutare: Siquidem quadragenarius numerus afflictioni & D pœnitentiæ conſecratus eſt. Porrò quoniam Judæi Paulum vehementer oderant, nec tamen eum morti adjudicare permittebantur, à Romanis prohibiti, juxta illud Joannis 18. *Nobis non licet interficere quemquam*: Idcirco plagis eum onerabant, quam multis poterant ſecundùm legem conſuetudine reſtrictam & moderatam, hoc eſt, unde-quadraginta. Id autem factum quinque diverſis temporibus. Sed cur Lucas in Actis ne unius quidem flagellationis ex quinque meminit: Ideo videlicet, quod de Paulo pene ea ſola quibus ipſe præſens fuit, ſigillatim recenſeat; alia verò vel ſilentio pertranſeat, vel ſummatim ac breviter referat, ut interdum tribus verbis complurium menſium atque etiam annorum res geſtas perſtringat. Qua in re notanda humilitas E Pauli; qui ſuas & tot tam graves pro Chriſto paſſiones Lucæ comiti ſuo non aperuerit; ne hic quidem recitaturus, niſi coegiſſet eum amor ſalutis Corinthiorum. Apparet autem has flagellationes fuiſſe factas in Synagogis; ad ſignificandum, contra legem Moyſi aut religionem peccatum fuiſſe. Dicit enim Dominus Matth. 10. *In Synagogis ſuis, flagellabunt vos.*

℣. 28. *Solicitudo omnium Eccleſiarum.* Etiam earum quibus ipſe Evangelium non prædicaverat, aut in quibus non fuerat quod epiſtolæ ejus declarant ad Romanos, & ad Coloſſenſes. Si enim pro invicem ſolicita ſunt membra ejuſdem corporis, etiam minora: quantam oportuit eſſe pro reliquis omnibus ſolicitudinem tanti tamque nobilis ac præcellentis membri? Nec ideo præfuit toti Eccleſiæ Paulus, quaſi parem cum Petro A poteſtatem ſortitus: Nam etſi ſolicitudo præfecturam conſequatur; non tamen è converſo præfectura ſolicitudinem. Quemadmodum patet in eo quod jam dictum eſt de membris pro ſe invicem ſolicitis. Poteſt & ſic intelligi, *omnium Eccleſiarum*, id eſt plurimarum; ſcilicet earum quas ipſe fundaverat, aut quibus per ſe vel per diſcipulos ſuos Evangelium prædicaverat. Quamquam etiam ultra eas ſolicitudinem ſuam extendiſſe, liquet ex epiſtola ad Romanos ſcripta, quibus non prædicaverat. Porrò ſolicitudinem hanc & curam omnium Eccleſiarum Paulo incumbentem, meritò Chryſoſtomus inter afflictiones ab ipſo enunciatas, onus omnium maximum eſſe cenſet.

CAPUT XII.

B ℣. 9. *NAm virtus in infirmitate perficitur.* Græcè, *Nam virtus mea* &c. *Virtus* autem potentiam hoc loco ſignificat, non virtutem moralem, ut humilitatem, patientiam, temperantiam, tametſi ad hunc modum Aug. lib. 3. contra 2. ep. Pelag. c. 7. & Thomas in Comment. necnon alij Latinorum exponant, ſed Græco vocabulo, *δύναμις*, repugnante. Et quidem ſecundùm Græcos ſenſus eſt hujuſmodi; Non expedit tibi ſtimulum illum carnis à te auferri; quia potentia gratiæ meæ maximè declaratur in infirmitate, dum per eam fit ut ſive tentatio carnis, ſive perſecutiones à malis hominibus illatæ, ſive quidquid aliud infirmitatis nomine poteſt hic intelligi; ſuperetur à te, aut ne noceat, toleretur; & per hoc magis illuſtré fortemque C te reddat. Cæterùm alij virtutem Chriſti intelligunt quæ Paulo inerat à Chriſto; & à qua Paulus ipſe fortis ac potens dicebatur. Hunc enim intellectum exigere videtur id quod mox ſequitur, *ut inhabitet in me virtus Chriſti*, ac magis etiam illud quod paulo pòſt dicit velut explicans præſentem ſententiam, *Cum infirmor, tunc potens ſum.* Sic autem intellecta virtus Chriſti non ſolùm declaratur in hominis infirmitate, verùm etiam propriè perficitur & confirmatur. Atque iſto modo virtutem acceperunt in his Apoſtoli verbis, Hieronymus epiſtola 25. ad Paulam ſuper obitu Blæſillæ, & commentator Ambroſianus. Infirmitatem verò etiam ad illud infirmitatis genus quod in mentis ac virtutum imperfectione conſiſtit, Auguſtinus extendit lib. de gratia Chriſti cap. 12. itemque ſermone 5. de verbis Apo- D ſtoli, & contra duas epiſtolas Pelagianorum, loco ſuprà citato: Non quod propriè virtus ſeu fortitudo Chriſtiani hominis in hoc genere infirmitatis perficiatur; cùm ſit ei contraria; ſed quia, ſicut Auguſtinus loquitur, perfici non poteſt homo, qui ſe non fateatur infirmum. Unde & Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem affirmat hanc unam præſentis vitæ perfectionem eſſe, ut te imperfectum agnoſcas. Verùm, etſi rectiſſimè ſecundùm fidei analogiam hæc dicantur; attamen hæc infirmitatis tam larga acceptio contextui Apoſtolico minus convenit, Videtur enim Apoſtolus per infirmitates ea ſignificare quæ patiebatur tam in corpore quàm in animo, comprehenſis etiam tentationibus carnis & diaboli; non autem animi vitijs aut peccatis: Et virtutem ponit in patientia atque victoria in- E firmitatum; non autem in agnitione. Porrò circa hanc Apoſtoli petitionem & Domini reſponſionem, ſciendum eſt non ideo Apoſtolum non fuiſſe exauditum, quòd malè petiverit; neque enim reprehenſa fuit à Domino ejus petitio: Sed quia petebat aliquid quod cum eſſet per ſe bonum, neſciebat ſibi non expedire. Hoc autem Domino revelante didicit. Itaque licet exauditus non fuerit in eo quod expreſsè voluit & petivit; exauditus tamen fuit ſecundùm id quod implicitè voluit atque intendit, id eſt, bonum ſuum ſalutare. Hinc beatus Hieronymus (citante S. Thoma in epiſtola ad Paulinum, *Bonus Dominus*, inquit, *qui ſæpe non tribuit quod volumus, ut tribuat quod mallemus.* Hoc igitur exemplum Pauli & ſimilia, nos docent illam Domini promiſſionem, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo,*

meo, dabit vobis, Joan. 15. cùm hac inprimis neceſſaria reſtrictione intelligendam eſſe; Quidquid expediens ſaluti veſtræ petientis. Nam exaudire in eo quod non expedit, non eſſet beneficium tribuere, ſed malum inferre; quod utique contra intentionem orantis eſt.

℣. 16. *Sed eſto, ego vos non gravavi, ſed cum eſſem aſtutus, dolo vos cepi.* Occurrit objectioni, quæ ex adverſo moveri poterat. *Eſto*, conceſſionem adverſarij ſignificat, ut ſit ſenſus. Conceſſerit fortè quis quòd ego ipſe vos ſumptu non gravavi; ſed dicet me, tamquam hominem aſtutum, dolo & arte vos circumveniſſe; nimirum alios ſubornando qui pro me acciperent, cùm ipſe nollem videri quidquam accipere. Suſpicatur Cajetanus Apoſtolum hæc dicere, quòd his artibus uterentur Pſeudoapoſtoli, utpote doloſi operarij. Thomas B Aquinas 2. 2. q. 55. art. 4. ad 2. intelligit hæc affirmanter dicta à Paulo de ſeipſo; & dolum interpretatur abuſive ſumi in bonam partem, ſicut interdum accipitur aſtutia. Verùm idem S. doctor melius ex mente Apoſtoli locum hunc explicat in commentario, quemadmodum nos fecimus; Nec alium ſenſum admittunt quæ ſequuntur.

℣. 17. *Numquid per aliquem eorum quos miſi ad vos, circumveni vos?* Negatione interimit calumniam; q. d. Nihil tale feci Græcam ſententiam obſcuriorem bene & clarè reddidit interpres. Eraſmo etiam aſtipulante. Quod ait, *circumveni*, Græcè eſt, ἐπλεονέκτησα, avarè extorſi.

℣. 21. *Et lugeam multos ex ijs qui ante peccaverunt.* C Non antequam ad Chriſtum converſi eſſent, ſed poſt converſionem, & ante ſcriptam priorem epiſtolam; ſicut & peccaverat ille quem Satanæ tradidit. Nam ad impudicitiæ peccata relapſos fuiſſe complures Corinthiorum, ſatis arguunt ea quæ ſcribit Apoſtolus cap. 5. & 6. prioris epiſtolæ. Triſtitiam verò ſuam *luctum* vocat, ut innuat eos qui peccaverunt, Deo mortuos eſſe.

Ibid. *Et non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.* Notandum eſt Apoſtolum non dicere, Et lugeam multos qui peccant & permanent in immunditia &c. Sicut intellexiſſe videtur Auguſtinus lib. 3. contra epiſtolam Parmeniani cap. 2. ſed, *qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam de peccatis quæ geſſerunt*, id eſt, perpetrarunt? Nam, ut bene Thomas annotat, Co- D rinthiorum quædam peccata erant præſentia, quædam præterita; præſentia quidem, ſpiritualia; ut contentiones, æmulationes &c. de quibus in parte præcedenti; præterita verò, carnalia, de quibus hac parte, à quibus quidem abſtinere jam videbantur, ſed nondum per pœnitentiam ſalutarem erant expurgati: Quod enim ait eos non egiſſe *pœnitentiam ſuper immunditia* &c. de fructibus dignis pœnitentiæ intelligendum eſt, quos nondum fecerant; ad quos proinde compellendi erant Apoſtolica poteſtate. Hinc ergo refellitur illud Lutheri: *Optima pœnitentia nova vita, & à peccatis abſtinere.* Refellitur item Novatianus, qui fratres lapſos ad pœnitentiam admitti noluit. Inter *immunditiam, fornicationem & impudicitiam* hoc intereſſe videtur, quod fornicatio ſit concubitus maris & fœminæ extra conju- E gium; Immunditia comprehendat ea carnis peccata quæ contra naturam committuntur; Impudicitia verò conſiſtat in libidinoſis oſculis, tactibus ac cæteris hujuſmodi. In hunc modum S. Hieron. de Immunditia loquitur, in c. 5. ad Galat. ubi inter opera carnis ponitur immunditia. De impudicitia autem ſic Thom. 2. 2. q. 151. 4. c.

CAPUT XIII

℣. 5. **N***Iſi fortè reprobi eſtis.* Græcè *Niſi quid reprobi eſtis.* Ubi *quid* videtur eſſe particula mitigantis aſperitatem ſermonis; durum enim erat ſuſpicari Corinthios eſſe reprobos. Unde alij verterunt, niſi A in aliquo reprobi eſtis. Poteſt autem exceptio referri vel ad verbum *cognoſcitis*; vel ad illud extremum, *in vobis eſt*, tametſi bene cenſet Cajetanus magis quadrare, ut ad prius referatur. Senſus enim eſt; Omnino cognoſcitis experimento certorum effectuum Chriſtum eſſe in vobis; niſi qua parte reprobi eſtis, id eſt viles ac degeneres effecti, utpote carentes ac deſtituti ſignis illis, ex quibus excellentiam veſtram cognoſcatis. Neque enim reprobi hic dicuntur, qui contra prædeſtinatos diſtingui ſolent, uti manifeſtius patet ex ſequentibus. Itaque hinc nullo modo conſequens eſt quod hæreticorum quidam docent, eos qui hoc modo reprobi dicuntur, numquam habere Chriſtum in ſe habitantem per gratiam & juſtitiam.

℣. 7. *Nos autem ut reprobi ſimus.* *Ut*, id eſt tam- B quam, quemadmodum ſuperiùs cap. 5. *ut præſens.* Verbum autem *ſimus*, concedentis eſt; quomodo dicimus, Eſto; Senſus enim eſt, facilè patiar me haberi ut reprobum, id eſt vilem, gloriæ ac poteſtatis expertem; nec volo ullam meæ dignitatis haberi rationem, dummodo vos conſtanter in bono perſeveretis, & nihil admittatis quod me cogat oſtendere poteſtatem quam à Chriſto accepi.

℣. 10. *Secundùm poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem & non in deſtructionem.* Hoc & ſuperiùs dictum eſt, atque expoſitum cap. 10. Congruit autem cum eo quod paulo antè dixit; *ſe nihil poſſe adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Non eſt autem conſequens ex his Apoſtoli ſententijs, diſpenſationes prælatorum Eccleſiæ quæcumque abſque juſta C cauſa fiunt, prorſus irritas eſſe; ſed tantùm, malè ac temerè factas eſſe, & præter finem ac legitimum uſum poteſtatis à Deo conceſſæ. Multa autem malè fiunt, quæ facta tenent, ut jura loquuntur. Idque manifeſtum eſt in ordinationibus Sacerdotum, & collationibus beneficiorum, & alijs hujuſmodi. Unde & Patres admonent injuſtam excommunicationem timendam eſſe.

ANNOTATIONES
IN EPISTOLAM AD GALATAS.
CAPUT I.

D ℣. 7. **N***Iſi ſunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.* *Niſi* pro *Sed* frequentiſſimo more Scripturæ. Sed tantùm, inquit, quidam ſunt turbantes vos, dum volunt invertere Evangelium Chriſti; id eſt, aliud docere quàm quod Chriſtus per Apoſtolos docendum tradidit. Non enim Chriſtus præcepit homines circumcidi, cæteraſque legis cæremonias obſervari; ſed ab hoc jugo fideles ſuos liberavit. Volunt ergo convertere, & in aliud tranſmutare Evangelium Chriſti; qui, ſicut Petrus in Concilio loquitur Actor. 15. legis jugum Chriſti fidelibus tentant imponere. Dicit autem, *volunt convertere*, ſignificans eorum conatum, non effectum; eo quòd Evangelium Chriſti, unum & immutabile ſit. Quæ res etiam ab E Hieronymo annotata eſt. Admonet hoc loco Theophylactus, etiam exiguum, quiddam Evangelio repugnans, quale erat Sabbathum, & circumciſio, ejuſmodi eſſe, ut univerſum Evangelium invertat: Perinde ac ſi quis Regij numiſmatis aliquantulum depravarit, is totũ numiſma adulterinum reddidit. Quod obſervari vult, propter eos qui in quæſtione Religionis ac fidei, ſaltem modicum quid putant adverſarijs, cauſa pacis, concedendum.

℣. 8. *Sed licet nos aut Angelus de cælo Evangelizet vobis, præterquàm quod Evangelizavimus vobis; Anathema ſit.* Evangelium ſuum graviſſima execratione confirmat. Ubi notanda eſt in Apoſtolo conſtans auctoritatis ſuæ defenſio, quâ, ne Angelo quidem cælitùs advenienti ſiquid ſecùs annuntiat, anathema dicere

veretur. *Nos*, id eſt, ego ipſe Paulus qui vobis Evangelium prædicavi. Vel, ut alij volunt, nos Apoſtoli. Sed prior expoſitio melior; nam Pauli ſcopus eſt Evangeliorum ab ipſomet prædicatorum, quod cum aliorum Apoſtolorum Evangelio convenire negabant Pſeudo-Apoſtoli, ab hujusmodi calumnia vindicare. Quod autem ait, *aut Angelus de cælo*; hypotheſis eſt rei impoſſibilis. Nam fieri non poteſt ut Angelus è cælo veniens atque à Deo miſſus, Evangelizet præter id quod Paulus Evangelizaverat: Sive quia Angeli boni confirmati ſunt in juſtitia & veritate, ſive quia Deus falſum nuntium mittere non poteſt. Notanda etiam Catachreſis in verbo *Evangelizet*; poſito loco generis, annuntiet. *Anathema ſit*, id eſt, maledictus & execrabilis; quod Hebræi vocabant *Horma*, nam pro eo LXX. ſcripſerunt ἀνάθεμα. Non excommunicat hac ſententia quemquam Apoſtolus, ſed declarat execrabilem eſſe, & excommunicatione atque æterno interitu dignum; ſicut & 1. Corinth. 16. dicens: *Si quis non amat Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ſit anathema.* Quomodo & intelligendi ſunt anathematiſmi Conciliorum; Si quis dixerit hoc aut illud, anathema ſit. Vide ſup. 1. Cor. 16. v. 22. Porrò quia ſententiam hanc Apoſtolicam detorquent hæretici noſtri temporis adverſus Eccleſiaſticas traditiones; id eſt, ea Eccleſiæ dogmata quæ ſola traditione continentur, non verbo ſcripto; tamquam hoc genus ſit præter illud, id eſt, diverſum ab eo quod Evangelizarunt Apoſtoli: Diligentius hujus loci ſenſus inveſtigandus eſt. Quidam reſpondent Apoſtolum non dicere: Si quis annuntiet aliquid diverſum ab Evangelio ſcripto, ſed, *ſi quis annuntiet vobis præter id quod Evangelizavimus vobis*; hoc eſt, ut Apoſtolus ſententiam ſuam repetens, explicat, *præter id quod accepiſtis*. Traditiones autem, inquiunt, etſi ſint diverſæ ab Evangelio ſcripto; non tamen ab eo quod initio traditum & acceptũ eſt. De ijs enim ipſe Apoſtolus ſcribit 2. Theſſ. 2. *Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem* &c. At huic reſponſioni opponitur; quod nullo modo verſimile ſit Galatis adhuc rudibus in fide, ſtatim omnia Chriſtianæ religionis myſteria tradita fuiſſe; cùm quædam eorum ſublimiora ſint, & minùs neceſſaria; de quibus alibi dicit Apoſtolus, *Sapientiam loquimur inter perfectos*. Quæ proinde non initio novellis Chriſtianis proponebantur, ſed ſervabantur opportuno tempore tradenda. Quare ſi quis horum aliquid poſtea proponeret, & annuntiaret; non utique dicendum ei erat anathema. Deinde, ſi juxta horum intelligentiam, *præter* ſignificat id quod quocumque modo diverſum eſt ab ijs quæ jam tum tradita erant; Joannes Apoſtolus eſſet anathema, quia poſtea ſcripſit Evangeliũ & Apocalypſim, in quibus multa ſunt ab alijs non antè tradita. Quin ipſe Paulus ſibi anathema foret, qui, & in hac epiſtola & in alijs poſtea ſcriptis, quædam docuit & tradidit antea Galatis non tradita; qui etiam 1. Theſſ. 3. promittit ſe completurum ea quæ deerant fidei ipſorum. Denique, quis dixerit Angelum de cælo ſi myſterium aliquod annuntiaret, hactenus non revelatum hominibus; futurum anathema; ac non potiùs fidem ei habendam, ſicut cæteris revelationibus Propheticis? Potior itaque reſponſio eſt, vocabulo *præter*. Græcè παρά non ſignificari ab Apoſtolo quod quocumque modo diverſum eſt, ſed ita diverſum, ut ſit etiam adverſum & contrarium; quaſi dicat, Quod ſi vel ego ipſe, vel Angelus Dei vobis annuntiet ac pro Evangelio proferat aliquid contrarium ijs quæ ego vobis Evangelizavi; ſit anathema. Jam autem traditiones Eccleſiæ nequaquam hujusmodi ſunt; ſed cum doctrina quam Paulus tradidit, ac generatim cum verbo Dei ſcripto, quàm maximè conſentiunt. Id verò quod Pſeudoapoſtoli docebant, legem Moſaicam omnibus in Chriſtum credentibus, tam gentilibus quàm Judæis, obſervatu neceſſariam eſſe; contrarium erat doctrinæ Pauli & cæterorum Apoſtolorum, ac non ſolùm diverſum; ut liquet ex Act. 15. Et quidem hæc ſignificatio præpoſitionis παρά, Græcis uſitatiſſima eſt, ut & Latinis, ipſius *præter*. Hinc παράνομος, legis violator; παρανομία, legis transgreſſio; & multa ſimilia. Sic ipſe Paulus Rom. 1. *præter naturam*, id eſt, contra naturam, ut bene vertit interpres. Et cap. 4. dicit, *Abraham præter ſpem in ſpem credidiſſe*: quod interpres vertit, *contra ſpem*, & ejusdem epiſtolæ cap. 16. præcipit obſervari eos qui diſſenſiones & offendicula *præter* (id eſt contra) doctrinam ipſis traditam, faciebant. Et Latinè dicimus, præter legem, præter morem, præter opinionem, præter ſpem, præter dignitatem; id eſt contra. Hunc intellectum ſequuntur Hieronymus & Ambroſianus in commentarijs; nec non Auguſtinus tractatu 98. in Joan. & lib. 17. contra Fauſtum cap. 3. & lib. 23. cap. 7. Ex quo præterea liquet non adverſari Catholicis illud ejusdem Auguſtini lib. 3. contra literas Petiliani cap. 6. Si Angelus de cælo vobis annuntiaverit præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis; anathema ſit. Nam Auguſtinum ex Auguſtino exponentes; dicimus ſenſum eſſe, contra id quod in ſcripturis accepiſtis. Ac ſi quis perpendat verba S. Aug. dicto Tract. 98. in Joan. ſub finem; videbit ipſum hic non iſtud *præterquam*, ſed *præter*, dediſſe. Quod idem de noſtro Interprete hoc loco meritò ſuſpiceris, perpendens quid omnes codices Latini legant v. proximè ſeq. Sed objiciet nobis aliquis Theophylacti commentarium, in quo ſic legitur: Nec dixit, ſi contraria aut pugnantia prædicent, ſed ſi vel parvum quid annuntient præter id quod annuntiavimus, hoc eſt, ſi pluſculum quidpiam adjecerint: Execrationi ſubdantur. Reſpondetur, Theophylactum loqui de additamento quo pars aliqua doctrinæ ab Apoſtolo traditæ, labefactetur. Qui ſenſus ex Chryſoſtomo, cujus veſtigia Theophylactus inſequitur, manifeſtius eſt; Dicit enim Chryſoſtomus, ideo Apoſtolum dixiſſe παρά id eſt, præter; ut hinc diſcamus non eos ſolùm anathema decerni, qui apertè contraria docent, aut talia quæ totum Evangelium ſubvertunt; ſed etiam illos qui aliquid addunt: quo quidvis, quantumvis minimum Evangelij labefactatur, etiamſi apertè ei contrarium non ſit. Ac ſanè Theophylactum aliter intelligi non oportere, perſpicuè declarat illud quod ex ipſo proximè annotavimus; ne quidem exiguum aliquid fidei repugnans adverſarijs concedendum eſſe.

CAPUT II.

℣. 2. *ET contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus.* Auguſtinus legit: *Et expoſui illis.* Sed intellige, more conferentis. Id enim vult, etiam Hieronymo teſte, quod in Græco eſt, ἀνεθέμην αὐτοῖς. Nam ſenſus eſt: Communicavi cum illis qui Jeroſolymis erant, de Evangelio quod prædico inter gentes, deque tota ratione doctrinæ meæ quam tradidi & etiam nunc trado gentibus, quarum ſum Apoſtolus. Non itaque diſcendi ſtudio, quod ſupra negavit, Evangelium ſuum nunc demum cum Eccleſia Jeroſolymitana contulit; ſed ut omnes intelligerent eum nihil ab illa diverſum docere; cujus rei calumniam patiebatur propter legem & circumciſionem, à cujus onere gentes vindicabat. Contulit ergo cum alijs, non ut inferior, ſed ut in munere prædicandi Evangelij, æqualis. Nam inter conferentes, ait Hieronymus, æqualitas eſt; inter docentem & diſcentem minor eſt ille qui diſcit.

℣. 8. *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus & mihi inter gentes.* Græcè, *ad gentes*, vel *erga gentes.* Verbum Græcum quod interpres vertit *operatus eſt*, efficacem in aliquo operationem ſignificat. Itaque non eſt ſenſus quem nonnulli tradunt. Qui Petrum fecit Apoſtolum Judæorum, idem me fecit Apoſtolum gentium; ſed explicanda eſt hoc modo ſententia: *Mihi præcipuè creditum fuiſſe à Deo Evangelium præputij, ſicut Petro circumciſionis*; ex eo manifeſtè cognoſcebant; *quia Deus qui efficax fuit in Petro ad Apoſtolatum circumciſionis*, id eſt, qui gratiæ ſuæ præſidio ita adfuit Petro ut prædicationem ejus apud Judæos efficacem redderet, multos ex illis

ad

ad Chriſti fidem per ejus miniſterium convertendo ; *Idem ille in me efficax fuit erga gentes* ; id eſt, prædicationem meam in gentibus ſimiliter efficacem reddidit quàm plurimos ex illis per meum miniſterium ad fidem vocando; cùm alioqui apud Judæos ferè inanis eſſet mea prædicatio. Efficaciam hanc prædicationis tria potiſſimum declarabant ; miracula prædicantium, charismata Spiritus ſancti diffuſa in credentes, & credentium multitudo. Eſt igitur argumentum ab effectu ſeu fructu miniſterij ; quem præcipuum Petrus, operante Deo, fecit apud Judæos, Paulus inter gentes.

℣. 14. *Si tu, cùm Judæus ſis , gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo Gentes cogis Judaizare ? Quomodo*, Græcè τί, *quid*, id eſt , quare. Senſus eſt ; ſi tu, Petre, qui Judæus es ex Judæis natus poſtquam didiciſti legem morte Chriſti abolitam eſſe, non ampliùs eam ſervas, ſed negligis quaſi ea ad te non pertineret (quod eſt gentiliter, & non Judaicè vivere) quid eſt quod nunc hac tua ſimulatione tuoque exemplo, etiam gentes, quæ ſunt extra legis profeſſionem , cogis Judaicè vivere, id eſt , legem Judaicam obſervare ? Velut ſi dicat, quæ ratio eſt ut tu Gentiles ad Judaiſmum provoces, qui Judæus ipſe cùm ſis, Judaiſmo renunciaſti ? Hoc indiſſolubili argumento, ait Hieronymus, Petrum conſtringit; imò per Petrum eos qui pugnantia illa inter ſe facere cogebant. Porrò *gentiliter vivere* cœpit Petrus, ex quo ei dictum eſt, *Macta & manduca*, Act. 10. nam antea ſolùm Judaicè vixerat: Unde dicebat, *commune & immundum numquam intravit in os meum*. Patet autem ex ſenſu jam dato, quam impudenter calumniam hæreſeos primo Eccleſiæ paſtori impingant hæretici , propter hoc quod gentes Judaizare coegerit. Non enim id fecit errore doctrinæ, quaſi ſenſerit ac docuerit legem gentibus imponendam eſſe; ſed, uti dictum eſt, exemplo, & imprudentia facti. Nam quod doctrinæ vel opinionis error nullus hic ſignificetur, clarum eſt;tum quia ſimulatio fuit ; tum quòd paulo antè cum gentibus ediſſet, nec ſubitò potuerit opinionem mutare ; tum denique quia non reprehendit eum Paulus quòd non teneret aut non doceret Evangelij veritatem,ſed quòd ad eam non rectè ambularet , id eſt,facto & converſatione ſua eam non promoveret , ſed læderet. In quo tamen ipſo veniam haud dubiè merebatur, quia cùm eſſet Apoſtolus circumciſionis, peccavit amore Judæorum quos à Jacobo ad ſe venientes verebatur offendere, & ab Evangelio ſuſcepto , ſua libertate qua apud gentes utebatur, avertere. Notandum quoque eſt, verbum *Judaizare*, non hîc ad hæreſim pertinere, quomodo Judaizare dicuntur , qui docent aut ſentiunt religionem Judaicam à Moyſe traditam eſſe Chriſtianis ad ſalutem neceſſariam ; quæ fuit olim hæreſis Nazaræorum & Ebionitarum, Cerintho cum primis authore : Sed idem valet quod Judæos imitari, ritus Moſaicos exemplo Judæorum obſervare ; ſive id fiat opinione neceſſitatis , ſive ob reverentiam legis à Deo inſtitutæ, ſive propter authoritatem eorum qui legem hujusmodi ſervant : Quemadmodum Platonizare dicuntur, qui Platonis ſeu doctrinam ſeu dictionem imitantur ; quacumque ratione id faciant. Sic autem Judaizabant non Judæi, ſed gentiles Judæorum imitatores : At priori modo, Judæi quam maximè. Poſteriore modo hîc intelligit S. Aug. ep. 19.

℣. 16. *Scientes autem quod non juſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem JESU Chriſti*. Juſtificatur homo per fidem JESU Chriſti, quatenùs per eam Chriſtum redemptorem agnoſcens, ex ejus merito remiſſionem peccatorum atque juſtitiam à Deo expectat & percipit. Quod quidem fit per ea media, quæ Chriſtus ipſe ad juſtificationem præſtandam hominibus , inſtituit; uti ſunt invocatio, pœnitentiæ opera, Sacramenta, legiſque divinæ obſervatio; juxta illud : *Factores legis juſtificabuntur*. Rom. 2.

CAPUT III.

℣. 1. O *Inſenſati Galatæ. Inſenſati*, id eſt, ſtulti; quomodo legit Auguſtinus : Græca dictio ἀνόητοι, *Eſtij Annotat. in Script.*

A ſignificat *ſtupidos*, vecordes, qui quod oportet non intelligunt. Eadem vox , quæ apud Lucam 24. in verbis Chriſti ad diſcipulos, *O ſtulti & tardi corde* ; ubi poſterius eſt prioris explicatio. Sicut autem in illis Chriſti verbis non fuit maledicentiæ vitium, ſed correptionis acrimonia, cum ſtudio corrigendi; ſic & in hac objurgatione Pauli; præſertim quòd Galatæ , ſi beato Hieronymo credimus, vitio gentis, indociles eſſent, & ad ſapientiam tardiores; ideoque , ſicut idem Hieronymus in præfatione ſcribit , increpandi magis quàm docendi. Quare nihil hîc a Paulo factum contra illud, *Qui dixerit fratri ſuo fatue* ; quo convitium iraſcentis prohibetur, non increpatio corrigentis.

℣. 13. *Maledictus omnis qui pendet in ligno*. Senſus ex loco Deuteronomij quærendus eſt , ubi ſic legitur ;
B *Quando peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo ; non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed eadem die ſepelietur: quia maledictus à Deo eſt, qui pendet in ligno ; & nequaquam contaminabis terram tuam* &c. Cui ſanè loco ſenſus hic aptiſſimè congruit; Eum qui ſuſpenditur in patibulo, maledictum eſſe à Deo , id eſt, execrabilem Deo; propter peccatum quo ſupplicium tale meruit ; ut propterea corpus ejus non diu relinquendum ſit in hominum conſpectu, pendens in cruce, ſed eadem die removendum ex oculis, & obruendum terra. Dices, Si hic ſenſus, nihil ergo ad Chriſtum, utpote peccati omnis expertem, hæc ſcriptura pertinet. Reſpondent nonnulli , propriè quidem teſtimonium hoc ſcripturæ de ſceleratis agere , ſed quadam extenſione ad
C Chriſtum accommodari, qui maledictus à Deo dicatur, non propter ſua , quemadmodum illi qui ſecundùm legem crucifigebantur, ſed propter aliena peccata, quatenus ninirum Deum in illo noſtra peccata, quaſi ipſe peccaſſet, puniuit & expiavit, ſecundùm illud Propheticum : *Poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrûm*. Iſa. 53. Verùm hac extenſione ſcripturæ nihil opus eſt. Non enim affirmat Apoſtolus Chriſtum illa ſententia comprehendi, ſed tantùm ex ea probare vult *Chriſtum factum eſſe maledictum ſimilitudine quadam*. Si enim maledicti & execrabiles erant Deo , qui pro ſuis ſceleribus ſuſpendebantur in ligno , Chriſtus igitur, ſicut aſſumendo naturam mortalem , venit in ſimilitudinem carnis peccati , ita ſuſpenſus in cruce ſuſtinuit ſimilitudinem maledicti , de quo loquitur ſcriptura Deut.
D Dicitur ergo *factus pro nobis maledictum* , quia pro noſtra redemptione ac ſalute crucifixus, ſimilitudinem geſſit hominis à Deo maledicti , & pro tali reputatus eſt ab hominibus, juxta quod apud eumdem Prophetam eodem capite legitur : *Cum ſceleratis reputatus eſt*. Hunc intellectum confirmat alter ejusdem Apoſtoli locus, quem ſuprà citavimus, quo *Chriſtus nobis factus dicitur peccatum* , id eſt , ob pœnam peccatoribus ſimilis, & pro tali reputatus. Nec ab hoc ſenſu diſcrepant Hieronymi , Auguſtini, & Græcorum commentarij, ſi propiùs inſpiciantur.

℣. 22. *Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato*. Non modò lex eos qui ſub lege ſunt peccati convincit , & transgreſſores conſtituit , ſed in univerſum ſcriptura concluſit omnia ſub peccato, id eſt, declarat omnes
E homines velut concluſos & captivos teneri ſub dominio peccati , Declarat autem cùm paſſim docet omnes eſſe peccatores. Unde Hieronymus q. 8. ad Algaſiam, hunc locum miſcens cum eo qui eſt ad Rom, cap. 11. *Concluſit Deus omnes in incredulitatem ut omnium miſereatur*; ita ſcribit. *Authoritatem ſequitur ſcripturarum, quod nullus homo ſit abſque peccato: Sed concluſit Deus omnes ſub peccato, ut omnium miſereatur , abſque eo ſolo qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Sic ille.

℣. 24. *Lex pedagogus noſter fuit in Chriſto , ut ex fide juſtificemur*. Græcè, *in Chriſtum*, vel, *ad Chriſtum*; Et melius erat, *juſtificaremur*, quam *juſtificemur*. Textus Ambroſianus ad utrumque ſuffragantur; Hieronymus quoque in ſecundo dialogo contra Pelag. legit,

ad Chriſtum. Pædagogus is dicitur, qui puero ductor & cuſtos adhibetur, ut teneram ejus ætatem regat, metuque, ac flagris à vitijs coerceat, & primis elementis erudiat, donec (ut ait Hieronymus, ad majores Philoſophiæ, ac gubernandæ reip. diſciplinas à magiſtro inſtituendus, tranſmittatur. Huic Apoſtolus legem ſimilem fuiſſe, ex ſuperiori ſententia colligit: Itaque, inquit, lex, inſtar pædagogi, nos, tamquam parvulos & ad vitia proclives, timore coercuit, & præparavit: duxitque ad Chriſtum, verum juſtitiæ doctorem, ac magiſtrum, ut ex fide ejus, juſtitiam conſequeremur. Sed quæret hic aliquis. Si lex nos ducit ad Chriſtum, & gratiæ ejus recipiendæ nos præparat, quomodo non inde conſequens eſt, hominem ſola lege inſtructum, ſeſe ad gratiam præparare poſſe? Quod eſt contra illud à Patribus definitum, Gratiam non dari ſecundùm merita, & illud veriſſimè dictum à Proſpero reſp. ad octavum capitulum Gallorum; Sine gratia nemo currit ad gratiam. Reſpondeo, pertinere hoc ipſum ad beneficium gratiæ Chriſti, quòd quis à lege tamquam pædagogo ducatur ad Chriſtum: Non quòd in homine, priuſquam in Chriſtum mediatorem, ſaltem implicitè credat, ſit aliqua gratiæ provocativa diſpoſitio; ſed quia lege Deus utitur, & quidem multipliciter, tamquam occaſione qua ad gratiam homines adducuntur, quemadmodum & flagellis, atque afflictionibus quas hominibus immittit, uti ſolet ad eorum converſionem. Unde nec repugnat huic loco quod ſuprà dictum eſt, *propter tranſgreſſiones legem poſitam eſſe*: Nam etiam in eo quod auctum eſt accepta lege peccatum, lex pædagogus fuit ad Chriſtum; dum videntes homines ſe per legem ſanari non poſſe, ſed ejus occaſione gravius vulnerari, ad Chriſtum medicum confugiunt.

CAPUT IV.

V. 9. Q*Uomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò ſervire vultis?* Cùm, inquit, Deus jam vos dignatus ſit ſui cognitione, quâ à ſervitute falſorum Deorum vos avocavit, inſuper & filios ſuos fecerit, ſicut ſuprà dictum eſt; quomodo vultis iterum in ſervitutem relabi? *Quomodo iterum vos convertitis ad infirma, & egena elementa*, ut de novo, quaſi nullam antea ſervitutem paſſi, ſub illis ſervire velitis? Volebant enim Galatæ denuo ſervire elementis mundi, & ad ea iterum convertebantur, non eadem numero vel ſpecie, ſed genere. Qui enim ſervierant idolis, ſervire volebant ſub ſignis, ac cæremonijs Judaicæ legis. Hæc enim per ea quæ dicit *elementa* ſignificari, patet ex verbis proximè ſequentibus, *Dies obſervatis* &c. Vocat autem illa Apoſtolus infirma & egena elementa, non tantùm quia poſt Chriſti paſſionem viribus deſtituta ſunt, quomodo quidam hunc locum exponunt, ſed quia omnia illa veteris legis inſtituta, ſive Sacramenta, ſive ſacrificia, ſive quocumque alio nomine cenſeantur, quatenus ad illam legem pertinebant, nihil conferebant ad juſtitiam & ſalutem vitæ æternæ. Unde ait Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Et cap. 10. *Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, numquam poteſt accedentes perfectos facere.* Et iterum; *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Nec mirum, quia *ſi per legem juſtitia*, ſicut dictum eſt ſuperiùs, *gratis Chriſtus mortuus eſt.* Si qui tamen, veteri lege durante, Sacramentis ejus & ſacrificijs utebantur ex fide Mediatoris; gratiam per ea conſequebantur, non ut erant veteris legis inſtituta carnali populo tradita, ſed quatenus eis accidebat, ut cum ejuſmodi fidei devotione (quæ ad novam legem pertinet) exercerentur. Dici etiam poteſt, quod erant infirma & egena elementa Judæis carnalibus, qui ex illis expectabant juſtitiam; non ſpiritualibus; qui illis bene utebantur. Erant infirma & egena ijs qui illis plus tribuebant quam ipſis compete-bat: Simpliciter autem non erant hujuſmodi; quia valebant ad id ad quod erant inſtituta. Verùm ea de re peculiaris eſt tractatio in 4. ſent. diſt. 1. Cæterum ex hoc loco apparet etiam idola; & idololatrici cultus cæremonias *elementorum mundi* nomine comprehendi: dicens enim Apoſtolus, *iterum convertimini ad elementa*, ſignificare videtur & illa priora, quibus ſervierant Galatæ elementa fuiſſe, quamvis Judaicis elementis diſſimilia. Hæc enim infirma dumtaxat & egena; illa verò etiam pernicioſa: Et hæc, aliquando licita; illa, perpetuò mala. Forſitan autem cuipiam videatur hic eſſe ſenſus; Quibus elementis vos gentiles ſervire vultis, ſicut Judæi hactenus ſervierunt: ut iteratio intelligatur in facto ſimili, non in perſonis ijſdem. Sicut enim Judæi ſub jugo legalium ſervierant; ita Galatæ malè ab illis perſuaſi, ſub eodem jugo ſervire volebant. Fortè etiam quiſpiam referat hanc iterationem ad Judæos fideles qui erant inter Galatas. Nam & in Galaticam regionem diſperſos fuiſſe Judæos, conſtat ex 1. ep. Petri cap. 1. *Electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ* &c. Verùm ex textu manifeſtum eſt Paulum eos compellare qui dudum idolis ſervierant, ijs, inquam, *qui natura non ſunt Dij*: Eoſdemque reprehendere, quòd iterum converterentur ad infirma & egena elementa. Quocirca retinenda eſt expoſitio, quam primò dedimus, ut menti & contextui Apoſtolico magis appoſita.

V. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* Partibus explicat quod in genere dixerat, eos iterum converti ad infirma & egena elementa. Locum hunc Ambroſianus accipit de ſuperſtitioſis obſervationibus dierum ac temporum; dum ea fauſta vel infauſta putantur. Quem errorem à gentilitate ad Chriſtianos permanaſſe; ſæpè queritur Auguſtinus; Qui etiam eodem ſenſu verba hæc accepit Ench. cap. 79. Sed & in commentario ſenſum hunc adfert priore loco. Verùm mox alterum præfert, quo de Judaicis obſervationibus exponitur, utpote ſcopo totius epiſtolæ congruentem. Quæ eadem expoſitio eſt Hieronymi, Chryſoſtomi, Theophylacti, & aliorum. *Dies* ergo quos obſervabant Galatæ à Pſeudoapoſtolis edocti, erant, verbi gratiâ, ſabbathum, neomenia, ſcenopegia, cæteræque ſolennitates Judaicæ. *Menſes*, ut primus & ſeptimus feſtorum causâ celebriores. *Tempora*; quale eſt, ait Hieronymus, ter per annos ſingulos Hieroſolymam venire. *Anni* denique ut ſeptimus annus remiſſionis, & quinquageſimus Jubilæi. Ex his porrò liquet quàm pravè detorqueant hanc Apoſtoli ſententiam hæretici ad reprehenſionem ejus conſuetudinis, qua certos quoſdam dies feſtos annua celebritate recurrentes, & certa jejuniorum tempora, ex Eccleſiæ præcepto fideles obſervant. Hæc enim Eccleſiaſtica dierum ac temporum obſervatio, neque ad ſuperſtitionem gentilium pertinet, neque ad legem à Chriſto abrogatam; ſed ex Apoſtolica traditione deſcendit. Et quidem quod ad natalitia martyrum aliorumque ſanctorum cum Chriſto regnantium attinet, inſtituta ſunt ea propter tres potiſſimum cauſas, quas Auguſtinus lib. 20. contra Fauſtum Man. cap. 21. breviter complexus eſt his verbis: *Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur.* Quod ſi omnis dierum obſervatio damnanda eſſet; neque ad iter agendum, neque ad ſerendum & metendum, & ad alia hujuſmodi, commodos & opportunos dies expectare liceret. Abolendus quoque eſſet dies Dominicus, cujus obſervationem Apoſtolicam eſſe conſtat ex ſcriptura: Quod tamen nec adverſarij dicere aut facere audent, apud quos uſque nunc ille dies eſt in obſervatione. Sed quid multa? cùm Hieronymus jam olim iſti hæreticorum calumniæ prudenter obviaverit, in hujus loci commentatio.

V. 12. *Eſtote ſicut ego; quia & ego ſicut vos.* Dupliciter hoc exponi poteſt: uno modo, Judaicas obſervationes meo exemplo abjicere, neque legem ſervitutis

patiamini vobis imponi; nam & ego me veſtræ infirmitati accommodavi, ut vos Chriſto lucrifacerem. A Aliter: Eſtote in eadem mecum ſententia, & veritate doctrinæ; nam & ego aliquando in eodem errore verſatus ſum, in quo vos modò verſamini; quem moneo ut exemplo meo deſeratis. Hic ſenſus Græcorum eſt interpretum; ſed prior magis eſt germanus. Congruit enim cum eo quod alibi dicit: *Factus ſum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos*, 1. Cor. 9.

CAPUT V.

℣. 2. **E***Cce, ego Paulus dico vobis, quoniam ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Urget Galatas authoritate ſuæ perſonæ; erat enim eorum Apoſtolus, & apud eos magni habitus. B Si, inquit, aliquid apud vos mea valet authoritas; ecce palam affirmo vobis, ac denuntio, quòd ſi circumciſionem recipiatis, non eritis participes beneficiorum Chriſti. Hanc ſententiam ex diametro opponit ei, quam dicebant Pſeudoapoſtoli Actor. 15. *Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.* Ubi ſciendum eſt, ſicut Pſeudoapoſtolos illos, ita Paulum Apoſtolum loqui ad gentiles, non ad Judæos. Nam Judæi fideles, quamvis ex circumciſione juſtitiam non quærerent, adhuc tamen ſe aut filios ſuos circumcidebant juſtis ex cauſis; tum ut honorificè Synagogam cum Moyſe ad ſepulchrum ducerent, tum ut infirmorum ex Judæis fratrum offenſionem evitarent. Qua ratione Timotheum Paulus circumcidit. C At gentiles, quibus lex data non fuerat, quique proinde eas quas dixi cauſas circumcidendi ſe non habebant; ſi circumcidebantur, meritò judicabantur id facere quòd perſuaſi eſſent, ſe, niſi circumciderentur ſalvari non poſſe, prout Judaizantes docebant. Unde patet, quòd etſi poſt introductam Chriſti legem nec Judæis nec gentibus circumciſio fuerit ad ſalutem neceſſaria peculiariter tamen gentilibus dicendum fuerit, *Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit.* His enim, circumcidi, erat juſtitiam & ſalutem ex circumciſione exſpectare; hoc autem erat Chriſtum abjicere. *Nam ſi ex lege juſtitia, gratis ergo Chriſtus mortuus eſt.* Suprà cap. 2. fin. Erat igitur gentilibus circumciſionis cæremonia perniciosa & mortifera.

℣. 6. *Sed fides quæ per charitatem operatur*, Scilicet, aliquid valet, & quidem plurimùm, ad juſtitiam ſive D acquirendam, ſive exercendam, atque augendam. Eſt enim fides totius juſtitiæ fundamentum; quam tamen non præſtat ſine charitate, id eſt, ea dilectione, quam tot præconijs Apoſtolus commendavit 1. Corinth. 13. Illud ergo notandum, contra hæreticos, ſicut & à commentatoribus tam Græcis quàm Latinis diligenter annotatum eſt, cùm fidem in Chriſto Jeſu aliquid valentem reſtringit Apoſtolus, addendo, *quæ per charitatem operatur*; apertè eum innuere, quòd ſit aliqua fides quæ per charitatem non operatur, ſed otioſa ſit, & per hoc in Chriſto nihil valeat. Quod quidem expreſſius docet idem Apoſtolus 1. Corinth. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.*

℣. 18. *Quod ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* E Id eſt, ſi vos Spiritus ſanctus movet, agit, impellit; ſi, quemadmodum ſuprà dictum eſt, ſpiritu ambulatis: jam non eſtis ſub lege, ſcilicet terrente, premente, vindicante; quomodo ſub lege ſunt homines apertè mali, vel qui ſerviliter tantùm ea quæ legis ſunt, faciunt. Nam vos per ſpiritum libenter ac ſponte facitis ea quæ lex præcipit. Sub lege eſt, qui timore ſupplicij quod lex minatur, non amore juſtitiæ, ſe ſentit abſtinere ab opere peccati, nondum liber nec alienus à voluntate peccandi. Aug. de nat. & grat. cap. 57. Congruit huic ſententiæ quod idem Apoſtolus ſcribit. 1. Tim. 1; *Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis* &c. Quod ſuo loco plenius exponendum eſt. Sicut autem illic, ita & hìc loquitur Apoſtolus de lege morali, de qua jam dixerat: *Omnis lex in uno ſermone impletur.* Quoniam verò jugum legis cæremonialis per ſe ſervile erat; hinc conſequenter intelligendum relinquit, incongruum eſſe, ut qui ſpiritu ducuntur, & per hoc à ſervitute legis moralis liberi ſunt, jugo legis cæremonialis ſeſe ſubmittant.

℣. 19. *Manifeſta ſunt autem opera carnis. Opera carnis* vocat omnia illa ad quæ caro, id eſt, concupiſcentia carnalis homines incitat: cujusmodi non ſolùm ſunt peccata quæ propriè carnalia dici ſolent, id eſt, quæ corporis delectatione perficiuntur, & 2. Corinth. 7. inquinamenta carnis vocantur; verùm etiam quæ ſpiritualia. Nam utriusque generis peccata hic ab Apoſtolo recenſeri, jam antè monuimus. Atque ex eo, carnem non ita ſpecialiter, ut quidam voluerunt, hoc loco accipi poſſe, bene probat Auguſtinus, cum alibi, tum lib. 14. de civit. cap. 2. & 3. Dicuntur autem *manifeſta opera carnis*, quia manifeſtum eſt talia quæ hic enumerat, non ſpiritu divino, ſed concupiſcentia carnis inſtigante, fieri.

CAPUT VI.

℣. 1. **F***Ratres & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto; vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis.* Nemo per inanem gloriam ſeſe ſuper alium efferat aut contendat; ſed & ſi quiſpiam tentatione præventus, ut eſt humana fragilitas, prolapſus fuerit in peccatum; *vos qui ſpirituales eſtes*, id eſt, qui geritis vos pro ſpiritualibus & perfectis, aut qui videmini tales, ne durius ac ſeverius agite adverſus hujuſmodi hominem, ſed cum manſuetudine eum admonentes & corripientes, reſtituite atque erigite à lapſu. Dicit autem *in ſpiritu lenitatis*; ut innuat, quod jam dixerat ſuperius, manſuetudinem eſſe fructum & donum Spiritus ſancti. Quod enim illic *manſuetudinem*, hìc *lenitatem* vertit interpres; cùm Græca vox eadem ſit. Quæri poteſt cur Apoſtolus ſuo ipſius præcepto non ſit contrarius, qui Corinthijs virgam comminatur, dicens: *Quid vultis? in virga veniam ad vos? An in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* 1. Corinth. 4. Quique Tito præcipit ut Cretenſes ſuos durè increpet; Tit. 1. Reſpondemus, pro diverſitate perſonarum & peccatorum, modò ſevera increpatione vel etiam virga utendum eſſe, modò cum manſuetudine agendum cum ijs qui peccant. Rectiſſimè enim Gregorius docet; parte 3. curæ paſtoralis, peccantes alijs atque alijs, aliter atque aliter admonendos eſſe. Ubi inter cætera cap. 33. *Aliter*, inquit, *admonendi ſunt, qui repentina concupiſcentia ſuperantur; aliter qui in culpa ex conſilio ligantur.* Atqui Cretenſium multi erant mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri, & propter hoc durè increpandi. Corinthios quoque eos alloquitur Apoſtolus, inquit Hieronymus, qui poſt peccatum, non ſentientes errorem ſuum, nolebant majoribus ſuis ſubdi & pœnitentia corrigi. Ubi verò peccator intelligens vulnus ſuum, tradit medico ſe curandum ibi non eſt virga neceſſaria, ſed ſpiritus lenitatis. Sic ille.

Ibid. *Conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Numerum ſubitò mutat, non ex imperitia ſermonis, ut cenſet Hieronymus, ſed ſtudio; propterea quód ad compellandam uniuſcujuſque conſcientiam aptior ſit numerus ſingularis. Sic Dominus ad ſcribas & Phariſæos mulierem adulteram adducentes, *Qui ſine peccato eſt veſtrùm*, inquit, *primus in illam lapidem mittat.* Joan. 8. Certè apud Terentium optimi Latini ſermonis authorem, ſimilis permutatio numeri legitur non abſque venuſtate; Adeon', inquit, homines immutarier ex amore, ut non cognoſcas eumdem eſſe? Cæterùm in eo quod ait; *tenteris*, cauſam pro effectu poſuit; eſt enim ſenſus: Teipſum conſidera quicumque ſpiritualis es, ne & tu in tentationem incidas, tentatione vincaris, in aliquo delicto præoccuperis. *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* Nihil enim ad miſericordiam ſic inclinat, inquit Auguſtinus, quam proprij periculi

 cogitatio.

cogitatio. Et S. Thomas in eamdem ſententiam, nihil ita frangit hominis ſeveritatem in corrigendo, quam timor proprij caſus. Docet hic locus, homines etiam ſpirituales & perfectos non eſſe de ſua ſtabilitate ſecuros; & inanem eſſe eorum fidem qui ſibi perſeverantiam juſtitiæ certò pollicentur.

℣. 17. *Decætero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini JESU in corpore meo porto. Stigma* Græca dictio eſt, qua ſignificatur nota cuti impreſſa aut inuſta; quomodo notari ſolent ſervi proprijs dominorum ſignis. Non eſt, inquit, quod mihi laborem ac moleſtias augeatis, qui ex frequentibus laboribus, plagis, vinculis, alijſque incommodis, etiam ſigna corpori meo impreſſa, tamquam notas Domini mei Jeſu, cujus me ſervum profiteor, porto ac circumfero. Hujuſmodi ſtigmata commemorat ipſe Paulus in 2. Corinth. 11.

ANNOTATIONES

In Epiſtolam ad Epheſios.

CAPUT I.

℣. 11. *SOrte vocati ſumus.* Viſum eſt autem Apoſtolo divinam electionem ſeu vocationem ſortitionis vocabulo deſignare, non quòd temerè & abſque ratione Deus alios præ alijs eligat aut vocet, de quo mox ſequitur, quòd *operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; ſed quia in ipſis electis nulla eſt cauſa cur eligantur præ alijs. Itaque ſorte electi ſunt & vocati, ſi ipſorum qualitas & merita conſiderentur; judicio autem electi, ſi Dei ſapientia cogitetur, quæ nihil facit temerè. Hanc rationem reddit S. Auguſtinus Conc. 2. ſuper Pſalmum 30. & alibi; nec non S. Thomas in commentario. Similis eſt locus Col. 1. *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum.* Ne autem audita mentione ſortis, ſuſpicetur quis caſum aut fortunam intervenire in hominum electione, ideo ſubjungit.

Ibid. *Prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Id eſt ad beneficia ſuperius commemorata prædeſtinati ex propoſito certoque decreto ejus, qui non ſolum hæc gratiæ beneficia, ſed ſimpliciter omnia quæcumque ſunt, vi ſua operatur; ſecundùm deliberatam ſuam voluntatem. Propoſitum hoc non eſt εὐδοκία ut ſuprà, ſed πρόθεσις; Sicut & Rom. 8. *ijs qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*: Qui locus a Pelagio perversè tractatus, ex hoc loco vindicandus eſt. Porrò verbum Græcum ἐνεργεῖν, quo hic utitur, operationem ſignificat efficacem. Itaque ſentit Apoſtolus Deum efficaciter operari ſalutem & totam juſtificationem noſtram, ſicut univerſa operatur, nimirum cauſalitate phyſica ſeu propriè dicta; quod imprudenter à quibuſdam alioqui doctis negatur. Ex quo præterea conſequens eſt, non ex meritis, ſed mera Dei voluntate nos prædeſtinari. Id quod etiam hoc loco diſertè S. Thomas annotat. Conſilium autem Deo tribuit Apoſtolus, non quo ſignificet diſcurſum rationis eſſe in Deo, ſed quatenus ipſa ratio rerum agendarum conſilium dicitur, non propter inquiſitionem, ſed propter certitudinem cognitionis, uti declarat idem doctor, 1. p. q. 22. art. 1.

℣. 20. *Et conſtituens ad dexteram ſuam in cæleſtibus.* Græcè, *& conſtituit in dextera ſua in cæleſtibus. Conſtituit*, id eſt, collocavit, ſedere fecit, ut legit Hieronymus, quomodo etiam interpres noſter eamdem vocem reddidit ſequenti capite. Dicitur autem Chriſtus à Deo patre collocatus ſive ſedere juſſus ad dexteram ipſius in locis cæleſtibus: Quia (prout hanc phraſim etiam ad illud Rom. 8. *qui eſt ad dexteram Dei* expoſuimus) corporaliter & ſecundùm humanam naturam elevatus in cælum, qui eſt locus beatorum ac ſedes Dei; proximam illic à Deo Patre dignitatem, authoritatem & gloriam, quietus poſſidet. Proximam dico, quatenus homo eſt; nam in quantum Deus; ab æterno omnia habet eadem cum Patre. Loquitur autem Apoſtolus de Chriſto homine; ſicut & Symbolum Apoſtolicum & ſcripturæ, quoties teſtantur Chriſtum ſedere ad dexteram Patris. Hoc enim ei tribuunt poſt aſcenſionem, quando in cælum receptus, quietam ſupremæ felicitatis ac dignitatis, qua omni creatura ſuperior eſt, poſſeſſionem accepit. Unde & Patres paſſim ac diſertè docent, humanam naturam in Chriſto collocatam eſſe ad dexteram Dei; ac nominatim in hujus loci commentario Theophylactus & Theodoretus. Nec verò ſic ad dexteram Patris ſedere Chriſtus dicitur, quaſi à Patre collocatus honoratiori loco; quod nefas eſt opinari; aut quòd (ut quidam volunt) antiquitus dextera fuerit minus honorata quam ſiniſtra, quod non putamus abſolutè verùm, ſed hæc ſeſſio debet intelligi per quamdam analogiam è rebus humanis, ubi rex in excelſo ac medio throno reſidens, eum cui primum poſt ſe honorem deferri vult, ſedere jubet ad dexteram ſolij ſui; & cui ſecundum, ad ſiniſtram. Qua ratione & Salomon rex matrem ad dexteram ſuam ſedere fecit 3. Reg. 2. Quamvis autem iſta ſeſſionis dignitas Chriſto homini competat poriſſimum propter unionem hypoſtaticam, maximè poſt aſcenſionem ejus manifeſtatam; hac tamen unione circumſcripta etiam ei competeret, ut ex declaratione jam dicta patet.

CAPUT II.

℣. 10. *IPſius enim factura ſumus creati in Chriſto JESU in operibus bonis.* Totus hic locus continens egregiam gratiæ Dei commendationem, ſicut hæreſim Pelagianam quæ gratiam aut negabat, aut ex meritis quærebat, penitus deſtruit: Ita & noſtri quoque temporis hæreticorum dogmata quædam elidit. Si enim ſumus factura Dei; quoad juſtificationem; igitur faciente Deo verè juſti ſumus, & non tantùm imputativè. Et, ſi creati ſumus in operibus bonis quæ Deus præparavit; igitur falſum eſt, omnia, etiam juſtificatorum, opera eſſe peccata. Neque enim bona opera peccata ſunt; neque peccata nobis Deus præparavit. Denique, ſi nos in illis ambulamus; igitur verè noſtra ſunt, à voluntate & libero arbitrio profecta.

℣. 14. *Qui fecit utraque unum.* Id eſt, ex duobus populis unum fecit, nimirum juxta Prophetiam Ezechiel. 37. quâ ſub nomine duorum regnorum Juda & Ephraim hanc Judæorum cum gentibus unionem prænuntiat dicens. *Et faciam eos in gentem unam; & Rex unus erit omnibus imperans; & non erunt ultra duæ gentes, nec dividentur amplius in duo regna; & paſtor unus erit omnium eorum.* Quod ipſum & Chriſtus Joan. 10. facturum ſe promiſit, illis verbis; *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient; & fiet unum ovile, & unus paſtor.*

Ibid. *Et medium parietem maceriæ ſolvens, inimicitias in carne ſua; legem mandatorum decretis evacuans.* Senſus eſt: *Et qui medium parietem maceriæ*, vel ut Theophylacti vertit interpres, obturationis, id eſt, ſeptum medium quo obſtruebatur acceſſus unius ad alterum, *nempe inimicitiam*, hoc eſt inimicitiæ cauſam, *ſolvit ac diruit in carne ſua*, hoc eſt per paſſionem & crucem quam in carne ſua ſuſtinuit. Solvit, inquam; *evacuata & abrogata lege Moſaica conſtante innumerabilibus præceptis; idque per Evangelica decreta ſive præcepta quæ ipſe in locum Moſaicæ legis ſubſtituit.* Pro hac expoſitione illius particulæ *decretis*, facit etiam locus Col. 2. ubi dicitur *Chriſtus deleviſſe quod adverſus nos erat chirographum decretis* (ſic enim & ibi legitur in Græco) id eſt per decreta. Quomodo locum illum antiqui interpretes exponunt. Quapropter Eraſmi temeritatem qua ſuam conjecturam ſcripturæ miſcuit, ita vertens: *Legem mandatorum in decretis ſitam*, meritò reprehendunt Adamus Sasboldus in commentario, & Barth. Medina 1. 2. q. 107. art. 2. Ac ſanè mirum, eſt,

eſt, doctiſſimum virum Hentenium tantum Eraſmo A tribuiſſe, ut hanc ejus verſionem in transferendis Oecumenij commentarijs ſequendam ſibi putaverit; cum ſatis appareat eam eſſe ab Oecumenij mente, & ſicut Chryſoſtomi, quem ille ſequitur, alienam. Quæritur quis Apoſtolo ſit medius paries maceriæ quo gentiles à Judæis dividebantur; utrùmne *inimicitia*, an *lex mandatorum*; hæc enim duo nominat. Reſpondeo, ſecundùm datam expoſitionem ac mentem Apoſtoli legem mandatorum eſſe inimicitiam, id eſt, cauſam inimicitiæ ac diſſenſionis; ac proinde nihil diverſum dici, ſive inimicitiam, ſive legem mandatorum interpretemur parietem medium. Sunt autem qui medium parietem duplicem; alterum ſtatuentes ex parte Judæorũ, ſcilicet legem; alterum ex parte gentium, ſcilicet idololatriam: Tam enim idololatria gentium offendebat B Judæos, quam legis jugum gentiles, ne coirent in unum populum. Verum hæc imaginatio gemini parietis, Aquinate teſte, præter intentionem eſt Apoſtoli; qui unius tantùm meminit, nempe legis mandatorum, quæ Judæos à gentilibus etiam ab idololatria converſis, ita dividebat, ut illa ſtante non poſſet ex utroque populo unum Eccleſiæ corpus conſtitui.

CAPUT III.

℣.8. **M***ihi omnium Sanctorum minimo.* Quo ſenſu minimum, ſive ut legit Hieronymus, infimum omnium Sanctorum ſeipſum vocet Apoſtolus, idque non mendaciter (neque enim in mendacio conſiſtit humilitas) ſed veraciter; diſcimus ex eodem loco C ad Cor. ubi rationem hanc ejus quod dixerat ſe minimum Apoſtolorum, ſubjungit, *Quoniam*, inquit, *perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Nam ea ratio quadrat etiam in hunc locum, ut propterea ſe dicat omnium Sanctorum minimum, quia ſi conſiderentur ejus merita fidem præcedentia, cauſam non habebat ſe præferendi cuiquam Chriſtiano, ſed omnibus poſtponendi; quia nimirum perſecutus fuerat Eccleſiam Dei, quod nullus alius Chriſtianus tanto animo & ſtudio fecerat. Eadem ratione ſe vocat primum inter peccatores 1. Tim. 1. Sic autem de ſe loquitur Apoſtolus, tum ut ex comparatione ſuæ indignitatis, magnitudinem divini erga ſe beneficij commendet, tum ut ſeipſum, ad tantam excellentiam gratiæ, de qua hic diſſerit, vocatum, muniat adverſus tentationem ſuperbiæ. Jam verò D cùm hujuſmodi ſermo veritate nitatur, illud etiam manifeſtum eſt, Apoſtolum hic non incurrere in vitium quod morales Philoſophi ironiam vocant, dum quis dicit de ſeipſo minora quam animo ſentiat. De quo S. Thomas 2. 2. q. 113. Quæritur autem an ſimiliter unuſquiſque Chriſtianus de ſe loqui ac ſentire debeat, ſe minimum eſſe omnium ſanctorum, vel etiam omnium hominum. Reſpondeo debere; non quidem ea ratione qua hoc dixit Apoſtolus, ſcilicet ex conſideratione priſtini ſtatus; ſed eo ſenſu quo Dominus in Evangelio præcipit unicuique, dicens: *Vade recumbe in noviſſimo loco*, Luc. 14. & quo dictum eſt à Paulo Philip. 2. *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*; cujus præcepti ſenſus explicabitur ſuo loco.

CAPUT IV.

℣.8. **D***Edit dona hominibus.* In Pſalmo tam ſecundùm veritatem Hebraicam, quam juxta verſionem LXX. legitur, *accepiſti dona in hominibus.* Quæritur ergo quomodo citatio Paulina congruat cum eo quod in Pſalmo ſcriptum eſt, cum accipere & dare non modò diverſa ſint, ſed etiam oppoſitionem habeant inter ſe. Placet Hieronymi reſponſio dicentis quòd in Pſalmo Chriſtus dicitur accepiſſe, non dediſſe, quia nondum factum hoc erat, ſed futurum promittebatur: Hic autem dediſſe dicitur, quia jam per omnes Eccleſias toto orbe fundatas dona ſua diſtribuerat. Videtur Hieronymus, ut breviter dicam, hunc ſenſum indicare, Accepit dona danda ſeu diſtribuenda hominibus. q. d. accepit dona in homines; ſicut dicimus, ducem accepiſſe ſtipendia in milites, utique diſtribuenda. Certè Petrus utrumque explicat Actor. 2. quum de Chriſto, ferme in eamdem cum Paulo ſententiam, ita loquitur; *Dextera Dei exaltatus, & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patro, effudit hunc quem vos videtis, & auditis* Ubi *promiſſionem Spiritus ſancti*, ipſum Spiritum ſanctum promiſſum, intelligit, hoc eſt, ejus dona, quæ Chriſtus à Patre accepta effudit in homines. Confirmant hanc expoſitionem alia ſcripturæ loca in quibus accipere, videtur idem valere quod dare, dum videlicet accipitur quidpiam ut detur, velut Exod. 25. *Loquere filijs Iſrael ut tollant mihi primitias*, Hebr. *accipiant*; id eſt, dent. & 3. Reg. 17. *Da mihi paululum aquæ*, Hebr. *cape.* Chriſtus igitur accepit dona in B hominibus, non tam quòd dona, de quibus hoc loco, ſuſceperit in ſe ipſo, quamvis alioqui plenus omni gratia; quàm quòd poteſtatem elargiendi dona in homines acceperit. Accepit autem, non ſolum à Deo, ut homo; verum etiam à Patre, ut filius.

℣. 10. *Ut impleret omnia*, De ſe ſcripta, ut quidam exponunt. Alij *omnia* hominum genera ſpiritualibus donis implenda ſignificari putant. Alij verò ad omnia loca referunt; idque probabilius. Nam de locis ſermo præceſſit. Itaque videtur hic eſſe ſenſus; Ita denique factum, ut idem ipſe Chriſtus homo potentia dominationis ſuæ repleat omnia; terram, inferos, cælum; poſtquam omnia ea loca ipſe adivit. Loquitur enim Apoſtolus de Chriſto, quaſi de rege qui totius regni C ſui poſſeſſionem capit, non ſingula quæque loca regni per ſeipſum accedendo, ſed principalia tantùm: Quod quum fecerit; dominatum habet in omnia Regni loca, & ubique Rex agnoſcitur.

℣. 19. *Qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam.* Vox Græca pro qua nos habemus, *deſperantes*, teſte Hieronymo longè aliud ſignificat; nimirum eos qui poſtquam peccaverint non dolent; ut verti poſſit, *indolentes.* Eamdem ſignificationem explicant Græcorum commentarij; ſecundùm quos ſenſus eſt: Qui poſtea quàm eò pervenerunt, ut dolere deſinerent, velut ſenſu mali carentes; ſeſe pronos ac præcipites dederunt in omne genus impudicitiæ & immunditiæ quolibet modo exercendæ. Dolor autem intelligitur D quem animus patitur ex turpitudine admiſſi peccati, & quo ſtimulante, ſolet à peccando poſtea retrahi. Convenit hic ſenſus cum ijs quæ de Philoſophis ſcribit Apoſtolus Rom. 1. Verùm quia Latini veteres conſtanter legunt, *deſperantes*, ſuſpicari licet cum Eraſmo (quod & innuit Hieronymus) interpretem Latinum in Græco pro ἀπηλγηκότες legiſſe ἀπηλπικότες, duarum literarum mutatione. Quod verbum etiam apud Lucam eſt cap. 6. *Mutuum date nihil inde ſperantes.* Hoc modo, ſenſus perſpicuus eſt; Qui ſpe futurorum bonorum, quæ nos Chriſtiani credimus & exſpectamus, deſtituti, utpote animarum immortalitatem, & corporum reſurrectionem non credentes; totos ſeſe tradiderunt præſentis vitæ voluptatibus, etiam turpiſſimis. Quomodo differant impudicitia & immunditia, E quæ ab Apoſtolo ſæpe conjunguntur, dictum eſt ad 2. Corinth. 12. Porrò quod additur, *in avaritiam*, Græcè eſt, *in avaritia*, quam lectionem in alijs codicibus haberi gloſſa interlinealis admonet, Eamdem reperiri in duobus pervetuſtis codicibus manuſcriptis; ſicque etiam legunt Hieronymus & Thomas. Neque hic avaritia, Græcè, πλεονεξία, ſignificat pecuniarum cupiditatem, ſed in genere vitium quo quis eo quod habet, non contentus, ſemper amplius expetit, nec modum nec terminum ponens cupiditati, in quacumque tandem re id accidat, ſive in pecunijs, ſive in honoribus, ſive in voluptatibus corporis; Hic autem ſermo eſt de avaritia turpium voluptatum, ut ſenſus ſit, ipſo etiam S. Thoma exponente, *in avaritia*, id eſt, ardenter & inſatiabiliter, juxta illud 2. Pet. 2. *Oculos habentes*

plenos

plenos adulterij, & inceſſabilis delicti; pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, vel ut Græcè, *avaritijs*; plural. numero. Senſum hunc habet Theodoretus, & latè explicat Hieronymus, collatione alterius loci, qui eſt Theſſ. 4.

CAPUT V.

℣. 4. A*Ut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut Scurrilitas.* Subaudi ex parte præcedenti, *nec nominetur inter vos*, longe abſit à vobis. *Turpitudo*, ſive obſcœnitas ſecundùm S. Thomam conſiſtit in tactibus, amplexibus, & oſculis libidinoſis. Poteſt tamen hoc loco ad verba pertinere turpitudo, ut ad Coloſſ. 3. turpiloquium. *Stultiloquium* teſte Hieronymo pertinet ad fatuas & ineptas fabulas, præſertim eas in quibus ſit aliquid obſcœnitatis. Pro ſcurrilitate Græcis eſt εὐτραπελία, quæ vox propriè urbanitatem ſeu comitatem ſignificat, quam Philoſophus 4. Eth. 8. in bonam partem accipit, & virtutem facit mediam inter duo vitia, ſcurrilitatem & ruſticitatem. Non eſt autem putandum Apoſtolum hanc εὐτραπελίαν damnare voluiſſe, licet ita ſentire Chriſoſtomus videatur in parte morali ſui commentarij: cùm juxta ipſum Chryſoſtomum urbanitate uſus ſit Paulus quando dixit: *Utinam & abſcindantur qui vos conturbant*, Gal. 5. Sed eam vocem pro ſcurrilitate Apoſtolus poſuit, quòd plerumque qui urbanitatem affectant, à medio virtutis aberrantes, ad ſcurrilitatem declinent. Qua in ſignificatione etiam Pindarus poëta Græcam vocem uſurpaſſe legitur. Itaque rectè noſter interpres *ſcurrilitatem* vertit, quam nos, inquit Hieronymus, jocularitatem alio verbo poſſumus appellare. Ea eſt, quum in jocis, & faceriis modus exceditur, præſertim admiſcendo turpia. Et hæc omnia Thomas affirmat eſſe mortalia peccata; in quantum ad mortalia ordinantur; ut ſæpe contingit in hujuſmodi. Confer Cajet. in 2. 2. q. 148. ad fin.

℣. 16. *Redimentes tempus; quoniam dies mali ſunt. Tempus*, Græcè καιρὸν, quod propriè temporis occaſionem, ſive opportunitatem ſignificat. Et ita verterunt Eraſmus, & Theophylacti interpres. Sed ſciendum, Apoſtolo plærumque idem eſſe καιρὸν quod χρόνον, ut rectè Saſboldus annotavit: Atque iſto modo tam Græci quàm Latini interpretes, tempus intelligunt hoc loco; ſenſum hujuſmodi reddentes: *Quoniam dies mali ſunt*, id eſt, quia tempus hujus vitæ plenum eſt tentationibus & laqueis peccatorum, juxta illud, *Tentatio eſt vita hominis ſuper terram*, Job 7. ſecundùm LXX. Idcirco vos adhortor ut redimatis tempus, id eſt, ut quovis pretio tempus hoc ſalutare faciatis vobis liberum ad ſerviendum Deo. Potius patimini bonorum temporalium diſpendia, quàm ut ea cum aliquo ſalutis aut Evangelij diſpendio velitis retinere. Poteſt etiam ſic rectè accipi, Dies mali ſunt, hoc eſt, Viget adverſum Chriſtianos perſecutio; Ideo tempus redimite, id eſt, potius aliquod rerum veſtrarum diſpendium patimini, quàm ut adverſarijs relinquatur occaſio perſequendi fidem Chriſti. Confer cum loco Coloſſ. 4. v. 5. Parent huic Apoſtoli præcepto, non ſolùm qui relictis omnibus Chriſtum ſequuntur; verùm etiam qui cùm res poſtulat, amittere aliquid de ſuo malunt, quàm jus ſuum proſequendo, temporis & tranquillitatis quam in Deo habent, jacturam facere. Alibi tempus redimere dicuntur qui moras trahunt ad evadendum, ut Dan. 2. rege dicente ad Chaldæos; *Certè novi quòd tempus redimitis*. Gregorius quoque lib. 5. mor. cap. 28. tempus redimere nos dicit, quando ante actam vitam quam laſciviendo perdidimus, flendo reparamus. Sed hæ ſignificationes non conveniunt præſenti loco, ut nec alteri illi qui eſt Col. 4. ubi idem hoc præceptum repetitur. Porrò *dies malos* vocat Apoſtolus non à temporis vitio, ſed hominum qui in tempore vivunt. Interdum verò mali dicuntur dies, propter afflictionem & miſeriam, quæ hominibus in tempore accidit. Sic enim Jacob Patriarcha Gen. 47. dies vitæ ſuæ malos appellavit.

℣. 21. *Subjecti invicem in timore Chriſti.* Nõ eſt ſenſus omnes omnibus ſubjectos eſſe debere, quomodo Cajetanus videtur intellexiſſe; ſed alios alijs (hoc enim ſignificat Græca vox ἀλλήλοις) id eſt, inferiores ſuperioribus; quemadmodum patet ex præceptis particularibus quæ ſubjungit. Monet igitur ut ſubditi obedientiam quam debent, præſtent ſuperioribus; idque *in timore Chriſti*, hoc eſt, cum timore, qui convenit Chriſtianis; quorum eſt non ad oculum obedire, ſed ex animo & propter Deum; ſicut infrà præcipitur ſervis. Plærique Græci codices legunt, *In timore Dei*; id eſt, ut Theophylactus exponit, Dei timorem præ oculis habentes, & non ſolùm ſpectantes temporale commodum. Oecumenij commentarius noſtræ favet lectioni; quæ eadem eſt apud omnes Latinos, & in Græcis Complutenſibus.

℣. 29. *Nemo unquàm carnem ſuam odio habuit; ſed nutrit & fovet eam.* Sententia abſolutè vera. Sicut enim nemo poteſt ſeipſum ſimpliciter odio habere; ita nec corpus aut carnem ſuam, quæ aliquid ipſius eſt. At ſicut ſeipſum quis odiſſe poteſt ſecundùm quid, ſcilicet, ut peccatorem, miſerum, imbecillem; ita & carnem ſuam multi oderunt, ut vinoſam, morbidam, ſpiritui rebellem. Quidam etiam occidunt, non odio carnis, nec odio ſui; ſed odio miſeriarum, quas ſic ſe putant effugere. Quomodo mater interdum occidit filium, non odio filij (quamquam id etiam fieri poteſt) ſed ut ſe ab onere egeſtatis vel ab ignominia liberet; aut ut ejus morte ſe ulciſcatur de eo quem odit; ut olim Progne & Medæa, aut ut ipſum filium morti acerbiori eripiat; ſicut illæ de quibus Jeremias, Threnorum 4. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos.* Poteſt & ſic intelligi; nemo ſanæ mentis carnem ſuam odio habet, neque extinguere eam vult; ſed nutrit & fovet quoad uſque poteſt. Hoc enim nobis omnibus dictat lex naturæ, contra quam obnitebantur inſani Manichæi, docentes corpus odio habendum, quòd ortum haberet à malo principio. Secundùm priorem ſenſum latè & doctè partem hanc explicat Thomas in commentario. Cæterùm rectè unuſquiſque nutrit & fovet carnem ſuam, ſi carnis curam non faciat in deſiderijs, quod vetat Apoſtolus Rom. 13. ſed curam impendat ſuſtentationi ejus neceſſariam quatenus ſerviat ſpiritui. Atque hoc modo viri uxores ſuas diligere debent.

℣. 32. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Græcè, *In Chriſtum, & in Eccleſiam.* Quomodo & veteres quidam Latini legunt, nominatim Tertullianus, lib. de anima cap. 11. & 21. & lib. 5. contra Marcionem cap. 18. Et Auguſtinus in Pſalm. 138. Beda etiam citante in commentario. Pro *Sacramentum*, Græcè *myſterium* eſt, atque ita legit Ambroſianus. Itaque ſenſus Apoſtoli eſt: Sacramentum ſeu myſterium præcedentibus verbis ſignificatum; magnum eſt. Arctiſſima illa conjunctio viri & mulieris, de qua dictum eſt, *Relinquet homo Patrem & Matrem* &c. magnæ alicujus ſacræ & arcanæ rei ſignum eſt. *Ego autem dico*, id eſt, myſterium hoc explico, & intelligendum doceo de Chriſto & Eccleſia. Per hoc enim quod homo relictis parentibus adhæret uxori, & cum ea una caro efficitur myſticè ſignificatur filium Dei è ſinu Patris, & quaſi Patre relicto, Matre etiam, id eſt, ſynagoga (vel cæleſti Hieruſalem) derelicta, in terras deſcendiſſe, & per aſſumptam carnem humanam Eccleſiæ, quæ ex hominibus conſtat; conjunctum eſſe, unumque cum ea corpus effectum; & per hoc indiſſolubili amoris vinculo conglutinatum. *Matrem*, ſynagogã interpretatur Proſper ſententia 328. ex Auguſtino: Hieronymus autem in commentario cæleſtem Hieruſalem. Quam quidem, ſicut & Patrem, Chriſtus reliquiſſe dicitur, non quòd abſens ab illis eſſe cœpit, ſed figurato ſermone, & quadam ſimilitudine noſtri, quia apud nos, quæ alibi eſſe incipiunt, priorem locum relinquunt. Ex hac Apoſtoli ſententia manifeſtum eſt, conjugium non ſolùm duorum primorum hominum, ſed etiam, ac pleniori ratione, poſte-

poſterorum (nam primi homines non habuere parentes, quos relinquerent) eſſe Sacramentum, id eſt, ſignum magnæ cujuſdam rei ſacræ. Sed neque dubitandum eſt quin juxta Catholicæ Eccleſiæ definitionem, matrimonium ſit unum ex Sacramentis novæ legis, quæ ſigna ſunt ejus gratiæ, quam ſignificant, efficacia. An autem hoc ipſum ex præſenti loco Apoſtoli, doceri poſſit, quæritur. Certè Cajetano non videtur: At neque veteres hanc efficaciam probant ex iſto loco, ſed magis eam ſolent ſtatuere ex facto Chriſti, qui nuptijs in Cana Galilææ benedixit, utique benedictione ſpirituali: Quod etſi ſcriptura non expreſſerit, in concilio tamen Epheſino, tamquam traditione acceptum, & apud multos Patres legitur. Atque hæc ſententia nobis etiam probatur, & quàm revera probabilis ſit, latè oſtendimus ſcripto in 4. diſt. 26. Quod enim ad hunc locum attinet, ſententia Apoſtoli; qua dicit, *Sacramentum hoc magnum eſt*, veritatem habuit ab initio quo dictum eſt, *propter hoc relinquet homo* &c. Nec tamen ab eo tempore cœpit matrimonium eſſe Sacramentum efficax gratiæ: Sed tale demum eſt à Chriſto novæ legis authore, inſtitutum.

CAPUT VI.

℣. 12. N*On eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus principes & poteſtates adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Ubi ſtatim occurrit quæſtio, ſi non eſt nobis lucta contra carnem & ſanguinem, quomodo alibi dicat, Galat. 5. *Spiritum concupiſcere adverſus carnem*, laudatque eos qui *carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Unde eſt & illud vulgatum: *Sunt tria quæ tentant hominem, mundus; caro, dæmon.* Adverſus quæ omnia utique nobis omnibus pugnandum eſt. Quidam reſpondent, ſupplendam hoc loco particulam, *tantum*, ut ſenſus ſit, non tantùm adverſus carnem & ſanguinem nobis luctandum eſſe, verùm etiam adverſus principatus & poteſtates, &c. Sic Cajetanus poſt Aquinatem, & ante eos Bernardus ſermone ultimo de omnibus ſanctis. Alij ſic Apoſtolum exponunt: Non tam contra carnem & ſanguinem inſtituta nobis eſt pugna, quam contra poteſtates adverſarias, quæ per carnem & ſanguinem non infeſtant. Hunc quoque ſenſum adfert Thomas ex Hieronymi commentarijs. At idem Hieronymus etiam hunc indicat ſenſum: Pugna quæ nobis eſt cum poteſtatibus adverſarijs, id eſt, dæmonibus, adeò gravis eſt & periculoſa, ut ea quæ contra carnem & ſanguinem ſuſcipitur, cum hac collata, facilis ac nullius momenti videatur: tantæ ſunt dæmonum vires, tamque variæ fraudes & machinationes. Hunc ſenſum etiam Prudentius in Hamartigenia aliquot verſibus expreſſit quos infrà citabimus. Verùm, ut alia prætercam, omnes hi commentarij in eo videntur deficere, quòd carnem & ſanguinem interpretantur vel carnalem concupiſcentiam, vel membra corporis in quibus hujuſmodi concupiſcentiæ, ſedes eſt. Qua tamen ſignificatione *caro & ſanguis* in ſcripturis non accipiuntur, ſed tantùm *caro*, ſolitariè poſita. Nam carnis & ſanguinis nomine ſignificari ſolet in ſcripturis homo mortalis & corruptibilis, ut Matth. 16. *Caro & ſanguis non revelavit tibi*, 1. Corinth. 15. *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt.* Gal. 1. *Continuò non acquievi carni & ſanguini*, & Hebr. 2. *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe*, ſcilicet Chriſtus, *communicavit eiſdem.* Rectiùs igitur Theophylactus & Hervæus atque alij recentiores hunc ſenſum reddunt: Non eſt nobis lucta cum hominibus qui mortales ſunt & infirmi, bellum nobis non eſt cum hoſtibus corporeis, ut arma corporea hìc requirenda ſint, ſed cum hoſtibus incorporeis & immortalibus, ijſque valde potentibus, id eſt, dæmonibus, ad quod proinde pugnæ genus, opus eſt armis ſpiritualibus. Hanc enim ut dictum eſt, vocat armaturam Dei. Sed etſi homines mali bonos oppugnant; non tamen ea oppugnatio reputanda eſt ut corporalis, ſed ut ſpiritualis; quià per illos tamquam inſtrumenta, diabolus electos Dei ſpiritualiter oppugnat. Unde & illa ſolvitur quæſtio; Cùm non à dæmonibus ſolùm, ſed etiam à mundo & carne oppugnemur; quare ſolos ſpirituales hoſtes, hoc eſt, dæmones, in hac epiſtola nominaverit Apoſtolus. Ideò nempe, quia diabolus non ſolùm per ſe ſuoſque miniſtros Angelos apoſtatas, tentat homines; verùm etiam per mundum & carnem, quibus velut inſtrumentis & auxilijs utitur, ut homines ſuæ poteſtati ſubjiciat. Ita docet Auguſtinus, hoc etiam loco allegato, in ſermone 8. de verbis Domini: *Non eſt*, inquit, *nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, id eſt, adverſus homines quos videtis ſævire in nos. Vaſa ſunt, alius utitur. Organa ſunt, alius tangit. Immiſit ſe, inquit, diabolus in cor Judæ ut traderet Dominum*, Joan. 13. Sic ille. Et quidem hac ratione, omnis peccati tentatio in diabolum à Patribus referri ſolet, ſicut oſtendimus in 2. ſent. diſt. 21. Vocat autem Apoſtolus dæmones nominibus ordinum Angelicorum, è quibus ceciderunt, dicens, *adverſus principatus & poteſtates*; quemadmodum & fecit Rom. 8. & 1. Corinth. 15. videlicet ſub paucis nominatis, cæteros ordines comprehendens. Sed idcirco ſpeciatim *principatus & poteſtates*, ac memoratis locis etiam *virtutes ſeu fortitudines* nominavit; quòd dæmonibus propter hominis transgreſſionem, per quam factus eſt obnoxius diabolo, multa adhuc poteſtas in his inferioribus relicta & permiſſa ſit. Eò namque pertinet quòd ſequitur. *Adverſus mundi Rectores tenebrarum harum* vel, ut in Græco eſt, *tenebrarum ſæculi hujus.* Auguſtinus quidem ſermone 8. de verbis Domini, & in enarratione Pſalmi 54. atque alibi (quo longius, ut opinor, ab hæreſi Manichæorum recederet) *mundum* interpretatus eſt amatores hujus mundi; *tenebras* autem eos qui, ſicut Apoſtolus loquitur ſuperiùs cap. 4. *tenebris obſcuratum habent intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam & cæcitatem cordis ſui*; de quibus dixit cap. 5. *Eratis aliquando tenebræ.* Etenim horum omnium principem eſſe diabolum, nemini dubium eſt. Atque hunc commentarium alij plærique ſecuti ſunt: à quo nec Græci multùm recedunt, dum mundum & tenebras interpretantur mundanas & tenebroſas actiones, id eſt, mala opera; quorum authores ac duces ſunt dæmones. Quem ſenſum etiam commentator Ambro. tradit. At verò ſi conferatur hic locus cum eo qui eſt cap. 2. hujus ejuſdem epiſtolæ, ubi diabolum vocat *principem poteſtatis aëris hujus*; ſanè videbitur alius ſenſus probabilior, ac magis germanus: Quod nimirum dæmones ſub principe diabolo mundi rectores appellentur, eo quòd, cùm per naturam & ab initio ſuæ creationis principes & gubernatores eſſent totius mundi corporei, eaque poteſtate mox ob culpam ſuperbiæ privati ſint; poſtea tamen iterum, idque in pœnam hominis transgreſſoris, uti dictum eſt, poteſtatem acceperint, (tametſi divino arbitrio limitatam) in mundum hunc inferiorem; ſive ad tentandum homines, ſive ad nocendum eis per creaturas humanis uſibus ſervientes. Ad quod ſignificandum, additur, *tenebrarum harum*; ut hæc pars ſit expoſitio, *mundi*, qua declaretur cujus mundi rectores vocet dæmones; ne putentur ſignificari rectores ſeu principes totius univerſitatis rerum corporearum, quæ generaliùs nomine mundi ſolet intelligi. Igitur dæmones vocat mundi rectores, ſcilicet tenebrarum hujus ſæculi, hoc eſt, mundi hujus caliginoſi. Sic enim vocatur turbulentus hic mundus inferior, comparatione ſuperioris, qui perpetua ſemper & puriſſima luce refulget. Vocatur autem non hìc ſolùm, ſed etiam ab Apoſtolo Petro 2. Ep. c. 2. v. 4. in Græca lectione, & à Juda Apoſtolo ſuæ Epiſt. v. 7. Quin & à Cicerone lib. 1. Tuſc. q. hic aër inferior nebuloſum & caliginoſum cœlum appellatur. Nobiſcum ſentit Prudentius poëta Theologus in Hamartigenia. Cujus verſus quibus hunc Apoſtoli locum reddit; quia luculenti ſunt, adſcribo.

Non mentem ſua membra premunt, nec terrea virtus A
Oppugnat ſenſus liquidos, bellove laceſſit:
Sed cum ſpiritibus tenebroſis nocte dieque
Congredimur; quorum dominatibus humidus iſte
Et pigris denſus nebulis obtemperat aer.
Scilicet hoc medium, cælum inter & infima terræ
Quod patet, ac vacuo nubes ſuſpendit hiatu,
Frena poteſtatum variarum ſuſtinet, ac ſub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus; ut ſacra nobis
Oris Apoſtolici teſtis ſententia prodit.

Hæc Prudentius

Facit hic Commentarius ad illuſtrandum etiam alia Scripturæ loca; velut Joan. 12. 14. & 16. ubi Diabolus à Chriſto vocatur *Princeps hujus mundi*; propterea quòd, ut ait Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in B monte cap. 14. meritò ſuæ perverſitatis rebus iſtis terrenis præpoſitus ſit; id eſt, quòd poteſtas ejus ad res iſtas terrenas redacta ſit, & coarctata. Nam alioqui non meritò malitiæ ejus, ſed tranſgreſſionis humanæ, data eſt illi hujuſmodi poteſtas. 1. Cor. 2. Dæmones vocantur *Principes hujus ſæculi.* Item 2. Corinth. 4. Diabolus vocatur *Deus hujus ſæculi.* Et Luc. 4. Ubi Diabolus, etſi mendax & Pater mendacij, non tamen omninò mendaciter ſecundùm Ambroſium, dicit ea omnia quæ Chriſto monſtrabat, ſibi tradita eſſe. Quæ quidem Scripturæ teſtimonia de mundo iſto inferiori, quatenùs hoc ſæculo durante ſubſervit uſibus hominum, intellecta, nihil habent difficultatis.

Quod poſtremum ſequitur, *Contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus*; ſic intellige: contra ſpirituales nequitias, ſive contra ſpiritus nequam, verſantes in hoc C aere. Nam & in Evangelio Dæmones vocantur ſpiritus nequam. Græca vox quam interpres *nequitiam* vertit, malitiam cum verſutia conjunctam ſignificat, vitium dæmonibus uſitatiſſimum. Adſcribitur autem naturæ nomen, *ſpiritualia*; ad inſinuandum quòd Dæmonum tantò major eſt malitia, quantò natura nobilior; quemadmodùm S. Thomas bene explicat. Per *Cæleſtia* verò, propinquum nobis aërem hoc loco intelligi, rectè probat Hieronymus ex altero hujus Epiſtolæ loco cap. 2. ubi *Principem poteſtatis aeris hujus* legimus. Idem eodem modo probat Baſil. in Homil. quod Deus non eſt Author malorum. Et hæc, inquit Hieronymus, omnium Doctorum opinio eſt, quòd aër iſte qui cælum & terram medius dividens, inane appellatur; ple- D nus ſit contrarijs fortitudinibus. Notum quoque eſt, *Cælum* pro aëre in ſcripturis frequentiſſimè ſumi, unde volucres cæli, pluvia cæli, &c. Nam quod Græci, Cajetano ſuffragante, docent *in Cæleſtibus* idem valere quod pro cœleſtibus, ſeu propter cœleſtia, quaſi ſignificetur hanc colluctationem nobis eſſe contra dæmones, non pro rebus terrenis, ſed pro regno cælorum; pia quidem expoſitio eſt, at non germana. Neque planè hujuſmodi interpretationem Græca præpoſitio admittit. Et cùm in hac Epiſtola ſæpiùs legatur illud, *in Cæleſtibus,* nuſquàm tamen ita accipitur, ut Græci hìc volunt. Dictum eſt autem Hebræa phraſi, *Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus*; id eſt, Spiritus nequam qui verſantur in iſto cœlo aëreo: Sicut dictum eſt, *Gloria in excelſis Deo*; id eſt, gloria Deo qui eſt in excelſis.

E

ANNOTATIONES
In Epiſtolam ad Philippenſes.
CAPUT I.

℣. 6. *Confidens hoc ipſum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti JESU.* Non dixit, Confidens, vos qui cœpiſtis bonum opus etiam perfecturos; quod utiquè verè dicere poterat: Sed gratiam Dei commendare volens, dixit: *Confidens eum qui cœpit in vobis bonum opus, perfecturum*, ſcilicet Deum. Per hoc enim oſtendit, bonum opus, & A ſanctam converſationem totam ab initio uſque ad finem eſſe à Deo in nobis operante. Ad quod docendum citat hunc locum Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. 6. & l. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianor. cap. 8. Citant etiam Patres concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 13. his verbis: *Deus enim, niſi ipſi homines illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit bonum, ita perficiet, operans velle & perficere*: Ubi quum addunt, *niſi ipſi illius gratiæ defuerint*, non negant quin hoc ipſum ſit gratiæ Dei, quòd quis ejus gratiæ non deſit; imò hoc ſignificatum voluerunt, per hoc quod ſubjungunt, *operans velle & perficere*: Sed ea particula interpoſita contra falſum intellectum hæreticorum, declarare voluerunt, Deum non in omnibus in quibus cœperit, bonum opus, etiam perficere; nimirum in illis qui B gratiæ Dei ſemel acceptæ deſunt; tametſi & illud ipſum, non deeſſe gratiæ Dei, procul dubio ejuſdem gratiæ beneficium ſit, utpote pertinens ad ipſius perſeverantiæ donum.

℣. 22. *Et quid eligam ignoro.* Quæres, quomodo Paulus ignorare ſe dicit utrum eligat; & quomodo coarctatur e duobus, ut ſtatim ſubjicit: Et tamen continuò pòſt, affirmat alterum eſſe multò melius, ſcilicet eſſe cum Chriſto, quàm vivere hic in terris abſentem à Chriſto? Nam ubi ſcitur unum eſſe multò melius altero, non eſt in eligendo difficultas aut perplexitas. Reſponſio. Sciebat Apoſtolus unum per ſe eſſe multò melius. Quis enim neſciat quod ſit melius eſſe cum Chriſto, quàm vivere hic in terris abſentem à Chriſto? Sed hoc illo melius eſſe poterat conſideratum ſecundùm circumſtantias; nimirum ratione permagnæ C utilitatis, quam vita Pauli in carne mortali, eſſet adhuc allatura Eccleſiæ Chriſti; cùm interim lucrum vitæ cæleſtis ei integrum maneret, percipiendum ſuo tempore. Hæc igitur erat Apoſtolo juſta ratio dubitandi.

CAPUT II.

℣. 3. *IN humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Senſus eſt: Sed per humilitatem alius alium arbitretur, exiſtimet, judicet eſſe ſe ſuperiorem, præſtantiorem, meliorem. Non enim ſermo eſt de præſtantia graduum & honorum; ſed probitatis ac virtutum. Et, cum humilitas in mendacio non conſiſtat, intelligendum eſt quod quiſque debeat non ſimulatè D prætendere hujuſmodi judicium, ſed verè & ex animo ſic arbitrari, quantumcunque in virtutibus profecerit, aut profeciſſe ſe putet. Exempli gratia. Qui donum habet virginitatis, is alium matrimonio copulatum exiſtimet ſe meliorem. Quod ut ex animo faciat; cogitet ſe fortè ab illo alijs pluribus ac potioribus donis ſuperari, velut patientiæ, manſuetudinis, pietatis, atque ipſius humilitatis; denique ejus quæ omnium virtutum forma eſt, charitatis. Quæ quidem cogitatio quia non abſolutum habet judicium, ſed partim ſuſpenſum, partim negativum; quo dicitur. Fortè ille melior me eſt; Non me illi præfero, quia nec occulta cordis mei video: Vacua eſt ab omni errore. Atque hoc ipſum eſt, quod Chriſtus in Evangelio ſub parabola præcepit unicuique dicens: *Vade recumbe in noviſſimo loco.* Lucæ 14. Id eſt, infra omnes te humi- E lia, omnibus te inferiorem reputa; nempe ſenſu jam explicato. Sic autem explicat Auguſtinus lib. 83. q. 71. ubi citatis Apoſtoli verbis ait: *Non hoc ita debemus exiſtimare, ut non exiſtimemus ſed non exiſtimare fingamus, ſed verè exiſtimemus aliquid occultum eſſe poſſe in alio, quo nobis ſuperior ſit, etiamſi bonum noſtrum quo illo videmur ſuperiores eſſe, non ſit occultum.* Hæc ille. Conſule eundem lib. de ſancta Virginitate cap. 43. & ſequentibus. Et Gregorium homil. 10. in Ezechiel. & homil. 7. ſuper Evangelia & B. Thomam in commentario; item 2. ſec. q. 161. art. 3. Vide etiam q. 60. art. 4. Sed quæres, quid ſi videam alium manifeſtè graviterque peccare, ipſi mihi nihil mali conſcius? Reſpondeo quòd & illum te meliorem reputa-

re debeas, eo judicij modo quem ſuperius expoſui, A maximè quia poteſt in corde tuo latere vitium ſuperbiæ quo revera ſis illo deterior. Deinde, quia fortè ille te melior eſt ſecundùm prædeſtinationem divinam, quæ nobis eſt occultiſſima. Vide de hac re pulcherrima documenta apud Thomam Kempenſem lib. 1. de imitatione Chriſti cap. 3. & 7. & lib. 2. cap. 2. Poteſt nihilominus iſta Apoſtoli ſententia rectè ſic intelligi, ut dum dicit, ſuperiores, accipiamus eos quibus debemus ſubſervire, eorum ſaluti ſtudendo, & quibus nos libenter velimus ſubmittere, quatenus Dei honor vel illorum ſalus exigat. Huic ſenſui quadrat quod ſequitur, non quæ ſua ſunt &c. Quadrat exemplum Chriſti; quod deinde ſubjicit.

℣. 7. *In ſimilitudinem hominum factus.* In Græco dativus eſt caſus, ablativo numero reddendus, *In ſimili-* B *tudine.* Quidam ſic interpretantur, fuit ſimilis alijs hominibus, non autem unus ex illis, quia non fuit homo purus, nec peccator. Ita ferè Græci. Secundùm alios, ſenſus eſt, Chriſtum factum eſſe hominibus ſimilem, quia factus eſt verus homo: Sicut æqualis eſt Deo, quia verus eſt Deus. Prior intellectus fit probabilis ex alijs locis, in quibus eſt ſimilis phraſis, nominatim ex eo quod dicitur Rom. 8. filius Dei miſſus *in ſimilitudinem carnis peccati.* Non enim erat in eo caro peccati, ſed tantùm ſimilitudo carnis peccati. Sic homo factus dicitur ad ſimilitudinem Dei, minimè Deus factus. Ac ſanè ſimilitudo ſemper ad aliud refertur. Per utrumque tamen ſenſum occurritur errori Marcionitarum & Manichæorum, qui hoc Apoſtoli loco abutebantur ut Chriſtum non verè, ſed apparenter tantùm, aſſumpto C corpore phantaſtico, incarnatum fuiſſe docerent. Quæ doctrina univerſum incarnationis & redemptionis Chriſti myſterium evacuat.

℣. 13. *Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate. Perficere* Græcè ἐνεργεῖν *operari*, nimirum idem verbum eum eo quod prion loco dixit, *qui operatur.* Atque ita legit paſſim Auguſtinus, nominatim lib. de gratia Chriſti, docens eam Græcis codicibus eſſe conſentaneam lectionem. Igitur, *perficere*, non dicitur reſpectu operis alicujus præcedentis cui perfectio deſit, ſed reſpectu ejus quod eſt *velle*, ut perficere ſit facere ſeu exequi quod volebas, non cedere tentationi, ad exequendum quod volueris. Multi enim habent velle, qui per infirmitatem non habent facere, ut Petrus quando dixit, *Non te negabo.* D Porrò locum hunc pravè quondam interpretati ſunt Origenes, Pelagius & Vitalis Carthaginienſis. Quorum primus lib. 3. periarch. cap. 1. docet Deum in nobis operari velle & perficere; & in univerſum movere & agere, generali dumtaxat ratione, atque indeterminatè ad bonum vel malum: Noſtrum autem eſſe dicit benè aut malè velle & facere. Pelagius verò in ſuo commentario ita ſcribit: *Velle operatur Deus, ſuadendo & præmia pollicendo.* Ejuſdem ab Auguſtino lib. de gratia Chriſti c. 10. hæc ex alio loco verba referuntur, *Operatur in nobis Deus velle quod bonum eſt, velle quod ſanctum eſt; dum nos terrenis cupiditatibus deditos & mutorum more animalium tantummodo præſentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione ſuccendit, dum revelatione ſapientiæ in deſi-* E *derium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Poſt quæ Pelagij verba, *Quid manifeſtius*; inquit Auguſtinus, *nihil aliud eum dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle quod bonum eſt, quam legem atque doctrinam?* Et quæ ſequuntur. Porrò Vitalis Carthag. ad quem ſcripſit Auguſtinus epiſtolam numero 107. à Pelagij ſenſu non recedens, dicebat Deum per legem ſuam & per ſcripturas operari in nobis ut velimus, dum legi aut ſcripturis ab eo datis ipſi noſtra voluntate conſentimus. Quod dum non facimus; operationem Dei in nobis nos irritam reddere. Jam & illa quorumdam interpretatio prorſus eſt repudianda, quæ conditionem ſupplent hoc A pacto, Deus operatur in vobis velle, ſi velitis. Stultè enim & ridiculè quidpiam exigitur ut conditio ſuiipſius: Velut ſi dicas, Deus facit me vivere, ſi vivam. Ejuſdem generis eſt quod quidam ſic interpretati ſunt Apoſtolum: Deus quantum in ipſo eſt, operatur in vobis, ut velitis & operemini. Nam & hunc ſenſum à memorato Vitali redditum, Auguſtinus reprehendit: Ac meritò. Non enim operatio gratiæ Dei ab humanæ voluntatis aſſenſu dependet; ſed eum facit, cum ſit per ſe efficax. His igitur expoſitionibus rejectis atque damnatis; ſenſum Apoſtoli verum & Catholicum eſſe dicimus eum quem ipſa verba liquidò præ ſe ferunt, quemque Auguſtinus, Thomas alijque Patres tam Græci quàm Latini ſuis in ſcriptis & commentarijs expreſſerunt; ſcilicet, *Deum in hominibus efficaciter per* B *gratiam ſuam operari hoc quod eſt velle bonum ſalutare,* & hoc quod eſt idipſum exequi, Dico, *efficaciter*; tum quia omnis operatio Dei efficax eſt, tum quia poſtulat hoc Græcum Apoſtoli participium, ὁ ἐνεργῶν, id eſt, efficaciter agens. Unde manifeſtus eſt hic locus & irrefragabilis contra Pelagianos, pro efficaci gratia Dei, quemadmodum id quod præcedit, *ſalutem veſtram operamini*, palàm facit contra Lutheranos pro libero hominis arbitrio. Unde B. Auguſtinus lib. de dono perſeverantiæ cap. 13. citatis hujus loci verbis: *Nos ergo volumus*, inquit; *ſed Deus in nobis operatur & velle. Nos ergo operamur; ſed Deus in nobis operatur & operari.* Ex dictis patet quid ſentiendum ſit de horum verborum Apoſtolicorum interpretamento, quod quidam neotericus pro novitia quorumdam doctrina ſtre- C nuè laborans, ijs audacter affingit; ſic inquiens, *Deus operatur velle & perficere*, per ſanctas inſpirationes, illuminationes, affectiones, oſtendendo bonum, ad illud alliciendo & trahendo, abſque tamen ulla impreſſione quæ voluntatem prædeterminet. Leſſ. de auxilijs, cap. 4. Quæritur autem quomodo per hæc verba confirmet Apoſtolus exhortationem præcedentem; Non enim conſequens videtur, ſi Deus in nobis operatur velle & perficere, nos debere cum metu & tremore ſalutem noſtram operari; ſed magis cum ſecuritate & abſque metu; cùm Deum operantem nulla vis impedire poſſit. Reſpondeo; ſecundùm Chryſoſtomum & ejus ſequaces conſequentiam ſermonis eſſe talem; Ne terreamini quia dixi, *cum metu & tremore*: Deus enim vobis in omni bona actione adjutor eſt, D operans in vobis & velle & perficere. Alij ſic connectunt: Dum id facitis quod moneo; id eſt, dum ſalutem veſtram ſolicitè operamini; ne propter hoc vobis placeatis: Dei enim donum eſt operantis in vobis & velle & perficere. Quod ſi conſulamus locum Pſalmi, ad quem diximus Apoſtolum parte præcedenti reſpexiſſe; occurret alia ratio conſequentiæ: Cùm enim dixiſſet Pſalmiſta, *Servite Domino in timore* &c. ſubjunxit, *Ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via juſta*; ſcilicet Domino gratiam ſubtrahente. Sic ergo Paulus, Hortor, inquit, ut cum metu & tremore veſtram ſalutem operemini; quia nec velle nec operari conſiſtit in veſtris viribus, ſed Deus eſt qui per ſuam gratiam utrumque in vobis operatur. Ideo vobis eſt timendum ne gratiam ſive operationem hanc ſuam E ſubtrahat. Hæc Cajetani connexio eſt, eademque valde probabilis. Nam cum metu & ſolicitudine verſari ſolemus in eo quod ab aliena gratia dependet, ne fortè eam ſocordia vel ingratitudine noſtra amittamus. Et quidem hoc pacto cauſalem iſtam Apoſtoli explicat Auguſtinus multis locis, ut concione 4. enarrationis in Pſalmum 103, & rurſus in enarratione Pſalmi 142. & 149. & ſermone 94. de tempore. Itemque lib. de natura & gratia cap. 27. & epiſtola 208. Necnon Leo Pontifex ſerm. 8. de epiphania Domini. Leonis hæc ſunt verba. *Dicente diſcipulis Domino, ſine me nihil poteſtis facere; dubium non eſt, hominem bona agentem à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis. Unde & Apoſtolus copioſiſſimus fidelium cohortator; Cum timore, inquit & tremore veſtram ſa-*

latem operamini. Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & operari, pro voluntate. Et hac ſanctiùs cauſa eſt tremenda atque metuenda; ne ipſis operibus pietatis elati, deſerantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ. Sic ille. Reſtat extrema particula, *pro bona voluntate*, quam nonnulli intelligunt voluntatem hominis, quaſi ſenſus ſit, Deus operatur in vobis velle & perficere, pro bona veſtra voluntate, id eſt, prout videt bonum animi, veſtri propoſitum, bonamque voluntatem. Hoc ſenſiſſe videtur Eraſmus, quando vertit, *pro bono animi propoſito*. Nam & in paraphraſi bonam voluntatem exponit ipſorum Philippenſium. Verùm multò rectius ac germanius, juxta Patrum tam Græcorum quàm Latinorum interpretationem, intelligas *bonam voluntatem Dei*, id eſt, divinum beneplacitum & propoſitum, ut alibi vocatur; ſecundùm B quod Deus elegiſſe nos dicitur, quodque Græcè vocatur *εὐδοκία*. Nam ſecundùm idem propoſitum, id eſt, bonam voluntatem ſuam, ipſe in nobis omne bonum operatur. De hoc Dei propoſito, mentio eſt ad Epheſ. 1. ſemel & iterum. Et quidem vox Græca, licet interdum in ſcriptura de hominis voluntate dicatur, ut capite ſuperiori, *Quidam autem & propter bonam voluntatem Chriſtum prædicant*: Plerumque tamen, & ferè ſemper, ad Dei voluntatem refertur in Pſalmis & alibi; adeò ut Hieronymus ſcribens in epiſtolam ad Epheſ. teſtetur eam dictionem à LXX. fuiſſe primùm excogitatam, ad Dei beneplacitum ſignificandum. Senſus igitur eſt: Deum, non propter ullum meritum noſtrum, ſed pro ſuo beneplacito, & gratuita voluntate bona erga nos, operari in nobis velle & per- C ficere? Ne quis gratiam hanc operantis Dei ſibi ex meritis ſuis pervenire exiſtimet.

CAPUT III.

℣. 2. **V***Idete Canes.* Judæi præ contemptu gentiles canes vocabant. Unde Dominus Matth. 15. ex opinione Judæorum ſic loquitur. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.* Meritò igitur Apoſtolus viciſſim Judæos, tametſi diverſa ratione, canes appellat, juxta illud ejuſdem Salvatoris Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus. Canes* erant Judæi, quia verbo Dei à veris Apoſtolis prædicato, paſſim ablatrabant; & prædicatores ejus mordebant, D lacerabant & perſequebantur ad mortem. Item *canes* erant Judaizantes iſti, id eſt, homines impudentes & improbi, qui ventris cauſa apud omnes ſeſe ingerebant; & Moyſen ſuum omnibus venditabant; *mare & aridam circumeuntes, ut facerent unum proſelytum*, Matth. 23. Utramque rationem tradunt Græci interpretes. *Videte* autem, id eſt, cavete. Nam & in Evangelio ſic aliquoties accipitur videre. Et Ambroſius libro ad virginem devotam ita legit hunc locum, *Vitate canes*, &c.

℣. 4. *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis.* De Judaizantibus loquitur. Et ſenſus eſt: Si quiſquam eorum videtur meritò confidere in carne, eò quòd habeat hujuſmodi fiduciæ materiam; ego vel maximè materiam hujuſmodi confidentiæ habeo. Non enim ſupplendum eſt, *ego magis* confido; ſed *ego magis* E habeo confidentiam in carne; idque juxta ſenſum ſupradictum. Auguſtinus legit: *Si quis alius putat ſe habere fiduciam*; Nam & ita verti poteſt verbum Græcum *δοκεῖ*, ſicque interdum vertit noſter interpres, ut 1. Corinth. 7. *Puto quòd & ego ſpiritum Dei habeam.* Jacobi. 1. *Si quis putat ſe religioſum eſſe.* Atque ea interpretatio bene congruit huic loco. Sed quæres quomodo dicat Apoſtolus, *Ego magis*; cum eſſent utique inter Judæos quidam eo nobiliores ſecundùm carnem, ut qui ex tribu Juda, & ex genere regio, aut ex tribu aut ex genere Sacerdotali. Reſponſio eſt, Apoſtolum id non dicere propter ſingula quæ mox enumerat, ſed propter omnia ſimul. In illis enim, opinione Judæorum, excellebat zelus legis: qua in re Paulus

A cæteros ſuperaverat. Item quæret aliquis, cùm hic locus perſimilis ſit ei qui eſt 2. Corinth. 11. ubi dicit Apoſtolus; *Quoniam multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor.* Et rurſum, *In quo quis audet; audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego*, &c. Cur ibi gloriatur ſecundùm carnem; hic autem negat ſe in carne confidere. Reſpondeo, rationem eſſe, quia gloriari ſecundùm carnem licitum eſt dum urget juſta neceſſitas; at confidere in carne, ſemper malum eſt. Id quod facile intelligitur ex utriuſque loci explicatione.

℣. 12. *In quo & comprehenſus ſum à Chriſto JESU.* Hæc pars dupliciter exponitur. A Græcis quidem hoc modo: Sicut aliquando procul aberrans & fugiens à Chriſto, comprehenſus ſum ab eo, per gratiam ejus prævenientem: Ita nunc viciſſim hanc præſto diligen- B tiam; ut totis viribus eum inſequar, & nitar apprehendere virtutum perfectione. Latini verò ſenſum hunc reddunt; Curro, & perſequor, ut comprehendam, ac talis efficiar, qualis ut fierem, comprehenſus ſum, id eſt, electus ac prædeſtinatus à Chriſto; hoc eſt, ut pertingam ad juſtitiæ perfectionem. Utrumque ſenſum adfert Oecumenius.

℣. 15. *Et hoc vobis Deus revelavit.* Legendum *revelabit*. Sic enim non modo Græci & Syri codices ac multi Latini vetuſti, habent; verum etiam legunt & exponunt Auguſtinus, Primaſius, Sedulius, Thomas, Liranus, ac cæteri expoſitores Latini; ſuffragante etiam editione Clementina. Nec ſecus legit ac interpretatur Ambroſianus, ut malè ab Eraſmo annotatum eſt. Occaſio mutandi futuri temporis in præteritum, C fuit, quod revelatio videretur referenda ad verbum, *ſapitis*, quod eſt præſentis temporis, cui proinde non videbatur reſpondere poſſe revelatio futura, ſed præterita. Atqui non eò referenda eſt, ſed ad id quod proximè dixerat; ut ſenſus ſit; Et ſi qui veſtrûm aliter ſentiunt de ea re, de qua jam egi, nimirum arbitrantes ſe jam apprehendiſſe perfectionem, ut proficere ultra non debeant: Equidem confido Deum vobis qui tales eſtis, etiam hoc quod ſentiendum dixi, revelaturum per internam inſpirationem, atque doctrinam. Obiter ſignificat Dei donum eſſe, quod quis rectè ſapit & imperfectionem ſuam agnoſcit. Hunc ſenſum Auguſtinus, & plerique interpretes tradunt.

℣. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Docet quod, & quan- D tum bonum adventu ſuo Dominus juſtis omnibus ſit allaturus; ſcilicet gloriam corporum. Græca ſic habent, *Qui transfigurabit corpus humilitatis noſtræ, ut fiat conforme corpori gloriæ ſuæ.* Atque ita fermè legunt tam commentator Ambroſij titulo, quàm verus Ambroſius lib. 5. de fide cap. 7. Senſus: Qui tranſmutabit corpus noſtrum humile, vile, miſerijs & corruptioni obnoxium; ut ſit tale, quale eſt corpus ipſius glorioſum. Hanc mutationem ſignificat Apoſtolus verbo *μετασχηματίσει*, *transfigurabit*; non quod aliam figuram habitura ſint Sanctorum corpora, quam nunc habeant, quæ fuit quorundam hæreſis dicentium nos reſurrecturos in globoſis corporibus, qualia ſunt ſolis, & ſtellarum, ſed quia formæ ſeu qualitates erunt longè diverſæ. Ad hanc enim ſignificationem facile extenditur E *σχῆμα* Græcum. Unde apud Matthæum & Marcum hoc mutationis genus, *transformatio* vocatur: Licet in noſtra verſione *transfigurandi* vocabulum ibi legatur. Matth. 17. Marci 9. in princ.

CAPUT IV.

℣. 3. **R***Ogo & te germane compar.* Pro eo quod Latina verſio habet, *germane compar*, vel, recto ordine, *compar germane*, Græcè eſt *σύζυγε γνήσιε*; quod ad verbum ſonare videtur prima fronte, conjux germane, vel feminino genere, conjux germana. Nam Græci vocativi licet terminationem habeant maſculinam, tamen etiam femininum genus admittunt: Sicut Eraſmus probat in annotationibus. Hinc igitur orta celebris quæſtio de uxore Pauli. Quòd enim

uxorem

uxorem habuerit, eamque adhuc eo tempore viventem, quo hanc ſcripſit epiſtolam, ex iſto potiſſimùm loco, ubi eam alloqui videtur, colligunt quidam neoterici; adeò ut Faber Stapulenſis auſus fuerit vertere, ingenua conjux; Quam etiam verſionem ſuam latè mordicuſque defendit in commentario. Eraſmus quoque, licet in annotationibus ambiguè diſputet de hac re; vertere tamen non dubitavit, feminino genere, compar germana. Quod & approbat in paraphraſi, Paulum ita loquentem faciens, Quin & te rogo vera, germanaque conjux. Eadem interpretatio Cajetano, & Catharino placuit. Quorum rationes, ſeu conjecturas apud ipſos videre eſt; Neque enim magni ſunt momenti: Ut nec illæ quas Eraſmus & Faber pro hac ſententia adferunt. Quod enim ad Græcum textum attinet; neutrum vocabulum propriè femininum eſt, ſed alterum quidem commune, alterum verò maſculinum; quod licet Attico more pro feminino poſſit uſurpari, non tamen veriſimile eſt à Paulo factum id eſſe, ut qui imperitus erat ſermone, nec Atticiſmis utebatur. Certè ad tollendam ſermonis ambiguitatem potius dixiſſet *γνησία* quam *γνήσιε*, ſi mulierem ſe alloqui ſignificare voluiſſet; Quomodo Ariſtoteles Athenienſis Philoſophus etiam extra amphiboliam lib. 9. hiſtoriæ animalium cap. 32. dixit *γυναῖκα γνησίαν*, non *γνήσιον*, ſignificare volens uxorem germanam & legitimam. Unde non ineptè (quod putat Eraſmus) commentarium de uxore Theophylactus refellit, cùm dicit Apoſtolum, ſi ſuam uxorem intelligi voluiſſet, debuiſſe dicere genere feminino *γνησία σύζυγε*. Pariter autem, quamvis non eadem ratione, commentarium illum reprobant Chryſoſtomus, Theodoretus & Oecumenius; ſtultum eſſe dicentes in his verbis ſuſpicari carnale conjugium Pauli. Quin & catena Genevenſis, etſi ex hæreticis authoribus conflata, verſionem tamen femininam, una cum expoſitione de uxore Pauli, rejicit, & contrarias ratiunculas diſſolvit. His adde quod multi veterum disertè negant Paulum uxorem habuiſſe, ut Tertullianus li. 1. ad uxorem cap. 3. & in libro de monogamia cap. 3. & 8. Hilarius in Pſalm. 127. Epiphanius hæreſi 58, quæ eſt Valeſiorum Ambroſius in exhortatione ad virgines. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum, & in epiſtola 22. quæ eſt ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. Auguſtinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. lib. de bono conjug. cap. 10. lib. 1. de adult. con. cap. 4. & de opere mon. cap. 4. Nec quiſquam Patrum invenitur diverſum ſenſiſſe, uno excepto Clemente Alexandrino, qui lib. 3. Stromatum circa medium, cùm ex loco, tùm ex illo 1. Corinth. 9. ubi ſcriptum eſt; *Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circumducendi*, &c. probare ſe putat Paulum uxoratum fuiſſe, tametſi continentem. Quam ejuſdem authoris ſententiam referunt quidem Euſebius lib. 3. hiſtor. Eccle. cap. 24. & Nicephorus lib. 2. cap. 44. & ante eos tacito nomine authoris Origenes, exponens illud Rom. 1. *Paulus ſervus Jeſu Chriſti*; Sed ita referunt ut tamen non approbent. Verùm unius Clementis presbyteri, (cujus opera à Gelaſio Pontifice cenſentur inter apocrypha) privata opinio cæterorum omnium Patrum conſtanti aſſertioni præponderare non poteſt. Nam quod ad locum attinet epiſtolæ 1. ad Corinth. 9. de eo plenè reſpondimus in ejus epiſtolæ expoſitione. Et quidem Paulum vitam egiſſe cælibem ex ejuſdem epiſtolæ cap. 7. luculentum eſt, ubi ait: *Volo omnes homines eſſe, ſicut meipſum*. Et rurſum: *Dico non nuptis & viduis bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut & ego.* Nec verò, quiſquam adeò vecors erit, ut dicat poſt illud tempus (ſcriptæ ſunt enim epiſtolæ ad Corinth. multo ante epiſtolam ad Philipp.) Paulum accepiſſe uxorem. Nam id non ſolùm indignum eſt, de eo cogitare, tanto Apoſtolo, jamque ætate provecto ac ſeneſcente: Verùm etiam pugnaſſet cum iſtiuſmet exhortatione ad Cor. facta, in qua ſuum illis propoſuerat exemplum ad continentiam perpetuam. Opponitur quidem & Ignatij Martyris auctoritas, in cujus Epiſtola ad Philadelphios habeantur Petrum & Paulum & reliquos Apoſtolos conjugatos fuiſſe, excepto Joanne. Sed inane eſſe hoc argumentum probant vetuſta exemplaria ex diverſis, ac diverſarum regionum Bibliothecis deprompta; quæ Pauli nomen non habent aſſcriptum, quemadmodùm oſtendunt Turrianus lib. 1. contra Magdeburgenſes cap. 2. & in defenſione Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis ad lib. 6. cap. 18. Pamelius in Tertull. de monog. Scholio 13. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 20. & Baronius tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 75. Cujus etiam rei certum argumentum (ut alias omittam conjecturas, quas bonas & ſolidas adfert Baronius) ſumitur ex eo quòd loquitur Ignatius de Apoſtolis, qui cum Chriſto fuerant converſati; qualis utique Paulus non fuit. Porrò citat huc Catharinus etiam teſtimonia ex Revelationibus Brigittæ, quod non vult temerè ſperni. Sed abſque temeritate ei reſpondetur Eccleſiam eas revelationes ignorare. Jam quod ad præſentem Apoſtoli locum attinet, ratio non permittit eum de Pauli uxore intelligi. Primùm, quia minimè decebat ut in epiſtola, quam ad totam Eccleſiam Philippenſium dabat, hac uteretur apoſtropha, qua ita ſingulariter uxorem ſuam compellaret. Deinde, ſi id voluiſſet; Certè non appellaſſet eam uxorem, ſeu conjugem, ſed ſororem, ſcilicet ad inſinuandum quòd inter ipſos, ut omnes fatentur, jam ceſſaret carnale commercium. Denique, etſi conjugem adhuc ſuperſtitem habuiſſet; non eam ſecum traduxiſſet in Græciam, aut Macedoniam; præſertim cum alibi neget ſe ſororem mulierem circumducere. Nec ratio erat cur illam Philippis ſineret morari; in qua urbe non diu verſatus fuerat; ſed potiùs eam reliquiſſet Hieroſolymis, ut in ſua, vel ejus Patria, apud agnatos Chriſtianos, ut rectè ratiocinatur Oecumenius. Igitur ut ad declarationem verborum textus revertamur; pro ejus intellectu ſciendum eſt Apoſtolum paſſim in epiſtolis ſuis uti metaphoricis locutionibus, quod notius eſt, quam ut probatione egeat. Hinc autem eſt, quod ſuos in Evangelio coadjutores tranſlaticijs vocibus variè nominet; ac ſæpiſſimè quidem cooperarios, Græcè *συνεργοὺς*, ducta metaphora ab operis agrarijs, aut fabrilibus. Unde cum dixiſſet. 1. Cor. 3. *Dei ſumus cooperarij*, explicans latentem metaphoram, ſubjunxit *Dei agricultura eſtis*, *Dei ædificatio eſtis*. Ubi & mox ſeipſum architectum vocat. Interdum verò metaphoram à militia ſumens, commilitones eos appellat. Ac ne longius abeamus, utriuſque exemplum hæc ipſa epiſtola ſubminiſtrat. Nam Epaphroditum cap. 2. cooperarium ſimul & commilitonem ſuum vocat. Et rurſus in hoc capite, Clementis & cæterorum *συνεργῶν* ſuorum meminit. Interdum quoque de eis ut ſynathletis loquitur, id eſt, certaminis ſocijs quale eſt pugilum, aut diſco, luctave certantium. Atque hujus exemplum habemus hoc ipſo capite. Quod enim ait, *Quæ mecum laboraverunt in Evangelio*; eam quam dixi, in Græco ſignificationem habet, ut infrà explicabitur. Ad eumdem igitur modum, hoc loco quemdam inſignem ſuum adjutorem vocat *γνήσιον σύζυγον*, id eſt, germanum ac ſincerum conjugalem; ſumpta nimirum metaphora à jumentis, præſertim bubus, in aratro trahendo vel alio opere conjunctis ac combinatis. Hujuſmodi enim par propriè ſignificatur Græco vocabulo *ζυγὸς* quòd Latini *jugum* vocant. Unde illud Evangelicum *Juga boum emi quinque*, Luc. 14. Hæc autem metaphora benè congruit cum eo quod ad Cor. dixerat, *Dei agricultura eſtis*; nam in agricultura præcipuus labor eſſe ſolet boum conjugatorum ſeu conjugalium; ut interdum vocantur etiam à Latinis authoribus. Quocirca Macarius Ægyptius monachus, ſcribit LXX. diſcipulos quos Chriſtus miſit binos ad prædicandum, miſſos fuiſſe *συζύγους*, id eſt, conjugales, tamquam paria jumentorum ſub uno jugo laborantium. Neque enim Græca vox propriè ſignificat eos quos Latinè conjuges vocamus, id eſt, maritum & uxorem; ſed generatim eos qui ſocij ſunt ejuſdem operis, velut idem jugum trahentes,

hentes. In qua ſignificatione etiam profani authores Græci vocabulum hoc uſurparunt ut Ariſtophanes, Plato & alij. An autem Græca vox aliquando dicatur de marito & uxore, nondum compertum habeo. Eſt verò huic metaphoræ boum conjugatorum admodum affinis & illa boum triturantium; qua idem Apoſtolus utitur, non ſemel, cum illud ex lege; *Non alligabis os bovi trituranti*, interpretatur de prædicatore Evangelico 1. Corinth. 9. & 1. Tim. 5. Porro quod Latini quidam, ut Primaſius & author commentarij apud Hieronymum, eoſque ſecuti Lyranus, & Carthuſianus, exiſtimant, Germanum eſſe proprium nomen viri; falli in eo videntur. Nam Græca dictio γνήσιος, appellativa eſt, qua & alibi utitur Apoſtolus: Ut in ſalutatione ad Tim. 1. & ad Tit. vocans eos germanos ac ſinceros filios. Oecumenius putat dici poſſe alterum vocabulum σύζυγος eſſe proprium nomen, ſed neque id probabile. Si quæras quem hominem voluerit Apoſtolus deſignare: Reſpondet Theophylactus, aut fratrem, aut maritum alterius prædictarum mulierum; aut fortè cuſtodem illum carceris à Paolo converſum Act. 16. Alij, unum ex Epiſcopis vel Diaconis, quos ſalutat initio epiſtolæ. Verum, nihil certi. Quiſquis autem fuerit, multùm ab Apoſtolo honoratur, dum eum vocat germanum, hoc eſt, ſincerum *adjutorem, ac laboris ſocium*. Quo nomine jam ſupra cap. 2. ſuum Timotheum laudaverat, dicens ſe neminem alium habere, qui tam germanè atque ſincerè (ſic enim in Græco eſt) pro Philippenſibus ſolicitus eſſet.

ANNOTATIONES

In Epiſtolam ad Coloſſenſes.

CAPUT I.

℣. 15. P*Rimogenitus omnis creaturæ.* Non eo ſenſu quo volebant Ariani, quòd inter omnes creaturas primò ſit genitus, tamquam & ipſe ſit creatura; Sic enim non *primogenitum* ſed *primocreatum* dicere debuiſſet Apoſtolus: Sed juxta communem interpretum expoſitionem, quòd ante omnem creaturam genitus ſit; utpote ab æterno, & per hoc, omni creatura præſtantior, atque in univerſam creaturam principatum habens. Hunc ſenſum confirmat quod apud Eccleſiaſticum cap. 24. Idem Dei filius ſub nomine Sapientiæ vocat ſe *primogenitum ante omnem creaturam.* Confirmant etiam ea quæ hoc loco ſequuntur, cùm dicit omnia per ipſum creata eſſe; & ipſum eſſe omnibus anteriorem. Igitur ſi quæras ſecundùm utram naturam filius dicatur primogenitus, ſuperiorem, an inferiorem: Reſpondeo, ſecundùm ſuperiorem, ſed impropria ad creaturam comparatione, nimirum ſenſu jam explicato. Nam ſi propriè loquendum ſit, Chriſtus non primogenitus eſt Patris, ſed unigenitus; ut teſtantur ſymbola fidei; quia nec alius ante vel poſt eum ex Patre natus eſt, nec alius naſci potuit. Matris autem ſuæ, etſi unicus, propriè tamen etiam primogenitus vocatur, Matth. 1. & Lucæ 2. quia ſic ante eum nullus ex eadem matre natus eſt, ut tamen poſt eum naſci alius potuerit, ſi naturam ſpectes maternam. Quod ergo B. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 6. diſſerens de filio Dei ſecundùm naturam quam habet ex Patre, dicit eum primogenitum, quia nemo ante ipſum, unigenitum, quia nemo poſt ipſum: Nonnullam improprietatem habet. Ut enim propriè quis primogenitus dicatur, non ſatis eſt, ſi nemo ante eum genitus ſit, ſed requiritur, ut poſt eum aliqui naſci potuerint.

℣. 23. *Quod prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cælo eſt. Creaturam,* intellige humanam, quod expreſſit Petrus dicens 1. Epiſt. 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Vel, accomoda generalitate, *creaturam* prædicationis ac doctrinæ Evangelicæ capacem; ſic enim præceptum fuerat Apoſtolis à Chriſto Marci ult. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Id quod Matthæus ult. cap. ita dixit: *Euntes docete omnes gentes.* Igitur *Evangelium prædicari in univerſa creatura,* ſive ut Eraſmus vertit, apud univerſam creaturam, *quæ ſub cælo eſt*; non aliud eſt, quàm ipſum prædicari omnium gentium hominibus, hoc eſt, per omnes gentes, aut per univerſum mundum. Quomodò autem jam tunc, quando hæc ſcribebantur, prædicatum fuerit Evangelium per univerſum mundum; cùm ad multas remotiſſimas, & incognitas gentes, etiam multis poſt ſæculis, non pervenerit. Quia nimirùm in plurimas quaquaverſum nationes illo jam tempore diſſeminatum erat; atque ad plures etiam rumor ejus pervaſerat; etſi nondum ad omnes abſolutè. Sic enim explicanda eſt hyperbole ſermonis hujus, *In univerſa creatura quæ ſub cælo eſt.* Qua item figura Lucas dicit Act. 2. *Hieroſolymis habitaſſe Judæos viros Religioſos ex omni natione quæ ſub cælo eſt.* Loquitur autem ad hunc modum Apoſtolus, ne Coloſſenſes de mutanda fidei doctrina, quam ex Epaphra audierant, cogitarent; ut quæ jam eſſet ubique prædicata, paſſimque recepta.

℣. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea.* Ambroſianus magis ad verbum reddidit, *Et ſuppleo reliquias preſſurarum Chriſti in carne mea.* Quod ergo noſter interpres dixit, *Ea quæ deſunt paſſionum Chriſti*, non ſic accipiendum, quaſi Chriſtus non ſatis paſſus ſit ad redemptionem noſtram, ideoque ſupplemento martyrum opus habeat; quod impium eſt ſentire, quodque Catholicos dicere non minus impiè calumniantur hæretici. Certè S. Thomas eum ſenſum hæreticum eſſe pronuntiat, eo quòd Chriſti ſanguis ſufficiens ſit ad redemptionem etiam multorum mundorum. Sed ſignificantur *ea quæ reliqua ſunt paſſionum*, id eſt, *quæ poſterius adhuc reſtant toleranda.* Id enim ſibi vult Græca dictio, ὑστερήματα. Senſum autem Apoſtoli nobis aperit Leo ſerm. ult. de paſſ. Domini. *Paſſio Domini*, inquit, *uſque ad finem perducitur mundi; & ſicut in ſanctis ſuis ipſe honoratur, ipſe diligitur; & in pauperibus ipſe paſcitur, ipſe veſtitur: ità in omnibus qui pro juſtitia adverſa tolerant, ipſe compatitur* &c. tamquam dicat, Chriſtum qui ſemel paſſus eſt in ſeipſo, atque in propria carne, debere adhuc pati in membris ſuis, uſque ad finem ſæculi: Quia oportet membra conformari capiti in paſſionibus, ut ei aliquando conformentur in gloria. Atque ita locum hunc intellexerunt Auguſtinus in enarratione Pſalmi 61. Greg. lib. 3. mor. cap. 11. & Franco Abbas, in fine tomi 10. de gratia Dei. Item Latini commentatores Anſelmus, Aquinas, Cajetanus & alij. Sentit igitur Apoſtolus, ſe, patiendo afflictiones in carne ſua, quadam parte ſupplere ea, quæ Chriſto adhuc patienda ſuperſunt; non quidem in ipſo, ſed in membris. Dicens autem, *in carne mea*; reſpexit ad id quod ſuprà dixerat, *Chriſtum nos reconciliaſſe in corpore carnis ſuæ per mortem.* Sicut enim Chriſtus in carne ſua paſſus eſt: Ita Paulus in carne ſua pati ſe dicit; & ita quemque Chriſti diſcipulum in carne ſua pati oportet. Quod ſi cum nonnullis, *paſſiones Chriſti* interpretemur, quas pro Chriſto patiuntur fideles, quemadmodum 2. Corinth. 1. dictum eſt, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis*; facilior erit hujus loci ſenſus, idemque minimè contemnendus.

CAPUT II.

℣. 8. V*Idete ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.* Quod non ita accipiendum quaſi Philoſophiam, quæ eſt ſcientia rerum divinarum & humanarum naturali lumine rationis acquiſite, damnet ut noxiam, aut rejiciat ut inutilem: Sed vel contra eos agit qui Philoſophia re per ſe bona abutebantur, ex veris principijs malè concludentes, dum de ijs quæ ſunt fidei Chriſtianæ, & captum humanæ rationis excedunt, judicant ſecundùm cauſas naturales, ſibique naturaliter

cognitas,

cognitas, nec mentem attollunt ad eum qui naturam A inſtituit, eamque mutare poteſt; Et hunc ſenſum explicat Ambroſianus; vel potius, nomine Philoſophiæ intelligit, non quod vox illa ſignificat & promittit, ſed illam rerum doctrinam, quam adferebant qui apud gentiles Philoſophi dicebantur. Nam revera nulla fuit apud Ethnicos Philoſophorum ſecta vacans craſſis erroribus; præſertim de Deo rebusque divinis ac de ſummo hominis bono. Verùm hujuſmodi ſectarum aliæ alijs deteriores erant; quæ tamen omnes Philoſophiam profitebantur. Inter eas tempore Apoſtolorum, & ijs locis in quibus Apoſtoli verſabantur, erant qui ſecularem Philoſophiam cum religione Judæorum miſcentes, multa de Deo, ac Dei filio, de Angelis, mundo & ejus creatione; deque purgatione hominum; partim à Platonicis accepta, partim ex proprio cerebro B adinventa, falſa & vana tradebant hominibus. Ex quo genere fuit Simon magus, a quo Simoniani; & qui poſtea Gnoſticos ſuperbo nomine ſeipſos appellarunt. Hanc Philoſophiam Apoſtolus reprobat & fugiendam docet, ut corruptelam ſinceritatis fidei Chriſtianæ. De hujuſmodi Philoſophia accipiendum, quod in Arianos ſcripſit Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. *Nonne ex Philoſophia omnem impietatis ſuæ traxerunt colorem?* Addit autem Apoſtolus, *Et inanem fallaciam*; explicandi cauſa. Cum enim, ut annotant Græci, Philoſophiæ nomen grave ac venerandum haberetur; adjunxit notationem Philoſophiæ de qua loquebatur: Quam vocat *inanem fallaciam ſeu deceptionem*, quod multa tradat inania & falſa, per quæ homines creduli decipiantur.

C Ibid. *Secundùm traditionem hominum.* Vocat *traditionem hominum*, non quidquid eſt extra verbum Dei ſcriptum, ut volunt hæretici, nam alioqui ſuas ipſius traditiones damnaret Apoſtolus, de quibus ait 1. Corinth. 11. *Laudo vos, quod ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* & 2. Theſſ. 2. *Tenete traditiones quas didiciſtis.* Sed præcepta, inſtituta, & doctrinas ab hominibus corruptis ac ſine Deo authore traditas; quales erant traditiones ſcribarum & Phariſæorum; de quibus Domino allegante apud Matth. 15. & Marc. 7. jam olim dictum fuerat per Iſaiam cap. 29. *Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.* Id verò transferre velle ad traditiones Eccleſiæ, quæ regitur à Spiritu ſancto; in ipſum Spiritum ſanctum blaſphemia eſt. Reſpicit autem Apoſtolus ad dogmata Philoſophica D ſcholæ Simonianæ, de quibus ſuprà.

℣. 22. *Secundùm præcepta & doctrinas hominum.* Liquet ex dictis quàm ineptè locum hunc hæretici producant adverſus leges & conſtitutiones Eccleſiaſticas, tanquam & illæ ſint præcepta & doctrinæ hominum quas hic damnat Apoſtolus. Jam enim oſtenſum eſt eo nomine ſignificari non quidquid ab hominibus præcipitur aut docetur, ſed præcepta & doctrinas ab humano ſpiritu profectas, quatenus ſcilicet humanus ſpiritus contra divinum diſtinguitur, & à ſeipſo non à Deo movetur, nec ulla authoritate divina nititur. Tales erant conſtitutiones Phariſaicæ à Chriſto Domino reprehenſæ; non autem illæ quas Apoſtoli & eorum ſucceſſores ad Eccleſiæ utilitatem condiderunt poteſtate à Chriſto E accepta; de qua Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit.* Et quales fuêre de quibus Act. 16. ſcriptum eſt, Paulum & Silam *cum pertranſirent civitates, tradidiſſe eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus.*

℣. 23. *Quæ ſunt rationem quidem habentia Sapientiæ in ſuperſtitione & humilitate.* Senſus Apoſtoli eſt eam de qua loquitur ſapientiam aut illa præcepta (nam utrovis referri poteſt ſententia) conſiſtere in affectata & conficta religione ſeu cultu, & in affectata fictaque humilitate, quæ affectatæ religioni conjuncta eſt.

Ibid. *Et non ad parcendum corpori.* Senſus eſt illam conſiſtere inſuper in præpoſtera & inſolita quadam abſtinentia & afflictione corporis. Hoc enim eſt corpori non parcere. Taxat autem Judaicas ac Phariſaicas abſtinentias; ex quibus, ut ait Hieronymus, debilitates interdum & morbi contrahebantur. Nam Phariſæos immodico ſtudio corporis affligendi, ſive per inediam ſive per alias quaſdam obſervationes ab ipſis excogitatas ſpecie religionis, addictos fuiſſe; copioſus teſtis eſt Epiphanius in hæreſi Phariſæorum. Quò ſpectat illud Phariſæi cujuſdam apud Lucam 18. *Jejuno bis in Sabbatho.*

Ibid. *Non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis.* *Honorem* intelligit ſuſtentationem corpori debitam, tamquam Dei templo; ſicut ſuſtentatio parentibus, presbyteris, viduis impendenda, vocatur honor in ſcripturis. *Carnis* autem *ſaturitatem* ſive expletionem, intelligit eam cibi potusque ſufficientiam, quæ corpori neceſſaria eſt ut ſerviat ſpiritui, ſuasque ſine impedimento exerceat actiones. Sentit igitur Apoſtolus ſapientiam illam aut præcepta talia eſſe, per quæ corpori debitus honor, pertinens ad expletionem; id eſt, juſtam refectionem carnis, ſubtrahatur; dum videlicet immoderatis & ſtultè excogitatis abſtinentijs corpus exhauritur; contra illud: *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam* Epheſ. 5. Unde & diſcipulo ſuo præcipit. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* 1. Timoth. 5. Eodem recidet intelligentia, ſi negatio repetatur in altero membro ad hunc modum: *Non ad ſaturitatem carnis.* Tum enim ſenſus erit, illa hominum præcepta non facere *ad ſaturitatem carnis*, quin potiùs neceſſaria ſaturitate, de qua Pſalmographus, *Edent pauperes & ſaturabuntur*, carnem defraudare; ut hic ſit figura qua minus dicitur quàm intelligatur; quale illud eſt apud Prophetam, *fecerunt quæ non præcepi eis*, id eſt, fecerunt omnia præceptis meis contraria. Sed forte quæret aliquis, quomodo quæ hic de Judaizantium immodica abſtinentia dicuntur, conſentiant cum eo quod de ijſdem alibi dicit Apoſtolus, *Quorum Deus venter eſt* Phil. 3. & *Hujuſmodi Chriſto non ſerviunt ſed ſuo ventri* Rom 16. Reſpondeo; non de omnibus Judaizantibus agere hoc loco Apoſtolum, ſed de ijs potiſſimum qui erant ſectæ Phariſaicæ. Nam alios quoſdam, qui ſe pro Apoſtolis Chriſti venditabant (erant autem Pſeudoapoſtoli) ventri & gulæ deditos fuiſſe ſatis probant loca jam citata; quemadmodum & illud contra eoſdem dictum 2. Cor. 11. *Si quis devorat; ſi quis accipit.*

Porro noſtræ ætatis hæretici ex eodem hoc Apoſtoli loco, ubi dicitur *Non ad parcendum corpori* &c. vehementer oppugnant Eccleſiaſtica jejunia, carniumque & aliorum quorundam eduliorum abſtinentiam, præſertim monaſticam, qua corpus maceratur & affligitur; quaſi hoc ſit non parcere corpori, ſed honorem ei ſuum detrahere, & carni ſaturitatem denegare, quibus reſpondendum eſt, contra Judaizantium, uti dictum eſt, abſtinentias & jejunia hic agere Apoſtolum: Quæ quidem multiplici nomine vitioſa erant; utpote non ſolùm immoderata, quod jam diximus, verùm etiam cum ſuperſtitione conjuncta, putabant enim ea per ſe Deo placere, non relata ad carnis caſtigationẽ & punienda peccata; quippe *qui in ſe confiderent tamquam juſti, & aſpernarentur cæteros*; nec ſe peccatores coram Deo agnoſcerent, ſed juſtitias ſuas commemorarent, ut habemus Lucæ 18. Adde quod ex illis ipſis jejunijs opinionem ſanctitatis aucupabantur apud vulgus, *exterminantes facies ſuas ut apparerent hominibus jejunantes* Matth. 6. Atque hæc erat affectata & ficta religio, quã noſter interpres ſuperſtitionẽ vocat. Ab his vitijs aliena ſunt jejunia Eccleſiaſtica, quantum quidem ad Eccleſiæ intentionem attinet. Nam immoderatas abſtinentias & afflictiones corporis ſemper improbavit Eccleſia. Quo fit ut tam multos ratione ætatis, ſexus, ægritudinis, laboris, à jejunijs excuſatos habeat, nolens jejunio cujuſquam valetudinem vexari. Moderatas autem afflictiones exigit, docetque referendas eſſe ad reprimendam carnis laſciviam, & evehendum ſpiritum in Deum, atque ad punitionem peccatorum; idque abſque ulla

externa

externa oſtentatione. Quæ igitur impudentia eſt, ea A quæ contra Phariſaica jejunia tot modis vitioſa ab Apoſtolo dicta ſunt; ad calumniam abſtinentiæ Eccleſiaſticæ detorquere? quando & Chriſtus Dominus, ubi Phariſæorum jejunia traducit; noſtra ſtatuit, dicens. *Tu autem cum jejunas* &c. Et Apoſtoli per jejunium orationi conjunctum meruerunt à Deo exaudiri Act. 13.

C A P U T III.

ꝟ. 2. QUæ *ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Partem hanc arripiunt Sacramentarij ad oppugnandam realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento. Nam, inquiunt, ſi quærere jubemur quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram; ergo & Chriſtus in cælo nobis quærendus eſt & adorandus, B non ſuper altare. Quibus facilè ex hoc eodem loco reſpondetur, & quàm futile ſit hoc argumentum oſtenditur. Nam quæ ſuper terram eſſe dicantur, ipſe Apoſtolus paulo poſt exponit dicens: *Mortificate ergo membra veſtra quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam* &c. Deinde, ex oppoſito colligi id poteſt; Si enim ea quæ ſurſum ſunt quærere & ſapere Apoſtolo dicuntur, non qui cæleſtium corporum naturas, motus, affectiones ſcrutantur, quod faciunt aſtronomi; ſed qui, rebus cœleſtibus, hoc eſt, divinis intenti ſunt: Igitur ea quæ ſuper terram, ſive ut alij interpretati ſunt, terreſtria quærunt, non qui quærunt aut colunt aliquid in terris exiſtens; ſed quorum animus rerum terrenarum cura & cogitatione tenetur, ſive res illæ ſint *elementa mundi*, de quibus ſuprà (Nam ad ea Apoſtolum adhuc reſpicere, Græci non improbabiliter exiſtimant) ſive terrena vitia, quæ inferius enumerantur; C ſeu potiùs utraque ſimul, ſub generali notione qua terrenum intelligitur, quod craſſum, carnale, vitioſum eſt. Certe quando Chriſtus in terris agebat, quærendus & adorandus erat; quod & mater ejus, & magi, & diſcipuli ejus, & multi alij fecerunt: Quis verò tam inſanus qui dicat illos id faciendo non quæ ſurſum ſunt, ſed quæ ſuper terram, contra Apoſtoli præceptum quæſiviſſe aut ſapuiſſe? Sed dices. Addit Apoſtolus, *Ubi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens*; ergo locũ ipsũ cæleſtem vult intelligi. Reſpondeo, per ſe loqui Apoſtolum de cogitatione ac ſtudio rerum quibus homo evehitur ad supernam gloriam: Per accidens autem, quia Chriſtus Dominus ſecundùm humanitatem in cælis eſt, ad dexD tram Dei ſedens, etiam ad locum reſpexiſſe. Verùm non inde efficiunt adverſarij, Chriſtum in altari, & in terra, non eſſe quærendum aut adorandum; niſi Dei potentiam coarctent, ut non poſſit in pluribus locis idem corpus ſtatuere. Similis eſt Apoſtoli ſermo Phil. 3. ubi cum de quibuſdam dixiſſet, *qui terrena ſapiunt*; ſubjunxit, *Noſtra autem converſatio in cælis eſt: Unde & Salvatorem expectamus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

ꝟ. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini JESU Chriſti.* Multi Codices addunt, *facite*; ſed in Græco non habetur, ut nec in emendatioribus Latinis, ac nominatim ijs quæ ſunt Romanæ Correctionis. Supplendum tamen relinquitur ex præcedenti verbo *facitis*. Præceptum hoc Apoſtoli E Generale eſt, ſed cujus intellectus non modicum habet difficultatis. Similia loca ſunt 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et ejuſd. Epiſt. cap. ult. *Omnia veſtra in charitate fiant.* Non parum aberrant à mente Apoſtoli qui ſententias hujuſmodi non præcepti, ſed conſilij tantummodò vim habere exiſtimant. Quibus aſſentitur Cajetanus hoc loco, dum dicit non ſemper intervenire peccatum ſi ſecùs fiat, ſed ſolùm meriti perditionem. At hujuſmodi intellectum etiam Aquinas apertè rejicit in commentario. Sed dices, ſi præceptum eſt; cur non ex eo ſequitur infideles in omni opere peccare, utpote non facientes quod hìc de omni opere præcipitur, ut fiat in nomine Domini Jeſu? Neque A enim dici poteſt homines Chriſtum prorſus ignorantes aliquid in ejus nomine facere, ne quidem implicitè. Sic enim omnes infideles implicitam haberent fidem Chriſti; quod abſurdiſſimè dicitur. Ad hanc objectionem quæ Cajetanum etiam movit in diverſam partem clara reſponſio eſt: Infideles quibus de Chriſto nihil fuit annuntiatum, hoc præcepto non includi aut teneri; quemadmodum nec ullo præcepto tenentur ad fidem Chriſti mediatoris, priuſquam eis annuntietur. Verùm de fidelibus reſtat quæſtio; cur ſtante hoc præcepto non peccent in omni opere quod non faciunt in nomine Chriſti; etiamſi cætera omnia adſint ad operis moralis bonitatem neceſſaria. Breviter reſpondetur cum S. Thoma non eſſe neceſſarium neque ab Apoſtolo præceptum, ut omnia fidelium opera actu fiant in B gloriam Dei, atque in nomine Chriſti; ſed ſufficere ut ſaltem habitu ſic fiant; Habitu inquam, id eſt, virtute ſeu virtuali intentione quomodo vocabulum *habitu* juxta mentem S. Thomæ expoſuimus in commentario 1. Corinth. 10. Quod ſi nec habituali, id eſt, virtuali, intentione fiant in nomine Chriſti: certè quantumvis ſpecioſa ſint opera, non videntur effugere poſſe reprehenſionem, ex eo quod contra præceptum hoc Apoſtolicum imò divinum, fiant. Neque enim hìc aliud præcipit Apoſtolus quàm quod divini juris eſt, imò & naturalis; fide præſuppoſita. Nam ſenſus Apoſtoli eſt, Chriſtianum omnia Chriſtianè agere debere, hoc eſt, in omnibus actionibus ſuis ſaltem habitualiter, uti dictum eſt, tendere in Deum creditum & ſperatum, idque per orientum Chriſti fide apprehenſum. Hoc enim eſt C quod ait: *omnia in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Ratio autem ſententiæ eſt, quia cum finis ille ſupernaturalis per ejuſmodi medium ſit homini Chriſtiano propoſitus; debent omnes ejus actiones intentione ſaltem virtuali, illuc, per idem medium dirigi. Hoc autem loco peculiariter expreſſit Apoſtolus ipſum medium dicens, *in nomine Chriſti*; quòd in hac epiſtola contra eos ageret (ſicut annotavit Chryſoſtomus & Theophylactus) qui pro Chriſto Angelos ſervatores ac mediatores introducebant. A ſenſu jam dato non arbitror eſſe diverſum quem Apoſtoli verbis ſubjicit S. Ambroſius libro tertio de virginibus ita ſcribens: *Omnia ergo dicta noſtra, factaque referimus ad Chriſtum; qui vitam fecit ex morte, lucem creavit ex tenebris.* Sic ille. Nam & Auguſtinus ad hunc modum loquitur, enarrans Pſalmum 54. D *Intentio dirigatur in finem, dirigatur in Chriſtum. Quare finis dicitur? quia quidquid agimus, ad illum referimus.* Vide noſtra in 2. diſt. 26. de dilectione Dei ſuper omnia; & de implendis Dei mandatis modo ſupernaturali.

ANNOTATIONES

IN EPISTOLAM PRIMAM AD

E
THESSALONICENSES.

CAPUT I.

A *Vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini.* *Diffamatus*, id eſt, divulgatus; cùm alioqui diffamare apud Latinos fere in ſiniſtram partem accipiatur. Cæterùm Græca vox ſignificantior eſt, & ad amplificandam ſententiam aptior: Significat enim *perſonare*, id eſt, longè lateque ſonare; ut ſenſus ſit: Nam à vobis, velut ſigno dato, quaquaverſum perſonuit ſermo Chriſti Domini; id eſt, verbum Evangelicum; ut mirum non ſit quod dico, vos factos eſſe formam omnibus credentibus.

ꝟ. 9.

℣. 9. *Et quomodo converſi eſtis ad Deum à ſimulacris.* Id eſt, quanto ſtudio & promptitudine, per noſtram prædicationem, converſi ſitis à cultu ſimulacrorum ad Deum colendum. Docet hic locus, æquè atque innumera alia ſcripturæ teſtimonia, gentiles verè ſimulacra, quæ Græcè vocantur idola, pro Dijs coluiſſe; quod in odium ſacratum imaginum, quas Chriſtiani veneramus, impudenter negant hæretici.

CAPUT II.

℣. 18. VOlumus *venire ad vos . . . ſed impedivit nos ſatanas.* Id eſt adverſarius, nimirum diabolus, qui in ſcripturis per antonomaſiam Satanas appellatur. Alibi dicitur impeditus ſeu prohibitus a Deo ut Act. 16. *Vetati ſunt,* inquit Lucas, *à Spiritu ſancto loqui verbum in Aſia.* Et rurſum, *Tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus Jeſu.* Prohibebantur enim occulta Dei ſuggeſtione, ne ea loca adirent ad prædicandum Evangelium. Hic verò dicit *ſe impeditum a Satana;* quia mali homines inſtigante Satana progreſſum Evangelij impediebant; vel inſidias Apoſtolo ſtruentes in via, vel turbas adverſus eum paſſim in civitatibus ſuſcitantes, vel alia quæcumque obſtacula ſtudioſè ac malitioſe objicientes.

℣. 19. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ.* Senſus eſt: Non abs re tantopere vos amo ac deſidero, utpote qui ſitis *ſpes noſtra,* id eſt, ſpei noſtræ materia; quia pro fructu quem apud vos feci, præmium à Domino accepturum me ſpero. Et *gaudium noſtrum,* quia de veſtra ſalute, quam per me Deus operatur, mirificè gaudebo in adventu Chriſti, quando mihi dicturus eſt: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Et *corona gloriæ,* vel ut in Græco, *gloriationis,* quia pro labore prædicationis, qua vos ad Chriſtum adduxi, coronam ab eo quum venerit, exſpecto, de qua propter vos gloriabor. Totam hanc partem referimus ad futurum tempus adventus Chriſti; nam id poſtulat interrogatio ſubjuncta.

Ibid. *Nonnè vos ante Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eſtis, in adventu ejus?* Id eſt, nonne vos eſtis ſpes noſtra & gaudium noſtrum & corona gloriæ coram Domino noſtro Jeſu Chriſto quum advenerit redditurus unicuique ſecundùm opera ſua?

℣. 20. *Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Affirmatio eſt ejus quod duæ interrogationes quærebant, q. d. *Certè vos eſtis gloria noſtra & gaudium coram Domino in adventu ejus.* Nempe juxta ſenſum jam explicatum. Hic quidem in Græco eſt *gloria* non *gloriatio;* ſed ſenſus eodem ferè recidit; eſtque hujuſmodi, per vos ero glorioſus & illuſtris in regno Chriſti, ut meritò de vobis gloriari poſſim. Quæres, quomodo Theſſalonicenſes vocet *coronam gloriationis ſuæ, & gloriam ſuam;* cum alibi dicat: *Mihi abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti?* Reſpondemus, hanc ipſam Apoſtoli gloriationem quam ex Theſſalonicenſibus ſibi promittit, non in alia re fundari quam in cruce Domini, quæ eſt fons omnis gratiæ & gloriæ. Jam, ſi rectè Paulus homines inferiores ſe, atque à ſe inſtitutos, vocat ſpem, gaudium, coronam & gloriam ſuam: Sanè fruſtra Catholicos calumniantur hæretici, quod beatiſſimam Dei matrem ijſdem aut ſimilibus nominibus ſalutent, vocantes eam vitam & ſpem ſuam; *vitam,* quòd per eam vivant, quatenus illa vitam mundo peperit; *ſpem* verò propter ejus interceſſionem, qua opem & ſalutem nobis à Filio impetret.

CAPUT III.

℣. 10. NOcte *ac die abundantius orantes, ut videamus faciem veſtram. Abundantius;* Eſtius Annotat. in Script. Græcè ad verbum, *ſuper exabundanti,* q. d. ſuper quàm abundanter. Ambroſianus legit, *abundantiſſimè.* Eraſmus vertit, *ſupra modum,* Itaque ſignificatur oratio vehementer intenſa; ſicut ea parte, *nocte ac die,* multùm extenſa & continua. Cur autem tantopere precibus à Deo contendat ut faciem illorum videat, id eſt, corpore ipſis præſens ſit; declarat id quod ſequitur.

Ibid. *Et compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ.* Ambroſianus, *& ſuppleamus:* quod verbum magis reſpondet Græco καταρτίζειν; cujus hæc ſunt ſignificata, componere ſeu coagmentare inſtaurare, reficere, reſarcire. Utitur eo Matthæus capite 4. *reficientes retia ſua.* Et Apoſtolus Gal. 6. *Hujuſmodi inſtruite ſive inſtaurate in ſpiritu lenitatis;* quemadmodum ibi expoſitum eſt. Alibi ſignificat aptare aut perficere. Ut Lucæ 6. Rom. 9. 1. Corinth. 1. & Hebr. 10. Poteſt igitur complementum de quo hîc eſt ſermo, variè exponi. Complet enim ſive ſupplet ea quæ deſunt fidei cujuſpiam; qui eum plenius inſtruit in ijs quæ ſunt religionis Chriſtianæ, docens ea quæ nondum audivit; ut cum quis imperfectè Cathechizatus eſt. Hoc modo complementum fidei acceperunt Apollo Alexandrinus, & Epheſij quidam tantùm ſcientes baptiſma Joannis, & an Spiritus ſanctus eſſet, ignorantes. Actor. 18. & 19. Complet etiam fidem, qui conſolatione & exhortatione ſua id agit ut quis firmus & conſtans ſit in fide pro quo complemento rogabant Apoſtoli, quando dicebant: *Domine, adauge nobis fidem* Lucæ 17. Tertiò complet fidem alicujus, qui perfectius, eum inſtituit in fide; non quidem alios à prioribus articulos aut alia fidei myſteria tradens, ſed eadem diligentiùs explicans, & rationibus illuſtrans, atque contra infideles confirmans. Primus & tertius modus complementi, potiſſimum hîc ſignificari videntur. Unde, & infrà de reſurrectione mortuorum plenius eos inſtruit; & in 2. Epiſtola de die judicij errorem removet, ac docet quænam tempus illud præcedere debeant. Modus ſecundus huc pertinere non videtur; jam enim Timotheus illud officium ſuppleverat, miſſus nimirùm ad exhortandos eos & confirmandos in fide.

CAPUT IV.

℣. 11. *Et operemini manibus veſtris.* Græcè *proprijs manibus veſtris.* Qui ſermo videtur emphaſin habere. Quum autem nominat *opus manuum;* ex ſpecie genus vult intelligi. Maximè quia ad populum ſcribit, in quo plurimorum eſt ea quæ manibus fiunt opera exercere; ſub quibus omne opus ſervile intelligitur. Nam in ſecunda epiſtola ubi vehementius hanc rem urget, non addit, *manibus.* Objicere ſolent hujuſmodi ſcripturas adverſarij monachis mendicantibus, velut cogendis ad opus manuum; cùm nec ipſi qui hæc objiciunt, manibus operentur. Neque enim omnibus omnino præcipitur ut operentur manibus, aut mechanicum aliquid exerceant; ſed ijs qui egent, ac ſublimioribus functionibus non ſunt addicti. Atque religioſi mendicantes ſtudent & vacant prædicationi verbi Dei, alijſque id genus actionibus, quibus ſalus populi Chriſtiani promovetur: Cumque ratione hujus miniſterij poſſent à populo exigere vitæ ſtipendia, juxta id quod Chriſtus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant; huic tamen poteſtati renuntiantes, rogare malunt & mendicare, neque cogentes quemquam ad tribuendum, neque jus obtendentes. Quod utique magnæ perfectionis eſt, qui nec ipſi tamen opus manuum ubi tempus ſuppetit, ac res poſtulat, ad exemplum Pauli Apoſtoli, ſubterfugiunt aut prætermittunt, quo minus graventur ij quibus ad ſalutem ſubſerviunt. Vide infra 2. Theſſal. 3. v. 10.

℣. 14. *Quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in*

 adventu

adventu Domini. Græca habent, *in adventum Domini*; quibus applaudunt M.SS. Latina, ſuffragante etiam editione Clementina. Senſus eſt: Hoc vobis dico, quod nos qui viventes erimus ac relicti ſive ſuperſtites uſque in adventum Chriſti Domini; non ſolùm non glorificabimur & regnabimus cum Chriſto ſine illis qui jam obdormierunt, ſed nec eos ad Chriſti occurſum præveniemus. Loquitur Apoſtolus in prima perſona, dicens: *Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus* &c. Non velut dubius aut incertus, ut nonnulli ſuſpicati ſunt, an fortè ſe vivo futurus eſſet Domini adventus; nam hujuſmodi opinionem inſtantis diei Domini, natam ex ſuis verbis, diſertè in ſecunda epiſtola rejicit, docens quænam & quanta ſint quæ illum diem adhuc præcedere debeant: Sed ita loquitur, partim quidem ut Theſſalonicenſium animos in exſpectationem adventus Domini teneat erectos atque ſuſpenſos, quo diem illum quaſi brevi venturum ſemper habeant præ oculis, ſemperque ad eum parati ſint, id enim admonet eos mox capite ſequenti; partim verò, quòd perſonam induat electorum qui in adventu Dominico reſidui ſive ſuperſtites erunt, id eſt, vivi reperientur: Nolens explicare num iidem illi, an alij futuri ſint ab ijs qui tunc vivebant.

CAPUT V.

℣. 5. **O**mnes enim vos filij lucis eſtis, & filij Dei. Particulam, *enim*, quæ & in Syriaca verſione legitur, Græca non addunt; tametſi ſenſus cauſalis eſt; continet enim hæc pars probationem ejus quod dixit, *Non eſtis in tenebris*; quia nimirum, *omnes vos*, inquit, *eſtis filij lucis atque diei*, id eſt, fide illuminati, & ad opera lucis ac diei (quæ ſunt opera fidei, cæterarumque virtutum) exercenda per Chriſti gratiam vocati. Metaphora lucis ac tenebrarum, item diei ac noctis, pro fide & infidelitate, virtutibus ac vitijs, & utriuſque generis operibus; Chriſto & Apoſtolis ejus familiaris fuit: Quod liquet etiam ex Petri & Joannis epiſtolis. *Filios* autem *lucis & diei* vocat, Hebræa phraſi, quod addicti ſint operibus lucis ac diei. Sic Epheſ. 5. *Ut filij lucis ambulate.* Dicit autem, *omnes vos*; non quod ſciret omnes fideles qui erant Theſſalonicæ, nemine excepto, juſtos eſſe, (ſoli quippe juſti ſunt filij lucis & diei:) ſed quia de ſingulis eam habebat fiduciam quod juſti eſſent. Aut dixit, *omnes vos*, non diſtributivè, ſed collectivè; ſignificare volens ipſam congregationem: Quæ ſancta erat; etſi non ſinguli, ſancti. Qua ratione paſſim eos ad quos ſcribit, Sanctorum appellatione honorat.

℣. 17. *Sine intermiſſione orate.* Idem eſt cum illo Lucæ 18. *Oportet ſemper orare.* Quod quomodo ſit intelligendum quæritur, cùm humanæ conditionis infirmitas non ferat perpetuam & numquam intermiſſam orationem. Unde qui hoc propriè, ſicuti verba ſonant, intellexerunt, putantes id præcipi ut alijs negotijs omiſſis, inceſſabiliter oremus; inter hæreticos numerantur ſub nomine Euchitarum, apud Epiphanium hæreſi ultima; & apud Auguſtinum hæreſi 57. Neque tamen ſufficit hoc præceptum exponere de virtuali perpetuitate orationis, aut deſiderio vitæ æternæ virtuali; quomodo nonnulli illud exponunt. Nam qui actu rariſſimè oraret, etiamſi virtualem orandi affectum ac vitæ æternæ deſiderium interim retineret (non ſatisfaceret huic præcepto, quod actum procul dubio requirit. Auguſtinus, loco memorato, præcipi putat ut nullo die intermittantur certa orandi tempora. Quem ſecutus in commentario B. Thomas, ait, ille ſemper orat qui ſtatutas horas non intermittit. Et adducit locum ſimilem ex 2. Reg. 9. ubi David ait ad Miphiboſeth, *Tu comedes panem in menſa mea ſemper*, id eſt, quotidie ſtatutis horis. Verùm ſimplicius eſt ut dicamus in vocabulo *ſemper* eſſe quamdam hyperbolen; ut ſenſus præcepti ſit, multùm & frequenter orandum eſſe. Quemadmodum & illud Epheſ. 6. *orantes omni tempore*, à nobis expoſitum eſt. Ubi Theophylactus, non ſtatis tantummodo horis, ſed omni tempore vult orandum. Nam ſi quis frequenter oret, non tamen id faciat certis ac ſtatutis temporibus, ut cui tempora ad orandum conſtituta non ſunt; is utique, ad ſenſum præcepti, *ſemper*, & *omni tempore, ac ſine intermiſſione* Deum *orare* dicetur. Sic Apoſtolus alibi ſe ſine intermiſſione memoriam facere dicit eorum ad quos ſcribit: ut Rom. 1. 2. Timoth. 1. Ad hunc modum Apoſtoli præceptum exponit Athanaſius ita de Antonio ſcribens: *Orabat frequenter; quippe qui didicerat quod oporteret ſine intermiſſione Dominum orare.* Nec ſecùs Ambroſius qui lib. 1. de Abel & Cain cap. 9. Chriſti præceptum ſic explicat; impensè & frequenter monuit orandum; non ut faſtidioſa continuetur oratio, ſed ut aſſidua frequenter effundatur. Porrò manifeſta præcepti ratio eſt, quia ſemper & in omnibus opus habemus auxilio Dei; quod proinde nobis quàm frequentiſſimè implorandum eſt.

℣. 19. *Spiritum nolite extinguere.* Quod Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifac. ſic intelligit: Spiritum ſanctum ne extinguite, quantùm in vobis eſt. Nam ille extingui non poteſt; ſed extinctores ejus meritò dicuntur, qui ſic agunt, ut extinctum velint. Adducit autem locum ſimilem ex Epiſtola Cypriani de lapſis, ubi dicit infantes ad idola à parentibus attractos, amiſiſſe quod in baptiſmo acceperant. *Amiſerunt*, inquit Auguſtinus, quantum attinebat ad ſcelus parentum: cùm gratia baptiſmi parvulis nihil peccantibus non poſſet auferri. Chryſoſtomus autem & alij plerique, per Spiritum ſanctum metonymicè chariſmata ejus accipiunt, id eſt, ea Spiritus ſancti dona quæ dantur ad aliorum utilitatem; cujuſmodi multa ab Apoſtolo enumerantur 1. Corinth. 12. Qui commentarius haud dubiè congruit cum ijs quæ ſequuntur. Reſpicit autem Apoſtolus præcipuè ad ea dona quorum uſus erat in conventibus fidelium; ut ſenſus ſit: Nolite prohibere quo minus quiſque proferat in medium id quod à Spiritu ſancto accepit; ſive ut linguis loquatur, ſive ut eas interpretetur, ſive ut annuntiet occulta myſteria, ſive ut ſcripturas exponat. Hæc enim prohibere, eſſet Spiritum ſanctum in donis ſuis extinguere. Sed & illi Spiritum ſanctum extinguunt, qui miracula, quæ etiam hodie ſancti Spiritus operatione multis in locis fiunt: Obſcurare conantur; aut, quod pejus eſt, ea dæmonum preſtigijs adſcribunt; quæ ſicut olim Scribarum & Phariſæorum calumnia fuit adverſus Chriſtum; ita nunc eſt hæreticorum adverſus Eccleſiam Chriſti: Porrò non ſentit Apoſtolus permittendum eſſe omnibus inſpirationem aliquam habentibus, indiſcretè & confuſè loqui in Eccleſia; ſed ut hæc agantur ordinatè ex eorum judicio qui præſunt: Quemadmodum ipſe latè præcepit 1. Corinth. 14. ita tandem concludens; *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.*

℣. 20. *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Hoc eſt; omnia quæ dicuntur à fratribus tamquam prophetantibus, diligenter expendite, diſcutite; & dijudicate, qualia ſint: Et quidquid inveneritis bonum, ſanæque doctrinæ conſentaneum, id retinete. Hac Apoſtoli ſententia dupliciter abutuntur hæretici; & quo ad res & quo ad perſonas. Volunt enim omnia ſacroſanctæ fidei dogmata revocari ad examen, etiam ea quæ jam olim ab Eccleſia definita ſunt. Item volunt omnes fideles eſſe earum controverſiarum judices; ad quos nimirum probandi, id eſt, examinandi, ac dijudicandi, munus pertineat. Utrumque certè abſurdiſſimum, nec aliò tendens, quàm ut in doctrina fidei nihil umquam certi ſit, dum omnia omnium examini & judicio ſemper relinquuntur. Nec ullo modo tantæ abſurditati favet hoc Apoſtoli præceptum, *Omnia probate*; Non enim de omnibus omnino hoc dicit; ſed de ijs quæ nova

pro-

proferebantur à fratribus, & probata nondum erant. A
Hæc enim dijudicari oportebat, ſecundùm id quod idem Apoſtolus præcipit Corinthijs, dicens: *Propheta duo aut tres dicant; & cæteri dijudicent*, 1. Cor. 14. Ea verò quæ ab ipſo, cæteriſque Apoſtolis tradita erant Eccleſijs, non dijudicari vult ſed teneri; uti in ſecunda ad eoſdem Theſſalonicenſes epiſtola cap. 2. *Tenete*, inquit, *traditiones quas didiciſtis*, & 1. Corinth. 11. *Laudo vos quod ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Porro quæ dijudicanda & probanda adhuc occurrebant, ea non ab omnibus probari præcipit, ſed à præfectis, ad quos id officij ſpectabat. Nam hoc præceptum, ut & ſuperiora nonnulla, potiſſimùm ad eos qui præſunt dirigitur. Sicut enim in Apoſtolicis literis, alia dominis, maritis, parentibus; alia ſervis, uxoribus, B
filijs præcipiuntur; ſic alia præfectis, alia plebi fidelium. Quod qui non obſervat; neceſſe eſt ut omnium officia confundat. Si quis tamen hoc præceptum; quo jubemur omnia probare, malit intelligere de probatione, ſeu judicio diſcretionis, quemadmodum & illud paulo antè citatum, *Cæteri dijudicent*; ei non admodum refragabimur, modò fateatur etiam hoc judicium non omnium eſſe, ſed paucorum, ut pote, eorum qui, ut Apoſtolus loquitur Hebr. 5. *Pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*; quique præditi ſunt dono diſcretionis ſpirituum; de quo 1. Corinth. 12. Denique, qui ſpirituales ſunt, non animales, nam *animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei; ſpiritualis autem judicat omnia.* 1. C
Corinth. 2. Dummodo etiam fateatur hujuſmodi judicium ſubmitti oportere judicio ejus qui publicam habet ejus rei authoritatem; quales in Eccleſia ſunt Epiſcopi, atque in primis Romanus Pontifex. Quare ſi quis contendat omnibus fidelibus dictum ut omnia probent, id profecto non aliter ijs competet, quam quatenus ſciunt audiendam ſibi eſſe vocem ſui paſtoris, & manendum in eo quod acceperunt ab initio, & tenendum quod tenet Eccleſia: Atque ex his principijs judicant de unoquoque dogmate propoſito. Si quid autem novum ac dubium exoritur; non præſumunt privato examinare judicio, ſed ad paſtores & prælatos Eccleſiæ examinandum ac judicandum remittunt. Conferatur hic locus cum eo quod præcipit Joannes 1. ep. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint.* Sunt enim præcepta ſimilia, ac ſimiliter intelligenda. Ex quo quidem D
intellectu jam id etiam liquet, quàm ineptè ejuſmodi ſcripturæ loca detorqueant hæretici ad perniciosam illam licentiam, qua volunt omnium librorum lectionem omnibus eſſe permiſſam. Nã libri quos ut hæreticos, aut alioqui noxios, Eccleſia damnavit, non amplius probandi, id eſt examinandi, ſunt, ſed fugiendi. Qui verò probandi adhuc reſtant, non ab omnibus ſunt probandi, ſed ab ijs quibus id munus ex ordinaria aut delegata poteſtate competit. Diſſeruimus eo de argumento tribus orationibus panegyricis.

ANNOTATIONES
IN EPISTOLAM
SECUNDAM
AD
THESSALONICENSES.

CAPUT I.

℣. 6. SI tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant. Quod ait: *Si tamen*, non dubitantis eſt, ſed affirmantis; nam Græcum

εἴπερ pro ἐπείπερ, id eſt, ſiquidem, quandoquidem, eſſe poſitum annotant Græci. Ambroſianus quoque legit, *ſiquidem*; Atque ita aliam literam habere Thomas admonet. Quanquam nihil prohibet particulam, εἴπερ, *Si tamen*, conſueta ſignificatione accipi, ſed ita ut ex ſchemate ſermonis vehementior exiſtat affirmatio, dum quaſi exiſtimandum relinquitur id de quo nefas ſit dubitare, quemadmodum etiam à Græcis annotatum eſt. Talis ſermo eſt Domini apud Mal. 1. *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? &, ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?* Significat ergo Apoſtolus, vel maximè juſtum eſſe apud Deum, & proinde ab ejus juſtitia expectandum, ut afflictiones & ſupplicia retribuat ijs qui pios affligunt. Verùm id non ſtatim ſed ſuo tempore, juxta reſponſum ſanctis animabus datum in Apocal. cap. 6.

℣. 8. *Dantis vindictam ijs qui non noverunt Deum*, ijs etiam quibus Chriſtus non eſt prædicatus. Nam & in illis ignorantia Dei peccatum eſt, & non ſolum pœna peccati, quia Dei notitia legis eſt naturæ, à qua nemo ratione utens excuſatur, ut docetur Sap. 13. Quò etiam pertinet Pſalmus ille Davidicus; *Cœli enarrant gloriam Dei* &c. Unde paſſim in ſcripturis ira Dei denuntiatur adverſus eos qui Deum ignorant. *Effunde iram tuam*, inquit David, *in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt.* Pſalm. 87. Vide Auguſtinum lib. 2. quæſt. Evangel. q. 46. ubi tractans illud, *Sciebam quia homo auſterus es, metens ubi non ſeminaſti*, docet; eos qui Deum ignorant, idcirco inexcuſabiles eſſe, quòd ex rebus creatis pervenire poſſint in notitiam creatoris, quodque prædicatores eorum ſint cælum & terra. Similia docet lib. 10. confeſſ. cap. 6. & lib. de gratia & lib. arb. cap. 3. ex quo loco, Beda ſuum hujus loci commentarium deſumpſit.

CAPUT II.

℣. 9. IN omni virtute, & ſignis & prodigijs mendacibus. Græcum genitivum *mendacij*; quem & Ambroſianus legit, rectè noſter interpres, auribus Latinis ſerviens, vertit in adjectivum, *mendacibus*, idque ad tria præcedentia referendum eſt, nempe ad *virtutem*, ſigna, prodigia. Et ſenſus eſt, Antichriſtum operatione Satanæ facturum omne genus mendaciorum miraculorum, vocantur autem *mendacia* juxta Auguſtinum & interpretes hujus loci, vel quia fallaciter, & illuſoriè, non autem verè fient, ut ea quæ ſuperant facultatem naturæ creatæ, qualia ſunt mortuos ſuſcitare, cæcis viſum reddere, ſurdis auditum &c. Vel quia ad mendacium, id eſt, errorem; homines inducent, etiamſi quædam eorum veraciter fiant, utpote creaturæ facultatem non excedentia, cujuſmodi ſunt, ventos & tempeſtates excitare, ignem cælo deducere, quoſdam languidos ſubitò ſanare &c. Fient enim hæc ab Antichriſto, uti dictum eſt, operante Satana, qui cum per ſcientiam in ſua creatione acceptam, & longiſſima experientia auctam; totius rerum naturæ ſit calentiſſimus, multa poteſt efficere variarum cauſarum commiſtione, quæ hominibus ita miranda ſint, ut ea à veris miraculis haud facilè diſcernant. Aut denique mendacia vocat Antichriſti ſigna, quia ſive verè fiant, ſive fallaciter, & per illuſionem, omnia tamen in genere miraculorum (qualia ſe facere jactabit) falſa erunt & mendacia. Conſtat enim nullum verum miraculum (quomodo de miraculis ſcripturæ, & Theologi loquuntur) à quoquam fieri poſſe pro confirmatione erroris, cùm Deus, cujus ſolius virtute vera miracula, tanquam teſtimonia quædam publica, proferuntur, teſtis falſitatis eſſe non poſſit. Tertius hic ſenſus valde probabilis eſt. Cùm enim nomine *ſignorum & prodigiorum* in ſacris literis ſæpe vera miracula ſignificentur, quæ divinitus ad hoc inſtituta ſunt, ut per ea veritas doctrinæ ſalutaris confir-

metur,

metur, & velut ſigillis quibuſdam cæleſtibus obſigne- A tur: Ne quis ea ſuſpicaretur aliquando communicari poſſe vel Antichriſto, vel ejus præcurſoribus Pſeudoprophetis, propterea quòd & illi ſimilia quædam ſint facturi; præmonere nos voluit Apoſtolus addendo, *mendacibus*, id eſt, falſis, non quidem in genere rerum, ſed in genere ſignorum, id eſt, miraculorum. Jam ex hoc etiam Apoſtoli loco planè refellitur hæreticorum blaſphemia de Pontifice Romano: Nulla enim hiſtoria prodit Romanum Pontificem exercuiſſe falſa miracula, aut ad ea patranda uſum fuiſſe opera diaboli. Veris quidem miraculis aliqui eorum claruerunt: Sed hoc illis cum Chriſto Domino, & Apoſtolis ejus omnibus commune eſt. Atque ex ijs argumentum ſumitur & ſanctitatis eorum & veritatis doctrinæ. Hæretici Antipapiſtæ locum hunc referunt ad omnia miracula, quæ B in Eccleſia, cui Papa præſidet, fiunt: Quæ omnia calumniantur ut impoſturas diabolicas. Quæ utique eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum; qualis eorum qui de Chriſto dicebant *quod in principe dæmoniorum ejiceret dæmonia*. Ut non debeamus mirari ſi tam pauci ex hæreticis talibus, veniant ad veram pœnitentiam. Firmum enim eſt verbum Domini, quod *blaſphemia in Spiritum ſanctum non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro*. Matth. 12.

℣. 14. *Tenete traditiones quas didiciſtis*. Græcè, *quas docti eſtis*, id eſt, quas ego vos docui. Quo verbo obiter ſuum commendat officium.

Ibid. *Sive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. Partitio eſt traditionum. Porrò, *traditiones* vocat doctrinas & inſtituta religionis Chriſtianæ, ſive ea perti- C neant ad fidem, ſive ad externum cultum religionis, ut ſunt cæremoniæ. Nam de hoc ſecundo genere dixerat Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Cætera cum venero diſponam*. Et cap. 14. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis*. Hic verò traditiones dividit in ſcriptas, & ſolo ſermone traditas, quas Græci vocant ἀγράφας, id eſt, non ſcriptas. Quæ quidem non illæ dicuntur, quæ nuſquam reperiuntur ſcriptæ; ſed quæ non extant in ſcripturis ſacris, quaſque ab Apoſtolis acceptas ſucceſſores eorum nobis velut per manus tradiderunt; tametſi inter hos non deeſſent qui & illas ſcripto mandarent. Hic locus apertiſſimè docet non omnia quæ vel credere, vel agere divinitus jubemur, quæve ab Apoſtolis inſtituta ſunt, eſſe ſacris literis comprehenſa, quod volunt hæretici; ſed quædam in traditione non ſcripta D contineri, ita ut ab initio naſcentis Eccleſiæ Chriſtiana religio duplici velut jure fuerit gubernata, ſcripto, & non ſcripto; tanquam legibus & conſuetudine: Quod cuique bene inſtitutæ Reipublicæ commune eſt. Unde Chryſoſtomus in præſentem locum, Hinc perſpicuum eſt, inquit, Apoſtolos non omnia tradidiſſe per epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis; & ea quoque eſſe fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem fide dignam eſſe cenſeamus. Traditio eſt, nihil quæras amplius. Hæc ille; quæ totidem ferè verbis à Theophylacto repetita ſunt. De traditionibus non ſcriptis, & earum pari cum ſcriptis authoritate, conſulantur veteres, Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. & 4. Tertullianus lib. de corona mil. cap. 3. Baſilius ad Amphilochium de Spiritu Sancto cap. 29. Epiphanius hæreſi E 61. & Auguſtinus epiſtola 118. ad Januarium. Quorum atque aliorum Patrum ſententijs inhærens Synodus Tridentina, ſeſſ. 4. cap. 1. declarat veritatem & diſciplinam Eccleſiæ contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt: atque earum contemptores anathemati ſubjecit. Frivolum eſt autem quod ad præſentem locum adverſarij reſpondent, Apoſtolum ea quæ ſermone tradidit, poſtea ſcripto conſignaſſe in alijs epiſtolis; ac proinde nihil eſſe ſermone traditum, quòd non ſit ſcriptum: Quaſi videlicet conſultò egerint Apoſtoli, ut ſi quod divinorum dogmatum una eorum epiſtola non haberet, id in alia, vel alijs infererent; aut quod unus eorum prætermiſiſſet, alius suppleret, ne quid omninò non ſcriptum remaneret: Cùm res ipſa clamet eos non ex compoſito dogmata Chriſtianæ religionis in ſcriptum redegiſſe, ut quibus non ſcribendi, ſed prædicandi Evangelij negotium à Chriſto commiſſum eſſet; ſed pro natis occaſionibus, quædam mandaſſe literis ad abſentes datis, quæ profectò ſcripturi non erant, ſi vel præſentes fuiſſent ijs ad quos ſcribebant, vel occaſio defuiſſet. Niſi enim (exempli gratia) Timotheus abſens à Paulo fuiſſet; non haberemus hujus ad illum duas epiſtolas tam multiplici ac neceſſaria doctrina, quæ alibi non habetur, refertas. Et, ut de re B præſenti loquamur, niſi Theſſalonicenſes falſa perſuaſione inſtantis diei Domini fuiſſent turbati: Nihil utique de diſceſſione & homine peccati, ante diem Domini venturis, ſcriptum ab Apoſtolo fuiſſet. Videtur autem Apoſtolus hanc de traditionibus retinendis admonitionem ſubtexere, quòd viderentur Theſſalonicenſes acceptarum traditionum non ſatis eſſe memores, *Num retinetis*, inquit paulò ſuperius, *quod cùm adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* Monet igitur in univerſum ut traditiones quas ab ipſo, vel præſente per ſermonem, vel abſente per epiſtolam didicerant memoria, fide, obſervatione firmiter retineant. Loquitur autem de epiſtola ſua priore.

C

CAPUT III.

℣. 2. N*On omnium eſt fides*, id eſt, non omnibus datur ut credant, non omnes ad propoſitum Dei pertinent, vocantis ad fidem efficaci ſua vocatione; & ſicut ad Rom. 10. dicit, *non omnes obediunt Evangelio*. Hic igitur inſinuatur, fidem eſſe ſingulare Dei donum, quod non ſit omnibus à Deo conceſſum. Id quod non tantum de habitu fidei, ſed etiam de actu, procul dubio accipiendum eſt. Porrò quod ex hac ſententia ſectarij inferunt neminem pœnis ad fidem compellendum eſſe; id certè non magis conſequens eſt de fide, quam de juſtitia, caſtitate, alijſque virtutibus; quæ omnes dona Dei ſunt, & tamen pœnis cohiben- D tur adulteri, fures, homicidæ; atque ad virtutes his contrarias indirectè coguntur. Cur non etiam ad fidem? Etenim hæc omnia ita ſunt Dei dona, ut tamen ad ea ſuſcipienda atque exercenda, homines pœnis admoniti, libera voluntate moveantur, adeò ut & charitatem timor introducat.

℣. 10. *Si quis non vult operari, nec manducet*. Loquitur de opere manuum de quo in ſuperioribus. Nam & in priori epiſtola cap. 4. id expreſſit, ita ſcribens, *Et ut operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis*. Quo etiam loco explicatum eſt quid per *opus manuum* intelligatur. Notandum quoque non dicere Apoſtolum, *Si quis non operetur*, ſed *ſi quis non vult operari*. Nam ſi quis velit quidem, ſed non poſſit, ſive ob virium imbecillitatem, ſive quia non invenit quod ope- E retur; is huic ſententiæ non ſit obnoxius. Jam quod ait, *nec manducet*, quidam prohibitivè exponunt hoc modo. Ne detur ei quod edat; ut ſic ipſa neceſſitate compellatur ad opus. Sed huic ſenſui contrarium eſſe videtur quod infrà dicitur; *Vos autem fratres nolite deficere benefacientes*; præſertim cùm non ſit cujuſvis judicare num quis non velit operari. Quocirca magis placet hæc aliorum expoſitio, ſi quis detrectat operari, dignus non eſt qui manducet; ac proinde ſi fame conficiatur, imputet inertiæ ac deſidiæ ſuæ. Sic è diverſo dictum eſt à Domino Matth. 10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo*. Et de muliere forti ſcriptum eſt Proverb. ult. *Panem otioſa non comedit*. Vocat autem hanc ſuam ſenten-

ſententiam Apoſtolus præceptum; quia tacitè continetur in ea præceptum operandi manibus, id quod in priori epiſtola expreſſum eſſe jam diximus. Facit hic locus contra validos mendicantes, pigros, inertes, otioſos, opus etiam oblatum refugientes, & ad nihil utiles, niſi, ut fruges conſumant alienas. Adverſus quod genus legibus & pœnis agere meritò deberent Chriſtiani magiſtratus, vel hac de cauſa quòd multam malitiam docet otioſitas. Eccleſiaſt. 33. Videri poteſt Codex Theod. lib. 14. Tit. 18. qui eſt de mendicantib. non invalidis. & apud Juſt. C. lib. 11. tit. 25. & S. Thom. 2. ſec. q. 187. art. 5. ad 3. Cæterum nimis improbè detorquent hæretici ſententiam Apoſtolicam contra fratres ordinum mendicantium ab Eccleſia approbatorum, qui cùm non vacent inerti otio, ſed pro ſalute generis humani Sanctos labores ſubeant, legendo, docendo, prædicando, confeſſiones pœnitentium audiendo; nihil interim quaſi pro jure exigentes, ſed humiliter à populo mendicantes quod manducent: Profectò digniſſimi ſunt, quibus victus neceſſarius liberaliter ſubminiſtretur. Qua de re nonnulla jam diximus in priori epiſtola. Tale quid etiam de doctoribus alendis annotatum eſt à Theophylacto. Qui verò monachi, & quatenus ad opus manuum induci debeant, Auguſtinus docet in libro de opere monachorum.

ANNOTATIONES

IN PRIMAM

EPISTOLAM

AD

TIMOTHEUM.

CAPUT I.

℣. 3. VT *denuntiares quibuſdam. Denunciandi, ſeu accipiendi* vocabulum poteſtatem ſignificat: Ex quo primùm intelligitur, Timotheum cum poteſtate relictum ab Apoſtolo fuiſſe apud Epheſios; Quæ quidem poteſtas non alia fuit quàm Eccleſiaſtica & Epiſcopalis. Deinde, eos de quibus ſermo eſt, in Eccleſiis fuiſſe; Nam alioqui præcipere eis non poterat. *Quid enim*, inquit, *mihi de ijs qui foris ſunt judicare? Nonne de ijs qui intus ſunt vos judicatis?* 1. Corinth. 5. De ijs ergo loquitur Apoſtolus qui Chriſto nomen dederant, ſed ſub hoc nomine, falſa, noxia, & inutilia quædam docebant; quales maximè erant Judaizantes & Simoniani.

Ibid. *Ne aliter docerent. Aliter docere*, ſeu diverſam adferre doctrinam idem eſt cum eo quod Gal. 1. vocat: Evangelizare præter id quod Evangelizatum eſt, & præter id quod acceperant fideles: Ubi *præter*, idem eſſe quod *contra*, ſuo loco monſtravimus. Aliam ergo ſeu diverſam doctrinam intellige, quæ priorem excludat; juxta illud 2. Joan. *Si quis hanc doctrinam non adfert* &c. Quocirca non ille aliter, aut aliud docet, qui profert aliquid quocumque modo diverſum; quandoquidem & ipſi Apoſtoli non ſtatim omnia religionis myſteria fidelibus recenter converſis, tradebant; quædam enim reſervabant opportuno tempore ſupplenda: Sed qui docet ea quæ diſſentanea ſunt & contraria doctrinæ prius acceptæ. Igitur improbè & imperitè locum hunc detorquent hæretici contra traditiones Eccleſiæ non ſcriptas; præſertim cùm hic doctrinæ ſcripto traditæ nulla fiat mentio.

℣. 4. *Neque intenderent fabulis.* Præceptum hoc à præcedenti diverſum eſt, & amplius aliquid requirit. Nam fieri poteſt, & ſæpe fit, ut quis non doceat pugnantia cum ijs quæ tradita ſunt; ſed talia tamen quæ nihil ad pietatem faciunt, ut pote fabuloſa, vana inutilia. Quo docendi vitio utinam nulli doctores & concionatores Chriſtiani laborarent.

Ibid. *Et Genealogijs interminatis*, id eſt; *infinitis*, ut legit Ambroſianus; Græcè ἀπεράντοις. Hac etiam parte Judæi notantur; qui, partim ut legis & rerum Judaicarum periti haberentur, partim verò ut ſuam oſtentarent nobilitatem; origines ſuas altiſſimè repetebant, ut eas referrent ad reges, Prophetas, Patriarchas. Id quod uſque Judæi factitant. *Interminatas* verò, ſive infinitas, Ambroſianus interpretatur genealogias, quod ſint infinitæ per traducem, ut loquitur; id eſt, longiſſima parentum ſerie protenſæ, ut vix ad finem earum perveniri poſſit. Eſt qui putet eas infinitas dici, id eſt, fine carentes, quia non perveniunt ad aliquem finē utilem auditoribus. Atqui rectius alij rationem hanc adferunt, quòd res ſit infiniti negotij quæſtiones & difficultates omnes explicare, quæ in exquirendis & conſtituendis genealogijs occurrere ſolent. Nec tamen hæc Apoſtoli reprehenſio ad Evangeliſtas pertinet texentes Chriſti Domini genealogiam, ut nec ad authorem libri Paralipomenon, in cujus initio multæ recenſentur genealogiæ; nam ea ſuam habent juſtam utilitatem, ſed privatis ſuis ac ſuorum, genealogijs intendere, quod Judæi faciebant, cum ſit res non ſolùm perplexa, verùm etiam inutilis, meritò reprehenditur.

Ibid. *Quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei quæ eſt in fide.* Comparatio impropria eſt, qua nimirum alterum affirmatur, alterum negatur, ut patet in Syriaca verſione. q. d. Quæ quæſtiones præſtant, & non ædificationem Dei. Cujuſmodi eſt illa comparatio Eccleſiaſtæ 7. *Melior eſt patiens arrogante.* Priori parte explicat quod dixerat, *interminatas*; poſteriori, inutiles eſſe oſtendit. Senſus igitur eſt, quæ genealogiæ materiam præbent innumerabilium quæſtionum, ad pietatem verò, quæ homines in Deum promovet, & ad Deum adducit (quod quidem fit per fidem) nihil planè conferunt. Quum dicit *ædificationem Dei per fidem eſſe*, non nudam intelligit fidem, ſed charitate veſtitam atque ornatam, id eſt, eam quæ per charitatem operatur. Nam charitas ædificat, 1. Corinth. 8. & proinde fides non ædificat niſi per charitatem. Porrò quamvis propriè contra Judæos agat Apoſtolus, poteſt tamen accommodari hic locus ad eos qui quæſtiones in diſciplinis, ac præſertim in ſacra Theologia, ſine fructu multiplicant, ingenij, ut ajunt, exercendi, ſeu verius, oſtentandi, gratia. Quo pertinet querela S. Thomæ in principio ſummæ Theologicæ, dùm ait, ejus doctrinæ novitios à profectu plurimum impediri propter multiplicationem inutilium quæſtionum, articulorum, & argumentorum. Non tamen exiſtimandum eſt (quod calumniantur adverſarij) pleraſque quęſtiones à Scholaſticis Theologis tractatas eſſe ejuſmodi: Sunt enim multę, quarum uſus, & neceſſitas etſi prima fronte non appareat, intelligitur tamen ab ijs qui rem propiùs conſiderant; quemadmodum benè oſtendit Melchior Canus lib. 12. Locorum Theologicorum cap. 5.

℣. 15. *Quorum primus ego ſum.* Non *primus* tempore, ſicut hoc intellexerunt quidam hęretici, qui dicebant, ut refert Aquinas, animam Adami, tranſeundo de corpore in corpus, ad Paulum uſque perveniſſe, & in eo fuiſſe; quaſi diceret, ego primus peccator, quia anima Adam qui primus peccavit, eſt anima mea. Qui ſenſus abſurdus & hęreticus eſt, ponens animarum tranſitum ſeu transmigrationem de corpore in corpus. Sed *primum* ſe dicit, peccatorum magnitudine, id eſt, maximum peccatorem, non quòd revera nullus eo fuiſſet major, etiam inter eos quos ſalvos fecit Chriſtus, ſed, vel hoc ſenſu; quia unus erat ex pręcipuis & inſignioribus, magno enim ſtudio & ardore perſecutus fuerat Eccleſiam Dei, quę res eum valde inſignem inter peccato-

tes faciebat : vel, quia omnium maximus eſſet peccator quantum ad ſuum ipſum judicium ; quod de ſe quidem affirmativum, de alijs autem negativum habebat ; velut ſi diceret, Scio me fuiſſe valde magnum peccatorem, & talem me ſemper in corde gero ; nec alium quemquam judico me majorem. Hoc enim veræ humilitatis eſt, ſimul & charitatis, ſeipſum accuſare, & alios non judicare. Sic è contrario ſe vocat omnium Sanctorum minimum Epheſ. 3. Senſus hic & probabilis eſt, & plurimum ædificat : De quo plura qui volet, Heſſelij commentarium legat ; ubi inter alia rectè docet, quomodo quiſque noſtrûm debeat veraciter judicare ſe eſſe maximum peccatorem ; quia nimirum ad eum pertinet ſua peccata præ oculis habere & ponderare ; de alijs autem meliora præſumere, & eorum peccata vel extenuare vel non attendere. Videantur & noſtra ſuper memoratum locum epiſtolæ ad Epheſios, & ſuper illud Philipp. 2. *In humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes.* Vide etiam S. Thom. 2. ſecundæ quæſt. 161. artic. 3.

Jam ad humilitatem Apoſtoli etiam hoc videtur referendum, quod non dicit, *quorum primus ego fui*, ſed, *ſum* ; tamquam adhuc talis eſſet. Debet enim unuſquiſque ſemper ante oculos habere ſtatum peccati, ex quo per Dei gratiam ereptus eſt, & in quo adhuc hæreret, ſi ſibi relictus eſſet : idque tum ob cuſtodiam humilitatis, tum ut divini beneficij magnitudo numquam ei effluat è memoria, ſed in continua gratiarum actione perſiſtens dona potiora mereatur. Quamquam quod dicit Apoſtolus, *quorum primus ego ſum*, ſecundùm expoſitionem Aquinatis & Cajetani poteſt ſic accipi, ut relativum *quorum*, non referat peccatores abſolutè, ſed peccatores ſalvatos à Chriſto ; ut nimirum reſpondeat ei quod præcedit, *peccatores ſalvos facere.* Peccator autem ſalvatus jam non eſt peccator ; ſicut languidus ſanatus, non eſt languidus. Itaque propriè dicere potuit, *quorum primus ego ſum* ; & huic ſenſui congruunt ſequentia.

CAPUT II.

℣. 3. **Q***Ui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Cùm certum ſit non omnes homines ſalvari, nec omnes credere, ſed paucos ex omnibus ; cumque non minùs certum ſit ex Scripturis, omnia fieri quæcumque fieri voluerit omnipotens Deus : Hinc quæſtio verſatur inter Theologos, quo ſenſu dictum ſit ab Apoſtolo, *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire* ; Quam quæſtionem nos etiam latè & accuratè tractavimus ad 1. Sentent. diſt. 46. Ut igitur quæ illic prolixiùs dicta ſunt, hîc in compendium contrahamus : Primò ſciendum eſt nonnullos Apoſtolicam ſententiam hoc modo interpretari ; *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, modo & ipſi velint.* Hujuſmodi enim conditionem in verbis Apoſtoli latere exiſtimant commentatores Ambroſiaſter & Pelagius. Quo etiam modo Rupertus Apoſtoli ſententiam exiſtimat ſupplendam, libro de volunt. Dei, cap. 12. amplexus commentarium hujus loci qui eſt Pſeudoambroſij, pro vero Ambroſio. Ab his reipſa non diſſentiunt, qui ſententiam ad hunc modum ſupplent ; qui vult, quantum in ipſo eſt, omnes homines ſalvos fieri. Dicunt enim Deum omnibus hominibus ſuppeditare media ſufficientia ad ſalutem conſequendam ; atque id volunt his Apoſtoli verbis ſignificatum eſſe. In eodem luto hic hæret Catharinus, cujus noxius commentarius eſt cavendus. Eo, inter cætera docet, non omnes ſalvandos eſſe prædeſtinatos. Ac putat ſecum ſentire Nazianz. quem non intellexit. Senſum hunc, velut ſanæ doctrinæ minus congruentem, rejiciunt Catholici Patres, Auguſtinus, Proſper & Fulgentius duplici ratione. Primùm, quia conditio memorata ab hominibus præſtari non poteſt, niſi Deo dante ; unde fruſtrà dicitur, modò ipſi velint ; quia & hoc ipſum ut velint, à divina pendet voluntate. Deinde, quia conſtat parvulos qui ſine baptiſmo moriuntur & pereunt, non poſſe velle. Unde nec dici poteſt Deum quantum in ipſo eſt, vel adultos ſalvare, quibus non dat velle ; vel parvulos, quibus ut baptizentur non providet. Loca Auguſtini præcipua, ſunt in epiſtola 107. ad Vitalem, & in Enchiridio, ubi de hac re diſſerit à cap. 95. uſque ad 103. & lib. 4. contra Julianum cap. 8. Adde, quod ſenſus ille ſcopo Apoſtoli manifeſtè repugnat : Hortatur enim Apoſtolus ad orandum pro omnibus hominibus. At, ſi ſenſus eſt, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quantum in ſe eſt, aut ; modo ipſi velint ; jam non ſequitur orandum eſſe Deum pro omnium ſalute ; ut qui, juxta hanc expoſitionem, id quod ſuarum eſt partium fecerit, dato omnibus ſufficienti auxilio ; ſed ſolùm exhortandi erunt homines, ut etiam ipſi velint, & quod in ſe eſt, utentes auxilio conceſſo ; faciant. Hac igitur expoſitione reprobata, quam nec B. Thomas inter quinque à ſe enumeratas expoſitiones agnoſcit, ſed magis rejiciendam ſignificat, ſubjiciamus alias probabiliores, quas fermè eaſdem etiam Joannes Heſſelius in commentario diligenter eſt proſecutus. Una eſt, quæ in verbis Apoſtoli diſtributionem facit accomodam, hoc ſenſu : Deus vult ſalvos fieri omnes quicumque ſalvantur, quia nemo ſalvatur niſi Deo volente ; & ideo rogandus eſt Deus ut velit. Ita Auguſtinus enchirid. 103. & alibi. Secunda expoſitio diſtributionem facit pro generibus ſingulorum, ut ſit ſenſus, Deum velle omnis generis homines ſalvari, ut Judæos, gentiles, ſervos, liberos, principes, privatos, doctos, indoctos &c. Hæc quoque expoſitio apud Auguſtinum eſt in eodem loco. Tertia eſt Damaſceni lib. 2. de orthodoxa fide cap. 29. ubi Apoſtolum exponit de voluntate Dei antecedente ; ſecundùm quam dicitur Deus velle omnes homines ſalvari, & regnum ipſius conſequi ; quatenus eos creavit, non ut puniat, ſed ut bonitatis ſuæ ac beatitudinis participes efficiat. Nam punitio atque damnatio ex peccatu eſt, non ex prima hominis inſtitutione : Non igitur illam Deus vult antecedente, ſed conſequente voluntate. Notandum autem quod voluntatem antecedentem exprimunt interdum doctores per illam phraſim, quantum in ſe eſt ; ut B. Thomas lib. 3. contra gentes cap. 59. Dicit enim quod Deus, quantum in ſe eſt, paratus eſt omnibus gratiam dare, quia vult omnes homines ſalvos fieri. Nam quod loquatur de voluntate antecedente, ſeu præveniente peccatum, quo gratiæ Dei ponitur impedimentum ; patet ex ijs quæ ſequuntur eodem loco, quod & probatur ex Summa ejus Theologica p. 1. quæſt. 19. art. 6. ad 1. ubi diſertè locum hunc Apoſtoli ex Damaſceno interpretatur de voluntate antecedente. Significat ergo quòd ſi peccatum non interveniſſet, omnes habuiſſent gratiam & perveniſſent ad ſalutem. Verùm quoniam illud quod dicitur, Deum quantum in ſe eſt, velle omnes ſalvos fieri, & paratum eſſe ad dandum omnibus gratiam, vulgò accipi ſolet in eum ſenſum, quem ſupra rejecimus : Idcirco idem S. doctor in Summa, ubi exactius loqui ſolet, abſtinuit ab ea phraſi, nolens cuiquam occaſionem errandi præbere. Quarta expoſitio eſt de Chriſto atque humana ejus voluntate ; ut ſenſus ſit, Chriſtum qui eſt Salvator noſter, non nos tantùm ſed omnes homines velle ſalvos fieri & ad fidem adduci, velle, inquam, non abſoluta rationali voluntate, quæ divinæ voluntati per omnia conformis eſt, ſed voluntate deſiderij ſeu pietatis, quam velleitatem vocant. Quinta eſt eorum qui putant Apoſtolum loqui de parte velut de toto quodam ; quæ forma locutionis in ſcripturis non eſt infrequens, ubi de multitudine ſermo eſt ut Philip. 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Ita ſenſus eſt, Deum

velle

velle omnes ſalvos fieri, quòd eorum quos ſalvos fieri A vult, & proinde ſalvos facit, tanta ſit multitudo, ut ſuo quodam modo poſſint dici *omnes*. Sexta expoſitio eſt; Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus vult & facit pios homines velle ſeu deſiderare omnium ſalutem; ut exempli gratia, Paulum ipſum, qui dixit, *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* 1. Corinth. 9. & Ambroſium ſuper Lucæ 19. ubi Zachæi tractat hiſtoriam, ita loquentem: *Nolumus offendere divites, quos volumus, ſi fieri poteſt, ſanare omnes.* Cùm enim ipſa Dei voluntas in ſe ſit nobis occultiſſima; rectè & convenienter, hoc eum velle dicimus, quod vult in ſuis amicis qui ſunt homines Dei; idque non tantùm præcipiendo ut velint, ſed etiam hoc ipſum in eis operando, quemadmodum eam rem doctè explicat Auguſtinus lib. 22. de civit. cap. 1. & 2. & lib. de cor- B rep. & gratia cap. 15. Atque hunc ſenſum adfert B. Thomas ſecundo loco in commentario. Nec dubium quia hic ſenſus admodum congruat inſtituto & contextui Apoſtolico. Quod enim præcipit pro omnium ſalutē orandum eſſe; optimè probatur hac ratione, *quia id bonum eſt & acceptum Deo, qui vult omnes ſalvos fieri*; id eſt, vult ut omniū ſalutem deſideremus, atque hoc ipſū deſideriū in nobis operatur. Hinc enim conſequens eſt, impellente hujuſmodi deſiderio divinitus inſpirato, pro omnium ſalute nobis orandum eſſe. Amplius verò ſenſum hunc confirmat, quòd non dicat Apoſtolus, Deū velle omnes ſalvos facere & ad agnitionē veritatis adducere; ſed *omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quo ſermone magis ſignificatur voluntas noſtra quam à Deo habemus pro ſalute omnium, quàm voluntas quæ propriè ſit ipſius Dei. Nam Deus ipſe to- C tam ſalutem electorum ſuorum operatur; ideoque propriiſſimè voluntatem habet eos ſalvandi, & ad fidem perducendi; imò fidem ipſam donandi. Unde & Salvator noſter (id eſt, electorum) hoc loco vocatur. Et infrà cap. 4. dicitur: *Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Nobis autem qui non ſumus ſalvatores, ſed ſalvandi, propriè competit habere voluntatem ut nobiſcum omnes ſalvi fiant, & ad veritatis notitiam perveniant; utque ex illa voluntate pro omnibus oremus, juxta ſenſum ſuperius explicatum. Quamvis ergo Deus non velit omnes ſalvos facere, ſed ſolos electos; vult tamen omnes ſalvos fieri, ſcilicet per nos & quantum in nobis eſt, dum præcipit nobis ut omnium ſalutem quæramus; & hoc ipſum ſtudium ac deſiderium in D nobis operatur. Ex quibus patet, ſeptimam expoſitionem ſextæ eſſe vicinam, & in ea velut inneсti: Secundùm quam dicitur Deus omnes homines velle ſalvari, quia præcipit à nobis agi ut omnes ſalventur. Et aptiſſima eſt hoc intellectu probatio Apoſtoli. Pro omnibus eſt nobis orandum, quia Deus præcipit, ut omnium ſalutem velimus & agamus. Octava expoſitio eſt, Deum velle omnes ſalvos fieri; quatenus media quædam & auxilia generalia contulit ac propoſuit humano generi in univerſum; quibus nimirum poſſint homines ad ſalutem perduci, licèt hæc ad ſalutem conſequendam, abſque medijs & auxilijs ſpecialibus, minimè ſufficiant. Talia ſunt, creatio hominis ad beatitudinem, lex naturæ mentibus omnium impreſſa, ſpeculum totius creaturæ, beneficium redemptionis Chriſti toti mundo expoſitum & ex Chriſti præcepto per omnes gentes E prædicandum. Hic ſenſus eſt apud Proſperum lib. 2. de vocat. gent. per aliquot capita; & in reſponſis ad 1. & 2. objectiones Vincentianas: eumdemque latè proſequitur Heſſelius in commentario. Favere etiam videntur ſequentia verba Apoſtoli, quibus creationis ſimul & redemptionis noſtræ beneficium commendat, dicens: *Unus enim Deus*, nempe creator: *Unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Harum octo expoſitionum, prima; ſecunda & quinta ſenſum faciunt haud prorſus univerſalem, uti manifeſtum eſt; multos enim homines exceptos relinquunt; & proinde non conveniunt inſtituto Apoſtoli, qui docere vult orandum eſſe pro omnibus hominibus ſine exceptione. Adde quod ita dicitur Deus omnes velle ſalvos fieri, ut etiam addi poſſit quod neminem velit perire. Nam utrumque conjunxit Petrus Apoſtolus 2. ep. 3. dicens *Deum nolle aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*, atqui hæc negatio non recipit dictas tres expoſitiones; ergo nec illa affirmatio. Porrò tertia expoſitio voluntatem ſalutis nimium extendit. Si enim de antecedente voluntate ſermo eſt, fatendum erit quod Deus dæmones, animaſque damnatas, ſalvas fieri etiam velit: Nec ratio redderetur ab Apoſtolo cur pro omnibus hominibus orandum ſit, niſi concedamus etiam (quod abſit) pro damnatis orandum eſſe. Quarta quoque expoſitio non parum habet difficultatis. Nam ex ea ſequitur Chriſtum non ſolùm in terris agentem, verùm etiam nunc in cælo regnantem, habere voluntatem optativam ſalutis hominum reproborum. Loquitur enim Apoſtolus de præſenti, *qui vult* &c. abſurdum autem videtur ejuſmodi voluntatem Chriſto tribuere, ſicut & ſpiritibus beatis, quorum omnium voluntas perfectè conformis eſt voluntati divinæ. Reſtant tres poſtremæ expoſitiones; quas ut ſenſu commodas; & Apoſtolico contextui congruentiores, præ cæteris amplectimur & probamus, ſextam maximè & ſeptimam. Nam octava non perinde poteſt ſingulis hominibus accommodari; velut amentibus, infantibus &c. cùm tamen Apoſtolus docere velit pro ſingulis orandum eſſe. Jam circa textum quæritur, cur Apoſtolus inverterit ordinem temporis, dicendo, *Qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; cùm utique priùs ſit agnoſcere veritatem, id eſt, credere, quàm ſalvum fieri. Reſpondeo, Apoſtolum de voluntate Dei loquentem non temporis, ſed cauſalitatis ordinem ſpectaſſe. Nam intentione voluntatis prior eſt finis quàm media ad finem; ut in propoſito, ſalus hominum, quàm fides qua ſalvantur. Atque hinc oſtenditur, electionem tam hominum quam Angelorum ad gloriam, ſimpliciter eſſe priorem ea quæ eſt ad gratiā.

℣. 6. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Quod ait *pro omnibus* univerſaliter accipiendum videtur; ſicut illud quod ſuprà monuit pro omnibus hominibus orandum eſſe: ad id enim probandum hæc pars cum præcedentibus eſt referenda. Si quæras, quomodo pro omnibus hominibus redimendis Chriſtus ſemetipſum dederit; cùm tam multi ſint, & fuerint omnibus ſeculis, in captivitate & morte relicti, ac proinde redemptionis hujus expertes. Reſpondet in commentario Pelagius: Ille ſe pro omnibus dedit, ſi omnes redimi vellent. At multò meliùs magiſque Catholicè quæſtionem ita diſſolvit B. Proſper *in Reſp. ad 1. object. Vincent.* Quod ad magnitudinem, inquit, & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, ſanguis Chriſti redemptio eſt totius mundi; ſed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cùm itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam à Domino noſtro in veritate ſuſceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate ſint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti, & paucis interpoſitis; poculum quippe immortalitatis, quod confectum eſt de infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur. Hæc ille; prorſus conſentaneè cum eo quod Scholaſtici dicunt Chriſtum ſufficienter, non efficienter omnes redemiſſe. Ex quo etiam oſtenditur hujus ſcripturæ & ſimilium concordia, cum alijs ſcripturis, quæ Chriſtum

pro

A pro multis mortuum eſſe, & ad multorum redemptionem veniſſe teſtantur, ut Matth. 20. & 26. Marc. 14. & Hebr. 9. Multos enim, efficienter, omnes, ſufficienter redemit. Veruntamen ſciendum eſt, nulla neceſſitate nos cogi ad hunc intellectum, quo illud, *pro omnibus*, ad omnes omnino & ſingulos homines referatur. Poteſt enim convenienter, & ſecundùm morem ſcripturæ ſic accipi; *pro omnibus*, id eſt, pro hominibus omnium gentium, ſeu pro hominibus toto orbe diſperſis; juxta illud quod redempti Chriſto canunt Apoc. 5. *Redemiſti nos Deo, in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Porrò quoniam nobis incognitum eſt, qui ſint ex omnibus gentibus ad redemptionem & ſalutem prædeſtinati; propterea ſic pro omnibus abſolutè oramus ut, quod ad ſingulos attinet, neminem velimus ab oratione B noſtra excluſum. Ex quo patet quàm aptè, etiam ſecundùm hunc ſenſum, pars iſta ſuperioribus cohæreat.

CAPUT III.

℣. 1. *SI quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Apparet fuiſſe quoſdam eo tempore qui Epiſcopatum cupidè appeterent; eos Apoſtolus hoc loco nec laudans nec reprehendens, ante omnia docet qualem oporteat Epiſcopum eſſe, non ſolùm ut Timotheus in iis conſtituendis bonum faciat delectum, verùm etiam ne quis indignus ſe ingerat. Quamquam C & dici poteſt Apoſtolum loqui ad hunc modum, quod ſpiritu Prophetico præviderer multos in Eccleſia futuros, qui magno ſtudio & ambitione ad Epiſcopatus contenderent. Quare hujuſmodi inordinatam & immodicam appetentiam reprimere ſtudet declaratione operis cujus debitor eſt quiſquis eſt Epiſcopus; & earum proprietatum, quæ in Epiſcopo requiruntur, quæque tales ſunt ut meritò hominem infirmitatis ſuæ conſcium deterreant ab Epiſcopatus onere ſuſcipiendo; quod, ex ſententia Patrum concilij Tridentini, etiam Angelicis humeris eſt formidabile. Notandum autem eſt, Epiſcopatum eſſe munus, poteſtatem, dignitatem ſeu præfecturam Epiſcopalem; ſicut Apoſtolatus eſt munus ac poteſtas Apoſtolica. Et tamen quia is qui Epiſcopatum habet, eſt debitor operis ad quod ea poteſtas deſtinatur, idcirco qui Epiſcopatum D appetit, is; tamquam effectum in ſua cauſa, opus Epiſcopale appetit: Ut meritò dicat Apoſtolus, eum qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderare. Et in hunc ſenſum loquitur B. Aug. lib. 19. de civit. cap. 19. ubi ait quòd Apoſtolus voluit exponere quid ſit Epiſcopatus, quia nomen eſt operis, non honoris, ſignificat enim ἐπισκοπὴ ſuperintendentiam, non eminentiam otioſam. Si quæritur, an liceat Epiſcopatum appetere, quod hic Apoſtolus non determinat: De dignitate quidem & honore Epiſcopali, abſoluta eſt ibidem Auguſtini reſponſio, *Locus ſuperior*, inquit, *ſine quo regi populus non poteſt; etſi ita teneatur atque adminiſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur.* Quod ſi de opere ſermo ſit, nec illud ſimpliciter appetendum eſt, ſed urgente Eccleſiæ neceſſitate ſi imponi- E tur, ſuſcipiendum. Unde conſequenter eodem loco Auguſtinus, *Otium ſanctum quærit charitas veritatis; negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati: Si autem imponitur, ſuſcipienda eſt propter charitatis neceſſitatem.* Sic ille. De qua re vide B. Thomam plenius diſputantem tum hoc loco, tum in 2. 2. q. 185. art. 1. *Bonum opus*, alij *honeſtum*, alij *præclarum* interpretantur; omnia enim hæc Græco nomine καλὸν ſignificantur; eademque omnia veriſſimè competunt in hoc opus de quo agi- A tur. Nam publicam & æternam ſalutem multitudinis procurare, opus eſt excellenter bonum & honeſtum, ac proinde præclarum & eximium.

℣. 2. *Unius uxoris virum.* Variæ ſunt hujus loci expoſitiones; partim Catholicorum, partim hæreticorum. In primis autem ineptus eſt & ſolis, nec omnibus, hæreticis probatus commentarius, Apoſtolicum eſſe præceptum, ut omnis Epiſcopus uxorem habeat, ſed unam duntaxat: Idemque de presbyteris & diaconis eſſe judicium; quoniam & de diaconis infrà ſtatuitur, ut ſint unius uxoris viri. In hac ſententia fuiſſe videntur Epiſcopi quidam Vigilantij conſortes, de quibus Hieronymus adverſus Vigilantium diſſerens, *Non ordinant*, inquit, *diaconos, niſi prius uxores duxerint; nulli cælibi credentes pudicitiam, imo oſtendentes quam ſanctè vivant, qui malè de omnibus ſuſpicantur.* Facile autem hic B ſenſus refellitur ipſis Sanctorum exemplis. Nam nec Paulus ipſe, nec Timotheus, uxorem habuit; Apoſtoli verò qui uxores habuerunt, eas propter Chriſtum & Evangelium dimiſerunt: Ut nihil jam dicamus de tot ſanctiſſimis Epiſcopis primitivæ ac veteris Eccleſiæ, quorum nullus uxorem ducit. Si quis autem ante Epiſcopatum duxiſſet; eam, deinceps continenter victurum, à ſe removebat. Neque verò præceptum hujuſmodi de ducenda aut habenda uxore, conſiſteret cum eo quod idem Apoſtolus 1. Corint. 7. dicit, *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum*, id eſt, abſtinentes & liberos à conjugio. Sanè etiam noſtri temporis ſectarij, perſpecta rei abſurditate, non multum tribuunt illi commentario Vigilantiano; ſed alium ejus loco obtru- C dunt. Dicunt enim Apoſtolum præcipere, ut Epiſcopus non habeat ſimul plures uxores; quemadmodum tunc quidam ex Judæis, antiquos Patres imitati; quidam etiam ex gentibus nuper converſi adhuc habebant, hoc enim Epiſcopo non permitti, ne ſuſpectus ſit de impudicitia: Sed præcipi, ut ſi continere nolit, una uxore ſit contentus. Meminit hujus expoſitionis Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Titum; ſed alieno tantùm nomine. Rurſus meminit, in epiſtola ad Oceanum de unius uxoris viro, ſed & ibi ſatis oſtendit eam ſibi non placere, cum eam allaturus præfatus malo nodo malum quærendum eſſe cuneum. Chryſoſtomus quoque & ejus ſequaces eamdem expoſitionem adferunt hoc loco; ſed, quod minus eam probarint, argumento eſt, quòd ſcribentes poſtea in epiſtolam ad Titum, ubi hoc præceptum repetitur, nullam memoratæ ex- D poſitionis faciunt mentionem. Sententiunt enim quam parum aut nihil habeat probabilitatis; ſive propter Judæos dicatur Apoſtolus hoc præceptum poſuiſſe, ſive propter gentiles. Nam apud Judæos quidem jam propemodum deſierat polygamia; ſive ob conſuetudinem cum Romanis, quibus ſubjecti erant; ſive ipſa naturæ lege ac primæva matrimonij inſtitutione, eos admonente: Ad quam etiam Chriſtus, ſua ipſius lege, matrimonium reduxerat; Matth. 19. citans ipſa primæ inſtitutionis verba, *Propter hoc relinquet homo* &c. Ex quo liquet nulli Chriſtiano licitum aliquando fuiſſe plures ſimul habere uxores. Nulla igitur ratio erat cur id peculiari præcepto Epiſcopis prohiberetur. Quod verò ad gentiles attinet; doctè reſpondet B. Thomas in commentario epiſtolæ ad Tit. 1. nihil opus fuiſſe E ut propter eos de Epiſcopo ſtatueretur, ne plures haberet uxores; quandoquidem ſecundùm leges Romanas (quibus regebantur etiam Aſiani, quorum cauſa hæc ſcribuntur) non licebat cuiquam plures ſimul uxores habere. Quod etſi licuiſſet; per legem tamen Chriſti non licebat Chriſtianis, ut dictum eſt. Addit idem doctor certiſſimam refutationem dictæ expoſitionis, ex ipſo Apoſtolo; qui cap. 5. hujus epiſtolæ ſimiliter de vidua eligenda dicit, *quæ fuerit unius viri uxor*; quod profectò nulla ratione ſic exponi poteſt, quæ non habuerit ſimul plures maritos: Id enim conſtat nuſquam gentium ulla lege vel conſuetudine factum aut permiſ-

ſum

ſum umquam fuiſſe. Has omnes rationes ſi conſideraſſet Cajetanus; non fuiſſet eam quam refellimus interpretationem amplexus, tam hoc loco quàm in commentario epiſtolæ ad Titum. Quod enim poſterius hoc argumentum ſolvere conatur, dicens, Apoſtolum de vidua loquentem uti præterito tempore, *qua fuerit unius viri uxor*; cum de Epiſcopo loquatur in præſenti: Nihil efficit. Nam de Epiſcopo quidem indefinitè loquitur Apoſtolus, quoad tempus, ut etiam ad præteritum referri poſſit; id quod Syrus interpres tam hoc loco quàm in epiſtola ad Titum, exprimendum putavit, dicens, *qui fuerit unius uxoris vir.* De vidua autem idcirco loquitur Apoſtolus in præterito, quoniam ſi in præſenti virum haberet, vidua non eſſet; quare, ſi Apoſtoli de Epiſcopo loquentis, ſenſus eſt; qui non habeat, ſimul plures uxores, ergo ejuſdem de vidua loquentis; ſenſus erit, quæ non habuerit ſimul plures maritos, quod omnino fruſtrà & inaniter dici jam oſtendimus. Eſt igitur hujus loci verus commentarius, *oportere Epiſcopum eſſe unius uxoris virum*, id eſt, oportere ut ſi uxorem habeat aut habuerit; non tamen ſecundam acceperit, ſed unam tantùm; ſive eam adhuc habeat ſive non. Sic enim & paulo pòſt vult eum *filios habere ſubditos* &c. Id eſt, ſi filios habeat, ut ſubditi ſint. Unum ergo non opponitur nulli, ſed pluribus; eſtque negatione plurium exponendum, eo modo quo diximus. Tradunt hunc ſenſum Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius ſuper epiſtolam ad Titum; Hieronymus in eamdem ſcribens epiſtolam, nec non in epiſtola ad Oceanum; & in univerſum Latini commentatores, & alij præterea à nobis citati ad diſt. 27. & 37. lib. 4. ſententiarum. Denique, propter hanc Apoſtolicam legem iſto modo intellectam, Eccleſia bigamos à ſacris ordinibus ſemper repulit; bigamus utique intelligens eos qui priori conjuge mortua duxiſſent alteram, Fatendum quidem eſt Apoſtolum permittere ut in Epiſcopum eligatur qui uxorem habeat; verùm id pro tempore, propter paucitatem eorum qui & cœlibes eſſent & ad Epiſcopatum idonei. Plerique enim ante fidem ſuſceptam conjugium inierant: Cælibes autem aut nimium juvenes erant, aut libertatis amore potiùs quam ſtudio caſtitatis conjugium refugerant, in gentilitate adhuc conſtituti. Poſteaquam verò multi ab infancia cœperunt Chriſtiana religione ac moribus inſtitui, & ad Eccleſiaſtica miniſteria aptari: Non facilè quiſquam uxoratus ad Epiſcopatum aſſumebatur; nec id aliter quàm ſi pari conſenſu cum uxore continentiam ſervaret. Nam id ab ipſis Apoſtolorum temporibus obſervatum in Eccleſia fuiſſe, probant antiquiſſimi canones; inter quos eſt 2. concilij Carthaginenſis canon ſecundus, quo cùm Epiſcopis, presbyteris & diaconis continentia præciperetur qua etiam ab uxoribus abſtinerent; ſubjecit concilium hæc verba, *Ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas; nos quoque cuſtodiamus.* Sed ea de re pluribus egimus ad dictam diſtinctionem 37. lib. 4. Illud autem omnino certum & evidens, etiam Græcorum teſtimonio, quemadmodum eodem loco oſtendimus, numquam in Eccleſia Dei permiſſum fuiſſe, ut quis Epiſcopus aut presbyter uxorem duceret: Licet de uſu uxoris antea ductæ, Græci poſteriores à Latinis opinione ſimul & praxi diſſentiant. Reſtat quærendum, qua ratione Apoſtolus bigamum ab Epiſcopatu, & paulo inferiùs etiam à diaconatu, repellat. Hujus rei alij moralem, alij myſticam cauſam reddunt. Nam Hieronymus in expoſitione epiſtolæ ad Titum, & pleniùs in epiſtola ad Oceanum, hanc adfert rationem, quia bigamia argumentum eſt incontinentiæ: Meritò autem à ſacris miniſterijs arcentur, quos incontinentiæ ſuſpicio gravat. Eamdem Apoſtoli præcepti rationem urgent Chriſoſtomus ac cæteri commentatores Græci. Nec diſſentit Epiphanius qui in hæreſi 59. quæ eſt Catharorum, dicit hoc conſtitutum propter excellentem Sacerdotum dignitatem & honorem. Spectat eodem quod alij dicunt, hanc cauſam eſſe, ut Epiſcopus poſſit viduas adhortari ad continentiam. Sunt enim morales hæ rationes, ac penè coincidunt. Verùm alij rationem aſſignant ex ſignificatione conjugij; dicunt enim bigamum à ſacris Ordinibus arceri propter defectum Sacramenti, id eſt, ſacræ ſignificationis. Cùm enim Epiſcopus gerat vicem Chriſti, atque ejus perſonam peculiari ratione repræſentat tamquam vicarius Eccleſiæ ſponſus; non erit ad eam repræſentationem idoneus, qui dum eſſet in matrimonio eamdem Chriſti perſonam imperfectè tantùm & defectivè ſignificavit. Chriſtus enim unicam ſibi ſponſam copulavit per Incarnationis myſterium; & ſimiliter Eccleſia uni ſponſo copulata eſt. *Deſpondi vos*, ait Apoſtolus 2. Corinth. 11. *Uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Cujus rei ſignificatio in eo qui plures ſibi copulavit uxores, haud ſubſiſtit. Hanc rationem tradit & explicat Auguſtinus lib. de bono conjugali cap. 18. & ante eum Ambroſius lib. 1. offic. cap. 50. & in epiſtola 82. quæ eſt ad Eccleſiam Vercellenſem. Eam proinde probarunt Romani Pontifices Innocent. 1. epiſt. 2. & 22. & Leo 1. epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos: Atque alij deinceps, ut videre eſt in decretalibus de bigamis non ordinandis. Quamvis igitur probabiliter poſſit dici Apoſtolum ad utramque rationem, ſcilicet moralem & myſticam reſpexiſſe (nam moralem etiam rationem pulchrè & graviter urget Ambroſius, utroque loco ſupra citato) tamen hanc poſteriorem apparet eſſe primariam. Etenim ſi Apoſtolici præcepti ratio purè moralis eſſet; multò magis arcendi erant qui vel concubinam in gentilitate habuiſſent, vel fornicati fuiſſent: Quos tamen, ſi poſt baptiſmum caſtè vixerint, Eccleſia receperit etiam ad Epiſcopatum. Dicet aliquis, Paulum etiam in vidua requirere, ut fuerit unius viri uxor; ubi tamen nullum videtur ſubeſſe myſterium. Reſpondeo nec ibi myſterium deeſſe; quia viduæ Eccleſiæ repræſentabant fidelibus honorem vidualis caſtitatis; ad hóc autem repræſentandum illa non erat idonea, quæ poſt mortem mariti nupſerat alteri, etiamſi ante baptiſmum id factum fuiſſet: Quemadmodùm nec velamen ſacrum inter virgines accipere debet, quæ corrupta fuerit ante baptiſmum. Sic ergo nec is qui ſecundam uxorem duxit, etiam ante baptiſmum; debuit in Epiſcopum aſſumi: Secùs quàm privata opinione ſenſit Hieronymus, qui priorem tantùm rationem putaverat conſiderandum.

℣. 15. *In domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei vivi; Columna & firmamentum veritatis.* Pro *firmamento*, Græcè eſt, ἑδραίωμα, id eſt, *fulcimentum*, ſeu *ſtabilimentum*, ut alij verterunt. Eſt enim vox diverſa ab ea quæ initio Geneſis & alibi habetur apud LXX. nimirum στερέωμα. Pro qua Latini paſſim firmamentum legunt, licet Hebræa vox expanſionem ſignificet. Senſus igitur Apoſtoli eſt; Eccleſiam eſſe columnam & fulcimentum veritatis; quia ſicut columna ſuppoſita ſuſtentat, firmat & fulcit ædificium, ne corruat; ita Eccleſia veritatem, hoc eſt, doctrinam fidei Chriſtianæ, ſibi concreditam ſuſtentat & conſervat ne corrumpatur aut pereat; ut ſi quis veritatem quærat, non alibi certius quàm in Eccleſia quæ firmiſſima baſis & certiſſima cuſtos eſt veritatis, eam ſit reperturus. Hunc ſenſum præter Catholicos commentatores etiam Pelagius dedit; nam poſt hæc verba, *columna & firmamentum veritatis*, pro ſcholio ſubjicit: *In qua ſola veritas ſtat firmata; qua ſola ſuſtinet ædificium.* Hinc jam manifeſtè liquet contra noſtri temporis hæreticos, Eccleſiam Chriſti, eamque viſibilem, in qua ſunt Epiſcopi, presbyteri diaconi per Timotheum aliosque Apoſtolorum ſucceſſores ordinati, & in qua Petri, Damaſique ſucceſſor præſidet; in doctrina fidei errare non poſſe, & proinde veritatem hujuſmodi doctrinæ ab ea petendam eſſe: Id quod inter alios copioſè docet & declarat Apoſtolicus ſcriptor Irenæus libro 3. contra hæreſes

cap. 3. & 4. Et lib. 4. cap. 63. Liquet etiam, generale concilium à Petri ſucceſſore confirmatum, in ijs quæ fidei ſunt errare non poſſe. Cùm enim ejuſmodi concilium Eccleſiam repræſentet, & ab eo omnes alij fideles doctrinam ſalutis accipere debeant, utique conſequens foret, tam in præcipuis membris quàm in minoribus Eccleſiam errare, ſi ejus modi concilium erraret. De eadem te conſule Joannem Heſſelium commentantem in hunc locum. Sed quæres unde Eccleſia habeat quod ſit columna & firmamentum veritatis? Reſpondeo id eam habere à Chriſto, per promiſſiones infallibiles ipſi Eccleſiæ & Petro capiti ejus factas, quas hoc loco non opus eſt commemorare. Rurſum quæres, quomodo Eccleſia ſuſtentet veritatem, cùm ipſa potiùs per veram doctrinam ſuſtentetur & contineatur: Sed facilis eſt reſponſio nihil hæc pugnare, ſed alterum eſſe alterius cauſam: Per hoc enim Eccleſia veritatem ſuſtentat, alijſque indefectibiliter miniſtrat, quoniam ipſa, juxta promiſſiones ſibi factas, in veritate firmatur à Deo, & per eamdem veritatem conſervatur, quam rem pulchrè explicat Beda ſuper illud Proverb. 9. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* Atque idipſum ſatis indicant Græcorum commentarij in præſentem locum.

CAPUT IV.

℣. 3. PRohibentium nubere, Græcè, γαμεῖν, id eſt, contrahere matrimonium: Illud autem *nubere*, fœminis proprium eſt communi Latinorum uſu: tametſi & viris interdum tribuatur.

Ibid. *Abſtinere a cibis.* Non hic repetendum, *prohibentium*, ſed ſupplendum verbum ei oppoſitum, *præcipientium* ſeu *jubentium*, uti factum ab Eraſmo. Nam tales exorituros ſenſit Apoſtolus, qui & prohibeant nubere, & præcipiant à certis cibus abſtinere. Hujuſmodi phraſim, qua vel contrarium ejus quod præceſſit, vel diverſum aliquid, in poſteriori ſubauditur; etiam alibi in ſcripturis obſervare eſt: Ut Pſalm. 120. *Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem.* Jacob. 1. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſua; dives autem in humilitate ſua.* 2. Corinth. 5. *Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem.* Perversè locum iſtum interpretantur hujus ſæculi Novatores, dum ex eo legem Eccleſiaſticam cælibatus Sacerdotum, & quorumdam ciborum certis diebus præſcriptam abſtinentiam, ſugillant, velut doctrinam dæmoniorum. Etenim longè aliud eſt nuptias damnare, & cibos quoſdam ut ſuapiè natura malos & immundos refugere; quam ut dæmoniorum doctrinam meritò Paulus inſectatur: Aliud, abſtinere à nuptijs, ſtudio perfectioris continentiæ, aut à cibis quibuſdam, ſtudio temperantiæ aut caſtigandæ carnis. Quod utrumque, ſive ſimpliciter, ſive ex voto fiat, rectè ſancteque fieri nemo niſi hæreticus negaverit. Nec verò prohibet Eccleſia nuptias, dum ad ſacros ordines homines uxoratos non admittit, aut continentiam profeſſos ad vota Deo reddenda compellit: Nihilo magis quàm princeps dicendus ſit vel agriculturam prohibere, ſi ad militiam agricolas admittere nolit, vel ſuos ſubditos bonis ſpoliare, dum cogit eos ſolvere debita. Paulus ipſa hac eadem epiſtola capite ſequenti damnat *viduas quæ primam fidem irritam facientes nubere volunt*, Neque tamen nuptias damnat aut prohibet. Et certè rem bonam juſtis ex cauſis ad tempus aut in perpetuum prohiberi cuipiam poſſe, nulli dubium eſt. Ita medicus febricitanti uſum vini interdicit. Laudantur & Rechabitæ Jeremiæ 35. quòd perpetuam vini abſtinentiam ſibi à Patre indictam, ſervaſſent. Imò, prima lex homini data à Deo, lex fuit abſtinentiæ à fructu arboris, re utique bona ac Dei creatura. Non igitur rerum bonarum prohibitiones in univerſum damnandæ ſunt; ſed intereſt, quam ob cauſam & quo fine aliquid prohibeatur. Quod dum adverſarij noſtri diſcernere nolunt; antiquas hæreſes per calumniam nobis impingunt; ipſi veteres hæreſes reſorbentes.

℣. 10. *Qui eſt ſalvator omnium, maximè fidelium.* Germanus ſenſus eſt, quem reddiderunt Chryſoſtomus, Oecumenius, Ambroſianus, Anſelmus, & alij plærique; ut Deus omnium hominum ſalvator dicatur, quia dat omnibus aliquam ſalutem. Nam vita temporalis, & multa ejus vitæ bona, omnibus communia ſunt; nec aliunde profecta quàm à Deo authore, *Maximè* verò & propriè *fidelium ſalvator eſt*, intellige, eorum, qui in fide per charitatem operata perſeverant; quia ſolis, & omnibus ijs dat vitam æternam, quæ ſimpliciter ſalus appellari ſolet. Nec diverſa eſt ab his B. Proſperi ſententia qui lib. 2. de vocatione gentium c. 31. locum hunc intellexit de gratia quadam generali, id eſt, bonitate Dei effuſa ſuper omnes homines; licet ſpeciali gratia proſequatur ſuos electos. Plenior autem erit hic commentarius, ſi, cum Chryſoſtomo dicamus, Deum etiam in hac vita ſingulari quodam modo fidelium eſſe ſalvatorem: Quia laborantes adjuvat, ut ad ſalutem æternam perveniant; & quia ſalutem temporalem facit eis eſſe ſalutarem, id eſt, utilem & conducentem ad ſalutem æternam; denique quia cooperatur illis omnia in bonum, tam adverſa quam proſpera. Senſum hunc ipſe contextus Apoſtolicus poſtulat. Dixerat enim, *pietatem habere promiſſionem vitæ præſentis & futuræ*; quamvis vitæ præſentis beneficium Deus faciat omnibus commune, etiam impijs & infidelibus; Nam *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos*, Matth. 5. *Omnibus benè facit, de cælo dans pluvias, & tempora fructifera.* Act. 14. *Omnibus dat vitam; & inſpirationem, & omnia.* Act. 17. Quin etiam ad bruta animantia ſalus hæc terrena extenditur, dicente Pſalmiſta: *Homines & jumenta ſalvabis Domine*: Pſalm. 35. Conſtat autem ex alijs ſcripturæ locis, nomen ſalutis etiam in bonis vitæ temporalis intelligi; Unde & illud diſcipulorum in mari periclitantium; *Domine ſalva nos; perimus*, Matt. 8. Nam & Joſeph Patriarcha, quamvis in typo Chriſti, vocatus eſt Salvator mundi, propter ſalutem quamdam temporalem, quam mortalibus attulit Gen. 41. Liquet ex his, perperam à non nullis adduci hunc Apoſtoli locum, quo ſtabiliant doctrinam ſuam de gratia ad ſalutem ſufficiente, quam dicunt omnibus hominibus offerri. Quem ſenſum Ambroſius Catharinus ex Proſperi loco malè intellecto, quem titulo B. Ambroſij citat, fruſtrà huc invehere conatur. Conſtat enim ex tota diſputatione præcedente, Proſperum eo loco agere de generali beneficentia Dei, qua ad ſui notitiam & cultum homines invitat: De qua & Paulus Act. 14. quam tamen negat abſque ſpeciali gratia (quæ non omnibus ſed paucis datur) ad juſtitiam & ſalutem ſufficere.

CAPUT V.

℣. 3. V*Iduas honora quæ verè viduæ ſunt.* Timotheum inſtruit, quem delectum habere debeat in *viduis honorandis*, id eſt, alendis ac ſuſtentandis publico ſumptu Eccleſiæ. Quæ quidem ſuſtentatio, nomine *honoris* ſive *honorationis* idcirco ſignificatur, quia fiebat cum teſtimonio virtutis earum quæ ſic alebantur. Eſtque ea honoris acceptio frequens in ſcripturis: Unde eſt illud decalogi; *Honora Patrem & Matrem*; quod de honore ſuſtentationis ipſe Dominus expoſuit Matth. 15. Item quod infrà dicitur hoc eodem capite; *Qui bene præſunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur.* Quod ergo dicit Apoſtolus tale eſt, eas viduas quæ verè viduæ ſunt, recipe in numerum vidua-

rum

rum quæ ex oblationibus fidelium aluntur: Videlicet ad exemplum earum viduarum de quibus agitur Actor. 6. De virginibus honorandis Apoſtolus nihil ſcripſit, quia loquitur de honore ſuſtentationis. Atqui non virgines, ſed viduæ egentes ac deſolatæ, ſumptibus Eccleſiæ ſuſtentandæ erant. Nam virgines à ſuis parentibus alebantur. *Verè viduas* intelligit non ſecundùm nominis ſignificationem (ſic enim ſi verę viduæ erant etiã illæ, quæ rebus neceſſarijs abundabant) ſed ſecundùm nominis etymologiam; id eſt, eas viduas, quæ ſubſidijs ac ſolatijs humanis deſtitutæ ſunt. Græcis enim χήρα, vidua, derivatur ἀπὸ τοῦ χηρεῦσθαι, id eſt, deſolari, deſtitui, privari; id quod etiam viduari Latinè dicitur. Atque huc apertius paulò pòſt alludit, dicens: *Quæ autem verè vidua & deſolata.*

℣. 8. *Si quis autem ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negavit.* Non quidem verbo, ſed facto, ſicut de quibuſdam dicit ad Tit. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Peculiariter autem per ea crimina quis cenſetur facto negare fidem, per quæ fit ut alij Deum Chriſtianorum blaſphement, aut à fide ac religione ejus avertantur. Tale erat in primitiva Eccleſia, ſi filij curam parentum egenorum abjicerent, ſi ſervi dominis obedientiam detrectarent, ſi Chriſtiani tributum principibus negarent. Hæc enim ſtatim in injuriam religionis vertebantur. Unde capite ſequenti; ſervis præcipiens quid dominis debeant, ſubjungit, *Ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Sentit ergo Apoſtolus eum qui propinquos, præſertim parentes ſenio confectos atque egentes, deſerit, perinde facere atque ſi fidem negaret. Nam fidei Chriſtianæ derogat, dum facto ſuo infideles à fide ſuſcipienda avertit.

Ibid. *Et eſt infideli deterior.* Quia nimirum infideles etſi inimicos ſuos ſe odiſſe profiteantur; domeſticorum tamen curam habere ſolent, ducti lege naturæ; quam utique in hac re non violant. Igitur hac parte fidelis, ſi curam ſuorum non habeat infideli deterior eſt. Dico; *hac parte*; nam abſolutè deteriorem eſſe, non eſt neceſſe. Notandum eſt autem Apoſtolum non dixiſſe, *fidem amiſit*, ſed *negavit*; nec rurſum dixiſſe, eſt infidelis, ſed, *infideli deterior*; ne quis ex his Apoſtoli verbis colligat fidem quocumque peccato mortali amitti. Quod à Luthero aſſertum, à Patribus concilij Tridentini damnatum eſt ſeſſ. 6. cap. 15. & can. 27. Quin è diverſo potius ſequitur, ſi eſt infideli deterior; ergo non eſt infidelis.

℣. 11. *Cum enim luxuriata fuerint in Chriſto, nubere volunt.* Poſtquam ſaginatæ fuerint pane Eccleſiæ, & in delitias carnales reſolutæ cœperint laſcivire & protervè agere adverſus Chriſtum, quem ſponſum elegerant, nubere volunt homini mortali, Chriſtum faſtidientes. Hæc Græcorum expoſitio eſt: Qui & colligunt ex hoc loco, viduam, de qua loquitur Apoſtolus, Chriſtum habere maritum; id eſt, profeſſione caſtitatis ei conjunctam eſſe. Verba Chryſoſtomi ſunt: *Et vidua igitur Chriſto in viduitatis profeſſione conſentit*; id eſt, Chriſto tamquam ſponſo nubit. Hæc verò Theodoreti: *Cum enim Chriſto profeſſa ſint in viduitate caſtè vivere; ſecunda matrimonia contrahunt.* Idem ſignificant illa Hieronymi verba; *In injuriam viri ſui Chriſti.* Nam quod ait: *Cum fornicata fuerint*, ſpeciem pro genere poſuit, q. d. cùm deliciatæ fuerint, cùm delicijs & voluptatibus ſeſe dederint.

℣. 12. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerant.* Qui datam fidem rejicit, & ab ea recedit; eam irritam facit. Porrò de fide conſentiens eſt omnium orthodoxorum interpretum, tam Græcorum quàm Latinorum, tamque veterum, quàm recentiorum expoſitio; per eam ſignificari fidem promiſſionis Chriſto factæ, votum Chriſto nuncupatum, pactum cum eo initum continentiæ deinceps ſervandæ. His enim & hujuſmodi verbis iſtam fidem explicant, atque

A hunc ſenſum reddunt; Eo ipſo quo nubere volunt, obnoxiæ ſunt damnationi æternæ, quia fidem, qua pactæ fuerant Chriſto ſponſo continentiam ſe ſervaturas, abjecerunt, & violaverunt, alium quærentes maritum. *Fidem* exponunt hoc modo non ſolùm commentatores, verùm & cæteri Patres, paſſim in ſuis ſcriptis.

℣. 14. *Volo ergo juniores nubere.* Non hoc dicit Apoſtolus de junioribus illis viduis quæ jam voverant ſe non amplius nupturas; neque enim eas vult præcipitare in damnationem: Nam ſi damnationem habebant nubere volentes, quanto magis nubentes: Sed loquitur de junioribus in genere, quas repelli vult à beneficio ſuſtentationis, & non admitti in numerum viduarum Eccleſiæ, ne poſtea luxurientur adverſus Chri-
B ſtum, & nubere volentes, fidem ei datam irritam faciant; & per hoc certam incurrant damnationem. Unde liquet, hunc locum ſuperiori non eſſe contrarium, ubi dixerat, *nubere volunt habentes damnationem.* Sed quæritur, quomodo cum hac ſententia non pugnet quod idem Apoſtolus ait 1. Corinth. 7. *Volo omnes eſſe ſicut meipſum.* Et peculiariter de vidua: *Beatior erit, ſi ſic permanſerit.* Reſponſio, Apoſtolus hoc loco id velle ſe dicit, quod abſolutè, & omnibus circumſtantijs conſideratis expedire videbat iſtis junioribus viduis; Ad Corinth. autem priore loco, tantummodo deſiderium ſuum exponit, quod tamen videt non poſſe impleri. Addit enim; *Sed unuſquiſque donum ſuum habet à Deo.* Poſteriore autem loco, declarat quidem in genere, quid ſit melius; non tamen omnes viduas ad
C id hortatur; ſciens non omnes capere poſſe; ſed proponit excellentiam virtutis & præmij, ut quæ poſſunt capere, capiant. Quod ergo hic dicit; *Volo juniores nubere*, ſecundùm indulgentiam dicit, non ſecundùm imperium; ſicut illud 1. Corinth. 7. *Iterum revertimini in idipſum.* Quodque illic addidit; *propter incontinentiam veſtram*; Idem & hic addi potuit, & intelligi debet. q. d. Quoniam in junioribus viduis video periculum incontinentiæ, & damnationis, ſi voveant, idcirco volo eas nubere. Illud ergo, *volo*, non eſt præcipientis; ſed ſuadentis, & conſulentis minus bonum, quod eſt nubere, reſpectu continentiæ vidualis; imò & minus malum proponentis, quale eſt nubere per incontinentiam, reſpectu fornicationis & violationis voti. Quare ex hoc loco, ſicut & ex altero jam citato
D ad Corinth. bene colligitur, quod licitum ſit proponere minus peccatum ei qui in gravius peccatum alioqui ſit prolapſurus. Non enim id eſt conſulere peccatum ſimpliciter, ſed ſub ratione minoris. Huic noſtræ reſponſioni conſentanea ſcribunt Ambroſius lib. de viduis, paulò poſt init. Hieronymus in epiſtola ad Ageruchiam, expreſsè exponens, Apoſtolum hæc dicere ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium; Auguſtinus libr. de bono viduitatis cap. 8. Sed objiciunt adverſarij. Si voluntas aut conſilium Apoſtoli eſt, ut juniores viduæ nubant; malè igitur Eccleſia paſſim adoleſcentulas ad profeſſionem caſtitatis admittit. Quin & Cajetanus in commentario: Utinam, inquit, hodie diſceremus ab hujuſmodi experientijs, an proſint juvenilis ætatis utriuſque ſexus ſolemnia vota, tum ſa-
E crorum ordinum, tum religionum. Primùm reſpondeo de viduis Apoſtolum hic loqui, non de virginibus, nam de his apertum habemus Apoſtoli conſilium 1. Corinth. 7. *ut ſic permaneant*, ac definitam ſententiam; qua dicit *eum, qui matrimonio jungit virginem ſuam, benefacere, ſed qui non jungit, melius facere.* Non eſt autem de virginibus & viduis eadem ratio; nam multas ob cauſas faciliùs continent virgines, quàm viduæ, quemadmodum & Hieronymus in memorata epiſtola teſtatur. Unde & probabile de vidua argumentum eſt, ſi cùm virgo eſſet, continere non potuit; igitur neque poſt expertas nuptias continere poterit. Deinde non de omnibus & ſingulis viduis junioribus lo-

loquitur Apoſtolus, ſed de ipſo genere. Sentit enim, A plæraſque tales eſſe ut eis nubere magis expediat, quàm continentiam vovere, illo præſertim tempore, quo necdum inſtituta erant monaſteria, in quibus clauſæ, & à ſæculari converſatione remotæ, ſub diſciplina præpoſitarum viverent. Et hìc quidem omnes juniores viduas repellit à beneficio ſuſtentationis, quum ait, *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*, Non tamen omnes vult nubere, ſed plæraſque, ut dictum eſt. Alioqui, etiam viduis ad nubendum aptis continentiam ſuadet 1. Corinth. 7. Cùm enim de vidua dixiſſet: *Cui vult, nubat, tantùm in Domino*, ſubjunxit: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium.* Quod autem virgines adoleſcentulæ rectè ad profeſſionem caſtitatis admittantur, perſpicuè & pulchrè docet Ambroſius lib. 3. de virginibus. Idque B adeò perpetua Eccleſiæ conſuetudine firmatum eſt in juvenibus utriuſque ſexus ad ejuſmodi profeſſionem admittendis, ut magnæ temeritatis & impudentiæ ſit, id an rectè fiat, in dubium revocare. Tantùm hoc agendum, ut circa perſonas aſſumendas, ſacri canones, & monaſticæ conſtitutiones benè obſerventur.

℣. 20. *Peccantes coram omnibus argue.* Illud, *coram omnibus*, ſequenti vocabulo adhæret, non præcedenti. *Peccantes* autem intellige non quoſlibet eos qui peccant, ſed aut per ſe manifeſtos, aut publico judicio convictos, nec cujuſcumque peccati, ſed gravioris, & ſcandaloſi, cujuſmodi peccata deduci ſolent ad judicium Epiſcopi. Non ergo quidquam hìc præcipit Apoſtolus contra legem charitatis, quæ peccata occulta non permittit proferri in publicum, neque contra præcep- C tum Chriſti, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum* &c. Matth. 18. Veriſimile eſt autem ex præcedenti ſententia, Apoſtolum reſpicere ad presbyteros: q. d. Sicut presbyterorum non eſt facilè recipienda accuſatio, ita ſi legitimo judicio convicti fuerint, non eſt eis parcendum, ſed in exemplum aliorum, *coram omnibus*, id eſt, palam & in publico conventu Eccleſiæ, graviter ac ſeverè ſunt increpandi. Hoc Epiſcopo dicitur reſpectu presbyterorum: Sed eadem eſt ratio de parochis reſpectu laicorum ſibi ſubditorum, ita tamen ut id faciant juxta dictamen prudentiæ, quatenus ſcilicet expedire viderint ad ædificationem multitudinis, de qua ſequitur.

Ibid. *Ut & cæteri timorem habeant.* Id eſt, ut cæteri ſive presbyteri, ſive alij, timeant ſimilem objurgatio- D nem, hoc eſt, publicam, & cum publico pudore conjunctam, & hoc metu abſterreantur à ſimilibus peccatis perpetrandis. Igitur, in Eccleſia, non ſolùm amore juſtitiæ, verùm etiam timore pœnæ continendi ſunt homines in officio: Tametſi timor ille charitati introducendæ ſervire debeat.

CAPUT VI.

℣. 4. L*Anguens circa quæſtiones*, frivolas, inutiles, curioſas, ac ſupervacaneas, atque eas omninò quæ ad fructum ſalutis nihil adferunt momenti. Nam hujuſmodi multis quæſtionibus intenti erant ij, contra quos hìc agitur. Unde eſt & illud primi capitis, *Neque intenderent fabulis, & genealogijs inter-* E *minatis, quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei quæ eſt in fide.* Dicuntur autem hi *languere circa quæſtiones*, quia, cùm animi morbo laborent, ſanitatem ex ijs nullam reportant. De toto hoc genere quæſtionum inutilium & curioſarum vide Auguſtinum epiſtola 56. ad Dioſcorum. Pertinet eòdem quod ſequitur:

Ibid. *Et pugnas verborum.* Græcè λογομαχίας, quod etiam verti poteſt. *diſputationum pugnas*; quemadmodum vertit Eraſmus. Intelliguntur autem concertationes de quæſtionibus, quales jam dictæ ſunt. Itaque duo vitia notantur; quærendi vanitas, & diſputandi pugnacitas; quorum utrumque ſalutis profectum impedit. Senſum quem dedimus, alia loca Apoſtoli confirmant: ut ſecundæ epiſtolæ cap. 2. *Stultas & ſine diſciplina quæſtiones devita; ſciens quia generant lites.* & Tit. 3. *Stultas autem quæſtiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis, devita: Sunt enim inutiles & vanæ.* Cæterum malè locum hunc Eraſmus & ſectarij detorquent adverſus ſcholaſticorũ Theologorum diſputationes. Ut enim demus quaſdam quæſtiones parum utiles ab illis interdum moveri quaſdam verò tametſi utiles verboſius agitari, quàm oporteat; Paucorum tamen hæc vitia ſunt, neque propterea, quod adverſarij volunt in univerſum damnanda eſt illa de rebus Theologicis ſcholaſtica diſputandi ratio; quam ſanè Eccleſia, & ad eruendam veritatem, & ad detegendas fallaciarum argumentorum ſtrophas, utiliſſimam experitur, & probat.

℣. 5. *Exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.* Ex Græco liquet hanc eſſe ſyntaxin, *Exiſtimantium pietatem eſſe quæſtum*, id eſt, rem quæſtuoſam. Senſus eſt: Qui pietatem quæſtui habent; &, ut clariùs dicam, qui quæcumque piè & religioſè facere, dicere, ac docere videntur, referunt ad temporalem & privatam ſuam utilitatem. Sub *quæſtu* comprehende etiam cætera, quæ perversè concupiſcuntur; ut gloriam, honores, voluptates. Hæc ab Apoſtolo præcipuè contra Judæos, & Judaizantes dicuntur, homines avaros ac terrena ſectantes, & ex qualicumque ſua religione negotiatorum more paſſim apud homines quæſtum aucupantes. Unde & ad Titum ſcribens cap. 1. *Sunt*, inquit, *multi inobedientes, vaniloqui & ſeductores, maximè qui de circumciſione ſunt, quos oportet redargui.* Ac deinde ſubjungit de eorum avaritia: *Qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia.*

℣. 6. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia.* Correctio Rhetorica eſt, qua quod vituperaverat, in contrarium vertit, ſenſu mutato. q. d. Imò verò, ſi quis rectè judicet, ipſa pietas magnus eſt quæſtus; non ita quidem ut illi exiſtimant, de quibus modò dicebam, ſed excellentiori ratione: Quia pietas multo plus valet quàm quidquid ab homine avaro deſiderari poteſt. Nam, ut ſuprà dixi *ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ præſentis, & futuræ.* Quod adjungitur, *Cum ſufficientia*; Græcè μετὰ αὐταρκείας, id Eraſmus quadam periphraſi vertit, *cum animo ſua ſorte contento.* Idque etiam Hentenius & alij nonnulli ſequuntur. Sed videtur Apoſtolus ea Græca dictione voluiſſe duo complecti, nempè ſufficientiam rerum neceſſariarum ad vitam hanc temporalem, & animum ijs contentum. Nam hæc duo ſequenti ſententia conjungit, dicens, *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſumus.* Non ergo ſignificat Apoſtolus vocabulo αὐταρκείας animum ſua ſorte contentum, quod vult Eraſmi verſio; ſed animum contentum rebus ad vitam ſufficientibus; ita nimirum; ut ſupra ea quæ neceſſaria ſunt, non quærat. Id enim ſignificat vox Græca. Nam ſi quis rebus prorſus neceſſarijs indigeat, ut ſi nec panem habeat, nec veſtem; ab eo non exigimus animum illa præſenti ſorte contentum, quin potius ſtupidum judicaremus, ſi forte illa infœlici contentus, neceſſaria non quæreret; imo nec pium, qui Deo non diceret: *Panem noſtrum quotidianum* &c. Sed cur addidit Apoſtolus, *cum ſufficientia*; cùm ſola pietas pro magno quæſtu nobis ſufficere debeat: Scilicet ideo, quia piè, ſancteque vivere non poſſumus, niſi vivamus; ut autem vivamus, habenda ſunt vitæ neceſſaria. Poſtulat igitur ipſa pietas ſufficientiam, atque adeo docet nos eam petere à Deo. Quamquam ſunt qui illud, *cum ſufficientia*, annectant illi quod præcedit; hac conſtructione, *Pietas eſt magnus quæſtus cum ſufficientia.* Ita videtur B. Th. in Comm.

℣. 10. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Sententia

tia eſt Eccleſiaſtici cap. 10. *Avaro nihil eſſe ſceleſtius.* A Et iterum; *Nihil iniquius quàm amare pecuniam: Hic enim & animam ſuam venalem habet.* Exclamat etiam Ethnicus poëta; Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames? Sed & Claudianus eam *ſcelerum matrem* appellat lib. 2. in laudes Stiliconis. Exemplum autem, inter alia multa, habemus apertiſſimum in Juda proditore, qui Dominum ſuum pecuniæ cupiditate vendidit occidendum. De quo vide Leonem ſerm. 9. de paſſione Domini; ubi & hanc Apoſtoli ſententiam pulchrè amplificat. Hinc Auguſtinus lib. 2. de Ordine cap. 8. inſtruens adoleſcentes ad vitæ probitatem, *Amorem pecuniæ*, inquit, *totius ſuæ ſpei certiſſimum venenum eſſe credant.* Ex his omnibus patet, quàm verè appoſite Paulus avaritiam vocet omnium malorum radicem; B eo nimirum, quod omne genus ſcelerum, ac flagitiorum, ex avaritiæ radice progerminet, dum pecuniæ causâ, nihil non audent homines committere: Velut perjuria, furta, rapinas, ſacrilegia, homicidia. Tametſi non hanc ſolam rationem ſpectavit Apoſtolus, ſed & alteram, de malis pœnæ, quia ſcilicet in omne genus calamitatum ac miſeriarum avaritia ſuos cultores præcipitat. Quæret aliquis, quomodo dicat Apoſtolus avaritiam eſſe radicem omnium malorum; cum, juxta celebrem Eccleſiaſtici ſententiam cap. 10. Initium omnis peccati ſuperbia ſit. Reſpondeo, diverſo ſenſu hæc dici. Nam avaritia quidem ea ratione qua dictum eſt, omnium malorum eſt origo; Superbia verò omnis peccati initium eſt, quia tam in Angelis quàm in hominibus primum omnium peccatum fuit ſuperbia, qua à Deo receſſerunt. C Quamquam & à ſuperbia oriuntur cætera: Quatenus homo per ſuperbiam averſus à Deo tranſit ad regnum peccati.

℣. 20. *Devitans profanas vocum novitates.* Videntur ab Apoſtolo notari vocum novitates quas id temporis parturiebat ſchola Simonis Magi de Deo, mundo, cælis, Angelis; proferens neſcio quæ novorum nominum portenta, quod & Valentiniani & Gnoſtici poſtea ſimiliter fecerunt. De quibus omnibus videre eſt Irenæum & Epiphanium. Sunt & hodie quædam profanæ vocum novitates, ab hæreticis excogitatæ; velut fides ſpecialis, & juſtitia imputativa, ſervum arbitrium, Chriſtum injuſtificatū eſſe, & in euchariſtiæ ſacramento impanatum, & quidquid hujuſmodi novum ad nova atque perverſa dogmata ſignificanda ab illis introductum eſt. D Non ſunt autem profanæ vocum novitates, quando docendi & explicandi gratia, rebus ab initio creditis nova vocabula accommodantur, qualia ſunt, Incarnatio, Trinitas, Ingenitus, Homouſion ſeu Conſubſtantiale, Theotocos, Tranſſubſtantiatio, Opus operatum &c. Nam etſi nova, vocabula: Res tamen neque novæ ſunt, neque profanæ. Quocirca graviter Hilarius in libro contra Conſtantium prohibentem uſurpari vocabulum *Conſubſtantiale*, *Novitates vocum*, inquit, *ſed profanas devitari jubet Apoſtolus. Tu cur pias excludis?* Athanaſius in diſputatione quadam, Arium alloquens; *Nominiſne offenderis novitate; an etiam rei ipſius veritatem qua hoc eſt ſortita vocabulum, refugis? Res enim antiqua novum nomen accepit; non vocabulo novo nova rei veritas acceſſit.* Ac E demum addit, tot nova antiquæ veritatis extitiſſe nomina, quot fuerunt ſubminiſtratæ occaſiones. Similia ſcribunt præſentem Apoſtoli locum tractantes Auguſtinus ſuper Joan. tractatu 97. & Vincentius Gallus in libello quem ſcripſit contra profanas hæreſeon novitates cap. 26. & aliquot ſeqq.

ANNOTATIONES
IN SECUNDAM
EPISTOLAM
AD
TIMOTHEUM.

CAPUT I.

℣. 6. ADmoneo te ut reſuſcites gratiam Dei. Pro *reſuſcitare* Ambroſianus legit, recreare. Græcum verbum ἀναζωπυρεῖν propriè ſignificat, ignem denuò vivificare, id eſt, ignem ſopitum aut torpentem flabello ſeu ventulo ſuſcitare. Quod Apoſtolus aptiſſimè transfert ad reſuſcitationem gratiæ Dei. Eam homo in ſe reſuſcitat oratione, meditatione, lectione ac ſtudio rerum ſacrarum, ſancti propoſiti renovatione; Denique ipſo divinorum chariſmatum uſu & exercitatione. Nam pro *gratia*, Græcè eſt χάρισμα, id eſt, *donum*, ut Ambroſianus legit. Idem vocabulum habetur 1. Timoth. 4. in ſimili ſententia qua dixit: *Noli negligere gratiam quæ in te eſt* &c. Ubi eam intelligit quæ collata C illi fuerat ad bene exequendum munus Epiſcopale.

℣. 7. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.* Timor humanus ſeu mundanus hic intelligitur, pudore pravo etiam comprehenſo. Qui timor efficit, ut quis refugiat ac vereatur ea facere quæ ſui ſunt muneris; ut in Epiſcopo & paſtore, prædicare Evangelium, confiteri Chriſtum, corripere peccantes, reſiſtere malis. Docet enim hoc loco Apoſtolus, qualis ſit gratia quam in ordinatione ſua Timotheus acceperat, quamque accipiunt omnes Epiſcopi; quos denotat dicendo *nobis*. Ut ſenſus ſit: Spiritus quem nobis Epiſcopis & Evangelij miniſtris dedit Deus, non eſt ſpiritus timoris; cujuſmodi nullus à Deo datur aut dari poteſt. (Unde nec addidit adverbium *iterum*, ſicut in epiſtola ad Romanos:) Sed eſt ſpiritus D virtutis, dilectionis & ſobrietatis. *Spiritum* autem, dicit donum; more ſcripturæ, quo Spiritui ſancto ea quæ largitatis divinæ ſunt appropriari ſolent. Hunc ſenſum confirmat vocabuli diverſitas in Græco: Nam in epiſtola ad Roman. eſt φόβος, *timor*; hic autem δειλία, id eſt timiditas, ſive animi imbecillitas, cùm quis præ ignavia detrectat periculum. Qua voce etiam Ariſtoteles utitur in Ethicis. Eidem Xenophon ἀνδρείαν, Apoſtolus autem hoc loco δύναμιν opponit, id eſt, virtutem, robur ac fortitudinem animi, quæ viros deceat. Et virtus eſt quam Chriſtus in cælum aſcenſurus promiſit Apoſtolis ſuis, dicens: *Sedete in civitate quoad uſque induamini virtute ex alto.* Lucæ 24. Ac rurſum: *Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti in vos.* Actor. 1. Igitur ſpiritus virtutis ac fortitudinis E qui datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, cæteris Eccleſiarum rectoribus ac verbi miniſtris datur in ſui ordinatione. Timorem mundanum etiam B. Thomas hoc loco intellexit, adducens illud ex 1. Corinth. 2. *Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt.* Addit autem & locum quem citavimus ex Luc. ult. *Virtuti* ſocias addidit *dilectionem & ſobrietatem*. Dilectionem quidem, quâ non ſua quærit Eccleſiæ præfectus, ſed quæ Jeſu Chriſti; quod donum in Timotheo commendat ad Philipp. 2. *Sobrietatem* verò; ſive quæ in temperato uſu cibi ac potus conſiſtit, quo dono præditum fuiſſe Timotheum ex priori Epiſtola didicimus; ſive eam quæ ad animum pertinet,

qua ſcilicet moderatè feruntur quæcumque accidunt, A tam adverſa quàm proſpera. Nam Grecè eſt *σωφρονισμὸς*: Quæ vox moderationem ſeu caſtigationem ſignificat. Syrus vertit tranquillitatem. Nomen eſt verbale à *σωφρονίζειν*, quod verbum legitur Tit. 2. ubi nos habemus, *ut prudentiam doceant adoleſcentulas*, alij vertunt, *ut modeſtas reddant adoleſcentulas*. Porrò ex hac Apoſtoli ſententia colligitur non ſola chariſmata, quæ gratiæ datis datæ vocantur, in ordinatione conferri, verùm etiam dona quæ gratum Deo faciant. Talia ſunt enim virtus, dilectio & ſobrietas; ſub quibus & cætera dona Epiſcopo neceſſaria comprehendi debent. Jam verò memoratum Apoſtoli ſenſum confirmat etiam id quod ſequitur.

℣. 8. *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri.* Quoniam, inquit, non timiditatis & ignaviæ, B ſed virtutis & conſtantiæ ſpiritum à Deo accepiſti, ne te pudeat profeſſionis ac miniſterij tui quo Chriſtum Dominum noſtrum prædicas, eumque crucifixum, Judæis ſcandalum, Gentibus ſtultitiam. Cave ne metus ignominiæ vel infamiæ te retrahat à ſuſcepto munere. *Teſtimonium Chriſti* more ſcripturæ vocatur omnis prædicatio vel confeſſio quæ de Chriſto fit apud homines. Unde ait diſcipulis Joan. 15. *Et vos de me Teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis.* Et iterum Actor. 1. *Vos eritis mihi teſtes in Jeruſalem, &c.* Quamquam poſtea illi peculiariter martyres, id eſt, teſtes, dicti ſunt, qui teſtimonium hujuſmodi dabant uſque ad mortis perpeſſionem.

CAPUT II.

℣. 10. *IDeò omnia ſuſtineo propter electos. Ideo,* Græcè *propter hoc*, id eſt, ut Evangelium diſſeminetur, ut verbum Dei currat & clarificetur; omnia dura ſuffero, nullum refugio laborem; idque *propter electos*, id eſt, eos qui ad ſalutem ab æterno ſunt à Deo prædeſtinati. Quamvis enim reprobi ſint electis in hoc mundo permixti, & eadem officia per Eccleſiæ miniſtros impendantur reprobis; ut doctrina, oratio, exhortatio; correptio, ſacramentorum adminiſtratio: Non tamen hæc propter reprobos fiunt, ſed propter electos: Etenim ſi ſciret Eccleſia qui ſint reprobi; non magis pro ijs oraret quàm pro diabolo ait Auguſt. lib. 21. de civit. Dei cap. 24. & idem judicium de doctrina ac cæteris officijs memoratis. D

Porrò ſi Paulus non ſuſtinet niſi propter electos: igitur nec Chriſtus propriè paſſus niſi propter electos; idque eo magis, quia Chriſtus patiens, perfectiſſimè ſciebat qui eſſent reprobi. *Ego ſcio*, inquit, *quos elegerim.* Joan. 13. Nec magis dicendum quod pro reprobis patiebatur, quàm quòd pro illis orabat. *Non pro mundo rogo*, inquit, *ſed pro his quos dediſti mihi de mundo.* Joan. 17.

Jam ex eo quod dicit, *propter electos*; diſcimus certam Dei electionem, qua nos ad ſalutem infallibiliter elegit, adeò non excludere neceſſitatem bonorum operum; ut etiam ea ſtatuat tamquam media quædam ad ipſam implendam à Deo ordinata; ſicut eamdem electionem implet per actiones & paſſiones miniſtrorum ſuorum. Quos utique oportet, cum Paulo, hoc ipſum E intendere in univerſo ſuo miniſterio; ut qui electi ſunt ſalvi fiant. Id enim eſt quod ſequitur.

Ibid. *Ut & ipſi ſalutem conſequantur.* Exponit quod dixit, *propter electos.* Vult enim ſenſum eſſe, propter electorum æternam ſalutem. Hujus enim reſpectu propriè electi vocantur. Nihil ergo vetat quo minus etiam propter reprobos quædam fiant à ſanctis; ad hoc nimirum ut dona quædam temporaria gratiæ Dei percipiant, velut fidem, pœnitentiam, juſtitiam; utque ſaltem ad tempus in bonis operibus exerceantur. Nam & hæc bona Chriſtus illis ſua paſſione promeruit, eademque per ſuam gratiam largitur. Sed nihil horum aut Chriſtus fecit aut nos facere debemus, ut illi ſalutem conſequantur: Quin potius ea omnia, ſicut in ſalutem electorum cedunt, ita ad eam à nobis deſtinari debent. Conjunctio, *&*, aut redundat (quod non eſt infrequens in epiſtolis Paulinis:) Aut alios Paulo conjungit. q. d. Omnia ſuſtineo, non ſolùm meæ ſeu noſtræ ſalutis causâ qui jam fideles ſumus; ſed & aliorum electorum, nominatim eorum qui adhuc adducendi ſunt ad ovile Chriſti, non ſine noſtris laboribus & periculis; ut & ipſi nobiſcum ſalvi fiant.

℣. 19. *Sed firmum fundamentum Dei ſtat.* q. d. Etiamſi quorumdam fides ſubvertatur: Attamen electorum fides quæ eſt firmum Dei fundamentum perſiſtit. Ipſa quoque Eccleſia rectiſſimè firmum ac ſolidum Dei fundamentum vocatur, quia ſuper petram, id eſt, Chriſtum, à Deo firmiter fundata; nullis aut Satanæ machinis aut tentationum fluctibus, ſubverti poteſt aut labefactari: Nam etſi quidam ab ea deficiunt; ipſa tamen in ſuis electis perſeverat uſque in finem. Unde Joannes 1. epiſt. 2. loquens in perſona electorum: *Ex nobis*, inquit, *prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum.* Sed & alibi paſſim electis tribuitur ſtabilitas ac deficiendi impoſſibilitas. Matth. 24. *Ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Joan. 10. *Oves meæ non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* & iterum, *Nemo poteſt rapere de manu Patris mei.* Item Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & infrà, *Certus ſum quia neque mors neque vita &c. Poterit nos ſeparare à charitate Dei.* Ex his admodum fit veriſimile, firmum Dei fundamentum intelligi fideles electos; ſive, quod idem eſt, Eccleſiam in electis. Nam & de ijs jam ſuperius dixerat hoc eodem capite, *ſe omnia ſuſtinere propter electos; ut & ipſi ſalutem conſequantur.*

Ibid. *Habens ſignaculum hoc: Cognovit Dominus qui ſunt ejus.* Cùm enim decretum Dei firmum ſit atque immobile ſtare eos neceſſe eſt quos Deus æterno prædeſtinationis ſuæ decreto ſtare voluit; id eſt, electos: atteſtante Domino Joan. 6. *Hæc eſt enim voluntas ejus qui miſit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Vocatur autem hoc decretum *cognitio Dei*, non quòd ſit nuda notitia futurorum, aut quòd prænotionem operis aut conſenſus alicujus ex parte electorum præſupponat: Sed more ſcripturæ *notitia amoris* & approbationis intelligatur. Sic enim & Chriſtus de ovibus ſuis, id eſt, electis loquitur, Joan. 10. *Et cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.* Qui reprobis è contrario dicturus eſt; *Non novi vos.* Matth. 7. & 25. Porro decretum hoc ab Apoſtolo vocatur *ſigillum* electis impreſſum; vel propter arcanum electionis divinæ quaſi ſub ſigillo clauſum & ab oculis humanis remotum, quia, quamdiu hic vivimus, certò ſcire non poſſumus qui ad numerum electorum pertineant: Vel potiùs, ad ſignificandum robur & firmitatem ejuſdem electionis. Ad hoc enim pacta & promiſſa conſcribi, & impreſſo vel appenſo ſigillo communiri ſolent, ut perpetuò rata maneant, nec cuiquam fas ſit ea violare.

℣. 25. *Ne quando det illis Dominus pœnitentiam.* Pro, *ne quando*, melius diceretur, *ſi quando*, quemadmodum habet textus comment. Ambroſ. Siquidem eam vim nonnumquam habet Græcum *μήποτε*. Et huic quidem loco negatio prorſus non convenit. Vult enim Apoſtolus eos qui reſiſtunt, cum modeſtia corripi, ob ſpem converſionis eorum, tametſi non admodum adhuc apparentis. Hoc eſt quod ait: *Si quando*, vel *ſi fortè det ijs Deus pœnitentiam.* q. d. Etſi vix ſperari poteſt eorum converſio, propterea quòd in errore videantur obfirmati, tentandum eſt tamen, ſi fortè per doctrinam & correptionem adhibitam foris ſicut oportet, Deus in cordibus eorum operari dignetur fidem ac pœnitentiam inſpirando. Primùm, hinc oſtenditur pœnitentiam ſeu converſionem peccatoris eſſe donum & opus Dei.

Quod

Quod quidem à Græcis expoſitoribus Chryſoſtomo, Theophylacto, & Oecumenio diligenter annotatum eſt. Deinde docet hic locus Deum ad convertendum peccatores uti velle operâ hominum, qui externum adhibeant miniſterium correptionis & doctrinæ; quod totum tamen, quantumcumque doctè & commodè fiat, fruſtra fit & ſine fructu, ſi Deus per gratiam ſuam intus non operetur: Uti pulchrè docet Auguſtinus de Correp. & grat. cap. 5.

℣. 26. *A quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem* Dices: Si captivi tenentur peccatores ad voluntatem diaboli; quomodo contra ejus voluntatem ſolvuntur à Chriſto? Item, ſi ad voluntatem diaboli in peccato tenentur; quomodo remanet in eis liberum arbitrium? Denique, quomodo non in omni opere peccant, cùm diaboli voluntas non ſit niſi ad peccatum? Reſponderi poteſt, eos de quibus Apoſtolus loquitur, non ita captivos à diabolo teneri ad ejus voluntatem, ut quidquid vult faciant, & eo renitente liberari non poſſint; ſed quia dum captivi ſunt, ejus voluntati obſequuntur proficiendo de peccato in peccatum; licet ei non obſequantur in omnibus. Quandoquidem nec qui Deo ſerviunt, omnia faciunt ad ejus voluntatem. Nam *in multis offendimus omnes*. Cæterùm verior & expeditior reſponſio eſt, in verbis Apoſtoli, non diaboli, ſed Dei voluntatem intelligi. Senſus enim eſt, illos veritatis adverſarios à diabolo teneri captivos, ad Dei voluntatem, id eſt, quamdiu Deus voluerit; cujus voluntati nec diabolus reſiſtere poteſt: Ideoque cum modeſtia corripiendos eſſe, ſi fortè Deus miſereatur & pœnitentiam illis inſpiret, ac vinculum duræ captivitatis ſolvat. Hunc ſenſum planè confirmat, quòd in Græco non eſt *αὐτοῦ*, *ipſius*; ſed *ἐκείνου*, *illius*; quæ demonſtratio non ad proximum referenda eſt, ſed ad remotum, maximè ex uſu Græci pronominis. Atque ita Theophylactus exponit; licet etiam alterius ſenſus meminerit. In eamdem ſententiam citat hunc Apoſtoli locum Gelaſius Papa, in epiſtola ad Epiſcopos Picenos ſcripta; dum loco ejus, *ad ipſius voluntatem*, ponit hæc verba, *ſententia divini judicij*. Pertinet enim ad juſtum Dei judicium, quod peccatores ſive ad tempus ſive in perpetuum captivi relinquantur ſub poteſtate diaboli.

CAPUT III.

℣. 8. JOannes & *Mambres reſtiterunt Moyſi*. Joannes & Mambres magi fuerunt Pharaonis, iidemque Magorum principes; & quidem fratres, ut opinatur Ambroſianus; qui Moyſi & Aaroni fratribus admirabilia ſigna coram Pharaone edentibus, reſtiterunt, ſimilia quædam arte magica patrantes; donec, in tertio ſigno, victi ſuccumberent? Ut ſcribitur Exodi 7. & 8. Horum magorum nomina cum non inveniantur ſacris literis prodita; non aliunde quàm ex traditione Paulus accepiſſe putandus eſt. Quod enim dicunt quidam Apoſtolum ea ex Spiritu ſancto revelante habuiſſe; non eſt probabile, cùm non magnopere referret magorum nomina noſſe. Sed ea recitanda putavit; quia Timotheo ſcribebat Judæo, qui cum ſacris literis etiam traditiones non ſcriptas Hebræorum, didicerat. Docet igitur hic locus, etiam antiquitus apud Judæos exſtitiſſe, extra ſcripturam ſacram, veras quaſdam & à piis agnitas atque receptas traditiones. Quò magis Eccleſiæ fides habenda eſt, dum à Chriſto vel Apoſtolis receptas traditiones in medium profert.

℣. 12. *Et omnes qui piè volunt vivere in Chriſto JESU, perſecutionem patientur*. Sed dices: An ergo qui perſecutionem non patitur, ſed tranquillam & placidam agit vitam, vel ſolitarius, vel cum paucis aliis iiſque bonis, non piè vivit in Chriſto? Reſpondeo, duplicem eſſe perſecutionem; aliam manifeſtam, aliam occultam. Manifeſta perſecutio non ad omnes pertinet qui piè vivunt, ſed ad paucos cæterorum comparatione. Occulta perſecutio piis omnibus eſt communis; non ſolùm propter occultam pugnam carnis adverſus ſpiritum, & perpetuam omnium piorum colluctationem adverſus *ſpiritualia nequitiæ*; verùm etiam propter ſocietatem hominum malorum, inter quos quiſque juſtus cogitur, non ſine dolore & moleſtia, converſari; quantumvis ab iis abſtrahere ſe conetur. Hinc ait Pſalmiſta: *Vidi prævaricantes & tabeſcebam*. Et Petrus Apoſtolus de Loth apud Sodomitas morante, 2. epiſt. 2. *Qui*, inquit, *de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant*. Nemo autem verè pius eſt qui non tale quid patiatur. Ad hoc genus perſecutionis extendit Apoſtoli ſententiam Auguſtinus & alii nonnulli; ut perſecutionem pati ſit inquietari ac moleſtiâ affici, à quocumque, ſive palàm ſive occultè. Nam & boni bonis per infirmitatem aut ignorantiam aliquando moleſtiam exhibent. Auguſtini loca ſunt, epiſtola 145. lib. 2. contra Gaudentium cap. 13. & 14. & lib. 18. de civitate Dei capit. 51. Eumdem ſenſum pulchrè explicat Leo ſerm. 9. de quadrageſima; ubi & hanc eòdem adducit Domini ſententiam, *Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. Matth. 10. Quamquam veriſimilius eſt Apoſtolum non ita generaliter de perſecutione loqui; ſed dumtaxat de ea qua mali bonos afficiunt cum voluntate nocendi: Nam de tali loquebatur in ſuperioribus; atque ea paſſim in ſcripturis nomine *perſecutionis* ſignificari ſolet: Ita tamen ut odia, criminationes, calumnias, detractiones & id genus injurias comprehendat. Qui ſenſus univerſalem nihilominus habet veritatem. Cùm enim mali nuſquam deſint; nuſquam profectò piis hujuſmodi perſecutionis materia deficit. Nam & Abel in tanta hominum paucitate ſine perſecutione non fuit, invidiam & cædem paſſus à fratre malo, de quo Joan. 1. ep. 3. *Propter quid occidit eum? Quoniam*, inquit, *opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta*. Quæ ratio communis eſt omnibus bonis viventibus inter malos. Portò non ineptè quidam; quamvis præter mentem Pauli, propterea dicunt neminem piorum à perſecutione liberum eſſe, quia numquam Eccleſia ſine perſecutionibus eſt; pius autem matris Eccleſiæ perſecutiones tamquam ſuas reputat. Hoc, inquam, præter Apoſtoli mentem; qui de perſecutionibus agit propriè ad unumquemque pertinentibus.

℣. 15. *Ab infantia ſacras Litteras noſti*. Locus hic docet nec pueros arcendos eſſe à lectione ſcripturæ ſacræ. Quin ex eo quòd Timotheus non à Patre fuerit inſtitutus in ſacris literis (utpote qui gentilis erat, nec paſſus fuerat eum circumcidi) ſed, ut veriſimile eſt, à matre & avia; quarum fidei ſinceritatem laudavit Apoſtolus capit. 1. colligitur nec mulieres à lectione ſcripturæ ſacræ prohibendas eſſe. Quod tamen ita intellige, modò ſecundùm regulam Eccleſiaſticam tales ſint perſonæ, quæ cognoſcantur ex hujuſmodi lectione non damnum ſed fidei atque pietatis augmentum capere poſſe: Quemadmodum præſcribit Pontifex regula 4. Indici librorum prohibitorum præfixa.

℣. 16. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata*. Subaudi *eſt*. Portò Scripturam intelligit ſacram, de qua dixerat: *Sacras literas noſti*: Nam ſcripturæ nomine paſſim in bibliis ſacra ſcriptura per antonomaſiam ſignificatur; ut Matth. 22. *Erratis neſcientes ſcripturas*. Joan. 5. *Scrutamini ſcripturas*. & 10. *Non poteſt ſolvi ſcriptura*. Rectè igitur, & veriſſimè, ex hoc loco ſtatuitur omnem ſcripturam ſacram & canonicam Spiritu ſancto dictante eſſe conſcriptam; ita nimirum ut non ſolùm ſententiæ, ſed & verba ſingula, & verborum ordo, ac tota diſpoſitio ſit à Deo, tamquam per ſemetipſum loquente, aut ſcribente. Hoc enim eſt *ſcripturam eſſe divinitus inſpiratam*.

CAPUT IV.

A ℣. 8. R*Epoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex.* Totus hic locus ubi *coronam juſtitiæ*, & *juſtum judicem* nominat Apoſtolus, & *reddendi* verbo utitur; apertè refellit hæreticos, qui merita bonorum operum audire non ſuſtinent. Etenim ſi Chriſtus ut juſtus judex redditurus eſt Paulo, & omnibus electis coronam juſtitiæ pro fide ſervata; curſuque conſummato: Eſt igitur in his operibus ratio meriti reſpectu ejusmodi coronæ. Neque verò hæc operum merita adverſus Chriſti gratiam aſtruunt Catholici, quod impudenter calumniatur Calvinus. Eſt enim Catholicorum doctrina, tantam erga nos eſſe Dei bonitatem, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & pro his, quæ ipſe largitus eſt, æterna præmia ſit donaturus: ut habet decretalis epiſtola Cœleſtini Pontificis ad Epiſ- B copos Galliæ cap. 12. unde & à Concilio Tridentino verba repetuntur, ſeſſ. 6. cap. 16. Quam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam dum negant hæretici; procul dubio bonitati & gratiæ Dei, quæ noſtrorum effectrix eſt meritorum, detrahunt. Conſule Auguſtinum lib. de gratia & lib. arb. cap. 17. de corr. & grat. cap. 13. & hom. 14. inter 50.

℣. 16. *Omnes me dereliquerunt.* Id eſt, omnium amicorum ope fui deſtitutus. Loquitur de ijs qui prodeſſe poterant, ut qui gratia valebant apud aulicos. Tantus enim omnes invaſerat communis periculi metus, ut Pauli captivi cauſam nullus auderet commendare. Cæterum à Luca familiari ſuo, de quo ſuprà dixit: *Lucas eſt mecum ſolus*, deſertum eum fuiſſe, nequaquam eſt veriſimile. Poteſt & ita exponi; *Omnes*, id eſt, pene C omnes.

Ibid. *Non illis imputetur.* Alexandro peccanti in Spiritum ſanctum divinam ultionem imprecatus fuerat: his autem qui tantùm ex humana quadam infirmitate & metu peccabant, veniam à Deo precatur. Hoc enim eſt quod optativè dicit; *Non illis imputetur*, ſcilicet, in culpam apud Deum; id eſt, Deus remittat, non puniat. Hoc enim dicit quod pro ſuis perſecutoribus, inter quos Paulus fuerat, Stephanus dixerat; *Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. 7. Porrò non ita pro his orat Paulus, quaſi non etiam pro malitiosè peccantibus, ut hæreticis, & apoſtatis orandum ſit: Sed quod impetrandi fiducia pro his multo minor ſit quàm pro illis.

℣. 17. *Dominus autem mihi aſtitit, & confortavit me.* Cùm eſſem, inquit, ita deſertus & deſtitutus om- D nium auxilio; Chriſtus Dominus mihi præſto fuit, meque corroboravit, ne ſuccumberem in mea defenſione, ac ne metu mortis dicerem aut facerem quidquam quod eſſet præter dignitatem cauſæ ſuſceptæ. Sic enim ipſe pollicitus eſt Luc. 21. dicens: *Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes adverſarij veſtri.* Porrò quod recentiores quidam interpretes Eraſmum ſecuti, pro verbo, *aſtitit*, reddere maluerunt, *adfuit*; non probamus. Diverſum eſt enim in Græco verbum ab eo quod paulo antè habetur, *Nemo mihi adfuit*; idem autem cum eo quod Act. 27. verbis Pauli legitur, *Aſtitit mihi hac nocte Angelus.* Et mox Angeli verbis, *Ne timeas Paule, Cæſari te oportet aſſiſtere.* Quo loco ipſe etiam Eraſmus alterum *aſtitit*, alterum *ſiſti* vertendum ſibi putavit. Igitur ſecundùm Græca voca- E bula, aliud eſt *adeſſe*; aliud *aſſiſtere*. Illud, ſignificat opem ferre: Illud præſentem aſtare. Quare ſicut in Actis eo ſermone ſignificatum eſt Angelum Paulo præſentem ſeſe exhibuiſſe per revelationem; ita & hoc loco Chriſtum Dominum. Similis eſt locus Actor. 23. qui ſic habet, *Sequenti autem nocte aſſiſtens ei Dominus, ait Conſtans eſto* &c. Ex qua locorum collatione, jam promptum eſt intelligere, Paulum dicentem: *Dominus mihi aſtitit*, non ſolùm loqui de præſentia auxilij divini; ſed de apparitione Dominica ſibi facta, qua ſingulariter in illo periculo fuerit confortatus. An autem apparuerit ei Dominus per Angelum, an per ſeipſum; non liquet: Niſi quod ordinarium ſit talia per Angelorum miniſteria fieri. Nam & de Chriſto Domino legitur, quod *apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* Luc. 22.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM AD TITUM.

CAPUT I.

℣. 5. E*T conſtituas per civitates presbyteros*, Quæritur quos dicat presbyteros, num Epiſcopos, an Epiſcopis inferiores? Hanc quæſtionem ipſe Apoſtolus diſſolvere videtur, quum ſeipſum interpretans paulo pòſt ſubjicit; *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe*; nam ex conjunctione cauſali manifeſtum eſt, quod de eodem loquatur. Verumtamen adhuc quæri poteſt, utrum *Epiſcopi*, & *presbyteri* nominibus ſignificare velit eum quem nunc presbyterum vocamus, uti nonnullis Catholicis viſum eſt, an eum quem Epiſcopum. Reſpondetur, Epiſcopi nomine tam hîc quàm in epiſtolæ 1. Tim. 3. (de utroque enim loco prorſus idem judicium eſt) ex omnium interpretum, & Patrum ſententia, ſignificari eum quem Eccleſiæ conſuetudo Epiſcopum C vocat; hoc eſt, qui tam ordine quàm juriſdictione, cæteris qui tantùm presbyteri ſunt, ſuperior eſt. Nec tamen inde conſequens eſſe, ut nomen *presbyteri*, prout hic accipitur, idem omnino ſignificet quod *Epiſcopus*: Sed, ut etiam Epiſcopo ſit commune. Præcipit enim Apoſtolus conſtitui per civitates presbyteros, qui ijdem ſint Epiſcopi. Non ergo nomina idem ſignificant, ſed in eoſdem cadunt, etſi non in omnes eoſdem. Nam omnis Epiſcopus presbyter eſt, non contrà. Perpendatur caput 5. Eccl. Hier. apud B. Dionyſ. Quæ conſideratio ſervit etiam alijs ſcripturæ locis intelligendis, in quibus presbyterorum, aut ſeniorum, aut majorum natu (quod in Græco idem eſt) fit mentio. Loquitur enim interdum ſcriptura de presbyteris Epiſcopis, interdum de presbyteris non Epiſcopis. Monet ergo Titum Apo- D ſtolus, ut per civitates conſtituat presbyteros Epiſcopos, ſcilicet ſingulos per ſingulas; nondum de presbyteris qui non ſint Epiſcopi ſolicitus: Eo quod tunc plures haberi facilè non poſſent; & unus qui Epiſcopus eſſet, cum adjuncto ſibi diacono ad omne Eccleſiaſticum miniſterium in illa adhuc fidelium paucitate ſufficeret; quemadmodum ex Epiphanio hæreſi 75. adversùs aërium conſtat.

At dices; Creta centum habebat civitates, ut teſtantur veteres ſcriptores; unde & ἑκατόμπολις dicta fuit: Neque tamen ullo modo veriſimile eſt Titum uni Cretæ inſulæ centum dediſſe Epiſcopos, præſertim in tanta raritate miniſtrorum Eccleſiæ. Sed ſciendum in primis Paulum Eccleſiaſticè loqui: Numquam autem in Eccle- E ſia conſuetudo fuit, ut omnia oppida, quantulacumque, proprios Epiſcopos haberent; ſed majora tantum, & inſigniora; quæ & Eccleſiaſtico more *civitates* vocabantur. Præterea, de ſolis ijs loquitur civitatibus in quibus erant juſto numero fideles, quibus Epiſcopus attribueretur. Cujusmodi civitates tunc adhuc paucas in ea inſula fuiſſe exiſtimandum eſt. Verùm adverſus ea, quæ de presbyteri & Epiſcopi diſcrimine diximus, objici ſolent, quæ Hieronymus ſcribit tum in hujus loci commentario, tum in epiſtola 85. quæ eſt ad Evagrium; planè contendens primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopum & presbyterum, unum & eumdem fuiſſe; idque ex hoc Apoſtoli loco, & alijs quæ ibidem citat, manifeſtò conſtare. Poſtea verò, ad tollendas ſchiſmatum occa-

occaſiones, in toto orbe decretum fuiſſe, ut unus de presbyteris electus, ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret. Ex quo ſubinfert Epiſcopos magis ex Eccleſiæ conſuetudine quàm diſpoſitionis dominicæ veritate presbyteris eſſe majores. Similia tranſſcripſit ex Hieronymo ſuis in commentarijs Anſelmus, vel quisquis author. Ad hanc objectionem quid reſpondendum nobis videatur, diximus in 4. Sent. diſt. 24. & nunc breviter repetimus, Hieronymi ſententiam eſſe quod inter Epiſcopum & presbyterum initio naſcentis Eccleſiæ diſcrimen non apparuerit, propterea quód tam nomen Epiſcopi (ut ipſe quidem exiſtimat propter verba Philip. 1.) quàm Eccleſiæ regimen utrique quodammodo commune eſſet. Communi enim, inquit, presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Sed ad excludenda ſchiſmata factum, ut unus cæteris præponeretur; hoc eſt, præpoſitus eſſe agnoſceretur. Non enim dicit, *communi poteſtate*, ſed *conſilio presbyteros Eccleſiam gubernaſſe*. Erat ergo revera poteſtas penes unum, qui Epiſcopus vocabatur, cæteris presbyteris usque adeo ſuperior, ut eorum judicem fuiſſe declarent hæc Apoſtoli verba 1. Tim. 5. *Adverſus presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*; & quæ ſequuntur. Hinc etiam Præpoſitus vocabatur; ut Hebr. 13. *Mementote præpoſitorum veſtrorum. Obedite præpoſitis veſtris* &c. Quod nomen permanſit Epiſcopis usque ad tempora Cypriani. Imo & Hieronymus in hujus loci commentario utitur. Sed & Joannes ſingulis Eccleſijs, ad quas ſcribit, ſingulos attribuit Angelos, id eſt, Epiſcopos. Singulariter enim ei dicitur, *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe*, non Angelis; & ita in alijs. Igitur unus, quem Angelum vocat, & ad quem Joannes ſcribere jubetur, cæteris ejusdem civitatis presbyteris cum poteſtate præerat; idque temporis Apoſtolorum. Quare quod Hieronymus ſcribit primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopum & presbyterum unum & eumdem fuiſſe, ac poſtea in toto orbe fuiſſe decretum, ut unus de presbyteris electus præponeretur cæteris; mihi videtur, ut pace tanti viri dixerim, nec ſcripturæ ſacræ, nec antiquitatis hiſtoriæ conſentaneum. Nam & ſcriptura Apoſtolica, ut oſtenſum eſt, agnoſcit enim Epiſcopum presbyteris majorem, & nulla exſtat hiſtoria, ſed nec ullus alius ſcriptor Eccleſiaſticus, qui mentionem faciat illius decreti de quo loquitur Hieronymus. Quod ſi hac in parte placet Hieronymo deferre: Poterimus dicere fuiſſe quidem, quamvis non ita conſpicuè, propter communem gubernationem. Illud quoque notandum in verbis Hieronymi, non eum negare Epiſcopos diſpoſitione Dominica presbyteris eſſe majores: Sed id eſſe dicit ex Eccleſiæ conſuetudine magis quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate, quia nimirum Eccleſiaſtica conſuetudo; ſeu conſtitutio, ad eminentiam Epiſcoporum, multa adjecit; velut locum in Eccleſia excelſiorem, quem Græci θρόνον vocant, & ornamenta peculiaria; item variarum rerum conſecrationes; excepta tamen ordinatione & conſignatione, quas ipſemet Hieronymus excipit; alteram, in epiſtola ad Evagrium; alteram, in dialogo contra Lucif.

ADDITIO B. P.

NOn potuit B. Hieronymus ignorare, Epiſcopum eſſe majoré alijs presbyteris tam juriſdictione quàm ordine, jure etiam divino: ſed oratorio more per quamdam hyperbolen, ex certis cauſis, extollit presbyterorum dignitatem. In epiſtola quidem ad Evagrium; ut quorumdam diaconorum arrogantiam comprimeret, qui ſeſe presbyteris anteferebant vel anteferri patiebantur. Id Hieronymus perinde eſſe ait, ac ſi anteferantur Epiſcopis. Quid enim magnum habet Epiſcopus præ presbyteris alijs; qui in re omnium maxima illi pares ſunt, in poteſtate conſecrandi corpus Domini? In Commentario autem hujus loci, videtur hoc agere Hieronymus ut quorumdam Epiſcoporum faſtum deprimat, qui inſolenter presbyteris dominabantur, & injuſtè vinculum excommunicationis injiciebant. Credibile eſt illum præ oculis habuiſſe Joannem Hieroſolymæ Epiſcopum; de quo ſciunt eruditi quantopere afflixerit Hieronymum & fratrem ejus Paulinianum, omnesque fautores eorum. Legantur apud Hieronym. epiſtolæ 60. 61 & 62. Suprà ex Epiph. dictum eſt, & res ipſa loquitur, quod tempore Apoſtolorum multæ Eccleſiæ unicum haberent presbyterum, qui idem eſſet Epiſcopus. Eæ certè non regebantur communi presbyterorum conſilio, quod ait Hier.

Obiter hoc loco notandum adverſus noſtræ ætatis ſectarios, ex eo quod Tito præcipitur, ut presbyteros, ſive Epiſcopos per civitates conſtituat; ſatis oſtendi, non ad ſæcularem magiſtratum aut principem, pertinere ut aut ordinet aut conſtituat Eccleſiæ miniſtros, ſed ad ipſius Eccleſiæ præfectos, quales utique erant Titus & Timotheus.

℣. 13. *Increpa illos durè*. Cùm tales ſint; tu eos ita redargue rationibus è verbo Dei petitis, ut ulcera eorum ferro increpationis tangas, & quod vitioſum eſt, ad vivum reſeces. Hanc enim vim habet adverbium Græcum; etiam apud profanos authores. Loquitur autem Apoſtolus de fidelibus, in quibus adhuc hærebant prioris converſationis vitia. Sed hic duplex occurrit dubitatio: Una, quomodo mandet Tito, ut durè Cretenſes increpet: cum in 2. ad Tim. 2. velit ſervum Domini manſuetum eſſe ad omnes, & cum modeſtia corripere etiam eos qui reſiſtunt? Altera, quomodo præcipit eos hic durè increpari qui cibos aliquos velut ex lege immundos rejiciebant (nam & de ijs Apoſtolum loqui ſequentia probant) cum Rom. 14. tales jubeat, velut infirmos, tolerari. Ad priorem dubitationem reſpondeo, debere quidem Epiſcopum eſſe manſuetum ad omnes, quoad animi præparationem, non ſemper tamen utendum manſuetudine, ſed interdum ſeveritate; quemadmodum ſuo loco explicatum eſt. Unde ipſe Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Quid vultis?* inquit, *In virga veniam ad vos; an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Neque verò cùm dicit, *Increpa illos durè*, lenitatem correptionis excludit, ſicubi magis profutura videatur. Ad alteram reſpondetur, Apoſtolum ad Romanos ſcribentem agere de infirmis in fide, qui à paterna conſuetudine non ita ſtatim avocari poterant; quos proinde vult ad tempus tolerari, donec perfectius inſtruantur: hic autem agit adverſus obſtinatos quosdam, & indociles, qui non contenti privata obſervatione diſcriminis ciborum, aliarumque legis cæremoniarum, etiam gentilibus, ad quos lex Moſaica nihil pertinebat, easdem obſervantias imponere, & perſuadere nitebantur; idque adeo cum opinione quod cibi lege quondam vetiti, per ſe eſſent immundi. Quæ doctrina planè erat pernicioſa. Unde & hic ab Apoſtolo vocati ſunt *ſeductores*, ſeu mentium deceptores. Quamquam & illos taxat Apoſtolus qui talibus magiſtris temerè credebant.

℣. 15. *Omnia munda mundis*. In creaturis Dei nihil eſt ex ſe immundum, ſed omnia munda ſunt mundis, hoc eſt benè & ſanctè utentibus.

CAPUT II.

℣. 3. B*Enè docentes*. Hoc nonnulli referunt ad exempla vitæ: Sed ex ſequentibus liquet, Apoſtolum agere de doctrina & inſtitutione, quæ ſermone fit. Neque repugnat illud 1. Tim. 2. *Docere mulieri non permitto*. Non enim ibi prohibetur, ne domi ac privatim, filios ac filias neceſſarijs præceptis inſtituat; Id quod Salomon à matre ſua erga ſe factum teſtatur, & laudat; Prov. 4. & 31. ſed ne doceat in cœtu publico. *Mulieres*, inquit, *in Eccleſijs taceant; Non enim permittitur eis loqui*, 1. Corinth. 14. Vult igitur hoc loco Apoſtolus

ut fœminæ natu grandiores ſint adoleſcentularum magiſtræ; easque doceant non aniles fabulas, non artes amatorias, non ſuperſtitioſas obſervatiunculas, ſed ea quæ bona ſunt, & honeſta, id eſt, pietatem, charitatem, pudicitiam, artemque benè & Chriſtianè regendi familiam. Hæc enim in ſequentibus explicantur. Atque huc referri poteſt, quod Ambroſius viduitatem vocat fidei caſtitatisque magiſtram. Lib. de viduis.

℣. 12. *Sobriè, & juſtè, & piè vivamus in hoc ſæculo.* Apoſtolus hac ſententia complexus eſt ſummam vitæ Chriſtianæ; definiens eam his tribus, ſobrietate ſeu temperantia, juſtitia, & pietate: Temperantia, qua quisque benè ſit ordinatus erga ſeipſum, juſtitia, qua erga proximos; pietate, qua erga Deum; quemadmodum pulchrè locum hunc exponit Fulgentius libro 2. de remiſſione peccatorum cap. 28. ita concludens: Quisquis ergo vult ad regnum pervenire cælorum, vivat ſobrius in ſemetipſo, juſtitiam ſervet in proximo, pius perſeveret in Deo. Porrò tribus his virtutibus tria reſpondent opera, quibus Deum placamus & promeremur, ab Angelo ſingulariter commendata, Tob. 12. Jejunium, Eleemoſyna, & Oratio. Atque hoc velut triplici remedio curanda ſunt tria vitia dictis virtutibus oppoſita; quæ Joannes Apoſtolus commemorat loco ſuprà citato, ſcilicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Quod autem Paulus jam toties ſobrietatis, ſeu temperantiæ meminit, de Cretenſium agens inſtitutione (Nam & ſenes, & anus, & juvenes, & adoleſcentulas vult admoneri ut ſobrij ſint) ſuſpicionem præbet magnæ illius gentis intemperantiæ: Nec immeritò, quandoquidem eos & ſuperiùs ex domeſtici vatis teſtimonio, ventres pigros appellavit. Quorum etiam infames libidines & luxus referuntur à Strabone libro 10. Quod addit, *in hoc ſæculo*, non ita accipiendum quaſi virtutes non remaneant in ſæculo futuro; manere enim eas ad ornatum, imo & quasdam illi ſtatui congruentes actus habere, rectè poſt Auguſtinum Scholaſtici docent in 3. ſent. diſt. 33. ſed ſignificat vitam præſentem ijs virtutum actionibus deſtinatam eſſe; quæ præſenti ſæculo conveniant, & quibus ad futuri ſæculi retributionem perveniatur. Unde ſequitur.

℣. 13. *Expectantes beatam ſpem.* Hebraiſmus eſt, quo *ſpem* poſuit pro re ſperata. Nam ſenſus eſt, dum interim ſpe exſpectamus promiſſam beatitudinem, tamquam præmium bonarum actionum hujus vitæ.

℣. 15. *Argue cum omni imperio.* Ubi notandum non præcipi Tito ut imperioſè agat; id quod apud Ezech. 34. reprehenditur in Paſtoribus populi, his verbis; *Cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia*: Sed ut authoritatem præferat, maximè quando increpandi ſunt & arguendi refractarij. Unde quidam vertunt, cum omni authoritate. Liquet ergo præceptum hoc Apoſtoli non eſſe contrarium illi, quo Timotheum admonet, ut cum omni patientia arguat, 2. Tim. 4. Non enim pugnat authoritatis oſtenſio cum manſuetudine & patientia. Quamquam Gregorius parte tertia curæ paſt. admo. 17. diverſitatis horum præceptorum aliam aſſignat rationem, videlicet ex diverſitate ingeniorum Titi & Timothei, quod illum Apoſtolus videret manſuetioris eſſe ſpiritus, hunc autem paulò ferventioris. Poteſt & ex parte auditorum ratio diverſitatis adferri. Nam & ſuprà de Cretenſibus dixit; *Increpa illos durè.*

Ibid. *Nemo te contemnat.* Authoritatis ſervandæ præceptum eſt. q. d. Ita te gere in officio tuo, ne quis te deſpiciat; &, ut Hieronymi verbis hoc ipſum repetam. *Nolo te talem exhibeas, ut poſſis ab aliquo meritò contemni.* Sic enim futurum, ut doctrinæ & increpationis tuæ fructus pareat: præſertim ſi vita tua te laicis inferiorem oſtendat. *Quia vehementer Eccleſiam Chriſti deſtruit, meliores laicos eſſe quàm clericos*; ut ait idem Hieronymus. Obſerva Paulum non hic dicere, quod Timotheo; *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*: Unde colligitur grandioris ætatis fuiſſe Titum quàm Timotheum.

CAPUT III.

℣. 5. *Non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Id eſt per gratuitam beneficentiam quâ noſtri miſertus eſt, in quibus nihil boni reperit ad quod reſpiceret, ſalvos nos fecit. Ubi notandum eſt, hanc ſalutem non intelligi in ſola gloria cæleſti, ſed complecti totam hominis renovationem ab initio fidei uſque ad perfectam ejus beatitudinem. Sic ad Eph. 2. *Gratia eſtis ſalvati per fidem.* Igitur, *ſalvos nos fecit*, quatenus juſtificavit, & per hoc in via ſalutis conſtituit; ad perfectam ſalutem deinde perducturus: Quam & nunc in ſpe poſſidemus; juxta illud Rom. 8. *Spe ſalvi facti ſumus.* Rectè igitur & ſolidè Auguſtinus, & Thomas, aliique ſcriptores orthodoxi docent ex hac ſcriptura, Deum nos ad ſalutem prædeſtinaſſe non ex ulla noſtrorum operum præſcientia, ſed ex ſola ſua miſericordia. Sicut enim ſalvos nos fecit, ait B. Thomas 1. p. q. 23. art. 5. ita prædeſtinavit nos ſalvos fieri: Igitur ſi ſalvos fecit non ex operibus, ſed ex ſola ſua miſericordia; ſic quoque prædeſtinavit. Cæterùm malè ex eodem hoc loco colligunt hæretici vitam æternam, quæ eſt perfecta ſalus, non reddi pro meritis bonorum operum. Quamvis enim tota ſalus noſtra ſit ex gratia Dei, non ex meritis noſtris: Per eamdem tamen benignam & gratioſam Dei providentiam, ille conſtitutus eſt ordo ſalutis noſtræ, ut priores ejus partes meriti rationem haberent reſpectu poſteriorum; id eſt, bona opera collata ad vitam æternam. *Tanta eſt enim Dei bonitas*; ait Papa Cæleſtinus, *ut noſtra velit eſſe merita; quæ ſunt ipſius dona.* Non ergo merita noſtra ſtatuimus, tamquam noſtra, ſed tamquam à Deo donata: Ut nihil prorſus habeat homo, de quo tamquam de ſuo glorietur.

℣. 10. *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita.* Quæritur cum Chriſtus in Evangelio tres correptionis gradus præſcribat; poſt quos frater, ſi non obtemperet, habendus ſit velut ethnicus, & publicanus; Matth. 18. quomodo Paulus poſt ſecundam correptionem velit hæreticum devitari? Quæſtionem auget, quod nonnulli codices olim tantùm habebant, *poſt primam correptionem devita.* Sic enim legit S. Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 6. & ejus nomine commentator hujus loci. Nam ſic eum legiſſe probant hæc verba commentarij; Idcirco hujusmodi homines, ut inexcuſabiles ſint, ſemel oportere corripi, dicit. Quin & Hieronymus eam lectionem Græcis codicibus adſcribit, tametſi ab Athanaſio, ut ait improbatam. Eadem lectio repetitur apud Irenæum lib. 3. cap. 3. Tertull. lib. de præſcrip. cap. 16. S. Cyprian. ep. 55. & Teſtim. lib. 3. cap. 78. Vide Bellarm. libro 3. de laicis cap. 22. in ſolut. object. 14. Fortè reſpondebis Apoſtolum ſcribere ad Titum, qui erat Epiſcopus, & repræſentabat Eccleſiam, de qua dicitur, *Si Eccleſiam non audierit*, &c. atque ita ſufficere vel duas correptiones, vel unam ſolam: At contrà eſt quòd Chriſti præceptum etiam prælatos obligat ad eum correptionis ordinem ſervandum. Nam Petro totius Eccleſiæ futuro paſtori Chriſtus loquebatur. Primùm reſpondeo lectionem quæ *unam & alteram poſtulat correptionem*, quòd receptiſſima ſit, & omnibus hodie codicibus, tam Græcis & Syris, quàm Latinis communis; omnino retinendam eſſe. Qua poſita, quamquam reſponderi poſſet in numero non eſſe vim faciendam, neque Apoſtolum excludere tertiam correptionem, ſed magis admittere, *ut* (ſicut Hieronymus ait) *In ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum*: Certior tamen reſponſio eſt, ordinem correptionis à Chriſto præſcriptum,

tum, non eſſe univerſalem; atque adeo non pertinere ad peccatores manifeſtos, ſed occultos; ut ex Evangelij contextu perſpicuum eſt. Apoſtolus autem loquitur de manifeſto hæretico, qui pravam ſuam doctrinam inter fideles diſſeminat. Hic reſtabat objectio removenda eorum, qui ex hoc loco nituntur oſtendere non eſſe tollendos è medio hæreticos, etiamſi tales ſint, ut alios ſuâ doctrinâ pervertant. Præcipit Apoſtolus, inquiunt, vitandos eſſe hæreticos, non occidendos. Sed pro nobis ipſe reſpondet Calvinus, alias eſſe partes Epiſcopi, alias politici magiſtratus; Ac Paulum Tito ſcribentem non diſſerere de officio magiſtratus, ſed docere quid Epiſcopo conveniat. Hæc ille, & plures in eamdem ſententiam; hac quidem in parte ſentiens cum Catholicis.

℣. 11. *Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt.* Metaphora eſt ab ædificio; quod ſi fuerit aliquâ ſui parte collapſum inſtaurari poteſt; at everſis fundamentis, jam nullus eſt reparationi locus. Sic, inquit, eum, *qui ejuſmodi eſt*, id eſt, qui ſemel & iterum monitus adhuc in errore perſiſtit; noveris everſum, aut ſubverſum eſſe; videlicet diſſipato fidei fundamento; ut ſpes nulla reliqua ſit admonitionibus, ſeu correptionibus apud eum quidquam proficiendi, magis autem metuendum, ne ſæpius increpatus per ἀντιπερίστασιν quamdam durior efficiatur. Non excludit omnem ſpem Apoſtolus, ſed eam quæ correptionibus nititur. Semper enim manet illud, Rom. 11. *Potens eſt Deus iterum inſerere illos.*

Ibid. *Cùm ſit proprio judicio condemnatus.* Senſus eſt: Hæreticum peccare, non quomodocumque, ſed ita ut proprio ſe judicio condemnet, dum præveniens quodammodo judicium Epiſcopi, quo condemnandus eſſet, & à fidelium ſocietate ſeparandus; ipſe ſemetipſum ab ea ſeparat, palam & pertinaciter ab ejus doctrina diſſentiens. Per hoc ergo, quod dicit hæreticum eſſe *proprio judicio condemnatum*; diſtinguit eum ab alijs excommunicatis. Nam alij ſolent inviti projici extra Eccleſiam; at hæretici *ſemetipſos ſegregant*, ut ait Judas Apoſtolus; id eſt, ſeipſos excommunicant. Cùm igitur excommunicatio ſit quædam condemnatio (ſic enim à Patribus vocatur) imò cùm ſit æternæ condemnationis quædam anticipatio, ſummumque divini judicij præjudicium, ut ait Tertullianus in Apologetico contra gentes cap. 39. conſequens eſt, hæreticum ſeipſum etiam condemnare. Non diſſimile eſt quod Dominus ait Joan. 3. *Qui non-credit, jam judicatus eſt*; id eſt, ſuæ condemnationis manifeſtam habet cauſam. Nam in manifeſtis criminibus dici ſolet, *Hic homo judicium ſuum ſecum portat.*

ANNOTATIONES

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

CAPUT I.

℣. 2. ET *Eccleſiæ quæ in domo tua eſt.* Eraſmus vertere maluit *congregationi*, quàm *Eccleſiæ*, non conſiderans Apoſtolicum loquendi morem, quo Eccleſia dicitur non quævis congregatio, ſed ordinatus fidelium cœtus, in quo, ad ſcopum Chriſtianæ religionis, alij regunt, alij reguntur; etiamſi unius tantùm ſint domus aut familiæ. Sic idem Apoſtolus loquitur Rom. ultimo. 1. Cor. ultimo, & Coloſſ. 4. Quod ait *tua*, ad Philemonem

Eſtij Annotat. in Script.

A refertur, ad quem principaliter hanc epiſtolam ſcribit. Nam aliorum ideo tantùm adſcripſit nomina, quò majorem ad id quod petit benevolentiam ſibi pararet.

℣. 9. *Ut Paulus ſenex.* Quæritur quomodò Paulus ſenem ſe vocet; cùm ex eo tempore quo perſecutus fuit Eccleſiam Dei, quando adhuc teſte Luca Act. 7. adoleſcens erat, usque ad quartum Neronis annum, quo ſcripta eſt hæc epiſtola, tantùm fluxerint anni 24. Nonnulli putant Græco vocabulo πρεσβύτης officium hoc loco ſignificari, non ætatem. Sed hoc commenticium eſt. Uſu namque Apoſtolico πρεσβύτερος, non πρεσβύτης, officium & ordinem Eccleſiaſticum omnibus notum ſignificat. Dicendum igitur Saulum perſecutorem adoleſcentem, ſeu potius juvenem, νεάνιον, vocari ab ætate juvenili, quæ protenditur usque ad annum 35. B imò ſecundùm alios usque ad annum 40. Juxta hanc ſupputationem potuit Paulus jam eſſe ſexagenarius. Qua de re conſule cardinalem Baronium tom. 1. annalium ad annum Chriſti 36. Nam Cajetani ſupputatio ſcribentis in hunc locum, minus exacta eſt. His adde, quod Paulo canos & rugas ſenectutis acceleraverant labores, carceres, ærumnæ & ſolicitudines quas pro Chriſti nomine ſuſtinuerat. Obſerva etiam quod Paulum quando convertebatur, virum vocat Ananias. Act. 9.

℣. 11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit.* Benè annotat B. Thomas Rhetoricam & civilem eſſe extenuationem in verbo, *inutilis*. Non ſolùm enim inutilis fuerat Oneſimus domino ſuo, ſed grave damnum intulerat: Verum mitigat hoc Paulus, tantùm dicendo *inutilem*. At *nunc*, inquit, *& tibi & mihi utilis*: Tibi, quia talis C nunc eſt ut utilitatem ab eo meritò expectes, tamquam à Chriſtiano, proinde liberaliter ſervituro; mihi autem utilis, per obſequium quod in carcere detento præſtitit.

℣. 20. *Refice viſcera mea in Domino.* Quod poteſt bifariam exponi, id eſt, me ipſum pro Oneſimo ſolicitum & anxium recrea, refocilla in his vinculis. Id autem facies ſi Oneſimum in gratiam receperis. Vel ſic: Oneſimum tamquam viſcera mea, id eſt, alterum me, à metu concepto recrea, veniam dando & in gratiam recipiendo. Nam & ſuprà dixerat: *Illum, id eſt, mea viſcera ſuſcipe.* Tradit hunc intellectum Hieronymus: Qui præterea monet, illud, *in Domino*, referri poſſe vel ad *viſcera*, vel ad verbum, *refice*. Priori modo ſenſus erit. Refice Oneſimum qui eſt viſcera mea in Do- D mino, id eſt, quem ego ut mea viſcera Chriſtiano amore complector. Altero modo: Oneſimum refice in Chriſto, id eſt, hanc ei gratiam præſta per Chriſtum, aut propter Chriſtum. Suadet hunc ſenſum pars præcedens, in qua ſimiliter ad verbum refertur *in Domino*. q. d. *Ita fiet ut ego te fruar in Domino, ſi tu Oneſimum reficias in Domino.*

ANNOTATIONES

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

E

CAPUT I.

℣. 3. Q*Ui cùm ſit ſplendor & figura ſubſtantiæ ejus.* Vocatur filius *ſplendor gloriæ ſeu claritatis paternæ*; quia lumen eſt de lumine, ſicut de eo Eccleſia canit in ſymbolo. Sciendum eſt autem, in hujusmodi metaphoris ad res divinas applicandis, omne id removendum eſſe quod eſt imperfectionis. Unde, ex eo quod ſplendor aut radius non exæquat lucem à qua diffunditur; non rectè colligat Arianus filium eſſe minorem Patre. Non enim ad hoc ſignificandum aſſumpta eſt me-

 taphora;

taphora; ſed potius ut quidquid ibi perfectionis invenitur, ad rem propoſitam applicemus, iis dumtaxat quæ imperfecta ſunt omiſſis. Itaque rectè Patres ex eo quod filius dicitur ſplendor gloriæ Patris, oſtendunt eum à Patre procedere ſine mutatione, paſſione, fluxu, defectu; & quidem ab æterno. Sol enim emittens radium nullam patitur mutationem, non fluxum, non defectum luminis. Neque verò radium à ſe emanantem tempore antecedit: Imò ſi ſol æternus eſſet, radium haberet ſibi coæternum. Quanquam videtur Apoſtolus hoc elogio quo filium vocat *ſplendorem gloriæ Patris*, potiſſimùm voluiſſe ſignificare proceſſionem filio propriam, qua nimirum à Patre gignitur ut verbum à mente. Hoc eſt enim, in natura intellectuali, ſplendorem à claritate; & lumen à lumine procedere. B Qua explicatione, verbis à ſymbolo Niceno acceptis, hic utitur Chryſoſtomus. Altera metaphora eſt qua filium vocat *figuram ſubſtantiæ Patris*. Pro *figura* Græcè eſt *χαρακτήρ*; quod alij verterunt *expreſſam imaginem*, alij *inſculptam formam*. Pro *ſubſtantia* verò Græcè legitur *ὑπόστασις*; cujus vocabuli in rebus divinis, apud veteres Theologos, duplex eſt ſignificatio; ſicut & Latinæ vocis *ſubſtantiæ*. Aut enim eſſentiam ſignificat, aut ſubſiſtentiam, id eſt, perſonam. Qua de re diſſerunt Baſilius epiſtola 43. ad Gregorium Nyſſenum fratrem ſuum, Hieronymus in epiſt. ad Damaſum numero 57. Theodoretus in primo dialogo, & Damaſcenus lib. 3. de fide cap. 4. & 6: Et quidem Baſilius, necnon Gregorius Nyſſenus à Theophylacto citatus, & Cajetanus in commentario, per hypoſtaſim hoc loco perſonam C volunt intelligi; ut filius dicatur character, id eſt, expreſſa repræſentatio non eſſentiæ ſed perſonæ Patris. Nam eſſentia utrique eadem eſt; perſonæ, ſecundùm eſſentiam ſimiles. Huic ſententiæ nonnihil favere videtur, quod *ὑπόστασις* in hac eadem epiſtola cap. 3. & 11. quamvis tranſlaticè, ſic tamen uſurpatur, ut magis cum ſubſiſtentia quàm cum eſſentia convenire videatur. Verba prioris loci ſunt: *Si tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.* Verba poſterioris: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum.* At verò alijs pleriſque magis placet, eſſentiam quam *οὐσίαν* Græci vocant, hoc nomine ſignificari. Nam hypoſtaſis ad perſonam ſignificandam nondum quum hæc ſcriberet Apoſtolus, erat uſu recepta; vel ipſo Hieronymo teſte, qui ſic ait in epiſtola memorata, de D tribus hypoſtaſibus loquens: *Quis quæſo iſta Apoſtolis prodidere? Quis novus magiſter gentium Paulus hæc docuit?* Denique addit, totam ſæcularium literarum ſcholam nihil aliud *ὑπόστασιν* niſi *οὐσίαν* noviſſe. Quod etiamnum hodie nobis Latinis accidit; quibus *ſubſtantia* ferè idem eſt quod eſſentia; licet veteres, ut dixi, de nomine ſubſtantiæ non uno modo fuerint locuti. His adde quod Syrus interpres *characterem hypoſtaſeos* vertit *imaginem eſſentiæ*. Juxta hanc acceptionem ſubſtantiæ, filius eſt figura & expreſſa imago ſubſtantiæ Patris, quia ſic Patrem repræſentat ut eſſentia ſeu natura Patris in ipſo perfectiſſimè reluceat. Unde non eſt conſequens aliam eſſe Patris eſſentiam, aliam filij: repræſentat enim filius eſſentiam Patris prout in Patre eſt; non prout in ſeipſo: Licet eadem ſit eſſentia Patris & filij. Quomodo nos Catholici fatemur Euchari- E ſtiam eſſe figuram ac ſignum corporis Chriſti; cùm ipſa ſit corpus Chriſti. Nihil enim vetat idem eſſe ſignum ſuipſius, præſertim ſi ſeipſum ſignificet ac repræſentet quatenus ratione diverſum eſt; ut in Euchariſtia contingit. Sic ergo Filius Dei, ſecundùm Apoſtolum, non quidem ſuipſius eſt *imago*, ſed *ſubſtantiæ Patris*; in quantum ejus ſubſtantiam (quæ eadem in ipſo eſt) æterna generatione ab illo ſibi impreſſam, perfectiſſimè refert. Nec obſtant huic hypoſtaſis ſignificationi alia loca hujus epiſtolæ; quæ producta ſunt, ſed magis conveniunt. Nam in illis tranſlatio non eſt ſumpta à perſona, ſed à ſubſtantia, id eſt, re per ſe ſubſiſtente,

A ſive ea pluribus communicabilis ſit, ſive non. Hoc autem abſque dubio etiam in eſſentiam competit, maximè divinam.

℣. 6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ. Sic explicari poteſt quo ſenſu Deus Pater iterùm, id eſt, ſecundò primogenitum ſuum introducat in orbem terræ. Primum enim introduxit, quando verbum carnem factum fecit *habitare in nobis*. De quo infra cap. 10. loquitur Apoſtolus cùm ait: *Ideo ingrediens mundum, dicit*, &c. Rurſus autem introduxit, vel tunc quando poſt ejus aſcenſionem in cælos & miſſionem Spiritus ſancti, per Apoſtolorum prædicationem effecit ut mundus eum fide reciperet, & dominum ſuum agnoſceret; vel, ſecundùm alios, quando eum in conſummatione ſæculi de cælo adducet ut B mundum judicet, omnibuſque ſibi ſubjectis plenam ac perfectam totius regni ſui poſſeſſionem accipiat; fiatque illud quod canit Pſalmus hic citatus, *Dominus regnavit. Nunc enim*, ut dicitur capite ſequenti, *necdum videmus omnia ſubjecta ei*. Quæres, quomodò *primogenitum* vocet Dei filium, quem unigenitum in ſymbolo fidei confitemur. Reſpondetur, eum unigenitum eſſe, quia ſolus eſt Dei filius naturalis: Primogenitum autem vocari, non tantùm per alluſionem, ut quidam exiſtimant, eo quòd apud Hebræos primogeniti eſſent hæredes & omnium rerum domini: Sed quia verè *primogenitus eſt inter multos fratres*; ut dicitur Rom. 8. Qui quamvis ſola ſint adoptione filij Dei: Non tamen confunditur eos fratres vocare, dicens; *Nunciabo nomen tuum fratribus meis*; Ut habes cap. C ſequenti. Horum ergo filiorum Dei comparatione primogenitus eſt, utpote quos omnes & ætate præcedit, quia æternus; & dignitate, quia naturalis.

℣. 14. In miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis. Benè limitatur hoc miniſterium ad cauſam Electorum; quia ſicut Apoſtol. 9. *omnia ſuſtinebat propter electos*, 2. Tim. 2. Ita Angeli ad quæcumque mittuntur miniſteria, propter electos mittuntur, & mitti ſe ſciunt. Veruntamen non ex eo conſequens eſt, ſolis electis hominibus Angelos à Deo cuſtodes adhiberi: Siquidem & ea quæ circa reprobos, tam cuſtodiendos, quàm puniendos, aguntur ab Angelis; omnia ad electorum ſalutem & gloriam ordinantur. Jam verò multo minus ex his Apoſtoli verbis ſequitur Angelos eſſe hominum miniſtros; quod impe- D ritè quidam autumant. Non enim dicit Apoſtolus eos mitti in miniſterium hominum; ſed propter homines: Quod eſt longè diverſum. Sunt enim Angeli miniſtri Dei, & unius hominis Chriſti ad dexteram Dei ſedentis: Mittuntur autem à Deo & à Chriſto ejus, ad procurandam hominum electorum ſalutem.

CAPUT II.

℣. 7. M*Inuiſti eum paulò minùs ab Angelis.* Græcè eſt, *βραχύ τι*, quod Latinè ſonat, *breve quid*. Poteſt autem & ad tempus & ad magnitudinem ſeu dignitatem referri; ſicut & Hebræa dictio *meat*, quæ in Pſalmo legitur. Quod utrumque adverſus Fabrum, negantem de brevitate temporis ea vocabula accipi poſ- E ſe, bene probat Eraſmus. Igitur quidam ad dignitatem referunt, hoc ſenſu; Feciſti eum Angelis paulò inferiorem, videlicet quoad humanam naturam, qua eum induiſti. Nam humana natura, quamvis intellectu prædita ſit, & ad imaginem Dei condita, ſicut Angelica; non tamen Angelicæ excellentiam naturæ aſſequitur, maximè ſi ſpectetur ſecundùm conditionem ſuæ mortalitatis. Hic ſenſus Latinis plæriſque placuit. Unde & Auguſtinus libro 2. de ſymbolo cap. 4. & Gregorius hom. 8. ſuper Ezech. ex hoc Apoſtoli loco docent Chriſtum ſecundùm aſſumptam humanitatem, Angelis eſſe minorem. Atque hunc ſenſum probabilem reddit literalis intelligentia Pſalmi, in quo particula, *paulò minus*,

modi-

modicam dignitatis diſtantiam, non autem breve temporis ſpatium, deſignat. Suffragatur etiam verſio Syriaca, quæ vocabulum habet ad quantitatem, non ad tempus pertinens, ſi Matthæo Galeno creditur. At verò diverſa eſt ſententia Græcorum, Origenis, Athanaſij, Chryſoſtomi, & ejus ſequacium, imo & B. Thomæ Aquinatis, & ipſius Auguſtini, quem Thomas allegat; qui omnes hanc ſeu brevitatem, ſeu parvitatem, ab Apoſtolo ſignificatam, ad tempus referunt. Quos etiam ſecutus Eraſmus, vertit hoc modo: *Feciſti eum pauliſper inferiorem Angelis*, Quod ita exponunt: Ad breve tempus, ſcilicet durante corporis ejus mortalitate, & paſſione; ac triduo ſepulturæ, quo manſit in morte; voluiſti eum Angelis eſſe minorem; id eſt, infrà Angelos abjectum; tam conditione mortalitatis & paſſionis, à qua aliena eſt Angelorum natura, quàm vulgari hominum exiſtimatione, quos illa carnis ejus infirmitas, & paſſionis ignominia non ſinebat de eo magnum aliquid opinari. Sed tempus illud reſurrectione finitum eſt; & ex eo jam cœpit impleri quod hic ſequitur; *Gloria & honore coronaſti eum*, &c. Pro hac Græcorum expoſitione facit in primis ipſius Apoſtoli ſubjuncta declaratio. Non enim quia Chriſtus homo factus eſt, ſed quia paſſionem mortis ſuſtinuit (ſub qua tota ejus mortalitas intelligenda eſt) eum paulo minus ab Angelis minoratum ſignificat. Quod & Gregorius urget inter alia, loco jam citato. Quod ſi minoratum intelligas ratione naturæ aſſumptæ: cùm eam numquam ſit dimiſſurus; conſequens erit, ut ſemper Angelis minor remaneat. Quod eſſe contra ſcopum Apoſtoli, ſtatim ex ſequentibus apparebit. Deinde, ſi propter paſſionem mortis ab Angelis paulò minoratus eſt, ut vult Apoſtolus: Ergo non parum, ſed multum infra eos dejectus eſt, imò & infra homines; adeo ut ipſe propter hanc cauſam conqueratur, & dicat in Pſalm. 21. *Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.* Non igitur conſiſtit cum mente Apoſtoli, ut dictio paulo minùs dignitatem reſpiciat, quemadmodùm adversùs Fabrum non malè ratiocinatur Eraſmus. Certè Lucas, quem hujus epiſtolæ ſcribam amanuenſem Paulo fuiſſe veriſimile eſt, eamdem Græcam vocem manifeſtè retulit ad tempus Act. 5. ubi noſter interpres habet: *Juſſit foras ad breve homines fieri*, id eſt, juſſit eos pauliſper foras ſecedere. Nec his obſtat literalis Pſalmi intellectus. Nihil enim vetat quominùs id quod ad literam de dignitate dictum eſt in Pſalmo; ſecundùm alium ſenſum de tempore poſſit intelligi. Præſtat enim nobis hanc interpretandi facultatem ipſa fœcunditas ſenſuum ſcripturæ. Quare, ut concludamus, eſt in hac parte quædam occupatio ejus, quod ab Hebræis objici poterat: Chriſtum ſcilicet mortalem, & miſerijs ſubjectum inter homines egiſſe; nec id ſolùm, verùm etiam fœdè tractatum, ac turpiſſima morte condemnatum; ut de eo dicat Propheta: *Vidimus eum deſpectum, & noviſſimum virorum.* Iſa. 53. Quæ omnia longè infra ſublimitatem Angelicæ dignitatis eum conſtituunt. Sed hæc, inquit Apoſtolus, ad breve temporis ſpatium ei contigerunt; ita nimirùm exigente negotio procurandæ noſtræ ſalutis. Quo peracto ſtatim per Reſurrectionem immortalitate donatus eſt; & ad ſupremum honoris & gloriæ faſtigium, ex eo jam tempore evehi cœpit. Quod ſignificant verba ſequentia: *Gloria & honore coronaſti eum &c.*

℣. 14. *Ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium.* Id eſt, diabolum. Non dubium ſanè quin Deus ſemper & vitæ & mortis imperium ſibi ſervaverit, de quo ſcriptum eſt, 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & vivificat*, & Eccleſiaſtici 11. *Mors & vita a Deo ſunt:* Dicitur tamen *diabolus habuiſſe mortis imperium*, quia per peccatum, quod primo homini ſuggeſſit ac perſuaſit & per quod totum genus infecit, tenebat eum cum tota poſteritate morti obnoxium, non quidem aliquo jure ſuo, ſed Dei permiſſione, cujus juſtitia ſic voluit hominem transgreſſorem puniri. Igitur *imperium* hic intelligitur poteſtas non juris, ſed facti; juſtè tamen à Deo permiſſa. Nam diabolo ſeductori nihil in hominem ſeductum juſti juris competebat. Unde nec diabolo pretium noſtræ redemptionis fuit ſolvendum, ſed Deo; cui ad mortem & gehennam eramus propter peccatum obſtricti.

CAPUT III.

℣. 6. *Quæ domus ſumus nos.* Græcè, *cujus domus ſumus nos.* Syriacè, *& domus ejus nos ſumus;* Significat fideles eſſe domum Chriſti, quòd eam tamquam familiam ſuam Chriſtus Dei filius regat, & in ea per fidem habitet; ſicut dicitur Philipp. 3. Hæc Chriſti Eccleſia eſt; quæ alibi domus Patris, alibi domus Dei vocatur, ut Joan. 2. & 1. Tim. 3.

Ibid. *Si fiduciam & gloriam ſpei, uſque ad finem retineamus.* Latens eſt tranſitus ad exhortationem, quâ apertè quidem ad ſpei perſeverantiam, tacitè autem ad fidem retinendam Hebræos excitat. Porrò nequaquam ex hac Apoſtoli ſententia conſequens eſt ſolos eos, qui perſeveraturi ſunt, id eſt, ſolos electos, eſſe in Eccleſia; quaſi ſentiat non aliter nos eſſe domum Chriſti, niſi ſpem firmam uſque ad finem teneamus. Tantùm enim id vult, fruſtra nos eſſe domum Dei, *niſi fiduciam* &c. Nam, ut dictum eſt, ad perſeverantiam hortatur Hebræos, nè inutile eis ſit, benè incepiſſe: Quaſi dicat, ſi non perſeveraveritis, perinde vobis erit, atque ſi numquam fueritis domus Dei. Sunt qui Apoſtolum interpretentur de domo ſtabili, & cum Chriſto permanſura: Sed hic ſenſus principium petere videtur. Priorem autem ſenſum confirmat ſermo planè ſimilis, infrà hoc cap. *Participes enim Chriſti effecti ſumus, ſi tamen* &c. Ex utraque autem ſententia, ſicut & ex omnibus ſcripturis, nos ad perſeverantiam exhortantibus, clariſſimè refelluntur hujus temporis errores, fidem ac juſtitiam ſemel habitam amitti non poſſe; & unumquemque Chriſtianum certò credere debere quod ſit prædeſtinatus, & vitam æternam habiturus. Quorſum enim exhortatio ne amittas quod amittere non potes; quodque certa fide tenes te non amiſſurum? Unde ſtupenda eſt ſectariorum impudentia, qui ex hoc eodem loco fidem ſuam ſpecialem ſtabilire non verentur; quaſi quicumque rectè confidit & ſperat, certus eſſe debeat, ſe id quod ſperat, infallibiliter conſecuturum: Cum poſſis ſuo vitio re ſperata fruſtrari.

℣. 14. *Si tamen initium, ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.* Pronomen *ejus*, non eſt in in Græco. Pro *ſubſtantia*, Græcè ὑπόςασις eadem vox, quæ cap. 1. *Figura ſubſtantiæ ejus.* Et quæ cap. 11. *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum.* Nonnulli *ſubſiſtentiam* vertunt. Eam verò ſubſiſtentiam, ſive ſubſtantiam, plærique interpretantur hoc loco, qua Chriſtiani ſumus, id eſt, nova creatura in Chriſto. Cujus quidem ſubſtantiæ initium & fundamentum eſt fides, qua in Chriſtum credimus. Poteſt nihilominus per *ipſam ſubſtantiam* intelligi fides; & per *initium ſubſtantiæ*, fides jam inchoata: Quandoquidem & cap. 11. ſubſtantiæ nomen attribuit fidei. Ita ſenſus erit: Si tamen ſuſceptam ſemel fidem, per quam in vita hac ſpirituali ſubſiſtimus (aut quæ eſt ſubſtantia, id eſt, baſis & fundamentum ſalutis ac ſpei noſtræ) firmam & inconcuſſam retineamus uſque ad exitum vitæ. Huic intellectui favet verſio Syriaca. Sic enim habet; Si ab initio uſque ad finem ſubſtantiam hanc firmam rapiamus. De qua verſione conſule Galenum noſtrum. Porro conditionalis ſermo: *Si tamen* &c. exponendus eſt eo modo, quo expoſitum eſt illud ſuperiùs: *Quæ domus ſumus, ſi fiduciam* &c. Senſus enim eſt, ita demum nobis profuturum ad ſalutem, quod Chriſti participes effecti ſumus per fidem, ſi in ea perſeveremus uſque ad mortem. Unde evaneſcit annotatio cujuſdam hæretici ad hunc locum, ſine perſeverantia fi-

dem non eſſe fidem, ſed opinionem vanam. Id enim A ex verbis ſimul & ſcopo Apoſtoli manifeſtè redarguitur. Non enim ad fidei perſeverantiam Hebræos hortaretur ſive perſeveraturos, ſive non; niſi veram fidem eos habere exiſtimaret.

C A P U T IV.

℣. 12. P*Ertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus.* Per *animam* intelligitur pars animæ ſenſitiva, quam cum beſtijs habemus communem: Per *ſpiritum* verò, pars intellectiva, qua communicamus cum ſubſtantijs ſpiritualibus? Quemadmodum & ſanctus Thomas benè explicat. Nomine *diviſionis* ſignificatur penetratio. Quod enim dividitur, id quaſi penetratur ut interiora appareant. Eſt igitur ſenſus. Sermonem B Dei pertingere usque ad intima hominis penetranda, etiam animam, etiam ſpiritum, quæ ſunt partes hominis abditiſſimæ. Pertingit autem ad ea & penetrat, perfecta cognitione; qua novit quidquid affectionis, & cogitationis in illis latet; graviter etiam ulturus, ſi quam illic hypocriſim, ſi quam radicem amaritudinis, aut infidelitatis, germinantem invenerit; ut dicitur infrà capite duodecimo.

℣. 15. *Tentatum per omnia. Tentari* hic non eſt ad peccandum ſolicitari, ſed affligi rebus adverſis; propterea quod in adverſis ſoleat hominum virtus & conſtantia probari. Tentatum ergo dicit *per omnia*, hoc eſt, omne genus malorum hujus vitæ expertum. Ea mala intellige quæ toti generi ſunt communia; veluti ſunt fames, ſitis, laſſitudo; moleſtia ex immoderato calore, aut frigore; triſtitia de malis, metus mortis, & mors C ipſa. Quare etſi non negamus, ut quidam negant, mortale Chriſti corpus potuiſſe morbis affici, ſicut potuit ſenectute diſſolvi: Non tamen erat conveniens ut morbos pateretur; quum hoc malum nec omnibus ſit commune, nec ordinatum medium ad finem œconomiæ Chriſti. Multo minùs huc pertinent ignorantia, & concupiſcentia, bonique difficultas. Nam de malis purè pœnalibus hic igitur, non de ijs quæ bono virtutis ac gratiæ quoquo modo repugnant. Unde ex hoc loco non ſequitur Chriſtum fuiſſe tentatum à carne: Quod ne fieri quidem potuiſſe, rectè docent Theologi in 2. diſt. 21. Nam à mundo & diabolo, tentatum fuiſſe, nulla dubitatio eſt.

C A P U T V. D

℣. 7. C*Um clamore valido & lacrymis offerens. Offerens*, aoriſtus eſt in Græco; *cum obtuliſſet.* Quando Chriſtus hanc, de qua loquitur Apoſtolus, orationem obtulerit Patri, tres ſunt opiniones. Una eſt, Apoſtolum loqui de ea Chriſti oratione, qua, paſſione ſuæ proximus Patrem ternò precatus eſt, ut ſi fieri poſſet, tranſiret ab ipſo calix. Quam orationem à tribus Evangeliſtis accuratè deſcriptam habemus: Qui etſi lachrymarum non meminerint, ut nec clamoris validi; tamen veriſimile eſt lachrymas non defuiſſe, quando præ mœrore & anguſtia animi, ſudor ſanguineus ei defluxit è corpore. Sed de clamore non eadem ratio. Solus enim tunc erat Chriſtus, & diſcipulis avulſus, ut clamore non eſſet opus, valido præſertim. Deinde, nec parvam difficultatem habet, quomodo in ea oratione fuerit exauditus; E quod de his precibus affirmat Apoſtolus. Non enim tranſijt ab eo calix: nec id abſolutè petebat, ſciens voluntatem Patris eſſe, ut biberet illum. Alij putant orationis, de qua Paulus loquitur, qua ſcilicet Chriſtus oravit Patrem, ut ſe à morte ſalvum faceret, id eſt, ex morte reſuſcitaret, nullam apud Evangeliſtas exſtare mentionem, ſed aut per revelationem, aut per traditionem, de ea Paulum, quod ſcribit, accepiſſe. Quæ Chryſoſtomi, & Theophylacti ſententia eſt. Sed ea refellitur, ſi probatum fuerit ejuſmodi orationem Chriſti ab Evangeliſtis haudquaquam fuiſſe prætermiſſam. Eſt igitur tertia, & maximè probabilis commentarius, quem poſt Aquinatem adfert Cajetanus, Apoſtolum agere de oratione Chriſti pendentis in cruce, quando voce magna clamavit dicens; *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Et quando, iterum voce magna clamans, ſpiritum ſuum in manus Patris commendavit. Ubi quamvis lachrymæ ejus non legantur; tamen ſicuti ſitivit naturaliter, præ ſiccitate corporis exhauſti; ſic & lacrymas ei naturaliter præ doloribus erupiſſe, credibile eſt. Permittebat enim, juxta Damaſceni celebre dictum, unicuique facultati naturali proprias actiones. Quod autem ea verba, quibus in cruce pendens Deum compellavit, precatoria fuerint, facilè docetur. Dicens enim, *Quare me dereliquiſti?* Non utique cum Patre expoſtulavit, nec manem fudit querelam; ſed petivit ut è malis, in quibus ad horam erat à Patre derelictus, eriperetur; ſcilicet per reſurrectionem, quæ mortem penitus abſorberet. Unde huic verſiculo è Pſalmo 21. deſumpto, LXX. interpretes addiderunt, *reſpice in me.* Quod ſine dubio orantis eſt. Quin omnes hujuſmodi ad Deum exclamationes, quæ in Pſalmis frequentes leguntur Hebraicè quædam precandi formulæ ſunt, & plærumque adjuncta habent expreſſa precationis verba, ut Pſalm. 12. *Uſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? Reſpice & exaudi me*, id eſt, exaudi me orantem, ne diutius exaltetur ſuper me inimicus meus. Quare & quæ in eodem Pſalmo præcedunt. *Uſquequò Domine oblivisceris me in finem; uſquequò avertis faciem tuam à me?* &c. conſimilem ſcoſum habent; ut & cætera hujuſmodi. Rurſum cùm ait: *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, orat Patrem ut ſpiritum ipſius ſuſcipiat in ſuam protectionem, hoc eſt, bene ei faciat, eum ſine longiore mora corpori reſtituens immortali. Id quod precationis forma protomartyr ejus enuntiavit, dicens: *Suſcipe ſpiritum meum.* Actor. 7. Chriſtum igitur in cruce Patrem oraſſe cum clamore valido & lachrymis; atque ad eam Chriſti precationem hoc loco Paulum reſpexiſſe: Satis probatum exiſtimo. Facit tamen etiam ad cumulum probationis, verbum *offerendi*, quo hic utitur. Nuſquam enim convenientiùs Chriſtus Pontifex noſter pro ſua ſalute preces offerre Deo potuit, quam ubi & ſemetipſum pro ſalute mundi Deo ſacrificavit, hoc eſt, in ara crucis, tamquam deſtinato ſacrificij loco.

Ibid. *Exauditus eſt pro ſua reverentia. Sua* non eſt in Græco, ſed additum fortaſſis ab interprete vel ab alijs potius, qui hanc reverentiam in Chriſto fuiſſe intelligunt; tamquam ſenſus ſit, Chriſtum à Deo exauditum eſſe, pro ea reverentia, ac pietate, quam ergà Deum habebat; qua nimirum dignus erat, ut ab eo exaudiretur. Ita ferè Latini, & inter Græcos Photius. Quod Apoſtolus dicit Chriſtum exauditum eſſe à Deo; nullam apud Theologos dubitationem habet, quorum conſtans & certa doctrina eſt, omnem Chriſti orationem, qua quid abſolutè à Deo petivit, exauditam fuiſſe; nec verò fieri potuiſſe, ut non exaudiretur: Unde ipſe Patri dicebat, *Sciebam quòd ſemper me audis*, Joan. 11. Qua ratione nec fieri potuit, ut ejus humana voluntas à divina diſcordaret. Nam oratio, qua Patrem in hortò precatus eſt ut tranſiret ab ipſo calix, ne biberet eum; non abſoluta fuit, ſed hanc habens conditionem, *ſi fieri poſſet*, id eſt, ſi id æterno decreto Patris non repugnaret. Unde non mirum ſi non fuerit exaudita. Quamquam ea non tam oratio fuit, quàm naturalis deſiderij, quo vitam amabat, expreſſio quædam, ac declaratio; cum ea humilitate qua deſiderium hoc perfectè ſubjiciebat voluntati paternæ, dicens; *Verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Quare hic locus de illa oratione non eſt accipiendus; ſed, ut ſupra dictum eſt, de oratione pendentis in cruce. Hanc autem exauditam eſſe conſtat, & impletam, quoniam Pater eum à morte reſuſcitavit tertio ſtatim die, non amplius moriturum. Quin etiam exaudita eſt pro toto corpore ejus, quod eſt Eccleſia: *Qui enim ſuſcitavit JESUM Chriſtum à*

mortuis,

mortuis, vivificabit & mortalia corpora noſtra. Rom. 8. A

ỳ. 8. *Didicit ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam.* Quamvis, inquit, filius eſſet, tamen ex his quæ paſſus eſt, obedientiam didicit. Sed quomodo *didicit obedientiam*, qui, etiam ut homo, noverat omnia, ac plenus erat omni genere virtutum, ipſaſque paſſiones obedientia præcedente ſuſceperat? Hæc quæſtio multas peperit hujus loci interpretationes. Plærique reſpondent Chriſtum per experientiam didiciſſe, quod antea ſciebat per infuſam notitiam. Id enim ſignificari ijs verbis: *Ex ijs quæ paſſus eſt*, id eſt, quæ patiendo expertus eſt. Itaque ſenſum hunc reddit B. Thomas: *Didicit obedientiam*, hoc eſt, experientia didicit, quàm grave ſit obedire; ut qui obediverit in graviſſimis & difficillimis, videlicet B usque ad mortem crucis. Alij ſic; Per experientiam didicit quanta ſit obedientiæ virtus & quantum meritum. Propter hanc enim exauditus eſt & à morte ereptus. Legitur hic ſenſus apud Theophylactum & Oecumenium; tametſi coactior apparet. Theodoretus hyperbolen eſſe dicit, nec tamen ſatis explicat: Sed videtur hoc velle, Chriſtum ex ijs quæ paſſus eſt, obedientiam didiciſſe, non quòd antè non fuiſſet obediens, ſed quia paſſionibus ita fuit exercitatus, ut vel ex illis obedientiam diſcere potuiſſet. Nobis per metonymiam commodius videtur Apoſtoli ſententia poſſe explicari, hoc modo: Quamvis filius eſſet, eoque ſolo nomine dignus quem Pater exaudiret; tamen, ut miſericors fieret Pontifex nobis ad Deum, per ea quæ ex voluntate Patris paſſus eſt, obedientiam oſtendit & exercuit, quaſi C obedientiæ diſcipulus. Quos enim ad obedientiam formamus, in rebus gravioribus experiri ſolemus. Loquitur autem ad hunc modum Apoſtolus, quia obedientiam ſuis Hebræis commendare voluit, ut innuitur v. proximo.

CAPUT VI.

ỳ. 4. *IMpoſſibile eſt enim eos qui ſemel illuminati ſunt ... rurſus renovari ad pœnitentiam.* Fruſtra novatiani ex hoc loco præſidium quærunt ſui erroris quo lapſis à Baptiſmi lavacro pœnitentiæ remedium negabant. Quod ut perſpicuum fiat, verum ac germanum ejus ſenſum inveſtigemus. Ac primùm ſunt inter Orthodoxos qui de pœnitentia quæ poſt baptiſmum agitur, D Apoſtolum hic loqui fateantur; ſed hi *impoſſibile* per difficile interpretantur; ut ſenſus Apoſtoli ſit, valde difficile eſſe ut qui poſt baptiſmum prolapſi ſunt in ſcelera, per pœnitentiam reſtituantur: Tum quia difficile eſt ut qui poſt baptiſmum prolapſi ſunt in ſcelera, per pœnitentiam reſtituantur: Tum quia difficile eſt, ut veram ac ſinceram agant pœnitentiam, qui gratiam ſemel acceptam repudiaverunt: Tum quia duram ac difficilem pœnitentiæ actionem à talibus exigit ſeveritas diſciplinæ Chriſtianæ. Sed huic intellectui primùm obſtare videtur, quòd res frequens & quotidiana, qualis eſt eorum qui graviter poſt baptiſmum deliquerunt, reſipiſcentia; atque eorumdem pœnitentium reconciliatio, quamvis difficultatem & laborem habeat, non tamen ſoleat impoſſibilis vocari; ſed hoc de raris & difficillimis tantùm E dicitur. Obſtat etiam locus ſimilis cap. 10. qui, ſecundùm intelligentiam, quam illic tradetmus, ſimpliciter negat voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis hoſtiam pro peccatis relinqui. Certè hujus epiſtolæ ſcriptor, *impoſſibile*, non aliter accipit, quàm pro eo quod abſolutè tale eſt; ut infra eod. cap. *Impoſſibile eſt mentiri Deum.* Et cap. 10. *Impoſſibile eſt ſanguine Taurorum & hircorum auferri peccata.* Et 11. *Sine fide impoſſibile placere Deo.* His adde, quòd ſi *impoſſibile* per difficile exponatur; valde difficile erit horum verborum adferre probabilem connexionem cum ijs quæ antecedunt. Aliorum quorumdam opinio eſt; propriè quidem accipi *impoſſibile*, ſed ajunt negari pœnitentiam poſt mortem ijs qui vitam hanc in magnis peccatis finierint. Ita Petrus Lombardus, & Hugo Victorinus. Ac B. Thomas etiam meminit. Sed in hoc ſenſu refellendo non eſt quod immoremur, cùm in textu nihil ſit quod eum commendet. Eſt igitur alius ſenſus, idemque maxime receptus, ut intelligatur Apoſtolus non pœnitentiam negare poſſibilem poſt baptiſmum, ſed ipſius baptiſmi repetitionem, quaſi breviter dicat: Impoſſibile eſt ſemel baptizatos iterum baptizari. Sic exponunt Græci commentatores omnes, & Latinorum maxima pars. Eadem eſt ſententia Ambroſij lib. 2. de pœnitentia cap. 2. Auguſtini in inchoata expoſitione epiſtolæ ad Rom. Damaſceni lib. 4. de fide, cap. 10. atque aliorum, quos recenſere longum eſt. Et quidem pro hoc commentario graves ſunt rationes ex ipſo contextu, & proprietate verborum Apoſtoli. Quod enim ad contextum attinet; ideo negat ſe rurſus jacturum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, quia fieri non poteſt ut ſemel baptizati, iterum per pœnitentiam renoventur? Atqui pœnitentiam priori loco baptiſmalem intellexit, igitur & poſteriori. Suadet hoc ipſum verborum proprietas, quibus utitur, ut quod dicit ſemel *illuminatos* non poſſe rurſus ad pœnitentiam *renovari.* Nam addendo *ſemel* & *rurſus*, utique declarat ſe alteram illuminationem & alteram renovationem excludere velle. Eſt autem baptiſmus Sacramentum illuminationis & renovationis, uti ſtatim docebimus: Pœnitentia verò quæ poſt baptiſmum agitur, ad Sacramentum pertinet reconciliationis. Huc etiam facit illa pars: *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei.* Nam in baptiſmo configuramur Chriſto crucifixo, ſicut infrà declarabitur. Satis igitur ex his apparet, de non repetendo baptiſmo locum hunc accipiendum eſſe. Verumtamen & hic ſenſus ut abſq; ſcrupulo recipiatur, interpretatione indiget. Nã quorsũ Apoſtolus tã ſolicitè doceret Hebræos, non poſſe ſemel baptizatos iterum baptizari; cùm nulla hiſtoria teſtetur aliquos fuiſſe tempore Apoſtolorum, qui baptiſmi Sacramentum ſemel acceptum, repeterent, aut repetendum eſſe docerent? Deinde, nec facilè cuiquam erat hoc Sacramentum, ſicut ab Eccleſia adminiſtrabatur, iterum ſuſcipere. Non enim ſic in promptu erat Chriſtianum baptiſma, ſicut Judæis ſua baptiſmata, quæ ſibi ipſis adhibebant, quoties immunditiam contraxiſſent; ſed cum ſolemnibus cæremonijs, & ſtatutis temporibus; nec niſi per Eccleſiæ miniſtros ea res agebatur. Quod ergo dicunt Patres, Apoſtolum hic loqui de non repetendo baptiſmo; id non tam de baptiſmi cæremonia, quàm de ejus effectu, convenit intelligere. Effectum dico, non characterem, ſed eum, qui peccando amittitur, id eſt, gratiam regenerationis ac renovationis: Non quòd amiſſa ſemel gratia recuperari non poſſit, ſed quia Deus nullum inſtituit remedium, quo tam facile gratia recuperetur amiſſa, videlicet per modum regenerationis ac renovationis, quàm fuerat per baptiſmum acquiſita. Hoc enim eſt quod docet Apoſtolus, non ita deponi poſſe ſarcinam peccatorum, ſi quis relapſus fuerit, ſicut in baptiſmo deponitur ab eo qui gratiam numquam habuit, quia pœnitens multum adhuc ea ſarcina gravatur, duram ſubeundo ſatisfactionem, priusquam ad plenam & perfectam reconciliationem perveniat. Confirmatur hæc interpretatio ex ipſo Apoſtolo. Non enim dicit: *Impoſſibile eſt eos rurſum baptizari*; ſed *rurſum renovari.* Quo verbo non ipſe baptiſmus, ſed effectus ejus ſignificatur. Idem doceri poteſt ex cap. 10. quem locum huic ſimilẽ diximus; quia nec ibi baptiſmus nominatur; ſed hoſtia pro peccatis, ſimul ſcilicet ac ſemel auferendis quocũque remedio applicanda, negatur. Remittitur autem ibi peccator ad *terribilem divini judicij exſpectationem* id eſt, horrendas ignis purgatorij pœnas; niſi voluntaria plenaque ſatisfactione judiciũ illud in hac vita præveniat; juxta quod ait idem Apoſtolus 1. Corinth. 11. *Si noſipſos dijudicaremus, non utique judicaremur.* Qui locum præſentem reſtringunt ad apoſtatas, aut ad eos qui peccaverunt

caverunt in Spiritum ſanctum; generaliter accipiunt A *pœnitentiam*, & hanc volunt eſſe Apoſtoli mentem: Impoſſibile eſt, ut tales ad veram adducantur pœnitentiam; Deo videlicet, aut numquam, aut quàm rariſſimè iis, qui in talia peccata lapſi fuerint, ſalutarem pœnitentiam inſpirante.

CAPUT VII.

℣. 3. S*ine Patre ſine Matre* Græcè ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, quod Eraſmus vertit, *ignoti Patris*, *ignota matris*. Sed ea verſio nec Calvino probatur. Non enim dicere vult Apoſtolus obſcuris aut ignotis parentibus ortum eſſe Melchiſedech; ſed nec Patrem habuiſſe, nec Matrem. Quod eo ſenſu dictum eſt, quia ſcriptura divina ſic eum introducit, ut nec Patris ejus, nec matris B ullam faciat mentionem. Igitur, *ſine Patre, ſine Matre*; videlicet in ſcripturis. Quod autem à quibuſdam traditum refert Epiphanius, Patrem ejus Eraclam vocatum, Matrem Aſtaroth, ſive Aſteriam, commentitium puto. Quamquam etſi verum ſit, nihil obſtat Apoſtolico ſenſui jam explicato. Multò minus illud recipimus, quod ex Judæis nonnulli fabulantur, idcirco de parentibus Melchiſedech nihil ſcripſiſſe Moyſen, quòd ex fornicario concubitu natus eſſet. Tale etiam eſt, quod ait Euſtachius Antiochenus, ideo genus Melchiſedech taceri, quia majores ejus indigni erant, qui cum viro tantæ virtutis nominarentur. Veram rationem nos docet Apoſtolus, ſcilicet id tacitum, ac prætermiſſum fuiſſe myſterij cauſa; de quo paulò pòſt. Quamvis & ex conſuetudine ſcripturæ ſacræ ratio reddi poteſt; ut quæ non C ſoleat eorum ſcribere genealogias, de quibus obiter, ac velut in tranſitu loquitur; ut nec eorum, qui ad genus Abrahæ non pertinerent, velut Job, & regum alienigenarum.

Ibid. *Sine genealogia*, id eſt, cujus genealogia nuſquam in ſcripturis texitur, cujus genus nuſquam recenſetur.

Ibid. *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, videlicet in ſcripturis, ut dictum eſt.

℣. 8. *Ibi autem conteſtatur quia vivit*. Clarius verterunt Eraſmus, & Hentenius; *Is de quo teſtatum eſt, quod vivat*. Syrus autem addito nomine ſic reddidit: Is de quo teſtata eſt ſcriptura, quod vivat. Senſus igitur eſt; *Ibi verò*, id eſt, in hiſtoria Geneſis decimas accepit is, cui teſtimonium perhibetur in ſcriptura, quod D vivat; quatenus ſcilicet introducitur vivens, nulla de morte ejus, aut ſucceſſore, facta uſquam mentione. Nam Aaronis, Eleazari, & aliorum Sacerdotum Leviticorum mortem, & ſucceſſores in ſcripturis legimus: At de Melchiſedech nihil ejuſmodi; ut ipſo ſilentio perpetuitas Sacerdotij Chriſti, cujus ille typum gerebat, oſtenderetur: Quemadmodum expoſitum eſt illud ſuperius, *ſine Patre, ſine Matre*, & quæ ſequuntur. Sunt qui exiſtiment Apoſtolum reſpicere ad verſum Pſalmi; *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*: Verùm illic non Melchiſedech, ſed antitypon ejus Chriſtus prænuntiatur Sacerdos in æternum.

℣. 9. *Et, ut ita dictum ſit, per Abraham, & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt*. Hoc eſt, In Abrahamo decimas dante Sacerdoti Mechiſedech, etiam Le- E vitica tribus, quæ ſecundùm legem decimas accipit à fratribus, decimas dedit: & conſequenter (quod Apoſtolus intelligendum reliquit) etiam benedictionem accepit. Nam & ipſa decimarum penſione profitentur homines ſe viciſſim expetere & expectare benedictionem à Sacerdote ut Dei miniſtro. Quoniam autem obſcurè, minuſque propriè dicitur eum, qui non eſt, decimari per alium; ideo præmollit ſermonem; inquiens, *ut ita dictum ſit*; ſive, *ut ita dicam*; quaſi dicat, *quodam modo loquendi*. Deinde quo ſenſu dictum ſit explicat verbis ſubjunctis.

℣. 10. *Adhuc enim in lumbis Patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech*. Dixi, inquit, Levi decimatum fuiſſe per Abraham: Quia quando Melchiſedech obviam ivit Abrahæ, & decimas ab eo accepit; Levi cum tota ſua poſteritate adhuc erat in lumbis Patris, id eſt proavi ſui Abrahæ: Ut propterea cum eo, & per eum, decimatus jure cenſeri debeat. Nam ſicut myſterij cauſa factum eſt, ut Abraham decimas daret Melchiſedech; ita quoque, ejuſdem myſterij ratione, non tantùm pro ſeipſo dedit, ac dare ſe fortaſſis intellexit, ſed & pro tota ſua proſapia, quæ in lumbis ipſius eſſet: in qua erant & Levitæ; præſertim cùm tota dignitas illius generis, ut ait S. Thomas, ex Abraham eſſet. Quo proinde decimato, tota generis maſſa decimata intelligitur. Jam ſi Levitæ decimati ſunt à Melchiſedech; ſunt igitur eò minores, & per conſequens eorum Sacerdotium inferius Sacerdotio Melchiſedech, ac multò magis Sacerdotio Chriſti, per Sacerdotium Melchiſedech præfigurato. Sed dices, hac ratione Chriſtum quoque Melchiſedech minorem oſtendi. Nam ſicut tribus Levi decimata eſt in Abraham; ſic & tribus Juda ex qua ortus eſt Chriſtus, ut infrà dicitur. Etenim non minus Juda, quàm Levi, in lumbis erat Abrahæ, quando obviavit ei Melchiſedech. Hunc nodum ita nonnulli ſolvunt, ut dicant ab hac lege decimationis illum exceptum intelligi debere, cujus figura fuit ipſe decimarum acceptor, id eſt, Chriſtum. Aliter, ac noſtro judicio doctiùs, ſolvit Auguſtinus lib. 10. de Gen. ad lit. cap. 20. Reſpondet enim non ita Chriſtum in lumbis Abrahæ fuiſſe, ſicut Levi, & cæteros Abrahæ poſteros. *Nam* inquit; *ſecundum rationem ſeminalem ibi fuit Levi; qua ratione, per concubitum, venturus erat in Matrem: Secundum quam rationem non ibi erat Chriſti caro*. Et poſt pauca: *Levi in lumbis fuit Abrahæ ſecundùm concupiſcentiam carnalem; Chriſtus autem ſecundùm ſubſtantiam corporalem. Cum enim ſit in ſemine & viſibilis corpulentia, & inviſibilis ratio: utrumque cucurrit ex Abraham, vel etiam ex ipſo Adam, uſque ad corpus Mariæ, quia & ipſum eo modo conceptum & exortum eſt. Chriſtus autem viſibilem carnis ſubſtantiam de carne virginis ſumpſit: Ratio verò conceptionis ejus non à ſemine virili, ſed longè aliter, ac deſuper venit*. Hæc & plura eo loco Auguſtinus. Verùm inſtabis adhuc, & quæres, cur Chriſtus ob id ſaltem non poſſit dici decimatus in Abraham, quia in lumbis ejus fuit ſecundùm corporalem ſubſtantiam; quandoquidem hac ratione verè & propriè vocetur filius Abrahæ Matth. 1. & ſemen ejus Gen. 22. & Gal. 3, ſicut & filius David, apud Evangeliſtas; & fructus ventris ejus, Pſalm. 131. Ad hoc reſpondet quidam Chriſtum idcirco non eſſe decimatum in Abraham, ſicut cæteros ejus filios, quia non ſic omnino filius Abrahæ fuit, ut cæteri; utpote qui non ſolùm nati fuerint ex iis, quos Abraham per concubitum procreavit, verùm etiam à proximis parentibus ipſi ſimili modo geniti. Quod à Chriſto alienum eſt: Is enim etſi natus ſit ex matre per concubitum procreata; non tamen ipſe ex ea ſic genitus eſt. Summa reſponſionis eſt, decimarum ſervitutem ſequi naturalem modum naſcendi, non ſupernaturalem: Quia qui hoc modo naſcitur, ſicut naturali lege naſcendi ſuperior eſt, ita & lege decimarum. Ita quidam, non malè. Sed pleniorem, ac profundiorem hujus objectionis ſolutionem, utpote ſumptam ex myſtica ratione decimationis, indicat Auguſtinus eodem loco, verbis ſequentibus; ubi ait: *Non autem & ille ibi decimatus eſt, cujus caro inde non fervorem vulneris, ſed materiam medicaminis traxit. Nam cùm ipſa decimatio ad præfigurandam medicinam pertineat, illud in Abrahæ carne decimabatur, quod curabatur; non illud, unde curabatur*. Et quæ ſequuntur. Ex quibus intelligitur ſolos illos Abrahæ poſteros in eo decimatos fuiſſe, & benedictionem accepiſſe, qui ſecundùm carnalem concupiſcentiam ex eo geniti, ideoque peccato, ac maledicto obnoxij decimatione eguerunt, contra culpam; & benedictione contra maledictionem.

ctionem. Ideo namque decimæ Sacerdoti offeruntur, ut ille pro peccatis offerentium deprecetur. Cùm igitur Chriſtus ſolam carnis ſubſtantiam ex Abraham traxerit: non etiam vitium carnis inde contraxerit: Utique nec decimatus in Abraham dicendus eſt, nec benedictione donatus; nihilo magis, quàm dicendus ſit in Adam prævaricatus, in cujus itidem lumbis ſecundùm corporalem ſubſtantiam, non ſecundùm carnalem concupiſcentiam fuit. Hanc Auguſtini reſponſionem probant & explicant Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramentis cap. 5. & Petrus Lombardus lib. 3. ſent. diſt. 3. & communiter ſequuntur ſcholaſtici doctores.

℣. 27. *Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Hic litem Catholicis movent ſectarij. Nam ſi Chriſtus ſemel tantùm pro peccatis noſtris ſemetipſum obtulit: Neque igitur, inquiunt, obtulit in cœna, neque quotidie offert per manus Sacerdotum in miſſæ ſacrificio. Breviter reſpondeo, ſermonem hîc eſſe de oblatione, quæ per ſe ſit efficax ad tollenda peccata; cujuſmodi ſola eſt cruenta Chriſti oblatio in cruce. Sicut autem Sacramenta novæ legis ad hoc ſunt inſtituta, ut per ea virtus ſacrificij crucis ad nos derivetur; ita quoque de quotidiano miſſæ ſacrificio, quod Chriſtus in ultima cœna inſtituit, exiſtimandum eſt, nempe ſalutarem virtutem ſacrificij in cruce peracti, per hoc incruentum & commemorativum ſacrificium quotidie nobis applicari, in remiſſionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur: Quemadmodum id optimè declarat Synodus Tridentina loco ſuprà citato.

CAPUT VIII.

℣. 4. *SI eſſet ſuper terram; nec eſſet Sacerdos.* Poteſt ſenſus hoc modo explicari: Evidente ratione concluſi, Chriſtum Pontificem noſtrum habere aliquid, quod offerat in cælo, reſidens ad dexteram Patris. Nam ſi ſuper terram eſſet: ne Sacerdos quidem eſſet, quanto minus Pontifex? Hoc eſt, Si futurus erat ex illo genere Sacerdotum, qui ſuper terram offerunt victimas; ut ſunt Sacerdotes Levitici jam locus omnino non eſſet ei inter Sacerdotes.

℣. 7. *Si illud prius culpa vacaſſet.* Græcè *irreprehenſibile erat.* ſeu fuiſſet. Irreprehenſibile autem negatur vetus teſtamentum, id eſt, tale in quo nihil poſſet reprehendi; non quod juxta Manichæorum hæreſim mali aliquid in ſe haberet (etenim lex Domini immaculata, tam vetus quam nova) ſed quoniam imperfectum erat, ut pote quod ſubditos ſuos ſanctificare non poſſet. Itaque non ſic irreprehenſibile, ut nihil ei deeſſet, aut nihil in eo deſideraretur; quemadmodum exiſtimabant Judæi, quærentes ex lege juſtitiam. Idem ergo hîc dicitur quod capite ſuperiore; *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex: Introductio vero melioris ſpei per quam proximamus ad Deum.* Nonnulli ſic exponunt; *Si culpa vacaſſet,* id eſt, à culpa liberaſſet. Sed hoc non eſt tam Apoſtolum exponere quàm interpretem. Eſt igitur hæc Apoſtoli ratiocinatio: Quod ſubrogatur alteri defectum habenti, melius eſſe oportet; atqui ſecundo teſtamento locus promittitur rejecto veteri propter ejus defectum (niſi enim aliquid ei deeſſet, ſecundi locus non quæreretur:) Ergo hoc illo melius eſt.

CAPUT IX.

℣. 4. *IN qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat.* In arca fuiſſe dicuntur urna & virga, quia juxta arcam erant. Nam more ſcripturæ quidpiam in loco aliquo eſſe dicitur, ſi vel loco ipſo contineatur, vel ſit in loco contiguo. Sic enim dicit Dominus ad Jeremiam, 35. cap. de Rechabitis: *Et introduces eos in domum Domini in unam exedram theſaurorum; & dabis eis bibere vinum.* Sic & Joannes cap. 10. *Et ambulabat Jeſus in templo, in porticu Salomonis:* Quum tamen neque exedra, neque porticus, eſſent partes templi, ſed ſtructuræ foris adjunctæ. Nec ſecùs accipiendum quod apud omnes Evangeliſtas legitur Joan. 2. Matth. 21. Marci 11. & Lucæ 19. eos qui erant ementes & vendentes *in templo* fuiſſe à Chriſto inde ejectos. Nam illa negotiatio in porticibus templi fiebat. Simile & illud Lucæ 9. *Et dicebant* (Moyſes & Elias) *exceſſus ejus quem completurus erat in Jeruſalem.* Et cap. 13. *Non capit Prophetam perire extra Jeruſalem.* Nam Chriſtus, de quo utrumque dictum eſt, non intra Jeroſolymam urbem occiſus eſt, ſed prope eam in monte Calvariæ. Quod ſatis erat, ut exceſſum ſuum *in Jeruſalem* completurus, & *non extra Jeruſalem* periturus, diceretur.

℣. 22. *Et ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio,* ſcilicet peccatorum. Hoc abſolutè dicit. Quamvis enim nonnullæ mundationes legales fierent ſine ſanguine: Nulla tamen ad remiſſionem peccatorum inſtituta erat ceremonia, quæ ſanguinis effuſionem non exigeret. Nam pro peccatis offerebantur ſacrificia propitiatoria, in quibus animal mactaretur; quæ proinde omnia cruenta erant, ut patet Levit. 4. & ſequentibus. Porrò ſicut in ſuperioribus ſermo fuit de mundatione & ſanctificatione legali, quam appellavit *emundationem carnis,* & *juſtitias carnis*; ita & hîc legalem intelligit peccatorum remiſſionem, qua nimirum fiebat ut legis comminationes homo evaderet, nec peccatum ei ad ejuſmodi pœnas imputaretur. Hic enim erat effectus illorum ſacrificiorum. Nam de legali remiſſione eum loqui, palam eſt; quoniam & proximè nominaverat *mundationem ſecundum legem*; & alioqui ſecum ipſe pugnaret, qui capite ſequenti dicit *impoſſibile eſſe ut hircorum & taurorum ſanguine peccata tollantur.* Qui verò ſententiam hanc interpretantur de ſanguine Chriſti, ut eam ad veram peccatorũ remiſſionem accomodent; ſenſum adferunt huic loco alienũ. Verùmtamen juxta Apoſtoli inſtitutum, ex his verbis optimè colligas: Si in veteri lege non fiebat remiſſio legalis ſine effuſionis ſanguine animalium occiſorum; ergo nec in nova lege fit vera peccatorum remiſſio, ſine effuſione ſanguinis Chriſti, quem ſanguis ille victimarum veteris teſtamenti præfiguravit. Eſt enim hæc collectio planè ſimilis ac penè eadem cum illa, quam Apoſtolus ipſe ſuperius fecit illis verbis? *Si enim ſanguis hircorum & taurorum* &c. Dicet aliquis; ſi vera peccatorum remiſſio non fit ſine effuſione ſanguinis Chriſti, (quod ex hoc loco rectè colligi jam dictum eſt:) ergo ſacrificium miſſæ, cùm ſit incruentum, ſicque vocetur à Patribus quòd in eo nulla fiat ſanguinis effuſio; non valet ad veram peccatorum remiſſionem. Reſpondetur, argumentum hoc nihilo magis facere contra ſacrificium miſſæ, quam contra baptiſmum & alia Sacramenta novæ legis ad remiſſionem peccatorum inſtituta: Dicendum eſt enim, ſicut baptiſmo non remittuntur peccata ſine ſanguine Chriſti, fuſo in cruce; ita nec per ſacrificium miſſæ remitti ſine cruento illo crucis ſacrificio, cujus ipſum eſt commemorativum. Utrumque enim, tam baptiſmus quam miſſæ ſacrificium efficax eſt in ſanguine Chriſti, & non aliter.

℣. 26. *In conſummatione ſæculorum,* hoc noſtro tempore, quando jam agitur ultima mundi ætas, poſtquam non expectatur alia.

Quæri hîc poſſet, cur demum in conſummatione ſæculorum paſſus ſit Chriſtus, ac non potiùs ſtatim poſt hominis lapſum, ut morbo confeſtim adhiberetur remedium. Sed huic quæſtioni proprius eſt locus apud Magiſtrum lib. 3. ſent. diſt. 1. ubi nos eam tractavimus; & apud Thomam q. 3. q. 1. artic. 5. Hic autem breviter reſpondeo, quamvis poſt tam multa ſæcula paſſus ſit Chriſtus; remedium tamen ſalutis homini lapſo numquam defuiſſe, ex quo facta eſt ei promiſſio de Chriſto venturo. Nam virtus paſſionis ejus,

quod ad meritum attinet, extenditur ad omnia ſæcula, tam præterita, quàm futura. Cur autem incarnationẽ ejus & paſſionem tamdiu differri oportuerit, duæ potiſſimum ſunt rationes. Una, ut primùm intelligeretur quid natura, deinde quid lex poſſet; atque harum imbecillitate ad ſanandum hominem comperta, tandem veniret ille qui ſolus per ſuam paſſionem poterat homini perdito ſalutẽ adferre. Altera, ut idoneis teſtificationibus, cujuſmodi fuerunt oracula prophetarum, & omnes figuræ legis antiquæ, multo ante prænunciatus adventus & paſſio Chriſti credibilior hominibus redderetur, ac paratioribus animis ſuſciperetur.

CAPUT X.

℣. 4. *IMpoßibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Poſſet quidem Deus inſtituere, ſi vellet, ut ſanguis brutorum auferret peccata; ſicut in baptiſmo aufert aqua: Sed impoſſibile hoc dicit Apoſtolus, eo ſenſu quo putabat carnalis Judæus; ſcilicet, immolationem ejuſmodi animalium ita per ſe gratam eſſe Deo, ut propter eam peccata remitteret iis pro quibus offerebantur. Contra quem ſenſum clamant Prophetæ. *Numquid carnes ſancta auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es?* Jerem. 11. *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium?* Micheæ 6. Hoc autem ſenſu nec aqua poteſt auferre peccata. Verùm filij novæ legis, adſcribentes aquæ purgatorium peccatorum, conſiderant eam ut ex inſtitutione divina adhibetur & valet ad abluendum hominem à peccatis in ſanguine Chriſti. Quo ſenſu dicit infrà hoc eodem capite, *Abluti corpus aqua munda*; qua nimirum conſcientia mundetur à peccatis. Quod ſi Judæus aliquis ſpiritualiter ſapiens, cum fide mediatoris illa legis ſacrificia offerret; utique fructum remiſſionis peccatorum percipiebat. Unde tres pueri in fornace Babylonis ſic orant: *Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium; ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi.* Daniel 3. Orat etiam Sacerdos Deum in canone miſſæ, ut ſuper propoſita myſteria propitio ac ſereno vultu reſpicere dignetur; & ea accepta habere, ſicut accepta habere dignatus eſt ſacrificia Abel, Abraham & Melchiſedec. Nec ideo confunditur diſcrimen ſacrificiorum ſive Sacramentorum veteris ac novæ legis: Nam Sacramenta veteris legis ut talia, id eſt, quatenus ad vetus teſtamentum pertinebant, nihil conferebãt gratiæ ſpiritualis: Sed ſi quis, ut dixi, ad ea accederet ut filius novi teſtamenti, reſpiciens in mediatorem; gratiam conſequebatur. Quamquam ſacrificia quæ Abel, Abraham & Melchiſedec obtulerunt, nec veteris nec novæ legis erant inſtituta; Deo tamen placita propter offerentium devotionem. At Sacramenta novæ legis, ut talia ſunt, ad gratiam præſtandam valent.

Eſt autem notandum, quemadmodum in epiſtolis ad Rom. Gal. & Phil. Apoſtolus docet, ex lege non eſſe juſtitiam; ita in hac epiſtola eum ex profeſſo docere, ex ſacrificijs legis haberi non poſſe purgationem peccatorum. Quare, ex Apoſtoli ſententia, ſicut lex non juſtificat; ita ſacrificia legis non propitiant: nimirùm per ſe & ſecundùm propriam inſtitutionem conſiderata. Sicut ergo de lege dixit Rom 8. impoſſibile fuiſſe ut juſtificatio per eam impleretur in nobis; ita hìc dicit de ſacrificijs legis, impoſſibile eſſe, ut per ea auferantur peccata.

℣. 18. *Ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato.* Alij clarius ex Græco, *non eſt amplius oblatio pro peccato.* Ex hac quoque ſententia pugnant adverſarij noſtri contra miſſæ ſacrificium; quod nos propiciatorium eſſe docemus pro peccatis. Si enim, inquiunt, juxta Apoſtolum remiſſio peccatorum ſemel facta per unam Chriſti oblationem, excludit omnem aliam oblationem pro peccatis: Igitur & miſſæ ſacrificium exploditur. In primis reſpondeo, ſenſum Apoſtoli non poſſe hunc eſſe, omnium peccatorum remiſſionem, quæcumque commiſerunt aut committent electi, propriè factam & peractam eſſe in cruce. Quam multa enim remiſſa fuerunt ante adventum Chriſti? Quam multa etiam poſt ejus paſſionem commiſſa ſunt & committuntur quotidie: Quæ ſi quis dicat jam olim Chriſto patiente fuiſſe propriè remiſſa: conſequens illi erit, peccata remitti priusquam fiant; nec quemquam nunc debere peccatorum ſuorum veniam à Deo petere. Denique, poſtquam mortuus eſt Chriſtus, non eſſe in Eccleſia remiſſionem peccatorum. Quæ omnia ſunt abſurdiſſima. Sed ajunt hunc eſſe ſenſum: *Ubi horum remiſſio*, id eſt, poſteaquam precium remiſſionis ſemel oblatum eſt, nullum amplius eſſe uſum ullius oblationis pro peccato. Reſpondeo nec hunc ſenſum valere. Cùm enim pretium à Chriſto oblatum, tam fuerit efficax in tempora præterita quàm in futura: ſequeretur hac ratione nec antiquos juſtos, ſive tempore legis, ſive ante legem, in Dei cultu potuiſſe uti ſacrificijs quæ pro peccatis offerrent; ne per hoc uni ſacrificio Chriſti, quo omnium peccatorum facta eſt expiatio, derogarent. Deinde ſi unum illud ſacrificium, ut nobis proſit, applicationem requirit per fidem, pœnitentiam, orationem, Sacramenta, cur reſpuit applicationem per ſacrificia? quam utique non reſpuebat antiquis temporibus. Quare dicimus, Apoſtoli ſenſum eſſe; Poſtquam remiſſio peccatorum quoad ſufficientiam ſemel facta eſt; nimirum pretio dato quod per ſe ad illam valeret, quale eſt quod Chriſtus obtulit in cruce: Jam ceſſat omnis oblatio propitiatoria ab illa Chriſti oblatione diverſa; id eſt, omnis ea quæ ad hanc non referatur, nec ei ſubordinata ſit.

℣. 26. *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Dixerat, *non deſerentes collectionem noſtram*, atque inde terrendo ſubjicit hæc verba: *Voluntariè enim peccantibus &c.* quaſi *voluntariè peccantes* Vel ijdẽ ſint cũ *deſerentibus collectionem*, vel ex illis naſci ſoleant eo quod Eccleſiaſticorũ conventuũ moroſi ac ſuperbi deſertores, ad graviorem ruinam ſint propenſi; nominatim ad apoſtaſiam. Quare, non de quocumque mortifero peccato præſens locus accipiendus erit; ſed de peccato apoſtaſiæ, qua fides & religio Chriſtiana ſemel ſuſcepta, prorſus abjicitur. Id etiam inſinuat pars illa, *poſt acceptam notitiam veritatis.* Similiter enim & B. Petrus de apoſtatis & hæreticis loquitur, 2. epiſt. 2. *Melius*, inquit, *erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Qui locus cum iſto conferendus eſt: Sicut & alter qui eſt apud Joan. 1. epiſt. 5. ubi de peccato ad mortem diſſerens, ait, *Non pro illo dico ut roget quis.* Nam & illud peccatum rectiſſimè intelligitur, quo Chriſtiana fraternitas aut impugnatur aut deſeritur. Eſt autem huic affine peccatum in Spiritum ſanctum; quod Dominus neque in hoc ſæculo neque in futuro remittendum pronunciat. Matth. 12. Sanè de grandi aliquo peccato loqui Apoſtolum, declarant graviſſimæ ejus exaggerationes, illis paulo poſt verbis ſignificatæ; *Qui filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit.* Loquitur autem ſcriptura de hujuſmodi peccato, velut de lapſu irreparabili; non quin verè pœnitenti pateat locus veniæ per ſanguinem Chriſti, ſed ſignificans eos qui hoc modo peccant vix umquam ad veram pœnitentiam adduci. Non enim ex infirmitate peccant aut ex ignorantia, ſed ex malitia ac deſtinata voluntate; nec id quomodocumque, ſed aut manifeſta divinitatis opera calumniantes, ut qui in Evangelio blaſphemaſſe dicuntur in Spiritum ſanctum; aut à veritate fidei recedentes, poſteaquam in ea fuiſſent ſatis inſtituti, eamque ſuſcepto baptiſmo in Eccleſia palam

profeſſi;

profeſſi; quales erant, de quibus Petrus & Joannes lo- A
cis memoratis: Quales & ij quos hoc loco Paulus vocat *voluntariè peccantes*. Quia quamvis omnis qui peccat voluntariè peccet (non enim peccari poteſt niſi voluntate liberè eligente quod malú eſt) peculiari tamen ratione dicuntur *peccare voluntariè*, quibus neque paſſio, neque ignorantia peccandi cauſa eſt, ſed prava atque in malum ex habitu prona voluntas. Nam in ijs qui ex ignorantia vel paſſione peccant, per has peccandi cauſas voluntarium minuitur. Unde & involuntariè quodammodo peccare dicuntur. Quod ſecus accidit in his qui ex malitia peccant. Addit autem, *poſt acceptam notitiam veritatis*; ut peccatum voluntarium determinet ad certum genus, quo nimirum à notitia veritatis ſemel accepta, receditur; & per conſequens ad priſtinas vitiorum ſordes reditur; juxta illud Petri: *Canis reverſus ad ſuum vomitum: Et, Sus lota, in volutabro luti*. B
Ut autem gravitatem peccati de quo loquitur Apoſtolus, magis agnoſcas: cogita eum loqui pro eo tempore quando plerique ætate jam adulti ad baptiſmum accedebant, prius diligenter inſtructi & catechizati in doctrina fidei. Quorum utique peccatum, ſi poſtea deficerent à fide; multo gravius erat, quàm nunc ſit eorum qui in infantia baptizati, nec poſtea admodum inſtructi, Catholicam fidem deſerunt & ad hæreſes deflectunt. Hoc apoſtaſiæ peccatum ab Apoſtolo ſignificari, intellexerunt multi recentiores; ut Titelmannus, Catharinus Halſelanus, Arias Montanus, Franciſcus Ribera; nec non Eraſmus in annotationibus. Ac ne propterea recentem putes interpretationem; etiam Hugo Victorinus eam tradit quæſtione 61. & 88. ſuper C
hanc epiſtolam; affirmans & alijs quibuſdam ita viſum fuiſſe. In quam ſententiam etiam Aquinas tandem deflectit. Quæ ſanè nobis quoque probatur, ut textui valde conſentanea. Et quia præſens locus, omnium ferè judicio, convenit cum eo qui eſt cap. 6. hujus epiſtolæ: conſequitur, etiam illic ubi dicitur, *& prolapſi ſunt*, idem apoſtaſiæ crimen ſignificatum eſſe. Nec obſtat nobis, quod hic ſenſus etiam reperitur apud ſectarios: Illud modò caveamus quod ab illis utroque loco ſtudioſè inculcatur, ſolum apoſtaſiæ, ſive, ut loquuntur, univerſalis ab Eccleſia defectionis peccatum eſſe ejuſmodi per quod a Chriſti gratia quis in totum excidat: cætera peccata non impedire quo minus homo quotidie Chriſti ſanguine irrigetur, ac Deum experiatur propitium. Hoc enim non eſt Apoſtolum exponere, ſed ſuos er- D
rores obtrudere. Qua tamen in re, Calvinus talia dum ſcribit, incautus ſeipſum jugulat. Si enim hac univerſali, quam vocant, defectione homo totus excidat à gratia Chriſti, quod veriſſimum eſt: Quomodo paſſim docet, fieri non poſſe ut gratia ſemel habita amittatur? Reſtat explicandum quid ſibi velit illud: *Jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Quod tale eſſe videtur. Si qui noſtrum voluntariè peccaverint abjecta veritatis notitia; hi, quoniam Chriſti hoſtiam ſemel oblatam, ſua apoſtaſia penitus & omninò in ſe fruſtraverunt; non eſt quod exſpectent hoſtiam Chriſti pro ſuis peccatis iterandam, id eſt, ut iterum crucifigatur filius Dei; quod gravitas & magnitudo lapſus eorum, ſi reparandus ſit, videbatur expoſcere. Non enim amplius moritur E
Chriſtus, Rom. 6. Quin potius ſciant, exſpectandum ſibi eſſe terribile judicium. Non dicit, ſi qui hoc modo peccaverint, ne deſperent, ſed corde contrito rurſus accedant ad thronum gratiæ Dei, cum ſpe veniæ per hoſtiam ſemel oblatam accipiendæ: Non hoc, inquam, dicit: Tum ut peccati magnitudinem & periculum demonſtret, cujus venia vix poſſit exſpectari; quaſi dicat, inexpiabile eſſe crimen; tum quia terrere voluit ſtantes, ut ſibi a lapſu caverent; alioqui certè cum lapſis, ſi ſerio locum veniæ quærerent, aliter locuturus. Et fortaſſis alludit ad legem Moſaicam, quæ pro expiatione peccati per ſuperbiam ſive contumaciam commiſſi, nullam præſcribit hoſtiam; ſed ſimpliciter pronuntiat eum qui ſic

Eſtij Annotat. in Script.

A peccaverit periturum de populo ſuo, propterea quod verbum Domini contempſerit. Num. 15. Per hoc enim ſignificatum eſt, ejuſmodi peccatorum raram eſſe pœnitentiam ac difficilem veniam.

Porrò quod nihil officiat etiam hic locus ſacrificio Miſſæ, contra quod adduci ſolet ab hæreticis; facilè poteſt ex dictis intelligi. Nam nec de omnibus peccatis agit Apoſtolus; ſed de certo quodam genere, de quo dicat; *Jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*. Nec quamlibet hoſtiam relinqui negat, ſed crucem mortemque ſecundam, ſicut apertè veteres interpretati ſunt.

℣. 29. *Et ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Spiritum gratiæ* vocat Spiritum ſanctum gratiæ authorem. Nam gratuita Dei dona in ſcripturis appropriatè tribuuntur Spiritui ſancto. Hunc ergo contumelia afficit,
B qui ejus beneficia contemnit: Contemnit autem, vel quiſquis gratiam in baptiſmo acceptam novis peccatis expellit; vel potius, qui Chriſtum ipſum, cujus merito ſpiritum ſanctificationis acceperat, per apoſtaſiam deſerit ac repellit. Ut *gratia* potiſſimum hic intelligatur beneficium vocationis ad fidem Chriſtianam.

CAPUT XI.

℣. 6. C*Redere oportet accedentem ad Deum, quia eſt.* Sed dicet aliquis; fides eſt eorum quæ non apparent, ut dictum eſt ſuprà: Atqui Deum eſſe cognoſci poteſt ratione naturali per demonſtrationem; ſicut & cognitum fuit Philoſophis, Apoſtolo teſte Rom. 1. Non ergo ponendum eſt hoc inter ea quæ credere opor-
C tet. Unde & S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 2. ad 1. docet, Deum eſſe, non eſſe articulum fidei, ſed præambulum ad articulos. Reſpondet Cajet. hanc doctrinam in communi datam Apoſtolo, ac multitudini congruere; cùm ſint pauciſſimi qui ſcientificè cognoſcant Deum eſſe. Itaque, juxta Cajetanum nihil erit abſurdi, ſi fateamur quoſdam Deo placuiſſe & ad ſalutem perveniſſe; ſine ea fide qua crederent Deum eſſe. Verùm id contra mentem Apoſtoli: Qui doctrinam inſtituit tradere prorſus generalem, & quæ nullam admittat exceptionem; ſicut & prorſus generaliter dixerat impoſſibile eſſe ut ſine fide quis placeat Deo. Nam alioqui, ſicut Philoſophi quidam excipiuntur; ita & quoſdam ex antiquis patribus, etiam hoc capite recenſitis excipere licebit: Ut exempli cauſa Abrahamum, quem tradunt inſignem aſtrologum fuiſſe. At
D verò hujuſmodi exceptionem præſens Apoſtoli doctrina nullo modo recipit. Dicendum igitur, ſine fide non poſſe Deum ab hominibus: ne Philoſophis quidem ullis, cognoſci ſicut oportet, ut illa cognitio ſit eis ſalutaris: Tum quia certitudo demonſtrationis inferior eſt certitudine fidei, quam proinde illa quoad certitudinem ſupplere non poteſt; tum quia lumen intellectus noſtri ita peccato obſcuratum eſt, ut Dei notitiam per ſe aſſequi nequeat, niſi cum multorum errorum admiſtione; ſicut docet B. Thomas 1. q. 1. art. 1. Adde, quod fides à nobis exigitur ut eſt aſſenſus a voluntate imperatus, humiliter atque obedienter ſubmittente intellectum ad ea quæ Deus loquitur; ſive cognita nobis aliunde, ſive non. Ex qua re, etiam meritum fidei conſurgit, ſine quo neminem ſtatuit Deus ad juſtitiam & ſalutem perducere.
E Hoc autem locum non habet in demonſtratione ſcientifica: Per hanc enim neceſſitatur intellectus ad aſſenſum.

℣. 39. & 40. *Non acceperunt repromiſſionem ... Deo pro nobis melius aliquid providente ut non ſine nobis conſummarentur. Non acceperunt promiſſionem*, ſcilicet perfectè, ſeu conſummate. Perfectè enim accipietur promiſſio, quando reſuſcitatis ad immortalitatem corporibus, ſancti homines cum Chriſto regnabunt in cælis. Nam ante id tempus animæ ſolæ regnant & beatæ ſunt, non homines; niſi ſynecdochicè: Loquitur autem Apoſtolus de hominibus. Sed quæritur, quomodo dicat Deum nobis melius aliquid providiſſe per hoc quod

priores juſti non ſine nobis conſummantur; cùm hæc A conſummatio ſit illis nobiſcum communis. Nam ſicut illi non ſine nobis, ita neque nos ſine illis. Reſpondeo cum Chryſoſtomo, Apoſtolum loqui more humano, ubi cenſentur honoratiores qui exſpectantur, quàm qui exſpectant, velut in convivijs. Ita quodammodo melior eſt conditio noſtra, quàm antiquorum; quia cùm illi tanto antè laboraverint, tamen ad convivium regni cæleſtis exſpectant nos, qui poſtremi venimus. Sic & Auguſtinus intellexit lib. de ſpiritu & litera cap. 24. ita ſcribens: *Et ideo velut priores reperiuntur minores (id eſt, tempore poſteriores;) quia minus dilati ſunt: Sicut in illo Evangelico denario per ſimilitudinem dicitur; quem prius accipiunt qui poſterius venerunt ad vineam.* Loquitur autem ad hunc modum Apoſtolus, ut Hebræos ſuos magis animet ad ferendam patienter dilationem B præmij promiſſi: quaſi dicat; longè facilius eſt vobis habere patientiam quàm juſtis antiquis. Nam illi multo diutius exſpectarunt & adhuc exſpectant dum vos ſitis parati: Non autem contrà illi erunt vobis exſpectandi; ſed ſimul atque tempus, quod jam propinquat, advenerit, unà cum illis accumbetis in regno Dei.

CAPUT XII.

℣. 16. **N***E quis fornicator, aut profanus, ut Eſau.* Fornicationis nomine ſcripturæ ut pluſimum comprehendunt omnem concubitum maris & fœminæ extra torum legitimum. Porrò fornicatorem fuiſſe Eſau non legimus, ſed plures accepiſſe uxores: Quod & Jacob fecit frater ejus. Tametſi apud Chryſoſtomum C in homilia 2. de patientia Job, ita legitur: *Quis enim Eſau erat? fornicator & profanus.* Sed hoc de pluribus uxoribus videtur interpretari, cum poſtea dicit? *Eſau ad multas mixtionem habuit mulieres* (ſive uxores Græcè, *γυναῖκας*;) *inſatiabilis ad luxuriam exiſtens.* Niſi fortè putavit Chryſoſtomus hoc illicitũ fuiſſe ipſi Eſau; licitũ, Jacobo. Sed qua ratione? cum ambo eſſent filij Patriarchæ Iſaac. Certè ſcriptura vocat uxores; nec factum reprehendit, niſi quod præter parentum voluntatem accepit de filiabus Heth. Et quidem tertiam duxit, filiam Iſmael, cum parentum conſenſu, uti ſatis apparet ex Gen. 28. Verùm de illo apud Chryſoſtomum loco, non eſt quod laboremus. Non enim arbitror illarum homiliarum quæ de patientia Job circumferuntur, authorem eſſe Chryſoſtomum, ſed alium quempiam, D doctrina & eloquentia cum Chryſoſtomo non comparandum. Quamquam & Theodoretus & gloſſa ordinaria, quam etiam B. Thomas ſequitur, hanc adferunt rationem, ideo Eſau fornicatorem dici; quòd contra leges atque invitis parentibus uxores duxiſſet alienigenas. Alia reſponſio eſt ejuſdem Theodoreti *fornicationem* vocari ingluviem; propter quam Eſau primogenita ſua proſtituit: Ut poſterior pars ſit expoſitio prioris. Cæterùm verus Chryſoſtomus hunc nodum uno verbo facilè ſecat, docens illud, *ut Eſau*, non ad utrumque præcedens membrum eſſe referendum, ſed ſolum ad proximum, *profanus*; ut poſt ea verba; *ne quis fornicator*, comma ſigatur; deinde junctim legas, *aut profanus ut Eſau.* Sic quoque Theophylactus, Oecumenius & Cajetanus. Jam qua in re profanus fuerit Eſau, pendet E ex intellectu ejus quod ſequitur.

Ibid. *Qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua.* Græcè, *Qui pro una eſca* (ſive *edulio*) *reddidit primogenita ſua.* Quod alij ſic vertunt, *Qui unico edulio permutavit* (*ſeu vendidit*) *ſuum jus primogeniti.* Sciendum enim in Græco non eſſe *πρωτοτόκα*, quod legimus capite ſuperiori, ubi ſermo erat de vaſtante primogenita: ſed *πρωτοτόκια*. q. d. *primogenitiva.* Quò videlicet nomine, etiam à LXX. interpretibus uſurpato Geneſ. 25. ubi deſcribitur hæc hiſtoria, ſignificatur jus primogenituræ. Nunc quæritur, quodnam illud jus fuerit; &, quare ob illius venditionem Eſau profanus cenſeatur. Hebræorum traditio eſt, ante legem & inſtitutum in populo Dei Sacerdotium Aaronicum, primogenitos fuiſſe ſuo jure Sacerdotes. Meminit hujus traditionis Hieronymus in libro quæſtionum Hebraicarum ſuper Geneſim, & in epiſt. 126. ad Evagrium; teſtaturque Hebræos illud Gen. 27. *Et veſtibus Eſau valde bonis induit eum*: De Sacerdotalibus interpret[ari]. Dicunt ergo qui hanc traditionem admittunt, Eſau propter vendita primogenita profanum fuiſſe, hoc eſt, irreligioſum ac ſacrorum violatorem; eo quod jus primogenituræ, cui Sacerdotium erat annexum, tam vile habuerit, ut illud pretio venderet. Unde & Simoniæ crimen ei impingunt. Sed quod ad traditionem illam Hebraicam attinet, Hieronymus quidem eam refert ſemel & iterum; ſed refert tantùm, non etiam veram affirmat. B Nec quiſquam veterum expoſitorum, in hujus loci commentario, ejus rei meminit; quum alioqui maximè oporteret. Quin nec poſterioris temporis ſcriptores, eam traditionem, quamvis vulgo receptam, pro certa tenent. Nam Thomas in 2. 2. q. 87. à 1. ad 3. velut de re dubia loquens, *Dicitur*, inquit, *quod primogeniti erant Sacerdotes.* Cajetanus autem ſcribens in Gen. 25. & Hieronymus ab Oleaſtro ſuper Exod 24. negant ex ſcriptura doceri poſſe. Addit Cajetanus, Rubenitas adverſus Moyſen, non pro Sacerdotio, ſed pro principatu, tamquam primogenituræ debito, contendiſſe, Num. 16. Accedunt etiam exempla ſcripturæ in contrarium. Nam Abel & Abraham, quamvis non primogeniti, tamen ut Sacerdotes ſacrificia obtulerunt. Gen. 4. & 15. Præterea ſi (quod multò probabilius ab ijſdem He- C bræis traditur) ad primogenitum pertinebat principatus familiæ: Non eſt veriſimile, ad eumdem pertinuiſſe jus Sacerdotij. Nam etſi interdum idem fuiſſe legatur rex & Sacerdos, ut Melchiſedec; id tamen rarum erat, & quaſi extraordinarium. Sunt enim officia valde diverſa regis & Sacerdotis; nec in eamdem perſonam, ut ſunt mores, ingenia & occupationes hominum, facilè conveniunt. Itaque nullo modo credibile eſt, jure publico paſſimque recepto, hæc duo fuiſſe aliquando conjuncta. Hac igitur Hebræorum traditione velut improbabile rejecta; Græcorum ſequamur expoſitionem, qui omnes *profanum*, Græcè *βέβηλον*, interpretantur Eſau fuiſſe hoc eſt, uſque adeo mundanum, carnalem & ventri deditum, ut ſpiritualia non curaret, ſed negligeret ac parvi penderet; imò gula irritatus, uno ac vili D edulio venalia haberet. Quem commentarium inter Latinos etiam Anſelmus tradit, ſeu quiſquis author. Hi primogenita vocant *ſpiritualia*, non propter annexum jus Sacerdotij aut cujuſquã alterius rei, quæ, propriè loquendo, ſpiritualis eſſet: Sed quod primogenitura ſingulare Dei donum haberetur illo ſæculo; cum ob alia, tum maximè propter prærogativam benedictionis paternæ, quam primogeniti quodam ſuo jure exſpectabant; ſive per ejuſmodi benedictionem intenderent conſequi bona cæleſtia ac verè ſpiritualia, ſive (ut plerique) ſola terrena. Et hoc eſt quod ajunt Chryſoſtomus & Theophylactus, Eſau datum ſibi à Deo honorem primogenitorum vili eſca vendidiſſe. Denique ſenſum hunc confirmant ea quæ ſequuntur de benedictione.

℣. 17. *Reprobatus eſt*, non à Deo, ſicut in illis ver- E bis, *Jacob dilexi*, *Eſau odio habui*, Mal. 1. ſed *reprobatus*, id eſt repulſam paſſus eſt à Patre nolente ei benedictionem impertiri quam ut primogenitus expectabat. Hanc enim pœnam merebatur homo profanus qui primogenita ſua tam vili vendiderat. Noluit autem Pater datam alteri benedictionem revocare, quamvis ignorans & deceptus eam dediſſet, ſed potius eam confirmavit: Quia cognito eo quod Jacob fecerat, cùm paululùm obſtupuiſſet, ſtatim tamquàm Propheta animadvertit rem à Deo geri, volente per hunc modum oſtendere ratum ſe habere reſponſum quod olim Rebeccæ uxori ipſius ſe conſulenti reddiderat de præeminentia filij minoris. Ita docent B. Thomas & Liranus.

Ibid.

Ibid. *Non enim invenit pœnitentiæ locum; quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Idcirco Pœnitentia Eſau, quamvis lacrymoſa, non fuit admiſſa, nec fructum ei attulit, quia non proceſſit ex amore Dei quem peccando offenderat, ſed ex cupiditate temporalis excellentiæ, quam ex benedictione ſperaverat. Nam quomodo vera ſecundùm Deum pœnitentia fuit ejus, qui fratrem interficere voluit, & Patris mortem optavit dicens: *Venient dies luctûs Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Vel dicaut pronomen *eam* referri ad benedictionem, uti admonet Theophylactus, ut ſenſus ſit: Eſau nihil profeciſſe hac ſua pœnitentia, quamvis etiam cum lacrymis benedictionem requiſiviſſet à Patre. Neque enim obtinere eam potuit. Accepit quidem alteram benedictionem minorem; ſed non illam quæ primogenio erat. Qui poſterior ſenſus melior eſt priore. Per utrumque tamen abundè ſatisfit novatianis: Quoniam Eſau nec veram egit pœnitentiam, nec Deo reconciliari quærebat, ſed terrena tantùm benedictione potiri. Poteſt autem & aliter hic locus exponi, ut Pœnitentia non ad Eſau, ſed ad Iſaac referatur; hoc ſenſu: Non potuit impetrare ut Pater ſententiam retractaret, etiamſi cum lacrymis eam, vel benedictionem, vel potius ſententiæ paternæ retractionem quæſiviſſet. Nam pœnitere in ſcripturis accipitur interdū pro eo quod eſt factū aut ſententiam retractare, etiam abſque ſignificatione doloris de præterito. Atque hanc expoſitionem arbitror eſſe maximè conſentaneam hiſtoriæ Geneſis ubi de Pœnitentia Eſau nihil expreſsè proditum eſt. Quod autem Patris Pœnitentiam quam dixi, requiſierit, nec tamen ullis aut precibus aut lacrymis eam potuerit extorquere, teſtatur apertè ſcriptura, narrans Iſaac dixiſſe de Jacob, *Benedixi ei, & erit benedictus*, id eſt, ſententiam non muto: Valebit benedictio quam dedi. Juxta hanc expoſitionem multo jam minùs argumento novatianorum locus relinquitur. Denique ſenſus hic clarè explicat partem proximè præcedentem, *reprobatus eſt*. Vide Annot. Rom. 9. v. 13.

℣. 21. *Moyſes dixit: Exterritus ſum & tremebundus.* Senſus eſt: Et adeò terribile erat quod in monte videbatur & audiebatur, ut non tantum populus perterritus fuerit, ſed ipſe etiam populi dux, ille, inquam, qui familiaris cum Deo colloqui ſolebat; fateretur ſe expaveſcere & contremiſcere. Quæritur ubi legatur hoc Moyſen dixiſſe; nam in Exodo & Deuteron. nihil tale habetur. Facilis & prompta reſponſio eſt, Apoſtolum hæc habere ex traditione majorum; quomodo cognita habebat nomina magorum Pharaonis 2. Tim. 3. Atque hinc diſcimus etiam antiquos fideles multa fide digna per traditionem accepiſſe, quæ ſcripta non erant: ut ne mirentur adverſarij in Eccleſia Chriſti præter ſacros libros etiam traditionibus eſſe locum. Joannes Calvinus, ne quidquid tale fateri cogatur; hujuſmodi commentum huc adduxit: Moyſen non ſuo ſed populi nomine ſic locutum; cujus mandata quaſi internuntius ad Deum referebat; ut qui eſſet veluti commune os omnium. Primùm hoc commento non poteſt effugere Calvinus quod meruit. Nam ſive populi nomine; ſive ſuo Moyſes ita locutus eſt; non tamen oſtendere poterit Calvinus ubi ſcriptum ſit hoc Moyſen dixiſſe. Quare ſic quoque traditionem agnoſcat neceſſe eſt. Deinde frivolum planè eſt quod adfert. Non enim Moyſen Apoſtolus introducit tamquam aliquid dicentem nomine populi; ſed diſtinctè de utroque loquitur, prius de populo, deinde de Moyſe: q. d. Non ſolùm populus perterritus fuit horrendis illis viſis; verùm etiam Moyſes, adeò quidem ut diceret, *exterritus ſum & tremebundus.* Cæterùm Lutherus, & ſi qui alij ex hoc loco convellere nituntur epiſtolæ authoritatem, tamquam citantis apocrypha; non vident ſe pari ratione detrahere epiſtolis ad Timotheum ſecundæ, & Judæ Apoſtoli, in quibus itidem aliqua quæ ſunt extra canonem ſcripturæ referuntur. Nos itaque negamus quidquam horum apocryphum eſſe; ſed omnia dicimus ejuſmodi, quæ fideli majorum traditione, per manus, ad Apoſtolos uſque delata fuerunt.

CAPUT XIII.

℣. 2. **P**er *hanc enim placuerunt quidam Angelis hoſpitio receptis.* Græcè *Latuerunt.* verbum λανθάνω apud Græcos eum habet uſum peculiarem, ut cùm adjuncto participio ſignificet quempiam neſcientem aliquid feciſſe, aut paſſum eſſe; ut nimirum actio vel paſſio participio ſignificata lateat. Exempli cauſa, ſic dicunt: *Lateo ſeneſcens*, id eſt neſcio, non ſentio me ſeneſcere. *Latui tranſgrediens legem*, id eſt, ignorans contra legem feci. *Latuit percuſſus*, id eſt, non ſenſit ſe percuti. Quæ phraſis etiam apud Tertullianum alicubi occurrit. Igitur ſenſus Græcæ lectionis eſt, quemadmodum Eraſmus, Hentenius & alij interpretes expreſſerunt: *Per hanc enim quidam inſcij exceperunt Angelos hoſpitio.* Atque in hunc modum legit Auguſtinus multis locis, quorum tria adducit Beda, vel quiſquis author, in collectaneis ſuper hanc epiſtolam, quibus adde Aug. lib. 3. contra Maximinum, cap. 26. Cujus Auguſtinianæ lectionis etiam meminit author gloſſæ; & poſt eum in ſuis commentarijs, Lombardus, Carenſis & Aquinas. Porrò Syrus interpres, quamvis utriuſque lectionis ſenſum complexus videatur; tamen in Græco nihil diverſum ab alijs eum legiſſe conſtat. Sic enim habet: *Per hanc enim digni fuerunt quidam, qui cum non ſentirent exciperent Angelos.* Ad hunc modum quem dixi verbum ἔλαθον, ſtudioſè exponunt Græci Patres, atque in primis Chryſoſtomus tam in commentario quàm in concione ſecunda de Lazaro; ubi ſenſum hunc pulchrè proſequitur. Horum omnium ſententia eſt, hoſpitalitatem ab Apoſtolo commendari ex eo, quòd olim quidam hujus virtutis merito, cùm putarent ſe homines hoſpitio recipere, Angelos exceperunt. Dices, Abraham non ignoraſſe quod Angeli eſſent, ut qui venientibus iverit in occurſum, & adoraverit in terram, atque uni eorum dixerit: *Domine, ſi inveni gratiam in oculis tuis ne tranſeas ſervum tuum*, &c. Hæc enim majora videri, quàm quæ hominibus peregrinis atque ignotis vir tantus exhiberet. Accedit quod de eo canit Eccleſia, *Tres vidit, & unum adoravit.* Idem de Loth objici poteſt; nam de eo quoque ſcriptura teſtatur quod iverit Angelis obviam, & pronus in terram adoraverit, ac dominos appellaverit. Reſpondetur Abraham & Loth Angelos, quos homines putabant, adoraſſe, id eſt, corporis inclinatione & procubitu veneratos fuiſſe, eo modo quo alibi legitur Abraham adoraſſe populum terræ. Gen. 23. quomodo & Jacob fratrem ſuum Eſau adoravit pronus in terram, ſepties: Ut habetur Gen. 33. Hoc enim genus honoris paſſim legimus homines hominibus impendiſſe. Nec illud obſtat quod dicitur: *Tres vidit & unum adoravit*; nam ex tribus unum quem videbat majeſtate vultus & habitu corporis alijs duobus præcellere; præ illis etiam honorandum putavit, appellatione Domini: Quem fortè etiam ſolùm adoravit. Non enim id exprimit ſcriptura; ſed innuit tamen, cùm ſubjungit Abraham ſingulariter dixiſſe, *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis* &c. Qua quidem in re myſterium procul dubio ſignificatum fuit, vel trinitatis & unitatis in divinis, ut plerique exiſtimant; vel potius incarnationis filij Dei. Non enim apparuerunt tres illi tamquam æquales, ut trinitas perſonarum ſignificari poſſet: Sed inter eos unus ut princeps & Dominus, & de quo ſolo, tamquam Domino, deinceps ſcriptura loquitur. Cui etiam, ut Domino ſuo, reliquos duos obſequia præbuiſſe veriſimile eſt; id quod erant aliquando factum incarnato. Matth. 4. & Joan. 1. Quod myſterium etſi tunc Abraham non cognovit; paulò pòſt tamen didicit, tunc maximè quando duobus Angelis Sodomam digreſſis, ipſe manſit ſtans

coram Domino, atque illi, tamquam Deo, pro civitatibus perituris ſupplicavit tanta humilitate, ut ſe pulverem & cinerem profiteretur. Fuitque eo tempore impletum quod ipſe Dominus in Evangelio dicit ad Judæos; *Abraham Pater veſter exultavit ut videret diem meum: vidit & gaviſus eſt*. Joan. 8. Vidit enim, non tantùm per fidem; ſed etiam oculis corporeis, in ea ſpecie in qua erat appariturus in carne.

℣. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Docet ad Chriſti gratiam tranſire volentibus, neceſſariò relinquendam eſſe legem Moſaïcam. Neque enim eos qui legi inhærent, habere jus edendi de altari quod habent Chriſtiani. In quo ſimul oſtendit, nec Chriſtianis deeſſe ſuum altare, cujus participes fiant Judæi ſi ad Chriſtum tranſeant: Ne querantur derelicto Moyſe ſine altari ſe futuros. Sed quæritur de quo altari loquatur Apoſtolus. Quod quidem Chryſoſtomus in ſuo commentario inexplicatum reliquit. Plerique tam veteres quàm recentiores ſignificari volunt menſam Dominicam, ex qua ſumitur a fidelibus corpus & ſanguis Domini: Ut ſicut de ea dictum eſt ab Apoſtolo, 1. Corinth. 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*, ita hic quaſi dicatur, non poſſunt edere de altari Dominico, qui adhuc tabernaculo deſerviunt in cibis & potibus; ut habetur ſuprà cap. 9. Tradunt hunc ſenſum in primis Græci Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius: Et inter Latinos Primaſius, Sedulius, Anſelmus; item author gloſſæ ordinariæ, Cajetanus, Haſſelaus & alij. Qui ſenſus conformari videtur ipſis Apoſtoli verbis: Nullum enim aliud altare habent Chriſtiani de quo edant, niſi menſam Dominicam. At verò S. Thomas, altare hoc interpretatur crucem Chriſti, vel ipſum Chriſtum. De quo altari edere, inquit, eſt fructum paſſionis Chriſti percipere, & ipſi tamquam capiti incorporari. Crucem Chriſti rectè proprieque vocari altare, nulla dubitatio eſt. Non enim aliud altare fingi poteſt, ſuper quod Chriſtus cruentè pro nobis fuerit immolatus. Unde & Eccleſia nominat *aram crucis* in divinis officijs. Ipſum quoque Chriſtum eſſe altare, probat idem doctor, quia ipſe eſt in quo & per quem preces noſtras Deo offerimus. Idemque ſignificatus eſt per altare aureum, quod vidit Joannes Apoc. 8. Priorem S. Thomæ expoſitionem amplectitur Liranus, poſteriorem Titelmanus. At Gagnæus utramque miſcere videtur, dum hoc *altare* dicit eſſe hoſtiam in ara crucis oblatam, ipſum ſcilicet Chriſti corpus. Harum porrò trium expoſitionum prima, quæ *altare* menſam Domini interpretatur, opponi ſolet hæreticis, qui ſacrificium incruentum corporis & ſanguinis Chriſti pernegant. Si enim apud nos eſt altare, ex quo hæc ſumantur; eſt & ſacrificium, quo eadem hæc offerantur. Et rectè quidem opponitur. Nam etſi non conſtet hunc eſſe ſenſum præſentis loci: Tamen urget adverſarios authoritas & teſtificatio Patrum qui ſic intellexerunt. Non enim ſic exponerent, ſi ejuſmodi ſacrificium & altare nullum in Eccleſia agnoſcerent. Cæterùm arbitror expoſitionem S. Thomæ quam priori loco poſuit, eſſe magis germanam; Innuit enim eam nobis ipſe Apoſtolus, cùm paulò pòſt dicit *Jeſum extra portam paſſum eſſe*, id eſt, in ara crucis oblatum. Et, ut taceam quod toties in hac epiſtola atque ex inſtituto per antitheſim comparat Sacerdotem miniſtrantem tabernaculo, cum Chriſto offerente ſeipſum in cruce: Sanè, cùm in ſuperiori diſputatione, qua tam copioſè egit de ſacrificijs veteris legis per Chriſtum abolitis, deque ſacrificio novi teſtamenti per eumdem introducto, nullam facere voluerit mentionem incruenti ſacrificij novæ legis (quod ea non faceret ad ipſius inſtitutum) non multùm veriſimile eſt, eum, omnia aliud agentem, velut ex abrupto voluiſſe de ſacrificio incruento ſermonem ingerere; ſed potius cruenti in cruce oblati, memoriam ex antedictis renovare. Quo ſenſu autem, de altari crucis edendi nos poteſtatem habere dicamur, & non illi qui tabernaculo deſerviunt; intelligitur ex verbis S. Thomæ ſuprà poſitis. Nos enim ex eo edimus, dum fructum ſalutis ex cruce Chriſti, tamquam vivifico ligno, percipimus, illi non poſſunt; quoniam (ut explicat Liranus) qui legalia cuſtodiunt (quod deſignatur in ſervitute tabernaculi) non habent partem in efficacia paſſionis Chriſti. Hinc idem Apoſtolus ait: *Si circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit*. Et iterum: *Evacuati eſtis à Chriſto, qui in lege juſtificamini: a gratia excidiſtis*. Gal. 5. Huc etiam pertinet quod corpus Chriſti in cruce oblatum, panis vocatur, fide manducandus, ut Joan. 6. *Panis*, inquit, *quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita*, ſcilicet in cruce.

℣. 17. *Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Non dicit quid omnes faciant, ſed quid boni; quidque omnes facere oporteat; quid denique de ſuis Epiſcopis & paſtoribus ſentire debeant fideles. In Græco talis eſt ordo: *Ipſi enim vigilant pro animabus veſtris, tamquam rationem reddituri.* Sed res eòdem recidit. Nam illud, *pro animabus veſtris*, ſecundùm ſenſum utróque pertinet. Vigilant enim pro animabus ſibi commiſſis, tamquam pro ijs ipſis rationem reddituri Deo in die judicij. *Vigilare*, curam & ſolicitudinem ſignificat, eſtque maximè proprium Epiſcoporum. In illo ſermone *rationem reddere*, metaphora eſt ab ijs qui res alienas diſpenſant. Tales ſe cogitare debent omnes paſtores & Epiſcopi: Ut quibus à Chriſto commiſſa eſt animarum cura, quas ipſe ſuo ſanguine redemit, & ſuas fecit: De quibus proinde rationem ab ijs exacturus eſt. Igitur hac parte, *quaſi rationem*, &c. ſignificare voluit Apoſtolus periculum in quo verſantur qui præſunt animabus regendis; ut hoc attendentes ſubditi, non eos contriſtent, ſed promptè & libenter obediant. Eſt enim hoc (inquit B. Thomas in commentario) maximum periculum, hominem de factis alienis rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit. Unde & Chryſoſtomus vehementer hunc ſermonem & pulchre exaggerans, dicit inter cætera verbum terribile: *Miror an fieri poſſit, ut aliquis ex rectoribus ſit ſalvus.* Verùm hoc dicit reſpiciens ad multitudinem eorum qui per ambitionem ſeſe conjiciunt in illam tanti momenti functionem, quemadmodum patet ex verbis circumſtantibus. Nam legitimè vocato, & fideliter atque ex charitate ſacrum illud munus exercenti, qualis fuit ipſe Chryſoſtomus; periculum eſſe non poteſt.

℣. 21. *Aptet vos in omni bono.* Si quæras, quomodo Deus aptet homines ad bonum: reſpondet tibi S. Thomas in commentario. Quando quis, inquit, voluntatem habet benefaciendi; dicitur aptus ad illud. Deus autem quando immittit ei bonam voluntatem, aptat eum, id eſt, facit eum aptum. Et ideo dicit Apoſtolus: *Aptet vos in omni bono*, id eſt, faciat vos velle omne bonum. Et infrà. Dupliciter aptatur homo ad bene faciendum. Uno modo, exterius operando: Et ſic unus homo aptat alium, perſuadendo vel comminando. Alio modo aliquid interius exhibendo. Et ſic ſolus Deus aptat voluntatem, qui ſolus eam poteſt immutare, juxta illud Proverb. 21. *Cor regis in manu Dei; quocumque voluerit inclinabit illud.* Hæc ille. Non ergo dicamus Deum movere voluntates hominum, ſicut aptum novit ut ſequantur; tamquam in eo ſita ſit efficacia gratiæ Dei: Sed fateamur Deum facere homines aptos ipſa bonæ voluntatis immiſſione; ſicut ſanctus Doctor loquitur. Quæ doctrina amplius patebit ex conſequentibus Apoſtoli verbis.

Ibid. *Ut faciatis ejus voluntatem.* Voluntas intelligitur præceptiva, in qua exequenda conſiſtit bonitas voluntatis noſtræ. De qua Epheſ. 5. *Intelligentes quæ ſit voluntas Dei* & 1. Theſſ. 4. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* Unde Eccleſiaſtici 3. *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper*, ſcilicet ut facias. Supplenda eſt Apoſtoli ſententia, hoc modo: *Deus aptet vos in omni*

bono,

bone, præſtans nimirum, *ut voluntatem ejus faciatis.* Ita A ſeipſum exponit verbis ſubjunctis.

Ibid. *Faciens in vobis quod placeat coram ſe.* Hoc eſt, per gratiam ſuam efficiens, efficaciter operans in vobis opera ſibi placentia. Manifeſtè docet hic locus, gratiam Dei non ex eo efficacem cenſeri quod voluntas noſtra per ſuum aſſenſum ſeſe accommodet vocanti aut ſuadenti Deo; ſed efficacem eſſe per ſeipſam & à ſeipſa, dum Deus potenti ſua operatione nos aptat, & in nobis efficit omne bonum per quod ei placemus. Sub quo bono, ipſum etiam aſſenſum & cooperationem voluntatis noſtræ, contineri; nemo qui ſanus ſit in fide dubitaverit; *Deus eſt enim qui operatur in nobis & velle & perficere.* Phil. 2. & qui omnia opera noſtra nobis operatur. Iſa. 26. Porrò viderit Eraſmus, cur verterit: *Efficiens ut quod agitis acceptum ſit in conſpectu ſuo.* Nam Græca ad B verbum ſic habent: *faciens in vobis beneplacitum coram ſe.* Quod omnes alij verterunt in eum ſenſum quem dedimus.

Ibid. *Per JESUM Chriſtum.* Hoc addit, quia, ſicut dicit ſanctus doctor, nihil à Patre impetratur niſi per filium. Quæri poteſt quò ſit referendum; utrùm ad verbum, *aptet*, an ad *faciens*, an ad *beneplacitum coram ſe.* Maximè, ni fallor, convenit ut ad verbum, *faciens*, referatur. Optat enim & precatur Apoſtolus ut Deus hæc in illis efficiat & præſtet per meritum Chriſti filij ſui. Quod & Eccleſia paſſim in ſuis orationibus imitatur.

ANNOTATIONES C
IN EPISTOLAM
B. IACOBI APOSTOLI.

CAPUT I.

℣. 2. *OMne gaudium exiſtimate; cùm in tentationes varias incideritis.* *Omne gaudium*, Hebræa phraſi dixit pro *magnum & perfectum gaudium.* Unde vertit Eraſmus: *Pro ſummo gaudio ducite*, id eſt, ingentis gaudij materiam vobis oblatam exiſtimate. Porrò *tentationes* Apoſtolus vocat, non incitamenta peccandi, quamvis ita videatur intellexiſſe Auguſtinus lib. 14. D de civit. Dei cap. 9. ſed afflictiones; quòd per eas Deus homines tentare, hoc eſt, probare ſoleat, ut quales ſint innoteſcat. Ita Chriſtus Luc. 22. *Vos eſtis*, inquit, *qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis.* Et Paulus Hebr. 4. de Chriſto: *Tentatum autem per omnia.* Atque eam ſignificationem declarat quod infra dicitur in hoc eodem capite, *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit*, &c. Eſt autem in ſcripturis locus frequens, in afflictionibus & perſecutionibus eſſe gaudendum. Ut Rom. 5. *Gloriamur in tribulationibus.* Et 1. Per. 4. *Communicantes Chriſti paſſionibus, gaudete.* Et ipſe Dominus Matth. 5. *Cum perſecuti vos fuerint propter me, gaudete & exultate.* Hinc illud Actor. 5. de Apoſtolis: *Ibant gaudentes à con*- E *ſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Quod verò ad tentationes peccatorum attinet, an & quatenus experti poſſint, ac juſti gaudij materiam præbere, diſputatum eſt à nobis in lib. 2. ſent. diſt. 23. Sed cum naturale ſit, in malis dolere; adeo ut & filius Dei carnem paſſibilem gerens, inſtante paſſione dixerit, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: Docet Apoſtolus ſequentibus verbis qua ratione in ijſdem malis, ac de ijs, gaudendum nobis ſit; quatenus ſcilicet magna quædam bona nobis pariunt. Quod & Paulus docet Rom. 5. & Hebr. 12. & Petrus 1. epiſt. 1. & 4. & magiſter eorum Chriſtus, Matth. 5. & Luc. 6.

℣. 4. *Patientia autem opus perfectum habet.* Legendum *habeat* quod in pleriſque eſt emendationbus, quodque exhibent veteres concordantiæ, & editio Lovanienſis. Nam & Oecumenius Græcus ſtudioſè obſervat Apoſtolum non dixiſſe ἔχει *habet*, ſed ἐχέτω, *habeat.* Syrus quidem vertit in hunc modum: *Ipſi autem patientiæ erit opus perfectum.* Sed hoc ab Hebraicæ linguæ conſuetudine deſcendit, qua verba futurum tempus indicantia ponuntur pro imperativo; ut *non occides*, id eſt, ne occidito. Et alia innumera. Sic, *ipſi patientiæ erit*, id eſt, ipſa patientia habeat, opus perfectum. Eſt igitur exhortatio: Sed cujus ſenſum variè reddunt. Quidam hoc modo; Patientia veſtra gaudium & alacritatem annexam habeat. Sed ita nihil diverſum diceret Apoſtolus ab eo quod dixit, *omne gaudium exiſtimate*, &c. Alij opus patientiæ perfectum interpretantur, quod conjunctum eſt cum dilectione eorum qui nos affligunt. Charitas enim eſt, quæ reliquarum virtutum opera format ac perficit: Eſtque ei qui læditur; ne adverſus lædentem ira aut odio commoveatur, in primis neceſſaria. Tertius ſenſus eſt quem innuit Oecumenius; patientia veſtra ne deficiat, ſed opus ſuum perducat uſque ad finem: Sic enim erit opus abſolutum atque perfectum; & re & fructu. Nam *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit* Matth. 10. Hi duo ſenſus poſtremi meritò probantur; & utrique poteſt aptari quod ſequitur. *Ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.*

℣. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur.* In tentatione de qua agit, tria ferè concurrunt: Afflictio, probatio & peccandi incitamentum. Afflictio plerumque ab homine eſt, ſemper à Deo: Probatio eſt à ſolo Deo: Peccandi incitamentum à mundo & diabolo; ſed præcipuè à carne ſeu concupiſcentia nobis inteſtina, quæ fomes peccati vocatur à Theologis. Igitur de tentatione ſecundùm hanc ultimam qualitatem nunc agit Apoſtolus, admonens fideles, ne quum ſe ſentiunt afflictionibus commoveri ad impatientiam, murmurationem, diffidentiam, aut etiam ad fidem deſerendam; hujuſmodi tentationem Deo adſcribant: Sed neque culpam ſuam in diabolum aut homines malos conferant, ubi peccaverint hoc modo tentati; ſed in ſeipſos. Accipitur ergo hìc, & in ſequentibus, tentatio, ſicut in oratione Dominica: *Ne nos inducas in tentationem.* Et ſicut Matth. 26. *Orate ut non intretis in tentationem.* Et alibi ſæpe. Ex quibus jam patet huic Apoſtolicæ doctrinæ non adverſari ſcripturas in quibus Deus homines tentaſſe legitur: Ut Abrahamum Gen. 22. & populum ſuum Exod. 16. Deut. 13. Nam ijs in locis, *tentare* non eſt ad peccandum ſolicitare, quomodo hìc accipitur; ſed probare, experimentum capere. Quamquam & hoc ipſum Deo, qui nulla noſtri indiget experientia, ſed omnia novit antequam fiant; non niſi per tropum tribuitur; ut probare dicatur homines, quando eos tum ſibi ipſis tum alijs per alicujus facti experientiam nôtos facit quales ſint. Non eſt autem improbabile quod quidam annotant hujus loci doctrinam uſque ad illa verba; *Scitis fratres mei dilectiſſimi*; à beato Jacobo dirigi adverſus eos, qui ex epiſtolis Paulinis, ubi legerant quoſdam à Deo tradi in deſideria cordis eorum, & in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum; Rom. 1. Item obdurari & excæcari; ibidem cap. 9. & 11. occaſionem erroris ſumpſerant, ut putarent homines à Deo ad peccandum impelli. Hunc enim errorem (nam *errorem* B. Jacobus appellat, dicens: *Nolite errare*) totus iſte locus ex profeſſo deſtruit; peccatorum cauſas à Deo removens ac è diverſo omne bonum ad eum authorem referens. Quis verò ſenſus ſit dictorum Pauli Apoſtoli, ſatis à nobis expoſitum arbitror in commentarijs. Ex quibus breviter repeto, hæc & his ſimilia multa de Deo dici in ſcripturis, non quod ipſe peccatorum ac ſcelerum author ſit (quam doctrinam, ut impiam, Eccleſia

cleſia ſemper eſt deteſtata) ſed quia peccatores juſto ſuo A judicio amplius deſerit, ac poſitis etiam offendiculis in alia graviora peccata cadere permittit; & hac permiſſione priora eorum peccata punit ac vindicat. Vide Annot. Rom. 1. v. 24.

ỳ. 18. *Genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Id eſt: Ea generatione nobis hoc inſigne beneficium contulit, ut humani generis eſſemus primitiæ quædam, id eſt, præſtantiſſima & ſelecta portio, quæ Deo offeratur. Nam *creaturam* reſtringi ad hominum genus, in ſacra ſcriptura non eſt inſolitum. Sic enim accipitur Marc. ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Coloſſ. 1. *Quod prædicatum eſt in univerſa creatura quæ ſub cœlo eſt.* Ac ne dubites creaturam humanam ſignificari; manifeſtus eſt locus Apoc. 14. *Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ* B *Deo & agno.* Quod æquè de electis dicitur. Nec diſſimili ratione electi vocantur *Eccleſia primitivorum*, ſive primogenitorum, Hebr. 12. Denique, nota fideles atque electos ita vocari primitias humani generis; ſicut electorum primitias Chriſtum dixit Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 15. Quod ſanè ampliſſimam declarat electorum dignitatem.

C A P U T II.

ỳ. 10. Q*Uicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno; factus eſt omnium reus.* Pro hujus loci intellectu Paulus Burgenſis commemorat Phariſæorum fuiſſe doctrinam (quam & Rabbi Moyſes poſtea tradidit, & Calvinus Catholicis calumnioſe im- C pingere non eſt veritus) hominem reputari juſtum apud Deum, ſi majorem partem legis ſervet, etiamſi in paucioribus transgreſſor ſit legis. Hoc ſimile eſt ei, quod quidam ſtultè imaginantur de appendendis in ſtatera bonis & malis meritis: Et, ſi quidem bona præponderent, ſalvatum iri hominem; ſin mala, periturum. Itaque cenſet ſcriptor ille, B. Jacobum hac ſententia perſtringere ejuſmodi Judaicum errorem, ac contrà docere Judæos fideles, unius præcepti transgreſſionem, etiamſi cætera omnia ſerventur, ſatis eſſe ad amittendam juſtitiam, & incurrendam pœnam ſeu maledictionem legis. Ut hoc ipſum velit Jacobus, quod poſt Moyſen Paulus illis verbis: *Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Gal. 3. ex Deuter. 27. Hic intellectus multis etiam aliis placet; ac nobis quoque probatur. Ubi tamen ob- D ſervandum, dictionem, *omnium*, non poſſe exponi diſtributivè, ut qui in uno offendit, dicatur omnia & ſingula transgreſſus, aut ut talis puniendus: Sed collectivè; quia videlicet tranſgreditur legem, quæ eſt collectio omnium præceptorum. Ac niſi ſic intelligas; ſententia ſecum ipſa pugnabit. Nam quomodo totam legem obſervat uno excepto, qui reus eſt transgreſſionis omnium & ſingulorum? Sit igitur hic ſenſus: Qui cæteris ſervatis unum transgreditur; reus eſt totius legis non ſervatæ, & obnoxius pœnæ quæ transgreſſoribus legis conſtituta eſt, id eſt, æternæ maledictioni. Senſum hunc oſtendit id quod infra, velut explicando, dicitur; *Factus es transgreſſor legis*: Ac per illud probat Hieronymus lib. 1. dialogi contra Pelagianos cap. 7. Porrò E faciunt ad hunc ſenſum illuſtrandum, quæ ad Hieronymum ſcribit Auguſtinus in epiſtola memorata, Beda repetente in commentario; quorum ſumma eſt, eum, *qui in uno offendit*, eſſe omnium reum, quia contra charitatem facit, ex qua tota lex pendet & Prophetæ. *Nam*, inquit, *meritò fit omnium reus, qui contra illam facit in qua pendent omnia.*

Ex his patet Apoſtolum Jacobum hoc loco nec Stoicis patrocinari, paritatem peccatorum aſtruentibus; nec hæreticis, tollentibus diſcrimen peccatorum mortalium & venialium. Non Stoicis; quia non dicit (ut bene reſpondet Auguſtinus) æqualiter eſſe reum, qui in uno offendit, & qui in alio vel in pluribus. Nec hæreticis; quia non de omnibus agit peccatis, ſed tantum de transgreſſionibus præceptorum legis; Ut ante dictum eſt. Patet inſuper malè colligi ex hac ſententia, quòd qui unum legis præceptum transgreditur, etiam aliorum omnium ſit transgreſſor. Apertè enim ſignificat totam legem ſervari poſſe, uno excepto; ſic nimirum ut adverſus reliqua non peccetur. Tametſi veriſſimum ſit, hoc caſu reliqua ſervari non poſſe eo modo qui neceſſarius eſt ad promerendam vitam æternam; id eſt, ex charitate. Quod vult expoſitio B. Auguſtini.

ỳ. 11. *Qui enim Dixit, non mœchaberis; dixit &, non occides.* Probatio eſt & declaratio ſententiæ præcedentis. Ejuſdem, inquit, Legiſlatoris, atque ejuſdem legis ſunt hæc præcepta. Quodcumque ergo legis præceptum ſolveris; & in Deum peccas, & in legem; & per hoc conſtitueris divinæ legis transgreſſor. Hoc enim eſt quod ſequitur.

Ibid. *Quod ſi non mœchaberis, occidas autem; factus es transgreſſor legis.* Inferendum relinquit, *& proinde omnium reus.* Hinc ſatis apparet, Apoſtolum habere pro iiſdem, aut certè pro reciprocè ſeſe conſequentibus, *eſſe transgreſſorem legis*, & *eſſe reum omnium*: Prout ſuperius expoſitum eſt. Poteſt autem probari ſequela per illud ſupra citatum, *maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus &c.* Unde eodem loco Deuteron. etiam dicitur: *Maledictus qui facit ſculptile & conflatile; maledictus qui non honorat Patrem ſuum & Matrem*; & ita de aliis. Nec ideò tamen eadem, aut æqualis ſignificatur omnium transgreſſorum maledictio; ſed eadem tantùm ſecundùm genus maledictionis. Nam in ſpeciali pœnæ erãt diverſæ pro diverſitate transgreſſionũ.

ỳ. 13. *Superexaltat autem miſericordia judicium.* Græcè; *Et contragloriatur miſericordia judicio*, id eſt gloriatur adverſus judicium. Sic infrà cap. 3. *Noli gloriari adverſus veritatem.* Et Paulus Rom. 11. *Noli gloriari adverſus ramos.* Eſt enim in his locis idem verbum, κατακαυχᾶσθαι, id eſt, adverſus aliquem gloriari ſeu exultare. Nec temerè ſuſpicatur Eraſmus vitiatos eſſe codices, ac legendum, *ſuperexultat*. Nam ita legitur ac tertiò repetitur apud Auguſtinum epiſtola 29. ad Hieronymum. Et iterum epiſtola 89. ad Hilarium quæſt. 4. Eamque lectionem arguit etiam locus apud eumdem in enarratione Pſalmi 143. Nam Jacobi ſententiam exponit hoc modo: *Superponitur miſericordia*
D *judicio.* Eodem modo in bonis exemplaribus legitur apud eumdem, de pecc. mer. & rem. libro 2. cap. 3. & 7. Et contra Julian. lib. 4. cap. 8. Item Confeſſ. lib. 9. cap. 13. Sic quoque Bedam in commentario legiſſe, quamvis depravati ſint codices, palam oſtendunt hæc expoſitionis ejus verba: *quia quemadmodum damnatus in judicio Dei dolebit, qui non fecit miſericordiam; ita qui fecit, remuneratus exultabit & gaudebit.* Jã nec erit ſenſus commodus, ſi legamus, *ſuperexaltat*, niſi ſuppleas reciprocum, *ſe*; quaſi dicas, miſericordia exaltat ſe ſuprà judicium, id eſt, ſuperponit ac præfert ſe judicio. Eſt apud Fulgentium locus lib. 1. ad Monimum cap. 25. ubi ſic legitur: *Sciebat enim* (Propheta) *cunctos pari retinendos puniſſionis vinculo, niſi Deus in quibus vellet miſericordiam feciſſe, ſuperexaltaret judicio.* Locus ſine
E dubio mendoſus; quem puto ſic reſtituendum. *Niſi Deus in quibus vellet, miſericordiam feciſſet ſuperexaltare judicio.*

Porrò bifariam exponitur hæc pars: Uno modo de miſericordia Dei judicis; ut ſenſus ſit, in judicio Dei, miſericordiam ejus prævalituram eſſe juſtitiæ, atque ea ſuperiorem fore, quod intellige, de electis qui omnes cum miſericordia, judicandi ſunt. Nam, ſecluſa miſericordia, non juſtificatur in conſpectu Dei omnis vivens. Pſalm. 142. Et, ſi iniquitates obſervaveris; quis ſuſtinebit? Pſalm. 129. Altero modo, de miſericordia hominis judicandi; ut hic ſit ſenſus: Miſericordia, quam quis fecerit

feceriterga proximos; opponet ſe juſto Dei judicio,& adverſus illud quodammodo gloriabitur: Quia gratiam velut extorquebit, qua is ſeveritatem judicij evadat. Hunc ſenſum arbitror magis germanum. Et huc pertinent ſcripturæ: *Beati miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* Matth. 5. *Dimittite, & dimittemini. Date & dabitur vobis.* Luc. 6. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundum meritum operum ſuorum.* Eccleſiaſtici 16. Denique, id clarè ſonat ſententia judicis, qua vocantur ad regnum electi, quia fecerunt opera miſericordiæ Matth. 25.

Ex quibus etiam apparet ne electorum quidem hominum diſtinguendum eſſe duplex judicium; alterum cum miſericordia, alterum ſine miſericordia. Nullus enim ſine miſericordia ſalvabitur. Quin verò tota ſalus noſtra Dei miſericordia eſt.

℣. 23. *Et ſuppleta eſt ſcriptura, dicens; credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Suppleta,* Græcè, *impleta.* Quæritur, quomodo tunc impleta, quando filium obtulit; cum ſcripta ſit de eo quod multo antè contigit. Cum enim Moyſes narraſſet Deum Abrahæ promiſiſſe ſemen ejus futurum numeroſum ut ſtellas cæli: Gen. 15. ſubjunxit verba hic citata: *Credidit Abraham Deo, &c.* Reſpondetur in primis, Apoſtoli ſenſum non eſſe, quod illa ſcriptura velut prophetica fuerit prius dicta aut ſcripta, quàm res eveniret; ac pòſt impleta. Certum eſt enim hiſtoricè ſcriptum hoc eſſe à Moyſe, ſicut & reliqua ejus libri: de rebus ſcilicet olim geſtis. Deinde nec ſenſum eſſe quod illa ſcripturæ pars: *Et reputatum eſt illi ad juſtitiam,* retrotrahi debeat ad illud tempus quo Abraham filium obtulit; quaſi non prius quam opus illud faceret, fides ei fuerit ad juſtitiam imputata. Nam æquè certum eſt ex Apoſtolo Paulo ad Rom. 4. & ex ipſo tèxtu ſcripturæ Gen. tunc quando credidit divinæ promiſſioni, ipſum credere fuiſſe ei reputatum ad juſtitiam, id eſt, tamquam inſigne opus juſtitiæ, Deo placitum ac probatum fuiſſe. Sed *impletam dicit hanc ſcripturā tunc quando filium obtulit:* quia tunc declaratum eſt, ad juſtitiam hominis requiri non ſolum opus fidei, qua Deo creditur, verum etiam opera aliarum virtutum; ut obedientiæ, religionis, fortitudinis, &c. ex fide tamen profecta. Quo in genere valde excelluit illud opus Abrahæ. *Suppleta eſt* ergo, ſicut noſter interpres loquitur, quia quod in ea non fuerat expreſſum, ex alio loco docetur quodammodo ſupplendum; ſcilicet etiam opera fuiſſe Abrahæ ad juſtitiam reputata, nec ſolam fidem ſufficere, ut homini ad juſtitiam reputetur. Hoc ſenſu ſupplevit hanc ſcripturam Matathias 2. Mach. 2. quando hoc ipſum opus Abrahæ, de quo nunc agitur, commemorans; adjecit ex priori loco, *& reputatum eſt ei ad juſtitiam.*

CAPUT III.

℣. 1. **N***Olite plures magiſtri fieri fratres mei. Plures.* Græcè *multi.* Poteſtque etiam ſic verti, *ne ſitis multi magiſtri.* Quæ primo capite breviter Apoſtolus præceperat de refrænanda lingua, dicens, *ſit omnis homo tardus ad loquendum;* Et iterum: *Si quis putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt religio:* Nunc alijs verbis repetit cum amplificatione quadam qua linguæ intemperantis noxam vehementius exagitat. Et quia maximè periculoſus eſt linguæ caſus in magiſtris; incipit ab hoc præcepto; *Nolite plures magiſtri fieri.* Quod à nonnullis in hunc ſenſum accipitur: Nolite diverſa docere; ne ſitis opinionum ac ſectarum authores, ſuos quiſque poſt ſe diſcipulos trahentes. Quod in hæreticos maximè quadrat: Tametſi reperiantur & alij ab hoc ſtudio non alieni. Sic intellexit Auguſtinus in Prologo ſuarum retractationum, ita ſcribens: *Magiſtros autem plures tunc fieri exiſtimo, cum diverſa atque inter ſe adverſa ſentiunt. Cum verò idipſum dicunt omnes, & verum dicunt; ab unius veri magiſtri magiſterio non recedunt.* Huic ſenſui etiam Bedæ commentarius alludit, & favere putant illud Domini præceptum: *Nec vocemini magiſtri, quia magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* Matth. 23. Alij verò ſic exponunt: Ne per ambitionem creſcat in vobis numerus magiſtrorum. Et, ut Eraſmus breviter in paraphraſi: *Ne paſſim ambiatis eſſe magiſtri.* Solet enim ambitio creare multos magiſtros, qui Cathedram appetant, alioſque docere velint, ipſi parum aut malè docti. Peculiariter autem Judæi (nam ad Judæos hæc ſcribuntur) gaudebant ſalutari Rabbi. Matth. 23. facileque ſeſe ingerebant ad docendum alios. Unde Judæo dicitur Rom. 2. *Confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium &c.* Hic ſenſus ſimplicior & probabilior eſt: Nec ab eo diverſum poſtulat locus ex Evangelio citatus, prout eum doctiſſimi interpretes exponunt. Ex hac tamen ambitione plerumque etiam illud conſequitur, ut ad Cathedram evecti non amplius diſcipulos ſe cogitent, ſed magiſtros; nec jam majorum doctrinam, ſed propria placita ſtudeant auditoribus inſtillare; nec eos Chriſti, ſed ſuos facere diſcipulos. Hinc itaque plures ac inter ſe diviſi magiſtri ſectarumque authores exiſtunt. Ut in ſententia Apoſtoli metalepſis quædam ſit, qua ex poſteriori id quod prius eſt, velit intelligi. Nam ut dixi, multitudinem magiſtrorum creat ambitio.

Eſtius Annotat. in Script.

CAPUT IV.

℣. 5. **A***N putatis quia inaniter ſcriptura dicit: Ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis.* Quæritur de qua Scriptura, & de quo Spiritu loquitur Apoſtolus. Reſp. Non eſt negligenda ea pronunciatio, quæ poſteriorem ſententiæ partem; *ad invidiam* &c. legit abſque interrogatione: Et eſt obſervandum, huic parti in Græco non præmitti voculam ὅτι *quia, quod;* quę tamen ferè præmitti ſolet ubi de ſcriptura teſtimonium aliquod aſſumitur, ut Marc. 11. *Nonne ſcriptum eſt, quia domus mea domus orationis vocabitur?* Rom. 3. *Sicut ſcriptum eſt, quia non eſt juſtus quiſquam* &c. Unde nihil neceſſe eſt hanc partem: *Ad invidiam* &c. accipi ut ſcripturam, quam velit Jacobus citare. Non fieri poteſt ut aliò reſpiciat: Velut ad id quod præcedit; juxta Bedæ expoſitionem; vel ad id quod paulò pòſt ſequitur, *Deus ſuperbis reſiſtit* &c. quod ſuſpicatur Emanuel Sa; vel ad aliam quamlibet ſcripturam. Pro cujus inveſtigatione mihi videtur illud benè conſiderandum, quod hæc pars, *ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis;* admodum conveniat cum verbis illis ſuperioribus: *Concupiſcitis & non habetis. Occiditis,* ſive invidetis, *& Zelatis, & non poteſtis adipiſci.* Item: *Petitis & non accipitis, eo quod malè petatis ut in concupiſcentijs veſtris inſumatis.* Continet enim ſimilem cum illis exprobrationem; ſimilemque rationem cur petentes non accipiant quia ſcilicet eorum ſpiritus ad invidiam concupiſcit ac petit. Itaque ſententiam ita ſuppleo & expono: An putatis inaniter ſcripturam dicere, petite & dabitur vobis? non. Sed ad invidiam concupiſcit ſpiritus veſter; ideo non datur quod petitis. Cùm enim ſcriptura paſſim dicat & moneat ut à Deo petamus quidquid boni deſideramus; neque id ſine promiſſione impetrandi, ut Pſalm. 24. *Univerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.* & 33. *Accedite ad eum & illuminamini, & facies veſtra non confundentur.* & 36. *Revela Domine viā tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.* Et Eccleſiaſtici 2. *Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt.* Et iterum: *Quis invocavit eum, & deſpexit illum?* Denique cùm Dominus noſter planiſſimè promittat, *petite, & accipietis. Omnis enim qui petit, accipit.* Matth. 7. & alibi: In vobis tamen contrarium apparet. Petitis enim & non accipitis. Sed non ideo putetis ſcripturam inaniter & falsò hæc dicere, aut vanam eſſe Chriſti promiſſionem: defectus enim ex veſtra parte eſt, ut antè dixi; quia

malè petitis. Nam ſpiritus qui in vobis ſedem habet, ſpiritus utique vitioſus ac malus, ad invidiam & æmulationem concupiſcit, id eſt, ad ea concupiſcenda vos incitat, pro quibus conſequendis invicem invideris & æmulamini; ſive ſint opes, ſive honores, ſive ſapientia atque ſcientia. Sic autem efficimini Dei inimici, ea videlicet quæ mundi ſunt, amando & concupiſcendo, mundique amicitiam ambiendo. Cùm igitur & peſſimè petatis, & Dei ſitis inimici: Cur miramini vos non exaudiri? Non enim ſimpliciter omnes aliquid à ſe petentes exauditurum ſe promiſit; ſed Deum timentes, & in veritate ipſum invocantes, & ea quæ Dei, non quæ mundi ſunt, quærentes. *Voluntatem*, inquit, *timentium ſe faciet, & deprecationem eorū exaudiet. Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.* Pſalm. 144. *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*, Pſalm. 36. Hæc expoſitio perſpicua eſt; & quàm maximè videtur inhærere contextui Apoſtolico.

C A P U T V.

℣. 10. E*Xemplum accipite fratres, exitûs mali, laboris & patientiæ, Prophetas qui locuti ſunt in nomine Domini.* Exhortatio eſt ab exemplis Sanctorum; quam ut efficaciſſimam ultimo loco ſervavit. Ut enim optabile eſt cum ſanctis remunerari: Ita durum eſſe non debet ſimilia cum illis pati. Utitur hujuſmodi exhortatione etiam Chriſtus, Matth. 5. dicens: *Gaudete & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sic enim perſecuti ſunt Prophetas qui fuerunt ante vos.* Hic notanda varietas Latinorum codicum. Nam in multis quidem leguntur hæc tria, *Exitus mali, laboris & patientiæ.* Et apud Bedam, addito quarto, *Exitus mali, & longanimitatis, & laboris & patientiæ.* Ubi etiam, ne textum ejus fortè quid amplius habere ſuſpiceris ab eo quod ipſe legit, eadem omnia ordine exponit. At verò multi codices duo tantum legunt: Nonnulli quidem, *exitus mali & longanimitatis*; complures autem, *laboris & patientiæ*; quod in biblijs eſt caſtigationis Lovanienſis, & in prima correctione Sixtina: Item in miſſali Leodienſi, feria 4. hebdom. 1. Adventus. Nec plus eſt in Græco & Syriaco. Nam Græca ſic habent: *Exemplum accipite laboris, fratres mei, & longanimitatis, prophetas &c.* Itaque veriſimile eſt, cum Græcas voces τῆς κακοπαθείας καὶ τῆς μακροθυμίας, alij aliter in Latinū vertiſſent; intempeſtivâ ſcribarum diligentiâ factum ut diverſas interpretationes in iiſdem codicibus haberemus conjunctas. Quamquam κακοπάθεια non *exitum malum* ſignificat; ſed *malorum perpeſſionem*, id eſt, *afflictionem, laborem.* Eſtque hic ſenſus: Sint vobis pro exemplo ſancti prophetæ, qui graves afflictiones patienter usque ad finem pertulerunt. Addit autem, *qui locuti ſunt in nomine Domini*; id eſt, qui juſſu & mandato Dei verba habuerunt ad populum; ſeu futura prænunciantes, ſeu revocantes eos à peccatis ad Deum ac verum ejus cultum: Hoc, inquam, addit B. Jacobus, ut cauſam indicet ob quam paſſi fuerint perſecutiones, ſcilicet propter juſtitiam; quomodo paſſos legimus Eliam, Amos, Iſaiam, Jeremiam, & alios. *Quem enim prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?* ait B. Stephanus ad Judæos Actor. 7.

℣. 12. *Nolite jurare.* Cum Auguſtino, & alijs doctiſſimis interpretibus dico hoc Apoſtoli (quod & Domini eſt Matth. 5. v. 34.) præcepto ſimpliciter & abſolutè, quemadmodum ſonat, prohiberi ne juremus, quantum ſcilicet in nobis, eſt, & quoad ejus à nobis fieri poteſt. Ita nimirum ut à juratione ſemper & omnino abſtineamus; niſi ad eam juſta aliqua neceſſitas compellat; quum videlicet alioqui proximus adduci non poteſt ut id credat quod expedit & recta ratio expoſcit ut ei perſuaſum ſit. Ita docet Auguſtinus locum Matthæi exponens lib. 1. de ſermone Domini in monte cap. 17. & in ſerm. 28. de verbis Apoſtoli. Item lib. de mendacio cap. 15. ubi ſic ait: *Intelligendum eſt illud quod poſitum eſt, omnino ad hoc poſitum, ut quantum in te eſt, non affectes, non ames, non quaſi pro bono cum aliqua delectatione appetas, juſiurandum.* Hæc ille. Quæ res ut amplius explicetur, obſervandum eſt ſcripturam ſacram non ponere juramentum in bonis. Alioqui enim hortaretur nos ad jurandum: Quod nuſquam facit. Non enim ſicut dicit, *Orate, Vigilate, date, dimittite*: Ita dicit uſquam, *Jurate.* Nam quod dicitur Deut. 6. *Per nomen illius jurabis*; hunc ſenſum habet, quum jurandum erit, non niſi per nomen illius jurabis: Ad excluſionem ſcilicet alienorum Deorum. Sed nec ponit in medijs & adiaphoris: Quia de juratione non loquitur, ſicut de ambulatione aut curſu aut ſeſſione. Ponit ergo juramentum in malis, id eſt, fugiendis; non tamen per ſe fugiendis, ut ſunt mendacia, furta, adulteria; ſed ita fugiendis, ut admitti non debeant niſi boni neceſſarij & ſecundùm ſe expetendi, compenſatione. Quo in genere malorum eſt hominem occidere, mutilare, percutere. Cur autem hujuſmodi malum ſit jurare, ea ratio eſt, quia qui jurat, Deum aſſumit in teſtem: Quod qui facit abſque neceſſitate, per irreverentiam peccat divini nominis; ſive juramento utatur aſſertorio, ſive promiſſorio. Peccat autem eo magis, ſi ſubſit etiam periculum perjurij. Nam hoc modo Deum faceret falſum teſtem. Exponit autem ſeſe periculo perjurij, qui aſſueſcit temere ac leviter jurare. Quamquam & ſine eo, peccatum eſt magnæ irreverentiæ: Velut ſi quis aut regem aut quemlibet virum honoratum teſtem rogaret pro re levicula aut non neceſſaria. Sed hic tanto gravius peccatur, quantò graviora ſunt peccata, quæ in Deum committuntur, quàm quæ in homines. Hinc eſt quod Patres, præſertim Græci, maximè Chryſoſtomus in homilijs ad populum, dum invehuntur in peſſimam facile jurantium conſuetudinem; ita loquuntur interdum de hac Chriſti prohibitione, quaſi nullam admittant exceptionem: Quum tamen non aliud ſentiant revera, quam quod jam diximus, ac potiſſimum urgeant, in quotidiano & familiari ſermone numquam prorſus utendum eſſe juramento. Unde & habet bonorum fidelium conſuetudo, ut juraturi caput aperiant, divinæ reverentiæ cauſa. Sed & canones Eccleſiæ certas perſonas à jurejurando vel prohibent vel eximunt; & ut à jejunis præſtetur, ſaltem ex honeſtate requirunt. Porrò ſenſum Dominici præcepti jam datum confirmat lex ipſa, cujus veram intelligentiam adverſus Scribarum & Phariſæorum corruptelas aperire voluit Dominus. Non enim ut illi interpretabantur, ſolum perjurium lex prohibebat, ſed ne nomen Domini aſſumeretur in vanum. Aſſumitur autem in vanum, quoties in teſtimonium extra neceſſitatem adhibetur, etiamſi verum ſit quod juratur. Quamquam ipſa quoque lex naturalis nos docet ne ſine juſta cauſa Deum teſtem adhibeamus; ac ne tunc quidem ſine magna reverentia.

℣. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat &c.* Ex hoc Apoſtoli Jacobi loco Tridentini Patres, & cum iis omnes Orthodoxi, rectiſſimè ſtatuunt & probant eam unctionē quæ perpetuo more Catholicæ Eccleſiæ infirmis adhibetur, ab Apoſtolica traditione manaſſe; adeoque verè & propriè Sacramentum eſſe novæ legis. Tradit enim hic Apoſtolus omnia ad hujuſmodi Sacramentum neceſſaria: Materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum gratiæ; ac primo loco eum qui ſuſcipere debeat. Porrò teſtimonia Patrum qui hujus ſacræ unctionis tamquam Eccleſiaſtici Sacramenti meminerunt ſi quis requirat; ea plurima diligenter & ordine collecta reperiet apud Franciſcum Fevardentium in commentario loci præſentis. Nobis ſufficiat ex antiquitate unum ac præcipuum indicaſſe, Sanctum videlicet Innocentium Papam ejus nominis primum, Sancto Auguſtino ſynchronon, qui in epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, de hoc Sacramento ejuſque ritu ac miniſtro, cæteriſque illuc pertinentibus, accuratè pertractat; non novum aliquid inſtituens; ſed Eccleſiæ Ro-

manæ

manæ conſuetudinem ex Apoſtolica traditione manentem, decreto ſuo explicans. Quod ejus decretum paſſim à poſterioribus Theologis citatur; ac nominatim à Venerabili Beda locum hunc exponere, in teſtimonium adducitur. Ac ne de ſola Romanæ Eccleſiæ conſuetudine videamur præſcribere: Morem celebrandi hujus Sacramenti à majoribus acceptum etiam Græcorum Eccleſiæ, quamvis ſchiſmaticæ, usque hodie retinent; uti locuples teſtis eſt ipſorum Patriarcha Jeremias, qui conſultus à Lutheranis, tam de hoc Sacramento quàm de alijs, quæ Proteſtantes controvertunt, idipſum quod Eccleſia Romana ſervat ac docet, etiam apud ſuos ſervari ac doceri, diſertiſſimè profitetur.

ỹ. 16. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra.* Tres ſunt hujus Apoſtolici præcepti expoſitiones, omnes aliquo modo probabiles. Quidam intelligunt de ea peccatorum confeſſione, qua culpam agnoſcunt, & veniam petunt fideles ab ijs quos aliqua injuria affecerunt: uti faciendum præcipit Chriſtus Matth. 5. illis verbis: *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; Vade, reconciliare fratri tuo.* Et quia multorum mutuæ ſunt injuriæ & offenſæ: dicunt Apoſtolum jubere, ut eas mutuò libenter & fateamur & condonemus. Alij malunt eam intelligi peccatorum confeſſionem, qua peccata reteguntur fratribus, petendi conſilij vel auxilij cauſa. Conſilij; ut quum viri ſpirituales conſuluntur de morbis peccatorum curandis atque in poſterum evitandis. Sicut intellexiſſe videtur Auguſtinus, ſeu quisquis author, homil. 12. inter 50. Auxilij; quum fratrum interceſſione veniam conſequi cupimus à Deo. Quam cauſam non obſcurè ſignificavit Apoſtolus, dum ſubjunxit; *Et orate pro invicem ut ſalvemini.* Hujusmodi confeſſionis exemplum habemus in B. Gregorio; qui in fine ſuorum moralium profitetur ſe peccatorum ſuorum vulnera fratribus detegere, ut ab illis ſubſidium orationis recipiat. Eſtque hujus confeſſionis quædam formula quotidiana, in eo quod ante miſſæ Introitum Sacerdos & miniſter ſibi mutuò peccata confitentur, mutuſque petunt & reddunt orationes. Porrò non pauci Catholici ſcriptores interpretantur hunc locum de confeſſione peccatorum Sacramentali, quæ ſcilicet apud eos fiat, qui in Eccleſia poteſtatem habent remittendi & retinendi peccata. Joan. 20. Cenſent enim B. Jacobum commonefacere fideles ſervandæ legis, quam ſciebant à Chriſto præſcriptam, ut quos conſcientia peccatorum gravaret, pro eorum expiatione ad presbyteros, ipſius vicarios, recurrerent. Idque hoc loco peropportunè; ubi de infirmis agebat. Cùm enim morbi plærumque ex peccatis accidant; meritò monentur infirmi, ut ante omnia ſeſe peccatorum vinculis, prævia eorum confeſſione, curent abſolvendos. Favent huic expoſitioni Origen. hom. 2. in Levit. & Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio; qui verba B. Jacobi proximè præcedentia, *Si in peccatis fuerit, remittentur ei,* acceperunt de ea peccatorum remiſſione quæ fit miniſterio Sacerdotum. Juxta quam intelligentiam, aptè ſubjungitur iſtud, tanquam de confeſſione ſacramentali dictum; *Confitemini ergo* &c. Nam & confeſſionis apud Sacerdotem faciendæ Origenes eodem loco diſertè meminit. Cæterùm apertiſſimè Venerabilis Beda, tam ſuperiora verba quàm iſta exponens; confeſſionem peccatorum quæ Sacerdoti facienda ſit, aſtruit: Quanquam & ſecundam expoſitionem à nobis allatam admiſcet in hujus partis commentario. Sic enim ſcribit: *In hac ſententia illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur; eorumque quotidiana credamus oratione ſalvari. Porrò gravioris lepræ immunditiam, juxta legem Sacerdoti pandamus: atque ad ejus arbitrium, quali & quanto tempore juſſerit, purificari curemus.* Sic ille. His accedunt Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacramentis part. 14. cap. 1. & ſub nomine Bernardi liber Medit. capit. 9. & his vetuſtior author opuſculi de viſitatione infirmorum (quod fertur inter opera Auguſtini) lib. 2. cap. 4. Item Calliſtus Papa citatus à Burchardo lib. 18. Decreti cap. 2. Qui omnes hoc B. Jacobi præceptum referunt ad eam peccatorum confeſſionem quæ pro more fit Eccleſiæ presbyteris. Nec obſtat, ut multi putant, huic expoſitioni, quod ait, *alterutrum*; quaſi mutuæ tantùm confeſſiones hic præcipiantur; ſicut præcipiuntur orationes mutuæ: Nam Græcè eſt ἀλλήλοις, id eſt, *alij alijs*; quemadmodum ipſe etiam Eraſmus interpretatus eſt. Ut ſit ſenſus, exponente Hugone, Confitemini non ſoli Deo, ſed homines hominibus, ſcilicet ijs quibus poteſtatem remittendi peccata à Deo conceſſam noviſtis. Nam Græca dictione, pro qua nunc *alterutrum*, nunc *invicem*, vertit interpres, nihil amplius ſignificari, patet ex alijs ſcripturæ locis paſſim obvijs. Ut Roman. 15. *Suſcipite invicem*, id eſt, firmi infirmos; ut liquet ex ejusdem capitis initio. Et 1. Theſſ. 5. Ita dum ait idem Paulus Epheſ. 5. *Subjecti invicem in timore Chriſti*; non vult ut omnes omnibus promiſcuè ſubjecti ſint; ſed ut quique ſuperioribus; id eſt, uxores viris, filij parentibus, ſervi dominis; quemadmodum ibidem conſequenter declarat. Item Col. 3. *Nolite mentiri invicem*, id eſt, nemo alteri mentiatur. Non enim ſolas fraudes mutuas prohibet. Et Petrus 1. epiſt. 4. *Hoſpitales invicem*, id eſt, qui domum & facultatem habent, hoſpitio recipiant inopes ac tecto indigentes. Hoc facit quod narrat Gregorius lib. 3. dialogorum, cap. 36. quosdam in periculo maris conſtitutos, ſibimet pacem dediſſe, corpus & ſanguinem redemptoris accepiſſe. *Sibimet*, id eſt, alios alijs; quod noſter interpres diceret, *ſibi invicem*. Sentit enim Gregorius presbyteros, qui in navi erant, reliquæ multitudini Sacramentum pacis, ſeu reconciliationis impendiſſe; ac deinde viaticum corporis & ſanguinis Domini præbuiſſe ſimul & accepiſſe. Et quidem hæc ſufficiunt ad ſtabiliendam probabilitatem hujus tertiæ expoſitionis. Sed quia prioribus etiam, præſertim ſecundæ, ſua probabilitas non deeſt; atque eam alij, peræquè Catholici ſcriptores, tradiderunt; idcirco lectori libera ſit poteſtas è duabus, vel etiam ex tribus, eligendi quam voluerit. Quod enim ad veritatem attinet doctrinæ Catholicæ, de uſu ac neceſſitate Sacramentalis confeſſionis, ea ſatis abundeque ex alijs Scripturæ locis, ac potiſſimum ex Chriſti verbis; *Quorum remiſeritis* &c. Joan. 20. denique ex Apoſtolica perpetua traditione, confirmatur.

ANNOTATIONES
IN EPISTOLAM
PRIMAM
B. PETRI APOSTOLI.
CAPUT I.

ỹ. 12. *IN quem deſiderant Angeli proſpicere.* Ita ferè Latini codices. Et quidem Beda illud, *in quem*, dupliciter exponit: Vel ut ad *Chriſtum* referatur (quamquam hoc longius præceſſit) in quem, etiam ut hominem, præſertim nunc glorificatum, Angeli proſpicere gaudent; quia per Chriſtum inſtaurantur omnia quæ in cælis & quæ in terra ſunt. Epheſ. 1. Vel ut ad *Spiritum ſanctum*; quem cum Patre & Filio unum Deum Angeli ſumma cum voluptate intuentur, deſiderio videndi numquam ceſſaturo. Gregorius hom. 8. ſuper Ezechie. abſolutè de Deo interpretatur. At verò Græca conſtanter habent εἰς ἃ, *in quæ*. Quod & in Latinis nonnullis legitur. Annuit & Syra verſio. Sic & Ambroſius legiſſe videtur libro 4. de Sacramentis capit. 2. licet pro Petro nominet Paulum memoriæ lapſu. Verba ſunt: *Audi ergo*

Apoſtolum Paulum dicentem, ea nobis eſſe collata, quæ concupiſcunt & Angeli videre. Et de Chriſti Sacramentis accipit hunc locũ etiam Beatus Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 119. Senſus hujus lectionis, quam veram arbitror, iſte eſt: *In qua*, ſcilicet ea quæ nunc nuntiata ſunt vobis, hoc eſt, in myſteria ſalutis ac redemptionis humanæ à Prophetis prædicta & ab Apoſtolis annuntiata, etiam Angeli penitius introſpicere deſiderant. Quamvis enim ea non ignorent, ut quorum miniſterio ipſis etiam Prophetis revelata fuerunt: Tamen cognitis adeò delectantur, ut plenius etiam atque perfectius ea noſſe, vehementer cupiant. Quod myſticè ſignificabant duo Cherubim expanſis alis operientes propitiatorium,& in illud verſis ad ſe mutuo vultibus, reſpicientes Exod. 25. Nam in propitiatorio typus erat noſtræ per Chriſtum redemptionis. Porrò voluptatis hujus ac deſiderij Sanctorum Angelorum, cauſa eſt, tum quod illic agnoſcant admirabilem Dei ſapientiam, in ordine ac modo redemptionis noſtræ declaratam; tum quia de electione & ſalute hominum, quos ex charitate diligunt, ineffabiliter gaudent. Unde & in principio redemptionis ipſi primi de ea laudem Domino cecinerunt, dicentes; *Gloria in excelſis Deo.* Lucæ 2. Convenit hic ſenſus cum ijs quæ à Paulo dicuntur Epheſ. 3. *Ut innoteſcat principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per Eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Et 1. Timoth. 3. *Manifeſtè magnum eſt pietatis Sacramentum; quod apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus* &c. Atque in hunc ſenſũ reducitur etiam prior expoſitio Venerabilis Bedæ, illa videlicet de Chriſto homine. Eſt autem hæc magna Evangelij dignitas, quod ejus Sacramenta cognita etiam Angelos lætificant, & ad amplius cognoſcendum excitant. Sicut ergo prius à prophetarum ſtudio; ita nunc ab Angelorum cognoſcendi deſiderio, Evangelium commendat.

CAPUT II.

℣. 9. **R***Egale Sacerdotium.* Conferendus eſt hic locus cum eo quod Apoc. 1. & 5. dicitur Deus nos feciſſe *regnum & Sacerdotes*; Græcè, *reges & Sacerdotes*; non ſine alluſione ad locum Exodi. Nam & in Exodo Chaldæa verſio habet, *reges Sacerdotes.* Ex quibus apparet, etiam B. Petrum idipſum velle ſignificare, ſcilicet omnes Chriſtianos eſſe reges & Sacerdotes. Et quidem quo ſenſu *Sacerdotes* ſint omnes: ipſe Petrus jam antè expoſuit, dicens: *Sacerdotium ſanctum offerre ſpirituales hoſtias. Reges* verò ſunt omnes Chriſtiani, vel quatenus Deo ſubditi, *cui ſervire regnare eſt*, ut habet oratio Eccleſiæ: Vel quia ſuorum affectuum Domini ſunt ac reges, mente ſuum in eis obtinente principatum: Ut quidam exponunt: Vel ideo maximè; quia prædeſtinatione ac vocatione reges ſunt, utpote filij & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, & cum eo regnaturi in æternum: Sicut ipſe teſtatur, dicens ad ſuos diſcipulos, Luc. 22. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum.* Et dicturus omnibus ſuis electis in extremo judicio: *Venite, poſſidete paratum vobis regnum.* Eſt autem & alius modus ſecundùm quem omnes Chriſtiani dici poſſint & Sacerdotes & reges; quatenus ſcilicet omnes membra ſunt Chriſti Sacerdotis & regis, cum quo unum corpus conſtituunt. Quem ſenſum pluribus proſequitur Heſſelius ſcribens in hunc locum. Vide S. Aug. de Civit. lib. 20. cap. 10. Quo autem ſenſu vetus ille populus Iſraëliticus, appellatus fuerit à Deo regnum Sacerdotale Exod. 19. petendum ex illius ſcripturæ commentarijs. Porrò jam ex his patet, valde ineptè quoſdam abuti hoc ſcripturæ loco & ſimilibus, ut doceant omnes Chriſtianos verè & propriè eſſe Sacerdotes. Nam ſcripturæ utrumque eis attribuunt, & quod reges ſint, & quod Sacerdotes. Ex quo cum non ſit conſequens, propriè reges eſſe, profectò nec conſequitur eſſe propriè Sacerdotes.

Caput 3.

℣. 19. & 20. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant* &c. Locus iſte Petri ſic nobis conſtruendus & explicandus videtur: Chriſtus qui homo hominibus in carne Evangelizavit, idem carne mortuus, *in ſpiritu*, id eſt, ſecundùm animam, profectus ad inferos; *prædicavit*, & ut infrà dicitur, *Evangelizavit*, id eſt, lætum attulit nuntium, *ſpiritibus*, hoc eſt, animabus, quæ apud inferos *in carcere*, velut pœnarum loco concluſæ detinebantur: Qui quidem ſpiritus olim carne induti, increduli fuerunt, tunc nimirum quando Deus patienter ac longanimiter (centum videlicet annos) eos exſpectabat ad pœnitentiam, idque quo tempore Noë juſſu divino fabricabat arcam, in qua ipſe cum ſua familia (quæ in octo hominibus conſiſtebat) ſervaretur, & ſervatus fuit ab aquis diluvij; quod peccatoribus ſuperventurũ, tam verbo prædicabat quam facto. Nam & ipſa arcæ fabricatio quædam prædicatio erat. Cui tamen prædicationi ac prædictioni credere noluerunt, (ſicut & de generis Lotæ, admonitis ab eo ſuper everſione Sodomæ, legitur quod *viſus eſt eis quaſi ludens loqui* Gen. 19.) donec venit diluvium & conſumpſit omnes. Ex quibus tamen multi, ipſius rei quam credere noluerant experientia, & præſenti periculo commoniti; tandem, Deo invocato, ad pœnitentiam converſi ſunt, & cum ſpe ſalutis mortui: propter peccata tamen ſua quoad pœnam adhuc expianda, apud inferos, carceri & cruciatibus addicti remanſerunt, uſque ad Chriſti redemptoris adventum. Unde, ſi quæras quid lætij nuntij Chriſtus eis prædicaverit; reſpondeo, nuntiaſſe ſe redemptorem, & ad hoc veniſſe ut eos è pœnis & carcere liberaret, atque ex inferis eductos, unà ſecum & cum ſanctorum Patrum ſpiritibus eveheret ad cæleſtia. Ut etiam ad eos accommodari ſive referri poſſit illud Iſaiæ 61. & Lucæ 4. ubi Chriſtus ſe miſſum dicit, *prædicare captivis indulgentiam*, ſeu *remiſſionem*, *& clauſis apertionem.* Nam etſi quibuſdam illorum pœnæ fortaſſis adhuc aliquæ ſolvendæ reſtarent; potuit tamen Chriſtus quidquid hujuſce debiti reſiduum erat, prorſus condonare. Quod & feciſſe eum, vel ex hoc loco probabile fit; ut hoc pacto, poteſtatis indulgentias conferendi, quam Eccleſiæ ſuæ relicturus erat, quaſdam velut primitias, ſuo ad inferos adventu, conſecraret. Qua de re vide quæ diximus ad diſt. 22. lib. 3. ſent.

Quæret aliquis cur Petrus hoc loco mentionem faciat prædicationis à Chriſto factæ apud inferos? Reſpondeo, rationem hanc eſſe, ut oſtenderet virtutem paſſionis Chriſti, de qua loquebatur: non ſolùm ad vivos pertinere, ſed etiam ad inferos penetrare tamquam videlicet ejus *qui paratus eſt judicare vivos & mortuos*; ut dicitur cap. ſequenti. *Propter hoc enim*, inquit, *& mortuis Evangelizatum eſt.*

Ruſum quæres, cur de ſpiritibus eorum qui diluvio perierunt, ſpeciatim meminerit Petrus, ac non potius univerſe loquatur de omnibus in carcere purgatorio concluſis. Una ratio eſt, quia numquam tanta hominum multitudo ſimul perijt, & ſecundùm animas ad inferna deſcendit, ut meritò ex parte tam notabili, totum intelligatur, uti ſuprà dixi. Altera ratio, quia viam ſibi facere voluit Apoſtolus ad digreſſionem quam mox ſubjungit de Sacramento baptiſmi, cujus inſignis figura in diluvio & arca præceſſit. Hoc enim quod ſequitur.

℣. 21. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma.* Quomodo in hiſtoria Arcæ, & aquarum diluvij, typus ac repræſentatio fuerit baptiſmi; breviter explicandum. Ipſæ quidem aquæ diluvij baptiſmum ſignificant; arca Eccleſiam, vel ſecundùm alios, crucem Chriſti. Nam ut arca fabricata ex ligno; ita crux ex ligno, & per utrumque ſalus. Rurſus familia Noë arcæ incluſa ſignificat eos qui ſunt in Eccleſia. Qui extra arcam, eos qui extra Eccleſiam. Ut enim extra arcam nemo ſalvatus fuit; ita nec ſalus eſt extra Eccleſiam. Et tamen etiam ſubmerſio eorum qui erant extra ar-

cam

cam, bonæ ſignificationis myſterio non caret. Significat A enim peccatorum omnium in baptiſmo extinctionem atque interitum. Nam & ipſa merſione quæ in baptiſmo fit, veteris hominis ſepulturam adumbrari, Paulus docuit ad Rom. 6. Et ob hanc cauſam, eorum qui in aquis diluvij fuerunt extincti, Petrus mentionem fecit fortaſſe in bonum. Item, ſicut per aquam Noë cum ſuis in ſublime elevatus eſt; ita per baptiſmum ſurſum ferimur, & cives efficimur regni cæleſtis, ut dicere poſſimus: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Phil. 3. Poſtremo, ſicut illic per aquam pauci (quod Petrus hic urget) ſervati fuerunt, id eſt, ſoli illi quos arca continebat: Ita, ex toto genere humano pauci ſalvi fiunt, nec quidem omnes ij qui aqua tanguntur baptiſmatis, ſed ij ſoli qui ſeſe intra Eccleſiam continent. Hæc ferè & ſimilia arcæ & aquarum diluvij Sacramenta, fuſius B expoſita vide apud Auguſtinum lib. 12. contra Fauſtum cap. 14. & multis ſequentibus, & lib. 15. de civitate Dei cap. 26. & 27.

CAPUT IV.

℣. 7. OMnium autem finis appropinquavit. Quæri tamen poteſt, quomodo verum ſcripſerit Beatus Petrus, *omnium finem appropinquaſſe* & inſtare, quum ab eo tempore quo id ſcripſit uſque nunc effluxerint anni plus mille quingenti; nec adhuc finem conſpiciamus? Reſpondeo, rectè id dictum à Petro; quia jam tum incipiebat mundi ſenectus, id eſt, ætas ejus ultima, quam Joannes C 1. epiſt. 2. *noviſſimam horam* vocat, poſtquam non aliud quàm conſummatio, velut mors quædam, mundi ſit exſpectanda; cui cælum novum & terra nova ſuccedant. Apocal. 21. Quamquam & generalis reſponſio eſt ex ipſo Petro Apoſtolo in 2. epiſtola capit. 3. *Quoniam*, inquit, *unus dies apud Dominum, ſicut mille anni: & mille anni, ſicut dies unus.* Quaſi dicat, non debere longum videri quantumcumque tempus quo finis mundi differtur; quum æternitatis comparatione breve ſit omne tempus quod aliquando finitur.

℣. 12. *Nolite peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis fit.* Pro *peregrinari* Beda, Cyprianus & Hieron. legunt *mirari*. Pro *fervore*, Tertullianus *ultionem*, Cyprianus & Hieronymus *ardorem* legunt. Senſus eſt: Ne commoveamini velut ob rem novam, peregrinam D & horridam, quod interdum excitetur adverſus vos incendium perſecutionis ab adverſarijs Chriſtianæ religionis: Id enim fit, Deo ſic ordinante, tentandi ac probandi veſtri cauſa. Nam ea res illuſtriorem reddit veſtram patientiam, ac Deo vos amplius commendat.

℣. 18. *Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Senſus eſt: Si juſtus & electus Dei vix, id eſt, non niſi per ſeverum Dei judicium caſtigantis ejus peccata, ad ſalutem pervenit: *Impius & peccator ubi comparebit?* id eſt, quomodo ſtare ac ſubſiſtere poterit in Dei judicio, ut non condemnetur, & æternis addicatur ſupplicijs? Phraſis accepta ab ijs qui malè ſibi conſcij verentur in judicio comparere; & ſi poſſunt, ſubterfugiunt certi ſe condemnandos.

Non igitur ſenſus eſt, quem tradunt nonnulli, periculum eſſe juſto propter hujus vitæ fragilitatem & tenta- E tiones multiplices, ne non ſalvetur: quamvis id verum ſit, quamdiu juſtus agit hanc vitam mortalem. Nam de preſſuris piorum ſermo eſt, non de tentationum periculis. Minus autem rectè quidam alij, qui difficultatem hanc ſalutis juſtorum, referunt ad diem extremi judicij, tamquam illic juſti vel omnes vel aliqui periclitaturi ſint de ſalute: Contra illud Sapientiæ quinto: *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt*, &c. Et illud Apocal. 2. *Eſto fidelis uſque ad mortem; & dabo tibi coronam vitæ.* Igitur particula *vix*, exponenda ſicut dixi; id eſt, per multas difficultates, per afflictiones, moleſtias, perſecutiones, &, ut Paulus loquitur Actorum 14. *per multas tribulationes*, velut flagella à juſto judice Deo ad corrigendos & purgandos ſuos electos immiſſa. Quare autem *juſtus vix ſalvatur*; niſi quia vix eſt juſtus? id eſt, quia imperfectam habet juſtitiam; cùm delinquat in multis, & ipſa juſtitiæ opera quæ facit, plerumque ſordium aliquid habeant admixtum, vel ex intentione non pura, vel ex alia circumſtantia. Quæ tota impuritas igne tribulationis excoquenda eſt.

Hinc igitur etiam ſtatui poteſt purgatoria pœna poſt hanc vitam. Nam ſi juſtus non ſalvatur niſi per ſeverum judicium Dei punientis & purgantis ejus peccata: Conſequens eſt, ijs qui minus purgati fuerint in hac vita, judicium illud reſtare ſubeundum poſt mortem, quo ſatisfiat juſtitiæ divinæ.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM SECUNDAM B. PETRI APOSTOLI.

CAPUT I.

℣. 4. EFficiamini divinæ conſortes naturæ. Mira commendatio beneficiorum Dei quæ per Chriſtum nobis donavit; ut meritò B. Petrus ea vocaverit *pretioſa & maxima*. Nihil enim pretioſius aut majus conferri nobis potuit, quàm per quod divinæ naturæ conſortes efficeremur, & quodammodo in Deos transformaremur. Id autem præſtant nobis beneficia Dei per Chriſtum; illud maximè, quòd ſumus filij Dei, per gratiam quidem, ſed tamen quæ Dei-formes nos efficiat. Unde Dionyſius lib. de Eccl. Hier. cap. 1. *Salus non aliter exſiſtere poteſt*, inquit, *niſi ij qui ſalutem conſequuntur, Dij fiant. Deificatio autem eſt Dei, quoad ejus fieri poteſt, imitatio, & cum eo commiſtio; atque, ut ita dicam, unitio.* Sic ille. Cum cujus verbis eſt conferenda Oratio Eccleſiæ Secreta Domin. 17. poſt Pentecoſten. Cæterum multo perfectius hæc noſtra divinæ naturæ conformitas obtinebitur in futuro: *Quando Deum videbimus ſicuti eſt*. Perperam ex hac ſcriptura, qua dicimur effici divinæ conſortes naturæ; Cœleſtius docuit conſequens eſſe, *ut ita poſſit anima eſſe ſine peccato, quemadmodum Deus.* Quod inter ejus dogmata refert Auguſtinus libro de geſtis Pelagij cap. ult. Non enim divinæ naturæ nobis proprietas datur aut promittitur; ſed ſimilitudo, conſortium, ſocietas; Græcè *κοινωνία*. 1. Corinth. 1. 1. Joan. 1. & alibi. Hæc autem ſocietas & ſimilitudo mutabilitatem naturæ creatæ non adimit. Rectè verò Cyrillus Hieroſolymitanus in catecheſi myſtagogica 4. hanc eamdem ſcripturam accommodat ad venerabile Sacramentum Euchariſtiæ; dicens nos effici conſortes naturæ divinæ, quando corpus & ſanguinem Chriſti, qui Deus & homo eſt, intra membra noſtra recipimus, eoque alimur ac vegetamur.

℣. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.* Verſio clarior eſſet hoc modo: *Cæterum dabo operam, etiam identidem poſſe vos poſt meum exitum horum mentionem facere.* Hoc eſt, quin & curam atque operam adhibebo, ut, poſt meum deceſſum, omni tempore poſſitis horum de quibus nunc ſcribo, memoriam vobis renovare. Id autem fecit, relinquendo illis monumentum ſuarum epiſtolarum: Quibus ſæpè relectis, futurum eſſet ut præceptorum ac monitorum ejus numquam obliviſcerentur.

Porro quidam Catholici ſcriptores ex his Petri verbis

probari poſſe putant interceſſionem Sanctorum pro A vivis: Facientes hunc ſenſum; Dabo operam ut poſt obitum meum veſtri ſim memor, Deum videlicet oraturus pro vobis, ut horum quæ ſcribo memoriam habeatis. Sic accepit Chryſoſtomus ſermone in Petrum & Paulum: ſi tamen ejus eſt totus. Nam ſub finem mirè variat. Nec citat Petri verba ut apud ipſum leguntur, ſed hoc modo: *Studebo poſt meam demiſsionem veſtri memoriam facere.* Oecumenius etiam hujus meminit interpretationis: Sed alteram præfert, ut ſimpliciorem. Certè non congruebat ut diceret, *Dabo operam, curabo, σπουδάσω*: Cum illud ſancti faciant abſque cura & ſolicitudine. Jam quid attinet ſtatuere velle doctrinam certiſſimam argumento incerto; cum alia, certiſſima, nequaquam deſint? Igitur obſervanda hic & laudanda ſolicitudo Beati Petri qua ſatagit, ut etiam B ſe mortuo recta doctrina maneat apud fideles, & ad poſteros tranſmittatur. Quæ eadem & Pauli ſolicitudo fuit, ita ſcribentis ad Timotheum 2. epiſt. 2. *Quæ a me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*; ſcilicet nobis demortuis.

℣. 19. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem.* Hæc dicuntur in perſona fidelium ad quos ſcribitur hæc epiſtola; quibus & ſeſe Petrus adjungit modeſtiæ cauſa. Sed difficultatem habent hæc verba. Cùm enim teſtimonium Dei Patris de Chriſto dicentis: *Hic eſt filius meus dilectus* &c. certiſſimum atque firmiſſimum ſit, deinde non minor Apoſtolorum quàm prophetarum ſit fides, ad aliquid teſtificandum: quæritur quomodo poſt C allegatum Dei Patris & Apoſtolorum de Chriſto teſtimonium, dicat Petrus, fideles habere firmiorem ſermonem propheticum. Ut verum ſenſum aſſequamur, primò notandum eſt, comparativum *firmiorem*, non referri ad vocem Patris de cælo allatam (nam vox Patris apud Judæos ſupremam habebat authoritatem, utpote vox Dei:) Sed ad teſtimonium Apoſtolicum quod proximè præceſſit; *Et hanc vocem nos audivimus* &c. Deinde, diſtinctione opus eſt vocabuli *firmiorem*: Aut enim firmum aliquid dicitur in ſe, quia immobilem habet veritatem; quomodò omne Dei verbum æquè firmum eſt, ſive per vocem in aëre formatam, ſive per os prophetarum, ſive per Apoſtolorum prædicationem, ad nos perveniat: Aut *firmum* dicitur in mente hominis, id eſt, certum, certò cognitum. Ita quod uni firmum ac certum eſt, alteri dubium & incertum, aut D minus certum eſſe poteſt. Hoc igitur modo, ſermo propheticus Judæis ad Chriſtum converſis erat firmior Apoſtolica iſta atteſtatione, ex qua didicerant revelationem illam factam in monte ſancto. Erat enim prophetarum authoritas in illo populo diuturnitate temporis & conſenſu majorum firmata jam & roborata: Non item authoritas Apoſtolorum, quæ recens adhuc erat, ac proinde nondum tanta cum veneratione ſuſcipiebatur. Nam & ipſi Apoſtoli ſuam doctrinam confirmabant dictis prophetarum maximè quoties cum Judæis agerent. Igitur Petrus Judæis fidelibus ſcribens, ut eos in fide Chriſtiana amplius ſtabiliat; primum quidem commemorat vocem Patris cælitus ſuper Jeſum delapſam. Verùm non aliter eam probat delapſam fuiſſe, quàm ſuo & duorum coapoſtolorum teſtimonio. E Quare cùm Judæi pluris facerent oracula veterum prophetarum, quam atteſtationes Apoſtolorum Chriſti: neceſſariò ſubjungendum putavit de prophetis. Ad quorum proinde teſtimonia, tamquam receptiſſima, atque certiſſima, nunc eos remittit. Huic intellectui conſentanea ſcribit Auguſtinus ſerm. 27. de verbis Domini capit. 4. ubi pro *firmiorem* legit *certiorem*. Et urget, Apoſtolum dixiſſe *certiorem*; *non meliorem, non veriorem.*

CAPUT II.

℣. 4. **S***I enim Deus Angelis peccantibus non pepercit.* Quæri poteſt, cur Deus Angelis peccantibus non pepercerit, qui pepercit homini, providens ei redemptorem & Salvatorem. Ad hoc variæ rationes afferri ſolent: Sed, ſalva judiciorum Dei inſcrutabili profunditate, hæc videtur præcipua; quia humana natura tota corruerat in primo parente, quippe qui ſuo peccato obligavit totum genus. Quod proinde ne totum periret; miſericordia Dei ſubvenit. Angelica verò natura non tota cecidit; ſed pars ejus aliqua, atque ea multo minor quàm ſit eorum qui in ſua rectitudine perſtiterunt. Itaque genus ipſum, ut ita dicam, in illis opus non habuit reparatione. Poſſumus & hoc addere: Quadam ratione plus præſtitum Angelicæ naturæ quàm humanæ. Nam plures Angeli ſervati ſunt ne caderent; pauciores cadere permiſſi ſunt: Homines verò plures pereunt, pauciores ſalvantur. In eo tamen humana natura præ Angelis honorata eſt, quod eam ſibi Filius Dei B in unitatem perſonalem adunaverit. Cæterùm indicat Beatus Petrus argumentum à majore, quod explicat poſtea verſu 11. quaſi dicat: Si Deus Angelis, qui multo nobilioris ſunt naturæ, quique *fortitudine & virtute ſunt majores*, peccantibus non pepercit, ſpem veniæ oſtendendo, &c. Quomodo non pepercerit, declarant verba ſequentia.

Ibid. *Sed rudentibus inferni, detractos in tartarum, tradidit, cruciandos in judicium reſervari.* Quod poteſt ſic explicari: Deus Angelis prævaricatoribus non pepercit: Sed mox in barathrum illud tartareum eos præcipitavit; & vinculis caliginoſis, (id eſt, infernalibus, ubi perpetuæ ſunt tenebræ) eos tradidit, *ſervandos ad judicium magni illius diei*; quomodo Judas loquitur: Quando nimirum & Angelos & homines judicaturus C eſt Dominus. Id verò non ſic intellige, tamquam interim nullas pœnas ſuſtineant dæmones, ſive in tartaro detenti, ſive in hoc aëre vagantes: Semper enim ubicumque ſunt, pœnam primæ ſuæ damnationis circumferunt, vel alligati vel addicti igni gehennæ, ſicut eam rem declarant Theologi. Sed in illo die judicandi dicuntur & condemnandi; tum quia per illud judicium omnis nocendi poteſtas in poſterum eis auferetur; tum maximè quia imbecillitas eorum & nequitia atque ſuperbia coram toto mundo traducetur. Quæ res erit ſuperbiſſimis illis ſpiritibus pœna longè moleſtiſſima; præſertim quòd in æternum ſperare non poterunt ullam vel poteſtatis vel honoris priſtini recuperationem. Confer quæ ſcripſimus ad 2. ſent. d. 6.

℣. 16. *Subjugale mutum animal hominis voce lo-* D *quens prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Illud quæritur, quomodo Petrus eum vocet *Prophetam*, quem Moyſes *ariolum* nuncupat. id eſt, divinatorem ac vatem dæmonum, ut plerique intelligunt. Certè Prophetam Dei fuiſſe, ſed avarum & improbum, conſtat ex ijs quæ de eo refert ſcriptura Numerorum: Nam à vero Deo exſpectabat & accipiebat reſponſa. Quod declarant illa ejus verba, cap. 22. *Reſpondebo quidquid mihi dixerit Dominus.* Hebraicè יהוה. Et cap. 24. *Non potero præterire ſermonem Domini.* Et iterum: *Quidquid Dominus mihi dixerit, hoc loquar.* Unde & dicitur Dominus poſuiſſe verba benedictionis in ore ejus: cap. 23. Nam & oracula quæ protulit, atque illud nominatim; *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael*; ab omnibus agnoſcuntur divina. Accedit quod Petrus E abſolutè Prophetam eum appellat, nec reprehendens in eo falſum cultum, ſed avaritiam. An autem ad vaticinandum, etiam dæmones aliquando advocaverit; haud liquet: Tametſi multi ita ſentiant, eo quod *ariolus* vocetur. Sed ſciendum; loco hujus vocabuli in Hebræo legi, *Pethorah*; quod & LXX. Græcis literis φαθουρὰ expreſſerunt. Eſtque loci nomen, *Pacoria* Ptolemæo dicta. Repetitur autem Deut. 23. ubi Hieronymus vertit: *De Meſopotamia Syriæ.* Vocatur quidem Balaam etiam Joſue 13. *ariolus*, in noſtra verſione: Sed Hebræa dictio *caſam* quæ illic legitur, patet ad diverſas divinandi ſpecies, etiam licitas. Unde & LXX. verterunt *μάντιν*, id eſt, *vatem*, generali nomine: Quamvis id

in ſcripturis non ſoleat Dei Prophetis attribui. Ut hinc non improbabilis ſit ſuſpicio, Balaam hominem avarum, quæſtus cauſa apud populos infideles, inter quos morabatur, etiam ad illicitas divinationes operam ſuam venalem expoſuiſſe. Vide Annot. Num. 22. v. 5.

℣. 21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato.* Liquet ex his Apoſtoli verbis poſſe viam veritatis cognitam deſeri; ac proinde (quod ſectarij negant) fidem & charitatem ſemel habitam amitti. Nam & domus per inhabitantem Spiritum ſanctum mundata & ornata, rurſus occupari poteſt à ſpiritu nequam; ut fiant *illius noviſſima pejora prioribus*. Matth. 12.

Hinc & illud conſequens eſt, hominem fide & charitate imbutum, non eſſe certum de ſua ſalute: Contrà quam docent ijdem omnes ſectarij.

Quæritur quæ ſit ratio comparationis quam aſtruit B. Petrus; id eſt, cur hoc illo ſit peius. Reſpondeo, triplicem eſſe rationem: Prima eſt; quam indicat Apoſtolus dicens, *poſt agnitionem*; quia qui viam veritatis agnitam deſerit, jam ſciens peccat. Scriptum eſt autem: *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit; vapulabit multis* Luc. 12. Item: *Scienti bonum facere & non facienti; peccatum eſt illi.* Jac. 4. Secunda ratio, quam indicat dicens; *ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato*: quia peccat per ingratitudinem, abjiciens dona a Deo accepta, fidem ſeu veritatis notitiam, juſtitiam, ſanctitatem ac cætera chariſmata Spiritus ſancti. Quod peccatum vehementer in hoc genere exaggerat Apoſtolus Paulus Hebr. 6. & 10. Tertia ratio, quam ſignificat cum dicit; *retrorſum converti*, quia peccat graviſſimo peccato vel hæreſis, vel apoſtaſiæ. Nam etſi non omnes qui poſt baptiſmum relabuntur ad hujus mundi coinquinationes, in hæreſim vel apoſtaſiam incidant: Proclive tamen eſt, ut qui *bonam conſcientiam* repellunt, *circa fidem* naufragium faciant 1. Tim. 1. ideoque periculo amittendæ etiam fidei ſeſe exponunt. Graviter hoc peccatum ponderat idem Paulus ijſdem locis.

CAPUT III.

℣. 13. N*Ovos vero cælos, & novam terram, ſecundùm promiſſa ipſius, expectamus.* Hieronymus ſic legit: *Novos autem cælos & novam terram videbimus, & repromiſſionem ejus.* Ubi & ſubjungit pro commentario: *Non dixit, alios cælos & aliam terram videbimus; ſed veteres in melius commutatos.* Igitur *novos* intelligere debemus repurgatos ac renovatos, & melioribus qualitatibus affectos, remanente ſubſtantia. Quo ſenſu & illud accipiendum quod Joannes Apoc. 21. poſt illa verba: *Et vidi cælum novum & terram novam,* ſubjicit: *Primum enim cælum & prima terra abijt.* Nam *abijſſe* dicit quantum ad faciem & qualitates priores; eodem nimirum ſenſu, quo prædixerat ipſe Dominus, Matth. 24. *Cælum & terra tranſibunt.* Jam nec aliter hoc loco *cælos* accipit Petrus, quàm in præcedentibus. Quamquam non negamus ejus doctrinam habere veritatem etiam de cælis ſuperelementaribus, in quibus infixa ſunt lumina cæleſtia: Non quod igne purganda ſint illa corpora, quæ purgatione non indigent; ſed quoniam & ipſa tranſmutationem in melius recipient; ut fiat illud quod ſcribit Iſaias cap. 30. *Erit lux lunæ ſicut lux ſolis; & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Porrò dicens Apoſtolus *novam terram*, ſimul aquam vult intelligi. Hæc enim duo proximè elementorum nomine comprehenderat, quæ igne velut liquefacta novas exuta vetuſtate, qualitates, ceu formas, acceptura ſint. Nec his obſtat quod Joannes in Apocalypſi poſt verba pauló antè citata, conſequenter adjungit: *Et mare jam non eſt.* Quamvis ea Scriptura Bedam & alios quoſdam adduxit in eam ſententiam, ut putarent elementum aquæ in mundi innovatione prorſus interiturum. Non inquam obſtat: Quia non dicit Joannes aquam non amplius futuram; ſed mare: id eſt, ut Auguſtinus exponit lib. 20. de civitate Dei cap. 16. *hoc ſeculum vitâ mortalium turbulentum & procelloſum, quod maris nomine figuravit.* Vel, ut quidam volunt, mare ſecundùm ſitum quem nunc habet in univerſo: Ut ſignificetur mare rediturum ad locum univerſi quem habuit initio, priuſquam aquæ congregarentur in ſinus quoſdam, ut appareret arida; *quæ congregationes aquarum appellata ſunt maria.* Gen. 1. Vel potius, *mare* quatenus impurum, craſſum, ſalſum, turbidum & inquietum. Nam hujuſmodi qualitates importare ſolet vocabulum maris: Ideoque non dicitur mare novum futurum, ſed ſimpliciter non futurum amplius. Addit Petrus *ſecundum promiſſa* (vel *promiſſum*) *ipſius*, ſcilicet Chriſti Dei ac Domini. Sic enim promiſit Iſa. 65. *Ecce ego creo cælos novos & terram novam.* Et cap. 66. *Cæli novi & terra nova quæ ego facio ſtare coram me.* Eademque promiſſio repetitur, oſtenſa Joanni in viſione Apoc. 21.

Si cui placet illa quorumdam codicum lectio, *Et promiſſa ipſius*, exponi poterit de bonis quæ Chriſtus paſſim, tam in Evangelio, quàm in Apocalipſi, ſuis electis promiſit: reſurrectionis gloriam, immortalitatem, regni ſui ſocietatem, Dei viſionem. Quibus bonis electorum beatitudo perficitur.

℣. 15. *Sicut & chariſſimus Frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis.* Hoc exemplo Petri, monemur ita laudare homines laude dignos; ut tamen omne quod in eis laudabile eſt, in Deum referamus authorem. Ubi interim obſervare eſt admirabilem candorem ac ſinceram modeſtiam pectoris Apoſtolici in Petro; qui reprehenſus aliquando à Paulo, tamen & ipſum *chariſſimum fratrem* appellat, & epiſtolas ejus commendat, inter quas & illa eſt in qua ipſius reprehenſio continetur atque defenditur, ea nempe quæ ſcripta eſt ad Galatas. De qua re locus eſt inſignis apud Gregorium in homilia 18. ſuper Ezech. Meminit & Beda præclarè in commentario.

Sed & illud in Petro obſervatu dignum atque laudabile eſt, quod cùm eſſet princeps Apoſtolorum, qui doctrinam ſuam hauſerat partim ex ore Chriſti Salvatoris familiariter cum Apoſtolis colloquentis, partim ac pleniùs ex illapſu Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, non tamen dedignatus fuerit Pauli Apoſtolorum noviſſimi legere epiſtolas; fortè & ex ijs aliquid diſcere.

℣. 16. *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu.* Locus hic evidens eſt adverſus ſectarios, docentes Scripturam ſacram ubique facilem eſſe & omnibus intellectu perviam. Nam apertiſſimum eſt hoc Petri teſtimonium, in ijs quæ ſcripſit Paulus, eſſe quædam intellectu difficilia. Simul indicans & cæteris ſcripturis id eſſe commune, quòd & eas, ſicut Pauli ſcripta, depravent homines indocti. Quamquam hoc, tam de Paulinis epiſtolis, quàm de cæteris ſcripturis, etſi Petrus non diceret; res tamen ipſa clamat, eas plæriſque locis ad intelligendum difficillimas eſſe. Quod non ſolum noſtra ab hæreticis diſſenſio comprobat; verùm maximè ipſorum de ſcripturarum ſenſibus aſſiduè inter ſe digladiantium pugna mutua.

Ibid. *Quæ indocti & inſtabiles depravant. Indocti*; Græcè ἀμαθεῖς, quod etiam Latinè reddi poteſt, *indociles*, diſcere nolentes. Tales ſunt omnes hæretici; nolunt enim audire Eccleſiam, quæ ſola *columna eſt & firmamentum veritatis*. 1. Tim. 3. Unde & *inſtabiles* ſunt, id eſt, ſine firmamento. Nam *inſtabiles* dicit non vagos & inconſtantes; ſed *infirmos* ſeu *parum firmos*, ut vertit Eraſmus. Id enim ſonat Græca vox ἀστήρικτοι, qua & uſus Apoſtolus capite ſuperiore verſu 14. Significantur autem, qui fidei firmitatem &(ut ait Dominus Lucæ 8.) *radices non habent.* Ex quo deinde ſequitur inſtabilitas & inconſtantia doctrinæ. *Depravant*, Græcè στρεβλοῦσιν, *torquent*, *detorquent.* Non enim ſentit eos corrumpere ſeu falſare ſcripturas, quod fit addendo, aut demendo

aliquid

aliquid (quamvis & illud ab hæreticis non rarò factum fuerit olim, hodieque fiat) ſed in pravos ſenſus vertendo & contorquendo, vim eis inferre, qui mos eſt omnium hæreticorum: præſertim ſicubi intelligendi difficultatem adfert obſcuritas. Quod adeò verum, ut nulla fuerit hæreſis tam abſurda, quæ non ex ſcripturis ſibi patrocinium aſſumeret.

Ibid. *Sicut & cæteras Scripturas.* Hac parte (quod bene notandum eſt) Petrus canonizat, ut ita loquar, id eſt, in canonem ſacrarum ſcripturarum adſcribit atque canonicas facit epiſtolas Pauli. Dicens enim, *ſicut & cæteras ſcripturas*; utique ſignificat ſe etiam illas in ſcripturarum numero habere. De ſacris autem ſcripturis eum loqui; in confeſſo eſt. Nec aliquas; ſed omnes ejus epiſtolas comprehendit, etiam illam quæ ad Hebræos ſcripta eſt: ut intelligi poteſt ex ſupradictis.

Ibid. *Ad ſuam ipſorum perditionem. Suam* Græcè *propriam.* Non cauſa finalis ſignificatur, ſed eventus & ſequela. Detorquebant enim ſcripturas ad falſa & & perverſa dogmata; quæ tam eos, quàm eorum diſcipulos adducebant in interitum ac mortem æternam.

Jam ut intelligamus quæ fuerint illa dogmata; ſciendum eſt, ut annotant omnes penè interpretes, Petrum verbis illis proximè expoſitis; *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu: quæ indocti & inſtabiles depravant ad ſuam ipſorum perditionem*: Reſpicere ad doctrinam Pauli, qua docuit non ex lege neque ex operibus hominem juſtificari; ſed gratis per fidem Jeſu Chriſti. Hinc enim colligebant, opera bona non eſſe ad ſalutem neceſſaria. Quæ etiam Simonianorum hæreſis fuit: ut teſtantur Epiphanius & Theodoretus. Doctrina verò illa Pauli quam dixi, præcipuè traditur in epiſtola ad Romanos: Tametſi & in alijs ejusdem Pauli epiſtolis continetur; ut in ea quæ ad Galatas ſcripta eſt, & ſparſim in epiſtolis ad Epheſios, ad Philippenſes, & ad Coloſſenſes. Illuc autem Petrum reſpicere, primùm ex eo probatur, quia in epiſtolis Paulinis vix aliud eſt, quod æquè poſſint homines libertatem ac deſideria carnis amantes (quales hoc & præcedenti capite Petrus deſcripſit) ad fomentum ſuarum cupiditatum ac defenſionem ſui erroris trahere. Quod & hoc ſæculo fecerunt Lutherani. Deinde, quia Jacobus Apoſtolus in ſua epiſtola cap. 2. manifeſtè ſignificat, ea perverſa opinione quosdam imbutos fuiſſe, ut fidem ad juſtitiam & ſalutem ſufficere putarent absque bonis operibus. Quam & graviter oppugnat. Scribit autem & ipſe ad eosdem ad quos Petrus; id eſt, ad duodecim tribus quæ erant in diſperſione. Verum Jacobus quidem tacuit occaſionem erroris, quam expreſſit Petrus; videlicet fabricatam ex epiſtolis Paulinis. Quemadmodum è diverſo Petrus tacuit ipſam doctrinam erroneam; quam expreſſit Jacobus, Unde, mutua collatione, quæ ab utroque ſcripta ſunt illuſtrantur. Huc pertinet quod Auguſtinus docet epiſtolas Catholicas quatuor Apoſtolorum adverſus prædictum errorem, quem ex epiſtolis Pauli perperam intellectis volentes hauſerant quidam, conſcriptas fuiſſe. Id habet libro de fide & operibus cap. 14. & de gratia & libero arbitrio cap. 7. Accedebat autem ad erroris occaſionem, doctrina de electione & reprobatione: quam ſimiliter, ac præcipuè in epiſtola ad Romanos, tradit Paulus. Nam & per illam excludi videbantur opera à negotio noſtræ juſtificationis. Quamquam & ipſe Paulus adverſus hujusmodi depravatores vigilavit; non ſolum exhortando fideles ad bona opera, tamquam ad ſalutem neceſſaria; quod facit in omnibus epiſtolis: Verùm etiam errori malè ſuam doctrinam intelligentium, obviando. Cùm enim dixiſſet ad Roman. 5. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*: Mox initio capitis ſequentis, pravo intellectui occurrit, dicens; *Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit.* &c. Sed & cap. 3. reſiſtit ijs qui doctrinam ipſius calumniabantur, tamquam diceret, *Faciamus mala ut veniant bona. Quorum*, inquit; *damnatio juſta eſt.*

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM B. JUDÆ APOSTOLI.

ỽ. 5. JESUS *populum de terra Ægypti ſalvans.* Quærimr, quomodo JESUS hæc feciſſe dicatur qui nondum natus erat? Reſp. Fecit non ut homo, ſed ut Deus, Dei filius, repræſentatus autem per Angelum, qui populum Iſraëliticum ex Ægypto per mare rubrum duxit in deſertum, ac tandem introduxit in terram promiſſam. Per quem etiam Deus exercuit punitionem incredulorum. In quibus omnibus, Angelus ille Chriſti Domini ſui perſonam ac typum geſſit.

ỽ. 9. *Cum Michael Archangelus cum Diabolo* diſputans altercaretur de Moyſi corpore. Quæritur unde B. Judas iſtam hiſtoriam Michaelis cum diabolo diſputantis acceperit. Multi depromptam putant ex libro quopiam apocrypho: Velut illo, cui titulus, *Aſſumptio Moyſi*; vel juxta alios, *Aſcenſio Moyſi.* Quod ſi ita eſt: Non idcirco periclitatur authoritas hujus epiſtolæ. Nam ut in hæreticorum libris non omnia falſa ſunt; ita nec in apocryphis. Apoſtolus autem ſpiritu divino præditus haud dubiè diſcernere potuit inter ejuſdem libri vera & falſa: Quemadmodum & Paulus diſcrevit; qui tribus locis adfert ex poëtis ethnicis teſtimonia, ut Act. 17. 1. Corinth. 15. & ad Tit. 1. Quamquam fortaſſe probabilius eſt, Judam hæc habuiſſe ex traditione majorum non ſcripta: Sicut & Paulus nomina magorum Pharaonis, 2. Tim. 3. Niſi quis dicat ea quæ hìc commemorantur, ſcripto tradita fuiſſe, nec apocrypho nec ſacro; ſed quod fidem tamen mereretur humanam: Ut ſunt multa alia ab hominibus ſcripta, quæ etſi non ſint authoritatis divinæ, non tamen ut apocrypha rejiciuntur.

Iterum quæritur, quænam aut qualis fuerit hæc altercatio ſeu diſputatio Michaelis cum diabolo ſuper Moyſi corpore. Reſpondeo colligendum id eſſe ex ijs quæ de morte & ſepultura Moyſi ſcribuntur Deut. ult. Ubi cum dixiſſet ſcriptura mortuum eſſe Moyſen ſervum Domini *jubente Domino*; ſubjunxit: *Et ſepelivit eum* (utique Dominus) *in valle terræ Moab contra Phogor: Et non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in hodiernum diem.* Quod enim dicitur *Dominus* Moyſen ſepeliviſſe, factum intellige (quod præſens locus indicat) miniſterio Michaelis archangeli; qui ductor erat populi per deſertum, & introductor in terram promiſſam; quique toties Domini perſonam repræſentans, cum Moyſe collocutus fuerat *facie ad faciem; ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, ut dicitur Exod. 33. Ut proinde officium ſepulturæ, Moyſi, tamquam amico ſuo, videri poſſit exhibuiſſe. Sic autem ſepelivit, ut hominibus incognitum maneret ejus ſepulchrum. Cujus facti rationem hanc reddunt interpretes, eamque meo judicio veriſſimam; ne populus Iſraëliticus, qui ad idololatriam valde propenſus erat, corpori Moyſis, tanti Prophetæ, tam clari ſignis & prodigijs, & per quem tanta beneficia acceperat, divinos honores impenderet. Hoc quippe diaboli ſtudium erat, obſtrepentis occultationi ſepulchri, & ex adverſo contendentis (quaſi qui pro honore Moyſi ſolicitus eſſet) tanti viri ſepulchrum celebre apud homines ac venerabile eſſe debere. Hac igitur de re inter Archangelum Michaelem & diabolum altercatio fuit. Ex qua, ſimul & ex utroque loco tam Deuteronomij, quam hujus Apoſtoli, planè evertitur opinio quorumdam veterum minus eruditorum, qui apocrypha quædam ſecuti negarunt Moyſen eſſe mortuum. Quos &

Augu-

Auguſtinus ex ſcriptura refellit lib. 26. contra Fauſtum cap. 3. & ſuper Joannem tract. ultimo.

Ibid. *Non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ.* Id eſt, execrari, maledictum impingere, verba maledica ingerere. Quæ maledictio *judicium* vocatur; quia qui maledicit alteri, hoc ipſo judicat eum & condemnat: Sive convicium dicat, ſive mali aliquid imprecetur.

Quod ait: *Non eſt auſus*: Senſus eſt, Michaelem archangelum in illa contentione cum diabolo abſtinuiſſe à maledictis ei inferendis; id eſt, noluiſſe ei maledicere, cùm id jure poſſet. Ac ſi dicat Apoſtolus, illa traditio, ſive ſcripta ſive non ſcripta, ad quam reſpicio; non inducit Michaelem in illa altercatione maledicentem diabolo. Si quæras cur id facere noluerit, cùm homines exorciſtæ diabolo maledicere non vereantur: Reſpondemus, ideo noluiſſe, cùm poſſet; ut nobis, ad quorum doctrinam talia ſcripta vel tradita ſunt, exemplum daretur modeſtiæ; ne faciles eſſemus ad maledicendum cuiquam. Qua ratione etiam in Apocalypſi cap. 19. & 22. Angelus non ſe permittit à Joanne adorari, id eſt, procubitu corporis honorari; quo tamen honore dignus erat: Scilicet ut nos homines, quibus honorari perſæpe periculoſum eſt, humilitatem & honorum fugam ſuo exemplo doceret.

Ibid. *Sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Græcè: *Increpet te Dominus.* Quod & in nonnullis eſt manuſcriptis Latinis. Veriſimile eſt interpretem, Græco caſu retento, vertiſſe: *Increpet tibi Dominus.* Sic enim & Hieronymus citat in apologia adverſus Ruffinum. Quod cùm ſolœcum videretur; mutatum ab aliquo fuiſſe verbum *increpet* in *imperet*. Utrumvis autem legas: Senſus convenit; eſtque hujuſmodi: Deus te coërceat, & conatum tuum prohibeat. Hoc autem non erat maledicere; ſed tantùm imprecari à Deo mali conatus impedimentum. Simile quid habetur Zachar. 3. *Dominum,* id eſt, Angelum Domini, *dixiſſe ad Satan: Increpet Dominus in te Satan; & increpet Dominus in te.* Ubi pro *Satan diabolum* tranſtulerunt interpretes LXX. Porrò argumentum hujus loci tale eſt. Sicut Michael Angelorum princeps noluit maledicere diabolo, quamvis peſſimo, & æternis ſupplicijs addicto, ac omnium maledictione digniſſimo; ſed modeſtiſſimè ei reſtitit, tantùm utens his verbis, *Increpet te Deus*: Quæ igitur audacia & ſuperbia eſt, homines terrenæ fragiliſque naturæ, convicijs inceſſere ſpiritus illos Angelicos qui ſunt in cæleſtibus, & tanti ſunt apud Deum, ut *gloriæ* ſeu *majeſtates* appellentur?

℣. 12. *Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Autumnales, id eſt extremi ac deficientis autumni. Hoc autem alij ad flores, alij ad fructus referunt. Ad flores quidem: *Solent enim*, inquit idem author, *arbores novella extremo autumno, præter temporis rationem, florere: Idque agricolis indicat eas mox emorituras.* Ad fructus autem; quia arbores quæ ſero autumnu fructus proferunt, non eos perducunt ad maturitatem. Unde quidam vertit, *arbores frugiperdæ*. Quod autem ſequitur, *infructuoſæ*, Græcè ἄκαρπα, quibuſdam videtur eſſe interpretatio prioris. Nam & arbores extremo autumno florentes fructum non adferunt, ab hyeme ſupervenient impeditæ: Et quæ tam ſero fructum adferunt, ob eamdem cauſam immaturum, & proinde inutilem, relinquunt; ut ob id meritò dici poſſint *infructuoſæ*. Alij verò additum hoc putant ut novum ac ſecundum epitheton arborum malarum; ut tertium epitheton ſit *bis mortuæ*, id eſt, penitus emortuæ; quartum, *eradicatæ* & exciſæ, ita ut fructus in poſterum nullus exſpectari poſſit. Igitur his arboribus ſeductores illos comparat Apoſtolus: Quia cùm ſpeciem habeant arborum bonarum ac fructiferarum, ac tales ſeſe jactitent; tamen *autumnales* ſunt ac frugiperdæ; quia fructum, ſi quem ferre videantur, maturum & utilem reddere non poſſunt. Imò verius *infructuoſi* ſunt, quia nullum verum ac ſalutarem fructum ferunt nec in ſeipſis, nec in ſuis ſectatoribus. Item ſunt *bis mortui*; quia per baptiſmum à morte peccati ſemel reſuſcitati, in eamdem mortem, per apoſtaſiam relapſi, ſunt. De quo relapſu graviter meminerunt Petrus 2. epiſt. 2. & Paulus Hebr. 6. & 10. Denique ſunt *eradicati* & exciſi; quòd ex eis tamquam ex arboribus radicitus evulſis, fructus non amplius ſperetur: Adeò ut de talibus dicat Paulus Hebr. 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.* Cæterùm obſervanda eſt in his epithetis gradatio per incrementa. Nam gradus ſunt, fructum inutilem ferre, nullum ferre fructum, bis mortuum eſſe, ad extremum eradicari, mittendum in ignem.

℣. 13. *Sidera errantia.* Sidera ea intelligit quos planetas, id eſt, errones vocamus. Hoc enim vocabulum πλανῆται, hic eſt in Græco. Neque tamen naturâ, ſed vulgi opinione tales ſunt. Non enim revera vagantur; ſed certos & ordinatos habent motus ſinguli proprios: Qui quoniam imperitis ignoti ſunt, errare & vagari incertis motibus eos putant. At revera tales ſunt hæretici. Quippe ſtellæ videri volunt, id eſt, lumina Eccleſiæ: Sed ſtellæ ſunt erraticæ; quia in doctrina, per quam alios illuminare debebant, nuſquam ſibi conſtant, ſemper errorem ex errore ſerentes.

ANNOTATIONES

IN PRIMAM

EPISTOLAM

B. IOANNIS APOSTOLI.

CAPUT I.

℣. 8. *SI dixerimus quoniam peccatum non habemus*: Ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. *Seducimus*, Græcè πλανῶμεν, *fallimus, decipimus*. Pendet intellectus hujus ſententiæ ex vero ſenſu ejus quod eſt *peccatum habere*. Multis enim modis peccatum habere quis dicitur. Primo, propter effectum peccati. Quo quidem modo veritatem habet hæc Apoſtoli ſententia; quatenus in hoc ſæculo nemo reperitur qui plenè purgatus ſit ab omni inordinato & vitioſo affectu. Unde Auguſtinus in enarratione Pſalmi. 118. conc. 10. *Intelligere debemus*, inquit, *quantumlibet quiſque proficiat in juſtificationibus Domini; habere eum mortalis carnis affectum circa iſta terrena, & in quibus vita humana tentatio eſt ſuper terram.* Sic & Leo magnus ſermone 7. de Epiphania Domini: *Quis invenietur ita immunis à culpa, ut in eo non habeat juſtitia quod arguat?* Et ſermone 6. quadrageſimæ: *Talis eſt conditio etiam eorum qui concupiſcentijs renituntur, ut numquam poſſint in cordibus ſuis non invenire quod reprobent.* Et generalis eſt ſententia Job. 14. *Nemo mundus à ſorde.* Secundo modo, propter reatum peccati: ut *habere peccatum*, ſit reum eſſe propter primum opus commiſſum, ita definiente B. Auguſtino lib. 1. de nuptijs & concup. cap. 26. Atque hoc etiam modo intellecta, vera eſt B. Joannis ſententia. Nam durante hac vita numquam ſumus ab omni reatu liberi. Semper enim eſt unde dicere Deo debeamus: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quod etiam ad recens baptizatos extendit Hieronymus lib. 3. dialogi contra Pelagianos ſub finem. Et veritatem habet reſpectu pœnalitatum hujus ſæculi quibus adhuc ſunt obnoxij. Item qui adulti ſunt baptizati, ij recèns etiam poſt baptiſmum peccata aliqua committunt, quæ pœnam merentur. Sequitur enim hic modus ex priori. Nam ſi numquam plenè ſit expurgatus in hac vita noſter affectus: Semper igitur remanet aliquis reatus, etiam in homine recèns baptizato. Non enim per baptiſmum

A tollitur reatus niſi peccatorum quorum depoſitus eſt affectus. Hunc ſenſum attendunt Patres: Et probant ex dictis verbis orationis Dominicæ: *Per quam*, ut ait Auguſtinus lib. 21. de civitate Dei cap. 27. *nobis voluit Salvator oſtendere, quantumlibet juſtè in hujus vitæ caligine atque infirmitate vivamus; non nobis deeſſe peccata pro quibus dimittendis debeamus orare.* Sed & Leo ſermone jam citato de Epiphania Domini docet neminem inveniri ita immunem *à culpa, ut in eo non habeat Dei miſericordia quod remittat.* Aperta quoque ſententia eſt Innocentij 3. libro 5. myſteriorum miſſæ cap. 28. *Hominem dum in hac vita conſiſtit, ſemper eſſe in aliquo peccato*: Quod & probat ex hoc loco Joannis. Tertio modo, propter actum peccati, non quidem præſentem, ſed frequentem & quotidianum & quodammodo continuum. Quem modum attenderunt Hieronymus, Au- B guſtinus & alij Patres, qui contra Pelagium ſcripſerunt. Cujus erat doctrina, Juſtum hominem vivere poſſe ſine peccato; ac multos fuiſſe qui ſine peccato vixiſſent. Quarto modo, propter peccatum in quo nati ſumus, vel quod aut quæ deinde actu commiſimus? Propter quæ opus ſit nobis Chriſto propitiatore & advocato. Juxta quem modum ſententia Joannis refertur ad peccata præterita, quamvis remiſſa ac deleta: Ut ſit ſenſus, ſi quis dixerit ſe non peccaſſe, nec in peccato umquam fuiſſe; ideoque Chriſto patrono opus non habere: &c. Senſus hic probabilis cuipiam videri poſſet ex loci circumſtantijs. Præceſſit enim proxime, *Et ſanguis Jeſu Chriſti emundat nos ab omni peccato.* Et ſequitur; *Si dixerimus quoniam non peccavimus* &c. Et initio capitis ſequentis: C *Hæc ſcribo vobis ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit advocatum habemus* &c. At verò ſenſus iſte præſenti loco minime ſuffiicit. Nam Apoſtolus adhuc exigit confeſſionem peccatorum, ac proponit ſpem veniæ, ex promiſſione Dei, dicens: *Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra.* Loquitur ergo de peccatis adhuc remittendis. Et utique ſcribit ad fideles quibus originale peccatum, & gravia actualia baptiſmo fuerant dimiſſa. Vult igitur ut adhuc confiteantur offenſas ſuas quotidianas: Quemadmodum & Jacobus Apoſtolus; qui cum dixiſſet cap. 3. *In multis offendimus omnes*, poſtea cap. 5. ad offenſarum confeſſionem hortatur dicens: *Confitemini alterutrum peccata veſtra.*

Jam verò ex eodem Jacobi teſtimonio, quo dicit nos omnes in multis offendere, ſatis apparet quem mo- D dum ex tribus prioribus ſupradictis Joannes potiſſimum ſpectaverit; illum nempe, ſecundùm quem nemo eſt qui peccatum non habeat, quia non vivit ſine quotidianis ac frequentibus peccatis. Atque hunc ſenſum explicant, alijsque ſcripturæ teſtimonijs declarant, Patres Milevitani concilij, tribus canonibus ſuper hac re editis, ſexto, ſeptimo & octavo. Pertinent huc Sanctorum confeſſiones, quibus hanc peccandi frequentiam humiliter in ſeipſis agnoſcunt: Ut Hieronymus ad Pammachium adverſus errores Joannis Hieroſ. *Quotidie peccamus omnes, & in aliquo labimur.* Ambroſius libro 4. de ſacramentis cap. 6. *Qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam.* Et in apologia David: *Unuſquiſque noſtrum per ſingulas horas quam multa delinquit!* Auguſtinus in enarratione Pſalmi 128. *Si veraciter ſibi* E *tundunt homines pectora; peccatores ſunt. Et quis noſtrum non ſibi tundit pectus?* Gregorius lib. 4. epiſtola 31. ad Mauritium Imperatorem: *Et quia omnipotenti Deo inceſſanter quotidie delinquo; inceſſantibus quotidie plagis ferior.* Bernardus epiſtola 24. in fine: *Orari pro me inſtanter poſtulo, quia inceſſanter pecco.* Joannes Gerſon in tractatu de ſtatuto Carthuſienſium: *Vix facimus aliquid, ubi non poſſimus rationabiliter formidare de peccato veniali.* Hæc ex multis pauca. Porò doctrina hæc adeo conſtans eſt apud Patres, ut paſſim affirment hominem non poſſe vivere ſine peccatis: Nimirum ob fragilitatem humanæ naturæ originaliter corruptæ.

A Ex his autem ulterius conſequens eſt, Apoſtoli ſententiam veram eſſe etiam de reatu peccati intellectam, juxta ſecundum modum ſuperius expoſitum. Dum enim frequentiſſimè peccamus; numquam deeſt unde dicamus in oratione, *Dimitte nobis debita noſtra.* Quamquam etiam ad primum modum, qui eſt de affectibus vitioſis hærentibus in animo, Patres interdum reſpiciunt in alleganda hac Joannis ſententia. Ex qua denique manifeſtè refellitur illud Pelagij cavillum, quo dicebat ſanctos humilitatis cauſa confiteri ſe peccatores, quamvis reverà peccatum non haberent. Non enim dicit Joannes, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos extollimus, & humilitas in nobis non eſt*: ſed dicit, *Ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Unde ſenſum illum Pelagij Milevitana Synodus meritò dam- B navit anathemate, can. 6.

Præterea refellitur opinio quorumdam, inter quos eſt Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum, qui putant, Apoſtolos poſt Domini reſurrectionem accepto Spiritu ſancto, ita fuiſſe confirmatos in gratia Dei, ut deinceps nullis eſſent peccatis ac paſſionibus obnoxij. Refellitur, inquam; quia Apoſtolus eſt qui dicit: *Si dixerimus* &c. utique ſemetipſum comprehendens; quemadmodum & in præcedentibus ac ſequentibus. Sic etiam Jacobus Apoſtolus: *In multis offendimus omnes.* Sic Paulus de Petro Apoſtolorum principe, Gal. 2. *Quia reprehenſibilis erat.* Exſtant hac de re apud Hieronymum, Auguſtinum, Proſperum & alios Patres aperta teſtimonia, quæ brevitatis ſtudio omittimus.

C Poſtremò, liquet ex dictis, hæc multum eſſe diverſa, peccatum habere, & actu præſenti peccare, ideoque nequaquam eſſe conſequens, ſi ſemper habemus peccatum; ſemper & in omni opere nos peccare: Quemadmodum docent hæretici noſtri temporis, Quem errorem condemnat Synodus Tridentina ſeſſ. 6. can. 25.

CAPUT II.

℣. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Quatenus reddit Patrem nobis propitium per hoſtiam crucis, non ſolum ſufficienter, ut loquuntur, ſed efficienter. Non enim ait, *Et ipſe fuit propitiatio*; tunc ſcilicet, quando offerebatur in cruce: ſed, *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*; in quantum videlicet hoſtiam illam pro omnium ſalute ſufficientem, continuè D & uſque ad finem ſæculi quibus vult, applicat, ad remiſſionem peccatorum. Pronomen *noſtris* ad quos referendum ſit; pendet ex intellectu partis ſequentis. Ubi etiam plura contra ſenſum eorum qui Joannem de ſufficientia exponunt. Eſt etiam operæ precium videre quæ hic adverſus Catharinum adfert Heſſelius.

Ibid. *Non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Hujus loci variæ ſunt expoſitiones. Inter quas una eſt, hoſtiam crucis ſufficientem eſſe ad propitiandum & placandum Deum non modò pro peccatis noſtris, id eſt, eorum qui credimus; verum etiam pro peccatis omnium hominum, quotquot ſunt, fuerunt, aut futuri ſunt. Sed illum commentarium, quamvis veritatem contineat de univerſali ſufficientia paſſionis Chriſti pro omnibus; tamen ut huic loco minus con- E venientem jam excluſimus: Plura ad eumdem improbandum, infrà dicturi. Alij porrò, Joannem intelligentes loqui de efficaci & actuali propitiatione, juxta datam prius expoſitionem; ſenſu tamen adhuc variant. Quidam enim ſic exponunt: Non tantum pro peccatis noſtris, id eſt, eorum qui nunc vivunt, ſed etiam pro peccatis eorũ qui naſcituri ſunt, quãdiu mundus durabit. Ita Oecumenius. Alij ſic: Non tantum pro peccatis noſtris, id eſt, eorum ad quos ſcribo; verum etiam pro peccatis totius Eccleſiæ. Ut nomine *totius mundi* intelligatur Eccleſia per totum mundum diſperſa, complectens omnes toto orbe fideles. Quæ eſt expoſitio Auguſtini tract. 1. & 5. in hanc epiſtolam, & tract. 87.

in

in Evangelium Joannis; nec non Bedæ in commentario. A Sic enim & ipſa Eccleſia canit in feſto Pentecoſtes: *Quapropter profuſis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat*, id eſt, Eccleſia toto orbe diffuſa. Rurſus alij: Pro peccatis non tantum eorum qui jam credunt, ſed & omnium electorum, quos adhuc ex omnibus mundi partibus ad fidem adducturus eſt. Alij denique reddunt hunc ſenſum: Non tantum pro peccatis noſtris, id eſt, Judæorum, ſed etiam pro peccatis gentilium cujuſcumque per totum orbem nationis. Qui ſenſus exſtat apud Cyrillum lib. 11. ſuper Joannem cap. 19. Qui nobis videtur hujus loci maximè germanus, ideoque cæteris anteponendus. Scribitur enim hæc epiſtola ad Judæos, ut oſtendimus in prolegomenis. Sic & alibi Joannes loquitur; ut Evangelij ſui cap. 11. dicens Caipham prophetaſſe, *quod Jeſus moriturus erat* B *pro gente*, nempe Judaica; *& non tantum pro ea gente, ſed ut & filios Dei qui erant diſperſi*, nempe per totum mundum, *congregaret in unum*, id eſt, in unum ovile. Quomodo dicit Dominus ejuſdem Evangelij cap. 10. *Et alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile & unus Paſtor.* Eſt & in hac epiſtola locus ſimilis: ut cap. 4. ubi cum dixiſſet, Deum *miſiſſe filium ſuum propitiationem pro peccatis noſtris*; paulò pòſt ad gentiles idem beneficium extendit, dicens *Patrem miſiſſe filium ſuum Salvatorem mundi*. Cum quo rurſus convenit quod dicit ipſe Dominus Evangelij cap. 17. *Non pro eis autem rogo tantum; ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me.* Hoc enim protinus exponens, ita ſubjicit: *Ut credat mundus*, C id eſt, diſperſio gentium, *quia tu me miſiſti*. Nec ſecus accipiendum arbitror id quod ad conſecrationem ſanguinis Dominici, recitat Sacerdos ad altare, ex Apoſtolica traditione: *Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Pro vobis*, ſcilicet Judæis, *& pro multis*, gentium populis.

Jam quod ſenſus Apoſtoli non debeat eſſe prorſus univerſalis; ut volunt qui de ſufficientia dumtaxat pretij locum hunc exponunt: doceri poteſt ex verbis proximè præcedentibus, *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* Dum enim ſtatim ſubjungit, *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, ac totius mundi*: declarat Chriſtum *propitiationem eſſe pro peccatis illorum quorum eſt advocatus*. Atqui tantum electorum advocatus eſt, quia tantum pro electis orat: D ſicut ipſe teſtatur Joan. 17. *Non pro mundo rogo; mundum* reproborum intelligens, *ſed pro his quos dediſti mihi*: qui utique ſunt electi. Similiter ergo, tantùm pro electorum peccatis, tam eorum qui ſunt ex gentibus quàm qui ex Judæis, ſignificatur eſſe propitiatio. Quæ res etiam oſtenditur ex verbis memoratis, Joan. 11. *Non tantum pro gente: Sed ut & filios Dei qui erant diſperſi, congregaret.* Ubi licet multitudinem gentium ſignificare voluerit Evangeliſta; tamen ſermonem reſtrinxit ad *filios Dei*, nimirum prædeſtinatione, id eſt, electos. Quare & hoc loco ſolos electos intelligi convenit. Nam etſi quidam non electi interdum propitiationis participes fiant; quia tamen ab ea excidunt, ac proinde temporales ſunt, finemque non attingunt: meritò reputantur inter alienos & propitiationis exortes. E

℣. 7. *Non mandatum novum ſcribo vobis.* Non eſt contrarius Domino ſuo quem Evangelij ſui cap. 13. teſtatur dixiſſe; *Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem.* Erat enim mandatum illud novum, quando Chriſtus hoc dixit; quia nondum fuerat palam mundo prædicatum: Non novum autem quando Joannes hæc ſcripſit; quia fidelibus ab initio datum. Aliæ quoque rationes adferri poſſunt, cur hoc dilectionis mandatum meritò novum appelletur? Ut quia propriè pertinet ad legem novam, quæ eſt lex amoris; nec niſi per gratiam novi teſtamenti impletur: Et quia novum facit hominem ex veteri.

Eſtij Annotat. in Script.

℣. 8. *Iterum mandatum novum ſcribo vobis.* Non ſibi contraria ſcribit Joannes, nunc *novum vocans mandatum*, quod antea vetus dixit, & novum negavit. Aut enim ſenſus eſt, mandatum vetus quod accepiſtis ab initio, nobis illud prædicantibus; nunc ego vobis renovo per hanc epiſtolam, repetens, iterumque monens, ne tradatis illud oblivioni: Aut, ut alij cenſent: utitur Apoſtolus correctione rhetorica; quaſi diceret, Quamquam & verè novum eſt mandatum quod ſcribo vobis; ſed diverſa ratione. Nempe, vel eo ſenſu quo Chriſtus appellavit novum, qui primus illud mundo propalavit; ut hoc dicat Joannes tamquam memor verborum magiſtri ſui: vel ob alias rationes ſuperius allatas.

℣. 18. *Et ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit; & nunc Antichriſti multi facti ſunt. Venit*, ἔρχεται, verbum præſentis temporis, ſed habens ſignificationem cujuſdam futuri, id eſt, ejus quod in procinctu eſt ut veniat, quodque venire incipit. De quo Latinè dicimus, *adventat*. Sic enim & de Elia dicitur Matth. 17. ἔρχεται, quod interpres ibi vertit, *venturus eſt*. Ita Chriſtus priuſquam adveniſſet, vocabatur ἐρχόμενος; interrogantibus eum diſcipulis Joannis Matth. 11. *Tu es qui venturus es?* id eſt, *Tune es ille qui exſpectaris jamjam adfuturus?* Igitur & hoc loco, rectè vertunt Eraſmus & alij, *Venturus eſt*; pro quo nonnulli ſolœciſmo quodam *debet venire*; quod eòdem recidit. Sed tamen, ut dixi, procinctus & præparatio quædam ad præſentiam adventus, ſignificatur, etſi temporis incerta ſit mora. Nam & de die extremi judicij dicitur ἔρχεται, 1. Theſſal. 5. *veniet*: Ut ibi noſter tranſtulit: Quia C nimirum ita venturus ille dies prædicitur, ut ſemper nobis eſſe debeat in exſpectatione. Vide noſtra in 4. diſt. 47.

Porrò quod ait: *Audiſtis* &c. tale eſt ac ſi diceret: Traditum eſt vobis, ita eſtis edocti à nobis Chriſti Apoſtolis; ſcilicet Antichriſtum venturum eſſe. Ubi nota traditionem eſſe Apoſtolicam, imò divinam, Apoſtolo teſte, quod Antichriſtus venturus ſit. Hoc enim Apoſtoli ut traderent, à Chriſto acceperunt: Qui inter alia dixerat ad Judæos; *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: Si alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.* Joan. 5.

Quod ad nomen *Antichriſti* attinet, quo ſignificatur *adverſarius Chriſti*; ſolus quidem Joannes ſic eum nominat, hic & capit. 4. cæterùm, qualis homo futurus ſit, & quid acturus, exponit Paulus 2. Theſſal. 2. ac de eodem plura, ſed obſcurè, ſcribit idem Joannes in ſua Apocalypſi. Textus Apoſtoli videtur ordinandus, & explicandus, hoc modo. Sicut audiſtis quod venturus ſit Antichriſtus; ita tenete: Nam omninò venturus eſt: Sed interim *multi jam Antichriſti facti ſunt*, Græcè, γεγόνασιν, *exorti ſunt*, *venerunt*. Eraſmus *cœperunt eſſe*. Tamquam dicat Apoſtolus: Unus quidem venturus eſt inſignis adverſarius Chriſti; cui proinde, per antonomaſiam, nomen Antichriſti debeatur: Sed ille multos jam incepit habere præcurſores, eoſdemque participatione nominis ejus Antichriſtos; quia quod ille facturus eſt in univerſum, ut Chriſti nomen & gloriam extinguat; hoc iſti partibus faciunt; dum alius naturam ejus divinam negat, alius humanam, alius paſſionis ac mortis ejus, qua gloriam promeruit, veritatem: Alij alia de eo falſa comminiſcuntur. Hæc enim qui faciunt: *ſolvunt Chriſtum*; ut infrà loquitur capite quarto, & ea peculiari ratione ſunt Antichriſti: Cùm alioqui generaliter omnis hæreticus ſit Antichriſtus; quatenus ſcilicet doctrinæ à Chriſto traditæ partem aliquam oppugnat. Antichriſti hoc loco à Joanne notati, fuerunt Simon magus, Baſilides, Cerinthus, Ebion, Nicolaus Antiochenus, alijque id genus: Quibus adde Hymenæum & Philetum; dicentes reſurrectionem eſſe jam 2. Tim. 2.

Ibid. *Unde ſcimus quia noviſſima hora eſt.* Ac ſi dicat: Ita prædictum fuit, in noviſſimis diebus eſſe venturos

ſutos qui falſas & Evangelio Chriſti contrarias doctri- A nas, ſpargerent, id eſt, hæreticos: Qui cùm multi jam venerint; certò colligimus extremum tempus nunc agi.

Ibid. *Ex nobis prodierunt.* Græcè, ἐξῆλθον, *exierunt.* Significatur enim defectio, non origo. Occurrit Apoſtolus ſcandalo, quod naſci poterat ex eo quod homines tam mali & perverſi prodirent ex Eccleſia; tamquam illa peſtes ejuſmodi genuiſſet, ac ſinu ſuo foviſſet. Ad hoc reſpondet, oſtendens quomodo fuerint in Eccleſia, è qua dicuntur egreſſi; & quomodo in ea non fuerint. *Ex nobis*, inquit, *exierunt*, hoc eſt, ex Eccleſia fidelium ſeu Chriſtianorum per hæreſim egreſſi ſunt; nolentes Eccleſiam audire, & ab ea ſemetipſos ſeparantes: B Cùm prius in ea eſſent, utpote fidei profeſſione & Sacramentorum communione Chriſtiani; ſive ſimulati fuerint, externa ſpecie gerentes ſe pro veris Chriſtianis; ſive revera tales fuerint, animo tenentes quod exterius profitebantur. Nam & Simon magus à Philippo baptizatus fuit, Actorum 8. & Nicolaus in diaconum ab Apoſtolis electus; Actorum 6. & Hymenæus & Philetus in magna domo, quæ eſt Eccleſia, fuerunt, 2. Timoth. 2. & Cerinthum in numero fidelium aliquando fuiſſe, docet Epiphanius hæreſi 28. Verùm utrum autem omnes iſti verè & ex animo prius fideles fuerint, an verò vel omnes vel eorum aliqui ficta fide & duplici corde fuerint Eccleſiam ingreſſi: Novit ſcrutator cordium Deus. Probabile tamen eſt, quoſdam vera fide præditos fuiſſe. Sic enim de talibus loquitur Apoſtolus 1. Timoth. 4. quod *in noviſſimis temporibus diſcedent* C *quidam a fide.* Et ejuſdem epiſtolæ cap. 1. quod *bonam conſcientiam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Et 2. Timoth. 2. & quod *Hymenæus & Philetus à veritate exciderunt.* Calvinus, ut novitium dogma de fide ſpeciali, ſuſtineat; vult neminem illorum veram ac ſolidam fidem habuiſſe: Sed allata teſtimonia obſtant. Hi tamen omnes, ut de Eccleſia manifeſtè exirent, prius occultè hæretici in Eccleſia fuerunt. Hoc enim eſt quod dicit Joannes; *Ex nobis exierunt.* Unde ſatis liquet, hæreticos occultos ſecundùm quemdam modum eſſe in Eccleſia, donec inde vel ejiciantur, vel ipſi palam ſeſe ſeparent.

Ibid. *Sed non erant ex nobis.* Hoc duobus modis intelligi poteſt. Primùm, ut dicantur ex nobis non fuiſſe, quia quamvis inter nos ac nobiſcum verſarentur, D Chriſtiana nobiſcum Sacramenta participantes; non erant tamen de numero verorum Chriſti fidelium, ſed fidem ſimulabant. Quo ferè ſenſu tractat hunc locum Auguſtinus in commentario; quem & Beda ſequitur. Aliter, & melius; ut ſenſus ſit: *Non erant ex nobis*, id eſt, de numero electorum, ſive de Eccleſia, qua parte continet electos; qui ſoli ſunt Eccleſiæ membra ſemper manſura. Quem ſenſum idem Auguſtinus alibi tradit, ac pluribus explicat: Ut libro de correptione & gratia cap. 9. & de dono perſeverantiæ cap. 8. Si quæras, unde Joannes ſciverit eos de quibus loquitur, non fuiſſe electos: Reſpondetur id eum noviſſe, non certa de ſingulis ſcientia, ſed probabili. Erant enim hæreſiarchæ & errorum magiſtri primarij, & ut Joannes eos appellat, *Antichriſti*: Quorum aliquem ad Eccleſiæ E fidem & unitatem aliquando reverti, rariſſimum eſt. De multis autem indiſtinctè & in genere, Joannes id certò ſciebat ex ſpiritu, quo dictante hæc ſcribebat. Senſum poſteriorem probat hoc quod ſequitur.

Ibid. *Nam ſi fuiſſent ex nobis; permanſiſſent utique nobiſcum.* Hoc eſt: Si fuiſſent ex electorum numero; ab Eccleſia non receſſiſſent, ſed in ea permanſiſſent: Aut certè, quod in talibus rariſſimum eſt, ad eam rediiſſent, aut redirent aliquando, permanſuri in ea. Ratio manifeſta: Nam qui in Eccleſia non permanent, ſed ab ea recedunt numquam redituri; per hoc ipſum oſtendunt, ad electorum numerum ſe non pertinere.

A Objiciet aliquis, incongruum videri quòd particulam, *ex nobis*, non uno modo interpretemur; ſed prius de Eccleſia, poſtea de electis. Reſpondeo, congruenter, atque ex mente Joannis ſic exponi. Latet enim in ejus verbis correctio quædam rethorica: Quaſi dicat; fuerunt aliquando noſtri, ſed receſſerunt à nobis: Imò verò, numquam fuerunt noſtri. Nam ſi noſtri fuiſſent, nobiſcum permanſiſſent. Ubi quod dico *noſtri*, non ſine gratia ſermonis aliter & aliter accipitur; prius pro ijs qui ſunt in Eccleſia, deinde pro electis. Porrò jam ex his patet Joannem hoc loco non ſignificare, quod in Eccleſia nulli ſint reprobi; ſed magis docere contrarium.

Ibid. *Sed ut manifeſti ſint, quoniam non ſunt ex nobis.* B Græcè, *ſed ut manifeſti fierent* &c. Senſus autem eſt, Deum idcirco permittere hoc quod de Antichriſtis dixit, *Ex nobis exierunt*, ut manifeſti fiant, & à fidelibus vitari poſſint: Simul ut exitu ſuo nobis manifeſtum faciant non omnes qui in Eccleſia ſunt, eſſe electos. Id verò propterea nobis manifeſtetur, ne, qui ſtare nobis videmur, altum ſapiamus; ſed ut timeamus, & cum timore ſalutem noſtram operemur. Itaque geminum bonum ſuorum electorum ex illo malo, ſcilicet egreſſu quorumdam ex Eccleſia, Deus elicit: Nempe ut & faciliùs illos vitent; & ut ipſi reddantur humiliores atque cautiores.

℣. 20. *Noſtis omnia.* Quæri poteſt an hoc pertineat ad omnes & ſingulos fideles. Reſponſio, quamvis unuſquiſque fidelis, quatenus verè fidelis eſt, fide teneat C omnia ad ſalutem neceſſaria, ſaltem implicitè (nam alioqui fidelis non eſſet:) Non tamen ad ſenſum Apoſtoli, in unumquemque competere quod omnia norit, & quod infra dicit, *Non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos.* Nam ejuſmodi verbis non ſimplex fides eorum quæ credenda ſunt, ſignificatur; ſed ſcientia quædam quâ & intelligantur aliquouſque ea quæ fidei ſunt, & idoneis rationibus explicentur. De qua ſcientia Paulus 1. Corinth. 12. & 13. Dicendum proinde, hæc & ſimilia ab Apoſtolo dici non ad ſingulos fideles, ſed ad Eccleſias eorum ad quos ſcribit, ac ſi diceret: Habetis Epiſcopos & Preſbyteros, quorum cura ac ſtudio veſtræ Eccleſiæ ſatis inſtructæ ſunt, & inſtruuntur in ijs quæ pertinent ad doctrinæ Chriſtianæ veritatem.

CAPUT III.

℣. 2. S*Cimus, quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Cum apparuerit Chriſtus; tunc etiam apparebit quod nos erimus, nempe quòd ei ſimiles atquè conformes erimus.* Sed quomodo ſimiles? Haud dubium quin & corpore & anima. Nam & ſecundùm animam beati erimus; & ſecundùm corpus, glorioſi: Juxta ſimilitudinem Chriſti Capitis noſtri. Quia mentis oculis divinam ejus eſſentiam, non in aliqua creata ſimilitudine, ſed clarè & immediatè ut in ſeipſa eſt, contemplabimur. Hoc enim eſt *Deum videre ſicuti eſt*; &, ut Paulus loquitur, *facie ad faciem.* 1. Corinth. 13. Conſtat au- E tem apud Theologos, ex Auguſtini ſententia ſcribentis ad Dioſcorum epiſtola 56. ex animæ gloria, quæ conſiſtit in viſione Dei beatifica, redundare gloriam, id eſt, immortalitatem reliquaſque dotes glorioſas in corpus ſubjectum: Ut proinde, videre Deum (aut Chriſtum) ſicuti eſt in divina natura, rectè adferatur ut cauſa cur in gloria corporis ſimiles ei futuri ſimus. Veruntamen, quia nemo perfectè videt Chriſtum ſicuti eſt, niſi qui videt utrumque quod eſt, id eſt, utramque ejus naturam, (Chriſtus enim ut Chriſtus, & Deus & homo eſt:) idcirco fortaſſe verior, ſaltem plenior, hujus partis erit intelligentia, de viſione Chriſti ſecundùm utramque naturam; quæ perfecta eſt ejus viſio. Juxta

quem

quem ſenſum manet conſequens ex hoc loco, quod ex eo communiter ſtatuunt doctores, tam veteres quàm recentiores, Deum à beatis videri per eſſentiam.

Porrò non ſequitur ex hoc loco Sanctorum animas oon viſuras Deum ſicuti eſt, ante Chriſti adventum & apparitionem, Id eſt, ante diem extremi judicij; quemadmodum male colligunt ex ejusmodi ſcripturis ſectarij. Loquitur enim utrobique Joannes non de animabus ſeparatis, quas alibi teſtatur interim regnare *cum Chriſto mille annis*. Apocal. 20. ſed de nobis, id eſt hominibus in adventu Chriſti reſuſcitandis ad vitam. Neque enim Deum videre poterimus, priusquam vivamus.

℣. 6. *Omnis qui in eo manet non peccat.* Obſervandum monet Heſſelius apud Joannem Apoſtolum, *peccare ſive facere peccatum*, idem eſſe quod apud Paulum, *ambulare ſecundum carnem*, *eſſe ſub peccato*, *ſervum eſſe peccati.* Id autem eſt peccare mortaliter, actu vel affectu. Sic ergo, Joannes *omnem eum qui manet in Chriſto* dicit *non peccare*; ſcilicet dum manet in Chriſto: quomodo Paulus dicit nos mortuos eſſe peccato & liberatos à peccato. Roman. 6. Item nullam eſſe participationem juſtitiæ cum iniquitate. 2. Corinth. 6. Nam & Petrus ita loquitur, 2. epiſt. 1. *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Porrò *manere in Chriſto*, eſt ei inhærere tanquam membrum ſuo capiti, ſic ut vitales ab eo influxus accipiat.

℣. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo non peccat.* Adducit hanc ſententiam Apoſtolus ad diſcrimen ſtatuendum inter filios Dei & filios diaboli; quemadmodum & illam ſuperiorem huic ſimilem, *Omnis qui in eo manet, non peccat.* Ideoque ſimiliter eſt exponenda; nimirum hoc ſenſu. *Nemo natus ex Deo*, id eſt, per regenerationem & gratiam adoptionis factus Dei filius, dum talis eſt; *facit* ſeu committit *peccatum* grande, quod mortale vocamus. Nam de hujusmodi peccato Joannem agere jam ſuprà dictum ac declaratum eſt.

Ibid. *Et non poteſt peccare*, quamdio manet filius: ſenſu videlicet compoſito, ut ajunt Logici; quem declarat addita ratio, *quoniam ex Deo natus eſt.* Nam & eadem ratio præceſſit; *quoniam ſemen ipſius in eo manet.* Breviter ergo, tale eſt quod Apoſtolus dicit: Stare ſimul hæc duo non poſſunt, peccare & eſſe filium Dei. Similes ſunt locutiones? Illa Pauli, *Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Roman, 8. Illa Chriſti; *Non poteſtis Deo ſervire & mammonæ.* Matthæi ſexto.

℣. 15. *Qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Qui odit odio completo; quia completum odium fratris, etiamſi lateat in animo, nec in opus erumpat; homicidium animo & voluntate conſtituit, & homicidij reatum inducit. Quod enim perfectè quis odit, optat non eſſe. Etenim antiqua ſententia eſt, ait Hieronymus epiſtola 62. *quem odit quis, periiſſe cupit.* Et ita præſentem locum intellexiſſe videtur B. Thomas 2. ſec. quæſt. 34. artic. 4. diſputans utrùm odium proximi ſit graviſſimum peccatorum quæ in proximum committuntur. Cùm ergo qui fratrem odit hac odij perfectione, cupiat eum ſublatum è medio: Profectò occidit eum in corde ſuo, ut ſimile ſit hoc dictum Apoſtoli cum eo quod dicit Dominus Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Nam & illud quod in eodem ſermone dicit Dominus, *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio:* Non improbabiliter à quibusdam exponitur de judicio condemnationis; cui obnoxius eſt qui iram completam & in odium quale hîc intelligitur, converſam, gerit in animo. Nam ut illa dicta ſunt à Domino contra Scribas & Phariſæos, qui reum homicidij lege veriti neminem cenſebant niſi qui homicidium ipſo opere perpetraſſet: Ita & hoc à Joanne dictum adverſus illius temporis hæreticos quosdam, ejusdem Phariſaicæ doctrinæ ſectatores. Qua de re conſule Auguſtinum lib. 19. contra Fauſtum cap. 23. Breviter itaque reddi poteſt hic ſenſus: Quicumque fratrem ſuum odit, optans aut volens ei mortem; homicida eſt. Hac enim ratione etiam diabolus homicida fuit, antequam ſuaſione ſua propelleret hominem in mortem; & Cain homicida, quando *iratus* fuit, ut habetur Geneſ. 4. nondum mittens manum in fratrem.

℣. 16. *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Sic *& nos*, inquit, exemplo Chriſti Domini ac magiſtri noſtri, qui dixit, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Joan. 13. *Debemus pro ſalute fratrum animas ponere*; id eſt, voluntariè mortem ſubire. Nam & ordo charitatis id poſtulat, ut plus animam proximi quàm corpus noſtrum diligamus, & honorem Dei (qui in animarum ſalute etiam conſiſtit) alijs omnibus bonis anteponamus. Poſtulat autem interdum honor & gloria Dei, ut pro temporali vita proximorum conſervanda, noſtram ipſorum vitam exponamus periculo; quoties ſcilicet ea res ulterius ordinatur ad eorumdem vel aliorum ſalutem æternam. Ita legimus Alexandriæ presbyteros, diaconos & alios fideles quàm plurimos, cùm peſtis ſeviſſima graſſaretur, morbo laborantibus ſponte miniſtraſſe; mortemque libenter oppetiviſſe. *Quos, velut martyres, religioſa piorum fides venerari conſuevit*: Ut habet Romanum Martyrologium pridie Kal. Martij. Hiſtoriam refert Euſebius libro 7. capite 16. & 17. ex Dionyſio Alexandrino. Nec diſſimile eſt quod narrat Gregorius libro 3. dialogi cap. 37. quemdam presbyterum, Sanctulum nomine, ſeſe obtruncandum obtuliſſe pro diacono qui à Longobardis erat occidendus, quod ejus factum magnifice laudat; affirmans eum præſtitiſſe, quod hoc loco præcipit Apoſtolus; id eſt, animam pro fratre poſuiſſe.

Porrò tenentur ex officio ad ponendum animas pro fratribus, ubi res poſtulat; omnes animarum paſtores. Quibus omnibus in Petro primo paſtore dictum eſt, *Sequere me.* Joan. 21. id eſt, animam tuam pone pro ovibus meis, ſicut & ego pro eis animam meam poſui. Cæteri verò fideles, licet non ex officio ad hoc teneantur, debent tamen eam habere charitatem, qua parati ſint ad mortem pro fratribus obeundam, ubi ſalus illorum & honor Dei ita requireret. Et quia generalis eſt Apoſtoli ſententia, dictans quid omnes debeamus: idcirco ſic intelligenda eſt, quomodo & alia præcepta affirmativa; nempe debere nos in animi præparatione, ſi res exigat, pro fratribus animas ponere. Non igitur ab omnibus Chriſtianis tanta perfectio charitatis exigitur, quanta à paſtoribus; qui ex officio ad eximium illum charitatis actum tenentur loco & tempore exercendum: habere tamen omnes eam perfectionem debent in deſiderio & ſtudio aſſequendi. Quocirca non hinc ſequitur omnes debere eſſe perfectos: Sequitur tamen omnes ad perfectionem tendere & conari debere. Nec verum eſt quod ſcribit Thomas Angelicus, ad hoc præceptum ſolos perfectos teneri. Quid enim ſi paſtor imperfectus ſit, ut multi ſunt; an non tenebitur? Melius diceret, ad hanc perfectionem omnes, etiam imperfectos, teneri in caſu: Sicut dictum eſt. Vide quæ ſcribunt his conſentanea B. Auguſtinus & Joannes Heſſelius, ad hunc locum.

CAPUT V.

℣. 3. MAndata ejus gravia non ſunt. Dicet aliquis: Quomodo mandata Dei facilia ſunt, & non gravia: cùm Deus jubeat omnia dura perferre pro ipſius amore; velut inopiam, famem, perſecutiones, opprobria, membrorum cruciatus ac tormenta; mortem denique ipſam, quæ eſt omnium maximè terribilis? Quod nec Joannes tacuit in hac epiſtola, Suprà cap. 3. *Et nos*, inquit, *debemus pro fratribus animas ponere.* Deinde, quid difficilius quàm omnibus quæ in hoc ſæculo diliguntur, renunciare, etiam ſibi ipſi ac propriæ voluntati; ſuamque animam odiſſe? Hæc tamen omnibus nobis in præ-

cepto ſunt; Domino proteſtante Lucæ 9. *Si quis vult poſt me venire; abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* Et cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum & matrem & uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam: Non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Proinde nec amicus. Et infra; *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quapropter & viam ſalutis anguſtam portam vocat, & arctam viam. Matth. 7. & Luc. 13. addens, *paucos eſſe qui eam viam inveniant*, & eam portam intrare poſſint, licet multi ſint qui quærant intrare. Quæ omnia permagnam ſignificant difficultatem obſervationis mandatorum Dei. Quò & illud pertinet Apoſtoli Pauli Rom. 7. *Lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Unde exclamat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Reſpondeo nihil iſtorum adverſari ſententiæ Joannis Apoſtoli, imò Chriſti Salvatoris, affirmantium facilia eſſe Dei mandata. Siquidem aliter atque aliter affectis & facilia ſunt & gravia. Nam ſi mandata Dei quæ principalia ſunt, & à quibus cætera dependent, conſiderentur in ſeipſis: quum ſint mandata charitatis qua Deus diligatur propter ſeipſum, & proximus propter Deum, hac utique ratione, ſervatu facillima ſunt. Nihil enim per ſe facilius eſt quàm diligere id quod eſt ſummè diligibile; id eſt, ſummum bonum, Deum ipſum; & ex ea dilectione diligere etiam cætera quæ ille præcipit diligi, & facere quæcumque præcipit ut faciamus. Eadem ratio eſt, ſi comparatio fiat mandatorum Dei ad nos quales conditi ſumus in primo parente, id eſt, integri & recti, & ſecundùm omnes animæ corporiſque vires Deo perfectè ſubjecti; denique ſimiles Angelis; qui ſic conditi fuerunt ut perfecta dilectione Deo adhærerent. His enim facilia ab initio fuiſſe Dei mandata, nemo ſanæ mentis dubitet. Quod ſi verò comparentur ad naturam hominis peccato vitiatam: Sic affectæ procul dubio gravia ſunt ac difficilia. Semper enim in hac naturæ corruptione, *caro concupiſcit adverſus ſpiritum; ut non quæcumque volumus illa faciamus.* Gal. 5. Veruntamen adhuc ſubdiſtinguendum eſt. Aliter enim loquendum de homine nondum renato per Chriſti gratiam, aliter de renato. Nam ſi reſpectus fiat ad eum qui nondum in Chriſto renatus ſit, ſed adhuc à gratia Dei alienus; huic mandata Dei fatemur gravia eſſe; &, quodam ſenſu, impoſſibilia. Quod non obſcurè ſignificat Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 1. agens de poſſibilitate obſervationis mandatorum Dei. Si verò reſpectus ſit ad hominem jam in Chriſto renatum, & per ejus gratiam renovatum ac juſtificatum: Patitur quidem ille adhuc difficultatem in via mandatorum Dei, propter rebellionem carnis adverſus ſpiritum, ut hac ratione cum Paulo dicere debeat; *Ego carnalis ſum, venumdatus ſub peccato.* Sed quia voluntatem habet abſolute conformem voluntati divinæ, ut cum eodem Apoſtolo ibidem dicere poſſit: *Conſentio legi Dei, quoniam bona eſt*; Et iterum, *Condelector legi Dei ſecundum interiorem hominem*: Rom. 7. conſequens eſt, illi tali levia, facilia & delectabilia eſſe Dei mandata: Quamvis interdum opus quod præcipitur habeat difficultatem ex ſuo genere. Quale eſt opus martyrii, quod eſt *pro fratribus animam ponere.* Verſatur enim circa terrorem mortis, qui non ſuperatur ſine labore & moleſtia. Id quod etiam in ipſo Chriſto locum habuit: Cui tamen aliquod mandatum Patris grave aut difficile fuiſſe, nefas eſt dicere.

Sunt autem omnibus juſtis & charitate Dei præditis, facilia Dei mandata, non tamen æqualiter, ſed eo magis aut minus, quo plus minúſve profecerint in charitate & juſtitia. Senſu jam explicato facilia eſſe Dei mandata, nempe juſtis hominibus, idque ratione charitatis qua Deum diligunt; docet Synodus Tridentina loco memorato. Cùm enim dixiſſet, *Cujus mandata gravia non ſunt; cujus jugum ſuave eſt & onus leve*: Pro ratione ſubjunxit: *Qui enim ſunt filii Dei, Chriſtum diligunt; qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus.* Ubique ex dilectione, quæ præſtat facilitatem. Et quidem optimè convenit hic commentarius loco præſenti, ubi de filiis Dei ſermo eſt: de quibus & continuo ſubjungitur vice probationis; *Omne quod natum eſt ex Deo, vincere mundum.* De hoc eodem argumento legatur Auguſtinus lib. de natura & gratia cap. 43. 68. & 69. & lib. de perfectione juſtitiæ circa medium. Item Leo Papa ſermone 5. de Quadrageſima. Porro ſi mandata Dei homini juſtificato gravia non ſunt: multo minus ei ſunt impoſſibilia, quod hodie docent ſectarii, quorum hanc ſententiam anathemate condemnant Patres Trid. tam in decreto ſupradicto, quàm can. 18. ejuſdem ſeſſ.

N O T A.

QUoniam Eſtius Commentarium ſuum non perduxit ultra verſum 6. hujus quinti Capitis epiſtolæ primæ B. Joannis, quæ ſequuntur Annotationes deſumpta ſunt & ex Commentario Bartholomæi Petri, qui Eſtii Commentarium ſupplevit, in hoc ipſum caput quintum & duas Joannis poſteriores epiſtolas.

℣. 16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem; petat, & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Peccatum ad mortem* intelligitur quodvis peccatum mortale cujus non agitur pœnitentia, quamdiu & quatenus tale eſt. Ita non quodvis mortale intelligitur: Nec tamen illud ſolùm cui eſt conjuncta finalis impœnitentia; ſed omne illud cui conjuncta eſt impœnitentia etiam temporalis, ſeu in cujus affectu quiſpiam hæret. Ad hunc modum Gelaſius pontifex in Tomo de anathemate (extat Tomo ſecundo Conciliorum) ſeſe declaravit intelligere; dum inquit: *Eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: Eſt peccatum non ad mortem, ab eodem peccato recedentibus.* Eòdem tendit expoſitio horum verborum quæ eſt apud S. Hieronymum in 14. Jeremiæ, ad illud; dixit Dominus ad me, *Noli orare pro populo iſto in bonum.* Et quæ apud Oecumenium in hujus loci commentario. Ejus verba ſunt iſta; Hoc ſolùm eſt peccatum ad mortem quod ad pœnitentiam non reſpicit. Sed & illi peccant ad mortem qui injuriarum ſunt memores. Nam & hi, ſervantes iram contra proximum, ſine pœnitentia peccant. Quare, ex adverſo *peccatum non ad mortem*, dicitur Apoſtolo, quod eſt mortale quidem, ſed agitur ejus pœnitentia. Ita deſcribimus: quoniam de ſolis mortalibus hìc loqui videtur Apoſtolus dum peccatorum alia vocat *ad mortem*, alia *non ad mortem*; ita (inquam) videtur, propter illud, *dabitur ei vita.*

Videbitur hoc mirum alicui, quod peccatum quoddam mortale dicatur non eſſe ad mortem. Unde enim eſt mortale? Sed meminiſſe debet quod Salvator Joann. 11. dicebat, *Infirmitas hæc non eſt ad mortem*: cùm tamen Lazarus ex ea infirmitate mortuus fuerit. Sic in propoſito, peccatum mortale cujus vera pœnitentia agitur, non eſt ad mortem, quoniam nec ipſa mors qua ipſum mortale eſt, eſt ad mortem, ſed ad gloriam Dei: Sicut de corporali morte Lazari dixit B. Auguſtinus in illius loci commentario. Tract. 49. in Joan.

Ibid. *Eſt peccatum ad mortem: Non pro illo dico ut roget quis.* Magnam prima fronte difficultatem parit hæc Apoſtoli ſententia: Quoniam Dominus nos orare jubet etiam pro perſequentibus & calumniantibus nos Matth. 5. Et ipſius Domini exemplum videtur aliud requirere, qui in cruce pendens oravit pro interfectoribus ſuis. Lucæ 23. Simile fecit protomartyr Stephanus Act. 7. Reſponſio. Apoſtolus Joannes hoc loco non prohibet fideles pro fratribus orare quos ſciant teneri peccato ad mortem: Sed ad id non audet hortari quemlibet Chriſtianum, ut ſcilicet pro tali oret cum ea

impe-

impetrandi fiducia, de qua loquutus eſt ver. 14. & A
hujus parte priore; hoc eſt, qua pro fratre peccante non ad mortem, ſive, ſui peccati pœnitentiam agente. Reſponſio iſta habetur ex S. Ambroſio lib. priore de pœnit. cap. 9. & ex B. Hier. lib. 2. contra Jovin. ultra medium.

℣. 21. ***Filioli, cuſtodite vos à ſimulacris.*** Hujus clauſulæ interpretatio maximè germana, quam Didymus priore loco ponit, & ſolam ex eo repetit Oecum. eſt, ut ſenſus ſit, Cavete vobis ab omni idololatria, omnique idololatriæ parte ac ſpecie. Sed continuò quæſtio oritur, cur hoc ſive moneat ſive præcipiat B. Joannes fidelibus, jam ab idololatria ad unius veri Dei & Chriſti Domini fidem converſis, præſertim quum in varijs hujus epiſtolæ partibus eos laudaverit tamquam ſanctos, tamquam victores diaboli, tamquam B
filios Dei. Reſpondet Didymus atque ex eo Oecumenius, & rectè, quod hæc epiſtola ſcribitur univerſæ Eccleſiæ Parthorum Chriſtianorum; in qua (ut in quavis alia) erant omnis generis fideles, & inter alios quidam non ſatis firmi & integri in fide Chriſtiana; ſed lubrici, aut retinentes adhuc quaſdam veteres idololatriæ reliquias. Idcirco hac finali monitione eorum ſaluti conſulere voluiſſe Apoſtolum. Confirmat hanc reſponſionem Didymus ex Paulo Apoſtolo, qui cùm 1. Corinth. 1. laudaſſet eos tamquam ***divites in Chriſto***, & ***quibus nihil deeſſet in ulla gratia***: idem tamen in eadem epiſtola eoſdem Corinthios de varijs peccatis repræhendit, vel præmonet; ac nominatim de idololatria; volens nimirum ut nullo modo contaminarentur cultu idolorum, neque directè neque indirectè, C
neque ſpecietenus; veluti comedendo idolothyta, aut recumbendo in idolio. Unde ejuſdem prioris ad Corinthios cap. 5. ita ſcribit; ***Si is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus, aut idolis ſerviens: Cum ejuſmodi nec cibum ſumere.*** Ecce, nominat fratrem, qui tamen ſerviat idolis; ſcilicet externa profeſſione aut profeſſionis ſpecie, contaminando nimirum ſeſe manducatione eorum quæ idolis erant immolata: Sicut idem Apoſtolus ſeipſum exponit cap. 8. toto, & parte cap. 10. Quo poſteriore loco, concludens doctrinam & exhortationem ſuam de idolothytis, ita loquitur; ***Propter quod, chariſſimi mihi, fugite ab idolorum cultura.*** Quæ eſt eadem ſententia cum hac Apoſtoli Joannis. Hac nimirum de cauſa, in generali Apoſtolorum concilio erat prohibitum ne fideles veſcerentur idolo- D
thytis, Actor. 15. Quæ utique prohibitiones non ſolius ſcandali vitandi cauſa factæ ſunt his Scripturæ locis, ſed etiam periculi. Nec enim mediocre erat periculum Chriſtianis in medio idololatrarum degentibus, præſertim rudioribus vel infirmioribus, ne vel metu, vel pudore, vel placendi ſtudio facerent ſaltem externum aliquid ad idolorum cultum pertinens. Quomodo nunc (ah dolor) nonnulli Catholici habitantes inter hæreticos rerum per diverſas provincias potientes, interdum quædam faciunt aut dicunt fidei Catholicæ aut inſtitutis Eccleſiæ diſſentanea.

Et ex his liquet quanta vel imperitia vel improbitate Sectarij hunc locum B. Joannis detorqueant adverſus imagines Chriſti Domini & Sanctorum; aſſerentes non poſſe intelligi de idolis ethnicorum, eo quòd (ut ajunt) E
fidelibus ad quos ſcribit Apoſtolus, nullum erat periculum cultus idololatrici. Dicant igitur de quibus idolis loquuti ſint Apoſtoli in ſuo decreto Jeroſolymis facto, Actorum 15. & de quibus ſit loquutus Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Corinthios, locis citatis. Dicant etiam qua in ſchola didicerint imagines CHRISTI aut Sanctorum, appellare idola. Nos autem cum Synodo Nicena ſecunda, Actione quinta & ſeptima (utrobique ſub finem) anathema dicimus omnibus qui eas idola appellant.

ANNOTATIONES

IN EPISTOLAM

SECUNDAM

B. IOANNIS APOSTOLI.

℣. 10. ***SI quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert &c.*** Senſus eſt: Qui hanc quam Apoſtoli vobis annunciarunt Chriſti doctrinam averſatur, impugnat. Nec enim eſt mens Apoſtoli ut omnem eum ſine exceptione vitent, domoque excludant qui veram de Chriſto doctrinam non tenet; veluti Ethnicum quempiam qui Evangelium Chriſti nondum audivit: Sed loquitur de hæreticis quos deſignaverat ſub nomine ***ſeductorum*** & ***Antichriſtorum***, v. 7. ***Si quis*** igitur talis ***venit ad vos***; ſive tamquam peregrinus, ſive tamquam amicus, ſive tamquam vos docturus, ſive quocumque alio colore. Nam varios prætextus hæretici aſſumunt, quibus adeant domos eorum quos cupiunt ſeducere: Habentes in more circumcurſare, & penetrare domos, ad perdendas animas. 2. Tim. 3. & 2. Petri 2. itemque in epiſtola B. Judæ eorum tales mores & ſtudia deſcribuntur; ſicut & in epiſtola ad Titum cap. 1.

Ibid. ***Nolite recipere eum in domum.*** Quantumvis domus veſtra ſoleat patere pauperibus peregrinis, vel Chriſti ſervis. Nam quod idem hic Apoſtolus commendat in Caio, epiſtola tertia, id etiam iſtos facere ſolitos non eſt ambigendum. Quid autem, ſi quiſpiam talis irrepſiſſet in domum alicujus eorum, antequam fuiſſet notus? Manifeſtum eſt quid eo caſu Apoſtolus fieri voluiſſet; ſtatim ſcilicet hominem dimittere poſtquam fuiſſet detectus. Eſt enim eadem ratio. Nec hoc ſatis eſt, ſi excludatur vel ejiciatur domo: Sed, ***Nec Ave ei dixeritis. Dicere*** alicui ***Ave***, eſt eum ſalutare; ſeu, ei precari ſalutem. Pro illo enim quod nos habemus, ***Ave*** Græcè eſt ***χαίρειν, gaudere.*** Eſt autem idem, optare alicui gaudium; quod optare ei ſalutem, dicere illi Ave, Vale, Salve. His enim modis Latini ſalutem alicui precantur, ſive in principio ſive in fine congreſſus. Ergo his verbis Apoſtolus Domini idem jubet de hæretico, quod ipſe Dominus de fratre in Eccleſiam rebelli, Matth. 18. Si frater tuus abs te ad Eccleſiam delatus, eam non audierit: ***Sit tibi ſicut ethnicus & publicanus.*** Id eſt, habeas illum eo loco quo Judæi habent ethnicos & publicanos; vitando ſcilicet illum, nec communem inter homines ſalutationem illi offerendo aut reddendo: Sicut Judæi ethnicos & publicanos adeo vitabant ut ne ſalutarent quidem. Jubet itaque hic fidelibus Apoſtolus, ut hæreticum ne ſalutent quidem: Et pro ratione addit.

℣. 11. ***Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.*** Nam (ait) qui illum ſalvere jubet, qui ei ſalutem dicit, fit particeps peccatorum ejus. Loquitur Apoſtolus de omnibus quidem ejus peccatis: Sed potiſſimum & directè de illis operibus ejus malis quibus conatur deſtruere doctrinam Chriſti. Nam hanc in eo qualitatem ſpectat, dum ait, ***& hanc doctrinam non adfert.***

Et ſanè, quæ hoc loco Apoſtolus verbis præcepit, etiam factis monſtravit. Cum enim quodam tempore, Epheſi, balneas lavandi cauſa ingrederetur, videretque ibi lavantem Cerinthum hæreſiarcham: continuò exiluit, & illotus diſceſſit; exclamans, ***Fugiamus hinc: Ne & balnea ipſa corruentes, nos opprimant, in quibus lavatur Cerinthus hoſtis veritatis.*** Retulit hoc tamquam à Polycarpo diſcipulo B. Joannis acceptum, Irenæus lib. 3. cap. 3. & ex eo Euſeb. hiſt. 3. cap. 22. atque

que

que Theodoretus lib. 2. De hæreticorum fabulis Tamerſi S. Epiphanius, fortaſſis levi memoriæ lapſu, pro Cerintho Ebionem nominet. hæreſ. 30. Fieri poteſt ut ſimul eſſent in balneis Cerinthus & Ebion, ſocij errorum: ut conjectat Baronius, Tomo 1. Anno Chriſti 74. §. 9. De ipſo Polycarpo idem Irenæus ibidem hæc recitat: Ipſe Polycarpus Marcioni, aliquando ſibi occurrenti, & dicenti Cognoſcis nos? reſpondit, *Cognoſco te primogenitum Satanæ.* Tum addit Irenæus; *Tantum Apoſtoli & eorum diſcipuli habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum qui adulteraverant veritatem.*

℣. 12. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & Atramentum.* Similia his vel potius eadem ſunt in fine epiſtolæ tertiæ. Non eſt autem exiſtimandum illa *multa* quæ Apoſtolus in utraque epiſtola ſe habere ſcribenda dixit, fuiſſe parvi momenti, aut pertinuiſſe ad res hujus ſæculi, verum pertinuiſſe ad animarum ſalutem. Talia enim demum erant digna Apoſtolo Chriſti: Et de talibus eum hic loqui, ſignificat ille hujus verſus finalis clauſula, *ut gaudium veſtrum ſit plenum;* gaudium utique ſpirituale, quod boni fideles ſolent capere quando de fidei dogmatibus accuratius, pro ſuo captu inſtituuntur, & ad bene vivendum cum Dei gratia, acrius incitantur, ſinguli appoſitè ad ſuam indolem.

Quare, ex hoc loco, præter alios complures ac præter ipſam rei evidentiam, manifeſtum eſt Apoſtolos non omnia voluiſſe ſcripto committere, quæ ad ſalutem pertinentia vellent nota eſſe fidelibus: Sed multa ſermone ſolo tradidiſſe. Certè & nos quæ majoris ſunt momenti aut quæ ſecretiora, non ſolemus chartis committere; ſed coràm dicenda reſervare. Illud nemo negare poteſt, Apoſtolos, occaſionibus exigentibus, quædam abſentibus ſcripſiſſe, quæ ſcripturi non erant, ſi vel fuiſſent præſentes vel mox futuros ſeſe ſperaſſent; uti hic de ſe ſperat B. Joannes. Quocirca ſi apud Corinthios (exempli cauſa) quæſtiones tales non fuiſſent exortæ; aut ſi Paulus Apoſtolus ijs tunc fuiſſet præſens, aut paulò poſt ſe ijs adfuturum exiſtimaſſet: Nos priorem illam ad Corinthios epiſtolam tam varia doctrina refertam non haberemus. Et ita de alijs ſimilibus cenſendum.

ANNOTATIONES IN EPISTOLAM TERTIAM B. JOANNIS APOSTOLI.

℣. 8. NOs ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, *ut cooperatores ſimus veritatis.* Quæritur quomodo Joannes Apoſtolus ſeſe numeret inter eos qui debeant pauperum Chriſtianorum neceſſitatibus ſubvenire, quum Apoſtoli jam multo antè dixiſſent Domino, *Ecce, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Apoſtolos ex bonis quæ à fidelibus erant oblata in communem fraternitatis uſum; ſicut alia miſericordiæ opera, ita & viatici præſtationem, & hoſpitalitatem exercere potuiſſe, debuiſſe atque conſuevisſe. Nam profectò Apoſtoli Epiſcoporum primi ſuis conſtitutionibus exigebant ab Epiſcopis ut eſſent hoſpitales 1. Tim. 3. Tit. 1. Addit rectè Liranus, quod etiam illi qui nullam bonorum communium curam habent, verè dicuntur talia in pauperes facere, quando ſuo hortatu permovent divites ad faciendum.

Coronidis vice hoc loco aliquid addendum videtur de ordine ſacrorum ſcriptorum quæ extant B. Joannis Apoſtoli. Ac ſatis conſtare videtur Apocalypſim & Evangelium ultimo loco fuiſſe ſcripta: Sed utrum horum priore loco, non omnes eodem modo dicunt. Anno decimo Imp. Domitiani fuit Sanctus hic Apoſtolus relegatus in Patmon inſulam: anno 14. ſcripſit illic Apocalypſim, qui fuit annus Domini 97. interfecto Domitiano redijt Epheſum anno 1. Nervæ Imp. Chriſti verò, 98. Videtur autem Evangelium ſcripſiſſe non tunc demum quando ab illo exilio Epheſum fuerat reverſus; ſed multo antè quam exularet; rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, maximè propter Ebionitarum dogmatum conſurgens; inquit Hier. Catal. in Joanne, & ante eum Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 18. Atqui Ebion multò ante exilium B. Joannis, ſuam impietatem ſparſerat, imò & Romam profectus fuerat hæreſeon ſuarum diſſeminandarum gratia; ut ex Epiphanio hæreſi 30. recitat Baronius anno Chriſti 74. §. 7. Et hanc ſententiam, Evangelium fuiſſe ſcriptum ante Apocalypſim, tamquam probabiliorem defendit Turrianus Defenſ. canonum Apoſtol. & epiſtolarum Pontificalium veterum, lib. 1. cap. 11. necnon ad Clementem Romanum lib. 2. cap. 57. explan. 3. Quoniam verò prima & ſecunda B. Joannis epiſtolæ directè & potiſſimum videntur ſcriptæ adverſus Baſilidem hæreſiarcham, ut oſtendimus ad v. 8. cap. 5. primæ epiſtolæ, & in argumento ſecundæ; ex Epiphanio autem conſtat Baſilidem anteriorem fuiſſe Ebione; hæreſ. 24. & 30. ponit enim Baſilidem quartum poſt adventum Chriſti hæreſiarcham, Ebionem decimum: Idcirco videntur duæ illæ epiſtolæ fuiſſe ſcriptæ diu ante Evangelium. Id quod ex eo quoque probabile fit, quod Baſilides fuerit Simonis magi ac Menandri diſcipulus; Epiphan. hæreſi 23. quem proinde veriſimile eſt, non diu poſt mortem Simonis ſeſe pro magiſtro geſſiſſe. Interijt autem Simon anno Chriſti 68. ut eſt Tomo 1. Annalium Baronij. De tertia Apoſtoli hujus epiſtola, quando ſcripta ſit non valde liquet: videtur tamen ex ſimilitudine quam habet cum ſecunda, etiam ipſa fuiſſe ante Evangelium ſcripta; ſed poſt obitum Apoſtolorum Petri & Pauli, quando cura Aſiaticæ Eccleſiæ ſoli ex Apoſtolis Joanni incumbebat.

ANNOTATIONES IN APOCALYPSIM B. JOANNIS APOSTOLI.

CAPUT I.

℣. 1. APocalypſis JESU Chriſti. *Apocalypſis* eſt nomen Sacris Scripturis proprium atque à Septuag. Interpretibus excogitatum; quemadmodum docet Hieron. ſuper illud Galat. 1. *Sed per revelationem JESU Chriſti.* Ex quo etiam Apoſtoli loco intelligitur, cum dicitur: *Apocalypſis JESU Chriſti*, ſenſum eſſe ut ſignificetur revelatio facta à JESU Chriſto, non quæ ſit facta JESU Chriſto. Unde & ſequitur: *quã dedit illi Deus palã facere ſervis ſuis.* Non enim Chriſto revelatio facta eſt à Patre, quaſi priùs neſcienti; ſed data eſt ei à Patre (omnia enim filius à Patre accepit) ut revelaret ſervis ſuis. Unde nec Chriſtus agit Patri gratias, quod ſibi revelaverit ſecreta myſteria; *Sed confiteor*, inquit, *tibi Pater, quia revelaſti ea parvulis.* Matth. 11.

℣. 4. *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* S. Auguſt. lib. de fide & ſymbolo cap. 7. confert hanc Scripturam, cum eo quod dicitur ad Moyſen Exodi 3. *Ego ſum qui ſum;* &, *Antequam Abraham fieret*

ret ego ſum. Vide Annot. Exod. 3.

Et à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni ejus ſunt. Quæritur utrum intelligantur ſpiritus creati, videlicet Angeli cæteris ſublimiores, vel tota Angelorum univerſitas, tanquam ſuperioris naturæ, quàm Jeſus Chriſtus ſecundum humanitatem: An verò ſpiritus ille ſeptiformis increatus, qui plurali numero vocetur. *ſpiritus ſeptem*, propter donorum multiplicitatem. Nam & Deus apud Hebræos elohim multitudinis numero dicitur. Conferatur hic locus cum eo qui eſt infrà cap. 3. ubi dicitur; *Hæc dicit qui habet ſeptem Spiritus Dei.* Et cum cap. 5. ubi ſeptem oculi agni interpretantur ſeptem Spiritus Dei miſſi in omnem terram. Et cap. 4. ubi ſeptem lampades ardentes ante thronum Dei, interpretantur ſeptem Spiritus Dei: & cum Zachar. 3. & 4. de oculis ſeptem. Et nota quod 4. cap. Apocal. cum & viginti quatuor ſeniorum & ſeptem ſpirituum fieret mentio, dicuntur quidem viginti quatuor ſeniores procidiſſe, & adoraſſe Deum; non tamen hoc dicitur de ſeptem ſpiritibus, Quamquam reſponderi poſſet, viginti quatuor ſeniores in viſione apparuiſſe Apoſtolo in ſpecie humana, cui convenit procidere, ſeptem verò ſpiritus tantùm ſignificatos per ſeptem lampades ardentes ante thronum, quas in eadem viſione conſpexit Apoſtolus. Nam nec quatuor animalia procidiſſe leguntur, ſed laudaſſe Deum. Sequenti tamen cap. 5. dicuntur tam quatuor animalia, quàm viginti quatuor ſeniores, cecidiſſe coram agno, ante Dominum. Tobiæ 12. Raphaël dicit ſe eſſe unum ex ſeptem, qui aſtant ante Dominum, Qui ſeptem ſpiritus utique creati ſunt. Vide ejus loci Annot.

℣. 5. *Et à Ieſu Chriſto.* Si intelligerentur ſpiritus creati, id eſt, Angeli, non præponerentur Jeſu Chriſto, qui non tantùm ſecundum divinitatem major eſt Angelis, ſed etiam ſecundum humanitatis gloriam excedit omnem gloriam & dignitatem Angelicam; & caput eſt Angelorum, & ſedet à dextris Dei ſuper omnem principatum & poteſtatem, Epheſ. 1. Sed poteſt reſponderi; ſervatum ordinem naturæ, quia natura Angelica præſtantior eſt humana.

Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. In electorum perſona dicere hoc videtur: hi enim ſoli propriè dilecti ſunt; juxta illud: *Iacob dilexi, &c.* Et quamquam lavacrum ſanguinis Chriſti ſufficiens fuerit ad lavandum totum genus humanum; ſolum tamen electi lavãtur reipſa, ſic ut mũdi migrent ex hoc mũdo.

℣. 6. *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri.* Græcè, *reges & ſacerdotes.* Quomodo reges & ſacerdotes? nempè ſpirituales; reges quidem, à regno ſpirituali, ſacerdotes verò, ab hoſtiis ſpiritualibus; de quibus Petrus Apoſtolus, epiſt. 1. *Offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo.* Sicut ergo hinc non eſt conſequens omnes Chriſtianos propriè reges eſſe, ſic ut evertatur regalis poteſtas & authoritas ſupra alios, ita conſequens non eſt, omnes propriè eſſe ſacerdotes, ſic ut ſacerdotalis externa dignitas, quæ circa externa verſatur ſacrificia è medio tollatur. Similis locus eſt infrà cap 5.

℣. 7. *Et videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Igitur in humana & viſibili forma Chriſtus venturus eſt ad judicium.

Et qui eum pupugerunt. Reſpicitur ad locum Zach. 12. ſicut & in eo quod ſequitur: *Et plangent ſe ſuper eum omnes tribus terræ.* Unde apparet prophetiam Zachariæ demum in extremo die judicii implendam eſſe. Vide Annot. Zach. 12. & Joan. 19.

℣. 8. *Ego ſum α & ω, principium & finis.* Idem eſt alpha & principium; & rurſum idem ω & finis. Sicut idem eſt quod præcedit, *Etiam*, & *Amen.* Quidam intelligunt Deum ſe vocare principium quia author eſt omnis creaturæ, & finem, quia in ipſum omnia referuntur. Sed rectiùs videtur ſe vocare principium, quia nihil ante eum; & finem, quia nihil poſt eum: ut

Eſtij Annotat. in Script.

A ſignificetur hic Dei æternitas. Hunc enim ſenſum poſcere videtur quod ſequitur: *Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Itaque hoc dicit quod apud Iſaiam; *Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* Obiter notà eſſe legendum (omega,) ſed, ω; nam interpres vertit hoc modo: Ego ſum alpha & ω; ſine adiũcto (mega.) Vide Liranum hoc cap. & rurſus cap. ultimo, ejuſque textum. Vide etiam Haymonem, ejuſque textum utroque loco. Vide & alios. Conſentit editio Lovanienſis, & omnes editiones antiquiores, Sic etiam Eraſmo vertere viſum eſt. Sic canit in hymno Prudentius, Alpha & ω cognominatus. Neque enim extremæ Græcorum litteræ nomen eſt (omega) ſicut primæ (Alpha) ſed ω Additur autem *mega*, quia magnum eſt, & pleno ſono profertur, contra quam o quod

B parvum vocatur, Græcè μικρὸν.

℣. 9. *Fui in inſula, quæ appellatur Patmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Ieſu.* Hinc manifeſtum eſt Authorem libri eſſe Joannem Apoſtolum & Evangeliſtam. Neq; enim quiſquam alius in eam inſulam relegatus legitur propter verbum Dei & teſtimonium Jeſu. Cur autem ipſe Joannes Theologus ſit dictus, ratio reddi ſolet, quia de Deo ſublimiora locutus eſt quàm alii Evangeliſtæ. Poteſt etiam ratio videri, quia de verbo Dei, quod Græcè τῦ θεῦ λόγοι dicitur, expreſſius quàm cæteri ſcripſit. Cæterùm per Joannem Theologum non alium intelligi quàm Joannem Evangeliſtam, bene probat Baronius tom. 1. De hoc libro, vide quædam apud S. Aug. lib. 20. de civitate Dei cap. 17. hic utiliter annotanda. Porrò in eo quod ſæpè dixit, *Ego Ioannes*, maximè videtur imitatus Danielẽ Prophe-

C tã: qui ſæpè dicit in viſionibus ſuis referẽdis; *Ego Daniel.*

℣. 10. *Fui in ſpiritu in dominica die.* Dicta dies Dominica, vel propter reſurrectionem Dominicam, à qua dies proxima poſt ſabbathum, quã reſurrexit, ita dicta ſit; vel quod fideles prima poſt ſabbathum (quam S. Paulus vocat unam ſabbathi 1. Corinth. 16) participarent corpus & ſanguinem dominicum: tanquam appellatione ab uſu fidelium habente initium. Vide noſt. Comment. dicto loco. 1. Cor. 16. & nota, primum diem hebdomadæ, multò priùs appellatum fuiſſe diem Dominicum, more Chriſtianorum; quàm diem Solis, more gentilium. Nam appellatio dierum hebdomadæ ex nominibus planetarum, cœpit ducentis ferè annis poſt Chriſtum natum, ut intelligi poteſt ex Dione Caſſio lib. 37. Romanæ hiſtoriæ.

℣. 12. *Ut viderem vocem.* Id eſt, eum qui vocem ede-

D bat. Addit enim: *quæ loquebatur mecum.*

℣. 13. *Veſtitum podere.* Hier. in Ezech. 9. Ποδήρη una octo veſtium eſt Pontificis; quæ Latinè dicitur talaris; & ex eo quod ad pedes uſque deſcendat, hoc ſortita vocabulum eſt. Et Eraſmus hoc loco vertit veſtem ad pedes uſque demiſſam.

℣. 20. Explicans myſterium ſeptem ſtellarum. *Septem*, inquit, *Angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum.* Sed hoc adhuc obſcurum eſt: non enim explicat quid per Angelos intelligat. Neque enim Angelos intelligere poſſumus cæleſtes ſpiritus, qui beata immortalitate fruentes à Deo ad hominum miniſteria deputantur. Nam in illos multa non competunt, quæ poſtea alicui ex

E Angelis Eccleſiarum tribuuntur; velut quod charitatem primam reliquerit; quòd monetur eſſe fidelis uſque ad mortem; quòd jubetur agere pœnitentiam; &c. quæ omnia ad homines pertinent, non ad Angelos. *Angelos* igitur vocat ipſos Eccleſiarum Epiſcopos; qui partim propter ſua, partim populi peccata culpantur. Et rectè epiſcopus *Angelus* vocatur; ratione officii quod gerit; nam regere Eccleſiam Dei, Angelicum planè officium eſt. Unde & Malachias de ſacerdote, *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Fff CAPUT

CAPUT II.

℣. 1. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe.* Quomodo ad Epheſi Angelum ſcribere jubetur, cùm is fuerit ipſe Joannes, nimirum Epiſcopus Epheſinus? *Reſp.* Joannes hæc ſcribens agebat in exilio; & ita Epiſcopus erat, ut etiam eſſet Apoſtolus, qui per loca & civitates conſtituere poſſet Epiſcopos. Quare ſicut Paulus Epiſcopos conſtituebat & conſtitui jubebat per loca, quorum ipſe deinde ſuperintendens eſſet, ut Apoſtolus: ita & de Joanne dicere poſſumus ut non tam Epiſcopus Epheſi fuerit, quàm Apoſtolus; illi loco, ſicut & Aliis Aliæ Eccleſiis, ſuperintendens. Sic Thomas, Andreas, Jacobus frater Joannis, Bartholomæus, non leguntur certo aliquo loco fuiſſe Epiſcopi, ſed B fortè ſolus Petrus & Jacobus frater Domini: ille primum Antiochiæ, deinde Romæ, hic Jeroſolymis.

℣. 2. *Non potes ſuſtinere malos.* Utique per diſciplinam Eccleſiaſticã; quâ puniuntur, corriguntur, ejiciuntur, & abſcinduntur. Et tamen etiam ſuſtinendi ſunt per patientiam, quatenus periculum eſſet, ne eradicando zizania, ſimul eradicaretur & triticum: id eſt, ne ſchiſmata fierent, & boni turbarentur, aut ſimul in ſchiſma raperentur, ſicut factum eſt per Novarianos, Donatiſtas. Imò id fit in omni ſchiſmate, ut aliqui boni ſimul abripiantur, decepti ſpecie boni, aut neceſſitate aliqua temporali. Idem Angelus mox laudatur de ſuſtinentia, his verbis: *Et patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti.* Sed hic ſermo eſt C de perſeveranti tolerantia malorum, id eſt, rerum malarum & adverſarum; quamquam in his etiam ſint mali homines, inter quos neceſſe eſt vivere bonos durante hac vita.

v. 4. *Quod charitatem tuam primam reliquiſti.* Id eſt, primum charitatis fervorem. Quod ſæpè accidit perfectiorem vitæ ſtatum amplexis, ut initio ferventes poſtea reteſcant. Sed oportet eos ſæpè primum illum fervorem revocare. Hinc ſequitur charitatem augeri & minui. Ut autem primam charitatem recuperet, hoc dat conſilium, ut prima opera faciat. Ergo operum qualitas & magnitudo indicat modum charitatis; imò per opera reſtituitur, ſicut habitus inſtauratur per actiones. Locum intelligendum de diminutione charitatis, & non de amiſſione; ſuadent verba præcedentia, quæ laudem continent Epiſcopi Epheſiorum Ec- D cleſiæ, quod laboret, & patientiam habeat, & non poſſit ſuſtinere malos, quod non defecerit: denique quod additur: *Sed habeo adverſum te pauca.* Nam ſi quis charitatem amiſerit, multa adverſus eum habet Deus, quia charitatem amittens, omnia amittit. Quamquam non neſcio, multa exemplaria Latina & Græca, Haymonem & Primaſium illud (*pauca*) non habere. Et videri poteſt additum ex iis quæ ſcribuntur ad Angelum Pergami, & Thyatiræ.

℣. 8. *Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe.* Hunc Angelum fuiſſe Polycarpum, ſentit Pamelius annotat. 185. in Tertullian. libr. de præſcriptionibus. Et res ſatis convenit, quia laudatur nulla addita reprehenſione.

℣. 11. *Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda.* Duplex eſt mors animæ, ſicut & duplex vita: Quod & in corpore ſimiliter ſe habet. Prima animæ vita eſt per gratiam E & juſtificationem: Secunda, per beatificam Dei viſionem. Prima mors animæ, peccatum: Secunda mors, projectio à facie Dei in æternum. Prima vita corporis per nativitatem primam: Secunda, per regenerationem & beatam immortalitatem. Prima mors corporis, ſeparatio animæ: Secunda cruciatus æterni.

℣. 13. *In diebus illis Antipas teſtis meus fidelis.* Sive *martyr meus fidelis.* Id enim vocabulum, uſu Eccleſiæ receptiſſimum, hoc loco maximè quadrat, eſtque ipſum in Græco. De hoc Antipa habet Martyrologium Ro-

A manum 11. Aprilis; Pergami in Aſia, ſancti Antipæ teſtis fidelis, cujus meminit S. Joannes in Apocalypſi. Is ſub Domitiano Imperatore in bovem æneum candentem immiſſus, martyrium conſummavit. Simile martyrium legitur de Pelagia virgine, dicta Hoſio martyre. Vide Baron. in Annotat. ad Martyrol. 4. Maij, & de B. Euſtachio 20. Septemb.

Qui occiſus eſt apud vos. Qui, redundat ut ſæpè apud Hebræos.

℣. 14. Reprehenditur Angelus Pergamenſis Eccleſiæ quod haberet tenentes doctrinam Balaam. Id explicat.

℣. 15. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Rurſum increpatur Angelus Thyatiræ Eccleſiæ: *Quia permittis*, inquit, *mulierem Iezabel quæ ſe dicit Propheten,* B *docere & ſeducere ſervos meos*, &c. E diverſo laudatur Angelus Epheſi Eccleſiæ; *Quia*, inquit, *non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt.* Hæc teſtimonia filii Dei ad Angelos Eccleſiarum, docent nos quàm graviter peccent præfecti Eccleſiarũ, ſive ſint Epiſcopi, ſive paſtores, qui cum poſſint impedire, permittunt in populo ſuo converſari & habitare eos qui diverſam à Catholica doctrinam tenent. Fieri enim non poteſt ut tales inter Catholicos converſantes, gregem Domini peſtifera ſua doctrina non inficiant; dicente Apoſtolo quod *ſermo eorum ut cancer ſerpit*; & quod *per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium.* Sicut autem graviter peccat Præfectus eos tolerans in ſua Eccleſia; ita non minus peccant ſubditi, cum iis familiariter converſantes, etiamſi favorem aut C defenſionem non præſtent. Ratio eſt, quia lege divina ac naturali tenentur quibus poſſunt modis eorum converſationem, & colloquia fugere, à quibus tam grande & manifeſtum eis imminet periculum; non morum tantùm, ſed etiam fidei, quæ bonæ converſationis eſt fundamentum. Si qui neceſſitatem habent inter eos commorandi, ut in civitatibus hæreticis; id ſaltem agere debent, ut vitent familiaritatem, & omnem non neceſſariam cum eis converſationem.

℣. 17. *Nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit.* Non excluditur is qui dat, ſed is qui non accipit; quia ſoli & omnes electi accipiunt.

℣. 19. *Et opera tua noviſſima plura prioribus.* Nota quod ex multitudine operum, colligitur auctam charitatem; quia charitas operoſa eſt, eòque magis, quantò major D eſt & auctior. Alioqui, abſolutè non ſequitur; Hic plura opera fecit, igitur majorem habet charitatem, aut majorem mercedem accipiet; Quia poteſt quis minus vixiſſe, & proinde pauciora opera bona feciſſe, qui tamen ſit ſanctior, & charitate ferventior homine annoſo, & qui multo plura fecerit, nec tamen ad tam excellentem charitatem pervenerit.

℣. 23. *Ego ſum ſcrutans renes, & corda.* Hoc Dei proprium: ergo Chriſtus Deus.

℣. 26. *Qui vicerit; & cuſtodierit uſque in finem opera mea: dabo illi poteſtatem ſuper gentes*, &c. Ex eo quod additur: *uſque in finem*, patet hanc promiſſionem non pertinere ad ſanctos pro tempore quo hîc vivunt, ut hæreticorum quidam, quo Catholicorum argumentum, quod hinc pro ſanctorum ope, & gubernatione noſtri ſumitur, effugerent; interpretati ſunt. Quamquam & *vincendi* vocabulum ſatis hoc ipſum includit: E Nam *vincere*, hoc & ſequenti cap. non tribuitur niſi his qui victoriam finalem ſunt conſecuti. *Vincenti*, inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei. Qui vicerit, non lædetur à morte ſecunda. Vincenti dabo manna abſconditum*, &c. Accedit, quod regnum & poteſtas ſuper gentes, in hac vita, communis eſt bonis & malis: quod proinde hic non promittitur in præmium ſanctorum.

Et reget eas in virga ferrea. Poteſt virga ferrea duobus modis intelligi, vel rectiſſima, juxta illud Pſal-

mi

mi: *Virga directionis*, (id eſt, Juſtitiæ, æquitatis) *virga regni tui*. Vel dura; ſecundùm id quod ſequitur: *& tanquam vas figuli confringentur*.

CAPUT III.

℣. 2. NOn *enim inveni opera tua plena coram Deo meo*. Sunt ergo quidam quorum opera non tantùm coram hominibus, ſed & judicio Dei, non modo bona, ſed & plena ſunt.

℣. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt veſtimenta ſua*. Nomina, id eſt, homines qui ſuis ſolent vocari nominibus. Dicit autem nomina, quia de bonis & electis loquitur. Hos enim præ reprobis quaſi nominatim novit Deus, quia eos amat & curat præ illis. Sic Joannis 20. *Bonus paſtor proprias oves vocat nominatim*. Attamen infrà, cap. 11. etiam de malis dicitur: *Et occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem millia*.

℣. 5. *Non delebo nomen ejus de libro vitæ*. Deletur nomen alicujus de libro vitæ, non quando ex prædeſtinato fit reprobatus; quod fieri non poteſt: ſed quando ſecundum præſentem juſtitiam in eo fuit aſſcriptus, & juſtitiam deſerit. Eſt enim liber vitæ ſecundùm juſtitiam; & alius, ſecundùm prædeſtinationem: Prior ſæpè mutatur; poſterior nunquam.

℣. 7. *Qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit, &c.* Significatur plena poteſtas gubernationis ſuper Eccleſiam Dei, ſicut in familia quis dicitur eſſe promus & condus; promus enim aperit, condus claudit. Vide Saſbout in Iſai. 22. *Aperit & nemo claudit: claudit, & nemo aperit*. Id eſt, ratum & fixum eſt quidquid agit; nec poteſt quiſquam impedire, quo minus quod aperit apertum ſit; & quod claudit, clauſum ſit, maneatque quamdiu voluerit. Sic Job 12. de Deo dicitur: *Si incluſerit hominem, nullus eſt qui aperiat*: Non autem excludit hæc ſententia poteſtatem clavium eccleſiaſticarum. Nam hæc poteſtas competit Chriſto per excellentiam: at ejuſdem rei poteſtas miniſterialis fuit in Petro, permanetque in ſucceſſoribus. Nec minùs verè ea verba quæ hic dicuntur in Petrum dixeris, quàm ea quæ Petro dicta ſunt à Chriſto, Matth. 16. Quid enim aliud eſt habere clavem David, quàm habere claves regni cœlorum? & quid aliud ſibi vult iſtud: *Qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*; quam illud, *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis*? Et conſuetudo ſcripturæ eſt, ut quæ propriè de Chriſto dicuntur, ea participatè attribuantur Petro, vel aliis etiam Apoſtolis: ut eſſe Petram, fundamentum, paſtorem, magiſtrum, lucem, &c. Vide Annotat. Matth 16. Eadem hic poteſtas ſignificatur quæ Matth. ultimo: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra*.

Vocatur autem *clavis David*, non quod eandem illam David habuerit; ſed quia eſt poteſtas Davidi, ſeu familiæ Davidicæ promiſſa, & in Chriſto completa; juxta Gabrielis ad virginem Evangelium, Lucæ, 1. Nam Iſaiæ 22. ad quem locum hic reſpicitur, promittit Dominus ſe daturum Eliacim, in typo Chriſti, clavem domus David, ſuper humerum ejus: ut aperiat & non ſit qui claudat, & claudat, nec ſit qui aperiat. Unde videtur ſubaudiendum; *Qui habet clavem domus David*.

℣. 9. *Qui dicunt ſe Judæos eſſe, non ſunt, ſed mentiuntur*. *Mentiuntur*, id eſt, falſum dicunt, non tamen ut appareat contra mentem; quia ſe putabant eſſe veros Judæos. Imò & fortè revera ſecundum carnem Judæi erant, qui hoc dicebant. Mentiri tamen eos dicit Spiritus: quia non competebat eis ille Judaiſmus in quo meritò gloriari potuiſſent, de quo Apoſtolus ad Rom. 2. *Non qui in manifeſto, Judæus eſt; ſed qui in abſcondito; cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo*. Unde Dominus in Evangelio: *Si filii Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite*. Et iterum: *Pater veſter Diabolus eſt*.

Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & ſcient quia ego dilexi te. Dupliciter hoc intelligi poteſt: vel ut ſignificetur ex Judæis quoſdam convertendos ad fidem Chriſti; qui priùs in carnali & falſo Judaiſmo confidebant: vel, futurum tandem, ut Judæi vel inviti agnoſcant populum Chriſtianum à Deo dilectum & electum fuiſſe. Quomodo multa dicuntur in Prophetis: maximè apud Ezech. ſubinde repetentem illud: *Et ſcient quia ego Dominus*. Et in Pſal. 82. *Imple facies eorum ignominia; & quærent nomen tuum Domine: Erubeſcant & conturbentur in ſæculum ſæculi, & confundantur, & pereant, & cognoſcant quia nomen tibi Dominus*. Forte & illud huic ſimile eſt in Pſal. 71. *Et inimici ejus terram lingent*.

℣. 11. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*. Id eſt, tene fortiter, ne quis auferat tibi coronam tuam; non ut ipſe habeat, ſed ne tu habeas, aut ut eam amittas. Sic Proverb. 5. monetur adoleſcens ut fugiat amores meretricios, ne fortè det alienis honorem ſuum; non quem alieni ſint habituri, ſed quem per eos, propter eos, adoleſcens ſit amiſſurus. Vide ejus loci Annot. & noſtra in 1. diſtinct. 4. Simile eſt in 2. epiſtola Joannis, *Videte ne perdatis quod operati eſtis, ſed ut mercedem plenam accipiatis*. Vide Annot. ejus loci. Simili phraſi dictum Joan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea*. Quomodo rapit oves lupus, non retinens, & perdens.

℣. 14. *Hæc dicit Amen*. Græcè ὁ ἀμὴν, *Amen*, ſcilicet Chriſtus, qui eſt veritas. Ponit enim Amen, epitheton filii Dei.

℣. 14. *Qui eſt principium creaturæ Dei*. Id intellige ſicut illud Coloſſ. 1. *Primogenitus omnis creaturæ*, id eſt, omni creatura major & ſuperior atque in omnem creaturam primatum habens. Quamquam & de homine aſſumpto accipi poteſt; qui, ut talis, eſt creatura, ſed omnium præſtantiſſima. Vide Comment. Coloſſ. 1.

℣. 15. *Utinam frigidus eſſes aut calidus*. Quidam intelligunt frigidum, qui viam veritatis nunquam cognovit; Calidum, bene fidelem; Tepidum, malum Chriſtianum. Sed loci circumſtantia ſignificare videtur per calidum, verè bonum, per frigidum, manifeſtè malum; Per tepidum, hypocritam, qui ſibi & aliis bonus videtur & ſanctus: in quo cum plerumque dominetur ſuperbia, talis deterior eſt, quàm ſi in manifeſta peccata eſſet prolapſus. Addidit enim: *Dicis quia dives es, & nullius eges, & neſcis quia pauper, & cæcus es, &c.* Simile eſt quod ad Phariſæos ait Dominus. *Utinam cæci eſſetis, nunc autem dicitis quia videmus: peccatum ergo veſtrum manet*. Joan. 9 in fine. Qui ibi cœci, hîc frigidi dicuntur, id eſt, manifeſtè peccatores: de quorum converſione major eſt ſpes, quàm de iis qui ſpeciem habent ſanctitatis. Item, tepidus deterior quàm frigidus, quia ſimulata ſanctitas duplex eſt iniquitas. Dicit autem; *utinam aut frigidus &c.* non quia hoc optabile; ſed quia potiùs optandum quàm eſſe tepidum, id eſt, minus deteſtandum. *Incipiam te evomere ex ore meo*. Perſiſtit in figurato ſermone. Eſt enim alluſio ad aquam tepidam, quæ hauſta vomitum provocat. Poteſt etiam accommodari hæc ſententia ad eos, qui quaſi inter Catholicos & hæreticos medii, ita componere & conciliare eos nituntur, ut velint utroſque de ſuis dogmatis aliquid remittere. Quomodo faciunt, qui ſuas controverſias arbitrorum judicio ſubmittunt. Vide de hac ſententia S. Gregor. parte 3. curæ paſtoralis admonitione 25.

℣. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias*. Aurum ignitum, id eſt, igne proba-

Eſtij Annot. in Script.

tum, eſt Charitas, hac enim carebat iſte Angelus Laodicæus, ut ex præcedenti increpatione liquet. *Emere*, id eſt, acquirere, comparare, ſeu gratis, ſeu pretio. Catacreſis eſt ſicut Iſaiæ 55. *Emite abſque argento*. & 52. *Gratis venundati eſtis. & abſque argento redimemini.* Ita hoc loco: Nam charitas nullo pretio ut merito acquiritur, ſed gratis obtinetur; maximè ſic conſideretur ſecundum initium ſuum: id eſt, primùm motum bonæ voluntatis· Nam charitas S. Auguſtino eſt bona voluntas. Sed quia dicit: *Suadeo tibi emere.* Significatur aliquod ſtudium præcedens quo ambiat charitatem: quod tamen etiam ex Deo eſt. Vnde ſtatui poteſt meritum congruum, reſpectu juſtificationis.

Et collyrio inunge oculos tuos ut videas. Per *collyrium* intelligunt quidam tribulationes præſertim cum ſequatur: *Ego quos amo, arguo & caſtigo*, ut ſenſus ſit; Tribulationibus quas Dominus te caſtigans, immittit, utere ut mundentur oculi mentis tuæ, & videas. Habent enim tribulationes magnam vim ad purgandas mentes hominum à vitiis & erroribus; quibus per affluentiam, & proſperitatem rerum ſordidantur. Vnde filius prodigus in inopia, ad patrem revertitur. Filii Iſraël poſt idulolatriam flagellati ad Se●erum recurrunt. Et Pſalmus ait, *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum.* Item: *Cùm occideret eos, quærebant eum.* Item: *Vexatio dabit intellectum auditui.* Iſaiæ 28.

℣.20. *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Re benè conſiderata videtur his verbis, id ſignificari quod in Evangelio Matth 24. & 25. Marc. 13. & Lucæ 12. Vbi ex ſimilitudine ſervi vigilantis ad Domini ſui adventum, ut cum venerit, confeſtim aperiat ei; Chriſtus adhortatur omnes fideles; ut ſemper vigilent in bonis operibus; ut Domino ad judicium veniente, cujus incertus eſt dies, ſemper inveniantur parati; atque ita, mereantur cum illo diſcumbere & cœnare, id eſt, æterna requie & gaudio frui. Similis eſt exhortatio Pauli. 1. Theſſal. 5. nec non hujus lib. cap. 16. *Beatus qui vigilat, &c.* ſic autem & cap. præcedenti dicit Angelo Smyrnenſis Eccleſiæ. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, & Angelo Thyatirenſis Eccleſiæ: *Qui vicerit & cuſtodierit uſque in finem opera mea; dabo illi poteſtatem, &c.* Et hoc cap Angelo Eccleſiæ Sardenſis: *Si non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te.* Et Angelo Philadelphiæ: *Venio citò; tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Sic ergo & Angelo Laodiceæ: *Ego ſto ad oſtium, &c.* id eſt, Jam jam veniam ad judicium, pulſaturus oſtium, more Domini redeuntis. *Si quis audierit, &c.* id eſt, ſi quis paratus fuerit & vigilaverit ad meum adventum: per bona opera, *intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ille mecum*, id eſt, particeps erit gaudiorum atque bonorum meorum. Dicit: *intrabo ad illum*; & non, ille intrabit ad me, quia loquitur more Domini expectati à ſervo, & pulſantis ad oſtium, qui intrat in domum ſuam in qua ſervus vigilabat. Promittit ergo quod eum etiam adhibebit cœnæ ſuæ, non enim loquitur de Domino redeunte à cœna ſed à negotio. Nihil ergo facit hic locus pro gratia Dei pulſantis, & expectantis, & quoad effectum dependentis à noſtra acceptatione: quam gratiam ſana doctrina non recipit. Cæterum, Deum eſſe qui aperiat, docet S. Auguſtinus quæſt. 9. ſuper Exod. dicens ipſam etiam apertionem ad Dei voluntatem & gratiam pertinere, ad illud, *Ego aperiam os tuum.* Exodi 4.

Facit etiam ad hujus loci declarationem id quod Mater ad filium Melitonem martyrem, dicebat; Fili, pauliſper ſuſtine: ecce Chriſtus ad januam ſtat, adjuvans te, ut habetur in Feſto 40. martyrum Senſus, Jam jam te recipiet in gloriam coronaturus te; & interim te adjuvat in certamine.

Denique huic ſententiæ ſimilis eſt illa Jacobi 5. loquentis de metuendo Dei judicio, *Ecce iudex ante januam aſſiſtit.*

CAPUT IV.

℣.7. *ET animal primum ſimile Leoni, &c.* Vide Heſſelium præfatione in Matth. ubi ſecundum Auguſtinum & V. Bedam (licet diſſentiat S. Hieronymus) docet, & latè probat per Leonem ſignificari Matthæum, & per hominem, Marcum: Latè etiam oſtendit per vitulum rectè ſignificari Lucam. Denique ſummariè viſionem hanc exponit. Vide etiam Annotat. Ezech. 1. Nec eſt veroſimile Joannem per hæc animalia aliud intellexiſſe, quàm Ezechielem. Beda in epiſtola præfixa commentario in Lucam, reſpondet eandam ſciſcitanti, cur præter vulgatam opinionem in Leone Matthæum, & in homine Marcum intellexiſſet: reſpondet autem verbis S. Auguſtini, ex lib. de conſenſu Evangeliſtarum, 1. 6.

℣. 8. *Et requiem non habebant die ac nocte, dicentes* Græcè ἔχουσι, *habent.* Idem ſignificatur quod in hymno: *Te Deum, Inceſſabili voce proclamant.* Non enim ſignificatur inquietudo aliqua, aut moleſtia defatigationis, ſed opus perpetuum & inceſſabile; quale ſolet mortalibus inquietudinem gignere. *Requies*, pro ceſſatione non infrequens in ſacris litteris. Vnde illud quod dicitur Deus die ſeptimo requieviſſe ab omni opere ſuo, id eſt, ceſſaſſe à fabricando mundo, & à ſpeciebus novis creandis.

℣.10. De viginti quatuor ſenioribus dicitur: *Et mittebant coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noſter accipere noſtram, &c.* Per viginti quatuor ſeniores univerſa ſanctorum hominum multitudo intelligitur, propter duodecim patriarchas, in quibus univerſitas intelligitur ſanctorum veteris teſtamenti, & duodecim Apoſtolos, in quibus repræſentatur univerſitas ſanctorum novi teſtamenti. Sed adverſus hoc objici poteſt quod Apocal. 14. dicitur centum quadraginta quatuor millia canere canticum novum, non ſolum ante ſedem, & ante quatuor animalia, verùm etiam ante ſeniores: non ergo poſſunt iidem intelligi ſeniores & centum quadraginta quatuor millia, id eſt, omnes electi. An dicendum, *ſeniores* intelligi ſanctos patriarchas, & Prophetas & Apoſtolos, centum autem quadraginta quatuor millia, omnes electos, qui illorum doctrina & prædicatione ad Chriſtum adducti participes facti ſunt redemptionis; Vnde vocantur *empti de terra.* Ei quia ſuperædificati ſunt ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; ideò rectè dicuntur & ante illos ſtare, & canticum novum canere, videlicet agnoſcentes quorum doctrina, & miniſterio gratiam redemptionis à Deo conſecuti ſunt. Mittunt autem viginti quatuor ſeniores coronas ſuas ante thronum Dei; quia univerſa ſanctorum multitudo agnoſcit & humiliter confitetur ſuas coronas, id eſt, gloriam, quâ in cœlis merito juſtitiæ ſuæ coronati ſunt, ex gratuito Dei dono provenire: Quia licet vita æterna reddatur meritis juſtitiæ; ipſa tamen juſtitia non niſi per ejus gratiam acquiritur, qui dixit; *Sine me nihil poteſtis facere.* Cujus tanta eſt bonitas, ait Cæleſtinus Papa, ut noſtra velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ. capta. Nec coronat nos niſi de ſuo. Nec aliter ſentiendum de ſanctis Angelis. Vide S. Gregor. lib. 22. Moral cap. 5. Sub viginti quatuor ſenioribus non comprehendi Angelos, ex cap. 5. & 7. facilè monſtratur.

℣.11. *Et propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Græca pro, *erant, ſunt.* εἰσι: ſed magis placet quod Latini codices habent; citiùs enim quis ſciolus mutaverit (*erant*) in (*ſunt*) quàm (*ſunt*) in (*erant.*) Sed quæritur cur dixerit *erant*; præſertim cum addat,

quia

creata ſunt? hoc enim ita ſonat quaſi prius fuiſſent, ac deinde creata eſſent. Quidam recurrunt ad ideas rerum æternas in mente divina; quia Deus per voluntatem ſuam non tantùm res ipſas fecit, & creavit; verùm etiam ab æterno præordinavit ut faceret, habens apud ſe atq; in mente ſua rerum omnium quas facturus erat ideas æternas & immutabiles. Quamquam ad hunc intellectum non eſt neceſſe refugere. Nam Græci *erant* pro *ſunt* interdum ponunt. Sic Ariſtoteles lib. 1. Topicor. Terminus eſt, oratio quid erat eſſe ſignificans. *τὸ τί ἦν εἶναι*. Videtur ergo hic ſenſus eſſe; Per voluntatem tuam factum eſt ut eſſent, non quidem ab æterno, ſed ab aliquo temporis initio, quia creata ſunt. Poteſt etiam dici, additum, *& creata ſunt*, poſtquam dixerat *erant*, ne ita de illis intelligeretur dictum, *erant*, quomodo paulò ante de Deo *qui erat*, ſcilicet ab æterno, non per voluntatem alicujus, ſed per naturam ſuam. B

CAPUT V.

℣. 1. ET *vidi in dextera ſedentis ſuper thronum, librum ſcriptum intus & foris; ſignatum ſigillis ſeptem.* Liber iſte eſt Scriptura ſacra, maximè qua parte continet myſteria de Chriſto, & humana per eum redemptione. *Scriptus* autem dicitur *intus & foris*, propter duplicem ejus intelligentiam, hiſtoricam, & ſpiritualem. Illa intelligentia etiam Judæi, ſine Chriſto, foris eum librum legere poſſunt, quia ad grammaticum & hiſtoricum ſenſum multis in locis habent acceſſum. C Spiritualis autem intelligentia paucis revelatur. *Sigilla ſeptem* ſignificant multiplicitatem myſteriorum quæ ſacris libris continentur. Septenarius enim numerus ſæpè pro univerſo numero ponitur. Hunc librum aperire, & ſigilla ſolvere nemo poteſt præter agnum qui occiſus eſt, quia ſolus Chriſtus perducit nos ad ſpiritualem intelligentiam Sacræ ſcripturæ, & myſteria in illa contenta explicat; cui dicitur: *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Et rurſus; *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Vel ideo ſolus Chriſtus ſolvit, quia ſolus implet prophetias in eo deſcriptas: Nam prophetiæ tamdiu velut ſub ſignaculo clauſæ manent, donec res prænunciatæ adveniant: quarum manifeſtatione ſignaculum quaſi aufertur, & liber aperitur. Chriſtus ergo D implendo prophetias, aperit librum.

℣. 5. *Ecce vicit Leo de tribu Iuda.* Addendo *de tribu Iuda*, Significat Chriſtum eſſe leonem ſecundum naturam humanam; quia contra diabolum, mortem, peccatum pugnavit, & vicit, ut homo, per ſuam paſſionem; quatenus per eam meruit ut potentia Diaboli, mors, & peccatum deſtrueretur. Chriſtus Leo, propter fortitudinem; agnus, propter manſuetudinem & innocentiam.

℣. 6. *Agnum ſtantem tanquam occiſum.* Vel hoc dicitur, ſicut ad Philip. 2. *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*: quia repræſentatio non excludit rei veritatem. Vnde dicit idem Joannes c. 1. ſui Evangelii, *Vidimus eum quaſi unigenitum à Patre*, cum ſignificare vellet verè eſſe unigenitum; quomodo & hoc cap. poſteà dicitur; *Dignus eſt agnus qui occi-* E *ſus eſt, accipere, &c.* vel quia interior tantùm natura mortem paſſa eſt, quam & mox ſuperavit reſurgendo; vel denique, quia Joannes de agno loquitur, cujus ipſi in viſione imago oſtenſa fuit, tanquam occiſi; ut illud *tanquam* referatur ad imaginem in viſione oſtenſam, non ad rem ea ſignificatam.

℣. 8. *Quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno, &c.* Et infrà v. 9. *Quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, &c.* Angeli neque cadunt coram agno, neque confitentur ſe redemptus Deo in ſanguine agni; nimirùm ut intelligamus Angelos redemptione non indiguiſſe; neque filium Dei propter Angelos factum hominem. Legun-

Eſty Annot. in Script.

A tur autem cum cæteris agnum laudaſſe dicendo: *Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, &c.* ℣. 11. & 12. quia etiam noſtræ redemptionis myſteria Angeli venerantur, & in ea deſiderant aſpicere, 1. Petr. 2. & propterea Deum & agnum collaudant.

Plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum. Significantur orationes ſanctorum etiam in hac vita agentium (de iis enim loquitur hic ſcriptura) eſſe Deo gratas in odorem ſuavitatis. Quomodo ergo omnia etiam ſanctorum opera ſunt peccata? ut impiè dogmatizant hæretici hodierni.

℣. 10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* Græcè *reges & ſacerdotes*, quomodo & habetur ſupra c. 1. Vide ejus loci Annot.

B *Et regnabimus ſuper terram.* Quia, ut ait B. Petrus 2. epiſt. 3. non ſolùm in cœlis novis, ſed etiam in terra nova, juſtitia habitabit; id eſt, homines perfectè juſti. Nam totus mundus erit juſtorum habitaculum, palatium, regnum, & poſſeſſio. Alii intelligunt *ſuper terram*, id eſt, ſuper corpus ſuum terrenum, ſed jam in ſpirituale commutatum: 1. Corint. 15. Qui ſenſus potiùs myſticus eſt quàm litteralis. Non repugnat illud, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*: quia aliud eſt regnum eſſe de mundo, vel de terra, id eſt, terrenum, ſæculare; aliud, eſſe in mundo vel in terra. Eccleſia Chriſti quæ eſt regnum Dei, militat in terris; licet converſatio ejus ſit in cœlis. Multa MSS. pro *regnabimus*, legunt *regnabunt*. Vide Annot. F. Lucæ.

C ℣. 12. *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem.* *Et divinitatem*, Græcè καὶ πλοῦτον, *& divitias*, quæ divitiæ intelligi poſſunt dona Spiritus ſancti; quorum diſtribuendorum Chriſtus homo poteſtatem accepit ex merito ſuæ paſſionis. Ideò dicitur: *Dignus eſt Agnus qui occiſus eſt, accipere, &c.* Nam ad opes hujus mundi referendum minimè videtur: cùm ipſe de ſe proteſtatus fuerit dicens: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Poteſt etiam intelligi gloria corporis, quæ eſt homini beato inſtar omnium divitiarum.

Contra Calvinum notari poteſt, Chriſtum per paſſionem & mortem, de qua dicitur *occiſus eſt*, meruiſſe immortalitatis gloriam, ac totius Eccleſiæ, ac mundi præfecturam. Objicit, cap. præcedenti dicitur, *Dignus* D *es Domine Deus noſter accipere gloriam & honorem & virtutem*: ideoque apparet, ex eo quod hic dicitur agnus dignus eſſe qui accipiat virtutem, &c. non doceri, quod Chriſtus ſibi aliquid meruit. Sic enim idem conſequens videretur de Deo, ut Deus eſt. Sed dicendum, hic addi, *qui occiſus eſt*; id eſt, quia occiſus eſt. Sic enim paulò antè hoc capite dictum eſt ei: *Dignus es Domine accipere librum, quoniam occiſus es, & redemiſti nos, &c.* q. d. per paſſionem tuam qua nos redemiſti, meruiſti celebritatem hanc tui nominis, &c. quando enim aliquis dicitur dignus aliquo bono propter aliquod opus; ſi eſt capax meriti & in ſtatu merendi, ſignificatur per hoc opus illud bonum meruiſſe: cùm alioqui *meriti* vocabulo propriè nullum vocabulum reſpondeat apud Græcos, ut nec apud Hebræos. Sed quomodo meruit divinitatem? Non enim ut Neſto- E rius putavit, eam meruit eximia vitæ ſanctitate, & virtutum operatione: ſed meruit ut quam habebat ab æterno, veniret in notitiam & manifeſtationem hominum. Quomodo ſapientiam meruit: ut agnoſceretur eſſe ipſa Dei ſapientia. Sic, ſecundum Apoſtolum Philip. 2. propter meritum obedientiæ uſque ad mortem crucis, Deus exaltavit eum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ejus flectatur omne genu. Additio B. P. Cenſoris.

℣. 12. *Divinitatem.* Vnde hoc verbi? Græcè eſt πλοῦτον; Quid credemus ſcripſiſſe interpretem? an divitias? Cur mutaſſent ſcribæ? (præſertim ſi meminiſſent quod ad Romanos cap. 11. in fine Apoſtolus Deo tribuat divitias (id eſt, copiam) ſapientiæ & ſcientiæ; &

cap. 2. divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis? **A** & alibi frequenter. An voluit Interpres vitare ne quis ex nomine divitiarum ſubſtantiam cogitaret, & ſcripſit divitatem? Nomen ſcilicet abſtractum, novum quidem Latinis, ſed formatum ad communem modum abſtractorum; ſicut à (ſoſ, es) formatur (ſoſpitas.) Fortè fuit olim in uſu, (divitas;) at analogia ſufficit defendendo Interpreti Non mirabitur hoc vocabulum, qui apud Gellium lib. 14. cap. 1. in fine, ex Actio legerit (divitare;) qui (divitior) apud Tullum paradoxo ult. Semel iterumque Terentius. Quis me Athenis divitior? & alibi, Quàm iniquè comparatum eſt, hi qui minus habent ut ſemper aliquid addant divitioribus, Naſo item, Oppida ſunt regni divitiora mei. Martialis, Romanum propriùs divitiuſque **B** forum eſt.

Quin & (divitiſſimus) apud Tullium eſt paradoxo illo ultimo, & in 2. Officiorum, ut videre eſt in Annot. 27. Caroli Langii ad eum librum. Quare doctos omnes rogatos volumus, ut vetuſtiſſimos quoſque codices, manuſcriptos excutiant noſtræ vulgatæ editionis, num nuſquam inveniant hoc loco iſtud (divitatem.) Sane & Lycunius ſerm. 4. & Primaſius, Latini expoſitores, non (divinitatem) ſed (divitias) hoc in loco legerunt.

℣. 13. *Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt & ſuper terram, & ſub terra.* Simile eſt quod dicitur ad Philipp. 2. *Cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Vnde hic locus illius collatione venit explicandus. Nam & verba præcedentia: *Dignus eſt agnus, &c.* congruunt cum eo **C** quod ibi habetur, *Propter quod Deus exaltavit, &c.* Vide noſtrum Commentarium.

CAPUT VI.

℣. 1. ET *audivi unum de quatuor animalibus dicens &c.* Quodnam ex quatuor? Primùm; quia ſimile Leoni; nam ſequitur de ſecundo, & de tertio & de quarto. Quæ omnia hoc ordine nominata fuerunt cap. 4. ſed horum omnium myſteria requirenda ſunt, quare à ſingulis animalibus, hæc ſingula Joanni fuerint ſignificata.

℣. 2. *Et ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, &c.* Hieron. ſuper Habacuc 3. Vidit Joannes, inquit equos candidos, & ſeſſores eorum, è quibus, corpora **D** in gloria reſurgentium, puto eſſe equos candidos: ſeſſores autem, ſanctorum animas. Idem poſtea dicit, peccatores & eos qui corpora diligunt, in nigris equis ſedere.

Et exivit vincens ut vinceret Grecè *& exivit vincens, & ut vinceret*, id eſt, exiens jam tum vincebat, ac in poſterum victurus ac debellaturus erat hoſtes ſuos.

℣. 9. *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.*

℣. 10. *Vſquequo Domine (ſanctus, & verus) non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de iis qui habitant in terra?* Altare Chriſtus eſt; ſuper quem quidquid offerimus bonorum operum, non poteſt non Deo Patri eſſe gratiſſimum: quamquam idem non tantum altare eſt, ſed & ſacrificium & ſacerdos. *Sub* **E** *altari* eſſe dicuntur animæ martyrum, quia adhuc ſunt infra conditionem glorioſi corporis Chriſti; quia videlicet nondum per reſurrectionem corpora reſumpſerunt, ſicut Chriſtus. Poſt reſurrectionem verò extollentur ſuper altare; quia tunc corpori ſuo, inſtar corporis Chriſti, glorificato, ad nutum imperabunt, quaſi ſuperiores factæ. Qui exponunt animas ſub altari poſitas, quia ſubjectæ ſunt Chriſto homini; fateri debent eas ſemper ſub altari futuras, neque unquam collocandas ſuper altare; cujus contrarium docet S. Bernardus ſermone de omnibus ſanctis. At neque convenienter dicitur animas ſub altari poſitas, quia

A contemplantur humanitatem Chriſti, quam altare ſignificet: Hoc enim modo, non ſub altari, ſed ante altare poſitas dici conveniebat: quod enim videmus ante nos eſt, non ſupra vel infrà Vide S. Anſelmum qui eo modo ut nos, interpretatur. Quidam illud *ſubtus altare* ſic exponunt, id eſt, pro Chriſto; quia per altare Chriſtus ſignificatur, hi ſententiam ſic videntur conſtruere: *Vidi animas interfectorum ſubtus altare*, id eſt, interfectorum pro Chriſto; Sed planè violenta eſt hæc expoſitio. Simile eſſe dicunt quod lib. 2. Machab. 7. dicit Machabæorum martyrum noviſſimus, fratres ſuos modico dolore ſuſtentato ſub teſtamento Dei interfectos eſſe, ſeu cecidiſſe, ut eſt in Græco, id eſt, pro teſtamento Dei. Sed non eſt ſimi- **B** le: tum propter diſtinctionem verborum in hoc loco, tum quia Græca diſſimiliter habent: hic enim dicitur ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου, quòd localem ſitum ſignificat. In Machab. autem ὑπὸ τὴν διαθήκην τοῦ Θεοῦ, quòd tamen propriè *ſub teſtamento* ſignificat, non *pro teſtamento*; tametſi locus obſcurus eſt. Interim nota quod hîc additur cauſa; *propter verbum Dei*: Non ergo cauſa ſignificatur, cum dicitur: *ſubtus altare.*

Hac autem oratione qua vindictam petunt, nihil aliud ſignificatur quàm continuum earum deſiderium; quo & reſurrectionem corporum ſuorum deſiderant, id eſt, conſummationem ſuæ beatitudinis, de qua Hebr. 11. *ut non ſine nobis conſummarentur*, & cupiunt impleri juſtitiam Dei ſuper impios. Id autem non aliud eſt quàm deſiderium regni Dei: tunc enim **C** perfectè Deus regnat, quando piis conſummatam reddit beatitudinem, quæ non eſt ſine corporum reſurrectione; & omnes impios ſubjectos habet ſub pedibus. Quorum utrumque demum futurum eſt poſt judicii diem.

Et clamabant voce magna dicentes, &c. Non ergo animæ defunctorum dormiunt, & velut alto ſopore preſſæ jacent, uſque ad diem judicii; ſed continuum habentes deſiderium conſummandæ beatitudinis ſuæ, & implendæ juſtitiæ divinæ ſtolas accipiunt albas, id eſt, bonam partem beatæ remunerationis, in qua jubentur requieſcere uſque ad diem generalis judicii. Stolæ candidæ gloriam ſignificant; Vnde & Angeli poſt reſurrectionem Chriſti ad ejus ſepulchrum apparuerunt in ſtolis albis.

Vſquequo ——— non judicas & non vindicas ſanguinem **D** *noſtrum de iis, &c.* Quid eſt quod ſancti in terra poſiti, orant pro ſuis perſecutoribus, ut S. Stephanum & alios multos Chriſtum imitatos feciſſe legimus, in cœlum verò tranſlati de eiſdem vindictam expetunt? *Reſp.* Dum ſunt in terris præceptum habent orandi pro perſecutoribus, ſine diſcrimine, neſcientes pro quibus ſint exaudiendi. Deinde, ut per hoc in charitate firmentur, nec moveantur ad inordinatum affectum vindictæ expetendæ pro privata injuria; ad quod vitium prona eſt humana fragilitas, etiam in perfectis. Beati verò in cœlis non orant niſi pro iis pro quibus vident ſe exaudiendos; quia nunquam fruſtra orant; nec opus eſt illis hujuſmodi præcepto orandi in univerſum pro perſecutoribus, cùm jam ſint in juſti- **E** tia & charitate confirmati, nec poſſit inordinata eſſe eorum voluntas, ſed pleniſſimè jam conformis ſit voluntati divinæ; ex qua conformitate procedit ejuſmodi vindictæ poſtulatio, non adverſus quoſcumque perſecutores; ſed eos ſolos quos reprobos eſſe cognoſcunt. Nam pro electis orant, etiam perſecutoribus ſuis, ut convertantur & ſalventur.

℣. 11. *Et datæ ſunt illis ſingulis ſtolæ albæ.* Innocentius tertius ſermone in Dominicam Lætare Duæ ſunt, inquit, ſpecies glorificationis; ſtola mentis, & ſtola carnis. Et illam dicit dari ante reſurrectionem, hanc poſt reſurrectionem; & ſtolam mentis intelligit beatitudinem animæ per Dei viſionem, ut ex eo loco patet.

Et dictum eſt iis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum. Hæc humano more dicuntur; quando qui conqueruntur & dolent, deſiderio dilato, ſolent precari ut quieſcant, dato illis aliquo munere: cùm hic alioqui non ſignificetur aliquis ordo temporis, inter clamorem & ſtolas datas & quidem, ſed omnia ſimul contingant. Nam animabus ſanctorum toto tempore quo cum Chriſto ſunt ante corporum reſurrectionem, hæc tria ſimul contingunt. Nam & continuo clamant quod hic dicitur, per deſiderium; & continuo ab initio, ſtolas ſingulas poſſident; & continuo quieſcunt, beatitudine ea, quæ per ſtolam ſignificatur, accepta. Item dicitur, *ut requieſcerent adhuc*: ergo & ante quieſcunt. Et videtur idem eſſe *requieſcerent* quod expectarent: quaſi diceretur illis: expectate adhuc modicum donec, &c.

Donec compleantur conſervi eorum. Ergo certus eſt electorum numerus, quem impleri oportet ante tempus perfectæ retributionis.

℣.14. *Et cœlum receſſit ſicut liber involutus. Librum involutum* dicit quem rotulum vocant, Galli & Teutones Roolle; qui cum explicatus eſt, legitur, convolutus legi non poteſt: ita cœli facies, in qua ſunt ſol, luna, ſtellæ, velut litteræ, annuntiantes nobis gloriam Dei; ſubtrahetur ut nulla littera in ea appareat. Similis eſt locus Iſaiæ 34. *Complicabuntur ſicut liber cœli.* Vide ejus loci Annotat. & ibi Sasboldum. Vide Janſen. in Pſal 39. explicantem illud, *In capite libri, &c.* ubi plura his quæ dixi conſentanea tradit. Hujuſmodi libris utebantur Indi Occidentales, quos invenit Corteſius ante 100. annos. In Alcorano Azoara 31. ſic legitur, Deus cœlum involvet atque plicabit ſicut chartam. Quod non profero tanquam alicujus authoritatis, ſed ut oſtendam phraſeos congruentiam. Nam Arabes Hebræis & Chaldæis vicini potuerunt ſimilibus uti figuris ſermonum. Quis dicatur *liber involutus*, didici ex volumine Judæorum, quod vidi in eorum Synagoga Tuitij, è regione civitatis Colonienſis. Eſt enim volumen (quod quidem apud illos Judæos continebat quinque duntaxat libros Moyſi) membrana longa admodum & convolubilis, quæ quidem non ad longum, ſicut apud nos ſolet, ſed ad latum per modum foliorum in noſtris libris; & non continentur, ab una parte longitudinis uſque ad aliam deſcripta erat per totum: Vtrimque autem duobus baculis affixa erat, quibus & utrimque advolvebatur, ut ibi tantùm quando legendum inde aliquid eſſet, pateret, ubi lectio foret, cæteris membranæ partibus hinc inde ad bacillos ſuos convolutis. Et dum velut ex pagina ad paginam legendo pergendum eſſet, alter bacillorum à quo longius procedebatur, involvebatur magis, alter verò ad quem accedebatur paululùm explicabatur. Cœlum ergo membranæ hujuſmodi in totum explicatæ ſimile, quia in eo ſtellæ velut litteræ, & ſcripturæ conſpiciuntur: ſtellis verò inde elapſis, id eſt, velut elapſæ eſſent, non apparentibus; ſole quoque & luna obſcuratis, ut hic dicitur: cœlum eidem membranæ omnino convolutæ ſimile fit, in qua nullæ litteræ aut ſcripturæ conſpici poſſunt.

CAPUT VII.

℣.2. *ET vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei vivi.* Hunc Angelum quidam putant eſſe Chriſtum. Sed contra eſt quod dicit, *quoad uſque ſignemus ſervos Dei noſtri.* Nam ſi Chriſtus loqueretur, diceret, quoad uſque ſignentur ſervi mei, vel ſervi patris mei.

Quatuor Angelis quibus datum eſt nocere terræ, & mari. Hos Angelos poſtea ſolutos ad nocendum, teſtatur Joannes infrà cap 9. Apparet autem tam ex hoc, quam illo loco malos fuiſſe Angelos. Vide Annot. cap 9.

A ℣.4. *Et audivit numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël.* In enumeratione duodecim tribuum filiorum Iſraël ponitur tribus Manaſſe filij Joſeph; omittitur autem tribus Dan, qui fuit unus ex duodecim patriarchis, cujus etiam tribus alibi ſemper annumeratur cum reliquis. Quæ autem ſit cauſa cur hoc loco non annumeretur, ſed in ejus locum alia tribus ſubſtituatur, duæ ſunt opiniones. Quidam putant ideo eam tribum ex hoc catalogo excludi, quia ex ea naſciturus ſit Antichriſtus: ut per hoc ſignificetur, excludendos à ſocietate electorum omnes Antichriſti ſectatores. Quod autem ex ea tribu Antichriſtus naſciturus ſit, ex prophetia Jacob probabile faciunt, qui dixit: *Fiat* B *Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, cadat aſcenſor ejus retro.* Quæ verba de Antichriſto ex illa tribu naſcituro dicta intelligunt. Sic Rupertus & Haymo interpretantur. Item Areta Epiſcopus Cæſarienſis. Vide Annot. Gen. 49. Quamquam propheta, ſecundum aliorum interpretationem, alium ſenſum accipit. Alij propterea tribum Dan omiſſam putant, quia tribus iſta, ut habemus in libro Judicum cap. 18. prima omnium tribuum declinavit ad cultum idolorum, ideoque indigna habita, cujus nomen in Catalogo electorum poneretur. Vide Annot. Judic. 18.

Notandum quod Num. 1. & alibi, Levitæ non numerantur inter duodecim tribus, ſed extra duodecim; quia ibi numerantur tribus deſtinatæ ad circumdandum, C & protegendum, caſtris per circuitum diſpoſitis, tabernaculum Domini; & ad præliandum contra hoſtes. Vnde ibi perpetuò additur, *Omnes qui poterant ad bella procedere.* Levitæ autem erant deputati miniſterio tabernaculi: ideoque ut ibi dicitur, *in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati cum cæteris.* Hoc autem loco ſubmota tribu Dan, reponitur Levi; quia in regno cœleſti nullus jam uſus erit ſacerdotii externi, ſed omnes illius regni cives erunt reges & ſacerdotes Deo ſuo. Vnde Levi ab aliis ibi non diſtinguitur, ſed cum iis promiſcuè numeratur. Vide Annot. Num. 1. Sed quomodo dicit, *ex omni tribu*, cum tribus Dan hic non numeretur? An ſenſus eſt *ex omni tribu*, id eſt, ex duodecim tribubus; quâ phraſi ſolet univerſus populus Iſraëliticus ſignificari, licet in iis duodecim, Levi tribus cenſeri non ſoleat, quomodo D hic non comprehenditur tribus Dan? Vel, *ex omni tribu*, id eſt, ex omni populo in multas tribus diviſo. Vel, *ex omni tribu*; quia electi ex Dan, cùm ſint pauci aliorum comparatione, aliis tribubus accenſentur, ſicut ſecundarium principali: ut ſolent parvulæ ditiones comprehendi in cenſu majorum.

℣.5. *Duodecim millia ſignati.* Non ſignificatur certus & definitus numerus electorum ex unaquaque tribu, videlicet duodecim millia. Hoc enim non eſt veriſimile, æqualem electorum ex omnibus tribubus numerum fore, eumque præciſè duodecim millium; ex Dan autem tribu nullos fore electos, cùm ipſe Dan, & ex ejus poſteritate Sampſon, cui epiſtola ad Hebr. perhibet teſtimonium, & ejus parentes, rectè credantur eſſe electi. Sed hac tribu certa ratione prætermiſſa, ſignificatur nihilominus ex ſingulis tribubus, non ita E multos fore quos deſignat Apoſt. numero 12 millium, ponens certum numerum pro incerto; ſimulque perfectionis cujuſdam in hoc numero ſignans myſterium. Neque id certum, quòd ex poſteritate Joſeph in duas tribus diviſa plures ſint electi quàm ex alia quacunque tribu: præſertim cum tribus Juda ſemper valdè numeroſa fuerit, & cæteris diutius multò, permanſerit in cultu veri Dei. Nam in Ephraim initium fuit defectionis à vera religione, ſub Jeroboam rege, *qui peccare fecit Iſraël.* Vitandus eſt autem hic error, quem mundo propinavit Ambroſ. Catharinus, ſcilicet,

per numerum hunc definitum centum quadraginta A quatuor millium ſignificari electos; per cæteros autem innumerabiles, deſignari eos qui ſalvandi quidem ſunt, non autem electi. Vide noſtra in 1. diſt. 40. Conferri etiam debet hic locus, cum eo qui eſt cap. 14. ad utriuſque loci veram & genuinam intelligentiam. Quidam parum conſideratè exiſtimant hic omitti tribum Ephraim, ejuſque rei rationes quærunt; ut Rupertus ſuper Geneſ. 49. ſed falluntur. Nam nominis tantùm eſt omiſſio, non rei: ſignificatur enim per tribum Joſeph, quæ jure adoptionis bipartita fuit, ac diviſa in eam quæ vocatur Ephraim, & patris nomine exprimitur, & eam quæ Manaſſe, quæ proprio nomine ſignificatur. Quin & alibi Joſeph tribus pro Ephraim ponitur ut Pſal. 77. *Repulit tabernaculum Ioſeph*, quod exponens ſubjungit: *& tribum Ephraim non elegit.* B Quærat ſtudioſus rationem ordinis quo enumerantur hæ tribus; an conveniat cum ordine, quo alicubi in veteri teſtamento enumerantur; Numer. 1. & cur Manaſſes longè ante Ephraim ponatur; & cur Levi octavo loco.

℣. 9. *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Non vult ſignificare ignotum eſſe numerum electorum: ſic enim nec præcedentes numerari debuiſſent, ſed ſignificatur immenſa & numerabilis multitudo credentium ex gentibus. Obſerva, etiam electos aliquando dici innumerabiles.

Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Hoc non de ſolis dicitur martyribus, ſed ad univerſitatem electorum ex gentibus pertinet, ut docent antecedentia verba. Omnes igitur amicti ſunt ſtolis albis, propter nitorem & candorem juſtitiæ; quæ & ſtola pri- C ma eſt apud Lucam, cap. 15. & veſtis nuptialis, quam qui non habet, ejicitur foras. De hac etiam dicitur infrà cap. 19. *Vt cooperiat ſe byſſino ſplendente & candido. Byſſinum juſtificationes ſanctorum ſunt*, id eſt, opera juſtitiæ; de quibus item cap. 14. *Opera eorum ſequuntur eos.* Valent hæc omnia contra noſtri temporis hæreticos, qui contendunt omne opus etiam juſti hominis, immundum & peccati ſorde coinquinatum eſſe.

℣. 10. *Dicentes: Salus Deo noſtro qui ſedet ſuper thronum, & Agno.* Quomodo ſalus optatur Deo qui non poteſt non eſſe ſalvus, cùm ſit ipſa ſalus? Senſus hujus loci petendus videtur ex cap. 12. ubi poſt draconem cum Angelis ſuis devictum & projectum in terram, Joannes audit vocem dicentem: *Nunc facta eſt ſalus* D *& virtus, & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum &c.* Id eſt, nunc Deus noſter per hanc victoriam quam dedit electis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ, contra draconem; fecit ſalutem, & exercuit virtutem, hoc eſt potentiam ſuam; & ſibi fecit regnum in ſanctis ſuis, ejecto Diabolo & Angelis ejus, qui regnum inteſtino quodam bello turbabant. Sed & Chriſti poteſtas, cujus in ſanguine ſancti Diabolum vicerunt, declarata eſt. Vnde ſtatim ſequitur: *Et ipſi vicerunt eum propter ſanguinem Agni, &c.* Quod ergo hic dicitur, ſimiliter intellige; hoc modo: Salus omnis noſtra, ad Deum noſtrum Authorem, & ad Agni merita referenda eſt, Vel hoc modo, ſalus activa, ſive ſalvatio, quâ Deus nos ſalvavit, ei E tribuatur & agnoſcatur per confeſſionem laudis. Ita in Pſalmo 3. *Domini eſt ſalus.* Hymnus Eccleſiaſticus, *Sit ſalus illi, decus atque virtus &c.*

℣. 12. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro.* Subaudi, detur, tribuatur, vel quid ſimile, prout ſingula membra poſtulant. *Benedictio* Deo noſtro, id eſt, Deus noſter benedicatur à nobis: dignus eſt quem omnes laudibus celebrent. *Claritas*, id eſt, gloria, Deo noſtro, id eſt, glorificetur à nobis, Deus noſter. *Sapientia* Deo noſtro, id eſt, ſapientiam ejus A omnes prædicemus. *Gratiarum actio* Deo noſtro, id eſt, gratias ei agamus. *Honor* Deo noſtro, id eſt, honorificemus eum, quia dignus eſt. *Virtus & fortitudo Deo noſtro*, id eſt, virtutem & fortitudinem ejus omnes prædicemus.

℣. 14. *Hi ſunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.* Hoc rurſus ad omnes electos è gentibus pertinet, nam iidem hic monſtrantur, qui paulò antè, ſcilicet turba magna quam dinumerare nemo poterat. *Veniunt* autem omnes *de tribulatione magna*, quia tentatio & militia eſt vita hominis ſuper terram. Et omnes qui piè vivere volunt in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur. *Lavant autem & dealbant ſtolas ſuas in ſanguine Agni*; quia juſtitiæ nitorem & can- B dorem omnem quem habent, non aliundè habent, quàm ex merito paſſionis Chriſti.

℣. 15. *Et ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus. Die ac nocte*, pro perpetuo, cathacreſis quædam eſt, cùm de futura illa beatitudine dicatur infrà cap. 21. quia *nox illic non erit.* Sic è diverſo cap. 20. dicitur. Quod *beſtia & Pſeudo propheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*; cùm utique dies illic nulla ſit futura: ſed eſt phraſis accepta à tempore hujus vitæ, in qua dies & nox ſibi ſuccedunt. Ita dicitur Luc. 2. quod Anna non diſcedebat de templo ſerviens die ac nocte.

℣. 16. *Nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus.* Subaudi, affliget illos. Nam (*cadet*) ibi non quadrat. Hujuſmodi eclipſes ſunt & alibi. Jacob. 1. *Glorietur autem frater humilis, &c.* Vide ibid. noſt. Comment.

℣. 17. *Quoniam Agnus, qui in medio throni eſt, re-* C *get illos.* Græcè ποιμανεῖ, propriè *paſcet*, ſcilicet eo modo quo paſtor oves. Vnde & ſequitur; *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

CAPUT VIII.

℣. 3. E*T alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei. Hunc Angelum* quidam Michaëlem Archangelum intelligunt, quidam Chriſtum. Quid per *incenſa* intelligatur, ipſe B Joannes exponit, nempè orationes ſanctorum. Chriſtus itaque, ſive Michaël Archangelus, ſuſcipit *incenſa*, id eſt, orationes ſanctorum, & ea ponit in *thuribulo aureo*, per quod corpus Chriſti mortale intelligi- D tur, quod oblatum eſt inſtar incenſi. Per quod ſignificatur, orationes ſanctorum, ſive quas pro ſe fundunt hic in terris, ſive pro aliis jam in cœlo exiſtentes; niſi in illo thuribulo reponantur, id eſt, Chriſti paſſione & morte adjuventur, acceptabiles eſſe non poſſe. Vnde & Eccleſia in ſuis orationibus hunc uſum conſtantiſſimè ſervat, ut eas concludat hoc modo, Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Cæterùm ex eo quod Angeli orationes noſtras offerant Deo, benè ſequitur quòd pro nobis orent: Non enim aliter intelligi poſſunt orationes noſtras Deo offerre, quàm eas commendando, ut Deus illas ſuſcipere, acceptare, & exaudire dignetur. Hoc autem eſt E ſuas orationes noſtris adjungere, ſuiſque orationibus noſtras adjuvare.

℣. 12. *Et dies non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter.* Alia exemplaria, *nox*; alia, *noctis*; Græcè eſt *nox*, ut & *dies* nominandi caſu. Sic enim Græca ſonant, *Et dies non luceret tertiā parte ſui, & nox ſimiliter.* Liranus *diem* interpretatur novum teſtamentum; *noctem*, vetus: non malè. Lex enim vetus figurarum obſcuritatibus involuta, umbram continet futurorum, cujus illuſtratio eſt in novo teſtamento Quod autem adducit illud ex Apoſtolo Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit*; accommodari quidem id poteſt ad

vetus

vetus & novum teſtamentum; non autem proprius eſt illic ejus loci ſenſus. Nox enim infidelitatis ibi intelligitur; dies autem fidei revelatæ. Vide ibidem noſt. Coronicor.

CAPUT IX.

℣.1. ET *quintus Angelus tuba cecinit; & vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram; & data eſt ei clavis putei abyſſi*. Data est ei, non ſtellæ, ut quidam expoſuerunt, ſed Angelo quinto, poſtquam tuba cecinisset. Sic enim cap.20. in principio legimus Angelum deſcendentem de cœlo habuiſſe clavem abyſſi, & apprehenſum draconem ligaſſe per annos mille. Sic etiam hoc ipſo capite, ſextus Angelus jubetur ſolvere quatuor Angelos ad Euphratem alligatos. Poteſtas enim ligandi & ſolvendi Dæmones, id eſt, cohibendi & relaxandi eos quoad effectum nocendi, quæ per clavem abyſſi ſignificatur non eſt cuiquam malorum Angelorum data, ſed bonis ſolummodo. Nam Diabolus qui cunctis præeſt dæmonibus, & qui hoc loco per ſtellam cœlo delapſam ſignificatus eſt; nunquam ſuorum Angelorum malitiam cohibet ne noceant, ſed magis quantum in ſe eſt, eorum miniſteria ſic ordinat, ut quam maximè noceant.

Et vidi ſtellam de cœlo cecidiſſe in terram. Hanc viſionem de Luthero & Lutheranis non ineptè interpretatur Bellarminus in oratione quadam impreſſa cum controverſiis.

℣ 5. *Et datum eſt illis.* Pro *datum* in quibuſdam libris eſt *dictum*. Sed Græcè eſt ἐδόθη. id eſt, *datum eſt*. Qui *dictum* legunt fortè eo moventur, quia paulò antè ſimili tropo dicitur: *Et præceptum eſt illis*. Cæterum res eodem recidit.

℣ 6 *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient eam &c.* Hanc ſententiam author commentarii apud Ambroſ. interpretatur de bonis, qui propter graviſſima mala quæ patientur ab hoſtibus veræ religionis, optabunt mortem ut à tantis malis liberentur. Verùm contextus omninò poſtulat, ut de malis dictum intelligatur, id eſt, de iis *qui non habent ſignum Dei in frontibus*, in quos proinde ſævire permittentur locuſtæ uſque ad cruciatum intolerabilem, non tamen uſque ad mortem. Hoc enim perſpicuè ſignificant illa verba: *& præceptum eſt illis ne læderent, niſi tantùm homines qui non habent ſignum Dei in frontibus ſuis, & datum eſt illis ne occiderent eos, ſed ut cruciarent menſibus quinque &c.* tum ſequitur: *Et in diebus illis quærent homines mortem &c.* utique propter illos cruciatus quos eis inferent locuſtæ.

℣.11. De locuſtis dicitur: *Et habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi; cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomen Exterminans.* Hoc poſtremum, *& Latinè habens nomen Exterminans*, interpres addidit de ſuo; nam Joannes Græcè ſcripſit Apocalypſin: Interpres autem ſignificationem vocis etiam Latinè reddere voluit ex Græco, ſicut Joannes reddidit ex Hebræo. Per hunc locuſtarum regem Angelum abyſſi, intelligitur princeps hæreticorum Diabolus, qui rectè Exterminator, ſeu perditor, dicitur, quia omne ejus ſtudium, intentio & ſcopus eſt perdere. Neque enim putandum eſt Angelos vel bonos vel malos habere nomina more hominum, ut ex illis ſe mutuò agnoſcant, & iis ſe mutuò compellant; ſed nomina illis ex ſuis proprietatibus attribuuntur, noſtri cauſſa; ut ex nomine intelligamus eorum ſtudia, voluntates, & opiniones. Locuſtæ habent facies hominum, capillos mulierum, ſed caudas ſcorpionum; quia hæretici humani ſunt in ſpeciem, tanquam homines imò blandi inſtar mulierum, ſed cauda ferunt venenata, quia ſub blanditiis ſermonis tegunt peſtilentem & perniciosam doctrinam, ad Rom.

A ultimo. *Per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.* In benedictionibus, habent facies hominum, in dulci ſermone, capillos mulierum; ſed ſeducentes corda innocentium, oſtendunt ſe habere caudas ſcorpionum.

℣. 14. *Solve quatuor Angelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate* Non dubium quin de malis hæc dicantur. Non enim boni Angeli alligantur ne noceant, ac ruſum ſolvuntur ut noceant, quaſi à nocumento inviti abſtineant: ſed hæc malis Angelis propria ſunt, quibus ſemper adeſt voluntas nocendi, ſed non ſemper datur poteſtas. Quid autem ſibi velit hujuſmodi alligatio. Vide Annot. Tob. 8. De his quatuor Angelis habes etiam ſuprà cap. 7.

℣ 20. *Neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum ſuarum, ut non adorarent dæmonia, & ſimulacra aurea &* B *argentea &c.* Videtur hic eſſe ſenſus: Non egerunt pœnitentiam de peccato, quo coluerunt opera manuum ſuarum, id eſt, ſimulacra manibus facta quæ mox enumerantur. Vnde Pſalmiſta Pſal. 113. *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Interponit autem mentionem dæmoniorum, non quia illa ſunt opera manuum, ſed quia in operibus manuum, id eſt, ſimolacris, dæmonia colebantur. Similiter intelligendum videtur quod infrà dicitur cap. 16. *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.*

CAPUT X.

℣.2 ET *habebat in manu ſua libellum apertum.* C Græcè βιβλαρίδιον, quod valdè diminuit; id eſt, libruro valdè exiguum. Qui tamen infrà vocatur liber, quem Joannes juſſus eſt devorare. Sed nota in Græco ſemper haberi idem vocabulum, βιβλαρίδιον. Vnde & Eraſmus aſſiduè vertit, *libellum*. Videtur ſignificari Scriptura ſacra aut notitia rerum divinarum; quæ ideo vocatur *libellus*, quia omnis notitia quam de Deo ac rebus divinis aſſequimur in hac vita, etiamſi multum proficiamus, tamen ſi ad eam, quæ nobis dabitur in futura vita, conferatur, perexigua eſt.

℣ 6 *Quia tempus non erit amplius.* Duobus modis intelligi poteſt: Vno, omnis mutabilitas tranſibit, & veniet ſtatus rerum ſtabilis, videlicet futuri ſæculi poſt judicium. Tempus enim eſt numerus motus, deſinente ergo motu deſinit tempus; & deſinente mutabilita- D te mundi inferioris, cenſetur & tempus reſpectu ejuſdem deſinere. Aliter, Tempus operandi & merendi non erit ampliùs, juxta illud: *Operemur bonum, dum tempus habemus.* Galat. 6. Item. *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Joan. 9. Et ita tempus ſignificabit opportunitatem vel commoditatem temporis, quomodo frequentiſſimè ſumitur. Eſt tamen Græcè χρόνος non καιρὸς, uti eſt ad Galat 6. Vnde probabilior fit prior expoſitio. quæ tamen poſteriorem includit. Poſteriorem probabiliorem reddit locus ſimilis ex Evangelio; Item circumſtantia loci Agitur enim de extremo judicio, in quo omnium facta judicabuntur, & poſt quod non erit ampliùs tempus operandi.

℣.9. *Accipe librum & devora illum, & faciet amaricari* E *ventrem tuum; ſed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Quod hic Joanni dicitur, hoc in ejus perſona dicitur omnibus qui mittuntur ad prædicandum verbum Dei. *Liber* eſt cognitio rerum divinarum; hic liber *in ore dulcis eſt tanquam mel*, quia cognitio veritatis dum percipitur, multum delectabilis eſt & ſuavis: Vndè quidam hac ſuavitate contemplationis detenti, nolunt ſe dare actioni qua paſcant & doceant populum Dei, quemadmodum refert Gregorius in paſtorali part. 1. cap 5. merentes nimirum amaritudinem illam, de qua dicitur: *Et faciet amaricari ventrem tuum* Quia cum quis incœpit diſtribuere populo verbum Dei, ſicut venter cibum concoctum diſtribuit in alia membra

patitur

patitur moleſtias, dum alii non aſſequuntur, ut infirmi; A alii etiam repugnant & perſequuntur, ut impii. Cæterum, non obſtante hac amaritudine jubetur Joannes *devorare librum.* Et ei dicitur; *Oportet te iterum prophetare gentibus & populis &c.* ad ſignificandum quod nemo ſit excuſatus coram Deo, qui prætextu moleſtiarum quas metuit, legitimè vocatus recuſat prædicare verbum, & paſcere populum Dei. Hoc enim Joanni dicitur in perſona omnium qui librum devorant, quoſcumque Eccleſia ad opus prædicationis vocat.

CAPUT XI.

℣. 2. *ET civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus. Calcabunt*, id eſt, ſæviſſima perſecutione affligent, quaſi omninò eam perdituri atque oppreſſuri; quæ tamen adeo non peribit, ut illa ipſa B perſecutione, velut aurum per ignem, illuſtrior ſit evaſura.

℣. 3. *Et dabo duobus teſtibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta &c.* De his duobus teſtibus variæ ſunt opiniones interpretum. Communis ferè opinio habet eos eſſe Heliam & Enoch. Nam hi duo divinitus rapti leguntur ex communi hominum conſortio, ſine morte. Itaque putantur aliquando redituri tempore Antichriſti, & ab eo occidendi, prout hoc loco ſcribitur. Victorinus putat eos fore Heliam & Jeremiam. Sunt qui intelligant Heliam & Moyſen, idque probabile faciunt, quia hic dicitur: *Hi habent poteſtatem claudendi cælum ne pluat diebus prophetiæ ipſorum;* Id quod in Heliam competit. Et rurſum; *Et poteſtatem* C *habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga quotieſcumque voluerint.* Qualia manifeſtum eſt Moyſen feciſſe in terra Ægypti. Beda cum in libro de ratione temporum cap. 67. per duos teſtes intellexiſſet Enoch & Heliam; idem tamen in Commentario hujus loci, ſecutus Primaſium, intelligit univerſitatem teſtium, id eſt, prædicatorum verbi Dei, qui in duobus intelliguntur, propter duo teſtamenta, in quibus prædicatio veritatis nunquam ceſſavit. Nec diſſimiliter Rupertus interpretatur, qui per duos teſtes duos ordines teſtium intelligit; alios tempore pacis Eccleſiæ, qualis fuit Enoch, alios tempore perſecutionis, qualis fuit Helias. Pro Enoch facit quod raptus ſit ſine morte, ſicut Helias. Item communior à D patribus accepta opinio, per modum cujuſdam traditionis. Qui horum commentarius ſit optimus, expendant ſtudioſi.

℣. 5. *Et ſi quis voluerit nocere eos, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum* Videtur reſpicere ad hiſtoriam ſacram, quę refert ad Helię imprecationem (hoc eſt enim quod ait, de ore eorum) ignem deſcendiſſe de cœlo, & devoraſſe eos qui venerant à rege impio miſſi. Simile quid in Moyſen competere videtur, de quo refert ſcriptura 16. quod cum adverſus eum commota fuiſſet ſeditio, ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros offerentes incenſum. Et rurſum incendio vaſtari fuerit ex populo ad quatuordecim millia ſeptingentos. An autem hi duo prophetæ qui hoc loco venturi prædicuntur; ſimilia facturi ſint; E & an hoc ſignificetur his verbis, quæri poteſt.

℣. 7. *Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Vincet *illos* quia prævalebit adverſus eos corporaliter, comprehendendo eos & interficiendo; quod tamen Deus non eſt permiſſurus niſi poſtquam illi finierint & compleverint ſuum teſtimonium, cujus gratia miſſi fuerint. infrà quoque cap. 13. eodem ſenſu dicitur, datum eſſe beſtiæ bellum facere cum ſanctis, & vincere eos.

℣. 8. *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.* Hinc quidam efficaciter probari putant Antichriſtum regnaturum Hieroſolymis, quia dicitur, *Ubi & Dominus eorum crucifixus eſt;* quod utique Hieroſolymis factum eſt. Sed ſciendum, non aliam hic intelligi *civitatem magnam,* quàm Babylonem, quæ infra deſcribitur, & aliquoties vocatur *magna.* Nam ſpiritualiter eadem eſt Babylon, Sodoma, & Ægyptus, propter myſticam ſignificationem civitatis Diaboli, id eſt, ſocietatis impiorum. Sic autem dicitur hoc loco quod in ea Dominus crucifixus eſt, ſicut infrà dicitur, c. 18. quod in ea ſanguis prophetarum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra. Vide ibi Annot. Ergo in *civitate magna,* id eſt, Babylone myſtica Dominus crucifixus eſt, quia factum eſt id per hanc Babylonem, quæ eſt civitas Diaboli, conſtans ex omnibus malis, præſertim piorum perſecutoribus; quæ maximè eminebit tempore Antichriſti.

℣. 12. *Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube.* Non jam ut olim rapti aut ſublati in cœlum duntaxat aëreum, ut inde in locum terrenum ſibi à Deo præparatum dimitterentur, ſed aſcenderunt in cœlum in nube, ſicut & Chriſtus legitur aſcendiſſe in cœlum ſuſceptus à nube. Aſcenderunt ergo, & non tantùm rapti ſunt; quia jam reſuſcitati ad vitam immortalem glorioſis induti corporibus, ſeipſos per dotem agilitatis ferre poterant in ſublime. Aſcenderunt autem in cœlum, quod ſedes eſt beatorum, longè ſupra nubes ſitum: cùm illud aëreum cœlum ferè ſub nubibus intelligatur in ſacris litteris. Meritò autem cum corporibus aſcenderunt ante generalem reſurrectionem; eò quòd uſque ad illud tempus dilata fuerat eorum beatitudo, etiam quoad animam; cùm tam multi alii ſancti poſt illos nati jam illos præceſſerant in cœlum, quoad animas Dei viſione beatas.

℣. 13. *Et occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum ſeptem millia. Nomina hominum*, id eſt, homines, qui ſigillatim per nomina ſua cognoſci ſolent. Ita quoque ſuprà cap. 3. *Nomina in Sardis.*

Et reliqui in timorem miſſi ſunt, & dederunt gloriam Deo cæli. Id eſt, agnoverunt Deum juſtum, etſi peccatores. Vide Annot. Joſue 7. & Joannis. 9: & Apocal. 16. Quod dictum fuit in fine capitis decimi, *Oportet te iterum prophetare &c.* Quidam referunt ad caput ſequens, & dicunt Joannem vel unum eſſe ex duobus illis teſtibus, vel tertium illis acceſſurum, ut iterum prophetet gentibus, ſicut dicitur; præſertim quia de illis ibi dicitur: *Et prophetabunt diebus mille &c.* Sed rectius eſt ut iſta verba referantur ad prophetias adhuc ſubſequentes in hoc libro. Senſus enim eſt: Nondum ſufficiunt ea quæ revelata ſunt tibi hactenus; ſed adhuc alia reſtant iis addenda. Vide noſt. in 4. diſtinct. 47. & Annotat. Joan. ult.

℣. 15. *Factum eſt regnum hujus mundi Domini noſtri & Chriſti ejus, & regnabit in ſæcula ſæculorum.* Quomodo ergo Chriſtus dicit Joan. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo?* An ibi intelligit regnum temporarium, quale eſt regnum & principum hujus ſęculi; hic autem regnum totius univerſitatis rerum, idque plenum, perfectum & perpetuum? unde addit, *& regnabit in ſæcula ſæculorum.* Quale regnum hujus mundi nondum eſt Chriſti, quia nondum impletum eſt illud, *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Implebitur autem in adventu Chriſti ad judicium; de quo ſcribit Apoſtol. 1. Corinth. 15. *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm evacuaverit omnem principatum;* & quæ ibidem ſequuntur. Et ad Hebr. 2. *Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.* Ratio, quia adhuc mali oppugnant & infeſtant, & ſupplantant bonos, idque facient uſque ad conſummationem ſæculi, donec plenè totum illud regnum Diaboli

ſub-

ſubjiciatur ſub pedibus Chriſti; ita ut mali bonis ampliùs nocere nequeant, ſed nequitiæ ſuæ pœnas luant perpetuas. Quamvis enim etiam nunc regnet Chriſtus nondum tamen regnum pacatum & tranquillum habet, ideoque nec omni ex parte perfectum & beatum; quale tunc demum erit, quando plenè ſubactis hoſtibus, ablata ab iis erit omnis nocendi & rebellandi poteſtas. Sed nec plenè nunc regnat in electis & juſtis, quia & illi nondum perfectè Chriſto ſunt ſubjecti, propter rebellionem carnis adverſus ſpiritum, & peccata quotidiana, quibus Deum offendunt. Regnabit autem & in illis perfectè, poſtquam mortale hoc induerit immortalitatem, & lex peccati quæ eſt in membris & in corpore mortis hujus, fuerit penitus extincta.

B Græca ſuggerunt ſenſum commodiorem; ſic enim, habent: *Facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti ejus*, id eſt, omnia hujus mundi regna, omnis poteſtas humana, tandem penitus ſubjecta eſt Deo noſtro & Chriſto ejus. Vel hoc modo; Omnia hujus mundi regna temporalia finita ſunt, & commutata in unum perfectum & æternum & ſpirituale regnum Dei & Chriſti ejus. Quod ut fiat quotidie precamur, cùm dicimus: *Adveniat regnum tuum.* Quamvis enim Deus ſemper & ab æterno perfectam habeat poteſtatem regnandi: non ſemper tamen habuit regnum; neque adhuc habet regnum omninò perfectum, id demum habiturus in conſummatione ſæculi. Vide noſtr. Comment. locis ex Apoſtolo citatis.

CAPUT XII.

℣. 1. **E**T *ſignum magnum apparuit in cœlo; Mulier amicta ſole; & luna ſub pedibus ejus, & in capite ejus corona ſtellarum duodecim &c.* Hanc viſionem de muliere amicta ſole, Latini interpretes de Eccleſia intelligunt: Græci, & inter Latinos Bernardus, de Deipara Virgine, & Auguſt. de Symbolo lib. 4. c. 1. Et in utramque utcumque competunt ea quæ hîc dicuntur. Vtraque enim *ſole amicta* eſt, quia utraque à vero ſole qui Chriſtus eſt illuminatur: utraque etiam *lunam*, id eſt omnem hujus ſæculi vanitatem & inſtabilitatem *ſub pedibus calcat.* Et cætera utrique accommodari poſſunt. Tantùm videndum quomodo de utraque dictum accipi poſſit; *Clamat parturiens; & cruciatur ut pariat*; cùm B. Virgo pepererit ſine dolore; & Eccleſia quoque Virgo dicatur in ſcripturis. Eccleſia parturit & parit cum dolore & cruciatu, quia per multos labores doctrinæ, exhortationis, increpationis, obſecrationis, filios ſuos Chriſto regenerat, & quaſi Chriſtum in illis parit. Vnde Paulus: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Galat. 4. B. Virgo *cruciatur ut pariat*, ſecundum Græcorum ſcholia, quia verebatur ne à ſuo ſponſo adulterii ſuſpecta haberetur, propter partum. Fortè rectiùs propter ſollicitudinem, quam pro filio naſcituro gerebat; maximè quia dum gravida eſſet, & tempus partus inſtaret, cogebatur proficiſci in Bethlehem &c. Sed expoſitio de Eccleſia convenientior videtur; Et S. Aug. interpretatur de Maria Virgine quatenus typo Eccleſiæ.

℣. 5. *Et raptus eſt filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus.* Raptus dicitur non propter violentiam motus, ſed ob celeritatem, ſicut 1. Theſſal. 4. vide ibi noſt. Comment.

℣. 7. *Et factum eſt prælium magnum in cœlo.* Non videtur intelligendum de primo lapſu Diaboli, quo per ſuperbiam dejectus eſt & decidit è cœlo. Primum, quia *projectus* dicitur *draco & ſerpens.* At quando primum cecidit, nondum ei competebat nomen draconis & ſerpentis, quia nondum in ſpecie draconis ſeu ſerpentis hominem deceperat. Deinde, quia dicitur ſerpens antiquus: At initio non erat ſerpens antiquus,

A ſed Angelus novus. Quare dum dicit *projectum eſſe ſerpentem antiquum*, id eſt, qui olim primos parentes noſtros in paradiſo decepit; ſignificat ſe loqui de lapſu & dejectione multò poſteriori. Tertiò, quia additur, *qui ſeducit*, id eſt, ſeducebat, *univerſum orbem.* Nam Græcè eſt participium πλανῶν, quòd licet ſit præſentis temporis, refertur tamen etiam ad præteritum imperfectum. Quartò, quia dicitur in voce exultationis audita in cœlo; *Nunc facta eſt ſalus & virtus & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti ejus.* At dejectio prima Diaboli & Angelorum ejus, & victoria bonorum Angelorum contra malos, non pertinet ad beneficia Chriſti redemptoris; qui non propter Angelos, ſed propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis. Quintò quia in eadem voce ſequitur: *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei die ac nocte.* Neque enim ante primum lapſum fuerat accuſator fratrum, nec hominum (nam homines electi hîc propriè fratres dicuntur) nec etiam Angelorum. Non enim ante illud tempus accuſabat aliquos die ac nocte, ſed poſtquam creatus eſt homo & peccato depravatus; cœpit eſſe hominum accuſator, Job. 2. & alibi. Sextò, quia eadem illa victoria tribuitur hominibus, quos fratres vocaverat. *Et ipſi*, inquit, *vicerunt eum propter ſanguinem Agni, & propter verbum teſtimonii ſui, & non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Manifeſtum eſt enim hoc dici de hominibus: tum quia dicit eos viciſſe propter ſanguinem Agni, id eſt,

C propter meritum paſſionis Chriſti, tum quia aſſeribit eis animas & mortem; quòd utrumque ab Angelis eſt alienum. Septimò propter illa verba: *Deſcendit Diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus habet.* Hoc enim non competit in illud tempus quo primum cecidit per ſuperbiam; ſed in tempus aliquod longè poſterius.

Sed quæres, quod ſit hoc tempus quo projectus hoc loco dicitur Diabolus è cœlo, & quæ ſit hæc pugna? Reſpondeo, pugnã eſſe & victoriã Chriſti contra Diabolum, quã poſitus eſt in cruce, quando regnum Diaboli morte ſua deſtruxit. De qua victoria dixit: *Nunc judicium eſt mundi; nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Joan. 12. Tribuitur autem bonis Angelis hæc vi-

D ctoria, quia omnes Angeli boni ſunt adminiſtri Chriſti in negotio procurandæ ſalutis electorum. Hebr. 1. Per cœlos videntur ſignificari electi, quos per totum mundum Diabolus poſſidebat, ſed ex iis ejectus eſt per virtutem Chriſti, compugnantibus bonis Angelis. Vnde & dicitur verſ. 12. *Propterea lætamini cœli, &c.* Terra & mare ad quæ Diabolus cum Angelis ſuis miſſus dicitur, ſunt homines reprobi, terrenis deſideriis affixi, & turbulentis affectuum ſuorum motibus inceſſabiliter agitati. In his enim Diabolus regnat, amiſſo principatu quem prius in totum mundum tenebat. At interim perſequitur adhuc mulierem quæ peperit maſculum; id eſt, Eccleſiam: ſed nunquam ei prævalebit, quia ſicut ipſe Dominus promiſit, *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* Matth. 16 Gregorius homil. 34 refert hanc pugnam ad finem mundi, ſed mi-

E nus id probabile.

℣. 10. *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri.* Exemplum habemus in Job, quem Satan accuſabat de mala intentione; quando opera reprehendere non poterat. Accuſat continuò hominem Diabolus apud Deum non exponendo Deo quid homo faciat, quaſi Deus egeat delatoribus, qui eſt cordium inſpector, & omnia novit antequam fiant, ſed quia continuum ſtudium Diaboli eſt & deſiderium, ut homo per peccata Deo fiat odioſus, & in æternum damnetur; unde exultat homine peccante; magis autem ſi ob peccata deſeratur à Deo, ſic ut tandem in æternam mortem incurrat.

Et,

Et, ſi poſſet, etiam per calumniam & falſas criminationes hominem in judicio opprimeret. Hanc enim voluntatem ejus eſſe, liquet ex Dæmone accuſatore S. Job. Et quia tale ſolet eſſe ſtudium delatorum, dum delator in malo accipitur; hinc Diabolus delator ſeu *accuſator fratrum* vocatur. Quod ergo dicit, *projectus eſt accuſator fratrum, &c.* tale eſt ac ſi diceret: projectus eſt peſſimus noſter inimicus, cujus omne ſtudium eſt ut nos perdat & in odium Dei inducat. Porrò boni delatores, qui ideò deferunt peccatum ut corrigatur, & ne communitas infametur, aut malum longius ſerpat; ſimiles ſunt Angelis ſanctis, qui ſignificantur per conſervos illos Matth. 18. qui contriſtati valdè de inclementia conſervi ſui, narraverunt Domino factum ejus. Talis erat & Joſeph, deferens ad patrem crimen peſſimum fratrum ſuorum. Auguſt. conc. 2. in Pſal. 58 dicit quod Diabolus conatur hominibus vera peccata perſuadere; quia ſcit Deum juſtum eſſe, & falli non poſſe, ſcilicet per calumnioſas accuſationes: Quomodo ergo vocatur Diabolus? & quidem hoc cap. ubi dicitur: *qui vocatur Diabolus.* De eo nomine vide Janſen. cap. 15. in concord. Evang. Auguſt. ſerm. 8. de verbis Domini cap. 2. Cùm tu, inquit, ipſe fueris accuſator; & Dominus, liberator: quid erit ille, niſi calumniator? Vide etiam eundem in Pſal. 96.

℣. 11. *Et non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem.* Non eſt ſenſus quod dilexerint, non tamen uſque ad mortem; ſed quod animas ſuas, id eſt, vitam ſuam temporalem, propter confeſſionem Chriſti oderint, etiam uſque ad mortem perferendam pro Chriſto; id eſt, vilem habuerint, poſtpoſuerint veritati Evangelii & confeſſioni ejus: juxta illud Evangelicum Lucæ 14. *Qui non odit patrem, &c. inſuper & animam ſuam, &c.* & apud Joan. 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, &c.*

℣. 12. *Propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis.* Et, videtur eſſe exegeticum, quaſi diceret, cœli, id eſt, cœlites. Sic in præfatione canonis miſſæ; *Cœli, cœlorumque virtutes.* Simili phraſi Hieruſalem & Sion pro filiis, id eſt, habitatoribus civitatis Hieruſalem; & tamen aliquando conjunguntur, ut Pſal. 147. *Lauda Hieruſalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, quoniam ——— benedixit filijs tuis in te.* Sic Baruch. 4. introducit Hieruſalem flebiliter alloquentem filios & filias ſuas, aſſumpta matris perſona; à quibus tamen ipſa non eſt diverſa.

℣. 14. *Ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis.* *Tempora*, duale eſt in Hebr. Danieli. 7. Vide ibi Hieron. in Græco plurale eſt, non duale. Vide Auguſt. lib. 20. de civitat. cap. 23. & ibi Annotat. Ludov. Vives.

CAPUT XIII.

℣. 3. *ET vidi unum de capitibus ſuis quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt.* Non dicit *quaſi occiſum*, quaſi non vera mors ſignificetur, ſed ficta & ſimulata. Subdit enim plagam mortis ejus curatam eſſe; ſed & infrà rurſum dicitur, ℣. 12. *Cujus curata eſt plaga mortis.* Dicitur autem hoc eo modo, quo cap. 5. dicit Joannes ſe vidiſſe Agnum ſtantem quaſi occiſum; quia nimirùm videbat viſione prophetica imaginem Agni occiſi. Ita & hoc loco offertur ei in viſione imago capitis lethaliter ſauciati. Sed quod ſit iſtud caput, vide Commentatores. Non videtur ſignificari Antichriſtus; namque de ipſa beſtia dicuntur, magis in Antichriſtum videntur competere.

℣. 5. *Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias, & data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos.* Et infrà ℣. 7. *Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnem tribum, &c.* Et adhuc infrà, ℣. 14. *Propter ſigna quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ.* Et mox, ℣. 15. *Et datum eſt illi ut daret ſpiritum imagini beſtiæ.* A quo data hæc pleraque, niſi à Deo? qui ea dare dicitur, quia ſecundum ordinem providentiæ ſuæ hæc omnia permittit & vult permittere, diſponens & dirigens ea in bonum electorum, & gloriam ſuam. Imò ab ipſo propriè eſt omnis poteſtas Diaboli, & omnium malorum; licet malus uſus poteſtatis non à Deo ſit, ſed ab ipſorum voluntate.

℣. 7. *Et eſt datum illi bellum facere cum ſanctis & vincere eos. Vincere*, occidendo corpora, non ſeducendo animas. Loquitur enim de ſanctorum cœtu, id eſt, Eccleſia. Et quamvis aliqui tacti ſeducentur, cùm dicatur in Evangelio perſecutionem fore tantam, ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi, & ut cap. præcedenti dicitur, tertia pars ſtellarum cœli trahenda ſit à caudâ draconis: non tamen ſcriptura ſimpliciter diceret ſanctos hoc modo vincendos eſſe, cùm ſermo indefinitus quandam univerſalitatem ſignificet. Et ſimilem ſententiam habemus ſuprà c. 11. de duobus teſtibus, quod *beſtia faciet adverſus eos bellum, & vincet eos, & occidet eos.*

℣. 8. *Quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni, qui occiſus eſt ab origine mundi.* Conſtat Agnum, id eſt, Chriſtum reipſa non fuiſſe occiſum ab origine mundi, cùm ab initio mundi non fuerit homo. Quæritur ergo quo ſenſu dicatur occiſus ab origine mundi. Alii intelligunt occiſum ab origine mundi, in mente præſcientiæ ac providentiæ divinæ. Sed hoc modo omnes martyres occiſi ſunt ab origine mundi, imò, ſic omnia ſunt ab origine mundi. Alii occiſum dicunt ſtatim poſt mundi initium in figura, quando videlicet Abel à Cain fratre occiſus, præfigurabat Chriſtum occidendum à Judæis fratribus ſuis ſecundum carnem. Alii interpretantur occiſum ab origine mundi, id eſt, ſtatim poſt mundi geneſim, propter effectum paſſionis & mortis ejus; quia ut primum cœpit humani generis reparatio, per juſtificationem hominum in Chriſto; cœpit Agni illius ſanguis operari. Nam effectus ejus eſt omnis noſtra juſtificatio. Hæ expoſitiones piam habent ſententiam. Porrò alii, in vero ſcripturæ ſenſu indagando curioſiores, verba ſcripturæ ordinant hoc modo: *Quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine mundi in libro vitæ Agni qui occiſus eſt.* Quæ lectio habet ſenſum indubitatum. Pro hac lectione ſeu conſtructione facit ſimilis locus cap. 17. ubi dicitur: *Et mirabuntur inhabitantes terram quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ à conſtitutione mundi*, ſeu ab origine mundi. Græcè enim vox eadem quæ hoc loco, καταβολῆ. Hic manifeſtè illud, *ab origine mundi*, refertur ad ſcriptionem in libro vitæ, non ad Agni occiſionem, cùm hic Agni occiſi non fiat mentio. Similis locus eſt: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Matth. 25. ubi etiam Græcè eſt ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. Et alibi, electio ſeu prædeſtinatio dicitur facta à temporibus ſæcularibus. Eſtque λιτότης, quâ minus dicitur, plus intelligitur, videlicet æternitas. Sicut à nativitate, de ventre matris; *Priuſquam te formarem novi te, & antequam, &c.* cùm hæc omnia ſint ab æterno. Locum hunc Apocal. ſicuti diximus, interpretatur Rupertus.

℣. 10. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* An oportet, quia omninò ſic futurum eſt, an quia dignus eſt occidi gladio, qui gladio occiderit? Prius dici non poſſe videtur. Multi enim gladio occidunt, qui non pereunt gladio. Poſterior ſenſus non videtur huic loco convenire: Nam pœnam ipſam denunciat hic Joannes; ſicut in eo quod præcedit; *Quì in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet.* Videtur igitur hic eſſe ſenſus, nullam injuriam ſanctis illatam ab impiis & reprobis hominibus, fore impunitam, ſed unumquemque eorum juxta genus & modum

injuriæ

injuriæ quam aliis intulit, pœnas recepturum. Atque hac ſpe juſtæ vindictæ ab impiis aliquando exigendæ, conſolatur pios iis verbis quæ proximè ſequuntur. *Hic eſt patientia & fides Sanctorum.* Sic enim ſuprà cap. 6. animæ interfectorum clamantes ad Deum pro vindicta ſanguinis ſui, jubentur adhuc modicum tempus habere patientiam. Similem adfert conſolationem Apoſtol. Paulus 2. Theſſalon. 1. Maximè verò illud facit ad præſentis rei declarationem, quod Dominus Luc. 18. propoſito exemplo de judice iniquitatis tandem exorato à vidua ut eam vindicaret de ſuo adverſario; ſubiungit: *Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.* Nec hic ſolùm patientia, ſed & fides Sanctorum eſt. Certiſſimè enim credunt futurum hoc Dei judicium, quo præmia juſtis, ſupplici reddet impiis. Pro *patientia* Græcè eſt ὑπομονὴ quæ dictio non ſimpliciter ſonat patientiam quâ toleramus adverſa, ſed patientiam cum expectatione, ſeu expectationem cum patientia, dum videlicet ſpe præmij duramus in malis, & non ad meliora ſervamus, dicitur ἀπὸ τῦ ὑπομένειν, quod eſt expectare, ſuſtinere.

ỳ. 13. *Et fecit ſigna magna.* Intelligit *magna* in oculis hominum, id eſt, quæ hominibus ſunt mirabilia. Nam & Iudæi pro magno reputabant, ſignum oſtendere de cœlo, ut ignem de cœlo deducere, tonitrua excitare, &c. Quaſi illa majora eſſent, quàm infirmos ſanare.

Vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere, &c. Si hæc ad litteram accipienda ſunt; facilè intelligitur miracula Antichriſti & miniſtrorum eius magis ad oſtentationem & vanitatem pertinere; quàm ad hominum utilitatem vel inſtructionem; qualia fuerunt Chriſti & Sanctorum miracula. Et quia pro *magna* ducitur, *ut etiam ignem, &c.* quod tamen apud Job Diabolum feciſſe legimus; colligitur non fore vera miracula, ſed talia quorum etiam dæmones habent poteſtatem; vel ſaltem illuſoria, quale eſt illud de animata imagine beſtiæ & loquente, de qua ſequitur.

ỳ. 15. *Et datum eſt illi ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ.* Hoc, etiamſi ad litteram intelligatur ſic, uti verba ſonant; non tamen erit verum miraculum. Sic enim dat ſpiritum imagini, ſicut dæmones olim dederunt ſpiritum idolis; ſcilicet per aſſiſtentiam ſuam ea ſic movendo, ut animata viderentur. Sic quoque faciet loqui imaginem beſtiæ, ſicut dæmones fecerunt loqui idola; & ſicut locuti ſunt per ventrem Pythoniſſarum, & Diabolus per ſerpentem. Vide Annotat. Geneſ. 3. & noſtra in 2. d. 7.

ỳ. 16. *Characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.* *Character in manu*, eſt per operationem expreſſa & declarata doctrina Antichriſti: *in fronte autem*, per profeſſionem. Verbi gratiâ, characterem Antichriſti in manu habet hodie, qui operatur die feſto, aut feria ſexta carnes comedit; in fronte, qui docet vel profitetur libera voce operari licere diebus feſtis, & quolibet die carnibus veſci.

ỳ. 18. *Numerus enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.* Numerus iſte in Græco ſignatur his litteris χξς. Nam apud Græcos littera χ ſexcenta denotat, ξ ſexaginta, ς ſex; velut ſi Latinè ſcriberemus DCLXVI. Quas litteras Latinas tranſpoſitas, ut pronuntiari poſſint, in quibuſdam Bibliis ſcriptas habent hoc pacto, *Dic lux*, author eſt Antoninus p. 1. Hiſtor. tit. 6. cap. 1. §. 10. Cæterùm loquitur *de numero nominis beſtiæ*, id eſt, litteris nominis eius, indicato. Nam paulò antè vocat *numerum nominis eius.*

De hoc nomine Antichriſti variæ ſunt authorum conjecturæ, quas vide apud Sixtum Senenſem l. 2. §. 11. & lib. 3. c. 2. de elementariæ explanationis modo, & apud Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. c. 10. Similis ex-

A tat prophetia de nomine Chriſti, in libr. 1. carminum Sibyllinorum, ſcilicet numerum nominis eius eſſe octo monadas, octo decadas, & octo hæcatontadecadas, id eſt, 888. qui numerus reperitur in Græco hoc nomine Salvatoris noſtri, Ἰησοῦς, nunc quidem nobis notiſſimo, at ante ipſius adventum incognito, nec quiſquam facilè ex illo numero nominis pronuntiato, nomen ipſum conjecturis aſſequi potuiſſet. Ita & nunc multi ſe torquent, ut ex numero quem Ioannes prædixit, nomen Antichriſti colligant: & tamen fruſtra ab eis laboratum eſt hactenus; quia vel non inveniunt, vel etiã ſi fortè invenerint, ſe inveniſſe habere pro certo non poſſunt. At poſtquam venerit Antichriſtus erit nobis eius nomen notiſſimum, & in illo numerus prædictus conſpicietur, ſicut nunc conſpicitur in nomine

B Salvatoris noſtri numerus ille quem Sibylla prædixit.

Hic ſapientia eſt. Refertur hoc ad id quod proximè præceſſit; *Aut numerum nominis eius.* Unde adhuc de eodem ſequitur: *Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, &c.* Senſus igitur eſt, *Hic*, id eſt, ad hoc, quod de numero dicimus, aſſequendum, opus eſt ſapientia & intellectu; tanquam in re obſcura & ænigmatica; quaſi dicat, hic Ioſepho, aut Daniele quopiam myſteriorum interprete, opus eſt.

CAPUT XIV.

ỳ. 1. **E***T eum eo centum quadraginta quatuor millia; &c.* Hic locus intelligendus eſt de omnibus

C electis præcipuè de martyribus. In hos enim maximè competit *habere nomen Agni & Patris eius ſcriptum in frontibus*, id eſt, Deum & Chriſtum liberè confiteri coram hominibus. Item Eccleſia canit hunc locum Apocal. in divino officio de martyribus, non de virginibus; ſcilicet in feſto Sanctorum martyrum Innocentium. Dicuntur autem electi cum mulieribus non coinquinati, figurato ſermone, quo per coinquinationem corporalem, intelligitur omnis coinquinatio mentis, quæ fit per peccatum mortale, & ea maximè quæ per idololatriam; hæc enim in ſcripturis frequentiſſimè vocatur fornicatio. In hoc item libro dicuntur cum meretrice magna, id eſt, Babylone, fornicati reges terræ; & vocatur mater fornicationum & abominationum terræ: & dicitur corrupiſſe terram in

D proſtitutione ſua. Huiuſmodi ergo fornicationi & abominationi & corruptioni, id eſt, omni generi peccatorum, opponitur hæc virginitas. Item, non ſoli virgines ſunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno; ſed martyres potiſſimum: deinde & cæteri electi, inter quos virgines.

Habentes nomen eius, & nomen Patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Quare non additur nomen Spiritus ſancti? *Reſp.* tota divinitas intelligitur in nomine Patris, eò quòd Pater ſit fons divinitatis, id eſt, aliarum perſonarum principium. *Agni* verò nomen additur hoc loco, non ratione divinitatis, ſed quatenus eſt mediator & redemptor noſter. Id enim indicatur nomine *Agni*, qui oblatus eſt in cruce pro peccatis noſtris. Ideò ergo & Dei nomen & Agni in frontibus

E geritur; quia utrumque credere & confiteri debemus, & Deum & mediatorem, ita ut ſine alterutro non ſit ſalus. Simili ratione hîc in Apoc. aliquando dicitur; *Deo & Agno.* Sic Chriſtus ad Patrem Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Vide eius loci Annot. & infrà cap. 22.

ỳ. 4. *Virgines enim ſunt.* Hoc eſt Eccleſiæ membra; quæ tota virgo eſt; & tota pulchra & immaculata in Canticis vocatur: unde etiam hic dicitur; *Sine macula enim ſunt.* Item *virgines*: quia ſponſum habent Agnum puriſſimum: de quo infrà c. 19. *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor eius præparavit ſe.* Et cap. 21. De ſponſa, *Veni*

& oſtendam tibi ſponſam uxorem agni. Hæc eſt Eccleſia A Sanctorum & electorum Dei. Hieronymus quoque in epitaphio Paulæ, illud; *ſequuntur agnum quocumque ierit*, attribuit Paulæ viduæ, non virgini.

Hi ſequuntur agnum quocumque ierit. Agnum, id eſt, Chriſtum ſecundum humanam naturam; nam ſecundum divinam non dicitur ire quocumque, cùm omnia impleat. Senſus autem eſt, Sanctos regnare cum Chriſto, ſemperque & ubique illi adeſſe tanquam familiares eius & intimos amicos. Hoc volunt ſcripturæ: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Et ſic ſemper cum Domino erimus. Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Vbi ego ſum, illic & miniſter meus.* Quod autem Hieronym. contra Vigilantium ratiocinatur ex hoc loco; Igitur ſi agnus ubique eſt, martyres ubique ſunt; ad hoc tantum valet, ut B probetur martyres, qui ſunt Chriſto præſentes ut amici, noſcentes voluntatem Domini, non poſſe ignorare preces ad ſe fuſas; quod agnus cui ſemper præſentes ſunt, non ſinat eos quidquam ignorare eorum, quæ ad ipſos pertinent. De qua re vide noſtr. in 4. Sent. diſt. 46.

℣. 5. *Et in ore eorum non eſt inventum mendacium*; Propter veritatem confeſſionis fidei. Mendaces enim infrà cap. 21. numerantur & proximè junguntur cum idololatris. Et rurſum dicitur, *Quia non intrabit in eam (civitatem novam) aliquid coinquinatum* (ecce maculam; de qua hic dicitur, *Sine macula enim ſunt*) *aut abominationem faciens aut mendacium.*

℣. 10. *Et cruciabitur igne & ſulphure in conſpectu* C *Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum Agni.* Pertinet hoc ad cumulum pœnæ impiorum, ſimul & gloriæ Sanctorum, quod in horum conſpectu illi puniantur. Sed cur non addidit, Sanctorum hominum vel animarum? quia omnes hi intelliguntur in Agno, tanquam membra in capite.

℣. 11. *Nec habent requiem die ac nocte.* Malè ergo quidam ferias quaſdam & interpolationes pœnarum in inferno, ſomniaverunt. Dicitur *die ac nocte*, non quod ſit viciſſitudo dierum & noctium apud inferos, ubi perpetua nox eſt, ſed quia nos, apud quos illa viciſſitudo eſt, ita loqui ſolemus, quoties ſignificare volumus aliquid fieri continuò & ſine intermiſſione. Vide noſtra in 4. Sent. d. 46.

℣. 12. *Hic patientia ſanctorum eſt, qui cuſtodiunt* D *mandata Dei, & fidem Ieſu.* Refertur hoc ad periodum totam præcedentem ab eo loco: *Si quis adoraverit beſtiam & imaginem eius, &c.* Senſus autem eſt, Deum graviſſimè vindicaturum in impios Sanctorum perſecutores. Hanc vindictam, ſimul & ſuam remunerationem, patienter exſpectant ſancti, permanentes & perſeverantes in cuſtodia mandatorum Dei, & in fide Ieſu Chriſti, propter quam patiuntur.

℣. 13. *Scribe, Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Per hoc quod dicitur, *Scribe*, ſignificatur aliquid novum & peculiare dici his verbis. S. Bernardus ſer. 4. de omnibus ſanctis, dicit hac ſententia diſtingui ſanctos novi teſtamenti à ſanctis veteris teſtamenti. Qui enim tempore veteris teſtamenti moriebantur, nondum erant beati ea beatitudine de qua hic ſermo eſt. E Licet enim requieſcerent à laboribus ſuis, nondum tamen opera eorum ſequebantur illos, id eſt, nondum accipiebant fructum, mercedem aut præmium operum ſuorum; ſicut percipiunt ſancti, qui moriuntur tempore novi teſtamenti. De his enim dicitur quod ſint ante thronum Dei, & ſerviant ei die ac nocte, cap. 7. quod Agnus regat eos & deducat ad vitæ fontes aquarum. Et hoc cap. Quod ſequantur agnum quocumque ierit. Item quod regnent cum Chriſto; Regnaverunt, inquit, cum eo mille annis cap. 20. Frivolum eſt quod hæretici hunc locum objiciunt contra pœnas purgatorias poſt hanc vitam. Si inquiunt, beati ſunt qui in Domino moriuntur: non ergo amplius pœnis obnoxij. Reſpondeo, eos intelligi perfectè in Domino mortuos, qui ita in fide & charitate decedunt ut ab omni macula & reatu peccati liberi ſint. Alioqui enim, mundari adhuc eos neceſſe eſt, ut beatitudinem conſequantur; cùm nihil coinquinatum intrare poſſit in regnum Dei, ut dicitur cap. 21.

Amodo jam dicit Spiritus ut requieſcant, &c. In pleriſque Græcis, *amodo*, jungitur præcedentibus, & conſtrui poteſt cum, *moriuntur*, vel cum *beati*: ut ſenſus ſit, amodo beatos eſſe mortuos, qui in Domino moriuntur. Nam olim non erant beati, ſed ibant in tenebras. Deinde ſequitur: *Etiam dicit ſpiritus ut requieſcant.* Vide tamen an non poſſit hæc eſſe conſtructio: *Etiam*, vel certè, *dicit ſpiritus, ut amodo requieſcant à laboribus ſuis. Amodo*, id eſt poſtquam mortui ſunt. Vide Henricum Vicum libro de deſcenſu Chriſti ad inferos, ſect. 36. bene explicantem hunc locum.

Opera enim illorum, &c. Manifeſtus locus pro meritis operum. Non enim eos ſequuntur opera, niſi quia eos merces operibus debita ſequitur; ſicut patientia pauperum non perit, quia abundè remuneratur. Multò magis facit hic locus contra eos ſectarios qui omnia fidelium opera dicunt eſſe peccata.

CAP. XV.

℣. 1. Q*Voniam in illis conſummata eſt ira Dei.* Hinc colligi poteſt, impios non puniri in gehenna citra condignum. Idem ſignificare videtur quod infrà dicitur; *Septem phialas aureas plenas iracundia Dei.* Vide noſtra in 4. d. 47.

℣. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum miſtum igne, & eos qui vicerant beſtiam, &c. ſtantes ſuper mare.* Qui cap. 13. dicuntur victi à beſtia, dicuntur hic eam viciſſe, quia per patientiam & mortem evaſerunt inſidias & ſuperaverunt horribiles tentationes beſtiæ, conantis eos pertrahere in æternum interitum. *Mare vitreum miſtum igne*, Baptiſmus eſt mare, propter aquam; vitreum, propter puritatem; igneum propter Spiritum Sanctum; de quo Ioannes Baptiſta: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne.* Et Dominus Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu.* Victores beſtiæ *ſtant ſuper hoc mare*; quia gratia baptiſmalis fundamentum eſt totius ſanctæ converſationis, & victoriæ ſequentis contra Diabolum & mundum. Unde & *cantant canticum Moyſi ſervi Dei*, non quod in Deuteron. ſed quod in Exod. cap. 15. deſcribitur; cuius initium: *Cantemus Domino, glorioſè, &c.* Quaſi ſicut illud canticum cantaverunt filij Iſraël per mare rubrum egreſſi ſalvi, ſuperatis ac demerſis hoſtibus: ita iſti Deo gratias agunt de victoria contra ſpirituales hoſtes, cuius cauſam eis præſtitit gratia Dei per lavacrum baptiſmi. Canticum hoc vulgo vocatur canticum Mariæ ſororis Moyſi, non quod ab ea compoſitum, ſed quod ab ea fuerit decantatum. Nam author eius fuit Moyſes, perinde ut poſterioris. Idque ſatis ipſo loco indicatur, cùm dicitur: *Tunc cecinit Moyſes & filij Iſraël carmen hoc Domino.* Huc autem transfertur ad ſenſum anagogicum. Vide eius loci Annotat.

℣. 4. *Omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo.* Poteſt intelligi de omnibus ſine expoſitione hominibus; quia omnes adorabunt, etiam reprobi. Nam & dæmones contremiſcunt, & omne genu, etiam infernorum, in nomine Chriſti flectetur, ad Philipp. 2. *Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Rom. 14. Eſt enim hic ſermo de extremo judicio, quando omnes gentes congregabuntur ante judicem Chriſtum, Matt. 25. Tunc implebitur illud, *Ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Facit quod præcedit: *Quis non timebit te Domine, & magnificabit nomen tuum?* Videtur autem hic locus alludere ad illud

Pſal. 85.

Pſal.85. *Omnes gentes quaſcumque feciſti venient, & adorabunt coram te.*

Quoniam judicia tua manifeſta ſunt. Hic locus in ſpeciem pugnat cum aliis locis ſcripturæ, quæ teſtantur recondita & occulta eſſe judicia Dei, adeò ut ab homine comprehendi non poſſint. Unde Apoſtolus ad Rom. 11. exclamat: *O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei; quàm incomprehenſibilia ſunt judicia eius, & inveſtigabiles viæ eius.* Et Pſalm. 35. *Iudicia tua abyſſus multa.* Solvitur hæc dubitatio, diſtinctione temporis, Judicia Dei occulta ſunt in hoc ſæculo; tantùm nunc ſcimus ea juſta eſſe; ſed cur talia ſint aut talia, nondum nobis apparet; in futuro ſæculo utrumque intelligemus; & juſta eſſe, & propter quid hoc aut illo modo judicaveris Deus. Sic Auguſt. lib. 20. de civit. Dei cap. 2. Cùm, inquit, ad illud judicium Dei B venerimus, non ſolùm quæcumque tunc judicabuntur, verùm etiam quæcumque ab initio judicata, & quæcumque uſque ad illud tempus adhuc judicanda ſunt, apparebunt eſſe juſtiſſima. An autem omnibus patebit ratio prædeſtinationis & reprobationis divinæ; dubium eſt; ibi enim non eſt judicium retribuens debitum, cur videlicet hîc præ illo prædeſtinetur aut reprobetur. Et de eo videtur propriè intelligendum illud Apoſtoli; *Quam incomprehenſibilia ſunt judicia eius, & inveſtigabiles, &c.* Et fortaſſe iſta judicia nunquam revelabuntur.

CAPUT XVI.

℣.6. Et *ſanguinem eis dediſti bibere.* Ad litteram, non exiſtimo aquas in ſanguinem convertendas, neque ſanguinem potaturos Sanctorum perſecutores; quamvis iſta hoc modo in viſione Ioanni fuerint repræſentata; ſed ſignificari quod ſicut illi martyres ſunt perſecuti, eorum ſanguinem fundendo, vel alio modo ijs nocendo, & mortem inferendo: ita ipſi variis tormentis cruciabuntur. Simile quid eſt Sapient. 11. verſ. 7. *Immundum ſanguinem dediſti injuſtis*, quia videlicet occiderant infantes Hebræorum. Quod ergo ibi corporaliter eſt factum, id ſimili exemplo aliquando futurum impiis. Videtur enim ſignificari quod retribuetur eis ſupplicium congruens meritis ipſorum; ſicut dicitur cap. 13. v. 10. *Qui gladio occiderit, gladio peribit.* Quamvis enim ignis gehennæ ſit omnibus damnatis communis: alia tamen ſpeciali D pœna punietur avarus, alia libidinoſus, alia perjurus, alia guloſus, alia ſuperbus. Unde dives ille deſcribitur cruciari in lingua: quia lingua peccaverat. *Per quæ enim quis peccat, per hæc & torquetur;* ut in lib. Sapient. dicto cap. dicitur, & declaratur.

℣.9. *Et blaſphemaverunt nomen Dei.* Vide Annot. Apocal. 5.

Neque egerunt pœnitentiam, ut darent illi gloriam. Quicumque agit veram pœnitentiam, dat gloriam Deo; quia pœnitentiæ actus eſt honorem peccando ablatum Deo reſtituere. Unde Ioſue ad Achan qui peccaverat in anathemate: *Da*, inquit, *gloriam Deo, & confitere quid feceris.* Ioſ. 8. Vide eius loci Annot. Item Ioan. 6. Apocal. 11. ubi exponitur quid ſit dare E gloriam Deo.

℣.10. & 11. *Et commanducaverunt linguas ſuas præ dolore, & blaſphemaverunt Deum cœli, præ doloribus, & vulneribus ſuis.* Quomodo blaſphemaverunt linguis ſuis jam commanducatis, & perditis? An priùs blaſphemaverunt lingua: poſteà animo, & voluntate; quomodo & dæmones blaſphemant ſine linguis?

℣.11. *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus ſuis.* Hoc poteſt intelligi de idolis, quæ ſunt opera manuum hominum; juxta ea quæ dicta ſunt ſup. ad cap. 9.

℣.14. *Sunt enim ſpiritus dæmoniorum facientes ſigna.* Sed fallacia, & mendacia; qualia facturum An-

A tichriſtum teſtatur Apoſt. 2. Theſſalon. 2. *Spiritus dæmoniorum*, ſunt ipſi dæmones, qui paſſim in ſacris litteris, vocantur *ſpiritus mali*, & *ſpiritus immundi.* Sic dicitur virtus temperantiæ, pro ipſa temperantia, videlicet tranſitiva locutione, pro intranſitiva; quæ Hebræis eſt admodum familiaris. Aliter ſpiritus hominum, & ſpiritus beſtiarum, Eccleſiaſtæ 3. *Quis ſcit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendit ſurſum, & ſi ſpiritus jumentorum, deſcendat deorſum?* Unde homines, & beſtiæ nuſquam vocantur ſpiritus; ſed dæmones paſſim vocantur *ſpiritus nequam*, & *ſpiritus immundi.*

℣.15. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.* Stola prima, & veſtis nuptialis, in parabolis Evangelicis B ſignificant charitatem; quam etiam habent infantes baptizati, qui proinde non ſunt nudi. Veſtimenta autem hoc loco ſignificare videntur bona opera; quæ adultis ſunt neceſſaria, & ſine quibus nudi ambulant, & videtur eorum turpitudo; quia niſi adultus exerceat ſe in bonis operibus, juxta legem Dei, perdet etiam ipſam ſtolam primam, & veſtem nuptialem, id eſt, charitatem, juxta illud, *Qui viderit fratrem ſuum neceſſe habere, &c. quomodo manet charitas Dei in illo?* Sic infrà, cap. 19. *Byſſinum ſplendens & candidum*, quæ eſt materia pretioſorum veſtimentorum, *juſtificationes ſanctorum ſunt.* Et in Pſalm. 44. *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato*, id eſt, pretioſo; propter Spiritum Sanctum & meritum vitæ æternæ. Et C Eccleſiaſtes cap. 9. præcipit, *ut omni tempore, candida ſint veſtimenta veſtra.* Cuſtodit autem veſtimenta ſua, qui tenet perſeverantiam bonorum operum; ſeu qui manet in charitate, quæ eſt bonorum operum genitrix: de qua S. Gregor. Operatur magna, ſi eſt; ſi autem non operatur, charitas eſſe deſinit.

℣.19. *Et facta eſt civitas magna in tres partes.* Civitatem magnam, intelligit eam quæ ſequenti cap. deſcribitur, nempe Babylonem, id eſt, confuſam collectionem & ſocietatem omnium malorum. Ea dividitur in tres partes: Nam in ea alij ſunt planè infideles, alij hæretici, alij mali Chriſtiani. Hæc diviſio ab aliis ſic intelligitur; ut in ea alij apertè perſequantur bonos; alij occultè & inſidiosè; alij exemplo, id eſt, mala vita, & converſatione, quâ merentur participes eſſe illius confuſæ & Babylonicæ ſocietatis. Utraque exD plicatio ferè in idem recidit; Nam infideles, ut Ethnici, Eccleſiam Dei manifeſtè perſecuti ſunt; hæretici, inſidiosè eam perſequuntur ſub prætextu Evangelij, libertatis, ac ſyncerae & puræ doctrinæ; quamvis hodie nec à manifeſta, id eſt, corporali perſecutione abſtineant: mali Chriſtiani perſequuntur, neque vim inferendo, neque errorem perſuadendo, ſed malæ vitæ exemplo; qui tametſi ad tempus in Eccleſia ſint, aliquando tamen futurum eſt, ut in illis impleatur illud: *filij regni ejicientur foras.*

Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum. Sicut dicitur Deus dormire, quando vel juſtos non vindicat, vel malos non punit; ita dicitur evigilare & reminiſci, quando bona remunerat, & mala vindicat. E Dicitur ergo *Babylon venire in memoriam ante Deum*, quando tempus inſtat punitionis eius.

℣.20. *Et omnis inſula fugit, & montes non ſunt inventi. Fugit*, id eſt, evanuit, eſſe deſiit, quomodo fugiſſe dicitur è terris pietas, & juſtitia; quomodo ſol oriens fugat tenebras noctis. Deſinent autem eſſe inſulæ, & montes, quia terra ſicut & cætera elementa, redigetur ad figuram naturalem, id eſt, penitus rotundam; non enim ampliùs ſerviet uſui hominum, ſicut nunc; cuius rei gratia, Deus ab initio creationis terræ, aut certè, die ſecundo quando dictũ eſt, *Congregentur aquæ, &c.* terram fecit inſulis, & montibus exuberantem. Habet enim ea res multiplicem uſum, & commoditatem

vitæ humanæ. Myſticè *fugiet omnis Inſula, & montes non invenientur*; quia faſtus, & excelſitas, & ut ita dicam, montoſitas omnis ſuperborum deprimetur, ut piis ampliùs nocere nequeant. Unde in Pſal.9. *Quæretur peccatum eius, & non invenietur*, peccatum, inquam, quo ſuperbus & impiùs oppreſſit ac dominatus eſt pauperum.

CAPUT XVII.

℣.1. V*Eni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ.* Quomodo vocetur hoc loco *meretrix*, quam Iſaias Virginem vocat, dicens, *Sede in pulvere, Virgo filia Babylon*; cap. 47. Vide Annot. eius loci.

℣.5. *Myſterium*, id eſt, Sacramentum. Sic enim vertit infrà: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris.* Non ſignificat ſcriptum fuiſſe in fronte mulieris hoc vocabulum (Myſterium) ſed, verba quæ ibi ſcripta erant, ſcilicet *Babylon magna*, continere myſterium; quod myſterium poſtea quaſi ſub ænigmate explicatur, dum ſignificatur hanc mulierem fuiſſe Romam. Nam Romam hoc loco nominare expreſsè, periculoſum erat, & non neceſſarium. Sic Ieremias, c.25. ſub alio nomine, contra regem Babylonis propheraſſe legitur, dum vocat eam Seſach. S. Hieron. in epiſt. ad Algaſiam q.11. nomen blaſphemiæ ſcriptum in fronte meretricis, interpretatur Romam æternam.

Myſterium; Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum. Quidam de Roma dictum intelligunt, ut Tertull. Hieron. & favet quod infrà dicitur: *ſeptem capita, ſeptem montes ſunt*; Roma enim habet ſeptem colles. Hieron. præfatione in Didymum, De Spiritu ſancto: Dum in Babylone verſarer, & purpuratæ meretricis eſſem colonus, &c. loquens de Roma. Quod Ruffinus lib.2. invectivæ, reprehendit, dicens: Ex qua præfatione videatis, quomodo de Urbe Roma, Deo favente capite Chriſtianorum, ea dicit, quæ dicebantur tunc cum gentiles in ea populi & perſecutores principes morabantur. Quæ verba Ruffini ſunt pro reſponſione ad eos, qui Romam hîc non ſignificatam, ſcripſerunt. Conſtat enim & Tertull. ad illud tempus reſpicere, de quo Ruffinus loquitur. Idem ſatis oſtenditur, ex eo quod dicit Ioannes v. 6. ſe vidiſſe hanc mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & ſanguine Martyrum Jesu; hoc enim ſine dubio eſt referendum ad decem perſecutiones à Romano Imperio commotas toto orbe, adverſus cultores religionis Chriſtianę. Quod autem Roma hîc intelligatur, ex eo etiam probabile fit, quod Ioanni pro interpretatione dicitur in fine cap. *Et mulier quam vidiſti, eſt civitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.* Petrus quoque, juxta multorum intellectum, Romam Babylonem vocavit in 1. ſua epiſt. Verumtamen quia non omnia quæ hic de muliere iſta dicuntur, in Romam urbem competere poſſunt, velut illud in fine cap. ſubſequentis: *Et in ea ſanguis prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra*; ideò credendum eſt, ſub Roma, tanquam principali quodam membro, prophetam nobis voluiſſe deſcribere totam Diaboli civitatem, id eſt, impiorum ſocietatem, eiuſque interitum. Imò, hoc ipſum etiam ad Romam pertinet; quia Romanum imperium patebat latiſſimè. Itaque ſanguis omnium ferè Martyrum effuſus eſt, ex præſcripto legum, quas tulerunt Romani Imperatores, per varios Præfectos, & Præſides, & Judices Provinciarum. Fortè tamen, addendo (*Prophetarum*) extendit nomen Babylonis ad totam diaboli civitatem, & regnum. Vide Riberam, hoc & ſeq. cap. Quomodo Roma fuerit mater abominationum, & fornicationum terræ, bene explicat S. Leo ſerm. 1. in natali Apoſt. Petri & Pauli, quia cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium

A gentium ſerviebat erroribus. Itaque facta erat magiſtra errorum, & fons, ac lacuna omnium vitiorum. Porrò Roma nomine Babylonis ſignificatur, non quod Babylon geſſerit figuram Romanæ civitatis, aut Romani Imperij; ſed propter ſimilitudinem; quia ſicut Babylon olim afflixit, & oppreſſit populum Dei; ita Romanum Imperium initio Eccleſiæ Chriſtianos vehementer afflixit, & graves in eos perſecutiones commovit; & ſicut in Babylone regnabat idololatria; ſic & Romæ, juxta B. Leonis Papæ teſtimonium. Itaque ambæ civitates illæ, in hoc conveniunt, quod figuram quandam geſſerint civitatis & regni diaboli; altera tempore veteris teſtamenti, altera tempore novi: altera in Oriente, altera in Occidente. Unde Aug. lib. 18. B de civitat. Dei cap. 22. & 27. Romam filiam Babylonis vocat, & Babylonem Occidentalem.

℣.8. *Beſtia quam vidiſti, fuit, & non eſt; & aſcenſura eſt de Abyſſo, & in interitum ibit.* Per beſtiam alij Diabolum, alij Antichriſtum intelligunt. Si Diabolus intelligitur, ſenſus eſt: eum olim, nempè ante Chriſti adventum fuiſſe in magno honore, & authoritate per idololatriam, aliaque peccata: Jam verò, id eſt, tempore Chriſti, & Eccleſiæ eius adhuc florentis, *non eſt*, quia poteſtas eius multum debilitata eſt, dicente Domino: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Sed rurſum tempore Antichriſti de Abyſſo aſcenſurus eſt, id eſt, ad tempus poteſtatem exercebit, ſed paulò pòſt Domino ad Judicium veniente, in interitum ibit, id eſt, in ſupplicium æternum. Qui de Antichriſto exponunt, dicunt hanc beſtiam fuiſſe, in ſuis ſatellitibus, & C anteſignanis; de quibus Ioannes: *Iam Antichriſti multi facti ſunt*: Et Apoſtol. Paulus 2. Theſſ. 2. *Nunc jam myſterium operatur iniquitatis*: In perſona autem, nondum eſt; ſed aſcendet de Abyſſo Judaïcæ impietatis; & paulò pòſt, id eſt, poſt tempus & tempora, & dimidium temporis, hoc eſt, tres annos & dimidium, in interitum ibit, quando eum Dominus Jesus interficiet.

℣. 12. *Sed poteſtatem tanquam reges una hora accipient poſt beſtiam.* Græca, *accipiunt*; quomodo etiam multa habent manuſ. & legit Primaſius, *poſt beſtiam*, Græcè μετὰ τοῦ θηρίου, id eſt, cum beſtia, quomodo etiam Primaſij textus habet. Fortè noſter interpres legit μετὰ τὸ θηρίον.

℣. 14. *Quoniam Dominus dominorum eſt, & Rex* D *regum.* Utique ſecundum naturam aſſumptam, loquitur enim de univerſali poteſtate, ac dominio Chriſti; quod, ut homo, accepit à Patre, juxta illud, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Eſt autem illa poteſtas, non terrena, ſed ſpiritualis; quia regnum Chriſti non eſt de hoc mundo. Eſt Dominus, & rex omnium dominorum & regum; quia omnes judicaturus eſt, & poteſtatem judicandi eos jam nunc habet.

CAPUT XVIII.

℣.2. E*T exclamavit in fortitudine dicens.* Manuſſ. plura habent, *in forti voce.* Græca in *fortitudine voce magna.* Senſus tamen omnium idem eſt. Vide notas Franc. Lucæ.

E ℣.4. *Exite de illa populus meus; ut ne participes ſitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.* Quomodo jubemur exire è Babylone, id eſt, ſocietate malorum? corpore an animo? Non dubium quin animo; quia nemini licet animo, & voluntate conjungi impiis, aut quibuſcumque malis hominibus in eo quod mali ſunt. Verùm hic locus, etiam corporalem conjunctionem prohibere videtur, quia pro ratione ſubjungit periculum conjunctionis animorum, quando dicit; *ut ne ſitis participes delictorum eius.* Senſus igitur eſt: Etiam corpore ſeparamini ab impijs, ne contingat animum veſtrum moribus eorum inquinari, & ita fiatis participes ſuppliciorum. Cæterum quia non eſt

per

per ſe malum ; corpore verſari inter malos : hinc præ- A
ceptum divinum de corporali egreſſu & receſſu, tantùm obligat, quantum periculi eſt ne quis particeps fiat impietatis ; & quantum non excuſat neceſſitas. Et quia paucorum eſt ea perfectio, ut ſine periculo inter malos verſari poſſint ; perfecti autem, ſine ſcandalo imperfectiorum, inter eos verſari vix poſſint : manifeſtum eſt, vel nullos, vel certè paucos excuſari, quo minus à manifeſta & pernicioſa malorum ſocietate, qualis eſt hæreticorum, ſecedant. Neceſſitas egeſtatis, quam fere prætendere ſolens, potiùs excuſat ut minus peccens, quàm ut omninò à culpâ ſint liberi.

℣.5. *Quoniam pervenerunt peccata eius uſque ad cœlum.* Figuratus ſermo, quo ſignificatur eo uſque peccata increviſſe, ut jam tempus ſit ea puniendi. q. d. pervenerunt uſque ad habitaculum & conſpectum Dei, ut B
jam diutius diſſimulari non debeant. Non diſſimili figura dictum quod ſequitur : *Et recordatus eſt Deus iniquitatum eius*, dicitur enim Deus recordari peccatorum quando ea punit, aut puniturum ſe ea denunciat.

℣.6. *Duplicate duplicia ſecundum opera eius. In poculo quo miſcuit, miſcete illi duplum.* Deinde ſequitur ; *Quantum glorificavit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, &c.* Non repugnant hæc duo, *dare tantundem, & reddere duplum* : *Tantundem datur*, ſi meritum ſpectetur & valor operum ; quia Deus non punit ultra meritum : *Duplum* autem, id eſt, multiplum, *redditur*, ſi quantitas, ſeu magnitudo & diuturnitas pœnæ comparetur cum magnitudine & diuturnitate volup- C
tatum huius ſæculi, quæ cum ſit momentanea, punitur tamen redditione æterni ſupplicij. Sed id pro merito. Vel potiùs, duplicitas illa refertur, ad pœnas, & tribulationes Sanctis illatas ; quia mali in inferno recipiens longè graviora tormenta, quàm ipſi bonis in hac viſa intulerunt. Neque hoc injuſtum eſt ; quia mala eorum voluntas, tantam puniſionem meruit. Sicut non injuſtè, pro furto, rapina, vel adulterio, quis occiditur ; quia peccatum eius, licet non tantùm pœnæ intulit, tamen tantam pœnam meruit.

Reddite illi ſicut & ipſa reddidit vobis. Sic de eadem Babylone Ierem. 50. *Viſionem accipite de ea ; ſicut fecit, facite ei.* Et iterum. *Reddite ei ſecundum opus ſuum, juxta omnia quæ fecit, facite illi.* Dicuntur autem hæc ad
electos, quos afflixit Babylon. Quamvis enim Sancti D
in hoc ſæculo præceptum habeant orandi pro inimicis ſuis perſequentibus, & calumniantibus ſe ; & prohibeantur reddere malum pro malo ; in futuro tamen ſæculo, quod juſtitiæ erit, non miſericordiæ ; quando nemo à ſiniſtra poterit ad dexteram tranſire, reddetur Babyloni à Sanctis, ſicut ipſa reddidit eis ; quia *lætabitur juſtus, cum viderit vindictam* : Pſalm. 57. & applaudet juſtitiæ Dei punientis impios, ſuamque iniuriam vindicantis. Quin & ipſi judices ſedebunt cum Chriſto, ſuoque calculo Babylonem condemnabunt.

Sicut & ipſa reddidit vobis. Reddidit, id eſt, dedit, phraſi Hebraica, ſicut in Pſalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi ?* id eſt, tribuit,
Et : *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci om-* E
nes retributiones eius, id eſt, beneficia quæ in te contulit. Et Pſalm. 7. *Si reddidi retribuentibus mihi mala*, id eſt, mala inferentibus.

℣.7. *Quantum glorificavit ſe & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum.* Significatur æqualitas proportionis, non abſoluta. Qui enim multum peccavit, multum puniri debet : *Potentes autem potenter tormenta patientur.* Sap. 6. Qui autem minùs peccarunt, minùs puniuntur. Ita ſervatur proportio.

℣.10. *Quoniam una hora venit judicium tuum.* Dices ; Ergo non eſt ſingulorum particulare judicium. *Reſp.* Nihil vetat univerſale judicium, in quo palam

Eſtij Annat. in Script.

tota illa civitas, non animarum, ſed hominum impiorum, judicanda ſit ; una hora fieri : præceſſiſſe autem occultum judicium ſingulorum, non hominum, ſed animarum, quod fiat in morte cuiuſque, ſicut dicit Eccleſiaſticus, Deum in die obitus reddere cuique ſecundum vias ſuas. Eccleſ. 11.

℣.21. *Et ſuſtulit unus Angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare dicens : hoc impetu mittetur Babylon civitas illa magna, & ultra jam non invenietur.* Alludit hic locus ad illud quod habetur apud Ierem. in fine cap. 51. ubi Ierem. mandat Saraiæ, ut librum in quo ſcripta erant mala ſuperventura Babyloni, alligato lapide projiciat in medium Euphratem, dicatque : *Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis.*

℣.24. *Et in ea ſanguis Prophetarum, & Sanctorum inventus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.* *Interfectas*, intellige injuſtè, & maximè propter martyrium Chriſti. Vide de hac Sententia Annot. cap. proximè præcedentis, Item cap. 13.

CAPUT XIX.

℣.5. *Et qui timetis eum puſilli & maximi.* At in regno cœlorum omnes magni ſunt, per illos magnos piſces ſignificati, quos poſt Domini reſurrectionem, ceperunt diſcipuli Ioan. 21. An omnes magni, propter indeſcriptibilem perfectionem, & plenitudinem felicitatis ; & tamen alij puſilli, alij magni, quia differentes ibi ſunt gradus perfectionis ? Ubi tamen quiſque pro ſua capacitate, impletur donis ad vitam illam pertinentibus. Vide Annot. infrà cap. ſeq.

℣.6. *Dicentium Alleluia*, id eſt, Laudate Dominum. Durandus in Rationali varia commemorat de expoſitione huius vocis, ſed commentitia ferè, & ex ignorantia linguæ Hebraïcæ. Quare hanc vocem non reddidit Ioannes Græcè, ut cætera ? an quia Hebraicè proferebatur in viſione ? an verò quia Sancti in cœlo hoc canticum perpetuo canent lingua Hebræa ? Sic Tob. 13. *Per vicos eius Alleluia cantabitur.* Aliam rationem reddit Titel. in expoſitione miſſæ cap. 22. quoniam, inquit, plenitudinem illius gaudij, & plenæ laudis hic non datur experiri in valle conſtitutis miſeriæ ; idcircò non interpretatum Hebraïcè nomen remanſit, ut peregrinum ab hac vita gaudium, peregrinum vocabulum deſignaret, potiùs quàm exprimeret. Ideò tacetur hoc Alleluia, à Septuageſima, uſque ad Paſcha ; quia tunc agimus commemorationem lapſus noſtri, & exilij ; & celebramus pœnitentiam ; & ideò non convenit canticum exultationis & laudis, quod canemus in patria ; & æterno gaudio patriæ aptiſſimum eſt. Et eius loco ſubſtituimus Latinum ; *Laus tibi Domine, rex æternæ gloriæ*, quod non eſt exultationis, ſed tantùm laudis ; quia non eſt cohortatio ad laudem, ut ſolet eſſe, quando aliquid lætum & proſperum accedit. Item ſubſtituimus Latinum Hebræo, id eſt, peregrinum patrio ; quia tunc agitur tempus commemorativum noſtræ peregrinationis à patria. De huiuſmodi vocabulis Hebraïcis in Evangelio, vel uſu noſtro, retentis, vide Baron. tom. 1. Annal.

Quoniam regnavit Dominus Deus omnipotens. Regnavit, id eſt, regnum accepit, phraſi Hebraïca, juxta id quod in Evang. dicitur : *Homo quidam nobilis, profectus, ut acciperet ſibi regnum.* Et ſuprà cap. 11. *Factum eſt regnum huius mundi Domini noſtri.* Sic in Pſalm. *Dominus regnavit*, cùm alioqui dicendum videretur *Dominus regnat*, tempore præſenti. Similem phraſim obſervare eſt in verbo *poſſidendi* ; ut cum dicit Iezabel ad Achab ; *Surge, & poſſide vineam Naboth* ; & Elias ad eundem : *Occidiſti, & poſſediſti.* 3. Regnum 21. Vide eius loci Annot.

℣.8. De ſponſa agni dicitur : *Et datum eſt illi ut*

cooperiant ſe byſſino ſplendenti, & candido. Byſſinum enim juſtificationes ſunt Sanctorum. Non ergo juſtitiæ Sanctorum ſunt velut pannus menſtruatæ. Sanctos intelligit eoſdem, de quibus ſup. cap. 7. & 8. ſcilicet Sanctos Eccleſiæ militantis. Notandum quod dicit *& datum eſt ei*: per quod ſignificatur omnes juſtificationes, id eſt, juſtitias, ſeu juſta opera Sanctorum, eſſe Dei dona, nec poſſe hominem placere Deo, niſi de eo quod ipſe dederit. Congruit illud Pſal. 31. *Sacerdotes tui induantur juſtitiam.*

℣. 9. *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Quomodo ergo de quibuſdam vocatis dicitur Matth. 22. *Quia non fuerunt digni.* Quomodo etiam vocatus & ingreſſus ad nuptias, quod non haberet veſtem nuptialem, expellitur, & in tenebras exteriores projicitur? Unde & non ſemel à Domino dicitur: *Multi vocati, pauci verò electi.* Sed hoc loco intelliguntur vocati ſecundum propoſitum, de quibus Apoſt. Roman. 8. Nuptiæ quoque intelliguntur, non militantis Eccleſiæ, ſed triumphantis. In hac enim omnes digni ſunt; & ideò omnes manent; ex illa multi ejiciuntur, indigni. Ob hanc cauſam altera cœna vocatur, alterum prandium, ut Gregor. obſervavit.

℣. 10 *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, Et dixit mihi, Vide ne feceris; conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium IESV, Deum adora.* Hunc locum Sectarij interdum Catholicis objiciunt, ad impugnandum eum honorem, & venerationem, quæ totius Eccleſiæ conſuetudine, Sanctis in cœlo cum Chriſto regnantibus exhibetur; velut dum genu flectunt, aut humi procumbunt. Neque enim Ioannes Angelum divino cultu honorare voluit, cum probè ſciret ſolum Deum, hoc pacto adorandum eſſe. Igitur, inquiunt, prohibitus fuit Angelum procubitu corporis venerari, Quare nec Sanctos vita defunctos honorare licet. *Reſp.* verba Angeli dicentis, *Vide ne feceris*, non eſſe prohibentis, nec reprehendentis; ſed verba modeſtiæ, quâ hoc in ſe conſiderat, quod cum Ioanne habet commune, nempè ſervum eſſe Dei. Propterea enim addit: *Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum.* Factum eſt autem iſtud, non propter Angelum, cui nullum erat elationis periculum: ſed ad noſtram inſtructionem, ne quis homo, quantumvis magnus, facile ſe patiatur eximio aliquo honore affici, ne in ſuperbiam erigatur; ſed ſtatim ſibi proponat quod cum alio habet commune, nempè hominem eſſe, Chriſtianum eſſe, miniſtrum Dei eſſe, Sic Petrus humiliter recuſavit honorem, à Cornelio Centurione delatum, conteſtatione communis naturæ, quando dicebat: *Et ego ipſe homo ſum.* Actor. 10. Neque enim Centurio eum pro Deo adorabat. Vide Annot. ad eum locum. Cur autem Angeli, ante Chriſti adventum paſſi fuerint ſe adorari, (Nam Abraham & Loth Angelos adoraſſe leguntur, nec prohibiti) poſtea verò, cur noluerint id admittere; rationem reddit Gregor. homiliâ 8. in Evang. Quod ſi Ioannem Angelus reprehendiſſet ut malè agentem; non feciſſet Ioannes idem ſecundò, nec bis in eundem lapidem impegiſſet; nam cap. 22. rurſum adorare voluit Angelum, & rurſum prohibitus eſt, iiſdem modeſtiæ verbis quæ hic leguntur. Itaque hic locus ſcripturæ in hæreticos torquendus eſt; nam planè contra eos, ac pro nobis facit. Si enim Ioannes, tantus Apoſtolus, Spiritu divino plenus, Angelum procubitu corporis in terram adoravit, id eſt, veneratus eſt ſemel, & iterum; igitur hoc factum merito nobis omnibus eſt imitandum in cultu & veneratione Sanctorum Angelorum, & animarum cum Chriſto regnantium Additio B. P. Cenſoris.

Oportet meminiſſe quod hæc reipſa non evenerint, ſed dumtaxat per viſionem imaginariam S. Ioanni oſtenſa ſint (quam viſionem ipſe hîc commemorat, & ſimul Angeli prohibitionem ſibi in viſione factam:) ut cultum Angelorum ex Platonis Philoſophia in Græcia vigentem, iſto modo convelleret; contra quem & Paulus Apoſtolus ſerio agit in epiſtola ad Epheſios & ad Coloſſenſes.

℣. 11. *Et ecce equus albus.* Quem alium non puto eſſe, inquit, Hieron. ſuper Hab. 3. niſi Apoſtolum Paulum, ſuper quem equitans orbem circuierat. Veriſimilius hac ſeſſione Chriſti ſuper equum album, ſignificari triumphum ejus, ex victoria perfecta de inimicis; quomodo ſolebant apud Romanos, qui ex magna victoria redibant, triumphantes vehi equis albis. Unde & hic ſequitur: v. 13. *Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine*, ſcilicet hoſtium quos expugnavit. Et iterum v. 14. *Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis*, ſcilicet comites, & ſocij triumphi, ſicut fuerunt participes pugnæ, & victoriæ; quia in ſanctis ſuis Chriſtus & pugnavit, & vicit; quos proinde & triumphi participes facit.

℣. 12. *Habens nomen ſcriptum, quod nemo novit, niſi ipſe.* Mox autem ſequitur: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Hoc igitur nomen, nemo novit, niſi ipſe, id eſt, rem illo nomine ſignificatam, nemo intellectu comprehendit, niſi ipſe. Quo ſermone, non excluditur Pater, & Spiritus Sanctus, ut qui unum ſunt cum Filio; ſed intellectuales omnes creaturæ. Vide noſtra in 1. d. 21. §. 2. Obſerva peculiare eſſe Ioanni, filium Dei appellare Verbum. Sic in Evangel. & in epiſt.

℣. 16. *Et habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum, & Dominus dominantium.* Hoc videtur accipiendum ſecundum humanam naturam: veſtimentum enim rectè ſignificat humanam naturam, quâ Dei filius, velut indutus eſt. Nam carne indutus Chriſtus, apud Patres paſſim legitur, & canit Eccleſia, *Servile corpus induit.* Femur autem deſignat humanam generationem: unde eſt illud quod in Geneſi dicitur ſeptuaginta animas egreſſas de femore Iacob; & quod Abraham ſibi juraturum jubet manum ponere ſub femore, quia inde exiturus erat ille, in quo benedicendæ erant omnes gentes, ut ait Auguſt. Chriſtus igitur ſecundum hominem Rex regum eſt, & Dominus dominorum; ſed regnum illud & dominium non eſt de hoc mundo, nec ſæculare, ſed ſpirituale.

℣. 20. *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure. Duo*, ſcilicet beſtia, & Pſeudopropheta, id eſt, Antichriſtus cum ſeductoribus ſuis prophetis. Non quod corpore morituri non ſint; cùm dicat de Antichriſto Apoſt. 2. Theſſal. 2. *Quod eum Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui*; ſed quia tam repentino peribunt exitio, ut vivi in infernum miſſi videantur. Vel ſenſus eſt, Eos multo graviori ſupplicio cruciandos, quàm eos, qui ab eis ſeducti fuerint; ſicut multo gravius eſt ſupplicium, vivum igne cremari; quàm gladio occidi. Verùm prior ſenſus magis placet. Nam ſeq. cap. generaliter dicitur: *Et qui non inventus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Et capite 21. *Timidis autem, & incredulis, & exſecratis, homicidis, & fornicatoribus —— pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Vide Comment. citato cap. 2. Theſſal. 2.

CAPUT XX.

℣. 1. *Et vidi Angelum deſcendentem de cœlo habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. Hic Angelus* Chriſtus eſt, qui deſcendit de cœlo, quando propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, homo fieri, & inter homines converſari dignatus eſt. *Clavem habet abyſſi* quia poteſtatem habet, non tantum cœli, ſed etiam inferni. *Catena magna in manu ejus*, eſt poteſtas, quâ conſtringere & captivare poteſt inimicos, quantumvis repugnanter.

℣.2. *Et apprehendit draconem, ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus; & ſatanas.* A Sunt hæc quatuor nomina principis dæmonum, eique in ſcripturis ita propria, ut non temerè ullum eorum reperias attributum alicui inferiorum dæmonum; quos ſcriptura paſſim dæmonia vocat. Unde à conſuetudine ſcripturæ recedunt, qui omnes dæmones diabolos vocant. Utrum autem *Satana* nomen aliquando inferioribus tribuatur, quæri poteſt; de quo vide Annotat. Matth. 12. Veteres, Hilarius, & alij, diabolum interdum zabolum vocant, Unde & Eccleſia canit, *Michaëlem in virtute conterentem zabolum.* Sic enim legendum eſt: à verbo ζαβαλλεῖν, id eſt, διαβαλλεῖν, decipere, calumniari. Vide Hilar. in 24. Matth. Auguſt. Tract. 27. in Ioan. ſub fin. Vide etiam Dialogum Deſiderij de Pronunciatione, poſt medium libri. B

Et ligavit eum per annos mille; & miſit eum in abyſſum; & clauſit, & ſignavit ſuper illum, ut non ſeducat ampliùs gentes, donec conſummentur mille anni. Hæc verba ſignificant diaboli poteſtatem cohibendam, & reſtringendam per adventum Chriſti, uſque in finem ſæculi. Quod totum tempus ſignificatur per mille annos. Cæterùm fine ſæculi appropinquante, quaſi exſpirante mille annorum ſpatio; futurum ut iterum ſolvatur, id eſt, poteſtas eius laxetur, quando per Antichriſtum, & miniſtros eius Eccleſiam Chriſti omnibus tentandi artibus, & machinis impugnabit. Non ſignificat autem hic locus diabolum nunc ita ligatum teneri in abyſſo, ut per ſe homines ad tentandum accedere non poſſit. Quod etſi ita eſſet, non tamen contrarium eſſet, quod dicit Beatus Petrus 1. epiſtola 5. C *Adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret;* faceret enim hoc per ſuos Angelos, ſi per ſeipſum non poſſet. Vide Comment. eius loci. Porrò monet Auguſtin. libro 20. de civitat. capite 7. illud, *donec conſummentur, &c.* vel conſtrui poſſe cum eo quod proximè præcedit, *ut non ſeducat ampliùs;* vel cum illo, *Et clauſit, & ſignavit ſuper eum donec, &c.* ut ſenſus ſit, eum mantſurum in carcere, ligatum uſque ad finem mille annorum. Unde ſequitur: *Et poſt hæc oportet eum ſolvi modico tempore.*

℣. 4. *Et vixerunt*, id eſt, reſurrexerunt reſurrectione prima, quæ eſt beatitudo animarum, de qua ſequitur: *Et regnaverunt cum Chriſto mille annis.* D De animabus interfectorum propter nomen Chriſti, & reliquorum omnium, qui non acceperunt characterem beſtiæ, dicitur: *Et vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* De regno mille annorum variæ fuerunt olim opiniones. Quidam docuerunt Chriſtum poſt reſurrectionem mortuorum regnaturum mille annis in terra, quibus in omne genus voluptatis & libidinis effunderentur, qui nunc ab iis ſe abſtinuiſſent. Sic ſenſerunt hæretici qui à numero appellati ſunt Chiliaſtæ, id eſt, Millenarij, quorum princeps fuit Cerinthus. Alij mille quidem annorum regnum conſtituebant in terra poſt reſurrectionem; ſed in quibus pij in ſumma ſecuritate & pace Deo ſerviant in terris. Hæc ſententia fuit multorum Eccleſiaſticorum virorum, ut Irenæi, Lactantij & aliorum. E Unde & S. Hieronymus dicit in cap. 19. Ierem. ſe eam ſententiam nec ſequi, nec damnare; propterea quod multi martyres iſta dixerint. Verùm & hæc opinio paulatim exploſa eſt. Quod ad hunc locum attinet, manifeſtum eſt non loqui ſcripturam de tali regno, ſed de eo, quo nunc regnant animæ Sanctorum in cœlis, uſque ad diem judicij. Quod vocatur regnum mille annorum, vel propter perfectionem, vel per metonymiam, quâ numerus certus pro incerto ponitur. Sic intelligi manifeſtum eſt; tum quia hoc regnum animabus tribuit, non corporibus, aut hominibus. Deinde quia ſolutionem ſatanæ, & civitatis ſanctæ perſecutionem, & generale judicium, futurum dicit circa finem huius regni mille annorum.

℣.5. *Cæteri mortuorum non vixerunt.* Id eſt, non reſurrexerunt reſurrectione prima; *Donec conſummentur mille anni*, id eſt, uſque ad finem ſæculi. Non quod tunc victuri ſint, id eſt, reſurrecturi reſurrectione prima; quia tunc finitur tempus regni, quod intelligitur in reſurrectione prima, ſed more Scripturæ ſacræ *donec* denotat certum tempus, ad quod uſque aliquid futurum vel non futurum ſit; non ſignificans quid futurum poſtea. Nam utique ſi antè non vixerunt reſurrectione prima, multò minus poſtea victuri ſunt; eodem ſenſu. Eſt enim ſermo de reprobis, cùm dicit, *cæteri mortuorum. Hæc eſt reſurrectio prima*, de qua dixi: B *Et vixerunt*; & quam removi à cæteris dicendo: *Cæteri mortuorum non vixerunt.*

℣.6. *Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus, & ſanctus qui habet partem in reſurrectione prima: In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Reſurrectio prima tantùm bonorum eſt; reſurrectio ſecunda, etiam malorum. Mors prima, bonorum, & malorum eſt; mors ſecunda tantùm malorum. Eſt enim prima reſurrectio, beatitudo animarum ante reſumpta corpora, reſurrectio ſecunda, quâ corpora à morte reſurgent. Mors prima, ſeparatio animæ à corpore; mors ſecunda, proiectio animæ, vel totius hominis in gehennam ignis. Sic enim deſcribitur in fine cap. *Et infernus, & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis; hæc eſt mors ſecunda.* q.d. mors prima miſſa eſt in mortem ſecundam, ſenſu inferius explicando. Item ſequenti cap. C *Pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Agitur hîc tantùm de morte, & reſurrectione, quæ vitam hanc mortalem conſequitur. Alioqui, eſt in hac vita quædam mors animæ per peccatum, & quædam eius reſurrectio per juſtitiam: de qua reſurrectione dicitur Ioan. 5. *Venit hora, & nunc eſt, quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint, vivent*, ſcilicet vita juſtitiæ.

An potiùs dicendum eſt, hîc Ioannem loqui de reſurrectione tanquam præmio, & morte, tanquam ſupplicio? Unde prima reſurrectio eſt, quando ſolæ animæ donabuntur vita æterna; ſecunda reſurrectio, quando totus homo vitam accipiet æternam. Mors prima quando anima ſeparatur à corpore; mors ſe- D cunda, quando totus homo mittetur in æternum interitum.

Sed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti. Chriſto ut homini non ſunt offerenda ſacrificia, ne ſpiritualia quidem, quæ hoc loco intelliguntur. Igitur futuri dicuntur Sacerdotes Chriſti tanquam Dei, non tanquam hominis; ut in eo quod dicitur, *erunt Sacerdotes Dei*, ſubaudiatur, *Patris*; cumque additur *& Chriſti*, par honos tribuatur filio. Aut certè, *Sacerdotes Chriſti* erunt, quia totum Chriſtianæ legis Sacerdotium, tam Spirituale, quod omnibus juſtis commune eſt, quàm externum, quod quibuſdam proprium eſt; profluit tum ex merito, tum ab inſtitutione, & authoritate Chriſti qui idem in utroque Sacerdotio exequendo, principales obtinet partes.

E Sed quod eſt hoc Sacerdotium, quod promittitur futurum in regno mille annorum, id eſt, inter mortem & reſurrectionem? *Reſp.* tunc futurum Sacerdotium ſpirituale perfectum, & omnibus modis abſolutum. Nunc enim nemo ita juſtus eſt, ut non multa faciat Deo ingrata. Tunc autem omnia ſanctarum animarum, opera erunt ſacrificia Deo undequaque placentia. Vide S. Auguſt. libro 20. de civit. Dei cap. 10.

℣.7. *Et ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog. & Magog.* Non ſignificari unam & alteram aliquam gentem, ut Getas, & Maſſagetas (ſicut quidam opinati ſunt) liquet, quia ſignificantur gentes quę ſunt ſuper quatuor angulos terrę, id eſt, toto orbe

terrarum diffuſæ, quemadmodum bene probat Auguſt. lib.20. de civit. Dei cap.11.

℣.9. *Et diabolus qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis, & ſulphuris; Vbi & beſtia, & pſeudopropheta cruciabuntur.* Igitur diabolus altius eſt à beſtia, & à pſeudopropheta. *Die ac nocte in ſæcula ſæculorum*, id eſt, ſine intermiſſione uſque in æternum. Conſtat alioqui, nec in regno cœlorum, noctem, nec in gehenna diem futurum; ſed ut illic dies, ita hic nox erit una, & perpetua.

℣.12. *Et vidi mortuos, magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni. Magnos, & puſillos*; non ſtatura, ſed dignitate ea, quam habuerunt in ſæculo, quomodo dictum eſt ab Eccleſiaſtico cap.5. in fine: *Iuſtifica puſillum, & magnum ſimiliter.* Senſus igitur eſt, omnes tam eos qui in ſæculo potentes, & honorati fuerunt, B ut reges, principes, divites, nobiles, Pontifices, Sacerdotes, doctores; quàm qui viles, & inhonorati; ſiſtendos judicio, & nulla dignitatis habita ratione ſecundum opera judicandos. Quo etiam pertinet quod dicit: *Stantes in conſpectu throni.* Non enim aliquibus ob dignitatem qua in ſæculo excelluerunt, ſedendi dabitur locus, ſed omnes ſtare oportebit; quod eſt judicandorum, & ſententiam judicis expectantium. Item ſubiungitur quod *judicabuntur ſecundum opera ipſorum.* Hoc non competit in puſillos, id eſt infantes. Vide Annotat. cap. præced. & Sapient.6.

Et libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vita. Per libros qui in extremo judicio aperiendi ſunt, C intelliguntur conſcientiæ ſingulorum, in quibus deſcriptum eſt quid boni, quidve mali quiſque fecerit. Ex his libris unuſquiſque judicatur. Per librum vitæ intelligitur liber prædeſtinationis ad vitam æternam. Hic liber modò clauſus eſt, quia nunc neſcitur qui ſint prædeſtinati: tunc autem liber ille aperietur, quia tunc cognoſcetur palam qui ad vitam æternam pertineant. De hoc libro generaliter additur v.15. *Et qui non eſt inventus in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Ut intelligamus non fore medium aliquem locum aut ſtatum poſt diem judicij; ſed omnes vel ad numerum electorum, vel ad numerum damnatorum pertinere.

Sed nunquid infantes ſine baptiſmo mortui mittuntur in ſtagnum ignis? ita videtur ex hac ſcriptura. Poteſt autem dici, per ſtagnum ignis generaliter intelligi D locum pœnarum; in quo loco præcipua pœna, non ſola tamen, ſit cruciatus ignis; cùm ſint & aliæ pœnæ minores.

℣.13. *Et mors & infernus dederunt mortuos ſuos, qui in ipſis erant.* Mors dedit mortuos ſuos, quando eos non ampliùs detinuit, utpotè morti ereptos per reſuſcitationem ad vitam.

Et judicatum eſt de ſingulis ſecundum opera ipſorum. Si de ſingulis; erit ergo judicium illud ita univerſale, ut tamen etiam ſigillatim de unoquoque ſit exercendum. Per hoc autem ſignificatur exacta judicij ratio.

℣.14. *Et infernus, & mors, miſſi ſunt in ſtagnum ignis.* Nam ante judicium eſt quidam infernus præter ſtagnum ignis, id eſt, præter locum damnatorum, E videlicet infernus purgatorij: Et ante Chriſti paſſionem, infernus juſtorum. Item, ante judicium eſt quædam mors præter ſtagnum ignis, nempe mors corporis, & mors peccati in hac vita: ſed poſt judicium nulla erit mors, nullus infernus præter infernum damnatorum, qui hic ſtagnum ignis dicitur; id eſt, gehenna. Vide Lanſæum libr.3. de lymbo, capite 1. qui etiam in hunc modum Scripturam iſtam exponit.

CAPUT XXI.

℣.1. *Et vidi cœlum novum, & terram novam.* Cœli nomine etiam aereum cœlum comprehenditur, ut patet 2. Petr.3. Vide ibi, & Iſai.65.

A *Primum enim cœlum, & prima terra abiit*, id eſt, tranſiit; juxta illud quod prædixerat Dominus in Evangel. *Cœli, & terra tranſibunt.*

Et mare jam non eſt, Vel intelligitur id quod per mare in Scriptura myſticè ſolet ſignificari, nempe tumultus, & commotio huius ſæculi; vel, mare ſecundum ſitum & qualitates, quas nunc habet, ut ſignificetur mare rediturum ad locum univerſi, quem habuit initio creationis, antequam aquæ congregarentur in unum locum; quæ ita congregatæ, appellantur maria; & ita ſignificari poteſt, naturalem partium ordinem toti univerſo reddendum. Quod tamen, utrum dici poſſit, videat lector, cùm dicat B. Petr. 2. epiſt. 3. *Nos expectare novos cœlos, & novam terram in quibus juſtitia habitat.* Nam quomodo habitabit juſtitia in B terra, undique aquis cooperta? Certè flumina tunc nulla erunt, neque fontes; quia rerum ceſſabunt generationes; atqui fontes & flumina, non aliundè exiſtunt juxta Phyſicos, niſi ex continua quidam ſubterranea aquarum generatione. Non dixit mare novum futurum; quia mare non nudè ſignificat aquæ elementum, ſed ſimul importare videtur, quod ſit craſſum, ſalſum, turbidum, inquietum: quæ qualitates poſt hoc ſæculum non erunt, quia Ioannes expreſsè diſtinxit, dicens ſe vidiſſe cœlum novum, & terram novam: mare autem non futurum amplius: neceſſe eſt hîc de mari aliquid peculiare intelligi.

℣.2. *Deſcendentem de cœlo à Deo, paratam.* Conſtructio hæc eſt: *Deſcendentem de cœlo à Deo*; C Deinde ſequitur: *Paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, id eſt, præparatam, & compoſitam, ſicut ſponſam quæ ornata eſt ut recipiatur à ſponſo. Sic Apocalypſis 3. *Et nomen civitatis Dei mei novæ Hieruſalem; quæ deſcendit de cœlo à Deo meo.* Quamquam & verum eſt non ab alio paratam quam à Deo, qui hoc ipſum dat hominibus ut ſe parent, & ornent, operibus virtutum, quibus Deo placeant, ut ſponſa viro. Quid enim habemus, quod non accepimus ab eo, à quo eſt omne datum optimum? Sic infrà: *Et oſtendit mihi civitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei*, Nimirùm quia deſcendit à Deo, ideò habet claritatem Dei. *De cœlo à Deo. A Deo*, additur exegeticè. *De cœlo*, id eſt, *à Deo*. Quæritur utrum D triumphans, an militans Eccleſia hic à Ioanne deſcribatur. Pro triumphante multa faciunt, cœlum novum, terra nova; primi cœli, & primæ terræ tranſitus, & maris interitus. Et illud: *Abſterget Deus omnem lacrymam*, & quæ ſequuntur; Denique *nova omnia.* Item *quia templum non vidit in ea; quod non eget ſole, neque luna; quod non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* Pro militante, *quia viſa eſt deſcendere de cœlo*, cùm triumphans regnet in cœlis. Hoc autem ſecundo repetitur. Item quod dicitur: *Ambulabunt gentes in lumine eius; & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam; & portæ eius non clauduntur per diem*; cùm de triumphante poſt judicium dicatur, *clauſa eſt janua*; & pulſantibus E dicatur; *Neſcio vos.* Plerique omnes Patres triumphantem hîc deſcribi intelligunt, & meritò; Hoc enim poſtulat tota loci circumſtantia: Deſcendit autem de cœlo, non quia cœlum deſerit, ſed quia ex Deo originem habet, unde additur, *à Deo*, Abſit enim ut ita à Deo deſcendere dicatur; quaſi in Deo non maneat. Quid ergo prohibet, ut & in cœlo manere intelligatur, licet de cœlo deſcendere dicatur: Gentes autem in eius lumine ambulabunt, non ampliùs proficiendo, ſed à laude Dei nunquam ceſſando; gentes, inquam, quia etiam triumphans Eccleſia maiori parte conſtat ex gentibus, & in eam reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem; non qui ſint, ſed qui fuerint reges terræ; quia Eccleſiæ perpetuum decus

tus erit, quod homines ſecundum potentes & glorioſi, A colla ſubmiſerint jugo Chriſti, & legibus Eccleſiæ. Cæterùm portæ eius clauſæ erunt, & non clauſæ; clauſæ, ne completo ſemel numero civium, id eſt, poſt judicium, cuiquam ampliùs fas ſit in eam civitatem intrare. Non clauſæ; quia in illa civitate ſumma erit ſecuritas, & procul aberit omnis hoſtilis metus, propter quem ſolent urbes muniri portis, & ſeris.

At dices, Iſaiæ 60. de militante Eccleſia dici hæc eadem; ſcilicet quod ambulabunt gentes in lumine eius: quod aperientur portæ eius jugiter; quod die ac nocte non claudentur, ut afferatur ad eam fortitudo gentium, & reges earum adducantur. *Reſp.* quæ à propheta dicta ſunt, de Eccleſia militante, à Ioanne per anagogen transferri ad triumphantem; ſenſu paulum diverſo: quod non eſt in ſcripturis inſolitum. Et B ad hoc ſignificandum, ubi verſ. 24. noſter textus habet: *Et ambulabunt gentes in lumine eius*, in Græco legitur addito participio τῶν σωζομένων, *& gentes quæ ſalvæ fuerint, in lumine eius ambulabunt.* Item ſuprà de beatis cap. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt.* Et cap. 14. *Hi ſequuntur agnum quocunque ierit.* Poteſt quoque dici quod illud: *Deſcendentem de cœlo à Deo*, referatur ad Eccleſiam quatenus Ioanni in viſione oſtenſa fuit. Nam quoniam Ioannes erat in terra: Ieruſalem quaſi de cœlo à Deo deducta eſt ad eius conſpectum, ut eam per ſingula contemplaretur, & deſcriberet.

℣. 3. *Et ipſe Deus cum eis, erit eorum Deus.* Sic erit C eorum Deus, quomodo eſt Deus Abraham, Iſaac, & Iacob; ſcilicet non mortuorum, ſed ſemper viventium. Hoc enim nomen mihi in æternum, ait Exod. 3. Vivent ergo illi in æternum, quorum Deus eſt in æternum. Non autem ſic erit eorum Deus, quomodo alibi dicitur Deus univerſæ carnis. Ierem. 32. ſuper quem locum vide Hieron.

℣. 8. *Timidis autem & incredulis, —— & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Inter eos quorum pars eſſe dicitur in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, commemorantur etiam *timidi, & mendaces*; cùm tamen neque omnis timor malus, neque omne mendacium mereatur æternam damnationem. Itaque conſiderandum, qui *timidi*, & qui *mendaces* hic dicantur. Licet non omnis timor malus ſit, eſt enim quidam *timor ſanctus, per-* D *manens in ſæculum ſæculi*; ad quem hortatur nos Pſalmiſta, dicens: *Timete Dominum omnes ſancti eius*; timiditas tamen vitium ſonat, & ſemper mala eſt. *Timidi* enim dicuntur qui timent quod timendum non eſt, ut qui timent eos qui occidunt corpus, & animam non poſſunt occidere; & eo timore compulſi fidem negant. Item qui timore amittendi temporalia bona, jugum ducunt cum hæreticis, conventicula accedunt, de myſteriis participant, Catholicam fidem diſſimulant. *Mendaces* autem dicuntur, qui amant & faciunt mendacium. Nam infrà dicuntur: *Abominationem faciens, & mendacium.* Et capite ſequenti: *Et omnis qui amat, & facit mendacium.* Mendacium in Scriptura interdum accipitur pro falſa doctrina; E unde Pſeudoprophetæ mendaces, & magiſtri mendaces, graviſſimè reprehenduntur. Facit mendacium, qui falſam doctrinam excogitat, ut hæreſiarchæ, amat mendacium, qui eandem ſectatur, ut omnis hæreticus. Horum omnium pars eſt, in ſtagno ardente igne & ſulphure. Vide quæ de mendacio diximus, in 3. Sent. diſt. 38.

℣. 12. *Et nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſraël.* Eadem videlicet nomina, quæ expreſſa fuerunt ſuprà capite 7. nam tribus Dan propter myſterium excluditur; ſicut illic declaratum eſt: quemadmodum & Judas proditor à numero Apoſtolorum.

A ℣. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Quæritur, an Apoſtoli dicantur illius civitatis fundamenta ratione doctrinæ, an ratione gubernationis. Dicendum quod potius ratione doctrinæ, quam gubernationis. Nam gubernatio ad tempus duravit, doctrina eorum manſit, & ad nos tranſivit. Item Epheſ. 2. etiam prophetæ dicuntur fundamenta Eccleſiæ, qui tamen non poſſunt dici eius fundamenta ratione gubernationis; quia eam nunquam gubernarunt; ergo ratione doctrinæ quam tradiderunt. Quæritur an in hoc num. 12. Apoſtolorum comprehendatur Matthias, Paulo extra duodenarium illum numerum conſtituto; an contrà. Pro Matthia facit quod ipſe, non Paulus, in locum Judæ fuerit ſubrogatus. Pro Paulo, B quod à Chriſto immediatè vocatus, ſicut alij. Unde ait Galat. 1. *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum.*

℣. 17. *Menſura hominis quæ eſt Angeli.* Juxta illud: *Erunt æquales Angelis Dei.*

℣. 18. *Ipſa verò civitas aurum mundum ſimile vitro mundo.* Significatur ſumma puritas civitatis illius cæleſtis, adeò ut ne minimum quidem immunditiæ, maculæ, aut imperfectionis in eam admittatur.

℣. 22. *Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & Agnus*, v. 1. Quomodo ergo dictum eſt ſuprà cap. 16. *Audivi vo-* C *cem magnam de templo.* Et rurſum: *Et exivit vox magna de templo à throno?* v. 17. Sed ibi *templum* vocatur ipſum cœlum; quia eſt Dei habitatio; juxta illud, *Qui habitas in cœlo.* Et: *Cœlum mihi ſedes eſt*, Et, *Pater noſter qui es in cœlis. Cœlum cœli Domino.* At in illa civitate cæleſti templum non vidit Ioannes, cuiuſmodi eſſe ſolet in his terrenis civitatibus, ſcilicet materiale, ad quod orationis cauſa confluant fideles; quia Dominus Deus, & Agnus ita perfectè templum erit illius civitatis, ut materialium templorum adminiculo opus non habeant beati. Sed & ipſi electi omnes & ſinguli erunt templa Dei. Si enim juſti in hac vita templum Dei ſunt, dicente Apoſt. 1. Corint. 3. *Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos*; quantò magis iidem perfectam illam ſanctitatem adepti, quam expectamus in cœlis, templa Dei erunt, & Spi- D ritus ſancti ſacraria? Viciſſim autem Deus ſupernæ civitatis, id eſt, Eccleſiæ triumphantis, templum erit; quia electorum omnium perpetua, & perfecta commoratio & requies erit in Deo. Quamquam & hoc in ſæculo Deus ipſius Eccleſiæ & ſingulorum juſtorum templum eſt, in quantum Eccleſia & quiſque juſtus, non in alio, quàm in Deo, tanquam ultimo fine conquieſcit. Agnus autem templum eſt illius civitatis, id eſt, Chriſtus homo; tanquam caput Eccleſiæ, à quo fluit omnis membrorum ſanctificatio. Sed & viciſſim Chriſtus in nobis habitat per gratiam; dicente Apoſtolo: *Chriſtum habitare in cordibus veſtris*, Epheſ. 3.

℣. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* *Coinquinatum* ad perſonam refertur; quia ſequitur: *Aut abominationem faciens.* Et iterum: *Niſi qui ſcripti* E *ſunt.* Coinquinatus autem dicitur, non propter levia, & quotidiana peccata; ſed propter ea de quibus dictum eſt: *Qui talia faciunt, non intrabunt in regnum Dei.* Igitur coinquinati ſunt de quibus ſuprà hoc eodem cap. *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure.* Et ſeq. cap. *Foris canes, & venefici, & impudici.* verſ. 15. Sic Paulus ad Titum 1. *Coinquinatis, & infidelibus, nihil eſt mundum.* Mundi autem dicuntur juſti, licet non vivant ſine frequentibus peccatis levioribus: *Beati immaculati in via. Beati mundo corde. Omnia munda mundis.*

mundis. Iam vos mundi eſtis. Qui mundus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus. Nihil coinquinatum intrabit; quia coinquinati indigni ſunt regno, nec jus habent ad illud, quia ſunt inimici Dei, & obnoxij gehennæ. Non ita de ijs qui tantùm habent venialia peccata; tales enim, cum ſint juſti, jus habent ad regnum, licet retardentur à poſſeſſione per venialia, donec ſint remiſſa.

Niſi qui ſcripti ſunt, &c. Id eſt, ſed tantùm qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. Phraſis eſt Hebr. frequens in ſcripturis; non enim propriè exceptio ulla ſignificatur. Vide Annot. Ioan. 17.

CAPUT XXII.

℣. 1. *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vitæ — procedentem de ſede Dei, & Agni.* Quidam hoc de Spiritu Sancto dictum accipiunt, & inde probant eum procedere à Patre, & Filio; ſed præter mentem ſcripturæ. Non enim hîc agitur de proceſſione Spiritus Sancti, ſed de affluentia donorum eius, procedentium à ſede Dei, id eſt, à Deo, tanquam efficiente cauſa, quæ eſt tota Trinitas; & à ſede Agni, id eſt, ex meritis Agni Chriſti hominis, qui quatenus pro ſalute humani generis immolatus eſt in ara crucis. Agnus in Scripturis vocatur.

℣. 4. *Et videbunt faciem eius.* Scilicet Dei, & Agni; hoc enim præceſſit, ac Dei quidem ſecundum divinitatem; Agni verò ſecundum humanitatem. Videbunt enim mentis oculis jam perfectè mundatis, eſſentiam Dei juxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Videbunt & oculis corporis glorioſis faciem Chriſti Domini, Regis, ac Salvatoris ſui. Hanc expoſitionem confirmat quod ſequitur: *Et nomen eius in frontibus eorum.* Nam ibi intelligi nomen utriuſque, ſcilicet Dei & Agni, præſertim cum utrumque præceſſerit, planè fit probabile ex initio cap. 14. ubi illa centum quadraginta quatuor millia dicuntur habere nomen eius, ſcilicet Agni, & nomen Patris eius, Scriptum in frontibus ſuis. Vide eius loci Annotat. Chriſtus quoque utrumque promiſit in Evangel. viſionem Dei, cùm ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; viſionem ſui; Ioan. 14. cùm ait: *Qui diligit me, manifeſtabo ei meipſum.* Non ſequitur autem ex hoc loco ſanctorum animas ante diem judicij non viſuras faciem Dei; Nam hic non de animabus à corpore ſeparatis, ſed de ipſis hominibus jam à morte reſuſcitatis, ſermo eſt.

℣. 5. *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ.* Poſterius eſt declaratio prioris: q. d. non erit nox ut egeant lumine lucernarum; Nox enim lucernis accenſis illuminari ſolet.

Neque lumine ſolis: q. d. Nec erit dies qualis apud nos; nam diem noſtrum facit lumen ſolis, ſine quo non dies, ſed nox eſſet. Illic verò: *Dominus Deus illuminat illos*, ſicut dictum eſt cap. præced.

Et regnabunt in ſæcula ſæculorum, id eſt, in æternum. Hoc jam de hominibus electis dicitur; Nam de ſolis animabus dictum eſt ſuprà cap. 20. quod regnaverunt mille annis v. 4.

℣. 8. *Et poſtquam audiſſem, & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes Angeli, qui mihi hæc oſtendebat.* Vide Annot. ſuprà cap. 19.

Pro eorum ſententia qui putant, Angelum hunc geſſiſſe perſonam Filij Dei, ideoque Ioannem voluiſſe jam ſecundo eum adorare, videri poteſt illud facere, quod Angelus narratur dixiſſe: *Et ecce, venio velociter.* Et in ſequentibus: *Ecce venio cito; & merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua. Ego ſum α & ω primus, & noviſſimus, principium & finis.* Et iterum: *Ego IESVS miſi Angelum meum teſtificari vobis hæc in Eccleſiis. Ego ſum radix, & genus David, ſtella ſplendida & matutina.*

A Hæc enim omnia manifeſtè competunt in perſonam Jesu Filij Dei; & tamen ab eodem Angelo quem adorare voluit Ioannes dicta leguntur.

Verùm pro diverſa ſententia, facit. Primum quod cap. 19. ubi ſimiliter refert Ioannes ſe procidiſſe ante pedes Angeli ut eum adoraret; nihil ſcribitur ex quo appareat Angelum repræſentaſſe perſonam Filij Dei; ſed potiùs ea ſcribuntur, ex quibus appareat contrarium. Nam & de Deo, & Agno, & de Jesu loquens inducitur in tertia perſona. Dicit enim, *Hæc verba Dei vera ſunt*: Et antè: *Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Et poſt: *Teſtimonium enim IESV, eſt ſpiritus prophetiæ.* Adde quod ſi perſonam Jesu repræſentabat Angelus; debebat in ea repræſentanda B perſiſtere tam hoc, quàm illo loco: & proinde nec repellere honorem qui Filio Dei exhibebatur, id eſt, illi perſonæ quam gerebat: ſicut fecerunt Angeli Deum hominibus repræſentantes, tempore veteris teſtamenti. At utroque hoc loco manifeſtum eſt Angelum in ſua loqui perſona, cùm dicit: *Vide ne feceris; conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum. —— Deum adora.* Item ſi Ioannes adorabat Filium Dei, cuius perſonam gerebat Angelus; cur prohibetur? & cur dicitur ei, *Deum adora?* hoc enim faciebat. Illud etiam obſerva, quod ſcribit ſe adoraſſe *ante pedes Angeli, qui*, inquit, *hæc mihi oſtendebat.* Non ergo hoc in eo ſpectabat quod repræſentaret Filium Dei; ſed quod revelaret myſteria, quod facere C ſolent Angeli, ut Dei miniſtri ad homines, non ut Deum ipſum repræſentantes. Cæterùm ea verba quæ videtur idem Angelus dixiſſe quaſi gerens perſonam Filij Dei; non aliter exiſtimandum eſt eum dixiſſe, quàm quomodo prophetæ quidam verbum Dei dixerunt, aut ſcripſerunt, tanquam præcones, & nuncij Dei, plerumque præmittentes illud. *Hæc dicit Dominus*: interdum etiam non præmiſſis, ſed tamen ſubintellectis huiuſmodi verbis. Id quod maximè videre eſt in Pſalmis Davidicis, in quibus frequens conſpicitur perſonæ mutatio. Nec tamen ea ſcribens David, exiſtimandus eſt Dei perſonam geſſiſſe; ſed tantùm Dei loquentis verba in prima perſona pronunciaſſe. Itaque & in iſtis, quæ hoc cap. ſcribuntur tanquam pronunciata ab ipſo Filio Dei, ſubaudienda eſt, illa præmonitio: Filius Dei dicit; vel, Annuncio hæc verba Fi- D lij Dei, vel aliquid tale.

℣. 11. *Qui nocet, noceat adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc; & qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc.* Tertium membrum opponitur primo & quartum ſecundo. Nocere enim ad injuſtitiam pertinet; ſordes autem immunditiam ſignificant, quæ ſanctitati opponitur. Nec obſtat quod juſtitia generalis hîc intelligatur: eſt enim analogia inter generalem, & particularem juſtitiam. Quâ etiam ratione omne peccatum vocari poteſt nocumentum, ſicut & omne peccatum immunditia quædam eſt. Verba imperativi modi *noceat, ſordeſcat, juſtificetur, ſanctificetur*; neque præceptivè, neque permiſſivè interpretanda ſunt, ſed prædictivè: prædici- E tur enim quid adhuc futurum ſit uſque ad finem ſeculi. Ne præceptivè exponantur, repugnant duo priora; ne permiſſivè tantum obſtant, duo poſteriora.

Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. Hinc ſtatuitur augmentum juſtitiæ, ſeu gratiæ. Auguſt. hæc verba citans Epiſt. 137. dicit; Quomodo difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt: ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt. Ratio, quia rerum meliorum corruptiones, ſunt deteriores. Exempla in Pelagio, Eutychete, Luthero, Oecolampadio, Bucero.

℣. 12. *Merces mea mecum eſt, reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Hoc Chriſtus facit ſecundum divinitatem.

nitatem, loquitur enim de ſe, ut Deo, oſtendunt ſeqq. Aliter Paulus de Chriſto 2. Tim. 4. *Quam reddet mihi Dominus in illa die.* Vide ibi noſt. Comm.

℣. 13. *Ego ſum α & ω, primus, & nouiſſimus, principium, & finis.* Manifeſta periphraſis [illegible] veri. Hæc autem dici in perſona Chriſti, arguunt quæ ſequuntur: *Ego IESVS miſi Angelum meum.* Hæc verba clarè ſignificant diuinitatem Chriſti, ut quo nihil ſit prius, nihilque poſterius, quique cum Patre, perfectam poſſideat æternitatem..

℣. 18. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ.* Apponere aliquid ad verba Dei, vel ad ſcripturam ſacram, non eſt adhibito commentario ea explicare; Id enim interpretis, & Doctoris officium eſt, quod ab Apoſtolo commemoratur (1. Corint. 12. Epheſ. 4.) inter dona Spiritus San-A cti, membris Eccleſiæ collata. Neque eſt præter verbum Dei ſcriptum, recipere aliquod Dei verbum, quod ſcriptum non ſit; ut hæretici calumniantur; ſed eſt aliquid addere ſcripturæ tanquam partem eius, quod ad eam non pertinet. Id autem eſt Scripturam ſacram falſare; ſiue addendo id fiat, ſiue detrahendo, ſiue mutando aliquid. Nec ab hoc crimine multum abſunt, qui Scripturam ſacram falsâ interpretatione vitiant; id quod hæreticis omnibus eſt commune. Non dicit, ſi quis mutauerit, hoc enim in aliis duobus continetur, quia qui immutat, aliud pro alio ſubſtituit, & ita, ſimul tollit & addit. Quæritur cur huius lib. Interpres, non ſe fecerit obnoxium huic ma-

B ledictioni, quando c. 9. de ſuo addidit hæc verba, *Latinè habens nomen Exterminans? Reſp.* id eum non feciſſe quaſi vellet textui ſcripturæ aliquid addere, tanquam ſcripturam; ſed explicandi cauſa; ductum ea neceſſitate, quæ ſuo loco explicata eſt.

FINIS.

INDEX

INDEX GENERALIS

RERVM NOTABILIVM

TOTO HOC OPERE CONTENTARVM.

In quo numerus paginam, littera lineam, Nota vero 1. vel 2. columnam deſignat.

A.

AAron accipiendn Elizabeth ex tribu Iuda in uxorem, cur non peccavit. 36.d.2.
Aaronis virgæ cur non fuerit nomeo Levi inſcriptum, ſed Aaronis, & qualis fuerit, curque aſſervata. 73.b.c.1.
Aaron vitulum aureum Iſraelitis proponens, an Deum verum putarit, aut eius imaginem 51.c.1.
Abiathar an, & quomodo fuerit ſummus ſacerdos. 135.e.1.
Abiathar ſacerdos, qunmodn, & cur eiectus à Salomone ut non eſſet ſacerdos Domini. 145.e.2.
Abiathar qoi ſemper David adfuit in perſecutione Saul, an idem ſit qui Abimelecb, tempore regni eius. 135.e.1.
Abiæ bellom contra Ieroboam ſuſceptum, an juſtum fuerit. 175.e.1.
Abimeleca in raptu Saræ an peccaverit. 18.b.c.1.
Abimelech filius Gedeoo, an fuerit rex ſeo princeps ſuper Iſrael. 106.e.2.
Abiſag Sunanimitis an fuerit Davidis uxor. 143.a.1.
Abram cur aucto oomine vocatus Abraham, & Sarai Sara, diminuto nomine. 16.c d.1.
Abrahâm unde dictus Hebræus. 14.e.1.
Abraham quo ſenſo dicitur eductus de igne Chaldæorum. 188.d.2.
Abraham an aliquando idola coluerit. 102.b.1.
Abraham fuit ſacerdos. 15.6.2.
Abrahæ bellum contra Regem Sodomorum &c. an fuerit juſtum. 14.a.2.
Abraham dedit decimas Melchiſedeco. 14.e.2.15.a.1.
In Abraham quæ benedictio promittatur omnibus cognationibus terræ obventura. 13.c.2.
Abraham quomodo credeodo Deo promitteoti ſibi ſemen, juſtificatus fuerit. 15.d.e.1.
Abrahæ timor, qui timuit ab Ægyptijs occidi, quo modo cooſiſtat cum ſide promiſſioois ante factæ. 13.d.e.2.
Abrahæ obedientiæ in immolatione Iſaac cum fide promiſſionum conciliatio. 19.a.b.1.
Abrahæ modeſtia. 14.c.1.
Abraham quo ſenſu vidit Chriſti diem. 543.e.1.a.2.
Abrahæ ſinus quid in ſcriptura ſignificet, & an idem qui ſinus patriarcharum. 512.d.e.2.
Abſolutio collata à ſacerdote peccatis obooxio, valida eſt. 297.e.1.
Abyſſi nomine quid intelligendum. 1.a.b.2.
Abyſſi fōtes qui, & quomodo in diluvio rupti. 10.b.c.1.
Acceptio perſonarum in judicio quid ſit. 81.e.1.& a.2.246.h.c.2.
Achab pœnitentia qualis fuerit. 153.d.2.
Achan cum ſuis ſumpſit de Anathemate, & quæ eorum punitio. 95.e.2.& 96.a.b.c.1.
Achaz quomodo intelligendus eſt traduxiſſe filium ſuum per igoem. 160.b.c.1.
Achimelech qui Davidi dedit panes propoſitionis, quomodo vocetur Marci 2. à Chriſto Abiathar. 472.e.1.
Achis per nomen Dei jurans, an intellexerit Deum Iſraël. 130.1.c.d.
Adam aliquando nomen appellativum eſt, hominem ſignificans. 98.e.2.
Adami ſopore quod myſterium ſignificetur. 5.b.c.1.
Adami peccati duplex punitio. 6.c.1.
Adam & Eva peccati ſui remiſſionem per pœnitentiam obtinuerunt. 281.c.1.
Adipem comedere cur vetitum fuerit in lege Moſaica. 55.e.2.56.a.b.1.
Adooai ſigoificatio. 201.a.1.
Adonai nomen, quâ ratione non indicarit Deus Abraham, Iſaac, & Iacob. 36.a.b.2.
Adulteris quibus infligebatur mors. 61.b.c.2.
Ægypti à monte Sina diſtantia. 36.d.e.1.
Ægyptij qua dicuntur ducti neceſſitate ad perſequendos Iſraelitas. 184 c.2.
Ægyptij beſtias pro dijs venerati ſunt. 38.c.1.
Ægyptiaca lingua fuit ab Hebræa diverſa. 27.b c.2.
Ægypti ſimulachra, Chriſto, ob metum Herodis in Ægyptum deportato, corruerunt. 362.a.2.
Æthiopiæ duæ. 4.d.e.1.
Æthiopiſſa Moyſi uxor eadē eſt cum Sephora. 71.c.d.2.
Agareni an ſint diſtincti ab Iſmaelitis. 241.c.d.1.
Alienigenarum oblationes cur non potuerint acceptari. 239.b.c.2.
Altare Thymiamatis quod, & ubi ſitum. 486.6.2.
Alleluya ſigoificatio & uſus in Eccleſia. 629.e.d.
Aman fuit Amalecites. 203.C.1.
Amaſias Rex Iuda an licitè ſervos jugularit qui patrem ſuum Ioram occiderant. 178.a.b.2.
Ambitioois oaala multiplicia. 398.b.2.401.d.e.2.403.c.1.
Ambulare cum Deo, quid ſit in ſcriptura. 8.d.2.
Amen dico vobis, formula affirmandi Chriſto propria & an ea utens jurarit. 416.c.1.
Amos quo ſenſu ſe prophetam neget. 382.6.2.
Angeli non ſunt creati ante cœlum & terram. 219.d.1.
Angeli ſunt creati in gratia. 202.a.b.2.209.b.1.
Angeli prævaricatores in gratia aliquamdiu perſtiterunt, licet non perſeveraveriot. 361.d.e.2.
Angeli ſive boni ſive mali non habent propria nomina, quibus taoquam vocabulis inter ſe diſtinguantur. 465.h.2.
Angeli inter ſe mutuo bellum oullum habent. 375.b.c.1.
Angelis commiſſa eſt hominum cura. 193.a.b.2.1.
Angelorum miniſterio hominum actiones dirigi, etiam piorum veteris Teſtamenti ſit perſuaſio. 405.b.1.
Angeli regnis integris, etiam infidelibus propòſiti ſunt à Deo. 375.a.b.1.
Angelus qui Petrum ex Herodis carcere liberavit, an eius cuſtos fuerit. 591.a.1.
Angelus qui Herodem Iacobi interfectorem percuſſit, num Herodis cuſtos. ibid.a.b.2.
Angelus Ioanni revelans myſteria Apocalypſeos num figuram Chriſti geſſerit. 634.b.2.
Angeli Chriſti redemptiooe non indiguerunt. 617.c 1.a.2.
Angelorum nomen aliquando legatis ſeu nuntijs tribuitur. 314.c.1.
Anima rationalis non trahitur à pareotibus. 13.a.b.2.
Animæ immortalitatem an fuerit neceſſarium Iudæis credere. 452.a.2.
Animam ſuam in manibus ſuis ponere quid in ſcriptura ſignificet. 108.a.b.1
Aoima ſynecdochice pro toto homine ſæpè in ſcriptura ſumitur. 30.d.2.

Anima

Anima aliquando in ſcriptura pro vitâ accipitur. 603. c.d.1.
Animalium mundorum & immundorum an fuerit ante legem diſcrimen. 9.d.c.2.& ſeq.
Animalium qua ratione aliqua munda, alia immunda. 58.a.b.c.2.& ſeq.
Anna ſterilis divinitus fœcundatur. 116.a.b.2.
Annas & Caiphas an fuerint verè ſummi ſacerdotes. 495.c.d.c.1.
Anni hominum primi temporis æquales fuerunt noſtris. 7.d.c.2.
Anno ſeptimo, ſeu remiſſionis, quæ in antiqua lege fiebant. 189.b.c.1.
(Antequam) ſignificatio. 408.a.b.c.& ſeq.
Antichriſti nomen incertum eſt. 625.c.1.a.2.
Antichtiſtus naſciturus eſt ex tribu Dan. 619.a 2.
Antichriſtus per beſtiam antecedentem ex abyſſo & in interitum ituram, ſignificatur. 628.b.c.2.
Antichriſti perſecutionis, quâ SS. perſequetur, duratio & acerbitas. 374.b.1.
Antichriſtus mirabilia facturus eſt, non tamen propriè dicta miracula. 625.c.1.
Antichriſti character in manu & in fronte quid denotat. ibid. & d.
Antiochi Epiphanis turpis libido, & in Indæos crudelitas. 375.d.1.
Antiochi pœnitentia inutilis fuit ei. 398.c.d.1.
Antiochi mors miſera & aliquor de ea ſcripturarum conciliatio. 402.b.1.409.a.2.
Antiquitas vel anthoritas non patrocinatur errori ſequendo. 241.a.b.2.
Antiqui dierum nomine in divinis non pater ſignificatur reſpectu filij, ſed ipſe Deus unus trinus. 373. d.c.2.
Aod an peccarit occidendo Eglon regem. 104.b. c.1.
Apocalypſeos Anthor, Ioannes Evangeliſta. 613.b.2.
Apoſtolorum, qui fuerint Chriſti conſanguinei. 426. b.2.
Apoſtoli miſſi à Chriſto ante eius paſſionem ad prædicandum, quid prædicarunt. 503.b.c.2.
Apoſtoli omnes in paſſione Chriſti ſcandalizati ſunt. 461.c.d.2.
Apoſtoli omnes an Chriſti redivivi corpus palparint, 525.c.2.
Apoſtoli quomodo linguis varijs locuti dicendi ſunt. 573.b.c.1.& ſeq.
Apoſtoli qua ratione fundamenta Eccleſiæ dicuntur. 633.c.1.
Apparitiones Dei qua ratione ſunt factæ patriarchis & prophetis. 34.d.c.2.& ſeq.
Aquæ quo ſenſu dicuntur eſſe ſupra firmamentum. 2. d.c.1.
Aquæ quomodo intelligantur de terra reverſæ in diluvio. 10.b.1.
Aquam ex petra bis eduxit Moyſes. 42.c.d.c.2.
Aquæ luſtrationis uſus & ſignificatio. 69.d.1.
Aquæ vinum factæ per miraculum quæ quantitas, qualitas, & color. 531 b.c.d.c.2.
Aracæus populus aliter dictus Pherezæus. 12.d.1.
Arca quod myſterium ſignificarit. 10.a.b.2.
Arcæ fœderis quomodo ſcabellum pedum Domini, Cherubim ſedes. 118.a.b.1.171.a.b.2.244. b.1.
In Arca fœderis quæ fuerint repoſita. 146.d.2.
Arcæ deportatio in caſtra in bellis Iſraëlitarum licita fuit per ſe. 117.d.c.2.
Ariel Altare ſignificar. 313.a.1.
Aſina Balaam boni Angeli miniſterio locuta eſt. 75.a.1.
Aſſuerus, maritus Eſther, quis fuerit. 201.a.b.c.1.
Aſtra matutina quæ dicatur in ſcriptura. 219.b.1.
Athalia quo ſenſu dicatur filia Achab. 177.b.c.2.
Athenienſes colentes ignotum Deum, an habuerint fidem implicitam unius veri Dei. 598.b.1.
Avaritia ſceleſtiſſima eſt. 288.c.2.289.a.1.
Avaritia eſt radix omnium peccatorum. 289.b.1.
Aves, ſeu volatilia de humo facta ſunt; non ex aquis, 3.b.1.

B.

BAbel turris cauſa, ſuperbia. 12.b.c.
Quid myſticè per eam ſignificetur. ibid.
Babylonis nomine Roma intelligitur, & ſub ea tanquam principali membro, confuſa impiorum ſocietas. 628.b.c.1.& ſeq.
Babylon, ut eſt ſocietas & confuſa collectio omnium malorum, qualiter dicatur facta in tres partes, 627.c.d.2.
Bacchanalia, carnalium hominum inventa ſunt. 188. d.c.1.
Balaam an Dei propheta fuerit, an dæmonum. 74.d.2.
Balaam aſina boni Angeli miniſterio locuta eſt. 75. a.1.
Balaam cur aſina loquente territus non fuerit. 75.b.1.
Balaam contra Iſraelitas conſilium quale fuerit. 78. c.2.
Balaam benedictio an populo Iſraëlitico profuerit, 75.b.2.
Balaam quo ſenſu vir dicatur, cuius obturatus eſt oculus. 75.c.2.
Balaam Prophetia de Meſſia quomodo intelligenda. 75.c.2.76.a.b.1.
Baptiſmus ab hæreticis collatus eſt validus. 297.d.1.
Baptiſmus cur miſerias humanas quæ ſunt ex peccato cum peccato non tollat. 299.c.1.
Baptiſmus Ioannis alius eſt à Baptiſmo Chriſti. 449. c.1.a.b.2.471.b.1.495.a.b.2.
Baptizandi à Ioanne Baptiſta, cur & quomodo confitebantur peccata ſua. 412.a 2.
Barbam radere & in rotundum comam attundere, cur Iſraelitis vetitum fuerit, & an hoc non faciat contra ritum Eccleſiaſticum, quo barbam radunt & coronam in capite gerunt ſacerdotes & Monachi. 62.b.c.2.135.c.2.136.a.1.362.d.3.
Barnabas num idem cum Barſaba. 568.c.d.1.579.a.2.
Bartholomæus Apoſtolus quis & qualis. 566.a.b.2. & ſeq.
An idem cum Nathanaele. 426.c.d.2.566.b.c.2.
Bellum nullum juſtum eſſe falſo docent quidam. 463. a.1.
In Bello juſto inſidiæ & fallaciæ erga hoſtes quæ licitæ. 96.a.b.2.
Belli robur præcipuum in Dei auxilio collocandum eſt. 405.b.c.1.
In Bello prædæ hoſtium dividebantur etiam cum ijs qui remanſerant. 101.a.b.2.
Benedicere in Scriptura ſacra varia ſignificar. 435.c. d.c.2.
Benedicere ſumitur aliquando pro maledicere. 207. c.d.1.
Benedictionis ſacerdotalis efficacia. 116.c.1.
Benedictio ſacerdotis differt à benedictione laici. 69. a.1.
Benedictionis à Sacerdote & à Deo differentia. ibid.
Beniamin Paulum figuravit. 136.c.2.
De Beniamin Prophetia Iacob. 32.c.1.
Bethlehem quomodo parvula à Michæa, nequaquam minima à Matthæo dicatur. 385.b.c.2.
Bethlehem unde Ephrata dicta. 165.d.2.
Beſeleel quo ſenſu dicitur ſpiritu Dei impletus. 50. b.c.d.c.2.
Bibliorum verſio à ſeptuaginta interpretibus quando facta. 401.d.c.2.
Blaſphemia inter mala quæ Eccleſiæ Dei ab eius hoſtibus inferuntur, præcipuum ducenda eſt. 315.a.1.

C.

CÆcitas qua Syri orante Helizæo à Deo percuſſi ſunt, qualis fuerit. 157.c.1.
Cæcorum & Claudorum nomine, de quibus Iebuſæi ad David, quid intelligendum. 133.b.c.2.
Cœlum in ſcripturis multiplex. 2.a.2.
Cœli & terræ nomine quid intelligendum. 1.c.d.1. 325.c.1.
Cœli non ſunt animati. 377.d.1.
Cœlum quomodo Dei ſedes. 325.d.c.1.a.2.
Cœlum & terra quo ſenſu tranſibunt. 457.d.c.1.
Cœlorum motus ceſſabit poſt judicium. 323.c.d.2.
Cœlum quomodo dicitur futurum quaſi liber involutus. 619.b.c.1.
Cœlibatus poſſibilis eſt & Deo gratus. 332.b.1.
Cain munera cur Deo accepta non fuerint. 6.d.c.2.
Caino ſignum impoſitum quod & quale fuerit. 7.a.2.
Caiphas & Annas an fuerint verè ſummi ſacerdotes, 495.c.d.1.
Caiphas an verè prophetavit dicens, expedit ut unus moriatur homo pro populo, &c. ibid.
Caſtitatis perpetuæ commendatio. 278.a.2.
Calamitatis magnitudo non neceſſariò infert peccatum enorme. 611.b.c.1.
Caleb explorator terræ promiſſæ diverſus à Caleb filio Heſron proavo Beſeleel. 165.d.1.166.a.1.
Calendæ quæ dicantur Hebræis in ſcriptura. 126.c.d.
Candaces Regina Æthiopum; quorum? 585.c.1.a. 2.& ſeq.

Canticum quod cecinit Maria Soror Moyſi à Moyſe compoſitum eſt. 41.a.2.
Cantici huius ſenſus litteralis, allegoricus, & anagogicus. ibid.& b.
Capri quorum unus immolabatur, alter emittebatur, Chriſti typus fuerunt. 61.b.1.
Captivorum numerus in Babylonem à Nabuchodonoſore regni eius anno 7.ſub Iechonia abductorum. 345.d.e.2.
Captivorum numerus ſub Sedechia à Nabuchodonoſore abductorum anno regni ſui octavodecimo. 345.e.2.346.a.1.
Caput movere quid in ſcriptura ſignificet. 212.c.d.2.
Cariat-Arbe cur ſic dicta. 98.e.2.
Carnis duplex acceptio. 354.d.e.2.
Carnibus veſci licitúmne fuerit ante diluvium.6.e.2.
Centuriones qui & quare ſic dicti. 43.b.c.2.
Ceremoniæ externæ in Dei cultu bonæ ſunt, non adiaphoræ. 373.e.2.378.b.c.d.1.
Ceremoniæ legalium purgationum in neceſſitate omitti potuerunt in lege Moyſi. 180.a.2.
Cerethi & Pherethi legiones quæ. 169.d.e.1.
Cetura non eſt eadem quæ Agar. 22.e.2.
Cham figura fuit gentilium reproborum. 11.e.2.12.a.1.
Chanaan cur à Noë maledictus. ibid.
Chananæorum terra non fuit à poſteris Sem poſſeſſa, antequam à Chananæis poſſideretur. 13.c.2.
Chananæi quare deleti. 86.d.2.
Chananæi cur non omnes deleti fuerunt à filijs Iſrael. 98.a.2.
Chanaan terræ portiones ſorte diſtributæ, æquales fuerunt. 100.e.1.& a.2.
Cherubim aurei operientes oraculum quales fuerint. 48.a.b.1.
Chriſtus eſt Deus. 414.d.2.
In Chriſto fuit trina voluntas. 462.c.d.1.
Chriſto quomodo competere potuit gloria ab æterno. 557.a.b.2.
Chriſtus fuit ſacerdos. 247.d.1.
Chriſtus eſt ſponſus Eccleſiæ. 382.a.2.
Chriſti & Eccleſiæ Epithalamium. 132.c.d.1.
Chriſtum Moyſes prædixit Iſraëlitis venturum. 88.d.e.1.
Chriſtus, quomodo principium & primogenitus creaturæ Dei. 409.a.b.2
Chriſtus cur non dicatur primogenitus Patris æterni, ſicut Mariæ V. 409.a.b.2.
Chriſtus fueritne temporalis Dominus univerſi, ſecundum humanam naturam. 469.e.2.470.a.1.560.c.d.1.
Chriſtus an fuerit rex temporalis regni Iudæorum ratione ſucceſſionis hæreditariæ ex ſtirpe David. 410.d.e.1.& a.2.560.c.d.1.
Chriſtus qua ratione Leo. 617.d.1.
Chriſti conceptionis prophetia. 306.e.2.338.b.c.d.1.389.b.c.1.
Chriſti nomina ab Iſaia pronunciata, admirabilis conſiliarius, &c.quomodo ei conveniant.307.d.e.1.
Chriſti nomen in novo Teſtamento, alijs non communicatur quàm filio B.V.Mariæ. 407.b.c.1.
Chriſtus qua ratione dictus Emmanuel. 409.a.2.
Chriſti genealogia à David conſtat duabus teſſeradecadibus generationum plenis. 407.d.e.1.a.2.
Chriſti genealogia ducta per Ioſeph, Chriſtum, & eius matrem, eſſe ex ſemine David bene probat. 407.c.d.2.
Chriſti genealogia cur per B.Mariam non texitur? 407.d.2.
Chriſtus ex David per Salomonem ortus eſt, non per Nathan. ibid.
Chriſti generatio tam æterna, quàm temporalis inenarrabilis. 321.b.c.d.1.
Chriſtus fuit pleniſſimè perfuſus Spiritus ſancti gratia. 494.d.e.1.
Chriſtus ſcientiam habuit acquiſitam ſeu experimentalem. 306.c.2.
In Chriſto fuit vera ira, ſed aliter quàm in nobis. 472.c.2.
Chriſto nullatenus competere poteſt ſimulatio vel mendacium. 613.c.1.
Chriſtus quo ſenſu dicitur tollere peccatum mundi. 529.e.1.a.2.
Chriſtus quomodo illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 527.c.d.e.1.
Chriſtus cur remanſit Hieroſolymis inſcijs parentibus & quomodo eis erat ſubditus. 494.c.d.2.
Chriſtus artem fabrilem cum Ioſepho eius patre putatitio, ut coadiutor, & cooperarius exercuit, & quid per hoc nos docere voluit. 475.d.1.
Chriſtus fuit diligentiſſimus obſervator legis Moſaicæ. 537.d.1.
Chriſtus legem adimplevit varijs modis. 415.c.2.
Chriſtus cur prædicationem ſuam à pœnitentiæ prædicatione cœperit. 412.a.1.
Chriſti jeiunium fuit excellentius Moyſi & Eliæ jeiunio. 413.c.d.e.2.
Chriſti jeiunium rectè Chriſtianis imitandum proponitur. 414.a.1.
Chriſtus à diabolo quando & quibus modis tentatus fuerit. 413.a.b.& ſeq.497.b.1.
Chriſti num primum miraculum, aqua vinum facta. 532.b.c.1.
Chriſtus an per ſe aliquos baptizarit. 534.b.c.2.
Chriſtus leproſum tangendo an contra legem fecerit. 423.c.d.1.
Chriſtus eiecit bis de templo vendentes & ementes & quare. 449.b.1.
Chriſti transfiguratio an in monte Tabor, vel Libano facta ſit. 440.a.b.1.& ſeq.
Chriſtus ter in ſacris litteris lachrymatus legitur. 518.a.1.
Chriſtus quo die manducavit paſcha cum diſcipulis. 550.d.e.1.& ſeq.
Chriſtus in cœna noviſſima an prius inſtituerit Euchariſtiam, quàm loqueretur de proditione ſui. 460.a.2.
Chriſtus à Pilato interrogatus an Græcè cum eo locutus ſit. 464.c.2.465.a.1.
Chriſtus in ſua paſſione quomodo ab Angelo confortatus fuiſſe dicitur. 521.c.2.522.a.1.
Quo ſenſu dicitur fuiſſe in agonia. 522.c.d.1.
Chriſtus fueritne bis flagellatus in paſſione ſua. 560.a.b.2.
Chriſti tunica inconſutilis eius Eccleſiam figurat. 561.d.1.
Chriſtus pendens in cruce an biberit vinum myrrha mixtum & acetum. 482.c.2.
Chriſti ex latere fluxit ſanguis & vera aqua elementaris & quid figurarint. 562.d.e.2.& ſeq.
Chriſtus per paſſionem & mortem ſuam meruit immortalitatis gloriam, Eccleſiæ & mundi præfecturam, divinitatem & ſapientiam, & quomodo. 617.c.d.2.& ſeq.
Chriſti pedes an ſingulis clavis fuerint affixi. 466.c.d.1.
Chriſtus omnino nudus crucifixus fuit. 466.b.2.
Chriſti corpus num fuerit exenteratum ut aromatibus condiretur. 563.d.e.2.
Chriſtus mortuus eſt hora nona, quæ eſt noſtra tertia pomeridiana. 466.d.e.2.
Chriſtus qua hora crucifixus. 483.c.d.1.
In Chriſti paſſione per velum templi ſciſſum quid fuerit ſignificatum. 467.c.2.
Chriſti mors quomodo miraculoſa. 483.b.c.2.
Chriſtus quomodo manſerit triduo in ſepulchro. 421.a.b.2.
Chriſtus quot horis in ſepulchro manſerit. 484.d.1.
Chriſtus qua ratione dicitur occiſus ab origine mundi. 624.d.e.1.
Chriſtus non fruſtra paſſus eſt & laboravit, ne quidem reſpectu Iudæorum. 319.e.1.a.
Chriſti qualem & quantam habuerint Iudæi plerique notitiam. 541.e.1.
Chriſtus reſurrexit clauſo ſepulchro ut & ianuis clauſis ad diſcipulos intravit. 468.e.2.469.a.1.564.a.b.2.
In Chriſti reſurrectione multi reſurrexerunt ex Sanctis qui noviter obierant, ad vitam immortalem. 468.a.b.1.
Chriſti reſurrectio quo tempore contigerit. 484.d.e.1.
Chriſtus cur in glorioſo corpore retinere voluit vulnerum cicatrices. 565.c.d.1.
Chriſtus Mariæ Magdalenæ primo omnium poſt reſurrectionem apparuit. 484.a.2.
Chriſti corpus qua ratione vocat Auguſt. ſcabellum pedum Dei. 244.d.1.
Chriſto redivivo qua ratione ſeſſio, ſtatio &c. attribuuntur. 584.c.2.585.a.1.
Chriſtus in cœlos adſcendens, an eos penetrarit, an verò eo adſcendente ſolùm diviſi fuerint. 485.b.c.2.
Chriſtus adſcendens in cœlum quo ſenſu dicatur aſſumptus. ibid.

Chriſti orationes ſemper fuerunt exauditæ. 547. c.2.

Chriſtum ſedere ad dexteram patris quid ſit. 485.d.2.

Chriſtus in Euchariſtia eſt corporaliter præſens. 549. a.1.

Chriſti jugum quo ſenſu ſuave, & eius onus leve. 451.b.1.

Chriſtus in conſummatione ſæculi perfectiſſimè regnabit; quâ ratione? 22.d.e.2.

Chriſto judici qui aſſeſſuri & judicaturi cum eo. 545. a.b.1.& ſeq.

Chriſtianos omnes eſſe ſacerdotes falſo docuit Lutherus. 325.c.d.2.

Chriſtiani quo ſenſu omnes docti à Domino. 321.b.2. 338.d.e.1.

Chriſtiani cur ad Orientem, Iudæi ad Occidentem adorent. 353.e.2.354.a.1.

Chriſtianorum mos adorandi verſus Orientem bonus eſt. ibid.

Cineris aſperſionis ſignificatio. 197.e.2.198.a.1.

Cinipbum plagâ quid intelligendum. 37.e.2.a.1.

Circumciſio an fuerit alijs quàm populo Iſraelitico ad ſalutem neceſſaria. 100.c.d.1.

Circumciſio an fiebat cultro lapideo, an ferreo. 95. a.b.1.

Circumciſio non neceſſariò fiebat miniſterio ſacerdotum. 45.a.b.2.

In Circumciſione mos fuit imponere nomina, quare, & unde mos ille? 490.e.1.& a.2.

Civitates refugij trans Iordanem tres & in terra Chanaan tres. 80.a.b.1.

Cur pro ſolis homicidijs & non alijs criminibus fuerunt conſtitutæ. 100.c.2.

Clavium Eccleſiæ nomine quid ſignificatur. 432.d.e.1. & ſeq.

Clavium Eccleſiaſticarum poteſtas eſt per excellentiam in Chriſto; in Petro & in ſucceſſoribus miniſterialis. 615.b.c.d.1.

Clerici bona temporalia licitè poſſident. 427.e.1. a.2.

Cœtus & collectæ feſtum quale, & cur ſic dictum. 64.d.e.1.

Coitus cum muliere menſtrui fluxus tempore, cur tam graviter fuerit punitus. 60.d.e.2.

Colere Deum intuitu mercedis licet. 304.d.e.

Concubinæ quæ dicantur in ſcriptura, & an earum proles in hæreditatem paternam ſuccederent. 20.d.1.

Confeſſio qua Sacerdos confitebatur univerſa delicta atque peccata filiorum Iſrael, qualis erat. 61. d.e.1.

Confeſſio ſingulorum peccatorum quæ occurrunt & de ijs contritio eſt neceſſaria. 225.c.d.2.

Confeſſio fuit omni tempore neceſſaria. 217.b.1.

Confiteri Sacerdoti neceſſarium eſt in lege gratiæ. 228.b.c.2.134.a.1.

Conſilia Evangelica. 444.c.d.1.

Converſio hominis ad Deum, Dei donum eſt. 394. c.1.& a.2.

Core an cum Dathan & Abiron terra abſorptus fuerit, vel cum alijs ducentis quinquaginta incendio perierit. 72.d.e 2.

Corinthijs quando paulus primam ſuam epiſtolam ſcripſit. 601.e.2.

Cornelius Centurio an fidem, & quam habuerit. 588.c.d.e.1.

Correptio fraterna. 62.a.b.1.266.d.e.

Correptio fraterna à peccatore occulto facta animo ſincero fructuoſa eſt. 421.a.2.

Curioſitatis vitium. 266.c.2.

Cyrus Perſarum rex quo ſenſu dicit præcepiſſe ſibi Dominum ut ædificaret ei domum in Ieruſalem. 183.a.b.1.

Cyrus hic an Dei veri notitiam habuerit. 183.b.1.

Cyrus fuit Chriſti typus. ibid.

Cyrus quo ſenſu dicitur juſtus. 316.e.1.& a.2.

D.

DÆmonum principis nomina. 708.d.e.2.

Dæmonis ſitis ac vehemens deſiderium nocendi hominibus. 432.e.2.433.a.1.

Dæmones an virtute concentus muſici ex hominum corporibus profligari, aut domari, impedirive poſſint à vexatione. 125.a.b.1.

Dæmones à Deo quomodo viſitandi in die judicij. 311.c.2.

Dagon idolum ad arcæ præſentiam deiectum eſt, & quale fuerit. 318.c.d.2.

Damnati an citra condignum puniantur. 326.e.2.

Damnatorum ſupplicia imparia. 311.b.2.

Damnatorum pœnæ erunt variæ. 703.e.1.

Damnatorum pœnæ nunquam intermittentur. 703. e.1.a.2.

Damnati quomodo ſocietatem in tormentis expectant, & quomodo recuſent. 363.c.d.1.

De Dan Prophetia Iacob quò referenda. 32.d.e.1.

Dan cur inter cæteras tribus à Ioanne Evangeliſta recenſente electorum numerum ex ſingulis tribubus, non annumeretur. 619.a.d.& ſeq.

Daniel de Chriſto apertiſſimè prophetat. 374.d.e.2.

Daniel cur de menſa regis cum ſuis veſci noluerit. 369.b.1.

David non temerariè ſe obtulit ad pugnandum contra Goliath. 125.d.e.1.

David non admiſit pactum propoſitum à Goliath. 125.c.1.

David quo ſenſu dicatur indutus veſtimentis Saülis pro pugna ineunda. 125.c.d.2.

David quo ſenſu dicatur percuſſiſſe decem millia. 126.a.1.

David prima unctione Samuelis, an actu rex conſtitutus fuerit. 124.c.d.2.131.d.1.

Quid per ſecundam & tertiam unctionem ſit conſecutus. 132.b.c.1.

David præputia occiſorum à ſe Philiſtinorum reſecans ſacrilegium non admiſit. 126.b.c.1.

David an licitè potuerit pugnare pro Achis contra Iſraëlitas. 130.d.e.1.

David an licitè percuſſerit fœderatos regi Geth ſimulans ſe de Iſraelitis prædas agere. 129.d.1.

David quo ſenſu dicitur deſperaſſe ſe poſſe evadere à facie Saül. 128.a.b.1.

Davidi an licuerit Saülem ſe perſequentem data occaſione interficere. 128.d.e.1.129 a 2.

David oram chlamydis Saül abſcindens, an peccarit. 128.d.e.1.

David an peccarit cogitans Nabal cum tota familia delere. 128.d.e.2.

David populum Ammonitarum cultris diſſecando, &c. an crudelitatis peccatum non incurrerit. 137. c.d.1.

David licitè curavit ſibi applicari Ephod ut conſuleret Dominum. 130.a.b.

Davidis ſententia de filio parabolico viduæ Thecuitæ, vel Abſalone, an fuerit juſta. 137.d.e.2.

David cur Ioab ob occiſum Abner, &c. non puniverit, & an rectè. 132. d.e.2.& ſeq. 287.a.b.2.

David cur pſalmo 50. petat homicidij & adulterij remiſſionem, cum ante Nathan dixiſſet, Dominus tranſtulit à te peccatum tuum, &c. 133.a. b.c.2.

David an peccarit nimia in filios indulgentia. 143. b.1.

Davidis filij quo ſenſu dicantur Sacerdotes. 135.a.2.

David quo ſenſu dicit Dominum præcepiſſe Semei, ut malediceret ipſi. 138.b.c.d.2.

David cur tanta fuerit cura ſervandi Abſalonem rebellem. 139.a.2.

David an non violarit juramentum quo Semei affirmat non moriturum, cum Salomoni præcepit ne pateretur eum eſſe innoxium. 140.c.d.1.

Davidis ſententia qua præcepit Miphiboſeth cum Siba dividere poſſeſſiones, an juſta fuerit. 140.e.1. a.2.

David cur à concubinis ſuis quas Abſalon violarat abſtinuerit, & eas recluſerit. 140.c.d.2.

David tradens ex poſteris Saül ſeptem viros Gabaonitis crucifigendos, an peccarit. 141.c.d.1.

David numerando populum in quo peccavit. 142. a. b.2.

David cur ex tribus plagis à Domino propoſitis, peſtem elegerit. 142.c.d. Et conciliatio hiſtoriæ huius in lib.Reg.& Paralip. narratæ. 169.d.2.

David ab Ornan primo emit arcam cum bobus, deinde certior factus de templo ibidem extruendo, Dei revelatione, totum locum emit. 170.a.b.1.

David cur à Domino non fuerit permiſſus per ſe templum ædificare. 170.c.d.1.

David qua poteſtate Sacerdotum & Levitarum miniſteria multa conſtituerit. 170.d.e.2.

David ſaltans ante arcam quo ſenſu intelligendus ſit nudatus fuiſſe. 134.b.c.1.

David quo ſenſu dicitur non declinaſſe à præceptis Domini, excepto ſermone Vriæ Hethæi. 151. c.d.1.

Davidis geſta quo ſenſu ſcripta in libro Samuelis Nathan & Gad. 172.a.2.

Decalogum ſolum, non omnia mandata ſcripſit ipſe Dominus. 47.d.1.52.b.c.2.
Decalogi præcepta ſunt numero decem. 45.c.2.
Decalogi ſecundum præceptum; non aſſumes nomen, &c. 293.c.d.2.
Decani à Moyſe conſtituti, qui, & cur ſic dicti. 43.b.c.2.
Decimæ jure naturali, & poſitivo divino, miniſtris Eccleſiæ debentur. 180.c.d.2.
Decimam partem fructuum quomodo coram Domino omnes jubeantur comedere, cum illa deberetur Levitis. 87.a.b.1.
Dedicare domum quid fuerit apud Iſraëlitas. 80.c.2. & ſeq.
Delictum à peccato in ſcriptura diſtinguitur. 57.c.d.1.
Dei nomen principaliſſimum, ego ſum qui ſum. 35.d.2.
qua ratione, bonum, dicatur Dei nomen primarium. ibid.c.1.
Deus quomodo α.& ω. 613.c.1.
Deus unus & trinus vocatur in ſcriptura antiquus dierum, non pater reſpectu filij. 373.b.c.2.
Deus vocatur in ſcriptura ignis devorans, ardores ſempiterni, per periphraſim. 314.d.c.1.
Deus qua ratione non fuerit notus Abraham, Iſaac, Iacob, in nomine Adonai, fuerit tamen notus illis in omnipotente. 36.a.b.2.
Deus quo ſenſu dicatur Deus Deorum. 85.c.2.
Deorum nomine qui in ſcriptura intelligantur. 40.d.1.
Dei proprietatis & nomen, quomodo tribui poſſint hominibus. 24.c.d.2.
Deo quo ſenſu æqualiter ſit cura de omnibus. 279.b.c.2.
Dei præſcientia non imponit neceſſitatem contingentibus. 212.c.2.& ſeq.
Deus non eſt cauſa peccati. 210.c.2.221.c.2.264.b.c.1.289.a.b.1.332.c.333.a.1.355.b.2.376.d.1.379.a.2.382.382.a.5.
Deus per promiſſa ſit nobis debitor. 17.c.2.
Deus quo ſenſu pœnitere dicatur in ſcriptura. 123.c.2.333.b.c.1.
Deo quo ſenſu dicatur aliquid innoteſcere. 19.d.1.86.c.d.1.
Deo quomodo ira tribuatur. 35.d.2.
Deo quomodo conveniat deſcenſus & egreſſus de cœlo. 384.b.1.
Deus paſtori comparatur. 226.c.d.1.
Dei clementiæ in populum Iudaicum magnitudo. 326.c.d.2.
Dei apparitiones SS. Patriarchis & Prophetis quomodo factæ. 34.d.c.2.
Deum videre facie ad faciem, quid ſit in ſcriptura. 52.a.b.1.
Deum colere intuitu mercedis licet. 304.d.c.1.
Deo dare gloriam in ſcriptura quid ſignificat. 627.d.1.
Deuteronomium quo ſenſu dicatur Ioſue ſcripſiſſe ſuper lapides. 96.c.2.
Diaboli nomen unde ſumptum. 631.a.1.
Diaboli caſus. 308.d.c.2.361.a.b.2.& ſeq.
Diabolus quomodo homicida eſt ab initio. 542.d.c.2.
Diabolus conſuetudine ſcripturæ, ſolus princeps dæmonum appellatur. Ibid.
Diabolus myſticè deſignatur per Behemoth & Leviathan. 219.b.c.2.
Diaboli & miniſtrorum eius poteſtas & quomodo à Deo. 624.c.1.a.2.
Diabolus quo ſenſu dicitur princeps huius mundi. 497.a.2.
Diabolus fratrum accuſator, quomodo. 623.c.2.
Diabolus Chriſtum quando & quibus modis tentavit ibid.& ſeq.
Diabolus à Chriſto interrogatus quod ſibi nomen eſſet, verè reſpondit coactus. 474.c.1.& ſeq.
Diabolos obſidentes energumenos, interrogare ſecreta & abſcondita, aut curioſa, non licet. 474.a.2.
Diabolus quam de Chriſto ante paſſionem & reſurrectionem eius, notitiam habuerit. 414.c.d.1.& ſeq.
Dies & nox quomodo primo triduo diſtinctæ fuerunt. 2.b.c.1.
De diei ſecundæ & tertiæ opere & diſtinctione. 2.b.2.
Die ſeptimo Deus complevit opus ſuum. 3.c.2.
Diei ſeptimi ſanctificatio quando facta. 3.d.c.2.
Dierum ſex diſtinctio in opere creationis admittenda eſt, verè ut ſonat in Geneſi. 292.c.d.1.
Diei noctiſque diviſio apud Iudæos. 547.c.d.1.
Digitus Dei quid ſit in ſcripturis. 38.b.1.
Dilectionis Dei præceptum an in hac vita impleri poſſit. 83.b.c.d.2.163.d.c.1.
Dilectio inimicorum an ſit in præcepto. 266.c.d.1.
Dilectione amici quid veniat intelligendum. 62.c.d.1.& ſeqq.
Diluvium non eſt in aſtra referendum. 10.d.1.
Diluvio deleti, an omnes æternaliter perierint. ibid.
Diluvio & arcâ, quæ myſteria ſignificata fuerint. 9.c.d.2.
Dina curioſitate peccavit, egreſſa ut videret mulieres Sichem. 24.c.2.
Dina an fuerit uxor Iob. 25.b.1.
Divinationes Genethliacorum nullo modo permittendæ. 2.c.a.3.a.1.329.d.c.1.
Divitias habere non eſt illicitum. 444.c.2.445.a.1.& ſeq.
Divortium nunquam fuit licitum. 443.b.c.2.445.d.c.2.
Dominium hominis ſupra beſtias per peccatum imminutum eſt. 281.d.c.1.
Domus ſæpè pro tota familia & ſubſtantia eius accipitur in ſcriptura. 203.c.2.
Donec & ſimilium vocum ſignificatio in ſcriptura. 360.a.1.408.a.2.
Dormire pro mori ſolis hominibus tribuitur in ſcriptura, ſive bonis ſive malis, non beſtijs. 32.c.1.

E.

EBrietas ſumitur aliquando in ſcriptura pro ſatietate. 29.b.2.
Eccleſiæ nomine quid intelligendum. 442.d.2.
Eccleſia Chriſti ſola eſt in qua eſt ſalus. 323.a.b.2.
Eccleſia Chriſti cur regnum dicatur. 412.b.c.1.
Eccleſia Chriſto quomodo in juſtitia & judicio deſponſata. 377.c.1.
Eccleſia vocatur in ſcriptura mons Domini. 304.a.b.2.
Eccleſia vocatur in ſcripturis tabernaculum David. 383.a.1.
Eccleſia quomodo tota pulcha. 275.b.c.2.276.a.2.
Eccleſia quo ſenſu dicitur hortus concluſus. 275.d.2.
Eccleſia nigram ſe vocat in Canticis, quo ſenſu. 274.c.1.
Eccleſia intelligitur per mulierem amictam ſole in Apoc.12. 623.c.1.
Eccleſiæ notæ inſignes quatuor. 305.c.1.
Eccleſiæ fundamenta qua ratione ſint Apoſtoli. 712.b.2.
Eccleſiæ poteſtas in Chriſto eſt per excellentiam, in eius vicario miniſterialis. 615.c.d.1.
In Eccleſia Chriſti ſuperiores & prælati eſſe debent, & quales. 448.a.b.1.470.d.c.1.
Penes eos eſt poteſtas condendi leges. 452.c.d.1.505.a.2.596.d.c.1.
Eccleſiæ generatio, ac fidelium multitudo quomodo inenarrabilis. 321.b.c.d.1.
In Eccleſia mali bonis ſunt permixti. 434.c.d.c.1.
Eccleſiarum & altarium dedicatio in Eccleſia uſitata rectè retinetur, nec eſt ritus Iudaicus. 397.c.1.& ſeq.
Eccleſiæ triumphantis deſcriptio. 710.d.c.2.712.a.632.c.d.c.2.
Eius templum quomodo Deus & agnus. ibid.
Eccleſiaſtici libri author. 285.c.1.
Electi omnes quo ſenſu dicuntur Virgines. 625.c.d.2.
Eleazar occidens elephantem à quo corruente oppreſſus eſt, an laudabiliter fecerit. 398.d.1.
Eleazari & 7. fratrum cum matre conſtans mors pro lege. 403.c.2.404.a.1.& ſeq.
Elcana quare dicatur Ephrathæus. 115.d.1.
Elcana quo ſenſu dicatur immolaſſe, & an fuerit Sacerdos. 115.d.1.
Eleemoſyna etiam extra neceſſitatem extremam obligat aliquando ſub peccato mortali. 459.d.c.2.
Eleemoſyna danda eſt bonis & malis. 364.c.1.a.b.2.
Eleemoſyna liberaliter facienda eſt. 273.a.b.2.
Eleemoſyna quo ſenſu à morte liberat. 292.c.1.
Elias quomodo prophetas Baal occiderit. 152.c.1.a.2.
Elias duos quinquagenarios principes occidendo cum ſuis, igne de cœlo ad eius petitionem delapſo in eos, non peccavit. 154.d.c.1.

Eliæ

Eliæ raptus. 155.c.1.
Elimelech quo ſenſu dicatur Ephrathæus. 114.b.c.d.1.
Elizabeth quomodo Mariæ Virginis cognata eſſe potuerit. 489.c.d.1.
Eliſæus an aliquos occiderit idololatras. 153.a.1.
Emmanuel nomen, quomodo Chriſto conveniat. 409.a.2.
Enoch in vita ſervatur mittendus cum Elia contra Antichriſti perfidiam.7.c.2.300.a.2. 301.b.c.2.622.b.c.1.
Ab eo occiſi poſt tres dies & medium glorioſi in cœlum aſcendent. Ibid.& ſeq.
Enoch propheta fuit. 8.d.1.
Ephod Sacerdotalis differentia ab Ephod lineo. 130.a.2.
Ephraim qui deflet filios ſuos occiſus à Philiſtæis 1. Par.7.an ſit idem cum Ephraim Patriarcha. 166.c.2.
Epiſcopi nominis ſignificatio. 189.a.2.
Eſau vendendo primogenita ſua, an Simoniam commiſerit. 20.b.c.2.
An venditio illa fuerit valida. Ibid.
Eſau quando ſervijt Iacob ſecundum prophetiam, maior ſerviet minori. 20.c.2.169.d.1.
Quando jugum ſervitutis illius Eſau excuſſerit. 21.6.2.
Eſau, in Seir habitationis, tempus. 26.b.c.1.
Eva ex coſta Adæ fabricata eſt. 5.b.c.1.
Eva ex coſta ædificata in mulierem quid ſignificet. ibid.
Eva cur ſerpentem non horruerit. 5.c.2.
Evangelica conſilia. 444.c.d.1.
Excæcatio, & obduratio in ſcriptura quid ſignificet. 306.d.e.1.324.c.2.
Excelſa in quibus immolabatur duplicis generis fuerunt. 176.a.1.
Exequiarum ritus & ſignificatio. 32.c.d.2.
Exequiæ Iacob. ibid.
Ezechias juſtè æneum ſerpentem confregit. 160.c.d.1.
Ezechiæ quo ſenſu dicitur non fuiſſe ſimilis de cunctis regibus Iuda. ibid.e.2.& 161.a.1.
Ezechias ad pacis redemptionem cum rege Aſſyriorum dando æs & arum multum, ſpoliando templum, an rectè fecerit. 161.b.1.
Ezechias orans Deum pro vitæ ſuæ prorogatione, an peccarit. 161.e.1.a.2.
Ezechias petendo ſignum ſanitatis à Deo promiſſæ, an peccarit. 162.b.1.
Quodnam fuerit ſignum illud. ibid.& ſeq.
Ezechielis viſio quatuor animalium quid ſignificet. 350.a.1.354.a.2.

F.

FAtum quale poſuerunt hæretici quidam, reijciendum eſt. 211.e.2.& ſeq.
Fermentata oblatio quomodo, & cur prohibita. 55.b.c.1.
Ferro candenti probare innocentiam, ſuperſtitioſum eſt. 68.e.1.& ſeq.
Feſtum clangoris & tubarum quod, quæ eius ratio & ſignificatio. 77.b.c.2.
Feſtum cœtus ſeu collectæ, cur ſic dictum, & quale. 64. d.e.1.
Feſta Chriſtianorum cur non immediatè à Chriſto inſtituta, ut in veteri lege à Domino. 64.c.1.
Firmamenti nomine quid intelligendum. 2.d.e.1.
Fides eſt radix immortalis. 283.a.2.
Fides non ſufficit ad ſalutem. 503.d.1.557.b.c.594.c.d.1.
Fides juſti ſimpliciter juſtitia eſt. 15.d.e.1.a.2.
Fides peccatoris cur non ſit ſimpliciter juſtitia. ibid.
Fides requiſita ad impetrandum aliquid à Deo quam requirit certitudinem. 210.c. d.1.287.d.2.483.b.c.1.
Fidei profeſſio quando ſit in præcepto. 350. b.c.1.2.
Fidem ore negare peccatum eſt, etſi eam corde retineas. ibid.
Fideles in primitiva Eccleſia an omnes omnino, vel quinam communem vitam ducebant, & qua ratione. 578.a.2.579.d.2.
Filius in divinis eſt æqualis patri. 381.a.2.
Filius Dei eſt verè Deus. 557.c.d e.1.
Filius Dei non eſt creatus, ſed genitus ab æterno. 293.e.2.294.a.1.
Filij Dei qui, & quæ filiæ hominum intelligantur ante diluvium. 8.d.e.2.
Fluminum fontiumque origo. 269.a.1.
Fœdera & pacta cum infidelibus & Hæreticis inita, ſervanda ſunt. 356.e.2.357.a.1.
Fornicatio ſumitur in Scriptura pro idololatria & omni alio peccato mortali, eique ſic virginitas, id eſt, mentis puritas opponitur. 625.c.d.2.
Fructus vetitus quis fuerit. 6.b.c.1.
Furti nomine quid intelligendum, & quæ, præcepto non furtum facies, prohibeantur. 45.c.d.e.2.
Furtum ſimplex juſtè punitur ſupplicio capitis.22. e.2.23.a.1.
Furtum non commiſerunt Iſraelitæ exportantes vaſa argentea & aurea Ægyptiorum. 39.c.1.
Funis, funiculus quid in ſcriptura ſignificent. 99.d.2.

G.

GEdeon non voluit Angelo, qui ſibi apparuit, offerre ſacrificium. 105.b.1.
Gedeon an non peccarit offerendo ſacrificium extra Silo ubi erat tabernaculum. ibid.c.1.
Gedeon petendo ſignum in vellere an peccarit, ibid. 2.1.
Gedeon ſomnio de pane triticeo in Caſtra Madian devoluto, & eius interpretationi intendens, an peccarit. 105.d e.7.2.
Gedeon curando conclamari ſibi & Domino: an arrogantiæ vitio non peccarit. 106.a.1.
Gedeonis prudentia & juſtitia in punitione virorum Socoth. 120.c.d.1.
Gedeonem Iſraëlitæ in regem expetierunt & in eo peccarunt. ibid.d.e.1.
Gedeon faciendo Ephod in quo fornicatus dicitur omnis Iſraël, an peccarit, & quid per Ephod intelligatur. Ibid.a.2.& ſeq.
Genethliacorum divinationes, non ſunt permittendæ. 329.d.e.1.
Giezi cur per baculum Eliſæi non potuerit ſuſcitare puerum Sunamitidis. 156.e.1.a.2.
Godolias ſibi ab Iſmaël non cavens, culpabilis fuit. 341.e.2.
Gog & Magog quid ſignificent in ſcriptura. 566.a.b.c.1.
In Guliath & David certamine non interceſſit pactum quod proponit Goliath. 125.c.d.1.
Gratiæ Dei efficacia. 119.a.b.1.
Gratiæ diviſio in prævenientem & ſubſequentem. 226.c.1.a.2.
Gratia omnis quo ſenſu dici poſſit præveniens. 312.b.c.1.
Gratia ſemel habita amitti poteſt. 535.e.1.
Gratia ſufficiens non datur omnibus hominibus. 106.a.2.279.b.1.305.d.2.450.d.e.1.593.b.2.

H.

HÆmorrhoiſſæ evangelicæ contactus fimbriæ veſtimenti Chriſti, non ſuperſtitioſus, ſed religioſus fuit, magnæque fidei coniunctus. 425.e.2.426.a.1.
Eius ſanatio quomodo & quando facta. 475.
Hæmorrhoiſſa hæc, an eadem ſit cum Martha. 503.b.c.1.& ſeq.
Hæretica novitas unde exorta. 328.a.1.
Hæretici per locuſtas in Apoc. c.9. deſignantur. 622 d.e.1.
Hæretici rectè pœnis compelluntur intrare in Eccleſiam Catholicam. 511.a.b.1.
Hæretici merito morte puniuntur. 86. c. d. 2. 434. d.1.
Cum hæreticis pacta inita ſervanda ſunt. 356.d.e.2.
Hæreticorum libri laudabiliter comburuntur. 601. c.1.
Hebræi unde ſic dicti. 122.c.d.2.164.a.2.
Hebron urbs antiquiſſima, temporibus diluvij proxima. 71.e.1.
Hebron quomodo dicatur data filijs Aaron, cum alibi ipſi Caleb data fuiſſe dicatur. 101.c.d.1.
Heli peccavit correptionem debitam filiorum omittendo. 117.b.2.
Utrum peccati illius remiſſionem aliquando acceperit. ibid.
Heliſæus prophetaturus cur ſibi pſaltem curarit adduci. 155.e.1.
Hæliſæus an non arroganter petierit Eliæ ſpiritum duplicem, & quid per ſpiritum duplicem intellexerit. 154.e.2.155.a.b.c.1.
Heliſæus non diſpenſavit cum Naaman ut licitè poſſet

ſet ſimulare adorationem Idoli Remmon. 156.b.c.2.
Heliſæus dicens Hazaeli de Ben-adad, dic ei ſanaberis; porro oſtendit mihi Dominus quia morte morietur, quomodo ſecum non pugnet. 157.d.e.2.
Heliſæi corpus mortuum quo ſenſu prophetavit. 301.d.1.
Heſter hiſtoria quando contigerit. 201.a.1.c.2.
Heſter an peccarit nubendo Regi Aſſuero incircumciſo & alienigenæ. 205.c.2.& ſeq.
Eſter tertia die triduani ieiunij Aſſuerum convivio excipiens, an jeiunium illud violaverit, & quo ſenſu triduanum dicatur. 202.c.2.203.a.1.
Eſter libri finis, qui in Hebræo non habetur, an ſit ſcriptura Canonica. 204.c.d.e.2. & ſeq.
Hevilath terra quæ, & ubi ſita. 4.d.2.
Hieruſalem quæ & Jebus, cui tribui fuerit aſſignata in terræ diviſione. 100.b.c.2.
Hieroſolyma cur Ariel vocata. 313.a.b.1.
Hieruſalem muri quo à ſoluta captivitate anno reſtaurati ſunt. 1.186.b.2.
Hieruſalem obſidiones à Chaldæis & Tito ac Veſpaſiano, crudeliſſimæ. 352.b.c.d.2.
Hiram quo ſenſu dicatur Pater regis Tyri. 172.c.d.1.
Hobab non idem eſt cum Jethro, ſed eius filius. 70.b.c.1.
Hœdum in lacte matris coqui cur lex vetuerit. 46.e.2.
Holocauſtum omnium ſacrificiorum præſtantiſſimum, unde ſic dictum & quid ſignificabat. 54.a.2.
Homicidij crimen quibus caſibus quis non incurrat etiamſi alium occidat. 45.d.e.2.
Hnmicida qua ratione occidi poterat à propinquo occiſi. 80.c.2.
Homicida inculpabilis cur jubeatur manere in civitate fugij donec moriatur Sacerdos & non donec Judex aut dux, rex, &c. 101.a.b.c.3.
Homo quomodo ad imaginem Dei creatus, & in quo illa conſiſtat. 3.a.2.
Homo quo ſenſu ſui ipſius redemptor dici poſſit. 372.c.d.1.
Homini poſt lapſum remanſit dominium reſpectu ſuarum actionum. 7.a.1.
Hominis dominium ſupra beſtias per peccatum eſt imminutum. 281.c.d.e.1.& ſeq.
Horæ canonicæ & aliæ Eccleſiæ orationes prolixæ rectè præſcribuntur. 418.b.c.d.e.1.
Hoſtiæ immaculatæ nomine quid intelligatur. 54.b.2.55.a.1.
Humana natura per peccatum corrupta eſt. 328.a.b.c.2.
Humilitas variè accipitur in ſcriptura. 489. d.e.2. & ſeq.

I.

IAcobi in ſomnis viſio myſterium continebat. 21.c.2.
Jacob dicendo Iſaac ſe primogenitum eius Eſau, an ſit mentitus. 21.d.1.
Jacob quo ſenſu lapidem erexit in titulum. 21.d.2.
Iacob votum quo vovit ſe Dominum habiturum pro Deo quomodo intelligendum. 22.a.1.
Iacnb duxit Rachelem ſeptem diebus poſt Liam in uxorem ductam. 22.a.b.2.
Iacnb licitè & decenter amorem Rachel prætulit Liæ. ibid.b.
Iacob quo pacto excuſari poſſit à fraude, ponens in canalibus virgas, ut oves maculoſæ naſcerentur, 23.a.1.
Quo ſenſu queritur mutatam decem vicibus à Laban mercedem ſuam. 23.b.1.
Iacnb quo ſenſu ſe fratrem Laban vocet. 22.c.1.
Iacob num potuerit ſalvo fœdere cum Laban inito, ducere alias uxores. 23.c.2.
Iacob zelus pro Dei religione in Jdolorum abiectione elucet. 25.b.2.
Unde Jdola in familia Iacob erant. ibid.a.2.
Jacob quomodo ab Angelo ſuperari non potuerit. 24.c.1.379.d.e.1.
Iacob quo ſenſu Eſau Dominum ſuum vocet. 23.d.2.
Iacob metus de interitu ſui & familiæ cum fide promiſſionum conciliatio. ibid.& ſeq.
Iacob quomodo benedixerit Pharaoni. 31.a.1.
Iacob quo ſenſu dicatur ſingulis ſuis filijs benedixiſſe benedictionibus proprijs. 32.a.2.
Iacnb quam intelligendus ſit dicere ſe tuliſſe partem de manu Amorrhæi in gladio & arcu ſuo. 31.d.2.
Jacob exequiæ. 32.c.d.2.
Iacobus Maior Apoſtolus num in Hiſpania Evangelium prædicaverit. 590.d.e.2.
Jacob frater Domini non fuit filius B.Mariæ. 435.b.1.
Iahel an peccarit occidendo Siſaram. 104.a.b.c.1.
Ianthinæ pelles quæ, & unde dictæ. 48.d.1.
Japhet figura fuit gentilium electorum. 12.a.1.
Jdololatræ Ethnici fuerunt in triplici differentia, nulliſque eorum poſſunt aſſimilari Chriſtiani colentes & venerantes imagines SS. 317.b.c.2.
Idolothytis veſci fuit in lege prohibitum. 86.b.1.595.a.b.1.
Idolothytis veſci quatenus in lege Moſaïca decreto Apoſtolico Hieroſolymis facto vetitum fuerit. Jbid.
Jeddoa ſeu Iaddus Alexandro Magno occurrit indutus pontificalibus veſtimentis. 181.b.2.
Ieddoa Pontificatus tempore an Nehemias ſupervixerit. 189.c.2.
Jehu zelus pro cultu veri Dei in quo laudandus. 150.b.1.2.
Jehu licitè occidit 70. filios Achab & Ochoſiam cum 42. eius fratribus, quidque ibi per fratres & filios intelligendum. ibid.e.1.& ſeq.
Ieiunij & orationis utilitas in neceſſitate communi. 185.c.1.197.b.1.
Jeiunium Chriſti, Moyſi & Eliæ jeiunio excellentius. 413.c.d.2.
Jeiunium Chriſti rectè Chriſtianis proponitur imitandum. 413.c.2.
Jeiunia Eccleſiaſtica Deo grata ſunt, & ad eius cultum pertinent 322.d.2.339.c.d.
Ieiunia rectè ab Eccleſia præcipiuntur. 497.b.c.1.
Jeiunium quadrageſimale à Chriſto, lege, prophetis habet teſtimonium. ibid.
Jephte quo ſenſu filiam ſuam immolarit. 108.b.c.1.
Ieremias quo ſenſu in utero ſanctificatus. 326.a.b.c.1.
Jeremias quo ſenſu ſe à Domino queratur fuiſſe ſeductum. 333.d.e.2.
Jeremias cur non eſt populum ſuum captivum comitatus. 341.b.2.
Sed potius cum reliquijs deſcendit in Ægyptum. 342.d.e.2.
Jeremias exemplar concionatorum. 340.b.c.1.
Ieremias quando & qua occaſione Threnos ſcripſerit. 346.a.1.
Iezabel cur audito Jehu introitu depinxerit oculos ſuos ſtibio. 158.c.1.
Ieſu nomen Sybillinis carminibus prædictum fuit. 625.a.1.
Ieſu nominis ſignificatio & dignitas. 407.a.b.1.
Ieſu nomen in novo Teſtamento incommunicabile alteri quàm Salvatori noſtro. ibid.
Jeſus quo ſenſu Galilæus, & quo Nazarenus vocetur in Scriptura. 463.a.b.2.
Jeſus cur Nazarenus dictus potius quàm Bethlehemita. 561.a.b.1.
Jeſus filius Ioſedech figuram Chriſti prætulit. 390.b.c.1.
Iethro an fuerit ſacerdos idolorum, an veri Dei. 34.c.d.2.
Jgnis alienus in ſacrificijs quis. 58.b.1.
Imagines Chriſti & SS. non prohibentur ſecundo Decalogi præcepto. 44.a.2. 248. b.1.317. a.b.2.414.a.b.2.
Jmaginum veneratio non eſt idololatria. 350.c.1.414.a.b.2.
Jmmolatio quo ſenſu aliquando tribuatur quibuſdam non ſacerdotibus in ſcriptura. 115. d.1.122. d. e.2.
Impij quo ſenſu deleri dicantur de libro vitæ. 237.e.2.a.1.
Joferni ſignificatio in Scriptura. 27.c.1.213. a.1.134.e.1.262.d.e.1.290.b.2.
Infidelium opera non omnia ſunt peccata. 422.e. 1.a.1.
Cum Jnfidelibus pacta & fœdera inita ſervanda ſunt. 356.d.e.2.
Inimicorum dilectio qualis eſſe debeat. 185.b.2.
Inimicorum dilectio præcepta eſt in veteri Teſtamento. 337.d.1.349.c.d.1.
Ioachim ſeu Iechoniæ liberationis è carcere ab Evilmerodach, cur Scriptura meminerit. 182.b.c.2.334.c.d.
Joannes Baptiſta non caruit peccatis venialibus. 413.b.1.
Ioanne Baptiſta quomodo maior inter natos mulierum non eſt. 501.b.1.
Ioannes Baptiſta non eſt converſatus cum Jeſu ante ſuam prædicationem, & quare? 529.c.2.

Ioannes Baptiſta quo ſenſu negat ſe prophetam. 528. d.e.2.
Ioannes Apoſtolus num ſponſus fuerit nuptiarum in Cana Galilææ celebratarum. 530.b.c.2.
Ioannes quo ſenſu B. Mariam ſibi à Chriſto in Cruce commendatam accepit in ſua. 562.b.c.1.
Ioannes an à Chriſto fuerit magis dilectus quàm Petrus. 567.c.d.2.
Ioannes Evangeliſta à morte non fuit immunis. 578. e.2.579.a.1.
Ioannes Evangeliſta eſt author Apocalypſeos. 613. b.2.
Ioannes Evangeliſta cur dictus Theologus. ibid.
Iob quis fuerit, & ex qua ſtirpe. 207.a.1.217.c.d.1.
Iob quo ſenſu dicatur afflictus fruſtra. 207.c.2.
Iob quo ſenſu maledicit diei nativitatis ſuæ. 208.b.1.
Iob dicta omnia in diſputatione cum amicis, an habeant vim authoritatis divinæ ut dicta prophetarum. 209.e.2.a.1.
Iob cum amicis diſputatio in quo potiſſimùm verſetur. 207.b.c.1.208.e.2.210.a.b.1.213.d.1.215.b.c.2.
Iob in diſputatione cum amicis an, in quibus, & quam graviter peccarit. 213.d.1.215.b.c.2.
Iob amici in ſua diſputatione contra Iob, hæreticorum figuram gerunt. 210.d.1.
Iob divitiarum abundantia. 216.a.2.
Ionadab quomodo prudens dicatur & an ſit idem qui Nathan propheta. 137.e.1.
Ionas meritò inter prophetas recenſetur. 383.a.1.
Iochabed an fuerit filia immediata Levi, an eius neptis. 34.b.1.
Ionathæ ſignum quod dedit armigero ſuo aſcendens ad caſtra Philiſtinorum, an fuerit ſuperſtitioſum. 123.c.d.1.
Ionathas quo pacto tantam plagam fecerit cum armigero ſuo in caſtris Philiſtinorum. ibid.
Ionathæ oculi quo ſenſu dicantur ex guſtato favo mellis illuminati, & an in hoc facto peccarit. ibid.e.
Ionathas Machabæus ſuſcipiendo pontificatum, aut eius confirmationem à Rege Alexandro, an non peccarit. 400.e.1.a.2.
Ionathas hic an licitè ſciderit veſtimenta ſua, &c. 400.b.c.2.
Ioram regi litteræ ab Elia quando ſcriptæ & unde delatæ. 177.a.d.
Ioſeph cur præ cæteris à Iacob dilectus. 26.a.b.2.
Ioſephi ſomnia quomodo, & quando impleta. ibid. c.d.
Ioſeph non jure, ne verè, ſed putatitius tantùm ſervus fuit. 27.d.e.2.
Ioſeph dicendo fratribus exploratores eſtis, non eſt mentitus, nec calumniatus fratres ſuos. 28.b.2.
Ioſeph num peccaverit animum patris affligendo, capto Beniamin, &c. aut cupiditate vindictæ in fratres. 29.a.1.
Ioſeph quo ſenſu dicitur in ſcypho inaugurari ſolitus. 29 c.d.2.
Ioſeph emendo ab omnibus totam terram Ægypti & ſubjiciendo eam regi, non fuit crudelis aut inhumanus. 31.6.c.1.
Ioſeph prudens conſilium in ea re. ibid.
Ioſeph cur juſſerit oſſa ſua transportari in terram promiſſionis. 33.a.2.
Ioſeph oſſa quo ſenſu poſt mortem prophetarunt, 302.d.e.
Ioſeph tribus cur in duas tribus diviſa fuerit. 99.d.2.
Ioſeph qua ratione dicitur Chriſti pater. 493.d.2.
Ioſeph ſponſi B.V. caſtitas commendabilis. 409.6.1.
Ioſeph virgo fuit cum B. Mariam in coniugem accepit, & mortuus fuit ante nuptias in Cana Galilææ. 561.d.e.2.
Ioſeph Chriſti pater putatitius faber fuit lignarius. 434.e.2.435.a.1.
Ioſeph Iudæi de Chriſto opinio. 518.a.2.
Ioſias quorum ſacerdotum oſſa, & cur combuſſerit in altaribus idolorum. 181.c.d.2.
Ioſias pugnando contra Nechao an peccarit. 182.a.2.
Ioſias quo ſenſu dicitur colligendus ad ſepulchrum ſuum in pace. 165.a.1.
Ioſue juramentum de Gabaonitis ſervandis num potuerit retractare. 97.a.1.141.c.d.1.
Ioſue verè ſiſtere fecit ſolem & alia aſtra. 97.d.e.1.
Ioſue an incredulitate peccarit. 96.c.1.
Ioſue cur non numeretur inter Iudices. 104.b.1.
Iris quomodo ſignum fœderis. 11.d.e.1.a.2.
Iſaac in quibus Chriſti typus fuerit. 20.a.1.
Iſai filij quo ſenſu 8. & quo 7. tantùm dicantur. 252. a.b.2.
Iſaias quomodo ex præcepto Domini nudus inceſſerit. 310.e.1.a.b.2.
Isboſeth quo ſenſu dicatur regnaſſe duobus annis. 132.d.1.
Iſmaelis luſu cum Iſaac quid intelligatur. 18.b.2. 132.e.1.
Iſmaelitæ an ijdem ſint cum Agarenis. 241.c.1.
Iſrael vera interpretatio. 25.d.2.
Iſrael tribus decem an aliquando reductæ fuerint de captivitate. 337.d.e.2.
Iſraelitæ exportantes vaſa argentea & aurea Ægyptiorum furtum non admiſerunt. 39.c.d.e.1.
Quomodo acceperint illa ab Ægyptiis, cum habitarent in terra Geſſen ſeparata. 39.a.2.
Iſraelitarum habitatio in Ægypto quot annorum fuerit. 40.b.2.
Iſraelitæ in vituli adoratione verè fuerunt idololatriæ. 51.a.b.1.
Iſraelitarum veſtes quo ſenſu non fuerunt vetuſtate conſumptæ vel pes attritus. 86.a.b.2.
Iſraelitarum pugna contra Beniamitas in Gabaa, cur eis non bene ſucceſſerit primis vicibus. 113.c.d.e.1.
Cur poſtea pœnitoerint, cum bellum Dei conſilio factum ſit. Ibid.c.d.2.
Iſraelitarum juramentum de non ineundis matrimonijs cum Beniamitis an eos obligarit, & quid de raptu filiarum in Silo ſentiendum. ibid.d.e.2.
Iſraelitæ cur non licitè regem petierint. 119.b.c.d.e.2.
Iſraelitæ an vitulos aureos à Ieroboam erectos verè deos putaverint. 149 e.2.150.a.1.
Iſraelitæ quando dici cœperunt Iudæi, & Palæſtina Iudæa. 160.c.d.1.
Iſraeliticus populus quo ſenſu ſanctus dicatur. 197. b.c.2.
Judas jubens Thamar comburi hypocritæ perſonam exhibuit. 27.a.2.
Quare tam gravi ſupplicio, & an juſtè eam puniri voluerit. ibid. & ſeq.
Judæ benedictionis veritas, qua promittitur non auferendum ſceptrum de Iuda. &c. 166.e.1.357.c.d.2.
Judas qui fuit Iudex, non particularis homo, ſed tribus fuit. 103.a.b.1.
Judas Machabæus ineundo fœdus cum Romanis, an peccarit. 399.d.e.1.
Judas Machabæus prælium ſuſcipiendo in quo occubuit, an temeritate, aut tentatione Dei peccarit. ibid.b.c.d.e.2.
Judas unde dictus Iſcariotes. 427.c.1.
Judæ proditori buccella porrecta, num Chriſti corpus fuerit. 552.b.1.& ſeq.
Judas cum Euchariſtiam ſuſcepit an occultus peccator fuerit. 460.a.b.c.2.
Judas an fuerit Epiſcopus, vel ſaltem ſacerdos. 571. c.d.2.
Judas Chriſtum obſculatus, an reciprocum receperit oſculum. 462.a.2.
Judas Chriſtum an vendiderit Iudæis, & quid per triginta argenteos intelligendum ſit. 460.c.d.1.
Judas argenteos retulit ante Chriſti mortem. 350. a.2.
Judas dicitur in Scriptura Diabolus, & an aliquando bonus fuerit. 540.d.1.
Judæa quomodo ad Orientem ſita, quomodo ad Occidentem. 197.d.1.
Judæi liberati à captivitate de qua ſervitute querantur. 188.e.2.189.a.1.
Judæi tempore Chriſti verè fuerunt ſubiecti Romanis. 450.e.2.451.a.1.
Judæi an habuerint poteſtatem tempore Chriſti, lapidandi per ſe adulteras, aut morte reos plectendi. 541.b.2.
Judæi qui Chriſtum occiderunt, quam de eo cognitionem habuerunt. 518.d.e.1.
Judæi Meſſiæ regnum terrenum mille annorum expectant. 389.b.c.1.a.b.2.
Judicia Dei qua ratione dicuntur manifeſta. 627.a.b.1.
Judicij extremi diem quo ſenſu Dei Filius neſcire dicatur. 481.a.b.2.
Judicij Domini hora incerta, ideoque ſemper vigilandum. 616.b.c.1.
Judicij extremi dies quomodo improviſa adveniet, cum tot ſigna præcedent. 519.b.c.2
In judicio univerſali omnes omnino judicandi ſunt nullo penitus excepto. 459.c.d.e.1.
Judicium extremum fiet in valle Ioſaphat. 381.a.2.

Judi-

Judicium exerceri ſolebat in portis apud Iudæos. 89. c.d.2.
Judices Iſrael non poterant imperare, nec leges condere. 104.a.b.1.
Judicis Eccleſiaſtici & civilis officia. 87.e.2.88.a.1.
Judicare de controverſijs fidei non pertinet ad laicos. 608.d.e.1.
Judicia loqui cum aliquo phraſi Hebræa quid ſit. 341. c.d.1.
Judith hiſtoria quando contigerit. 196.a.b.1. 200.e. 1.a.2.
Judith ex qua tribu fuerit. 198.c.d.2.
Judith an bene factum Simeonis contra Sichemitas, laudet. ibid.e.2.
Judith ſe ornando, adiens Holoſernem, an peccarit. 199.b.1.
Judith an Holoferni ſit mentita in ijs quæ dixit, & an mortaliter. 199.c.d.1.
Judith cur ex cibis menſæ Holoſernis noluerit comedere. ibid.b.c.2.
Judith caſtitas vidualis commendanda. 200 b.c.2.
Juramentum an & quomodo licitum, & an inter res adiaphoras, vel bonas aut malas ſit reponendum. 417.b.e.2.
Juramentum licitum eſt ſi fiat in veritate, judicio & juſtitia. 327.b.c.1.388.b.1.373.d.e.1.a.2.
Jurare qua ratione præceptum ſit. 83.e.2.
Juramentum Ioſue & principum populi de Gabaonitis ſervandis, an ita eos obligarit, ut retractare non potuerint. 97.a.1.141.c.d.1.
Juſtificationis ordo explicatur. 364.e.2.& ſeq.
Juſtificatio quo ſenſu ſit ex fide. 15.d.e.1.a.2. 594. c.d.1.& ſeq.
Juſtus quo ſenſu in fide ſua vivet. 387.d.1.b.2.554.b. c.1.594.b.c.1.
Juſtificatio non in ſola peccatorum remiſſione conſiſtit, ſed & in virtutum operatione. 249.b.2.292. e.1.325.a.b.1.
Juſtificatio quo ſenſu ſolo Deo tribuatur. 292.d.e.1.
Juſtificati opera omnia eſſe peccata, impiè docent hæretici. 249.b.c.2.325.a.1.
Juſtificatio impij non ſit ſola reputatione. 263.b.c. 1.278.c.2.
Ad juſtificationem in adultis propria fides, in parvulis, Eccleſiæ requiritur. 424.c.1.a.2.
Juſtitia qua homo juſtus dicitur, vera eſt, etiam coram Deo. 210.e.1.a.2.
Juſtorum bona opera merentur vitam æternam de condigno. 141.a.1.380.b.2.
Juſtitia ſemel habita amitti poteſt. 278.c.2.
Juſtitiæ diviſio in generalem & ſpecialem, & quid utraque ſit. 210.b.1.
Juſtum credere debere ſe eſſe in juſtitia malè docent hæretici. 272.d.1.332.e.d.2.
Juſtitia imputativa ſectariorum non eſt vera juſtitia. 486.c.1.a.2.
Juſtè agere & juſtum agere differunt. 87.c.d.2.
Juſtitiæ neglectus grave peccatum eſt. 153.e.1.
Juſtum punire cum impio quomodo Deo conveniat, & quomodo non. 358.b.e.d.2.

L.

LAban coluit Idola. 23.c.d.1.& ſeq.
Laban introducens ad Iacob Liam pro Rachel, peccavit, ut & Lia, ſed illa minus. 22.d.e.1.
Labor & dolor in Scriptura varias habent ſignificationes. 323.b.c.1.
Labrum æneum in tabernaculo quale, & quomodo ex ſpeculis mulierum factum dicatur. 53.c.2.
Lamina pontificia quæ & qualis fuerit. 54.a.1.
Lapides à Ioſue duodecim in loco caſtrorum deſerto, & in Iordane cur poſiti, & quæ myſtica eorum ſignificatio. 94.c.d.2.
Laudare ſeipſum quando licitum ſit. 187.e.1.
Legem univerſam excepto Decalogo ſcripſit Moyſes. 47.d.1.
Legiſlatoris Chriſti & Moyſis differentia. 241.a.b.2.
Legis Moſaicæ, jugum quomodo importabile. 594. e.1.a.2.
Legi naturali cedit poſitiva, cum ſic concurrunt ut ſimul ſervari ambæ non poſſint. 413.b.2.
Quo caſu aliter fiat. Ibid.& 403.c.2.
Lex naturæ nec lex Moyſi valuerunt per ſe ad remiſſionem peccatorum. 339.b.c.1.
Lepræ judicium cur ſacerdotibus commiſſum. 59. e.d.2.
Lepra quomodo à ſacerdotibus veteris legis mundabatur, & in quo ſimilis hæc mundatio & contaminatio, mundationi lepræ ſpiritualis & contaminationi per ſacerdotes novæ legis factæ. ibid. e.2. & 60.a.1.
Leproſi ſigna, & eorum ſignificatio. 60.a.b.1.
Lepra volatilis quæ, & eius ſignificatio. 6.d.1.
Leproſo cur præſcribitur ſacrificium pro peccato. ibid.e.1.
Lepra quo ſenſu in domo, veſtibus, &c. eſſe dicatur, idem pro domo orare ſacerdos. 60.b.2.
Levitarum nomen dupliciter in Scriptura accipitur. 185.b.c.1.
Levitas cur præ alijs tribubus elegerit Dominus in miniſterium ſuum. 67.e.1.a.2.
Levitas cur curarit numerari ab uno menſe & ſupra. ibid.d.e.1.
Levitæ admittebantur ad miniſterium exercendum anno trigeſimo, incipiebant diſcere ab anno vigeſimo quinto. ibid.b.2.& 116.a.b.1.
Levitæ cur non ſint numerati cum ceteris tribubus. 66.a.1.
Levitæ ab oneribus belli quomodo immunes fuerint. ibid.b.1.
Levitarum conſecrandorum cur raderentur omnes pili carnis. 69.d.e.1.
Levitis conſecrandis cur imponeret populus Iſrael manus. ibid.a.2.
Levitarum officia. 66.a.2.
Levitæ & ſacerdotes an poſſeſſiones habere potuerint. 73.d.2.98.b.2.338.e.d.2.368.a.1.
Levitarum filij, bonorum paternorum hæredes erant. 88.d.1.
Levitis quadraginta octo civitates quomodo, & cur tot aſſignatæ. 101.d.e.2.
Lia typus ſynagogæ. 22.d.1.
Liber bellorum Domini Num. 21. quis & qualis. 74.c.2.
Liber ſignatus ſigillis ſeptem Apoc. 5. Scriptura ſacra eſt. 617.b.1.
Librum hunc Chriſtus cur ſolus aperire & ſigilla ſolvere poſſit. ibid.c.
Liber vitæ duplex, & ex quo poſſit quis deleri. 237.e. 1.a.2.615.b.1.
Librum cur juberet Ioannes devorare, & quid ſignificet. 621.c.2.
De Libro vitæ deleri quo ſenſu petat Moyſes. 51. c.2.
E Libro vitæ quo ſenſu dicuntur impij deleri. 237.e. 1.615.b.1.
Libertas arbitrij ſtatuitur. 291.d.e.1. 329.a.b.2. 332. e.2.333.a.1.
Liberum arbitrium non appetit niſi bonum verum, vel ſaltem apparens. 291.c.1.
Liberum arbitrium non habet ſe merè paſſivè in bono opere. 250.b.2.328.b.1.329.d.e.1.
Lignum vitæ cur ſic dictum, & quomodo immortalitatem præſtabat. 4.b.c.2.
Lignum ſcientiæ boni & mali cur ſic dictum. ibid.d.
Ligni, quo Moyſes ex aquis amaritudinem ſuſtulit, myſterium. 42.a.2.
Libertini qui ſic dicti intelliguntur Act. 581.d.e.2.
Linguarum confuſio quomodo facta. 12.d.e.2.
Linguarum donum Apoſtolis datum quale. 573.c. d.1.
Liptote frequens eſt in ſcripturis. 333.a.1.
Litteræ fuerintne ante diluvium, & quis earum inventor. 8.e.1.
Locuſtæ vocis ſignificatio. 412.d.e.
Locuſtæ in Apoc. 9. deſcriptæ, hæreticos ſignificant quorum rex Diabolus. 621.d.e.1.
Loth ingratitudo. 14.e.1.
Loth eligendo terram circa Iordanem an peccarit. ibid.d.
Loth offerendo Sodomitis filias ſuas ſtupro, an peccaverit. 17.e.1.112.e.2.113.a.1.
Loth uxor in ſtatuam ſalis converſa eſt. 18.a.1.
Loth ebrietas poſt everſam Sodomam culpabilis eſt. 17.d.e.2.
Loth in concubitu cum filiabus fuit culpabilis. ibid.
Eius filiæ in eodem facto culpabiles. ibid.
Lucas Evangeliſta non fuit ex ſeptuaginta Chriſt. diſcipulis. 487.e.1.
Lucerna in tabernaculo quibus temporibus ardebat. 48.d.e.1.
Luciferi caſus. 361.a.b.2.& ſeq.
Lux primo die facta quæ, qualiſque fuerit. 2.a.b.
Lydda civitas quæ, & quomodo poſtea dicta. 582.d. e.2.

M.

MAchabæorum libri ſecundi authoritas. 402.b.2.404.d.2.405.c.d.1.408.c.2.
Magi apparenter tantum virgas in ſerpentes, &c. verterunt. 37.a.b.1.
Magi Chriſti adoratores quales, & an reges fuerint. 409.b.c.2.
Magi quo cultu Chriſtum adoraverint. 411.c.1.
Magorum adventus ad Chriſtum an prior fuerit Chriſti in templo præſentatione an poſterior. 409.d.e.2.
Mala à Deo immiſſa avertere licet niſi revelatio Dei intercedat. 175.a.b.1.334.c.d.1.
Malefici & maleficæ rectè morte puniuntur. 46.c.d.1.
Malos cur Deus vivere permittat. 367.a.b.2.
Malorum vita ſæpè inſigni aliqua calamitate terminatur. 404.a.b.2.
Mammonæ vocis ſignificatio. 420.c.d.2.
Manaſſæ pœnitentia an vera ſinceraque fuerit. 181.d.e.1.
Mandata ſua quo ſenſu Deus jubeat ſuſpendi in manibus pro ſigno, & inter oculos collocari. 85.e.2.
(Manè) ponitur ſæpè in Scriptura pro (ſedulò.) 334.e.1.
Manna quo ſenſu dicatur panis. 42.b.c.1.
Manna cur panis Angelorum dicatur. 239.b.c.2.
Manna quo ſenſu uniuſcuiuſque deſerviebat voluntati, & ad quod quiſque volebat, convertebatur. 283.d.c.2.
Manna cur defecerit poſtquam comedere inceperunt Iſraelitæ de frugibus terræ. 95.d.1.
Mardochæus quo ſenſu fuerit de numero captivorum abductorum ſub Iechonia à Nabuchodonoſore. 202.a.b.1.205.d.e.1.
Mardochæus negando honorem Aman quem ei rex deferri volebat, an peccarit. 202.d.e.1.
Mardochæus procurans per litteras regis Aſſueri occiſionem hoſtium à Iudæis an non peccarit, & Iudæi præceptum exequentes. 204.c.2.
Mardochæi litteræ quomodo prævenerunt litteras Aman. 203.d.e 2.
Maria ſoror Moyſi an in virginitate permanſerit. 41.e.2.
Mariæ nominis ethimologia & ſignificatio. 481.a.b.1.
Maria quo ſenſu benedicta inter mulieres. ibid. d.e.2.
Maria Virgo ante conceptionem filij ſui voto Deo ſuam virginitatem conſecrarat. 488.d.1.
Maria V. an & quatenus dubitaverit dicens Angelo, Quomodo fiet iſtud? &c. ibid.
Mariæ V. Partus prædictus fuit per ſignum Achaz regi datum ab Iſaia. 306.c.d.2.
Mariæ virginitas contra hæreticos defenditur. 408.a.b.2.& ſeq.
B. Mariæ viſitatio in qua civitate contigerit. 489.e.2.
B. Maria an uſque ad partum Eliſabeth ibi manſerit. ibid.
Mariæ. V. & Eliſabeth cognatio quomodo ſine iniuria legis conſiſtat. ibid.c.1.
Maria V. Chriſtum peperit ſine ullo dolore & virginitatis violatione. 491.e.1.a.2 492.c.2.
Maria Virgo expleto purificationis tempore obtulit Chriſtum Domino in templo Hieruſalem; Item oſtiam obtulit, quam & quare. ibid.b.2.
Maria V. non habuit alium filium à Chriſto. 435.a.1.475.a.2.
Maria V. non fuit ſoror matris filiorum Zebedæi. 446.c.2.479.a.1.
An Maria V. per mulierem ſole amictam intelligatur in Apoc. 623.c.1.
Maria Cleophæ an fuerit eadem cum Maria Alphæi. 561.a.2.
Maria Marthæ ſoror, an eadem quæ peccatrix. 546.d.1.
Mare ſalſiſſimum, quale, & ubi ſitum. 80.a.1.
Mare rubrum cur ſic dictum. 41.a.1.
Martyres veteris Teſtamenti conſtantiſſimi. 403.c.d.2.& ſeq.
Matrimonium inter coniuges diverſarum tribuum, quo ſenſu lege Moyſi prohibitum fuerit. 80.e.2.81.a.1.107.a.b.2.
Matrimonia Iſraelitis cur prohibita fuerint cum Chananæis. 101.e.2.102.a.1.

.Eſij Annot. in Script.

Matthæus dictus Levi, an fuerit de tribu Levi. 498.e.2.
Matthias Apoſtolus quomodo per ſortem electus eſt ad Apoſtolatum. 582.a.b.2.
Melchiſedech quis fuerit, & an idem fuerit cum Sem. 14.b.c.2.
Obtulit Abrahæ panem & vinum, prius tamen Deo oblata. ibid.e
Mendacium non eſt, cum facti alicuius cauſa principalis ſubticetur, allegata minus principali. 187.e.2.
Mendicum & indigentem quo ſenſu dicat Deus non futurum inter Iſraelitas. 87.d.e.2.
Merito alieno poteſt quis à Deo juvari, etiam ad ſpiritualia bona conſequenda. 424.e.1.
Meſſis tempus in terra Chanaan erat primo menſe. 94.b.2.
Michæ hiſtoria quando contigerit. 111.b.c.2.& ſeq.
Michaelis pugna cum dracone Apoc. 12. quo referenda. 623.e.1.a.2.& ſeq.
Michol ſtatua quam in lecto poſuit loco Davidis Idolum non fuit. 126.d.e.1.& ſeq.
Millenarij hæretici qui & unde ſic dicti. 365.c.d.2.631.d.e.1.
Miraculorum operatio quomodo ſanctis competit. 576.c.d.2.
Miſericordiæ Dei & hominis. 257.b.2.
Miſericordiæ Dei nulla ex parte noſtra cauſa eſt. 51.e.1.a.2.
Moabitas & Ammonitas quo ſenſu lex vetuerit intrare in Eccleſiam Dei. 190.c.1.
Mœchiæ nomine quid intelligendum, & quid præcepto *non mæchaberis* prohibeatur. 45.a.2.
Monogamia ab initio inſtituta. 5.e.1.a.2.
In Monogamiæ lege Deus diſpenſare poteſt. 18.d.e.2.
Moria mons in quo ædificavit Salomon templum, an idem ſit cum eo in quo Abraham juſſus eſt immolare Iſaac, Adam ſepultus, Chriſtus crucifixus. 172.b.c.2.
Mors multiplex & vita. 614.d.e.2.
Mors prima quæ, quæ ſecunda. 631.b.2.
Mortis timor quis licitus ſit. 299.a.b.2.
In Mortuorum à Chriſtu ſuſcitatione varia ſignificata ſunt myſteria. 425.c.d.2.
Mortuos cur nunquam abſens Chriſtus ſuſcitavit? ibid.
Mortui à Chriſto ſuſcitati an numero plures quàm tres. 429.e.1.a.2.
Mortuis proſunt vivorum ſuffragia. 405.c.d.1.
Moyſes occidendo Ægyptium, an laudandus ſit ab indole ſolum, an etiam à facto. 34.a.2.
Moyſen quare & quomodo voluerit Deus occidere. 36.b.1.
Moyſes cur ſponſus ſanguinum dicatur. ibid.c.
Moyſes rectè arduam legationem deprecatus eſt; ſed non rectè fecit in ea deprecatione cum pertinacia perſiſtendo. 35.c.d.2.
Moyſis manus ex ſinu leproſæ extractæ, &c. allegorica ſignificatio. ibid.a.
Moyſes fueritne verè impeditioris & tardioris linguæ. 35.b.2.
Moyſes quo ſenſu dicatur Deus Pharaonis. 36.d.e.2.
Moyſes non propriè legiſlator dici debet. 81.c.
Moyſes ſolum bis fuit 40. diebus in monte. 85.a.1.
Moyſis facies quo ſenſu cornuta dicatur. 52.d.e.2.
Moyſes ad aquas contradictionis peccavit peccato incredulitatis. 74.e.1.a.2.
Punitio illius incredulitatis & myſtica eius ſignificatio. 77.a.b.1.
Moyſes bis eduxit aqoam de petra. 42.c.d.2.
Moyſes Deo familiariſſimus. 71.d.1.
Moyſes fuit ſacerdos. 57.d.2.244.e.1.
Moyſes cur inter judices non numeretur. 104.b.1.
Moyſes an incredulitate peccarit petens à Deo tranſire Iordanem, & videre terram promiſſam, cum ante Deus contrarium ipſi prædixiſſet. 82.c.d.1.
Moyſes cur tantopere deſiderarit videre terram promiſſionis. ibid.a.2.
Moyſis prophetia de Chriſto. 88.d.e.1.& ſeq.
Moyſes & Elias in transfiguratione Chriſti prophetarunt. 504.c.d.2.
Moyſes in transfiguratione Chriſti, an in perſona propriè apparuit, an in corpore aſſumpto, aut Angelus eum repræſentans. 440.d.e.1.504.d.2.
Moyſi ſepulchrum cur manſerit incognitum. 93.d.2.
Moyſes num venturus ſit ad prædicandum contra Antichriſtum. 622 b.2.

Mundi varia acceptio. 557.c.2.
Mulier cur veſte virili indui prohibeatur. 89.b.2.
Multiplicatio panum & piſcium à Chriſto miraculoſè bis facta, quid myſterij contineat. 436.a.b.1.& ſeq.

N.

NAas cur virorum Iabes-Galaad oculos dextros erui voluerit & quid myſticè ſignificet. 121.c.d.2.
Nabuchodonoſoris ſtatua quam adorandam expoſuit, fueritne ipſiuſmet an Dei alicuius ſui imago? 370.b.2.
Nabuchodonoſor an fuerit mutatus in veram beſtiam, vel ſaltem in figuram beſtiæ. 371.c.2.& ſeq.
Nabuchodonoſor quomodo Danielem adoravit eique ſacrificari præcepit. 370.b.1.
Nadab & Abiu occiſi à Domino ob ignem alienum oblatum, & quid per hoc ſignificatum. 58.b.1.
Nathan propheta non eſt idem qui Nathan filius Davidis. 136.d.2.
Nathanael an ſit idem cum Bartholomæo. 566.a.b.2.& ſeq.
Nathinæi qui fuerint. 183.d.1.a.2.
Nazaræi qui dicantur. 108.d.2.
Nazaræi unde dicti. 68.d.2.
Nazaræorum duplex genus, & eorum ſignificatio. ibid.
Nemrod quis & qualis, quidque nomine robuſti venatoris intelligatur. 12.b.c.1.
Noemeniæ ſignificatio. 77.c.1.a.2.
Ninive typus populi gentilis. 386.c.1.
Ninivitarum vera fuit pœnitentia. 384.b.1.
Noë nudatio quomodo & quando contigerit. 11.c.d.2.
Nomen Domini quid ſignificet in Scriptura. 263.c.2.
Notitia Dei quomodo eſt conſummata juſtitia. 283.a.2.
Nubes operiens tabernaculum; qualis, & quæ myſtica eius ſignificatio. 54.b.2.
Nuptijs cur Chriſtus interfuerit. 530.b.1.

O.

OBduratio cordis Pharaonis, quo ſenſu Deo tribuatur. 38.a.b.2.
Obduratio Scribarum & Phariſæorum, ſimilis fuit Pharaonis obdurationi. ibid.& c.2.
Obed ex Ruth & Booz genitus, cur non fuerit vocatus filius Mahalon, vel Elimelech. 125.b.c.2.
Obedientia melior quàm victimarum oblatio. 124.a.1.
Obedientia Eccleſiæ Prælatis debetur. 339.b.c.2.
Obſtetricibus Hebræorum cur Deus benefecerit. 33.b.1.
Quo ſenſu eis dicatur Deus ædificaſſe domos. ibid. c.2.
Ochoſias quando regnare cœperit. 177.c.2.
Odium animæ ſuæ quo ſenſu in Scriptura accipiatur. 233.b.c.2.
Onus in prophetis quid ſignificet. 308.c.1.a.2.
Opera bona juſtorum merentur de condigno vitam æternam. 380.a.b.2.415.a.1.459.a.b.2.513.d.c.2.
Opera pœnitentiæ merentur de congruo tantum vitam æternam. 380.b.2.
Operis boni incboatio eſt à gratia Dei. 262.b.c.2.
Operum bonorum dignitas & valor. 278.c.d.1.
Ad Opus bonum neceſſaria eſt liberi arbitrij cooperatio. 83.c.1.a.2.
Opus ex voto factum melius eſt, quàm quod fit ſine illo. 22.a.1.
Operum miſericordiæ corporalium cur Chriſtus in judicio mentionem facit potiùs quàm ſpiritualium. 459.d.c.2.
Ophir regio quæ, & ubi ſita. 147.b.2.
Opilio unde dictus. 14.b.1.
Orationi jungenda eſt devotio. 313.b.c.1.
Oratio quomodo ſine multiloquio eſſe debeat. 288.b.1.
Orationes publicæ in templis & ſupplicationes rectè fiunt à Chriſtianis. 418.b.2.
Orationis in templis fuſæ cur cæteris paribus magis exaudiantur quàm alibi. 328.c.1.
Oratio qua quid à Deo petimus qualem fidem requirat. 200.a.b.1.210.c.2.370.d.c.1.423.b.1.
Orare ſemper & ſine intermiſſione quo ſenſu præcipiatur. 525.a.b.1.
Orationes Chriſti ſemper fuerunt exauditæ. 547.c.1.
Originale peccatum non tantum eſt carentia juſtitiæ originalis, ſed inſuper concupiſcentia prava. 209.a.2.
Originale peccatum juſtè parvulis imputatur. 218.c.2.
Ornan idem qui Areuna Iebuſæus. 170.a.b.1.
Othonielis cum Axa filia Caleb an fuerit licitum matrimonium. 199.c.1.
Oves Chriſti qui dicendi, fideles omnes an prædeſtinati, an juſti omnes. 544.c.2.
Oza cur fuerit percuſſus à Domino. 198.a.1.& ſeq.
Ozias cur certum tempus deditionis Bethuliæ aſſignando peccarit. 198.a.2.

P.

PAnes propoſitionis cur ſic dicti. 48.c.1.
Panis ſignificatio in oratione Dominica. 419.d.c.2.
In Panum & piſcium multiplicatione à Chriſto bis facta, quid myſterij contineatur. 436.a.1.
Paracleti ſignificatio varia, tribuitur divinis perſonis. 553.b.c.2.& ſeq.
Paradiſus in qua terræ regione fuerit ſitus. 4.c.d.1.
An adhuc ſuperſit. ibid.c.
Paradiſi nomine cum Chriſtus latroni dixit, hodie mecum eris in paradiſo, quid intelligendum. 523.c.2.
Parentibus honor triplex debetur. 45.b.c.1.
Parvulos quo ſenſu proponit Chriſtus diſcipulis ſuis imitandos. 441.c.2.
Paſchalis immolatio erat agni, vel hœdi, non utruſque. 39.d.c.2.
Paſchalis Agnus an à Sacerdotibus immolaretur, & ubi. ibid.& ſeq.
Sanguinis eius reſperſio ſuper utrumque poſtem & ſuper liminare quid myſticè ſignificet. 40.b.1.
Paſcha ſive phaſe quo die Chriſtus celebravit, & an in azymo conſecrarit corpus ſuum. 550.d.c.1.
Paſtoris nomen variè accipitur. 330.c.d.2.
Paſtoris veri officia. 351.d.c.2.355.c.d.1.363.a.b.1.380.a.1.545.c.1.
Paſtores mali varij ſunt. 334.d.c.2.363.c.2.364.a.1.392.b.c.1.
Paſtoribus quando fugere liceat, & à grege ſe ſubducere. 584.c.1.a.2.
Paſtorali muneri obeundo ſe offerre quando licitum. 309.c.d.1.325.c.d.2.
Patriarchæ Abraham, Iſaac, Iacob. Quomodo prophetæ, & Chriſti dicuntur. 168.b.c.2.
Patris nomen in oratione Dominica quomodo accipiatur. 418.c.2.419.a.1.& ſeq.
Paulus per Beniamin figuratus ſuit. 236.c.2.
Paulus Chriſtum vidit verè corporaliter in via Damaſcena in aëre terræ vicino exiſtentem. 586.b.1.605.d.c.1.
Paulus fitne per baptiſmum conſecutus remiſſionem peccatorum an ante. 605.c.2.
Pauli raptus in tertium cœlum num triduo cæcitatis eius contigerit. ibid.& ſeq.
Paulus quomodo civis Romanus. 606.a.1.
Paulus qua ratione ſe dicit Phariſæum. 606.c.1.a.2.
Paulus quando primam ſuam ad Corinthios Epiſtolam ſcripſit. 601.c.2.602.a.1.
Paulus num licitè Timotheum circumcidit. 596.a.b.1.
Paulus ad Cæſarem in judicio licitè appellavit. 607.d.c.2.
Pauperes ſpiritu qui dicantur. 415.c.d.1.
Paupertatem voluntariam amplectentes quo ſenſu centuplum in vita hac recepturi ſint. 478.c.d.2.
Pax alia mundana, alia vera. 319.a.1.
Peccata non omnia paria. 311.b.2.
Peccatorum remiſſioni per pœnitentiæ ſacramentum non eſt ullus præfixus terminus. 380.d.2.
Peccato dimiſſo remanet pœna aliqua temporalis exſolvenda. 163.c.d.2.
Peccatorum remiſſio obtineri non poteſt ſine ſanguine Chriſti. 339.c.1.
Peccatum originale quid ſit. 209.c.d.1.
Peccata venialia à regno cœlorum non excludunt. 416.b.2.
Peccatum immediatè in Deum gravius eſt peccatis in homines. 116.c.2.117.a.1.
Peccatum in Spiritum ſanctum quod, quomodo irremiſſibile, & quomodo à blaſphemia in Spiritum ſanctum diſtinguatur. 464.c.d.1.

Peccati

Peccati magnitudo non poteſt æſtimari ex pœnæ inflictæ magnitudine. 509.d.e.2.
Peccare per ignorantiam quis dupliciter intelligitur. 50.d.1.
Peccatorum opera non omnia mala ſunt. 422.c.1.a.2.
Peccatum unum quomodo bis puniri poſſit. 386.d.1.
Peccata maiorum quomodo in poſteris & principum in ſubditis puniantur. 44.c.d.2. 52.c.d.1. 90.a.b.2.95.d.e.2.96.a.1.& ſeq. 331.d.c.2. 338.c.2. 339.a.1.348.a.2.& ſeq.357.c.d.1.
Perſonarum acceptio abeſſe debet à iudicio. 81.c.1.240.c.d.2.
Petrus Malcho amputans auriculam, an peccarit, & an mortaliter. 462.c.d.2.
Petrus Chriſtum negando, graviter peccavit.463.e.2.464.a.1.
Petrus Apoſtolus quando hoc nomen Petri ſeu Cœphæ acceperit. 530.a.b.1.
Petrus eſt Petra, ſuper quam Chriſtus ædificaturum ſe dicit Eccleſiam ſuam. 437.a.b.1.
Petrus claves Eccleſiæ, ſeu regni cœlorum à Chriſto accepit. ibid.d.e.1.
Et primatum in Eccleſia. 504.d.e.1.521.a.1.
Petrus Apoſtolus cæteris habuit maiorem poteſtatem. 426.b.c.1.
Petrus an fuerit magis dilectus à Chriſto quam Ioannes. 567.c.2.& ſeq.
Petrus Ananiam & Saphiram non occidit verbo ſuo, ſed mortem tantùm eis prædixit. 580.a.1.
Pharaonis induratio. 38.b.2.
Phariſæorum ſecta qualis & an docuerint μετεμψύχωσιν. 608.c.d.2.
Phariſæorum fermentum quid. 507.d.e.2.
Phariſæorum doctrina quæ bona, quæ mala? 436.a.1.
Phariſæorum obduratio & Scribarum, ſimilis fuit obdurationi Pharaonis. 38.c.2.
Phaſe ex cauſis differri potuit in menſem ſecundum. 18.d.1.
Pherezæus populus aliter vocatus Aracæus. 12.d.1.
Philippi diaconi filiæ quatuor quo ſenſu prophetantes dicantur, & an caſtitatis votum emiſerint. 604.d.e.1.
Philiſtijm terra nunquam fuit ab Iſraelitis poſſeſſa. 98.a.2.103.a.2.116.b.1.
Phinees non Angelus, ſed verus homo fuit. 167.a.b.
Phinees & ſemen eius quomodo ſacerdotium ſempiternum obtinuit. 76.c.1.
Pilati nominis etymologia. 464.b.1.
Pilato contra Chriſtum quæ fuit poteſtas. 560.c.d.2.
Pilati uxori viſiones de nocte immiſſas an à bono acceperit an malo Angelo. 465.d.e.1.
Plaga grandinis quo ſenſu omnia animalia Ægypti mortua ſint. 38.d.1.
Pœnitentia vera. 267.b.c.1.
Pœnitentia vera præter novam vitam alia requirit. 297.c.2.411.d.c.2.412.a.1.
Pœnitentiæ opera de congruo tantùm merentur veniam. 380.d.e.1.a.2.
Pœnitentiæ opera remiſſionem peccatorum prærequirunt etſi ea ſit gratuita. 317.c.d.1.
Pœnitentia iterari ſæpius poteſt. 217.d.2.
Pœnitentiam interiorem per ſigna externa teſtari Deo gratum eſt. 181.c.2.
Pœnitentia Antiochi inutilis, ut & Eſau & Iudæ. 398.c.d.1.464.a.2.
Poligamia quando licita. 18.d.e.1.
Poligamia Iacob non eſt adſcribenda eius incontinentiæ. 22.b.c.2.
Pontificia lamina quæ & qualis fuerit. 54.a.b.1.
Populus terræ quid ſignificet in Scripturis. 19.c.1.a.2.
Porta in templo Salomonis à Ioathan ædificata dicta ſublimiſſima, an eadem quæ in Actis ſpecioſa dicitur. 159.c.2.160.a.1.
Potentes cur gravius à Deo punientur quàm plebei & privati. 279.b.2.356.a.1.
Poteſtas Eccleſiæ eſt in Chriſto per excellentiam; in eius vicario miniſterialiter. 625.b.c.1.& ſeq.
Præceptum Dei aliquando ſumitur pro ſola Dei ordinatione. 552.d.2.
Præcepta divina quo ſenſu dura dicuntur. 312.e.2.
Presbyteri nomen quid in Scriptura ſignificet. 198.d.1.
Presbyterorum nomine ſæpe Epiſcopi in Scriptura intelliguntur. 602.c.2.603.a.1.
Primogenitus quid ſignificet ex vi nominis. 40.c.d.2.409.a.1.
Primogenitus familiæ quis in Scriptura dicatur. 40.e.1.
Primogenitorum Angelus percuſſor bonuſne fuerit an malus. 40.c.1.284.b.2.
Principibus Chriſtianis non ſunt fœdera ineunda cum infidelibus, nec ab ijs auxilia contra Chriſtianos petenda. 176.a.
Principi tyrannidem apertam exercenti, num reſiſti poſſit. 395.b.1.
Principij nomine quid intelligendum. 219.a.1.
Prophetandi nominis acceptio varia 171.a.1.301.d.2.
Prophetarum verorum à falſis diſtinctio multiplex. 336.b.c.2.
Prophetæ quomodo plures fuerunt tempore novi Teſtamenti quàm veteris. 380.c.2.
Prophetarum filij qui dicantur in Scriptura. 120.d.e.2.
Prophetiarum aliæ abſolutæ, aliæ comminatoriæ. 337.a.1.
Providentia humana immoderata, vitioſa eſt. 421.b.c.1.
Proximi nomine quis intelligendus. 62.c.1.e.2.63.a.1.
Pſallendi officio tria coniuncta eſſe debent. 264.b.2.
Pſalmorum editio qua utimur ex qua eſt verſione. 221.b.1.
Publicanorum officium non erat, nec eſt illicitum. 425.b.c.1.
Punitio filiorum ac nepotum pro peccatis parentum quomodo Dei iuſtitiæ non repugnet. 44.c.d.2.90.e.2.a.2.95.d.e.2.357.c.d.1.
Punire iuſtum cum impio quomodo Deo convenit & quomodo non. 358.b.c.2.
Purificationis mulierum ex partu ceremoniam exercens Eccleſia, quomodo non Iudaizet. 59.c.1.a.2.
Pythonici & divinatores rectè morte plectuntur. 63.b.c.1.

Q.

QUinquagenarij qui fuerint, & cur ſic dicti. 43.b.c.2.

R.

RAchel paſcens gregem, Chriſti Eccleſiæ figura. 22.c.1.
Rachel auferens idola Patris ſui quomodo excuſari poſſit à furto. 23.e.1.
Rages civitas Medorum duplex fuit, vel binomia. 192.b.1.
Rahab qualis fuerit. 94.d.1.
Rahab fides & iuſtificatio. Ibid.& a.2.
Raphael dicens ſe ex filijs Iſraël eſſe & Azariam Ananiæ Magni filium, num ſit mentitus. 192.d.2.
Raphael quo ſenſu ſe unum dicit ex ſeptem qui adſtant ante Dominum. 195.c.1.
Raſiæ factum an laudandum. 405.c.d.2.
Raſura capitis & barbæ luctus indicium. 309.b.1.
Rationale pontificis cur ſic dictum, cur item pectorale. 49.a.1.
In Rationali quæ duodecim nomina & quare ſcripta fuerint. ibid.b.& ſeq.
In Rationali cur poſita doctrina & veritas. 49.a.1.
Rebecca quomodo ſoror Iſaac. 20.d.2.
Regem tyrannicè ſubditos opprimentem an occidere, vel regno privare eis liceat. 129.b.1.
Regina cœli in Scriptura quid ſignificet. 343.c.1.
Regnum quomodo fidelibus omnibus competat. 43.d.e.2.
Regnum cœlorum vel Dei, variè accipitur. 437.a.2.441.a.2.
Reliquiæ SS. rectè ſervantur & honorantur. 43.a.1.159.a.2.
Repudium uxoris in veteri lege non fuit licitum, ſed tantum permiſſum. 87.d.1.
Reſpondere in Scriptura phraſi Heb. quid ſignificet. 430.d.2.
Reſtitutio in lege veteri quomodo facienda erat. 46.b.1.
Reſurrectio hominum futura eſt. 212.b.1.& b.2.405.d.1.
Reſurrectio impiorum quo ſenſu dicatur non futura. 231.b.1.312.c.2.
Roboam quo ſenſu habuerit bellum cum Ieroboam cunctis diebus. 131.a.1.
Roma qua ratione Babylon magna dicatur, mater fornicationum, &c. 628.b.c.1.
Romanus magiſtratus quomodo dicatur tempore Machabæorum lib.1. uni homini fuiſſe commiſſus. 399.c.1.

Ruben inceſtus punitio. 25.d.e.2.
Ruben maledictio à Iacob data. 31.c.2.32.a.1.
Rubus ardens incombuſtus, quid myſticè ſignificet. 35.a.1.
Ruth hiſtoria quando contigerit. 114.a.1.
Ruth in veri Dei fide conſtantia. ibid.d.1.
Ruth pudicitia ac miſericordia. ibid.c.d.2.

S.

SAba regio ubi ſita. 147.d.e.2.
Saba Reginæ quæſtiones Salomoni propoſitæ quæ, qualeſue fuerint. 148.b.c.1.
Sabbathi nomen quid ſignificet. 64.a.1.77.b.e.2.
Sabbathi ſanctificatio qualis requiritur. 44.c.2.45.a.1.
Sabbathum ab Apoſtolis in diem Dominicam eſt mutatum. 54.a.1.
Sabbathi lege, non ſunt vetita opera pietatis & miſericordiæ. 455.b.2.
Sabbathum terræ anno ſeptimo celebrari ſolitum, in quo conſiſtebat. 65.b.1.
Sacerdotij jus in lege naturæ ad primogenitos non pertinuit. 20.b.2.21.c.1.
Sacerdotum Ægyptiorum terra cur vendita non fuerit. 31.e.d.1.
Sacerdotes Ægyptij alebantur ex publicis horreis, ibid.
Sacerdotium vetus quo ſenſu perpetuum. 49.d.e.2.
Sacerdotium veteris Teſtamenti non ſubfuit poteſtati regiæ. 179.a.b.1.180.a.1.
Sacerdotes novi Teſtamenti verè remittunt peccata. 317.c.d.1.& ſeq.
Sacerdotalis benedictionis efficacia. 131.b.2.
Sacerdotis benedictionis à Dei benedictione differentia. 69.a.b.2.
Sacerdotibus novæ legis cur pugnare minus liceat quàm licuerit veteris legis ſacerdotibus. 66.a.b.1.
Sacerdotium quomodo fidelibus competat. 43.d.e.2. 44.a.1.
Sacramenta ſeptem myſticè per pſalm. 28.v.3.& ſeq. ſignificari, quidam piè aſſerit. 227.c.2.
Sacramenta novæ legis gratiam continent. 308.d.1.
Sacrificij veri acceptio duplex. 297.a.2.
Sacrificia ex animalibus occiſis non ſunt inventa dæmonum, aut idololatrarum. 16.d.2.
Sacrificia cur non fiebant ex alijs quadrupedibus quàm bobus, ovibus & capris. 54.a.1.
Sacrificium cur de gallinis, caponibus, perdicibus, &c. non potuerit offerri. 55.a.1.
Sacrificia omnia, cur ſale condienda fuerint. 55.d.1.
Sacrificij pro delicto ritus. 57.e.1.
Sacrificium pacificum qua ratione offerebatur. 55.a.2.
Sacrificij pro peccato ritus & ratio. 56.c.d.1.
An eo Sacrificio remiſſio vera, an ſolum legalis peccatorum obtinebatur. 55.c.2.
Sacrificij jugis, ſabbathi & Neomeniæ ſignificatio. 77.c.1.
Sacrificium holocauſtum omnium præſtantiſſimum, unde ſic dictum, & quid ſignificabat. 54.a.2.
Sacrificare in excelſo an aliquando licuerit. 120.c.1.
Sacrificium quo ſenſu legantur obtuliſſe ſeu immolaſſe Saül, David, Salomon, Manaſſes &c. 11.d.15.& d.2.129.d.e.2.
Sacrificia & orationes, &c. impiorum an Deo gratæ ſint. 262.b.1.331.a.2.
Sadducæorum ſecta quando orta. 404.a.b.1.
Sadducæi inter Iudæos erant hæretici. 451.c.2.& ſeq.
Sadoc an & quomodo fuerit ſacerdos ſummus. 135.c.1.
Sadoc quomodo & cur poſitus ſit à Salomone ſacerdos pro Abiathar. 144.b.c.2.
Salome fuit mater filiorum Zebedæi, nec appellata fuit Maria. 483.c.2.484.a.1.
Salomon quo ſenſu dicitur unigenitus. 165.b.2.
Salomon quo vitæ ſuæ anno regnare cœperit. 145.d.1.
Salomonis ſapientia. 145.d.e.2.147.c.2.& ſeq.
Salomon ducendo filiam Pharaonis in uxorem, an peccarit. 145.b.1.
Salomon in quo peccavit ducendo uxores alienigenas. ibid.& 148.c.d.1.
Salomonis templum. Vide. *Templum*.
Salomon templa idolis extruxit & ea coluit. 148.e.1.a.2.
Salomon an ſit damnatus. 148.b.2.
Salomon quod jugum durisſimum intelligendus ſit impoſuiſſe ſuis ſubditis, de quo conqueruntur apud Roboam. ibid.d.2.& 174.c.2.
Salomon pariſne fuerit cum Adamo ſcientiæ. 280.b.c.1.
Salomon quo ſenſu dicit ſe ſortitum animam bonam, &c. 280.a.1.
A Salomone quo ſenſu Deus dicit ſe miſericordiam ſuam non ablaturum. 134.b.2.
Salomonem non eſſe authorem libri Sapientiæ, eſt veroſimilius. 279.d.2.
Salvatoris nomen magis Chriſto convenit quàm ſervatoris. 491.c.2.
Samaritani qui, & quales. 505.d.2.
Sampſonis conſecratio ex utero matris ſuæ non eſt ſanctificatio in utero. 108.d.1.
Sampſonis fortitudo quæ, qualiter ipſi inerat, & quomodo ea utebatur. 109.d.2.
Sampſon tangens cadaver Leonis an legem tranſgreſſus ſit. 110.c.1.
Sampſonis problema; De comedente exivit cibus, &c. Chriſto myſticè convenit. ibid.& a.2.
Sampſon cur indixerit Philiſtæis apertum bellum, & an non privatam vindictam quæſierit. 110.a.b.2.
Per Sampſonis crines ſeptem, intelliguntur ſeptem cincinni crinium. 111.b.1.
Sampſon peccavit ſecretum ſuæ conſecrationis Dalilæ aperiendo, item ad eam accedendo & mentiendo. ibid.c.1.
Sampſon an peccarit ſeipſum unà cum Philiſtæis occidendo. ibid.
Samuel quo ſenſu dicatur datus Domino cunctis diebus vitæ ſuæ, cum Levitæ omnes ipſo jure Domini eſſent. 116.a.b.1.
Samuel quomodo miniſtravit Domino cunctis diebus vitæ ſuæ, & an Iudex factus adhuc miniſtrarit. ibid.
Samuël non fuit ſacerdos. 466.a.2.
Samuelis liber de lege regni, intercidit temporum injuria. 113.a.1.
Samuël an peccarit erigendo altare in Ramatha. 119.c.d.1.
Samuel an potuerit hoſtiæ benedicere & quomodo benedixit. 120.c.1.a.2.
Samuel ipſe; non verò in eius perſona diabolus poſt mortem apparuit Sauli Pythoniſſam conſulenti. 129.d.e.2.301.d.1.
Samüel quo ſenſu dixit ſecum fore poſtero die Saülem cum filijs. 130.b.1.
Sancti cum Chriſto regnantes, & Angeli à nobis colendi & honorandi ſunt. 630.b.c.1.
Sancti ſuo modo ſunt mediatores & interceſſores. 83.e.1.
Sancti in cœlis regnantes preces noſtras cognoſcunt. 157.b.1.
Sancti orant pro vivis. 122.d.e.1.406.b.1.
Sanctorum orationes ex meritis Chriſti vim ſuam habent. 620.c.d.2.
Sanctorum orationes iram Dei à nobis avertunt. 355.c.d.2.389.d.2.437.b.2.
Sanctorum invocatio bona eſt nec Chriſto mediatori derogat. 220.b.2.332.a.b.2.340.a.b.2.
Sancti in terra conſtituti, pro perſecutoribus orant; in patria, vindictam eorum à Deo expetunt, quare. 618.c.d.e.1.629.c.d.2.
Sanctorum reliquiæ rectè ſervantur & honorantur. 42.c.d.e.2.159.a.2.
Sanctificatio in ſcripturis variè accipitur. 40.c.d.1.
Sanguinis varia ſignificatio. 377.d.2.385.b.1.
Sanguinem cum carne cur vetuerit Deus comedi. 11.a.1.55.c.2.61.1.e.1.
An lex illa adhuc obliget. 11.c d.1.595.d.e.1.
Sanguinis & ſuffocati eſus quatenus ab Apoſtolis prohibitus in Synodo Hieroſolymitana. 594.d.e.2.
Sapientia variè accipitur in ſcriptura. 50.b.2.
Sapientiæ laudes. 215.c.2.216.a.1.257.c.d.2.259.c.d.2.265.a.2.
Sara & Agar quid allegoricè ſignificent. 18.d.2.
Sara quo ſenſu ſoror Abrahæ fuerit. ibid.d.1.
Saræ riſus fuit culpabilis. 16.e.2.
Sarai non fuit à Pharaone cognita. 14.a.1.
Saræ filiæ Reguelis ſeptem viri, an fuerunt illi de quibus Sadducæi à Chriſto petierunt, cuius ex illis in reſurrectione eſſet uxor futura. 193.c.2.
Saulem quo ſenſu elegerit populus in regem. 122.b.1.
Saül quo ſenſu dicatur fuiſſe filius unius anni, cum regnare cœpit & duobus annis regnaſſe. ibid.a.2.

Saül quo ſenſu dicatur electus & nullus fuiſſe illo melior in Iſrael. 120.b.c.1.
Saül quo ſenſu dicatur percuſſiſſe mille. 126.a.1.
Saül offerens in Galgala oblationem, in quo peccavit. 122.d.e.2.
Saül quomodo dicitur prophetaſſe. 121.a.1.126.e.1. a.2.
Saülis lictores miſſi ad David rapiendum quomodo prophetaverunt. ibid.
Saül ſitne damnatus conſciſcendo ſibi mortem. 130. e.2.131.a.1.
Saülem honorificè ſepeliendo qui ſeipſum interfecerat, an rectè fecerint viri Iabes Galaad. 131.b.2.
Scribæ qui dicebantur in populo Iudaico. 184.c.2.
Scripturæ ſacræ ſenſus multiplex eſt. 379.b.c.1.
Scripturæ ſacræ eloquentia. 382.e.1.a.2.
Scripturæ interpretationi regula convenientiſſima. 379.c.2.
Scripturæ ſacræ aliquid addere aut minuere, quid ſit. 635.a.b.1.
Sculptilia fieri, quo ſenſu primo decalogi præcepto prohibeatur. 44.e.1.a.2.48.a.b.1.65.e.2.a.2. 83.a.1.
Sedechiæ regis Iuda levitas & inconſtantia.340.d.2.
Sem figura fuit populi Iudaici. 12.a.1.
Semei quo ſenſu dicitur juſſus à Deo maledicere Davidi. 138.c.d.2.
Serpens quomodo locutus fuerit. 5.b.c.2.
Serpentis maledictio in Geneſis 3. myſticè in diabolum quadrat. b.d.e.1.
Serpens æneus exaltatus à Moyſe fuit Chriſti crucifixi figura. 74.b.c.2.
Setim ligna, quæ, qualia, & unde Iſraelitis in deſerto. 48.e.1.
Signa quæ permiſſa. 2.d.e.2.
Simeon & Levi occidentes habitatores Sichem peccarunt. 25.b.c.1.
Simeon tribui cur non benedixerit Moyſes ante mortem ut aliis. 93.a.1.
Simeonis tribus quam acceperit poſſeſſionem in diviſione terræ. 100.a.1.
Simon Machabæus mittendo duos filios ſuos Tryphoni obſides pro fratre ſuo Ionatha, num peccarit.
Simon hic diverſus eſt ab eo de quo Eccleſiaſticus. ibid.d.1.
Simon Cyrenæus Evangelicus, cuias, an gentilis fuerit an Iudæus. 466.b.c.1.482.
Simon Cyrenæus quo ſenſu dicitur portaſſe crucem poſt Ieſum. 522.c.d.
Sina montis ab Ægypto diſtantia. 36.d.1.
Sodomitici peccati quæ punitio. 63.a.1.
Sol & luna cur luminaria magna, & quo ſenſu. 3.b.1.
Solis & lunæ cultorum ceremoniæ. 216.d.2.
Somnia quæ & quatenus obſervare, & interpretari liceat. 27.e.2.28.a.1.
Somnia Ioſeph quomodo & quando impleta.26.c.d.2.
Sortes quæ licitæ. 572.a.b.2.& ſeq.
Soſthenes ſitne idem cum Criſpo de quibus in Actis. 559.d.e.2.
Spiraculum vitæ quid, & quo ſenſu inſpiratum in faciem Adami. 4.a.b.1.
Spiritus ſanctus cur in diſcipulos non fuit miſſus ante Chriſti aſcenſionem. 555.d.2.
Spiritus ſanctus quomodo docuit Apoſtolos omnem veritatem. 556.b.1.
Spiritus mendax in ore omnium prophetarum Achab, malus fuit. 154.c.1.
Stella quæ Magis apparuit in Chriſti nativitate qualis fuerit. 410.b.2.
Stellæ quomodo dicuntur caſuræ de cœlo. 621.a.1.
Stephanus cur & quatenus viderit cœlos apertos. 583. e.1.a.2.
Stephanus in terra poſitus Chriſtum in cœlis exiſtentem corporaliter vidit, qua ratione? ibidem. & ſeq.
Stephanus quo ſenſu vidiſſe ſe dicit Chriſtum ſtantem à dextris Dei. 583.d.2.
Stephanus à Iudæis quomodo ſepultus. 584.a.2.
Superbia eſt initium omnis peccati. 289.b.1.
Suſannæ hiſtoria authentica eſt. 376.c.1.& ſeq.
Synagoga Iudæorum repudiata eſt ob peccata.319.c.2.

T.

Tabernaculi exemplar in monte Moyſi monſtratum, quale. 48.a.2.
Talentorum diſtributionis parabola explicatur. 458. a.b.1.
Tau littera qua jubentur ſignari frontes gementium, &c. in Hieruſalem, quid ſignificarit. 354.b.1.
Templa Deo rectè eriguntur. 535.e.2.536.a.1.
Templa ædificare Deo, gratum ei eſt. 325.b.2.479. c.d.2.
Templis non afficitur Deus ob magnificentiam, &c. ſed ob preces, reliquias SS.&c. 403.e.1.& ſeq
Templa quomodo à Deo habitantur. 146.e.2.147. a.1.171.b.c.2.598.e.1.
Templo Salomonis ædificando opera gentilium adhibita, quid præfigurarit. 146.a.b.1.
Templum Salomonis quomodo à Salomone & populo dedicatum. 147.b.1.
Templi Salomonis altitudo. 146.c.1.
In Templi ædificatione quo ſenſu dicitur malleum & ſecurim, &c. non eſſe audita, & quid myſticè ſignificetur per hoc. ibid.d.e.1.
Cur impenderit tantum 7. annos in templi ædificatione, & tredecim in domus ſuæ ædificatione.146. a.b.2.
Templum poſt captivitatem reædificatum an fuerit magnificentius templo à Salomone extructo. 183. d.2.389.b.c.1.
Templum illud quo ſenſu dicitur lapide impolito extructum. 183.d.2.184.a.1.
Templum hoc an minus fuit Templo à Salomone extructo. 184.a.b.2.
Templum Hieroſolymitanum quomodo domus orationis cunctis populis. 322.c.d.1.
Templi purgatio facta à Iuda Machabæo quando contigerit. 404.d.e.2.
Tempus quomodo poſt extremum judicium non erit amplius. 621.c.d.2.
Tenebræ quo ſenſu creatæ. 1.a.b.2.
Tenebræ fuerunt initium primi diei. 2.b.1.
Tenebræ quo ſenſu tam denſæ ut palpari queant. 37. d.e.1.284.a.b.1.
Tenebræ quæ contigerunt tempore paſſionis Chriſti, miraculoſæ fuerunt. 584.b.2.
Tentari à Deo quo ſenſu juſtus petere poſſit. 227. a.1.
Terra inanis & vacua quomodo. 1.d.1.a.2.
Terra quo ſenſu ſcabellum pedum Dei. 325.e.1.
Terra poſt extremum judicium ſine montibus & Inſulis erit penitus rotunda. 325.e.1.
Terra in qua Dominus in rubo Moyſi apparuit. quo ſenſu ſancta dicatur. 35.a.b.1.
Terram promiſſionis an aliqui præter Caleb & Ioſue intrarint. 72.a.b.2.
Terræ promiſſionis termini. 86.b.1.
Teſtamentariæ legationes commendabiles ſunt. 290. d.e.2.
Teſtari ſeu in teſtimonium invocari quomodo poſſint res inanimatæ. 92.e.2.
Teſtimonium falſum prohibente præcepto, quæ intelligantur prohibita. 45.d.2.
Teſtimonium duorum quomodo & cur requirat Deus. 88.b.2.
Thomas Apoſtolus quando accepit Spiritum ſanctum ad remittendum peccata. 565.b.1.
Thomas Chriſti redivivum corpus an palparit. ibid. d.e.
Et pertinaciter nolendo credere niſi, &c. an fuerit hæreticus. ibid.b.2.
Thomas quomodo dicitur quia vidit, crediddiſſe. 566.c.1.
Timon non eſt idem cum Timotheo Apoſtolo diſcipulo. 581.a.2.
Timor alius bonus eſt alius malus. 633.d.1.
Timor Dei pro cultu Dei accipitur ſæpe. 160.e.1.
Timor Domini quo ſenſu dicitur ſapientia. 216.b.1.
Timor Domini quo ſenſu dicatur principium ſapientiæ. 257.b.1.
Titanum nomine quid ſignificetur in libro Iudith. 200.d.e.2.
Tobias dans Gabelo mutuum ſub Chirographo, an non fecerit contra præceptum de eleemoſyna. 191. c.d.1.
Tobias mortem exoptans præcibus quomodo dicatur exauditus. 192.a.1.
Tobiæ ſenioris patientia. 191.b.1.194.c.1.
Tobias viſum recipit miraculosè non ex vi naturali fellis piſcis, ſed ſupernaturali. 194.c.d.2.
Tobiæ ſenioris prophetia explicatur. 195.d.e.1.& ſeq.
Tobiæ libri author. 190.d.1.& 2.
Tobiæ libri textus Græcus in quo à Latino diſcrepet. ibid.

Tobias junior an non temere aut imprudenter ſe in domo Raguelis non comeſturum neque biburum affirmat niſi ſit ei Sara promiſſa. 193.e.1.a.2.
Tobias eam in uxorem accipiendo Patre inſcio an non peccarit. 193.a.b.2.
Tobias ſuperſtitioſus non fuit adhibendo igni jecur piſcis ad dæmonium fugandum? Quibuſque modis intelligendum jecur dæmonium fugaſſe. ibid. c.d.2.
Tranſfiguratio Chriſti ubi facta. 444.a.b.1.
Tribuni qui & quales à Moyſe conſtituti. 43.b.2.
Trinitatis SSS. myſterium probatur. 3.e.1.a.2.12. d.2.16.d.2.
Tuiſco non fuit filius Noë. 12.a.1.
Tunica Chriſti inconſutilis eius Eccleſiæ figura eſt. 561.d.1.
Tyrus figura ſeu typus regni diaboli. 360.b.c.2.
Tyri ruina typus eſt lapſus juſti. ibid.d.e.2.

V.

VAcca rufa Chriſti typus. 74.b.c.1.
Vela quot in tabernaculo fuerint, & quot in templo Salomonis. 48.b.2.
Venti vocantur in ſcriptura aliquando Spiritus Dei. 371.a.2.
Veritatem celare quando liceat & ad prudentiam pertineat. 124.b.3.341.b.1.
Veſtimentorum nomine bona opera interdum ſignificantur. 627.a.1.
Veſtium ornatus quis illicitus. 305.a.b.1.426.e.2.
Vexilla maiora quatuor fuerunt in duodecim tribubus, & qualia fuerunt. 66.b.2.
Victimæ immaculatæ nomine quid intelligendum. 54.b.2.55.a.1
Videre Deū facie ad faciem quid ſit in ſcriptura. 71.d.1.
Vindictam expetere quomodo licitum eſt. 398.d.e.2.
Vinea quomodo communis fiebat apud Iſraelitas. 89.a.b.1.
Vinum quo ſenſu dicitur lætificare Deum. 107.a.b.1.
Num in Virgæ ab Aarone converſione in ſerpentem, ſerpentiſque in virgam & rurſum, ſemper redierit eadem numero virga & idem numero ſerpens. 96.e.2.97.a.1.
Virgarum Magorum per Aaronis Virgam devoratarum, myſtica ſignificatio. 37.a.b.1.& ſeq.
Virginitas ſumitur interdum pro ſanctitate & mentis incoinquinatione. 625.c.d.2.
Vitis creata eſt cum ceteris arboribus. 11.a.b.2.
Vini uſus fuit ante diluvium. ibid.
Vocatio gentium. 225.e 1.a.2.
Voluntas Dei duplex. 359.c.d.e.2.
Vota monaſtica, libertati Chriſtianæ non adverſantur. 53.b.c.1.
Vota quæ obligent. 77.d.e.2.
Vota à Chriſtianis ut à malis aliquibus liberentur, rectè Deo offeruntur. 384.a.b.1.
Voto parentum quando obligari poſſint filij. 65.e.2. 66.a.1.
Votum Iacob quo vovit ſe Dominum habiturum pro Deo quomodo intelligendum. 22.a.b.2.
Opus ex voto factum melius eſt eodem ſine voto. ibid.
Vr Caldæorum quid ſignificet. 13.d.1.

Z.

ZAcharias qui vixit tempore regis Ochoſiæ, an idem ſit cum Zacharia filio Ioiadæ. 178.e.2. 179.a.1.
Zacharias filius Barachiæ fueritne filius Ioiadæ ſummi ſacerdotis, an pater Ioannis Baptiſtæ. 454.a.b. c & ſeq.
Zacharias Pater Ioannis Baptiſtæ non fuit ſummus ſacerdos, ſed inferior de vice Abia. 179.e.1.181. a.1.486.b.2.
Zacharias his verbis ad Angelum, *unde hoc ſciam*, peccavit. 487.a.1.
Zebedæi filij non fuerunt Chriſto conſanguinei. 446.1. e.2.448.a.1.
Zelotypiæ lex cur viris ſolis, non fœminis permiſſa. 68.b.c.1.
Zizaniorum nomine quid intelligatur. 434.c.d.1.

INDEX CONTROVERSIARVM SEU MATERIARVM FIDEI,

Quas vel hæretici, vel Judæi, vel Mahometani, vel Politici in dubium vocant, ſed ex Sacræ Scripturæ ſententijs in hiſce annotationibus explicatis, probantur ac ſtabiliuntur.

Per locos communes ordine alphabetico digeſtus.

Citatis ſacræ ſcripturæ libris, capitibus, verſibus, in quibus vel in quorum commentarijs catholica dogmata proponuntur, vel adverſariorum argumenta refelluntur, cum paginæ, ubi de ſubjecta materia tractatur, deſignatione numerica.

Abraham.

ABraham non à ſola fide, ſed etiam ab operibus, obedientia nimirum, & obſervantia legis excelſi in S. Scriptura commendatur. Eccleſiaſtici, pag. 44. v. 50. *Abraham magnus pater multitudinis gentium: Non eſt inventus ſimilis illi in gloria, &c.* p. 300.

Credendo Deo promittenti ſemen, non accepit primam juſtitiam & peccatorum veniam (ſiquidem jam ante per fidem, & obedientiam Deo placebat. Hebr. 11.) ſed incrementum juſtitiæ. Unde Novatores ex illo Gen. 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* malè inferunt ſolam fidem juſtificare. p. 16.

Abraham fuit ſacerdos, uti probat D. Thomas ex Gen. c. 15. v. 19. *ſume tibi vaccam triennem.* & oſtendit canon Miſſæ. p. 16.

Vidit Chriſtum, ſeu Filium Dei in ſpecie humana, qua venturus erat in carne quando Gen. 18. *tres vidit & unum adoravit*, veluti cum quis in ſpeculo videt expreſſam alicuius imaginem reſtante Chriſto Domino Ioa. 8. v. 56. *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus eſt* p. 543. Matth. 4. v. 11. *Et ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabunt ei* p. 414.

Similis fuit viſio Moyſis, poſteriora Dei, id eſt, humanitatem Filij Dei videntis. Exod. 33. v. 19. p. 52.

Benedictio ſpiritualis ſeminis Abrahæ promiſſa, non ſpectat ad parvulos chriſtianorum, niſi Baptiſmo tinctos, cuius virtute ex filijs Adæ fiunt filij Abrahæ, quòd negat Calvinus. Gen. 17. v. 7. *Vt ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te.* p. 16.

Abſolvere à peccatis.

Abſolvendi à peccatis, ſive eadem retinendi, aut remittendi poteſtas, poteſt à Deo communicari hominibus: cui veritati contradicebant Scribæ & Phariſæi, Chriſti Domini æmuli, Marc. 2. v. 7. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* Quos imitantur huius temporis hæretici, Romani pontificis Chriſti Domini in terris vicarij, æmuli; negantes talem poteſtatem à Chriſto conceſſam eſſe; contra manifeſtam Chriſti promiſſionem, factam Matth. 16. *Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis* atque ejuſdem poteſtatis actualem collationem factam Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.* pag. 472.

Eadem poteſtas à Chriſto immediatè datur Paulo. Actor. 26. verſ. 18. *Aperire oculos eorum. &c.* p. 608.

Abſtinentia ſive Iejunium.

Eccleſia ſalubriter, certis anni diebus & temporibus, quibuſdam cibis, uti carnibus &c. interdicit; propter carnis afflictionem pro peccatis, & mortificationem ut homo liberius ſerviat Deo. Hoc præceptum tranſgredi peccatum eſt; contra modernos ad catholicos, dicentes; delectum ciborum, qualis ſervatur in Eccleſia catholica, vanum, & ſuperſtitioſum eſſe: allegantes Marci. cap. 7. v. 15. *Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare* pag. 476.

Hujuſmodi jejunij & abſtinentiæ obſervantia colitur, & placatur Deus; exemplo Annæ propheti ſſæ. Luc. 2. v. 37. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, jejunijs & obſecrationibus ſerviens nocte ac die.* p. 494.

Catholici inter hæreticos converſantes, contra Eccleſiæ præceptum cibis vetitis veſcentes, ne rideantur, peccant. Tob. 1. v. 12. *cum omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam.* pag. 191.

Qui docent publicè, quolibet die licitum eſſe, veſci carnibus, characterem Antichriſti habent. Apoc. 13. v. 16. pag. 625.

Illuſtre abſtinentiæ & delectus ciborum exemplum in Eleazaro, mortem pro obſervantia hujuſmodi legis oppetente 2. Machab. 6. v. 18. *Igitur Eleazarus, &c.* pag. 403.

Adam fuit creatus in gratia & juſtitia ſupernaturali, qua æternam beatitudinem promereri poſſet: quam gratiam una cum juſtitia originali prævaricando amiſit. Eccleſiaſtæ. cap. 7. v. 30. *Hoc inveni quod Dominus fecerit hominem rectum* & definit concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 1. *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cum fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, anathema ſit* p. 271.

Adam ejuſque tota poſteritas per prævaricationem non ſolum innocentiam, verum etiam ſapientiam, & ſcientiam perdidit. Proverb. cap. 30. v. 2. *Stultiſſimus virorum, & ſapientia hominis non eſt mecum; non didici ſapientiam, & non novi ſcientiam ſanctorum.* p. 267. Eccleſiaſtici. 11. v. 16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt.* p. 289.

Adamo ejuſque poſteritati, fuit datum à Deo perfectum ſuper omnia Creata imperium; quod per peccatum quidem imminutum fuit, aſt non omnino ſublatum. Gen. 1. v. 28. *Creſcite, & multiplicamini, & dominamini piſcibus maris* pag. 3. Sap. c. 10. v. 2. *Et dedit illi virtutem continendi omnia* p. 581.

Utrumque parentem Adamum & Evam poſt ejectionem ex paradyſo per pœnitentiam peccati ſui veniam, & ſalutem æternam conſecutos eſſe, conſtans eſt totius Eccleſiæ ſententia; & contradicentes, ut ſunt Encratitæ, & Tatiani, jam olim pro hæreticis habiti ſunt Sap. 10. v. 1. *Hæc (ſapientia) illum, qui primus formatus eſt à Deo, cuſtodivit, & eduxit à delicto ſuo.* pag. 281.

Primus homo, quo ad corpus creatus eſt incorruptibilis, & non mortalis; qui per peccatum factus eſt mortalis & corruptibilis. Gen. 2. v. 17. In quacunque die comederis, morte morieris. pag. 9. ſap. 9. v. 15. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* p. 281.

Anima Adami non fuit à Deo ex præexiſtente materia, ſicut corpus; neque ante, neque poſt corpus creata: ſed ex nihilo, ſimulque creando corpori infuſa. Gen. 2. v. 7.

v.7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* pag.4.

Adami peccatum non injuſtè imputatur parvulis Pſal.31.v.2. *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum.* p.228. Quomodo autem contrahatur, docet Author in comm: ad Rom.c.5.& lib.2.Sentent.diſt.17.

Altare.

Altarium erigendorum ; conſecrandorum, ornandorum & fundandorum; annuæque eorum conſecrationis diem celebrandi ritum, ſervat, & olim uſque huc ſemper ſervavit Eccleſia: non tanquam ceremoniam cultus judaici, uti calumniantur hæretici, ſed tanquam ritum etiam conditioni, & ſtatui novi teſtamenti aptum, & convenientem, & à Chriſto Dn. ſuo propria præſentia approbatum, & cohoneſtatum. Gen.28.v.18. *Tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum.* pag.21. Machab.1.c.4.v.56. *Et fecerunt dedicationem Altaris diebus octo:* & v.59. *Et ſtatuit Iudas, & fratres ejus, & univerſa Eccleſia, ut agatur dies dedicationis ab anno in annum.* p.379. Vide. Templum.

Angelus.

Angelos aliquamdiu ante mundum corporeum creatos multi Patres ex græcis tradiderunt; ſed tandem concilium magnum Lateranenſe ſub Innocentio tertio cap.1. definivit, omnipotenti Dei virtute mundum & Angelos ſimul ab initio temporis de nihilo eſſe creatos Angelorum tamen creationis Moyſes non meminit (utpote rudibus judæis illius ſecretioris doctrinæ Angelorum parum capacibus) Gen.1.v.1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* pag.1. Refutantur qui ex Iob cap.38.v.7. *Cum me laudarent aſtra matutina, & jubilarent omnes filij Dei,* aſtruere conantur Angelos fuiſſe ante cœlum & terram creatos pag.219.

Angeli ſunt ſpiritus incorporei. Pſalm.103.v.4. *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus* p.245. In primo ſtatu, in quo creati ſunt, erant peccabiles, poterantque à juſtitia deficere. Job.15.v.15. *Ecce inter ſanctos eius nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus.* p.212.

Angeli prævaricatores non ſtatim primo creationis ſuæ momento peccarunt; ſed aliquanto tempore in juſtitia ſteterunt. Ezechiel. c.28.v.13. *In delicijs Dei fuiſti* & v.15. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te.* p.361.

Fuerunt non ex inferiori aliquo Angelorum ordine, ſed ex omnium primo & ſupremo. Ezech.c.31.v.2. *Ecce Aſſur quaſi cedrus in Libano* & v.8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradyſo Dei.p.362. In fine ſeculi ablatâ illis omni poteſtate nocendi, omnes mittentur in profundiſſimum inferni Ezech.32.v.7. *Et operiam, cum extinctus fueris cælum* pag.363. Apoc.9.v.1.pag.621. & c.17.v.8. *Beſtia quam vidiſti, fuit & non eſt.* p.628. & c.20.v.2. *Et ligavit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit.* 631.

Angeli, ſive boni ſive mali, non poſſunt prædicere, neque præſciunt eventus futuros; niſi quantum divinitus revelantur. Eſai.cap.41.v.23. *Annunciate quæ futura ſunt in futurum & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* pag.316.

Neque poſſunt unam in alteram tranſmutare creaturam: neque vera facere miracula. Exod.c.7.v.12. *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ converſæ ſunt in dracones, ſed devoravit virga Aaron virgas eorum.* p.37.

Poſſunt aſſumere corpus illudque movere, & ſæpe apparuerunt in perſona Dei Patriarchis, & prophetis veteris teſtamenti humani corporis ſchemate aſſumpto vocaliter loquentes: uti veriſimile eſt angelico miniſterio formatum corpus Domini Dei deambulantis in paradyſo, vocemque edentis. Gen.3. v.8.pag.6. Sic Angelus cum Iacob luctatur. Gen.32. v.25.pag.24. Sic apparitio, qua Dominus Moyſi appaυuiſſe in flamma ignis de medio rubi dicitur Exod.3.v.2. Angeli miniſterio, facta eſt, qui & voces formavit, quas Dominus cum Moyſe locutus fuiſſe legitur. pag.34.

Angeli regnis, & gentibus, etiam infidelibus, à Deo præpoſiti ſunt ut principes: quorum cura regna illa, & gentes gubernentur, & dirigantur: cui muneri ſumma cura, & ſtudio inſtant Dan.10.v.13. *Princeps autem regni perſarum reſtitit mihi &c. Ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum.* Unde recepta ſententia eſt, Michaelem archangelum, ſicuti fuit princeps judaici populi, & ſynagogæ; ita poſt eiuſdem repudium à Deo eundem Eccleſiæ Chriſti eſſe præfectum. p.375.

Hanc Angelorum præfecturam ſuper genus humanum, omnis antiquitas agnovit. Eccleſiaſtæ c.5.v.5. *Ne dicas coram Angelo, non eſt providentia* p.270. Machab.2. c.11.v.6. *Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant cognoverunt expugnari præſidia, cum fletu, & lacrymis rogabant Dominum, ut bonum Angelum mitteret.* pag.450.

Interceſſores quoque ſunt in cœlis, pro hominibus, divinam iram deprecando, & miſericordiam flagitando. Zachar.c.1.v.12. *Et reſpondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem.* &c.p.389.

Angeli ſunt hominum in hac vita comites, cuſtodes, & curatores fideliſſimi Tob.5.v.21. *Bene ambuletis, & ſit Deus in itinere veſtro & angelus ejus comitetur vobiſcum.* pag.193.

Unicuique autem hominum ab initio nativitatis, à Deo Angelum tanquam cuſtodem, pædagogum, & directorem attributum eſſe, communis Eccleſiæ ſententia eſt, & perſuaſio fidelium ſemper fuit. Act.12.v.15. *Illi autem dicebant: Angelus ejus eſt.* p.591. Matt.18.v.10. *Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem patris.* p.442. offerunt in cœlis Deoque præſentant orationes noſtras, eaſque commendant, ut Deus illas ſuſcipere, acceptare, & exaudire dignetur; adeoque bene orat Sacerdos in Canone Miſſæ: *Iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui* Tob.12.v.12. *Quando orabas cum lacrymis ego obtuli orationem tuam Domino.* pag.195. Apoc.8.v.3. *Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium, ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* pag.620.

Anima.

Anima eſt ſpiritus, non de ſubſtantia Dei, quod Manichæus docuit, neque ex præexiſtente materia, uti corpus humanum; ſed ex nihilo à Deo creatus, & creando ſimul corpori infuſus. Gen.c.2.v.7. *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ* pag.4.

Animas rationales una cum corporibus propagari à parentibus, quidam confirmare conati ſunt teſtimonio S.ſcripturæ. Gen.13.v.5. *Et animas quas fecerant in Haran* & cap.46.v.26. *Cunctæ animæ, quæ egreſſæ ſunt de femore.* p.14.& 30. Verumtamen hæreſis damnata à Clemente quinto in Concil. Vienn. & à Leone decimo, in concil. Lateran. ſeſſ.8.

Anima hominis, an, & quomodo dici poſſit eſſe in ſanguine, vide ad Lev.cap.17.v.11. Quia anima carnis in ſanguine eſt. p.61.

Animarum poſt hanc vitam diverſa ſunt receptacula 1. Reg.28.v.19. *Cras autem tu, & filij tui mecum eritis.* pag.130.

Animæ juſtorum veteris teſtamenti, poſt mortem corporis, verſabantur in luce, & pace. Tob.3.v.6. *Præcipe in pace recipi ſpiritum meum.* & cap.4.v.11. *Quoniam eleëmoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* p.192.

Animæ juſtorum morte præoccupatæ ſunt in refrigerio, quamvis in pœnis purgatorii conſtitutæ; nam ſunt in ſecuritate ſalutis, & ſuffragiorum Eccleſiæ capaces Sap.4.v.7. Juſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. p.278.

Animæ juſtorum poſt reſeratas per Chriſtum cœleſtis paradyſi januas, ſufficienter expiatæ, non retardantur ab ingreſſu in cœlum neque eorum æterna beatitudo ſuſpenditur uſque in diem extremi judicij: ſed mox Viſionis beatificæ participes fiunt cum Angelis: corporis in reſurrectione reaſſumendi unico deſiderio reſiduo. Apoc.6.v.10. *Et clamabant voce magna dicentes uſquequo Domine non vindicas* &c. & v.11. *Et data ſunt illis ſingulis ſtolæ albæ.* p.618.

Antichriſtus.

Naſcetur ex tribu Dan: juxta prophetiam Jacob. Gen.49.v.17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, & cadat aſcenſor ejus retro.* p.32. Confirmatur ex Apocal.cap.7.v.4. *Et audivi numerum ſignatorum,* &c. Ubi Dan inter tribus electas intermittitur; quæ res ratione non caret. p.619.

Movebit graviſſimam perſecutionem contra Eccleſiam, & præcipue contra juge ejus ſacrificium; quod etiam hodie faciunt, ubi dominantur hæretici: non tamen evertetur Eccleſiæ incruentum ſacrificium, ſed una cum eadem Chriſti Eccleſia permanebit uſque ad conſummationem ſeculi; quamvis quo ad ſolemnitatem & publicum ejus uſum, qualis nunc eſt, in tanto perſecutionis ardore publicè celebrari non poterit: uti olim primarum Eccleſiæ perſecutionum tempore factum eſt, etiamque nunc fit in Anglia,

Anglia, Hollandia & alibi. Dan. 8. v. 10. *Et dejecit de fortitudine, & de ſtellis: Et uſque ad principem fortitudinis magnificatum eſt, & ab eo tulit juge ſacrificium* p. 374.

Contra Antichriſtum mittetur Elias & Enoch, qui ideo rapti leguntur ex communi hominum conſortio ſine morte; ab ipſo Antichriſto tandem occidendi. Apoc. 11. v. 3. 5. 7. 8. p. 622.

Apoſtolus.

Apoſtolos Chriſti Domini, qui ſua prædicatione tot millia hominum ad Deum converterunt, non incongrue ſalvatores appellat Abdias propheta. c. unico v. 21. *Et aſcendent ſalvatores in montem Sion, judicare montem Eſau* pag. 383. Qua ratione dicantur columnæ & fundamenta Eccleſiæ Proverb. 9. v. 1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem* pag. 259. Apocal. 21. v. 14. *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim, nomina duodecim Apoſtolorum agni.* p. 633.

Aqua benedicta.

Aquæ benedictæ in Eccleſia Chriſti antiquiſſimus eſt uſus; cujus typus in lege veteri fuit aqua luſtrationis, qua aſpergebantur, & purificabantur Levitæ. Num. 8. v. 7. *Aſpergantur aqua luſtrationis* p. 69.

Poteſtas benedicendi ſalem & aquam: cereos, campanas, ramos palmarum, aliaſque herbas, ut fideles contra Diaboli infeſtationes iiſdem utantur, data eſt Eccleſiæ à Chriſto Domino Luc. 10. v. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici* p. 505.

Baptiſmus.

Baptiſmus Joannis non fuit idem cum Baptiſmo Chriſti, etſi uterque fuerit de cœlo. Matth. 21. v. 25. *Baptiſmus Ioannis unde erat, è cœlo an ex hominibus?* p. 449. Neq; vi ſua, ſeu ex opere operato remittebat peccata; neq; gratiam ſanctificantem debet; ſed ſolum excitabat & invitabat ad pœnitentiam ſeu contritionem concipiendam, qua remitterentur peccata: unde baptizati à Joanne, iterum baptizari debebant baptiſmo Chriſti. Marc. 1. v. 4. *Et prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* p. 471. Luc. 3. v. 3. *Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum* p. 495. Act. 19. v. 4. *Ioannes baptizavit baptiſmo pœnitentiæ populum* p. 601. Et Concil. Trid. Anathema dicit iis, qui negant quidquam eſſe diſcriminis inter baptiſmum Joannis, & Chriſti.

Baptiſmus Chriſti confert remiſſionem peccatorum, tollitque quidquid habet veram rationem peccati. Actor. 22 v. 16. *Baptizare, & ablue peccata tua.* p. 605. Unde falſum apparet, quod docent hæretici hujus temporis; baptiſmum eſſe duntaxat nudam proteſtationem fidei, aut ſigillum remiſſionis peccatorum per fidem acceptæ. Act. 2. v. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum.* pag. 575.

Infantes eſſe baptiſmi capaces, ac proinde poſſe & debere baptizari, conſtans eſt Eccleſiæ doctrina ex Apoſtolico uſu & traditione promanans. Actor. 16. v. 33. *Et baptizatus eſt ipſe, & omnis domus ejus continuo.* In qua veriſimile eſt etiam fuiſſe infantes. p. 597. Matth. 28. v. 19. Docete omnes gentes. p. 470. Neque ut baptizentur opus eſt parvulis fide actuali (quam Lutherus illis concedit) neque ullis novis motibus, quæ ſimiles ſint actibus fidei; illi enim ipſis ſunt impoſſibiles: ſed ut per baptiſmum regenerentur, ſufficit, quod mater Eccleſia fidem ſuam ipſis Dei voluntate accommodet. Marci. 16. v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* p. 485.

Baptiſmus una cum gravi peccati jugo ſublato, non tollit humanæ miſeriæ jugum; & quare. Eccleſiaſtici. 40. v. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam.* p. 299.

Baptiſmi præclara figura fuit arca Noëtica, & diluvium. Gen. 6. v. 6. p. 9. & tranſitus filiorum Iſraël per mare rubrum: eaque ratione Eccleſia pridie Paſchæ & Penthecoſtes ad benedictionem fontis canunt canticum Moyſis: *Cantemus Domino* &c. Exod. 15. v. 1. p. 41. Vocatur etiam mare vitreum, miſtum igne. Apocal. 15. v. 2. *Et vidi tanquam mare vitreum miſtum igne, & eos qui vicerant beſtiam &c. ſtantes ſuper mare* p. 646. Ejus diviniſſimi effectus deſcribuntur Ezech. 47. v. 1. *Et ecce aqua egrediebantur ſubter limen domus ad orientem* & paulo poſt: *Aquæ autem deſcendebant in latus templi dextrum ad meridiem altaris.* pag. 368.

Benedictio.

Benedictionis ſalis & aquæ, panis & vini, Ceræ, incenſi, arborum olivarum & palmarum, campanarum, veſtimentorum, calicum &c. uſus, & poteſtas perſeverat in Eccleſia ex inſtitutione & traditione Apoſtolorum, juxta illud Apoſtoli: *Sanctificatur per verbum Dei, & orationem.* (quantumvis hæretici iſta irrideant) Luc. 10. v. 19. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici.* pag. 505.

Benedictiones quæ fiunt à ſacerdotibus ut miniſtris Dei, nomine Eccleſiæ ſuper populum, efficaciter operantur effectum ſuum ſpiritualem, in illis, quibus benedicitur, Deus enim ſuæ benedictionis ſuffragium illis promiſit. Num. 6. v. 23. *Loquere Aaron & filiis ejus; ſic benedicetis filiis Iſrael; Benedicat tibi Dominus.* & v. 27. *Invocabuntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* p. 68. in fine

1. Reg. 1. v. 17. *Vade in pace, & Deus det tibi petitionem tuam.* Cujus benedictionis vi & efficacia, mulier (Anna) exauditur à Domino. p. 116. & 2. Paralip. 30. v. 27. *Surrexerunt autem ſacerdotes atque levitæ benedicentes populo, & exaudita eſt vox eorum, pervenitque oratio in habitaculum ſanctum cœli.* p. 180.

Benedictiones etiam malorum ſacerdotum, ſive in ſacramentis Eccleſiæ, ſive aliæ quæcunque, vice Dei ſuper fideles prolatæ, haudquaquam inanes ſunt: Deo videlicet etiam per malos ſuæ divinæ benedictionis effectum exhibente. Num. 23. v. 20. *Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo.* pag. 75.

Ex quibus patet Eccleſiam non judaizare, dum mulieres puerperas, quæ ob honeſtatem publicam ſe à partu domi tempore puerperij continuerunt cum ceremonia in eccleſiam recipit, cum benedictione ſacerdotis, quod prolem genuerit Deo & Eccleſiæ; quem morem abuſive vocant purificationem. Lev. 12. v. 6. *Cum expleti fuerint dies purificationis.* p. 59.

Caſtitas & Continentia.

Caſtitas tam virginalis, quam vidualis magni apud Deum meriti eſt; majoris tamen virginalis: nec ſolum tempore novi teſtamenti, ſed etiam veteris vidualis caſtitas & continentia commendabilis erat: Unde pro apocrypho habendum eſt illud, quod de S. Anna matre Deiparæ Virginis à quibuſdam traditur, cum tribus maritis viciſſim fuiſſe copulatam Judith. 15. v. 11. *Feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum, eo quod caſtitatem amaveris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris* p. 200.

Caſtitas perpetua etiam in veteri lege commendatur, & fœcunditati præfertur, eique prærogativa in regno cœlorum promittitur. Sap. 3. v. 13. *Felix eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.* p. 278.

Explicatur illud Sap. 8. v. 21. *Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det &c.* quo loco abutuntur noſtri temporis hæretici ad probandum, caſtitatem ſive continentiam perpetuam nec obſervari, nec voveri poſſe. p. 281.

Ceremonia Eccleſiaſtica.

Nullas in Eccleſia externas eſſe debere ceremonias moderni ſectarii volunt; vel eas eſſe adiaphoras & indifferentes. Contrarium ſentit Catholica Eccleſia & patet, ex Dan: c. 6. v. 10. *Daniel feneſtris apertis in cœnaculo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, ſicut & ante facere conſueverat.* pag. 373. Ipſa quoque lex naturæ habuit ſuas ceremonias. Gen. c. 26. v. 5. Mandata mea, ceremonias, legeſque ſervaverit. p. 20.

Uſus lampadum & luminarium in Eccleſiis ad divinas laudes, & orationes, præcipue ad honorem dominicæ cœnæ adhibitorum exemplum in Actis Apoſtolorum. c. 20. v. 8. *Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo ubi eramus congregati.* p. 602.

Ceremonias aliquas externas in ſacramentorum adminiſtratione ſalubriter adhibendas, Chriſtus Dominus ſuomet exemplo confirmavit. Joan. 9. v. 6. Exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: vade, lava in natatoria Siloe &c. p. 544.

Charitas.

Charitas in hac vita amitti poteſt, nec obſtat illud Cant. 8. v. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* pag. 277.

Chriſtus.

Chriſtus verus in lege promiſſus Meſſias, tempore propheticè prædicto in mundo apparuit. Gen. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat* &c. & reſpondetur Judæorum oppoſitionibus. p. 32. & Dan. 9. v. 25. *Ab exitu Sermonis, ut iterum ædificetur Ieruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta dua erunt.* &c. p. 374. Proceſſit ex tribu regali & ſacerdotali, utpote verus Rex & ſacerdos futurus. Exod. 6. v. 23. *Accepit autem Aaron uxorem Eliſabeth* pag. 36.

Chriſti incarnationis myſterium non ſolùm Patres veteris teſtamenti cognoverunt; ſed etiam eundem in carne, in illuſtri ſcilicet humana ſpecie, quam erat aliquando aſſumpturus, angelico miniſterio illis exhibita, oculis corporeis vidiſſe. Exod. 3. v. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* p. 34. Num. 12. v. 8. *Ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* p. 71. Eſai. c. 6. v. 5. *Et regem Dominum exercituum vidi oculis meis.* p. 306.

Erat quidem Rex, juxta illud Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus* & Joan. *Tu dicis, quia Rex ſum ego*, attamen regnum ejus non temporale, ſed ſpirituale erat, Joan. 18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, nam jus hæreditarium ad regnum temporale ſuper populum judaicum vi ſucceſſionis ex David cæteriſque Regibus Juda, jam extinctum videbatur, & populi conſenſu, tractuque temporis in poteſtatem Romanorum tranſiiſſe: de quo Chriſtus ipſemet. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*: & populi clamor: Non habemus regem niſi Cæſarem. vide Comment. ſuper Matth. 27. v. 11. *Tu es Rex judæorum* &c. p. 464. & c. 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra* p. 470. & Luc. 1. v. 32. *Et dabit illi Dominus Deus* &c. p. 488. & Joan. 18. v. 36. *Regnum meum non eſt de hoc mundo* pag. 560.

Chriſtus fuit ſalvator, ſimul etiam legislator, qui una cum lege, gratiam & benedictionem attulit, qua lex ejus impleretur. Pſal. 9. v. 21. *Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos.* pag. 223. & Pſal. 83. v. 8. *Etenim benedictionem dabit legislator.* p. 241. & Matth. 7. v. 29. *Erat enim docens eos. ſicut poteſtatem habens.* p. 422. Rectius vocatur *Salvator*, quam *Servator*: quamvis hoc poſterius nomen modernis Novatoribus magis arrideat. Luc. 2. v. 11. p. 491.

Chriſtus eſt unicus & verus Eccleſiæ paſtor, non tamen excludens alios paſtores vicarios, in quibus omnibus unus Chriſtus paſcit. Ezech. c. 34. v. 15. *Ego paſcam oves meas* p. 364.

Chriſtus, per paſſionem & mortem ſuam, non ſolùm nobis; ſed etiam ſibi ipſi, ut homo, meruit, gloriam corporis, totius mundi præfecturam, & nominis ſui exaltationem, contra Calvinum negantem. Pſal. 109. v. 7. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* p. 247. Apoc. 5. v. 12. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt. accipere virtutem.* p. 617.

Chriſtus vere deſcendit ad inferos, quo ad animam: eſt articulus fidei in ſymbolo apoſtolico comprehenſus; contra Calvinum, illum de ſepulchro exponentem. Pſal. 15. v. 10. *Non derelinques animam meam in inferno.* p. 224. Eccleſiaſtici 24. v. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ.* p. 294. Actor. 2. v. 24. *Quem Deus ſuſcitavit ſolutis doloribus inferni* & v. 27. *Non derelinques animam meam in inferno.* p. 574.

Chriſtus deſcedens ad inferos, liberavit animas quaſdam eorum, qui tempore Noe & diluvij fuerant increduli quidem, attamen rei experientia & præſenti periculo commoti, in pœnitentia deceſſerunt. Juxta illud 1. Petr. 3. *In quo & his qui in carcere erant ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Gen. 7. v. 23. p. 10.

Chriſtum ſuo deſcenſu etiam ad purgatorium penetraſſe, ibique effuſo indulgentiæ ſuæ theſauro omnes liberaſſe, qui illis pœnis detinebantur; atque hoc pacto ejus indulgentiæ, quæ mortuis confertur, poteſtatem ipſum primum exercuiſſe; ſunt qui, exiſtimant. Actor. 2. v. 24. *Solutis doloribus inferni* p. 574.

Chriſtus in cœlo regnans, eſt quidem à Deo conſtitutus Rex & Princeps ſuper univerſo regno Dei, eamque poteſtatem accepit à patre, quando *verbum caro factum eſt* Attamen hujus poteſtatis executionem perfectam demum habebit in conſummatione ſeculi Matth. 28. v. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra* p. 469. Apoc. 11. v. 15. *Factum eſt regnum hujus mundi Domini noſtri, & Chriſti ejus, & regnabit in ſecula ſeculorum.* pag. 622.

Exploditur ſententia illorum, qui poſt reſurrectionem regnum mille annorum conſtituebant in terra; in quibus pij in ſumma ſecuritate & pace Deo ſervirent in terris: juxta illud Apoc. 20. v. 4. *Et vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis.* Quæ fuit ſententia Irenæi, Lactantij & multorum Eccleſiaſticorum virorum: unde S. Hieronymus dicit in cap. 19. Jerem: Se eandem ſententiam nec ſequi, nec damnare; propterea, quod multi martyres iſta dixerint. pag. 631.

Circumciſio.

Circumciſio non erat neceſſaria ad ſalutem gentibus qui tempore veteris legis ſe ad unius veri Dei cultum ſe conferebant. Judith. 14. v. 9. *Et circumcidit carnem præputii ſui* pag. 200.

Clericus.

Antiquiſſima & religioſa in Eccleſia ceremonia & conſuetudo eſt Tonſura clericalis, qua clerici, ſacerdotes, & monachi excluſa omni ſuperſtitione, coronam in capite geſtant, ad imitationem, & ſignificationem coronæ ſpineæ Domini; de quo exſtat canon Conc. Carthag. 4. *Clerici neque comam nutriant, neque barbam.* Et in 4. ſynodo Toletana, ante annos ferme mille, Canon. 40. figuram tonſuræ Eccleſiaſticæ præſcribens ſic habet. *Omnes clerici vel lectores, ſicut levitæ & ſacerdotes, detonſo ſuperius capite toto, inferius ſolam circuli coronam relinquant.* Hanc vero radendi religioſam & Eccleſiaſticam conſuetudinem & cæremoniam hæretici mirum exſibilant, perperam quædam ſcripturæ loca contra eam allegantes, ſcilicet. Levit. 19. v. 27. *Neque in rotundum attondebitis, comam, nec radetis barbam.* pag. 62. 2. Reg. 10. v. 4. *Tulit itaque Amon ſervos David, raſitque dimidiam partem barbæ eorum* p. 135. & Ezech. 44. v. 20. *Caput ſuum non radent, neq; comam nutrient, ſed tondentes attondent capita ſua.* p. 367. In quorum locorum commentariis remonſtratur, quam inepte iſta à ſectarijs objiciantur.

Clerici officia divina celebraturi, certis ad hoc deputatis veſtimentis & ornamentis uti debent, cum quibus nefas eſt foras ad prophanum vulgus, & loca profana procedere: Extra officium Eccleſiaſticum clerici, utpote qui in ſortem Domini aſcripti ſunt, congruo habitu Eccleſiaſtico uti debent, ſine quo, nec in media platea apparere debent. Ezech. 42. v. 14. *Veſtienturque veſtimentis aliis, & ſic procedent ad populum* p. 367.

Clerici à poteſtate principum & magiſtratuum ſæcularium exempti ſunt (etſi id negent hæretici) in cauſis quidem Eccleſiaſticis jure divino, (nam in his regimen Eccleſiæ commiſſum eſt à Chriſto Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus. Matth. 16. v. 18. & cap. 18. v. 18.) in politicis ſaltem jure canonico, & civili. Et ſic faciendum dictabat jus divinum naturale, ſeu recta ratio: quæ ſuadet, non debere paſtorem ſubjici judiciu ovium; vel parentes rapi ad tribunalia filiorum. Comprobatur S. Scripturæ authoritate & variis ejus argumentis. Ægyptios ſacerdotes exemptos fuiſſe ſub Pharaonibus à tributis patet. Gen. 47. v. 22. *Præter terram ſacerdotum* p. 31.

Num. 1. Levitæ non numerantur cum cæteris tribubus filiorum Iſrael ad bellum proceſſuris; eo quod conſtituti erant ad ſerviendum tabernaculo, & faciendum ea, quæ ad cultum divinum pertinent. Num. 1. v. 47. *Levitæ autem in tribu familiarum ſuarum non ſunt numerati* p. 66. Num. 7. ubi recenſentur oblationes duodecim tribuum, tribus Levitica immunis fuiſſe refertur; nimirum, quia iſta tribus cum eſſet deſtinata & conſecrata miniſterio tabernaculi, & ſacrificiis offerendis, non debebat dare, quæ offerrentur, ſed magis ab aliis offerenda accipere. Num. 7. v. 2. *Obtulerunt principes Iſraël, & capita familiarum* p. 69. Artaxerxes Rex perſarum omnibus præfectis ſuis adimit poteſtatem imponendi vectigal, tributum, aut annonam ſacerdotibus, levitis, cantoribus, janitoribus, & miniſtris domus Domini in Jeruſalem. 1. Eſdræ. 7. v. 24. *Vobis quoque notum facimus de univerſis ſacerdotibus &c* Multo magis igitur Chriſtiani principes, qui ſunt filij Eccleſiæ, eandem libertatem viris Eccleſiaſticis, tanquam patribus ſuis ſpiritualibus inviolatam ſervare debent. p. 184. Et in nova lege ita fieri debere inſinuat Chriſtus Matth. 17. v. 25. Ergo filij ſunt liberi, vide ibid. p. 441. v. 25. & 26.

Clericis, ſacerdotibus, atque aliis Eccleſiæ miniſtris debentur ſua ſtipendia ratione ſacri miniſterij non ex humana conſtitutione neque ex ſolo præcepto poſitivo

poſitivo legis divinæ, verum etiam ex lege naturali; ex qua juſtum eſt, ut qui communitati miniſtrat, ab eadem ſuſtentationem accipiat. 2. Paralip. 31. v.4. *Præcepit etiam* (Ezechias) *populo habitantium Jeruſalem, ut darent partes ſacerdotibus & Levitis, ut poſſent vacare legi Dei.* pag.180. Matth. 10. v.10. *Dignus eſt operarius cibo ſuo.* p. 427. Exemplo etiam Chriſti Domini per Judam diſpenſatorem & proviſorem familiæ ſuæ recipientis pecuniam & ea quæ offerebantur ad ſuſtentationem ſanctæ familię, non in puram eleemoſynam, ſed ut naturali jure debitum iis, qui prædicant verbum Dei. Joan.12. v.6. *Et loculos habens.* p.548. Nec obſtat locus Michææ 3. v.11. *Principes in muneribus judicabant, & ſacerdotes ejus in mercede docebant, & prophetæ ejus in pecunia divinabant.* Nun enim prohibentur ipſi neceſſaria vitæ accipere; ſed ne pro ratione munerum judicent, doceant, vel prophetent. pag.385.

Clericis bona temporalia & poſſeſſiones habere licet. Sic declarat Conc. Trid. Seſſ. 25. c. 3. de Regularibus, Concedit ſancta ſynodus omnibus monaſteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum, & mendicantium &c. ut deinceps bona immobilia eis poſſidere liceat. Contrarium docuit Joannes Wicleff, dicens contra ſacram ſcripturam eſſe, viros eccleſiaſticos habere poſſeſſiones temporales & quod ditare clerum, eſt contra regulam Chriſti. Damnatur in Conc. Conſtant. Seſſ. 8. Hujus veſtigiis inſiſtens Lutherus, bona clericorum & monaſteriorum diripienda perſuaſit, & imperitè hunc errorem quidam eliciunt ex Pſal.15. v.5. *Dominus pars hereditatis meæ* pag.224.

Clerus frequens populo Dei eſt perquam utilis, ad cultum Dei retinendum & conſervandum, populumque docendum, non tantum ea, quæ religionis ſunt; ſed etiam quæ ad mores pertinent. Joſue.21. v.39. *Itaque civitates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionis filiorum Iſraël fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis* p. 101. Ezech. 45. v. 4. *Sanctificatum de terra erit ſacerdotibus miniſtris ſanctuarii, qui accedunt ad miniſterium Domini.* p.368.

Concilium.

Ad Concilia generalia non convocandus omnis populus, nec omnes ſacrarum litterarum periti (ut ajunt Lutherus, Brentius, Molinæus, Magdeburgenſes & proteſtantes, & alij hæretici) ſed ſoli & omnes Epiſcopi & eis majores prælati, cum voto deciſivo, tanquam capita, Principes & Paſtores Eccleſiæ, quibus ex officio incumbit paſcere, regere, docere Eccleſiam, lites cognoſcere, ac dijudicare: qui ſic congregati repræſentant univerſam Eccleſiam. Deuter.1. v.1. *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſraël* p.81.

Convocare Concilium generale, & in eo præſidere non eſt Imperatoris (ut ait Lutherus, Molinæus, Calvinus &c.) nam hujus poteſtas non eſt ſpiritualis, neque in ſpiritualia ſe extendit: ſed hoc ſpectat jure divino ad ſolum ſupremum *caput, Principem & Paſtorem Eccleſiæ*, id eſt, *Romanum Pontificem.* Juſſerunt tamen aliquando Imperatores quidam congregari ſynodos, & tractari de dogmatibus fidei, & reformatione Eccleſiæ, eiſque interfuerunt; non ut præſides, ſed ut defenſores & executores, conſentientibus Epiſcopis: 2. Paralip. 29. v. 15. *Et ingreſſi ſunt juxta mandatum regis, & imperium Domini.* pag. 180.

Concupiſcentia.

Motus concupiſcentiæ prævertentes advertentiam rationis, conſenſumque voluntatis, fingunt hæretici eſſe proprie dicta peccata, & quidem mortalia ex natura ſua; ſed ſolis infidelibus ſeu impiis imputari, ut mortalia, juſtis vero ſeu fidelibus ſolum ut venialia. Sed hæc nulla peccata eſſe, ne quidem in infidelibus conſtant, quia ſunt actus pure naturales, non autem liberi, vel in hominis poteſtate Rom.7. v.16. *Quod nolo facio. & jam non operor illud.* Quando autem Apoſtolus concupiſcentiam vocat peccatum, loquitur de peccato ſolo materiali & impropriè dicto; quod quia ex objecto malum eſt, odiſſe debemus, ut quævis alia peccata, etſi prohibere non poſſumus. Pſal.35. v.5. *Malitiam autem non odivit.* pag.230.

Confeſſio.

Confeſſio peccatorum mortalium in ſpecie coram ſacerdote facienda eſt, jure divino, (quidquid reclament hæretici) Chriſtus enim conſtituit ſacerdotes in Eccleſia judices cum ea poteſtate, ut ſine ipſorum ſententia nemo poſt baptiſmum lapſus, reconciliari poſſit Deo. Matth.16. v.19. *Tibi dabo claves,* & c.18. v.18. *Quæcunque alligaveritis &c.* & Joan. 20. v.13. *Quorum remiſeritis peccata &c.* Non autem dicitur confiteri peccata ſua, qui tantum in genere confitetur ſe peccatorem eſſe, ſed qui peccata ſua cum agnitione culpæ enumerat, Matth. 3. v.6. *Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata ſua.* p. 412. Et ſi non eſſet neceſſarium de ſingulis peccatis conteri eaque confiteri, non tam anxie regius propheta oraret. Pſal.18. v.13. *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſervo tuo.* pag.225.

Confeſſio peccatorum etiam in lege veteri, nota, & uſurpata ſuo modo fuit. Job. c.31. v. 33. *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum* & Pſal. 31. *Dixi confitebor adverſum me* & Pſal. 37. *Quoniam iniquitatem meam annunciabo* Quin & graviter in ſacra ſcriptura notantur Adam, Cain, & alij, quod peccata ſua non ſint confeſſi. p.216.

Confeſſionis peccatorum ſpiritualis utilitas, & conſcientiæ inde proveniens ſerenitas & tranquillitas. Indicatur in expoſitione ſuper Pſ.31. v.3. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa mea, dum clamarem tota die.* & v.4. *Converſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* pag.228.

Confirmatio.

Confirmatio eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, diſtinctum à Baptiſmo, conferens infallibiliter abundantiam gratiæ Spiritus ſancti, baptiſmali majorem. Act. 1. v. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies* pag. 570. & Act.2. v.38. *Baptizetur unusquiſque veſtrum &c.* pag. 575. Et Act.8. v.15. *Oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant, in nomine Domini Ieſu.* p.585. & Act.19. v. 1. Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes? pag.600. Hujus ſacramenti virtutem & effectum, ſcilicet robur & fortitudinem Spiritus ſancti, Chriſtus Apoſtolis promiſit ante Aſcenſionem in cœlum, Luc. ultimo & Act.1. & contulit abunde in die Pentecoſtes. Act. 6. v. 8. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine.* p.581.

Effectum ſacramenti confirmationis, videlicet robur Spiritus ſancti acceperunt Apoſtoli in die pentecoſtes, non tamen per ſacramentum, ſicut conſequentur reliqui fideles. Luc.24. v.49. *Et ego mitto promiſſum Patris mei in vos.* p.326.

Porro hujus ſacramenti neceſſitas colligitur ex eo, quod primarij Apoſtoli, Petrus, & Joannes mittuntur Jeroſolymis in Samariam, ad Spiritum ſanctum impertiendum hoc ritu Samaritanis, quos Philippus Diaconus baptizarat. Unde etiam intelligitur Philippum, qui tantum Diaconus erat, hoc ſacramentum impoſitionis manuum conferre non potuiſſe, quamvis populum baptizaſſet; nec ſimplicem presbyterum poſſe, nam alias non miſiſſent Apoſtolos: Ordinarius ergo hujus ſacramenti miniſter eſt Epiſcopus. Act.8. v.14. *Miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* p.585.

Conſilia.

Nulla eſſe Conſilia Evangelica, ſed omnia eſſe pręcepta, nec quidquam boni eſſe, quod homo faciat, ad quod non ex præcepto teneatur, docent Lutherus, Melanthon, Martir, Calvinus, Brentius, aliiq; moderni ſectarij: indeque in aliud magis abſurdum dogma incidunt, videlicet hominem in omni opere peccare. Sed contra Eccleſia docet, quædam eſſe, quæ conſuluntur, non præcipiuntur. Matth.19. v.21. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende, quæ habes, & da pauperibus.* pag.444.

Contritio.

Quamvis per perfectam & veram contritionem ſtatim obtineatur remiſſio peccatorum; attamen adhuc eorundem confeſſio facienda eſt ſacerdoti, quia perfecta contritio includit votum ſeu deſiderium adhibendi remedium quodcunque inſtitutum eſt à Deo ad veniam peccatorum obtinendam, quale eſt confeſſio & abſolutio ſacramentalis. Pſal.31. v.5. *Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei* p.229.

Non tamen ubi cor contritum, ibi quoque ſtatim adeſſe remiſſionem peccatorum dicit. Pſal. 50. v.19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* pag.134.

Contritio imperfecta (quam attritionem vocant, ſeu timorem ſervilem ex metu pœnæ ortam) non quidem ſufficit per ſe ad juſtificationem, attamen utilis eſt & diſponit ad veram & ſolidam pœnitentiam, ut docet concil. Trid. ſeſſ. 14. c.4. exemplo Ninivitarum. Jonæ. c.3.v.10. Contra Lutherum qui ſentit hujuſmodi dolorem aut timorem reddere hominem hypocritam, & magis peccatorem. p.384. c.3.v.10. *Et vidit Deus opera eorum quia converſi ſunt de via ſua mala: Et miſertus eſt Deus ſuper malitia, quam locutus fuerat.*

Crux Chriſti.

Lignum crucis, in quo Salvator pependit, merito à Chriſtianis in honore aſſervatur, & colitur Exod.26. v.33. pag.42. Et Sap. 14. v.7. *Benedictum eſt lignum per quod fit juſtitia.* p.282. Allegorice commendatur nobis in arca Noetica ex lignis fabricata, ſicut enim extra illam nulla erat ſalus, ſic neque nobis ſalus ſperanda, niſi per lignum crucis Chriſti, id eſt, per merita Paſſionis ejus. Gen.6.v.6. *Pœnituit eum, quod hominem feciſſet* p.9.

Hoc lignum in figura oſtenſum eſt Moyſi à Domino ut mitteret in mare ad tollendam ex aquis amaritudinem, quo Chriſtus peccatorum noſtrorum amaritudinem, vertit in gratiæ ſuæ dulcedinem. Exod.15. v.25.p.42. Ejus ſymbolum fuit littera Thau, quæ in tribus primariis linguis Hebraica, Græca & Latina fuit eadem, videlicet iſta: T. in modum crucis: neque ſolum apud Hebræos, verum etiam apud Gentiles vitale & fauſtum ſignum fuit. Ezech.9. v.4. *Tranſi per medium civitatem, & Thau ſuper frontes virorum gementium, & dolentium ſuper cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus* p.354.

Apparebit ſignum crucis toti mundo conſpiciendum in cœlo in die judicij. Matth.24.v.30. *Tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo* p.457.

Decimæ.

Jus decimarum & ſimilium apud Chriſtianos miniſtris Eccleſiæ competit, non ex humana conſtitutione, neque ex ſolo præcepto poſitivo legis divinæ; verum etiam ex lege naturali, ad quam lex poſitiva tantum addit certum modum & determinationem. 2.Paral. c.31.v.4. *Præcepit etiam populo habitantium Ieruſalem, ut darent partes ſacerdotibus, & Levitis, ut poſſent vacare legi Dei* p.180. Contrarium dicere, eſt error damnatus in magno Concilio Lateranenſi ſub Innocentio tertio. c.54. & à conc. conſtant: ſeſſ. 8. contra Wicleff. & à Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de reformatione contra Lutherum.

Decimæ integrè abſque diminutione & occaſione offerendæ ſunt. Eccl.35. v. 14. Noli offerre munera prava, non enim ſuſcipiet illa. pag.297.

Deus.

Deum viderunt Patres veteris teſtamenti, patriarchæ & prophetæ; aſt non in gloria ſua, uti videtur à beatis in cœlo. Gen.32.v.30. *Vidi Deum facie ad faciem*, p.24. Exod.3.v.2. *Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi* p. 34. Exod. 33. v. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem* p.52.

Deum alia facere poſſe, præter ea quæ, facit, negavit Wicleff, & Brentius, in Dei omnipotentiam blaſphemi hæretici. Dan.3.v.7. *Deus noſter quem colimus*, p.370. Poteſt eandem rem numero corruptam reproducere. Exod.7.v.10. *Tulitq; Aaron virgam coram Pharaone* p.36.

Dei præſcientia non imponit neceſſitatem contingentibus. Job.24.v.5. *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: Conſtituiſti terminos ejus, qui præterire non poterunt*. p.211.

Deus non eſt, nec eſſe poteſt author peccati, hoc enim bonitati, & perfectioni ejus infinitæ repugnat. (hæretici tamen noſtri temporis, Lutherus, Calvinus, Zwinglius, Melanthon, Beza, Libertini, & alij, Deum peccati authorem conſtituunt, ſi non expreſſis verbis, certe neceſſariis argumentis) neque enim Deus præcipit, neq; conſulit, non inclinat, non prædeterminat, non impellit, non excitat, ullo modo ad peccatum; neq; intendit, neq; vult, neq; apud ſe prædefinit, aut prædecernit, ut quis faciat ullum vel minimum peccatum: etſi vero prævideat ex quibuſdam reb. quas faciat, ſubſecutura hominum peccata; nullo tamen modo eſt ideo horum cauſa, nequidem indirecte, vel per accidens. Neq; etiam ex eo, quod concurrat ad omnem actum, ut actus eſt; eſto permittat liberam hominis voluntatem ab incommutabili bono deficere. Neque quod ſubinde peccatoribus multa ſeu interna, ſeu externa gratiæ auxilia, & occaſiones benefaciendi ſubtrahat. Pſ.5. v.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*, pag.222. Sap.11. v.25. *Et nihil odiſti eorum, quæ feciſti* p.28. Habac.1.v.13. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.* 387.

Explicantur ſacræ ſcripturæ loca in contrariũ adducta, & hæreticorum inde deducta argumenta refutantur. Exod.9. v. 12. *Induravitq; Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos.* pag. 38. Joſue. 11.v.20. *Domini enim Sententia fuit, ut indurarentur corda eorum* pag.98. Iſai.6. v.10. *Excæca cor populi hujus.* p.306. Quas ſententias Lutherus & Calvinus in Dei injuriam prave detorquent; cum in ſenſu catholico non aliud dicatur, quam Deum Pharaonem peccare permiſiſſe gratiæ ſubtractione. Reg.2.c.16.v.10. *Dimittite eum, ut maledicat: Dominus enim præcepit, ut malediceret David.* Et iterum: *Dimittite ut maledicat juxta præceptum Domini.* Ubi per præceptionem aliud non innuitur, quam Dei ordinatio, qua voluntatem Semei malam jam, & ad maledicendum paratam, ordinabat ad exercẽdam Davidis patientiam. p.138. Paralip. 2.c.10.v.15. *Et non acquievit* (Roboam) *populi precibus. Erat enim voluntas Dei, ut compleretur ſermo eius, &c.* Non eſt ſenſus quod Deus Roboam incitaverit ad ſtultam reſponſionem, ſed quod permiſerit, ut ea ratione propter peccata Salomonis regnum decem tribuum ab ejus poſteritate avelleret. p.174.

Job.12.v.17. *Adducit conſiliarios in ſtultum finem, & judices in ſtuporem* Ubi Calvinus omnino Deum eſſe vult authorem peccati; cum non aliud dicatur quam Deum ad actum omnem, quatenus actus eſt concurrendo, permittere liberam hominis voluntatem ab incommutabili bono deficere. p.311. Prov.16.v.4. *Impium quoq; ad diem malum.* Id eſt, in eo, quem ſcivit futurum impium, hunc finem ſpectavit, & iſte pro ſua impietate juſte puniretur, & per hoc etiam in illo juſtitia Dei commendaretur. p.262.

Proverb.21.v.1. *Sic ut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud* Non tamen in malum, quia Deus malum velle non poteſt. pag.264.

Iſai. 63. v.17. *Quare errare nos feciſti de vijs tuis, induraſti cor noſtrum?* p. 334. & Ezech.14. v. 9. *Propheta cum erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* p.355. & Amos.4.v.4. *Venite ad Bethel, & impie agite, ad Galgalam, & multiplicate prævaricationem.* p. 382. Quibus locis putat Calvinus & alij Deum non tantum permittere, ut peccata committantur, ſed etiam efficienter, ac vi propria agere ad peccati operationem, adeoque tam proprium dicunt eſſe opus Dei Judæ proditionem, quam vocationem Pauli: Verum quamvis verba prædicta ſint quaſi præcipientis, minimè tamen præcipientis ſunt, ſed permittentis, ac juſtè populum deſerentis in peccatis ſuis. Act.4.v.28. *Facere quæ manus tua & conſilium decreverunt fieri* Non hinc ſequitur decretum Dei de paſſione & morte filij ſui eſſe cauſam peccati, illorum, qui mala ſua voluntate eum crucifixerunt. pag.578.

Deus cum non ſit author peccati, per conſequens neque eſt cauſa damnationis hominis, quamvis illam ut Judex juſte puniens infligat. Oſee.13.v.9. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum* p.379.

Deus neminem injuſte punit, neque peccata maiorum in minoribus, niſi & ipſi peccata maiorum ſuorum imitando peccaverint: Et dum populum flagellat propter peccata principum non eſt dubium juſtè fieri, quia populus vel ijſdem vel alijs peccatis obnoxius eſt. Jerem.15.v.3. *Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies: gladium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, &c. propter Manaſſen filium Ezechiæ Regis Iuda.* pag.331. & cap.32. v.34. *Et poſuerunt idola ſua in domo.* p.338. Thren.5.v.7. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* p.348. Ezech. 18.v.20. *Anima quæ peccaverit ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris* p.357.

Deum orando Patrem ſuum vocare non auderent Chriſtiani, niſi præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati à Chriſto: Non enim legimus à ſanctis patribus veteris teſtamenti, ſic oratum fuiſſe, ut Deum in oratione ſua, Patrem appellarent, ſed Dominum & Deum: Mahumetana etiam ſuperſtitio Deum, Patrem vocare non præſumit, ſed ſolum Dominum. Matth. 6. v.9. *ſic ergo vos orabitis. Pater noſter qui es in cœlis.* p.418.

Deo ſervire propter mercedem æternam, quæ eſt ipſe Deus, ejuſq; fruitio, non eſt malum; Nec obſtat

locus

locus Iſai. 2.v. 23. *omnes ſequuntur retributiones.* quem quidem in contrarium adducunt.p.304.

Diabolus.

Diaboli nomen in ſcriptura attribuitur non cuilibet inferiorum Dæmonum,ſed eorum principi.Apoc.20. v.2. *Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſathanas.* p.631.Non ſtatim primæ creationis ſuæ momento peccavit, ſed aliquanto tempora in juſtitia ſtetit. Ezech.28.v.13. *In delicijs paradiſi Dei fuiſti.*& v.15. *Perfectus in vijs tuis à die conditionis tua donec inventa eſt iniquitas in te* p.361.

Non admodum convenienter poſt lapſum adhuc vocatur Lucifer, quod nomen magis in bonum, quam in malum Angelum competit. Iſaiæ.14.v.12. *Quomodo cecidiſti Lucifer.*pag.305. Diabolus eſt plenus odio & invidia in hominem,& paratus ad nocendum; Job.1.v.6. *Quadam autem die cum veniſſent filij Dei, &c.* p. 207. Joan.8.v.44. *Ille homicida erat ab initio,* p.542.Apoc.12.v.10. *Quia projectus eſt accuſator fratrũ noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri,* p.623.Nihil tamen poteſt contra hominem, niſi ei permittatur à Deo, exemplo S. Job.& 2. Paral.c.18. v.21. *Egrediar & ero ſpiritus mendax, &c. Dixitque Dominus, Egredere & fac ita* p. 176.Et Apoc. 13.v. 5. & 7. *Et datum eſt ei os loquens magna.* p.624. Ejus poteſtas per adventum Chriſti cohibita & reſtricta eſt. Apoc.20.v.2. *Et ligavit eam per annos mille.* p.631.

Myſterium redemptionis humanæ per incarnationem & paſſionem Filij Dei, fuit Diabolo abſconditum, juxta illud Apoſt.1.Cor.2. *Nemo principum hujus ſeculi cognovit, ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Nec obſtat ſententia Marc.1.v.24. *Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? veniſti perdere nos: ſcio qui ſis, ſanctus Dei* & v.34. *Dæmonia multa ejiciebat & non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum.* Ex verbis enim Diaboli, qui mendax eſt, non ſumitur argumentum. p.471. 869. Vide etiam Matth.4. v.3. *Si filius Dei es?* p.414.& Luc.22.v.3. *Intravit autem Satanas in Iudam.* pag.520.

Dies Dominica.

Diem Dominicam inſtituerunt Apoſtoli in locum Sabbathi, proxima die poſt Sabbathum: ideoq; vocatur *Vna Sabbathi.* Id eſt, primo poſt Sabbathum: atq; etiam vocatur *Dies Dominica*: propter reſurrectionem dominicam: vel quod fideles ea die participarent corpus & ſanguinem Domini.Exod.20.v.8. *Memento ut diem Sabbathi ſanctifices.* p.44. Act.20. v.7. *Vna autem Sabbathi cum conveniſſemus ad frangendum panem* p.602.Apoc.1.v.10. *Fui in ſpiritu in dominica die* p.613.

Aſſignatur ratio, cur Deus in vetere lege Sabbathum, feſtoſq; dies per ſeipſum inſtituerit, in nova vero lege hoc ipſum Apoſtolis ſuis, & Eccleſiæ faciendum reliquerit.Lev.23. v.34. *A quinto-decimo die menſis,&c,* pag.64.

Dilectio Dei.

Præceptum de diligendo Deo ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine in hac vita ab homine obſervari & impleri poſſe, negant cum Luthero moderni hæretici; Affirmat Eccleſia catholica; Deus enim non præcepit impoſſibilia, nec quivis prudens legislator aliquid præcipit, quod putat non poſſe obſervari Deut. 6.v.5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua &c.* Commendat S. Scriptura Ezechiam & Joſiam reges Juda ab hujus præcepti perfecta obſervantia.4. Reg.20.v.3. *Obſecro Domine, memento quaſo quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto* Et c.23. v.25. *Similis illi non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omne corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem legem Moyſi,* p. 163. & Num.32. v.12. De Caleb & Joſua teſtatur Scriptura: *Iſti Impleverunt voluntatem meam* p.29. Nec obſtat ſententia. Pſalm.16. v. 14. *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras* p.224.

Dilectio Dei ſancta opera, & mandatorum Dei obſervantiam includit. Pſalm. 118. v.48. *Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.* pag. 249. Vide Mandatum.

Dilectio proximi.

Non ſolum amicorum, ſed etiam inimicorum eſt præcepta à Deo, etiam in lege vetere; Lev.19 v.18. *Diliges amicum tuum ſicut teipſum* p.62. Unde Chriſtus redarguit & corrigit phariſæorum & ſcribarum falſam doctrinam,quia docebant populum ſecundum legem licitum eſſe odiſſe inimicos. Matth.5.v.43. Audiſtis, quia dictum eſt *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* p.418.

Diluvium univerſale.

Generalis eluvionis olim factæ, ſicuti & ultimæ orbis conflagrationis futuræ cauſa nullatenus in aſtra conjicienda, aut cauſis naturalibus aſſcribenda. Gen.7.v 19. *Opertiq; ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cælo* p.10.

Non omnes, qui diluvio perierunt, etiam æternaliter damnati ſunt; ſed quidam præſenti periculo commoniti ad pœnitentiam ante mortem converſi ſunt; quorum animæ à Chriſto Domino ad inferos deſcendente redemptæ ſunt. Gen. 7. v. 23. *Et delevit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram.* p.16.

Divinatio.

Divinationes genethliacorum de nativitatibus actionibus mortalium, deq; alijs eventis fortuitis ex aſtris & ſignis cœli, ſunt incertæ, vanæ, deluſoriæ, & ſacris litteris contrariæ; Gen.1.v.14. *Fiant luminaria, & ſint in ſigna & tempora.* p.2.Jer.10 v.2. *Iuxta vias gentium nolite metuere, quæ timent gentes, quia leges populorum vana ſunt.* pag 329.Iſai.41. v.23. *Annunciate quæ futura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.* pag.316.

Prohibentur à concilio Braccarenſi Can.9. *Si quis animas & corpora humana fatalibus ſignis credit aſtringi, ſicut pagani & Priſcillianus dixerunt: anathema ſit* Item à Conc.Trid.& Pio quarto per regulam nonam indicis librorum prohibitorum. D.Auguſtinus Divinationes aſtrologicas, vocat doctrinam nefariam & ſacrilegam. Act. 19.v.19. *Multi ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* pag.601.

Eccleſia.

Eccleſia Chriſti fuit omni tempore, eſt, eritque ſemper viſibilis & facile reperibilis (quod negant Lutherus, Brentius, Melanchton, Calvinus & alij eam inviſibilem, & ſola fide perceptibilem fingentes) adeo quod non ſolum ab iis qui intra eam ſunt, conſpici ac demonſtrari queat; verum etiam ab iis, qui eam nondum ſunt ingreſſi. Demonſtratur.Iſai.2.v.2. *Et erit noviſſimis diebus præparatus Mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles. & fluent ad eam omnes gentes* p.304.Explicatur ſententia.Luc.17.v.20.& 21. *Non venit regnum Dei cum obſervatione, neque dicent: Ecce hic, aut ecce illic.* qua hæretici contra ſanam Eccleſiæ doctrinam abutuntur ad probandum Eccleſiam Dei non eſſe manifeſtam & viſibilem, ſed inviſibilem. pag.514.

Eccleſia Chriſti viſibilis nunquam poteſt interire, nunquam deficere; nec unquam defecit aut interiit (etſi defeciſſe fingant ut olim Donatiſtæ, ita jam hæretici noſtri à tempore Gregorij magni uſque ad Lutherum) Levitici 26.v.11. *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea.* pag.65. Proverb.9.v.1. *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* p.259. Baruch 5.v.4. *Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in ſempiternum.* p.350. Ezech.48. v.35. *Et nomen civitatis ex die illa. Dominus ibidem.* p.368. Oſee.2.v.19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum* p.377. Matth.16.v.18. *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* p. 437. & Matth. ult. v.20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad conſummationem ſeculi* p.470.

Contra hæc omnia clariſſima teſtimonia, ſectarij non verentur apponere ſententiam Luc. 18. v. 8. *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* cujus vide comment.p. 515.

Eccleſia neque unquam erravit, aut errare poteſt in doctrina fidei & morum: primo propter continuam ſpiritus veritatis aſſiſtentiam, Joan. 16. v. 13. *Cum autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* p.556.

Imò ipſiuſmet Chriſti capitis uſque ad conſummationem ſeculi promiſſam præſentiam, Matth. ult.v.20. *Ecce ego vobiſcum ſum.* p.437.

Secundo propter Petri fidem, quæ merito orationis Chriſti nunquam in ejus ſucceſſoribus deficiet. Luc.22.v.32. *Ego autem rogavi pro te. &c* p.521.Tertio propter ordinatiſſimam, quam Chriſtus in Eccleſia inſtituit, hierarchiam, Petro in illo præſidente, camq; per ſubjectam Epiſcoporum, Presbyterorum, ac cæterorum miniſtrorum ordinatam varietatem gubernante Cant. 6. v. 9. *Pulchra ut luna, electa ut*

Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata. pag. 376. Jer. 3. v. 15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum. & paſcent vos ſcientia, & doctrina.* p. 327.

Creſcit autem Eccleſia Chriſti in ſcientia myſteriorum fidei per incrementa temporum Pſal. 118. v. 100. *ſuper ſenes intellexi, & ſuper omnes docentes intellexi.* p. 250.

Eccleſia habet neceſſarias certas aliquas Notas & ſigna, quibus certo dignoſci & quaſi digito oſtendi, & à quovis facile reperiri poſſit. Ejuſmodi notas & ſigna hæretici, uti Lutherus, Brentius, Calvinus, confeſſio Auguſtana, & Magdeburgenſes voluerunt, eſſe ſinceram doctrinam verbi Dei, legitimum uſum ſacramentorum, & ſimilia, quæ tamen ignotiora ſunt, quam ipſamet Eccleſia; nec ipſimet ſectarij in eiſdem concordent. Opus eſt ergo notis alijs, quæ clariorem notificandi & manifeſtandi vim habeant: quales ſunt illæ quatuor in ſymbolo Apoſtolico, Niceno, & Conſtantinopolitano expreſſæ: nimirum Una, Sancta, Catholica, Apoſtolica Eccleſia. Quas notas author pulchre deducit ex prophetia Michææ. 4. v. 1. *Et erit in noviſſimo dierum, erit mons domus Domini præparatus in vertice montium.* p. 385.

Paſſim etiam in ſcripturis Eccleſia vocatur regnum late diffuſum, regnum autem debet eſſe maxime unū, quia omne regnum in ſe diviſum deſolabitur. Matth. 3. v. 2. *Appropinquavit enim regnum cœlorum* p. 411. Vocatur unum ovile ſub cura unius paſtoris. Joan. 10. v. 16. *Et fiet unum ovile & unus paſtor.* p. 545. Vocatur una civitas, in qua quærendus magiſter fidei, & exſpectandus Spiritus Sanctus: in qua Apoſtoli juſſi ſunt manere: *Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto*: Et Saulus juſſus eſt intrare. Act. 9. v. 6. *Domine quid me vis facere? Surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere* p. 586.

Catholicam, id eſt, univerſalem fore, & per univerſum orbem diffundi debere Eccleſiam Chriſtus ipſemet prædixit. Matth. 24. v. 14. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus.* pag. 455. & Zachar. 2. v. 4. *Abſque muro habitabitur Jeruſalem. præ multitudine hominum & jumentorum in medio ejus* p. 390.

Eccleſia non eſt univerſitas prædeſtinatorum, ut docuit Wicleff, Joan. Hus & eorum ſequaces moderni hæretici; ſed eſt ſocietas eorum, qui per rectam fidem & Sacramenta ſibi mutuo cohærent. Mat. 18. v. 17. *Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* p. 442. Continet bonos & malos. Matth. 13, 25. *ſuperſeminavit zizania in medio tritici.* pag. 434. Joan. 15. v. 2. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.* p. 554. Nec illa bonorum & malorum in ea permiſtio officit ejus ſanctitati. Cant. 1. v. 4. *Nigra ſum ſed formoſa.* p. 274. & c. 2. v. 2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Ibid. Nec obſtat locus. Cant. 4. v. 7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* pag. 275. Neq; Iſai. 35 v. 8. *Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. Non tranſibit per eam pollutus* p. 314. & c. 52. v. 1. *Conſurge, conſurge Sion Civitas ſancti, quia non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus* p. 320. Quibus locis ſolum inſinuatur quod mali Eccleſiæ ſanctitatem quo ad fidem vel mores penitus non poſſint ſubvertere.

Allegorice comparatur arcæ Noëticæ, in qua ſimul conſervabantur animalia munda & immunda, & extra quam nulli erat ſalus: ſic extra unam viſibilem Chriſti Eccleſiam in terris, nulli ſalus ſperanda eſt. Gen. 6. v. 6. *Pœnituit eum, &c* p. 9. Abdiæ, cap. unico. v. 17. *Et in monte Sion erit ſalvatio.* p. 383.

Neque ſufficit ſanam de Chriſto capite habere fidem, niſi & de corpore ejus, quod eſt Eccleſia, bene ſentiat, atque in eius unitate & obedientia permaneat: non enim habebit Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. Iſa. 60. v. 12. *Gens enim & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit* p. 323. Ab hac Eccleſiæ unitate & obedientia nulla ratione recedendum eſt: Jer. 42. v. 19. *Verbum Domini ſuper vos reliquiæ Juda: Nolite intrare Ægyptum; ſcientes ſcietis, quia conteſtatus ſum vos hodie.* p. 342.

Eccleſiæ Poteſtas.

Eccleſia à Chriſto Domino accepit poteſtatem non tantum docendi; ſed etiam præcipiendi, & leges condendi pro temporum & locorum opportunitate: Canones quoque & decreta, ſive ad fidem, ſive ad mores ſpectent. Luc. 10. v. 16. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* p. 505. & Act. 16. v. 4. *Cum autem pertranſirent civitates tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Jeroſolymis,* pag. 596. Explicatur ſententia Matth. 20. v. 25. 26. & 27. *Principes gentium dominantur eorum &c.* quod non tollat præfecturam, & eccleſiaſticam poteſtatem, ut volunt hæretici, ſed oſtendit, qualiter ea Prælati eccleſiaſtici uti debeant. pag. 448.

Habet quoque poteſtatem inſtituendi dies feſtos aliaſque eccleſiaſticas ceremonias. Lev. 23. v. 34. *A quinto decimo die menſis.* p. 64. Eſther. 9. v. 20. *ſcripſit itaq; Mardochæus omnia hæc* p. 204.

Huic poteſtati eccleſiaſticæ omnes ad unum ſunt ſubjecti, quia immediate à Chriſto data eſt Eccleſiæ in prelatis. exod. 16. v. 8. *Nec contra nos eſt murmur veſtrū, ſed contra Dominum.* p. 42. Deut. 17. v. 12. *Qui ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio.* pag. 88. 4. Reg. 12. v. 2. *Fecitq; Joas rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada ſacerdos.* p. 159.

Habet præter poteſtatem eccleſiaſticam, etiam civilem; utraque præfiguratur in gladio Jehu & Eliſæi. 3. Reg. 19. v. 17. *Et erit quicunq; fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliſæus.* p. 153.

Eccleſia rectè pœnis compellit hæreticos ut ad Eccleſiam Catholicam redeant, & in refractarios & contumaces per poteſtates ſæculares juſtè ſupplicio animadvertit. Luc. 14. v. 23. *Et compelle intrare.* p. 510. Jer. 16. v. 18. *Ecce ego mittam piſcatores multos dicit Dominus, & piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam eis multos venatores & venabuntur eos.* p. 332. & 3. Reg. cap. 18. v. 40. *Dixitque Elias ad eos: apprehendite Prophetas Baal & ne unus quidem effugiat ex eis.* p. 152.

Electio.

Electio & miſſio Paſtorum, & miniſtrorum Eccleſiæ de jure non competit populo vel toti cœtui fidelium (uti contendit Lutherus, Brentius, Chemnitius, Illyricus, Calvinus, Beza & omnes Puritani) neque enim ovibus debetur jus ſibi decernendi paſtores. Neque etiam Principibus, aut Magiſtratibus ſæcularibus (ut volunt Zwingliani, Anglo-Calviniſtæ & Arminiani (quia poteſtas & juriſdictio Eccleſiaſtica eſt ſupernaturalis & mere ſpiritualis, & proficiſcitur à Spiritu ſancto. Act. 20. v. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi,* in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. p. 603. Levit. 8. v. 4. *congregataque omni turba ante fores tabernaculi.* p. 57. Conniventer tamen, & ad tempus ſuffragia populi in deſignandis verbi Dei, ac Sacramentorum miniſtris admiſſa fuerunt, quemadmodum antiquis temporibus plerumque factum legimus; quando populus ſedatus erat & non in partes diverſas ſectus. Num. 8. v. 9. *Et applicabis Levitas coram tabernaculo, convocata omni multitudine filiorum Iſrael cumque Levitæ fuerint coram Domino, ponent filij Iſrael manus ſuper eos.* pag. 69. Actor. 6. v. 5. *Et elegerunt Stephanum &c* p. 581.

Elias & Enoch.

Eliam & Enoch adhuc vivere, & ante judicium contra Antichriſtum mittendos & prædicaturos vetus Eccleſiæ eſt traditio. An verò ſint in paradiſo illo, ex quo eſt ejectus Adam; an alibi, ad fidem non pertinet. Gen. 5. v. 24. De Enoch: *Ambulavitq; cum Deo, & non apparuit.* p. 7. De eodem Enoch Eccl. 44. v. 16. *Enoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum.* p. 300. De Elia litteraliter Malach. 4. v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis: & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* pag. 394. De utroque Apoc. 11. v. 3. *Et dabo duobus teſtibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta &c.* p. 622. Qualia facturi ſint ſigna contra Antichriſtum, & ab eo tandem occidendi. Apoc. 11. v. 5. & ſeqq. ibid. Elias ex paradiſo ſeu loco, in quem angelico miniſterio raptus fuit, ſcripſit litteras ad Joram regem: unde oſtenditur eum æquè ac alios ſanctos curare res noſtras. 2. Paral. 21. v. 12. *Allatæ ſunt litteræ ab Elia Propheta.* pag. 177.

Epiſcopus.

Etymon vocis (Epiſcopus) exponit author, & quare rectè, & convenienter poſtea hoc vocabulum uſu Apoſtolico & Eccleſiaſtico ſit tranſlatum ad ſignificandum eum, qui in quaq; provincia ſacerdotibus & Eccleſiæ præeſt, demonſtrat. 2. Eſdræ. 11. v. 22. *Et Epiſcopus Levitarum in Jeruſalem Azzi filius Bani &c.* pag. 189. Quilibet Epiſcopus eſt verus Eccleſiæ ſuæ ſponſus eidem per annulum deſponſatus. Cant. 6. v. 7. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus.* pag. 276. Debet apud

ores

oves ſuas reſidere. Zachar. 11. v. 4. *Hæc dicit Dominus* & v. 15. *Adhuc ſume vaſa &c.* p. 392.

Sunt Apoſtolorum ſucceſſores, habentes eandem poteſtatem ſpiritualem circa regimen Eccleſiæ quam ipſi habuerunt, neq; enim illorum officium ſeu miniſterium in ſola prædicatione verbi divini conſiſtit. Matth. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* p. 470. Ad illos ſpectat tractare de dogmatibus fidei, quæſtionibus religionis, reformatione Eccleſiæ, aliiſque cauſis Eccleſiaſticis, ſive in ſynodis, ſive in curiis & tribunalibus independenter à principibus ſæcularibus. 2. Paral. 17. v. 7. *Tertio autem anno regni ſui, miſit (Ioſaphat) de principibus ſuis, & cum eis Levitas & ſacerdotes, docebantque populum in Iuda.* p. 176. & cap. 26. v. 18. *Non eſt tui officij Ozia, ut adoleas incenſum, ſed ſacerdotum* p. 179. & cap. 29. v. 15. *Et ingreſſi ſunt juxta mandatum regis & imperium Domini.* pag. 180.

Euchariſtia.

In almo Euchariſtiæ Sacramento poſt panis & vini conſecrationem adeſſe verum Corpus & Sanguinem Chriſti Dei & Hominis, idem numero, quod in cœlo eſt, etiam extra uſum permanenter; ideoque ſumma cum veneratione aſſervandum, colendum, & latriæ cultu, qui vero Deo debetur, adorandum eſſe, nullus dubitandi locus relinquitur.

Contra hanc realem Chriſti in Sacramento præſentiam ſe opponit Calvinus cum tota ſecta Sacramentariorum, allegans loca ſacræ ſcripturæ in contrarium. 1. Matth. 24. v. 23. *Tunc ſi quis vobis dixerit: ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere* In quo loco Chriſtus non loquitur de ſua præſentia in hoc Sacramento, ſed de falſis doctoribus & pſeudoprophetis; quales ſunt hæretici, qui dum profanas ſuas novitates diſſeminare incipiunt, non in publico conventu id faciunt, malè ſibi conſcii, ſed vel in deſerto & agris, vel in penetralibus, & in abditis locis conventicula colligunt. Et utinam præceptum Chriſti dicentis: *Nolite exire. Nolite credere* à fidelibus omnibus ſedulo fuiſſet obſervatum. p. 455.

Objiciunt 2. Luc. 24. v. 5. *Non eſt hic, ſed ſurrexit.* Ex quo loco etiam Dei omnipotentiam oppugnant, dicentes, fieri non poſſe, ne à Deo quidem, ut idem corpus in diverſis ſit locis. p. 524.

Objiciunt 3. Joan. 6. v. 64. *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam* Quo argumento utique etiam probaretur, inutiliter verbum eſſe carnem factum, ut habitaret in nobis. p. 539.

Objiciunt 4. Joan. 12. v. 8. *Me autem non ſemper habetis.* Qui locus ſicut & alij præcedentes ad præſentiam Domini in Sacramento nihil facit. p. 548.

Objiciunt 5. poſt conſecrationem à Paulo Corpus Chriſti adhuc panem vocari. Etiamſi natura panis jam tranſmutata ſit. Aſt eodem modo virga Aaron mutata in ſerpentem vocatur virga Exod. 7. v. 12. Projeceruntque ſinguli virgas ſuas &c. pag. 37. Vide etiam Matth. c. 26. v. 29. *Non bibam amodo de hoc germine vitis.* pag. 461.

Hiſce objectionibus opponuntur verba Chriſti hoc Sacramentum inſtituentis. Matth. 26. v. 26. *Hoc eſt Corpus meum.* Cum enim Chriſtus ſit ipſa veritas, qui panem tenens manibus, dixit iſta verba, *hoc eſt Corpus meum*, neceſſe eſt, veram eſſe propoſitionem; vera autem eſſe non poteſt, niſi fiat quod dicitur. pag. 461.

Confunduntur quoque Sacramentarij ex figuris, quibus hoc Ven. Sacramentum fuit præſignatum in V. Teſt. præcipuè in manna, quod fuit typus Sacramenti corporis Chriſti, veri panis Angelorum, de cœlo deſcendentis: ſi n. in hoc Ven. Sacramento Euchariſtiæ, non eſt niſi naturalis panis & vinum repræſentans mortem Chriſti, adeoq; mera figura; jam veteres figuræ Euchariſtiæ v. g. manna, agnus paſchalis, ſanguis vituli aſperſus, longè nobiliores tam in eſſendo, quàm in repræſentando fuerint ipſomet Sacramento Euchariſtiæ, cujus ex omnium Patrum ſententia figuræ fuerunt. Pſal. 77. v. 24. *Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis. Panem Angelorum manducavit homo*, p. 239. Deniq; Chriſtus Dominus in cœna, inſtituendo Nov. Teſt. alludere voluiſſe videtur ad Teſt. Vet. quod conſecratum eſt in ſanguine vitulorum; ſicut igitur proprio ſermone, & non per tropum dictum eſt à Moyſe: *hic eſt ſanguis fœderis* Exod. 24. v. 8. ita & à Chriſto proprio ſermone, & neutiquam figurato dictum eſt; *hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti*. p. 47.

Neque verbum (*eſt*) in ſcriptura aliquando ponitur pro ſignificat. Luc. 8. v. 11. Semen eſt verbum Dei. pag. 502. Hoc Sacramentum non conſiſtit in ſolo uſu, vel ſumptione (ut Martin. Bucerus Luthero, & reliquis omnib. tam Sacramentariis, quàm Lutheranis perſuaſit) ſed in re permanente, puta in ipſa hoſtia conſecrata; unde & aſſervari, & circumferri & adorari illa poteſt. Et in hoc diſtinguitur de reliquis Sacramentis, adeoq; cultu latriæ vero Deo debito, Chriſtus in eo colendus & adorandus: neque enim refert, qua ſpecie nobis apparere & exhiberi velit, ſive hominis viri, ſive infantuli (uti in præſepio) ſive ſub ſpecie panis & vini, uti in hoc Sacramento; modo conſtet ipſum ibi eſſe, vel contineri, ipſe enim quomodocunque & ubicunque appareat, verus Deus eſt, & ob id unum adorandus: Nec obſtat objectio Lutheranorum dicentium, corpus Chriſti nobis in Sacramento exhiberi, ut manducetur, non, ut adoretur: nam neque Chriſtus erat in Bethlehem ut adoretur, nec omnino iſto fine deſcendit in terram Matth. 2. v. 11. *Et procidentes adoraverunt eum* p. 411. & Pſal. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt:* D. Auguſtinus per ſcabellum intelligit corpus Chriſti: unde dicit: nemo carnem illam manducat, niſi prius adoraverit: item: non ſolùm non peccamus adorando, ſed peccamus non adorando. p. 245.

Conſuetudinem aſſervandi in ſacrario ſanctam Euchariſtiam; itaque etiam ipſam ad infirmos deferendi & antiquiſſimam eſſe, & in multis conciliis præceptam; atque vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more obſervatam eſſe, tradit ſac. Concil. Trid. Et reſpondetur Lutheranis opponentibus ex Exod. 16. v. 19. *Nullus relinquat ex eo in mane.* p. 42.

Diſpenſatur in fine vitæ per modum viatici; ejus enim uſus, uti & aliorum Sacramentorum, tantùm durat tempore hujus peregrinationis, donec veniamus ad gratiam cœleſtem. Exod. 16. v. 35. *Comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem* pag. 42. & Joſue 5. v. 12. *Defecitq; manna, poſtquam comederunt de frugibus terræ* p. 95. Quo tempore & modo, quibuſque ceremoniis adhibitis temporibus Apoſtolorum Chriſti fideles Dominicam cœnam ſumpſerint, vide Act. 20. v. 7. *Una autem ſabbathi, cum convenissemus ad frangendum panem*, & v. 8. *Erant autem lampades copioſæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.* pag. 602.

Chriſtum Dominum in Emaus coram diſcipulis non conſecraſſe corpus ſuum author aſſerit, atq; per congruentias aliquas confirmat. Luc. 24. v. 30. *Et benedixit ac fregit* p. 525.

Chriſtus inſtituit quidem hoc Sacramentum in azimo, juxta uſum & præceptum legis. Levit. 2. v. 12. *Omnis oblatio abſque fermento fiet*, hinc tamen conſequens non eſt, tempore novæ legis neceſſariò conſecrandum, eſſe in azimo, quia lex vetus nunc non obligat, adeoque Florentina ſynodus rectè permiſit Græcis ſacrificare in fermentato. p. 55.

Exequiæ.

Exequiarum pro mortuis per ſeptem & per triginta dies cum luctu, jejunio, & eleemoſynis in lege naturæ & ſcripta Moſaica celebratarum; uſus etiamnum viget in Eccleſia Dei, unde liquet circa ſtatum animarum corpore ſolutarum idem fuiſſe creditum in ſynagoga, & lege naturæ, quod modo creditur in Eccleſia. Gen. ult. v. 10. *Ubi celebrantes exequias (Jacob) impleverunt ſeptem dies.* pag. 32. Sic habitatores Jabes Galaad ſuper Saül & filiis ejus exequias cum jejunio celebrarunt diebus ſeptem, ipſo David quoque eorum pietatem approbante. 1. Reg. ult. v. 13. *Et tulerunt oſſa eorum, & ſepelierunt in nemore Iabes: jejunaveruntque ſeptem diebus* p. 131. Tob. 4. v. 18. *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue* p. 192.

Extrema Unctio.

Extrema Unctio eſt verum Eccleſiæ Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, & fuit adumbratum ſeu in typo inſinuatum. Marc. 6. v. 13. *Et ungebant oleo multos ægros, & ſanabant.* p. 475.

Fatum.

Hæretici quidam olim ad ſtatuendum Fatum, id eſt, inevitabilem quandam cauſarum connexionem, quæ & tempori vitæ humanæ, & omnibus ejus actionibus neceſſitatem inducat, utebantur illa ſententia Job. 14. v. 5. *Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt.*

Ex

Ex quo tamen fatum non induci poſſe, explicatur. pag.211.

Fati nomen, quamvis bona ſignificatione poſſit accipi, quia tamen Eccleſiaſticis Doctoribus inuſitatum eſt, & male uſurpatum apud Ethnicos; ſic non temerè uſurpandum à Chriſtianis. Sap.19.v.14. *Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas.* p.285.

Fides.

Fides in Chriſtum Salvatorem eſt merum donum Dei, Marc.9.v.24. *Credo domine, adjuva incredulitatem meam.* p.478. Luc.17.v.5. *Adauge nobis fidem* p.513. Niti debet authoritate ſolius Dei revelantis, ratione non audita, non conſpectis miraculis. Matth.4.v.22. *Illi autem ſtatim relictis retibus & patre, ſecuti ſunt eum.* p.415.

Fides in Chriſtum poteſt à charitate Dei eſſe in homine ſeparata, adeoque cum peccato mortali & injuſtitia conſiſtere. Joan.12.v.42. *Verumtamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut è ſynagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriã hominum magis, quam gloriam Dei.* p.550.

Fides ſemel habita amitti poteſt, contra noſtri temporis hæreticos. Tob.2.v.16. & ſeqq. *Ubi eſt ſpes tua &c. Qui fidem ſuam nunquam mutant ab illo.* p.191.

Fides neceſſaria ad ſalutem; *accedentem enim ad Deum oportet credere, quod eſt. & ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, eſt autem prævia diſpoſitio, qua in ſpem ſalutis erigimur; initium & fundamentum juſtitiæ ſubſecuturæ; non tamen ſe ſola ſufficiens, niſi charitate formetur, aliaq; bona opera accedant. Et quidem in necdum baptizatis, requiritur baptiſmus ſaltem in voto. Marci ult. v.16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit* p.485. in baptizatis. & Joan.3.v.5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.* pag.533. In renatis requiruntur opera pœnitentiæ: Hinc Chriſtus & Joannes qui prædicabant Judæis in Deum verum credentibus quidem, ſed multis peccatis obnoxiis, à prædicatione pœnitentiæ legationem ſuam auſpicati ſunt. Matth.3.v.2. *pœnitentiam agite.* p.411. Act.26.v.20. *Et gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum. Digna pœnitentia opera facientes.* p.609. Requiritur etiam ad peccati expulſionem timor quidam divinæ juſtitiæ, quod pariter negant noſtri Novatores. Eccl.1.v.27. *Timor Domini expellit peccatum Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* p.285. Vide concil. Trid. ſeſſ.6. cap.6.

Accedere quoque debent ad fidem omnis generis bona opera. Sic David laudatur non ſolum à fide, ſed etiam ab obedientia; offerendo Iſaac filium ſuum, egrediendo de terra ſua &c. Sic Rahab meretrix juſtificata eſt non ex ſola fide, ſed etiam ex operibus. Joſue.2.v.11. *Dominus enim Deus veſter &c.* p.94.

Quando autem in ſacra ſcriptura fidei aſſeribitur juſtitia, & vita æterna, ſeu remiſſio peccatorum, intelligitur de fide, quæ per charitatem operatur, nullibi enim hujuſmodi effectus, & virtutes aſſeribuntur ſoli fidei, aliis operibus bonis præciſis, quod patet in locis ſeqq. Gen.15.v.6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam* p.15. Sap.15.v.3. *Noſſe enim te conſummata juſtitia eſt.* p.283. Jer.9.v.24. *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me.* p.329. Habacuc.2.v.4. *Juſtus autem in fide ſua vivet.* p.387. Luc.7.v.50. *Fides tua te ſalvam fecit.* p.502. & cap.8.v.50. *Noli timere, crede tantum, & ſalva erit* p.503. Joan.17.v.3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* pag.557. Act.15.v.8. & 9. *Et qui novit corda Deus &c. Fide purificans corda eorum.* In quibus locis ſermonem eſſe de fide, quæ per charitatem operatur; adeoque nullatenus confirmari dogma hæreticorum, ſolam fidem ad juſtitiam & ſalutem ſufficere, dicentium, patet ex eorundem commentariis ſeu annotationibus. Imò ipſamet fides inter bona opera ad ſalutem neceſſaria annumeratur. Joan.6.v.29. *Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille.* Qui igitur docent, bona opera non concurrere ad juſtificationem, fateantur neceſſe eſt, etiam hoc opus Dei, fidem nimirum in Chriſtum, non neceſſariam ad eandem. pag.539.

Fides porro, quæ ad adultos peccatores juſtificandos prærequiritur, non eſt illa, quam hæretici volunt, ſpecialis fiducia, & infallibilis perſuaſio, qua credam mihi in particulari certo certius peccata remitti, meq; à Deo juſtificari, & ad æternam gloriam deſtinari: Hoc enim in hac vita homo nec debet nec citra revelationem poteſt credere fide divina. 2. Paral.20.v.20. *Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis.* p.177. Jerem.17.v.9. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile, quis cognoſcet illud?* p.332. Michææ 6.v.8. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te.* p.389.

Fidem Chriſtianam, quando non urget ejus profitendæ neceſſitas, in corde retinere ſatis eſt. Baruch.6.v.5. *Viſa itaque turba de retro, & ab ante adorantes, dicite in cordibus veſtris: te oportet adorari Domine* p.350.

Non quæcunque fides ad ſalutem ſufficit, neque ſatis eſt, credere in Chriſtum ſalvatorem pro peccatis noſtris paſſum, ut Politici & Libertini ſomniant; ſed inſuper reliqua, quæ Chriſtus ad ſalutem noſtram inſtituit, & per Eccleſiam ſuam propoſuit. Iſa.5.v.13. *Propterea captivus ductus eſt populus, quia non habuit ſcientiam.* p.306.

Fiducia.

Quamvis ex fide & bonis operibus in homine juſtificato naſcatur firma in Deum fiducia æternæ ſalutis, quæ tollat anxietatem & actualem formidinẽ de appoſito exemplo Ezechiæ, & Nehemia opera ſua bona apud Deum allegantium. 2. Reg.8 & 2. Paral.18. & Davidis Pſ.118. v.121. *Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me* p.250. Attamen talis fiducia non excludit omnem timorem & pavorem, juxta ſententiam Sapientis Prov.28.v.14. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* p.267. Eccl.5.v.5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* pag.287. Quod eſt contra hæreticos noſtri ævi fiduciarios, & præſumptuoſos, qui docent nihil metuendum, tantum credendum firmiter, Chriſtum pro nobis per omnia ſatisfeciſſe. Præſumptuoſum quoque eſt quod iidem hæretici noſtri temporis fiduciarij ſibi imaginantur quaſi fiducia Chriſtianorum talis & tanta eſſe debeat & poſſit, ut non modo exſpectent, verùm etiam certo ſibi ſtatuant conſecuturos ſe, quidquid à Deo orando poſtulaverint. Cujus dogmatis falſitatem coarguunt ſententiæ ſequentes. Job.9.v.16. *Et cum invocantem exaudierit me, non credo, quod exaudierit vocem meam.* & v.21. *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* p.210. Judith.13.v.7. *Et reſpice in hac hora &c. Et hoc quod credens per te poſſe fieri, perficiam* pag.199. 2. Paral.5.v.20. *Et exaudivit eos, eo quod credidiſſent in eum.* p.166. Dan.3.v.17. *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis — Quod ſi noluerit, notum ſit tibi, ô rex, quod deos tuos non colimus.* p.370. Matth.8.v.2. *Adorabat eum dicens: ſi vis, potes me mundare* p.423. & cap.9.v.29. *Creditis, quoniam hoc poſſum vobis facere?* p.426. & cap.17.v.18. & 19. *Tunc acceſſerunt diſcipuli &c.* p.440.

Fornicatio.

Fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale excludens à regno cœlorum, contra nonnullorum Libertinorum errorem, & falſam quorundam Judæorum opinionem, teſtatur paſſim ſacra ſcriptura. Exod.20.v.14. *Non mœchaberis* pag.45. Jud.19.v.24. *Habeo filiam virginem &c.* p.112. Matth.15.v.18. & 19. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem — homicidia, adulteria, fornicationes &c.* p.437.

Furtum.

Furtum ſimplex juſtè puniri ſupplicio capitis, colligi videtur ex exemplo Jacob patriarchæ. Gen.31.v.32. *Quod autem furti me arguis: apud quemcunque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus noſtris* Contra quorundam juriſperitorum opinionem negantium juſtum eſſe ſecundum juſtitiam civilem, ut pro ſimplici furto quis capitis animadverſione puniatur. pag.23. & Exod.22.v.1. *Quinque boves pro uno bove reſtituet.* pag.46.

Furem quando impunè occidere liceat. Exod.22.v.2. *Si effringens fur domum, aut ſuffodiens &c. percuſſor non erit reus ſanguinis.* ibid.

Gloria cœleſtis.

Gloria regni cœleſtis non ſolùm datur juſtis & electis ut hæreditas jure filiationis adoptivæ debita, (ut volunt ſectarij noſtri) ſed etiam propter opera juſtitiæ, & merces. Matth.25.v.34. *Poſſidete paratum vobis regnum* pag.459. Apocal.7.v.9. *Poſt hæc vidi turbam magnam — Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum.* pag.620. & c.14.v.13. *Scribe, beati mortui — opera enim illorum ſequuntur illos.* p.626. Quantumvis Deus ſanctos & electos ſuos in cœlis gloria merito juſtitiæ ſuæ coronet, eam tamen gloriam & remunerationem ex gratuito Dei dono provenire univerſa ſanctorum

multitudo

multitudo agnoſcit & humiliter confitetur. Quia licet vita æterna reddatur meritis juſtitiæ; ipſa tamen juſtitia non niſi per Dei gratiam acquiritur. Apoc. 4. v. 10. *Et mittebant coronas ſuas ante thronum dicentes &c.* p. 616. & c. 21. v. 2. *Deſcendentem de cœlo à Deo paratam &c.* p. 633.

Gloria ſive beatitudo æterna animabus juſtorum corpore exutis, & ſufficienter purgatis debita, non differtur uſque ad univerſale judicium, ſed ſtatim illis confertur, quod negant Armeni & Græci, Cornelius Agrippa, Lutherus, Calvinus, & Anabaptiſtæ, ſed probatur ex Luc. 23. v. 43. *Hodie mecum eris in paradiſo.* p. 523. Apoc. 6. v. 10. *Vſquequo Domine &c.* —— *Et clamabant voce magna dicentes.* p. 618. ibid. v. 11. *Et data ſunt illis ſingulis ſtolæ albæ.* ibid.

Gratia.

Gratia Dei, qua poſt lapſum primi parentis noſtri Adami in peccatum, juſtificamur, & quam nobis intuitu meritorum Chriſti quotidie Deus largitur, prævenit omne meritum humanum, omnemque liberi arbitrij motum. Exod. 33. v. 18. *Miſerebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* pag. 52. Pſal. 5. v. 12. *Domine, ut ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos* p. 222.

Rectè à Scholaſticis introducta eſt ex ſcriptura, & D. Auguſtino duplex gratia, ſcil. præveniens, & ſubſequens: præveniens quæ nolentem prævenit, ut velit. Pſal. 58. v. 11. *Miſericordia ejus præveniet me.* p. 235. Subſequens, quæ volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. Pſalm. 22. v. 6. *Miſericordia tua ſubſequatur me.* pag. 226.

Præparatio hominis gratiam non præcedit, quod olim docuerunt Pelagiani, & Calvinus Catholicis falſo affinxit. Jer. 10. v. 23. *Non eſt hominis via ejus: nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* p. 329. Attamen voluntario motu gratiæ excitanti ſeu prævenienti homo liberè cooperari debet. 2. Paral. 15. v. 2. *Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo.* p. 176. Malach. 3. v. 7. *Revertimini ad me, & revertar ad vos.* p. 395. & Zachar. 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* p. 369.

Poteſt tamen ex parte Dei omnis gratia dici præveniens quatenus nimirum Deus omne bonum, ac totum, ab initio bonæ voluntatis, uſque ad conſummationem boni operis in nobis efficaciter operatur, faciens, ut faciamus. Iſa. 26. v. 12. *Omnia opera noſtra operatus eſt nobis.* p. 312.

Homo poteſt divinæ gratiæ reſiſtere, illamque liberè excludere. Matth. 23. v. 37. *Quoties volui congregare filios tuos —— Et noluiſti.* pag. 455. Actor. 7. v. 51. *Dura cervice —— vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.* p. 583.

An & quomodo gratia quo ad effectum dependeat à noſtra acceptatione. Apoc. 3. v. 20. *Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis audierit vocem meam &c.* p. 616.

Abſque gratia, Deo nimirum hominem deſerente, & gratiam non dante, nemo poteſt ſuperare tentationem, aut ab ea ſe ſalubriter, & ſecundum Deum expedire. 2. Paral. 32. v. 31. *Dereliquit eum Deus, ut tentaretur* p. 181.

Gratia Dei efficax non ſolùm voluntatem hominis indifferentem, non reluctantem trahit ad bonum; verum etiam voluntatem malam & repugnantem. Eſther 15. v. 11. *Convertitq; Deus ſpiritum regis in manſuetudinem* pag. 206. 1. Eſdr. 1. v. 5. *Et ſurrexerunt principes patrum de Iuda —— Et omnis cujus Deus ſuſcitavit ſpiritum* p. 183.

Gratiam ſufficientem ad ſalutem omnibus dari author deſertè negat in annotationibus ſuis ad loca ſequentia. Sap. 5. v. 26. *Ergo erravimus &c.* p. 279. & c. 11. v. 24. *miſereris omnium &c.* p. 281. Iſa. 5. v. 4. *Quid eſt, quod ultra debui facere* ? p. 305. & cap. 6. v. 10. *Excæca cor populi* p. 306. Matth. 22. v. 14. *Multi ſunt vocati.* p. 450. Joan. 1. v. 9. *Erat lux vera &c.* pag. 527. Joan. 3. v. 17. *Non enim miſit Deus filium ſuum.* p. 533. Joan. 6. v. 37. *Omne quod dat mihi pater.* p. 539. Actor. 14. v. 15. *Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas.* p. 593. & c. 17. v. 31. *Fidem præbens omnibus.* p. 599. Iſa. 49. v. 4. *Et ego dixi; in vanum laboravi.* dicit; Chriſtum non intendiſſe verè omnium, neque gentium, neque Judæorum converſionem; ſed tantùm eorum, quos efficaciter convertere voluit, qui principaliter ſunt electi. p. 309. Joan. 5. v. 34. *Sed hæc dico, ut vos ſalvi ſitis.* ait: Chriſtum prædicationem ſuam non direxiſſe ad ſalutem omnium, quibus verbum Dei loquebatur. p. 538. Joan. 10. v. 15. *Et animam pono pro ovibus meis.* dicit: Chriſtum non pro omnibus mortuū, ſed pro ſolis electis, ut ſalventur. pag. 545. Joan. 12. v. 32. *Et ego ſi exaltatus fuero*; refutat eos, qui dicunt, Deum quantum in ipſo eſt, trahere omnes ad ſalutem. p. 549.

Eſtij Annot. in Script.

Hæreſis.

Omnis in religione novitas, quantumcunque ſpecioſa & probabilis, quæ revelationi divinæ jam olim in ſcripturis, vel conciliis, vel Eccleſiaſtica traditione factæ contraria dignoſcitur, reſpuenda eſt. 3. Reg. 13. v. 18. Et ego propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi. p. 150.

Hæreſes Deus permittit ut Eccleſia per eas in pietate & doctrina religionis exerceatur. Jud. 3. v. 2. *Ut poſtea diſcerent filij eorum certare cum hoſtibus.* p. 103.

Omnis hæreſis errorem ſuum ex verbo Dei, & Patrum teſtimoniis confirmare conatur. Job. 8. v. 8. *Interroga generationem priſtinam, & diligenter inveſtiga Patrum memoriam* p. 210.

Ortum habet ex ſuperbia & inordinato appetitu gloriæ, & deſinit in confuſionem, ut nec ſibi ipſis nec veritati conſona loquantur; ad inſtar ædificantium civitatem & turrim Babylonicam. Gen. 11. v. 4. p. 12.

Fructus ex hæreſi naſcentes ſunt: Blaſphemia in Deum & ſanctos ejus: Eccleſiarum direptiones, Sacramentorum prophanationes, animarum ſeductiones & damnationes. Pſal. 72. v. 9. *Poſuerunt in cœlum os ſuum.* p. 238. Iſa. 37. v. 3. p. 314.

Et ſpecialiter ex nova doctrina ſectariorum modernorum docentium ſolam fidem juſtificare, & nos propriam juſtitiam non habere, oritur ſchiſma ac ſeparatio ab Eccleſia, magnaque morum corruptela. Matth. 7. v. 16. *A fructibus eorum cognoſcetis eos* p. 221.

Hæreſi gliſcenti maturè reſiſtendum eſt. Cant. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* pag. 275.

Cognitio hæreſis ſpectat ad Iudicem Eccleſiaſticum, executio autem & pœnæ inflictio, ad Iudicem ſæcularem. Deut. 17. v. 12. p. 88.

Hæreticorum libros comburendi conſuetudo ab initio, uſque ad hæc tempora ſervata (accedentibus etiam vetuſtis Imperatorum ſanctionibus, quæ hoc ipſum fieri præcipiunt) in Actis Apoſtolorum fundata eſt. cap. 19. v. 19. *Multi ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* pag. 602.

Hæretici.

Hæretici ſunt veri novatores, qui non perſtiterunt in viis antiquis, nec de iis interrogaverunt; ſed ab iis inclinaverunt in diverticula, contra præceptum Domini. Jerem. 6. v. 16. *Hæc dicit Dominus: ſtate ſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris* p. 327.

Hæretici per rebellionem ab Eccleſia receſſerunt, ſicut Nadab & Abiu filij Aaron offerentes coram Domino ignem alienum; ſic iſti, contempta doctrina, cœlitus Eccleſiæ tradita, privatam quiſque & peregrinam opinionem ſectantur. Lev. 10. v. 1. *Arreptiſq; Nadab & Abiu filij Aaron thuribulis —— offerentes coram Domino ignem alienum.* pag. 58. Adeoq; circa Eccleſiam Dei oberrantes de ſcriptura ſacra & doctrina Dei ſemper diſputant. Pſal. 11. v. 9. *In circuitu impij ambulant.* p. 224.

Hæretici propter multos, eoſque magnos ac manifeſtos, quos notabant ſuo tempore in Eccleſia Chriſti abuſus, v. g. in Clero ambitionem, avaritiam, libidinem, aliaq; hujuſmodi mala, credere noluerunt, hanc eſſe Eccleſiam, cui tam magnæ & præclaræ factæ ſint promiſſiones; quod ſit permanſura uſque in finem ſæculi: & Spiritus S. præſentia nunquam deſtituenda: quod tamen ſcandalum non debebat illis eſſe cauſa defectionis: adeoque non plus excuſabiles, quàm Iudæi, qui videntes in perſona Chriſti converſationis humilitatem, noluerunt credere illum eſſe verum filium Dei. Matth. 11. v. 16. *Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me* p. 429.

Neque hujus ſæculi hæretici excuſantur per hoc, quod eorum parentes & majores jam ab uno ſæculo & ultra talem doctrinam illis tradiderint; non enim parentum ſive majorum error ſequendus, ſed authoritas ſcripturarum; & Dei docentis: niſi majores ſint tales, quibus ipſa ſcriptura ſacra teſtimonium perhibet veritatis & ſacræ doctrinæ. Jer. 9. v. 14. *Et abierunt poſt pravitatem cordis ſui, & poſt Baalim, quod didicerunt à patribus ſuis* p. 328.

Hæretici moderni non inſiſtunt doctrinæ Evangelicæ, Apoſtolicæ, & propheticæ, quantumcunque ſe

Evangelicos vocitent, nec conformiter ad eandem doctrinam dogmatizant; dum certam fidem de ſalute æterna pollicentur, atque jejunia damnant, pœnitentiæ opera contemnunt, virginitatis & perpetuæ continentiæ ſtudium, ut impoſſibile, rejiciunt, & viam, quam dicit Chriſtus arctam, per omnia commodam faciunt. Jer. 28. v. 1. *Dixit ad me Ananias filius Azur propheta de Gabaon: Adhuc duo anni erunt. & ego referri faciam vaſa domus Domini.* p. 336.

Hæreticos & quoſcumque aliam à catholica doctrinam tenentes præfecti Eccleſiarum ſive Epiſcopi, ſive paſtores, permittere non debent, in populo ſuo converſari, & habitare, cum poſſint impedire. Apoc. 2. v. 15. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum* p. 614.

Cohabitatio & ſocietas cum hæreticis perquam periculoſa eſt; nam vix fieri poteſt, quin eorum quotidiana conſuetudine, commerciis & colloquiis maculæ contrahantur, & inquinetur conſcientia. Jer. 44. v. 15. *Reſponderunt autem Ieremiæ omnes; ſermonem quem locutus es, non audiemus, ſed facientes faciemus —— ut ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina.* p. 343. & Apoc. 18. v. 4. *Exite de illa populus meus: ut ne participes ſitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* p. 628.

Mores eorum deſcribuntur Apoc. 9. v. 11. *Et habebat ſuper ſe regem angelum abyſſi.* p. 621.

Matrimonia cum hæreticis non contrahenda, propter naufragij in fide & moribus periculum. 3. Reg. 11. v. 1. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.* p. 148. & c. 16. v. 31. *Nec ſuffecit ei, ut ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabath. inſuper duxit uxorem Iezabel filiam Ethbaal, regis Sidoniorum.* p. 151.

Fœdera hæreticorum vel infidelium non ſunt ambienda, neque imploranda auxilia, nec uſquam ea ſcriptura approbare legitur. 2. Paralip. cap. 16. v. 7. *Quoniam habuiſti fiduciam in rege Syriæ, idcirco evaſit Syriæ regis exercitus de manu tua* p. 176. & cap. 19. v. 2. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris.* p. 179.

Pacta tamen cum infidelibus aut hæreticis inita, eſto per potentiam extorta ſint, ſervanda, maximè ſi ſint jurejurando firmata. 4. Reg. 25. v. 4. *Fugit itaque Sedecias per viam &c.* p. 164. & Joſue 9. v. 19. *Iuravimus eis in nomine Dei Iſraël, & idcirco non poſſumus eos contingere.* p. 97.

Templa eis extruere ad Religionis libertatem Deo diſplicet. Reg. 11. v. 4. *Cumque jam eſſet ſenex (Salomon) depravatum eſt cor ejus.* p. 148.

Hæreticos ad Eccleſiam, à qua injuſtè defecerunt, legibus & pœnis compellendos eſſe docet D. Auguſtinus ex Luc. 14. v. 23. *Et compelle intrare.* p. 512. & Dan. 6. v. 26. *A me (Dario) conſtitutum decretum, ut in univerſo imperio & regno meo tremiſcant & paveant Deum Danielis.* p. 373.

In contumaces juſtè capitali ſupplicio animadvertitur, tanquam reipublicæ turbatores, qui fideles à vero Dei cultu ad amplectenda falſa dogmata avertunt. Deut. 13. v. 1. *Si ſurrexerit in medio tui propheta —— & dixerit tibi, Eamus & ſequamur Deos alienos —— non audies* & v. 9. *ſed ſtatim interficies.* p. 86. 3. Reg. 18. *Dixitque Elias ad eos. Apprehendite prophetas Baal, & ne unus quidem effugiat ex eis.* p. 52. Zach. 13. v. 40. *Et pſeudoprophetas & ſpiritum immundum auferam de terra. Et erit cum prophetaverit quiſpiam ultra —— & configent ejus pater ejus, & mater ejus* p. 392.

Nec obſtat ſententia Chriſti diſcipulis ſuis ad interrogationem de zizaniis eradicandis. Matth. 13. v. 28. *Vis, imus, & colligimus ea?* reſpondentis: *Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul cum eis triticum Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem* p. 434. & Luc. 17. v. 1. *Impoſſibile eſt, ut non veniant ſcandala.* pag. 513. Ex quibus locis ſectarij nituntur probare, hæreticos per juſtitiam civilem non eſſe tollendos è medio, ſed tolerandos in medio bonorum. Neque hæreticis ſubſervit illa ſententia Chriſti. Matth. 10. v. 34. *Nolite arbitrari, quia veni pacem mittere in terram: non veni pacem mittere ſed gladium*, quam avidè pro ſe arripiunt, tanquam ſeditioſæ ſuæ doctrinæ faventem. pag. 428.

Præpoſtera verò in hæreſibus extirpandis, & contumacibus puniendis clementia & conniventia diſplicet Deo. 3. Reg. 20. v. 42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius. & populus tuus pro populo ejus.* p. 153. Jer. 48. v. 10. *Maledictus qui facit opus Dei negligenter.* p. 344.

Quando tamen metuendum eſt magnum reipublicæ incommodum ex hæreticorum punitione, rectius ad tempus diſſimulandum eſt. 2. Reg. 3. v. 28. *Quod cum audiſſet David &c.* p. 132. Eccl. 7. v. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates.* pag. 287.

Horæ Canonicæ.

Horas canonicas, ſeu ritum laudandi certis quotidie horis, precandique Deum, mente ſimul ac voce, & conceptis verbis, juxta canones & regulas Præſulum Eccleſiæ diſtributis, reprehendunt Lutherus, Calvinus, Brentius, Heshuſius & alij Novantes; in ſacris tamen litteris hunc precandi, Deumque laudandi modum ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ab Apoſtolis obſervatum, & deinceps uſque ad præſens tempus ab Eccleſia, imò à Davidis temporibus, à piiſſimis ſanctiſſimiſque viris in veteri lege ex inſtinctu Spiritus S. uſurpatum fuiſſe utriuſque teſtamenti teſtantur paginæ. Pſal. 118. v. 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi* & v. 164. *Septies in die laudem dixi tibi.* & Pſal. 5. v. 4. *Mane exaudies vocem meam; mane adſtabo tibi.* Pſal. 54. v. 18. *Veſpere, & mane, & meridie &c.* Quos Pſalmos omnes à Davide eum in finem inventos & concinnatos eſſe liquet. Daniel etiam in Babylone eundem precandi ritum ſervare ſolitus fuit. Dan. 6. v. 10. *Daniel feneſtris apertis in cœnaculo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat, ſicut & ante facere conſueverat.* p. 373. Act. 2. v. 15. Apoſtoli hora diei tertia ſimul orantes accipiunt Spiritum S. Actor. 3. v. 1. Petrus autem & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam. pag. 574.

Objiciunt adverſarij aliqua ſcripturæ loca, eaque ineptè torquent contra pſalmodias, horas canonicas, aliaſque publicas & prolixiores orationes in Eccleſia catholica uſitatas: nimirum Matth. 6. v. 6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.* & v. 7. *Orantes autem nolite multum loqui, ſicut ethnici.* Quaſi verò Chriſtus aliud verbo docuiſſet, aliud exemplo monſtraſſet, qui in horto exiſtens paſſioni vicinus legitur prolixius oraſſe, & alibi in oratione pernoctaſſe, præceptum quoque dedit diſcipulis: *ſemper orate, & ſine intermiſſione orate.* pag. 418.

Atque etiam adverſarij, ut excludant penitus omnem uſum orationum & ſupplicationum publicarum, peregrinationum & proceſſionum ad loca devota: allegant ſententiam Joan. 4. v. 21. *Venit hora, quando neq; in monte hoc, neq; in Ieroſolymis adorabitis patrem.* & ibid. v. 24. Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Nihil tamen ſimile inde probari declarant annotationes ſuper eiſdem locis. p. 337. & 525.

Qualis denique eſſe debeat pſalmodia, ut ſit Deo accepta declarat pſalmiſta. Pſalm. 46. v. 7. *Pſallite Deo noſtro, pſallite regi noſtro —— pſallite ſapienter* p. 132.

Iejunium.

Jejunium Eccleſiaſticum (quo à certo ciborum genere abſtinere, & unica per diem refectione cõtenti eſſe jubemur) eſſe opus religioſum, quo colitur Deus, vel quo ſervitur Deo; item eſſe ſatisfactorium, meritorium & impetratorium, nullus catholicorum dubitat: moderni temporis ſectarij verò jejunium, cæteraque externa pœnitentiæ opera execrantes, hoc negant: Veritas catholica probatur plurimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis & exemplis. Levit. 16. v. 31. *Et affligetis animas veſtras religione perpetua.* exemplo quoque religioſorum Rechabitarum Jerem. 35. v. 6. & Annæ prophetiſſæ, Luc. 2. v. 37. *Et hæc vidua uſque ad annos octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, jejuniis, & obſecrationibus, ſerviens nocte ac die.* p. 494. Ergo liquet jejunio ſervire Deo.

Eſt etiam ſatisfactorium pro peccatis, meritorium & impetratorium. 1. Reg. 7. v. 6. *Et convenerunt Maſpha, —— Et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt, peccavimus Domino.* pag. 119. 1. Eſdr. 8. v. 21. *Et prædicavi ibi jejunium juxta fluvium Ahava, ut affligeremur coram Domino, & peteremus ab eo viam rectam &c.* pag. 185. Judith. 4. v. 8. *Humiliaverunt animas ſuas in jejuniis &c.* & ſequitur: *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis.* pag. 197. Eſther. 4. v. 16. *Non comedatis & non bibatis tribus diebus & noctibus: & ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo.* pag. 202. Joel. 1. v. 13. *Accingite vos, & plangite ſacerdotes —— ſanctificate jejunium.* pag. 380. Jonæ 3. v. 10. *Et vidit Deus &c. Prædicaverunt jejunium (Ninivitæ) & veſtiti ſunt ſaccis à maiore uſque ad minorem.* pag. 384. Zach. 8. v. 19. *Hæc dicit Dominus exercituum: jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium ſeptimi, & jejunium*

decimi

decimi erit domui Iuda in gaudium & lætitiam. pag. 391. Matth. 17. v. 20. *Hoc autem genus non ejicitur, niſi per orationem & jejunium.* p. 440.

Exemplum quoq; habemus in Chriſto Domino, qui jejunium 40. dierum & 40. noctium ſponte aſſumpſit, ut nobis jejunandi exemplum præberet, & pro nobis ſatisfaceret: unde Chriſtiani Chriſtum caput ſuum pro ſe paſſum, per obſervantiam quadrageſimalis jejunij quotannis pro modulo ſuo imitantur. Matth. 4. v. 2. *Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus* p. 413.

Abſtinentiæ autem à certis ciborum generibus propter carnis afflictionem & mortificationem, ut ſpiritus liberius ſerviat Deo, illuſtre exemplum habemus in ſancto Joanne Baptiſta, cujus eſca erant locuſtæ, & mel ſylveſtre. Matth. 13. v. 4. & Marc. 1. v. 6. pag. 413.

Eccleſiam autem habere poteſtatem hujuſmodi abſtinentiam præcipiendi, patet exemplo Apoſtolorum. Act. 15. v. 29. *Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato* pag. 594. Vide V. *Abſtinentia.*

Objiciunt adverſarij contra jejunium ſententias. Iſa. 58. v. 5. *Nunquid tale eſt jejunium, quod elegi?* pag. 322. & Zachar. 7. v. 5. *cum jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo (menſe) per hos ſeptuaginta annos, nunquid jejunium jejunaſtis mihi?* & Jer. 14. v. 12. *Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum* pag. 390. Quæ tamen loca non eo ſenſu accipienda ſunt, ad quem ea detorquent hæretici noſtri ſæculi: uti neque locus Marc. 7. v. 15. *Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum coinquinare.* p. 476. Quæ ſententia non plus pugnat cum lege & conſuetudine Eccleſiæ de jejunio & delectu ciborum, quàm lege Moyſi de animalibus immundis, & lege Apoſtolica de abſtinendo à ſanguine & ſuffocato &c.

Imagines.

De ſacrarum Salvatoris noſtri, Beatiſſimæ Virginis Mariæ atque ſanctorum in cœlis regnantium, imaginum uſu & cultu, quid ſentiat catholica Eccleſia, patet ex ſexta ſynodo, quæ recitatur de conſecrat. diſt. 3. Venerabiles imagines Chriſtiani non Deos appellant, neque ſerviunt eis, ut Diis, neque ſpem ſalutis ponunt in eis, neque ab eis exſpectant judicium futurum; ſed ad memoriam, & recordationem primitivorum venerantur eas, & adorant; ſed non ſerviunt eis cultu divino, nec alicui creaturæ. Nihilominus hujus ſæculi hæretici illorum uſum & cultum abſolutè idololatriam eſſe contendunt.

Explicantur ſententiæ, quas adverſarij contra imaginum ſacrarum uſum & venerationem in Eccleſia uſurpatum opponunt. Exod. 20. v. 4. *Non facies tibi ſculptile, nec omnem ſimilitudinem.* id eſt, ut eis cultum impendas divinum; ad hoc enim ſignificandum additur: *non adorabis ea, neq; coles.* Unde manifeſtum eſt, nihil hoc ad imagines Chriſtianorum pertinere, quæ in ſeipſis non honorantur, neque adorantur, ſed ad Chriſtum & ſanctos, tanquam prototypa, omnis earum veneratio refertur. pag. 44. Lev. 26. v. 1. *Non facietis vobis idolum & ſculptile, nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis, ut adoretis eum.* Sicut ergo ſecluſa adoratione non prohibebatur ponere terminos agrorum, aut lapides & columnas in monumentum rei memorabilis, ac præſertim beneficij divini; ita ſimpliciter non prohibetur fieri ſculptile, ſed tantùm, ne adoretur. p. 65. Eadem ratio eſt prohibitionis factæ Deut. 4. v. 23. *Cave, ne quando obliviſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum; & facias tibi ſculptum imaginem eorum, quæ fieri Dominus prohibuit,* i. e. ne ullum ſculptile aut ſimulachrum earum rerum faciat, quas Dominus cœli prohibuit; ac proinde tantùm, ne fierent ad colendum. pag. 83.

Allegantur ſententiæ, quibus uſum imaginum & ſculptilium apud Hebræos non fuiſſe prohibitum citra adorationem, apparet, adeoq; minus apud Chriſtianos, tanquam propter abundantiorem Chriſti redemptoris gratiam ad idololatriam minus proclives, vetitum. Exod. 25. v. 18. præcipit Dominus: *Duos quoque Cherubim aureos facies.* id eſt, ſimilitudines juvenum alas habentium: Ergo ſimulachra Exod. 20. non ita fuerè prohibita lege, ut nulla ratione habere aut ſculpere liceret. p. 48. Similes imagines pro ornamento templi fecit Rex Salomon. 3. Reg. 7. v. 29. *Et inter coronulas & plectas, leones & boves, & Cherubim.* p. 146. & 2. Paral. 4. v. 3. *Boves autem erant fuſiles, & ipſum mare ſuper duodecim boves impoſitum erat* p. 173.

Eſij Annot. in Script.

Num. 21. v. 8. præcepit Dominus Moyſi: *Fac ſerpentem aneum, & pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, vivet.* Quæ ſerpentis imago fuit figura Chriſti Salvatoris in cruce exaltati. p. 74. Qui ſerpens æneus poſtea multo tempore relictus eſt in populo, in memoriam tam inſignis beneficij divini; uſque dum populus in deteriora prolapſus, eo abuti cœpit ad idololatriam; & idcircò juſtiſſimè ab Ezechia rege ſublatus & confractus. 4. Reg. 18. v. 4. *Confregitq; ſerpentem aneum, quem fecit Moyſes Siquidem uſque ad illud tempus filij Iſraël adolebant ei incenſum* p. 160.

Tradunt etiam Hebræi in majoribus illis quatuor vexillis, ſub quibus caſtra metabantur & militabant filij Iſrael, fuiſſe depictas imagines ſeu figuras ſingulas: in primo vexillo pictam fuiſſe imaginem hominis: in ſecundo leonis: in tertio bovis: in quarto aquilæ. Num. 2. v. 2. *Singuli per turmas ſigna atque vexilla.* pag. 66.

Nec ſolùm apud Judæos erat uſus imaginum & ſculptilium, verùm etiam eorumdem cultus & adoratio: Nam coram arca & Cherubim procidebatur & adorabatur Deus, eo prorſus modo, quo Chriſtiani in imaginibus, coram quibus procumbunt, honorant Chriſtum & ſanctos. Et ſicut filij Iſraël adorantes arcam non committebant idololatriam, ſed cultum Deo exhibebant, ita dicendum quoq; de veneratione imaginum ſacrarum. Nam multò expreſſiorem ſignificationem rei ſacræ habet imago picta vel ſculpta, quàm arca vel ciſtula. 1 Paral. 28. v. 2. *Cogitavi ut ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum ejus* p. 178. & Pſal. 98. v. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt.* p. 224. Eodem modo ſerpenti æneo fuit exhibitus honos ſuus, uſque ad tempora Ezechiæ regis, qui eum confregit, non quia honorabatur; ſed quia honore divino honorare eum incipiebat populus. 4. Reg. 18. v. 4. *Confregit ſerpentem aneum.* pag. 160.

Objiciunt ulterius adverſarij, quod Catholici colant imagines tanquam idola more gentium locum ex Pſal. 113. v. 4. Simulachra gentium argentum & aurum &c. Sed hoc non magis valet contra imagines Chriſtianorum, quàm contra imagines, quas vel Moyſes in tabernaculo, vel Salomon in templo, Deo jubente, collocavit, & fieri juſſit. p. 248.

Objiciunt ſecundò Iconomachi noſtri temporis, nominatim Joan. Oecolampadius, & Conr. Pellicanus locum Iſa. 44. v. 15. *Et facta eſt hominibus in focum — de reliquo autem operatus eſt Deum* & v. 17. *Reliquum autem Deum fecit, & ſculptile ſibi. Curvatur ante illud — & obſecrat dicens: libera me, quia Deus meus es tu.* Verùm Chriſtiani nullam imaginibus ipſis divinitatem ineſſe credunt, ſed tantum venerantur eas tanquam illorum imagines, per quas grata eorum recordatio & communio in memoriam revocatur: neque ſanctos per imagines ſignificatos colunt pro Diis, quod faciebant Ethnici, ſed tanquam amicos Dei honore dignos. p. 317.

Objiciunt tertio magno ſupercilio ſententiam Baruch 6. v. 3. *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum gentibus* quaſi hic manifeſtè damnetur veneratio imaginum in Eccleſia Catholica recepta. Verum perſpicuè refellitur illorum calumnia in annotatione ad iſtum locum. p. 350.

Tradit etiam antiquitas teſte Sozomeno, c. 5. v. 10. mulierem Hæmorrhoiſſam, à Chriſto ſanatam, in recognitionem tanti beneficij ei poſuiſſe Cæſareæ ſtatuam, miraculis nobilitatem, ad cujus fimbriam uſque herbæ ſuccreſcentes, ſingularem vim medicandi habebant. Matth. 9. v. 21. *Si tetigero &c.* p. 426.

Merito tamen ab Eccleſiis, imò & ab ædibus & cubiculis Chriſtianorum amovendæ ſunt imagines illæ, quæ laſciviam aliquam oculis ingerunt, item in quibus ſancti & ſanctæ pinguntur amatorio habitu, & in genere omnes eas, quæ plus curioſitatis, quàm pietatis oſtendunt. Ezech. 23. v. 14. & 15. *Cumque vidiſſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus, & accinctos balteis renes &c. inſanavit ſuper eos concupiſcentia oculorum ſuorum.* p. 359.

Immunitas Eccleſiaſtica.

Vide V. *Clericus.*

Infernus.

Pœnæ damnatorum in inferno non ſunt tantùm (ut vult Calvinus, Beza, & eorum plures ſequaces) nudus terror, & anxietas conſcientiæ cogitantis.

Deum ſibi eſſe iratum, & infeſtum: ſed combuſtiones ignis, carbonum, & flammarum, tantæque miſeriæ, quas ſuſtinere non poterunt, ferre tamen debebunt. Job. 20. v. 26. *Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur* p. 213. Pſal. 139. v. 11. *Cadent ſuper eos carbones in ignem dejicies eos, in miſeriis non ſubſiſtent.* pag. 254. Apoc. 14. v. 10. *Et cruciabitur igne, & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum, & ante conſpectum agni.* pag. 626. & c. 20. v. 9. *Et diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris* pag. 632. & c. 21. v. 8. *Timidis autem & incredulis —— & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* pag. 633.

Pœnas haſce æternum duraturas contra Origenem & ſectas quaſdam Anabaptiſtarum probant, præter pleraque loca jam citata, etiam ſequentia. Matth. 3. v. 12. *Cujus ventilabrum in manu ſua — paleas autem comburet igni inextinguibili.* p. 413. & c. 25. v. 41. *Diſcedite à me, maledicti in ignem æternum* p. 459. Dan. 12. v. 2. *Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt, alij in vitam æternam; & alij in opprobrium, ut videant ſemper* (vel ut alij legunt) *ut vileant ſemper* p. 375. Apoc. 14. v. 11. *Nec habent requiem die ac nocte* p. 626.

Non differtur damnatio ſeu pœnæ infernalis inflictio uſque ad diem extremi judicij, ſed ſtatim eodem die & hora, qua corpore diſſolvitur anima impij, puniri & torqueri incipiet. Luc. 12. v. 46. *Veniet Dominus ſervi illius, in die qua non ſperat &c. Et dividet eum, partemque ejus &c* p. 508.

Licet pœna eſſentialis in damnatis non creſcat, ſed eadem permaneat; pœna tamen accidentaria augetur ex eorum ſocietate, quorum damnationis ipſi ſuo exemplo, conſilio, negligentia aut quocunque alio modo cauſa fuerunt: ea intentione dives epulo rogavit, ne fratres ejus in eundem tormentorum locum venirent. Luc. 16. v. 28. *Habeo enim quinque fratres —— ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* pag. 513. Quantùm verò ad malam damnatorum voluntatem, qua omnes alios oderunt, hac ratione cuperent omnes omnino homines ſuorum tormentorum ſocios & participes eſſe: exemplo Pharaonis. Ezech. 32. v. 31. *Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt ſuper univerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio.* pag. 363.

Refutatur impius error gentilium Epicuræorum & atheorum quoque modernorum, non credentium poſt mortem ſupereſſe hujuſmodi pœnas æternas, ſed hæc tantùm eſſe inventa & excogitata ad continendum homines in officio, allegantes ſententiam Sap. 2. v. 1. *Dixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè: Non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis.* p. 277.

Quamvis infernus propriiſſimè, & uſitatiſſimè apud Chriſtianos vocetur locus damnatorum, de quo canit Eccleſia: *In inferno nulla eſt redemptio:* attamen interdum etiam in ſacris litteris ſignificat lymbum patrum, aut purgatorium, quod etiam in officio Eccleſiaſtico infernus vocatur. Gen. 37. v. 35. *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum* p. 27. Job. 17. v. 13. *Si ſuſtinuero infernus domus mea eſt.* p. 215.

Irregularitas.

Sicuti Rex David propter multa bella, quæ geſſit, & multum ſanguinem in eis fuſum prohibitus eſt, templum per ſe ædificare; ita & nunc in Eccleſia irregulares & inidonei ad ſacras functiones habentur, qui ſanguinem, etiam tantùm, ut judices ſanguinis, fuderunt. 1. Paral. 22. v. 8. *Non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuſo ſanguine.* p. 170.

Judæi.

Judæos in fine ſæculi convertendos eſſe ad Chriſtum, docent ſcripturæ. Pſalm. 58. v. 7. *Convertentur ad veſperam* pag. 135. & Pſal. 68. v. 24. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant.* p. 237. v. 4. *Dies multos ſedebunt filij Iſrael, ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio —— & poſt hæc revertentur in noviſſimo dierum.* Neque hic locus intelligi poteſt de tempore captivitatis Babylonicæ, deque reditu populi poſt eam, quia durante eo tempore populus permanſit in vero Dei cultu, nec omnino fuit per id tempus ſine ſacrificio & ſine altari, cum quotidie Jeroſolymis ſacrificia in altari offerebantur. p. 376.

Judæi mendaciter locuti ſunt: Joan. 8. *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam* Nam non ſolùm ſervierunt in Ægypto, & in Babylone, ſed deinceps continuo externis regibus parere debuerút: quod ipſimet fateri coguntur. 2. Eſdr. 9. v. 36. *Ecce nos ipſi hodie ſervi ſumus, & fruges terræ multiplicantibus regibus &c* p. 188.

Judæi fruſtra aliud regnum terrenum Meſſiæ mille annorum exſpectant. Ezech. 38. v. 2. p. 365.

Jurare, ſive Juramentum.

Jurare per Deum Chriſtianis non eſt vetitum (quod volunt Anabaptiſtæ) ſed licitum, attamen non ſine evidenti utilitate, vel neceſſitate, ſervatis etiam conditionibus requiſitis id fieri debet: Neque tamen ullum de jurando extat abſolutum præceptum, ſicuti extat de diligendo Deo, de honorandis parentibus, ſed ſi occurrat neceſſitas jurandi, præcipitur, ut per nomen veri Dei juretur, non per Deos falſos: nec juretur falſum, nec quid injuſtum, nec temerè & ſine urgente neceſſitate. Deut. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis —— & per nomen ejus jurabis.* p. 83. Jer. 4. v. 2. *Et jurabis: vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia* pag. 327. Pſal. 62. v. 12. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo.* p. 235.

Extra haſce conditiones, & formam Chriſtiano jurare non licet. Sophon. 1. v. 5. *Et eos qui adorant ſuper tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Domino, & jurant in Melchom.* p. 388. Zachar. 5. v. 2. & 4. *Ego video volumē &c. Quia — omnis jurans ſimiliter ex hoc judicabitur* p. 390. Matth. 5. v. 34. *Ego autem dico vobis, non jurare omnino.* pag. 417.

Chriſtus quando dixit, *Amen dico vobis*, ſive unicum ſive geminatum, non cenſetur juraſſe. Matth. 5. v. 18. *Amen quippe dico vobis* p. 416.

Juramentum etiam per falſos Deos factum, ſervandum eſt. Sap. 14. v. 31. *Non enim juratorum virtus &c* p. 283.

Juramenta infidelibus & hæreticis facta pariter ſervanda eſſe. Vide V. *Hæreticus.*

Juſtificatio.

Juſtificatio impij non conſiſtit formaliter, in extrinſeco favore Dei, ſeu non imputatione peccatorum; quæ revera in nobis permaneant non deleta, non remiſſa, ſed tantùm tecta pallio juſtitiæ Chriſti: non enim poſſibile eſt, Deum aliter judicare, vel æſtimare, quàm res in ſeipſa verè, & à parte rei eſt. Prov. 17. v. 15. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.* p. 263.

Neque etiam in ſola remiſſione peccatorum. Pſal. 118. v. 1. *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* p. 249. Nec obſtat ſententia Iſa. 64. v. 6. *Et facti ſumus, ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſo juſtitia noſtra.* quæ frequens eſt in ore hæreticorum, qui docent in ſola remiſſione peccatorum juſtitiam hominis conſiſtere, nequaquam autem in operatione virtutum. p. 325.

Neque ſola fides juſtificat impium, ut probatum eſt. V. *Fides* Sed formaliter juſtificamur per infuſam animæ gratiam habitualem, quæ eſt veſtis nuptialis & ſtola prima. Apoc. 7. v. 9. *Amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum* p. 620. & c. 19. v. 8. De ſponſa agni dicitur: *Et datum eſt illi, ut cooperiat ſe byſſo ſplendente & candido. Byſſinum enim juſtificationes ſunt ſanctorum.* pag. 629. Nec quicquam contra hanc catholicam veritatem facit ſententia. Job. 9. v. 2. *Verè ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo comparatus Deo*, quam Lutherus, & quotquot eum ſequuntur, adducunt, ut doceant nullum hominem verè interna animi qualitate eſſe juſtum coram Deo p. 210.

Ad juſtificationem fides in adultis eſt neceſſaria, aſt ſola non ſufficit: in infantibus tamen, qui per baptiſmum abluuntur, Deus ad fidem portantium ſeu Eccleſiæ ita reſpicit, quod propriam in eis fidem non requirat. Matth. 9. v. 2. *Et videns Ieſus fidem illorum.* pag. 424.

Tota juſtificationis ordinata ſeries & catholica doctrina prout à ſacro concilio definita eſt, deſcribitur Ezech. 36. v. 22. *Non propter vos ego faciam domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum meum* p. 364.

Juſtitia.

Juſtitia qua juſti coram Deo conſtituimur, non debet eſſe tantùm imputativa ab extrinſeco, ſed animæ formaliter inhærens; Nam imputativè juſtus, non magis eſſe poteſt verè juſtus, quàm imputativè doctus, verè doctus. Luc. 1. v. 6. *Erant autem juſti ambo ante Deum incedentes in omnib. mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela* p. 486. Joan. 17. v. 19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum: ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* pag. 558. Per opera bona augeri debet. Joan. 15. v. 2. *Omnem palmitem —— ut fructum plus afferat.* pag. 554. Apoc. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc* p. 634.

Homo ad eam juſtitiæ perfectionem in hac vita pertingere nequit, quin ſemper poſſit & debeat magis

in ea proficere. Iuxta illud Eccl.18. *Ne verearis uſque ad mortem juſtificari.* Eccl.18.v.5. *Deus ſolus juſtificabitur &c* p.292.

Juſtitia ſemel habita amitti poteſt, neq; de perſeverantia in ea quiſquam certus eſſe poteſt, utrumque negant ſectarij noſtri temporis. Sap.4.v.11. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* p.278.

Juſtus.

Nemo in præſenti vita tantam perfectionis virtutem acquirere poteſt, ut reddatur omnino impotens ad peccandum, neque amplius in juſtitia & gratia Dei proficere poſſit, aut opus habeat; adeoque de ſua ſalute omnino ſecurus ſit, quæ, olim fuit hæreſis Begardorum: ac proinde neque quiſquam quantumcunque juſtus & ſanctus, certus eſſe poteſt ſe eſſe in ſtatu gratiæ, in eoque ſe finaliter perſeveraturum, multò minus idipſum certitudine fidei credere debet; Eccl.9.v.1. *Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei. Et tamen neſcit homo utrum amore, an odio dignus ſit.* p.272. Jer.17.v.9. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile &c.* p.332. Michææ 6.v.8. *Indicabo tibi ô homo* p 385. Ezech.26.v.16. *Attoniti ſuper repentino caſu tuo admirabuntur.* p.360. Sophon.2.v.3. *Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui judicium ejus eſtis operati: quærite juſtum, quærite manſuetum.* pag.388.

Quantumvis de abſoluta certitudine ſtatus gratiæ in eoque perſeverantia nemo ſibi aliquid polliceri poſſit infallibiliter, nihilominus in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere quiſque debet; nec ulla ratione ſe omni virtute & juſtitia vacuum eſſe putare debet. Job.23.v.17. *Non enim perij propter imminentes tenebras.* pag.214. Iſa.33. v.14. pag.314.

Omnis homo etiam juſtus, ſe cum veritate peccatorem fateri poteſt & debet, tum ob peccata venialia, tum ob malum habitans in carne noſtra ſollicitans ſemper ad peccatum. Matth.7.v.11. *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris.* pag.442.

Non ſolùm poteſt homo juſtus per Dei gratiam illud malum inhabitans, & tentationes inde exurgentes ſuperare, ſed etiam cum bona fiducia in auxilium ſupernum poteſt deſiderare ſe tentari. Pſal.25.v.2. *Proba me Domine & tenta me, ure renes meos & cor meum.* pag 227.

Non poteſt homo in hac vita omnia peccata, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio. Prov.20.v.9. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum?* pag.264.

Non quicquid ſancti & juſti in hac vita adverſi patiuntur, id propter propria peccata patiuntur. In quo errore erant amici Job; Job.17.v.2. *Non peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* p.213.

Lex.

Differentia inter Legem Moſaicam, & Evangelicam eſt, quod illa tantum manifeſtabat, quid faciendum eſſet, ſed vires non ſuppeditabat: hæc autem gratiam & vires adminiſtrat, ad perficiendum, quod lege præſcriptum eſt. Jer.33.v.8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua &c.* & v.31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam —— propitiabor iniquitati eorum* p.339. & c.43.v.4. *Mendacium tu loqueris* p.342. Matth.11.v.30. *Jugum meum ſuave eſt.* pag.431.

Liberum arbitrium.

Liberum arbitrium adimunt homini Lutherus, Calvinus aliique moderni hæretici: illud vero dari manifeſtiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis aſtruitur: 1.Paral. 21.v.10. *Trium tibi optionem do, quod volueris elige.* Ubi autem eſt optio & electio, dubium non eſt, quin ſit libertas arbitrii. pag.169. Eccl.31.v.10. *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus.* p.297. Iſai.1.v.19. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; ſi autem nolueritis &c.* p.304. Ezech.2.v.5. *Si forte vel ipſi audiant, & ſi forte quieſcant* p.341.

Etiam poſt lapſum hæc libertas arbitrij in homine permanſit: liberum nimirum dominium & poteſtas reſpectu ſuarum actionum, liberaq; ad bonum faciendum voluntas: quod pariter negant Novatores. Probatur verò: Gen.4.v.7. clarè dicitur ad Cain: *Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius* ſcil. peccati, nam de eo ſolùm præceſſit immediate mentio: hinc Apoſtolus 1. Corinth.7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* pag.7. Eccleſ. 15.v.14. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Locum iſtum non tantum ad hominem integrum, ut cavillantur hæretici, ſed ad hominem etiam peccato vitiatum pertinere, patet partim ex contextu, partim ex loco Deut.30. Ubi agitur de homine peccato corrupto, ad quem manifeſtum eſt Eccleſiaſticum reſpexiſſe; ubi v.15. ſic legitur: *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum: & è contrario mortem & malum.* & infra.v. *Elige ergo vitam* p.291. Exod.cap.15. Eccl.v.18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* ibid. Matth.12.v.33. *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum* p 432.

Objiciunt adverſarij cap.10. Jer.v.23. *Non eſt hominis via ejus: nec viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos,* p.329. & c.18.v.6. *Ecce ſicut lutum in manu figuli ſic vos in manu mea domus Iſraël.* p.332. Cui objectioni ſatisfit in annotationib.

Liberum arbitrium non eſt potentia merè paſſiva ad recipiendam gratiam & auxilia Dei, ſed activa libera, ſeipſum movens ad bonum; excitari tamen & præveniri debet à Dei gratia, cui libere cooperatur. Pſal.118.v.112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas.* p.251. Zach.1.v.3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* p.389. Malach.3.v.7. *Revertimini ad me, & revertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* p.394. Ergo ita tradit Concil. Trid. ſeſſ.6. cum dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos:* Libertatis noſtræ admonemur: cum vero reſpondemus: *Converte nos Domine ad te, & convertemur.* Dei nos gratia præveniri confitemur. p.393. Quamvis bonum opus non ita dependeat ex gratia operantis Dei, quin etiam neceſſaria ſit coöperatio liberi arbitrii ex parte hominis; ea ipſa tamen cooperatio etiam gratiæ aſſcribenda eſt. Deut.5.v.29. *Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me.* p.83.

Objicit Calvinus ſententiam Iſa.45.v.9. *Nunquid dicit lutum figulo ſuo &c.* Ex quo argumentatur, ergo ſicut lutum tantum patitur, & non agit, neque movere ſeipſum poteſt, neq; reſiſtere, dum figulus ex ipſo facit opus aliquod; ita & homo ſe habet in his, quæ Deus in ipſo operatur. Ad quod reſpondetur in annotatione. p.318.

Libri Canonici S.S.

Prima Libri ſeu ſcriptionis mentio facta eſt Exodi 17. v.14. Domino Moyſi mandante: *Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade auribus Joſue:* tametſi etiam Enoch prophetiam poſt ſe ſcriptam reliquiſſe, Judas in ſua canonica teſtetur. p.43.

Tabulas legis lapideas continentes decem præcepta Decalogi non ſcripſit Moyſes, ſed Deus ipſe, utraſq; tam poſteriores quàm priores digito ſuo, id eſt, per potentiam Spiritus ſancti Exod.24.v.4. & 12. *Daboque tibi tabulas lapideas, & legem & mandata, quæ ſcripſi.* de poſterioribus Exodi 34.v.1. *Præcide tibi duas tabulas inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti* p.52.

Libros legis ſcripſit Moyſes. Exod.24.v.4. *Scripſit autem Moyſes univerſos ſermones Domini* ibid.

Deuteronomium poſt Moyſen iterato ſuper lapides ſcripſit Joſue. Joſue cap.8.v.32. p.96.

Librum primum & ſecundum Regum continentes geſta David ſcribere incepit Samuel, Nathan verò & Gad prophetæ compleverunt. 1.Paralipom. v.29. *Geſta autem David Regis priora & noviſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis; & in libro Nathan, atque volumine Gad* p.172.

Scripſit quoque Samuel librum de lege regni, qui injuria temporum, & vaſtatione hoſtili una cum multis aliis interiit. 1.Reg.10.v.25. *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino.* p.121.

Liber Tobiæ à quo ſit conſcriptus, non conſtat: cum enim utriuſq; Tobiæ ſenioris & junioris in eo mors deſcribatur, manifeſtum eſt eum, ſaltem ex toto ab iiſdem non eſſe conſcriptum In hoc libro noſtra inter Latina, & Græca exemplaria, non parva in pleriſque locis eſt differentia; at noſtra Latina editio præferenda, utpote à S. Hieronym. ex fonte Chaldæo expreſſa. In præfatiuncula.

Liber Eſther habendus totus pro Scriptura canonica, quamvis appendix ejus ſeu additamenta à cap.10. in canone hebræo non habeantur; uti etiam non habentur hiſtoria Suſannæ & Belis, canticum puerorum

rum, & Epiſtola Hieremiæ, quæ tamen ab omnibus catholicis pro ſcriptura ſacta recipiuntur. Eſth.10. v.4. *Dixitq; Mardochæus &c.* pag. 204. & c.14. v.13. *Tribue ſermonem* p.205. Eccleſia quamvis in omnibus libris V.T. utatur verſione S. Hieronymi ex Hebræo, uttamen Pſalmis utitur ſecundū verſionem deſumptam immediatè ex ſeptuaginta interpretibus, & quare. Pſal.1.v.5. *Ideo non reſurgent &c.* p.221.

Libri Sapientiæ, uti & Eccleſiaſtici, author non eſt Salomon. Sap.7.v.1. *Sum quidem* &c.p.279.

Libri Eccleſiaſtici author eſt Jeſus, filius Sirach, & fuit unus ex ſeptuaginta interpretibus 1.Macb.14. v.4. *Et ſilust omnis terra &c.* p.401. & in præfatiuncula libri Eccl.p.264.

Libro ſecundo Machabæorum hæretici noſtri temporis conantur fidem abrogare, ne cogantur admittere orationes pro defunctis, in eo apertè ſtabilitas. cap.1. v.13. *Nam cum in Perſide &c* p.402. Carpunt etiam cap.10. ejuſdem libri quaſi contradictoria continens; & ſimiliter verba illa cap.15. v.39. *Et ſi quidem bene, & ut hiſtoriæ competit, hoc & ipſe velim; ſi autem minus digne, concedendum eſt mihi.* Rapiunt ad infringendam horum librorum authoritatem; quaſi author ipſe de veritate ſuæ hiſtoriæ dubitaret. p.406.

Librorum ſacrorum hebraicorum prima verſio in Græcum facta eſt rogatu Ptolomæi Philadelphi à ſeptuaginta interpretibus Judæis. 1. Mach.14. v.4. *Et ſiluit omnis terra.* p.400.

Libri Apocalypſeos authorem fuiſſe S. Joannem Apoſtolum remonſtratur in annotatione ejuſdem libri cap.1. v 9. *Fui in inſula* &c.p.615.

Malum.

Mala omnia, quæ Scholaſtici vocant mala pœnæ quibus in hac vita homines etiam juſti affliguntur, à Dei providentia & ordinatione proveniunt, in eumque referenda Amos 3.v.6. *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit* p.381. Attamen hujuſmodi mala, uti famem, bellum, peſtem à nobis propulſare & avertere tum per orationes & opera pœnitentiæ Deum placando, tum aliis remediis ordinatis, & licet, eſto propheticè etiam à Deo prædicta & interminata eſſent i more Ninivitarum. Jer. 26. v.13. *Nunc ergo bonas facite vias veſtras, & pænitebit Dominum mali, quod locutus eſt adverſum vos* p.336.

Contra quod Lutherus novum paradoxum, & ſeditioſum oppoſuit dogma; non licere Chriſtianis principibus reſiſtere, Turcis bellum inferentibus, quod non aliud eſſe fingit, quàm reſiſtere divinæ voluntati & viſitationi: allegat verba 2.Paral.11. v.4. *Hæc dicit Dominus: non aſcendetis, neque pugnabitis contra fratres veſtros, — quia mea hoc geſtum eſt voluntate* p.175. Jer.21.v.4. *Ecce ego convertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt & quibus vos pugnatis adverſum regem Babylonis.* Et v.5. *Et debellabo ego vos in manu extenta.* Quorum verborum ſaniorem ſenſum vide in annotationibus. p.334.

Mandatum.

Deum præſcripſiſſe hominibus mandata obſervatu impoſſibilia, nec hominem quantumcunque etiam juſtum ea in hac vita obſervare aut implere poſſe docuit Lutherus: Econtra docet Eccleſia catholica: Mandata Dei gravia non eſſe homini juſto & gratia Dei munito, neq; Deum præcipere impoſſibilia. Matth.11.v.30. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* p.431. & cap. ult. v.20. *Docete eos ſervare omnia.* p.470. Luc.17.v.10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis.* Ergo omnia præcepta ſervari poſſunt, alioqui dicere debuiſſe: cum videritis præcepta ſervari non poſſe, dicite, ſervi inutiles ſumus. pag.470. Apoc.3.v.2. *Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo*; ſunt ergo quidam, quorum opera non tantùm coram hominibus, ſed & judicio Dei, non modo bona, ſed & plena ſunt. p.615.

Nec eſt ullum præceptum, quod non ab aliquo juſto & ſancto, vel aliquibus juſtis & ſanctis per gratiam Dei impleatur, aut impletum fuerit Matth.5.v.18. *Amen quippe dico vobis — Donec omnia fiant* pag.416. Vide Dilectio Dei.

Maria.

Mariam jam ante conceptionem filij Dei, voto emiſſo conſecraſſe virginitatem ſuam Deo colligunt ſancti Patres vel neceſſariò, vel certè admodum probabiliter ex Luc.1.v.34. *Dixit autem Maria ad Angelum, quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* pag.488.

Mariæ perpetua virginitas vindicatur contra Helvidium antiquum hæreticum, aliosque abutentes ſententiis. Matth.1.v.18. *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Ioſeph, antequam convenirent inventa eſt in utero habens* Et v.24. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* p.408. & 409.

Eandem Virginis Deiparæ virginitatem poſt partum adverſus eundem Helvidium remonſtrat ex commendatione Chriſti in cruce matri & diſcipulo facta. Joan.19. v.27. *Ecce mater tua.* p.561.

Vindicatur Virginitas Mariæ in partu, contra hæreticos ex verbis Luc.2.v.23. *Quia omne maſculinum adaperiens vulvam*, eam temerè oppugnantes. p.492.

Maria in fide myſteriorum Dei magis & magis profecit: ſicut enim in ea charitas ab initio non tanta fuit, quin augeri poſſet, atque etiam ſubinde aucta fuerit; ita & ſpes & fides. Luc.1.v.36. *Et ecce Eliſabeth.* p.489. & Luc.2. v.50. *Et ipſi non intellexerunt.* p.494.

Maria mater Chriſti dignior eſt, quam tota Eccleſia, quia ſanctitatis excellentioris. Joan.21.v.15. *Diligis me plus his* p.567.

Matrimonium.

Matrimonium, ſeu contractum civilem viri cum fœmina ad propagandam & educandam prolem, primitus inſtitutum, evectum eſſe à Chriſto in Sacramentum novæ legis, negant hæretici; profitentur Catholici cum Apoſtolo Eph.5. *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & Eccleſia* Eſt enim ſignum rei ſacræ unitivum conjunctionis Chriſti cum Eccleſia per gratiam, tanquam ſponſi cum ſponſa: Gen.2. v.21. *Cumque obdormiſſet (Adam) tulit unam de coſtis ejus &c.* ubi omnes orthodoxi patres docent, quod Adam correptus ſopore ſignificat Chriſtum in cruce obdormientem: Evā verò Eccleſiam ex latere Chriſti manantem. p.5.

Eſt inſtitutum à Chriſto Domino. Matth.19.v.6. *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* p.443. Joan.2.v.2. *Vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli ejus ad nuptias.* pag.531.

Matrimonium fidelium eſt indiſſolubile quo ad vinculum: neq; ante Evangelium Judæis fuit à Deo permiſſum divortium: unde benè D.Auguſtin. tract.9 in Joan. ad illud: *nuptiæ factæ.* dicit, divortium à diabolo eſſe Matth.19 v.3. *Si licet homini dimittere uxorem ſuam?* & v.6. *quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet* p.443. & Matth.5.v.32. *Omnis qui dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari.* p.417. Marc.10. v.5. *Ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* p.478. Poteſt tamen ſeparari quoad cohabitationem. Exod.21.v.4. *Sin autem Dominus ejus dederit illi uxorem.* pag.46.

Matrimonium tempore V.T. dum nondum eſſet propriè dictum Sacramentum, non eam gratiam ad prolem piè educandam largiebatur, quam confert tempore N. T. iis qui cum debita præparatione matrimonium ineunt. 3.Reg.1.v.5. *Adonias autem.* p.143.

Præcepta de matrimonio non contrahendo inter conſanguineos comprehenſa Levit.c.18 à v.6. uſq; ad finem, non ceremonialia ſunt, ſed moralia, etiam nos Chriſtianos obligantia: unde tamen non eſt conſequens, quod volunt hæretici, non poſſe Eccleſiam in ullo eorum diſpenſare. Lev.18.v.6. *Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet.* p.61.

An diſpenſari poſſit æque in matrimonio amitæ cum nepote, ſicut diſpenſatur in matrimonio patrui cum nepote. Exod. 2. v. 1. *Et accepit uxorem ſtirpis ſuæ.* pag.34.

Nuptiæ inter patruos & fratrum filias, ante legem non erant prohibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & ſorores initæ ſunt: Gen.20. v.12. *Verè ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ.* pag.18.

Verba Gen. 1. v. 22. *Creſcite & multiplicamini*, dicta ſeorſim hominibus, & ſeorſim beſtiis: & c.8. eadem verba dicta conjunctim utriſq; hominibus & beſtiis, non ſunt præceptum, ſed tantum benedictio (quidquid hæretici nonnulli auſi ſunt dicere) p.3.

Matrimonia non ſunt contrahenda cum infidelibus: 1.Eſdr.9.v.2. *Manus etiam principum, & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima* p.185. Contracta diſſolvi poſſunt, ibid.c.10 v.11. *Et nunc date confeſſionem Deo patrum veſtrorum, & facite placitum ejus; & ſeparamini — ab uxoribus alienigenis.* ibid. Sicuti olim apud Judæos lex de vitando conjugio alienigenarum exceptionem habebat, quoties alienigena tranſiret ad religionem Judaicam; vel ſi ex tali conjugio non metueretur, ne fidelis alienaretur à cultu veri

Dei,

Dei, & ſimul magnum Reip. bonum inde poſſet exſpectari: ita modo ſe res habet cum conjugus cum hæreticis contrahendis. Eſth.c.14.v.15. *& noſti quia oderim gloriam &c* p.205.

Quid alias de matrimoniis cum hæreticis contractis, vide in annotat. ſuper v.12.c.23. Joſue. *quod ſi volueritis cum eis miſcera connubia, atque amicitias copulare, jam nunc ſcitote, quod erunt vobis in foveam.* p.101. & 3.Reg.11. v.1. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas.* p.148.

Meritum.

Merita noſtra fundantur in acceptatione divina, extra quam Deus nulli creaturę quidquam ex juſtitia debet, per illum verò Deus ſponte ſua ſe reddit noſtrum debitorem: Gen.19.v.22. *Non potero facere quidquam, donec ingrediaris illuc.* p.17.

Nomen meriti de condigno, benè à Theologis attribuitur operibus juſtorum in charitate factis, quantumvis Calvinus malitioſè calumnietur, id eſſe contra Chriſti & Apoſtolorum doctrinam; Cum enim Chriſtus ipſe, regnum cœlorum, ſeu vitam æternam, vocet mercedem: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis* ſequitur opera noſtra eſſe meritoria de condigno; nam merces & meritum ſunt correlativa, ſicut pater & filius. Quamvis etiam meriti nomen expreſſe inveniatur bonis operibus attributum. ad Hebr.3. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* & Eccl.16. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique, ſecundum meritum operum ſuorum.* Matth.5.v.3. *Beati pauperes &c.* p.415.

Unus homo alteri mereri poteſt, non quidem remiſſionem peccatorum, & gratiam juſtificantem, aut alia, quæ ſupponunt liberam alterius cooperationem; ſed gratias prævenientes, quibus ad juſtificationem vel acquirendam, vel augendam diſponatur. Matth.9. v.2. *Et videns Ieſus fidem illorum* (portantium) *dixit paralitico: confide fili; remittuntur tibi peccata tua.* p.424. Eccl.44.v.17. *Noe inventus eſt perfectus juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio* p.300.

Ea ratione merita ſpiritualia pauperum Chriſti communicantur iis, qui illis temporalia & eleëmoſynas dederint. Luc.16.v.9. *Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* p.510. Quamvis juſtus quovis actu ſupernaturali, ſeu elicito, ſeu imperato, non ſolùm gloriam cœleſtem olim obventuram; ſed etiam in hac vita(& quidem ſtatim quo operatur momento) augmentum gratiæ juſtificantis, una cum pari augmento charitatis, & virtutis infuſæ, cujus fuit actus, mereatur, nullo tamen pretio aut merito mereri poteſt primam charitatem ſeu gratiam. Apoc.3.v.18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, ut locuples fias* pag.615. Vide plura infra V. *Opera bona.*

Michael Archangelus.

Michaelem Archangelum fuiſſe principem Judaici populi, ſive ſynagogæ; quem eundem poſt ſynagogæ repudium factum ſimiliter præfectum Eccleſiæ Chriſti, multis modis probabile eſt, tum ex Apocal. Joannis, tum ex recepta in Eccleſia ſententia, ſicut legitur in officio divino: *Archangele Michael, conſtitui te principem ſuper omnes animas ſuſcipiendas*, & alia ſimilia Dan.10.v.13. *Princeps autem regni Perſarum.* p.375.

Miſſam celebraturus ſacerdos, illam rectè à propria peccatorum confeſſione inchoat. Lev.9.v.7. *Dixitque ad Aaron: accede ad altare, & immola pro peccato tuo, & pro te, & pro populo.* p.57.

Ad celebrandam miſſam juxta laudatum Eccleſiæ canonem, nullus ſacerdos admittendus, niſi legitimam ſuæ ordinationis fidem faciat. 2.Eſdr.7.v.64. *Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu, & non invenerunt. Et ejecti ſunt de ſacerdotio.* p.187.

Miſſa à quocunque ſacerdote ſive bono ſive malo oblata, eſt Deo ſemper quo ad rem oblatam gratiſſima. Prov.15.v.8. *victima impiorum abominabiles* p.262. Amos.5.v.21. *odi & projeci &c.* p.382.

De monachis & aliis Religioſis

Inſtitutum religioſi ſtatus, quod nunc viget in Eccleſia (etſi negent hæretici) quo ad omnia aſſentialia, prorſus idem eſt cum eo, quod primis Eccleſiæ initijs floruit uſque ad tempora S. Baſilij & Auguſtini: Nam & eundem ſinem primarium ſpectat, ſcilicet perfectionem vitæ Chriſtianæ, & medijs ad id prorſus iiſdem utitur, puta tribus conſiliis evangelicis in Evangelio à Chriſto propoſitis, ultroneæ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, ad ea perpetuo obſervanda ſuos alumnos aſtringens. Actor.2. v.44. & 45. *Erant pariter & habebant omnia communia: Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* In qua congregatione, ſicut non erant qui habebant propria, ſic neque qui habebant uxores, nihil enim de uxoribus legitur, & in hujuſmodi congregationibus non convenit, ut ſint uxores & parvuli. p.575.

Origo igitur monaſticæ vitæ, & perfectionis, vel potius progreſſus, & incrementum (nam origo erat in familia Chriſti, in qua omnes dicebant: *Ecce nos reliquimus omnia*) cœpit ſub initium prædicationis Evangelij per Apoſtolos. Actor.4.v.32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia* p.578.

Dici autem non poteſt omnes quotquot prædicatione Apoſtolorum convertebantur ad Chriſtum ſimpliciter omnia reliquiſſe, uti argumentis, & exemplis pluribus author remonſtrat, hoc enim non jubebantur facere primi Chriſtiani, ſed liberum illis erat: unde Petrus ad Ananiam: *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* Solùm ergo ad hanc ſocietatem admittebantur qui voto ſe ad vitam communem abſolvendam obligabant, quando ſua afferebant ad pedes Apoſtolorum. Unde Ananiæ non totum afferenti, & tamen voventi vitam communem, & rerum ſuarum dimiſſionem, dicitur: *mentitus es Spiritui ſancto.* Iſti ergo omnes fuerunt verè religioſi, qui in manibus Petri tanquam prælati vovebant vitam communem, & proinde etiam obedientiam, ſine qua vita communis non poteſt ſubſiſtere. Item continentiam, ſine qua vita illa eſſet plena turbarum, rixarum, & querelarum propter filios nutriendos eiſque providendum p.578.

Unde etiam veriſimile eſt non alias mulieres, quàm viduas & virgines, aut alioqui continentes in eam ſocietatem fuiſſe admiſſas, nam Actor 6. ortum eſt murmur græcorum adverſus hebræos, quod viduæ illorum minus curarentur in quotidiano miniſterio, quod fiebat ex marſupio communi: nihil autem tale legitur de parentibus erga filios, queſti fuerint ſibi non ſatis ſuppeditari ad nutriendum filios, præſertim infantes, & pueros, pro quorum alimonia matres maxime ſolent eſſe ſollicitæ. ibid. p.581.

Domos religioſas communes, in quibus viverent in unum, qui vitam communem profeſſi erant, inſtituerunt Apoſtoli ex hæreditatibus pedibus illorum allatis quaſdam domos capaciores in illum uſum retinentes, quibus poſtea ſucceſſerunt monaſteria & cœnobia monachorum & religioſorum. Act.21.v.8. *Et intrantes domum Philippi.* p.604. Act.4.v.34. *Neque erat quiſquam egens inter illos.* p.579.

Hujus vitæ communis verè ſecundùm D. Auguſt. Apoſtolicæ nullum apud hæreticos extat veſtigium, quantumvis jactent ſe Eccleſias ſuas inſtituere ad formam primitivæ Eccleſiæ: imò cœnobia, quæ à communi vita nomen habent, oderunt peſſime, & ubi poſſunt, penitus evertunt aut in uſus profanos convertunt. Act.2.v.45. *Poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant* p.576.

Hujus monaſtices typus præceſſit in vetere lege longe ante Evangelium. In Nazaræis, dictis ab hebræa voce (*naſir*) quæ *ſeparatum* ſignificat, quorum quidam erant obſtricti voto perpetuo, & à reliqua multitudine ſeparabantur, quales fuerunt Samuel & Samſon, qui per totum tempus vitæ ſuæ manſerunt conſecrati Domino. Num.6.v.18. Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi. p.68. Item in Rechabitis, qui ſub patre ſuo Jonadab in perpetuo obedientiæ voto vitam communem tranſigebant. Jerem.35. verſ.6. *Non bibemus vinum, quia Ionadab filius Rechab Pater noſter præcepit nobis* p.607. Item in Samuele propheta, quem author putat, uxore mortua, congregaſſe filios prophetarum, eiſque præfuiſſe: Deinde in Elia & Eliſæo, qui cœlibes vixerunt, eorumque ſucceſſoribus, filijs, id eſt, diſcipulis prophetarum, religioni & divinis laudibus, ſacrarumque litterarum ſtudijs mancipatis, in unum congregatis, atque etiam caſtitatem colentibus, ad tempora Chriſti & Apoſtolorum continua ſerie continuatis. Act.2.v.44. *Erant pariter & habebant omnia communia.* p.575. & 1.Reg 10. v.5. *obviam habebis gregem prophetarum.* p.120. & 1.paral.25.v.5. *Qui prophetarent in citharis, & pſalterijs, & cymbalis.* p.171.

Monaſtica vita alia eſt cœnobitica religioſorum in communi viventium: alia anachoretica, ſeu eremitica in ſolitudine ſeparatim latentium, ad quam tamen

non

non admittendus, niſi qui prius cœnobiticam probaverit, & vitam communem plurium; ſub obedientia prælati, promiſerit; eſtque cœnobitica melior, cum ob varias quotidianas neceſſitates eorum opera egeat Eccleſia; quin nec talibus è monaſteriis ſuis egredi ad placitum non licet. Eccleſiaſtæ. 4. verſ. 9. *Melius eſt ergo duos eſſe, quam unum.* p. 270.

Non eſt aſcribendum hypocriſi, quod etiam hodie monachi certo & peculiari habitus genere utantur, minus ridendum, quod nonnulli ſaccis induti nudipedes incedant, nam etiam prophetæ, hujuſmodi aſpero veſtitu, id eſt, ſacco, ſive ſaccea tunica, ex aſpera & vili materia confecta, pro quotidiano indumento uti conſueverunt, tanquam populi peccata continuo plangentes. Eſai. 20. verſ. 2. *Vade & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calcea menta tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic, vadens nudus, & diſcalceatus* p. 310.

Mendicitatem religioſorum gratis impugnant quidam ex ſententiis ſacræ ſcripturæ: Proverb. 30. verſicul. octav. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi.* p. 268. & Eccleſ. 27. verſ. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt.* p. 294. & cap. 40. verſicul. 29. *Fili in tempore vitæ tuæ ne egeas; melius eſt enim mori, quam egere.* Vel ſecundum græcum, ſic: *Vitam mendicitatis ne vivas; melius eſt enim mori, quam mendicare.* Quæ ſententiæ minimè adverſantur pio propoſito eorum, qui diligenter laborant in Eccleſia Dei, miniſtrantes populo Dei ſpiritualia, & dum carnalia eorum, id eſt, ſuſtentationem corporis, velut jure ſuo exigere poſſent, juxta illud: *Dignus eſt operarius mercede ſua*, malunt tamen mendicare, quam debitum poſcere. p. 299.

Quod Religiones ſeu Religioſorum Ordines ſæpe à primæva ſui inſtituti obſervantia deficiant aut eam laxent; id non ſtatui, ſed negligentiæ & imperfectioni hominum, ut ſolet in omnibus fieri, aſcribendum eſt. Actor. 6. v. 1. *Factum eſt murmur græcorum — quod deſpicerentur.* &c. p. 581.

Monachus non debet exire monaſterium, ut patrem tenuiter viventem, faciat lautius agere; & commodius vivere; ſed tantum ut parentem, neceſſitatem patientem, adjuvet. Matth. 4. v. 22. *Illi autem ſtatim relictis retibus, & patre, ſecuti ſunt eum* p. 415.

Explicatur ſententia. Act. quart. verſ. trigeſim. quarto. *Neque erat quiſquam egens inter illos.* quæ non obſtat paupertati religioſæ, quia verè pauper eſt, qui facultates non habet; egens vero, cui neceſſaria deſunt; ſicut etiam hodie in monaſterijs benè ordinatis & reformatis vere ſunt pauperes, quia nemo proprium poſſidet, egentes tamen non ſunt, quia diſtribuitur ſingulis, pro ut cuique opus eſt. pag. 579.

Monogamia.

Monogamia unius cum una, ab initio à Deo fuit inſtituta, Gen. 2. v. 24. *Et erunt duo in carne una. Et adhærebit homo uxori ſuæ.* non uxoribus. *Maſculum & fœminam creavit eos*: non fœminas: pag. 5. à Chriſto confirmata, condemnato nimirum divortio Judaico, & matrimonio ad primævam inſtitutionem reducto. Matth. 19. v. 3. 5. & 6. p. 443.

Mors.

Mors corporalis, aliæque hujus vitæ ærumnæ non ſunt ex prima hominis inſtitutione; ſed ex peccato primorum Parentum in pœnam à Deo inflicta. Gen. 2. v. 17. *In quacunque hora comederis, morte morieris.* p. 4. Eccl. 40. v. 1. *Occupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & jugum grave ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, uſque ad diem ſepulturæ in matrem omnium* p. 299.

De operibus bonis & eorum meritis.

Præter fidem etiam ad ſalutem neceſſario requiruntur alia opera bona, ſcilicet opera pœnitentiæ. Act. 26. verſ. 20. *Et gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes.* p. 609. Michææ. 6. verſ. 8. *Indicabo tibi, o homo, quid ſit bonum, & Deus requirat à te, utique facere judicium, & diligere miſericordiam* p. 385.

Opera pœnitentiæ ante juſtificationem facta, non de condigno, ſed de congruo dumtaxat merentur remiſſionem peccatorum. Joel. 2. v. 13. *Convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt. Quis ſcit ſi convertatur & ignoſcat* p. 380.

Per fidem & bonorum operum exercitium de congruo quis meretur auxilia, quibus ad ipſam juſtitiam perducatur. Actorum. 10. verſ. 35. *In omni gente, qui timet Deum, & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi.* p. 589.

Opera bona ſunt ſatisfactoria pro peccatis: neque id cedit in injuriam Chriſti, qui paſſione ſua pretium patri exhibuit, quo peccata ſimpliciter redimuntur, ſcilicet quoad pœnam æternam eis debitam; homo autem per bona opera præſtat id, quo redimuntur pœnæ temporariæ, & etiam hoc ipſum opus ſatisfactionis ſeu redemptionis, non niſi de gratia & meritis unius redemptoris procedit, per quem & virtutem ſatisfaciendi accipit. Dan. 4. v. 24. *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi: & peccata tua eleemoſynis redime.* p. 372.

Opera bona juſtorum in charitate facta ſunt meritoria vitæ æternæ de condigno, uti Theologi loquuntur; non quidem ex natura ſua; ſed ex voluntaria Dei inſtitutione, & quaſi conventione quadam cum homine inita. Matth. 20. verſ. 1. *Simile eſt regnum cælorum homini patri familias.* &c. *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno*; item *Quod juſtum fuerit dabitur vobis*; item. *Voca operarios & redde mercedem*, item. *Tolle quod tuum eſt*, id eſt, quod tibi debetur. p. 446. Luc. 14. verſ. 14. *Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum* p. 511. Apocal. 14. verſ. 13. *Opera enim illorum ſequuntur illos* p. 626. Sap. 3. verſ. 5. *In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe.* Ubi ſermonem eſſe de operum dignitate, manifeſtum eſt ex ſequentibus: *Bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus.* p. 278.

Recte etiam & laudabiliter ab homine bona opera fiunt ſpe retributionis æternæ. Luc. 14. verſ. 14. *Retribuetur enim tibi in reſurrectione juſtorum* pag. 511. Pſal. 16. verſ. 4. *propter verba labiorum tuorum ego cuſtodivi vias duras.* p. 224. Pſal. 118. verſ. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.* p. 250.

Sed & aliud quid, in ordine tamen ad Deum, à Deo expectari poteſt; exemplo Abraham: Gen. 15. verſ. 1. *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis. Dixitque Abraham: Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis*; quæ quærimonia nullum haberet locum, ſi tantum Deus intelligeretur merces. p. 15.

Nec obſtat locus Iſai. 1. v. 23. *Omnes ſequuntur retributiones.* quem quidam adferunt, ut oſtendant Deo non eſſe ſerviendum ob aliquam mercedem. p. 304.

Objiciunt hæretici contra fructum & merita bonorum operum ſententiam. Luc. 17. verſ. 10. *Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis; dicite ſervi inutiles ſumus*; quaſi exinde ſequeretur omnia juſtorum opera eſſe inutilia & infructuoſa ad recipiendam mercedem, ſed hunc non eſſe ſenſum verborum Domini in hoc loco, ex aliis locis clarum eſt: Ubi Chriſtus vocat ſervos fideles & amicos: *Euge ſerve bone & fidelis*, &c. *Iam non dicam vos ſervos, & amicos. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis* p. 513.

Commendatur inſuper in variis & plurimis locis Sacræ Scripturæ bonorum operum dignitas, contra hæreticos aſſerentes ea non eſſe meritoria, neque ad juſtitiam pertinere, ſed eſſe prorſus indifferentia, aut etiam quod pejus eſt, eſſe peccata & impedimenta juſtitiæ: contra quos eſt ſententia Actor. 9. v. 36. *Quædam diſcipula nomine Tabitha: Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat.* Certe non diceret Lucas eam plenam fuiſſe operibus bonis, ſi nulla eſſent hominis opera bona, ſed omnia immunda & peccati ſorde coinquinata. p. 587. Apocalip. c. 5. verſ. 8. *Plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.* p. 617. & cap. 7. verſ. 9. *Amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum* p. 620.

Quicquid boni operis, ſive bonæ voluntatis, atque bonæ cogitationis in nobis eſt, id ex Dei gratia, & gratuita ejus largitate provenit, nec ſine Deo in nobis conſervari poteſt, atque ideo in ipſum totum referendum. 1. Paral. 28. v. 14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi* p. 172.

Vide etiam ſupra V. Meritum.

Orare ſeu oratio.

Neceſſitas orationis ex eo conſequitur: quia ſine ſpeciali Dei auxilio bene vivere, perſeverare, & ſalvari non poſſumus; adeoque neceſſario cogimur illud per orationem aſſiduò nobis depoſcere. Luc. 18. verſ. 1. *Oportet ſemper orare & non deficere* cap. 21. verſ. 36. *Vigilate omni tempore orantes* Quod Domini præceptum quomodo intelligendum ſit, fusè exponitur in annotationibus. p. 515. & 520.

Fructum orationis penè tollunt omnem, Lutherus, Calvinus & alij hæretici, dum aſſerunt, illam eſſe ſatisfactoriam, aut meritoriam, aut impetratoriam

remiſſio.

remiſſionis peccatorum, ſeu juſtificationis, aliarum quidem rerum impetratoriam eſſe fatentur, ſed tum demum, cum innititur fidei ſpeciali, qua quiſque credat ſe certo certius gratum eſſe Deo, & juſtum & prædeſtinatum; Quæ fides cum revera haberi non poſſit, (uti probatum eſt ſupra. V. Fides.) ſequitur, nihil omnino oratione, ex mente ipſorum impetrari poſſe. Contra cujus hæretici dogmatis falſitatem opponitur ſententia Job. 9. verſ. 16. *Et cum invocantem exaudierit me, non credo quod exaudierit vocem.* pag. 210.

Nec obſtat locus 1. Paral. 5. verſ. 20. *Et exaudivit eos, eo quod credidiſſent in eum.* p. 166. & Judith. 13. verſ. 7. *Et hoc quod credidi per te poſſe fieri, perficiam* p. 200. Neque enim neceſſum eſt, quod iidem hæretici volunt, orantem credere, & certo ſibi perſuaſum habere ſe per Chriſtum exaudiri, & certum eventum ſemper ſubſecuturum; non enim dixit Judith, quod credidi per te futurum, ſed quod credidi per te poſſe fieri. Sufficit enim cum filiali reverentia, & non abſque timore ſuæ indignitatis ſperare, & confidere ſe exauditum iri, vel exauditum eſſe.

Neque propter certitudinem effectus obtinendi, & ex promiſſione Dei ſubſecutum orationis ſubſidium intermittendum eſt, exemplo Moyſis, qui etſi certus de divino auxilio, nihilominus clamavit ad Dominum. Exod. 8. v. 12. *Et clamavit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, quam condixerat.* p. 37. & cap. 14. v. 15. *Quid clamas ad me?* p. 41.

Papa. Rom. Pontifex.

Papam eſſe primarium interpretem germani ſenſus ſcripturarum, & ſupremum judicem omnium controverſiarum fidei, quantumcunque reclamantibus omnibus hæreticis, indubitata fide tenet univerſus catholicorum cœtus, eamque poteſtatem ei una cum clavibus, & paſtorali munere eſſe conceſſam. Deut. c. 17. v. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris Surge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus veniesque ad Sacerdotes &c.* Si ergo ſynagoga habuit ſuum ſupremum Judicem Eccleſiaſticum, etiam neceſſum quod Eccleſia habeat; Qui certe non eſt alius, quam Romanus Pontifex, Chriſti vicarius, & D. Petri ſucceſſor. Neque enim putandum eſt, Deum minus Eccleſiæ ſuæ proſpexiſſe de ratione componendarum controverſiarum, exortarum circa religionem, quam olim proſpexerit ſynagogæ Judæorum. p. 87.

Unde intollerabilis injuria hæreticorum eſt in tantum parentem, ac pariter ſanctam matrem catholicam Eccleſiam, hanc vocare meretricem babylonicam; illum Antichriſtum. Exod. 21. v. 17. *Qui maledixerit Patri, vel matri, morte moriatur.* p. 46.

Paradyſus.

De paradiſo terreſtri, ubi fuerit, & an adhuc exiſtat, variant opiniones. Author exiſtimat non amplius exſtare. Geneſis. 2. verſ. 8. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum* p. 4.

Parvuli non baptizati.

An parvuli tales etiam dolores ſentiant, an tantum pœna illis ſit, quod careant divina viſione, controvertitur inter Patres, nec putant eſſe de fide, excepto uno S. Fulgentio de fide cap. 3. & 7. qui eos etiam dolorem ſenſu pati, vult eſſe fidei. Job. 3. v. 13. *Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem.* pag. 208.

Paſtores Eccleſiæ.

Paſtores ſpirituales Eccleſiæ, quales ſunt Epiſcopi & Sacerdotes curati, quales eſſe & qualiter gregi ſuo invigilare debeant. Zachar. 11. v. 15. *Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit.* p. 392. Ezech. 33. v. 7. *Et tu fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael. &c.* pag. 363.

Apud oves ſuas reſidere debent, ut eis veræ religionis & doctrinæ doctrinam miniſtrent; eo etiam fine Sacerdotibus & Levitis in veteri lege in prima terræ ſanctæ diviſione ſub Joſue, nulla portio ab aliis tribubus ſejuncta attributa fuit, ſed tantum inter alias tribus quædam oppida ad habitandum, & ſuburbana ad pecora alenda Ezech. 45. v. 4. *Sanctificatum de terra erit ſacerdotibus miniſtris ſanctuarij, qui accedunt ad miniſterium Domini.* p. 568.

Pauperes.

Pauperes & mendici inter Chriſtianos publicis & privatis ſubſidiis charitative ſunt ſublevandi, non vero, edictis publicis prohibendi, & è civitatibus proſcribendi; neque enim eo tendit illa ſententia. Deuter. 15. verſ. 4. *Et omnino indigens & mendicus non erit inter vos.* Nequaquam enim hoc pertinet ad magiſtratum, quaſi ſcilicet magiſtratus non debeat tolerare mendicos in civitate, ſicut quidam male interpretantur, ſed pertinet ad divites, qui admonentur ut ita ſint liberales in pauperes, ne cogantur mendicare: ſi qui autem præ inopia cogantur, illi non publico edicto prohibendi ſed Chriſtiana charitate adjuvandi. pag. 86.

Pauperes vero religioſi ordinum mendicantium non ſolum tolerandi, ſed etiam honorandi, quicquid obganniant hæretici, utpote qui cum Apoſtolis dicere poſſunt, *Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te.* Qui à Chriſto beati vocantur; *Beati pauperes, quia ipſorum eſt regnum cælorum:* Qui futuri erunt mundi judices: *Cum ſederit filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes. &c.* Matth. 19. v. 27. & 28. p. 445.

Nec obſtant loca Scripturæ in contrarium ab adverſariis allegari ſolita. Proverb. 30. v. 8. *Paupertatem & divitias ne dederis mihi.* pag. 268. Eccl. 27. v. 1. *Propter inopiam multi deliquerunt.* p. 294. & cap. 40. v. 29. *Fili in tempore vitæ tuæ, ne indigeas, melius eſt enim mori, quam indigere.* p. 299. In quibus locis ſolum agitur de mendicitate ignava propter otium.

Peccatum originale.

Peccante Adamo capite & totius humani generis Parente, omnes & ſinguli ejus poſteri filij & nepotes, quotquot per ſeminalem rationem ab ipſo procedunt, in ipſo peccarunt, & idem peccatum contrahunt, eſto ex fidelibus naſcantur parentibus: neque id injuſtè fieri dici poteſt. Pſalm. 31. verſ. 2. *Beatus cui non imputavit Dominus peccatum* p. 228.

Traducitur in poſteros per naturalem generationem ex Adamo, quæ fit vi ſeminis à parentibus præciſi. Gen. 12. verſ. 5. *Et animas, quas fecerat in Haran.* pag. 13.

Eſt privatio juſtitiæ originalis, quam conſequuntur omnia mala, in anima ignorantia; infirmitas, concupiſcentia: &c. Quæ etiam deleto originali peccato per baptiſmum, manent. In corpore morbi, mors &c. Job. 7. verſ. 20. *Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi gravis* pag. 210. & cap. 9. v. 3. *Et abominabuntur me veſtimenta mea.* p. 210. Gen. 3. v. 11. *Quis enim indicavit tibi quod nudus eſſes.* p. 6. Jerem. 8. v. 7. *Milvus in cælo cognovit. &c* p. 328.

In altera vita v. g. in infantibus qui ſine baptiſmo decedunt, punitur pœna æterna, triſti nimirum carentia non ſolum ſocietatis ſanctorum; ſed & viſionis ac fruitionis Dei in qua conſiſtit beatitudo noſtra ſupernaturalis. Joan. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei* p. 533. An vero tales parvuli præter hanc pœnam damni, etiam habituri ſint aliquam pœnam ſenſus. Vide V. Parvulus.

Peccatum actuale.

Omne peccatum, quamvis in proximum commiſſum, involvit injuriam in Deum, ejuſque offenſam. Geneſis. 39. v. 9. *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum!* p. 27. Peccata non ſunt omnia æqualia, ſed unum majus altero. Proverb. 6. v. 30. *Non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit. &c* p. 259. Sicuti neque virtutes omnes inter ſe ſunt pares, ut etiam patet ex diverſitate præmiorum, & ſuppliciorum in altera vita. Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* p. 552.

Erroneum autem eſt peccati gravitatem æſtimare ex pœnarum magnitudine, judicando eos gravius peccaſſe, qui graviora in hoc mundo patiuntur; cum frequenter accidat contrarium, ut gravioribus malis obnoxius ſit, qui minus peccavit. In quo errore verſabantur amici Job, colligentes ex gravitate afflictionis, in qua videbant eum conſtitutum, fuiſſe eum graviſſimum peccatorem; Job. 17. v. 2. *Non peccavi & in amaritudinibus moratur oculus meus.* p. 212. Luc. 13. v. 3. *Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis; ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* p. 509.

Non omnia peccata natura ſunt mortalia, (ut docet Lutherus & alij Sectarij) Sed quædam ex ſe levia

ſunt ; quæ venialia vocamus, nec mortem animæ vel amiſſionem gratiæ inducunt, in quæ ſi quis per baptiſmum regeneratus, aut per pœnitentiam reconciliatus incidat, non deſinit ideo vocari & eſſe juſtus. Joan.13.v.10. *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, Sed eſt mundus totus.* p.551.

Peccatum veniale non excludit à Regno cœlorum, retardat tamen à capienda ejus poſſeſſione, donec ſit remiſſum. Apoc.21.v.27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* p.633.

Hominem in hac vita non poſſe vitare peccata, error fuit Manichæorum olim, & ſimiliter fere omnium hæreticorum noſtri temporis. Aliter ſentiunt Patres orthodoxi cum tota Eccleſia, quando dicunt eſſe quædam peccata; quæ à juſtis vitari non poſſunt: non quod ullum ſit peccatum nominatim, quod ſeorſim vitari non poſſit; ſed quia univerſim, ſecundum curſum præſentis fragilitatis, non vitantur; hinc enim dixerunt Patres; non poſſe vitari, ſcilicet niſi ex ſpeciali Dei privilegio; uti explicat concil. Trid. ſeſſ.6.can.23. his verbis. *Si quis dixerit hominem poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, niſi ex ſpeciali à Deo privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Eccleſia, anathema ſit.* Proverb. 20. verſ.9. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum? purus ſum à peccato?* pag.264.

Remiſſo peccato, quo ad culpam, nihilominus communiter reſtat luenda pœna temporalis. 2.Reg.12. verſ.13. *Peccavi Domino: Dixitque Nathan ad David, Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris. Verumtamen, &c.* p.137. & 4.Reg.24.verſ.3. *Factum eſt hoc per verbum Domini contra Iudam, ut auferret eum coram ſe propter peccata Manaſſe.* p.163. & 2.Paral.12. verſ.27 *Daboque ei pauxillum auxilii; verumtamen ſervient ei ut ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum* p.175. Eccl.5.v.5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* p.287.

Nec obſtat locus Ezech.33. verſ.12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit* & verſ.16. *omnia peccata ejus quæ fecit non imputabuntur ei.* pag.363.

Deum facere authorem & cauſam omnium peccatorum (ut faciunt, ſi non expreſſis verbis, certè neceſſariis argumentis hæretici noſtri.) extremè blaſphemum eſt, de quo vide plura ſupra. V. Deus.

Quomodo vero Deus indurando & excœcando hominem, ut loquitur ſcriptura, adhuc non ſit cauſa peccati, bene exponitur. Exod.9.v.12. *Induravitque Dominus cor Pharaonis.* p.38. & Iſai.6.v.10. *Excæca cor populi* p.306.

Peccatorum remiſſionem hæretici ita volunt eſſe gratuitam à Deo, ut nulla pœnitentiæ opera ad eam conſequendam requirantur. Contra docent Catholici, eſſe quidem remiſſionem peccatorum, ita ut nihil eorum, quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera ipſam juſtificationis gratiam promereantur, ut declaravit, & definivit concil. Trid. ſeſſ.6. cap.8. Sed ſicut neceſſe eſt, hominem fide præparari ad conſequendam peccatorum veniam, quod & hæretici concedunt: ita etiam requiri pœnitentiæ opera, eaque tanquam media quoque propinquiora ad remiſſionem peccatorum, & juſtitiam obtinendam: Neutra tamen neque fides, neque opera pœnitentiæ meriti propriè dicti ſive de condigno rationem habent. Iſai.43.verſ.25. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui tollo iniquitates tuas propter me. pag.317. Vide etiam V. Juſtificatio.

Peccata publica non debent inter Chriſtianos manere impunita, quamvis ob majus malum ſive incommodum aliquod evitandum, quo ad tempus diſſimulare liceat. Gen.35. v.22. *Et dormivit cum concubina Patris ſui* p.25.

Pœnitentia.

Pœnitentia neceſſaria eſt ad remiſſionem peccatorum, & quidem ſi eſt perfecta, quæ vocatur contritio, & eſt dolor de Deo offenſo ſummus, ſine ulla mora obtinetur ſtatim venia peccatorum. Ezech.33.v.12. *Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die converſus fuerit ab impietate ſua. & verſ. 16. Omnia peccata ejus quæ fecit, non imputabuntur ei.* p.363. 2.Reg. 12. verſ.13. *Peccavi Domino Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum; non morieris.* p.137. Idem videre eſt in filio prodigo. Luc.15. v.20. *Et oſculatus eſt eum.* p.512.

Attritio ex timore pœnæ orta, ſeu timor ſervilis, non quidem ſufficit per ſe ad remiſſionem peccatorum abſque Sacramentali abſolutione; diſponit tamen ad contritionem, & veram pœnitentiam, exemplo Ninivitarum, qui ad Jonæ prædicationem timore pœnarum utiliter concuſſi, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt, ut loquitur concil. Trid. ſeſſ.14. cap.4. Jonæ.3.v 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala; Et miſertus eſt Deus, &c.* pag.384. Exod.10. verſ.16. *Peccavi in Dominum Deum veſtrum.* pag.38.

Pœnitentia vero, quæ non eſt ſecundum Deum, id eſt, dolor ex nullo ſupernaturali motivo procedens; ſed ſecundum ſeculum; inutilis eſt, nec ad ſalutem perducit. Qualis fuit in Antiocho rege, quæ quia non naſcebatur ex conſideratione violatæ juſtitiæ ac legis Dei, ſed extorta erat & expreſſa magnitudine cruciatuum, quibus affligebatur, nihil ei profuit. 1.Mach.6.v.12. *Nunc vero reminiſcor malorum, quæ feci in Ieruſalem* p.398.

Ad veram pœnitentiam præter novam vitam etiam requiritur ſatisfactio de peccatis antea commiſſis, & ſtudium reconciliationis per opera ad hoc deſtinata, cujuſmodi ſunt orationes, jejunia, eleemoſynæ, &c. Unde patet falſum eſſe illud apud hæreticos hodiernos pervulgatum & decantatum: optima pœnitentia nova vita. Eccl.21. v.1. *Fili peccaſti, ne adjicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur* p.293. & cap.35.v. 3. *Et deprecatio pro peccatis, recedere ab injuſtitia.* p.293. Matth.3. v.2. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum* p.411.

Pœnitentia toties quoties iterari poteſt, nec quiſquam ob relapſum abſolutionis beneficio indignus judicandus, ſi ſufficienter pœniteat. Matth.18.v.21. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* p. 443. Luc.17.v.3.4. *Et ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit in te, dicens: Pœnitet me, dimitte illi* p.513.

Nec obſtat ſententia. Job.33.v.29. *Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos.* p. 217. & Amos.1.v.1. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum* p.385. Aſt cave ne in nimiam ſecuritatem & præſumptionem incidas. Eccl.5.v.6. *Et ne dicas: miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur* p.287.

Confeſſio peccatorum mortalium in ſpecie coram ſacerdote facienda eſt jure divino (quidquid reclament hæretici) conſequitur ex verbis Chriſti. Matth. 16 v.19. *Tibi dabo claves &* c.18.v.18. *Quæcunque alligaveris* & Joan.20. v.23. *Quorum remiſeritis peccata.* Non autem dicitur confiteri peccata ſua, qui tantum in genere confiteri ſe eſſe peccatorem, ſed qui peccata ſua cum agnitione culpæ enumeret. Matth. 3.verſ.6. *Et baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata ſua.* pag.412.

Inſtaurata cum Deo amicitia, & remiſſa culpa peccati, & pœnæ æternitatis, ſæpe adhuc remanere debitum luendæ pœnæ temporalis, ſeu in hac, ſeu in futura vita, negant hæretici. Sed probatum eſt ſupra V. Peccatum.

Polygamia.

Polygamiam plurium ſimul uxorum poſt ſufficientem generis humani propagationem, non reliquit nobis liberam Deus (ut vult Lutherus & Anabaptiſtæ) ſed prohibet lege naturæ, & Evangelica: nam omnem diſpenſationem revocavit Chriſtus. Matth.19.v.3.5. & 6. & 9. *Erant duo in carne una. Qui aliam duxerit mæchatur.* pag. 443. Vide ſupra V. Monogamia.

Polygamia Patribus veteris teſtamenti ex ſpeciali Dei diſpenſatione permiſſa eſt, adeoque nullius incontinentiæ culpandi ſunt, quod olim fecere Manichæi, & hoc ſeculo noſtro fecit Calvinus, laudibus Sanctorum Patriarcharum Dei amicorum temerè detrahentes. Gen. 2. v. 24. *Et erunt duo in carne una.* pag.5. & cap.16.verſ.2. *Cumque ille acquieſceret deprecanti* p.16. & cap.21.verſ.12. *Omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus.* p.18. & cap.30. verſ.1. *Cernens autem Rachel, quod infœcunda eſſet.* p.22.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio Dei eſt immutabilis, nec obſtat ſententia Exod.32.verſ.32. *Aut ſi non facis, dele me de libro quem ſcripſiſti* p.51. & pſalm.68.verſ.29. *Deleantur de libro viventium.* pag.237

Nemo de ea in hac vita abſque divina revelatione, certus eſſe poteſt. Sapient.9.v.4. *Et noli me reprobare à pueris tuis.* p.280.

Non fit ex ullis prævisis meritis, ſed ex ſola Dei voluntate. Marc.3. verſ.13. *Vocavit ad ſe, quos voluit ipſe* pag.472. Iſai.45. verſ.9. *Numquid dicet lutum figulo ſuo.*

ſuo pag. 308. Actor. 13. v. 48. *Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*. pag. 595.

Prædeſtinatio non tollit; ſed magis ſtatuit ſtudium bonorum operum, tanquam mediorum neceſſariorum ad finem prædeſtinationis, quam per illa certam facere debemus. Gen. 27. v. 43. *Nunc ergo fili mi audi vocem meam*. p. 21.

Primatus Petri.

Quia Chriſtus inſtituit Eccleſiam ſuam in terris viſibilem, uti probatum eſt ſupra V. Eccleſia. Eamque vocet regnum, domus familiam, corpus, ovile, conſequens eſt, quod debeat regi ab uno ſupremo monarchico capite, Principe & Paſtore: Is non eſt alius, quam Simon Petrus, ejuſque legitimi in ſede Romana ſucceſſores (etſi omnes hæretici reclament) Hanc enim ſupremam dignitatem aliquando illi conferendam præſignificavit Chriſtus, cum ſuum illi nomen communicavit. Marc. 3. v. 16. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus*. p. 472. Joan. 1. v. 42. *Tu vocaberis Cephas* Id eſt Petrus, quod eſt nomen dignitatis: adeo quod ab aliis Apoſtolis, inter quos de primatu erat æmulatio, hoc nomine non credatur vulgo fuiſſe appellatus, niſi poſt acceptum Spiritum Sanctum. pag. 530. Idem inſinuare voluit Chriſtus quando poſt ultimam cœnam in colloquio dixit ad Petrum: Luc. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te Petro —— Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos*; nam pro omnibus oraverat Joan. 17. *Pater ſancte ſerva eos*. Singulariter tamen pro Petro, qui aliorum caput conſtituendus erat. pag. 521. Eadem ratione Petri pedes primo ante omnes alios lotum acceſſit, ut in hac etiam re, ejus prærogativa ab aliis agnoſceretur. Joan. 13. v. 6. *Venit ergo ad Simonem Petrum*. pag. 551.

Eandem dignitatem metaphora fundamenti & Clavium eidem promiſit. Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam & tibi dabo claves regni cœlorum* Quam ſententiam ut ad Chriſtum referant, qui utique eſt primaria & ſolidiſſima Petra Eccleſiæ, & à Petro avertant, mirum ſe torquent hæretici; uſt iſto ſenſu omnino torta, & violenta erit interpretatio, imo ſermo ſophiſticus. pag. 437. ſub eadem clavium metaphora deſignatur primaria ſucceſſorum Petri poteſtas Apoc. 3. v. 7. *Qui habet clavem David, qui aperit & nemo claudit*, &c. pag. 615.

Tradidit autem de facto poteſtatem promiſſam Joa. 21. verſ. 17. *Paſce oves meas*. quibus poſt examen ter repetitum de amore in Chriſtum, Petrum conſtituit Paſtorem ovium ſuarum ſine exceptione, & reſtrictione, præſentibus aliis Apoſtolis. pag. 568. Exercuit vero Petrus hanc ſuam ſupremi Paſtoris poteſtatem. Act. 2. v. 14. *Stans autem Petrus*, &c. cum primus omnium Evangelium promulgat Judæis, & una lingua loquens ab omnibus intellectus fuit. pag. 574. Primus etiam gentilibus. Act. 10. v. 28. *Vos ſcitis, quomodo abominatum ſit viro Iudæo*, &c. pag. 589. Primus omnium etiam patrat miraculum in teſtimonium fidei. Actor. 3. v. 6. *Argentum & aurum non eſt mihi*. pag. 576 Primus tanquam Apoſtolorum Princeps in conſilio dicit ſententiam, & auditis omnibus tandem concluſit. Act. 15. v. 7. *ſurgens Petrus dixit ad eos*. pag. 594.

Et vero. Evangeliſtæ ubique primum inter Apoſtolos locum tribuunt Petro, qui tamen non erat nec ordine vocationis, nam per Andream fratrem ſuum adductus fuit ad Chriſtum: nec ordine ætatis, quia Andream natu maiorem fuiſſe habet Breviarium Romanum: nec nudo ordine enumerationis; ſed quia erat primus ordine dignitatis & primatus, quem habebat tunc, quando hiſtoria evangelica ab Evangeliſtis ſcribebatur. Matth. 10. v. 2. *Duodecim autem Apoſtolorum nomina. Primus Simon qui dicitur Petrus* pag. 426. Joan. 1. v. 40. *Erat autem Andreas frater Simonis Petri, unus ex duodecim* p. 529.

Cæteri Apoſtoli, eorumque ſucceſſores Epiſcopi, non fuerunt nec ſunt in poteſtate æquales Petro, ejuſque ſucceſſoribus, qui quamvis etiam acceperint à Chriſto Domino claves Eccleſiæ, aſt non claves regni cœlorum, ſeu Eccleſiæ univerſalis; ſed quilibet ſuæ Eccleſiæ particularis, quæ iſtius regni quaſi eſt provincia. Matth. 16. v. 19. *Et tibi dabo claves regni cœlorum*. pag. 437. & cap. 18. v. 18. *Quæcumq; alligaveritis ſuper terram* pag. 443. & Joan. 21. v. 17. *Paſce oves meas*, inter quos quoque computantur Apoſtoli. pag. 568. Nec præjudicat, quod Jacobus Hieroſolymorum Epiſcopus tanquam judex ordinarius in propria

Eſtij Annot. in Script.

diœceſi reſidens in conſilio pronuntiaverit ſententiam, in præſentia Petri univerſalis Eccleſiæ Epiſcopi, quia ſolus Petrus eſt qui concludit & definit. Act. 15. verſ. 19. *Propter quod ego judico, non inquietari &c.* pag. 594.

Reſpondetur objectioni adverſariorum, ſeu ad quæſtionem cur Chriſtus ad diſcipulorum iteratam quæſtionem, quis major eſſet inter illos futurus in regno cœlorum, nunquam reſponderit abſolutè, ſe velle primatus dignitatem conferre in Petrum; ut hac reſponſione placati, & pacati deinceps ab ejuſmodi contentione quieſcerent. Luc. 9. v. 46. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major eſſet*. p. 504.

Qualiter Petrus ſuo primatu, cæterique Apoſtoli, torumq; ſucceſſores ſummi pontifices & Eccleſiarum præſules ſuo primatu & poteſtate Eccleſiaſtica ad ædificationem uti debeant, docet Chriſtus. Luc. 22. v. 26. *Vos autem non ſic*. p. 520.

Principes politici.

Chriſtianis gerere *magiſtratus*, habere *prætoria, tribunalia, judicia*, uſum *gladij & belli licere*. &c. Negant Trinitarij in Tranſilvania, & Anabaptiſtæ; ſed inter Chriſtianos Reges & principes eſſe futuros, qui divina ordinatione Chriſto deſerviant & populum ejus regant, cum poteſtate leges condendi quæ in conſcientia obligent (quod negant Waldenſes, Anabaptiſtæ & Calvinus, ſacra teſtatur ſcriptura, Prov. 8. v. 15. *Per me reges regnant & legum conditores juſta decernunt* pag. 259. Dominium hoc & principatus etiam in impiis & infidelibus agnoſcendum (contra Wicleff & Hus) Eſai. 44. v. 28. *Qui dico Cyro: Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*. pag. 317. Matth. 22. verſ. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. pag. 451. & Matth. c. 22. verſ. 17. *Licet cenſum dare Cæſari an non?* pag. 450. Imo & in tyrannis Jerem. 29. v. 7. *Quærite pacem civitatis, ad quam tranſmigrare vos feci & orate pro ea ad Dominū quia in pace illius erit pax veſtra* p. 337. Et in hoc ignavi culpantur. 3. Reg. c. 20. v. 42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima illius*. p. 153. Eccl. 7. v. 6. *Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates*. pag. 287. 2. Reg. 3. v. 28. Jerem. 48. verſ. 10. *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. & maledictus qui prohibet gladium ſuum à ſanguine* p. 344.

Bellu quoque gerendi poteſtatem habent, Matth. 26. v. 52. *converte gladium tuum in locum ſuum* p. 463. Luc. 3. verſ. 14. Neminem concutiatis & contenti eſtote ſtipendiis. pag. 496. Jerem. 47. verſ. 6. *O mucro Domini*. pag. 344.

Hereticos ab Ecclsſia damnatos morte aliiſque pœnis mulctare debent. Vide ſupra V. Hæretici. Non licet illis ſuſcipere principatum cum pactione permittendæ hæreſeos Eccl. c. 7. v. 6. p. 288. Non inire fœdera cum infidelibus & hæreticis. 2. Eſd. 6. verſ. 3. p. 187. Non ædificare templa & religionis libertatem permittere 3. Reg. 11. v. 4. p. 148.

Neque tamen licet principibus Chriſtianis recedere à promiſſione, fœdere, vel jurejurando, quo ſe hæreticis vel infidelibus, aut etiam rebellibus obligaverint, quod olim quidam erroneè opinati ſunt, dummodo ſint pacta, quæ licite & ſine impietate ſervari poſſint Ezech. 17. verſ. 19. *Vivo ego dicit Dominus Deus: quoniam juramentum quod ſprevit, & fœdus quod prævaricatus eſt, ponam in caput ejus*. pag. 356. De quibus omnibus vide plura V. Hæretici.

Non poſſunt per ſe cognoſcere & judicare cauſas Eccleſiaſticas, neque diſponere pro arbitrio de religione & cultu divino, ejuſque ceremoniis, ſed per poteſtatem ſacerdotalem, cui in hujuſmodi ſubſunt ut oves paſtori. 2. Paralip. 17. v. 7. *Tertio autem anno regni ſui miſit* (Joſaphat) *de principibus ſuis —— & cum eis Levitas & ſacerdotes, docebantque populum in Iuda*. pag. 176. & cap. 19 v. 8. *In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Levitas & ſacerdotes* pag. 177. & c. 26. v. 18. *Non eſt tui officij Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum*. p. 179. & cap. 29. v. 15. Neque eſt in contrarium locus 2. paral. c. 29. v. 15. *Et ingreſſi ſunt juxta mandatum regis*. p. 180.

Tenentur conſervare & propugnare Eccleſiam & libertatem Eccleſiaſticam, omnem injuriam ab ea, etiam armis ſi opus eſt, propulſando 1. Mach. 15. v. 5. *Nunc ergo ſtatuo tibi omnes oblationes, quas remiſerunt tibi ante me omnes reges —— Et permitto tibi facere percuſſionem proprij numiſmatis in regione tua &c* pag. 401. Ab eorum poteſtate exempti ſunt clerici. Vide V. Clericus.

Nemini privato licet ſuperiori, etſi tyrannicè imperanti, per vim reſiſtere, ac multo minus de medio eum tollere, ſic definitum eſt in Conſtantienſi ſynodo

ſeſſ.15.1.Reg.26.v.9. *Quis enim extendat manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit?* p.129.

Promiſſio Dei.

Certitudo promiſſionis Dei non excludit humanam induſtriam, ſed magis confirmat ad facienda ea, quæ tanquam media ad illam implendam ſubſerviunt: ſicuti filij Iſrael pugnaturi contra Beniamin, habentes certam promiſſionem victoriæ à Deo: *Aſcendite cras, & tradam eos in manus veſtras.* nihilominus cum omni cautela procedunt, ut promiſſam victoriam aſſequantur. Judic.20.v.29. *Poſueruntque filij Iſrael inſidias per circuitum urbis Gabaa* pag.113. Sic Jacob habens firmas promiſſiones domum ſuam non interituram; nihilominus familiam ſuam contra hoſtes & inſidiatores providè munit. Gen.34.v.30. *Illi congregati percutient me.* p.25.

Sic David habens oraculum divinum; ſe poſt Saül regnaturum ſuper Iſrael, nec de auxilio divino deſperans, circa humana tamen & ordinaria quoque ex parte ſua adhibenda media ad ſe ſervandum à periculo internecionis erat maximè ſollicitus & anxius.1.Reg.23.v.26. *Porro David deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saul.* p.128.& cap.27.verſ.1. *Aliquando incidam una die in manus Saül.* p.129.

Sic Deus revelavit Paulo naviganti, quod ſubortam tempeſtatem evadent, abſque ullius animæ jactura, quod tamen promiſſum præſtitum eſt per media apud homines admodum dubia: Eadem prorſus ratione per media humana & per homines, qui falli poſſunt, ſive Epiſcopos, ſive ſummos Pontifices, implet Deus promiſſum de Eccleſia in fide manſura. Actor. 27. verſ. 13. *ſuadeo vobis bono animo eſſe, &c.* pag.610.

Proventus Eccleſiaſtici.

Non ſunt meræ eleemoſynæ, ſed ſunt ſtipendia officij Eccleſiaſtici clericis & ſacerdotibus ex juſtitia debita, de quibus, dicit Chriſtus, *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Luc.10.v.7. p.505. *Neque obſtat quod dicitur Matth.* 10.v 9. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris* p.427.

Purgatorium.

Purgatorium eſt locus, in quo animæ juſtorum, quæ in hac vita non ſatis purgatæ ſunt, poſt hanc vitam purgantur, & ſatis patiuntur. Cum enim ſupra V. Peccatum probatum ſit eſſe quædam peccata tantum venialia, quæ à regno Dei non excludunt, ſed ſula temporali pœna digna, quibus obnoxij juſti ſæpius ex hac vita demigrant, ſequitur debere eſſe locum in altera vita, in quo ab his peccatorum, ac pœnarum debitis expurgentur; neque divinæ juſtitiæ convenit, ut aliquid coinquinatum intret in regnum cœlorum. Apocal.21.v.27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.* p.633. Matth.12.v.31. *omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus; ſpiritus autem blaſphemia non remittetur. Non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex qua oratione convincitur quædam peccata remitti in futuro ſæculo, aſt non in cœlo, ergo in loco aliquo tertio, quem dicimus purgatorium. pag.432.

Et colligitur ex recepta Eccleſiæ conſuetudine orandi pro mortuis. Tob.4.v.18. *Panem tuum; & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue.* pag.192. Eccl.7.v.37. *Et mortuo non prohibeas gratiam* pag.288. 2.Machab.12.v.43.& 44. *Offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium &c. Sanctum ergo & ſalubre eſt pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* pag.405. Vide etiam 1.Reg.31.v.13. pag.113.& Job.11.v.18. *Et habebis fiduciam. &c.* p.211. Ubi juxta opinionem V. Bedæ mortui tempore veteris teſtamenti, qui adhuc purgatione egebant, adjuvabantur orationibus Patrum ſanctorum, qui plene purgati erant, & tamen adhuc detinebantur in limbo & Sap. 4. v. 7. *Iuſtus ſi præoccupatus fuerit, in refrigerio erit* p.178.

Nec quidquam efficiunt hæretici objiciendo ſententiam Eccleſiaſtæ.11.v.3. *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco, ceciderit, ibi erit* Statuit enim duo loca, unum pro electis, alterum pro reprobis, in Purgatorio autem non ponuntur niſi boni, & electi. p.273.

Quadrageſimalis obſervantia.

Quadraginta dierum jejunium quotannis ante feſtum Paſchale Eccleſia Catholica obſervat; non quidem ex manifeſto aliquo Chriſti præcepto, ſed ad imitationem Chriſti; ex præcepto autem & inſtitutione Apoſtolorum, quam per manus acceptam à majoribus, hæretici univerſa obſervat Eccleſia. Luc. 4. v.2. *Diebus quadraginta, &c.* p.479.

Quo caſu liceat in quadrageſima carnes comedere, & quo etiam caſu mors potius eligenda, quam iis veſci. Vide 1.Machab.c.2.v.49.p.396.

Tempore quadrageſimalis jejunij Chriſtiani quicquid in templis ſpecioſum & pulchrum eſt, velut quibuſdam tegumentis ad ſignificandum luctum, triſtitiam, & humiliationem, cujus rei illuſtre exemplar fuit. Judith.c.4.v.8 *Humiliaverunt animas ſuas in jejuniis, & induxerunt ſe ſacerdotes ciliciis.* p.197.

Ceremoniam imponendi cinerem ſuper capita in ſignum pœnitentiæ & humiliationis coram Deo uſurpatam frequentiſſimè refert ſcriptura, quam Eccleſia aptiſſime in ſuum uſum accommodavit, eo tempore, quo maximè intenta eſt, ut filios ſuos ad humilitatem & pœnitentiam provocet, hoc eſt, initio quadrageſimæ, quando cinis ſacer cujuſque fronti, vel vertici aſpergitur, cum hoc elogio: memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris: unde & vocatur dies cinerum. Judith.7.v.4. *Filij autem Iſraël, ut viderunt multitudinem illorum, proſtraverunt ſe ſuper terram, mittentes cinerem ſuper capita ſua* pag.197.

Quadrageſimali tempore in officio Eccleſiaſtico intermittitur illa vox: Alleluia, & quare. Apoc.19.v.6. *Dicentium Alleluia.* pag.629.

Religio.

Politicorum noſtri ſeculi opinio eſt, qui cenſent mutato Principe, vel magiſtratu, vel mutata Principis de religione ſententia, mutandam etiam eſſe religionem, ut religio ſerviat politiæ, non contra, & pro ut hæc vel illa ſecta convenit ſervandæ paci, tranquillitati, & proſperitati Reipublicæ, eatenus eam eſſe ſuſcipiendam, aut retinendam. Lev. 13. v.57. *Lepra volatilis & vaga.* p.60. Perperam utuntur ad ſuum intentum ſententia Ruth.1. v.6. *Populus tuus populus meus: & Deus tuus Deus meus.* pag.114.

Religionem diſſimulare, aut fingere non licet, neque in eo Eliſæus diſpenſavit cum Naaman, ut quidam putant.4.Reg.5.v.18. *Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo. Quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo ſuo pro hac re.* pag.156.

Reliquia & res ſacræ.

Sanctorum cum Deo in cœlis regnantium cadavera, & oſſa honoranda ſunt (etſi id rideant hæretici) fuerunt enim quaſi templa & inſtrumenta ſanctarum animarum ad omne opus bonum, & in reſurrectione iterum cum ipſis erunt conſortia æternæ beatitudinis. Sic Joſeph præcipit oſſa ſua aſportari ex Ægypto. Gen. 50. v. 23. *Deus viſitabit vos, aſportate oſſa mea.* pag.33.

Et deinde Moyſes non ſolum Joſeph, ſed & cæterorum Patriarcharum corpora, qui mortui fuerunt in Ægypto, tulit ſecum dum educeret populum Iſraël ex Ægypto. Exod.13.v.19. *Tulitque Moyſes oſſa Ioſeph ſecum.* pag.41.4.Reg.13.v.21. *Et projecerunt cadaver in ſepulchro Eliſæi, quod cum tetigiſſet oſſa Eliſæi revixit homo* p.159. Ideoque tam honorificè de oſſibus Eliſæi loquitur ſcriptura. *Et mortuum prophetavit corpus ejus* Eccl.48. v.13.p.301. & de oſſibus Joſeph. ibid.c.49.verſ.17. *Neque ut Ioſeph & oſſa ipſius viſitata ſunt, & poſt mortem prophetaverunt* pag.302.

Calviniani in Francia impiè in reliquias ſanctorum graſſati ſunt, adinſtar Moabitarum. Amos.2. verſ.1. *Eo quod incenderit oſſa regis Idumææ uſque ad cinerem.* pag.381.

Objiciebat olim catholicis Vigilantius, & modo Calvinus, adverſus honorem, quem reliquiis ſanctorum fideles impendunt, ſententiam Eccleſ.9.v.4. *Melior eſt canis vivus leone mortuo.* Sed quam ineptè vide in annotatione. pag.272.

Præter reliquias, ſeu corpora ſanctorum, etiam res aliæ ſacræ quæcunque peculiarem, habent, aut habuerunt conjunctionem cum Chriſto, ſive ſanctis, in honore habendæ, uti ſunt veſtimenta, ſepulchra &c. Matth.9.v.21. mulier attactu fimbriæ Chriſti, ſanitati reſtituta, Chriſto in honorem & gratitudinem beneficij curationis, ſtatuam poſuit, ad cujus fimbriam uſque herbæ ſuccreſcentes ſingularem medicandi vim habebant. Matth. 9. verſ. 21. *Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſana ero* pag.426.

Quam

Quam ſtudioſè ootat ſcriptura Manna fuiſſe aſſervatam & in tabernaculo repoſitum? Exod. 16. v. 33. *Sume vas unum, & mitte ibi Man, & repone coram Domino.* An non ergo magis decet & convenit lignum crucis Domini, in qua ſalutem noſtram Chriſtus operatus eſt, pia devotione à Chriſtianis aſſervari, ad excitandam memoriam beneficiorum ejus? pag. 42. Quam reverenter Naaman Syrus miraculo ſuæ curationis converſus ad fidem unius veri Dei petit ab Eliſæo, licentiam auferendi & ſecum aſportandi de terra Iſrael onus duorum burdonum, quia terram illam, tanquam ſanctam venerabatur propter cultum unius veri Dei, qui in ea terra exercebatur: & vigebat; Non eſt igitur improbanda devotio eorum, qui de terra ſancta partem aliquam olim in Europam attulerunt pro veneratione & pia recordatione. 4. Reg. 5. v. 17. *obſecro concede mihi ſervo tuo, ut tollam onus duorum burdonum de terra* pag. 156. Neque Chriſtus arguit Judæos, quod ornarent ſepulchra Prophetarum, ſed quod imitarentur cæſores eorum Luc. 11. v. 47. pag. 507.

Reprobatio.

Deus nullius damnationem vult per ſe. Oſee. 13. v. 9. *Perditio tua Iſraël, tantummodo in me auxilium tuum.* pag. 379. Exponuntur ſententiæ in ſenſu Catholico, quæ ab hæreticis Deum authorem & cauſam eſſe damnationis ſeu reprobationis aſſerentibus, adducuntur. Prov. 16. v. 4. *univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum*, pag. 262. Eccleſ. 33. v. 12. *Ex ipſis benedixit, & ex ipſis maledixit, quaſi lutum figuli in manu figuli in manu ipſius* pag. 296. Jerem. 18. v. 6. *Ecce ſicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea domus Iſrael* pag. 332. Quid author ſentiat de auxiliis neceſſarijs ad ſalutem, vide V. Gratia ſufficiens.

Sacerdos. Sacerdotium.

In nova lege eſt verum propriè dictum ſacerdotium non omnibus Chriſtianis commune, ſed quibuſdam proprium: ad quod peculialiter à Deo aſſumpti ſunt. Id non eſt aliud, quam poteſtas offerendi Corpus & Sanguinem Domini juxta illud: *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. 26. Iſai. 66. v. 21. *Et aſſumam ex eis ſacerdotes & Levitas* pag. 325.

Lutherus ut tolleret ſacrificium altaris, docebat omnes Chriſtianos eſſe ſacerdotes: allegans verba. Exod. 19. v. 6. *Vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta* p. 43. & Apoc. 1. v. 6. *Fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & Patri* Sicut ergo hinc non eſt conſequens omnes Chriſtianos eſſe reges propriè, ſic ut evertatur regalis poteſtas & authoritas ſupra alios; ita conſequens non eſt, omnes propriè eſſe ſacerdotes, ſic ut ſacerdotalis externa dignitas, quæ circa externa verſatur ſacrificia, è medio tollatur. pag. 613.

Hujus ſacerdotij typum geſſit Melchiſedech rex, ſalem, panem & vinum offerendo. Gen. 14. v. 18. pag. 14. ſimiliter ſacerdotium veteris legis fuit figura & umbra ſacerdotij & ſacerdotalis poteſtatis novæ legis, quod enim ſacerdotes veteris legis ex officio & divina inſtitutione præſtabant circa leproſos & corporaliter immundos eos declarando & ſeparando, hoc ſacerdotes novæ legis faciunt circa immunditiam ſpiritualem, id eſt peccata, quæ per lepram ſignificantur, cum poteſtate etiam peccatores ab Eccleſia & ſacramentorum ejus communione ſeparandi, vel eidem reſtituendi. Lev. 13. verſ. 2. & 6. pag. 59. Hinc conſequitur, quod ſicuti in ſacerdotibus veteris legis requirebatur munditia corporalis & legalis, ita in ſacerdotibus novæ legis requiritur vera pietas, & animi puritas, ſine qua quiſquis ad tremenda myſteria accedit, immundus accedit, & judicium ſibi ſumit, non remedium. Lev. 21. verſ. 6. *Incenſum enim & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt.* pag. 63. Ezech. 22. v. 26. *ſacerdotes ejus contempſerunt legem meam — & inter pollutum, & mundum non intellexerunt* pag. 359. 1. Reg. 6. v. 19. *Percuſſit autem Dominus de viris, &c.* p. 118. & Ezechi. 43. verſ. 8. *Qui fabricati ſunt limen ſuum juxta limen meum, &c.* p. 363. Quæ etiam ratio eſt, quod cum Aaronici ſacerdotes tempore vicis ſuæ ab uxoribus abſtinere debebant; ſacerdotes novi teſtamenti omni tempore debeant ſe continere à re conjugali. Lev. 10. verſ. 9. pag. 58. ſacerdotes etiam non curati, debent habere ſufficientem doctrinam & ſcientiam, ut poſſint eſſe ſal populi, & interrogati à laicis de his, quæ ad Deum & ſalutem pertinent, poſſint ſaltem mediocriter reſpondere. Malach. 2. verſ. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum eſt.* pag. 394.

Quare non debeant eſſe bigami aut viduæ mariti, Lev. 21. verſ. 13. *Virginem ducet uxorem.* pag. 63.

Geſtant coronam in capite ex lege & canone Eccleſiaſtico, ad imitationem ſpineæ coronæ dominicæ. Lev. 19. v. 27. p. 62. & Ezech. 44. v. 20. pag. 367.

Debent reſidere in populo, cujus curam gerunt ad religionem & cultum Dei in populo retinendum. Joſue. 21. v. 39. pag. 101.

Eorum poteſtas eſt mere ſpiritualis, adeoque non poteſt exerceri à Regibus & principibus, nec quibuſvis laicis; nec ab iis dari. 3. Reg. 2. verſ. 27. pag. 144. & cap. 4. verſ. 4. p. 145. 1. Paralip. 24. verſ. 6. pag. 170. 2. Paralip. 17. verſ. 7. p. 176. & cap. 19. v. 8. pag. 177. & cap. 26. verſ. 18. p. 179. & cap. 29. verſ. 15. pag. 180.

Debent ali ex ſtipendiis publicis. Num. 18. verſ. 21. pag. 31. Gen. 47. verſ. 22. pag. 73. Num. 7. verſ. 2. pag. 69.

Non debent intereſſe prælio ad pugnandum, aſt benè ad exhortandum. Num. 1. verſ. 47. pag. 66.

Sacramentum.

Sacramenta novæ legis ſunt veræ & immediatæ cauſæ juſtificationis, nam non ponentibus obicem conferunt gratiam juſtificantem, & quidem ex opere operato, id eſt, independenter à fide ac devotione operantis, ſeu conficientis actum Sacramentalem, & etiam ſuſcipientis Sacramentum: Etſi enim in adultis requiratur fides, & diſpoſitio, non tamen concurrit ut cauſa: adeoque non requiritur in miniſtro fides & probitas; omnis namque illorum virtus profluit ex ſanguine & meritis Chriſti: Eſai. 12. v. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalvatoris.* Unde patet ex hoc loco Concilia Florentinum & Tridentinum rectiſſimè definiviſſe, Sacramenta novæ legis non ſignificare tantum, ſed & continere gratiam. pag. 308.

Nec obſtat ſententia Eccl. 34. v. 4. *Ab immundo, quid mundabitur?* & v. 30. *Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lavatio illius?* pag. 297. & Marc. ult. verſ. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit.* pag. 485. Joan. 3. verſ. 5. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua.* pag. 533. Act. 2. v. 38. *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum.* pag. 575. & cap. 22. v. 16. *Baptizare & ablue peccata tua.* pag. 605.

Quia vero nullum Sacramentum veteris legis, ſeu naturæ, ſeu Moſaicæ, juſtificabat ex opere operato, ſed ſolum ratione fidei & contritionis adjunctæ, hinc longo intervallo, (etſi id negent hæretici) cedunt Sacramentis novæ legis. Act. 13. v. 38. *Quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari* pag. 593.

Sacrificium.

Non omne opus bonum (ut vult Melanthon, & Kemnitius) nec omnis oblatio facta in honorem Dei (ut Calvinus cum aliis contendit, eſt ſacrificium propriè dictum: Nam ſcriptura paſſim condiſtinguit, & ſubinde præfert quædam bona opera ſacrificio. 1. Reg. 15. v. 22. *Nunquid vult Dominus holocauſta, & victimas, & non potius, ut obediatur voci ejus?* pag. 124. Oſee. 6. v. 6. *Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei plus quam holocauſtum.* pag. 378. Et ſimiliter in ſcripturis oblatio diſtinguitur à ſacrificio. Vocantur quidem interdum, ſed impropriè ſacrificium, uti Pſal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus* pag. 234.

Mortem Chriſti propriè dictum ſacrificium fuiſſe, nemo dubitat: Joan. 17. verſ. 19. *Et pro eis ego ſanctifico meipſum*, id eſt, ſacrifico pag. 558. Joan. 10. v. 17. Ego pono animam meam. pag. 549.

Præter hoc *Cruentum* Chriſti in cruce *ſacrificium*, eſt præterea aliud in Eccleſia Chriſti non ſolum ſpirituale, internum, myſticum, (quale hæretici facilè admittunt) ſed etiam reale, externum ac propriè dictum ſacrificium *incruentum*, & quidem unicum illud, quod Chriſtus in ultima cœna obtulit, & inſtituit, & adhuc quotidie per univerſam Eccleſiam (velint, nolint hæretici) in Miſſa offertur: Quæ quidem ſacrificia, etſi actione diverſa fuerint; re tamen oblata, & virtute unum idemque fuerunt, & ſunt ſacrificium præfiguratum in ſacrificio Melchiſedechi Pſal. 109. v. 4. *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* p. 247. Proverb. 9. v. 2. *Immolavit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam.* p. 260. & Malch. 1. v. 11. *Et in omni loco ſacrificatur, & offertur*

nomini meo oblatio munda. p.393. Lev.21.verſ.6. *Incenſum enim & panes Dei ſui offerunt*. p. 63. Exod.16.v.8. *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate*. p.42. Inſtitutum verò à Chriſto Domino in ultima cœna: Luc.22.v.19. *Hoc facite in meam commemorationem* pag.520.

Facere autem in ſcriptura idem quod ſacrificare frequenter ſignificat. Lev.15. verſ.15. *Qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocauſtum* pag.60.

Eſt porrò hoc *Miſſæ ſacrificium* non modo *euchariſticum* gratiarum actionis, & *latreuticum* ad cultum & honorem Dei (ut facile concedent hæretici) ſed eſt etiam vere *propitiatorium & impetratorium* Quia Chriſtus apud Evangeliſtas dicit *Corpus* ſuum in Euchariſtia dari & frangi, & *calicem* ſanguinis ſui Euchariſticum *effundi*. id eſt, offerri *in remiſſionem peccatorum*, non pro præſentibus tantum, ſed *& pro multis* aliis abſentibus. Matth.26. Et vero decebat ſacrificium novæ legis non minoris eſſe efficaciæ, quam ſacrificia veteris legis, quæ propitiatoria, & impetratoria fuiſſe conſtat. Exod. 5. verſ. 3. *Ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, ut ſacrificemus, ne forte accidat nobis peſtis, aut gladius*. p.36. Lev.3. v.5. pag.55. Job.1.v.5. & c.ult. v. 8. *Ite ad ſervum meum Iob & offerte holocauſtum pro vobis* p.220. 2.Machab.12.v.43. *offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium*. pag. 405.

Objiciunt hæretici fraudulenter ſententiam Jeremiæ. 14. verſ. 12. *cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum, & ſi obtulerint holocauſtomata, & victimas, non ſuſcipiam ea*. quaſi nullum in illis cultum ſibi gratum Deus agnoſcat, cum potius illis verbis ſignificetur, eſſe quædam ſacrificia, quibus placari poſſit. p.331. eodem modo torquent contra ſacrificia locum Oſee.6.verſ.6. *Quia miſericordiam volui & non ſacrificium, & ſcientiam Dei pluſquam holocauſtam* non attendentes, quæ ſacrificia propheta, ſeu Deus per prophetam reprobet; illa nimirum, de quibus dicitur Eccleſiaſtæ.4.verſ.14. *Multo melior eſt obedientia, quam ſtultorum victima, qui neſciunt quid faciant*. pag.270.

Sacrificia, quæ fiebant ex animalibus occiſis; fuerunt vel inventa piorum hominum, vel à Deo inſtituta, ac piis hominibus ad placandum Deum præſcripta. Gen.8.verſ.21. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*. pag.10.

Sacrificare.

Sacrificare dicitur populus, quando una cum ſacerdote ſacrificante vota ſua conjungit; ſic enim in canone Miſſæ legimus de toto cœtu fidelium 1. *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*. Exod.19. v.6. p.43. Item qui hoſtiam immolandam per ſacerdotem, exhibet. 1.Reg.1. v. 4. *venit ergò dies, & immolavit Elcana*. p.115. 1.Paral.6.v.34. uſque ad 38. p.166.

Sanctorum invocatio.

Sancti qui in cœlo cum Chriſto regnant poſſunt preces fidelium cognoſcere, etiamſi localiter apud ipſos præſentes non ſint. Nam ſi Eliſæus adhuc in corpore poſitus regis Syriæ ſecreta cognoſcere & miniſtri ſui fraudem potuit videre, multo magis animæ ſanctorum corporibus jam exutæ, & Deo præſentes; in eo tanquam in ſpeculo, omnia ad ipſos quoquo modo pertinentia, clarè & perfecte intuentur. 4.Reg.6. v.9. *Miſit vir Dei ad regem Iſrael, &c.* p.157.

Sanctum Eliam ex hominum converſatione ſublatum adhuc cognitionem habuiſſe & curam geſſiſſe eorum quæ inter viventes agebantur, manifeſtant litteræ, quas poſt raptum ſuum ex paradyſo ſeu loco in quo aſſervatur, ſcriptas miſit ad regem Joram. 2.Paral.21. verſ. 12. *Allatæ ſunt ei litteræ ab Elia propheta* pag. 177. Explicatur locus, quem hæretici objiciunt. Eſa.63. v.16. *Abraham neſcivit nos & Iſraël ignoravit nos*. p.324. & Job.14. v 21. *Sive nobiles fuerint filij ejus ſive ignobiles, non intelliget* p.212.

Adeoque etiam ſancti in cœlis orant pro nobis: id enim præſtiterunt, quando nondum ad Dei conſpectum, & gloriam regni cœleſtis, admiſſi erant, ſed erant tantum in ſinu Abrahæ; quanto igitur magis credendum eſt ſanctos jam cum Chriſto regnantes, & perfecta Dei viſione beatos, pro ſalute fidelis populi adhuc militantis apud Deum interpellare. 2. Machab. 15. v. 14. *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael. Hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Ieremias propheta Dei*. p.406.

Eodem modo Samuel promittit ſe non ceſſaturum, utique poſt hanc vitam, orare pro populo Dei. 1.Reg.12.v.23. *Abſit à me hoc peccatum, ut ceſſem orare pro vobis*. pag.122.

Quod ſi etiam ſancti Angeli interpellant pro nobis, ergo multo magis ſanctorum hominum defunctorum animæ, quæ cum Chriſto regnant, pro fratribus ſuis, hic adhuc in terra militantibus, Dei miſericordiam interpellabunt: multo enim major eſt naturæ ſocietas hominibus inter ſe, quàm inter homines & angelos. Zachar.1. v.12. *Et reſpondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum uſquequo tu non miſereberis Ieruſalem?* pag.389.

Neque hujuſmodi ſanctorum interceſſio quicquam derogat Chriſto unico mediatori noſtro. Nam Moyſes fatetur ſe fuiſſe ſequeſtrem & mediatorem inter Deum & populum. Deut.5.v.5. *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum, & vos* pag. 83. Imo vocatur idem Moyſes Princeps & redemptor populi. Act.7. v.25. *Hunc Deus principem & redemptorem miſit* Si ergo ſine injuria unius redemptoris Chriſti Moyſes rectè vocatur mediator & redemptor, cur non alij quoque ſancti in cœlis ſic dici & invocari poſſunt? p.582. Et Deus ipſe remittit amicos Job ad ipſum Job, ut eum requirant pro interceſſore ſuo. Job.42.v.8. *Ite ad ſervum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis; Iob autem ſervus meus orabit pro vobis, faciem ejus ſuſcipiam*. pag.220. Sic quoque Rex Sedechias miſit ad prophetam Jeremiam. Jerem.37.v.3. *Ora pro nobis ad Dominum Deum noſtrum* Calumnioſum ergo eſt, quod hæretici dicunt, noſtras preces, quibus ad ſanctos cum Chriſto regnantes, dicimus Sancte Petre, Sancte Paule orate pro nobis, derogare mediatori unico Chriſto. pag.340. Sancti in cœlis nunquam fruſtra orant, quia Deo intime conjuncti non orant, niſi pro iis pro quibus vident ſe exaudiendos. Apoc.6. v.10. *Uſquequo non judicas*, &c. p.618.

Eorum tamen meritis & interceſſionibus Deus multa beneficia concedit, vel mala avertit; quæ aliàs non concederet, nec averteret: Exod. 14. verſ.15. *Quid clamas ad me?* p.41. 3.Reg.15.verſ.4. *Sed propter David dedit ei Dominus Deus lucernam ex Ieruſalem ut ſuſcitaret filium ejus poſt eum* Quoticùnque autem in ſcriptura dicitur Deum propter David præſtitiſſe populo aliquod beneficium, non tantum ſignificatur illud præſtari propter promiſſionem Davidi factam; quomodo ferè hæretici exponunt; ſed propter promiſſionem factam occaſione meritorum Davidis, vel propter merita Davidis, quorum conſideratione Deus talia promiſerat, ſic enim ſequitur: *Eo quod feciſſet David rectum in oculis Domini*. &c. p.151. Idem eſt: 4.Reg.19.verſ.34. *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me. & propter David ſervum meum* p.161. ſic etiam congrue interpretantur quidam orationem iſtam Judith. c.6. verſ.15. *Et faciem ſanctorum tuorum attende* p.197.

Nec obſtant, imo magis confirmant hanc rem ſententiæ Jeremiæ. 15.v.1. *Si ſteterit Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum* p.331. & Ezech.14. verſ.14. *Etſi fuerint tres viri iſti in medio ejus. Noe, Daniel, & Iob. Non liberabunt filios*. p. 355. 2.Machab.5. v.19. *Verum non propter locum, gentem*, &c. p. 403. Neque obſtat rejectio interceſſionis Apoſtolorum pro muliere Chananæa. Matth.15.v.23. *Rogabant eum dicentes*. pag.437.

Bene etiam ſanctos aliquos in protectores & ſpeciales patronos, regnorum, locorum, &c. eligunt Catholici, argumentum ſumentes ex Apoc.2.v.26. *Qui vicerit, & cuſtodierit uſque in finem opera mea: dabo illi poteſtatem ſuper gentes*, &c. pag.614. Nec eſt in contrarium locus Jerem.17.v.5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum* pag.332.

Orationes ſanctorum exiſtentium in cœlis, acceptantur à Deo, per Chriſtum; uti etiam Eccleſia omnes ſuas petitiones concludit hoc modo: Per Chriſtum Dominum noſtrum, Apoc. 8. verſ.3. *Et alius angelus venit —— ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum* pag.620.

Objiciunt tandem adverſarij contra ſanctorum cœlitum, cultum, honorem, & adorationem ſententiam. Matth.4. v.9. *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies*: ex Deuteronomio à Chriſto Domino allegatum. p.414. & Apoc.19.v.10. *Et cecidi ante pedes ejus, ut adorarem eum, & dicit mihi; Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu: Deum adora*. pag. 630. & cap. 22. verſ.8. *Et poſtquam audiſſem & vidiſſem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli*, pag. 634. Verum nullum cultum divinum ſanctis, aut eorum imaginibus ab Eccleſia Catholica exhiberi in dictorum locorum annotationibus declaratur.

Scriptura ſacra.

Noſtri temporis Novatores hæretici docent ſacram ſcripturam, ejuſque ſenſum eſſe perfacilem, dummodo quiſque teneat grammaticam vocum vim, & ſignificationem, allegantes verba Jerem.31.v.34. *Et non docebit ultra vir proximum ſuum dicens; cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me*.p.338.

Econtra ſuſtinet Eccleſia Catholica, eam myſteriis multis involutam, neque tam claram ubique eſſe ut nulla explicatione, nullo interprete, nec dubiorum judice egeat. 2. Eſd.8.verſ.8. *Et legerunt in libro legis Dei diſtincte, & aperte ad intelligendum; & intellexerunt, cum legeretur*. p.188. Exemplo ſit Pſal.67. v.2. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici ejus*: qui pſalmus, tum propter figuratum ſermonem & ſenſuum profunditatem, tum propter variam tranſlationem, tam obſcurus eſt, ut ſolus ſufficiat hæreticis convincendis, qui fingunt omnia in ſcripturis ſacris eſſe plana & aperta pag.236. Ezech.2.v.9. Non fruſtra vocatur *liber involutus*.p.351. & Apoc.5.v.1. vocatur *liber ſignatus ſigillis ſeptem*. pag.617. Imo ipſiſmet Apoſtolis ſcripturarum ſenſus ignotus erat. Luc.24.v.45. *Tunc aperuit illis ſenſum, ut intelligerent ſcripturas* p.526. Nicodemus etiam, qui erat Magiſter in Iſrael ſcripturarum ſenſum non penetrabat. Joan.3.verſ.10. *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras*. p.533. Eunuchus ille æthiops potens Candacis reginæ Æthiopum lectioni ſcripturarum ita ſtudioſus, ut etiam in itinere in curru ſedens, illas evolveret, tamen interrogatus à Philippo, num ea quæ legeret, intelligeret, negavit ſe intelligere poſſe, niſi aliquo oſtendente. Act.8.v.30. *Putaſne intelligis, quæ legis? qui ait: & quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi* p.585.

Unde conſequens eſt ſcripturam ſacram propter myſteria recondita, & multas quas complectitur figuras & allegorias ab indoctis & idiotis non temere tractandam eſſe. Prov.25.v.2. *Gloria Dei eſt celare verbum*, &c. pag.266. & experientia docuit, eos qui proprio ſuo intellectu prorſus penetrare, & comprehendere voluerunt omnia myſteria fidei, quæ captum intellectus, & ingenij humani excedunt, in varios errores lapſos eſſe: uti Arrium, Sabellium, Neſtorium, Sacramentarios, &c. Prov.25.v.27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*.p.266.Eccl.3. v.22.*altiora te ne ſcrutatus fueris*. p.286.

Verus igitur ſcripturarum ſenſus, quærendus eſt in Eccleſia Chriſti. Amos.8.v.11. *Ecce dies veniunt dicit Dominus* pag.382. Neque enim ſui ipſius judex eſſe poteſt, ut patet exemplo Diaboli illam falſo allegantis Matth.4.v.6. *Scriptum eſt enim: Quia angelis ſuis mandavit de te* p.414.

Explicatur locus Act.17.v.11. *Susceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent*: Ex quo oſtendere volunt adverſarij, omnia decreta Eccleſiaſtica examinanda eſſe ad normam ſcripturæ, ut non prius recipienda ſint, quam cognitum fuerit ea ſcripturis eſſe conformia. pag.597. Item verba Jeremiæ cap.19.v.5. *Quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*: ex quibus imperitè & ineptè quidam inferre volunt, nihil eſſe faciendum in Dei cultu, aut in religione credendum, quod non ſit diſertè poſitum in ſcriptura.p.333.

Templum.

Templorum, altariumque conſecrationis ritum ſervat etiam hodie Eccleſia, & ſervavit olim, non tanquam ceremoniam cultus judaici, uti calumniantur hæretici; ſed tanquam religioſum ritum etiam novi teſtamenti conditioni & ſtatui aptum & convenientem, & à Chriſto ipſomet ſua præſentia cohoneſtatum. 1.Machab.4.v.56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo*. pag.397.

Templa Chriſtianorum ſunt domus & habitacula, in quibus Deus ſpecialius, quam in aliis locis habitat, quoad effectum. nimirum, exaudiendo orationes noſtras, acceptando vota & ſacrificia, præſtando beneficia, conferendo gratiam. 3. Reg.8. verſ.13. *Ædificans ædificavi domum in habitaculum tuum* pag.146. 1. Paralip.29.v.1. *Opus grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo* p.171.

Nec obſtat ſententia Act.7.v.48. *Sed non excelſus in manufactis habitat* p.582. & c.17.v.24. *Deus qui fecit mundum & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit Dominus non in manufactis templis habitat*, &c.p.598.

Orationes Chriſtianorum fuſæ in Deo conſecratis templis & oratorijs publicis magis à Deo exaudiuntur, quam alibi. 2.Paral.6.v.21. *Quicumque oraverit in loco iſto, exaudi de habitaculo tuo, & propitiare*. pag.173.

Verum requiritur quam maximè cultus interior miniſtrorum, ac plebis, qui conſiſtit in actibus fidei, ſpei, & charitatis: ubi enim iſta deſunt quicquid exterius agitur in ſacrificiis, Pſalmodiis, hymnis, & orationibus inutile eſt, & mimicis geſticulationibus ſimile, magiſque talibus ad iram provocatur Deus, quam commovetur ad miſericordiam: & ad hoc ſolum vergunt loca ſacræ ſcripturæ, quæ hæretici contra templorum prærogativam nobis obijciunt: nimirum.3. Reg.9.v.6. *Si averſione averſi fueritis vos, & filij veſtri —— auferam Iſraël de ſuperficie terræ —— & templum projiciam à conſpectu meo* p.147.& Jerem.7.v.4. *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt*. pag.328.

Neque per illa verba, Matth.6.verſ.6. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*. Vult damnare orationem, quæ fit publicè in loco publico, ſed vult prohibere oſtentationem inanis gloriæ, & admonet ut intentio noſtra feratur tota in Deum. pag.418. Vide etiam. Joan.4.v.21. *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ieroſolymis adorabitis Patrem*. & v.24. *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare*. pag.535. Ubi Dominus ita requirit cultum ſpiritualem, quod non excludat corporalem.

Templa & oratoria divino cultui conſecrata, ſunt in honore habenda & neutiquam prophananda, aut prophanis uſibus deſtinanda. Exod.3.v.5. *Ne appropies, ſolve calceamentum, locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. pag.35. Prophanantur autem templa & mutantur in ſpeluncas latronum quando hæreſes & hæretica in illis docentur & exercentur: fiunt domus negotiationis, quando Simonia & turpe lucrum in illis intenditur. Matth.21.v.13. *Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum* p.449. Etiam prophanantur templa per quædam peccata in illis commiſſa, ob quæ ſecundum canones Eccleſiaſticos denuo repurgari & reconciliari debent. Lev.16. verſ.16. *Et expiet ſanctuarium ab immunditiis filiorum Iſrael*. p.62.

Ad templorum extructionem, conſervationem, & ornatum conſerre, Deo acceptum eſt, exemplo viduæ pauperculæ æra minuta duo mittentis in gazophylacium, Luc.21.v.3. *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit*. p.519.& 1.Paral. 26.v.28. *Hæc autem univerſa ſanctificavit Samuel videns, &c*. p.171.& Eccl.14.v.13. *Ante mortem bene fac. &c*. pag.290.

Mos Chriſtianorum (imo univerſalis Eccleſiæ traditio) adorandi in templis verſus orientem, propter ſpiritualem ſignificationem, ſcilicet, Chriſtum, de quo Zachar.6. *Ecce vir, oriens nomen ejus*: non eſt damnandus. Ezech.8. verſ.15. & 16. *Adhuc converſus, &c*. pag.353.

Quomodo Salomon rex & filij Iſraël dicantur dedicaſſe templum, quod erat munus ſacerdotale? 3.Reg.8. v.63. *Et dedicaverunt templum Domini rex & filij Iſrael*. pag.147.

Timor.

Timor quem ſcholaſtici vocant ſervilem, ob gehennæ metum, utilis eſt. Pſal.118. *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*, quem timorem ſenſit Paulus in ſua converſione. Act.9. *Et tremens ac ſtupens dixit: Domine quid vis facere?* Prov.1.v.7. *Timor Domini principium ſapientiæ*. pag.449. Eccl.1. verſ.27. *Timor Domini expellit peccatū*. p.257. Vide etiam annotationes in 3.Reg.21.v.29. de humiliatione Achab. pag.153. & 2.Mach.6.v.18. Igitur Eleazarus, &c.p.403.

Traditio Eccleſiaſtica.

Præter verbum Dei ſcriptum, neceſſario eſſe admittendum aliquod verbum Dei non ſcriptum, ſed viva voce traditum, Traditiones nimirum divinas & Apoſtolicas (etſi reclament omnes hæretici) colligitur ex locis ſequentibus. Act.1.v.3. *Loquens de regno Dei* p.570. Jerem.6.v.16. *Hæc dicit Dominus, ſtate ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis & ambulate in ea*. p.327. Job.24.v.2. *Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges*. p.215. Prov.22.v.28. *Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui*. p.265.

Non facit quicquam in contrarium locus Deut.4.v.2. *Non addetis ad verbum, quod ego vobis loquor, nec auferetis*, p.82. & Apoc.ult.v.18. *ſi quis appoſuerit ad hæc* &c. p.635.

Ex

Explicatur etiam locus quem hęretici opponunt Matth. 15.v.9. *Sine cauſa autem colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Ubi Chriſtus vocat mandata & doctrinas hominum, non quæcunque ab hominibus traduntur, aut præcipiuntur, ſed quæ ex humano corde conficta, vel ad pietatem nihil conducunt, vel etiam pietati, aut legi Dei adverſantur, uti in exemplis de lotione manuum ante cibum, & de ſubſidio parentibus à filiis denegato intuitu pietatis in textu allegatis, apparet. p.436.

Similiter. Act. 26. S. Paulus excuſat ſe, quod nihil docuerit cnotra legem & prophetas ex quo non ſequitur nihil extra ſcripturas doceri aut credi debere, Act.26.v.22. *Nihil extra docens, quam ea quæ prophetæ locuti ſunt futura eſſe, & Moyſes.* p.609.

Vaſa Sacra.

Vaſa ſacra, aliaque pro divino cultu, aut templorum ornatu à Chriſti fidelibus oblata & Eccleſiis donata, nulla ratione licet alienare, prophanare, aut in alios uſus convertere. 1.Paral.18. v.11. *Sed & omnia vaſa aurea, & argentea, & ænea conſecravit rex David Domino.* pag.169.

Licet tamen in quibuſdam caſibus neceſſitatis. 4.Reg. 12.v.18. *Tulit Ioas omnia ſanctificata, miſitque Hazael regi Syriæ, & receſſit ab Ieruſalem* p.159.

Votum.

Quædam non præcepta vovere in honorem Dei, illicitum, impium, & ſuperſtitioſum fingit Lutherus, Calvinus, & alij ſectarij: aſt laudabile eſſe omnes orthodoxi profitentur, & patet ex Pſal.75. verſ.12. *Vovete, & reddite Domino Deo veſtro.* pag.239. exemplo Nazaræorum. Num.6. v. 18, *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi.* p.66.

Levitici 27. v.6. *Ab uno menſe uſque ad annum quintum pro maſculo dabuntur quinque ſicli* Ubi laudantur vota parentum facta pro filiorum infantum & puerorum ſalute. pag.65. Unde & Anna commendatur, quod Samuelem filium ſuum, nondumnatum Domini ſervitio voto nuncupaverit. 1. Reg.1. v. 11. *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ ejus.* p.116.

Rectè etiam faciunt Chriſtiani; qui in periculo conſtituti, igne, aqua, morbo: hoſtibus vel quocunque alio modo, certa quædam vota Deo offerunt, ut à periculis eruantur: Exemplo Jonæ prophetæ. Joan. 2.v.10. *Ego autem in voce laudis immolabo tibi, quæcunque vovi, reddam pro ſalute Domino.* pag.384. ſic etiam fecit Jacob. Gen. 28. dicens: *ſi fuerit Deus mecum, & cuſtodierit me in via &c. erit mihi Dominus in Deum: & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.*

Ex quo etiam colligitur, opera, quæ fiunt ex ſpontanea voti obligatione, eſſe gratiora Deo, quam quæ abſque hujuſmodi obligatione fiunt. (quod hæreticorum noſtri temporis profana novitas non admittit.) Gen.28.v.19. *vovit etiam votum, dicens*: p.22.

Vota monaſtica non adverſantur libertati Chriſtianæ, (quod docent hæretici) non enim repugnat aliquid facere ex præcepto, & tamen ſponté, & voluntariè facere, eadem enim ratione omnia præcepta adverſarentur libertati. Exod.35.v.5. *Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus; ſeparate apud vos primitias Domino: omnis voluntarius & prono animo offerat.* p.53.

Ex hiſce ſequitur licitum eſſe & laudabile vovere perpetuam paupertatem quia eſt de re gratiore Deo, quam ſi non fiat. Matth.5.v. 3. *Beati pauperes ſpiritu.* p.417. Et quia ſingulariter ſervit obtinendæ perfectioni. Matth.19.v.21. *ſi vis perfectus eſſe, vade, & vende quæ habes.* p.444.

Idem dicendum de caſtitate, quam ideo Chriſtus commendat: Matth.19.v.12. *ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere, capiat.* p. 443. Et nonne vovit illam B. virgo Maria Luc.1.v.34. *virum non cognoſco* p.488. Sap.3.v.13. & 14. promittitur virginibus *ſors* melior *in templo Dei. Dabitur illi fidei donum electum, & ſors in templo Dei acceptiſſima.* Cui ſimile eſt, quod Iſaias item Evangelicus propheta, de virginibus dicit cap.56. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis, locum & nomen melius à filijs & filiabus.* pag.322.

Idem de obedientia; per quam homo abnegat ſemetipſum & ſequitur Chriſtum, id eſt, judicium & voluntatem ſuam ſeponit, & alteri, vices Chriſti gerenti, paret in omnibus, ut colligitur ex Luc. 10. v.16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* p.505.

VVicleff.

Wicleff & Brentius docuerunt, Deum non alia poſſe facere, præter ea quæ fecit, quem blaſphemum errorem exemplo ſuo deſtruunt tres pueri Iſraelitici: Dan.3.v.17. *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis. Quod ſi noluerit, &c.* p.370.

INDEX CONCIONATORIUS

EX

ANNOTATIONIBUS

ADDITIONIBUSQUE

D. N. GUILIELMI ESTII,

DE TEMPORE, ET DE SANCTIS.

P. Pagina deſignat numerum, v. Verſum, c. Caput, pſ. Pſalmum indicant, & concurrentiam diſtinguunt.

DOMINICA I. ADVENTUS.

Luca 21.

ERunt ſigna in Sole & Luna Portenta demonſtrare Deus ſolet, ex quibus, quæ calamitas immineat, agnoſcatur. pag. 310. v. 2. c. 20. p. 352. v. 5. pag. 363. v. 7. p. 465. v. 19.

Erunt ſigna Tam ſevera non eſt Dei Juſtitia, ut de ſupplicio non præmoneat, quod ſi non præmonet, id hominis peccata non admittunt. p. 37. v. 16. ibid. v. 26. p. 381. v. 7. p. 467. v. 51. p. 222. v. 12.

Erunt ſigna. Demonſtrant majeſtatis excellentiam horrenda ſigna prævia; non tamen tam repentè judicij dies ingruit, ut peccator non pœniteat. pag. 152. v. 11. p. 519. v. 25.

Erunt ſigna. Non divinationes Genethliacorum obſervare licitum eſt, vel Aſtrologorum, etſi non vetentur ſigna naturalibus hujus vitæ uſibus neceſſaria. pag. 2. verſ. 14. p. 319. v. 2.

Areſcentibus hominibus præ timore Minis & timore pœnarum in homine Deus tentat, quod ipſius non valet benignitas. p. 82. v. 28.

Virtutes cœlorum movebuntur. Sidera in ordine ſuo ad tremendi judicis nutum conſiſtent in magno judicij die. p. 300. v. 10.

Tunc videbunt Filium hominis. Extremum judicium ex umbra diluvij conjice, quo Deus omnem delevit ſubſtantiam. pag. 10. v. 19. ibid. verſ. 23.

Tunc videbunt. Vulneribus videbunt impij conſpicuum & radiantem, & omnem vel inviti fatebuntur Chriſto Judici poteſtatem traditam, quem priùs agnoſcere nolebant: & ad ſui quidem extremam ignominiam & pœnam. p. 392. verſ. 10. p. 510. verſ. 35. p. 564. v. 17. p. 613. v. 7.

Tunc videbunt Adhuc peccator miſericordiæ locum, quo confugiat, reperit; ſed tunc audiet ſecum Deum judicia locuturum. p. 341. cap. 39. v. 5.

Tunc videbunt. Nemine excepto comparebunt omnes vel præmium accepturi, vel pœnam; ſurgent enim & impij in concilio juſtorum, ſed non ſubſiſtent. p. 221. v. 5. p. 459. v. 32. p. 632. v. 12.

Cum poteſtate magna. & majeſtate. Utiquè terribilis erit mundi finis, quando & cœli ſidera ſuum lumen abſcondent. p. 308. v. 9.

Cum poteſtate magna. De poteſtate illius ne dubites, quam à longiſſimo exercuit tempore. p. 17. verſ. 24. p. 284. v. 14.

Et Majeſtate Umbra Majeſtatis non ſuſtineri poterat, & miſericordiæ modus erat Majeſtatem intuentium incolumitas: quantus impiis terror videre oculis flammantem, voce tonantem audire? p. 44. v. 1. p. 47. v. 11. p. 359. v. 6. p. 173. v. 1.

Levate capita veſtra Horrendum eſt in manus Dei viventis incidere; ſed impiis: Electos recreat, quod impios terret. p. 47. v. 11. p. 314. v. 14. p. 381. v. 18. p. 605. v. 14.

Levate capita veſtra In adverſitate poſitus firmito animum, in bonum enim ea tibi cedit. p. 252. v. 1. p. 552. v. 2. p. 191. v. 16. p. 237. v. 6. & 7.

Cælum & terra tranſibunt. Lex Dei ſola conſiſtit æterna, cùm quantumvis perfectæ res cæteræ ſint habituræ finem. p. 250. v. 91. p. 256. verſ. 6. p. 457. v. 35. p. 619. verſ. 14.

Verba mea non tranſibunt. Stat firma in peccatores Dei ſententia, quæ in effectum redigat; quæcunque ſunt prædicta. p. 355. v. 5. p. 373. v. 15.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Matth. 11.

CUm audiſſet Ioannes in vinculis. Luſit cum Iſaaco Iſmael, ut hæreditatem rapiat: in vinculis jacet Joannes, ut Herodes ſortiatur intentum. p. 18. v. 6.

Ioannes in vinculis Diſce mortem potiùs oppetere, quàm contra conſcientiam agere. p. 287. v. 24. p. 179. verſ. 17.

Ioannes in vinculis. Deteſtanda Herodis levitas; propter mulierem carcere claudit, quem libenter audiverat. p. 341. v. 5.

Ioannes in vinculis. Recreant bona & placita aures; nemo ſine odio dixerit non grata. p. 384. v. 11.

Miſit duos de diſcipulis. Præconem verbi Dei ſeſe & in carcere profitetur, neque Dei verbum eſſe alligatum oſtendit. p. 340. v. 5.

Euntes renunciate Fortiter in adverſitatibus agens divino fovetur auxilio; non enim ſine coſta carnem ſumpſit de Adamo Deus. p. 5. v. 21.

Pauperes evangelizantur. Gibbum ponat ſuperbiæ, quiſquis ſuſcepturus eſt Dei verbum; in obſequium enim Chriſti captivandus eſt intellectus. pag. 429. verſ. 5.

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus Inter offendicula qui perſeverat in fide Catholica ſtabilis, cur non ſit beatus? ibid. v. 6.

Non fuerit ſcandalizatus Non ſcandalum patitur, qui extremam Chriſti prædicat ignominiam: ergo & beatus. p. 523. v. 42.

Beatus, qui non fuerit ſcandalizatus Scandalo Judæis erat mors Meſſiæ ignominioſa; nec ut crederent, poterant induci. ibid.

Qui mollibus veſtiuntur. Stulta veſtium vanitas, aut rarò, aut nunquam eſt ſine peccato. p. 429. v. 8.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Ioan 1.

UT interrogarent eum Excœcati invidiâ legatos miſerunt, ut interrogent de Meſſia, tanquam neſcirent

eum, quem poſt ut in ſermone caperent, & ſunibus, ſuos ablegant. p. 528. ℣. 19.

Tu quis es? Luminaria magna ſunt nobis Sol & Luna, quod cæteris majora appareant, eſt & apud homines apparentia exterior. p. 3. ℣. 16.

Confeſſus eſt, & non negavit. Non dirigitur, qui negat, vel abſcondit peccata; miſericordiam conſequitur, qui agnita fatetur. pag. 267. ℣. 13. p. 52. ℣. 11. ibid. ℣. 2. p. 287. ℣. 25.

Confeſſus eſt Sedat conſcientiæ inquietudinem peccati confeſſio; ſuſtinebit inquietam qui fateri erubeſcit. p. 228. ℣. 3. & 4. p. 287. ℣. 25.

Confeſſus eſt Male inferis non eſſe Sacerdoti detegenda crimina, quod illa per pœnitentiam Deus remittat. p. 219. ℣. 5.

Confeſſus eſt. Lex confeſſionem peccati exigens, erat ad Chriſtum pædagogus. Non ergo peccata confiteri diceris, ſi cum agnitione culpæ ea non enumeres. p. 56. ℣. 4. p. 412. ℣. 6.

Et non negavit. Apertè cauſam ſuam exponit juſtus nec quod contra ſe, nec quod pro ſe fuerit, diſſimulat. p. 263. ℣. 17.

Propheta es tu? Negat ſe prophetam, qualem illi putant; vocem ſe aſſerit, quæ præſentem clamat. p. 518. ℣. 38.

Quid dicis de teipſo? Quiſquis hominem ſe non agnoſcit manum in ſinum mittat, atque ex lege ſuſcepta Chriſti ſuam infirmitatem agnoſcat. p. 35. ℣. 6. p. 223. ℣. 21. p. 246. ℣. 26.

Ego vox clamantis Proprium eſt juſtorum hominum in Deum virtutes & facta refundere; quo enim ſuperiores ſunt, tanto ſe gerunt ſubmiſſius. pag. 28. ℣. 16. p. 106. ℣. 18. p. 286. ℣. 20.

Et qui miſſi fuerant. Habet ſemper ſuos diabolus, quibus ad decipiendum utitur ut inſtrumentis. pag. 5. ℣. 1.

Ego baptizo in aqua. Grandis inter utrumque baptiſmum differentia; tanquam cœlo terraque diſtinctum oſtendit ergo Joannes à Chriſto miniſterium. p. 449. ℣. 25. p. 570. ℣. 5.

Cujus non ſum dignus Dominium homini tribuit Deus, at non in omnia; agnoſcat ſe minori beneficio non dignum eſſe, ut majus acquirat. p. 3. ℣. 28. p. 412. ℣. 13. & 413.

Dominica IV. Adventus.

Luc. 3.

V*Enit in omnem regionem.* Qoid mirum, ſi pax per Angelos. & per Joannem annuntiatur pœnitentia? nam pij eſt principis non in pace ſolùm continere, ſed & vera populum religione imbuere. p. 176. ℣. 7. c. 16.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Diſponit ad remiſſionem pœnitentia, purgat animam, atque exaggerata crimina reddit minora. p. 56. ℣. 5. p. 69. ℣. 7. p. 119. ℣. 6. p. 181. ℣. 23.

Prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Prædicationis Evangelicæ ſummam complectitur, qui pœnitentiam prædicat. p. 411. ℣. 2.

Factum eſt verbum Domini. Ad Ezechielem cum libro manus miſſa, quid ſi typicè Joannem pœnitentiam prædicare juberet? p. 350. ℣. 9.

Baptiſmum pœnitentiæ. Nolito decipi, pœnam per aliorum remitti merita, ſi pœnitentiam ipſe non egeris. p. 71. ℣. 20. p. 175. ℣. 7.

In remiſſionem peccatorum Salutis conſequendæ ſignum T. gerunt, qui pœnitentiæ baptiſmo abluti ſignantur. p. 354. ℣. 4.

In remiſſionem peccatorum Adſit ſpes veniæ, & de bonitate violatâ ſummi Boni dolor, ut ad ſalutem te adducat pœnitentiæ. pag. 398. ℣. 12. p. 464. ℣. 3. p. 40. ℣. 33. c. 12.

Parate viam Domini Neceſſe eſt admonere ſæpius ad viam parandam Domino; Undè prædicatio præparatoria Joannis erat ad Chriſtum ſuſcipiendum. pag. 77. ℣. 1. p. 471. ℣. 4. ibid. ℣. 15. p. 495 ℣. 3. p. 600. ℣. 4.

In Nativitate Domini.

Luc. 2. Joan. 1.

P*Eperit Filium ſuum* Partus dolore carens virgo ipſa pannis involvit Filium, & Genetricis & obſtetricis ſupplet officium. p. 491. ℣. 7.

Evangelizo vobis gaudium. Benè Gaudium annuntiat Angelus, quando Salus æterna voto adimpleto mundi apparuit. pagina 486. ℣. 13. pag. 32. ℣. 10.

Natus eſt vobis hodie Salvator. Typus Salvatoris Samſon; ſed longè nobis excellentior Chriſtus Salvator eſt, quàm Iſraelitis fuerat Samſon. pag. 169. ℣. 1. ibid. ℣. 5.

Natus eſt vobis. Vobis inquit, non illis, ſed nobis natus eſt: nam propter noſtram deſcendit ſalutem. p. 491. ℣. 11.

Invenietis infantem. Incipit in medio duorum animalium vivificare opus, donec in medio latronum impleat egreſſus in ſalutem populi ſui. pag. 387. ℣. 2. p. 338. ℣. 13.

Gloria in altiſſimis Deo. Non mirum, quod Angelus Dominicæ Nativitatis ſit præco, primi namque inter creaturas Angeli deprædicabant Dei laudem; atque hominum gratulantur felicitati. p. 491. ℣. 14.

In terra pax hominibus. Pacem Angelus annunciat; natus eſt enim, qui pacem & iis, qui longè ſunt, & qui propè detulit. p. 322. ℣. 19.

Maria conſervabat omnia verba. En modeſtiam virginis, en humilitatem: diſcit à paſtoribus, nec loquacitate muliebri eos geſtit inſtruere. p. 492. ℣. 19.

In principium erat verbum Ante cœlum & terram nihil creaturæ extitit, ante verbum æternum fuit nihil: longè diſpari ratione. pag. 1. ℣. 1. pag. 613. ℣. 8.

In principio erat verbum. Æterna eſt à Patre Nativitas Filij; quam à Matre Virgine habet temporalem; utraque autem ineffabilis. pag. 259. ℣. 22. pag. 321. ℣. 8.

Et Deus erat Verbum. Proprium Dei, utpotè immutabilis, eſt nomen: Ego ſum qui ſum; nec mutationem temporis recipit. p. 35. ℣. 14.

Omnia per ipſam facta ſunt. Teſtantur Sapientiam Conditoris omnia opera; ex pulchritudine tamen rationalis animæ tantò ſapientior agnoſcitur. p. 282. ℣. 4. ibid. ℣. 5. p. 285. ℣. 4. p. 526. ℣. 3.

Erat lux vera. Niſi homo illuſtretur divinitus, nihil novit eorum, quæ ſunt ſalutis. Vera itaque lux Chriſtus de alto exoriens, qua illuminantur, quotquot illuminantur. pag. 267. ℣. 1. p. 491. ℣. 78. & 79. p. 527. ℣. 9.

Illuminat omnem hominem. Sunt, quibus non lucet Juſtitiæ lumen; ſed ſuâ culpâ: ſunt, quibus prædicationis non fulſit lux ſed occulto Dei judicio. p. 277. ℣. 26. p. 286. ℣. 24. p. 596. ℣. 6.

In propria venit, & ſui eum. Magna Judæorum perverſitas, ut eum non reciperent, ad quos tot patrum votis expetitus ſpecialiter fuerat miſſus. p. 309. ℣. 2. p. 538. ℣. 37. & 46.

Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Movit Chriſtus adventu ſuo cœlum & terram, ut terrenos in cœleſtes mutaret; & quos per creationem habet filios, per gratiam filios quoque fieri illis donat p. 389. ℣. 7. p. 598. ℣. 28.

Sed ex Deo nati ſunt. Mandatorum patris executio, & filij receptio veros conſtituunt filios; ſecùs ſi fiat, adulterini probantur. p. 418. ℣. 45. p. 527. ℣. 12.

Et verbum caro factum eſt. In ſpecie jam pridem apparuerat, quam Dei Verbum aſſumeret; deliciæ enim illi erant eſſe cum filiis hominum. p. 34. ℣. 2. p. 259. ℣. 31. p. 371. ℣. 93.

Verbum caro factum eſt. Ad membra defuncti veruti Eliſæus membra ſua applicat, ut mortuus per peccatum homo reviviſcat. p. 156. ℣. 31.

Verbum caro factum. Infans. ò mirum! perfectus eſt vir: & antiquus dierum, ò miram charitatem! fit pro homine unius diei Infans. pag. 338. ℣. 12. pag. 373. ℣. 9. p. 383. ℣. 3.

Et habitavit in nobis. Nunc fidelis in promiſſis Deus, cum impleta ſint, quæ adhuc Judæorum exſpectat obſtinata cœcitas. p. 65. ℣. 11. p. 309. ℣. 3 p. 495. ℣. 6. p. 537. ℣. 25.

Vidimus gloriam ejus Imago in veram tranſiit formam; conſummata eſt Sapientia umbratica: caliginoſa nubes ceſſit: quando ſplendor patris in nocte apparuit, quando Sapientia æterna viſa eſt in terris. pag. 71. ℣. 8. p. 349. ℣. 36. p. 52 ℣. 11. p. 173. ℣. 1. c. 6.

Unigenitus à patre. Ex patris procedit Subſtantiâ Verbum, Filius unigenitus: non tamen primogenitus patris, ſicut matris. pag. 293. ℣. 14. p. 409. ℣. 22.

Plenum gratia Per Chriſtum habemus totum, quidquid vel gratuitò datur, vel juſtè retribuitur. p. 517. ℣. 14. & 16. & 17. p. 534. ℣. 27. & 34.

Dominica Infra Oct. Nat.

Luc. II.

P*Oſitus eſt in ruinam.* Propriæ quiſquè adſcribat culpę, quod ſibi negligenti cedit in ruinam. p.103. ℣.3. p.300. ℣.1. p.583. ℣.51. p.599. ℣.6. ibid. ℣.7.

Et ſuam ipſius animam. Non violenta prædicit virginem Matrem morte tollendam, ſed graviſſimis exercendam ſuo tempore angoribus. p.254. ℣.18.

Tuam ipſius animam. Angelus gaudia, Simeon anguſtiam nunciat virgini. Vide lætis triſtia miſceri. p.493. ℣.35.

Erat Anna propheteſſa. Non viri tantùm dono prophetiæ ſunt illuſtres, fœminę etiam indè nominis celebritatem conſequuntur: Idem eſt Spiritus, at diverſa dona, atque gratiâ replet, quoſcunque elegerit. p.50. ℣.3. p.70. ℣.17. & 25. p.162. ℣.14. p.573. ℣.6. p.574. ℣.17. p.581. ℣.8. p.34. ℣.3.

Et hæc vidua. Facit nomen Annæ celebre tam vidualis caſtitas, quam inſignis Judithæ prototypon. p. 200. ℣.11. p. 201. ℣.28.

Iejuniis, & obſecrationibus. Jejunant Judæi ſed non acceptabiliter; jejunant Catholici, & benè, ſed ſi à peccatis abſtinent: non enim minus per preces Deum colimus, quam per jejunium. p.322. ℣.5. p.331. ℣.12. p.390. ℣.5. p.494 ℣ 37.

Puer creſcebat. Animum ab junioribus annis ad virtutem adjice; tantò magis commendatur pietas, quantò ab annis junioribus incipit: & tantò plus proficis, quantò in timore Dei ampliores progreſſus facis. p.179. ℣.3. p.216. ℣.28.

In Circumcisione Domini.

Luc. II.

U*T circumcideretur puer.* Ut perditionem olim maſculus evaderet, circumcidi oportebat; fiat cordis tui circumciſio, ut mortem evadas. p.16. ℣.14. p.36. ℣.25. p.95. ℣.2.

Vocatum eſt nomen Dei ordinatione imponuntur nomina, ut rebus & officiis nomina conveniant. p.8. ℣.29. p.24. ℣.28. p.25. ℣.28. p.317. ℣.28. p.309. V.1. p.324. ℣.2. p.472. & 473. ℣.16. & 17.

Vocatum eſt nomen ejus. Omnipotentiæ ſuæ olim Deus oſtendit indicia, nunc Salvatoris benignitas apparuit. p. 36. ℣.3.

Vocatum eſt nomen. Piaculum eſt Chriſtianis imponere, quod tam venerandum eſt, nomen JESUS. pag. 407. ℣.1.

Dominica Post Oct. Nat.

Matth. II.

A*Ngelus Domini apparuit.* Bonus verè Deus, qui ſuos, ne in periculum incidant, ſolet monere. Non igitur es ſine culpa, ſi vel te, vel alium exponas. p. 14. ℣.11. p.71. ℣.24.

Surge & accipe puerum. Noli, quæ ſunt humanæ induſtriæ, omittere; etſi fert opem Deus: temeritatis eſt, ſeſe zelo imprudenti periculo exponere. p.551. ℣. 17. p.607. ℣.10. p.610 ℣. 22. pag. 13. ℣. 12. pag.20. ℣.7. pag. 129. ℣.1. pag.132. ℣.9. pag. 138. ℣.14. pag. 143. ℣. 11.

Fuge in Ægyptum Humanum de eo non quæras conſilium quod certò noveris divino juſſu aut inſtinctu eſſe agendum. p.198. ℣.33.

Fuge in Ægyptum. Fugiens in Ægyptum prophetam probabat fidelem, qui hoc jam pridem prædixerat. p.310. ℣.1. p.362. ℣.13.

Eſto ibi, uſque dum dicam tibi Conſilium bonum ne rejicias, à quocunque ſit, etſi videris tibi eſſe ipſe doctus. p.43. ℣.19.

Vt Herodes quærat puerum Nec hœdus in lacte matris eſt coquendus, nec infans Chriſtus occidendus. p.46. ℣.19.

Conſurgens accepit puerum Latens Joas parvulus necis ereptus periculo nati Salvatoris expreſſit fugientis figuram. p.158. ℣.2.

Herodes iratus eſt valdè Pro Davide trucidantur Sacerdotes; pro Chriſto milleni pereunt infantes. p. 127. ℣.18.

A bimatu, & infrà. Præveniendum putabat Herodes recens nati Regis inſidus; tu, ne obruaris à vitiis, ad petram allide parvulos. p.253. ℣.8.

Eſtij Annot. in Script.

Vigilia Epiphaniæ.

Luc. II.

D*Efuncti ſunt, qui quærebant.* Tollit benignus Deus è ſuorum Cordibus metum, & de ſublato periculo reddit certiores. p. 36. ℣.19.

Defuncti ſunt. Mors bonis & malis communis eſt, finiunt tamen mali morte malâ, tranſituri ad æternam. p.404. ℣.9. p.591. ℣.23.

Audiens quod Archelaus. Vitat Joſeph periculum; nam ſolent poſteri majorum imitari exemplum. p. 350. ℣.12.

Admonitus in ſomnis. Incertæ ſunt providentiæ noſtræ; hinc divina opus nobis eſt directione. pagina. 280. ℣.14.

Seceſſit in partes galileæ Vix ſine periculo initur amicitia eorum, qui vel à fide, vel à moribus ſunt alieni: cede igitur loco. p.399. ℣.17.

Nazaræus vocabitur. Potiori vocatur Jeſus nomine, quod in Nazareth conceptus, etſi in Bethlehem natus. p.561. ℣.19.

In Epiphania Domini.

Luc. II.

E*Cce Magi ab oriente.* Reges iſti per Stellam cœli agnoſcunt Regem; congruebat enim de ſublimi cœlo Gentibus novi regis manifeſtare ortum. p.75. ℣.17. p.410. ℣.2.

Vbi eſt, qui natus eſt Rex Chriſtum agnoſcunt Regem; de cujus jure diſputant alij. ibid.

Herodes Rex turbatus eſt. Non ſine metu eſſe conſuevit, qui periculum imminere conſiderat. pagina. 32. ℣.10.

Dixerunt ei: in Bethlehem. Perfidi ſunt ſcribæ, qui de lege inſtruunt alios, quàm ipſi non ſervant. p.410. ℣.4.

Vt ego veniens adorem eum. Fraudem ſub pietatis ſpecie tegunt, qui aliis nocere intendunt. pagina 25. ℣.25.

Procidentes adoraverunt eum. Filium ſuum Deus Regem conſtituit; ne perduellibus iraſcatur, eum colere oportet. p.221. ℣.1.

Procidentes adoraverunt. Adorant Magi Deum in Infante; non minùs adorari eum decet in Euchariſtia. p.411. ℣.11.

Apertis theſauris ſuis obtulerunt. In ſpecie munerum Abel & Cain, ut D. Ambr. loquitur, nil reprehenſibile erat; aſt intentione factum eſt, ut reſpiceretur, unius alterius rejiceretur oblatio: bonum enim licet ſit, ſine bona tamen voluntate & intentione Deo non placet. p.6. ℣. 4. & 5. p. 53. ℣.5. & 4. p. 54. ℣.3. & 11. p.55. ℣.13. p.158. ℣.18.

Obtulerunt munera. Vacuum non licet apparere in conſpectu Domini: gratum ſuſcipit quaſi tuum, quod totum ſuum eſt. pag.46. ℣.15. pag.87. ℣.22. pag.172. ℣.14.

Dominica I. Post Epiph.

Luc. II.

N*On cognoverunt parentes.* Non culpes negligentiæ vel Joſeph, vel Mariam, non enim eſt culpa; ubi nullum in puero erat perverſionis periculum. p.494. ℣.42.

Poſt triduum invenerunt. In otio non reperitur Jeſus perditus; nec invenies, niſi laborem & ſudorem addideris. p.275. ℣.1.

In medio Doctorum. Interrogat puer Seniores; ut quidam in cauſa patris loquitur: nec puer ipſe, quia æterna ſapientia. p.296. ℣.10. c.32. p.494. ℣.47.

Invenerunt in templo. In templo puer inventus eſt; nam meliùs in tali ætate bonum addiſcitur. pag.303. ℣.18.

Interrogantem eos. Non dedignare ab humano magiſterio inſtrui, quando & ſapientia patris interrogat. p.586. ℣.6.

Stupebant autem omnes. Mirantur, quod litteras non didiciſſe noverant; conſideraſſent ipſum patris eſſe ſapientiam. p. 540. & 541 ℣.15. & 16.

Fili, quid feciſti nobis ſic? Mira Dei diſpoſitio, ut parentes filium perderent, & reverſi ad templum de filio ſuo inſtruerent legis doctores. p.495. ℣.48.

Pater tuus & ego dolentes. Grave ſupplicium eſt

animæ, orbari eo, quod in deliciis eſt. Hinc dolorem parentum de liberis collige. p. 27. v. 35. p. 108. v. 35. & 39.

Fili quid feciſti. Sollicitam liberorum curam gere, & debitam correctionem adhibe; non enim eſt ſine ſupplicio negligentia. p. 18. v. 6. p. 36. v. 24. p. 116. v. 23. p. 143. v. 5.

Pater tuus, & ego. Inter pravam parentum educationem filios conſervare pios divina ſolet Bonitas. p. 160. v. 2 p. 179. v. 3.

Erat ſubditus illis. Docet exemplum, promiſſio allicit, ſupplicium terret, ut liberi parentibus deferant & obſecundent. p. 45. v. 12. p. 46. v. 17. p. 495. v. 51.

Erat ſubditus illis. In re tantùm juſta parentibus obediant filij; quod malum eſt, imitantes nnn vacant culpâ. p. 22. v. 23. & 24. p. 328. v. 14.

Ieſus proficiebat Sapientiâ Ecce pluſquam Salomon hic, qui auctam Salomoni ſapientiam contulit; quomodo proficiebat: Non ignorantia præceſſit; ſed paulatim, & novo cognoſcendi modo qua plenus erat, ſapientiam demonſtravit. p. 145. v. 12. & 30. p. 250. v. 100. p. 306. v. 15. p. 494. v. 40.

Mater ejus conſervabat omnia Rem tacitus conſiderabat Jacob de ſomniis filij: confert Maria, quæ ſunt de filio miranda. p. 26. v. 5. p. 495. v. 51.

Dominica II. Post Epiphan.

Ioan. 11.

N*Vptiæ factæ ſunt* Myſterium conjngij in Chriſto & Eccleſia demonſtrant Adam & Eva. Diſpenſat Deus in pluribus, cùm jus naturæ nxorem unam admittat. p. 5. v. 21. & v. 24. p. 16. v. 2. p. 18. v. 12.

Nuptiæ factæ. Fœcnndum reddi per matrimoninm, benedictionis eſt promiſſio, non obligatio præcepti. p. 47. v. 26.

Nuptiæ factæ ſunt Vigeat in ardua re tractanda ratio; non vanis ſortibus, at oratione ac deliberatione utere in matrimonio ineundo. p. 19. v. 14. ibid. v. 36. p. 193. verſ. 10.

Vocatus eſt & Ieſus Falluntur homines, qui magis benè dotatam, quàm moratam ſeligunt; à Deo uxorem poſtula, qui ſolus exactè novit. p. 261. v. 14.

Vocatus eſt & Ieſus. Nuptias præſentia Salvatoris reddit honorabiles, & ſanctificat; tu, ſi præſens es, gravitate morum illas memento condire. p. 531. v. 2.

Vinum non habent. Interpellat Advocata pia, credidit ea omnia poſſe Filium: neque repulſam tulit. Tu ergò piam exorare non deſinas; erit enim, quando Judex non recordabitur ſcabelli, imò tabernaculi ſui. p. 531. verſ. 3.

Vinum non habent. Deficit ſine vino gaudium; nec Deus ipſe bilareſceret ſine vino, ſi recreatione indigeret. p. 107. v. 13.

Vinum non habent. Pellit vinum triſtitiam, excludit amor cnnjngalis verus proveuientem aliundè mœrorem. p. 20. v. 67.

Nondum venit hora mea. Nnn matris votum repellit, ſed miraculi expectat opportunum tempus. p. 531. verſ. 4.

Omnis homo primum. Ebrios non putes convivas; tantam ebriis Chriſtus non conferret gratiam, nec rogaret Virgo ſobria: contrà accidit, quàm in conviviis ſoleat agi. p. 532. v. 10.

Hoc fecit initium. Illuſtre miraculorum initium, qnod ipſnm peculiari modo alus patrare conceſſit. ibid. verſ. 11.

Crediderunt in eum Imperfectis ad majorem crednlitatem viſa ſigna proficiunt: collige quam durus ſit animus; qui non inflectitur. p. 41. v. 31. p. 577. v. 4.

Dominica III. Post Epiph.

Matth. 8.

L*Eproſus veniens adorabat.* Chriſtū ſciebat iſte Deum; ideo adorabat: homines adorabat Abraham, ſed ſine peccato. p. 19. v. 7.

Domine, ſi vis. Meliùs non rogas, quam juxta voluntatem Dei; novit ille quæ concedat; nam & in ruinam vergit, quod volnntati tuæ tribuitur. p. 52. v. 11. & 19. p. 106. v. 22. p. 192. v. 6. p. 316. v. 8. p. 379. v. 9. p. 462. v. 39. p. 482. v. 35. p. 549. verſ. 27. p. 604. v. 14. p. 82. v. 23. p. 162. v. 19. p. 370. v. 48.

Domine, ſi vis Ad voluntatem Dei rogat, qui gratiam exeqnendi quod jubet, expoſcit, p. 419. v. 10.

Domine, ſi vis, potes. Rogat leproſus tantum ut velit, id enim Chriſtum poſſe confitetur. p. 423. v. 2. p. 382. verſ. 18.

Extendens Ieſus manum. Immaculatum lepra non fœdat: & Sacramenti miniſter, qua parte opus Dei exercet, etſi peccatis obnoxius, animæ lepram curat. p. 297. v. 4. p. 423. v. 3.

Oſtende te Sacerdoti. Salutem Deus tribuit, ſed non niſi miniſtris ejus dirigentibus, & homine cooperante. p. 55. v. 1. p. 56. v. 35.

Offer munus. Ad offerendnm munus, priuſquam domum redeat, mittitur; ante omnia ſiquidem ſunt gratiæ Deo habendæ. p. 194. v. 7.

Offer munus In ſpiritu & veritate adorandus qnidem eſt Deus; non tamen per alias eum venerari vetamur ceremonias. p. 553. v. 24.

Acceſſit centurio rogans Ex volnntate Dei quæcunque homini afflictio accidit quidem, non tamen exiſtima non debere tale malum averti, ſi poteſt juſtè. p. 174. v. 4.

Domine, puer meus jacet. Eam, quam corpori tuo curam teneris adhibere proxnno: pro tua ergò & proximi ſalute Deum exora. p. 298. v. 9.

Ego veniam Promiſſnm Dei idem quod factum: eſt enim tempus futurum apud illum, quod præteritum. p. 41. v. 13.

Domine, non ſum dignus Nunquam fruſtratur effectu illa oratio, quæ hnmiliationi innititur; magni enim valoris eſt, & impetrat, in quo videbatur repulſa. p. 17. v. 32. p. 197. v. 8. p. 500. v. 6. p. 437. v. 26.

Non inveni tantam fidem Rectè præfertur aliis, qui virtute & fide præcellit etiam ipſis, qui evangelij prædicationem audierant. p. 160. v. 5. p. 423. v. 10.

Sicut credidiſti, fiat tibi. Sentit auxiliatorem ſuum Deum, qui ei credit, in eoque ponit fiduciam. p. 166. verſ. 20.

Dominica IV. Post Epiphan.

Matth. 8.

E*cce motus magnus* Ex divinorum jndiciorum abyſſo eſt, quod plùs affligatur innocens quàm, impius: nam & pro impiis boni luunt, & propter juſtos malis parcitur. p. 208. v. 17. p. 347. v. 28. ibid. v. 38. p. 610. v. 22. p. 95. v. 1.

Vt navicula operiretur. Mirum! impellitur navicula à vento & fluctibus, in cujus medio eſt Deus. Fortè, quia dormit. p. 232. v. 6.

Vt navicula operiretur. Ad tempus adinſtar navis juſtus varijs agitatur motibus, ut exerceat, ut flagellet; ſed non pariter cum impio æternis involuit eum ſuppliciis. p. 224. v. 5. p. 358. v. 3. p. 642. v. 2.

Ipſe vero dormiebat. Fluctuat navis; quid mirum? dormit ſupremus navarchus: tempeſtatibus errorum agitatur Eccleſia; non mirum: dormiunt prælati. p. 474. v. 38. p. 482. v. 37.

Domine, ſalva nos. Melius non eſt contra calamitatem remedium oratione: ad Deum periclitantes confugiunt, ſub cujus protectione ſe tutos credunt. p. 168. v. 35. p. 136. v. 9. p. 242. v. 1. & 3. p. 302. v. 1. & 13. c. 51. p. 405. v. 6. p. 405. v. 15.

Domine, ſalva nos Nnn exclndit Deum, qni Sanctorum implorat opem; nec Deum tentat, qni rebus humano judicio deſperatis ab eo expectat auxilium. p. 332. v. 5. p. 399. v. 10.

Quid timidi eſtis Recte perdit nomen, qui adverſitatum timore concutitur: non enim rectus & innocens perit. p. 122. v. 7. p. 208. v. 7.

Modicæ fidei. Pavidi cordis eſt, & puſillæ fidei, qui Deo præſente omnium potentiſſimo, adverſis concutitur. p. 181. v. 7. p. 413. v. 26.

Tunc ſurgens imperavit. Promptum ſe offert ad ferendā opem ſeſe invocantibus auxiliator Deus. p. 325. v. 24.

Facta eſt tranquillitas Sequitur tribulationis tempeſtatem quietis tranquillitas, ſicut laborem requies. p. 2. v. 5.

Homines mirati ſunt. Qnod inſolitum eſt humanis auribus atque oculis, id ſolet eſſe admirationis cauſa. p. 15. v. 8. p. 471. v. 27.

Qualis eſt hic? Ipſe eſt, qui facit potentiam in brachio ſuo, cui omnia obſequuntur. p. 490. v. 51. p. 245. verſ. 4.

Dominica V. Post Epiphan.

Matth. 13.

C*Vm dormirent homines.* Tam bonum nihil, quod non hominum negligentiâ aut vitio inclinat. p. 581. v. 1.

Appa-

Apparuerunt zizania. Tritico permixta ſunt zizania; Paleſtina Æthiophiæ vicina eſt: in arca cum mundis immunda claoduntur animalia. p.4.v.8. p.9.v.6.p.597. verſ.18.

Inimicus homo fecit. Angeli cum teneat ſimilitudinem, qui benevolus, juſtè inimicus & diabolus nomioatur invidus. p.206. v.16.

Vis, imus, & colligimus ea? Putant ſuccidenda zizania ſervi, & benè quidem: nam in flore ſuccidendum eſt peccatum. p.253. v.8. p.135. v.10.

Ne colligentes zizania eradicetis. Sunt tollenda de tritico ſed ſine damno, zizania: onde nihil probibet differre ad tempus ſupplicium. p.132. v.28. p.513. v.1. p.614. verſ.2.

Sinite creſcere. Coonivet malis patrisfamilias bonitas, ut booi exerceantur, & noo impediatur, quod inde habetur booom. p.46. verſ.18. pag.103. v.2. p.98. v.1. p.434. v.25. ibid. v.28.

Sinite creſcere Ad tempus proſperantur impij, & juſti excercentur, tandem tamen impietatis pœnam mali luunt. p.238. v.16. p.307. v.5.

Sinite creſcere Laudem meretur, qni mitis eſt; parcere verò iniquè non rarò pœnam infert. p.103. v.18.

In tempore meſſis Qui juſtè puniret, ſupplicij infereodi tempus benignus Deus expectat. p.81. v.5.

Colligite zizania, & alligate. Æqoalem ſuſtinebunt pœnam, qui ſimilium criminum fuerint rei. p.477. verſ.40.

DOMINICA VI. POST EPIPHAN.

Matth. 13.

SImile eſt regnum cælorum grano. Rectus operationis divinæ modus eſt à minoribus cœpiſſe, & paulatim perfeciſſe ſingula. p.1. v.1. uſque. p.3. v.2. incluſ. p.475. v.34. p.477. v.24.

Quod minimum eſt Excrevit parvum à principio Chriſti regnum, ita ut potentes ſæculi colla jugo ſubdiderint. p.415. v.23.

Cum creverit, majus eſt. Damnabilis profectus eſt, qui de bono teodit ad malum, ad impietatem de ſanctimonia. p.436. v.12.

Donec fermentatum eſt. Totam piorum ſocietatem pravis moribus unus perverſorum imbuit. Fuge mala conſortia. p.141. v.26. p.151. v.31. p.343. v.15.

DOMINICA SEPTUAGESIMAE.

Matth. 20.

EXiit primo mane. In principio cælum terramque Dei creantis operatio maturum ooſtrum invitat laborem, cam terra ſit inanis; nec in ſeros annos differendum docet. p.1. v.1. & v.2.

Operarios in vineam De vinea loquitur hortorum amans Deus; oam in paradiſum ipſe reducit bominem. p.558. verſ.1.

Ite & vos in vineam meam. Pro mercede capienda jober ire in vineam: liberum permittit; noo cogit. p.291. v.14. & 18. p.296. v. 10. c. 31. p.301. verſ.15.

Ite in vineam meam Non laborem fugiat, noo faſtidiat amaritudinem, qui ad vineam vocatur Domini. p.69. verſ 9.

Quid hic ſtatis tota die. Operatus eſt Deus 6. continuos dies, requievit ſeptimo: vitam laboribus oporter inſumere, ut quieſcamus. Adam vel ſemel obdormiſcens unam amiſit coſtam: oſcitando fortitudo perit. p.3. v.2. p.5. v.21.

Quid ſtatis tota die otioſi? Non patrocinatur otio; monet laboris, ſine quo habetur nihil: imò iocrepat otium; quia malorum eſt cauſa. p.261. v.4. p.356. v.49. p.475. v.3. p.253. v.5. p. 262. v.23. p.356. v.49.

Quid ſtatis otioſi? oſcitantiam increpat, ut timendo booum agant: Deus à timore juſtificationem incboat. p.586. v.5.

Ite & vos. Omnes ad ſervitium ſuum Deus vocat; plus tamen non rarò plebeij conferunt porentioribus. p.186. v.5.

Quod juſtum fuerit, dabo vobis. Non pro merito gratia datur; donum Dei eſt noſtra cōverſio, qui cooperaotem hominem gratiæ prævenit auxilio. p.394. v.7. p.263. verſ.16.

Voca operarios, & redde. Juſtè pro juſtitiæ operibus merces expectatur cœlorum regnum: oam inſigni labori inſignis reddenda merces videtur. p.362. v.18. p.415. v.3. p.446. v.1.7. & 15. p.260. v.18.

Redde illis mercedem Non te labor frangat; audis enim laborantibus eſſe reddendam mercedem. p.617. v.12.

Acceperunt ſingulos denarios. Æqualem ſortitur partem; & qui pugnat, & qui ad ſarcinas remanet: æqualem à Deo mercedem omnes recipiunt cœleſte regnum; p.101. v.8. p.446. v.1.7. & 15.

Accipientes murmurabant. Contra Deum eſt murmur, quod ſit adverſus poteſtatem legitimam: à Deo namque poteſtas eſt omnis. p.42. v.8.

Hi una hora fecerunt. Malè de minori præmio, majorique labore queritur operarius: nam non tempus reſpicit Deus, ſed charitatem. p.614. v.19.

Amice, non facio tibi injuriam. Fruſtrà de malo emergente conqueritur, qui futurum noverat, nec præcavit. p.120. v.18.

Volo huic dare ſicut. Non alia in præmiis erogandis vel irrogandis ſuppliciis eſt quærenda apud Deum ratio, præterquam ejus mera voluntas. p. 52. v.19. p.134. v.2. p.262. v 4. p.332. v.6. p.336. v.5.

An oculus tuus nequam eſt. Intentio bona vel mala opus dijudicat: oec intentio bona erit, ſi opus non ſit bonum. 420. v.22. p.507. v.34.

Sic erunt noviſſimi primi Sunt opiniooe hominom primi apud Deum noviſſimi, ſuntque noviſſimi primi: nam ex intentiooe bona non agunt. p.446. v.30. &. 16. p.509. v.30.

Multi ſunt vocati. Secundum præſentem juſtitiam libro vitæ inſcriptus quod deleatur, nihil obſtat: non enim eſt immutabilis prædeſtinatio. p.120. v.2. p.337. v.29. p.505. v.20. p.615 v.5. p.272. v.1.

Multi vocati Movet ad bonum Deus, quos ille voluerit, ex mero beneplacito: obſtat quorundam tarditas, oe voceotur. p.182. v.5. p.359. v.13. p.572. v.26. p.591. v.2. p.356. v.6.

Multi vocati. In numero Deus habet Electos, ſolvantur ad quos Chriſti ſeſe meritum extendit: oec, perit, qui Chriſto datus eſt à patre. Stude ut ſis de illis, pro his ſe Filius Dei parat ab æterno boſtiam. p.256. v.4. pſ. 146. p.557. v.9. p. 559. v.12. ibid. v.19. & 20. ibid. verſ.9.

Multi vocati Novit cor Deus ſolus, quos vocavit, novit & eos ille tantum quos in perditionis maſſa relinquit. p.422. v.23. p. 540. v.65. ibid. v.71. p.594. v.18. p.615. v.4.

Multi vocati. Vocationis principium eſt gratuita Dei benevoleotia, à quo vocantur omnes pauci eliguntur: Juſtificarioois origo præveniens Dei gratia eſt, in operibus bonis progreſſus. p.21. v.43. p.364. v.22. p.450. v.14. p.533. v.8. p.533. v.34. p.539. v.37. p.571. v.17. p.592. v.48.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Luc. 8.

ALiud cecidit ſecus viam. Non fructificat in corde ſemen, niſi ad illud ſuſcipiendum præparetur animus. p.332. v.1.

Aliud cecidit ſupra petram. Non levis culpa, nec pœna eſt, ſi Dei verbum in petroſo corde non mittit radices. p.382. v.11.

Aliud cecidit inter ſpinas. Verbi Dei ſementem ſuffocant divitiæ, ſi cor ad eas appooitur, & ſapientiæ poount impedimentum. p.271. v. 12. p. 444. v.21. ibid. v.23. & 24. p.445. v.25. p.14. v.2.

Aliud cecidit in terram bonam. Non poteſt oon fructum bonum afferre cor fidei, operumque bonorum fœcundum: noo fert fructum, qui ſemeo ſuſcipit, ſed bonum agere negligit. p.434. ℣.23. p.502. ℣.8. p.397. ℣.11.

Vt videntes non videant. Non excuſatur, qui culpâ ſuâ Dei caret ope & gratiâ: excœcationis namque pœna eſt non iotelligere; quia in voluptatibus vitam vivit. p.92. ℣.2. p.215. ℣.12. p.317. ℣.8. p.473. ℣.11.

Qui corde bono. Fructum non affert vitæ, qui ab incepto bono reſilit. Munda ſunt, quæ animalia ruminant. p.58. ℣.3. p.503. ℣.15.

DOMINICA QUINQUAGESIMÆ

Luc. 18.

TErtia die reſurget. Signat Jonas triduo in ventre ceti incluſus, tres dies in ſepulchro Chriſtum quieviſſe. p.432. ℣.40.

Cæcus ſedebat ſecus viam. Reddebant terram incultam teoebræ & aquæ; hominem Dei auxilio deſtitutum mondi fluentia bona, & vitiorum renebræ: lucem Dei donat clementia. p.1. ℣.2. & 3.

Cæcus ſedebat ſecus viam. Regia ad Cœlum via eſt religio Catholica, cœcutiunt, qui juxtà ſedent. p.607. ℣.5.

Ipſe multò magis clamabat. In oratione perſiſte, & divini nominis rationem habe, ut obtineas: nec propter murmur obtrectatorum improborum à bono deſiſte. p.96. ℣.7. p.325. ℣.1.

Quid tibi vis faciam? Habet homo actionum libertatem; Deus namque hominem gratiâ juvat, ſed libertatem non tollit actionum: dimittit juſtè in prava voluntate hominem, ne redeat. pag.7. ℣.7. pag.328. ℣.3. p.329. ℣.23. p.351. ℣.5. p.382. ℣.4. p.150. ℣.12.

Reſpice, fides tua. Verbo hunc illuminat, alteri apponit lutum, & lavari mandat: utrobique potentia Dei, hic ſimul myſterium. p. 544. ℣.6.

Reſpice Illuminat principaliter Deus oculos mentis, hanc & miniſtris gratiam confert. p.608. ℣.18.

Omnis plebs ut vidit. Bonum, quod in te videris, vel in alio, in Deum refer omnis boni Authorem. p.590. ℣.18. p.593. ℣.26.

Dominica I. Quadragesimæ.

Matth. 4.

C*Um jejunaſſet* 40. *diebus.* Uti alias paſſus eſt moleſtias Chriſtus, ita jejunii exemplum præbuit: aſſequi hoc non valemus, at cupimus imitari. p.413. ℣.2. p.497. ℣.2.

Eſuriit Eſuriet, non qui temperantiæ, ſed qui gulæ ſtudet: non ſibi ebrietas putat integrum fortunæ bonis privaſſe, niſi & bona rapiat naturæ, & gratiæ. p.10. ℣.7. p.11. ℣.21. p 20. ℣.32. p.21. ℣.33.

Accedens tentator Impugnat dæmon, quem à vitiis continentem conſpicit: Hominem in gratia creatum tentat, & detriumphat. pag.5. ℣.1. & 5. p.471. ℣.13. p.2. ℣.5.

Accedens tentator. Non liber à culpa es, ſi dedas, quod defendere teneris, Forti reſiſte animo, non vincet hoſtis, niſi conſentiendo ſuccumbas. p. 298. ℣.10. p.579. ℣.3.

Si Filius Dei es. Perdidit Satan cum donis fidem, indè non ſtatim Dei agnovit Filium Chriſtum; agnovit pòſt per miracula. p.338. ℣.3. p.471. ℣.24.

Si Filius Dei es. Concordat cum membris caput: explorat ipſe nunc, quod exploraret per miniſtros. p.463. ℣.63. p.466. ℣.40.

Aſſumpſit eum diabolus. Non hinc tu ſumas exemplum, ut cum dæmone vel ejus membris amicitiam contrahas: non vales, quod valuit Chriſtus. p.474. ℣.9. p.597. ℣.18.

Mitte te deorſum. Suadet, non impellit tentator: non plus, quàm ei permittatur, valet. p.176. ℣.21. p.207. ℣.6. p.522. ℣.31. ibid. p.621. ℣.14. p.622. ℣.7. p.160. ℣.35.

Vade Satana Non omnipotentiæ aggreſſus armis hoſtem devicit, ſed humilitatis infirmitate proſtravit: animum ſume; vincitur ope Dei: vince, ne te mors ſecunda lædat. p.220. ℣.1. p.245. ℣.26. p.614. ℣.11.

Vade Sathana. Arma ſunt contra hoſtem præpotentia cum oratione jejunium: agnum aggreſſus leonem ſenſit. p.440. ℣.20. p.617. ℣.5. & 6.

Dominum Deum tuum adorabis. Divinum alteri honorem tribuere, iniquitas eſt maxima: non tamen eſt contra Dei cultum ſanctos venerari. p.216. ℣.26. p.414. ℣.11. p.19. ℣.7. p.29. ℣.3. p.33. ℣.23.

Reliquit eum diabolus Reſiſtentiam inveniens tentator, cum ingenti etiam manu impugnans, confuſus abſcedit: ad fugam compellit jecoris & cordis incenſio. p.176. ℣.9. & 2. c.15. p.193. ℣.2.

Reliquit eum diabolus. Time aſtutum; ad tempus parcit; ut impugnet graviùs: verſipellis non omni permiſſa utitur licentia, ut graviùs noceat. p.497. ℣.13. p.207. ℣.12. p.225. v.4.

Angeli acceſſerunt Ut ſervi miniſtrant Domino, inediâ longâ maceratum reficiunt. p.414. ℣.11.

Dominica II. Quadragesimæ.

Matth. 17.

A*Sſumpſit Ieſus Petrum.* Diſcipulorum aſſumpſit primos; egit Chriſtus facto Ioſephi contrarium. p.30. ℣.2.

Duxit illos in montem In montem ducit ad ſpectandam gloriam; veſpera ſeu nox diem præcedit, quietem labor. p.2. ℣.5.

Bonum eſt nos hic eſſe Moyſes terræ promiſſæ tenebatur deſiderio, nec obtinuit videre: Petrus tabernacula facturus neſciebat, quid diceret; nam hujus vitæ bona ſunt umbra cœleſtium. p.89. ℣.25. p.95. ℣.12. p.241. ℣.11

Si vis faciamus. Terrena faſtidit Petrus, appetit cœleſtia; hæc, & non illa ſitim ſedant. p.535. ℣.13: p.238. ℣.25.

Hic eſt Filius meus. Ad majorem auctoritatem denuò promulgatur à patre Filius; unctus à Samuele David in regem, à ſenioribus innngitur. p.132.

Ipſum audite Audiendum proponit in lege gratiæ Deus pater Filium, ſicut in lege ſcripta Moyſem audire mandabat. p.88. ℣.15.

Ceciderunt in faciem ſuam. Umbram gloriæ Dei non ferebant Sacerdotes; nec mirum, ſi ceciderunt in faciem diſcipuli majeſtatem ſolis inſtar radiantem. p. 173. ℣.1.

Nemini dixeritis viſionem. Vetat evulgari gloriam, qui petit à patre clarificari: fortè, quia hæc Divinitatis, Humanitatis illa erat. p.557. ℣.5.

Dominica III. Quadragesimæ.

Luc. 11.

E*Rat Ieſus ejiciens Dæmonium.* Non eſt poſſeſſio ſecura, & integra, quando remanet, quod adverſari poteſt. p.100. ℣.28.

Locutus eſt mutus. Veniam ex timore pœnæ confeſſio facta habet: quid ſi de corde ſit perfecto? confeſſione à lepra domus mundatur. p.38. ℣.16. p.60. ℣.35.

Locutus eſt mutus. Per organa ſua, & Deus, & dæmon loquuntur. p.75. ℣.28.

In Beelzebub principe. Hoc invidi habere ſolent, quod quæ facta egregia pariunt demirationem aliis; illi triſtitiam creant: Invidia, quid agat, non attendit. p.307. ℣.3. p.431. ℣.26.

Alij tentantes, ſignum. Tentat Deum, qui vel de divinis promiſſis diffidit, vel probare nititur miraculis, quod ſibi reſervavit Deus. p.105. ℣.36. p.68. ℣.31. p. 105. ℣.36. p.162. ℣.8. & 9.

Alij tentantes. Multùm hæc differt à Sabææ Reginæ tentatione; tantum ſcilicet; quantum utrorumque animi. p.147. ℣.1.

Domus ſupra domum cadit. Stare nequit, quod ex hominibus ortum habet, conſilium; non diſſolvitur, quod eſt ex Deo. p.580. ℣.38. & 39.

Si ego in digito Dei ejicio. Elucet virtus divina in ſervorum Dei miraculis: undè falſa eſſe nequeunt. p.37. ℣.12. p.38. ℣.19.

Si fortior ſupervenerit. Non armata manu Chriſtus fortem mundi devicit principem, ſed Spiritus S. afflatu. p.390. v.6.

Qui non eſt mecum Probat ipſo facto ſe eſſe disjunctum à Chriſto, quiſquis non ſtat ab ejus parte. p.432. ℣.30. p.504. ℣.50. p.506. ℣.23.

Ambulat per loca inaquoſa Pluris unum juſtum ſatanas æſtimat, quàm impiorum plures: plus illi, quàm bis inſidiarum idcircò ſtruit. p.432. ℣.43.

Fiunt noviſſima peiora. Cave, ne templum animæ reſtitutum per gratiam, ab expulſo dæmonio devaſtetur novâ tentatione gratiâ non præmunitum: pejus enim eſt hoſtem expulſum per peccatum redire: furtiùs domum occupat. p.197. ℣.2. p.433. ℣.4. p.340. ℣.45.

Extollens vocem quædam mulier Contra blaſphemos hæc inſurgit mulier: nam decet præcipuum ducere tantam Chriſti laudem, quam dignè dilaudet nemo. p.236. ℣.2. pſ.64. p.236. ℣.3.

Quinimo Mulieris laudem Chriſtus approbat de pio corde & ore depromptam: in ore peccatoris non eſt laus ſpecioſa. Imitare invitatus. p.256. ℣.1. & 6.

Beati, qui audiunt verbum. Beata, quæ concepit; beati, qui viderunt: conſummatè beatus, qui audit, & cuſtodit verbum Dei ruminare namque oportet p.509. ℣.28. p.58. ℣.3.

Dominica IV. Quadragesimæ.

Ioan. 6.

D*Ucentorum denariorum panes.* Non ſemper differentia eſt, ubi de modo implendæ rei vides cogitare, vel inquirere. p.70. ℣.21.

Facite homines diſcumbere: Non ad alium remittas, ſi habes, quod des ei, pauperem; nec extremam expectes, ut opem feras, neceſſitatem. p.435. ℣.16. p.496. ℣.11.

Cum gratias egiſſet. Non longè diſtant agere gratias, & benedicere. Da indigenti, ut ipſe gratias agat, & tibi Deus benedicat. p.436. ℣.36.

Cum gratias egiſſet Verè Chriſtiana diſciplina eſt, quando pro omni beneficio gratiæ aguntur Deo. p.610. ℣.33.

Quan-

Quantum volebant. Liberum à Deo adimi arbitrium falsò calumniatur Calvinus, cum det eligendi quodcunque optionem. p.169. ℣.10.

Impleverunt 12. *cophinos.* Perſectam ex una coſta formavit mulierem; non mirum, ſi 5. panibus tot millenos refecit abundè adauctis. p. 5. ℣ 21.

Quæ ſuperfuerunt his. Non defectus eſt virtutis & potentiæ, ſi plures paucioribus, pauciores pluribus exſatiat Chriſtus: latet ratio myſterij. pag. 436. ℣. 34.

Hic eſt verè propheta Gratus voce, gratus voluntate, & opere populus geſtiebat pro beneficio dignitatem rependere: Judæi majoribus ingrati beneficiis de inferenda morte conſultant. p.548. ℣.48. ibid. ℣.50.

Dominica Passionis.

Ioan. 8.

QVis ex vobis arguet me. Nemo à peccato mundus & liber eſt; nemo à pœna ſe eximat. pag.44. ℣.5.

Quis ex vobis Novit nceulta phariſæorum cordium, ideo ſine accuſatione prævia ſe declarat innocentem. pag. 134. ℣. 3.

Si veritatem dico Non niſi veritatem diceret, qui tanquam ſacerdos ſummus in pectorali doctrinam deferebat, & veritatem. p.48. ℣. 4. p.49. ℣.30.

Ex Deo non eſtis. Non tam generatione paternum tenet nomen filius, quàm ſimilitudine morum. p. 356. ℣.3.

Nonnè benè dicimus nos Commune eſt in corripientem retorquere convitium: extrinſecis declarat quoque perverſus verbis latentem in corde malitiam. p.26. ℣.2. p.327. ℣.7. p.543. ℣.48. p.520. ℣.3.

Samaritanus es, & dæmonium. Tanto peccarunt graviùs perfidi, quantò major eſt homine Deus: Blaſphemant Dei Filium, qui habent Dei veri notitiam; non hoc feciſſet gentilis. p.116. ℣.25. p.373. ℣.26.

Ego dæmonium non habeo. Elias ſeveritate utitur Homo Dei vocatus; Chriſtus injuriam non ulciſcitur: magis oſtendere decebat clementiam; nam pro ſalute venit hominum. p.154. ℣.10.

Si quis ſermonem meum ſervaverit. Vitalis eſt ſermo Dei, & efficax: mortis evadit vires, ad vitam redit, qui ſuſcipit. p.535. ℣.13.

Nunc cognovimus, quia dæmonium. Extrema eſt hominis illa malitia, ſi caſtigatus non convertitur: fit imò correptione quandoque deterior. p.303. ℣.5. p.377. ℣.1. p.303. ℣.5.

Abraham pater veſter. Gaudium ſibi reputabat Abraham in carne videre Chriſtum; vidit; ſed in ſpeculo. p.543. ℣.56. p.550. ℣.41.

Tulerunt lapides. Non valet contra calumniam excuſatio ſufficiens, nec evidens innocentia: lapidibus litem dirimunt. p.127. ℣.15.

Ieſus abſcondit ſe. Exaltari volebat, nolebat per lapides mortem Chriſtus oppetere, ideo ſe ad tempus ſubduxit. p.498. ℣.29.

Dominica In Ramis Palmarum.

Matth. 21.

DOminus his opus habet. Non quidem bonorum noſtrorum indiget juvamine, vult tamen ea ſibi ad certum finem adhibere. p.448. ℣.3.

Ecce Rex tuus venit. Verè optimus Rex, qui non ex ambitione, nec ob privatum bonum ſuſcepit regni gubernacula: pium populo principem præfici, eſt Dei ingens beneficium. p.106. ℣.2. & 6. p.191. ℣.2.

Rex tuus venit tibi manſuetus. Salomone longè major, ſed mitior longè, & incomparabiliter pauperior Chriſtus, qui peculiari ratione Rex Judæorum promiſſus fuerat vocibus prophetarum. pag. 148. ℣.4. pag.465. ℣.11. p.539. ℣.14.

Rex tuus venit tibi. Rex eſt; at regnum illius ſpirituale & æternum eſt, non de hoc mundo. pag.560. ℣.36. p.597. ℣.7.

Venit tibi manſuetus. Aſello vectus urbem manſuetus ingreditur à populo ſuſceptus Rex, ſed mox oſtendit ſeveritatem: nam thronus regis firmatur juſtitiâ. p.144. ℣.28.

Oſanna Filio David Ab univerſo populo Saül poſt res glorioſè geſtas Rex agnoſcitur: acclamant Chriſto turbæ, quem à Deo miſſum Salvatorem prædicant, & mirabilium patratorem. pag. 133. ℣.13. pag. 448. ℣.9.

Dominica Resurrectionis.

Marc. 16.

VIderunt revolutum lapidem. Crede ab Angelo eſſe revolutum lapidem, ut veritas reſurrectionis pateſceret: non Angeli ope indigebat ut clauſo exiret ſepulchro, qui clauſo virginis utero, januiſque clauſis apparuit. p.468. ℣.2. p.469. ℣.13.

Ieſum quæritis Nazarenum Per paſſionis humilitatem reſederat prius; nunc per gloriam reſurrectionis ad patris dexteram aſſidet exaltatus. p.254. ℣.1.

Surrexit, non eſt hic. Cantetur Reſurgenti victoria, qui Judæorum pertinaciam, mortis potentiam, & vires diaboli detriumphavit. p. 236. ℣.2. pſ. 67.

Surrexit, non eſt hic. Deſere peccati ſepulchrum, quando ſuum Chriſtus deſeruit: vivit jam non moriturus, & morte ejus ad vitam rediêre alij; tu ſepulchrum ultrà non petas. p.297. ℣.30: p.468. ℣.53.

Non eſt hic, ecce locus. Diu in morte Salvatorem detineri quia non decuit, mox ad vitam reſurrexit. pag. 574. ℣.24. p. 228. ℣.3.

Ite, dicite diſcipulis. Quid hoc? Angelus incredulis viris per mulieres annuntiat reſurrectionis veritatem; quando credula mulier virum decepit. p.12. ℣.14.

Feria II. Paschæ.

Luc. 24.

OCuli eorum tenebantur. Apertum ſui non ſemper dat ſignum Deus, ut creſcat in homine ſui majus deſiderium. p.524. ℣.16. & 18. p.525. ℣ 28.

Nos ſperabamus Etiam diſcipulis à Judæis malè tractata Chriſti humanitas tanto ſcandalo fuerat, ut ſpem amiſiſſe videantur penitus reſurrectionis. pag. 461. ℣.31.

O ſtulti, & tardi corde Dura quamvis appareat foris increpatio, manet tamen apud benevolos in corde manſuetudo. p.79. ℣.14.

Tardi corde ad credendum Spem in univerſum abjicit, nec fidem perdit, qui vacillat; ſed objurgatione dignus. p.74. ℣.10.

Nonnè hæc oportuit pati. Ut talem conſequeretur Chriſtus gloriam, tanta oportebat eum ſufferre opprobria; diſce pati adverſa: tanquam malleis adaptantur adverſitatibus electi ad cœleſtem Dei domum. p.146. ℣.7. p.525. ℣.26. p. 593. ℣.21.

Finxit ſe longius ire Non omne, quod à veritate alienum apparet, ita eſſe exiſtimandum eſt. pag.21. ℣.19. p.29. v.5. p.192. v.7. p.525. v.28. pag.13. v.13. p. 137. v.2. p.187. v.3.

Et coëgerunt illum. Sicut ad intrandum compellere, ſic in miniſtrando etiam defatigare ſuos, ſumma hoſpitalitatis eſt. p.17. v.3. p.216. v.31.

Coëgerunt eum Invitant, rogant, & cogunt peregrinum pauperem, ne perderent mercedem, ſi vicem à divite reciperent. p.510. v.12. & 14.

Apparuit Simoni Primò apparet iis, qui conſolatione indigebant, ut Incarnationis finem oſtenderet eſſe, peccatores ſalvos facere. p.484. v.9.

Feria III. Paschæ.

Luc. 24.

PAx vobis. Conſolatoriis verbis animos pavidos confortat: pacem precatur, omnis boni cornucopiæ, quam ſtatim ſequitur effectus. p.29. v.5. p.30. v.8. p.55. v.1. p.104. v.12.

Pax vobis. Pax bona, quam dat Deus, conſenſio hominis cum Deo & ſecum: impio benè non poteſt eſſe. p.309. v.22. p.251. v.165.

Pax vobis Venit mittere bellum, & pacem precatur? pacem optat, ne pacem turbet atque unus alteri ſui deſertionem imputet. p.29. v.5. p.30. v.8. p.428. v.34. p.30. v.5.

Palpate, & videte. Diſcipulis palpanda membra vulnerum cicatricibus inſignita exhibuit: confirmanda erat fides eorum, per quos perveniremus ad fidem. p.525. v.39.

Palpate. Offert, ut palpent diſcipuli, quod negavit Magdalenæ: magna cum veneratione Chriſti corpus noveris tractandum. p.564. v.17.

Adhuc non credentibus. Impedit judicium, ſi fuerit lætitia ingens: gaudebant & mirabantur, non tamen credebant. p.526. v.41.

Quoniam ſic ſcriptum eſt. Conveniebat, ut qui legem non ſolvere, ſed adimplere venerat, ſecundùm legem conſummaret omnia. p. 548. v. 50. p. 560. v. 7. p. 563. v. 36. & 37.

In nomine ejus remiſſionem. Partem in regno cum Chriſto non habet; quem ipſe à peccatis non laverit. p. 551. v. 6.

In omnes gentes. Evangelij ab Jeruſalem exordium cœpit; nam indè verbum Domini exiturum propheta dixerat. p. 304. v. 3.

Dominica I. Post Paſcha.

Ioan. 20.

C*Vm ſerò eſſet, & fores clauſæ*. Quid miraris corpus glorificatum clauſis intraſſe januis, quod clauſo virginis utero exivit paſſibile: p. 556. v. 19.

Sicut miſit me pater. Conſtitutus à Patre Rex, à ſpiritu. S. inunctus Sacerdos, poteſtatem ſuis conceſſit vicariis. p. 470. v. 28.

Et ego mitto vos. Ad eundem tendant ſcopum, qui à Chriſto cooperatores eliguntur. pag. 565. v. 21.

Accipite Spiritum S. Permittendus non eſt officio fungi, qui poteſtate caret. p. 43. v. 1.

Accipite Spiritum S. Unam omnibus ſimul poteſtatem tribuit; ſed major eſt Petri, cum ſoli ipſi ſeparatim contulerit claves, p. 443. v. 18.

Quorum remiſeritis peccata Gratuito Deus peccata remittit, ſed per miniſterium etiam Sacerdotis: nam Sacerdotis eſt approbare mundum, & ligatum libertate donare. p. 327. v. 25. p. 472. v. 7. 524. v. 15. p. 547. v. 44.

Quorum remiſeritis. Non approbatione populi aut principis ad officium Sacerdotes aſſumuntur, ſed juſſu divino; contrarium agunt adverſarij: cum tamen non ſit ſæcularis de religione diſponere. p. 57. v. 4. p. 150. v. 33. p. 177. v. 8. p. 179. v. 18. ibid. v. 15. c. 28.

Quorum remiſeritis. Judicium Sacerdotis vel ab Eccleſiæ communione ſeparat, vel eidem reſtituit; & ratum eſt, quod agit, qui clavem accepit. p. 59. v. 2. & 6. p. 514. v. 15. p. 625. v. 7.

Dominica II. Post Paſcha.

Ioan. 10.

E*Go ſum paſtor bonus*. Non mercenarij, verùm boni & veri paſtores Chriſti ovibus ſunt præficiendi. p. 22. v. 9. p. 334. v. 1. c. 23. & v. 4. p. 364. v. 15.

Ego ſum paſtor bonus. Fortè nec mercenarius eſt, ſed lupus, qui graſſatur in gregem, & patrum mutat dogmata. p. 215. v. 2. c. 24. p. 326. v. 1n. p. 334. v. 1. c. 23.

Ego ſum paſtor bonus Non ambitionis vitium, ſed eximiæ indicium eſt charitatis, ad functionem ſe accingere, non ut præſit ſed proſit. p 306. v. 8.

Ego ſum paſtor bonus Non aliud bonus ſpectat quàm omne ſtudium in ſalutem conferre ovium, quibus per manſuetudinem præſit. p. 387. v. 18. p. 392. v. 15. p. 448. v. 25. & 26. p. 479. v. 42. p. 545. v. 12. p. 589 v. 2. p. 6n3. v. 28. p. 612. v. 17.

Ego ſum paſtor bonus. Reus erit paſtor, ſi ovis negligentiâ ſuâ perit: nec ſine mercede erit illius diligens cura. p. 351. v. 18. & 19. p. 377. v. 8. p. 587. v. 25.

Ego ſum paſtor bonus Quomodo paſtorem bonum dicas qui morbidas cũ aliarũ periculo permittit oves? perſpectos habeat ovium mores; ſciat in ſe poſitum eſſe, an bonæ: an malæ ſint. p. 402. v. 1. p. 614. v. 15. p. 265. v. 23.

Bonus paſtor animam ſuam dat Veterum opes oves erant undè opiliones, quaſi opum conſervatores dicti. p. 145

Mercenarius autem. Oves Chriſti ob retributionem extra Deum ſperatam paſcere, & de lacte lanaque ovium gratias Deo agere, mercenarij eſt. p, 304. v. 23. p. 392. v. 4. p. 545. v. 11.

Mercenarius fugit Pericula fugere: nec errantes reducere, aut reſiſtere lupis invadentibus, mercenarij evidens ſignum probat. p. 355. v. 3. & 19. p. 377. v. 8. p. 587. v. 25.

Lupus rapit. Diſſipari neceſſe eſt oves, & rapi à lupis, quando deſunt, qui eas tuentur. p. 267. v. 18. p. 584. v. 1.

Lupus rapit. Juſto Dei ſæpè judicio pro paſtoribus in gregem immittuntur lupi, qui rapiant, diſpergant. paginâ 347. v 4. p. 355. v. 9.

Cognoſco meas. Curam illorum adhibe, quibus te præeſſe contigerit, & cognoſce actus ſingulorum p. 266. verſu 23. p. 613. v. 2n.

Illas oportet me adducere. Alias ad ovile oves adduxit per Apoſtolos, quas diſperſas congregavit; pro peccatis totius mundi factus propitiatio. p. 437. v. 24. p. 548. v. 52.

Fiet unum ovile. Una eſt Eccleſiæ arca, extra quam non eſt ſalus. Magna cæcitas eorum, qui non agnoſcunt grandis perverſitas, qui intrare nolunt p. 9. v. 6. p. 304. v. 2. p. 3n5. v. 1. c. 5. p. 365. v. 21 p. 545. v. 16.

Fiet unum ovile. Ex Gentilis area templum Dei conſtruebatur, ut notetur uterque Populus congregandus. p. 17n. v. 25. p. 545. v. 16. p. 366. v. 17.

Unum ovile, & unus paſtor. Una Petri lingua à cunctis intellecta unius paſtoris vocē omnium gentium homines audituros notaſſe, quid ambigas. p. 573. v. 6. p. 574. v 14.

Unum ovile, & unus paſtor. Promiſſio gratiæ eſt. In uno Paſtore omnes veri intelliguntur: unum ovile; unus & grex eſt, ubi concors Paſtorum unio, & nullæ pabuli ſpiritualis diverſitas. p. 364. v. 15. p. 587. v. 26. p. 364. verſu 23.

Dominica III. Post Paſcha.

Ioan. 16.

M*Odicum, & jam non*. Vitæ noſtræ tempus modicum; ærumnis eſt plenum: ora Deum, ut præ oculis finem habeas ſemper. p. 31. v. 9. p. 231. v. 5. & 6.

Modicum, & jam non. Time; nam in vitæ jugi verſaris diſcrimine: non inevitabilem ſtatue cauſarum connexionem. p. 92. v. 66. p. 211. v. 5.

Modicum, & jam non. Non ſecurè, etſi proſperè, vitam in voluptatibus tranſigis, punctum eſt, quo ad inferna migres: tamquam ſi aranea telam texat, omnia tranſeunt. p. 214. v. 13. p. 242. v. 10. p. 245. v. 16.

Modicum. & videbitis me Ad æternitatem omne tempus modicum eſt: modicum per Paſſionem non viſus poſt Aſcenſionem modicum quoque non apparet. paginâ 556.

Modicum, & videbitis me. Verba Magiſtri diſcipulorum occupaverant animos; tempus abbreviat, ne nimium illos vexet mœſtitudo. p. 432. v. 40.

Mundus gaudebit Proſpera impiis, juſtis adverſa accidunt; hos ut aurum probat, reſervat illos ad pœnam; p. 33n. v. 2. p. 335. v. 15. p. 513. v. 25.

Vos contriſtabimini. Fallitur nimis quantùm, qui temporâ in hoc mundo ſperat proſpera & tranquilla. p. 557. verſu 33.

Triſtitia veſtra vertetur. Nnn uſque adeò affligit ſuos Deus, quin conſolatione interiori refoveat, aut demerito etiam exigente caſtigator reſpiciat: patienter ſuſtine; jam gaudij habes initium, quod ſequetur. p. 221. v. 1. p. 261. v. 2n. p. 335. v. 6. p. 345. v. 4. p. 390. & 391. verſu 5. & 19.

Gaudium nemo tollet. Ad tempus durat triſtitia; erit quando bonum attinges, quod numquam amittes. paginâ 135. v5. p. 224. v. 2. p1. 61.

Dominica IV. Post Paſcha.

Ioan. 16.

Q*Vò vadis* ? Neſcit quò vadat in deſideriis animæ peccator: nam ambulat in circuitu impij. p. 224. v. 9.

Si non abiero. Non ægrè feras privari, quo gaudebas, ut majus ſequatur beneficium. p. 555. v. 7. p. 553. v. 16.

Arguet mundum de peccato. Fortè Paulus de iiſdem his Felicem, ut ad fidem converſum redderet à Spiritu S. judicio ſecurum. p. 607. v. 25.

De judicio. Arguet clemens & pius ſpiritus hominem qui facilè de proximo ſuſpicatur perverſum, quod poſſet & jubet charitas in bonum vertere. p. 341. v. 15. paginâ 536. v. 27.

De judicio. Nimis humanum fallitur judicium, quod vel juſtis, vel impiis in pœnam tantùm fiat, quod infligitur, & non ex occultiori Dei conſilio. p. 210. v. 3. paginâ 213. v. 2. 214. v. 4. 215. v. 4. p. 526. v. 3. p. 543. v. 2. 3. & p 544. v. 341. p. 611. v. 4. p. 545. v. 12.

De judicio. Corruptiſſimum ex carnis de ſpiritualibus judicium, quæ carni non ſapiunt. pag. 473. v. 21. p. 574. v. 13. p. 575. v. 33. p. 589. v. 2. p. 590. v. 3. p. 609. v. 24.

De judicio. Malè ratiocinatur de aliis, qui Dei non novit juſtum judicium. p. 5n1. v. 39. p. 572. v. 23. p. 612. verſu 4. p. 113. v. 21.

De juſtitia Spes præmij, oblata munera, & perſonarum acceptio, atque odium, judicio Spiritus arguuntur: nam judicium, juſtitiamque invertunt. p. 81. v. 17. p. 87. v. 19. p. 89. v. 25. p. 6n7. v. 25. & 26.

Cum venerit ille Spiritus. A Spiritu S. edoctus capies, quæ aſſequi te intellectu non poſſe videris: opus ergò quotidiana illius gratia, cum homo ex ſe ſoleat deficere. p. 555. v. 12. & 13. p. 578. v. 29. & 31.

Docebit vos omnem veritatem. Temerè nimis aſſeritur,

eo eſſe

eo eſſe quemvis Chriſtianum ſpiritu prædìtum, ut ſine externo magiſterio ſenſum Scripturæ queat aſſequi. p.526. v.45. p.539. v.10. p.585. v.30. p.592. v.27.

Docebit vos omnem veritatem. Falſis immiſcent vera detractores & mendaces, quò faciliùs perſuadeant. p.71. v.28.

Docebit omnem veritatem. Extra Eccleſiam, quæ regitur à Spiritu S. non quæras fidei magiſtrum. pag. 586. ℣.6.

Dominica V. Post Pascha.

Ioan. 16.

S*I quid petieritis.* Per Chriſtum oportet rogare, quidquid à patre petimus: quid non impetres, ſi exaudivit ſine his precibus exorantes? pag.21. ℣.12. p.556. ℣.24. p.620. ℣.3.

Si quid petieritis patrem Adoptionis promovet fiduciam, quod patrem appellet, quem roges: nec ad Filium tibi via intercluditur. pag. 418. ℣.9. pag. 584. ℣.58.

Dabit vobis. Amicorum ſuorum Deus, in arduis quidem, obedit precibus: magna orationis vis, quæ non externo vocis tantùm ſono, ſed interno mentis deſiderio aures divinæ bonitatis pulſat. pag. 41. ℣.15. p.71. ℣.20. p.97. ℣.12. ibid. v.13.

Si quid petieritis Non damnanda eſt, quæ fit in publico, oratio: mala eſt, ubi vana gloria, vel prava intercurrit intentio. p. 418. ℣ 6. ibid. ℣.7.

In nomine meo. Voti promittit compotes, ſi petamus in ejus nomine? nam ſemper exauditur à patre. p. 547. ℣.42. p.309. ℣.8.

Petite, & accipietis. Exauditur & impetrat. qui eo modo petit, quo tanta res poſtulari debet: dat ea Deus, quæ & quando ipſe voluerit, & viderit prodeſſe. p.337. ℣.13. pag.370. ℣.17. pag.379. ℣.4. p.421. ℣.8. p.506. ℣.9.

Petite, ut gaudium veſtrum Plenum ſperamus in patria, quod in hac miſeriarum valle non datur experiri gaudium. p.629. ℣.6.

In nomine meo petatis. Qui non faſtidioſam, ſed perſeverantem vult orationem Salvator non opem ſuam renuit, ſed de patris amore ſolamen tribuit, quod majus eſt. p.515. ℣.1. p.556. ℣.26.

Gaudium veſtrum ſit plenum. In hoc felicitatem puta tuam conſiſtere, ſi quod benè voluiſti, à Deo impetraſti. p.556. ℣.24.

In Ascensione Domini.

Marc. 16.

E*Xprobravit incredulitatem eorum.* Diſſimulanda eſt ad tempus correptio, ut commodiori tempore magis proficiat. p.25. ℣.22.

Quia his, qui viderant eum Facit correptio manifeſtum, quis in animo geratur, affectum: non tamen putandus eſt aſcenſurus Redemptor exprobraſſe incredulitatem, etſi tunc, quando non crediderant narrantibus. p.29. ℣.9. p.485. ℣.14.

Prædicate Evangelium Tunc efficaciam habet prædicatio, quando tam operibus, quàm verbis exequimur commiſſum officium. p. 130. ℣.6. p. 383. ℣.1. p. 452. ℣.4.

Prædicate Evangelium. Quia vult omnes ſalvos fieri, beneficio prædicationis neminem excipit: hinc unius veri Dei vult invehi mundo notitiam, illuſtrari mente obcœcatos, & in opus redigi, quod paraverat prius. p.244. ℣.9. p.317. ℣.8. p.318. ℣.1. p.485. ℣.15. p.503. ℣.20.

Prædicate Evangelium. Sine tædio in omnes prædicationis jubet eſcam diſtribuere, etſi futuri ſunt, apud quos foret caſſus labor. p.351. ℣.1.

Qui crediderit, & baptizatus Vivunt in ſalutem in mari baptiſmi natantes piſces rationales: ſed pereunt ſi ad alta myſteriorum enavigant. p.266. ℣.27. p.270. ℣.1. p.368. ℣.10. p.626. ℣.2.

Qui non crediderit. Infidelitatis damnantur merito, qui non credunt, ſicut non ſufficit fides ſine peccatorum remiſſione, qui audierunt. p.485. ℣.16.

Qui non crediderit. Suffecerat minùs inſtructo implicita fides, ſuret tamen periculum, ſi per Apoſtolos non fuiſſet prædicata. p. 588. ℣.6.

Signa eos, hæc ſequentur Vera ſunt ſigna, quæ Deo operante ad fidem confirmandam fiunt, probantque veram doctrinam: facit & dæmon; ſed falſa. p.94. ℣.10. pag. 200. ℣.6. pag.532. ℣.2. p. 554. ℣.31. p.37. ℣.12. pag. 625. ℣.13. & ℣.15. pag. 38. ℣.22. pag.97. ℣. 13.

Eſtij Annot. in Script.

Super ægros. Operabatur mira in Apoſtolis Dei virtus, ut vel impoſitione manuum, vel aliis modis redderent ſanitatem. p.586. ℣.17. p.692. ℣.10.

Aſſumptus eſt in cælum. Chriſti triumphum non attigit Elias; ſeſe hortantur Angeli: & agilitatis dote præpollens triumphator aliena non reſpuit miniſteria; p.155. ℣.11. p.226. ℣.7: p.485. ℣.19. p.622. ℣. 11.

Sedet à dextris Dei. In terris adeſt, qui ſedet ad patris dexteram; nec repugnat omnipotentiæ: in cælis poteſtatem aſſumit judicis, in terris pius. pag. 577. ℣.21. p.583. ℣.55.

Sermonem confirmante. Infidelibus maximè fides erat neceſſaria reſurrectionis; hanc ſignis probabant Apoſtoli. p.577. v.22.

Dominica VI. Post Pasch.

Ioan. 15. & 16.

V*Os teſtimonium perhibebitis.* Cupit habere beneficiorum operumque ſuorum Deus teſtimonium. p.94. ℣.9.

Omnis qui interficit vos. Fallitur ille, qui proximum, privato proſequitur odio, ſe Deo præſtare obſequium. p.129. ℣.29.

Reminiſcamini, quia dixi vobis. Plura prævidet ſufferenda Dominus, ut prævia notitia ſit in adverſis ſolamen. p.291. ℣.1. p.400. ℣.9. p.599. ℣.17.

Dominica Pentecostes.

Ioan. 16.

S*I quis diligit me.* Mediante divino auxilio non eſt ſupra vel ultra nos, mandata ejus ſervare: obſervas, ſi amas. p.92. ℣.11. p.553. ℣.15

Si quis diligit me. Non ſentiet defectum gratiæ Spiritus, qui ſemel guſtaverit, ſi non ipſe voluerit. p.535. ℣.13. p.91. ℣.16.

Paraclitus autem Spiritus S. In alium prorſus mutatur hominem, quem Spiritus S. repleverit. pag. 12. ℣.7. p.27. ℣.4. p.35. ℣.10. p.126. ℣.20. p.109. ℣.6. p.573. ℣.6. p.12. ℣.7. p.307. ℣.22.

Paraclitus Spiritus S. docebit vos Cœlum ſine aſtris, & terra inanis, quid niſi anima ſine gratia Spiritus, cujus afflatu homo fit in animam viventem, & flante Spiritu fluunt aromata? p.1. ℣.2. & 3. pag.276. ℣.16. p.1. ℣.2. & ℣.7.

Ille vos docebit omnia. Juſtè, cum opus fuerit, condunt leges prælati Eccleſiæ, etſi Chriſtus non juſſerit. p.82. ℣.2. p.596. ℣.4. p.313. ℣.1. p.340. ℣.9.

Suggeret vobis omnia Ut congruum det in ore Deus ſermonem, ore, qui pro hominum ſalute in verbo vel doctrina laborat. p.106. ℣.10. p.263. ℣.16.

Suggeret vobis omnia. Et præcepta ad ſanctificationem ſpectantia, & confirmationem baptiſmi complementum per Spiritum S. receperunt Apoſtoli. p.570. ℣.2. ibid. ℣.5.

Pacem meam do vobis. Dedit ſanè pacem, & reliquit, qui cum Deo hominem reconciliavit. p.339. ℣.6.

Venit princeps mundi Non habuit Satanas quidquam in Agnum, à peccatis ſibi impoſitis non coinquinatum. p.390. ℣.1.

Feria II. Pentecostes.

Ioan. 3.

S*Ic Deus dilexit mundum* Non filij dolor Sephoram, ut maritum retineret, deterruit; nec pater æternus Filio pepercit, ut ſervus non periret. p.36. ℣.25.

Sic Deus dilexit. O quantum! pro mundo dare Filium. Amor, quo majorem nemo habet. p.85. ℣.15. p.320. ℣.4. p.385. ℣.7.

Sic Deus dilexit Vitam pro amico ſi impenderis, probaſti dilectionem, qua major non eſt: collige amorem Dei, qui nec Filio pepercit pro inimicis ſervandis. p.554. ℣.13.

Vt unigenitum daret Illuſtrant collata mundo beneficia dilectionem Dei: commendat infinities pro eo Filij traditio. p.326. ℣.2.

Dilexerunt homines. Propoſito ſibi lumine tenebras diligunt; qui malitiæ velamen ſuper cor gerunt. p.306. ℣.10. p.353. ℣.15.

FERIA III. PENTECOSTES.

Ioan. 10.

OVes vocem ejus audiunt Oves veræ ſunt, quæ vocantis vocem perſeveranter excipientes ſequuntur. pagina 544. v.3.

Non audierunt eos oves Contrahere cum alienis amicitiam, ſine periculo non abit; benè oves bonæ alienos non audierunt. p.177. v.2. p.141. v.26. p.131. v.23. p.343. v.15.

Ego veni ut vitam habeant. Pendebat ante oculos vita, nec credebant Judæi, ut vitam haberent. p.92. verſ. 66.

Ut vitam habeant. Per mortem ad patriam ſummus Sacerdos reditum obtinuit: vitam contulit, cum non ſit aliud ſub cœlo nomen, quod ſalvet. pag.101. v.6. p.577. v.12.

Ut vitam habeant Suſcitare baculus non poterat, ut vitam recipiat mortuus, venire ipſum oportebat Eliſæum. p.156. v.31.

Et abundantius habeant Ovium verus paſtor non curam ſolùm geſſit, ſed & hoc egit, ut abundantius paſcantur, p.226. v.1. & 4.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Matth. 28.

DAta eſt mihi omnis Poteſtas. Data eſt ei poteſtas, qui jam in terram olim exercuerat: qui claudit & aperit, quod nemo præter eum aperiat vel claudat. p.17. verſ.24. p.615. v.7.

Data eſt mihi Humilitate poteſtatem comparavit, quando Deitatem potentes terræ ſibi arrogantes eam non conſervarunt: conſtitutus in regno princeps & regni & ſacerdotij accepit dignitatem. p.196. v.13. p.197. v.29. p.469. v.18. p.618. v.14.

Euntes docete omnes gentes Religione unius veri Dei per orbem propagatâ paſſim innotuit idola deos non eſſe. p.243. v.10. & 5. Pſal.95.

Docete omnes gentes Etſi omnium eſt fides, ſed non omnium eſt intelligentia. p.338. verſ.34.

Baptizantes eos. Promiſſio vitæ non eſt, etſi ſemen ſis Abrahæ, niſi per baptiſmum inter filios computeris: nam nec incircumciſus de populo filius verus erat. p.16. v.7. ibid. v.14.

Baptizantes eos De ſiniſtro damnationis latere ad ſalutis dextrum baptiſmus conſtituit: nec alius eſt ad vitam aditus. p.368. v.1. pag.533. v.5. p.605. verſ. 16. p.575. v.38.

In nomine patris. Pluralitatem perſonarum, & eſſentiæ credimus unitatem: mentem hoc myſterium illuminat, ſed perſcrutari vetitum eſt. p.3. v.26. p.12. v.7. p.16. verſ. 2. p.35. v.5. pag.286. v.22. p. 300. v.33. pag. 49. verſ.30.

Docentes ſervare omnia. Quæ tradidère Apoſtoli, non eſt ambigendum ea eſſe Chriſti præcepta. p.47. v.4.

Docentes ſervare omnia. Apoſtolica eſt functio docère, baptiſmo initiari, & bonis præceptis inſtituere: non ergò ſolam fidem ad ſalutem puta ſufficere. p.470. v.19. p.585. v.36.

Quæcunque mandavi vobis. Cur præcepta ſervatu ſint impoſſibilia, quando mandat ea doceri ad fidem converſos? p.470. v.20.

Ecce ego vobiſcum ſum. Competit Eccleſiæ Chriſti propriiſſimè, perpetuò cum ea Deum eſſe, à qua non eſt receſſurus unquam. p.368. v.35. p.470. v.20.

EADEM DOMINICA TRINITATIS.

Luc. 6.

EStote miſericordes. Cum pauperes deſint nunquam, vult illis ſubveniri Deus: cogitatio impia non ferre opem egentibus: quandoquidem benignitatis opera rependantur. pag.33. v.20. & 21. p.87. v.4. & 9. p.79. verſ. 10.

Sicut Pater veſter Eximia ſunt, quæ attributa ſunt Deo: præcellit ejus miſericordia: imitari Chriſtus jubet. p.229. v.12. p.135. v.3. p.255. v.9. p.598. v.22.

Dimittite Vindictam Deo committe, illata cum patientia ſuſtine. p.624. v.10. p.626. v.12.

Ejice primùm trabem. In aliena animadvertere, ſua diſſimulare, hypocritarum eſt. Mundat calicem deforis, qui aliena attendit: de te prius judicium ſtatue. pag.27. v.24. p.421. v.5. p.453. v.26. p.541. v.7.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Ioan. 6.

CAro mea verè eſt cibus. Vitam Adamo ſtabilem contuliſſet vitæ lignum; æternam dignè ſumenti confert Chriſti corpus. p.46. v.6. p.50. verſ. 29. p.539. verſ. 46.

Caro mea verè eſt cibus. Tranſit in Chriſti corpus panis, & panis adhuc dicitur, cujus præſentiam in altari & manna & panes propoſitionis ſignant. pag. 42. v.19. & 33. p.48. v.30. p.37. v.12.

Caro mea verè eſt cibus. Tam vehemens hujus panis ſit deſiderium, ut præſentem ſemper velis habere Chriſtum. p.216. v.31.

Et ſanguis meus. Verus Sacerdos, qui panem & vinum obtulit: Verus amator ſui reliquit memoriam. p.14. v.18. p.520. v.19. & 20.

Sanguis meus. Utrumque ſanguine conſecratum eſt teſtamentum; verùm modo longè diſſimili. pag. 26. verſ. 8.

Qui manducat. Mundus hanc carnem ſumat; mortem ſumit & pœnam luit, qui comederit immundus. p.50. v.29. p.118. v.19. p. 126. v.4. p. 378. v.4. p. 550. v.5. p.53. v.8.

Qui manducat hunc panem. Panis vivus, Angelorum panis vitalis, quò reficiuntur perpetuò. pag. 239. verſ.24.

Patres veſtri mortui ſunt. Fame moriuntur & juſti, hunc panem qui comederit, vitam vivit æternam. p. 230. verſ.21.

DOMINICA I. POST TRINITAT.

Luc. 14.

VIllam emi. Triplex à divina vocatione hominem retinet concupiſcentia; carnis concupiſcentia id agit vel maximè. p.510. v.18. & 20.

Uxorem duxi. Pœnitentiæ amaræ præſentia carnis præſcripſit voluptatem aliquando: qui ex amore inhęret rei, difficulter ab ea avellitur. p.12. v.5. p.51. v.4.

Uxorem duxi. Subſit licet bonum, non tamen vocat periculo, alienæ fidei ducere uxorem, aut nubere viro. p.28. v.45. p.80. v.7. p.101. v.13. pag.145. v.1. p.148. v.1. p.205. v.15. p.8. v.2.

Uxorem duxi. Vituperabilis eſt, qui libidine potius actus, quàm ex fine debito matrimonium contrahit. p.114. v.10.

Non poſſum venire. Impedimentum ſenſit (vel magis noluit) ut vocatus veniret, paris fortè fidei uxore ductâ; quanta impedimenta, prò quanta! ubi eſt diverſa conjugum religio. p.185. v.2. p.177. v.6.

Introduc huc Jubet introducere, jubet compellere, ut impleatur domus; non tamen cogitur voluntas. p.511. verſ.23.

Nemo virorum illorum Sibi imputet, quiſquis à cœna excluditur, quod vocatus venire detrectaverit ibid. v.24.

DOMINICA II. POST TRINITAT.

Luc. 15.

HIc peccatores recipit Ut auxilium inveniant, & conſequantur ſalutem, ad Jeſum accedunt: inquirunt alij, ubi opem reperiant. p.107. v.3. p.127. v.2.

Hic peccatores recipit. In gratiam recipere, qui læſerat, grandis amoris eſt ſignum: hic peccatores recipit, imò convivatur inimicis. p.112. v.2.

Murmurabant phariſæi. Os ſuum poſuère phariſæi in cœlum, calumniando Jeſum, lingua eorum tranſivit in terra, vilipendendo peccatores. p.238. v.9.

Hic peccatores recipit Sceleratos ad frugem revocare, in gratiam recipere, ſumma Dei miſericordia eſt. p.376. v.2. c.1. ib. v.2. c.2. & v.19. p.377. v.1.

Gaudium erit Angelis. Lætificat vini nobilitas Deum; lacrymæ poterunt, Angelicum nectar? Eſt in Angelis ex peccatoris converſione lætitia, quam non habent de innocentia juſti p.107. v.13. p.510. v.7.

Quis ex vobis homo Patrocinium ſuſcipit eorum, qui ſe non audebant defendere: ad ſe pertinere ſciebat turari oppreſſos. p.268. v.8.

DOMINICA III. POST TRINITAT.

Luc. 5.

D*Vc in altum.* Ad litus hærens nil capit, in altum ducens exiguo labore copioſos trahit; nam deludant peccatores inutiliter, juſti ſine labore locupletantur. p.14. ℣.14. & 18.

Per totam noctem laborantes Laſſantur impij in via iniquitatis, contra juſtum in vanum machinantur: nihil niſi conſcientia carnificinam aſſequuntur. p.279. ℣.27. p.323. ℣.4. p.222. ℣.15.

Per totam noctem laborantes. Laborat, nec comprehendit, qui orando non ſudat: laboravit Jacob, & vicit, nam oravit. p.379. ℣.4.

In nomine tuo laxabo rete. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquod, quaſi ex nobis: quomodo agere? ergò divino agamus auxilio. p.249. ℣.48. p.262. ℣.1.

Rumpebatur rete Rumpunt Eccleſiæ rete, qui de ea exeunt. p.498. ℣.6.

Exi à me, quia homo peccator ſum. Humilis Petrus Indignum ſe Chriſti præſentia reputat: quem à finibus Geraſeni bonorum avidi recedere volunt. p.135. ℣.8. p.424. ℣.34.

Exi à me Quem amor ſuſtineret hunc repellit humilitas, & infirmitas conſcientiæ: timent bonæ conſcientiæ homines: quoniam Deum videre non eſt mortalis homo dignus. pag.24. ℣.30. p.161. ℣.18. p.498. ℣.8. p. 551. ℣.6. p.138. ℣.25.

Homo peccator ſum. Homo ſe peccatorem agnoſcit meritò, cum plus vitij habeat vita noſtra, quàm virtutis: ſolent & juſti ſe peccatoribus adjungere. p.186. ℣.6. p.209. ℣.1. p.214. ℣.17.

DOMINICA IV. POST TRINITAT.

Matth. 5.

N*Iſi abundaverit juſtitia.* Vitam æternam phariſaica non conſequitur juſtitia: ſpeciem tantùm gerit: vera in operatione virtutum conſiſtit. pag.261. ℣.12. p.486. ℣.6. p.507. ℣.42.

Non occides. Vetatur cum carne veſci ſanguine: quantò gravius eſt occidere. p.11. ℣.4. p.55. ℣.16. p.11. ℣.4.

Non occides. Inſontem non dixeris, qui pravâ nocet voluntate, ſi non opere; voluntas opus eſt. p.576. ℣.15. p.582. ℣.52. p.583. ℣.2.

Non occides. Ubi non divinus adeſt inſtinctus, aut imperium, nec ſe, nec alium vitâ privare licebit. p.45. ℣.13. p.76. ℣.7. p. 86. ℣.1. p. 104. ℣.16. p.229. ℣.9. p.582. ℣.25. p.109. ℣.4. p.112. ℣.2.

Non occides. Diabolum patrem docet ſe habere, quiſquis nocet proximo; & quia homicida eſt, & quia mendax. p.542. ℣.44.

Non occides Non caret culpa, qui offendiculum cæco ponit; nec qui ſine debito moderamine tutelæ lædit. p.91. ℣.18. p.462. ℣.51.

Reus erit judicio Subjacet pœnæ talionis homicida; nec ſuffragatur altare: reum ſe violatæ imaginis Dei ſtatuit. p.46. ℣.14. & 23. p.11. ℣.6.

Omnis, qui iraſcitur fratri. Noli fratrem habere odio: non pravum opus exercitum, ſed voluntas mala pœnæ ſubjacet. p.62. ℣.17. p.416. ℣.21.

Si offert munus Deponenda eſt injuriarum memoria, ſi obtinenda eſt gratia: ſacrificium, quod odij ſordibus pollutum eſt, non acceptat Deus. p.6. ℣.4. pag. 10. ℣.21. p.147. ℣.6. p 320. ℣.1. pag 417. ℣.25. p.9. ℣.2. p.10. ℣.21.

Relinque ibi munus. Munus ſuper altare ſine fratre placato non ponas, altare Chriſtus eſt; munus in odio datum reſpuit. p.628. ℣.10.

Vade prius reconciliari Longè gratiſſimum Deo munus eſt concors fratrum animus, ſicut redolet ſuaviſſimè effuſum odoris præſtantiſſimi unguentum. p.252. ℣.2. & 3.

DOMINICA V. POST TRINITAT.

Marc. 8.

M*Iſereor ſuper turbam.* Satis magna eſt miſericordia, dare indigenti, quod habes. p.577. ℣.6.

Iam triduo ſuſtinent. Non ſatis eſt benè incepiſſe perſeverantia opus coronat: non laudem promeretur operis initium, ſed boni incepti diminutio culpatur. pag.122. ℣.1. p.171. ℣.9. p.361. ℣.13. p.614. ℣.2. & 4 & ℣.26. p. 615. ℣.11.

Eſtij Annot. in Script.

Iam triduo ſuſtinent. Nemo perſeverantiæ ſibi ſecuritatem auſit promittere; unius horæ procella firmitatem animi ſubvertit. p.360. ℣.16.

Deficient in via. Pœnam intentatam, quam per pœnitentiam ſubmoviſti, niſi perſeveres, minimè effugies. p.195. ℣.6.

Præcepit turbæ diſcumbere. Qui ſedent, induuntur virtute ex alto: ſede per humilitatem, ut gratiam recipias; ſi ſtas ſuperbus, indignum te probas. p.526. ℣.49.

Manducaverunt, & ſaturati ſunt. Euchariſtiæ, Sacramentorumq; uſus, quibus conſervatur animæ vita, hujus peregrinationis durant tempore. pagina 421. ℣.35.

DOMINICA VI. POST TRINITAT.

Matth. 7.

A*Ttendite à falſis prophetis.* Falſi ſunt, qui falſis vera miſcent, ut meliùs perſuadeant: falſi ſunt, qui acceptam militiam alieno habitu contegunt: attendes ab illis, ſi non audias. pag.71. ℣.28. p.86. ℣.1. p.133. ℣.3. p.138. ℣.6. p.422. ℣.15 p.301. ℣.25.

Attendite à falſis. Pſeudoprophetarum eſt iſte mos, ut ſimplices captioſis conentur dilemmatibus ſubvertere. p.210. ℣.3. p.213. ℣.4. p.214. ℣.12.

Attendite à falſis Falſus eſt animi, quiſquis vel per doctrinam, vel pietatis ſimulationem ovina pelle lupum legit aut vulpem. pag. 567. ℣.1. p.509. ℣.32. p.584. ℣.9. p.615. ℣.15. p.621. ℣.11.

In veſtimentis ovium. Ovina pelle tectum circumfert animum, qui ore aliud loquitur, aliud corde ſentit. p.231. ℣.7. p.154. ℣.30. p.233. ℣.3.

In veſtimentis ovium. Apparent lupi in ſimplicitate ovina, quoniam vita eorum contemptibilis eſt, piis patrum ſententiis, & ſimulata ſanctitate errores contegunt. p.216. ℣.8. p.481. ℣.40.

Intrinſecus lupi rapaces. Non uſque adeò lupi ſunt, ut non ovium prodant manſuetudinem. p.497. ℣.6.

A fructibus cognoſcetis. Diſcernunt opera inter veros falſoſque prophetas: non tam occulta latent opera ſimulatæ pietatis, ut non prodantur. pag. 336. ℣.1. p.422. ℣.16.

Non poteſt arbor bona. Sicut non niſi bona emanant ex bona voluntate opera; ſic non niſi ſunt mala ex perverſâ. p.422. ℣.18.

Omnis arbor, quæ non facit. Ad ignis æterni pœnam jam deſtinatus eſt, qui ut inutilis arbor exciditur. pag.554. ℣.6.

Non omnis, qui dicit: Domine. Ad juſtitiam ſola non reputatur fides; nec ſine operibus ſalvat: initium quidem ſalutis ex fide; ſed ſpe & charitate noſſe Deum perfecta eſt juſtitia. p.15. ℣.6. p.94. ℣.11. p. 283. ℣.3. p 530. ℣.29. p.554. ℣.3. p.557. ℣.3. p.588. ℣.2. p.608. ℣.18. p.504. ℣.8. pag.262 ℣.27. pag.360. ℣.5. p.364. ℣.22.

Non omnis Fruſtrà ſecuritas regni promittitur, ſi malè vivendo, opera illius meritoria non fiant: ne te decipias, etſi ſis hæres; hæc enim placent. p.92. ℣.15. p.328. ℣.4. p. 329. ℣.24. pag.459. ℣.32. & 34. p.587. ℣.36. p.626. ℣.13. p.627. ℣.15. p.192. ℣.23.

Non omnis In ſola peccatorum remiſſione non conſiſtit juſtificatio, ſed in operatione virtutum; harum non eſt inanis fiducia: ſi præter fidem omnia excluduntur; nec fides juſtificationis erit neceſſaria. p.249. ℣.1. p.240. ℣.121. p.503. ℣.50.

Qui fecerit voluntatem Commendatur, qui voluntatem Dei exequitur; quid ille habebit meriti, qui eam perfecerit? p.79. ℣.12.

Qui fecerit. Surgent Ninivitæ contra adverſarios opera negantes præter fidem; ad juſtificationem enim requiruntur pœnitentiæ opera. pag. 384. ℣.10. p.609. ℣.20.

DOMINICA VII. POST TRINITAT.

Ioan. 16.

H*Omo habebat villicum.* Eſt fidelis diſpenſatoris, omnia prudenti agere conſilio, ut redundent in Domini bonum. p.31. ℣.19.

Hic diffamatus eſt. Peſſimè villicus egerat; pluris famam, quàm bona debuiſſet æſtimaſſe. pag. 265. ℣.1.

Quid hoc audio de te? Sedatè Judex agat, quidquid agit, nec præceps ferat ſententiam. pag. 316. ℣.2. & 4.

Quid hoc audio? Vocat ad ſe, non confundit pu-

blicè: occulta proximi vitia non ſunt detegenda. p.460. ℣.25.

Reddo rationem villicationis. Exactum erit judicium à potentioribus majnr erit reddenda ratio. p.254. ℣.2. p.256. ℣.6. p.632. ℣.12. & 13.

Iam non poteris. Juſtè luit depoſitione pœnam, qui provinciam non adminiſtravit commiſſam. pag. 69. ℣.9.

Quid faciam? Timet homo prius in his, quæ peccati tantùm ſpeciem habent; quid peccator aget, cujus nunquam vermis conſcientiæ quieſcit. p.18. ℣.16. p.7. ℣.15. p.128. ℣.6. p.143. ℣.21. p 590. ℣.6.

Mendicare erubeſco. Cur erubeſcat vilis homuncio, quando Filius Dei emendicato victum quæſivit? Homo eſt; melius mori, quàm indigere, putabat. pag.299. ℣.29. p.494. ℣.45.

Scio quid faciam Provideat ſibi homo, priuſquam à villicatione removeatur, media, malè alias comedet. p.248. ℣.17.

Vt cum amotus fuero. Magis de bonitate homo Chriſtianus ſperet, quàm Dei ſeveritatem extimeſcat. p.263. ℣.22.

Laudavit Dominus Villicum. Laudatur aſtuti ingenium, non factum: uti tamen arte licitâ, prudentia eſt, non fraus. p.23. ℣.37. & 40. p.512. ℣.8.

Filij hujus lucis prudentiores. Omnem occaſionem aſtutus prævidet, nt imminens ſibi damnum caveat. p.164. ℣.15.

Facite vobis amicos. Utiliores nnn facit ſibi amicos, quàm ſi largis eſt in pauperes manibus. p.512. ℣.9.

DOMINICA VIII. POST TRINITAT.

Ioan. 19.

V*Idens civitatem flevit* Flet; qaia perditione non lætatur vivorum: compatitur; qnia nnvit eos finita ſpe perituros: malè habet eum ex animo, quod ſciret eos non cuſtodiviſſe legem. p.92. ℣.63. p.212. ℣.4. p.251. ℣.136.

Flevit ſuper illam Deflet caſum urbis miſerabilem, quia nnn habituri eſſent pacem, quam nolebant oblatam. Diſcant quid graſſantibus vitiis agant, quorum intereſt caſtigare peccata. p.314. ℣.7. p. 328. ℣.1.

Si cognoviſſes & tu De fruſtranen dolet labore; nam nihil prætermittit Deus: deflendus, qui tempus non agnnſcit ſalutis. pagina 309. ℣.4. pagina 518. ℣.42.

Circumdabunt te inimici. Sumunt ex mcnlarum peccatis inimici vires: tantò graviora ſuſtinuerunt, quantò erant magis enormia eorum ſcelera. p.313. ℣.1. p.352. ℣.5.9. & 10. p.353. ℣.12.

Ad terrum proſternent te. Parcit Deus peccatori propter Juſti merita; non valent tamen ea divinam aliquando continere Juſtitiam. p.291. ℣.18.

Te, & filios tuos Non niſi ſontem punire licet; eſt aliud Dei judicinm: conſtat omnes reos fuiſſe criminis. p.95. ℣.1. p.106. ℣.16. p. 349. ℣.10. p.357. ℣.20.

Non relinquent lapidem Summa ſunt, quæ peccatum damna inſert: probat illata pœna culpæ gravitatem. p.31. ℣.4. p.211. ℣.5.

Quod non cognoveris Fruſtrà conqneritur, qui tempus mali vitandi non acceptaverit. p.322. ℣.6.

Ingreſſus templum cœpit ejicere. Habet curam loci ſui cultui conſecrati Deus: ſequitur ultio divini honoris neglectores & uſurpatores. p. 63. ℣.25. pag.66. ℣.51. p.86. ℣.2. p.160. ℣.25. p.372. ℣.2. p.479. ℣.16. p.398. ℣.27. p.591. ℣.23. p.611. ℣.6. p. 124. ℣.23. pag. 134. ℣.23. p.136. ℣.11. cap.12. pag.140. ℣. 29. p.161. ℣.36. & 37. p.163. ℣.3.

Cœpit ejicere. Quantùm excandeſcet in te qui plura in templo Dei idola ſtatuis? p.353. ℣.3. p.449. ℣.13.

Cœpit ejicere. Injuriam propriam malè vindicas; petere vindictam vetaris: benè, ſi Dei curam habes. p.504. ℣.54. & 55. p.127. ℣. 19. pag. 136. ℣.6. pag.149. ℣.14.

DOMINICA IX. POST TRINITAT.

Luc. 18.

P*Hariſæus ſtans hæc orabat.* Non eſt oratio, ſed elatio hæc mentis; nec mirum, ſi fiat in peccatum. p.515. ℣.9. p.516. ℣.11. & 14.

Deus, gratias ago tibi. Labiis Deum honorat, cor ejus longè eſt ab eo; non ideò juſtificatus deſcendit. pag. 314. ℣.13. pag. 349. ℣.28. pag.516. ℣.11. pag.330. ℣.2.

Gratias ago tibi, quia non ſum. Non eſt gloriandum nec præſumendum de victoria, ubi incertus eſt adhuc belli eventus. p.153. ℣.12.

Non ſum ſicut cæteri hominum. Qui ſibi placet, perverſus ſui ipſius judex eſt: nemo enim coram Deo mundus. p.5. ℣.5. p.6. ℣.22. p. 52. ℣.7. p. 212. ℣.15. pag.215. ℣.4. p.264. ℣.9. p.287. ℣.5.

Non ſum ſicut cæteri. Malè ſibi attribuit, qui omnia habet à Deo. p.54. ℣.2. p.58. ℣.1. p.86. ℣.6.

Decimas do omnium Nnn excuſatur, qui nnn integras ſolvit decimas: dignum eſt, ut metat temporalia, qui ſpiritualia ſeminat. pag. 15. v.20 pag.91. v.14. p.180. verſ.4.

Percutiebat pectus ſuum. Signa oſtendit doloris: prudens qui culpam agnoſcit. pag.181. v.27. p.199. v.7. p.220. v.3.

Propitius eſto mihi. Meretur pœnitentia vera veniam, manet tamen temporalis pœna, niſi contritio fit ex perfecta charitate. pag.51. v.29. pag. 137. v.13. p.163. verſ.3.

Deſcendit hic juſtificatus. Inter ollas fuliginoſas dormit impius; pœnitens columbæ deargentatæ efficitur ſimilis. p.136. v.14.

Ab illo. Juſtè condemnatur injuſtitiæ, qui reprehenſibilis alterum damnat. p.263. v.15. p.288. v.6.

Deſcendit juſtificatus. Placat Deum nratio impij, qui per pœnitentiam reconciliari ſatagit. p. 262. v.8.

Omnis, qui ſe exaltat. Superbia odibilis Deo ad imâ trahit, ſit licet animi ornatus dotibus, ut lucifer. p.12. v.4. p.308. v.12. & 13. p.309. v.5. p.362. v.3.

DOMINICA X. POST TRINITAT.

Marc. 7.

D*Eprecabantur eum* Orare nnn intermittas vel pro te, vel pro alio, niſi cnntraria tibi cnnſtet Dei voluntas. p.329. v.14.

Apprehendens de turba ſeorſum. Non ſufficit eſſe à peccatis alienum; tollenda eſt occaſio: facilè involvitur, qui non recedit. p. 25. v.2. p.55. v.16. p.66. v.12. p.78. v.8. p.93. v.6. p.160. v.4. p.345. v.6. p.601. v.19. p.68. v.3. p.78. v.14.

De turba ſeorſum. Tantò periculoſius, quantò proximius inter malos converſaris; vix in pietate fixo tibi fidas. p.101. v.13. p.152. v.3.

De turba ſeorſum. Vitet periculum, qui lapſus erat ? prævideat, qui criminis poſt commiſſi non vult reatum incurrere. p.567. v.15. p.149. v.20. cap.12.

De turba ſeorſum. Vix inter malos verſari ſine imperfectiorum ſcandalo eſt; cave: licitum depravat conſcientia & aliorum offenſio. pag.594. v.29. pag.596. v.3. p.628. v.4.

Miſit digitos in aures. Ad obedientiam vult adducere fidei; nam fides ex auditu. p.522. v.51.

Præcepit, ne cui dicerent. Ad humilitatis facit cuſtodiam, bonum tegere, quod agis ſilentio. p.426. v.30. p.437. v.20. p.471. v.45. p.474. v.18. p.476. v.36.

Tantò magis prædicabant. Meritò Dei laudem celebrant, ne ingratum eorum ſilentium ſaxa perſtringant. p.517. v.39.

Benè omnia fecit Recta ſunt, nec reprehendi queunt, Dei opera, quæ juxta voluntatem facit. pag.477. v.24.

DOMINICA XI. POST TRINITAT.

Luc. 10.

B*Eati oculi, qui vident.* Felices ſanè; experti divinam omnipotentiam patriarchæ, nnn item Salvatoris benignitatem. p. 36. v.3. p. 583. v.55. p.52. v.12.

Beati oculi. Deum homo nnn conſpicit oculis, quin moriatur; beati, qui vident & audiunt. p.24. v.30. p.83. v.33. p.583. v.55.

Beati oculi Infelices filij Dei, qui malè uſi ſunt oculis ſuis. p.8. v.2.

Multi prophetæ & reges. Crevit veterum deſiderium ita, ut coram conſpicere peterent, quem noverant ſpiritu. p.433. v.17.

Diliges proximum tuum Non tuam dnntaxat animam ſtude ſervare, ſed & proximi ſalute tangere. pag.532. v.18.

Incidit in latrones. Experto crede, quàm ſit verum hoc: qui amat periculum, peribit in illo. pag. 148. verſ. 4.

Qui deſpoliaverunt eum. Devians homo ab obſervatione præcepti, veſtimentis ſpoliatur juſtitiæ. pag.271. v. 30.

Sacerdos viſo illo præteriit. Forſan alienus à fide miſer

erat? Eſto; malè pertranſiit, dum omnibus beneſacere præcipitur. p. 272. v. 1. p. 273. v. 2. p. 257. v. 3. p. 356, v. 49.

Similiter & Levita. Promptus ſuccurrit miſeris, qui ſenſit aliquando egeſtatis incommoda. p. 264. v. 22.

Samaritanus autem. Benigno exanimem vultu reſpexit, ideò à mortis periculo eripere feſtinavit. pag. 241. v. 7.

Infundens oleum & vinum Oleum adhibet ſine vino, qui acribus voluntatem peccandi ex confitentis animo non tollit admonitionibus: utrumque adhibendum eſt. pag. 328. v. 11.

Imponens in jumentum Impendenda ſunt pro ſalutis neceſſitate obſequia viliſſima: magna eſt charitas ſalutem proximi conſiderare in proprium diſpendium. p. 551. v. 14. p. 597. v. 22. p. 180. v. 2. & 8.

Quis horum trium Proximus eſt, etſi genere aut fide alienus, qui ope indigentem inverit. p. 506. v. 36. p. 62. v. 18.

Dominica XII. Poſt Trinitat.

Luc. 17.

L*Evaverunt vocem.* Sunt tribulationes frenum, quo continentur homines, ſunt calcar, quod ad Deum impellit accurrere. p. 14. v. 15.

Ieſu præceptor miſerere. Exemplo ſunt peccatori, ut diſcat pro peccati lepra implorare Dei clementiam. p. 60. v. 19.

Ite, oſtendite vos. Abeunt pleni fide, qui ſe mundatos needum conſpexerant. p. 19. v. 1.

Oſtendite vos Sacerdotibus. Benè aliis precari Sacerdotum eſt: nec inanes ſunt benedictiones eorum, etſi malorum. p. 75. v. 20. p. 180. v. 27. p. 102. v. 10. p. 262. verſ. 8.

Oſtendite vos Sacerdotibus. Immundus rejicitur, qui non fuerit Sacerdotis judicio mundus approbatus. pag. 514. verſ. 14.

Oſtendite vos ſacerdotibus. Deſert ſacerdotibus: ſunt contemptui, quorum vita non correſpondet muneri: tu tamen medicum honora. p. 298. v. 1. p. 394. v. 7.

Unus ex illis, ut vidit. Dignum planè, pro beneficiis ſe gratum exhibere: nec magis Deo gratum obtuliſſet ſacrificium, ſi vel vitulum mactaſſet vel ſudiſſet libamina. p. 15. v. 20. p. 41. v. 1. p. 379. v. 3. p. 133. v. 16.

Magnificans Deum cecidit in faciem. Beneficia deprædicet, qui gratiam agnoſcit: corporis animique motibus rependit gratiam, quam non valet leproſus gratis muneribus. p. 171. v. 28. p. 246. v. 8. p. 253. v. 1. p. 237. v. 15. p. 616. v. 10. p. 617. v. 8.

Nonnè 10 mundati ſunt? Unus, ſed non ſine merito, gratus revertitur; aliorum taxat ingratum benefactor animum. p. 514. v. 18. & 19. p. 582. v. 30.

Dominica XIII. Poſt Trinitat.

Matth. 6.

N*Emo poteſt duobus Dominis ſervire* Non eſt perfectum utriuſque Domini ſervitium, ubi perfectus non eſt amor & timor utriuſque. pag. 160. v. 43. pag. 33. v. 20.

Non poteſtis Deo ſervire. Non benè, qui contrariantur ſibi, ædificant; nec benè duabus quis viis ambulat; ſic nec Deo & alij benè poteſt Domino ſerviri. p. 175. v. 7. p. 184. v. 3. p. 286. v. 14. p. 102. v. 15.

Ne ſoliciti ſitis. Ex Dei homo totus providentia pendeat, contra ſpem bona eveniunt: ſuis ſemper providet, qui cuncta providè diſponit. p. 30. v. 8. p. 33. v. 19. p. 42. v. 19. p. 47. v. 28. p. 48. v. 1. p. 138. v. 6. p. 260. v. 3.

Ne ſoliciti ſitis Non eſt inconveniens ad uſum legitimum ſibi ſuiſque bona providere neceſſaria: tollenda eſt immoderata rerum cura. p. 216. v. 2. p. 296. v. 1. p. 419. v. 11. p. 420. v. 25. & 34. p. 508. v. 15. 24. & 29. p. 548. v. 6. p. 53. v. 4. p. 270. v. 11. p. 271. v. 12.

Ne ſoliciti ſitis Solicitus nimis, avarus eſt, qui, cum bonis abundat, inopiam ſimulatione mentitur. p. 261. verſ. 7.

Nonnè anima plus eſt. Animæ majorem, quàm corporis curam habe; verbo creatum eſt corpus, inſpirata anima. p. 4. v. 7. p. 197. v. 2.

Reſpicite volatilia. Expectat homo de Cœlo ſubſidium: nec tamen Dei promiſſio hominis excludit induſtriam. p. 85. v. 10. p. 92. v. 11. p. 113. v. 29.

Nonnè vos magis pluris eſtis? Habet utique curam Deus ſuorum, ſi tantam in impium geſſit ſolicitudinem. p. 7. v. 15. p. 230. v. 21.

Nolite ſoliciti eſſe. Tollit ſuperfluam de cibo & veſtimento curam hominis, ut divinæ ſe committat curæ. brutis etiam providenti, & inanimatis. p. 86. v. 3. & 4. p. 230. v. 7. p. 247. v. 5.

Quærite primum regnum Dei. Præcipua merces Deus habendus eſt, tum ardentius circa divina & quæ ſalutia ſunt, adhibendum ſtudium; cætera ſequuntur. p. 15. v. 1. p. 146. v. 1. p. 159. v. 14.

Dominica XIV. Poſt trinitat.

Luc. 7.

D*Efunctus efferebatur* Per unius pomi eſum adeò à morte nemo ſecurus eſt, ut nec prece, nec pretio redimi poſſit. p. 4. v. 17. p. 133. v. 8.

Defunctus efferebatur. Nihil eſſe in mundo ſtabile, adoleſcentis mors demonſtrat. p. 268. v. 2.

Turba civitatis multa cum illa Frequentia populi divitum honorantur ſepulturæ. p. 32. v. 10.

Noli flere. Humanitatis non prohibetur exhibandum defuncto officium: moderamine uti oportet. p. 330. v. 10. p. 523. v. 28.

Noli flere. Per mortem de perverſorum conſortio ſubtrahi; magnum Dei eſt beneficium: ne fleas à miſeriis ereptum. p. 322. v. 1.

Noli flere. Moritur benè, qui benè vixit, & è diverſo; fortè idcircò benè mortuum deplangere vetat: vel à Deo immiſſam jubet æquè ferre mortem. p. 381. v. 6. p. 130. v. 4.

Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Ad vocem ejus reſurgunt mortui: ſurge, qui dormis in ſepulchro peccati. p. 537. v. 25.

Cœpit loqui. Sua loquatur, taceat aliena, qui per gratiam reſuſcitatus reſidet. p. 292. v. 8.

Dedit illum matri. Non retinuit ſecum tunc; fiat pro temporis neceſſitate non quod melius, ſed quod utilius eſt. p. 501. v. 15. p. 502. v. 35.

Magnificabant Deum. Ad majorem Dei gloriam, & noſtram utilitatem cuncta diſponuntur. p. 262. v. 4.

Dominica XV. Poſt Trinitat.

Luc. 14.

C*Um intraret in domum* Benefacturus convivia adiit Dominus; alij ut corvi cibis inhiant: honeſtatis eſt præter cætera proſtitutio gulæ. p. 10. v. 7. p. 11. v. 21. p. 372. v. 2.

Ipſi obſervabant eum. Benè obſervas proximum, ut ſerves; malè, ut perdas. p. 237. v. 11.

Si licet Sabbato curare? Diei ſeptimæ à Deo conſecratæ tranſgreſſio puniebatur graviter: non violat legem, qui benefacit periclitanti proximo, ad honoris divini gloriam; cedit lex poſitiva naturali, etſi non ſemper ſit licitum contraire. p. 3. v. 3. p. 44. v. 8. & 10. p. 396. v. 40. pag. 431. v. 12. pag. 472. v. 4. p. 510. v. 5. p. 537. v. 10.

Cujus veſtrum aſinus. Contra obtrectatores divina ſe præmunire conſuevit ſapientia. p. 425. v. 18. pag. 499. v. 9. p. 510. v. 5.

Recumbe in noviſſimo loco. Humilitas hominum judicio vilitas eſt: vera tamen in rei veritate gloria eſt. p. 134. v. 20.

Amice aſcende ſuperius. Qui ſe per humilitatem dejicit, non exaltari, ſed præponi meretur. p. 448. v. 26.

Omnis, qui ſe exaltat Sublevantur deſpicabiles, honoribus inſignes redduntur viles: infelicem habet inanis gloriæ exitum. pag. 246. v. 40. pag. 253. v. 6. p. 385. v. 2. p. 398. v. 60.

Qui ſe humiliat. Dei gratiæ acceptò cuncta referas; te minimum exiſtima, ut ſublevaris. pag. 510. verſ. 8. pag. 567. v. 15.

Dominica XVI. Poſt Trinitta.

Matth. 22.

L*Egis doctor tentans eum.* Sunt inſtrumenta diaboli, quibus utitur, homines callidi, major Chriſti hic explorator, quàm Joſeph reputarat fratres. p. 5. v. 1. p. 28. v. 9. p. 497. v. 13.

Legis doctor tentans. Scit legis mandata, nec facit: doctus non eſt à Domino. p. 321. v. 13.

Magiſter, quod eſt mandatum. Non poteſt gravius opponi malum, contra quod ſe homo muniat, quàm lingua doloſa. p. 251. v. 3.

Quod eſt mandatum magnum Curioſè interrogat, qui non vult diſcere; bene rogat, qui noviſſa cupit,

quæ ad pietatem ſpectant. pagina 174. ℣. 1.

Diliges Dominum Deum tuum. Impoſſibile nihil Deus præcepit; cum hæretici præceptum hoc ſervari poſſe negent? p. 84. ℣. 5. p. 163. ℣. 25. p. 315. v. 3.

Ex toto corde. Totum homo Deo, quod habet, dedicet; ſit tamen illud præſtans, & perfectum. p. 54. ℣. 3. & 14.

Et proximum, ſicut teipſum Regula juris naturalis eſt: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & contrà. p. 451. ℣. 39. p. 584. ℣. 58.

Et proximum. Amicus non tantùm eſt tuus proximus ſed quilibet: dilige omnes. p. 62. ℣. 18. pag. 85. ℣. 12. p. 418. ℣. 43. & 45. p. 419. ℣. 9.

Quid vobis videtur de Chriſto? Ad Joannem miſerant, & Chriſtum miraculis coruſcantem ſcire neglexerant; ideo negligentiam culpat. p. 451. ℣. 42.

Cujus filius eſt? Secundum divinitatem Davidis eſt Dominus, filius ſecundum carnem. p. 247. ℣. 1. p. 480. ℣. 35. & 34.

Nec poterant ei reſpondere. Habet ſemper divina ſapientia, quo adverſariorum retundat ora. pag. 436. ℣. 3. p. 449. ℣. 25. p. 537. ℣. 17. p. 541. ℣. 23. p. 250. ℣. 98.

Nec poterant. Veritatis quæſtionem intellectus malitiâ excœcatus non cepit: non reſpondere poterant, nam in fraudulentam animam ſapientia non intrat. p. 277. ℣. 4. p. 449. ℣. 27.

Dominica XVII. Post Trinitat.

Matth. 9.

O*fferebant ei paralyticum.* Adhibere patronos in re obtinenda, non diffidentia, ſed non exiguæ modeſtiæ eſt. p. 32. ℣. 4.

Videns fidem illorum. Meritis aliorum largitur Deus bona non merenti: remiſſionem non conſequitur, qui non propria ad Deum fide accedit. p. 81. ℣. 5. p. 151. ℣. 4. p. 161. ℣. 34. p. 424. ℣. 2. p. 22. ℣. 19. p. 371. ℣. 35.

Videns fidem illorum. Infirma fides non meretur miracula: bene firmam concepere bi fidem. p. 440. ℣. 18. p. 593 ℣. 8.

Confide fili. Non abijcienda eſt bonorum operum fiducia, quam Catholicis conantur hæretici eripere. p. 161. ℣. 1. p. 587. ℣. 36. p. 315. ℣ 3. p. 367. ℣. 10.

Confide fily remittuntur. De bonitate divina eſt firmiter ſperandum; non tamen, de ſalute ſecuritas. p. 7. ℣. 13. p. 273. ℣. 1. p. 287. ℣. 5. & 6. c. 5. p. 385. ℣. 8.

Remittuntur tibi peccata. Cui divinitus remiſſa innotuerunt peccata, credat: alius cum timore ſalutem operetur. p. 177. ℣. 20. pag. 210. ℣. 16. p. 211. ℣. 18. p. 267. ℣. 14.

Remittuntur tibi peccata. In ſola peccatorum remiſſione non cooſiſtit hominis juſtitia; adſint opera virtutum. p. 325. ℣. 6. p. 554. ℣. 2. p. 593. ℣. 38. p. 228. ℣. 1.

Remittuntur tibi. Non eſt peccatum non remiſſibile: reſipiſcentiæ ſpem excludit, qui peccat ex deſtinata voluntate. p. 473. ℣. 28. p. 304. ℣. 18. p. 310. ℣. 14.

Remittuntur Satis afflictus eſt, qui peccato tenetur: remittit peccatum, quem ſatis ſuperque judicabat fuiſſe afflictum. p. 316. ℣. 2.

Hic blaſphemat Falſo jurantem Deus non habet inſontem; nec qui blaſphemat: peccatum grave gravi dignum ſupplicio. p. 44. ℣. 7. p. 343. ℣. 15. p. 400. ℣. 70. p. 417. ℣. 34. p. 64. ℣. 12. p. 70. ℣. 21. p. 161. ℣. 36. & 37. p. 371. ℣. 96.

Cum vidiſſet cogitationes. Cordis abſcondita novit ſolus Deus; non Angelus, non dæmon. p. 92. ℣. 29. p. 116. ℣. 3. p. 332. ℣. 9. p. 501. ℣. 39. p. 214. ℣. 27. p. 254. ℣. 1. p. 557. ℣. 30.

Vt quid cogitatis mala? Non ideo innocens eſt, qui corde machinatur malum, licet noo ſequatur opus. p. 260. ℣. 21.

Filius hominis habet poteſtatem Ex hypoſtatica unione potentiam miraculorum & remiſſionis poteſtatem habet Chriſtus: hanc ille hominibus contulit. p. 424. ℣. 6. & 8. p. 529. ℣. 29.

Surge — vade in domum tuam Liberum remittit: ô! quanta gratia, Deo cum tranquillitate ſervire. p. 490. ℣. 72. & 73. 74. & 75.

Surrexit & abiit. Surgit inunctus per miſericordiam Dei, cujus genua per peccatum fuêre infirmata. p. 246. ℣. 24.

Dominica XVIII. Post Trinitat.

Matth. 22.

N*eglexerunt — & contumeliis affectos.* In malis obſtinatorum hominum eſt hic animus, ad pietatem ſe revocantes contemnere, irridere, contumeliis afficere. p. 180. ℣. 10.

Ite ad exitus viarum. Quos ſpontaneos non capiunt piſcatores, hos terroribus inſectantur venatores. p. 332. ℣. 16.

Vidit hominem non veſtitum. Veſte nuptiali caruit ſuâ culpâ, ex eo perditio propria. p. 430. ℣. 9.

At ille obmutuit Auget ſupplicium, qui veſte nudus non fatetur culpam: benedictione gaudet, qui cum veſte defert quod gratum eſſe noverat. pag. 6. ℣. 11. p. 24. ℣. 15.

Iratus rex dixit miniſtris. Quantum Deo diſpliceat neglectus juſtitiæ, vel hæc in reum oſtendit juſta animadverſio: in tenebras ejicitur, veſtis nuptialis propriâ inopiâ p. 76. ℣. 4. p. 615. ℣. 18.

Ejicite in tenebras exteriores. Infernalium umbræ ſunt ægyptiacæ tenebræ horrendæ: optabilior foret mors, quàm torqueri, nec poſſe mori pag. 38. ℣. 21. p. 628. ℣. 6.

Ibi erit fletus. Tanta erit damnatorum calamitas, ut videantur cœli tantam lugere ruinam. pag. 363. ℣. 7. & 31.

Dominica XIX. Post Trinitat.

Ioan. 4.

I*ncipiebat enim mori.* Affligitur à Deo homo, ut animus innoteſcat, quem gerat erga Deum. pag. 86. ℣. 2. p. 181. ℣. 31.

Niſi ſigna & prodigia Probare ſolet hominum fidem, ut tum ſibi ipſis, tum alius magnifica innoteſcat. p. 19. ℣. 1. p. 199. ℣. 7.

Niſi ſigna Increpatur tarditas ad credendum: nam in utramque partem claudicare non licet, ubi veritas eſt indubitata. p. 152. ℣. 21.

Niſi ſigna. Centurionem dignatur ſuo deſcenſu, & Regulum ſub acribus verbis arguit diffidentiæ: ut quid? Idem ei dives eſt & pauper. p. 2. ℣. 16.

Credidit homo ſermoni. Feſtinant ex promiſſionis diffidentia increduli: qui verè credit, bona per patientiam expectat promiſſa. p. 312. ℣. 16.

Hora 7. reliquit eum febris Horâ perfectâ plenè infirmus curatur: perfecta ſunt Dei opera ſeptimo die; perfectæ ſunt Spiritus S. 7. virtutes. p. 3. v. 2.

Credidit homo ſermoni Priùs infirmam oportebat ſanare patris fidem, ut paternæ fidei meritum in filio operaretur. p. 477. ℣. 21. & v. 23.

Credidit ipſe & domus. Obſtinatam Judæorum perfidiam hæc reguli fides, ipſa quoque dæmonis confeſſio confundit. p. 601. ℣. 15.

Dominica XX. Post Trinitat.

Matth. 18.

V*oluit rationem ponere.* Ad judicium venturi omnes ſine perſonæ diſcrimine rationem reddent; non tamen eſt futura ſupplicij paritas omnium. p. 311. ℣. 2. p. 354. ℣. 6.

Iuſſit eum venundari. Pœnam inflictam, aut certè infligendam pro debito, pœnitentia humilis & preces tollunt. p. 150. ℣. 9. p. 333. ℣. 8.

Patientiam habe in me. Habet patientiam Deus in peccatorem ſæpius, ſæpiuſque remittit debitum; tam eſt miſericors. p. 71. ℣. 22.

Iuſſit venundari & uxorem, & filios Parentum juſtè filij pœnas luunt, quando ab eorum non recedunt peccatis. p. 357. ℣. 20. p. 341. ℣. 6.

Egreſſus ſervus invenit unum. Exactionis memor ſervus à conſervo exigebat, ſed malè: docuerat eum Dominus non vindictam ſumere, ſed exhibere miſericordiam. p. 265. ℣. 29.

Videntes conſervi — narraverunt. Domino. Defert malus, ut noceat; defert bonus, ut, quod ſit malum, emendetur. p. 623. ℣. 10.

Omne debitum dimiſi tibi. Nulla eſt iniquitas tan[ta], tam enormis, quin illius poſſimus veniam ſperare. pag. 7. ℣. 13. p. 311. ℣. 14.

Nonne oportuit te miſereri Vult miſericors Dominus, ut pari in proximum ſimus affecto, quo ipſe in nos: non enim ille nos liberabit debito, niſi debitori dimittamus. p. 218. ℣. 9. p. 420. ℣. 12.

Iratus Dominus tradidit eum. Meritam inhumanus luit pœnam; Dei in ſe iram juſtè crudelis provocat: juſtè de inhumano Deus ignoſcens vindictam ſumit. p. 141. ℣. 26. p. 176. ℣. 12. p. 181. ℣. 5. p. 305. ℣. 18. p. 295. ℣. 1. p. 339. ℣. 11. p. 443. ℣. 34. p. 465. ℣. 25. p. 628. ℣. 7.

Iratus Dominus tradidit. Verſatur in periculo, qui judicium divinum ambit, nec prius reconciliatur inimico. p.417. v.25.

Quoadusque redderet univerſum. Tam ſtricta erit exactio, ut minimorum ſit reddenda ratio, & minuti perſolutio. p.388. v.12.

Dominica XXI. Post Trinitat.

Matth. 21.

A*Beuntes pharisæi conſilium inierunt.* Callidorum eſt proprium, quæque ſua tractare conſilio: fraudem prius meditantur perverſi, quàm in opus redigant. p.33. v.10. p.323. v.4. p.330. v.19.

Conſilium inierunt, ut caperent. Nihil proficiunt, qui corde machinantur mala, etſi mutuò manum ſibi præbeant: conſilium illorum Deus diſſipat. p.260. v.21. p.490. v.51.

Magiſter, ſcimus quia verax es. Eſt fortiſſimus aries adulatio, quo firmiſſimus etiam animus dejicitur. p.177. verſ.20.

Non reſpicis perſonam Æqualiter Deo cura eſt de omnibus: quiſquis operatur juſtitiam, acceptus eſt illi. p.279. v.8. p.589. v.35.

Non Reſpicis perſonam In his, quę ad juſtitiam pertinent, injuſtum eſt contra fas reſpicere vel potentiam, vel dignitatem hominis. p. 81. v.17. p.87. v.19. p.240. v.2. & v.3. p.316. v.2.

Cujus eſt imago hæc? Homo juſtus imago Dei pulchra; peccator mutatur in deformem. p.3. v.26. p.371. v.22. p.183. v.12.

Reddite, quæ ſunt Cæſaris. Reddenda ſunt, quæ debentur; non tamen ab inæqualibus petenda paria. pag.89. v.10. p.450. v.17.

Reddite, quæ ſunt Cæſaris. Quos terminos ſtatuêre majores, non licet prævaricando tranſcendere. p.265. v.28.

Reddite, quæ ſunt. Reddendum eſt, cujus ſubditus es: redde Deo, cujus imaginem geris. Indignum non eſt, ut & homini ſubjectus poſſis, quæ debes, reddere Deo. p.451. v.21. p.480. v.14.

Dominica XXII. Post Trinitat.

Matth. 9.

P*Rinceps unus acceſſit* Tribulationis collyrio inunguntur, & mundantur mentis oculi. pag.615. verſ.18.

Filia mea modò defuncta eſt. Præmaturam filiæ mortem queritur: nemo ſe parùm vixiſſe conqueratur; hoc agat, ut quàm optimè vivat. p.299. v.7.

Veni, impone manum tuam. Non apertis audet verbis filiæ reſuſcitationem expoſcere, miraculi magnitudine deterritus. p.547. v.22.

Ieſus ſequebatur eum. Abſens defunctam non revocat in vitam, ſicut infirmos curavit, atque morti proximos, ut certior eſſet fides cum teſtibus. p.425. v.18.

Dicebat intra ſe Conſiderat hæc in medicorum auxilio, at principaliter in Deo ponebat fiduciam à quo ſibi ſanitatem credebat reddendam. p.255. v.3. pag. 308. verſ.10.

Si tetigero tantum In ſubſidio ſperare humano, divino deſerto, bonum effectum non habet: firma fides per minimum etiam redditum iri ſanitatem. pag.176. v.7. c.16. & v.12. p.426. v.21.

Fides tua te ſalvam Rara eſt fides vera, & ſolida; magnam ea meretur gratiam. p.315. v.8.

Deridebant eum. Nunquam deeſſe ſolent, qui vel mira Dei opera rideant, vel non firmiter ſatis credant. p.547. v.35.

Non eſt mortua puella. Moritur, qui vitâ excedit; dormit tamen, quia evigilaturus dormit juſtus. p.301. v.13. p.312. v.14.

Tenuit manum ejus. Non eſt impoſſibile peccatorem inveteratum ad vitam reſuſcitari gratiæ, redit tamen faciliùs defunctus recens, quam fœtens jam Lazarus. p.282. v.10. p.331. v.23. p.547. v.43.

Dominica XXIII. Post Trinit.

Matth. 24.

C*Um videritis abominationem.* Facturus tantas abominationes Antichriſtus, jure merito nomine notatur abominationis. p.339. v.10. p.375. v.21. & v.37.

Qui in tecto, non deſcendat. Firmamentum inter aquas poſitum eſt, ne moles aquoſa regionis ſuperioris cum aquis marinis coïncideret: tu in bono opere ſta firmus. p.2. v.6.

Orate, ut non fiat fuga hyeme. Aſſumenda eſt pro viæ neceſſitate cibus: ante mortem agenda erit pœnitentia, nec in ſenectutem incertam differenda tamen. pag.94. v.11. p.273. v.1. p.290. v.53. pag.331. v.16. pag.621. verſ.6.

Orate, ut non fiat fuga. Poteſt per pœnitentiam homo, quamdiu in vitis degit, mortem æternam effugere: ſi inflicta ſemel plaga curari nequit. p.293. v.4.

Propter electos breviabuntur dies Ad minorem numerum afflictionis tempus contrahitur, quàm peccata merentur, ut omnia ſerviant electis. p.323. v.26. p.478. verſ. 23.

Nolite exire, nolite credere. Convincunt bruta corruptionis humanam naturam ad falſa credenda propenſam: quærunt angulos pſeudoprophetæ; non exeat, non credat Chriſti fidelis. p.328. v.4. p.478. v.23.

Surgent pſeudochriſti. Quantumcunque ſit ſpecioſa novitas, ſacræ tamen contraria ſcripturæ aut traditionibus Eccleſiæ, non eſt ulla ei fides habenda. p.150. v.18.

Dabunt ſigna- inducantur electi. Ad tempus accidit, ut ab impoſtore decipiatur electus, non relinquitur tamen à Deo. p.456. v.24.

Stellæ cadent de cœlo: Videbuntur cecidiſſe, quia non dabunt lumen conſuetum. p.456. v.29.

Virtutes cœlorum commovebuntur. Tremore judicij concutientur virtutes cœlorum, quas vel luminaria cœli, vel bonos malosvè Angelos intelligas. p.456. v.29.

Mittet Angelos ſuos cum tuba. Tuba clangente ſtabunt omnes, & Dei expectabunt judicium tremendum. p.44. v.13. & 18.

In Dedicatione Ecclesiæ.

Luc. 19.

I*N domo tua oportet me manere.* Zachæi domum; in qua ſalus omnibus fieret, elegit; propter peccata gentis plura loca profanari permiſit. p.403. v.19.

Feſtinans deſcendit. Divinæ gratiæ recuſare diverſorium, non tam humilitatis, quàm contemptus videtur eſſe ſignum. p. 517. v.5.

Dimidium bonorum meorum. Filium non Abrahæ ſe probat, ſed filium Dei, qui liberalis eſt in pauperes. p.87. v.4.

Si quid aliquem defraudavi. Tanquam laqueo re aliena, trahitur in præcipitium: benè reddit, ut evadat, & pauperibus diſtribuit, ut redimat peccata. pag. 38. v.7. p.517. v.8. p.372. v.24.

Redde quadruplum. Fraudare, abominabilis eſt injuſtitia; non remittitur peccatum, niſi ablato reſtituto, atque recompenſato damno. p.45. v.15. p.46. v.19. & 1. p.264. v.10.

Hodie huic domui ſalus. Peccatrici genti propter juſtorum parcitur merita: propter Zachæum toti domui fit ſalus. p.403. v.19.

Quod & ipſe filius ſit Abrahæ Abrahæ filius opera habeat: ad juſtitiæ incrementum valet fides, quatenus opus erat ſimpliciter Deo gratum. p.25. v.6. p.495. v.8. p.497. v.38.

Venit filius hominis quærere. Verus Joſeph quærit fratres; grandis amor, in gratiam recipere injuriam, reducere proximum perditioni. p.26. v.16. p.112. v.2.

DE SANCTIS.

In Festo S. Andreæ Apostoli.

Matth. 4.

V*Enite poſt me.* Cum Deus obedientiam probet, nullus eſt prætextus prætendendus ad vocationem Dei differendam p.17. v.12. p.41. v.15.

Venite poſt me Ut divinæ cuncta deferantur virtuti, non eruditos, ſed rudes elegit Sapientia æterna, quos cœleſti doctrina inſtructos in terrarum orbem emitteret. p.165. v.10. pag.566. verſ.2. pag.109. v.6. pag.119. verſ.12.

Faciam vos piſcatores. Trahuntur, qui rete intrant piſces; trahuntur ad fidem, qui veniunt. pag. 332. verſ.16.

Relictis retibus ſecuti ſunt. Dimittenda ſunt planè, quæ Dei ſervitio minùs perfectè agendo poſſunt obſtare. p.36. v.26.

Relictis continuò retibus Sine ulla hæſitatione divinis vocationibus parendum docent: non navim reduxerunt; nam

nam vel minimum quid revocare promptum valet animum. p.104. v.2. p.19. v.2. p.504. v.59.

In Conceptione. B. M. V.

Matth. 1.

Filij David Complementum erat Chriſtus eorum, quæ promiſſa Davidi fuerant, ex cujus ſtirpe natus eſt per genealogiam continuatam. p. 169. v.11. c.17. p.407. v.16.

Filij Abraham Donum merè Dei Patris eſt gratuitum, Abrahæ factam fuiſſe promiſſionem, de ſemine ſuo eſſe naſciturum Meſſiam. p.13. v.3. p.85. v.15.

Ezechias genuit Manaſſen. Moriturum ſe lamentatur pius hic Rex, non vitæ deſiderio, ſed Meſſiæ differendi dolore. p.315. v.9.

De qua natus eſt Ieſus. Miraculò natus, vitam exorſus mirabilem, non ſine miraculis vitæ tranſactæ finem per miraculum impoſuit. p.483. v.39.

De qua natus. Ardens rubus non combuſtionis ſenſit incommodum; nec virgo Mater novit integritatis detrimentum. p.54 v.2.

De qua natus. Non parum, etſi parum, de virgine dixiſſe videatur; nam vulgatis ipſa non extitit. p.572. v.14. p.302. v.19.

De qua natus Excellentiori modo ad ſublimiorem ſanctitatis gradum præordinata eſt, quæ de cœlo data, Regina virum decorum peperit, imò Solem Sole amictn. pag.186. v.18. pag.293. v.14. p.575. v.33. p.613. verſ.1:

De qua natus. Virulenti ſerpentis ipſa contrivit caput: Hanc qui comitem habet, non timeat, præſentia ejus additur animus. p.6. v.15. pag.104. v.8. & 18. pag.123. verſ.18.

In Festo S. Thomæ Apostoli.

Joan. 20.

Thomas non erat cum eis. Incredulus Thomas, de reſurrectione dubitare permiſſus, Chriſto apparente fidelis efficitur; nam ſine gratia Dei à tentatione non liberatur homo. p.181. v.31.

Non erat cum eis. Tempori, aut loco non alligatur Spiritus ſancti gratia: nec Thomas dicendus eſt eſſe privatus, etſi abſens. p.565. v.24.

Niſi videro in manibus. Perſuademur quaſi per ſomnium ad ea, quæ videntur captum excedere; non niſi confirmata certitudine credimus. pag.30. verſ.26. p.565. verſ.25.

Non credam. Non ſine pœna eſt, rem captu difficilem penitùs impoſſibilem reputare. p.157. verſ.2.

Affer manum tuam Nulli eſto dubium, quin Thomas cum ingenti cordis gaudio & veneratione latus Domini contrectaverit: tu ejuſdem corpus venerare. p.564. v.17. p.565. v.25.

Dominus meus, & Deus meus. Mira dexteræ Excelſi mutatio! pertinax in incredulitate omnes excellit confeſſione: Non corde tantùm, ſed & verbo, & opere, ubi expoſtulet ratio, & neceſſitas, fidem oportet profiteri. p.350. v.5. p.566. v.18.

Quia vidiſti me. Non credit prudens facilè omni homini: Deo primæ veritati qui non credit, reprehenſibilis eſt. Reprehenditur Thomas tot teſtibus fidem non habens: vidit, & credidit poſteà: ſed plus credidit, quam vidit. p.292. v.4. p.565. v.26.

Beati, qui non viderunt Præcellunt merito, qui propter divinam authoritatem ad credendum ſe promptos exhibent. p.433. v.16. p.566. v.29.

In Festo S. Protomart. Stephani.

Matth. 23.

Ut veniat ſuper vos. Servorum ſuorum injurias Deus ſuas reputat, & ulciſcitur: rependit juſto ſupplicio illatam necem. pag. 111. v.19. pag. 158. verſ. 26. c.9. & v.13.

Ut veniat ſuper vos In malum conſpiratio animorum infert meritorum communionem: rei ſunt, qui factum perversâ complacentiâ approbant. p.453. v.35. p.153. verſ. 2.

Quem occidiſtis. Sumit augmentum perpetratum crimen, cum infertur ei, in quem nulla eſt facultas. p.144. v.27.

Ieruſalem quæ occidis prophetas. Præmium prophetarum à Judæis reportatum vix aliud erat, quam perſecutio: juſtâ reprehenſione digni ſunt, qui malignantur in prophetis. p.151. v.7. p.378. v.5. p.168. v.22.

Quoties volui congregare. Non Deo adſcribenda eſt animi induratio, ſed pravæ hominis voluntati: nimiam ipſe conqueritur hominis pertinaciam. pag. 38. v.12. p.71. v.22. p.436. v.4.

Et noluiſti Expectat Deus longanimis pœnitentiam, quam ipſe largitur: prudenter egerit, qui ſano obedierit conſilio. p.164. v.27. p.313. v.18.

Relinquetur domus veſtra. Sunt frequenter pœnarum prædictiones tantùm comminatoriæ; peccatoris obſtinatio definitivam inducit ſententiam. pag.83. v.23. p.104. v.13. p.161. v.1. p.336. v.13. p.542. v.21. p. 18. v.3. p.161. v.19. p.195. v.6. pag. 230. v. 13. pag. 318. verſ.10.

Relinquetur vobis domus. Complacebit ſibi aliquando divina Juſtitia in pœnæ inflictione: admonitus ſufficienter & non abſtinens plectitur per judicis ſententiam. p.72. v.30. p.257. v.26. p.179. v.15. & 19.

Relinquetur domus deſerta Subtrahit ob peccata Deus beneficium gratiæ: obſtaculum ſibi ponit obſtinatus. p.117. v.30. p.421. v.6. p.430. v.21. p.109 v.6.

Relinquetur domus veſtra. Vindicat peccata per inſulſum conſilium, in quod labi permitteris. p.174. v.15. p.169. verſ.1.

Relinquetur domus deſerta. Tanta eſt quandoque gravitas criminum, ut preces non admittantur, quibus avertantur ſupplicia. p.331. v.1. p.163. v.17.

Relinquetur domus deſerta. Docet Judæorum obcæcatio, quantum debeamus pro gentium illuminatione; deſerta eſt, quæ abundabat, ſterilis fœcunditate gaudet. p.322. v.1.

In Festo S. Joannis Evangelistæ.

Joan. 21.

Quem diligebat Ieſus. Sunt majoris amoris incentiva majora indicia virtutum. p.26. v.3. pag. 29. v.34. p.31. v.22. p.551. v.23. p.567. v.15.

Quem diligebat Ieſus. Dilectus utique, qui fortè unigenitus eſt: dilectus, cui pretioſiora commendantur. p.165. v.1. p.561. v.26. & v.37.

Exiit ſermo inter fratres Tranſlatus eſt Enoch, quia Deo ipſe placuit; à martyrio immunis Joannes, an ſit alia morte ſublatus, certamen eſt inter doctores. p.7. v.24. p.568. v.23. p.569. v.23.

IN FESTO SS. INNOCENTUM.

Vide

Dominica Post Oct. Nativitat.

IN PURIFICATIONE B.V.M.

Luc. 11.

Poſtquam impleti ſunt dies. Purificatione quid opus virgini? tota pulchra eſt, nec eſt in ea macula: p. 275. v.7. c.4. p.492. v.23.

Dies purgationis ejus ſecundum legem. Legi ſubjecta minimè, legem implevit obedientiæ: fac tu ſecundum datum exemplar. p.48. v.30. p.59. verſ.2. & 6. p. 171. verſ. 19.

Tulerunt illum in Ieruſalem. Hoſtiam pauperum virgo pauper obtulit, ſed divitum hoſtiâ longè pretioſiorem, Agnum immaculatum. pag.491. v.24. pag.116. verſ.28.

Nunc dimittis ſervum tuum. In pace colligitur, qui imminentibus malis eripitur: dimittitur, qui ante ingruentia ſaltem demittetur. pag.161. v.21. pag.163. verſ. 20.

Lumen ad revelationem Natus in terris Salvator gentium illuminavit tenebras: non jam ignem de cœlo deſcendere videt Simeon, ſed ipſum lumen agnoſcit. p.493. v.32. p.173. v.1. c.7.

In Festo S. Matthiæ Apostoli.

Matth. 11.

Confiteor tibi, pater. Excæcatos ſuperbiâ ſapientes non dignatur gratiâ Deus, humilibus revelat myſteria fidei: gratias idcirco agit Chriſtus patri. p.430. v.15. p.612. v.1.

Venite ad me omnes. Magna Dei clementis pietas! ad ſe

ſe vocat, qui receſſerant, ut pœniteant, invitat. p. 326. verſ. 1.

Diſcite à me. In cœlum non eſt collatum homini dominium; datum eſt in creaturas: cur? ut meminerit eſſe ſupra ſe alium majorem. p. 3. verſ. 28.

Iugum meum ſuave eſt. Facilia ſunt in te mandata Dei, atque jucundiſſima; homini carnali adverſantur. p. 227. v. 4. p. 431. v. 30.

IN FESTO S. JOSEPH. SPONSI B. V. M.

Matth. 1.

C*Vm eſſet deſponſata* Virgo permanſit perpetua; non facta obſtitit cum viro deſponſatio. p. 408. v. 18.

Ioſeph cum eſſet juſtus. Ex altero Joſeph collige hujus fidelitatem: traducere noluit; nec enim vel occultum licet crimen proferre in medium. pag. 27. v. 9. & 14. p. 409. v. 19

Cum eſſet juſtus. Cur Sponſæ non parcat honori, quando & Dei Filius pepercit matris? pag. 433. v. 50.

Apparuit Angelus Domini. per ſomnia revelantur occulta: ſed in Angelum lucis quandoque ſe transfigurat Satan. p. 26. v. 5. 7. & 9. p. 129. v. 11.

Quod in ea natum eſt Spiritus S. ſpecialiter incarnatio Filij attribuitur: ex ipſo ſunt gratiarum dona: majus non eſt incarnatione. p. 409. v. 20.

IN ANNUNCIATIONE B. M. V.

Luc. 1.

M*Iſſus eſt Angelus Gabriel.* Sine conſenſu nil effeciſſet Eliezer, ſine conſenſu virginis nihil Angelus. p. 19. verſ. 57.

Ad Virginem deſponſatam. Virga frondens certam probavit electionis mentem divinam: præ cæteris omnibus in Dei matrem per Angelum ſeligitur. p. 73. v. 2.

Nomen virginis Maria In matrem Filij Dei præ cæteris electa, viro deſponſata etiam, intacta permanſit Virgo. p. 241. v. 1. p. 408. v. 18.

Ave gratia plena. Pacem precatur, cum qua & ipſa gratia erat, ut quæ ornatum habens horti amœniſſimi. p. 275. v. 12. p. 487. v. 28.

Quæ cum audiſſet, turbata eſt. Collegit ex ſermone Angeli fœcunditatem; turbatur ideò, quia voverat virginitatem. p. 487. v. 28. p. 488. v. 31.

Ecce concipies. Ea eſt virgo ab Iſaia prædicta, licet canes oblatrent judaici. p. 306. v. 14.

Dabit illi Dominus. Implendam aſſerit prophetiam & promiſſionem de Meſſia Angelus: regnum Eccleſiæ finem non habet; familia David in regnum creſcit. p. 32. v. 40. p. 369. v. 11. c. 17. pag. 242. v. 39. p. 247. v. 1. p. 383. v. 11.

Quomodo fiet iſtud? Naturale eſt humano intellectui de inauditæ rei modo inquirere: non dubitat de potentia Dei, ſed inquirit de modo; nec ergo eſt reprehenſibilis. p. 15. v. 8. pag. 17. v. 10. & 12. p. 70. v. 21. p. 487. v. 18. p. 488. v. 34. p. 143. v. 11. p. 489. v. 46.

Quod naſcetur ex te ſanctum Sanctum ſanè, eminanter ſanctum, quia Filius Dei. p. 488. v. 35.

Ecce Eliſabeth cognata tua Fides confirmatur allato exemplo; ad pietatis officium excitatur impendendum. p. 488. v. 35.

Ecce ancilla Domini Quantò excelſior, tantò humilior: verè humilis eſt, quæ ſe conditione humilem dicit. Diſce humilis eſſe; humilitate aſcendis. p. 489. v. 38. & v. 48. p. 490. v. 10. p. 36. v. 19. p. 115. v. 10. p. 155. v. 17. p. 134. v. 20.

IN FESTO SS. PHILIPPI ET JACOBI APOST.

Ioan. 19.

N*On turbetur cor veſtrum.* Ponitur afflictionis à Deo terminus: eſt Deus, qui conſoletur, eſt præmium, quod ſperetur. p. 15. v. 13. p. 218. v. 10. p. 521. v. 43.

Non turbetur In bonum juſtorum ab impiis inferuntur adverſa: ingruente igitur afflictione quiſquis Salvatoris exemplum ſibi habeat ſolamini. pag. 20. v. 25. p. 466. v. 46. p. 231. v. 12. p. 247. v. 7.

Non turbetur. Non eſt, quod turberis afflictus; facilè devincis adverſa: orat pro te Chriſtus, te juvare parat. p. 71. v. 9. p. 558. v. 11 p. 583. v. 55.

Creditis in Deum. Et in Deum, & in Filium ejus credere, fides ſalvifica eſt: Infidelis eſt, cum fide unius Dei non aliam præmiatricem operum vitam credere. p. 191. v. 16.

In domo patris mei. Eadem eſt eſſentialis juſtorum in cœlis gloria; ſed præmia diverſa conſequuntur. p. 99. v. 9. & v. 5. & 9. p. 100. v. 17. p. 552. v. 2.

Oſtende nobis patrem. Nemo patrem vidit unquam; curioſus eſt, qui videre illum anhelat. p. 528. v. 18.

Philippe, qui videt me Patrem videt, qui videt Filium; nam Pater & Filius unum ſunt. p. 552. v. 9.

Opera, quæ ego facio. Confertur miraculorum patrandorum poteſtas à Deo ſervis ſuis: unum omnia ſunt opus, in charitatis radice. p. 36. v. 1. p. 242. v. 17.

Majora horum faciet. Conjunctior nunc Patri Filius maximorum præſtat miraculorum gratiam; quando id res & fides expopoſcerit. p. 552. v. 12. & 13.

Eſtij Annot. in Script.

IN INVENTIONE S. CRUCIS.

Ioan. 3.

N*Iſi quis renatus fuerit denuo.* Nec Sacerdotium, nec lex vetus in terram promiſſam introduxit, ſolus induxit Jeſus; una ſalvavit ab interitu arca: una per baptiſmum ad ſalutem via. p. 9. verſ. 6. pag. 533. v. 3. & 6. p. 76. v. 14.

Spiritus, ubi vult. Non eſt alligata Spiritus S. gratia; largitur dona pro voluntate ſua. p. 75. v. 3. p. 217. v. 7. p. 533. v. 8.

Tu es magiſter. Non mirum, quod tam alia non noſſet myſteria; magiſter quidem erat, ſed nondùm luce divina illuſtratus. p. 267. v. 1.

Sicut Moyſes exaltavit In cruce ſanitas & ſalus eſt: qui fugiunt, perditionem incurrunt. p. 42. v. 25. p. 74. v. 8. p. 110. v. 14. p. 182. v. 7. p. 343. v. 11. p. 348. v. 20.

Ita exaltari oportet. Mortem, qua exaltaretur, Chriſtus elegit; jam enim poteſtatem regiam adoravit Jacob. p. 91. v. 31. p. 498. v. 19.

Ita exaltari oportet Decretum de implenda morte erat divinum, non tamen de peccato in Chriſtum perpetrando. p. 578. v. 28.

Vt omnis, qui credit in eum Salutis ſignum T fronti appingitur: perſeveranti fide in Chriſtum cruce exaltatum ad ſalutem creditur. p. 354. v. 4. p. 533. v. 14. & 18.

IN FESTO S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Luc. 1.

E*Liſabeth impletum eſt tempus pariendi.* Felicior Zacharia eſt Abraham, qui credidit: ſed Sarâ Eliſabeth; non enim arguta legitur. p. 16. v. 5. & 10.

Vocabitur Ioannes Non benè gaudet impoſito ſibi nomine, qui bonis illud non probat moribus. p. 592. v. 8.

Ioannes eſt nomen ejus. Dignum Joannis nomen: gratioſa jam ſedentibus in tenebris lucerna parabatur. pag. 493. verſ. 79.

Et factum eſt in die octavo Inditur meritò nomen puero, quando in populo Dei nomen habere cœpit. p. 490. v. 59.

Quis putas, puer iſte erit? Demonſtrant exteriora indicia, quatum ſint virtutum capaces animæ: jam præſagiebant grandia vix nati ſpecimina. p. 34. verſ. 12. p. 412. v. 5.

Quis putas puer iſte erit? Utique magnus, nam magnus coram Domino; quo major nemo: Solem præcedens Lucifer. pag. 486. & 487. v. 15. & 17. p. 501. v. 28. p. 527. v. 6. & 7. p. 600. v. 25. p. 529. v. 30.

Etenim manus Domini erat. Manus Domini cum illo erat, quia per gratiam factus eſt, quo major nemo inter natos mulierum. p. 160. v. 5. p. 501. v. 28.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI APOST.

Matth. 16.

B*Eatus es, Simon Barjona.* Præ cæterorum, fides Petri dilaudatur; plus ille ex patris agnovit revelatione. p. 436. v. 33. p. 530. v. 49.

Tu es Petrus. Una pars extra fratres datur Petro, Eccleſia illi commiſſa: privatum illa tenet inter cæteros; p. 31. v. 22. p. 426. v. 2. p. 484. v. 7. p. 521. v. 32. p. 551. v. 6. p. 584. v. 5. p. 594. v. 7.

Tu es Petrus Unus ovium Chriſti paſtor Petrus excellentia eſt; participatione multi ſunt. p. 335. v. 4. p. 437. v. 19. p. 567. v. 11. p. 177. v. 11.

Tu es Petrus Viciſſitudinem honoris reddit Chriſtus Petro: firma petra jam hac confeſſione hæreſum procellas eliſit. p. 436. v. 16. & 18.

Tu es Petrus. Non minùs Eccleſiæ quàm Synagogæ, de capite, ac ejus poteſtate providere oportebat. pag. 87. v. 8. & 12. p. 311. v. 20. p. 437. v. 19. p. 48. v. 18.

Super hanc Petram ædificabo. Una eſt, ſancta, Catholica, Apo-

Apoſtolica, ſupra petram ædificata Eccleſia: extra hanc nulla ſalus. p.9. v.6. pag. 186. v.20. p. 383. v.17. p.388. v.1. p.561. v.23. p.205. v.7.

Super hanc petram Corruit Salomonis templum cum columnis: domus æternæ Sapientiæ ſtat æterna; nam ſtabilita Spiritus S. donis. juge ſacrificium continet. p.146. v.12. p.259. v.1. & 2. p.323. v.21.

Portæ inferi non prævalebunt. Non prævalebunt dæmon, & ſequaces loquaces hæretici; terribilis eſt Eccleſia; Dominus eſt murus ejus: non fidem penitus ſubvertent. p.276. v.9. p.320. v.1. p.350. v.4. p. 365. verſ.2. pag. 366. verſ.17. pag.374. verſ. 10. pag.390. v.4. p.521. verſ.32.

Tibi dabo claves regni cœlorum Duplices Chriſtus Pètro claves contulit: habent Eccleſiæ præpoſiti poteſtatem, qua condant leges, & doceant, quibus obediamus. p.152. v.17. p.505. v.16. p.259. v.20.

Tibi dabo claves. Spem habere ſalutis non poterit, qui Eccleſiæ Petro commiſſa per fidem ſe non ſubmiſerit ipſe claves habet. p.323. v.12. p.353. v.12.

In Visitatione B.M.V.

Luc. 1.

E*Xurgens Maria abiit in montana.* Non ſine comitatu abiiſſe veriſimile eſt, ne Virgo pudica præberet cauſam ſuſpicionis. p.489. v.39.

Exurgens cum feſtinatione. Feſtinat, non hæſitat animo, qui verè credit. p. 105. v.8.

Abiit in montana. Fertur in ferculo per montana Divinus quid ni animatò Salamon? p.275. v.7. c.3.

Benedicta tu inter mulieres. Benedicta, quæ æqualem non habet; benedicta, quam dicunt beatam omnes: benedicta, in qua benedictionis plenitudo reſidet. p.77. v.20. p.244. v.5. pſ. 98. p.506. v.27. & 28.

Benedicta tu inter mulieres Fortè benedictam prædicat, quia charitatis prævidet officia: magis eam deprædicat peccator, quam benignam Ruth expertur. p.114. v.10.

Magnificat anima mea Dominum Propheti ſſam dicas, quæ Deum geſtat in utero: utique Spiritu S. plena. p.489. v.46. & 48.

In Festo S. M. Magdalenæ.

Luc. 7.

E*Cce mulier, quæ erat.* Patent aliorum peccata, ut ruina ſit cautela, remiſſio ſpes veniæ. p.136. v.2.

Stans verò ſecus pedes ejus. Interiorem animi dolorem exterior demonſtret pœnitentia, ut veniam conſequatur. p.181. v.27. p.153. v.29. p.309. v.2.

Lacrymis cœpit rigare Olla fuliginoſa per pœnitentiam recipit albedinem: eluitur pœnitentiæ lacrymis contracta à peccati nigredine macula. pag. 236. v.14. p.250. v.136.

Capillis capitis ſui tergebat In Dei ſunt adhibenda ſervitia, quæ vanitati deſervierant. p.53. v.8. p.250. v.136.

Hic ſi eſſet propheta Poſuit in cœlum os ſuum Phariſæus, judicando Chriſtum; tranſivit lingua in terra, peccatrici improperando. p.238. v.9. p.288. v.6.

Simon habeo tibi aliquid dicere. Præmunit ſuos divina benevolentia contra obtrectatores. p.222. v.13.

Vides hanc mulierem Tanquam à monſtro timebat ſibi Simon; at prodigium illa facta eſt cunctis, adjuta à Chriſto: phariſæi faſtus retunditur. p. 237. v.7. p.386. verſ.2.

Remittuntur ei peccata multa Felicius Magdalena doluit, quàm deſperavit Cain: tantò plus doluit, quantò in cogitatione profecit. p.7. v.13. p.269. v.18.

Remittuntur ei peccata Non minùs gratia dignus eſt pœnitens, quam eam innocens meruerat: non nocebit iniquitas ei, qui convertitur. p.51. v.29. p.363. v.12. & 13. p.311. v.15. & 18.

Remittuntur ei. Non dupla (etſi non injuſtè, ſi fiat) punit Deus pœna: qui per pœnitentiam peccata ſua vindicat, à Dei ſe vindicta ſecurum reddit. p.316. v.2. p.386. v.9.

Remittuntur peccata tua. Eſto, peccata remiſſa ſperes; noli pro reatu aliorum intermittere preces. p. 233. v.2. p.293. v.1. p. 297. v.3.

Remittuntur tibi Gratiæ debetur peccatorum remiſſio: non per pœnitentiam ſolam, ſed per alia opera datur venia. p.380. v.13. c.2. ibid. v 12.

Remittuntur tibi. Redemptus paſſionis pretio homo ſui ipſius per pœnitentiam fit redemptor: dilectionem ejus augent remiſſa peccata. p.372. v.24. p.501. v.47.

Remittuntur tibi Non tam ſeverus Deus eſt, quin commiſſa peccata pœnitenti ſæpius remittat. p.381. verſ.3.

Fides tua te ſalvam fecit. Præſtat priùs verbo ſignificatum effectum, dum remiſſionem confirmat. p.501. v.48.

In Festo S. Jacobi Maioris Apost.

Matth. 20.

D*Ic, ut ſedeant hi duo filij.* Ambitioſa mater pro filiis honores petit, & majores præ cæteris: non impletur hominum cupiditas. p.106. v.22. p.147. v.13. c.9.

Neſcitis, quid petatis. Non ſcit, quid petat, qui ambitioſus eſt: malorum radicem plantare petit, & cunctorum criminum ſeminarium p.12. v 9. p.14 v.8. p.144. v.23. p.398. v.5. p.401. v.11. p.403. v.7. p.518. v.14. p.72. v.3. p.149. v.20. cap. 12.

Neſcitis, quid petatis In petentis permittitur exitium, quod pertinaci petitur voluntate: accipit, qui in aliorum rogat commodum. p.75. v.32. p.154. v.9.

Dicunt ei: poſſumus Ea eſt natura hominum, ut plus ſuis adſcribant viribus, quàm valeant. p. 447. v.22.

Non eſt meum dare vobis. Denegatur, quod citra modum petitur: irrationabile eſt velle obtinere ubi non præceſſit meritum. p.52. v.11. & 19. p.447. v.22. & 23. p.79. verſ. 14.

In Festo S. Laurentii Martyris.

Ioan. 12.

Q*Vi amat animam ſuam* Amat vitam, eamque perdet, qui pro vita animam peccando perdit: non tantâ in te virtute polleat afflictio, ut pro vita animam exponas. p.603. v.24. p.342 v.9.

Ubi ego ſum, & miniſter meus erit. Honoris ſui Deus facit participem, qui fuerit pugnæ comes. pag.630. verſ. 11.

Si quis mihi miniſtraverit. Miniſter Dei fidelis eſt, qui nomen ejus deprædicat, ejuſque honorem exoptat augeri. p.418. & 419. verſ.9. & 10.

Honorificabit eum pater meus. Curialis eſt Deus, honorem rependit, obſequium remuneratur. p.77. v.24. p.175. v.2. p.446. v.20. p.559. v.15. p.561. v.27. p.567. v.15. p.224. v.4.

In Assumptione B. M. V.

Luc. 10.

Q*Væ ſedens ſecus pedes Domini* Intentus divinis aliud nihil cogitat: ad pedes quoque ſe collocat, nam ad humilitatem convallis aqua gratiæ confluit. p.352. v.9. p.506. v.39. p.275. v.7.

Martha ſollicita es. Ad externæ actionis negotia ne avocetur contemplativus: compatiendum eſt inquietæ vitæ; nec tamen eſt ſine merito. pag.275. v.7. p.551. v. 23.

Maria optimam partem elegit. Optima contemplativorum pars, qui æterna intrant tabernacula. pag.241. verſ.4.

Maria optimam partem elegit. Optimam partem elegit, qui Mariam eligit: Arcus fœderis eſt; Aſylum peccatoris rei eſt; Arca fiduciæ & ſpei eſt: Theca prudentiſſima. p.11. v.13. p.80. v. 13. & 16. p. 96. v.2. p.117. v.3. p.136. v.2. p.11. v.12.

Maria optimam partem Arcam teſtamenti tam ſolemnitas tranſlationis decebat, quàm excellentia loci: docet Arcam Dei veram locus, quo ſublimior poſt Deum nullus. p.182. v.3. p.226. v.7.

In Festo S. Bartholomæi Apostoli.

Luc. 6.

E*Xiit in montem orare* Negotium ut ſucceſſum bonum habeat, prævia illi ſit oratio comes. pag. 19. v.36. p.185. v.21,

Erat pernoctans -- & elegit. Ex gratuita Dei voluntate proficiſcitur electio; non ex meritis. pag. 382. v.14. c.9.

Bartholomæum. Ad tabernaculi ornatum contulerunt omnes, D. Bartholomæus pellem jacinthinam contulit. p.48. v.14.

Iudam Iſcariotem. Dignus nefario locus ultimus: non meretur alium, qui ſe ſancto conſortio indignum reddidit. p.581. v.9.

Vos eſtis lux mundi. Lux mundi Chriſtus, lux & Apoſtoli, non pari ratione. p.416. ℣.14.

Vos eſtis lux mundi. Lux inſignis, ubi doctrinæ vita reſpondet; hîc lux mundi, ibi æternitatis ſtellæ. p.157. ℣.7 p.375. ℣.3.

Luceat lux veſtra. Condecet valdè, ut qui dignitate præcedit, & fide, ſancta in converſatione quoque primus appareat. p.186. ℣.1. p.538. ℣.35.

Non veni ſolvere. Juſtificatio noſtra principalis eſt adventus Chriſti cauſa: venit ergò, ut per nos legis obſervatio adimpleatur. p.416. ℣.19

Qui ſolverit unum. Eſto magni ſit hominibus; ſed non Deo: magnus eſt, qui, quod docet, opere probat, bonum. p.416. ℣.19.

De Confessore Abbate.

Matth. 19.

E*Cce, nos reliquimus omnia.* Renunciat omnibus, qui cuncta paratus eſt relinquere potius quàm contraire Deo: non verè ſequitur, qui pro munere temporali eum ſequitur. p.304. ℣.23.

Ecce nos reliquimus omnia Corruunt idola, quando Ægypto egredimur: vitam agit Apoſtolicam qui præſentia omnia quævis, & animo relinquit futura. p.80. ℣.4. p.499. ℣.28. p.509. ℣.26.

Et ſecuti ſumus te. Non niſi habitu tantùm & corpore Chriſtum ſequitur adhærens ei, qui plus vitam vel bona, quàm Deum, Diligit. p.463. v.70.

Quid erit nobis? Præmium eſt, apud poſteritatem immortalis memoria, & gloria æterna: præmium inſigne. p. 300. ℣.10. p.301. ℣.1.

Sedebitis ſuper ſedes 12. Aſſeſſoriâ dignitate fulgebunt, qui non tam actu, quàm affectu cuncta terrena dimittentes, veritati crediderunt: judicabunt, qui converterunt tot peccatores. p.445. ℣.28. p.383. ℣.21.

Omnis, qui reliquerit domum. Non cujuſquam rei amore nec pretio remoram pati, quò minùs perfectè ſerviatur Deo, perfectionis eſt, ingentiſque meriti. pag.445. ℣. 29.

Qui reliquerit aut patrem Non impium dicas, pro amore Dei etiam parentes relinquere: præfertur etiam in domo Patris cœleſtis origine liberorum orbus illi, qui longam trahit filiorum in terra progeniem. p.312. ℣.4. p.510. ℣.26.

Centuplum accipiet. Præſtant ſpiritualia chariſmata terrenis bonis pluſquam centuplo: nihil habentes omnia poſſident; cunctis renunciantes manet vitæ æternæ præmium. p.478. ℣.29.

De Virginibus.

Matth. 13. *&* 25.

E*Xibunt Angeli, & ſeparabunt* Angeli ſunt, quibus Deus utitur miniſtris ad puniendos impios. pag.40. ℣ 23.

Separabunt malos Eſt in homine juſto quidpiam boni, per quod vocetur Deo dignus, & ſeparatus à malis æternæ vitæ donetur munere. p.278. ℣.5.

Ibi erit fletus In eas impij miſerias incident, quas ſuſtinere nequeant, ferre tamen cogantur: juſti lumina tunc requie potientur. p.254. ℣.11. p.38. ℣.7.

Simile eſt regnum cœlorum 10 *virginibus* Non præceptum putes multiplicari per connubium; benedictio eſt, quod dicitur: creſcite, & multiplicamini. pag.3. ℣.22.

Quinque fatuæ. & 5. *prudentes.* Diverſis Eccleſia conſtat ex hominibus; ſunt bonis permixti mali, fatuæ ſapientibus: in arca non munda tantummodò, ſed & immunda animalia numerabantur. p.9. ℣.6. p.4. ℣.8. p.46. ℣.18.

Neſcio vos. Seriùs, & fruſtrà voles conſequi, quod, cum potuiſſes habere, neglexiſti. p.173. ℣.3.

Neſcitis diem, neque horam Tempus nemo ſibi pœnitentiæ promittat, & ſecuritatis, rapit teneras ſpinas iræ divinæ tempeſtas. p.135. ℣.10.

De Una Vidua.

Luc. 21.

V*Idit viduam, æra minuta duo.* Cor & intentio bona pluris Deo, quàm oblata ſibi munera ſunt: non placet illi opus etiam laudabile, ſine bona hominis intentione. p.6. ℣.4. p.158. ℣.18.

Mittentem æra minuta duo. Plus offert, qui de minori minus largitur, quàm ſi de affluenti donaret majus. p.182. ℣.18.

Vidua hæc pauper pluſquam omnes miſit. Non tam oblatum munus Deo acceptum eſt, quàm quòd plus promereatur, qui ex majori affectu minus offert. pag. 519. ℣. 3.

Hæc totum miſit. Deum tentare putandus, imò culpandus non eſt, qui ſubſtantiam illi conſecrat, licet manibus operando lucrari valeat. p.481. ℣.44.

F I N I S.

Digitized by Google